
ACTA
SANCTORUM
AUGUSTI.

TOMUS QUARTUS.

IMPRESSION ANASTALTIQUE
CULTURE ET CIVILISATION
115, AVENUE GABRIEL LEBON
BRUXELLES
1970


Pedit all. scientiam
Sanctorum Sapio
Sanctorum Letantur
ACTA
SANCTORUM.
MENSIS
AUGUSTUS.
ERUDITIO
VERITAS
ANTIQVA REDUCO
NOVA INVENIO
P. B. Bouttats sculp. Ant.

ACTA SANCTORUM AUGUSTI

Ex Latinis & Græcis, aliarumque gentium Monumentis, ſervatâ primigeniâ veterum Scriptorum phraſi,

COLLECTA, DIGESTA,

Commentariiſque & Obſervationibus


ILLUSTRATA

A

JOANNE PINIO,
GUILIELMO CUPERO,
E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS.

TOMUS IV


Quo dies viceſimus, viceſimus primus, viceſimus ſecundus, viceſimus tertius & viceſimus quartus continentur.



ANTVERPIÆ,
Apud BERNARDUM ALBERTUM VANDER PLASSCHE.
M D C C X X X I X.



CÆSARIS ORA VIDEN' CAROLI? SIC SPIRAT, ET ARDET.
NOMINIS EST SEXTUS: QUINTUM SUPERABIT, AVITÂ
AUSTRIADUM PIETATE PATRUM, ET VICTRICIBUS ARMIS.



CAROLO VI

ROMANORUM IMPERATORI

AUGUSTISSIMO, POTENTISSIMO,
INVICTISSIMO,

REGI

GERMANIÆ, HISPANIARUM, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ, &c.

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

DUCI

BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ &c.

MARCHIONI MORAVIÆ,

COMITI

HABSBURGI, TYROLIS, GORITIÆ &c.

TURCARUM DOMITORI

DOMINO, DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

ANni jam circiter duo elapsi sunt, ex quo tertium hujus mensis Augusti Tomum Sereniſſimæ Archiducis Austriæ Mariæ Teresiæ, primogenitæ Filiæ Tuæ, AUGUSTISSIME IMPERATOR, ET REX CATHOLICE CLEMENTISSIME, ac Sereniſſimi Generi Tui Franciſci III, Lotharingiæ ac Barri Ducis, lectiſſimorum Conjugum, magnæque Hetruriæ Ducum nomini inſcripſimus: ſed nunc redimus ad Te, CÆSAR AUGUSTISSIME, ac Tomum hunc quartum ejuſdem menſis Auguſti, tot ac tantis immortalium erga nos beneficiorum titulis Tibi debitum, ad ſacræ Majeſtatis Tuæ pedes venerabundi deponimus, illum etiam auſi apud Te nobis polliceri favorem, ut, etiamſi graviſſimis curis & negotiis pro ſalute communi Reipublicæ Chriſtianæ Romanique Imperii incolumitate diſtineri Te noverimus, novum tamen hoc obſervantiæ erga Te noſtræ ac grati animi pignus conſuetâ & toties jam nobis perſpectâ benevolentiâ admiſſurus ſis.

Jam verò, IMPERATOR AUGUSTISSIME, AC MÆCENAS NOSTER MUNIFICENTISSIME, quando nobis obtigit honor ille, ut

per

per haſce litteras ſiſtere nos poſſimus demiſſiſſimo cum affectu, ac profundiſſima cum veneratione, ad ſolium tuum auguſtiſſimum, abſentes tamquam præſentes; noſtrarum partium eſſe duximus, Tibi etiam atque etiam ex animo gratulari feliciſſimum illum ſtabilitæ inter Chriſtianos Principes pacis ſucceſſum. Et pacem quidem in magnam Europæ, bellis ac diſſenſionibus attritæ, partem reduxerat, Te auctore ac duce, Sereniſſimus Tuus Gener; ſed ita tamen, ut plurima Tibi in hoc graviſſimo ac difficillimo negotio pertractanda ac perficienda reliquerit, quæ ſummâ cum prudentiâ, maturo conſilio, ac mirabili rerum gerendarum dexteritate ad optatiſſimum finem perduxiſti; dum pacis amans, & cogitans unicè quæ pacis ſunt, id apud plures Chriſtianos Principes effeciſti, ut ad tractatum pacis, ſapientiſſimè à Te conditum & amiciſſimè oblatum, etiam ipſi accederent, & concordi fœdere cum Romano Imperio conjungerentur. Quæ res cum omnino mirabilis ſit, & ab hominum memoria vel rariſſimè, vel numquam hactenus ſit audita; materiem præbere poterit Annalibus, dum ad hæc uſque tempora pervenerint, vulgandi Tuas laudes, IMPERATOR AUGUSTISSIME, AC MAGNE PACIFICATOR, ut nullus de hoc incomparabili Tuo facto conticeſcat locus, ætas nulla, nulla obſoletæ vetuſtatis oblivio. Nec verò hîc loquemur de magnificis lætitiæ publicæ monumentis, ac ſignis triumphalibus, quæ in variis Europæ regnis erecta ſunt, quando novum hoc

&

& amabile fœdus publicatum eſt. Hæc quippe cùm ſint recentia, animis hominum ita penitus inhærent, ut non tam præterita, quàm eorum oculis præſentiſſima obverſari etiamnum videantur. Faxit Deus, auctor & dator pacis, CÆSAR POTENTISSIME ET PACIFICE, ut Oliva illa pacis, quam plantavit dextera Tua in variis Reipublicæ Chriſtianæ regnis, perpetuò floreat, vireſcat ac revireſcat ſemper, novoſque numquam non concordiæ fructus proferat ad immortalem Romani Tui Imperii gloriam, aliorumque Regum ac Principum incolumitatem, Europæ tranquillitatem, ac populorum ſolatium. Sed hæc quidem hactenus.

Nunc ad Tomum, quem Sacræ Cæſareæ Majeſtati Tuæ dedicamus, & à quo tantiſper digreſſi ſumus, redire nobis liceat. Continet hic Cælites, quorum nomina in dierum ſingulorum catalogis apud nos exprimuntur, fere ducentos, ac Martyres anonymos longè plures, atque adeo alios aliis longè notiores ac illuſtriores. Aſt unum ex omnibus, CÆSAR PIISSIME, quorum Acta in hoc Tomo illuſtrantur, Tibi ob oculos ponimus, partim admirandum, partim imitandum, magnum videlicet Patrem Bernardum, primum cœnobii Claravallenſis abbatem, ac lucidiſſimum Eccleſiæ Catholicæ ſidus, lumenque ejuſdem & columen ſempiternum. Quem Virum? qui exulceratiſſimis ac deſperatiſſimis temporibus famoſi ac diuturni ſchiſmatis pſeudo-papæ Anacleti II contra legitimum Chriſti in terris Vicarium Innocentium II, murum ſe inexpugnabilem oppoſuit

pro

pro domo Dei, nulliſque pepercit laboribus, donec fœdiſſimum illud ac impiiſſimum diſcordiæ diabolicæ monſtrum compreſſiſſet ac debellaſſet. Tantum quippe Bernardi auctoritati, & Spiritui Dei, qui in illo loquebatur, tribuendum eſſe cenſuerunt Patres ſynodi Stampenſis, ut voces quique ſuas, & ſua ſinguli ſuffragia in Viri ſanctiſſimi ore, non ſecus ac in divino quodam oraculo, repoſita eſſe voluerint. Quid deinde? Ejuſdem ſancti Patris laboribus, & auctoritate Innocentius II in Eccleſia tamquam verus ac legitimus Pontifex agnitus eſt, frendentibus fruſtra ſchiſmaticis, adverſus quos, uti & adverſus hæreſes atque errores, infeliciſſimis iſtis temporibus graſſantes, linguâ & calamo potens, egregiè intonuit, ut mirum neutiquam videri debeat, Bernardum evaſiſſe oraculum ac interpretem conciliorum Senonenſis, Remenſis, & aliorum. Quem Virum? qui, divina providentia res tum temporis ita moderante, è ſolitario vitæ aſceticæ ſeceſſu in publicum orbis theatrum præ reliquis evocatus eſt, ut graviſſimis negotiis in Eccleſia, in aulis Regum ac Principum, ut de privatis familiis nihil dicamus, ſapientiſſimè præeſſet, ita ut nihil penè ſine Bernardo ageretur, ac per Bernardum fere agerentur omnia. Quem denique Virum? cui omnipotentia divina inuſitato prorſus modo, ac profuſiſſima liberalitate communicavit vim effectricem omnis generis miraculorum, vaticinia rerum abſentium vel futurarum, dominium animorum, diſſidentium pacificationem, perſpicientiam arcanorum humani cordis, ita ut Bernardus, è tot tantiſque com-

positùs divinæ potentiæ prærogativis, non mirabilis dumtaxat, sed tantus quantus est, miraculum non immeritò dici possit.

Hunc itaque Virum magnum, IMPERATOR AUGUSTISSIME, præsentissimum Tibi apud Deum votis quàm possumus ardentissimis patronum precamur, uti & alios Cælites omnes, quos in hoc Tomo inscribimus Augustissimo nomini Tuo, ut Romanum Imperium, ut regna Tua omnia, ut populum & exercitum, ut Belgradum denique, fortissimum ditionum Tuarum ac Reipublicæ Christianæ propugnaculum, ab infidelibus obsessum, in peculiarem accipiant tutelam, protegant, defendant; ut denique Te ac Familiam Tuam universam Austriaco-Cæsaream sospitem & incolumem diu servent. Ita vovent

AUGUSTISSIME ET CLEMENTISSIME
IMPERATOR

SACRÆ TUÆ CÆSAREÆ ET REGIÆ
CATHOLICÆ MAJESTATIS

Devotissimi Clientes

JOANNES PINIUS
GUILIELMUS CUPERUS
SOCIETATIS JESU.

SYNOPSIS

TOMI QUARTI

DE ACTIS SANCTORUM AUGUSTI.

NOnnne impigro labore Tomus hic, ordine trigeſimus ſextus, eò promotus eſt, ut intra conſuetos temporis limites prodeat in lucem, avidam lectorum exſpectationem non remoraturus. Continet dies quinque, vigeſimum videlicet, & quatuor proximè ſequentes: Cælites verò, quorum nomina in Catalogis dierum ſingulorum exprimuntur, fere ducentos; ac Martyres anonymos longè plures. De nominatis hîc potiſſimùm acturi, in varias illos claſſes dividemus de more. Ex antiquo Teſtamento haſce præcedit *Samuel*, propheta & dux populi Iſraëlis; cujus natales, vaticinia, res geſtæ, virtutes, ſcripta, mors, cultus, ſepultura, tranſlatio corporis, ac famoſa apparitio memorantur, quantùm pro noſtro inſtituto eſt ſatis. Primam verò Cælicolarum novi Teſtamenti claſſem exhibemus, ſicuti aliàs conſuevimus.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Auctor, Trevirenſis epiſcopus, variis tricis implicitus, tranſlationibus & miraculis celebrior eſt, quàm Actis, quæ apocrypha ſunt. Orientem illuſtrarunt *Paulus* junior, patriarcha Conſtantinopolitanus; qui ſubditis, quibus præfuit, magis profuit moriturus ac mortuus, quàm vivus, dum in morbum incidens monachum induit, ignaviam ſuam cum Iconoclaſtis publicè, & non ſine lacrymis confeſſus, ac fidem orthodoxam fructuosè profeſſus eſt. *Athanaſius* epiſcopus & M. colitur apud Græcos & Latinos. De *Zacchæo* vel *Zacharia* præſule Hieroſolymitano pauca novimus; *Theonæ* vel *Teunæ*, ep. Alexandrino, probabiliùs vendicamus epiſtolam ſub ejus nomine ſcriptam. *Callinici I*, patriarchæ CP., ſtabilitur cultus, ac datur Vita Græco-Latina. De *Quadratis* epiſcopis agimus ex Faſtis ſacris.

In Italia floruerunt *Herbertus* ep. Compſanus; *Euprepus* ac *Moderatus* epp. Veronenſes; *Aldrovandus* ep. Balneo-regii colitur; *Quiriacus* ep. & M. ſignatur apud Oſtia Tiberina; *Hippolytus* epiſcopus item ac M., in Portu Romano. *Ptolomæus* ac *Romanus* in Tuſcia, epiſcopales infulas fuſo pro fide ſanguine condecorarunt. Inter Præſules Galliæ, celeberrimi nominis eſt *Sidonius Apollinaris* apud Arvernos, cujus facta & virtutes ex ipſis Sancti lucubrationibus eruuntur, & notationibus ſedulò illuſtrantur. *Privati* in Occitania, varia ſunt Acta: tempus martyrii controverſum; corpus publicè tranſlatum, ac miro modo inventum.

His adjunge alios in Gallia epiſcopos, *Julianum* Benearnenſem ſeu Laſcurrenſem; *Leontium* Burdegalenſem; *Avitum* Claromontanum, iſtius nominis primum; *Flavium* Rothomagenſem; *Flavianum* Auguſtodunenſem; *Cedonium* vel *Sidonium* Aquiſextienſem, ut fertur; *Dadonem* denique vel *Audoënum* Rothomagenſem; cujus, præter ea, quæ aliunde de ipſo diligenter collecta ſunt, dantur Vita duplex, tranſlationes, & miracula poſt obitum patrata. Hibernos exornat *Eugenius* vel *Eogainus* ep. Ardſtrathenſis; *Irchadus* ſeu *Erthanus* Scotos; *Victor Vitenſis* Afros. Hunc veræ ſuæ cathedræ reſtituimus, ac probabiliùs exiſtimamus, unicum fuiſſe, eumque Hiſtoriæ Wandalicæ ſcriptorem.

Ordinis eccleſiaſtici inferioris ſunt *Maximus* presbyter, *Archelaus* diaconus MM. apud Oſtia Tiberina. Quatuor item alii presbyteri, *Natalis* Caſali in Liguria; *Gildardus* in territorio Nivernenſi Galliæ; *Rigomerus* ibidem apud Cenomanos, (qui ab alio diſtinguitur;) ac *Maurus* M. Remis.

EX STATU MONASTICO.

Apud Hiſpanos ſunt *Leovigildus* & *Chriſtophorus*, ambo monachi, & inter martyres Cordubenſes locum adepti: an S. Fructuoſi, an S. Benedicti regulam profeſſi? Laudantur à S. Eulogio. *Bernardi de Alzira* M. in Hiſpania, converſio à Mahometaniſmo ad Chriſti fidem, & ad Ordinem Ciſtercienſem, ſatis mira eſt. Referuntur geſta ejus, magis placitura, ſi minùs eſſent ornata. Ibidem vixit *Bernardus*

de Candeleda ejuſdem Ordinis. Quid de Gallia? Apud Cadurcenſes claruit *Amator* eremita, non Carmeli incola, ut quidam volunt, & à Zacchæo publicano diverſus. *Altigianus* & *Hilarinus* monachi ac MM. in Burgundia. En tibi nunc, lector, in Gallia abbates. *Maximus*, S. Eucherio carus, ad Caſtrum Cainonem pertinet. S. Gregorium Turonenſem nactus eſt præconem. *Filiberti*, Ordinis S. Benedicti, qui inſulam Herienſem incoluit, Vita profertur ex auctore ſubæquali: tranſlationes autem & miracula ex teſte oculato. Alia item diligenter de eo eruta ſunt. Non mediocrem verò hujus Tomi partem implet magnus *Bernardus*, primus Claravallenſis abbas: non autem Ordinis Ciſtercienſis fundator. *Bernardum* nominavi: dixi ſatis. Harum pagellarum anguſtiæ non permittunt, ut narrentur pluribus ea, quæ de hoc Viro laboriosè collecta prodibunt in lucem. Nonnulla horum omnium exemplaria typis committere ſeorſim viſum eſt, iis ſubſervitura, qui vaſtum Opus noſtrum non habent. Supereſt abbas alter in Gallia, nomine *Patricius*, apud Nivernenſes. *Theodericus* verò abbas, hujus nominis primus, Ordinis S. Benedicti, præfuit monaſterio Andaginenſi, ſeu S. Huberti, in Arduennenſi ſilva. Acta ejus condidit auctor coævus. Nec prætereundus eſt *Gobertus*, monachus Ordinis Ciſtercienſis, Villarii in Brabantia.

In Italiam tranſeamus. *Bartholomæus à Foreſto*, Ordinis Servorum beatæ Mariæ virginis Converſus, ſeu Commiſſus, ut vocant, Brixiæ in Inſubria, prætermiſſus non eſt; nec *Antonius* (cui forte addendus *Nicodemus*) Ord. S. Baſilii, Hieracii in Calabria. *Bernardus Ptolomæus*, qui Congregationem S. Mariæ Montis Oliveti inſtituit, in Italia etiam coruſcat. Viri meritis noſter, uti ſperamus, utcumque reſpondet labor. *Philippus Benitius*, egregius laudati Ordinis Servorum amplificator, ac *Jacobus de Mevania*, Umbriam illuſtrarunt: hic ex Ordine FF. Prædicatorum, pietate ac doctrina clarus; ille miro modo ad Religioſum inſtitutum vocatus, multiſque aliis ornamentis memorabilis. *Balduinum* abbatem ex Ordine Ciſtercienſi, S. Bernardi diſcipulum, & amicum, cave, ne cum alio confundas Ciſtercienſi ſynonymo. Floruit Reate. Ad Angliam ſpectat *Sigfridus*, Ordinis S. Benedicti, Wirenſis ibidem monaſterii abbas.

EX STATU SECULARI.

Lupus vel *Luppus* M. incerti loci ac temporis eſt, ac laborioſæ inquiſitionis materiem præbuit. Plurimorum Martyrum palæſtra eſt Gallia, videlicet *Seronii* apud Santones; *Symphoriani* apud Auguſtodunenſes; anonymorum quinquaginta, nec non *Timothei* & *Apollinaris*, Remis, *Minervii* & *Eleazari*, ac filiorum octo, Lugduni. Italia quoque multorum Chriſti Pugilum exſtitit theatrum. Hi ſunt *Leontius* & *Carpophorus* apud Vicentinos; *Paternus* in Latio; *Donatus*, *Romulus*, *Sylvanus*, *Venuſtus*, & *Hermogenes*, Forojulii; *Martialis*, *Saturninus*, *Epictetus*, *Maprilis* & *Felix* cum ſociis, in Portu Romano; *Gunifortus* Ticini, perperam alicubi cum Cucufate confuſus; *Timotheus* Romæ, qui probabiliùs non fuit diſcipulus S. Pauli apoſtoli. Superſunt hi MM., qui partim Romæ, partim aliis Italiæ locis tribuuntur: nimirum *Hippolytus*, *Traianus*, *Quadratus*, *Primus*; item *Fortunatus*, *Hermon*, *Xiſtus*, & alii, veroſimiliter omnes martyres; *Porphyrius*, cujus tamen martyrium non ſatis probatur, & quæritur, unuſne, an duo ſint; *Cenſorinus*, *Felix*, *Maximus*, & MM. alii. *Claudius*, *Aſterius*, *Neon* Ægis in Cilicia triumpharunt, quorum certamen datur ex Actis proconſularibus. Sed longum eſſet, ſingillatim recenſere tot alios illuſtres, ac per varios orbis tractus diffuſos fidei Pugiles, quos exhibet Tomus ipſe. Tales ſunt *Theognis*, *Agapius*, ac *Piſtus* vel *Fidelis*, S. Baſſæ M. filii, quorum Acta Græco-Latina dantur: item Trecenti Martyres, dicti *Maſſa candida*; anonymi MM. *Boppardienſes*; *Oſwinus*, qui regiam Northumbriæ in Anglia coronam perenni laurea martyrii decoravit. Acta ejus brevia dantur ex ſancto ac Venerabili Beda; paullo autem longiora, aliunde.

EX SEXU FEMINEO.

Occurrunt in hoc Tomo non paucæ ex hoc ſexu heroïdes, quæ vel martyrii roſis, vel virginitatis liliis, vel nexâ ex utriſque floribus coronâ redimitæ, ad Sponſi cæleſtis nuptias evolarunt. Utrâque coronâ ſpectabiles fuere tres iſtæ: *Gratia* & *Maria*, B. Bernardi Alzirani germanæ ſorores, in Hiſpania; *Aurea* item, ſeu *Chryſe*, apud Oſtia Tiberina. *Domnina* & *Theonilla* MM. Ægis in Cilicia, memorantur in Actis proconſularibus; *Cyriaca* viduæ certavit ac vicit apud Romanos; *Baſſa* M., ac felix trium filiorum Athletarum mater, in Halone inſula. *Anthuſa* fuit ſolitaria, non martyr: *Theocleta*, Thaumaturga. Nec neglectæ à nobis hæ tres virgines, *Richildis* recluſa Summontorii prope Oenipontum; *Teneſtina* apud Cenomanos; *Aſcelina*, Ordinis Ciſtercienſis, quæ S. Bernardi dicitur conſanguinea fuiſſe, in Campania Galliæ.

Atque hi ſunt Sancti ſat multi è pluribus, de quibus hîc meminiſſe viſum eſt: quorum verò Acta, aut breviora etiam elogia in hoc Tomo illuſtrentur; quo item

tem die, quibuſve paginis quærenda ſint ſingula, docet index alphabeticus eorumdem, toti volumini præfixus; ætatem verò chronologicus. Cætera in ſubjunctis aliis indicibus quærenda ſunt.

FACULTAS R. P. V.-PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDRO-BELGICÆ,

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

CUm Edictis Philippi II Hiſpaniarum Regis, deinde Sereniſſimorum Archiducum Alberti & Iſabellæ, Belgii Principum, rurſumque Philippi III, ac noviſſimè Caroli II Regum, confirmatis 2 Decembris 1692, *&* 19 *Julii* 1694, *Provincialibus Societatis Jeſu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, poteſtas facta ſit eligendi typographos & bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque excluſionem, ſoli imprimere ac reimprimere, & vendere poſſint libros & opera quælibet, rite approbata, curantibuſque ejuſdem Societatis Patribus edita aut porrò edenda, ſub conſueto ſuæ Majeſtatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in ſcriptis obtentâ & præexhibitâ licentiâ prædicti Provincialis; idque ſub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impreſſa importantes ſtatutis, ut latiùs in ipſis patentibus litteris apparet. Cum etiam ſua Cæſarea Majeſtas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio ſubjectis;*

Ego infraſcriptus Societatis Jeſu per Flandrobelgicam Vice-Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præpoſito Generali Franciſco Retz, concedo Bernardo Alberto vander Plaſſche *facultatem ſic imprimendi, & per ſe alioſque vendendi infraſcriptum opus, ex more noſtræ Societatis (quod hiſce atteſtor) recognitum & approbatum; videlicet, Tomum quartum de Actis Sanctorum Auguſti, collectis & illuſtratis per Joannem Pinium, Guilielmum Cuperum, Societatis noſtræ presbyteros Theologos. In quorum fidem haſce, manu propria ſubſcriptas, conſuetoque noſtri officii ſigillo munitas, dedi Bruxellis* XXX *Auguſti* MDCCXXXIX.

JACOBUS PIRES.

SUMMA PRIVILEGII REGII.

CÆſareæ & Regiæ Catholicæ Majeſtatis diplomate ſancitum eſt, ne quis, præter voluntatem Joannis Bapt. Sollerii è Societate Jeſu, ejuſve ad illuſtranda Sanctorum Acta Adjutorum & Succeſſorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo vel jam editos vel porrò edendos; aut alibi excuſos excudendoſve invehat, venaleſve habeat: qui ſecus faxit, confiſcatione exemplarium, & aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latiùs patet ex litteris, Bruxellæ datis die v Octobris anno MDCCXXXV.

Signat P. VAN CUTSHEM.

Et ego Joannes Bapt. Sollerius Societatis Jeſu, permitto Bernardo Alberto vander Plaſſche, ut Tomum quartum de Actis Sanctorum Auguſti, meo permiſſu apud ipſum impreſſum, publicet. Datum Antverpiæ XXXI *Auguſti* MDCCXXXIX.

APPRO-

APPROBATIO

ORDINARII.

QUartum hunc menſis Auguſti tomum à duobus Auctoribus unico biennio incipi ſimul & perfici potuiſſe, mecum, ni fallar, mirabitur quivis tam laborioſi Operis æquus æſtimator. Summâ illum aviditate ac animi oblectamento totum de verbo ad verbum perlegi, in eoque multam inveni eruditionem, & ſagax ac ſolidum in diſcernendis, interpretandis ac illuſtrandis Sanctorum Actis judicium: ita ut hoc tomo numerum præcedentium magno Eccleſiæ bono augeri poſſe judicem. Antverpiæ hac XII *Auguſti* MDCCXXXIX.

G. L. ENGELGRAVE
J. U. ac S. T. L., ſem. Epiſc. Præſes,
Exam. ſynodal., C. E. B. M. V. Can.
Grad., librorum Cenſor.

PROTESTATIO AUCTORUM.

QUod identidem proteſtati ſunt deceſſores noſtri, in hoc de Actis Sanctorum Opere ſe ſervatas velle Urbani Papæ VIII Conſtitutiones; neque ſuis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quàm ſit hiſtoriæ, ab hominibus errori obnoxiis ſcriptæ: idem ante hunc quartum Tomum Auguſti denuo proteſtamur.

INDEX

INDEX SANCTORUM

IN TOMUM IV AUGUSTI.

A

22 AGathonicus, Zoticus, Theoprepius, Acindynus, Severianus, Zeno, ac princeps senator, in Bithynia, & in Thracia. COMM. PRÆV. § 1. Annuntiationes è tabulis sacris Græcorum; elogium; aliqua super nonnullis ex his Martyribus observationes; Agathonicus præ reliquis clarus 519. § 11. Veneratio apud Latinos, locus martyrii, Acta 521. MARTYRIUM *auctore anonymo, ex cod. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, cum aliis Mss. collatum, interprete J. P.* 522

22 Aldrovandus episc. Balneoregii in Etruria. SYLLOGE HISTORICA. Publicus cultus, cathedra episcopalis, & ætas 549

23 Altigianus & Hilarinus monachi & martyres in Burgundia. COMM. HIST. Nova eorum notitia ex Mabillonio, palæstra martyrii, cultus ex veteri Breviario, & ætas assignata 647

20 Amator eremita in Cadurcensi Galliæ provincia. COMM. PRÆV. § 1. Notitia loci, in quo Sanctus colitur, & quis qualisque hic Vir fuerit 16. § 11. Publicus cultus, ætas, & nostrum de Actis ejus judicium 19. § 111. Sacræ reliquiæ, & posthuma Sancti gloria 21. ACTA *ex schedis posthumis P. Odonis Giffey Societatis Jesu* 24

21 Anastasius vel Attalus M., Salone in Dalmatia. SYLLOGE HISTORICO-CRITICA. Antiquus hujus Sancti cultus, palæstra tempusque martyrii; distinctio istius Martyris ab alio synonymo, ac verosimillima reliquiarum ejus translatio 407

22 Andreas conf. prope Fæsulas in Etruria. COMM. PRÆV. § 1. Publicus cultus ab immemorabili tempore, & posthuma gloria 539. § 11. Scriptor Actorum, varia horum exemplaria, Sancti patria, professio & ætas 540. ACTA *ex Ms. Placidi Puccinelli.* PROLOGUS 541. CAP. 1. Sancti patria, peregrinatio cum S. Donato populari suo, & mira socii ejus electio ad episcopatum Fæsulanum 542. CAP. 11. Sancti munus in ecclesia Fæsulana, miraculum, & restauratio cujusdam templi 544. CAP. 111. Ultimus Sancti morbus, prodigiosa sororis ejus transportatio ex Scotia in Italiam; mors illius; sepultura & ætas 546. CAP. IV. Sacri corporis ejus inventio, gloria posthuma, & biographi epilogus 547

22 Anthusa solitaria. Item Athanasius episc. & mart., ac duo Anthusæ servi Charisius & Neophytus MM. Tarsi in Cilicia. COMM. PRÆV. Cultus, variæ observationes, Acta 499. ACTA *auctore Laurentio quodam monacho Rutiensi in Calabria, ex cod. Ambrosiano, interprete J. P.* 502

22 Antonius vel Antoninus M. Romæ. Memoria apud antiquos Martyrologos, & locus sepulturæ 498

23 Antonius, & forsan Nicodemus, Ordinis S. Basilii monachi & confessores Hieracii in Calabria. SYLLOGE de cultu & ætate 648

23 Ascelina virgo Ord. Cisterciensis in Campania Galliæ. COMM. PRÆV. Situs monasterii, in quo colitur, editores Actorum, & judicium de historica eorum fide 650. VITA, *quæ ex longioribus Gossuini coævi scriptoris Actis contracta dicitur, & ab Henriquezio post Menologium Cistercienſe edita est* 653

20 Auctor episcopus Trevirensis. COMM. PRÆV. § 1. Cultus duorum Auctorum incertus; unius certissimus 37. § 11. Actorum examen & castigatio; vitæ tempus, & dies mortis 39. § 111. Translatio multiplex; Acta translationis Saxonicæ 41. § IV. Ossa Sancti elevata, & à criminationibus vindicata; translationes aliæ 43. § V. Obsidio urbis Brunsvicensis ope Auctoris soluta contra heterodoxum probatur 44. ACTA APOCRYPHA, *auctore anonymo Trevirensi, ex Bodecensis cœnobii Passionali pergameno Ms.* S. Auctoris parentes, episcopatus, & miracula 45. TRANSLATIO ET MIRACULA, *auctore anonymo Brunsvicensi, ex Bodecensis cœnobii Ms. pergameno.* PROLOGUS SCRIPTORIS. CAP. 1. Gertrudis, Saxoniæ princeps, jussu S. Auctoris, corpus ejusdem Treviris furtim aufert 48. CAP. 11. Corpus S. Auctoris à Trevirensibus frustra repetitum; cœnobium erectum; templum dedicatum; Gertrudis mors 50. CAP. 111. Miracula S. Auctoris 52

21 Avitus Claromontensis ep., istius nominis primus, Claromonte in Arvernia. COMMENT. HIST. § 1. Annuus hujus Sancti cultus, promotio ad episcopale munus, virtutes, & mira sub ipso plurium Judæorum conversio ad fidem Christianam 444. § 11. Diversa pietatis opera, quæ sanctus Præsul exercuit, obitus illius ac sepultura 446

24 Aurea, seu Chryse virgo, Censorinus, Felix, Maximus, Herculinus, Venerius, Styracinus, Cenas, Commodus, Hermes, Maurus, Eusebius, Rusticus, Monagreus, Amundinus, Olympius, Cyprius, Theodorus tribunus, Sabinus MM. apud Ostia Tiberina. COMM. PRÆV. Aliqui ex his Martyribus aliàs dati, Aureæ cultus apud Græcos & Latinos, Acta corrupta, eorum exemplaria 755. ACTA *ex Ms. sancti Maximini apud Treviros* 757. CAP. 1. Aureæ certamen ac tormenta, Censurini captivitas, carceris custo-

cnſtodes à Maximo converſi 757. Cap. II. Mortuus ad vitam revocatus; Aureæ & aliorum martyrium 759

B

21 BAlduinus abb. Ord. Ciſterc. Reate in Italia. Comm. hist. Beati hujus memoria in Hagiologiis recentioribus, & in litteris S. Bernardi; publicus ejus cultus, ac diſtinctio ab alio Ciſtercienſi ſynonymo 450

23 Bartholomæus à Foreſto Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis converſus, Brixiæ in Inſubria Italiæ. Comm. præv. Cultus, elogium, Vita, annus mortis 739. Vita *auctore F. Archangelo Gianio, Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis, ex Annalibus ejuſdem Ordinis &c.* 738

21 Baſſa, & filii ejus Theognis vel Theogonius, Agapius ac Piſtus vel Fidelis; hi Lariſſæ vel Edeſſæ in Græcia; illa in Halone inſulâ coronati. Comm. præv. Cultus, martyrii palæſtra, Acta 417. Martyrium *auctore Laurentio monacho Rutienſi, ex cod. Ambroſiano f. N. n. 152, interprete J. P.* 419

20 Bernardus conf., primus Claravallenſis abbas, Pater ac doctor Eccleſiæ, in territorio Lingonenſi Campaniæ in Gallia. Comm. præv. § 1. Annus, ac locus natalis, illuſtre genus 101. § II. Parentes, fratres, ſoror, vaticinium, educatio, ſtudia 103. § III. Cæleſtes in Sanctum favores; propoſitum monaſtici inſtituti; ſuperata contra illud obſtacula; ſocii ad idem aggregati; mirabile in humana corda dominium; vita ante ingreſſum ad Ciſtercienſes 106. § IV. Tirocinium; virtutes in eodem exercitæ; Ordinis habitus; Religioſa profeſſio; animi & corporis exercitationes 108. § V. Ars metendi divinitus Sancto conceſſa; diſceſſus in monaſterium Claravallenſe è Ciſtercienſi; variæ de hoc notitiæ; illud quo anno fundatum 110. § VI. Conſecratur abbas Clara-vallenſis; monaſterii hujus anguſtiæ miraculis ſublevatæ; cibus ſpiritualis à Sancto, per apparitionem monito, Claravallenſibus porrectus 113. § VII. Monaſterii Claravallenſis incrementum à ſancto Abbate præviſum; difficultates ob canonicos Victorinos ad illud admiſſos; rei geſtæ tempus; mirabilis cum imperito medico Viri ſancti infirmi patientia; patris ejus converſio 115. § VIII. Cœnobium Trium fontium vaticinio ac miraculo à Viro ſancto condecoratum: an Chriſti anno 1119 ſuos miſerit in Luſitaniam; feceſſu à negotiis ad res magnas exſequendas præparatur 117. § IX. Præmonſtrati locus an Præmonſtratenſibus à S. Bernardo datus; hujus erga illos, ac S. Norbertum affectus; mutua Ordinum Ciſtercienſis ac Præmonſtratenſis officia cum elogiis 119. § X. Vacatio à negotiis compenſata otio ſancto; muſcæ miraculo interfectæ; mira ſermonis vis in converſione aliorum; apparitio de ſalute eorum, qui ritè perſeverarint in Ordine Ciſtercienſi; peccatores per miraculum à ſancto Patre ad frugem adducti 122. § XI. Repentina quorumdam militum converſio; vinea ſterilis fœcundata; alia, quæ de hac vinea circumferuntur; mutua inter Claravallenſes ac Cartuſianos neceſſitudo; Sanctus Præmonſtratenſibus beneficus 125. § XII. Defunctorum apparitiones; auxilia eiſdem præſtita; vaticinium de tirone furtivè exituro; archiepiſcopus ac populus Remenſis reconciliati; reformati in eccleſia Gallicana mali mores 127. § XIII. Annona multiplicata; fugatus dæmon; mulier ad vitam revocata; pluvia depulſa; priſtina valetudo, Deipara patrocinante, Sancto reddita; refutatio erroris de proximo Antichriſti adventu; communicatio litterarum cum aula Romana 129. § XIV. Acta pro Stephano, epiſcopo Pariſienſi, contra Ludovicum Craſſum; impletum de filii ejus morte vaticinium; ſancti Abbatis labores favoribus cæleſtibus recreati; an S. Felix Valeſius ad illum ductus; an ſub ipſo educatus 131. § XV. Opuſculum de Gratia & libero arbitrio; confeſſus & auctoritas in ſynodo Trecenſi; regula Militum Templi an à Sancto condita 133. § XVI. Querelæ curiæ Romanæ à ſancto Doctore dilutæ; famoſum ſchiſma pſeudo-papæ Anacleti ab ipſo compreſſum; annus cædis venerabilis Thomæ, Prioris Victorini 136. § XVII. Iter Leodienſe Innocentii PP. II cum S. Bernardo; quæ jus Eccleſiæ defendit contra Lotharium regem; excurſio, ut fertur, in Arteſiam; Guerrici ac multorum aliorum converſio; Innocentius PP. viſit Claravallenſes; S. Bernardi in concilio Remenſi auctoritas; inſulæ Catalaunenſes ab eo recuſatæ 139. § XVIII. Plurimi à ſancto Patre converſi; Januenſes pacati; ſcripta deinde ad illos epiſtola; gratus eorum animus erga Sanctum; annus, quo Romam advenit; geſta pro re monaſtica, imperio ac ſacerdotio 141. § XIX. Acta in concilio Piſano, ac Mediolani 145. § XX. Cathedræ Mediolanenſis regimen recuſat; notatio temporis; Ordo Ciſtercienſis ibidem propagatus; de Humiliatis quam fuerit præclarè meritus; beneficia in Mediolanenſes collata 148. § XXI. Miraculis coruſcat Mediolani; Papiam & Cremonam ſe confert; à filiis ſuis abſens corpore, præſens ſpiritu; ipſius ad eoſdem litteræ, uti & ad Lotharium imp.; reditus ad ſuos; acta & tempus 150. § XXII. Guilielmus Aquitaniæ Dux è ſchiſmate per S. Bernardum ad unitatem Eccleſiæ converſus; mulier dæmoniaca ab eo Nanneti liberata; variæ de Guilielmo Duce obſervationes 153. § XXIII. Cantica canticorum à ſancto Doctore expoſita; notantur varia, quæ illud Opus circumſtant, adjuncta; ejuſdem elogia 154. § XXIV. Novus Ordo Bernardi conſiliis in Anglia inſtitutus; vaticinia; miraculum; iter Romanum contra ſchiſmaticos; felix rei ſucceſſus 157. § XXV. Quæ apud Caſinenſes geſta dicuntur, præſente S. Bernardo, partim ſunt falſa, partim veroſimilia; corporis ejus infirmitas, ac deſiderium revertendi ad ſuos 159. § XXVI. S. Bernardus ab Innocentio PP. miſſus ad compeſcendum Rogerium; clades à Viro ſancto ei prædicta, & cælitus impetrata; mitigatus ejuſdem animus; acta in cauſa ſchiſmatis, & eorum adjuncta 161. § XXVII. Sanctus Romam redit; Petrus Piſanus Eccleſiæ unitur, uti & Victor, Anacleti ſucceſſor; ſchiſma item deſerit Rogerius; pignus ſacrum Bernardo Româ diſcedenti datum; tunicam ſuam ibi relinquit; varia puncta chronologica 164. § XXVIII. Acta pro eccleſia Lingonenſi; cura tironum Claravallenſium; continuatio ſermonum ſuper Canticis; obitus B. Gerardi fratris Germani; Gaufridus cathedræ Lingonenſi admotus; S. Hugo

IN TOMUM IV AUGUSTI.

Hugo in ſpiritu & corpore adjutus ; iter Dunenſe ; mors S. Malachiæ 167. § xxix. Petrus Abaëlardus ; ingenium ejus ac mores ; errores rectè impugnati à S. Bernardo ; hujus mirus cum illo congreſſus ; Arnaldus de Brixia diſcipulus Abaëlardi 170. § xxx. Sanctus teſſeris lucratur clericum ; alium datâ pecuniâ, quâ pro ſe ludat ; facinoroſum à morte liberat, & monachum facit ; patienter fert injuriam ; mors Humbelinæ ſororis ; oppreſſos defendit ; geſta in lite ſacerdotii cum regno 173. § xxxi. Lis illa vix ſopita novis diſſidiis recrudeſcit ; Bernardi ad eam componendam novi labores 175. § xxxii. Alia Bernardi tentamina, ut tragicis Galliæ diſſenſionibus ſuccurreret ; Innocentii PP. gratiâ excidit immeritò 176. § xxxiii. Ordo Ciſtercienſis à ſancto Abbate in Suecia propagatus; prodigium, & vaticinium ; diſcordiæ in Gallia ab eo compoſitæ ; honoratur à Patriarcha Hieroſolymitano 179. § xxxiv. Arnaldus Brixienſis hæreticus ; impletum S. Bernardi vaticinium præſertim tempore Eugenii PP. III; ejus electio, & elogia ; Bernardi ad ipſum litteræ 181. § xxxv. Eugenius PP. Viterbium ſecedit ; eo ſacris operante coram Armenis miraculum ; ſcripta S. Bernardi contra epiſcopum Eboracenſem intruſum ; domeſtica quædam negotia ; famoſi Nicolai Arremarenſis ambitio &c. 183. § xxxvi. Opera publico Eccleſiæ bono ac Sedi Apoſtolicæ navata ; ſynopſis eorum, quæ Vir Dei geſſit ac paſſus eſt pro bello ſacro 187. § xxxvii. Eugenii PP., Ludovici regis, ac S. Bernardi acta pro bello ſacro ; Viri Dei prædicatio ; miracula; ſumma rei bellicæ præfectura huic uni delata, ſed ab eo non admiſſa ; Lingonenſes pacificati ; controverſiæ alteri ejus interpoſita auctoritas 188. § xxxviii. Sceleratus contra Judæos prædicator repreſſus, & ad frugem reductus à ſancto Doctore ; cautela contra falſarios litterarum ejus 190. § xxxix. Germaniam peragrat pro militia ſacra ; linguæ gratia ; perorantis vis ac fructus ; miracula ; colloquium cum S. Hildegarde ; converſio Alexandri Colonienſis 192. § xl. Conradus imperator militiæ ſacræ adſcriptus ; excurſiones S. Bernardi per Germaniam ; reditus in Galliam ; miracula; conventus Stampenſis ; infelix Orientalis expeditionis eventus perperam Sancto imputatus 194. § xli. Sancti Doctoris concertatio cum Gilberto Porretano 196. § xlii. Henriciani hæretici à Patre Bernardo coërciti ; miracula ad deſtruendos ipſorum errores ab eo facta apud Toloſanos 199. § xliii. Alii hæretici à Sancto impugnati 200. § xliv. Hæretici obdurati à Deo puniti ; ſanctitas Bernardi & miracula in ſumma ſunt veneratione apud Toloſanos : inde non eſt profectus in Hiſpaniam 202. § xlv. Sanctus Pater in emendandis eccleſiaſticorum, monaſticorum, ac ſecularium moribus fructuosè intentus 204. § xlvi. An S. Bernardus ab imagine Deiparæ ſalutatus Spiræ ; an ejuſdem virgineo lacte irroratus 206. § xlvii. Salutatio imaginis Deiparæ in cœnobio Affligenienſi ; Jeſus Cruci affixus, ſolutis ab ea brachiis Bernardum amplectens 208. § xlviii. Converſio Arnulfi, gloria cæleſtis ei promiſſa ; victoria, ut fertur, regi Luſitaniæ addicta; iter cum Eugenio PP., merita de S. Malachia, quem novit eſſe in cælo; cura pro rege Galliæ : frater ejus aſceta Ciſtercienſis, uti & alius 211. § xlix. Imperat feris ; diſſidentem pacificat ; mortuum ad vitam revocat ; prodeſt Aurelianenſi epiſcopo, reſpondet Præmonſtratenſi abbati ; Henrici regis Galliæ fratris morbus, religioſa profeſſio, epiſcopatus ; Sancti vaticinia ; aqua in vinum mutata ; obitus Theobaldi Comitis 214. § l. Archiepiſcopi Lundenſis peregrinatio ad S. Bernardum ; hic illum à ſe diſcedentem miraculo proſequitur ; ratio temporis librorum de Conſideratione ; variæ prædictiones ; turbæ in Lotharingia compoſitæ, luctus filiorum in ultimo morbo Patris ; hujus pro illis cura 217. § li. Morbus ; revelatus obitus ; litteræ, ut fertur, Ducisſæ Lotharingicæ ; virorum illuſtrium acceſſus ; mors ; corpus ; miraculis finis impoſitus per obedientiam 220. § lii. Variæ poſt beati Patris obitum apparitiones ; tumulus ; epitaphia ; elogia ; aqua, quâ ejus ſacrum corpus fuerat ablutum, prodigioſa ; ſermo anniverſarius ; corporis ac morum deſcriptio 222. § liii. Effigies ; cubiculum ; calix, peregrinationes ad Sancti corpus 223. § liv. S. Bernardi ſanctitas, doctrina, & auctoritas in Eccleſia 225. § lv. Varia in laudem S. Bernardi teſtimonia ſimul collecta pag. 227. Classis i. Summorum Pontificum 228. Classis ii. Cardinalium & Eccleſiæ Doctorum 228. Classis iii. Epiſcoporum 229. Classis iv. Regum & Magnatum 229. Classis v. Abbatum & Generalium 230. Classis vi. Doctorum Theologorum 230. Classis vii. Religioſorum ex diverſis Ordinibus 231. Classis viii. Juriſconſultorum, & Oratorum 232. Classis ix. Illuſtrium Feminarum 233. Classis x. Heterodoxorum 233. Appendix 233. § lvi. Superſtitionum calumniæ perperam ab hæreticis in Virum ſanctum conjectæ ; Horſtii Paræneſis ad ſectarios de S. Bernardo cum fructu ab ipſis legendo 233. § lvii. S. Bernardi Opera an juſſu Deiparæ ſint collecta ; editio Mabilloniana ; ſancti Doctoris in ſcribendo characteres 235. § lviii. Variæ Operum ſancti Doctoris editiones ; ſententia perperam ei attributa ; cur & quænam Chronologia Bernardina hîc detur 236. § lix. Chronologiæ Bernardinæ Pars prima, ab anno Chriſti mxci, qui fuit Sancto natalis, uſque ad mcxxv 237. Pars ii, ab anno Chriſti mcxxvi, uſque ad mcxxxix, 238. Pars iii, ab anno Chriſti mcxl uſque ad mcliii ſancti emortualem 241. § lx. S. Bernardus ſolenni riti Sanctorum canoni adſcriptus 243. § lxi. Orationes pro Miſſa ab ipſo Innocentio PP. III dictatæ ; elevationes corporis ; altaria ; reliquiæ in varias Europæ regiones tranſmiſſæ 245. § lxii. Alia ſacra lipſana apud Belgas ; Officium ; lectiones propriæ ; an Sanctus antiphonæ Salve Regina, ſicut in iis dicitur, auctor ; honor publicus illi tributus Pariſiis, Leodii, ac Romæ 248. § lxiii. Tres primi rerum à Sancto geſtarum ſcriptores 250. § lxiv. Alii biographi poſt tres priores ; alii recentiores ; Vitæ apud Surium, Horſtium, & Mabillonium; hujus exemplar cur præ aliis prælo à nobis detur 251. § lxv. Illuſtriſſimus Manricus quo apparatu, & qua fide ſcripſerit ſuos Annales, atque adeo res geſtas S. Bernardi eiſdem intextas ; de auctore Exordii magni Ciſtercienſis 253. § lxvi. Quænam Vitæ, & cur à nobis non recuſæ ; alia quædam præterita 255.

Vita,

INDEX SANCTORUM

VITA, *quam Mabillonius occasione Operum S. Bernardi, anno 1690 Parisiis à se vulgatorum, volumine 2, à columna 1061 post Opera supposititia & aliena edidit.* LIBER PRIMUS, *auctore Guillelmo, olim S. Theoderici prope Remos abbate, tunc monacho Signiacensi.* PRÆFATIO 256. CAP. I. Parentes, eorum liberi, visio matris de Sancto; studia ejus, indoles, pudicitia; mysterium Incarnationis ei revelatum; propositum Religiosæ vitæ 257. CAP. II. In Religiosæ vocationis proposito confirmatur; ejusdem socii; plures alii ad vitam meliorem conversi; unius è sociis, nec non cujusdam Cisterciensis visio 260. CAP. III. Ingressus in Ordinem Cistercienſem; virtutes; naturæ dotes; mirus in sacra Scriptura progressus, ars metendi; præfectura Claravallensis 263. CAP. IV. Magna in rebus angustis erga Deum fiducia; studium perfectionis; sororis conversio; ordinatio abbatialis; cura valetudinis; disciplinæ Religiosæ apud Claravallenses vigor 265. CAP. V. Vitæ severitas; indefessus in afflicta valetudine labor; miracula; arrogantiæ periculum repressum 268. CAP. VI. Alia miracula; altercatio cum diabolo; valetudo per Deiparam Sancto reddita; Guillelmus biographus per eum sanatus 271. CAP. VII. Fama sanctitatis; mira Claravallensium propagatio; spiritus prophetiæ; beneficia divinitus per Sanctum præstita; dignitatum fuga 274. LIBER II, *auctore Ernaldo abbate Bonævallis in agro Carnutensi, ex editione Mabillonii col.* 1091 *& seqq.* PRÆFATIO AUCTORIS 277. CAP. I. Pontificatus Innocentii II contra Anacletum à Viro sancto vindicatus; Lotharius imperator repressus 278. CAP. II. Præclarè gesta in concilio Pisano; Mediolanenses Ecclesiæ reconciliati; miracula apud eosdem facta 280. CAP. III. Dæmoniaci Papiæ & alibi curati; Sanctus in oculis aliorum rebus gestis maximus; in suis minimus; dignitatum despicientia; reditus ad monasterium Claravallense; hoc aliò translatum 283. CAP. IV. Schisma Aquitaniæ compositum; mulier ab incubo dæmone mirabiliter liberata; Cantica canticorum explanata 286. CAP. V. Acta feliciter Romæ, & apud regem Siciliæ in schismate; quo tandem per Bernardum extincto, pax Ecclesiæ restituta; qui ad Claravallenses suos redit 290. CAP. VI. Ecclesiæ præsules è Claravalle creati; Comitis Theobaldi, de S. Bernardo optimè meriti elogium, & res adversæ 292. LIBER III, *auctore Gaufrido, monacho quondam Claravallensi, & S. Bernardi notario; postea Claravallensi abbate.* PRÆFATIO. CAP. I. Mores ac virtutes summatim; accessus ad Hugonem episcopum Gratianopolitanum, & ad Cartusianos; sensuum custodia, uti & sermonis; modestia simul ac gratia; dignitatum fuga 296. CAP. II. Sanctus calumniis obnoxius ex infelici successu belli sacri; errores Petri Abaëlardi & Gilleberti Porretani ab ipso confutati; hæresis Henriciana repressa; miracula 298. CAP. III. Suavissimi mores, ac præclaræ virtutes 302. CAP. IV. S. Bernardi effigies in scriptis suis expressa; mira virtutum & gratiarum omnium in eodem congeries 304. LIBER IV, *auctore Gaufrido monacho Claravallensi.* CAP. I. Reditus ex Urbe; Sanctorum reliquiæ inde asportatæ; beneficia in alios collata; spiritus propheticus 305. CAP. II. Alia quædam vaticiniorum specimina 308. CAP. III. Mirabilia, & varia beneficia à Sancto, præsertim in regno Galliæ præstita 311. CAP. IV. Varia Germaniæ loca à S. Bernardo miraculis illustrata; alia in Belgio, & in Hispania 313. CAP. V. Sanctus thaumaturgus in patria sua, & in vicinis Claræ-valli locis prodigiis clarus 315. CAP. VI. Signa & miracula promiscuè edita, & à Viro sancto antea prævisa 318. LIBER V, *auctore Gaufrido monacho Claravallensi.* CAP. I. Pax inter Metenses, ac vicinos quosdam principes reformata, non sine miraculis eâ occasione factis 320. CAP. II. Extremus sancti Patris morbus, & felicissima mors 322. CAP. III. Diversæ post obitum revelationes; Amalrico regi prænuntiata in somno victoria 324. HORSTII AD LECTOREM PRÆFATIO in Librum sequentem de miraculis per S. Bernardum editis, & nostræ in eumdem Librum observationes 328. LIBER VI, seu miracula à Sancto per Germaniam, Belgium, Galliamque patrata anno MCXLVI & MCXLVII, in tres partes distributa, quarum singulæ suos præferunt auctores. NARRATIO Herberti abbatis cœnobii Morensis, de libro Miraculorum S. Bernardi, per insigne miraculum servato 330. PARS I, *auctore Philippo monacho Claravallensi.* CAP. I. Iter Constantiense; miracula, & oculati eorumdem testes 331. CAP. II. Miracula Constantiæ, ac in vicinis locis, nec non Spiræ facta 334. PARS II MIRACULORUM S. BERNARDI. CAP. III. Epistola cœnobitarum Claravallensium ac Sancti comitum, ad Clericos Colonienſis ecclesiæ, quâ eos ad reformandam vitam dissolutam hortantur. Miracula in itinere Colonienſi 337. CAP. IV. Prodigia varia memorantur, quæ sanctus Thaumaturgus Coloniæ, & inde digressus, Juliaci, Aquisgrani, Trajecti ad Mosam operatus est 339. PARS III, *auctore Gaufrido monacho Claravallensi.* Epistola ejusdem ad Hermannum episcopum Constantiensem. CAP. V. Prodigia, quæ Leodii, ac deinceps in itinere per Gallo-Belgicam, & in Campania edita sunt 342. CAP. VI. Mirabilia alia in Campania usque ad ingressum in monasterium Claravallense; item alia deinde post brevem in eodem moram 344. CAP. VII. Prodigia reliqua in Gallia & Germania 347. Epistola Gaufridi monachi Claravallensis, quædam S. Bernardi miracula recensens 349. FRAGMENTA *ex Herberti libris de miraculis Cistercienſium monachorum apud Mabillonium typis vulgata.* Herberti auctoritas 351. GLORIA POSTHUMA, AC SUPPLEMENTUM ad S. Bernardi Vitam, & miracula, nec non ad nostrum Commentarium prævium. CAP. I. Veneratio publica; monasteriorum propagatio; recentissimæ notitiæ de Sancti sepulcro, ac reliquiis. Umbra ejus, & alia sacra lipsana 353. CAP. II. Variæ S. Bernardi apparitiones, ac prædictiones. § I. Apparet monacho Cistercienſi; & Converso, quem consolatus, prosperum negotiorum successum ei prænuntiat 356. § II. Duobus monachis Claravallensibus apparet, & eorum apostasiam impedit; adolescentulum quemdam in proposito monastico confirmat; incendium comprimit; morti proximo se videndum præbet; & alteri ægroto 358. § III. Tribus vicibus se manifestat cuidam fratri; apparet item B. Mariæ Ogniacensi; alteri prædicit cælestem

leſtem gloriam ; Aſcelinæ mortem ; mira libri miraculorum inventio , ac monachi litteratura 359. § IV. Aliquot Viri ſancti vaticinia. CAP. III. Supplementum miraculorum. § I. Variæ corporis infirmitates ſanatæ ; præfixus moribundo terminus mortis ; miraculum perperam S. Bernardo Claravallenſi attributum; epilepticus cur non omnino curatus ; mortuus ad vitam revocatus 361. § II. Mortuus ad vitam revocatus 362. § III. Modus mirabilis, quo pater S. Bernardi converſus dicitur , ſecundis curis expenſus ; plauſtrum , fracto axe , longiùs promotum ; caducus Humberti morbus ſanatus ; alter in ſpiritu & in corpore adjutus &c. 364. § IV. Synopſis miraculorum S. Bernardi , quæ ſunt innumerabilia. Obſervatio prævia. SECTIO I. Infirmi , cæci , ſurdi , muti, claudi , contracti , fatui , phrenetici , & alii à S. Bernardo ſoſpitati 365. SECTIO II. Mortui ad vitam revocati ; mors dilata ; impetrata proles ; parturientes adjutæ ; imperium in dæmones , beſtias , & elementa ; alia ſtupenda miracula ; converſiones ; pœnæ obſtinatis inflictæ ; reconciliationes ; prodigia S. Thaumaturgi innumerabilia 367

21 Bernardus de Alzira M. Ord. Ciſterc. Item Gratia & Maria ſorores ejus VV. & MM. , Alziræ apud Valentiam in Hiſpania. COMM. HIST. § I. Alziræ ſitus ; Bernardi natales ; frater , ac ſorores ; officium in ſeculo ; mira ad Chriſti fidem , atque ad Ciſtercienſem profeſſionem converſio 452. § II. Sanctus accuſatur ; ſed à Deo honoratur miraculo ; materteram Chriſto lucratur , monaſterium Puletanum 454. § III. Inſigne miraculum à Sancto patratum : in fratre convertendo irriti labores , ſorores duæ ad Chriſtiana ſacra ab ipſo adductæ ; Sanctus per eas à morte ereptus 456. § IV. Bernardi , ac duarum ſororum ejus martyrium. An hæ fuerint amplexæ inſtitutum Ciſtercienſe : corporum ſepultura, detectio, gloria 458. § V. Cultus publicus; inventiones ac tranſlationes corporum : favores per Bernardi patrocinium impetrati 460. Acta ſtylo ligato & ſoluto conſcripta , tempus martyrii 462

10 Bernardus monachus Ciſtercienſis Candeledæ in Hiſpania. SYLLOGE. Locus, veneratio publica , tempus mortis 369

21 Bernardus Ptolomæus inſtitutor Congregationis S. Mariæ Montis Oliveti , Senis in Tuſcia. COMM. PRÆV. § I. Immemorabilis legitimuſque cultus ab Apoſtolica Sede declaratus & extenſus 464. § II. Diverſi Actorum ſcriptores memorantur , & copioſa vitæ ſynopſis exhibetur 466. § III. Diſcutiuntur nonnulla, quæ ad vitam , miracula , & corpoream Beati formam ſpectant 470. § IV. Congregationis Olivetanæ origo , progreſſus , & privilegia 472. VITA , *collectore anonymo , ex Actis tum Latinis , tum Italicis excerpta.* CAP. I. Geſta Beati in ſtatu ſeculari , & receſſus in eremum 475. CAP. II. Pia Beati exercitia in eremo , ac diverſæ tentationes 477. CAP. III. Cœnobitica vita poſt acceptam S. Benedicti regulam 479. CAP. IV. Præcipuæ virtutes , & varia miracula in vita ac poſt mortem 482. CAP. V. POSTHUMA GLORIA ex Ordine religioſo , quem inſtituit 484

21 Bonoſus & Maximilianus vel Maximianus MM. Antiochiæ in Syria. COMM. PRÆV. § I. Immemorabilis eorum cultus , occaſio martyrii , & authentica Actorum fides 425. § II. Varius conatus illorum , qui duos hos Martyres Hiſpaniæ vindicare voluerunt 428. PASSIO *ex editis apud Ruinartium inter Acta Martyrum ſincera* 430

C

23 CAllinicus I , patriarcha CP. COMMENT. PRÆV. Stabilitur cultus , Vita 644. VITA , *auctore Laurentio quodam monacho Rutienſi in Calabria , ex codice Ambroſiano &c. interprete J. P.* 645

23 Cedonius vel Sidonius conf. & ep. , ut fertur , Aquiſ-Sextiis in Provincia. SYLLOGE HISTORICO-CRITICA. Publicus cultus , & oppoſita Aquenſium ac Tricaſtinorum de illo traditio 591

23 Claudius , Aſterius , Neon , Domnina & Theonilla MM. Ægis in Cilicia. COMM. PRÆV. § I. Palæſtra , patria , & antiqua memoria in Martyrologiis Latinis & Græcis 567. § II. Diſcrimen inter Acta Græca & Latina , & varia horum exemplaria 569. ACTA PROCONSULARIA , *ex Pariſienſi Ruinartii editione &c. , cum Ms. cod. Fuldenſi , & aliis apographis collata* 571

21 Cyriaca vidua & M. Romæ. COMM. HIST. § I. Legitimus cultus , Acta , & tempus martyrii 403. § II. Prima Sanctæ ſepultura , tranſlatio corporis , & dubium circa aliam ejuſdem tranſlationem 405

D

24 DAdo vel Audoënus ep. Rothomagi in Normannia. COMM. PRÆV. § I. Antiquus Sancti cultus ex vetuſtis Martyrologiis , & varia ipſius Acta , eorumque ſcriptores 794. § II. Sancti patria , fratres , vita aulica , electio ad cathedram Rothomagenſem , & tempus conſecrationis epiſcopalis 796. § III. Chronologica reliquorum geſtorum ſynopſis , tempus mortis , & quædam Actorum analecta 799. § IV. Poſthuma Sancti gloria ex ſcriptis, & diverſis reliquiarum ſuarum tranſlationibus 801. § V. Reliquiæ in Angliam tranſvectæ , & miracula per eas patrata 803. VITA PRIMA , *auctore anonymo ſuppare , ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris , quod numquam antea editum eſt.* PROLOGUS 805. CAP. I. Sancti patria , fratres , vita aulica , virtutes , & tranſitus ex aula ad epiſcopatum 806. CAP. II. Piæ Sancti peregrinationes , & patrata in iis miracula 807. CAP. III. Iter pro concilianda pace , obitus , honorifica cadaveris tranſlatio , ſepultura , & miraculum 808. VITA ALTERA , *auctore anonymo , quem tamen aliqui Fridegodum nominant , ex Mss. codicibus monaſterii Cornealenſis , Vallis Lucentis , & Cartuſiæ Divionenſis.* PROLOGUS. CAP. I. Sancti patria , parentes , pueritia , fratres, & pia vita in aula regis Francorum 810. CAP. II. Sancti zelus pro Catholica fide , iter Hiſpanicum , & quædam miracula 812. CAP. III. Epiſcopalis ejus conſecratio , virtutes in hoc officio , auſterus vivendi modus , & munifica monaſteriorum conſtructio 814. CAP. IV. Romana ejus peregrinatio , pacis conciliandæ ſtudium , prophetia , & felix obitus 817. CAP. V. Funerea pompa , primus ſepulturæ locus , honorifica ſacri corporis elevatio ,

tio, & miraculum, quod in ea contigit 818. VARIÆ TRANSLATIONES SACRI CORPORIS, *ex Theſauro novo anecdotorum apud Edmundum Martene tom.* 3, *columnâ* 1669 *& ſeqq., quam editionem cum mutilo Ms. Rothomagenſi contulimus.* CAP. I. Honorifica ſacrarum reliquiarum reductio ſub Normannis jam Chriſtianis, & miraculum, quod Sanctus in pueritia patraſſe dicitur 820. CAP. II. Poſt diverſas ſacri corporis tranſlationes fruſtra tentatur illius furtum, idemque poſtea integrum ac incorruptum invenitur 823. MIRACULA, quæ poſt obitum Sancti contigerunt, *auctore Fulberto monacho, & plerumque coævo teſte, ex Ms. codice Rothomagenſi monaſterii S. Audoëni, cujus apographum P. Fredericus Flouetus anno* 1644 *ad Majores noſtros miſit.* PROLOGUS. CAP. I. Portentoſa hiſtoria cujuſdam civis Romani, qui variis morbis afflictus, apud ſepulcrum S. Audoëni in Normannia perfectam ſanitatem mirabiliter obtinuiſſe dicitur 826. CAP. II. Alii duo peregrini paralytici per interceſſionem ejuſdem Sancti miro modo ſanantur 829. CAP. III. Cæcæ mulieris illuminatio, corpus Sancti ob præſentiam impiorum immobile, & mira captivi cujuſdam liberatio 831. CAP. IV. Puero muto obtenta loquela, mulieri paralyticæ reddita ſanitas, & duorum, Sanctum injuriâ afficientium ſanitas 834. CAP. V. Fures ope Sancti deprehenduntur, cæcus illuminatur, & duo muti uſum loquelæ obtinent 836. ALIA MIRACULA, *auctore anonymo, ex eodem apographo Rothomagenſi, quod P. Flouetus anno* 1644 *ad Majores noſtros miſit* 837

20 Dioſcorus M. Alexandriæ, *ex Martyrologiis* 36

23 Donatus, Reſtitutus, Valerianus, Fructuoſa, & duodecim alii MM. Antiochiæ in Syria. Palæſtra, memoria in Martyrologiis, & dubium martyrii tempus 590

21 Donatus, Romulus, Sylvanus, Venuſtus, & Hermogenes MM., Foro-Julii in Italia. COMM. PRÆV. Cultus, ſacra lipſana, Acta 411. ACTA *ex Breviario Ms. Foro-Julienſi* 412

E

24 EPtadius presb. & conf. apud Montem-Telonum in territorio Auguſtodunenſi. COMM. PRÆV. § 1. Intricata annuntiatio in diverſis Martyrologiis, & controverſia de vero vitæ inſtituto 775. § II. Tempus, quo floruit, conjectura de anno mortis, Acta eorumque ſcriptor 777. VITA, *auctore anonymo coævo, ex pervetuſto codice D. Claudii Jolii &c. cum edito apud Labbeum exemplari collata* 778

23 Eugenius vel Eogainus ep. Ardſtrathenſis in Hibernia. COMM. PRÆV. Cultus, cathedra, ætas, & Acta 624. VITA, *auctore anonymo, ex membraneo muſei noſtri codice &c.* 625

21 Euprepus vel Euprepius epiſc., Veronæ in Italia. SYLLOGE HISTORICO-CRITICA. Sancti hujus memoria in Martyrologiis, cultus, reliquiæ, ætas, & Acta 400

24 Eutyches ſive Eutychus, diſcipulus S. Joannis Euangeliſtæ & Apoſtoli Pauli. DISQUISITIO HISTORICO-CRITICA. § 1. An hodiernus ille Sanctus ſit diverſus ab homonymo, de quo Majores noſtri olim egerunt 751. § II. An Sanctus hodiernus ſit idem cum illo adoleſcente, quem ex lapſu mortuum S. Paulus Apoſtolus Troade ad vitam revocavit 753

F

22 FAbricianus & Philibertus MM. in Hiſpania. Veneratio eorum publica, geſta ignota 535

20 Filibertus abbas in Herio inſula Galliæ. COMMENT. PRÆV. § 1. Nomen Sancti, notitia loci in quo obiit, & antiquus ejuſdem abbatis cultus 66. § II. Scriptor Actorum, & varia eorumdem apographa 67. § III. Tempus nativitatis, patria Sancti, & quædam geſta ipſius diſcutiuntur 69. § IV. Poſthuma Sancti gloria ex variis corporis ejus tranſlationibus, ac miraculis, quæ in iis contigerunt 72. Quædam Sancti ejuſdem miracula, diu poſt tranſlationes illas patrata, & præſens ſacrarum reliquiarum ejus ſtatus 73. VITA, *auctore monacho Gemeticenſi anonymo & ſubæquali, ex editione Mabillonii inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini, cum Mss. collata.* PROLOGUS 75. CAP. I. Sancti patria, inſtitutum monaſticum, virtutes in tirocinio, munus abbatiale, itinera, & ædificatum induſtriâ ipſius monaſterium Gemmeticenſe 75. CAP. II. Providentia Dei erga hunc Sanctum, plura ejus miracula, cœnobia ab ipſo exſtructa, miſericordia erga captivos & pauperes 77. CAP. III. Sancti zelus, exſilium, revocatio ab exſilio; reditus in inſulam Herium; varia miracula ibi patrata; virtutes & pia mors 79. TRANSLATIONES ET MIRACULA, *auctore Ermentario monacho, & teſte oculato.* LIBER I. PRÆFATIO 81. CAP. I. Tranſlatio ſacri corporis ex inſula Herio Ampennum, Varennas ac Palum, & miracula, quæ in his ſtationibus patrata ſunt 82. CAP. II. Miracula, quæ facta ſunt, poſtquam corpus ejuſdem Sancti in monaſterio Deenſi collocatum fuit 84. CAP. III. Alia miracula, quæ in eodem monaſterio coram reliquiis Sancti contigerunt 87. CAP. IV. Reliqua beneficia, quæ ibidem ægris & afflictis per interceſſionem hujus Sancti collata ſunt 89. LIBER II. PRÆFATIO. Caput unicum. Miracula antiqua, & recentiora, quæ tum in inſula Herio, tum in tranſlatione corporis ad Meſciacum acciderunt 93

23 Flavianus ep. Auguſtoduni in Gallia. SYLLOGE. Antiquus cultus ex Martyrologiis, ignota Acta, & incerta ætas 643

23 Flavius ep. Rothomagi in Normannia. SYLLOGE HISTORICA. Notitia de immemorabili cultu, & veriſimilior aliquorum geſtorum ejus chronologia 640

23 Fortunatus, Hermon, Xiſtus, Martialis, Hermogeratus. Item Laurentius, & tres pueri Habundus, Innocentius ac Merendinus. Aquileiæ in Italia, ac Romæ, *ex Hieronymianis exemplaribus, ac Ferrario.* Annuntiationes, Hermagoræ & Fortunati martyrium: hic à ſynonymo diverſus 587

23 Silvanus, Sabinus ac Pantherius MM. in Thracia 589

G

24 GEorgius Limniota M. in tractu montis Olympi. COMM. PRÆV., cultus, cruciatus, ætas, Acta 841. ACTA, *auctore anonymo*

nonymo ſynchrono, è codice bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, interprete J. P. 842
24 Gildardus presb. Luperciaci in territorio Nivernenſi Galliæ. SYLLOGE de loco, cultu, ætate, ac mendoſis annuntiationibus 840
20 Gobertus conf., Ordinis Ciſtercienſis, in abbatia Villarienſi in Brabantia. COMM. PRÆV. § 1. Beati cultus, Acta, biographi unius ætas & fides 170. § II. Alterius biographi ætas inveſtigatur. § III. B. Goberti genealogia, & expeditiones bellicæ. § IV. Alia bellicæ fortitudinis ſpecimina; vitæ cœnobiticæ initium; exercitia; mors. VITA, *auctore anonymo, cœnobii Villarienſis aſceta, ex codice Ms. ejuſdem cœnobii.* PROLOGUS I. 377. PROLOGUS II. PROOEMIUM ad librum ſequentem. LIBER I. B. Goberti vita ſecularis. CAP. I. Nativitas, ætas juvenilis, vita militaris, expeditio in Palæſtinam 379. CAP. II. B. Gobertus Chriſtianos contra Friderici Imp. injuriam tuetur, & loca ſacra inviſit 380. CAP. III. B. Gobertus è Palæſtina redux; peregrinationem ſuſcipit ad S. Jacobum; deinde ſuis ſubditis & fratri ab hoſtibus oppreſſis fert opem 382. PROLOGUS ad librum ſequentem 383. LIBER II. CAP. I. B. Goberti vita cœlebs; rerum mundanarum contemptus; ingreſſus in cœnobium Villarienſe 384. CAP. II. Variæ B. Goberti virtutes 385. CAP. III. Levem defectum graviter caſtigat, ejus animi demiſſio, & in precibus attentio 387. CAP. IV. Abſtinentia, & miſericordiæ opera 389. CAP. V. Monachum è cœnobio profugum reducit 391. LIBER III. Obitus 393
24 Gregorius, Theodorus, & Leo confeſſores in inſula Samo vel Cephalenia. COMM. PRÆV. Immemorabilis cultus, Acta, ætas, locus mortis, & ſacræ quorumdam reliquiæ aliò tranſlatæ 768. ACTA, *collectore Petro Calotio Dominicano* 771
22 Gunifortus M. Ticini in Italia. COMM. PRÆV. Temeraria hujus Sancti confuſio cum S. Cucufate mart., cultus ex Martyrologiis; patria, frater, ſorores, tempus martyrii, & Acta 524. ACTA, *auctore anonymo incertæ ætatis, ex editione Bonini Mombritii.* PROLOGUS. CAP. I. Sancti diſceſſus è Scotia in exteras regiones cum fratre ſuo, ac duabus ſororibus, quæ in Germania pro Chriſto martyrium ſubierunt 527. CAP. II. Ulterior Sancti profectio cum fratre in Italiam: ubi hic Novocomi ab ethnicis occiditur; ille autem Mediolani letaliter læſus, paullo pòſt Ticini ex vulneribus piè moritur 529

H

20 HEliodorus ac Doſa martyres. Memoria in Faſtis Græcis, tempus martyrii 96
20 Herbertus archiep. Compſæ apud Hirpinos in Italia. SYLLOGE. Loci notitia, cultus publicus, obſervationes 100
22 Hippolytus ep. & mart. in Portu Romano. COMM. HISTORICO-CRITICUS. § I. Diſtinctio hujus Sancti ab aliis ejuſdem nominis martyribus, & cultus ex antiquis martyrologiis 504. § II. Interpolata Sancti Acta, veroſimilis ætas, quâ floruit; ſed incertum martyrii tempus 506. § III. Incerta cathedra 507. § IV. Elogia, & aliqua ſcripta 511
21 Hippolytus, Traianus, Quadratus, Primus MM. Romani, *ex apographis Hieron.* 425

I

23 JAcobus Mevanas ex Ord. FF. Prædicatorum, Mevaniæ in Umbria. COMMENT. PRÆV. § 1. Patria, cultus ab immemorabili tempore inceptus, & ab Apoſtolica Sede poſtea confirmatus 719. § II. Præcipui geſtorum ſcriptores, fragmentum antiquiſſimæ vitæ, & notitia de duobus Actorum exemplaribus, quæ poſt hunc Commentarium edemus 722. § III. Poſthuma gloria ex lucubrationibus poſteritati relictis, & honorifica corporis incorrupti conſervatione 725. § IV. Recentiora nonnulla miracula, quæ R. P. Prior Mevanienſis ad Majores noſtros miſit 726. VITA *ex Ms. libro Fratris Ambroſii Taëgii Dominicani de Inſigniis Ordinis Prædicatorum fol.* 354. CAP. I. Nativitas prodigiis indicata, ingreſſus in Ordinem PP. Prædicatorum, fundatio cœnobii Mevanienſis, eruditio, variæ virtutes & quædam miracula 728. CAP. II. Prædeſtinatio ad ſalutem ſuam æternam mirabiliter ei indicata, viſiones, pius obitus, mira apparitio, corporis integritas & miracula poſt mortem 731. ACTA BREVIORA, *auctore Bartholomæo Mortario Dominicano, ex Opere Leandri Alberti de Viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum &c.* 734
24 Irchardus, ſeu Erthadus, vel Erchardus ep. & conf. in Scotia. SYLLOGE HIST. Memoria in recentioribus Menologiis, legitimus cultus ex Breviario Aberdonenſi, & incerta ætas 773
21 Julianus Benearnenſis ſeu Laſcurrenſis in Gallia epiſcopus. Cultus, geſta, tempus vitæ, notitia topographica 441
21 Julius, Julianus, Vincentius, Augurius, Eulodius MM. in Hiſpania. Notitia ex antiquis Martyrologiis: Acta eorum & tempus martyrii incerta 424
23 Juſtinianus eremita & M. in Lemeneia inſula Angliæ. COMM. PRÆV. Locus martyrii, ætas Sancti, cultus ab immemorabili tempore, Acta, & quædam diſcrepantes eorum circumſtantiæ 633. ACTA *collectore Joanne Capgravio, ex Legenda Sanctorum Angliæ &c.* 635

L

21 LEontius ep. Burdegalenſis in Gallia Aquitanica. Veneratio publica, ætas, epiſcopatus; an miles ſub Childeberto 442
20 Leontius & Carpophorus MM. Vicentiæ in Italia. COMM. PRÆV. § 1. Publica veneratio, tempus martyrii, victoria à Vicentinis obtenta; martyres ſorores, ut fertur; tranſlationes 32 § II. Expenduntur difficultates de corporum tranſlationibus, ac martyrii palæſtra 34. ACTA, *auctore anonymo, ex editis apud Petrum de Natalibus lib. 7, cap. 87,* 35
20 Leovigildus & Chriſtophorus martyres, Cordubæ in Hiſpania. COMM PRÆV. Sanctorum cultus, vitæ profeſſio, Acta, & cœnobiorum, quæ incoluerunt, ſitus. PASSIO *ex Memoriali S. Eulogii* 99
20 Lucius ſenator martyr. SYLLOGE. Cultus, ſepultura, ac tempus martyrii 28
23 Lupus vel Luppus M. incerti loci ac temporis. DISQUISITIO CRITICA. An unus, duo, tres, vel quatuor fuerint hujus nominis Martyres, & quis ex illis hodie colatur 593
21 Luxorius, Ciſellus, Camerinus MM. in Sardinia.

Sardinia. COMM. PRÆV. Vetuſtus horum Sanctorum cultus, Acta, reliquiæ, & inepta duorum ex his annuntiatio in Martyrologio Hiſpanico 414. ACTA *ex editione Mombritiana, cum alio Ms. apographo collata* 416

M

22 MArtialis, Saturninus, Epictetus, Maprilis, Felix cum ſociis MM. in Portu Romano. Antiqua horum Sanctorum memoria in Martyrologiis, & incertus martyrii annus 513

20 Martyres XXXVII. Item Severus ac Memnon centurio martyres Philippopoli ac Bizyæ in Thracia. COMM. PRÆV. Cultus apud Græcos ac Latinos. ACTA, *auctore anonymo, è Synaxario Sirmondi, interprete J. P.* 30

23 Martyres anonymi Bodobrigæ, quæ nunc vulgò Boppardia vocatur, in Germania inventi. COMM. PRÆV. § 1. Loci notitia; documentum inventionis cum ejuſdem hiſtoria collatum, ac variis obſervationibus elucidatum 556. § II. Tempus martyrii, Sanctorum numerus, ſepultura, veneratio publica 558. HISTORIA INVENTIONIS *ex Annalibus Trevirenſibus Chriſtophori Browerі &c.* 559

22 Maurus & ſocii L martyres Remis in Campania Galliæ. SYLLOGE. § 1. Cultus, numerus Martyrum, lipſana eorum ſacra 515. § II. Actorum exemplaria, tempus martyrii, & ejuſdem hiſtoria *è Flodoardo* 517

20 Maximus abbas & conf. in Caſtro Cainone in Gallia. COMM. PRÆV. Locus, nomen, cultus, dignitas, Acta; S. Eucherii de Sancto cura; reliquiæ 55. ACTA, *auctore S. Gregorio Turonenſi lib. de Gloria confeſſorum* 56

23 Minervius vel Minervus & Eleazarus cum filiis octo MM. Lugduni in Gallia. SYLLOGE HISTORICO-CRITICA. § 1. Antiqua eorum memoria in Martyrologiis, ætas & palæſtra martyrii 561. § II. Nonnulla, quæ pſeudo-ſcriptores Hiſpani de his Martyribus finxerunt, & quomodo tempus ac palæſtram martyrii mutaverint 563

23 Moderatus ep. & conf. Veronæ in Italia. Publicus cultus, elogium, corpus, ætas 596

N

21 NAtalis presb. & conf. Caſali in Liguria Italiæ. COMM. PRÆV. Cultus, Acta, ætas 409. ACTA *auctore anonymo* 410

22 Nectavus vel Nectarius, & forſan Sevus Neo-Cæſareæ in Ponto. Notitia horum Sanctorum *ex antiquis Martyrologiis* 536

O

20 OSwinus rex Northumbriæ & M. in Anglia. COMM. PRÆV. § 1. Northumbriæ deſcriptio; Sancti regnum; genealogia, biographi, cultus inchoatus 57. § II. Sancti cultus exſtinctus; renovatus deinde & propagatus 59. § III. Donationes principum, martyrii titulus; annuntiationes; tempus mortis & regni; miracula 60. ACTA, *auctore ſancto ac Venerabili Beda, ex Hiſtoria Anglicana eccleſiaſtica* 62. ACTA ALTERA *ex Joanne Capgravio, ſeu potiùs Joanne Tynmuthano* 63

P

21 PAternus M., Fundis in Latio, SYLLOGE HISTORICA. Sancti hujus notitia, & cultus ex Martyrologio Romano, Ferdinando Ughello, & Mss. Actis 402

24 Patricius abb. in territorio Nivernenſi Galliæ. SYLLOGE HIST. de antiquo hujus Sancti cultu, Actis, & ætate 781

20 Paulus junior archiep. Conſtantinopolitanus 96

23 Philippus Benitius conf. Ordinis Servorum beatæ Mariæ virginis, Tuderti in Umbria. COMM. PRÆV. § 1. Diverſi ſcriptores, qui tum Latinè, tum Italicè, Acta hujus Sancti litteris mandarunt 655. § II. Poſthuma gloria ex ſolenni canonizatione, ſubſecuto cultûs incremento, & declarata primorum ſodalium ſanctitate 657. VITA, *collectore P. F. Cherubino Maria Dalæo Hiberno, ex editione Oenipontana anni* 1644, *quam annotationibus illuſtramus* 661. CAP. I. Sancti patria, parentes, nativitas, futuræ ſanctitatis indicia, pia educatio, & virtutes in pueritia 662. CAP. II. Brevis notitia de origine & incremento Ordinis Servorum beatiſſimæ Virginis Mariæ, quem Sanctus poſtea ingreſſus eſt 664. CAP. III. Litteraria Sancti ſtudia, dolor ob diſcordiam popularium ſuorum, & prodigioſa vocatio ad Ordinem Religioſum 666. CAP. IV. Ingreſſus in Ordinem, magiſtri ſpirituales, humilitas, patientia, & deſiderium ſolitudinis 670 CAP. V. Eremitica Sancti vita in monte Senario, præfectura tirocinii Senenſis, & in itinere detecta illius doctrina 672. CAP. VI. Sacerdotium, & publicum in prima Miſſa miraculum 674 CAP. VII. Electio ad officia honorifica, & ad ſummam totius Ordinis gubernationem, ejuſque pia in hoc munere adminiſtrando ſedulitas 676. CAP. VIII. Miraculum Aretii precibus ejus patratum, & novæ leges Ordini Servitarum ab ipſo præſcriptæ 679. CAP. IX. Diverſus Sancti conatus ad deponendum generalatûs officium, publicata leproſi ſanatione & cæleſti quadam viſione impeditus 681. CAP. X. Fuga in aviam ſolitudinem, ne eligeretur Pontifex Romanus, & ibidem ſalutifera balnea precibus ejus è ſaxo producta 683. CAP. XI. Geſta in itinere, quod ex Italia in Galliam & Germaniam inſtituit, & in reditu mira Dei erga ipſum providentia 686. CAP. XII. Cura in fundandis vel reſtaurandis Ordinis ſui cœnobiis, & labore ejus in concilio Lugdunenſi, ad quod evocatus fuerat 690. CAP. XIII. Fuga ad Piſtorienſes propter oblatam ei cathedram Florentinam, conciliata inter cives illos pax, periculoſa tempeſtas adverſus Ordinem Servitarum exorta, & patrocinio Deiparæ diſcuſſa 693. CAP. XIV. Florentiæ pax inter Guelfos & Ghibellinos à Sancto confirmata 696. CAP. XV. Iterata profectio in Germaniam, res ibi geſtæ, beneficia accepta, reditus in Italiam, & comitia ibidem celebrata 698. CAP. XVI. Pleraque illa, quæ Sanctus mortis ſuæ præſcius Forolivii, Florentiæ, Senis, ac Tuderti egit 701. CAP. XVII. Ultimus morbus, pia monita, felix obitus, & honorifica ſacri corporis expoſitio 704. CAP. XVIII. Antiqua miracula, quæ poſt obitum patrata ſunt 707. CAP. XIX. Aliæ miracula, quæ videntur facta ſeculo XIV, quo ſacrum

ſacrum illius corpus primò tranſlatum eſt 710. CAP. XX. Recentiora miracula, quibus immiſcentur ea, quæ in tertia corporis ejus tranſlatione contigerunt 712. CAP. XXI. Publica de ſanctitate ipſius opinio, antequam catalogo Sanctorum ſolenniter adſcriberetur 716

20 Piricius, Arcus, Maximus conf., Pamphilus, Colouus conf. Item Diomedes, Agaticus, Zelus, Synnadæ in Phrygia, *ex Martyrologiis* 36

20 Porphyrius in Italia. SYLLOGE. Cultus certus; martyrium incertum: præter hunc non fuit alius: S. Venantii pædagogus 26

21 Priſtus, Sevus: item Quadratus epiſc., Sundophagus, Aſtuſus, Diomedes, Zoticus, Zatamgelus, Moyſeus MM. Alexandrini, *ex apographis Hieronymianis* 423

21 Privatus ep. M. in Occitania Galliæ provincia. COMM. PRÆV. § 1. Antiqua hujus Sancti veneratio, locus cathedræ, & controverſum martyrii tempus 433. § II. Varia Sancti Acta, publica ſacri corporis tranſlatio, & mira ejuſdem inventio 436. ACTA BREVIORA, *ex Speculo hiſtoriali Vincentii Bellovacenſis, quæ cum editione Mombritiana contulimus* 438. ACTA LONGIORA *ex Ms. apographo, quod in Trevirenſi monaſterio S. Maximini tranſcriptum eſt, & quod cum alio Ms. exemplari Bernardi Guidonis contulimus* 439

24 Ptolomæus & Romanus epp. & MM. in Tuſcia. COMM. PRÆV. § 1. Legitima veneratio, locus cathedræ, & diverſa martyrii Acta 744. § II. Poſthuma gloria, ex authenticis inſtrumentis probata 747. ACTA, *auctore anonymo incerti temporis, ex Ms. codice cathedralis eccleſiæ Sutrinæ, quem cum aliis Mss. contulimus* 749

Q

21 QUadrati epiſcopi. Cultus ex Martyrologio Romano & aliis Faſtis ſacris 422

23 Quiriacus ep., Maximus presb., Archelaus diac., & ſocii MM., apud Oſtia Tiberina. Cultus ex Martyrologiis, ſocii, tempus, Acta, & Archelaï tranſlatio 565

R

23 RIchildis virgo recluſa Summontorii prope Oenipontem. SYLLOGE de vitæ inſtituto, cultu, rebus mirabilibus, ac ætate 649

24 Rigomerus presb. & conf. Subligniaci apud Cenomanos in Gallia. COMM. PRÆV. § 1. Memoria in Faſtis, Sanctus hic cum alio confuſus, tempus mortis 783. § II. Vitæ ſcriptores, exemplaria, tranſlatio S. Rigomeri 285. VITA, *auctore ignoti nominis ac temporis, ex codice membranaceo antiquo Ms.* 786. HISTORIA TRANSLATIONIS *auctore Petro monacho Malleacenſi, edita apud Labbeum in Nova bibliotheca Mss. librorum tomo 2 à pag.* 234 789

S

20 SAmuel Propheta in Palæſtina. COMMENT. HIST. § 1. Scribendi ratio; Sanctus à Deo matris precibus impetratus; natales, nominis etymon, educatio, miniſterium ſacrum, prophetiæ, conjugium; an ſacerdos 6. § II. Quando judex; exhortatio, victoria per illum obtenta; exercitium judicii, locus habitationis; filii ab eo judices conſtituti; rex Saül, piæ congregationes 8. § III. Innocentia vitæ, reprehenſio populi miraculo confirmata; acta circa Saülem; mors, ſepultura, planctus, elogia 10. § IV. Cultus in Oriente & Occidente; tranſlatio corporis, ædes ſacræ, monaſteria 12. § V. Samuelis ſcripta, apparitio famoſa poſt ejus mortem Saüli facta 14

20 Seronius vel Serronius martyr apud Santones in Gallia. SYLLOGE de cultu & ætate 26

23 Sidonius Apollinaris ep. Arvernis in Gallia. COMM. HIST. § 1. Antiquus cultus, elogia, & Actorum compendium 597. § II. Illuſtre ſtemma, patria, tempus nativitatis, multiplex nomen, ſtudia litteraria, & exercitia adoleſcentiæ 599. § III. Conjugium, liberi, & dignitates, quas ab imperatoribus Romanis impetravit 601. § IV. Indoles ex ſcriptis ejus potiſſimùm eruta, & improbabilis opinio de monaſtica ipſius vita 604. § V. Initium epiſcopatûs, reſponſio ad gratulatoriam S. Lupi Trecenſis epiſtolam, humilitas, & Sancti morbus 606. § VI. Poſt ſuſceptum epiſcopatum magna morum mutatio, & variæ virtutes 609. § VII. Paterna ſolicitudo pro ſuo grege, & officioſa caritas erga proximum 611. § VIII. Pius magnanimuſque zelus pro fide Catholica, & tetricum exſilium 613. § IX. Reliqua geſta poſt reditum ab exſilio uſque ad annum Chriſti CDLXXXIII 616. § X. Afflictiones, prophetia, obitus, ſepultura, epitaphium, reliquiæ 618. § XI. Poſthuma gloria ex ſcriptis, quæ partim ſuperſunt, partim perierunt, vel adhuc latent 621

22 Sigfridus abbas in Anglia. SYLLOGE HIST. Sancti monaſterium, ætas, cultus ab immemorabili tempore, biographus, & Acta 536

22 Symphorianus M. Auguſtoduni in Gallia. COMM. PRÆV. § 1. Vetuſtus cultus, poſthuma gloria ex eccleſiis, miraculis & reliquiis 491 § II. Acta, commune eruditorum de iis judicium, veroſimile martyrii tempus, & ſcrupulus Tillemontio exemptus 493. VITA, *ex Actis Martyrum ſinceris & ſelectis, quæ Ruinartius edidit, cum aliis Mss. codicibus collata* 496

T

24 TAtion M. Claudiopoli in Honoriade provincia. COMM. PRÆV. Notitia loci, publica Sancti veneratio, tempus 766. MARTYRIUM *è codice Cæſareo bibliothecæ Vindobonenſis interprete J. P.* 767

24 Teneſtina virgo apud Cenomanos in Gallia. SYLLOGE HIST. Cultus, elogium, monaſterium, tranſlatio corporis, reliquiæ 791

21 Theocleta Thaumaturga. Cultus è Faſtis Græcis, elogium, tempus vitæ 449

24 Theodericus primus iſtius nominis abbas Andaginenſis, in Arduenna ſilva. COMM. PRÆV. § 1. Situs monaſterii, cui Beatus præfuit, antiquus hujus Abbatis cultus, & coævus Actorum ſcriptor 843. § II. Aliqua Beati geſta chronologicè diſpoſita, & ex alio veteri monimento ſubinde ſuppleta, vel diſtinctiùs relata 845. VITA, *auctore anonymo coævo, ex Ms. codice monaſterii Alnenſis, quem cum editione Mabilloniana ſec. VI Benedictino par-*

te 2 pag. 559 contulimus 848. PROLOGUS. CAP. I. Beati patria, parentes, pia educatio, & ſtudium litterarum in pueritia ibidem. CAP. II. Monaſtica ejus profeſſio, magiſterium in variis cœnobiis, ſacerdotium, & iter Hieroſolymitanum fruſtra ſuſceptum 851. CAP. III. Munus abbatis ei reluctanti impoſitum, paterna cura tum de ſpirituali tum de temporali monaſterii ſui profectu, & alterum iter Romanum 854. CAP. IV. Pia beati Abbatis ædificia, quædam miracula & itinera 858. CAP. V. Ultimus Beati morbus, pius obitus & honorifica ſepultura 862

23 Theonas vel Teuna ep. Alexandrinus. COMM. HIST. § I. Varium ejus nomen, antiquus cultus ex Martyrologiis, & eccleſia, quæ olim Alexandriæ in Ægypto ad honorem ejus exſtructa fuit 579. Chronologicum epiſcopatûs initium, incerta Sancti geſta, & veroſimillimus mortis annus 580. § III. An epiſtola, quæ nomen Theonæ præfert, Sancto noſtro adſcribenda ſit 583. § IV. Exemplar epiſtolæ iſtius, quam ab eo probabiliùs ſcriptam putamus 585

23 Timotheus & Apollinaris MM. Remis in Campania Galliæ. COMM. PRÆV. § I. Cultus è Faſtis ſacris; tempus martyrii; venerationis propagatio 573. § II. Canonicorum collegium Remis reſtitutum, eorum vivendi modus 575. § III. Tranſlatio corporum ac ſupplicationes publicæ apud Remenſes; ſacra ibidem lipſana, nec non S. Apollinaris Lutetiæ Pariſiorum 577. ACTA, *ex Hiſtoria Remenſis eccleſiæ Flodoardi &c.* 578

22 Timotheus M. Romæ. COMM. PRÆV. § I. Antiquiſſimus ac celeberrimus Sancti cultus. An fuerit S. Pauli Apoſtoli diſcipulus 530. § II. Sancti ſepultura ac corpus, Acta & eorum cenſura 532. ACTA APOCRYPHA *auctore anonymo, ex Vita S. Silveſtri PP., quam edidit Combefiſius &c.* 534

24 Trecenti Martyres, qui paſſim MASSA CANDIDA appellantur, Carthagine vel Uticæ in Africa. COMM. HIST. § I. Antiquus cultus, numerus, & Acta 761. § II. Diſceptatio de palæſtra, tempore, modo, & genere hujus martyrii 763

V

20 VAlentinianus, & Leontius forte MM. in Lucania Italiæ. Cultus ex Martyrologiis, notitia loci 37

23 Veredemius eremita conf. in territorio Ucetienſi Galliæ. SYLLOGE. § I. Diſſertatio de unico an duobus Veredemiis ſeu Veredemis 636. § II. Cultus S. Veredemii conf. & eremitæ; lectiones propriæ, Vitæ fragmentum, & Sancti ætas 639

23 Victor conf. & Vitenſis ep. in Africa. COMM. HISTORICO-CRITICUS. § I. Legitimus cultus, & error circa veram ejus cathedram correctus 628. § II. Quis Sanctus ille fuerit, quæ geſſerit, quando & ubi obierit 630

Z

23 ZAcchæus vel Zacharias epiſcopus Hieroſolymitanus. Antiqua Sancti memoria in Martyrologiis, tempus inchoati epiſcopatûs, & incertus mortis annus 555

24 Zenobius, Capitulinus, Emerita, Italica. Item Juvianus & Julius MM. Antiochiæ. Cultus *ex apographis Hieronymianis* 767

INDEX CHRONOLOGICUS

ANTE CHRISTUM NATUM.

ANno 1076, *vel* 1077, *vel antè* S. Samuel Propheta moritur 11 e

SECULO I.

SS. Ptolomæus & Romanus epp. & MM. 744 b

Seculo primo exeunte, aut ineunte ſecundo vitâ functus S. Eutyches, SS. Joannis Euangeliſtæ, & Apoſtoli Pauli diſcipulus 751 a

Seculo 1 *aut* 2 floruit S. Euprepus vel Euprepius 401 f

SECULO II.

Anno 111 factus eſt epiſcopus Hieroſolymitanus S. Zacchæus vel Zacharias 555 e, & *non diu poſt iſtum annum* obiit ibid. f

142 Martyres anonymi Bodobrigenſes 556 b

Anno circiter 180 S. Symphorianus martyrii lauream obtinet 495 d

Sub Commodo imperatore S. Antonius vel Antoninus M. 498

SECULO III.

Hoc Seculo SS. Martialis, Saturninus, Epictetus & alii MM. 514 e

Ineunte eodem ſeculo SS. Minervius vel Minervus, & Eleazarus cum filiis octo MM. 561 a

Circa medium ejuſdem ſeculi SS. Quiriacus ep., Maximus presb., Archelaus diac., & ſocii MM. 565 c. S. Aurea ſeu Chryſe V. & M., & alii MM. 755 b. S. Hippolytus ep. & M. 507 f

258 SS. Martyres trecenti, ſeu Maſſa candida 763 de

763 d e
Sub Decio vel Valeriano S. Cyriaca vidua & M. 403 c
Sub Decio S. Paternus M. 402 b
Sub Valeriano S. Anthusa solitaria. Item Athanasius ep., & Charisius ac Neophytus MM. 499
Sub Aureliano S. Anastasius vel Attalus M. 407 a
282 *vel* 283 S. Theonas ad cathedram Alexandrinam evectus 580 f
285 SS. Claudius, Asterius, Neon, Domnina & Theonilla MM. 567 a
Exeunte seculo 3 *circiter* SS. Maurus & socii L MM. 515 a. SS. Timotheus & Apollinaris MM. 573 a
300 S. Theonas vel Teuna ep. Alexandrinus supremum vitæ diem claudit 579 c

SECULO IV.

Forsan seculo 4 SS. Donatus, Restitutus, & alii MM. 590
Hoc vel præcedente seculo Martyres sequentes. *Sub Maximiano* S. Agathonicus & plures alii MM. 519
Sub eodem forte S. Gunifortus M. 524 a
Sub Diocletiano & Maximiano SS. Hermogenes ac Fortunatus MM. 589 a
Forte sub Diocletiano S. Tation M. 767 a d
Sub Diocletiano SS. Silvanus, Sabinus, ac Pantherius MM. 589 c
Sub imperatoribus ethnicis, hoc vel præcedentibus seculis S. Timotheus M. 530 c
Circa annum 360 SS. Gregorius, Theodorus & Leo conff. defuncti 768 b
363 SS. Bonosus & Maximilianus vel Maximianus martyrio coronati 425 b

SECULO V.

Seculo hoc sedit S. Moderatus ep. conf. 596 a
Seculo eodem floruit S. Maximus abb. & conf. 55 c
Circa annum 430 nascitur S. Sidonius Apollinaris ep. 600 c d
Ante medium seculi 5 S. Auctor ep. Trevirensis vixit 41 a
456 S. Sidonius Apollinaris coram senatu populoque Romano carmen panegyricum recitat in laudem Aviti imperatoris, eo successu, ut Sidonio propterea erecta fuerit statua 603 a
467 S. Sidonius Apollinaris febri correptus in itinere Romam versus, recurrit ad limina Apostolorum & eorum intercessionem experitur 606 b
Eodem anno S. Sidonius Apollinaris Romam redux carmen panegyricum pronuntiat in honorem imperatoris Anthemii 603 e
468 S. Sidonius Apollinaris creatur præfectus urbis Romanæ 603 e
Circa finem anni 471, *vel initium anni* 472 S. Sidonius Apollinaris creatur Arvernensis episcopus 606 e f, 607 a b c
475 Romani Gothis Arverniam concedere coacti 615 f
Eodem anno Sidonius Apollinaris in exsilium relegatur ab Eurico Gothorum rege ibid., & 616 a
Usque ad annum 483 quænam alia fecerit post reditum ab exsilio 616 & seqq.
487 S. Victor Vitensis conscribit Historiam Wandalicæ persecutionis 631 f, 632 a
Anno circiter 488 obiit S. Sidonius Apollinaris ep. 597 a, 620 c

SECULO VI.

Seculo 6 floruit S. Ægidius 639 c
Ineunte seculo 6 floruit S. Eptadius presb. & conf. 777 a
Seculo eodem vixit S. Eugenius vel Eoganius ep. 624 c
Post initium seculi 6 moritur S. Victor Vitensis 628 a
Anno 524 moritur Clodomirus; Childebertus verò & Clotarius dividunt regnum ejus 788 f
529 Probabilius videtur creatus episcopus Rothomagensis S. Flavius 641 d e
Circa annum 530 *aut* 540 S. Justinianus eremita martyrium subit 633 a
533 S. Flavius ep. Rothomagensis subscribit secundæ synodo Aurelianensi 641 e
538 S. Flavius ep. Rothomagensis interest concilio tertio Aurelianensi 642 b
Anno 538 nubit probabilius S. Radegundis regi Clotario 788 f
Forte circa annum 540 obiit S. Veredemius eremita 636 c
Circa an. 540, *sive non diu post obitum S Eptadii*, Vita ejus conscripta 778 b
541 Concilio quarto Aurelianensi interfuit S. Flavius ep. Rothomagensis 642 c
542 *vel* 543 Vitâ functus S. Cæsarius Arelatensis 637 f
544 *verosimiliter* S. Flavius ep. Rothomagensis ad Superos migravit 642 d
Ante medium seculi 6 S. Eptadius vitâ functus 777 c
Circa medium seculi 6 S. Patricius abb. probabilius obit 783 e
Circa medium seculi ejusdem ex hac vita discedit S. Rigomerus presb. & conf. 783 c
Medio circiter eodem seculo ad cælum migrat S. Tenestina virgo 791 b
594 *circiter* moritur S. Avitus 448 d. Mira sub ipso Judæorum conversio ad Christi fidem 445 e

SECULO VII.

Hoc forsan seculo floruit S. Flavianus ep. Augustodunensis 644 d
Seculo forte eodem Gildardus presb. Luperciaci in territorio Nivernensi Galliæ 841
Post annum 600 S. Dado vel Audoënus ex probabili conjectura colligitur in lucem esse editus 796 e f
616 *circiter* nascitur S. Philibertus abbas 77 b
Anno 639 S. Dado vel Audoënus eligitur episcopus Rothomagensis 797
Eodem anno 639 in Hispaniam tendit 797 e
Anno 640 probabiliùs consecratur episc. 797, 798
642 Baptizat Amalbertum filium B. Geremari 799 b
644 Concilium tertium Cabilonense confirmat sua subscriptione 799 b
645 S. Wandregisilus ab eo ordinatur diaconus 799 b
Eodem anno S. Wandregisilum subdiaconum consecrat 799 b
651 B. Geremarus ordinatur sacerdos 799 b
Eodem anno obiit S. Oswinus rex Northumbriæ & M. 57 a

Circa

Circa annum 672 Vita S. Eligii conſcribitur à S. Dadone vel Audoëno epiſc. Rothomagenſi 799 b
676 Romam diſcedit, & anno ſequente Rothomagum revertitur S. Dado vel Audoënus 799 b
679 Tranſlatio reliquiarum S. Marculfi 799 b
683 Veroſimiliter obit S. Dado vel Audoënus ep. Rothomagenſis 799 d e
684 S. Philibertus abbas probabiliùs è vita migravit 71 f
687 Corpus S. Audoëni ep. elevatur Rothomagi, ibique manet uſque ad irruptionem Nortmannorum 802 b c
689 Moritur S. Sigfridus abbas 537 b, 538 f

SECULO VIII.

Hoc ſeculo S. Veredemus ep. Avenionenſis 636 f
Sub initium ejuſdem ſeculi mortuus S. Callinicus I, patriarcha CP. 644 b
Anno circiter 730 obiit Georgius Limniota M. 841
Anno 731 *aut* 732 SS. Altigianus & Hilarinus monachi martyrio affecti 648 e
Poſt medium ſeculi 8 ſepulcrum SS. Timothei & Apollinaris MM. condecoratum 573 f
784 S. Paulus junior archiep. CP. obiit 96 c
Ante ſeculum nonum pars corporis S. Flavii ep. Rothomagenſis tranſlata ad abbatiam Gemmeticenſem 641 a

SECULO IX.

Hoc ſeculo corpus S. Archelai Cremonam tranſlatum 566 e
Seculo eodem vixit S. Theocleta Thaumaturga 449 e
825 Corpus S. Huberti ad monaſterium Andaginenſe tranſlatum à Walcando aut Walcaldo ep. Leodienſi 861 c
836 Corpus S. Philiberti abbatis defertur ad monaſterium Deenſe 72 a
Anno 838 corpus S. Teneſtinæ virginis probabiliùs tranſlatum 793
Eodem anno 838 *probabiliùs* S. Adæ ſeu Adrechildis corpus tranſlatum 793 e
852 SS. Leovigildus & Chriſtophorus martyrio coronantur Cordubæ 57 a
869 Floruit S. Aldrovandus ep. 549 a
Circa finem ſeculi 9 vivere deſinit S. Andreas conf. 539 a

SECULO X.

Circa annum 912 reliquiæ S. Audoëni ep. Rothomagenſis revectæ ad eccleſiam ipſius 802 f
Circa annum 950 corpus S. Sidonii Apollinaris erat adhuc in eccleſia S. Saturnini, ubi fuerat ſepultum 620 f
Seculo 10 *vel* 11 S. Antonius monachus, ac beatus forte Nicodemus 648 c

SECULO XI.

Seculo hoc reliquiæ S. Mauri M. ad Florinenſe monaſterium tranſlatæ 516
1007 Naſcitur B. Theodericus abbas Andaginenſis 845
Anno circiter 1010 S. Rigomeri corpus transfertur ad cœnobium Malleacenſe 786 c d
1013 Gerardus primus iſtius nominis antiſtes Cameracenſis creatus 851 c
1021 Poppo monaſterium Stabulenſe cœpit gubernare 854 d
1036 Corpus S. Privati ep. & M. ſolenniter tranſlatum 437
1048 Theodwinus Leodienſis epiſcopus uſque ad annum 1075 854 e
1053 Hugo abbas Lobienſis obiit 854 d
1055 B. Theodericus creatur abbas monaſterii S. Huberti 845
1064 Canonici duodecim eccleſiæ SS. Timothei & Apollinaris MM. reſtituuntur 575, 576 a b
1073 S. Gregorius VII cathedram S. Petri aſcendit 861 f
1076 Henricus ad cathedram Leodienſem evectus 861 f
Eodem anno B. Theodericus abbas Andaginenſis Rhemis prodigioſè pluviam impetrat 860 b c
Anno 1087 è vita migrat idem Theodericus abbas 847
Eodem anno die 27 *Auguſti* ſepelitur 864 b
1091 Naſcitur S. Bernardus abb. Claravallenſis 101 c

SECULO XII.

1100 Vixit B. Richildis virgo recluſa 649 b
1113 S. Bernardus tirocinium incipit in monaſterio Ciſtercienſi ſub abbate Stephano 108 b
1115 Fundatur probabiliùs abbatia Claravallenſis 112 f
Eodem anno ejuſdem abbatiæ præſes conſecratur S. Bernardus 113 b c d
Ante annum 1128 idem Sanctus Opuſculum de Gratia & libero arbitrio componit 133 e
Anno 1128 intereſt concilio Trecenſi 134
1130 Comprimit famoſum ſchiſma pſeudo-papæ Anacleti II contra Innocentium II 136 & ſeqq.
1135 Incipit exponere Cantica canticorum 155 a
1140 Obit B. Balduinus abbas, S. Bernardi diſcipulus, & ei admodùm charus 450 a c
1145 & 1146 Acta à S. Bernardo pro bello ſacro 188, 192
1149 Canonici regulares Auguſtiniani cœnobii Bullencuriani admittunt regulam Ciſtercienſem 650 b c
1152 Coronidem S. Bernardus imponit libris de Conſideratione 217 f
1153 E vita migrat 220 e
1166 B. Amatoris corpus reperitur integrum 16 c e
1170 Rex Angliæ Henricus ad Rupem S. Amatoris peregrinatur devotionis gratiâ 22 b
1174 S. Bernardus ſolenni ritu adſcribitur canoni Sanctorum 243 e
Plurima alia, quæ ad hunc ſanctum Patrem ſpectant, ſuis temporibus aptantur inferiùs in longo indice chronologico 237 & ſeqq.
1180 *circiter* S. Bernardus de Alzira martyrio coronatur cum Gratia & Maria ſororibus ejus 463 e. Ipſe autem miro modo antea ad Chriſti fidem & ad profeſſionem Ciſtercienſem è Mahometaniſmo converſus 452 e
1186 Vicentini contra Patavinos defenſi per SS. Leontium & Carpophorum MM. 33 b c
Circa an. 1195 S. Aſcelina virgo ad cæleſtem ſponſum migrat 655 c

SECULO XIII.

1220 In lucem editur B. Jacobus Mevanas 723 f, 731 b
1225

1225 S. Thomas Aquinas naſcitur 731 b
1233 Naſcitur S. Philippus Benitius 662 f
Eodem anno mirabilis origo Ordinis Servorum Beatiſſimæ Virginis Mariæ, qui poſtmodùm propagatus fuit miro etiam modo 664 d & ſeqq.
1236 Ingreditur Ordinem FF. Prædicatorum B. Jacobus Mevanas 725 d
1253 S. Philippus Benitius ad perfectiorem vitam incitatur 667 e
1263 Mortuus eſt B. Gobertus Villarienſis 376 c
1267 S. Philippus Benitius Ordinis Servitarum Generalis 677 a
1269 Idem Sanctus à multis Cardinalibus eligitur Pontifex; ſed fugâ ſe occultat. Illa occaſione Balnea prodigioſa S. Philippi producta 686 a b
Anno 1274 In concilio Lugdunenſi eloquentiſſimè perorat 692 a b
1280 Inventi Martyres Bodobrigenſes 557, 558
Eodem anno inter Guelfos & Ghibellinos S. Philippus Benitius firmat pacem 697, 698
1285 S. Andreæ conf. corpus inventum 547, 548
Eodem anno obit S. Philippus Benitius 706 e, 655 c

SECULO XIV.

1301 Moritur B. Jacobus Mevanas 732 e
Seculo hoc tranſlatum corpus B. Jacobi Mevanatis 726
Eodem ſeculo S. Philippi Benitii primò tranſlatum corpus 710
1348 B. Bernardus Ptolomæus, Congregationis S. Mariæ Montis Oliveti fundator moritur 464 a
1350 Tranſlatiò corporum SS. Timothei & Apollinaris MM. 577 b c
1351 Supplicationis in honorem S. Timothei M. inſtitutæ confirmatio 577 c d

SECULO XV.

Hoc Seculo tranſlatum corpus B. Jacobi Mevanatis 726
1455 SS. Leontii & Carpophori corpora inventa fuiſſe dicuntur in eccleſia Cathedrali Vicentina 33 d
1465 S. Reſtituti ep. reliquiæ tranſlatæ 592
1473 Confraternitas ſeu ſocietas in honorem S. Andreæ conf. reſtaurata 539 e
1489 Moritur B. Bartholomæus à Foreſto 738 a b

SECULO XVI.

Seculo hoc tranſlatum corpus B. Jacobi Mevanatis 726
1540 Inventa corpora SS. Ptolomæi & Romani epp. & MM. 747 a, 748 a
1551 Canon Paſchalis, à S. Hippolyto ſcriptus, invenitur 512 e
1561 S. Reſtituti ep. reliquiæ ſuccenſæ à Calviniſtis 592 f
1562 Corpus S. Amatoris ab hæreticis diffractum 21 f
1568 Sacræ reliquiæ B. Theoderici abbatis Andaginenſis ab hagiomachis combuſtæ 844
Anno 1579 Secunda S. Philippi Benitii tranſlatio 716 d
1595 Fons prodigioſus S. Philippi Benitii in ſumma ſiccitate præbet potum plurimis hominibus, nec deficit 673 b
1599 S. Philippi Benitii tranſlatio tertia 713 a, 716 d
1600 Pia ſocietas in honorem S. Andreæ conf. reſuſcitata 539 e

SECULO XVII.

1606 Tranſlatæ reliquiæ SS. Ptolomæi & Romani epp. & MM. 747 b, 748 e f
1613 & 1614 Confraternitas S. Andreæ conf. renovata 540 b
Anno 1664 SS. Ptolomæi & Romani epp. & MM. ſepulcrum exornatum 748 f
1671 S. Philippus Benitius ſolenni ritu adſcriptus catalogo Sanctorum 657 e
1694 Cultus ejuſdem Sancti per totam Eccleſiam propagatur 660 a b

SECULO XVIII.

1724 Litteræ Apoſtolicæ de canonizatione S. Philippi Benitii conſcriptæ 657 e
1725 Cultus immemorabilis ac legitimus ſex fundatorum ex ſeptem, Ordinis Servorum Beatæ Mariæ virginis declaratur 660 c d; ſeptimi verò cultus aliunde probatur ibid. d e f, 661 a

NOTITIA FIGURARUM

ornantium hunc tomum.

Præfigitur Operis frontiſpicium.
Effigies Auguſtiſſimi, cui Tomus inſcribitur.
Item lamina ornatus causâ eidem inſcriptioni præmiſſa.
Effigies S. Bernardi Claravallenſis abbatis pag. 224
Sepulcrum ejuſdem Sancti 354
Sepulcri iſtius latera 355
Monumentum B. Goberti conf. 377
Figura labari Conſtantiniani 426
Figura alia ejuſdem labari 427
Effigies S. Bernardi Ptolomæi 472
Figura S. Luppi 593

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Pagina 5 *inter Prætermiſſos litterâ* d. S. Adelindis abbatiſſa, in Germania, ſignatur apud Caſtellanum in Martyrologio univerſali. *Sed hæc retrahenda ſunt ad Prætermiſſos die* XXI *Auguſti.*

Ibidem lit. c, qui die XXIII - *lege* - qui die XXIII Auguſti

Ibid. lit. e, *expunge :* S. Victor vel Victorius *uſque ad* S. Stephani *excluſivè*

Pag. 7 *num.* 8 *in fine* vaticiis - *lege* - vaticiniis

11, *num.* 26, *lin.* 6 deledos - *l* - delendos

Ibidem lin. 19 porpheta - *l* - propheta

13, *num.* 34, *lin.* 18 geſtat - *l* - geſtam

21, *lin.* 5 diffuſum - *l* - diffuſus

24, *num.* 3, *lin.* 29 apoſtoli - *l* - apoſtolo

29, *num.* 1, *lin.* 15 λξ' - *l* - λζ'

30, *num.* 7, *lin.* 17 die XXIV menſis Maii - *l* - die XIV menſis Maii. *Sic etiam lege in verſione Latina Actorum, quæ ſtatim ſubduntur, lin.* 5.

31, *lin.* 4 ἠγαπημμένῳ - *l* - ἠγαπημένε

Ibid. num. 2 *in initio* κατέμεινον - *l* - κατέμειναν

33, *num.* 5, *lin.* 5 & 6 clarè exprimitur - *l* - in quibus illud clarè exprimitur ?

Ibid. num. 6 *ad marginem* à Vicentinos - *l* - à Vicentinis

39, *num.* 10, *lin.* 1 Amatoris - *l* - Auctoris

53, *num.* 19, *lin.* 26 beatus Auctori - *l* - beatus Auctor

58, *num.* 7, *lin.* 7 anuo - *l* - anno

70, *num.* 21, *ſub finem* quoſum nomina - *l* - quorum nomina

99, *num.* 13 *in fine* ad ad alium - *l* - an ad alium

145, *num.* 199, *lin.* 11 *expunge crucem* ✠

149, *num.* 216 *in fine* ac in filiis Patrem - *l* - ac in Patre filios

Ibid. num. 219 *in principio* ut vocunt - *l* - ut vocant

153, *lit.* c *in margine* Roberto - *l* - Gerardo

181, *num.* 363, *lin.* 3 Innocentio II ſucceſſerat - *l* - Cæleſtino II proximè ſucceſſerat

196, *num.* 427 *in fine* § 47 *Adde* De Villarienſi monaſterio vide pag. 343 a, de Gemblacenſi 342 f, 344 d, 393 c

212, *num.* 509 *in fine* propoſita - *l* - propoſito

224, *num.* 565 *in principio* quæ ſepulturam - *l* - quæ ad ſepulturam

237, *num.* 629, *lin.* 5 Roberus - *l* - Robertus

Ibid. num. 632, *lin.* 20 MXXXV - *l* - MCXXXV

238, *lit.* f *in titulo* uſque ad MCXXXIV - *l* - uſque ad MCXXXIX

Ibid. num. 633, *lin.* 17 Cluniacenſi - *l* - Caſſinenſi

239, *num.* 638, *lin.* 19 fundantur - *l* - fundatur

251, *num.* 704 *in principio* libros - *l* - libris

281, *num.* 94, *lin.* 14 ſuperſuſo - *l* - ſuperfuſo

327 *in Annotatis lit.* b § 38 - *l* - § 28

328, *num.* 276, *lin.* 3 *& in margine deleatur littera* a

376, *num.* 43, *lin.* 24 Joannis - *l* - Henrici

396 *in Catalogo Sanctorum* S. Bernardus de Alzira martyr Ord. Ciſtercienſis *adde ea, quæ habentur pag.* 452 *uſque ad Commentarium excluſivè.*

407, *num.* 2, *lin.* 10 binonimis - *l* - binominis

408, *num.* 12, *lin.* 10 martyrem - *l* - martyrum

411 *in titulo* martyre - *l* - martyribus

455, *num.* 15 *in margine* ſudio - *l* - ſtudio

458, *num.* 29 *circa finem* & ſemet captum - *l* - & [apud] ſemet, captum

Ibid. num. 30, *lin.* 22 manifeſtaret - *l* - manifeſtarent

459, *num.* 31, *lin.* 16 cohærendes - *l* - cohæredes

460, *num.* 38 *in principio* publico - *l* - publica

484, *num.* 57, *lin.* 20 imperatorum - *l* - imperatorem

486, *num.* 64, *lin.* 6 ad obitu - *l* - ab obitu

488 *circa finem* dedidimus - *l* - dedimus

489 *inter Prætermiſſos lit.* c *in* Oſanna virgine *expunge* ſi collector Florarii *&c. uſque ad* XVIII Junii *incluſive, & vide inter Prætermiſſos ad* XXIII *Auguſti pag.* 551 *lit.* f.

511, *num.* 40, *lin.* 5 in editione - *l* - in editione Græco-Latina

523, *num.* 5, *lineâ antepenultimâ* ſenatorii - *l* - ſenatorii interceſſionibus

544, *num.* 15, *lin.* 9 ſuum - *l* - ſuam

594, *num.* 20, *lin.* 6 glorioſam - *l* - gloriolam

569, *num.* 13, *lin.* 19 oppidnm - *l* - oppidum

570, *num.* 18, *lin.* 12 ſcquenti - *l* - ſequenti

587 *lit.* c SS. Hermagoræ & Fortunati - *l* - SS. Hermogenis & Fortunati

619, *num.* 126, *lin.* 6 & 7 nequitur - *l* - nequiter

651, *num.* 5, *lin.* 6 Bullencurienſes - *l* - Bullencurienſis

669, *num.* 39, *lin.* 8 vercundâ - *l* - verecundâ

688, *num.* 142 ex archiepiſcopo - *l* - ex archidiacono

711, *num.* 263, *lin.* 19 dexero - *l* - dextero

712, *num.* 266, *lin.* 17 libenterqte - *l* - libenterque

714, *num.* 276, *lin. penult.* remotâ - *l* - remorâ

728, *col.* 2, *lit.* d ſanctitati - *l* - ſanitati

770, *num.* 16 *circa finem* advecta - *l* - advectas

773, *num.* 3, *circa finem* pœnitentiarum - *l* - pœnitentiarium

801, *num.* 44, *lin.* 12 Beſſius - *l* - Beſlius

816 *in Annotatis lit.* o iudicari - *l* - indicari

854 *in Annotatis lit.* d pag. 967 - *l* - pag. 594

863, *num.* 63, *lin.* 12 agnoſo - *l* - agnoſco

Addenda huic tomo exſtant in fine ejuſdem.

ACTA SANCTORUM
AUGUSTI.

TOMUS QUARTUS.

VIGESIMA DIES.

SANCTI QUI XIII KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

SAnctus Samuel propheta, in Palæstina.
S. Amator eremita, in Cadurcensi Galliæ provincia.
S. Seronius vel Serronius martyr, apud Santones in Gallia.
S. Porphyrius in Italia.
S. Lucius senator Mart. in Cypro.
SS. Martyres XXXVII, S. Severus M., S. Memnon centurio M. } Philippopoli, ac Bizyæ in Thracia.
S. Leontius M., S. Carpophorus M. } Vicentiæ in Italia.
S. Piricius, S. Arcus, S. Maximus, S. Pamphilus, S. Colouus, Item S. Diomedes, S. Agaticus, S. Zelus } partim martyres, partim confess. Synnadæ in Phrygia.
S. Dioscorus M. Alexandriæ.
S. Valentinianus, S. Leontius } forte MM. in Lucania Ital.
S. Auctor episc. Trevirensis.
S. Maximus abbas, in castro Cainone in Gallia.
S. Oswinus rex & M. in Anglia.
S. Filibertus abbas in Herio insula Galliæ.
S. Heliodorus, S. Dosa } martyres.
S. Paulus junior, archiep. Constantinopolitanus.
S. Leovigildus, S. Christophorus } MM. Cordubæ in Hisp.
S. Herbertus archiepisc. Compsæ apud Hirpinos in Italia.
S. Bernardus, primus abbas Claravallensis, in territorio Lingonensi Campaniæ in Gallia.
S. Bernardus Ordinis Cisterciensis, Candeledæ in Hispania.
B. Gobertus, Ordinis Cisterc., in abbatia Villariensi in Brabantia.

A

SAnctus Potitus martyr Piſas tranſlatus : *ſed hoc forſan mendoſum. Lege, quæ in noſtro primo tomo Januarii à pag.* 753 *num.* 7 *jam pridem dicta ſunt ad diem ejuſdem menſis* XIII Januarii.

Balneis in Æmilia beatæ Joannæ Ordinis Camaldulenſis *mentio fit apud Ferrarium in Catalogo novo ; qui addit in notis, natalem ejus celebrari die* XVI *Januarii ; hac verò die tranſlationem ipſius : qua etiam die cum titulo* ſanctæ *hanc referunt Wion & Dorganius. Sed de iſta Beata conſule dictum diem, quo apud nos habetur,* XVI Januarii.

S. Chadoïndus *vel* Haduindus *epiſcopus Cenomanenſis hodie annuntiatur in Martyrologio Caſtellani ; ſed obiit die* XX *Januarii, ut patet ex ejus Actis, quæ tomo* 2 *Januarii à pag.* 1140 *Bollandus edidit in Appendice ad diem* XX Januarii.

B S. Stolbrandus epiſcopus & martyr à Danis in Maia inſula, *occurrit apud Camerarium. Sed de eo jam pridem actum eſt apud nos tomo* I. *Martii, die* IV *ejuſdem menſis in S. Adriano M. Adiſis itaque dictum diem* IV Martii.

Sanctæ martyris Photinæ extra portam Blachernarum (*Conſtantinopoli*) memoria *exſtat in Menæis magnis impreſſis, ac Menologio Sirleti ; cujus nomen etiam notatur in Menæo Chiffletii. Si hæc ſit eadem cum martyre ſynonyma Samaritana; actum de illa eſt cum Martyrologio Romano ad diem* XII Martii.

Segolena V. *occurrit in noſtro Ms. catalogo Sanctorum, è variis Faſtis ſacris accepto ; & additur,* hac die alicubi *de ea* agi, ut monuit P. Lahier. *Quò referendum ſit illud* alicubi, *non eſt mihi promptum dicere. Hoc novi, Laherium in ſuo Magno menologio ad diem* XXIV *Julii meminiſſe* S. Segolenæ virginis & abbatiſſæ. *Videſis apud nos eumdem diem* XXIV Jul.

Samuel presbyter eccleſiæ Ediſſenæ, tempore Anaſtaſii I *refertur apud Maurolycum ; in Martyrologio, quod Caniſio tribui ſolet, de illo etiam agitur. Nos de eo tractavimus, ſicut indicavimus in Prætermiſſis heſternis, ad diem* IX Auguſti.

C

Theodei diſcipuli & Vulpiani, unius de LXX *meminit Martyrologium noſtrum Arabico-Ægyptium.*

Julianæ virginis & martyris, ac aliorum quatuor *memoria occurrit inter Auctaria Uſuardina à nobis vulgata. Plures Julianæ ſynonymæ martyres exſtant in Faſtis ſacris : hæc autem cum quatuor aliis, quò pertineat, non eſt mihi in promptu.*

Aberdoniæ S. Donortii epiſcopi *annuntiatio ponitur à Ferrario, qui citat in notis* Martyrol. & Brev., in quo epiſcopus Murthlacenſis & S. Beani ſucceſſor ſcribitur. *Eumdem ſignat Caſtellanus in Anglia cum titulo Sancti. Die* XIX *hujus habetur in Kalendario quodam Ms., quod habemus, de Sanctis Hibernis. Hector Boëtius in epiſcoporum Murthlacenſium & Aberdonenſium Vitis ſic eum laudat fol.* 3 : Exinde in demortui (*Beani*) locum ſuffectus Donortius, quadraginta duos annos egit pontificatum : nec ſine ſanctitatis opinione mortuus. *Refertur etiam memoria ejus à Demſtero hac die ; precedente autem à Camerario. Utinam nobis licuiſſet inſpicere documenta, è quibus illum accepit Ferrarius, vel addidiſſet ipſemet, cujus temporis ac notæ ea fuerint ; quæ ſiquidem ſatis antiqua ac bona eſſe conſtaret, præſulem hunc aliis Sanctis annumeraſſemus : verùm quia novimus, hagiologos quoſdam nimis eſſe faciles ac profusè liberales in multiplicando titulum* ſancti ; *liceat nobis deſiderare certiora teſtimonia, quibus verus, legitimus ac religioſus hujus viri cultus antiquus & immemorabilis ſtabiliri queat.*

D

S. Geneſius *alicubi notatur inter noſtras ſchedas Mss. Die* XXV *Auguſti Martyrologio Romano inſcribitur Arelate in Gallia ſynonymus martyr : qua occaſione, vel alia affulgebit forte aliquid lucis pro ſuperiore.*

S. Maximilianus M. Afer, *ejuſque* Acta, ſed abſque die *indicantur in indice noſtro Ms., quem ex variis auctoribus compilavit Papebrochius noſter. Sed Acta iſta non invenio ; nec novi, quò iſte Sanctus ſpectet. Si notitia major poſtmodùm de illo occurrerit, poterit alibi de eo agi.*

E

Athanaſius *aliquis hac die ſignatur in catalogo noſtro Ms., qui è variis Faſtis ſacris collectus eſt.*

In Anglia, natalis beati Egberti regis & monachi. *Ita Menardus. Laudatur quidem rex ille à Baronio ad annum Chriſti* 758, *& ab aliis apud Maihewium in Trophæis ſuis tomo* 2 *ad diem* XX *Auguſti; aſt utinam certum aliquod publicæ venerationis teſtimonium afferretur. Hoc etiam nobis defuit jam pridem, ut in Prætermiſſis ad diem* XI *Junii datur videre.*

Burchardi presb. XX Auguſti *memoria habetur in noſtro Indice Ms. alphabetico Vitarum Sanctorum. Ubi meliùs inſtructi de eo fuerimus, poterunt alibi plura de eo dici.*

Apud Bethleem S. Amatoris presbyteri, & eremitæ *annuntiatio exſtat apud Ferrarium. Commentarium prævium ad Acta Sancti ſynonymi, & eremitæ in Cadurcenſi Galliæ provincia,* § 2 *conſule hac die* XX *Auguſti.*

F

Incidit obitus Comitis Rognvaldi Kalii in annum MCLVIII, quintum diem poſt æſtivum, idque prius, divæ Mariæ feſtum aſcenſioni ejus dicatum, quod decimum octavum Kalendas Septembris occupat, dies ab eo quintus in decimum tertium ejuſdem menſis, qui nobis eſt XX Auguſti. Haraldus inde & proceres in Orcades corpus ejus magnâ pompâ detulerunt, quod ad templum divæ Virginis tantiſper ſepultum jacuit ; donec multis magniſque miraculis coruſcans, à Biarnio epiſcopo, permiſſu Pontificis Romani, cùm anno à nato Jeſu MCXCII in Divorum numerum relatus eſſet, ſublatum eſt. Conſpicitur, inquit ſcriptor noſter, ſanguis ejus in ſaxo, quem mortui Comitis corpus rorabat, uſque in hodiernum diem tam recens claruſque, ac ſi nuper profluxiſſet. *Hæc ſunt apud Thormodum Torfæum in Orcadum hiſtoria lib.* 1, *cap.* 36, *ſed ſatis obſcurè & implexè; ad hæc, certiora documenta deſiderare nobis liceat, priuſquam hodiernis Sanctis hunc virum Comitem annumeremus.*

Burchardus epiſcopus Wormatiæ *indicatur cum titulo Beati, & elogio ad hanc diem apud Molanum in Natalibus Sanctorum Belgii. Ut* Sanctum *ipſum annuntiat Caniſius in martyrologio Germanico, & Wion in Ligno vitæ. Inſigne pietatis ejuſdem & doctrinæ elogium texit*

tomus

A *tomus 5 Galliæ Christianæ col. 668 & 669 editionis novissimæ ; ubi & recitantur hæc monachi Kirschgartensis verba :* Obiit anno .. MXXIV , XIV. Cal. Septemb. , prout habetur in antiquo libro in libraria Vormatiensi , sepultus (in æde primaria) sub altare S. Laurentii , tandem exhumatus ; cujus ossa in quadam cista antiqua depicta posita sunt , quæ habetur supra altare majus in posteriori parte , & singulis annis in ejus anniversario reliquiæ ejus monstrantur , uti eas (inquit Helwichius in Prodromo Annal. Vormat.) anno .. MDCXIV die XXVII Octob. vidi , chartamque appositam legi , his verbis inscriptam : Heu , heu carissimi , magnum festum decens esset obtinere de Burchardo , tertia die ante festum nativitatis Mariæ Virginis : propter passionem præsul Burchardus heu non est canonizatus. *Eruditissimus Schannatus in Historia episcopatus Wormatiensis pag. 334 de Burchardo hæc scribit :* Religionem seu cultum innuere videntur non solùm ARDENS olim ANTE SEPULTURAM BURCHARDI EPISCOPI LAMPAS , sed & OSSA ipsius, à nescio quo successorum suorum elevata , ac B „ in cista picta , post altare majus posita , quæ „ singulis annis in ejus anniversario monstran„ tur „ : ut habet vetus Ms. Chronicon. Certè eadem sese (adhuc anno MDCXIV SUB ALTARI MAJORIS CHORI , reposita vidisse testatur vir Cl. Georgius. *Quæ omnia , an legitimum cultum nactus esset Burchardus , dubium moverunt. Consultus igitur fuit laudatus Schannatus , qui Reverendissimo domino ab Hohenfeld, Wormatii ecclesiæ cathedralis decano , litteris Româ datis , respondit in hæc fere verba ; nimirum* inseruisse se Historiæ Wormatiensi omnia , quæ de Burchardo episcopo invenit ex documentis potissimùm & litteris fundationis ecclesiæ *Wormatiensis* ad S. Paulum ; Helwichium vixisse quidem ante annos centum : illius tamen librum non sufficere ad asserendum sanctissimo huic episcopo cultum : maximè cùm sacræ ejus reliquiæ cum documentis potissimis in incendio Gallico conflagrarint : sufficere *Wormatiensibus* S. Burchardum episcopum Herbipolensem. *Ita ad nos anno 1736 die* XXIX *Decembris Wormatiâ scripsit noster R. P. Chri*C *stianus Kirch.*

In monasterio Vallis umbrosæ beati Michaëlis abbatis , & Generalis XXIV Ordinis Vallis umbrosæ , ex cujus corpore odor suavissimus spirabat. *Verba sunt Wionis. De eo etiam agunt Dorganius & Menardus. Loccatellus in Vitis Generalium Vallis umbrosæ cap. 40 Virum hunc elogio exornat ; sed non audemus Beatorum Fastis eum intexere , donec nobis constiterit , publicos illorum honores ipsi deberi.*

Michaëlis Florentini depositio *cum titulo* beati *invenitur hac die apud Bucelinum in Menologio Benedictino ; de quo se acturum dicit crastina die ; quâ & nos poterimus dispicere , quæ ad ipsum spectant.*

Abundus monachus , vir prophetico spiritu , & miraculorum gratiâ dotatus *est apud Saussayum in additionibus ad Martyrologium Gallicanum hac die. Si idem is sit cum synonymo Villariensi , prout videtur colligi ex antecedentibus apud Saussayum , plura de illo invenies ad diem* XIX *Martii nostri inter Prætermissos.*

Venerabilis Bernardi monachi *Villariensis meminit Raissius in Auctario , cum elogio.*

Soror Agnes professa in Conventu Columbariensi

in Germania *signatur nimis liberaliter cum titulo* D *Beatæ in Anno sancto Ordinis Prædicatorum , qui linguâ nostrâ vernaculâ excusus est Antverpiæ anno 1675. Eumdem titulum ipsi tribuit Fridericus Steil in suo Viridario spirituali ejusdem Ordinis , quod Germanicè editum est anno 1676. Nos hîc ei locum damus inter venerabiles.*

Fulginii beatæ Angelinæ Antonii à Spoleto , virginis Clarissæ *memoriam annuntiat in Gynæceo suo Arturus à Monasterio. Elogium ejus dant Waddingus in Annalibus Minorum ad annum 1490 num. 8 ; Jacobillus in Vitis Sanctorum ac Beatorum Fulginiensium pag. 252 , inter perfectas monachas eam collocans ; Lucentius in libro , qui inscribitur Fulgor Fulginii pag. 176 ; sed nullum produnt vestigium publici cultus.*

In monasterio Villariensi dormitio felix Franconis , ibidem monachi *exstat apud Raissium in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii , cum elogio. Saussayus etiam de illo meminit. Non scimus , publicos Cælitum honores ei umquam delatos fuisse ; quem dumtaxat* venerabilem E *etiam vocat Miræus in Chronico Cisterciensi.*

Adelheidis virginis recluſæ *cum titulo* sanctæ , *memoria notatur in Gynæceo Arturi à Monasterio hoc die. Meminit de ea Gononus in Vitis Patrum Occidentis lib. 2 pag. 121 ex Chronico Sponheimensi Trithemii. Probari deberet , titulum sanctitatis , quam solemus requirere , eidem convenire.*

Apparitio sanctæ Crucis *signatur hac die in nostris Mss. , quæ ex variis Fastis Sanctorum collecta sunt. Consuli possunt , quæ* XIX *hujus mensis dicta sunt inter Prætermissos.*

Ferrariæ , apud monasterium sanctæ Catharinæ , Ordinis Dominicani , beatæ Perpetuæ Iadry , Prioriſſæ ; *uti legitur apud Arturum in Gynæceo ; de qua videri potest Marchesius in Diario Dominicano hac die.*

Daventriæ , obitus beati Gerardi , cognomento Magni , qui initium dedit Fratribus bonæ voluntatis , in communi viventibus. *Ita Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii. Deinde elogium ejus subdens ,* Hic , *inquit ,* etsi Sanctis non sit asscriptus , perpetuâ tamen memoriâ dignus est *&c. Hanc laudem nos etiam Viro libenter concedimus , non verò titulum* beati *nedum* sancti , *donec publicus ipsius cultus sufficienter probetur , locum interea temporis ei dantes inter solos venerabiles. Eysengreinius in Catalogo testium veritatis &c. fol. 147 satis liberaliter eum sanctum vocat. Plura de illo memorat Revius in Historia Daventriensi lib. 1 pag. 28 & sequentibus. Saussayus locum ipsi dat inter eos , quos post annuntiationes suas hodiernas exprimit minoribus litteris ; sed refert eum sine titulo beati vel sancti.*

In Calatagirono , obitus * Antonini presbyteri , Ordinis Observantium S. Francisci. *Ast eum ab illis , qui publicis honoribus coluntur , secernendum , indicat appositus asteriscus apud Caietanum in Martyrologio Siculo , è quo hæc desumpta est annuntiatio.*

Gofridus Colonienſis Benedictinus (*ac deinde monachus Villariensis*) cujus ossa divina revelatione levata atque in sacrario reposita sunt, *annuntiatur a Saussayo in additionibus ad hanc diem. Henriquez & Chalemotus eum referunt die 111 Octobris. Angelus Manrique virum laudat in Annalibus Cisterciensibus : quos tu,*

A *lector, inſpice ad annum* 1170 *cap.* 6; *& ad annum* 1201 *cap.* 5 *&* 6. *Raiſſius in ſuo Auctario elogium ejus profert die* 2 *Octobris. Verùm ante omnia probari debet legitima ac publica viri veneratio, antequam illum Sanctorum numero adſcribamus.*

Burchardus epiſcopus Viennenſis *apud Sauſſayum in additionibus refertur & laudatur hac die. Conſule, quæ habentur inter Prætermiſſos die* XIX *hujus.*

Conradus abbas nonus Villarienſis, Eginonis Comitis Seinenſis filius, deinde Claræ-vallenſis abbas, demumque Ciſtercienſis, ac Cardinalis legatuſque Apoſtolicus *exſtat in mox citatis Additionibus Sauſſayi. De eo agunt Henriquez & Chalemotus die* XXX *Septembris. Conſuli de eo poteſt Manricus ad annum* 1208 *cap.* 6, *&* 1227 *cap.* 1.

Anniverſarium magiſtri Thomæ, Prioris hujus (*id eſt, S. Victoris Pariſienſis*) eccleſiæ, qui pro defenſione juſtitiæ ab inimicis juſtitiæ crudeliter interfectus, & vivens & moriens honeſtatis & patientiæ dignam atque laudabilem
B ſequacibus ſuis vitæ formulam dereliquit, tertio decimo Kalendas Septembris, *ex Necrologio Victorino ſignat Pagius in Critica Baronii ad annum* 1135; *ubi contra ipſum alioſque rem geſtam illigat anno* 1133. *S. Bernardus in epiſtola* 158 martyris *ac* beati Thomæ *titulo illum dignatur. Apud Mabillonium, qui Opera* S. Bernardi *edidit & illuſtravit, inter notas fuſiores ad hanc epiſtolam, recitantur Hugonis epiſcopi Gratianopolitani & Cartuſienſium litteræ, in quibus* beati Thomæ *nuncupatio ei etiam tribuitur. Innocentii item Papæ ſecundi juſſu corpus ejus honorificentiori loco conditum eſſe, apud eumdem Pagium ad citatum annum* 1135, *num.* 7 *legitur, idque accidiſſe ſeptimo Idus Martii, atque ad eumdem diem in eccleſia S. Victoris recitari rei geſtæ ſummam. Ghinius in ſanctorum Canonicorum Natalibus, die* XVIII *Novembris, Sancti titulum ipſi tribuit, dum ponit annuntiationem* S. Thomæ Canonici Regularis, & Prioris S. Victoris. *Sed Caſtellanus in ſuo Martyrologio univerſali, die* XVII *hujus, nomine quidem* martyrii *utitur; ſed* venerabilem *dumtaxat eum vocat; nec in rei geſtæ ſumma ullus ei titulus datur ſanctitatis: Sic enim illa habet apud Pagium deſignatum:* Commemoratio domini Thomæ Prioris hujus eccleſiæ, quando corpus ejus præcepto domini Papæ Innocentii, de clauſtro tranſlatum, & in eccleſia ſepultum eſt. *Cui additur à Ferrario* B. Erchembaldus, ſubdecanus Aurelianenſis *cum titulo martyris. Videri de hoc viro poteſt Sauſſayus hac die in Supplemento, ubi tam hunc, quàm Thomam Priorem litteris minoribus tamquam characteriſticis adjecit poſt alios, quos majoribus retulerat.*

Multos viros ſacros & juſtos uno eodemque impetu fuiſſe ab injuſtitiæ & perfidiæ aſſeclis, variis in Franciæ locis interfectos, *ibidem memorat.*

Brunonis, abbatis monaſterii Hirſaugienſis *obitum, & præclara elogia deſcribit Trithemius in ejuſdem cœnobii Chronico, quod anno* 1690 *auctius prodiit, à pag.* 369. Sepultus . . *inquit*, non ſine opinione ſanctitatis . . Ejus venerabile corpus per annos CCCXL . . jacuit . . ſepultum. Ad cujus tumbam cæcus . . divinitus tandem viſum recepit, *occaſione ſepulcri ejus, quod anno* 1460, *die* XX *Auguſti apertum fuit,* D *invento corpore, & ſuaviſſimum odorem ſpirante, prout pluribus ibidem narratur: ſed adduntur iſta:* Dimittentes igitur fratres ſacra viri buſta in ſarcophago, ſicuti jacuerant, ſepulcrum cum ſumma reverentia, & honore clauſerunt, ſcientes, quod ſine Romani conſenſu Pontificis non liceat quemquam honore venerari publicæ ſanctitatis. *De iſto conſenſu, ſiquidem datus umquam fuerit, cupimus certiores fieri: quod ſi accidat, poterit dari viro locus in Supplemento Operis noſtri. Refertur tamquam ſanctus à monaſticis Wione, Dorganio, Menardo, Bucelino, ad diem* XXIII *Martii; ſed eos hactenus in hoc ſequi non audemus. Vide Prætermiſſos apud nos ad iſtum diem.*

Jacobus de Rodesheim, in Steinfeldenſi Eyffliæ cœnobio, ejuſdem eccleſiæ abbas vigeſimus primus, Ordinis Præmonſtratenſis, *ex Joanne Chryſoſtomo vander Sterre in Natalibus Sanctorum ejuſdem Ordinis: ubi cum addat* beatæ memoriæ, *videtur ſatis indicare, publicum ſtricti nominis cultum eidem non convenire.*

Vita & martyrium venerabilis fratris Ludovici E
Fiore, vel Frerya, & ſociorum *exſtat apud Marcheſium in ſacro Diario Dominicano ad hanc diem.*

Vincentius Senenſis, *Capriolæ prope Senas in Tuſcia.*
Bartholomæus de Baſſama, *Nuceriæ in Umbria.*
Arnaldus de Baſſacio, *in India occidentali.*
Franciſcus à Vera, *Pinciis in Caſtella.*
Bonaventura à Monte regali, *Spoleti.*
Jacobus de Hita, *Conimbricæ in Luſitania.*
Thomas à S. Franciſco, *Pennerandæ in territorio Salmanticenſi.*
Angelus à Catalagirone (*f.* Calatagirone) *Ennæ in Sicilia.*
Angelinæ Antonii à Spoleto virginis, *Fulginii.*
} *cum titulo* beati *referuntur ab Arturo in Martyrologio Franciſcano, & ultima etiam in Gynæcco.*

De ultima ſeorſim hîc egimus. Eorum fere omnium annuntiationes ſeu elogia habentur apud Heuberum in Menologio, ſed abſque titulo F
C beati; *quibus ex eo addi poſſunt*

Jacobus de Pelkos, & F. Petrus Vaſachelii, *in Hungaria ab hæreticis occiſi.*

Bonaventura de Girgento, *Palermi in Sicilia.*

Bartholomæus Baro *in Italia.*

Antverpiæ obdormitio pii viri Petri, cognomento Pot, cœnobii ſancti Salvatoris, *quod exſtat in eadem urbe*, fundatoris munifici: qui cùm mira erga pauperes charitate, & liberalitate ferretur, magno quodam miraculo annona, unde egeni alebantur, multiplicata fuit, & Dei Parentem, puerum Jeſum inter brachia dulciter ſtringentem, contemplari meruit. Divum Patrem Bernardum ſummo colebat affectu, utpote qui in ejus ſolemnitate natus, & poſtmodùm in eadem ſolemnitate uxorem duxit; prima cœnobii Antverpienſis fundamenta jecit, & tandem eadem die inter Ciſtercienſes monachos, cum quibus religiosè converſatus fuerat, feliciter obdormivit in Domino. Cœnobium verò ſancti Salvatoris diu poſt pii Viri obitum ab hæreticis occupatum & demolitum eſt ipſa die S. Bernardo ſacra, atque iterum, tranſacto aliquo tempore, eadem ſuperveniente

A veniente ſolemnitate, expulſis hæreticis, Ciſtertienſibus cœnobitis reſtituitur. *Annuntiatio & laudatio eſt Chryſoſtomi Henriquez in Menologio Ciſtercienſi ad hanc diem* XX *Auguſti, quâ etiam laudatur apud Bucelinum & Chalemotum; & apud hunc quidem cum titulo* bonæ memoriæ; *apud illum verò cum titulo* ven., *ſeu venerabilis vel venerandi; ut non immerito inter plures hujuſmodi alios hoc loco à nobis detur.*

SS. Reliquiarum Carlſteinenſium, quæ à Carolo IV conquiſitæ, & in arce regia Carlſteina per duo & ampliùs ſecula reconditæ, ac demum anno MDCXLV, die XX Auguſti, ex mandato Ferdinandi III, ad S. metropolitanam Pragenſem eccleſiam tranſlatæ, *ibidem* adſervantur, catalogus *exſtat typis editus; è cujus titulo longiore hæc extracta ſunt.*

S. Martyris Baſſæ, ac trium filiorum ejus martyrium *aſſignatur in exemplari Græco, quod habemus è codice Ambroſiano, μὴ τῷ αὐτῷ κ', id eſt*, eodem menſe (*videlicet Auguſto*) *die* vigeſima. *Coluntur in Martyrologio Romano, cui de more nos conformamus,* XXI Auguſti.

B Theocletæ *memoria ponitur in Ms. noſtro Græco Taurinenſi. De S. Synonyma thaumaturga agunt Menæa magna excuſa ad diem, quem tu conſule, apud nos* XXI Auguſti.

S. Bernardi (*de Alzira*) monachi & martyris cum duabus ſororibus *memoria habetur hac die apud Ferrarium in Catalogo generali Sanctorum. Nos de iis tractabimus die proximè ſequenti* XXI Auguſti.

B. Bernardus Ptolomæus, *inſtitutor Congregationis Olivetanæ, Senis in Tuſcia obiit hac die; ſed annuam ejus memoriam cum Martyrologio Romano diſtulimus ad diem ſequentem* XXI Aug.

Aquis in Provincia Phocenſi natalis ſancti Chelidonii epiſcopi, quem cæcigenum illum fuiſſe tradunt, quem Chriſtus illuminavit. *Annuntiatio eſt Sauſſayi in Supplemento: ſed mitto lectorem ad S. Cedonium vel Sidonium, de quo tractabitur die* XXIII Auguſti.

S. Veredemus *eremita in Martyrologio univerſali Caſtellani annuntiatur hac die, tamquam Ucetiæ in Gallia honoratus. Sauſſayus illum die* XXI *in Supplemento Martyrologii ſui Gallicani pag.* 1160 *refert, eumque diſtinguit à Veredemo epiſcopo Avenionenſi, de quo ad diem* XVII *Junii egimus. Sed ipſe Caſtellanus occaſione S. Veredemi præſulis Avenionenſis, in litteris ſuis Gallicis, menſe Octobri anni* 1706 *ad Sollerium datis, nos monuit in hunc fere modum:* Videmini die XVII Junii S. Veredemum epiſcopum Avenionenſem diſtinguere à Veredemo anachoreta, qui die XXIII in eccleſia Ucetienſi colitur. At D. Sanguin Canonicus Avenionenſis mihi ſignificavit, eſſe unum eumdemque, cujus quædam reliquiæ Ucetiæ conſervantur. Hoc ſi verum ſit, die XX, vel XXI, aut XXIII Auguſti veroſimiliter ejus reliquiæ ab Ucetienſibus receptæ fuerunt, & diſcipulatus S. Ægidii, qui ei adſcribitur, eſſet fabuloſus, aut ætas S. Ægidii ad initium ſeculi octavi differenda eſſet. *Nihilominus in noviſſimo Martyrologio Pariſienſi uterque hic Sanctus diſtinguitur, & anachoreta circa medium ſeculi ſexti; epiſcopus autem anno* 722 *collocatur. Si ſint ſolida iſtius diſtinctionis argumenta, quæ hactenus ignoramus, de S. Veredemo eremita agi poterit ad diem* XXIII Aug.

S. Archelai martyris Romæ *meminit Ferrarius. Conſule, quæ cum Martyrologio Romano dicentur apud nos ad diem* XXIII Auguſti. D

S. Orontius M. *hac die alicubi notatur. Vide quæ de ſynonymo martyre dicta ſunt apud nos inter Prætermiſſos ad diem* XVI *Auguſti. Poterit autem de illo agi die* XXVI Auguſti.

SS. martyres Simplicius, Conſtantius & Victorinus in Marſis, *ſunt hac die in Novo Catalogo apud Ferrarium. Tu vide, quæ cum Martyrologio Romano, ac eodem Ferrario dicemus* XXVI Auguſti.

S. Adelindis abbatiſſa, in Germania, *ſignatur apud Caſtellanum in Martyrologio univerſali. Molanus in Additionibus ad ſuum Uſuardum, nec non monaſtici Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus; quibus adde Arturum à Monaſterio in ſacro Gynæceo, Adelindem abbatiſſam memorant die* XXVIII *hujus menſis; quæ etiam die de illa agit Raderus in ſua Bavaria ſancta. His ductoribus præeuntibus, nos conabimur illi tribuere, quæ invenerimus, ad dictum diem* XXVIII Auguſti.

Sanctorum confeſſorum Amati, Romarici, & Adelfi celebritas annua *innovata indicatur inter Auctaria Uſuardi à nobis editi, ex codice Montis Sancti. De S. Amato presbytero & abbate in Monte Romarico in Gallia agit Martyrologium Romanum die* XIII *Septembris: de S. Romarico abbate, die* VIII *Decembris: Caſtellanus autem in ſuo Martyrologio univerſali ſignat S. Adelphium, Montis Romarici abbatem, die* XI *Septembris. In Romano exſtat,* Metis S. Adelphi epiſcopi & confeſſoris, *die* XXIX *Auguſti. De illa porrò celebritate fortaſſe occurrent plura diebus jam dictis* XXIX Aug. XI & XIII Septembris, ac VIII Decemb. E

S. Victor vel Victorius XIII Kal. Septemb. Martyrol. *occurrit apud Claudium Robertum inter epiſcopos Cenomanenſes: ſed Sammarthani eum vocant* S. Victorium *vel* Victurium, *ſcribuntque* obiiſſe Cal. Septembris, *& ex S. Gregorio Turonenſi lib. De Gloria confeſſorum cap.* 56 *agunt de magnis virtutibus ejus ſeu miraculis. Habemus Vitam Ms.* Victoris *inter noſtra apographa pro die* I *Septembris. Exſpectet itaque lector ea, quæ dicentur à nobis die* I Sep.

C S. Stephani regis Hungarorum *memoria tamquam natalis ſignatur in Martyrologio Romano die* XV *hujus menſis, ut diximus ibi in Prætermiſſis; in alia ejuſdem Martyrologii impreſſione de eo agitur ad diem* XX *ejuſdem menſis, uti etiam in aliis Faſtis; nunc verò ex conſtitutione Innocentii PP. XI colitur potiſſimùm die* XI Septembris. F

S. Richardis V. *alicubi ſignatur hac die. Synonymam virginem ex Greveno dedimus inter Prætermiſſos ad diem* XIX *hujus. Si autem hæc, quæ occurrit duobus hiſce diebus, eadem ſit cum S. Richarda auguſta, locum habebit in Opere noſtro ad diem* XVIII Septembris.

Commemoratio ſancti Malachiæ, epiſcopi & confeſſoris *occurrit inter auctaria ad Uſuardum à nobis editum. Inſcribitur Sanctus Martyrologio Romano* III Novembris.

Tranſlatio S. Gebetrudis *exſtat inter Auctaria Uſuardi à nobis vulgati, ex codice Montis Sancti ſignata. Clariùs eam exprimit noſter Petrus Franciſcus Chiffletius in litteris ad Bollandum Dolâ datis die* XVI *Novembris anno* 1642, *ſic ſcribens:* S. Gebetrudis, cœnobii Habendenſis abbatiſſæ, tranſlatio prima. *Caſtellanus hanc Sanctam ponit pag.* 785 *inter Ahemeros; in*

A *indice autem die* VII *Novembris : quo etiam die obitus ejus notatur in dictis litteris. De illa itaque tranſlatione poterit fieri mentio ad diem* VII Novembris.

S. Renatus XII Novembris, & XX Auguſti *notatur à Claudio Roberto in Gallia Chriſtiana inter epiſcopos Andegavenſes octavo loco. Sammarthani eumdem ponunt quinto, & hæc addunt :* Feſtum ejus tota diœceſis Andegavenſis quotannis celebrat XII Novembris ſub ritu duplici, atque inter Patronos eccleſiæ cathedralis .. recenſetur. Ceterùm animadvertendum, hiſtoriam miraculoſi ortus divi Renati, & Acta ab aliquibus in dubium revocari. *Sed hæc ad veritatis trutinam librare non eſt hujus loci ; erit ad diem, cui cultus ejus affigitur,* XII Novembris. D

Anna mater Samuelis *notatur hac die in Mss. noſtris, quæ è variis Martyrologiis collecta ſunt. Habetur in Menæis magnis excuſis Græcorum die, quò eam remittimus,* IX Decembris.

B. Hugonis monachi Tennebacenſis, ſive Portæcæli, Ordinis Ciſtercienſis, in diœceſi Conſtantienſi *memoriam ſignatam invenio inter Sanctos, qui in noſtris Mss. occurrunt hac die, ſimul cum ejuſdem viri Vita. Sed cùm apud Chryſoſtomum Henriquez in Menologio Ciſtercienſi annuntietur die* XXVII *Decembris ; uti & apud Bucelinum in Benedictino ; examinari poterit, an de legitimo ejus cultu ſufficienter conſtet, ad dictum diem* XXVII Decembris.

DE SANCTO SAMUELE PROPHETA

IN PALÆSTINA,

J. P. B

COMMENTARIUS HISTORICUS. E

§ I. Scribendi ratio ; Sanctus à Deo matris precibus impetratus ; natales, nominis etymon, educatio, miniſterium ſacrum, prophetiæ, conjugium ; an ſacerdos.

AN. MUNDI MMCM LXXIX, ANTE CHRISTUM MLXXVI.

Quem ſcribendi modum hîc teneamus.

Vir hic magnus, propheta ac judex ſeu gubernator populi Iſraëlitici, unus eſt & non infimus ex iis, quos è veteri Teſtamento depromptos Operi noſtro inſerimus, Majorum noſtrorum exempla ſecuti, ita tamen ut circa ea, quæ ad diem I *Maii occaſione S. Jeremiæ, ac die* I *Julii occaſione S. Aaronis, de ſervanda in veteribus antiqui Fœderis Sanctis brevitate ſunt dicta, mediam hîc ſimus inituri viam, ac vitaturi nimiam prolixitatem ac brevitatem ; ne ex hac jejunitas, ut ita loquamur ; ex illa verò ſupervacanea, & major, quàm ad præſens inſtitutum ſit ſatis, digreſſio oriatur, ac moles nimium excreſcat hujus noſtræ hiſtoricæ collectionis. Quamobrem partim delibabimus præclariſſima Viri geſta è ſacris Litteris ; partim illa inde petere lectorem jubebimus, aliis præterea ſcriptoribus, quos conſulere poſſit, eidem aſſignatis. Nec methodus, quâ uſi ſumus ad diem* XX *Julii in S. Elia, & ad diem* XXI *ejuſdem menſis in S. Daniele, abhorret ab hac, quâ nunc utemur, niſi quòd hîc operam daturi ſimus majori brevitati.*

C

Samuel precibus ſterilis matris à Deo impetratur.

2 S. Samuel *è patre Elcana & Anna matre natus, & hujus obſecrationibus & lacrymis ſterilitatem ſuam coram Heli ſacerdote apud Dominum lugentis impetratus eſt. Rem geſtam pluribus deſcribunt ſacræ Litteræ lib.* I *Regum cap.* I ; *unde delibo iſta :* Fuit vir unus de Ramathaimſophim, de monte Ephraim, & nomen ejus Elcana, filius Jeroham .. Ephratæus : & habuit duas uxores, nomen uni Anna, & nomen ſecundæ Phenenna : fueruntque Phenennæ filii : Annæ autem non erant liberi .. Dominus *enim* concluſerat vulvam ejus. Affligebat quoque eam æmula ejus, & vehementer angebat, in tantum, ut exprobraret, quod Dominus concluſiſſet vulvam ejus .. Porrò illa flebat & non capiebat cibum .. Surrexit autem Anna poſtquam comederat & biberat in Silo. Et Heli ſacerdote ſedente ſuper ſellam ante poſtes templi Domini, cum eſſet Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, & votum vovit, dicens : Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ .. dederiſque ſervæ tuæ ſexum virilem : dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non aſcendet ſuper caput ejus. Factum eſt autem, cùm illa multiplicaret preces coram Domino ... Et .. poſt circulum dierum concepit Anna & peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel, eò quod à Domino poſtulaſſet eum.

F

Natalium tempus, nominis etymon.

3 *Ad Sancti parentes quod attinet ; mittimus lectorem ad interpretes Scripturæ ſacræ, & ad Annales eccleſiaſticos veteris Teſtamenti, à Saliano noſtro editos, tom.* 2 *ad annum mundi* 2889 *num.* 1 *& ſeqq., & ad annum mundi* 2894 *num.* 1 *&* 2. *Tomo autem* 3 *ad annum mundi* 2900 *num.* 11 *& ſeqq. explicat locum, quem modò citavimus, Scripturæ ſacræ, eodemque anno conceptum putat* S. Samuelem, *& anno proximè ſequente ineunte natum. R. P. D. Auguſtinus Calmet in Commentario, qui agit de tribus libris Regum, pag.* VI *in tabula chronologica natales ejus affigit anno* 2849. *Nominis etymon ita ſuperiùs è ſacro textu indicatum* vocavitque nomen ejus Samuel, eò quod à Domino poſtulaſſet eum, *his verbis explanat Salianus ad annum mundi* 2901 *num.* 1 : Θεαίτητον ἄν τις εἴποιε, ait Joſephus : conſentiunt Septuaginta, Chaldæus & Theodoretus. Idque rectius eſt quam, ut quidam interpretari maluerunt, POSITUS A DEO, aut NOMEN EJUS A DEO. Deducitur enim à verbo Saal, quod eſt poſtulare, ſed vocabulo ita corrupto ait Vatablus, ut ſola prima littera remanſerit ; quoniam id nomen à muliere, non à viro

A viro docto impoſitum fuerit. Rectè ille quidem, ſi lingua Hebræa ei jam tum à libris petenda fuiſſet, quæ tamen materna erat. *Calmetus pag.* 11 *aliquot litterarum eliſionem ibi factam eſſe agnoſcit euphoniæ gratiâ, addens, in rigore etymologico dici debere* Saulméel. *At nunc de noſtri Sancti educatione.*

Infans ablactatus adducitur ad domum Domini,

4 *Sacræ Paginæ loco citato hæc memorant :* Aſcendit autem vir ejus Elcana, & omnis domus ejus, ut immolaret Domino hoſtiam ſolemnem, & votum ſuum, & Anna non aſcendit : dixit enim viro ſuo : Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, ut appareat ante conſpectum Domini, & maneat ibi jugiter . . Manſit ergo mulier, & lactavit filium ſuum, donec amoveret eum à lacte. Et adduxit eum ſecum, poſtquam ablactaverat . . & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus : & immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli. Et ait Anna . . Ego ſum illa mulier, quæ ſteti coram te hîc orans Dominum. Pro puero iſto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam .. Idcirco & ego commodavi eum

B Domino, cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino . . Et (*ibid. cap.* 2) abiit Elcana Ramatha in domum ſuam : puer autem erat miniſter in conſpectu Domini ante faciem Heli ſacerdotis. *De lactato* Samuele *cum matris gaudio ac veneratione, ſcribit Salianus ad annum mundi* 2902 *num.* 1 *&* 2. *Ad annum verò* 2903 *agitur de tempore ablactationis & oblationis* Samuelis, *ubi tam hæc quàm illa innectitur iſti anno, ætatis ejus tertio ; verùm hæc vel ibi vel alibi apud interpretes pluribus deducta legi poſſunt. Tomo* 4 *Operum S. Joannis Chryſoſtomi, quæ Græco-Latinè Lutetiæ Pariſiorum non ita pridem recuſa ſunt, à pag.* 721 *habetur ſermo* 3 *de Anna, deque* Samuelis *educatione.*

ubi egregiè exornavit ſacrum miniſterium,

5 *Quam præclaris autem gratiæ ac naturæ dotibus tenellam ſuam ætatem ac initia miniſterii ſacri in domo Domini exegerit, videamus.* Ad ſeptimum Samuelis annum, quo infantiæ tempus expletur, non incongruè referre poſſumus initia miniſterii Samuelis : nihil enim in re ſeria ſatis commodè ab hac teneriori ætate fieri poteſt ; multo minùs in ſacro miniſterio. Idque Scriptura ipſa innuit, quæ infantulum nominat cùm oblatus

C eſt ; deinceps autem cùm miniſterii ejus meminit, puerum vocat : *uti obſervat Salianus ad annum mundi* 2907 *num.* 1. *Nam* puer erat adhuc infantulus *&c.* Puer autem erat miniſter in conſpectu Domini, ante faciem Heli ſacerdotis, *ſicut paullo antè diximus. Et eodem cap.* 2 *Regum lib.* 1 ℣. 18 : Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo. Et tunicam parvam faciebat ei mater ſua, quam afferebat ſtatutis diebus, aſcendens cum viro ſuo, ut immolaret hoſtiam ſolemnem. *Et ibidem* ℣. 21, Magnificatus eſt puer Samuel apud Dominum. *Denique* ℣. 26, Puer autem Samuel proficiebat atque creſcebat, & placebat tam Domino quam hominibus. *Deinde laudatus Salianus*, Quibus verbis, *ait*, pueri præclara indoles, & bona educatio, inſtitutioque puerilis, & ejus occupatio ſignificatur, egregio exemplo teneræ ætatis maturè Deo conſecrandæ, antequam hujus vitæ ſordibus inquinentur.

ac ætatem ſuam tenellam.

6 *Quale autem eſſet tunc ejus miniſterium, & cujuſmodi mores ipſius, exponit ibidem Salianus num.* 2. *Breve eſt illud S. Joannis Chryſoſtomi in ſermone antè deſignato pag.* 724 : Quamquam enim ætas erat immatura, virtus tamen aderat matura : aſcendentibuſque in templum omnibus multæ religionis magiſter factus eſt. Nam illi dum inquirerent diſcerentque modum natalium illius, abunde magnum ſolatium accipiebant ſpei, quæ eſt erga Deum. Neque quiſquam viſo puero tacitus deſcendebat ; ſed omnes glorificabant illum, à quo præter ſpem datus erat. *Porrò* ephod, *de quo ſuprà*, lineum erat amiculum ſuperhumerale, quo levitæ & ſacerdotes utebantur, quaſi in ſignum clericatûs, *inquit Salianus num.* 4, *ubi plura. Videri etiam poteſt ſcholion ſecundum ad annum* 2903. *An* S. Samuel, *& quo ſenſu ſacerdos fuerit, dicetur inferiùs num.* 11. *Nos interim pergamus ad ejus vaticinia. Initium eorum in Annalibus ſuprà citatis affigitur anno mundi* 2913, *ætatis* 13 Samuelis. *Adi iſtum annum num.* 1 *&* 2.

AUCTORE J. P.

Prophetiæ

7 *Miro autem modo Dominus communicare ei cœpit donum prophetiæ.* Puer autem Samuel (1 *Regum cap.* 3) miniſtrabat Domino coram Heli . . Factum eſt ergo in die quadam, Heli jacebat in loco ſuo, & oculi ejus caligaverant, nec poterat videre. Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domi-

E ni, ubi erat arca Dei. Et vocavit Dominus Samuel. Qui reſpondens ait : Ecce ego. Et cucurrit ad Heli, & dixit : Ecce ego : vocaſti enim me. Qui dixit : Non vocavi : revertere & dormi. Et abiit, & dormivit. Et adjecit Dominus rurſum vocare Samuelem, Conſurgenſque Samuel abiit ad Heli & dixit : Ecce ego : quia vocaſti me. Qui reſpondit : Non vocavi te, fili mi : revertere & dormi. Porrò Samuel necdum ſciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei ſermo Domini. Et adjecit Dominus, & vocavit adhuc Samuelem tertiò. Qui conſurgens abiit ad Heli, & ait : Ecce ego, quia vocaſti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum. Et ait ad Samuelem : Vade & dormi, & ſi deinceps vocaverit te, dices : Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus.

Sanctus

8 Abiit ergo Samuel & dormivit in loco ſuo. Et venit Dominus, & ſtetit, & vocavit, ſicut vocaverat ſecundò, Samuel, Samuel. Et ait Samuel : Loquere Domine, quia audit ſervus tuus. Et dixit Dominus ad Samuelem : Ecce ego facio verbum in Iſraël, quod quicumque audierit, F tinnient ambæ aures ejus. In die illa ſuſcitabo adverſum Heli omnia quæ locutus ſum ſuper domum ejus : incipiam & complebo. Prædixi enim ei, quod judicaturus eſſem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eò quod noverat indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos . . Dormivit autem Samuel uſque mane, aperuitque oſtia domus Domini. Et Samuel timebat indicare viſionem Heli . . Indicavit itaque ei Samuel univerſos ſermones . . Crevit autem Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. Et cognovit univerſus Iſraël à Dan uſque Berſabee, quod fidelis Samuel propheta eſſet Domini. *Miremur hîc inter alia egregiam* Samuelis *obedientiam, de qua Salianus ad annum* 2913 *num.* 9, Promptitudo, *ait*, adoleſcentuli eò laude dignior, quo illa ætas ſomni profundioris eſt, ejuſque amantior ; nocte nihilominus intempeſta, nihil ſibi in tenebris metuens, ſæpius vocatus, ſemper promptè ſurrexit, quamvis ſæpius ſpe ſua fruſtratus, & iverit, imò cucurrerit ad Dominum, & quaſi parentem ſuum Heli. *Plura in locum Scripturæ ſacræ modò producium interpretes. At de aliis Viri ſancti vaticiis dicendum etiam eſt, quò nos ducunt verba*

mox

AUCTORE J. P. *dono*

mox citata : Crevit autem Samuel *&c.*

9 *Sæpe allegatus Annalium veteris Teſtamenti auctor ad annum mundi* 2926 *num.* 1 *hæc memorat :* Eſt hic annus ſabbaticus ordine quadrageſimus nonus, quo tempore Samuel propheta ſextum ſupra vigeſimum agebat annum, demonſtrabatque in dies majora virtutis ac divinæ ſapientiæ incrementa ; ut verè de eo illud uſurpari poſſet : " Crevit autem Samuel, & Dominus e-„ rat cum eo „ præ cæteris videlicet Iſraëlitis, qui prophetiæ dono carebant : cum iis enim peculiariter eſſe dicitur, quos ſingulari aliquo privilegio afficit, ut Iſaacum divitiis, Joſephum rerum gerendarum prudentiâ, Gedeonem fortitudine, Samuelem prophetiâ : idque ea verba confirmant : " Et non cecidit ex omnibus verbis „ ejus in terram „. Quod non ſolùm ad prophetiam contra Heli enuntiatam pertinet ; ſed pleraſque alias particulares, quæ in ſcripta relatæ non fuerunt, niſi in genere, ut habetur ℣. 21, qua de re paullò poſt. *Hæc ille. In ſcholio autem ad prædictum annum*, Quod, *inquit*, verba Samuelis dicuntur NON CECIDISSE IN TERRAM, B id eſt, non irrita fuiſſe aut periiſſe, metaphoram habent à rebus liquidis, ut ait Vatablus, quæ ſi effundentur in terram, pereunt. Sic Latinè verba in ventos effundere dicimus, quam phraſim Hebræi quoque ſæpe uſurpant. *Deinde exempla deſignat.*

mirificè excelluit :

10 *Ad annum verò* 2933 *num.* 2 *&* 3 Samuelem *vaticiniis clarum exhibet ſic ſcribens :* Hoc porrò tempore magnis apud univerſum populum incrementis gloria Samuelis augebatur. Nam divinitus ei multa præmonſtrabantur, quæ cùm Dei juſſu populo enuntiaſſet, & eventis ipſis Dominus, qui ſimul illi aditum ad totius reipublicæ gubernacula muniebat, confirmaſſet, meritò eum totus Iſraël reverebatur. Cum præſertim ad hanc Dei gratiam vitæ integritas moreſque inculpati accederent. " Et cognovit, inquit Scri-„ ptura (1 *Reg.* 3 ℣. 20) univerſus Iſraël à Dan „ uſque Berſabee quod fidelis Samuel propheta eſ-„ ſet Domini „. Cognitum eſt omnibus Iſraëlitis, ab oppido Dan, quod ſitum erat prope Libanum ad fontes Jordanis, & ſeptemtrionalem plagam regionis ipſorum, uſque ad Berſabee, urbem ad auſtrum poſitam, in extremo tribus Simeonis, C Samuelem verum eſſe ac fidelem Domini prophetam. *Jam verò non paucis eum inclaruiſſe prædictionibus, ibidem probatur num.* 3 *ex illis ſacræ Scripturæ verbis* 1 *Regum* 3 ℣. 21. " Et ad-„ didit Dominus ut appareret in Silo, quoniam re-„ velatus fuerat Dominus Samueli in Silo „. Perrexit nimirum Dominus ſæpius in Silo Samueli apparere, quoniam ibi primùm cœperat ſe illi communicare, aut, ut in Hebræo eſt, conſpiciendum præbere. Non de una ſola ſuperveniente viſione dicitur, ait Caiet., ſed ſummariè multiplicatæ apparitiones divinæ factæ in Silo ſcribuntur : & dicitur in Silo, ad differentiam aliarum viſionum, quas habuit Samuel quando receſſit à Silo. Conſentit Abulenſis, additque hujuſmodi oracula non fuiſſe in ſacros relata codices, quod vel ad Samuelis exaltationem, vel depreſſionem domûs Heli, quæ hoc loco maximè agitur, nihil admodùm pertinerent.

Conjugium. An fuerit ſacerdos.

11 *His continuo orationis ductu ſimul conjunctis de gratia ac ſpiritu prophetiæ* S. Samuelis, *de conjugio ejus breviter hæc ſuperadde. Idem allegatus veteris Teſtamenti Annaliſta ad annum mundi* 2926 *num.* 1 *præmiſerat hæc ad noſtrum propoſitum :* Cæterùm ſub hoc tempus exiſtimamus ductam à Samuele uxorem, brevique ex ea Joëlem primogenitum ſuum ſuſcepiſſe, neque ita multo pòſt Abiam. Id ut maturiùs faciamus, injecta penè manu cogit nos judicis officium, eis à Samuele parente commiſſum, & aliquamdiu adminiſtratum, antequam rex peteretur ab Iſraëlitis, ut ex cap. 8 libri hujus *Regum* 1 apertè conſtat. *Idem auctor ad annum mundi* 2940 *num.* 4 *& ſequentibus, relata* Samuelis *ad principatum capacitate, Heli ſacerdoti eum ſuffectum exhibet. Hinc moveri poteſt quæſtio, an & ipſe* Samuel *pontifex fuerit vel ſacerdos ; quam rem idem Annaliſta, SS. Auguſtino & Gregorio aliiſque, qui hoc volunt & quos citat, relictis, ita decidit :* Nihilominus Samuelem non fuiſſe ſacerdotem, ex eo certiſſimum eſt, quod in lege Moſaïca ea dignitas uni familiæ Aaronicæ alligata erat, ad quam minimè dubium eſt, Samuelem non pertinere. *Cujus rei ibidem probationem affert. Calmetus in Commentario ad libri primi Regum caput* 25 *de hoc argumento diſſerit; propoſitis autem pro ſacerdotio rationibus varius, affirmat contrariam opinionem videri hodiedum eſſe communiorem, nec probationibus, nec auctoritate fultam minùs quàm illam, de qua egerat. Id quod pluribus ibidem deducit.* D E

§ II. S. Samuel quando judex ; exhortatio ; victoria per illum obtenta ; exercitium judicii, locus habitationis ; filii ab eo judices conſtituti ; rex Saul ; piæ congregationes.

Quo ætatis anno cœperit eſſe judex :

ANni vigeſimi commorationis Arcæ in Cariathiarim fit peculiaris in Scriptura mentio in cap. 7 primi Regum. " Et factum eſt (inquit) „ ex qua die manſit Arca Domini in Cariathiarim, „ multiplicati ſunt dies : erat quippe jam annus vigeſimus „. *Ita Salianus ad annum mundi* 2960, *ante Chriſtum verò* 1039. *Verùm an hoc primùm anno* S. Samuel *cœpit eſſe judex Reipublicæ Iſraëliticæ ?* Cum autem, *ait*, hunc annum Samuelis vigeſimum primum ſtatuerimus, nec anarchiam in republica Hebræorum invehendam duximus ; videtur tamen Serario in cap. 7. 1 Regum veriſimiliùs ex textu, Samuelem poſt iſtos annos viginti ad judicandum acceſſiſſe, concionem capitis hujus habuiſſe, ita ut princeps eſſe cœperit anno ætatis 33. Verùm hæc chronologia ſtare non poteſt. Quomodo enim anno ætatis 33 Samuel cœperit eſſe judex, & judicarit cum Saüle 40 annis ante regnum Davidis ; cum ad regnum Davidis 20 anni nec plures ſuperſint ? Quomodo cum Saul poſt biennium regnarit, potuit Samuel ſenuiſſe, & filios populi judices conſtituere, ut habetur cap. 8 ſequenti, ſi nunc trium & triginta annorum fuit ? Qua probabilitate viginti anni difficillimis Reipublicæ Hebræorum temporibus ſine ſummo magiſtratu relinquunt ? Vera itaque & communis eſt ſententia Lyrani, Abulenſis, Genebrardi, Samuelem ſtatim à morte Heli factum eſſe in Hebræorum Republica judicem ; in eo munere primum jam ac vigeſimum annum eſſe verſatum ; egiſſe autem nunc ætatis annum ſexageſimum, filioſque habuiſſe fere quadragenarios. F

13 *Ex-*

AUCTORE J. P.

A *exhortatio ejus quibus in locis,*

13 *Exhortationem ejus ad populum ita deſcribit Textus ſacer lib.* 1 *Regum cap.* 7 ℣. 3 : Ait autem Samuel ad univerſam domum Iſraël, dicens : Si in toto corde veſtro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio veſtri, Baalim & Aſtaroth : & præparate corda veſtra Domino, & ſervite ei ſoli, & eruet vos de manu Philiſthiim. *Intexitur hæc dictio in Annalibus eccleſiaſticis veteris Teſtamenti annò, quem dicebam, mundi* 2960, *& ibidem num.* 7 *eorumdem auctor*, Quoniam, *ait*, non memoratur in textu ſacro, neque apud Joſephum, ubi hæc à Samuele dicta fuerint Iſraëlitis, rectè intelligere poſſumus cum Lyrano & Abulenſi, hanc fuiſſe quaſi materiam exhortationum & concionum ipſius ad populum in ſingulis urbibus, quas concionabundus ſingulis annis obibat, ut ſignificatur inferiùs, in fine *nimirum ejuſdem* capitis 7. *Quiſnam verò paræneſios, qua de hîc agitur, fructus?* Abſtulerunt ergo filii Iſraël Baalim & Aſtaroth, & ſervierunt Domino ſoli. *Populum igitur ita diſpoſitum ad ſerviendum ſoli Deo Propheta ſanctus accivit in Maſphath ad publicam utique idololatriæ deteſtationem ac pœnitentiam delictorum, reconciliationemque cum Deo.* Dixit *enim* Samuel, *ibidem* ℣. 5, Congregate univerſum Iſraël in Maſphath, ut orem pro vobis Dominum. Et convenerunt in Maſphath : hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi : Peccavimus Domino. Judicavitque Samuel filios Iſraël in Maſphath.

B

& quo fructu habita :

14 *Adrichomius inter loca tribûs Benjamin, quæ illuſtrat, pag.* 18 Maſpha, *ait*, quæ & Maſphat & Maſepha & Meſphe, civitas in monte conſpicua ; & quoniam alibi in Juda, alibi in Benjamin ponitur, fortaſſis videatur in confinio utriuſque tribûs ponenda. Erat ibi olim arca Teſtamenti, eóque conveniebat ad orationem populus Iſraël : nam & Samuelis erat ibi judicii locus. *De* Maſphath *gemina agit Salianus loco ſuprà citato num.* 8 ; *deinde autem à num.* 10 *de pœnitentia Hebræorum, effuſione aquæ, quæ tamen non fuerit ſacrificium, ac judicio* Samuelis ; *cujus vota ac preces valde gratioſa apud Deum fuiſſe, ac populo Iſraël perquam ſalutifera, nunc videbimus.*

C *victoria de Philiſtæis relata : munus judicis exercitum variis locis ; ejus habitatio.*

15 *Libro* 1 *Regum cap.* 7 ℣. 7 *& ſeqq. narrantur iſta :* Et audierunt Philiſthiim quod congregati eſſent filii Iſraël in Maſphath, & aſcenderunt ſatrapæ Philiſtinorum ad Iſraël. Quod cum audiſſent filii Iſraël, timuerunt à facie Philiſtinorum. Dixeruntque ad Samuelem : Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de manu Philiſtinorum. Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, & obtulit illum holocauſtum integrum Domino : & clamavit Samuel ad Dominum pro Iſraël, & exaudivit eum Dominus. Factum eſt autem, cum Samuel offerret holocauſtum, Philiſthiim iniere prælium contra Iſraël : intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſtiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt à facie Iſraël. Egreſſique viri Iſraël de Maſphath, perſecuti ſunt Philiſthæos, & percuſſerunt eos uſque ad locum qui erat ſubter Bethchar. Tulit autem Samuel lapidem unum, & poſuit eum inter Maſphath & inter Sen : & vocavit nomen loci illius, Lapis adjutorii. Dixitque : Hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus. Et humiliati ſunt Philiſthiim, nec appoſuerunt ultra ut venirent in terminos Iſraël. Facta eſt itaque manus Domini ſuper Philiſthæos cunctis diebus Sa-

muelis. Et redditæ ſunt urbes, quas tulerant Philiſthiim ab Iſraël, Iſraëli, ab Accaron uſque Geth, & terminos ſuos : liberavitque Iſraël de manu Philiſthinorum, eratque pax inter Iſraël & Amorrhæum. *Ibidem autem* ℣. 15 *& ſequentibus ſubditur notitia de exercito à* S. Samuele *judicis munere, & ipſius habitatione, his verbis:* Judicabat quoque Samuel Iſraëlem cunctis diebus vitæ ſuæ : & ibat per ſingulos annos circuiens Bethel & Galgala & Maſphath, & judicabat Iſraëlem in ſupradictis locis. Revertebaturque in Ramatha : ibi enim erat domus ejus, & ibi judicabat Iſraëlem. Ædificavit etiam ibi altare Domino. *Qui harum rerum elucidationem deſiderat, poteſt convenire interpretes.*

Pro filiis ipſius munus judicis malè adminiſtrantibus

16 *Filios* Samuelis *judices à patre eſſe conſtitutos, ita memorat Scriptura ſacra lib.* 1 *Regum cap.* 8 : Factum eſt autem, cum ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos judices Iſraël. Fuitque nomen filii ejus primogeniti Joël, & nomen ſecundi Abia, judicum in Berſabee. *Rem geſtam intexit Salianus anno mundi, quem ſuprà ſignavi,* 2960, *ante Chriſtum* 1093 ; *ad quem annum num.* 28 *hæc inſuper obſervat :* Agebat autem ætatis annum ſexageſimum, utpote natus anno primo ſeculi hujus. Neque verò poteſt ultrà differri iſthæc inſtitutio : cùm enim ex eorum mala gubernatione populus occaſionem acceperit petendi regem ; oportet ut populus aliquanto tempore expertus fuerit eorum avaritiam & injuſtitiam, ut querela probabilis & legitima videretur. Id ergo hoc & ſequenti anno experiri potuerunt. Tertio autem anno eorum gubernationis pertæſi, venerunt ad Samuelem, & regem petierunt, ut ibi dicetur. Ne autem citiùs illos judices Iſraëlis à patre conſtitutos dicamus, tum ordo narrandi Scripturæ, quem nulla neceſſitas mutare cogit, perſuadet ; tum ætas Samuelis, cujus ſublevandæ gratiâ onus gubernationis in juniores filios ex parte derivatum eſt. Id autem hoc minùs probabile erit, quo minùs ætate provectum dixerimus fuiſſe Samuelem, cùm partem adminiſtrationis ſuæ cum filiis communicavit. *In tabula chronologica apud Calmetum antè deſignatum affigitur præſens factum anno mundi* 2908.

E

rogatur rex :

17 *De filiorum verò* S. Samuelis *declinatione à via rectâ, & rege eis ideo ſubſtituto, narrantur hæc eodem cap.* 8 : Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus, ſed declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium. Congregati ergo univerſi majores natu Iſraël venerunt ad Samuelem in Ramatha. Dixeruntque ei : Ecce tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis : conſtitue nobis regem, ut judicet nos, ſicut & univerſæ habent nationes. Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis eò quòd dixiſſent : Da nobis regem ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum. Dixit autem Dominus ad Samuelem : Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. Non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos .. Nunc ergo vocem eorum audi : verumtamen conteſtare eos, & prædic eis jus regis, qui regnaturus eſt ſuper eos. *Paret Domino Propheta : jus regis, & incommoda inde populo eventura prænuntiat ; ſed ab eo non auditur, ſicut pluribus narratur in citato capite* 8, *ubi hæc adduntur :* Dixit autem Dominus ad Samuelem : Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos regem. Et ait Samuel ad viros Iſraël : Vadat unuſquiſque in civitatem ſuam. *Annales veteris Teſtamenti identidem allegati prævaricationem filiorum* Samuelis *affigunt anno mundi* 2961,

AUCTORE J.P.

ante Christum 1092 ; *quæ autem Deum inter ac* Samuelem *& populum in petitione regis sunt acta, anno proximè sequenti* 2962. *Commentationes vel ibi vel alibi apud interpretes Scripturæ sacræ in hunc locum consuli possunt.*

ad quod officium miro modo

18 *Miro autem modo seu, ut ita dicam, ludo divinæ providentiæ Saul ad* Samuelem *digressus est, ut ab eodem ungeretur rex Israëlis. Rem gestam contraho brevitatis gratiâ è Textu sacro lib.* 1 *Regum cap.* 9 *&* 10. Erat vir de Benjamin nomine Cis .. Et erat ei filius vocabulo Saul .. Perierant autem asinæ Cis patris Saul. Et dixit Cis ad Saul filium suum : Tolle tecum unum de pueris .. & quære asinas .. Cum autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum .. Veni & revertamur, ne fortè dimiserit pater meus asinas, & sollicitus sit pro nobis. Qui ait ei : Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis : omne quod loquitur, sine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc, si fortè indicet nobis de via nostra, propter quam venimus. Dixitque Saul ad puerum suum : Ecce ibimus .. (Olim in Israël sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: B Venite, & eamus ad Videntem ; qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns) .. Et ierunt in civitatem, in qua erat vir Dei .. Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum. Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unum diem quàm veniret Saul, dicens : Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, & unges eum ducem super populum meum Israël ..

à Deo designatur, & à Samuele ad illud inungitur.

19 Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei : Ecce vir, quem dixeram tibi .. Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, & ait : Indica, oro, mihi, ubi est domus Videntis. Et respondit Samuel Sauli, dicens : Ego sum Videns. Ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie, & dimittam te manè, & omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Et de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne solicitus sis, quia inventæ sunt .. Et comedit Saul cum Samuele in die illa .. Cumque manè surrexissent, & jam elucescret, vocavit Samuel Saulem in solario, dicens : Surge, & dimittam te .. Cumque descenderent in extrema parte civitatis, C Samuel dixit ad Saul : Dic puero ut antecedat nos & transeat ; tu autem substiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini. Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus, & deosculatus est eum, & ait : Ecce, unxit te Dominus super hereditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt. *Signa verò, quibus Propheta confirmavit ejus electionem, habentur cap.* 10 *citato.*

Cœtus pii ab eo instituti :

20 *Occasione autem eorum, quæ ibi Sauli à* Samuele *dicuntur* ℣. 5, Et cum ingressus fueris ibi urbem *(Gabaath,)* obvium habebis gregem prophetarum, descendentium de excelso ; *id est,* loco orationis & sacrificiorum in eadem urbe : qualia multa tum reperiebantur, in Bethel, in Cariathiarim, in Ramatha, in Gabaa Benjamin &c., *sicut observat Salianus ad dictum annum mundi* 2962 *num.* 100 ; *religiosos conventus* à Samuele *institutos fuisse refert ibidem num.* 101 *his verbis :* Scribunt aliqui, in quibus Comestor & Lyranus, hujusmodi religiosorum hominum (*de quibus proximè egerat*) conventus Dei laudibus decantandis destinatos, à Samuele fuisse institutos. Et res magnam habet probabilitatem, nec apparet oculos in hæc tempora circumferenti, cui potiùs inventum id tribui possit, quàm illi, qui à teneris templo innutritus, & spiritu Dei plenus, non exiguam vitæ suæ partem in Dei laudibus ponebat. Et cùm plurimùm sanctitatis opinione, & prophetiæ laude clareret levita genere, voto Nazaræus, privilegio sacerdos, dignitate judex, Deo consecratus antequam natus; minimè dubium est, eum multos habuisse ejusdem vitæ approbatores ac sectatores, qui in ejus se disciplinam darent, quosque ipse postea in varia loca distribueret, qui populis Dei venerationem & amorem, cum religiosi cantus delectatione, instillarent. Hæc ergo hisce temporibus inchoata, magna, Davide & Salomone rerum potientibus, incrementa ceperunt, ut suis dicetur locis. D

alia occasione regis Saul.

21 *At nunc, quæ gessit* Samuel *circa regem Saulem, prosequamur cum Scriptura ibidem à* ℣. 17 : Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maspha, & ait ad filios Israël : Hæc dicit Dominus Deus Israël : Ego eduxi Israël de Ægypto .. Vos autem hodie projecistis Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis, & tribulationibus vestris, & dixistis : Nequaquam : sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras & per familias. Et applicuit Samuel omnes tribus Israël, & cecidit sors tribus Benjamin. Et applicuit tribum Benjamin & cognationes ejus, & cecidit cognatio Metri, & pervenit usque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, & non est inventus. Et consuluerunt post hæc Dominum, utrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus : Ecce absconditus est domi. Cucurrerunt itaque & tulerunt eum inde, stetitque in medio populi .. Et ait Samuel ad omnem populum : Certè videtis quem elegit Dominus .. Et clamavit omnis populus, & ait : Vivat rex. Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino : & dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam. *Annales citati ad annum* 2963 *num.* 1 *agunt de illis comitiis ; de aliis verò, quibus Saulis regnum est instauratum in Galgala, sic loquitur Textus sacer cap.* 11 : Dixit autem Samuel ad populum : Venite, & eamus in Galgala, & innovemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram F Domino in Galgala. *Hæc ibi de comitiis populi Israëlis : recensendis autem ad ea commentationibus me non interpono, ne hic Commentarius plus æquo excrescat, & ne agam partes interpretis sacræ Scripturæ potiùs, quam historici collectoris. Audiamus ergo jam, quidnam fecerit noster sanctus Vates in comitiis, quæ in Galgalis habita sunt.* E

§ III. Innocentia vitæ, reprehensio populi miraculo confirmata ; acta circa Saulem ; mors, sepultura, planctus, elogia.

Nihil habet Israël, de quo Samuelem accuset, qui dixit hunc [illegible] ante hend[illegible]

Libro 1 *Regum cap.* 12 ℣. 1 *& seqq. ista memorant divina Eloquia :* Dixit autem Samuel ad universum Israël : Ecce audivi vocem vestram juxta omnia quæ locuti estis ad me, & constitui super vos regem. Et nunc rex graditur

ante vos. Ego autem ſenui & incanui : porrò filii mei vobiſcum ſunt. Itaque converſatus coram vobis ab adoleſcentia mea uſque ad hanc diem, ecce præſto ſum. Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto ejus, utrum bovem cujuſquam tulerim aut aſinum : ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujuſquam munus accepi : & contemnam illud hodie, reſtituamque vobis. Et dixerunt : Non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicujus quippiam. Dixitque ad eos : Teſtis eſt Dominus adverſum vos, & teſtis Chriſtus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt : Teſtis. *Habemus hîc teſtimonium, confirmatum juramento per Deum ac regem, de innocentia vitæ ac virtute* Samuelis *extra omnem reprehenſionem poſitæ. Poſtea ibidem* ℣. 6 *& ſequentibus arguit Iſraëlem de ingrati animi vitio erga Dominum, cujus beneficia in eum collata recenſet. Ad hæc, hortatur ut Domino ſerviat.*

miraculum B 23 *Denique Vir ſanctus dicta ſua prodigio confirmat, dicens :* Sed & nunc ſtate, & videte rem iſtam grandem, quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro. Numquid non meſſis tritici eſt hodie ? Invocabo Dominum, & dabit voces & pluvias, & ſcietis & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conſpectu Domini, petentes ſuper vos regem. Et clamavit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluvias in illa die. Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem, & dixit univerſus populus ad Samuelem : Ora pro ſervis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur. Addidimus enim univerſis peccatis noſtris malum, ut peteremus nobis regem.

patrat. 24 *Brevis obſervatio videtur hîc eſſe opportuna ad declarandam hujus prodigii magnitudinem.* Si miraculum hoc fuit, ut revera fuit, *inquit Salianus ad annum mundi* 2963 *num.* 72, utpote divinitus impetratum, & datum in ſignum à Deo toti populo, oportuit ut ratione temporis, quo hæc tonitrua & pluviæ contigerunt, naturæ viribus fieri non poſſent, licet alioqui pluviæ & tonitrua naturæ vim non ſuperent. Oportuit quoque, ut minimè dubium & controverſum eſſet miraculum, aërem tum planè ſudum fuiſſe ac ſerenum, nullaſque pluvias tempore triticeæ meſſis ſolere contingere. Id quod Hebræi quidam apud Vatablum aſſerunt, imò à XVII Martii uſque ad menſem Octobrem negant pluere. *Prophetiæ Amos cap.* 4 ℣. 7 *hæc dicuntur :* Ego quoque prohibui à vobis imbrem, cum adhuc tres menſes ſupereſſent uſque ad meſſem. *S. Hieronymus hîc*, Numquam, *ait*, in fine menſis Junii ſive in menſe Julio, in his provinciis (*de omnibus regionibus Orientis ſermo eſt*) maximéque in Judæa pluvias vidimus. Denique in Regum libris pro ſigno magno atque portento diebus æſtatis & meſſis orante Samuele pluviæ concitatæ ſunt.

C

Breviter perſtringuntur nonnulla, 25 *Jam verò ad libri* 1 *Regum caput* 13 *progrediamur, ubi inveniemus alia, quæ ad* S. Samuelem *ſpectant. Ea autem huc tranſcripſiſſe in compendio ſufficiet. Ibidem itaque invenies victos à Saule Philiſthæos maximo apparatu adverſus Iſraëlem armari ; territos Hebræos in antris latitare ; Saulem verò, quia non exſpectato Samuelis adventu obtulit holocauſtum, reprobari à Domino &c. Et hæc quidem de Saulis reprobatione ita ibi deſcribuntur :* Hebræi autem tranſierunt Jordanem in terram Gad & Galaad. Cumque adhuc eſſet Saul in Galgala, univerſus populus perterritus eſt, qui ſequebatur eum. Et exſpectavit ſeptem diebus juxta placitum Samuelis, & non venit Samuel in Galgala, dilapſuſque eſt populus ab eo. Ait ergo Saul : Afferte mihi holocauſtum, & pacifica. Et obtulit holocauſtum. Cumque compleſſet offerens holocauſtum, ecce Samuel veniebat. Et egreſſus eſt Saul obviam ei, ut ſalutaret eum. Locutuſque eſt ad eum Samuel : Quid feciſti ? Reſpondit Saul : Quia vidi quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras juxta placitos dies, porrò Philiſthiim congregati fuerant in Machmas, dixi : Nunc deſcendent Philiſthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placavi. Neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum. Dixitque Samuel ad Saul : Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi *&c.*

AUCTORE J. P.

quæ egit Prophetа circa Saulem.

26 *Inter alia, quæ ſanctiſſimo noſtro Vati revelata ſunt à Domino, fuit peccatum Saulis in præda Amalecitana. Res geſta deſcribitur lib.* 1 *Regum cap.* 15. *Hæc autem ejus eſt ſumma. Poſtquam Saul fuiſſet miſſus à Domino, ad funditus deledos Amalecitas, reſervaſſetque Agag eorum regem ac multam prædam, à Samuele arguitur inobedientiæ, à regno rejicitur, & reprobatus ab eo lugetur. De his Salianus ad annum mundi* 2968, *anno ante Chriſtum* 1085, *aliique Scripturæ interpretes. Anno autem proximè ſequenti agit idem ſcriptor de luctu* Samuelis *ſuper Saule, ac unctione Davidis in regem (Adeat lector librum* 1 *Regum cap.* 16.) *De eodem verò rege infeſtas ſibi Saulis manus fugiente, & ad* Samuelem *in Ramatha digreſſo, amborumque inde diſceſſu in Naioth, cap.* 19, *& Salianus ad annum mundi* 2973. *His ita hactenus ſummatim expoſitis, quæ magnus ille Porpheta fecit tempore vitæ ſuæ, reſtat, ut de ejus morte, aliiſque rebus eamdem ſubſecutis loquamur.*

E

Mortis tempus

27 *Textus ſacer* 1 *Regum cap.* 25 ℣. 1 *habet iſta :* Mortuus eſt autem Samuel & congregatus eſt univerſus Iſraël, & planxerunt eum, & ſepelierunt eum in domo ſua in Ramatha. *De anno mortis ac ætatis ejus non eſt mihi animus operoſam diſputationem texere. Calmetus ad caput citatum innectit* Samuelis *mortem anno mundi* 2947, *anno ante Chriſtum* 1057, *anno autem ætatis circiter nonageſimo octavo. Salianus verò illam illigat anno mundi* 2977, *anno ante Chriſtum* 1076 ; *& ibidem num.* 3 *hanc annorum* Samuelis *rationem ſignat :* Contigit hæc mors juxta chronologiam, quam initio magiſtratûs Heli conſtabilivimus, anno ætatis 77, initi magiſtratus 38, quem iniit annos natus 39. *Labbeus in Compendio chronologico hiſtoriæ ſacræ & profanæ tomo* 1 *eumdem annum mundi* 2977, *ante Chriſtum verò* 1077, *morti ejus aſſignat, ætati autem annos* 77 *tribuit. Duobus ante Saulem annis è vita exceſſiſſe, ibidem dicitur ſecundum Joſephum & Clementem Alexandrinum. Plura de hoc biennio obſervat Salianus ad annum, quem paullo antè ex ipſo citabam, num.* 1 *&* 2. *In ſcholiis autem, quæ poſt eumdem iſtum annum ponuntur, Hebræorum refutatur ſententia, qui volunt Samuelem vitâ functum menſibus quatuor ante Saulis obitum, prout ibidem invenies : hæc enim, quæ de ratione chronologica apud alios legenda aſſignavi, ad præſens inſtitutum ſufficiunt. Ratio temporis, quam initio hujus Commentarii præfixi, eſt Saliani, in ejuſque ſupputatione ibi à me poſita.*

F

28 *Ad mortis cauſam quod ſpectat ; Salia-*

AUCTORE J. P.

ac cauſa; ſepultura

nus mox allegatus Apparet, *inquit ibidem num.* 4, mortuum ſanctiſſimum Senem, mœrore magis animi quàm annorum pondere degravatum, & pertæſum præſentis rerum ſtatus, nec parùm perturbatæ Reip. in ejus capite vehementer ægrotante, à Deo petiiſſe, ut auferret animam ſuam. *Deinde hoc argumentum pluribus proſequitur laudatus auctor; qui ibidem num.* 7 *de ſepultura ac funere ſubdit iſta:* Cum autem Scriptura dicit ſepultum IN DOMO SUA IN RAMATHA, intelligit ſepultum in proprio & domeſtico majorum ſuorum ſepulchro, ut ait Sa. Intelligendum tamen eſt in ſpelunca aliqua plura fuiſſe ſepulchra ſive conditoria propriis diſtincta notis .. & in eorum aliquo Samuelem ſepultum. Alioqui quomodo ejus reliquiæ ſecerni ab aliis, & transferri potuiſſent? Quod mox ab Arcadio imperatore factum fuiſſe dicemus. Legimus autem in Itinerario Benjamin, quod Arias Montanus Latinum fecit, corpus Samuelis in Ramatha in ſynagoga cuſtoditum fuiſſe, inde autem à Chriſtianis tranſlatum in Silo, magnumque illi templum excitatum, poſitumque Prophetæ ſepulchrum, oppido autem

B datum nomen S. Samuel de Silo. Hæc ibi. (*Sed Rabbini Benjamin dictum improbat Quareſmius Operis inferiùs num.* 36 *citandi cap.* 5 *pag.* 727.) Significat quoque Scriptura ſingularem funeris hujus celebritatem, qualem in funere Moſis, Aaronis, Joſue, aliorumque id genus heroum legimus. Neque admodùm dubitaverim, regem ipſum funus honorare voluiſſe, vel ut ne ingratus adverſus illum videretur, à quo valde olim dilectus fuerat, & in regium thronum ſubvectus, vel ut toti populo gratificaretur, cui Samuel fuerat acceptiſſimus; idque Lyranus affirmat in cap. 28 lib. 1 Reg. in illa verba: " Et intellexit Saul ,, &c. Crediderim etiam neque planctus per 30 dies, nec lamenta funebria defuiſſe, qualia Moyſi & Aaroni præſtita legimus. (*Vide Numerorum cap.* 20 *in fine, & Deuteronomii cap.* 34 ℣. 8) Joſephus enim ait populum in longum tempus luctum prorogaſſe. *Poſt hæc pergit idem Annalium conditor num.* 8:

luctus populi Iſraëlis:

C 29 CONGREGATUS quoque dicitur UNIVERSUS ISRAEL, vel aliquibus publico nomine de ſingulis urbibus in Ramatha venientibus, vel pluribus in locis magiſtratu ei juſta perſolvente. Itaque luxiſſe populum ait Joſephus, non quaſi in publico funere, ſed quaſi ad unumquemque propriè hæc orbitas pertineret. Decebat quippe univerſum Iſraëlem illius decorare funus, qui univerſæ vitæ ſuæ partes à prima infantia ad ultimam ſenectutem in totius populi ſalute vel precibus procuranda apud Deum, vel ſapientiſſima integerrimaque gubernatione promovenda poſuiſſet. *Hanc materiam per varias deinde hominum claſſes deducit. Legi etiam poſſunt quæ ibidem habet num.* 10 *& ſequentibus, oſtendens* Samuelem *fuiſſe Chriſti figuram ante ortum, in ortu, in vitæ progreſſu, in fundatione collegiorum propheticorum, in prophetia, in ſacerdotio extra ordinem, in reconciliatione populi, in prodigiis, victoria de Philiſthæis, filiorum malitia, fletu pro Saule, unctione regum, Dei in ipſum amore. Atque hæc quidem ſingularem conciliant æſtimationem Viri hujus ſancti, tot nempe ac tantis gratiarum ornamentis à munificentiſſima Dei manu in illum congeſtis, ut typum repræſentarit Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt Sanctus Sanctorum. At de* Samuelis *ſanctimonia, publicis tum in Eccleſia Latina tum in Græca honoribus condecorata, dicetur inferiùs. Nunc interea tem-*

D *poris promamus nonnulla elogia, quibus à Spiritu ſancto variæ ejus illuſtrantur dotes.*

elogia. 30 *Propheta regius pſalmo* 98 ℣. 6 *& 7 annumerans eum Moyſi & Aaroni indicat magni apud Deum valoris fuiſſe interceſſionem ipſius. Sic enim dicit:* Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus, & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus. Invocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos *&c. Jeremias cap.* 15 ℣. 1 *inter potentiſſimos apud Deum patronos eum ponit, quando ſignificat, ne vel ipſis quidem illius precibus flectendum Dominum: ſic enim Propheta loquitur:* Et dixit Dominus ad me: Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. Ejice illos à facie mea & egrediantur *&c. Longius eſt elogium ac prorſus ſingulare, quod* S. Samueli *datur Eccleſiaſtici cap.* 46 *à* ℣. 16: Dilectus à Domino Deo ſuo Samuel propheta Domini, renovavit imperium, & unxit principes in gente ſua. In lege Domini congregationem judicavit, & vidit Deus Jacob, & in fide ſua probatus eſt propheta. Et cognitus eſt in verbis ſuis fidelis, quia vidit Deum lucis: & invocavit

E Dominum omnipotentem, in oppugnando hoſtes circumſtantes undique, in oblatione agni inviolati. Et intonuit de cælo Dominus, & in ſonitu magno auditam fecit vocem ſuam, & contrivit principes Tyriorum, & omnes duces Philiſthiim: & ante tempus finis vitæ ſuæ & ſæculi, teſtimonium præbuit in conſpectu Domini, & Chriſti; pecunias & uſque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accuſavit illum homo. Et poſt hoc dormivit, & notum fecit regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terra in prophetia delere impietatem gentis.

§ IV. Cultus in Oriente & Occidente; tranſlatio corporis; ædes ſacræ, monaſteria.

Colitur apud Græcos alioſque populos,

F *Celeberrima* S. Samuelis *memoria claruit in Oriente apud Græcos, alioſque populos, qui eorum ritum ſequuntur, ſicut patet è Faſtis ſacris, hac die* XX *Auguſti illum annuntiantibus, videlicet Typico, quod vocatur S. Sabbæ, Menologio noſtro Slavo-Ruſſico Sparwenfeldiano, Kalendario Ruthenorum apud Poſſevinum, item alio feſtorum propriorum eccleſiæ Hieroſolymitanæ apud Waddingum in Annalibus Minorum tom.* 3 *pag.* 499, *Martyrologio noſtro Arabico-Ægyptio, ac apographis noſtris Græcis. Satis erit in rem noſtram, huc tranſcribere unam alteramve annuntiationem. Menæa magna Græca typis edita ſic Sanctum referunt:* Memoria ſancti ac glorioſi prophetæ Samuelis. *Annuntiationem ſequuntur hi verſus:*

Μύσας πελάτῃ καὶ Σαμυὴλ ὁ βλέπων,
Τὸ ζῶν ἀεὶ φῶς ἢ πελάτησους βλέπει.
Βῆ δ' ὀρφῶν μέλοντα Σαμυὴλ εἰκάδι ἔνθεν.

Clauſis ocellis moritur & Samuel Videns,
Semperque vivam mortuus lucem videt.
Vicenâ migrat Samuel, cui viſa futura.

Alluſionem poëtæ ſic expono. Samuel, *qui, quòd eſſet propheta,* Videns *eſt dictus (Vide ſuprà § 2 num.* 18) *videre deſiit per mortem corporis, ſed per viſionem beatificam etiam poſt mortem videt lumen, quod ſemper vivit, & numquam deficit. Quæ ibidem deinde leguntur de Propheta noſtro in Officio hujus diei, non tranſcribo. Singularis*

A *gularis eſt titulus* martyris, *quo annuntiatur in noſtro apographo Slavo-Ruſſico Sparwenfeldiano paullo ante allegato, ſi non exoticus; apud Waddingum citatum ſignatur cum titulo* confeſſoris.

32 *Vetuſtiſſima etiam eſt* S. Samuelis *memoria in Faſtis Latinis. Notatur quippe hoc die in Martyrologio, quod apud nos ſub nomine Bedæ jam pridem editum eſt; illum quoque referunt Rabanus, Romanum vetus ſeu parvum, Ado, Uſuardus ac Wandelbertus, qui de eo ſic canit:*

uti & apud Latinos.

Tertia poſt denam Samuele excellet, ab ipſis
Quem Domino cunis genitrix devota ſacravit.

Martyrologium Romanum, quo nunc utitur Eccleſia Dei, his verbis eum memorat: In Judæa ſancti Samuelis prophetæ, cujus ſacra oſſa, ut beatus Hieronymus ſcribit, Arcadius auguſtus Conſtantinopolim tranſtulit, & prope Septimum collocavit. *De tranſlatione iſta illico plura trademus. Sancti noſtri feſtum, tamquam unum è celebrioribus, rubricâ notatur à Jobo Ludolfo in Faſtis Æthiopicis ad diem* III *Junii: de qua re tunc apud nos in Prætermiſſis dictum eſt. In Iſagoge chronologica ad Opus chronologicum, auctore Calviſio editum Francofurti ad Oderam anno* 1620, *pag.* 14 *in Calendario Juliano ſignatur* Samuel *die* XXIX *Januarii.*

B

33 *Dubium non eſt, quin publicæ ſancti Prophetæ venerationi ſumma acceſſerit propagatio & incrementum è ſolenni illa ac famoſa tranſlatione ſacrorum ejus lipſanorum, quæ ineunte ſeculo quinto facta, & S. Hieronymi tunc viventis gratiſſimis conteſtata eſt verbis libro Adverſus Vigilantium, ubi iſtius hæretici impietatem caſtigat, ejuſdemque inſaniæ aſſeclas noſtri temporis hagiomachos inſigni pudore afficere deberet, ſi non omnem prorſus frontem exuiſſent:* Dolet, *inquit iſte ſanctus Doctor,* Martyrum reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel pannis vel cilicio colligari, vel projici in ſterquilinium; ut ſolus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum baſilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Conſtantius imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum ſe ſentire præſentiam confitentur? Sacrilegus dicendus eſt & nunc auguſtus Arcadius, qui oſſa beati

Oſſa, teſte S. Hieronymo, Chalcedonem delata ſunt ſub Arcadio imp.

C Samuelis longo poſt tempore de Judæa tranſtulit in Thraciam? Omnes epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam & cineres diſſolutos in ſerico & vaſe aureo portaverunt? Stulti omnium eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis reliquiis, & tantâ lætitiâ, quaſi præſentem viventemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt: ut de Palæſtina uſque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Chriſti laudes una voce reſonarent? Videlicet adorabant Samuelem, & non Chriſtum, cujus Samuel & levita & prophetes fuit. Mortuum ſuſpicaris, & idcirco blaſphemas. Lege Euangelium: „ Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Ja„ cob: non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum „„. *Ex ſequentibus diſcimus tempus & alia, quæ huc pertinent.*

34 *Chronicon Paſchale à Cangio editum pag.* 308 *hæc memorat:* Indictione IV Arcadio auguſto VI & Probo Coſſ. .. Eodem anno, allatæ ſunt Conſtantinopolim reliquiæ S. Samuelis per Scalam Chalcedonenſem menſe Artemiſio, ex a. d. * XIV Kal. Jun. præeuntibus Arcadio auguſto, & Anthemio præfecto prætorio & ex-conſule, Æmiliano præfecto urbi, ac univerſo ſenatu: quæ quidem ad aliquod tempus depoſitæ ſunt in ſanctiſſima Magna eccleſia. *Theodorus lector ab Henrico Valeſio vulgatus pag.* 568 Arcadii temporibus, *inquit*, Attico patriarchatum obtinente, allatæ ſunt Conſtantinopolim reliquiæ ſancti Samuelis, & depoſitæ ſunt in eccleſia ejuſdem Prophetæ prope Septimum, ante diem duodecimum Calendas Julii. *Chronicon Alexandrinum ſub eadem Indictione, imperatore, conſulibus, at die* XIV *Calendas Junias rem geſtat narrat conformiter ad Chronicon Paſchale citatum. Characteres iſti chronologici denotant annum æræ vulgaris* 406. *At quid de die?*

anno 406, *ac Conſtantinopolim invectæ:* * *i. e.* ante diem

AUCTORE J. P.

35 *Pagius in Critica Baroniana ad dictum annum num.* 15, *citatis auctoris Chronici Alexandrini verbis, obſervat iſta:* Dies XIX menſis Maii incidebat hoc anno in diem Sabbati; ideoque nondum uſus ferebat, ut Sanctorum tranſlationes diebus Dominicis fierent, ſed tantùm annis Quinquennalibus, & id genus feſtis additis, qualis eſt præſens, quo Arcadius quinta Quinquennalia exhibuit. Theodorus Lector lib. 2 ait reliquias S. Samuelis depoſitas eſſe ANTE DIEM XII KALEND. JUL., ut videre eſt apud Baronium, id eſt die XX menſis Junii, in quem hoc anno feria quarta cadebat. Quare quoad diem & menſem error eſt in alterutro ex his duobus auctoribus. *Ita ille. Verumenimvero etiamſi videatur credibile, Chronicum Paſchale & Alexandrinum, uti & Theodorum lectorem voluiſſe ſignare diem prorſus eumdem, cum adeo parva ſit diſcrepantia inter* ιβ' Ιανίων, *&* ιδ' Ιανίων, *ut error potuerit irrepere in textum ejuſdem Theodori, qui in hoc ſuppoſito eſſet corrigendus ex utroque iſto Chronico, quod menſem* Artemiſium *ſeu Maium conjungit cum* XIV *Kalendas Junii; tamen quia in editione Valeſiana Theodori Lectoris diſertè & expreſsè ſcribitur* πρὸ δώδεκα *(non verò litteris Græcis numeralibus* ιβ') καλανδῶν Ιανίων, *id eſt,* ante diem duodecimum Calendas Julii, *videtur mihi alia ineunda via, ut tres allati textus componi utcumque inter ſe queant, formando hanc conjecturam. Quid ni ergo fieri poſſit, ut Theodorus voluerit notare diem, quo reliquiæ delatæ fuerint è magna eccleſia ad eccleſiam* S. Samuelis *eodem fortaſſe anno* 406, *cum non diſtinguat tempus, quo res illa acciderit, à tempore quo perlatæ ſint Conſtantinopolim, ubi eccleſia* S. Samuelis *potuit antea fuiſſe condita. Quidquid ſit, rem non accidiſſe poſt annum* 407, *illud argumento eſt, quòd eam innectat* Arcadii temporibus, *qui diem clauſit extremum Kalendis Maii anno* 408, *prout videre datur apud Pagium in Critica Baroniana ad iſtum annum num.* 2, *& alios. De S. Attico, cujus ſuprà mentio facta eſt, agitur apud nos die* VIII *Januarii à pag.* 473, *& in Hiſtoria chronologica Patriarcharum Conſtantinopolitanorum tomo* I *Auguſti menſis prævia, pag.* 32 * *& ſequentibus.*

quo die?

E

F

36 *Verbulo hîc obſervo, illa, quæ ſuprà retuli ex S. Hieronymo,* Sacrilegus dicendus eſt & nunc auguſtus Arcadius, qui oſſa beati Samuelis longo poſt tempore de Judæa tranſtulit in Thraciam? Omnes epiſcopi non ſolum ſacrilegi *&c.? à ſancto illo Patre ſcripta eſſe per antiphraſim, quaſi diceret:* Non ſumus ſacrilegi quando Apoſtolorum baſilicas ingredimur. Sacrilegus non fuit Conſtantius imperator *&c.* Sacrilegus dicendus non eſt & nunc Auguſtus Arcadius *&c.* Omnes epiſcopi non ſolùm non ſacrilegi *&c.*, *uti è ſenſu loquentis manifeſtiſſimum eſt; proin mirari ſatis non poſſum, quomodo Quareſmius in Hiſto-*

Corrigitur auctor aliquis, qui locum S. Hieronymi non rectè intellexit.

AUCTORE J. P.

rica Terræ ſanctæ elucidatione tomo 2 pag. 727 agens de ſepulcro S. Samuelis, *non aſſecutus fuerit melius ſenſum S. Hieronymi. Sic enim habet :* In præſentia locus ille ſacro pignore privatus eſt : ut enim docet S. Hieronymus contra Vigilantium, ſacrilegus auguſtus Arcadius illius oſſa longo pòſt tempore ex Judæa tranſtulit in Thraciam.

E quo loca Sancti oſſa

37 *Quæres quo è loco ſacra Prophetæ pignora ſint tranſlata Conſtantinopolim ? S. Hieronymus ſuprà dicebat* de Judæa ; *ſed locum pluribus non determinat. Corpus poſt Sancti mortem* ſepultum in domo ſua in Ramatha, *ſicut antè num. 27 dictum eſt.* Inde autem à Chriſtianis tranſlatum in Silo, magnumque illi templum excitatum, poſitumque Prophetæ ſepulcrum ; oppido autem datum nomen S. Samuel de Silo, *ex Itinerario Benjamin, num. 28 narratum eſt. Qui teſtimonium iſtius Itinerarii pro vero habet, videtur debere conſequenter admittere, reliquias illas è dicto oppido eſſe Conſtantinopolim avectas.* Verùm, *inquit Quareſmius loco citato pro ſepulcro in Ramatha, & contra dictum iſtius Benjamini*, probabilius quod priùs dictum eſt, Scripturæ & adhuc perſeveranti traditioni conformius, & docent qui de ſanctis locis ſcripſerunt, & in præſentia in partibus iſtis nulla extat memoria dicti illius Rabbini. *Adde, quòd non videatur veroſimile, hoc à Judæis fuiſſe permiſſum. Magnam quippe Judæi habuere curam, ut mortuorum ſuorum ſepulcra inviolata conſervarent, cui ſi eorum adjungas religionem, quâ ſepulcra Prophetarum proſequi ſe oſtenderant, etiam illorum, quos occiderant patres eorum, ſecundum illud, quod Chriſtus ipſis exprobrat Matthæi cap. 23 ℣. 29 & 30 :* Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum, & dicitis : Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine prophetarum. *Et Lucæ cap. 11 ℣. 47 & 48 :* Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum : patres autem veſtri occiderunt illos. Profectò teſtificamini, quod conſentitis operibus patrum veſtrorum : quoniam ipſi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum ſepulchra. *Hæc, inquam, ſi prædictis adjungas, videtur mihi magis ad verum accedere, quod ſancti noſtri Vatis reliquiæ ſint inventæ in ſepulcro ejus in Ramatha, & inde Conſtantinopolim tranſvectæ.*

ſint Conſtantinopolim tranſvectæ.

38 *Ramatha autem vicina Lyddæ ſeu Dioſpoli, in via quæ à Joppe fert Hieroſolymam, notatur apud Cellarium in Notitia orbis antiqui lib. 3 cap. 13, pag. 323.* Noſtris temporibus, *ait Quareſmius pag. 728*, cernuntur in illius (*proximè egerat de ſepulcro Sancti*) eminenti ſitu ingentes ruinæ, ſigna magni præexiſtentis ædificii. Locum poſſident Turcæ, eſtque illorum meſquita : à cujus ingreſſu arcentur Chriſtiani : ideo tranſeuntes ipſum à longe ſalutant. *Ibidem etiam agit de fonte* Samuelis ; *qui* forte ſic appellatus, *uti addit*, à loco proximo ſancti Samuelis. Ad illum pietatis ergô, &, ut defeſſi ex itinere peregrini ſe recreent, divertunt. Quò cum pervenerint, hauſtâ aquâ, ſub quadam rupe vel arboribus ſe recipientes, cibum cum benedictione ſumunt, & recreati, cœptum verſus Jeruſalem proſequuntur iter. Hunc fontem illum eſſe credo, cujus meminit Adrichomius in Ephraim num. 79, dum de Ramatha loquens ait : " De„ ſcribitur & fons juxta Ramatha ſalubris aquæ „.

39 *Proximum eſt, ut jam dictis ſuperaddamus nonnullas ædes ſacras & monaſticas, Sancti nomine inſignitas. De templo Conſtantinopolitano prope Septimum ſive Hebdomum, memini ſuprà num. 34 occaſione tranſlationis reliquiarum ; de qua etiam eccleſia Cangius lib. 4 Conſtantinopolis Chriſtianæ à pag. 104, & illam obſervat* corruiſſe eo terræ motu, qui anno 31 Juſtiniani Magni accidit, ut eſt apud Theophanem pag. 196 *editionis regiæ Pariſinæ ; id eſt anno æræ vulgaris 557. Videri poteſt Baronius & Pagius ad iſtum annum. Baronius in notis ad Martyrologium Romanum hac die* xx *Auguſti*, De templo, *ait*, in honorem ejuſdem Prophetæ Samuelis erecto meminit Procopius lib. 5 De ædificiis Juſtiniani imperatoris. *Pro qua re idem auctor citatur à Saliano ad annum mundi 2977 num. 18. Sed ego apud iſtum auctorem lib. 5 cap. 9 pag. 107 impreſſionis regiæ Pariſienſis, ubi agit de inſtauratis in Palæſtina ac in reliquo Oriente monaſteriis, templis &c., reperio tantùm ad rem noſtram* in monaſterio S. Samuelis puteum ac murum *conſtructum, illo fortaſſe loco, è quo ejus reliquiæ fuerant extractæ. Cùm autem dicatur Sancti fuiſſe monaſterium, fieri potuit, ut templum ſub ejuſdem nomine ibidem etiam exſtiterit, tametſi apud Procopium non inveniam illud clarè expreſſum. Duo alia monaſteria Conſtantinopoli commemorat Cangius lib. 4 Conſtantinopolis Chriſtianæ pag. 161, alterum quidem* Samuelis τῷ ἁγίῳ Σκύθλῳ, *cujus* monaſterii abbas Paulus concilio Conſtantinopolitano ſub Mena interfuit cum ceteris urbis abbatibus, *anno Chriſti 536 ; vide Labbeum tomo 5 Conciliorum col. 1103 ; alterum verò ibidem ſignat Cangius* Samuelis in Sycis, ſeu in regione Sycæna, ἅγ Σαμουὴλ ἐν Συκαῖς.

D *Ædes ſacræ & monaſteria. S. Samuelis.*

E

§ V. Samuelis ſcripta, apparitio famoſa poſt ejus mortem Sauli facta.

F

Adſcribuntur Samueli

ANno 1703 *editum eſt Neapoli opus, quod inſcribitur* Archivorum veteris Teſtamenti libri tres, *auctore P. Scipione Sgambato Societatis noſtræ ſacerdote. Libro 2 titulo 19, qui eſt* Samuel, *à pag. 278 ſcribit auctor ad præſens noſtrum inſtitutum ſequentia :* Hebræi tres ſacros libros ei tribuunt, Judicum, Samuelis, id eſt, Regum primum ac ſecundum, & Ruth. Liber Judicum non modò Hebræis, ſed multis noſtrorum ſcriptorum creditur à Samuele ſcriptus, in quibus eſt S. Iſidorus lib. 6 Originum cap. 2. Ex Hebræis ſatis eſt, quod in Bava Bathra cap. 1 dicitur, quam Judæi omnes ſequi coguntur. Cauſæ cur id vero proximum cenſeri poſſit, hæ ſunt. Librum Judicum nemo meliùs ſcribere potuit, quam ultimus judex : hic autem Samuel fuit : nam neque aliquis illo prior id opus aggredi debuit, aut facilè potuit, tam turbulentis Reipublicæ illius temporibus ; neque poſterior. Quo pacto enim Samuel Regum hiſtoriam ſcriberet, ſi nemo priora tempora in annales retuliſſet? Samuel igitur, qui velut Janus aut Cecrops utrumque Reipublicæ ſtatum vidit, & Regum hiſtoriam literis mandavit & Judicum.

liber Judicum,

41 *Objicit ſibi Sgambatus illud Judicum cap. 1 :* Jebuſæum habitatorem Jeruſalem non deleverunt.. : habitavitque Jebuſæus cum filiis Benjamin in Jeruſalem uſque ad hodiernam * diem. *Et mox*,

* *Vulgata habet* præſentem

A *mox*, Atqui, *inquit*, Jeruſalem nomen eſt multo ſeriùs impoſitum huic urbi, & Jebuſæi etiam diutius quam ad uſque Samuelis tempora illic habitarunt. Sed neutrum obſtat: nam Hieroſolymæ quidem nomen quo tempore primùm ſit impoſitum non conſtat; nec quidquam refert, quod Jebuſæi diutius ibi ſint morati, modò Samuel dicere potuerit: Uſque ad hodiernam diem, ut notant R. * Levi Gerſonides, & R. David Kimchi. *Alterum quod objicit laudatus auctor, deſumitur è cap.* 18, *ubi dicuntur iſta:* Poſueruntque ſibi ſculptile, & Jonathan filium Gerſam filii Moyſi, ac filios ejus ſacerdotes in tribu Dan, uſque ad diem captivitatis ſuæ: manſitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. *Vim autem argumenti in eo ponit, quòd* captivitas, cujus hic locus meminit, multo poſt Samuelis tempora accidit. *Et ſic ad illud reſpondet:* Hoc argumentum ut ſolvant Hebræi quidam, R. Salomonem confutant, qui hoc loco CAPTIVITATEM TERRÆ explicat eam, quæ accidit ſub Sennacherib, atque ipſi intelligunt captivitatem arcæ, quæ erat in Silo, quæ B accidit tempore Heli pontificis. *Quid autem ad illa reponat, huc non tranſcribo.* Summa eſt, *inquit*, ſi captivitas hoc loco intelligatur ea, quæ ſub Sennacherib accidit, aut Samuelem propheticè hoc ſcripſiſſe, aut ab aliquo è poſterioribus prophetis, vel ab Eſdra eſſe hoc additum, ut quidam opinantur. *At quænam inſuper* Samueli *tribuantur ſcripta, ſic pergit recenſere Sgambatus:*

** i. e.* Rabbinus

libri duo Regum ac liber Ruth.

42 Libri duo Regum apud Hebræos Samueli adſcribuntur, cujus & nomen ferunt. Ex noſtris S. Iſidorus loco citato ei tribuit ſolum primum. Et ſanè ſecundus ea continet, quæ poſt mortem Samuelis acciderunt. Primi quoque libri cap. 25 ℣. 1 narratur Samuelis mors; quare inde ad 31, quo liber abſolvitur, non poſſunt eſſe Samuelis. Licet enim Samuel propheta fuerit, tamen ſacros libros hiſtoricos non ſolemus iis Prophetis tribuere, qui ante res illas geſtas vixerunt. Neque idem ſtylus eſt, quo Prophetæ narrant præterita, & quo futura prædicunt. Quare licet apud Hebræos nomen duorum librorum è Samuele inditum ſit ob viri eximiam gloriam; tamen ab eo nihil aliud ſcriptum, quàm primi libri cap. C 25, probabile eſſe *cenſet poſt auctores quos citat.* Libellum Ruth .. ſcriptum a Samuele, confirmant, *inquit*, Hebræi hac conjectura, quam verbis Aben Jechiæ initio Comm. in Cantica Cant. *profert pag.* 280; *cui adjungit Driedonem, Genebrardum alioſque. In fine libri* 1 *Paralipomenon ſic legitur:* Geſta autem David regis priora & noviſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis Videntis, & in libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad videntis. *Ad librum Samuelis quod ſpectat; eum* putat R. Salomon eſſe Regum primum & ſecundum; alii Commentarium Samuelis, in quo ea continebantur, quæ uſque ad ejus vitæ finem acciderunt; qui deinde tranſlatus eſt in primum Regum. Et hoc vero ſimilius, quod & Bellarminus in Scriptoribus eccleſiaſticis in Samuele exiſtimavit, *prout obſervat Sgambatus. Libro* 1 *Regum cap.* 10 *dicitur ſcripta fuiſſe à* Samuele *lex regni*; ſed hæc, *inquit*, Bellarminus, non videtur extare. *De materia in hoc libro contenta agit Sgambata pag.* 281.

Variæ ſunt de apparitione Samuelis

43 *Famoſa* Samuelis *apparitio, quæ poſt ejus mortem facta eſt regi Sauli, deſcribitur lib.* 1 *Regum cap.* 28, *longæque controverſiæ, diſtractis ſuper ea re diu multumque eruditorum ſcriptorum ingeniis, materiem præbuit, nondum hactenus legitimæ auctoritatis oraculo deciſa in Eccleſia Dei. Calmetus Commentario ſuprà citato præmittit à pag.* XXIII *Diſſertationem de præſenti controverſia. Opiniones varias circa eamdem proponit, quoſdam eſſe dicens, qui velint, apparitionem illam fuiſſe Pythoniſſæ illuſionem, quæ Saulem decipere voluerit, eique perſuadere, quod* Samuelem *vidiſſet, quamvis nihil omnino viderit. Sed hanc opinionem cenſurat tamquam temerariam, periculoſam, & Textui ſacro contrariam. Alii tenent,* Samuelem *verè apparuiſſe Sauli, ſed in modo, quo id contigerit, diſcrepant; illum ibi dictus auctor exponit. Deinde aliam opinionem affert, quæ dicit, dæmonem apparuiſſe, & Pythoniſſæ ac Sauli inſidias ſtruxiſſe.*

AUCTORE J. P.

44 *Denique alios eſſe indicat, qui velint, nec* Samuelem, *nec dæmonem fuiſſe, ſed phantaſma vel figuram* Samuelis, *quam Deus miniſterio angelorum vel potentiâ ſuâ immediatâ ſpectabilem ſiiterit. Sententiis illis ita propoſitis, præcipuas ſingularum probationes per ſuæ Diſſertationis decurſum extendit, eamque amplectitur, quæ cenſet, non alium niſi verum* Samuelem *apparuiſſe,* E *prædictioneſque ejus eſſe veras prophetias, hoc nixus axiomate, de quo inter omnes convenit, videlicet in exponendis Scripturis ſacris, quantum fieri poteſt, inhærendum eſſe ſenſui, quem primò verba nobis repræſentant, & non recurrendum ad explicationes remotas, quæſitas, impropias & ſingulares, niſi quid obſtet. Jam verò cum nihil in hiſtoria, qua de agimus, occurrat, quod ad ſenſum improprium & alienum cogat recurrere; conſequens eſt, ut Scriptura hîc intelligenda ſit in ſenſu proprio ac litterali.*

Sententia.

45 *Salianus ad annum mundi* 2979 *poſtquam num.* 75 *ſtatuiſſet primò,* Samuelem in hac apparitione non revixiſſe, neque corpus ejus, quod ante biennium ab anima ſeparatum fuerat, ei rurſum per veram reſurrectionem fuiſſe copulatum: id enim nemo, *uti addit*, factum dicit, ſive à Deo, cujus unius illa eſt actio, ſive à dæmone, magicis incantationibus provocato, neque id ad veram Samuelis apparitionem neceſſarium eſt *&c.* Statuimus, *inquit num.* 76, ſecundò, animam Samuelis verè ex inferis excitatam fuiſſe, ac Sauli apparuiſſe. Hæc eſt apertiſſima Scripturæ ſententia hoc loco, quæ niſi quid obſtet, in ſimplici ac propria verborum ſignificatione accipienda eſt. Nihil autem obſtare, ex ſequentibus intelligetur. Vocat autem Scriptura ſexies eum qui ſuſcitatus eſt, Samuelem: id cum de integro compoſito accipi non poſſit, ut diximus; de anima ejus accipiendum eſt: nec eſt ullum verbum, ex quo pro Samuele, imaginem ejus aut figuram accipiendam eſſe, ſuſpicari poſſimus, quod tamen neceſſe erat, ne lectores inducerentur in fraudem. Cum enim Ciceronis aut Saluſtii aut Romæ imagines pro rebus ipſis accipiuntur, id ex rerum circumſtantiis ſatis intelligitur, alioqui vitioſa, fallax & captioſa eſſet oratio. *Probationes, quas pro ſua ſententia affert idem Salianus, legi apud ipſum pluribus deinde poſſunt. At quid de forma ſeu ſpecie externa, quâ Samuel viſibilis Pythoniſſæ apparuit? Nam ſi corpus ejus non revixit, quomodo apparuit verus* Samuel?

F

Quænam

46 Satis eſt, *ut idem auctor præmiſerat num.* 75, ut apparuerit in aëreo corpore, ut angeli quondam Abrahamo, & ſæpe deinceps: quæ doctrina, *citatis ibidem pro ea auctoribus*, planè communis *ab ipſo vocatur.* Neque enim, *uti proſequitur*, de Samuele à mortuis excitato ſcriptores

aliis præferenda.

OCTORE J. P. ptores diſſentiunt, ſed de anima ejus, veréne evocata venerit, an ejus loco dæmon, aut phantaſma quodpiam. *Pro vera ac reali hac evocatione videtur ſufficere, ac rem omnino conficere vel unicum hoc Spiritus ſancti de* Samuele *effatum Eccleſiaſtici cap.* 46 ℣. 23 : Poſt hoc dormivit, & notum fecit regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terra in prophetia delere impietatem gentis. *Quæ verba quo modo, & qua veri ſpecie ad illuſoriam, phantaſticam vel diabolicam apparitionem detorqueri poſſunt ? Præcipua, ſi non unica difficultas, quæ reali iſti apparitioni ſaltem in ſpeciem incommodat, in eo conſiſtit, quod diabolo ac incantationibus videatur tribui poteſtas evocandi animas Sanctorum. Dixi* in ſpeciem : *nam difficultas iſta ſolvi poteſt primò, dicendo Deum præveniſſe artes magicas Pythoniſſæ, & evocaſſe* Samuelem *antè, quàm eaſdem mulier illa adhiberet. Secundò,* Samuelem *ſolâ Dei potentiâ ac voluntate apparuiſſe, diabolicis ſuperſtitionibus ad illam actionem non concurrentibus. Tertiò denique, à Deo vel angelis, ipſius juſſu formatum eſſe* Samueli *corpus ex aëre, vel, ſi vis, imaginem ejus, quæ illum repræſentavit, ac Sauli reſponſum dederit. Sed hæc pro noſtro inſtituto plus quàm ſatis. Nos itaque etiam nomen profitemur noſtrum inter illos auctores, qui veram ac realem Sancti apparitionem tenent.* D

DE SANCTO AMATORE EREMITA

IN CADURCENSI GALLIÆ PROVINCIA,

G. C. B

COMMENTARIUS PRÆVIUS. E

§ I. Notitia loci, in quo Sanctus colitur, & quis qualiſque hic Vir fuerit.

SECULO I AUT III, VEL FORSAN EXEUNTE V. *Aſſignatur locus in Gallia,*

OPpidum *Galliæ in Cadurcenſi provincia, quod Latinè* Rupes Amatoris, *& vernaculè* Roquemadour *appellatur, ſitum eſt prope Duranium fluvium, & quinque leucis à Sarlato in Orium, & octo a Cadurco in Septemtrionem diſtat. Huic loco, qui nunc peregrinationibus votivis & miraculis Deiparæ celeberrimus eſt,* S. Amator *nomen ſuum indidiſſe, ex eoque ad cælum migraſſe traditur, ut mox infrà patebit. Porrò ſacellum hujus loci, quod* S. Amator *in honorem Deiparæ Virginis exſtruxiſſe dicitur, anno* 1479 *ab epiſcopo Tutelenſi reſtauratum eſt, ut Stephanus Baluzius in Hiſtoria ſua Tutelenſi lib.* 3 *cap.* 12 *pag.* 229 *teſtatur his verbis :* Anno MCDLXXIX Dionyſius epiſcopus oratorium beatæ Mariæ Rupis Amatoris ſupereminentis rupis fragmento, ut ait Bertrandus Turrianus, compreſſum erexit funditus, & quantum potuit ampliavit, & Miſſam alta voce celebrandam diebus ſingulis in honorem ipſius Virginis inſtituit, & congruo redditu ſtabilivit. Exſtat apud Rupem Amatoris vetus lapis, in quo hæc ſcripta ſunt : HOC ORATORIUM SAXI RUINA COLLISUM DOMINUS DIONYSIUS DE BAR, QUEM BITURIX PEPERIT, ANTISTES ET DOMINUS TUTELLENSIS EREXIT FUNDITUS ET AMPLIAVIT ANNO MCDLXXIX. *Nunc videndum, quis iſte* S. Amator *fuerit.* C

in quo mortuus eſt hic Sanctus,

2 *Robertus de Monte, ſcriptor ſeculi duodecimi, in Appendice ad Chronicon Sigeberti, quam Lucas Dacherius anno* 1651 *edidit, ad annum Chriſti* 1170, *ſive pag.* 790 *dictæ editionis de* S. Amatore *habet ſequentia :* Henricus rex Anglorum perrexit causâ orationis ad Rocam Amatoris, qui locus in Cadurcenſi pago montanis & horribili ſolitudine circumdatur. Dicunt quidam, quod beatus Amator famulus beatæ Mariæ, aliquando bajulus & nutricius Domini fuit, & aſſumpta piiſſima Matre Domini ad æthereas manſiones, ipſe Amator prænonitus ab ea ad Gallias transfretavit, & in prædicto loco eremiticam vitam diu tranſegit. Quo tranſeunte & in introitu oratorii beatæ Mariæ ſepulto, locus ille diu ignobilis fuit, excepto quod vulgò dicebatur, ibi beati Amatoris corpus requieſcere, licet ignoraretur, ubi eſſet. Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo ſexto quidam indigena illius regionis ad extrema veniens, præcepit familiæ ſuæ, divina forſitan inſpiratione, ut in introitu Oratorii corporis ſui glebam ſepelirent. Effoſſâ itaque terrâ, corpus beati Amatoris integrum reperitur, & in eccleſia juxta altare poſitum, integrum peregrinis illud oſtenditur, & ibi fiunt miracula multa, & antea inaudita, per beatam Mariam. Ad hunc ergo locum, ut diximus, rex Henricus causâ orationis veniens, quia appropinquabat terræ inimicorum ſuorum, congregata multitudine armatorum, tam equitum, quam peditum, ad orationem perrexit munitus ſicut ad prælium, nulli malum inferens, omnibus, maximè pauperibus, in eleemoſynis largiter providens. *Quid acciderit filio hujus regis, qui ſpoliavit idem ſacellum, quod pater ejus veneratus fuerat, poſtmodum alia occaſione referemus.* F

cui Bernardus Guidonis adjungit uxorem,

3 *Interim audiamus Bernardum Guidonis Dominicanum, & poſtea epiſcopum Lutevenſem, qui huic* S. Amatori *uxorem adjungit, & apud Labbeum noſtrum in Nova Bibliotheca manuſcriptorum librorum tomo* 1 *pag.* 629 *&* 630 *adventum utriuſque in Galliam ſic paucis narrat :* Ex Chronicis quoque antiquis pluribus colligitur & habetur, quod ipſe beatus Martialis ad partes Aquitaniæ veniens, de pretioſo ac virtuoſo ſanguine beati proto-martyris Stephani ſecum tulit, habuitque in comitatu ſuo virum Dei, nomine Amatorem, & uxorem ejus, nomine Veronicam, quæ familiaris exſtiterat ac præcordialis amica beatæ Virginis Matris Dei. Iſti duo conjuges, ſcilicet Amator & Veronica, ordinante Deo, attulerunt ſecum de lacte beatæ Mariæ Virginis benedictæ, de capillis quoque, ac ejuſdem Dominæ ſotulares ; quorum unum poſuit beatus Mar-

A Martialis in civitate Vetula, quæ mutata nunc Anicium Græcè, quod Latinè dicitur Podium, civitas nominatur, quia divinis revelationibus, ſicut legitur in geſtis ejuſdem eccleſiæ, fuit mutata. Alterum verò ſotularem ſanctiſſimæ Virginis poſuit in Ruthena; de capillis verò Virginis Matris Dei partem poſuit in civitate Alvernia, quæ nunc Clarus-mons dicitur; partem verò aliam in Gabalis civitate, quæ tranſlata modò Mimmas vocatur, his quatuor ſedibus in honorem Virginis ſacratiſſimæ dicatis.

quæ obiiſſe dicitur in vico Solaco,

4 *Deinde Bernardus de felici* S. Amatoris *obitu, diuturnaque corporis ejus incorruptione, quam ſuperiùs ex Roberto de Monte retulimus, ita breviter meminit:* Amator verò ſolitariam vitam diligens, in rupe, quæ nunc ab ipſo RUPES AMATORIS vocatur, diu permanſit, altari inibi conſecrato à beato Martiale in honorem Virginis Matris Dei, humili quidem loco, ſed nunc honorabili univerſæ terræ, ibique beatus Amator cum corpore, quod adhuc cernitur incorruptum, ſanctam reſurrectionem exſpectat. *Hinc ad geſta & mortem uxoris ipſius ita tranſit:*

B Veronica autem uxor ſancti Amatoris beatum Martialem prædicantem ubique ſequens & devotiſſimè audiens, tandem confecta ſenio, in territorio Burdegalenſi ſuper mare reſedit, capellâ à beato viro Dei Martiale illic in honorem Virginis Matris Dei ædificatâ & dedicatâ, quæ SOLAC dicitur pro eo, quod SOLUM LAC Virginis Mariæ ibi poſitum eſt, aliis reliquiis ejuſdem Virginis, quas habebat, alibi diſtributis. *Idem ſcriptor apud Labbeum tomo 2 Novæ Bibliothecæ manuſcriptorum librorum pag. 265 & ſequente ſimilia repetit, atque alia phraſi exponit.*

cujus loci ſitus indicatur.

5 *Propter rationes paragrapho ſequente proferendas nobis non placet etymologia loci, qui ab indigenis* Solac *vocatur, & cujus ſitum Elias Vinetus in Commentariis ſuis ad Auſonium Burdigalenſem indicat his verbis:* Burdigala autem non fuit unica veterum iſtorum Biturigum Viviſcorum urbs: aliam enim Ptolomæus geographus, Strabone annis plus centum poſterior, memorat, quam Noviomagum appellat, facitque Occidentalem magis & Septemtrionalem Burdigalâ, ſub eodem meridiano ſitam cum Santonum urbe, & æquè ad Occaſum vergentem, ſed

C Auſtralem magis quàm illam unius partis dimidio. Unde colligas, verſus oſtium Garumnæ ſitam fuiſſe hanc Noviomagum; circa quem locum eſt SOLACUS vicus nobilis infra Burdigalam ad octoginta minimùm paſſuum millia. *Huic Vineti ſententiæ Antonius Dadinus Alteſerra lib. 1 Rerum Aquitanicarum cap. XI, & alii geographi Galli paſſim aſſentiuntur.*

Similia tradit S. Antoninus,

6 *Porrò S. Antoninus forſan legit Bernardum Guidonis, dum parte 1 Chronici ſui tit. 6 cap. 25 § 2 de* S. Amatore *ejuſque conjuge inter geſta S. Martialis habet ſequentia:* Venit autem cum beato Petro Apoſtolo Romam, & per eum miſſus fuit in Galliam habens in comitatu ſuo Amatorem & conjugem ejus Veronicam, quæ familiaris & præcordialis amica fuit Virginis Mariæ. Sanctus verò Amator in rupe, quæ modò Amatoris dicitur, ſolitariam vitam egit, ibique obiit. Veronica autem ſanctum Martialem prædicantem ſecuta eſt in territorio Burdegalenſi, ibique conſenuit, & beatus Martialis totius Aquitaniæ primus ibi altare beatæ Virginis Mariæ ædificavit. *Quamvis hic ſcriptor ex Ordine Dominicano ad cathedram Florentinam evectus doctrina & ſanctitate claruerit, tamen apud eruditos non habet*

magnam auctoritatem in rebus hiſtoricis, præſertim antiquis, quia vir iſte ſincerus & credulus quaſlibet narratiunculas, apud alios auctores inventas, bona fide tranſcripſit. AUCTORE G. C.

de quo Canus ſeverum fert judicium,

7 *Unde Melchior Canus, celebris ex eodem Prædicatorum Ordine ſcriptor, in Opere de Locis theologicis lib. XI cap. 6 incautos lectores circa hiſtoricas Vincentii Bellovacenſis, & S. Antonini collectiones ita monet:* De Vincentio Valvacenſi, & divo Antonio (*hoc nomen ſanctus præſul antea habuit*), liberiùs judico, quorum uterque non tam dedit operam, ut res veras certaſque deſcriberet, quàm ne nihil omnino præteriret, quod ſcriptum in ſchedulis quibuſlibet reperiretur. Ita ad hiſtoriam unamquamque exiſtimandam momentoque ſuo ponderandam non artificum ſtaterâ, ſed ne populari quidem trutinâ uſi ſunt. Quamobrem boni licet ac minimè fallaces viri, qui tamen nec auctores eos, ex quibus ſuos exſcripſere libros, diligenter examinarunt, nec res juſtis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud criticos graves atque ſeveros auctoritate carent. *Ex his Cani verbis videmus, hunc ſanctum hiſtoriarum collectorem noluiſſe lectoribus fraudulenter imponere, ſed ſimplicitate ſua ſæpiùs deceptum fuiſſe.* E

cui narrationi quidam impoſtores,

8 *Verùm non tanta ſinceritate uſi ſunt impoſtores illi, qui jam ferè à ſeſquiſeculo in Hiſpania ſub nomine Dextri, Luitprandi, Juliani, aliorumque veterum, chronica ac ſimilia monumenta confinxerunt, & inventis hiſtoriis quibuſdam fabuloſas circumſtantias ex cerebro ſuo addiderunt. Exemplo ſit pſeudo-Luitprandus, cujus Chronicon unà cum Fragmentis Matriti anno 1635 impreſſum eſt, ubi num. 209 Fragmentorum de* S. Amatore *& ejus conjuge ſcribit ſequentia:* Sanctus Amator, conjux Vereniceæ, cui Dominus faciem ſuam expreſſam dedit, famulus ſanctæ Virginis Mariæ & Joſeph, & Domini bajulus ac nutricius, poſt diſceſſionem ejus ad cælos, ejus hortatu ſanctum Martialem cum conjuge ſecutus eſt ad Gallias, ubi, ſicut viderat prope Nazareth eremitas Montis Carmeli, eam vitam in editiſſimo monte ſecutus eſt. Vixit ibi multos annos agens vitam magis cæleſtem, quàm terrenam; creditur diſceſſiſſe anno LXXV. Celebratur prima die Novembris. *Neſcio, cur hic larvatus fabulator annuam* S. Amatoris F *memoriam Calendis Novembris affixerit, cum plerique Martyrologi eamdem hac die XX Auguſti conſignârint, ut ex infrà dicendis apparebit.*

aliique ab his decepti

9 *Joannes Baptiſta de Lezana, fretus auctoritate hujus pſeudo-Luitprandi, in Annalibus Carmelitarum tomo 1 pag. 675, & tomo 2 pag. 196 hunc* S. Amatorem *Ordini ſuo timidè adſcribit. Sed confidentior Marcus Antonius Alegre de Caſanate in Paradiſo Carmelitici decoris, Statu 2, ætate 2, cap. 18 poſt recitatum pſeudo-Luitprandi teſtimonium, de* S. Amatore *ſic rotundè pronuntiat:* Verba ipſa Luitprandi probant, Carmelitam fuiſſe ex eremitis Carmeli, qui vitam eremitarum Montis illius ad unguem & exemplar profeſſus eſt ſuo modo in Galliis, ut alii multi. *Laudatus Lezana tomo 2 Annalium pag. 196 ex hoc alioque ſimilis farinæ chronographo præterea concludit, uxorem* S. Amatoris *anno quadrageſimo octavo è Gallia Romam veniſſe, ibique vultum Chriſti ſindoni impreſſum reliquiſſe; poſtea verò reverſam eſſe in Galliam, & in territorio Burdigalenſi conſenuiſſe. Denique auctor ille Annalium Carmeliticorum ibidem dubitat, an hæc Veronica diſtincta ſit à muliere hæmorrhoïſſa,*

AUCTORE G. C.

rhoïssa, *quam Christus à fluxu sanguinis liberavit, ut Marcus cap.* 5 *&* Lucas *cap.* 8 *testantur.*

fabellas suas addiderunt.

10 *Pseudo-Luitprando suffragatur pseudo-Julianus, & in Chronico suo ad annum Christi nonagesimum intrepidè quæstionem illam dirimit his verbis:* Per hoc tempus, sicut Apostolicis diebus, Romæ in magno pretio erat sudarium illud sacratissimum, quod Clementi primo Romano Pontifici reliquit pientissima mulier Beronice, quam alii corruptè vocant Veronicam, quæ neptis ex sorore Salome magni Herodis, nupsit viro nobili Amatori. Vixit aliquando in urbe Cæsarea Palæstinæ, aliquando verò Hierosolymis. Fuit autem illa mulier, quam ex fluxu sanguinis aliquando curavit Christus. Depicta est imago Christi curantis mulierem in pariete, cujus lacinia, ubi tangit hederam, curat ex omnium morborum genere. Quidam volunt, passam martyrium Antiochiæ cum aliis quinquaginta, ut tradit Beda. *At si Beda id tradat de conjuge* S. Amatoris, *quomodo hæc in territorio Burdigalensi consenuit, ut Bernardus Guidonis & S. Antoninus affirmant? Præterea quomodo Veronica vultum Christi sudario impressum Romam detulit*

B *anno Christi quadragesimo octavo, quemadmodum Lezana superius ex fictitio Dextro refert, & eadem mulier illud sudarium Clementi primo Pontifici reliquit, ut pseudo-Julianus hîc asserit? Quomodo denique hæc uxor* S. Amatoris *potuit esse neptis magni Herodis, quæ Berenice vocatur, & multo senior est, ut Henschenius noster ad diem* IV *Februarii in Commentario historico de S. Veronica* § 2 *num.* 8 *satis demonstravit? Quare nolo hîc operosiùs refutare istos fraudulentos Chronicorum figulos, qui nunc ab eruditis passim explodunturs, & curiosum lectorem remitto ad memoratum Commentarium historicum Henschenii, & ad alterum, in quo ad diem* XII *Julii de Hæmorrhoïssa euangelica disputatum est.*

Nonnulli putant, Sanctum nostrum non esse diversum

11 *Itaque revertor ad* S. Amatorem *nostrum, qui ab aliquibus cum Zacchæo publicano confunditur. Certè nomen* Zacchæi *vel* Amatoris *huic Sancto promiscuè tribui, non obscurè colligi potest ex eruditissimo Stephano Baluzio, qui in Historia Tutelensi lib.* 2 *cap.* 2 *asserit, abbates Tutelenses, postea verò ejusdem urbis episcopos, ab annis quadringentis ac amplius ecclesiam Rupis Amatoris administratorio nomine possedisse, &*

C *ea occasione adversus imperitum quemdam popularem suum ita scribit:* Ceterùm tum primùm, cum ecclesia illa data est monasterio nostro, auditum apud nos id nomen; quod observari debere visum est adversus ridiculum ineptumque figmentum cujusdam è civibus nostris, qui mortuus est, me puero, qui primus & solus omnium mortalium ausus est scribere, illam à ZACCHÆO sive AMATORE fuisse fundatam in initiis Christianæ religionis, & ab illo tempore sic semper fuisse subjectam Tutelensi, ut in eam nullum omnino jus umquam fuerit episcopo Cadurcensi, in cujus diœcesi consistit. Peritus videlicet fuit homo ille disciplinæ ecclesiasticæ, exemptiones ecclesiarum à jurisdictione episcopali introductas putans statim ab origine religionis. Quamquam variæ sunt chartæ in chartulario nostro, quæ illum docere poterant, eam ecclesiam ad monachos Tutelenses perveniisse beneficio episcoporum Cadurcensium, uti paulò antè diximus. *Ad propositum nostrum hîc audis,* S. Amatorem *verosimiliter ex vulgari opinione aut populari traditione etiam* Zacchæum *appellari.*

12 *Quinimo noster Odo Gisseyus, qui Tolosæ anno* 1632 *libellum Gallicum de sacello Deiparæ* D *constructo in Rupe* S. Amatoris *edidit, cap.* 5 *à Zachæo istius opusculi probare nititur,* S. Amatorem *esse eumdem cum Zacchæo publicano, & postea tantummodo nomen suum mutasse. Præcipuum verò hujus opinionis suæ argumentum desumit ex Bulla Martini V Pontificis, qui anno Christi* 1427 *concedit indulgentias fidelibus devotionis causâ confluentibus* ad capellam gloriosæ Genitricis Dei Mariæ Virginis Rupis Amatoris Caturcensis diœcesis, *& ex aliorum relatione addit, illam ecclesiam ab initio Christianæ religionis exstructam fuisse* per nostri Salvatoris discipulum ZACHÆUM TUNC, NUNC AMATOREM rupis nuncupatum. *At eruditi norunt, Pontifices Romanos pro veritate similium traditionum non spondere, quamvis illas secundum opinionem supplicantium Bullis suis inserant. Hinc plerumque in historiis hujusmodi referendis adhibent has aut similes phrases:* Prout accepimus, ut fertur, ut scribitur. *Talis autem loquendi modus in hac ipsa Martini V bulla cautè adhibitus est. Quapropter, salva Romani Pontificis auctoritate, proferemus aliquod argumentum, quo ista* S. A- E
matoris *& Zachæi identitas destrui videtur.*

cum tamen hic episcopus

13 *Rufinus Aquileiensis presbyter & sancto Hieronymo coævus in præfatione ad libros Recognitionum, qui S. Clementi primo Pontifici adscribuntur, apud Cotelerium in editione Antverpiensi anni* 1700, *tomo* 1, *pag.* 486 *diserte asserit, Zachæum ecclesiæ Cæsareensis episcopum ab Apostolo Petro constitutum fuisse. Etiam in Constitutionibus Apostolicis lib.* 7 *cap.* 46 *idem episcopatus ille Zachæo publicano tribuitur, ut in memorata editione Cotelerii tomo* 1 *pag.* 382 *videre est. Non ignoro, Constitutiones illas Apostolicas & Recognitiones Clementis primi passim de suppositione argui & convinci. Præterea scio, quod Eusebius Cæsareensis de illo Zachæi episcopatu non memineriit, istud ecclesiæ suæ ornamentum non omissurus, si libros illos Clementis Papæ legisset, aut eos genuinos credidisset. At saltem ex dictis liquet, hanc opinionem de Cæsareensi Zachæi episcopatu temporibus Rufini non adeo absonam fuisse. Nolo tamen affirmanter tueri istam Rufini sententiam, quæ forsan originem habet ex confusione Zachæi publicani cum altero ejusdem nominis episcopo Cæsareensi, qui seculo* F *sequente Valentinianos & Ptolemeïtas hæreticos damnavit, ut in Prædestinato Sirmondi nostri, hæresi* XI *&* XIII, *legitur.*

& ille eremita fuisse videatur.

14 *Quidquid igitur sit de certo Zachæi publicani episcopatu, saltem propter auctoritatem S. Petri Chrysologi probabiliùs arbitror, illum alicui ecclesiæ præfuisse, quandoquidem seculo quinto aureus ille concionator ad populum Sermone* 54 *dixit sequentia:* Ne quis tamen putet, Zachæum offerendo dimidium bonorum perfectionis non tenuisse fastigium, qui post omnia sua, & seipsum sic dedit Domino, ut EPISCOPATUS honore fultus, à mensa publicani quæstûs ad mensam Dominici Corporis perveniret, & fraudulentas seculi divitias derelinquens, in paupertate Christi veras futuri seculi divitias inveniret. *Si itaque* S. Amator *non sit distinctus à Zachæo publicano, quis episcopale hujus officium conciliabit cum vita eremitica* S. Amatoris, *qui in Cadurcensi Galliæ provincia diu solitarius vixit, & ibidem sepultus est, ut Robertus de Monte supra num.* 2 *narravit? Quis denique vel per levissimam conjecturam reperiet Zachæum publicanum in Actis infrà edendis, quæ tamen non viden-*

A *videntur magnam fidem mereri, ſicut paragrapho ſequente oſtendere conabor, ubi prius publicum* S. Amatoris *cultum ſtabilivero.*

§ II. Publicus Sancti cultus, ætas, & noſtrum de Actis ejus judicium.

Sanctus hic publicè in Gallia colitur,

ANno Chriſti 1664 *ampliſſimus D. Armandus Gerard Canonicus Sarlatenſis Henſchenio noſtro ſubminiſtravit notitiam de Sanctis Cadurcenſibus, quam in ſupellectile noſtra litteraria* ✠ *Ms.* 161 *littera* B 16 *ſervamus, ubi circa finem teſtatur, die* xx *Auguſti in Officio proprio Sanctorum Cadurcenſium feſtum* S. Amatoris *ſub ſemiduplici ritu celebrari. Sed ibidem monet, in illo non recitari Lectiones proprias, quia forſan Acta ipſius ſunt nonnihil apocrypha, qualia etiam ſibi ea videri officioſus & candidus iſte Canonicus fatetur. In directorio proprio eccleſiæ*
B *Cadurcenſis invenio, feſtum ejus uſque ad diem* xxi *Auguſti differri (haud dubiè propter aliam feſtivitatem concurrentem id fit) ac eo die ſic aſſignari:* Amatoris (fuit xx) ſemiduplex. *Laudatus Geſſeyus noſter in libello ſuo Gallico cap.* 5 *notat, in feſto* S. Amatoris *cantari Euangelium de Zachæo publicano, & inde non ſatis ſolidè concludit, illum cum Zachæo eumdem eſſe: hoc enim Euangelium præſcribi potuit propter vulgarem opinionem incolarum, qui ex populari traditione exiſtimarunt,* S. Amatorem *ſuum à Zachæo publicano non diſtingui. Sed undecumque id ortum ſit, ex hac publica Cadurcenſis eccleſiæ veneratione patet, hunc* S. Amatorem *licitè Operi noſtro inſeri poſſe, ut etiam ex teſtimonio Roberti de Monte confirmatur. Etiamſi ex dictis de legitimo hujus Sancti cultu ſatis conſtet, tamen more ſolito unum alterumve Martyrologum adducemus.*

& in Martyrologio Gallicano referitur,

16 *Andræas Sauſſayus in Supplemento Martyrologii ſui Gallicani pag.* 1159, *ad diem* xx *Auguſti ſanctum Virum exornat hoc elogio:* In agro
C Caturcenſi ſancti Amatoris confeſſoris, qui ex diſcipulo ſancti Martialis doctor euangelicus factus, Caturcenſes in fide uberiùs edocuit, ſanctitatéque clarus obdormivit in Domino. Hujus corpus poſt mortem mira integritate refulſit, quod ſubjectum ignibus à Calviniſtis abſumi, Deo volente, non potuit. *Vix intelligo, quid ſibi velit Philippus Ferrarius, dum in Catalogo ſuo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, ſanctum noſtrum Eremitam, ni fallor, hac ipſa die* xx *Auguſti ſic annuntiat:* Apud Bethleem ſancti Amatoris presbyteri & eremitæ. *In notis autem ad hanc annuntiationem monet, ſeſe notitiam illam hauſiſſe ex monumentis eccleſiæ Lucenſis, in qua ſacræ ejus reliquiæ conſervantur, & Cæſarem Franciottum presbyterum Lucenſem de Sancto iſto meminiſſe. His lectis, magnopere mirabar, hunc ſanctum Eremitam à Ferrario* apud Bethleem *annuntiari, cum ex Roberto de Monte, & Bernardo Guidonis didiciſſem,* S. Amatorem *noſtrum in Cadurcenſi Galliæ provincia vitam ſolitariam duxiſſe, ac ibi mortuum eſſe. Quapropter conſului Opus Italicum, quod Cæſar Franciottus de Sanctis Lucenſibus conſcripſit, ibique pag.* 524 *& ſequente reperi nonnulla de quodam* S. Amatore, *quæ hîc ſummatim Latinè commemorabo.*

17 *Primò in Italica Franciotti narratione dicitur* S. Amator *iſte natus eſſe Bethleemi, & à teneris annis vitam eremiticam elegiſſe. Secundò fuit devotiſſimus erga Deiparam Virginem, per cujus reliquias Hieroſolymâ acceptas multa miracula patravit, & peccatores ad pœnitentiam commovit. Tertiò propter crebra miracula ex uno loco ad alterum migrare coactus eſt, ut ingentem populi concurſum ac plauſum vitaret. Quartò obiit die* xx *Auguſti, & poſt ejus obitum varia miracula contigerunt; ſed neque locus neque annus mortis indicatur. Denique Franciottus ibidem monet, hunc* S. Amatorem *fuiſſe ſacerdotem & confeſſorem, cum alii ejuſdem nominis Sancti, qui in Martyrologiis occurrunt, martyres vel epiſcopi fuerint. Propter hanc primam Franciotti aſſertionem ſuſpicor, quod Ferrarius* S. Amatorem *hodiernum annuntiaverit* apud Bethleem, *quia ipſum in hoc oppido natum fuiſſe, apud Franciottum legerat. Inſuper ex vita eremitica, Hieroſolymitanis Deiparæ reliquiis, migratione ex uno loco ad alterum, eodem mortis die, aliiſque ſimilibus adjunctis conjicio,* S. Amatorem *noſtrum, & illum, de quo Franciottus meminit, inter ſe non differre. At neſcio, quomodo ad eccleſiam Lucenſem pervenerint notabiles ejus reliquiæ, de quibus infrà agetur.* E

AUCTORE G. C. *etſi Ferrarius eum apud Bethleem annuntiet.*

Cum inter eruditos diſceptetur de tempore,

18 *Numero præcedente obſervavi, à Franciotto non indicari certum tempus, quo* S. Amator *floruit, aut ex hac vita migravit. At Bernardus Guidonis, & Acta noſtra, aliique hiſtorici recentiores affirmant,* S. Amatorem *noſtrum ſeculo primo cum S. Martiale in Galliam veniſſe, & ibidem eodem ſeculo mortuum eſſe. Si* S. Amator *cum S. Martiale in Galliam venerit, certa ejus ætas in dubium revocari poterit, cum de ipſo S. Martialis adventu inter eruditos Gallos diſceptetur. Certè Cordeſius, Tillemontius, aliique critici huic antiquo S. Martialis adventui opponunt auctoritatem S. Gregorii Turonenſis, qui miſſionem ſancti illius Gallorum Apoſtoli circa annum Chriſti* 250 *collocat, & in Hiſtoria Francorum lib.* 1 *cap.* 28 *apud editorem Ruinartium ita ſcribit:* Sub Decio verò imperatore multa bella adverſum nomen Chriſtianum exoriuntur, & tanta ſtrages de credentibus fuit, ut nec numerari queant .... Hujus tempore ſeptem viri epiſcopi ordinati ad prædicandum in
F Gallias miſſi ſunt, ſicut hiſtoria Paſſionis ſancti martyris Saturnini denarrat. Ait enim, ſub Decio & Grato conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Toloſana civitas ſanctum Saturninum habere cœperat ſacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt; Turonicis Gratianus epiſcopus; Arelatenſibus Trophimus epiſcopus; Narbonæ Paulus epiſcopus; Toloſæ Saturninus epiſcopus; Pariſiacis Dionyſius epiſcopus; Arvernis Stremonius epiſcopus; Lemovicinis Martialis eſt deſtinatus epiſcopus. *Joannes Launoyus in peculiari Diſſertatione de ſeptem Galliæ epiſcopis illud S. Gregorii Turonenſis teſtimonium operosè defendit, & ab objectionibus vindicat.*

quo S. Martialis in Galliam venerit,

19 *Attamen alii viri docti hanc veterem patriæ ſuæ traditionem contra Gregorium variis argumentis tuentur, inter quos illuſtriſſimus Petrus de Marca archiepiſcopus Toloſanus in Epiſtola ad Henricum Valeſium num.* 20 *pro antiquiore S. Martialis in Gallias adventu ſic breviter reſpondet:* Quod attinet ad Martialem; illud unum habetur in Martyrologiis veteribus, eum Lemovicæ fuiſſe epiſcopum. Verumtamen antiqua ejus Vitæ Acta, unum fuiſſe è ſeptuagin-

AUCTORE G. C.

ta discipulis Domini, & à Petro Apostolo ad Aquitanos missum docent; quam traditionem amplexa est synodus Lemovicensis anno MXXXIV in disceptatione, quæ de Martialis Apostolatu in Galliis habita est.

alios imitatus.

20 *Sed post hanc illustrissimi viri responsionem novissimi Galliæ Christianæ editores tomo 2 col. 499 de Actis S. Martialis ita rotundè pronuntiant:* Hæc & multa alia recensens vir illustrissimus Franciscus Bosquetus, postea Monspeliensis episcopus, pro fabellis habet, nec immeritò. Itaque hîc subsistendum, & rejectis spuriis illis Actis, dicendum de S. Martiale, primo Lemovicum episcopo, nihil ad nos perveniſſe, nisi solum nomen. Neque nobis objici possunt concilia, Bituricense scilicet & Lemovicense, celebrata anno MXXXI, in quibus assertus est S. Martialis Apostolatus: nam in hujusmodi Actis nihil propriè definitum legimus; neque damnati fuerunt, qui de hoc Apostolatu contra sentiebant. Alioquin ubi de hujusmodi factis agitur, minimè ligat concilii provincialis auctoritas. *Ceterùm de Actis & duabus epistolis S. Martialis*

B *simile judicium fert Tillemontius, qui tomo 4 Monument. eccles. pag. 475 consuli potest. Ego in hac controversia nullam partem amplector, imitari volens Papebrochium nostrum, qui die* XXX *Junii in Commentario ad Acta & miracula S. Martialis Dissertationem Joannis Cordesii & contrariam illustrissimi Petri de Marca Epistolam retulit, & litem illam indecisam reliquit.*

hanc controversiam non decido.

21 *Quapropter hactenus mihi non displicet opinio R. P. Ambrosii Gardeboſc Carmelitæ Apamiensis & in Academia Tolosana sacræ theologiæ professoris, qui in Historia sua ecclesiastica seculi primi parte 1 lib. 3 Dissert. 1 quæstione 3 famosam illam controversiam absolvit hac resolutione:* Certum non est, adventum septem episcoporum in Gallias ad primum Ecclesiæ seculum revocandum esse, vel ad Decii tempora differendum; solvi enim facilè possunt argumenta utriusque opinionis oppositæ. *Cum itaque Bernardus Guidonis & alii recentiores* S. Amatorem *passim sancto Martiali socium adjungant in Apostolica expeditione ad Gallos, & incertum sit tempus hujus expeditionis, in quo figendo viri docti*

C *tantopere inter se discrepant, certum seculum* S. Amatori *assignare nolui, & propterea in principio Commentarii prævii illum* seculo I aut III *ad marginem collocavi. Quinimo ibidem addidi* forsan exeunte V *propter rationem, quam inferiùs indicabo.*

In Actis nostris uxor hujus Sancti videtur confundi

22 *Neque tanti facienda sunt Acta* S. Amatoris (*nescio, quo tempore vel à quo scripta*) *ut vulgari Lemovicensium traditioni auctoritatem conciliare possint. Præter alia in iis mihi displicet, quod uxor* S. Amatoris *cum hæmoroïssa euangelica confundi videatur. Imò hac in re biographus contradicit Eusebio Cæsareensi, cujus auctoritas ignotis ejus scriptis multùm præferenda est: nam initio Actorum affirmat,* S. Amatorem *religione Hebræum vel Israëlitam fuisse, & secundum legem Moysis duxisse uxorem Veronicam,* moribus & fide sibi non disparem. *Igitur hæc mulier etiam erat Judæa vel Hebræa, quam scriptor eorumdem Actorum* ad tactum fimbriæ Dominici vestimenti clementer *gravissima infirmitate liberatam asserit. At Eusebius Cæsareensis in Historia ecclesiastica lib. 7 cap.* 18 *non obscurè indicat, hanc mulierem gentilibus accensendam esse.*

23 *Vetustus ille scriptor ibidem testatur, se-*

D *se Cæsareæ Philippi adhuc vidisse statuam, quam mulier ista in memoriam receptæ sanitatis Christo erexerat, & quam Julianus apostata postmodum destruxit. Hinc eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 31 *num.* 74 *adversus illum, qui hanc mulierem hæmorrhoïssam cum Martha Lazari sorore confuderat, argumentatur in hunc modum:* At verò quæcumque illa fuerit mulier nobilissima æquè ac ditissima, tanti non immemor beneficii, ne illud aliquando memoriâ hominum excideret, egregio monumento testatum posteris omnibus cupiens, æneis simulacris tam Jesu quàm sui effigiem referentibus, rei gestæ memoriam futuris seculis in perpetuum commendandam voluit. Quamobrem non est, quod dici possit, eam fuisse Martham Mariæ & Lazari sororem Judæam feminam, cum non liceret ullo pacto Judæis simulacrum cujusvis quavis occasione formare. *Ex his concludo, uxorem* S. Amatoris, *quam scriptor Actorum dicit religione Hebræam, non posse confundi cum muliere Euangelica, quam Christus ad tactum fimbriæ suæ à fluxu sanguinis liberavit.*

cum hæmorrhoïssa euangelica,

E

& dicitur in Galliam detulisse lac Deiparæ:

24 *Præterea mihi non satis probabile est, quod uxor* S. Amatoris *lac Deiparæ Virginis in Galliam detulerit, ut in his Actis narratur. Equidem scio, varias ecclesias simili thesauro sacro gloriari. Sed nulla ex his ægrè feret, ut spero, si veritatis indagandæ causâ proposuero ratiocinium venerabilis Guiberti abbatis de Novigento, qui lib. 3 de Pigneribus Sanctorum cap. 3 § 4 sic differit:* Quod si objicitur, beatam Virginem Matrem id potuisse servare, & quasi superstitiosa ipsius posterorum cultui voluisse traducere, ita suscipietur, sicut Lauduni apud nos lac ipsius Benedictæ in columba cristallina huc usque retineri dicitur. Quod quantum à vero & etiam à verisimili exorbitet, facili argumento liquet; quia neque ipsa asservârit, præsertim cui numquam in Jesu infantia tantum otii, tantumque securitatis exstitit, ut sui memoriam tanti penderet, quatinus de sui in futura secula lactis productione curaret, cui vix intra natale latére solum, vix vivere tunc liceret. Et quis tantæ arrogantiæ vel signum in ejus benedictis moribus, in ipsius adorando habitu reperire potuerit, in cujus ore nil nisi ancillaris humilitas umquam sonuit? Quæ res quoque tanto minus poterat, non dico in plurimas ætates, sed nec in aliquot annos sub ulla constare custodia, quanto magis idem coagulum semper decoquitur naturali inconstantia. Esto autem. Et quæ vetustatis exempla illi maturissimæ ac nullius laudis avaræ menti suppetebant in talium observantia pignerum, ut quod numquam fieri viderat, nec eatenus factum audierat, prima quasi imaginem cujusdam ventositatis inciperet? *Hæc & alia Guibertus abbas, qui ineunte seculo duodecimo floruit.*

F

quod ultimum factum cum Dacherio

25 *Lucas Dacherius eruditus vir ex Ordine S. Benedicti, qui Opera venerabilis abbatis Guiberti Parisiis anno 1651 edidit, in Notis & observationibus ad relatum Guiberti textum totus anceps hæret, & à pag. 575 ambiguitatem mentis suæ declarat his verbis:* Non abs re utique hîc nonnihil annotare absterreor ac detrecto: etenim plurimis in ecclesiis Gallicanum per orbem & alibi guttulas lactis Deiparæ religiosè coli audio, legoque. Guibertus econtrà constanter B. Virginem usquam è sacris uberibus lac expressisse, quod venerationi foret aliquando, negat. Quam igitur in partem propendeam? Utrobique sanè negotium, utrobique scrupulus meum lancinat animum,

A animum. Verum enimvero volunt aliqui & quidem graviſſimi ſcriptores, lac illud conſervatum, candidiſſimum eſſe liquorem, qui à beata Virgine jam in cælo regnante, ſuis ſe unicè amantibus diffuſum eſt. *Dacherius hanc poſtremam quorumdam opinionem confirmat exemplo venerabilis Fulberti Carnotenſis epiſcopi, cui tale beneficium obtigiſſe dicitur, ut in Menelogio Benedictino Bucelini ad diem* x *Aprilis videre eſt.*

nec negare nec aſſerere audeo,

26 *Ingenuè cum Dacherio fateor, etiam mihi hîc aquam hærere, quemadmodum vulgò dici ſolet, & me utrobique in anguſtiis verſari: ſi enim ſententiam Guiberti abbatis amplectar, repugnabo Italis, Hiſpanis, Gallis ac Belgis, inter quos variæ eccleſiæ pretioſiſſimas hujus Virginei lactis guttulas ſibi vindicant. Adde, quod in hac re poſſeſſioni eccleſiæ Toletanæ faveant litteræ S. Ludovici regis Galliæ, quas Joannes Mariana noſter lib.* 13 *Rerum Hiſpanicarum cap.* 8 *refert, & in quibus ſanctus rex ille ſcribit, ſeſe præter alias ſacras reliquias* de lacte glorioſæ virginis Mariæ *clero Toletano donum mittere. Si verò teſtimoniis hujuſmodi ab ætate Deiparæ tam remotis ſtatim fidem adhibeam, ſeveris hiſtoriarum examinatoribus videbor nimiùm credulus, & continua miracula ſine neceſſitate multiplicare. Sed malo nimium credulus quàm hypercriticus videri. Quamvis autem de veritate ſimilium reliquiarum certum judicium ferre non auſim, procul abſum & abeſſe volo ab impio Calvino & ſupercilioſo Eraſmo Roterodamenſi, qui traditiones omnium illarum eccleſiarum procaciter explodunt, & quos ob hanc audaciam Joannes Ferrandus noſter in Diſquiſitione Reliquiaria lib.* 1 *cap.* 2 *art.* 2 *ſectione unica meritò reprehendit.*

B

ac proinde nihil certi ſtatuo

27 *Equidem cum laudato Ferrando libenter admitto, omnipotentem Deum lac iſtud tot ſeculis à corruptione illæſum ſervare potuiſſe; ſed an re ipſa id fecerit, & continuum illud miraculum tot locis exſtare voluerit, ex antiquiſſimis & fide dignis monumentis diſcere cupio: oportet enim hæc teſtimonia ad magnitudinem prodigii eſſe proportionata, ut iis indubitata fides hiſtorica adhibeatur. Nihil itaque certi ſtatuo de veritate hujus rei, & hîc mihi magnopere placet ſententia Innocentii III Pontificis, qui lib.* 4 *de Miſſæ myſteriis cap.* 30 *circa quaſdam Chriſti reliquias habet ſequentia:* Quid de circumciſione præputii, vel umbilici præciſione dicetur? An in reſurrectione Chriſti ſimiliter rediit ad veritatem humanæ ſubſtantiæ? Creditur enim in Lateranenſi baſilica reſervari; licet à quibuſdam dicatur, quod præputium fuit in Jeruſalem delatum ab angelo Carolo Magno, qui tranſtulit illud Aquiſgrani; ſed poſtea à Carolo Calvo poſitum in eccleſia Salvatoris apud Carolium. MELIUS EST TAMEN DEO TOTUM COMMITTERE, QUAM ALIQUID TEMERE DEFINIRE. *Eamdem Romani Pontificis clauſulam, quam litteris majuſculis expreſſi, huic materiæ aptari deſidero.*

C

de particulari hac re, cujus tempus incertum eſt.

28 *Dum itaque ſuperiùs dixi, mihi non ſatis probabile eſſe, quod uxor* S. Amatoris *lac Deiparæ Virginis in Galliam detulerit, id de ſingulari iſta lactis tranſlatione intelligendum eſt, ſicut ea in Actis infrà edendis narratur: hoc enim poſtmodum alia occaſione in Galliam deferri potuit (hîc gratis ſuppono, opinionem Guiberti de Novigento non ſubſiſtere) cum minimè conſtet de tempore, quo* S. Amator *in Gallia floruit. Imo propter auctoritatem Martyrologii Pariſienſis, quod anno* 1727 *emendatum prodiit, non immeritò dubitari poſſet, an obitus* S. Amatoris *uſque ad finem ſeculi quinti vel initium ſexti non ſit differendus: nam poſtquam die* xx *Auguſti Martyrologium iſtud* in territorio Cadurcenſi ſancti Amatoris ſolitarii *memoriam annuntiavit, ætati ejus in margine ibidem aſſignat annum* circiter quingenteſimum, *ſicut aliorum quoque Sanctorum tempora indicare conſuevit. Ingenuè fateor, me neſcire, unde correctores & editores Martyrologii Pariſienſis hanc epocham hauſerint; at mihi perſuadere non poſſum, eam temere ab ipſis determinatam fuiſſe. Quapropter ex illa chronologia ſaltem corruit iſta lactis tranſlatio, prout in Actis infrà referetur. Interim aliæ eccleſiæ tam pretioſo virginei lactis theſauro gaudeant, ſi ſingulæ poſſeſſionem ſuam ſolidis & tantæ antiquitati convenientibus documentis confirmare poſſint. Nunc ad poſthumam* S. Amatoris *gloriam propalandam progredior.*

AUCTORE G. C.

§ III. Sacræ reliquiæ, & poſthuma Sancti gloria.

E

Corpus hujus Sancti, quod diu integrum permanſerat,

P*Aragrapho primo hujus Commentarii prævii ex Roberto de Monte retuli, qua occaſione corpus* S. Amatoris *anno* 1166 *repertum fuerit, quod ætate illius ſcriptoris adhuc integrum peregrinis oſtendebatur. Bernardus Guidonis ibidem num.* 4 *teſtatur, quod corpus iſtud ſuo tempore, id eſt ineunte ſeculo decimo quarto, adhuc* incorruptum *cerneretur. Videtur illa ſacri corporis integritas perſeveraſſe uſque ad iconomachiam ſacrilegorum Calviniſtarum, ut facilè colligitur ex Guilielmo de la Croix, qui in Iſagoge ad ſeriem epiſcoporum Cadurcenſium num.* 9 *de* S. Amatore *noſtro ſic ſcribit:* Cum eo quoque (*nimirum S. Martiale, de quo ſuperiùs egerat*) Cadurcos commeavit beatus Amator, qui quidem ſub rupe ab ejus nomine nuncupata vitam ſolitariam multis annis egerit; cujus etiamnum reliquiæ admodum religiosè aſſervatæ exſtent in baſilica ad fauces antri ſub ea patentis, opere vetuſto eoque magnificentiſſimo conſtructa, poſt ſolidi & integri Divi illius à tot ſeculis corporis fruſtulatim conciſi defectionem impiè à ſegregibus factam: inibi enim erat corpus Amatoris, à cujus compagum ſoliditate inolevit, & jam penè vetuſtate contritum proverbium à Gallis circumfertur; divique illius partes acciſæ, quas ignis iis ſubjectus abſumere non potuit, integræ, ne quidem ſemiuſtulatæ, non ſine admiratione viſuntur.

F

hæretici ſeculo XVI *impiè diffregerunt,*

30 *Odo Giſſeyus noſter in Opuſculo Gallico, quod aliquoties ſupra citavi, cap.* 2 *diſtinctiùs impium Calviniſtarum furorem exponit, cujus vernaculam narrationem hîc Latinè contraham. Menſe Septembri anni* 1562, *inquit, hæretici armata manu invaſerunt Rupem* Amatoris, *& poſt confractas imagines furati ſunt ſacram templi ſupellectilem, cujus valor ad quindecim millia librarum Gallicarum aſcendebat. Præterea corpus* S. Amatoris, *quod tot ſeculis integrum permanſerat, flammis injecerunt, ut illud in cineres redigerent. Sed cum ignis quantumcumque acceſſus ſacrum corpus non conſumeret, ſacrilegi milites iſtud haſtis aliiſque inſtrumentis dilacerare nitebantur. Quinimo dux eorum, accepto gravi malleo fabri ferrarii, impiè Sanctum alloquens dicebat:* Quandoquidem comburi non vis, ictibus mallei te comminuam. *Giſſeyus addit,*

AUCTORE G. C.

dit, ſeſe hæc audiviſſe ex viro, qui etiamnum firmam triſtis iſtius ſpectaculi memoriam habebat, & qui ſimul affirmabat, ante illud tempus in mento Sancti adhuc barbam apparuiſſe.

cujus partes in Gallia & Italia oſtenduntur.

31 *Hæc oſſa jam diffracta conſervantur in eccleſia parochiali Rupis-Amatoris, quæ ſub nomine ſancti iſtius Confeſſoris erecta eſt, ut Giſſeyus ibidem monet, qui etiam aliqua ex illis vidit integra quidem, ſed à flammis denigrata. Denique teſtis idem oculatus aſſerit, ſibi quoque ibi oſtenſam eſſe manum mutilam* S. Amatoris, *quæ brachio annectebatur, & in cujus uno digito diſſciſſo ſanguis adhuc adeo rubicundus apparebat, acſi vulnus recenter illatum eſſet. In Lucenſi S. Michaëlis monaſterio conſervatur brachium* S. Amatoris *cum manu ac tribus digitis, ut laudatus Cæſar Franciottus in Opere ſuo Italico pag.* 524 *teſtatur. Verùm cum videatur iſte* S. Amator *idem eſſe cum noſtro, ut propter conjecturas num.* 17 *allatas ſuſpicatus ſum, Lucenſibus probandum eſt, quando & unde has reliquias acceperint: non eſt enim veroſimile, has in Italiam tranſlatas fuiſſe ante annum Chriſti* 1562, *quo*

B *corpus illud adhuc integrum erat, ut ex ſupradictis colligitur. Quod ſi Lucenſes velint, iſtas reliquias poſt iconomachiam Calviniſtarum ad ſe tranſmiſſas eſſe, tanto facilior iis erit probatio, cum ab illo tempore nondum duo ſecula effluxerint. Si verò contendant, S. Amatorem illum, cujus reliquias ipſi poſſident, à noſtro diverſum eſſe, non graventur diem annuæ commemorationis & immemorabilem iſtius Sancti cultum nobis aſſignare. Nunc referam nonnulla, quæ ad poſthumam Deiparæ ac* S. Amatoris *gloriam ſpectant.*

Rex Angliæ ad Rupem Amatoris iter votivum inſtituit;

32 *Alia occaſione ex Roberto de Monte narravi, quomodo rex Angliæ Henricus anno Chriſti* 1170 *ad Rupem* S. Amatoris *devotionis causâ peregrinatus fuerit. Rex autem inſtituit illud iter, ut ſolveret votum, quo ſe obſtrinxerat, dum graviſſimo morbo laborabat, ut Joannes Bromptonus, inter ſcriptores Anglos anno* 1652 *Londini editus, col.* 1061 *me docet his verbis:* Rex in Normannia rediit, & circa feſtum S. Laurentii ad Motam Gerni, quæ parum à Dampnifronte, venit, ubi in tam gravem incidit infirmitatem, quod dicebatur per regnum Galliæ, quod mortuus eſſet..... Sed paulo pòſt de illa convaluit

C infirmitate, & quàm citiùs poterat, iter cum feſtinatione circa feſtum ſancti Michaëlis ad ſanctam Mariam de Rupe Adamatoris causâ peregrinationis arripuit, ſicut in illa voverat infirmitate. Qua peregrinatione peracta, in Andegaviam rediit. *Rogerus Hovedenus parte poſteriore Annalium ad annum Chriſti* 1170 *de eadem regis iſtius peregrinatione breviter meminit.*

ſed ejus filius ob violatum Sancti tumulum,

33 *At ſicut rex Henricus patrocinium Deiparæ &* S. Amatoris *propter iſtud votum expertus eſt, ita filius ejus homonymus vindictam utriuſque ſenſit ob ſacrilegium, quod laudatus Rogerus Hovedenus parte Annalium proximè citata ad annum Chriſti* 1183 *apud nos pag.* 620 *ſic narrat:* Rex filius, deficiente ſibi pecunia, perrexit ad ſanctam Mariam de Rupe Adamatoris, & decorticavit feretrum ſancti Adamatoris, & theſauros eccleſiæ aſportavit. Paucis poſt elapſis diebus, rex filius cum vidiſſet, ſe non poſſe multùm nocere patri ſuo, ex indignatione & animi rancore in gravem incidit infirmitatem in villa, quæ dicitur Martel, non longè à civitate Lemovicenſi. Primò enim arripuit eum febris, deinde fluxus ventris, & contrivit eum uſque ad mortem. *Gaufredus cœnobita in monaſterio S. Martialis Lemovicenſis, & ſcriptor ſynchronus, in Chronico ſuo apud Labbeum noſtrum tomo* 2 *Bibliothecæ novæ manuſcriptorum librorum pag.* 336 *num.* 16 *hanc aliaſque ſacrilegas Henrici junioris rapinas, & brevi ſubſecutam punitionem teſtimonio ſuo forſan oculato confirmat.*

D

& alius ejuſdem loci contemptor divinitus puniuntur.

34 *His adjungo caſtigationem alterius, qui miracula in Rupe* S. Amatoris *fieri ſolita negaverat, ut poſt alia Vincentius Bellovacenſis in Speculo hiſtoriali lib.* 29 *cap.* 5 *narrat in hunc modum:* Miles quidam Petragoricenſis pagi Hieroſolymam peregrinus adiit, ceteraque Sanctorum limina viſitavit. Tandem ad eccleſiam beatæ Mariæ de Rochemador, quæ à vicinitate ſua parùm diſtabat, venit; videnſque tot imagines cereas & cetera, quæ non viderat in valle Joſaphat in Aſſumptionis eccleſia, nec in aliis etiam quamplurimis & honoratis locis beatæ Virgini dedicatis, non eis fidem adhibuit, nec à peregrinis allata, ſed fraudulenter à domeſticis impoſita aſſeruit: redienſque ad propria his argumentis falſificare nitebatur quod de baſilica illa generaliter ac veraciter dicebatur. Inde factum eſt, ut ad vindictam malorum, laudem verò bonorum, totis plecteretur artubus, fieretque con-

E tractus. Tunc ad ſe reverſus, cum diu amplius quam duobus menſibus de ægritudine multatus eſſet, pœnitentiâ ductus, quod in ſanctam baſilicam blaſphemiam protuliſſet, veniam precabatur, & quod eccleſia de Rochemador per Mariam Matrem Domini virtutibus decorata eſſet ac ſublimata, publicè fatebatur. In hac autem confeſſione ac devotione, ſolidatis nervis, compage membrorum reformata, ſurrexit ſanus & fortis.

Robertus de Monte narrat prodigioſum miraculum,

35 *Etiam referri meretur prodigium, quod Robertus de Monte in Chronico ſupradicto ad annum Chriſti* 1181 *litteris ita conſignavit:* Erat quidam prædives burgenſis *(id eſt civis)* in loco, qui dicitur Roca-Amatoris, à quo monachi eccleſiæ ſanctæ Mariæ & S. Amatoris mutuo acceperant pecuniam, tradentes illi in loco pignoris cortinas ipſius eccleſiæ. Imminente autem feſto Genitricis Dei & Virginis Mariæ, rogaverunt prædicti monachi burgenſem, ut quas apud ſe habebat cortinas, ad ornandam eccleſiam, tantæ ſolennitatis expleto tripudio ei reſtituendas, accommodaret. Ille verò aurem cordis habens obturatam, nulla quidem prece flexus eſt; ſed reſponſum eis cum tumore animi dedit dicens, quod eſſent cortinæ illæ circa lectum conjugis ſuæ, quæ nuper ei puerum pepererat, nec aliquatenus inde poſſent amoveri. Quid multa? Tranſiit feſtus dies, & eccleſia præfatâ ornatum ſuum feſtivalem non habuit. Sequenti verò nocte beata Maria Mater Domini noſtri apparuit in ſomnis uxori dicti burgenſis & dixit ei: Vir tuus grande

F peccatum commiſit, nec poterit impietatis exceſſus derelinqui impunitus; tertia enim die infans tuus ſpiritum exhalabit, & vir tuus debitum morti ſolvens in die octava mutabit hanc temporalem felicitatem ſuppliciis æternis. Tu autem proficiſcêris ad eccleſiam meam, quæ eſt in Bethleem, & conſpectis ibi tribus ſepulcris, quorum quidem duo extrema vacua non ſunt, medium tibi eliges in ſepulcrum. Interim omni quartâ feriâ circa horam nonam deficiet in te ſpiritus tuus, & decurret ab ore tuo & naribus ſanguis multus, & uſque ad horam nonam ſabbati veluti mortua permanebis. Sabbato horâ nonâ ſpiritu redeunte duces utraſque manus tuas per faciem tuam, & continuo priſtinus color & fortitudo in te remanebunt.

A *quod ibidem ſua ætate contigit,*

36 Hæc locuta eſt beata Maria, & abſceſſit. Mulier verò præ timore turbata evigilavit, & ruminans ſomnium ſuum cum magna ſolicitudine illud memoriæ commendavit. Craſtina autem illuceſcente die, cœpit ſomnium ſuum conjugi ſuo per ordinem narrare. Miſer ſermonibus ejus non adhibuit fidem, nec etiam, cum videret ſpiritum deficere in puero, de agenda pœnitentia cogitatum habuit; ſed morte præventus in die octava juxta præoſtenſam viſionem, in ſupplicium lapſus eſt gehennale. Perturbatur mulier in alterutrius * nece, & omnia ſicut per ſomnium monſtrata fuerant, in ſe nihilominus intelligens accidiſſe, Romam ſub feſtinatione proficiſcitur, & rem ſummo revelat Pontifici. Præterea conſtanter aſſeruit, quod in quinto anno ab illo maxima fames ingrueret, quod ex corruptione aëris innumerabilis hominum multitudo moritura eſſet, & quod clerum Romanum gravis animadverſio feriret, niſi ab exercitio doli reſipiſcerent, ſub quo à multis retro temporibus uſque ad hodiernum diem laboraverunt. At Dominus Papa volens manifeſtiùs ſcire, ſi ſermones mulieris veritati inniterentur, commendat eam duodecim B nobilibus matronis, dans illis præceptum, ut cùm illa in mortem obdormiret, plantis ejus calentes ſubulas infigerent, & de ſanguine ab illius ore manante veſtes ſuas inficerent. O rem mirabilem! Quartâ feriâ, ſicut prædixerat, horâ nonâ mulier expalluit, & mortua eſt, ita ut nullus in ea remaneret vitalis ſpiritus, & ab ejus naribus cœpit defluere ſanguis copioſus; ſed matronæ præceptorum domini Papæ non immemores, pedibus mulieris calentes ſubulas infigunt, nec ob id illa movetur. Inſuper de ſanguine ejus veſtimenta ſua tingunt; ſed omnis infectio facta per ſanguinem in ſabbato nuſquam comparuit, cum ſpiritus vitæ in mulierem remearet.

* *id eſt* utriuſque

præter alia multa,

37 *Ignoro, quid huic mulieri poſtmodum contigerit; at ſcio, quod eminentiſſimus Baronius hanc mirabilem hiſtoriam cenſuerit dignam, ut Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 1180 *num.* 1 *& ſequentibus inſereretur, ejuſque veritatem confirmaret hac clauſula:* Huc uſque Robertus, quæ ſicut certa, ita veritati inventa ſunt conſentientia. *Nolo operoſius inquirere in alia iſtius loci miracula, quæ ſæpius à multis jam ſeculis ibi patrata ſunt, & de quibus Ferreolus* C *Locrius in ſua Maria Auguſta Virgine Deipara lib.* 4 *cap.* 76 *generalem hanc notitiam ſuggerit:* Collem hunc & in colle ædem Mariæ votam vicus Caturcenſis habet, Gaſconibus olim frequentatiſſimam, prodigiis frequentiſſimam, quorum prima anno ferè MCXL contigerunt; quo tempore Hugo Farſitus in vivis, eorum centum viginti ſeptem ſtylo delineavit. *Giſſeyus noſter de hoc Hugone Farſito Canonico Laudunenſi in Hiſtoria ſuperiùs laudata cap.* 10 *mentionem facit; ſed ibidem conqueritur, quod manuſcriptum hujus auctoris librum nuſquam reperire potuerit.*

quæ videntur occaſionem dediſſe piis peregrinationibus,

38 *Haud dubie celebris illa miraculorum fama excitavit plures viros ſanctitate inſignes, ut ad Rupem* S. Amatoris *peregrinationes inſtituerent. Præter alios, quos recenſere longum eſſet, in Hiſtoria Tutelenſi Stephani Baluzii lib.* 2 *cap.* 25 *pag.* 168 *de S. Ludovico rege Galliæ hæc invenio:* Anno MCCXLV ſanctum Ludovicum regem profectum eſſe ad eccleſiam beatæ Mariæ Rupis Amatoris reperi in eodem Chronico ſancti Martialis. *Præterea in Actis S. Engelberti archiepiſcopi Colonienſis & martyris, quæ Ægidius Gelenius anno* 1633 *Coloniæ edidit notiſque illuſtravit, lib.* 1 *cap.* 9 *pag.* 117 *de hoc ſancto Præſule lego ſequentia:* Quia timor ſine dilectione minùs placet, beatam Virginem Mariam, quæ mater eſt pulchræ dilectionis, id eſt Chriſti, qui fons eſt & auctor totius amoris, in tantum dilexit, ut per annos aliquot omnes quartas ferias in ejus honore jejunaret, & duabus vicibus, poſtquam factus eſt epiſcopus, limina ejus in Rupe Amatoris viſitaret. AUCTORE G. C.

ac votivis donis,

39 *Aliæ perſonæ illuſtres, quæ hunc ſacrum locum adire non poterant, ad eumdem varia dona tranſmiſerunt, ut laudatus Baluzius in Hiſtoria Tutelenſi lib.* 2 *cap.* 20 *ad hunc modum refert:* Æra MCCXIX, ſive anno Chriſti MCLXXXI Adelphonſus rex Caſtellæ & Toleti, Stramaturæ & Aſturiarum, dedit eccleſiæ beatæ Mariæ Rupis Amatoris, cujus celebritas tum ſurgebat, & Geraldo abbati monaſterii Tutelenſis, cui eadem eccleſia ſubjacet, villas duas in Caſtella vocatas Fornellos & Orbanellam. Adnotatum eſt autem in litteris hujus doni, factum illud eſſe anno quinto, ex quo præfatus Adelphonſus rex ſereniſſimus Concham fidei Chriſtianæ viriliter mancipavit. Quod eveniſſe anno MCLXXVII, conſentiunt E ſcriptores Hiſpani. Donum hoc confirmavit Ferrandus rex Caſtellæ & Toleti anno MCCXVII. Item Ferrandus rex Caſtellæ & Toleti &c. anno MCCCIV. *Authenticum hujus donationis inſtrumentum legi poteſt in Appendice Hiſtoriæ Tutelenſis à col.* 493 *apud Baluzium, qui lib.* 2 *cap.* 21 *pag.* 153 *aliud illuſtris feminæ donum ſic paucis memorat:* Porro circa annum MCLXX Leofas ſive Sancia, filia Garſiæ Ranimiri regis Navarræ, amita autem Sancii ſapientis, cujus filius fuit Sancius Incluſus, pannum operoſum conficiens, ipſum per abbatem G. Rupis Amatoris miſit ad eccleſiam, uti dictum eſt olim à nobis in notis ad Agobardum pag. CIII. Erat autem illa uxor Gaſtonis IV Vicecomitis Benearnenſis.

inter quæ ſingulare aliquod refertur,

40 *At juverit indagare cauſam hujus ultimæ oblationis, quam vetus ſcriptor apud Baluzium in notis ad Agobardum pag.* 103 *prodit his verbis:* Poſt deceſſum Guaſtonis de Baerne, quæ ejus fuerat uxor, ſoror regis Navarriæ, Leofas nomine, gravida remanſit; ſed non multo poſt obitum viri, abortivum emiſit. Nobiles, ignobiles, omnéque promiſcui ſexus vulgus planctum nimium ſuper eum fecerunt, & quaſi jam factam, F futuram populi ſtragem, eccleſiarum deſtructionem, totius denique regionis deſolationem prænuntiabant. Et ſicut exitus probavit acta, conjecturâ falsâ falsò mulierem rex Pampiloniæ Sancius, & regis Conſilium in cauſam vocantes, pueri ante tempus natale editi imponebant crimen. Quare diverſo tormento affici, vel igne cremari, vel ſub undis ligatam mergi decreverunt. Illa verò pro morte inſtanti, ab hoc immunis facinore, Virginem noſtram Dominam Rupis-Amatoris, ut in auxilium ſuum intenderet, exorabat. Nec petitioni ejus defuit: enimvero in modum ſubituræ judicium aquæ ligata, ab altiſſimo ponte Caſtri, Salvaterra nomine, projecta eſt in profundum torrentem. Ad ſpectaculum illud doloris, immò immanitatis, plus quàm tria millia virorum ac mulierum, naufragium non naufragantis præſtolantium, convenerant; alii inſultando, alii compatiendo Dominum pro ea precabantur. Illa verò ſuper undas profundiſſimi torrentis miſeratione Domini, & ejuſdem Matris glorioſiſſimæ ſubventione, plus quàm ter poſſet arcus jacere, ſine merſione delata conſedit arenis; unde ſui cum gaudio reportaverunt liberatam

AUCTORE G. C.

tam ad propria. Igitur autem ad laudem & gloriam Liberatricis ſuæ pannum operoſum conficiens, ipſum per abbatem G. Rupis-Amatoris miſit ad eccleſiam.

& fit mentio de campana, quæ ibidem ultro ſonum edit.

41 *Denique non parum ad honorem Deiparæ Virginis ac* S. Amatoris *facit prodigioſa campana, de qua in Hierolexico ſive ſacro Dictionario utriuſque Macri pag.* 106 *ſic legitur :* In Collegiali eccleſia Arcis Amatoris Galliarum (ita appellata, quia ibi corpus ſancti Amatoris Chriſti diſcipuli veneratur, ibique etiam famoſus enſis Orlandi Dúrlindana nominatus conſervatur) reperitur campana ex ſe pulſatrix, quando ſcilicet navigantes tempeſtuoſo mari agitati interceſſionem illius Sancti invocant ; & tunc illius eccleſiæ Canonici ad precandum pro incognitis Sanctum invocantibus congregantur, ac ſimul campanæ pulſationis tempus & horam connotant, ut à redeuntibus poſtea & voventibus naufragantibus verificetur gratia illius ſancti Tutelaris &c. *Quod ad famoſum Orlandi vel Rolandi enſem attinet, de eo conſule Giſſeyum noſtrum in Hiſtoria jam ſæpius citata, ubi cap.* 3 *hanc vulgarem traditionem veroſimiliùs explicat. Ceterum Claudius Campegius (cognomen ejus Gallicum eſt* Champier) *in libello de ſanctis Galliæ locis hanc mirabilem Rupis-*Amatoris *campanam memorat, ut Ferreolus Locrius lib.* 4 *Operis ſuprà citati cap.* 76 *teſtatur. Laudatus verò Giſſeyus noſter cap.* 12 *& ſequentibus ultroneam ejuſdem campanæ pulſationem variis exemplis confirmat. Cum hæc ſint præcipua, quæ ad laudem* S. Amatoris *colligere potui, tantùm exhibenda ſuperſunt ejus Acta, quæ ex Officio proprio olim uſitato videntur deſumpta eſſe.*

B

ACTA

Ex ſchedis poſthumis P. Odonis Giſſey Societatis Jeſu, quarum apographum P. Petrus Poſſinus noſter anno 1643 *ad Bollandum Tolosâ miſit.*

C

Dicitur hic Sanctus prædicatione Chriſti cum uxore ſua converſus,

a

b

LECTIO I. Sanctus itaque noſter Amator Hebræus verè & Iſraëlitica fuit religione, qui ſecundum legem Moſaïcam duxit uxorem, nomine Veronicam, moribus & fide ſibi non diſparem *a* ſociam. Viventes igitur in juſtificationibus Domini *b* ſine querela, & Salvatoris adventum à ſanctis Patribus prænuntiatum devotiùs exſpectantes, ab Oriente ex alto viſitari miſericorditer meruerunt. LECTIO II. Prædicante namque Domino Jeſu Chriſto verbi Divini ſemen, beatus Amator & Veronica, ut terra bona centuplum, vetuſtate purgatâ, ſuis temporibus reddittura, piis in cordibus ſuſceperunt. Propter ſanitatem quoque infirmitatis graviſſimæ, beatæ Veronicæ ad tactum fimbriæ Dominici veſtimenti *c* clementer indultam, in fervore fidei & amoris Domini Jeſu Chriſti copioſiùs prædictus Amator & Veronica exarſerunt.

c

poſtea in obſequio Deiparæ perſeveraſſe,

2 LECTIO III. Beatiſſimus Amator cum conjuge ſua ſecundum fidem in Chriſto regenerati, ſeculo renuntiantes, relictis omnibus, ſecuti ſunt Dominum : uterque enim, diſponente Domino, ſatagebant juſſa Chriſti perficere, & reliquias maximè de beata Virgine recolligere, & cetera pietatis opera devotè complere. Unde per ipſam Veronicam glorioſum lac mamillarum *d* Virginis glorioſæ, cujus ſervitio ſe totam conferre meruit, & humilis pediſſequa & ancilla fuit, humiliter & utiliter recollectum, veſtes etiam ejuſdem Virginis & cetera multa talia, necnon mamphoram *e* cum impreſſione ſimilitudinis faciei Dominicæ, à nomine dictæ mulieris Veronicam nuncupatam, prout Romæ oſtenditur, fideliter collegit & ſalubriter cuſtodivit. Amator quoque noſter, devotus Chriſti ſervitor & famulus, cum ceteris diſcipulis Chriſtum ſequens, & neceſſaria ſibi, ut bonus hoſpes præparans, uſque ad Paſſionem & aſſumptionem beatæ Virginis familiariter ipſis adſtitit & aſſiduè miniſtravit.

D

d

e

& ob perſecutionem Sauli in Galliam ſeceſſiſſe,

f

3 LECTIO IV. Hoc verò tempore Saulus Chriſti Eccleſiam perſecutus voluit eoſdem Sanctos pœnis affligere, & ad legis antiquæ duritiam revocare. Sed Dominus noſter miſericorditer eos protegens, per angelum ſuum uſque *f* .... perduxit. Cumque juſſu cæleſtis nuntii navem caſu inventam aſcenderent, præcepit eis angelus dicens : In quocumque loco hæc navis appulerit, Deo & Genitrici ejuſdem fideliter ſerviatis. Inde quoque navigio perveniente ad locum, qui dicitur Paldagrava *g*, in Occiduis partibus, ducente Domino, pervenere. LECTIO V. Conſtructo ſiquidem in loco prædicto vili ſchemate parvo tugurio, tam diu ibidem orationi & jejunio ſe dederunt, donec beatus Martialis *h* à Lemovicinis illuc advenit (qui conjuges prædicti, mare intermedio tranſmeato, eidem beato Martiali in Mauritania *i* occurrerunt) & beatus vir Martialis familiariter receptis eiſdem, & conſtructa eccleſia Bearniæ *k* in honore proto-martyris Stephani, Lemovicas eſt regreſſus. LECTIO VI. Veronica verò cum conjuge ſuo ibidem eremiticam vitam duxit. Sigibertum *l* verò Ducem Burdegalenſem & Benedictam ejus conjugem ad fidem Catholicam converterunt, & per interceſſionem eorumdem, eodem Duce ab infirmitate graviſſima liberato, prædictus Dux & Benedicta conjux ejuſdem eſt * à beato Martiali Lemovicenſi apoſtoli baptizati. Ipſe namque ſanctus Martialis causâ viſitationis tunc ad eos redierat, quos ſpeciali dilectione, ſicut compatriotas *m* & notos & fideles devotiſſimo affectu diligebat.

E

g

h

i

k

l

* *lege* ſunt

m

F

dein Romæ S. Petrum viſitaſſe,

n

4 LECTIO VII. Relicta itaque conjuge propria apud Solacum *n* orationi & contemplationi, beatiſſimus noſter Amator de præcepto & conſilio beatiſſimi Martialis Romam petiit, & beatiſſimum Petrum Apoſtolorum principem viſitavit. Audiens igitur Petrus Apoſtolus mirabilia, quæ Dominus per beatum Martialem Occiduis partibus operatus eſſet, gratias magnas reddidit Salvatori. Manſit itaque beatus Amator cum beato Petro ferè per biennium in urbe Romana, viditque, quomodo crucifixus eſt Petrus, & Paulus etiam decollatus *o*, reverſuſque Lemovicas camiſiam *p* beatæ Virginis, & de ſanguine proto-martyris Stephani, & alias multas reliquias, quas beatus Petrus eidem tradiderat, unà cum reliquiis de ſanguine beati Petri, quas collegerat ; & unum de clavis, & cingulum, quo utebatur, beato obtulit Martiali. Receptis igitur reliquiis multis, quas beatus Amator eidem ſancto tradidit Martiali, & defunctâ ſupradictâ Veronicâ, in eremum prope Mauritaniam monaſteria *q* duo conſtruxit, unum ſcilicet in honorem beatæ Virginis, & aliud in honorem Apoſtoli Petri ; ibique Fratres inſtituit in fide Chriſtiana inſtructos pleniùs,

o

p

q

A pleniùs, moribuſque & ſacris virtutibus redimitos Domino ſervituros : patriam quoque illam illuminavit prædicationis verbo & ſanctæ converſationis exemplo.

& hinc in Galliam reverſum,

5 LECTIO VIII. De virtute igitur in virtutem proficiens, ut alios alibi populos Domino lucraretur, eremi petiit alterius vaſtitatem, vallem ſcilicet quamdam altam rupibus clauſam, terribilem & incultam. Vir verò Dei multas reliquias & paucos ſecum panes deferens, Deo placere cupiens, in prædicta valle Cathurcini *r* ſub quadam concavitate præparavit habitaculum; quam quidem [ex illo tempore] omnipotens Dominus ita per Servi ſui meritum ab omni rapacium genere ferarum plenè purgavit, quod toti viciniæ gaudium pariter intulit & ſtuporem. Ipſe verò fidelis ſervus & prudens, referentibus ſibi gratias, docebat de hoc dare gloriam Deo, qui poteſtatem habet non tantùm ſuper homines & jumenta, ſed etiam ſuper cuncta creata. Informabat igitur populos confluentes in fide Catholica, non ſolum de propinquis partibus, ſed etiam de remotis. Conſtruxit ſiquidem idem Sanctus ſub prædictæ rupis concavitate capellam parvam quidem ſitu, & ædificio pauperem; ſed ſanctarum reliquiarum pignoribus divitem, & miraculorum fertilitate celebrem & famoſam: in qua capella jejuniis, vigiliis, & orationibus vacans, ſic totam viciniam illuſtravit, quod licet illius patriæ populi quadam ſint vitiata feritate crudeles, & ſervitio indomiti, ad eum tamen in ſuis neceſſitatibus confluebant, orationem ejus & ſuffragia lacrymoſis ſuſpiriis fideliter implorantes.

r

B

tranſactâ vitâ ſolitariâ, pie obiiſſe.

6 LECTIO IX. Beatus verò Amator in ſancto propoſito de die in diem providè proficiens, pietate repletus, miſericordiâ præditus, prædicatione cautus, pariter exſtitit & facundus dolentium conſolator, eccleſiarum conſtructor, abſtinentiæ ſectator, corpore caſtus. In omnibus ſobrius erat, & opere bono perfectus; ſemper in illius ore Chriſtus, & in mente fulgebat Spiritus ſanctus. His ergo & aliis virtutibus plenus, acri febrium fuit dolore afflictus, & vocationem ſuam, Spiritu ſancto revelante, cognoſcens, portari ſe in oratorium beatæ Mariæ, quod ipſe conſtruxerat, fecit; divinorum quoque Sacramentorum perceptione munitus, de religionis obſervantia ac mutua invicem charitate habenda Fratres ſuos prudenter inſtruens, inter ipſorum manus AVE MARIA GRATIA PLENA devotè ſæpius repetens, XIII Calendas Septembris feliciter migravit ad Chriſtum.

C

ANNOTATA.

a *Ex hac religionis paritate in Commentario prævio num.* 21 *& ſequente probavi, uxorem hujus Sancti cum hæmorrhoïſſa euangelica non poſſe confundi.*

b *Hinc tacitè refellitur opinio eorum, qui hunc* S. Amatorem *putant eſſe eumdem cum Zachæo publicano: ut enim alia diverſitatis indicia prætermittam, Zachæus publicanus non vixerat antea* in juſtificationibus Domini ſine querela, *cum poſt converſionem ſuam reddiderit quadruplum illis, quos defraudaverat.*

c *His verbis videtur ſcriptor Actorum conjugem* S. Amatoris *confundere cum hæmorrhoïſſa, quæ* ad tactum fimbriæ Dominici veſtimenti *ſanitatem obtinuit, adeoque contradicit initio Actorum ſuorum, ut ſuperiùs ex aſſignatis littera* a *colligi poteſt.*

EX MS.

d *In Commentario prævio num.* 24 *de lacte Deiparæ ſententiam Guiberti abbatis retuli, & numeris ſequentibus circa hanc quæſtionem cum Luca Dacherio dubius hæſi.*

e *Quamvis hanc vocem* mamphora *in Gloſſario Cangiano non invenerim, tamen ex ſenſu ſatis patet, hîc ſudarium aut linteum ſignificari.*

f *Hîc videtur aliquid deeſſe, & legi debere* uſque ad mare *vel* portum, *aut quid ſimile, niſi forſan* uſque *adverbialiter pro* ſemper *aut* continuò *accipiatur.*

g *Giſſeyus noſter in Hiſtoria Rupis-*Amatoris *cap.* 6 *pro* Paldagrava *legit* Pal de grave, *aſſeritque, potiùs legendum eſſe* Pas de grave, *qui locus in extremitate territorii Medulici vel Medulani* (*vernaculè* au bout de la coſte de Medoc) *circa oſtium Garumnæ ſitus eſt, de quo tractu Valeſius in Notitia Galliarum & Baudrandus in generali Geographia conſuli poſſunt.* E

h *De hoc Sancto ejuſque in Galliam adventu fuſius in Opere noſtro ad diem* 30 *Junii diſputatum eſt.*

i *Secundum hanc narrationem navis illa forſan in quodam littore Mauritaniæ moram traxit, ubi conjuges iſti ſancto Martiali occurrerunt, emenſoque mari Mediterraneo, in Oceanum deſcendit, & tandem ad ſupradictum Aquitaniæ portum appulit.*

k *Neſcio, an hoc loco indicetur vetus Aquitaniæ civitas, quæ à ſancto Gregorio Turonenſi vocatur* Benarna, *ab aliis* Beneharnum, *à quo tractus Bearnenſis vel Benearnenſis nomen accepit, de quo vide Valeſium in Notitia Galliarum pag.* 82.

l *De hoc Duce Burdigalenſi & ejus uxore etiam fit mentio in Actis S. Martialis; ſed eruditi ea paſſim pro ſuppoſititiis habent.*

m *Scriptores barbari vel mediæ ætatis* compatriotas *dicunt eos, quos Latini* populares *appellant.*

n *Hujus loci ſitum in Commentario prævio num.* 4 *aſſignavi, quamvis ibidem monuerim, etymologiam ejuſdem loci mihi non placere.* F

o *In ſyſtemate biographi noſtri oportet,* S. Amatorem *tunc ſenem fuiſſe, cum ſuperiùs initio Actorum dicatur ante adventum Salvatoris uxoratus fuiſſe, & martyrium SS. Petri & Pauli anno Chriſti ſexageſimo ſeptimo contigerit.*

p Camiſia *apud ſcriptores medii ævi pro induſio uſurpatur.*

q *Noli hîc per* monaſteria *&* Fratres *intelligere congregationes Religioſorum ſtrictè dictorum; ſed his nominibus hoc loco ſignificatur cœtus fidelium, quos Chriſtiani primis ſeculis generatim fratres appellabant.*

r *Hoc nomine ſignificatur tractus Cadurcenſis, ut ſatis clarum eſt.*

A D

DE S. SERONIO VEL SERRONIO MARTYRE

APUD SANTONES IN GALLIA.

G. C.

Sylloge de Cultu & ætate.

FORSAN SEC. III. *Colligitur antiquus cultus hujus Martyris*

Ndreas Sauſſayus memoriam hujus ſancti Martyris, quem Caſtellanus vernaculè Siroine, *& noviſſimi Galliæ Chriſtianæ editores* Saloine *appellant, in Martyrologio ſuo Gallicano ad diem* XX *Auguſti annuntiat his verbis:* Apud Xantonum civitatem natalis ſancti Seronii martyris, illic pro Chriſti gloria ſub ethnicorum cæſarum procellis trucidati; ad cujus teſtimonii acervum, pace Eccleſiæ ſuperno munere demum conceſſa, eccleſia cum cœnobio à fidelibus exſtructa eſt, ad quam Carolus Magnus cum aliquando divertiſſet, geſta ejus perlegit, & eumdem pro fide Chriſti martyrio coronatum, miraculiſque in vita & morte fulgentem reperit ac coluit. *Utinam geſta illa, quæ Carolus Magnus perlegiſſe dicitur, ad ætatem vel notitiam noſtram perveniſſent! Cum igitur Acta* S. Seronii *nobis deſint, immemorabilem ejus cultum confirmare conabimur.*

B

ex eccleſia ei dicata,

2 *Claudius Caſtellanus, qui in admittendis ignotæ vel dubiæ venerationis Sanctis plerumque cautus eſſe ſolet, in ſuo Martyrologio univerſali eumdem ſanctum Martyrem hodie commemorat. Huic accedit Martyrologium Pariſienſe anno* 1727 *editum, quod eodem die* XX *Auguſti ſic habet:* Santonis ſancti Seronii martyris. *His annuntiationibus non exiguum pondus addunt collectores Galliæ Chriſtianæ, qui in noviſſima iſtius Operis editione tomo* 2 *col.* 1055 *de veteri cultu hujus ſancti Martyris ſcribunt ſequentia:* Olim non longe ab hoc monaſterio (*nimirum S. Petri, de quo ſuperiùs egerant*) erat eccleſia & adjunctum cœnobium ſancto Seronio (S. Saloine) martyri Santonenſi dicatum temporibus Caroli Magni, quem illuc orationis causâ veniſſe, dum Santonis moraretur, legimus. *Vellem, ut editores Galliæ Chriſtianæ aſſignaſſent illa monumenta, in quibus hæc legerant, & nos etiam ea conſulere potuiſſemus. Facilè tamen propter teſtimonium talium virorum credimus, hoc antiquæ venerationis indicium in vetuſtis monumentis reperiri, ac propterea de legitimo* S. Seronii *cultu minimè dubitamus.*

E

& ætas ipſius ex conjectura.

3 *Sed omnino ignoramus, cur in proximè laudato Martyrologio Pariſienſi ætas aut martyrium hujus Sancti* tertio ſeculo *affigatur: cum enim in Martyrologio Gallicano Sauſſayi tantum dicatur* ſub ethnicorum Cæſarum procellis, *ſive perſecutionibus trucidatus, æquè potuit* S. Seronius *ſeculo ſecundo, vel ineunte quarto, quàm tertio, lauream martyrii obtinere. Cum tamen illud tempus non prorſus temere ſignatum exiſtimemus, initio hujus ſylloges martyrium ipſius ſub dubio per adverbium* forſan *ad ſeculum tertium retulimus. Libenter interim certiora hujus rei documenta exſpectabimus, & defectu ulterioris notitiæ jam compendioſo huic commentario finem imponemus.*

C F

DE SANCTO PORPHYRIO

IN ITALIA,

P. D.

SYLLOGE.

Cultus certus, martyrium incertum; præter hunc non fuit alius: S. Venantii pædagogus.

CIRCA FINEM SECULI III. *Sancti cultus antiquus,*

Ancti Porphyrii *cultus antiquiſſimus colligitur ex Romano Martyrologio veteri, à Roſweydo typis vulgato, in quo ad hanc diem ita ſignatur:* Porphyrii hominis Dei. *Annuntiationem hanc auxit Ado, dicens,* Eodem die B. Porphyrii hominis Dei, qui S. martyrem Agapitum erudivit in fide & doctrina Chriſti. *Adonem ſecuti ſunt tum auctor Plantiniani Bedæ, & Uſuardus; tum Baronius in Martyrologio Romano moderno, in notis additis obſervans,* ejus martyrium deſcriptum haberi in Actis S. Agapiti, de quo ſuprà, XV Kal. Septembris. *Acta S. Agapiti duplicia dedimus tom.* III *hujus menſis pag.* 532 *&* 537. *In ambobus* S. Porphyrii *fit mentio; non tamen tolerati ab ipſo martyrii: unde* ne mutila ſint veretur *illuſtriſſimus Suareſius, pag.* 525 *ejuſdem tomi citatus:* Cum, *ut addit,* in ipſis non comperiatur martyrium Porphyrii, quod deſcriptum in illis Baronius . . aſſerit.

martyrium

2 *Verùm non ſatis juſtus apparet is viri illuſtriſſimi metus: quamquam enim Acta S. Agapiti, à nobis locis mox citatis impreſſa, non adeo magni momenti ſint, ut ibidem pag.* 525 *oſtendi-*

martyrium

A *oſtenditur ; ne tamen mutila ſint , non magis , imò minùs timendum eſt , quam ne juſto auctiora ſint ea , quibus uſus eſt eminentiſſimus Baronius : cùm enim ea biographorum communiter ſit indoles , ut potiùs palmas non obtentas Sanctis affingant , quàm detrahant veras ; facilius omnino fieri potuit , ut palma martyrii apographis Baronii inſereretur , quàm omitteretur in noſtris.*

non ſatis probatur.

3 *Petrus de Natalibus epiſcopus Equilinus lib. 7 cap.* 102 *ita ſcribit :* Porphyrius martyr paſſus eſt tempore Juliani imperatoris ſub Antiocho præſide in urbe Roma. Hic vir Dei S. martyrem Agapitum enutrivit , & ad martyrium ſuâ doctrinâ animavit . . . propter quod ab Antiocho præſide detentus , poſt multa ſibi illata tormenta

* *f.* XIII emiſit ſpiritum x * Kal. Septembris. *Ex quibus conſequens eſt , ut & Petrus de Natalibus habuerit Acta tum ab iis diverſa , quæ nos typis vulgavimus , tum ab aliis , in quæ Baronius incidit : nam apud Equilinum* S. Porphyrius *ſcribitur* martyr , *non in Actis noſtris : apud Equilinum ſcribitur paſſus* tempore Juliani ; *adeoque circa annum* 362 ; *juxta apographa autem*

B *Baroniana diu antè , ſi paſſus eſt , pati debuit : cum enim (ut eadem aſſirmant) præceptor fuerit S. Agapiti , ſub Aureliano martyrii palmam adepti , veriſimile non eſt , quod ad annum* 362 *ſupervixerit. Verùm quæcumque fuerint Equilini ecgrapha , minoris certè ſunt ponderis , quam ut indubitatam de* Porphyrii *martyrio fidem extorqueant ; tum quia Acta noſtra illud ſubticent, tum quia B. Virum* tempore Juliani ab Antiocho præſide in urbe Roma detentum *narrant : cum tamen nullus hujus nominis vel præſes ſeu urbis præfectus vel conſul ſub* Juliano *notetur in catalogis præfectorum urbis & conſulum.*

S. Porphyrius, qui B. Agapiti præceptor fuit,

4 *Gravior jam occurrit difficultas , an ille B. Porphyrius , de quo actum eſt tom.* 1. *Maii , ad diem* IV , *pag.* 451 , *quique fertur S. Venantii præceptor , ab eo , quem hodie colimus , ſit diſtinguendus ? Eumdem eſſe ſuadet ratio non levis : nam cum res geſtæ S. Venantii ex antiquioribus Actis S. Agapiti pro magna parte ſint deſumptæ (ut tom.* IV *Maii pag.* 145 *evidenter demonſtratur) prudenter opinari licet , ſanctum quoque* Porphyrium *ex Actis S. Agapiti in Vitam S. Venantii fuiſſe tranſlatum , præſertim*

C *cùm in Actis S. Venantii ,* Porphyrio , *Venantii magiſtro , eadem tribuantur perſonarum adjuncta , quibus in Actis S. Agapiti veſtitur Porphyrius Agapiti præceptor : nam Jacobillus citatus tom.* 1 *Maii pag.* 451 *ex manuſcriptis Camerinenſibus , lectionibus antiquis , aliiſque ſcriptoribus de Porphyrio D. Venantii præceptore narrat ſequentia :* inſtruxit S. Venantium nobiliſſimum juvenem , omni virtutum genere , quo valde illuſtris omnibus apparuit : qui S. Porphyrio obediebat cum magna reverentia , ut vero ſuo magiſtro. *En autem planè ſimilia in Actis S. Agapiti pag.* 532 *tomi præcedentis* III *Auguſti :* Adhæſit nobili genere ortus cuidam religioſo viro , nomine Porphyrio , qui eum à puero nutriens , elementis litterarum non mediocriter inſtruxit , ac ſpiritualibus documentis fecit eum pleniſſimè eſſe capacem. AUCTORE P. D.

S. quoque Venantii pædagogus

5 *Idem etiam eximiæ ſanctitatis titulus utrique Beato puerorum præceptori adſcribitur : nam ut alter tom. præced. pag.* 537 , *ita alter tom.* IV *Maii pag.* 139 homo Dei *nuncupatur. Hæc actorum confuſio nondum detecta erat , cùm tom.* 1 *Maii de Porphyrio actum eſt , ut tom.* IV *ejuſdem menſis pag.* 139 *manifeſtum eſt : unde non mirum , ſi tum Porphyrius quidam creditus ſit S. Venantii præceptor : cum tamen probabilius ſit, alium hujus nominis, qui ſancti alicujus martyris pædagogus fuerit , celebrandum non eſſe præter eum , de quo veteres martyrologi num.* 1 *citati ſcribunt , quod* S. Agapitum erudiverit in fide & doctrina Chriſti. *Quàm exigui ſint momenti monumenta Camerinenſia , in quibus , & quidem ſolis , Porphyrius S. Venantii inſtructor traditur , eruditè jam pridem oſtendit Papebrochius tom.* IV *Maii pagg.* 143 *&* 144. E

perperam ſcribitur.

6 *Illud interim negare nolim , ſervari etiam hodiedum Camerini in arca marmorea corpus S. Porphyrii presbyteri : ſed haſce exuvias eſſe illius , qui S. Venantium in fide inſtruxit , quo ex monumento ſatis fideli probatur ? Multos habuit martyres & confeſſores Camerinum ; quos inter Porphyrius quidam facilè fuerit , quem fabuloſus biographus non gravatè S. Venantii præceptorem commentus eſt : cùm* S. Agapitum , *cujus Acta mutuabatur , pædagogo ejuſdem nominis uſum legiſſet. Quidquid ſit , huc uſque quid aptius divinare non licet , donec ex certioribus documentis certiora diſcam. Emortualis* S. Porphyrii *annus ignotus eſt. S. Agapitus , quem ſacrâ doctrinâ imbuit , ſub Aureliano circa annum* 272 *martyrium conſummavit : an ſupervixerit ipſe ad annos multos , planè incertum eſt. Initium certè ſeculi quarti potuit attingere : unde obiiſſe eum circa finem ſeculi tertii ſuperiùs notavi.* F

Syllogen hanc , ac nonnullos Commentarios prævios huic tomo IV *Auguſti inſerendos nobis reliquit P. Petrus Dolmans , ſuperiùs per litteras nominis initiales* P. D. *indicatus ; qui debuit muſeo noſtro valedicere propter malè affectum pectus , atque adeo ad continuanda noſtra ſtudia non ſatis accommodatum : de qua re juverit deinceps meminiſſe , quando eadem litteræ* P. D. *recurrent.*



A D

DE S. LUCIO SENATORE MART.

IN CYPRO,

SYLLOGE.

J. P.

Cultus, ſepultura, ac tempus martyrii.

TEMPORE PERSECUTIONIS DIOCLETIANI. *Commemorationes in Faſtis Græcis*,

QUàm verum ſit illud, *vulgò quod dici ſolet, verba movent, exempla trahunt, comprobat exemplum* S. Lucii, *qui perſpectâ S. Theodori Cyrenenſis pro Chriſti confeſſione certantis conſtantiâ, ab idolorum cultu ad orthodoxam fidem converſus eſt, ac pro ea ſanguinem fudit. Agunt de eo Græci Faſti hac die. Menæa magna typis edita ſic habent:* Sancti martyris Lucii ſenatoris, *Græcè* ℣ βυλᾶ; *ad quem titulum alluditur in his verſiculis, qui ibidem ſubjiciuntur:*

Βυλὰς ὅλας φρονῆλθε τὰς Ἀχιτόφελ
Βυλῇ μιᾷ Λεκίῳ ἀθλήσας ξίφει.

Conſilia prævenit omnia, Achitopel, tua
Lucii unicum, quando enſe decertans cadit.

An vult dicere poëta? Omnes verſutias, conſilia omnia Achitophelis, id eſt, damonis aut tyranni, prævenit ac eludit Lucius *conſiliarius ſeu* ſenator *unico hoc ſuo conſilio, quo elegit pro fide Chriſti certare ac gladio ſanguinem pro ea profundere. Niſi fortaſſe poëta potiùs ſit uſus ſenſu litterali, quàm allegorico, innuens meliùs ſibi conſuluiſſe conſilio unico* Lucium ſenatorem *ſeu conſiliarium, quo vitam pro Chriſto dedit; quàm Achitophelem, qui Davidis regis conſiliarius fuit, ac deinde rebellis Abſalonis partes ſecutus: ſed dum animadverteret, ultimum ſuum conſilium, quod Abſaloni dederat, non fuiſſe exſecutioni mandatum, præ deſperatione interiit ſuſpendio. Vide lib.* 2 *Regum cap.* 15, 16 *&* 17. *Menologium Sirleti ac Synaxarium Baſilii imperatoris* S. Lucium *etiam memorant; quibus adde apographum noſtrum Græcum è codice bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis (de quo Lambecius in Commentariis de iſta bibliotheca lib.* 8 *pag.* 206) *ſed ibi annuntiatur die* XXII *Auguſti; in Baſiliano autem die* XXI.

B

ac Martyrologio Romano: elogium.

2 *Martyrologium Romanum iſta de eodem Martyre hodie legenda præſcribit:* Eodem die ſancti Lucii ſenatoris, qui perſpectâ conſtantiâ Theodori Cyrenenſis epiſcopi in martyrio poſiti, ad fidem Chriſti converſus, ad eam etiam Dignianum præſidem pertraxit: cum quo Cyprum profectus, cum ibi alios Chriſtianos pro confeſſione Domini coronari videret, ultro ſe ipſum obtulit, & eamdem martyrii coronam capitis obtruncatione promeruit. *Elogium ſeu narratio martyrii è Synaxario Baſiliano edita eſt Græcè ad finem tomi* 1 *menſis noſtri Auguſti; Latinè verò ſic ſonat, iis, quæ hoc ſigno* [ ] *comprehenduntur, è codice Ms. Cæſareo Vindobonenſi deſumptis:* Lucius Chriſti martyr è Cyrenenſi urbe, quæ eſt in Lybia, oriundus, ejuſdem urbis primus, ac aſſeſſor præſidis fuit, magnitudine corporis [quaſi ad unum palmum magnum] & divitiarum potentiâ alios omnes ſupereminens. Erat autem idolorum cultor, & gentilium ſuperſtitioni, eorumque errori hactenus valde addictus: ſed ex quo vidit ſanctum martyrem magnum Theodorum, & ejuſdem urbis epiſcopum, pro Chriſto decertantem, & coronam victoriæ reportantem, à Chriſti gratia compunctus divinum accepit baptiſma. Poſtquam verò præſidem [Diognianum] induxiſſet, ut baptiſmum ſuſciperet, illum duxit ſecum atque in Cyprum navigavit: ubi dum comperiſſet comprehendi Chriſtianos & interfici propter Chriſtum, clam præſide [Diogniano] ſeſe conjunxit Martyribus ac tortoribus tradidit; coactuſque ſacrificare idolis, non obtemperavit; ſed altare calcibus impetens ſubvertit, &, præſide exaſperato, truncatus eſt capite.

C E

ſepultura.

3 *Similia de ejus converſione ac martyrio exſtant in Menologio Sirleti, Menæis magnis excuſis, & apographo noſtro Cæſareo-Vindobonenſi; è quo tamen nonnulla obſervo ad majorem præcedentium elucidationem. Ac de ſepultura quidem hæc ibidem narrantur poſt martyrium:* Γνὺς ὁ Διογνιανὸς, συνεκόμισεν αὐτὸ τῇ ταφῇ, μύροις ἀλείψας, καὶ σινδόνι καθαρᾷ ἐνειλίσας. Μετὰ χρόνον τίνων ἀνοίξαντες τὸ τάφον αὐτοῦ, εὗρον τρία ῥόδα ἀναφύεντα παρὰ τὸ στέρνον αὐτοῦ· καὶ θελόντων τινῶν ἆραι αὐτὰ ἔνεκεν ἁγιασμοῦ, ἠφανίσθησαν. Ὁ δὲ συγγραφεὺς ἱερεὺς ὢν, μετά τινας χρόνους συγγράψας τὸ μαρτύριον τοῦ ἁγίου Λεκίου, καὶ ναὸν αὐτῷ οἰκοδομήσας, ἔργῳ καὶ λόγῳ τὸ Ἅγιον πᾶσι καταφανῆ ποιήσας, τετίμηκεν εἰς δόξαν τοῦ πάντων Θεοῦ· αὐτῷ ἡ πρέπει δόξα, τιμὴ, κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. *Quæ Latinè ſic ſonant:* Diognianus autem rei conſcius, ſepulturæ eum mandavit aromatibus condîtum & munda ſindone involutum. Poſtea verò, ejus ſepulcro aperto, invenerunt roſas tres pullulaſſe ad pectus ejus: quæ dum nonnulli vellent auferre ſanitatum gratiâ, ſtatim diſparuêre. Scriptor autem, qui erat ſacerdos, & qui poſt annos aliquot ſancti Lucii martyrium exaravit, templumque ipſi ædificavit, opere & ſermone Sanctum apud omnes illuſtrem reddidit ac honoravit ad gloriam rerum omnium Dei: ipſum enim decet honor, gloria, poteſtas in ſecula ſeculorum. Amen.

F

ſolennitas Conſtantinopoli,

4 *De S. Theodoro Cyrenenſi antiſtite ac martyre tractavi ad diem* IV *Julii, tom.* 2 *ejuſdem menſis à pag.* 19. *Quæ verò tunc ibidem allata ſunt ejuſdem præſulis gratiâ, ſuggerunt materiam conſiderandi ac notandi hæc puncta.* 1°. S. Lucio *ſolennem delatum fuiſſe cultum Conſtantinopoli, eruo è narratione martyrii utriuſque dicti pugilis: nam hæc ibi ponitur clauſula:* Celebratur autem ſolennitas eorum in ſanctiſſimo martyrio ipſorum, *ſeu loco eis ſacro* in Rhegio. *Videri poſſunt ea, quæ habet Cangius lib.* 1 *Conſtantinopolis Chriſtianæ pag.* 53 *de* porta Rhegii vel Rheſii, vel Rhuſii appellata. 2°. *Ad præſidem, qui à S.* Lucio *converſus ſuprà dicebatur ad fidem Chriſti, ſpectant iſta. S. Theodorus Cyrenenſis ſub illo*

A *lo paſſus eſt ; ſicut habes loco mox apud nos citato , ubi cum Martyrologio Romano vocatur non* Diognianus , *ſed* Dignianus. *Lambecius ſuperiùs aſſignatus animadvertit* , præſidem , qui *in Martyrologio Romano* vocatur Dignianus , in ipſis Actis Græcis appellari Διογνιανὸν , *ſeu potiùs* Διονυσιανὸν : eamque lectionem veram ac genuinam eſſe , exiſtimare *ſe addit.*

5 *At quid de tempore martyrii ? Fateor im-*
tempus martyrii. *primis , exploratum mihi prorſus non eſſe , quo præciſè anno illud acciderit : verùm quæ modò de S. Theodoro epiſcopo Cyrenenſi præmiſſa ſunt, quandoquidem cum* S. Lucii *converſione ad Chriſti fidem cohærent , anſam præbent , hujus martyrium ex iſtius laurea præterpropter in ratione temporis definiendi. Ex iis ergo quæ tomo* II *Julii citato de tempore paſſionis S. Theodori Cyrenenſis allata ſunt , videtur poſſe ſtatui ,* S. Lucii *martyrium fuiſſe conſummatum tunc temporis , quando famoſiſſima illa perſecutio , quæ Diocletianea nuncupatur , partes etiamnum agebat ſuas. Ad hæc , cùm Baronius ſacros Theodori Cyrenenſis triumphos accenſeat anno Chriſti* 310, *ſicut eodem tomo dictum fuit ; ex ratione illa temporis apud Baronium ſignata ſequeretur ,* S. Lucii *martyrium ante iſtum annum poni non poſſe , cùm Theodoro hic ſupervixerit , prout habemus è ſuprà allegatis documentis. Nos ergo martyrium* S. Lucii *ſuprà affiximus tempori perſecutionis Diocletianeæ , quocumque ejuſdem perſecutionis anno , vel etiam aliquamdiu poſt hanc , illud evenerit.*

AUCTORE J. P.

DE SANCTIS MARTYRIBUS XXXVII ITEM DE SS. SEVERO AC MEMNONE CENTURIONE MM.

B E

PHILIPPOPOLI AC BIZYÆ IN THRACIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

Cultus apud Græcos ac Latinos , Acta.

SUB DIOCLETIANO AC MAXIMIANO. *Signantur in Faſtis*

Præclarum hunc Martyrum manipulum ſignat Romanum Martyrologium , cujus infrà annuntiationem proferemus , in Thracia : Græci autem Faſti locum in Thracia determinant Byziam , *quæ &* Bizya *dicitur , nec non aliter efformatur , prout videre licet tom.* III *hujus menſis , die* XIII *in Annotatis ad Acta S. Maximi cap.* 5 *lit.* b ; *ubi plura alia ſunt obſervata de iſta urbe , ac de ejuſdem ſitu actum eſt. His de palæſtra martyrii præmonitis , quæ tamen an*
C *ſatis rectè ſic ponatur , poſtea inquiremus , ſubdo Sanctorum memoriam è tabulis Græcis. Menæum Chiffletii ſic breviſſimè :* Μαρτύρων λξ' ἐν Θεσσάλῃ. Martyrum triginta ſeptem in Thracia. *Menæa magna impreſſa paullo plus dicunt :* Eodem die (XX *Auguſti*) ſanctorum triginta ſeptem Martyrum , qui Byziæ in Thracia martyrium confecere. *Sequuntur hi verſiculi :*

Τρεῖς ἐνδέσαι πρὸς τὸ τὸς κεκαυμένους
Χάριν , Τελεία , σὺ τετρᾶκις τελεῖν δέκα.

Combuſti in igne , Trinitas , pro te , quater
Decem ut triumphent Martyres , deeſt trias.

2 *Ludit poëta in numeris , uti patet. Subdi-*
cùm Græcis *tur in dictis Menæis parva narratio martyrii : ea verò , quæ tomo* I *Auguſti pag. 666 è Menologio Baſilii imperatoris à nobis Græcè eſt edita , quamque de more exhibebimus hîc Latinè , plura ſingillatim memorat. Sic ergo ſonat :* Eodem menſe (*Auguſto , die*) XX. Certamen ſanctorum triginta ſeptem Martyrum , qui Byziæ in Thracia martyrium confecere. Severus quidam Chriſtianus , Sidâ Pamphyliæ oriundus , omnem civitatem ac locum pertranſibat Chriſti ſermonem docens. Dum verò Philippopolim Thraciæ veniſſet , ſanctos Martyres , qui erant ſex ac triginta , ab Apellia-

no præſide cruciari comperit , ac religionem liberè profeſſus comprehenditur & vehementer raditur , candenteſque ungulæ ferreæ digitis ejus admoventur : item quatuor in lignis vinctus , ac funibus tenſus , ferrâ ferreâ ſectus eſt. Deinde cingulo ferreo vehementer candente cinctus eſt , atque ita capite truncatus. Memnon autem centurio in duobus ligatus columnis & tenſus , tribus excarnificatus eſt loris à capite uſque ad pedes. Deinde , manibus pedibuſque præciſis , in fornacem injecti, omnes ſubter terram martyrium conſummarunt. *Quædam de illa narratione mox obſervabimus , quando priùs egerimus de Mar-* F *tyrum memoria apud Latinos.*

3 *Annuntiatio in Martyrologio Romano his* *tum Lati-*
conſtat verbis : In Thracia ſanctorum trigintaſe- *nis.* ptem Martyrum , qui ſub præſide Apelliano pro Chriſti fide manibus pedibuſque præciſis , in caminum ardentem injecti ſunt. *Galeſinius pluribus illos refert , quæ ſimilia ſunt iis , quæ habentur in Menæis magnis. Audiatur ipſius textus :* In Thracia ſanctorum triginta ſeptem Martyrum, qui partim Conſtantinopolitani , partim Philippopoli nati , fidei Chriſtianæ religionem palam libereque profeſſi , ab Apelliano præſide comprehenſi , primo variis inauditiſque torti cruciamentis , denique extremis pedibus manibuſque præciſis , in caminum amplum , humi effoſſum , exardeſcentem conjecti , præclara martyrii laude abeunt in cælum.

4 *His præmiſſis ſubjicio nonnullas obſervatio-* *Obſervatio-*
nes. 1°. *Vidiſti in titulo , qui præfigitur elogio* *nes noſtræ.*
Baſiliano , exprimi Martyres triginta ſeptem ; *in ipſo autem elogii textu* triginta ſex. *His ſi annumeretur* Severus , *qui in eodem elogio nominatur , erunt quidem tunc triginta ſeptem conformiter ad alias tabulas Græcas ſuprà indicatas;*

AUCTORE J. P.

ſed ſi Memnon centurio, *ibidem pariter nominatus, etiam aliis accenſeatur, tunc erunt ſimul octo ſupra triginta. Acta verò ponunt quadraginta, ſicut poſtea patebit.* 2°. *Idem elogium in titulo annuntiat Martyres* XXXVI *Bizyæ in Thracia certaminis ſui curſum conſummaſſe; ſed in ejuſdem elogii contextu aſſeritur, cruciatos illos fuiſſe Philippopoli in eadem Thracia, nulla facta mentione* Bizyæ; *& illico agitur de cruciatu ac ſectione* S. Severi, *nec non de excarnificatione* S. Memnonis, *ac mox dicuntur omnes, manibus pedibuſque præciſis, martyrium in fornace confeciſſe. Hæc ego non ſatis combino: combinarem faciliùs, ſi Bizya ac Philippopolis eſſent inter ſe viciniora, quàm revera ſint: & Philippopolis quidem verſus Hæmum montem ad Beſſos ac Hebrum fluvium; Bizya autem verſus pontum Euxinum in Aſtica vel fortè Cænica regione notantur in tabulâ Thraciæ antiquæ apud Cellarium lib.* 2 *cap.* 15 *ad pag.* 838. *Ratio autem, ob quam ſuperiùs omnes hoſce Martyres non ſignarim* Byziæ, *ſed* Philippopoli ac Bizyæ in Thracia, *eſt ea, quòd Acta ſic illos ponant. Vide illa inferiùs.* 3°. *De duobus Sanctis martyribus paulo antè nominatis pauca iſta accipe.*

B

De SS. Severo ac Memnone

5 *Martyrologium Romanum hac die illos proximè ſic ſubdit præcedentibus ſeptem ac triginta:* Item ſanctorum martyrum Severi & Memnonis centurionis, qui eodem mortis genere conſummati, victores abierunt in cælum. *Ex Græcis tabulis habemus iſta: Menæum Chiffletii hac die meminit ſolius* Memnonis centurionis, Μέμνονος ἑκατοντάρχου. *Menologium Sirleti poſt* XXXVII *Martyrum annuntiationem ſubdit de hiſce duobus Athletis ſequentem:* Eodem die commemoratio ſanctorum martyrum Severi & Memnonis centurionis, qui pro Chriſti fide verberibus & loris à capite uſque ad pedes cæſi, in ligno ſuſpenſi, atque in fornacem abſciſſis pedibus injecti, ſpiritum Deo commendantes, martyrii coronam acceperunt. *Menæa magna excuſa eos referunt, & his verſibus proſequuntur:*

Ξίφει παθῶν Σεβῆρος δῦρεν ἀξίως
Ἔπαθλα λαμπρὸς ἐκ διὰ ξίφους πάθος.
Ἔχει τὸ πῦρ σε πρὸς βραχὺ, Μέμνον, χρόνον,
Μένει δέ σε στέφανος εἰς ἀεὶ μένων.

Severus enſe paſſus, enſe repperit
Dignos, decori lauream certaminis.
Te flamma, Memnon, tempore excruciat brevi,
Sed te manet corona, quæ ſemper manet.

C

ex Faſtis.

6 *In primo diſticho, quod de* S. Severo *eſt, alludit poëta, quantum ego quidem aſſequor, ad Martyres triginta ſeptem, quos Philippopoli pro Chriſti fide decertantes inveniſſe dicitur in elogiorum dictorum Menæorum, quod ſubjungitur. In ſecundo autem diſticho de* S. Memnone, *videtur reſpicere poëta ad voces fere ſimiliter cadentes* Memnon, manet & manens, *quas idcircò etiam ſic expreſſi Latinè. In eodem elogio non tantùm refertur* S. Severus *è Sida Pamphiliæ oriundus, ſicut ſupra etiam in Baſiliano vidimus elogio, verùm etiam Petronii Thracis cujuſdam, ac Mygdoniæ filius exſtitiſſe. Quæ de re aliiſque conſule Acta illico à nobis proferenda. Nos interim ſequentia de iis lectorem docemus.* D

Acta.

7 *Primò. Apographa noſtra Græca Sirmondo-Chiffletiana, quæ ſolemus allegare ſub nomine Supplementi ad Menæa Græca excuſa, die* XXIV *Auguſti, prænotato nomine Sirmondi, quod indicio nobis eſt, hæc Acta tranſcripta fuiſſe ex Synaxario Sirmondiano, ſic memorant:* Ἄθλησις τῶν ἁγ. Σεβήρου καὶ Μέμνονος τῶν ἐν Θράκῃ μαρτυρησάντων σὺν ἑτέροις πλείοσιν ὀκτώ. *Id eſt:* Certamen SS. Severi ac Memnonis, qui in Thracia martyrium confecere cum aliis triginta octo. *Ubi videntur indicari Martyres non triginta ſeptem vel triginta octo, de quo numero ſuprà egimus, ſed omnino quadraginta. Idque confirmatur ex Actis numero* 1, *ubi è Græco reddita dicuntur iſta:* Et ſancti quidem triginta & octo Philippopoli ſub Apelliano proconſule . . capite truncati ſunt die XXIV menſis Maii. Sanctus verò Severus *&c. Deinde verò ſeorſim etiam narratur martyrium* S. Memnonis. *Secundò. Quia affirmant Acta ibidem, Athletas noſtros* exſtitiſſe temporibus Diocletiani & Maximiani, *ideo in eorumdem Actorum fide illos etiam ſuperiùs cum hac nota temporis retulimus; in aliis tamen, uti vidimus, documentis non expreſſâ. Tertiò. In illis item narrantur igne martyrium conſummaſſe; hic verò* triginta & octo . . capite truncati dicuntur: *at* Memnon, *ſecundum Acta eadem num.* 4, *fuit* in caminum ignis injectus, *ac ibidem mortuus:* Severus *autem* capite minutus. *Quartò. Suprà etiam num.* 1 *&* 2 *vidimus palæſtram martyrii aſſignari* Bizyam *hodiernis noſtris Sanctis; ſed in Actis* Philippopolis *triginta octo innominatis;* Bizya *autem duobus nominatis datur, ut videre in illis licet num.* 4. *Apage igitur nugas Tamayi, qui in ſuo Martyrologio Hiſpano duos hoſce Martyres* Deobrigæ in Hiſpania *annuntiat, more conſueto ineptiens. Acta quandoquidem brevia ſunt, ac Commentarius etiam brevis, ſi quid in illis obſervatu erit dignum, poterit hic facilè conſuli, ut non ſit neceſſe Actis Annotata ſubjungere.* E F

ACTA

Auctore anonymo,

è Synaxario Sirmondi. Interprete J. P.

Sanctorum patria, S. Severi parentes,

HI è Thracia oriundi exſtitere temporibus Diocletiani & Maximiani. Et Sancti quidem triginta & octo Philippopoli ſub Apelliano proconſule nomen Chriſti liberè confeſſi, capite truncati ſunt die vigeſima quarta menſis Maii. Sanctus autem Severus ex parte patris erat Thrax, ex parte verò matris Sidites in Pamphilia. Pater ejus voca-

Οὗτοι ἐκ Θράκης ὑπῆρχον καὶ τοὺς χρόνους Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ· καὶ οἱ μὲν τριάκοντα ὀκτὼ Ἅγιοι ἐν Φιλιππουπόλει ὑπὸ Ἀπελλιανοῦ ἀνθυπάτου ὁμολογήσαντες παῤῥησίᾳ τὸ ἅγιον ὄνομα, τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν μηνὶ Μαΐῳ τέσσαρες καὶ δεκάτῃ· Σεβῆρος ὁ ἅγιος πρὸς μὲν πατρὸς ἦν Θρᾴξ, πρὸς δὲ μητρὸς Σιδίτης ἐκ Παμφιλίας.

A Φιλίας. Ἐκαλεῖτο ᾗ ὁ μὲν πατὴρ αὐτοῦ Πετρώνιος, ἡ δὲ μήτηρ Μυγδωνία· οἱ πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν ἐχειραγωγήθησαν πίστιν ὑπὸ Ξενοφόντος μαθητοῦ τοῦ Ἰωάννου Εὐαγγελιστοῦ ἠγαπημένου τοῦ Θεολόγου. Καὶ ἔτοι μὲν εἰσοικισθέντες ἐν Φιλιππουπόλει αὖθις ἐξῳκίσθησαν διὰ τὴν ἐπικρατοῦσαν ἐν αὐτῇ εἰδωλολατρείαν.

batur Petronius; mater Mygdonia. Qui ad Christi fidem sunt adducti ab episcopo Xenophonte, sancti Joannis Euangelistæ dilecti Theologi discipulo: & postquam fixissent domicilium Philippopoli, denuo ex ea migrarunt, propterea quòd ibidem invaleseceret idololatria. A. ANONYMO.

2 Ὁ δὲ μάρτυς Σεβῆρος ὁ τούτων υἱὸς κατέμεινον ἐν τῇ πόλει. Ὢν δὲ διὰ σώματος καὶ μέγεθος δυνάμιν ἀνυπέρβλητον περίβλεπτος καὶ μεγαλυνόμενος παρὰ πάντων, ὅμως μικρὰ ταῦτα ἡγεῖτο, εἰδὼς παρερχόμενα καὶ φθειρόμενα. Ἓν δὲ μόνον ἐθαύμαζε καὶ λίαν τούτων ἐπόθει, τυχεῖν τὸ παθεῖν ὑπὲρ Χριστοῦ, καὶ τὸ τῆς μαρτυρίας κοσμηθῆναι στεφάνῳ. Ὅθεν καὶ θεοφανείας ὄναρ ἠξιώθη καὶ πρωΐας ἅμα πρὸς ἀνατολὰς πύλῃ ἐλθεῖν, κἀκεῖ τάξεσθαι τὸ σκοπεῖν. Καὶ δὴ γνόμενος ἐν αὐτῇ, συναντᾷ τινι κεντυρίωνι, ὃς ἐκαλεῖτο Μέμνων. Τοῦτον ἔν κατ' ἰδίαν λαβὼν, καὶ ἐν βραχεῖ τὰ καθ' ἡμᾶς αὐτῷ τὴν οἰκονομίαν ἐκθέμενος πίστεως, καὶ ὑποθῆναι παρασκευάσας τὰ ματαιότητος τὰ εἰδώλων πείθει, καὶ τῇ τοῦ Χριστοῦ πίστει προσάγει.

desiderium martyrii, conversio S. Memnonis;

B 3 Διαβληθεὶς δὲ καὶ προσαχθεὶς Ἀπελλιανῷ ἀνθυπάτῳ, καὶ τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ὁμολογήσας, παραδίδοται Μέμνονι τῷ κεντυρίωνι, τὰ τῆς πίστεως ἀγνοοῦντι μεταβολεῖ, οἰηθέντος δὲ ἀνθυπάτου δυνηθῆναι τὸν Μέμνονα τοῦ Χριστοῦ ὑποθῆναι τὸ Ἅγιον. Οἱ δὲ καθ' ἑαυτοὺς γνόμενοι παρέθηξαν ἀλλήλους, καὶ πρὸς τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ συνεστόμωσαν ἀθλησιν. Τῇδε ἐξῆς παραστάντες τῷ ἀνθυπάτῳ Χριστιανοὺς ἑαυτοὺς ἀμφότεροι ἀνηγόρευσαν. Τύπτεται δὴν ὁ Μέμνων ἀφειδέως, καὶ ὁ Σεβῆρος τὰς σιαγόνας πτεύσσεται.

E

3 Accusatus autem atque ante Apellianum proconsulem productus, Christique fidem professus traditur Memnoni centurioni. Proconsul autem ignorans eum Christi fidem amplexum fuisse, existimabat fieri posse, ut Memnon à Christo Sanctum separaret. Dum itaque illi seorsim agerent inter se, alter alterum incitarunt, & de certamine pro Christo consusurrarunt. Postero die stantes ante proconsulem ambo Christianos se esse annuntiarunt. Memnon igitur cæditur immisericorditer; Severus autem in maxillis vulneratur.

4 Εἶτα ὀκ Φιλιππουπόλεως ἀπαίροντες τῷ ἀνθυπάτῳ εἰς Ἀδριανούπολιν, κἀκεῖθεν εἰς Βιζύλιν σιδήρων βάρει πεφορτισμένοι ἀπηλάθησαν ἀναγκάζοντες. Ἔνθα προσαχθέντες καὶ ἐρωτηθέντες ἀμετάθετον ἔχειν τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ὁμολογήσαντες, ὡς τὸ σεμνὸν αὐτῶν καὶ ἀνένδοτον κατεῖδεν ὁ τύραννος, προσέταξε τὸν ἅγιον Μέμνονα ταθῆναι δυσὶ κίοσι προσδεθέντα, καὶ σιδηροῖς ὀγκίνοις τρεῖς λῶρας ἐκδαρῆναι ἀπὸ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ διὰ τῆς ψύας διήκοντας μέχρι τῶν ποδῶν. Ὁ ἰδὼν ὁ μακάριος Μέμνων, ἡδὺ εἶπεν εἶναι τὸν πόνον ὃς προξενεῖ αἰώνιον ἀπόλαυσιν. Ἔσαι δὴ ἅπτο πάντως ἐμοί· καὶ γὰρ τῇ τριτημόρῳ δορᾷ τῆς σαρκός μου τὴν ἁγίαν δεξιὰν μου

C Τριάδα. Μετὰ δὲ ταῦτα τμηθεὶς χεῖρας καὶ πόδας εἰς κάμινον πυρὸς ἐνεβλήθη, ἐν ᾗ καὶ τὸ πνεῦμα παρέδωκε τῷ Θεῷ. Ὁ δὲ ἅγιος Σεβῆρος ἐξέθη σιδηραῖς χερσὶ· εἶτα δακτυλήθρας πεπυρωμένας ταῖς δακτύλοις περιβάλλεται, καὶ ὑπὸ τεσσάρων στρατιωτῶν τανυσθεὶς πλίζεται. Τῆς δὲ τοιαύτης βασάνου παραδόξως ῥυσθεὶς, τοῖς στρατιώταις ἀτονισάντων καὶ ἐκλυθέντων, σιδηρᾷ ζώνῃ περιζώννυται πυρωθεῖσαν, καὶ ἅπτος τὴν κεφαλὴν ὑποτέμνεται.

utriusque tormenta ac mors.

4 Deinde Philippopoli transferuntur proconsuli Adrianopolim, & inde Bizyam versus ferri pondere gravati coguntur sequi. Quò ubi perducti essent & interrogati, immutabilem se habere fidem in Christum professi sunt: quorum firmum ac obstinatum animum ut perspexit tyrannus, sanctum Memnonem duabus columnis alligatum extendi præcepit, & ferreis uncinis tria in lora excoriari, quæ ab ipsius capite per lumbos usque ad pedes pertransibant. Quod beatus Memnon conspicatus, suavem esse laborem dixit, qui æternam conciliat voluptatem. Et hoc, ait, omnino continget mihi. Etenim pelle carnis meæ in tres dissecta partes, sanctam Trinitatem apprehendam. Posteà autem, manibus pedibusque truncatis, in caminum ignis injectus est, in quo spiritum etiam Deo tradidit. At verò S. Severus ferreis manibus rasus est: deinde autem ungulæ ferreæ candentes admoventur ejus digitis, & à quatuor militibus extensus finditur ferrâ. Ab hoc autem cruciatu mirabiliter liberatus, militibus torpentibus ac deficientibus, ferrea zona candente cingitur, & sic capite minuttis est.

F

DE

A D

DE SS. LEONTIO ET CARPOPHORO MARTYRIBUS,

VICENTIÆ IN ITALIA,

J. P. COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Publica veneratio, tempus martyrii, victoria à Vicentinis obtenta, Martyres sorores, ut fertur; translationes.

Sub Diocletiano et Maximiano. *Publica Sanctorum veneratio:* B

Vicentini hi Martyres non quidem antiquis seu classicis, quantum novi, Martyrologiis adscripti sunt; sed varia alia exstant documenta, quibus legitimus eorum cultus probetur. Recentioribus Fastis sacris annua hoc die memoria ipsorum intexitur. Maurolycus ita habet: In civitate Aquileia, Diocletiano imperante, sanctorum Leontii & Carpophori martyrum, sub Lysia præside, superatis pluribus tormentis, obtruncatorum. *Ferrarius in utroque Catalogo eosdem signat. Præcesserat Petrus de Natalibus libro 7 cap. 87 in suo item Catalogo, ubi martyrii narrationem habet. Ferrarius è monumentis ecclesiæ Vicentinæ, quæ in codice antiquo pergameno Ms. legisse se indicat, passionis compendium recitat in Catalogo Sanctorum Italiæ; quod cùm consimile sit Martyrio, quod habetur apud Petrum de Natalibus, postea à nobis recudendo, supervacaneum est, illud compendium huc transcribere. Hac de cultu hîc paucis; infrà autem pluribus.*

varia de iis incerta; uti & tempus martyrii, C

2 *Franciscus Barbaranus de Mironi in Historia ecclesiastica Vicentina lib. 9 cap. 9 & sequentibus, varia quidem memorat in rem nostram, sed admodùm incerta, quia antiquis destituta sunt monumentis; qualia desideraremus legere aliunde confirmata, quàm ex Actis apud Petrum de Natalibus, quæ mihi non videntur magni ponderis. Accipe tamen in synopsi, quæ refert Barbaranus, non tam ut discas, quidnam in præsenti argumento dicendum sit fundatè, quàm quid ab eo saltem dictum sit. Natos itaque memorat Sanctos nostros Vicentiæ, qui propterea quòd parentes eorum aut majores ad istos terrarum tractus ex Arabia profecti fuerint, ideo Arabum cognomento eosdem Sanctos appellatos esse affirmat. Tempus nativitatis fatetur Barbaranus sibi esse incompertum: item non sciri exactè, qua occasione se contulerint Aquileiam, ibidem habitandi gratiâ, cum sororibus suis Euphemia & Innocentia. Deinde exponit nostrorum Pugilum martyrium. At quid de martyrii tempore? Fatetur laudatus Barbaranus, illud non posse inveniri tam facilè, quàm aliqui cogitent. Varias mox profert opiniones pro annis reparatæ salutis* 300, 297, 128 & 119; *sed ipse hoc innectit Christi anno circiter* 128, *nixus Legendâ, in qua narratur Lysias dixisse Sanctis nostris:* Juro per Deum meum Adrianum, vos sequi, quocumque iveritis. *Verùm cujusnam fidei, vel auctoritatis sit Legenda ista, non addit; immò verò profitetur candidè, se nescire, quo fundamento nitatur hæc opinio, in nonnullis dumtaxat Mss., prout indicat, à se visa.*

3 *Quid, quod idem auctor etiam vacillat? de quo Nam postea dicit, martyrium, de quo agimus, accidisse vel anno circiter* 128 *jam dictum; vel anno circiter* 140; *atque adeo falsam esse opinionem aliquorum (sed eorum nomina non addit) qui volunt* SS. Leontium & Carpophorum *fuisse fratres SS. Cosmæ & Damiani; verùm ex horum nominibus ac loco martyrii id etiam rejicit. Quæram illico ex Barbarano, cur annos modò dictos potius signet, quàm tempora Diocletiani & Maximiani, quæ notantur apud Petrum de Natalibus, qui* passos *refert* temporibus Diocletiani & Maximiani imperatorum? *Equidem non video, cur à ratione temporis ibi consignata recedendum sit, & qualiquali sententiæ Barbarani, quam ipsemet non obscurè indicat esse debilem, subscribendum propter qualemcumque Legendam, de qua actum est. Quamobrem temporis characterismum eumdem nos superiùs posuimus, vel intactum reliquimus, quem habet Petrus de Natalibus. Cur autem istum temporis characterismum non admittit Barbaranus? Quia prima opinio aliquam patitur difficultatem ex eo, quod anno trecentesimo, ut dicetur,* inquit, *in Vita SS. Felicis ac Fortunati (de qua agit lib. 1 cap. 20 & sequentibus) præses Aquileiæ vocatus fuerit* Euphemius, *& non* Lysias; *nisi dicere voluerimus, mense Augusto hunc illi* E F *successisse, id quod probabile non est, tam citò videlicet Euphemium officio suo finem imposuisse, cùm paullo post suum ingressum martyrio affecerit SS. Felicem ac Fortunatum, atque ita aliquot dumtaxat mensibus præses extitisset. Sic argumentatur Barbaranus.*

4 *Sed respondeo primò. Acta istorum duorum satis prolixè sanctorum Martyrum Aquileiensium apud nos illustrata sunt die* XI *Junii, tomo* II *ejusdem mensis pag.* 460; *ubi eorum martyrium non anno Christi* 300, *sed anno* 296 *affixum est. (Vide Annotata ibidem pag.* 462 *lit.* a) *tametsi in fine Actorum annus iste non exprimatur. Sic enim habent:* Martyrizati autem sunt Sancti Dei Felix & Fortunatus martyres sub die quarto decimo mensis Maii, regnante Domino nostro Jesu Christo *&c. Barbaranus verò in Italico suo Martyrio signat annum trecentesimum; de cujus utinam genuina lectione nobis constaret! Annus enimverò ille pugnat cum Actis Martyrii, quæ apud nos edita sunt hoc principio:* Sub Diocletiano & Maximiano imperatoribus, anno duodecimo, exiit edictum *&c.* Annum *autem hunc* cœpisse à XVII Septembris anni CCXCV, in quo S. Caius

A Caius Papa martyr obiit anno CCXCVI, XXII Aprilis, quo dedimus Vitam, *in ſuprà citatis Annotatis obſervat Henſchenius. Diocletianus enim dicto die* XVII *Septembris anno* 284 *imperator electus eſt, prout apud exactos chronologos licet videre. Si ergo Acta SS. Felicis & Fortunati Latina, quæ modò citabam, cum Italicis à Barbarano vulgatis conferre placuerit; non obſcurè perſpicies, hæc ultima vel Barbarani, vel aliorum ſtudio interpolata fuiſſe. Quanam ergo ſecuritate nota temporis, quâ iſtorum Pugilum martyrium in illis aſſignatur anno trecenteſimo, à lectore, qui ſtudio partium non ducitur, admitti queat, equidem non ſatis video: atque adeo prorſus cenſeo, ne vel ad latum unguem eſſe deflectendum ab anno* 296, *qui ex Actis Latinis pro eorumdem martyrio deſignatus jam eſt. Qua temporis ratione admiſſa tamquam probabiliore, videtur factum eſſe ſatis difficultati, quam ſuprà movebat Barbaranus ex præſide Aquileiæ, uti vult, Euphemio, non Lyſia, in noſtro temporis ſyſtemate inter hunc & illum annis quatuor interjectis.*

B *hîc differitur.* 5 *Reſpondeo ſecundò. Dato, non tamen conceſſo, exiguum dumtaxat tempus interceſſiſſe, quo Lyſias ſucceſſerit Euphemio; an mox idcirco nomen Lyſiæ expungam ex Actis noſtrorum Martyrum, quæ edidit Petrus de Natalibus, clarè exprimitur? An ideo eradam ex iſto exemplari* tempora Diocletiani & Maximiani, *quibus dicuntur paſſi? Minimè gentium. Etenim cùm noſtræ ſint partes Sanctorum Acta tueri, quantum ſalva veritate poſſumus, neque in hoc puncto oſtendatur aperta falſitas, retinemus, quod antea diximus, martyrium nempe illorum contigiſſe* temporibus Diocletiani & Maximiani. *Cur enim Euphemius non potuit Aquileiæ munus exercere præſidis, & brevi poſt tempore vel illud ipſe deponere, vel ab alio inde amoveri? His de cauſis ſuprà in principio hujus paragraphi, ut antea indicabam, ſignavi* SS. Leontii & Carpophori *martyrium ſub dictis imperatoribus, donec melior aliqua temporis notatio mihi aſſignetur. Nunc alia proſequamur.*

Victoria Sanctorum præſidio à Vicentinos obtenta.

C 6 *Horum ſanctorum Pugilum præſidio Vicentinos fuiſſe defenſos contra Patavinos, narrat Barbaranus cap.* 15. *Rei geſtæ ſummam accipe. Anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſexto Patavini, collecto copioſo exercitu, & urbi Vicentinæ admoto, tantùm non eamdem interceperant. Pugnatum utrimque acriter: Patavini ſumma cum ſtrage repelluntur. Inter dimicandum* SS. Leontius & Carpophorus *viſi ſunt ſupra muros Vicentinorum, relatæ utique victoriæ præſides. In memoris ac grati animi teſſeram inſtituta ab illis ſupplicatio, quæ quotannis peragitur die* XX *Auguſti, quo celebratur eorum feſta lux; olim verò ſolebat coli cum octava, uti apparet è Kalendario anni* 1606, *quod ab eminentiſſimo Joanne Delphino, Vicentinorum epiſcopo præſcriptum eſt. In Officio autem quando dicuntur preces, fit de illis commemoratio, uti & de S. Vincentio, in hunc modum:* Viri ſancti glorioſum ſanguinem fuderunt pro Domino, amaverunt Chriſtum in vita ſua, imitati ſunt eum in morte ſua, & ideo coronas triumphales meruerunt. ℣. Clamaverunt juſti, & Dominus exaudivit eos. ℟. Et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. OREMUS. Auxilium tuum nobis, Domine, quæſumus, placatus impende, & intercedentibus beatis martyribus tuis Vincentio, Leontio, & Carpophoro, dexteram ſuper nos tuæ propitiationis extende. *Hæc hiſtoria ex Barbarano extracta eſt à me, & in compendium redacta; ſicut etiam ea, quæ ſubdo de inventione ac tranſlationibus corporum, & de quibus tractat cap.* 15.

AUCTORE J. P.

Inventio ac tranſlatio corporum.

7 *Quo tempore ea Vicentiam tranſlata ſint, nihil certi haberi affirmat idem hiſtoricus documentorum defectu: illud autem certò conſtare addit, hodiedum (anno videlicet* 1649, *quo ſuam Hiſtoriam in lucem dedit) ea requieſcere in cathedrali. Deinde è Ms. antiquo, ut vocat, quod inſcribitur* Chronica ad memoriam præteriti temporis, præſentis & futuri, *refert, anno* 1455 *die* X *Auguſti, corpora* SS. Leontii & Carpophori MM. *reperta fuiſſe in eccleſia cathedrali Vicentina: die autem* XX *ejuſdem menſis, quo dictorum Sanctorum feſtum celebratur, habitam fuiſſe ſupplicationem ſolennem: poſtmodum item anno* 1467, *die* XX *Auguſti inſtitutam ſupplicationem ſolenniſſimam; & ſacra illa pignora per civitatem deportata fuiſſe, totoque iſto die manſiſſe diſcooperta, ita ut ab unoquoque videri poſſent: ad hæc, deinde ea collocata fuiſſe in arca lapidea, & in illo eccleſiæ loco, ubi nunc, ait laudatus auctor, exſtat ſacellum majus, nomine chorus; ibidemque aſſervata fuiſſe, donec iſta fabrica ſit inchoata, quod accidit anno* 1482; *quo tempore iterum oſtenſa populo, ac tranſportata ad aliud ſacellum commemorat; ubi permanſerint uſque ad annum* 1573, *uti dicendum ait cap.* 17; *ubi de tranſlationibus noſtrorum Sanctorum, & SS. Euphemiæ & Innocentiæ tractat. Sed ibi notatum lego annum* 1563. *Anno autem* 1613 *innectitur ultima corporum iſtorum tranſportatio ad ſacellum aliud prædictæ eccleſiæ: ſolennem verò pompam, ornatum, populi frequentiam, ſupplicationem, ejuſdemque comitatum pluribus deſcriptum videre datur cap.* 18. *Non abs re his addidero inſcriptionem, quam Papebrochius noſter in ſuo Ms. Itinere Romano, quod in noſtro muſeo aſſervatur, & ſignatur ✠ Ms.* 146, *notatam ſua manu reliquit his verbis:* Latina Montia, proavia Horatii Porti, ex voto piè facto geniti, DD. Leontii & Carpophori tabulas haſce pingendas C. MDCXVII: Anna Seſſa mater operimentis (limbos intellige lapideos ſpecioſos) ornavit MDCXXXV. *Tabulas autem iſtas grandes numero quatuor fuiſſe, hinc Sanctorum martyrium, inde judicium exprimentes, præmittit dictæ inſcriptioni laudatus Papebrochius.*

F 8 *Atque hæc quidem, quæ huc uſque à nobis expoſita ſunt, Vicentinorum traditionibus ſeu relationibus ſatis favent: non ita tamen, quin nonnullæ ſuperſint difficultates, quas modò proponam. Una ex illis eſt, ſi quis quæſierit, an SS. Euphemia & Innocentia fuerint Martyrum noſtrorum ſorores. Affirmat hoc Barbaranus cap.* 16, *ſed non ſatis probat. Ferrarius in ſuo Novo catalogo Sanctorum ad diem* XVI *Septembris in notis citat tabulas eccleſiæ Vicentinæ,* in quibus SS. Leontii & Carpophori germanæ feruntur. *Quæ expreſſio* feruntur *ſatis debilis eſt. Nec ſcio, cujus notæ ac temporis ſint illæ tabulæ. Nihil item lego de hac re apud pluriès ſuprà citatum epiſcopum Equilinum; nihil in compendio martyrii, quod citabam antea. Res enimverò primæva iſtarum Sanctarum videntur admodùm obſcuræ & incertæ: unde igitur, & quanta cum fide in dictis tabulis ferantur noſtrorum Martyrum eſſe germanæ, ignoro. Verùm cùm annuntientur à Ferrario ad diem* XVI *Septembris, quo apud Vicentinos coluntur, poterit forte pluribus tunc agi de illo puncto, ſi comparuerint ſatis*

An SS. Euphemia & Innocentia horum Pugilum ſorores germanæ.

AUCTORE J.P.

apta documenta, quæ ad ulteriorem indagationem sternere possint viam.

Proponuntur quædam difficultates

9 *Secunda ex difficultatibus, contra varias* SS. Leontii & Carpophori *translationes moveri potest ex iis, quæ memorat Spicilegium Dacherianum tomo 5, ubi habetur* Inventio Sanctorum à domno Deoderico pontifice [Metensi] repertorum, atque ad civitatem Metensem translatorum, *in quo documento occurrunt hæc cap. 3 pag. 145 ad propositum nostrum:* Civitas Vincentia est non longè à Venetia, ad quam olim Longobardi, dum Italiam invaderent, primam urbium veniſſe dicuntur. In ea martyr Leontius monasterio celebri venerabatur. Hujus episcopus loci reliquias nostro reverentissimo præsuli, si pro causa sua imperatoriam interpellasset majestatem, repromisit. Mox misso illuc Rothardo diacono, cùm episcopus nimium se feciſſet difficilem in dando, præter quod dumtaxat promiserat, tandem continuâ exigentis victus instantiâ, præter pauca sibi pignora retenta, reliquum corporis totum largitus est. Hunc & beatum Carpoforum Romæ passos, ab eadem civitate non longa ante tempora translatos, incolæ asseverabant: ubi & nobile quondam monasterium S. Felicis visebatur, ubi & primò reconditi ferebantur; sed eo ab Ungris, qui penè locorum ipsorum vicini sunt, exusto, atque assidua incursione eorum reparationem prohibente, ad sedem episcopalem infra urbem sub altare depositi; unde & præfatus Rothardus diaconus sanctum quidem Leontium totum, sancti verò Carpofori reliquias non modicas ab ipso, quo claudebantur, sumpsit altari, effracto sepulcro. Passionem eorum incendio deperiſſe dixerunt. Natalis eorum XIII Kal. Augusti celebratur. Teudo eos detulit magna & universali eccleſiæ celebritate.

§ II. Expenduntur difficultates de corporum translationibus, ac martyrii palæstra.

circa eorum translationes

C *Hujus, quam modò producebam, narrationis fides ita commendatur apud Acherium citatum, inter ea quæ præfatur ad lectorem pag.* 15: Historiam Inventionis Sanctorum à Deoderico sive Theoderico Metensi episcopo, dum in comitatu Ottonis imperatoris Italiæ eccleſias & monasteria perlustraret, repertorum, è scripto codice monasterii S. Symphoriani Metensis à se descriptam V. C. Hadrianus Valesius.. perhumaniter.. mihi concesſit edendam. Auctor hujusce narrationis passim sese, cùm isthæc Sanctorum corpora transferrentur, præsentem adesse prodit. *Hæc ibi; ut non videam, cur plena fides historica dicto auctori securè non debeat tribui in narratione, quam hîc præ manibus habemus. Nunc observationibus nonnullis illam explanemus. Otto I coronam imperii adeptus est anno Christi 962. Theodericus autem hujus nominis primus ab Illustrissimo Meurissio in Historia episcoporum eccleſiæ Metensis lib. 3 pag. 317 ad cathedram istam evectus fuisse scribitur anno 964. In signando eodem anno præcesserat Sigebertus in Chronico: sed apud Sammarthanos in Gallia Christiana differtur illa dignitas usque ad annum 966 ex Alberico his verbis:* Anno CMLXVI Adalberone Metensium episcopo mortuo, Theodoricus consobrinus Ottonis imperatoris episcopus subrogatur. *Jacobus Longueval in Historia eccleſiæ Gallicanæ* D *tomo 6 ad annum 965, pag. 552, succeſſisse eum in cathedra Metensi memorat Adalberoni, die prima Maii anni præcedentis mortuo. Verum non est quod moram nobis injiciat tantilla temporis differentia, quæ forte in Albericum irrepserit ex notis chronologicis transpositis* VI *pro* IV.

apud Vicentinos,

11 *Propiùs huc spectat factum, quod examinamus, de corpore* S. Leontii *martyris, &* toto *quidem, uti ex anonymo scriptore supra vidimus, Vicentiâ ablato à Theoderico. Sigebertus ad annum 969 rem gestam ita narrat:* Theodericus Metensium episcopus, Imperatori sanguine, dilectione, ac familiaritate cæteris devinctior, dum in Italica expeditione per triennium sub eo militaret, multa corpora & pignora Sanctorum de diversis Italiæ locis, quocumque modo potuit, collegit. (*De significato verbi* militare *consule, quæ dixi die* XVI *hujus mensis pag.* 272.) *Inter alios autem plures, quos ibidem commemorat,* à Vincentia Leontium episcopum & martyrem *ab eo sublatum dicit, rem ita concludens:* Hæc omnia.. cum aliis multis Sanctorum pignoribus præsul Deodericus in Galliam hoc anno transtulit, & in eccleſia S. Vincentii martyris à se in insula urbis constructa locavit. *Vides, lector, alium hîc designari Leontium, episcopum videlicet ac martyrem, quam superiùs ab auctore anonymo expressus sit.* E

ac locum palæstræ;

12 *Unde moveatur controversia necesse est, uter ex hisce duobus à Theoderico episcopo Metensi impetratus, & Vicentiâ ad urbem Metensem avectus fuerit. Sicut autem, prout antea retuli è Dacherii observatione,* auctor hujusce narrationis *anonymus* passim sese, cùm isthæc Sanctorum corpora transferrentur, præsentem adesse prodit; *sic adfuisse se, quando corpus* S. Leontii M. *traditum Theodorico fuit, videtur utcumque insinuare, nam dicit:* Hunc & beatum Carpoforum Romæ passos, ab eadem civitate non longa ante tempora translatos, incolæ asseverabant. *Item:* Passionem eorum incendio deperiſſe dixerunt. *Hinc etiam oritur difficultas contra locum palæstræ eorum Aquileiam, & contra opinionem eorum, qui inde illorum corpora Vicentiam translata memorant. Sed alia insuper oritur molestia adversus possessionem & translationes corporis* S. Leontii *hodierni apud Vicentinos,* F *post seculum decimum, de quibus actum est suprà: etenim seculo decimo episcopus Vicentinus* Rothardo diacono.. præter pauca sibi pignora retenta, reliquum corpus totum (*S. Leontii*) largitus est, *teste auctore anonymo, qui paullò post subdit ista:* Rothardus diaconus sanctum quidem Leontium totum, sancti verò Carpophori reliquias non modicas, ab ipso, quo claudebantur, sumpsit altari, effracto sepulcro.. Teudo eos detulit magna & universali eccleſiæ celebritate. *Hæc si de hodierno* Leontio *intelligas cum auctore anonymo, nihil vel quasi nihil remansit ex ipsius corpore post seculum decimum apud Vicentinos. Sin verò Sigebertum sequaris, evanescit difficultas, quia de synonymo martyre & episcopo loquitur. Sed utri probabiliùs credendum, an dicto anonymo, cujus fides ex loco ac tempore superiùs commendata est; an Sigeberto potiùs, qui floruit seculo duodecimo ineunte, & Gemblaci in Brabantia nostra monachus fuit?*

13 *Ego interim intricatam hanc controversiam eruditis Vicentinis considerandam tantisper propono, rejecto in eos onere, ut causam suam defendant ipsimet, atque litem hanc dirimant, si possint*

A *quam controversiam valde implexam nos aliis extricandam relinquimus.*

possint antiquiora eruderare documenta, quibus superiorem anonymi narrationem evertant. Antiquiora, inquam, documenta, quæ ante Sigebertum & eumdem anonymum scripta esse constet à fide digno auctore; non verò Petrum de Natalibus lib. 11 *cap.* 66; *non eminentissimum Baronium ad annum Christi* 969; *non Ferrarium in Novo catalogo Sanctorum ad diem* XVI *Novembris in notis; non Barbaranum denique cap.* 19; *non Ughellum tomo* 5 *Italiæ sacræ col.* 1031 *novissimæ editionis Venetæ; qui ex Sigeberto S. Leontium episcopum & martyrem Vicentiâ à Theoderico episcopo translatum fuisse scribunt, atque adeo omnes illi & singuli non majoris debent censeri ponderis, quàm Sigebertus ipse, quem afferunt. Colitur autem S. Leontius episcopus & martyr in ecclesia Vicentina die* XVI *Novembris, ut videre datur apud Ferrarium, ac Barbaranum locis modò designatis, poniturque ab Ughello citato secundus Vicentinorum episcopus. Atque hæc quidem hactenus. Quandoquidem verò difficultatis jam propositæ arbitrum interponere me nolo, ideo ea, quæ superiùs* § 1 B *de sanctis nostris Martyribus hodiernis è communi opinione præmisi, relinquo in sua possessione, ac malo potiùs loqui cum multis, quam sapere cum paucis. Dentur interim qualiacumque eorum*

ACTA

Auctore anonymo,

ex editis apud Petrum de Natalibus lib. 7 cap. 87.

Martyres accusantur, a b

LEontius & Carpophorus martyres in civitate Aquileia *a* passi sunt temporibus Diocletiani & Maximiani imperatorum, sub Lysia præside *b*. Qui cum essent arte medici, infirmos quoscumque ab omni languore sanabant non tam naturalibus medicaminibus artis suæ, quàm Christi nomine invocato: erant enim fidelissimi Christiani. C Audiens autem Lysias præses famam illorum, cum essent ei ab ejus officialibus accusati, & quod cultum deorum suorum destruerent; eos ad se accersiri fecit: & quæ essent eorum nomina, quæ patria, quæ conditio, quæ fortuna, quæsivit. Illi verò ad singula responderunt: quia scilicet nomina eorum erant Leontius & Carpophorus: patria verò eorum erat Arabia *c*, conditio Christiana: fortunam autem Christianos nescire dixerunt. Tunc præses cœpit eis persuadere, ut diis sacrificarent, promittens illos exinde honoribus sublimandos; aut si renuerent, diversis puniendos suppliciis.

c

2 Cumque illi sacrificia dæmonibus exhibere nullatenus velle responderent, & Christum sibi adjutorem in omnibus dicerent, atque illius comminata tormenta contemnerent; præcepit eos præses in manibus & pedibus graviter torqueri. Et dum illi constantes hoc supplicium derideren; jussit eos præses catenis vinctos in mare præcipitari. Statimque angelus Domini affuit: & diruptis vinculis illos è pelago ad littus incolumes eduxit. Et cum hoc miraculum præses artibus magicis adscriberet, & econtra illi ei Christi virtutem prædicarent, illeque eos in nomine Dei sui Hadriani *d* sequi velle diceret; continuo duo dæmones affuerunt, & præsidem in faciem alapis ceciderunt gravibus per horam unam. Sed orantibus pro eo Sanctis, statim dæmones abierunt.

A. ANONYMO. *cælitus à morte ac tormentis*

d

3 Tunc præses dicere cœpit, quod dii contra se indignati, quia illos velle relinquere dixerat, talem in eum vindictam exercuerant. Jussitque Sanctos in carcerem trudi: donec, qualiter ipsos perderet, cogitaret. Altera die illos eductos & diis immolare constantiùs recusantes, in ignem copiosum accensum jactari mandavit. Sed tamen ignis illos in nullo læsit; sed facto terræ motu nimio, erumpens flamma plurimos paganorum circumstantes exussit. Illi verò Sancti de ignis educti medio, nedum in corporibus, E sed etiam in capillis & vestibus penitus apparuerunt intacti. Jubentur ergo in equuleo suspendi & ungulis radi: sed angelo illos custodiente, fatigatis admodum carnificibus ante præsidem deponuntur.

liberantur,

4 Et cum iterum ac iterum à præside persuasi, cultum diis suis exhibere renuerent, fecit illos Lysias præses in crucibus levari, & à circumstante populo lapidari. Verùm lapides in jacientes redibant, & plurimos vulnerabant. Tunc mandavit illos à quatuor ex militibus sagittis configi. Sagittæ verò Martyres non lædebant, sed retroversæ sagittarios configebant. Et non solùm illos, sed alios plures astantes occiderunt. Lysias autem se confusum in omnibus cernens, Sanctos Dei gladio cædi jussit: & sic accedentes speculatores eorum capita gladiis abscinderunt. Quorum corpora Christiani rapientes juxta muros civitatis Aquileiæ *e* sepelierunt. Passi sunt autem sancti Martyres Leontius & Carpophorus XIII Cal. Septembris.

ac tandem capite plectuntur.

e

ANNOTATA. F

a *Locus hic palæstræ patitur difficultatem. Vide Commentarium num.* 12.

b *Hiccine an alius fuerit, ibidem expensum est à num.* 3.

c *Alibi dicuntur Vicentiæ nati; Arabes tamen cur vocentur, vide ibidem num.* 2.

d *Non satis clarè percipio, quid hîc veniat ad rem deus* Hadrianus (*imperatorem intelligo*) *ubi antea dicuntur Martyres nostri sub Diocletiano & Maximiano passi. Consuli possunt, quæ in Commentario dicta sunt eodem numero* 2.

e *Romæ passos, & ex eadem urbe Vicentiam translatos, indicat documentum, quod ibidem protuli num.* 9.

A D

DE SS. PARTIM MARTYRIBUS, PARTIM CONF.

PIRICIO, ARCO, MAXIMO CONFESSORE, PAMPHILO, COLOUO CONFESSORE. ITEM DE DIOMEDE, AGATICO, ZELO.

SYNNADÆ IN PHRYGIA.

J. P.

Ex Martyrologiis.

DIE XX AUGUSTI. *Variis modis hi Martyres referuntur: eorum palæstra:*

B

RAbanus *priorum Sanctorum memoriam Martyrologio suo hac die inscripsit, ita de eis loquens:* In Sinnada civitate natale sanctorum Piricii, Arci, Maximi confessoris, Pamphili, Coloui confessoris. *In Beda Plantiniano habentur ista:* In Sinnada civitate sanctorum Valenti, Piricii, Arci, Maximi, Pamphili, & Coloui confessoris. *Facile autem observatu est, aliam ab alia lectionem differre. Major est discrepantia apud Florentinium:* In Sinnada civitate sanctorum Pisti, Arcii, Diomedis, Agatini, Zeli, Pamphili, Coloui confessoris. *Consuli potest idem auctor in notis: in quibus sic scribit è laterculo Antverpiensi:* In Sinnada civitate Pisti, Acari, Diomedis, Agathini, Zeli, Pampi. *Hæc ibi. Sed quis ad veram ac genuinam lectionem reducturum satis tutò se speret apographa ista corrupta & luxata tot locis. Vide interim Florentinium in dictis notis, uti & ea, quæ mox dicam. Locum palæstræ ita describit Ferrarius in Topographia ad Martyrologium Romanum:* Synnada civitas archiepiscopalis Asiæ Phrygiæ, quondam nobilissimus conventus, & metropolis, ampla, ad montes Dibymorum radices, magna subsequente ante illam planitie,

C

apud Docimæum olim vicum lapidicinâ nobilem, inde enim Romam usque lapides vehebantur ex agro Synnadensi. Ea inter Eucarpiam ad occidentem & Juliopolim ad orientem sita est, hoc tempore nomen quidem retinens; sed obscura effecta, ut cæteræ fere omnes sub Turcarum imperio.

2 *Nunc varias alias lectiones de Martyribus, quos supra in titulo expressi, expendere juvat, & videre, unane an duplex eorumdem classis ponì possit, vel debeat. In catalogo nostro Sanctorum Ms., qui ex variis Fastis sacris concinnatus est, hac die signantur hi tres seorsim:* Diomedes, Agathicus, Zelus; *quos suprà simul cum aliis conjunctos vidimus; sicut etiam simul eos hac die ita legit Holstenius in Animadversis ad Martyrologium Romanum:* In Sinna civitate natalis SS. Pisti, Arcii, Diomedis, Agatini, Zeli; Pamphili, Colitii confessoris. *Inter Martyrologia Hieronymiana contracta, & à nobis edita post Indicem Sanctorum in sex primos Operis nostri menses, in Richenoviensi sic notantur:* In Sinnada civitate, Pisti, Arcii, Diomedis, Agateni, Pamphili. *Ex dictis deduco corollaria tria. Primum sit, non constare certò, an duplex, an unus tantùm Sanctorum suprà nominatorum manipulus statui debeat. Secundum, quia tamen tres istos, de quibus dixi, in nostro catalogo seorsim ab aliis notatos inveni; hunc secutus, duplicem in classem eos dispesci posse censui, etiamsi non sit certum, an ita dispesci debeant. Tertium, Sanctos partim martyribus, partim confessoribus in titulo superiore accensui,*

F

Rabani præsertim exemplo, qui duos ex illis confessoris nomine expressè nuncupat. An verò hi fuerint simul martyres; & an confessores vocati, quia suo martyrio publicam quamdam, singularem, & heroïcam fidei professionem præmiserint, non divino. Quibus autem non datur titulus confessoris, illi videntur mihi fuisse martyres ex modo, quo annuntiantur.

an una, an duplex illorum classis.

E

DE SANCTO DIOSCORO M.

ALEXANDRIÆ,

J. P.

Ex Martyrologiis.

XX AUG. IN Alexandria natale Dioscori. *Annuntiatio est Rabani, quam etiam habet Beda Plantinianus. Eadem habetur apud Florentinium. Castellanus in suo Martyrologio universali eum refert cum titulo martyris. Et verò etsi hunc nec in citatis Martyrologiis, nec in apographis, quæ affert Florentinius in notis; nec in Martyrologiis Hieronymianis contractis, quæ apud nos excusa sunt, Richenoviensi, Labbeano, Corbeiensi breviore, ut vocatur, ac regina Suecia, expressè adjectum lego; illum tamen suprà etiam apposui, qui per τὸ* natale *videtur indicari. Porrò quæ ad ætatem, ac gesta hujus Sancti pertinent, ignota mihi prorsus sunt.*

DE

A D

DE SS. VALENTINIANO ET LEONTIO FORTE MM.

IN LUCANIA ITALIÆ.

Cultus ex Martyrologiis; notitia loci.

J. P.

xx Aug. *Signantur à Rabano, in auctariis Usuardinis, ac Martyrologio Rhinovienſi &c.*

De antiquo horum Sanctorum cultu conſtat è variis Faſtis ſacris. Rabanus ita eos annuntiat: In Lucania SS. Valentiniani, Leontii. *Inter auctaria Uſuardina à nobis vulgata referuntur etiam breviſſimè ex Greveno, mutato tamen aliquantulum unius nomine:* In Lucania, ſanctorum Valentiani, & Leontii. *(Ibidem ex exemplari Vaticano,* In Lucania, S. Leoncii) B *Adde Martyrologium contractum Hieronymianum Rhinovienſe, apud nos editum menſis Junii tomo* VII, *ubi hæc ſunt:* Et in Lucania, Valentia [Valentiniani] & Leontii. *Deinde autem die* XXI *hujus menſis:* Et in Lucania, Valentini, & Leonti. *Inter hos autem & illos nimis magna videtur mihi ſimilitudo, quàm ut eos in duas dividam claſſes diverſas, tametſi diverſis diebus annuntientur; ſive per confuſionem bis huc ſint intruſi, ſive duobus iſtis diebus colantur. Corbeienſe Martyrologium brevius eos quidem non ponit bis; ſed die tantùm* XX *ſic habet:* In Lucania, natalis ſanctorum Valentiani, Leonti. *Caſtellanus in ſuo Martyrologio univerſali ſolum* in Lucania S. Valentinianum martyrem *ſignat hoc die.*

Lucaniæ provinciæ ſitus.

2 *De iſta autem Italiæ regione valde multa collegit Leander Albertus in Deſcriptione totius Italiæ, quæ nimis longum eſſet huc tranſcribere. Delibo tamen hæc breviter è Baudrando:* Ejus termini fuere à ſeptentrione Silarus fluvius, quo ſeparabatur à Picentinis, & Bradanus fluvius, quo dividebatur ab Apulis Peucetiis: à meridie C Laus fluvius, quo à Brutiis diſtincta erat: ab oriente verò ſinu Tarentino, & ab occidente mari Tyrrheno terminabatur; eratque in ea parte, in qua nunc Baſilicata provincia regni Neapolitani, cum maxima parte provinciæ Principatus citerioris verſus meridiem, & minuta parte Calabriæ citerioris, teſte Cluverio. *Conſuli etiam de Lucania poteſt Ferrarius in Topographia ad Martyrologium Romanum.*

An ad hanc, an ad Lucaniam urbem Sancti ſpectent.

3 *Porrò annuntiatio iſta apud Florentinium,* In Lucana, natalis ſancti Valentiniani, Leonti, *anſam viro præbuit diſputandi an ſpectent hi Sancti ad* Lucanam *urbem, an ad* Lucaniam *regionem. Sed poſt varias exemplarium lectiones, quas producit in utramque partem, eò redactum ſe fatetur candidè; ut uni magis quàm alteri ſuffragari non poſſit, ita concludens diſputationem præſentem:* Nihil ergo certi decernere mihi fas eſt. *Et verò quiſnam non dicam certò, ſed probabiliter ſaltem decernere aliquid hîc queat ex vitiatis, luxatis ac corruptis lectionibus, quæ tum in Martyrologium à Florentinio vulgatum, tum in alia exemplaria irrepſere? Quid, quod in ipſo Martyrologio Florentinii die proximè ſequenti habeatur:* In Lucania provincia natalis ſanctorum Valentini, Leonti. *Hos verò, qui* XXI *Auguſti ibi exſtant,* In Lucania provincia *memorati, eſſe diverſos ab illis, qui pridie ſignabantur in Florentinii textu* In Lucana, *creditu difficile videtur. Adi Florentinium in notis ad diem* XX *hujus menſis. Non ſatis itaque ſibi conſtans apparet utraque iſta lectio, ut prorſus non perſpiciam, neceſſe eſſe ſive ob hanc ſive ob alias, diſcedere à Lucania provincia ad Lucanam urbem in annuntiandis prædictis noſtris Sanctis: qui mihi videntur fuiſſe martyres, ſi genuina ſit lectio, in qua eis apponitur vox* natalis: *quia tamen illa in aliis Martyrologiis, quæ citavimus, non exſtat, ideo martyribus* forte *illos accenſendos diximus.* E F

DE S. AUCTORE EPISCOPO

TREVIRENSI,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

P. D.

§ I. Cultus duorum Auctorum incertus; unius certiſſimus.

ANTE MEDIUM SECULI V. *Nec Auctoris duplicis*

Nonnulli ſcriptores duos ſanctos Auctores *vel* Autores *celebrant, urbis Trevirenſis epiſcopos: & unum quidem eorum publicum habuiſſe & legitimum cultum, indubitatum eſt; an utrque, ambigitur. Browerus in Annalibus Trevirenſibus ad annum* 409 *ita ſcribit:* Primi Autoris diem depoſitionis antiqui ſtatuerunt XIII Kal. Septembris, & corpus narrant Brunſvigam tranſlatum in Saxoniam . . . Trevericus ſecundus Autor in San-maximiano martyrologio ad XV Kal. Septembris exprimitur, qui de iſto cœnobio . . . tranſlatus dicitur & quieſcere apud Tabenam S. Quiriaco aſſociatus. *Quæ ſi certa ſunt, certus eſt amborum cultus; verum qui ſunt illi* antiqui.

AUCTORE P. D.

qui PRIMI Autoris diem depositionis statuerunt XIII Kal. Septembris, & corpus narrant Brunsvigam translatum ? *Ego certè hactenus nullum reperire potui : imò & memoratum diem obitûs & translationem Saxonicam* Auctori II *magis propria dixerunt scriptores per decursum citandi ; qui licèt plerique adeo antiqui non sint, iis tamen antiquiores, qui contrarium asserant, non reperiuntur.*

cultus

2 *Neque obstat, quod* S. Autor II *in Tavanam translatus fuerit : nam qui prima translatione ad Tavanenses transierat, potuit translatione alterâ in Saxoniam efferri : idque revera factum testatur Petrus Mersæus in libro de Electoribus & episcopis Germaniæ pag.* 250, *dicens :* Auctor II ... in ecclesia D. Maximini tumulatur. Inde translatus post aliquot annos, in Thabenam super Sarram fluvium repositus est. Reliquiæ S. Auctoris per quamdam nobilem fœminam, Gertrudis nomine ... Treviri translatæ sunt Brunsvicum. *Quæ Mersæum ex traditione communiori hausisse, ostendunt sequentia.*

B *legitimus,*

3 *Primò Acta translationis tum nostra, tum ea, quæ affert Leibnitius, Saxoniam illius reliquiis decoratam narrant, qui obiit* XIII *Kal. Septembris : obiit autem* Auctor II (*ut dicam num.* 22,) *alterius dies emortualis ignoratur.* 2°. *Grevenus & fasti Lubeco-Colonienses illum* in Brunswich per translationem requiescere traduut, *qui colitur* XX *Augusti : colitur autem* Autor II, *ut dicam num. citato.* 3°. *Biographus* S. Auctoris, *de quo infra, successorem S. Legontii tradit in Saxoniam elatum : successit autem* Auctor II, *ut scribunt omnes. Hallucinatur quidem biographus hic quamplurimùm cùm res à sua ætate remotissimas narrat : attamen traditionis, suo tempore de translatione hac vigentis, testis est non omnino inidoneus.*

satis probatur,

4 *At, inquiet nonnemo, translatio Saxonica incidit in annum* MCXIII : *atqui* litteræ San-maximianæ sequentibus annis meminere S. Auctoris velut adhuc in Tabena existentis, *ut anno* 1646, XXIX *Decembris ad Bollandum nostrum Luxemburgo scripsit R. P. Alexander Wilthemius : ergo qui in cœnobio Tabanensi seu Tavanensi depositus est, is in Saxoniam non est translatus.* C *Respondeo, in litteris illis facilè locum habêre, quod & alibi sæpè usuvenit, ut Sancti Tavanæ quiescentis fiat mentio, quia ipsius reliquias notabiles locus illè adhuc servabat : est enim credibile, sacra ipsana non ita à possessoribus Tavanensibus fuisse dimissa, ut nihil eorum sibi retinuerint.*

nec martyrium illius, qui dicitur primus ;

5 *Verùm, inquies,* Auctorem II *venerationem publicam nactum, dicetur infra : atqui & Auctor I, Sanctus est : martyrium enim subiit ; ut apud Marianum Scotum ad annum Christi* 100 *testatur Methodius, de sexdecim primis S. Materni successoribus, quos inter & hic Auctor, aliisque plurimis ita enuntians ;* Non solùm in propria provincia, sed & in extremis & ultimis industrii & illustres, non solùm confessione sed & martyrio existentes, regna etiam tyrannorum vicerunt. *Respondeo, Methodii hujus testimonium non sufficere. Qui scriptorem hunc cum Methodio Patarensi confundunt, falluntur : nam Patarensis antistes circa annum* 300 *martyrium consummavit : alter autem tempore posteriorem ipse se insinuat, quando apud Marianum ad annum* 480 *ait S. Augustinum* obiisse anno VIII imperii Theodosii junioris. *Imò seculo octavo, si recentior non sit, certè antiquior non videtur : nam temporum intervalla metitur ab Incarnatione Christi : qui mos computandi octavo tantùm seculo usu receptus est. Cùm autem Auctor I seculo secundo vel tertio vixisse perhibeatur, liquet sine scrupulo non admitti ea, quæ de ipso Methodius affert.* D

quemtamen minimè vixisse

6 *Multò longiùs, quàm ego hactenus, progreditur Calmetus, qui in Dissertatione de archiepiscopatu Trevirensi, præfixa tomo* I *Historiæ Lotharingiæ, pag.* VII *contendit, Auctorem I, omnesque episcopos alios, qui S. Maternum inter & S. Agricium à Trevirensibus collocantur medii, etiam è numero vivorum eradendos. Duplex hanc in rem argumentum idiomate Gallico ita proponit :* Antiquum Ms. S. Matthiæ, quod in ea abbatia vidimus, de his S. Materni successoribus non loquitur. Præterea scriptor, qui gesta Trevirorum sub initium seculi duodecimi composuit, asserit disertè, B. Agricium quartum esse Trevirensium episcopum, quorum nomina habebantur cognita. *Unde concludit Calmetus, ante S. Agricium, qui floruit anno* 314, *nullos Treviris sedisse episcopos, præter SS. Valerium, Eucharium & Maternum.* F

non evincit Calmetus ;

7 *Verùm quos allegat scriptores Calmetus, tantæ non sunt auctoritatis vel ætatis, ut iis alii non possint opponi. Nam ut incipiam à scriptore, qui sub initium seculi* XII asseruit disertè, B. Agricium quartum esse Trevirensium episcopum, quorum nomina habebantur cognita, *ei opponuntur Marianus Scotus anno* 1086 *defunctus, & Mariano antiquior Methodius, qui quindecim episcopos, inter S. Maternum & Agricium medios enumerant, ut Marianum ad annum Christi* 100 *legenti manifestum est. Ad hæc, præter SS. Valerium, Eucharium, Maternum, & Agricium, alios seculo undecimo antistites fuisse cognitos ostendit catalogus, de quo Bollandus tom.* III *Feb. pag.* 393 *ita loquitur:* S. Materno S. Auspicius successit .. Huic S. Celsus, ut constat ex catalogis, quos *cùm alii, tum nominatim* exhibet Ms. codex sereniſſimæ reginæ Sueciæ, in quo nomina pontificum Treverice urbis ad Egilbertum usque enumerantur, ut sub eo proinde liber exaratus videatur. Fertur autem Udoni successisse Egilbertus anno MLXXIX. *Ex dictis responsio quoque habetur ad allegatum à Calmeto Ms. S. Matthiæ. Hoc enim licet antiquum, monumentis tamen citatis antiquius non ostenditur. Aliud præterea argumentum Calmetus petit à fidei lumine, Galliis illato serius, quàm ut locus sit episcopis pluribus, qui S. Maternum inter & Agricium medii scribuntur. Verùm illud jam pluries ab aliis solutum est, quàm ut morari nos debeat.* F

quamvis forsitan cum alio sit confusus.

8 *Placet interim conjectura Calmeti, arbitrantis nonnullos aliarum ecclesiarum præsules confusos cum Trevirensibus, hosque inter* Auctorem I *eumdem esse cum episcopo Metensi synonymo, de quo actum est ad diem* X *hujus mensis. Etenim ex episcopis viginti & uno, quos S. Maternum inter & Agricium Trevirenses collocant, octo aliunde accersitos, verosimillimum ostendit Henschenius in Exegesi de episcopatu Tungrensi. An non sit sors eadem nonnullorum ex quindecim qui supersunt, quis dixerit ? Mors S. Materni à Trevirensibus innectitur anno æræ vulgaris* 128; *à quo usque ad annum* 314, *quo S. Agricius Trevirensibus præfuit, fluxerunt anni* 185, *quibus implendis episcopi duodecim & etiam pauciores sufficiunt. Atque hac forte de causa Ms. S. Matthiæ & gesta Trevirensium à Calmeto allegata,*

A *gata, vel omittunt vel ignota tradunt eorum nomina, qui S. Materno usque ad S. Agricium successerunt: quia, licet antistites intermedios fuisse constaret, non tamen perinde scriptoribus constabat, quinam successissent: unde parcentes labori, quem exactius requirebat examen, tam eos præterière, qui Treviris revera rexerant, quam alios, qui aliunde fuerant in catalogos intrusi.*

9 *Cæterùm ut satis certus non est cultus gemini Auctoris Trevirensis; ita alterutrius longè certissimus est & celeberrimus: ostendent id per decursum translationes creberrimæ, dies festi indicti, supplicationes habitæ, templa extructa, munera oblata. Nunc pauca ex Martyrologiis delibo. Hagenoyense ad hanc diem ita habet:* Treviris S. Auctoris episcopi & confessoris. *Antverpiense, Ultrajectense, Leydense, Lovaniense:* Ipso die S. Auctoris Trevirorum episcopi. *Editio Lubeco-Colonienſis paullo est auctior:* Treviris B. Auctoris episcopi & confessoris, qui in Brunswich per translationem requiescit. *Idem quoad rem est textus Greveni & aliorum. Quamvis autem hæ annuntiationes distinctè non exprimant* Auctorem II, *ei tamen ipsas esse applicandas, ostendunt sequentia.* 1°. *Joannes Enen recensens* nomina Sanctorum diœcesis Trevirensis, *ait;* Auctor II XIII Kal. Septembris. 2°. *Florarium nostrum ad eumdem diem,* Apud Trevirim S. Auctoris episcopi & confessoris, hujus nominis secundi. 3°. *Scriptor Actorum, de quibus infra,* XIII Kal. Septembris *illum coli testatur, qui S. Legontio successit: successit autem* Auctor II. *Errat quidem, ut supra dixi; biographus ille, cùm res seculo quinto gestas litteris mandat: attamen cultûs, quem visu percipiebat & auditu, testis est idoneus.* 4°. *Acta translationis illum celebrant, qui obiit* XIII Cal. Septembris: *obiit autem* Auctor II: *alter quo die obierit, prorsus ignoratur. Igitur* Auctoris II *hîc solùm meminero, ad illum translationes crebras aliaque cultûs indicia relaturus: ex quibus, si quæ forsitan spectent ad alterum, poterunt confusa secerni, ubi ex melioribus monumentis veritas eluxerit.*

Auctoris II cultus fuit celebris.

C §. II. Actorum examen & castigatio; vitæ tempus, & dies mortis.

Acta ipsius, rebus gestis diu posteriora,

SAncti Amatoris *Acta submisit majoribus nostris anno* 1641 *R. P. Joannes Gamans, Societatis nostræ, excerpta, ut addit,* ex Bodecensis cœnobii ordinis Regularium S. Augustini Passionali pergameno Ms. insigni, fol. CLXXXVI, pag. A. *Titulus ipsis præfixus ita sonat:* Incipit Vita B. Auctoris archiepiscopi Trevirensis, quæ est XIII Kalendas Septembris. *Narrandi exordium ducitur ab his vocibus:* Ad illuminandum genus humanum multas in hoc mundo spirituales lucernas Dominus dignatus est accendere. *Acta autem scripta esse post annum* 1112, *sub finem biographus indicat, cùm translationis anno* 1113 *facta meminit, dicens,* B. Auctorem *cuidam viro religioso apparuisse,* eique, translationem sui corporis de hoc loco in Saxoniam imminere, indicasse, sicut ibi usque hodie collocatum magno honore veneratur. *Imò voces illæ* usque hodie *innuunt, tempus jam aliquod à translatione fuisse lapsum, cum Vita scriberetur. Cùm autem* S. Autor, *ut ostendam infrà, vixerit ante medium seculi* V, *patet biographum immani annorum intervallo ab ipso fuisse disjunctum, ut mirum non sit, Actorum valorem esse perexiguum, aut potiùs nullum: cujus aliquot specimina accipe.* AUCTORE P. D.

11 *Primò Sanctum nostrum cum Auctore episcopo Metensi, de quo actum diximus ad diem* X *hujus mensis, confundit; eumque putat, Metis per Attilam eversis, à Metensi cathedra migrasse ad Trevirensem: at alterum ab altero distingui longè est verisimilius: nam Auctor Metensis seculo nono in Alsatiam elatus est, quiescitque in Mauri-monasterio, ubi etiam hodiedum colitur religiosè & honoratur; ut in ipsius Vita testatur Meurissius in libro de Episcopis Metensibus, & Calmetus tom.* 1 *Historiæ Lotharingiæ col.* 662, *ubi & Judocum Coccium, Mabillonium, necnon Chronicon Metense citari reperies. Proinde hic Sanctus alius est à Trevirensi, anno* MCCXXIII *in Saxoniam translato. Ad hæc,* S. Auctor *Trevirensis in Actis notatur mortuus* XIII Kal. Sept.; *atqui Metensem* IV Idus Augusti, *quo & colitur, obiisse tradunt varii catalogi Mss., ut apud Calmetum tom.* 1 *Historiæ Lotharingiæ, sub finem operis pag.* 79 *videre est, & maximè pag.* 80, *ubi adducit catalogum desumptum ex pontificali & canone Missæ, & conditum tempore Caroli M.* *personarum confusione,*

12 *Præterea erroris plena sunt sequentia:* Eodem tempore Martinus Turonensis, Maximinus Treverensis, Trebedus Wormacensis apud Coloniam Effrata *seu* Euphratam Coloniorum præsulem .. deposuerunt .. inter quos præsules Christi clarissimos B. Auctor velut aureum emicuit sidus. Tempore *concilii Agrippinensis, in quo Euphratas depositus traditur, S. Martinus tantùm erat catechumenus: quomodo ergo in causa fidei judex sedit? Eidem synodo* Victor Vangionum *seu Vormatiensium subscriptus legitur; cur ergo obtruditur* Trebedus; *cujus ne nomen quidem inter episcopos Vormatienses notum est? His erroribus mox miscetur antilogia; dum Attilæ anno* 451 *Gallias vastanti ille scribitur synchronus; qui jam anno* 346 inter præsules Christi clarissimos velut aureum fidus emicabat, *atque adeo ætatem tum attigerat aliquanto provectiorem.* *antilogia,*

13 *De ipso Attila quas fabulas secutus est?* Attilas, *inquit,* rex Hunnorum, devictis Galliis, Theodosio imperatore defuncto, Trevirim ecclesiam devastaturus pugnabat ad portam. Desuper B. Auctor hostem redarguens, Quisnam tu es, inquit, qui terras demoliris nostras, gentemque perturbas? Cui rex ... furiis exagitatus respondit: Ego sum Attilas flagellum Ecclesiæ, Domino sic volente. Hoc audito B. Auctor, suum confortans populum, aperiri portas jussit ei: ille autem cum omni exercitu suo à porta in portam transivit, habens ex utraque parte quasi murum, & tenebras adeo densas, ut neminem videret, nec cuiquam noceret. *At auctor de gestis Francorum à Ragio in Critica ad annum* 451 *num.* 17 *citatus, de Hunnis, quorum dux erat Attila, scribit:* Chuni Rhenum transierunt, Mettis succenderunt, Treviris destruunt, Tuncrus pervadunt, usque Aurelianis pervenientes. *Non ergo* Attila cum omni exercitu suo à porta in portam transivit, neminem videns, nemini nocens. *aliisque fabulis*

14 *Insuper, habitum cum Attila sermonem, secutumque prodigium, personis & loco mutatis, scriptor mutuatus est ex Actis S. Lupi, in quibus tom.* VII *Julii pag.* 79 *num.* 45, *ea Trecis S. Lupum inter & Attilam accidisse narrantur,* *sunt fabulæ.*

AUCTORE P. D.

quæ ad portas ipſe Trevirenſes tranſtulit. Fabulis quidem fœdata ſunt & hæc ipſa S. Lupi Acta; ſed tamen noſtris multò antiquiora : ut facilè judicatu ſit, uter biographus furti ſit reus : cujus en ſpecimen aliud : Ejuſdem corpus (*ita ſub finem Actorum legitur*) cum in monaſterio B. Maximini . . . eſſet humatum, vir quidam religioſus . . . acceſſit juxta . . . cumque verſum illum Pſalmographi diceret ; Exultabunt Sancti in gloria ; mox ab intus vocem ſubjungentis audivit ; Lætabuntur in cubilibus ſuis. *Metis contigiſſe omnia hæc circa ædem S. Felicis, narrat Paulus diaconus in libello de epiſcopis Metenſibus : & quamquam fieri poſſit, ut res eadem locis accidat & perſonis diverſis, meritò tamen oppoſitum ſuſpicamur, dum in ſcriptores incidimus, quorum popularis traditio dux eſt & auctor.*

an S. Servatius Attilæ fuerit ſynchronus,

15 *Gravior hìc moveri poſſet difficultas ; erretne biographus noſter, dum non tantùm Auctorem Metenſem Attilæ contemporaneum ſtatuit, ſed & S. Servatium Tungrenſem epiſcopum : verùm ad finèm in hoc Commentario præfixum quæſtio hæc parum confert : cùm ex dictis manifeſtum ſit ſatis, Acta noſtra nullius eſſe momenti. Operæ tamen pretium duxi, obiter unum alterumve argumentum attingere, quo Pagius in Critica ad annum* 451 *eorum ſententiam confirmat, qui duos SS. Servatios diſtinguunt, & alterum horum cum B. Auctore Metenſi, tempore Attilæ, floruiſſe contendunt. Num.* 47 *Pagius pro ſuâ hac opinione adducit Paulum Diaconum in libello de epiſcopis Metenſibus, & ab eo quidem ſententiam Pagii apertè tradi, nefas eſt inficias ire. At quid ſi Paulus tempora Attilana cum aliis perperam confuderit ?*

B

obiter

16 *Certè cladis Attilanæ circumſtantias cum aliis confudit, cum dixit, murum civitatis Metenſis S. Servatio ex ea egreſſo,* corruiſſe, ingreſſumque hoſtibus, *Attilæ ſcilicet ejuſque militibus,* divina diſpoſitione patefeciſſe. *Nam prodigioſum hunc lapſum murorum ſcriptores antiquiores ad tempora alia retulerunt, ut inſinuat Aimoinus de geſtis Francorum lib.* 3 *cap.* 1 ; *ubi agens de diviſione regnorum, facta inter filios Clotharii, ait :* Sigeberto Mediomatricum (quæ & Metis) ceſſit . . . urbs famoſa & inclyta . . . de qua quid in VETERUM reperimus libris, paululùm intermiſſa re cœpta, in medium proferamus. Cum gens Wandalorum, junctis ſibi Suevis & Alanis, Gallias populatum ire deſtinaſſet, Chrocus rex ipſorum . . . curſum itineris ad Metenſem urbem deflexit, cujus muri, nocte, quæ diem adventûs ejus præcedebat, DIVINO NUTU SPONTE RUENTES, viam irrupturis aperuerunt. *Adde quod Fredegarius Scholaſticus in fragmentis à Ruinartio collectis pag.* 711, *ex Idacii Chronico aliiſve monumentis proferat ſequentia :* Chrocus rex Wandalorum cum Suevis & Alanis egreſſus de ſedibus .. Mettis pervenit, ubi murus civitatis DIVINO NUTU PER NOCTEM RUENS, capta eſt civitas à Wandalis.

C

attingitur,

17 *Potuerunt, fateor, urbis Metenſis mœnia bis corruere : at verius eſt, locum hic habere illud, quod Meuriſſius lib.* 1. *de Epiſcopis Metenſibus pag.* 46 *rectè ſcribit :* Noſtri hiſtorici in eumdem, *in quem* & *multi alii,* inciderunt errorem : ad unam è multis perſecutionibus retulerunt omnia, quæ ſub diverſis evenere, & tempore diverſo : & Attilanæ quidem, præ reliquis notabili, clades omnes adſcripſere urbis Mettenſis : *quod quàm in Paulo Diacono verum ſit, colligi poteſt ex Chronico Idacii, de Hunnis, quos Attila ducebat, dicentis :* Gens Hunnorum, pace rupta, deprædatur provincias Galliarum, plurimæ civitates effractæ : in campis Catalaunicis . . . haud longè de civitate, quam EFFREGERANT, Mettis . . . aperto marte confligens, divino cæſa ſuperatur auxilio. *Non igitur ſua ſponte* corruerunt *muri Mettenſes tempore Attilæ, ſed, non aliter ac mœnia alia,* effracti *ſunt.*

D

ſoluto duplici

18 *Num.* 11 *Pagius pro ſua opinione ita loquitur :* Ipſemet Harigerus in Actis S. Servatii hos verſus in eam inſeruit, qui duos Servatios eum in unum confundere, manifeſtiſſimè demonſtrant :

„ Talibus eccleſiæ fautoribus undique firmæ,
„ Obſtant imbriferis vento quatiente procellis,
„ Deſuper & petram nequeunt trepidare ruinam.
„ Et de hoc „ inquit Harigerus „
„ Specialiter beato viro inter alia :
„ Servatius, ſervando fidem, ſervat pereuntem
„ Orando populum, confortans forte Trajectum.
„ Et beatus Lupus „ ſubdit Harigerus „
„ Tricaſſinæ urbis epiſcopus
„ Dum bella cuncta perderent
„ Orando Trecas muniit.

E

Quare ex ipſomet Harigero habemus, diſtinguendos duos Servatios ; cum qui S. Lupo, hoc tempore epiſcopo, æqualis fuit, non poſſit is eſſe, qui anno CCCXLIII concilio Colonienſi ſubſcripſit. *Ita ille.*

Pagii argumento,

19 *At quid ſi poëta, cujus verba recitat Harigerus, non illos ſolos canat heroas, qui tempore Attilæ Eccleſiam tutati ſunt ; ſed agat univerſim de omnibus, qui pro Eccleſia pugnarunt longo illo annorum intervallo, quo Gallia barbaris patuit ? Tum ſane nullatenus conſequens erit, SS Lupum & Servatium fuiſſe tempore æquales. Rem illuſtremus exemplo. Si quis, commemoratis hæreſibus, quæ diverſis ſeculis pullularunt, ſubdat, illis ſe oppoſuiſſe Ambroſium, Auguſtinum, Leonem I, & Gregarium magnum, non eo ipſo ſignificatum volet, hos omnes pugiles, ita ætate fuiſſe vicinos, ſicut ſuſceptis pro fide certaminibus pares erant! Præterea verſus hi,* dum bella cuncta perderent, orando Trecas muniit (*diverſi à reliquis ſunt metri, &*) *proinde vel non ejuſdem poëtæ, vel ſaltem non eodem ex contextu excerpti : unde veriſimile ſit, inter Eccleſiæ fautores, qui verſu heroïco canuntur imbriferis procellis obſtitiſſe, S. Lupum non comprehendi, neque adeo ætate S. Servatio æqualem ſtatui ab antiquo poëta. Æqualem autem putaverit Harigerus parùm refert : cùm eumdem diſſociata ſociaſſe, Pagius ipſe ſæpius afferat.*

F

quo Henſchenium oppugnat.

20 *Sed hæc plus quam ſatis, quæ latius diſputata poſſunt videri apud Cointium, Valeſium, Tillemontium & Henſchenium noſtrum, qui ad diem* XIII *Maii pro uno Servatio pugnat, cujus mortem innectit anno* 384 : *circa quem Hunnos in Gallias irrupiſſe, probat ex verbis Maximi, qui cùm in Galliis tum tyrannum ageret, apud S. Ambroſium, legatione pro Valentiniano fungentem, conqueſtus eſt, quod* Bauto comes barbaros ſibi immiſiſſet. *Conatus eſt quidem S. Ambroſius factum hoc extenuare, oſtendendo Hunnos in partes Galliæ interiores non irrupiſſe : non tamen ipſius limites cladem paſſos, inficias ivit : ut proinde credibile ſit, initium tum habuiſſe ſtrages, quibus Gallias aliquando affligendas S. Servatius Romæ intellexerat. Atque hæc Henſchenii ſententia ſi vera ſit, conſequens eſt, & in eo quoque aberraſſe biographum, quod* S. Auctorem

&

A *& Servatium Attilæ ſcripſerit ſynchronos. Verùm ut aliter ſe res habeat, nihilominus, ut ſupra oſtendi, nullius Acta ſunt valoris. Cùm tamen alia ad manum non ſint, imprimere eadem cogimur, aliunde interim de* S. Auctore *nonnulla certiora collecturi.*

Vixit S. Auctor ante medium ſeculi V; 21 *Ad ætatem ipſius quod ſpectat, in catalogis quibuſdam epiſcoporum Trevirenſium numeratur ſecundus, in aliis tertius à S. Felice; quem anno* 398 *epiſcopatum abdicaſſe, dictum eſt tomo* III *Martii pag.* 621: *ut proinde initium epiſcopatûs ſeculo quinto innectendum ſit: Duratio ultra annum* 447 *nequit extendi: nam tum S. Severus,* B. Auctoris *ſucceſſor, munus epiſcopale Treviris adminiſtrabat; ut colligitur ex tom.* III *Julii pag.* 197; *ubi anno* 447 *innectitur ſecunda S. Germani in Britanniam expeditio; adeoque & S. Severi epiſcopatus: cum is S. Germano iverit comes,* tunc Treviris ordinatus epiſcopus, *ut Conſtantius in Vita S. Germani lib.* 2 *cap.* 1 *loquitur. Recenter tum conſecratum fuiſſe S. Severum inſinuant forſan voces illæ,* tunc ordinatus: *quæ conjectura ſi locum habet, mortem* S. Auctoris *anno* 447 *aut proximè præcedenti licet alligare.*

B

obiit 22 *Diem obitûs Joannes Enen lib.* 2, *cap.* 8 *ita docet:* Poſito ad patres B. Felice, feliciſſimo Trevirorum archiepiſcopo .., Mauritius XXXIII cathedram epiſcopalem conſcendit: poſt quem Legontius ſubiit miniſterium ſacerdotale XXXIV . . : Huic ſuccedit B. Auctor XXXV, qui ex epiſcopo Metenſi in archiepiſcopum Trevirenſem electus & conſtitutus fuit, vir per omnia honeſtæ vitæ atque laudabilis, augens merito, quod in nomine habebat. S. Servatius Tungrenſis epiſcopus juſſu B. Petri Apoſtoli huic Auctori adventum Hunnorum in Gallias patefecit, dum adhuc præſideret eccleſiæ Metenſi, in qua plura miracula operatus eſt: demum aucturus ruinam Angelicam ad XIII Kal. Septembris carnis debitum ſolvens, tumulatur in eccleſia B. Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ in campo Martis, quam beatiſſimus Agritius fabricaverat & monachorum agmine adornaverat. Tandem emenſis pluribus annis, tranſlatus eſt ad Thabenam villagium ſupra Sarram fluvium ad ditionem pertinens ejuſdem cœnobii. Poſt hunc epiſcopus XXXVI ordinatur ſanctus Severus.

C

die XX *Auguſti.* 23 *Eumdem mortis diem ſignant Acta tranſlationis tum noſtra tum Leibnitiana, convenitque cultus eodem die notatus ab omnibus, ſi auctorem martyrologii San-Maximiani exceperis, à quo, ut Browerus ſupra num.* 1 *citatus teſtatur, ſignatur* XV Kal. Septembris: *quæ varietas an ex tranſlatione tum peracta, an aliunde nata ſit, ignoro. Attamen Merſæus aliud mortis tempus videtur indicare.* S. Auctor II, *inquit pag.* 250, ex epiſcopo Metenſi archiepiſcopus Trevirenſis conſtitutus eſt, vir honeſtæ atque prorſus laudabilis vitæ. Carnis debitum .. ſolvens XIII Septembris in eccleſia D. Maximini tumulatur. *Verùm arbitror per inadvertentiam ſcriptum* XIII Septembris *pro* XIII Kal. Septembris: *quæ enim ſcribit Merſæus, mutuatus eſt, ut patebit verba conferenti, ex Joanne Enen, apud quem legitur* XIII Kal. Septembris, *non* XIII Septembris. *In Actis tranſlationis, quæ Maſenius apud Browerum ad annum* 1113 *num.* 41 *in compendium redegit, Sanctus noſter* V Iduum Decembris *obiiſſe traditur: at & hîc error eſt ex confuſione, ut apparet, natus, quâ* S. Auctori *affingitur dies emortualis Gertrudi, Saxoniæ duci, pro-*

prius, quæ V Iduum Decembris *defuncta in Actis noſtris notatur. Cæterùm quæ de epiſcopatu Metenſi Joannes Enen & Merſæus ſcribunt, corrige ex num.* 11, *quos tamen ne diſſenſionis arguas, quòd alter in eccleſia S. Joannis Apoſtoli Sanctum tumulatum ſcribat; alter in eccleſia S. Maximini: nam idem utriuſque eſt ſenſus: cum quæ olim S. Joannis, dein S. Maximini eccleſia appellari cœperit.* AUCTORE P. D.

§ III. Tranſlatio multiplex; Acta tranſlationis Saxonicæ.

Ex tranſlationibus

EX *eccleſia S. Maximini tranſlatum in* Tavanam *S. Epiſcopum teſtantur ſcriptores citati num. præcedenti, & num.* 1. *De Tavana Mabillonius in Annalibus ad annum* 966 *num.* 6 *hæc commemorat:* Florebat eo tempore in Trevirenſi S. Maximini monaſterio Wiggerus abbas, qui hoc anno .. CMLXVI ſupremum diem abſolvit ... Illud inter ejus geſta præcipuum, quod monaſterium apud Tavanam, haud procul à Saræ fluminis ripa, undecim fere ſupra Treviros paſſuum millibus excitavit, viginti cœnobitis eò deductis, ubi hactenus S. Maximini præpoſitura eſt. *Ex quibus duo colligas: primum, ex S. Maximini monaſterio ſacras reliquias potuiſſe facilè ob profeſſionis agnationem in Tavanenſe efferri. Alterum, tranſlationem hanc ſeculo nono non eſſe anteriorem: cùm Tavanenſi cœnobio tunc initium tantùm datum ſit. Depoſita novo in loco lipſana ſingulariter coluit, colique teſtatus eſt Henricus V imperator in diplomate, dato anno* 1112, *in quo* firmiter interdicit, ut nullus auferre præſumat bona famulis Dei in cellula, quæ Tavana dicitur, Deo ſanctiſque Chriſti confeſſoribus Authori & Quiriaco inſervientibus. *Qua ratione corpus S. Quiriaci Tavanam elatum ſit, videri poteſt tom.* I *Martii pag.* 425.

E

variis reliquiarum

25 *Cæterùm non ita Sancti noſtri reliquiæ omnes ex S. Maximini eccleſia eductæ ſunt, ut earum nihil remanſerit: nam anno* 1105 *Tietmarus abbas Hemelſverdhuſenſis* brachium *ipſius ibidem impetravit, in ſuum cœnobium deferendum, & biennio elapſo rurſus obtinuit* teſtam ſuperiorem capitis, *ac* duo de majoribus membris, *ut legitur tom.* III *Maii in Actis S. Modoaldi; quibus hujus tranſlationis hiſtoria, cum miraculis, eam vel comitatis vel ſubſecutis, inſerta eſt. Porrò cùm adituus S. Maximini, qui Tietmaro* teſtam ſuperiorem capitis .., *ac* duo de majoribus membris *anno* 1107 aſſignavit, conteſtatus *ſit*, ejus apud ſe, excepta modica portione, NIHIL amplius haberi, *ut in Actis mox citatis pag.* 72 *habetur, conſequens eſt, ut tranſlatio corporis in Tavanam annum proximè citatum præceſſerit (quamquam quo contigerit, prorſus maneat incertum.) Qua enim alias ratione adituus,* ejus apud ſe nihil haberi, conteſtatus *foret? Quo theſaurus reliquiarum, à Tietmaro obtentus, poſtea pervenerit, Schatenus in Annalibus Paderbornenſibus pag.* 670 *explicat his verbis:*

F

in diverſa loca, 26 Largus .. fuit Thietmarus in cœnobium Abdinghovianum, & eccleſiam Paderbornenſem, magnamque ſacrorum pignorum partem Gumberto Abdinghoviano abbati donatam tranſmiſit. Hoc nimirum illud ex Abdinghoviano tabulario ſcriptum docet." Thietmarus Helmwardeshuſanus abbas ... conceſſit abbati Gumberto ... & univerſæ Paderbornenſium eccleſiæ ex ſacrario B. Petri

AUCTORE P. D. Apoſtoli pretioſiſſimas Sanctorum reliquias, quæ ſibi divina diſpoſitione .. collatæ ſunt ab eccleſia Trevirenſi atque Colonienſi, auctoritate . . . archiepiſcoporum atque abbatum .... ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & augendum atque dilatandum honorem . . . eorumdem Sanctorum .. Integrum corpus unius SS. Virginum .., de corpore S. Auctoris archiepiſcopi, Bonoſii, atque Abrunculi archiepiſcoporum ,,. Demum (*ſubdit Schatenus*) omnis ille ſacrorum theſaurus, poſtquam .. Lutheri ætate poſtremus Helmwardeshuſanus abbas cum monachis ducta uxore tranſiit ad hæreſim, Erici epiſcopi Paderbornenſis (*qui obiit anno* 1532) induſtriâ ſubtractus ſervatuſque ceſſit Paderbornenſi eccleſiæ.

27 *Anno* 1113 *ſucceſſit tranſlatio celeberrima in Saxoniam, de qua Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum eumdem ita habet:* Prænotato anno Gertrudis comitiſſa de Northeim relicta Heinrici comitis, qui Burſfeldiam, ut ſupra diximus, fundavit, vidua, mulier dives, potens, & Chriſto devotiſſima corpus S. Auctoris à Brunone Trevirorum archiepiſcopo ſuis precibus impetravit. Quod cum honore maximo transferens in Saxoniam extra muros oppidi Brunſchwicenſis, in eo loco repoſuit, ubi poſtea monaſterium S. Ægidii conſtructum fuit. Cum enim perveniſſet memorata Chriſto devota mulier cum ſacris reliquiis in prædictum locum, repentè immobiliter fixæ hæſerunt, ita ut nullâ arte, vel ingenio deportari ulterius ab aliquo potuiſſent. Comitiſſa igitur ſtupefacta miraculo, & accepto prudentium virorum conſilio, cœnobium Ordinis noſtri permagnificum in eodem loco, adjuvante Lothario Duce poſtea Imperatore, qui filiam ejus habuit uxorem, conſtruxit, in quo monachos ſub regula D. P. Benedicti militantes & abbatem collocans, multa eis bona pro ſuſtentatione hujus vitæ aſſignavit: eccleſiamque ſub honore S. Ægidii conſecrari fecit, & corpus S. Auctoris in eadem collocari.

celebrior ea eſt

B

28 *Eamdem tranſlationem paucioribus narrat Paulus Langius in Chronico Citizenſi ad annum* 1123: uxor ejus *nempe Henrici comitis de Northeim, de quo egerat,* matrona devotiſſima ædificavit cœnobium illuſtre & exemplum * S. Ægidii in Brunſwig, in quo corpus S. Auctoris ep. Metenſis (*imò Trevirenſis ob dicta num.* 11) per ipſam impetratum requieſcit. *Vide etiam Merſæum citatum num.* 1. *Sed teſtes his antiquiores producamus. Arnoldus abbas Lubecenſis, qui floruit ſub finem ſeculi duodecimi, lib.* 6, *cap.* 4 *ita habet:* Auctoris archiepiſcopi Trevirenſis . . . corpus ibi (*Brunſvici*) requieſcit, quod Gertrudis marchioniſſa, Ecberti Marchionis conjux, cùm tempore viduitatis ſuæ ipſum monaſterium *S. Ægidii* fundaſſet, à Trevirenſibus multis ſupplicationibus obtinuit, & in eodem monaſterio cum aliis corporibus Thebeorum martyrum, ut nunc cernitur, in ſarcophago honorificè collocavit.

quæ in Saxoniam facta eſt:

* *l.* templum

C

cujus Acta plura

29 *Accedit hiſtoria tranſlationis, quam habemus quadruplicem. Primam accepimus ex Bodecenſi cœnobio, quæ licet Actis* S. Auctoris, *quæ ſuprà fabuloſa diximus, annexa ſit, ſcriptorem tamen habet diſtinctum à biographo: hic enim Treviris ſcripſit, ut ſub finem ipſe inſinuat, cum ait, S. Epiſcopum indicaſſe cuidam religioſo viro tranſlationem ſui corporis imminere* de hoc loco in Saxoniam. *Alter Brunſvici tranſlationem litteris mandavit: dicit enim in prologo, decreviſſe clementiam divinam, ut corpus* S. Authoris *deſtinaretur ad baſilicam* præ- D
ſentis cœnobii, *id eſt, S. Ægidii, quod conditum olim prope Brunſvicum, dein mœnibus incluſum eſt. Plura his ſimilia occurrunt per decurſum; ex quibus & illud ſuſpicor, ſcriptorem in S. Ægidii monaſterio vitam fuiſſe religioſam profeſſum. Leibnitius tom.* 1, *pag.* 701 *exhibet Acta altera ex Ms. bibliotheca Juliæ; altera Maſenius apud Browerum in Annalibus ad annum* 1113 *num.* 41; *ubi aſſerit eadem ſe in compendium redegiſſe ex codice Ms. Hildeneshemio ſubmiſſo, quem, ut liber indicabat, Ludulfus Aſſis anno* MCCC *conſcripſerat.*

recenſentur;

30 *Memoratæ tres hiſtoriæ tam ſibi ſunt ſimiles quoad rerum ſubſtantiam, ordinem, ſententias, voces, ut non dubitem, quin ab eodem auctore ſint natæ; quamvis Leibnitiana, prout nunc extat, ſit Bodecenſi contractior.* Relatio priſca *vel* veridica traditio *ſcribenti dux fuit, ut ipſe ſub initium teſtatur. De ætate ipſius antequam quid definiam, notandum eſt, eum qui Acta tranſlationis conſcripſit, ſcripſiſſe quoque miracula* S. Auctoris, *ut colligitur ex epilogo miraculis* E
ſubnexo, in quo num. 24 *auctor Brunſvicenſes monet,* quatenus ea, quæ prælibavit ... de TRANSDUCTIONE & ADVENTU, necnon de aliquantula SIGNORUM oſtentatione beatiſſimi . . . Auctoris, concorditer lectitent. *Hiſce præmiſſis, auctoris ætatem licet colligere ex num.* 18, *ubi, narrato ſermone, habito inter archiepiſcopum Trevirenſem & cuſtodem ſeu adituum S. Ægidii, qui ambo obſidioni urbis Brunſvicenſis anno* 1199 *præſentes aderant, auctor ita proſequitur:* Cuſtos . . . gratiſſimum nuntium *ex archiepiſcopo intellectum,* retulit fratribus ſuis & nobis contradidit deſcribendum. *Unde ſequitur* 1°., *ſcriptorem anno* 1199 *non eſſe anteriorem; cum, quæ facta tum ſunt, narret. Sequitur* 2°., *ipſum ab anno* 1199 *non fuiſſe omnino ætate remotum: cùm res anno eodem geſtas ei* contradiderit deſcribendas *vir, qui tum erat* cuſtos *ſeu adituus, atque adeo ætatis ſaltem mediocriter provectæ. Sequitur* 3°., *Ludulfum Aſſis, quam, teſte Maſenio, anno* 1300 *ſcripſit tranſlationis narrationem, hanc ex hiſtoriographo anteriore eſſe mutuatum: cùm ſatis veriſimile non ſit, cuſtodem, qui anno* 1199 *ætate florebat, Ludulfo Aſſis quidpiam* contradidiſſe deſcribendum *anno* 1300.

& ſcriptorum ætas explicatur.

F

31 *Quartam tranſlationis hiſtoriam legere eſt in Ms. bibliotheca Guelferbytanæ, rhythmis Saxonicis exarato, quod* Chronicon principum Brunſvicenſium *inſcribitur, impreſſumque eſt à Leibnitio tom.* 3 *pag.* 1. *Auctor opuſculi floruit tempore Alberti I, ducis Brunſvicenſis, quem ad annum* 1279 *tamquam recenter mortuum deplorat. Placet multùm tum brevitate ſua, tum fide ſcriptoris, qui ex antiquioribus monumentis ſua paſſim depromit, & ab incertis diſcernit certiora: unde, quidquid affert, ab Arnoldo, Trithemio & Paulo Langio ſuprà allegatis, fere videas confirmatum.*

Tria actorum apographa

32 *Non ita ſe res habet in relationibus aliis, ut patet ex mirabili illo modo, quo corpus* S. Auctoris *à Gertrude narrant tranſlatum. En tibi illum ex Ms. bibliothecæ Juliæ; quod, ubi Gertrudis narravit adventum in urbem Trevirenſem, ita pergit:* Horâ quaſi ſextâ celebratis Miſſarum ſolemniis, monaſterium (*Ordinis S. Benedicti*) ingreditur. Cuſtos verò ejuſdem loci conſueto more angulos monaſterii perluſtrat, ut caveret, ne forte quiſpiam furti anxius alicubi lateret. Invenit reverendam Gertrudim, in orationibus

A tionibus proſtratam, qui eam ſurgentem excepit lætanter, & ipſi ductæ de ambitu ad ambitum, inter alias tumbas multorum, tumulum S. Auctoris, loco ſibi per revelationem oſtenſo (*monſtravit*) aſſerens: XIII Kal. Septembris migravit ad Chriſtum. Interea ſecundo ſigno dato, ad menſam cuſtos pranſum ivit, non habens ipſam ſuſpectam (ſimulabat enim velle orationi vacare) eam cuſtodem pro ſe reliquit. Statim ad exitum ipſius, foribus eccleſiæ peſſulo ſeratis, matrona virum induens, pallâ depoſitâ, cum ſequacibus ſuis lapidem grandem cum inſtrumentis aptis ſecum deportatis de tumulo amoverunt, & ſarcophagum B. Auctoris cum reliquiis BB. Bartholomæi, Thaddæi, Mauricii, Coſmæ, duorum Thebæorum, Florinæ virginis ac martyris, & aliorum Sanctorum ibi reconditis ſuſtulerunt, & lapidem, ut meliùs poterant, accelerantes reaptaverunt, & baptillis * demtis de univerſis campanis, ut confuſionem præcaverent, reliquias fortibus & admiſſis equitaturis ſarcinatas curſu concito aſportabant.

* *i. e.* clavis ferreis æris Campani

B 33 Conventu equidem pranſo, cum gratiarum debita actione properant ad monaſterium, laudes Domino reddituri: & cuſtos præcurrens primò leviter digito oſtium tangit, ſecundò manûs impulſu, tandem toto pugno pulſat; & cum non proficeret, conſcius conventûs malum eveniſſe, oſtium ſecuribus & contis confringunt, .. comperientes per lapidem inordinatè repoſitum, ſe ipſis reliquiis ſpoliatos, tacti dolore accelerant compulſare à confuſione, ut cives inſequerentur. Æramenta autem mota nullum ſonitum dederunt: unde magis moti baptillos ... ſparſim repertos campanis reimponunt: quibus compulſatis, & Trevirenſibus convocatis ... tam ſacros ſacrilegos inſequuntur. Et cum jam ad ſpatium unius leucæ appropinquaſſent, ipſis accidit mira res, & ſequentes à fugientibus nutu Dei per ſpatioſum intervallum convenienter ſunt avulſi: quod accidit tribus vicibus.

tranſlationis modo

34 *Ita bibliothecæ Juliæ apographum; cui quoad ſubſtantiam conſonant codex Bodecenſis, & Hildeshemenſis, præterquam quod hic taceat prodigium illud*, quo fugientes à perſequentibus tribus vicibus ſunt avulſi, videntes autem perſequentes, ſe fruſtra contra ſtimulum calcitrare, ad propria ſunt reverſi. *Verùm ſeu hæc addantur, ſeu prætermittantur, narratio tota diſſentit à ſcriptoribus citatis num.* 17: *ubi Paulus Langius teſtatur* corpus S. Auctoris à Gertrude impetratum, *Trithemius* ſuis precibus impetratum, *Arnoldus abbas Lubecenſis, Actorum noſtrorum ſcriptoribus antiquior*; multis ſupplicationibus obtentum, *ac proinde non furtivè & clam elatum. Gertrudem dolo uſam etiam Chronicum principum Brunſvicenſium affirmat: at qualis fraus fuerit, tacet: unde cum aliis ſcriptoribus facilius conciliatur: quia dolus potuit preces comitari, ut facilius ſuperaretur difficultas, quæ in conſequendis Sanctorum corporibus tum Treviris erat maxima, ut patet legenti Acta S. Modoaldi tom.* III *Maii à pag.* 63.

à ſcriptoribus aliis diſſentire oſtenduntur.

C

35 *Caterùm licet Acta tranſlationis Bodecenſia cum aliis in modo tranſlationis vacillent, ea tamen cum miraculis annexis cùm nondum impreſſa ſint, imprimemus, additurі interim in annotationibus vel correctionis vel confirmationis gratiâ ea, quæ de tranſlatione habet Chronicon principum Brunſvicenſium: ita tamen ut, dum hæc Latinè reddimus, ſenſum liberaliùs ſequamur, minuſque aſtringamur vocibus; quibus*

Unum tamen eorum imprimetur.

vel non ſatis aptis vel ſuperfluis uſus eſt poëta Saxo, ita cogente neceſſitate explendi rhythmi. Sed antequam eò progrediamur, nonnulla quæ ad Sancti cultum & miracula ſpectant, neceſſe præmittere.

AUCTORE P. D.

§ IV. Oſſa Sancti elevata, & à criminationibus vindicata; tranſlationes aliæ.

Tranſlationem ſubſecuta eſt ſingularis veneratio & oſſium elevatio;

T*Ranſlationem Saxonicam conſecuta eſt ſingularis apud Brunſvicenſes veneratio, ut teſtatur Leibnitius Introductionis in tomum* I, *num.* 42. Magna, *inquit*, Autoris epiſcopi Trevirenſis apud Brunſvicenſes veneratio fuit, & nunc quoque multi hoc nomen in baptiſmate accipiunt. *Præter cultum, etiam oſſium elevationem teſtatur Henricus Meibomius in Chronico Riddagshuſenſi, ſed adjunctis contumeliis variis. En ipſius verba:* Biennio poſt (*anno* 1458) ſæculo iſto infelici in urbe etiam Brunſvicenſi cultus idololatrici accumulati ſunt: colebatur ibi ab annis plus minus CCCXL tamquam numen tutelare S. Auctor, olim, dum in vivis eſſet, Trevirenſium antiſtes, ejuſque Λείψανα ſive reliquiæ, in arca cuprea reconditæ in æde divo Ægidio ſacra, religioſè aſſervabantur. Huic ſuo idolo, abbas ejus loci Johannes, ex oblationibus & eleemoſynis opulentior factus, plus honoris, quam ab anteceſſoribus factum eſſet, tributurus, oſſa carioſa viliori exempta in ſarcophagum argenteum repoſuit. Addidit & diem feſtum, quo & hujus & aliorum Patronorum memoria quotannis perageretur. Interfuit ſuperſtitioſo huic actui Riddagshuſanus abbas (*Matthias*) ratus debere ſe hoc religioni & viciniæ. Credibile eſt, Deum graviſſimè iſti idolomaniæ iraſcentem, mala, quæ ſubſecuta ſunt, his regionibus immiſiſſe.

E

quam Meibomius idolomaniæ inſulsè arguit,

37 *Quæ impudens Lutheri aſſecla ſcribit de* S. Auctoris *cultu ejuſque oſſium elevatione, ut vera admitto: nec enim ipſe rei hujus teſtimonium redderet, niſi certis eam monumentis conſignatam reperiſſet, cum antiqua hæc reliquiarum veneratio Lutheraniſmum, tali cultui inimicum, novitatis accuſet. Quas adjungit contumelias, ſufficienter diluit ipſa impudentia, quâ dum Brunſvicenſes idolomaniæ accuſat, etiam accuſat, quotquot prioribus Eccleſiæ ſeculis floruêre, Patres, & vixêre Chriſtiani; apud quos & frequens fuit reliquiarum Veneratio & fructus venerationis multiplex; cujus teſtes innumeros Bellarminus aliique theologi polemici adducunt. Pauca delibemus ex S. Hieronymo, qui epiſt.* 53 *ad Riparium tam accommodatè ad rem noſtram ſcribit, ut Meibomio omnia aptari poſſint, unum ſi nomen Vigilantii, quem S. Doctor ibidem pro merito exagitat, immutaveris.*

F

meritò caſtigandus

38 Ais, *inquit*, Vigilantium ... os fœtidum rurſus aperire, & putorem ſpurciſſimum contra SS. Martyrum proferre reliquias; & nos, qui eas ſuſcipimus, appellare cinerarios & idololatras, qui mortuorum hominum oſſa veneremur. O infelicem hominem & omni lacrymarum fonte plangendum! qui hæc dicens, non ſe intelligit eſſe Samaritanum & Judæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent ... Honoramus .. reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt martyres, adoremus: honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum.

AUCTORE P. D. *tum verbis D. Hieronymi,*

39 *Et S. Doctor poſtea proſequitur:* Dolet (*Vigilantius*) reliquias pretioſo operiri velamine : & non vel pannis vel cilicio colligari & projici in ſterquilinium ... Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum baſilicas ingredimur ? Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei Conſtantinopolim tranſtulit, apud quas dæmones rugiunt & inhabitatores Vigilantii illorum ſe ſentire præſentiam conſitentur ? Sacrilegus & nunc dicendus eſt Auguſtus Arcadius, qui oſſa B. Samuelis longo pòſt tempore de Judæa tranſtulit in Thraciam? omnes epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam & cineres diſſolutos in ſerico & vaſe aureo portaverunt ? ſtulti omnium eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis reliquiis : & tantâ lætitiâ, quaſi præſentem, viventemque prophetam cernerent, ſuſceperunt, ut de Palæſtina uſque ad Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Chriſti laudes una voce reſonarent ?

B *tum à ſacrarum Litterarum auctoritate.*

40 *Quid ad hæc Meibomius ? An & D. Hieronymo, iiſque, quos ipſe laudat, idolomaniæ crimen impinget ? An & primis Chriſtianis, quos umbra Petri recreabat, Actor. 5 ℣. 15 ; quique à ſudariis & ſemicinctiis, quæ Pauli corpus contigerant, ſibi ſalutem quærebant, Act. 19. ℣. 12 ? Angelus (Joſue 5. ℣. 16) exegit, ut Joſue in ſignum venerationis calceos exueret, quia terra, in qua ſtabat, ſancta erat : cur autem ſancta, niſi quod in ea præſens adeſſet angelus ? Si autem terra ex angeli præſentia ſanctitatem veneratione dignam mutuata eſt, quid de lipſanis Sanctorum dicendum, quorum corpora fuerunt* templum Dei vivi, *2 ad Cor. 6, ℣. 16, atque adeo non ab angelo, ſed ab inhabitante Deo ſanctitatem ſuam hauſerunt ? Cæterùm quod ominatur Meibomius,* Deum graviſſimè iſti idolomaniæ iraſcentem, mala, quæ ſubſecuta ſunt, his regionibus immiſiſſe, *in eo ethnicos habet duces, qui religionem Chriſtianam calamitatum omnium arbitrabantur originem. Quorum figmentum dum operosè refutat Arnobius lib. 1 Adversùs gentes, inanem eſſe Meibomii conjecturam & futilem eâdem operâ oſtendit. Sed redeamus ad rem noſtram.*

Reliquiæ S. Auctoris poſt alteram tranſlationem

41 *Reliquiæ* S. Auctoris *ex templo S. Ægidii, in quo prope Brunſvicum primùm depoſitæ ſunt, dein tranſlatæ fuerunt (an omnes, an aliquæ, incertum eſt) in eccleſiam S. Blaſii, Brunſvici ſitam, & quondam extructam ab Henrico Bavariæ & Saxoniæ duce, cui cognomen* Leo. *Fidem facit indiculus chronologicus ejuſdem eccleſiæ, ex duabus pervetuſtis membranis excerptus à Leibnitio tom. 2 pag. 59 ; ubi leguntur iſta :* Hæc ſunt nomina reliquiarum, quæ ſunt reconditæ in cruce, quæ ſtat in media eccleſia ante chorum, quam dux Hinricus Leo fieri juſſit pro remedio animæ ſuæ : de ligno Dòmini, de ſpinea corona. *Dein aliquibus interjectis,* Iſtæ reliquiæ ſunt poſitæ in novum plenarium (*ſeu thecam lipſanis plenam*) an. Domini MCCCXI. De ligno Domini ... S. Autoris epiſcopi. *Pro* anno Domini MCCCXI *legendum* MCCCXXXIX *contendit Leibnitius Introductionis in tomum 2 pag. 11. Res eſt minoris momenti, nec longiori diſcuſſione digna.*

C

Hannoveram tranſierunt.

42 *Sed neque in eccleſia S. Blaſii illa lipſana perpetuò manſerunt : nam, teſte Leibnitio mox citato, plenarium illud jam viſitur Hannoveræ, cujus rei rationem reddens ait:* Cùm .. urbs Brunſvicenſis, diu ducibus ſuis refractaria, anno D. MDCLXXI deditionem feciſſet, Johannes Fredericus dux, qui Calenbergicum, Gottingenſem & Grubenhagicum ducatus tenebat, & cum fratribus Georgio Wilhelmo duce Cellenſi & Erneſto Auguſto epiſcopo Oſnàbruggenſi, auxilium agnoto Rudolpho Auguſto duci Welfebytano tulerat, operæ navatæ pretium ſibi Sanctorum reliquias petiit, antiquitatis argumentis & ornatu ſanè ſpectabiles. D

§ V. Obſidio urbis Brunſvicenſis ope S. Auctoris ſoluta contra heterodoxum probatur.

Obſidio urbis Brunſvicenſis

Inter beneficia hominibus à S. Auctore *collata celebrius illud eſt, quo (ut in Actis miraculorum num. 1 & ſeqq. legitur) Brunſvicum tutatus eſt, coëgitque Philippum ducem Sueviæ, ut urbis obſidionem ſolveret. Henricus Meibomius in Chronico Riddagshuſenſi rem hanc fabulæ loco habet:* Inſequenti anno, (*nempe* 1199) *inquit,* Philippus deſignatus Rom. rex (*Ottonem, Henrici Leonis filium*) oppugnaturus in Saxoniam deſcendit ... Congregato univerſo exercitu Brunſviga obſidetur, oppugnatur, ſed fruſtra ; oppidanis cum præſidiario milite fortiter pro patria dimicantibus. Erat in urbe Henricus comes Palatinus, Ottonis frater, virtute bellica præſtans princeps, quem quòd ampliùs oppugnare nollent quidam ex Imperii ordinibus, Cæſarem in Saxoniam ſecuti, ex caſtris diſceſſerunt. Inde nata fabula de divo Auctore Brunſvicenſium Patrono, cujus ope penè divina hoſtis ab urbis obſidione abductus commemoratur. *Hæc Meibomius.* R

ope S. Auctoris

44 *At non ita antiquiora monumenta : inter quæ Chronicon Hildesheimenſe ita narrat :* Sigfredus, ... auxilium laturus Philippo in obſidione Brunſvicenſi, cives eduxit ſuos .. At Philippus mirabili viſione territus, mox obſidione ſoluta diſceſſit. Auctor quippe, cujus corpus ibi requieſcit, enſem dextrâ vibrans, in vallo & muris toti agmini Philippæo tantum injecit terrorem, ut ociùs abiret. *Albertus Krantzius lib. 5. Saxoniæ cap. 35 :* Gertrudis ... corpus S. Authoris ... Brunſvicum advehit ... cujus patrocinium ſæpe experti cives, præcipuè in oppugnatione urbis à Philippo, qui de Romanorum regno cum Ottone IV contenderat. *Pluribus idem proſequitur lib. 7 cap. 16.* F

ſoluta

45 *Bothon in Chronico Brunſvicenſium pictu-rato ad an. 1199 jam dicta confirmat & addit, ſuburbium, in cujus monaſterio corpus* S. Auctoris *erat repoſitum, tum ab Otthone mœnibus fuiſſe incluſum, urbique ſociatum. Verùm teſtes prædicamus, quorum alter vixit ſeculo rem geſtam proximè ſequenti ; alter ætate æqualis fuit. Primus eſt auctor Chronici principum Brunſvicenſium, qui cap. 52 diſertè ait,* S. Auctorem *videndum ſe exhibuiſſe archiepiſcopo Trevirenſi, qui caſtra Philippi ſequebatur ; eique injunxiſſe, ut referret regi, obſidionem urbis, ſui cultûs ſtudioſiſſimæ, mox ſolvendam ; futurum alioquin, ut ipſe ipſiuſque exercitus periret ; re autem intellectâ, Philippum mox cum ſuis ſe ab urbe recepiſſe : atque ita patrocinio* S. Auctoris *liberatam eſſe urbem ; in cujus beneficii memoriam candelas plures, feſto ipſius die offerendas, voviſſe cives, quorum urbem totiès fuerat tutatus.*

contra Meibomium

46 *Teſtis alter eſt Arnoldus Lubecenſis, mortuus*

A *tuus decennio ab obſidione elapſo, & rerum Brunſvicenſium peritiſſimus, lib. 6, cap. 4, narrato regis Philippi diſceſſu, ejus hanc reddit cauſam:* Eſt enim non parva ſpes civitati illi de ſuffragiis S. Auctoris, archiepiſcopi Trevirenſis, cujus corpus ibi requieſcit . . . & quia idem pontifex, cùm terra ſua ab Hunnis vaſtaretur . . . civitatem Trevirorum, quam tunc regebat, orationibus ſuis illæſam protegebat, ipſam adhuc virtutem habere apud Dominum creditur, ut civitatem, in qua nunc requieſcit, ſuis orationibus ab hoſtium incurſu protegat & defendat. Unde mos inolevit Brunſvicenſibus, ut cum timore obſidionis arctantur, reliquias memoratas circa ambitum ſuæ civitatis cum litaniis & laudibus & eleemoſynarum largitionibus devotè circumferant & infra ipſum ambitum nullos hoſtium incurſus perferant. Res eſt probata & in liberatione eorum ſæpiùs experta.

oſtenditur. 47 *Hiſce teſtimoniis vim addit manuſcriptum, cui, apud Leibnitium tom. 3 pag. 446, titulus eſt* Ordinarius ſenatûs Brunſvicenſis, juſſu ipſius anno MCDVIII conſcriptus. *In eo num. 124 linguâ vernaculâ decernitur*, ut die Veneris ante

B feſtum S. Joannis Baptiſtæ ſarcophagus S. Auctoris circumferatur per urbem, *& additur*, hoc ſancitum fuiſſe communi cleri & ſenatûs conſenſu, ratione ſingularis auxilii, quod S. Auctor, urbis patronus, in variis neceſſitatibus à Deo impetravit, prout divinis indiciis olim manifeſtè innotuit. *Ibidem num.* 128 declaratur jam dudum à ſenatu & civibus ſingulare Deo & S. Auctori obſequium fuiſſe promiſſum, quod Deus patrocinio S. Auctoris variis illos calamitatibus ſubduxerit: propterea concluſum fuit . . . ut dies S. Auctori ſacer celebretur ut ſummum feſtum . . . promiſitque ſenatus, ſe quotannis quinque candelas in templo S. Ægidii oblaturum, accendendas in honorem S. Auctoris ante reliquias ejuſdem. *Hæc dicta ſufficiant, ut fabulari credatur Meibomius, dum fabulæ loco habet patrocinium* S. Auctoris.

S. Auctoris apparitio explicatur. 48 *Supereſt, ut agamus de modo, quo* S. Auctor *Brunſvicum tutatus fuit. Duplex à ſcriptoribus refertur. Chronologus Hildeshemenſis, allegatus ſuperiùs, tradit*, S. Auctorem, *cùm* enſem dextra vibrans *apparuiſſet* in vallo & muris, toti agmini Philippæo tantum injeciſſe terrorem, ut ocyus abiret. *Similia habet Krantzius lib. 7 Saxoniæ cap. 16. At tum apographum Bodecenſe, tum Chronicon principum Brunſvicenſium cap. 52 meminerunt apparitionis non publicè factæ, ſed privatim ſoli archiepiſcopo Trevirenſi, qui caſtra Philippi regis ſequebatur. Relationes in ſpeciem diverſas conciliat Borhon in Chronico picturato ad annum 1199 ſcribens, Sanctum noſtrum videndum ſe primò exhibuiſſe Trevirenſi archipræſuli, deinde apparuiſſe* in mœnibus gladium manu vibrantem.

C

An Treviros, cum viveret, ſervaverit incolumes, incertum eſt. 49 *Inter miracula* S. Auctoris *infrà num. 5 alterum ipſius beneficium commemoratur, quo, cùm adhuc in vivis eſſet, urbem Trevirenſem dicitur Attilæ furori ſubduxiſſe. Hujus rei falſitatem oſtendit parachroniſmus*; *nam* S. Auctor *ante annum* 448 *è vita exceſſit: Attila anno tantùm* 451 *in Gallias irrupit. Quod ſi per errorem, multis ſcriptoribus antiquis familiarem, Attila cum alio quodam rege barbaro fuerit confuſus, ſupererit adhuc difficultas, ut ex veteribus monumentis rei veritas probetur: nam Arnoldus Lubecenſis, qui lib. 6, cap. 4, & Krantzius, qui lib. 7 Saxoniæ cap. 16* S. Auctorem ab Hunnis civitatem Trevirorum orationibus ſuis illæſam protexiſſe, *ſcribunt, à primis illis ſeculis ſunt remotiores, quàm ut ipſorum teſtimoniis ſecuri acquieſcamus. Reſtat, ut qualiacumque* S. Auctoris *Acta ſubjungamus.* AUCTORE P. D.

ACTA APOCRYPHA

auctore anonymo Trevirenſi.

Ex Bodecenſis cœnobii Paſſionali pergameno Ms., menſis Auguſti fol. CLXXXVI, *pag. A.*

S. Auctoris parentes, epiſcopatus, & miracula.

E

Naturè nobili proſapia

AD illuminandum genus humanum multas in hoc mundo ſpirituales lucernas Dominus dignatus eſt accendere; de quibus ſanctæ memoriæ beatum Auctorem urbi Metenſium pietas divina conceſſit. Hic namque, ut quorumdam fidelium relatione agnovimus, ex præclara Græcorum proſapia originem duxit *a*: pater ejus Licius chiliarcha militiæ ſeculi ſtrenuus; nil minùs virtuoſis operibus & ſedulus inſiſtebat; cumque famam beati Pauli atque doctrinam, varioſque labores, quos in Græcia fidem Chriſti prædicando perpeſſus eſt, intellexit; amore religionis fidei repletus contra infideles frequenter pugnabat. Egenos ſuis, quibus abundavit, facultatibus, quotidie recreavit. Uxorem juvenem multùm decoram, religioni & progeniei ſuis æqualem habuit. Multis annis laudabilem ducunt vitam, unicum procreant heredem, de quo gratias agentes Deo, filium ſuum ſacri baptiſmatis fonti obtulerunt. Divina quoque inſpiratione nomen ſibi Auctor, non quidem ſui generis, ſed fidei Chriſtianæ impoſuerunt: quem juxta ſuorum magnificentiam caro nutriebant affectu. Puer autem F cùm literarum ſtudiis traditus fuiſſet, ſecundum nominis ſui interpretationem, multùm in ſpiritualibus, ſcientias & virtutes augendo, profecit; & tanta morum pollebat honeſtate, quod ſeniorum vitam anticipare videretur.

a

S. Auctor

2 Cùm verò tempus adoleſcentiæ acceſſiſſet, iteratis vicibus pater filium ſuum allocutus eſt Auctorem, ut more ſuorum progenitorum arma reciperet, militiæ vires exerceret, pro fide patria pugnando certaret. Qui tandem poſt multa patris ſui monita humiliter reſpondebat: Dominus Jeſus exemptum vaginâ Apoſtoli gladium propriæ vocis juſſione recondidit, docens majorem armis omnibus Chriſtianæ confidentiæ eſſe virtutem. Quamobrem futuras, Deo largiente, victorias non carnali providentia, aut quavis armaturâ, ſed magis orationibus devotis obtinere valemus; ſicut antiquis bellorum ducibus contigiſſe experimur. Egreſſi filii Iſraël ad prælian-dum contra inimicos ſuos, Moyſes aſcendebat in montem, ut oraret Dominum, & cùm levaſſet manus, vincebat Iſraël; cum autem ab oratione ceſſaſſet, inimici prævaluerunt. Non etiam

A. ANONYMO. in robore militari David contra Goliam, nec multitudine populari Gedeon adversus Madian triumphabat; sed ambobus in conspectu * durantibus, Dominus victoriam contulit, & congregatum exercitum eorum imperio subjugavit. Ita & nos in Dominum confidentes, divino præsidio & fidelium orationibus vincere poterimus nostros inimicos.

* *f.* conflictu

patriam deserit.

3 Post hæc beatus Auctor fortiùs mundanam spernens gloriam, quotidie euangelicam cupiens assequi perfectionem, ut videlicet omnibus, quæ habebat, relictis crucem suam tolleret, & egenus Dominum sequeretur, capta temporis occasione, modico contentus viatico, patriam parentesque deseruit, & secretè discessit. Ad mare ascendens, navim Deo prosperante, pervenit ad Romam, & ibi permansit cum aliis Dei famulis divino cultui mancipatis, donec propter vitæ sanctitatem sacerdos est ordinatus. Scientia quoque clericali uberrimè repletus, factus est prædicator egregius. Deinde per aspera & indirecta montium atque vallium, multa patiens adversa, profectus est ad partes Gallicanas: gratiâ siquidem
B euangelizandi verbum Dei & fidem augendi catholicam ad tam longinquas vocatus est à Domino regiones.

Metensis electus episcopus

4 In urbe Metensi elegit mansionem, ubi celebrem ducens vitam cum regni cælorum annuntiatione exemplis pariter & doctrinis credentium numerum multiplicavit. Porrò eadem plebs suo viduata pastore, ut sibi dignus à Deo daretur pontifex, prece continua precabatur. Divinitus itaque à primoribus cleri & populi aspiratur, ut prædictus venerandus in Episcopum eligeretur. Mane igitur sequentis diei illucente, tam clerus quam populus beatum Auctorem concorditer sibi statuerunt episcopum, & laudibus impositis
* processerunt solemni cum tripudio procedentes * usque ad cellam, in qua lectioni & orationi assiduus vacabat, eum renitentem ducturi ad præsulatum. Quo audito Vir Dei illico in lachrymas prorupit, Dominum prostratus oravit, ut summum se sacerdotium meruisse daret signum. Mox expleta oratione, dum graphio terram tetigit, fons aquæ
b salientis copiosus emanavit: per cujus aquam usque hodie miracula coruscant infinita *b*, videntibus populorum catervis, quanta secum operata
C sit Dei clementia, cum spiritualis apparatus gloria venerandum hunc pontificem beatum Auctorem ad oratorium beati Stephani introducentes, supplices Deo omnium auctori gratias referebant.

Euphratam condemnat.

5 Successit itaque beatus Auctor duodecimus episcopus post beatum Clementem primum pontificem in episcopatu Metensi, per plures annos dignè regens ecclesiam & populum Dei; quodque ad salutem pertinere posset æternam, non minùs Beatissimus operis studio, quam sermonis prædicatione docebat. Eodem tempore beatus Martinus Boroënsis, Maximinus Treverensis, Tre-
c bedius Wormaciensis apud Coloniam *c*, Effratam Coloniorum præsulem, judicio fidelium deposuerunt, & Severinum virum catholicum in locum ejus ordinaverunt. Inter quos præsules Christi clarissimos beatus Auctor episcopus velut aureum emicuit sidus, totius sanctitatis & doctrinæ splendore glorioſus.

Metis

6 De quo Præsule insignia hæc duo miracula ad nostram memoriam traduxit relatio prisca. Eo igitur tempore, dum grandine barbarorum seges dominica premeretur, Attilas rex Hunorum, susceptо domini gladio, ad resecandum Gallicorum lasciviæ abundantiam, fidelium persecutor, habens multas barbaras nationes dominio suo subjectas, in omnem Galliam suæ crudelitatis relaxarat habenas. Hujus adventu beatus Servacius præcognito Romam proficiscitur, per merita beatorum Petri & Pauli Apostolorum sublimia, tremendum Deum imploraturus. Veniens autem Metis à sancto Auctore honorificè susceptus & tractatus, interpellatur, ut Metis denuo desideratus venire dignetur. Spopondit, & commendatus suis precibus, pergere cœpit, Deo duce, urbemque attingit Romam: cui divinitus, dum ad ecclesiam Principis Apostolorum, quasi victimam se Deo offerret pro ira Domini à populo suspendenda per beatum Petrum Apostolum revelatum est, divino permittente judicio, totam fere Galliam tradi incendio, præter oratorium beati Stephani proto-martyris, quod Metis est constructum: quæ & beato Auctori in responsum habet proferre. D

per Attilam eversis,

7 Sanctus accepto Servatius oraculo, veloci regreditur gradu, festinus ad Gallias repedavit, cunctis pœnitentiam euangelizando. Iter in Metis * deducens, feliciter pervenit ad urbem, ubi dum inter Missarum solemnia beato Auctori episcopo, & universo populo omnia, sicut revelatione didicerat & in responsum acceperat, retulisset, ad civitatem propriam Tungris reversus est: quo abeunte tunc & barbari, subversis multis Galliæ urbibus, in ipsa sacra vigilia Paschæ urbem Metensem cinxerant obsidione. Mox verò beatus Auctor civitatem traditam inimicorum gladiis advertens, cives advocat, peccata confiteri hortatur, pœnitentiam injungit, infantes, qui nondum perceperunt sacri fontis ablutionem, baptizari præcepit. Cumque propiùs furentes barbari accederent, & civitatem inexpugnabilem ob murorum fortitudinem aspicerent, tractareque de reditu cœpissent, murus civitatis ultro corruit, & ingressum hostibus superna dispositione patefecit *d*. * Metas E *d*

captivos

8 His civitatem sine cunctatione ingressis, rapinis & incendiis universa vastantes, plures ex civibus cum eis, qui baptizati fuerant, parvulis interfecerunt. Totam urbem incendio tradebant, excepto beati Stephani oratorio, quod videbatur ipsis à quodam splendidissimo super illud stante viro defendi. Reliquos verò utriusque sexus populos, qui excidio superesse poterant, simili- F ter cum beato Auctore episcopo captivos abducunt. Jam procul ab urbe dum ad locum, qui Decempagos appellatur, hostes perveniissent, cæcitate, quasi olim Ægyptii, multantur. Quoniam Domino Deo semper cura est de suis famulis, in ira misericordiam, sicut ait Psalmista, non continet. Subitò Hunos & barbaros tenebræ circumvallarunt, ut quid agerent, & quo se diverterent, nescirent. Tunc causam tantæ calamitatis, ut in tali re opus erat, solicitè à Christianis, quos abducebant, inquirentes, aut quo præstigio hoc eis accidisset scisciantes. Quibus illi: Non hoc suspicamini maleficium; sed credite iram Dei vobis imminere: quia cælestis Domini famulum beatum Auctorem Metensem episcopum abducitis impiè.

liberat,

9 Confestim venerandus ille Præsul in captivorum numero quæritur, invenitur & rogatur, ut quidque vellet, sumeret, & eos à tali periculo lucis subtractæ liberaret. Ad hoc cum ingemuisset, respondit, nullum sibi gratius posse munus offerri, quam illos, quos ducebat captivos, sinerent ad propria remeare. Id illi si facerent, procul dubio à Domino Deo impetrarent,

ut

A ut quibus tenebris tenebantur, eruerentur. Statimque de universo exercitu dum captivos beato Auctori reddiderunt, à suis, ut promiserat, cessantibus tenebris, luce reddita, angustiis sunt liberati, sicque venerandus Christi famulus, dum in captivorum sorte deputatus est, multos secum à captivitate resolvit, ut, captivato pastore, grex captivorum libertate potiretur *e*. O quantum potiori gloria de reductis iste civibus triumphavit, quàm crudeles barbari, qui eos antea quasi victores abduxerant, triumphare potuissent. Proinde tamquam angelus ab universo clero venerabatur, & ab ipsis civibus veluti pater amabatur: quia non defuit pupillo & inopi pius consolator, in eleemosynis largus, in orationibus sedulus, omni virtute plenus, & totius ecclesiæ decus. Omnia omnibus factus erat Christi fidelibus.

e

& Trevirensibus præficitur,

10 His ergo præmissis aliisque multis; quas enumerare longum est, eo flagrante virtutibus, omnipotens Dominus famulum suum Auctorem majoribus & dignioribus proponi voluit rectorem. Sanè metropolitana sede Trevirensi vacante per obitum beatissimi viri Legoncii *f*, ejusdem

f

B sedis archiepiscopi, sanctæque ecclesiæ Treverorum, quæ privilegio principatur singulari omnibus ecclesiis Galliarum, eo quòd fundata à beato Petro Apostolo sit ordine prima & dignitate præcipua, multorumque Sanctorum corporibus gloriosa, quadam Dei Spiritus sancti gratiâ præordinante, convenerunt clerus & populus civitatis ipsius in ecclesiâ magna, majori beati Petri de episcopi subrogatione tractaturi. Visum est utile, Auctorem magnæ devotionis virum à regimine ipsius ecclesiæ [avocare] sibique in episcopum postulare pro totius provinciæ profectu & honore. Insignes miserunt legatos & epistolas deprecatorias ad flectendam sancti Viri clementiam super effectum hujus negotii desiderati. Susceptis igitur & lectis epistolis, venerabilis Pontifex magnitudinem inauditæ rei expavit. Induciis acceptis, responsum distulit septem diebus: dulciflua usus excusatione, se indignum hominem, tumultibus seculi hactenus implicitum fatebatur. Sed tandem ratione convictus & legatorum orationibus flexus, imò Dei dilectione compulsus, particeps passionum Christi factus, suscepit gregis dominici pastorum * pondus. Ita archiepiscopali sublimatus fastigio, accepit benedictionem à Domino, diuque desideratus, expectante Clero & populo, ad sacrosancta processit officia, tamquam sponsus de thalamo suo *g*.

C

* pastoritium

g

quos servat incolumes.

11 Refertur & aliud miraculum ejus meritis cœlesti cum virtute patratum. Attilas rex Hunorum, de quo suprà retulimus, devictis Galliis Theodosio imperatore defuncto, Treverim ecclesiam devastaturus pugnabat ad portas. Desuper beatus Auctor hostem redarguens, Quisnam tu es, inquit, qui terras demoliris nostras gentemque perturbas? Cui rex sceleratus, furiis exagitatus, ait: Ego sum Attilas flagellum Ecclesiæ, Domino sic volente. Hoc audito beatus Auctor, suum confortans populum, aperiri portas jussit ei. Ille autem cum omni exercitu suo à porta in portam transivit, habens ex utraque parte quasi murum, tenebras adeo densas, quod

h

neminem videret nec cuiquam noceret *h* confusus discessit: tantùm enim beati pontificis valuit grata & fidelium devotio, ut nullis afficerentur adversis, pro tanto beneficio immensis laudibus Deum glorificantes. Deinde beatus Auctor ipsam Trevirensem ecclesiam populumque cunctum ibi subjectum paterna solicitudine in pacis & concordiæ tranquillitate ad ultimam penè hominis ætatem prosperè rexit. Decimo tertio Calendarum Septembrium feliciter migravit ad Dominum. A. ANONYMO.

12 Magno absque dubio coram Deo fulget merito, quod tali etiam post obitum declaravit miraculo. Ejusdem corpus cum in monasterio beati Maximini in crypta ad australem partem inter corpora Thebæorum esset humatum, vir quidam religiosus ac de suæ animæ solicitus cura, nocturno tempore ut privatis orationibus se Deo commendaret, universi ejusdem loci oratoria indesinenti studio circuire solebat, beato Auctori & aliis in crypta sepultis [ut] devotus esset. Nec tamen ingrediendi [erat] concessa facultas: accessit juxta murum, ibi se in orationem tota suæ mentes intentione prostravit, versumque istum Psalmigraphi [cum] diceret, Exultabunt Sancti in gloria, mox ab intus vocem subjungentis audivit; Lætabuntur in cubilibus suis *i*. Cumque ab oratione surgeret, beatus Auctor, gloriæ circumdatus habitu, illi apparuit, translationem *k* sibi corporis imminere de hoc loco in Saxoniam indicavit, sicut usque hodie ibi collocatum, magno honore veneratur ad laudem & gloriam ejus, qui est in secula seculorum benedictus. Amen. *Defunctus apparet.*

i

k

E

ANNOTATA.

a *Meurissius de episcopis Metensibus in vita hujus* S. Auctoris *pag.* 42, *eumdem & humili genere natum scribit, & primum fuisse, qui è Latinis Metensem cathedram occupavit.*

b *Fontem morbis pellendis salutarem scaturiisse in translatione corporis hujus* S. Auctoris, *scribit Judocus Coccius in Dagoberto cap.* 6. *Prope fontem similem ipsum habitasse tradit Meurissius citatus pag.* 55.

c *Multiplices circa concilium hoc Colonienſe errores notatos vide in Commentario num.* 12.

d *Eadem hæc narrat Paulus diaconus in libello de Episcopis Metensibus: an autem nullâ hîc correctione sit opus, vide in commentario num.* 16 *&* 17.

e *Idem hoc prodigium narrat Paulus mox allegatus.*


f *Colitur S. Legontius* 18 *Februarii, quâ de* F *ipso actum est pag.* 66.

g *S. Auctorem Metensem à Trevirensi distinximus in commentario num.* 11.

h *Hujus rei falsitas patet ex Commentario num.* 13 *&* 14.

i *Alibi & aliter hoc accidisse dictum est num.* 14 *proximè citato.*

k *Translatio hæc incidit in annum* 1113: *unde in Commentario num.* 10 *collegimus, biographum rebus gestis multò fuisse posteriorem.*



TRANSLA-

A. ANONYMO.

TRANSLATIO
ET MIRACULA,
auctore anonymo Brunſvicenſi.
Ex Bodecenſis cœnobii Ms. pergameno.

PROLOGUS SCRIPTORIS.

Deus Sanctos illuſtrat.

BEnedictus Deus; qui ſuas antiquas miſericordias de tempore in tempus renovans, à progenie in progenies, de loco in locum conſolationes & opitulationes ſuis dilectoribus advehit, erogat & protelat. Glorioſus enim Deus & mirabilis in Sanctis ſuis merito prædicatur, quos triumphantes duplici decore dignos judicans, in uranica * aula, gloria & honore coronari, & in terreſtri concione vult extolli celebriter & condignè. Corpora etiam Sanctorum adhuc in imis habita prout uniuſcujuſque loci exigit dignitas & fidelium exquirit devotio, per ſanctarum eccleſiarum oracula ſequeſtrantur. Divina quippe providentia per quamdam prædeſtinativæ diſpoſitionis ſpem (ut ita dicam) ſic ordinare dignata eſt, ut hæc eccleſia ſuorum glorietur ſuffragiis patronorum; altera aliorum gaudeat patrociniis ſanctiſſimorum; quatenus eccleſia adhuc militans triumphali fulcimine reliquiarum Sanctorum ſuorum domeſticorum roborata reſpiret, & profectum recipiat ſalutarem. Hinc eſt quod Regis regum & Domini dominantium largiflua clementia decrevit corpus ſacratiſſimum beati Auctoris, quondam ſanctæ Treverenſis eccleſiæ archiepiſcopi *a*, ad præſentis baſilicam cœnobii deſtinare. Gaudeamus itaque, fratres chariſſimi, & medullitus exultemus, concrepantes & laudes alternantes in jubilo intimæ affectionis, Creatori ac gubernatori omnium, in honore ſancti Auctoris reverendiſſimi pontificis noſtri propitii patroni, de quo nobis ſermo.

B * *i. e.* cæleſti

a

C

ANNOTATIO.

a *Hinc in Commentario num.* 28 *collegimus, tranſlationis auctorem Brunſvici ſcripſiſſe, & eſſe diſtinctum à biographo.*

ANTIQUA DIVISIO.

Incipit prologus de adventu ſanctiſſimi confeſſoris Auctoris archiepiſcopi ad monaſterium S. Ægidii Brunſvicenſis civitatis.
Explicit prologus; incipit tractatus, *nempe de apparitione S. Auctoris.*
Ubi facta viſione cœpit cogitare, *ſcilicet Gertrudis.*
Ubi rebus diſpoſitis profecta.
Quomodo venit ad ſacrum locum.
Quomodo proceſſit in itinere reverſionis.
Ubi omnibus diſpoſitis moritur.
Incipit prologus in quædam miracula S. Auctoris archiepiſcopi: & primò de obſidione civitatis Brunſwick, quæ fuit cauſa voti candelarum.
Explicit prologus: incipit miraculum.
Quomodo B. Auctor quemdam colaphizavit.
De miraculo quod S. Auctor fecit adhuc vivens.
Quomodo S. Auctor & S. Ægidius præfatam civitatem protexerunt.
Quomodo S. Auctor cuidam monacho apparuit.
De obſidione civitatis Brunſwick, & miraculis ibidem factis.
De tranſlatione brachii S. Auctoris in Helmvardeshuſen.
Ubi locatum ſit brachium.
De quadam muliere à paralyſi curata.
De quodam ſanato, qui ſe proprietarium fecit.
De muliere ſurdâ, ſed ſanata.
Miraculum de quodam juvene.
De granario ab igne ſervato.
De muliere à ſurditate liberata.
De parvulo graviter patiente curato.
De quadam puella morbida & curata.
De quadam infantula in ægritudine curata.
De furto reſtituto.
De quadam à cæcitate & cancro liberata.
Hîc tendis ad finem.

D

E

CAPUT I.

Gertrudis, Saxoniæ princeps, juſſu S. Auctoris, corpus ejuſdem Treviris furtim aufert.

VEridica igitur patrum traditione cognovimus, quod Gertrudis *a* marchioniſſa Saxoniæ, filia Erkenberti illuſtris marchionis, nobilis Ottonis mater, cujus filia præclara Rickena *b* uxor extitit Domini Lotarii, invictiſſimi imperatoris feliciſſimæ memoriæ, & altera ejuſdem filia Gertrudis palatina comitiſſa: prædicta, inquam, domina Gertrudis tam devotæ mentis profeſſione benigniſſima, quàm nobilis proſapiæ jubare ſereniſſima, cùm die noctuque meditaretur in lege Domini, ex nutu Dei firmam habens voluntatem plantandi ſecus decurſus aquarum fructiferam vineam, ſalutiferam videlicet congregationem, ob reverentiam & honorem intemeratæ Dei Genitricis & ſemper virginis Mariæ, intempeſtæ noctis ſilentio vidit ſibi aſſiſtere virum provectæ ætatis, vultu decentem, corpore elegantem, & juxta nominis ſui ſignificationem, auctorizabilem & acceptum, canitie reverendum: qui & dixit præfatæ viduæ ſemiſoporatæ: Animadverte, inquiens, Deo dicata matrona, quæ tibi propono, & tenaci memoriæ ſingula commendâ, ita ut, quæ perceperis aure, retineas mente, amplectaris voluntate, & explere maturés in opere. Ego ſum Auctor, qui archipræſul fueram Treverorum; nunc autem anima mea in cæleſtibus infulatur, corpus meum verò Treveris requieſcit: ſed juxta ſententiam Domini mei Jeſu Chriſti, aſſerentis prophetam non eſſe ſine honore, niſi in patria ſua, modicum vel nihil ibidem reverentiæ mihi impenditur & honoris.

S. Auctor Gertrudi apparet,
a
b

F

3 Decrevi igitur divinæ diſpoſitionis inſtinctu, quod corpus meum, Treveris tam incuratè reconditum, huc ad tuos terminos, ubi monaſterium, ſacro Pneumate *, inſpirante, fundare diſponis, honorificè transferatur. At illa paveſacta more Abakuc reſpondentis angelo, ſe de prandio Danieli deferendo alloquenti, Babylonem

& corpus ſuum transferri jubet
* *i. e.* Spiritu

A nem non vidi & lacum neſcio : locum, inquit, cujus mentionem facis, ignoro, & qualiter illuc perveniam, dubito. Senex autem attonitam conſolatur, dicens : Non turbetur cor tuum, neque formidet, ſed confide, filia, & conſtanter age ; & Dominus deſiderium tuum effectui mancipabit. Qui enim, ſtellâ duce, Magos ad divinam progeniem adorandam perduxit, ipſe ſuâ gratiâ & meo ducatu diriget greſſus tuos ad prædicti corporis mei reliquias exquirendas, & transferendas. Quæ igitur tibi depromo ſigna, verba, & nota indicia [adverte.] Cùm Deo proſperante Treverim perveneris, & monaſterium monaſticæ religionis Ordinis beati Benedicti tibi deſignandum ingreſſa fueris, diverſas ſanctorum corporum ibi conditorum tumbas inveniens, inter quas ad auſtralem partem penes murum angularem unam editiorem cæteris comperies, quam notabis. In eadem enim tumba, quondam opinione ſeditionis ingruente, timoris causâ, ne forte ſurriperentur meæ reliquiæ, ſunt retruſæ, & poſtmodùm oblivioni traditæ negligenter. Petitura itaque providâ cautelâ & vi-
B gili ſolertia loculum meum levabis, & de loco tolles ſollicitè prænotato, & thecam ſubtiliter deducendam, ad partes dominii tui transferes reverenter, ubi ſecundum firmum cordis tui propoſitum baſilicam conſtrues, & in ea ejuſdem corporis mei reliquias honorabiliter repones, & veneraberis condecenter *c*.

c

illa imperio parens, Trevirim proficiſcitur,

4 Venerandus itaque Pontifex, qui apparuit, cum hujuſmodi diſtinctè expreſſiſſet, & ſeriatim deſignaſſet, extemplo diſparuit, & ab oculis venerabilis matronæ obſtupeſcentis evanuit. At illa, quaſi de extaſi expergefacta, contemplativo corde verſans, quem viderat, & memori mente recolens, quæ audierat, & hæc ſollicito pectore volutans, ardentique deſiderio attentiùs complexans, ad ea celeriùs & efficaciùs pertingere vehementer æſtuat & anhelat. Nec mora, manè facto, ſuos diſcretiores conſiliarios ſecretiùs in unum accerſit, quæ miraculosè acciderant, exponit. Conſultè ſuper his eos convenit, quid facto opus ſit perquiritur, & quid tam celebri negotio convenientibus competat expetit. Super quo illi reverendam dominam ſuam ſano animantes conſilio ad ſalutiferum iter carpendum ſalubri promotione ſatagunt informare. Quorum præ-
C monitoria ſtillicidia ſagax marchioniſſa bibulis hauriens auribus, & ſitibundis infundens præcordiis, in congruente tanto itinere ſibi providet apparatis. Unde pomposâ militum ſe munit catervâ, venuſtarum pediſſequarum ſe ornat ſequelâ, quia præpotens præcellentes equitaturas, & pretioſos ac copioſos viæ ſumptus ſibi præparat, quia prædives. Talibus ac tantis utens inſignibus, revera non ambitioſè, nec causâ inanis gloriæ, ſive ſuperbiæ, ſed piæ induſtriæ, ſecundum quod per quemdam ſapientem dicitur : O princeps, utere gloriâ non pro te, ſed pro regno : melius eſt enim quod adſit palatiis tumor, quàm timor, quia moris uſitati eſt, & apud veteres & apud modernos, hominem haberi, pro ut videtur, & multo reverentiùs deferri dominationi. Quamobrem devotiſſima femina neceſſarium duxit in hujuſmodi operoſo cultu procedere, ut eo faciliùs & expeditiùs compos ſui efficeretur voti.

Profecta eſt itaque glorioſa marchioniſſa ſumptuosè procurata, & hilariter accurata, cui merito omnia ſuccedunt ad votum, quia quod intendit, ad Dei cultum adaugendum, & ad ejus gloriam magnificandam, & ad Sanctorum me-

A. ANONYMO.

moriam venerandam pertinet totum. Juſtam igitur matronam, juſtis occupatam negotiis, & piiſſimis intentam ſtudiis, juſtus Dominus & juſtitiam diligens, deducit per vias rectas, & ab inimicis cuſtodit, honeſtat in laboribus, fructuoſorum laborum ejus exercitia completurus. Longa quidem & intricata reſtat via, ſed, ſicut Jacob prolixitatem & acerbitatem diutini ſervitii, quo ſuo aſtrictus erat avunculo, intima dilectione, quam ad præpulchram ſibi deſponſandam Rachel habuit, mitigavit ; ſic & hæc præpotens hera ſi quid faſtidii ſcrupulis viæ ſibi generaſſet, dulciſſima ſpe ſacroſancti corporis beatiſſimi Auctoris obtinendi, pro quo perrexit, leviter duxit, donec ſine omni penitus obſtaculo, offendiculo & impedimento Treverim feliciter pervenit ; ubi percunctanter ſciſcitata, vel potiùs divinitùs perſcrutata monaſterium monaſticæ religionis perquiſivit, & introiit prænotatum.

& docta locum,

5 Erat autem hora quaſi ſexta, cùm celebratis Miſſarum myſteriis, poſt recreationem ſpiritûs, ad refectionem corporis jam tenderent cœnobitæ. Cuſtos verò ejuſdem loci conſueto more exierat ſanctuarium, perluſtrare angulos eccleſiæ, ut caveret, ne quiſquam forte furti anxius alicubi latitaret. Et, ecce, ingenua turba furum inopinabilium, videlicet venerabilis Gertrudis marchioniſſa cum pompa ſequacium ejus apparuit glorioſa, in cujus ille aſpectu hærens, & quaſi prænominare * cujuſdam prodigioſæ rei admirans ſtabat, & defectiva voce, præ ſtupore ac gaudio adventantem excipiens, & ab ea diſciplinata *d* inclinatione, & allocutione reſalutatus quaſi in deliciis inſolitæ gloriæ. Delicata marchioniſſa verò proſternens ſe inter veſtibulum & altare, & devotè gratias agens adorabat Dominum, & ſuffragia Sanctorum ſuppliciter implorabat ; deſiderium animæ ejus efflagitans poſſe quantocius adimpleri. Deinde ſurgens, adjuncto ſibi prædicto cuſtode, perluſtrabat monaſterium, & de ambitu ad ambitum, & angulo ad angulum paſſim procedens, de diverſis ibi apparentibus ſepulchris, quorum eſſent, ſollicitè perquirebat :

E

* præ novitate

d

in quo corpus quieſcebat,

6 Cui cuſtos : Ecce, inquit, Domina mi, omnes iſtæ, quas vides, tumbæ ſunt Sanctorum hîc quieſcentium, qui in hoc confinio meruerunt martyrio coronari : feſtivitates peragere deberemus per ſingulos dies totius anni, novis canticis & præconiis quotidie innovatis in memoriam & honorem novorum familiarium & domeſticorum Sanctorum ſolemniſare poſſemus. Deinde progrediens venerabilis domina venit ad tumulum præeminentem in auſtrali parte, ſicut in viſione intellexerat, quærens ſagaciter, quis in eo requieſcat. Cui cuſtos reſpondens ait ; Beatus Auctor, quondam hujus civitatis archiepiſcopus, felici tranſmigratione cælis invectus ſpiritualiter, in hoc loculo reconditus eſt corporaliter. Quod illa diligenter notans, ſed pia calliditate diſſimulans, O quam mirabile [inquiebat] eſt nomen illud Auctor : & attentiùs rogabat eum, intitulare * ſibi illud ſacroſancti archipræſulis venera- * explicare
F bile nomen, quod dicitur Auctor : & in quo die beatus Auctor depoſitus fuerit, annotare, ut aliquid novæ ſalubritatis experta & adepta, valeat hilariter ad propria remeare. Qui parens inſtantiæ petitionis ejus, deſcripſit ipſi quod tertio decimo Kalendas Septembris migrarit ad Chriſtum.

illud auxilio ſororum

7 Interim auditus eſt ſonitus tintinnabuli, & quæſivit hera, quid hoc deſignaret. Qui dixit : Signum datur Fratribus noſtris, ut unuſquiſque,

A. ANONYMO. in quocumque loco extiterit, officium ſuum deferat, & ad menſam feſtinet. Ad quod illa reſpondens, Eia, inquit, frater chariſſime, accelera, & conſortio ſodalium tuorum aggregare, ne temporis negligentiæ arguaris. Cui ille ait: Adhuc mihi mora eſt ſatis libera. Quo dicto, interim gradatim deambulare cœperunt, & confabulando varia tractaverunt. Marchioniſſa autem ſecundo audiens tinnitum cymbali, perquirit quid inſinuat. Cui ille; Inde, inquit, datur intelligi, quicumque fratrum remoratus, hanc horam ad refectorium veniendi neglexerit, quod ſubtracta ipſius præbendula *e* ſuſpendatur. Quem tunc imperioſa matrona inſtanter exhortans angariavit pranſum celerrimè ire. Qui nullatenus ſuſpectam illam habens, tamquam principem generoſam & militari cœtu glorioſam & famoſam, & miro ſtemmate radioſam (Quia ſicut poëta dicit; auferimur cultu) & bona ſimplicitate eam pro ſe cuſtodem eccleſiæ reliquit, ſimulantem ſe interim velle orationi vacare, & neſciens, quod de periculo & damno ſuo hæc agere intenderet,

e

B cucurrit feſtinanter ad refectorium unà cum conſodalibus ſuis, pitantiæ * capiens portionem.

* *i. e.* cibi *vel* refectionis *furtim auferr.*

8 Statim ergo ad exitum illius peſſulo foribus monaſterii obfirmato, marchioniſſa, feminea pelle depoſita, quaſi ſtrenua virgo, & omnes ſequaces & vernaculi ejus, accipientes fuſtes & apta inſtrumenta, quæ ſibi procuraverant, lapidem grandem, prædicto tumulo ſuppoſitum, revolventes amoverunt, & ſarcophagum beatiſſimi Auctoris cum glorioſis plurium Sanctorum, videlicet beatiſſimi martyris Mauricii, & beati Bartholomæi, & Thaddæi, & Coſmæ & duorum Thebæorum, & beatæ Florinæ virginis ac martyris, & aliorum, ut aſſeritur, Sanctorum in maxima quantitate reliquiis inibi reconditis, ſu-

* B. Auctor annuit ſtulerunt. Tunc primùm beato Auctore annuente * meritis venerabilis marchioniſſæ & honeſtæ familiæ ejus, ad transferendum ſacroſanctum corpus ſuum; quod antea à nemine penitus vel moveri permiſerat, præſentis eccleſiæ decori & honori, & hujus urbis ſpeciali ſaluti ac patrocinio (præordinante ſic Domino) id reſervans: depoſitum lapidem loco buſti, prout aptiùs & meliùs potuerunt, cum acceleratione rurſum coaptaverunt, & baptillis de univerſis campanis & no-

C lis ejuſdem eccleſiæ, ut confuſionem præcaverent, ad cautelam demptis, & fortibus equitaturis nobiliſſimo ac pretioſiſſimo hujuſmodi theſauro ſarcinatis, & omnibus attinentiis habiliter

f ordinatis, inſigniſſimi fures *f* cum pro furto & ſacro ſacrilegio furtivè nec nocivè, ſed utiliter & honeſtè, velociores aquilis, ſubterfugium capientes terga dedêre.

ANNOTATA.

a *Leibnitius in Introductione ad tomum primum num.* 42 *de Gertrude hæc commemorat:* Fuit Gertrudis filia Ecberti, ſoror Ecberti anticæſaris, Brunſvici domina, vidua Henrici comitis de Nordheim, Ottone duce nati, mater Rixæ imperatricis, Lothario Saxoni nuptæ; avia Gertrudis, quæ Henrico ex Guelfis duci Bajoariorum dotales Brunſvicenſes terras attulit.

b *Alias* Rixa, Rikyſa & Richenſa.

c *Hanc* S. Auctoris *apparitionem Chronicon principum Brunſvicenſium breviùs & meliùs ita fere exponit:* Henrico Northeimo anno MCIII defuncto, Gertrudis viduam vitam agebat caſtè & pudicè; unicè intenta divinæ adimplendæ voluntati. Animo quoque volvebat, qua potiſſimùm D ratione cœnobium extrueret, iis temperatum legibus, quibus in dies Dei laus magis effloreſceret & honor. His curis diſtracta vidit noctu apparentem ſibi virum, qui ſpecie & vultu decorus, hunc fere in modum ipſam eſt allocutus: Auctor ego ſum Trevirorum quondam archipræſul, eoque munere honorificè perfunctus. Nunc anima mea in cælis multiplici gaudet honore. Porrò hæc mea eſt (Deo ita decernente) voluntas, ut in cœnobium, quod extruere meditaris, corpus meum ex urbe Trevirenſi transferatur; in qua quondam ſepultum, multo jam tempore venerationis jacet expers. Ubi Treviros adveneris, cœnobium monachorum, qui nigro veſtiuntur amictu, ingredere. Ad plagam auſtralem ſarcophagum invenies cæteris eminentiorem, in quo oſſa mea ſunt recondita. Mulier pro ſui ſexûs conditione hærebat aliquamdiu metu attonita & formidine: cui Auctor: Metum depone: proſperum iter præſtabit Deus.

d *Id eſt, decenti, & ex moribus honeſtis profecta. Vide de hac voce Cangium in Gloſſario.*

e Præbendæ dictæ cibi, ac potûs portiones E diurnæ, quæ monachis, canonicis, aliiſve quibuſvis dantur ac præbentur, *inquit Cangius citatus. Hinc* præbendula *derivatur.*

f *Maſenius in Annalibus Trevirenſibus ad annum* 1113 *num.* 42 *ita ſcribit:* Auctoris & quidquid exportatum fuit reliquiarum, inſcio Brunone, poſſeſſoribus invitis, religioſiùs quàm juſtiùs detractum; ita ut vetus ipſe ſcriptor ſacrum hoc ſacrilegium, & uſitato more, pium furtum appellet. *Verùm non video, qua ratione in auferendis reliquiis* S. Auctoris *Gertrudis rea ſit; cum eas,* jubente Domino, *cui ſupremum eſt in res omnes dominium, abſtulerit; ut ex Ludulfo Aſſis ipſe Maſenius narrat.*

CAPUT II.

Corpus S. Auctoris à Trevirenſibus fruſtra repetitum; cœnobium erectum; templum dedicatum; Gertrudis mors. F

Trevirenſes INterea ſupradicti cœnobitæ, implentes comeſtionis officium, permiſerunt incauti ſuum evacuari templum: ſed neque iniquitas, neque peccatum eorum hoc eſt: quia ſi ſagaciſſimi viri per mulierem dementati & ſeducti, & fortiſſimi quique ab ea dejecti & interfecti eſſe creduntur; quid mirum ſi talis ac tanta, tam vafra quàm prævalida femina hos clauſtrales ſimplices & ignaros ſupplantando ſic deſpoliavit. Conventu equidem pranſo & nolâ in ſignum religioſæ conſuetudinis tinniente, fratres diſciplinatè ſurgunt ab accubitu, & directo per lagamam * gradiuntur in ordine, ſanctuarium intraturi, & gratiarum actiones Deo & Sanctis ejus pro impenſis beneficiis relaturi, Miſerere mei Deus ſedulo labiorum ſtudio & devoto mentium jubilo lectitando.

* *f.* laghem, *i. e.* per legem *ſeu* conſuetudinem.

Gertrudem 10 Cumque perveniunt ad fores monaſterii, cuſtos accedens primò leviter unius digiti articulo vel ungue palpitando oſtium tangit; hinc omnium digitorum attactu ſtrepitum incutit; deinde

idem

A idem oſtium manûs impulſu concutit ; tandem toto pugno duriùs pulſat : ſed cum contra dominicam promiſſionem petens , non accipit , orationis domo præpedita , & quærens non invenit; gazâ incomparabili ſacerrimi corporis ablatâ , & pulſanti non aperitur ; quia , qui aperiat & reſpondeat , intus non invenitur, tam juniores quam ſeniores malum , ſicut evenerat , conjicientes irruunt , poſteſque ſub ipſos nituntur gradibus , & oſtium ſecuribus & contis confringunt , irrumpenteſque ſingula loca perſpiciunt , ad ornatum eccleſiæ quæritando concurrunt , & adhuc nihil ſubtractum comperiunt , ſperantes ſe indemnes exiſtere. Poſtremò autem omnibus perluſtratis, ad editiorem tumbam auſtralis partis perveſtigando & perſcrutando conveniunt ; & per lapidem inordinatè repoſitum venerandum ſarcophagum ſanctiſſimi Auctoris cum pretioſiſſimis plurimorum Sanctorum reliquiis ſurreptum eſſe deprehendunt. Tacti igitur dolore cordis intrinſecus , lamentantur & confuſè vociferantur , & tantum patronum , quem præſentem minus attenderant, abſentem ardenter diligunt , diligenter concupiſcunt , ſcienter requirunt, & ſublatum vehementer

B querulantur.

fruſtra perſequuntur

11 Accelerant ergo pulſare in ſignum conſuſionis ; quatenus eorum miſeria civitatenſibus innoteſcat, ut perpetratores tanti damni ocius inſequantur. Cùm autem regiſtra * campanarum impetuosè attrectant , æramenta quidem [de] more permoventur. Sed quia ceſſante cauſa , ceſſat & effectus , nullo penitus crepitantia ſono præbent damnificatis & confuſis incitamenta majoris pavoris , & ſtuporis ac furoris. Qui ambigentes , quid ineant , huc illucque , quaſi delirent , diſcurrunt ; baptillos ſparſim reperiunt , quibus appenſis , & campanis ſonorè compulſatis , omnes Treverenſes incolæ accurrunt. Cauſam tantæ confuſionis ſollicitè perquirunt , quâ cognitâ , ſupra modum dolentes ſe tanto patre orbari , & filialis dilectionis moti pietate , cum maxima diligentia & immoderata feſtinatione inſignes raptores præſignis ornamenti fugitantes , (ſcilicet adhuc non longè digreſſos) ſatagunt , admiſſis quadrupedibus , inſectari. Qui concito curſu peragrato ſpatio quaſi ad modum unius leucæ , cum jam contiguè fugientibus incumberent inſiſtendo , accidit quoddam notabile miraculum ; videlicet quòd rectores dulciflui corporis ſacroſancti Auctoris, & aliarum plurimarum venerabilium reliquiarum , nutu Dei & gratia ductoris ducti , ab inſequentibus & perſequentibus per ſpatioſum intervallum communiter ſunt avulſi: & hoc tribus contigit vicibus, ita ut ab inſectantium & ſubſequentium hoſtium obtutibus auferrentur. Qui videntes ſe fruſtra conari , & in vanum bacchari , viam inaniter terere & tempus inutiliter expendere , deluſi & confuſi ad propria ſunt

C reverſi *a*.

a

in loco , ex quo corpus moveri non poterat

12 At verò marchioniſſa cum univerſo comitatu ſuo , ſinceræ fidei & pulchritudinem ſanctæ ſpei intendens , proſperè procedit , amore regni cæleſtis illecta , & ubicumque recipiebantur hoſpitio , quicumque ibi inventi , ſcilicet ægroti , ſalvi fiebant à quacumque detinebantur infirmitate , quia virtus de illo almifluo corpore exibat , & ſanabat omnes : & ſic per hoc ſalubre iter largiflua & ſalvifica gratia de beatiſſimi Auctoris ſacroſancto corpore emanans , quaſi fluminis impetus lætificans civitatem Dei , plurimis corporea beneficia conferebat ; donec fortunato proceſſu & felici ſucceſſu ad hunc præſentem locum, qui tunc temporis nemoroſus & ſolitarius fuit , pervenerunt quarto nonas Auguſti ; & cum ulteriùs procedere decreviſſent , in hoc ipſo loco ſacer & gratioſus ſarcophagus tantæ gravedinis mole figitur & conſtipatur , ut inde abduci nullatenus valeat , nec avelli. Ipſi etiam jugales ultrò fatiſcentes immobiliter ſubſtiterunt.

A. ANONYMO.

cœnobium conditur,

13 Quo viſo devota matrona primitus obſtupuit : ſed citiùs ad cor rediens & perpendens hoc divinitus accidiſſe , ultra quod credi poteſt , ſpiritu exultavit , & gratias agens in cælum , benedicendo confitebatur Domino , quoniam in ſeculum miſericordia ejus ; eo quòd proſperum fecerit iter ejus , & dignatus ſit arcanum voluntatis ſuæ ipſe cælitus declarare. Quemadmodum ergo devotè voverat, & apud ſe diffinierat propter quædam præludia & conſpicua prognoſtica ſibi viſa , pro tempore & pro loco domino Deo & illibatæ Matri ejus templum exſtruere , ſolidum fundamentum ibidem hoc in præſenti loco abſque dilatione jubet conſtituere & opus excellentis ſtructuræ ſuperædificari , & amplum honeſtumque monaſterium fundari efficiens per largas impenſas , decentem baſilicam , ſepta clauſtri , immunitates , diverſa habitacula , diſtinctas officinas, eccleſiæ ſarta tecta , laudabiliter architypo dictante inſtrui , animo conſummari , & congruis utenſilibus inſtrui ac pretioſis ornatibus *b* inſigniri.

E

b

eccleſia conſecratur

14 His itaque geſtis & omnibus rite peractis , anno dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quinto decimo , Indictione octava , Kalendas Septembris ſolemniter invitatis reverendo apoſtolicæ Sedis Theodorico *c* tunc legato , ac venerabili Halberſtadenſi antiſtite Reinardo *d*, & collecta *e* numeroſa cleri concione , cum imperioſa procerum turba & pompa glorioſa , infinitè tumultuantis vulgi circumſtante corona , facta eſt celeberrima ac famoſiſſima dedicatio , & ſpirituali gaudio ac ſpeciali tripudio intimè celebrata in memoriam , honorem & reverentiam ſanctæ & individuæ Trinitatis , & ſacroſanctæ crucis , & intactæ Dei Genitricis ſemperque virginis Mariæ , & beati Johannis Euangeliſtæ , necnon jam ſanctiſſimorum confeſſorum Ægidii & Auctoris , ac aliorum plurimorum Sanctorum.

c

d

e

quæ & S. Ægidii lipſanis decoratur.

15 Sed & beatiſſimus confeſſor Ægidius *f* caſu , vèl potiùs , ut ita dicam , ex quadam prædeſtinatione , & Dei providentia , & frequentium ſignorum prærogativa per ſæpe dictam primiceriam nihilominus mirificentiſſimè quæſitus , inventus & adductus primatum quodammodo nominetenus monaſterio obtinuit in præfato. Hanc autem eccleſiam benedicta Gertrudis decorè dotavit , & competentur dicavit , & ad monaſticæ vitæ regulam ducendam & obſervandam cum benevolo hæredum ſuorum conſenſu rationabiliter delegavit , & laudabilem & religioſam congregationem , ad inæſtabilem Dei laudem excolendam, & ad Sanctorum præconia concinnanda & concinenda , apto & idoneo ſtudio maximè congruentem , in jam dicta eccleſia conſtitutam & coadunatam , ſecundum Ordinem beati Benedicti ſuper omnes Ordines authenticum & probatum , honorabili domino Henrico *g* abbati de Burſveldia provida, juſta & timorata domina commendavit , cujus auctoritate , quæ jam præmiſſa ſunt ſingula , regulariter ordinarat.

F

f

g

Gertrudis biennio ſtetit

16 Porrò itidem reverenda matrona de longè advectum venerandum honorificè collocans depoſitum ; ſcilicet memoratum miræ ſanctitatis corpus beatiſſimi Auctoris , reliquaſque reverendiſſimas reliquias prætaxatas in honorificentiſſima parte

A. ANONYMO.

parte ſanctuarii præſentis eccleſiæ ſæpe dictæ, cum intima diligentia ac ſumma devotione hymnizante populo & reverenter tripudiante, polito recondidit in locello, & cum hæc omnia tam effectuoſè quàm affectuosè conſummaſſet, curriculo *h* duorum annorum tantundem decurſo, emerita marchioniſſa Gertrudis viam univerſæ carnis feliciter ingreſſa, quinto Idus Decembris toti Saxoniæ regioni, & præcipuæ huic plantationi memorabile nomen reliquit, & inſigne memoriale quaſi hæreditario jure perrennavit: unde hæc intempeſtiva morte heri præoccupata, merito in memoria æterna & refrigerio erit, & hujuſmodi opibus juſtitiæ, quæ fecit, in quantum nobilitatis ejus excellentia ſinebat, juſtorum numero deputata: cujus commemoratio in benedictione dignè conſiſtit, & jure immortalis eſt memoria: illius enimvero pia recordatio benignorum geſtorum ejus, quaſi mel, imò ſuper ſpecies aromaticas, & ſuper confectiones pigmentarias, indulcatur apud homines, & utinam apud Deum, non ex eo tantum, quod in ſupradicto conventu gratia beneficiorum ejuſdem jam
B nunc viſu perſpicitur & uſu percipitur, verùm etiam ex eo, quod adhuc ibidem conſtruendum & decorandum diſpoſuerat, ſi ſupervixiſſet, & uberius dotandum duxerit & patrandum. *Sequitur hæc* oratio:

moritur. 17 Quapropter obnixiùs obſecramus te, domine Jeſu Chriſte, cum non ſit de alicujus mortalis perfectione ſive in vita, ſive poſt vitam præſumendum, quatenus per miſericordiam tuæ clementiſſimæ bonitatis, talis ac tanta primiceria defuncta ſeculo, [uniatur] cælo, & decedens mundo renaſcatur Deo, & poteſtas ditionis ejus in terris terminata, ſit in regnis ſupercæleſtibus inchoata; cujus largarum eleemoſynarum & ſolemnium hoſtiarum, præſenti cœnobio impenſarum, & beneficentiæ & communicationis ejus, pie Chriſte, non obliviſcaris; ſed gratanter reminiſcaris, & meritæ retributionis donativo eam remunereris in ſecula ſeculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Ab aliis aliter narrari hanc tranſlationis circumſtantiam, dictum eſt in Commentario num.*
C 34. *Quod ſi res ita ſe habuerit, ut hîc refertur conſequens eſt, ut corpus* S. Auctoris *Tavanâ, ubi primùm quieverat, reductum fuerit Treviros nec enim adjuncta rerum patiuntur, ut in ea hypotheſi aliunde corpus opinemur elatum, quàm ex urbe Trevirenſi. Aliter loqui licet, ſi Gertrudis ſacra lipſana à Trevirenſibus ſupplex impetraverit, ut ſcriptores num. proximè citato tradunt: potuit enim Gertrudis, facultate Treviris obtenta, Tavanæ corpus quærere.*

b *Reditum Gertrudis, & quæ ſubſequuntur, Chronicon principum Brunſvicenſium ita brevibus exponit:* Quocumque in loco S. Hoſpes excipiebatur, redditus ipſi honor ſalutem & ſanitatem afferebat. Ita ipſum Gertrudis adduxit in locum vaſtum, qui tunc nemoroſus erat, nunc autem Brunſvicum dicitur: hîc autem accidit (pro ut ex ſcripto teſtimonio didici) ut pretioſum theſaurum, quem Gertrudis longiùs ferre decreverat, nulla vis aut manus alterius loco movere poſſet. Equi, qui S. corpus vehebant immoti hærebant, quamquam à ſuis ductoribus non leviter flagello percuſſi. Quo viſo, mulier Deo gratias egit, multoque cum honore & gaudio corpus longè quæſitum ibi collocavit. Bene venerit digniſſimus hoſpes, quocum tanta nobis utilitas & ſalus advenit. Lætare Brunſviga, & de hoſpite tam inſigni exulta, qui terram tuam, in quam diverteret, elegit. Gaude propter ejus præſentiam, quia lubenſque volenſque ad te pervenit, teque elegit in locum quietis .... Porrò quod Gertrudis animo conceperat, ad finem perduxit. Eodem in loco, juxta Spiritûs S. monitum, incepit multo cum ornatu cœnobium condere in Dei ejuſque Matris honorem, electis in patronos SS. Ægidio & Auctore. *Dein enumerantur bona, quibus cœnobium fuit dotatum.*

c *Theodoricus, alias Dietericus* cardinalis Romanus, legatione in Pannonias functus *anno* 1115 *à Saxonibus* adſcitus fuit; *ut Urſpergenſis ad annum eumdem ſcribit.*

d *Electus fuit anno* 1107, *obiit* 1122.

e *Dedicationi adfuiſſe quoque Lotharium imperatorem, Chronicon principum Brunſvicenſium cap.* 23 *tradit.* Jamque Gertrudis, *inquit,* multo cum ornatu abſolverat cœnobium in honorem SS. Ægidii & Auctoris ædificatum, quare generum ſuum Luderum, *ſeu Lotharium,* Reynardum epiſcopum Halberſtadienſem, & Dietericum Apoſtolicæ Sedis legatum, ut eò venirent, rogavit; factaque magna ſolennitate, Reynhardus epiſcopus Halberſtadienſis templum conſecravit, anno, ut refertur, MCXV.

f *De S. Ægidio agetur* 1 *Septembris, inquireturque, an & quæ ejus reliquiæ huc allatæ ſunt.*

g *Burſfeldenſe* cœnobium conditum eſt intra Wernæ & Fuldæ confluentes in finibus Patherbrunnenſis eccleſiæ, ubi archiepiſcopi Moguntini juriſdictio deſinit, *inquit Mabillonius in Annalibus ad annum* 1093, *num.* 80. *Henricum, Gertrudis maritum, hoc monaſterium & ædificaſſe & dotaſſe, tradit Chronicon Brunſvicenſe cap* 21, *confirmatque Rutharaus archiepiſcopus Moguntinus apud Schatenum tom.* 1 *pag.* 634, *ubi etiam ipſa Gertrudis huic fundationi cooperata dicitur.*

h *Hoc idem mortis tempus ſignat Chronicon principum Brunſvicenſium.*

CAPUT III.

Miracula S. Auctoris.

F

Urbis Brunſvicenſis obſidio

AD fidem hominibus firmiùs ædificandam & ſpem ſecuriùs excitandam, & ad ardorem dilectionis & reverentiæ circa ſuffragia ac patrocinia ſanctiſſimi Auctoris fiducialiùs provocandum, de ſignis ac miraculis ab eodem Sancto glorioſè peractis & evidenter oſtenſis, prout verius indagare valuimus, quiddam duximus ordiendum. Huic civitati, quæ Brunſwick dicitur & famoſè divulgatur, olim graviſſimæ perſecutionis periculum imminebat. Jam rex Philippus cum principibus, magnatibus, baronibus, caſtellanis, & cum Treverenſi archiepiſcopo *a* tunc dominante, qui poſt regem primus nominandus eſt, & cum validiſſimo exercitu jam dictam civitatem ſtrenuè vallaverat & potenter: unde inhabitatores ejuſdem civitatis metu perculſi coanguſtabantur; & quid inirent, vel quò deverterent, ambigebant: ſed ad Deum vel beatiſſimum confeſſorem atque pontificem prædictum Auctorem tam juvenes quam ſenes utriuſque ſexus unicum & ſpeciale refugium habebant, cui celebria obſequia

A quia exhibenda, & ſolemnes ceremonias cum condigna veneratione ſpoponderant perenniter obſervandas. Eodem autem tempore occurrit annua ſolemnitas ejuſdem beatiſſimi Auctoris, cujus corpus mirificè tranſvectum eſt, ſicut prædictum eſt, in eccleſia beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ, ſanctique Ægidii confeſſoris in Brunſwick honorificè requieſcit.

ope S. Auctoris ſolvitur.

19 Æramentis ergo campanarum feſtivo more reſonantibus, prædictus archiepiſcopus Treverenſis ſciſcitatus eſt à cuſtode ejuſdem eccleſiæ à ſe * miſſo, pro Miſſa in die ſancta celebranda *b*, quid innueret talis compulſatio. Quem ille taliter eſt affatus: Adeſt feſtivitas ſacroſancti Auctoris, quondam Treverenſis archipræſulis, cujus ſanctiſſimum corpus mirabiliter huc adductum in eccleſia venerabiliter collocatum ex devoto arbitrio & unanimi conſenſu univerſorum Brunſwicenſium, civium totius hujus civitatis obtinuit patronatum. Igitur memoratus archiepiſcopus per eumdem cuſtodem de cauſa hujus feſtivitatis rationabiliter expeditus, admirando in hæc verba porupit: Si corpus beati Auctoris, ſicut aſſeritis, ad veſtram eccleſiam eſt delatum, profectò noveritis vos digniſſimas præcipuorum B Sanctorum, videlicet Mauritii, Bartholomæi, Thaddæi, Coſmæ & Thebæorum, & Florinæ virginis & martyris, aliorumque Sanctorum recepiſſe pariter in loculo ejuſdem ſancti Auctoris, in maxima quantitate; ſuper quo cuſtos, Helias nomine, medullitus gaviſus gratiſſimum retulit nuntium fratribus ſuis, & veritate per experientiam comperta nobis contradidit deſcribendum.

* *forſitan* ad ſe

b

Nocte verò ſubſecuta, beatus Auctori prædicto apparuit archiepiſcopo, dicens ei: Ego ex voluntate Dei mei Brunſvicenſis civitatis mihi mœnia præelegi, in quibus quam diu debito modo honoratus fuero, ea nullatenus derelinquam: propterea quæ vidiſti & audiſti, expone quantocius regi; ne moram ulteriorem aliquatenus facere præſumat in obſidione meæ chariſſimæ civitatis: alioquin ipſi & tibi atque univerſo exercitui veſtro interitus ſupervenit repentinus. Quod idem archiepiſcopus evigilans manè per ordinem intimavit regi ſuperius memorato. Qui impatiens, more ſolito caſtra cieri mandavit, & citiſſimè obſeſſam poſtponens urbem aufugit cum univerſis ſuis complicibus & vaſallis *c*. Priùs au- *c*
C tem quàm diſceſſiſſent, præfatus archiepiſcopus exutus lineis & diſcalceatus ad perſolvendum votum pro hujuſmodi delicto factum, limina oraculi beatiſſimi Auctoris humiliter petierat ac devotè.

Irreverens punitur:

20 Accidit præterea quod quidam peregrinus [cùm] inito voto, ſuffragia ſancti Auctoris imploraret, in celebri nocte feſtivitatis ejuſdem, ſomno ſubrepente, in monaſterio ipſius, irreverenter cooperto capite, obdormiret. Adveniens autem beatus Auctor cum palliolo abſtracto de capite ruſtici alaphiſando & collaphiſando eum impetivit fortiter & percuſſit: ita quod de ſedili, in quo cubuerat, corrueret inſenſatus, cui & dixit: Enarra cuicumque volueris, quod ſanctus Auctor te pro tua irreverentia ſic aſſlixit. Quandocumque ergo huc iterum peregrinari volueris, ruſticitatem domi dimitte, in conſpectu meo compareas reverens & devotus *d*.

d

Attilæ furor comprimitur: aliud beneficium:

21 Attilas rex, devictis Galliis, Treverim devaſtaturus cum veniſſet ante portas illius civitatis cum validiſſima militia & exercitu infinito, beatus Auctor tunc temporis ejuſdem civitatis archiepiſcopus, ipſe muros aſcenderat præparatus & infulatus: & quid tanta multitudo intenderet ſuſcitanti Attilas ſic reſpondit: Sicut deſtruximus pleraque cathedralium urbium mœnia harum regionum, ſic etiam ad tuam civitatem venimus funditus ſubvertendam: ſumus enim flagellum eccleſiarum, domino ſic volente. Quo audito, beatus Auctor ultro reſeratis valvis illius civitatis, aditum & introitum exercitui pandi liberrimum imperavit. Turbiſque hoſtilibus ſpontaneè intromiſſis & irruentibus, mirum in modum duplex murus denſiſſimus & duriſſimus, cujus altitudo intuitum fallebat, hinc inde porrectus & indirectus, diſtentus & attingens à fine uſque ad finem extremarum portarum, per mediæ ductum plateæ, utrimque viſibiliter & ſenſibiliter apparuit verſus meditullium civitatis. Nec erat barbaris graſſantibus declinare ad dextram neque ad ſiniſtram; ſed per medium, incolis in omnibus ſuis illæſis, innocuè pertranſire. Qui aberrantes huc atque illuc, cum furioſè redirent, ut alios aditus attentarent, turbulentâ nebulâ obvolvuntur. Unde confutati abſcedere ſunt compulſi *e*. Item *e*
eiſdem caſtris egregiis quondam in tribulatione & in maxima anguſtia poſitis, caſtrenſes mittentes ad beatiſſimum Auctorem ſuperiùs memoratum, tunc forte abſentem, ſolatium ſoliti juvaminis E implorabant. Ad quos ille miſeratus baculum & codicellum ſuum quantocius deſtinabat. Quæ duo veneranda inſignia illi alacriter ſuſcipientes cum munimento fidei, ſpei & caritatis, & cum intima devotione ac reverentia orantes & pſallentes circumferebant; jam dicta mœnia ſtudioſè, religioſe ac ſollicitè circinantes. Quo facto meritis ſancti Auctoris incontinenti ab hoſtibus & ab omnibus malis imminentibus per divinam miſericordiam ſunt erepti *f*. *f*

tempeſtas ſedata, Sancti apparitio,

22 Item aliud ſignum tam ſalvificum quam ſtupendum. Oborta olim periculoſa tempeſtate, ex horrifica & procelloſa nubium colliſione, ita quod omnium hominum vita nutaret, glorioſiſſimi patroni Brunſwicenſis cœnobii ſanctus Ægidius & beatus Auctor in faſtigio ipſius monaſterii ſtantes, ſplendidè apparuerunt duobus, & innocentur & piè viventibus & juſte conjugatis, Reynero ſcilicet & Eliſemiæ in eadem urbe degentibus, dignitate & tam raræ intuitu claritatis. Illi nimirum tantos Sanctos oculata fide inſpicere meruerunt, qualiter in decoro cultu aſſiſtentes, & duo candidiſſima manutergia in manibus tenentes, F & ventilantes contra turbinem effrenem & atrocem, præſentem benedicebant & protegebant civitatem ſibi famulantem: & continuò ſedata eſt tempeſtas, & facta eſt tranquillitas magna, & aëri mira ſerenitas eſt exorta *g*. Nuper nihilominus *g*
contigit, religioſis viris & fide dignis atteſtantem *, cuſtodem Treverenſis cœnobii in crepu- * *al.* atteſculo monaſterium introire, & quemdam ſenem ſtantibus honorabilem, canum & ſuppelliciatum ſub turri ejuſdem eccleſiæ introrſum in reverendo habitu invenire; qui eidem cuſtodi ſtupefacto ſic aiebat: Ne verearis: ego ſum Auctor, quondam hujus civitatis antiſtes: ſcias autem indubitanter, me modò non manſitare, ſed in Brunſwick requiem elegiſſe, ubi mihi ſpecialis honor, ſumma reverentia, ſedula laus, mera devotio, juge obſequium famulatuſque placitus exhibetur.

hoſtium ju-

23 Quidam potentiſſimus regum obſidens olim civitatem Brunſwicenſem, cùm quadam nocte, *ga-* de ſtrato ſuo forte ſurrexiſſet propter excubias exploranda, & intueretur ejuſdem civitatis mœnia, vidit clara ſpeculatione in ſingulis propugnaculis, quæ Teutonicè tynnen vocantur, ſingulos an-

A. ANONYMO.

A. ANONYMO.

gelos ſtantes, & penes unumquemque duas aureas cruces fixas hinc inde collaterales: quo inſigni ſigno & horrido portento proſpectato jam dictus rex, quaſi in extaſim raptus, ſupra modum expavit; & mane facto, excitatis exercitibus & caſtris ſubmotis, præcepit omnibus abire quantocius, ne perirent. Adſcribitur nihilominus & hoc meritis & patrociniis beatiſſimi Auctoris, quòd ſic iterum prodigioſè & propitioſè hæc civitas eſt ſalvata *h*.

h

In epilogo ſcriptor

24 *Hic in apographo noſtro ſequitur tranſlatio brachii* S. Auctoris *in Hemelſvardhuſenſe cœnobium, cum miraculis, quorum tituli poſt prologum cum aliis titulis indicati ſunt; ſed ea omittimus: quoniam tom.* III *Maii à pag.* 66 *impreſſa ſunt, & quidem exarata ab auctore melioris notæ, utpote rebus geſtis ætate pari. Igitur epilogum ſolum ſubjungimus.* Hæc de miraculis beati Auctoris quaſi paucula poma de onuſta arbore decerpſimus, & ad poſteros noſtros tranſmittere decrevimus ſancienda. Perſuadendo itaque obſecramus & exhortamur tam præſentes quam futuros, & præcipuè tam clerum quàm plebem

B Brunſchwicenſem univerſam, quatenus ea, quæ præhibavimus pro parvitate ingenioli noſtri de tranſductione & adventu, nec non & de aliquantula ſignorum oſtentatione beatiſſimi confeſſoris atque pontificis Auctoris, concorditer lectitent & auſcultent, & memoriter retentent & indeſinenter recitantes pronuntient, & venerabiliter attollere non recuſent. Nec quiſquam præſumat ſuſpicione temeraria & auſu præcipiti diffidenter hujuſmodi apocrypha æſtimare, ſeu invertere, quæ non ſolùm ſecularium, verùm etiam rationabiliùs ſpiritualium, religioſarum & devotiſſimarum, imo & ſanctarum perſonarum evidenti teſtimonio arbitramur certiùs approbari.

Brunſvicenſes

25 Lætare igitur Brunſwick urbs fidelis, quia glorioſa dicta ſunt de tanto patrono tuo, urbs, inquam, fidelis intus gaude, foris plaude, quoniam complacuit Domino in te: ita ut te dignam cenſeret, quod te ſic à longe tranſmiſſi talis ac tanti patroni ſuffragantibus meritis & patrocinantibus ſuffragiis viſitaret. Qua ſaluberrima de cauſa omnes gentes Brunſvicenſes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis, quia

C conditor univerſorum per venerandi Auctoris, veſtri ſigniferi & ſpecialis protectoris, corroborationem ſubjecit populos vobis & gentes ſub pedibus veſtris: quibus ſubjugatis hactenus dominati eſtis & ammodo dominabimini, ſi in latria * ipſius profeceritis, & obſequioſum cultum memorati patroni veſtri beati Auctoris antiquitus cele-

* *i. e.* cultu

briter inſtitutum, moderno tempore & impoſterum non diminueritis, ſed potius adauxeritis inceſſanter. Quod ſi fideliter feceritis, beatus Auctor ſeculi & beatus Auctor ſervus illius fidelis augebunt vobis incrementa frugum, & omnium neceſſariorum præſentis temporis & futuri. D

26 Augete igitur beato Auctori veſtro authen *ad cultum S. Auctoris excitat.* tico & auctorizabili patrono laudes, honores, celebritates & officioſa ſervitia: & ipſe beatus Auctor dono beati Auctoris ſeculi, devotionem vobis augeat & ſalutem. Augete beato Auctori modum & ritum venerationis, & ipſe beatus Auctor precando, tutelam beati Auctoris ſeculi, ab hoſtibus & à malis omnibus vos liberabit & pacis vobis præſidium adaugebit. Augete beato Auctori veſtro authentico & autorizabili patrono bonæ voluntatis affectum, & pro poſſibilitate ac facultate veſtra ſedulæ operationis effectum; & ipſe beatus Auctor veſter authenticus & auctorizabilis & dominus & patronus, beatum Auctorem ſeculi exorando, vobis fidem, ſpem & charitatem & incrementum gratiæ ſupremi judicis augmentabit. Adornate thalamum ſpiritualem, condecorate templum materiale, & ſuſcipite beatum Auctorem, qui de longinquis finibus terræ vocatus & advectus, vobis datus à Deo eſt patronus. Amplectimini veſtrum tutorem; veneramini veſtrum primatem, ut vos & locum veſtrum ſupplicatu ſuo coram Deo jugiter fuſo conſervet incolumes & indemnes. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen. E

ANNOTATA.

a *Erat is Joannes I, defunctus anno* 1213.

b *Monaſterium S. Ægidii hoc tempore mœnibus nondum erat incluſum, ut dictum eſt in commentario num.* 45. *Unde patet ad hoc templum patuiſſe obſidentibus aditum.*

c *De hac obſidione vide dicta in Commentario* § 5.

d *Narrat hoc ipſum apographum Leibnitianum.*

e *De his videri poſſunt dicta in Commentario.*

f *Scriptor hic à tempore* S. Auctoris *fuit remotior, quàm ut res ab illo geſtas certò ſcire potuerit.* F

g *Idem, uti & quod mox ſequitur, habet apographum Leibnitii.*

h *Civitatem Brunſvicenſem ope* S. Auctoris *fuiſſe liberatam, teſtantur varii, citati in Commentario* § 5.

DE S. MAXIMO ABB. ET CONF.

IN CASTRO CAINONE IN GALLIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. P.

Locus, nomen, cultus, dignitas, Acta; S. Eucherii de Sancto cura; reliquiæ.

SECULO V. *Situs caſtri Cainonis; nomen Sancti;*

CAino, ſeu Chinonium, *vulgo* Chinon, olim vicus, nunc oppidum lepidum Turonenſis provinciæ in Gallia, cum caſtro in colle, ad Vigennam fluvium verſus Pictavienſem agrum, ſeptem leucis diſtat à Salmuro in ortum, & quinque à Loduno in ſeptemtrionem, *teſte Baudrando, cujus verba retuli. Conſuli etiam de hoc loco poſſunt Ferrarius in Topographia ad Martyrologium Romanum, & Adrianus Valeſius in Notitia Galliarum. Ut verò hîc obiter aliquid notetur de Sancti nomine; longè diverſa efformatione illud Galli proferunt, quando pro* S. Maximo *ſubſtituunt* S. Même, *ſeu* S. Meſme, *pro quo etiam lego* S. Meiſme; *proximiùs ad Latinum ejus nomen accedit* ſaint Maxe; *quo alicubi ipſum nuncupari dicetur inferiùs. Ejus* monaſterium hodieque ſubſiſtere apud Cainonem.. ſed in collegiatam eccleſiam jam pridem converſum, *obſervat Ruinartius poſtea citandus.*

memoria in ſacris Faſtis;

2 *Etiamſi autem publica ejus veneratio tam ſit antiqua & certa, ut Faſtorum ſacrorum teſtimoniis probari neutiquam debeat; nonnullos tamen producam, hoc die ipſum annuntiantes. Inter auctaria noſtra Uſuardina ſic refertur:* Cainone caſtro, ſancti Maximi confeſſoris. *Adde Belinum, Molanum, Maurolycum ac Galeſinium; hic tamen pluſculum adjungit, ſic illum memorans:* In vico Cainone, ſancti Maximi confeſſoris. Is beati Martini epiſcopi diſcipulus, in vita religioſa cæleſtibus floruit virtutibus. *In Martyrologio Romano ita ſignatur:* In caſtro Cainône ſancti Maximi confeſſoris, diſcipuli beati Martini epiſcopi. *Sauſſayum prætereo; uti & Caſtellanum in Supplemento. Martyrologium novum Pariſinum non tantùm à virtutibus, ſed etiam à miraculis Sanctum laudat, cum titulo abbatis, his verbis:* Cainone, in pago Turonenſi, ſancti Maximi abbatis, virtutibus & miraculis ante & poſt obitum clari. *De ætate ipſius, ac nonnullis aliis ad ipſum attinentibus, dicendum reſtat.*

tempus;

3 *Inter auctores convenit, vixiſſe eum ſeculo quinto; non item, quo iſtius ſeculi anno vivere deſierit. Caſtellanus nimium quantum ab aliis diſcrepat, & hallucinatur, quando Sanctum ponit verſus annum* 900; *niſi forte velit quis ſuſpicari, id factum eſſe vitio typothetæ, & legendum verſus an.* 500. *Apud Ruinartium in margine ad caput* 22 *S. Gregorii Turonenſis in libro de Gloria confeſſorum, in quo exponuntur geſta* S. Maximi, *ſignatur an.* CD... : *ubi indicatur quidem ſeculum* 5; *ſed vacuus relinquitur ejuſdem annus. Martyrologium Pariſinum novum annuntiationi ſuæ apponit* poſt annum CDLXIII, *eo, ut ſuſpicor, fundamento nixum, quòd narret Gregorius Turonenſis caſtrum Cainonem ab Ægidio obſeſſum, uti inferiùs num.* 2 *licet videre; quod notante hîc Ruinartio,* circa annum CDLXIII contigiſſe putant: quo Ægidius ſeu Gillo, Romanæ militiæ præfectus, Cainonis obſidionem ſolvere coactus fuit.

abbatialis præfectura. Acta.

4 *Quia verò de Sancto noſtro dicit Præſul Turonenſis* Ad caſtrum Cainonenſe urbis Turonicæ veniens, monaſterium conlocavit, *non videtur nobis dubium, quin ejuſdem monaſterii fuerit præfectus ſeu abbas; & ideo hoc eum titulo ſuprà inſignivimus; qui confirmatur ex epiſtola S. Eucherii, de qua mox. Præconem autem egregium nactus eſt laudatum jam ſæpiùs Gregorium Turonenſem; qui his verbis,* Ut liber vitæ ejus docet, quam verſu conſcriptam legimus, *diſertè teſtatur, res ipſius geſtas ab alio ad poſteros tranſmiſſas fuiſſe; quod utinam pretioſum monumentum non invidiſſet nobis annoſa vetuſtas!* Hanc vitam nuſquam vidimus, *inquit Ruinartius in notis;* aliam verò habemus ex cod. Ms. Majoris-monaſterii, à quodam monacho, ſeu clerico Cainonenſi collectam; ſed pauca habet, præter ea, quæ hîc à Gregorio proferuntur.

Quanti cum fecerit S. Eucherius ep. Lugd.

5 *Ad ea verò, quæ indicat Gregorius de diſceſſu* S. Maximi *ex Inſula Barbara, obſervare omnino convenit paternam curam S. Eucherii Lugdunenſis epiſcopi, quâ, ſubminiſtratis ad victum neceſſariis, eumdem Sanctum ibidem loci conatus fuit retinere. Audiatur S. Eucherius in epiſtola ad Philonem presbyterum ſuum, quæ edita legitur apud Baluſium in Appendice ad Opera S. Agobardi, Lugdunenſis antiſtitis, quamque hîc integram tranſcribo:* Domino ſancto ac venerabili fratri, & compresbytero noſtro Philoni Eucherius epiſcopus ſalutem in Domino dicit. Quæſo caritatem & dilectionem tuam, quam habes perfectam in Domino, ut digneris te fatigare uſque ad monaſterium Inſulæ Barbaræ; & videas & exhorteris fratrem noſtrum Maximum abbatem, qui præeſt ipſi monaſterio; quia pervenit ad nos, quod velit ex eo diſcedere, & fratres ſuos deſerere, eo quòd multi propter metum gentium oblationes ſuas ſubtraxerint, quas pro Dei intuitu dare conſuerant. Sed ſi nos vivimus, & ſani revertimur, tantum illi vel monachis ſuis in Dei nomine diſponimus miniſtrare, ut nihil egere videantur.

patet ex epiſtola ad Philonem de ipſo ſcripta.

6 Hoc tamen ſpecialiùs peto ab ipſo fratre noſtro, ut domum penſilem, quam juſſimus fieri, nobis præparet, & membranas. Quia ſi Deus annuit, Quadrageſimam in Inſula cum ipſo tenere diſponimus, ut opus cœptum ibidem pariter reſidentes expediamus. Interim trecentos modios annonæ, & ducentos modios vini, ducentas libras caſei, & centum libras olei ordina ipſi dari; ut cùm per noſtram oblatiunculam ipſe

AUCTORE J. P.

pſe unà cum congregatione ſua reficitur, nobis reditus cum ſoſpitate, ipſis orantibus, à Domino tribuatur. *Hæc ibi. Per* domum penſilem *veroſimiliter hîc ſignificatur domus conſtructa opere fiſtucato. De reliquiis* S. Maximi, *& cultu ejus apud Barrum-Ducis dicam in Annotatis. Subdo itaque nunc*

ACTA

Auctore S. Gregorio Turonenſi libro de Gloria confeſſorum cap. 22 *editionis Ruinartianæ col.* 912 *&* 913.

Sanctus à morte divinitus ſervatur:

FUit autem quidam religioſus & virtutibus & nomine Máximus, &, ut liber vitæ ejus docet, quam verſu conſcriptam legimus, noſtri fuit Martini diſcipulus. Qui occulere, quod erat, cupiens, apud Inſulam-Barbaram *a* monaſterii Lugdunenſis peregrinari expetiit: manifeſtatus autem & ibi, ad patriam redire diſpoſuit. Denique dum Ararim fluvium tranſire cuperet, nave impleta demergitur, ac ipſe ſacerdos pelago operitur, habens ad collum cum Evangeliorum libro miniſterium quotidianum *b*, id eſt, patenulam parvam cum calice. Sed pietas divina non perferens perire quod ſuum eſt, ita de hoc periculo, Domino jubente, reſtitutus eſt litori, ut nec vitæ damna perferret, nec rerum detrimenta lugeret. Impletumque eſt illud, quod Pſalmographus, Spiritu ſancto influente, cantavit: Cum ceciderit juſtus, non conlidetur, quia Dominus firmat manum ejus. Et iterum: Non necabit Dominus animam juſti.

condit monaſterium, precibus aquam impetrat:

2 Deinde ad caſtrum Cainonenſe urbis Turonicæ veniens, monaſterium conlocavit: quod caſtrum cum ab Ægidio obſideretur, & populus pagi illius ibidem eſſet incluſus, hoſtis adverſus effoſſum à latere montis puteum, quem obſeſſi ad uſum habebant bibendi, obturat. Quod cum antedictus Dei famulus, qui tunc cum reliquis infra caſtri munitionem concluſus erat, cerneret, videretque populum conſumi ſitis injuriâ; orationem nocte tota fudit ad Dominum, ut reſpiciens populum, hoſtes improbos effugaret, & non pateretur eos ſitis ardore conſumi. Tunc revelante ſibi Spiritu ſancto, ait ad plebem: Quiſquis habet vaſculum, ejiciat foras in plateam, & deprecetur Dominum. Dabit enim vobis hodie largitas ejus aquas in abundantia, ut non deficiatis vos & parvuli veſtri. Hæc eo dicente, nubes ſubitò texerunt cælum, & deſcendit imber magnus de cælo, cum tonitruis & coruſcationibus, ſuper caſtrum, duplum populis beneficium præbens, pluviâ arcens ſitim, fragoribus effugans hoſtem. Completaque ſunt vaſa omnium, & ſatiati ſunt cuncti. Sicque obtentu Sacerdotis, fugatis adverſariis, populus ſalvatus à caſtro diſceſſit.

ſepulcrum ejus miraculis honoratur.

3 In monaſterio *c* autem loci illius plenus dierum tranſiit, ibique ſepultus eſt: ad cujus ſepulcrum ſæpius infirmi ſanantur. Puerulus autem unus ex familia eccleſiæ Turonicæ in valetudinem *d* conruit. Is cùm anhelus occumberet, ac in extremis poſitus putaretur ſpiritum exhalare, ad ejus baſilicam deportatus, protinus exſtincta febre ſanitati eſt redditus. Sed & puella de his mancipiis *e* ſimili ſorte febricitans, cùm ante cancellos monumenti fuiſſet expoſita, in ipſa die incolumitati eſt reſtituta. Ad nos verò cùm horum notitia deveniſſet, puerum humiliatis capillis huic monaſterio ceſſimus: puellam verò, mutata veſte, cœtui ſanctimonialium conjungi præcepimus, ad ſerviendum Deo.

ANNOTATA.

a Inſula-barbara vetuſtiſſimum eſt agri Lugdunenſis monaſterium, in ipſo Araris fluvii meditullio ſupra Lugdunum urbem ſitum: quod cùm per complura ſecula Benedictino Ordini fuiſſet addictum, ad ſeculares canonicos tranſiit anno MDXLIX. Ejus loci hiſtoriam Gallicè ſcripſit D. le Laboureur, ſub titulo Ruderum Inſulæ-Barbaræ. *Ita Ruinartius in notis. Longuevallius noſter in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ tomo* 2, *lib.* 4, *pag.* 105 *refert, monaſterium illud in honorem S. Andreæ ibidem exſtitiſſe.*

b Clara eſt hîc, *inquit Ruinartius*, vocis hujus ſignificatio, de qua paſſim jam diximus. Vide Menardi noſtri notas in Sacramentarium Gregorianum pag. 155.

c *De hoc monaſterio nonnulla ſuperiùs obſervata ſunt; adde ex Ruinartio in notis hîc de Sancti reliquiis: poſtquam enim dixerat, illud* in collegiatam eccleſiam jam pridem converſum, *mox addit*, ubi ſervatæ ſunt S. Maximi, vulgo S. Meiſme, reliquiæ ad annum MDLXIII, quo à Calvinianis hæreticis combuſtæ fuerunt. Aiunt tamen canonici S. Maximi (S. Maxe) apud Barrum-Ducis (Bar le Duc) in diœceſi Tullenſi, corpus S. Maximi neſcio quo modo ab hæreticorum furore Cainone ereptum, ad ſe delatum fuiſſe, eumdemque Sanctum patronum agnoſcunt.

d Valetudinem *accipi tam pro ſanitate, quam pro imbecillitate ſeu morbo, notiſſimum eſt è lexicis Latinis.*

e De his mancipiis, *id eſt, ut mihi quidem videtur, ex his villis (intellige ſecundùm mox dicta) Turonicis. Quod apparet conforme alteri textui S. Gregorii Turonenſis lib.* 5 *Hiſtoriæ Francorum cap.* 29 *col.* 238, *ubi hæc ſunt:* Chilpericus rex deſcriptiones novas & graves in omni regno ſuo fieri juſſit. Statutum enim fuerat, ut poſſeſſor de propria terra *&c.* Sed & aliæ functiones infligebantur multæ tam de reliquis terris, quàm de mancipiis. *Niſi forte mavis, per* mancipia *deſignari familias.*

DE S. OSWINO REGE NORTHUMBRIÆ ET MARTYRE IN ANGLIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

P. D.

§ I. Northumbriæ descriptio; Sancti regnum; genealogia, biographi, cultus inchoatus.

AN. DCLI. *Amplissimo Northumbriæ regno*

NOrthumbrorum imperii magnitudo ea fuit, quæ nunc est Eboracensis, Dunelmensis, Northumbriæ, Cumbriæ, & Westmorlandiæ Comitatuum; atque reliquam præterea Lancastrensis comitatûs partem complectebatur. Hoc porrò regnum, Northumbriæ nomen est sortitum non ab umbra, ut quidam oscitans hallucinatus est, sed quòd ad septentrionem Humbri fluminis sit situm: veteres enim, Northanymbrarice, id est, regnum ad septentrionem Humbri situm, appellabant. *Hæc scriptores, qui Bedam Cantabrigiæ anno* 1643 *edi curarunt.*

in partes secto,

2 *Quando, & quo auctore hoc fundatum sit regnum, tradit Beda lib.* 5 *Historiæ ecclesiast. cap.* 25. Anno DXLVII, *inquit*, Ida regnare cœpit, à quo regalis Nordanhymbrorum prosapia originem tenet. *Joannes Wallingfordus in Chronicis idem regni Northumbrici tradit initium; additque (quod & Capgravius in vita* S. Oswini *atque scriptores à Radulpho Higdeno in polychronicis citati asserunt) Northumbricum imperium, cum Ida fatis cessisset, in partes ita sectum, ut rex alter Bernicios, alter Deiros regeret. At hanc regni divisionem tum Alfordus ad annum* 559 *num.* 6, *tum Bollandus tom.* II *Februarii pag.* 178 *in tempora ulteriora differunt; quibus ad annum* 560 *favet Chronicon Saxonicum; quod esse perantiquum, in præfatione ostendit Edmundus Gibson, à quo typis vulgatum est.*

C *Deiros rexit S. Oswinus;*

3 *Quidquid sit, constat ex Beda lib.* 2 *cap.* 20, *& lib.* 3 *cap.* 1, *duobus Northumbriam regibus paruisse anno* DCXXXIII, *quo S. Eduinus ad Superos emigravit. Constat item ex lib.* 3 *cap.* 14 *ejusdem historiographi,* S. Oswinum *illis præfuisse Northumbriæ incolis, qui* Deiri *nuncupabantur, & quorum majores S. Gregorio magno (ut in ejus Vita ad diem* XII *Martii scribitur) occasionem dederant exclamandi,* Bene Deïri, de ira eruti, & ad misericordiam Christi vocati; *qui ad veram conversi fidem sanctissimos utriusque sexûs habuere principes, Eduinum, Oswaldum, Edilbergam, Eanfledam, Elfledam, Hildam, Ethelbergam, Triumherum, aliosque à Beda variis locis celebratos; qui cum* S. Oswino *omnes sanguine fuerunt juncti, unam Edilbergam si exceperis, quam solâ affinitate attigit.*

cujus genealogia

4 *Ceterùm S. Regis genealogiæ alioquin satis apertæ, tenebras offundunt pleræque Bedæ editiones, dum lib.* 3 *cap.* 1, *Ostricum vel Osricum, qui Sancti nostri parens fuit, nunc ex Elfrico mox ex Edilfrido natum videntur tradere. En tibi editionis Chiffletianæ verba, cui aliæ pleræque congruunt.* Interfecto in pugna Eduino suscepit pro illo regnum Deïrorum. . . . filius patrui ejus Elfrici, vocabulo Ostric. *Clariùs certè Ostricus dici nequibat ex Elfrico genitus. Nihilominus nativitatis ordo alius mox ita insinuatur:* Regnum Berniciorum. . . suscepit filius Edilfridi,.. nomine Eanfridus. Si quidem tempore toto, quo regnavit Eduinus, filii præfati regis Edilfridi. . . apud Scottos sive Pictos exulabant. . . qui ut, mortuo rege inimico, patriam sunt redire permissi, accepit primus eorum (quem diximus) Osricus regnum Deirorum; secundus verò Eanfridus regnum Berniciorum. *Hic Edilfridi liberis Ostricus non aliter accenseri videtur, ac illos inter exules numeratur,* qui.. mortuo rege inimico, patriam sunt redire permissi. E

explicatur

5 *Quæ antilogia ut tollatur, notandum in Cantabrigiensi Bedæ editione textum proximè citatum aliter legi, atque ita haberi:* Accepit [primus *seu natu major* eorum, quem diximus] Eanfrid regnum Berniciorum: *quam lectionem cæteris præferendam, ostendunt vetera monumenta, quæ, ex purioribus Bedæ codicibus contracta, Ostricum ex Elfrico natum, affirmant constanter. Chronicon Saxonicum, cujus suprà memini, ad annum* DCXXXIV *ita habet:* Hoc anno suscepit Deirorum regnum Osricus, quem Paulinus antea baptizarat. Is fuit filius Ælfrici, patrui Edwini. *Joannes Wallingfordus in Chronicis concinnatis circa initium seculi decimi tertii, ita loquitur:* Eadwino interfecto, suscepit pro illo regnum Deirorum. . . Ostricus filius patrui sui, qui Ealfricus vocabatur. *Ranulphus Higdenus seculo decimo ex Beda collegit sequentia:* Mortuo Edwino, suscepit regnum Deirorum filius patrui sui Elfrici nomine Osricus. *Mitto scriptores alios; cum dicta sufficiant, ut credamus vel alias Bedæ editiones interpolatas esse, vel saltem in sensu minus obvio accipiendas, & aliquantùm contorto.* F

proavique enumerantur,

6 *Atque hinc strata jam quoque via est ad* S. Oswini *genealogiam latiùs repetendam.* Elfricus, *quem Oswini avum ostendimus,* patruus *S. Eduini scribitur ubique: proin Elle seu Ælle vel Alla, S. Eduini pater, frater erat Elfrici: de Alla autem Chronicon Saxonicum, cujus suprà memini, ad annum* DLX *profert sequentia (an satis certa, viderint alii.)* Hoc anno. . . Ælla suscepit Northan-hymbrorum regnum (Ida defuncto) ac illud tenuit annis XXX. Ælla fuit filius Yffi, Yffus Uscfreæ, Uscfrea Wilgisi, Wilgisus Westerfalcni, Westerfalcna Sæfugli, Sæfuglus Sæbaldi, Sæbaldus Sigegeati, Sigegeatus Swæfdægi, Swæfdægus Sigegeari, Sigearus * Wægdæi, Wægdægus * Wodeni, *à quo (ut ad annum* CDXLIX *chronologus scribit)* originem ducebat omne nostrum genus regale, itemque Suthymbrorum. *Nunc ad eos sermonem convertamus, qui de* S. Oswino *scripsere.*

* *f.* Sigegearus
* *f.* Wægdæus

7 *Primus actorum epitomen ad posteros tranj-*

AUCTORE P. D. *biographorum ætas,*

miſit S. Beda lib. 3 Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 14; cujus fides, doctrina & integritas notior eſt, quam ut probari debeat. Attamen ex Commentario vitæ ipſius ad diem XXVII *Maii pag.* 718 *præfixo, duo obſervaveris non immeritò: primum eſt, quod Beda natus ſit anno* DCLXXVII, *id eſt, annis tantum* 26 *ab obitu* S. Oſwini *elapſis. Alterum eſt, quòd non tantùm primam in Northumbria lucem Beda hauſerit, ſed & ibidem vitam ſit monaſticam profeſſus: unde conſequens eſt, ut quæ ad Sanctum Northumbriæ regem, tantillo ætatis ſpatio ſuperiorem, ſpectant, vir amantiſſimus veri & optimè ſcire potuerit & ſcribere.*

aliaque ipſorum adjuncta

8 *Præter Vitam, etiam miracula Martyris ejuſdem narrat Capgravius, ſeu potiùs Joannes Tinmuthanus, qui anno* 1360 *floruit; quemque Capgravius expilavit: quod hic ſpecialiter obſervaſſe, abs re non fuerit: cum inde ſit conſequens, miraculorum veritati fidem naſci debere firmiorem: ut enim ſcriptor uterque fide & eruditione par ſit, ſunt tamen quæ Tinmuthenſem præ altero commendent. Fuit enim* Joannes de Tynmouth Tinemuthâ oriundus, atque etiam

B

ſacerdos ac vicarius ejuſdem eccleſiæ, ut Balæus de Scriptoribus Britanniæ pag. 466 *tradit. Fuit &* ordinis S. Benedicti monachus ad S. Albanum, *cui cœnobio eccleſia Tinmuthenſis erat ſubjecta, ut Pitſeus lib. de Angliæ ſcriptoribus cum Oudino, tom. cit. pag.* 1090 *teſtatur. Potuit proinde Tinmuthenſis commodiùs, quam Capgravius, luſtrare monumenta omnia cum Tinmuthenſia, tum ea, quæ ſervabat abbatia S. Albani, atque ita prodigia, quæ hiſce fere in locis contigere, ſumma cum certitudine poſteritatis memoriæ commendare; eâ uſus diligentiâ, eo judicio,* quæ plerique procul dubio, quoties hujus libros in manus ſumunt, admirari coguntur: diligentiam, quod paſſim oſtendat ſe ingentem bonorum auctorum numerum legiſſe: judicium quoque, quod multa ab aliis temere ſcripta ad incudem revocet, revocataque luci & veritati reſtituat, *ut ferè Balæus citatus loquitur.*

expenduntur

9 *Acta quoque, tranſlationes, & cultum* S. Oſwini, *aliaque ad ipſius eccleſiam ſpectantia ordine chronologico digeſſit monachus S. Albani anonymus, cujus libellus impreſſus eſt tom.* 1

C

Monaſtici Anglicani à pag. 333. *Fuiſſe ſcriptorem hunc fidei bonæ & accuratum, fiet palam ipſius hiſtoriam conferenti cum aliis: de ætate non perinde conſtat. Sub finem ita ſcribit:* Robertus de Gorham abbas S. Albani: *neque dein præſulum poſteriorum meminit: unde, num circa tempora Roberti anno* 1166 *defuncti vixerit, dijudicent alii. Opinioni huic illud favere videtur, quod* Gervaſium Stephani regis Angliæ filium *vocet* abbatem Weſtmonaſterienſem. *Hic enim jam ante annum* 1166 *amplius abbas non erat; ut continuator Hiſtoriæ Simeonis Dunelmenſis ad annum* 1154 *inſinuat, dicens:* Laurentius ... apud S. Albanum monachorum ſe contradidit inſtitutis; poſt paucos annos à rege Henrico monachis Weſtmonaſterii ſublimiter prælatus, AMOTO ABBATE GENASIO, filio regis Stephani, qui res illius loci juveniliter diſſipavit. *Quidquid ſit, chronologicam hanc monachi Hiſtoriam hic non recudemus; quia aut nihil in ipſa ad* S. Oſwinum *ſpectat, quod non à Beda referatur & Capgravio, quorum narrationem dabimus, aut, ſi quid ſit, illud Commentario inſeretur & annotatis.*

10 *Non ſtatim ab obitu, honore* Oſwinum *ſacro fuiſſe affectum, diſcimus ex Beda, qui lib.* 3 *capp.* 14 & 24 *preces pro ipſius anima ad Deum fuſas tradit.* Proditum *Oſwinum inquit cap.* 14, Oſuiu ... interfecit ... in loco, qui dicitur Ingetlingum, ubi poſtmodum caſtigandi hujus facinoris gratiâ, monaſterium conſtructum eſt: in quo pro utriuſque regis (& occiſi ſcilicet, & ejus qui occidere juſſit) animæ redemptione quotidie Domino preces offerri deberent. *Cap. autem* 24 *ita loquitur:* Triumheri ... erat abbas in monaſterio, quod dicitur Ingetlingum: ipſe eſt locus in quo occiſus eſt rex Oſuin *, ut ſuprà meminimus: nam regina Eanfled propinqua illius, ob caſtigationem necis ejus injuſtæ, poſtulavit à rege Oſui conjuge ſuo, ut donaret ibi locum monaſterium conſtruendi præfato Dei famulo Triumheri, quia propinquus & ipſe erat regis occiſi: in quo videlicet monaſterio orationes aſſiduæ pro utriuſque regis, id eſt, & occiſi & ejus, qui occidere juſſit, æterna ſalute fierent.

annis aliquot ab obitu elapſis

* *al.* Oſwinus

11 *Hinc Alfordus ad annum* 651 *num.* 8 *ita monet:* Cum audis oratum pro Martyre, puta necdum probatam fuiſſe, ut poſtea, miraculorum gloriâ & Eccleſiæ ſuffragio ejus ſanctitatem: *quo autem præciſè tempore miraculorum gloria ſanctitatem beati Regis reddiderit manifeſtam, manet incertum. Id non factum crediderim, antequam Hiſtoriæ eccleſiaſticæ finem Beda impoſuit: hic enim inter alias Sancti laudes, quas celebrat, non ſiluiſſet patrata miracula, ſi qua accidiſſent; præſertim cum in iis recenſendis parcus non ſit; ubi principum aliorum, quos ſanctitas commendavit, elogium ad poſteros tranſmittit.*

S. Oſwinus

D

E

miraculis cœpit clarescere

12 *Natam tamen venerationem, eamque per celebrem diu ante medium ſeculi noni, inſinuat Weſtmonaſterienſis lib.* 1, *ad annum* MLXV *ita ſcribens:* Poſt paſſionem regis Oſwini præclariſſimi ..., corpus ipſius ad monaſterium B. Dei Genitricis Mariæ, in Oſtio Tinæ fluminis ad aquilonem ſitum, delatum eſt, & in eo regio more ſepultum: ubi propter miraculorum ejus frequentiam, per innumera annorum curricula à populo regionis locus ſepulturæ illius in tanta reverentia eſt habitus, ut Regem penes eos ſepultum, dominum & patronum in terris, & defenſorem reputarent in cælis: unde proceſſu temporis ad majorem Martyris gloriam ſanctimoniales virgines de cœnobio S. Hildæ abbatiſſæ ad corpus ejus introductæ, uſque ad perſecutionem Danicam, rabie Hinguaris & Hubbæ excitatam, in eccleſia B. Dei Genitricis in ſupremo religionis culmine permanſerunt.

F

& ſeqq.

13 *Hinguar & Hubba circa annum* 866 *in Angliam irrupere. Cum ergo Weſtmonaſterienſis aſſerat, B. Oſwini cultum* multis annorum circulis *fuiſſe priorem crudeli hac Danorum perſecutione; conſequens eſt, eumdem vel ſeculo incepiſſe octavo, vel ſub initium proximè ſequentis. Cæterum S. Hilda, quæ anno* DCLXXX *è vivis exceſſit, primùm præfuit monaſterio, cui* nomen Herutheu: *dein aliud in* Strenaneshalch *condidit ipſa & gubernavit. Tertium in* Hacanos *ædificavit, non rexit. Ita Beda lib.* 4 *cap.* 24. *Ex Strenaneshalch virgines ad* S. Oſwini *corpus adductas apparet veriſimilius: nam hujus loci parthenonem, non alios,* Hildæ monaſterium *nuncupatum reperio apud Harpsfeldium ſeculo* 9 *cap.* 14.

maximè à religioſis

14 *Ne quis verò Weſtmonaſterienſem accuſet erroris, quòd cœnobium Tinmuthenſe religioſis*

A *ſis virginibus attribuat, quod à viris habitatum tradunt Capgravius & monachus S. Albani anonymus; obſervandum eſt, olim uſu non infrequenti receptum fuiſſe, ut viri feminæque in eodem degerent monaſterio, ſolis ædibus disjuncti: ita tum ex aliis, tum ex Beda nominatim colligere fas eſt, qui lib. 4 cap. 7, ait:* Cum tempeſtas ſæpe dictæ cladis latè cuncta depopulans, etiam partem monaſterii hujus illam, quâ viri tenebantur, invaſiſſet ... ſollicita mater congregationis, quâ horâ etiam eam monaſterii partem, quâ ancillarum Dei caterva à virorum erat ſecreta contubernio, eadem plaga tangeret *&c. Quibus affinia leguntur lib. 3 cap. 8, & lib. 4 cap. 24.*

utriuſque ſexûs perſonis.

15 *Atque hinc Weſtmonaſterienſem cum ſcriptoribus aliis conciliaveris facillimè, dicendo, idem monaſterium, non tamen eamdem partem, & viros incoluiſſe, & virgines Deo ſacras. Ipſe Weſtmonaſterienſis rem hanc indicare videtur: ait enim primò,* corpus S. Oſwini delatum ad monaſterium B. Dei Genitricis: *Dein ſubdit,* ad majorem Martyris gloriam virgines ſanctimoniales ad corpus ejus introductas; *utique inſinuans, ſub initium viros ſolos Tynemuthanum*

B *cœnobium inhabitaſſe; dein virgines viris non ſubſtitutas, ſed adjunctas: ſic enim* major Martyris gloria *exſurgebat; ſi ipſum colebat ſexus uterque; non verò ſi alter cum altero expulſo permutabatur. Et hic quidem honor* S. Oſwino *in ea eſt eccleſia delatus, quæ corpus ſervabat ſepultum. Cultûs omnis expertem non jacuiſſe in loco, in quo erat occiſus, teſtatur Cambdenus in Britannia ſacra, pag.* 593, *ubi agens de villa Gilling, ita ſcribit:* Erat villa illa Gilling religione magis ſacra, quam munitione firma; ex quo in hac (quam Beda Getling vel Ingetlingum vocavit) Oſwius ſeu Oſwinus, Nordanhumbrorum rex, hoſpitis inſidiis interfectus fuerat, cujus ad cædem expiandam ædificatum erat monaſterium, quod in ſummo honore eſt à majoribus noſtris habitum.

§ II. Sancti cultus exſtinctus; renovatus deinde, & propagatus.

C

Extincta vi perſecutionis veneratio

EXſtinctam *dein per annos plures* B. Oſwini *venerationem Weſtmonaſterienſis citatus ſcribit, temporibus demum melioribus renaſcituram.* In hac perſecutionis (*Danorum*) rabie, *inquit,* cœnobium illud *Tynemuthanum* creditur (*immò ab Harpsfeldio ad ſeculum 9 cap. 14 aſſeritur*) cum cæteris regionis cœnobiis demolitum .... Poſt hæc autem per multa tempora ſub poteſtate Danorum infidelium regione illa devoluta, S. Martyris memoria penitus à mentibus provincialium eſt deleta. Tandem paulatim redeunte fidelium devotione, & fidei creſcente puritate, epiſcopus loci in eccleſia Dei Genitricis presbyteros ſtatuit & clericos, qui provincialibus parochianis divina miniſteria celebrarent. Jacuit interea Martyr beatiſſimus ceſpite abjectiori tumulatus uſque in tempora Ægelwini Dunelmenſis præſulis, & Toſtonis Nortanhumbrorum comitis, qui poſt Siwardum non hæreditaria ſucceſſione, ſed regis Eadwardi donatione obtinuit Comitatum.

17 Placuit igitur divinæ pietati, prædicto pontifice vivente, beati Martyris reliquias in lucem, ad totius Eccleſiæ proventum, efferre, ut lucerna diu ſub modio conſtituta, ſuper candelabrum accenſa, infidelitatis tenebras illuſtraret. Erat autem ædituus quidam prædictæ eccleſiæ, in qua corpus beati Martyris humatum fuerat, nomine Eadmundus, vir quidem religioſus, & beato Martyri devotus: qui licet non corpori alicujus monaſterii, titulo profeſſionis, eſſet aſtrictus, habitu tamen religionis fuerat inſignitus. Hic nocte quadam, cum poſt nocturnas vigilias in eccleſia membra ſopori dediſſet, aſtitit ei vir quidam ſaturâ procerus, & cæleſti fulgore præclarus, qui viri nomen exprimens ait: Frater Eadmunde, frater Eadmunde, ego ſum rex Oſwinus, qui in hac eccleſia jaceo, omnibus incognitus. Surgens ergo dic pontifici Ægelwino, ut in hujus pavimento oratorii corpus meum quærat, & inventum decentiùs ſolito in eodem oratorio componere non omittat. AUCTORE P. D. *reviviſcit, ipſo ad corporis ſui elevationem hortante,*

18 Expergefactus itaque Eadmundus, & de viſione lætificatus, ſummo diluculo pontificem adiit, & ſeriem viſionis illi reverenter expreſſit. Pontifex autem, his auditis, inceſſabili gaudio exultavit, & gratanter ad locum veniens, populum multum de partibus remotis ibidem congregatum invenit, & ad præſulis mandatum, facta ab omnibus oratione, oratorii pavimentum fodere incipientes, multo diei ſpatio evoluto, nihil quærendo proficiunt. Porrò confuſus Eadmundus de injuria Sancti, accepto ligone, in loco ſibi omnes diu foderant, animosè terram percuſſit, & ictu iterato laminam ſepulturæ offendit. Et lapide revulſo, pretioſas reliquias gaudens invenit. *quam* E

19 Levatur igitur à præſule corpus ſanctiſſimum, & ejuſdem præſulis manibus lotum, & ſyndone munda involutum, in loco eminentiori eccleſiæ honorificè collocatur. Lotura quoque ſanctiſſimi corporis in angulo oratorii, epiſcopo jubente, effuſa, multis poſtea non ſolùm hominibus, ſed etiam animalibus profuit ad ſanitatem: cujus pulvis in aqua fuſus, & potatus, à variis languoribus liberatos, priſtinæ reſtituit ſanitati. Acta autem ſunt hæc à paſſionis ejus anno CDXIV quinto idus Martii. *miracula illuſtrant*

20 *Paſſus fuit* S. Oſwinus *anno æræ vulgaris 651: cui additi anni 414 deducunt nos in annum 1065: quam temporis notam, totiuſque rei jam narratæ ſubſtantiam confirmat monachus S. Albani tom. 1. Monaſtici Anglicani pag. 334. Agelwinus, qui ſacra oſſa elevavit, epiſcopatum adiit anno 1056; poſt annum 1069 bis coactus fugere, demum captivus obiit anno 1071. Ita ex variis ſcriptoribus auctor Britanniæ ſacræ pag. 702. Unde convincitur erroris Capgravius, qui in Vita* S. Oſwini *ſcribit, quòd* anno gratiæ MCX Agelwinus *epiſcopus corpus ſanctum de terra elevarit. Wigornienſis & Hovedenus apparitionem* S. Oſwini *tacent, cultum verò ad annum 1065 confirmant:* Reverendus vir Agelwinus, Dunelmenſis epiſcopus, S. Oſwini quondam regis Berniciorum (*immò* Deïrorum) oſſa in monaſterio, quod juxta oſtium Tinæ fluminis ſitum eſt, de tumulo levavit, tranſactis à ſepultura ejus CDXV annis, & in ſcrinio cum magno honore locavit. *errores chronologici* F

21 *In cyfras, quibus lapſum à ſepultura tempus apud auctores exprimitur, error irrepſit, legendumque,* tranſactis à ſepultura annis CDXIV: *nam alioquin ad annum 1066 oſſium elevatio referenda foret, non ad 1065; quo tamen facta ab utroque hiſtoriographo notatur. Cæterùm diem tranſlationis à Wigornienſi ſignatum etiam Majores* *corriguntur.*

AUCTORE P. D.

jores noſtri ad diem v Idus Martii, *ſeu ad diem* XI *ejuſdem menſis in catalogo prætermiſſorum ita obſervarunt:* Oſwini Northumbriæ & Martyris tranſlatio contigit hoc die, & inſcripta eſt martyrol. Anglicano & Calendario Ferrarii. Natalis ejus celebratur xx Auguſti.

Renovatus cultus magnum mox accipit incrementum

22 *Renovatus* B. Oſwini *cultus mox non mediocriter excrevit. Nam & lipſana ter tranſlata ſunt, & eccleſia B. Dei Genitricis Tinmuthana, eccleſia quoque* B. Oſwini, *auctо nomine, dici cœpit, eumdemque ad locum adducti ſunt monachi Deo & S. Oſwino ſervituri: quæ omnia eruuntur ex teſtimoniis ordine chronologico jam recitandis. Simeon Dunelmenſis, qui floruit circa medium ſeculi duodecimi, in Hiſtoria Dunelmenſis eccleſiæ lib.* 4 *cap.* 14 *ita loquitur:* Eccleſiam S. Oſwini in Tinemuthe, jam dudum donantibus Northymbriæ comitibus, monachi *S. Cuthberti*, cùm adhuc eſſent in Gyruum, *unde Dunelmum anno* 1083 *evocati fuerant*, poſſederant: unde etiam ipſius Sancti oſſa ad ſe transferentes in eccleſia S. Pauli ſecum non parvo tempore habuerunt, quæ poſtmodùm ad prio-
B rem locum retulerunt.

ex duplici tranſlatione,

23 *Monaſterium* Gyruum *ſive* Ingyruum *olim, nunc Jarrouw nuncupatum, ſitum erat prope oſtium Tynæ fluminis, vocabaturque etiam* monaſterium S. Pauli, *cui eccleſia erat ſacra; ut videri latiùs poteſt ad diem* XXIX *Maii pag.* 718 *num.* 19. *Diploma, quo hujus loci incolis Tinmuthana eccleſia fuit conceſſa, exhibet Monaſticon Anglicanum tom.* 1, *pag.* 42. *Ratio, cur monachi ex Gyruum evocati fuerunt Dunelmum, erat reſtauratio cultus divini, qui ibidem in eccleſia B. Cuthberti prolapſus jacebat, ut pluribus exponit Simeon citatus lib.* 4 *capp. variis.*

ex cœnobio eccleſiæ adjuncto,

24 *Manſit eccleſia Tinmuthenſis ſub cura monachorum S. Cuthberti uſque ad annum* 1090, *quo ad monachos S. Albani tranſiit cum novo cultûs* S. Oſwini *augmento; de quo Matthæus Pariſienſis in Hiſtoria Anglicana ad annum citatum hæc habet:* Robertus de Molbraio Northumbrenſis Comes, divina inſpiratione tactus, volens eccleſiam B. Oſwini de Tenemutha jam dudum deſolatam reſtaurare, atque ibi Deo & S. martyri Oſwino monachos ſervituros conſtituere, conſilio amicorum ſuorum, Paulum eccle-
C ſiæ S. Albani abbatem convenit, petens obnixiùs & devotè, ut ex monachis ſuis aliquos illuc tranſmittere dignaretur, promittens omnia, quæ ad victum & veſtitum neceſſaria ſunt, ſe eis affatim ſuppeditaturum. Petitioni quidem abbas prædictus non defuit: nam quoſdam illuc ex S. Albani monachis mitti curavit *&c. Rem eamdem brevibus complectitur Weſtmonaſterienſis lib.* 2 *ad annum* 1091 *ita ſcribens:* In confinio autem hujus & præteriti anni, utrumque contingenti, inſtaurata eſt monachis eccleſia S. Oſwini de Tynemuthe, & informati regulari vita S. Benedicti, ſub Paulo abbate S. Benedicti, *cujus electio incidit in annum* 1077, *obitus in* 1093, *ut Matthæus Pariſienſis in Vitis abbatum notavit.*

ex tranſlatione, tertia.

25 *De tertia reliquiarum tranſlatione idem auctor in Hiſtoria Anglicana ad annum* 1110 *ita loquitur:* Eodem anno Richardus abbas S. Albani, pretioſas beatiſſimi regis & martyris Oſwini reliquias cum magno cleri & populi tripudio in novam Dei Genitricis Mariæ tranſtulit baſilicam apud Tinemutham ab antiquo ejuſdem Dei Genitricis oratorio, in quo corpus ejus ſanctiſſimum fuerat priùs inventum & collocatum. Facta eſt autem hæc tranſlatio in die paſſionis ejuſdem martyris x * Kal. Sept. ſecundum rotulam cancel- D
larii. *Hujus tranſlationis fit quoque mentio à mo-* *f. XIII
nacho S. Albani in Monaſtico Anglicano tom. 1, *pag.* 334: *ſed tempus vitiosè exprimitur, cum dicitur accidiſſe* anno milleſimo: *quo neque eccleſia* S. Oſwini *ſubjecta erat monaſterio S. Albani, neque repertum Sancti corpus; ut exploratum ſit ea legenti, quæ monachus idem pag. citatâ rectè ſcribit. Cæterùm Richardus, quo auctore tranſlatio facta eſt, in præſulem electus eſt anno* 1097, *obiit* 1119, *ut in Vitis abbatum notat Pariſienſis; qui & affirmat ibidem*, datas ipſius tempore poſſeſſiones . . . eccleſiæ S. Oſwini de Tinemuthe multas.

§ III. Donationes principum, martyrii titulus; annuntiationes; tempus mortis & regni; miracula.

E

Ex inſigni principum liberalitate.

A *Liis quoque temporibus ex pio in* S. Oſwinum *affectu eluxiſſe fidelium, etiam principum liberalitatem, tomus* 1 *Monaſtici Anglicani locis variis oſtendit: nam pag.* 42 *Waltheofus Comes Northumbriæ, cujus violenta mors apud Alfordum ad annum* 1075 *illuſtratur, factas jam pridem plures in honorem* S. Oſwini *ſupponit. Pag.* 334 *Guilielmus II, qui ab anno* 1087 *uſque ad* 1100 *Angliæ thronum occupavit, meminit* terrarum, decimarum, aquarum, conſuetudinum, quas Robertus (*de Mulbraio*) Comes Northumbriæ, & ſui homines dederant S. Oſwino, antequam (*anno* 1095) ipſi foriſfactus eſſet *ſeu rebellis, atque ita rerum ſuarum dominio exutus. Pag.* 335 *factas per eumdem Robertum donationes confirmat Henricus, Guilielmi in regno ſucceſſor. Paginâ eâdem David rex Scotiæ, cum in Northumbria anno* 1138 *bellum gereret, ſui ſuorumque in* S. Oſwinum *affectûs hoc edit teſtimonium:*

principum

27 Sciatis, *inquit*, me conceſſiſſe & dediſſe eccleſiæ S. Mariæ, & S. Oſwini martyris de Tynemutha, & fratribus ejuſdem loci & dominicis hominibus (*id eſt, famulis aliiſque ſimilibus,* F
qui ſub dominio erant Tinmuthanorum fratrum) & rebus ad prædictam eccleſiam pertinentibus, & omnibus illis hominibus, qui in pace S. Mariæ, & Sancti ejuſdem loci in die S. Barnabæ Apoſtoli in anno MCXXXVIII ab Incarnatione Domini fuerunt, meam pacem (*ſeu regiam protectionem*) in perpetuum de me & omnibus hominibus meis pro anima patris & matris meæ, & regis Alexandri fratris mei, qui pacem Dei & ſuam firmiter prædictæ eccleſiæ conceſſit, & pro anima Matildæ reginæ Angliæ ſororis meæ . . Henrico filio meo hanc pacem annuente. *Alexander, qui hîc commemoratur, ab anno* 1107 *uſque ad* 1124 *regnum Scotiæ tenuerat. Matilda ſeu Mathildis Henrico primo regi Angliæ anno* 1102 *nupta obiit* 1118. *Henricus Davidis filius morte præmatura anno* 1142 *ſublatus eſt, futurus alioquin regni paterni heres.*

observantia, monachis S. Albani aliiſque gratiam ſpecialem facit

28 *Denique pag.* 336 *rex Angliæ Eduardus* ob ſpecialem devotionem, quam erga glorioſos martyres BB. Albanum & Oſwinum, cujus quidem Oſwyni corpus in quodam feretro infra eccleſiam de Tynmuth requieſcit, geri-

mus

A mus & habemus, necnon ob ſalutem animæ noſtræ, & animæ celebris memoriæ Alianoræ, quondam reginæ Angliæ conſortis noſtræ. *Obiit hæc Alianora ſeu Elionora anno* 1298; *Eduardus* 1307, *ſolus ſuâ conjugi ſuperſtes è regibus Angliæ tribus, qui uxorem, cui nomen Eleonora, duxerunt. Porrò quid* feretri *nomine tum temporis intelligeretur, explicat Pariſienſis in Vitis abbatum, de Richardo abbate XV dicens:* Iſte .. fecit THECAM unam, quam feretrum appellamus. *Plura obſervantiæ in* S. Oſwinum *indicia videri poſſunt paginis ex Anglicano Monaſtico mox citatis: quamquam quæ ibidem profertur charta regis Joannis, diſcuſſione nonnulla egeat, cum in ea* rex Richardus Joannis avunculus *dicatur, qui frater fuit, cui anno* 1199 *in Angliæ regno ſucceſſit.*

& martyrologiorum annuntiationibus.

29 *Poſt tot tamque inſignis venerationis indicia (quibus aliud addam infrà) ab anno* 1065 *vſque ad initium circiter ſeculi decimi quarti deducta, meritò auctor martyrologii Hagenoyenſis, ineunte fere ſeculo decimo quinto, ſuis hæc Faſtis inſeruit:* In Anglia S. Oſwini regis & martyris: *meritò & Grevenus (quem Molanus aliquot poſt annos exſcripſit) ad hanc diem ita annuntiavit:* Oſwini, regis provinciæ Deirorum & martyris, cujus inſtantem obitum (ut ſcribit Beda lib. 3, *cap.* 14) cum S. Aidanus epiſcopus prædiceret, Non eſt, inquit, digna hæc gens talem habere rectorem.

Martyr dictus, quia cauſa pia mortis fuit occaſio,

30 *At, inquies, cur* martyris *titulo inſigniter* S. Oſwinus, *quem Oſwius non ex fidei odio, alteriuſve virtutis Chriſtianæ occidit, ſed abreptus, ut apparet, cupiditate dominandi latiùs? Alfordus ad annum* 651 *num.* 7 *reſpondet,* Martyrem *dici*, quia mortem pro juſtitia, pro civium & reipublicæ incolumitate innocenter patienterque ſuſtinuit. *Et ſanè B. Regem incolumitati ſubditorum pacique conſervandæ ſtuduiſſe unicè, ſatis patebit ex Actis, in quibus* provinciæ Deirorum ſeptem annis in maxima rerum omnium affluentiâ, amabilis omnibus, *dicitur* præfuiſſe; *bellum verò contra Oſvium* ſuſcepiſſe, *quia* pacem habere non potuit: *unde mors, quæ profugo, inermi nec reluctanti illata eſt, meritò primam traxiſſe originem cenſetur ex paterno in ſubditos amore; qui natus ex motivo ſupernaturali, cùm non modò honeſtus ſit, ſed & virtutis Chriſtianæ actus; conſequens eſt, ut ſi cui cauſa mortis fuerit, is non minùs inter Martyres numerari poſſit, quàm nonnulli alii, de quibus Majores noſtri egerunt tom.* 1 *Januarii pag.* 391 *&* 502; *item tom.* 111 *Junii pag.* 938.

C

anni regni ipſius

31 *Dies emortualis* S. Oſwini *anno* 651 *affigitur ab omnibus. At cui illigandum ſit regni exordium, non liquet. Wigornienſis (Conſentit in re Weſtmonaſterienſis) ad annum* 645 *ita ſcribit:* Hoc etiam anno rex Oſwinus .. in Deirorum provincia regnare cœpit, & VII annis eidem præfuit. *Verùm hic error eſt manifeſtus: nam regnum inchoatum anno* 645, *& continuatum per ſeptennium, Sancti noſtri obitum differt in annum* 652: *quo fuiſſe priorem Wigornienſis ipſe cum Weſtmonaſterienſi teſtatur. In ipſis quoque Bedæ editionibus, prout nunc extant impreſſæ, difficultas eſt; in quibus ſanctus Rex* provinciæ Deirorum SEPTEM ANNIS in maxima omnium rerum affluentia *dicitur* præfuiſſe, *& paulo pòſt* anno regni ſui NONO *narratur occiſus. Nodum ſolvit monachus S. Albani tom.* 1. *Monaſtici Anglicani pag.* 333 *dicens:* Oſwinus regno Deirorum VII annis maximâ rerum omnium affluentiâ præfuit ... Exactis in regno VII annis, quietis duos, poſtremos inquietos habuit: *ut proinde varietas annorum à Beda notata reſpiciat variam regnantis fortunam, atque adeo ſublata ſit omnis antilogia.* AUCTORE P. D.

examinantur.

32 *Quid ſi ſuſpicemur corruptas hîc eſſe Bedæ editiones? legendumque* Oſwinus provinciæ Deirorum novem *(non* ſeptem) annis in maxima omnium rerum affluentia & ipſe amabilis omnibus præfuit. *Ita ſanè legit Joannes Tinmuthanus, qui ex Beda excerpſit ſequentia:* Provinciæ Deirorum NOVEM annis in maxima omnium rerum affluentia & ipſe amabilis omnibus præfuit. *Alterutra ex allatis reſponſio eſt admittenda, ne ſecum ipſe Beda committatur. Auctor quidem Chronici Saxonici ad annum* 644 *ita ſcribit:* Hoc item anno capeſſivit regnum Oſwini ... filius Oſtrici, & regnavit SEPTEM annis; *non* novem. *Verùm quid ſi is chronologus vel Bedæ ſenſum minùs aſſecutus ſit, quàm mox laudatus monachus S. Albani, vel in apographum inciderit illo mendoſius, quo uſus eſt Joannes Tinmuthanus?*

E

Prodigium ſtupendum

33 *Miracula vel beneficia,* S. Oſwini *patrocinio facta, Actis ſubnectit Joannes Tinmuthanus: quibus ex ſcriptoribus aliis duo alia ſuperaddo. Walſinghamus in Richardo II ad annum* 1384 *hoc narrat prodigium:* Propè dies iſtos, id eſt, viceſima die menſis Auguſti, quo die videlicet celebratur paſſio S. Oſwini regis & martyris, in novo caſtro, ſuper Tinam, apparuit novum & inauditum noſtris diebus prodigium. Duo nempe naſtæ, ad reſarciendum navem ſuam, quoddam lignum dolare ſatagentes, die prædicto, dum alter illorum, ſecuri dictum lignum percuſſiſſet, ſanguinem repentè de ligno prædicto, tamquam de pecude ubertim ſtupuit emanaſſe. Perculſus ergo formidine magna, de tanta rei novitate, diu hæſit. Tandem recordatus diei S. Oſwini, cujus ſolennitatem infeſtaverat, vovit ſe nihil ulterius eo die in æternum facturum operis manualis.

narratur

34 Quod audiens ejus ſocius, & miraculum parvipendens, jurat ſe dolaturum dictum lignum, &, eo die, loco præordinato poſiturum. Cumque & ipſe lignum percuſſiſſet, vidit ſanguinem abundantiùs effluentem in parte percuſſa. Induratus tamen lignum vertit, & inſiſtit operi, aliâ parte ligni. Sed nec ibi defuit miraculum præoſtenſum. Nam & ibi ſanguis tamquam è bove, vel vaccâ decurrit. Giratur lignum ad quatuor partes, omni parte percutitur, omni parte defluit cruor. Quod cernens, qui priùs improbè lignum contempſit, ad devotionem ſe convertit, & deinceps eo die, ab omni opere manuali ſpondet ſe ceſſaturum. Iſtud miraculum à multis viſum, &, quibus incumbebat, approbatum, teſtimonium magnum reddit ſanctitati, & excellentiæ Martyris ſupradicti. F

ex ſcriptore idoneo,

36 *Hæc eadem Walſinghamus repetit in Hypodigmate Neuſtriæ ad annum* 1384, *ubi & addit:* Res defertur in cœtum clericorum, qui omnes cum laicis miraculum approbant. Lignum defertur Tinemutham, ubi prædicti Sancti corpus quieſcit, in teſtimonium miraculi præmonſtrati. *Porrò hic ſcriptor, qui, teſte Pitſæo,* verax ſemper habetur, *floruit anno* 1440, *id eſt, annis* 56, *poſtquam evenêre quæ narrat prodigia: quorum exploratam ut haberet veritatem, favebat & ipſe, in quo habitabat locus erat enim monachus in abbatia S. Albani, cui eccleſia Tynemuthana & ſubjecta erat, & vicina.*

AUCTORE P. D.

Ex dictis itaque colligitur, quod suprà asserui, novum celebris venerationis indicium: cum ex Walsinghami Historia consequens sit, ut sacra B. Oswini *dies Tinemuthæ celebranda fuerit cessatione ab opere omni servili.*

additur aliud Sancti beneficium.

37 *Aliud beneficium* S. Oswini *ope impertitum refertur, quamvis obscurè satis, à monacho S. Albani in Monastico Anglicano tom.* 1, *pag.* 334, *his verbis:* Leowricus puer, regnante Stephano, piscator in monasterio S. Oswini in * piscandum Scardeburge captus, quo tempore Ranulphus comes Cestrensis summo mane superveniens die quadam, villam ipsam de Scardeburg armata manu confregit, & rapinis vastavit, ac inter ceteros captivos Leowricus Maltonam in vinculis ducitur &c., ut Leowricus opere S. Oswini liberatus sit. *Regnavit Stephanus in Anglia ab anno* 1135 *usque ad* 1154. *Ranulphus Comes Cestrensis anno* 1140 *bellum cum eodem Stephano gessit, è carcere, cui quinquennio post fuerat commissus, liberatus,* fecit plura mala quàm oportuit, *inquit auctor Chronici Saxonici, quem vide pag.* 241 *&* 242 *editionis factæ anno* 1692:

B *supereſt, ut Acta Sancti nostri primùm ex Beda, dein ex Joanne Tinmuthano recudamus, numeris pro more nostro distincta, & notis illustrata*

* *f.* inter

ACTA

Auctore sancto ac venerabili Beda.

Ex Historiæ Anglicanæ ecclesiasticæ Parisiis anno 1681 *editæ lib.* 3 *cap.* 14.

S. Oswinus post auspicatissimum regnum provocatur ad bellum.

TRanslato ergo ad cælestia regna *a* Osualdo, suscepit regni terrestris sedem pro eo frater ejus *b* Osuiu, juvenis triginta circiter annorum; & per annos viginti octo laboriosissimè tenuit ... Habuit autem Osuiu primis regni sui temporibus consortem regiæ dignitatis, vocabulo Osuini, de stirpe *c* regis Eduini, hoc est, filium *d* Osrici, de quo suprà retulimus, virum eximiæ pietatis & religionis: qui provinciæ Deirorum septem *e* annis in maximâ omnium rerum affluentiâ, & ipse amabilis omnibus præfuit. Sed nec cum eo ille, qui cæteram Transhumbranæ gentis partem ab Aquilone, id est, Berniciorum provinciam regebat, habere pacem potuit; quin potiùs ingravescentibus causis dissensionum miserrimâ hunc cæde perenit.

a
b
c d
C
e

Hosti viribus impar fugit & occiditur.

2 Siquidem congregato contra invicem exercitu, cùm videret se Osuinus cum illo, qui plures haberet auxiliarios, non posse bello confligere, ratus est, utilius tunc dimissâ intentione bellandi, servare se ad tempora meliora. Remisit ergo exercitum quem congregaverat, ac singulos domum redire præcepit à loco, qui vocatur Wilfaresdum, id est, Mons Wilfari, & est à vico *f* Cataractone decem fermè millibus passuum contra solstitialem occasum secretus: divertitque ipse cum uno tantùm milite sibi fidelissimo, nomine Condheri, celandus in domo Comitis Hunvaldi, quem etiam ipsum sibi amicissimum autumabat. Sed, heu, proh dolor! longè aliter erat: nam ab eodem Comite proditum eum *h* Osuiu, cum præfato ipsius milite, per præfectum suum Ediluinum detestandâ omnibus morte interfecit. Quod factum est die decimâ tertiâ Kalendarum Septembrium, anno regni ejus nono, in loco qui dicitur Ingetlingum; ubi postmodum castigandi hujus facinoris gratiâ monasterium constructum est: in quo pro utriusque Regis (& occisi videlicet, & ejus, qui occidere jussit) animæ redemptione quotidie Domino preces offerri deberent.

f

D

h

Inter varias ejus virtutes

3 Erat autem rex Osuinus & aspectu venustus, & staturâ sublimis, & affatu jocundus, & moribus civilis, & manu omnibus, id est, nobilibus simul atque ignobilibus largus: unde contigit, ut ob regiam ejus & animi, & vultus, & meritorum dignitatem ab omnibus diligeretur, & undique ad ejus ministerium de cunctis propè provinciis viri etiam nobilissimi concurrerent. Cujus inter cæteras virtutis & modestiæ, & (ut ita dicam) specialis benedictionis glorias, etiam maxima fuisse fertur humilitas, ut uno probare sat erit exemplo.

E

maximè eminet animi demissio;

4 Donaverat equum optimum antistiti Aidano, in quo ille, quamvis ambulare solitus, vel amnium fluenta transire, vel si alia quælibet necessitas insisteret, viam peragere posset: cui cùm parvo interjecto tempore pauper quidam occurreret eleemosynam petens, desiliens ille præcepit, equum, ita ut erat stratus regaliter, pauperi dari: erat enim multum misericors, & cultor pauperum, ac velut pater miserorum. Hoc cùm Regi esset relatum, dicebat episcopo, cùm fortè ingressuri essent ad prandium, Quid voluisti, domine antistes, equum regium, quem te conveniebat habere, pauperi dare? Numquid non habuimus equos viliores plurimos, vel alias species, quæ ad pauperum dona sufficerent, quamvis illum eis equum non dares, quem tibi specialiter possidendum elegi? Cui statim episcopus: Quid loqueris, inquit, Rex? Num tibi carior est ille filius equæ, quàm ille filius Dei? Quibus dictis intrabant ad prandendum.

cujus insigne rejicitur exemplum.

F

5 Et Episcopus quidem residebat in suo loco. Porrò Rex (venerat enim de venatu) cœpit consistens ad focum calefieri cum ministris: & repentè inter calefaciendum recordans verbum quod dixerat illi antistes, discinxit se gladio suo, & dedit illum ministro, festinusque accedens ante pedes episcopi corruit, postulans ut sibi placatus esset, Quia numquam (inquit) deinceps aliquid loquar de hoc, aut judicabo, quid vel quantum de pecuniâ nostra filiis Dei tribuas. Quod videns episcopus, multùm pertimuit, ac statim exsurgens levavit eum, promittens se multum illi esse placatum, dummodò ille residens ad epulas tristitiam deponeret.

Proximè ipsum moriturum vaticinatur S. Aidanus.

i

6 Dumque Rex jubente ac postulante episcopo, lætitiam reciperet, cœpit è contra episcopus tristis usque ad lacrymarum profusionem effici. Quem dum presbyter suus linguâ suâ patriâ *i*, quam Rex & domestici ejus non noverant, quare lacrymaretur, interrogasset: Scio, inquit, quia non multo tempore victurus est Rex: numquam enim ante hac vidi tam humilem Regem. Animadverto illum citiùs ex hac vitâ rapiendum. Non enim digna est hæc gens talem habere Rectorem. Nec multò pòst, dira antistitis præsagia tristi Regis funere, de quo suprà diximus, impleta sunt. Sed & ipse antistes Aidan non plus quàm duodecimo post occisionem Regis, quem amabat,

A mabat, die, id eſt, pridie Kalendarum *k* Septembrium, de ſeculo ablatus, perpetua laborum ſuorum à Domino præmia recepit.

k *S. Aidani Acta ad diem eumdem illuſtrabuntur.* D

ANNOTATA.

a *Obiit S. Oſwaldus anno 642, die* v *Auguſti, ut Beda lib. 3 cap. 9, & lib. 5 cap. 25 teſtatur. Ipſius vita illuſtrata eſt tom. 2 Auguſti à pag. 83.*

b Oſuin, *qui &* Oſwi *vel* Oſwius, *aut etiam* Oſwinus *appellatur, habuit eumdem cum S. Oſwaldo patrem Ethelfridum regem: an verò uterini fratres fuerint, non ita certum; cum nonnulli Oſuium ex concubina natum ſcribant, non ex* Acca *legitima Ethelfridi conjuge, & S. Eduini ſorore, ex qua genitum S. Oſwaldum teſtatur Beda lib. 3 cap. 6.*

c S. Oſuini, *vel* Oſwinus *S. Eduinum in tertio conſanguinitatis gradu attigit: nam Oſtricus* Oſwini *parens, & Eduinus patrueles erant: ut conſtat ex Commentario num. 6. Cæterùm de S. Eduino agemus ad diem* IV *Octobris.*

d *De Oſtrico Beda lib. 3 cap. 1 hæc ſcripſerat:* Interfecto in pugna Eduino (*anno 633*) B ſuſcepit pro illo regnum Deirorum (de qua provincia ille generis proſapiam & primordia regni habuerat) filius patrui ejus Elfrici, vocabulo Oſtric, qui ad prædicationem Paulini, *à quo & S. Eduinus* (*anno 627*) *baptiſmum ſuſcepit*, fidei erat ſacramentis imbutus . . . ut terreni regni inſulas ſortitus eſt, Sacramenta regni cæleſtis, quibus initiatus erat, anathematizando prodidit, ac ſe priſcis idololatriæ ſordibus polluendum perdendumque reſtituit: nec mora; utrumque rex Britonum Cedualla impia manu, ſed juſta ultione peremit: *nempe* proxima æſtate Oſricum, dum ſe in oppido municipio temerariè obſediſſet, erumpens ſubitò cum ſuis omnibus imparatum cum ſuo exercitu delevit: *unde apparet genitum ex patre peſſimo filium ſanctiſſimum.*

e *De annis regni vide in Commentario num. 31. Ibidem num. 2 & 3 actum eſt de diviſione imperii Northumbrici.*

f *De* Cataractone *Camdenus in Britannia à pag. 593 ſcribit ſequentia:* Tribus infra Richmondiam millibus paſſuum Swala vetuſtam illam urbem præterfluit, quam Ptolomæus & Antoninus C Caturactonium & Catarracton dicunt, Beda autem Catarracton, & alibi vicum juxta cataractam . . . Urbem illis temporibus celeberrimam fuiſſe, ex Ptolomæo colligitur, quod ibi cæleſtis obſervatio facta fuerit: nam & magnæ conſtructionis lib. XI cap. VI parallelum quartum & vigeſimum per Britanniæ Cataractonium deſcribit; diſtareque ab æquatore partibus LVII facit: at in geographicis longiſſimum diem horis XVIII æquinoctialibus definit, ut juxta ſuum ipſius Δηλογισμον LVIII partibus diſtet.

g *Locus* Ingetlingum, *qui &* Gedlingum, *nunc verò Gilling dicitur, diſtat non procul Richemondiâ, urbe comitatus Eboracenſis, ducali titulo inſignita. Ita colligitur ex Camdeno citato pag. 593, & Capgravio infrà in Vita* S. Oſwini.

h *De Oſwio vide quæ dicta ſunt tom.* II *Februarii, ubi pag. 804 inter prætermiſſos relatus eſt.*

i *Utebatur S. Aidanus linguâ Scoticâ, quæ erat diverſa ab ea, quâ loquebantur Northumbri, ut colligitur ex Beda lib. 3 cap. 3: ubi S. Eduinus dicitur idiomate Anglico ea interpretatus, quæ Scoticè Aidanus proferebat.*

ACTA ALTERA

ex Joanne Capgravio ſeu potius Joanne Tynmuthano

In Legenda Angliæ à folio 256 verſo.

BEatus etiam Oſwinus ex antiquorum clariſſima regum *a* proſapia Anglorum oriundus extitit. Poſt mortem ſiquidem regis Northanhumbrorum *b* Edwini, primis ejus ſucceſſoribus, Oſrico videlicet rege Deirorum & Eanfcido * Berniciorum, apoſtatis *c* à Cedwalla rege Britonum, juſto Dei judicio deletis, filius Oſrici Oſwinus, ne à Cedwalla perimeretur, non parvo tempore apud occidentales Saxones *d* exulavit; regnumque Deirorum & Berniciorum Oſwaldus *e*, Edwini regis nepos, ex ſorore Acta *f* progenitus, obtinuit: quo tandem à paganis martyrizato, ſucceſſit frater ſuus Oſwi *g*, & viginti octo annis laboriosè regnavit. *Ab exſilio* *a* *b* * Eanfrido *c* E *d* *e* *f* *g*

2 Audiens igitur Oſwinus exulans, filius ſcilicet Oſrici, quod, defuncto Oſwaldo regnaret Oſwi pro fratre ſuo, inito cum ſuis conſilio, ad regnum Deirorum regreſſus, ab omni plebe lætanter recipitur: & in regem, nemine contradicente, ſublimatur anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, & provinciæ Deirorum novem annis in maxima omnium rerum affluentia & ipſe amabilis omnibus præfuit. Erat enim oculus cæco, pes claudo, baculus tremulo, orphanorum & viduarum omniumque indigentium pius pater. Pauperes & maximè peregrinos benignè recipiebat, eſurientes alebat, nudos veſtiebat: & omnibus ejus beneficia poſtulantibus hilariter impendebat. *redux S. Oſwinus ad pie regit.*

3 Cum igitur Vir Dei pietatis vacaret operibus, humanæ ſalutis inimicus Oſwi regem Berniciorum magis ac magis adverſus eum excitavit, F & , donec congregatis exercitibus ad præliandum in loco, qui Wilfareſdoun *h* dicitur, occurrerent, inflammavit. Piiſſimus autem rex Oſwinus videns ſuos, licet multo pauciores, cum hoſtibus volentes contendere, & pro rege ſuo paratos occumbere, dixit ad eos: Congratulor, ô principes, & fideles milites, veſtræ probitati & militiæ, & gratias ago bonæ voluntati veſtræ: ſed abſit à me, ut mei ſolius causâ belli diſcrimen omnes incurratis, qui me, quamquam jure Dominum, pauperem tamen & exulem vobis regem conſtituiſtis. Malo itaque cum paucis ſolus exulare, immo potiùs diligo mori, quàm vos mei ſolius causâ contingat quoquo modo periclitari *i*: impius enim & inhumanus eſt, qui cùm Dei judicium nullo modo poſſit evertere; plures ſui ipſius causâ conatur evertere. Quare divinam ſuper me ſententiam pacificus, non belligerando libenter amplectans *k*: præſertim cum per os *k* ſancti Aidani per martyrii palmam ad cæleſtis regni gaudia me tranſiturum ignoſco *. Quo ordine & tempore Chriſtus voluerit vitam temporalem finire, non recuſo. *Coactus ad bellum,* *h* *i* *k* * amplector * agnoſco

4 His

EX IMPRESSIS. *post fugam interimitur.*

4 His dictis, exercitum domum remisit & cum uno tantùm milite Tondehere *l* nomine in Gedlingum *m* in domum Hunewaldi comitis, cui vicum illum & multa contulerat prædia, se recipit. Hunewaldus autem eum in conclavi quasi decentiùs habitaturum introduxit, Deique timore postposito, regi Berniciorum, quòd regem Oswinum sibi traderet jugulandum, sceleſtus innotuit. Audiens enim * hoc rex Oswi Ethelwinum domus suæ præpositum illic direxit, & ut regem Edwinum * interimeret, imperavit: quò cum perveniſſet, & Oswinus ab Hunewaldo sibi traditus fuiſſet, ait rex: Quia nequiter traditus, innocens à vobis jussus sum occidi, precor hunc militem liberè permittatis abire, nec mei causâ faciatis eum mortem subire. Maluit tamen miles morti succumbere, quàm mortuo domino, etiamsi copia daretur, supervivere. Excepit itaque rex Oswinus unà cum milite suo mortis sententiam, & effuso sanguine suo, perpetuam in cælo adepti sunt mansionem tertio decimo Kal. Septembris, anno regni ejus nono.

l *m* * autem * Oswinum

B *Inter alias virtutes*

5 Erat enim rex Oswinus & aspectu venustus, & staturâ sublimis, affatu jocundus, moribus civilis & manu omnibus nobilibus simul & ignobilibus largus. Unde ob regiam animi ejus & vultûs & meritorum dignitatem ab omnibus diligebatur, & undique ad ejus ministerium de cunctis propè provinciis viri etiam nobiles concurrebant. Donaverat autem rex Oswinus equum suum optimum Aidano episcopo, eo quòd magis pedibus pergere, quàm equo vehi consueverat. Qui citò postmodùm equum illum, cum nil aliud ad manum haberet, cuidam pauperi eleemosynam petenti donavit. Hoc cum didicisset rex, plurimùm indignatus ait episcopo Aidano secum ad mensam *n* considenti: Quid fecisti, Domine præsul? Num viliores equos habuimus, qui sufficerent ad eleemosynam? Cui Episcopus: Quid loqueris, Domine rex? Num charius erit tibi filius equæ, quàm filius Mariæ *o*?

n

rarum edit animi demissi exemplum.

C

6 Continuò rex procidens ad pedes episcopi, veniam rogavit, promittens fideliter, quod numquam obloqueretur, quidquid de rebus suis Dei filiis erogaret. Dum igitur pacati simul ad mensam sederent: episcopus subitò in lachrymas est resolutus. Cujus rei causâ à circumstantibus requisitâ, præsul ait: Non multo tempore victurus est rex iste: ante modo non vidi regem [tam] humilem: nec digna est hæc gens nequam talem diu habere regem. Unde contigit cito post hæc ipsum ocidi, ut præfatum est, anno Domini sexcentesimo quinquagesimo primo, & regni ejus nono. Sed & ipse antistes Aidanus post regis occisionem duodecim solummodò supervixit diebus. In Gedlingo, modò Gilling vocato, non procul ab urbe Richemundiæ *p* sito, regina Eanfleda *q* Oswi regis uxor, & regis Oswini propinqua, in expiationes necis ejus, impetratâ à rege Oswi licentiâ, monasterium construxit: in quo orationes assiduæ pro regis occisi & ejus, qui occidere jussit, animæ salute quotidie Domino deberent offerri; & virum quemdam devotum nomine Trumhere, natione Anglum, à Scotis ordinatum & edoctum, regis occisi propinquum, constituit abbatem. Quique postea sub rege Merciorum Wulfero in provincia Merciorum & Mediterraneorum Anglorum episcopus effectus, gentium multitudinem ad fidem convertit *r*.

p *q* *r*

Corpus ipsius,

7 Corpus autem sancti Regis ab eis, qui eum occiderant, ad ostium Tynæ fluminis versus aquilonem delatum est, & in oratorio sanctæ Mariæ Virginis sepultum, in quo loco religiosorum multitudo congregata *s* jugiter Deo serviebat. In tantam autem honoris eminentiam excreverat locus ille, ut per totam provinciam pro reverentia loci & religione defunctorum corpora ibidem tumulanda deferrentur. Elapsis post hæc multis annis Ynguar *t* & Hubba, iniquitatis filii, Danorum principes, ad ostium Tynæ fluminis applicantes, ipsum monasterium & omnem circa regionem gravi depopulatione vastarunt: monachos in quadam ecclesiola, omnium Sanctorum honori à sancto Cuthberto *u* dedicata, combusserunt: & cuncta cœnobii ædificia in planitiem redegerunt.

D *s* *t* *u*

ipso hortante *w* *x*

8 Anno autem gratiæ millesimo centesimo decimo *w*, cum monachus quidam, nomine Edmundus, loci ædituus, nocte quadam, post orationes more solito fusas, sopore depressus esset, apparuit *x* ei quidam ætate canus, vultu decorus, statura procerus, & verbis jocundus atque benignus. Quem cum diligenter intuens aspiceret, & quis esset, interrogare non auderet: is qui ei apparuit, dixit: Edmunde frater Edmunde. At ille securior redditus ait: Quis es Domine? Ego sum, ait, Oswinus rex, qui ab Hunewaldo comite nequiter traditus, ab Oswio rege morte detestanda peremptus, hac in ecclesia, cunctis incognitus, jaceo tumulatus. Surge, & dic pontifici Egelwino *y* quatinus corpus meum elevet & decentiori loco illud collocare non tardet.

E *y*

elevatur. * *f.* illico

9 Quod cum illo * episcopo nuntiasset, & ille corpus sanctum de terra elevasset, tanta odoris fragrantia egressa est, ut omnium aromatum genera diffusa putarentur, & omnes, qui aderant, inæstimabili suavitate replerentur. Sicque sactum ejus corpus in aquilonari oratorii parte cum honore reconditum est. Inditha Tostii comitis uxor cum magna instantia partem reliquiarum sancti Martyris ab episcopo petiit, & partem capillorum capitis Sancti accepit. Ignis autem adustione pilos probare voluit, non ut in aliquo de Sancti diffideret meritis: sed ut Martyris merita circumquaque per hoc extollere posset. Accenso itaque igne copioso & capillis injectis, post unius horæ spatium capillus ab igne intactus omnino & incombustus permansit *z*.

F *z*

Deus

10 Cùm enim sacerdos quidam vanus & lubricus, comitis Tostii consiliarius, occupatis circumquaque hospitiis, in ecclesia parari sibi lectum jussisset, meretricem secretò ad se introduci fecit: & cum iniquitatem perpetrare cum illa vellet, cœpit omnis ecclesiæ fabrica motu subitaneo à summis usque deorsum, quasi ventorum flatibus parietes ecclesiæ hac & illac impellendo *, agitari suique ruinam & omnium interitum comminari. Perterritus sacerdos & reatum suum intelligens, meretricem de ecclesia exire coëgit, & omnis illa commotio cessavit. Cum naves quinquaginta regis Willelmi *aa* apud Tynemutham applicarent, bona loci, Sancto nequaquam parcentes, spoliarunt: telamque cujusdam mulieris abstulerunt. Mulier autem ecclesiam intrans, cum lachrymis Sanctum deprecabatur, quatinus ei telam redderet, & de prædonibus vindictam faceret. Nautæ verò navigantes subitò in scopulos absque turbine ventorum, quasi remige carerent, offendentes, sese collidere mutuisque congressibus sibimet occurrere: & fluctus sævientes nautas, præter paucos, submerserunt, & ad littus ecclesiæ, quàm molaverant *, spolia ejecerunt, & universi cum vetula concurrentes,

* impellerentur *aa*

* spoliavorant,

bona

A bona ſua juxta littora reperta receperunt.

* etiam *ipſius gloriam variis miraculis*

11 Sanctus enim * Oſwinus mulierem omnium membrorum officio deſtitutam ſanavit: militem, qui cum equo ſuo de rupe altiſſima corruit, incolumen reddidit. Equus de ſcopulo in ſcopulum lapſus non ſolùm de præcipitio ſalvatur: verùm ſubitò, multis intuentibus, mirabiliter revocatur. Cuidam incarcerato apparens præcepit, ut velociter ſurgens ad Tynemutham properaret. Qui manus & pedes ſolutos aſpiciens, ſurrexit, & feram oſtii leviter excutiens, juſſa

bb Martyris cum feſtinatione implevit *bb*. Auriga cum bobus ad quadrigam junctis de ſupercilio montis corruens, à periculo liberatur. Quidam pro columba, quam ſub ſecreto præſumptuosè occidit, infirmitate correptus, cum ſe promitteret pro delicto ſatisfacturum, ſanatur. Sed cum votum implere negligeret, recidua infirmitate deceſſit.

manifeſtat.

12 Duas mulieres cæcas illuminavit, paralyticam curavit, ſurdis duobus auditum reddidit, puellam à dæmone vexatam liberavit. Mulier quædam à dæmonibus per annum vexata, cùm

B ad eccleſiam Martyris adducta ſanaretur, cum lachrymis narravit, quod tempore dormitionis ſuæ circumdederunt eam dæmones infiniti, aſpectu terribiles & horribiles valde. Quorum ſeptem majores erant & terribiliores, cornuti, hiſpidi, & caudati, oculos habentes teterrimos, & eam undique circumſtantes dilacerare nitebantur. Cúmque magnis vocibus exclamaſſet; quidam indutus ſuperpellicio, candorem lilii habens in facie, apparens dixit: Ego ſum, inquit,

cc rex & martyr Oſwinus, ſub cujus feretro *cc* requieſcis, & cum manica ſuperpellicii multitudinem dæmonum effugavit, & cum omni manſuetudine, cùm loco & tempore peccata, quæ fecerat, & numquam confeſſa fuerat, & tranſgreſſionem cujuſdam voti diſtinctè revelavit: hortans, ut peccata confiteretur, & votum ſuum im-

dd pleret, & de cætero officium pandocinandi *dd* venaliter non exerceret, pro quibus, ut aſſeruit, poteſtati dæmonum tradita fuit.

ANNOTATA.

C a *Genealogiam dedimus in Commentario num.* 4, 5 *&* 6.

b Occiſus eſt Eduinus (*ut Beda lib.* 2 *cap.* 2 *ſcribit*) die quarta Iduum Octobris, *quâ & colitur*, anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo trigeſimo tertio.

c *De apoſtaſia utriuſque & interitu agit latiùs Beda lib.* 3 *cap.* 1; *ex quo, quæ ad Oſtricum ſpectant, in annotatis ſuperioribus dedimus lit.* d.

d Occiduorum Saxonum regnum eiſdem terminabatur finibus, atque hac noſtra memoria Sutamptona, Bercheria, Wilcoria, Dorſetus & Somerſetus provinciæ, ſive, ut vocant, Comitatûs: niſi quod præterea Suriæ, Slouceſtriæ & Devoniæ partes aliquot in ſe continebat. *Ita poſt operis ſui dedicationem loquitur auctor, qui Bedam Cantabrigiæ edidit. Cæterùm fidem Chriſtianam hi Saxones ſuſceperant, regnante Oſwaldo, ut Beda lib.* 3 *cap.* 7 *auctor eſt.*

e *Regnavit S. Oſwaldus ab anno* 634, *uſque ad annum* 642: *ſcribitur tamen regnaſſe annis novem: quia, ut habet Beda lib.* 3 *cap.* 1: Cunctis placuit, regum tempora computantibus, ut ablatâ de medio regum perfidorum *Oſtrici & Eanfridi* memoriâ, idem annus ſequentis regis, id eſt, Oſwaldi, viri Deo dilecti, regno aſſignaretur. *Cætera ad S. Oſwaldum ſpectantia videri poſſunt tom.* 2 *Auguſti à pag.* 83.

Ex IMPRESSIS.

f Acta *aliter* Acca *appellatur. Vide ulteriùs dicta in annotatis ad Bedam lit.* b.

g *Vide ibidem quæ ad Oſwium ſpectant litt.* b *&* h.

h *A Beda* Wilfareſdun *ſcribitur, diciturque* decem ferme millium paſſibus ſecretus vico Cataractone, *cujus ſitum ſuprà lit.* f *dedimus.*

i *Hæc oratio non congruit cum iis, quæ Beda ita ſcribit:* Ratus eſt utilius, tunc dimiſſa intentione bellandi, ſervare ſe ad tempora meliora.

k *Incertum eſt, an* S. Oſwinus *ſciverit factam de ſua proximè inſtanti morte prophetiam: nam cum S. Aidanus eam ederet, uſus eſt, ut Beda lib.* 3, *cap.* 14 *teſtatur*, linguâ ſuâ patriâ, quam rex & domeſtici ejus non noverant. *Voluit proinde, ut* S. Oſwinum *res iſta lateret.*

l *A Beda* Condheri *vocatur.*

m *De* Gedlingum.

n *Idem Beda ſcribit hoc dictum*, cum forte ingreſſuri eſſent ad prandium.

o Quam filius Dei *legitur apud eumdem Bedam.*

E

p *De* Richemundia *diximus in annotatis ſuperioribus lit.* g.

q *S. Eudini filia fuit Eanfleda. Martyrologio Anglicano anni* 1608 *ad diem* XXIV *Novembris inſcribitur. An cultu publico aliquando honorata fuerit, ad diem eumdem examinabitur. Elogium ipſius dat Alfordus ad annum* 690 *num.* 15.

r *Hæc eadem habet Beda lib.* 3, *cap.* 24; *qui autem hic commemoratur rex Wulferus, vel* Wlferi anno DCLXXV, poſtquam ſeptemdecim annis regnaverat, defunctus eſt; *ut Beda lib.* 5 *cap.* 25 *teſtatur.*

ſ *De religioſis ibidem congregatis actum eſt in commentario à num.* 12.

t Hinguar *&* Hubba *quo anno in Angliam venerint, aliaque huc ſpectantia, vide ibidem numero* 13.

u *De* S. Cuthberto *ad diem* XX *Martii pag.* 93.

w *Legendum*, anno 1065, *ut dictum eſt in commentario num.* 20.

x *Hanc apparitionem narrat quoque Weſtmonaſterienſis ad annum* 1065. *Verba dedi in commentario num.* 17; *ubi num.* 20 *monachus quoque S. Albani allegatus eſt.*

F

y *De Egelwini epiſcopatu dictum eſt ibidem.*

z *Idem hoc Judithæ factum Weſtmonaſterienſis ad annum proximè citatum narrat. Erat autem Judith filia Balduini comitis Flandriæ, ad quem cum marito ſuo Toſtone vel Toſtio, ſedibus expulſa, confugit anno* 1065 *menſe Novembri, id eſt, octo circiter menſibus ab inventione corporis* S. Oſwini *elapſis: cùm illa inciderit in* V Idus Martii, *ut in Commentario num.* 19 *&* 21 *notatum eſt. De Juditha plura apud Alfordum ad annum* 1075 *num.* 13, *& ad annum* 1125 *num.* 25.

aa *Quis hic fuerit ex regibus Angliæ pluribus, qui Willelmi ſeu Guilielmi nomen geſſerunt, divinare non eſt in promptu.*

bb *Idem hoc beneficium narrat forſitan monachus S. Albani, cujus verba habet Commentarius num.* 37.

cc Feretri *nomine* thecam *intelligi, dictum eſt ibidem num.* 28.

dd Pandocinare *non aliud credo, ſignificat, quàm vox* pandoxare, *quæ apud auctores mediæ*

EX IMPRESSIS.

ætatis idem ſonabat quod cauponam exercere, cereviſiam venum exponere atque adeo conficere, *ut apud Cangium in Gloſſario videre eſt. Hæc ſunt, quæ de* S. Oſwino *colligere nobis viſum eſt.*

DE S. FILIBERTO ABBATE,

IN HERIO INSULA GALLIÆ,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G.C.

§ I. Nomen Sancti, notitia loci in quo obiit, & antiquus ejuſdem abbatis cultus.

ANNO DCLXXXIV. *Mabillonius agit de proprio Sancti nomine,*

Mabillonius ſeculo 2 *Ordinis Benedictini in obſervationibus præviis ad Vitam* S. Filiberti *pag.* 816 *de nominis hujus expreſſione & etymologia ſic diſſerit:* Sancti Filiberti nomen duobus modis pingitur, aliis FILIBERTUM, aliis PHILIBERTUM præferentibus. At certè veterrimi quique libri FILIBERTUM unico digammate exprimunt; recentiores quandoque PHILIBERTUM, quod hocce vocabulum Græcæ originis eſſe à nonnullis exiſtimaretur, cum potius ſit Gallicæ veteris aut Germanicæ. Certè BERTUS Germanorum linguâ CLARUM, FULGENTEM, SPLENDIDUMQUE ſignificat; quid verò FILI (quod nomen Filibertus à Filibaudo patre traxit) nondum adſequi potuimus. Non placet Claudii Roberti ſententia, qui ad calcem Galliæ Chriſtianæ PHILIBERTUS interpretatur AMANS BARBAM (nam & BERT Germanis BARBAM ſonat:) ſi enim hybrida ejuſmodi compoſitio hìc admittenda eſſet, præferremus utique eam, quâ FILIBERTUS Latino ac Germanico idiomate FILIUS CLARUS diceretur.

B

cujus etymologia explicatur,

2 *Eruditiſſimus Mabillonius meritò rejicit etymologiam Claudii Roberti, qui hoc nomen ex origine Græca & Germanica perperam deducit: ut enim nihil dicam de arbitraria ac longè quæſita radice linguæ Græcæ, Germani barbam non* bert, *ſed* bart *appellant. Rectè quidem Mabillonius aſſerit, voce* bertus *in Germanica lingua* clarum, *ſeu propriè* dignum *ſignificari; ſed cum fateatur, ſe nondum aſſequi potuiſſe, quid vox* Fili *ſignificet, originem hujus Germanicam probabiliter explicare conabimur. Adverbium* biel *apud Germanos* multùm *ſonat; cum verò Germani litteram conſonantem* v *in pronuntiatione cum littera* f *confundant, vox ea* biel *ab ipſis pronuntiatur, acſi* fiel *ſcriberetur. Porrò nomen* bert *deducitur ab adjectivo Germanico* werth, *quod* dignum *Latinè dicitur: nam littera* w *Germanica, quæ variis aliis nationibus ignota eſt, in* b *Latinum mutatur à ſcriptoribus, ut Meibomius & Shottelius ex nomine* Sigebertus, *Germanicè* Siegewert, *id eſt,* victoriâ dignus, *aliiſque plurimis oſtendunt. Ex his omnibus non improbabiliter concludo, quòd totum nomen* Filibertus *ex origine Germanica deducatur, & eo deſignetur* multùm dignus, *ut apud Schottelium lib.* 5 *de Lingua Germanica tractatu ſecundo fuſiùs videre eſt. Nunc etiam ex alio ſcriptore Gallo referemus ſitum inſulæ, ex qua Sanctus noſter ad cœlum migravit.*

C

3 *Hadrianus Valeſius Herium inſulam, commoratione & obitu* S. Filiberti *præcipuè celebrem, in Notitia Galliarum pag.* 245 *& ſequente ſic deſcribit:* Adjutus liberalitate Anſoaldi Pictavorum epiſcopi Filibertus, genere clarus & nobilis, in Herio inſula maris Pictonici nobiliſſimum monaſterium virorum ſtatuit, evocatiſque è Gemetico monachis illud implevit; quod ab Anſoaldo opibus magnis prædiiſque ditatum eſt: quod pullatorum atrorumve monachorum, ſtatuta Columbani primùm, deinde Benedicti ſequentium fuit, Nigrumque monaſterium ob id dictum eſt, & majori inſulæ vico, in quo erat, nomen ſuum dedit. Poſtea tranſlatis aliò metu Nortmannorum pleriſque monachis cum opibus ac reliquiis, in cellam mutatum eſt, quam hodieque vulgò Prioratum Nigrum à colore veſtium monachorum appellitant LE PRIEURE NOIR. *Hoc loquendi modo Valeſius innuit, monachos Herienſes, qui primò ſtatuta S. Columbani ſequebantur, ut ſupponit, habitu nigro indutos fuiſſe. Sed Longuevallius noſter in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ ad annum Chriſti* 678 *tomo* 4 *pag.* 126 *notat, diſcipulos S. Columbani initio veſtes albas geſtaſſe, quamvis concedat, eos poſtea colorem nigrum aſſumpſiſſe.*

D

& Herius inſula,

E

in qua ſanctus Abbas cœnobium exſtruxit;

4 *Haud dubiè Longuevallius in hac annotatione ſecutus eſt Mabillonium, qui in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti* 690 *num.* 3 *de SS. Patricio & Columba vel ſeniore Columbano ſcribit ſequentia:* Cucullâ candidâ ſuper cetera indumenta utebatur Patricius, teſtante Probo in libro de ejus geſtis; & Cummeneus Albus in Vita ſancti Columbæ abbatis Hiienſis tradit, ejuſdem Columbæ tunicam candidam fuiſſe. Ex quo fit veriſimile id, quod de diſcipulis ſancti Columbani (*hic junior appellatur*) abbatis Luxovienſis ſcribit Ordericus Vitalis, quos à beati Mauri diſcipulis nigredinem veſtium, abjecto ſcilicet albo colore, cum regula ſancti Benedicti accepiſſe memorat. *Quidquid ſit de mutato veſtium colore, cujus mutationis certum tempus ignoramus, laudatus Ordericus Vitalis, qui circa medium ſeculi duodecimi obiit, lib.* 8 *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ non procul à fine* S. Filibertum *noſtrum inter diſcipulos S. Columbani recenſet, ubi de hoc egregio vitæ ſpiritualis magiſtro præter alia ſic ſcribit:* Hic admirandæ ſanctitatis Pater inter præcipuos laboravit, ſignis & prodigiosè inter terrigenas effulſit, & Spiritu ſancto edoctus, monachilem regulam edidit, primuſque Gallis tradidit. Florentiſſimi de ſchola ejus monachi prodierunt, & in mundo, velut aſtra in firmamento, virtutibus micuerunt: Euſtaſius enim Luxovienſis, Agitus * Resbacenſis, Faro Meldenſis, Audomarus Bononienſis, Philipertus Gemmeticenſis (*id eſt* Filibertus, *ut in præfatione*

F

* *al.* Agilus

A *tione ad ſeculum ſecundum Ordinis Benedictini part. 1 ex eodem Orderici loco pag. VII num. 12 nomen iſtud ab eruditiſſimo Mabillonio exprimitur*) aliique plures epiſcopi & abbates excellentiſſimæ proceſſere religionis, quorum ſanctitas evidentibus miraculis cælitus oſtenſa eſt.

ab Hadriano Valeſio deſcribitur,

5 *Porrò Valeſius eœptam memoratæ inſulæ deſcriptionem proſequitur his verbis :* Herius igitur vel Herus inſula, vulgò HEIS, depoſita veteri appellatione, à nigro monaſterio iſto inſula Nigri-Monaſterii dici cœpta eſt, L'ISLE DE NERMOUSTIER vel NERMONSTIER in Pictavenſi diœceſi. Ibi eſt & abbatia alba, L' ABBAYE BLANCHE, quam monachi Bernardi regulæ ſubjecti albatique incolunt. Errat Petrus Franciſcus Chiffletius, qui in Tinurtio ſuo abbatiam albam à nigro monaſterio ſancti Filiberti differre non putat, ſed unum idemque eſſe cœnobium exiſtimat; dictam autem abbatiam albam à nautis, quoniam inter proceras populos, quarum folium ex parte album eſt, navigantibus alba appareat. Papirius Maſſonus aſſerit, Herium patêre circuitu leugas quatuor, latitudine unam implere, oppidulum

B habere octingentarum domorum. Fides ſit penes auctorem.

& forſan à Pſeudo-Juliano in aliam fictitiam mutatur.

6 *Vix intelligo, quid ſibi velit Pſeudo-Julianus, dum in Adverſariis ſuis num. 267 ita ſcribit :* Sanctus Philibertus in Hiſpania ſolitarius in inſula Seione prope Carthaginem Spartariam, quod verius eſt; alii prope fretum Herculeum aliam ponunt, & ibi ſanctum eremitam, acceptâ nominum ſimilitudine : nam Ebuſo per Mediterraneum illò venit. *Nicolaus Antonius ſuſpicatur, Pſeudo-Julianum hæc finxiſſe, ut incautos lectores falleret. Unde hic eruditiſſimus Hiſpanus in manuſcriptis poſthumis, quæ reverendus admodum atque ampliſſimus D. Adrianus Coninck proximus ipſius conſanguineus anno 1721 Matriti nobis perhumaniter communicavit, hac de re mentem ſuam exponit his verbis :* Credimus, ludere Julianum voluiſſe in nomine Herii inſulæ, dum Adverſario 267 Philibertum ſolitarium Seionæ (ita editio habet) Hiſpaniæ inſulæ adjudicat : hunc enim non alium eſſe credimus à Philiberto abbate Gemeticenſi priùs, deinde monaſterii alterius in Herio inſula Pictonici maris fundatore, cujus vita a-

C pud Surium, Sigebertum, Vincentium Bellovacenſem, Trithemium, Equilinum, nuperque inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini à Joanne Mabilione edita, mentio apud Bedam, Uſuardum, Adonem, & in Martyrologio Romano XX die Auguſti habetur. Scriptum exiſtimo à Juliano non SEIONE, quæ nuſquam in noſtro mari inſula eſt, ſed HERONÆ : quamvis enim neque de hac audivimus, propioris eſt nominis, ut cum HERIO vel HERO Aquitanici maris, quam nunc vulgò HEIS vocari Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum ait, poſſet in æquivocum trahi. Filibertum ergo, nobis auctoribus, Gallis ſuis reſtitui æquum & fas eſt. *Juſta enimvero reſtitutio, ſi Pſeudo-Julianus hodiernum* S. Filibertum *Gallis fraudulenter eripere intenderit.*

Antiquus hujus Sancti cultus,

7 *Jam breviter oſtendemus immemorabilem ac legitimum Sancti noſtri cultum, qui ab octavo ſeculo videtur uſitatus & publicus fuiſſe : nam Alcuinus, qui illo ſeculo floruit, in Epigrammate 235 de ipſo ſic ſcribit :*

Hanc Pater egregius aram Filibertus habebit,
Plurima conſtruxit qui loca ſancta Deo.

Non eſt dubium, quin Alcuinus hic agat de altari in honorem S. Filiberti *erigendo, quando-*

quidem præcedenti carmini diſticho ſtatim addi- AUCTORE G. C.
tur ſequens :

Huic quoque conjuncta eſt clariſſima martyr Agatha ;
Venerat in thalamum ſanguine virgo poli.

Huic antiquæ venerationis teſtimonio certatim accedunt veteres Martyrologi, ex quibus unum alterumve ſufficiet retuliſſe, cum aliunde de legitimo hujus Sancti cultu ſatis conſtet.

qui ex Martyrologio Uſuardi confirmatur,

8 *Uſuardus hac die illum ita annuntiat :* Herio inſula, ſancti Philiberti abbatis, qui poſt militiam temporalem, Chriſti tyrocinio mancipatus, monaſteriorum exſtitit fundator devotus. *Non ſat clarè intelligo, quid hîc ſibi velit militia temporalis, cum* S. Filibertus *anno ætatis ſuæ vigeſimo inſtitutum monaſticum amplexus fuerit, ut ex infrà dicendis patebit. Attamen ſuſpicor, Uſuardum per* militiam temporalem *intellexiſſe vitam aulicam, quam in palatio Dagoberti regis Francorum aliquamdiu duxit. Hodiernum Martyrologium Romanum de militia temporali non meminit, & hac eadem die feſtivitatem ejus breviter memorat his verbis :* In Herio inſula ſancti Philiberti abbatis. *Quamvis hæc & alia Martyrologia memoriam* S. Filiberti *decimo tertio Kalendas Septembris paſſim celebrent, tamen Wandelbertus decimo tertio Kalendas Auguſti feſtum ipſius annuntiat hoc verſiculo :* E

Et ternam denam Filibertus ſanctus adornat.

Fortè Sanctus oſcitantiâ librarii à die XX *Auguſti ad diem* XX *Julii tranſpoſitus fuit.*

etiamnum perſeverat.

9 *Quidquid ſit de hac Wandelberti annuntiatione, nos cum pleriſque Martyrologis* S. Filibertum *collocavimus die* XX *Auguſti, quo ad Superos migravit, & quo Trenorcii feſtivitas ejus quotannis etiamnum celebratur. Equidem ſcio, olim in abbatia Trenorcienſi annuam* S. Filiberti *commemorationem fieri conſueviſſe die* VII *Junii, quo corpus ejus ex inſula Herio tranſlatum eſt. Manuſcriptum quoddam Cartuſiæ Bruxellenſis alteri reliquiarum tranſlationi diem* XIV *Februarii adſcribit, ut in prætermiſſis ad illam diem diximus. Sed neſcio, qua occaſione dies decimus quintus Octobris alicui feſtivitati ſit aſſignatus, ut lego parte 1 cap. 4 Hiſtoriæ Trenorcienſis, quæ anno 1733 Divione impreſſa eſt. Peculiare eſt, dum quædam parœcia in diœceſi Matiſconenſi feſtum* S. Filiberti *patroni ſui die* F *XXII Maii celebrat, ut ibidem in Hiſtoria Trenorcienſi Gallicè refertur. Ex his omnibus concludo,* S. Filibertum *ab immemorabili tempore publicum cultum obtinuiſſe. Nunc indagandus eſt verus antiquæ Vitæ ſcriptor, de quo recentiores hiſtorici inter ſe diſceptant.*

§ II. Scriptor Actorum & varia eorumdem apographa.

Quidam putant, hanc Vitam ſcriptam eſſe ab Ermentario,

PETRUS *Franciſcus Chiffletius noſter in Probationibus Hiſtoriæ Trenorcienſis pag. 70 de biographo* S. Filiberti *hæc habet :* Ermentarius primùm in Gemmetico monachus, adhuc tiruculus (ut ipſe ait) ſub Coſchino abbate, ejus juſſu Vitam ſcripſit ſancti Philiberti abbatis haud procul anno DCCCXV, per initia Ludovici pii imperantis. Ea primo hujus Operis libro continetur ab illis verbis : INCLYTUS ILLE ARBITER. Cum deinde ad Herum inſulam ſe tranſtuliſſet, in eo Religioſorum comitatu fuit, à quibus ſancti Philiberti ſubductum inde corpus & per ſtationes ac

AUCTORE G. C.

manſiones varias circumvectum eſt. Per ea tempora librum alterum adjecit, qui eſt de ſancti Philiberti tranſlationibus & miraculis primus; quem Vitæ jam olim à ſe conſcriptæ adjunctum, Hilduino abbati Caroli regis adoleſcentiæ moderatori regioque archi-capellano nuncupavit anno Chriſti (ut videtur) DCCCXLIII. Tandem vagæ ſancti Philiberti monachorum familiæ abbas datus, quinquennio illis præfuit; ac tum librum tertium conſcripſit anno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo tertio, qui erat à primo piorum bajulorum ex Hero inſula egreſſu ſeptimus & vigeſimus; quo libro ſimul ſequentis temporis hiſtoriam complexus eſt, & in eumdem ſuperioris ætatis prætermiſſa congeſſit.

qui tranſlationes & miracula hujus Sancti collegit,

11 *Satis certum eſt, quod Ermentarius duos libros de tranſlationibus reliquiarum* S. Filiberti *conſcripſerit, & eorum primum Hilduino abbati San-Dionyſiano nuncupaverit, etiam alterum ei dedicaturus, niſi mors Hilduinum præripuiſſet, ut colligitur ex prologo, quem ad eumdem abbatem San-Dionyſianum ſic dirigit:*

Hilduino abbatum ſummo ſit vita ſalutque,
Sit felix vita, gloria perpes, Amen.
Tu meritis almi fultus valeas Filiberti,
Vitam & virtutes cujus habenda cape.
Sis memor oro ſui, noſtri quoque ſis miſereſcens,
Utque tui ille memor ſit, memor eſto ſui.
Ille preces pro te Dominum fundendo precetur,
Ut felix vivas & jugiter vigeas.
Tu quoque poſce pium regem Carolum reverenter,
Quo nobis tandem det miſerendo locum.
Vive diu felix, gaudens per tempora multa:
ERMEN enim veſter-TARIUS iſta cupit.

ut patet ex Ermentarii ipſius præfatione;

12 *Scriptor ille tranſlationum* S. Filiberti *metro coactus nomen ſuum per tmeſim hic ſatis apertè indicat, & deinde præfationem ſuam ſtylo ſoluto ſic proſequitur:* Vitam beati Filiberti atque miracula, in ejus tranſlatione declarata, quæ ego tunc temporis tirunculus minùs culto compoſui ſtilo, claritudini veſtræ mittere curavi: quatenus talia recolentes, de ejus iterum tranſpoſitione conſideretis. Quia, ſicut optimè noſtis, propter Normannorum infeſtationem à nullo ei præbetur officium; præſertim cum nec ibi conſiſtere, nec alicubi locum, quò transferri poſſit, obtinere valeamus. Si verò hoc negotium veſtro peractum fuerit adjutorio (poteſtis namque id facillimè perficere, ſi poſſe comitatum fuerit; ſecundum quippe poſt regem locum in omnibus tenetis) vobis quammaximè non modò inpræſentiarum, verùm etiam in futurum proſpicietis. Nomen denique Caroli glorioſiſſimi regis noſtri idcirco in miraculorum præfatiuncula inter Fratres tacetur, quia quando hæc geſta fuerunt, in aula regia puer nutriebatur, erudiebatur, inſtruebatur. Igitur ſi veſtra benigniſſima ſuggeſtione ejus liberaliſſima largitione admonita effectum obtinuerint, ſequens libellus, qui jam dicti Confeſſoris miracula, quæ ſuperſunt, vel quæ adhuc (ut creditur) pandentur, continebit, veſtro adſignabitur nomini. Gratum ſanè judicavi ſagaciſſimum veſtrum petitum ire ingenium, ut, ſi ſecus ac decet, perſpicaciſſimus in his veſter inſpexerit intuitus, non mordaci, ſed leni poliatur pumice.

Ut valeas jugiter, Dominum depoſco frequenter.
Supplico ſuppliciter, ut valeas jugiter.

Ex his Chiffletius & Cointius concludunt, Vitam S. Filiberti *ab Ermentario conſcriptam fuiſſe.*

ſed probabilioribus argumentis contendimus,

13 *Sed alii probabilius cenſent, ab Ermentario antiquiorem* S. Filiberti *Vitam additam vel præmiſſam eſſe libro primo tranſlationis & miraculorum, quem ipſe compoſuerat. Forſan Ermentarius hanc veterem alterius auctoris lucubrationem recentiori ſuæ adjunxit, & utramque Hilduino nuncupavit in eum finem, ut hic potens S. Dionyſii abbas non tantùm miraculorum* S. Filiberti, *verùm etiam ejuſdem Vitæ lectione moveretur, & palabundis monachis Herienſibus impetraret à Carolo Calvo ſtabilem tutumque locum, in quo ſacrum corpus ſui Fundatoris reponerent; quemadmodum ex jam relata Ermentarii præfatione non obſcurè colligitur. Certè in prologo ad Vitam S. Auſtrebertæ, quam in Opere noſtro ad diem* x *Februarii illuſtravimus, biographus huic Sanctæ coævus apud nos tomo* 2 *iſtius menſis pag.* 419 *de antiquioribus* S. Filiberti *Actis ita meminit:* Vereor, ne mihi contingat, quod cuidam contigiſſe audivi, qui rogatus à quibuſdam viri reverentiſſimi Filiberti monaſterii Gemeticenſis quondam abbatis Vitam atque converſationem ſtilo diligentiùs exarare, illico ſcribere conatus eſt. Cumque ad manus cujuſdam legendi gratiâ perveniſſet, deſpexit & irriſit, & longè aliter textum & ordinem multo meliùs diſſimiliter immutavit.

vetuſtiorem eſſe hujus Vitæ ſcriptorem,

14 *Cum S. Auſtreberta anno Chriſti* 704 *obierit, & hic ſcriptor ei ſynchronus vixerit, haud difficulter colligimus, primam illam* S. Filiberti *Vitam diu conſcriptam fuiſſe ante tirocinium Ermentarii, qui circa medium ſeculi noni præcipuè floruit. Unde Mabillonius in obſervationibus prævius ad Acta* S. Filiberti *num.* 1 *ex proximè relatis antiqui ſcriptoris anonymi verbis ita ratiocinatur:* Hinc diſcimus, ſancti Filiberti Vitam primò quidem rudi minerva ab imperito quopiam homine exaratam, dein ab alio expolitam. Unicam exhibent veteres membranæ à nobis hîc editam, quæ ſanè haud alia, quàm ſecundaria illa eſſe videtur, Coſchini abbatis Gemeticenſis juſſu compoſita. *Coſchinus autem ille fuit diſcipulus* S. Filiberti, *& tribus annis poſt ejus mortem Aicadro abbati Gemeticenſi ſucceſſit, ut laudatus Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti* 687 *num.* 60, *ſive tomo* 1 *præclari iſtius Operis pag.* 583 *tradit his paucis verbis:* Aicadro abbati ſuffectus eſt Coſchinus, cui librum de Vita ſancti Filiberti abbatis anonymus monachus Gemeticenſis inſcripſit. Coſchinum excepit Dructegangus, de quo nos ſuo loco. *Deinde ad annum Chriſti* 730 *num.* 85, *ſive tomo* 2 *pag.* 82 *de Dructegango tunc abbate Gemeticenſi meminit. Cum itaque Coſchinus abbas Gemeticenſis facilè centum annis ante Ermentarium floruerit, non potuit hic juſſu illius, ut in prologo auctoris anonymi dicitur, Vitam* S. Filiberti *conſcribere.*

adverſus opinionem Cointii,

15 *Vidit hanc difficultatem Cointius, ac ideo in Annalibus Francorum ad annum Chriſti* 684 *num.* 15 *Clotinum pro Coſchino ſubſtituit, & operosè contendit, hos eſſe duos abbates diverſos, & ætate multùm inter ſe differre. Quare fretus catalogo Claudii Roberti in Gallia Chriſtiana de Clotino ibidem ſic ſcribit:* Inter diſcipulos, quos Philibertus abbas apud Gemmeticum erudivit, annumerandus eſt Clotinus, qui per hæc tempora poſt Ocioaldum factus eſt abbas Centulenſis, & in abbatum Centulenſium catalogo, quem Jacobo Sirmondo miſſum Claudius Robertus in Gallia

A Gallia Chriſtiana primus publicavit, poſt ſanctum Richarium ipſius monaſterii conditorem, & Ocialdum ſancti Richarii ſucceſſorem ſic proximè commendatur: CLOTINUS DISCIPULUS S. PHILIBERTI. Auctor Chronici Centulenſis Clotinum in Coſchinum deflexit, multaque de Coſchino, qui nono ſeculo floruit, commentus invenitur. *Verùm ignoto ac vitioſo catalogo prævalet auctor Chronici Centulenſis, qui ſeculo undecimo vixit, & diſertè aſſerit, eumdem Coſchinum monaſterio Centulenſi & Gemeticenſi præfuiſſe, ejuſque juſſu Vitam* S. Filiberti *conſcriptam eſſe.*

qui fruſtra aliquod effugium quæſivit,

16 *Præterea eruditiſſimus Cointius non advertit, ab ipſo Claudio Roberto in Gallia Chriſtiana Coſchinum inter abbates Gemeticenſes tertio loco collocari, adeoque ibidem num.* 16 *de ætate iſtius Coſchini non ſatis conſequenter ita diſſerit:* Porrò Coſchinus abbas Gemmeticenſe monaſterium Ludovico pio Auguſto rexit, nec eruditus eſt à ſancto Philiberto, nec Ocioaldi Centulenſis abbatis ætati proximus vixit; quia præter integrum ſeculum effluxerunt anni non pauci ab obitu cùm Ocioaldi, tum ſancti Philiberti, donec Ludovicus pius habenas imperii capeſſeret. Atque inde obiter obſerva, Coſchinum procul ſummovendum è tertio loco, quem in multis Gemmeticenſium abbatum catalogis obtinet. Nihil autem vetat, quo minus diſcipulis ſancti Philiberti Gemmeticenſis tunc abbatis accenſeamus Clotinum, quem Coſchini loco reponendum inter abbates Centulenſes docet prælaudatus index eorumdem abbatum Jacobo Sirmondo quondam tranſmiſſus, & à Roberto primùm in Centula, deinde ab Ignatio Joſepho à Jeſu Maria in Hiſtoria eccleſiaſtica Abbavillenſi, noviſſimè à Sammarthanis in ſancto Richario publicatus. *Hæc & plura ibi apud Cointium legi poſſunt.*

B

& hac in re Mabillonium ſecuti,

17 *Suſpicor, noviſſimos Galliæ Chriſtianæ editores, qui jam adhuc Opere iſto corrigendo & augendo occupantur, ſecuturos opinionem Mabillonii, qui in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti* 684 *num.* 39 *ratiocinium Cointii refellit his verbis:* Sub idem tempus ſanctus Filibertus abbas in Herenſi monaſterio ad cælum migravit XIII Kalendas Septembris, quo die in vetuſtis Martyrologiis laudatur. Quid in ejus morte acciderit, non prodit ejus Vitæ ſcriptor monachus Gemeticenſis anonymus ſubæqualis, qui libellum hac de re ſcripſit juſſu Coſchini abbatis poſt Aicadrum Gemeticenſis, atque etiam Centulenſis poſt Ocioaldum ſancti Richarii ſucceſſorem. Ermentarius monachus Gemeticenſis, dein vagæ Herenſis congregationis ſeculo nono * abbas, hanc ipſam lucubrationem Hilduino abbati nuncupavit, cum duobus libris miraculorum ab ſe conditis; non quod ejus auctor haberi vellet, ſed ut antiquioris illius vitæ, uti & miraculorum lectione Hilduinus moveretur ad impetrandum à Carolo Calvo refugii locum Herenſibus monachis, qui tum palabundi per Gallias cum ſancti Philiberti corpore ob tempeſtatem Nortmannorum vagabantur. Non audiendus itaque ſive Petrus Franciſcus Chiffletius, qui Coſchinum ad ſeculum nonum remittit; ſive Carolus Cointius, qui Clotinum Centulenſem abbatem pro Coſchino ſupponit, ut Coſchinum ad idem tempus differat. Utrique præponderare debet Hariulfus chronographus Centulenſis, qui Coſchinum abbatem, non Clotinum, habet Ocioaldi ſucceſſorem, eumdemque ſancti Filiberti diſcipulum fuiſſe, ex majorum relatu tradit. *Chiffletius & Cointius veroſimiliter in errorem in-*

C

** vitioſè impreſſum eſt* anno *pro* nono.

ducti ſunt, eo quod putarent, Vitam S. Filiberti, *quam Ermentarius lucubrationibus ſuis præfixit, etiam ab ipſo compoſitam fuiſſe. Quapropter amplectimur ſententiam Mabillonii, quam multo probabiliorem exiſtimamus, & nunc varia Mss. Actorum apographa recenſebimus.* AUCTORE G. C.

diverſa Actorum exemplaria recenſemus.

18 *Primò habemus apographum ex veteri Ms. codice S. Bertini, quod eſt celebre Ordinis Benedictini in Belgio monaſterium. Prologus hujus exemplaris ab omnibus aliis planè diſcrepat, etſi auctor etiam in eo aſſerat, ſe imperio Coſchini abbatis Gemeticenſis hanc* S. Filiberti *Vitam litteris mandaſſe. Reliqua Actorum narratio cum aliis exemplaribus convenit. Anno* 1641 *P. Joannes Gamans, in Opere noſtro ſæpe pro meritis laudatus, ad majores noſtros miſit alterum eorumdem Actorum apographum deſcriptum ex Paſſionali pergameno Bodecenſis monaſterii, quod in diœceſi Paderbornenſi ſitum eſt. Hoc ecgraphum prologo caret, licet ipſa Acta ab aliis vix differant. Tertium apographum deſumptum eſt ex Trevirenſi S. Maximini cœnobio, in quo prologus nonnihil ab aliis diverſus eſt, quamvis in eo ſcriptor quoque diſertè dicat, ſeſe Vitam hujus Sancti concinnaſſe,* imperante domino ac venerabili Choſchino ſancti agminis Gemeticenſium patre. *Denique duo alia ejuſdem Vitæ exemplaria olim accepimus à Petro Franciſco Chiffletio noſtro, qui ea tranſcripſit ex variis Mss. codicibus, quos in Hiſtoria ſua Trenorcienſi recenſet. Ex his aliiſque manuſcriptis Mabillonius Seculo ſecundo Benedictino pag.* 818 *& ſequentibus edidit Vitam* S. Filiberti, *quam poſt hunc Commentarium prævium ex ipſo recudemus. Si tamen aliquod majoris momenti diſcrimen inter hanc editionem & apographa noſtra occurrat, illud in margine vel in Annotatis obſervabimus. Ceterùm paragrapho ſequente veram Sancti noſtri patriam diſcutiemus, & probabiliorem nativitatis ac mortis ejus epocham aſſignare conabimur.* E

§ III. Tempus nativitatis, patria Sancti, & quædam geſta ipſius diſcutiuntur.

F

Sanctus circa annum Chriſti 616 *natus eſt*

CUm S. Filibertus *anno Chriſti* 636 *monaſticam vitam in cœnobio Resbacenſi ſit amplexus, quemadmodum Cointius aliique chronologi paſſim tradunt, & tunc* quaternis annorum polleret luſtris, *id eſt viginti annos ætatis haberet, ut ex Actis infrà edendis conſtabit, cum ſupradicto ſcriptore Gallo noviſſimæ Trenorcienſis Hiſtoriæ part.* 1 *cap.* 4 *ſeu pag.* 16 *conjicimus; hunc Sanctum circiter anno Chriſti* 616 *natum eſſe. Sed nativitatem ejus & conſequenter initium monaſticæ vitæ ad annos aliquot differre oportebit, ſi credimus Arturo du Monſtier, qui in ſua Neuſtria Pia pag.* 260 *ſic ſcribit:* Inter aulicos S. Philibertus vitam agebat anno DCXIII. Manſit autem S. Philibertus in curia prædicti Dagoberti regis uſque ad annum ſuæ ætatis vigeſimum, quo ſe contulit ad Resbacenſe cœnobium in Brya, diœceſis Meldenſis à præfato S. Audoëno recens fundatum; ubi comam depoſuit, & monachum profeſſus eſt ſub B. Aglio ſeu Agilo abbate. *Hinc ſequeretur,* S. Filibertum *poſt annum Chriſti* 620 *natum fuiſſe. At videtur Arturus hîc inſtitiſſe veſtigiis Petri à ſancto Juliano, qui in Hiſtoria Trenorcienſi conſcribenda nequaquam accuratus*

AUCTORE G. C.

fuit, ut noviſſimus ejuſdem Hiſtoriæ editor in præfatione ſua teſtatur.

20 *Certè Arturus eumdem Petrum errantem ſequitur, dum paginâ mox citatâ Neuſtriæ Piæ de loco natali ejuſdem Sancti noſtri tradit ſequentia:* Fuit igitur S. Philibertus, Neuſtrius origine, patriâ Lexovienſis; nobili genere ortus, patrem habuit Philibaudum, poſtea Juliæ-Bonæ antiſtitem expetitum, ad Sequânam fluvium. *In his paucis lineis duplex Arturi error occurrit. Imprimis non intelligimus, quo fundamento Petrus a ſancto Juliano vel Arturus* S. Filibertum *origine Neuſtrium ſive Normannum, & patriâ Lexovienſem fecerit: nam in antiquis monumentis hic Sanctus diſertè* Eliſano territorio ortus *dicitur. Hic autem locus longè a Normannia & Lexovio diſtat, ut patet ex ejus ſitu, quem Baudrantius in ſua Geographia tomo* 1 *pag.* 359 *deſcribit hoc modo:* Eluſa, urbs Galliæ Aquitanicæ Sulpitio, Eluza Ammiano, Heluſa Sidonio, Elulatium caput, & archiepiſcopalis aliàs, nunc EUSE, oppidum Galliæ tenue & obſcurum in Armeniaco tractu Vaſconiæ, quod EAUSE etiam dicitur à quibuſdam; ſitum eſt ad Geliſam amnem, & antiquitate tantùm celebris, ejus archiepiſcopatu ad Auſcios tranſlato. Caput eſt Eluſani tractus parvi ab eo dicti L'EUSAN, teſte Petro de Marca; novem leucis diſtans à Vaſate in Meridiem, Tarbam verſus duodecim, à Condomo quinque in Occaſum, & octo ab Auſciis in Occaſum æſtivum. *Conſuli poſſunt illuſtriſſimus Petrus à Marca in Hiſtoria Bearniæ lib.* 1 *cap.* 6, *eruditiſſimus Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 187, *& Chiffletius noſter in Hiſtoria Trenorcienſi cap.* 7, *qui de hoc loco fuſiùs diſſerunt, eumque* S. Filiberto *natalem aſſignant.*

Eluſæ in Aquitania,

B

21 *Ex dictis etiam patet error poëtæ iſtius, qui apud Arturum in Neuſtria Pia pag.* 363 *monaſterium Gemeticenſe metro deſcribit, & ibidem de patria* S. Filiberti *ſic perperam canit:*

Secula ſex Phœbus cum luſtris volverat octo
Virginis à partu, dum ſanctus vir Philibertus
(Celtica quem genuit claro Burgundia partu)
Hos petiit fines, tantâ ſtipante catervâ,
Quanta Jacob Geſſen, ipſam culturus etemum.

& pater ejus fuit epiſcopus Vico-Julienſis in Vaſconia,

C

Rectè quidem Arturus rejicit opinionem illius poëtæ, qui Burgundiam S. Filiberto *patriam adſcribit. Sed ipſe in alterum errorem lapſus eſt, dum patrem ejuſdem Sancti conſtituit antiſtitem* Juliæ Bonæ ad Sequanam fluvium: *nam Acta noſtra urbem, cui pater* S. Filiberti *epiſcopus præfuit, clarè* Vicum Julii *appellant, quæ etiam à vicino flumine* Aturum *vel* Atura *vocatur, ut poſt Hadrianum Valeſium noviſſimi editores Galliæ Chriſtianæ tomo* 1 *col.* 1147 *docent his verbis:* Adura vulgò AIRE, olim & quidem meliùs Atura ab Aturo fluvio, qui pagum Aturenſem alluit, ſic dicta, urbs eſt epiſcopalis in Vaſconia ſeu provincia Novempopulana ſub ſenatu Burdigalenſi & archiepiſcopo Auſcienſi. In Notitia provinciarum Galliæ, Honorii Auguſti ætate, ut plerique ſentiunt, condita, civitas Aturenſium octava eſt provinciæ Novempopulaniæ. Verùm civitas hæc non Atura tunc, ſed vicus-Julii appellabatur. Sanè priores epiſcopi, quoſum nomina memoriamque poſteris tranſmiſerunt conciliorum ſubſcriptiones, non Adurenres aut Aturenſes appellati ſunt, ſed Vico-Julienſes, ut infrà oſtendemus. Nomenque Vico-Julienſis urbis adhuc celebre erat ſeptimo ſeculo, ut probant Acta S. Philiberti primi abbatis Gemeticenſis.

D

22 *Deinde laudati editores ibidem col.* 1149 *patrem* S. Filiberti *inter epiſcopos Vico-Julienſes numerant, & occaſionem tempuſque electionis ipſius indicant hoc modo:* Philibaudus pater beati Philiberti primi Gemeticenſis abbatis, cùm ſumma moderatione Vico-Julienſibus regia auctoritate præfuiſſet juraque dediſſet, ab iis ſummo conſenſu expetitus eſt ad ſacerdotium, regeque annuente, cathedræ eſt impoſitus. De qua ordinatione ita loquitur ſcriptor Vitæ ſancti Philiberti quam habes Seculo ſecundo Benedictino: " Sanctus Philibertus Eluſano territorio or-
„ tus, ſeculari prudentia non indoctus, undi-
„ que juxta morem gentis ſtrenuus, urbe Vico-
„ Julii eſt nutritus: ea de cauſa maximè, quod
„ genitorem ipſius Philibaudum obtenti regio,
„ munere laïcali adminiſtratione ceſſante, cives
„ loci illius expetiſſent pontificem „.. Ceterùm ignoro, qua ratione J. Columbi in ſuis Noctibus Blancalandanis epiſcopum hunc, quem Philibaudrum appellat, velit eſſe Eloſenſem epiſcopum, laudetque pro hac ſententia ſancti Philiberti Vitam, quæ Vico-Julienſem ejus patri tedem aſſignat. Fortè Philibaudus patriâ erat Eluſanus, at non cathedrâ. Ut propiùs accedamus ad tempus, quo Philibaudus epiſcopus fuit, obſervandum eſt in Vita S. Philiberti, Philibaudum filium ſuum Dagoberto regi I', qui regnare cœpit anno DCXXVIII, obtuliſſe ac commendaſſe; qui in ejus aula conſortium indeptus eſt Audoëni optimatis, qui ſub aureo baltheo Deo magis quam regi militabat. Hinc rectè conjicies, Vico-Julienſes Philibaudum epiſcopum habuiſſe circa annos DCXX & DCXXX, potuiſſeque eſſe Ruſtici ſucceſſorem: nihil enim vetat Ruſtici vitam uſque ad annum DCXX producere.

ut probatur adverſus Arturum du Monſtier,

E

23 *Arturus itaque perperam Vico-Julii in Novempopulania ſito ſubſtituit Julio-Bonam vel Juliam-Bonam, de qua Baudrantius tomo* 1 *Geographiæ pag.* 539 *ex variis geographis hæc habet:* Julio-Bona, oppidum Caletorum in Gallia Celtica Ptolomæo & ex Itinerario Antonini, nunc Petro Divæo eſt HONFLEUR, urbs Normaniæ provinciæ ad Sequanæ æſtuarium; ſed aliis eſt LILLEBONNE, oppidum ejuſdem provinciæ prope Sequanæ æſtuarium, ſex leucis diſtans à Portu Gratiæ in Ortum, Calidobeccum verſus duabus, & Rothomagum octo circiter, quamquam Cluverius interpretetur Deppam DIEPPE urbem & emporium ejuſdem provinciæ in ora maris Britannici. *Laudatus Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 256 *de nomine & ſitu Julio-Bonæ fuſiùs diſputat, & pagina ſequente contra Sirmondum noſtrum contendit, urbem illam numquam epiſcopali ſede ornatam fuiſſe. Quidquid ſit de diverſis iſtis opinionibus, ex jam relatis liquet, Arturum gratis Eluſam in Lexovium, & Vicum-Julii in Juliam-Bonam commutaſſe, ut* S. Filibertum *ex Aquitano in Neuſtrium ſeu Normannum transfiguraret.*

aut ei aliam ſedem in Normannia perperam aſſignavit.

F

24 *Porrò* S. Filibertus *in monaſterio Resbaeenſi monaſticam vitam amplexus, & variis diaboli tentationibus vexatus, fortiter in via Domini perrexit, & propter eximias virtutes unanimi Fratrum conſenſu abbas ejuſdem monaſterii eligitur poſt mortem S. Agili, quam Cointius in Annalibus Francorum ad annum Chriſti* 660, *Mabillonius aliique ad annum* 650 *referunt. Poſtea Gemeticenſe aliaque cœnobia fundavit, & multis miraculis claruit, ut infrà in Actis ejus narrabitur. Denique ſanctus Vir poſt plures*

Sanctus poſt multos annos in monaſteriis piè tranſactos

A *plures annos in Gemeticenſi monaſterio tranſactos incurrit odium crudelis Ebroini, qui quoſdam ſanctos antiſtites alioſque pios viros morte vel exſilio mulctavit, ut ex hiſtoria Galliæ paſſim notum eſt.*

ob reprehenſum Ebroïnum exilio mulctatur;

25 *Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti* 674 *num.* 39 *cauſam hujus odii adverſus Sanctum noſtrum poſt alia Ebroini tyranni ſcelera exponit hoc modo:* Eamdem martyrii ſortem piè ambiens Filibertus, Gemeticenſis monaſterii conditor atque abbas ſanctitate eximius, peſtiferum Ebroïnum adiiſſe dicitur, hominemque apoſtatam appellaviſſe, ac prorſus indignum, quicum ullus Chriſtianus communicaret; quippe qui Luxovium, ubi comâ detonsâ clericum ſeu monachum egerat, per ſummum nefas egreſſus, in ſacerdotes & nobiles Francos continuè fureret. Qua libertate Vir ſanctus Ebroïnum in ſe concitatum iri, ſeque martyrii palmam conſecuturum non dubitabat. Sed contrà, quam ſperaverat, accidit, inviolatuſque ab Ebroïno dimiſſus eſt. Id fortè ab eo conceſſum neceſſitudini amici ſui Audoëni epiſcopi Rotomagenſis, qui Filibertum magnopere diligebat. Aſt Audoënus ipſe paulo poſt à quibuſdam eccleſiæ ſuæ clericis, ut fertur, impulſus, Filibertum in carcerem detruſit, quam Vir Dei injuriam cum gaudio excepit, & obſcurum fœtidumque ergaſtulum ſplendore & odore ſanctitatis ſuæ illuſtravit, expurgavitque. Verùm brevi agnitâ ejus innocentiâ, acceptis ab ipſo Audoëno litteris commendatitiis, Anſoaldum Pictavorum in Aquitania epiſcopum, virum nobilem ac potentem, cœnobii exſtruendi causâ adiit, quod omnes ad ſe confluentes monaſterium capere non poſſet. Perſpecta Filiberti ſanctitate Anſoaldus, qui ab eo ſecretè correptus, multa ſibi eventura didicerat, ejus ſe conſiliis totum permiſit, & cum ſub religionis norma epiſcopalem potentiam inclinaſſet, & Filibertum eremi vaſtitatem quærentem ſecum in urbe retinere non valeret, in inſula maris Pictonici Herio ſeu Hero monaſterium ejus causâ exſtruxit, magniſque opibus ac prædiis ditavit, illudque Filibertus evocatis è Gemetico monachis implevit, ac religione, doctrina & opere illuſtravit, Herienſe ſeu Herenſe à poſteris appellatum.

B

C

ſed poſt hujus tyranni cædem in Neuſtriam revocatus,

26 *Poſt mortem Ebroini Sanctus noſter ex inſula Herio in Neuſtriam ſive Normanniam rediit, datoque monachis Gemeticenſibus abbate, non diu poſt in inſulam Herienſem reverſus eſt, ut Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti* 682 *num.* 28 *narrat his verbis:* Ebroinus poſt fuſos prælio Auſtraſios longè impotentior ac ferocior, dum Francos inſolenter ac crudeliter opprimit, ipſe ſibi exitium maturavit. Cum enim uni eorum, quem Ermenfridum vocant, multa minitaretur, eumque bonis ſpoliare ſtatuiſſet; ille, coacta ſuorum manu, Dominica die ante lucem irruit in Ebroïnum, qui tùm pro more laïcorum fidelium ad matutinam ſynaxim domo egrediebatur, eumque nec opinantem obtruncat. Hoc facto, Ermenfridus fugâ in Auſtriam evaſit incolumis, & ad Pippinum ducem cum opibus ſuis pervenit. Interfecto Ebroïno, Audoënus mitigatus Filibertum abbatem miſſis nuntiis in cœnobium Gemeticum revocavit anno nono ineunte, quàm illud reliquerat, & cum eo in concordiam rediit. Neuſtria tota de tanti Viri reditu gratulatur, & monachorum turba cum canticis & Sanctorum reliquiis obviam effuſa, revertentem in monaſterium cum triumpho recepit.

27 Mox duo illi ſacerdotes, veluti totidem patriæ, ne dicam mundi, luminaria unà conveniunt, & veniâ invicem poſtulatâ & acceptâ, poſt mutuos amplexus ita vinculo caritatis connexi ſunt, ut nulla deinceps cordium ſciſſura in eis remanſerit. Deinde inter ſeſe convenit, ut, quia Filibertus duo ſimul monaſteria, multis locorum ſpatiis disjuncta, Gemeticenſe videlicet ac Herenſe, regere non valebat; alterutrum ſibi ad manendum eligeret, & alteri unum ex ſuis rectorem præficeret. Fluctuanti Viro Dei intervenit Anſoaldus Pictavorum antiſtes, idque apud eum evicit, ut, præpoſito Gemeticenſibus Aicadro, ipſe in Herenſe monaſterium reverteretur. Id gravatè admodum tulerunt Gemeticenſes; ſed tandem obedientiam Aicadro promiſerunt ſecundùm decretum optimi Patris, cujus abſceſſum inconſolabiliter luxere. Poſtquam itaque eos hortatus eſſet, ut ſemper in monaſticæ diſciplinæ accurata obſervatione perſeverarent, Deo commendatos benedixit, atque in Herum inſulam reverſurus, primò quidem in Quinciacum monaſterium venit, ubi cum ingenti omnium gaudio acceptus eſt; tum, Gemetici præfecturâ Aicadro commiſſâ, ejus loco Probum Quinciacenſis monaſterii rectorem inſtituit. Ragertramnus archidiaconus, quem Audoënus abſenti Filiberto poſt Chrodobertum ſubrogaverat, locum Aicadro haud ægrè admodum ceſſit, utpote meliori ſorte in ſedem Abrincatenſem tunc vacantem promotus. Reverſus demum in Herenſem inſulam Filibertus, ibidem uſque ad ſupremum exitum perſeveravit. *Nunc breviter referemus, uſque ad quem Chriſti annum* S. Filibertus *in hac inſula veroſimiliùs vixiſſe videatur.*

AUCTORE G. C.

rurſus ultro ſecedit in Herium inſulam,

E

28 *Carolus Cointius in Annalibus Francorum ad annum Chriſti* 690 *num.* XI *de tempore hujus obitûs ſententiam ſuam ita profert:* Nobis autem haud parum probabile videtur, Philibertum hoc anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo in cælum migraſſe tertio decimo Calendas Septembris, quo die celebris ejus memoria recolitur in tabulis eccleſiaſticis. Vitam clauſit in Herio inſula, ubi monaſterium ab Anſoaldo epiſcopo Pictavienſi fundatum regebat. Vixit annos plus minùs ſeptuaginta. *Poſtquam Petrus Franciſcus Chiffletius noſter in Diſſertatione de annis Dagoberti cap.* 19 *ſyſtema quoddam chronologicum de poſtremis* S. Filiberti *geſtis propoſuiſſet, in fine ejuſdem capitis ingenuè fatetur, de Sancti hujus ætate, ac de anno felicis ejus ad Superos tranſitûs nihil hactenus certi ſibi compertum eſſe. Mabillonius verò in notis ad Acta* S. Filiberti *Seculo ſecundo Benedictino pag.* 825 *annum emortualem ipſius ex probabili conjectura ſic aſſignat:* Beatus Filibertus poſt Ebroini necem ab exſilio revocatus, non longo tempore ſuperſtes fuit. Anno regni Theodorici IX Ebroïnum occiſum eſſe, tradit Sigebertus, hoc eſt anno Chriſti DCXXCI aut inſequenti. Proinde ſancti Filiberti obitus anno circà DCXXCIV collocandus videtur. *Huic Mabillonii chronologiæ auctor noviſſimæ Hiſtoriæ Trenorcienſis & alii quidam ſubſcribunt. Omnibus maturè expenſis, nos eamdem Mabillonii conjecturam ceteris probabiliorem arbitramur, & propterea initio hujus Commentarii prævii annum* DCLXXXIV *in margine notavimus.*

ubi videtur anno Chriſti 684 *obiiſſe.*

F

§ IV.

AUCTORE G. C.

§ IV. Poſthuma Sancti gloria ex variis corporis ejus tranſlationibus ac miraculis, quæ in iis contigerunt.

Corpus Sancti ex Herio inſula

Corpus S. Filiberti *in Herio inſula quievit uſque ad irruptionem Normannorum, qui ante medium ſeculi noni varia Galliæ littora infeſtare cœperunt. Cum autem Normanni huic inſulæ exitium minitarentur, monachi Herienſes anno Chriſti* 836 *cum corpore ſancti ſui Fundatoris ac Patroni ad monaſterium Deenſe fugerunt, ut Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti* 836 *num.* 64 *narrat his paucis verbis:* Interea Herenſi apud Pictones monaſterio imminebant in dies Nortmanni, nec monachis illic tutis conſiſtere licebat Re ad Pippinum delata, tutius viſum eſt perfugium in cellam Deenſem, quam paucis ante annis Arnulfus Herenſis abbas in pago Herbadilico juxta Namnetas ad Bedoniam fluviolum ædificaverat. Ex Hero itaque inſula egreſſi cum Hilboldo abbate monachi Herenſes, corpus ſancti Filiberti abbatis ac patroni ſui ſecum extulerunt, &, factis in itinere tribus ſtationibus, in vicis ſcilicet Ampenno, Varinnis, & Palo, Deas tandem appulerunt. Varia in itinere facta miracula, quæ Ermentarius monachus ſcripſit, teſtis rerum oculatus.

ob irruptiones Normannorum ad varia loca tranſlatum fuit,

30 *Quamvis anno Chriſti* 847 *monaſterium Deenſe fuerit à Normannis incenſum, tamen in eo corpus* S. Filiberti *perſtitit uſque ad annum* 857, *quo rurſus alio tranſlatum eſt, ut laudatus Mabillonius Seculo* IV *Benedictino, parte* I *in obſervationibus præviis ad Hiſtoriam Tranſlationis* S. Filiberti *pag.* 537 *breviter ita exponit:* Poſtea incenſo per Nortmannos Deenſi monaſterio, quæ conflagratio anno DCCCXLVII accidit, nihilominus eo in loco remanſit corpus ſacrum uſque ad annum DCCCLVII, quo in Conaldum monaſteriolum agri Andecavenſis tranſlatum eſt. Inde ad recuperanda prædia quædam evectum eſt Meſciacum apud Pictones, ubi reſtitit in annum DCCCLXXV, quo in Trenorchienſem abbatiam delatum eſt. *Mabillonius hoc loco prætermiſit aliam tranſlationem, quando monachi Herienſes unà cum corpore* S. Filiberti *Meſciaco ad monaſterium S. Porciani in Alvernia tranſmigrarunt, antequam in abbatia Trenorcienſi ſtabilem ſedem figerent, ut mox infrà ex Chronico Trenorcienſi diſcemus. Attamen in Annalibus Benedictinis de tranſlatione illa obiter & implicitè meminit, dum ibi ad annum Chriſti* 857 *num.* 33 *ita ſcribit:* Perſtiterat ad id tempus ſancti Filiberti corpus ad ſolatium accolarum in monaſterio Deenſi, licet à Nortmannis incenſo. Verùm Herenſes palabundi tanto Patrono ſe orbatos eſſe non ferentes, primùm hoc anno illud Conaldum ſecum detulerunt; dein Meſciacum, quæ villa eſt pagi Pictavienſis, Herenſibus à Carolo rege conceſſa. Quam diu illic ſubſtiterint, incertum. Eiſdem palabundis poſt aliquot annos idem princeps abbatiolam ſancti Porciani contulit, ac demum abbatiam ſancti Valeriani apud Trenorchium, ubi deinceps conſtiterunt.

ut Ermentarius narrat duobus libris,

31 *Ermentarius monachus Herienſis juſſu Hilbodi abbatis ſui primam ſacri corporis tranſlationem, anno* 836 *ex Herio inſula ad monaſterium Deenſe factam, libro uno conſcripſit. Poſtea verò electus abbas vagæ congregationis Herienſis, alias tranſlationes ex Deenſi monaſterio Conaldum & Meſciacum factas altero libro narrat. Hunc ſecundum librum ſcripſit viginti ſeptem annis poſt primam tranſlationem anni* 836, *ut ipſe teſtatur, adeoque anno Chriſti* 863, *ut intervallum temporis ſupputanti manifeſtum fiet. Utramque hanc Ermentarii lucubrationem poſt Acta* S. Filiberti *ex editione Mabillonii recudemus, & cum Mss. noſtris conferemus. Cum autem Ermentarius circa annum Chriſti* 860 *Axenio abbati ſucceſſerit, & tantum per quinque annos monachis Herienſibus præfuerit, non potuit meminiſſe de duabus poſterioribus ejuſdem ſacri corporis tranſlationibus, quæ poſt obitum ipſius contigerunt.*

quibus ex Falcone monacho Trenorcienſi

32 *Sed hunc hiſtoriæ defectum jam ſupplebimus ex Falcone monacho Trenorcienſi, qui ſeculo undecimo Chronicon ejuſdem monaſterii ſub Petro primo hujus nominis abbate contexuit & uſque ad annum* 1087 *deduxit. Scriptor ille apud Chiffletium noſtrum in Probationibus Hiſtoriæ Trenorcienſis à pag.* 15 *de duobus hiſce poſtremis* S. Filiberti *tranſlationibus habet ſequentia:* Per idem tempus Axenius abba diem clauſit extremum, & Ermentarius ejus ſucceſſit in locum. Quo poſt annos quinque defuncto, Berno efficitur abba. Herus autem inſula licet à perfidis poſt diſceſſum beati Philiberti igne fuerit concremata, non tamen uſquequaque à quantocumque cœtu habitari deſiit monachorum; ſed prænominatis ibidem Patribus competenti ſucceſſione ſubrogatis, futurum, caſſum tamen, reſtaurationis præſtolantur eventum; quocircà ſolerter loci ſui profectibus aſſiduè invigilabant. Præfato denique abbate loco commiſſoque gregi pro viribus utilia procurante, Geilonis cujuſdam Comitis filius, patris ſui vocabulo nuncupatus, eidem ſub regulari norma ſeſe Deo ſerviturum commiſit, qui perneceſſariis admodum multiſque prædictum locum honoribus amplificavit. Hic itaque poſt annos aliquot, quo dignus erat, abbatis officio ſublimatus, pio ſuper exulantium Fratrum inquietudine cœpit ſollicitari molimine: cernens quippe malis aſſiduè paſſimque graſſantibus, Hero inſulæ omnem reſtaurationis aditum penitus denegari, nititur vigilanter operam dare quieti.

addimus hiſtoriam duarum tranſlationum,

33 Quocirca ſuprà nominatum regem, Carolum videlicet, rogaturus expetiit, quatenus beato Philiberto adhuc in terra corpore peregrinanti ſibique adhærentibus locum præbere refugii dignaretur: cujus petitioni rex libenter annuens, tribuit, quod popoſcit; abbatiolam ſcilicet ſancti Portiani; quod donum idem Pater Geilo poſtmodum per Adalgarium Æduorum antiſtitem venerabilem Johannis Papæ fecit auctoritate firmari. Adepta igitur ex integro, & auctoritate regali præmunita conceſſione, ſæpe dictus abba ſacra juſſit de territorio Pictavenſi pignora removeri, & ad locum tendere ſuperiùs nominatum. Imponunt igitur ſacra vectigalia bigis præcedentibus, quorum erat officii, congruum venturæ manſionis habitaculum prævidere & tentoria figere, prout ſingularum ordo competens officinarum exſequi præmonſtrabat. Et ut evidenter huic negotio Chriſti præſentia non deeſſe monſtraretur, conferebatur optata ſubinde ſalus ægrotis. Unde factum eſt, ut crebro miraculorum beneficio, famâ hujus rei ſe longiùs diffundente, fieret ingens utriuſque ſexus concurrentium ſimulque pergentium multitudo, rerumque venalium,

non

AUCTORE G. C.

A non minus, quàm in populoſo foro, ibidem copia redundaret. Taliter quippe ſervorum ſuorum ditabat inopiam, ut nihil deeſſet timentibus eum: idem quippe, qui quondam Iſraëliticæ plebis animos per columnam ignis confortabat & nubis, ipſe nihilominus utriuſque commodi beneficia largiendo, huic pompæ adhærentibus pro voto gaudia conferebat. Peracto itaque itinere, tandem perveniunt ad ſanctum Portianum, & velut fluctuantis maris turbine ſuperato, littora tuta capeſſunt. Parti verò ſociorum illius devotiſſimi comitatûs in vicini tellure ruris ad habitandum eſt collata poſſeſſio; qui vicus in brevi, conſtructis multiplicatiſque domibus, ab eventu hodiéque Britannia vocitatur.

34 Inde potita quiete, venerabilis Geilo liberiùs regum diverſorumque principum ac epiſcoporum cœpit conventibus intereſſe, eorumque ſui cauſas infortunii manifeſtando captare benevolentiam. Hic dum diverſas perluſtrando provincias circuiens, Trenorcium deveniſſet ad oppidum, cernens locum multiplici rerum ubertate gratiſſimum, diligentiori ſtudio magnum incrementi ſumere poſſe provectum, ac permodicam cellam raro monachorum agmine ibidem poſſideri, ſciſcitatur ab ipſis & ab incolis provinciæ qualitatem, quanam libertate gauderent, quove ſervitio premerentur. Cumque didiciſſet, ab ipſis locum quieta prorſus libertate foveri, nulliſque ſubditum, niſi regiæ ditioni; ſciſcitatur iterum, expoſito ſuæ modo peregrinationis, utrum ſub eadem libertate talium frui vellent contubernio. Quibus gratanter hæc ita ſe velle reſpondentibus, ille, maturato negotio, Carolum ſæpe dictum regem adiit Francorum; à quo ſolitâ clementiâ locum ſuperiùs nominatum, Trenorchium ſcilicet, cum ſuis appendiciis beato Philiberto dari popoſcit & impetravit. Quid mor- tor in multis? Redit, & ſacra pignora ſecum tollens, cum regalibus traditionum munimentis, pridie Idus Maii præfatum venit ad Trenorchium; ſanctumque illud ibidem patrocinium devotione debita collocavit; qui dies non immeritò annuatim feſtivè ſummoque cum gaudio celebratur; ubi etiam ſuæ peregrinationis omnino finem impoſuit, quod Dominicæ Incarnationis anno octingenteſimo ſeptuageſimo quinto factum eſſe

quarum ultima contigit anno 875,

B

C dignoſcitur.

35 *Itaque* S. Filibertus *crebris ſui corporis tranſlationibus finem impoſuit anno Chriſti* 875, *quo ad monaſterium Trenorcienſe cum aliis Sanctorum reliquiis delatus eſt, & ubi poſtea uſque ad præſentem diem quievit. Præcedens autem tranſlatio ad abbatiolam S. Portiani contigit anno* 871, *quemadmodum noviſſimus Hiſtoriæ Trenorcienſis editor parte* 1 *cap.* 5 *pag.* 38 *contendit. Certè corrigenda eſt aſſertio Mabillonii, qui in Obſervationibus prævиis ad hiſtoriam harum tranſlationum ſcripſit, corpus* S. Filiberti *Conaldo evectum fuiſſe* Maſciacum apud Pictones, ubi reſtitit in annum DCCCLXXV, quo in Trenorchienſem abbatiam delatum eſt. *At forſan ipſe Mabillonius poſtea in Annalibus Benedictinis hunc errorem ſuum aliquo modo agnovit, dum agens de corpore* S. Filiberti *Meſciacum delato, affirmat, incertum eſſe, quam diu monachi Herienſes illic cum ſacris iſtis reliquiis ſubſtiterint. Nunc aliquid dicendum eſt de miraculis, quæ poſt obitum hujus ſancti Viri contigerunt.*

quo tandem transferri deſiit, ac Trenorcii quievit.

§ V. Quædam Sancti ejuſdem miracula, diu poſt tranſlationes illas patrata, & præſens ſacrarum reliquiarum ejus ſtatus.

Præter miracula, ab Ermentario conſcripta,

E *Rmentarius duplici ſuæ lucubrationi inſeruit diverſa miracula, quæ in prioribus tribus tranſlationibus interceſſione* S. Filiberti *patrata ſunt, & quæ vel ipſe vidit, vel ex fide dignis teſtibus audivit. Sed diu poſt mortem Ermentarii acciderunt tria alia prodigia, quæ in Officio infra Octavam* S. Filiberti *recitanda præſcribuntur, & quibus in apographo noſtro monaſterii Gemeticenſis hoc monitum præfigitur:* Tria, quæ ſequuntur beati Philiberti miracula, Bernardi de ſancto Romano venerabilis viri tùm Prioris Laudunenſis, poſtea Trenorchienſis abbatis, narratione & ſcripto didicimus. *Mabillonius Seculo* IV *Benedictino part.* 1 *pag.* 563 *& ſequente eamdem præviam monitionem ac deinde tria iſta miracula edidit. Ceterùm Bernardus de ſancto Romano, qui hæc ſcriptis mandavit, circa finem ſeculi duodecimi abbatiam Trenorcienſem gubernavit, ut in noviſſima Gallica ejuſdem abbatiæ Hiſtoria part.* 2 *pag.* 139 *videre eſt.*

E

ex apographo Gemeticenſi

37 *Hæc autem miracula in codice Gemeticenſi ſic narrantur:* Eſt civitas famoſiſſima, quæ ab antiquis Annicium, à modernis verò Podium beatæ Mariæ nuncupatur. In hujus diœceſi civitatis juxta Ligerim fluvium exſtat quidam Prioratus Trenorchienſis fundatus in honore ſanctæ Dei Genetricis & beati Philiberti, Godetum nomine, quod multa oppida ſibi reſpicit adjacentia, inter quæ eſt oppidum, quod Phara appellatur, cujus domini ſoliti ſunt ſemper vivere de rapina. Quadam autem die dominus Pharæ oppidi, militibus ſuis congregatis, hoſtes ſuos aggreſſurus, & eâdem die reverſurus, ſervientem ſuum ſic interpellavit: Præpara, inquit, nobis refectionem, ut cum reverſi fuerimus, ſtatim comedamus. Et ille ad dominum ſuum: Unde, ait, hoc faciam, cum nulla nobis remanſerint alimenta? Ad quem dominus: Eſt, inquit, vacca pinguiſſima cujuſdam vetulæ manentis ſub juriſdictione Prioris ſancti Philiberti de Godeto, in vico, qui dicitur Floriacus; hanc tu citiſſimè raptam nobis præpara, ut cum ab hac expeditione redierimus, continuò comedamus. Hoc igitur accepto mandato, ſerviens ille cum ſuis ſimilibus ad rapinam egreditur, vaccam rapit, raptam mactat, & carnes ejus ignibus ſupponit. Vetula verò illa pro vacca ſibi per manus raptorum ſubtracta inopinabili mota dolore, Godetum fletu continuo accedens, eccleſiam beati Philiberti intravit, & ante Crucifixum ſe proſternens, quaſi cum homine vivente loqueretur, vocibuſque querulis hæc verba dolentis effudit: O ſancte Philiberte, redde mihi vaccam meam; ſin autem, non amplius habebo te dominum; imò cum colo mea utrumque latus tuum percutiens & aſſiduis inſiſtens verberibus te perimam, te damnabo. His & aliis multoties repetitis, tandem ipſa domum reverſa eſt.

F

damnus tria prodigia,

38 Factum eſt autem, quod dominus rediens ab expeditione ſua valde cibos appeteret; & cum de carnibus illis ſibi præſentatis primus guſtaret,

AUCTORE G. C. multis aliis circa ſe diſcumbentibus, primo morſello carnis, divinæ ultionis animadverſione ſtrangulatus, exſpiravit. Diſcumbentes itaque ſic videntes; ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, ſtupor & tremor apprehendit eos, projectoque ciborum apparatu, convivium vertitur in luctum; nec de carnibus illis auſus eſt amplius guſtare aliquis eorumdem. Dum igitur milites, & qui cum eis diſcubuerant, eſſent (nec mirum) hoc eventu perterriti; nec mora, venter divitis mortui ſonum dedit terribilem quaſi vaccæ mugientis. Cum verò corpus mortui ad eccleſiam Godeti, cujus parrochianus exſtiterat, ibi ſepeliendum deferretur, per totam viam ferè quinque millibus * diſtentam mugire non ceſſavit. In eccleſia etiam poſitum mugiit aſſiduè, audiente multitudine populorum, qui ad hoc audiendum convenerant. Et quid moror? Mugire non deſiit, donec damnum vaccæ, viduæ vetulæ antea à malefactoribus ſupradictis illatum, congrua ſatisfactione vetulæ fuit reſtauratum. Facta autem ſatisfactione, ceſſavit ventris mortui mugitus, & defunctus competenti mauſoleo honorificè, prout expedit, eſt ſepultus. *Mabillonius injurioſa hujus mulierculæ verba, & prodigioſum vaccæ mugitum in editione ſua omiſit, eo quòd hæc forſan fabuloſa crederet. Nos hoc prodigium fideliter integrum tranſcripſimus, prout in apographo noſtro invenimus, & de illo judicium lectori ac fidem penes auctorem relinquimus.*

* *Id eſt* milliaribus

B

39 *Alterum miraculum in apographo noſtro & in editione Mabillonii ita refertur:* In Porlinenſi * diœceſi contigit, quod, cum quidam ſacerdos parochianis ſuis indiceret inſtans feſtum beati Philiberti ſolemniter & ſumma devotione, ſicut feſtum Apoſtoli, celebrandum, quidam ruſticus & præpotens aliis in ſermone dixit, quod pro feſto S. Philiberti non dimitteret in eodem feſto garbas * ſuas domi adducere. Factum eſt enim, quod cum illa die ruſticus ille ad garbas ſuas afferendas tria plauſtra præſumptuosè miſiſſet, & cum illa tria plauſtra, quorum unicuique ſex boves ſuppoſiti erant, & juga portabant, garbis ad cumulum eſſent onerata, & præ difficultate montium unicuique plauſtrorum regendorum tres famuli adhiberentur; cum jam aër eſſet ſereniſſimus, quidam turbo ſubitò emergens ita plauſtra onerata arripuit & diſperſit, quod numquam poſtea boves nec plauſtra comparuerunt, præterquam duo boves & duæ rotæ plauſtrorum, qui inventi ſunt ultra montem maximum, qui dicitur Palus.

diu poſt varias corporis tranſlationes patrata,

* *Mab.* Podienſi

* *Id eſt* ſegetis manipulos

C

40 *Mabillonius etiam mutilavit tertium miraculum, quod apud nos integrum ſic ſonat:* Apud quemdam vicum, qui ad Trenorcyenſem abbatiam pertinere dignoſcitur, videlicet Lovincum nomine, habet abbatia Trenorcyenſis portum, qui maximum ei confert emolumentum: dat enim ei ſingulis annis ſal, quod laudabili conſuetudine pauperibus ibi confluentibus dari oportet in principio Quadrageſimæ. Girardus ſiquidem Comes Viennenſis & Matiſconenſis, tactus invidiâ ſuper portum Lovincenſem, alium portum inſtituit, ſcilicet portum de Bronayco, qui redditus Trenorcyenſis eccleſiæ de portu Lovincenſi provenientes ferè omnino abſtulit. Abbas verò Trenorcyenſis cum ſuis monachis Girardum Comitem multoties oravit & citavit, ne abbatiæ Trenorcyenſi tantum damnum irrogaret. Sed Comes precibus abbatis noluit aſſentire. Poſt multum verò temporis cùm idem Comes cum multo comitatu Trenorcyum veniret, eccleſiam beati Philiberti intravit orandi gratiâ. Cumque ipſe per eccleſiam, nunc huc, nunc illuc orans procederet, fortè ante altare S. Philiberti ſolus relictus oravit. Dumque in conſpectu Domini coram altare ſtaret, ecce quidam monachus de poſt altare deſcendit tenens in manu baculum paſtoralem, & ſtetit coram Comite dicens ei: Quomodo auſus es intrare monaſterium meum, qui mihi meum jus auferre non paveſcis? His dictis, crinibus arreptum ſtravit humi Comitem, duris affligens illum verberibus.

quæ etiam edidit Mabillonius,

D

41 *Huc uſque Mabillonius, addens quatuor aut quinque ultimas lineas, quæ Comitis iſtius pœnitentiam declarant, omiſſis reliquis, quæ in apographo noſtro ſic exprimuntur:* Comes verò ſtratus afflictus nequiens reſurgere, ad ſuos ſocios clamitabat dicens: O ſocii mei, nonne videtis monachum iſtum, qui me ita affligit? Succurrite mihi, me ejus ſævitiæ ſubtrahentes. Oculi autem aſtantium tenebantur, nec poterant videre monachum, qui eum affligebat. Quid moror? Comes tam diu verberibus eſt afflictus, quod ferè ad exitum hominis eſt coactus. Poſtea E domum ſuam delatus, coram ſe juſſit & fecit venire abbatem Trenorcyenſem, & eum inquiſivit arroganter: Abba, quo delicto feciſti tanta verbera mihi à monacho tuo turpiter inferri? Trade mihi monachum tuum illum, qui me ita turpiter afflixit; & pro certo noveris, quia, niſi illum tradideris, vel de eo dignam acceperis vindictam, abbatiam veſtram tradam penitus incendio, & quibuſcumque malis potero, vos affligam. Abbas hæc admirans & facti neſcius reſpondit: Domine, quid dicis? Te non feci verberari: ſcias enim, quod nec etiam aliquis monachorum noſtrorum nullatenus auderet te in aliquo moleſtare.

ſed quæ ſubinde mutilavit,

eaque hîc exhibemus integra,

42 Dixit Comes: Imò monachus veſter, ille inquam, quem videre volo, meipſum inſtanter duris verberibus moleſtavit. Reſpondit abbas: Si aliquis ex monachis noſtris hoc auſus fuerit, veni in Capitulum noſtrum, & faciam ibi convenire omnes monachos noſtros tam ſanos quàm infirmos; & tu oſtende mihi illum, qui tibi hanc intulit moleſtiam, & faciam tibi congruè ſatisfieri. Factumque eſt ita. Venerunt Comes & abbas in Capitulum, & convocati ſunt omnes mo- F nachi tam ſani, quàm infirmi, & convenerunt omnes, nullo remanente. Nec tamen inventus eſt monachus, qui malum hoc præfato Comiti perpetraverit. Requiſitus autem Comes, unde venerit monachus ille, de quo fiebat quæſtio, dixit: De poſt altare ſancti Philiberti venit. Erat autem magnus, canus, facie reverendus, indutus albis veſtibus, tenens in manu baculum paſtoralem, cum quo malè me afflixit. Et cum nullus talis monachus inveniretur in eccleſia, compertum eſt, quod ſanctus Philibertus hoc fecerit in ultionem injuriæ ſibi illatæ. Comes autem ob hoc commotus, ſacramento confirmavit, quod amplius non faceret [portum] apud Bronaycum: portum Trenorcyenſem de Lovinco liberum dimiſit & quietum. Et non tantummodo portum illum liberavit, ſed pro reverentia beati Philiberti in eccleſia Trenorcyenſi pannum ſericum auro textum ditiſſimum tranſmiſit, & multis aliis beneficiis prælibatam eccleſiam decoravit. *Nunc ad majorem* S. Filiberti *gloriam de ſacris ejus reliquiis breviter differendum eſt.*

43 *Corpus hujus Sancti in abbatia Trenorcienſi, quæ anno* 1627 *ex monaſterio in eccleſiam Cano-*

A *& præsentem reliquiarum statum breviter indicamus.*

Canonicorum secularium mutata est, majori ex parte adhuc hodiedum honorificè conservatur, & anno 1562 furorem Calvinistarum feliciter evasit. Diximus majori ex parte, *quia ossa quædam ad dilatandam* S. Filiberti *venerationem aliò translata sunt: nam mense Maio anni 1493 monachi Trenorcienses costam Sancti & partem maxillæ cœnobio Gemmeticensi dederunt. Præterea anno 1630 Anna Austriaca regina Franciæ, & Maria de Medicis mater Ludovici XIII regis Francorum duo notabilia ejusdem Sancti ossa acceperunt. Denique anno 1686 episcopus Cabilonensis ex hierotheca* S. Filiberti *extraxit majorem costam & os brachii, quæ reliquiæ illustribus personis communicatæ fuerunt, ut apud novissimum auctorem Historiæ Trenorciensis part. 1 pag. 25 distinctiùs legi potest. Vix aut ne vix quidem intelligo, quid sibi velit Jacobus Gualla, dum lib. 6 Sanctuarii Papiensis cap. 8 sic scribit:* Sunt & alii sanctitate conspicui; Folipertus scilicet abbas, cujus sacrum corpus in oratorio sacrarum Religiosarum monasterii Annuntiatæ est reconditum *&c. Quis sit ille Folipertus*

B *abbas, omnibus Martyrologiis nostris ignotus, ex authenticis Papiensium documentis discere cupimus. Quod si forsan Gualla nostrum* S. Filibertum *abbatem vicino Foliperti nomine designare voluerit, & aliquas illius sancti Abbatis reliquias in Papiensi monialium oratorio quiescere existimaverit, haud dubiè totum pro parte accepit, & corpus pro parte corporis nominavit, ut ex dictis patet. Jam tantùm supereſt, ut Acta* S. Filiberti, *ac deinde varias corporis ejus translationes, prælo subjiciamus & consuetis annotationibus illustremus.*

VITA

auctore monacho Gemeticensi anonymo & subæquali.

C *Ex editione Mabillonii inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini Seculo secundo pagina 818 & sequentibus, quam cum Mss. contulimus.*

PROLOGUS.

Scriptor Actorum pauca præfatus a

INclytus ille Arbiter, in cujus laude sollemni Sanctorum chorus proclamat luculenter, ita ævi per circulum *a* dispositi sapienter, ut miles ejus signifer non laboraret inaniter; sed in congressu victoriæ adjutus divino munere & sequacibus præberet normam vitæ, & ipse foveretur * cum gaudio palmâ regni *. Quod cum divino Spiritu rex David prophetico cerneret oraculo, dixit ad Dominum: " Valde honorati „ sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est „ principatus eorum „. Quapropter ego infimus intellectu vel opere, imperante domino Coschino *b*, sancti agminis Gemeticensium patre, quamquam indignus invoco clementiam Christi, ut ad scribendum Vitam beatissimi Filiberti ipse sen-

* *al.* fruetur
* *al.* victoriæ

b

sum meum erudiat, qui labia asinæ fecit loqui, super quam cordis gressu claudicans propheta sedebat *c*. EX IMPRESSIS. *c*

ANNOTATA.

a *In Ms. Gigniacensi sic legitur:* ævi circula disposuit *&c. Id est seculi tempora, ut conjicio.*

b *Cointius hunc* Coschinum *perperam in* Clotinum *commutavit, ut § 2 Commentarii prævii num. 14 & sequentibus ostendimus.*

c *Hoc loco biographus alludit ad asinam, quâ Balaam se percutientem allocuta est, ut in libro Numerorum cap. 22 legi potest.*

CAPUT I.

Sancti patria, institutum monasticum, virtutes in tirocinio, munus abbatiale, itinera, & ædificatum industriâ ipsius monasterium Gemmeticense. E

exponit patriam Sancti, a b

SAnctus igitur Filibertus Helisano *a* territorio ortus, seculari prudentia non indoctus, undique juxta morem gentis strenuus, urbe Vico-Julii *b* est nutritus ea de causa maximè, quòd genitorem ipsius Filibaudum obtentu regii muneris, laicali administratione cessante, cives loci illius expetissent pontificem. Qui cum prædictum Adolescentem bonæ indolis fore cerneret, eum regi Dagoberto *c* commendare studuit, qui inter reliquos Francorum reges fortissimus fuit. Tunc ille nobilitatis lampade fulgens, consortium indeptus est Audoëni optimatis, qui sub aureo balteo Deum valde diligens, inter reliquos regni proceres valde habebatur illustris, & præfulgentibus vitæ meritis cathedram subiit Rotomagensium civitatis, & nunc virtutum signis fulgurante radio coruscat in terris *d*. *d*

tirocinium monasticum, e

3 Cum igitur Filibertus juvenis quaternis annorum polleret lustris *e*, divina præcepta audiens elegit Christi discipulus fieri, propriis omnibus derelictis. Nec tamen suo arbitrio credidit; quia hoc didicit, ut præesse non audeat, qui subesse non didicerit; nec obedientiam subjectis imperet, quam prælatis exhibere non novit; sed servum Dei inquirendum studuit, cujus vehemens religio probatissima foret. Agnito igitur quodam Dei milite, Agilo *f* nomine, qui præerat cœnobio Resbacensi *g*, quod sanctus Audoënus cum suis consortibus in propria construxerat tellure, & ipsum virum Dei ibi instituerat de monasterio adductum Luxoviensium patrem, quidquid habere potuit, in eleemosynam idem erogavit. Nec quidquam exinde amicis vel parentibus gratis aliquid tribuit; sed totum, acsi regalia negotia sibi credita, cautè & fideliter dispensavit. Cumque ad prædictum cœnobium perveniſſet, beatus Agilus illum gratanter recepit, ibique vir Domini Filibertus comam deposuit, ac jugum Christi suave & onus ejus leve suscepit; tantæque religionis culmine excrevit, ut viris perfectioribus imitabilis fieret. F *f g*

varias dæmonis tentationes,

4 Jussus igitur ad priorem mensam sedere, studuit ipse omnibus ministrare, ut ipsum reficiendi solatium in Fratrum implicaret obsequium,

EX IMPRESSIS.

ne ſatiatus à menſa conſurgeret, peracto convivio. Cumque antiquus hoſtis ejus invidens abſtinentiæ pulſaret animum illius, ut ſumeret ampliora edulia, nutu Dei detectus Viro Domini per ſomnium eſt oſtenſus. Nam cùm quadam nocte fuiſſet cibo refectus, ipſe ventrem illius palpare cœpit ac dicere: Modò hîc bene; modo hîc bene *h*. Tunc Miles Domini cognoſcens ignita jacula inimici, crucis ſe vallans munimine, rigorem abſtinentiæ ſtuduit triplicare, & Dei auxilium implorare contra arma tyranni. Cumque noctibus ſingulis eccleſiam frequentaret, in tribus ſe contra ipſum tentamentis dirus anguis erexit. Nam cum in urſi ſpecie eum intra eccleſiam tentaſſet terrere, & ipſum nocte alia ferreo candelabro niſus fuiſſet transfigere, vel nocte tertia oſtium eccleſiæ extenſis brachiis vellet prohibere, omnia ejus machinamenta Filibertus expulit virtute divina per ſanctæ crucis indagia *.

h

* *al.* victricia arma.

officium ejus abbatiale,

ſ Igitur cum beatus Agilus obiiſſet in Domino, Fratrum concordante conſenſu, vir Domini Filibertus ſuſcepit regiminis locum. Cœpit namque humilitate pollere, hoſpitalitatem ſectari, abſtinentiâ vigere, prudentiæ lampade radiare, florigera caritate vernare, zelo Dei ſuccendi, domum ſibi traditam ſtrenuè gubernare, nullius perſonam accipere, inventa vitia radicitus exſtirpare. Tunc nonnulli è Fratribus malignitatis ſpiritu inſtammati, aſſumpta rebellione, Sanctum Dei ab eccleſia præſumpſerunt extrahere; ſed ultrix manus Dei hoc impunitum non pertulit: nam unus ex iis fulminis ictu interiit; alius more Arii in ſterquilinium omnia ſua inteſtina depoſuit, atque indignam vitam digna morte finivit. Tunc reliqui timore perculſi petentes veniam pro facinore, eum in honorem priſtinum ſtuduerunt revocare, atque ei deinceps cum caritatis ſtudio obedire.

B

diverſas cœnobiorum viſitationes,

6 Sed quia perfecti viri ſemper perfectiora ſectantur, cœpit Sacerdos Domini Sanctorum cœnobia circuire, ut aliquid emolumenti ex ſuſceptione ſanctitatis valeret accipere. Luſtrans Luxovium & Bobium vel reliqua cœnobia, ſub norma ſancti Columbani degentia, atque omnia monaſteria, quæ intra ſuum gremium Francia & Italia ac tota concludit Burgundia, aſſuta intentione providens, ut prudentiſſima apis, quidquid melioribus florere vidit ſtudiis, hoc ſuis traxit exemplis. Baſilii ſancti chariſmata, Macarii regulam, Benedicti decreta, Columbani inſtituta ſanctiſſima, lectione frequentabat aſſiduâ; ſicque onuſtus virtute aromatum ſequacibus ſanctum monſtrabat exemplum.

C

& conſtructum ab ipſo monaſterium Gemmeticenſe,

7 Sed cum divina virtus lumen illius ſuper candelabrum vellet conſtituere, ut lampas ſanctitatis illius longè latéque fulgurante virtutum radio deberet ſplendere, poſuit in corde Viri ſanctiſſimi, ut ex proprio labore deberet monaſterium fabricare. Tunc à rege Francorum, Chlodoveo *i* nomine, atque ejus regina, vocabulo Baldechildę *k*, locum in pago Rotomagenſi, quem vetuſto vocabulo Gemeticum antiquitas conſueverat nuncupare, obtinens ſuggeſtione ſupplici, nobile ibidem cœnobium viſus eſt conſtruxiſſe; verè dignâ etymologiâ nominis Gemeticum nuncupatum, qui diverſo vernat decore, more gemmarum *l*. Hinc frondium coma ſylveſtris, hinc multiplices arborum fruges; illinc placet uberrima tellus, illinc virentia prata graminibus, hinc hortorum odoriferi flores, hinc vinearum abundant botriones, qui in turgentibus gemmis lucentes rutilant in falernis.

i

k

l

8 Cinctum undique aquis miratur inclyta ceſpes, paſtui pecorum congrua, fundens frugem lactiferam, diverſis venatibus apta, avium canora melodia. Sequana in parte trina millia gyrat, in quino biſque quaterno ſtadio, qui non ictu priſtino vergit curſum, unum tantummodo commeantibus dans ingreſſum *m*. Nunc aſcendens mare eructuat, nunc ad ſinum rediens aquarum impetus manat, compendia *n* navium, commercia plurimorum, nihil pœnè indigens; quidquid miniſtratur vehiculis pedeſtribus & equinis plauſtris, etiam atque ratibus. Ibidem caſtrum condiderant antiqui. Ibi adſtant in acie nobilia caſtra Dei, ubi ſuſpirantes præ deſiderio paradiſi gemunt, qui gementes rorantibus oculis, in flammis ultricibus gemituri non erunt. Ibi ſacer Almus, de quo præſens loquitur textus, multiplicibus laudibus eſt colendus; qui patriarchæ Jacob more vetuſto in ſeptuaginta animarum numero iſtam conſcendit in eremum, addito ſeptemplici virorum numero propter gratiam ſeptiformem Spiritus ſancti.

D

cujus ſitus

m

n

9 Ubi ejus providentia conſtruxit per quadrum mœnia turrita mole ſurgentia, clauſtra receptionis mira, adventantibus opportuna. Introrſus domus alma fulget habitantibus digna: ab Euro ſurgens eccleſia crucis inſtar erecta, cujus apicem obtinet alma Virgo Maria: altare ante faciem lectuli condente beatiſſimo Filiberto pictum gemmarum lumine, comptum auri & argenti congerie, ab utroque latere Johannis & Columbani aræ dant gloriam Deo. Aderat à Borea Dionyſii martyris & Germani confeſſoris ædicula, in dextris nobile permanet ſancti Petri oraculum, è latere ſancti habens Martini ſacrarium. Vergit à Meridie cellula ipſius Sancti Dei, petreo margine floreſcente. Operoſa ſaxis clauſtra comitantur arcus, variumque decus oblectans animum, cinctum triumphantibus lymphis. Duplex vergens ad Auſtrum ducentorum nonaginta pedum longitudine, quinquaginta in latitudine, eminet domus quieſcendi obtentu. Singula per lecta lux radiat per feneſtras, vitrum penetrans lychnus fovet aſpectus legentis. Subtèr ædes geminæ duobus officiis opportunæ. Hinc falerna ſervanda conduntur, hinc prandia clara parantur; ibique conveniunt, qui dignè Chriſto deſerviunt, nihil habentes proprium, nullo egentes compendio, quia ſperantes in Domino non deficient omni bono, ut verè in eis impleatur ſcriptum: " Pax multa diligentibus legem tuam, ,, Domine, & non eſt illis ſcandalum ,,. Caritas ibidem fulget mira, abſtinentia magna, humilitas ſumma, caſtitas per omnia.

E

& commoda

F

fusè deſcribuntur.

10 Sed & illud mirum, quod à ſeculo non erat auditum, de belluis marinis invenerunt compendium: nam uncis ibi retibus & ratibus capiuntur piſces marini quinquagenis pedibus longi, qui ob juvamina Fratrum ſumpti in eſcas, etiam expellunt tenebras per lucernas; atque contra naturam ſui aqua, quæ ignem conſuevit exſtinguere, per nutrimenta pinguedinis ignem mittit lucernæ. Agit hoc meritum ſancti Filiberti, & Sanctorum multiplices ſepulturæ, qui Deo ſervientes aſſiduè per pacis tempora, confixi cruci propria voluntate, agonem impleverunt martyrii, & corpore Chriſto commortui exſpectant diem Domini, coronam magni certaminis recepturi. Hæc de ſitu loci breviter diximus. Nunc ad geſtorum ordinem redeamus.

ANNO.

A

ANNOTATA.

a *Scribitur etiam* Eliſano *ſine adſpiratione. Ceterùm ſat multa diximus de hac ſancti patria in Commentario prævio num.* 20 *& ſequente, & ibidem rejecimus tum ſententiam Arturi du Monſtier, qui Sanctum patriâ Luxovienſem in Neuſtria facit, tum opinionem poëtæ anonymi, qui natale ſolum ipſius in Burgundia collocat.*

b *Citatus Arturus* Vico-Julium *mutavit in Julio-bonam, ut hunc ſanctum Abbatem origine Neuſtrium faceret, quemadmodum* § 3 *Commentarii prævii num.* 21 *& ſequentibus obſervavimus.*

c *Hic eſt Dagobertus I, qui obiit menſe Januario anni* 644, *poſtquam in Auſtraſia viginti tribus circiter annis, & in Neuſtria ac Burgundia quindecim annis & aliquot menſibus regnaſſet.*

d *Acta S. Audoëni hujus illuſtranda erunt ad diem* 24 *Auguſti, quo in Martyrologio Romano celebratur.*

B e *In Commentario prævio num.* 19 *ex hac Sancti ætate conjecimus, eum anno circiter* 616 *natum fuiſſe: nam quatuor luſtra conficiunt viginti annos.*

f *Mabillonius Seculo* 2 *Benedictino à pag.* 315 *Vitam hujus S. Agili cum duobus libris miraculorum edidit, quæ omnia ad diem* 30 *Auguſti examinanda erunt.*

g *Monaſterium Resbacenſe, vulgo Rébais, in gratiſſima tractus Briegii planitie inter duos amnes cognomines unà cum oppidulo Resbaco ad torrentem Resbacem vel Rasbacem ſitum eſt, ut poſtea forſan pluribus explicabitur.*

h *Grimlaïcus presbyter in Regula Solitariorum cap.* 44 *apud Holſtenium in Codice Regularum part.* 2 *pag.* 557 *eamdem hiſtoriam de* S. Filiberto *narrat.*

i *Is eſt Clodoveus II, qui anno Chriſti* 644 *in regnum patris ſui ſucceſſit, & anno* 662 *ex hac vita migravit.*

k *Quæ hoc loco vocatur* Baldechildis, *eſt ſancta regina* Bathildis, *cujus Acta Majores noſtri ad diem* 26 *Januarii illuſtrarunt, ubi tomo* 2 *iſtius menſis pag.* 740 *in Actis hujus Sanctæ etiam fit mentio de fundatione monaſterii Gemmeticenſis.*

C l *Mabillonius in notis ad Vitam* S. Filiberti *de nomine loci Gemmeticenſis hæc habet:* Haud inepta etymologia; ſiquidem teſte Percevallio, Galli veteres materno idiomate efferrebant GEME pro eo quod Latinè dicimus GEMMATUS. Unde qui Latinæ linguæ rationem habebant antiqui ſcriptores, geminatâ litterâ GEMMETICUM; qui Gallicæ ſeu Romaniſcæ, neglecta geminatione, GEMETICUM pingebant. *Deinde Mabillonius refellit eos, qui Gemeticum à gemendo derivant, eo quod monachi paſſim* gementes *vocarentur: nam locus ille priùs* Gemmeticum *dicebatur, quàm à monachis inhabitaretur.*

m *Hæc loci deſcriptio in aliis apographis nonnihil diverſa eſt, ut etiam Mabillonius notavit. Sed illa deſcriptionis obſcuræ diverſitas parum aut nihil ad Sanctum noſtrum ſpectat.*

n *Vox* compendium, *quâ biographus hic ſæpe utitur, ſignificat* commodum *vel* emolumentum, *ut ex ſenſu colligimus.*

EX IMPRESSIS.

CAPUT II.

Providentia Dei erga hunc Sanctum, plura ejus miracula, cœnobia ab ipſo exſtructa, miſericordia in captivos & pauperes.

Sanctus annonam divinitus accipit,

CUm igitur Vir Domini meritis fulgentibus creſceret in virtute, & quidquid ſibi abſtinentiæ rigore ſubtraheret, hoc pauperibus & hoſpitibus erogaret, quadam die laborantibus Fratribus panis defuit, ita ut etiam unde fieret omnimodis non adeſſet. Sed cum ipſe Fratres ſemper in ſtudio religionis admoneret, dicens eſſe promiſſum, quod Dominus animam juſti fame nequaquam affligeret, ſubitò nutu Dei quidam Francus adfuit, qui ſeptem panes & bis terna farinæ ſata detulit horâ, qua reficiendi corpuſculum neceſſitas popoſciſſet. Tunc illi fide firmiùs confortati, & exinde ſufficienter habuerunt, & advenientibus cum gaudio obtulerunt, atque ex illa die in antea numquam defuerunt habitatoribus loci illius opportuna frumenta. E

monachi febrim imperio ſanat, *a*

12 Addantur paginæ nova Chriſti miracula. Cum Vir Dei pro cauſa monaſterii ad Ebroïnum Francorum principem *a* vellet quemdam monachum deſtinare; inveniens illum proſtratum valida febre, injunxit ei cauſam obedientiæ in virtute Chriſti ſolo verbo uſus imperii; Vade, inquiens, & revertere, & amplius noli febricitare. Statim ergo monachus ſanus factus perfecit quantocius, quod à ſancto Patre fuerat juſſus. Ita viri Dei ſermo & cauſam obtinuit & morbum fugavit.

chirothecas, fure cælitus punito, recipit, *b* *c*

Quodam verò tempore Pariſius *b* civitatem, exigente cauſa diſcordiæ, Vir Domini pacem perrexerat reformare. Obtento, quod voluit, latro wantos *c* illius illicita præſumptione furatus eſt. Ipſe dum in craſtinum eos non inveniſſet, more ſolito patientiam tenuit; ſed infelix ille percuſſus à Domino, furtum, quod fecerat, patefecit; ardere ſe ejulans inclamabat, & aliud loqui non poterat, niſi extenſis brachiis ſinum cum furto abſcondito demonſtrabat. Illo morte multato, cives loci illius ad Sancti Dei cœnobium prædictos wantos, ejus repræſentaverunt obtutibus. F

& in oratione fervidus,

Quadam nocte dum in baſilica ſancti Petri vigilans pſalleret, quidam monachus, qui interiùs vigilabat, repentè conſpexit, tamquam duas lampades fulgentes, oculos illius in Spiritu ſancto micare prævidit: erat enim ei gratia lacrymarum conceſſa, ut cum ſe ad orationem dediſſet, ſubitò lacrymarum flumina ſancti illius oculi emanarent. Sed & maximum ſtudium erat illi, ut antea cibum non ſumeret, quàm eum Dominus per compunctionis gratiam viſitaret.

moribundo facultatem confitendi peccata obtinet,

13 Cum unus monachus veniſſet ad extremum mortis, mutus effectus eſt labiis. Ingreſſus Dei Sacerdos ad illum, blandiens ſuadere cœpit, ut, ſi haberet occultum facinus, unde pœnitentiam non egiſſet, manum ejus ſtringeret. Cumque ille ita feciſſet, ingreſſus Vir Dei eccleſiam S. Mariæ, cœpit Dominum exorare, ut ægro dignaretur linguam reddere, ne adverſarius animam pro abſconſo crimine valeret ſubmergere in ba-

EX IMPRESSIS.

rathrum inferni *d*. Cumque Sanctus de oratione consurgeret, ei Frater alius nuntiavit, quod æger loqui valeret, & confessionem ei dare satageret. Quod ita factum est: nam confessione data, & receptâ pœnitentiâ, reddidit animam Domino, ut nec Sanctus de Domino diffideret, nec æger in desperationem transiret.

d

procellam discutit,

Quadam die dum Fratres messem succiderent, & manipuli sparsim per agrum jacerent, tempestas frendens intonuit, & ventus cum turbine valido se ostendit. Tunc Sanctus, ne Fratres laborem perderent, extensis brachiis dominum Jesum Christum inclamavit. Illo ab oratione surgente, divina virtus tempestatem abstulit, & in duabus divisam partibus effugavit. Mox serenitate reddita, reddiderunt monachi Deo laudis præconia.

equum furto ablatum mirabiliter recuperat,

14 Dies erat Dominica, & Vir Dei peracto itinere festinabat ad cœnobium Missarum celebrare solemnia; pervenienſque ad Sequanam, ipse cum Fratribus ascendit naviculam; caballos, quos habuerat, reliquit in pascuis. Quod regius forestarius dum aspexit, equum, cui Vir Dei insederat, furto abduxit. Sed cum se ad dormiendum locasset, repentè surrexit, & totam domum suam flammis exitialibus ardere conspexit. Sed cum hoc uxor ipsius non videret, & ejus anxietatem conspiceret, subitò & ipsa hoc, quod vir ipsius videbat, conspiciens, percunctari cœpit, si aliquid de rebus servorum Dei vir suus haberet in fraude. Quod ubi cognovit, ambo pariter nullam moram fecerunt, donec & direpta redderent, & pœnitentiam cum indulgentia recepissent,

B

monachum febri liberat,

Die quadam monachus, qui languentibus serviebat ex more, & ipse incommodum visus est incurrisse. Sed hoc Vir Dei cognito, dixit ei: Fidem habe, & ægrotantibus serviens, tu noli amplius ægrotare. Mox monachus, ut audivit, jussionem Patris adimplens, & ægrotis servivit, & ipse sanus permansit.

navim miro modo invenit,

e *f*

15 Dum Vir Dei itineris agens cursum, super fluvium Isaram *e* Romanorum *f* devenisset ad portum, non invento navigio, orationis expetivit præsidium. Quo surgente de tellure, repentè invenerunt à Domino missam navim, quam cum Dei laudibus ascendentes, alveum transgressi sunt fluminis.

C

vinum benedicendo auget,

g

Quædam religiosa femina Pinverno in villa Virum Dei in propriam recepit ædiculam, rogans eum in cellarium ingredi, & vas vinarium, quod tunna *g* dicitur, benedicere, atque in eadem domo refectione peracta dignaretur nocte eadem commanere. Quo obtento, cum in honore Sancti cunctis habitatoribus vel hospitibus domi illius vinum fuisset largiter propinatum, illo maturiùs discedente, prædicta femina ingressa cellarium, ita vas plenum reperit ipsum, acsi nihil ex eo fuisset expensum.

pincernam suum benedictione sanat,

h

Quadam vice cum ipsius pincerna percussus graviter à pustella *h*, jam morte depascereturacerba, mox ut ipse benedictionem super caput ipsius tradidit, æger vulnus in se mori persensit, & absque aliqua observantia medicinæ recepit pristinam sanitatem. Nec dissimile fuit illud, cùm, eo Sequanam transeunte, naves præ nimia tempestate periclitari cœpissent, ipso orationem fundente, navis sola, in qua ipse stabat, remanentibus aliis, ad oram transvecta est littoris.

16 Erat consuetudo Sancti de monasterio circumquaque ad exhortandas animas Fratres transmittere; & confluebant ad eum viri nobiles & potentes, proprias voluntates respuentes, & Christo Domino servientes. Cum igitur virorum increvisset in monasterio multitudo, aliud construxit cœnobium, nomine Pauliacum, decem millibus * à Gemetico sequestratum, ubi sanctarum congregavit multitudinem feminarum, quas sub Religionis norma pro Viri Dei obedientia gubernabat mater prudentissima, orta nobili parentela, vocabulo Austroberta *i*. Sed & multa monasteria per ejus exemplum sunt constructa in Neustria. Confluebant ad eum sacerdotes Domini cupientes exemplum illius imitari, & de ejus regula sua ornabant cœnobia.

D

cœnobium feminarum condit,

* *Id est* miliaribus

i

captivos redimit, & pauperes alit.

17 Cumque & regio munere & fidelium largitate copia ei superveniret argenti, studebat omnes species decimare. Sed cùm hoc rotatu anni faceret, semper plus inveniebat additum, quàm antea fuerat decimatum. Ipsam igitur decimam in captivorum redemptionem & pauperum alimoniam deputabat in tantum, ut monachos suos propter hoc cum onustis navibus partibus transmarinis transmitteret, & greges captivorum per ipsum redempti laudarent potentiam Christi. Sed & cum pro Fratrum compendiis mandaret exerceri negotia, ampliùs dare jubebat, quàm dari à secularibus consuetudo poscebat. Et propter hoc, gaudente vicino populo, de labore justo sanctum exuberabat commercium.

E

ANNOTATA.

a *Nimirum Ebroïnus ille fuit in Francia Major-domus, qui in historia Galliæ satis notus est, & de quo infrà sermo recurret.*

b *Jam sæpius alibi notavimus, apud scriptores mediæ ætatis nomen* Parisius *per casus non inflecti.*

c Wantos, *id est,* chirothecas, *ut in Glossario Cangii fusius videre est.*

d *Videtur biographus hoc loquendi modo innuere, confessionem per signa & nutus factam non valere, dum quis usum vocis perdidit. At S. Leo Magnus in Epistola* 83 *aliàs* 91 *ad Theodorum Foro-Julienſem agens de his, qui in extrema necessitate pœnitentiam vel reconciliationem implorant, expressè decernit,* ut & actio illis pœnitentiæ & communionis gratia, si eam, etiam amisso vocis officio, per indicia integri sensus postulant, non negetur.

e *Fluvius* Isera, *qui ab aliis* Æsia, *vel* Oesia, *& vernaculè* l' Oyse *vocatur, oritur in Picardia, & post varios flexus in Sequanam se exonerat.*

f *Teste Mabillonio, codex Conchenſis pro* Romanorum *habet* Rotomagorum. *Mabillonius hîc in notis præfert lectionem* Romanorum, *quia Romania vulgo* le Roman *est tractus quidam Neustriæ seu Normanniæ, quem Sequana à Caletorum pago dirimit. At etiam lectio* Rotomagorum *facilè intelligi potest, cum tractus Rotomagenſis etiam in Neustria vel Normannia situs sit.*

g Tunna *vel* tonna *est vas aquæ, vini, cerevisiæ vel alterius liquoris capax, quod à Germanis & Belgis vernaculè* tonne *dicitur, ut Glossarium Cangii variis exemplis probat.*

h Pustella *vel* pustula *est genus ulceris vel morbi, ut colligitur ex epistola sub Carolo Magno scripta, quam Cangius in Glossario ad vocem* accessio *citat, & ex qua refert sequentia:* Mittam in eis pustellas, accessiones, & languores, & omne genus infirmitates.

i *Majo-*

A *i Majores noſtri Vitam hujus ſanctæ Abbatiſſæ ad diem 10 Februarii illuſtrarunt.*

CAPUT III.

Sancti zelus, exſilium, revocatio ab exſilio, reditus in inſulam Herium, varia miracula ibi patrata, virtutes, & pia mors.

Sanctus ob increpitum Ebroïnum a

CUm igitur peſtifer Ebroïnus *a*, qui à Francorum genere pro nimia crudelitate de palatino honore fuerat pulſus, comâ detonſâ, clericus Luxovium ingreſſus, apoſtata factus, ſpiritu malignitatis armatus cœpiſſet rabidis dentibus fremere ſuper nobiles ſacerdotes & Francos, atque conſentientibus ſibi plurimis contra mandatum Dei recepiſſet locum honoris, ſanctus ad eum
B Filibertus abiit, & prædicationis verba impendit. Cumque ei ille dare munera magna vellet, Vir Dei cuncta reſpuens, ait, apoſtatam eſſe eum, nec Chriſtianum hominem cum eo participare debere, exiſtimans, quod potuiſſet hoc facto per acumen ferri palmam martyrii obtinere. Sed ſervavit illum Dominus ad multorum profectum, qui per eum vocandi erant ad regnum cælorum.

carceri mancipatur;

19 Fremens lupus rabidus animarum greges à ſuis rapi dentibus, incitans quoſdam urbis Rotomagenſium clericos, cœpit diſcordiam ingerere, & malevola verba ſancto Audoëno pontifici de Filiberto viro Dei incantare. Et quia dicente Apoſtolo, corrumpunt mores bonos colloquia mala, credens ſanctus Audoënus clericorum colloquiis, virum Dei Filibertum, quem antè dilexerat nimiùm, retrudi juſſit ergaſtulo, quod ille ingreſſus eſt cum gaudio. Dum organum ibidem decantaret Davidicum, multitudo murium,
b qui volandi retinent uſum *b*, & ibidem erant congregati ad cumulum, Dei eſt fugata imperio, & locum illum ſordidum & obſcurum divina virtus convertit in odorem nectareum.

ſed inde liberatus, in Herio inſula cœnobium exſtruit, c

C 20 Egreſſus de carcere per litteras beati Audoëni, adiit Anſoaldum *c* virum nobilem Pictavorum pontificem ob monaſterii gratiam conſtruendi, quia multitudo hominum, qui per prædicationem illius ad Dominum confluebant, uno in loco capi non poterant. Illis itaque diebus in ſeculi potentia nimiùm fulgebat Anſoaldus, quem Vir Dei ſecretò corripuit, & multa ei ventura prædixit, quæ poſtea rei eventus probavit. Cognoſcens igitur electus Dei ſacer Anſoaldus Virum Dei Spiritu prophetiæ repletum, culmine ſanctitatis erectum, in ejus ſe conſilio commendavit ex integro; & ſub Religionis norma epiſcopalem cœpit inclinare potentiam. Cumque eum vellet ſecum retinere in urbe, & ſanctus Filibertus ſemper deſideraret eremi vaſtitatem, largiente Domino, Herio *d* maris inſulâ locavit cœnobium Anſoaldus opere & eleemoſynæ largitate, Filibertus Religione, doctrina, opere & monachorum congerie: in quem locum de gemmato favo Gemetici divina mella perrexerunt cum animarum examine, quem Apoſtolicus vir Anſoaldus de rebus propriis ditavit muneribus magnis, acta commutatione villarum cum eccleſia Pictavenſi.

d

21 Interim cum ſanctus Filibertus nec cum Ebroïno communionem jungere, nec in Neuſtriam redire vellet; ſanctus Audoënus cum in loco illius vellet abbatem conſtituere, & monachi fortiſſimi abſque permiſſu Rectoris ſui nullatenus ad conſenſum potuiſſent minis ac terroribus vel blanditiis flecti, ut ei debuiſſent aliquatenus conſentire, & fidem, quam datam habebant, infringere; quidam miſer homunculus, vocabulo Chrodobertus, cujus filium in ſeculo ſanctus Filibertus de ſacris ſuſceperat fontibus, & ipſe poſtea promiſſâ obedientiâ, ejus exſtiterat monachus, contra juſtitiæ modulum ipſum monaſterium ſuſcepit ad regendum. Eadem namque die damnationis ictu percuſſus in pede tantum eſt cruciatus acerbiſſima peſte, ut illo vivente oſſa de ipſo deciderent, & miſerabilem vitam miſerrima morte conſumeret. Sed cum in loco
* *al.* Rahujus Ragertrannus * archidiaconus fuiſſet à beato Audoëno antiſtite ſubrogatus, invento loco, Abricantinæ *e* eccleſiæ cathedræ eſt prælatus, atque Ebroïnus apoſtata interfectus *f*.

EX IMPRESSIS. *punitoque divinitus abbatiæ Gemeticenſis invaſore,*

lientrannus & Rabentranus

e

f

22 Cœpit interim Spiritus ſanctus beati Audoëni præcordia caritatis lampade inflammare in tantum, ut ipſe pro beato Filiberto miſſos dirigeret, quatenus in veræ pacis concordia ſe videre deberent. Quo facto, ſuum recepit cœnobium. Gratularur namque tota Neuſtria de tanti Viri præſentia, obvia monachorum turba cum laudibus & reliquiis eſt egreſſa, ſicque Sanctum Dei infra proprii receperunt clauſtra monaſterii. Cumque duo pariter ſacerdotes inclyti, velut duo luminaria mundi, Audoënus & Filibertus conveniſſent in unum, veniam mutuò poſtulantes, invicem colla & manus exoſculantes, ita conglutinati ſunt in vinculo caritatis, ut numquam fuiſſent diviſi à compage cordis. Ingreſſus eſt namque Gemeticum, anno peracto octavo, incipiente nono *g*; quod ita antè futurum à ſancto prædictum fuerat Filiberto. Nam cum quidam infelix diaconatûs officio fungens, crucem monaſterii involutam argento aſportaſſet in furto; cum incipiente die nono facinus fuiſſet inventum, Vir Dei quibus credidit, verbotenus dixit, quod tot annis ipſum monaſterium ſine paſtore degeret, quod diebus crucis ſtigmata perdidiſſet.

in Normanniam redit,

E

g

& cum S. Audoëno reconciliatus,

F

23 Deinde cum firma caritas inter ipſum & domnum Audoënum perſiſteret, convenit, ut, ubi domnus Filibertus volebat, perſeverare deberet, & in alio de ſuis monaſteriis loco deputaret rectoris præſentiam, quia longinqui itineris ſpatio ipſa cœnobia inter ſe erant diſtantia. Converſante igitur illo Gemetico, ad viſitandum Dei Famulum contigit advenire præſulem Anſoaldum; cumque ſimul converſarentur, nuntiatum eſt eis, quod quemdam monachum ſpiritus malignus vexaret. Cumque ingreſſi domum, in qua æger jacebat, pariter orationem fudiſſent, malignus hoſtis ſtatim abſceſſit, & is, qui captus mente tenebatur, ſanus remanſit.

Eodem igitur tempore princeps palatii, Warratto nomine, in Caltivo territorio oppidum tradidit ad monaſterium virginum conſtruendum, vocabulo Villare, ubi uſque hodie Religionis norma fulget in loco *h*.

h

iterum revertitur in inſulam Herium, i

24 Regreſſus igitur Pictavo territorio ad ſupræſcriptum pontificem Anſoaldum, magno receptus cum gaudio, perrexit Quinciaco *i* monaſterio, quod & ipſum nobili eſt conſtructum in loco; unde iſdem Sacer, veteribus deturbatis erroribus, ipſum impleverat monachis, ubi Chriſtus jugiter per famulos collaudatur in Sanctis;

EX IMPRESSIS. *k*

ctis ; ibique accepto consilio , unum de discipulis suis electum , Aicadrum *k* nomine , virum idoneum direxit Gemeticum , ut ipse pastorali officio subrogaretur in loco. Et licet mœrentes monachi de prioris Patris corporali absentia , tamen præsentes per gratiam Viri sancti impleverunt decreta , & eidem Aicadro promiserunt obedientiam. Sanctus autem Vir Dei eos veniens visitare, commonebat attentiùs , ut semper Religionis perseverarent in opere. Itaque commendans eos Domino , benedictione data , pace præmissa , Herium est reversus in insulam , & Quinciacum monasterium alteri de suis monachis tradidit ad regendum.

ubi tres ægros subitò sanat ,

25 Cumque Herio in insula demoraretur , quidam Frater vasto dolore dentium torquebatur; qui cum petîsset ex fide aquam sibi dari , ubi Sancti pedes fuerant loti , mox ut aqua illa locum doloris tetigit , protinus in virtute Christi dentium dirus dolor recessit.

Frater quidam ibidem dum febris incommodum sustineret , ad mensam sancti Patris accessit. Cumque Vir Dei paululum olei cum fragmento panis eidem porrexisset , præcepit verbo , ut ampliùs non ægrotaret : qui mox ut comedit buccellam panis cum oleo , repentè sensit à Domino se sanum factum.

B

Sed & alius Frater dum in coquina satageret , casu decidit , & brachium avulsum de suo loco, cum dolore surrexit. Sed cum penè deficeret usque ad mortem , adveniente Viro Dei , petiit , ut supra dolorem brachii crucis signaculum faceret. Tunc ille humilitatis gratiâ subtus casulam , qua erat indutus , contra brachium ægri vexillum crucis apposuit , & eum saluti pristinæ dicto citius reformavit.

& in variis necessitatibus

26 Dum Vir Dei claustra monasterii deambulans circuiret , cellarius monasterii , Sydonius nomine , ei studuit indicare , quod liquorem olei non haberet , unde in ecclesia lumen consuetum arderet. Interrogatus , si haberet aliquid olei , amplius non habere se dixit , quam mediam libram olei , quam propter hospites vel in usum illius tentaverat reservare. Sed Vir Dei præcipiens illud in lampadibus mitti , cœpit ei à Domino lumen olei ad totius anni spatium venturum promittere. Sed cum dies declinaret ad vesperam,

C

nuntius de portu maris advenit , qui ei adesse navim cum oleo nuntiavit , quæ à Burdegalensi urbe veniens directa Servo Domini ab amicis , quadraginta modios ipsius deferebat liquoris : atque ita cum prophetiæ spíritu fœcundavit eum Deus oleo lætitiæ [cum] consortibus suis.

Vice denique alia cum egeret pinguedîne ad luminaria concinnanda , & à Domino peteret oratione assidua , ut ejus munere eorum supplerentur indigentia, mane facto, monachus veniens nuntiavit , quod magnum piscem mortuum , musculum *l* nomine , unda maris detulisset in littore , ex cujus carne triginta modios pinguedinis Fratres traxerunt in lumine.

l

singularem Dei providentiam experitur , m

27 Sed alio tempore cum territorium Pictavense cœpisset gravis inedia angustiare , & Vir Dei solicitus de necessitate Fratrum attentiùs incumberet orationis studio , mane facto , multitudinem piscium , quos marsuppas *m* vocant , invenerunt in alveo , quæ ducentæ triginta & septem , recedente mari , remansérunt in sicco. Unde & per totum anni spatium Fratres habuerunt consolationis compendium , & plurima monasteria vel pauperes refectionis auxilium.

Alio quoque tempore adventantes Brittones nautici juvencum monasterii subripuerunt in scelere furti , dumque vellent ad propria remeare , cœpit mare intumescere & ipsis periculum minari. Tunc quidam de nauticis sensûs sani intelligentes , navigium culpâ periclitari , solicitè perscrutantes invenerunt corium & carnem pariter bovis , & revertentes , impellente vento ad insulam , cum reddidissent direpta , acceptâ indulgentiâ , fidelitate promissa , benedictione percepta , reversi sunt cum pace ad propria.

D

multisque claret signis ,

28 Alio quoque tempore cum detinente vento naves Britannicæ morarentur in littore , nauticis periclitantibus fame , cum Vir Dei , pietate cogente , duo animalia & farinam vel panes præcepisset eis tribuere , orationem pro eis cum Fratribus faciens , obtento vento à Domino , in crastinum eis impetravit à Christo prosperum navigii cursum.

Unâ dierum sedens cum Fratribus, Spiritu prophetiæ repletus ait eis : Verè , Fratres , Deo gratias agamus per omnia , quia citò nobis à partibus marinis advenient opportuna compendia. Nec multò pòst Scottorum navis diversis mercimoniis plena ad littus maris adfuit , quæ calceamenta ac vestimenta Fratribus largâ copiâ ministravit.

E

& virtutibus , quæ hic summatim indicantur cum die ejus mortis.

29 Quid namque primum de eo dicatur , quid ultimum , non est nostræ parvitatis , explicare stylo , nisi illi Opifici summo , qui numerat multitudinem stellarum. Tanta erat in eo sagacitas ut quidquid aliis prædicaret , ipse priùs implere satageret. Erat enim pietate repletus , misericordiâ præditus , in prædicatione paratus , in intellectu profundus , discretus in jejuniis , colloquio amabilis , vigore fortis , per omnia hospitalis , captivorum redemptor , dolentium consolator , ecclesiarum constructor , abstinentiæ sectator. Non solùm autem ille , sed etiam in exemplum illius multi. Ita fugiebat mendacium , tamquam mortale venenum. Castissimus , sobrius , in omni opere bono perfectus. Semper in ore illius Christus, semper in corde illius refulgebat Spiritus sanctus. Nam XIII Kalendas Septembris , flentibus populis , gaudentibus angelis , anima inclyti Sacerdotis de mundi ludibrio migravit ad Christum , perceptura à Domino palmam gloriæ in triumpho. Corpus terra suscepit , anima Christo reddita est, regnante Domino Jesu Christo , cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

F

ANNOTATA.

a *Licèt Ebroïnus hoc loco depingatur tetris coloribus , tamen Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi 670 num. 3 , & 681 num. 62 famam ejus tueri conatur. Nos memoriam istius principis gravare nolumus ; sed difficile videtur eum vindicare ab omnibus injustis persecutionibus , quibus sanctos viros afflixit , & quæ apud historicos fide dignos referuntur.*

b *Ex his adjunctis patet , illa animalia fuisse mures alatos , quos Latini vespertiliones vocant , eo quod vespere volare incipiant.*

c *Hujus episcopi Pictavienſis elogium vide in Gallia Christiana novissimæ editionis col. 1153 & sequente , ubi dicitur adhuc anno 696 in illa cathedra sedisse.*

d *Descriptionem hujus insulæ § 1 Commentarii prævii ex Hadriano Valesio retulimus.*

e *Hic indicatur urbs Abrincensis Normanniæ, quæ sub archiepiscopo Rotomagensi cathedram episcopalem habet , & juxta limites Britanniæ Minoris*

A *noris in ora littorali Oceani Britannici ſita eſt.*

f *Pagius hanc Ebroïni cædem anno Chriſti* 681 *affigit. Mabillonius ex Sigeberto tradit, Ebroïnum anno Chriſti* 681 *aut inſequente interfectum eſſe.*

g *Nimirum reverſus eſt in Neuſtriam* anno peracto octavo, incipiente nono, *poſtquam inde in Herium inſulam ſeceſſerat.*

h Montis-villare, *vernaculè* Montivilliers, *eſt inſigne monialium Benedictinarum cœnobium in* territorio Caltivo, *id eſt, in tractu Caletenſi, vulgò* le pays de Caux, *quod ibidem adhuc floret; ut Mabillonius hîc in notis teſtatur.*

i *Monaſterium iſtud incolis vulgò dictum* ſaint Benoiſt de Quincy, *non procul ab urbe Pictavienſi diſtat, & hactenus ſubſiſtit, ut laudatus Mabillonius ibidem notat.*

k *Mabillonius Seculo* 2. *Benedictino pag.* 952 *hunc abbatem titulo* ſancti *donat, ejuſque Vitam ibi edidit, & mortem ejus affigit diei* 15 *Septembris, quo Acta ipſius diſcuti poterunt.*

l *Muſculus eſt genus piſcis, qui moderamine caudæ dirigit iter balenæ, ne in ſcopulos impingat: eſt enim balena luſcioſa & fere exoculata,* B *quæ cum fortè aliquò profectura eſt, indiget hoc piſce prævio, qui eam deducat, ut tradit Calepinus. At non capio, quomodo hic auctor piſcem illum parvum vel piſciculum vocet, cum monachi ex ejus carne triginta modios pinguedinis traxerint, ut hoc loco dicitur.*

m *Neſcio, quodnam genus piſcium iſtud fuerit, niſi fortè* marſuppa *ſit idem piſcis, qui ab aliquibus vocatur* marzapan, *& cujus figuram Ulyſſes Aldrovandus in Opere ſuo de piſcibus lib.* 1 *cap.* 5, *ſive pag.* 32 *exhibet.*

TRANSLATIONES
ET MIRACULA
Auctore Ermentario monacho, & teſte oculato.

C
LIBER PRIMUS.
PRÆFATIO.

Cap. 1. *Invocato Dei auxilio,*

MIracula, quæ omnipotens ac piiſſimus Deus oſtendere dignatus eſt, cùm corpus beatiſſimi Filiberti ab Herio oceani inſula illum in locum transferretur, qui antiquo vocabulo Deas nuncupatur, ſcribere cupiens; necnon & illa, quæ in eodem loco cælitus acta coràm poſiti vidimus, ſeu quæ à fidelibus veraciter relata cognovimus, pandere ſatagens; primò totis viribus ipſi omnipotenti ac piiſſimo ſupplico Domino, ut, qui tanta mirabiliter Confeſſoris ſui meritis dignatus eſt demonſtrare, dignetur etiam mihi ad ea explicanda ſermonem conferre.

auctor in prologo explicat,

2 Sed priuſquam hæc aggrediar, operæ pretium fore credidi, quid cauſæ exſtiterit, ut ab eo loco, quem præ cæteris coluit, ubi etiam Deo animam, terræ corpus reddidit, transferri debuerit, intimarem Quod quamvis præſentibus pænè omnibus ſit notum, propter eos tamen, qui futuri ſunt, dicam, quia iſtius rei impedimentum Nortmannorum ſubitanei atque improviſi occurſus fuere: qui cùm ad præfatæ inſulæ portum ſæpius convolarent, eamque, utpote gens admodum effera, acerrimè ſubinde devaſtarent; exemplum ſui domini inſulani ſecuti, elegerunt magis fugæ ſubſidium, quàm quotidie proprium operiri exterminium; & hoc qualitate temporis exigente. Æſtivo quippe tempore, quo navigandi arridet temperies; Deas monaſterium, quod ob hoc fuerat conſtructum, petentes, hiemis tantummodo tempore Herium inſulam repetebant. Tali namque diſcrimine monachis, ipſius videlicet loci incolis, eorumque familia laborantibus, cœperunt pericula addi periculis, & crebris Nortmannorum acceſſibus prædicti inſulani non modò deterreri, verùm etiam ſuorum damna perpeti, ac nimiis tribulationibus affligi. EX IMPRESSIS.

quomodo propter incurſiones Nortmannorum

3 Re enim vera, hoc quàm maximè pertimeſcentes erant, ne beati Filiberti ſepulcrum perfidi homines effoderent, & quæ intus inveniſſent, hac illacque diſpergerent, vel potiùs in mare projicerent, quemadmodum in partibus Britanniæ de cujuſdam ſancti viri cineribus noſcuntur egiſſe, ſicut ab illis, qui hoc viderunt, & ab eorum graviſſimo dominio fugâ elapſi ſunt, nobis relatum eſt. Enimvero quoniam perſecutionem pax ſolet ſubſequi (Dominus enim non derelinquit ſperantes in ſe, qui ſuis ait Diſcipulis: " Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus „ uſque ad conſummationem ſeculi „) allegandum eſt tandem aliquando, quo fine vel tempore jam dicta inſula à tanto Patrono exſpoliata, & à generali ſit habitatione monachorum derelicta. Nolo tamen mireris, cur perſecutionem pacem ſubſequi dixerim. Nimirum non modica pax nobis eſſe videtur, quia tali in loco collocatum ſanctiſſimum habetur corpus, ubi die noctuque ſine barbarica infeſtatione Domino famulari ſuis conceditur ſervulis. E

monachi & proceres corpus S. Filiberti

4 Anno igitur Incarnationis Domini ac Redemtoris noſtri Jeſu Chriſti octingenteſimo trigeſimo ſexto, Indictione quarta decima, Ludovico verò glorioſiſſimo Imperatore viceſimo & tertio regni ſui anno feliciter imperante, filiiſque ejus Lothario Italiam, Pippino Aquitaniam, Ludovico quoque Noricam divina protegente clementia regentibus; Hilbodo etiam venerabili abbate gregem præfati confeſſoris Chriſti Filiberti, Domino favente, ſecundùm regulam ſancti Benedicti gubernante, cujus juſſu ego, non dico operibus, ſed etiam verbis omnium ſuorum infimus monachorum *a*, hæc narranda ſuſcepi. Cùm repentini atque intempeſtivi, veluti dictum eſt, Nortmannorum minimè ceſſarent occurſus, prædictus Pater Hilbodus, qui propter ipſam perfidam gentem in memorata inſula caſtrum condiderat, unà cum conſilio Fratrum ſuorum regem adiit Pippinum, ſuggerens ejus celſitudini, quid ſuper hoc decernere vellet. F

a

ex inſula Herio transferre decreverint.

5 Tunc verò glorioſus rex ſuique optimates (generale ſiquidem regni ſui placitum *b* exſiſtebat) iſtiuſmodi rem ſollerti cura pertractantes, nequaquam ibi auxilium pugnandi aſſiduè adminiſtrari poſſe repererunt; ſcilicet quia ipſa inſula, ſedonibus *c* maximè impedientibus, non ſemper acceſſibilis eſſe poteſt noſtratibus, cùm Nortmannis cunctis temporibus, quibus mare tranquillatur, inacceſſibilis eſſe minimè dignoſcatur *d*. Sed elegerunt revera quod ſalubri s eſſe judicaverunt. Annuente quippe Pippino ſeren ſſimo rege, pari conſenſu omnes ferme Aquitaniæ provinciæ epiſcopi, abbates, Comites, cæterique fideles, qui illic adfuerunt, inſuper & alii

b

c

d

EX IMPRESSIS.

quamplures, qui hoc ſcire potuerunt, decreverunt multo melius fore, beati Filiberti corpus inde transferri debere, quàm ibi derelinqui: quod effectum eſſe conſtat anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuprà ſcripto. Sed eſto. Nunc ad ejus miracula digerenda ſtilum vertamus.

ANNOTATA.

a *Mabillonius rectè quidem anonymum Vitæ ſcriptorem ab Ermentario Tranſlationum narratore diſtinguit; ſed miror, quod in Obſervationibus prævіis ad Vitam* S. Filiberti *num.* 2, *& in Annalibus Benedictinis tomo* 1 *pag.* 571 *num.* 39 *hunc Ermentarium appellet monachum* Gemeticenſem, *cum ipſe hoc loquendi modo ſatis clarè innuat, ſe ſub Hilbodo abbate monachum Herienſem fuiſſe.*

b *Scriptores medii ævi* placita *appellant conventus publicos, quibus ipſi reges ſæpius intererant, & ubi de arduis regni negotiis tractabatur, ut Cangius in Gloſſario ſuo fuſius explicat.*

c Ledo & ledona *eſt maris æſtuatio, ut Mabillonius hoc loco interpretatur, & Cangius pluribus exemplis in Gloſſario auctiore demonſtrat.*

d *Hæc periodus in Ms. noſtro Belfortiano ſic legitur:* Quia videlicet ipſa inſula Normannis, quoties mare tranquillum eſt, acceſſibilis eſſe dignoſcitur.

CAPUT I.

Tranſlatio ſacri corporis ex inſula Herio Ampennum, Varennas ac Palum, & miracula, quæ in his ſtationibus patrata ſunt.

II. *Sacro corpore Ampennam delato,* * *al.* gaudio

SUffoſſo igitur ſeptimo die Junii menſis ſepulturæ loco cum ipſo venerabili tumulo, elevatur cum laudibus * ſanctiſſimum corpus: ponitur in navi, circio *a* flante, curſu citiſſimo fertur ad portum, qui Furcæ *b* vocatur. Inde verò ſacerdotum, levitarum, ſimul ac monachorum humeris elevatum ad Ampennum *c* ſuam defertur villam, atque in eccleſia collocatur. Interim fit populi concurſus non modicus, gaudent omnes, vel ſcalam *d*, qua vehebatur, ſeu etiam linteum, quo tegebatur, ſe poſſe contingere. Credunt namque à qualibet infirmitate vexatos hujus Sancti meritis poſſe ſalvari: quos tamen expletio operis poſtea demonſtravit ſpe ſua non fuiſſe fraudatos. Rarus ſiquidem ad hujus Sancti ſuffragia plenus fide venit, & opem ex corde petivit, qui non ſanus redierit.

a
b
c
C
d

III. *quartana febri laborans,*

7 Dominicus quippe ipſius Sancti ſervulus, cujus vires quartana febris ita extenuaverat, ut vix baculo innitens incedere valeret, (laboraverat enim tali incommodo anno & dimidio) fideliter veniens ante ſepulcrum procidit, preceſque, prout potuit, fudit. Ibi quoque aliquantulum jacens ſurrexit, ac ſe ſanitati reſtitutum confeſſus eſt. Statim enim, ſicut ipſe fatebatur, ut ſcalam, in qua cum ſacratiſſimo pignore ſepulcrum poſitum erat, attigit, ſibi medicinam adeſſe omnimodis perſenſit; ſicque incolumis remeavit ad propria, ut baculi adminiculo nullatenus indigeret.

8 Acceſſit quoque quædam puella, Aigrada nomine, ejuſdem Sancti famula, quæ dextri lateris pariter & cruris officio ita debilitata erat, ut nec iter rectum conficere, nec quidquam utilitatis agere poſſet. Sed non diutius dilata ſanitate incolumitati reſtituitur priſtinæ, lætaque recedit, gratias omnipotenti referens Domino ac ſancto Filiberto, cujus interventu ſoſpitatem meruiſſet. D IV. *duæ puellæ paralyticæ,*

Cùm etiam ad locum præfatum quædam quinquennis puella, quæ nec ſedere, nec ambulare, veluti ejus ætas depoſcebat, umquam poterat, humeris fuiſſet matris advecta, & ante ſepulcrum projecta, oratione facta, ſanitati eſt reddita. Primo etenim die hæc geſta ſunt. V.

9 Sequenti verò die curritur illuc undique ab omnibus, coacervatur utriuſque ſexus vulgus in numerum. Adeſt inter reliquos cæcus quidam, Galdradus nomine, ex vico Gaurantio, annos fere quadraginta gerens ætatis, cui diuturna ægritudo & moleſtiſſima lippitudo per viginti ſpatia annorum lucis hujus ſubtraxerat viſum. Is verò plenus fide veniens, ante ſepulcrum ſeſe proſternens, talia conqueſtus eſt: Scio me, piiſſime Deus, peccatis impedientibus, oculorum meorum lumine caruiſſe: quod tamen, Domine, tua virtute per hujus Sancti meritum credo iterum me poſſe recipere. Cumque hæc verba inter jacendum, cunctis audientibus, protuliſſet, atque ſubinde repeteret, baculum, quem geſtare ſolebat, reſpicere cœpit, dicens: Gratias tibi ago, Domine, quia jam intueor baculum, cui ſolitus ſum inniti, & qui me prior viam ſolet ingredi: ac paullatim putridus ab ejus oculis cruor effluens, clarum meruit recipere viſum. VI. *vir cæcus,* E

10 Eadem namque die Baldoënus quidam nomine, dextri oculi lumine privatus, illuc adveniens, dixit, ſe in ſomnis vidiſſe virum ſibi ſplendidiſſimum adſiſtere, ac ſe taliter commonere: Vade, ait, oratum ad beati Filiberti ſepulcrum, & vino, quo tinctus fuerit ejus baculus, lava oculum tenebroſum; & ſtatim viſum recipies. Qui evigilans, gaudio repletus, mane facto, ſurgit quantocius, & illuc puerulo præeunte (non enim clarè ſiniſtro intuebatur ocello) curſim ducitur, atque oſtiario, quod viderat, pandit. Nec mora; tingitur vino baculus, lavatur ex ipſo oculus, redditur viſus, glorificatur Deus in talibus. VII. *aliique ægri* F

Sed dum hæc celebrantur, Andrudis quædam femina, annos circiter nata triginta, quæ dextrum brachium ita gerebat inutiliter, ut plus ſibi eſſet oneri, quàm honori; (non enim manum ad os mittere, nec ſe Crucis valebat munire ſignaculo; patiebatur quidem hoc multo exiſtente tempore) acceſſit prope tumulum, proſternitur in orationem, perſeverat diutiſſimè in precibus; nec priùs diſcedit, quàm ſoſpitate donetur. Lætatur ipſa pro reddita ſanitate, gaudent omnes de tanti Viri meritis & Dei beneficio. VIII.

11 Parvo ſiquidem temporis ſpatio decurſo, (tertius namque advenerat dies) adfuit iſtic Dumnericus quidam nomine, febre laborans valida. Is cùm orationem fudiſſet, & de vino, in quo ablutus beati Confeſſoris baculus fuerat, hauſiſſet, ſtatim febre fugata ſalus proſequitur expetita. Liberantur denique ab eodem typo * ſub unius momenti articulo ſimili medicamine Morilona quædam femina, Siclitrudis & Sicliberta: liberatur ab eadem gravitudine Dominica quædam femina. Sed ut quid de frigoreticis paginam repleam, cùm nullus febricitans acceſſerit, mox IX. *mirabiliter curantur.* * *id eſt* febri

A ut de ſupradicto vino bibit, qui non ſoſpitatem meruerit? O immenſa Dei bonitas, & gratuita pietas mirabilis in Sanctis, in te quoque multo magis mirabilis permanens! Præſtas utique tam præclara beneficia, piiſſime Domine, non ut tibi aliquid addas, qui ſummè & ſolus bonus es, cùm omnis plenitudo divinitatis in te habitet corporaliter; ſed ut cunctis innoteſcat, quanti penes te ſit meriti, qui tot in terris declaratur miraculis, & fiducialiter pro animæ erratibus ejus interventio flagitetur, cujus ſuffragio tot corporum ægrimoniæ curantur. Hæc in Ampenno coram omni qui aderat populo, divinitus ſunt acta miracula.

X. *Dum corpus inde Varennas tranſfertur, e*

12 Interea elevatur gratiſſimum onus humeris ſacerdotum, levitarum ſimul atque monachorum. Egreditur inde cum magnis laudibus, tenditur ad locum, qui Varennæ *e* vocatur, juxta quem fixis tentoriis noctem illam tranſegimus: ſed antequam illuc perventum eſſet, quid in itinere actum ſit, narrabo.

XI. Cùm ergo à prædicta villa Ampenno longiùs diſceſſum eſſet à nobis, atque ſcalam cum tumulo humi deponentes, Officium ſextæ horæ perſolveremus; allatus eſt paternis humeris puerulus quinquennis, qui ex utero matris mutus profuſus, ſine voce quoque perſeverabat: in quem cùm omnes ſub uno intenderent adſpectu, Dei credentes precibus Confeſſoris almi auxilium advenire; vir venerabilis Hilbodus abbas manum apprehendens, interrogavit eum, utrum ſciret, quis eſſet, qui in ſcala deferretur? Tunc ille reſpondens dixit: Scio. Et ille: Quis eſt? Ait & puer: Hic eſt dominus meus ſanctus Filibertus. Sicque linguâ ſolutâ, quæ auditu didicerat, prout potuit, loqui cœpit; alia quoque, quibus imbuebatur, deinceps fari non deſiit verba.

B

XII. *muti & ſurdi,*

13 Necdum miraculi hujus dignitas ſparſim ſe vulgus per omne diffuderat, cùm mutus quidam triginta fere annorum ſe obtulit, qui ab ortu nativitatis ſine voce permanens, tamen quæ alii loquebantur, intelligebat. Hic cùm plus in aliorum precibus quàm in ſuis fideret, ſicut indiciis, quibus poterat, demonſtrabat; ſuadetur ei, ut ante venerabile ſepulcrum procidens, Dei miſericordiam precibus ſancti Confeſſoris ſibi adfuturam depoſceret. Tunc ille proſternens ſe humi, totiſque viribus Domini pietatem,

C quia ore nequibat, corde, quod Deus magis approbat, aliquantiſper flagitans, ſurrexit loquens & magnificans Deum.

XIII. Hinc progreſſi cùm jam iter maxima ex parte tranſmiſſum haberemus, iterum parumper requievimus. Sed non defuit illic Dei miraculum, quod meritis manifeſtaretur Confeſſoris ſancti. Homunculus quidam ruſticus ſeptennem filium mutum ad manum trahebat, nomine Petrum. Timebat enim, ne in tam copioſa multitudine populi amitteret, quem ſciebat, licèt paternis clamoribus vocaretur, audire quidem & intelligere, reſpondere autem nequaquam poſſe. Hic cùm oblatus fuiſſet coram omnibus, mox ut pallium, quo tegebatur ſepulcrum, tetigit, locutionem meruit, quam numquam expertus fuerat. Hoc celebrato miraculo, abhinc quoque recedimus, & ad locum memoratum accedimus. Sed quæ ibi geſta ante ſolis occaſum fuerunt, ſilenda non erunt.

XIV. *aliiſque morbis afflicti ſanantur,*

14 Populis enim hinc inde ubertim confluentibus, atque catervatim ad celebritatem tantæ lætitiæ currentibus, quædam puella, nomine Mantia, manum gerens aridam, cùm illuc veniſſet, & orationem feciſſet, directis digitis, EX IMvenis ſalubri humore adimpletis, vigore recuPRESSIS. perato ſoſpitati reddita eſt.

Advecta eſt deinde in vaſe, quod vannus *f* vulgò dicitur, quædam femina duplici damnata incommodo: incedere quippe non poterat, quia pede utroque contracta erat; jacere verò vel ſedere, non ſine magno ei concedebatur dolore, quia ulceribus plena exſiſtebat. Sed non fruſtrata receſſit: Officium quidem greſſuum recipere meruit, quamquam ulcera non ſtatim omnia exſiccata fuerint; quam tamen non multo pòſt tempore ſanitatem pleniſſimam adeptam fuiſſe cognovimus. XV. *f*

Adducitur poſt hæc puer decennis à matre ſua miſerabili ſorte damnatus: morbum ſiquidem comitialem patiebatur. Hunc cùm mater ante ſepulcrum collocaſſet, volutari cœpit miſerabiliter ac ſpumare, nimiiſque anguſtiis diſcruciari; ſed tamen non diſceſſit, priuſquam Dei bonitas ſancti Confeſſoris interventu eum ſanitati reſtituiſſet. XVI.

15 His ita patratis, noctem, ut ſuprà dictum eſt, tranſmittentes, cùm aurora tenebras cælo depuliſſet, ſole jam altiùs adſcendente, choris pſallentium præeuntibus, atque univerſo agmine ſubſequente, tendimus ire ad locum receptioni præparatum, qui Palus *g* nuncupatur: ibi namque tentoria fixa erant. Cumque illuc perveniſſemus, deponitur ibidem tumulus cum gratiſſimo pignore. Verumtamen antea ſe ſol oceani mergere nequivit in undas, quoad hæc miracula, quæ ſubduntur, oſtenſa fuiſſent. Puer namque quidam, nomine Ebrefanius, ſiniſtram manum otioſè geſtans (quippe cùm nullum ſibi præſtaret ſervitium; erat enim debilitate multata) huc adductus cùm fuiſſet, prope venerandum recubans diu tumulum, manu reſtaurata, gaudens diſceſſit. XVII. *& in loco, qui Palus dicitur,* E *g*

Nechon & alius puer annos natus quatuor, cujus ſiniſtrum genu natura contractum ediderat, ſtatim ut parentum fide ibi fuit projectus, greſſum promeruit, & ut tali concedebatur ætati, inſciæ utpote incedendi, ambulare cœpit. XVIII.

Simili modo puella quædam tertium adimplens ætatis annum, fide parentum, eâdem exuitur debilitate. Et quia ipſa gratias Deo agere neſcit, glorificatur ab omnibus Dei omnipotentis pietas, quia in ſexu atque ætate parvula, talia Confeſſoris ſui pateſcunt inſignia. XIX. F

16 Inter hæc advehitur humeris hominum in quodam vaſculo, quod corbes *h* dicitur, quædam femina Hiltrudis nomine, annorum circiter triginta, cujus genua ita retro concuſſis calcaneis obriguerant, ſuffraginibus *i* concluſis, ut nullum poſſet conficere veſtigium. Ponitur nihilominus ipſo in loco; ſed citius opem meritis obtinuit Confeſſoris. Cum magno ſiquidem dolore & plurimo ejulatu directa, corbem egrediens, non tardat propriis actutum incedere plantis, quæ aliorum advecta fuerat humeris. XX. *ægrotis opem Sancti implorantibus* *h* *i*

Ponitur ergo præfato in loco à ſuis neceſſariis Bernefredus quidam nomine, annos natus triginta & novem, qui longo tempore duobus privabatur corporis ſenſibus: ſermonem quippe loqui non valebat, & elocutum non audiebat. Hic verò diu prope venerabilem recubans tumulum, meritis Sancti, ac fide propinquorum vel neceſſariorum ſurgit, tandem locutione recepta, glorificans Deum: qui interrogatus, an audiret, optimè ſe audire profeſſus eſt. XXI.

17 Dadenus quidam nomine dextrum genu

EX IMPRESSIS.

ita habens ſubtractum, ut pes ejus terram non poſſet contingere, duobus in aſcellis baculis ſuppoſitis, Confeſſoris almi petivit auxilium. Qui mox ut ſcalam tetigit, poplite directo, ſine baculi ſubſidio inde remeavit cum gaudio.

XXII. *ſimilia beneficia conferuntur.*

Quædam etiam femina dirum ſuſtinens dentium dolorem, acceſſit ad eumdem locum, atque ſcalam, ut aliquid doloris recederet, oſculari cœpit, furtoque fideli inter oſculandum excidit ſibi ex ipſa aliquam particulam. Cumque ex ea dentes, in quibus ampliorem ſedem dolor ſibi vindicabat, tetigiſſet, confeſtim omnis dolor deficiens receſſit ab ea.

XXIII.

XXIV.

Iſta incolumitate donata, alia perinde femina affatim avida ſalutis ſe ingerit, annorum ferme quinquaginta, quæ, ut dicebatur, numquam erecta ſolem adſpicere quiverat; ſed ut tunc, ſic ſemper inclinata inceſſerat: ſed hæc procul dubio Dei pietate non eſt fraudata. Meritis quippe Confeſſoris almi illico, ut ſcalam tetigit, erigitur, & diſcuſſa deformitate, exoptatam adepta eſt incolumitatem.

B

ANNOTATA.

a Circius *eſt ventus occidentalis, qui Galliam Narbonenſem maximè infeſtat, ut veteres Latini ſcriptores teſtantur. Sed apud auctores mediæ ætatis interdum pro alio vento uſurpatur, ut in Gloſſario Cangiano fuſius videre eſt.*

b *Noviſſimus auctor Gallus Hiſtoriæ Trenorcienſis part.* 1 *pag.* 32 *fatetur, portum Furcæ jam nobis eſſe ignotum; ſed ibidem pag.* 35 *in notis ſuſpicatur, portum illum non longè diſtare ab oppido, quod nunc vernacule* Beauvoir *vocatur, & quod in mappis geographicis non procul ab inſula Herio apparet.*

c *Laudatus auctor ibidem in notis putat, villam* Ampennum *hodiedum eſſe ipſum oppidum vulgò dictum* Beauvoir, *ubi eſt Prioratus* S. Filiberti *pertinens ad abbatiam Trenorcienſem.*

d *Ermentarius hîc & deinceps per* ſcalam *intelligit feretrum, quo ſacrum corpus ferebatur, ut notavit Mabillonius, & ex ſenſu patet.*

e Varinnæ *vel* Varennæ *fuit ſecunda ſacri corporis ſtatio, qui locus inter Ampennum & Palum ſitus eſt, ita tamen, ut huic ultimo ſit propinquior. Unde memoratus Hiſtoriæ Trenorcienſis editor conjicit, hanc ſtationem convenire pago, qui nunc vernaculè* Bois de Cene *appellatur, & qui ſex milliaribus ab Ampenno ſive* Beauvoir, *& tribus aut quatuor à Palo diſtat.*

C

f Vannus, *Gallicè* van, *eſt ventilabrum ſeu inſtrumentum paſſim notum, quo ruſtici frumentum à paleis purgant.*

g *Supradictus auctor noviſſimæ Hiſtoriæ Trenorcienſis contendit, hunc locum* Paulus *non* Palus *appellandum eſſe. Quidquid ſit de hoc nomine Latino, quod etiam* Palus *in apographo noſtro Belfortii ſcribitur, pagus iſte nunc vernaculè dictus* Paux *ſex milliaribus à Deenſi monaſterio diſtat.*

h Corbes *hoc loco ſignificat vas ex viminibus textum, quod Galli vernaculè* corbeille *appellant.*

i Suffraginibus *hîc ſignificantur nervi vel articuli, ut Mabillonius in margine notavit.*

D

CAPUT II.

Miracula, quæ facta ſunt, poſtquam corpus ejuſdem Sancti in monaſterio Deenſi collocatum fuit.

XXV. *Cum corpus ſancti hujus abbatis a*

TUm denique ſole Oceano ruente, nocte decurſa, aurora diem porrigente, diſceſſum eſt iſtinc, & ad Deas *a* monaſterium properatum eſt. Igitur cùm monaſterium ingreſſi fuiſſemus, atque in medio eccleſiæ, quæ eſt inſtar crucis conſtructa, ſcalam cum ſacro tumulo, in quo ſanctiſſimum corpus habebatur, depoſuiſſemus; turbis undique confluentibus, atque ingredi cupientibus, inſeruit ſe illis quidam latrunculus, qui præterita nocte faſciolam *b* cujuſdam furto ſubducens, in ſinu geſtabat abſconditam. Is verò mixtim cum cæteris ingredi tentans eccleſiam, fit turbis mirabile ſpectaculum. In ipſo ſiquidem introitu eccleſiæ ita immobilis conſtitit, acſi fixus humi exſiſteret. Qui tamen nihil loqui valens, adſtantibus cunctis & mirantibus, abſconditum in ſinu furtum cœpit oſtendere, quo mox abſtracto, loquendi uſum & introëundi eccleſiam officium recepit; confeſſione quoque data, ac voto facto, ut numquam furtim aliquid deinceps adquireret, remeavit ad propria.

b

E

XXVI. *in monaſterio Deenſi collocatum eſſet.*

19 Miſſarum denique officiis celebratis, orationibus Fidelium ex voto adimpletis, cum gratiarum actione partim ad ſua pergunt, partim uſque in craſtinum ibidem permanent. Inter quos quidam cæcus, Andreas nomine, remanens, ſancti Confeſſoris petivit ſuffragium: petivit, non dubitavit, & ipes ſua non eum fefellit. Ipſo quippe die illuminari meruit, & jucundus inde recedit.

XXVII.

Detinebatur quoque iſtic à parentibus quidam puerulus, cujus pes dexter uſu gradiendi carebat: poplite namque contracto, pes à terra alius ſuſpendebatur. Sed diutius ante ſepulcrum jacens, ſine parentum adjutorio vel baculi ſupplemento, qui venerat contractus, abſceſſit directus.

F

XXVIII. *cò accurrunt plures perſonæ c*

20 Hæc ita dum aguntur, & Herbidilica *c* tellus tanto ſe gaudet illuſtrari patrono, ſparſim ſe longè lateque talis fama diffundit, & multorum incolas locorum ad ſancti Filiberti ſuffragia expetenda ſollicitat. Quibus nec ſufficit, ut ſani tantummodo pro animarum commiſſis interceſſionem hujus Sancti flagitent; ſed quicumque corporis infirmitate aliquem prægravatum habet, illuc ſtudet quolibet perducere ingenio. Videres namque quoſdam uno pede, duobus in aliis * fuſtibus appoſitis, illuc tendere; quoſdam ſcamella *d* manibus tenentes quibuſdam ſaltibus feſtinare; aliquos carrucis, corbeculis, ſellis geſtatoriis atque ſcalis advehi; equis quoque nonnullos deferri mutos, ſurdos, cæcos, variiſque oppreſſos languoribus ſimul concurrere; qui tamen fideliter expetentes ſoſpitatem, celeriter ſanabantur, ſicuti cùm ad eorum ordinem ventum fuerit, narratum ire curabimus.

* *forſan* alis. *id eſt*, axillis *d*

XXIX. *e*

Interdum *e* venerandum ſepulcrum cum ſacratiſſimo pignore de ſcala deponitur, & in dextro cornu eccleſiæ, quæ (ſicut diximus) in modum crucis conſtructa eſt, collocatur, atque in ſiniſtro

A siniſtro latere eccleſiæ ſcala ipſa appenditur. Non enim ad ſepulturam capiendam fundamenta ipſius eccleſiæ apprime jacta fuerant ; ſed poſtea à prædicto Hilbodo venerabili abbate , pariete primæ frontis disjecto , & quidquid altitudinis eſt crucis funditus everſo atque copiosè extenſo , locus ſepulturæ mirificè eſt tranſvolutus , tribus perinde abſidis *f* circumcirca adjectis. Hæc de eccleſiæ adjectione dicta ſint. Sed redeamus , parumper , unde diceſſimus.

f

xxx. *utriuſque ſexus ,* 21 Non magno quoque evoluto temporis curriculo , curritur undique verſum ab omnibus ; curritur , inquam , certatim ad hujus Sancti limina ab omni ſexu , omni gradu , omnique ætate. Dubitatur , utrum femineus ſexus cum ceteris Fidelibus admitti debeat , necne , utpote cujus frequentatio , poſtquam monachi ibi habitare cœperant , nulla omnino exſtitiſſet. Decerniturque ſaniori conſilio , quatenus acceſſus eis communis tribuatur uſque ad expletionem unius anni , id eſt , à feſtivitate ipſius Sancti , quæ vigeſimo menſis Auguſti die celebratur , uſque ad eamdem vertente anno feſtivitatem ; atque ita
B contributum eſt.

xxxi. Cumque à diverſis partibus veniens copioſa adfuiſſet populi multitudo , delatus eſt à parentibus quidam puer mutus , & claudus annorum circiter quatuor , qui meritis Confeſſoris almi ipſo , quo advectus eſt , die ambulare cœpit ; ſequenti verò die locutionem promeruit.

xxxii. Nec imparem eadem die conſecutus eſt medelam quidam vir , Deodatus nomine : hic nempe vigeſimum ætatis complens annum, claudus omnimodis perſeverabat ; ſed aliquamdiu orationi precibuſque vacans greſſum recepit , ſanuſque regreditur.

xxxiii. *quæ variis morbis* 22 His etenim diebus quædam femina multis cæca ac debili manu permanens annis , cùm ad limina ſancti Confeſſoris ſe deduci à domeſticis expetiſſet , atque illuc perveniſſet , diebus quatuor vel quinque orationibus incumbens , non eſt à ſuo privata deſiderio : lumine quippe recepto , debilitate fugata , incolumis domum reverſa eſt.

xxxiv. Alia quoque nobilis femina , quantum ſæculi dignitas poſtulat , ſanguinis fluxum patiens , San-
C cti hujus ſuffragia cum magno quæſivit deſiderio , non ſatis longè à fide illius euangelicæ mulieris (ſicut credimus) diſtans : Illa enim , Si tetigero tantùm veſtimenti Chriſti fimbriam , intra ſe , ſalva ero , dicebat ; iſta verò tantæ fidei ardore flagrabat , ut ſi ſcalam , in qua ſanctiſſimum corpus vectum , vel linteum , quo tectum fuerat , contingere potuiſſet , è veſtigio ſanitas ſequeretur. Quæ ſimul ut eccleſiam introivit , longiùs à ſepulcro in orationem ſeſe proſternens, ac diutiſſimè meritis ſancti Confeſſoris Domini miſericordiam ſibi opitulari implorans , humore reſtricto ſuperfluo , ſoſpitatem adepta eſt.

xxxv. Duæ quoque mulieres ob difficultatem partûs letaliter periclitantes , petierunt à viris ſuis ſe ad Sancti hujus limina deferri ; qui vota mulierum complentes , tendunt unà cum illis illuc pergere ; quarum una , antequam monaſterium intraſſet , partu abſolvitur ; altera verò cùm baſilicam intraſſet , & orationem fudiſſet , ſurgit quantocius , & celeriter egreditur ; vixque foriſecam monaſterii potuit contingere portam , uſquequo enixa eſſet puerulum. Sicque officium humanæ naturæ complentes , & in dolore parturientes , periculo tamen ereptæ , reddunt Deo gratiarum actiones , magnificantes merita ſancti Confeſſoris.

23 Quidam etiam Hildebrannus nomine , annorum fere viginti , graviter claudicans , plauſtro ſe imponi juſſit , ac ſancti Confeſſoris auxilium expetere ſtuduit ; ad cujus cùm perveniſſet limina , ibique duobus vel tribus diebus in precibus perſeverans , Domini miſericordiam exoraret , greſſum recepit , domumque actutum reverſus , graviùs claudicare cœpit (quippe qui utriuſque pedis greſſu caruit) iterumque allatus ſanitati reſtituitur ; qui celeriter regrediens privatur pedum officio , demumque revectus ſanatur. Incolumitate verò donatus , jam non audet diſcedere , permanet proculdubio in ſancti Confeſſoris ſervitio. Et quia ex ingenuis procreatus erat parentibus , tradit ſe ex toto atque devotat tam egregio Patrono , cujus ſe credidit meritis ſalvatum. Tum denique poſt aliquot dies licentiâ à Patre monaſterii ad propria remeandi acceptâ , ſanus deinceps permanſit. EX IMPRESSIS. xxxvi. *& incommodis laborantes ,*

Ex Durio namque vico quædam mulier adoratum veniens ad ſancti baſilicam Confeſſoris , filiam ſuam , quæ cæcitate damnata erat , ſecum addùcere curavit , excubanſque ibi aliquamdiu , remeavit cum filia ita , ut venerat , cæca. Cumque iter ageret , horaque cibum capiendi adveniſſet , in acceptione potûs , & invocatione Domini , meritis ſancti Filiberti illuminata eſt. Sicque cum magno revertitur gaudio , gratias omnipotentis Dei miſericordiæ referens , meritaque beatiſſimi Confeſſoris collaudans. xxxvii. E

Alia verò femina ex villa Borginno , aſello advecta , pluribus nota , multo tempore incedere non valens , cùm precem ſuam ante venerandum fudiſſet tumulum , incolumitate recepta , propriis reverſa eſt pedibus. xxxviii.

Necnon anus quædam duodecim annis paralytica degens ex vico Anſionno *g* advehitur , & oratione facta illico ſanitati redditur. xxxix. *g*

24 Infra terminum denique Ratinſim *h* quidam vir triennio gravi ægritudine laborans , ita viribus exhauſtus erat , ut nec cum baculo aliorſum incedere poſſet. Hic autem cùm de ligno ſcalæ jam dictæ aliquid accepiſſet (quicumque enim aliquam ſibi particulam ex ea excidere poterat , ob reverentiam & amorem ipſius Sancti ſecum ferebat) idque cum ſummo honore & reverentiâ oſculatus fuiſſet , mox ſe , omni depulſa infirmitate, convaluiſſe perſenſit. Craſtina die quippe adveniente , lecto ſpreto , indutus veſtimentis , pedetentim ad ſacra limina viſitanda ocius ire acceleravit. xl. *implorata Sancti ope* a *h* F

Nec minori deprimebatur valetudine infra præfatum terminum quædam ſancti Martini femina , cui cùm iſtius ſcalæ lignum à fidelibus deferentibus oblatum fuiſſet , ut ſaltem exemplo ſupradicti hominis aliquid meritis Confeſſoris convaleſceret , eique ſuaſum eſſet , ut cum maximo honore illud veneraretur ; tunc illa tantam Confeſſoris almi reverentiam parvipendens , ipſam particulam ligni accepit , atque in ignem projecit. Non tamen quod contemtim vel potiùs deſpectivè geſſit , ſine divina ultione pertulit. Neque enim citiùs illud lignum in ignem cecidit , quàm ipſius miſerabilis feminæ oculus dexter in eumdem ignem , naturalem locum relinquens , proſiliret. Quod cùm ab iterum venientibus illius loci hominibus relatum fuiſſet , non admodum credebatur , quouſque tandem ipſe , de cujus beneficio ipſa erat femina , venit , vir valde nobilis , veritatique ſtudens potiùs , quàm vanæ verboſitati , & ita factum fuiſſe confirmavit. xli.

EX IMPRESSIS.

XLII. *per intercessionem ipsius*

25 Sed neque silentio comprimi debet, quin palam fiat illud præclarum miraculum, quod per hujus scalæ lignum declaratum constat fuisse. Est namque villa quædam non nimia à monasterio distans longitudine, quam cùm ob incuriam cujusdam succendere ignis cœpisset, & spatiantibus flammis huc illucque diffunderetur incendium; ventum est ad quamdam mansiunculam, in qua aliquid de ipso habebatur ligno. Sed cùm pars ipsius ædiculæ combusta esset, continuò ut ad columnam, in qua appensum erat, flamma vorax pervenit; ita in sese retorquens, totum incendium obtorpuit, ut nec scintilla quidem deinceps appareret. Hoc denique cùm longiùs personuisset, omnes qui de ipso scalæ ligno aliquid habebant, ad monasterium detulerunt, scisscitantes, quid de ipso facere deberent: non enim audebant tam venerabile lignum sine sui veneratione habere. Quibus responsum est, ut vel in ecclesiis sibi propinquis, in quibus die noctuque Dei Officium celebratur, collocarent; vel etiam unde acceperant, restituerent: quod ita factum est.

XLIII. *Sanitati restituuntur*, B

26 Nec multo pòst contigit sanè venisse ex villa Longado ad suffragia sancti Confessoris poscenda, quamdam feminam cæcam, sancti ac beatissimi Hilarii famulam, quæ loca Sanctorum subinde visitans, quatuor (sicut ipsa fatebatur) vicibus fuerat illuminata, & totidem cæcata. Venit nempe ea, ut dictum est, de causa, ut lumen mereretur accipere. Accepit tamen miseratione Christi, sed inter redeundum cæcatur in via. Iterum revertitur & illuminatur. Suadetur interim ei à nonnullis, ut confessionem ex toto corde cuilibet daret sacerdoti, ne fortè lumen oculorum tenebræ impedirent animæ. Illa verò miserabilis, hoc consilio spreto saluberrimo, in hæc verba ultra quàm decuerat, stomachando prorupit dicens, quòd sanctus Filibertus sibi illuderet, ac jocundè se exerceret. Hoc dicto obmutuit, sicque sine sermone triduo vivens, propter fores monasterii vitam finivit.

XLIV. *famáque miraculorum percrebrescente*, C

27 Jam quidem aliquod temporis spatium interceserat, & ecce diversarum urbium diversorumque locorum populus ad istius Sancti patrocinia flagitanda catervatim confluens, effecerat pænè innumerabilem utriusque sexus turbam. Ingrediuntur ecclesiam vicissim, ingerit se cum primùm introëuntibus quædam paralytica femina, utpote cui summa incumbebat necessitas (septem denique annis hujusmodi patiebatur incommoditatem) quæ mox ut ante non incassum procidit sepulcrum, Domini supplicans pietati, quidquid infirmitatis erat, discessit, & cunctis, qui aderant, mirantibus, incolumis recessit.

XLV.

Egreditur prorsus ex tanta multitudine post paullulum quidam non modicæ fidei homo, cui per biennium loquendi usus denegabatur, manusque ejus dextera vel pes arefacti erant, ac ei, qui cuncta novit, qui etiam corda respicit universorum, suppliciter non supervacuè supplicans, meritis sancti Viri sibi opitulatum iri profusa deposcebat ex corde intimo prece; cujus fidem & devotionem respiciens Dei pietas, Confessoris almi meritis opem tribuit indigenti, sermonem reddens, manum gressumque restaurans.

XLVI. *i*

Isto incolumitati restituto, oblata est ex Namnetico *i* territorio quædam femina, cujus dextra pars corporis ita omnino debilitabatur, ut nec incedere, vel aliquid utilitatis posset gerere. Quæ Domini largissimam miserationem supplici corde implorans, sospitatem adepta, læta regressa est. D

XLVII. *etiam ex remotioribus locis eò adducuntur*

28 Advehitur interim equo quidam utroque pede claudus, qui decimum annum sine gressu transigens, undecimum identidem attingebat. Hic cùm ecclesiam sancti Confessoris à longè vidisset, equum quantocius descendit, ac partim pedibus, partim quoque manibus humo repens, prout tali concessum erat cursori, cursim ante sepulcrum veniens, totis viribus Dei omnipotentis interventu sancti Viri petebat adjutorium. Denique cùm ab oratione surgere vellet, manuque dextera cancellos apprehendisset, quibus sustentatus leviùs surgeret, statim Confessoris obtentu erigitur sanus, lætusque de ecclesia egreditur.

XLVIII.

Dum verò tam præclaris miraculis sancti Confessoris merita mundo panduntur, & largissima Dei bonitas in talibus veneratur, colitur, adoratur, magnificatur; Namnetis civitas ostendit se non esse usquequaque ab omni labe immunem. Mittit quippe ad hujus Sancti limina quemdam virum vinculis devinctum, gravi onere depressum, dæmonio plenum: sed nec ab hujusmodi peste fuganda merita almi Confessoris cessare noverunt. Custodiunt namque miserabilem virum propinqui & noti, qui eum adduxerant: velit, nolit, studet parsimoniæ: legitur super eum exorcismus, fit oratio ad Deum pro illo; facessunt insidiæ inimici, liberatur à diabolico furore; redditur ecclesiæ, sociatur fideli catervæ: refert Deo laudes, agit gratias sancto Confessori, cujus prece se credit liberatum: permanet ibi aliquot diebus, discedit sanus. E

XLIX. *energumeni aliique male affecti*, *k* *l*

29 Adducuntur postmodum pari modo energumeni nonnulli, quorum nomina vel loca, quæ memoriæ occurrunt, submittere maluimus. Horum namque primus ex Ansionno Pictavensi vico adducitur; secundus ex sancti Martini Vertavensis *k* monasterio; tertius ex monasteriolo Verna *l*, Datbertus nomine: quinto ordinis loco duæ viduæ mulieres ex Namnetico adducuntur territorio, quarum una Dominica vocabatur; alterius nomen excidit. Sexto quoque quædam femina ex villa Cavannis. Isti denique multis modis furentes, utpote qui malignis agitabantur spiritibus, atque prope sepulcrum vel limina ecclesiæ excubantes, jejuniis atque abstinentiæ licèt inviti operam dantes; tandem meritis sancti Confessoris Dei pietate respecti, omni infestatione immundorum spirituum expulsa, pristinum sensum recipientes, incolumes ad propria omnes laudantes Deum redierunt. F

Qualiter etiam infra memoratum terminum Ratinsim quædam mulier amentiam incurrerit, pandendum est. Quadam namque die domum suam egrediens, intus remansit solus filius suus parvulus: cui ne fortè, quemadmodum facilè tali solet accidere ætati, ploratus insurgeret, datum est ei, nescio ovum fuerit, an pomum. Eratque in eadem domo vas capiens modium, vel eo amplius, aquâ plenum. Quod cùm adiisset puerulus, ecciditintro quod manu tenebat. At ille ingerens se, nescius periculi, plus quàm debuisset, laxante gressu evolvitur in aquam, & moritur. Mater verò post paullulum reversa, puerum sæpius inclamans, hac illacque discurrens, mox ut exanime corpusculum invenit, corruit; & impos mentis effecta, sensu excessit. Sed ad limina hujus Sancti, viro suo faciente, perducta, pietate Dei meritisque sancti Confessoris recuperationem meruit.

L. *m*

30 Pictavis *m* denique, populosa civitas, non pati-

A patitur esse libera, quin se profiteatur habere, quod non sit sanitatis. Transmittit quoque & ipsa virum insanum Martinum nomine, impotem mentis effectum, omni sanitate destitutum, dæmone repletum. Sed nec in hunc Dei bonitas tarda fuit. Tertio quippe, postquam illuc venit, die expleto, sanus effectus est, lætusque rediit glorificans Deum.

& optatam salutem impetrant.

LII. Sed & illud memorabor *, quemadmodum istuc adductus ex propinquo loco quidam hujus gravissimæ pestis plenus, cùm litteras non didicerit, in basilica sancti Confessoris laudes cecinerit. Dominica namque aderat dies, & signum ad officium primæ diei horæ persolvendum fuerat pulsatum. Tunc ille miser in ecclesiam ductus, cœpit miserabiliter furere; sed paulisper quiescens, cùm hymnus ejusdem horæ caneretur; ita ceteris altiùs ipsum hymnum canere cœpit, acsi ab ineunte ætate litteras vel hymnum didicisset. Necnon & quosdam versus psalmorum similiter cantabat, quasi litteras sciret. Qui verò hæc legerit, propter quod immundus spiritus talia per os ejus protulerit, facilè perpendere poterit. Nimirum non ideo cecinit, quòd Dei officium curaret, sed Dei officio intentos impediret; suatim * *n* agens semper bonos impedire, & à veritatis via avertere cupiens.

* *Ms. Belfort.* memorabo

B

* *Chiffl.* satagens *n*

ANNOTATA.

a *Monasterium Deense situm est in regione Herbidilica, de qua postmodum agemus, illudque recentiores* monasterium S. Filiberti *dixerunt, & à grandi lacu vicino vernacule* saint Filibert de Grand-lieu *cognominarunt, ut Valesius in Notitia Galliarum pag.* 245 *testatur.*

b *Quid sit propriè* fasciola, *disputatur in Glossario Cangiano, quod consuli potest, cum parum hìc ad rem nostram faciat, qualem rem fur ille subduxerit.*

c Herbidilica *terra, quæ etiam vocatur pagus vel Comitatus* Herbatilicus, *& interdum* Herbatilicensis, *vernaculè* le comté d' Herbauge *aut* Arbauge *in confinio Nannetensi & Pictaviensi jacet, ut apud Valesium in Notitia Galliarum pag.* 245 *fusius refertur.*

C d Scamellum *vel* Scamnellum *plerumque usurpatur pro instrumento, cui manibus innituntur ii, qui facultate gradiendi destituti genibus reptant, ut variis exemplis ad hanc vocem in Glossario Cangiano ostenditur.*

e Interdum *hic sumitur pro* interea, *ut sensus indicat, & Mabillonius in margine exponit.*

f Absis *vel* absida, *Græcè* ἀψὶς, *apud veteres auctores propriè fornicem vel quamlibet structuram arcuatam & concameratam significat. Sed apud scriptores medii ævi accipitur pro parte interiori ædis sacræ, in qua altare collocari solet, & alias habet significationes, quæ in auctiore Cangii Glossario ad hanc vocem videri possunt.*

g *Teste Mabillonio, alibi scribitur* Ansinono; *sed ille præfert lectionem* Ansionno; *quo quidem nomine significatur locus, in quo situm est monasterium sancti Jovini in provincia Pictavensi, quod antiquitus* Ansion *dicebatur, ut ex infrà dicendis confirmabitur.*

h *Pagus* Ratinsis *vel Ratiatensis situs est in finibus Pictavensis territorii, Ligeri amne distinctus à Britannia Armorica, cui tamen tribuitur. Nunc titulo Ducatûs gaudet, & vernaculè* le Duché de Raiz *vel* Retz *appellatur, ut apud Valesium in Notitia Galliarum pag.* 465 *& sequente legi potest.* EX IMPRESSIS.

i Namneticum *vel Nannetense territorium, vulgo* le Nantois, *in Britannia Armorica seu Minori situm ac satis notum est.*

k *Monasterium Vertavense, vulgo* Vertou, *in diœcesi Nannetensi conditum est à sancto Martino abbate, cujus Vitam & miracula Mabillonius Seculo primo Benedictino pag.* 371 *& sequentibus edidit. Nunc est Præpositura subjecta cœnobio Ansionnensi S. Jovini, de quo superius littera* g *egimus.*

l *In apographo nostro Belfortiano pro* monasteriolo Verna *legitur* monasterio Louverne. *Nescio, utra lectio sit præferenda: nam neque Vernense neque Louvernense cœnobium hactenus invenire potui.*

m Pictavis, Pictavia, Pictavium, *vulgo* Poictiers, *est urbs Galliæ & Pictavensis provinciæ caput, episcopalis sub archiepiscopo Burdegalensi. Sed impositerum tam notas & celebres Galliæ civitates & regiones non explicabo.*

n Suatim *agere, ut hic legitur, apud veteres quosdam scriptores significat* more suis *agere. Sed videtur præferenda lectio Chiffletii nostri, quæ pro* suatim agens *habet* satagens, *ut in margine notatum est.* E

CAPUT III.

Alia miracula, quæ in eodem monasterio coram reliquiis Sancti contigerunt.

A Dvenerat nempe alma dies, in qua annua festivitas beatissimi Confessoris de ejus depositione tertio-decimo Kalendarum Septembrium celebratur, & se ad ejus sollemnitatem populus congregaverat copiosus. Sed ut tanta festivitas glorioſior fieret, adornatur etiam miraculis, quæ breviter annotata subduntur. Dumfrada namque quædam femina in scala delata, antequam ad ecclesiam usque esset advecta, de scala prosiliens, non clauda, sicut priùs erat ex utero materno, sed libero gressu sanctum adiit sepulcrum, fusisque orationibus, populo mirante, sana rediit domum. F

LIII. *In annua Sancti festivitate*

Anus quædam de Quavasio * Pictavensi vico, debilis manibus multis vivens temporibus, damna manuum eadem die meruit recuperare.

LIV. * *Chiffl.* Cucviaco

Necnon claudus quidam in vicino communens monasterii, annorum fere duodecim, ambulandi officium percepit.

LV.

Alius verò claudus ex Andegavæ *a* regione, suras cruribus à nativitate appositas habens, vixque duobus scamellis quibusdam repens saltibus, eodem fere momento incolumitati redditur, cunctisque stupentibus in tantis sancti Confessoris meritis, ab omnibus Deus glorificatur.

LVI. *a*

Similiter quidam Betto nomine, de Namnetico advectus ex villa Provingaria, pede contractus utroque, coram omni plebe directus sanus absceſſit.

LVII.

32 Peractis siquidem Missarum sollemniis, quædam femina Britanniæ oriunda in partibus, nomine Romeda *, quæ triginta annos sine luce transegerat, non parva exspectante populi multitudine, lumen recipere meruit.

LVIII. *cæci, muti,* * *Chiffl.* Romedo

Dicatur insuper, quòd femina quædam sancti Marti-

LIX.

EX IMPRESSIS. Martini allata fuerit, nomine Reſta, omni compage membrorum debilitata, atque contractione nervorum obligata, quæ tamen optatis potita eſt votis, ſana denique rediit, licèt valde miſerrima venerit.

LX. Ad hanc quoque feſtivitatem Dodolenis femina à nativitate muta, (annorum quippe erat triginta) cùm dominam ſuam ire conſpexiſſet, in hujuſmodi poſt eam verba prorupit: Domina, domina, clamans, exſpecta me, dixit: tecum enim ibo ad feſtivitatem domni ac ſanctiſſimi Filiberti. In talibus etenim verbis ſermonis officium accipiens, ad jam dictam feſtivitatem lætanter properare ſategit, & quo modo loquelam accepiſſet, omnibus innotuit.

LXI. Quid verò in quodam puero iſtius Sancti meritis factum ſit, non eſt ſilendum. In Marga namque ipſius Sancti villula, femina quædam filium pariens, in hujus mundi lucem ſine luce profuderat oculorum. Sed cùm ad hanc feſtivitatem eum cœpiſſet deferre, continuò ut domum ſuam exivit, pueruli oculi aperti ſunt, videnſque ad ſacra limina delatus eſt, præbuitque omnibus ſe contuentibus de tali facto non modicum tripudium.

B

LXII. *mulier contracta* 33 Non poſt multos autem dies feſtivitatis tranſactæ, quemadmodum advecta atque ſanata fuerit ex Cenomannico territorio quædam femina, Rainildis nomine, cui diuturna ægritudo facultatem rectè ambulandi ſubtraxerat, manumque debilitaverat, gibbuſque prævalidus dorſum ejus occupans infeliciter incurvaverat, ita ut cælum reſpicere non poſſet, ſed in modum quadrupedis animantis, ſicut pedibus, ita quoque in eundo manibus utebatur, narrare gratum habui. Hæc namque Sanctorum loca ſæpius frequentaverat, ut ſanari mereretur: ſed tamen adipiſci ſanitatem nondum merita fuerat. Admonita eſt tandem aliquando in ſomnis, ſicut ipſa teſtata eſt, ut ſi ſoſpes vellet fieri, beati Filiberti patrocinia expetere ſatageret. Evigilans verò illa valde gaviſa de tam optato reſponſo, unà cum filio ſuo, Rainario nomine, annorum fere undecim, qui de matre debili debilis proceſſerat, navim conſcendit, curſuque veloci, Sarta *b* fluvio agente, Meduanæ *c* amnem ingreditur, qui graviore impetu currente Ligeris *d* deſcendit in alveum, & uſque ad optatum portum, qui Retiatus *e* dicitur, diſtans à monaſterio octo milliariis, celeriter decucurrit. Tum mater cum filio navim relinquens, plauſtrum adſcendit, & ad deſiderata limina ſe perduci expoſcit. Sed cùm à monaſterio non plus quam milliario diſtaret & dimidio, præfatus filius ejus de plauſtro ſe projiciens, qui utroque pede contractus erat, tramite nititur recto incedere, & ſine ullius adjutorio cœptum perficit iter.

b *c* *d* C *e*

vel paralytica, 34 Mater verò hæc cernens plus ſit avida ſalutis, creditque ſe non eſſe à Domini miſericordia deſtituendam. Perducta verò ad limina deſiderata, ingreditur ſancti Confeſſoris baſilicam; fuſiſque precibus, collocat ſe ſub ſupradicta ſcala, atque ſopore imminente obdormit. Cumque ſommum caperet, viſum eſt ei, quòd ſanctus ad ſe veniſſet Filibertus, & percutiens gibbum ejus excitaſſet eam. In hac denique viſione expergefacta, cœpit ab ore & naribus ejus ſanguis non guttatim tantùm, ſed copiosè profluere: quæ nihil aliud inter hæc, niſi, Sancte Filiberte, clamabat, adjuva. Celebrabatur namque tunc veſpertinum officium, quo expleto, ſciſcitatur ab ea, quid ſibi eſſet, vel cur ita baſilicam clamoribus repleret. Illa verò hanc ſe viſionem intuitam fuiſſe, adſerens ſurrexit, non abſque magno dolore ab illo, in quo jacebat, loco directa, & ad venerandum ducitur ſepulcrum: omnique ademta deformitate, incolumitatem conſecuta eſt. Permanſit denique poſtmodum propter forinſecam monaſterii portam aliquot diebus cum filio ſuo, nolens locum relinquere, in quo à Domini fuerat miſericordia viſitata, & precibus ſancti Confeſſoris ſanitati reſtituta.

D

LXIII. *aliique variis morbis oppreſſi Janantur*, *f* 35 His etiam diebus ex Redonico *f* populi maxima veniens multitudo, adduxit ad Sancti limina puellam quamdam, quam uterus matris mutam protulerat. Sed ut merita hujus ſancti viri declararentur, ac devotio comitantis populi magis magiſque exardeſceret, inter veniendum ſoluta eſt lingua puellæ, & rectè loqui cœpit. Cumque eccleſiam ingreſſa fuiſſet, orationem dominicam, quam numquam loquendo dixerat, ordinatim dixit glorificans Deum.

LXIV. Nec taceri debet, quòd ex eodem loco quædam femina, Salatia nomine, contracta fuit advecta, & ſanitatem recepit.

LXV. Pandi quoque debet, quia puella quædam officio utriuſque manus carens, hujus Sancti meritis recuperationem meruerit. E

LXVI. Per idem verò tempus Aldetrudis quædam femina de Conſtantino adveniens, annos nata triginta, incola loci, qui Duo-Gemelli *g* vocatur, ante ſanctum ſepulcrum crebris precibus Domini depoſcebat auxilium: erat quippe cæca, & à tranſeuntibus alimoniæ ſtipendium accipiens, exinde victitabat. Hæc nempe oſtiatim excubans, ac die noctuque interventionem hujus Sancti implorans, illuminari meruit, quia pulſare non ceſſavit; quæ poſtea atrium eccleſiæ ſcopis crebriùs emundans, aliquibus diebus ibidem permanſit, ac demum gaudens diſceſſit.

g

LXVII. Sed cur taceam, quod plurimis notum eſſe conſtat? Quædam namque femina hydropica hujus Sancti quæſivit patrocinia. Sed cùm de vino, in quo beati viri baculus dilutus fuerat, bibiſſet, omni tumore repreſſo ſana efficitur.

LXVIII. Expertus eſt pari modo hanc medicinam quidam puer hydropicus, cujuſdam viri nobilis filius, qui ex ipſo potatus vino, à patre quoque vocatus, ab eodem liberatus eſt humore mortifero. F

LXIX. *& duo propter furtum* 36 Volvitur interea annus, & populi pænè innumeri ad hujus Sancti confluunt feſtivitatem. Adeſt copioſus ſexus femineus, gaudens de tanto Patrono, dolenſque de ſui ingreſſus prohibitione. Celebrantur interim Miſſarum ſollemnia, oſtenduntur Dei miracula. Ratbertus quidam nomine, pede claudus utroque, interventu ſancti Confeſſoris coram omni dirigitur populi frequentia, & ſuis gratulatur pedibus incedere, qui remigio brachiorum duo manibus gerens ſcamella, illuc advenerat admodum confectus.

LXX. Dominicus perinde quidam nomine, dextro claudicans genu, contractione enodata, plurimo exſpectante populo, greſſum recepit.

LXXI. Eſt quoque eadem die tertium ſancti viri meritis oſtenſum miraculum, quod ſilentio haud tegi nequaquam debet. Currentibus namque, ſicut dictum eſt, ad baſilicam Confeſſoris viris & mulieribus, nocte antequam ad monaſterium perventum eſſet, furata eſt quædam femina faſciam ſociæ ſuæ: ſed nihil inde timoris habens, cum ceteris eccleſiam petivit. Miſſarum laudibus expletis, duobus etiam ſupradictis miraculis patratis, reverti parant omnes ad propria. Jungitur quoque iſta ſuo comitatui, ac tentat regredi.

Quæ

A quæ, cùm ad pontem, qui ad monaſterium venientibus ſuper fluvium Bedoniam *h* tranſitum præbet, perveniſſet, retro corruit. Stupentibus qui aderant, ſurrexit; iterumque incedere volens, retrorſum cecidit. Tunc interrogata à ſuis domeſticis, ne fortè aliquod facinus abſconditum haberet, unde Deum implacatum contra ſe faceret; confeſſa eſt, penes ſe furtum haberi. At viri magis hinc ſolliciti revertuntur, ducentes eam ad monaſterium. Innoteſcit hoc apud omnes, reduntur ab omnibus Deo laudes, qui meritis Confeſſoris almi occulta ita facit eſſe manifeſta. Poſt hæc illa, confeſſione ex corde data, pœnitentiâ acceptâ, remeavit ad propria.

LXXII. *& irreverentiam puniuntur.*

37 Acceſſu verò feminarum prohibito, figitur crux in ſignum longiuſculè à forinſeca monaſterii porta, quouſque uterque ſexus admitti debeat, causâ ſcilicet negotii, quia ibidem nundinæ exercentur, in quibus quid quadam die acciderit, dicam. Plebeia namque multitudo oratum ad ſacrum venerat ſepulcrum, votiſque completis, reverti cupiebat. Tunc unus è turba tabernam ingreſſus eſt, ut ſibi vinum emeret. Ve-

B numdabatur enim, niſi fallor, illis diebus ſextarius vini uno denario. Emptor verò nonniſi dimidium ſextarium emere volebat: ſed integrum, non dimidium habebat denarium. Convenit autem inter illos, ut venditor integrum acciperet denarium, & daret emptori unum dimidium denarium, & vini dimidium ſextarium. Sed qui vendebat, non bene ſuo intendens negotio, ſextarium vini, & dimidium dedit denarium. Emptor namque hæc conſiderans, noluit innoteſcere venditori; ſed abiens ad prandium, vinum cum ſuis ebibit. At ille, qui damnum patiebatur, in ſemet reverſus, intellexit, ſe plus vini quàm debuerat, dediſſe, inſuper & pretium reddidiſſe: qui parumper exſpectans, revertitur idem vir cum ipſo dimidio denario, poſtulans pro eo iterum ſibi vinum dari. Tunc ille, qui proximo in negotio deceptus fuerat; Bene, ait, tibi jocaris, amice; non enim tuum, ſed meum adfers: tuliſti quippe meum & vinum & pretium. At ille cœpit cum juramento affirmare, non niſi ſuum detuliſſe, atque ad ultimum tali ſe vinculo nullo cogente devinxit: Non placeat,

C ait, beatiſſimo Filiberto, ſi verum eſt, quod in me dicis, ut hinc mecum vinum, quod bibi, deferam. Nec mora, vix citius hoc dicere potuit, quàm cum dedecore, quod injuſtè potaverat, coram omnibus rejiceret; potu ſiquidem vacuatus, dimidium reddidit denarium, & confuſus abſceſſit. Perpendant hinc, qui nomen omnipotentis Dei in vanum aſſumunt, quid mereantur, cùm ſancti Confeſſoris nomen tanti valuerit.

ANNOTATA.

a *Andegavenſis vel Andegava regio, vulgò l' Anjou, quæ ſæpius Andecava appellatur, à Septemtrione Cenomanenſi provincia, ab Occidente Britannia Minori, à Meridie Pictavienſi, & ab Oriente Turonenſi provincia terminatur.*

b Sarta *eſt fluvius, qui in limite Normanniæ oritur, & per Andegavenſem provinciam fluens, ibi Lædum amnem recipit, & paulo poſt exonerat ſe in aliud flumen, quod jam indicabimus.*

c Meduana, *Gallicè* la Mayenne, *vel* la Mayne, *poſt varios curſus paulo ſupra Andegavum auctus Sartâ & Lædo, unâ leuca infra urbem in Ligerim ſe exonerat.*

d Ligeris *eſt famoſus Galliæ fluvius, qui poſt curſum ducentarum leucarum, ex quibus per centum ſexaginta ſex navigabilis eſt, tandem ſe in mare Aquitanicum exonerat.*

e *Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 466 *ſuſpicatur, portum* Retiatus *hîc ſumi pro* Ratiatus, *ac denominari à vico Ratiatenſi, de quo ſuprà dictum eſt.*

f Redones *vel* Rheodones *eſt urbs nota Britanniæ Minoris, vernaculè* Rennes, *à quo veroſimiliter hîc territorium Redonicum denominatur.*

g *Hoc loco S. Martinus Vertavenſis monaſterium condidit, ut Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti* 562 *num.* 13 *& ſequente tradit.*

h Bedonia *vulgo* la Baulogne *eſt fluvius ille, ex quo Ludovicus imperator anno* 819 *aquam deducere permiſit Arnulfo abbati, ut patet ex diplomate iſtius imperatoris, quod apud Chifflетium noſtrum in Probationibus Hiſtoriæ Trenorcienſis pag.* 191 *legitur.*

A. ANNO NYMO.

CAPUT IV.

E

Reliqua beneficia, quæ ibidem ægris & afflictis per interceſſionem hujus Sancti collata ſunt.

LXXIII. *Patrocinio hujus Sancti invocato,*

TEmpore quoque currente, ac populis, qui jam hujus Sancti limina viſitaverant, iterum ea frequentantibus, aliiſque, qui nondum illuc venerant, convenientibus, quæ digna memoratu geſta ſunt, non videntur ſileri. Ex territorio namque Turonenſi Theodoricus quidam nomine, genua contractus, ut Dei opem, beato Filiberto patrocinante, mereretur, ad ejus baſilicam in carruca devehitur; qui aliquantiſper propter oſtium excubans baſilicæ, non fruſtra præſtolatus eſt auxilium. Genibus quidem reſtauratis, vehiculo contempto, ſanus receſſit.

LXXIV.

Puer etiam quidam ſeptennis, Ragambertus nomine, lippitudinem oculorum cum nimio perferens dolore, iſtius Sancti obtentu gaviſus eſt, ſe & dolore caruiſſe luminum, & clariſſimum recepiſſe viſum.

F

LXXV. *cæcus illuminatur,*

39 Quidam denique cæcus per idem tempus, Genocher nomine, Britanniâ oriundus, quemadmodum illuminatus ſit, dicam. Cùm enim ejus viſus aggravari & quadam craſſitudinis albugine obtegi cœpiſſet, petivit à domino ſuo, ut ſibi liceret ſancti Confeſſoris expetere ſuffragium; nec tamen impetravit. Detinetur in ſervitio ſolito, denegatur ei aditus: cæcatur interim uno oculo. Supplicat iterum crudeli domino, deprecaturque eum humillimè, quatenus ſibi licentiam eundi ad jam dicta limina daret; eoque negante, ſicut unum, ita quoque oculum amiſit alterum, ſitque omnino cæcus. Tunc dominus ejus, cùm nil ſervitii ex eo poſſet extorquere, (non enim quid gereret, videre poterat) dedit ei licentiam. At ille quoquo modo potuit, exoptata adivit limina. Qui Domini miſericordiam meritis almi Confeſſoris diutius præſtolans, tertio poſtquam illuc venit die illuminari meruit, & nihil læſionis habens oculorum, qui cæcus venerat, videns abſceſſit.

EX IMPRESSIS.

LXXVI. *& plures viri ac feminæ*

40 Ex Bleſenſi prorſus confinio quidam vir, mutus pariter & claudus, tantarum fama virtutum longiùs volitante, devehitur ad tam eximii Patroni limina, fidei tantam habens conſtantiam, ſicut ipſe poſtea confeſſus eſt, ut ſi ad venerandum deferri mereretur ſepulcrum, claudicatione actutum careret, locutionemque reciperet; quod ita rei probavit eventus: delatus namque illuc cùm fuiſſet, quia verbis non poterat, Deum corde ac fide implorans, interceſſionemque hujus Sancti medullitus flagitans, greſſum ſimul & loquelam recipere meruit.

LXXVII. Quidam namque ruſticus quadam in villa quinto-decimo à monaſterio diſtante milliario commanens, ſuum perdiderat bovem. Quem per diverſa requirens loca, & minimè reperiens, candelam fecit, eamque ad Sancti referens ſepulcrum accendit, ac queſtu lacrymabili ſanctum cœpit Filibertum deprecari, ut amiſſum ſibi reſtitueret bovem. Agit hoc diutius, & ut fruſtratus non diſcederet, imponit etiam ſuper ſepulcrum cuppam *a* argenti fuſilem pondo viginti denariorum *b*. Poſt hæc inde egreditur, & ante forinſecam monaſterii portam invenit bovem, quem quærebat, erroneum, gerentem in cornibus funem, cum quo ſubductus fuerat. Tunc Deo gratias agens, ſanctoque Confeſſori ſupplicans, recepit animal ſuum, reduxitque ad nota præſepia.

a b

B

LXXVIII. *in diverſis neceſſitatibus*

41 Homuncio quidam ex confinio Namnetici territorii, baſilicam ſancti Viri inviſere cupiens, pervenit uſque ad ripam Ligeris: navi quoque inventa, quæ flumen tranſitura erat, petivit à gubernatore, ut ſibi tranſitum præberet. Gubernator verò, quia pauperculus, unde naulum daret, non habebat; ſpretis ejus precibus fune ſoluto, cùm ultrà tendere certat, jam jamque medium fluminis tranſmiſſus eſſet; ſubitò obſtupefactus, gubernaculo amiſſo obtorpuit; naviſque ita immobilis, remige inaniter laborante, perſtitit, acſi in arida, non in flumine, poſita videretur. Tunc viri, qui in navi erant, in ſemet reverſi, arbitrati ſunt, ſe propter adſpernationem pauperis talia pati. Quocirca celeriter quaſi navi ſponte currente, unde digreſſi fuerant, revertentes, jubent homunculum navim conſcendere, atque curſu citiſſimo ſupradictum tranſeunt fluvium.

C Aſſumens autem pauperculum gubernator ipſius navis, ad optatum deduxit locum, & quod ſibi propter ipſius pauperis adſpernationem accidiſſet, innotuit. Iſte eſt ſanitati redditus, typo quippe laborabat quartano *c*: ille verò orationibus peractis, quem exhauſtum gravi adduxerat morbo, ſanum reduxit, tranſque ripam poſuit jam dicti fluminis.

c

LXXIX. *& infirmitatibus*

42 Quomodo quidam Marinus nomine, vel quali commercio greſſum recepit, celandum non eſt. Quindecim ſiquidem annis abſque inceſſu recubans, ſextum-decimum perinde adoriebatur. Audiens verò tardiùs quàm oportuerat; vel ſi audierat, ſurda, ut dici ſolet, aure tranſierat tot Confeſſoris præclara inſignia; cereum jubet fieri, atque ad ſanctum ſepulcrum deferri mandat. Sed geſtator cerei vix dimidium * confecerat milliarium, cùm iſte leviùs ſe ſenſit habere; paullatimque vigore redeunte, omni debilitate vel contractione exploſa, incolumitatem adeptus eſt. Poſtea verò Dominum adoraturus, ſuoque Interventori gratias redditurus, ad monaſterium ſanus venit, notum faciens, qualiter virtus divina meritis Confeſſoris almi ei ſanitatem attribuerat.

* *al.* unum

LXXX. Quadam autem die quædam femina in ſuprà memorata villa Boginno, quæ parvo à monaſterio ſeparatur ſpatio, ignem domi accendens, ſuam occupavit flamma ædiculam: quæ cùm nullum virorum haberet adjutorium; ut ſe adjuvaret, ſanctum Filibertum cœpit invocare. Tunc flamma ab ejus convulſa ædicula, vicinas apprehendit arbores, atque in ſeſe, materiei non nocens, reflectitur moribunda; domuſque inuſta permanſit. Egit hoc nimirum invocatio nominis tam glorioſiſſimi Viri, & fides pauperculæ mulieris.

D

LXXXI. *ac variam ejus experiuntur.*

43 Ex plebeia namque manu vir quidam diuturno ægrotans tempore, juſſit ſe ſuo imponi plauſtro, & ad hujus Sancti limina devehi; qui cùm allatus fuiſſet, & aliquibus diebus in precibus perſeveraret, atque oſtiatim die noctuque excubaret, nocte quadam, cùm ſe ſopori dediſſet, vidit ſibi quaſi ſanctum adſiſtere Filibertum, duos boves aurea habentes cornua ſibi porrigentem ac dicentem: Accipe, ô homo, iſtos boves, & jungens eos ad plauſtrum tuum; vade ſanus in domum tuam. Cumque intuitus eſſet viſum, poſt paullulum ſopore diſcuſſo evigilans, ſanum ſe, ſicut multis exoptaverat diebus, invenit, Deoque gratias agens narravit, qualiter viſionem cernens ſanus effectus fuerat.

E

LXXXII. *Nautæ Britanni,*

44 Eodem verò tempore contigit à partibus Britanniæ, naves ad jam dictum portum, qui Furce vocatur, negotiandi gratiâ deveniſſe. Sed inter negotiandum viri tantum unius navis, gubernatore neſciente, partim furando, partim emendo, & hoc cleptim *, ex plumbo beati Confeſſoris, quod in ipſo portu cuſtodiebatur, quodque etiam propter Nortmannos à ſæpe dicta inſula elatum fuerat, non modicam ſubripuerunt partem. Negotio quippe expleto, cupiunt reverti; ſed vento ceſſante ſecundo, detinentur quinque diebus. Sexto denique adveniente die, ſubſolano * leniter flante, funibus ſolutis parant iter aggredi, navibuſque in altum deductis advenium, velint, nolint, ad noſtræ inſulæ portum, qui Concha nuncupatur; jactiſque anchoris vento quieſcente conſiſtunt. Demorantur nihilominus iſtic novem dies. Dantur verò eis ab inſulanis, quæ neceſſaria erant ad comedendum vel bibendum, veluti alienigenis. Non enim ex ſuo comedere poterant commercio: annonam quippe non attulerant; ſed ſal tantùm deferebant.

* *id eſt* furtim

* *id eſt* vento orientali

F

qui plumbum ad Sanctum ſpectans furati fuerant,

45 Decimo autem die, ſole oriente, ſubſolanus pariter conſurgit. Nautæ verò gaudentes ſublevant cornua antennarum, dantque carbaſa vento. Cumque longiùs à terra ſeparati fuiſſent, ſubſolano ceſſante, ab auſtro africo ad quamdam Britanniæ inſulam, cui Baſus nomen inditum eſt, deportantur: ibique, quia proſperum flatum non merentur, diebus ſeptem detinentur, & hoc meritò. Si enim recordati fuiſſent, quid illi Britanni, qui adhuc beato Filiberto in carne vivente juvencum furati ſunt, fuerunt perpeſſi, numquam eum, qui cum Chriſto modò in cælis (beatum dico Filibertum) regnat, minus poſſe, vel minoris meriti eſſe putaſſent. Et ſi hoc verecundiæ fuit, vel furti impudentia prohibuit, ſeu etiam (quod veriſimile eſſe poteſt) numquam iſtud miraculum referri audierant, ſaltem memorari debuerant, qualiter quadam vice aliis Britannis, qui nimiæ famis tabeſcebant inopiâ, oratione ſua ac Fratrum ſuorum ventum redeundi ad propria à Domino impetraverit.

tempeſtate jactantur,

46 Morantur præterea, ſicut dictum eſt, in Baſo inſula ſeptem diebus. Octavo autem die, flatu

A flatu ſurgente ſecundo, credunt ſe mari, cumque vento uberiore impellente, curſu celerrimo ſpumigeros montes ſulcante carina, altiùs naves ſeſe extollerent, oſtenditur eis non tantum mirabile, quantum terribile ſignum. Proreta namque, qui in prima erat navi, iter ſubſequentium obſervans navium, ne in arenas inciderent; cernit repentè equitem adverſum ſe tria gerentem ſpicula, cum tanto impetu ac tanta potentia equo emiſſo currere, ut omnes perimendi vel etiam demergendi habere videretur poteſtatem: quem nullum alium, niſi Sanctum credidit eſſe Filibertum. Hoc quoque impetu facto, proreta tantùm, qui furti erat conſcius, intuente, diſparuit eques, atque ſubſolano compreſſo, circio ſpirante revertuntur ad littus Baſi inſulæ, unde diſceſſerant. Nautis verò animo conſternatis, & quid agerent neſcientibus; (nullus quippe furtum, niſi tantùm, qui illud perpetraverant, ſciebant) eadem nocte beatus Filibertus cuidam viro in ipſa inſula, qui multo contractus permanebat tempore, apparens in ſomnis; Surge, ait, ô juvenis, in nomine Domini ſanus eſto, & vade; dic illis Britannis, B quia meum plumbum quod furati ſunt, deferre ſecum non debent: & hoc illis in veritate dixeris, quia quouſque reddatur illud, flatum proſperum habere, patriamque adire non poterunt.

47 Dato denique die ſurgere homo à lectulo *donec ablata reſtituunt;* feſtinat, ſed veluti inſcius ambulandi, greſſu titubante, baculo tamen ſuffultus, pergit ad eccleſiam ipſius inſulæ, & viſum, quod viderat, presbytero illic commanenti innoteſcit. Auferetur omnis ſcrupuli dubitatio, ut nihil obſtet ita credi, præſertim cùm claudus ſanus effectus talia referret. Pergit itaque cum presbytero, qui ſanus effectus fuerat, ad naves Britannorum: dat ſacerdos eis ſermonem prædicationis, intimatur de furto in eorum navibus abſconſo. Mora poſthabita, ſcrutantur omnium naves, inveniuntur apud unam quam plures plumbi cruſtæ: redduntur presbytero, dant Britones confeſſionem, agentes facti pœnitudinem. Redditur eis ventus, redeunt ad diu optata litora. Presbyter verò ille cruſtas plumbi in fuſiles vertens maſſas, ab ipſa inſula navibus portum noſtrum adeuntibus tranſmittere curavit, & qualiter ſancti Confeſſoris merita in contracto oſtenſa fuerint, C narrari juſſit. De Britannis verò ita ſe res habet.

48 Per idem denique tempus Gertrannus quidam nomine, ſuperiùs memoratæ atque directæ Hiltrudis germanus nativitate, germanuſque debilitate, diutius circa hujus Sancti baſilicæ oſtia excubans, nihil ſoſpitatis apprehendere quiverat. Cùm autem dies majoris immineret Litaniæ, & ſe ſtrato collocaſſet; calore irruente prævalido, ita totis cœpit ardere membris, acſi propemodùm in frixorio detineretur: tranſegit quocumque potuit modo noctem taliter cruciatus, ſed cùm ſolis jubar mundum reddidiſſet cunctis conſpicuum, ſurrexit à lectulo directus, & eadem die, ſicuti Eccleſiæ mos eſt, crucis vexilla proſecutus fuit, atque deinceps incolumis permanſit.

LXXXIII. *qui hunc Sanctum piè invocaverant,* 49 Nec ab re fore reor, ſi referam, qualiter infra ſæpè dictum terminum Ratinſim quidam vir commanens, periculum evaſerit mortis. Fuerat igitur ab amicis vocatus ad prandium. Cumque grande convivium eſſet paratum, & diverſi deliciarum cibi fuiſſent allati, non defuit etiam piſcium copia. Et quia oceani littus inhabitabant, allata ſunt multorum genera piſcium, inter quæ offertur lupus marinus; quem cùm avidiùs ſumit, utpote piſcem, licèt nomine abhorreat, affatim delectabilem; una ariſtarum *d*, quæ ejus eminent dorſo, gutturi inhæſit vorantis, qui ob nimium pudorem veluti homo grandævæ ætatis noluit ſuæ gravitudinis quemquam eſſe conſcium. Surgens denique gutture à menſa vulneratus, ſuam properat ad domum: quod non dicam alicui, ſed nec ſuæ innoteſcit conjugi. Tranſeunt dies quatuor vel quinque, intumeſcit guttur. Appropinquat ſeptimus, denegatur cibo potuique aditus, ſed nec ſic cuiquam, quid ſibi ineſſet mali, pandit.

50 Octava verò die equum feſtinus adſcendit, *conferuntur* & ſe ad hujus Sancti confert ſuffragium. Sed *mira beneficia,* quia veſperi ad monaſterium pervenit, hoſpitatur nocte illa juxta primam monaſterii portam. Cumque ſignum ad nocturnum ſonuiſſet officium, evigilans ille, ſine ullo excreationis ſtrepitu vel tuſſis impulſu, ariſtam ſuper ſuam jacere perſenſit linguam; quam accipiens, omnibus qui aderant oſtendit, & qualiter ejus gutturi hæſerat, vel quot diebus ibi fuerat, gratulabundus innotuit. Cujus acutiſſima productio tantum longitudinis habebat, quantum medius medici *e* articulus in virili poteſt manu prætendi. Conceſſit proculdubio divina pietas tali in facto ſuo glorioſo militi, quod ſe per Prophetam facturum eſſe pollicitus fuerat, ut antequam invocaretur, adforet non deprecanti. E *e*

51 His itaque, breviter digeſtis, non quòd *quæ etiam narrator ipſe percepit.* miracula defecerint, finem facimus loquendi; ſed quia multiplicia exſtant, & beatiſſimi Filiberti nondum tranſpoſitum eſt corpus. Ideò ſequenti adnectenda ſunt operi, ſive quæ noſtris diebus, exceptis ſupraſcriptis, ſeu etiam nonnulla, quæ olim ſicut ab antiquis, quæ nullo tenentur ſcripto, referuntur miracula; necnon inſuper ea, quæ in ejus tranſpoſitione Domini pietas dignabitur, ſicut credimus, operari. Supplico præterea omnibus, qui hæc forſitan, non propter almi Confeſſoris amorem lecturi ſunt, ut ejus precibus apud piiſſimi Domini miſericordiam peccaminum meorum veniam impetraturi precentur, cujus meritis me novi tertiò tertianis & ſemel quartanis liberatum typis, Domino Jeſu Chriſto pro nobis nato atque in carne paſſo præſtante, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per infinita ſecula ſeculorum. Amen. F

ANNOTATA.

a *Per* cupam *vel* cuppam argenti fuſilem *hoc loco videtur intelligi* calix argenteus, *ut Mabillonius in indice ſuo onomaſtico explicat, quamvis eadem vox in Gloſſario Cangiano etiam alias ſignificationes habeat.*

b Denarius *eſt genus monetæ, cujus valorem hîc determinare non poſſumus, cum propter multiplicem denariorum ſpeciem ac crebram mutationem non fuerit fixus, ut in auctiore Cangii Gloſſario explicatur.*

c *Ex hac phraſi liquet, typum pro febri uſurpari, cum hic homo dicatur* typo quartano, *id eſt febri quartana laboraſſe.*

d Ariſta *pro oſſiculo vel ſpina piſcium uſurpatur in auctiore Cangii Gloſſario, & forte deducitur à voce Gallica* areſte, *quæ eamdem rem ſignificat.*

e *Chiffletius & ultimus editor Hiſtoriæ Trenorcienſis pro* medici *legunt* impudici. *Verùm*

EX IMPRESSIS. *utraque hæc lectio conciliari non poteſt, niſi pro articulo digiti* medici *legendum ſit* medii : *nam medius digitus etiam* infamis & impudicus *appellatur, ut in Calepino videre eſt. Digitus autem medicus, qui minimo vel auriculari proximus eſt, differt à digito medio, quemadmodum claro exemplo in Actis S. Arnulfi Sueſſionenſis epiſcopi tomo* III *Auguſti pag.* 256 & 257 *demonſtratur.*

LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

Auctor in prologo monet, corpus S. Filiberti

QUi virtutum inſignia, præclaraque miracula in præcedente libello, quem de beati Filiberti virtutibus, etſi minùs dignè, ut debui, prout tamen tunc temporis poteram, compoſui, & in ſequenti pollicitus fueram ea, quæ ſupererant, ſeu etiam quæ divina dediſſet virtus, me ſcripturum; cogor non tam miracula, (prô dolor!) quàm pænè cunctorum occidentalium regnorum pandere ærumnoſa diſcrimina. Non B enim ſeriem rationis rite conſervare poterit oratio, niſi temporum fuerint protelationes relatæ. Neque verò Hildoino *a*, qui dudum obiit *b*, ſicut pollicitus fueram; ſed cuilibet ſcire cupienti iſta ſcribuntur. Cùm enim Redemptoris omnium Chriſti Incarnationis DCCC & triceſimus ſextus volveretur annus, paxque Ludovico imperante aliquantula arrideret, atque immenſis populorum gaudiis tranſlatio jam dicti Confeſſoris, ſicuti digeſtum eſt, celeberrimè ab omnibus honoraretur, veneraretur, glorificaretur; non multò pòſt, duobus ſcilicet ſemis annis decurſis, præfatus moritur Imperator *c*, parique emenſo ſpatio, Nortmannorum naves ſexag. * ſept. *d* repentino Ligeris ingrediuntur alveum curſu. Namnetum capiunt civitatem; epiſcopum, clerumque cum maxima populi multitudine in ore gladii trucidant; quod verò reſtat, captivitati dedunt.

a
b
c
* *Chifflet* ſexa ſept.
d

propter iteratas Normannorum incurſiones,

53 Porro ſucceſſor regni Ludovici imperatoris Carolus exſtiterat, qui aula in regia nutriebatur, quando ſuprà ſcripti ejus fratres, ſuo quiſque (Lotharius videlicet & Ludovicus, Pippino ante patrem mortuo) potiebantur regno. Sed quia brevitati in talibus ſtudendum eſt, (non enim idcirco id aggreſſi ſumus, ut geſta potiùs ſilenda vel deflenda, quàm miracula ſancti Con- C feſſoris referantur) fit primò inter ſuprà ſcriptos diſcordia fratres, tunc demum inter regni primores. Deinde inſurgunt fratres juniores, Ludovicus & Carolus in Lotharium ſeniorem fratrem. Conglobantur horribilia bella veluti inteſtina : cedit victoria lugubris atque miſerabilis junioribus fratribus : illorum diſcordia addit vires extraneis. Relinquitur fas, pergitur per nefas; deſeritur cuſtodia littorum maris Oceani : ceſſant bella extrinſecùs, graſſantur intrinſecùs; augetur numerus navium, creſcit innumerabilis numerus Nortmannorum : fiunt paſſim Chriſtianorum ſtrages, deprædationes, vaſtationes, incenſiones, ſicuti, quamdiu ſeculum ſtabit, manifeſtis patebit indiciis. Capiuntur, quaſcumque adeunt, civitates, nemine reſiſtente : capitur Burdegalenſium, Petrocorium, Santonum, Lemovicenſium, Egoliſma, atque Toloſa civitas : Andecavenſium, Turonenſium perinde, & Aurelianenſium civitates peſſumdantur. Aſportantur Sanctorum cineres quamplurimùm, fit pænè illud, quod per Prophetam Dominus minatur : Ab D Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ. Fugimus & nos in locum, qui Conaldus *e* vocatur, in territorio Andecavenſi, ſuper alveum Ligeris, quem Carolus jam dictus rex glorioſus, propter imminens periculum, antequam Andecavis caperetur, nobis dederat ob cauſam refugii, corpore beati Filiberti adhuc in monaſterio, quod Deas dicitur, relicto, quamvis à Nortmannis incenſo. Non enim adhuc Herbidilica tellus à tanto exſpoliari patiebatur patrono, quamdiu pars aliqua ibi commorari poterat monachorum. *e*

quæ ex diſſidio principum Francorum indies augebantur,

54 Deinde poſt aliquantulos annos innumerabilis pæne multitudo navium Nortmannorum ingreditur Sequanam fluvium. Nihil enim illis in partibus minus graſſatur malum. Invadunt Rotomagenſium civitatem, populantur, incendunt : Pariſiorum perinde, Belvacenſium, atque Melduorum capiunt civitates, necnon Melidunenſium devaſtant caſtellum : capitur Carnotis : Ebroïcas populantur; atque Bajocas, reliquaſque E undique ſecus civitates invadunt. Nullus pænè locus, nullum intactum remanet monaſterium : omnes fugam arripiunt. Rarus eſt, qui dicat : State, ſtate, reſiſtite, pugnate pro patria, liberis & gente. Sicque torpentes, atque invicem diſſidentes, quod defendere debuerant armis, tributis redimunt, ac Chriſtianorum peſſumdatur regnum. Hiſpanias inſuper adeunt, Rhodanum intrant fluvium, Italiam populantur.

tandem ex monaſterio Deenſi Conaldum tranſlatum fuiſſe.

55 Dum verò tanta ubique domeſtica & peregrina deſæviunt bella, Incarnationis Chriſti octingenteſimus & quinquageſimus ſeptimus defluxerat annus. Et quia ſpes aliqua remeandi ad propria, quæ tamen caſſa probatur adhuc eſſe, nobis inerat, cùm huc atque illuc diverſis hoſpitaremur fugitando in locis, corpus beati, ſicut dictum eſt, Filiberti in proprio derelictum erat ſolo : quia malis ubique graſſantibus, nullum certum obtinere poteramus ſecuritatis locum. Sed cùm nullum alicubi vel aliunde præberetur refugium, non ferentes, quin nobiſcum quaquaverſum circumferretur ſanctiſſimum corpus, de ipſis prope Nortmannorum manibus rapitur potiùs cleptim, quàm transfertur feſtivis cum laudibus, atque in memorato, qui Conaldus dicitur, collocatur loco; ita tamen, ut cùm neceſſitas incumberet, transferri aliorſum potuiſſet. Quod factum eſſe conſtat anno dominicæ Incar- F nationis octingenteſimo ſexageſimo ſecundo; quando de Conaldo motum, ad Meſciacum *f* *f* ſuam eſt villam tranſlatum. Ubi quanta glorioſis ejus meritis miracula claruerunt, cùm ea, quæ in fine præcedentis libelli ſupereſſe diximus, ſcripta fuerint, ſubſequenter adnotata clareſcent. Sed quia nec perſecutio ceſſat paganorum, nec volubilitas ſtare novit temporis, mihique momentaneis minuuntur ſoles decurſibus, jam tempus reſque exigit, ut pandantur.

ANNOTATA.

a *De hoc abbate San-Dionyſiano, cui Ermentarius priorem ſuum librum dedicavit, in Commentario prævio* § 2 *egimus.*

b *Quidam mortem hujus abbatis anno Chriſti* 840 *affigunt; alii verò eam uſque ad annum* 842 *differunt, ut refertur in Hiſtoria Gallicæ abbatiæ San-Dionyſianæ pag.* 80, *quæ Pariſiis anno* 1706 *impreſſa eſt. Cum igitur Ermentarius hunc ſecundum librum ſcripſerit anno Chriſti*

A *ſti* 863, *quemadmodum* § 4 *Commentarii prævii probavimus, verè dicere potuit, Hilduinum abbatem jam* dudum *obiiſſe.*

c *Ludovicus imperator menſe Junio anni* 840 *mortuus eſt, adeoque hic auctor uno ſaltem anno à vera chronologia aberrat, ut Cointius in Annalibus Francorum ad hunc annum num.* 17 *& ſequentibus oſtendit.*

d *Chiffletius noſter in Hiſtoria Trenorcienſi cap.* 15 *fatetur, ſe primò putaſſe* naves ſex aut ſeptem *hac lacunâ indicari, cum in ſuo exemplari tantùm* naves ſexa ſept. *legeret. Sed cum in alio Chronico inveniſſet, Nortmannos* numeroſa claſſe *in fluvium Ligerim advectos eſſe, rectè priorem opinionem mutavit, & potius hac litura naves* ſexaginta ſeptem *ſignificari credidit.*

e *Hoc monaſteriolum vulgò dictum* Cunaud *Comes Vivianus anno Chriſti* 844 *vel potius* 845 *dedit Hilbodo abbati, ut patet ex diplomate, quod Chiffletius in Probationibus Hiſtoriæ Trenorcienſis pag.* 201 *& ſequente exhibet. Hactenus eſt Prioratus ab abbatia Trenorcienſi dependens,* B *ut Mabillonius hoc loco notat.*

f *Eſt locus in territorio Pictavienſi, quem anno* 854 *Carolus Calvus rex Francorum conceſſit Hilbodo abbati, ut patet ex illius diplomate apud Chiffletium in Probationibus Hiſtoriæ Trenorcienſis pag.* 207 *& ſequente.*

CAPUT UNICUM.

Miracula antiqua & recentiora, quæ tum in inſula Herio, tum in tranſlatione corporis ad Meſciacum acciderunt.

CAP. I. *Deinde narrat nonnulla miracula,*

C UM verò de Hero Oceani inſula ad Ampennum villam, indeque per Varinnas, ad locum, qui Palus dicitur, ventum eſſet, atque hinc Deas monaſterium cum ſancto fuiſſemus, ſicuti relatum eſt, pignore ingreſſi; tanta utriuſque ſexus adfuit populi multitudo, ut innumerabilis eſſe penitus cenſeretur. Interfuit etiam illic quædam ejuſdem Sancti famula ex Celenſi villula, habens ſecum filium oris officio damnatum, ſuo mutum ex utero profuſum. Sed cùm, uti fieri in tanta populi denſitate ſolet, inter matrem filiumque aliquanti interpoſiti eſſent, puerque matrem cœpiſſet non videre; clara eam voce cœpit proprio inclamare nomine. Mater verò nomen agnoſcens, cujus vocem audiret ignorans, revertitur, puerumque loquentem inveniens, ſtupefacta miratur: ſicque ad laudem ſancti Confeſſoris mutus loquitur, mater gratulatur, populus lætatur, Deus, cujus eſt quidquid boni eſt, ab omnibus glorificatur.

II. *in prioribus tranſlationibus facta;*

57 Qualiter quidam ex plebeia multitudine ſoſpitatem adipiſci meruerit, inſerendum videtur. Venerat quadam die ad limina Confeſſoris almi non parvus populi cuneus, votiſque completis, regrediebatur, obviamque habuit, quæ adoratum veniebat, turbam hominum plurimam; inter quos unus validiſſima laborabat febri depreſſus. Tunc unus revertentium dixit, ſe particulam habere ſcalæ ſuperiùs dictæ; adfirmans, quòd ſi tingeretur vino, & inde fiducialiter nihil hæſitans hauriret, ſtatim ſanari mereretur. Credidit ille ſibi talia dicenti: ligni particula vino tingitur, vinum ebibitur, febris fugatur, ſoſpitas conſequitur, lætus ſanuſque ad ſancti Confeſſoris limina graditur, lætiorque domum revertitur. EX IMPRESSIS.

III. Delatus eſt etiam quidam puerulus mutus, ut meritis almi locutionem accipere poſſit Confeſſoris; divinaque ſolatiante * clementia, recepit, poſt aliquantum verò temporis amiſit; iterumque advectus recipit, retinet, loquitur, gratulanſque recedit. * *Id eſt* conſolante

IV. 58 Non multo temporis curſu emenſo, adducitur quidam vir horribili peſte contritus, dæmonicaque glomeratione invaſus. Is cùm propter ſancti fuiſſet adductus Viri ſepulcrum, diverſis cœpit inſanire modis: qui inter diverſos corporis motus, protenſis ſurſum brachiis, tanta in circuitu ferebatur volubilitate, voces emittens truculentas, ut nullus dubitare poſſet, quin ab immundis diſcruciaretur ſpiritibus. Sed non diu in eum peſtis, precibus ſancti interpoſitis Confeſſoris, prævalere potuit: expulſa quippe citius infeſtatione dæmoniaca, ſanitati redditus, E cum gratiarum actione ſoſpes domum reverſus eſt ad propriam.

V. Vir quidam pedis officio, oriſque ratione carens, venit die quadam ad Lucionnum *a* vicum noſtrum, in quo reliquiæ beatiſſimæ virginis Mariæ nimis præcipuæ habebantur. Inſiſtit orationibus, dirigitur lætus, exſilienſque incedit. Deprimitur nocte ſopore, multo quàm ſolitus erat graviore; admonetur in ſomnis, ut qui jam directus erat, ſi loqui vellet, ſancti peteret limina Filiberti. Nec mora, venit directus atque mutus, ſtat illic duobus vel tribus diebus; ſolvitur lingua, innoteſcit qualiter primò directus, ac poſtmodum loqui meruiſſet; permanet nobiſcum aliquot dies, recedit ſanus. *a*

VI. 59 Tantorum taliumque miraculorum celebritate longè latéque pervolante, Bituricas quam dicunt, civitas admirata ſtupeſcit. Mittit denique & ipſa ad ſancti Confeſſoris patrocinia virum nobiliſſimum, dignitate ſecnli pollentem, ſed tamen febri vexatum quartana, qui tali, anno & medio, laborabat bili. Cumque ante ſepulcrum aliquamdiu orationi incubuiſſet, ſurrexit, F ſeque ſitire dixit; bibenſque vinum, quo baculus fuerat ſancti Confeſſoris ablutus, ſolo tapetibus projectis, dormivit pauxillum. Cùm verò ſomno ſederet diſcuſſo, tantam χολεφῶν *b* evomuit abundantiam, ut confeſtim (ſicut revera erat) ſanum ſe confiteretur eſſe: talique modo ſoſpes effectus, muneribus collocatis, gaudens remeat ad propria. *sed ibidem prætermiſſa,* *b*

VII. Deprimebatur quoque vir quidam valde nobilis longiuſculè à nobis poſitus, gravitudine valida; admonituſque eſt in ſomnis, ut ſancti peteret Filiberti ſuffragia. Sed cum paullulum aliquid ſanitatis ſenſiſſet, obliviſcitur illuc ire; iterumque infirmatur, iterumque illuc ire admonetur. Venit tandem, velit, nolit, ad limina ſancta: innoteſcit paſſionem, propalat viſum; redditur ſanitati, regreditur ſoſpes. Nolo quemquam mirari, ſi paria referuntur paribus miracula verbis; quia nec ſtili adeo eſſe poteſt diſſimilitudo, ubi miraculorum conſtat fore ſimilitudo.

VIII. 60 Jam verò quia quæ recordari potuimus, (multa quippe per ſeptem & viginti annos *c* à memoria receſſerunt) retulimus; reſtat ut illa, *quibus ex teſtimonio aliorum,* *c*

EX IMPRESSIS.

quæ veterum relatione in Hero insula gesta fuisse didicimus, innotescant. Fertur, quòd quadam die ingressus est monachus quidam ecclesiæ custos basilicam, in qua beati Filiberti corpus tumulatum quiescebat; respicienſque ad lectuli caput, ubi semper non modò noctu, sed etiam interdiu tres solitæ erant ardere lampades, vidit eas exstinctas. Subitò candelam arripiens, cùm concitus in alteram vellet ire ecclesiam, ut lumen sibi inde mutuaret, medio itinere in ejus manu accenditur candela; citiusque revertens lampades accendit, talique facto admonitus, cavit deinceps, ne absque debitis basilica luminaribus aliquando foret.

IX. Dicitur etiam vera relatione, quòd Britannorum classis numerosior ad nostræ insulæ portum, qui Conca dicitur, venerit causâ prædationis. Cumque armati de navibus prosiliviſſent, tanta inter se mutua cæde bacchati sunt, ut nullus præter unum evaderet, qui hæc insulanis nuntiaret: sicque Christi miseratione ac sancti meritis Confessoris, qui prædari atque devastare ceteros cupiebant, invicem dimicantes perierunt.

B

X. *addit antiquiora d* 61 Narratur insuper, quòd navis Saracenorum, cujus tanta æstimabatur magnitudo, ut murus pænè ab intuentibus putaretur, ad Oiam *d* venerit insulam: quæ cùm in ea quidquid voluisset, expleſſet, voluit devenire ad nostræ insulæ portum: & cùm jam medium esset iter emensum, tanta avium multitudo in nostro consedit litore, quanta numquam (ut fertur) alicubi visa fuit aliquando: quas Saraceni intuentes, nihil aliud quàm innumerabilem crediderunt esse bellatorum exercitum, talique territi visione, retrorsum abeuntes, non ausi sunt nostram adire insulam. Hæc tria, quæ relatione veterum miracula didicimus, hunc habeant in nostro opere locum.

XI. *& recentiora, e* 62 Nec inconveniens esse reor, si narrem, qualiter duobus antequam ab Hero insula sanctissimum transferretur corpus annis, à nostratibus contra Nortmannos in ipsa pugnatum est insula; vel quomodo cuidam in Corbeia *e* monasterio per visum revelatum esse dignoscitur. Accidit ut quidam ex nostris illuc pergeret monachus. Cumque sancti Filiberti festivitatem, quæ decimo tertio Calendarum Septembrium celebratur die, nocte eadem celebriter coluissent monachi, mane jam facto, venit ejusdem monasterii monachus ad illum, qui nostra de parte illuc venerat, monachum, illique ait: Volo unanimis scire te, Frater, quia hac fui in vestra insula per visionem nocte. Tunc demum retulit illi situm insulæ, monasterii positionem, sicut ei per somnum ostensum fuerat, & sicut revera sese res habebat, addiditque: Et ut verè scias, quia vera sunt, quæ dico; vidi hac nocte nuntium de portu advenisse maris, qui novem Nortmannorum adesse nuntiaret naves.

C

quæ in Herio insula contigerunt. 63 Tunc sanctus Filibertus de proprio consurgens tumulo, sicut mihi videbatur, vestibus indutus candidissimis, aureum ferens dextera evaginatum manu mucronem, multitudine dealbatorum subsequente, exiit per occidentalem monasterii atque castelli portam, & cùm ad portum, qui Concha dicitur, quantocius properaret, invenit multitudinem Nortmannorum, qui armati ad monasterium festinique pergebant. Nec mora, sub unius horæ curriculo, omnes sanctus perimit Filibertus, ac deinde monasterium revertitur, atque in suo se collocat tumulo. Et mihi indubitanter crede, quia hodie in vestra insula contra Nortmannos pugna peracta, victoriaque est à vestris consecuta. Quod ita contigit evenisse. Ipsa denique festivitatis ejus die, de novem navibus, horâ etiam nonâ pugna inchoatur, quæ vespere finitur, in qua quadringenti octoginta & quatuor ceciderunt Nortmanni, uno tantùm ex nostris corruente, equis quampluribus interfectis, equitibus nonnullis vulneratis. Hæc ita esse, qui interfuit, narratum iri censuit *f*.

D

f

64 Ab hinc quæ in Mesciaco seu in itinere, cùm illuc iretur, ostensa sunt miracula, ordinatim breviterque adnotata subsequantur. Gratum tamen esse credo, si primitus, cur illuc corpus almi Confessoris translatum fuerit, dicatur. Nortmannorum siquidem quatuor continuis annis in Ligere fluvio hiemantium, subitaneos non valentes sustinere occursus, prædictus pater noster Hilbodus abbas regem adiit Carolum, atque ab eo partem aliquarum in pago Pictavo meruit obtinere villarum *g*; in Matronis videlicet, atque Mesciaco, in Apciaco, & Estivali, in Crusaco, & Maximiaco ac Prisciaco partem, necnon & villam, quam Asinarias vocant, in territorio Briossensi *h* super Vultonnam *i* fluvium, cum omni integritate accipiens. Has utique villas filii Belial regi non pleniter obtemperantes, monachorum gregem odio gratis habentes invaserant. Sed cùm diu multumque in illis adquirendis laboratum, nihilque esset adquisitum; tandem muneribus non paucis datis, vix eas de invasorum manibus recipere potuimus, Maximiaco atque Asinarias villis sibi injustè ad tempus retentis.

XII. *Denique refert diversa beneficia,*

g

h i

E

65 Tunc visum est & propter paganorum infestationem, & Christianorum persecutionem, ut illuc sanctum deferretur corpus, quò saltem ob illius reverentiam mitiùs à perversis ageretur hominibus. Hac igitur necessitate urgente, ipso Kalendarum Maiarum die, de Conaldo egredientes cum sacro pignore & laudibus, ac populi plurima multitudine, venimus ad Fabricas *k*, ipsius Sancti villam; in qua vigiliis, ac debitis obsequiis cùm nox decursa esset, solisque ortus adveniſſet, cum immensis laudibus exitur inde, atque ad Taisacum tenditur. Cumque ad Toarum *l* flumen ventum, pausatumque esset; advecta est in quodam gestatorio quædam femina, debilitate membrorum contracta, quæ interventione sancti Confessoris, & Christi miseratione citiùs dirigitur, atque cum ceteris cœptum iter insequitur.

quæ Deus in translatione corporis ad Mesciacum,

k

l

F

Oblatus est etiam in ipso itinere puer duodennis, nomine Madalbertus, qui in eundo genibus utebatur pro pedibus; in quo divina non fuit tarda pietas: subitò quippe poplitibus directis erigitur, atque subsequentium ad laudem sancti Confessoris comes efficitur.

XIII.

Cùm verò in Taisacum intraretur villam, puer quidam Guntrannus nomine, similiter contractus, sed non dissimiliter directus, gressum recepit, ac turbæ subsequentis numerum auget.

XIV.

66 Inde ad Mesciacum venientes, inter Missarum solemnia quatuor sunt ostensa miracula. Duo quippe lumen, ac duo gressum recipere meruerunt. Virtus divina in talibus admiratur, ac merita almi Confessoris ab omnibus venerantur. Tantus verò illic creditur utriusque sexus populus adfuisse, ut decem millia hominum esse putarentur.

XV. *& in hoc ipso loco*

Cùm verò tanti viri has in partes adventus, ac miraculorum longè latéque rumor personuisset, diversorum accolas locorum ad hujus Sancti limina properare compellit; scilicet ut & pro se ejus

XVI.

A ejus glorioſa merita flagitent, vel ſi quos habent corporis incommoditate gravatos, incolumitati reſtitui ejus interceſſione mereantur.

XVII. Adductus eſt in carruca vir quidam, Mainframnus nomine, ad hujus Sancti limina, pedum carens officio, manumque habens aridam. Is cùm aliquamdiu orationibus incubuiſſet, quo advectus fuerat ſpreto, ſanus lætuſque receſſit.

XVIII. Venerat etiam quædam femina de Lemovicenſi territorio, ab infantia dæmonum patiens incurſus, quæ per multa Sanctorum loca, ut ſanari mereretur, deducta, ſed tamen adhuc liberari non merita fuerat. Hæc cùm ibi aliquibus excubuiſſet diebus, dæmonum rabie depulſa, ſanitati eſt ex integro reſtituta.

XIX. *ægris conferre dignatus eſt.* 67 Quædam femina, cui nomen erat Giſla, longo tempore membris omnibus diſſoluta, plauſtro illuc perducta eſt; permanenſque inibi aliquot dies in orationibus, nihil ſanitatis adquirens revertitur. Cùm autem ad propria remeaſſet, vidit in ſomnis ſanctum Filibertum ſe admonentem, ut, ſi vellet ſanari, iterum illuc oratum veniret. Venit feſtinanter, innoteſcit omnium,

B incumbit orationibus; recedit ſana.

XX. Puer quidam, Gulframnus nomine, ex pago Biturico ad hujus Sancti limina à parentibus adducitur, decem ferè annorum, cujus nullum umquam lingua ſermonem protulerat; parentum verò precibus interpoſitis, accipit puer loquelam, ac loquens gaudenſque diſcedit.

XXI. Anus quædam ex villa Boionno, ſancti Hilarii femina, Godultrudis nomine, manum habens aridam, ſanitatem accipiens revertitur.

XXII. Femina quoque Berta nomine, ex Villa-nova veniens illuc, quæ per annum integrum lumen amiſerat, recipere meruit. Si verò omnium, quæ in Meſciaco geſta ſunt, & frequenter fiunt miracula, claudorum, debilium, cæcorum, aridorum, febricitantium, adnotare voluero, antè me dies, quàm miracula deficient.

Sed jam claudatur noſter hoc fine libellus,
Plurima cùm reſtent, quæ memoranda forent.

ANNOTATA.

C a *Opinor hîc indicari locum illum, in quo monaſterium Lucionenſe conditum eſt, & de quo Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti 682 num. 29 inter alia ſic ſcribit:* Plura alia virorum monaſteria informavit Filibertus: nam præter Gemeticenſe, Herenſe & Quinciacenſe, etiam cœnobium Lucionenſe ſanctæ Mariæ in Pictonibus, cujus originem Lucio cuidam imperiali tribuit chronographus Malliacenſis, rexiſſe fertur.

b *Hoc loco vox Græca* χολερῶν *eſt genitivus numeri pluralis deductus à nominativo ſingulari* χολέρα, *id eſt Latinè* bilis, *ita ut Ermentarius ſignificet, hunc virum magnam bilioſorum humorum copiam evomuiſſe, atque ſic ſubitò ſanitati reſtitutum eſſe.* EX IMPRESSIS.

c *Hinc confirmatur, quod inter primam* S. Filiberti *tranſlationem & hanc lucubrationem viginti ſeptem anni interceſſerint, adeoque Ermentarius anno 863 hunc ſecundum libellum ſcripſerit, ut in Commentario prævio monuimus.*

d *Valeſius in Notitia Galliarum pag. 390 & ſequentibus ſatìs diſſerit de vero hujus inſulæ ſitu, quam nonnulli ſcriptores propter nominis ſimilitudinem cum aliis confuderunt. Opinamur, hîc ſermonem eſſe de inſula iſtius nominis, quæ ab inſula Herio non admodum remota eſt.*

e Corbeia *eſt urbecula Galliæ in Picardia ad Somonam fluvium ſita, quæ habet celebre cœnobium, quod anno 660 S. Bathildis regina Franciæ fundavit. Haud dubie illud monaſterium hoc loco indicatur.*

f *Hæc victoria de Normannis anno Chriſti 834 relata eſt; ſed anno ſequente Rainaldus Comes Arbatilicenſis in eadem inſula cum Normannis infeliciter pugnavit ac fugatus eſt, ut Ademarus & Chronicon Lemovicenſe apud Chifletium in Probationibus Hiſtoriæ Trenorcienſis pag. 185 & 187 teſtantur.* E


g *Diploma hujus donationis apud laudatum Chiffletium pag. 207 & ſequente legi poteſt.*

h Brioſſium *quod Braudrantius* Brigioſum *vulgo* Briou *appellat, in Pictavienſi provincia ſitum eſt, ut patet ex vicino fluvio, de quo jam aliquid dicemus.*

i Vultonna, *aliis* Voltumna, *vel* Vultonia, *& Papirio Maſſono* Vultranus, *veraculè* la Boutonne, *oritur in Pictavienſi provincia ſex leucis à fano ſancti Maxentii in meridiem juxta pagum* chef Boutonne *ab eo dictum. Hinc in Occaſum fluens per Santoniam provinciam, Angeriacum urbem rigat, & quinque leucis infrà Carantono fluvio miſcetur.*

k *Noviſſimus auctor Hiſtoriæ Trenorcienſis part. 1 pag. 36 in notis opinatur* Fabricas *eſſe pagum, nunc dictum vulgo* Forges, *qui inter Cunaldum & Meſciacum ſitus eſt.*

l *Fluvius, quem Ermentarius hoc loco* Toarum *vocat, ab aliis* Toëdus, Toadus, *vel affinibus hujuſmodi nominibus appellatur, & à Baudrantio in Geographia tomo 2 pag. 311 ſic deſcribitur:* Thoëda, LA TOUE, fluvius Galliæ oritur in Pictavenſi provincia, ubi Perteniacum & Thoarcium rigat; deinde per Andegavenſem Ducatum fluens, auctus Argentone & Diva fluviis minoribus, tandem in Ligerim labitur paulò infra Salmurium. F



DE

A D

DE SS. HELIODORO AC DOSA MARTYRIBUS.

J. P.

Memoria in Faſtis Græcis, tempus martyrii.

FORTE SUB CONSTANTINO COPRONYMO. *Cultus ex Faſtis.*

VArii Græcorum Faſti Sanctos hoſce conſignant hodierna die. Menæa quippe magna typo vulgata hæc ſcribunt : Eadem die memoria ſancti martyris Heliodori ac Doſæ. *Accedunt Menæum Chiffletii, Menologium Sirleti, & apographa noſtra Sirmondo-Chiffletiana ; quæ ultima elogio illos proſequuntur. En tibi textum ejuſdem Græcum latinè hîc redditum :* Πεντηκοſῷ τρίτῳ . . ἐξ βασιλέως ἀπελθόντος μὴ σεφξ ἐκ ὀλίγυ ἐν τῷ Ῥωμαϊκῷ κάſρῳ, ἐφ' ᾧ τάſε ἐκκλησίας καθαιρεῖν, τάſε ἱερὰς εἰκόνας ἀνατρέπειν, καὶ τὰ λείψανα τῶν Ἁγίων πυρὶ κατακαίειν, οἱ ἅγιοι Ἡλιόδωρος καὶ Δοσᾶς παῤῥησιάſμενοι, καὶ τὸ ἐξ πυρέννυς διελέγξαντες ἀθεότητα, καὶ τὸ ἀληθῆ πίſιν ἀνακηρύξαντες ἐν ἑαυτάτῳ γήρᾳ· ἦν γὰρ ὁ Ἡλιόδωρος ἐτῶν ϟέ, πολλὰς καὶ πολυτρόπως βασάνων ἰδέας ὑπέμειναν, καὶ τελευταῖον τὰς ῥῖνας τμηθέντες, καὶ τὰς κεφαλὰς καταφλεχθέντες, δίχαιρισθέντες καὶ προσδυχόμενοι, παρέδωκαν τῷ Κυρίῳ τὰ πνεύματα. Quinquageſimo tertio . . . poſtquam diſceſſiſſet imperator modico cum exercitu ad caſtrum Romanum, ut eccleſias deſtrueret, ſacraſque imagines everteret, ac Sanctorum reliquias igne combureret ; SS. Heliodorus & Doſas libera voce utentes, tyrannique impietatem redarguentes, ac veram fidem annuntiantes, in devexiſſima ſenectute (Heliodorus enim agebat annum quintum ac nonageſimum) multa ac varia tormentorum genera ſuſtinuerunt, & demum, naribus amputatis capitibuſque peruſtis, gratias agentes & orantes, Domino ſpiritum tradidêre. *Caſtellanus ambos etiam hos Martyres ſignat in ſuo Martyrologio univerſali.*

2 *Vides in principio hujus narrationis lacunam eſſe. Quiſnam ergo annus intelligi hîc debeat, me latet. De imperatore autem tametſi nihil certæ affulget lucis, everſio tamen imaginum, de qua ibidem fit mentio, videtur innuere, rem geſtam eſſe tempore Iconomachorum ; & quia præterea meminit ſcriptor de eccleſiarum deſtructione, ac reliquiarum Sanctorum combuſtione, incidit mihi ſuſpicio fortè hîc tacitè deſignari Conſtantinum Copronymum, cui utpotè dicti impietatis characteres conveniant. Theophanes enim in Chronographia pag. 370 editionis regiæ Pariſinæ anni 1655, ita in rem noſtram illum imperatorem depingens,* Sanctorum, *ait,* reliquias . . ipſe è ſacris loculis effodit, & ne uſpiam ampliùs extarent, penitus abolevit. In eos itaque, qui venerarentur, velut in impios, bonorum proſcriptiones, exilia, ſupplicia comminabatur. Ubicumque reliquiæ Dei quam maximè favorem conciliantes . . habebantur, eas quàm citiùs de reliquo non videndas è medio tollebat. Quippiam hujuſmodi in pretioſiſſimum celeberrimæ martyris Euphemiæ corpus irreligioſus imperator exercuit, ubi nimirum illud in maris profundum cum ipſo loculo demerſit . . Iſte quidem communis eccleſiarum hoſtis æde *ejuſdem martyris* ſacra profanata, armamentum fecerat, & ſtercoribus excipiendis malè dicaverat. *Unde conficitur, in nefarium illum imaginum ſacrarum hoſtem convenire duos etiam alios impietatis characteres, de quibus dicebam, videlicet templorum ac ſanctarum reliquiarum profanationem : unde factum eſt, ut duorum noſtrorum Pugilum martyrium fortè accidiſſe ſub Conſtantino eodem Copronymo ſuperiùs poſuerim : tametſi ſub alio imperatore iconomacho illud etiam accidere potuerit.*

Cur ſuſpicemur accidiſſe martyrium illud ſub Conſtantino Copronymo.

B E

C F

DE SANCTO PAULO JUNIORE

J. P.

ARCHIEPISCOPO CONSTANTINOPOLITANO.

ANNO DCCLXXXIV. *Synopſis de hoc Sancto aliunde extracta.*

IN Hiſtoria chronologica Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, tomo primo hujus menſis præmiſſa, ſanctus iſte Paulus, hujus nominis quartus, ordine autem inter eoſdem præſules quinquageſimus ſecundus exhibetur pag. * 101 *& ſeq. Fuit natione Cyprius, officio lector. Cathedræ Conſtantinopolitanæ præfuit ab anno* 780 *uſque ad* 784 ; *palam quidem damnare non auſus hæreſim Iconoclaſtarum, ſed in morbum incidens ſolio Conſtantinopolitano nuntium remiſit, & aſſumpto monaſtico habitu in Flori monaſterio ignaviam ſuam publicè & non ſine lacrymis confeſſus eſt, & orthodoxam fidem utiliter profeſſus : ita ut moriens ac jam mortuus plus profuerit ſuæ eccleſiæ quam vivus. De die emortuali, memoria in Faſtis Græcis, loco venerationis publicæ, epitheto* junioris, *ac nomine ejus ſacris tabulis inſcripto conſuli poteſt citata Hiſtoria, ubi & alia, quæ paullo antè ex eadem extraximus videre licet. Damus autem illum hoc die, quo notatur in Menæis magnis impreſſis, Menologio Sirleti, Menæo Chiffletii, ac in alio noſtro apographo Græco ; tametſi in citatis Menæis magnis & alibi etiam annuntietur aliis diebus. Vide eamdem Hiſtoriam. Paucula iſta de hoc ſancto Patriarcha æqui bonique, lector, conſule.*

DE

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS

LEOVIGILDO ET CHRISTOPHORO

CORDUBÆ IN HISPANIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. P. D.

Sanctorum cultus, vitæ profeſſio, Acta; & cœnobiorum, quæ incoluerunt, ſitus.

ANNO DCCCLII. *Inter martyres, qui ſub Arabibus paſſi ſunt,*

B IN *Commentario prævio ſancti Eulogii presbyteri & martyris, apud nos ad diem* XI *Martii edito,* § 1 *pag.* 88 *dicuntur iſta:* Occupatâ ab Saracenis Hiſpania, ſedes regni, quæ Hiſpali paucis annis conſtiterat, Cordubam per Abdalazim tranſlata fuit, quam barbari ſublimi undique magnitudine & majeſtate attollere ſunt conati, relicto etiam Chriſtianis ſuæ religionis cultu, & templis pleriſque ac monaſteriis intactis. Paulatim tamen prævalentibus impiis Saracenis, oppreſſa & afflicta Chriſtianorum libertas eſt, & cæde martyrum irrigata Corduba, potiſſimum ultimis annis regni Haldarahmani, ejuſque filii Mahemadi. Qualia tunc fuerint Cordubæ Martyrum certamina & trophæa, declarat S. Eulogius libris tribus Memorialis Sanctorum, in quibus ab Ærâ DCCCLXXXVIII, ſive anno Chriſti DCCCL, regni Habdarrahgmani XXIX, uſque ad Æram DCCCXCIV, ſive annum Chriſti DCCCLVI, ſingulorum martyrum Acta deſcribit.

SS. Leovigildus & Chriſtophorus

2 *Hos inter numerantur* SS. Leovigildus & Chriſtophorus, *quos Martyrologium Romanum ad hanc diem ita annuntiat:* Cordubæ Sanctorum martyrum Leovigildi & Chriſtophori monachorum, qui in Arabum perſecutione pro Chriſtianæ fidei defenſione in carcerem conjecti, ac mox, cervicibus abſciſſis, igni traditi, martyrii palmam adepti ſunt. *Præiverat epiſcopus Equilinus lib.* 7 *cap.* 86 *ita ſcribens:* Chriſtophorus & Leovigildus martyres apud civitatem Hiſpaniæ Cordubam paſſi ſunt: qui tempore perſecutionis ab infidelibus comprehenſi, cùm Chriſtum confeſſi eſſent, gladio cædente, martyrium conſummaverunt: quorum corpora poſt abſciſſionem capitum igni tradita ſunt. Qui paſſi ſunt XIII Kal. Septembris; ut Ado tradit in Sanctorum Martyrologio ex dictis Hieronymi ſumpto. *Locum, ubi Ado hos Sanctos commemoret, in genuinis ipſius Faſtis nondum reperire licuit, nec reperiendum arbitror; cum & tot alii Chriſti pugiles, Martyribus noſtris circa annum* 852 *ſynchroni, vel ad Adonis notitiam non pervenerint, vel pervenerint tantùm, cùm ipſe circa annum* 859 *Martyrologio ſuo finem impoſuerat. Igitur vel interpolatis uſus Faſtis eſt Equilinus, vel Adoni ea attribuit, quæ ſunt Uſuardi, ad hanc diem ita enuntiantis:* Civitate Corduba Sanctorum monachorum Leovigildi & Chriſtophori, quorum corpora poſt abſciſionem capitis igni tradita ſunt.

C

3 *Martyrum horum cultum ea quoque commendant, quæ P. Martinus de Roa de Martyribus Cordubenſibus cap.* 2 *univerſim diſſerit de illis, qui ſub Saracenis paſſi ſunt.* Martyres, *numerantur & colunntur.* inquit, qui ſub Arabum tyrannide, teſtimonium fidei reddiderunt, antiquitate .. ſe ſua tuentur; cujus auctoritate commendati, ante ſeptingentos annos, & eo amplius, Fidelium cultu & veneratione celebrantur. Vix enim cæſi pro Chriſto ſunt; cum pro Martyribus haberi, & coli cœpti ſunt, tanta certè religione, ut ejus extinguendæ causâ, in occiſorum cineres deſævirent: quos cum lapillis interdum cruore Martyrum illitis in flumen jactabant, ne recepti à Chriſtianis in honore haberentur. Tanta ſub eorum etiam necem pietas in Martyres, tam altè inhærens veri & proprii martyrii perſuaſio. Docet id ſepulturæ genus à reliqua gente diſcretum. Nempe intra templa, atque adeo intra Martyrum tumulos, & ſub ipſis etiam aris inhumati. Qui honos ea tempeſtate ſolis Martyribus, aut paucis aliis (quod ad templa tantùm attinet) qui proximè ad eorum merita acceſſiſſent, habitus eſt. Idoneos habetis teſtes Hiſtorias, (*præſertim S. Eulogii*) & lapides.

E

Certum non eſt, quod profeſſi fuerint.

4 *Tamayus in Martyrologio Hiſpano alios citat hagiologos, qui* SS. Leovigildi & Chriſtophori *meminêre. Inter alios affert Bedam, & Hugonem Menardum, circa quos nonnihil eſt obſervandum. Primò, cùm Bedæ mors paſſionem noſtrorum Martyrum annis plùs centum præceſſerit, perſpicuum eſt, in genuinis ipſius Faſtis hos Pugiles non fuiſſe notatos. Secundò, Menardus Sanctos noſtros retulit in Martyrologium Ordinis S. Benedicti, utique inſinuans, eoſdem memorati Ordinis leges fuiſſe profeſſos. Menardo aſſentire videtur Mabillonius parte* 2 *Seculi quarti Sanctorum Ordinis pag.* 584. *Hanc doctiſſimorum virorum opinionem veriſimilem reddit conjectura valde probabilis, quòd S. Benedicti regula per Hiſpaniam ſeculo nono præ cæteris floruerit: non tamen res eſt omnino certa. Cùm etenim & leges monaſticas ſcripſerit S. Fructuoſus, vir ſanctitate & prodigiis in tota Hiſpaniâ celebratiſſimus, ut tomo* II *Aprilis à pag.* 431 *patet; improbabile non eſt, ſeculo nono ſuperfuiſſe cœnobitas, qui S. Fructuoſi regulam vel recenter amplectebantur, vel, cùm eam majores ſui eſſent amplexi, ad aliam deflectere nolebant, annis præſertim ducentis nondum elapſis à ſanctiſſimo Hiſpani legiſlatoris obitu.*

F

regulam

5 *Verùm, inquies, in monaſteriis à S. Fructuoſo conditis Benedictinas leges fuiſſe obſervatas, oſtendit S. Fructuoſi regula* 8, *in qua (ut Mabillonius in Præfatione ad Seculum* I, § 6, *pag.* XXXVI, *Sanctorum Ordinis obſervat) hæc habeu-*

AUCTORE P. D.

habentur : Obedientia (PRÆCEPTUM EST REGULÆ) ut in impoſſibilibus quoque rebus opere atque affectu oſtentetur, & teneatur uſque ad mortem : *ubi illis vocibus*, præceptum eſt regulæ, *lex quædam alia & antiquior citari videtur, vi cujus obedientia tam ardua ſit amplectenda.* Quæ *verò* (*ita pergit Mabillonius loco citato*) alia regula niſi Benedictina hîc intelligenda eſt, cujus in cap. 68 præceptum eſt, ut " ſi cui fratri „ impoſſibilia injunguntur, ſuſcipiat jubentis im„ perium ? „

S. Benedicti,

6 *At notandum eſt, in regulis S. Fructuoſi à Luca Holſtenio editis, illas voces* præceptum eſt regulæ, *legi abſque parentheſi, & ſenſu planiore ita haberi* ; Obedientia præceptum eſt regulæ *&c. : quibus verbis obedientia merè definitur ; non verò citatur regula ulla diſtincta, quæ obedientiam tam ſublimem exigat. Nihil proinde pro Benedictinis legibus à S. Fructuoſo receptis hinc fas eſt colligere : neque enim ad eam rem quidquam facit utriuſque regulæ conformitas : nam uti S. Fructuoſus in regula citata, ita & S. Columbanus in regula, obedientiam uſque ad mortem exigit :* Obedientia autem, *inquit*,

B

uſque ad quem modum definitur ? Uſque ad mortem certè præcepta eſt, quia Chriſtus uſque ad mortem obedivit Patri pro nobis. *Atqui tamen ob hanc conformitatem ſuſpicabitur, ut puto, nullus, S. Columbani leges à S. Fructuoſo fuiſſe adoptatas. Ergo.*

à qua regula S. Fructuoſi

7 *Imò ſi S. Fructuoſi regula, impoſſibilia præcipientis, cum Benedictina accuratius conferatur, potiùs diſparitas, quam conformitas inter utramque eſt apparitura. S. Benedicti regula ita habet:* Si cui fratri aliqua forte gravia aut impoſſibilia injunguntur, ſuſcipiat quidem jubentis imperium cum omni manſuetudine & obedientia. Quodſi omnino virium ſuarum menſuram viderit pondus excedere, impoſſibilitatis ſuæ cauſas ei, qui ſibi præeſt, patienter & opportunè ſuggerat, non ſuperbiendo aut reſiſtendo vel contradicendo. Quodſi poſt ſuggeſtionem ſuam in ſua ſententia Prioris imperium perduraverit, ſciat junior ita ſibi expedire, & ex caritate confidens de adjutorio Dei, obediat. *Quæ regula certè lenior eſt & humano agendi modo attemperatior, quàm illa S. Fructuoſi lex :* Obedientia præceptum eſt

C

regulæ, ut in impoſſibilibus quoque oſtentetur & teneatur uſque ad mortem.

diſtinguitur.

8 *Erit fortaſſe nonnemo, qui regulam S. Benedicti in cœnobiis à S. Fructuoſo inſtitutis viguiſſe ea de cauſa contendat, quòd ibidem floruerit* regulæ SANCTÆ conſtitutio, *ut colligi poteſt ex privilegio Cindaſuindi regis Gothi, relato apud Yepeſium in Appendice ad tom. 2 Chronici generalis, ſcripturâ* 13, *fol.* 10. *Cùm enim* regulæ SANCTÆ *nomine Benedictinæ conſtitutiones olim ſolerent intelligi, eadem illis vocibus,* regulæ SANCTÆ conſtitutio, *deſignatæ poſſunt videri. Verùm ut in Galliis ſola Benedictina regula* ſancta *dicta ſit (quod hic diſputare non vacat) in Hiſpania certè etiam aliorum Ordinum leges nuncupatas fuiſſe* ſanctas, *manifeſtum eſt ex epiſtola apologetica Eutropii, qui regulam à Donato ex Africa in Hiſpanias illatam vocat* SANCTÆ regulæ inſtitutionem, *ut videre eſt apud Mabillonium in Præfatione ad Seculum primum Actorum Benedictinorum, § 6, pag.* XXXV. *Non enim* ſancta regula, *quam Donatus attulit, fuit Benedictina ; ſed ab ea diſtincta ; ut Mabillonius loco proximè citato oſtendit. Cæterùm an privilegium Cindaſuindi regis mox allegatum ſine ſcrupulo admitti poſſit ut ſincerum, vide, ſi placet,* D *apud Ferreras in Hiſtoria Hiſpaniæ ad annum 646 num.* 14.

Biographi auctoritas ſumma,

9 *Vitæ ſcriptorem nactus eſt uterque Martyr, ut dictum eſt ſuprà, S. Eulogium, quo melior alter deſiderari non poterat ; ut manifeſtiſſimè colligitur ex tom.* 11 *Martii à pag.* 88, *ubi ipſius vita & martyrium, quod anno* 859 *conſummavit, illuſtrata ſunt. Adde, quæ de eodem ſancto biographo dicta tom.* VI *Julii, pag.* 451, *num.* 5. *Accedit ſingularis, quæ inter Martyres & S. Eulogium interceſſit amicitia & conjunctio. Sanctus verò* Chriſtophorus *non tantùm popularis, contribulis, ſed & à pueritia S. Eulogii auditor & diſcipulus fuit. Hæc videſis in Paſſione noſtrorum duorum Pugilum, quam mox ex ipſo S. Eulogio daturi ſumus. Conſummati per* SS. Chriſtophorum & Leovigildum *martyrii teſtis etiam perquam idoneus eſt Uſuardus ; cujus annuntiatio ſuprà recitata eſt : ipſe enim ea, quæ anno* 852 *Cordubæ contigerant pro fide certamina, facilè anno* 858 *potuit diſcere ; cùm tunc Cordubæ verſatus fuerit ; ut liquet ex Atmoino in Hiſtoria tranſlationis SS. Georgii & Aurelii, impreſſa tom.* VI *Julii pag.* 460. E

monaſteria,

10 *Unum illud in Actis obſcurum eſt, quo in loco ſita fuerint monaſteria, ex quibus Sancti noſtri prodierunt. Scriptorum diverſas ea de re opiniones affero. Mabillonius Seculo 2 Actorum Ordinis S. Benedicti pag.* 582 *ad hunc locum, qui ibidem habetur in Vita S. Fructuoſi,* Pater ejus eum ſecum habens inter montium convallia Bergendenſis territorii, *obſervat iſta :* Pagus ſeu tractus Bergendenſis ſeu Vergendenſis ac Vergidenſis .. ſitus inter Legionis montes & Callæciam, teſte Antonio Yepezo, S. Fructuoſo ortum dediſſe, à nonnullis creditur. *Deinde verò pag.* 583 *in eadem Vita dicitur* ad locum illum ſolitudinis ſupramemoratum *rediiſſe, ac* cœnobium Complutenſe *exſtruxiſſe. Locum autem illum ita exponit in notis Mabillonius :* Cœnobium Compluticum ſeu Complutenſe, MONASTERIUM SS. JUSTI ET PASTORIS ab S. Eulogio Cordubenſi dicitur, deſcribiturque in Memor. Sanctor. lib. 2 cap. 11 ; *verba, quæ ſubdit, habentur in Paſſione noſtrorum Martyrum, quam mox dabimus, num.* 2. *Illud verò* quinque milliarios luſtros, *exponit Mabillonius,* viginti quinque F milliaribus, *atque hæc addit :* Quo in loco Cordubam interpretare, non civitatem, ſed montem Cordubam in Luſitania & regno Portugallico, pago Portuenſi, quem incolæ CORVAN vocant. *Hæc ille.*

quæ incoluerunt,

11 *Verùm in hac eruditiſſimi viri ſententia ſunt non pauca, quæ diſpliceant : nam primò, ſi* S. Leovigildus *prodiit ex cœnobio à S. Fructuoſo condito, probabiliùs non Benedictinam, ut vult Mabillonius, ſed S. Fructuoſi regulam eſt profeſſus ; eam enim in eodem monaſterio aliquando viguiſſe, non eſt dubium : quod autem ſanctiſſimi fundatoris regula tam citò vel mutata vel abolita non ſit, eſt credibilius. Secundò S. Fructuoſus cœnobium ſuum extruxit* inter convallia montium Vergidenſis territorii, *quod regni Legionenſis pars eſt : quomodo ergo confunditur cum monaſterio ſito in* monte Corduba in Luſitania & Portugallico pago Portuenſi ? *Tertiò, aſceterium, quod* S. Leovigildus *incoluit* in interiori montana Cordubenſi, *fuit* in loco, confini vici Lejulenſis, qui à Corduba diſtat quinque milliarios luſtros, *id eſt, interprete Mabillonio,* viginti quinque *tantùm* milliaribus:

atqui

A *atqui distantia ab urbe Cordubensi tam exigua non convenit cœnobio sito in monte pagi Portuensis in regno Portugallico. Quartò eadem* montana Cordubensis *cap.* XI *videtur à S. Eulogio designari, quam cap.* 8 *ejusdem libri* 2 *designaverat, de patre S. Mariæ virginis & martyris ita loquens:* Ad oppidum Froniano pervenit, qui in montana Cordubensi in parte occidentali duodecim ab urbe (*Cordubensi, ut patet ex contextu*) milliaribus distat. *Atqui hæc* montana Cordubensis *collocanda non est in pago Portuensi; alioquin enim oppidum ipsi inædificatum plus quam* 12 milliaribus *ab urbe Cordubensi abfuisset.*

ubi sita fuerint, 12 *Henschenius noster tom.* 11 *Aprilis in notis ad Vitam S. Fructuosi pag.* 432 *cœnobium SS. Justi & Pastoris, in quo* B. Leovigildus *vixit,* in Bætica *collocat: & illi assentiendum videtur, dicendumque* montanæ Cordubensis *nomine illos à S. Eulogio montes intelligi, de quibus Mariana lib.* 1, *cap.* 3 *ita memorat:* Ex Orospeda prope Alcarassum Mariani montes (nostris Serramorena) surgunt, quorum radices perpetuò ferme usque ad Oceanum Bætis ad lævam

B alluit. *Cur verò montes à S. Eulogio* Cordubenses *dicantur, ratio reddi potest, quia* qua parte septentrionem Corduba spectat, posita est (*ut Ambrosius Morales in illius urbis descriptione testatur*) ad ipsas Marianorum montium radices, *quibus proinde nomen suum facilè indiderit.*

explicatur. 13 *Hisce in montibus non infrequentia stetisse cœnobitarum domicilia ex variis S. Eulogii locis potest colligi: varia nominatim enumerat Mariana lib.* 7, *cap.* 15, *eaque inter alterum* Martini, *ex quo* B. Christophorus; *alterum* Justi & Pastoris, *ex quo* B. Leovigildus *ad martyrium processit. Et verò quæcumque S. Eulogius narrat locorum adjuncta, cum tali cœnobiorum situ cohærent optimè, ut attentius consideranti patebit. Caterum, quo anno uterque Martyr coronatus sit, dicam in annotatis littera* i. *Partem maxillæ* B. Christophori *servari in Cartusia Florentina, notavit Papebrochius in itinere suo Italico Ms. Verùm an ad nostrum Sanctum illa lipsana pertineant, ad ad alium, non liquet.*

C

PASSIO

Ex Memoriali S. Eulogii lib. 2 cap. XI.

Sancti Martyres

a DEinde Christophorus monachus contribulis *a* noster, ephebus adolescens Cordubæ

b c natus & à pueritia nostri auditor, qui post nostrum magisterium *b* cœnobium S. Martini *c*,

d quod est in montana *d* Cordubensi; loco, qui

e appellatur Roiana *e*, ingressus, magnum piè volentibus conversari specimen sanctitatis ostendit. Hic, agnita præcedentium nece Sanctorum, concito gressu in urbem descendens, mox ob-

f viare judici non extimuit *f*: & reddens coram eo testimonium veritatis, adnuntiat Euangelium, sancta Domini prædicat, prophanationibus deditum vulgus exhortatur, arguit malè credulos, luituros cum authore falsario æternum profert incendium. Quem continuò judex sævo commotus furore carceri deputat: arctioribus macerandum vinculis commendat.

2 Tunc etiam Leovigildus monachus Elibe-

ri *g* progenitus, plenæ juventutis; vir sanctus, EX IM-
justus, & timoratus ex cœnobio sanctorum Justi PRESSIS.
& Pastoris *h*, quod est in interiori montana Cor- *præmissis*
dubensi; loco qui dicitur Fraga inter clivosa mon- *veræ sanctitatis signis,*
tium & condensa sylvarum, confini viculi Leiu- *g*
lensis, qui à Corduba distat quinque milliarios *h*
lustros, quo se nuper moraturus contulerat, martyrio potiturus advenit. Et priusquam forum intraret, instituendi se gratiâ nos inquirens, obsecratur, precatur, exoptat, ut conatus suos nos precibus juvaremus, eique benedictionem consummandi agonem traderemus, promittens se nostri curam gerere ante Dominum.

pro Christo mactantur. 3 Cumque à nobis firmatus in pace discederet, mox coram judice suam relaturus professionem adsistens, dat testimonium fidei secundum cæterorum constantiam: qui cæsus alapis, convitiisque distentus illico apud sævos carceres traditur alligandus. Ibi se Famuli Dei alterno fovent consultu, roborantur in invicem: sicque pari voto connexi, cum jam mactationis hora instaret, præire S. Christophorus B. Leovigildum reverentiâ ætatis exoptat, postmodùm ipse ruiturus. Et ita hoc ordine uterque interiit XIII E
Kal. Septemb., erâ quâ suprà *i*. Quorum corpora suppositis adusta incendiis, antequam penitus *i*
rerentur, fidelium curâ erepta apud basilicam sancti Zoili *k* sepulta sunt. *k*

ANNOTATA.

a *Ad hanc vocem* contribulis, *Morales in scholiis ita notat:* Tum hîc tum superiùs hac voce usus Eulogius, indicat planè habitationis tantummodo vicinitatem. *Verùm cùm eadem vox cap.* 6 *ejusdem libri* cognationem sanguinis *significet; non video cur ad alium sensum hîc debeat transferri.*

b S. Eulogius magistris ordine & vitæ moribus sociatus ... doctrinâ oris Ecclesiam ornavit, *ut in ipsius Vita scribit Alvarus.*

c *S. Martinus, cui cœnobium hoc sacrum fuit, verosimiliter ille est Braccarensis episcopus, qui anno* DLXXX *post vitam sanctissimè actam, & multa condita monasteria ad Superos evolavit, coliturque ad diem* 20 *Martii, ad quem tom.* III *ejusdem mensis pag.* 86 *de ipso fuit actum.*

d Montanæ Cordubensis *nomine hîc, uti & infrà intelligo montes Cordubæ vicinos, ut dixi in commentario num.* 12. F

e *Ad vocem* Rojana, *cum Ambrosio Morales in scholiis, fateor, quòd,* quid dicam, tametsi exquisierim, non reperiam; eodem quoque silentio Fraga locum & Leiulensem vicum, qui paulò pòst memorantur, præteriturus.

f *Temere nequaquam* S. Christophorus *tyranno se obtulit: nam cum non pauci (ut ex Vita S. Eulogii constat) in fide vacillarent, licuit ipsi mortis periculo se objicere, ut nutantes animos confirmaret.*

g *Eliberi, aliàs Illiberis vel Illiberris dicta, Concilio Illiberritano ibidem celebrato nomen dedit. Cardinalis de Aguirre in Collectione conciliorum Hispaniæ tom.* I, *pag.* 242 *ita scribit: Ab urbe Granatensi* Illiberrim antiquam septimo lapide distare, publica mihi fide constat regii in eadem civitate mensoris. Extat etiam nunc ... antiquæ Bæticæ Illiberris, & magnæ quondam urbis tenue vestigium: rudera enim dirutæ vel cadavera potius defunctæ civitatis, & parietinarum ecclesiæ, in qua concilium hoc habitum est, visuntur in colle, qui vulgo Mons-Elbiræ appellatur.

A h *De monaſterio SS. Juſti & Paſtoris, ejuſque ſitu actum eſt in Commentario à num.* 10.

i *Notârat S. Eulogius cap.* 10 *æram* DCCCXC, *quæ reſpondet anno æræ vulgaris* 852.

k *De S. Zoïlo actum eſt tom.* V *Junii pag.* 253. *In ejus baſilica, intra mœnia Cordubenſia inclusâ, plures Martyres ſepulturam nacti ſunt; ut ibidem pag.* 254 *videre eſt.* D

DE S. HERBERTO ARCHIEPISCOPO

COMPSÆ APUD HIRPINOS IN ITALIA,

SYLLOGE.

J. P.

Loci notitia, cultus publicus, obſervationes.

ANNO CIRCITER MCLXXX. *Civitatis Compſanæ ſitus:*

COmpſa (vulgo Conza) antiquiſſima Hirpinorum civitas ad Aufidum amnem, haud procul fontibus ejus, ſituata eſt, quam hodie provinciæ Ulterioris Principatus metropolim ſtatuerunt. *Ita ſcribit Ughellus tomo* 6 *Italiæ ſacræ* B *col.* 797 *noviſſimæ editionis Venetæ: ubi plura deinde, in additione præſertim à col.* 799, *de hac civitate memorantur, uti & de ejuſdem eccleſia metropolitana; quæ ibidem legi poſſunt. Satis eſt nobis loci ſitum oſtendiſſe, qui apud Ferrarium hac die in Novo catalogo Sanctorum, ſive eorum qui in Martyrologio Romano non ſunt, breviter in notis ſic deſcribitur:* Urbs eſt Hirpinorum pervetus & metropolis à Benevento 50 M. P. circiter diſtans; Melphiæ in ortum diſtanti 8 M. propinqua, vulgo Conſa in Baſilicata. *Hæc ille. Baudrandus verò dicit eſſe* in confinio Capitanatæ provinciæ & Principatus Citerioris; ſedere in tumulo, ſed parvi eſſe admodùm circuitus, & vix 70 focularia, & 120 animas continere; ita ut fere in caſtrum redacta ſit; & ejus archiepiſcopum commorari in terra S. Mennæ; 18 milliaribus diſtare à Melphi in occaſum Neapolim verſus 56 & Salernum 28, à Benevento autem 25 in ortum hybernum.

veneratio publica ſancti Præſulis noſtri;

2 *Ughellus tomo* 6 *Italiæ ſacræ agens de Compſana metropoli à col.* 797 *editionis citatæ, hæc de cultu Sancti noſtri col.* 799 *ſcribit:* Hîc requieſcit corpus S. Herberti archiepiſcopi marmoreo tumulo incluſum, & præclariſſimo decori habetur. Ejus natalis dies XX Auguſti magnâ finitimorum populorum frequentiâ colitur, indulgentiis Pontificum privilegio eò accedentibus conceſſis. *In Additione col.* 801 *habentur iſta:* Requieſcit in eadem baſilica corpus B. Herberti archiepiſcopi, quod anno MDCLXXXIV à Cajetano archiepiſcopo Caracciolo palam fuit recognitum cum infulis pontificalibus, annulo, & pallio archiepiſcopali indutum, & ab angulari capella ad aram majorem tranſlatum, & marmoreo ſepulcro honorificè reconditum. *In eadem Additione col.* 802 *agitur de argentea ſtatua* S. Herberti *noſtri, quâ modò laudatus Caietanus Caracciolus, archiepiſcopus Compſanus, eccleſiam S. Caietani Tienæi à ſe conſtructam ditavit.* S. Herbertum *annuntiant Ferrarius & Caſtellanus.* C

ejuſdem patria, & hallucinationes hac occaſione

3 *Joannes Pitſeus de illuſtribus Angliæ ſcriptoribus in Appendice centuriâ* 2 *pag.* 864 *hæc de patria ejus memorat:* Herebertus Hoſcamus .. natione Anglus, patriâ Mercius, vir pius & eruditus. In Italiam profectus, factus eſt archiepiſcopus Cuſentinus in Apulia. Hunc ferunt quædam ingenii ſui litteraria monimenta poſteris reliquiſſe, vel relinquere voluiſſe, & ea jam in lucem emiſiſſe; ſed unà cum auctore perierunt omnia. Nam eo ipſo anno, quo præſulatum accepit, & ſuam archiepiſcopalem cathedram conſcendit, ipſe cum domo ſua, imò verò cum tota fere civitate, dehiſcente terra, abſorptus eſt. Fuit ille annus à Nativitate Chriſti MCLXXXV, regnante in Anglia Henrico ſecundo. Atque hæc pleraque ex Henrico Triveto. *Sic ibi; quibus Ughellus ſuprà citatus ſequentem inurit cenſuram à col.* 811: Sed longè Pitſeum aberraſſe crediderim, ac ſurſum deorſumque confudiſſe, quæ de Herberto ſcripſit: ſiquidem Coſentia urbs archiepiſcopalis eſt Calabriæ, non Apuliæ: archiepiſcopus ille Coſentinus, qui ex terræ motu occubuit, Ruffus vocatur, non Herbertus, ut Anonymus Caſinenſis habet apud Caraccioli Chronic.; *quod Neapoli excuſum eſt anno* 1626 *inter antiquos Chronologos quatuor, è quo hæc dò, correctione uſus, ut locus corruptus melius intelligatur.* E

à Pitſeo commiſſæ.

4 MCLXXXIV nono Kal. Junii terræmotus adeo magnus & terribilis fuit per totam Calabriam [ut] in valle de Grati, & valle de Sinu eccleſiæ omnes, & omnia ædificia murorum corruerint, & Rufus Cuſentinus archiepiſcopus, & multi alii ſub murorum præcipitio ſuffocati ſint. *Pergamus cum Ughello:* Rufo Cuſentino archiepiſcopo ſucceſſit Petrus eodem anno MCLXXXIV. Concilio Lateranenſi interfuerat Rufus anno MCLXXIX, in quo aſſederat Herebertus Compſanus archiepiſcopus præſul cum ſuis ſuffraganeis, ut Joannes Picardus in notis ad Guilielmi Neubrigenſis Hiſtoriam narrat (*Videſis dictas notas in libri tertii caput ſecundum.*) *His ſubnectit laudatus Ughellus obſervationes nonnullas de* S. Herberto, *quas ex eo huc tranſcribo.* F

Aliæ quædam de Sancto noſtro notitiæ.

5 Quamobrem Herbertus Compſanæ eccleſiæ fuit longo tempore archiepiſcopus, Anglus natione, ſanctitate & gloriâ miraculorum illuſtris; cujus Acta perierunt: cujus tamen memoria habetur in monumentis Compſanæ eccleſiæ ab anno MCLXIX ad annum uſque MCLXXX. Fortaſſe ab eo anno, vel paulo pòſt in pace quievit, habuitque ſucceſſorem Gervaſium, ut mox dicemus. *Deinde ex Compſana memoria, ſignans annum* 1169, *hæc ſuperaddit:* Herbertus nunc ſanctus, miraculis clarus, acceſſit ad regem Siciliæ, & recuperavit eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Auletta cum juribus ſuis, obtinuitque à Roberto Comite Lorotelli & Cuperſani, ac domino civitatis Lavelli, pro animalibus eccleſiæ Compſanæ, jus aquandi & paſculandi in territorio Lavelli in perpetuum, pro animabus Rogerii & Guillelmi regum, & Alucliæ reginæ: & poſt laudabilia virtutum opera ornata in tumba lapidea in ſua mœnia Compſana, quam rexerat eccleſiam in Domino, magna cum populi devotione quievit.

DE

A

DE SANCTO BERNARDO CONFESSORE,

PRIMO CLARAVALLENSI ABBATE,

PATRE AC DOCTORE ECCLESIÆ,

IN TERRITORIO LINGONENSI CAMPANIÆ IN GALLIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. P.

B

§ I. Annus ac locus natalis; illustre genus. E

ANNO MCLIII. *Vir sanctus, apud scriptores celebratissimus,*

Magnos inter viros, qui, tamquam lucidissima Ecclesiæ Dei sidera, doctrinâ, virtutibus ac miraculis orbem terrarum illustrarunt, nomen meretur & obtinet S. Bernardus *planè singulare, ita videlicet quaquaversus propagatum ac celebratum, ut vix quisquam Sanctorum esse videatur, qui tot rerum suarum præcones, tamque egregios ac tam probatæ fidei spectataque auctoritatis scriptores nactus sit. Perspicuum id fiet tum è tribus potissimùm clarissimis biographis, qui præstantissima ejus facta continuato sermone, & quasi ex condicto, ad posteros transmisere, inferiùs à nobis laudandi; tum ex aliorum documentis, de quibus postea erit sermo. Quæ autem nos per hujus Commentarii decursum præter ea, quæ ab aliis dicta sunt priùs, dicemus, subservient vitæ ac miraculis Doctoris Melliflui vel confirmandis, vel elucidandis, amplificandisve, incipiendo à natalibus ejus, circa quos varia se nobis offerunt expendenda.*

C

in lucem prodiit anno 1091

2 *Ac de anno imprimis natali ipsius ita convenit inter auctores, ut extra omnem controversiam positus sit. Illustrissimus enim Angelus Manrique, Pacensis episcopus, Annalium Cisterciensium tomo* I *ad annum Christi* 1105, *Cisterciі octavum, cap.* I, *num.* 3, De tempore, *ait*, omnino certum est, natum anno millesimo nonagesimo primo, eo nimirum, quo beatus Petrus Cavensis, Cluniacensis cœnobii olim alumnus, oblatum sibi ab Urbano II in concilio Beneventano usum mitræ, reverenter quidem, sed magnificè contempsit: quod in actis Vitæ ipsius (apud Baronium hoc anno) scriptum videas. Quo videlicet Bernardo offerendarum, contemnendarumque jam tunc in illo præsagia ostenderentur. Natum hoc anno facilè convinces, si à millesimo centesimo decimo tertio, quo Cistercium ingressus est, duos & viginti demas, quos tunc habebat; in quo omnes historici conveniunt. *Adde scriptores recentiores, qui Sancti natales anno jam dicto* 1091 *affigunt. Hæc de tempore; de loco autem, in quo vivere cœpit noster Sanctus, ita scribit memoratus Annalium conditor Manricus num.* 2:

Fontanis in Burgundia: qui locus

3 Fontanis (*alibi locus hic vocatur* Fontes, *vulgo Fontaines*) oppido, à fontibus sic dicto, patris sui domicilio dominioque Bernardum natum testantur omnes, qui ejus Vitam scribunt, dimidio fere lapide à Divione, nobili & notissima curia Burgundiæ Ducum. Talentum inter (*vulgò Talen*), arcem munitissimam, & Fontanum castellum ea sita: *quod è Guilielmo Paradino lib. de antiquo statu Burgundiæ fol. sibi* 140 *Manricus ibidem describit: in nostra autem editione Basileensi à pag.* 165 *leguntur ista:* Planities est amœnissima, duobus fluminibus Suzione atque Oscara utrimque muros alluentibus... Urbi imminet Talentum, arx & naturâ loci, & arte munitissima.. E regione hujus situm est castellum, cui à fontibus nomen; quod Bernardus, abbas sanctissimus, suis illustravit clarissimis crepundiis: olim Castellionensium equitum dominis*, hodie Christo ædes sacra. *Mabillonius Operum* S. Bernardi *editor, ad calcem voluminis secundi variis ejusdem Sancti Vitas attexit à columna* 1061, *aliaque de eo subnectit postmodùm documenta. Dictâ autem columnâ postquam in notula de Tescelino, Sancti patre, hæc citasset è Vita tertia, quod nempe ibi vocetur* dominus minoris castri, cui Fontanæ nomen est *&c.*, *observat, ibidem* paternas (ut creditur) Bernardi ædes conversas esse in Fuliensium Patrum conventum. *Factum hoc magis expressè affirmat, quàm confirmat R. P. Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi hac die, sic de Sancto scribens:* Feliciter in lucem prodiit Fontanis in domo paterna, quæ ob tanti Viri reverentiam, utpote in qua primordia vitæ & sanctitatis suæ habuit, in cœnobium pro Cistertiensibus reformatis congregationis Fuliensis mutata est: in cujus sacræ ædis lapidibus initialibus sanctissimi Patris Bernardi encomia, & præclara elogia pulchris characteribus exarata fuerunt: quæ, ne sub terra lateant, hîc describenda censui. *Sed nos ea huc transcribere supersedemus, cum ibidem legi possint. Res gesta innectitur anno* 1619, *quo* Ludovici XIII Francorum & Navarræ regis Christianissimi mandato & nomine, sereniss imæque ejus conjugis Annæ Austriacæ *primus lapis positus fuisse indicatur in ejusdem inscriptione*,

* *l.* domus

F

AUCTORE J. P. variis notitiis

die VI Januarii.

4 *Verùm, quod rursus ad castrum seu oppidum*, S. Bernardi *natalitium*, *Fontanas spectat, cavendum monet Manricus num. 2 citato, ne ultra meritum nobilitetur, & locis aliis eidem annexis locupletetur.* Recentiores, *inquit*, dum oppidum patris legunt, Comitatum confingunt, & plures alios pagos illi adjungunt, queis è Fontanis Tescelinus jura daret (*Citatur ab ipso Brito, qui Chronicon Cistercience idiomate Lusitano vulgavit, lib. 1 cap. 14.*) Sed nullo prorsus producto testimonio; imò ipsa reclamante antiquitate, quâ potius MILITEM SUIS STIPENDIIS CONTENTUM lego lib. 1 cap. 1 in Vita S. Bernardi, QUIBUS AD OMNE OPUS BONUM ABUNDABAT. Nec detraxisset Tescelino Bernardi patri, si quos haberet titulos ampliores, qui paulo inferiùs in avunculo Galdrico minores etiam amplè numeravit. " Vir (inquit) sanctus, „ & potens in sæculo, & in sæcularis militiæ „ gloria nominatus, dominus castri in territorio „ Eduensi, quod Ticilium * dicitur „. Non ergo Comitatûs, alteriusve ditionis pingues redditus; cui præcipui proventus, si non unici, militaria stipendia designantur. Sat magnum est, si curiæ suburbanum, alterius, quam ipsius Ducis, juris foret. *Ita ratiocinatur Manricus, & rectè, meâ quidem sententiâ.*

* *Al.* Tuillium, *vulgo* Toüillon.

B

elucidatur.

5 *Illis autem, quæ addebat*, cui præcipui proventus, SI NON UNICI, militaria stipendia designantur, *non satis consentiunt* Fragmenta *apud Mabillonium suprà allegatum, columnâ* 1275, ex tertia Vitâ S. Bernardi, auctore, ut videtur, Gaufrido, monacho Claræ-vallensi (*Fragmenta Gaufridi nos deinceps ea vocabimus*) *ubi dicuntur ista:* Erat autem vir iste genere nobilis, possessionibus dives. *Ex ante dictis convincitur erroris Vita* S. Bernardi, *quæ exstat in codice nostro signato* P Ms. 13, *dum hæc scribit:* Bernardus . . Castellione Burgundiæ oppido oriundus fuit. *Tametsi autem de nobili stirpe Sancti nostri ita certò constat, ut prudens adversus eam controversia moveri neutiquam possit, non abs re tamen egerimus, si hoc argumentum confirmemus ac illustremus.*

Illustris splendor generis

C

6 Parentes habuit, *ut scribit Manricus num.* 4, dictum Tescelinum, Alcidemque, è quibus illum Ducibus Burgundiæ propinquum genere, adeoque regum Galliæ progeniem claram; hanc ex Cornelienſium Comitum familia, alta origine regum Lusitaniæ, atque Henrico Lusitano primo Comite, Alfonsi regis patre, in tertio consanguinitatis gradu conjunctam, nostrates referunt: quo Bernardo cunctos Christianos principes arcto sanguinis fœdere devinciant. Ego in Guillermo sancti Theodorici lib. 1 cap. 1, atque Alano Altisiodorensi, quondam illo abbate, isto episcopo, atque utroque Bernardo coætaneo solùm invenio " Parentes claros secundum „ sæculi dignitatem (& Tescelinum, qui) sic „ consilio & armis serviebat temporalibus domi„ nis suis, ut etiam domino Deo suo non ne„ gligeret reddere quod debebat „. *Quibus addi possunt sequentia è Vita quarta, à Joanne eremita scripta, apud Mabillonium col.* 1281, Beatissimus igitur Bernardus . . digna propagine oriundus fuit, carnis quidem prosapia nobilis, sed culmine mentis nobilior. Genitor ejus Tescelinus nomine; genitrix verò Aalays, filia Bernardi Montis-barri domini, viri potentis & magni secundum seculi dignitatem, & ex antiquorum (sicut asserunt multi) Burgundiæ Ducum generositate trahens originem. *At redeamus ad Manricum.*

D

tam paterni quam materni

7 Sed & in Guillermo, *ait*, Paradino, auctore Burgundo, & de Burgundiæ Ducibus tractante, Castellionensem Safrensemque familias, queis uterque insignis, inter illustres illius quondam regni (nam reges olim fuerunt, qui pòst Duces) numeratas agnosco: regiam progeniem aut originem non lego. Illius verba fol. mihi, *inquit*, 93, placet hìc describere: " Sunt & aliæ „ familiæ pleræque illustres, quales Cornejorum, „ ex qua Godefredus flammulæ signifer „. Et post non paucas alias numeratas, hæc de utraque familia Doctoris sancti: " Deinde Castellionen„ sium, ex qua divus Ille Bernardus Claræ-vallis „ abbas sanctissimus, nec minùs ingenii monu„ mentis clarissimus . . Habetis ergo Castellionen„ ses atque Safrenses, quo jure gloriari possitis, „ qui tam rutilum religionis solem è vestro cor„ pore edidistis reipublicæ Christianæ: de quo „ dici solet, quod olim de Nestore cecinit Ho„ merus, melle dulciorem ab ejus ore orationem „ fluere „. Hactenus Paradinus, qui Safrensibus, ut credo, Alcidam matrem; Castellionensibus Tescelinum ortos tradit, illustribus quidem familiis Burgundionum, sed regium splendorem non æquantibus. Quamvis non abnuam Castellionenses Comites, ex quorum familia Tescelinus, sanguine fortè conjunctos Burgundiæ Ducibus, & per eos Bernardum, licet remotè. Honor regis judicium diligit; honor Sanctorum certam veritatem. Nec ea nobilitas Bernardi patris est, quæ egeat additità commendari. Nos hæc ex auctore fide digno illius provinciæ, atque antiquorum dictis concordante, tamquam certa scribimus, scripturi majora, si dignis fide testibus fulciantur. *Hæc illustrissimus Manricus candidè ac sincerè.*

E

asseritur

8 *Unde sequitur, ut plus aliquid in Breviario Romano dici potuerit, ne dicam, debuerit, de* S. Bernardi *natalibus, quam* ὼ honesto loco natus. *P. Petrus Franciscus Chiffletius noster anno* 1660 *edidit Divione* Diatribam de illustri genere S. Bernardi abbatis Clarevallensis, *cui appendicem cum probationibus variisque documentis subjecit. In ejusdem Diatribæ præfatione de mox dicta Breviarii expressione meritò conqueritur, quæ utique sit nimis humilis, & infra Sancti dignitatem.* Etenim, *inquit*, qui hæc legens, de Bernardi natalibus aliud nihil norit, facilè illum opinetur plebeis ortum parentibus, puta agricolis aut opificibus, aliisve ejusdem notæ: cùm tamen illum utroque parente fuisse constet perquàm nobilem . . Addè *præter alia, quæ ibi observat*, & hac Bernardi natalium depressione nonnullam Viro sanctissimo, & de Ecclesia quàm optimè merito injuriam fieri, dum ejus virtuti suus quidam splendor ac sua veluti basis detrahitur, si verè prudens quisque existimat, virtutem nobilitati impositam insitamque, & altiùs eminere, & fulgere illustriùs. *Hujus autem sui operis seriem ita dividit.* Primùm illud *sibi* demonstrandùm *suscipit*, nobilem fuisse Bernardum: deinde equestris ordinis, quem illis temporibus MILITIAM vulgo nuncupabant; adhæc, antiquæ in eo gradu originis: denique & per matrem Aalydem (quæ Bernardi Montisbarri dynastæ filia erat) ex antiquis Burgundiæ Ducibus prognatum.

F

ac variis documentis

9 *Rem in pauca contraxit Mabillonius ante Vitam primam* S. Bernardi, *auctore Guillelmo abbate conscriptam, & à se editam à col.* 1061,

de

A *de linea paterna sic loquens pag.* 1059 : TECELINUS, Bernardi pater, VIR ANTIQUÆ ET LEGITIMÆ MILITIÆ, id est probatæ nobilitatis, quam equestrem vocamus, fuisse perhibetur à Guillelmo abbate cap. 1. Huic agnomen erat SORUS, id est, subrufus, à colore scilicet capillitii, in diplomate Hugonis secundi Burgundiæ Ducis pro Cabilonensi S. Marcelli monasterio : cui diplomati primo loco post Raimerium Ducis dapiferum subscribit Tecelinus ante Bernardum de Monte-forti, Warnerium de Sumbernone, aliosque nobilissimos viros *(Vide Chiffletium in Probationibus ad memoratam Diatribam pag.* 426.) GUIDO DE ACROMONTE, testante Alberico Trium-fontium monacho, FUIT EX PARTE MATRIS FRATER THESSELINI SORI DE FONTANIS, QUI FUIT PATER BERNARDI CLAREVALLENSIS ABBATIS; FUITQUE EX ALIA PARTE FRATER ULRICI, SUB QUO FUNDATA EST ABBATIA MORIMUNDI. (*Adi Chiffletium in Diatriba sectione* 7, *pag.* 416 *&* 417.) Guidonis nobilitas probatur ex ejus conjunctione cum HESCELINA DOMINA DE MULLEIO, Holdoini filia,

B qui Holdoinus, GAUFRIDUM JONÆ VILLÆ DOMINUM HABUIT FRATREM. Hæc de linea paterna.

10 Ad maternam, *inquit*, quod attinet, *è Chiffletio* Bernardi mater Aleth seu Alaysia, quam tertiæ Vitæ scriptor unus ELIZABETH, fortè librarii errore, appellat, fuit FILIA BERNARDI MONTIS-BARRI DOMINI, *&c. quæ supra nos jam præmisimus*, ut ex Joanne Eremita, quartæ Vitæ scriptore discimus. In Necrologio Divionensis monasterii S. Benigni, ubi primùm sepulta fuit, simpliciter LAICA dicitur, efferturque hoc modo ejus memoria : " Kalendis Septembris obiit A„ laysa laica „ : quo nomine distingui solent in illo Necrologio etiam illustres personæ à sanctimonialibus. In hunc diem incidit festum S. Ambrosii seu Ambrosiniani confessoris, teste Joanne Eremita, apud Fontanas celebrari solitum : quem nonnulli cum S. Ambrosio Mediolanensi antistite perperam hìc confundunt. *(Pluribus ista narrat Chiffletius sectione* 6.) Rainardus Montisbarri dominus, Bernardi avunculus, & Alaysiæ germanus fuit. Tam illustre cum fuerit ex utro-

C que parente Bernardi genus, non mirum si Guido, ejus primogenitus frater VIR MAGNUS à Guillelmo appellatur in cap. 3 ; uxor ejus NOBILIS JUVENCULA : soror verò ejus Humbelina ADOLESCENTULA NOBILIS, quæ CUM COMITATU SUPERBO ET APPARATU, incedebat, ex cap. 6. Hæc ex Chiffletio. Quibus adde Galdricum, Bernardi avunculum, à Guillelmo vocari num. 10, POTENTEM IN SECULO *&c. (ut antea dictum à nobis est.)* Et JOSBERTUS DE FIRMITATE, quæ super Albam sita est, VIR NOBILIS ET SECUNDUM CARNEM Bernardi PROPINQUUS erat ; ex eodem Guillelmo num. 43. Denique RAINERIUS MILES erat frater Godefridi, ex Priore Claræ-vallensi episcopi Lingonensis, qui Bernardum consanguinitate attinebat.

11 Porrò Chiffletius probat, S. Bernardi pa- *comprobatur.* ternum genus, quod à FONTANIS appellationem habet, per Bartholomæum Sombernionensem (quæ familia in veterum Burgundiæ Ducum regium sanguinem è nubentis filiæ heredis affinitate transfusa est) ad nostra usque tempora propagatum fuisse. (*Adisis Chiffletium sectione* 7 *pag.* 418.) Cætera, quæ de illustri Bernardi genere apud eumdem Chiffletium vel minùs certa, vel minus necessaria videntur, consultò præterimus; hoc tantùm addito, monasterii Claræ-vallensis stemma, quod in scuto nigro balteum auri sive argenti, minii ductu gemino tessellatum præfert, non esse derivatum (ut quidam volunt) à S. Bernardi insigni gentilitio ; sed à Campaniæ Ducum familia, ex quibus Hugo Claram-vallem fundavit ; senas verò fascias ex auro & cyano dextrorsus obliquatas in margine purpureo, quod Cissterciensis Ordinis symbolum est, petitum à Burgundiæ Ducum familia, quorum maximè beneficiis & auctoritate Ordo Cisterciensis fundatus est : *de qua re Chiffletius sectione* 1. AUCTORE J. P.

12 *Audiendi itaque non sunt scriptores, quos* *Cave tamen* *ibidem Chiffletius enumerat*, Barnabas de Mon- *ne illius* talvo, Mariana lib. 10 Historiæ Hispaniæ cap. *nobilitatem* 12, Bonifacius Simonetta lib. 1 Historiæ suæ, *extendas* & alii nonnulli è recentioribus, *qui* ortum *San-* *ad reges* *ctum* volunt ex ea Ducum Burgundiæ gente, cui *Hispaniæ* caput fuit rex Francorum Robertus ; adeoque *& Lusita-* non Galliæ tantùm, sed & Hispaniæ & Lusitaniæ *niæ.* regum consanguineum prædicant „ quo Bernardo, *uti addit Chiffletius ex Manrico, quem & nos supra citavimus*, cunctos Christianos princi- „ pes arcto sanguinis fœdere devinciant „. Id E verò probare se putant ex Ordinis Cisterciensis antiquis insignibus, *sed perperam, sicut mox indicatum est. Hinc Tamayus, toties in nostro Opere castigatus, castigari hic denuo meretur, quando in suo Martyrologio Hispano ad diem* XX *Augusti in notis, primam* S. Bernardi *causam cultûs in Hispania assignat*, quia fuit sanguine conjunctissimus Alphonso, cognomento imperatori, Castellæ regi, *ex Alfonso Sanctio, quem citat. Verùm hæc satis & abunde dicta sunto de illustrissimo genere, è quo* S. Bernardus *originem traxit. Nec verò paternæ ac maternæ dumtaxat familiæ splendor, sed etiam magna vitæ integritas, & vera erga Deum pietas, quæ in utroque Sancti parente emicuit, non exigua ei laudum decora conciliant, ut jam visuri sumus.*

§ II. Parentes, fratres, soror, vaticinium, educatio, studia.

M*Anricus hæc refert in rem nostram ad di-* *Parentes* *ctum annum* 1105 *num.* 5 : Claros pa- *filiis sex,* rentes secundum dignitatem sæculi, virtus & pie- *ac filiâ una* tas fecerant clariores ; sive quòd hæ rariores in *felices,* nobilibus, eoque pretiosiores, si inveniantur : F sive quòd superfluorum abstinentiam, utilium abundantiâ cumulatâ, non sibi solis, sed aliis sufficientes, claritudinem munificentiâ comparaverant. Mater præcipuè in pauperes benefica, atque operibus misericordiæ incessanter insistens, non solùm clara, sed chara omnibus erat. Matrimonium auxere septem filii, [magis] Cistercienli familiæ, quàm suæ nati, Guido, Gerardus, Bernardus (nam tertius ordine) Andreas, Bartholomæus, Nivardus, & Humbelina : sex viri, omnes monachi futuri ; femina una, eaque sanctimonialis. *Vide de illis Annotata apud nos ad libri primi Vitæ* S. Bernardi *caput* 2, *litterâ* c. *Felicissimis tam numerosa pariter ac pia prole parentibus apponere hîc juvat elogia, quibus à scriptoribus Vitæ Doctoris Mellifui celebrantur. De Tescelino, ipsius patre, in secunda Vita, auctore seu compilatore Alano cap.* 1 *apud Mabillonium col.* 1235 *dicitur* vir antiquæ & legitimæ militiæ . . , cultor Dei, justitiæ tenax. *Ibidem col.* 1275 *inter Fragmenta Gaufridi,*

de

AUCTORE J. P.

de quibus ſuprà, laudatur, quod eſſet ſuavis moribus, amator pauperum maximus, ſummus pietatis cultor, & incredibilem habens juſtitiæ zelum .. *Ad hæc*, Numquam armis uſus eſt, niſi aut prō defenſione terræ propriæ, aut cum domino ſuo, Duce ſcilicet Burgundiæ, cui plurimùm familiaris & intimus erat: nec aliquando fuit cum eo in bello, quin victoria ei proveniret.

egregiis

14 *Vir idem ſummo, quo fervebat, juſtitiæ ſtudio adjunxit ſingularem clementiam, teſte Joanne eremita apud eumdem Mabillonium col.* 1282. *Nam* cùm quodam tempore vir memoratus .. cum quodam ſibi adverſante, multo inferiori genere, & ſubſtantiæ minoris, monomachiâ firmaverat decertare; adeſt ſtatuta dies, & præfixa certamini. Conveniunt utrimque. Recordatus autem vir venerabilis Teſcelinus timoris Dei, & judiciorum divinorum .., quamvis fortior & potentior eſſet, & hoſtem ſuperare, & de victoriâ lucrum maximum reportare valeret; ultro tamen ſe pacavit cum adverſario; quidquid erat in controverſia, ſine diſceptatione reſignans & relinquens. O magna pietas, magna viri clementia! *Multis illum juſtitiæ Chriſtianæ officiis conſpicuum fuiſſe, eruitur è brevi illo, ſed nervoſo elogio, quod præmiſi antea num.* 4: *Facultatibus ſuis* ad omne opus bonum abundabat. *Quid deinde? Monitis* S. Bernardi *ſeculo nuntium remiſit, & obiit cum odore ſanctitatis.*

B

ctiam virtutibus

15 *Porrò Guillelmus libro* I *Vitæ ſancti noſtri cap.* I *num.* 1, *de illius matre ſic memorat:* Mater Aleth ex caſtro, cui nomen Mons-Barrus, & ipſa in ordine ſuo Apoſtolicam regulam tenens, ſubdita viro, ſub eo ſecundum timorem Dei domum ſuam regebat, operibus miſericordiæ inſiſtens, filios enutriens in omni diſciplina ... Cùm autem creviſſent, quamdiu ſub manu ejus erant, eremo magis quàm curiæ nutriebat, non patiens delicatioribus aſſueſcere cibis, ſed groſſioribus & communibus paſcens. *Inter Fragmenta Gaufridi col.* 1275 *inſignis hæc mulier dicitur* digna tanto genere, & tanto viro, immò & gloriâ utriuſque .. Elizabeth filium hunc, divino edocta oraculo, teneriùs omnibus dilexit: unde & patris ſui ei nomen impoſuit, Bernardum eum vocans. *Joannes eremita à col.* 1282

C

Venerabilis, *ait*, Alays .. conſueverat inter cetera virtutum inſignia, circuire domos, exquirere pauperes infirmos & egenos, eiſque de ſuo proprio erogare, quod neceſſarium erat. Claudorum etiam atque debilium maximam habebat curam; non ſervis, non aliis utens miniſtris ad hæc officia peragenda, ſed per ſemetipſam hoc agens, ad eorum habitacula veniebat, & unicuique quod opus erat præbens, per eccleſiarum xenodochia devotiſſimè diſcretis infirmis miniſtrabat, ollas eorum extergens, cibos porrigens, calices diluens, & alia cuncta faciens, quæ ſervis & miniſtris mos eſt ſerviliter operari. Quid plura? Volumus omnes virtutes ejus narrare? Minimè, quia nobis non crederetur. Unum tamen relatu digniſſimum proferemus in medium, rem videlicet plenam miraculo, nec ſine admiratione à nobis auditam, referente quodam abbate religioſiſſimo, nomine Roberto, qui magis quam ſexaginta ſeptem annis in monaſterio ſub jugo Regularis diſciplinæ vixit: nepos ſiquidem ejuſdem matronæ, de qua volumus pertractare; filius autem ſororis ſuæ; ad quem etiam beatus Bernardus primam epiſtolarum ſuarum dirigit.

16 *Summa rei, pluribus in prædicta Vita relatæ, in eo poſita eſt, quòd integerrima illa femina obitum ſuum prænuntiarit, & religioſiſſimè ſupremis Eccleſiæ ſubſidiis ad eumdem comparata*, in manus Domini commendans ſpiritum ſuum, elevata manu ſignans ſe ſignaculo ſanctæ crucis, in pace reddiderit ſpiritum .. In hunc modum ſanctâ illâ animâ de templo ſancti corporis egreſſâ, manus, ſicut erat erecta ad indicandum ſignum crucis, videntibus & admirantibus cunctis, qui aderant, ſic remanſit. O feminam igne divini amoris incenſam, fide robuſtam, ſpe patientiſſimam, caritate devotam! *Sed nunc vela contrahamus. De ingenti concurſu in felice ejus obitu; corpore à monachis S. Benigni petito ac impetrato, nec non ibidem honorificè depoſito; de apparitione item filiis facta, tranſlatione in Claramvallem, & anno mortis tractat illuſtriſſimus Manricus ad annum* 1105 *num.* 8 *& ſequentibus. Documenta quoque de ejuſdem vita & obitu, atque epitaphium inſerta ſunt Probationibus Diatribæ Chiffletianæ à pag.* 431. *Eam memorari cum titulo* Beatæ *in Menologiis Chryſoſtomi Henriquez, Bucelini & Chalemoti, indicavimus jam pridem in Prætermiſſis ad diem* IV *Aprilis, tomo* I *ejuſdem menſis pag.* 320: *de qua item in libro ſepulchrorum Claræ-vallis iſta legi diximus:* Item ibidem jacet piæ recordationis nobilis domina & Deo devotiſſima Aleydis, mater Doctoris egregii, & patris noſtri B. Bernardi, primi Claræ-vallis abbatis. *Mortem ejus ex Manrico affiximus anno* 1105, *ut videſis apud nos in Annotatis ad Vitæ* S. Bernardi *caput* I *littera* i. *Nos interim* Beatæ *titulum piiſſimæ illi mulieri tribuere non audemus, donec nobis aliunde conſtiterit è certis documentis, publico ac legitimo cultu eam fuiſſe honoratam. Habes, lector, quæ hoc loco memoranda cenſuimus de Sancti parentibus.*

D

ſpectatiſſimi.

Futura S. Bernardi

17 *Ex hac itaque fortunatiſſima conjugii radice prodiere ſeptem illi floſculi formoſiſſimi, de quibus paullo antè dicebamus. Progredi nunc placet ad* S. Bernardi *ortum, educationem, raraſque tum divinorum chariſmatum, tum alias indolis atque ingenii dotes, quibus vel ab ineunte ætate ita emicuit, ut majoribus deinde à ſe gerendis rebus non obſcurè præludere videretur. Ac primò quidem illud Vir magnus habuit cum aliis viris magnis commune, quòd ſigna præceſſerint ortum ejus. Matri quippe prægnanti viſus in ſomnis catulus pulcher candidus; ſed in dorſo ſubrufus, & vel in ipſo etiam utero non conticeſcens. Rem defert ad virum quemdam religioſum:* Continuò ille ſpiritum prophetiæ concipiens, quod David de ſanctis prædicatoribus Domino dicit, Lingua canum tuorum ex inimicis, trepidanti & anxiæ reſpondit: Ne timeas, benè res agitur: optimi catuli mater eris, qui domûs Dei cuſtos futurus, magnas pro ea contra inimicos fidei editurus eſt latratus. Erit enim egregius prædicator, & tamquam bonus canis, gratiâ linguæ medicinalis, in multis multos morbos curaturus eſt animarum, *teſte Guillelmo in Vita cap.* I.

E

F

necdum nati magnitudo

18 *Audiatur etiam Gaufridus, abbas Claravallenſis IV, ſermone in anniverſario obitûs* S. Bernardi *apud Mabillonium col.* 1309 *& ſequentibus, qui ſermo habitus anno* 1163, *ut colligitur ab ipſo ex num.* 5. *In iſto itaque ſermone num.* 15 *hæc ſunt de eodem Sancto:* Cùm .. alios in pueritia, alios in juventute, alios in ſenectute vocaverit; nonnullos tamen, ſed paucos, velut quodam privilegio gratiæ ſpecialis in benedictione

AUCTORE J. P.

A ne præveniens, imò præripiens, necdum natos, quales eſſent, quibus voluit ſignis & indiciis declaravit. Sic electi ſui & prædilecti hanc venerabilem matrem, adhuc feliciſſimo onere gravidam, inſolita viſione perterruit; ſed interpretatione ejuſdem conſolatus eſt viſionis.. Sic nimirum Bernardus noſter ex quo cœpit utcumque vivere, cœpit mirabilis apparere: necdum parturiebatur, & jam prædicabatur, vel magis jam ipſe prædicabat: & nec lactens quidem adhuc erat, jam tamen laudans Dominum apparebat. Nec immeritò ſic commendatur antequàm natus eſt: non immeritò, inquam, divino magnificabatur oraculo, dum adhuc materno parvulus geſtaretur in utero.

vaticinio prænuntiatur;

19 *Hinc Burchardus abbas Balernenſis in* Subſcriptione, *quam libro* I *Vitæ, Guillelmo ejuſdem ſcriptore defuncto, appoſuit*, Qui, *ait*, & in utero matris ſignificationem * viſus eſt accepiſſe, de qua concepta ſunt præſagia futuræ ſanctitatis illius vitæ pariter & doctrinæ. *At verò mater ejus tali præſagio lata, & jam tum præguſtans gaudia ſibi obventura ex hujuſmodi filio,*

* *al.* ſanctificationem

B in amorem nondum nati, *ut dicit Guillelmus cap.* I, tota transfunditur, cogitans ſacris eum litteris erudiendum tradere (*quantumvis alii pro more patriæ, uti cogitare licet, ad militiam deſignarentur*) *& obnixè agere, quidquid eò conducere poſſet*, ſecundum modum viſionis & interpretationis, quâ ei de illo tam ſublimia promittebantur, *prout adjungit idem auctor*, quod & factum eſt.

natus autem Deo offertur à matre, & educatur.

20 *Interea temporis*, Enixæ Alcidi, *ſicut memorat illuſtriſſimus Manricus num.* 7, in more ſemper fuerat, recèns natos infantes offerre Deo, oblatos proprio lacte nutriendos reaſſumere, ſive quòd mater integra exiſtens (nam quæ non lactant, dimidiare videntur officia matris) plus ſibi juris in oblatos vendicaret, adeoque etiam plus in illis Deo offerret; ſive quòd ipſa oblatio, utroque illo materno clauſa munere, innata potiùs quam adventitia omnibus eſſet: quam cauſam paullo aliter deſignant Guillermus (Guillelmum *poſthàc in textibus è Manrico afferendis nos illum vocabimus*) Alanuſque, dum ita ſcribunt *lib.* I *cap.* 1: Quali * cum lacte materno

* *l.* quaſi

C materni quodammodo boni eis naturam infunderet. In Bernardo ſpeciale aliquid lego. Nam primò quod ad oblationem attinet," Mox ut illum „ felici partu ediderat, non modo obtulit [eum] „ Deo, ſicut de aliis agere conſueverat; ſed ſi„ cut legitur de ſancta Anna matre Samuelis, „ quæ petitum à Domino, & acceptum filium, „ in tabernaculo ejus dedicavit * perpetuò ſer„ viturum; ſic & ipſa [eum] in Eccleſia Dei „ acceptabile obtulit munus „ *ex duobus biographis modò citatis.* Præſentatus in templo Bernardus eſt, ut vel ſic ab exordio vitæ inciperet Virginis Matris filius apparere. Deinde quod attinet ad lac; Burchardus addit, non umquam aliud ſugere voluiſſe. " Nam, ut referunt de illo, „ numquam ſuxit ubera nutricis, niſi ſolius ma„ tris „. Quippe jam tunc votorum illius ſocius antequam conſcius, & necdum juſſus per omnia obtemperabat, cooperarius maternæ pietatis atque oblationis ab ea ſemel conceptæ, ipſe non tantùm hoſtia, ſed conſacerdos. *Ita Manricus: qui verba Subſcriptionis Burchardi*, Nam, ut referunt de illo, numquam ſuxit *&c.* (*Vide Surium hac die* xx *Auguſti poſt librum primum Vitæ; de hac enim re nihil lego in Subſcriptione Burchardi à nobis edenda*) *ſatis oratoriè ampli-*

* *al.* deſtinavit

ficat. Reliqua, quæ ad lactentis tempus pertinent, idem Burchardus apud Surium proſequitur his verbis: De matris utero exierunt cum illo indicia bonitatis, facies gratioſa, vultus placabilis, oculi columbini. Quidquid fuit illi ad indicium bonitatis ex dono naturæ, per donum gratiæ tranſiit in virtutem. Infans, nondùm fans linguâ, fari videbatur gratiâ jam acceptâ.

Singularibus naturæ & gratiæ

21 *Verùm de eximiis naturæ ac gratiæ prærogativis nonnulla ſingillatim his addenda venerunt ex Guillelmo & Alano cap.* 1. *Ac de litterarum quidem ſtudio ingeniique præſtantia hæc narrant:* Quam citiùs potuit *Pueri mater*, in eccleſia Caſtellionis (quæ poſtmodùm ipſius Bernardi operâ à ſeculari converſatione in Ordinem Regularium Canonicorum promota cognoſcitur) magiſtris litterarum tradens erudiendum, egit, quidquid potuit, ut in eis proficeret. Puer autem & gratiâ plenus & ingenio naturali pollens, citò in hoc deſiderium matris implevit. Nam in litterarum quidem ſtudio ſupra ætatem, & præ coætaneis ſuis proficiebat. *Nec mirum, cùm præter ingenii vim, quâ valebat, declinaret ſedulò alia ineuntis ætatis diverticula, quæ mentem longè aliò diſtrahunt.* Erat namque ſimpliciſſimus in ſecularibus, amans habitare ſecum, publicum fugitans, mirè cogitativus.. foris rarus. *His adde noſtrum apographum è Ms. Aureæ vallis, ſubmiſſo à R. P. Alexandro Wiltheim, collegii Societatis Jeſu Luxemburgenſis Rectore, in quo apographo leguntur iſta:* Fuit autem Puer in his, quæ ad litteras pertinebant, perſpicaciſſimi ingenii, faciliùs diſcens quæcumque à magiſtris tradebantur, ſuper omnes coætaneos ſuos.

dotibus exita habet cellit.

22 *Subſcriptio autem Burchardi apud Surium* Avulſus à lacte, & tranſiens jam in puerum, jam aliquid maturum prætendebat, puerilia jura tranſcendens. *Nec verò ſtudiis dumtaxat illis, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari ſolet, ſeſe excoluit; ſed* litterarum etiam ſtudio *fuit* deditus, per quas in Scripturis Deum diſceret, & cognoſceret, *ex Guillelmo & Alano cap.* 1. Hinc videas, *inquit Manricus ad annum Chriſti* 1105, *cap.* 2, *num.* 6 & 7, quod de ipſo dici ſolet, theologiam infuſam à Deo fuiſſe ſortitum; quodque ipſe etiam dicere ſolebat, ſe inter fagos & quercus didiciſſe; ad incrementa potiùs referendum, quàm ad initia, atque ad ſuperiorem rerum contemplationem, certioremque quàm in ſcholis haberetur. Aliàs rudimentis theologiæ imbutus fuit, rudibus ſanè pro qualitate illius temporis; ſed imbutus tamen, atque in ſacra Scriptura verſatus non mediocriter.

An etiam

23 *Poëſi eum etiam operam navaſſe vult Manricus, ibidem num.* 7 & 8 *hæc memorans:* Non me latet, ſcriptum de illo quondam, à primis fere rudimentis adoleſcentiæ ſuæ exercuiſſe poëſim, editis verſibus vernaculo ſermone, qui longè & latè vulgati per totam Galliam, neque poſt multos annos exoleverant: tum etiam fratres, aliàs ſibi chariſſimos, nedum cæteros ſtudiorum commilitones, rhythmico certamine, acutæque inventionis experimentis non ſolùm exercuiſſe, ſed ſuperâſſe. Quæ tamen, ut nullius fidei digna, quippe ab auctore damnato (Berengario Abailardi diſcipulo in Apologia contra beatum Bernardum excuſa Pariſiis anno MDCXVI; quam tamen hoc anno MDCXXXII ſacrum Inquiſitionis tribunal in Hiſpania penitus cenſuit abolendam, *uti idem Manricus ad marginem notat*) & tunc furenti, per convicium objecta, ita vera fortaſſe

AUCTORE J. P.

esse potuerunt. Certè Bernardi rhythmicæ orationes ad singula Salvatoris patientis membra, ad Christum Dominum, & ejus Matrem Virginem, & id genus aliæ, lumen ingenii pandunt. Legitur hodieque libellus ejus, cui nomen FLORETUS, heroïco, neque ineleganti carmine conscriptus, in quo de vitiis, virtutibusque, de Sacramentis, deque cunctis mysteriis nostræ fidei luculenter exactéque pertractat.

in poëticis se exercuerit.

24 Nec suppositus partus, ut apparet; quippe à Joanne Gersone, antiquo & gravi theologo, non solùm ut Bernardi opus admissum vulgatumque, sed commento illustratum satis prolixo, quod Lugduni in folio apud Joannem Marion anno MDXX, sed & alibi etiam excusum lector inveniet. Ergo Bernardus poësim satis calluit, exercuitque in materiis sacratioribus. Nec multum fuit, si, mutatâ olim materiâ, & loco & tempori indulgens & ætati, aliquam ejus speciem præ se tulerit. *Ita censet Manricus. Verùm huic rei arbitrum me non interpono, tum quia in antiquissimis biographis nihil de ea lego, tum quia sive ea sic se habeat, sive aliter; nihil magnopere confert ad laudem sancti Doctoris, qui aliis tot lucubrationibus eam obtinuit gloriam, ut ex hujusmodi poëticis scriptiunculis illa quæri minimè debeat. Præterea consuli potest Admonitio Mabillonii in versus & rhythmos*, S. Bernardo *adscriptos, quæ Admonitio habetur volumine secundo col.* 891; *in qua refert, se non existimare*, versus & rhythmos, *quos subdit*, Bernardo esse tribuendos. *At de Viri sancti scriptis inferiùs etiam agemus, quantum fuerit satis pro nostro instituto.*

B

§ III. Cælestes in Sanctum favores; propositum monastici instituti; superata contra illud obstacula; socii ad idem aggregati; mirabile in humana corda dominium; vita ante ingressum ad Cistercienses.

C

Vitæ integritas S. Bernardi

PRæter ingenii ac litterarum ornamenta, quibus Sanctus suprà, quàm fert puerilis ætas, emicabat, mores egregios, ac peculiares in eo divinæ gratiæ favores suspicere meritò debemus. Audiatur itaque Guillelmus in Vita ejus apud nos cap. 1, *num.* 5: In rebus secularibus jam mortificationem futuræ perfectionis velut naturaliter inchoabat. Erat parentibus obediens & subditus; omnibus benignus & gratus .. & ultrà, quàm credi posset, verecundus; nusquam multum loqui amans, Deo devotus, ut puram sibi pueritiam suam conservaret. *Hanc innocentem vivendi normam divina misericordia benedictionibus prævenit. Etenim, uti refert Guillelmus cap.* 1, *num.* 6: Cum adhuc puerulus gravi capitis dolore vexaretur, decidit in lectum. Adducta autem ad eum est muliercula, quasi dolorem mitigatura carminibus, *seu præstigiis*: quam cùm ille appropinquantem sentiret cum carminalibus instrumentis, quibus hominibus de vulgo illudere consueverat, cum indignatione magna exclamans à se repulit, & abjecit. Nec defuit misericordia divina bono zelo sancti Pueri; sed continuò sensit virtutem, & in ipso impetu spiritûs surgens, ab omni dolore liberatum se esse cognovit. D

apparitione nascentis pueri Jesu honoratur:

26 *Quid, quod præter hanc corporis sanitatem data ei fuerit à Domino gratia animæ planè singularis, quando ipsi Puero puer Jesus* apparuit .. velut denuo procedens sponsus è thalamo suo. Apparuit ei quasi iterum ante oculos suos nascens ex utero Matris Virginis Verbum infans, *uti ibidem scribitur. Quantis autem divinæ gratiæ fluentis, quanto unctionis melle, futurus posteà Mellifluus Doctor, fuerit delibutus ex illa apparitione, intelligi facilè potest cùm ex ipsa rei natura, tum è fructu inde postmodùm consecuto. Nam statim biographus idem*, Facile est, *ait*, advertere iis, qui ejus auditorium frequentaverunt, in quanta benedictione eâ horâ prævenerit eum Dominus: cùm usque hodie in iis, quæ ad illud pertinent sacramentum, & sensus ei profundior, & sermo copiosior suppetere videatur. Unde & postmodùm in laudem Genitricis & Geniti, & sanctæ ejus Nativitatis, insigne edidit opusculum, *de quo ibidem agitur. Ex his itaque conficitur, favores cælestes meritis, merita autem favoribus in* Bernardo *respondisse ab ipsa ejus puerili ætate, &, ut dicebam superiùs ex Burchardo*, Quidquid fuit illi ad indicium bonitatis ex dono naturæ, per donum gratiæ transiisse in virtutem. *Quò non mediocriter conduxerit innata quodammodo ei etiam tunc, ac mirifica illa erga pauperes misericordia, referente Guillelmo ibidem num.* 7: Neque illud tacendum, quod ab ipsis jam pueribus annis, si quos poterat nummos habere, clandestinas faciens eleemosynas, & verecundiæ suæ morem gerebat, & pro ætate, imò supra ætatem, pietatis opera sectabatur. *Verùm hæc, quæ relata jam sunt, sive rerum longè majorum, quæ de Sancto sunt memorandæ, exordia, sive præludia nuncupare lubet, cùm ita se habeant; videndum nunc est, quàm egregiè cum crescente paulatim ejus ætate accreverint simul virtutum & gratiarum cælestium ornamenta.* E

contempto sæculo,

27 Cùm autem, *uti habet Guillelmus loco citato*, aliquanto tempore evoluto, proficiens ætate & gratia apud Deum & homines puer Bernardus de pueritia transiret in adolescentiam, mater ejus .. feliciter migravit ad Dominum. *Post hæc* Bernardus, *mortua matre, in sæculo relictus magnam de se concitabat exspectationem propter gratias singulares, quibus erat præditus. Spes magnæ ipsi arridentes; obsident amicitiæ, expugnandæ ipsius castitati horribiles struuntur insidiæ; sed in tàm lubrica ætate, tamque periculoso conflictu triumphat integerrimus, interque medios illos ignes perstat illæsus. At verò cùm graphicè de his rebus agat Guillelmus cap.* 1, *satis est, eas obiter hoc loco designasse.* Non tamen hæ victoriæ, *sicut testatur illustrissimus Manricus ad annum* 1110, *cap.* 2, *num.* 6, sine mercede, quam etiam in hac vita reportavit. Tradit Anonymus Gallus lib. 7 cap. 9 in ejus Actis (quod ex Joanne eremita Bernardo subæquali acceptum, ut ipse ait, certiorem adhuc fidem sibi vendicat) post multos annos Claramvallem regenti sancto Viro, mulieres quasdam à dæmonibus obsessas, per ipsum liberandas fuisse adductas. Ab altera ante adventum Sancti fugatum dæmonem, vel potiùs ultro abeuntem proclamasse, Bernardo se resistere non posse; quippe cui adhuc in sæculo manenti, atque ejus operâ contra castitatem tentato graviter, sed omnino invicto, per omnia obsequuturus fuerit traditus, F

A ditus. Hæc & ſimilia trophæa Vir ſanctus referens, de communi hoſte, ex gratia Dei, glorioſus triumphabat. *Vidimus paullo antè* Bernardum *in ſeculo degentem; nunc verò eum à ſeculo ad perfectiorem vitam converſum proſequamur Manrici verbis ad annum prædictum num.* 7.

Ciſtercium meditatur,

28 Tunc verò, *ait*, in ipſo flore adoleſcentiæ, ætatis ſuæ anno vigeſimo, quo cæteri plus ſolent retardari, fervore appetitûs altiùs æſtuante atque obruente ſpiritûs fervorem; ipſe econtra, prævalente eadem gratia, ac motus omnes rebelles coërcente, primas eremi vocationes ſentire, ſæculi fugam tunc primùm meditari, atque Ciſtercium altiùs infixum cordi, periclitanti ſalutare refugium, infirmo remedium, præſervativum valenti meditabatur. Cæleſtem orbem in terra tunc fulgentem, quem jam luna & ſtellis, hoc eſt Stephano & ſociis illuſtratum, ejus, ut ſolis radii, quod minimè præſumebat, præſtolabantur. *Qui primæ hujus converſionis deſcriptionem apud biographos deſiderat legere; adeat Guillelmum cap.* 2; *ubi etiam inveniet conatus fratrum, & amicorum, modis omnibus id agentium*, B ut animum ejus ad ſtudium poſſent divertere litterarum, & amore ſcientiæ ſecularis ſeculo arctiùs implicare.

ac fruſtrà obnitentibus fratribus ſuis,

29 *Hæc ibi breviſſimè; ſed illuſtriſſimus Manricus ad annum* 1111, *capite unico*, *num.* 4 *illa amplificans, addidiſſe fratres memorat*, homines non ſolis ſibi natos, ſed reipublicæ, imò orbi profuturos: monachos in eremo latentes, & mundo profugos, neque doctrinâ alios juvare neque exemplis: quin ſub honeſto contemplationis nomine palliantes otium, ſegnitiei potiùs & deſidiæ operam dare, & ſuſtentandos aliorum eleemoſynis, quod olim Tiberius imperator de aliis dixerat, ſibi ignavos exiſtere, aliis graves. Tum ut otium excutiant laborantes, ac de proprio ſudore quærentes victum, aliorum etiam redimant gravamen; quod de novo illo monachorum genere, in agro Belnenſi recèns inſtituto, fama vulgaverat: haud tamen tantæ ſpei Adoleſcentem, indole, moribus, ingenioque præſtantem, atque in ſuæ familiæ gloriam, ut credebant, vel magis in communem uſum conceſſum orbi, ruri & aratro fore mancipandum: C colendis agris multos ſupereſſe, quibus non alia munia injungi poſſent; ipſum ſe debere publicis rebus, ne, ſi talentum ſibi à Deo creditum in terra deſerta inviaque abſconderit, damnationem incurrat *&c.*

moram tamen aliquam injicientibus,

30 *Quamquam verò fratrum & amicorum molimina Juvenem pium, ac propoſiti ſui tenacem non permutarint; moræ tamen aliquid ei injecerunt. Etenim, referente Guillelmo cap.* 2, *num.* 11, *hac* nimirum ſuggeſtione, ſicut fateri ſolet, propemodùm retardati fuerant greſſus ejus. *Plus dicit Ms. Aureæ vallis:* Hortantur eum ad ſtudia litterarum, quâ maximè viâ faciliùs eum detinere poſſe ſperarent. Placuit ſermo in oculis ejus, & conſtituta eſt dies, quâ providerent fratres itineri ejus neceſſaria, & ſic in Alemanniam proficiſceretur. *Sed non eſt conſilium contra Dominum. Vicit enim* Bernardus *obſtacula omnia, Spiritu ſancto operante, & in ejus animum revocante piiſſimæ matris memoriam, ſpemque & exſpectationem melioris & altioris fortunæ, quam de chariſſimo ſibi filio conceperat, ac jam præguſtaverat. Audiamus Guillelmum de hac re loco citato:* Matris ſanctæ memoria importunè animo ejus inſtabat, ita ut ſæpiùs ſibi occurrentem videre videretur, conquerentem & im-

properantem, quia non ad hujuſmodi nugacitatem tam tenerè educaverat, non in hac ſpe erudierat eum. AUCTORE J. P.

propoſitum exſequi ſtatuit, & fratres ad illud induxit.

31 *Guillelmo adſtipulatur Ms. Aureæ vallis:* Feſtinans autem ad conſtitutum diem & locum, cœpit ſubitò maternam in animo ſuo imaginem volvere, & confundi, quòd fruſtraret ſpem, quam de eo ipſa conceperat, & nihil pro ea ageret, à qua tam tenerè fuerat educatus. *Sic itaque* Bernardus *in priorem cæleſtis vocationis orbitam reducitur, victuſque tandem eſt, ſeu potiùs ſui ac fratrum victor laureatus evaſit, dum divinis materniſque monitis obtemperans, Dei ſe famulatui, cui ſervire, regnare eſt, penitus addixit, & ita quidem, ut eoſdem fratres, quos antea habuerat in piiſſimo melioris vitæ decreto maximè ſibi adverſarios, tandem in ſuam ipſe deduxerit ſententiam, ac monaſtici ejuſdem inſtituti contubernio feliciter aggregarit, ac genuerit in Chriſto Jeſu, factus è germano fratre, eorumdem in ſpiritu pater. Pergamus cum Guillelmo:* Primus omnium Galdricus, avunculus ejus abſque dilatione aut hæſitatione, pedibus (ut aiunt) ivit in ſententiam nepotis, & conſenſum E converſionis; *ſecuti deinde fratres. Quonam autem ordine, quo modo illa acciderint, quam fervido Sancti ſpiritu, & quàm inſigni etiam alicubi cum vaticinio, refert ſingillatim ſimul ac patheticè idem Guillelmus biographus. Manricus verò ea innectit anno Chriſti* 1112, *Ciſtercii* 15; *ubi etiam ſatis prolixam rerum geſtarum narrationem exponit.*

Mira pollet ſermonis vi ad hominum corda ad Deum trahenda:

32 *Mira autem ac omninò cæleſtis agebat* Bernardum *vis, quando verbum Dei intonans puſillum Domini gregem à ſe collectum novis augere incrementis ſatagebat. Etenim, auctore Guillelmo*, eo publicè & privatim prædicante, matres filios abſcondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant: quia voci ejus Spiritus ſanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus. *Tam potens acceperat novus ac juvenis hic Præco à Spiritu, quo intus agebatur, in humana corda dominium. Verùm plures inter mirabiles converſiones non infimo cenſenda loco eſt illa, quæ accidit in Hugone Matiſconenſi, qui à Guillelmo laudatur num.* 15 *tamquam* nobilitate & probitate morum, poſ- F ſeſſionibus & divitiis ſeculi ampliatus: qui hodie merito religionis & ſanctitatis ſuæ, raptus à Pontiniacenſi cœnobio, quod ipſe ædificavit, Autiſſiodorenſi eccleſiæ præeſt merito & honore pontificis. *Deinde laudatus biographus ſubdit vocationem ejus ad perfectiorem vitam. Quandoquidem verò relatio hujus facti, quæ exſtat apud Guillelmum, differt ab ea, quæ habetur in noſtro exemplari è Ms. Aureæ vallis, ideo lectorem eâ fruſtrandum non putavimus. En itaque textum ejus:*

inter quorum converſiones illa eſt mirabilis,

33 Ait quadam die ad fratres ſuos: Habeo amicum Maſticoni Hugonem de Vitreio; & ipſum oportet adducere, ut ſit & ipſe unus ex nobis. Erat autem Clericus nobilis, & jam maturioris ætatis, ſecularibus pariter & eccleſiaſticis poſſeſſionibus affluens. Cœperunt ergo qui noverant, eum temeritatis arguere: ſed nihilominus ille confidens, ſine omnium hæſitatione feſtinavit ad ipſum. Erat autem fama in regione quod Hieroſolymam eſſet iturus: ſic enim ipſe fingebat; non in eam, in qua fuit, ſed, in qua eſt Deus, Hieroſolymam profecturus. Videns ergo eum prædictus Hugo, flens & ejulans in amplexus ejus ruit. Sed Vir Dei lacrymas ejus penitus

AUCTORE J. P.

non attendebat. Ubi verò paululùm reſpiravit, revelat ei propoſitum ſuum: &, ecce, innovatus eſt dolor, & fons lacrymarum fluxit uberior, ita ut tota die illa non quieſceret pupilla ejus. Sequenti nocte pariter accubuerunt in anguſtiſſimo ſtrato, ita ut vix caperet alterum: nec tunc ergo ceſſabat à lacrymis Hugo, ita ut argueret eum Vir ſanctus, quod dormire eum non pateretur. Ubi verò obdormivit, videbatur ſibi ex more invocato Spiritu ſancto habere ad eum de converſatione ſermonem, & non deeſſe voci ſuæ vocem virtutis.

quæ facta eſt

34 Mane autem facto, cum rurſum fleret Hugo, moleſtè jam accipiens, cœpit duriùs objurgare eum. At ille, Non mihi, inquit, eadem hodie lugendi cauſa, quæ fuit heri: heri enim ſuper vos flebam; hodie ſuper me ipſum. Novi enim veſtram converſationem, & mihi, quàm vobis, converſionem eſſe neceſſariam, non ignoro. Ad quem Bernardus exultans, Flete, inquit, nunc ſatis: quoniam optimæ ſunt lacrymæ iſtæ: nolite ceſſare. Exhinc cum vidiſſent eos Clerici ambulantes pariter & exultantes ſimul, nec ad momentum ab invicem ſeparari; conati

B

ſunt Hugonem avellere à Bernardo, timentes imò jam apertè cognoſcentes, quoniam uno ſpiritu agerentur. Tenentes ergo Hugonem, jam nulla ratione pati voluerunt, ut Vir Dei cum eo de cetero loqueretur. Abiit ergo triſtis: ſed nihilominus erat adhuc cor ejus fiduciam habens in Domino. Poſt aliquot dies ſanè conventum audiens epiſcoporum, feſtinavit illuc, ut Hugonem videret. Clerici verò cùm vidiſſent eum, præter morem torvo ocello reſpicere, & ſtipare Hugonem undique, ne quis pateret acceſſus. Sedentibus ergo in campo & colloquentibus epiſcopis in medio Clericorum juxta Hugonem ſedens, loqui ei non poterat propter adſtantes: ſed tamen flebat uberrimè ſuper collum ejus: &, ecce, inundaverunt aquæ & cælum dedit pluvias, ita ut diſperſi cum omni feſtinatione ad proximum vicum currerent; ſed Beatus Hugonem manu tenens, Mecum, inquit, in pluvia ſtabis: ſtatimque ſerenitate reddita, ſoli ſtabant in campo.

in Hugone Matiſconenſi.

35 Et confeſſus eſt Hugo juramentum, quod fecerat, minimè ſe [monachum] fore uſque ad annum. Hoc autem fecerat, ut deciperet Clericos; annuam quippe probationem non ignorans. Ibi confirmato ex integro ſodalitio ſpirituali, redierunt, manu ſeſe tenentes alterutrum: & jam deſperati omnes, nemo deinceps Hugonem detinere tentavit. *Ex hac itaque nova* Bernardi *victoria, novus in laudes ejus excrevit triumphus, idemque planè ſingularis, ob virum tam magnum, quem monaſtico adjunxit inſtituto. Lubet his attexere clauſulam Manrici, quam converſioni Hugonis, ad annum Chriſti* 1112., *cap.* 2, *à num.* 3 *in hunc ſubnectit modum:* Quibus videas, vel in ipſo ſuæ converſionis initio Bernardi poteſtatem penè immenſam, cælum nimirum nubibus claudentis, & rurſus aperientis portas ejus pro ſuo libito, obediente nimirum Domino, etiam ante prolatam vocem, menti hominis, ut Bernardi non ſolùm lingua, ſed cor etiam clavis cæli jam tunc comprobaretur. Videas præterea renovata primitivæ Eccleſiæ felicia tempora, & primas illas Chriſti vocationes, non conſanguineis parcentes, non extraneis, renovata miracula & prodigia, queis homines trahebantur ad Euangelium.

36 *Quanam interea temporis, antequam Ciſtercienſe monaſterium ingrederetur ſacer ille grex, acta ſint, legi poſſunt apud Guillelmum, è quo delibo iſta num.* 17: Creſcente . . numero eorum, qui in hanc converſionis unanimitatem conſenſerant, ſicut de primitivis Eccleſiæ filiis legitur: " Multitudinis eorum erat cor unum „ „ & anima una in Domino „ & habitabant unanimiter ſimul, nec quiſquam aliorum audebat ſe conjungere eis. Erat enim eis Caſtellioni domus una propria & communis omnium, ubi conveniebant, & cohabitabant, & colloquebantur; quam ingredi vix aliquis audebat, qui non eſſet de cœtu eorum . . Ipſi verò quaſi menſibus ſex poſt primum propoſitum in ſeculari habitu ſtabant, ut proinde plures congregarentur, dum quorumdam negotia per id temporis expediebantur. *Atque hæc quidem initia fuere magnarum rerum, quas* S. Bernardus *poſtmodùm per ſe alioſque pro gloria Dei, Eccleſiæ Catholicæ bono, ac monaſtici inſtituti propagatione egregiè ac feliciter geſſit. Nos itaque nunc eum cum ſodalitio ſuo cœnobii Ciſtercienſis tecta ſubeuntem comitemur.*

D

Deſcribitur vita S. Bernardi, & ſociorum, antequam Ciſtercium ingrederentur.

E

§ IV. Tirocinium; virtutes in eodem exercitæ; Ordinis habitus; religioſa profeſſio; animi & corporis exercitationes.

S. Stephano abbate, Bernardus cum ſociis * *al.* XXII

ANno ab Incarnatione Domini MCXIII, à conſtitutione domus Ciſtercienſis XV, ſervus Dei Bernardus annos natus circiter XXXIII *, Ciſtercium ingreſſus, cum ſociis ampliùs quàm triginta ſub abbate Stephano, ſuavi jugo Chriſti collum ſubmiſit. *Ita Guillelmus cap.* 3 *Vitæ. Manricus ad iſtum annum cap.* 2, *num.* 1, *nonnulla obſervat de numero ſociorum:* Nec, *inquit*, omnes admiſſi ſine delectu: Robertus juvenis repulſus, quia nimium tener; ſi revertatur maturior, recipiendus . . Interim adnoto, hinc fortè factum fuiſſe, ut quidam triginta tantùm viros; alii Bernardum cum triginta veniſſe tradant, nempe Roberto inter eos annumerato, quem dilata probatio, non ablata, utrique parti reliquit velut in dubio. *Nec verò libellus, cui titulus,* Exordium Ciſtercienſis cœnobii (*quod opuſculum ad diſtinctionem* Exordii magni Ciſtercienſis, *parvum vocamus*) *numerum Sociorum auget ultra triginta, uti patet è verbis ejuſdem Exordii parvi cap.* 17 *apud Bertrandum Tiſſier, pluribus poſtea memorandum*, authore ſancto Stephano, *quæ ſic habent:* Ergo iſtis temporibus viſitavit Dominus locum illum . . Nam tot Clericos literatos, & nobiles laïcos, & in ſæculo potentes, & æquè nobiles, uno tempore ad illam Dei gratia tranſmiſit eccleſiam, ut triginta inſimul in cella novitiorum alacriter intrarent, ac bene contra propria vitia, & incitamenta malignorum ſpirituum, fortiterque decertando curſum ſuum conſummarent.

F

Claramvallem ingreditur,

38 *Et mox*, Eadem, *inquit Manricus num.* 2, ſed paulo altiùs repetito principio, pangit carmen antiquum, quod hodie etiam Ciſtercii dicitur permanere, ipſius columnis eccleſiæ appenſâ tabulâ. *Carmen autem illud ibidem recitat in hæc verba:*

Anno milleno nonageno ſimul uno
Fontanum caſtrum Bernardo contulit ortum.

Poſtea

A Poſtea dumtaxat ſeptem labentibus annis
Hoc in cœnobio cœpit Ciſtercius Ordo :
Qui dum quindenos tandem creviſſet in annos,
Intus ſuſcepit Vir ſanctus religioſam
Sub Stephano veſtem, ſocios triginta trahendo.

Quod ibi dicitur de religioſa veſte, tamquam ſpongiâ indigum paullo pòſt corrigit laudatus Annalium Ciſtercienſium auctor, ut ſtatim videbimus. Ibidem autem num. 3 *&* 4 *ita pergit :*

Roberto fratre tunc in illam non admiſſo ob immaturam ætatem.

39 Cæterùm Stephanus divinitus præmonitus, oraculis ſuperiùs jam relatis, & de exhibitione præſentium firmiorem ſpem concipiens futurorum, uno Roberto repulſo quia parvulo, ſed admittendo, ſi perſeveraret, ut notabamus ; cæteros omnes alacris admiſit, non quidem ſtatim religionis habitu donandos, quod ante annum probationis expletum tunc non in uſu ; ſed probandos in veſte ſeculari, anno tandem tranſacto deponenda. Utrumque colligo ex epiſtola Bernardi ad eumdem Robertum, inter omnes ejuſdem Sancti prima ſi non tempore, dignitate miraculi patrati, dum ſcriberetur, anno, quo contigit, à nobis referendo. Primum ex his verbis : " De ſeculo, te teſte, Roberte, veniſti Ci-
B „ ſtercium. Quæſiſti, petiiſti, pulſaſti : ſed tui „ adhuc teneritudine, te licèt invito, dilatus es „ per biennium „. Secundum verò ex ſubjunctis paulo inferiùs : " Poſt hæc per annum juxta re-„ gulam in omni patientia probatus, perſeveran-„ ter & ſine qu rela converſatus, poſt annum „ ſponte profeſſus, tunc primùm ſæculari veſte „ rejecta, religionis habitum ſuſcepiſti „.

Virtutes

40 *Quantâ verò donorum cæleſtium affluentiâ, ac Ordinis propagatione novorum iſtorum aſcetarum ac* Bernardi *imprimis adventum cumulaverit Dominus, habemus è Guillelmo in principio capitis* 3 *:* Ab illa autem die dedit Dominus benedictionem, & vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum ſuum, extendens palmites ſuos uſque ad mare, & ultrà mare propagines ſuas. *His adde quæ paullo antè præmiſerat ſub finem capitis* 2. *Et verò* S. Bernardi, *aliorumque ſociorum ejus exemplo plurimos jam tum adventaſſe Ciſterciùm, humanas utique res pertæſos, Exordium parvum Ciſtercienſe loco ſuprà citato teſtatur his verbis :* Quorum exemplo ſenes & juvenes, diverſæque ætatis homines, in
C diverſis mundi partibus animati, videntes ſcilicet in iſtis poſſibile fore, quod antea impoſſibile in cuſtodienda regula formidabant ; illuc concurrere, ſuperba colla jugo Chriſti ſuavi ſubdere, dura & aſpera regulæ præcepta ardenter amare, eccleſiam illam mirabiliter lætificare, & corroborare cœperunt.

in tirocinio

41 *Ferventem ſpiritum, quam ſecum* Bernardus *è ſeculo in monaſticum tirocinium invexerat, obnixè conatus eſt conſervare, magiſque ac magis novo cæleſtium flammarum pabulo accendere, & ſolidarum virtutum ornamentis condecorare. Enimvero Guillelmus cap.* 3 *de ipſius tirocinio loquens, magnum aperit campum in modum ejus vivendi, ac laudes debitas excurrendi, ſicut pluribus ibidem videri poteſt. En tibi tamen, benigne lector, pauca è multis, quæ ibi dicuntur, extracta ſpecimina :* Quomodo vitam angelicam gerens in terris vixit, neminem enarrare poſſe puto, qui non vivat de ſpiritu, de quo ille vixit. *Et mox :* Ingreſſus . . eſt domum illam . . intentione ibi moriendi à cordibus & memoria hominum, & ſpe deliteſcendi & latendi tamquam vas perditum, Deo aliter diſponente, & eum ſibi in vas electionis præparante, non ſolùm ad ordinem monaſticum confortandum ac dilatandum ; ſed etiam ad nomen ſuum portandum coram regibus, & gentibus, & uſque ad extremum terræ. *Sanctus autem Tiro parvulus omnino erat in oculis ſuis*, nil tale de ſe æſtimans aut cogitans, potiùs ad cuſtodiam ſui cordis, & propoſiti conſtantiam, hoc ſemper in corde, ſæpè etiam in ore habebat : Bernarde, Bernarde, ad quid veniſti ? AUCTORE J. P.

à Sancto

42 *Denique & illa ibidem num.* 23 *ſequuntur :* Cùm novitius eſſet, in nullo ſibi parcens, inſtabat omnimodis mortificare non ſolùm concupiſcentias carnis, quæ per ſenſus corporis fiunt, ſed & ſenſus ipſos, per quos fiunt . . Vix tantùm eis permittebat, quantum ſufficeret ad exterioris cum hominibus converſationis ſocietatem. Quod cùm continui uſus inſtantia in conſuetudinem mitteret, conſuetudo ei ipſa quodammodo vertebatur in naturam : totuſque abſorptus in ſpiritum, ſpe tota in Deum directa intentione ſeu meditatione ſpirituali totâ occupatâ memoriâ, videns non videbat, audiens non audiebat ; nihil ſapiebat guſtanti, vix aliquid ſenſu aliquo corporis ſentiebat. Jam quippe annum integrum exegerat E in cella novitiorum, cùm exiens inde ignoraret adhuc, an haberet domus ipſa teſtudinem, quam ſolemus dicere cælaturam. *Plura ibidem Guillelmus narrat cum inſigni commendatione tirocinii à Sancto noſtro decurſi, & præclariſſimis virtutibus ab eodem exornati.*

exercita

43 *Vita quarta apud Mabillonium edita, & à Joanne eremita conſcripta, lib.* 2 *à col.* 1284 *exemplum commemorat, è quo perſpicuum redditur, quanta cum ſeveritate ſanctus Tiro in culpas etiam leviſſimas animadverteret.* Igitur cum eſſet Juvenis ſanctiſſimus in cella novitiorum, quidam de parentibus ſuis venerunt, ut viſitarent eum, & locuti ſunt cum eo. Poſt ſignum verò horæ nonæ, reverſi ſunt unuſquiſque ad ſua, & religioſiſſimus Juvenis ad opus Dei in eccleſiam. Tunc ſecundum conſuetudinem elevans oculos ad cælum, putans ſe invenire gratiam Dei, ſicut & priùs, non invenit. Excogitavit itaque in ſe ipſo, hoc ſibi pro qualicumque delicto ſeu peccato contigiſſe, & non comperit niſi vanas fabulationes, quibus paullo antè per imprudentiam ſe expoſuerat. Qua de cauſa cum ſe culpabilem intellexiſſet, proſtravit totum corpus ſuum juxta altare, dicens cum Propheta : F " Domine, ne in furore tuo arguas me „ &c. Et cùm hoc feciſſet per viginti & quinque dies, apparuit ei gloria Domini, & replevit eum, & dedit ei ſcientiam Sanctorum, ut in bonum conſummarentur opera ejus.

commemorantur ; uti & habitus monaſticus,

44 Sed & alii venerunt viſitare eum, & acceperunt licentiam ab abbate Stephano, ut ad eum loquerentur. Et cùm ad eos duceretur, accepit ſtupas, & miſit ſub capucio in aures ſuas : ita ut hoc artificio ab inani confabulatione ſe conſervare poſſet immunem : ſicque venit ad hoſpites, & fuit cum eis per totam horam, & nihil audivit : non locutus eſt, niſi pauca verba de ædificatione. Tunc pulſatâ campanâ, gaudens, & relinquens eos, venit in eccleſiam, gratiâ ſuâ ſibi taliter à Deo conſervatâ. O virum præcipuæ ſanctitatis, & dignum memoriâ ! qui ſibi in hunc modum providendo, audientes adhuc ædificat, & ædificabit uſque in finem, non ſibi ſolummodò, ſed infinitis proficuus exiſtens. *Quod dicit biographus ille in ſecundo exemplo de* capucio, *ſi velit hoc intelligi de Sancto tunc adhuc novitio, atque adeo, ſecundum mox dicenda, monaſtica*

AUCTORE J. P. *veſte nondum tunc induto, non videtur ſatis conforme alteri narrationi, quam illico proferam. Hinc interim colligere licet, quanto ſtudio religioſiſſimus Juvenis in ſolidam perfectionem incumberet, cùm adeo accuratè in ſe caſtigaret tenuiſſimos quoque nævos, qui vel tantillùm eidem officere videbantur. De profeſſione ipſius ſolenni ac ſociorum nonnulla obſervat Manricus ad annum Chriſti* 1114, *cap.* 1, *num.* 1 *& ſequentibus, ita ſcribens:*

vota religioſa, 45 Sequens annus, videlicet Chriſti milleſimus centeſimus decimus quartus, Ciſtercii decimus ſeptimus, Bernardi & ſociorum ejus votis ſolemnibus .. fauſtus fuit .. Bernardum & ſocios poſt annum profeſſos regulam, auctores magis ſupponunt, quàm affirmant; quod non crediderim factum ſine myſterio; quippe cùm habitus non monachum faciat, ſed profeſſio; imò cùm neque habitum novitii tunc geſtarent, ut præcedenti anno jam oſtendimus; ſatis profectò mirabile apparet, quorum ingreſſus ab omnibus deſcribitur, profeſſionem à nemine referri. Delatum fortè conſtantiæ virorum Dei, quos ſemel
B ad aratrum admota manu haud dubium foret peracturos, quod inchoaverant. Profeſſi nihilominus ſunt regulam beati Patris Benedicti juxta rigorem conventus Ciſtercienſis, tuncque primùm monachali habitu induti, tonſuratique, quod etiam ultimum placuit adnotare. Nam ſicut ſine habitu, ita & ſine tonſura probationem exigi conſuetam illis temporibus, teſtem habeo Cæſarium Heiſterbacenſem, poſt centum adhuc annos ſcribentem de novitio tunc ſibi coætaneo, lib. 4 Dialogorum cap. 51:

& tonſura. 46 " Novitius quidam cum in Hemmenrode „ (*abbatia Ordinis Ciſtercienſis, diœceſis Trevi-*„ *renſis*) ſatis tranquillè annum probationis per„ egiſſet, & voluntate ſtabilitatis expreſſa in „ Capitulo, radendus eſſet in monachum, is, * *i. e.* no- „ qui eum raſurus erat, raſorium * ad corrigiam vaculam „ acuens, in eadem hora ſic eum contriſtavit„ *&c.* Quibus videas, ante voluntatem ſtabilitatis expreſſam neminem radi ſolitum. Quod magis mirum tempore Cæſarii, quo novitii jam cappam caputiumque, religionis inſigne, præferebant. Fortè ne eo ſigno notandi retinerentur, ſi medio probationis anno egredi vellent. Primis
C ergo illis Ordinis temporibus probandi in habitu & tonſura ſeculari: pòſt, tonſurâ dilatâ, conceſſus habitus, quantumvis monachali valde diſſimilis: quod hodie etiam videmus permanere. Tandem decurſu temporis effectum eſt, ut ſimul habitum tonſuramque ſuſcipiant, quod fortè à mendicantibus inceptum, recèns exortis, paulatim etiam ad noſtros extenſum fuit.

An hæc primus emiſerit Bernardus. 47 *At, relicto brevi hoc diverticulo, revertamur cum Manrico ad ſolennem profeſſionem, num.* 4 *de ejuſdem ordine iſta notantem:* Bernardum primum emiſiſſe vota, ſunt qui affirmant; quod mihi, *ait*, dubium. Tenerior ætas, & profundior humilitas vetabant, quo minùs aliis præferretur magiſter omnium. Aliàs neque Hugo prior miſſus fuiſſet, Pontigniacum in Campania fundaturus, neque Bernardo in abbatem præfecto Claræ-vallis, cæteros omnes occupaſſet admiratio, quam Guillelmus abbas deſcripſit in ejus Vita lib. 1 cap. 3: " Mirantibus „ ſanè illis, tamquam maturis, tam in religio„ ne quàm in ſæculo viris, & timentibus ei tum „ pro tenerioris ætate juventutis, tum pro cor„ poris infirmitate, & minori uſu exterioris oc„ cupationis „. Crediderim ætatis ſuæ ordine, ſive nihil ſive parùm immutatæ, & ante annum D admiſſos, & tunc profeſſos; niſi quod fortè conjugatos Clerici, ſolutos conjugati anteceſſerunt. Atque hæc de profeſſione ab antiquis omiſſa breviſſimè ſufficiat prælibaſſe.

Exercitationes animi & corporis. 48 *Huc etiam pertinet continuatus Sancti fervor, & ars metendi divinitus ei infuſa. De his Manricus loco citato à num.* 8 *hæc memorat:* Interim Bernardus Pater, ſociique, quo erant in novo ſtatu ferventes ſpiritu, inſtare orationibus, vigiliis, jejuniiſque corpus atterere, laudes divinas in choro devotè canere, & nihilominus operari manibus, tenere ſilentium, inſiſtere lectioni, ac reliquis obſervantiis religionis ſine intermiſſione exerceri, ſine querela, Stephano, ut olim docente, tunc mirante, ac verè jam experiente ſtrenuos duces, quos paulo antè tirones nominaverat. Et quidem de virtutibus Bernardi Guillelmus multa, & quotquot ſcripſere Vitam beati Viri, quæ nimis longum eſſet huc tranſcribere. Cæterùm quod de peritia metendi tradunt, Servo Dei per miraculum collata, quia peculiarem continet doctrinam, fortè minùs probatam, ſaltem minùs in uſu noſtris temporibus, E non putamus ſilentio prætereundum: *præſertim cum hinc pateat ad oculum modus mirabilis, quo divina providentia cum noſtro Sancto egit, quando Virum tam magnum, & ad res quaſlibet ſummas exſequendas natum, à vili ac tenui metendi labore ad altiora tot tantaque facta exordium ſumere voluit, prout jam viſuri ſumus.*

§ V. Ars metendi divinitus Sancto conceſſa; diſceſſus in monaſterium Claravallenſe è Ciſtercienſi; variæ de hoc notitiæ; illud quo anno fundatum.

S. Bernardus ad ſumma promovendus exercet artem metendi F REdemerat *Vir ſanctus metendi* inſcitiam, *uti narrat Manricus num.* 9, anno proximo aliis operibus ſubſtitutis meſſionis loco: quorum etſi non minor labor, facilior uſus, & quotidianis operibus promptiores artus, quàm non niſi poſt annum repetendo. Sed à cæteris ſolus ſeparari, & metentibus fratribus non metere angebat animum ardentem vitæ communis: & neque ſemper quid aliud faciendum ſuberat; neque, ſi ſubeſſet, ei permittebatur, debili quippe ac præ nimia abſtinentia & vigiliis defecto viribus. Audiant, qui putant opera hæc externa minoris apud Deum eſſe valoris. Audiant, qui totum negotium menti deputant, corpore adeo à laboribus immuni, ut minùs aptum contemplationi cenſeant, ſi fatigetur. Bernardus, egregius futurus Eccleſiæ Doctor, imò oraculum, fidei columna; quo principe, quo duce, ſchiſmaticorum colla ſubigenda, hæreticorum calcanda parabantur: Bernardus Catholicis omnibus firmandis, atque ipſius Pontificis Romani ſtabiliendo folio conceſſus orbi; Bernardus Pater, qui reges, regnaque, qui denique univerſum Chriſtianum axem ad ſui imperium erat commoturus; cujus verba concilia mutuabantur, dum adhuc viveret, & cui, ut clavigero cæleſtium arcanorum, vel ipſa ſacra Scriptura erat ſubdenda (*hoc intelligendum accommodè, ne nimium dicat Manricus;*) Bernardus, inquam, ad hæc omnia gradum

A dum faciens, à peritia metendi exorsus est, eamque à Deo per lacrymas obtentam, atque collatam non sine miraculo, lacrymæ simul & miraculum commendant utilem etiam acquirendo in Ecclesia Doctoris apici.

divinitus sibi concessam.

50 *Factum narrat Guillelmus cap.* 3, *num.* 27: Messis tempore Fratribus ad secandum cum fervore & gaudio sancti Spiritus occupatis, cum ipse quasi impotens & nescius laboris ipsius, sedere sibi & requiescere juberetur, admodùm contristatus ad orationem confugit, cum magnis lacrymis postulans à Deo donari sibi gratiam metendi. Nec fefellit simplicitas fidei desiderium Religiosi. Continuò namque, quod petiit, impetravit. Et ex illo die in labore illo præ cæteris peritum se esse, cum quadam jucunditate gratulatur; tanto in hoc opere devotior, quanto se in hoc ipso facultatem ex solo Dei dono reminiscitur accepisse. *Ideo autem gratiam hanc* Bernardo *datam ad annum Christi* 1114 *censet pertinere Manricus*; quia, *ait*, Vir Dei post emissam professionem, his tantùm frugibus Cistercii adfuit colligendis: quippe mense Junio sequentis anni Claramvallem, ut dicemus, transferendus. *Nobis nunc dispiciendum restat, quomodo illuc translatus, seu Cistercio cum aliis eò profectus, cœnobii Claravallensis, quod primus abbas rexit, præfecturam inchoarit. Annus, quo ad dignitatem abbatialem promotus est, confirmatur è versibus antiquis, quos multi codices, uti observat Manricus ad annum* 1115, *cap.* 1, *num.* 6, *subjungunt operibus ejus, quosque ibidem subdit:*

B

* *l.* connumeratur

Annus millenus ter quinis commemoratur *,
Nec non centenus, Vir sanctus quando creatur
Abbas, & Patrum sequitur decreta priorum,
Fit doctor Fratrum, fidei lux, regula morum.

Mittitur ad Claramvallem

51 Bernardi *Fratres ad fundandum Claravallense monasterium missi cum eo sunt, sicut testatur Guillelmus biographus lib.* 1 *cap.* 3 *num.* 28: Cum autem complacuit ei, qui eum segregavit à seculo, & vocavit, ut ampliore gratia revelaret in eo gloriam suam . .; misit in cor abbatis Stephani ad ædificandum domum Claræ-vallis mittere fratres ejus. Quibus abeuntibus ipsum etiam domnum Bernardum præfecit abbatem. *Manricus alios insuper ei adjunctos memorat num.* 5; *ac deinde num.* 6, Tantis, *inquit*, viris ab Stephano Bernardum præfici, ætate juvenem, quippe vigesimum quartum annum vixdum egressum, infirmum corpore, verecundiâ implicatum, aut impeditum, atque omni experientia destitutum, mirabile in oculis omnium visum fuit, & ob hoc forsan seriùs pronuntiatum. Certè Guillelmus innuere videtur, nequaquam nominatum ante discessum, *ex iis, quæ modo recitabam ex ipso*, Quibus abeuntibus, etiam ipsum domnum Bernardum præfecit abbatem, *& quæ statim ab eodem biographo subnectuntur:* Mirantibus sanè illis, tamquam maturis & strenuis tam in religione quàm in seculo viris, & timentibus ei tum pro tenerioris ætate juventutis, tum pro corporis infirmitate, & minori usu exterioris occupationis. *Sed non est novum, divinam providentiam infirmis uti instrumentis ad maxima quæque perficienda, prout eventus tot ac tanti in* Bernardo *id comprobarunt: de cujus è monasterio Cistercienſi egressu quædam hoc loco cum Manrico observare visum est.*

C

cum sociis, num. 7, egressum novi Conventus, prout in Ordine fieri solebat, à Cæsario Heisterbacensi descriptum, quia gravitatem devotioni mixtam præfert, non pigebit ad litteram transcribere *è dicti scriptoris* homilia in Dominicam tertiam post Octavam Epiphaniæ, *quam citat ad marginem, his verbis:* Duodecim monachi, loco duodecim Apostolorum, cum tertio decimo Abbate, qui loco Christi eis præponitur, ad novam abbatiam fundandam emittuntur. Crux enim Dominicam habens imaginem, à Patre abbate datur ei in manus, quem de oratorio cum eadem cruce exeuntem, duodecim ad hoc ordinati sequuntur, quasi Christum Apostoli. *Ita ille ex Cæsario; ubi vides novæ hujus coloniæ numerum definiri.* Cruce itaque, *sicut addit idem Manricus*, Bernardo ab Stephano Patre in manus data, ipse prior, quasi pater & dux omnium, mox fratres ejus & filii egressi sunt, locum sibi inter Lingonenses quæsituri. Videres, cum jam essent recessuri, in profundo silentio cadentes lacrymas omnium monachorum, & solas voces cantantium resonantes inter singultus: quippe modestia membris exteriùs imperans, vix in affectus internos prævalebat; nec discerneres remansuros à discedentibus, quoadusque ad portam domûs illos stantes à progredientibus cunctatio ipsa divisit. Hæc, Bernardo atque sociis abeuntibus, devota quidem, sed tristis facies Cistercii fuit.

AUCTORE J. P.

E

è monasterio Cistercienſi; quod hîc à nobis

53 *Priùs autem quàm cum sancto nostro Abbate à Cistercienſibus ad Claram-vallem discedamus, quandoquidem Vir sanctus prima apud illos perfectioris vitæ rudimenta posuit, ac per se aliosque, quos eisdem ascetis adjunxit, cœtum illum deinde magnificè illustravit ac propagavit; quia item de Cistercienſibus toties jam à nobis mentio facta est, ac porrò fiet; videmur non abs re facturi, si de piissima juxta ac celeberrima hac vitæ ascetica palæstra notitias quasdam hîc subjiciamus, plures tamen designaturi apud auctores, qui de ea scripsere, quàm prolixè ac singillatim huc coacervaturi, ne nimium excurrat oratio. Fundator ejus fuit S. Robertus; primus abbas Molismenſis, cujus Acta apud nos jam pridem illustrata sunt tomo* III *Aprilis, die* XXIX *ejusdem mensis à pag.* 662. *Ibidem verò* § 2 *Commentarii prævii ad ipsius Vitam pag.* 664 *& sequentibus agitur de initiis cœnobii & Ordinis Cistercienſis, & de S. Roberti ad eumdem transitu, qui accidit anno Christi* 1098. *Primus quoque Cistercio abbas præfuit; sed non diu pòst, abdicatâ apud Cistercienses præfecturâ, ad Molismenses revertitur, ejusdem reditum apud summum Pontificem Urbanum II urgentes; prout in dicto Commentario* § 3 *pluribus licet videre, uti & alia, quæ ad laudatum Sanctum fundatorem istum spectant.*

F

illustratur

54 *Loci situm Gaspar Jongelinus in Notitiâ abbatiarum Ordinis Cistercienſis describit pag.* 6: Cistertium (Cisteaux) archi-cœnobium & caput Ordinis, sub regula S. Benedicti, situm in diœcesi Cabilonensi (Chalon sur Saone) quinque circiter leucis ab urbe Divione (Dijon) . . distans, in Ducatu Burgundiæ. *Ceterùm prima Cistercii filia, nomine Firmitati (vulgo la Ferte) in diœcesi Cabilonensi ad Gronam fluvium cœnobio; ac filiæ secundæ, cui nomen Pontigniacum (Pontigni) in territorio Autissiodorensi sitæ, ut videsis apud Jongelinum à pag* 16, *successit tertia ejusdem Cistercii filia Clara-vallis; ubi sanctissimum Abbatem nostrum, quem eò profecturi Cistercio tantisper reliquimus, iterum conveniemus. Meretur autem locus etiam ille,*

Sanc-

AUCTORE J. P.

Sancti regimine, virtutibus ac prodigiis adeo longè latéque nobilitatus, ut de ejus ſitu, fundatione ac elogiis, antequam progrediamur ad alia, præmittamus ſequentia documenta.

variis

55 *Guillelmus biographus cap.* 3, *num.* 28: Erat, *inquit*, Clara-vallis locus in territorio Lingonenſi, non longè à fluvio Abba (*l'Aube*) antiqua ſpelunca latronum, quæ antiquitus dicebatur Vallis abſinthialis, ſeu propter abundantis ibi abſinthii copiam, ſeu propter amaritudinem doloris incidentium ibi in manus latronum. *Et cap.* 4 *num.* 40 *auctor idem de eodem loco hæc narrat:* Loci verò ipſius ſolitudo inter opaca ſilvarum, & vicinorum hinc inde montium anguſtias, in quo ſervi Dei latebant, ſpeluncam illam ſancti Benedicti patris noſtri quodammodo repræſentabat, in qua aliquando à paſtoribus inventus eſt: ut cujus imitabantur vitam, habitationem ejus ac ſolitudinis formam aliquam habere viderentur. *Nicolaus Hacqueville, ſenatûs Pariſienſis præſes, vallem non ſolùm montibus circumdatam, ſed etiam fonte perenni, præter interfluentis Albæ aquas, ſcatentem memorat in carmine de laudibus* S. Bernardi, *& ſitu Clara-vallis, quod apud Mabillonium, Operum ejuſdem ſancti Patris editorem, recuſum eſt volumine* 2, *col.* 1305:

B Abdita vallis erat, mediis in montibus, alto
Et nemore, & viridi tunc adoperta rubo..
Hanc Alba irriguus mediam perlabitur amnis,
Fons tibi perpetuo munere donat aquam.

nolitiis.

56 *Apud laudatum Operum* S. Bernardi *editorem à col.* 1306 *habetur* Deſcriptio poſitionis ſeu ſituationis monaſterii Claræ-vallenſis, *ubi præter alia plura, quæ legi poſſunt in eadem Deſcriptione*, (quæ incerto auctore, monacho tamen, ut apparet *Manrico ad annum* 1115, *cap.* 2, *num.* 2, Claræ-vallenſi, inter Opera Bernardi circumfertur, nec ſine ſale) *notantur iſta in editione Mabillonii col.* 1309: Hic ergo fons.. ex oppoſito ſolis orientis oritur, ita ut æſtivo ſolſtitio roſeam rutilantis auroræ faciem ex adverſo ſalutet.. Ubi eum mons evomit, vallis deglutit: & in loco, quo oritur, eodem quaſi moritur, quin & ſepelitur. Sed ne expectes ſignum Jonæ prophetæ, ut tribus diebus, & tribus noctibus deliteſcat abſconditus. Statim ad mille paſſus intra clauſtrum monaſterii, quaſi de corde terræ reſuſcitatus progreditur, & quodammodo redivivus apparet, viſui tantùm & uſui Fratrum ſe offerens, ne cum aliis, quàm cum Sanctis ſors illius amodo ſit futura. *Ita ille alludit ad dictum fontem. Jam verò domûs etymon Manricus citatus ita deſcribit num.* 5: Monaſterio Claræ vallis nomen inditum in claritatem pro modo occupationis & exercitii, veteri commutata amaritudine. Unde verſus:

C In Vallem claram vallem convertit amaram.

Guillelmus cap. 3, *num.* 28 *de ſancto Abbate ac ſociis, primis loci incolis, hæc refert:* Ibi ergo in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis conſederunt viri illi virtutis, facturi de ſpelunca latronum templum Dei & domum orationis.

Ejuſdem

57 *Manricus ad annum* 1115 *ſuprà deſignatum, cap.* 2, *num.* 1 *non videtur exploratam ſatis habuiſſe laudati jam ſæpè loci fundationem, quando de primis eodem loci advenis ita ſtatuit:* Caſu invenerint, an admoniti quæſierint, incertum: conſtat pervenille ad locum ſatis horridum, latronum, ut ferebant, receptaculum.. Crediderim omni ope deſtitutos elegiſſe hunc locum, nulli incolarum uſui proficientem; noxium potiùs, eoque longè faciliùs obtinendum. D *De prima itaque loci donatione ſeu fundatione dicendum etiam nobis eſt. Volumine* 1 *editionis Mabilloniana, ubi ſunt Opera ſancti Patris genuina, col.* 45 *exſtat epiſtola* 31 ad Hugonem Comitem Campaniæ *ab ipſo ſcripta, in qua ſic loquitur:* Poſſumuſne obliviſci antiqui amoris, & beneficiorum, quæ domui noſtræ tam largiter contuliſti? *Sanctus itaque Pater his verbis profitetur gratam animi memoriam erga Hugonem, primum ſui Claravallenſis cœnobii fundatorem, prout conficitur è ſequente inſtrumento, quod Petrus Franciſcus Chiffletius inter probationes ſuæ de illuſtri genere* S. Bernardi *Diatribæ pag.* 513 *ex autographo Claravallenſi acceptum primus vulgavit in hæc verba:*

fundatio

58 In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis incipit charta Comitis Hugonis. Notum ſit omnibus præſentibus & futuris, quod ego Hugo Comes Trecenſis do Deo, & beatæ Mariæ, & fratribus Claræ vallis, locum ipſum, qui vocatur Claravallis, cum pertinentiis, agris, pratis, vineis, ſilvis, & aquis: nihil omnino mihi aut heredibus meis retinens. Unde teſtes Acardus Remenſis, & Petrus, & Robertus Au- E relianenſis, milites mei. Et ſciendum, quod Gaufridus Felonia dat paſturas ſuas in finagio * de Juvencurt, tam in boſco * quam in plano, omni tempore. Et ſi aliquod damnum intulerint animalia dictorum fratrum, ſolum capitale reſtituetur, ſine emenda *. Hæc autem omnia * dedi in præſentia ſupradictorum teſtium. Scien- dum quoque eſt, quod dominus Josbertus de Firmitate, cognomine Rufus, & dominus Rainaudus de Perceris, dederunt eiſdem fratribus paſturam, & uſuarium per totam terram ſuam; & præcipuè in aquis, ſilvis, pratis, in finagio de Perrecin. Hujus rei teſtes ſunt Acardus Remenſis, & Robertus, milites mei. Item ſciendum quoque eſt, quod ego Hugo Comes Trecenſis laudo & concedo eiſdem fratribus liberè & quietè poſſidere terram & ſilvam de Artela. Has donationes confirmamus, ego Joſcerannus Lingonenſis epiſcopus, & ego Hugo Comes Trecenſis, de ſigillo & anulo meo. *De tribus Hugonis profectionibus Hieroſolymitanis, ac titulis ejus pro tempore diverſis agit Chiffletius cap.* 21 *Appendicis proximè citandæ.*

i. e. confinio
i. e. ſilva
i. e. mulcta pecuniaria

quo anno

59 *Apud Mabillonium in notatione ad ſuprà dictam epiſtolam* S. Bernardi, *quæ notatio habetur inter alias ad tomum* 1 *ejuſdem ſancti Patris, & ad calcem voluminis* 1, *de quo dicebam paullo antè, obſervantur iſta in rem noſtram poſt tabulas fundationis modò datas è Chiffletio, col.* XIX: Quod ſpectat ad annum fundationis, qui non exprimitur in his tabulis; idem (*Chiffletius videlicet, quem tu conſule in Appendice ad Diatribam cap.* 20) auctoris ſancti Mariani Autiſſiodorenſis Chronographum ſecutus, refert ad annum Chriſti MCXIV, menſe Junio. Et quidem de menſe conveniunt omnes: quoad annum verò, cùm tam externa quàm domeſtica inſtrumenta refragari videantur; inter alia verò Exordium Ciſterc. diſt. 2 cap. 1, tabella ſancti Bernardi tumulo appenſa, quæ diſertis verbis annum MCXV exprimunt; receptæ jamdudum ſententiæ adhærere ſatiùs videtur: cùm alioqui vix Bernardus profeſſionem emiſiſſet menſe Junio ann. MCXIV, & Hugo ipſe, qui locum conceſſit, adhuc in Oriente verſaretur. Clara vallis itaque primo quidem ab Hugone Campaniæ Duce fundata; poſtea verò anno MCXXXV in ampliorem locum

A cum tranſlata, opitulante Theobaldo ipſius ſucceſſore, novâ fabricâ donata eſt: unde primi fundatoris nomen obtinuit apud aliquos, tranſlationem cum fundatione confundentes, ut bene monet Manricus in Annalibus ad annum MCXV cap. 1. *Sententiam hanc, quæ mihi magis arridet, quam Chiffletiana, ita declaro & confirmo:*

60 *Chiffletii ratio alia, quam primo loco ponit pro anno* MCXIV, *illo nititur fundamento, quia* cœpit anni ejuſdem menſe Julio, undecima die menſis, Morimundus, minor natu filia, quippe inter Ciſtercii filias numero quarta; cùm tertia ex ordine natalium cenſeatur Claravallis. *Verum Morimundi fundatio à Iongelino innectitur anno* 1115; *idem fit à Manrico ad iſtum annum cap.* 1; *idem à Sammarthanis tomo* 4 *Galliæ Chriſtianæ pag.* 673. *Monumenta autem Claravallenſia, quæ Chiffletius in Appendice deſignata ſibi objicit contra annum* 1114 *fundatæ Claræ vallis, ſunt* 10. *antiqui verſus:*

Annus millenus ter quinis connumeratur,
Nec non centenus, Vir ſanctus quando creatur
Abbas.

B Deinde tabella S. Bernardi tumulo appenſa, *in qua legitur:* " Anno Domini milleſimo centeſi-
„ mo decimo quinto, in menſe Junio, miſſus
„ fuit (S. Bernardus) cum fratribus germanis,
„ & conventu ſuo, ad locum iſtum, qui nunc
„ vocatur Clara-vallis: antea autem Vallis ab-
„ ſinthialis dicebatur „. *Ad verſus ita reſpondet Chiffletius:* Niſi me conjectura fallit, indicant verſus illi conſecrationem S. Bernardi in abbatem .. quæ ante annum Chriſti MCXV facta eſſe vix potuit .. Quare à primo eorum in Claramvallem adventu, quod in anni MCXIV Junium incidit, monaſterii fundationem adnotarunt Morimundenſis, & Autiſſiodorenſis Chronographi: Claræ vallenſes ab inauguratione abbatis. *Sed contra eſt, quod in dictis verſibus* ꝛ̄ creatur *videatur melius referri poſſe ad præfecturam Claravallenſis cœnobii, quam S. Stephanus* Bernardo, *è Ciſtercienſi monaſterio cum ſuis diſcedenti, commiſit (de qua re actum eſt ſuprà) conformiter ad verba tabellæ, ad quæ nihil ibi apud Chiffletium reſponſi invenio, cùm in ea clarè ac diſtinctè dicatur:* Anno Domini milleſimo centeſimo decimo quinto, in menſe Junio, MISSUS *noſter Sanctus cum poteſtate utique abbatis, tunc quidem à ſuo Superiore conſtitutus ſeu creatus, ſed dicto menſe nondum conſecratus ab epiſcopo. At de iſta conſecratione dicentur plura* § *proximo.*

C

§ VI. Conſecratur abbas Claravallenſis; monaſterii hujus anguſtiæ miraculis ſublevatæ; cibus ſpiritualis à Sancto, per apparitionem monito, Claravallenſibus porrectus.

Conſecratio iſta cur facta ab epiſcopo Catalaunenſi.

GUillelmus *libro* 1, *cap.* 4 *de Sancti conſecratione hæc memoriæ prodidit:* Cùm autem miſſus noviter Claram-vallem Bernardus, ordinandus eſſet in miniſterium, ad quod aſſumptus erat; & ſedes Lingonenſis vacaret; ad quam ordinatio ipſa reſpiciebat; quærentibus fratribus, quò eum ducerent ordinandum, citò de proximo ſe obtulit bona fama venerabilis Catalaunenſium epiſcopi, opinatiſſimi illius magiſtri Guillelmi de Campellis, illucque eum tranſmittendum eſſe, diffinitum eſt. Sicque factum eſt. *Chiffletius in Appendice ad Diatribam ſuperiùs allegata cap.* 20 *à pag.* 676 *è textu Guillelmi, quem modò protuli, hanc proponit & ſolvit difficultatem:* Quomodo, *inquit*, vacabat ſedes Lingonenſis anno MCXV, cùm Iocerannum conſtet, ex anno MCXII in MCXXV Lingonenſem fuiſſe epiſcopum, ut ex Chronico Benigniano retulimus pag. 505? Sed reſponſio in promptu eſt, vacaſſe tum ſedem Lingonenſem impropriè; non quòd nullus tunc eſſet Lingonenſis epiſcopus, ſed quòd anno illo MCXV abeſſet ab epiſcopatu ſuo; fortaſſe in itinere ad limina Apoſtolorum, vel ad ſynodos aliquas, quæ frequentes illis ipſis temporibus à Guidone Viennenſi, Apoſtolico per Gallias Legato cogebantur. *Ita Chiffletius. Qualiter autem Sanctus noſter*, Catalaunum, aſſumpto ſecum Elboldone * monacho quodam Ciſtercienſi, *ut laudatus Guillelmus ibidem narrat*, *profectus*, & prædicti epiſcopi domum *ingreſſus, ob externam corporis ſpeciem contemptui fuerit nonnullis, ad irriſionem uſque; ſed epiſcopo ſumma in veneratione habitus; quantaque è primo amborum congreſſu orta inter eos fuerit familiaritas non ſine ſumma Bernardini nominis per Galliam univerſam propagatione, apud Guillelmum eumdem invenies.*

AUCTORE J. P.

* *al.* Elbodone

E

62 *Nec his attexam alia, quæ biographus iſte præmiſerat de anguſtiis Claravallenſis cœnobii temporibus primis, earumque per varios ſublevatione; item de immenſo ejuſdem cœnobii incremento, quod ſancto Abbati in quadam viſione exhibitum eſt, rei deinde eventu veritatem comprobante; ac denique de ſtudio perfectionis, & converſione ſororis ejus; cùm idem Vitæ ſcriptor conſuli de his poſſit cap.* 3 *&* 4. *Quia tamen Joannes eremita de arctiſſima inopia, quâ viſum eſt divinæ providentiæ, Abbatem ſanctum ac ſubditos ejus exercere ac probare, diverſa narrat, variiſque deinde probat exemplis, ad ejuſdem Sancti gloriam omnino illuſtribus, divinitus fuiſſe proſpectum maximis illis rerum temporalium apud Claravallenſes anguſtiis, idcirco Guillelmum abbatem è laudato Joanne ſupplendum cenſeo, qui libro* 2, *col.* 1285, *num.* 2 *apud Mabillonium de penuria victûs locutus, de veſtitu iſta ſubdit:* Indumenta verò eorum tam in æſtate, quàm in hieme, cuculla & tunica, quæ rariſſimè innovabantur. Caligis quoque utebantur vilibus, & calceamentis frequenter diuque diruptis manentibus & diſſutis, antequam repararentur, quæ præ nimia corii paupertate ligabant funiculis. O viri generoſi & magni in ſeculo! Quis ad hæc loca arida & periculoſa vos adduxit, niſi ille, qui dives erat in cælis, & pauper humiliſque in terris in præſepio recubuit? *En tibi nunc erectum Abbatis animum, & ſummam fiduciam de auxilio Dei opportuno in tot tantiſque malis.*

Claravallenſis cœnobii

F

63 *Idem quippe ſcriptor Vitæ à col.* 1285 *penuriæ num.* 3 *ita pergit:* In illa tanta penuria, de qua ſuprà diximus, inter cæteras neceſſitates, ſal die quadam defuit eis. Et vocavit ſanctus Abbas unum de fratribus ſuis, Guibertum nomine, dixitque ei: Fili Guiberte, accipe aſinum, & vade ad nundinas, & eme nobis ſalem. At ille reſpondit: Ubi eſt pretium? Ad quem Homo Dei: Crede mihi, fili, quia neſcio tempus, quod aurum vel argentum habuerim. Surſum eſt enim, qui habet peram meam, & theſauros meos

AUCTORE J. P.

in manibus ſuis. Tunc frater ille quaſi ſubridens ait: Si vacuus perrexero, vacuus redibo. Cui ait Sanctus: Noli timere, fili mi, ſed vade ſecurus. Ille enim, qui habet theſauros noſtros, ſicut jam dixi tibi, erit tecum in itinere, & præbebit omnia, propter quæ mitto te. Ad hæc verba, ſumpta pii Patris benedictione, perrexit cum aſino ad nundinas, ad caſtrum, cui nomen Riſnellum, pluſquam oportet incredulus. Sed pius & clemens Dominus non reſpexit ſuam incredulitatem; ſed conſideravit Servi ſui fidem, & tribuit ei omnem rem, pro qua miſſus fuerat. Itaque cùm caſtro appropinquaſſet, & veniſſet ad quamdam villam, obvium habuit quemdam presbyterum, qui ſalutavit eum, dicens: Unde es, frater, aut quò pergis? At ille reſpondens expoſuit ei diligenter itineris ſui cauſam, & paupertatem loci, in quo habitabat Pater ſanctus cum filiis ſuis.

divinam providentiam ſubveniſſe

64 Quæ cùm audiſſet presbyter, vehementiſſimè compunctus eſt: & duxit fratrem in domum ſuam, deditque illi medietatem modii ſalis, & quinquaginta ſolidos vel ampliùs, ſicut ſæpè narrare conſueverat idem Guibertus. Quibus acceptis, cœpit gratias agere Deo immenſas, & dicere in animo ſuo: Procul dubio verus eſt ſermo, quem audivi à Patre meo: ſed in hoc peccavi erga eum peccato magno, quia ei non credidi, ſed incredulus veni huc. Et valefaciens presbytero, reverſus eſt ad monaſterium. Quod cùm ingreſſus fuiſſet, cucurrit ad Hominem Dei, & retulit ei omnia, quæ ſibi in via contigerant. Cui dixit Pater ſanctus: Dico tibi, fili, quia nulla res tam neceſſaria eſt omni Chriſtiano, quàm fides. Habe ergo fidem, & bene tibi erit omnibus diebus vitæ tuæ. A die illa & deinceps tam frater ille, quàm alii verba ſancti Patris in majore habuerunt reverentia. O bone Jeſu, fidem, quam habuit iſte Sanctus, quis enarrare poteſt? *Aliud deinde Joannes biographus exemplum producit num.* 4:

per miracula,

65 Quidam de Clementini-prati fratribus adveniens, viſitandi gratiâ novellam Chriſti plantationem, honorificè ſuſceptus eſt, prout fieri potuit: cui, qui in promptu erat, oblatus eſt dimidius panis avenaceus. Quo ſuſcepto, & cum magna admiratione, quia de tali viverent, reportato ad Clementinum-pratum, omnibus inibi habitantibus annuntiavit ſervorum Chriſti voluntariam in maxima paupertate abſtinentiam, in abſtinentia patientiam, in egeſtate liberalitatem munificam. Statimque vehementer compuncti, & compatientes Clementini-prati fratres, in eorum ſubſidium communiter aſſenſerunt. Tunc magiſter loci illius, Odo nomine, vir venerabilis, dilectus à Deo & hominibus, oneratis equis & aſinis, panes & cibaria in quadrigis detulit. Tunc verò à die illo uſque in hodiernum diem tanta fuit fraternitatis communio inter Claram-vallem & Clementinum-pratum, quod quando fratres Clementini-prati Claram-vallem adveniebant, ita eis deferebatur, ſicut uni Claræ-vallenſium in ſpiritualibus & humanis. Defunctis etiam viciſſim reddebatur obſequium. In hunc modum pius Jeſus magis ac magis providebat ſervis ſuis. *His adduntur iſta num.* 5: Advenit etiam mulier quædam centum ſolidos afferens, quibus contecta eſt pedum eorum nuditas. *Sequuntur deinde facta duo alia, quæ Manricus refert ad annum proximè ſequentem* 1116. *Nos tamen, ſeriem narrationis biographi Joannis proſequentes, utrumque ex ipſo prioribus hìc ſubjungimus. Et primo quidem loco quod narrat, ſic habet:*

è variis factis

66 Cunctis animalibus carebant, exceptò aſino, quo Abbas ad viſitationes ſuas deferebatur, lignaque ad neceſſitates comportabantur. Coacti verò fame, frigore, & aliis indigentiis, Abbati ſuo conqueſti ſunt, quod pro nimia paupertate diſcedere cogerentur. Quo audito, Abbas blandè ac leniter conſolans eos, Dei timorem & amorem, ſpem quoque vitæ æternæ & remunerationis divinæ, quantùm potuit, inſinuavit. Illi verò maximè anguſtiati, & anguſtiati dolore multiplici, nullatenus volebant conſentire; ſed magis volebant Ciſtercium reverti. Cumque Vir Dei deſperationem illorum vidiſſet, demum convertit ſe ad orationem. Quo facto, audivit vocem de cælo dicentem ſibi coram omnibus: Surge, Bernarde, exaudita eſt oratio tua. Quod cùm audiſſent fratres, glorificaverunt Deum & ſanctum ſuum Bernardum; dixeruntque ad eum: Dic nobis, Pater, quid petiſti à Domino? At ille reſpondit: Quid vultis ſcire, modicæ fidei? State hìc, & ſcietis poſtea. Et cùm fabularentur ad invicem, modicum temporis indulgentes fabulis, non fabulis, ſed ſermonibus ſanctis, venit quidam, & obtulit ſancto Patri decem libras.

probatur.

67 *Alterum verò ita memorat prædictus Vitæ ſcriptor à col.* 1286: Nec mora, Barrenſis quidam, cujus filius uſque ad deſperationem vitæ præ nimia ægritudine cogebatur, attulit ei tredecim libras, ſuppliciter poſtulans, ut miſereretur filii ſui. Quem ſanctus Abbas hilarem dimiſit, pollicens filium ſuum ſoſpitem ab eo inveniendum. Revertens homo invenit filium ſuum ſanitati reſtitutum, ſicut promiſerat Vir Dei. Qua de cauſa poſtmodùm Servo Dei uberes gratias exſolvit. Modico tempore interjecto, copiosè ac benignè miſericordia Dei ſuper hos reſpexit, ut abundantes æternis & temporalibus ſubſidiis, nihil eis deeſſet in ulla gratia, ſecundum illud: Nihil deeſt timentibus Deum. *Eventibus hiſce miris ac ſeriis ſubjungamus miraculum ſpurium & apocryphum ex Manrico ad annum* 1116, *cap.* 1, *num.* 5, *ubi illud his verbis exponit ac rejicit:*

Miraculum apocryphum rejicitur.

68 Equos ſine rectore vagari ſolitos, & convicinos populos diſcurrere colligendis fidelium eleemoſynis, quas illico ad cœnobium reportarent, ab oppidanis cujuſdam villæ proximæ per ludibrium an per rapinam ſpoliatos, & pro panibus ſaxis onuſtos immenſi ponderis, traditio eſt ab incolis recepta. Porrò Bernardo patre flagitii conſcio (equis quippe ſub pondere gementibus, eoque citiùs rem ipſam publicantibus) atque execrante aggreſſores impietatis, terram repentè ſciſſam in duas partes locum cum incolis ſimul abſorbuiſſe, eccleſia ſola immota permanente, pro certo habent. Et ſunt qui credant in memoriam tanti miraculi, eam etiam paulatim abſorberi, nempe ad unius argentei groſſitiem per annos ſingulos, eccleſia, loco, ſaxiſque monſtratis, queis major fabulæ fides adſtruatur. Adeo nulla omnino terra eſt, quæ non laboret fabellis incolarum, à quibus ne ſancti Viri [quidem] omnino immunes. Utrum autem ejuſdem rationis ſit ſimilis alia quædam maledictio, quâ idem Sanctus Aquitaniæ prædicans dicitur impetiiſſe Viride ſolium, illius provinciæ locum non exiguum, ſuo tempore dabimus. Nunc ſufficit hæc ſeriis permiſcuiſſe quaſi per otium; *potuiſſet addere Manricus* nec ſine fructu: *cum utile admodùm ſit, traditiones hujuſmodi merè populares convellere, ac diſcernere miracula falſa à veris. Idque locum habet potiſſimùm in* S. Bernardo;

A nardo ; *qui quoniam penè innumerabilibus abundat veris, palliari nec debet nec poteſt falſis, ne his illorum fidei quidquam detrahatur.*

Bernardus apparitione confirmatus vibum verbi Dei ſubditis porrigit.

69 Supererat ſecunda, & major fames ſpiritualis cibi, verbi nimirum Dei, Bernardo Patre aut timidiùs prædicante, aut omnino ſilente, ne nimio zelo & rerum inexperto læderet, ut putabat, conſcientias fratrum, ſive, ut Guillelmi abbatis verbis utar " ne prædicatione ejus ſcandalizarentur potiùs, quàm aliquid perciperent ædificationis ". Sed qui priorem miraculo compeſcuit, poſteriorem graſſari non permiſit, majori Eccleſiæ bono reprimendam ; quippe Bernardo aſſumpto ab ipſo Deo in miniſterium verbi, prædicationis officio illi injuncto, eoque ad tantum opus adaptato virtute divina ; *ut loquitur Manricus ad annum* 1116 *cap.* 1, *num.* 6. *Res iſta plenius tractatur à Guillelmo in Vita Sancti lib.* 1 *cap.* 4 ; *unde delibo iſta :* Nec tardavit miſericordia Dei auxilium in tempore opportuno Paucis ſiquidem evolutis diebus, vidit in viſu noctis puerum caritate * quadam divina adſtantem ſibi, & magna auctoritate præcipientem fiducialiter loqui quidquid ei ſuggereretur in

* *al.* claritate

B apertione oris ſui, quoniam non ipſe eſſet qui loqueretur, ſed Spiritus qui loqueretur in eo. Et ex tunc manifeſtiùs in eo & per eum loquens Spiritus ſanctus . . apud auditores quoque ei gratiam addidit, & auctoritatem & intellectum ſuper egenum & pauperem, peccatorem pœnitentem, & veniam poſtulantem. *Manricus mox citatus ſuperaddit num.* 7 *ex Cæſario in Octava Nativitatis Domini*, Cùm tempore quodam neſcio quid dictaret, & teſtimonium haberet in promptu, quod præſenti loco congruebat, velletque reſervare in finem, timens ibi defectum, audiviſſe de cælo dicentem vocem : Si iſtud reſervaveris, aliud non dabitur tibi. *Ipſe itaque Sanctus loquens jam non loquebatur, ſed Spiritus ſanctus, qui erat in eo. Rebus ergo temporalibus ac ſpiritualibus novi cœtus Claravallenſis ita proſperè ac feliciter divino favore compoſitis, alia quædam videamus, ad ejuſdem cœnobii, atque adeo ad primi Abbatis ipſius laudem perquam accommodata.*

C § VII. Monaſterii Claravallenſis incrementum à ſancto Abbate præviſum ; difficultates ob canonicos Victorinos ad illud admiſſos ; rei geſtæ tempus ; mirabilis cum imperito medico Viri ſancti infirmi patientia ; patris ejus converſio.

Recenſentur ſecundum S. Bernardi prævisionem,

PRæviſio *Abbatis noſtri de ingenti ſecularium ac Regularium hominum ad Claravallenſes cœnobitas acceſſu* (Vidit *enim* undique, *ut refert Guillelmus cap.* 3, *num.* 29, tantam diverſi habitus & diverſæ conditionis hominum multitudinem in inferiorem vallem deſcendere, ut vallis ipſa capere non poſſet) *præviſio, inquam, illa quomodo per hæc tempora impleta ſit, accipe. Enimvero* celebri ejuſdem domus fama, *inquit Manricus ad annum* 1116, *cap.* 2, *num* 1, per totam Galliam, multi Religioſi, relictis pro-

priis ſedibus, atque ex veteranis, imò & emeritis in probata militia ducibus tirones efficiendi in Claravalle, Bernardi Patris ductum perquirebant. *Et mox apud laudatum Annalium conditorem hæc probantur auctoritate Exordii magni lib.* 1, *cap.* 4 ; *ſed quia illa non lego ibi in editione Triſteriana, in fide Manrici ea referentis, huc tranſcribo :* Poſtquam gratiâ & miſericordiâ Domini noſtri Jeſu Chriſti domûs Claravallis fundata eſt, ut fragrantiſſima ſacræ religionis ejus opinio multis fieret odor vitæ in vitam ; inter cæteros, quos divinæ bonitatis arcanum conſilium de diverſis mundi partibus vocavit, plures Religioſi viri, qui ſuis in locis perfecti in religionis obſervantia videbantur, audientes quòd tam ſpecialiter & excellenter magnificaſſet miſericordiam ſuam Dominus cum domo eadem, & ejus ſanctiſſimo Abbate, tamquam novi tirones ex eremitæ * militiæ laboribus venientes, tantæ ſanctitatis collegio ſociari ferventiſſima ſpiritûs devotione cupiebant.

AUCTORE J. P.

* *f.* eremiticæ

71 Inter quos primi vel inter primos præcipui extiterunt Humbertus, Igniacenſis cœnobii poſtea primus abbas, Raynaldus, & Petrus cognomento Toloſanus, Guillelmus, & Gerardus Farfenſis, qui non quidem unò in loco, ſed diverſis & multùm inter ſe diſtantibus provinciis habitantes, ita ſe ab ipſis infantiæ rudimentis divinis obſequiis mancipaverunt, ut in omni virtutum gratia florentes, alienis quaſi perfectioribus exemplis inſtitui minùs neceſſarium habere viderentur. *De ratione autem temporis ſic Manricus monet :* Porrò ex his, qui ibidem numerantur, etſi non omnes, nam id prorſus incertum ; aliqui tamen ad hunc annum referendi, præcipuè Humbertus, ingentis ſanctitatis vir, de quo plura in ſequentibus dicemus. Nam ipſo Claræ-vallis initio Claramvallem veniſſe, ipſe etiam Bernardus Pater teſtis eſt in Sermone ſpeciali de ejus obitu, *qui habetur vulgatus in editione Mabilloniana Operum* S. Bernardi *à col.* 1066, *& in quo idem ſanctus Pater*, Nobiſcum, *ait*, triginta annis ab ipſo pænè principio monaſterii hujus converſatus eſt. *Mabillonius in notis ad iſtum ſermonem col.* 1067 *obſervat, digniſſimum hunc virum* in monaſterio Caſæ-Dei (*ſub regula S. Benedicti*) viginti à prima ætate annos monachum vixiſſe, antequam ad Claramvallem ſe reciperet. Quod factum ſub annum MCXVIII : *Sermò verò innectitur apud ipſum anno* 1148.

viri aliquot inſignes,

E

F

72 *Qualis verò quantuſque, & quam dignus* Bernardi *Patris filius extiterit Humbertus, liquidiſſimè conſtat primò ex eleganti ac pathetico illo, quem indicabam, ſermone, ſummis utique ipſius elogiis, ac tenerrimis erga eum amoris affectibus ab eodem Sancto reſperſus. Secundò, quia idem ipſe* S. Bernardus, *referente Manrico num.* 3 *ex auctore Exordii Ciſtercienſis* ; Humbertum Dei famulum ad imitandum perfectionis exemplum, ſibi propoſuerat, ipſius virtutes admirari fatagens, & merita ejus magna & ſublimia æſtimare, ipſum ſanctitatis exemplar, religionis formam, monaſticæ puritatis ſpeculum reputare *&c. De ejus obitu tractat Manricus tomo* 2 *ad annum Chriſti* 1145 *cap.* 8 ; *de* Igniaco *autem (Igny en Tardenois) in diœceſi Remenſi, ubi eum abbatem fuiſſe diximus, Jongelinus antea deſignatus, pag.* 41.

qui ad Claravallenſe inſtitutum acceſſere.

73 Hoc eodem anno, certè non multo pòſt, additos cenſeo, *ait Manricus num.* 6, (quo magis impleretur viſio ſancti Patris) quoſdam ſancti Victoris Pariſienſis Regulares Canonicos

Difficultatibus, ob quoſdam Canonicos S. Victoris Pariſienſis,

AUCTORE J. P.

domûs fundatæ à Guilielmo de Campellis, antequam Catalauno præficeretur, atque per eum ſanctitatis Bernardi præ aliis conſciæ, ipſumque venerantis etiam nondum viſum. Hi .. crebris epiſtolis ſui fundatoris .. Claram-vallem viſitant, atque ad Bernardi genua provoluti, ſuſcipi ſe probandos enixè poſtulant; ſi approbentur, perpetuò permanſuros. Ille, ut erat maturus in negotiis, atque juris alieni ſummè obſervans, neque omnino admittens neque repellens, Guillelmum ipſum duxit conſulendum, ut fundatorem illius Congrégationis, ut virum æquè ſanctum doctumque, &, quod aditum fiduciamque præſtabat, ut ſibi charum. Direxerat devotus Præſul viros in Claramvallem, eiſque mutandæ vitæ auctor extiterat. Quare à Bernardo conſultus, ſibi conformis, tale fertur reſponſum tradidiſſe, Canonicos ejus judicio debere ſuſcipi (*propter rationes, quæ apud Manricum legi poſſunt.*) Addidit tamen, ſe ſupplicem rogare, amicum intercedere, quin & epiſcopum, quà poterat, injungere, neque id pro extraneis, ſed pro filiis. Hæc ſanctus præſul ſine æmulatione: neque quia deeſſet zelus propriæ fundationis, imò & B Ordinis (nam & ipſe, archidiaconatu dimiſſo, Canonici Regularis habitum induerat) ſed quia zelus Dei prævalebat in viro ſancto. Bernardus Pater tali conſilio fretus, vel magis preſſus tanta auctoritate (& quoſdam alios ad idem conſuluerat) Canonicos admiſit ad probationem.

qui ad Claravallenſes tranſierant, exortis

74 Sed Gelduinus S. Victoris abbas .. acerbè ferens ſuis ſe filiis orbum etiam ignarum .., convocatis ſuis Canonicis, ad Bernardum ſcribere decrevit humilem ſanè, ac veneratione Viri Dei, & totius Conventus Claræ vallis plenam epiſtolam, ſed minacem tamen, & excommunicationis gladium aut exerentem, aut, nî reſiliant, exerere parantem contra novitios. His ſuſceptis Bernardus Pater, quo erat adverſus convitia laudeſque æquali ſemper atque in bonum firmato animo, tale conſtat reſponſum tradidiſſe, *quod, ſi quis integrum videre voluerit, inveniet illud in epiſtolâ tertiâ inter Bernardinas, quæ exſtat apud Mabillonium volumine primo col.* 13 *&* 14; *ubi eadem innectitur anno* 1120; *de quo mox dicam. Interim quid in hoc negotio egerit Vir ſanctus, ſatis apertè indicat epiſtolæ clauſula his verbis:* Talibus itaque taliter ſuſceC ptis, abſit ut ſinceritatem veſtram, aut in ſuſcipiendo læſam, aut in retinendo lædendam eſſe credamus: dum tamen illos, ſi fortè infra annum probationis .. cœpta deſerere, & ad vos redire velle contigerit, invitos non detineamus. Alioquin, ſanctiſſimi fratres, veſtrâ non refert, ut ſpiritum libertatis, qui in eis eſt, anathemate inconſulto fruſtra impedire nitamini: niſi fortè (quod Deus avertat) quæ veſtra, non quæ Jeſu Chriſti ſunt, quærere ſtudeatis.

Sanctus occurrit.

75 *Quid poſtea circa illos ſit actum, ſi quaras; Manricus num.* 10 *aſſerit, ſe non dubitare, quin retenti fuerint*, quorum non ulla memoria ulteriùs extat; ſive id auctoritate Guillelmi delatum ſit, ſive Bernardi Patris, ſive utriuſque. *Nec verò prima hæc controverſia in hac materia fuit poſtrema.* Hanc *quippe* primam litem, *teſte Manrico*, agitatam ſuper perſonis, multæ aliæ, & pleræque graves ſequutæ ſunt: & imminebant plures, ſi non Bernardus & juris ſui retinens, neque alieni invaſor, obviaſſet, multis repulſis, nec dilatis paucis, ſed conſtanter retentis ſemel admiſſis: quod ipſa hiſtoriæ ſeries demonſtrabit. *Atque hæc de primis floſculis in amœniſſimo Claravallenſi horto plantatis ſub* D *Patre* Bernardo, *ejuſque curâ excultis: qui, ut ſubdit Manricus num.* 11, *cœnobium ingredientibus illud monitum dabat:* Si ad ea, quæ intus ſunt, feſtinatis, hîc foris dimittite corpora, quæ de ſeculo attuliſtis. Soli ſpiritus ingrediantur: caro non prodeſt quidquam. *Quæ dictus auctor exponens*, Abſterruiſſet, *ait*, multos verbum hoc, ſi non teneris parcens, expoſuiſſet de concupiſcentia & affectibus carnalibus, quos foris relinquerent, nequaquam ultrà ab ipſis reſumendos.

Hujus controverſiæ

76 *Quod paullo antè promiſeram de anno epiſtolæ tertiæ* S. Bernardi, *nunc ſolvo, præſertim cùm hujus annus ſit characteriſticus ad ſigendum tempus controverſiæ inter Claravallenſes & Victorinos Pariſienſes exortæ, de qua modò agebemus. Manricus num.* 10 *citati antea anni* 1116, *quod res illæ eò referendæ, aut ſaltem non ſint differendæ per longum tempus*, ipſa Guillelmi acta, cujus hortatu & conſilio Bernardus ulus, manifeſtè *ait* convincere; quippe qui vivere deſiit menſe Januario anni milleſimi centeſimi decimi noni; quod, *uti addit*, ex Necrologio S. Agulphi Corbolienſis idem Joannes Picardus E *(quem paulo antè citaverat in notis ad epiſtolam* D. Bernardi) adnotavit. Ut ergo epiſtola poſt hunc annum (1116) ſcripta ſit, procedente negotio; at hoc, aut ad ſummum ſequenti inceptum, admiſſis viris, minùs poteſt in dubium revocari.

annus determinatur.

77 *Sed non videtur Manricus ſatis firmum pedem hic figere. Laudatur Guillelmus de Campellis (de Champeaux) etiam cum* cognomento venerabilis *apud Sammarthanos in epiſcopis Catalaunenſibus; &* exceſſiſſe è vivis anno MCXXI, VIII Calendas Februarii, ſicuti docent tabulæ S. Stephani, & Albericus, *ibidem aſſeritur. Idem annus habetur apud Mabillonium in notis ad epiſtolam tertiam* S. Bernardi. *Et verò eumdem præſulem vitâ functum non fuiſſe anno* 1119, *ut volebat Manricus, ſuadetur in notis ibidem his terminis:* Conon Cardinalis & legatus in Mauriniacenſe prope Stampas cœnobium acceſſit anno MCXX " habens ſecum velut auxiliatorem magnum „ Willelmum Catalaunenſem epiſcopum, qui „ ſublimes ſcholas (*id eſt* theologicas) rexerat; „ & tunc zelum Dei habens, ſuper omnes epi- F „ ſcopos totius Galliæ divinarum Scripturarum „ ſcientiâ fulgebat „ ex Chronico Mauriniacenſi. Unde redarguas eos, qui ejus obitum reponunt anno MCXIX. *Non itaque ſecundum præmiſſa, debuit neceſſariò acceſſus Canonicorum Regularium ad Claravallenſes accidiſſe anno Chriſti* 1116 *aut proximè ſequenti; non item epiſtola Bernardiana fuiſſe conſcripta ante annum* 1120. *Dicamus ergo, nihil incommodi nobis videri in eo, ſi utrumque hoc factum ponamus anno Chriſti* 1119 *vel* 1120.

Imperitus medicus ſummæ Viro ſancto in commoda creat: viſio angelica:

78 *Manricus ad dictum annum* 1116, *cap.* 3 *exhibet ſanctum Patrem gravi infirmitate laborantem ex nimia vitæ auſteritate; Guillelmum Campellenſem mirificè ſolicitum de reſtituenda ei valetudine; præparatumque in hunc finem tugurriolum. Deinde ad annum* 1117 *cap.* 1, *num.* 4 *memorat Viri ſalutem imperitiſſimo ruſtico commiſſam, & graviſſima incommoda, quæ ſuſtinuit. Nos geſta illa huc non tranſcribimus; ſed aſſignamus Guillelmum biographum cap.* 4, *ubi narrat ea, quæ vidit. Ibidem etiam invenies Sanctum viſione angelica recreatum; capite autem* 5 *reſumptum à Viro ſancto priſtinum vivendi rigorem,*

AUCTORE J. P.

§ VIII. Cœnobium Trium fontium vaticinio ac miraculo à Viro ſancto condecoratum; an Chriſti anno 1119 ſuos miſerit in Luſitaniam; receſſu à negotiis ad res magnas exſequendas præparatur.

Vaticinium ac miraculum ad Tres fontes patratum.

MAnricus *ad annum* 1118, *cap.* 3, *num.* 1 *narrat, aliud cœnobium à Guilielmo Campellenſi, de quo antea diximus, conſtructum eſſe in ſua diœceſi Catalaunenſi, ut ſe* Bernardo *arctius devinciret, coloniâ illuc è monaſterio Claravallenſi tranſmittendâ, quam Abbas ſanctus deſignaret; loco nomen inditum Trium fontium (Trois-fontaines) fortè à fontibus ibidem ſcaturientibus, ac* Bernardi *Patris filiam fuiſſe primogenitam. De hoc monaſterio agit* Jongelinus *pag.* 38. *Mentionem porrò ejus hîc facimus, propterea quod Vir ſanctus inſigni vaticinio, ac poſtmodùm etiam illuſtri miraculo illud condecoravit. Vaticinium habemus è Guillelmo biographo cap.* 7, *ubi illud legi poteſt. Miraculum verò ita breviter refert Gaufridus monachus Claravallenſis lib.* 4 *Vitæ cap.* 7 *editionis Mabillonianæ, num.* 41: Cùm veniſſet aliquando Pater ſanctus ad monaſterium Trium fontium, oblatus eſt ei clericus quidam ex his qui Regulares nominantur, homo grandævus & cæcus. Impoſuit ei manum, & brevem ex more fecit orationem: & eâdem horâ vidèntem illum remiſit ad eccleſiam ſuam.

Proponitur controverſia

82 *Annus proximè ſequens* 1119 *apud allegatum identidem Annaliſtam cap.* 3 *narrationem continet controverſiæ hiſtoricæ, an videlicet* S. Bernardus *aſcetas à ſe lectos miſerit tum temporis in Luſitaniam, vitæ monaſticæ inſtitutum ibidem propagaturos. Affirmat Brito lib.* 1 *cap.* 2; *ſed eidem varia argumenta opponit Manricus; factum ex illo ſic exponens cap.* 3 *citato num.* 1: Bernardo Patri poſt laudes matutinas in ſacro Præcurſoris feſto præſentis anni, eumdem Præcurſorem apparuiſſe, juſſiſſeque ut in ultimas Hiſpaniæ oras, quæ Occidentem reſpiciunt, monachos mitteret, exigendo * cœnobio, & ſacrando ſub ejus nomine, Bernardus Brito conſtanter aſſeverat lib. 1 cap. 2: neque id ubilibet, ſed loco priùs è cælo deſignando, quo ſuccedentia miraculis miracula, & priora poſteriorum ſpem augerent, & poſteriora firmarent priorum fidem. Mittendos rurſus eremitam inventuros in illis partibus, cujus conſilio & auxilio uterentur, feliciter negotium conſummarent. Tunc Bernardum ſelegiſſe monachos octo, Boëmundum, Aldebertumque; illum abbatem futurum, hunc Priorem; Joannem, Bernardum, Siſinandum, Rolandum, & Alanum (nam octavum anonymum reliquit) atque eos omnes Luſitaniam tranſmiſiſſe poſt breve tempus, additâ epiſtolâ ſcriptâ ad eremitam Joannem Ziritam nomine (nam & nomen Baptiſta revelaverat) breviter rem perſtringens, *cujus verba recitat ex Brito Manricus; qui deinde ſubdit iſta num.* 3 *& ſeqq.*

** l.* erigendo

an ſanctus Pater anno 1119

83 Quo tempore Bernardo in Claravalle Præcurſor Chriſti glorioſus apparuerat, Joanni Ziritæ

A *gorem, eumque valde ſeverum. Quæ verò idem Vitæ auctor cap.* 4 *num.* 34 *præmiſerat de Sancti patre ad inſtitutum monaſticum converſo, illigat Manricus prædicto anno* 1117; *ut videre ibidem licet cap.* 3, *num.* 8. *Converſionem hanc breviſſimè perſtringit citatus Guillelmus; ſed alibi longior eſt narratio, variis, quæ rem circumſtant, ac* Bernardo *in hac re tribuuntur, adjunctis veſtita; ſed quæ aliquo examine indigent.*

circumſtantiæ, quæ dicuntur

79 *Capitis tertii modò notati num.* 9 *Manricus ea recitat è Vincentio Bellovacenſi in Speculo morali lib.* 3, *p.* 3, *diſtin.* 22 *in fine:* Cùm beatus Bernardus convertiſſet omnes ſuos, & ſequuti fuiſſent eum: pater ejus inobediens erat ei, in ſua duritia perſeverans. Cùm autem ſemel in villa ſua prædicaret, nec vellet ei pater ſuus obedire, præcepit, quòd apportaretur ignis. Quo facto, applicavit eum ad quemdam truncum veterem, qui erat ante portam eccleſiæ: & cùm laboraret ad eum ſuccendendum, non poterat accendi, ſed fumabat. Tunc injunxit omnibus, ut poſt comeſtionem illuc convenirent ad ſermonem, & quod quilibet apportaret ſecum unum

B faſciculum de malleolis ſarmentorum, & projiceret ſuper illum truncum. Quo facto, præcepit ignem apponi, &, ſuccenſis faſciculis, etiam truncus ſuccenſus eſt, maximum ignem emittens & flammantem. Tunc beatus Bernardus cœpit ſermonem de tormentis & igne inferni, quomodo inobedientes, faſciculis peccatorum ſuorum ſuper eos projectis, torquerentur in inferno Et de hoc ita excellenter prædicavit, quod ipſum pater ſuus durus & inobediens ad clauſtralem obedientiam ſequutus eſt. *Hæc Annalium Ciſtercienſium auctor è Vincentio; qui tamen cùm alibi ipſe ſecum non conveniat, vereor ne non conveniat cum vero.*

de converſione patris ejus, expenduntur: figitur ejuſdem obitus.

80 *Id quod ita exprimit Manricus:* Dum eumdem eventum in eodem opere morali diverſimodè accidiſſe teſtatur; fidem dictis demere videtur ſibi contrarius. Certè ligniſ ad truncum applicatis atque ſuccenſis, in quo utrobique convenit, reliqua longè aliter narraverat lib 2, p. 3, diſt. 4: " Quo facto, ligna ſicca citò ſuc-
„ cenſa ſunt, & truncus tardè circa medium ab

C „ extremis emittens humorem fœtidum & fumum
„ teterrimum, diu ignem ſervavit. Tunc incepit Sanctus loqui de pœnis inferni, dixitque
„ patri, quod ipſe eſſet ſimilis illi trunco, qui
„ hîc non poterat igne divino ſuccendi; ſed in
„ inferno, niſi pœnitentiam ageret, in æternum
„ arderet, & fœtentem fumum emitteret. Ad
„ quæ verba pater cumpunctus, eum ſequutus
„ eſt, & monachus effectus „. Ita Vincentius diſcordans à ſe ipſo, *nec concordans cum biographo Guillelmo, qui omni exceptione eſt major, & ſine loco converſionis, ſine perſona, per quam ea ſit facta, ſine modo, quo acciderit, ſimpliciter de eo dicit cap.* 4, *num.* 34: Pater quoque, qui ſolus domi remanſerat, veniens ad filios ſuos, appoſitus eſt ad eos. *Breve autem tempus videtur in monachatu exegiſſe; nam cùm* aliquantum tempus ibi feciſſet, *ut illico addit Guillelmus*, obiit in ſenectute bona. *Chryſoſtomus Henriquez illum inſcripſit ſuo Menologio Ciſtercienſi ad diem* XXIII *Maii. Mabillonius in notula ad librum primum Guillelmi biographi, hæc breviter de ipſius morte ac monaſtico inſtituto obſervat è Necrologio S. Benigni:* III Idus Aprilis obiit Tecelinus monachus, pater domni Bernardi, abbatis Claræ-vallis.

E

F

AUCTORE J. P.

ritæ visum in Lusitania eremiticam vitam agenti juxta Barosum fluvium, idem auctor affirmat, auditumque de adventu monachorum, & monasterio per eos ædificando: quo nimirum non quærerent ignarum, aut rogarent invitum, sed expectantem. Hæc fusiùs Brito concernentia præsentem annum: nam cetera sub initium sequentis gesta. Verùm nos, ne lectorem distrahamus, consequutiva serie hîc subjiciemus. Igitur monachi à Bernardo parente missi, superato Pyrene ad medium hyemis & tota fere Hispania peragrata, Lamacæ terminos (Lamego hodiè appellant) applicuêre. Ibi Joannes Ziritus obvius factus, ipsa comprobatione vaticinii confirmavit hærentes, & jam jamque pertæsis longum iter, pretium fecit apparere supra laborem. Lusitanis imperabat Alphonsus primus, Henrici Comitis filius, tunc ipse Comes, pòst regio titulo etiam insigniendus. Hic oriundus ex Ducibus Burgundiæ, eoque Bernardo Burgundo jam famâ celebri, carne simul & spiritu conjunctus, facilè potuit à Joanne persuaderi, ut terram, quam eligerent, daret Bernardi filiis, donatione firmata
B privilegio, quod non post multos ab adventu virorum dies, apud Araducam (vulgo Guimaranes) idem rex expedivit in hæc verba, *quæ ibidem proferuntur è Brito. Signatur autem:* Facta charta . . Kalendas Martii, ærâ millesimâ centesimâ quinquagesimâ octavâ, *quæ coincidit cum anno æræ vulgaris* 1120. Pyrenem verò subjugatum, *uti subdit Manricus*, in ipsa hyeme, dies ostendit, quippe prima Martii, seu meliùs dixerim, prima post tempus hyemis, ut vel totos tres menses otiosos fateri necesse sit, si ante ipsos appulsi nihil fecerint; vel intra ipsos Pyrenem transmeasse, brumali nive & frigore rigentem.

filios suos miserit in Lusitaniam:

84 *Porrò quæ deinde idem Manricus num. 6 & 7 enarrat è Brito*, Boëmundum *nempe* parvas cellas construxisse sibi & suis; . . inde fulgente in media nocte luce signatum locum . . , felix auspicium construendo cœnobio; atque horum testes epistolas Boëmundi ad Joannem, *& hujus ad illum, quorum exempla ibi producuntur*; Lusitanum illustrem principem . . & cunctos proceres (inter quos Bracharensis archiepiscopus) miraculorum conscios contulisse subsidia in opus
C fabricæ, atque in divini cultus celebrationem; illum marcas argenti septuaginta, ex quibus cruces & alia vasa conficerentur; hunc vestes sacras, quibus utebatur, ad Missarum solemnia peragenda; *hæc, inquam, ex iis, quæ ibi pluribus deducuntur, hîc compendio contraxisse, sufficiat. Quibus ita expositis, opera pretium est audire argumenta, quibus in dubium revocat Manricus modestè quidem, sed tamen appositè, historiam superiùs memoratam. Hæc itaque adversus illam affert:*

sed rationes variæ

85 Primò, *inquit num.* 8, & quod caput omnium est, difficultatem ingerit Bernardus Pater, qui paulo post hunc annum, sed revera post ipsum, ut mox ostendam, contemporaneo, & eo abbati suo Artando * abbati Pruliacensi (*Ordinis Cisterciensis in diœcesi Senonensi, vulgo Prully*) fundationes Hispaniæ dissuadet; quippe in longinquo positas, quò non expediat filios relegare. Habes epistolam Sancti satis apertam, ad eumdem scribentis in hæc verba epistolâ 75: " Au-
„ divi . . ego de te, quod de sancto Conventu
„ tuo abbatiam in Hispania construere velis. Quod
„ mihi nimirum in magnam admirationem venit,
„ quid causæ videlicet sit, quid consilii, quid-
„ ve utilitatis, quod filiòs tuos exsulare cupis, D
„ in locum utique tam longinquum, tanto sum-
„ ptu & labore & quærendum & ædificandum „.
Hæc Pater sanctus: qui si jam in Hispaniam misisset filios, numquam ab alio mittendos condemnaret. Siccine enim dissuaderet, quod ipse fecerat? Porrò epistolam post hunc annum scriptam vel inde constat, quòd Pruliacum (cujus abbas Artandus erat) præcedenti, nempe millesimo centesimo decimo octavo fundata domus, non potuerit de edenda prole tractare, vixdum professis filiis, quos admisisset, & quos fundatum esset transmissum *. Certè neque Claravallis, quæ fœcundissima, ante tres annos, nec Bonavallis, ut minùs ante quatuor, nec reliquæ ante plures parturierunt.

* *f.* transmissurum

86 Ergo epistola scripta post hunc annum, *illam rem* sed ante MCXXII, quo dilatatus Ordo per Germaniam sine ullo periculo, minùs patebat ejusmodi timoribus. Unde non mirum, si annis subsequentibus, Christi nimirum MCXXX idem Sanctus, mutato jam consilio pro modo temporis, & eventuum experimento, monachis suis Hispaniam nobilitaverit, primùm Morerolense (*Moreruela in diœcesi Zamorensi*) de quo inferiùs, E mox plura alia cœnobia fundaturi, sive reformaturis, quod ipsa historiæ series demonstrabit. *His Manricus rationibus, ex dicta Sancti* Bernardi *epistola, ac tempore petitis convenit Lusitanam historiam. Verum ad tempus epistolæ quod spectat; longè à Manrico dissentit editio Mabilloniana Operum sancti Patris* Bernardi *col. 76, ubi ea innectitur anno Christi* 1127; *in qua chronologica ratione quanto magis receditur à tempore, quo Brito alligat miram illam Cistercienſium coloniam Lusitanam, tanto magis ostenditur, seclusis etiam aliis argumentis, illam non satis subsistere.*

* *al.* Artaldo, Artaudo

Præter argumentum verò, quod ex dicta epistola desumpserat Manricus, aliud promit ex ipsa historia rei gestæ, num. 9 *ita loquens:* Ipsa historia ex se nobis suspecta, quædam neque pauca involvit, quæ minùs redolent antiquitatem *illius* temporis, quòd eo anno Lusitaniam Alphonsus regeret; quem tamen vel ætate imparem tunc, quippe decennem tantùm; vel matre retinente sibi dotalia bona, adeoque Lusitaniæ principatum, non ante annum vigesimum octavum evectum so- F lio, producto etiam ejusdem Alphonsi testimonio, probat 3 p. Monarch. Lusit., lib. 8 cap. 26 latè Brandaonius regius scriptor, & longè callens Lusitanas antiquitates, quod princeps conficiendis ex eis crucibus, septuaginta, & eis ampliùs, argenti marcas; quod vestes sacras Bracharensis archiepiscopus, quibus ipse utebatur, monachis dederint; quos tamen constat, nec crucibus argenteis illis temporibus, nec ex serico vestibus, quales decebant magnum Ecclesiæ præsulem, juxta propria instituta uti potuisse; quod Bernardus filiorum amantissimus, hyemis medio algentes & penè nudos, quippe duabus tantùm laxis indutos vestibus, Pyrenæi nivibus improvidus objecerit, nec tempus opportunius, cùm potuisset, sive prævenerit, sive etiam expectaverit. *Hæc Manricus. Adde, quod Alphonsi cum* Bernardo *consanguinitas nimis longè quæsita sit, atque adeo non satis aptè præsenti historiæ assuta, ex suprà allegatis* § 1, *num.* 12.

ostendunt

87 *Alterum Manrico num.* 10 *adversus Britoniam argumentum præbet* Morerolæ cœnobium, sanctissimis Froilano & Atilano quondam, illo abbate, hoc Priore, præ aliis celebre, quod,

A quod, ipſa etiam hiſtoria fatente, quam hauſit Brito, neque ipſo id audente denegare, Ciſtercienſe inſtitutum in Hiſpania primum ſuſcepit. Et tamen conſtat, nondum ſuſcepiſſe poſt annos decem. Certè ut maximè Ciſtercium ei præluxerit, expectavit quinquennium, quod ſuo loco videbimus: ſed & huic luſtro luſtrum aliud additum, ne ipſi [quidem] negant auctores Morerolenſes, ea nimirum contenti antiquitate, cui ex inſtrumentis antiquis certa fides, concordantibus præcipuè Claræ vallis atque Ciſtercii tabulis, nec reclamante aliquo inſtrumento ſive auctore, quem ego viderim.

88 *Extremum denique argumentum ſæpè dictæ tranſmigrationi Luſitanæ à Manrico oppoſitum deſumitur à conglobata variarum rationum congerie. En tibi illam ipſius verbis num.* 11; Quid, quod epiſtola, quæ ex Bernardo Patre profertur, Bernardum minùs ſapit? Quid, quod in ea revelationem refert, quod nuſquam alibi ab eo videmus factum? Quid, quod cæteri auctores eamdem ſileant, & tot apparitionum, miraculorumque velut congeriem inveniuntur tacuiſſe, qui narrant minima? Quid, quod omnes B antiquæ memoriæ Ordinis monaſterium S. Joannis de Taronea in Luſitania poſt plures annos affirmant fuiſſe conſtructum, anno videlicet MCXXXI. Quid, quod cœnobia ab eo anno frequentia, & crebris fundationibus prolifica, etiam per longum tempus ante eum annum aut prorſus inaudita, aut, ſi quod fuit, ſterile permanſit? Nam quod de S. Chriſtophoro vulgo de la Foens, Brito ſubjungit, eamdem prorſus difficultatem patitur, ut ſuo loco videbimus. *Tandem Manricus, præſentem controverſiam concludens*; Hæc, *inquit*, dubitandi magis quàm decernendi fine à me propoſita, lectori perpendenda relinquo, judicii anceps, & neque omnino affirmans, nec planè negans. *Sic ille pro ſua modeſtia. Nos verò, quorum nihil intereſt, ſeriúſne an citiùs vinea Ciſtercienſis ſeu Claravallenſis palmites ſuos extenderit uſque ad mare, in Luſitaniam, inquam; longè potiores partes deferimus Manrico, qui nobis videtur adeo plenè ac planè controverſiæ præſentis cauſam evicisſe, ut Briti hiſtoria, quam hîc refutat, valde ſuſpecta cenſeri debeat. Unde etiam ſequitur, ut duæ epiſtolæ de monachorum Claravallenſium per* Bernardum *in Luſitaniam miſſione, quarum altera ad Alfonſum regem Portugalliæ; altera ad Joannem Ciritam, utraque ſub nomine* Bernardi *antea editæ, non immerito videantur rejectæ in Appendicem epiſtolarum ejuſdem ſancti Patris, quæ in editione Mabillonii col.* 371 *&* 372, *poſt genuinas ipſius epiſtolas, habetur. At de his plus quam ſatis. Nunc in Galliam, & ad geſta ſancti Abbatis noſtri in Claravalle revertamur; de quibus Manricus varia edocet ad annum proximum* 1120.

non ſubſiſtere.

C

89 *Poſtquam igitur ibi cap.* 3 *num.* 1 *auctor ille tractaſſet de claris in ſeculo viris, qui ſancti Abbatis aut magiſterio allecti, aut jugi prædicatione ſolicitati, Claravallenſe contubernium amplectebantur, ac de ſubſidiis ad illud promovendum neceſſariis; ſucceſſiſſe ejuſdem familiæ lætis triſtia ſubdit. Nam* inter proſpera, *ait Annaliſta idem num.* 2, quo minùs ſibi fiderent, dura alia & adverſa paſſi ſunt, Bernardo Patre à filiis ſeparato, dubium ſuo, an ſuorum majori luctu. Cauſa ex ipſo; quippe dum nimio rigori, quem ſuprà diximus, corpore priùs quam ſpiritu ſuccumbit; ac ſupra vires actæ pœnitentiæ, quantumvis ſeriò, ſerò tamen pœnitet; Conventum fratrum, quem diutiùs retinuerat, tandem deſerere, & ſeorſim habitare, coactus eſt, Deo, ut apparuit, ita diſponente, quo à communibus illis expeditus, ex tunc jam non aut ſibi, aut ſuis tantùm, ſed aliis, imò univerſæ Eccleſiæ viveret magno totius Chriſtiani orbis profectu, ejus operâ in omnibus uſuri. *Factum narrat Guillelmus in Vita lib.* 1 *cap.* 5. *Porrò de nimio illo auſteritatis exceſſu ipſemet Pater ſanctus ſeſe incuſabat; ſicut ibidem licet videre.*

Otium propter corporis infirmitatem

AUCTORE J. P.

90 Sed, *ut rectè obſervat Manricus num.* 4, qui ab initio naſcentis Eccleſiæ infirma mundi eligere conſuevit, ut fortia confundat, per hanc ipſius inutilitatem copioſiſſimum fructum præparavit. Quippe feriato à Conventu, ut dicebamus, ipſa ægritudo ex vacatione tempus ad negotia, ex pallore gravitatem in vultu, ex imbecillitate pondus in verbis, atque ex diſſolutione velut inſtante cunctorum æſtimationem conciliabat: & erat velut fugitivæ vitæ major uſura, timore, ut ſolet, urgente deſiderium, commendante pretium metu jacturæ. *Conſule Vitam capite mox citato ſub finem. Otia itaque illa Virum ſanctum ad ſummi momenti negotia, quæ deinde ſunt ſubſecuta, egregiè comparârunt.* E

præparat Sanctum ad magna negotia.

§ IX. Præmonſtrati locus an Præmonſtratenſibus à S. Bernardo datus; hujus erga illos, ac S. Norbertum affectus; mutua Ordinum Ciſtercienſis ac Præmonſtratenſis officia cum elogiis.

Epiſtolæ, in qua S. Bernardus aſſerit Præmonſtratum à ſe datum Præmonſtratenſibus, F

Sanctos Bernardum *ac Norbertum, nobile amicorum par, hoc loco proponere eſt animus, Manrici exemplo; qui tametſi de illis agat ante* Bernardi *à ſuis ſeparatione, de qua jam dictum eſt; argumentum tamen præſens intexit eidem anno* 1120, *in quo & nos modò unà cum ipſo verſamur. Ad hunc itaque annum cap.* 2 *num.* 1 *laudatus Annalium Ciſtercienſium collector in rem noſtram congerit ſequentia:* Sub idem tempus magnum Eccleſiæ lumen Norbertus.. Regularium Canonicorum illuſtrem Ordinem, Præmonſtratenſem à primo loco dictum, magno totius Eccleſiæ bono inſtituit.. Hunc beatiſſimi Patris Bernardi, cui priùs traditus, largitate obtentum, multis aliis ſpretis, Norbertus prætulit, aptum ex ſe, & commendatum ex donante, jaciendis fundamentis ſuæ familiæ. Rem quia concernit Ordinem illuſtrem, & Ciſtercienſi non ſolùm coævum, ſed familiarem, paulo altiùs repetito principio declarabo. *Narrationem itaque hujus facti proſequitur num.* 2 *&* 3, *quæ apud ipſum legi poteſt. Sufficit ad noſtrum propoſitum, quòd locus Præmonſtrati antè fuerit Ciſtercienſium, quàm tranſierit ad Præmonſtratenſes,* Bernardi *videlicet munere. Id quod ipſemet ſanctus Doctor expreſsè affirmat in epiſtola,* ad abbatem de Præmonſtrato *poſt obitum S. Norberti ſcriptâ, quæ eſt ducenteſima quinquageſima tertia apud Mabillonium col.* 250, *hoc inter alia beneficia recenſens Præmonſtratenſibus à ſe collata:* Primò quidem locus ipſe Præmonſtrati, in quo degitis,

AUCTORE J. P.

gitis, noſter fuit, & noſtro munere habuiſtis. Nam nobis frater Wido (hoc nomen primi incolæ loci) per manum epiſcopi antè donaverat.

difficultates expenduntur,

92 *Locus hujus epiſtolæ non caret difficultate, cui occurritur in notis apud Mabillonium hîc :* Nonnulli hîc hærent in explicando Bernardo, quod certum ſit, Præmonſtrati primam eccleſiam, ſancto Johanni Baptiſtæ ſacram, à Bartholomæo Laudunenſi epiſcopo conceſſam fuiſſe Norberto ex commutatione facta cum monachis S. Vincentii Laudunenſibus (*vulgò S. Vincent de Laon*) ad quos pertinebat, teſte Hermannò (*monacho Laudunenſi*) mox laudato in lib. 3 cap. 4. At in cap. 10 tradit idem auctor, teſtis oculatus „ ex altera montis parte majorem eccleſiam „ poſtea ædificatam ab Hugone abbate, cum adjuncto inſigni monaſterio : cujus locus, aut certè ejus portio, à Bernardo ſeu Ciſtercienſibus, qui eam à Widone eremita acceperant, indubiè Præmonſtratenſibus obvenerat. Quid Bartholomæus ipſe contulerit, docet ejus epiſtola in Appendice hujus tomi *col.* 385. *Vide notas fuſiores apud Mabillonium ad ſuprà dictam epiſtolam* 253, *col.* LXXIV, *ubi citatur* Hermannus monachus lib. 3 de Mirac. beatæ Mariæ Laudun. cap. 4 *hæc dicens* : „ Venientes itaque ad præfatum locum „ Præmonſtratum, ingrediuntur orandi gratiâ „ quamdam eccleſiam in honore S. Johannis Ba„ ptiſtæ ibidem conſtructam. Hæc erat de jure „ cœnobii S. Vincentii Laudunenſis „ &c. Ex quibus quidam nuperus ſcriptor in notat. ad Vitam S. Norberti cap. 19, (*Vide quæ dicam paullo pòſt*) hærere ſe teſtatur in explicanda Bernardi conceſſione, quam à monachis Vincentianis per manum Bartholomæi epiſcopi factam legit.

& ſolvuntur :

93 At quamvis ſexcenta id generis in contrarium argumenta ſtarent, Bernardi verbum ineluctabilem obtinere debet auctoritatem : & ſiquidem rem paulo diligentiùs conſideraveris, pugnantia facilè conciliabis. Certum enim eſt, Præmonſtrati cœnobium, in prima ſui conditione non eo in loco ſitum fuiſſe, quo primùm à S. Norberto fuerat inſtitutum ; ſed in altera montis parte, ad quam Hugo Norberti ſucceſſor, cui hæc epiſtola dirigitur, illud tranſtulerat. Cujus rei meminit idem Hermannus tum loco citato, ubi præviſionem ſancti Norberti de cœnobii tranſlatione refert ; tum ibidem cap. 10, ubi Præmonſtrati mutationem ſic deſcribit : " Videns au„ tem Hugo eccleſiam illam parvam „ (nimirum S. Johannis Baptiſtæ, quam monachi Vincentiani conceſſerant, uti præmiſerat cap. 4) " jam „ non poſſe ſufficere tantæ multitudini, quæ „ convenerat, & per Dei gratiam quotidie aug„ mentabatur ; ſciens etiam dominum Norber„ tum, ut ſuperiùs dictum eſt, in ſpiritu prævi„ diſſe, quod ex altera montis parte major ec„ cleſia foret ædificanda, inito cum fratribus ſuis „ conſilio, D. Bartholomæum epiſcopum, ut„ pote loci fundatorem & patrem, advenire ro„ gavit, quatenus diſpoſitis omnibus officinis, „ ipſe primum lapidem in eccleſiæ fundamento „ poneret „. Fuerit ergo prima illa ſedes ſeu eccleſia à noſtris (*id eſt Benedictinis monachis*) Vincentianis conceſſa : ſed quid prohibet ſecundam hanc à S. Bernardo, qui eam à Widone eremita priùs acceperat, Præmonſtratenſibus conceſſam? Legantur epiſtolæ duæ Philippi abbatis Bonæ ſpei, quibus hæc reſpondere videtur.

94 *Locus itaque Præmonſtratenſibus à* S. Bernardo *conceſſus, & ita explicatus, neutiquam repugnat litteris fundationis Præmonſtrati, quæ confectæ fuere nomine Bartholomæi epiſcopi Laudunenſis, & in quibus locus ille dicitur pertinuiſſe ad Vincentianos monachos, nec non S. Norberto traditus ab ipſo Bartholomæo, cui primum ab Adalberone, S. Vincentii abbate, rem poſtea confirmante Seifrido ejus ſucceſſore, fuerat conceſſus ; uti in citatis fuſioribus notis licet videre, ubi citantur litteræ jam dictæ. Adiſis noſtrum tomum* 1 *Junii, die* VI *ejuſdem menſis pag.* 862 *& ſequentibus, ubi inter Analecta Norbertina cap.* 2. *profertur triplex Bartholomæi epiſcopi Laudunenſis diploma, & expenditur difficultas ſuperiùs propoſita & ſoluta ; ſed modus illam extricandi, qui ibi apud nos pag.* 864 *datur, non adeo mihi arridet, quàm ille, quem paullo antè è laudatis notis protuli. Quidquid verò ratiuncularum contra donationem hîc controverſam proferas ;* Bernardi verbum, *ut ſuprà rectè dicebatur*, ineluctabilem obtinere debet auctoritatem ; *qui videlicet optimè ſcire poterat ac debebat, nec non in recentiſſima memoria habebat, quid dediſſet & quibus ; item a quo, quo tempore ac modo id, quod poſtea dedit, antea accepiſſet. Neque porrò ſatis perſpicio, quî hoc negari poſſit, niſi Viro ſanctiſſimo macula inuratur imprudentiæ ſimul ac impudentiæ, nec non apertæ falſitatis, ne dicam mendacii. Quod abſit. Miror itaque, veritatem hujus donationis ab auctore quodam Præmonſtratenſi non ſatis cognitam, atque adeo non ſatis ſecurè approbatam fuiſſe ; quam alius Ciſtercienſis defendendam ſuſcepit labore, ut mihi quidem apparet, minimè neceſſario, immò ſupervacaneo ; quia ſtandum eſt* Bernardi *verbo ; ſi Præmonſtratenſis hanc quæſtionem non ſparſiſſet in publicam lucem. Rem intellige ex ſequentibus.*

D

neque litteræ fundationis Præmonſtrati

huic rei obſtant.

95 *Exſtat inter notitias, quas apud me habeo de* S. Bernardo, *manuſcripta* Diſſertatiuncula, quâ breviter demonſtratur, quomodo ſanctus Pater Bernardus in epiſtola ſua 252 (*al.* 253) verè dicat, DD. Præmonſtratenſes ipſum locum de Præmonſtrato habere munere ſuo. *Accipe Diſſertatiunculæ exordium :* R. D. Polycarpus de Hertoghe, religioſus S. Michaëlis Antverpiæ, Ordinis Præmonſtratenſis, in notationibus ſuis in Vitam S. Norberti (Prodiit hæc Vita cum notationibus anno MDCLVI typis Plantinianis Antverpiæ) ad cap. 19, foliis 346, & 348 ſcripſit, ſe non videre, quomodo S. Bernardus, epiſtolâ 252 dicat, Præmonſtratenſes ipſum locum de Præmonſtrato habere munere ſuo : cùm ex diplomatibus Bartholomæi epiſcopi Laudunenſis (quorum partes producit) clarè pateat, dictum locum, qui priùs erat monachorum ſancti Vincentii Laudunenſis, ab ipſo epiſcopo datum S. Norberto & Fratribus ejus, facta commutatione utiliori ipſis monachis : niſi forte idem S. Bernardus ſeipſum adnumeret Benedictinis monachis S. Vincentii, ratione ejuſdem regulæ ; vel, cùm dicitur monachos S. Vincentii antea diu locum illum incoluiſſe, illud DIU longè in anterius tempus extendendum ſit, quo eorum locus iſte fuerit. Quæ rationes frivolæ nimis ſunt ; in tantum, ut operæ pretium duxerim illas breviter hîc refutare, aliaſque ſolidiores producere. *Superſedeo illas huc tranſcribere. Sufficiunt enim, quæ jam dictæ ſunt. Poſt Diſſertatiunculæ finem auctor* Carolus de Viſch, religioſus Dunenſis, componebam, *inquit*, anno MDCLXIII, menſe Junio. *His itaque frivolis argutiis relictis, priorem ſemitam relegamus, & ſancti Doctoris erga S. Norbertum venerationem atque adeo amorem comprobemus.*

96 *Epiſtolâ*

A *Varia proferuntur ſpecimina, è quibus ſuadetur*

96 *Epiſtolâ* 8 *ad Brunonem Colonienſem electum, poſtquam* S. Bernardus *ab eo fuiſſet conſultus de acceptando epiſcopatu Colonienſi, inter alia ſic ſcribit in ejuſdem fine :* Habetis autem dominum Norbertum, quem meliùs præſentem præſens de talibus interrogare poteſtis. Nam tanto vir ille in divinis aperiendis myſteriis nobis promptior, quanto & Deo propior eſſe cognoſcitur. *Epiſtola hæc notatur apud Mabillonium ſcripta anno* 1131 ; *apud nos verò tomo* 1 *Junii, quem paulo antè citabam, pag.* 815 *aptatur anno* 1132, *vitæ S. Norberti antepenultimo. Breviſſimum quidem eſt illud, ſed illuſtre tamen elogium, epiſtolæ* 56, *quæ eſt ad Gaufridum Carnotenſem epiſcopum, inſertum :* Quod à me de domino Norberto ſciſcitamini, ſi videlicet iturus ſit Jeroſolymam, ego neſcio. Nam cum ante hos paucos dies ejus faciem videre, & de CÆLESTI FISTULA, ore videlicet ipſius, plurima haurire meruerim *&c. Honorifica prorſus iſta expreſſio eſt in calamo Sancti, cum de Diverſis ſermone* 22 *apud Mabillonium col.* 1129 *ab eodem Doctore* cæleſtis fiſtula Ambroſius *vocetur. Epiſtola autem illa* 56 *apud Mabillonium alligatur anno circiter* 1128. *His addi poteſt fragmentum ſequens, quod ſubdo ex epiſtola* 253 *ſuperiùs memorata, ubi ſanctus Doctor ad abbatem Præmonſtratenſem, mortuo jam pridem S. Norberto, ſcribens, anno videlicet* 1150, *cui in Mabilloniana editione affigitur iſta epiſtola,* Veſtrum, *inquit,* Ordinem fovi & promovi ſemper, quod in me fuit ; *id quod deinde luculentis argumentis probat ; ac denique excuſatis omnibus, quæ anſam dederant querelis (& verò querelas non rarò inter amicos optimos intercedere, quis ignorat ?) arctum amicitiæ nexum cum illis & eſſe ſibi, & fuiſſe, & futurum profitetur, ita loquens col.* 253 :

Adhærebo vobis, etſi nolitis : adhærebo, etſi nolim ipſe. Olim me alligavi forti vinculo, caritate non ficta, illa quæ numquam excidit. Cum turbatis ero pacificus, conturbantibus quoque dabo locum iræ, ne diabolo dem. Vincar jurgiis, vincam obſequiis. Invitis præſtabo, ingratis adjiciam, honorabo & contemnentes me. Et nunc triſtis eſt anima mea, quòd quacumque occaſione offenderim vos ; eritque triſtis, uſque dum veſtrâ indulgentiâ relevetur. Si tardaveritis, ibo & excubabo pro foribus ; perſeverabo pulſans, inſtabo opportunè, importunè, donec vel merear, vel extorqueam benedictionem. *Tam altas egerat in intimo Sancti noſtri pectore radices contracta jam pridem cum S. Norberto amicitia, ut ea tanto cum affectu poſtea erga Ordinem ejus perſeveraverit.*

B

C

S. Bernardum intimè fuiſſe affectum erga S. Norbertum,

97 *Hinc mirum non ſit, immò verò ecquis ſat prudenter non cogitet, S. Norbertum Sancto noſtro, adeo intimè erga ſe affecto, mutuis æſtimationis ac benevolentiæ ſignificationibus reſpondiſſe, amica ambos inter ſe habuiſſe non rarò commercia, firmatumque inter eos fuiſſe neceſſitudinis vinculum ex eo potiſſimùm tempore, quo conjunctis ſacræ prædicationis ſuæ armis errores Petri Abaëlardi oppugnarunt ? Nam de utroque veritatis pugile intelligendum cenſeo illud, quod ipſe dicit in epiſtola prima, quæ ſuo & Heloïſæ nomine inſcribitur, cap.* 12 : Quoſdam adverſum me novos Apoſtolos, quibus mundus plurimùm credebat, excitaverunt : quorum alter Regularium Canonicorum vitam ; alter monachorum ſe reſuſcitaſſe gloriabatur. Hi prædicando *&c. Ita ille, veris eorum laudibus falſam inanis gloriæ maculam inverecundè adſpergens. Quibus autem modis Regularium Canonicorum fundator* S. Bernardo *pares favoris vices reddiderit ſingillatim, non habeo in promptu documenta, quibus id edoceam, præter illa, quæ Manricus allegat à num.* 6 : Quod verò, *ait,* Bernardum Norbertus pater, nec ſolus ſolum, ſed omnes ejus filii Ciſtercienſem familiam monachoſque non minore coluerint reverentia, duo mihi argumenta perſuadent, utrumque efficax, alterum pro Norberto, pro ſuis alterum.

AUCTORE J. P.

D

98 Certè in Norberto ſatis mirum eſt, quòd poſt acceptum Præmonſtrati locum, & in loco cæleſte illud oraculum ; poſt diſcipulos plures congregatos, per quos viſio ex parte jam impleta, in cæteris adimplenda comprobatur ; de aſſumendo nihilominus Ciſtercienſi inſtituto, nec ullo alio edendo conſultum ierit, quod Acta vitæ ejus ſatis indicant, dum tradunt, multos Religioſos, tam epiſcopos quàm prælatos (haud dubium, quin à viro Dei conſultos) reſpondiſſe diversè, *è Vita apud Surium die* VI *Junii cap.* 22, *ubi hæc ſunt :* Cùm autem multi Religioſi tam epiſcopi quam abbates, diverſa conſilia darent, alius eremeticam, alius anachoreticam vitam, alius Ciſtercienſem Ordinem aſſumendum ſuadentes. *Sancto itaque Norberto cogitanti de Ordine inſtituendo cecidit in deliberationem Ciſtercienſis, ſive ex* S. Bernardo, *mirifico ejuſdem propagatore, ſive ex florentiſſima familiæ Ciſtercienſis propagatione, ſive ex utraque ſimul hac re ortum duxerit propoſita deliberatio.*

& ab hoc illum

E

99 Verùm, *ut rectè ſubdit Manricus num.* 7, qui novi inſtituti novum decorem Eccleſiæ ſuæ parabat per ſanctum virum, in eodem veſtitu deaurato, varietate Religionum circumvallandæ, ne Ciſtercium Norberto cariturum nullam in ipſius familia partem haberet, imminentem occaſum vix orti ſolis imitatione Ciſtercii reparavit. Nam cùm Norberto promoto in archiepiſcopum, inſtaret jam excidium deſerto gregi, ea una cunctis concepta ſpes ſalutis, ſi Ciſtercienſis Ordinis ſtatuta, ſi Capitula annua, ſi rerum omnium ſuperfluarum contemptum ac rejectionem æmularentur. *Adiſis Vitam S. Norberti apud Surium cap.* 46, *è quo delibo iſta :* Poſitus & conſecratus eſt ille pater (*quem videlicet Norbertus ſibi ſubſtituerat ſucceſſorem*) in Præmonſtratenſi eccleſia, & illi duo (de quibus, *ut paullo antè ibi erat dictum,* præceperat vir Dei, ut alterum in Antverpienſi eccleſia patrem, alterum in Floreffienſi conſtitueret) in duabus aliis ſupradictis. Sed & duo jam alii conſecrati erant in duabus aliis eccleſiis, Laudunenſi S. Martini & Vivarienſi. Iſti quinque & ſextus, quem ad locum, qui dicitur Bona ſpes, ſtatim poſt introitum ſuum abbas Præmonſtratenſis ablegarat, imminentem diſſolutionem Ordinis in pleriſque locis videntes, & majorem futuram metuentes, ad diem ſtatutum in loco determinato convenerunt, & quidquid ad præſens in domibus ſuis ſuperfluum videbatur eſſe, recidentes, deinceps ad exemplum Ciſtercienſis Ordinis, annuatim ſe reverſuros ſimul ad Ordinis ſui ſiniſtra corrigenda firmaverunt. Quod cum in locis aliis divulgatum fuiſſet, ſi in primo anno ſex, & in ſecundo novem fuiſſent, in tertio duodecim, in quarto decem & octo fuere ; & ita deinceps multiplicati ſunt ubique terrarum, ſicut voces & actus eorum & opera uſque in præſentem diem teſtantur. *Superiora confirmantur è Vita S. Norberti apud nos tomo citato, cap.* 16, *pag.* 852 ; *in notis autem*

F

magna in veneratione fuiſſe habitum ;

AUCTORE J. P.

tem ad illud caput indicatur, S. Norberto ſucceſſiſſe Hugonem prîmum ejus ſocium, *de quo ſuprà ibi actum erat ad cap.* 5; *Antverpiæ* Waltmannum, *Floreffiæ* Richardum *datos &c. Item in eccleſia Laudunenſi ac Vivarienſi conſecratos* Gualterum & Henricum, *de quibus, uti & de eorum monaſteriis dictum fuerat ad cap.* 13. Sextus *ille ſuprà anonymus, eſt* Odo, *primus cœnobii bonæſpei in Hannonia prope Binchium oppidum; ut videre datur in mox aſſignatis notis. Obſerva denique iſta obiter de tempore Capituli jam dicti:* Ordinavit ac præcepit vir ſanctus, ut ex omnibus eccleſiis, quæ vel in vita ſua, vel poſt obitum inſtitutionis ac regulæ ſuæ normam ſequerentur, univerſi abbates ac præpoſiti ſingulis annis in feſto S. Dionyſii ad Præmonſtratenſem eccleſiam . . convenirent, ſimulque congregati Capitulum generale eodem loco celebrarent, *teſte Joanne le Paige in Bibliotheca Præmonſtratenſis Ordinis parte* 1, *lib.* 2, *cap.* 34, *è quo hæc retuli.*

ſacrâ utriuſque familiâ amoris mutui vinculis laudabiliter unitâ.

100 Porro hæc & ſimilia, *uti num.* 8 *concludit Manricus*, ſimilitudinis atque item amoris mutui vincula adeo utramque familiam devinxerunt, ut auctores antiqui de utraque, & vix de una loquantur, aliâ omiſſâ. Audi Robertum Sigeberti continuatorem: " His temporibus Or-
B „ do Canonicus Præmonſtratenſis, & monaſti-
„ cus Ciſtercienſis, quaſi duæ olivæ in conſpe-
„ ctu Domini, pietatis lumen & devotionis pin-
„ guedinem mundo miniſtrabant, & quaſi vites
„ fructiferæ Religionis palmites circumquaque
„ propagabant „ *&c. Audiatur etiam Laurentius de Leodio in Hiſtoria epiſcoporum Virdunenſium, qui tomo* 12 *Spicilegii Acheriani, editionis prioris pag.* 325; *poſterioris autem tomo* 2, *pag.* 255, *utrumque Ordinem conjungens charitate, meritis, & laudibus*, Subſequuta ſunt, *inquit*, deinde illa duo Cherubim expandentia alas ſuas in medio Eccleſiæ, & verſis vultibus in propitiatorium ſe mutuò reſpicientia, id eſt, duo præclariſſimi Ordines devotione ſua Eccleſiam protegentes, & converſis ad Deum cordibus ſe mutua charitate æmulantes, quorum unus Ciſtercienſis, duce Bernardo ſanctiſſimi nominis abbate, monaſticum Ordinem jam penè lapſum ad primam Apoſtolicæ vitæ normam reparavit: alter merito & nomine à Deo Præmonſtratus, duce Norberto Parthenopolitano archipræſule inC ceptus, eccleſiaſticum ordinem de luto mundanæ vanitatis excuſſit. Credas hos duos Ordines eſſe de libro Apocalypſis duos prophetas circa finem mundi à Deo miſſos, & ſacco pœnitentiæ amictos, duas olivas clementiæ cæleſtis, divinæque duo candelabra gratiæ. Ita ſe in omnibus cruciant, ita verbo fidei mundum irrigant, ita meritorum luce illuminant *&c. His de nobili & ſancto amicorum pari, & de præclariſſima utriuſque familia tractatis, vocamur ad res Bernardinas, prout exigit inſtituti noſtri finis, ulteriùs proſequendas.*

D

§ X. Vacatio à negotiis compenſata otio ſancto; muſcæ miraculo interfectæ; mira ſermonis vis in converſione aliorum; apparitio de ſalute eorum, qui ritè perſeveraverint in Ordine Ciſtercienſi; peccatores per miraculum à ſancto Patre ad frugem adducti.

Sanctus à filiis ſuis ſejunctus Deo vacat, & ab eo illuſtratur;

ANnum proximè ſequentem 1121 *auſpicatur Manricus à* S. Bernardo, *qui* ſejunctus à ſuis filiis, quo negotiis aliorum magis vacabat, eo magis à Deo illuſtrabatur tam per ſapientiam cælitus infuſam, quam per miracula. *De utroque hoc divinæ erga Virum munificentiæ charifmate conſule Guillelmum in Vita lib.* 1 *cap.* 5. *Et verò tempus, quo vacabat à negotiis, otio ſancto compenſabat. Nam, referente Alano cap.* 10, *num.* 32, *col.* 1248 *apud Mabillonium*, feriatus à labore vel opere exteriori, jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. *Quænam verò per hæc tempora ſcripſerit, narrat Manricus num.* 6 & 7. *Ad hæc, quæ refert idem Annalium Ciſtercienſium concinnator cap.* 3 & 4 *de diſſenſionibus è frequenti monachorum nigrorum ad albos tranſitu, ac epiſtolis* S. Bernardi *hac occaſione exaratis, non video noſtrâ intereſſe tanti, ut pluribus huc ſint tranſcribenda; uti nec illuſtre prodigium de muſcis Sancti verbo interfectis; cùm illud exponat Guillelmus lib.* 1 *Vitæ cap.* 6, *num.* 58. *At quid de ſancti Abbatis prædicationibus?*

conatus ipſius in converſione animarum,

102 Vigebat (*utor verbis Manrici ad annum* 1122 *cap.* 6) Bernardi Patris zelus, & multos litteratos, multos nobiles, multos potentes de ſeculo trahebat. Quippe vix umquam Claramvallem aggrediebatur *, quin agmen novitiorum ſecum reduceret, implendo apibus cæleſti illo alveari, unde examina nova indies prodirent. Guillelmus Alanuſque in Actis ipſius Catalaunenſi capturæ (nam ſic vocant, à piſcatione nomine mutuato) Pariſienſem ſubjungunt, quam ideo ſuſpicor contigiſſe circa hunc annum (*de fructuoſa ipſius prædicatione agunt Guillelmus in Vita lib. 1 cap. 7, & Alanus cap. 15.*) Cæterùm Pariſienſis, qualis fuerit, & qualiter conatus primùm irritus, mox fructuoſus, ac demum acceſſione facta ſuperabundans, novitiis Claramvallem, angelos gaudio, & totam Galliam admiratione repleverit, auctor Exordii magni memoriæ prodidit, idque à Rainaldo tunc Bernardi ſocio, pòſt Fuſniaci abbate . . veritatem edoctus, qui præſens fuit. *Rem narrat Exordium magnum à Triſſierio vulgatum, diſtinctione* 2 *cap.* 13: Quadam præterea vice, cum vir Domini Bernardus, cauſa exigente, Pariſius adiſſet, rogatu Clericorum ingreſſus eſt de more ſcholas eorum. Quibus oſtendens formam veræ philoſophiæ, monebat eos attentiùs de mundi contemptu, & ſubeunda pro Chriſto Domino voluntaria paupertate. Explicito verò ſermone cùm nemo ex eis converteretur, triſtis egreſſus eſt, eo quòd præter votum, & præter ſolitum, id ei accidiſſet.

* *l.* egrediebatur

E

F

103 Ve-

A 103 Venienſque ad domum cujuſdam archi-
primò irri- diaconi, qui eum ad hoſpitium ſuum traxerat,
tus Pariſiis, ſeceſſit in oratorium ibidem conſtitutum. Cumque cœpiſſet orare in ſpiritu vehementi, validiſſima compunctione totus in lacrymas reſolutus eſt, ita ut gemitus & ſingultus, quos cohibere non poterat, foris audiri contingeret. Quo comperto, præfatus archidiaconus à ſociis ejus inquirere cœpit, quænam eſſet tanti cauſa mœroris. Reſpondens autem unus ex eis, vir religioſus, quondam abbas Fuſniaci, nomine Renaldus, qui ſecretorum Famuli Dei magis conſcius erat, & cujus etiam relatu iſta cognovimus, dixit ad eum: Homo iſte mirabilis totus igne caritatis accenſus, & totus in Deo abſorptus, nil aliud in mundo deſiderat, niſi tantummodo, ut valeat errantes ad viam veritatis reducere, & eorum animas Chriſto acquirere. Et quia modò verbum vitæ ſeminavit in ſcholis, & de converſione Clericorum fructum verbi ſui non recepit, Deum ſibi putat iratum, cujus hodie in ſua prædicatione non perſenſit reſpectum. Hinc iſta procella gemituum; hinc effuſio lacrymarum: proinde nunc certiſſimè ſpero, quòd hodiernam ſterilitatem cra-
B ſtinæ ſatisfactionis ubertas grandi fœnore compenſabit.

104 Mane itaque facto, cum ſcholas repe-
ſed deinde tiſſet Prædicator egregius, ad nutum Domini navem cogitationis duxit in altum, & ſacræ doctrinæ retia laxavit in capturam. Finito verò ſermone, plurimi ex eiſdem Clericis per manum illius ſeſe Domino reddiderunt. Quos ille protinus de mundi periculo, tamquam de marinis fluctibus extractos, & vehiculis conductis impoſitos, in ſalvatorium Claræ vallis inferre non diſtulit. Tandem egreſſus de civitate cum comitatu ſuo, uſque ad villam ſancti Dionyſii venit, ibique pernoctavit. Summo verò mane facto, cùm eum recto itinere profecturum fratres illius exiſtimarent, dixit: Redeundum eſt nobis omnimodis Pariſius, quia ſunt adhuc ibi aliqui ex noſtris, quos etiam oportet nos inde adducere, & adjungere huic ovili dominico, ut fiat unus grex, & unus paſtor.

105 Cùm ergo cœpiſſent introire in civita-
admodùm tem, vidit Clericos tres à longè in occurſum e-
fructuoſus. jus venientes, dixitque ad ſocios ſuos: Expedivit nos Dominus, jamque in via noſtra proficiſ-
C cemur. En, iſti ſunt Clerici, propter quos venimus. Illi verò accedentes cum eum adeſſe cognoſcerent, gaviſi ſunt gaudio magno, & dixerunt: O quam deſideratus advenis, beatiſſime Pater, quia propoſitum noſtrum erat adire te: vix putabamus abeuntem conſequi poſſe. Qui reſpondens dixit ad illos: Et ego noveram, dilectiſſimi; propterea feſtinabam cum panibus occurrere fugientibus vobis. Gradiamur itaque ſimul, eroque per gratiam Dei ductor itineris veſtri. Adjunctis ergo cæteris ſuprà memoratis, ſequuti ſunt Hominem ſanctum, adhærentes ei, & ſub diſciplinæ magiſterii ejus ſpiritualem militiam exercentes cunctis diebus vitæ ſuæ. *Hæc ibi longiuſcula quidem, ſed fideli narratione: unde luceſcit mirabilis in ſancto Patre dicendi vis, quâ juniorum hominum corda, adinſtar ſacri magnetis, fortiter & ſuaviter attrahebat, ut jugum Domini portarent ab adoleſcentia ſua. Porrò Accidit etiam, ut* Sanctus in his actionibus (*ſic pergit Manricus num.* 6) non præmeditato ſermone, ſed ſubitaneo (inſpirato *utique* à Deo) atque ex ipſis ſcholarum materiis quamvis minutis occaſione accepta philoſophiam Chriſtianam prædicaret, *ex Vincentio Bellovacenſi, quem citat in Speculo morali lib.* 2, *p.* 2 *diſt.* 6. *Textus verò, qui ibidem ab ipſo producitur, vel eodem, quem citabam, num.* 6, *vel in ipſo potiùs fonte videri poteſt; cùm ſuperiora ſint ſatis longa; & longiſſima in rebus ſancti Doctoris illuſtrandis ſuperſit nobis via.* AUCTORE J. P.

106 *Hinc itaque cum Manrico delabimur ad annum Chriſti* 1123, *quo multa & mira de Viro ſancto à nobis referenda ſuppeditat. Ibidem cap.* 2, *num.* 1 *hoc exemplum recitat ex Cæſario homilia* 8 *poſt Epiphaniam:* Tempore quodam cùm S. Bernardus abbas Claræ vallis adhuc adoleſcens ad Miſſam ſtaret, & quædam illic negligentia circa miniſterium altaris contigiſſet; quædam reverenda perſona illi triſti vultu apparens, ait: Si ſcirent monachi, quantum ſanctos angelos, qui hîc præſentes ſunt, contriſtarent, cùm in hoc ſacro miniſterio tepidi ſunt & negligentes, & quantum illos lætificarent, quando illos devotos vident atque ferventes, cautiores efficerentur. Quem cùm interrogaret Vir beatus de ſtatu monachorum, reſpondit ille: Omnes, qui in Ordine Ciſtercienſi perſeveraverint, ſalvi erunt. *Hæc è Cæſario ibi ad dictum annum num.* 1; *ſive ad eumdem annum, ſive ad anteriores, cùm Sanctus vocetur* abbas adhuc adoleſcens, *referenda ſint. Porrò cujuſmodi fuerit iſta negligentia, quænam perſona ſancto Patri ſpectabilis apparuerit, prædictio item illa quibus verbis extenſiùs declarata, ſubdit Manricus num.* 2 *ex Exordio Ciſtercienſi lib.* 2 *cap.* 1, *cujus auctoritate confirmantur ſuprà dicta. Subdo textum ex impreſſione Triſſieriana diſtinctione* 2, *cap.* 1 *Exordii magni:* *Intelligit* E

107 Accidit aliquando in Claravalle dum Miſ- *ex appari-*
ſa in Conventu celebraretur, eodem venerabili *tione,*
Patre præſente, ut, lecto Euangelio, ſacerdotis manibus lavandis aqua per negligentiam deeſſet: quæ cùm aliquantulùm diutius expectaretur, Conventus interim verſis vultibus ad Orientem ſtabat. Cumque Pater ſanctus in ſtallo * ſuo ante gradum presbyterii ſtaret, monachus quidam ante paucos dies defunctus ei viſibiliter apparuit, & ſtans contra eum, caput quaſi redarguendo movere cœpit. Quem Famulus Dei videns agnovit, & quare caput contra ſe agitaret, quæſivit. Cui ille: O ſi ſciretis, quantos & quales ſo- F cios haberetis in cælis, profectò caveretis vobis ab omni negligentia. Quod verbum Sanctus gratanter audiens, reſpondit: Veréne putas, quod omnes, qui in hoc monaſterio ſunt, fratres, ſalvabuntur? Etiam, inquit, ſalvabuntur: & non ſolùm ipſi, ſed & omnes, qui in Ordine noſtro obedienter & humiliter fuerint converſati, ſalvabuntur. Recordatus verò pius Pater cujuſdam fratris, quem pro negligentia & duritia cordis ſui frequentiùs corripi oportebat, & ob hoc ſuper eo multum contriſtabatur, ſubintulit dicens: Numquid de ſalute fratris illius certi aliquid noſti? Reſpondit: Nec ipſi deerit miſericordia Dei. Quo audito, Vir ſanctus vehementer gaviſus eſt, & tanto alacriùs cum fratribus ſuis propter verba labiorùm Domini cuſtodivit vias duras, quanto certiùs ſpem mercedis æternæ ſinu ſuo repoſitam tenebat. *Hæc ibi.* **i. e.* ſede in choro eccleſiæ

108 *Alia quædam ſubjungit Manricus; ſed ſalvos fore*
antequam nos ea referamus, juvat hîc expende- *omnes, qui*
re, quæ habet num 5 *& ſequentibus de æternæ* *in Ordine*
felicitatis eorum omnium, qui in Ordine perſeveraverint, vaticinio. Cæterùm, *ait*, quod ad promiſſionem attinet ſalutis omnium, qui in Or-

AUCTORE J. P.

dine permanſerint; ſimilem planè aliam accipiat lector, ſanctiſſimo cuidam monacho (dubium an Claræ-vallis) Gerardo nomine, in extremis agenti, de cælo factam, Bernardo Patre vivente & atteſtante: ſi tamen ejus eſt libellus ille, qui ſub titulo Doctrinæ beati Bernardi inter Opera ipſius circumfertur. *Ex illo autem memorantur à Manrico ſequentia:* Inſuper paratus ſis ad obediendum alacri animo & vultu. Cogita monachum illum Gerardum nomine, qui cum de Dei miſericordia ultrà modum deſperaret, infirmatus ad mortem, jacuit per triduum oculis clauſis in mentis exceſſu: & viſitatus ab Abbate, oculis apertis ait: Bona eſt obedientia: ad tribunal Chriſti fui, animas Sanctorum vidi, ipſumque facie ad faciem dicentem mihi: Ecce locus tuus inter fratres tuos. Nullus tui Ordinis peribit, ſi Ordinem amaverit, aut in morte purgabitur, aut brevi poſt mortem. Salvi autem qui de Ordine tuo ſunt, aut in Ordine Apoſtolorum, aut Martyrum, aut Confeſſorum ſortem accipient. Et hæc dicens, communione accepta diſceſſit. *Manricus, his citatis,* Hactenus Bernardus, *inquit*, ſeu quicumque eſt auctor illius libelli, planè antiquus, taliſque, qui pro Bernardo Patre haberi meruit. *Opuſculum illud, de cujus auctore dubitat Manricus, in editione Operum* S. Bernardi *à Mabillonio vulgata habetur volumine 2, tomo 5, inter Opera dubia & Bernardo perperam adſcripta, col. 800 & ſequentibus.*

B

109 *Sed ad vaticinium illud quod attinet; laudatus Annaliſta rem ita confirmat num. 6:* Simile quid ſub abbate Pontio in Claravalle, & contigiſſe legimus, & ſuo loco inferiùs referemus, nempe ut in ore non ſolùm duorum, ſed trium teſtium verbum conſiſtens, altiùs mentibus omnium imprimeretur. Simile, inquam, ut credo, ſed non idem. Nam neque geſtum ſub Pontio retuliſſet Bernardus, qui obiit ante ejus præfecturam; &, ut dicamus, non Bernardi opus, ſed alterius junioris ex Claravalle. At ſubjectorum adhuc differentiam arguere videtur diſtinctio nominum: quippe alter Gerardus vocabatur, ut jam vidimus; alter Bernardus, ut ex magno Exordio infrà etiam videbimus. *Conſule tomum 2 Annalium Ciſtercienſium ad annum 1167, cap. 6, num. 2 & ſequentibus, ubi illud factum narratur; uti etiam apud Bertrandum Tiſſierium in Bibliotheca Patrum Ciſtercienſium tomo 1, diſtinctione 2 Exordii magni, cap. 26.*

Ciſtercienſi

C

110 *Denique idem Annalium auctor hoc argumentum explicat cap. 2 num. 7 ad dictum annum 1123:* Interim adnoto, *inquit*, has promiſſiones, & ſi quæ ſunt ſimiles, noſtrorum animos ita in ſpem erigere, ut nihil prorſus poſſint præſumptionis, nihil ſecuritatis illis afferre; ſi obſervantibus, eaſdem recepturis ex firmiori evangelico ſermone; ſi tranſgreſſoribus, jam factis extra Ordinem, atque adeo extra ſpem præmii repromiſſi. Audi Cæſarium de hoc ita loquentem homilia 8 poſt Epiphaniam: " Non nos hæc verba, fratres, ſeducant. Si aliqui eſſent inter nos (quod abſit) fures, proprietarii, conſpiratores, eiſque conſimiles, tales de Ordine non ſunt; quia ejuſmodi Ordo excommunicat. Qui autem non communicat, alienus eſt ". Ita Cæſarius. Quod clariùs Exordium dicit, ſaltem faciliùs, dum non quibuſque in Ordine manentibus, ſed ſi humiliter & obedienter converſantur, futuræ gloriæ præmium repromiſit. Obſervantibus ergo ſanctam regulam, adeoque & Evangelium, facta promiſſio, tranſgreſſoribus in nullo eſt favorabilis. *Hæc ibi. Priùs verò quam hinc aliò tranſeam, obiter monuiſſe lectorem meum juverit, miras prorſus eſſe prædictiones, quæ narrantur de morientibus in Societate Jeſu; prout videre datur in Gloria poſthuma S. Ignatii, ejuſdem fundatoris, tomo VII Julii, ad diem XXXI ejuſdem menſis, pag. 851 & ſequente.*

ſitè perſeveraverint.

D

111 *En tibi nunc, lector, quæ Manricus præmiſerat num. 3 & 4 de peccatoribus à ſancto Patre per miracula ad pœnitentiam adductis. Exemplum ibi de fratre, quem à ſumenda ſacra ſynaxi ſuſpenderat; quique reſpectu humano victus, Euchariſtiam una cum aliis ſumpſerat; ſed ſacram hoſtiam deglutire non poterat, donec pœnitentem abſolviſſet Pater ſanctus, narrat Guillelmus lib. 1 Vitæ cap. 6, num. 57. Quid memorem aliud exemplum mirabile pariter & intellectu difficile Manrico, qui numero 4 jam citato,* non virtutis, ſed doni opus, atque internæ motionis ſpecialiſſimæ, *nec non* admirandum potiùs *vocat*, quàm imitandum. *Rem geſtam narro in fide Exordii magni Ciſtercienſis, in quo illa exſtat his verbis:* Quidam monachus hujus ſancti Patris per fallacias dæmonum, & per proprii ſenſus ſimplicitatem, in tantam cordis inopiam devenerat, ut diceret, panem & vinum aquâ mixtum, quæ proponuntur in altari, nequaquam tranſſubſtantiari poſſe in verum corpus & ſanguinem Chriſti. Quapropter eadem vivifica Sacramenta, tamquam nil profutura ſibi, ſumere deſpiciebat. Notatus denique à fratribus, quòd Sacramentis altaris non participaret, convenitur ſecretò à ſenioribus ſuis.

Mirum narratur exemplum de S. Bernardo

E

112 Requiſitus cauſam, non negat; dicit ſe Sacramentis nequaquam fidem adhibere. Quibus dum docentibus & monentibus non acquieſceret, nec ſanctarum Scripturarum teſtimoniis in medium prolatis crederet, ad venerabilem Abbatem res delata eſt. Cumque vocatus veniſſet, & Abbas ſanctus, ſecundum datam ſibi ſapientiam, infidelitatem illius computaret, ille reſpondit: Ego nullis aſſertionibus ad hoc potero induci, ut panem & vinum, quæ in altari proponuntur, credam verum eſſe corpus & ſanguinem Chriſti; & propterea ſcio, me in infernum deſcenſurum. Quod audiens Vir Dei, ſicuti ſemper rebus in arcto ſitis mirabilem ſolebat auctoritatem oſtendere, dixit: Quid? Monachus meus in infernum deſcendet? Abſit. Si tu fidem non habes, per virtutem obedientiæ præcipio tibi, vade, communica fide mea. O pium Patrem! O verè ſapientem medicum gratiarum per unctionem gratiæ docentem ſe de omnibus, qualiter infirmantium tentationibus mederi deberet. Non dixit: Fuge hæretice, vade damnate, recede perdite; ſed confidenter dixit: Vade, communica fide mea, credens indubitanter, parvulum ſuum, quem ſacri deſiderii vulvâ parturiebat, donec Chriſtus in eo formaretur, ſicut nequaquam à viſceribus caritatis ſuæ, ſic nec à fundamento fidei ſuæ alienum exiſtere. Conſtrictus itaque virtute obedientiæ monachus penitus ſine fide, ut ſibi videbatur, ad altare acceſſit, communicavit, & per virtutem obedientiæ, ſanctique Patris merita confeſtim illuminatus fidem Sacramentorum recepit: quam etiam intemeratam uſque in diem mortis ſuæ conſervavit. *Hæc apud Tiſſierium in Exordio magno diſtinctione 2 cap. 6. Quæ autem in eis prima fronte videri poſſunt difficilia eſſe intellectu, Tiſſierius exponens in notis, quæ habentur ad finem tomi primi Bibliothecæ Patrum Ciſtercienſium,* Monachus, *inquit*, de quo hîc ſermo,

incredulum jubente ad ſacram ſynaxim accedere.

F

A ſermo, fuit ſcrupulo, & involuntaria incertitudine vexatus: alioquin non juſſiſſet eum Sanctus communicare, nec ſe dixiſſet monachus ſcire, ſe in infernum, eò quod non crederet, deſcenſurum. *Fallimur, ſi hiſce non acquieturus eſt lector, qui rem omnem cum ſuis adjunctis matùrè expenderit.*

§ XI. Repentina quorumdam militum converſio; vinea ſterilis fœcundata; alia, quæ de hac vinea circumferuntur; mutua inter Claravallenſes ac Cartuſianos neceſſitudo; Sanctus Præmonſtratenſibus beneficus.

B *Nobiles quidam milites benedictâ à Sancto cereviſiâ ſubitò converſi: vinea primò ſterilis,*

PEr idem tempus, nam incertus adhuc annus, & ſunt qui differant nimiùm, ſed immeritò, ex nobilioribus Galliæ non pauci proceres .. dum militarem gloriam per orbem ambiunt, facientes ſibi pericula hoſteſque; neque vindictam quærentes, ſed offenſam, in Claravalle auxere numerum fratrum, genus vitæ amplectentes, quod exhorrebant; *uti ſcribit Manricus ad dictum annum* 1125, *cap.* 3, *num.* 1, *ex Guillelmo: quem vide infrà lib.* 1 *Vitæ cap.* 6, *num.* 61, *ubi* nobilium *illa* cohors militum *(uti appellat Guillelmus) mirabili metamorphoſi repentè convertitur. Sed mirabilia ſunt, quæ laudatus Manricus ad eumdem annum cap.* 4, *num.* 1, 2 *&* 3 *commemorat de vinea Claravallenſi*; quam, *inquit*, per hoc tempus ſatam, ex hiſtoriæ ejus ſerie conjectamur. Sanè ſterilis primò, mox fœcunda; dein utrumque ſimul, ſemper portentum obedientiæ fuit. Hanc quidam frater nomine Chriſtophorus, externis rebus præfectus à ſancto Patre .., feriatis, ſi quæ erant, horis plantaverat, Bernardo inſcio: quippe ad quem diximus, multa non deferri, ne animus illius à divinis ad terrena cum minori fructu deſcenderet. At Gerardus & Guido, Bernardi fratres, vinum nimias delicias arbitrantes, eoque dedecens monachorum auſteram vitam, averſari opus, inficiari laborem, Chriſtophorum ab incepto diſſuadere quibus poterant mediis inſiſtebant. Ille è contra laborantes in agro fratres vix poſſe ſine vinò ſuſtentari, & multos eſſe infirmos debileſque, quibus ſumendum vel pro medicina: tum ſi nulli uſui neceſſarium foret, facilè vendi, atque ex pretio ejus emi plura alia, queis procul dubio domus indigebat.. Atque hæ Guidoni rationes ſatis viſæ, ne opus illud omnino condemnaret.

C 114 Sed Gerardus, quo erat fervens zelo .., verſus ad eum (*ſatorem nempe ejuſdem vineæ*) prorupit in hæc verba: " Tu, frater, vineam „ planta, coleque; numquam tamen de illa gu- „ ſtaturus, quam infructiferam ſemper experie- „ ris „. Res mira, & digna quæ verſetur in ore omnium. Sata atque induſtrio labore exculta vinea, fertili ſolo & propitio ſole & aëre, ſterilis nihilominus permanſit per multos annos; nec priùs terra fructum ex illa protulit, quàm ſatorem ſuſciperet, atque ejus defuncti corpus in ſe haberet.. Verùm quæ in eadem vinea ſequuta ſunt, duo alia prodigia proferamus. Mortuo ſatore, *deinde autem aquâ, quam Vir ſanctus benedixerat, conſpergitur,* cùm nec tunc fructificaret; Bernardum Patrem monachi adiêre, dubium an etiam Gerardo vitâ functo, & vineam eam ſterilem maledictione viri illius ſanctiſſimi in eo ſtatu ſemper permanſuram, ſi non per ipſum benediceretur, humiles & fideles renuntiarunt. Tunc Pater ſanctus aquam in pelvim miſſam ad ſe adduci, & benedictam per vineam juſſit ſpargi. Sparsâ aquâ, quaſi rore de cælo miſſo, germinavit plantatio, & ut ſterilis Gerardo fratri olim, ex tunc opima Bernardo obtemperavit; & compenſavit abundantiâ ditatem, quo nec primum miraculum noculſſet, & ſecundum glorioſiùs appareret. Hæc ex Anonymo Gallo lib. 7 cap. 7, quem Silva tranſtulit, auctore antiquo æquè & digno fide. AUCTORE J. P.

115 *Factum illud minore cum ornatu, & majore cum ſimplicitate deſcribitur à Joanne eremita in Vita S. Bernardi apud Mabillonium col.* 1288 *& ſequente, num.* 10; *è quo, tamquam è genuino fonte, illud huc tranſcribo:* Monachus quidam, nomine Chriſtianus, plantavit vineam in vertice montis, qui proximus eſt Claræ vallis. Et venerunt fratres venerabilis Patris, Guido ſcilicet & Gerardus, & excommunicaverunt eam, dixeruntque ei: Frater Chriſtiane, ubi eſt mens tua, & ubi cor tuum? Quare non conſideraſti Scripturam dicentem: Quoniam vinum non eſt monachorum. At ille: Vos fratres ſpirituales eſtis, & vinum bibere non vultis: ego peccator ſum, & volo bibere vinum. Tunc dixit Gerardus: Dico tibi, frater Chriſtiane, non videbis fructum ejus. Poſt hæc verba reverſi ſunt in monaſterium. Ille verò vineam ſuam fodit, & excoluit multis temporibus. Denique mortuus eſt, & non vidit fructum ejus. Poſt multum verò temporis venit cuſtos vineæ ad ſanctum Bernardum, & dixit ei: Pater, vinea noſtra anathema eſt, nec poteſt facere fructum. At ille: Quare fili? Reſpondit: Fratres tui excommunicaverunt eam, & deinceps fructum non fecit. Ait illi: Affer mihi aquam in pelvi. At ille obtulit ei. Tunc Vir ſanctus fecit ſignum crucis, & ſanctificavit aquam. Vade, inquit, fili, & ſparge per totam vineam. Receſſit frater, & fecit juxta præceptum Abbatis; & vinea crevit, & multiplicata eſt, ita ut videntes mirarentur. *Vides hîc narrandi modum à ſuperiore diſcrepantem, ſed utrobique tamen eamdem rei geſtæ ſubſtantiam.* *& fit fœcundâ.* E

116 *Ad illud narrationis poſtremæ*, Et venerunt fratres venerabilis Patris, Guido ſcilicet & Gerardus, & EXCOMMUNICAVERUNT EAM, *ſcrupulus moveri poteſt, & re ipſa is objicitur in notis hîc apud Mabillonium contra illam excommunicationem, à col.* 1287, *ubi hæc ſunt:* Et tamen ubi actum eſt de tranſlatione Claræ vallis veteris, Bernardo à fratribus expoſitum eſt, alium locum eſſe ſpatioſum AD VINEAS &c., teſte Arnaldo in lib. 2, num. 29 ſuprà col. 1103; qui auctor item num. 48 tradit, monaſterium S. Anaſtaſii ad Aquas-ſalvias Ciſtercienſibus ab Innocentio aſſignatum CUM AGRIS ET VINEIS. Quamquam apud Ciſtercienſes tunc rarus vini uſus erat. Lege Gaufridum ſuprà col. 1117 num. 2. *Sed ſcrupulum hunc conabimur eximere lectori.* *Cuidam objectioni huc ſpectanti*

117 *Reſpondemus itaque ad Arnaldi locum primò, diſtinguendo perſonas. Nam cùm ibi non exprimantur nomina* fratrum, *cur ibidem neceſſariò debeant intelligi* Guido & Gerardus; *& cur non poſſint intelligi duo alii fratres* S. Bernardi, *videlicet* Andreas & Nivardus, *qui tunc etiam vivebant? Nam apud Manricum ad annum* *reſpondetur.*

AUCTORE J. P.

num 1141, *cap.* 4, *num.* 2, *Humbelinæ sorori ad mortem usque ægrotanti affuisse narrantur cum sancto Patre*, Guidone *ac* Gerardo *jam vitâ functis. Respondemus secundò, distinguendo tempora. Fac enim ambos hosce tunc adfuisse, ac de* vineis *meminisse, quando agebatur de translatione Claræ-vallis veteris, de qua Manricus ad annum* 1135, *cap.* 3; *si inde retrocedas ad annum circiter* 1123, *quo excommunicatio vineæ superiùs accommodabatur, numerabis annos circiter* 12 *medios inter hanc, & inter translationem illam; ita ut interea ex temporis mutatione facillimè mutare potuerint priorem voluntatem vel ipsius Sancti suasione, consensu, aut jussu, ut videlicet Cistercienſis seu Clarævallensis familia, quæ mirificè accrescebat, ex proventibus vinearum annuis sustentari posset.* Quaquaversum enim Pater sanctus exibat, semen verbi Dei seminabat super omnes aquas, & vix numquam * absque fœnore spiritualis lucri redibat, implens cellam probationis multitudine novitiorum, quorum numerus aliquando usque ad centum extendebatur: ita ut ad Horas divini Officii novitiis chorum replentibus, exceptis paucis senioribus, qui disciplinæ providebant, monachi foris stare cogerentur; *de qua re idem Annalista ad annum* 1135, *cap.* 3 *num.* 2, *ex auctore Exordii magni; cujus textum mox retuli ex editione Tissieriana, distinctione* 2 *cap.* 12. *Ex dictis facilis etiam patet responsio ad objectionem petitam ex monasterio S. Anastasii; de quo Manricus ad annum* 1140, *cap.* 8.

* *l.* umquam

B

Alia quædam mira circumferuntur de dicta vinea.

118 *Ast, ut hinc digressi ad vineam illam prodigiosam, redeamus, supersunt alia nonnulla, quæ de ea circumferuntur, teste Manrico ad annum* 1123, *cap.* 4, *num.* 4, *ubi sic fatur:* Addunt præterea seniores Claræ vallis, traditione à patribus accepta, eamdem vineam post aliquorum annorum fertilitatem, turgentibus jam granis & penè maturis, grandine è cælo tactam protritamque adeo, ut vix duos botros retinuerit, qui possent in vindemiam reservari. Porrò unum ex his datum prægnanti feminæ, appetenti, aut petenti quasi appeteret. Sed ex altero in ingenti vase ligneo, quod hodie perseverat, expresso Bernardi manibus, in tantum mustum crevisse modico tempore, ut redundante vase diffunderetur. Sic Villalpandus in suo Itinerario; qui vas vinarium inusitatæ magnitudinis se ibidem vidisse anno Christi MDXCIX, ac senes traditioni facientes fidem adiisse testatur, illuc à reverendissimo Fiterienſi missum, antiquitates lustratum illius domus. Sic vinea illa numquam non mirabilis, numquam non obediens, nec minùs sterilitate quàm fructu semper illustris, usque in hunc etiam diem; post quingentos & eis ampliùs annos perseverat, nomine magnæ sortito ab spatio loci, vel ab eventibus. Atque hæc per anticipationem ex parte dicta, quod in his levibus consultiùs æstimamus. *Verùm narrationis hujus tam prodigiosæ fides sit penes auctores.*

C

Bernardus cum sua familia

119 *Juvat hoc loco etiam non negligere singulare amoris vinculum, quo* S. Bernardus *ejusque familia cum ascetis Cartusianis, mutua familiaritatis necessitudine intercedente, constricti sunt. Quædam de hoc argumento innexa invenio huic, in quo versamur, anno* 1123, *cap.* 3; *quædam in proximè sequentem dilata. Dicamus hîc priora. Ibidem itaque num.* 4 *& sequentibus auctor laudatus de hac re ita scribit:* Carthusienses monachos, non multo ante Cistercium mundo exortos (magnum Ecclesiæ jubar) sibi devinxit, ut minus nihil Carthusia illius esset quàm Claravallis. Carthusianus hospitio ab eo susceptus, & propriis oculis hauriens, quæ famâ priùs, suis redditus, excitavit eorum animos, & jam olim affectos amantesque in externa etiam signa fecit erumpere. Ergo Guigo Carthusiæ magnæ Prior, & fratres ejus, comperta sanctitate Patris filiorumque, & multitudine convenientium ad Claramvallem, venerari viros . . &, erumpentibus flammis dilectionis, provocare silentes, & de bonis illorum gratulari, litteris ultro scriptis missisque, queis Bernardum ignotum licèt adhuc ardentissimo affectu salutabant.

D

amat Cartusianos, & hi illos:

120 *Exstat Viri sancti ad eos epistola responsoria, luculentissima mutui amoris testis, tenerrimi utique erga illos affectus summæque venerationis characteribus respersa, estque inter epistolas undecima; sed quoniam longa est, & ibi legi potest, hic nos eam non transcribimus. Innectitur autem anno circiter* 1125 *in editione Mabillonii. Exstat item epistola duodecima illis inscripta, ac priore brevior, in qua se excusat, quod plurimis negotiis præpeditus ad partes illas accesserit, & eos non viderit. Hæc absque temporis nota ponitur in eadem editione; sed apud Manricum aptatur anno* 1127, *& ibidem profertur cap.* 2, *num.* 6. *De itinere autem, quod aliàs sanctus Pater ad Cartusiam instituit, consuli potest Gaufridus lib.* 3 *Vitæ cap.* 1, *num.* 155 *editionis nostræ. De Viri affectu erga alias ejusdem instituti domos ac ascetas, nec non erga S. Hugonem episcopum Gratianopolitanum, adiri potest Annalista Cistercienſis ad annum* 1123, *cap.* 3, *num.* 8 *& 9.*

E

bene meretur de Præmonstratenſibus

121 *Quantum verò idem beatissimus Pater Præmonstratenſibus detulerit, ejusdemque Ordinis propagationem promoverit, probat idem scriptor ex beneficiis seu obsequiis, ab ipso in eumdem collatis, quæ congerit in annum* 1124 *num.* 7. *His autem adde* locum quemdam in foresta *, quæ dicitur Orta, *à Ludovico Juniore datum* interveniente domno Bernardo piæ memoriæ Claravallensi abbate, *ut S. Mariani abbas Autissiodorensis agnoscit in epistola* 282 *apud Chesnium, quæ inter Historiæ Francorum scriptores habetur tomo* 4, *pag.* 666. *Sancti autem Mariani Autissiodorensis mentio fit in synopsi ecclesiarum seu cœnobiorum Præmonstratensis Ordinis, apud Paigium in ejusdem Ordinis Bibliotheca parte* 1, *lib.* 2, *pag.* 326. *Tametsi autem superiùs* § 9 *actum sit de favoribus, quibus sanctus Pater Ordinem Præmonstratensem fuit prosecutus; ratio tamen temporis, cui hanc materiem affigit prædictus Manricus, me induxit, ut breviter ejusdem hîc memoriam refricarem.*

* *i. e.* silva

F

§ XII.

A

§ XII. Defunctorum apparitiones; auxilia eisdem præstita; vaticinium de tirone furtivè exituro; archiepiscopus ac populus Remensis reconciliati; reformati in ecclesia Gallicana mali mores.

Galdricus post mortem apparet Sancto in gloria;

SAnctum Bernardum *multis ac miris cœli favoribus illustrem repræsentant iterum Annales Cistercienses ad annum prædictum* 1124, *more suo solito, ac meritis beatissimi Patris digno, cujus utpote vitæ series continua fere miraculorum congeries fuit. Ibidem itaque cap.* 2, *num.* 1 *&* 2 *occurrit pretiosa mors Galdrici in Claravalle, qui carne quidem Sancti avunculus, spiritu autem filius ejus ac discipulus exstitit. Felicem ipsius transitum ex hac mortali vita ad*

B *immortalem turbare conato generis humani hoste, adstat morienti Princeps Apostolorum, cacodæmonem fugat, animamque Galdrici è periculo eripit: qui post mortem suam* Bernardo *apparens in gloria, rem gestam eidem manifestavit, teste Guillelmo utriusque familiari, qui hoc factum describit fideli narratione lib.* 1 *Vitæ cap.* 5, *num.* 52. Cæterum, *prout ibidem pergit Manricus num.* 3, quod attinet ad filiorum decedentium, absentium, præsentiumve prævias vel subsequutas apparitiones, adeo frequentes tradit idem auctor (*Guillelmus*) ut ægrè valeant scriptis commendari. *Audiatur loco citato num.* 53: Longum esset cuncta narrare, quæ super his, qui ex hac vita discesserant, & eorum felicitate, seu etiam necessitate, divina ei gratia revelare ab ipsis initiis consuevit. *Quid, quod Vir mirabilis præsentia & absentia, præsensque seculum ac futurum, per utriusque, ut ita dicam, limen gradiens, pari cum facilitate, & sine ullo discrimine, inspirante Spiritu divino, nosceret ac suis filiis tam in vita quam in morte paternè*

C *provideret. Consule Guillelmum lib.* 1 *Vitæ, cap.* 7, *à num.* 69; *& cap.* 5, *num.* 53.

aliis, qui purgabantur in piacularibus flammis, eum succurrisse,

123 *Quemadmodum verò illos è flammis piacularibus, siquid forte ex hac vita in alteram detulissent humani pulveris, quo vel ipsæ Sanctorum mentes sordescunt, Vir potens apud Deum eripuerit, probat factum, quod legi potest apud Guillelmum lib.* 1 *Vitæ cap.* 5, *num.* 53. *Sed gratiam hanc omnino singularem à sancto Patre in filios derivatam esse, qui apparitionum hujusmodi visu illustrati, sicut pœnarum erant conscii, ita etiam ad placandam divinam justitiam impensè incubuerunt, votorum suorum simul facti compotes, & liberationis participes purgantibus animabus à se procuratæ; gratiam, inquam, hanc à Patre in filios derivatam esse, eruimus ex scriptore Exordii magni, distinctione* 2 *cap.* 2: Defunctus est quadam vice conversus quidam in Claravalle. Cumque, concurrentibus fratribus, commendationis Officium ex more fieret, monachus quidam senior, magnæ religionis vir, audivit turbas dæmonum per centurias suas incedentium, cum magni strepitûs vociferatione clamare & dicere. Eia modò bene, eia modò bene: solummodo de hac mala valle unam animam in nostræ sortis partem acquisivimus. AUCTORE J. P. Cùm verò idem senior per noctis quietem sopori membra dedisset, frater defunctus ei in visu apparuit, tristi & lugubri vultu dicens ad eum: Quia audisti heri dæmones, de meis suppliciis exultantes, veni & vide, quam terribili tormento, Dei omnipotentis justo judicio, traditus sum. Et duxit eum ad puteum quemdam magnæ latitudinis, & horrendæ profunditatis, & dixit ei: Ecce, in hunc puteum frequenter à dæmonibus injicior, quorum tanta est crudelitas, ut, si optio daretur, mallem centies ab hominibus, quàm semel à dæmonibus hìc immergi.

probatur

124 Mane autem facto, dum, quæ audierat & viderat præfatus senior, beato Patri Bernardo retulisset, licèt quoque & ipse ea per spiritum cognovisset, ingemuit, & ait: Scio, quia nisi gravis causa existeret, numquam dæmones talem ausum præsumpsissent. Itaque Capitulum fratrum ingressus, coram omnibus calamitatem defuncti fratris exponit: dehinc salubri exhortatione singulorum conscientias conveniens monebat, ut cautiùs in via sanctæ religionis ambularent: multam esse malitiam dæmonum erga omnes Christianos, tum præcipuè contra monasticæ religionis professores affirmans. Post hæc animæ fratris in suppliciis constitutæ subvenire eos attentiùs monens, psalmis & orationibus, Missarum quoque celebrationibus iram Domini placare hortatus: si fortè pius pater pulsatus precibus eorum, per singularis Hostiæ immolationem, tyrannicam dæmonum superbiam debellare, & ab eorum nequitia fratris animam dignaretur liberare. E

ab exemplo.

125 Quod cùm fratres devotissimè facerent, paucis evolutis diebus, idem frater defunctus supradicto seniori iteratò apparuit, hilaritate vultûs statum suum melioratum esse significans. Quærente verò sene, quomodo se haberet; respondit: Deo gratias; bene. Rursus requisitus, quomodo liberatus esset, ait: Veni, & vide. Et continuò introduxit eum in oratorium ejusdem loci, ubi ad singula altaria sacerdotes cum ministris stabant, salutaris Hostiæ immolationem summa cum devotione celebrantes. Ecce, inquit, hæc sunt arma gratiæ Dei, quibus ereptus sum: hæc est virtus misericordiæ Dei, quæ invincibilis permanet: hæc est Hostia illa singularis, quæ totius mundi peccata tollit; & verè F dico tibi, quia his armis gratiæ Dei, huic virtuti misericordiæ Dei, huic Hostiæ salutari non est quidquam quod resistere valeat, nisi cor impœnitens. Evigilans autem senex, de liberatione animæ fratris oppidò gavisus est: modum quoque visionis ejusdem cæteris fratribus exponens, tanto eos devotiores ad immolationem Hostiæ salutaris reddidit, quanto certiùs ejus efficaciam in fratris ereptione meruerat experiri. *Conficit autem historiam istam in annum Christi* 1124 *auctor Annalium Cistercienſium* occasione apparitionis Galdrici dicta, *quæ* ut peccatores à vitiis deterrere, sic pœnitentes valent consolari, quibus talia remedia Deus providit. Ergo quia utilia, quia planè singularia, quia eamdem apparitionum materiam, sed ignoto adhuc anno, concernentia, boni consulat lector; *uti monet ibidem cap.* 2 *in fine.*

Narratur vaticinium de quodam tirone.

126 *Scriptor idem hinc ad annum* 1124. *reversus, cap.* 3, *num.* 7 *&* 8 *commemorat vaticinium sancti Patris de novitio furtivè exituro, quod horrendo juxta ac mirabili modo contexit è sæpissimè jam citato Exordio. Tragica hac histo-*

AUCTORE J.P.

historia sic narratur apud Tissierium distinctione 3, cap. 20: Senex quidam, Achardus nomine, nobilis genere, sed conversationis dignitate nobilior, novitiorum curam in Claravalle gerebat: vir potens in verbo ædificationis & consolationis: qui etiam in juventutis suæ robore, jubente simul & mittente beato Bernardo abbate suo plurimorum cœnobiorum initiator & extructor devotus extiterat. Hic jam veteranus, & emeritæ militiæ senex instituendis tyronibus deputatus, officium suum strenuè adimplebat: & ex iis, quæ longo usu didicerat, rudes adhuc mentes contra triplicem funiculum, carnis, mundi, & diaboli, qui difficilè rumpitur, quotidianis exhortationibus informabat: exemplis etiam, tam veteribus, quàm recentioribus, adversus vitia cautiores reddebat: unde & nos aliqua, sicut ex ipsius ore audivimus, perstringemus. Cùm adhuc novitius esset idem Achardus, venerabilis abbas Bernardus quadam die intravit ad consolandum novitios suos, sicut frequenter facere solebat. Terminato autem sermone, prædictum Achardum cum aliis duobus novitiis traxit in partem, & præmonuit eos, in spiritu prophetico ita loquens: Futurum est, inquit, ut novitius ille, designavit autem unum ex nomine, ante diem crastinum furtivè recedat. Vos itaque vigilate, & estote parati, & fugientem cum rapinis effugere non sinatis. Et si miser à nobis exit, quia non erat ex nobis, spolia tamen quia nostra sunt, tenebitis vobis. Quo audito, mirati sunt illi, & cum silentio præstolati exitum rei. Profunda verò nocte duo ex illis cùm fugitivum in lecto firmiter dormientem aspicerent, tunc & ipsi dormire cœperunt: erant enim oculi eorum gravati, illudente utique eis spiritu erroris. Verumtamen Achardus, quia certissimè credidit verbum, à sancto Patre prolatum, haud posse irritum fieri, somnolentiæ spiritum, qui ei molestissimus erat, virili constantia repellebat. Nunc enim frontem, nunc tempora fricando, modò pilos capitis & barbæ vellicando, modò manus & faciem lotitans, nunc de loco ad locum deambulando se excitans, tandem fallaciæ somnum, quo premebatur, evicit.

B

C

127 Cumque propè esset, ut signum ad vigilias pulsaretur, ecce, duo quasi giganteæi Æthiopes, nigerrimis cappis amicti, per ostium domûs visibiliter ingrediuntur. Is verò, qui præcedebat, gallinam assatam in spito * portabat. Porrò in ipso veru coluber ingens per caput & caudam infixus erat, qui eamdem gallinam hinc inde cingebat. Cum tali itaque ferculo accedunt ad lectum falsi novitii, & gallinam fumantem naribus & manibus dormientis applicant. Quo statim expergefacto, dæmones egrediuntur, & quod intus in corde ejus invisibiliter actitarent, horrendo hoc visibili signo demonstrarunt. Cumque evigilasset miser ille, non sicut Jacob de somno contemplationis, sed sicut apostata vilis de somno deceptionis, continuò surrexit, & vestimentis onustus post dæmones exiit, venienseque ad ostium armarii, quod erat in claustro, machinamentis suis moliebatur firmaturam effringere, ac secum tollere libros. Porrò prædictus Achardus celerrimè socios excitat, & prophetatam apostatæ fugam signis & nutibus insinuat. Itaque recedentem pariter insequentes, reperiunt illum pessulum ostii concutientem. Quos ubi persensit, ille malignus illico datis saltibus evolat, & præcipiti cursu per ostia pomerii ruens, murorum tandem septis retinetur atque reducitur.

furtivè ex Ordine exituro, ac miserrimè punito.

**i.e.* veru

Die autem facto, cùm malorum impœnitens resipiscere nollet, quia jam datus erat in reprobum sensum, dimissus est tandem, ut abiret in locum suum. Eâdem verò die arreptus à diabolo dementiam incurrit, & usque ad mortem furere non cessavit. D

128 *Terribili huic pseudo-tironis miserrimè castigati exemplo subjungimus latius, & ad Sancti gloriam prorsus insigne, quod sic proponit Annalium Cistercienſium scriptor Manricus ad annum eumdem* 1124, *cap.* 4, *num.* 1: Sub idem tempus archiepiscopo Remensi discordante cum populo, & neutro alteri cedere acquiescente, cùm multi alii pacem procurassent, solus Bernardus in Gallia visus est, qui tantum opus posset consummare: quippe potens sermone simul & opere, dum, quæ dicebat, signis confirmabat, confundebantur non parêre homines, cui creaturæ etiam irrationales, cui vel dæmones ipsi obtemperabant. Cæcus, surdus & mutus sensibus redditus atque à dæmone simul liberatus, prætulit obedientiæ palmam utrisque partibus. *Illustre hoc miraculum habetur apud Guillelmum lib.* 1 *Vitæ cap.* 7, *num.* 73; *ubi lego quidem illud accidisse tum temporis, quando* contigit . . ad conciliandos eos, *archiepiscopum nempe ac populum Remensem*, adesse Virum Dei; *item* cum in palatio ejusdem civitatis . . de pace tractaretur; *sed pacem tunc ex isto* Bernardi *miraculo, quod ibidem loci*, magna Cleri plebisque frequentia repleta domo, . . coram omnibus *indicatur accidisse, subsecutam non lego in dicto capite; sed videtur tamen vel non imprudenter supponi posse, vel credi, quod laudatus biographus implicitè hoc subintelligendum reliquerit, quando* contigisse . . ad conciliandos eos adesse Virum Dei, *præmiserat; Virum enim Dei tot tantisque gratiæ ac naturæ dotibus, nec non summo apud homines auctoritate, miraque eorum animos flectendi facultate præditum adfuisse ad conciliandam concordiam, quid videtur esse aliud, quàm verè tunc illam ab eo conciliatam fuisse, patrato præsertim tunc temporis miraculo, de quo dicebam? Credibile etiam est, multos alios pacem illam procurasse, sed irrito conatu, sicut referebat Manricus; Guillelmus tamen loco citato id non habet.* E F

Vir sanctus edito insigni miraculo pacem conficit inter archiep. Remensem ac populum:

129 *Ad memoratum etiam annum refert idem historicus Cistercienſis laborem ac fructum* S. Bernardi, *aliorumque Cistercienſium in reformanda ecclesia Gallicana.* Cum Prælati ecclesiastici, *ait num.* 3, per Galliam modestiæ habenas aliquatenus laxarent, ac sæculari & paululùm profana conversatione apostolicam vitam minùs rederent, Stephanus, & Hugo, Bernarduſque ac Joannes cum cæteris selectis Cistercii Patribus verbo & exemplo cœperunt laborare, ut . . ad fructuosiorem conversandi normam reducerentur . . Porrò quantùm labore suo profecerint, Senonensis metropolis episcopi, atque ipse etiam Senonensis metropolita, quin & Sugerius S. Dionysii abbas, totusque ejus Conventus testes existunt. *Eminentissimus Baronius ad annum Christi* 1127 *de hac re sic loquitur num.* 13 *editionis anni* 1629: Profecerant siquidem episcopi provinciæ Senonensis Cistercienſium monachorum exemplo, atque verbis litterisque sancti Bernardi, præcipuè verò, quem diximus, Parisiensis episcopus, atque Parisiensis abbas sancti Dionysii Sugerius, qui monasterium illud, monasticâ penitus disciplinâ solutum, fibulâ regularis observantiæ arctè constrinxerat, quo nomine ipsi san-

Prælatorum ecclesiasticorum in Gallia

san-

A ſanctus Bernardus congaudens, gratulatoriam ad eum dedit epiſtolam, *quæ eſt ſeptuageſima octava, apud Mabillonium recuſa col. 77 & ſequentibus, ubi eadem innectitur etiam anno Chriſti* 1127. *Ratio itaque temporis iſta non convenit cum Manriciana. Ad initium autem epiſtolæ citatæ* Exiit ſermo, *notantur illa*, Nempe de ejus, *id eſt Sugerii*, converſione, haud dubiè Bernardi monitis concepta ſub annum MCXXVII : tametſi monaſterii S. Dionyſii reformatio per Sugerium anno MCXXIII forſan anticipato refertur in Chronico Nangiano.

malos mores reformat.

130 *De metropolita autem Senonenſi hæc ſubdit Baronius ad annum paullo antè deſignatum :* Quod verò etiam & ipſe metropolitanus Senonenſis archiepiſcopus Henricus æquè admonitus litteris ſancti Bernardi, & quidem prolixioribus, ad meliorem frugem converſus, ea, quæ eſſent optimi paſtoris munera, diligenter expleret; eâdem ex causâ ejuſdem principis (*Ludovici videlicet Galliarum regis*) indignationem incurrit, nec quidem mediocrem, ſed planè eam, cujus causâ eidem S. Bernardo cum reliquis abbatibus rur-

B ſus ſcribendum fuerit eidem Honorio Papæ atque Cancellario Cardinali, & planè exclamandum, quod ob vitam optimè inſtitutam perſecutionem paterentur epiſcopi *&c. Quænam verò fuerit reformatio iſta, regi Chriſtianiſſimo adeo ingrata, videri ibidem poteſt. De epiſcopo Pariſienſi, cujus ſuprà incidit mentio, tractabimus cum Hiſtorico Ciſtercienſi ad annum Chriſti* 1127, *interim cum eodem perrecturi ad annum Chriſti* 1125 *& proximè ſequentem.*

§ XIII. Annona multiplicata; fugatus dæmon; mulier ad vitam revocata; pluvia depulſa; priſtina valetudo, Deipara patrocinante, Sancto reddita; refutatio erroris de proximo Antichriſti adventu; communicatio litterarum cum aula Romana.

C

Tempore famis horrea Claravallenſia per miraculum multiplicantur :

ANnus *Chriſti* 1125 *apud hiſtoricum Ciſtercienſem cap.* 3, *num.* 1 *publicum illuſtris ac primæ notæ miraculo theatrum aperit.* Ingraveſcebat, *ait*, fames per totam Galliam atque utramque Burgundiam; neque annona ex Flandria illuc adducta quantumvis ingens ſufficiebat alendis populis : cùm deficientibus hominum ſubſidiis horrea Claræ-vallis, aliàs tenuia, Bernardi charitas & divina potentia multiplicarunt. *Quoniam verò prodigium illud deſcribitur à Guillelmo lib.* 1 *Vitæ cap.* 5, *ſub finem, ſupervacaneum eſt, id hoc loco narrare. Nec verò paterna Sancti erga egenos miſericordia concludi potuit intra domeſticos parietes cœnobii Claravallenſis, ſed aliò ſeſe etiam diffudit; ſicut patet ex epiſtola ad* Ducisſam Burgundiæ, *quæ eſt centeſima vigeſima prima, & habetur in editione Mabilloniana col.* 127, *quamque ſic concludit miſericors pauperum Pater :* Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis : erogate veſtrum frumentum pauperibus Chriſti, ut in æternum cum uſura recipiatis. ***Epiſtolam hanc ſine***

nota anni ibidem excuſam innectit Manricus anno prædicto 1125. AUCTORE J. P.

132 *Ibidem num.* 3 *ſubdit aliud miraculum, & rationem aſſignat, quare ad dictum annum illud memoret. Quia autem id legi poteſt apud Guillelmum mox aſſignatum, ſatis eſt, rei argumentum ex Manrico hîc exhibere. Sic habet :* Impetierat veneficiis virum uxoria fraus . . , & cujus adultera torum maculaverat, quia ſemel læſerat, implacabili odio proſequebatur. Cruciabat hominem dæmon implacabiliter. Sed Vir Dei maleficia per orationes, ac dæmonem præſentiâ corporis Chriſti dicto citiùs extinxit ac fugavit. Id quia ſub famis tempus, atque adeò hoc anno, contigiſſe Guillelmus narrat, *tunc illud ex ipſo recitare ſe ſignificat idem hiſtoricus Ciſtercienſis. Duo autem prodigia famis occaſione à Viro ſancto perpetrata differt ad annum proximum* 1126. *Sed nos modò narratis ea hîc annectemus ex Joanne eremita apud Mabillonium col.* 1287, *num.* 6 *:* Fames in partibus Burgundiæ exorta eſt adeò valida, ut homines membra propria pænè conſumerent. Eâdem verò neceſſitate urgente, maxima multitudo pauperum ad portam Claræ-vallis E devenit. Unde pro tanta multitudine ſanctus Abbas & fratres ejus inierunt conſilium, & ex conſulto duo millia acceperunt ſub ſignaculo, quatenus & aliis eleemoſyna daretur, ſed minor. Non enim habebant ſubſtantiam, unde omnes ſuſtentari poſſent uſque ad meſſem : quam tamen pius Dominus ſic multiplicavit, ut ſufficeret eis poſt meſſem, trium ſcilicet menſium ſpatio.

dæmon ex homine fugatur :

mulier uſa dolo in comparanda eleemoſyna, moritur; ſed à Sancto ad vitam revocatur; qui & pluviam ſubitò depellit.

133 Acceperunt itaque duo pueri ſignaculum, matre eorum non accipiente. Quæ penitus ignorans, quid faceret, cogitavit tandem quaſi puerum pannis involutum formare de muſco, ut hac arte ſe ab imminentis famis periculo redimeret, quod & fecit. Accepit itaque aliquamdiu hoc modo eleemoſynam, donec dolus denique deprehenſus eſt. Quâ imminutâ, cum non ſufficeret ſibi quod accipiebat, poſtmodùm tam famis anguſtiâ, quàm morbo periclitans de medio facta eſt. Quâ defunctâ, ſanctus Abbas prætergradiens audivit pueros ejulantes pro morte matris ſuæ, & unumquemque ex itinerantibus cauſam planctûs inquirere juſſit. Pueri verò ordinem rei expoſuerunt. Quo audito, Vir beatus locum ſubiens, in quo corpus jacebat, ad orationem ſe proſtravit. Quo orante, mulier tamquam à ſomno expergefacta, cunctis videntibus & audientibus, qui præſentes adſtabant, vitæ reddita eſt, gratias agens Deo & Sancto ſuo, cujus meritis & precibus ad vitam redierat, prænuntians etiam, quanta tormenta pro culpa ſua ſuſtinuiſſet. *En tibi aliud miraculum, occaſione & gratiâ egenorum factum, quod ibidem num.* 7 *ſequitur :* Quadam die diſtribuebatur pauperibus in latere montis eleemoſyna; pluvia ingruente; ubi fortè Sanctus Dei aſſiſtens, manu elevata ſignum crucis oppoſuit. Quo facto, viſa eſt pluvia à dextris & à ſiniſtris inopinatum ſui ipſius pati diſcidium, ita ut nec gutta quidem tangeret eos. F

Sanatur S. Abbas & viſitur à Deipara, & à SS. Laurentio ac Benedicto.

134 *Redeamus cum Manrico ad annum Chriſti* 1125 *tantiſper à nobis intermiſſum : ubi cap.* 3 *num.* 4 *&* 5 *ſermo eſt de infirma Sancti valetudine, viſionibus, ac priſtina ſanitate obtenta per Virginis Deiparæ, ac SS. Laurentii & Benedicti viſitationem, piiſſimumque attactum. Factum perhibet Guillelmus abbas lib.* 1 *cap.* 6 *num.* 63, *teſtis omni exceptione major. Prædictæ infirmitatis meminit ſanctus Doctor in epiſtola* 37 *ad Theobaldum Comitem Campaniæ (de qua re no-*

AUCTORE J. P.

tas ad iſtam epiſtolam vide apud Mabillonium) *quando his verbis ad illum ſcribit:* Quod de noſtra infirmitate vos audivi fuiſſe ſolicitum, non mediocriter gratum habeo. In hoc quippe dum veſtram erga me agnoſco dignationem *&c. Epiſtola illa apud memoratum Mabillonium innectitur anno Chriſti* 1128: *unde conſequens videtur, ut, ſi hæc temporis notatio ſubſiſtat, ſerius aliquanto differenda ſit adverſa, de qua dicebam, Viri beati valetudo, atque ad annum circiter* 1127 *removenda. Conſuli tamen poſſunt, quæ conjectat Manricus loco citato num.* 8 *de tempore iſtius infirmitatis.*

Quænam egerit, ut opinionem

135 *Idem auctor ad annum* 1126 *progreſſus, cap.* 3, *num.* 1 *ſcribit de errore, quo credebatur, non longè abeſſe Antichriſti adventum tunc temporis; opponente ſe eidem ſancto Abbate.* Sparſus, *ait*, interea rumor inter fideles de Antichriſti adventu jam imminente creduli vulgi mentes occupabat: &, quod mireris, auctoribus non dubiis, neque vulgaribus; ſed graviſſimis ſanctiſſimiſque, & inter alios Norberto, rem quaſi de cælo acceptam aſſeverante. Verùm oraculo cum Bernardo patre collato, diſcuſſoque temperavit ſententiam. Unde & rumor diſjectus Bernardi operâ. *Huc ſpectant, quæ in epiſtola* 56 *ejuſdem ſancti Patris ad Gaufridum Carnotenſem epiſcopum, referuntur:* Verùm de Antichriſto cùm inquirerem, quid ſentiret (*Norbertus*) durante adhuc ea, quæ nunc eſt, generatione revelandum illum eſſe, ſe certiſſimè ſcire proteſtatus eſt. At cum eamdem certitudinem unde haberet ſciſcitanti mihi exponere vellet; audito quod reſpondit, non me illud pro certo credere debere putavi. Ad ſummam tamen hoc aſſeruit, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videat generalem in Eccleſia perſequutionem. *De rumore autem tunc temporis ſparſo ſuper dicto Antichriſti adventu hæc narrat Baronius ad annum* 1106, *num.* 27 *editionis anni* 1629. Quod pertinet ad Antichriſtum; fuit quidem opinio non vulgarium virorum, Antichriſtum hoc ſore ſeculo revelandum, & inter alios Norberti, viri temporis hujus famâ celeberrimi; de quo iſta S. Bernardus ad Gaufridum Carnotenſem epiſcopum: *è quibus ea, quæ huc faciunt, modò dedimus. Et laudatus Baronius ibidem*, Hæc, *inquit*, ſanctus Bernardus de oraculo: quod in illud relabi eſt uſitatum, quòd cum ſæpè ſancti viri prænoviſſent ingentes futuras perſecutiones Eccleſiæ, putarint rerum magnitudine ipſa affore Antichriſti tempora.

B

C

de adventu proximo Antichriſti infirmaret;

136 *Annalium Ciſtercienſium auctor num.* 2 *de S. Norberti oraculo, circa illam perſecutionem pronuntiato ita ſtatuit:* Licet autem Baronius non expreſſerit, quænam ingens Eccleſiæ perſequutio innotuerit per revelationem S. Norberto; facile eſt conjectari, eam fuiſſe, quam ſub Innocentio ſecundo paſſa eſt à Petro Leone* pertinaciſſimo antipapa, inceptam circa annum ſalutis MCXXX, adeoque quatuor ante S. Norberti obitum, & per decennium ferme continuatam.. Sic & Bernardi Patris doctrinam ſolidam, & Norberti non falſam prophetiam, atque utrumque divinitus inſtructum ipſi etiam eventus comprobarunt. *Nec verò defuiſſe, qui, captâ ex hoc rumore ansâ, Chriſti immò & Antichriſti nomen affectarent, argumento ſunt illa, quæ in medium producit idem Annalium Ciſtercienſium auctor num.* 3; *ubi etiam obſervat, futurum fuiſſe, ut* pullulaſſent ſine dubio plures, ſi non Bernardus firmiùs obſtitiſſet, opponens ſe rumori, qui prævaluerat. *Sed quandoquidem in pervagatum illum juxta ac maximè noxium tunc temporis de propinquo Antichriſti adventu ſermonem incidimus, non videmur abs re facturi, ſi in eruditi ac curioſi lectoris gratiam ſubjiciamus hìc ſequentes obſervationes, propterea quòd ad argumentum præſens ſunt accommodatæ admodùm, tametſi jam pridem typis vulgatæ.*

* *immò* Leonis

D

137 *In editione Operum* S. Bernardi, *accurante Mabillonio publici juris facta, volumine* 1 *col.* XIII *& ſequentibus exſtant cum ejuſdem eruditiſſimi Mabillonii, tum Horſtii, de Sancti Operibus à ſe in lucem datis celeberrimi, notæ fuſtores in dicta Opera: columnâ verò* XXIII *apud Mabillonium jamjam citatum occaſione epiſtolæ ſancti Doctoris quinquageſimæ ſextæ, ad Gaufridum Carnotenſem epiſcopum datæ, varia obſervantur prolixè quidem ſed erudite ex Horſtio laudato:* Non Norberto ſolùm, ſed multis antiquiorum Patrum (ut de recentioribus taceam) perſuaſum ſubinde fuit, præ foribus Antichriſtum, & extremum mundi diem adeſſe; uti videre eſt apud Hieron., Leonem Papam, Gregor. M., & ipſum S. Auguſt. Nempe ex temporum iniquitate, & ſignis mundi finem præceſſuris, à Chriſto prædictis, quorum pleraque jam tum apparebant, id ſibi haud vanè colligere viſi ſunt. Et ut rem paulo altiùs repetamus, jam inde ab Apoſtolorum temporibus varia ſemper fuerunt multorum de Antichriſto & fine mundi judicia, conjecturæ, opiniones, vaticinia. Philoſophi plerique & aſtronomi, complures etiam impoſtores, ludiones & nugivenduli; hæretici item fanatici quidam hìc vates eſſe, & ultra ceteros mortalium ſapere videri voluerunt: ſed quorum vaticinia pleraque jam eluſit eventus, & vates iſtos vanitatis & falſitatis convicit. Reliqua haud dubiè, quæ futurum tempus etiamnum reſpiciunt, ſimiliter ſequens eludet ætas; ut pateat, quàm verè dictum ſit: " Non eſt veſtrum noſſe „ tempora vel momenta „. Item: " De die au„tem illa nemo ſcit „. Non erit injucundum lectori, ſi ex plurimis paucorum exempla referamus. *Verùm ne eorum narratio longiùs, quam par eſt, nos abducat à præſenti inſtituto, lectorem eò mittimus.*

qua occaſione

E

varia de eodem argumento hìc notantur.

138 Hæc (*ita pergit Horſtius col.* XXIV) occaſione memorati de Antichriſto vaticinii commemorare viſum eſt, non tamen in fugillationem Norberti, viri ſanctiſſimi, quem aliàs FISTULAM CÆLESTEM Bernardus appellat. Nec enim ſolus ipſe, ſed & plures ſanctorum Patrum finem mundi ſuo tempore haud procul abeſſe opinati aut ominati ſunt; *quorum catalogus ibidem contexitur.* Sed adverte, longè diverſa ratione viros ſanctos de fine mundi locutos, quàm quos ſuprà meminimus (*aſtronomos.*) Illi enim vel ex obſervatione ſiderum & planetarum (quæ fere in aliis prædictionibus, ſed in hac maximè, nimis fallax eſt) vel ex quibuſdam Scripturæ ſententiis in falſum ſenſum detortis, vel ſola mentiendi & fallendi libidine, vel ſtudio popularis auræ & venerationis, hujuſmodi commenta ſparſerunt. At ſancti viri horrore ſcelerum & malorum, quæ paſſim toto orbe inundabant, vix ultrà poſſe mundum conſiſtere putabant, nec aliud ſupereſſe, quàm ut propediem, mole criminum & iniquitatum impellente, fatiſceret, irâ ſcilicet Dei terminum orbi conſtitutum prævertente. *Hæc ſit ſatis, ex Horſtio circa Antichriſti adventum deliba ſſe: qui plura de eodem voluerit, ipſum conſulat. Nos itaque, hac digreſſione relicta, interruptum*

F

AUCTORE J. P.

§ XIV. Acta pro Stephano, episcopo Parisiensi, contra Ludovicum Crassum; impletum de filii ejus morte vaticinium; sancti Abbatis labores favoribus cælestibus recreati; an S. Felix Valesius ad illum ductus, an sub ipso educatus.

terruptum tantisper de rebus S. Bernardi *filum pertexere pergamus cum historico Cistercienſi.*

S. Pater

139 Sanctum Virum, *ait num.* 4, fama indies celebrior, & poli & fori principum favoribus, favores populis passim exposuere, quæcumque optabant per eum consequuturis. Et qui hactenus Gallis tantùm notus, Romanæ Curiæ ex tunc jam innotescens, apud Pontificem, apud Cardinales opportunus mediator assumebatur, pro ecclesiis, pro personis intercessurus. *Res probatur è variis Sancti epistolis tamquam totidem testibus summæ ejus apud viros summos auctoritatis. Exstat ipsius epistola* 13 *ad Honorium Papam, quâ Alberici electionem ad episcopatum Catalaunensem ratam haberi petit. De isto autem Alberico consuli possunt notæ apud Mabillonium volumine primo col.* 33; *ubi dicta epistola affigitur anno Christi, in quo nunc versamur etiam nos,* 1126, *contrà ac Baronius censuit: de quo sic scribit Manricus num.* 6: Cardinalis Baronius epistolam Bernardi, de qua suprà, refert in annum millesimum centesimum vigesimum nonum, sicut & alias, quas statim adducemus; sed immeritò: quippe hæc ex suppresso Bernardi nomine, imò ex ipso contextu prima ad Honorium scripta comprobatur; cui se tunc aut incognitum putabat, aut saltem notum non habebat, unde præsumeret. Et tamen exstant ante eum annum datæ litteræ ejusdem ad eumdem, quas ipsemet Baronius priùs transcripserat, & nos latiùs reddemus suis temporibus. *An verò Vir sanctus voti sui pro Alberico in hac epistola expositi compos fuerit factus, vide apud eumdem Manricum num.* 5; *qui num.* 7 *agit de alia ad laudatum Honorium data, quæ est decima quarta, ejusdem exemplari præmittens ista:*

in aula Romana gratiosus.

140 Non multo pòst ecclesia Divionensis sancti Benigni, antiquitate & religione omnibus clara, sed Bernardo adhuc clarior chariorque, Alcidis matris (*adde etiam* patris, *ex notatione apud Mabillonium in hanc epistolam*) exuviis commendata, lite pendente cum monachis Lexovii, ejusdem sancti favorem imploravit. Eæ secundæ litteræ ad Honorium, timido adhuc, nec satis currente calamo, sed jam ut noti exprimentes nomen auctoris. *Ceterùm quo loco sanctus Abbas fuerit habitus apud Romanæ Curiæ Cardinales, conficitur ex litteris, quæ eisdem scriptæ ab eo sunt, nimirum decima quinta,* Haimerico Apostolicæ Sedis Cancellario; *decima sexta,* charissimo domino suo Petro presbytero Cardinali. *Quibus addi possunt epistola* 17 *& sequentes. Quid plura? Dicta itaque hæc sint speciminis gratiâ, cum tam è Viri litteris, quàm aliunde satis superque constet, eum apud summos & imos longè æstimatissimum fuisse. Quàm verò fortem ac intrepidum se ostenderit adversus potentes hujus seculi, dum rei æquitas hoc postulabat, indicio sunt, quæ jam dicturi sumus.*

Ludovico Crasso, Stephanum episcopum Parisiensem vexanti, scribit

CHronologus Cistercienſis *ad annum Christi* 1127, *quem nunc cum illo ingredimur, cap.* 1 *memorat Stephani episcopi Parisiensis genus, potentiam ac mores;* Bernardi *ad eumdem litteras, earumque fructum; violentam item infestationem à Ludovico Francorum rege eidem Stephano illatam; imploratum præterea Capituli Cistercienſis favorem, ac destinatos à Stephano legatos unà cum litteris, queis furens regis indignatio compesceretur. Deinde laudatus Chronologus cap.* 2 *idem argumentum prosequens tractat de ejusdem Ludovici regis ira per Cistercii legatos, & interdicti, cui erat innodatus, metum coërcita: sed interdicto per Honorium Papam sublato, mox laxatis frenis illa recruduit. Hæc obiter designasse visum est, quia viam sternunt ad ea, quæ de Sancti adversus regem minis ac vaticinio narrabimus. Compendiosa autem illa, quam dedimus, synopsis pluribus apud dictum Chronologum, cujus deducitur narratio, conferri potest cum observationibus Mabillonii, quæ in fusioribus notis habentur, ad epistolam, Ludovico regi (intellige* Crasso) *inscriptam, quæ inter Bernardinas ponitur quadragesima quinta. Inspici etiam possunt ea, quæ habet Pagius in Critica historico-chronologica ad annum Christi* 1127, *num.* 13 *&* 14.

ac minatur S. Bernardus mortem filii ejus, quæ etiam secuta est:

142 *Inter hæc, quid magnanimus & intrepidus justitiæ propugnator* Bernardus? Nihil prorsus, *uti referunt Annales Cistercienses cap.* 2, *num.* 3, omisere sancti viri, quod non tentarent.. Quin & Bernardum addidisse severas minas, & cælestem vindictam, nî resipisceret, affuturam in brevi, Paulus Æmilius in Ludovico, & alii prodidere. " Episcopos (inquit) deprecantes à genibus suis repulit (scilicet Ludovicus) cui impœnitentiæ Bernardus abbas iram cælestem vindicem instare, denuntiasse fertur". Addit Gaguinus, non mediocris fidei auctor, eumdem Sanctum expressisse supplicii genus, & primogeniti immaturam mortem furenti patri opportunè prænuntiasse. " Hæc, inquit lib. 6 Hist. Franc., tua, rex, pertinacia filii interitu mulctabitur". *Porrò prædictionis istius veritas stabilitur ex iis, quæ aliunde inserta sunt textui biographi Gaufridi lib.* 4 *Vitæ apud nos cap.* 1 *in fine, ubi hæc sunt:* Qua ex re (*obstinatâ videlicet Ludovici regis repulsâ*) Vir Dei religiosa animositate permotus, die altera regem duriùs increpans, quod Domini sacerdotes spreviſſet, liberè quoque denuntiavit, quod eâdem sibi nocte fuerat revelatum. " Hæc, inquit, obstinatio primogeniti tui Philippi regis morte mulctabitur. Vidi enim te cum minore filio tuo Ludovico ad pedes episcoporum, quos heri contempseras, inclinatum, & protinus intel-

AUCTORE J. P. „ lexi, Philippo celeriter facto de medio, pro „ Ludovici ſubſtitutione Eccleſiam, quam nunc „ opprimis, te rogaturum „. Quod quidem non longè pòſt (*anno nimirum Chriſti* 1131) miſerabilis caſus implevit. *Nam, ſicut ad annum modò dictum. num.* 12 *ex Orderico, & pſeudo-Roberto de Monte refert Pagius*, Philippus puer, nuper in regem unctus, dum in civitate Pariſiis equo vehitur, porcus equi pedibus ſe fortè ſubmittens, equum ſuper ipſum præcipitem dedit, & de ejus ſubita & miſeranda morte Francis luctum induxit tertio Idus Octobris.

dum autem nihil proficeret, ad Honorium PP. litteras dat.

143 *An verò tam ſeria & luctuoſa* Bernardi *denuntiatione ad veram reſipiſcentiam permotus Ludovicus rex? Nequaquam; fortè non reputans vindicandum à Deo crimen, quod ſummus Pontifex inultum reliquiſſet. Factum ſic breviter in notis, quas paulo antè citabam, col.* XXI *exponit Mabillonius, de Sancti vaticinio, ac eventu ejuſdem locutus:* Tanta dicendi libertate à propoſito princeps aliquanto dimotus, ad Honorii Papæ litteras, quibus interdictum ſolvebatur, animum refricans, malè cœpta ardentiùs proſecutus eſt. Quod Bernardus impatienter ferens; tam ſuo, quàm Gaufridi Carnotenſis nomine litteras ad Honorium juſtæ querimoniæ plenas dedit (*Vide* Bernardi *epiſtolas* 46 *&* 47.) Tandem verò, *ſicut pergit col.* XXII, tam pertinax, tamque concitata diſſenſio finem accepiſſe videtur in concilio Trecenſi anno MCXXVIII, vel certè non multo pòſt, ipſius Honorii auctoritate: qua de re Bernardus gratias retulit, ad eum denuo ſcribens, epiſt. 49: " Hinc enim, inquit, „ gravibus contumeliis & injuriis epiſcopi Pari- „ ſienſis conſtantia pulſata eſt, ſed non quaſſata: „ quia Dominus ſuppoſuit manum ſuam, cùm „ veſtram oppoſuit „. *Ad Stephanum verò illum quod attinet; Mabillonius de eo ſubdit ſequentia:* Porrò hunc Stephanum Pariſienſem, antea cancellarium, diſtinctum eſſe à Stephano de Garlanda dapifero, de quo in Annalibus Teulfi, diſertè probat Cheſnius in notis ad Abaëlardum: nec obſcurè intelligitur ex epiſtola quadam Gaufridi Carnotenſis, tom. 3 Spicilegii (*Acheriani*) pag. 160, in qua ſcribit, ſanctum Bernardum fuiſſe electum ad pacem cum Stephano Pariſienſi & Stephano de Garlanda componendam. Quod ulteriùs ad Ludovicum ſpectat, quem ſanctus Bernardus ad Honorium ſcribens epiſtolâ 49 ALTERUM HERODEM appellat (*quæ phraſis mitigatur apud Mabillonium in nota breviore ad iſtam epiſtolam col.* 57) memoriâ certè dignum eſt, quanta religione & pœnitentia diem clauſerit extremum anno ſcilicet MCXXXVII; *prout in obſervationibus ad epiſtolam* 45 *inter notas fuſiores citatas licet pluribus videre col.* XXII.

Labores ejus

144 *Verùm quo pacto magnas illas moleſtias, à* S. Bernardo *maſculo prorſus & invicto pectore exantlatas conſolatio cœleſtis exceperit, quid memorem? Audiantur Annales Ciſtercienſes cap.* 3, *num.* 1: Ergo Bernardus Clarævalli & filiis redditus, atque optata quiete, quo tardiùs rariuſque, eò impenſiori affectu fruens, nec ultrà ampliùs, ſi poſſet, deſerenda, duplicem ejus, inter plures alios, fructum expertus eſt, duplici à Deo viſione confortatus, utràque angelicâ, atque utràque monaſticum ſtemma, chorum & cantum eximiè commendante. In altera cæleſtibus ſpiritibus tranſcribentibus pſallentium in choro preces, haud dubium quin præſentandas divino Numini: in altera ad eaſdem excitantibus, & ſatagentibus pſallentium devotioni: utramque ad monachorum omnium gloriam ſolatiumque, imò & cunctorum Eccleſiaſticorum. *Facta audi ex auctore Exordii magni Ciſtercienſis apud Tiſſierium diſtinctione* 2, *cap.* 3: Intererat aliquando nocturnis vigiliis Pater ſanctus ea puritate & devotione, quâ ſolebat, Deo tantùm notâ & ſibi. Cumque moroſa pſalmodiæ modulatio vigilias protelaret, aperuit Dominus oculos ejus (*videlicet Patris ſancti*) &, ecce, reſpiciens vidit ſingulos angelos juxta ſingulos monachos ſtantes, &, quod quiſque eorum pſallebat, in ſchedulis, more notariorum, tam diligenter excipiebant, ut nec minimam ſyllabam, quantumcumque negligenter prolatam omitterent.

viſis

145 Scribebant verò diverſo modo: nam quidam eorum ſcribebant auro; alii argento; nonnulli atramento; aliqui etiam aquâ; quidam verò penitus nil ſcribebant. Spiritus autem, qui hæc revelabat, intelligentiam quoque diverſitatis ſcripturæ cordi ejus inſpirabat. Qui enim auro ſcribebant, ferventiſſimum in Domini ſervitio ſtudium, & abſolutam cordis intentionem in iis, quæ pſallebantur, ſignificabant. Qui autem argento, minorem quidem fervorem, puram tamen pſallentium devotionem declarabant. Qui verò atramento, continuum quorumdam bonæ voluntatis uſum in pſalmodia, licèt non cum multa devotione, notabant. Sed qui aquâ ſcribebant, exprimebant eos, qui ſomnolentiâ ſeu pigritiâ preſſi, vel vanis cogitationibus abducti, videntur quidem aliquid ſonare; ſed cor eorum longiùs abſtractum prorſus non concordat voci. Et, ô mira Dei clementia! Sicut enim nullum malum impunitum, ita nullum bonum, quamcumque modicum, quamcumque negligenter factum, erit irremuneratum.

cœleſtibus

146 Cæterùm illi, qui nihil ſcribebant, lamentabilem quorumdam cordis duritiam redarguebant, qui obliti profeſſionis ſuæ, & timoris Dei immemores, aut lethali ſomno prona ſe voluntate immergunt, aut certè vigilantes, clauſo ore, vanis & noxiis cogitationibus, non ex infirmitate, ſed ex voluntaria intentione occupantur, & in conſpectu Domini contra legis præceptum apparere vacui non pertimeſcunt. Pater itaque ſanctus, qui hæc videbat, recordatus ſententiæ illius, Quoniam omnes adminiſtratorii ſpiritus ſunt, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis; ſicut proficientium congratulabatur fervori, ſic paterno pietatis affectu, deficientium miſerabatur tepiditatem. *Ibidem cap.* 4 *ponitur alia beati Viri viſio his verbis conſcripta:* Celebrabantur aliquando ſolemnes vigiliæ, & Vir Domini cum cæteris fratribus aderat: cumque hymnus Te Deum laudamus cantaretur, vidit ſanctos angelos multa claritate fulgentes, mira etiam vultûs alacritate devotos: qui utrumque chorum percurrentes, modò hunc, modò illum excitabant, cantantibus aderant, & quaſi congratulantes aſtabant, & ut divinus ille hymnus cum devotione percantaretur, modis omnibus elaborare ſatagebant. Intellexit ergo Vir ſanctus, hymnum illum verè eſſe divinum, & angelis ſanctis eſſe familiarem, quos tantâ inſtantiâ videbat operam dare, quatenus à fratribus ad honorem Dei cum fervore devotionis cantaretur. *Deinde occaſione iſtius hymni ſequuntur iſta:*

recreantur

147 Cuidam etiam fratri ſpirituali videre conceſſum eſt, dum idem hymnus inciperetur, quod ab ore incipientis flamma magni ſplendoris erumpebat, & ſurſum conſcendebat. *Manricus cap.* 3, *num.* 4 *ad præſens argumentum*, Duo, *ait*, invenio

A invenio notata à Fiterienſi, quæ ſibi lector facilè perſuadeat. Alterum eſt, angelorum excitationem non materialem à ſomno intelligendam; ſed ſpiritualem ad mentis devotionem, ut, ſi qui tepidi, in fervidos evaderent; fervidi, ferventiores efficerentur. Alterum, incipientem hymnum Te Deum laudamus, de cujus ore flamma ignea erumpens, & ſurſum volans, à fratre illo devoto viſa dicitur, non alium fuiſſe, quàm Bernardum Patrem, cui ex injuncto munere abbatis eumdem hymnum incipere incumbebat. Quod ab initio Ciſtercii uſu receptum, hodie etiam videmus obſervari. *Idem hiſtoricus num.* 10 *refert factum aliquod peculiare de* S. Bernardo, *quod ſicut ipſe recitat ex alio auctore, ſic ego illud huc tranſcribo:*

148 In Hiſtoria, *inquit*, Segoviæ nuper edita de exordio & progreſſu ſanctiſſimæ familiæ, quam ſub invocatione ſacræ Triados fidelibus captivis redimendis Deus providit, notatum lego, unum è primis illius inſtitutoribus Hugonem Valeſium (Theobaldi Comitis nepotem ex ſorore) qui pòſt Felix Valeſius dictus eſt, atque unà cum beato Joanne, dicto de Matha, inſignis operis fundamenta felicia jecit; lego, inquam, hunc Sanctum hoc anno natum, & poſt baptiſmum, deferente matre, ad Claramvallem ductum, oſ-

Inquiritur, an Felix Valeſius à ſua matre ſit Sancto oblatus

B

ferendum ibidem per Bernardum omnipotenti Deo, & ſancti Patris accepturum benedictionem: quod ab auctore illius Hiſtoriæ lib. 1 cap. 5 traditum omittere non libuit: quamvis nec adhuc ſciam, unde hauſerit, nec ſim ignarus, in his, quæ aliàs miſcet, à veritate nonnihil aberrare. Certè in tempore nulla eſt repugnantia, & Hugoni aut Felici, ſi revera Theobaldi nepos fuit, non ullus alius Bernardo parente proprior, quem apud Deum ab ipſis incunabulis interceſſorem quæret. Sed & Bernardo non exigua gloria eſt, tantum habuiſſe alumnum ſive clientem, illuſtraturum orbem atque illud ſeculum miraculis & meritis, ſequentia verò repleturum glorioſa prole.

149 *Hanc rem, uti vides, quà hunc Sanctum à Sancto noſtro ad Claramvallem Deo oblatum ſpectat, ſubtimidè Manricus ex alio refert;*

in monaſterio Claravallenſi:

& non immerito. Quid enim? Origo & educatio S. Felicis Valeſii non videntur hactenus ſatis ſolidè comperta: ſcriptor rei geſtæ, quam retulimus, nimis eſt recens, nec auctoritatis ſat probatæ, quam ut ſe ſolo fidem facere poſſit, cujus ne nomen quidem exprimit Manricus; nec profert monumenta antiqua, quibus factum præſens confirmetur. Quamobrem liceat nobis deſiderare probationem melioris notæ, antequam eidem aſſentiamur. Ne tamen præpropere nimium, re utpote nondum ſatis matura, quidquam ſtatuamus, eam remittimus ad diem XX *Novembris, quo agendum erit de S. Felice Valeſio, pluſculâ tunc fortaſſe ſuboritura luce noſtris ſucceſſoribus ad improbandum vel confirmandum præſens factum. Idem eſto dictum ad illa, quæ habentur in Vita ejuſdem Sancti, auctore R. P. M. Fr. Franciſco à S. Auguſtino Macedo, Minorita Luſitano, Romæ latino ſermone edita anno* 1660, *in qua cap.* 2 *floridulis quidem verbis, ſed nullo citato auctore, argumentum præſens in hæc verba deſcribitur:* Nato Felici Eleonora lac præbuit; ſed melle illud condire ſtuduit. Igitur Claramvallem adiit, & Bernardum quæſivit, quem cæleſtem favum ſciebat. Hic verbis infanti mel inſtillavit, nec abſtinuit amplexu, quod credidit Bernardus in lilia & roſas incidiſſe. Obtulit ante aram Deo floridum pignus tamquam faſciculum, Apem Bernardum credidit, qui vidit puerum in ulnas geſtantem.

C

AUCTORE J. P.

150 *Sunt, qui plus dicant, prout intelligo è neoterico auctore, qui Vitas Sanctorum vulgavit Gallicè tribus tomis. Nam ad diem* XX *Novembris in Vita S. Felicis Valeſii, nonnullos eſſe affirmat, qui velint, eum ſacræ inſtructionis gratiâ ſub diſciplina* S. Bernardi, *petiiſſe Claramvallem: verùm ſicut hiſtoria ſuperior de S. Felice, quem mater ejus ad* Bernardum *detulerit infantem, quemque is obtulerit Deo, parùm hactenus mihi videtur credibilis; ſic multo minùs credibilis mihi apparet ea, quæ vult, eumdem S. Felicem ſub Abbatis noſtri diſciplina vitæ religioſæ inſtitutis imbutum fuiſſe; quamdiu hoc non video idoneis teſtimoniis corroborari.*

an item ſub ejus diſciplina ibidem vixerit.

§ XV. Opuſculum de gratia & libero arbitrio; confeſſus & auctoritas in ſynodo Trecenſi; regula Militum Templi an à Sancto condita.

E

Tempus, occaſio, ac elogia

Onfectio hujus opuſculi, quo de Eccleſia Catholica univerſa ſanctus Doctor immortali titulo meritus eſt, innodatur anno prædicto Chriſti 1127 *ab auctore Annalium Ciſtercienſium, apud quem ibidem cap.* 4 *nonnulla circa illud obſervantur. Habetur apud Mabillonium volumine primo col.* 603 *& ſequentibus, & hac prævia admonitione ibidem pag.* 601 *illuſtratur:* Hoc opuſculum Bernardus ante annum MCXXVIII compoſuit, id eſt, ante annum ætatis ſuæ Triceſimum octavum. Agit DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO, ex occaſione cujuſdam collationis cum homine neſcio quo, cui ſanctus Doctor nimiùm gratiæ tribuiſſe viſus fuerat, quaſi nihil reliqui libero arbitrio faceret in actibus humanis. Præcipuus ergo libri ſcopus eſt, quæ ſint gratiæ, quæ liberi arbitrii partes in negotio ſalutis. Huc multa docentur de libero arbitrio Dei, angeli & hominis, integri, lapſi, & beati: item de gratia primi hominis ante & poſt lapſum. Parvus liber, ſed qui plus ſucci & ſolidæ doctrinæ contineat, quàm magna librorum volumina quæ de hoc theologico argumento pertractant. Stilus vegetus, vivaci ingenio & lumine plenus: verba propria & materiæ accommoda; oratio facilis, non arte quæſita, ſed quaſi naturalis; non obeſa & exilis, ſed pinguis & nervoſa: elegans concinna & jucunda; non trivialibus ſcholæ verbis languens, non barbara aut inculta. Non ita preſſa, ut parcè & guttatim fluat; nec tamen ita profuſa, ut torrentis inſtar, quaſi rupto aggere, & ſiccato alveo, erumpat; ſed pari tenore & gravi majeſtate æqualiter profluens, fontem indicat indeficientem, qui non ex alieno plenus ſit, ſed ex proprio, immò ex Dei dono, atque ex continua Scripturæ meditatione, præſertim Apoſtoli, num. 48.

F

iſtius opuſculi.

152 De iſto Opuſculo Gaufridus in libro tertio de Vita Bernardi capite 8 agens. „ Quàm non „ ingratus, inquit, gratiæ Dei, ex his liquet, „ quæ de GRATIA ET LIBERO ARBITRIO tam ſi„ deliter quàm ſubtiliter diſputavit „. Nec prætermittenda verba epiſtolæ LII ad Haimericum Cardinalem, quæ ſub annum MCXXVIII ſcripta eſt. „ Quæſivit à me præfatus epiſcopus (Gau-

AUCTORE J. P.

fridus Carnotensis) aliqua ex nostris opuscu-
„ lis ; quæ vobis mitteret : sed non fuit ad ma-
„ num , quod vestro dignum crederem studio.
„ Libellum tamen DE GRATIA ET LIBERO AR-
„ BITRIO nuper edidi : illum vobis libenter mit-
„ tam , cùm vos velle cognovero „. Directus est libellus Guillelmo sancti Theoderici abbati , singulari Bernardi amico , ad quem Apologia superiùs (*col.* 525 *& seqq.*) edita , & epistolæ complures. *Sic de laudatissimo hoc sancti Doctoris Opusculo lectorem præmonet eruditissimus Mabillonius , qui illud notationibus etiam explanavit. Jam gradum faciamus cum historico Cistercienſi ad annum Christi* 1128 , *sancto Patri valde honorificum , sicut planum fiet ex dicendis occasione concilii Trecensis , quod vel invitus suâ præsentiâ condecoravit.*

Concilio Trecensi , quod anno 1128 *est habitum ,*

153 *Baronius illud intexit anno Christi* 1127; *sed à Pagio in Critica ad istum annum num.* XI *corrigitur his verbis :* Concilium Trecense , cui Matthæus , Albanensis episcopus Cardinalis , legatus Apostolicus , archiepiscopi Remensis & Senonensis , variique episcopi interfuere , anno tantùm sequenti celebratum ; cùm in ejus præfatione Joannes Michaëlensis concilii scriba dicat, illud habitum " in solemnitate sancti Hilarii (nempe die XIII mensis Januarii) anno MCXXVIII ab „ incarnato Dei Filio , ab inchoatione prædi-
„ ctæ Militiæ (nempe Templariorum) IX „ qui annus Incarnationis etiam notatus reperitur in codice Ms. bibliothecæ Victorinæ Parisiensis , & in Historia Hierosolymitana Jacobi de Vitriaco. Tyrius quidem ait , concilium istud Ordinem Templariorum jam à novem annis fundatum confirmasse : sed cùm is annum Incarnationis vel à die XXV mensis Martii , vel à die Paschatis ibi incipiat , certumque sit , concilium mense Januario congregatum , Tyrius non nisi de mense Januario sequentis Christi anni interpretari potest ; & malè aliqui viri docti , cùm ad ejus annos Incarnationis numerandi modum animum non advertissent , vel numeros apud Tyrium mendosè descriptos esse causati sunt , vel ad vanas interpretationes recurrêre. Annus itaque æræ Dionysianæ MCXXVIII , mense Januario erat adhuc annus MCXXVII Tyrio , & nonus exiens à Fundatione Ordinis Templariorum. *Hæc de anno concilii;*

C *de actis autem ejus tractatur ex Guilielmo Tyrio lib.* 12 *cap.* 7 *apud Labbeum tomo* 10 *Conciliorum col.* 922.

intercesse recusat ; sed frustra :

154 *Matthæus itaque Sedis Apostolicæ legatus ac concilii præses , quo negotiis in eodem pertractandis majus etiamnum auctoritatis pondus adjiceret , præter Remensem ac Senonensem præsules , eorumque suffraganeos ,* abbates , *ex Guilielmo Tyrio , quem modò citabam ,* Cistercienſem , & Claræ vallensem , *quibus etiam ab eo additur* Pontiniacensis cum aliis pluribus , *eidem concilio interesse voluit.* Verùm Bernardus , *inquit Manricus ad hunc annum cap.* 1 *num.* 3 , qui semel proposuerat monasterio non egredi , ut ad Petrum Leonis , Cardinalem item Legatum , ante duos annos dederat in litteris , ægrè sanè , nec sine magna difficultate avulsus est , nihil non causans , nihil non excusans , & neque infirmæ, quâ detinebatur , valetudini , nec propriæ insufficientiæ parcens. *Extat de illis rebus* S. Bernardi *epistola* 21 *ad Matthæum Legatum , quâ se excusat , quòd vocatus ad negotia tractanda , non accesserit. Data indicatur apud Mabillonium col.* 38 sub finem anni MCXXVII. *Quis autem Matthæus iste fuerit , de quo suprà recurrit sermo ,* D *ibidem observat :* Matthæus , *ait* , ex canonico Remensi monachus Cluniacensis apud S. Martinum de Campis , dein Cardinalis , & episcopus Albanensis , vir miræ sanctitatis , ex Petro Venerabili , is est , ad quem hæc epistola scripta est, instante concilio Trecensi anni MCXXVIII , ex fusioribus Notis *col.* XVI. *Porrò istius epistolæ characteres sunt hujusmodi , ut mirificam Sancti modestiam inspirent lectori , & luculentissimæ sint testes , Virum in aliorum oculis tam magnum , in suis verè parvulum fuisse : quibus item hac submissæ obedientiæ clausulâ finem imponit :* Vos tamen (Vobis dico , Pater) noveritis , quia paratus sum , & non sum turbatus , ut custodiam mandata vestra. Vestræ autem indulgentiæ erit , parcere mihi , ubi parcendum decreveritis.

reverentiam erga episcopes in eodem congregatos Theobaldo Comiti commendat :

155 *Ejus ad Theobaldum , Comitem Campaniæ , epistolam quid memorem ? Legi ea potest apud Mabillonium col.* 51 , *estque numero trigesima nona , anno Christi* 1127 *ibidem illigata ; in qua eum hortatur , ut erga episcopos , concilii causâ in ejus civitate Trecensi constitutos , honorificè & reverenter se gerat. Fragmentum ejusdem postquam recitasset Annalista Cistercienſis num.* 5 , Hactenus , *ait* , sanctus Pater ad Theobaldum ; ut sibi latebras , sic Ecclesiæ honorem appetens , & reverentiam Prælatis exhibendam , quorum se dignum consortio non judicabat. *De litteris , quas à Sancto ad* Petrum Leonis *scriptas citabat paullo antè Manricus , observa nonnulla per transennam , ut ita loquar. Mabillonius in notis ad epistolam* 17 *col.* 35 , *quæ Petro diacono Cardinali & legato inscribitur , hæc animadvertit :* Petrus iste alius sine dubio est à Petro Leonis itidem Legato , sed presbytero Cardinale , ut probavimus in Præfatione ad hunc tomum. *Et mox subjicit , quisnam Petrus iste videatur esse. Pagius in Critica Baroniana ad annum Christi* 1125 *agens de Petro Cardinale Legato , quem misit Honorius PP. II contra Pontium , Cluniacensium olim abbatem , ac monasterii eorum invasorem , num.* 3 *statuit , hunc esse* diversum à Petro Leonis ; quia is Cardinalis presbyter erat jam ab anno MCXX juxta Onuphrium , & certo certiùs anno MCXXI , ut eo , *ait* , anno vidimus. *Deinde* Petrus *hic* , cui causa Pontii ab Honorio II commissa , alius *ipsi* esse non potest , quàm Petrus diaconus Cardinalis & Legatus ; ad quem divus Bernardus scripsit epistolam ordine XVII , quia legatio ejus nullo alio per hæc tempora anno peracta esse potuit , quàm currenti ; *unde deducit* , eam divi Bernardi epistolam , quam Mabillonius circa annum MCXXVII datam notat , ad hunc omnino annum pertinere ; *uti & alias duas, videlicet* 18 *&* 19 , *ab eodem ad eumdem Petrum Cardinalem & Legatum datas* ; cùm anno sequenti , *sicut addit* , Humbaldus archiepiscopus Lugdunensis , & Gerardus episcopus Engolismensis legatione Gallica functi sint. Mabillonius in Præfatione ad editionem Operum S. Bernardi abbatis § 4 num. 39 jam suspicatus fuerat , Petrum diaconum Cardinalem & Legatum, cui præfatæ Bernardi epistolæ inscriptæ sunt , cum fuisse , qui adversus Pontium abbatem Cluniacensem in Galliam accessit ex mandato Honorii Papæ ; sed id apud me certum & indubitatum. *Hactenus Pagius , qui etiam ad annum Christi* 1127 *num.* 12 *observat , epistolam decimam septimam* S. Bernardi *malè à Baronio revocari ad concilium Trecense ; dum enim* sanctus Abbas excusat *in ea,* quod vocatus non venerit . . ibi . . de alia profectione nobis , *inquit* , ignota , sermonem habet.

E

F

156 *Quod*

AUCTORE J. P.

A 156 *Quod verò attinet ad concilium Trecense, cui ſanctum Doctorem unà cum pluribus aliis dicebamus interfuiſſe; quid referam Viri auctoritatem, quâ ſolis adinſtar inter alios ejuſdem ſynodi Patres fulſit? Apud Miræum enim in Chronico Ciſtercienſi ad annum* 1128 *illorum nomina recenſentem, habentur iſta:* Suprà nominatus abbas Bernardus Claræ-vallenſis non defuit; cujus ſententiam præſcripti *Patres* libera voce collaudabant. *Hæc etiam exſtant apud Labbeum tomo* 10 *Conciliorum col.* 924. *In Prologo autem ad Regulam Templariorum ibidem col.* 923, *& apud Miræum modò citatum, quæ in dicto concilio Trecenſi illis eſt data, ab eodem fuiſſe commiſſam ſancto Abbati, teſtatur ſæpè memorati concilii ſcriba:* Ego Joannes Michaëlenſis præſentis paginæ, juſſu concilii, ac venerabilis abbatis Claræ-vallenſis (*Bernardi*) CUI CREDITUM AC DEBITUM HOC ERAT, humilis ſcriba eſſe divinâ gratiâ merui. *Quæri autem hoc loco poteſt, an Sanctus compoſuerit Regulam Templariis præſcriptam. Affirmant Manricus ac Miræus; negat Mabillonius volumine primo in Admonitione ad Opuſculum ipſius Sancti ſextum tomi* 2,

ejuſdem in concilio auctoritas.

An regulæ Templariorum in eo datæ

B De laude novæ militiæ ad Milites Templi *inſcriptum, cui Opuſculo, quod exſtat col.* 543 *& ſequentibus, editor ille in rem præſentem iſta præmittit:*

conditor

157 Templariorum Regulam ex codice Victorino typis mandavit Miræus, eamque Chronico Ciſtercienſi inſeruit " utpote à S. Bernar-„ do, inquit, abbate Claræ-vallenſi (ut ex Pro-„logo patet) dictatam „. Regula hæc totidem capitulis, quot Regula S. Benedicti, ex qua magna ex parte de verbo ſumpta eſt, conſtat, id eſt capitulis LXXII. Sic verò inſcribitur ante Prologum: " Regula pauperum commilitonum Chri-„ſti, Templique Salomonici „. Manricus ad annum MCXXVIII cap. 2 hanc Regulam Bernardo auctori cum Miræo tribuit, ad idque probandum duo loca adducit ex Prologo. Primus locus ſic habet: " Sanè autem prorſus licet noſtri dicta-„minis auctoritatem permaximus numerus reli-„gioſorum Patrum, qui in illo concilio divina „ammonitione convenerunt, commendat; non „debemus ſilenter tranſire, quibus videntibus, „& veras ſententias proferentibus, ego Johan-C „nes Michaëlenſis præſentis paginæ „ *&c. quæ nos paullo antè jam dedimus.* Verùm hæc verba non ſignificant ullam Regulam à Bernardo pro Templariis fuiſſe compoſitam; ſed eum in Johannem Michaëlenſem rejeciſſe impoſitum ſibi ſcribæ officium. Neque quidquam amplius conficitur ex ſequentibus verbis, quæ poſt enumerationem Patrum Trecenſis concilii hoc modo referuntur:

fuerit Vir ſanctus,

158 " Ipſe verò Magiſter militiæ, Hugo no-„mine, revera non defuit, & quoſdam de Fra-„tribus ſuis ſecum habuit, verbi gratiâ F. Go-„defridum, F. Rovallum, F. Gaufridum Biſol, „F. Paganum de Monte-deſiderii, Archembau-„dum de ſancto Aniano. Iſte verò Magiſter Hu-„go cum iſtis diſcipulis modum & obſervantiam „exiguæ inchoationis ſui militaris Ordinis, qui „ab illo, qui dicit, Ego principium, qui & „loquor vobis, ſumpſit exordium, juxta me-„moriæ ſuæ notitiam ſuprà nominatis Patribus „intimavit. Placuit itaque Concilio, ut conſi-„lium ibi limâ & conſideratione divinarum Scri-„pturarum diligenter examinatum, tamen cum „providentia Papæ Romanorum ac Patriarchæ „Jeroſolymitarum, nec non etiam aſſenſu Ca-„pituli pauperum commilitonum templi, quod „eſt in Hieruſalem, ſcripto commendaretur, & „inenodabiliter ſervaretur „. Quibus verbis id tantùm à Patribus ſancitum fuiſſe intelligimus, ut Militibus Regula ex eorum conſenſu, conſultis Romano Pontifice & Patriarcha Jeroſolymitano, præſcriberetur; ſed Bernardus ejus auctor nequaquam aſſeritur. Quinimmò Albericus Ordinis Ciſtercienſis eiſdem Militibus Regulam ſancti Auguſtini impoſitam ſcribit. Unde in Monaſtico Anglicano ad Ordinem ſancti Auguſtini revocantur. Permirum eſſet, ſi Albericus Trium-fontium haud longè à Clara-valle monachus Ciſtercienſis, hanc Bernardi Regulam ignoraſſet, & pro illa Militibus, qui ejus tempore ſupererant, aliam tribuiſſet. *Haſce ob rationes eruditiſſimus Mabillonius confectionem Regulæ prædictæ abjudicat* S. Bernardo: *quibus non acquieſcens, alias iſtis ita ſuperaddit:*

variis allatis rationibus, examinatur,

159 Guillelmus Tyrenſis epiſcopus in jam dicti libri XII cap. VII tradit, eiſdem Militibus, qui ante concilium Trecenſe " non niſi novem „erant, de mandato domini Honorii Papæ, & „domini Stephani Jeroſolymitani Patriarchæ, „fuiſſe inſtitutam Regulam, & album habitum „aſſignatum „ cum antea vulgari uſi eſſent. " E „Poſtmodum verò tempore domini Eugenii Pa-„pæ, ut dicitur, cruces de panno rubeo man-„tellis ſuis cœperunt aſſuere „ tam equites " quam „eorum Fratres, qui dicuntur ſervientes. Quo-„rum res adeo crevit in immenſum, ut hodie (inquit Guillelmus) „ trecentos plùs minuſve in „conventu habeant equites, albis chlamydibus „indutos, exceptis Fratribus „. Ex his poſtremis verbis conficimus, Regulam illam, quæ Bernardo auctori tribuitur, nonniſi poſt Guillelmum Tyrenſem ſcriptam fuiſſe: quandoquidem in cap. XXI notantur quidam " pſeudo-fratres ex Ul-„tramontanis partibus, mentientes ſe eſſe de „Templo „ & quædam apud ipſos Milites ſi-„ne diſcretione ac conſilio communis Capituli „ſuccreviſſe penitus amputanda „ arguuntur, nempe quòd " habebant OLIM famuli & armigeri „alba veſtimenta, unde veniebant damna impor-„tabilia „.

& aſſeritur, eum iſtarum regularum auctorem non exſtitiſſe.

160 Nullum verò generale Capitulum Templariorum fuit ante concilium Trecenſe: nullus antea peculiaris Militum habitus, ſed vulgaris. Albus eis conceſſus eſt à Patribus concilii, exceptis Servientibus. Planè vel ex his ſolis verbis intelligitur, hoc ſaltem Capitulum longè poſt tempus concilii fuiſſe adſcriptum. Capitulum VII " „ſtando divinum officium audiri „ non ſolùm non laudat, ſed etiam vituperat, ſtatuitque audiri ſedendo. Quod ſanè ſtatutum in Bernardi mentem non veniſſet. In Capitulo LVI ſtatuitur „ut ampliùs ſorores non habeantur „. Quod arguit non fuiſſe recens inſtitutum. An Johannes Michaëlenſis iſtius Regulæ auctor ſit, aliis judicandum relinquo. *Quod verò Pater ſanctiſſimus etiamſi non in hac re, alibi tamen bene meritus fuerit de Templariis, narrat Manricus cap.* 3, *num.* 5 *&* 6.

F

AUCTORE J. P.

§ XVI. Querelæ curiæ Romanæ à ſancto Doctore dilutæ; famoſum ſchiſma pſeudo-papæ Anacleti ab ipſo compreſſum; annus cædis venerabilis Thomæ, Prioris Victorini.

Negotia boni publici dum rectè adminiſtrat,

NEgotia *boni publici, ad quæ* Bernardus *vel invitus non rarò accerſebatur, magnas adverſus eum querelas, ne dicam, odia concitarunt. Rei hujus ſummam, ab hiſtorico Ciſtercienſi ad annum Chriſti* 1129 *pluribus recenſitam, non eſt neceſſe huc tranſcribere; cum ſatis ea poſſit intelligi ex epiſtola Sancti* 48, *quæ eſt inſcripta Haimerico Romanæ ſedis Cancellario, & in qua injuſtas contra ſe querelas forti ac intrepido calamo diluit. En tibi itaque, lector, excerptum ex eadem epiſtola fragmentum. Obſerva autem ſcriptum illud non dirigi ad ſolum Cardinalem Haimericum, ſed ad alios etiam Cardinales, quos* fraternitatis *nomine appellat; de quo conſule Mabillonii notas col.* 55. *Unde conſequens eſt, Romanam Curiam obloquiis contra eum perſonuiſſe, ut non obſcurè è Viri ſancti reſcripto conficitur, è quo hæc delibo:* Etiamne pauperi & inopi veritas odium parit? Et ne ipſa quidem miſeria declinare invidiam poteſt? Querar, an glorier, quòd factus ſum & ipſe inimicus vera dicens? vera dicens, an recta agens? .. Quid in me, ô boni viri, diſplicuit fraternitati veſtræ? Utrumne, quod apud Catalaunum amotus eſt à villicatione ſibi credita homo uſquequaque diffamatus, quia in eccleſia Virdunenſi, cui præfuerat, diſſipaſſet bona domini ſui? An quod in urbe Cameracenſi monaſterii ſui manifeſtus deſtructor Fulbertus cedere compulſus eſt Parvino, qui omnium teſtimonio fidelis eſt ſervus & prudens? An certè quod Lauduni de proſtibulo Veneris ſuum Deo ſanctuarium reſtitutum eſt? Propter quod horum me, non dico lapidatis, ſed laceratis, ut minus aliquid recipiam à domino meo? Et hoc meritò, atque cum omni gloria reſponderem, ſi quid in eis meum cognoſcerem.

B

C

querelas ſubit in curia Romana;

162 Nunc autem, ut quid judicor ego de factis alienis? aut ſi meis, cur tamquam de malis? Cùm cuncta hæc juſtè atque præclarè geſta fuiſſe, nulla imprudentia dubitare, nulla negare impudentia poſſit .. Novum genus detractionis, & revera ſimile aliquid habens operi Balaam, qui ductus & conductus ad maledicendum populo, magis benedictionibus cumulabat .. At .. nil meâ refert de his, quorum auctor non exſtiti. Laudent ſi volunt, vel vituperent, ſi audent; de primo quidem dominum Albanenſem; de ſecundo verò dominum Remenſem; porrò de tertio eumdem æquè archiepiſcopum ſimul & epiſcopum Laudunenſem, cum rege pariter & multis aliis reverendis perſonis, qui ſe utique auctores in his & principes exſtitiſſe minimè diffitentur. Si bene egerunt, quid ad me? Si aliter, quid æquè ad me? An tota, & ſola culpa mea eſt, quòd affui, homo ſolis latebris dignus? .. Affui .., negare non poſſum: ſed vocatus, ſed tractus. Utinam non iſſem ad illa! Utinam non irem ad ſimilia! Utinam & nuper non iſſem, ubi vidiſſem adverſum Eccleſiam Apoſtolica (prô dolor!) auctoritate (*Vide epiſtolam* 46 *&* 47) violentam armari tyrannidem, quaſi non ſatis per ſe inſaniſſet. Tum demum ſenſi juxta Prophetam adhæreſcere linguam meam palato meo *&c.*

D

ſed eas egregiè diluit.

163 Propter hujuſmodi, etſi aliud non ſit, gravor intereſſe cauſis, quarum præſertim meâ non intereſſe cognoſco. Gravor, ſed trahor. At verò ab hac neceſſitate per quem meliùs retrahi poſſe ſperaverim, quàm per vos, vir optime? .. Indicatur, ſi placet, clamoſis & importunis ranis de cavernis non egredi, ſed ſuis contentas eſſe paludibus. Non audiantur in conciliis, in palatiis non inveniantur: ad cauſas, ad negotia nulla neceſſitas, nulla trahere poſſit auctoritas .. Non tamen idcirco etiam me latente & tacente ceſſare puto murmur eccleſiarum, ſi non ceſſet Romana Curia pro voluntate aſſiſtentium facere præjudicium in abſentes. Valete. *Sic injuſtas contra ſe querelas acriter diluit Vir magnus, eo nimirum ad objecta reſpondens liberiùs, quò in culpæ neſcia & ingenti virtutum comitatu circumſepta conſcientia ſtaret ſecurùs obloquiorum. Nonnulla quæ in recitato fragmento occurrunt, explanantur apud Mabillonium tum in notis brevioribus ad dictam epiſtolam col.* 55 *&* 56; *quibus adde fuſiores col.* XXII. *Mauricus ad annum Chriſti, quem antea ex ipſo ſignabam,* 1129, *cap.* 7, *num.* 8 *refert* S. Bernardi *vaticinium*; *ſed de eo inferiùs.*

E

Nomen immortale

164 *Quod ſcripſerat ſanctus Doctor in epiſtola ad Haimericum paullo antè citata,* conſilium *ſibi* eſſe & propoſitum, numquam (*ſi cauſa dumtaxat* noſtri, *inquit,* Ordinis non fuerit) exire de monaſterio, niſi aut Apoſtolicæ Sedis legato, aut certè proprio vocante epiſcopo, quibus noſtræ humilitati, ſicut optimè noſtis, contradicere omnino fas non eſt, niſi ex quocumque ſuperioris auctoritatis privilegio; *quod, inquam, ſanctus Doctor tunc ſcripſerat, ſuum boni publici causâ è monaſterio ac amata ſibi ſolitudine egreſſum æquiſſimis iſtis conditionibus reſtringendo, locum habuit anno Chriſti* 1130, *occaſione famoſi ſchiſmatis, quod malè feriatus ac turbulentus pſeudo-papa Petrus Leonis, aſſumpto nomine Anacleti, adverſus Innocentium PP. II in Eccleſia Dei concitavit. Argumentum hoc cùm unum ſit è præcipuis ornamentis, quibus* S. Bernardus *immortale apud poſteros nomen promeritus eſt, & gloriam nulla oblivione delendam, mirari non debemus, illud ab eruditiſſimo Mabillonio ſecundis curis ad incudem revocatum, & ex variis veterum monumentorum documentis illuſtratum in egregia illa Præfatione generali, quam* Bernardi *Operibus à ſe recuſis præfixit,* § 4. *Quam itaque laudato Mabillonio, de republica litteraria tot aliis monumentis, quæ in lucem dedit, adeo præclarè merito, debemus lucubrationem, hoc loco non quidem totam, ſed quoad in rem noſtram fuerit ſatis, recudere viſum eſt. Ea verò quæ verbis aliorum intexuit de ſuo idem auctor, parentheſi includam.*

F

pepercerunt Viro ſancto

165 Etſi, *inquit,* Baronius, aliique ſcriptores eccleſiaſtici, de ſchiſmate, poſt Honorii II obitum anno MCXXX Innocentium inter & Anacletum conflato, multa ſcripſere; nonnulla tamen ampliori explicatione egent, quæ ex veterum monumentorum lectione ſupplere conabimur. *Deinde, paucis interjectis, præſentem materiem laudatus Mabillonius ita deducit & illuſtrat:* Petrus Leonis, ex gente Leonina Romanus, ex monacho Cluniacenſi creatus eſt primùm, ſi Onuphrio credimus, à Paſchali II diaconus

A conus cardinalis tit. ſanctorum Coſmæ & Damiani: dein à Calliſto II presbyter cardinalis ſanctæ Mariæ tranſ-Tiberim, tit. Calliſti, anno MCXX. " Fuit hic Petrus (uti ex Chronico Mau-
„ riniacenſi diſcimus) Petri filius, filii Leonis.
„ Leo verò à Judaïſmo Paſcha (id eſt tranſitum)
„ faciens ad Chriſtum, à Leone baptizari & e-
„ jus nomine meruit inſigniri (Leonem IX in-
„ terpretare.) Hic vir (ſcilicet Leo ex Judæis)
„ quia ſcientiſſimus erat, in Curia Romana ma-
„ gnificus effectus, genuit filium nomine Pe
„ trum, magnæ famæ, magnæque potentiæ pòſt
„ futurum.

166 „ Ea tempeſtate inter regem Teutonico- *ea, quæ egit*
„ rum, qui ex ſucceſſione Karoli Magni Roma-
„ norum patricius erat, & Eccleſiam Romanam
„ illa turbulentiſſima de inveſtituris orta eſt ſedi-
„ tio. In qua vir ille in tantum armis ſtrenuus,
„ conſilio providus, & Eccleſiæ Romanæ fide-
„ lis exſtitit, ut ei cum cæteris munitionibus,
„ quæ Romæ ſunt, illam quoque, quæ illius
„ urbis videtur obtinere ſimilitudinem, turrim
„ dico Creſcentii, quæ à parte Galliarum in par-
„ te Tiberini pontis ſita eſt, Papa committeret,
B „ & eum præ cæteris familiarem haberet. Hac
„ occaſione mirabiliter accreſcens, quotidie ſui
„ melior efficiebatur, & divitiis, poſſeſſionibus,
„ honoribus augmentabatur „. Hæc præmittenda fuerunt, quoniam ex Petri genere, judaïſmo, potentia, turre Creſcentii, arcem ſancti Angeli appellant, quâ Anacletus ſe tutabatur, pendet rei geſtæ notitia. Pergit Chronographus Mauriniacenſis. " Inter cæteram ſobolem, cujus pluri-
„ ma multitudine ſexûs utriuſque à quibuſdam
„ Antichriſtus gloriabatur, genuit hunc Petrum,
„ de quo ſermo nunc eſt; qui litteris traditus,
„ à quibuſdam Antichriſti præambulus appellaba-
„ tur. (Hoc convicium ex conſequentibus ſeu
„ ex eventu ei impoſitum exiſtimem.) Iſte ſtudii
„ gratiâ Gallias atque Pariſios adiit, & cum re-
„ patriaret, apud Cluniacum, ditiſſimum atque
„ ſanctiſſimum cœnobium, monachilem habitum
„ induit. Aliquantiſper ibi regularibus inſtitutio-
„ nibus imbutus, à Papa Paſchali II patris ad-
„ monitione retrahitur ad curiam, & Cardinalis
„ effectus tempore Calliſti Papæ, cum eodem
„ Gregorio, qui poſtea Innocentius II, miſſus
C „ ad Gallias, Carnoti Belvacique concilia cele-
„ bravit „. Nulla hîc mentio de titulo diaconi Cardinalis, quem titulum Petro Leonis à Paſchale conceſſum fuiſſe Onuphrius tradit. Qua in re potior eſt auctoritas Chronographi Mauriniacenſis, ejus temporis æqualis.

167 Gregorius diaconus Cardinalis tit. ſancti Angeli ab Urbano II creatus dicitur, ac deinde Legatus à Calliſto II in Galliam miſſus cum Petro Leonis anno MCXXIV. Sagiam Neuſtriæ civitatem cum eo acceſſit, teſte Orderico in libro XII p. 877. De hac legatione ita ſcribit Vincentius in libro ſecundo de Vita Stephani Grandimontenſis cap. XLIX: " Excellentiſſimi quoque Cardinales,
„ Gregorius & Petrus Leonis, inter quos poſt-
„ modùm de papatu ſchiſma fuit, cùm in Gal-
„ liam miſſi, in partibus Lemovicis legatione
„ ſua fungerentur, ad hunc virum Dei (Stepha-
„ num) pariter convenerunt „. Et quidem conſtitutioni Sugerii abbatis anno MCXXV ſubſcripſerunt ambo ut Legati, apud Cheſnium tomo 4 pag. 547: " Ego Petrus Sedis Apoſtolicæ presby-
„ ter Cardinalis & Legatus laudo & confirmo. Ego
„ Gregorius ſancti Angeli diaconus Cardinalis,
„ & Apoſtolicæ Sedis Legatus „, &c. Eodem tem- *in bonum totius Eccleſiæ Catholicæ,*

pore Bernardus quaſdam epiſtolas ſcripſit Petro diacono Cardinali Legato, nimirum epiſtolas XVII & ſequentes, quem ipſum eſſe Petrum Leonis aliquando cum Manrico opinatus ſum. At cùm Petrum illum, cui Bernardus ſcribit, diaconum, non presbyterum Cardinalem fuiſſe conſtet; epiſtolæ illæ Petro Leonis convenire non poſſunt. AUCTORE J. P.

168 Interea moritur Honorius Pontifex medio Februario anni MCXXX. Præcedentem aſſignat Chronographus Mauriniacenſis, de more Gallicano, quo novi anni initium à Paſchate deducebatur. Tum " Cardinales (ait idem Chronogra-
„ phus) qui cum Cancellario (Haimerico) ini-
„ bi aderant, & Honorio infirmanti aſſederant,
„ Gregorium quemdam (eum ſcilicet, quem
„ modo laudabamus) ſcientia ac religione præ-
„ clarum, ſibi præficiunt, & nimis feſtinanter,
„ ut à quibuſdam dicitur, pontificalibus induunt
„ inſignibus. Id illius gratiâ diſpenſationis factum
„ dicunt, ut Petrum quemdam, qui ſæculariter
„ ad papatum videbatur adſpirare, ſpe ſua fru-
„ ſtrarentur. Fuit hic Petrus, Petri filius, filii
„ Leonis „ & cætera, quæ ſuperiùs de eo retu-
limus. Factum clarius exprimit Sugerius in libro de vita Ludovici Groſſi, *apud Cheſnium inter Hiſtoriæ Francorum ſcriptores tomo 4 pag. 317*, ubi ait: " Romanæ Eccleſiæ majores & ſapien-
„ tiores (exſtincto Honorio) ad removendum
„ Eccleſiæ tumultum (conſenſiſſe) apud ſanctum
„ Marcum & non alibi, & non niſi communiter
„ Romano more celebrem fieri electionem. (At)
„ qui aſſiduitate & familiaritate propinquiores A-
„ poſtolici fuerant, timore tumultuantium Ro-
„ manorum illuc convenire non audentes, ante-
„ quam publicaretur domini Papæ deceſſus, per-
„ ſonam venerabilem, Cardinalem de ſancto An-
„ gelo diaconum Gregorium, ſummum elegiſſe
„ Pontificem. Qui autem Petri Leonis parti fa-
„ vebant, apud ſanctum Marcum pro pacto a-
„ lios invitantes conveniſſe, dominique Papæ
„ morte comperta, ipſum eumdem Petrum Leo-
„ nis, Cardinalem presbyterum, multorum &
„ epiſcoporum, & Cardinalium, & clericorum,
„ & Romanorum conſenſu votivè elegiſſe „ (ſicque ſchiſma pernicioſum conflatum fuiſſe. *comprimendo*

169 Prior itaque erat Innocentii electio, ſed præpropera, nec ab univerſo eligentium cœtu facta.) " Cum autem Petri Leonis pars tum paren-
„ tum ſuffragio (addit Sugerius) tum Romanæ
„ nobilitatis præſidio prævaleret (Innocentius
„ Urbem deſerit, & ad partes Galliarum navi-
„ gio deſcendit) nuntiſque ad regem Ludovi-
„ cum deſtinatis (ejus opem efflagitat. Quam ob
„ rem Ludovicus Stampas indicit) concilium
„ archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum &
„ religioſorum virorum; & eorum conſilio ma-
„ gis de perſona, quàm de electione inveſtigans „
Innocentio dat manus, auctore Bernardo, in cujus ſuffragium totius concilii vota convenerant, teſte Ernaldo in libro ſecundo de ejus vita cap. 1. Sub hæc Sugerius, uti ipſe perſequitur, mandato regis obviam Innocentio miſſus Cluniacum uſque, cujus loci abbas Petrus Venerabilis & monachi Anacleto, monacho quondam ſuo, Innocentium prætulerant, ut poſtea notabimus ad epiſtolam CXXVI. Rex ipſe uſque ad Floriacenſe S. Benedicti monaſterium cum regina & filiis ſuis Papæ occurrit, & regium verticem " tamquam
„ ad ſepulcrum Petri inclinans, pedibus ejus pro-
„ cumbit. (Ejus exemplo rex Angliæ Henricus,
„ itidem Innocentio) Carnotum occurrens, devo-
„ tiſſimè pedibus ejus proſtratus (ſuam ſuorum- *famoſum ſchiſma Anacletianum;*

AUCTORE J. P.

que obedientiam ei promittit. Innocentius verò) „ viſitando Gallicanam eccleſiam, ad partes ſe „ transfert Lotharingorum : cui cùm imperator „ Lotharius civitate Leodii cum magno archie- „ piſcoporum & epiſcoporum, & Teutonici re- „ gni optimatum collegio celeberrimè occurriſſet, „ in platea ante epiſcopalem eccleſiam humiliter „ ſe ipſum ſtratorem offerens, pedes per medium „ ſanctæ proceſſionis ad eum feſtinat, a la manu „ virgam ad defendendum, aliâ frenum albi equi „ accipiens, tamquam dominum deducebat. De- „ ſcendente verò tota ſtatione, eum ſuppodian- „ do deportans, celſitudinem paternitatis ejus no- „ tis & ignotis clarificavit „. Hæc anno MCXXX geſta ; ubi Sugerius ſilet de Bernardo, quem aſſiduum Innocentii comitem itineris per Galliam fuiſſe ex Ernaldo diſcimus.

cujus hiſtoria,

170 *Deinde obſervat Mabillonius*, quid tunc temporis Leodii actum ſit, *citans* Annales Magdeburgenſes ſeu Saxonicos Mss. ad annum MCXXXI : *quo* " Dominica ante mediam Quadrageſi- „ mam, XI Kal. Aprilis, celeberrimus conven- „ tus XXXVI epiſcoporum & principum fit Leodii, B „ domno Apoſtolico Innocentio & rege Lothario „ ac regina præſentibus „ .. Hoc concilium præ- ceſſerat ſynodus Wirceburgenſis, uti habent iidem Annales, ab auctore æquali ſcripti, *videlicet* " concilium XVI epiſcoporum, menſe Octo- „ bri à rege *accitum*, cui affuit archiepiſcopus „ Ravennæ, Apoſtolicæ Sedis legatus : ubi Gre- „ gorius, qui & Innocentius .. à Lothario rege & „ omnibus ibi congregatis eligitur & confirma- „ tur „. Poſt conventum Leodienſem Innocentius, teſte Sugerio, remeat in Franciam, Paſchæ feſtum apud S. Dionyſium tranſigit, & " „ tranſactis tribus poſt Paſcha diebus (Pariſios „ accedit.) Exinde Galliarum eccleſias viſitan- „ do .. cum per terram aliquantiſper deambu- „ laſſet, Compendii demorari elegit „. Subinde concilio Remis habito, ut tradit Sugerius, & quidem " XIV Kal. Novembris „ teſtante Dodechino, ibidem Ludovicus Junior regia, inſignia ab Innocentio accepit VIII Kalendas eaſdem, prout notavit Robertus Sigeberti continuator. Annales Saxonici Mss. ad annum MCXXXI " Inno- „ centius Papa, iterum collectis eccleſiaſticis vi- „ ris (id eſt poſt ſynodum Leodienſem) & fi- C „ delium turbis, apud Remenſem urbem in fe- „ ſto ſancti Lucæ grandi ſynodo per aliquot dies „ præſidebat „. Addit Sugerius, Papam " ſoluto „ concilio „ Autiſiodori moras egiſſe, ac demum cum Lothario repetiiſſe Italiam. Autiſiodori moram Chronographus concilio Remenſi poſtponit.

ſecundis curis

171 Ernaldus in libro ſecundo de Vita Bernardi cap. I concilium Remenſe ante Leodienſe collocat, atque Innocentium Leodio Claramvallem, ac deinde, poſt brevem in Gallia moram, cum Lothario Romam contendiſſe ſcribit. At ſynodum Remenſem Leodienſi poſteriorem eſſe conſtat tum ex Sugerii narratione, tum ex Annalibus Saxonicis, ſed maximè ex Chronico Mauriniacenſi, in quo Innocentii iter accuratè deſcribitur ; *cujuſque mox textus à Mabillonio ſubjicitur, uti & alia, quæ ibidem, ne abeamus juſto longiùs, videri poſſunt.* Petrus interea temporis, ſeu Anacletus, nihil non molitur, ut quoſcumque inſigniores viros ad partes ſuas adjungat. Ex epiſcopis ei adhæſit Girardus Engoliſmenſis, qui cùm legati munus ſub Pontificibus proximis geſſiſſet, illud idem vel ab Anacleto impetrare in votis habuit. Idem Guillelmum Pictavorum Comitem ad Anacletum pertraxit. Præter ea, Rogerium Apuliæ Ducem ut ſibi conciliaret Anacletus, ſororem ſuam ei tradidit uxorem, eumque Siciliæ regem coronavit, teſte Orderico in libro XII .. Tot tantæque turbæ, quas fuſiùs fortaſſe quàm locus pateretur, hîc deſcripſimus, multum negotii Bernardo faceſſerunt, qui varias epiſtolas circumquaque ſcripſit ad conciliandos Innocentio ſchiſmaticos, & continendos in officio fideles : varia item itinera ejuſdem rei causâ ſuſcepit, ut ex ſequentibus epiſtolis, & ex Vitæ lib. II cap. VI & VII intelligitur. D

à Mabillonio elaborata eſt :

172 Supereſt hic agendum de Girardo Engoliſmenſi epiſcopo, cujus mores egregiè deſcripſit Arnulfus, tum Sagienſis archidiaconus, dein epiſcopus Lexovienſis, in tractatu adverſus eum edito, quem Acherius noſter in tomo ſecundo Spicilegii typis vulgavit. *Indigniſſima ejus facinora deinde pluribus à Mabillonio depinguntur ex eodem auctore.* Per funeſta *porrò illa* ac diuturna ſchiſmatis illius tempora quantos Bernardus labores ſuſtinuerit, quot itinera confecerit, ex ejus Vitâ & epiſtolis, ut jam diximus, intelligitur. Hujus rei causâ ter in Italiam profectus eſt, ejuſque tandem operâ ſchiſma compreſſum, mortuo Anacleto anno MCXXXVIII ; cui ſchiſmatici Victorem antipapam ſubſtituerunt " non tam perti- „ naciâ ſchiſmatis, quàm ut opportunius per ali- „ quam temporis moram Papæ Innocentio re- „ conciliarentur. (Et re quidem ipſa Victor) ad „ Virum ſanctum (id eſt Bernardum) nocte ſe „ contulit, & ille eum, nudatum quidem uſur- „ patis inſignibus, ad domini Innocentii pedes „ adduxit „ *ſicut teſtatur Ernaldus in Vita lib. 2 cap. 5, num. 137 apud nos. Atque hic funeſtiſſimi ac diuturni ſchiſmatis finis, quod curis ac laboribus indefeſſis ſancti noſtri heroïs* Bernardi *feliciſſimè ac honorificentiſſimè compreſſum fuit, res ab illo in hac cauſa geſtas pluribus memorante Ernaldo, quem modò indicabamus, à num. 129, cujuſque narrationi lucem afferent ea, quæ antea præmiſi è Præfatione Mabillonii. Verùm hiſce nonnulla ſingillatim attexere, præſenti noſtro inſtituto accommodatum cenſeo.* E

cui nonnulla à nobis hîc adduntur.

173 *Illud imprimis memorabile pariter ac Sancto admodùm glorioſum, quia* aperuit os ſuum, & Spiritus ſanctus implevit illud, *uti teſtatur Ernaldus cap. 1 num. 85, ab eodem utique Spiritu electus, ut concilii Stampenſis in graviſſimo hoc negotio unus* Bernardus *Patrum omnium in illo congregatorum os & lingua foret.* Unus *enim* omnium ore locutus, *ex eodem biographo*, ſuſcipiendum ab omnibus ſummum Pontificem Innocentium nominavit : & ratum eſſe omnes pariter acclamarunt, & decantatis ex more laudibus Deo, obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentii omnes pariter ſubſcripſerunt. *Alia verò, quæ Vir ſanctus in hac cauſa egit, cognoſcimus ex ejus epiſtolis. Etenim in ea, quæ eſt numero centeſima vigeſima quarta, hortatur Hildebertum Turonenſium archiepiſcopum, ut Innocentium agnoſcat legitimum Pontificem ; & inter alia plura in ipſius favorem ita recenſet juris illius prærogativas :* Funiculus triplex difficile rumpitur. Electio meliorum, approbatio plurium, & (quod his efficacius eſt) morum atteſtatio, Innocentium apud omnes commendant, ſummum confirmant Pontificem. *Et in epiſtola 125 ad Gaufridum de Loratorio, de quo conſule notam Mabillonii, operam ejus requirit in aſſerendo pontificatu Innocentii, quem* merito, *ait,* recipit Eccleſia ; cujus & opinio clarior, & electio

A ctio ſanior inventa eſt, nimirum eligentium & numero vincens & merito. *Denique in epiſtola* 127 *ad epiſcopos Aquitaniæ, cauſam eamdem egregiè tuetur adverſus Gerardum Engoliſmenſem, ſchiſmatici partes agentem, cujus mores depingit, & ſubterfugia eludit.*

Quo anno occiſus Thomas Prior Victorinus.

174 *Ceterùm quæ ad Guilielmum ejuſdem Aquitaniæ Comitem, ad Anacleti partes à Girardo Engoliſmenſi epiſcopo nefariè pertractum pertinent, Manricus quidem narrat ad annum* 1130 *cap.* 4; *ſed nos ea uti & alia differimus in aliud tempus, quo agemus de ejus per* S. Bernardum *converſione ad meliorem vitam. Idem auctor ibidem cap.* 5 *refert, quidnam Vir ſanctus egerit in cauſa venerabilis Thomæ ſancti Victoris Pariſiis Prioris, ſacrilegè trucidati; ſed Pagius in Critica Baroniana ad annum Chriſti* 1135 *num.* 5 *probat contra varios, quos ibidem allegat, eadem ejus pertinere ad annum* 1133, *quam temporis rationem ante ipſum etiam oſtenderat Mabillonius in notis fuſioribus ad epiſtolam* 158 S. Bernardi. *Citatus Annalium Ciſtercienſium conditor cap.* 6, *num.* 8, S. Bernardum *à Januenſibus poſtulatum fuiſſe præſulem ſcribit (Vide Ernaldum lib.* 2 *Vitæ cap.* 3) *ſed fruſtra; obſervans illi eveniſſe illud Guillelmi lib.* 1 *Vitæ cap.* 14: Cum dignus eſſet, ut cogeretur, neſcio quo judicio Dei, & ſingularis reverentiâ ſanctitatis jam olim apud omnes obtinuit, ne aliquando ad aliquid contra ſuam voluntatem cogatur.

B

§ XVII. Iter Leodienſe Innocentii PP. II cum S. Bernardo; qui jus Eccleſiæ defendit contra Lotharium regem; excurſio, ut fertur, in Arteſiam; Guerrici ac multorum aliorum converſio; Innocentius PP. viſit Claravallenſes; S. Bernardi in concilio Remenſi auctoritas; inſulæ Catalaunenſes ab eo recuſatæ.

C

Innocentio II in itinere Leodienſi opportunè adjunctus

Chronographus Ciſtercienſis, relatis ad annum Chriſti 1131 *cap.* 1, *Innocentii PP. II cum* S. Bernardo *ad Leodienſes itinere, & honorifica poſt eorum adventum ſuſceptione, quam Lotharius rex Vicario Chriſti exhibuit ſubmiſſâ admodùm erga eumdem reverentiâ, ſicut in anteceſſum* § 16 *jam diximus; his, inquam, relatis, idem Chronographus factum ibidem exponit à num.* 3, *è quo conficitur, laudatum Pontificem valde congruè & opportunè ſibi in iſta profectione comitem adjunxiſſe Virum noſtrum ſanctum. Nam Lotharius in demiſſa illa ſui abjectione in gratiam Innocentii,* in propriam, *ut loquitur Manricus,* utilitatem cuncta convertere, & vel ex ipſa pietate quæſtum, ex religione potentiam intentare, ne gratis Innocentio famularetur, inveſtituras uſurpatas olim Eccleſiæ, ſed à Calliſto ſecundo, ut ſuprà vidimus, vendicatas conſtanter, inter obſequia repetere auſus eſt, ratus Pontificem tunc adhuc Româ exulem, imò & profugum, eóque ejus ope indigentem adverſus æmulum, nihil ſibi petenti negaturum, cui vel tacenti ſolùm & acceptanti omnia indulgenda forent ab Anacleto. Hic major Innocentii conflictus fuit, ſi conceſſiſſet, Eccleſiam penè prodentis, quippe mentis tiaram de Petri juribus, imò de vero Chriſti patrimonio, eoque jam indigni pontificatu, ſed deſtituendi à Lothario ſi reſiliret, atque ipſa illius regis deſertione Eccleſiam diu diviſam quaſſatamque, ampliùs atque hoſtiliùs diviſuri. Tunc primùm ſenſit, Bernardum nequaquam caſu nec humano conſilio illuc veniſſe, neque rebus pacatis adductum, ut frueretur; ſed motibus ſedandis, qui jam emergerent, ni reprimantur, violentiùs graſſaturis. AUCTORE J. P.

176 Cæterùm qualiter hæc omnia geſta ſint, qualiterque imminentem tempeſtatem Bernardi Patris conſtantia compeſcuerit, quo major dictis fides & pondus inſit, Bernardi alterius, *quem nos cum Mabillonio* Ernaldum *rectiùs vocamus*, Bonæ-vallis abbatis verbis præſtabit. *In Vita ergo lib.* 2 *cap.* 1, *num.* 87 *editionis noſtræ ita loquitur:* Soluto concilio, *Remenſi*, Leodium dominus Papa Romanorum regi occurrit. (*Sed Innocentii iter Leodium ante concilium Remenſe accidiſſe, demonſtratum eſt è Præfatione Mabilloniana, proximè ſuperiore paragrapho à nobis producta.*) Et honorificè quidem ſuſceptus eſt, ſed velociter obnubilata eſt illa ſerenitas. Siquidem importunè idem rex inſtitit, tempus habere ſe reputans opportunum, epiſcoporum ſibi reſtitui inveſtituras, quas ab ejus prædeceſſore imperatore Henrico per maximos quidem labores & multa pericula Romana Eccleſia vindicarat. Ad quod verbum expavêre & expalluêre Romani, graviùs ſeſe apud Leodium arbitrati periculum offendiſſe, quàm declinaverint Romæ. Nec conſilium ſuppetebat: donec murum ſe oppoſuit Abbas ſanctus. Audacter enim reſiſtens regi verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compeſcuit. *Sic ibi biographus ille omni fide digniſſimus. Huc etiam reſpexit ipſemet ſanctus Pater in epiſtola ſua* 150, *quæ dirigitur ad Innocentium PP.; ubi illum laudans ex variis rectè factis, ejuſque zelum excitans adverſus ambitionem Philippi, qui modis illegitimis ſedem Turonenſem invadere tentabat, hæc ei in memoriam revocat:* Sed nec Leodii cervicibus imminens mucro barbaricus compulit acquieſcere importunis improbiſque poſtulationibus iracundi atque iraſcentis regis. E

S. Bernardus pro defenſione

juris eccleſiaſtici contra regem Lotharium.

177 *Hinc conficitur primò, præſens factum Lotharii regis non ſatis verè ac graphicè narrari ab Ottone Friſingenſi epiſcopo in Chronico, quod anno Chriſti* 1585 *Francofurti excuſum eſt, lib.* 7 *cap.* 18, *pag.* 149, *quando de illo ſic ibi ſcribitur:* Nil cunctatus, expoſito tamen priùs MODESTE, inquantum regnum amore eccleſiarum attenuatum, inveſtituram eorum quanto ſibi diſpendio remiſerit, auxilium Romanæ Eccleſiæ promittit. *Conficitur ſecundò, quàm longiſſimè aberraſſe à vero, &* redargui, *ut Baronius loquitur ad annum Chriſti* 1131, mendaciſſimum Petrum Diaconum Caſſinenſem, dum in gratiam ejuſdem Lotharii, cui poſtea (ut ſuo loco dicturi ſumus) inhæſit, adverſus tam apertiſſimam veritatem de inveſtituris, affirmat eas ab Innocentio Papa in eo conventu Leodienſi Lothario fuiſſe conceſſas, ſic dicens Chron. Caſſin. lib. 4 cap. 99 „ Innocentius igitur Germaniam ingreſſus, „ à Lothario rege juxta Leodium excipitur, virgam ei & anulum antiquo ex more confirmans „.

F

AUCTORE J. P. *Chronicon Caſinenſe inter Rerum Italicarum ſcriptores ab aliquot jam annis typis Mediolanenſibus editos, tom. 4 recuſum eſt ac notis illuſtratum; in quo in notis ad libri quarti caput 97, pag. 555 terminum mendacii, à Baronio adhibitum, mitigare quidem conatur notarum iſtarum ſcriptor; ſed ex eo apertiſſima Petri falſitas purgari non poteſt. Porrò* INVESTITURA *eſt* traditio, miſſio in poſſeſſionem, ex verbo VESTIRE, mittere in poſſeſſionem, ſuo loco, *inquit Cangius in Gloſſario ad ſcriptores mediæ & infimæ latinitatis tomo 3 col. 1520 noviſſimæ editionis; ubi deinde plurima ſubjungit eruditus auctor de variis modis ſeu formis vel ſymbolis, quibus traditiones iſtæ fiebant, atque exemplis confirmat, quæ legi apud ipſum poſſunt. Rebus autem tunc temporis in urbe Leodienſi peractis accenſenda eſt coronatio regis Lotharii*, Bernardo *præſente, per Innocentium PP. ibidem facta; ſicut Annales Ciſtercienſes ad annum 1131, cap. 1, num. 5 pluribus memorant, & ſic pergunt num. 6:*

B *Excurrit Atrebatum* 178 Dum Innocentius Leodii commoratur, Bernardus Pater Atrebatum, *Gallo-Belgicæ provinciæ urbem in Arteſia*, adiit, miraculoſum atque recèns è cælo delapſum cereum, *Deiparæ afferente, viſitaturus, prout ibidem aſſeritur è Ferreolo Locrio, qui in Chronico Belgico ad annum 1130 his verbis excurſionem illam deſcribit:* S. Bernardus, quùm aliorum, tum ſacri cerei, recèns è ſuperis per Virginem Deiparam allati, videndi & honorandi causâ venit Atrebatum. Quo quidem viſo & ſuis laudibus ornato, tantâ Mellifluus Doctor ſpiritûs dulcedine repletus eſt, ut ad perpetuam memoriam in vetere cœnobii Vedaſtini cœmiterio, & regione Curiæ Comitis * (ut vocant) crucem erigi curaverit. Quippe illic rectè locus, in quo ſtans Bernardus compos fuit votorum: juxtim nimirum ſacrum pignus reconditorium ſuum tum obtinebat, vico cui à Picis * nomen. Duravit id monumenti (crucem intelligo) in annum MCDXLVII; quo tempore, quia in ruinam deſinebat, Vedaſtinis aſcetis inſtaurare viſum eſt, & auguſtiore, hodie aliquid cernimus, donare formâ. *Ita Locrius* ex monum. D. Pronier, majoris in S. Vedaſti Prioris. *Vellem equidem, quæ de ſancti Abbatis noſtri ad prodigioſum illum cereum itinere narrata ſunt, ex aliis videre documentis ſtabilita.*

Gal. Cour du comte

Gal. ruë des Agaches

C

ut cereum prodigioſum Deiparæ veneretur: 179 *Cerei verò iſtius hiſtoriam prædictus Locrius præmiſerat ad annum 1105, hæc de illo ſcribens:* Atrebati in cathedrali templo cereus ille, per orbem Belgicum memoratiſſimus, duobus hiſtrionibus ſeu citharœdis (joculatores Iperius vocat) Iterio Paulinati, & Normanno Brabantino ab ipſa Deipara cælitus affertur, ardenti igni (de quo ad annum MXCII, & alibi diximus) extinguendo promptiſſimum & ſingulare remedium. Ex quo quidem cereo nihil hactenus imminuto (*Florebat Locrius ineunte ſeculo* XVII, *& anno Chriſti* 1614, XI *Kal. Septembris obiit, è Bibliotheca Belgica Valerii Andreæ:*) quin, licet ſæpe ardeat, mirificè aucto, multi alii cerei conflati fuerunt; velut Brugenſis, Falcobergenſis, Bononienſis, Nigellanus, Arkenſis, Blendecanus &c. *Agunt de prædicto cereo Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad diem* VI *Februarii, Meyerus in Annalibus rerum Flandricarum lib. 4 ad annum* 1095, *Malbrancus de Morinis lib. 9 cap.* 15. Porro cereus iſte Atrebatenſis, *uti addit Locrius*, nobiliſſima pyramide medium fori minoris occupante (erecta fuit anno MCCXV) recluſus, pompa admodùm ſolenni ad cathedralem eccleſiam annuè defertur, ac redditis ibi votis, cereiſque duobus pondo quadraginta librarum oblatis, in opidum refertur ad proprium ſacellum Dominica die infra Octavam ſolemnitatis Corporis Dominici. *At nos ab hac digreſſione denuo in viam redeamus.*

D

Guerricum & plures alios convertit ad inſtitutum Claravalleuſe: 180 Crediderim, *ait Manricus ad annum 1131, cap. 1, num. 8*, hoc eodem anno factum, ut Guerricus, magnum futurum incrementum totius Ordinis, qui dudum ex magiſtro ſcholæ Tornacenſis in canonicum majoris eccleſiæ, ſanctitatis & doctrinæ fragrantiâ promotus fuerat, relictis omnibus, Bernardum ſequeretur, per ipſum erudiendus in Claravalle. Quin & inſignem illam converſionem uſque ad triginta juvenum litteratorum, divitum, nobilium, inter quos etiam Gaufredus de Perona, & Robertus de Brugis, uterque magnus, quam Leodienſem capturam auctores appellant, ultra hunc annum nequaquam differendam, argumento eſt, quod Robertus de Brugis, ex eis unus, non multo pòſt Dunenſi cœnobio præfectus legitur, ſaltem nullâ interjectâ, quam ſciamus, aliâ Bernardi in Leodium profectione. Eam converſionem quia & numero copioſior, & qualitate clarior .. Godefridi Claræ-vallenſis verbis primùm, qui non multo pòſt Bernardo Patri adhæſit, atque ab ejus & converſorum ipſorum ore cuncta perdidicit .. declarabo: " Inter cæteros, *ait in* „ *Vita lib. 4, cap. 2, num. 204*, quos de vana converſatione hujus ſæculi per miniſterium „ ſervi ſui Chriſtus eripuit, de partibus Flandriæ „ multi aliquando nobiles, multi ſapientes & litterati viri ipſius magiſterio ſacram profeſſi ſunt „ ſervitutem. Quorum primus videbatur Gaufridus ille de Perona, qui poſtmodùm in Clara„ valle Prioris officio functus eſt, & defunctus „ in eo „ *anno circiter Chriſti 1146, ex Manrico ad iſtum annum cap. 11, num. 9. Idem auctor ad annum, de quo agimus, 1131, cap. 2 hiſtoriam converſionis iſtorum tamquam ſingularem ac variis etiam rerum adjunctis veſtitam reſumit & ſeorſim tractat. Verum quandoquidem adeo vaſta nobis ſupereſt in tot tantiſque* Bernardi *undequaque maximi rebus percenſendis materies; adeat lector Manricum mox citatum, Bernardi epiſtolam 109, Gaufrido & ſociis ejus inſcriptam, ac biographum Gaufridum lib. 4 Vitæ Sancti noſtri cap. 2.*

E

F

expenditur ratio temporis 181 *Rationem verò temporis declarare conatur idem Manricus ibidem num. 5, eorum converſionem innectens anno Chriſti 1131. Sed Mabillonius in notis brevibus ad iſtam epiſtolam*, De his, *inquit*, intelligendus eſt Hermannus monachus Tornacenſis in Spicilegii *Acheriani* tomo 12 pag. 479, ubi de S. Bernardo, quem " tam „ ex eccleſia ſanctæ Mariæ Tornacenſis, quàm „ ex ipſa diœceſi clerici (videlicet) multi famo„ ſi Domnum Bernardum abbatem Claræ-vallen„ ſem converſionis gratiâ ſecuti ſunt „. Hoc factum refert Hermannus pag. 476 poſt annum XXIV pontificatûs Simonis Noviomenſis, qui ſedere cœpit anno MCXXII. Non ergo hæc epiſtola, ut Manriquez cenſet, ad annum MCXXXI (*atque adeo nec Gaufridi & ſociorum converſio*) referri poteſt. *Deinde* Bernardus *dicit in iſta epiſtola*, Devotus ſuppono humeros, etſi jam feſſos, ſarcinæ huic. *Unde conficit Mabillonius*, Bernardum jam ſenectæ proximum tunc fuiſſe.

182 *Sed Manricus ad annum 1131, cap. 2, num. 5.*

A *circa converſionem Gaufridi de Perona, & aliorum.*

num. 5 citato objiciens ſibi eos, qui propter Bernardi *ſenectutem cenſent* Gaufridi converſionem poſt annos quindecim, aut plures contigiſſe, Sancto nimirum prædicante crucem Leodii ſub Conrado & Eugenio, hoc Pontifice, illo imperatore . . , *reſpondet*, hoc mihi, *inquiens*, probabile appareret, ſi non obſtaret ſimultanea cum Gaufridi converſione Roberti Bruxellenſis (*immo* Brugenſis) memorata converſio, quam non potuiſſe contingere illo anno, compertum eſt. Quippe Robertus ante annos octo, Chriſti nimirum MCXXXVIII Dunenſi monaſterio præfectus, in quo omnes conveniunt, atque eò directus à ſancto Patre . . nequaquam potuit non antea novitius eſſe, non profeſſionem emiſiſſe, ac monachum egiſſe per tempus aliquot. Quod de humeris feſſis objicitur, *ad probandam tunc Sancti ſenectutem*, non urget, præcipuè in homine, defectu virium fragili, gravitate morborum penè inutili, & de quo medici longè antè judicaſſent, vix poſſe conſervari ſine miraculo; *quique adeo, ſecundum Manricum, potuerit ita loqui, etiamſi nondum eſſet ſenex. Quod autem aſſerebat*

B *idem auctor, Robertum Brugenſem ſimul cum Gaufrido de Perona converſum fuiſſe, probarat cap. 2 num. 3 ex ſepulcris Claravallis, in quibus* ſcriptum, *ait*, legimus. " Quod cum illuſtri viro Gaufrido de Perona theſaurario eccleſiæ ſancti Quintini, in hac Clara valle habitum ſuſcepit ,,. *Non video equidem, nodum hunc chronologicum facilè extricari poſſe, ſi ſuperiùs à Manrico & à Mabillonio dicta converſio cadat in eaſdem perſonas, & in idem tempus; aliud eſt, ſi duplex fuerit, temporeque ac perſonis diverſæ. Certè in textu, quem citabat Mabillonius, nullius converſi nomen exprimitur: ſed tricarum plus quàm ſatis.*

Innocentius PP. viſit Claravallenſes; concilium Remenſe, cui intereſt S. Bernardus magna cum auctoritate:

C 183 *Hiſtoricus Ciſtercienſis ad annum* 1131 *cap. 3 agit de Innocentio PP., qui Leodio redux primò Cluniacum, mox Claramvallem viſitarit; de hoſpitio illic Pontifici exhibito (Rem deſcribit Ernaldus lib. 2 Vitæ* S. Bernardi *cap. 1) de monachis ibidem à cacodæmone turbatis, ſed à* Bernardo *pacatis, ex Ernaldo citato: item de concilio Remenſi, ac ratione temporis (Vide à nobis præmiſſa § 16.) Quod autem Vir ſanctus eidem concilio interfuerit, narrat Manricus cap. 4.* Interim, *ait ibi num. 3*, Innocentius perluſtrans Franciam, condictæ ſynodi diem præſtolabatur; comitante Bernardo, an ſine ipſo, minùs expreſſum. Certè quo tempore concilium agebatur, pondus cunctarum rerum penes ipſum fuit, *teſte Ernaldo lib. 2 Vitæ cap. 1, num. 87; qui iſta memoriæ prodidit de Innocentio:* Perluſtratâ igitur Franciâ, Remis convocavit concilium, in quo multis ad honorem Dei diſpoſitis, regem Ludovicum, vivente patre (*Ludovico Craſſo*) pro Philippo fratre coronavit in regem. In omnibus his dominus Papa Abbatem à ſe ſeparari non patiebatur, ſed cum Cardinalibus rebus publicis aſſidebat. Sed & privatim quotquot habebant negotia, Virum Dei ſecretiùs conſulebant. Ipſe verò audita referebat ad curiam, & oppreſſis patrocinia exhibebat. *Itaque ſanctus Doctor Remenſi concilio non ſolùm interfuit, ſed egregiis etiam auctoritatis ſplendoribus inter Patres ibidem congregatos fulſit. Sed an ibidem duos ſermones recitavit?*

184 *Uterque habetur apud Mabillonium inter opera ſuppoſititia* S. Bernardi *volumine 2, col. 735 & ſequentibus. Et primo quidem, qui inſcribitur* ad clerum in concilio Remenſi congregatum, *ſequens inuritur cenſura:* Non eſt Bernardi, cui ſuperbum & inſolens videretur, epiſcopos univerſoſque Prælatos FRATRES appellare, quanto minùs DIABOLOS, uti hîc fit num. 3. Cujuſcumque ſit, ex Bernardi centonibus totus conſtat, coram Papa, ejuſque juſſu habitus, ex num. 1. *Secundo autem* ad Paſtores in ſynodo congregatos *præmittuntur iſta:* Cujuſcumque ſit, nec inelegans eſt, nec lectu indignus. *Manricus cap. 4, num. 7 ita de iis ſtatuit:* Crediderim orationes Bernardi in eo concilio, cum aliis ejus opuſculis amiſſas, atque has, quæ circumferuntur ſub ejus nomine, ab inferioris eloquentiæ auctore conditas, habitaſque in concilio minùs gravi.

AUCTORE J. P. *duos ſermones, qui ſub ejus nomine circumferuntur, ibidem non recitavit;*

recuſat infulas Catalaunenſes; duo patrat miracula.

185 *Ad ſplendorem, qui hoc anno Abbati noſtro æſtimatiſſimo delatus eſt, addi poteſt primò electio ejus, ut cathedræ Catalaunenſi epiſcopus præeſſet, ex Chronico Alberici monachi Trium fontium, quod vulgavit Leibnitius Acceſſionum hiſtoricarum tomo 2, ubi pag. 269 res hæc ita refertur ad annum* 1131: Cùm beatus Bernardus in epiſcopum Catalaunenſem fuiſſet electus, recuſavit, & per ipſum Gaufridus abbas ſancti E Medardi Sueſſionenſis fit epiſcopus Catalaunenſis. *Addi poteſt ſecundo duplex miraculum, quorum altero mulierem diu claudam erexit & ſanavit; altero reddidit ſaluti puerum ſine intermiſſione plorantem. Primum perhibet Gaufridus monachus Claravallenſis in Vita lib. 4, cap. 4, num. 232; ſecundum verò Guillelmus abbas in Vita lib. 1, cap. 6, num. 59. Utrumque accidit in monaſterio Cariloci, vulgo Charlieu, in diœceſi Biſuntina, anno* 1131 *fundato; quod inter alias Manricus cap. 8 memorat* Bernardi *filias, de quibus ibidem meminit. De eo etiam Sammarthani in Gallia Chriſtiana tomo 4, pag. 225.* S. Bernardus *nominat illud in epiſtola 197 ad Petrum Biſuntinum decanum, & in epiſtola 198 ad Innocentium Papam.*

§ XVIII. Plurimi à ſancto Patre converſi; Januenſes pacati; ſcripta deinde ad illos epiſtola; gratus eorum animus erga F Sanctum; annus, quo Romam advenit; geſta pro re monaſtica, imperio ac ſacerdotio.

Inter alios plures converſos, mira eſt unius converſio:

ANno 1132 *inſigne ſancti Patris vaticinium legitur in Annalibus Ciſtercienſibus cap. 1, num. 7 his verbis:* Pater ſanctus . . tirones, quos adduxerat ex Belgio, pluresque ad eum confluentes ex toto orbe (nam uſque ad centum novitios exercuiſſe, idque non ſemel, antiquæ memoriæ produnt) verbis pariter & exemplis confirmabat. Ex quibus cum Godefridus de Perona " primo ,, tempore tirocinii ſui pro patre ſuo viro nobili ,, & potenti, quem in ſeculo reliquerat, filiali ,, pietate ſollicitus Patrem ſanctum pro ejus con- ,, verſione rogare Dominum affectuoſiùs exora- ,, bat; cui Vir Dei, Ne timeas, inquit, ego ,, illum probatum monachum manibus meis in ,, hac Clara-valle ſepeliam. Utrumque ſecutum eſt, *prout narrat Gaufridus lib. 4 Vitæ cap. 2,*

AUCTORE J. P. *cujus verba produxi, ubi etiam rei eventum refert. Quam impensè ac feliciter Vir magnus ſteterit pro pontificatu Innocentii II in Gallia ac Italia propugnando, patet ex præmiſſis § 16. Verùm dicamus hoc loco nonnulla magis ſingillatim de rebus præclarè ab ipſo geſtis in Italia, eum cum laudato Innocentio illuc proficiſcentem comitaturi.*

187 *Ernaldus in Vita lib. 2 cap. 2 de Innocentii è Gallia diſceſſu ita ſcribit:* Longas in-
Januenſes compeſcit: Gallia facere moras dominus Papa non potuit, ſed, ſicut cum Lothario rege condixerat, Romam ei occurrit. *Iter illud in Italiam accidit eodem anno 1132; quod pluribus deſcribitur apud Pagium in Critica Baroniana ad dictum annum num. 1, & ſequentibus; ubi etiam invenies, eos inter ſe egiſſe, antequam Romam perveniſſent, habito in Longobardia colloquio. Manricus cap. 1, num. 8 ejuſdem anni*, Salutato, *ait*, Lothario poſt colloquia, Innocentius Bernardum Januam mittit, ipſe Piſas progreditur, pacem ſi poſſet, inter utramque urbem reformaturus, quæ diu turbida, præter continuas
B cædes ſtrageſque, non parùm officiebat rebus Pontificis. *Negotium porrò graviſſimi momenti è voto utriuſque ſucceſſit: cujus eventum ita commemorat idem Annaliſta cap. 6, num. 1:* Longa diſſidia turbabant utramque gentem, Januenſes nimirum Piſanoſque, & dum vel levium ab utriſque offenſionum vindicta quæritur, majores obortæ, primò in querelas & jurgia, mox in odia, demum in publica bella tranſiere.. Et Januenſes proſperiori tunc fortuna ac majori potentia, eóque tardiores ad pacem ſperabantur. Cùm, ecce, miſſus Bernardus ab Innocentio feroces animos in momento compeſcuit, in inſtanti ſedavit, quæcumque jubeat promptè exequuturos. Nulla ibi cunctatio, nulla mora. Venit, vidit, vicit, & ſolo aſpectu debellavit quæcumque voluit. Delatum Innocentio Papæ eſt, atque Piſanis pactis interventuris. Quo minùs pax ibidem firmaretur, Januenſibus Bernardo obtemperantibus, & ſubmittentibus ſeipſos ejus arbitrio, alterius tantùm partis abſentia fuit. Hinc factum eſt, ut qui legatus pro negotio pacis venerat, vix de pace tractaret, impetrata penè antè, quàm propoſita. Sed breve tempus, quo illic moram
C fecit, prædicationi verbi potiùs dedit, eò ferventius animarum ſalutem euangelizans, quo avidiùs à cunctis audiebatur, quo fructuoſiùs.

188 Jam qua veneratione ſuſceptus ſit, quo
ſcriptâ deinde epiſtolâ memorem ſe eorum fore dicit: in honore, cultum præ ſe ferente, vel vivus habitus, non aliunde convenientiùs hauriamus, quàm ab ejuſdem Sancti, poſt annum licèt, ad eos ſcriptâ epiſtolâ gratulatoriâ quidem, & confirmatoriâ in incepto, ſed & hiſtoricâ; *quæ eſt inter Bernardinas ordine centeſima vigeſima nona. Inde autem excerpo ſequentia, quibus confirmentur & jam mox dicta, & inferiùs dicenda:* Quod adventus noſter ad vos anno præterito non fuerit otioſus, Eccleſia paulo pòſt in ſua neceſſitate probavit, à qua miſſi & fueramus. Honorificè nos & ſuſcepiſtis, & tenuiſtis exiguum quod apud vos fuimus.. Profectò ut non immemores, ſic non ingrati ſumus: vicem rependat, qui poteſt, & qui in cauſa fuit, Deus. Nos enim unde illum recompenſemus venerationis cultum, ſed obſequium, ſed affectum, plenum amoris & gratiæ! Non quod noſtro delectemur favore; ſed veſtræ devotioni collætamur. O mihi dies illos feſtivos, ſed paucos! In æternum non obliviſcar tui, plebs devota, honorabilis gens, civitas illuſtris. Veſpere, & manè, & meridie, D more utique Prophetæ, narrabam & annuntiabam, & erat tanta audiendi aviditas, quanta audientium caritas. Portabamus verbum pacis: cumque inveniſſemus filios pacis, requievit ſuper eos pax noſtra.. Mira celeritas, quia magna neceſſitas. Nec tarditatem paſſus ſum, nec difficultatem, una pænè die & ferens & metens, & reportans cum exultatione manipulos pacis. Hæc quippe meſſis, quam meſſui. Exulibus, captivis, compeditis & incarceratis evadendi atque repatriandi lætam reportavimus ſpem, metum hoſtibus, confuſionem ſchiſmaticis, gloriam Eccleſiæ, orbi lætitiam *&c.*

189 Id *verò* IN ÆTERNUM NON OBLIVISCAR *quàm verò* TUI, experti *revera* ſunt Genuenſes anno MDCXXV *fructuosè id* Bernardo in auxilium vocato in bello contra Ca- *poſtea ſint* rolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem, *ex notis* *experti,* *brevioribus apud Mabillonium col. 139. Factum pluribus exponit Manricus cap. 6 ſuprà deſignato, num. 6:* Januenſes, *inquit*, ea verba Patris ſancti, IN ÆTERNUM NON OBLIVISCAR TUI, PLEBS FIDELIS, adeo ſibi firmaſſe conſueverunt, imò & experti ſunt, ut etiam poſt quingentos fere annos, Chriſti nimirum milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, vix ſeptem elapſis ab eo E quo hæc ſcribimus, cùm excellentiſſimum principem Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem, ditionis ſuæ oppida vaſtare, & ſibi imminere vix quinto ab urbe lapide conſpicerent, omni humano auxilio deſperato fidem ſanctiſſimi Patris interpellaverint, concepto voto poſt alia in hunc tenorem: "Poſt hæc inter Divos Reipublicæ no-
„ ſtræ tutelares, divum Bernardum, qui dum
„ in humanis agebat, noſtri in æternum non
„ [obliturum ſe]*, ſuis litteris ſpopondit, ad- *in textu impreſſo barbarè non oblivi- ſcendum*
„ ſcribere & connumerare promittimus, & vo-
„ vemus diem ejus feſtum celebrare, & à popu-
„ lis noſtris & à clero, accedente illuſtriſſimi
„ archiepiſcopi, & reverendiſſimorum epiſco-
„ porum conſenſu, celebrari curare: in hac ec-
„ cleſia majori, vel in alia arbitrio noſtro, ca-
„ pellam eidem dicatam conſtruere: eadem die
„ divi Bernardi quotannis in perpetuum ſolen-
„ nem proceſſionem fieri, & Sacrum ſolenne ad
„ ejus altare, nobis piè aſſiſtentibus, celebrari
„ facere: & demum manu Ducis inter dicti Sa-
„ cri ſolennia ſingulis annis in perpetuum, & pro F
„ hoc anno duodecim puellis, ut vocant, dotes,
„ ſcilicet libras centum unicuique earum perſol-
„ vere. In cujus rei teſtimonium has ab infraſcri-
„ pto noſtro ſecretario publicè lectas recipi &
„ ſubſcribi, & ſigno noſtro muniri jubemus,
„ datas in eccleſia cathedrali, die Dominica vi-
„ geſimâ quintâ Aprilis anni milleſimi ſexcente-
„ ſimi vigeſimi quinti„.

190 Hæc Januenſes, inſtante ruina ſuæ Rei- *oſtenditur & facto quod hic narratur:* publicæ. At quam ex voto id votum eis ſucceſſerit, non multo pòſt eventus demonſtravit. Nam Pater ſanctus, dilato ſolùm auxilio, quoaduſque ipſius eſſe comprobaretur, in ipſa ſolennitatis ſuæ vigilia, Hiſpana claſſe auxiliari propitiùs adfuit, hoſtiles copias ocyus fugaturus. Nec quiſquam in populoſa urbe fuit, qui non Bernardi cognoſceret tutelam, præſentem Sanctum, cui beneficium acceptum reddendum foret. Hæc obiter epiſtolæ occaſione, ſuis temporibus latiùs commemoranda. Quin & addiderim hujus beneficii memoriam recentem adhuc, non tantùm Genuæ, ſed ubique etiam terrarum Januenſibus feſtivam atque devotam. Certè in Hiſpania in curia regis Catholici ob negotia frequen-

quentes anniversariam Sancti festivitatem devoti celebrant simul, & liberales in ipso cœnobii sui templo per annos singulos. Cujus nos etiam oculares testes fuimus, dum pro alma Salmanticensi academia ad potentissimum Hispaniarum regem Legatum ageremus anno præterito. Sed de his satis.

plurimis aliis curis distentus Religiosos promovet,

191 *Nos iterum in viam chronologicam, unde cum Manrico tantisper digressi sumus, reducamus gesta* S. Bernardi. *Ab eodem itaque historico ad annum* 1132, *cap.* 7, *num.* 10 *tractatur de Brunone ad cathedram Colonien sem designato, ac sanctum Patrem consulente, an acceptaret ejusdem regimen; & subditur* Bernardi *ad illum responsoria, quæ est ordine inter epistolas octava. Cap.* 8, *num.* 8 *datur Sancti epistola* 96, *quæ dirigitur* ad Richardum Fontanensem (*Diœcesis Eboracensis, vulgo York in Anglia*) abbatem, & socios ejus, qui de alio Ordine ad Cistercien sem transierant, *in qua ab eo laudantur ob renovationem religiosæ disciplinæ. In capite allegato num* 9 *sequitur epistola* 95 ad Turstinum archiepiscopum Eboracensem, *cujus caritatem & beneficentiam erga Religiosos laudat. Cap.* 9 *num.* 3 *occurrit Sancti responsoria epistola* 94, ad abbatem cujusdam monasterii Eboracensis, unde exierat Prior cum aliquantis Fratribus. *Ultimo denique loco ibidem num.* 4 *sequitur ejus* ad Henricum regem Anglorum *epistola, quâ monachis à se missis ad construendum monasterium, regis favorem postulat. Epistolas porrò sic inscriptas habet Mabillonii editio col.* 98 *& sequentibus. Quem verò in eisdem scopum sibi præfixerit Vir sanctus, tot quidem occupatus negotiis, sed indefessus pro bono Ecclesiæ; ut suprà vidimus, ac Religiosæ suæ familiæ propagatione patronus, uti dicebamus modò, intelliges ex notis brevioribus apud Mabillonium in epistolam* 94. *Nam occasione inscriptionis* ad abbatem cujusdam monasterii Eboracensis, *quam paullo antè retulimus, abbatem illum, uti & monasterium nominat, & alia:* Gaufridum scilicet, abbatem monasterii S. Mariæ in diœcesi Eboracensi Ordinis S. Benedicti, quo ex loco monachi duodecim cum Priore egressi, cùm ad Cistercienses convolare eis non liceret, confugium fecerunt ad Turstinum archiepiscopum Eboracensem, quem ob præsidium eis impensum laudat Bernardus epistola sequente. Confer notas uberiores, & epistolam 313 ad eumdem Gaufridum. *Et in epistolam* 95 *hæc observat:* Quid Turstinus præstiterit in defensionem prædictorum monachorum, qui studio majoris perfectionis ad eum confugerant, docet ipsius epistola ex Monastico Anglicano referenda post Bernardinas.

& causam Innocentii PP.

192 *Annus Christi* 1133, *in quem incidit Innocentii PP. II ac Lotharii regis adventus ad urbem Romanam, candido calculo notari dignissimus est propter varia facta, quæ sanctus Abbas noster per ejusdem decursum reliquit memoriæ posterorum consignanda. Ad hunc itaque annum cap.* 1, *num.* 2 *Manricus ita memorat:* Cùm ante Urbis ingressum starent omnes, nec Innocentio suppeterent subsidia, queis tantum posset *eamdem intrandi* negotium pertractari; ut nullis non periculis, nullis non necessitatibus unus Bernardus per omnia subveniret, talem ad regem Angliæ Henricum, quem ipse ad Innocentii partes traxerat, ab ipso Urbis ingressu scripsit epistolam, brevem quidem, sed vividam, sed acrem, atque eo efficaciorem, quo breviorem. *Habetur ea inter alias Sancti epistolas ordine centesima trigesima octava, quâ à dicto rege suppetias petit pro Innocentio Papa. Sic habet:* Velle vos instruere, de his præsertim, quæ spectant ad honestatem, aut insipientis est, aut vos penitus ignorantis. Ea propter rem simpliciter intimare sufficit, & hoc paucis. In ingressu Urbis sumus, salus est in januis, justitia nobiscum est: sed Romanis militibus cibus iste non sapit. Itaque justitiâ placamus Deum, militiâ terremus hostes: solis necessariis necessaria non habemus. Quid opus sit facto, ut opus vestrum compleatur, quod de domini Papæ Innocentii magnifica & honorifica illa susceptione fecistis, vos meliùs nostis, *agnoscendo scilicet Innocentium in conventu Carnotensi, ex notis fusioribus ad istam epistolam, & ex Vita, lib.* 2 *cap.* 1.

AUCTORE J. P.

Quo anno

193 Cardinalis Baronius, *uti observat Manricus num.* 4, anno sequenti supponere videtur, Bernardum Patrem non adiisse hoc anno Romam cum Innocentio, imò neque in Italiam transmeasse, in quam triplicem tantùm adventum ejus agnoscit; duplicem eo anno, nempe MCXXXIV; tertium post duos. Atque en ejus verba *ad annum* 1134, *num.* 14: Porrò ter contigit eumdem sanctum Bernardum venire in Italiam ad Innocentium Papam, primò hoc anno, cum Pisas ad concilium venit; secundò, paulò pòst eodem anno, ut testatur ejus Vitæ auctor his verbis: " Cùm secundò per Mediolanum eodem „ anno Pater sanctus transiret „ &c. Tertius verò fuit adventus, quando Lotharius imperator se contulit in Italiam cum exercitu, & finis est impositus schismati obitu Petri Leonis. *Verba auctoris Vitæ, quæ designabat Baronius, exstant apud nos lib.* 2 *cap.* 3, *num.* 108. *Eminentissimus autem Annalium ecclesiasticorum conditor ita refutatur à Manrico num.* 5: Cæterùm quidquid sit de illis adventibus, de quibus nos, *ait*, agemus suis temporibus; hoc etiam anno venisse cum Innocentio, nuper adducta epistola testatur, locuples testis: In ingressu, *inquit*, Urbis sumus. Quin & legatio per ipsum ad Januenses, de qua superiùs, manifestat id ipsum, atque item altera ad Conradum Sueviæ Ducem, quam mox adducam. Adde, quod ex Exordio Cistercien si compertum est, per tres annos exulasse Sanctum à suis filiis, dum in Italia pro schismate sedando commoraretur, quos tamen nisi ab anno MCXXXII usque ad MCXXXV pensaverimus, vix aut ne vix (*quidem*) valeamus designare.

Romam ad. ierit.

194 Quippe à MCXXXV, quo constat eum in Galliis demoratum, usque ad MCXXXVII, quo iterum è Romana curia reversus legitur; non tres, sed duo tantùm designabimus. Exordii magni verba accipiat lector; *quæ apud Tissierium distinctione* 2, *cap.* XI *sic habent:* Venerabilis Pater Bernardus, cùm aliquando per annos tres moratus fuisset in urbe Romana, atque in partibus Italicis pro sedando schismate Petri Leonis &c. *Subdit Manricus:* Atque hæc una illi causa fuit, tam longo tempore filios deserendi. Ergo Bernardus assistens Innocentio hoc ipso anno, quod non potest in dubium revocari, ad Anacletum missus credendus est simul cum sancto archiepiscopo Norberto, ipsum, si possent, Ecclesiæ reddituri. *De tribus verò* S. Bernardi *profectionibus in Italiam distinguendis tractat etiam Pagius in Critica Baroniana ad annum* 1134 *num.* 10, *ubi Manricum laudat, quod* triplicem ejus profectionem Italicam rectè distinxerit, *& hanc ad objectionem ita respondet:* Nec refert, quod in *Lotharii* imperatoris epistola, anno præcedenti

AUCTORE J. P.

cedenti à nobis recitata, nomen Bernardi non memoretur; licèt aliqui episcopi & abbates in eadem nominentur; nam in curia imperatorum & regum, episcopi & abbates præsentes non subscribebant omnes diplomatis, ideoque nec omnes in iis nominabantur.

Si ad Anacletum missus sit,

195 *Quod conjectabat nuperrimè Manricus de Sancto ad Anacletum missò unà cum S. Norberto, nullum Viri sancti, si ambo missi fuerint, itineris eâ gratiâ susceptì fructum retulere: nam* inflexibilem, *ait num.* 6, invenere Sanctorum verba, neque ullis convenientiis emolliendum, nullis rationibus, *secundum id, quod Ernaldus lib.* 2 *cap.* 2 *Vitæ* S. Bernardi *scribit:* Vitavit etiam obstinatissimè Imperatoris colloquium, nec minis nec blandimentis flexus est, nec de statu suo consilium cujuslibet personæ admisit. *Ingressus verò Lotharii regis in Urbem, ejusque ibidem coronatio imperatoria, hîc pro insertis habeantur: de quibus tamen ista recito ex Chronico Ottonis Frisingensis lib.* 7, *cap.* 18: Rex autem plus mente quàm milite confidentiam gerens, ad Urbem usque progreditur; ibique qualibus potuit, cum paucis strenuè peractis, in ec-

B

clesia sancti Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, à summo Pontifice Innocentio coronatus, imperatoris & augusti adeptus est nomen. Nempe ecclesiam beati Petri, ubi mos coronari erat imperatoribus, Petrus (*Leonis*) eo tempore occupaverat. *Sed promovendo rerum suarum successui minùs confidens, atque adeo cunctando meliùs se eisdem prospecturum sperans, viribus utique inferior, sed locis tutior,* non ponens Deum adjutorem suum, sed confœderatorum stipatus malitiâ, in editioribus & tutioribus turribus manens, Lotharii ludificavit virtutem, & interdicens suis congressibus publicis, nec sibi securitatis suæ fecit periculum, nec causam conflictûs hostibus dedit: sed tamen liberum eorum discursum machinis superioribus & obstaculis variis impedivit, *teste Ernaldo superiùs allegato.*

nihil apud eum profecit:

196 *Sed Lothario Româ profecto erexit cornua; ut Innocentio etiam visum fuerit, magis è re sua fore, si & ipse deinde Pisas rediret. Audiatur Ernaldus ibidem sic loquens:* Relicto igitur Romæ Innocentio, aliàs imperator digre-

C

ditur. Petrus verò post ejus discessum crebros movens per Urbem excursus, fidelium cædibus inhiabat. Intelligens ergo Innocentius Romæ sibi infructuosam eo tempore moram, ne præsentiâ suâ illius bestiæ rabiem efferaret, rursus Pisas revertitur: ibique aggregatis totius Occidentis episcopis, aliisque religiosis viris, magnæ gloriæ synodus celebratur; *de qua nobis erit sermo ad annum* 1134, *quo habita est. Interea temporis nonnulla hisce superaddenda occurrunt; de quibus Annales Cistercienses cap.* 2:

mittitur in Germaniam, Pisanos absens in officio continet:

197 Innocentius, *inquiunt*, Pisis commoratus Bernardum Patrem ad Germaniam legat, Conrado duci post longum tandem schisma, de quo superiùs (quippe octo annorum) cum novo imperatore reconciliando, æquis utrimque pactis conditionibus, queis orbitas Lotharii locum dabat. Interim verò Rogerius Siciliæ quondam Dux, tunc pseudo-rex creatus ab Anacleto, comperta sancti Patris profectione, atque ex ea occasionem nactus, ut rebatur, Pisanorum constantiæ demolliendæ, legatis eos & litteris aggreditur, multa pollicitus, si Innocentium deserant, si ad Anacletum transeant; plura, si in fide persistant, comminatus: utraque acriter & impensè pro more principum. Nullis cessere pre-

cibus Pisani, nullis terroribus, docti perseverantiam à sancto Patre, atque Innocentio ex animo adhærentes. Quod Bernardo in itinere nuntiatum, æterna laude dignum censuit, tali ad eos epistolâ conscriptâ; *quæ legi potest, estque inter alias Bernardinas ordine centesima trigesima.* Has litteras *Baronius ad annum* 1133, *num.* 10, perpetuâ memoriâ dignas *vocat. Jam verò* quæ ab eodem Bernardo, *sicut scribit Manricus ad annum* 1133, *cap.* 2, *num.* 3, in eodem itinere gesta perhibentur, ex illius temporis auctoribus, paucis, pro more, quia hunc annum concernunt, prosequamur.

D

Adelaïdem Lotharingicam convertit:

198 Et primò quidem convertisse multos, ipsius militaturos auspiciis in Clara-valle, ex quibus vacuæ fundatorum sedes resarcirentur, testis est abbas sancti Theodorici, qui inter capturas (sic ipse eas appellat) à beato Viro factas, celebrem Moguntinam recenset lib. 1 cap. 13 *Vitæ*; *in nostra autem divisione lib.* 1 *cap.* 7, *num.* 68. Sed in hac Moguntina captura hominum, Mascelini præ aliis conversionem fecere celebrem, *uti pergit Manricus num.* 4, resistentia ejus, & Bernardi prophetia: quippe nolenti dixit convertendum, & reluctantem demum ad Deum traxit. *Allisis Gaufridum monachum Claravallensem lib.* 4 *Vitæ cap.* 2, *num.* 201, *ubi factum hoc pluribus narratur.* Crediderim, *inquit Manricus num.* 5, in hoc etiam itinere Ducissam Lotharingiæ ab eo conversam, insignem feminam, nec minùs in statu peccatricis singularem, quàm pœnitentis. *Rem gestam habes apud Guillelmum biographum lib.* 1 *cap.* 7. Cæterùm, *uti subdit Manricus num.* 8, quod ad Lotharingiæ Ducissam attinet, constat ex tempore, eamdem fuisse Alcidem *, imperatoris Lotharii sororem, Simonis conjugem, quæ illi Matthæum genuit, in Lotharingiæ ducatu successurum. Qualiter autem eadem Ducissa in sanctitate & justitia perseverans, Viro Dei in deliciis habita fuerit, quem & ergastulo corporis solutum, cælos conscendentem videre meruit, eoque magis in bono confirmari, filia Patrem, discipula magistrum per labores ad gloriam sequutura. *Adisis Annotata ad librum* 1 *Vitæ, qui est Guillelmi, cap.* 7, *lit.* l. *Manricus inter illa quæ fecit noster Sanctus in dicto itinere, num.* 9 *hæc narrat:*

E

* *immò* Atheleidem, *vel* Adelaidem

F

de Tongerloënsibus bene meretur,

199 Cùm idem Sanctus Romæ, ut dicebamus, Norbertum Patrem denuo conveniisset, novis eidem charitatis conjunctus vinculis, nova amoris indicia superaddidit. Hinc factum est, ut in eodem hoc itinere, cùm Cameracum parumper divertisset, recèns natos Valcellenses visitaturus, nobilissimam locupletemque abbatiam Tongerloënsem à Burchardo Cameracensium antistite impetrandam curaverit, & liberam tradendam Præmonstratensibus. Quod ad ipsius præcipuè instantiam factum, testis idoneus (instrumentum donationis) confirmat, quem Aubertus Miræus producit. *Habetur illud instrumentum in ejusdem Chronico Cistercienſi, quod Coloniæ Agrippinæ vulgatum est anno* 1614, *pag.* 90 *& sequentibus. En tibi hoc fragmentum, quod inde huc transcripsisse sufficiat in rem nostram:* Ego itaque Burchardus, Cameracensium episcopus, petitionem religiosorum virorum, Waltmanni videlicet Antverpiensium abbatis, & Bernardi Claravallensis, approbandam æstimavi, supplicantium, ut ecclesiam de Tongerlo libertate donarem, quatenus in ea fratres Præmonstratensis Ordinis, sub regula B. Augustini degentes, liberè

A berè & quietè Deo famulari valeant. Quam petitionem bonam judicans, ideoque benignè exaudiens, prædictam ecclesiam B. Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, ab omni exactione debitisque obsoniis ad sustentandos canonicos, in ea Deo sanctæque ejus Genitrici servientes, liberam facio. Deinde . . libens constituo, ut in statuendo abbate sanior pars Conventûs liberam potestatem obtineat; electus verò Cameracensi episcopo præsentetur *&c. Inter plures autem, qui sigillum suum subscribunt, habetur* ✠ S., *id est, sigillum*, Bernardi Claravallensis. Acta sunt hæc Cameraci anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIII, regnante Conrado semper augusto. *Sed Burchardus anno* 1131 *obiisse legitur in nova Galliæ Christianæ editione tom.* 3, *col.* 27.

inter Lotharium ac Conradum pacem conciliat.

200 *De utilitate verò, quam sanctus Abbas per suam legationem, de qua nuper institutus fuit sermo, attulit communi bono Ecclesiæ ac principum secularium, ita loquitur Manricus num.* 10: Jam quod ad legationis fructum attinet; impetrasse Bernardum, compertum est, &, Lothario ac Conrado reconciliatis, pacem imperio firmasse per longum tempus. De his in Historia Polonica, ex collectione Joannis Pistorii Nidani, *anno* 1582 *typis Basileensibus excusa; in qua tomo* 2, *lib.* 5, *pag.* 485 *dicuntur ista ad annum* 1126: In Germania & Italia Conradus Suevus cum fratre Friderico contra Lotharium cæsarem arma sumpserat, donec victi ab eo, Bernardi Clarævallensis abbatis, doctrinâ, pietate, & sanctimoniâ vitæ clari operâ ipsi reconciliati sunt. *Atque adeo* sic factum est, *quemadmodùm subdit Manricus*, ut in causa planè consimili, nil minus regnum Bernardo Patri deberet quàm sacerdotium, & ut, qui Ecclesiæ Pontificem firmaverat, orbi non minùs firmaret imperatorem. *Verùm illud, quod asserebat modò historicus laudatus Cistercienses*, Bernardum. . pacem imperio firmasse per longum tempus, *non satis combino cum iis, quæ habet Pagius in Critica Baroniana ad annum* 1135, *num.* 12. *Etenim ibidem agens de principibus Imperii cum Lothario imperatore pacem jurantibus, inter alia, quæ recitat ex Chronographo Hildensheimensi ad dictum annum* 1135, *transcribit sequentia:* In festo sancti Michaëlis, in loco, qui
C dicitur Mulenhusen, Conradus frater Friderici Ducis imperatori reconciliatur. *Et mox hæc observat:* Jam anno MCXXXIII (*annum* 1134 *signat Trithemius in Chronico Hirsaugiensi*) Conradus cum eo in gratiam redierat; sed aliquod postea dissidium inter utrumque exortum esse oportet. *Nisi fortè sint intelligenda de actu minùs solenni concordiæ, quæ inita ab ipsis prius fuerat; illa verò, quæ in Mulenhusen accidisse dicebantur, de reconciliatione, quæ in publico principum conventu firmata fuerit juramento post primam, fortè etiam juratam, sed ritu minùs solenni.*

§ XIX. Acta in concilio Pisano, ac Mediolani.

Concilium Pisanum;

ANnus Christi 1134, *quem cum historico Cistercienſi hîc aggredimur, magni Patris* Bernardi *famâ cum summa venerandi nominis ejus commendatione egregiè inclaruit tam è rebus ac miraculis apud Mediolanenses atque alibi in Italia peractis, quàm è concilio Pisano, quod ibidem hoc anno celebratum est. Quæ omnia nobis præbent nobile de laudibus sanctissimi Viri ar-*

gumentum. Condixerat, *inquit Manricus cap.* 1, AUCTORE
num. 1, Innocentius concilium Pisis hoc anno J. P.
Christi MCXXXIV celebrandum, cui etiam adfuturus erat, magna tunc pars Ecclesiæ, Bernardus Pater, ex ejusdem Pontificis præcepto. Cùm, ecce, properantem illuc adire interceperunt legati ex Mediolano, secum, si possent, Sanctum reducturi, per quem Pontifici reconciliarentur, per quem Lothario; hoc ultimo per electionem succedente in Henrici imperatoris defuncti locum. Conradum nihilominus Sueviæ Ducem, ejusdem Henrici fororium, jure sanguinis regnum adfectasse, superiùs dictum. (*Consule annum* 1125, *cap.* 1, *num.* 6.) Quin à Mediolanensibus susceptum, Modici, *seu Modiciæ, vel Moduetiæ*, sede regni Italiæ (*ubi imperatores solebant coronam ferream accipere, sicut notat Baudrandus*) ab Anselmo archiepiscopo inunctum, ac regem Romanorum acclamatum, ex ejusdem Conradi fratre Ottone Frisingensi etiam tradidimus, *ut videre licet loco mox assignato.* Ergo in hac fide constantes, seu pertinaces, dum Conrado adhærent, Lotharium respuunt, propter Conradum Innocentium etiam aversabantur. Quippe E
Innocentius hereditaria ab Honorio protectione, dein multis neque exiguis obstrictus meritis, partes Lotharii causamque promoverat.

post cujus finem

202 Cæterùm jam Lothario coronato, & Conrado per Bernardum cum illo compósito, cùm nullo tenerentur juramento præstitæ fidei, & aliàs vellent Ecclesiæ reuniri, gratiam Pontificis imperatorisque, Anacleto abjurato, per eumdem Bernardum auspicabantur *. Hæc publica legationis occasio fuit: sed præter hanc spe- * *f.* aucu-
cialis alia pluribus, qui sanctitatis Bernardi & pabantur
discipulorum ejus famâ perculsi, conversique, & jam tunc seculi delicias spernentes, sancti Patris adventum si non prævenerant, saltem prævenirà Deo præstolabantur, ipsius se magisterio traditiri. Ex his, ni fallor, legati delecti sunt, quasi ex ipso conversionis suæ proposito sanctum Patrem efficaciùs persuasuri. Et divertisset statim ad eos Pater dulcissimus, nisi Pisani concilii tempus instaret, cui, salvâ Pontificis obedientiâ, abesse nequaquam posset. Respondit tamen, inducias breves petens, se ipsum post concilium exhibiturus. Et quoniam Mediolanensis Cleri præcipuè operâ eadem civitas, absterso primo errore, ad unitatem Ecclesiæ revocabatur, hanc E
primò ad Clerum epistolam scripsit. *Hæc è Manrico. Sed, sive eadem exarata sit* primò, *sive non; habetur tamen primo loco, & ante duas alias in earumdem collectione.*

Sanctus iter ad Mediolanenses differt;

203 *Epistolâ autem illâ, quæ in dicta collectione habetur ordine centesima trigesima secunda, sanctus Pater gratulatur clero Mediolanensi super jam dicto successu, differtque suum ad ipsos adventum, ita illam incipiens:* Benedicti vos à Domino, quorum studio & industria civitas vestra liberata est ab errore, &, relicto schismate, ad Catholicam rediit unitatem . . Et ego, fratres, particeps & socius gaudii vestri fieri cupiens, juxta petitionem vestram ad vos cum dilectis fratribus nostris, nuntiis vestris, veniebam, de quibus mihi scripsistis plenius secundum rationem in beneplacito Dei satisfacturus. Sed quia tempus breve est, quo ad concilium * festina- * Pisanum
mus, non gravet vos usque ad reditum nostrum sustinere. *Atque hæc quidem ad clerum: in epistola autem* 133 *ad cives Mediolanenses, à quibus invitatus fuerat ad componendam pacem, scribit, lætari se, quòd ad hoc negotium sua re-*

quira-

AUCTORE J. P.

quiratur opera, ac ſperare illos jubet ſuum reditum poſt concilium Piſanum. De Epiſtolâ 137 *ad imperatricem Romanorum* (Richeram, *uti additur in margine apud Mabillonium*) *poſt idem concilium de rebus Mediolanenſibus ſcriptâ, ſignificat Vir ſanctus, Mediolanenſes non antè receptos in gratiam à Pontifice, quàm ipſi Lotharium imperatorem reciperent. Hinc eos clementiæ imperatricis commendat. Sed de illa epiſtola dicam etiam infrà. Nomina autem legatorum, de quibus paulo antè, ipſe ſanctus Pater exprimit in epiſtola* 134 *his verbis:* Ego, fratres, tantâ lætitiâ provocatus, ſed & vocatus à vobis per cariſſimos fratres Ottonem & Ambroſium, quos ad hoc ipſum direxiſtis, decreveram ſimul cum ipſis venire ad vos *&c. Epiſtola porrò inſcribitur* Ad novitios apud Mediolanum converſos, *quibus gratulatur de converſione, ſeque, peracto concilio, illos viſurum ſpondet.*

quandonam Ciſtercienſes Mediolanum tranſmiſſi.

204 *Quòd dicta modò hujus epiſtolæ inſcriptio, ſeu titulus, in errorem induxerit Baronium ad annum* 1134, *videtur nobis probabilius: nam ubi hæc ſcribit num.* 8: Jam autem Mediolani plantata erat Religio Ciſtercienſis, & fœtu fœcundo propagata; *ſed perperam id dici, contra eumdem Baronium notat Manricus cap.* 1 *num.* 7. *At audiamus Mabillonium in nota breviore ad eamdem epiſtolam, in qua hæc ſcribit:* Ex hoc titulo Baronius infert, jam ante Bernardi adventum Mediolanum, id eſt, ante annum MCXXXIV Ciſtercienſium familiam eò fuiſſe tranſmiſſam, conditumque aliquod monaſterium, cui ſe novitii iſti mancipaſſent. At Ughellus in tomo 4 Italiæ ſacræ (*col.* 197) exiſtimat, primum Ciſtercienſium in illa urbe cœnobium eſſe Claramvallem, quam ſecundo ab urbe lapide non ante annum MCXXXV conditam probat: proindeque hac in epiſtola novitiorum nomine intelligendos eſſe eos, qui Bernardi operâ, ad concilium Piſanum pergentis, recèns converſi, ejus ſe magiſterio ex animo jam devoviſſent. Ughelli epocha de conditu monaſterii conſtat ex veteri inſcriptione, & ex primis loci inſtrumentis, in quibus conſtanter Cara-vallis, non Clara-vallis appellatur. Vide epiſtolam 281. *Sic Mabillonius. Porrò hæc epiſtola, ad quam mittit lectorem*, Abbati Brunoni de Cara-valle *in titulo prænotatur: ad quem iſta obſervat:* Priores editi CLARA-VALLE: at CARA-VALLE præferunt melioris notæ codices: quibus domeſtica Caræ-vallis inſtrumenta ſuffragantur. Eſt autem Cara-vallis inſignis abbatia Ciſtercienſium prope Mediolanum. *Nunc iterum ad* Bernardum. *Audiſti, lector benevole, quanam fecerit Abbas ſanctus antequam pervenerit ad concilium Piſanum; en tibi nunc exponimus, quanta cum veneratione ad illud ſit admiſſus, quanta cum auctoritate interfuerit ejuſdem actis, quanta cum utilitate eidem profuerit.*

B

C

S. Bernardus intereſt concilio Piſano cum inſigni auctoritate,

205 *Ernaldus lib.* 2 *Vitæ cap.* 2 *hæc in rem noſtram notata reliquit:* Innocentius.. rurſus Piſas revertitur: ibique aggregatis totius Occidentis epiſcopis, aliiſque religioſis viris, magnæ gloriæ ſynodus celebratur. Adfuit per omnia & conſiliis, & judiciis, & definitionibus omnibus ſanctus Abbas, impendebaturque ei reverentia ab omnibus, & excubabant ante ejus limina ſacerdotes, non quòd faſtus, ſed multitudo communem prohiberet acceſſum: &, aliis egredientibus, alii introibant, ita ut videretur Vir humilis, & nihil ſibi de his honoribus arrogans, non eſſe in parte ſollicitudinis; ſed in plenitudine poteſtatis. *Ita Ernaldus, fideliſſimus Vitæ ſcriptor, teſtiſque omni exceptione major. Itaque* hoc jam tertium concilium habitum eſt, *ſicut cap.* 2, *num.* 1 *obſervat Manricus ad hunc textum* (nec Trecenſe, *ait*, includo) in quo Bernardo per omnia deferretur: unum ad declarandum Innocentium ſummum Pontificem, duo ſub ipſo. *Laudatus biographus pergit deindè ad acta concilii, quæ ſummatim ita perſtringit:* Actiones concilii longum eſt proſequi: ſumma tamen in excommunicatione Petri (*Leonis*) & in irregreſſibili fautorum ejus dejectione conſtitit, & uſque hodie hæc ſententia perſeverat. *Plura de hoc concilio habet Pagius in Critica Baroniana ad annum* 1134, *ubi etiam tractat de ejuſdem epocha.*

D

& ſatagit, ne illud impediatur à rege Galliæ.

206 *Illud ex ipſo delibare convenit ad noſtrum propoſitum, quod ibidem refert num.* 3 *de Ludovico Franciæ rege, dum ſynodum illam cogitavit impedire.* Inter Innocentium II, & Ludovicum VI Francorum regem aliquod intercedebat diſſidium, indeque S. Bernardus epiſtolam 255 ad Ludovicum regem dedit, monuitque, ne concilium hoc tempore Eccleſiæ & regno tam neceſſarium, ipſiuſque regis honori ceſſurum, impediret. "At calor, inquiunt, nimius eſt. „Quaſi nos glacialia corpora habeamus„, inquit Bernardus.. "Tamen ſi quid ex Apoſtolicæ au„ctoritatis rigore proceſſit, unde ſe meritò eſſe „turbatam celſitudinis veſtræ ſerenitas arbitre„tur; qualiter hoc ipſum revocetur, aut tem„peretur, prout oportet ad honorem veſtrum, „fideles veſtri, qui aderunt, totis viribus eni„tentur. Inter quos nos quoque, ſi quid poſſu„mus„. *Ad illud, quod de caloribus dicebat Sanctus, obſervat Mabillonius in notis, ad illud concilium:* Rex præſules Gallicanos accedere prohibebat obtentu caloris immodici. *Rebus itaque concilii peractis, ſanctus Pater datam antè Mediolanenſibus fidem liberavit de ſua ad illos profectione. Expeditionem illam, adeo Viro ſummo illuſtrem, in varia membra dividere eſt animus.*

E

Finis, ob quem miſſus fuit

207 *Conſideremus itaque primò, quos ob ſines illuc à ſummo Pontifice miſſus fuerit. Pagius nuperrimè memoratus eoſdem ita exponit num.* 6: Landulphus Junior cap. 41 apud Puricellum in Monumentis baſilicæ Ambroſianæ num. 360 mentionem facit reconciliationis Mediolanenſium cum Innocentio II, aitque: "Innocen„tius Papa Piſis ſynodum celebravit, in qua „Robaldo epiſcopo (Albenſi) repræſentante, „Thealdus de Landriano archipresbyter eccle„ſiæ Mediolanenſis„ (videtur is ſucceſſor Stephani de Guandeca, qui anno ſuperiori Anſelmum archiepiſcopum Mediolanenſem valdè vexavit, ut ibidem diximus) "Amizo de la Sala ar„chidiaconus, Anſelmus de Rhode levita*, & „alii plures ejuſdem eccleſiæ ordinarii, & cum „primicerio Decumani ſacerdote contra ſolitum „decus Mediolani & ejus eccleſiæ, Innocentio „Papæ fidelitatem juraverunt„ (Mediolanenſes enim, qui hactenus antiquam libertatem retinuerant, juramentum fidelitatis à Gregorio VII decretum, quod hodie à præſulibus exigitur, decoro eccleſiæ ſuæ adverſari ſibi perſuadebant.)

F

**al. additur* ordinarius

Mediolanum,

208 „Cremonenſes verò propter hanc fidelita„tem nequaquam milites Mediolanenſes, quos „captos habebant, dimiſerunt. Sed Papa Inno„centius depoſitionem & expulſionem ſæpè dicti „Anſelmi de Puſterla (ab epiſcopatu Mediola„nenſi) firmavit. Attamen prænominati, qui fi„delitatem juraverant, timentes hos caſus urbis

&

A „ & eccleſiæ Mediolanenſis, differebant redire „ Mediolanum, niſi haberent protectorem, qui „ coram populo Mediolanenſi confirmaret An- „ ſelmi expulſionem, & ad nihilum reduceret „ Conradi coronationem (anno MCXXVIII factam) „ & populum tantæ urbis convocaret, & con- „ firmaret ad Lotharii imperatoris amorem, & „ ad ipſius Innocentii unitatem. Ad hæc pera- * *Puricel. & al.* adeo „ genda Papa à Deo * idoneum angelum ha- „ buit, ſicut Bernardus abbas Claravallenſis fuit„. *Hactenus citatus apud Puricellum Landulphus, cujus verbis nonnulla de ſuo interſerit Pagius, uti ex parentheſibus apparet. Ceterùm Landulphi Junioris ſive de ſancto Paulo Hiſtoria Mediolanenſis non ita pridem recuſa prodiit inter ſcriptores rerum Italicarum Mediolani editos tomo 5 iſtius collectionis, ac notis illuſtrata eſt. Textum verò ſuperiùs è Puricelli editione relatum cum recentiſſima contuli, uti videſis è variis lectionibus, ad marginem ex ea à me adjectis. In eadem etiam nova editione conſuli poſſunt notæ in caput* 41 *Landulphi, quæ habentur tomo prædicto à pag.* 513.

legati, 209 *Conſideremus ſecundò, quinam cum* Ber- B nardo *fuerint à ſede Apoſtolica Mediolanum legati, ut negotium tanti ponderis conficeretur. Illuſtris hujus legationis comites commemorat Ernaldus biographus lib.* 2 *cap.* 2, *num.* 91, *poſt ea, quæ præmiſerat de concilio Piſano, ita loquens:* Soluto concilio, ad reconciliandos Mediolanenſes dominus Papa Abbatem Claræ-vallis, quem multis ſupplicationibus expetierant, & Guidonem Piſanum, & Matthæum Albanenſem epiſcopum à latere ſuò direxit, qui ſchiſma per Anſelmum in eadem urbe factum abluerent, & ad unitatem Eccleſiæ devios revocarent. Abbas igitur cum prædictis viris, quos à domino Papa collegas acceperat, addidit conſortio & communi conſilio virum venerabilem Gaufredum Carnotenſem epiſcopum, cujus ſinceritatem & innocentiam in multis probaverat. Et viſum eſt Cardinalibus bonum, ut tanto adjutore negotium tanti ponderis fulciretur. *Hiſce addimus notitias ſequentes.* Gaufredus *ille, appellatus* de Lieves, *ab anno* 1116 *uſque ad* 1138 *Carnotenſis eccleſiæ regimini præfuit, ex Sammarthanis* C *in Gallia Chriſtiana tomo* 2, *ubi pluribus laudatur.* De Guidone Piſano *agitur apud Ciaconium in Vitis Pontificum Romanorum & Cardinalium tomo* 1, *col.* 987; *uti etiam col.* 960 *& ſequentibus de* Matthæo Albanenſi; *ubi magnificentiſſimis elogiis condecoratur. Landulphus Junior cap.* 42 *de* Bernardi *ad Mediolanenſes ingreſſu agens, hos tantùm comites ei adjungit:* Prænominatus Abbas iſte nil moratus, cum Carnotenſi epiſcopo, & Robaldo Albenſi Mediolanum intravit; *ex notis hîc,* eo videlicet, quem Anſelmo depoſito, Mediolanenſes delegerant vicarium archiepiſcopalem obeundis officiis. *Sed majoris nobis eſt pretii Ernaldus, quàm ut vel ad latum unguem ab eo hîc recedamus.*

ingreſſus, 210 *Conſideremus tertiò mirabilem Viri ſancti ad Mediolanenſes ingreſſum, prodigio ſimilem, &, ſi omnia ſimul colligas ejuſdem adjuncta, rariſſimo & fortè nullo hujuſmodi ſuſceptionis Sanctorum exemplo. Audi Ernaldum lib.* 2 *Vitæ cap.* 2, *num.* 91 *citato:* Tranſcenſo, *ait,* Apennino, ubi audierunt Mediolanenſes Abbatem deſideratum ſuis finibus propinquare, longè à civitate milliaribus ſeptem omnis ei populus obviat: nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quaſi de civitate migrarent, proprios lares deſerunt, & diſtinctis agminibus incredibili reverentia Virum Dei ſuſcipiunt. Omnes pariter delectantur aſpectu: felices ſe judicant qui frui poſſent auditu. Deoſculantur pedes ejus univerſi: & licèt hoc ille moleſtè acciperet; nulla potuit pronos & devotos ratione compeſcere, nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam pilos, quos poterant, de indumentis ejus, & ad morborum remedia de pannorum laciniis aliquid detrahebant, omnia ſancta, quæ ille tetigiſſet, judicantes, & ſe tactu eorum vel uſu ſanctificari. Præcedentes itaque & ſubſequentes lætabundis acclamationibus applaudebant Abbati, & diu intra agminum ſpiſſamenta detentum, tandem ſolenni reddidere hoſpitio, *ad eccleſiam ſancti Laurentii, ſecundum dicenda poſtmodum* § 20 *in initio. Quibus publicæ venerationis, lætitiæ, acclamationis ſignificationibus adeo effuſis quid in Sancti laudem illuſtriùs, quid ardentiſſimo Mediolanenſium erga ipſum affectui convenientiùs fieri potuit?*

confluxus & æſtimatio populi, 211 *Quid, quod præ multitudine populi ad ipſum circumfuſa non pateret ingreſſus? Auctor Exordii magni Ciſtercienſis diſtinctione ſecunda, cap.* 16, Cùm ergo, *ait,* ibi (*Mediolani videlicet*) ſederet in quadam ampliſſima domo, E tanta circa eum erat hominum multitudo, ut nullus ingredi poſſet. *Quin etiam ibidem tamquam angelus è cælo lapſus, &* homo proximus Deo *fuit habitus. Nam, uti mox ſubdit idem auctor,* Interea quidam de civibus ejuſdem urbis, veſtitu & vultu honorabilis, cùm Dei Hominem adire omnimodis cuperet, & nuſquam aditum reperiret, mediis ſe turbis ingeſſit, manibus ac pedibus reptans, & ſuper colla ſedentium gradiens, quouſque ad ipſum, quem deſiderabat, perveniret. Cumque apprehendiſſet pedes ejus, cœpit eos mira devotione amplecti & deoſculari. Quod videns ſupradictus Renaldus, qui propius aſſiſtebat, acceſſit, ut amoveret eum, ſciens utique quia Vir ſanctus hujuſmodi venerationibus & obſequiis nimis gravabatur. Ille verò converſus dixit ad eum: Dimitte me, obſecro, dimitte me videre & tangere Hominem proximum Deo, & verè apoſtolicum Virum. Dico enim tibi, & in fide Chriſtiana teſtificor, quia vidi illum inter Apoſtolos Chriſti. Quod audiens monachus ille, miratus eſt, & cupiens pleniùs noſſe, volebat ab eo inquirere modum viſionis hujus; ſed præ pudore propter adſtantes non præſumpſit. Verumtamen magnam exſtitiſſe revelationem ipſam certiſſimè credidit, pro qua vir ille tam vehementer affectus erat erga Famulum Dei. *De Renaldo, hujus rei teſte, dicam infrà num.* 215 F

negotii ſui ceſſus, 212 *Conſideremus quartò, quàm fortiter legationis ſuæ cauſam pertractarit, & quàm ſuaviter, ſine procerum reluctantia ac vulgi diſcordia negotium ſibi commiſſum ſit exſecutus. Etenim, teſte Ernaldo mox allegato,* Cum tractatum eſſet in publico de negotio, propter quod tam Vir Dei quàm Cardinales advenerant, oblita fortitudinis ſuæ civitas, omni ferocitate depoſita, ſe ita Abbati ſubſtravit, ut obedientiæ eorum non incongruè ille poſſet aptari poëtæ verſiculus:

Juſſa ſequi, tam velle mihi, quàm poſſe neceſſe eſt.

Verùm quæ generatim laudatus iſte biographus, magis ſingillatim ipſemet Sanctus exprimit in epiſtola ad imperatricem Romanorum, Lotharii uxorem, antea indicatâ in hoc paragrapho num.

AUCTORE J. P.

AUCTORE J. P.

203. *Aſſi hîc demus ipſa Sancti verba:* Non antè ſanè Mediolanenſes in gratiam domini Papæ, & Eccleſiæ unitatem recepti ſunt, quouſque palam, Conrado refutato & abnegato, dominum noſtrum Lotharium in ſuum regem & dominum receperunt, & Romanorum imperatorem Auguſtum unà cum toto orbe confeſſi ſunt: & de injuria tranſacta, juxta conſilium & mandatum domini Papæ, dignè vobis ſeſe ſatisfacturos eſſe, tacto ſacroſancto Euangelio, ſpoponderunt. *Epiſtolam hanc anno 1134 ab eo ſcriptam, quando ſecundò Mediolanum rediit, habet Pagius ad eumdem annum num. 9.*

reformatio morum ſummam Viro ſancto gloriam pepererunt.

213 *Conſideremus quintò, Virum ſanctiſſimum non pœnitendo ſucceſſu mores Mediolanenſium in meliorem transformaſſe normam. Id quod hiſce verbis teſtatur Landulphus cap. 42:* Interea princeps Conradus altiori conſilio potitus, *ex quo videlicet regnum abdicavit, & in gratiam cum Lothario rediit*, imperatoris Lotharii vexillifer eſt factus, & prænominatus Abbas iſte (*de S. Bernardo proximè egerat*) Mediolanum intravit, quam civitatem nimirum, prout voluit, formavit. Ad nutum quidem hujus Abbatis omnia

B ornamenta eccleſiaſtica, quæ auro, & argento, palliiſque in eccleſia ipſius civitatis videbantur, quaſi ab ipſo Abbate deſpecta in ſcrineis recluſa ſunt, & non ſolùm maſculi, ſed etiam mulieres tonſæ ſunt, & ciliciis & laneis viliſſimis induti ad quælibet religioſa convertuntur, aqua in vinum mutatur *&c. At de miraculis, ibidem à Viro ſancto factis, poſtea agetur. Præter hæc ornamenta, quibus condecorabatur Abbas noſter, dum apud Mediolanenſes legati munere fungeretur, in promptu ſunt alia, quæ dabimus paragrapho proximo.*

§ XX. Cathedræ Mediolanenſis regimen recuſat; notatio temporis; Ordo Ciſtercienſis ibidem propagatus; de Humiliatis quàm fuerit præclarè meritus; beneficia in Mediolanenſes collata.

C

Sanctus Mediolenſibus adeo eſt in amoribus, ut eum ſibi præſulem velint,

DE rebus à Sancto Mediolani præclariſſimè geſtis ita paullo antè à nobis dictum eſt, ut non pauca dicenda ſuperſint. Conſideremus itaque ſextò, tanta in veneratione & in amoribus adeo fuiſſe Legatum noſtrum Apoſtolicum apud populum Mediolanenſem, ut eum ſibi præſulem poſceret ardentiſſimis omnium votis. *Landulphus Junior cap. 42 hoc ita narrat:* Tandem idem populus, ut haberet Abbatem illum in archiepiſcopum, ad eccleſiam S. Laurentii, in qua erat hoſpitatus, cum hymnis & laudibus, & ſolito ſuo Kir. (*de quo in notis ad hoc caput*) cucurrit. Quod Abbas ille non tulit: ſed ait: Ego in craſtinum aſcendam palafredum* meum, &, ſi me extra vos portaverit, non ero vobis, quod petitis, ac ſic à Mediolano receſſit. *Puricellus in baſilicæ Ambroſianæ Monumentis num. 368 reſponſum* Bernardi *exponens*, Quo quidem, *ait*, reſponſo ſanctus Abbas, Papiam ipſe Ticinumque tendere tunc cupiens, nobis ad illud non obſcurè videtur alluſiſſe, quod S. Ambroſio contigerat, cùm regimen Mediolanenſis eccleſiæ ſi-

*i. e. equum gradarium, Gallicè palefroi

bi oblatum recuſans, ab ipſamet etiam urbe tandem aufugit " egreſſuſque noctis medio civita- „ tem (ſicut in ejus vita Paulinus narrat) cum „ Ticinum ſe pergere putaret; manè ad portam „ civitatis Mediolanenſis, quæ Romana dicitur, „ invenitur „. *Sed incerta hæc omnino eſt Puricelli conjectura de alluſione illa* S. Bernardi. *Divini itaque Hominis modeſtia honorificentiſſimam hanc dignitatem ſibi oblatam recuſavit conſueto in aliis hujuſmodi occaſionibus ſibi more. Factum verò illud confirmatur è biographo Ernaldo lib. 2 Vitæ cap. 33 unde iſta breviter ad rem præſentem delibo num. 110:* Intra Italiam civitas Januenſis, & Mediolanum, metropolis Ligurum, hunc optaverunt paſtorem & magiſtrum. *Sic ibi, inter inſulas alias à Viro modeſtiſſimo recuſatas, de Mediolanenſibus id factum aſſeritur.*

D

& tantùm non cogant vel invitum:

215 *Cur verò tacitus præteream teſtimonium auctoris Exordii magni Ciſtercienſis, qui diſtinctione ſecunda cap. 16 hæc ad poſteros tranſmiſit:* Domno Renaldo, cujus ſuprà mentionem fecimus, indicante cognovimus, quod famulus Dei Bernardus, cùm veniſſet aliquando Mediolanum pro reconciliando ſchiſmate Petri Leonis, cum tanta exultatione univerſorum ſuſceptus eſt *&c.* Ita denique ſibi in ipſo complacuerant, ut cùm eum antea non vidiſſent, ingreſſum in urbem mox in archiepiſcopum unanimi conſenſu raperent potiùs quàm eligerent. Quod cùm ille recuſaſſet, parati erant omnino vim facere, niſi fugâ latenter evaſiſſet. *Quiſnam autem Renaldus ſeu Rainaldus iſte? Idem is eſt*, ad quem tres extant epiſtolæ Bernardi, lacte & melle manantes, ultra conſuetum; *ut ſcribit Manricus ad annum 1121, cap. 5, num. 9, quæ inter alias ordine ſunt ſeptuageſima ſecunda, ſeptuageſima tertia, & ſeptuageſima quarta. Fuit item abbas Fuſniacenſis, vulgò Foigny, diœceſis Laudunenſis, & primus quidem, ut Mabillonius in notatione ad epiſtolam 72 affirmat; ſed negat Manricus proximè citatus. Fuit etiam fidus* S. Bernardi *ſocius Pariſiis*, qui, *ut ſuperius* § 10, *num. 103 relatum eſt ex auctore Exordii magni Ciſtercienſis*, ſecretorum Famuli Dei magis conſcius erat. *Hinc ſuperiori ex hoc viro relatæ narrationi fides conciliatur.*

E

F

quo anno id acciderit.

216 *Ex præmiſſis autem nuper de ſancti Patris ad urbem Mediolanenſem adventu poſt Piſanum concilium, abunde conſtat, oblatas ipſi ibidem loci inſulas fuiſſe anno Chriſti 1134; ut mirum ſit, in chronologico hujus facti calculo tam craſsè hallucinatum fuiſſe Sigonium, dum illud illigat anno 1123. Etenim tomo 2 Operum ejus noviſſimè editorum Mediolani, de regno Italiæ lib. 10, col. 650 ſic lego ad iſtum annum:* Honorico Mediolanenſi antiſtite III Kal. Junii mortuo, ea dignitas ad Bernardum Claræ-vallis abbatem ob miram ſanctitatis ejus opinionem delata eſt. Eo verò repudiante *&c. De Honorico nihil hîc pono; conſuli de eo poſſunt nota ad eumdem annum. Apud Panvinium in Chronico eccleſiaſtico eumdem lapſum temporis reperio ad ſæpè jam memoratum annum. Alios*, S. Bernardi *abbatis adventum in urbem Mediolanenſem perperam figentes, an annum Chriſti 1119 refutat Puricellus in Monumentis Ambroſianæ baſilicæ num. 331. Quia verò adeo ſunt miſerè hallucinati, ut hîc non mereantur refutationem, conſuli de iis poteſt idem auctor. Mediolanenſes itaque anno 1134 fruſtrati ardentiſſimo deſiderio, quo flagrabant, promovendi ad cathedram archiepiſco-*

A *chiepiſcopalem, atque hoc pacto apud ſe retinendi Virum ſanctum, volentes tamen poſſidere Patrem in filiis ſuis, ac in filiis Patrem, aſcetas Ordinis Ciſtercienſis petierunt.*

Familiam ſuam

217 *Conſideremus igitur ſeptimò, quàm bene* S. Bernardus *fuerit meritus de Mediolanenſibus ac de Ordine Ciſtercienſi, quando hunc apud illos propagavit.* Erat præ manibus, *prout narrat Manricus anno ſupra deſignato, cap.* 2, *num.* 9, ſeges copioſa, ut ante adventum Sancti jam converſis, ſed multo pluribus per ipſum vocatis, & reſpondentibus ſine ulla cunctatione. Extat reſcriptum ejuſdem ſancti Patris ad Petrum tunc epiſcopum Papienſem, quo gloriam plurimarum converſionum hoc tempore expertarum, ad ſe delatam, in ſolum Deum oſtendit referendam, *ſecundum ea, quæ affirmat in epiſtola iſta, ordine centeſima trigeſima quinta:* Si ſemen bonum, jactum in terram bonam, fructum attuliſſe videtur, ipſius eſt gloria, qui dedit ſemen ſerenti, fœcunditatem terræ, ſemini incrementum. Quid in his nos capimus? Ego ſanè gloriam Chriſti alteri non dabo; multo verò ſcrupuloſiùs uſurpabo mihi. Profectò lex Domini convertit animas, non ego. Teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtat parvulus, & non ego. Laudatur de bonâ litteræ tornaturâ manus, non calamus. Fateor, ut multum tribuam mihi, lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. *Hinc igitur intelligi perſpicuè poteſt ingens converſorum ad perfectiorem vitam multitudo.* Ergo utrorumque, *ſicut pergit Manricus num.* 10, devotioni ſatisfacturus, & pro acceptis redditurus filios pacis, ipſe aliàs pronus dilatandæ ſuæ familiæ, annuit piæ & devotæ petitioni, ac loco [non] longè ab urbe deſignato, nativis aquis irriguo amœnoque, fabricam ei conſenſit ſuperponi; monachis adſciſcendis ex Claravalle. Cui ædificio non parum contuliſſe Widonem capitaneum de porta Orientali, tradit Carolus Sigonius: *quem conſulere poteſt lector lib.* XI *de regno Italiæ, col.* 671 *noviſſimæ editionis Mediolanenſis. Pergamus cum Manrico:*

ibidem propagat:

218 Eumdem locum deſignatum cæleſti lumine, inter tenebras noctis illuſtrante terminos domûs, reperi in quodam Ms. Roberti Ruſcæ, nuper ex Urbe ad me, *ait*, tranſmiſſo beneficentiâ reverendi admodùm patris domini Hilarionis Reneati, abbatis ſanctæ Crucis in Hieruſalem, quem hoc noſtrum collegium Salmantinum olim alumnum, nos auditorem meruimus, & amicum. Cœnobio Claræ-vallis nomen inditum eſt in memoriam alterius Claræ-vallis, quaſi ipſa voce recreandis Mediolanenſibus, quamdiu non dabatur frui ſancto Abbate. *At videtur probabilius, in hac formatione ac alluſione nominis* Claræ-vallis *Manricum hallucinari, ex dictis ſuprà § 19, num.* 204, *occaſione epiſtolæ* 134.

B

C

recenſentur beneficia,

219 *Conſideremus octavò, quidnam ſanctus Pater egerit in favorem Ordinis fratrum, ut vocunt, Humiliatorum, dum Mediolani verſaretur. Pagius ad annum* 1134, *num.* 14 *collegit de hoc argumento ſequentia:* Quo tempore Bernardus Mediolani verſabatur, Tertio Ordini Humiliatorum regulam dedit. Hi quidem jam ab anno MCXIX juxta Triſtanum Chalcum, huic Ordini initia dederant; ſed ante divum Bernardum Religioſi non erant. Puricellus citatus num. 375 aſſerit, eos vocatos fuiſſe Fratres de Convenio, quod & Chalcus etiam in literas miſit, additque Puricellus: "Ejuſmodi Ordo Fratrum de Con„venio in hanc uſque diem appellatur; quive „in ſuo ipſius ſtemmate tutelarem geſtat hunc ſan„ctum Abbatem„. Subdit Puricellus in bibliotheca baſilicæ Mediolanenſis aſſervari codicem Ms. continentem Humiliatorum privilegia, cujus initio habetur "Sanctus Bernardus venit Me„diolanum, & ibi multis miraculis claruit, & „monaſterium conſtruxit (Caram-vallem nem„pe..) A quo (nempe Bernardo) quidam ma„gnates & nobiles cives Mediolani, divino ſpi„ritu inebriati, formam vivendi in habitu Re„ligioſo cum ſuis familiis habitando (hoc tunc „illorum inſtitutum fuit) ſumpſerunt. Fuit ergo „ſanctus Bernardus Ordinis hujus primus funda„tor. Unde Fratres Tertii Ordinis hujus vocan„tur hodie alicubi fratres ſancti Bernardi. Man„ſerunt autem ſic fratres Ordinis hujus per ſe in „habitu Religioſo per annos LIV, priuſquam „conceſſa eis eſſet regula ab Eccleſia Romana. „Anno autem MCXCIX, penultimo die Maii, da„ta fuit eis regula à Domino Papa Innocentio „III. Quare ſciendum, quod fratres Tertii Or„dinis hujus fuerunt fundatores primi & ſecundi „Ordinis Humiliatorum„.

AUCTORE J. P.

quæ Sanctus contulit Ordini Humiliatorum

E

220 Galvaneus Flamma cap. 255 magnæ ſuæ Chronicæ apud Puricellum laudatum num. 375 ſcribit "Nobilis vir Guido & capitaneus portæ „orientalis fuit ſpecialis adjutor beati Bernardi in „fundando monaſterio de Charavalle juxta Me„diolanum, de divitiis ejus anno Domini MC„XXXV.., & iſte Guido Tertium Ordinem fra„trum de Convenio ſancti Bernardi in porta o„rientali conſtruxit in die S. Vincentii; quem „Innocentius III confirmavit, & ab Innocentio „III dictus eſt Ordo Tertius. Iſti fratres de Con„venio fundaverunt Ordinem fratrum Humilia„torum, & ipſos viſitabant„. Quod idem Galvaneus, qui ſeculo XIV vixit, confirmat in libro, cui titulus Manipulus florum, cap. 171 apud Puricellum ibidem; *in noviſſima autem iſtius Manipuli editione Mediolanenſi, cap.* 169. Licet autem S. Bernardus & Guido fundatores ſint Humiliatorum, qui ante utrumque nec regulam nec habitum Religioſum habebant; hæc tamen ſocietas jam antè inceperat, uti Puricellus probat teſtimonio S. Antonini part. 2 Chronicorum, tit. 15, cap. 23; Raphaële Volaterrano lib. 21, Triſtano Chalco & aliis. Fallitur itaque Sigonius, qui hujus Ordinis initium cum anno MXLVI illigat, ut videre eſt in Hiſtoria ejus de regno Italiæ ad annum MXLVI. *Ex his itaque intelligimus, certam vivendi normam à* S. Bernardo *fuiſſe Mediolani præſcriptam dictis fratribus. Quod tametſi in rem noſtram ſufficiat, breviter tamen huic facto iſtas ſubjicimus notationes.*

F

apud Mediolanenſes degens.

221 *Galvaneus Flamma in Manipulo florum cap.* 169 *citato ſcribit illud contigiſſe anno* 1135, *cui Sancti reditum ad urbem Mediolanenſem innectit. Nam ſcribens ad annum* 1134, *mox ſubdit:* Sequenti anno B. Bernardus rediit Mediolanum.. Ordinem S. Bernardi ordinavit, qui modò dicuntur fratres de Conegio *&c. Puricellus verò allegatus pag.* 63 *etiam affirmat, hoc eſſe factum in reditu, de quo dicebam; ſed in anno differt, affirmans quidem, rem accidiſſe* per id tempus, quo S. Bernardus intra hunc annum (*ſed annum ſignat* 1134 *in indice chronologico, qui citato ejus operi præfigitur*) iteratò Mediolani fuit. *Verum de illo reditu nos poſtea agemus. Deinde auctor idem pag.* 632 *non admittit, Ordinem iſtum* Tertium *appellatum ex nomine Innocentii III*, aliter *enim, inquit*, & melius alii ſentiunt. *Hippolytus Helyot tom.* 6

AUCTORE J. P. *Hiſtoriæ Ordinum monaſticorum &c. cap.* 19 *tractat pluribus de Religioſis Ordinis Humiliatorum, eorumque ſuppreſſione: ubi licet videre varias auctorum de ejuſdem origine ſententias; etymon, ut fertur, nominis; tres diverſos Ordinis ſtatus; de quorum primo poſtquam egiſſet laudatus ſcriptor, ſecundum incepiſſe affirmat anno* 1134; *amplexum è* S. Bernardi *conſilio modum vivendi à priore diverſum &c. Dein tertium Ordinem ſubnectit ſub regula S. Benedicti &c., eumque ait ſubſtitiſſe, donec Humiliati fuerint exſtincti: id verò cur, quomodo, & à quo ſit factum, ibidem legi poteſt. Placet nunc alia à* S. Bernardo *collata in Mediolanenſes beneficia recenſere, quæ ipſemet Sanctus commemorat.*

§ XXI. Miraculis coruſcat Mediolani; Papiam & Cremonam ſe confert; à filiis ſuis abſens corpore, præſens ſpiritu; ipſius ad eoſdem litteræ, uti & ad Lotharium imp.; reditus ad ſuos; acta & tempus.

Mediolanenſibus præſtita memorat

222 *In epiſtola quippe* 131, *quæ innectitur apud Mabillonium anno Chriſti* 1135, *hac eidem præfixa ſynopſi*, Cùm Mediolanenſes Innocentio reconciliati, tamen titubare in officio & obedientia viderentur, eos ad retinendam conſtantiam incitat, recentia Romanæ Eccleſiæ erga illos beneficia memorans; *& quippe nî addumus nos etiam ſua? Sancto utique ſuam interponente auctoritatem impetrata vel ex parte vel ex toto, ut æquum videtur credere; in epiſtola, inquam illa ſic memorat:* Bene vobiſcum facit Deus: bene vobiſcum facit Romana Eccleſia. Facit ille, quod pater: facit illa, quod mater. Et revera quid vobis debuit facere, & non fecit? Si poſtulaſtis mitti vobis de curia honorabiles perſonas ad honorem Dei & veſtrum; factum eſt. Si poſtulaſtis confirmari, quod unanimitas veſtra de venerabilis patris veſtri electione firmaverat; factum eſt. Si voluiſtis licuiſſe vobis, quod illicitum, niſi pro magna quidem neceſſitate, ſacri canones judicant, tranſlationem epiſcopii ſcilicet in archiepiſcopatum conceſſum eſt. Si rogaſtis erui cives veſtros de vinculis Placentinorum, quod utique ego prætermittere nec volo, nec valeo; & hoc factum eſt. In quo poſtremo quæcumque rationabilis petitio filiæ, non dico repulſam, ſed vel moram paſſa eſt apud piam matrem? En ad complementum, pallium præſto eſt, plenitudo honoris.

B

C

ipſemet Sanctus in ſua ad illos epiſtola.

223 *Ut verò ea, quæ Mediolanenſes petierant, & obtinuerant, referente ſuperiùs* S. Bernardo, *meliùs intelligantur, obſervat Mabillonius in notis ad prædictam epiſtolam de miſſis ad eos venerabilibus perſonis:* Miſſi ſunt cum Bernardo Guido Piſanus, Matthæus Albanenſis, Gaufridus Carnotenſis epiſcopi, *teſte Ernaldo biographo cap.* 2, *num.* 91 *apud nos*, nempe ad reconciliandos Eccleſiæ Romanæ Mediolanenſes, qui ſchiſma conflaverant ob depoſitum Anſelmum archiepiſcopum ab ipſis electum. *Ad* 1134 venerabilis patris veſtri, *notat*, Ribaldi videlicet, qui ab eis electus eſt in locum Anſelmi rejecti. *Per* tranſlationem *verò* epiſcopii ſcilicet in archiepiſcopatum, *uti ſanctus Pater dicebat*, intellige, *ait*, reſtitutionem dignitatis archiepiſcopalis, quæ iſti eccleſiæ ob ſchiſma à Pontifice abrogata fuerat. Vide alias Notas. *Illud, quod Vir ſanctus* de vinculis Placentinorum *ſcribebat, ſic exponit:* Quippe utriſque bello in ſeſe contendentibus, multi ex Mediolanenſibus captivi abducti fuerant à Placentinis. *Ad hæc, de Ribaldo ſeu Robaldo & Anſelmo videri poteſt Pagius ad annum* 1134, *num.* 11. *&* 12. *Reliquum eſt, ut de prodigiis tum Mediolani, tum alibi in Italia à magno noſtro Thaumaturgo factis tractemus.*

D

Miraculorum, quæ Mediolani acciderunt,

Miracula, quibus mirabilis Deus in Sanctis ſuis hunc Famulum ſuum, in cujus integerrima vita, meritis, ac laboribus apoſtolicis ſibi bene complacebat, apud Mediolanenſes degentem illuſtravit, deſcribuntur ab Ernaldo lib. 2 *Vitæ cap.* 2; *è quo, auctore inſerta ſunt Annalibus Ciſtercienſibus ad annum Chriſti* 1134 *cap.* 1. *Sed quandoquidem illa prodigia pluribus narrantur in dicta Vita, quam inferiùs dabimus; ideo ea in compendio hîc exhibuiſſe ſit ſatis ad continuandam Actorum, quæ illuſtramus,* S. Bernardi *ſeriem. En tibi itaque laudati biographi verba:* Inaudita eſt noſtris temporibus tanta populi fides, tanta in homine virtus: inter quos religioſa erat contentio, cum ſignorum gloriam Abbas credulitati eorum; illi verò ſanctitati Abbatis adſcriberent, & hoc de eo indubitanter ſentirent, ut quidquid à Domino peteret, impetraret. *Nec verò illos fefellit ſententia. Nam uti illico ſubdit idem biographus,* Adducunt igitur ad eum nihil hæſitantes mulierem omnibus notam, quam annis ſeptem immundus vexaverat ſpiritus, & poſtulant ſupplices, ut in nomine Domini dæmoni imperet fugam, & mulieri reſtituat ſoſpitatem.. Et orationi incumbens, cælitus elapſa virtute ſatanam in ſpiritu fortitudinis increpat, & fugat, mulieremque reddit incolumem & quietam.. Auditum eſt hoc verbum, & percrebuit fama.. Per eccleſias, per prætoria, & per compita omnia conveniunt undique.. Dicunt publicè, nihil ei impoſſibile eſſe, quod à Domino poſtulet.. Irruunt alii in præſentiam ejus: alii, donec exeat, pro foribus præſtolantur. Ceſſatum eſt ab officiis & artibus.. Concurrunt, poſtulant benedici: & tetigiſſe eum ſingulis ſalutare videtur.

E

F

ſynopſis datur:

225 Tertia die, *ſicut pergit auctor*, ad eccleſiam ſancti Ambroſii divina celebraturus myſteria Servus Dei procedit: ubi exſpectante innumera populi multitudine, inter ipſa Miſſarum ſolemnia, dum clericis canentibus ipſe ſecus altare ſederet, puellam ei parvulam offerentes, quam vehementi impetu vexabat diabolus, orant, ut miſellæ ſubveniat.. Audita ſupplicatione aſtantium, & intuitus perſonam frementem dentibus.. compaſſus eſt ætati.. Patenam igitur calicis, in quo divina celebraturus erat myſteria, accipit, & digitis latice ſuperfuſo, ori puellæ ſalubrem potum applicat, & corpori ejus ſtillam medicinalem infundit. Nec mora, quaſi ureretur ſatanas.. feſtinanter egrediens.. erupit. *Idem Vitæ ſcriptor, locutus de dæmonum licentia per Virum ſanctum impedita, agit deinde de expulſione dæmonum è variis obſeſſis. Verùm quia hæc ſingillatim enarrare, ſervatâ energiâ & phraſi auctoris, qui pluribus ac patheticè illa exponit,*

in

A *in longum nos abduceret ſermonem ; adeat lector ipſum fontem ; ubi etiam inveniet alia curationum prodigia , per Thaumaturgum noſtrum patrata. Mediolano itaque tantiſper relicto , quod nos præclariſſimis ibidem à Sancto geſtis referendis intentos jam diu detinuit , alio cum eodem inde diſcedente proficiſcamur , Papiam videlicet & Cremonam.*

ad Papienſes & Cremonenſes cum Mediolanenſibus concilliandos fruſtra laborat :

226 *Sigonius in noviſſima editione Mediolanenſi tomo 2 , lib. 11 , col. 671 , ad dictum annum 1134 ſic habet :* Inde ; *Mediolano videlicet* , juſſu Innocentii ad pacificandas ipſas inter ſe Lombardiæ civitates profectus , Papiam & Cremonam ſe contulit. Cum autem apud Cremonenſes nihil profeciſſet , eorum Innocentio pertinaciam ſignificavit his verbis : " Cremonenſes in„ duruerunt , & proſperitas eorum perdit eos. „ Mediolanenſes contemnunt , & confidentia ip„ ſorum ſeducit eos. Hi in curribus , & equis „ ſpem ſuam ponentes , meam fruſtraverunt , & „ laborem meum exinanierunt „. *Hæc Sigonius ex ipſis verbis , quibus exorditur Vir noſter apoſtolicus ſuam ad Innocentium epiſtolam , quæ in*

B *editione Mabillonii ſignatur ordine trecenteſima decima quarta , alias 318 ; & anno 1134 illigatur. Ludovicus Cavitellius in Annalibus Cremonenſibus ad eumdem annum hæc memorat :* Divus Bernardus Mediolanenſibus , dum eis , quia adhæſiſſent Corrado Suevo , interdicta eſſent ſacra per ſummum Pontificem , & mox , dimiſſo Corrado , Lothario adhæſiſſent , abſolutionem & veniam impetravit : & Cremonam profectus , & Papiam , ut ibi incolas & confœderatos cum Mediolanenſibus componeret , re infecta ex Cremona rediit Mediolanum. *De anno iſtius reditus dicetur paullo inferiùs. Eò igitur poſtquam reverſus eſt , mulierem à miſera dæmonis vexatione & nervorum contractione in momento liberavit ; ſicut pluribus refert Ernaldus lib. 2 Vitæ , cap. 3. Nec verò profectus ad Papienſes ac Cremonenſes , de quibus dicebam modò , à coercendo dæmone abſtinuit* Bernardus , *teſte eodem biographo citato ; ubi plura. Quibus hanc coronidem imponens* , Hæc , *ait cap. 3 , num. 108* , & alia multa intra Alpes conſtitutus operatus eſt Vir Dei , & diverſa loca perluſtrans,

C benefaciebat iis , qui infirmabantur , illuminando cæcos , erigendo debiles , curando febricitantes , maximè oppreſſos à diabolo ... purgans , & quæ malignus fœdaverat ſpiritus pectora , templa Deo acceptabilia conſecrabat.

Vir ſummus cum rerum , quas geſſit , magnitudine , miram animi modeſtiam conjungit :

227 *Et continuò biographus ad Viri laudes digreſſus* , Præ omnibus , *ait num. 109* , hoc ſublimiùs duco .. , quòd , cùm eſſet vas electionis , & nomen Chriſti coram gentibus & regibus ferret intrepidus : cùm obedirent ei principes mundi , & ad nutum ejus in omni natione ſtarent epiſcopi : cùm ipſa Romana Eccleſia ſingulari privilegio ejus veneraretur conſilia , & quaſi generali legatione conceſſa ſubjeciſſet ei gentes & regna : cùm etiam .. facta ejus & verba confirmarentur miraculis .. , de ſe ſemper humiliter ſentiens .. , cùm eſſet omnium judicio ſummus , ſuo ſibi judicio conſtitit infimus. Soli Deo quidquid fecit adſcripſit *&c. Adde infirmitates ac morbos, quibus tamquam aurum in fornace probatus fuit, nec non dignitatum contemptum , quo nulli è pluribus ſibi oblatis infulis umquam arriſit. Conſule ſis laudatum Vitæ ejus ſcriptorem , qui ea , quæ modo ex ipſo libavi , fuſiùs memorat.*

228 *Nec verò dum extra dilectiſſimam ſibi Claramvallem vivere eum oportebat , ita erat occupatus graviſſimis Eccleſiæ negotiis , ut filiorum ſuorum ibidem relictorum oblivio eum caperet , vel neſciret , quanam , ſe procul inde remoto , illic agerentur : ſed abſens corpore , animo autem ac ſpiritu præſens , illos conveniebat , viſitabat , atque inſpiciebat. Factum probatur è Sancti verbis , quæ ad Claravallenſes ex Italia redux mox protulit apud eoſdem in Capitulo , ſicut docet Exordium magnum Ordinis Ciſtercienſis diſtinctione 2 cap. 11 , ſic narrans :* Venerabilis Pater Bernardus , cùm aliquando per annos tres moratus fuiſſet in urbe Roma , atque in partibus Italicis , pro ſedando ſchiſmate Petri Leonis .. , tandem reverſus Claramvallem , ſtatim poſt factam orationem Capitulum fratrum introivit. Et quia fatigatus ex itinere diu loqui non poterat , brevem quidem ſermonem , ſed conſolatione plenum protulit , ita dicens : Benedictus Deus ! qui vos dilectiſſimos fratres meos mihi reddidit , & me qualemcumque Patrem veſtrum vobis. Et ego quidem , filioli , quamvis per hoc triennium viſus fuerim longè remotus à vobis , non tamen putetis , me ſemper abſentem fuiſſe. Sciatis enim , quod tribus vicibus interim E reverſus ſum ad vos , viſitans domum iſtam , officinaſque perambulans , & ſemper exhilaratus , ſemper conſolatus abſceſſi , videns unanimitatem atque inſtantiam veſtram in propoſito Ordinis noſtri.

ſpiritu præſens illos viſit , ac litteris conſolatur :

229 Innumera ſunt illa , quæ iſte Dei famulus dixit & fecit ; in quibus manifeſtè apparebat , eum prophetali gratia præditum ; multoties ibi præſentem eum eſſe in ſpiritu , ubi abſens corpore videbatur : multaque abſcondita , & etiam longiùs poſita , Domino revelante , cognoſcere , quæ ipſum latere putabantur. Hæc autem ſignificavit nobis domnus Gerardus quondam abbas Longipontis : qui unus ex antiquis ſenioribus Claræ-vallis , dicta & facta ſancti Patris ſtudiosè rimari ſatagebat. *Sic ibi : quibus liceat nobis inde etiam hoc addere , tametſi aliò ſpectet , quod ibi ſequitur :* Ipſo quoque referente audivimus , quod iſte Dei Sanctus , dum in quodam monachorum Capitulo verbum Dei prædicaret , duo ex fratribus illis , qui aderant , viderunt eum in ſubſellio, in quo reſidebat , in aëre ſuſpenſum , & quaſi menſurâ unius pedis à terra ſublevatum. *Hæc autem , quæ de Sancti ad ſuos reverſi narratione* F *paullo antè diximus , ignotam eis ac mirabilem ipſius viſitationem continente , paterno ejus cordi quaſi non ſufficerent , litteris inſuper illos conſolari voluit.* Ex quibus extant duæ ipſius epiſtolæ; altera cùm in Apuliam mitteretur , de qua inferiùs ; altera intra hoc , ut credo , *inquit Manricus ad hunc annum Chriſti 1134 , cap. 4 , num. 7* , triennium , ſcripta , *quam ibidem profert. Eſt autem ordine 143 , & affigitur anno circiter 1135 apud Mabillonium , hoc titulo prænotata , è quo ſcriptionis materiem cognoſces. In ea itaque Vir ſanctus* diuturnam ſui abſentiam excuſat , ſibi non minùs , immò magis gravem , quam ſuis. Interim breviter eos officii admonet. *Porrò ad eumdem annum laudatus hiſtoricus Ciſtercienſis toto cap. 7 ſcribit de Guillelmo , olim S. Theoderici prope Remos abbate , deinde monacho Signiacenſi , qui librum primum Vitæ* S. Bernardi *litteris mandavit , atque identidem à nobis ſuprà citatus fuit ; ſed nos de eo inferiùs , quando de Vita Bernardina ſcriptoribus agemus. Interea temporis inſpiciamus ſanctiſſimi Abbatis facta , quæ ſequenti anno Chriſti 1135 intexuntur.*

230 *Ibi-*

AUCTORE J. P. *ſcribit ad imperatorem, ut ſuccurrat Eccleſiæ:*

230 *Ibidem itaque hiſtoricus modò memoratus cap.* 1, *num.* 1 *viam ſternens ad epiſtolam a* S. Bernardo *ad Lotharium imperatorem datam, de qua mox agemus, præfatus nonnulla de Rogerio, duce Siciliæ, Italiam infeſtante &c., hæc ſubdit:* Ergo Innocentius & ſibi & cunctis providens, hoc anno MCXXXV. Legatos mittit ad Lotharium imperatorem; veniat, Eccleſiam regnumque defendat, armis Italiam muniat.. & malè capta recipiat ab invaſore. Hæc fere prima in negotiis Eccleſiæ gravis ſub Innocentio legatio fuit, quæ non Bernardo Patri demandaretur, ſive quia bellum ciere contra Chriſtianos, quantumcumque rebelles averſabatur; ſive quia deſiderio ſuorum captus, & jam triennio abſens, reditum maturabat ad Claramvallem; ſeu tandem quia utilior Aquitaniæ, & converſioni Guillelmi deputatus, tanto negotio à Deo reſervabatur. Scripſit tamen ad imperatorem penè claſſicum canens, certè invitans ad Eccleſiæ & imperii defenſionem. Quin & eumdem ſiniſtra relatione deceptum, atque ex eadem retardantem Innocentium, à cujuſdam eccleſiæ, quæ injuſtè patiebatur, defenſione, qua libertate ſpiritûs pollebat, audentiùs
B arguit, & conſulit deſiſtere ab incepto. *Ceterùm epiſtolam ipſam non tranſcribo, quæ inter alias Bernardinas habetur ordine centeſima trigeſima nona, & apud ſuprà dictum editorem aptatur anno circiter Chriſti* 1135.

redit ad ſuos Claravallenſes; quænam ſint acta

231 *His ita hactenus expoſitis de ſancti Abbatis, dum erat in Italia, laboribus apoſtolicis ac miraculis; reliquum eſt, ut eum hinc ad ſuos dicta mox anno revertentem ſequamur cum Ernaldo lib.* 2 *Vitæ, cap.* 3, *num.* 112.: Jam Alpes tranſſcenderat, & deſcendebant in occurſum ejus de ſummis rupibus paſtores, & armentarii, & agreſte hominum genus, & conclamabant à longè benedictionem petentes, & reptabant per fauces montium, regredientes ad caulas ſuas, colloquentes ad invicem, & gaudentes, quod Sanctum Domini vidiſſent *&c. Quomodo autem à dilectiſſimis ſibi fratribus Claravallenſibus ſuſceptus fuerit, laudatus biographus mox ſubdit. Sancto itaque ſuis reſtituto, videndum nobis eſt, quænam apud eoſdem ſint acta. Annales Ciſtercienſes ad annum* 1135, *cap.* 2, *num.* 1, Primo, *inquiunt*, Claramvallem ſuam ingreſſus,
C & precibus ex more fuſis in oratorio, in Capitulum fertur perrexiſſe: *& mox ea tribuitur ipſi ad ſuos oratio, ex auctore Exordii magni Ciſtercienſis deſumpta, quam protuli ſupra num.* 228. *Deinde Annales iidem num.* 2 *ſcribunt de florentiſſima religioſæ diſciplinæ obſervantia, & inſigni fratrum concordia. Adiſis Ernaldum, quem nuperrimè aſſignabam. Tum ſubdunt num.* 3 *monachos à ſancto Patre ſelectos ad plantandam ſuam ſobolem apud Mediolanenſes; num.* 4 *epiſtolam ejus ad Lotharium imperatorem pro Piſanis, quæ eſt inter alias ordine centeſima quadrageſima; item num.* 7 *ad Innocentium Papam, quæ eſt ordine centeſima ſeptuageſima octava, pro Alberone Trevirenſi archiepiſcopo; ſed ſignatur apud Mabillonium anno Chriſti* 1139 *ex Browero; capite autem tertio tranſlationem Claræ-vallis; denique legem Mahometicam ex Arabico converſam, & Sancto dicatam.*

poſt illum reditum,

232 *Quod poſtremum ne cuiquam videatur mirum; profero textum Manrici in dictis Annalibus cap.* 3, *num.* 11: Eodem tempore, ut notavit Joannes Picardus in notis ad epiſt. 227, Petrus Mauricius „ remiſit Bernardo epiſtolam „ longè prolixiorem, continentem inter cætera „ ſuccinctam de Mahumetis vita narrationem, D.
„ quam Petrus licèt fabuloſiſſimam, ut ipſe fate„ tur, curavit in linguam noſtram transferri„. Porrò tractatum hunc ſive tranſumptum, non ſolùm miſſum Bernardo, ſed dicatum, probat epiſtola præfixa eidem Operi, cum qua ſimul vulgatum circumfertur: quam aliàs gravem, & dignam his Annalibus, quia inter cæteras Petri Cluniacenſis nequaquam ponitur, hîc non immeritò cenſui tranſcribendam. *Sed legi illa ibidem poteſt num.* 12. *Fuit autem Petrus ille abbas Cluniacenſis; ex eadem epiſtola ibidem. Et ſic quidem ſe habebant res*, S. Bernardo *ad charos ſibi filios Claravallenſes reverſo. Quibus coronidis loco ſubdo nonnulla de anno, quo reverſio iſta accidit, cùm de ea non ſemel mentio inciderit ſuperiùs, nec inter ſcriptores in determinando ejuſdem anno videatur convenire.*

& quo anno is contigerit.

233 *In Chronologia Bernardina, quæ ſimul cum Sancti Operibus edita exſtat apud Mabillonium ad calcem voluminis primi, col.* XI, *ad annum* 1135 *agitur de* Bernardo ex Italia reduce per urbem Mediolanenſem *&c. Galvaneus Flamma, à nobis deſignatus* § 20, *eidem anno innectit reditum ejus ad Mediolanenſes; Puricellus verò, quem ibidem allegavi, anno* 1134. *Ex textu, quem habet Ernaldus lib.* 2 *Vitæ cap.* 3, *colligo, reditum illum Sancti ab ipſo connecti cum iis, quæ Papiæ & Cremonæ geſſit. De his quippe locutus, ſubjungit:* Cùm ſecundò per Mediolanum EODEM ANNO Pater ſanctus tranſiret *&c. Manricus ad annum* 1135, *cap.* 1, *num.* 4, Id eſt, INTRA ANNUM, *inquit*; nam ſic intelligo: *idque intelligit conformiter quidem Manricus ad ea, quæ dixerat de geſtis ejuſdem ſancti Patris, ad Mediolanenſes reverſi, illa adaptans dicto anno* 1135; *& ſatis item conſequenter ad ea, quæ à* S. Bernardo *facta narrat apud Papienſes & Cremonenſes, quæque illigat anno Chriſti* 1134, *ut videre apud eum licet ad iſtum annum cap.* 4; *quæ enim geruntur* intra annum *indeterminatum, ſive per tempus duodecim menſium, poſſunt convenire duobus annis determinatis, ita ut partim in uno, partim in altero acciderint. Sed propenderem potiùs in illam ſententiam, quæ acta apud Papienſes ac Cremonenſes, nec non reditum ad Mediolanenſes non* F
in unum *dumtaxat, ſed in* eumdem annum *conjicit, ut opus non ſit detorquere illud Ernaldi* eodem anno *in* intra annum *cum Manrico. Enimverò* S. Bernardi *iter ad Mediolanenſes ac reditus; item legatio ejus ad Papienſes ac Cremonenſes; nec non diſceſſus* trans Alpes, *ut cum Sigonio loquar, innectuntur eidem anno* 1134 *à dicto Sigonio de regno Italiæ lib.* 11, *quem vide col.* 669 *& ſequentibus noviſſimæ editionis Mediolanenſis, ac Pagium in Critica ad eumdem annum.*



§ XXII.

A

§ XXII. Guilielmus Aquitaniæ Dux è ſchiſmate per S. Bernardum ad unitatem Eccleſiæ converſus; mulier dæmoniaca ab eo Nanneti liberata; variæ de Guilielmo Duce obſervationes.

Deſcribitur deplorandus Aquitaniæ ſtatus,

Deplorandus omnino Aquitaniæ ſtatus, Guilielmo Duce Catholicis infenſo, & in epiſcopos debacchante, nec non Gerardo Engoliſmenſi pſeudo-legato ſchiſmaticos intrudente, qui antipapæ Anacleto obedientiam præſtabant, ſatis ſuperque indicatur tum ab ipſo S. Bernardo, *tum ab ejus biographo Ernaldo. Sanctus enim Abbas in epiſtola 126, quæ eſt ad epiſcopos Aquitaniæ contra eumdem Gerardum Engoliſmenſem, & in qua Innocentii, ut legitimi Pontificis, cauſam egregiè tuetur, adverſus iſtum epiſcopum inter alia ſic loquitur col. 134:* Audet (quod & flens dico) inimicus crucis Chriſti ſuis pedibus pellere Sanctos, qui nolunt beſtiam adorare, quæ aperuit os ſuum in blaſphemias, blaſphemare nomen Dei, & tabernaculum ejus. Altare contra altare erigere tentat, confundere faſque nefaſque non confunditur. Abbates abbatibus, epiſcopos epiſcopis ſuperintrudere nititur: amovere Catholicos, ſchiſmaticos promovere. Miſeri & miſerandi, qui ita promoveri, & ab iſto, conſentiunt. Siquidem circuit mare & aridam, ut faciat unum epiſcopum: & cùm fecerit, facit eum filium gehennæ duplo quàm ſe. *Innectitur hæc epiſtola apud Mabillonium anno circiter Chriſti 1132. Nominatus verò paulò antè biographus tragicam Aquitaniæ ſcenam patheticè repræſentans lib. 2 Vitæ cap. 4,* Laborabat, *inquit*, ea tempeſtate ſub ſchiſmaticorum oppreſſione tota Burdegalenſis eccleſia, & non erat in Aquitania qui poſſet reſiſtere principi, cujus animum induraverat Deus: qui, annuente Gerardo Engoliſmenſi epiſcopo, & inſtillante in cor ejus diſſenſionis ſemina, factus eſt ſchiſmatis defenſor & auctor.

B

C

Guilielmo Aquitaniæ Duce, & Roberto Engoliſmenſi ep. in Catholicos bacchantibus:

235 Quicumque ſuſceptioni Petri Leonis non ſubſcribebant, perſecutionibus expoſiti, alii damnis, alii proſcriptionibus mulctabantur, alii à ſedibus propriis pulſi exſulare compellebantur. Sibilabat autem in auribus Comitis illius crebris perſuaſionibus, quaſi ſerpens antiquus, veterator ille, qui diu in partibus illis Sedis Apoſtolicæ fuerat legatus, & nunc à magiſtratu tanto dejectus, non poterat ſe pati ſuæ ſolius eccleſiæ epiſcopum. *Alia verò iſtius malè feriati ac in maligno poſiti facinora ibidem ſcitè depingit memoratus Vitæ auctor, quæ videat lector in eâdem Vitâ poſt hunc Commentarium recudendâ: unde fiet certior de luctuoſa tragœdiæ præſentis ſcena, hinc Gerardo, inde Guilielmo Duce mutuam eò operam conferentibus. Nec ſuam pro bono eccleſiæ paſſus eſt deſiderari* S. Bernardus. *Adiſis epiſtolam ejus 125, anno Chriſti 1131 aptatam. Epiſtola verò 127, quæ ex perſona Hugonis Ducis Burgundiæ data notatur anno circiter 1132 ad ipſummet Guilielmum Comitem Pictavorum & Aquitaniæ Ducem adverſus Anacletum ac pro Innocentio, nonne ſancti Abbatis ſtudium erga res Aquitanas indicat?*

Auguſti Tomus IV.

AUCTORE J. P.

malum exterminaturus Bernardus, Nanneti liberat mulierem dæmoniacam:

236 *Verùm leviora hæc dicas laborum in bonum iſtius provinciæ collata à Sancto ſubſidia, ſi ea cum ſequentibus comparare volueris. Ernaldus modò citatus, poſt deſcriptionem malorum, quæ Aquitaniam infeſtabant, ita pergit num. 119:* Audiens hæc & hujuſmodi vir venerabilis Gaufredus Carnotenſis epiſcopus, cui à Papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata, vehementer indoluit, & ſuccurrendum periclitanti Eccleſiæ, poſtpoſitis aliis negotiis, ſine ulla dilatione decrevit. Abbatem igitur Claræ-vallenſem petit & obſecrat, ut ſibi ad tanta mala eliminanda ſuccurrat. Aſſenſit Vir Dei .. & promittit ... ſe cum eo in Aquitaniam profecturum. Ibant igitur ſimul .. & .. ſimul Nannetum venerunt, *ſicut Ernaldus allegatus narrat. Ibidem loci ſanctus Pater mulierem, quæ per annos omnino ſex cum impuriſſimo ſpiritu infame admodùm habuerat commercium, baculo ſuo, tentatis fruſtra antè remediis aliis, liberat, anathema in dæmonem vibrat, & ipſum eliminat. Factum pluribus deſcribitur ab Ernaldo num. 119 & ſequentibus. In iſto itaque itinere diceres divinam providentiam in* Bernardo *illud miraculum exhibere voluiſſe, ut eſſet quaſi prodromum ac prognoſticum magnæ converſionis Guilielmi Ducis, quæ poſtea, Deo bene favente, & Sancto impigrè annitente, ſubſecuta eſt, ac deſtruendæ diabolicæ fraudis, quæ Aquitaniam infeſtabat.*

E

inde digreſſus in Aquitaniam, miro modo Guilielmum convertit:

237 His itaque *adverſus malignum ſpiritum apud Nannetenſes à Viro ſancto* patratis, ſimul Abbas & legatus ingrediuntur Aquitaniam, *ex citato Vitæ ſcriptore num. 122, qui mox narrare pergit, cur Gerardus Engoliſmenſis* moraretur .. in illis locis, in quibus ſecuriorem ſe putabat, nec jam facilè publicis ſe conventibus præſentaret. *Hinc itaque contigit, ut ex diabolici iſtius inſtrumenti ſeceſſu facilior ad Guilielmum Ducem patuerit* Bernardo *acceſſus, ac mollior fandi occaſio. Nam* propter hæc, *quæ ibi expoſuerat Ernaldus,* & alia hujuſmodi, ante hominum confundi cœperat Gerardus, & timens opponi ſibi, quæ negari non poterant, conventus publicos evitabat, *prout mox ſubdit idem auctor. Viâ igitur ad bonum negotii ſucceſſum ita utcumque magis complanatâ, quàm antè,* ſignificatum eſt, *inquit Ernaldus num. 124,* Comiti per viros illuſtres, qui ad eum ſecuriùs audebant accedere, quod Abbas Claræ-vallenſis, & epiſcopus Carnotenſis, aliique epiſcopi & religioſi viri colloquium ejus expeterent .. Perſuaſumque eſt illi, ne tantorum virorum devitaret colloquium. Itaque apud Partiniacum, *vulgo Partenay, quæ eſt urbs vel oppidum Galliæ in Pictavenſi provincia,* hinc inde conveniunt. *Acta autem in iſto conventu legi poſſunt in dicta Vita, ubi proliciter deſcribitur, quàm mirabili modo ſit peracta à* S. Bernardo *Guilielmi Ducis converſio; in qua duo ſunt, quæ lectorem meritò in ſtuporem rapere debeant: & alterum quidem, Spiritus ſancti vis, & cæleſte quoddam œſtrum, quo Vir magnus agebatur: alterum, tanta & tam parvo tempore ſubſecuta ſuperbi & obſtinati principis mutatio: utrumque patheticè ab eodem biographo ante oculos poſitum.*

F

qua occaſione hic varia

238 *P. Godefridus Henſchenius noſter in Commentario prævio ad Vitam S. Guilielmi Magni, eremitæ in Stabulo-Rodis in Etruria, tomo 11 Februarii, die x ejuſdem menſis, à pag. 433, geſta iſtius Sancti, multis fabulis erroribuſque involuta, ad veritatis trutinam expendere & extricare conatus eſt non minùs laboriosâ opera,*

AUCTORE J. P.

quàm non pœnitendâ. Inde transfero huc breviter, quæ conducunt in rem noſtram. Cavendum itaque, ne hîc Guilielmus cum ſuperiore confundatur. Hunc quippe ab illo diſtinguendum monet idem Commentarius § 4. *Præterea ibidem afferuntur alia, quibus illuſtrantur ſuprà relata de Guilielmo Aquitano, ejuſque converſione. Anno* 1130 *agnoſcit Innocentium II Papam; ſed ſeductus ab aliis adhæret anno* 1131 *Anacleto antipapæ. Fruſtra à* S. Bernardo *& Joſleno epiſcopo Sueſſionenſi admonetur eodem anno* 1131; *contra Manricum ad annum* 1130, *quæ anno ſequenti arbitratur contigiſſe laudatus Henſchenius, quando* cœpit primùm audiri, quid adverſus Eccleſiam Dei Gerardus ille machinaretur; *ex libro* 2 *Vitæ* S. Bernardi, *cap.* 6; *in noſtra verò diviſione cap.* 4, *num.* 122. *Memorat, hunc Sanctum dein ſcripſiſſe illuſtrem ad epiſcopos Aquitaniæ de illo ſchiſmate epiſtolam, ordine inter alias* 126; *ac ſequentem poſtea miſiſſe ad Guilielmum Ducem Aquitaniæ ex perſona Hugonis Ducis Burgundiæ; de utraque nos nuper. In iſta autem, quæ directa eſt ad Guilielmum Ducem, hæc ponitur clauſula:* Per Chriſtianiſſimum Lotharium

B nuper falſi calumniatores in ſuo ſunt mendacio deprehenſi; *unde colligit, eam epiſtolam eſſe ſcriptam, poſtquam Lotharius anno* 1133 *ab Innocentio in Urbem à ſe reducto, in Romanum imperatorem coronatus eſt.*

239 *Deinde ſubjicit concilium Piſanum, cui* S. Bernardus *interfuit anno* 1134, *ac Mediolanenſes Innocentio per eum conciliatos. De quibus actum eſt à nobis ſuprà. His addit congreſſum ejuſdem Sancti cum Guilielmo Duce anno* 1135, *atque hunc Apoſtolicæ Sedis obedientiæ ab illo reſtitutum. Memoratus commentator recitat mox fragmentum è ſancti Doctoris epiſtola* 128 *eidem Duci inſcripta, è qua nos ſequentia proferimus:* In eo animo, *inquit*, & in ea voluntate memini me diſceſſiſſe dudum à te, Princeps eximie, ut totis affectibus bene tibi, tuiſque cuperem, totis niſibus ſalutem veſtram & honorem veſtrum, ubicumque poſſem, juvarem; eo quòd non redirem fraudatus fructu adventus mei ad vos; ſed lætus præter ſpem multorum reportarem mecum pacem Eccleſiæ, cum exultatione univerſæ terræ. Miror autem quo, cujuſve conſilio mira illa mutatio dexteræ Excelſi tam ſubitò in deteriùs

C eſt mutata, ut rurſum ad injuriam Eccleſiæ clericos S. Hilarii de civitate expelleres, & iram Dei in te graviùs, quàm primùm, excitares. Quis te faſcinavit tam citò recedere à via veritatis & ſalutis? *Hinc habemus novam* Bernardi *curam, novum meritum de rebus Aquitanis, ac de Eccleſia Dei. Quia verò manifeſtiſſimè patet è verbis epiſtolæ, quæ citabam, illam non fuiſſe ante Guilielmi converſionem, nec diu poſt exaratam; ideo non ſatis capio, quo pacto eadem innectatur anno Chriſti* 1132 *apud Mabillonium.*

240 *Nec ſupervacaneum fuerit, legere in dicto Commentario, Ducem anno* 1136 *cum Comite Andegavenſi Normannos bello vaſtaſſe, ac multis diarrhœâ punitis, ipſum anno* 1137 *inſtituiſſe peregrinationem ad S. Jacobum, ibidemque obiiſſe* IX *Aprilis, ex* Orderico Vitali lib. 3 Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, quam abſolvit anno quarto ab obitu Guilielmi, æræ Chriſtianæ MCXLI, quando apud Normannos in cœnobio Uticenſi LVI annos vixerat, factus monachus anno MLXXXV, id eſt, annis XIV, antequam Dux Guilielmus naſceretur, *ſicut ibidem datur videre. Quod verò de morte ejus apud Compoſtellam dicebatur, ibidem probatur ex his Orderici verbis:* Anno D MCXXXVII, tertiâ ſeptimanâ Martii, Stephanus rex in Normanniam venit. Eodem tempore Guillelmus Pictavenſium Dux, memor malorum, quæ nuper in Normannia operatus eſt, pœnitentiâ motus, ad S. Jacobum peregrè profectus eſt. Deinde feriâ ſextâ Paraſceue, v Idus Aprilis ſacra Communione munitus eſt, & ante aram beati Apoſtoli venerabiliter defunctus eſt. *Ad hæc, in citato ſæpè Commentario* § 5 *proferuntur hiſtorici ſeculo Chriſti* XII, XIII *&* XIV, *qui in eadem Ducis Guilielmi apud Compoſtellam morte conſentiunt:* § 6 *tractatur de Vita à Theobaldo exornata, &, ſicut invenies* § 7, *ad ſeculum penè* XVI *incognita: & ibidem varia quoque ejus menda notantur:* § 8 *exploditur figmentum Bucheti & aliorum de ſimulata morte Guilielmi Ducis; item de adulterinis diplomatibus, & confecto Guilielmi Ducis teſtamento.*

241 *Atque hæc quidem hactenus ſummatim è Commentario Henſchenii extracta, & alia plura, quæ in eodem laboriosè digeſſit, magnopere conducunt ad vitandam rerum, temporum, ac perſonarum confuſionem, plenioremque notitiam* E *Guilielmi Aquitaniæ Ducis, quem* S. Bernardus *ad meliorem frugem reduxit cum uberrimo Eccleſiæ Catholicæ fructu, ac immortali apud poſteros ſui nominis memoria. Verùm antequam manum tollam de hac tabula; velim cum deſignato Commentario conferri, & expendi ea, quæ ſcribit Manricus ad annum Chriſti* 1136, *cap.* 1: *quæ autem refert cap.* 2, *cum Commentario Henſchenii hiſtorico, qui exſtat poſt S. Guilielmi eremitæ Vitam. Reliquum eſt, poſt res haſce, quas uno ſermonis tractu narravimus de identidem memorata converſione, quo minùs aliunde interrupta, eo magis clara & perſpicua, ut* S. Bernardum *ad ſuos Claravallenſes à ſacra Aquitaniæ expeditione reducem conveniamus.*

ad plenioremrem iſtius Ducis notitiam.

de eo

expenduntur

§ XXIII. Cantica canticorum à ſancto Doctore expoſita; notantur varia, quæ illud Opus circumſtant, adjuncta; ejuſdem elogia. F

Vir ſanctus ad ſuos reduxoccupat ſe in exponendis Canticis canticorum: quo tempore,

ERnaldus *lib.* 2 *Vitæ cap.* 4 *ſub finem*, Tanto, *inquit*, igitur malo obruto, *quod in Aquitania graſſabatur*, & ſchiſmate Gerardi redacto in cineres, Vir Dei cum gaudio magno Claramvallem revertitur .. Nactus verò .. aliquod quietis tempus, aliis ſe negotiis occupavit, & ſecedens in caſulam piſatiis torquibus circumtextam, (*Vide notas noſtras ad idem caput*) ſolus meditationibus divinis vacare diſpoſuit. Et repentè occurrunt ei in diverſorio humili, quaſi ad præſepe Domini conſiſtenti, amatoria Cantica, & ſpiritualia fercula nuptiarum. *Id quod pluribus ibidem piè proſequitur laudatus biographus, amplam nobis ſuppeditans vel ſolâ hujus elucubrationis Bernardinæ memoriâ, ut ſuper ea diffuſiùs commentemur. Argumentum itaque hoc, quo magis ejuſdem dignitas luceſcat, diſpeſcimus in varias partes. Ac primò quidem dicatur de tempore, quo Doctor ſanctiſſimus ad Opus hoc illuſtre, ad Sermones; inquam, in Cantica ſcribendos animum appulerit. Secundo, quo illos incentore ſcripſerit. Tertiò, cur manſerint imperfecti.*

A *Eli. Quartò, quoties, quo modo, quo loco, quo tempore habiti. Quintò, quo anno, & cur interrupti. Sextò, de eorum exemplaribus Mss. Septimò, de eorumdem continuatore. Octavò, de iſtius Operis dignitate ac elogiis. Eruditiſſimus Mabillonius in nova ſua Operum* S. Bernardi *editione, volumine primo, pag.* 1263 *Præfationem habet in ſancti ejuſdem Patris tomum* 4, *Sermones ipſius in Cantica continentem, è qua delibo ſequentia. De tempore, quod primo loco propoſueram, ſic fatur :* Hoc inſigne opus Bernardus aggreſſus eſt anno MCXXXV poſt ſuum ex Aquitania reditum, ut patet ex libro ſecundo de ipſius Vita cap. 6, *apud nos cap.* 4; *è quo fragmentum modò dedimus.* Id autem Operis tempore Adventûs prædicti anni MCXXXV inchoatum fuiſſe, intelligimus ex Sermonis ſecundi exordio : " Ec-„ ce enim quàm multi in hac ejus, quæ proxi-„ mè celebranda eſt, Nativitate, gaudebunt „ *&c.*

quo impulſore 243 *Quo ſuaſore ſeu impulſore Opus illud fuerit ſuſceptum, indicatur in laudata Præfatione his verbis :* Bernardum de Portis Cartuſianum iſtius ſuſcepti, ſi non auctorem, ſaltem in-

B centorem fuiſſe conſtat ex Bernardi ad ipſum epiſtola CLIII, in qua Vir ſanctus expoſitionem in Cantica, ſeu aliquid ſpirituale obnixè flagitanti ſuam tenuitatem prætendit : ſed tandem inſtanti obſequitur, ſive id de ſuſceptione, ſive de publicatione & miſſione Operis jam inchoati interpretandum ſit. Placet ſecunda interpretatio, præſertim quòd Gaufridus in locis modò adductis, *nimirum ex lib.* 2, *cap.* 6, *& lib.* 3 *cap.* 8, (*ſed libri ſecundi Vitæ auctor eſt Ernaldus*; *Gaufridus tertii*) Bernardi de Portis ad iſtud aggrediendum auctoritatem interveniſſe non dicit; immò Virum ſanctum ſponte ſua huic meditationi applicuiſſe animum ſatis innuit. Favent huic ſententiæ verba epiſtolæ CLIII : " Cedo importuni-„ tati tuæ, ut vel EXHIBITIO tollat ſuſpicionem. „ Res eſt cum amico. Non parco jam verecun-„ diæ. Prorſus, dum fiat quod tu vis, inſipien-„ tiæ meæ non memorabor. Sermones paucos in „ principio Canticorum Salomonis, recèns di-„ ctatos, en facio tranſcribi, & tibi, cùm nec-„ dum ediderim, quam citiùs mitto. In quo O-„ pere, cum accepero tempus, Chriſto impe-

C „ rante curis, tentabo procedere „.

Opus illud conſcripſerit : 244 Ex quibus verbis id tantùm eruitur, Bernardum Portenſem aliquid ſpiritualis Operis à Bernardo noſtro poſtulaſſe, eique miſſos fuiſſe Sermones primos in Cantica. Neſcio an de hoc Bernardo explicandus ſit locus in Sermone I num. 2 : " Puto autem quod jam non habebit, unde „ adverſum nos murmuret is, qui nobis de via „ venit amicus, cùm & tertium iſtum inſumpſe-„ rit panem „. Quod aliis æſtimandum permitto. Denique ad ipſum Bernardum Portenſem priores Sermones directi ſunt cum epiſtola CLIV, in qua hæc legimus : " Sermones ſuper principia „ Canticorum, quos tu petiiſti, & ego promiſe-„ ram, tranſmitto tibi : quibus lectis, peto, „ ut quàm citiùs opportunè poteris, tuo reſcri-„ pto moneamur vel ad procedendum, vel ad „ ſuperſedendum „. Quod de ipſa deſcriptione & miſſione Operis itidem interpretari licet.

cur manſerit imperfectum : 245 *Sermones autem iſti cur non fuerint ab auctore perfecti, has affert cauſas Mabillonius eorumdem editor :* Etſi verò, *ait*, Bernardus continuis fere diebus hos Sermones habebat ad ſuos Claræ-vallenſes, non potuit tamen intra annos octodecim, quibus ſupervixit, incœptum

Opus perficere, variis ſubindè Eccleſiæ ac regni negotiis interpellatus, quin etiam adventantium importunâ frequentiâ, de qua non ſemel conqueritur, ut in fine Sermonis tertii : " Sed ecce „ avocat nos diei malitia. Hi ſiquidem, qui mo-„ dò ſuperveniſſe nuntiantur, gratum cogunt „ rumpere magis, quàm finire ſermonem. Ego „ exibo ad hoſpites, ne quid deſit officiis ejus, „ de qua loquimur, caritatis „. Et in Sermone LII num. 7 : " Rara ſatis mihi ad feriandum à ſu-„ pervenientibus conceditur hora „. Mirum verò eſt, ſanctum Patrem, magnæ familiæ, & irruentium negotiorum curis diſtractum, parem fuiſſe meditandis tam altæ ſapientiæ Sermonibus, iiſque in dies recitandis. *Sic ille.* AUCTORE J. P.

quoties, quo modo, quo loco ac tempore 246 *Jam verò punctum, quod antea quarto deſignaram loco, de variis circumſtantiis horum Sermonum, quoties nimirum, quo modo, quo loco, quo tempore Vir ſanctus illos haberet, ſtatue ex ſequentibus. Nam, ut indicabat modò Mabillonius, illos in dies recitabat.* Quod, *inquit*, etiam ipſe conteſtatur Sermone XXII, num. 2 : " Nonnullius profectò fatigationis eſt atque „ laboris, quotidie ſcilicet exire, & haurire „ etiam de manifeſtis rivulis Scripturarum „ &c. Nam hos Sermones feriatis diebus habebat, & quidem pæne continuis, ut patet ex Sermone LXXXIII; ubi triduum jam conſequenter ad explicandum unum locum ſe inſumſiſſe dicit. Hos porrò Sermones viva voce proferebat. Unde in fine Sermonis XLII hæc loquitur : " Infirmitas „ mea, quam noſtis, non ſinit ulteriùs progre-„ di „. Et in fine Sermonis XLIV : " Et de hoc ſa-„ tis. Nam & infirmitas mea pauſandum indicit, „ ſicut & ſæpè facit „.

E

Sermones in Cantica 247 Meditationem quidem Vir ſanctus diſponendæ Sermonum materiæ cum oratione adhibebat, ſed eos ex animi copia & plenitudine nondum ſcriptos nonnumquam depromebat, ut varia loca probant. Nam & multa in iſtis ſermonibus ex tempore dicuntur, quale eſt illud, cum in ſermone XXXVI ſomnolentos increpat, aitque : " Putabam me uno Sermone implere quod pro-„ miſi de duplici ignorantia; & feciſſem, niſi „ faſtidioſis longior videretur. Quoſdam ſiquidem „ oſcitantes, quoſdam & dormientes intueor. „ Nec mirum, præcedentis noctis vigiliæ (lon-„ giſſimæ quippe fuerunt) excuſant eos „. At ex-

B temporanea illa dicta nihil æquè probat, quàm locus ex ſermone IX, num. 6 : " Occurrit & a-„ lius ſenſus, quem quidem non propoſueram: „ ſed minimè præteribo „. Accedit, quod recitatos Sermones poſtea à diſcipulis fuiſſe deſcriptos innuit Vir ſanctus his verbis : " Scripta ſunt, „ ut dicta ſunt „, ait ſermone LIV, num. 1. " Et „ excepta ſtilo ſicut & Sermones ceteri, ut facilè „ recuperetur, quod fortè exciderit „. Huc ſpectat quod legitur in Sermone LXXVII, num. 2 : " Sed etſi litteris forſitan mandentur iſta, quæ „ dicimus, dedignabuntur legere „.

à S. Bernardo 248 Hos porrò Sermones paſſim declamabat Bernardus in auditorio fratrum, & quidem novitiis præſentibus, ex Sermone LXIII num. 6; non verò converſis, qui ejuſmodi conventibus non inſererant : unde ſæpè innuit, auditores ſuos fuiſſe in Scripturis ſacris peritos, quos ingenio dicendis prævolare teſtatur in ſermonibus XV num. 2, XVI num. 1, & XXXIX num. 2.

habiti fuerint : 249 Ceterùm hora, quâ Sermones iſti habebantur, aliquando matutina, ante Miſſam, (ut de aliis Sermonibus in ſuperioris tomi præfatione dictum eſt) aliquando veſpertina erat. De matu-

AUCTORE J. P.

tino tempore interpretare duo loca ; in quibus concionem dimittit propter laborem manualem, & Officium divinum. Sic in fine ſermonis I : " „ ſed præterit hora (inquit) quâ nos exire ur- „ get ad opera manuum & paupertas, & inſtitu- „ tio Regularis „. At expreſſior eſt hanc in rem locus in ſermone XLVII ; quem interrupit ob in ſtantem horam Officii divini. De veſpertino tempore perſpicuum eſt teſtimonium in Sermone LXXI, num. 15. " Jam enim diſputante mè lon- „ giùs, inclinata eſt dies „. At ſatis minutiarum, quæ tamen huic loco non malè conveniunt.

quo item anno, & cur fœrint interrupti.

250 *Ad quintum, quod ſuprà attigi, quo videlicet anno & cur ſermones illi fuerint interrupti, reſponſum accipe ex eorum editore :* Sermones, *ait*, omnino quatuor & viginti abſolverat Bernardus anno MCXXXVII : quo anno in Italiam ad componendum ſchiſma profectus eſt. Inde rèverſus anno ſequenti, ad opus intermiſſum denuo ſe recepit, Sermone XXIV repetito cum alio exordio & alia clauſula : ex quibus nata eſt illa, de qua ſuo loco agemus, lectionis diverſitas. Sermones autem ſexageſimum quintum & ſequentem, qui ab expoſitione iſtius verſus, Capite nobis vulpes parvulas, incipiunt, compoſuit Vir ſanctus adverſus Colonienſes hæreticos, occaſione epiſtolæ ad ſe ſcriptæ per Evervinum præpoſitum Steinfeldenſem : quam epiſtolam idcirco duobus illis Sermonibus præfigere viſum eſt. Denique Sermo octogeſimus habitus eſt poſt concilium Remenſe, anno MCXLVIII, præſente Eugenio, celebratum, in quo damnatus eſt error Gilberti Porretani epiſcopi Pictavenſis, prout Bernardus ipſe in eo Sermone commemorat.

B

Eorumdem exemplaria Mss.

251 *Ad ſextum quod ſpectat, de Operis prædicti exemplaribus Mss., uti & ad ſeptimum, de ejuſdem continuatore, conſuli poteſt Mabillonius loco citato, in quo agit de numero Sermonum ; eademque occaſione indicat, in codice Vaticano*, qui ſignatus eſt num. 665, haberi Præfationem, quæ nec in editis, nec in ſcriptis ullis legitur. Ejus exordium *addit ; ſed illud ibidem legi poteſt.* Nihil in ea Præfatione ad Bernardi ſtilum aut genium accedit. Præfationi ſubjunguntur Sermones tantùm LXXXIII, ſub hoc titulo : "Incipit expoſitio beati Bernardi Claræ-vallenſis „ abbatis in Cantica Canticorum „. *Titulum hunc aliter in aliis codicibus notari, obſervat. Deinde* Expoſitio, *ait*, iſta deſinit in caput tertium Cantici, ad hunc verſum : In lectulo meo quæſivi per noctes, à quo Gillebertus de Hoylandia, & ipſe Ciſtercienſis Hibernus, eam continuavit uſque ad quinti capitis hunc verſum : Dilectus meus candidus & rubicundus, editis Sermonibus octo & quadraginta, vir ſanè Bernardo dicendi gravitate & pietate non multùm inferior. Conantem verò ulteriùs explanando progredi mors ex humanis abſtulit, veluti huic indignata, ſi Sixto Senenſi credimus, quod interruptum à ſe Bernardi laborem iterum continuare, & ad finem deducere velle auderet. Fallitur Sixtus, qui Bernardi opus ULTIMO VITÆ SUÆ ANNO incœptum dicit. Gilleberti Sermones in tomo ſequenti adducemus. *Ita ille.* Præter hanc, *uti pergit*, expoſitionem Bernardus aliam breviorem dictavit Guillelmo S. Theoderici abbati, uti Guillelmus ipſe teſtatur in libro primo de ejus Vita cap. XII ; *apud nos cap. 6.* Sed commodior erit de hac dicendi locus in tomo quinto, ubi compendioſam in duo priora Cantici capita ex Bernardo commentationem referemus.

C

252 *Reſtat octavum hujus materiæ punctum, de quo acturum me ſpoponderam ſuperiùs, quodque in laudatiſſimi hujus Operis dignitate ac elogiis conſiſtit. Ejuſdem editor in ſæpè dicta Præfatione hiſce illud laudibus extollit :* Cùm omnia ſancti Bernardi opera ſolidæ pietatis ac doctrinæ ſucco referta ſunt, tum duo præcipuè apud omnes in pretio eſſe debent, nimirum libri de Conſideratione, & Sermones in Cantica Canticorum. In illis ſiquidem libris, quidquid ſanctius in ſacris Litteris, & in conciliis ; quidquid ſalubrius in ſcriptis veterum Patrum, & in decretis Pontificum ad regimen Eccleſiæ præſcribitur ; id omne ſub eleganti compendio comprehenſum habetur. In his verò Sermonibus ; quæcumque per alia ſancti Doctoris Opera ad mores informandos, & ad pietatem accendendam ; quæcumque de vitiis & virtutibus, atque de tota vita ſpirituali reſperſa ſunt ; in his, inquam, Sermonibus hæc omnia ſolidiùs ac ſublimiùs pertractantur, & ex myſticarum allegoriarum involucris ac figuris, totius perfectionis eruuntur arcana, non minùs jucundo atque utili, quàm ſublimi modo : ita ut hi Sermones quaſi caſtæ quædam piorum hominum deliciæ cenſendæ ſint. D *& elogia* E

Operi iſti meritò

253 Jucundum atque utilem hunc ſcribendi modum appellamus : hæc enim eſt, teſte ipſo Bernardo, " miranda prorſus & miſeranda hu- „ manarum conditio animarum (ut) licet tam „ multa foris ingenii vivacitate percipiant, ege- „ ant omnino figuris & ænigmatibus quibuſdam „ corporearum ſimilitudinum, ut ex viſibilibus „ & exterioribus poſſint vel aliquatenus inviſibi- „ lia atque interna conjicere „. Quod quidem his in Sermonibus præclarè omnino præſtatur. *Poſtea verò Mabillonius coronidem imponens ſuæ Præfationi in Cantica*, de quibus, *inquit*, quid ſentiret Guerricus abbas Igniacenſis, & ipſe ſancti Doctoris diſcipulus piiſſimus, aperit in Sermone III de ſanctis Petro & Paulo, qui cum aliis habetur in tomo VI : " Magiſter noſter, ille interpres „ Spiritus ſancti, de toto illo carmine nuptiali „ loqui inſtituit, ſpemque nobis dedit ex iis, quæ „ jam edidit, quia ſi perveniret ad locum, de „ quo quæritis, DONEC ADSPIRET DIES, ET „ INCLINENTUR UMBRÆ, umbras ipſas ponet in „ lucem intelligentiæ ; quod dictum eſt, vel e- „ rit in tenebris, nobis dicet in lumine „. Hæc Guerricus. *Nec prætereriem quæ ſcribit Mauricus ad annum Chriſti* 1135, *cap.* 6, *num.* 10: Hoc illud Opus Bernardi Patris eſt, quod, cùm aliorum negotiis impeditus, ſi tamen aliena ab ipſo, quæ charitatis, & tandem morte præventus, non perfeciſſet ; vel magnus ille totius Eccleſiæ ſol, doctrina pariter & puritate vitæ angelus, atque Angelicus Doctor divus Thomas recuſavit perficere, quaſi diffidens à ſe poſſe adæquari Sancti dulcedinem. Unde & rogatus à Foſſæ-novæ fratribus, ubi & extremum Deo ſpiritum reddidit, reſpondiſſe fertur : " Date mihi „ ſpiritum Bernardi, & ego perficiam Opera Ber- „ nardi „. F

§. XXIV.

A

§ XXIV. Novus Ordo Bernardi consiliis in Anglia institutus; vaticinia; miraculum; iter Romanum contra schismaticos; felix rei successus.

Ordo Semprimghamensis in Anglia, consulto Sancto, instituitur:

AUctor *Annalium Ordinis Cisterciensis ad annum Christi* 1135, *cap.* 8, *num.* 8, *scribit de novo Ordine in Anglia* S. Bernardi *consiliis instituto, ita memorans:* Per idem tempus consiliis Bernardi Patris, quem consultum adivit ipse, qui condidit, fundatur Ordo Semprimghamensis in Anglia, auctore Gilberto de Semprimgham, viro sanctissimo, & quem virginibus maximè instruendis spiritum cælestem accepisse, ipse etiam profectus comprobavit. *His addi possent, quæ ibidem, & num.* 9 *ac seqq. ad pleniorem hujus rei notitiam afferuntur; sed,*

B *ne longiores simus, eò lectorem mittimus, atque hinc transimus cum Manrico ad annum Christi* 1136: *ubi cap.* 3 *num.* 1, *nobilem sancti Abbatis prophetiam contexit in hunc modum:* Hic idem annus Claræ vallensibus Pontigniacensibusque tristis & lætus majoris inter fratres Bernardi natu morte fuit. His, quia ditati exuviis corporis sancti; illis, quia orbi, quippe morbo præventus Pontigniaci, ne in Claravalle haberet sepulturam, juxta Patris Bernardi prophetiam, præbuit se ipsum obedientem etiam in morte. Verùm quæ prophetiæ occasio extiterit, tristis, sed nimiùm vera simul, cum ipso glorioso viri transitu auctor Exordii magni scriptum reliquit. *Textum sic recito ex editione Tissierii distinctione* 2, *cap.* 10: Cum audisset aliquando Vir Domini, *Abbas videlicet sanctus noster*, quemdam de filiis suis spiritualibus, virum bonum & religiosum, missum ab eo in Normanniam, desperata ibidem ægritudine laborantem; decrevit mittere, & reducere eum ad se, ut devotus frater in nidulo suo moreretur, & desideratâ sibi sepulturâ non privaretur. Verumtamen unus de fratribus ejus carnalibus, nomine Wido, nitebatur huic obviare

C consilio: quia cùm esset unus ex provisoribus Claræ vallis, intendebat, ut credo, parcere sumptui & labori.

Widonem extra Claramvallem, prædicit moriturum; mortuum item dicit, & in gloria esse:

255 Qui cùm pertinaciter ejusmodi persuasioni insisteret, dixit ad eum beatus Bernardus: Numquid major cura est tibi de pecunia vel jumentis, quàm de fratribus tuis? Quia ergo non vis, ut fratres nostri nobiscum requiescant in Valle ista, nec tu ipse requiesces in ea. Et factum est ita. Nam idem Wido, quamquam aliàs vir bonus & religiosus esset; tamen ut sermo Sancti impleretur, non est consummatus in Claravalle; sed apud Pontiniacum, præventus ægritudine, lecto decubuit, ibique, disponente Deo, terminum vitæ, & locum sepulturæ accepit. *Neque Vir sanctus prænuntiavit dumtaxat morituri extra Claramvallem fratris Widonis seu Guidonis sortem; sed etiam annuntiavit mortuum, si vera sunt, quæ ex Brito narrat Manricus num.* 3: Instantem, *ait*, jam absentis fratris transitum revelatum Bernardo ... Arnoldus apud Britum testis existit: tum cunctis filiis injunctam orationem, quâ animam egredientem prosequerentur: verùm & statim ab ea cessare jussos, nec pro Guidone orare; sed Guidonem apud Deum pro ipsis interceſſurum. "Fratres (in- AUCTORE
"quit) rogate Guidonem, ut oret pro nobis, J. P.
"tempus & locum sortitum, ut possit facere;... Hæc gesta refert Arnoldus in Claravalle, dum Pontigniaci carnis vincula exuens, mortalem vitam Guido cum morte vitali in melius commutaret. *Hæc è Brito Manricus; quem tu lector, si vis, consulere potes lib.* 4 *cap.* 7. *Vellemus enimvero, ut hoc factum ab Ernaldo biographo sæpissime citato perhiberetur, quo certius nobis de eo constaret. Ad prædictum annum cap.* 7 *tractat Manricus de Albaripa, vulgo Auberive, cœnobii initiis, fundatore, ac situ; & eadem occasione transit ad narrationem miraculi, ibidem à sancto Patre facti; quod videsis apud Gaufridum in ejus Vita apud nos lib.* 4 *cap.* 5.

ut rebus afflictis ob schisma in Italia denuo succurrat;

256 *Deplorando Ecclesiæ statui in Italia subvenit sanctus Abbas; & consueta sua dexteritate & auctoritate sedavit grassantem ibidem tempestatem adversus Christi Vicarium. Rerum ab eo gestarum synopsim ob oculos ponit Manricus ad annum* 1137, *cap.* 1, *num.* 1 *ita scribens:* Dulcissimum sponsi epithalamium Bernardus pater per quietem meditabatur, & jam tribus vigintique Sermonibus quatuor primos prioris capitis versus ferme absolverat: cum, ecce, sub initium præsentis anni, Christi nimirum MCXXXVII, iterum in Italiam transalpinat, diutino bello finem tandem impositurus. Laborabant Campania & Apulia sub Anacleto, Rogerio Siculo non solùm favente; sed eo velut pietatis quæsito titulo (is hominum mos est) Ecclesiæ terras sacrilegè occupante. Quin etiam magnum illud, præclarumque occidui monachatus caput, Casinus mons, Romanæ Ecclesiæ pars non contemnenda, unde tot veri Pontifices prodierant, tunc à vero Pontifice deficiens, Rogerii metu an amore quis definiat? ad Anacletum protervè declinaverat, & Senioreto abbate de medio facto, substitutum Rainaldum sibi præfecerat, ordinatum ab ipso, eóque partes ejus promoturum. Denique Romam Anacletus possidebat: cujus ut proceres jam starent pro Innocentio; at vulgus pervicax, seu priorum criminum conscium, seu spe melioris fortunæ sub rebus turbidis, quæ perditissimos quosque manere solet, pertinax magis, quàm fidum permanere, & ut non pro illo, at contra Innocentium stare cognoscebatur. *Hæc* F *de statu rerum Manricus.*

ab Innocentio PP. eò evocatur;

257 *Rationem verò temporis ita probat num.* 2: Ergo rebus afflictis solatium unicum Bernardus nomine omnium vocatus est, idque statim sub initium intrantis anni; quippe antè Pisas desertas ab Innocentio, quem mense Martio inde discessisse Falco Beneventanus memoriæ prodit in suo Chronico: " Anno, *inquit*, MCXXXVII, & "octavo anno Pontificatûs Domini Innocentii, "mense Martio, quinta decima Indictione, "prædictus Apostolicus Innocentius, qui tunc "Pisis morabatur, consilio communicato, de ci- "vitate Pisana ad civitatem Viterbium advenit, "præfatum imperatorem alloquuturus". Hæc Falco de Pisis desertis ab Innocentio. Bernardum verò ab eo antè vocatum, quàm Viterbium abire deliberasset, argumento est idemmet Innocentius Pisis quæsitus, nec tamen jam inventus, ut mox videbimus. *Virum autem sanctum, ut rebus Ecclesiæ tam calamitosis suppetias ferret, Apostolica auctoritate advocatum fuisse, testatur Ernaldus in ejus Vita lib.* 2 *cap.* 5 *in principio:* Interea, *ait*, litteræ Apostolicæ Virum Dei vocant, &, ut adsit laboranti Ecclesiæ, supplicant

AUCTORE J. P.

Cardinales. Intermittuntur ſtudia, & quæ modò continua erant, interpolatis diſcurſibus reſumuntur. Nulla vacatio ſupereſt: Servus Dei aut orat, aut meditatur, aut legit, aut concionatur.

miræ dæmonis adverſus eum machinæ:

258 Videns igitur excuſationes fruſtra expendi * [& neceſſe eſſe obedire mandatis,] convocatos à multis partibus fratres, diu profundéque ſuſpirans affatur *paterna oratione, quâ felicem ſuſcipiendi itineris ſucceſſum commendat eorum precibus &c., prout videre datur loco allegato.* Hæc *itaque* dicens, & benedicens, flentibus univerſis diſceſſit, & cum multa reverentia ubique ſuſceptus demum Romam pervenit. *Breviſſimè, ut vides, laudatus biographus Sancti iter perſtringit, nihil memorans de comite in via, de mora Viterbii nihil: utrumque ſupplebitur aliunde, dum nonnulla priùs retulero ex Annalibus Ciſtercienſibus ad dictum caput* 1, *num.* 4, *ubi eorumdem conditor*, Interim, *inquit*, adnoto, traditione & frequentibus picturis, quàm veterum teſtimoniis compertiùs fore, cùm ſanctus Pater Alpes tranſiturus currum conſcenderet, dæmonem invidentem Eccleſiæ paci, quæ ex ejus

B

adventu ſperabatur, confregiſſe rotam, retardando, quà poſſet, cœpto itineri, aut ſancto Viro, ſi poſſet, præcipitando. Tum verò ipſum prophetiæ ſpiritu plenum, & nihilominus conſilii & fortitudinis, potenter imperaſſe fractori dæmoni, ut ſe ipſum in rota ſubſtitueret, rotandum pariter, currumque laturum. Sic factum fuiſſe, ut idem promoveret iter, qui retardabat, & qui ultro euntem impediebat, portaret coactus, irriſui ſimul exemploque futurus. Extant picturæ antiquæ recenteſque typis Romæ mandatæ, ex quibus neoterici Perales lib. 2 cap. 16, Montalvo & alii hauſêre. *Valeat hæc hiſtoria quantùm poteſt. De itinere autem hæc ſubjungit idem Annaliſta*;

quædam an Romæ acta,

259 Avulſus dulciſſimus Pater à ſuis filiis, Piſas primò, unde vocatus fuerat, petiit, reputans ſe inventurum ibidem ſummum Pontificem: ubi autem cognovit inde profectum, abeuntem Viterbium uſque ſecutus eſt, ibique ab eo, & cunctis Cardinalibus honorificentiſſimè ſuſceptus. Porrò autem cùm conveniſſet Pontifici cum imperatore rem totam armis agere, & diviſis agminibus inde Campaniam hinc Marchiam expugnare, ut tandem Urbis faciliùs potirentur;

C

Abbas ſanctus aliâ viâ rem aggrediendam cenſuit Romæ, ut perhibet Ernaldus; non Viterbii, ut Manricus. Etenim poſtquam citatus Vitæ ſcriptor num. 131 *dixiſſet, Sanctum* Romam

* *i. e.* Cardinales

perveniſſe, *continuò ſubdit iſta:* In cujus adventu tam dominus Papa quam fratres * lætati ſunt, & communicatis cum eo conſiliis, ſecundum rerum proventus, & ſtatum cauſarum, Abbas aliâ viâ aggreditur, nec in curribus, nec in equis ſpem ponens, ſed colloquia quorumdam ſuſcipiens ſciſcitatur, quæ ſit eorum facultas; qui fautorum animi; utrum errore an malitia ſeducti tantum ſcelus protrahant & protelent *&c.*; *quæ legi pluribus poſſunt apud Ernaldum eodem cap.* 5. *Manricus, iſtorum parte recitata*, Placuit, *ait*, ſanctum Doctorem Romam mitti, ad Innocentium, quos poſſet, reducturum. *Superiora itaque Viterbii ſunt acta, ſi audiamus Manricum; Romæ, ſi Ernaldum. Sed hujus ſententia non videtur mihi tam probabilis, quàm illius, tum propter ea, quæ de Pontifice Innocentio Piſis Viterbium profecto jam præmiſſa ſunt ex Falconis Chronico, tum propter teſtimonium ipſiuſmet* S. Bernardi, *qui ſermone* 26 *in Cantica volumine* 1 *Operum editionis Mabilloniana col.* 1359 *ſic memorat, obitum fratris ſui Gerardi lugens:*

D

an Viterbii,

260 Recordor, Domine, pacti mei, & miſerationis tuæ, ut magis juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cùm judicaris. Cùm pro cauſa Eccleſiæ anno præterito Viterbii eſſemus, ægrotavit ille, & invaleſcente languore, cum jam proxima videretur vocatio, ego ægerrimè ferens comitem peregrinationis, & illum comitem in terra relinquere aliena, nec reſignare his, qui mihi eum commiſerant, quoniam amabatur ab omnibus, ſicut erat amabilis valde; converſus ad orationem cum fletu & gemitu, Expecta, inquam, Domine uſque ad reditum. Reſtitutum amicis tolle jam eum, ſi vis, & non cauſabor. Exaudiſti me, Deus: convaluit: opus perfecimus, quod injunxeras: redivimus cum exſultatione reportantes manipulos pacis. *Hinc ſequitur primò, ut fuerit Viterbii ſanctus Pater, & aliquam ibi moram traxerit; nec unam dumtaxat; ſed* duplicem *&* primam *quidem* anno MCXXXIII, teſte epiſtola 151; alteram anno MC-

E

XXXVII, cujus hîc mentio, *ſicut obſervatur in notis ad dictum Sermonem; qui col.* 1353 habitus *ſignatur* anno MCXXXVIII; *epiſtola verò* 151, *quæ dirigitur* ad Philippum Turonenſis eccleſiæ invaſorem *, anno Chriſti MCXXXIII, *col.* 154. *Sequitur ſecundò, ut in itinere Italico poſteriore Vir ſanctus comitem ſibi adjunxerit dilectiſſimum ſibi fratrem Gerardum.*

* *al.* electum

tubi bis fuit.

161 *Iter hoc à priore non ſecrevit Manricus num.* 6; *unde accidit, ut res diverſi temporis, in unum idemque tempus conflarit, uti conſtat ex ejus ibidem verbis:* Dum Bernardus Viterbii morabatur, contigit Philippum Turonenſis eccleſiæ pſeudo-electum (Deceſſerat enim Heribertus anno proximo, & Philippus anteceſſoris ipſius nepos per vim intruſus, eamdem ſedem adoleſcens occupaverat) contigit, inquam, Philippum Romam petere, à pſeudo-Papa ordinandum pſeudo-epiſcopum, eoque ab Eccleſia Catholica præciſum, juvenem aliàs Bernardo familiarem, & multis animi dotibus illuſtrem: ad quem, cùm Romæ eſſe comperiſſet, brevem ſed acrem ſcripſit epiſtolam, nec minùs dulcem atque amoris affectu plenam; *cujus exemplum continuò ibidem recitatur, exſtatque apud Mabillonium columnâ* 154 *citatâ. Quod autem epiſtola ad Philippum data non ſpectet ad annum Chriſti* 1137, *ſed ad annum* 1132 *retrahi debeat, conficitur è notatione Mabillonii ad epiſtolam* 150; *Innocentio PP. inſcriptam, in qua ſanctus Doctor habet iſta:* Revixit, ut aiunt, Giſleberti ſpiritus in Philippo, ipſius planè & nepote carnis, & hærede ambitionis. *Audiatur nunc Mabillonius:* Giſlebertus ſeu Gilbertus deceſſor *fuit* Hildeberti, qui anno MCXXV ex cathedra Cenomanenſi in Turonicam tranſlatus eſt, eamque tenuit annis ſex cum totidem menſibus, ut ad epiſtolam 122 notavimus. Eo mortuo Philippus, Giſleberti nepos, malis artibus ſedem invadens, favente Anacleto, huic epiſtolæ occaſionem dedit, & ſequenti, quæ prior ſcripta eſt.

F

ſanctus Pater,

262 Philippo cedere coacto Hugo canonicè ſuffectus. Lege Analectorum, *quæ ipſe Mabillonius vulgavit*, tom. 3, pag. 338. *In notis autem ad epiſtolam* 122, *à dicto Hildeberto ad* Bernardum *ſcriptam, ſed hoc ordine inter Bernardinas collocatam, hæc obſervantur:* Hildebertus, hujus epiſtolæ auctor, Cenomanenſem eccleſiam rexit ab anno MXCVIII, ad annum MCXXV,

A MCXXV, quo in metropolim Turonenſem mortuo Giſleberto ſuffectus eſt. Id conſtat tum ex Orderico Vitali in libro 10 ad annum MXCVIII, tum ex Actis epiſcoporum Cenomanenſium, in tomo 3 Analectorum editis: ubi Guido, ejus in ſede Cenomanica ſucceſſor, poſt longas altercationes anno MCXXVI conſecratus memoratur. Turones rexit annos tantùm ſex cum totidem menſibus. Sic enim habent Acta prædicta, quibus apographum Cheſnianum conſentit, atque Johannes Maanus in Metropoli Turonenſi, immò etiam Ordericus ad annum MCXXV, pag. 882: ubi Hildeberto fere VII annos archiepiſcopatûs tribuit. Non ergo pervenit Hildebertus ad annum MCXXXVI, ut in Gallia Chriſtianâ legitur: ſed mortuus eſt anno MCXXXII, quo anno utique Johannes Maanus ejus obitum reponit. *Tria itaque ex dictis conſectaria ſequuntur. Alterum, ut Vir ſanctus bis, ac diverſis annis moratus fuerit Viterbii: alterum, ut Manricus utramque moram confuderit: tertium denique, ut epiſtola, quam idem Sanctus ſcripſit ad Philippum, anno Chriſti* 1133 *reſtituenda ſit, ſicut oſtendebat Mabillonius. At nos Sanctum Viterbio diſcedentem reviſamus.*

B 263 Inter hæc, *prout refert Manricus num.* 7, cùm Gerardus convaluiſſet, Bernardus Pater confeſtim Viterbium deſerit, & Romam ſcandens, convenire ſingulos, congregare univerſos, auctorem ſchiſmatis Petrum deteſtandum, Innocentium ſequendum cunctis ingerere, unitatem Eccleſiæ prædicare, ſcindentes arguere, excuſationum effugia penitus claudere *&c.* At quæ rebelles velamenta prætexerent, & quas Sanctus rationes illis objiceret ad revelandam debellandamque perfidiam, Bernardus (*immò* Ernaldus) Bonævallis abbas his narrat verbis: *quæ vide apud nos cap.* 5. *Verùm quanta fuerit in Oratore dicendi vis, quanti in rebellibus ex potenti ipſius ſermone motus animorum, quantus obitæ à Viro ſancto apud Romanos legationis fructus pro Eccleſia Dei, perſpicuum eſt ex laudato biographo, qui rei eventum ſic memorat ibidem num.* 132: Auditis his aliiſque Viri Dei ſermonibus, defluebant à Petro, & quotidie partis illius diſſociatis agminibus, vincula rumpebantur: ipſius quoque Petri animus tabeſcebat, quia ſe quotidie minui, Innocentium verò creſcere minimè dubitabat *&c.*

qui Romæ comprimit rebelles.

C

§ XXV. Quæ apud Caſinenſes geſta dicuntur, præſente S. Bernardo, partim ſunt falſa, partim veroſimilia; corporis ejus infirmitas, ac deſiderium revertendi ad ſuos.

Geſta illa

Eminentiſſimus Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 1137 *expoſito ſchiſmaticorum ſtatu in urbe Romana, aſſerit num.* 5 *Sanctum noſtrum ibidem* diu moram magno proventu Catholicorum protraxiſſe. *At ſi vera ſunt, quæ habentur apud Petrum Diaconum, iſtius temporis ſcriptorem, in Chronico Caſinenſi, fuiſſe eum in Campania menſe Julio, atque in Monte Caſino functum munere legati oportet. Scriptor Annalium Ciſtercienſium ad annum mox ſignatum, cap.* 2, *num.* 1 *&* 2 *refert, à Caſinatibus, Anacleto & Rogerio antè addictis, vocatum fuiſſe Lotharium, per quem Eccleſiæ reconciliarentur; addens,* quæ apud Caſinum *hîc* geſta ſint, à Falcone, *cujus Chronicom Beneventanum citarat,* omiſſa, atque à ſolo Petro memoriæ prodita, ſeu vulgata ejus nomine. *Fatetur quidem Manricus, hæc eſſe,* vera, aut ſaltem veroſimilia, *de quibus legi poteſt prædictus Petrus in Chronico Caſinenſi libro* 4, *cap.* 107, *& ſeqq., à pag.* 563 *noviſſimæ editionis, quæ exſtat inter Rerum Italicarum ſcriptores, Mediolani excuſos, tomo* 4 *unà cum notis, quibus illud Chronicon illuſtratur.* At quæ in præſentia Lotharii geſta feruntur, *ſicut pergit ibidem Manricus,* quia à verò nimiùm videntur exorbitare, ne qua in parte nobis imputari poſſint, ejuſdem Petri verbis placet ſcribere. Niſi quod tamen priùs animadverto, quicumque fuerit ejus hiſtoriæ auctor, ultra alios errores, de quibus infrà, annum etiam incertum elegiſſe; neque ſolùm incertum; ſed repugnantem; quippe ſequentem MCXXXVIII: in quo Innocentius Romam jam reverſus, Lotharius vel à Roma etiam diſceſſerat.

AUCTORE J. P.

E *apud Caſinenſes,*

265 *Auctoris autem verba deinde recitat è Chronici Caſinenſis libro* 4, *cap.* 110, *quæ in deſignata editione Mediolanenſi notantur lib.* 4 *cap.* 109; *ſed nos illa hîc è textu apud Manricum contrahimus in pauciora, ex eiſdem delibantes, quantùm in rem noſtram ſit ſatis:* In nomine Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, anno ab Incarnatione ejus MCXXXVIII, Indictione prima, ſeptimo Idus Julii, anno imperii Lotharii cæſaris ſeptimo *, reſidente eodem invictiſſimo principe ad Aquas Penſiles, conſidente etiam Peregrino patriarcha Aquileienſi, cum archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus quàm plurimis, cauſidicus pro Romana Eccleſia directus eſt Girardus Cardinalis, tituli ſanctæ crucis, & Guido Cardinalis, qui ambo Romani poſtea fuerunt Pontifices; *atque inter alios, qui ibidem nominantur, ſignatur* Robertus * Claræ vallenſis abbas . . Ex parte verò Caſinenſis eccleſiæ auditores fuêre Henricus Dux, imperatoris gener, Conradus Dux, *ac plures alii, quorum nomina ibidem exprimuntur.* Facto itaque ſilentio imperator dixit: Non modò præſentium & temporalium, verùm futurarum æternarumque rerum in hoc conventu diſcuſſio erit. Nos quoque veſtigia prædeceſſorum noſtrorum ſequentes, dignum duximus huic intereſſe concilio, & eorum, quæ dicentur, librare momenta. *Hæc ex dicto Chronico apud Manricum; varias autem lectiones, quæ ſunt in editione Mediolanenſi, non pono, præter duas.*

* *Edit. Mediol.* ſexto

* *Edit. Mediol.* Norbertus

F

266 *Acta iſtius confeſſus tamquam ſpuria caſtigans Manricus num.* 4 *&* 5, Quibus, *ait,* planè videas indignam prorſus Eccleſiâ Romanâ, cæterarum omnium capite, cum peculiari membro concertationem, indignum litigantibus tribunal, ſæculare eccleſiis & eccleſiaſticis. Denique indignum Innocentio Papa factum, qui Cardinales, qui Bernardum legaret ad hoc negotium, ut vel ex his falſitatis arguatur, quicumque ſcripſit. Quin & Robertus (*ſive* Norbertus, *ut habet editio Mediolanenſis*) abbas Claræ vallis non minùs arguit figmenti ſuppoſitionem. Subjicit ſtatim diſputationis ſeriem prolixè continuatam per dies quinque, inter Girardum Cardinalem, & ipſum Petrum, hunc defenſorem eccleſiæ Caſinenſis, illum Romanæ. Diſputationis præcipuus ſcopus fuit, an Caſinenſes, abjurato Anacleto, Innocentio obſtringendi forent per ſacramentum.

prout circumferuntur,

Addi-

AUCTORE J. P.

Addita quæstio de electione abbatis, & quid juris haberet in eam Vicarius Christi. Subdit Petrus *sicut pergit Manricus num. 6*, secundam disputationem cum monacho Cistellensi (sic ipse vocat) protractam diebus tribus, in qua adversario, ut apparet, sibi ficto, facilè potuit voti compos evadere. *Hanc disputationem secundam Annalibus suis inserit Manricus eodem num. 6, & sequentibus; sed nos nullam hîc damus: utramque acri censura perstringit Baronius ad annum Christi* 1138, *num.* 14. *Proferamus ejus verba:*

laborant

267 Acta de disputatione Cardinalium cum ipso Petro coram Lothario imperatore, ab aliquo pro arbitrio concinnata, cùm multipliciter arguantur falsitatis, indigna putamus, quæ Annalibus intexantur. Ita Deus mentienti resistit, ut, quamvis vafer & callidus sit, qui orditur telam mendacii, ejus obscuret veluti fascino intellectum, ut videre non sinat, quæ aliis sunt perspicua, ut sic inde possit redargui falsitatis. *Ex mox, recitato istorum actorum exordio, ita*

B *prosequitur idem Baronius num.* 15: Locus autem iste, qui dicitur ab auctore ad Aquas pensiles, ubinam fuerit, ab eodem superiùs asseritur lib. 4 cap. 109 (*in editione autem novissima Mediolanensi cap.* 108) nempe fuisse prope Melphim. Ait enim: "Monachi accelerare fugam „ contendentes, Melphim primò, inde ad la„ cum Pensilem (*in dicta editione pag.* 565 *vul„ go* Lago pesole *vocatur in notis*) ubi omnis im„ peratoris exercitus cum Innocentio Papa con„ federat, advenerunt„. Ibi verò contigit adesse imperatorem non hoc anno, sed superiori, quo descendit cum exercitu in Apuliam, ut suo loco superiùs est demonstratum auctoritate scriptorum ejusdem temporis. Quomodo ergo à Petro præsens annus, & anni præsentis Indictio ponitur, & certa dies consignatur mensis Julii ejus anni, quo nec imperator, nec Pontifex fuere ad Aquas Pensiles; sed Romæ eo tempore degeret Innocentius, & imperator Lotharius jam ab Urbe recessisset versus Galliam Cisalpinam?

tot rebus

268 Præterea quisnam ibi ponitur Robertus abbas Claravallensis interfuisse unà cum Cardinalibus publicæ disputationi: cùm non alius, quàm sanctus Bernardus fuerit hoc tempore abbas Claravallensis? Insuper quomodo passurus fuisset Innocentius, Lotharium imperatorem præfuisse judicem inter Cardinales & monachos Cassinenses,

C qui (ut vidimus) maximè indigno animo tulit, eumdem audisse causam monachorum inter se dissidentium? Hæc sunt, & alia, quæ arguant, eadem illius affixa acta esse penitus commentitia, sicut sunt magni dedecoris schismaticorum monachorum illorum, qui contra Romanam Ecclesiam eo modo differere tantâ procaciâ proponantur. Sic igitur acta illa non anno Christi signanda erant trigesimo octavo post millesimum centesimum; sed trigesimo septimo: non Indictione prima, sed decima quinta: non anno septimo Lotharii imperatoris, sed quinto, & in aliis castiganda, ut diximus. *Hactenus Baronius: cujus censuræ hæc adjungit inter alia suprà indicatus Historiographus Cisterciensis num.* 9 *dicens:* Quibus addi posset, quisnam Cistellensis ille fuit, tantæ tunc apud omnes æstimationis, cui causa publica defendenda committeretur, tam minimæ, ut anonymus existeret, ignotus etiam ei, quem impugnabat? Anne Bernardus, quem, ne iterum falsò nominaret, maluit omittere? At Bernardus non eminus adstaret, quem Pontifex, quem imperator venerarentur, quem assidentem inter D Cardinales orbis adspexit. Sed neque vocandus ad conflictum foret, si non conflictus illi committendus *&c.*

269 *Atque hæc quidem sunt gravamina, quibus acta in Monte Casino tamquam spuria ac commentitia traducuntur ab utroque isto scriptore: sed narrationem Petri Diaconi auctor Excursûs historico-juridici, qui in editione Mediolanensi intexitur ejus Chronico pag.* 566 *& sequentibus, fusè & operosè conatur defendere contra accusationes Baronii ac Laureti; quibus quomodo respondeat, ibidem videri potest. Sed illud argumentum, quod hîc addam, quodque nec à Baronio, nec à Manrico, nec ab auctore prædicti Excursus video tactum, videlicet tempus, quo Lotharius imperator è vita excessit, maximum videtur habere pondus adversus acta illa in Monte Casino, de quibus est controversia. Argumentum porrò illud, à Pagio in Critica Baroniana ad annum Christi* 1138 *deductum, ego in rem præsentem converto. Sic igitur ibidem memorat num.* 6 *contra Baronium:* Ad num. 12 E & seq. Baronius mortem Lotharii imperatoris usque ad mensem Decembrem currentis anni .. differt. Verùm Lotharium superiori anno demortuum .. extra omnem controversiam esse debet. Robertus enim de Monte, Dodechinus abbas, Continuator Lamberti Schafnaburgensis, Chronographus Hildensheimensis, & alii passim, Lotharium anno præcedenti demortuum produnt, & Conradum currenti ei successisse, ejus diplomata invictè demonstrant. Fundamentum Baronii anno sequenti evertemus; *quo etiam diplomata illa memorantur num.* 3. *Pergit Pagius dicto num.* 6:

subleste fidei,

270 Falco in Chronico ad annum MCXXXVII ait: "Hoc anno prædictus imperator .. mortuus „ est in partibus Tusciæ„. *Quæ verò addit Pagius de alio mortis loco, tam non spectant ad præsentem nostram controversiam, quam quò corpus ejus sit delatum, de qua re ibidem agit. De die autem emortuali imperatoris Lotharii scribit ex auctoribus, quos affert, num.* 7, nocte inter III & II Nonas Decembris media *eum* vivere desiisse. *Cùm verò coronatus fuerit imperator anno Christi* 1133, *mense Junio (videsis Baronium, & ejusdem criticum) consequens est, ut* F *è vita excesserit anno imperii sui quinto. Quoniam autem argumentum, quod assumere visum est contra consessum Casinensem, positum est in ratione temporis, Baronius quidem alias notas chronologicas rebus in eodem actis adaptat, ut modò retulimus; sed ex morte imperatoris enervare illa haud potuit, quia eam innectit anno* 1138; *nec potuit Manricus, qui hunc annum eidem assignat cap.* 7 *ad annum* 1139. *Sed dispiciamus, quidnam respondeat auctor Excursûs historico-juridici pag.* 567 *ad argumentum Baronii, à ratione temporis petitum:* Primùm, *inquit*, criminatur errorem anni, & subinde Indictionis. Atqui malè actum foret de historicorum fide, si ejusmodi leviora errata cæterorum veritatem infuscarent, ac detererent. Ulteriùs. Codex noster manu exaratus, unde hæc sumpta sunt, non legit anno septimo imperii Lotharii, ut perperam editio Veneta, quæ fucum fecit Baronio; sed ANNO SEXTO, qui signat Christi trigesimum octavum.

ut merito apocrypha

271 *Sed reponere poterunt emunctioris naris & falsa recritici primò, errata chronologica in documentis historicis infuscare & suspecta reddere reliquorum putari debeant.*

A *rum veritatem, quando aliæ difficultates eiſdem inſperſæ occurrunt, quæ eódem faciunt. Secundò, correctionem chronologicam in citato Excurſu adhibitam, nihil valere, uti liquet ex anno emortuali imperatoris Lotharii, cui Conradus anno* 1138 *ſucceſſit. Tertiò, ſe non concipere, quo pacto in litigioſam illam ſcenam Lotharius tamquam ejuſdem præſes induci à Petro Diacono potuerit* ſeptimo Idus Julii, anno imperii *ſui* ſeptimo, *vel ſi vis* ſexto, *qui ſextum imperii ſui annum numquam vidit, nedum diem illum, anno videlicet dimidio, & quod excurrit, eiſdem præmortuus; A Petro, inquam, Diacono, rei geſtæ non tantùm ſpectatore & teſte, ſed præcipuo, ut volunt, actore ejuſdem ac patrono. Quartò, ſi altercatio iſta verè à Petro ſcripta, & ei non adſcripta ab alio (vide Excurſum pag.* 570) *quî concipi poſſit, ita ab eo ſcriptam, ut tam craſſè impegerit in chronologiam: quomodo item nomini* Bernardi *aliud ſuppoſuerit? Verùm inter accuſationes ſuprà aſſignatas, & earum apologiam in Excurſu, arbitrum me non interpono conferendo ſimul objecta & reſponſa omnia, ne*

B *longiùs abeam: hoc dico, mihi non videri certò evinci, Petrum Diaconum concertationis Caſinenſis ſæpenumero jam indicatæ genuinum eſſe auctorem, eamque hoc modo, quo fertur, verè fuiſſe habitam, atque adeo* S. Bernardum *eidem interfuiſſe: cujus causâ tam diu à noſtro inſtituto jam deflexímus. At ſive ibi, ſive alibi tunc moratus fuerit, non in otio vixit; ſed in negotiis Eccleſiæ Catholicæ promovendis, urente ipſum igne Spiritus ſancti, qui non poterat quieſcere. Quidquid itaque ſit de dicta altercatione, legitur ſanctus Abbas apud Caſinenſes fuiſſe alia occaſione atque alio tempore.*

272 Compertum eſt, *ait Manricus ad annum* 1137, *cap.* 3, *num.* 1, Caſinates . . Innocentium, abjurato Anacleto, ſuſcepiſſe; obedientiâ firmatâ per juramentum, quod præſentibus utriuſque curiæ proceribus, primum omnium abbatem emiſiſſe, *ex Petro refert Diacono, quem citat lib.* 4, *cap.* 116. *In noviſſima verò editione lib.* 4, *cap.* 15 *factum narratur: ſecuti deinde monachi, prout ibidem invenies; & cap.* 118. *Addit Manricus num.* 4: Quod verò attinebat ad electionem *Rainaldi abbatis*; ne vel ea ſine Benedicti filiis agitaretur, Bernardo examinanda commiſſa eſt, duobus Cardinalibus adjunctis, Haimerico & Girardo, qui firmandam infirmandamve decernerent, ſemel decretam aut everterent aut conſervarent. Res utrimque diſcuſſa diu fuit. Verùm cùm irritam tandem intelexiſſent, quo negotium maturiori judicio ſuaviorique, nec ſine integra audientia partis exequerentur, *inquit idem Annaliſta, memorat ex Petro Diacono, quidnam actum fuerit in hac cauſa. Editio Mediolanenſis lib.* 4, *cap.* 119, *pag.* 583 *ſic habet:* Illuceſcente verò diluculo, Aymericus Diaconus Cardinalis, & cancellarius Romanæ Eccleſiæ, & Gerardus Cardinalis ſanctæ Crucis, & Abbas Clarevallenſis ab eodem Papa tranſmiſſi ſunt, qui prædictum Raynaldum examinarent, & juxta canonum ſanctionem ab abbatiæ regimine ſequeſtrarent. *Et poſt alia in hoc negotio actitata, quæ deinde narrantur; cap.* 122, *pag.* 595 *hæc exſtant:* Sequenti autem die iterum ad monaſterium aſcendentes in capitulo reſederunt, in quo poſt peractum ab Abbate Clarevallenſi ſermonem, Cardinales auctoritate Apoſtolica eidem Raynaldo Caſinenſem abbatiam interdixerunt *&c. Hiſce itaque rebus geſtis non ſine dicendi auctoritate* S. Bernardus *interfuit, ſi ſint genuina prorſus ac ſincera, quæ apud Petrum Diaconum leguntur.* AUCTORE J. P.

Nonnulla, quæ narrantur à Sancto apud eoſdem facta, ſunt verò ſimiliæ;

273 Rebus apud Caſinum ita diſpoſitis, *pro-* *infirma ejus valetudo abbatibus indicata, ac deſiderium redeundi ad ſuos.*
ut narrat Manricus num. 5, & debellatis per Campaniam urbibus, quas ſibi & Anacleto Rogerius per vim ſubdiderat, cùm Innocentius verſus Romam iter pararet, infirma aliàs Bernardi valetudo ultra conſuetum viribus defecta, exhauſta laboribus, ſolo ſpiritu corpus ſuſtentabat. Extat epiſtola illius hoc anno ſcripta ad abbates Ciſtercii congregatos, quæ moribundum hominem depingit. *Argumentum epiſtolæ intellige ex titulo, qui eidem præmittitur:* Hos *nimirum abbates* laborum & dolorum ſuorum conſcios eſſe deſiderat, excuſans forte hoc pacto abſentiam ſuam. Optat ſanè non peregrè, ſed inter ſuos mori. *Eſt inter alias Bernardinas ordine centeſima quadrageſima quinta, proferturque in editione Mabillonii à col.* 150, *ubi ſignatur ſcripta circa annum, in quo verſamur;* 1137.

§ XXVI. S. Bernardus ab Innocentio PP. miſſus ad compeſcendum Rogerium; clades à Viro ſancto ei prædicta, & cælitus impetrata; mitigatus ejuſdem animus; acta in cauſa ſchiſmatis, & eorum adjuncta. E

Novi à Bernardo

P*Eſſima quidem vel nulla potiùs erat ſancto Patri valetudo corporis*, at non ideo, *ſicut perhibet Manricus ad an.* 1137, *cap.* 3, *num.* 6, ceſſatum à laborando, nec induciæ conceſſæ defectis viribus. Innocentius, Lothariuſque Romam profecti, Doctorem ſanctum ſecum aſſumpſere, quippe quo ſine nihil utrique lætum, nihil proſperum putabant poſſe contingere. Nec fefellit ſpes viros alioqui providos. Romæ negotia Eccleſiæ ſic promovit, ut paulò pòſt ad ſuos Clarævallenſes non dubitaverit ſcribere *ſequentia, quæ ſunt in epiſtola* 144: Sed & hac vice quam neceſſaria Eccleſiæ Dei ſit vel fuerit præſentia parvitatis noſtræ, dicerem ad conſolationem veſtram, ſi non gloriam redoleret. Nunc autem melius eſt, ut hoc per alios cognoſcatis. *Hinc intelligi poteſt, à Viro ſancto ita rem communem Romæ fuiſſe peractam, ut parum vel nihil ibi agendum reliquerit. Pergit Manricus:* Sed dum hæc Romæ meliùs ſuccedebant, iterum in Campania turbata omnia, & civitates Eccleſiæ vendicatæ, rurſus amiſſæ atque expugnatæ, devaſtatæ, deditæ, ad Anacleti partes revertebantur. Imperatoris diſceſſus Rogerium Ducem, Rogerius cuncta mala ſecum attulit, ſolius Bernardi meritis fuganda, quo ſoli Deo victoria adſcriberetur. At quænam mala imperatoris diſceſſum ſequuta ſint, non aliunde meliùs, quam ex epiſtola Guibaldi, novi Caſinenſis abbatis, ad imperatorem ſcripta, haurire poterimus. *Fragmentum verò illius delibat Manritus è lib.* 4 *Chronici Caſinenſis cap.* 127; *in novâ autem editione habetur illa epiſtola lib.* 4, *cap.* 126; *ubi tragica ac pathetica narratione exponitur barbara rerum ſcena, ac lamentabilis calamitas rabiei plus quàm ferinæ, quæ omnem crudelitatis horren-*

AUCTORE J. P.

rendo modo implevit menſuram, quemadmodum ſingillatim ibidem legi poteſt. Quid agitur interea temporis in rebus tam deploratis?

ac graves in valetudine debiliſſima aſſumpti labores,

275 At pius princeps, *prout pergunt Annales Ciſtercienſes num.* 8, ſenio & morbis fractus, & morti proximus, non potuit ſubvenire deſertis rebus, & ſervabatur victoria Bernardo Patri, quâ non poſſet ab alio defraudari. Perfecerat ſanctus Doctor in pace multa, & gladio ſpiritûs, quod eſt verbum Dei, ignea nequiſſimi adverſarii tela extinxerat: at non armato militi oppoſitus materialem contra Eccleſiæ inimicos enſem vibraverat: non in ſtragem, non in fugam rebelles egerat, ante conflictum parentes ipſius verbis; ſive dimiſſos poſt tempus parituros. Ergo ne vel hoc fruſtraretur victoriæ genere, divinâ providentiâ effectum eſt, ut ſolus, humilis, pauper & moribundus exercitui victori objiceretur [&] verbis, ſi poſſet, Rogerium compeſceret * : ſin minùs, armis, atque illis armis, quæ victa fugataque tunc nihil prorſus auderent contra victores. Baronius ſolius Innocentii conſilium memorat. Ego in Bernardo (epiſtolam mox referam) imperatoris etiam conſenſum lego.

* *in impreſſo Manrici eſt barbarè* compeſciturus

B

dum ab Innocentio PP. adverſus furentem Rogerii ſchiſmatici rabiem

276 *En tibi, lector, textum Baronii ad annum* 1137, *num.* 28: At quid auditis his Innocentius Papa? Reipſa expertus, quàm vana ſalus hominis, ſpe contra ſpem nitens in tanta deſperatione rerum, contra furentes tyranni Siculi impetus, adverſus ferociam ultoris & victoris exercitûs, unum objecit hominem humilem, ſed Dei virtute potentem, qui in fugam converteret ſanctæ Romanæ Eccleſiæ victores hoſtes. Ejuſmodi planè novit eſſe opera Dei, nimirum quod infirma mundi eligat, ut confundat fortia. Sic igitur imperio Chriſti gladium exertum in defenſionem Eccleſiæ, in vagina recondens, ad arma ſpiritualia Deo potentia ſe convertit, ſumens ſcutum fidei, eoque omnia tela nequiſſimi ſecurus excipiens, illæſus lædere adverſarium feſtinavit. Quomodo iſta? Audi ſanctum Bernardum Claræ-vallenſem abbatem, quem Romæ reliquerat ad reducendos ſchiſmate devios ad eccleſiam (ut audivimus ſuperiùs eſſe narratum) ad Rogerium tyrannum, ſpirantem minarum & cædis in omnes, qui eſſent Innocentii Papæ communionis, pacis nuntium mittit *&c.*

C

miſit, imperatore ac Cardinalibus rem etiam promoventibus.

277 *Porrò non ſolius Innocentii PP. mandato, ſed etiam Lotharii imperatoris ac Romanæ curiæ impenſiſſimo rogatu actum hoc eſſe, ipſemet* Bernardus *videtur indicare in epiſtola* 144 *ad ſuos Claravallenſes:* Inſtantiſſima, *ait*, poſtulatione imperatoris, Apoſtolicoque mandato, nec non Eccleſiæ, ac principum precibus flexi, dolentes & nolentes, debiles atque infirmi, &, ut verum fatear, pavidæ mortis pallidam circumferentes imaginem, trahimur in Apuliam. *Jam verò quid in hac Viri magni ad Rogerium legatione peractum ſit, exponamus:* Primùm omnium admonendum putamus, *inquit Baronius nuperrimè citatus*, duas ſimul legationes confundi ab auctore, qui res geſtas ſancti Bernardi conſcripſit, cùm videlicet unà cum S. Bernardo miſſum eſſe Haimericum Cardinalem Cancellarium affirmat, & ex parte Anacleti Petrum Piſanum itidem Cardinalem. Nam iſta de miſſis ex parte utraque Cardinalibus poſtea contigerunt, ut ex auctore, qui aderat, & ea ſcriptis mandabat, Falcone Beneventano, ſatis evidenter apparet. Miſſus eſt ergo primùm S. Bernardus; poſtea verò, petente Rogerio, Cardinales, cùm videlicet à Deo humiliatus, verba pacis, quæ contemnebat, audire libenter cœpit. *Puncto hoc, quod poſtea ſe evolvet, præmiſſo, rei geſtæ hiſtoriam enarremus.*

D

Dum fruſtra Vir ſanctus conatur bellum ſedare

278 Supererat, *inquiunt Annales Ciſtercienſes cap.* 4, *num.* 1, ex parte Lotharii Rainulfus dux, Eccleſiæ ſimul fidelis, & imperio; ſed viribus Rogerio longè impar, ſicut fortunâ. Quippe ille paucos victoſque ducebat, indeque timidos, nec aſpernantes fugam, per quam ſuprema pericula evaſiſſent. Hujus copiis & potentiam obtenta præda, & multitudo robur, & animum victoria miniſtrabat. Ergo ad Rogerium Bernardus Pater miſſus, quod primum erat, diſſuadere bellum, impedire congreſſus, inſtillare concordiam, & pacis fœdera ſancire ſolicitabat. *Verùm audiamus Ernaldum abbatem Bonæ vallis lib.* 2 *Vitæ, cap.* 5, *num.* 132 *hæc enuntiantem:* Interea rex Siciliæ Rogerius, qui ſolus jam ex principibus obedire Papæ Innocentio detrectabat, ad eum mittit, petens ut Aimericum Cancellarium ſuum, & Abbatem Claræ-vallenſem ad ſe mitteret; nihilo minùs à Petro Leonis idem petens, ut Petrum ſibi Piſanum à ſuo latere delegaret.. Mittebat autem in dolo, quia audierat Petrum Piſanum eloquentiſſimum eſſe, & in legum & canonum ſcientia nulli ſecundum: putabatque, ſi eloquentiæ ejus in publico conſiſtorio audientia præberetur, declamationibus rhetoricis ſimplicitatem Abbatis poſſe obrui.. Ne diu morer, venit pars utraque Salernum. Sed militaverat ultio, & præverterat tanti ſceleris machinamentum. Parato namque ad bellum innumerabili exercitu adverſus Rannulfum Ducem, idem rex.. ſubitò viſo Duce audacter obviam procedente, territus fugit, effuſumque exercitum prædæ & cædibus expoſuit, & innumeris militibus captis & interfectis, invitus Ducem ditavit opibus, & gloria ſublimavit. Quæ quidem ei juxta Viri Dei verbum omnia contigerunt, *ut ſtatim referemus, poſtquam ea, quæ per prolepſim hîc à biographo recenſentur, in meliorem temporis ordinem reſtituerimus ex laudato Falcone tomo* 5 *pag.* 124 *editionis Mediolanenſis.*

E

inter Rainulfum, & Rogerium; huic prædicit & precibus obtinet cladem;

279 Interea, *inquit*, Abbas de Claravalle, vir valde mirabilis & diſcretus, qui ad regem illum venerat pro tanti diſſidii infeſtatione ſedanda, inter regem illum & Ducem pacis fœdera alligare conatur. Sed pro multis variiſque negotiis, quæ inter eos quærebantur, apud Salvatoris Dei potentiam nondum complacuit concordiâ alligari. Quid plura? Rex ipſe exercitum ſuum diviſit, & ad bellandum illum viriliter ſtabilivit; ſimiliter & Dux ille ſuos omnes ſapienter ordinavit.. Illico acies illa regis proſternitur. Rex autem,.. Dei adveniente judicio, timore perculſus, ipſe primò terga vertens in fugam converſus eſt: *de cujus clade, ac ſpoliis à Rainulfo Duce victore reportatis deinde tractat idem ſcriptor, addens*, Secundo.. die ſtante, *id eſt, die* xxx, *ſecundum dicenda* § *proximè ſequenti*, menſis Octobris bellum hoc actum eſſe. *Sub idem ergo tempus accidit vaticinium* S. Bernardi, *quo prædicto Rogerio cladem, & Rainulfo Duci victoriam prænuntiavit. Vide Ernaldum capite deſignato, ubi num.* 133 *ita ſcribit:* Cùm enim primus eorum, qui vocati fuerant (*immò veroſimiliùs poſtea tantùm vocati ſunt*) Abbas ſanctus adveniens regem in caſtris poſitum inveniſſet, per multos dies vicinas acies, ne committerent, impedivit, denuntians regi, Quin ſi conflictum inieris, victus & confuſus abibis.. At ille Ducem Rannulfum, & Catholicorum aciem verbis

F

potenti-

potentibus adhortatus, ſicut regi fugam, ſic illis victoriam pollicitus eſt & triumphum. *Quin immò inſignem hanc palmam precibus ſuis obtinuit cæleſtis ille Bellator. Nam* cùm ad proximam, *teſte Ernaldo*, villulam declinaſſet, & inſtaret orationi, repentè fugientium & inſequentium clamor auditur. Siquidem per eumdem locum fugientem regis exercitum Rannulfus perſequebatur. Egreſſus itaque frater quidam ex his, qui cum Abbate erant, uni ex militibus occurrit, &, quid accidiſſet, interrogabat. At ille „ Vidi, inquit, impium ſuperexaltatum . . . & „ tranſivi, &, ecce non erat „. Nec mora, Dux ipſe ſecutus, ut monachum vidit, ſicut erat armatus equo deſiliit, & ejus pedibus advolutus; Gratias, inquit, ago Deo, & fideli Servo ejus; quia non noſtris viribus, ſed ejus fidei collata hæc victoria eſt; iterumque inſiliens equo, hoſtes inſequebatur. *Triumphus itaque ille illuſtris, victore judice, à Viro ſancto apud Deum ac Dominum exercituum oratus, exoratus & datus fuit, armiſque cæleſtibus potiùs quàm militaribus impetratus.*

B *qui, cum ad arma non poſſet, ad artes convertit animum.*

280 *Rogerius interim pertinax ingenti cum clade fugatus, dum ad arma non poſſet, ad artes convertit animum. Rem ſic exponit hiſtoricus Claravallenſis num.* 4: Rogerius, inopinatâ plagâ acceptâ, eò timidior, nec auſus ultrà progredi, niſi vires potentiamque reſumeret, opportunum ad id tempus expectans, vel magis faciens, ne interim à Rainulfo moleſtaretur, vafrum pro tempore conſilium excogitavit, nempe ut Bernardum in ſuæ converſionis ſpem conjiceret, & armis ex utraque parte ſubmotis, diſputationibus negotium committeretur. *Factum referemus ex Falconis Beneventani Chronico, notata etiam ratione temporis:* Secundo, *ut ex eo diximus*, die ſtante menſis Octobris bellum hoc actum eſt, *de quo ſuprà. Deinde* rex nominatus (*ita pergit Falco*) taliter cum ſequacibus ſuis aufugiens noctis tempore, altera quidem die ad caſtrum Paludis pervenit, deinde Salernum feſtinavit: diebus autem non multis evolutis, Roſſemannus Beneventanus antiſtes conſilio accepto cum judicibus civitatis, & ſapientibus quibuſdam, ad regem ipſum conſolandum, & ſervitia civitatis offerenda feſtinavit. Precatur inſuper, ut

C libertatem poſſeſſionum Beneventanorum, quam ſupradictus imperator conceſſerat, populo Beneventano ipſe largiretur. *Annuit rex, uti liquet ex inſtrumento privilegii, quod producit Falco, ſignati* Dominicæ Incarnationis anno MCXXXVII menſe Novembri primæ Indictionis.

Quæ Ernaldus non ſatis diſtinctè, vel prolepticè narrat, exponuntur,

281 *Narratis autem rebus, quæ Rainulfus Dux geſſit poſt relatam victoriam*, Prope caſtrum Paludis, *inquit idem Chronographus pag.* 125, ſuorum virtute ſtipatus caſtrametatur die quidem Kalendarum Decembris. *Jam verò quæ Ernaldus abbas Bonæ vallis ſuperiùs vel prolepticè vel confusè referebat primò de petitis à Rogerio rege, ac Salernum profectis ad conſtituendam pacem arbitris, ac dein de victoria Rainulfi, ita tum ex præmiſſis ordinamus, tum ex ſequentibus, ut quæ ſunt acta in conventu illo legatorum ex parte Innocentii atque ex parte Anacleti, huc retrahenda videantur, atque adeo non ad primum* Bernardi *cum Rogerio ſpectare congreſſum, quo veroſimiliùs hunc ſanctus Pater conventum ei ſuaſit, at non perſuaſit; ſed ad alium, poſt cladem videlicet ei illatam. Etenim Falco verbis ultimo loco à nobis citatis iſta ſubjicit, è quibus colligo, quæ primò aſſerit, ea pertinere vel ad primum Sancti cum rege colloquium ante pugnam; vel in ſecundo poſt pugnam, priora fuiſſe confirmata. Sic itaque loquitur:* Cùm præfatus Abbas de Claravalle, vir valde mirabilis & diſcretus, de fœdere pacis, & Eccleſiæ unitate cum nominato rege confabularetur, aſſiduè rex ipſe cum Abbate illo ſtabilivit, ut tres Cardinales ex parte Innocentii Papæ, qui ejus interfuiſſent electioni, ad regem ipſum venirent; & tres ex parte Anacleti, & ordinem utriuſque electionis regi inſinuarent. Deinde rex ipſe, ordine audito, utriuſque partis ſanctiorem & juſtiorem eligeret electionem. *Nota* ſtabilivit, *id eſt, ratum tunc habuit conventum, quo de anteà cum eo* Bernardus *egerat, ſed irrito conatu, ſicut ego quidem interpretor. Nunc igitur convocatio illa, quam antea ſpreverat Rogerius, exſecutioni mandata eſt. Nam* continuò ad Innocentium Papam (*ita pergit Falco*) & Anacletum delegatum eſt, & curſu rapido regis poſitio deſtinatur. *Hoc etiam ſatis clarè ſignificat Ernaldus ipſe. Etenim, expoſita clade Rogerii, ſcribit iſta num.* 134: Nec tamen hac plagâ ſibi inflictâ cælitus, cor- E rectus eſt animus regis, nec detumuit procella, quam conglomeraverat pravæ mentis elatio: ſed poſt fugam reverſis, qui evaſerant, ſimulans alacritatem, regio ſe ornatu attollens, ſtipatâ militibus curiâ, utramque partem præcepit accerſiri, & priùs inſtructo Petro, & multarum promiſſionum auctoramentis accenſo, de cauſæ ſuæ rationibus eloqui jubet. Prior itaque Petrus electionem domini ſui canonicam probare contendit *&c.*

AUCTORE J. P.

conſiderando perſonas,

282 *Sed quandoquidem non ſatis diſtinctè ac plenè acta præſentis cauſæ cum ſuis adjunctis, quæ narrare pergit laudatus Vitæ auctor, pertractat, ipſum ex Falcone ſupplebimus. Primò itaque in his actis conſideremus perſonas, quæ eiſdem interfuere. Quinam eò acciti fuerint, tametſi ſuperiùs eodem ex Ernaldo viderimus, ex Falcone tamen hìc etiam memorare, ac rem confirmare nihil vetat:* Placuit itaque eis, *inquit*, & conſilio eorum firmato ex parte Innocentii, Aimericus cancellarius, & Girardus Cardinalis vir valde venerabilis, ſimul cum prædicto Abbate de Claravalle Salernum ſuper hujuſmodi electione ventilanda advenerunt. Ex parte verò Anacleti Matthæus Cancellarius, & Petrus Piſanus Car- F dinalis, & Cardinalis alius nomine Gregorius ſimiliter acceleravere. *Cur autem Petrus Piſanus à Rogerio accitus fuerit, præmiſimus antea ex dicto biographo.*

rem geſtam,

283 *Conſideremus ſecundò acta hujus cauſæ. Ernaldus cap.* 5, *num.* 134 *memorat ſancti Patris cum Petro Piſano concertationem; quàm verò appoſitè & potenter Vir ſanctus in ea peroraverit, conficitur ex verbis ejus, quæ producit idem biographus, & ex auditorum approbatione. Nam* Ad hæc verba, *inquit num.* 136, non ſe poterant ultrà, qui præſentes aderant, continere; ſed abominati ſunt & vitam Petri Leonis & cauſam. *Quid, quod adverſarius primo conflictu adeo proſtratus fuerit, ut rationibus à ſancto Antagoniſta prolatis reſiſtere & contradicere non potuerit, teſte eodem biographo, qui mox ſubdit:* Abbas autem tenens manum Petri Piſani, elevavit eum, & ſimul ipſe ſurrexit, Tutiorem, inquiens, ſi mihi credas, intrabimus arcam. Et ſicut jam pridem mente conceperat, ſalutaribus illum aggrediens monitis, cooperante gratiâ Dei, protinus perſuaſit, ut ad Urbem rediens Innocentio Papæ reconciliaretur. Soluta concione,

AUCTORE J. P.

rex necdum voluit obedire. *Vides, una congreſſione circumſcribi ab iſto auctore acta cauſæ præſentis, quæ longè aliter extendit Falco, quando his verbis ea memoriæ prodidit:* Quibus ita congregatis, *paulò antè illos ex ipſo nominavimus*, rex ille, ut erat ſagacis animi, providique conſilii, priùs partem Innocentii quatriduo uſque ad occaſum mirabiliter, & ultrà quàm credi poteſt, examinavit, ſequenter autem Anacleti partem quatriduo ſimiliter perſcrutatus eſt.

ejuſdemque circumſtantias

284 Studiosè igitur & diligenter partibus utriuſque electionis auditis, rex ipſe clerum omnem & populum civitatis Salernitanæ congregari mandavit, & epiſcopos, & abbates monaſteriorum, qui convenerant, & coram eis taliter exorſus eſt: Domini & fratres, credimus veſtram non latere prudentiam, qua de re Cardinales iſtos.. fecerim convocari.. Sed quia multis quæſtionibus, variiſque reſponſionibus animus noſter impeditur, ſolus ego ſuper hoc tanto negotio finem impendere nequeo. Unde, ſi dominis iſtis Cardinalibus videtur, ordinem utriuſque ſcribant electionis, & ab utraque parte unus mecum in
B Siciliam deſcendat Cardinalis, ubi, favente Domino, Nativitatis Jeſu Chriſti Salvatoris feſtivitatem celebraturi ſumus, ibique ſapientes archiepiſcopos, epiſcopos, alioſque inveniemus prudentis animi viros, quorum conſilio Anacleti partem uſque modò ſectatus ſum.. Cardinalis ad hæc Girardus reſpondit... Cardinalem quidem mittemus Guidonem de Caſtello.., qui vobiſcum, ſicut petitis, ad Siciliam veniat.. Et his actis, unuſquiſque ad propria remeavit. Altera die adveniente prædictus Girardus Cardinalis cum ſuis reverſus eſt: ſolus autem Guido præfatus Cardinalis remanſit cum rege profecturus, ſicut ſtatutum eſt. Ex parte verò Anacleti ſimiliter Cardinalis alius deſtinatur. Quibus patratis, navigio parato, rex ipſe ad Siciliam transfretavit.

notandò,

285 *Antequam ad alia progrediamur, obſervet lector, apud Ciaconium in Vitis Romanorum Pontificum & Cardinalium tomo* 1 *col.* 968 *dici, Guidonem illum Beneventanis præfectum urbem illam aliquamdiu rexiſſe, Innocentio II ex ea Romam verſus diſcedente, (Vide Pagium in Critica ad annum* 1137*) ac proin nihil obſtare, quo minus Salerni adfuerit cum aliis Cardinalibus,*
C *tametſi inter eos ſuperiùs non nominatus. Alterum eſt, quod moneo, ſilentium Falconis de oratione* S. Bernardi *ad Petrum Piſanum habita, ejuſque per eamdem converſione ad obedientiam legitimi Pontificis, officere neutiquam debere auctoritati Ernaldi biographi. Etenim quamvis ille taceat; hic tamen diſertis verbis iſta affirmat: cujus potiſſimùm erat ſcopus, facta* Bernardi *colligere, ac ad poſteros tranſmittere; Falconis autem non item. Ad hæc, non omnes auctores, qui de eodem tractant argumento, omnia ſcribunt; nam quoties neceſſe eſt, alium ex alio ſupplere? Idem ſtatue de aliis rebus Sancti noſtri, quas Falco indictas reliquit, Ernaldus verò refert, qui facilè eas intelligere potuerit vel ex* fratre quodam ex his, qui cum Abbate erant, *vel aliunde; cum non clàm, ſed palam contigerint.*

ſingillatim.

286 *Conſideremus tertiò locum actorum in hac cauſa, Salernum videlicet, quò Cardinales convenêre cum* S. Bernardo, *laureatæ, quam de Petro Piſano retulit, victoriæ theatrum, ita tamen, ut alius locus in Sicilia ad ulteriorem cauſæ diſcuſſionem à rege Rogerio fuerit petitus & impetratus. Quod verò* Bernardus *illuc etiam ſe contulerit, non memini me legere; immò vero,* D *non videtur illuc eſſe profectus, uti argumento eſt, quod dicam ex Ernaldo de regreſſu ejus Romam, nec ſcio an & quid ibidem ſit tranſactum. Enimverò Rogerium tunc necdum Innocentio ſe ſubmiſiſſe, eruitur ex dicendis infrà. Urbs porrò Salernitana non modò Sancti præſentiâ, ſed illuſtri etiam miraculo per eum fuit honorata, de quo ſcribit Ernaldus cap.* 5, *num.* 136; *additque, illud* per totam urbem divulgatum, ad aures regis & procerum ejus perveniſſe.

Conſideremus quartò tempus hujus cauſæ. Actitata nimirum illa fuit Salerni anno Chriſti 1137 *ad finem vergente, menſe, ut videtur, Decembri: nam Rogerius dicebat ſuperiùs:* Ab utraque parte unus mecum in Siciliam deſcendat Cardinalis, ubi.. Nativitatis Jeſu Chriſti Salvatoris feſtivitatem celebraturi ſumus. *Hìc ſit finis legationis beatiſſimi Abbatis; de cujus ad Urbem reditu dicere aggredimur, ea narraturi, quæ anno proximo ab ipſo geſta ſunt.*

§ XXVII. Sanctus Romam redit; E Petrus Piſanus Eccleſiæ unitur, uti & Victor, Anacleti ſucceſſor; ſchiſma item deſerit Rogerius; pignus ſacrum Bernardo Româ diſcedenti datum; tunicam ſuam ibi relinquit; varia puncta chronologica.

Pater ſanctus Romam redit; Petri Piſani cum Eccleſia reconciliatio; obitus pſeudo-papæ Anacleti:

ANnum *Chriſti* 1138 *ita exorditur hiſtoricus Ciſtercienſis:* Initium anni auſpicetur nobis Bernardus reverſus Romam, &, reconciliato Eccleſiæ Petro Piſano, Anacletus deficiens, vix priùs à ſuis deſertus, quàm à ſe ipſo: quippe ſemel aſſuetus pontificalibus, animam maluit perdere, quàm nomen pſeudo-pontificis. Singula qua ratione geſta ſunt, nonnulla etiam per menſes, dieſque penicillo antiquorum deſcribamus. Regreſſum * Sancti ad Urbem per hoc tempus, atque item reconciliationem Petri Piſani, auctor Vitæ illius his paucis tradidit *apud nos lib.* 2, *cap.* 5: Cum omnium igitur populorum favore, ſolo rege (*ſcilicet Rogerio*) in malitia permanente, Abbas Romam revertitur: prædictum quoque Petrum Piſanum, & quoſdam alios reconciliat Eccleſiæ, & Innocentio Papæ confœderat. *Pergit Manricus:* Verùm reconciliationem Petri Piſani quarta die Januarii contigiſſe, argumento eſt, quòd Anacletus triduo ſupervivens, obiiſſe legitur ejuſdem menſis ſeptimâ. Triduo ante mortem Anacleti reconciliatum teſtatur Antoninus.. parte 2, titulo 17, cap. 1, § 4: " Abbas ſanctus Bernardus ipſum Pe-
„ trum Piſanum Papæ Innocentio reconciliavit.
„ Poſt triduum Petrus Leonis impœnitens mori-
„ tur „. Obiiſſe autem ſeptimo Januarii, Falco Beneventanus, quem Baronius ad annum MCXXXIV (*immò* MCXXXVIII) adducit, diſertè tradit. *Ad annum itaque* 1137, *pag.* 125, Hoc anno, *inquit Falco*, Anacletus, qui ſub nomine pontificatûs advixit, ſeptimo die STANTE menſis Januarii mortuus eſt: qui ſedit annis ſeptem, & menſibus undecim, & diebus viginti duobus.

F

* *in edito malè* reverſum

288 *Sed*

hic, & illa quo die acciderint.

288 *Sed Pagius in Critica Baroniana ad annum Chriſti* 1138 *num.* 1, *diem emortualem Anacleti perperam à Baronio, & aliis ſignari animadvertit, ſerius eumdem differens his argumentis:* Falco, qui annum à Kalendis Martii exorditur, ad annum MCXXXVII ait: Hoc anno Anacletus *&c.* Baronius num. 1, Mabillonius in Notis fuſioribus ad epiſtolam 126 divi Bernardi, Papebrochius in Conatu Chronico-hiſt., aliique paſſim viri docti diem illum à Falcone memoratum, diem ſeptimum menſis Januarii interpretantur. Verùm Peregrinius in Notis ad Falconem, rectè hunc loquendi modum à Falcone uſurpatum explicat de Januario exeunte, docetque menſem STANTEM, ſeu INSTANTEM, ſeu ASTANTEM, eſſe menſem finientem: quod poſtea Ducangius in Gloſſario mediæ & infimæ latinitatis, ad VOCEM MENSIS STANS, variis exemplis probavit.. Anacletus igitur mortuus eſt die viceſima quinta menſis Januarii, qui ſeptimus eſt à die ultimo ejuſdem menſis, à quo Falco, & qui eo loquendi modo uſi ſunt, diem primum ſtantis alicujus menſis inchoant. Hanc Peregrinii explicationem confirmat Ordericus lib. 13 pag. 915, dicens: " Petrus Anacletus, qui Sedem „ Apoſtolicam fere ſeptem annis uſurpaverat, in „ cathedra ſedens, VIII Kal. Februarii (ſeu die „ XXV Januarii) ſubita morte deceſſit.. „ Durationem invaſionis ejus, quam Ordericus numero rotundo exprimit, & ſeptem circiter annorum fuiſſe dicit, Falco definierat; ſed librarii numeros corrupere *&c. Ex his itaque Pagii rationibus temporis conſequens eſt, ut mors pſeudo-pontificis Anacleti à die ſeptima Januarii, quem alii volunt, ad diem* XXV *ejuſdem menſis differenda ſit; ac proin Petri Piſani cum Innocentio II reconciliatio ad diem* XXII *iſtius menſis, ſecundum dicta ex S. Antonino. Conſuli præterea poteſt notatio ad alium Falconis locum in editione Mediolanenſi, quam ſuperiùs aſſignavi, pag.* 129.

Anacleto ſuffectus Victor à ſchiſmaticis; ſed exiguo pòſt tempore

289 *Funeſtam Anacleti mortem narrat Ernaldus lib.* 2 *Vitæ, cap.* 5, *num.* 137. *De ea etiam ſcribit* S. Bernardus *ad Petrum Cluniacenſem epiſtolâ* 147. *At verò hujus ſchiſmaticæ factionis capite amputato aliud ſuccrevit. Factum refert Falco pag.* 125 *& ſequente, è quo hæc delibo:* Cùm prædictus Anacletus mortuus eſſet, Cardinales ſui.. ad regem miſerunt Rogerium, ipſius Anacleti mortem ſignificantes, ut, ſi ei placeret, Papam conſtituerent. Rex itaque ut Domini Papæ Innocentii partem impediret, voluntati eorum aſſenſit.. Qui Romam reverſi, fautoribus eorum congregatis, medio menſe Martio Gregorium Cardinalem Papam ſibi, & invaſorem conſtituerunt, Victoremque eum vocaverunt. Sed Dei miſericordia auxiliante, hæreſis illa & invaſio pauco tempore regnavit. Diebus autem non multis evolutis, fratres prædicti Anacleti, tantam cognoſcentes turbationem, in ſe reverſi, Domino favente, cum prædicto Domino Innocentio Papa pacis firmamentum compoſuerunt, & ipſi, & omnes ejus adverſarii ad ejus fidelitatem converſi ſunt, & ſceleratus ille, qui ſub Victoris nomine apparuit, veſtem & mitram depoſuit, & ad voluntatem Pontificis Innocentii pervenit. Sicque gaudio magno, & gloria exultationis tota Romana civitas exultavit, & Pontifex ipſe Innocentius ad unitatem Eccleſiæ.. perducitur; *ſive unicus ipſe agnoſcitur Eccleſiæ Pontifex. Hæc Falco, rei quidem hujus exoptatiſſimæ eventum memorans; non verò cauſam, quæ* S. Bernardo *adſcribenda eſt.*

290 *Hanc quippe ſic pandit Ernaldus num.* 137: Pars ipſius (*videlicet Anacleti*) papam ſibi pro illo alterum ſtatuerunt, non tam ex pertinacia ſchiſmatis, quàm ut opportunius per aliquam temporis moram Papæ Innocentio reconciliarentur. Quod ſine mora per manum Servi ſui Chriſtus effecit. Nam & ipſe ridiculus pontifex, Petri Leonis heres, ad eumdem Virum Dei nocte ſe contulit, & ille quidem nudatum eum uſurpatis inſignibus ad Domini Innocentii pedes adduxit. Quo facto, civitas gratulabunda lætatur.. Abbas Claræ-vallis in mira reverentia habetur, ab omnibus auctor pacis, & pater patriæ prædicatur *&c. Elogium de* S. Bernardi *meritis à Chriſti in terris Vicario pronuntiatum, quo expertus loquitur, ac diſertè teſtatur, quid Vir magnus Eccleſiæ, quid Sedi Petri, quid Pontificatui ſuo contulerit, habetur in Vita ſancti Patris lib.* 3, *cap.* 2, *num.* 163.

AUCTORE J. P. *ad Innocentii obedientiam deducuntur à S. Bernardo:*

ratio temporis, quo hæc evenerunt:

291 *De tempore ac modo, quo iſta evenêre, nec non de die, quo Româ diſceſſit Abbas ſanctus, quid memorare prætermittam? In epiſtola* 317 *editionis Mabilloniana, al.* 320, *à Sancto ad Priorem ſuum Godefridum data, habentur ſingula:* In Octavis Pentecoſtes, ipſa die, complevit Deus deſiderium noſtrum, Eccleſiæ unitatem, & Urbi dando pacem. Nam illa die filii Petri Leonis omnes ſimul humiliaverunt ſe ad pedes Domini Papæ, & facti homines ejus ligii, juraverunt ei ligiam fidelitatem. Clerici quoque, qui in ſchiſmate erant ſimul cum idolo, quod erexerant, (*Victore nimirum anti-papa*) humiliantes ſe ad pedes Domini Papæ, obedientiam ei juxta morem promiſerunt, & facta eſt lætitia magna in populo. Hanc pacem niſi cum quadam ſecuritate, occultata tamen diu à nobis, exſpectaviſſemus, jam dudum veniſſemus. De cætero jam nihil eſt, quod nos hîc detineat.. Ecce.. venio citò: etiam & merces mea mecum eſt, victoria Chriſti, & pax Eccleſiæ. Sextâ feriâ poſt diem illum egreſſus eſt noſter de civitate. Itaque venientes veniemus cum exſultatione, portantes manipulos pacis. *Hactenus Vir ſanctus. Quando autem indicat cum uſitata animi modeſtia*, hanc pacem cum quadam ſecuritate *ſe* exſpectaſſe; *an nimium tribuerem ei, ſi dicerem, hanc antea, Deo rem revelante, ipſi præcognitam fuiſſe? Ne* verò *vox* ligius *quemquam moretur, eam explicat Mabillonius in notationibus ad hanc epiſtolam col.* 296, *dicens:* Ligius *eſt*, qui Domino ſuo ratione feudi vel ſubjectionis fidem omnem contra quemvis præſtare debet. *De vocis* ligius *origine ac etymo plures ſcriptorum ſententias profert Cangius in Gloſſario mediæ & infimæ latinitatis.*

Rogerius ſciſmaticus converſus:

292 *Porrò laudata* S. Bernardi *epiſtola præbet nobis materiem duplicis obſervationis; quarum altera ſit, quo menſe ac die Romam reliquerit: altera, an inter* manipulos pacis, *de quibus ſuperiùs ſcribebat ſanctus Pater, fuerit Rogerius, qui primùm Siciliæ Dux, deinde à legato antipapæ Anacleti rex coronatus, ac demum ab Innocentio II rex declaratus eſt? Manipulis hiſce eum eſſe annumerandum negat Baronius ad annum* 1138, *num.* 12, *his verbis:* Porrò Rogerius neque extincto Anacleto, & ſubmoto Victore, recognoſcere adhuc voluit Innocentium ſummum Pontificem. *Affirmat Falco pag.* 126, *pſeudo-pontificis Victoris, ejuſdemque aſſeclarum obedientiæ erga Chriſti Vicarium Innocentium II præſtitæ adjungens iſta:* Diebus autem non multis evolutis, prædictus Apoſtolicus conſilio accepto Albanum venit, diſponens exercitu congregato

AUCTORE J. P.

gregato ad Ducem Rainulphum venire ; ſed infirmitate percuſſus venire non potuit. Interea rex Rogerius congregato exercitu in finibus venit Apuliæ, cogitans civitates ſibi ab imperatore ablatas ſuæ ſubmittere poteſtati. Dux igitur Rainulphus regis illius ſentiens adventum, totius Apuliæ partes ſubmovit, ut contrà ejus rabiem unanimiter inſiſtant. Nec mora, curſu rapido ad Ducem feſtinant nominatum, & ſic contra regis illius ferociam menſibus fere duobus reſiſtunt. Hæc inter, ſicut nobis eſt relatum, prædictus rex Dominum Papam Innocentium in patrem, & dominum accepit, & civitati Beneventanæ, & per totius regni ſui partes mandavit, eum patrem, & dominum accepiſſe. Nos autem litteris ejus acceptis dominum illum & patrem vocavimus. *Rogerius itaque ex obſtinato ſchiſmatis errore tandem in viam rectam deductus dicitur apud Falconem laudatum : quod ſive* Bernardi *precibus, ſive verbis, ſive aliorum, de quibus locuti modò ſumus, legitimo Pontifici ſeſe ſubmittentium exemplo acciderit ; non gravatè patimur nobis perſuaderi, hanc mutationem ſpectare ad manipulos pacis, ab eo in Italia tam feliciter collectos. Hæc de prima obſervatione.*

B

293 *De altera obſervatione dicendum mihi etiam propoſueram, quando videlicet Româ diſceſſerit Sanctus noſter.* In Octavis Pentecoſtes, ipſa die, *ut habemus ex epiſtola ſancti Doctoris, amplexi ſunt ſchiſmatici* Eccleſiæ unitatem. *Dies autem octava Pentecoſtes anno* 1138 *incidit in* XXIX *menſis Maii.* Sexta feria poſt diem illum *diſceſſui ejus ex Urbe aſſignatur, quæ fuit dies* III *Junii. Illa igitur die, ſi nihil interea acciderit impedimenti, quod in mora fuerit ſancto Patri, itineri ſe dedit ad ſuos Claravallenſes profecturus. Hunc tandem famoſum illud ſchiſma finem habuit, quod antea à Viro illo magno repreſſum in ſuo exordio, impugnatum in decurſu, & tandem expugnatum, nunc, eodem agente, radicitus evulſum eſt. Sed* optata tandem Eccleſiæ pace potitus (*utor verbis Manrici num.* 10) qui tempeſtatem ſeptennio ſuſtinuerat, vix quinque dies tranquillum paſſus eſt ; quippe non ſibi natus, ſed bono publico, ne quem fructum in vita ipſe perciperet, ſemper aliquem faceret, ſerere quàm colligere paratior, ſegetem omnem aliis reſervabat. *Rem ſic exprimit Ernaldus abbas Bonæ vallis cap.* 5, *num.* 138 : Abbas Claræ-

C

vallis in mira reverentia habetur, ab omnibus auctor pacis, & pater patriæ prædicatur ... Sed quamdiu ille gloriam toleravit ? Quamdiu pace fruitus eſt poſt tam diuturnum laborem ? Nec diem pro anno recipere acquievit. Sedatis omnibus & compoſitis, vix quinque dies teneri potuit, qui ſeptem annis & ultrà pro reſarcienda eadem ſciſſione ſudavit.

quando S. Bernardus Rbmâ diſceſſerit,

294 *Sed priuſquam ſanctum Patrem ad ſuos redeuntem comitemur, ſuperſunt nonnulla memoranda, quæ ante ejus diſceſſum Romæ accidiſſe obſervat Annalium Ciſtercienſium auctor cap.* 2. *Ac primò quidem ſcribit de paterna ejus ſolicitudine pro filiis Alpenſibus, quando, Garino Alpium abbati ad cathedram Sedunenſem promoto, novus ibidem cœnobii moderator erat eligendus. Videatur de hac re* S. Bernardi *epiſtola* 142, *quæ eſt ad monachos eoſdem Alpenſes hoc argumento:* Monachos Alpenſes, qui ſe ſub Ordine Ciſtercienſi Claræ vallenſibus aggregaverant, commendat, & conſolatur de abſentia patris ad altiorem gradum aſſumpti. Hinc de novo abbate eligendo eos monet. *In hoc monaſterio, ut legi poteſt li-*

& quæ egerit antea.

bro 1 *de Vita Sancti noſtri, cap.* 7, *num.* 73, *mulier morbo caduco laborans fuit ab eo ſanitati reſtituta. Dein idem Annaliſta num.* 3 *agit de Humberto Igniacenſi abbate, ad quem data à Viro ſancto exſtat epiſtola ordine* 141, *in qua* graviter eum perſtringit ob munus prælationis inconſultò ac temere dimiſſum. *Tertiò memorat idem Manricus num.* 4 *coarctatam ſedis Lingonenſis electionem, & electorum querelas. Verum quænam ab ipſis Romæ, quænam à* S. Bernardo, *nec non ab Innocentio PP. in hac re ſint acta, intelligitur ex illius ad hunc epiſtola ordine* 164. *Quartò poſt iſta ſubdit num.* 6 *memoratus auctor litem inter cœnobitas Bertinianos ac Cluniacenſes à Viro ſancto compoſitam. Quintò denique eximiam Petri Cluniacenſis erga* S. Bernardum *venerationem exponit num.* 8. *Hæc in compendio ſufficiant.*

D

Pignora ſacra inde ſecum detulit, & tunicam ſuam ibi reliquit,

295 *Porrò* diſceſſurum ab Urbe Bernardum Patrem, *ſicut referunt prædicti Annales cap.* 3, *num.* 1, Innocentius muneribus proſequitur, qualia dantem, accipientemque decerent : nam non corruptibilibus auro argentove, neque his, quæ auro & argento comparantur ; ſed pretioſo theſauro ſacrorum oſſium per miraculum etiam comprobatorum, atque approbantium Innocentii donationem. Certè in S. Cæſarii martyris dente inſigne fuit id, quod Gaufridus Claræ vallenſis in Actis Bernardi narrat .. lib. 4 cap. 1. *Dens enim ille, qui nulla vi ab aliis priùs evelli poterat è Martyris capite, à ſancto Abbate, præmiſſa ab eodem oratione, incredibili facilitate deinde ablatus eſt, ſen auferentis, ut ita loquar, digitis obſecutus. Factum hoc pluribus narratur apud biographum citatum : qui ibidem etiam memoriæ proditum reliquit, per ejuſdem* S. Bernardi *tunicam, quæ apud Templarios Romæ remanſerat ante ipſius ex Urbe diſceſſum, ſacerdoti cuidam, apud eoſdem graviſſima febri uſque ad deſperationem vitæ laboranti, priſtinam valetudinem fuiſſe reſtitutam.*

E

nec non magnum ſui deſiderium.

296 *Jam verò quantum Vir ſanctus Româ diſcedens ſui ibidem deſiderium reliquerit, ex his verbis apud Ernaldum biographum lib.* 2, *cap.* 5, *num.* 138 *colligere quilibet liquidò poteſt :* Exeuntem Roma proſequitur, deducit Clerus, occurrit populus, univerſa nobilitas comitatur : nec poterat ſine communi mœrore dimitti, qui colebatur amore communi. [Lacrymantur poſt eum, & ſe ab eo poſtulant benedici, & orationibus ejus cum omni devotione ſe commendant.] *Dein* Acceptâ .. ab Innocentio licentiâ, confirmata pace Vir Dei regreditur, & maximum domi reportans gaudium, à fratribus cum gratiarum actione devotè ſuſcipitur. *Sed nos ſanctum Patrem ad Claravallenſes ſuos reducem tunc conveniemus cum Ernaldo, quando antea ipſius ſuppleverimus ſilentium de rebus nonnullis, quæ in itinere ad eoſdem inſtituto evenêre, illas aliunde collecturi.*

F

§ XXVIII.

A

§ XXVIII. Acta pro eccleſia Lingonenſi; cura tironum Claravallenſium; continuatio Sermonum ſuper Canticis; obitus B. Gerardi fratris germani; Gaufridus cathedræ Lingonenſi admotus; S. Hugo in ſpiritu & corpore adjutus; iter Dunenſe; mors S. Malachiæ.

Operam navat eccleſiæ Lingonenſi,

VIrum ſanctum, *pro communi Eccleſiæ bono itinera ſuſcipientem, comitari ſolebant miracula: nullumne igitur edidit in itinere Italico, quando Claramvallem redibat? Hiſtoricus Ciſtercienſis ad annum* 1138, *cap.* 3, *num.* 3, *nullum quidem certo determinat, ſed credit tamen, eum non ſine miraculis iter illud inſtituiſſe, dicens:* Reſiduum viæ, ſaltem per Italiam ab antiquis omiſſum: nec credendum, peractam ſine miraculis, quæ tamen à frequentia jam non mira, ut non vileſcerent, fere inter leges communes reputabantur. *Hinc itaque Galliam ingrediamur, quò dum perveniſſet* S. Bernardus, *nactus eſt occaſionem, quâ eccleſiæ Lingonenſi fructuoſam ac omnino neceſſariam navaret operam. Etenim* tranſcenſis Alpibus, *ſicut perhibet laudatus hiſtoricus num.* 4, cùm jamjam Claravallis in januis eſſet, divertere Lugdunum compulſus eſt, conſecrationem Lingonenſis electi impediturus. Nam Lingonenſes profeſſione tantùm monachum, ſed vita & moribus hominem degenerem, & opinione fœdum uſque ad infamiam, contra fas, contra jus, contra promiſſa, contra præceptum Innocentii Papæ (Burgundiæ principis filio interveniente) in pontificem ſibi nominaverant. Ergo tum primùm delatam ad ejus aures horruit Sanctus prævaricationem in tantis viris, maximè in Lugdunenſi metropolita, &

B

C doluit vicem dilectæ ſibi eccleſiæ, ſi fortè vera eſſent, quæ dicebantur: quam ne lupo permitteret exponi, relictis filiis, patres adorſus eſt.. Verùm quid tunc Lugduni geſtum ſit, ex eadem, quam ad Innocentium ſcripſit, epiſtola ſuprà à nobis adducta referamus. *Eſt ordine* 164, *cujus & nos* § 27 *meminimus; & ad quam lectorem mittimus.*

Claramvallem redux tirones viſit: inter quos

298 *Rebus itaque apud Lugdunenſes ita diſpoſitis, chariſſimos ſibi filios Claravallenſes reviſit ſanctus Pater*, & maximum domi reportans gaudium, *ut paullo antè retulimus ex Ernaldo*, à fratribus cum gratiarum actione devotè ſuſcipitur; *quanto autem cum affectu, nihil opus eſt verbis exprimere. Prima verò cura, quæ paternum illud pectus coquebat, erat tota in tironibus ſui cœnobii Claravallenſis: hoc namque ingreſſum, ad illorum cellam ſine mora ſe contuliſſe, auctor eſt hiſtoriographus Ciſtercienſis cap.* 4, *egregiam ſancti Patris erga filios charitatem commendans ex hoc Exordii magni textu, qui apud Triſſierium diſtinctione* 2, *cap.* 12 *hæc memorat:* Explicitis itaque cauſarum nexibus, pro quibus exierat, ad monaſterium revertitur, quàm citiùs opportunitas datur, cellam novitiorum ingreditur, quatenus novelli & teneri filioli, quos lacte nutriebat, quanto diutius ſacræ exhortationis ipſius dulcedine caruerant, tanto copioſiùs ab uberibus conſolationis ejus reficerentur.. Cùm ergo, ſicut prædiximus, cellam novitiorum intraſſet, & in lingua ſua illa placabili & ædificatoria cunctos hilares, & ad obſervantiam ſacri propoſiti ferventiores reddidiſſet, unum ex eis ſeorſum revocans dixit ad eum: Fili chariſſime, unde tibi hæc triſtitia, quæ intimos receſſus cordis tui tam perniciosè depaſcitur? AUCTORE J. P.

conſolatur & confirmat unum magnâ triſtitiâ affectum:

299 Novitio autem præ verecundia vix aliquid loqui audente, ait illi verè mitis, & humilis corde, qui ſe paſtorem, & non mercenarium ovibus exhibere noverat: Scio, fili dilectiſſime, ſcio ea, quæ circa te aguntur, & propterea paterno pietatis affectu tibi compatior. In hac namque tanta mora abſentiæ meæ, cùm deſideratiſſimâ ſemper mihi fratrum meorum præſentiâ corporali carêre compulſus fuiſſem, & per Domini gratiam conceſſum mihi eſſet, ut quod corporaliter non poteram, ſpiritualiter ſupplerem, redienſque in ſpiritu ſingulas circuirem officinas, qualiter ſe fratres haberent, diligentiùs explorans, etiam ad cellam novitiorum acceſſi: E in qua cùm univerſos in timore Dei exultantes, & ad pœnitentiæ labores accinctos inveniſſem, te ſolum nimiâ triſtitiâ deperire conſiderans, ingemui. Cumque blandiendo tibi, te mihi adſtringere vellem, tu me averſatus, facièm à me avertens, amariſſimè flebas: ita ut cuculla noſtra lacrymis tuis infunderetur. Hæc dicens Pater ſanctus, & ſalutaribus monitis aggreſſus captivum, mœrorem fugavit, & ad ſpiritualis lætitiæ libertatem jam penè triſtitiâ abſorptum revocavit. *Hæc ibi; ſed ex iis, quæ ibi præcedunt*, Iſte fidelis & prudens diſpenſator annonæ Dominicæ quodam tempore pro cauſis Eccleſiæ ſolito diutius foris moratus fuerat: ſiquidem pro pace facienda, pro ſchiſmate reſarciendo, pro hæreſibus confutandis, frequenter ex mandato ſummi Pontificis, licet invitiſſimus, exire cogebatur; *ex his, inquam, non ſatis eſt perſpicuum, an factum, quod narravi, quodque Manricus prædicto* S. Bernardi *regreſſui ad Claravallenſes innectit, revera tunc acciderit, an alio ex pluribus. Sed quidquid ſit de tempore,* F *laudatus Manricus num.* 2 *rem ita confirmat:* Hanc eamdem defolati novitii conſolationem antiquior auctore Exordii Godefridus, Bernardo Patri, dum vixit, à ſecretis, poſt mortem in abbatia etiam ſucceſſor, etſi non immediatus, in quodam, quem de ipſo habuit, ſermone ad fratres in capitulo, reliquit ſcriptam; ubi non ſolis verbis peractam docet, ſed etiam oſculo. *Et mox rem geſtam his verbis confirmat:* Hæc, ait (*ſanctus videlicet Pater*) & propiùs illum accedere jubens, ſua illa piiſſima dignitate oſculatus &c. Et poſt pauca, *uti addit*, ſed gemina quædam ſacrorum gratia labiorum in verbo veritatis, & in oſculo charitatis confeſtim triſtitiam depulit.

reſumit Sermones

300 *Verùm quibus ſacris commentationibus ad ſuos redux, & jam ſuus, operam impendit? Ernaldus abbas, expoſito ejus reditu, cap.* 5, Abbas ſanctus ad ſtudia ſua reverſus, dilectum amplectitur Epithalamium, *inquit cap.* 6 *idem biographus. Hoc etiam affirmat, & magis diſtinctè exponit Annalium Ciſtercienſium concinnator num.* 3: Tunc verò, *ait*, rurſum intermiſſum opus in Cantica, fratrum ſuorum precibus reſumens, tribus ſupra viginti, quos jam ediderat, vigeſimum quartum Sermonem ſuperaddi-

AUCTORE J. P.

addidit, initium capiens ab ipsa intermissione. *Audiatur ipse sanctus Pater Sermone 24 in Cantica, quem sic orditur:* Hoc demum tertiò, fratres, reditum ab Urbe nostrum clementior oculus è cælo respexit, & vultus tandem serenior desuper arrisit nobis. Quievit Leonina rabies, finem accepit malitia, Ecclesia pacem recepit. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, qui eam per hoc ferme octennium diro schismate conturbarat. Num verò ego gratis de tantis periculis ero redditus vobis? Vestris desideriis donatus sum, vestris me profectibus paro: quorum vivo meritis, volo vivere studiis, & saluti. Quódque dudum cœpta in Canticis me exequi vultis, libenter quidem accipio, & dignum arbitror, interrumptum potiùs resarcire Sermonem, quàm novi ordiri quippiam *&c.*

super Cantica; qua occasione

301 *Duplex elucidando hujus Sermonis exordio subserviet animadversio. Nam prima est ex Mabillonii in illum notis, ubi col.* 1346 *observat, insignem esse in scriptis diversitatem ab initio sermonis usque ad locum, quem indicat ibidem, & addit ista:* Ex hac varietate nata est magna confusio in plerisque editis, in quibus refertur

B

utrumque exordium, sed perperam. Hæc enim varietas inde orta est, quòd Bernardus bis hunc eumdem Sermonem pronuntiavit: primò quidem cum exordio breviori anno MCXXXVII, antequam Romam tertiò proficisceretur: secundò verò, cum inde rediit anno MCXXXVIII, eumdem repetiit cum altero exordio, ut interruptum dopus ab ultimo hoc sermone resumeret. Codex unus regius num. 4511 consequenter eumdem dem Sermonem sub duplici exordio repetit: unus item Thuano-Colbertinus semel hoc loco cum uno exordio, & iterum post sermonem 60 cum altero.

nonnulla observantur.

302 *Altera est animadversio ex Annalibus Cisterciensibus num.* 4, *videlicet indicare sanctum Patrem in initio ejusdem Sermonis; sese* tertiò jam ab Urbe rediisse; *id verò eorumdem Annalium confector* de Curia potiùs, quàm de Roma intelligendum *monet*, à qua citra Alpes existente semel redierat, bis ultra: alias bis tantùm transalpinasse hactenus ipsa series historiæ nos edocuit. Sed Curiam ubique existentem, Romam & Urbem dici, non semel vidimus. Sic Bernardus Innocentium Viterbii adiens anno proximo, Romæ nihilominus ab eo susceptus dicitur. *In majorem hujus rei probationem affertur illud Ernaldi, apud nos lib.* 2 *cap.* 5, *num.* 131: Hæc dicens, & benedicens flentibus universis, discessit, & cum multa reverentia ubique susceptus, demum Romam pervenit, in cujus

C

adventu tam dominus Papa, quàm Fratres * lætati sunt. *Quod verò asseruerat dictus Manricus, probat à simili exemplo:* Sic etiam venerabiles Joannes Ilboduque, cum Paschalis II Troiæ existeret, Romam isse, rediisseque dicuntur, atque inde privilegium adportasse: quippe quia Roma Curia vocabatur, nempe à Sede, etiamsi casu alibi consisteret. *Vide Exordium parvum Cisterciense apud Tissierium cap.* 10, *& Annales Cistercienses ad annum Christi* 1100, *cap.* 3.

* *i. e.* Cardinales

Mors B. Gerardi, qui fuit frater germanus S. Bernardi;

303 *Eorumdem Annalium scriptor ad annum sæpenumero memoratum* 1138, *cap.* 5 *& 6 multa ac varia colligit de beati Gerardi, qui germanus fuit* S. Bernardi *frater, pretiosa morte in conspectu Domini, rebusque hac occasione peractis. Pathetica enimverò sant, quæ Vir sanctus in charissimi sibi fratris obitu cogitavit, dixit, ac fecit. Merentur omnino legi, quæ Doctor mellifluus pronuntiat in Sermone* 26 *in Cantica, ubi*

D

nunc doloris, nunc amoris, nunc lacrymarum & luctus suavissima vicissitudine & dulcedine verè Bernardina affectus identidem intermiscet, & cumulatissimis laudibus eum extollit, opemque ipsius implorat tamquam Calitum contubernio jam donati. Actum de illo apud nos est ad diem XIII *Junii, tomo* II *ejusdem mensis pag.* 699. *Laudatus porrò Manricus causam Lingonensis ecclesiæ à se intermissam, & malè servata fidei repetitos conatus prosequitur cap.* 7 *&* 8. *Quæ de ea à nobis sunt præmissa, lege supra; quæ verò deinde in eadem controversia acciderint difficultates, commemorat citatus auctor: sed eorum quæ singillatim ibidem referuntur, synopsin ex illo exhibebimus.*

fortiter se opponit electo episcopo Lingonensi indigno;

304 *Electus itaque Lingonensis suam consecrationem denuo promovere conatur, patronis ejus Lingonensibus novas ad hunc finem machinas adhibentibus. Stat ab ipsius etiam parte electi, qui erat monachus Cluniacensis, venerabilis Petrus Cluniacensis abbas, tamquam pater defendens filium, ac* S. Bernardi *auctoritati opponens suam; hunc quippe nimia in credendo facilitatis accusat; illum vero à culpa excusat. Quid multa? Ludovicus Gallia rex aditur ab eo: a* Bernardo *autem interpellatur Innocentius Papa: varia utrimque in hac causa à litigantibus agitantur, ut videre licet in epistola* 164 *ab eodem Sancto ad eumdem Pontificem data. Porro* S. Bernardus *tam constanti, tam invicto animo rem suam prosequitur, tamque fortiter electum illum, & indignum insulis hominem, seu potius gravamina ejus persequitur, ut nullis precibus à proposito suo dimoveri potuerit. Petrus Cluniacensis litteris etiam convenit Innocentium, quæ proferuntur à Manrico cap.* 7 *num.* 7; *nec non* S. Bernardum, *quas ibidem legere licet num.* 8 *& sequentibus. Post hæc cap.* 8 *pergit idem historicus dicere de intentata electi Lingonensis consecratione: cujus exsecutionem nec* Bernardi *epistolâ unâ ad summum Pontificem, quæ est ordine* 167, *nec alterâ ad Cardinales* 168, *quas adducit, impediri potuisse memorat. Sed Vir sanctus concepti semel pro justitia ac communi bono propositi semper tenacissimus, quidnam reliquit intentatum, ut felicem huic controversiæ exitum procuraret?*

F

qui tandem rejicitur, Gaufrido in ejus locum suffecto.

305 *Bona partis fautores ac patronos laudat ac confirmat in epistola* 165; *Innocentii Papæ iterum pulsat aures epistolâ* 166; *eum post tot labores consecutus fructum, ut, quæ in favorem hominis cathedrâ Lingonensi indignissimi fuerant facta, sint rescissa & abolita. Nam consecratus amovetur à cathedra episcopali: instituitur electio nova: substituitur novus præsul. Et* primò *quidem, ut scribit Manricus sub finem capitis octavi,* Bernardus Pater electus est, quem ipsi etiam victi summè arderent. Sed eo penitus onus recusante, cùm plures alii idonei circumferrentur, præter spem, præter omnium intentionem, unus Gaufridus omnibus occurrit Clarævallensis Prior, vir sanè magnus, quem omnes vellent, quem omnes postularent, à quo nullus omnino dissentiret. *Sic ille, cap.* 9 *subnectens regem novæ electioni infensum,* Bernardi *ad eumdem epistolam ordine* 170, *nec non constantem Petri Cluniacensis amorem erga sanctum Patrem: qui regem eumdem* obsequentem in omnibus expertus, Gaufridum tandem mœrens à se avulsit, *ait prædictus Annalista num.* 6, *eumdem mox laudans. Controversia ista Lingonensis intexitur etiam to-*

mo

A *mo 4 Galliæ Christianæ à col.* 575 *novissimæ editionis; collectio autem gestorum Godefridi dàtur ibidem a col.* 577, *in qua dicitur* ejus electio plenum effectum non nisi anno MCXXXIX sortita esse. *Apud Guillelmum lib.* 1 *Vitæ* S. Bernardi *cap.* 5. *num.* 51 *dicitur* sancti Viri & propinquus sanguine, & conversione socius, & ex tunc per omnia individuus comes. *Ernaldus verò in eadem Vita lib.* 2, *cap.* 3, *num.* 114, Aderat, *inquit*, Godefridus Prior .. propinquus ejus in carne & spiritu, vir sapiens & constans .. & sanctitatis formam retinens *&c. Hunc itaque finem habuere gravissimæ in causa Lingonensi difficultates ac lites, quibus Vir sanctus, constantiâ summâ & impigro labore consuetus aliàs vincere, insignem pro justitia palmam retulit, triumphalem ac Lingonensi ecclesiæ salutarem coronidem eisdem imponendo. Ad Gaufridum ulteriùs quod attinet; consule de eo Annotata ad libri secundi Vitæ caput* 3 *lit.* f. *At nunc alia colligere prosequamur sanctissimi Abbatis gesta.*

306 *Inter ea, quæ referunt Annales Cistercienses cap.* 10 *de Hugone, monasticam Ordinis Cisterciensis institutum amplexo, huc pertinet epistola sancti Patris ad illum scripta, ordine* 351 *aliàs, nunc apud Mabillonium* 322, *in qua* laudat vitæ religiosæ propositum, præmuniteque eum adversus tentationes, & ad constantiam ac perseverantiam excitat. *De hoc sancto Hugone jam pridem tractavimus ad diem* 1 *Aprilis a pag.* 46; *nti etiàm de vita & cultu ejus publico. Chalemotus verò illum annuntiat & laudat in Serie Sanctorum &c. Ordinis Cistercienſis ad diem* XVI *Martii. Nec à proposito deviavero, si cum Manrico num.* 7 *capitis proximè citati retulero*, qualiter à Bernardo Patre curatus sit medicinâ & industriâ mixtâ miraculo, quamvis constet hunc annum non concernere, quia nullus alius certus designatur *&c. Factum refertur apud Vincentium Bellovacensem lib.* 29 *Speculi historialis cap.* 33: Post hæc cœpit nimiis abstinentiis se affligere, ita ut penè sensum & memoriam perdere videretur. Interea S. Bernardus, qui tunc vivebat, venit ad eum per Dei providentiam, & jussit eum mitti in infirmitorium, & ut ei singulis noctibus vigiliæ cantarentur, priusquam cæteris infirmis, quatenus postea haberet generalem licentiam loquendi ubi vellet; & ita per Dei misericordiam in brevi convaluit.

S. Hugonem Ordinis Cisterc. ascetam confirmat, ac morbum ejus curat:

B

C

307 *Historiographus Cistercienſis cap.* 13 *num.* 8 *inquirit an* S. Bernardus *adierit Dunas. Ac primò quidem Ægidium de Roca (immò de Roya) allegat, in Annalibus Belgicis ad hunc annum* 1138 *id affirmantem his verbis:* Beatus Bernardus in Flandriam venit, Dunis Robertum abbatem stabilivit, & privilegia à Theodorico Comite pro Dunensibus impetrat, tantum terratum scilicet, quantum propriis aratris excolere valuerint *&c. Huic auctori addit idem historiographus Meyerum, qui Annalium Flandriæ lib.* 5 *ad annum* 1138 *hæc notata reliquit:* Eodem anno D. Bernardus abbas Claræ-vallis in Flandriam venit prædicatum, ubi sanctis concionibus ac salutaribus exemplis permultos ad piam beatamque perduxit vitam. In quibus Arnulphus quidam cognomine à Majorca tanta solicitudine custodivit illius doctrinam, tantâque patientiâ longos gravesque ante obitum pertulit morbos, ut de ejus conversione ac constantia sæpè Bernardus gratias agens Deo, diceret ipsum fuisse tamquam aurum in fornace probatum. Apud Furnenses autem cùm verbo Dei insisteret, Dunensibus cœnobitis Cistercienſium tradidit institutum, ac Robertum monachum suum, ad quem etiam nunc extant ejus epistolæ, patria genteque Brugensem, abbam inibi fecit; qui tam celebri floruit famâ sanctitatis, ut ab ipso Bernardo jam animam agente electus sit abbas Claræ vallis.

inquiritur,

AUCTORE J. P.

308 *Sed adventus ille sancti Patris non placet Manrico, qui loco mox producto hæc scribit;* Ego, ut adventum hoc anno dubium reputo, sic ab auctoribus gravibus notatum præterire non debui, imo nec potui. Sed veriùs censeo, mansisse in Claravalle, longum exilium pertæsum, nec quidquam non Roberto creditum quantumvis arduum. *Sed duo illa argumenta non videntur esse magni momenti. Non primum, quod à tædio petitur: nam tot aliis Vir fortis non absterrebatur tædiis, indefesso labore communis boni causâ susceptis: cur autem hoc? Non secundum: quia tametsi Roberti meritis plurimum deferret; quid obstat, quo minus masculo pectore itineris istius molestias devoraverit, ut majore cum solennitate ac securitate poneret nova istius plantationis exordia? Quamvis autem nobis non constet, an rationes peculiares habuerit, quæ eò ipsum evocarint, atque adeo id certo affirmare non possimus; ita etiam illas eum habuisse, certò negare non possumus; præsertim quando præter auctores citatos alii adventum ejus in Flandriam memoriæ prodidere, & quidem distinctiùs, quàm duo præcedentes, quorum verba protulimus. Malbrancus enim noster tomo* III *De Morinis lib.* 10, *cap.* 3, *pag.* 188 *ita loquitur:* Porrò in Flandriam venit D. Bernardus, & Iserecium pagum, seu Furnense territorium suis salutiferis concionibus excoluit, & excolendo divertit ad Fulconense contubernium, & nardi sui ita illud replevit fragrantiâ, ut non dubitarit Fulco, omnesque ejus discipuli, se suaque omnia Bernardinæ normæ subjicere, etiam illi, qui ad Ruholtense castrum nemusque agebant. Et ea pariter mens sedebat Theodorico ac Sibyllæ Comitibus, qui nihil adhuc stabilierant seu quoad census, seu quoad fixam structuram. Igitur Bernardus probavit quidem oblatum munus .. sed ad Claravallenses præeundum sibi; illicque maturiùs ea de re agendum. *Hæc Malbrancus, adventum ejus ad Morinos in indice chronologico, qui dicto tomo præfigitur, innectens anno Christi* 1137, *quod improbamus. Et verò pugnantia loqui ibidem videtur, quia dicit illum adventum*, schismate superato, *accidisse: schisma autem famosum, quod* Bernardus *extinxit, finem habuit anno Christi* 1138.

an S. Pater

D

E

F

309 *Antonius Sanderus in Flandria illustrata lib.* 4 *rerum Brugensium cap.* 15, *pag.* 248 *scribit ista de laudato Roberto ad nostrum propositum conducentia, quæ nos hùc transcribimus in ejus fide:* Hujus tempore B. Bernardus venit in Flandriam, & Furnis ad Canonicos S. Walburgis sermonem mellifluum habuit Non. April. anno MCXXXVIII. Erat & tunc temporis prope monasterium Dunense sacellum D. Laurentio sacrum, in quo ipse ineruentum Missæ sacrificium obtulit, quod propterea usque ad nostra fere tempora in summa veneratione habitum fuit; sed belli nuperi furiis omnino dirutum est. *R. D. Carolus de Visch, Prior cœnobii B. Mariæ de Dunis, in Bibliotheca Scriptorum sacri Ordinis Cistercienſis ad nomen* Roberti de Brugis, *affirmat, eum* prædicatione, sanctaque conversatione divi Bernardi Flandriam visitantis excitatum *&c. Conferat lector allata jam tot testimonia*

Dunas in Flandriam sit profectus:

AUCTORE J. P. *cum dubitatiuncula Manrici, & videat, hacne ſolâ potiùs, an illis probabiliùs in hac controverſiâ ſit ſtandum. De rebus ſpectantibus ad abbatiam B. Mariæ Virginis de Dunis, quæ olim fuit in agro Furnenſi, ſed poſtea ad civitatem Brugenſem tranſlata eſt, conſuli poteſt memoratus ſuprà Sanderus a pag. 246. Hactenus de geſtis Sancti anno 1138.*

310 *Manricus anno proximè ſequenti 1139 intexit multa de S. Malachia archiepiſcopo in Hibernia, celeberrimo & apoſtolico ibidem viro, & Claravallenſe inſtitutum etiam amplexo, cujus Vitam* S. Bernardus *conſcripſit. Martyrologium Romanum annuam ejus memoriam refert ad diem* III *Novembris; quo ejus Acta illuſtranda erunt. Interim aliis enarrandis nos accingamus* S. Bernardi *factis, ad quorum exſecutionem ſicut divina providentia eum modo ſingulari elegit, ita iiſdem honorificentiſſimè perfunctum illuſtravit ſummo ſplendore.*

obitus S. Malachiæ archiepiſcopi.

§ XXIX. Petrus Abaëlardus; ingenium ejus ac mores; errores rectè impugnati à S. Bernardo; hujus mirus cum illo congreſſus; Arnaldus de Brixia diſcipulus Abaëlardi.

B

Quæ hoc loco referuntur è Gaufrido biographo.

ANnus *Chriſti* 1140, *erroribus à* S. Bernardo *impugnatis atque expugnatis memorabilis, magnam victori laudem, inſignem Eccleſiæ utilitatem, amplam ſcriptoribus materiem ſubminiſtravit. Primus in ſcenam prodeat Petrus Abaelardus ſeu Abailardus, famoſus erro ille à via recta, & in meliorem reductus opera & dexteritate ejuſdem Sancti. Quam de hoc negotio meditor collectionem, conducet ad pleniorem declarationem Vitæ ſancti Doctoris noſtri à Gaufrido continuatæ, lib.* 3 *cap.* 2, *num.* 164, *ubi ſic loquitur:* Fuit in diebus illis Petrus Abaëlardus, magiſter inſignis, & celeberrimus in opinione ſcientiæ; ſed de fide perfidè dogmatizans: cujus cùm blaſphemiis plena graviſſimis volitare undique ſcripta cœpiſſent, profanas novitates vocum & ſenſuum viri eruditi atque fideles ad Dei Hominem retulerunt *Expendamus hîc primò ipſam Petri perſonam, ſtudiorum, ingenii ac morum ejus imaginem repræſentantes. Pagius in Critica Baroniana ad annum Chriſti* 1113, *num.* 13, Florebat, *inquit*, hoc tempore in Gallia Petrus Abaëlardus Nannetenſis, qui calamitatum ſuarum hiſtoriam compoſuit in ſua prima epiſtola ad amicum ſcripta. Natus ad literatoriam diſciplinam, ut ipſemet aſſerit, facilè eam didicit, præſertimque dialecticam; cujus diſcendæ percupidus diverſas diſputando perambulavit provincias. Pariſios venit ad Guillelmum Campellenſem, in hoc tunc magiſterio re & fama præcipuum: cui primò acceptus, ſed poſtmodùm graviſſimus fuit, quòd nonnullas ejus ſententias refelleret, & de ſuo ingenio nimis præſumens adhuc adoleſcentulus, Meloduni paucis leucis Pariſiis diſſiti, & Campello vico, ubi Guillelmus in lucem venit, ſcholas aperuiſſet. *Sed audiamus ipſum Abaelardum in epiſtola* 1 *cap.* 2: Et ab hoc, *ait*, ſcholarum noſtrarum exordio, ita in arte dialectica nomen meum dilatari cœpit, ut non ſolùm condiſcipulorum meorum, verùm etiam ipſius magiſtri fama contracta paulatim extingueretur.

C

D

312 Hinc factum, ut de me ampliùs ipſe præſumens, ad caſtrum Corbolii, quod Pariſiacæ urbi vicinius eſt, quantociùs ſcholas noſtras transferrem, ut inde videlicet crebriores diſputationis aſſultus noſtra daret importunitas *, *Hæc ille. Pergamus cum Pagio:* Interim Guillelmus Campellenſis currenti anno, ut docet Albericus in Chron., epiſcopus Catalaunenſis creatus, à conſueto philoſophiæ docendæ ſtudio non deſtitit, & ad ejus ſcholam Abaëlardus Corbolio Pariſios venit. Sed cùm rurſus magiſtro graviſſimus eſſet, dialecticæ docendæ ipſemet operam dedit, & poſt aliquod tempus Melodunum reverſus, ſcholas ibi rurſus aperuit. Tandem Pariſiis ſacram Scripturam legit, & Petrus Lombardus poſtea epiſcopus Pariſienſis, ejus theologiâ uſus in compoſitione Sententiarum, ut prodit Joannes Cornubienſis, ipſius Lombardi diſcipulus, in ſuo Eulogio ad Alexandrum III Papam. *Habes hîc, lector, de ingenio Abaelardi ac ſtudiis; nunc intellige de moribus, ſeu potiùs de amoribus ejus, è Pagio, qui num.* 14 *ſic pergit:*

aliundè

* opportunitas

E

313 Fulbertus canonicus eccleſiæ cathedralis Pariſienſis eum rogavit, ut ſuceiſivis horis Heloiſſam, nobilem virginem neptem ſuam, formâ præſtantem, doctrinâ præſtantiorem, & totâ Galliâ ob eruditionem, eximias animi dotes, & peritiam Hebraïcæ, Græcæ, & Latinæ linguæ poſtea celebrem, tam linguis, quàm philoſophicis, aliiſque liberalibus artibus imbueret. Verùm Abaëlardus amoribus ejus illaqueatus, ipſam quoque ſuis illaqueavit, & ex ea concepit filium nomine Aſtrolabium: quod ſcelus honeſtis nuptiis, conſentiente Fulberto, imminuere voluit, & dum interim ſcholis vacaret, Heloiſſam cum Argentolienſibus monialibus recluſit, monitam tamen ne velum indueret. At Fulbertus & Heloiſſæ conſanguinei eum ſibi illuſiſſe putantes, qua parte peccaverat, crudeliter mutilarunt, & eunuchum effecerunt; indeque ipſe pudore ſuffuſus, monachum in monaſterio S. Dionyſii juxta Pariſios induit; ipſa verò ab epiſcopo velum accepit in monaſterio Argenteolenſi Lutetiæ vicino, in quo poſtmodùm prioriſſa & abbatiſſa fuit.

exponuntur

F

314 *Deinde num.* 15 *nonnullis interjectis de ſchola Abaëlardi celebritate, Adamo abbate S. Dionyſii docere eum permittente aliorum rogatu, nec non de ſpurcitiis tunc temporis apud iſtius abbatiæ aſcetas, ex eodem Abaëlardo; quas* ego, *ait*, frequenter atque vehementer modò privatim, modò publicè redarguens, omnibus me ſupra modum oneroſum atque odioſum effeci. Qui ad quotidianam diſcipulorum noſtrorum inſtantiam maximè gaviſi, occaſionem nacti ſunt, quâ me à ſe removerent; *his, inquam, interjectis ſubdit iſta laudatus Pagius:* Sed dum magnorum & parvorum odiis in eum ardentibus ipſe nimis ingenio ſuo indulget, alioſque deſpicit, ſicut manus ejus contra omnes, ſic manus omnium contra eum armantur, & variis erroribus inſimulatur, uti anno MCXXI de concilio Sueſſionenſi, annoque MCXL de Senonenſi verba facientes videbimus. Quæ paulo fuſiùs nobis tractanda fuere, quia ejus Opera non niſi poſt mortem Baronii, annoque MDCXVI ab Andrea Duchеſnio è tenebris eruta, & notis illuſtrata. Vide quæ anno MCLXVI de Goſuino abbate Aquicinctenſi dicemus. *Hactenus Pagius. Nos verò*

collectione hiſtorica;

tum

A *tum ſuperiora huc tranſcripſimus, tum plura inferiùs his ſuperaddemus, ut ſuppleamus & elucidemus brevitatem Gaufridi biographi; ad cujus verba, de Abaëlardi erroribus, ſeu, ut cum eodem Gaufrido loquar, blaſphemiis, colligere ſequentia viſum eſt. Non diſputo autem, ad vitandos cavillos, de animi ejus ſenſu, ſed de ſenſu, quem verba ſcriptoris ipſa præ ſe ferunt.*

ea præſertim, 315 *Expendamus itaque ſecundò, in quibus* de fide perfidè, *uti dicebat Gaufridus*, dogmatizaverit *Abaëlardus. Opera iſtius auctoris edidit Franciſcus Ambœſius, anno 1616 typis Pariſienſibus impreſſa, ſimul cum Præfatione apologetica pro eodem ſcriptore, in qua producit ſeptemdecim* capitula, quæ magnus ille D. Bernardus Claræval. abbas miſiſſe dicitur Innocentio II Papæ, reperta, ſi credere fas eſt, partim in libro Theologiæ, partim in libro Sententiarum, partim in libro, cui titulus eſt: SCITO TE IPSUM; quos duos poſtremos libros Abaëlardus negavit à ſe ſcriptos. De his erroribus deteſtandis quivis poteſt hoc uſurpare: Heu cadit in quemquam tantum ſcelus! *His præmiſſis, capitula*

B *illa ſubdit; quæ inde apud Manricum tranſcripta ſunt ad annum 1140, cap. 4. Dein claſſicum inſonat apologiæ auctor contra* S. Bernardum, *& alios in hoc argumento, pro Abaëlardo. At non eſt hujus loci apologiam iſtam expendere pluribus vel refellere. Pro* S. Bernardo *loquar inferiùs, loquar item contra Abaëlardum, quantum in rem noſtram erit ſatis.*

quæ ſpectant 316 *Ad errores autem Abaëlardi quod attinet; famoſa de iiſdem exſtat Sancti epiſtola centeſima nonageſima hoc titulo:* Ad Innocentium Pontificem de erroribus quibuſdam Petri Abaëlardi; *ſed in editione Mabillonii ea refertur inter ſancti Doctoris Tractatus, Opuſculo* XI. *à col.* 643, *cum Admonitione eidem prævia Mabillonii à pagina* 635. *Ad ejuſdem verò Admonitionis finem*, Poſteaquam, *inquit*, hæc ſcripſeram noſter Johannes Durandus, qui tunc Romæ verſabatur, ex mendoſo codice Vaticano num. 663 ad me tranſmiſit CAPITULA HÆRESUM PETRI ABAELARDI, ſequenti epiſtolæ præmiſſa, hæc ipſa ſine dubio, quæ Bernardus in fine hujuſce epiſtolæ ſe collegiſſe, ac Pontifici tranſmiſiſſe ſignificat. Idcirco ea hoc loco præmittere viſum eſt

C ad ipſius epiſtolæ illuſtrationem. *Hæc præmonet Mabillonius; ſed nos tam ad iſta Capitula, quam ad epiſtolam ipſam lectorem mittimus. Interim ut defendatur æquitas cauſæ* S. Bernardi; *nonnulla alia de erroribus Petri Abaëlardi obſervanda ſunt ex iis, quæ Mabillonius erudite de hoc argumento collegit.*

ad errores ejus: 317 *In ſua Præfatione generali ad novam editionem Operum* S. Bernardi, *num.* 53 *hæc memorat:* In primis obſervare licet, Abaëlardum longè antè, quàm cum Bernardo quidquam commercii habuiſſet, à Conone, Apoſtolicæ Sedis Legato, provocatum fuiſſe ad concilium Sueſſione anno MCXXI celebratum, atque in eo librum ejus de Theologia, in quo erronea capitula continebantur, flammis traditum fuiſſe, auctore in monaſterium ſancti Medardi retruſo. Inde verò egreſſus, per varios hinc inde diſcurſus, prima ſua dogmata diſſeminare pergit. Hinc hæreticus audit apud pleroſque. Quod nomen graviter ferens, Bernardum, quem hujuſce convicii auctorem exiſtimabat, ad concilium Senonenſe anno MCXL invitum ac renitentem pertraxit. Hîc coram epiſcopis, & aliis ſecundi ordinis illuſtribus viris, iterum auditus Abaëlardus ipſe, atque à Bernardo confutatus; examinata, iterumque proſcripta ejus doctrina, intacto auctore, qui ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Verùm intellecto, ſynodi ſententiam ab Innocentio ſecundo fuiſſe approbatam, ab appellatione deſtitit, atque hortante Petro Venerabili in Cluniacenſe monaſterium ſe recepit, & tandem apud Cabilonem in cœnobio S. Marcelli laudabili fine quievit. *Hæc paulò altiùs repetita abunde manifeſtant erronea ejus dogmata in fide. Ad hæc, dum adverſus* Bernardum *deblaterans ſcribit, ac cornua erigit, perverſam ſuam doctrinam profert in claram lucem; prout videre licet in Admonitione prævia Mabillonii paulò antè laudata;* Hæc idcirco commemoramus, *inquit col.* 637, ut omnes demum intelligant, quàm impiè ut de Incarnatione, ita de gratia Chriſti, ſi non ſenſit, ſaltem ſcripſerit Abaëlardus, & quàm meritò Bernardus dixerit in epiſtola 192: " Cùm de Trini- „ tate loquitur, ſapit Arium: cùm de gratia, „ ſapit Pelagium: cùm de perſona Chriſti, ſa- „ pit Neſtorium „. AUCTORE J. P.

quos S. Bernardus E 318 *Et paulo inferiùs rectè iſta repetit Mabillonius:* Hæc, inquam, ideò commemoramus, ut pudeat eos, qui hos errores deteſtantur, quòd Abaëlardi cauſam ſuſcipiant adverſus Bernardum, quem præcipitis in Abaëlardum judicii, ac nimiæ impetiginis accuſare porrò non verentur. Eodem fere modo atque Abaëlardus, Trinitatis myſterium explicat Guillelmus de Conchis: cujus itidem errores confutat Guillelmus S. Theoderici abbas in epiſtola ad Bernardum. Adeo nihil infelicius cadere in religionem poteſt, quàm cùm philoſophi ex ſola ratione, fidei noſtræ myſteria explicare conantur. *Et mox idem auctor de toto Abaëlardi negotio tractat ex Gaufridi;* ſancti Bernardi *notarii, epiſtola ad Henricum Cardinalem & epiſcopum Albanenſem: cujus epiſtolæ verba tum ibi, tum in Cheſnii notis in Abaëlardum, ibidem citatis legi poſſunt; ut mittam, quæ de viſo Henrici canonici Tornacenſis ad Patres ſynodi Senonenſis atque ad* Bernardum *relato, narrantur in Spicilegii Acheriani tomo* 12, *pag.* 478 *& ſequente.*

ſapienter 319 *Ut verò luculentiùs appareat æquitas cauſa, ac prudentia ſapientiſſimi Doctoris noſtri in perſequendis tam ardenti ſtudio Abaëlardi erroribus; quamquam affatim ſufficiant, quæ de iis* F *jam præmiſſa à nobis ſunt, quædam præterea hiſce ſuperaddimus de hujus contra illum defenſoribus.* Primus, *ait Mabillonius in ſua Præfatione generali num.* 55, adducitur Abaëlardus ipſe, qui in Apologia ſua conqueritur, ſibi quædam " per malitiam (impoſitâ fuiſſe; in primis „ quod) Pater ſit plena potentia, Filius quædam „ potentia, Spiritus-ſanctus nulla potentia (quæ „ verba) non tam hæretica quàm diabolica „ abhorret, nec in ſuis ſcriptis poſſe reperiri affirmat. Verùm de hoc aliiſque capitulis agendum in Obſervationibus ad Bernardi opuſculum XI. Interim in eadem Apologia ſua fatetur Abaëlardus, ſe aliqua ſcripſiſſe " per errorem, quæ non o- „ portuit, (at) nil per malitiam, aut per ſu- „ perbiam „ additque, ſe, ſi quà per multiloquium exceſſit, paratum ſemper eſſe " ad ſatis- „ factionem de male dictis (ſuis) corrigendis „ ſive delendis „ ac demum ſe Eccleſiæ filium „ cuncta, quæ recipit, recipere; quæ verò re- „ ſpuit, reſpuere „. Bene. Nolumus Abaëlardum hæreticum: ſufficit pro Bernardi cauſa, eum fuiſſe in quibuſdam errantem: quod Abaëlardus ipſe non diffitetur.

AUCTORE J. P. *ac prudenter*

320 Quid verò contra ſanctum Doctorem, aut pro Abaëlardo Otto Friſingenſis lib. 1 cap. 47 ? Nimirum Bernardum " ex Chriſtianæ religionis fervore zelotypum, & ex habituali manſuetudine credulum : (adeo) ut magiſtros, qui humanis rationibus & ſæculari ſapientiæ confidenter nimiùm inhærebant, abhorreret, & ſi quidquam ei Chriſtianæ fidei abſonum de talibus diceretur, facilè aurem præberet ". Verùm hæc ipſa in ſancti Doctoris gloriam cedunt : cùm nihil magis ad doctorem Catholicum pertineat, quàm ejuſmodi homines, philoſophicis ratiunculis plus juſto tribuentes, maximè ubi nova cudunt vocabula, quæ in errorem inducere poſſunt incautos, quàm primùm reprimere. " Porrò (ut cum Guillelmo loquar Vitæ lib. 1 num. 41) ſi nimietas in eo reprehenditur ſancti fervoris ; habet certè apud pias mentes exceſſus iſte reverentiam ſuam . . Felix, cui ſolùm reputatur ad culpam, quod ceteri ſibi ſolent præſumere ad gloriam ". Verum Otto ipſe, quantumvis Abaëlardo favens, fatetur tamen, ipſum tres ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas " nimis attenuaſſe, non bonis uſum exemplis " atque ob hoc apud Sueſſionem in provinciali ſynodo SABELLIANUM HÆRETICUM JUDICATUM. Quid ergo mirum, ſi eadem iterum recantans, malè audit apud ſanæ fidei amatores ?

B

impugnaſſe

321 De Berengario Pictavienſi, qui Apologiam pro Abaëlardo præceptore ſuo contra ſynodum Senonenſem & Bernardum ſcripſit, non eſt quod multùm curemus, tum quia homo flocci fuit ac nullius auctoritatis : tum quia idem, ad ſaniorem mentem reverſus, noluit ampliùs eſſe " patronus capitulorum objectorum Abaëlardo, quia etſi ſanum ſaperent, non (tamen) ſanè ſonabant " : librum ſuum ſuppreſſurus, ſi potuiſſet, ut ipſe teſtatur in epiſtola ad epiſcopum Mimatenſem. Ceterùm etſi Abaëlardi Opera, in quibus errata ſua reſperſerat, modò non habeamus omnia, in iis tamen quæ reſtant, multa ſunt SALEBROSA, ut notarunt theologi Pariſienſes, qui SINGULIS PERICULOSIORIBUS DICTIS AMULETUM in limine ejus Operum adhibuerunt: ex quibus optandum quidem eſſet, ut Præfatio apologetica expungeretur. *Sic loquitur Mabillonius, pro* S. Bernardo *nervosè, contra Abaëlardum verò ejuſque defenſores modeſtè, more ſibi conſueto, ac eruditè.*

C

demonſtratur.

322 *Quid, quod ſancti Doctoris cauſam egregiè tueatur in notis ad epiſtolam ejus, ordine centeſimam octogeſimam ſeptimam ; in quibus poſt compendium vitæ Abaëlardi, ac epiſtolam Innocentii PP. adverſus ipſum, & Arnoldum de Brixia, quos tamquam* perverſi dogmatis fabricatores, & Catholicæ fidei impugnatores, in religioſis locis . . ſeparatim *jubet* includi, & libros erroris eorum . . igne comburi ; *poſt hæc, inquam, reſpondet ad objectiones, quæ contra* Bernardum, *& pro Petro Abaëlardo ſunt. En tibi rerum ſynopſin. Primò itaque reſpondet ad objectionem ex Ottone Friſingenſi petitam contra ſanctum Doctorem : deinde ad teſtimonium Petri Venerabilis pro Abaëlardo : tum ad machinas pro labefactanda ſynodi Senonenſis auctoritate : denique ad ea, quæ adverſus Romanum Pontificem in cauſa Abaëlardi opponuntur ; quæ pluribus ibi deducta ſunt. Negotium item* S. Bernardi *contra Abaëlardum, de quo hîc hactenus eſt dictum, intexitur Annalibus Ciſtercienſibus ad annum Chriſti* 1140 *cap.* 2 *& ſequentibus. Hæc ſunt, quæ de præſenti controverſia viſum eſt producere: unde concluditur, Petrum Abaëlardum, à dialectico acuto factum malè feriatum theologum, erronea dogmata in fide orthodoxa ſcripſiſſe, deque iis convictum fuiſſe, atque adeo ejus fautores ac defenſores eſſe malæ ac deſperatæ litis patronos* ; Bernardi *verò auctoritatem manere integram, optimè videlicet de bono communi meriti, ac triumphantis de erroribus ejuſdem ſcribillatoris ; qui hodiedum etiam adeo fœtet apud probe Catholicos, ut in Indice librorum à Sancta Sede prohibitorum pag.* 390 *editionis Romanæ anni* 1711 *ſignetur* Abailardus *inter auctores proſcriptos* primæ claſſis. *Poſt duo præcedentia puncta, quorum alterum erat de moribus ac vita ejus, alterum de doctrina erroribus, ambo dilatata in ſubſidium biographi Gaufridi, cujus illuſtramus narrationem ; addamus etiam aliud.*

D

Abaëlardus apud Patres ſynodi Senonenſis cum Bernardo congreſſus,

323 *Expendamus itaque tertiò circumſtantiam aliquam, quæ accidit in Sancti cum Petro congreſſu apud Patres ſynodi Senonenſis, de re autem ipſa legi poteſt idem biographus. Circumſtantiam igitur hanc de Abaëlardo refert apud nos lib.* 3, *cap.* 2, *num.* 165 : Nam & confeſſus eſt poſtea ſuis, ut aiunt, quod eâ horâ, maxima quidem ex parte memoria ejus turbata fuerit, ratio caligaverit, & interior fugerit ſenſus. *Eventum hunc planè mirabilem tam ex perſona Abaëlardi, quàm ex perſona* Bernardi, *ita accidiſſe providentia Dei ſingulari, qui illum quidem, potentem ingenio ac eloquio in oculis ſuis, depoſuit de ſede rationis ; hunc verò exaltavit humilem, quis inficias ierit ? Rem ita exponit Annaliſta Claravallenſis ad annum Chriſti* 1140, *cap.* 3, *num.* 1 *&* 2 : Sanctus Pater detrectare pugnam, & certamen omnino diſrenuere, nec ſe in duello æqualem profiteri, rudem magiſtro, ruſticum philoſopho inter fagos & quercus enutritum, verſatiſſimo ſcholarum profeſſori. Quid ſibi cum ſcholaſticis quæſtionibus ? Quid cum diſputationibus ſubtilibus ? Quid cum argutiis ? In quibus tamen, ut quidquam profeciſſet, quis pauper monachus, cui cauſa fidei & Eccleſiæ committeretur ? Eſſe in ipſa magiſtros inſignis nominis ; eſſe & in Pariſienſi academia Victorinos Hugonem Richardumque, quibus id poſſet ſecuriùs demandari : ſe orationibus promoturum, quà poſſet, partem Catholicam, quod monacho familiarius quàm diſputare. His & ſimilibus humilior, quo ſapientior, non ſe Eccleſiæ negabat, ſed ſibi gloriam. Verùm cùm vota omnium in eum converſa, ſolum Bernardum pugnæ poſtularent, ne tam ipſi præſumptio, quàm cauſæ Chriſti propugnatio deeſſe videretur, tandem conſenſit, à Deo ipſo accepturus, quod illi redderet. *Hæc Manricus. Huc pertinet* Bernardi *epiſtola ordine* 187, *quæ dirigitur* Ad epiſcopos Senonas convocandos contra Petrum Abaëlardum.

E

F

cum pudore & ignominia diſceſſit :

324 *In hoc autem illud fuit mirabile,* quod in eadem hora, *quemadmodum Manricus num.* 5 *& 6 ſubdit,* verboſum hominem, & facillimi promptique diſcurſus, adeo ingenium memoriaque reliquerint, adeo verba ; ut nihil umquam prorſus à ſe dictum, nihil ſcriptum, & nec materiam, nec vocabula rerum recordaretur . . Sic divinâ providentiâ factum eſt, ut qui confidens in virtute ſua, & in multitudine argutiarum ſuarum gloriabundus advenerat, confuſus abiret, & prò victoria, quam dudum præcecinerat, pudorem & ignominiam reportaret.

Arnaldus ejus diſcipulus.

325 *Abaëlardi diſcipulus, aſſecla, & patronus fuit Arnaldus, vel Arnoldus, ſive Arnolphus*

A *phus de Brixia, de quo ſuprà obiter; ac pluribus poſtea. Verſipellis hujus ſycophantæ & hæretici perverſa dogmata & damna graphicè depingit ſanctus Doctor in epiſtola* 195 *&* 196. *Huc autem faciunt* Bernardi *de eo verba, eidem epiſtolæ* 195 *inſerta:* Videbitis hominem apertè inſurgere in clerum, fretum tyrannide militari, inſurgere in ipſos epiſcopos, & in omnem paſſim eccleſiaſticum ordinem deſævire. *Baronius ad annum* 1140, *num.* 3, Quod contigit, *ait*, cùm poſt obitum Innocentii Romam ſe contulit ſub Eugenio Papa: *atque adeo* hæc inter alia propheticè *à Sancto* ſcripta *cenſet. Vivam porrò inferiùs, quando de iſto Pontifice ad Sedem Petri admoto tractabimus, impiiſſimi hujus profanatoris hierarchiæ eccleſiaſticæ imaginem repræſentabimus, ut norit lector, quàm exactè* S. Bernardi *prædictio poſtea impleta, & quàm provide antea fuerit in bonum commune ab eo præmonſtratum detectumque peſtiferum hujus hæretici virus.*

§ XXX. Sanctus teſſeris lucratur clericum; alium datâ pecuniâ, quâ pro ſe ludat; facinoroſum à morte liberat, & monachum facit; patienter fert injuriam; mors Humbelinæ ſororis; oppreſſos defendit; geſta in lite ſacerdotii cum regno.

B

Vagum clericum prodigioſo teſſerarum jactu ſuperat, & ad Claramvallem aggregat:

SEquitur *annus Chriſti* 1141, *quo ſanctum Abbatem à negotiis externis ad domeſtica traductum conveniemus, rebuſque Claravallenſibus intentum contemplabimur.* Evacuato conventu, *ut perhibent Annales Ciſtercienſes ad eumdem annum cap.* 3 *num.* 1, per annos ſingulos ad novas fundationes monaſteriorum, plures ac plures Bernardus ſufficiebat, partim prædicatione converſos, partim miraculis, reſiſtentes vel per propria vitia pertrahebantur. *Exemplo ſit celebris*

C *ille clericus luſor, ſeu illuſor, qui, dum capit equum, à Sancto capitur ipſemet jucundo ac mirabili modo. Hiſtoria ibidem è Cæſario Heiſterbacenſi, qui citatur in Homiliâ* 5 *in Dominicam* 3 *poſt Pentecoſten, his deſcribitur verbis:* Cùm die quadam per viam equitaret, *ſanctus Pater*, eique vagi clerici, quos Euerandinos vocant, occurrerent, ad converſionem illos monuit. Ad quem unus: Ego ludam vobiſcum teſſeribus *. Si ſors pro me reſponderit, detis mihi equum veſtrum: ſi pro vobis, ſequar, vos in monaſterium. Reſpondente Sancto, Fiat voluntas Domini: mox ille taxillos falſatos extrahens, decem & octo puncta jactavit. Monachis turbatis, & Dei conſilium ignorantibus, Vir beatus, ſpem habens in Chriſto, pro hominis ſalute teſſeras levavit, & depoſuit. Et, ecce, in duobus apparuerunt oculi duodecim, tertius verò in duas partes diviſus, in uno latere ſex, in altero quinque puncta declaravit. Quo viſo territus clericus ſequutus eſt Hominem Dei ad Claramvallem, factuſque eſt monachus probatus. Hoc factum uſque hodie valde celebre eſt in ſcholis magiſtrorum Pariſienſium. *Hæc è Cæſario, qui ſeculo decimo tertio floruit.*

* teſſeris, *ut patullo poſt*

327 *Simili modo divina luſit, ut ita loquar, providentia per* S. Bernardum, *quando hic alium quemdam, Ordinis religioſi pertæſum, ac paratum eidem nuntium remittere, ad priſtinum vitæ inſtitutum revocavit per luſum. Factum refert ibidem Manricus num.* 2 *ex Vincentio Bellovacenſi, quem in ſpeculo morali parte* 4 *diſtinctione* 13 *hæc memorantem citat:* Legitur in Vita S. Bernardi, quòd quemdam in monachum acceperat, qui luſor fuerat; qui cùm omnino vellet exire Ordinem, quæſivit Sanctus, quid facere ſciret, unde victum ſuum acquireret. At ille ait, ſe nihil ſcire facere, niſi cum talis ludere. Ad hæc S. Bernardus: Et ſi tibi capitale commiſero, volo, ut ſingulis annis venias computare mihi, & lucrum dividere. Eſto, inquit; & accipiens triginta ſolidos, lætus abiit. Poſt modicum tempus perdidit, & confuſus ad portam rediit. Quod audiens beatus Bernardus, lætus illuc perrexit, & gremium ſuum extendit, ut lucrum ſimul dividerent. At ille ait, Nihil lucratus ſum, ſed ſolidos veſtros amiſi. Sed ſi vultis me recipere, poteſtis me habere pro veſtro capitali. Ad quem Sanctus: Melius eſt, ut te recipiam, quàm totum ſimul perdam. Et recepit E eum, gaudens de ejus recuperatione.

AUCTORE J. P.

monachum in eadem retinet datâ pecuniâ, ut pro ſe ludat:

328 *Cæterum quemadmodum Vir ſanctus flagitioſum hominem, ac morte plectendum, liberarit ab utroque malo, atque ad optimam frugem reduxerit, intellige ex ſequenti hiſtoria, quæ exſtat in Exordio magno Ordinis Ciſtercienſis apud Triſſierium diſtinctione* 2 *cap.* 15, *quamque Manricus* per hoc idem tempus *accidiſſe indicat num.* 3. *Factum audi:* Contigit aliquando eumdem Dei Famulum pro quibuſdam negotiis adire Comitem Theobaldum. Cumque appropinquaret oppido, ubi ille tunc erat, obviam habuit turbam hominum copioſam, qui, jubente Comite, latronem quemdam facinoroſum atque famoſum ad ſupplicium pertrahebant. Quo viſo, clementiſſimus Pater apprehendens manu ſua lorum, quo erat miſer aſtrictus, ait tortoribus ejus: Dimittite mihi ſicarium iſtum: ego enim volo manibus meis ſuſpendere eum. Audiens autem Comes adventum Hominis Dei, feſtinavit illico occurrere ei. Miro namque devotionis affectu ſemper eum dilexit, atque eum honoravit. Cumque videret funem in manu ejus, quo F latronem poſt ſe trahebat, exhorruit vehementer, & dixit: Heu! venerabilis Pater, quid eſt hoc, quod facere voluiſti? Ut quid enim furciferum iſtum millies condemnatum à porta inferi revocaſti? Numquid eum ſalvum facere poteris, quia jam totus diabolus * factus eſt? Deſperata eſt penitus correptio * ejus: nec umquam bene facere poterit, niſi moriendo. Sine igitur, domine Pater, ſine perditionis hominem perditum iri; quia de peſtifera vita ejus multorum [vita] periclitatur.

ſcelerati hominis vitam exorat apud Comitem Theobaldum,

* *al.* diaboli
* *al.* correctio

329 Reſpondens autem Pater ſanctus dixit: Scio quidem, virorum optime, ſcio hunc eſſe latronem ſceleratiſſimum, omniumque tormentorum acerbitate digniſſimum. Non me ergo exiſtimes, hujuſmodi peccatorem impunitum velle relinquere: quin potiùs cogito eum tortoribus tradere, & dignam ex eo capere ultionem: quæ utique tantò dignior erit, quantò diuturnior. Tu illum decreveras brevi ſupplicio & momentaneo interitu conſummari; ſed ego eum faciam diuturno cruciatu, & morte longiſſima mori. Tu furem appenſum, per unum aut per plurimos dies mortuum in patibulo manere permitteres; ego

& è latrone monachum facit:

AUCTORE J. P.

cruci affixum per annos plurimos faciam in pœna jugiter vivere & pendêre. Quo audito, princeps Christianissimus siluit: nec ausus est ultrà contradicere sermonibus Sancti. Protinus ergo benignissimus Pater, exutâ tunicâ suâ, induit ex ea captivum suum, & attonsâ comâ capitis ejus, sociavit illum ovili dominico, de lupo faciens agnum, de latrone conversum. Qui veniens cum eo ad Claramvallem, factus est deinceps obediens usque ad mortem, pulchrè nominis sui etymologiam exprimens in constantia propositi sui: Constantius enim vocabatur. Itaque triginta, nî fallor, aut eo ampliùs annos in Ordine supervivens, migravit ad Dominum, qui eum per merita beatissimi Patris nostri à duplici morte, corporis videlicet & animæ misericorditer eripere dignatus est. *Hæc auctor Exordii. De Theobaldo autem, qui suprà memoratus est, Campaniæ Comite, agunt variis locis Annales Cisterciensis, quorum index consuli potest, uti & biographi Ernaldus lib. 2 Vitæ* S. Bernardi *cap. 6, & Gaufridus lib. 4, cap. 2.*

B *alapam sibi à clerico impactam patienter sustinet: moritur soror ejus,*

330 *Eorumdem Annalium parens tribus hisce factis, quæ modo retulimus, subjungit num. 6 unum alterius generis, videlicet* cujusdam Regularis clerici facinus execrandum, à quo alapa inflicta sancto Abbati, in repulsæ vindictam, repellentis judicium comprobavit, extulit patientiam; quam principes, quam reges venerarentur, dehonestata facie manu sacrilega, nec solùm rubore doloreque percussa, verùm tumore. *Adisis Gaufridum lib. 3 Vitæ cap. 3, in quo res ista pluribus narratur. Monet autem laudatus Manricus sub finem capitis 3, se ea, quæ retulerat, cùm certus annus singulis non subesset, in unum congessisse: quod & nobis exemplum ipsius secutis faciendum duximus. Idem auctor cap. 4 scribit de piissimo obitu Humbelinæ, germanæ sororis* S. Bernardi, *quæ tùm ibi tum apud alios cum titulo* sanctæ *nominatur; sed nobis hactenus dumtaxat inter venerabiles reponenda videtur, quamdiu de publico ejus cultu non constat. Adisis Prætermissos ad diem* XXI *Augusti. Manricus itaque ipsi ad mortem usque ægrotanti adfuisse sanctum Patrem commemorat, deinde etiam referens mutua utrimque colloquia, ac* Bernardi, *qui tantisper eam reliquerat, revocationem ministerio angeli tabulam pulsantis. Ad hæc, corpus, inquit, num.* 8, Sanctæ sepulturæ traditum fertur, celebrante Bernardo Officium funeris, atque inter [hæc] congaudentem & lacrymantem: sed prævalente gaudio, maximè cùm gloriosa illi apparuit, gratulans de mercede, quam ipsius hortatu promeruisset. *Hæc ille.*

C

quo anno

331 *Sed habemus aliquid contra rationem temporis, cui idem historiographus venerabilis Humbelinæ, quæ alibi vocatur Humberga, obitum innectit. Apud nos tomo* IV *Junii, die* XXIII, *à pag.* 608 *edita est Vita S. Petri monachi, Prioris Juliacensis propè Molismum in Campania Galliæ: in cujus Petri Vita cap. 3 dicitur is ab angelo edoctus, Humbergam mox morituram. Vitam hanc antea è tenebris eruerat, ac typis vulgaverat noster Petrus Franciscus Chiffletius in Tractatu de* S. Bernardi *abbatis Claravallensis genere illustri, à pag.* 134. *In observatione autem, quam habet de anno & die obitûs laudati Juliacensis Prioris, pag.* 155 *& sequentibus statuit eum è vita migrasse anno Christi* 1136. Unde videre est, *uti habet à pag.* 156, longè à scopo aberrasse Angelum Manrique in Annalibus Cisterciensibus anno Christi MCXLI, cap. 4, num. 1, ubi ait vixisse adhuc Humbelinam S Bernardi sororem anno MCXL, & haud procul anno MCXLI piè in Domino obdormivisse. Nam quî ei morienti adfuit Petrus Prior, si obiit Junio anni MCXXXVI, quomodo illa quinto pòst anno adhuc in vivis fuit? *Hæc breviter ex eo hîc indicasse sit satis, pluribus ibidem deducta. Hæc Chiffletii observatio militat etiam contra Bailletum, qui ad diem* XXI *Augusti in Vita Humbelinæ, quam edidit, ejus mortem illigat anno* 1141; *item contra alium Gallum in Vita* S. Bernardi *Parisiis vulgata anno* 1704, *lib.* 4, *pag.* 350.

D

abbatem Cariloci oppressum defendit, uti & alios:

332 *Nonnulla alia litteris mandavit de* S. Bernardo *ad dictum annum* 1141 *cap.* 5 *Cister cienses historicus.* Per idem tempus, *ait num.* 1, venerabilis Guido abbas Cariloci Bisuntinensis, cùm à vicini Conventus pseudo-Præposito homine aliàs perdito & profuso, per omnem injustitiam opprimeretur, summum Ecclesiæ Præsulem appellat, Romam ad illius audientiam perrecturus. Exstat epistola Bernardi ad Innocentium affectuosa pro ipso, in offensorem acris, & quæ ita unius causam commendet, ut describat utriusque qualitates. *Deinde illa epistola ibidem recitatur, quæ est ordine centesima nonagesima octava, atque in ipso fonte legi potest. Negotium illud iterum obnixè commendat eidem Christi Vicario, uti perspicuum fit e proxime sequente epistola ad ipsum data hoc titulo:* Rogat sententiam pro Religiosis iniquè oppressis latam confirmari, nec ulteriùs aures præberi calumniis. *De judicibus, qui pro Caroloco sententiam pronuntiarint, & quo modo ejusdem exsecutio retardata fuerit; scribit Manricus ibidem num. 4; ac num. 6 animadvertit,* in Bernardo .. mirum esse non debere, si filios, quos tam arctè persequebatur, non pateretur vexari à potentioribus: cui adeo inopum à natura indita, sed per gratiam perfecta protectio fuit, ut ne animalia [quidem] bruta, se præsente, opprimi pateretur, atque id frustra ab aliis tentari diceret, per se, quamdiu posset, impediendum. *Legi possunt, quæ habet Gaufridus lib. 3 Vitæ cap. 4.*

E

Ludovicum junior. m Galliæ regem cum Innocentio PP. ac Theobaldo Comite discordem

333 *Verùm alia ac majoris periculi tempestas Viri sancti laborem & dexteritatem exercuit. Factum audi ex Annalibus Cistercien sibus allegatis, cap. 6:* Hoc eodem anno Ludovicus Junior, ætate an moribus indisciplinatus, potentiâ ferox, inobedientiæ in Ecclesiam frena relaxans, Innocentio rebellis; etiam Theobaldum aversatus infestabat antiqua simultate in virum, quantumvis sanctum: an quia Ecclesiæ Innocentioque faventem, adeoque sibi contrarium experiebatur? Ea Bernardi, & totius Cistercii causa duplici titulo: primùm, quia Ecclesiæ; mox, quia Theobaldi, per Bernardum & nostros pertracta .. Vix ulla gravior, vix ulla difficilior aut laboriosior, lubrica semper voluntate regum; sed lubriciori, quoties irâ aut vindictâ præcipitantur: Bernardus æquè in regem, & pro rege, post longum licèt tempus, iris fuit. Prima dissidiorum occasio Petrus, Bituricensi ecclesiæ dudum viduæ, nempe à morte Alberici, à Pontifice datus in pastorem: quem sine assensu suo consecratum, rex indecorum; si admitteretur, injuriosum reputabat. Nec deerant aulicorum consilia pro more curiæ, non ut dirigerent, sed ut sequerentur, atque ipso obsequio impellentes præcipitarent. Unus Theobaldus Comes constantior cæteris dum contradicit, fidelior inveniebatur; sed quo fidelior, eo magis invisus, regis in se vindictam solicitabat. De his Robertus (*immò*

F

AUCTORE J. P.

§ XXXI. Lis illa vix ſopita, novis diſſidiis recrudeſcit; Bernardi ad eam componendam novi labores.

Pacem inter diſſidentes vix compoſitam

QUod *ſub finem paragraphi proximè præcedentis* Bernardum *intendiſſe diximus*, obtinuiſſe, *ut refert Manricus loco ibidem indicato*, compertum eſt, nec tunc in regem anathema indictum. Quin & eumdem convictum Sancti monitis conſenſiſſe Pontifici, ut Petrus in Bituricenſi ſede collocaretur. Sed & Theobaldo firmata regis gratia certis pactionibus, quibus pro rege ſelecti duo viri, Joſſenus ſcilicet, Sueſſionenſium pontifex, & Sugerius, abbas S. Dionyſii Pariſienſis, quem ſanctus Doctor ad meliorem frugem dudum converterat, ut ſuo loco notavimus. Pro Theobaldo item alii duo, epiſcopus & abbas, Ciſtercienſis uterque, Hugo nimirum Altiſſiodorenſis, Bernarduſque, qui conditiones utrimque diffinirent, utrimque componerent. Sed inter alias præcipuè illud ſancitum, quod ſanctus Pater, turbata poſtea pace, ad utrumque advocatum regium commemoravit epiſtolâ 222 *hunc in finem*, ut ſi qua de conventionibus illis controverſia aut diſſenſio naſceretur, nihil mali ſibi invicem facerent, aut quærerent, donec coram nobis tribus pariter, & domino Autiſiodorenſi ventilata res eſſet, atque diſcuſſa, qui & tunc mediatores fuimus, &, ſi quid emergeret controverſiæ, debuimus eſſe reconciliatores. *Sed quales paci vix ſtabilitæ difficultates iterum ſe ingeſſerint, memorare juvat.*

novæ diſcordiæ evertunt ob repudiatam à Radulfo uxorem,

336 Annus erat milleſimus centeſimus quadrageſimus ſecundus, *ut referunt Annales Ciſtercienſes ad hunc annum*, cùm vix adhuc ſopitæ diſſenſiones inter Pontificem, Theobaldumque, & Ludovicum regem, novis diſſidiis denuo recruduêre. Et forte, quod non potuit in Innocentium, in Theobaldum irrupit violentior ira. Radulfus Viromandorum comes materiam fecit, repudiata uxore, & Petronilla Guilielmi Ducis filia, ac reginæ ſorore ſuperinducta. Divortio conſanguinitatis quæſitus color: nec defuere teſtes regiæ cupidini, & tres epiſcopi inventi inter primores, qui pro Radulfo ſententiam pronuntiarent, ſecretò tamen, ac veluti per tenebras, quaſi ipſorum conſcientia reclamante, nec ferente inter nota flagitia ſolis aſpectum. Tunc Theobaldus pro ſorore zelans, zelans pro matrimonio, Bernardum adiit, conſilium ſimul & auxilium imploraturus. At ſanctus Pater, comperta veritate, & læſi ſacramenti vicem primùm, mox amantiſſimi principis injuriam dolens, Innocentium appellans utriuſque vindicem, tales ad eum pro comite Theobaldo litteras dedit: *quæ ibidem recitantur; habetur verò epiſtola illa inter alias Bernardinas ordine ducenteſima decima ſexta. Quænam autem poſt eam ſecuta ſint, ita enarrare pergunt laudati Annales num.* 3.

& aliam ductam:

337 His litteris acceptis Innocentius Ivonem presbyterum Cardinalem in Gallias mittit plenaria [cum] poteſtate, per quem divortii cauſa decideretur. Hic veritate indagata, compertaque, Rodulfum comitem percuſſum anathemate novam nuptam dimittere compellit, inobedientem extra communionem fidelium factum declarat, terram illius interdicto ſubjicit, ac tres epiſcopos,

A *mò pſeudo-Robertus ſecundum dicenda* § 32) Sigeberti continuator ad hunc annum: *cujus textus in laudatis Annalibus mox ſubditur:* Hoc eodem anno (ſcilicet MCXXI) orta eſt diſſenſio inter Papam Romanum, & Francorum regem Ludovicum: unde eccleſia Gallicana turbatur. Defuncto enim Alberico, Bituricenſi archiepiſcopo, miſſus eſt Petrus à Papa Innocentio, ejuſdem eccleſiæ paſtor conſecratus; ſed à rege Ludovico repudiatus, eo quòd ſine ejus aſſenſu fuerit conſecratus, in civitate minimè recipitur: cujus partes quia propter reverentiam ſeu voluntatem Papæ Comes Theobaldus fovere crederetur, ſimultas, quæ ſopita videbatur, inter regem & ipſum cœpit repullulare. *His à Manrico recitatis, ſubduntur iſta in ejus Annalibus:* Addidit Ludovicus juramentum ira præcipiti, non, ſe vivente, inconſulto ipſo ſacratum ad pontificiam ſedem aſcenſurum: & erat ſuperſtitio ea Francigenis, ut, quodcumque firmaſſent ſacramento, non perficere, infamiam reputarent.

magno conatu conciliare ſatagit.

B 334 His Bernardus permotus, anxiuſque, ac majoribus adhuc malis præcavens, integro anno, conatu primùm irrito, mox fructuoſo, paci inſudavit inter ſacerdotium & regnum reſtituendæ. Id quod anno ſequenti ipſemet Sanctus ad Ludovicum ſcribens fidenter loquitur epiſtolâ 221. „ Vos ſcitis, quanto labore, quanta * ſo„ licitudine, toto anno præterito, quærendæ „ paci veſtræ attendi * „. Igitur primùm regem, ut reſipiſceret; mox Innocentium, ut parceret, aggrediens; cum neque ille ab inobedientia reſiliret, obtendens juramenti religionem; & hic claves Eccleſiæ contemptas dolens, anathema in regem comminaretur: quod erat reliquum, ad quatuor epiſcopos Cardinales curiæ (inter quos Stephanus dilectus ipſius filius) litteras dedit, conſulturos reipublicæ Chriſtianæ, atque Innocentium, ſi poſſent, emollituros. Indulgeat Pater filio, ſenex juveni, eccleſiaſticus ſæculari, demum ſacerdos regi, qui vellet quidem, ſed non ſatis auderet præ verecundia, ſacramenti violati probrum incurrere. Atque ecce exemplar litterarum ſancti Patris, quæ dictis, obiter etiam, fidem faciant. *Epiſtola illa, quam mox recitat Manricus, eſt ordine ducenteſima undevigeſima, atque in editione Mabillonii hoc titulo prænotata:* Ad tres epiſcopos curiæ, Albericum Oſtienſem, Stephanum Præneſtinum, Igmarum Tuſculanum, & Gerardum cancellarium. *In notis verò inter alia obſervantur iſta:* In ſcriptis nonnullis, QUATUOR. At lectio vulgata melior. Siquidem epiſcopus non erat Gerardus cancellarius, qui hîc quarto loco memoratur, poſtea Pontifex creatus, dictuſque Lucius II. *Accedit eò, quod eadem epiſtola in dicta editione inexatur anno Chriſti* 1143. *Et verò res quidem tunc illa, pro qua Vir ſanctus laborabat, bene ſucceſſit; ſed diſcordia vix fuit ſopita, quin nova diſſidia perturbarint pacem, uti memorat Manricus à num.* 6, *& illico apud nos ex eo pluribus dicetur.*

* *Mabillon.* quantâque * *Ibid.* intendi,

C

E

F

AUCTORE J. P.

piſcopos, quorum auctoritate res tota geſta, ſacris Ordinibus atque eccleſiæ ingreſſu ſuſpendit, cuncta ex juſtitia, & mente ſacrorum canonum. De his Robertus Sigeberti continuator, hoc anno: *cujus verba Manricus ſic recitat:* Radulfus Viromandorum comes uxorem ſuam dimittit, & ſororem reginæ Petronillam ducit. Propter quod inſtantiâ comitis Theobaldi mittitur Romanæ Sedis Ivo legatus, qui & Radulfum comitem excommunicavit, & epiſcopum Laudunenſem Bartholomæum, Noviomenſem Simonem, Petrum Silvanectenſem, qui divortium illud fecerant, ſuſpendit. *Pergunt Annales:* Legatus interim, viam univerſæ carnis ingreſſus, per propriam mortem ſententiam confirmavit. Quippe ipſo de medio jam ſublato, cum forte zelo efferveſcente, mitigaretur, ſolus reſtabat adeundus Romanus Pontifex, qui non de facili poſſet exorari. *Sic Manricus. Adiſis Spicilegium Acherianum tom.* 12, *pag.* 480. At Ludovicus, *ſicut ſubdunt dicti Annales num.* 4, dum ſe fruſtratum videt, atque ignominiam, quam Comiti intulerat ex ſororis repulſa, in reginæ ſororem recidiſſe .. ad arma confugiens .. contra fas, contra
B jus, contra pactiones, inexpectatis & inconſultis arbitris, Theobaldum comitem hoſtiliter infeſtat, in omnem ejus ditionem graſſatus ferro & igne. Et eò uſque atrocitas pervenit, ut pius comes vitandis fidelium cædibus, rapinis, ſtupris, & aliis belli malis, quæ victores & victos æquè involvunt, juramentum præſtare compulſus ſit abſolutionis à Pontifice impetrandæ, ſeu proprium dedecus poſtponens ſaluti civium, ſeu tempus redimens promiſſa abſolutione, quæ vel negari ab Innocentio poſſet, vel, ſi concederetur, revocari. *Rem prodit* Bernardus *in epiſtola ad Innocentium ordine* 217.

quænam Vir ſanctus

338 Tum ſummus Pontifex, *ſicut pergit Manricus num.* 6, Theobaldo morem gerens pro ſuis meritis .. relaxavit anathema, nì reſipiſcant dividanturque adulteri .. ſtatim *illud* renovaturus. Senſit potentia ſe iterum deluſam, atque iterum evanuiſſe vindictam, quâ ſe denuo irretitam experiretur. Atque id totum Bernardo acceptum referens (nam quis alius potuiſſet apud Pontificem?) querulas nimiùm ad eum litteras dedit, quibus Bernardus liberè pro more, ſed venerante
C ter reſpondit, *ſtans videlicet conſtanter pro juſtitia, dum iniquam regis poſtulationem in cauſa Radulfi rejicit, eumdemque regem monet, ut non premat innocentes, neque contra ſe irritet Regem ſupremum. Exſtat inter alias epiſtola iſta ordine* 220. *Et poſt illam quidem Patris ſanctiſſimi induſtria & cura in componendo publicò hoc tantique moliminis ac momenti negotio caſſa quidem optato fuêre eventu, non tamen eò redacta, ut ulteriorem eidem operam navare non perrexerint. Videri poteſt epiſtola* 221.

pro bono communi, & quid paſſus.

339 *Verùm quidnam interea rex Ludovicus? Audiantur prædicti Annales cap.* 2, *num.* 1: At non exaſperatus Ludovicus, quod ſatis mirum, atque in juvene indicium melioris animi, nec dedignatus reſponſo Virum Dei: quin potiùs longam ad eum dedit epiſtolam, excuſationes texens & querimonias, queis Theobaldum de multis, de quibuſdam etiam Bernardum inſectaretur, quod juramentum per fraudem ludificaſſet, cùm terra adhuc maneret ſub interdicto: quod matrimoniis ſibi devinciret Flandrenſem Comitem, Sueſſionenſemque, quorum auxilio in regem rebellaret: quod Radulfus ab eo ſolicitatus, Bernardo conſcio & complice, ut qui eidem peccatorum veniam polliceretur, ſi Theobaldo vel- D
let adhærere. Hæc & ſimilia rex cùm reſcripſiſſet, Bernardus duos ejus conſiliarios, pactionum arbitros, Joſlenum ac Sugerium interpellavit, per quos, ut conſcios totius veritatis, longè efficaciùs, ut amicos, faciliùs reduceretur. *Habetur iſta epiſtola inter Bernardinas ordine* 222. *Pergamus ad Manricum num.* 7: At cum *ſanctus Doctor* epiſtolam aut caſu apertam mitteret (ex quo ſumpta occaſio, velut feciſſet per irreverentiam) vel ex conſcientia mordaciorem Joſlenus reputans, & quo reprehenſibilior, impatientior, mordaciſſimum ei reſponſum reddidit, adeo ut nequaquam vereretur dicere, Sanctum locutum in ſpiritu blaſphemiæ, quod Godefridus affirmat in ejus Vita, atque ipſius Sancti reſcriptum teſtatur. *Hoc vide in epiſtola* 223; *illam conſule lib.* 3 *cap.* 3, *num.* 175. *Obſervamus tamen obiter, epiſtolam illam in editione Mabilloniana non innecti anno Chriſti* 1142, *in quo ſumus cum Annalibus Ciſtercienſibus, ſed anno* 1143. *Ex his interim abunde intelligitur, à* S. Bernardo *tentata fuiſſe omnia, ut luctuoſiſſimæ huic inter duos diſcordes principes controverſiæ remedium afferret; ſed irrito hactenus conatu, ſicut planum fiet ex eventibus, qui poſtmodùm ſubſecuti ſunt.* E

§ XXXII. Alia Bernardi tentamina, ut tragicis Galliæ diſſenſionibus ſuccurreret; Innocentii PP. gratiâ excidit immeritò.

Significat Stephano ep. Prænestino

Dum hinc gradum facimus ad annum Chriſti 1143, *funeſtiſſima rerum Gallicarum nobis objicitur ſcena: quam ut mutaret in lætiorem, quot quantoſque Vir ſanctus non inſumpſit labores, eo certè duriores, quòd optato fructu fruſtrarentur.* Ruebant, *inquit Manricus ad hunc annum cap.* 1, *num.* 1, in deterius Galliæ res, & Ludovicus, pietatis vinculis ruptis, quotidie irreligioſiùs, in Theobaldum atrociùs debacchabatur: idque hoc anno MCXLIII .. quo F
Bernardus ad curiæ Cardinales, maximè autem ad dilectum ſibi filium Stephanum Prænestinum epiſcopum mœrens & dolens hanc ſcripſit epiſtolam, miſerum Galliæ ſtatum continentem. *Epiſtola hæc in editione Mabillonii eſt ordine* 224, *è qua excerpo ſequentia:* Vos .. ſcitis, quomodo ego quoque pro rege ſteterim in conſpectu domini mei, corpore quidem abſens, ſed præſens ſpiritu, ut loquerer pro eo bonum. Bona ſiquidem pollicebatur. Nunc autem ipſo reddente pro bono malum, cogor contraria ſcribere .. Conculcantur apud nos ſancta, Eccleſia turpiter ancillatur. Nam & electiones epiſcoporum prohibentur fieri, & ſicubi id præſumptum à clericis fuerit, electus epiſcopari non ſinitur. Denique ſedet in triſtitia eccleſia Pariſienſis, proprio deſtituta paſtore, & nemo eſt, qui de ſubſtituendo alio mutire audeat. Non ſufficit ſpoliari bonis præſentibus domos epiſcopales: etiam in terras, & in homines manus ſacrilega circumquaque deſævit, totius inſuper anni ex eis ſibi reditus vindicando.

deploratiſſimum

341 Commiſit rex germano ſuo Roberto vices epiſcopi, & ille in cunctis terris, rebuſque Eccle-

A Ecclesiæ potestativè versans . . infert cælis quotidianas hostias, non planè pacificas, clamores pauperum, lacrymas viduarum, planctus orphanorum, gemitus compeditorum, sanguinem interfectorum, . . Præterea rex, nobis quidem non parùm laborantibus, pacem cum Comite Theobaldo fecerat . . ; &, ecce, occasiones quærit, quomodo recedat ab amico. Atque hoc grande crimen, quod impingitur Comiti, quia cum baronibus regis de liberis suis contrahit matrimonia. Suspecta est illi dilatatio caritatis, nec se putat regem, si se amaverint principes . . Propterea ergo pacis conventiones & constitutiones manifestè transgreditur, nec tenet pacta sua, quæ distinxerunt labia sua. Denique revocavit in domum suam, & ad consilium suum virum adulterum, & excommunicatum *, quem ex constituto ejecerat, & pro exercenda majori malitia, aliis multis nequam æquè excommunicatis, perjuris, incendiariis, homicidis, rex & advocatus Ecclesiæ, adversus Ecclesiæ (quod non est dubium) amatorem, & defensorem denuò sociatur . . Ad hæc, cogit suo more episcopos ad maledicendum benedicendis, & iterum benedicendum maledicendis . . . Qua fronte, obsecro, tantopere aliis præscribere de consanguinitate laborat, homo cum sua (quod palàm est) tertio ferme consanguinitatis gradu permanens consobrina ?

* Radulfum. *Vide epist.* 216 *& seqq.*

B

Galliæ status:

342 Et quidem inter filium Comitis Theobaldi, & Comitis Flandrensis filiam, & item inter Comitem Suessionensem, & filiam Comitis Theobaldi, si consanguinitas sit; nescio (scienter enim illicita matrimonia nec laudavi umquam, nec laudo :) sed sciatis vos, & sciat dominus meus, prohiberi horum nuptias. *Hæc sunt inter alia plura, quibus* Bernardus *compellat Stephanum :* nec dissimilia, *ut perhibet Manricus num.* 6, ad cæteros episcopos, quos sciebat Pontifici adhærere, tantis malis, quà possent, obviaturos. Cur autem ad Innocentium tunc non scripserit, hoc ipso anno inferiùs declarabimus. *De dicto rege Ludovico consuli possunt Horstii notæ apud Mabillonium in epistolam* 224 *col.* LXX. *Apud quem etiam exponitur* tertius fere consanguinitatis gradus *ille, de quo suprà, nec non in notis brevioribus col.* 209. *De Radulfo Comite Veromanduorum uxorem repudiante, & aliam ducente, scribit Pagius ad annum Christi* 1142. *Videmus itaque* S. Bernardum *intendere omnes nervos, ut perditissimis Galliæ rebus succurat. His breviter ad præcedentem epistolam observatis, argumentum præsens prosequamur cum Annalibus Cisterciensibus allegatis : ubi hæc sunt num.* 7 *&* 8 :

C

quem Sanctus cum Hugone ante oculos ponit regi Ludovico

343 Interim ipse Sanctus, Hugoque, qui arbitri pactionum pro Theobaldo, quique quærendæ paci ecclesiæ Gallicæ ab Innocentio dati, id quod Bernardus non leviter insinuat in epistola ad ipsum, ne quid omnino intentatum remaneret, convenire regem, interponere proceres, divina humana jura protestari, belli damna proponere, &, quocumque vincente, perire regnum, quo sine neque rex possit consistere. Nam cujus illa terra, quæ vastabatur ? Cujus homines, in quos desæviebat ? Nonne ex ejus ærario restituenda ? . . Atque hæc quidem de lucris temporalibus : nam de fama & honore adhuc majora, maxima de salute declamabant ; *sicut pluribus ibidem exponitur.* His & similibus regem nunc per litteras, nunc coràm aggressi, & reverenter constanterque arguere, obsecrare, increpare in omni patientia & doctrina perseverabant. Et jam conventus Corbolii * destinatus promittebat meliora, si non rex, vix auditis Sanctorum placitis, & nihil sibi deferri, quamdiu non omnia, tenaciter contestans pro more principum, indignatus ac furens recessisset, impatiens æqui, nec solùm non obediens, verùm non audiens. Tunc sancti Viri confusi fœdâ repulsâ, sed nihilominus constantes pro pace regni, per fratrem Andream, sibi inter charissimos, &, ut apparet, regi familiarem, talem ad eum epistolam scripserunt. *Exstat ea apud Mabillonium inter Bernardinas ordine* 226. *Porrò* Andreas iste (de Baldemento, *uti additur in textu epistolæ*) celebris fuit, variisque negotiis adhibitus. Subscribit primariis litteris abbatiæ Caricampi in tomo 11 Spicilegii pag. 329, & cum Bernardo testis habetur concordiæ inter Ludovicum Juniorem & Algrimum Atrelianensem archidiaconum initæ, tomo 4 Chesnii pag. 764. *Hæc & plura Mabillonius in notis brevioribus ad eamdem epistolam. Hæc per transennam.*

AUCTORE J. P. * Corbeil suprà Parisios

344 *Huc etiam, ut alia à sancto & communi Patre gesta pro pace sanciendâ prosequamur, pertinet epistola* ad Joslenum Suessionensem episcopum ; *quam* Bernardus solus, injuriæ acceptæ immemor, vel potiùs ideo amantior, quia memor .. ; *uti loquitur Manricus num.* 10, scripsit. *Est ordine* 225 *apud Mabillonium. Ecquis verò tot conatuum piorum juxtà ac strenuorum fructus ? Laudatus Annalium concinnator,* Nil obtentum, *inquit num.* 11, apud regem per literas . . Ergò hoc anno, piaculo insigni, ad Vitoriacum, Vitriacum alii dicunt, quod oppidum ditionis Theobaldi erat, rex primùm muros, mox ecclesiam ipsam, in quam fermè oppidani omnes confugerant, incendio vastat, sacra, profana, viros, fœminas, puberes, & impuberes comburit. Mille & trecentæ animæ interiere, plures alii numerant, quæ sanctitate loci velut munitæ, salutem ex religione præstolabantur. Tunc demum rex pœnitentiâ serâ correptus ploravisse dicitur, sed non adhuc peccatum emendaturus. De his Robertus Sigeberti continuator, ad hunc annum : " Ludovicus rex Vitriacum castrum comitis Theobaldi capit : ubi igne admoto ecclesia incensa, & in ea mille trecentæ animæ diversi sexus & ætatis igne consumptæ sunt. Super quo rex Ludovicus misericordiâ motus ploravisse dicitur, & hac de causa peregrinationem Hierosolymitanam aggressus, à quibusdam existimatur " . .

sed nullo fructu : is in Victoriacenses

D

dira barbarie sævit : cujus res gestæ

345 Cujus, ut credo, *ait Manricus num.* 12, verborum occasione Paulus Æmilius tempora confundens, Bernardum Patrem arcitum à rege tradit, clementiam Dei per ipsum, quasi jam pœniteret, imploraturo. *Pauli Æmilii verba in Ludovico Juniore hæc profert :* Qui intromissus, & benignissimè à rege susceptus, cùm ejus fletum conspiceret, causamque doloris didicisset : Hæ (ait) lacrymæ nisi citò exarescant, extinguere possunt Vitoriacensis incendii memoriam : tantùm adde illis constantiam roburque, &, ne sit velut muliebris ploratus, viriles ac verè regios animos gere. Antequam læsi numinis ira in te se armet, quas templo arisque intulisti faces, in templorum hostes, barbaramque religionem converte. *Cetera, quæ pluribus prosequitur Æmilius, non transcribit ex eo Manricus, sed rem ita ab ipso tractari insinuat,* quasi Bernardus Ludovicum hoc ipso anno atque hac occasione ad Hierosolymitanam expeditionem hortatus fuerit. Verùm hæc tribus ut minimùm annis

AUCTORE J. P.

interjectis longè distantia, atque alterum sub Innocentio, alterum sub Eugenio, mediis duobus aliis Pontificibus, brevis licèt ætatis, contingentia, sine causa in historia confunduntur. Potuit prioris sceleris memoria regem impellere: potuit & à Bernardo commemorari, etiamsi antè biennium patratum foret. Et Ludovicus adhuc Theobaldo discors, nec illi pacandus nisi post annum, ut suo etiam loco .. commemorabimus. *Hactenus Annalista Cistercienſis; qui dum in Paulo Æmilio corrigit rationem temporis, ansam nobis dat notandi aliquid de anno* 1143, *cui barbariem Victoriaci patratam à rege Ludovico Juniore adaptat.*

tempus

346 *Pagius in Critica Baroniana ad annum* 1142 *num.* 3 *ſcribens de diſſidio inter Innocentium II, & Ludovicum VII Francorum regem, hæc narrat num.* 4 *è Guillelmi Nangii Chronico ad annum* 1142: Rex concitavit omnes fere proceres ſuos, ut unà cum eo guerram * inferrent comiti Theobaldo. Tum ad annum MCXLIII, cepit rex Vitriacum, oppidum Comitis Theobaldi, ubi admoto igne incenſa eſt eccleſia, & in ea MCCC homines diverſi ſexus & ætatis periere. *Sed continuò animadvertit laudatus Pagius,* in Chronicis tamen Gemblacenſi & Catalaunenſi Vitriacum anno MCXLII dici incenſum fuiſſe: *quorum notationem temporis amplectitur ad annum* 1143 *num.* 1; *ubi, relato ſtatu miſero eccleſiæ Gallicanæ,* baſilica tamen, *inquit,* caſtri Vitriaci non hoc anno, ut refert Baronius num. 6 ex pſeudo-Roberto de Monte, ſed anno MCXLII incenſa, ut anno MCXLI oſtendimus. *Eumdem pſeudo-Robertum ſuperiùs adhibuit Manricus: qui etiamſi Nangium habeat pro ſe in anno, quem ſignat,* 1143; *duo tamen alia dicta Chronica contra ſe habet.*

* *i. e.* bellum

B

examinatur.

347 *Alter verò Robertus de Monte, cujus Acceſſiones atque Appendix germana ad Sigebertum, ab Acherio vulgata ſunt poſt Guiberti abbatis de Novigento Opera, Lutetiæ Pariſiorum anno* 1651 *excuſa, tradit iſta ad annum* 1141, *pag.* 762: Rex Francorum Ludovicus afflixit Comitem Tebaldum, & vaſtavit terram ſuam, maximè in Campania, ubi combuſſit caſtellum optimum, Vitreuium ſcilicet: ubi multitudo maxima diverſi ſexus hominum & ætatis concremati ſunt. *Ita alter Robertus, qui vexationibus à*

C

Ludovico adverſus Theobaldum motis anno 1141, *quo hunc ab illo infeſtatum* § 30 *diximus ex Annalibus Ciſtercienſibus, Victoriacenſis caſtri combuſtionem adjunxerit per prolepſin, uti ſuſpicamur; (niſi malis pro anno* 1141 *legere* 1142 *cum alio codice, qui indicatur in notula marginali apud Acherium pag.* 760 *& proximè ſequente) alter, ut iterum dicamus, Robertus de Monte, iſque genuinus: de quo conſuleſis obſervationem apud laudatum Acherium pag.* 715. *Oudinus in Commentario de Scriptoribus eccleſiaſticis tomo* 2, *à col.* 1625 *varia de iſto auctore collegit; inter alia autem eſt illud in rem noſtram:* Chronicon ſuum ab anno MCXII, ubi Sigebertus deſierat, ad annum MCLXXXII produxit. Appendix autem ad Sigebertum, quæ inter illuſtres Germaniæ ſcriptores edita eſt, alterius auctoris maxima ex parte eſt, ab anno nimirum MCX ad annum MCLV. Germanam autem Appendicem ad Sigeberti Chronicon à Roberto de Torinneio, *uti etiam vocatur,* conſcriptam, ex autographo monaſterii ſancti Michaëlis de Monte, & ejuſdem acceſſiones ad Sigebertum *&c.* edidit vir doctiſſimus Lucas Dacherius, *ſuprà à nobis indicatus. Verùm ne notationes hujuſmodi nos abducant à filo noſtro hiſtorico, diſcordes hoſce principes Ludovicum regem & Theobaldum Comitem operâ* S. Bernardi *in gratiam eſſe reductos, dicemus infrà ad annum* 1144; *nunc verò cum Manrico pergimus, qui ita proſequitur ſuam materiem cap.* 2 *anni pradicti* 1143:

D

Refertur qua occaſione ne exciderit gratiâ Innocentii PP. Vir ſanctus,

348 Mœrebat ſanctus Pater hæc mala publica, cùm ſubitò privata etiam expertus, unde minùs timebat, dolori dolor, & triſtitiæ triſtitiæ ſuperadditur. Amiſſa, ipſo ignaro, gratia Innocentii, quam tot laboribus, tot obſequiis promeruiſſet. Ivonis Cardinalis legati bona in cauſa, diſtributa pauperibus, quæ Pontifici forent reſervanda, & diſtributio imputata Bernardo duplici titulo: quòd diſtributor deſignatus in teſtamento, & quòd pauperum cauſæ promotor vel ultroneus ſe ipſum ingeſſiſſet. Affuerant extremè laboranti duo abbates, per quos, Bernardo adjuncto, legata bona in pauperum tranſirent poſſeſſionem: & adiere uterque Claramvallem, Bernardum, ut par erat, requiſituri; ſed Sancto in pacis negotiis occupato, nec invento, ne teſtamentum diutius morarentur, quæ Ivo juſſerat, ſoli peregerunt. Difficile Innocentio viſum eſt, inconſulto Bernardo patratum quidquam: & erat in ea cauſa ſuſpectus Sanctus, propria, quia pauperum, aut propriis præferenda. Jam verò gratiâ utcumque ſemel amiſſâ, quæ hominum plerumque conditio eſt, quæ antè placuerant, infenſa eſſe cœperunt. Nihil fere in Eccleſia agi ſine Bernardo, atque ejus frequentibus epiſtolis interceſſionibuſque vix unicum Pontificem ſufficere, qui tamen univerſæ Eccleſiæ laudatus non poſſet uni viro morem gerere: contineret ſe Abbas intra cœnobium, contineret vel ſaltem intra Galliam, & eſſet aliquid, quod non perageretur ejus arbitrio .. Sic qui olim firmandæ ſibi tiaræ in omnes mundi plagas Bernardo uſus, poſtquam firmaverat, damnat quod elegit, &, qui pro ſe rogaturum ſolicitabat, non patitur rogantem ſibi pro aliis.

E

& hujus ad illum

349 Hæc de Pontificis in ipſum indignatione ubi accepit Bernardus, apologeticam, ut ad annum MCXLIII Baronius ait, ad eum ſcripſit epiſtolam, quâ ſuam cauſam defendens, & potenter excuſans, oſtendit, ſe nihil in eo peccaſſe, ut ejus indignationem commereretur. *Noviſſima hæc eſt, quam ſanctus Pater ad Innocentium PP. ſcripſit, epiſtola, ordine* 218, *qua, tametſi alibi excuſa legi poſſit, hîc tamen etiam recuſa relegi meretur, nonnullis brevitatis causâ reſciſſis:* Putabam, *inquit ſanctus Vir,* me aliquando aliquid vel modicum eſſe; ſed nunc, ut ſentio, prorſus ad nihilum redactus ſum, dum neſcivi. Nec enim me dixerim omnino nihilum tunc fuiſſe, cùm oculi domini mei ſuper puerum ſuum eſſent, & aures ejus ad preces meas .. Modò autem me meritò non modicum dico, ſed nihilum; quoniam ab heri & nudiuſtertius avertit faciem ſuam à me. Cur hoc? Quid peccavi? Multum fateor, ſi pecunia Cardinalis Ivonis * bonæ memoriæ meo arbitrio diſtributa fuit, & non ad nutum ipſius .. Non ſum tam hebes, ut ignorem Eccleſiæ eſſe, quidquid ille rerum ſuarum non dederit.

F

* *V. ep.* 193

hîc datum

350 Sed jam audite ſimpliciter veritatem ... Quando homo exuit hominem, abſens eram, immò & valde remotus. Audivi autem ab his, qui affuerunt, quod ipſe fecerit ſuum teſtamentum; & quod fecit, fecit & ſcribi: & de rebus ſuis quæ voluit, quibus voluit, ipſe diviſit: quod reſiduum

A reſiduum fuit, duobus abbatibus aſſiſtentibus tunc ſibi, & mihi pariter, qui abſens eram, dividendum commiſit, eò quòd nobis nota eſſent loca pauperiora ſanctorum. Porrò abbates illi domum venientes, & non invenientes me, (detinebar enim tunc temporis ex veſtro mandato pacis quærendæ negotiis) nihilominus pecuniam, ſicut eis viſum eſt, diviſerunt, me non ſolùm non connivente, ſed & neſciente, quid fecerint. Cedat jam, ſi placet, manifeſtæ indignatio veritati..

epiſtola apologetica.

351 Nam quod item comperi diſplicuiſſe me in multis ſcriptitationibus meis, hoc me jam metuere non oportebit: quoniam facilè emendabo. Scio, ſcio, præſumpſi pluſquàm oportuit, parum attendens, quis cui ſcriptitare præſumerem.. Dabo, ſi potero, zelo meo de cetero temperamentum, ſcientiam; & ponam digitum meum ſuper os meum. Tolerabiliùs enim offendam aliquos amicorum, quàm multis precibus defatigem Chriſtum Domini. Et nunc quoque non ſum auſus ſcribere vobis de imminentibus Eccleſiæ periculis, & gravi ſchiſmate, quod timemus, ac
B plurimis, quæ ſuſtinemus, incommodis. Scripſi autem ſanctis epiſcopis veſtro lateri adhærentibus: ab ipſis audire poteritis, ſi ſcire placuerit, quæ ſcripſerim ego. *Juvat his coronidis loco attexere verba Baronii ad annum* 1143, *num.* 5, *quæ epiſtolæ ſuperiori à ſe recitatæ ſic ſubdit:* Accidit planè ſecundum illud Sapientis, Eccleſ. 7, Calumnia conturbat ſapientem, ut S. Bernardus ob calumniatores apud Innocentium Papam æſtimatione minueretur, adeoque ut tot tantiſque exhibitis per eumdem Sanctum officiis & beneficiis oblivioni traditis, jam nulla eorum habita ratione, exciderit ipſe è gratia ejus. An autem acceptis his ab eo litteris Innocentius æquiori erga eum animo fuerit, haud nobis compertum habetur. At ſi in terra iſta aruerunt ſata Bernardi, flante vento urente: certè alibi quidem collegit ad vitam æternam, quæ non humano, ſed divino intuitu ab eo ſunt jactata ſemina in terram viventium. Sic diſcant homines non ſperare in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. *Hæc tam verè quàm graviter Baronius occaſione hujus epiſtolæ, quæ, ſicut ſuperiùs indicabam, ultima fuit, quam ſanctus Doctor ad*
C *Innocentium PP. II ſcripſit, nunc defenſor in tam juſta ac propria cauſa, qui antea fuerat toties in aliena. Et Pontifex quidem ille eodem anno* 1143 *è vita exceſſit die* XXIV *Septembris; cui Cæleſtinus hujus nominis II poſtero die ſuffectus eſt: hujus breve fuit regimen; de illius verò mortis cauſa vide Baronium ac Manricum.*

§ XXXIII. Ordo Ciſtercienſis à ſancto Abbate in Suecia propagatus; prodigium, & vaticinium; diſcordiæ in Gallia ab eo compoſitæ; honoratur à Patriarcha Hieroſolymitano.

Fratres ægrè diſcedentes à Bernardo ad exteras nationes

CHronographus *Ciſtercienſis ad annum antea indicatum cap.* 7 *inter cœnobiorum propagationem, de qua ibi tractat, occaſione Novævallis inchoatæ in regno Sueciæ, ac in diœceſi Lincopenſi, tria mira memorat de ſancto Patre: quorum alterum eſt prodigium, in confirmatio-*

nem fratrum eò mittendorum: alterum verò eſt vaticinium, quo cuidam fratri prænuntiavit locum mortis: tertium eſt poſitum in modo, quo illud vaticinium impletum fuit. En tibi primum ex auctore Exordii magni apud Triſſierium diſtinctione 4, *cap.* 28; Volens, *ait*, idem venerabilis Pater in populis aquilonarium partium, ſicut & in cæteris gentibus, aliquem fructum habere, petente religioſa femina regina Sueciæ, conventum fratrum ad partes illas direxit. Cumque monachi & converſi, qui ad hoc denominati fuerant, ut hominibus rudibus & indomitis formam religionis & diſciplinæ traderent, nimio mœrore conſternati, precibus, quibus valebant, agerent, ne, tanti Patris præſentiâ carituri, ad exteras & barbaras mitterentur regiones; ſanctus Abbas reſpondit: Ut quid irrationabilibus fletibus & precibus affligitis animam meam? Aut numquid voluntatem meam, & non potiùs voluntatem Dei, cui omnes obtemperare debemus, ſequor in hoc negotio? AUCTORE J. P.

miraculo confirmat 2 E

353 Erant autem coram eo poſita veſtimenta, & vaſa ſacra, cæteraque utenſilia ad miniſterium divini Officii pertinentia, quæ iidem fratres, qui mittendi erant, ſecum ferre debebant. Volens itaque certos eos reddere, quoniam à Domino egreſſus eſſet ſermo, elevavit pelvim, quæ ad recipiendam aquam ſacerdotis manibus fundendam deputata erat, & digitum fundo ejus imprimens, dixit: Ecce hoc vobis erit ſignum, quòd ſpiritus Domini miſerit vos. Mirum in modum rigor & inflexibilitas æris teneritudini digiti ejus cedere viſa eſt: adeo ut cujus quantitatis ſacer articulus fuerit, uſque hodie liquidò valeat dignoſci. Quantum autem intus ceſſiſſe, tantum foris æqualitatem exceſſiſſe videtur. In teſtimonium enim tanti miraculi eadem pelvis in ſecretario domûs, quam tunc Pater ſanctus ordinavit, ſumma cum reverentia ſervatur. Porrò prædicti fratres videntes perſpicuam divinæ gratiæ præſentiam adeſſe, ſtimulos edacis triſtitiæ reprimentes, gaviſi ſunt; & licet remotiſſimas, & in ultimo climate aquilonaris brumæ abſtruſas nationes, non ſine quodam horrore ſpiritûs adire poſſent; tamen eamdem gratiam Dei, meritis & precibus ſancti Patris noſtri intervenientibus, ſe comitaturam piâ confidentiâ præſumebant. *Sic ibi de miraculo: de inſigni autem* S. Bernardi *vaticinio auctor idem hæc ſtatim ſubjicit:* F

unus ex illis, qui mori cupiebat

354 Erat verò inter cæteros adoleſcens quidam honeſtæ indolis, & columbinæ ſimplicitatis, Gerardus nomine, oriundus de provincia Germaniæ ſecundæ, civitate Trajecto: qui impatientiùs aliis dolens, cum lacrymis dixit ad Virum Dei: Beatiſſime Pater, ego miſerabilis juvenculus, relicta domo paterna, ſpretiſque omnibus, quæ mihi in hoc ſeculo deſiderabilia & amabilia eſſe poterant, religionis amore paternitatem tuam adii, ſperans me tuâ dulciſſimâ præſentiâ debere frui, tuis doctrinis & exemplis informari, tuis meritis & precibus adjuvari, ſubque ſanctæ hujus multitudinis umbraculo à turbine tentationum, & ab æſtu juvenilium deſideriorum tutari: quodque votis omnibus exopto, inter ſacra corpora fratrum noſtrorum in hoc cœmeterio quieſcentium, diem expectare noviſſimum. Et, ecce, ejicis me hodie à facie tua, ſanctique hujus collegii conſortium perdo, & inſuper deſideratâ mihi ſepulturâ privabor. Hinc prorſus, hinc vehementer doleo: quia cor meum conturbatum eſt in me.

355 Compaſſus adoleſcenti Vir beatus, affli-

AUCTORE J. P. *in monaſterio Claravallenſi,*

ctam mœrore animam ejus affatu blando mulcere curavit, & quæ poſt annos quinquaginta futura erant, ſpiritu prophetico prævidens, & prædicens, ait ad eum: Vade, fili cariſſime, quò te Spiritus ſanctus mittere dignatur, & in agro dominico tamquam ſtrenuus operator labora. Ego tibi in nomine Domini polliceor, & ſecurum te facio, quia, ſicut deſideras, in Claravalle morieris, & cæleſtis Sponſi glorioſum adventum unà nobiſcum præſtolaberis. Hanc ergo tam læram pii Patris ſponſionem frater ille velut arrham deſiderii ſui ſuſcipiens, gaviſus eſt valde, ſciens utique nec falli poſſe, nec fallere velle hominem, quem ſapientiæ & veritatis ſectarium eſſe, manifeſta ſignorum & prodigiorum declarabant indicia. Ivit itaque, & in domo, quam cum cæteris fratribus initiare mittebatur, Prioris & cellerarii adminiſtratione ſtrenuè percurrens, divinâ largiente gratia, nomen pariter & officium abbatis ſortitus eſt: cujus dignitatis apicem licèt invitus conſcenderet, malens in humili loco ſalvari, quàm in ſublimi periclitari, ſuſceptum tamen religioſiſſimæ converſationis nitore decoravit. *Hactenus laudatus Exordii magni auctor de vaticinio, quod prædixerat ſanctus Pater Gerardo, cujus virtutibus enarratis, quas etiam vide in Annalibus Ciſtercienſibus tom. 2 ad an. 1150, cap. 10, pergit referre, quo pacto prædictio iſta deinde impleta ſit. Sic quippe proſequitur de Gerardo abbate:*

B

certior fit à Sancto, id futurum;

356 Cùm autem jam ſenuiſſet, & uſque ad decrepitam ætatem perveniſſet, quadrageſimum in prælatione complens annum, variis quoque infirmitatibus corpus ejus quateretur; cœperunt eum fratres rogare, quatenus, ſicut communiter multo tempore cum eis vixerat, ita etiam ſepulturæ locum apud ipſos ſortiri dignaretur. Quibus vir Domini reſpondit: Ne, quæſo, ita loquamini, filii mei. Oportet modis omnibus, ut in Claravalle moriar: & ſecundum ſponſionem Deo dilecti Patris mei, cum Sanctis, qui ibi pauſant, in pace in idipſum dormiam & requieſcam. Cauſantibus illis & dicentibus, Quomodo te, pater, illuc reducere poterimus, cùm præter veteranæ ſenectutis incommoda, tot & tantis infirmitatibus quaſſatus & debilitatus ſis, ut vix ad proximos terminos Danorum ſpirantem te pervenire poſſe putemus? cum multa fiducia reſpondit: Verbum Dei validum & forte, vivum & efficax, quod per os reverendiſſimi Viri auribus meis infuſum, penetralibus cordis mei arrham bonæ ſpei hujus, quâ feror, indidit, proſperos in hoc itinere ſucceſſus præſtabit: vos tantum, quod præcipio, feſtinanter implere curate.

C

atque hoc miro modo impletum eſt.

357 Itaque geſtatorio inter duos equos compoſito, in eo collocatur: & non ſine grandi miraculo à finibus orbis, per tanta terrarum ſpatia, per tot maris & fluminum pericula, Claramvallem pervenit: ibique in infirmitorio aliquamdiu recubans, in bona confeſſione ſpiritum exhalavit. Accepit verò deſideratæ ſepulturæ locum juxta beatæ memoriæ domni Benedicti nani tumbulam, qui eum familiariter in vita ſua dilexerat. Cujus deceſſum cùm rex Sueciæ comperiſſet, cum gemitu proteſtatus eſt, regnum & terram ſuam dignam non fuiſſe, ut in ea tanti viri ſacra oſſa requieſcere debuiſſent. *Porrò Gerardi obitum innectit Manricus anno 1190, ſicut tomo 3 Annalium Ciſtercienſium ad dictum annum cap. 4 datur videre. Jongelinus in Notitia abbatiarum Ordinis Ciſtercienſis lib. 8 pag. 36 ſcribens de abbatiis in regno Sueciæ, allegat nonnulla, è quibus ſuperiùs jam narrata aliquantulum elucidari poſſint. Etenim, ut de fundatione Nova-vallis, quam etiam illigat anno 1143, uti facit Manricus, dicit primum ejuſdem abbatem D. Gerardum,* urbe Trajectenſi ad Moſam in Belgio oriundum *fuiſſe: & ſic tollitur æquivocatio auctoris Exordii magni, apud quem dum dicitur* oriundus de provincia Germaniæ ſecundæ, civitate TRAJECTO; *incertum relinquitur, an Trajecti ad Rhenum, an Trajecti ad Moſam oriundus ſit. Ad hæc, ex iis, quæ loco citato præmiſerat laudatus Jongelinus de Alvaſtro ſive Alvaſtra, quam eodem anno 1143, & in eadem diœceſi Lincopenſi fundatam, nec non* initia ſua debere Suerchero inclyto Sueciæ regi *affirmat, atque ex iis, quæ notat de ſepultis in iſta abbatia Sueciæ regibus, accedit lux ad illa, quæ de rege Sueciæ innominato referebat Exordium magnum: nam, teſte Jongelino,* præter alios hîc ſepulturam elegit Suercherus Sueciæ rex, qui obiit anno MCL.. Item ejus filius Carolus Sueciæ rex, à Canuto Dano occiſus, in hoc cœnobio anno MCLXVIII juxta patrem ſepelitur... Suercherus rex, cæſus in bello Danico, obiit MCCVIII, allis MCCX *&c. Ad hunc itaque regem videtur referri illud de Gerardo dictum:* Cujus deceſſum cùm rex Sueciæ comperiſſet *&c. in ſententiâ Jongelini per ſuperiorem ſeriem expreſſâ. Regum porrò Sueciæ ordinem exhibet noſter Ricciolius tomo 3 ſuæ Chronologiæ reformatæ catalogo* 41, *in quo ſignatur* Suercherus II, Caroli VII filius MCXCII.

D

E

Ludovicus Galliarum rex, ac Theobaldus Comes, poſt graviſſimas diſcordias

358 *Rerum itaque à* S. Bernardo *geſtarum collectione ad annum Chriſti 1143 à nobis perducta, proximè ſequens 1144 ſerenam nobis aperit auram poſt ſedatam operâ Viri ſancti tempeſtatem graviſſimam diſcordiarum inter regem Ludovicum & Comitem Theobaldum, quam tantiſper interrupimus, Petri cathedram tenente Lucio hujus nominis II. Manricus ad hunc annum cap. 1 ſub iſto Pontifice rem hanc è pſeudo-Roberto de Monte in Appendice ad Chronicon Sigeberti hoc anno peractam ſic narrat:* Mediante Abbate Claræ-vallis, ſimultas, quæ inter regem Ludovicum, & Comitem Theobaldum incanduerat, ſopitur. *Cui eventui fortunatiſſimo apprimè convenit illud, quod idem Manricus ſubjungit, epiphonema:* Digna Bernardo mediatore pax, & quam ſummè exoptarant quicumque boni. *Quo autem modo res illæ acciderint, memoriæ prodidere duo Vitæ* S. Bernardi *ſcriptores. Ac primò quidem relatu digniſſimum eſt, quàm piis ac ſanctis monitis Vir Dei Theobaldum erudierit ad conſtantes magnoſque animos in tot & tam duris adverſæ fortunæ caſibus. Diffusè ac pathetice ea deſcribit Ernaldus lib. 2, cap. 6; quò, ne longior de his excurrat oratio, lectorem mittimus.*

F

Viri Dei operâ feliciter reconciliati ſunt.

359 *Ex his intelligitur, tragicam iſtam & ſanguinolentam inter duos hoſce principes controverſiam à ſacro noſtro Pacificatore feliciter quidem fuiſſe compoſitam; ſed addendum eòdem eſt, ita fuiſſe compoſitam, ut in ſpem contra ſpem omnem erectus, & ſpiritu actus prophetico, optatiſſimæ enimverò ſed vix exſpectatæ rei ſucceſſum prænuntiaverit. Legatur Gaufridus in libro 4 Vitæ* S. Bernardi *cap. 2, num. 198. Quamquam autem non adjungat, quibus conditionibus, & quo fructu pax illa ſancita fuerit; fructus tamen uberrimus inde conſecutus eſt, hunc referente Annalium Ciſtercienſium ſcriptore num. 7:* Pacta conventa, *ait,* ſiluere antiqui auctores,

A res, contenti initæ pacis relatione. Quam tamen adeo firmam inconcussamque constat permansisse, ut Ludovicus, post divortium cum Eleonora, Guillelmi Ducis *Aquitaniæ* filia, ut consanguinitatis sibi fœdere juncta, nec dispensata; & post Constantiam, *Alfonsi VIII Castellæ regis filiam*, ex partu vitâ functam, integro nondum matrimonii anno peracto, Adelam Theobaldi filiam duxerit, ex qua Philippus, cognomento Augustus, natus, qui successit in regno, avum & patrem arctiùs devincturus. *Talis ergo fuit gravissimæ hujus dissensionis exitus, Theobaldo quidem utilis & honorificus*, Bernardo *autem glorioſus.*

Patriarchæ Hierosolymitani erga Sanctum veneratio.

360 *Sanctus Pater in veneratione etiam fuit Patriarchæ Hierosolymitano, prout suadetur è fragmento Crucis Domini, ab hoc ad illum Hierosolymis transmisso; de quo laudatus Annalista ad annum* 1144 *cap.* 4, *& ea occasione, quòd* hoc ipso, *ait*, anno ejusdem salutiferi ligni interventu semel & iterum salus impetrata religiosiores Fideles effecisset. *Adisis Baronium ad eumdem annum* 1144. *Exstat* Bernardi *epistola ordine* 175, *in qua istius Patriarchæ litteris præventus, sacroque illo pignore donatus, memorem pro utroque isto honore ac gratum se exhibet. Sed epistola illa multùm abludit ab anno* 1144, *quæ circa annum* 1135 *data notatur in editione Mabillonii. Patriarcha verò iste* est Willelmus Gallo-Belga, *sicut decitur ibidem in notis*, ex eremita Turonensi patriarcha Jerosolymitanus ab anno MCXXX ad annum MCXLV. *Plura de illo patriarcha in eisdem notis sequuntur.*

§ XXXIV. Arnaldus Brixiensis hæreticus; impletum S. Bernardi vaticinium præsertim tempore Eugenii PP. III; ejus electio, & elogia; Bernardi ad ipsum litteræ.

Eugenii PP. III præsertim tempore Arnaldus vaticinium Bernardi implet: imago ejus

C *Superiùs in fine paragraphi* 29 *de isto furioso nebulone nonnulla breviter sunt præmissa: cujus effrenatam rabiem adversus omnem passim ordinem ecclesiasticum* S. Bernardus *prænuntiarat, prout ibidem observatum est occasione Petri Abaëlardi; id quod revera maximè patuit, fuisse impletum sub Pontificatu Eugenii PP. III, ex Ordine Cistercienſi ad Petri Cathedram anno* 1145 *evecti. Imaginem itaque Arnaldi Brixiani citato paragrapho promissam, atque huc transmissam, vivis coloribus depingamus ex Ottone Frisingensi lib.* 2 *de gestis Friderici I imperatoris cap.* 21, *col.* 719 *editionis novissimæ Mediolanensis tomo* 6 *inter rerum Italicarum scriptores:* Arnoldus, *ait*, quidam Brixiensis, de quo suprà dictum est, sub typo religionis, &, ut euangelicis verbis utar, sub ovina pelle lupum gerens, Urbem ingressus, ad factionem istam rudis populi, *nimirum Romani pro senatu contra Pontificem stantis*, animis præmolli dogmate ad animositatem accensis, innumeram post se duxit imò seduxit multitudinem. Arnaldus iste ex Italia civitate Brixia oriundus, ejusdemque ecclesiæ clericus, ac tantùm lector ordinatus, Petrum Abailardum olim præceptorem habuerat: vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluvio, quàm sententiarum pondere copiosus: singularitatis amator, novitatis cupidus: cujusmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreses, schismatumque perturbationes sunt prona. AUCTORE J. P.

Is à studio à Gallis in Italiam revertens, religiosum habitum, quo ampliùs decipere posset, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens: clericorum ac episcoporum derogator, monachorum persecutor, laïcis tantùm adulans. Dicebat enim nec clericos proprietatem, nec episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes, aliqua ratione salvari posse. Cuncta hæc principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantùm laïcorum cedere oportere. Præter hæc de Sacramento altaris, baptismo parvulorum non sanè dicitur sensisse. His aliisque modis, quos longum est enumerare, dum Brixiensem ecclesiam perturbaret, laïcisque terræ illius, prurientes erga clerum aures habentibus, ecclesiasticas malitiosè exponeret paginas *, in magno concilio Romæ (*anno* 1139) sub Innocentio habito, ab episcopo civitatis illius, virisque religiosis accusatur. Romanus ergo Pontifex, ne perniciosum dogma ad plures serperet, imponendum viro silentium decernit; sicque factum est. Ita homo ille de Italia fugiens, ad transalpina se contulit, ibique in oppido Alemanniæ Turego * officium doctoris assumens, perniciosum dogma aliquot diebus seminavit. * *al.* personas

E * *vulgo* Zurich *in Helvetia*

362 Comperta verò morte Innocentii, circa principia Pontificatûs Eugenii Urbem ingressus, cùm eam contra Pontificem suum in seditionem excitatam invenisset . . , ampliùs eam in seditionem excitavit, proponens antiquorum Romanorum exempla, qui ex senatûs maturitatis consulto, & ex juvenum animorum fortitudinis ordine & integritate totum orbem terræ suum fecerint. Quare reædificandum Capitolium, renovandam dignitatem senatoriam, reformandum equestrem ordinem docuit. Nihil in dispositione Urbis ad Romanum spectare Pontificem; sufficere sibi ecclesiasticum judicium debere. In tantum verò hujus venenosæ doctrinæ cœpit invalescere malum, ut non solùm nobilium Romanorum, seu Cardinalium diruerentur domus, & splendida palatia; verùm etiam de Cardinalibus reverendæ personæ, inhonestè sauciatis quibusdam, à furenti plebe tractarentur. Hæc & his similia, cùm multis diebus, id est, à morte Cælestini, usque ad hæc ab eo incessanter & irreverenter agerentur tempora, cúmque sententiâ pastorum justè in eum & canonicè prolatâ, ejus judicio tamquam omnino auctoritatis vacua contemnerentur; tandem in manus quorumdam incidens, in Tusciæ finibus captus, principis examini reservatus est, & ad ultimum à præfecto Urbis ligno adactus, ac rogo in pulverem redacto funere, ne à stolida plebe corpus ejus venerationi haberetur, in Tyberim sparsus. *Habes hîc, lector, Arnaldi Brixiani imaginem genuinis coloribus depictam: ut vere & appositè prædixerit* Bernardus, *pessima ac seditiosa ejus molimina quasi è specula prævidens, ac paucis multa complectens, dum in epistola suâ ordine* 195 *illa de eo usurpavit:* Videbitis hominem apertè insurgere in clerum, fretum tyrannide militari, insurgere in ipsos episcopos, & in omnem passim ecclesiasticum ordinem desævire. F

hîc depingitur:

363 *Enimverò turbulentæ illius Arnaldistarum factionis occasione obiit Lucius PP. II, qui Innocentio II successerat, rem illam pluribus exponente Baronio ad annum* 1145 *in principio. Eadem autem occasio, quæ Lucium è medio sustulit,*

obit Lucius PP., & eligitur Eugenius:

AUCTORE J. P.

ſtulit, ſine mora in defuncti locum extulit novum ſucceſſorem. Non vacavit ſedes, *ſicut ibidem pergit Baronius*, ſed REPENTE (ut ait S. Bernardus *in epiſtola* 237 *editionis Mabilloniana*) ob periculum imminens fuit ſucceſſor electus. Etenim poſt obitum Lucii, ob tumultuantes Romanos Arnaldiſtas, convenerunt unanimes Cardinales metuentes in eccleſiam monaſterii ſancti Cæſarii, illicque Dei nutu, haud de gremio ex more aliquem eligendum putarunt ex Cardinalibus in Romanum Pontificem; ſed convertentes oculos in abbatem monaſterii S. Anaſtaſii Trium fontium, Ordinis Ciſtercienſis, eidem haud pridem ſub Innocentio PP. II à S. Bernardo præfectum, Bernardum itidem nominatum, patriâ Piſanum, virum probitate inſignem, & prudentia in negotiis obeundis locupletem, tempore perditiſſimo, quo hujuſcemodi bello civili Urbs flagraret, putarunt fore aptiſſimum: quem cùm ſagaciſſimum fuiſſent experti, pari conſenſu ſummâ concordiâ elegerunt. *Annalium Ciſtercienſium ſcriptor cap.* 1 *num.* 4, Induſtriæ viri delatum, an ſanctitati, in dubio eſt. Baronius rarò incertos auctores ſequens, ad utramque reſpectum haud dubiè tradit: cæteri ſolam ſanctimoniam hominis, aliàs ſimplicis, & ad negotia gerenda minùs apti, ſi non unctione magiſtra edoceretur. *Hæc ille. Verba Baronii jam ſtatim protulimus.*

B

364 Cæterùm alii, *inquit idem Manricus num.* 5, induſtriam viri enervant, & ſoli ſanctitati cuncta adſcribunt. *Inter alios verò, qui ibidem allegantur, ita de illo loquitur S. Antoninus parte* 2, *titulo* 17, *cap.* 1, § 7: Hunc, cùm antea ſimplex eſſet, Deus mirabili gratia perfudit & elegantiâ. *Sed Manricus utramque, naturæ videlicet & gratiæ, prærogativam ei tribuens*, Crediderim, *ait eodem num.* 5, hominis aliàs induſtrii prudentiſque columbinum candorem præcelluiſſe, nec ſe voluiſſe extendere ultra monachum, dum intra ejus profeſſionis fines continebatur: Pontificem relaxaſſe habenas propriæ induſtriæ, quæ nihilominus divinitus afflata, etiam ultra mortalem prævolaverit: quod multa ejus geſta teſtificantur. *De conſecratione laudati Pontificis ſcribit Baronius modò citatus.* Animadverſione præterea dignum *cenſet Manricus num.* 7, quod Baronius omiſit, & auctor Chronici Belgici, *cujus locum & verba dat*, adnotavit; cùm aliqui Cardinales forte quia electum conſtantiorem, quàm optaſſent, experiebantur, ejus vellent infringere electionem, ſanctum virum nec cecidiſſe animo, nec ſeſe facilè illis conceſſiſſe: quin anathemate indicto in novatores, reſtitiſſe viriliter, ac irritos conatus evacuaſſe.. Sic, qui electoribus antea vix acquieverat, refragantibus obſtitit; & ut nequaquam eligi ambivit, ſic neque electus deponi paſſus eſt, humilis æquè ac conſtans, neque minùs à puſillanimitate recedens, quàm à ſuperbia. *Hac plusculùm de digniſſimo Chriſti Vicario deducere placuit, quia diſcipulus, quia amicus, quia filius* Bernardi *fuit, atque adeo gloria etiam extitit ſanctiſſimi Patris: qui libros de Conſideratione eidem inſcripſit. Ejuſdem tum abbatis epiſtolam ad* Bernardum *habes apud Mabillonium ordine* 344: *item ipſius jam Papæ aliam, epiſtola* 273 Bernardinæ *præmiſſam.*

C

elogia ejus:

365 *At quid dicam de* Bernardi *ad eum litteris, quas* planè aureas *vocat Baronius ad annum* 1145, *num.* 4, *atque Annalibus ſuis ibidem num.* 5 *& ſeqq. integras inſeruit? Nonnulla ex iis in uſum meum convertam, poſtquam præmiſero ſequentem de eiſdem notitiam ex hiſtorico Ciſtercienſi cap.* 2: Efferata Arnaldiſtarum rabies quotidie gliſcens, & ingruentia negotia Urbis & orbis detinuerunt Pontificem, quo minùs ſuo olim Patri, ſed jam tunc filio, & ſemper amantiſſimo Bernardo mutationem in ſe, & de ſe factam renuntiaret per litteras, ut ſecum aut doleret, aut gratias ageret. Aſt Pater ſanctus, qui filii principatum, dudum vulgante fama, rebellionem in ipſum nondum noverat, cùm ſuſtinuiſſet deſideratum nuntium, litteraſve, quibus Bernardum mutatum in Eugenium.., & ſe filium vocari gratanter legeret, & aliàs Cantuarienſis archiepiſcopi adverſus Eboracenſem litigantis (contra quem etiam pro Henrico Murdacenſi diſcipulo Bernardi adhuc ſtabat) precibus urgeretur; rupit tandem ſilentium ipſe prior, *novum Pontificem laudatâ ſuperiùs epiſtolâ compellans, quæ apud Mabillonium eſt ordine* 238. *En tibi quædam ejuſdem fragmenta:*

D

366 *Tantum itaque ſibi filium immò jam patrem gratulatur, de ejuſque gubernatione omnia undequaque fortunatiſſima exſpectat:* Quia, *inquit*, ſemel cœpi, loquar ad dominum meum. Jam enim filium dicere non audeo, quia filius in patrem, pater mutatus eſt in filium. Qui poſt me venit, ante me factus eſt: ſed non invideo: quia quod mihi deerat, in eo me habere confido, qui non ſolùm poſt me, ſed etiam per me venit. Nam ſi dignaris, quodammodo per Euangelium ego te genui. Quæ eſt ergo ſpes noſtra, & gaudium noſtrum, & corona gloriæ? Nonne vos ante Deum? Denique filius ſapiens gloria eſt patris. Amodo tamen non vocaberis filius; ſed vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi, & multi in mutatione iſta gaudebunt. Nam quemadmodum olim Abram in Abraham, Jacob in Iſraël; &, ut de tuis magis prædeceſſoribus tibi proponam, ſicut Simon in Cepham, Saulus in Paulum: ſic filius meus Bernardus in patrem meum Eugenium, læta prorſus & utili, ut ſperamus, tranſlatione promotus eſt. Digitus Dei eſt iſte, ſuſcitans de pulvere egenum, & de ſtercore erigens pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. *ad ipſum*

E

367 *Nec verò* S. Bernardus *adeo omnem, litteræ quam in filium quondam ſuum habuerat, auctoritatem exuerat, ut, dum ad ipſum haſce daret litteras, præclara quædam monita non adjungeret liberè ac paternè gratulationibus ſuis: nam ita continuò proſequitur:* Supereſt, ut facta hac mutatione tui, ipſa quoque, quæ tibi commiſſa eſt, Domini tui ſponſa mutetur in meliùs, & jam nequaquam Saraï, ſed Sara de cætero nominetur. Intellige, quæ dico: dabit enim tibi Dominus intellectum. Si amicus ſponſi es, ne dixeris dilectam ejus principem meam, ſed principem, nil tuum in ea vindicans, niſi quod pro ea, ſi oportuerit, etiam animam dare debes. Si Chriſtus te miſit, æſtimabis te non miniſtrari, ſed miniſtrare veniſſe: & miniſtrare non ſolùm ſubſtantiam, ſed ipſam quoque animam, ſicut præfatus ſum. *Deinde, nonnullis interjectis, varios Vir ſanctiſſimus induit affectus, gaudii videlicet, timoris ac terroris:* Ergo, *inquit*, fiduciam talem habens in te, qualem in nullo prædeceſſorum tuorum à multis retro temporibus viſa eſt habuiſſe, exſultat meritò ubique & gloriatur in Domino omnis eccleſia Sanctorum: ſed ſpecialiter illa *, cujus uterus te portavit, & cujus ubera tu ſuxiſti. Quid ergo? Nonne & mihi

F

Bernardi

* *nempe* Claravallenſis *vel* Ciſtercienſis.

A hi licet gaudere cum gaudentibus? Numquid non ero unus de numero lætantium? Exſultavi, fateor, ſed cum tremore: exſultavi, ſed in ipſo exſultationis meæ articulo timor & tremor venerunt ſuper me. Ego enim etſi nomen patris depoſui; ſed non timorem, ſed non anxietatem, poſtremò nec affectum, nec viſcera patris. Conſidero gradum, & caſum vereor: conſidero faſtigium dignitatis, & intueor faciem abyſſi jacentis deorſum..

verè 368 Et quidem elegeras abjectus eſſe in domo Dei tui, & recumbere in noviſſimo loco in convivio ejus; ſed placuit dicere ei, qui te invitavit: Amice, aſcende ſuperiùs. Itaque aſcendiſti in altum, noli altum ſapere; ſed time, ne forte contingat ferò miſerabilem illam emittere vocem: A facie iræ & indignationis tuæ, elevans alliſiſti me. Altiorem quippe locum ſortitus es, ſed non tutiorem; ſublimiorem, non ſecuriorem. Terribilis prorſus, terribilis eſt locus iſte. Locus, inquam, in quo ſtas, terra ſancta eſt; locus Petri eſt; locus Principis Apoſtolorum, ubi ſteterunt pedes ejus. Locus illius eſt, quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ, B & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Si forte declinaveris à via Domini; ſepultus eſt in eodem loco, ut ſit tibi contra te in teſtimonium.. Hæc hactenus. Cæterùm cauſa, quare ante tempus ſcripſerim vobis, hæc eſt. *Synopſim ejuſdem jam præmiſimus huic epiſtolæ ex Manrico.*

aureæ, 369 *Causâ itaque expoſitâ, ſignificat* S. Bernardus, *quidnam optet Eccleſia, ac novo ejus Pontifici: ac poſtremò hortatur illum ad fortes magnoſque animos, nec non ad jugem mortis memoriam, his verbis epiſtolam ſuam concludens:* Confortare igitur, & eſto robuſtus; manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum. Vindica tibi animi conſtantiâ & vigore ſpiritûs partem, quam dedit extra fratres tuos tibi omnipotens Pater, quam & tulit de manu Amorrhæi in gladio & arcu ſuo. In omnibus tamen operibus tuis memento te eſſe hominem, & timor ejus, qui aufert ſpiritum principum, ſemper ſit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aſpexiſti! Ipſi te prædeceſſores tui tuæ certiſſimæ & citiſſimæ deceſſionis admoneant; & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Jugi proinde C meditatione inter hujus tranſeuntis gloriæ blandimenta, memorare noviſſima tua: quia quibus ſucceſſiſti in ſedem, ipſos ſine dubio ſequeris ad mortem. *Atque hæc quidem ſunt, quæ huc tranſcribenda putavi ex inſigni illa & paternis affectibus plena* Bernardi *ad Eugenium epiſtola.*

oblatâ ex iis opportunitate agendi de brevitate vitæ Pontificum Rom. 370 *Illud autem* Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aſpexiſti! *illud, inquam, occaſionem dedit Horſtio quærendi, cur vitæ Pontificum Romanorum ſint adeo breves. Meretur audiri ejus notatio in præſentem epiſtolam, quæ habetur apud Mabillonium in notis prolixioribus ad epiſtolas* S. Bernardi *col.* LXXII: Mirum non immerito videri poſſit, quid ſit, cur tam brevis ævi ſint Romani Pontifices, ut ſolus Petrus putetur annum vigeſimum quintum attigiſſe; plurimos paucis annis, aut paucis menſibus, immò non multis diebus ſuperſtites, mors præmatura rapuerit, cum videamus imperatorum & regum plurimos multo longioris ævi fuiſſe? Res omnino digna diſquiſitione. Sed quis novit ſenſum Domini? Video tamen eamdem quæſtionem B. Petro Damiani propoſitam ab Alexandro Pontifice, quam ille diligenter tractat, & ediſſerit, ut legi omnino digna ſint quæ ſcribit. Vide inter epiſt. lib. 1 epiſt. 17, aliàs Opuſculo 23. AUCTORE J. P.

„ Aliquando, inquit, à me ſollicitè requiſiſtis, „ quæ mihi cauſa videatur, cur Apoſtolicæ Se„ dis Antiſtes numquam diutius vivat, ſed intra „ breve temporis ſpatium diem claudat extremum; „ adeo ut poſt divum Petrum Apoſtolum, qui „ per 25 circiter annorum luſtra præſedit, nemo „ poſtmodùm Romanorum Pontificum hoc ſpa„ tium præſulatûs æquaverit. Modernis immò „ temporibus vix quiſquam in prædictæ Sedis „ culmen evehitur qui metam quatuor, vel, ut „ multum, quinque tranſcendat annorum. Quod „ conſiderantibus nobis, prodigialis, ut ita lo„ quar, ſtupor oboritur: quoniam hæc brevi„ ter vivendi neceſſitas in nulla alia totius orbis „ eccleſia reperitur. Sed in quantum mortalibus „ divinæ diſpenſationis revelatur arcanum, vi„ detur nobis, quia idcirco hoc judicii cæleſtis „ ordo diſponit, ut humano generi metum mor„ tis incutiat, & quàm deſpicienda ſit tempora„ lis vitæ gloria, in ipſo gloriæ principatu evi„ denter oſtendat „ *&c.* Anguſtis quidem limitibus Pontificum Vitas incluſit Damianus, fateor, E dum ultra quatuor aut quinque annos non extendit: in breviores tamen mihi videntur coarctatæ, ſi Pontificum hiſtoriæ conſulantur. Rectiſſimè igitur S. Bernardus hac epiſtola hortatur Eugenium, ut ex breviſſimo ſuorum prædeceſſorum dominatu, ſuum quoque ſuſpectum habere diſcat. *Ita ibi. Porro epiſtola, quam* S. Bernardus *ſcripſit ad Purpuratos Patres, qui Eugenium elegerant, elegans etiam, ac variis affectuum characteribus expreſſa legi poteſt in ipſo fonte.*

§ XXXV. Eugenius PP. Viterbium ſecedit; eo ſacris operante coram Armenis miraculum; ſcripta S. Bernardi contra epiſcopum Eboracenſem intruſum; domeſtica quædam negotia; famoſi Nicolai Aremarenſis ambitio &c. F

Eugenio PP. ob turbas Arnaldianas Româ Viterbium ſecedente,

Annalium Ciſtercienſium collector cap. 3 *tractat de Arnaldi Brixiani in Urbem ingreſſu, ac plebe ibidem ab ipſo concitata. Nos de turbulenti hujus hominis facinoribus jam ſuprà ſatis diximus.* Aſt Eugenius (*ita pergit idem auctor num.* 3) inſanientium Romanorum civium furorem devitans, ſeceſſit Viterbium: ubi uſque ad finem anni commoratus, non tam cedere, quàm dare locum iræ viſus eſt, cùm efferbuerit *, faciliùs compeſcendæ. Percuſſit tamen priùs anathemate Jordanem & ſocios; ac Tiburtinos, Romanorum antiquos hoſtes, auxiliares adſcivit, per quos vexati faciliùs reſipiſcerent. *Videatur Ottonis Friſingenſis Chronicum lib.* 7 *cap.* 31. Sed de his, *inquit Manricus*, ſuo tempore dicemus. Interim quo triſtibus lætiora miſcerentur, atque utraque ſe mutuo temperarent; *mutatâ ſcenâ affertur ab ipſo locus ille Annalium eccleſiaſticorum apud Baronium ad hunc annum num.* 27: Accidit ſecundum illud divinum oraculum veritatis ore pronuntiatum de prædeſtinatione Sanctorum: Venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac,

** f.* deferbuerit

AUCTORE J. P.

saac, & Jacob, & filii regni ejicientur in tenebras exteriores; quòd, dum Romani resiliunt, accurrant populi è longinquo; cùm negant isti, qui propè; profiteantur, qui longè sunt positi, ut ita saltem erubescant omnes, qui oderunt Sion. *Varias porrò ad Sedem Apostolicam externarum gentium legationes commemorat idem Annalium ecclesiasticorum parens ad hunc annum, nec non Manricus cap. 3 citato. In rebus autem, quæ accidisse narrantur, hoc miraculum illustre videtur à nobis non prætereundum, quod ex Ottone Frisingensi refert Baronius; sed nos illud in pauciora contrahemus nimiæ prolixitatis vitandæ gratiâ.*

& ibidem sacris operante,

372 Tunc quoque temporis, *ait Baronius num. 29*, cùm Viterbii Eugenius consisteret, Orientales ex Armenia atque Syria legationes accepit, prout ab eo, qui præsens aderat, Ottone, qui & ea, quæ vidit, etiam fidelissimè scripsit, refertur. *E libro itaque ipsius Ottonis septimo, cap. 32 delibamus ista:* Ea tempestate legati Armeniorum episcoporum, eorumque metropolitani.. legati ab ultimo penè Oriente summum Pontificem Viterbii .. adeunt, eique ex
B parte illius ecclesiæ subjectionem omnimodam offerentes, causas viæ nobis cum aliis multis præsentibus, apud veterem aulam aperiunt.. Inter ipsos & Græcos quædam de ritu Sacrificii habitudo est in quibusdam; in aliis verò discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem (*quod refellitur apud Pagium ad annum Christi 1145 num. 8*) sicut illi; aquam autem vino non admiscent, sicut nos & illi .. Pro his & aliis dum inter se dissentirent, Romanam Ecclesiam judicem eligentes, consultum veniunt, formamque Sacrificii juxta consuetudinem ejus sibi tradi deposcunt. Quos Romanus Antistes gratanter suscipiens, Missarum solenniis ac Sacrificii secretis adhibuit, diligenterque ea, quæ fiebant ibidem, eos animadvertere monuit.

coram Armenis ad eum legatis miraculum accidit.

373 Quod dum facerent.. unus ex eis pontificali dignitate præditus, sicut postmodùm in plena curia retulit, in beati Martini octava, quando dedicatio ecclesiæ beati Petri celebrari solet, Summo Pontifice divina mysteria agente, splendido fulgore radium solis super caput ejus coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes &
C descendentes vidit. Cumque diligentiùs hac illacque oculos circumferret, nullumque aditum, per quem lux illa transfunderetur, inveniret, deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ Sedis ampliùs accensus, cunctis, quæ viderat, aperuit. At venerabilis Pater non suis hoc meritis attribuens, ipsius potiùs fide cælitus hoc sibi monstratum affirmabat, ut videlicet ecclesia, à qua ipse missus fuerat, Sacramentorum virtutem veritatis luce perfusam cognosceret, ac deinceps quali ea reverentia & forma tractare deberet, addisceret. *Hactenus Otto Frisingensis, quæ ab ipso descripta eò lubentiùs huic Commentario nostro inteximus, quòd non modica in Eugenium PP., quo sacris operante insigne illud prodigium accidit, venerationis commendatio, ac proin in ipsum etiam* Bernardum *derivetur; nec non in sacram ejus familiam Claravallensem.*

Eugenius pacem init cum Romanis:

374 *Annalium Cistercienſium conditor ad præsentem annum cap. 4 num. 1 Eugenii PP. pro fidelibus in Oriente solicitudinem exhibet, quæque tum ab eodem Pontifice, tum à Christianis principibus, tum ab ipso potissimùm* Bernardo *pro expeditione belli sacri, ac Terræ sanctæ defensione fint peracta, enarrare deinceps pergit. Sed quia* D *idem argumentum intexit annis non unis sequentibus, eisdemque intertexit alias res, quæ ad illam materiem non spectant; videmur meliùs consulturi rerum tam memorabilium intelligentiæ, ordini eventuum, ac narrationis modo, si, quæ ipse ob rationem temporis disjunxit, atque aliis historiis interrupit, nos eodem sermonis fluxu simul conjungamus, ac facta annis diversis sub uno veluti conspectu repræsentemus ad annum Christi 1146 & sequentes: quò lectorem mittimus. De pace cum Romanis inita ab Eugenio PP., deque conditionibus ejusdem, ac gaudio communi, quo idem Pontifex Romæ sit susceptus, consuli potest Manricus cap. 4 citato, num. 10 & 11. Pergamus interea temporis ad caput 5 anni 1145 laudatorum Annalium; quod ita auspicatur Manricus:*

S. Bernardus rogatu Theobaldi archiep. Cantuariensis

375 Interea Bernardus, qua pietate in suos, quo zelo in publicum bonum agebatur, cùm à Theobaldo archiepiscopo Cantuariæ, cùm à primoribus Anglicanæ ecclesiæ viris, contra Willelmum Eboraci intrusum, pro filio Henrico sollicitaretur: cùm causam diu cœptam & agitatam, E trium Pontificum morte necdum discussam, in pendenti adhuc esse, nec sine gravi justitiæ detrimento, atque ipsius ecclesiæ, consideraret; secundam epistolam ad Eugenium Papam scripsit, acrem & vividam, ac apertè propalantem, quod in priori latentiùs insinuarat; succidendos nimirum ramos inutiles, atque arbores infructuosas evellendas. *Et mox ibidem num. 2 epistola recitatur. Est ordine 239 apud Mabillonium.* Eugenius *verò* Pontifex, *ut dicitur num. 4 apud Manricum*, statu causæ cognito, qui integer à morte Innocentii conservabatur, prædecessoris sui sententiæ deferens, juramento Decani Eboracensis, quod Guillelmus instantissimè petierat, suis litteris standum confirmavit; ut, nisi ille capitulum intrusionis, quod Guillelmo inter alia opponebatur, juramento amoveret, electio irrita & nulla declararetur. Decanus primùm judicio se subtrahere, simulare ignorantiam, colloquia fugere: demum cùm per censuras compelleretur, quamvis Guillelmo ex animo faveret, plus tamen veritati & religioni tribuens, quàm amicitiæ, tandem virum intrusum iterum pronuntiavit, iterum dixit, atque electionem cas-
F sam irritamque electioni Henrici post habendam.

contra Guillelmum Eboracensem intrusum scribit:

376 Tunc Willelmus jugulatus suo mucrone, & arma propria in se conversa videns, ad posteriores Innocentii litteras, veras aut fictas, censuit confugiendum, & facessit negotium Eugenio nova cautela, ut jam exinde ad Bernardum Patrem scriberet, zelare se pro ecclesia Eboracensi, & velle idolum illud de medio tollere; sed nihilominus dubium adhuc hærere, quâ viâ congruentiùs dejiceretur. Tunc sanctus Pater constans pro veritate, constans pro filio; sed nihilominus zelans pro Innocentio, qui in suis litteris notaretur duplicitatis, denuo contra Willelmum stylum vibrans, & Pontificem roborans, vel ex his bonis, quæ ab ipso facta audierat, talem ad eum epistolam scripsit. *Habetur apud citatum modò editorem ordine 240; sed ibidem aptatur anno Christi 1146. Votis* Bernardi *respondit eventus. Quippe Eugenius* causæ meritis, & Bernardi instantiâ victus, tandem Guillelmum fore destituendum, substituendum Henricum adjudicavit. Quin & ad se vocatum sacratumque, mox etiam pallio ex more cohonestavit; cohonestatum remisit Eboracum, *inquit Manricus.*

A *cus num.* 7 ; *qui etiam deinde refert, quænam ſint ſacrilegè acta à depoſiti fautoribus ; de qua re exſtat epiſtola* S. Bernardi *in editione Mabillonii ordine* 252, *cujus ad illam conſulat lector notationem, & ſignatur anno Chriſti* 1147.

domeſticis quibuſdam negotiis vacat,

377 *Hiſtoricus Ciſtercienſis cap.* 6, *ad privata quædam & domeſtica Ordinis ſui negotia ſcribenda calamum admovens, ſermonem inſtituit de Petri Bernardi, ad Petri cathedram aſſumpti, ſucceſſore in præfectura SS. Vincentii & Anaſtaſii Romæ. Fuit is Rualenus : verum* ægrè Bernardus, *ſicut ibi narratur num.* 2 *&* 3, charum ſibi filium, quem præ aliis teneriùs diligebat, .. tulit .. à ſe avelli, maximè renitentem, orantemque, ut quieſcere in paterno ſinu permitteretur. Sed vicit tandem obedientia ſummi Pontificis .. Verùm cum Romæ in ſententia permaneret *Rualenus*, ſegnis aut humilis, neque animum mutaret ſimul cum loco, neque blandimentis ſive exteriùs aulæ .., ſeu præfecturæ interiùs ſe permitteret ; quin inſtanter per litteras, per nuntios, Bernardum Patrem pro miſſione obtinenda ſollicitaret ; ipſe Sanctus paterno illi affectu de more condolens, ſed nihilominus Eugenio Papæ deferens, cujus præcipuè electione illuc advenerat, talem ad eum epiſtolam ſcripſit, *ordine* 258, *quâ illum ad ſe remitti rogat. Sed accidit, ut Eugenius* non ſolùm petitionem non admiſerit ; ſed ſeveriùs ſcripſerit Bernardo, quaſi nolenti ſibi complacere. Tunc Abbas ſanctus ſilentium Rualeno, ſilentium ſibi imponens in hoc negotio ; & Rualeno & Eugenio iterum ſcripſit ; huic, ut obedientiam voluntariam fuiſſe monſtraret ; illi, ut faceret, *ſicut dicit Manricus num.* 5. *Sunt epiſtolæ* 259 *&* 260.

B

ac pſalmum quemdam exponit.

378 *Laudatus hiſtoricus cap.* 8 *ſcribit de felici obitu venerabilis Humberti, monachi Claravallenſis, qui in manibus* S. Bernardi *exſpiravit, & de quo Vir Sanctus Sermonem habuit ad fratres, meritis laudibus virtutes ejus extollens. Habetur inter alios ipſius Sermones in editione Mabillonii col.* 1066 *& ſequentibus ; ſed illigatur anno Chriſti* 1148. *Vide notas ibidem. Ejuſdem hiſtoriæ auctor dicto cap.* 8, *num.* 10, Hoc ipſo anno, *inquit*, quantum ex ſerie ſcriptorum, & vitæ ipſius licet colligere, Bernardus Pater, interruptis ſermonibus in Cantica, in gratiam monachorum in Quadrageſima, explicandum ſuſcepit Pſalmum QUI HABITAT ; quem decem & ſeptem Sermonibus abſolvit. *Exſtant aliis Sancti Sermonibus intexti apud laudatum Mabillonium col.* 827 *& ſequentibus ; ſed habiti ſignantur ſub annum* 1140, *ut videre datur in notatione ad Sermonem ſextum.*

C

Famoſus Nicolaus Arremarenſis cupit admitti in Claramvallem :

379 *Annalium Ciſtercienſium caput nonum conſtat è longa admodùm narratione, quæ hominis cujuſdam hypocritæ ſubdolas artes, ut in* S. Bernardi *familiaritem & uſum intimè ſe inſinuaret, atque hac via magnam ſibi nominis gloriam, cujus erat avidiſſimus, compararet, lectori repræſentat. Tametſi autem non adeo multùm noſtrâ interſit, ſi omittatur à nobis iſta hiſtoria ; quia tamen naturalem quamdam cum rebus geſtis ſancti Abbatis connexionem habet, aliquam ejuſdem partem ex Manrico in compendium cogimus.* Nicolaus Arremarenſis ætate juvenis, aſpectu decorus, moribus aut compoſitus aut fictus ; ſed ingenio & eloquentia penè uſque ad miraculum ; quem propter hæc Venerabilis Petrus Mauricius in deliciis, reliqui in admiratione etiam haberent, .. cùm Eugenium in ſumma Eccleſiæ Sede, Bernardum Patrem in ſumma æſtimatione .. conſpexiſſet, Claramvallem adeundam ſibi propoſuit .. Bernardum Patrem jam ſenio & morbis gravem, ac ſupra vires implicitum negotiis .. indigere notario, qui phraſim gravem, qui ſacrorum librorum inverſa loca, qui dulcem ejus ſtylum imitaretur : ſe, ſi quem alium, aptum ad hoc munus .. Huic miniſterio ſi ſemel admittatur, ex quotidiano uſu habiliorem, ex majori notitia utiliorem, & penè neceſſarium, brevi conſecuturum, quod exoptabat, innoteſcere orbi per ſanctum Patrem .. Hæc Nicolao fingendæ converſionis occaſio unica, hic ſimulandi perfectioris vitæ ardoris ſcopus fuit. Sed timuit detectorem Bernardum ficta devotio, & meliùs ſe putavit poſſe latêre, ſi ad filios ejus primò, ut ſimpliciores ; dein per ipſos ad Sanctum referretur. AUCTORE J. P.

quæſito ſanctitatis colore conventum illum,

380 Ergo quæſito colore videndi ſocios .. ſeu viſitandi ſanctam illam domum .. illuc advenit, dum Bernardus abeſſet .. Ibi quaſi qui ſubitò incaluiſſet, ſancta ſervorum Dei converſatione attractus, mirari vitam, collaudare viros .., & ſe infelicem, qui tanto bono careat. Si admitteretur Sanctorum ſocietati, vel in vita beatum prædicabat. Auderet utinam ſperare, utinam petere ! .. Hæc & ſimilia per conventum primò ſparſa, dein Priori, ſenioribuſque dicta, adeo gratanter cuncti ſuſcepere, ut, quo minùs petentis votis annuerent, ſolâ Bernardi abſentiâ detinerentur .. Illud tandem conſilium omnium fuit, ut interim Arremarum reverſus, in prima vocatione ſua perſeveraret, quoaduſque per Claræ-vallenſes Bernardo reduci, & per Bernardum Venerabili Petro vocatione inſinuata, probataque, convenirent ſuffragia .. Itaque à Claravalle diſceſſit non ſine lacrymis, veris an fictis quis audeat judicare ? At cùm Bernardum negotia detinerent ultra conſuetum, quietis impatiens .. homo vafer & callidus, per ſpeciem religionis vitia diſſimulans, primùm quidem venerabili Theobaldo Arremarenſi Priori perſuaſit, ut idem peteret. Dein cùm ipſum & propoſiti ſocium, & precum haberet coadjutorem, hanc ad ſeniores Claræ-vallis ſcripſit epiſtolam, captandos ex ſtylo, ſive quia ad ipſos efficax & acer, ſive quia levando Parenti utilis foret. *Ejuſdem epiſtolæ exemplar deinde ibi ſequitur ; quo recitato, aliiſque nonnullis enarratis, quæ ibidem legi poſſunt, memorantur ea, quæ jam voti factus compos in cœnobio Claravallenſi egit, ut præfixum ſibi ſcopum obtinendi magni nominis conſequeretur.*

E

F

deinde moribus ac ſcribendi ſtylo ſanctum Abbatem decipit :

381 Ingreſſum Claramvallem aſtutum juvenem .. conciliarunt ſancto Abbati probi in ſpeciem mores, modeſtique, ingenium acre & vividum, ſtylus dulcis, & ſe, quacumque vellet, facilè flectens, tum .. juge obſequium : quæ omnia ab aliis probata laudataque, maximè à Petro abbate Cluniacenſi, cujus judicio multum deferebat, Nicolaum valde Bernardo commendabant. Et latebat fortaſſis inter hæc ipſa proprii amoris ſcintillula, dum Vir appetens otii & ſolitudinis, inveniebat in ipſo, cui ardua etiam negotia poſſet committere. Hinc patuit via ad ejus deſiderium, cùm ſanctus Pater in multis uteretur calamo Nicolai, atque ipſius exemplo etiam alii. Ex quibus brevi innotuit per totum orbem .. Sic Nicolaus, quod adeo concupierat, celebre nomen .. acquiſivit in brevi. *Hæc & plura alia de iſto hypocrita collegit Manricus ad annum præſentem* 1145, *cap.* 9 : *ubi num.* 13 (*& poſt eum Pagius in Critica ad annum* 1146, *num.* 13) *affirmat, fraudulentam ipſius converſionem* inne-

AUCTORE J.P.

tendam esse anno 1145, *corrigens Baronium*, qui Nicolaum sequenti anno detectum atque delatum ad Eugenium Papam putat; cum tamen multo posteriùs se prodiderit, ut tota historiæ series palam faciet, *inquit idem historicus Cisterciensis.* Neque credibile, *ut rectè scribit Pagius citatus*, Nicolaum tam citò falsarium à S. Bernardo deprehensum, & tamen non statim à suo obsequio dimissum. *Atque hæc quidem de illo impostore hactenus, quorum postea juvabit meminisse, uti & aliorum, quæ hisce attexo, ad pleniorem notitiam historiæ Bernardinæ, in qua partes suas nequiter ac fraudulenter egit, alibi postmodùm in eadem recursurus.*

de cujus natalibus dotibus;

382 *Ducem sequor eruditissimum Mabillonium, qui in Præfationis suæ parte altera in tomum* III *Operum* S. Bernardi, *varia de Nicolao isto famoso curiosè notavit à pag.* 712. *Quæ ex Manrico dicebam de moribus ac naturæ dotibus, ita refert Mabillonius:* Erat Nicolaus natione Francus, ab ineunte ætate monachus in monasterio Arremarensi * diœcesis Trecensis, quatuor ab ipsa civitate leucis. Vir fuit ingenii facilis, versatilis, facilè in aliorum affectus influens, litteris pro tempore apprime excultus, aliis erudiendis apud suos Arremarenses præfectus; carus viris ea ætate præcipuis, Attoni Trecensi episcopo, Petro Venerabili abbati Cluniacensi, Petro Cellensi, Henrico Ludovici Junioris fratri; aliisque. *De admissione ejus in Claramvallem mox agit Mabillonius; sed de ea re satis jam suprà dictum est. Circa* notarii officium ipsi commissum, *idem Mabillonius*, Plures, *ait*, erant Bernardo notarii, ob varia, quæ subinde ad ipsum referebantur, negotia. Præcipuus erat Gaufridus, cui adjunctus fuit Nicolaus. *Illa verò, quibus ipsemet ibidem describit suum museum, argumento sunt auctori dictæ Præfationis*, Nicolaum etiam sub se notarios habuisse. *Non transcribo autem quæ in eadem Præfatione narrantur de librorum commercio, de recusatione tunicæ, ad amicum, quam is ad ipsum transmiserat, remissæ, quasi parum Ordini suo convenientis; de epistolis denique, quibus amicos frequentabat; de his quippe facilè patior consuli à lectore Præfationem laudatam Mabillonii; ita tamen, ut nonnulla ex illa delibem, quæ ad nostrum propositum, atque adeo ad* Bernardi *historiam magis propè conducunt. Sunt autem ista, quæ habentur col.* 715 *& sequente:*

* *vulgo* Montier-Ramey

B

C

sigilli Bernardini adulteratione, ac lapsu plura hoc loco memorantur.

383 Petro Venerabili abbati Cluniacensi .. ad delicias usque amicus erat Nicolaus, quem identidem Bernardus ad eum mittebat, ut mutua cordium arcana & reciproci affectus apud hunc sequestrum deponerentur. Qua de re legenda Petri epistola, quæ est ordine 264 inter Bernardinas. Sed tandem accidit, ô mortalium infelix conditio! ut Nicolaus Bernardi indulgentiâ & facilitate abusus, sigillum ejus in malos usus adulteraverit, demum in horrendam prolapsus defectionem, quam dubium est, an umquam seriò emendarit. De sigillo vitiato Bernardus, tacito Nicolai nomine, quæ sancti Viri caritas erat, Eugenio significavit epistolâ 284. " Periclitati sumus in falsis fratribus, & multæ litteræ falsatæ „ sub falsato sigillo nostro in manus multorum „ venerunt; & (quod magis vereor) etiam usque ad vos dicitur falsitas pervolasse „. Ejusdem funestum casum deplorat in epistola 298 ad eumdem Eugenium, non jam dissimulato (quòd publicum crimen erat) auctore. " Nicolaus ille „ exiit à nobis, quia non erat ex nobis: exiit „ autem fœda post se relinquens vestigia, & ego „ longè antè hominem noveram: sed exspectabam, ut aut Deus eum converteret, aut instar Judæ ipse se proderet .. Quod & factum est. Præter libros, denarios, & aureos multos, in ipso exitu inventa sunt super eum sigilla tria, unum ejus proprium, alterum Prioris, tertium nostrum .. De turpitudinibus ejus, quibus terra sordet, & factæ sunt omnibus in parabolam, superfedeo polluere labia mea, & vestras aures „. Addit Bernardus, eum, si ad curiam Eugenii, uti is jactaverat, pergere audeat, dignum esse, si quis alius, PERPETUA INCLUSIONE. Accidit verò iste lapsus in annum MCLI, ut patet ex memorata Bernardi epistola 298 ad Eugenium eo anno scripta; & ex epistola 388, quæ est Petri Venerabilis, de electione Gratianopolitana, eodem anno facta, qua in epistola Nicolaus, uti Bernardo & Petro adhuc carus, ac fidelis amborum internuntius laudatur.

D

Nicolaus hic ab alio synonymo distinguendus:

384 *Nicolaum porrò hunc ab alio synonymo Anglo distinguendum esse, observatur in sæpè dicta Præfatione his verbis:* Omnes existimant, ipsum profugisse in Angliam, ac se recepisse in S. Albani monasterium, eumque esse Nicolaum, qui Bernardi jam demortui de conceptione Deiparæ sententiam traduxit, impugnavitque, atque Petrum Cellensem adversarium habuit. Et Nicolaus quidem vocabatur iste; sed Anglum fuisse, constat ex duabus ad illum Petri epistolis, quæ sunt libri sexti epistola 23, & noni epistola 10, *quarum verba ibidem producuntur.* Atqui ex superioribus constat, Nicolaum Claræ-vallensem ante suam fugam Petro maximè notum ac familiarem, nec Anglum exstitisse, sed Gallum aut Francum: ac proinde ab illo Anglo distinguendum.

E

quò se receperit & quæ lapsus ejus causa fuerit.

385 Sed quò ergo, inquis, Nicolaus Francus se recepit? Post varios hinc inde discursus, constitit tandem in suo Arremarensi monasterio, cùm Bernardo è vivis erepto ibi tuto sibi vivere licuit ac securo. *Probationes videri possunt in Præfatione eadem; in qua etiam asseritur*, quid rei, quamve personam in Arremarensi monasterio ageret, *è Nicolai verbis.* Ita ergo, *inquit Mabillonius*, apud Arremarenses agebat Nicolaus, ut esset sui juris. Misera sanè conditio hominis, qui Bernardi discipulus ac notarius fuerat! Sed quis miretur, cùm angeli ex cælo ipso deciderint? In hoc verò maximè vanitatem suam prodit, quòd de multitudine amicorum, uti aliàs etiam solebat, gloriatur. *Epistola autem, quæ ibi affertur ad hoc probandum, etiam indicio est*, Nicolaum ex Campania .. ortum fuisse; sed lapsûs ejus causam non aliunde, quàm ex gloriola & superbia, quæ plerosque dementat, repetendam .. Ex his omnibus apparet, quis fuerit Nicolai genius, nempe vanus, inconstans, inquietus, de qualibus vix umquam quicquam boni sperare liceat. Ceterùm qualis ejus exitus fuerit, ignoramus. *Sed jam tempus est, ut post hanc excursionem revertamur ad propositum.*

F

A

§ XXXVI. Opera publico Ecclesiæ bono ac Sedi Apostolicæ navata; synopsis eorum, quæ Vir Dei gessit ac passus est pro bello sacro.

Abbatem Cluniacensem Eugenio PP. commendat: pro hoc persecutionem patiente scribit ad Romanos, & ad Conradum imp.

Venerabilem Petrum Mauricium, abbatem Cluniacensem, anno Christi 1146 Romam sese contulisse ad Eugenium PP., memorant Annales Cistercienses ad hunc annum cap. 1. Exstat S. Bernardi *epistola 277 ad eumdem Christi Vicarium, quâ summo cum benevolentiæ affectu ipsum commendat.* Romam tandem pervenit venerabilis abbas, *uti scribit Manricus ibidem num. 6*, ubi ab Eugenio non benignè tantùm, sed etiam reverenter susceptus est, velut quem de universa Ecclesia bene, de Cistercio ab initio optimè meritum, etiam Bernardo tacente, non ignorabat. *At de Petro ibidem plura. Laudati Annales cap. 3, num. 1 referunt secundam Eugenii PP. ex urbe Romana fugam, ejusque adjuncta:* Dum orbem, *inquiunt*, Pontifex ex Urbe moderatur, & nunc per se, nunc per strenuos legatos cunctis providet, Urbem rebellem iterum expertus, iterum cedit; & qui modò cum ramis atque hymnis susceptus fuerat, vix tribus ex tunc mensibus exactis, lapidibus blasphemiisque impetitus in fugam agitur. *Deinde num. 3 ista dicuntur:* Dum hæc secunda Romanæ urbis seditio, vulgante famâ & amicorum litteris, Claramvallem ad Bernardi aures venisset (quamvis Baronius ad priorem refert) accensus, quo solebat, justitiæ zelo, & calamum velut gladium vibrans; primùm ad eos, arguens, rogans, increpans: sed mox etiam ad Conradum imperatorem scripsit, per quem, si fortè obstinati perseverarent, nihilominus armis compescerentur. *Epistola, quam dedit ad Romanos, habetur inter Bernardinas à Mabillonio recusas, ordine 243; quam proximè ibidem sequitur alia Conrado inscripta: utraque ibidem aptatur anno Christi 1146; utraque item præbet incensissimi studii, quo Vir sanctus in publicum Ecclesiæ bonum, ac Sedem Petri flagrabat, luculentum argumentum, prout perspicuum erit eadem legenti. Pagius ad præsentem annum Christi 1146 ambas illas epistolas spectare, etiam observat ibidem num. 1 contra Baronium, qui illas anno præcedente recitat.*

B

C

Antequam singillatim agamus

387 *Promisimus paragrapho proximè prægresso, acturos nos hoc anno & sequentibus de sacra Christianorum principum adversus infideles expeditione in Oriente, idque sub uno, quo res magis eluceat, narrationis tractu: nunc autem fidem solvimus, præmittentes ea, quæ compendiosè scribit Mabillonius in sua Præfatione generali § 7, quæque adinstar synopseos servire possunt ad longiorem hujus historiæ narrationem, quam § proximo inchoabimus, summatim intelligendam.* Inter extremos, *inquit*, Bernardi labores censenda est prædicatio sacræ expeditionis in terram Sanctam: quæ res quantum sudoris, quantum molestiæ ipsi attulerit, ex ejus Vita & scriptis facilè intelligere licet. Hujus expeditionis occasio, ut ex Ottone Frisingensi discimus, nata est per Ludovicum Juniorem Francorum regem; qui ad loca sacra pergendi desiderio pressus, quod germanus suus Philippus, eodem voto adstrictus, morte intercedente exsequi non potuerat, consilium suum regni principibus aperit. Hi Bernardum consulendum decernunt. Accersitus Abbas sanctus, tanti momenti negotium ad Romani Pontificis examen referendum censet. Id magnopere laudavit probavitque Eugenius " auctoritate prædicandi, animosque cun„ctorum ad hoc commovendi, prænominato „ Abbati, qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ „ populos ut propheta vel apostolus habebatur, „ concessa „. Paret tandem apostolicis litteris Bernardus, & excitatis ad transmarinam expeditionem multorum animis, Ludovicum regem apud Vizeliacum cruce signat, cum Theodorico Flandrensi, & Henrico Theobaldi Blesensis filio, comitibus aliisque Baronibus & nobilibus.

AUCTORE J P.

de expeditione orientali

388 Interim Radulfus quidam monachus crucem itidem dum in Germania prædicat, Christianos in Judæorum necem accendit. Hominem litteris repressit Bernardus, atque ipsemet sacræ expeditionis prædicationem aggressus est in orientali Francorum regno, hoc est in ea Germaniæ regione, quæ ad Rhenum sita est. Hinc Conradus imperator generalem conventum Spiræ indixit: quò Bernardus profectus " principi cum Fri„derico fratris sui filio, aliisque principibus & „ viris illustribus crucem sumere persuasit, plu„rima in publico vel occulto faciendo miracu„la „. Fridericum Sueviæ Ducem, qui filium suum cruce signatum indignè ferebat, Bernardus emollivit; Radulfum monachum in claustrum suum retrudi jussit; & loco sui Adamum Eboracensem abbatem Conrado, in Bajoariam pergenti, ad urgendum itineris negotium dedit socium. Exstat Bernardi hac de re epistola ad Francos orientales, quæ modo est ordine 363: quam proximè subsequitur alia ad Henricum archiepiscopum Moguntinum ad reprimendum Radulfum: " Igitur non solùm ex Romano imperio (ait Ot„to) sed etiam ex vicinis regnis, id est, occi„dentali Francia, Anglia, Pannonia, innume„ris populis ac nationibus hac expeditionis fama „ ad sumendam crucem commotis, repentè sic „ totus pæne Occidens siluit, ut non solum bel„la movere, sed & arma quempiam in publico „ portare nefas haberetur „.

E

adversus infideles.

389 Tanta porrò totius Occidentis commotio Bernardi prædicationi tributa est: verùm cùm hæc expeditio non bene pro votis successisset, tota etiam mali eventus invidia in eum rejecta, pro communi more mortalium, qui ex eventis res æstimare solent. Neque ferè ulla alia res fuit, quæ Bernardi animum majori dolore affecerit, quàm ista, non tam sui, quam Dei causâ. Unde ipse initio libri secundi de Consideratione: " Si „ necesse sit unum fieri è duobus, malo in nos „ murmur hominum, quàm in Deum esse. Bo„num mihi, si dignetur me uti pro clypeo. Li„bens in me recipio detrahentium linguas male„dicas „ &c. Adeo porrò omnium fere animi hoc eventu turbati sunt, ut sanctus Doctor beatum pronuntiet eum, qui non fuisset scandalizatus in eo. Quanta denique fuerit Bernardi super hoc tristitia, patet tum ex epistola 288, quam in lecto, forsan ex animi ægritudine, decumbens hac de re scripsit: tum ex epistola Johannis abbatis Casæ-Marii ad Bernardum ipsum, quæ modo est inter Bernardinas 386; in qua Virum sanctum, quem ob sinistrum expeditionis eventum audierat afflictum, consolatur.

F

præmittitur

390 Non defuere tamen, qui Bernardi partes

AUCTORE J. P.

tes defendendas ſuſceperint: quos inter non ultimo loco numerandus eſt Otto epiſcopus Friſingenſis, Bernardo non admodùm favere ſolitus. Is in libro de Geſtis Friderici cap. 60 excurſum facit ad excuſandum eventum illius expeditionis, cui & ipſe interfuit. In fine excurſus philoſophici potiùs quam hiſtorici, ita concludit in gratiam Bernardi: " Quamvis ſi dicamus, ſanctum illum „ Abbatem ſpiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuiſſe, ſed nos ob ſuperbiam lafciviamque „ noſtram ſalubria mandata non obſervantes, „ meritò rerum perſonarumque diſpendium re„ portaſſe, non ſit ab antiquis rationibus vel „ exemplis diſſonum „. Unum tamen addit, nempe " ſpiritum prophetarum non ſemper ſub„ eſſe prophetis „: ut nempe innuat incertum eſſe, an Bernardus ex ſpiritu divino de hac expeditione, ejuſque eventu conjecerit.

ſynopſis eorum,

391 Attamen Bernardus ipſe initio libri ſecundi de Conſideratione ad Eugenium; ubi factum à calumnia tuetur, ſe ad id divinitus impulſum eſſe non diffitetur. " Diximus, pax, inquit, & „ non eſt pax: promiſimus bona, & ecce turba„ tio „. Tum hæc ſubdit ad ſui defenſionem:

B " Quaſi verò temeritate in opere iſto, aut levita„ te uſi ſimus. Cucurrimus planè in eo, non qua„ ſi in incertum, ſed jubente te, immò per te „ Deo „. Et inferiùs, objectis ſibi hominum improperiis: " Unde ſcimus quod à Domino ſermo „ egreſſus ſit? Quæ ſigna tu facis, ut credamus „ tibi „ ita reponit, Eugenium alloquens: " Non eſt quod ad iſta ipſe reſpondeam: parcen„ dum verecundiæ meæ. Reſponde tu pro me, „ & pro te ipſo ſecundum ea, quæ audiſti & vi„ diſti „. Quibus verbis miracula, ab ſe in prædicationis confirmationem facta, ſine dubio modeſtè inſinuat.

quæ Vir ſanctus hac in cauſa fecit, ac perperam paſſus eſt.

392 Verùm omnium optimè Gaufridus ſanctum Parentem ſuum à calumnia vindicat in lib. 3 de ejus Vita cap. 4: primò, quòd illius expeditionis primum propoſitum ab eo non ſit profectum. " Cùm enim multorum jam animos per„ moviſſet audita neceſſitas, à rege Francorum „ ſemel & iterum propter hoc expetitus, Apo„ ſtolicis etiam litteris monitus, nec ſic acquie„ vit ſuper hoc loqui, vel conſilium dare, do„ nec per ipſius tandem Pontificis generalem epi„ ſtolam juſſus ab eo eſt, tamquam Romanæ Ec„ cleſiæ lingua, exponere populis atque princi„ pibus „. Deinde quod prædicandi officium, ab eo ex obedientia ſuſceptum, divinitus confirmatum ſit tot tantiſque miraculis ac ſignis, QUANTA VEL NUMERARE, NEDUM NARRARE DIFFICILE FORET. Denique quòd ſi ex illa profectione Orientalis eccleſia liberari non meruit, certè cæleſtis meruit impleri & lætari, nempe ob eorum mortem " qui in fructibus pœnitentiæ purgatas „ variis tribulationibus Chriſto animas reddide„ runt „. Et quidem hoc ipſum eſt, quod Johannes, Caſæ-Marii abbas ſanctus, ſibi ex revelatione compertum Bernardo ſignificavit. Sed quid moramur in vindicando Bernardo? Cujus tanta auctoritas id jam dudum obtinuit apud omnes, etiam heterodoxos, ut ejus vita, eximia ſanctitas, & doctrina communi omnium ſuffragio & exiſtimatione ſint approbatæ.

C

D

§ XXXVII. Eugenii PP., Ludovici regis, ac S. Bernardi acta pro bello ſacro; Viri Dei prædicatio; miracula; ſumma rei bellicæ præfectura huic uni delata, ſed ab eo non admiſſa; Lingonenſes pacificati; controverſiæ alteri ejus interpoſita auctoritas.

Eugenius PP pro fidelibus in Oriente cruram gerit.

Gaufridus, cœnobita quondam Claravallenſis, S. Bernardi notarius, ac deinde ibidem abbas, lib. 3 ipſius Vitæ apud nos cap. 2 ſcribens de belli ſacri à Chriſtianis in Orientem invecti, Bernardo *prædicationibus longè latèque claſſicum inſonante, infelici ſucceſſu, atque de obmurmuratione adverſus Virum ſanctum exinde orta, amplum nobis reliquit campum ulterioris commentationis, quâ hoc argumentum, in ſynopſi è Mabillonio paullò antè generatim propoſitum, magis ſingulatim & explicatè illuſtremus. Quadam hujus ſacræ expeditionis fundamenta jacta fuiſſe anno Chriſti 1145, narrat ibidem hiſtoricus Ciſtercienſis cap. 4:* Interea, *ait,* Eugenius in corde ſuo conferens, atque alta mente volvens, quæ audierat de damnis in Oriente illatis ab infidelibus populo Chriſtiano, Edeſſâ captâ, indeque Antiochiâ, atque ipſis Hieroſolymis in diſcrimen adductis, .. contra Sarracenos .. communia arma ſumenda eſſe putavit. A Ludovico præventus, an præveniens, in dubio eſt. Certum, utrumque in ea convenifſe, ut alter expeditionem publicaret, alter ſubiret: neuter ſine Bernardo quidquam faceret. Sed nos Othonem, auctorem ejuſdem temporis, & cunctis fere aſſiſtentem, quâ apud omnes pollebat auctoritate, hæc ipſa referentem audiamus. *Libro 1 de Geſtis Friderici I imperatoris cap. 34 iſta memorat, quæ è noviſſima editione Mediolanenſi accipimus, tomo 6 à columna 668:* Ludovicus dum occultè Hieruſalem eundi deſiderium haberet, eo quòd frater ſuus Philippus eodem voto aſtrictus, morte præventus fuerat, diutiùs protelare nolens propoſitum, quibuſdam ex principibus ſuis vocatis, quid in mente volveret, aperuit.

E

F

Ludovicus rex conſulit Bernardum de bello ſacro; cui ab Eugenio confertur auctoritas prædicandi.

394 Erat illo in tempore in Gallia cœnobii Claræ-vallenſis abbas quidam Bernardus dictus, vita & moribus venerabilis, religionis ordine conſpicuus, ſapientiâ literarumque ſcientiâ præditus, ſignis & miraculis clarus. Hunc princeps vocandum, ab eoque, quid de hac re fieri oporteret, tamquam à divino oraculo conſulendum decernit. Vocatur præfatus Abbas, conſiliumque ipſius ſuper prædicti depoſcitur principis voluntate. Ille de tam grandi negotio, ex propriæ auctoritatis arbitrio reſponſum dare, frivolum judicans, ut ad Romani Pontificis audientiam & examen deferatur, optimum eſſe reſpondit. Itaque miſſa ad Eugenium legatione, totum illi negotium aperitur. Qui anteceſſorum ſuorum exempla revolvens, quod videlicet Urbanus hujuſmodi occaſione tranſmarinam eccleſiam, duaſque patriarchales ſedes, id eſt, Antiochiam & Hieroſolymam, ab obedientia Romanæ Sedis ſciſſas, in

A in pacis unitatem receperit, votis prædicti regis pro dilatando Chriſtianæ religionis ritu annuit, auctoritate prædicandi, animoſque cunctorum ad hoc commovendi, prænominato Abbati, qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos ut propheta vel apoſtolus habebatur, conceſſa. Unde ejus ſcriptum tale ad regem, principeſque ſuos directum invenitur. *Mox illud idem auctor ſubjicit cap. 35 : ſed quia ſatis longum eſt, & à Baronio ac Manrico ad annum Chriſti 1145 typis commiſſum ; ideo illud hîc iterum non tranſcribimus.*

Ludovicum quidnam moverit ad illud bellum ; præparationes ;

395 *Ceterùm profectionem orientalem à rege Francorum Ludovico VII, propterea quòd compunctus eſſet ob incenſam Vitriacenſem baſilicam, cum mille ac trecentis, quæ in eam confugerant, capitibus (videſis dicta ſuperiùs § 32) ex voto ſuſceptam fuiſſe, perhibent ſcriptores apud Pagium ad annum Chriſti 1145, num. 13. Longum verò eſſet ſingulatim enarrare præparationes, quæ in Gallia ante iſtam expeditionem ſub dicto rege adhibitæ ſunt ; quales ſunt conventus Bituricenſis, de quo idem Pagius ad annum mox citatum num. 12 ; item Vezeliacenſis, ad annum 1146,* B *num. 3. De priore autem tractans*, Odo, *ait*, de Diogilo monachus S. Dionyſii, & in abbatiam ejuſdem monaſterii Sugerii ſucceſſor, ſeptem libellos edidit de Ludovici VII Francorum regis profectione in Orientem, à Petro Franciſco Chiffletio in Aſſerto genere illuſtri S. Bernardi à tenebris erutos, quibus hiſtoria eccleſiaſtica locupletari poteſt. *Deinde ex iſtius Odonis libello primo nonnulla recitat de utroque illo congreſſu : ſed de Vezeliacenſi laudatus Odo varia ſcribit in eodem libello primo, quæ ad* S. Bernardum *pertinent. Præter alia verò, quæ apud Chiffletium legi poſſunt, ſequentia inde delibo Odonis verba à pag. 11 :* Anno, *inquit*, Verbi incarnat. milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto glorioſus rex Francorum .. ut dignus eſſet Chriſto, Verzeliaco in Paſcha bajulando crucem ſuam aggreſſus eſt eum ſequi .. Abbas etiam (*Claravallenſis*) Apoſtolica auctoritate, & propria ſanctitate munitus, & convocatorum maxima multitudo .. pariter affuerunt .. Et quoniam in caſtro locus non erat, qui tantam multitudinem capere poſſet, extrà in campo fixa eſt Abbati lignea machina, ut de imminenti circumſtantibus loqueretur. Hanc aſcendit cum rege cruce ornato.

C

incredibilis cruce ſignatorum multitudo, Bernardo prædicante ; miracula.

396 Cumque cæleſte organum more ſuo divini verbi rorem fudiſſet, cœperunt undique conclamando, Cruces, cruces, expetere. Et cùm earum faſcem præparatum ſeminaſſet potiùs, quam dediſſet, coactus eſt veſtes ſuas in cruces ſcindere & ſeminare. In hoc laboravit quamdiu fuit in villa. Superſedeo ſcribere miracula, quæ tunc ibidem acciderunt, quibus viſum eſt id Domino placuiſſe : ne, ſi pauca ſcripſero, non credantur plura fuiſſe ; vel ſi multa, materiam videat obmiſiſſe. Tandem edicto, quòd poſt annum progrederentur, omnes ad ſua cum gaudio repedarunt. Abbas verò ſub tenui corpore, & penè præmortuo robuſtum tegens ſpiritum, ubicumque circumvolat prædicando, & multiplicati ſunt ſuper numerum in parvo tempore, crucem portantes. *De conventu Vezeliacenſi adiri etiam poteſt Otto Friſingenſis, modò deſignatus, cap. 36 : de Laudunenſi ac Carnotenſi Pagius ad annum 1146 num. 6 ; inſigniores è Cruce ſignatis num. 5 nominat. Colloquio Vezeliacenſi coram non præſedit Eugenius Papa : nam, referente Odone pag. 12*, Optabat quidem ipſe tam ſancto operi manum primam præſens imponere ; ſed tyranni- AUCTORE J. P.
de Romanorum præpeditus non potuit : ſancto verò Clarevallenſi Abbati Bernardo curam iſtam delegavit. *Et verò Eugenium anno dumtaxat 1147 in Galliam veniſſe, reperies apud Pagium ibi num. 5, contra alios, quos citat pro anno 1146, ac corrigit ad iſtum annum num. 2. Conveniri de hac re etiam poteſt Manricus ad annum 1145, cap. 4, num. 9.*

Vir Dei eligitur ſupremus belli præfectus ;

397 *Nuperrimè mentio à nobis facta eſt conventûs Carnotenſis, quantum in rem noſtram ibi ſatis ; ita tamen, ut officium mirabile, quod in concilio ibidem congregato pro expeditione militiæ ſacræ Abbati ſancto fuit commiſſum, novam hîc mentionem meritò requirat. Baronius ad annum Chriſti 1146 ſcribit de indictione ac celebratione iſtius concilii, nec non de inſignibus perſonis in eodem congregatis ; deinde verò quærit num.* 3, Quid actum ibi ? *Et reſpondet :* Illud in primis planè mirandum, quod obſtupefaciet omnes audientes ; dum videlicet ibi totius belli dux ipſe ſanctus Bernardus omnium conſenſu deligitur, qui principem militiæ agat, cui milites omnes & principes ipſi ſubjicerentur. Hoc decretum in concilio conſenſu omnium. Hæc ne tu E
putes fabulam ; deſcribendæ hîc ſunt litteræ S. Bernardi ad Eugenium Papam de his agentis, primumque ſtudium Eugenii ex ſcriptis ab eo litteris commendantis, eumdemque ad ulteriora hortantis, atque ad poſtremum, quid actum in Carnotenſi concilio enarrantis.

ſed munus illud recuſat,

398 *Poſtremum hoc ex epiſtola Sancti ordine 256, in qua legi poſſunt antecedentia, huc tranſcribo :* De cætero, *ait*, verbum illud, quod jam, nî fallor, audiſtis ; quomodo videlicet in Carnotenſi conventu (quonam judicio ſatis miror) me quaſi in ducem & principem militiæ elegerunt : certum ſit vobis, nec conſilii mei, nec voluntatis meæ fuiſſe vel eſſe, ſed nec poſſibilitatis meæ (quantum metior vires meas) pervenire uſque illuc. Quis ſum ego, ut diſponam caſtrorum acies, ut egrediar ante facies armatorum ? Aut quid tam remotum à profeſſione mea, etiam ſi vires ſuppeterent, etiam ſi peritia non deeſſet ? Sed neque hoc meum eſt, veſtram docere ſapientiam. Noſtis hæc omnia. Tantùm obſecro per illam caritatem, quâ mihi ſpecialiter debitores eſtis, ne me humanis voluntatibus exponatis ; ſed, ſicut ſingulariter vobis incumbit, F
divinum conſilium perquiratis, & operam detis, ut ſicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat. *Mabillonius in notatione ad hanc epiſtolam monet, de hoc conventu legendas Petri Venerabilis, & Sugerii epiſtolas.*

quod Eugenius PP. etiam improbat ;

399 *Ut* primùm Eugenius ſuſcepit Bernardi litteras, *Ciſtercienſi hiſtorico referente ad annum 1146, cap. 5*, & bellicos cognovit apparatus, qui in Gallia incipientes, ſi modò promoveantur, facilè ſperarentur alias latè provincias pervagaturi ; proſperis ventis laxanda vela ratus, neque alio utendum nauta, quàm eo ipſo, qui tam feliciter inchoaſſet navigationem, ad eumdem Bernardum reſcribit alacer, non ſibi ipſius materiali gladio, non ductu bellico, quamvis id etiam Galli principes poſcant, ſed ſpirituali tantùm opus eſſe, id eſt, gladio ſpiritûs, qui, Apoſtolo teſte, eſt verbum Dei : ſacerdotali tuba cieat bellum, prædicet, arguat, exprobret Chriſtianis, loca noſtræ ſalutis in arcto poſita, periclitari fratres, hos trucidandos miſerè ; illa ſacrilegè & impiè profananda, dum ipſi deſides per otium luxuriantur, ſi non ſuccurrant. Inge-

AUCTORE J. P.

rat populis fidelibus furorem, ſeu veriùs zelum adverſus infideles, & contra crucis contemptores concitet univerſum Chriſtianum orbem. Hanc legatiam Eugenii quondam filii; nunc amici, nunc patris, quin & totius Eccleſiæ nomine illi injungi, ſubeundam ardenter Viro Dei, qui nullis pro ipſius cauſa laboribus, nullis periculis umquam peperciſſet. Hæc & ſimilia ab Eugenio ad Bernardum ſemel & iterum, qui cunctis aderat Godefridus, mandata narrat. *Ita Manricus. Adeat lector Gaufridum biographum lib.* 3 *cap.* 2.

vocem Bernardi excitantis populum ad bellum ſacrum multa comitantur miracula:

400 Solutâ curiâ, & rege, *uti pergit idem Annaliſta num.* 3, ac Pontificibus reverſis ad propria, ut neceſſaria ad iter præpararent, Bernardus Pater vicina loca & urbes, prædicans per provincias, non inæquali fructu peragravit. Et addebant voci ejus vocem virtutis miracula frequentia, quibus adeo fideles concitabantur, ut penè vacuas urbes, deſerta oppida univerſi relinquerent, dum Sanctum ſequebantur, Chriſto ſub crucis ſigno militaturi. *Præter Odonem, de miraculis paullo antè locutum, habemus teſtem irrefragabilem Gaufridum loco jamjam deſignato: nam de ſignis, quibus Dominus ſermonem Viri ſancti confirmabat,* Sed quantis, *ait*, & quàm multiplicibus ſignis? Quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Nam & eodem tempore ſcribi cœperant; ſed ipſa demum ſcriptorem numeroſitas ſcribendorum, & materia ſuperavit auctorem: nimirum cùm aliquando una die viginti, ſeu etiam plures ab incommodis variis ſanarentur, nec facilè ab ejuſmodi dies ulla vacaret. Denique plures eo tempore Chriſtus per Servi ſui tactum & orationem, ex ipſis etiam matrum uteris cæcos videre, claudos ambulare, aridos convaleſcere, ſurdos fecit audire, & mutos loqui. *De ingenti autem cruce ſignatorum multitudine juvat audire Sanctum ipſum, hæc de illa Eugenio ſcribentem in epiſtola, quæ eſt ordine* 247 *apud Mabillonium:* Mandaſtis, & obedivi, & fœcundavit obedientiam præcipientis auctoritas: ſiquidem annuntiavi & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Vacuantur urbes & caſtella; & penè jam non inveniunt, quem apprehendant ſeptem mulieres, virum unum: adeo ubique viduæ vivis remanent viris.

B

C

Lingonenſes epiſcopum ac clerum reconciliat: acta in cauſa Samſonis ep.,

401 *Atque hæc quidem* Bernardus *in locis, in quibus erat præſens, effecit viva voce; à quibus verò aberat, quia ad illa ire, vel tam citò ire non poterat, quantum præſtiterit igneis litteris, & ad accendenda fidelium corda accommodatis, quid memorem? Adiſis hiſtoricum Ciſtercienſem cap.* 5 *citato, num.* 8: Cæterùm, *inquit*, inter bellicos apparatûs hoc ipſo anno Lingonenſes epiſcopum & clerum inter ſe diſſidentes paci reddidit. Et interceſſit miraculum prævisum, & in miraculo prophetata pax, cùm minùs conſequenda putabatur. *Res narratur apud Gaufridum lib.* 4 *Vitæ, cap.* 5, *num.* 239: *In Annalibus Ciſtercienſibus cap.* 6 *exſtant Eugenii PP. geſta adverſus infideles, ac* Bernardi *ad hunc pro Samſone archiepiſcopo Remenſi epiſtola, quæ inter Bernardinas à Mabillonio vulgatas eſt ordine* 247. *Ex iis autem, quæ laudatus editor ad illam notat:* Solemne quondam erat, ut reges in præcipuis feſtis coronam acciperent feſtivo ritu, ut hic apud Biturigas ante Jeroſolymitanam expeditionem. Bituricenſis archiepiſcopus id ſibi in ſua eccleſia deberi contendebat. Quare cùm id Samſon præſtitiſſet apud Biturigas, reclamante Petro archiepiſcopo, Eugenius uſum pallii eidem Samſoni interdixit. Pontificias hac de re litteras habes in Patriarchio Bituricenſi, ex aliis notis; *ex iis, inquam, perſpicuum fit primò, hanc ſententiam, cui regis Ludovici Junioris cauſa erat immixta, latam fuiſſe non ſine periculo, ne vel omnino refrigeſceret vel penitus exſtingueretur ardor erga dictam expeditionem. Secundò, ſuam rectè auctoritatem interpoſuiſſe Virum ſanctum huic controverſiæ componendæ, ſi præſertim ejuſdem circumſtantias expendas.*

D

ne controverſia illa obeſſet bello ſacro.

402 *Audiamus Manricum capite* 6, *num.* 7: Erat Samſon .. integræ famæ præſul .. & Ludovico inter charos ſemper habitus, tunc ab accepta corona charior adhuc .. Turbavit regem, principes, & populum promulgata ſententia, quantumvis juſta, quantumvis ex Dei zelo profecta fuerit, & univerſam tranſmarinam expeditionem, quam adeo omnes ardebant, exaſperato rege, à cordibus fidelium penè avulſit. Sed Bernardus .. ſive gratiâ in Samſonem, quem multa charitate proſequebatur, ſeu reverentiâ eximiæ religionis, quâ præcellebat inter alios Galliæ præſules; ſeu tandem regi aut deferens aut timens; deferens, inquam, ſancto illius zelo, quo per tot ſumptus, tot labores proprios, tot pericula terræ mariſque, orientalem parabat expeditionem; ſed & timens, ne forte irritaretur contemptus à Pontifice .., à propoſito poſſet revocari; .. paterna, quâ pollebat, auctoritate, & libertate, quâ ſemper utebatur in cauſis Chriſti, has ad Eugenium litteras ſcripſit non vacuas zelo, ſed prudentiâ plenas.

E

§ XXXVIII. Sceleratus contra Judæos prædicator repreſſus, & ad frugem reductus à ſancto Doctore; cautela contra falſarios litterarum ejus.

Barbarum in Anglia Judæorum facinus in puero

F

A *Trociſſimam Chriſtianorum adverſus Judæos perſecutionem in Gallia & Germania excitatam memorat Annalium Ciſtercienſium ſcriptor cap.* 7. *Cauſam dedit perfida iſtius ſectæ barbarum facinus, quòd apud Nortwicum in Anglia crucifixiſſet puerum quemdam nomine Willielmum: de quo tamquam martyre jam pridem actum fuit in Opere noſtro ad diem* XXV *Martii, tomo* III *iſtius menſis, pag.* 588 *& ſequentibus, re innexa anno Chriſti* 1144. *Perſecutionis tuba fuit eremita, cui nomen Radulphus, Chriſtianos contra illos commovens prædicationibus ſuis. Opportunitas acceſſit ex orientali contra Saracenos expeditione, quam* S. Bernardus *tantopere promovebat. Quia itaque res illa affinitatem quamdam habet cum hiſtoria belli ſacri, de qua tractamus, eam in compendio referemus è laudato Annalium conditore. Judæis itaque ubique inviſis Chriſtiano potiſſimùm populo maximè nocuit ferina illa innocui pueri carnificina.* Hinc *quippe* odia Chriſtianorum, *ait*, in ipſos aucta, atque zelo in vindictam tranſeunte, & divitiarum, quibus abundabant, ſæva cupiditas, multi in eorum perniciem conſpiravere, & iræ excandeſcentis ſemel in Sarracenos, tamquam in Chriſti hoſtes, facilior ad Judæos tranſitus fuit. Extat epiſtola Petri Venerabilis ad regem Galliæ ſcripta;

A ſcripta ; ſevera in gentem , Sarracenorum gente deteriorem perniciosioremque , & quæ , ut non deputet ultimo ſupplicio , at opibus mulctandos perſuadet , quas à Chriſtianis per ſcelera extorſiſſent (*dictæ epiſtolæ fragmentum in eiſdem Annalibus recitatur.*) Itaque Petrus , qui mitior , bonis omnibus ; cæteri capite plectendos fore clamabant.

anſam dedit Radulfo monacho commovendi populos ad occidendos Judæos

404 Aſt inter alios eremita quidam , Radulphus nomine , ſeu nimio zelo , ſeu captandæ plebis avidus , & prædicandi , quaſi à Bernardo miſſus , munus uſurpans , crucem contra Sarracenos orientales , verùm contra domeſticos Judæos internecionem & mortem concionabatur. *Loquentem de eo audiamus Ottonem Friſingenſem lib.* 1 *De geſtis Friderici I imperatoris cap.* 37 : Inter hæc Rudolphus monachus , vir quidem religionis habitum habens , religioniſque ſeveritatem ſolerter imitans , ſed literarum notitiâ ſobriè imbutus , eas partes Galliæ , quæ Rhenum attingunt , ingreditur , multaque populorum millia ex Agrippina , Moguntia , Vormatia , Spira , Argentina , aliiſque vicinis civitatibus , oppidis ſeu vicis , ad accipiendam crucem accendit ; hoc

B tamen doctrinæ ſuæ non vigilanter interſerens , quòd Judæi in civitatibus oppidiſque paſſim manentes , tamquam Chriſtianæ religionis hoſtes trucidarentur. Quod doctrinæ ſemen in multis Galliæ , Germaniæque civitatibus vel oppidis tam firmiter radicem figens germinavit , ut plurimis ex Judæis hac tumultuoſa ſeditione necatis , multi ſub principis Romanorum alas tuitionis causâ confugerent. Unde factum eſt , ut non pauci ex ipſis hujuſmodi immanitatem fugientes , in oppido principis , quod Noricum , ſeu Norenberg appellatur , aliiſque municipiis ejus , ad conſervandam vitam ſe reciperent. *Hactenus Otto de pſeudo-apoſtolo illo.*

ſub prætextu prædicandi crucem juſſu S. Bernardi , qui & contra eum,

405 Doluere epiſcopi , *uti ſubjungit Manricus num.* 4 , ſanguinem effuſum , jus gentium violatum , deſertas urbes , & ſe contemptui haberi ab uno monacho , qui ſub prætextu prædicandæ crucis , ex injuncto Bernardi , ipſis non ſolùm inconſultis , ſed renitentibus , totam fere Germaniam perturbaret. Unde & Henricus , Moguntinus præſul , querulas ad Doctorem ſanctum litteras dedit , quòd talem hominem ſibi ſubſti-

C tuiſſet (namque ita credebatur) per quem tam gravia , tam ſcandaloſa per ſpeciem zeli & juſtitiæ prædicarentur. Tunc ſanctus Pater purgandæ tali calumniæ , & nihilominus reprimendo ſerpenti malo , primùm ad eumdem Moguntinum , mox ad omnes epiſcopos Germaniæ ſcripſit epiſtolas. *Porro exemplar epiſtolæ ad Henricum archiepiſcopum Moguntinum , quæ in editione Mabilloniana eſt ordine trecenteſima ſexageſima quinta , aliàs* 323 , *inter alia ſic habet :* Homo ille , de quo agitur in litteris veſtris , neque ab homine , neque per hominem , ſed neque à Deo miſſus venit. Quod ſi ſe monachum aut eremitam jactat , & ex eo ſibi aſſumit libertatem , vel officium prædicationis ; poteſt ſcire , & debet , quòd monachus non habet docentis , ſed plangentis officium : quippe cui oppidum carcer eſſe debet , & ſolitudo paradiſus. Hic verò à contrariis , & ſolitudinem pro carcere , & oppidum habet pro paradiſo. O hominem ſine pectore , ô hominem ſine fronte ! Cujus ſtultitia elevata eſt ſuper candelabrum , ut appareat omnibus , qui ſunt in domo. Tria ſanè ſunt in eo reprehenſione digniſſima : uſurpatio prædicationis , contemptus epiſcoporum , homicidii approbati libertas. *Alia , quæ ſuperaddit , & quibus pſeudo-doctorem iſtum arguit , ac vitam Judæo non auferendam defendit ; invenies in dicta epiſtola.* AUCTORE J. P.

406 *Legi etiam meretur ibidem epiſtola* 363 , *aliàs* 322 , *quâ Vir ſanctus , uti habet titulus ,* Ad arma contra infideles pro defenſione orientalis eccleſiæ ſuſcipienda hortatur. Præterea contra turbulentum quemdam prædicatorem docet , Judæos non eſſe perſequendos , nedum occidendos. *Inſcribitur* archiepiſcopis , epiſcopis , & univerſo clero & populo orientalis Franciæ , & Bajoariæ. *Ceterùm hæc epiſtola veluti claſſicum eſt ad ſacram expeditionem : de qua Guillelmus Tyrius in belli ſacri hiſtoria lib.* 16 , *cap.* 18 , *iſta loquitur* , S. Bernardum *laudans , aliis elogiis ſuperiùs eidem ſancto militiæ ſacræ Præconi apud nos in præſenti materia datis conformia :* Vir , *ait* , immortalis memoriæ , & honeſtæ converſationis ſpeculum , dominus Bernardus , Clarevallenſis abbas , piæ in Domino , & per omnia amplectendæ recordationis , ad prædicti Deo placiti muneris executionem præcipuus eligitur : qui injunctæ ſibi diſpenſationis ſedulus executor , ejuſdem operis ſecum Deo amabiles trahens comminiſtros , impiger , indefeſſus , licet corporis eſſet invalidi , tum propter jejunia penè continua , & ſubtilem nimis dietam , regna circuit , regiones obambulat , euangelizans ubique regnum Dei *&c.* *& pro ſacra militia*

E

ſcribit , ac pſeudo-doctorem illum convertit ,

407 *Sed ut ad Judæorum cauſam redeamus ; non abs re fuerit audire Ottonem Friſingenſem ſuprà allegatum :* At præfatus Clarævallenſis Abbas hujuſmodi doctrinam præcavendam docens , ad Galliæ , Germaniæque populos nuntios , ſeu litteras deſtinavit , in quibus ex auctoritate ſacræ Paginæ luculenter oſtendit , Judæos ob ſcelerum ſuorum exceſſus non occidendos , ſed diſpergendos fore. Unde & Pſalmographi teſtimonium induxit , in LVII (*immo* 58) pſalmo dicentis : " ,, Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos , ne ,, occidas eos ,,. Et item : " Diſperge illos in ,, virtute tua ,,. *Hactenus hiſtoricus ille cap.* 38. *Præſens de falſo ac fallente doctore Radulpho argumentum abſolvam , dum duo obſervanda oſtendero. Alterum eſt , ejuſdem Radulphi temeritatem non modò coërcitam fuiſſe à Viro ſancto ; ſed ipſum etiam ab hoc fuiſſe converſum ad optimam frugem ; teſte Ottone Friſingenſi lib.* 1 *citato , cap.* 39 , *ubi ſcribit iſta de noſtro Abbate :* Moguntiam quoque veniens , Rudolfum in maximo favore populi morantem invenit. Quo accerſito , permonitoque ne contra monachorum regulam , per orbem vagando , propria auctoritate verbum prædicationis aſſumeret ; tandem ad hoc eum , ut , ſibi promiſſâ obedientiâ , in cœnobium ſuum tranſiret , induxit. *Tametſi verò hoc ſit actum quando* S. Bernardus *in Germaniam ſe contulerat , ut militiam crucis orientalem ibidem annuntiaret ; hoc tamen loco illud cum præcedente Radulphi hiſtoria conjungimus , addentes inſuper epiphonema Manrici cap.* 8 : Sic Bernardus , quem non Eccleſiæ præſules , non principes , robore ſuæ potentiæ compeſcuerant , perſuaſione compeſcuit , & citiùs dictu venit , vidit , vicit , peccata ſubmovens , ſervans peccatorem. Verum eſt tamen , Moguntinum populum , qui Radulpho adhæſerat , diſceſſum ejus impatienter toleraſſe : *lego enim apud Ottonem cap.* 39 *ſuprà citato , rem illam accidiſſe* populo graviter indignante , &c , niſi ipſius ſanctitatis conſideratione revocaretur , etiam ſeditionem movere volente. *Tantam ſibi apud ſeductum populum auctoritatis*

F

AUCTORE J. P.

ritatis conciliarat pſeudo-apoſtolus iſte. Sed, *ut ſubdit Manricus de ſancto Patre*, continuit reverentia illius omnes; & quod ſemel Bernardus improbaſſet, approbare non auſis, ſimplex ipſius verbum pro lege fuit. *Et hoc primum, quod obſervatum volebam; cui nunc ſubjicio alterum.*

addens cautelam contra falſarios ſuarum litterarum.

408 *Sanctus Pater in epiſtola* 363, *quam citabam, hæc ſcribit:* Illud quoque admonitos vos eſſe, eſt neceſſe, fratres dilectiſſimi, ut, ſi quis forte amans primatum gerere inter vos, expeditione ſua regni voluerit exercitum prævenire, nullatenus audeat: & ſi à nobis miſſum ſe ſimulet, non eſt verum: aut ſi oſtendat litteras tamquam à nobis datas; ſed omnino falſas, ne dicam furtivas, eſſe dicatis *&c. Annalium Ciſtercienſium confector in hunc epiſtolæ locum animadvertit iſta cap.* 7, *num.* 9: Cardinalis Baronius dum hæc narrat, in ea ſententia eſt, ut putet, Sanctum, dum conteſtatur omnes, ne litteras à ſe miſſas acciperent, quas ſcirent eſſe falſas, à Nicolao ſibi præcaviſſe, illo nimirum, quem præcedenti anno in Claræ vallis monachum ſuſceptum; hoc, ſcribentem Bernardi patris nomi-
B ne ad Comitem & proceres Britanniæ ſuperiùs vidimus; quin & ejuſdem ſigillum, ſtylumque in grave ipſius & aliorum damnum ſimulare conſuetum, infrà dicemus. Sed, *uti rectè obſervat idem Manricus*, non crediderim, *inquit*, tam citò comprehenſum à ſancto Patre, maximè in ejus obſequio permanſurum per annos aliquot. Neque eſt, cur ad incerta recurramus, cùm certa habemus. Radulpho prædicante ſub ejus nomine, quæ fuit querela Henrici Moguntini, præcavet ſibi à ſimili fallacia. *In memoriam revoca, quæ de Nicolao Arremarenſi antea præmiſi: de Radulpho autem nonnulla per prolepſim modò dixi; nonnulla dicam proximè, oblata opportunitate peregrinationis Germanicæ, quam* S. Bernardus *ſuſcepit, partim ut eum compeſceret, partim ut ejuſdem regionis principes ad bellum ſacrum excitaret.*

§ XXXIX. Germaniam peragrat pro militia ſacra; linguæ gratia; perorantis vis ac fructus; miracula; colloquium cum S. Hildegarde; converſio Alexandri Colonienſis.

C

Cur S. Bernardus in Germaniam ſit profectus,

Duplex cauſa Virum ſanctum in Germaniam evocavit. Utramque exprimit Otto Friſingenſis laudatus, lib. 1 *cap.* 39 *hæc memorans:* Igitur innumerabilibus in occidentali Gallia ad tranſmarinam expeditionem excitatis, Bernardus prædicationis nomine movendum orientale Francorum regnum aggredi diſponit, tam ob hoc, ut animum principis Romanorum ſacræ exhortationis verbo ad accipiendam crucem emolliret, quàm ut Rudolfo, occaſione Judæorum crebras in civitatibus ſeditiones populo contra dominos ſuos moventi ſilentium imponeret. *Duæ igitur hæ rationes Virum moverunt, ut in Germaniam ſe conferret: quibus duplex reſpondit fructus ab ipſo intentus, præter alios non tam ab eodem ſancto Patre quæſitos, quam ſponte oblatos. Sed habenda etiam ratio temporis, quo illuc profectus eſt.*

410 *Baronius ad annum Chriſti* 1146, *num.* D
25, Ubi, *inquit*, ad finem præſens inclinaret *& quando:* annus, ſe contulit in Germaniam. *Sed Manricus ad eumdem annum cap.* 8, *num.* 2, *longe probabilius eſſe cenſet, iter illud accidiſſe citius. Expendendas proponamus illius rationes:* Cardinalis Baronius ſub finem hujus anni profectum putat, motus, ut credo, hiſtoriâ miraculorum ejus in Proœmio, quæ à prima Dominica Adventûs exordium ſumit. Verùm cùm in eadem hiſtoria ſcriptum ſit cap. 15, ſanctum Patrem hujuſmodi occaſione exulaſſe à filiis fere per annum; & aliàs Claramvallem ingreſſum non multò poſt feſtum Purificationis anni ſequentis; cogimur contra eumdem Baronium dicere, aut adiiſſe Toloſam contra Henricum, antequam in Germaniam ſe conferret, aut Germaniam ante finem anni intraſſe: quamvis miracula non à primo ejus ingreſſu, ſed ab acceſſu ad Conſtantiam ſcribi cœperint: atque hoc longè probabilius judico, nec non conformius ipſi narrationi. Utcumque fuerit, Germaniam Sanctus intrans utrumque ſcopum attentiùs intuebatur, ut & Chriſtianos cieret in Sarracenos, & à Judæis retraheE ret. *De his jam diximus, per prolepſim etiam relata converſione Radulphi, quæ proprie hujus erat loci. De illis verò nunc ſingillatim agendum ſupereſt.*

411 Conſtat in primis, *aſſerente Manrico* *quanto item cum fructu:* *cap.* 8, *num.* 4, ſub finem menſis Octobris ad Wormatiam urbem commoratum, multos ad bellum ſacrum cruce ſignaſſe. De ipſo namque, ſub initium Januarii anni ſequentis eamdem urbem rurſus adeunte, Philippus * tunc archidiaconus, pòſt * *immò* monachus, qui præſens fuit, ſcribit in hæc verba, *quæ habentur infrà libro ſexto Vitæ, part.* 2 *apud nos cap.* 3: Tranſierat .. per Wormatiam ante duos menſes, & ſermone habito innumerabilem ibi ſignaverat populum ſignaculo militiæ Chriſtianæ. *Quid deinde?* Francfordiæ, *ſicut pergit idem Annaliſta cap.* 8, *num.* 4, convenit imperatorem, quædam cum eo negotia tractaturus, ac velut obiter ſuggeſturus de bello ſacro, & ſemina jacturus, quæ poſtmodùm Spiræ fœcundarentur. Nec virum, quamvis ſui reverentiſſimum obſequentiſſimumque, facilem invenit in hoc negotio: quin averſantem iter tranſmarinum; nec perſuaſibilem, ut ad illud adduceretur, *non obſcurè teſtatur* Philippus auctor, paucis, ſed oculatus teſtis, cuncta deſcribens, dum geſta Spiræ pandit in hunc tenorem *lib.* 6 *Vitæ, parte* 1, *cap.* 2: Priùs enim apud Frankenvoert regem ſecretò convenerat Vir beatus, admonens, ut ipſe ſaluti propriæ provideret in tempore miſericordiæ uberis. Cui cùm reſpondiſſet, nullum ſibi hujus militiæ ineſſe propoſitum; tacuit Vir manſuetiſſimus, dicens non eſſe parvitatis ſuæ importuniùs inſtare regiæ majeſtati. *Hinc planum fit, magna dicendi ac perſuadendi vi opus fuiſſe ſancto Patri, ut Conradum ita tunc animo comparatum, poſtea Spiræ flecteret in quam volebat partem.*

412 *At Francofurto diſcedere in alia Germa-* *miracula* *niæ loca cum Sancto non poſſumus, niſi ab ipſo ibidem geſta narremus. Helmoldus presbyter in Chronicis Slavorum anno* 1556 *Francofurti editis cap.* 60, *pag.* 128 *& ſeq. hæc ita memoriæ prodidit:* Circa tempora dierum illorum ortæ ſunt res novæ, & toti orbi ſtupendæ. Præſidente enim ſanctiſſimo Papa Eugenio, Conrado quoque tertio gubernacula regni moderante, claruit Bernardus Clarevallenſis abbas, cujus fama tantâ ſignorum fuit opinione celebris, ut de toto orbe

A orbe confluëret ad eum populorum frequentia, cupientium videre, quæ per eum fiebant mirabilia. Hic itaque egressus in Teutonicam terram, venit ad celebrem curiam Franckenvort, quò tunc forte rex Conradus cum omni principum frequentia festivus occurrerat. Cùm ergo sanctus Vir in ecclesiis positus curandis ægrotis in nomine Domini propensiùs instaret, astante rege & summis potestatibus, incertum erat inter tantas populorum catervas, quid quis pateretur, aut cui forte subveniretur. Aderat illic comes noster Adolphus, certiùs nosse cupiens ex operatione divinâ virtutem Viri.

ibidem facta.

413 Inter hæc offertur ei puer cæcus & claudus, cujus debilitatis nulla potuit esse dubitatio. Cœpit ergo vir sagacissimus intentare solerter si forte posset in hoc puero, sanctitatis ejus experimentum capere. Cujus incredulitati, veluti divinitus edoctus Vir Dei, remedium providens, puerum præter morem jussit sibi applicari: cæteros enim verbo tantùm consignavit; hunc verò exhibitum manibus excepit, oculisque morosa contrectatione visum restituit. Deinde genua

B contracta corripiens, jussit eum currere ad gradus, manifesta dans indicia recuperati tam visus quàm gressus. *Hæc Francofurti à* Bernardo *gesta refert Helmoldus:*

colloquium cum S. Hildegarde;

414 Inde, *ut dicitur in Chronico Hirsaugiensi Trithemii, anno 1690 typis monasterii S. Galli recuso, ad annum* 1147, *pag.* 415, navigio descendens pervenit ad Bingios, ubi Hildegardis monialis virgo Christi devotissima .. in monte S. Ruperti construxit cœnobium, cum qua dulces fertur de futura felicitate miscuisse sermones. Erat namque divo Bernardo sancta Christi famula & scriptis nota, & relatione multorum in Domino comprobata. Ad quam cùm perveniisset, post orationes consuetas & salutationis obsequia, præcepit sibi volumina exhiberi, quæ illa divinitus inspirata conscripsit: quibus diligenter ex parte revisis, ultrà quàm dici potest admirans, dixisse fertur ad socios: " Hæc scripta non sunt hu-
„ manitus adinventa, nec potest ea mortalis ho-
„ mo capere, nisi ad Dei similitudinem intus &
„ in anima fuerit reformatus per amorem „. *Plura, quæ Sanctus tunc dixisse fertur, ibidem legi possunt. Et hic quidem fructus videtur ab eo non quæsitus dum in Germaniam tenderet, sed ultro, dum ibi jam degeret, oblatus, ut Hildegardem corroboraret adversus hominum obloquia; si ipsius cum illa collocutio verè subsistat: quod idem addo, quia nonnulla eidem incommodant.*

C

cui tamen colloquio aliqua incommodant.

415 *Etenim Manricus, relata cap.* 8 *num.* 6 *&* 7 *ex Trithemio collocutione ista, ibidem num.* 7 *eum ita concludentem recitat:* Sanctus verò Domini famulus Bernardus valedicens virgini Christi Hildegardi, cœptum iter per descensum Rheni, continuat, & in Bopardia paralyticum in medio populi, manu illi imposita curat. Inde per Mosellæ alveum Treverim conscendit, & tres cæcos, claudum unum, & surdam mulierem in eadem civitate, omni inspectanti populo, curavit. *At subdit prædictus historicus Cisterciensis:* Hæc ex Trithemio; quod attinet ad tempus, dubia fide: quippe omissa à Philippo, qui ex colloquio Conradi cum Bernardo ad Francofordiam, gesta Sancti describit per dies singulos. Sed neque Sancta, ut ipse Trithemius ait in Chronico Spanheimensi, ante annum MCXLVIII

* *al.* ad Bingos

Bingionum terram * cum conventu suo occupaverat. *De hac Sancta erit agendum ad diem* XVII *Septembris cum Martyrologio Romano; de qua etiam inferiùs recurret sermo. Hic non addimus epistolas duas, quarum unam ab illa ad sanctum Patrem; alteram autem ab hoc ad illam datas recitat num.* 8 *&* 9 *idem Manricus: major enim nobis se offert & longè illustrior rerum dicendarum copia in Viro sancto Germaniam peragrante, armaque sacra annuntiante, nec non prodigiis frequentissimis ibidem coruscante. Ei itaque illic peregrinanti comites nos adjungamus, ita tamen, ut quæ pertinent ad loca Germanicæ peregrinationis, ejusdemque socios, ac creberrima, testatissimâ, omnisque generis miracula, tum ibidem, tum in reditu ad suos Claravallenses sunt à magno Thaumaturgo nostra edita, Domino sermonem ejus confirmante tot tantisque sequentibus signis, non simus hîc daturi; sed lectorem mittimus ad librum miraculorum istorum, quem infrà recudemus, ac notis illustrare conabimur.*

Maxima in Sancto persuadendi vis:

416 Est tamen pro miraculo habendum, quod sancto Viro prædicante natali lingua, Gallicanâ nimirum, cujus Theutonici omnino essent expertes, populum nihilominus audientem, sed non intelligentem, usque ad lacrymas provocaret ad compunctionem, *ut observat Manricus cap.* 9, *num.* 5, *rem confirmans è Cæsarii, supparis auctoris Homilia* 16 *De infantia Christi, è qua citat ista:* Tempore Conradi imperatoris cùm S. Bernardus in Alemania linguâ Gallicâ prædicaret, ita populum accendit, ut uberrimè fleret: & cùm tunc ejus verba non intelligeret, postea cùm interpres peritissimus Sancti sermonem exponeret, populus non est motus. *Tanta videlicet erat potentissimi Præconis, præsentis, loquentis atque ardentis vis. Hæc fortiùs confirmantur à Gaufrido lib.* 3 *Vitæ, cap.* 1, *num.* 158, *ubi de mirifica linguæ ejus gratia scribens, ita loquitur ad nostrum propositum:* Inde erat, quod Germanicis etiam populis loquens, miro audiebatur affectu, & ex sermone ejus, quem intelligere, utpote alterius linguæ homines, non valebant, magis quàm ex peritissimi cujuslibet post eum loquentis interpretis intellecta locutione, ædificari illorum devotio videbatur, & verborum ejus magis sentire virtutem: cujus rei certa probatio tunsio pectorum erat, & effusio lacrymarum. *Mirum itaque non est, frequentissimo ac constipatissimo concursu ad sanctum* F *hunc Oratorem fuisse viam ab auditoribus affectatam: de qua rè vidè inter miracula cap.* 1, *occasione miraculorum, quæ facta sunt Constantiæ, & è quibus etiam nonnulla consignat Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1147.

E

Alexander Colonienſis

417 *Miram verò atque insignem Alexandri Colonienſis conversionem, Basileæ à Viro sancto impetratam, ita exponit auctor Annalium Cisterciensium eodem cap.* 9, *num.* 11 *&* 12, *quam & nos hoc loco desiderari non patimur:* Hunc, *ait*, cùm Romam proficisceretur, Bernardo obviam factum superiùs vidimus; quin & videntem divinæ virtutis opera, sive magis expertum in se ipso, quod statim dicam, tandem dedisse manus Sancti monitis, & se itineris socium adjunxisse, monachum induturum in Claravalle. Verùm quo loco, & quo ordine hæc acciderint, aliunde nobis venit excipiendum. Et locum quidem habemus ex Godefrido sancti Patris notario, qui virum ad Basileam conversum tradit, quippe Sancto egrediente prædictam urbem, meminit Alexandri, & statim subdit: Iste est Alexander, qui in eisdem diebus ad Virî Dei sacra monita, ostensionemque virtutum .. secu-

AUCTORE J. P.

tus est eum, *ex lib. 4 Vitæ* S. Bernardi *cap. 6, num. 241; de quo etiam lib. 6 Vitæ seu miraculorum parte 1, cap. 1, num. 283. At qualis ille fuerit, & quo modo, ac ordine conversus, edocet Exordium magnum Ordinis Cisterciensis apud Tissierium distinctione 1, cap. 25:* Apud Coloniam Agrippinam, quæ est insignis metropolis Germaniæ, fuit magister quidam, Alexander nomine, canonicus (S. Mariæ ad Gradus, *uti habet notula marginalis*) doctorque famosissimus in eadem urbe.

miro modo

418 Accidit autem, ut Dei famulus beatus Bernardus Claræ-vallensis abbas, jubente sancto Papa Eugenio Germaniam ingrederetur, Jerosolymitanum iter Conrado imperatori & populo terræ prædicaturus. Cumque ibidem signis & virtutibus innumeris coruscaret, videns imperator mirabilia magna, quæ Dominus per eum ostendebat, compunctus corde, crucis signum de manu ejus accepit, Jerosolymam profecturus. Nec distulit hoc idem facere innumera hominum multitudo: ita ut incredibili fidei ardore succensi, scissuras & fimbrias de vestimentis Famuli Dei, B quæ propter hoc ipsum nova frequenter accipere cogebatur, undique certatim diriperent, seque infelices arbitrarentur, quicumque de indumentis ejus cruces habere non mererentur. Multi quoque ex eis nobiles ac sapientes viri, per manum illius sese Domino reddiderunt, qui in Claramvallem ab eo deducti & monachi facti, maximum deinceps in Ecclesia Dei fructum attulerunt.

ad statum monasticum * *i. e.* superbiâ, *vel* mentis elatione

419 Ex quibus etiam extitit unus suprà memoratus vir nobilis Alexander: qui eo tempore juvenis & sæcularis scientiæ typho * turgens, divitiarum quoque & transitorii honoris infulis adornatus, nihil minùs quàm conversionem cogitabat: sed Deus, qui comprehendit sapientes in astutia sua, mirabili hoc ordine, sicut sequentia declarabunt, adimplevit. Cùm enim beatissimus Pater Bernardus ipsum de conversione monuisset; ille sæculari scientia vel opulentia tumens respondit, se ad præsens nil minùs cogitare, vel velle, quàm habitum sumere monachalem. Eâdem igitur nocte cùm membra sopori dedisset, apparuit ei in visione idem Homo Dei, erigens eum de grabato, in quo graviter languere videbatur, ac restituens sanitati. Deinde tulit habitum suum, C quo erat ipse indutus, & ex eo contexit Alexandrum. Qui cùm eumdem habitum semel & secundò rejectum ab humeris indignanti animo repulisset; tertia tandem vice collo ejus injectum, & corpori valenter astrictum compulsus est retinere. Deinde Pater sanctus baculum, quem manu tenebat, ipsius manui tradens, futuræ prælationis gratiam denotavit, & ita abire præcepit.

conversus est.

420 Evigilans autem Alexander nihil adhuc pro hujusmodi revelatione mollescere poterat, sed in eadem animi duritia persistebat. Eodem verò die cùm ille beatissimus Abbas ad mensam recumberet, oblatus est ei piscis, qui perca nominatur, ut ex eo reficeret. Quo viso, Vir Domini erectis in cælum oculis, super eumdem piscem diutius oravit: & benedicens illum, præfato Alexandro pro pitantia * transmisit. Quem dum ille gustare inciperet, ad primum illico morsum meruit in semetipso feliciter experiri, quantæ virtutis esset oratio Famuli Dei: nam repentè mutatus in alterum virum, compunctus est valde, & cœpit ubertim super eumdem piscem lacrymas fundere. Mirabatur verò seipsum, nescius, quid haberet, vel cur fleret. Tandem recordatus visionis, quam nocte præterita viderat, intellexit

* *i. e.* portione

à Domino gratuita ejus miseratione se esse præventum. Unde supernæ vocationi ex intimo corde gratias agens, beato Dei Famulo in continenti se reddidit. A quo benignè susceptus, & in Claravalle monachus factus, & deinceps Grandissilvæ pastor effectus, adeo in sanctitate vitæ profecit, ut postmodùm fieret Cisterciensis abbas cœnobii (nonus, *uti habet notula marginalis*) ac totius Ordinis pater universalis. Hæc nos, sicut ab eodem Dei famulo Alexandro audivimus, fideli relatione deprompsimus. *Mabillonius Vitæ* S. Bernardi *libro 7, qui excerptus est è magno Cistercienſi Exordio, ad hunc locum* totius Ordinis pater universalis, *observat ista col.* 1209: Insignis hic locus ad illustrandam dignitatem abbatis Cistercienſis: de quo vide epistolam 4, num. 3, & epistolam 5 num. 1.. Idem abbas ORDINIS PATER UNIVERSALIS item ab Herberto appellatur infrà num. 17. *Cæterùm mirabilis illa Alexandri conversio, unus denuo est è fructibus, ante excursionem Germanicam* à Bernardo *non quæsitus, sed in eadem ultro ipsi oblatus. Dicamus nunc, quàm potenter rem gesserit Vir sanctus, ut Conradum induceret ad bellum sacrum.* E

§ XL. Conradus imperator militiæ sacræ adscriptus; excursiones S. Bernardi per Germaniam; reditus in Galliam; miracula; conventus Stampensis; infelix Orientalis expeditionis eventus perperam Sancto imputatus.

Etiamsi status Germaniæ obesset Bernardi scopo, Conrado tamen imp. persuasit bellum sacrum: F

NIhil minùs cogitabat Conradus, *ut memorant Annales Cisterciensis cap. 10*, quàm crucem sumere, &, deserto imperio occidentali ad remotas Orientis plagas arma convertere: maximè cùm Germania flagraret bellis civilibus, quibusdam principum divisis inter se, &, nisi ejus præsentiâ continerentur, forsitan ab imperio dividendis. Indixerat tamen generalem curiam Spiræ, cui Bernardus adesset, in die natali Christi congregandam. *Factum videatur in libro 6 Vitæ, qui est de miraculis, parte 1, cap. 2; ubi præterea invenies felicem à sancto Præcone intenti finis successum, Conrado, ac nepote ejus Friderico juniore, nec non innumeris principibus cruce signatis; adde miracula ibidem relata. Nec verò frustratus est* Bernardus *operâ suâ, dum discordes Germaniæ principes in gratiam reduxit, rem testante Ottone Frisingensi lib. 1 De gestis Friderici cap. 42, cujus verba id non obscurè videntur innuere. Sunt autem ista:* Igitur non solùm ex Romano imperio, sed etiam ex vicinis regnis, id est, occidentali Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac nationibus hac expeditionis fama ad sumendam crucem commotis, repentè sic totus penè occidens siluit, ut non solùm bella movere, sed & arma quempiam in publico portare nefas haberetur.

Spiræ prædicat summo cum concursu.

422 *Illud verò, quod perhibetur inter miracula Spiræ facta, parte 1, cap. 2, num. 302,* Ubi .. egressi fuimus, & rex ipse cum principibus Sanctum Domini deducebat, ne comprimerent eum

A eum turbæ &c.; *illud, inquam, magis clarè ac patheticè exprimit S. Antoninus parte 2 Hiſtoriarum, titulo 17, cap. 1, § 6, ita de* Bernardo *loquens:* Apud urbem Spirenſium tantus erat concurſus, ut Conradus rex ſeu imperator, ne populus eum comprimeret, depoſita chlamyde eum in proprias ulnas ſuſcipiens de baſilica aſportaret. *Annales Ciſtercienſes paullo antè aſſignati memorant num. 6, iconem Mariæ Virginis ter à ſancto Patre ſalutatam Spiræ, ſemel eidem ſalutem reddidiſſe, cunctis audientibus. Et deinde num. 8 ſermò eſt de lacte ejuſdem Virginis, quo irroratus fuerit, nec non de ſalute ei dicta à beatiſſima Deipara in celebri monaſterio Affligenienſi; quod factum differt in annum ſequentem. Verùm hæc inferiùs diſcutiemus. Nunc alia nos vocant, quæ Vir ſanctus Spirâ diſcedens, atque alia Germaniæ loca peragrans, patravit.*

& luſtrat alias Germaniæ urbes miraculis ſpectatiſſimus.

423 *Annalium Ciſtercienſium concinnator ad annum* 1147, *cap.* 2, *num.* 1 & 2, Solutâ, *ait*, curiâ, & ſalutato Conrado imperatore, ac Conſtantienſi epiſcopo, quem ſocium viæ, ſeu potiùs deductorem hactenus habuiſſet, Pater ſanctus Spirâ diſceſſurus Campenſem ſui Ordinis abbatem ſecum adſumit, & reliquas totius, *quod accommodè intelligendum*, Germaniæ urbes velociùs peragrans, atque illuſtrans miraculis, verbum crucis adverſus crucis hoſtes concionabatur.. Verùm quas urbes, & quo tempore diſcurrerit, ex ipſis, quos ſecum adduxit, viæ ſociis, qui cunctis interfuerunt, accipiat lector: *quem nos mittimus ad librum 6 Vitæ, ſeu de miraculis, parte 2 cap. 3; ubi de ſoluta curia Spirenſi, tranſitu Sancti per civitatem Wormatienſem, ac miraculis. Inde Confluentiam, ac Coloniam Viator ſanctus ſe contulit, ſignis de more eum comitantibus, prout mox citato capite licet videre. Quid referam alia, quæ Coloniâ profectus edidit Aquiſgrani, Trajecti ad Moſam, Leodii, Gemblaci, Villarii, Cameraci, aliiſque in locis, ne ipsâ quidem Hiſpaniâ inde exclusâ, quamvis ibidem non eſſet, immò numquam ibi fuerit, ſicut poſtea pluribus probabitur. At de innumeris Sancti prodigiis exſtant luculentiſſima ſcriptorum teſtimonia; de quibus inferiùs dabitur tractandi locus. Diceres, Deum optimum maximum, qui facit mirabilia magna ſolus, tantas ex infinito omnipotentiæ ſuæ theſauro cum incomparabili ſuo Thaumaturgo communicaſſe divitias miraculorum, ut nec numero, nec locis, nec temporibus, nec perſonis circumſcribere ea voluiſſe videatur, tunc præſertim quando occidentis populos ad ſacra bella ciebat Vir magnus.*

Varii viri illuſtres crucem admittunt:

424 Dum hæc per ſanctum Patrem agerentur, *ait Manricus cap.* 4, Conradus, qui vexillum belli ſacri ab ejus manu Spiræ antè ſuſceperat, expeditурus quæcumque neceſſaria, conventum generalem indicit in Bajoaria, intrante menſe Februario celebrandum. Huic quia Bernardus aſſiſtere non potuit, venerabilem Adamum, Ebracenſem abbatem, cujus ſuprà meminimus, ſubſtituit, litteriſque tum Apoſtolicis tum propriis munitum voluit, per quas ſubdelegati officio (nam id etiam conceſſum) perfungeretur. *Porrò quæ ibidem acta ſint, deſcribit Otto Friſingenſis, qui eiſdem adfuit, lib.* 1 *De geſtis Friderici cap.* 40, *rem illigans menſi Februario, & inter alia*, Accepêre, *ait*, eâdem horâ crucem tres epiſcopi, videlicet Henricus Ratiſponenſis, Otto Friſingenſis, Reginbertus Patavienſis, *aliique viri illuſtres, de quibus ibidem fit mentio. Quidnam interea temporis* S. Bernardus?

Audiamus Gaufridum lib. 6. Vitæ, ſeu parte 3 Miraculorum cap. 6.

AUCTORE J. P.

425 Dominica die feſtum erat Purificationis beatæ Mariæ: & Francorum rex Ludovicus .. Catalaunum occurrebat Viro Dei. Plurimi quoque ex principibus utriuſque regni convenerant.., ut de via Jeroſolymitanâ communi conſilio tractaretur. *Idem auctor plurima deinde recenſet miracula, quæ in itinere Claramvallem verſus ab ipſo facta ſunt, quæ alibi à nobis dabuntur. Porrò hiſtoriæ belli ſacri ratio requirit, ut ſilentio non prætereamus acta conventûs Stampenſis, in quo poſtrema Jeroſolymitanæ profectionis capta conſilia, Dominicâ Septuageſimæ, anno, in quo verſamur,* 1147. *De hoc itaque conventu ſeu colloquio à pag.* 13 *ita ſcribit Odo de Diogilo ſuprà laudatus:* Omnes igitur ad CIRCUMDEDERUNT ME * Stampas vocat (*Ludovicus rex,*) ut pariter eligerent, quod pariter tolerarent: qui ſicut fuerunt in veniendo alacres, ſic utinam eſſent in electione prudentes. Congregata enim loco & termino epiſcoporum & nobilium multitudine tam glorioſa quàm magna, prædictus etiam Abbas (Bernardus) & prædicandus præſentiam ſuam obtulit, & rumorem attulit, & utroque lætabundam reddidit concionem. Nam de Alemannia veniebat, regemque & regni proceres militiæ crucis Chriſti adjunxerat. Deinde diverſarum nationum leguntur litteræ, nuntii audiuntur, & hæc uſque ad veſperum protenduntur. In his duxerunt lætam diem, & quod ſuperfuit, in craſtinum diſtulerunt.

Vir Dei ad Claraval-lenſes rediturus claret miraculis; acta

** ita incipit Miſſa Dominicæ in Septuageſima*

E

426 Venit dies magis læta quàm proſpera. Interfuere congregatis, qui Græcos dicerent, ſicut lectione & experientiâ noverant, fraudulentos. Rex autem & ſui, qui meritò nullarum gentium vires timebant, fraudes utinam timuiſſent! Sed quia non eſt conſilium, nec prudentia contra Deum, elegerunt viam per Græciam morituri. Sic ſecunda dies terminata eſt, non ſecunda. Tunc viri nobiles, regis Rogerii nuntii confuſi abeunt, dolentium habitu domini ſui ſatis expreſſè monſtrantes affectum: de dolis Græcorum prædicentes nobis, quod poſtea ſumus experti. Nec mirum, ſi Rogerius rex potens & ſapiens regem optabat, ſi Francos diligit, noſtrarum partium oriundus. Poſtremò revolvit diem tertiam gratia Trinitatis, & congregati, gratiâ priùs ſancti Spiritus invocatâ, (quam pridie utinam ſimiliter invocaſſent!) deinde à ſancto Abbate ſermone habito ſpiritali, de regni cuſtodia proſequuntur.. Inter hæc indicitur dies in Pentecoſten profecturis. *Plura ibidem.*

in colloquio Stampenſi;

F

427 *Nec verò Pater ſanctus reliquit Stampas miraculis vacuas: inde item profectus, prodigiorum ſplendore ac multitudine iter ſuum, quo Claramvallem repetebat, egregiè illuſtravit; quam dum ingrederetur, puerum ſurdum ac mutum ſanavit. Referuntur ea accuratè in libro 6 Vitæ, ſeu Miraculorum parte 3: unde etiam nos poſtea lectori illa legenda exhibebimus. Idem præmonemus de aliis bene multis, quæ Treviris, Metis, Tulli, Rutilæ acciderunt, & quorum ratio habebitur inferiùs. Addi interim his poſſunt ea, quæ Arnoldus Raiſſius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani ad diem* XX *Auguſti annotavit:* In Lutzenburgenſi Ducatu adiit etiam aliquando monaſterium Clari-fontis, quod à monialibus Ordinis ipſius ſancti Bernardi hodierna die incolitur: viſiturque in eo fons, qui etiamnum hodie à S. Bernardo, qui eidem bene precatus eſt, fontis S. Bernardi

ubi etiam prodigia edidit, uti & in plurimis Belgii locis:

AUCTORE J. P.

nomen retinet ; & cum fide ac devotione epotus, contra morbos opitulationi esse creditur. In ejusdem Ducatus confinibus situm pagum vocabulo Rutilam pertransiit, ubi ex patrum traditione posteri commemorant, eumdem sanctum Bernardum eodem tempore quasi exultabundum in hæc prophetica verba erupisse : O Rutila, Rutila, tu rutilabis aliquando ; quæ Virum Dei de Cartusianis in istum locum post annos fere trecentos introducendis, ac ibidem modò adhuc habitantibus prædixisse, nullus inficias ibit, qui ipsius ardentissimum affectum erga Cartusianos voluerit considerare. *Hæc ibi ; vellem apud antiquiores. Quibus adjungi potest varicinium de cœnobio Bello-pratensi, quod narrat citatus Raissius : de cœnobii Alnensis reformatione agit Manricus ad annum* 1147 *cap.* 3 *in fine : de Gemblacensi ac Villariensi monasterio dicam* § 47.

mortuum ad vitam revocat, dum prædicat in Germania :

B

428 *Sed antequam nos reliqua prosequamur ; quæ ad expeditionem Orientis pertinent, prodigiis propè infinitis, quibus incomparabilis noster Thaumaturgus apostolicos peregrinationis suæ Alemannicæ labores illustravit, accensеamus unum primæ notæ Chronicon Claravallense ab anno Christi* MCXLVII *usque ad annum* MCXCII *perductum, auctore anonymo Claravallensi monacho, ex veteri codice ejusdem monasterii edidit Chifletius in* S. Bernardi genere illustri asserto *pag.* 81 *& sequentibus ; Chronicon autem illud sic incipit :* Anno Domini MCXLVII beatus Bernardus abbas Claræ-vallis in Alemannia crucem prædicavit : virtutes multas & magnas fecit : inter quas & mortuum illum resuscitavit, de quo habetur in libro Miraculorum domni Herberti. *Jam verò ne plus quàm sat est immoremur militiæ sacræ rebus, quæ sunt extra* Bernardum, *congerendis ; de discessu Conradi ac Ludovici in Orientem scribit Otto Frisingensis toties antè citatus, lib.* 1, *cap.* 44 ; *de eorum adventu cap.* 58 ; *de reditu Conradi cap.* 59 ; *de infelici sacræ expeditionis eventu cap.* 60. *Quid referam Odonem de Diogilo, quid Baronium, quid Pagium, aliosque ?*

infelix expeditionis orientalis eventus peræquei imputatur.

C

429 *Porrò de lamentabili hac tragœdia, quam submisso silentio mirari ac venerari debemus, scrutari autem non possumus, nedum comprehendere, illud Apostoli effatum ad Romanos cap.* 11 *repetamus :* O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei ! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit ? *Adde illud Vatis regii :* Judicia tua, abyssus multa. *Illud item :* Justus es, Domine, & rectum judicium tuum. *Quid post hæc* S. Bernardus *tot tantisque curis, peregrinationibus, laboribus ac miraculis de sacra illa expeditione immortaliter meritus ? Quid inter obloquia, quibus impetebatur Vir integerrimus, non secus ac si ipsemet fuisset in causa hujus funestissimæ ac deploratissimæ catastrophes ? Quis illi inter hæc animus, quis sensus ? Anne à vero abludere cuiquam videbimur, si dicamus ; toto, quantus erat,* Bernardo *opus fuisse, ut bolum tam durum decoqueret ? Sed vir ubique maximus, & tam in rebus adversis, quam in prosperis sua se virtute sustentans, animam possedit in patientia, & post casum undequaque acerbissimum, sive Christiani orbis bonum, sive tot animarum salutem, sive divinæ gloriæ amplificationem, si aliter Domino visum fuisset, sive calumnias sancto Patri impactas consideres, sive omnia denique, quæ extra ipsum erant ; in magno tamen ipse mentis heroïcæ culmine apud se stabat erectus, ita ut more consueto nullibi desiderari pateretur* D *operam suam, quando videbat negotiis publicis utilem illam esse posse. Etenim Manricus ad hunc ipsum annum* 1149, *quo Ludovicus VII Francorum rex, & Conradus imperator redierunt ex infelici expeditione Hierosolymitana,* S. Bernardum *exhibet bonis operibus intentum ; prout ibidem legi potest. Vide quæ postea dicemus* § 48 *sub finem ; item* § 49 *ac* § 50. *Ad annum autem* 1150 *cap.* 1 *profert justissimam ejus apologiam ex lib.* 2 *de Consideratione ad Eugenium PP. In memoriam revoca, quæ superiùs à nobis præmissa sunt* § 36 ; *ubi ipsemet Otto Frisingensis episcopus,* Bernardo *alioquin non admodùm favere solitus, Virum Dei excusat, & peccata Christianorum incusat. Quibus ad majorem rei confirmationem, ex Chronico Gaufredi cœnobitæ monasterii S. Martialis Lemovicensis, ac deinde Prioris Vosiensis in eadem diœcesi cœnobii, qui eodem sæculo floruit, addi possunt ista apud Labbeum tom.* 2 *Nova bibliotheca manuscriptorum librorum, ubi laudatus chronologus cap.* 52 *hæc scribit de exercitu Christianorum :* Exercitus ille nihil omnino proficit, quia indisciplinatè habue- E
runt : quapropter multi defecerunt, innumerabilesque perierunt propter iniquitatem suam : thesauros ecclesiarum, falsa promittentes vadimonia, ante iter auferebant : infimam plebem diris exactionibus affligebant, pompaticè sequuti sunt & superbi humilem Christum, & erraverunt frustra à justo humillimo. *Hæc ille.*

§ XLI. Sancti Doctoris concertatio cum Gilberto Porretano.

Qualis fuerit iste Gilbertus,

QUemadmodum perversa Abaëlardi dogmata, per S. Bernardum repressa, sic errores Gilberti Porretani, episcopi Pictavensis, ab eodem Viro sancto debellati, magnam ipsi invidiam conflarunt. Facta hujus negotii gravissimi, in quo tanta cum laude versatus est sanctus Doctor, referuntur à Manrico ad annum Christi 1146, 1147, & 1148 : ad illos ergo redeamus, ac explanemus locum, quem de hac re notatum reliquit Gaufridus lib. 3 *Vitæ* S. Bernardi *cap.* 2, *num.* 166 : Fuit, *inquit*, Gillebertus, quem F
cognominavere Porretanum, Pictavorum episcopus, in sacris litteris plurimùm exercitatus, sed sublimiora se etiam ipse scrutatus ad insipientiam sibi. *Erat* hic ex eadem civitate oriundus, *sicut affirmat Otto Frisingensis in Friderico lib.* 1 *cap.* 46 *editionis suprà citatæ, & ex discipulo magister, ex magistro tandem ibidem episcopus evasit.* Ab Adolescentia magnorum virorum disciplinæ se subjiciens, magisque illorum ponderi, quàm suo credens ingenio ; qualis primò fuit Hilarius Pictavensis, pòst Bernardus Carnotensis, ad ultimum Anshelmus & Radulphus Laudunenses, germani fratres, non levem ab eis, sed gravem doctrinam hauserat, manu non subitò ferulæ subducta, à scientia haud censurâ morum, vitæque gravitate discordante, non jocis vel ludicris, sed seriis rebus mentem applicarat. Hinc erat, ut tam gestu, quàm voce pondus servans, sicut in factis, sic in dictis se ostenderet difficilem, ut numquam puerilibus, vix autem eruditis & exercitatis, quæ ab eo dicebantur, paterent animis, *teste eodem Ottone cap.* 50.

& quos errores

431 *Mabillonius in Præfatione generali ad novam suam Operum* S. Bernardi *editionem* § 5 *num.* 58,

A *num.* 58, Hilarium hunc, *ait*, non alium esse existimo ab illo magno Hilario Pictavienſi episcopo, cujus auctoritate Gilbertus abutebatur, teste Gaufrido. Bernardus Carnotenſis non aliunde, quàm ex Ottonis testimonio mihi notus. Radulphus Laudunenſis ex Guiberto & Hermanno Laudunenſi monacho, & ex Gaufrido S. Bernardi notario notiſſimus (Vide hîc tomum VI col. 1338, *id eſt, Gaufridi libellum adverſus Gilbertum Porretanum ſub finem*) uti & Anſelmus ejus frater, Laudunenſis eccleſiæ decanus. Commentarios in Pſalmos, & in Pauli epiſtolas, atque in Boëtium dum condit Gilbertus, nonnulla ſecus, quàm licebat, de divinitate, aliiſque religionis capitibus philoſophatur. *De ejus autem erroribus ſic memorat Otto eodem capite* 50: Erant inter cætera, quæ illi objiciebantur de divina majeſtate quatuor capitula: Quòd videlicet aſſereret, divinam eſſentiam non eſſe Deum. Quòd proprietates Perſonarum non eſſent ipſæ perſonæ. Quòd theologicæ Perſonæ in nulla prædicarentur propoſitione. Quòd divina natura non eſſet incarnata. Et præter hæc, alia minora *capitula jactabat*, id eſt: Quòd meritum humanum attenuando nullum mereri diceret præter Chriſtum. Quòd Eccleſiæ Sacramenta evacuando, diceret nullum baptizari, niſi ſalvandum; & cætera in hunc modum. *Adiſis libellum Gaufridi.*

B

apud alios diſſeminavit; quinam item

432 *Errores item ſuos diſſeminavit, infectum blaſphemiis toxicum aliis propinans. Etenim, referente Gaufrido in libro 3 Vitæ* S. Bernardi *cap. 2, num. 166*, diſcipulis ſuis panes proponebat abſconditos, furtivas propinabat aquas; nec facilè quid ſaperet, immò quantum deſiperet, perſonis authenticis fatebatur. *Orthodoxis verò id cordi fuit, ut veneno ejus opponerent antidotum. Facta deſcribit Mabillonius à num. 59 his verbis:* Cùm verò in frequenti ſuorum clericorum conventu ſermonem habuiſſet epiſcopus, eoſdemque errores diſſeminaſſet; duo ejus archidiaconi, Arnaldus & Calo, rem ad Eugenium tertium, tunc ad Gallias venientem, apud Senas in Tuſcia deferunt. Pontifex cauſæ examen in Gallias remittit. Archidiaconi interim Bernardum in partes ſuas pertrahunt. Examen factum Autiſiodori & Pariſiis, judicium prolatum in concilio Remenſi anni MCXLVIII. Quid in ſingulis conventibus actum ſit, paucis Otto commemorat, pluribus Gaufridus Bernardi notarius, qui & opuſculum de rebus in concilio Remenſi hac de re geſtis, & poſt annos inde quadraginta epiſtolam ſcripſit ad Henricum Cardinalem epiſcopum Albanenſem. Utramque ſcriptionem hîc habes in fine tomi ſexti.

C

ſeſe eiſdem oppoſuerint

433 De conventu Autiſiodorenſi, qui ab uno memoratur Ottone, nihil ſingulare comperimus: ſed contrà non pauca de Pariſienſi. Habitum fuiſſe in SOLLEMNITATE PASCHALI tradit Gaufridus, ac proinde anno MCXLVII, quandoquidem concilium Remenſe MEDIANA QUADRAGESIMA anni ſequentis fuit celebratum, ex Ottone, & quidem XI KAL. APRILIS, ex Appendice ad Sigebertum. Itaque coram Pontifice apud Pariſios coram cardinalibus, epiſcopis, aliiſque venerabilibus & eruditis viris ſiſtitur Gilbertus; DE HIS CAPITULIS reſponſurus. Id actum PER ALIQUOT DIES. Producuntur contra eum duo magiſtri, Adam de Parvo-ponte, vir ſubtilis & Pariſienſis eccleſiæ canonicus recenter factus, & Hugo DE CAMPO-FLORIDO, CANCELLARIUS REGIS, ſanctè affirmantes, ſe aliqua eorum ex proprio ejus ore audiſſe. Interim dum hinc inde multa ſibi objicerentur, inter cætera dixiſſe traditur: " Confi- AUCTORE
,, teor Patrem alio eſſe Patrem, alio Deum; J. P.
,, nec tamen eſſe hoc, & hoc ,,. Dictum indignè tulit Joſlenus Sueſſionenſis epiſcopus. Hæc prima die contigerunt. Alia die accuſatus, quod in proſa de Trinitate TRES PERSONAS TRIA SINGULARIA vocaſſet, Rotomagenſis archiepiſcopus (Hugo tertius is erat) CAUSAM AGGRAVAVIT dicens, DEUM POTIUS DEBERE DICI UNUM SINGULARE. Ita fere Otto epiſcopus Friſingenſis de conventu Pariſienſi.

viri inſignes,

434 Paulo aliter Gaufridus de eo agit, cui ſynodum Viterbienſem in eadem cauſa habitam præmittit. Gilberti ad Pontificem delatorem unum memorat archidiaconum Arnaldum, cui cognomen tribuit QUI-NON-RIDET. In conventu verò Pariſienſi unum Gilberto adverſarium opponit Bernardum " cui omne negotium Chriſti, u- E
,, bicumque eum contigiſſet adeſſe, tamquam o-
,, mnino proprium, protinus incumbebat ,,. Requiſitus epiſcopus, ut ſuam ipſius in Boëtium expoſitionem, in qua ſuſpecta continebantur capitula, proferret; AD MANUS SE NON HABERE reſpondit. Negabat autem epiſcopus docuiſſe vel credidiſſe aliquando ſe, vel litteris commendaſſe, QUOD DIVINITAS NON ESSET DEUS &c. Huc teſtes producebat è diſcipulis ſuis potiſſimùm duos; Rotoldum ſcilicet, Ebroicenſem epiſcopum, poſtea Rotomagenſem, & magiſtrum Ivonem Carnotenſem, alium ſine dubio ab illuſtri illo Ivone epiſcopo Carnotenſi. Exiſtimo hunc eſſe magiſtrum Ivonem, canonicum Regularem abbatiæ S. Victoris apud Pariſios, deinde Cardinalem ab Innocentio II creatum, ad quem Bernardi epiſtola 193. In his altercationibus Pontifex jubet prædictum librum afferri ad futurum concilium, QUOD EODEM ANNO IN CIVITATE REMORUM CELEBRARE PROPONEBAT: tametſi dilatum eſt in medianam Quadrageſimam anni inſequentis, ſed intra unum annum à conventu Pariſienſi, quem in feſto Paſchali præcedente habitum diximus.

ac doctrinam ipſius diſcuſſerint:

435 Interim miſſam ab auctore expoſitionem in Boëtium Godeſcalcus, tunc in Monte ſancti Eligii prope Atrebatos abbas, poſtmodùm ejuſdem urbis epiſcopus, Eugenii mandato examinat, & ex ea capitula ſuſpecta elicit, atque ex F
libris ſanctorum Patrum auctoritates ipſis contrarias notat. Plura in Gilberti vitam & doctrinam attuliſſet Albericus Oſtienſis epiſcopus & Aquitaniæ legatus, niſi eum paullo antè mors præmatura è medio ſuſtuliſſet. Demum in concilio Remenſi " ventum eſt ad diſcuſſionem capitulorum,
,, quæ prædictus abbas Godeſcalcus notaverat.
,, Sed quia ipſe nimis erat elinguis, liber ille cum
,, Sanctorum teſtimoniis ei contrariis à domino
,, Papa traditus eſt ſancto Bernardo ,,. Concilium conſtabat ex quatuor regnorum epiſcopis, Galliæ, Germaniæ, Angliæ & Hiſpaniæ. In his aderant viri magni, nec mediocriter litterati, Gaufredus de Oratorio Burdigalenſis archiepiſcopus, cujus ſuffraganeus erat Gilbertus; Milo Morinorum epiſcopus, Joſlenus Sueſſionenſis, & Sugerius abbas S. Dionyſii: cui Francorum rex Ludovicus Jeroſolymam proficiſcens totius regni commiſerat adminiſtrationem, & quidem addit Otto, JUXTA ILLIUS COENOBII PRÆROGATIVAM. Gaufredus de Oratorio, etſi Gilberti doctrinam non probabat, ſed homini favebat.

436 Prima die conſiſtorium ingreſſis, Gilbertus MAGNORUM VOLUMINUM CORPORA per clericos ſuos afferri curavit, cauſatus, decurtata

AUCTORE J. P.

tata tantùm teſtimonia ab adverſariis proferri. Et " Quid neceſſe eſt, ait Bernardus, circa hu- „ juſmodi verba diutiùs immorari ? Non ali- „ unde procedit ſcandali hujus origo, niſi quòd „ plures credere vos credunt & docere, quòd „ divina eſſentia vel natura, divinitas ejus, ſa- „ pientia, bonitas, magnitudo, non eſt Deus, „ ſed forma, quâ eſt Deus. Hoc ſi creditis, pa- „ lam dicite, aut negate „. Ille auſus eſt dicere, formam hanc Deum non eſſe. Tum Bernardus " „ Ecce (*ait*) tenemus, quod quærebamus : „ ſcribatur iſta confeſſio „. Ita præcepit ſummus Pontifex, & domnus Henricus Piſanus, tunc Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconus, futurus poſtea Clara-vallenſis monachus, & ex abbate ſancti Anaſtaſii ſanctorum Nerei & Achillei presbyter Cardinalis, ad ejus mandatum perrexit, & attulit chartam, calamum & incauſtum *. Cùm autem ſcriberet iſtam confeſſionem, ET VOS, inſit ad Bernardum Gilbertus, SCRIBITE QUOD DIVINITAS EST DEUS. Ad hoc Bernardus, SCRIBATUR, inquit, STILO FERREO IN UNGUE ADAMANTINO. Cùm multis ultro citroque diſputatum eſſet, dixerunt Cardinales, ſe deinceps rem definituros. Commoti hoc dicto epiſcopi, quòd Cardinales ſibi ſolis cauſæ definitionem reſervarent, Bernardum interpellant, ut Gilberti capitulis alia contraria cum ſymbolo fidei conderentur, ne (quod Gilberti plurimi ex Cardinalibus fautores volebant) re infecta concilium ſolveretur.

i. e. atramentum

B

Gilbertum egregiè urſit,

437 Itaque Bernardus id præſtitit; tumque epiſcopi confeſſionem ab ſe ſubſcriptam per Hugonem Autiſſiodorenſem, Milonem Morinenſem epiſcopos, ac Sugerium abbatem Pontifici obtulerunt confirmandam. Id quod facilè obtinuerunt. Vocatus demum in conventum Gilbertus, in INSIGNI PALATIO, CUI NOMEN EST TAU (ſic Remenſis archiepiſcopi ædes appellabantur ob formam Græci elementi) CAPITULIS SINGULIS à ſe prolatis LIBERE RENUNTIAVIT; eademque Pontifex damnavit cum libro auctoris, diſtrictè præcipiens, ne eumdem librum legere, vel tranſſcribere quis auderet, NISI PRIUS EUM ROMANA ECCLESIA CORREXISSET. Dicente Gilberto, ſe ad nutum Pontificis correcturum; Pontifex negavit. Hæc carptim ex Gaufrido.

& erroneis capitulis renuntiare coëgit.

C

Singularia quædam

438 Quædam ſingularia habet Otto cap. 56, quædam item à Gaufrido diſcrepantia. Et primò quidem tradit Gilberti examen FINITA SYNODO, ET PROMULGATIS DECRETIS initum fuiſſe : tum DECURSA MEDIANÆ QUADRAGESIMÆ HEBDOMADA, SACROQUE DOMINICÆ PASSIONIS TEMPORE INCHOANTE, Gilbertum in medium vocatum ad judicium. Deinde lectis ab eo orthodoxorum Patrum libris in ſui defenſionem, Eugenium tædio affectum intuliſſe, quod Gaufridus Bernardo tribuit, ſimpliciter diceret Gilbertus, ANNE ILLAM SUMMAM ESSENTIAM CREDERET ESSE DEUM? Hunc verò diutina collatione fatigatum, inconſideratè reſpondiſſe, NON. Quod dictum mox ab ejus ore raptum notarius exceperit. Sub hæc conventu dimiſſo, totum, quod ſuperfuit, illius diei ſpatium, cum nocte ſequente, amicis ſuis Cardinalibus, quos habuit non paucos, prenſandis Gilbertum adhibuiſſe. Die ſubſequente recitatum ipſius ſcriptum, ejuſque rationem ab epiſcopo exactam : eum verò ita demum ſententiam ſuam expoſuiſſe, ut, ſi Dei nomen pro natura ipſa ſumatur, Deum quidem eſſe concederet; ſecus ſi pro perſona, ne, ſi id INDETERMINATE profiteretur, eò adduceretur, ut quidquid de qualibet perſona dicitur, & de eſſentia pariter eſſet aſſerendum; atque adeo SICUT PERSONAM FILII, ITA DIVINAM ESSENTIAM INDETERMINATE INCARNATAM, PASSAMQUE confiteri cogeretur.

D

refert in hac materia Otto Friſingenſis,

439 Hanc porrò diſtinctionem ab eo aſſertam teſtimoniis Patrum, Theodoriti, & Hilarii, atque auctoritate concilii Toletani " quam auctori- „ tatem cùm determinare vellet Clara-vallenſis „ Abbas, & aliqua verba protuliſſet, quæ Car- „ dinalibus diſpliceret „ Gilbertum petiiſſe, ut id ſcriberetur : Bernardum verò, quod Gaufridus notat, reſpondiſſe, SCRIBATUR STILO FERREO, UNGUE ADAMANTINO. Demum Abbatem ſanctum epiſcopos conveniſſe, ſimulque cum eis fidem ſuam contra Gilberti capitula expoſuiſſe. Quod Gallicanæ eccleſiæ factum tam graviter facer Cardinalium ſenatus acceperit, ut hac de re ad Pontificem conqueſti ſint, tum contra epiſcopos, tum contra Bernardum ipſum, quod TAMQUAM FINITURÆ SENTENTIÆ ULTIMAM MANUM APPONENDO, ipſis inconſultis, fidem ſuam ſcribere auſi fuiſſent; quæ res ad Romanam Sedem pertineret. Tandem Bernardum juſſu Pontificis, ut Cardinales placaret, acceſſitum, humiliter & cum reverentia reſpondiſſe " ſe, vel dominos e- „ piſcopos nihil de præfatis capitulis diffinîſſe : „ ſed quia ab eodem epiſcopo Pictavino audie- „ rat, ut fides ſua ſcriberetur; idcirco quia ſo- „ lus nollet, illorum auctoritate ac teſtimonio „ ſimpliciter ſe, quod ſentiret, expoſuiſſe „.

E

qui Gilberto Porretano

440 Quo humili ac modeſto reſponſo accepto, prædicta Cardinalium indignatio conquieverit " ita tamen, ut præfatum ſcriptum, tamquam „ inconſultâ curiâ prolatum, velut auctoritatis „ pondere carens, pro ſymbolo in Eccleſia non „ haberetur. (Atque ita) de tribus capitulis prop- „ ter præmiſſam tumultuationem nihil diffiniri „ potuerit „. Quod mirum non eſſe, ait Otto; qui & addit, Gilbertum in quarto ab aliis diſcordaſſe epiſcopis " cùm illi profiterentur natu- „ ram incarnatam, ſed in Filio (Gilbertus ve- „ rò) perſonam Filii incarnatam non ſine ſua na- „ tura. De primo tantùm Romanus Pontifex dif- „ finivit, ne aliqua ratio in theologia inter natu- „ ram & Perſonam divideret, neve Deus divina „ eſſentia diceretur ex ſenſu ablativi tantùm, ſed „ etiam nominativi „. Quam ſummi Pontifices ſententiam Gilbertus reverenter exceperit, atque archidiaconis ſuis in gratiam receptis cum Ordinis integritate, & honoris plenitudine ad propriam diœceſim remeaverit.

F

admodùm favit; ſed ante mortem huic rei remedium adhibuit.

441 In his omnibus apparet, Ottonem Gilberto admodùm faviſſe, nec proinde mirandum, quod in conſequentibus addubitet " Utrum præ- „ dictus Abbas Claræ-vallenſis in hoc negotio ex „ humanæ infirmitatis fragilitate, tamquam ho- „ mo, deceptus fuerit : vel epiſcopus tamquam „ vir litteratiſſimus propoſitum aſtutè celando, „ Eccleſiæ judicium evaſerit „. Verùm Otto morti proximus, teſte Radevico lib. 2 cap. 11, librum ſuum, in quo hæc ſcripſerat, ſibi afferri præcepit, & religioſis viris tradidit " ut ſi quid „ pro ſententia magiſtri Gilleberti dixiſſe viſus „ eſſet, quod quempiam poſſet offendere, ad „ ipſorum arbitrium corrigeretur „. De tota hac diſputatione meritò Gaufridus lectores ad Bernardi Sermones in Cantica remittit, nempe ad ſermonem 80, in quo Vir ſanctus eos, qui Gilberti ſententiam propugnare pergebant, hæreticos pronuntiare non dubitat : tametſi auctoris nomini ob reſipiſcentiam parcit. *Atque hæc quidem ſunt,*

A *sunt ; quæ de causa Gilberti Porretani , cujus sanctus Doctor antagonista subiectus fuit , eruditè collegit Mabillonius , satis in ea ad rem nostram historicè versatus , ut necesse nobis non videatur recurrere ad Baronium ac Manricum. Dictis tamen hactenus superaddi potest narratio Gaufridi biographi lib. 3 Vitæ nostri Sancti cap. 2 , in cujus loci gratiam superiora huc sunt transcripta. De his denique , quæ ex Ottone identidem proferebat suprà Mabillonius , videri potest Otto ipse in Friderico, libro 1 cap. 46 , cap. 47, cap. 50 , 51 , 52 , 55 & sequentibus.*

§ XLII. Henriciani hæretici à Patre Bernardo coërciti ; miracula ad destruendos ipsorum errores ab eo facta apud Tolosanos.

B *Henrici mores & errores ,*

PRogredienti mihi in capite secundo Gaufridi proximè jam citati offert se num. 168 & seqq. apud nos locus alter elucidandus de hæresi Henriciana in partibus Tolosanis repressa , & patratis ibidem miraculis in confirmationem fidei orthodoxæ , quam magnus Ecclesiæ athleta Bernardus adversus perniciosissimam illam sectam tum verbis tum scriptis egregiè ac feliciter defendebat. Quod spectat ad rationem temporis ; res in hac causa gestæ affiguntur anno Christi 1147 apud Baronium , Manricum , & Pagium. Fuit autem Henricus ille olim monachus , tunc , ait Gaufridus , apostata vilis , pessimæ vitæ , pernicioſæ doctrinæ ; hanc verò idem biographus mox recenset ex ipsis Sancti verbis , afferens fragmentum epistolæ , quæ est ordine ducentesima quadragesima prima , ad principem Tolosanum , de qua mox plura dicemus. Errores etiam hominis impiissimi e Petro Cluniacensi ad dictum annum recenset Baronius , atque ex hoc Manricus ad eumdem annum cap. 12 his verbis signat : Quòd infantibus baptismus sit negandus. Quòd templa, & ecclesiæ superfluè fabricantur. Quòd crux Dominica honoranda , vel adoranda non sit. Quòd

C corpus Domini in Sacramento altaris non existat. Quod vanum sit pro defunctis orare. Quod canticis & hymnis ecclesiasticis Deus irrideatur. *Ita ille de blasphemis Henrici dogmatibus.*

443 *Et continuò sic progreditur idem historicus Cistercienſis :* Hos contra errores succensus Eugenius Papa , legationem decernit , atque Albericum sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem , epiſcopum Ostiensem , quo non præstantiorem in sacro Collegio noverat , legatum instituit , serpenti malo efficaciter obviaturum. Is Bernardum legatiæ socium efflagitat , quo sine nihil magnum in toto orbe ; per quem prosperè cuncta peragerentur ; defessum hominem & fractum tot itineribus , sed necessarium adhuc , talemque , qui se indigenti Ecclesiæ non negaret : exponendam salutem ejus quantumvis utilem , exponendam & vitam , ne , pereunte gente Tolosana , lues in confines provincias grassaretur. Ergo Bernardus in socium datus viro , post longam quamvis peregrinationem jam tertiò hoc anno avulsus à suis filiis. " Hac necessitate (inquit Gaufridus) iter ,, arripuit , ab ecclesia regionis illius (Tolosa-,, næ) sæpiùs jam antè rogatus , & tum demum ,, à reverendissimo Alberico , Ostiensi episcopo, ,, & legato Sedis Apostolicæ persuasus ; & redu-,, ctus ,,. Priùs autem episcopum Carnotum * Godefridum vocavit in partem solicitudinis , virum utique ingentem opinione , nec minùs sapientiâ pollentem , quàm sanctitate. Inde ad Alfonsum , sancti Ægidii comitem , has sui adventus prænuntias litteras dedit , *quas historiæ suæ inserit Manricus. Præter fragmentum earum , quod exstare apud Gaufridum modò indicabam , alia nonnulla ex istis litteris visum non est excerpere, quia obviæ sunt lectoribus.*

AUCTORE J. P.

* Carnotensem

contra quos Eugenius PP. Albericum Cardinalem misit : cui additur S. Bernardus ;

444 *Non prætermiserim tamen proferre earumdem elogium , quod Baronius ad annum Christi* 1147 , *priusquam illas Annalibus suis intexat, in hæc concinnatum verba reliquit num.* 20 : Quæ quidem epistola Dei beneficio adhuc extat tamquam gladius in sanctuario asservatus , quo Goliath præcisum est caput : quæ & simul ad conficiendos reliquos Dei hostes sit potens. *Dum verò illam reddiderat laudatus Annalium auctor, sequentia duxit eidem subscribenda num.* 23 : Audisti , lector , pseudo-apostolus unde venerit, & ad quid venerit : nempe ex religione apostata, ut solutis quibuslibet , quibus tenebatur adstrictus , ne diffluëret in carnis opera , vinculis , & ad perficienda mala cuncta , quæ vellet ; liber ut esset , hanc carnis libertatem docebat filios hominum. At dum sanctus Bernardus describit Henricum , planè iisdem coloribus pingere visus est nostri temporis infelices hæresiarchas , ex apostasia pariter prodeuntes , & in luxuriæ gurgitem, ut in lutum porcos , sese præcipites dantes. *Hactenus Baronius , & sapienter.*

qui insignem epistolam adversus istum hæreticum præmittit ;

E

ac deinde Tolosæ dictis & factis se ei opponit.

445 *Porrò Viri sancti in urbem Tolosanam adventum , irruentes in eum præ avidissimo affectu populorum turbas , ingentemque fructum memorat Gaufridus antea allegatus. His deinde subnectit miracula , quibus Deo placuit orthodoxæ fidei Præconis , errorumque eidem adversantium expugnatoris sermonem confirmare. At de prodigiis erit mihi sermo § proximo ; ubi prius addidero antecedentibus , quæ jam retuli , peculiares notitias , quæ virus Henricianum , ac sancti Patris adversus illud labores illustrent. In hanc rem diligenter ac eruditè jam pridem incubuit Mabillonius in sua Præfatione generali ad Opera* S. Bernardi *§ 6 , unde ista huc transferre placet :*

F *Quæ ad perversos Henrici mores , patriam , hypocrisin ,*

446 Bernardi in rem Christianam studium exercuit in primis Henriciana hæresis , quam factis & scriptis strenuè exagitavit . . Henricus , quem Vir sanctus monachum apostatam , & post eum Gaufridus appellat , pseudo-eremita vocatur in Actis episcoporum Cenomanensium , tomo tertio Analectorum (*à laudato Mabillonio vulgatorum*) ubi ejus mores & perversi actus accuratè describuntur. Quo ex loco ortus sit , non satis indicant hæc verba : " Per idem fere tempus , ,, nempe sub Hildeberto episcopo , in adjacen-,, tium finibus regionum , surrexit quidam hypo-,, crita , quem propria actio , mores perversi , ,, dogma detestabile scorpionibus & parricidali-,, bus dignum protestantur suppliciis ,,. Is sub e-mentito sanctitatis & scientiæ nomine , turpia flagitia exercens , omnium mortalium excessus , ceteris incognitos , ex solo aspectu se cognoscere jactitabat. Missi ad Cenomannos duo ejus discipuli die Cineris suburbia civitatis attigerunt. " ,, Gerebant ex sui doctoris consuetudine baculos ,, ac vexillum crucis , colore & exteriori conver-,, satione habitum prætendentes pœnitentium ,,. Hac specie delusi Cenomanni eos tamquam angelos

AUCTORE J. P.

gelos ſuſceperunt. Eoſdem etiam blandè excepit Hildebertus epiſcopus, qui " Romanum iter (ag-„greſſurus,) inter cetera ſuis injunxit archidiaco-„nis, ut illi pſeudo eremitæ Henrico pacificum „ingreſſum & licentiam ſermocinandi ad popu-„lum permitterent „. Cujus rei poſtmodùm ip-ſum abunde pœnituit.

prædicationem,

447 Ex his forte quis inferat, Henricum fuiſ-ſe ortum ex proxima Cenomannis regione, qui-bus primum ſuæ perverſæ doctrinæ virus propi-navit. Si enim jam aliunde notus fuiſſet, eum in ſuam civitatem non tam facilè admiſiſſet Hilde-bertus antiſtes doctus & oculatus. Verùm ex lon-ginqua regione iſtuc accedere potuit, & fortaſſe ex Italia, ut poſtea dicturi ſumus. Henrico ci-vitatem ingreſſo " vulgus ſolito more applauſit „novitati. (Quin etiam) plerique clericorum „eidem alimenta miniſtrabant, tribunalque præ-„parabant, unde concionator ille turbas allo-„queretur (qui) mirum ad modum facundus „erat. (Eo audito) plebs in clericos verſa eſt „in furorem, (eos habens) ſicut ethnicos & „publicanos: (adeo ut) famulis eorum mina-B „rentur cruciatus, nec eis aliquid vendere, vel „ab eis emere vellent. (Immo) non tantùm „eorum ædes obruere, & bona diſſipare, ſed „illos lapidare, aut affigere patibulo decreve-„rant, niſi princeps & optimates nefandis auſi-„bus reſtitiſſent „.

fugam, ut alias regiones inficeret, ſpectant.

448 Hoc ſeriùs licet comperto, clerus Ceno-mannenſis Henrico, ejuſque ſociis prædicatio-nem edito libello interdixit. Quare Henricus, Hildeberti reditu intellecto, ſeceſſit in caſtrum ſancti Carileſi, nequaquam ab incœptis deſiſtens, ſed ad pejora prorumpens in dies. Interim cùm Hildebertus, ex Romano itinere reverſus, po-pulo benedictionem impertiri vellet, indignè ha-bitus eſt à populo, hæretici ſermonibus corru-pto. Tum ille ſeductorem adiit, ſciſcitatus, cu-jus Ordinis fungeretur officio. Hic verò ſe dia-conum eſſe reſpondit: qui ex illa provincia di-ſcedere juſſus " clam aufugit, ceteras regiones, „niſi ocior eſſet fama, ſimili modo perturbatu-„rus „ & viperino flatu ſuo infecturus. Hacte-nus ex actis Hildeberti.

C *Duo è diſcipulis ejus reſipiſcunt.*

449 Inter hæc duo Henrici diſcipuli, Cy-prianus & Petrus, ab ejus præſtigiis reſipuerunt, ut fidem facit encyclica Hildeberti epiſtola 78: in qua ita eorum magiſter depingitur: " Henricus „is erat, magnus diaboli laqueus, & celebris „armiger antichriſti. Huic & habitu religionem, „& verbis litteraturam ſimulanti, tam diu præ-„ſcripti fratres adhæſerunt, donec eis & turpi-„tudo in vita, & error innotuit in doctrina. U-„bi enim cognoverunt vias ejus vias eſſe non re-„ctas, prius ad ſe reverſi ſunt; dehinc ad nos „tranſierunt, cujus diœceſim ſic infecerat, ut „renitens ei clerus vix inter parietes eccleſiæ „ſuam tueretur libertatem „. Ita Hildebertus ſe-riùs agnovit, quantum periculi immineat ex in-cauta approbatione novorum doctorum, qui ſub ſpecie pietatis animos auditorum corrumpunt.

Priùs infecit Cenomanos, quàm Toloſanos:

450 Ex his patet, Henricum illum longè priùs Cenomannos infeciſſe, quàm ad partes To-loſanas, unde eum expulit Bernardus, ſubiret: quippe cum Romanum iter, quod Hildebertus adhuc Cenomannenſis epiſcopus aggreſſus eſt, quo tempore infamis ille præſtigiator zizania ſua ſeminavit apud Cenomannos, contigerit ante an-num MCXXV: quo anno Hildebertus in metropo-lim Turonicam migravit. At vero Bernardus non niſi anno MCXLVII ad Toloſanas partes profectus eſt. Et certè in epiſtola 241, quam in partibus D Toloſanis conſtitutus ſcripſit ad Hildefonſum Co-mitem, id ſatis innuit Vir ſanctus his verbis: " „Inquire, ſi placet, quomodo de Lauſana ci-„vitate exierit, quomodo de Cenomannis, quo-„modo de Pictavi, quomodo de Burdegali „. Hæc quippe videtur eſſe ſeries itineris illius apo-ſtatæ, qui à Lauſana, deinde à Cenomannis præ-dicandi exordium ſumſit.

ſectæ iſti nomen & errores conveniunt Manichæorum:

451 Et fortaſſe Lauſanam venerat ex Italia; ex qua ejuſmodi fæces in partes Gallicanas tranſ-migrarunt, reliquiæ Manichæorum, uti & illi Cameracenſes hæretici ex Italia advecti, qui an-no MCXXV damnati ſunt in ſynodo Atrebatenſi, quo etiam tempore ſimiles ejuſmodi peſtes apud Aurelianos igni perierunt. Et quidem Henricia-nos appellat Manichæos Exordium Ciſtercienſe in libro 7, de Vita S. Bernardi cap. 17, ubi legatus Papæ, aliique epiſcopi, pro confutanda hæreſi Manichæorum, ad partes Toloſanas cum Viro ſancto acceſſiſſe memorantur. Jam verò quo pacto ejuſmodi hæreticis, eorumque ſequaci-bus, Manichæorum nomen & errores compe-tant, illuſtriſſimus Meldorum epiſcopus in exi-mio Opere ſuo, quod de variationibus hæretico-rum ſcripſit, luculenter oſtendit libro XI. E

eamdem fugat S. Bernardus;

452 Iidem Henriciani hæretici in Petrocorios effuſi, Pontio duce & anteſignano, uti docet Heriberti epiſtola in tomo tertio noſtrorum Ana-lectorum: ubi peculiaria Pontianorum illorum commenta referuntur. Inde eſt, quod Bernardus ad Petrocorios ſeu Petragoricos populos ſe con-tulit, ut patet ex tertia parte libri 6, qui eſt de ejus miraculis, num. 4: ubi Arianos plurimos apud Toloſates inveniſſe, eoſque, uti & Hen-ricum hæreticum, fugaſſe memoratur. Quin et-iam idem Henricus, in Piſano Concilio antea damnatus, & Bernardo ut monachus in Clara-valle fieret, commiſſus dicitur. Verum ille ac-ceptis à Bernardo ad Clarævallenſes litteris, in ſuſcepto ſemel errore obfirmatè perſiſtere ma-luit, quàm ad ſalutis viam hoc compendio re-dire.

qui Henricum vivis coloribus depingit.

453 Henricum vivis coloribus depingit Ber-nardus in prædicta epiſtola 241, ubi eum litte-ratum, ſpeciem habentem pietatis, ſed aleis & meretricibus deditum ſcribit. Impia ejus dogma-ta hæc fere commemorat: Sacerdotum & clerico-rum reſpectus nullus; Sacramentorum atque feſ-torum abolitio; baptiſmus parvulis negatus. Al-terius claſſis erat apud Hildebertum in epiſtola 51 hæreticus ille, qui Sanctorum interceſſiones rejiciebat, ipſum Hildebertum in ſuæ ſectæ patro-cinium traducere perperam conatus. F

§ XLIII. Alii hæretici à Sancto impugnati.

Colonienſes hæreticos

QUærit *Mabillonius citatus*, an iidem cum Henricianis fuerint hæretici illi, quos Ber-nardus in Sermonibus 65, & 66 ſuper Cantica impugnat. Et quidem non alios fuiſſe, aliquan-do mihi fuit perſuaſum: at repertâ Evervini ab-batis Steinfeldenſis epiſtolâ, quæ prædictis Ser-monibus occaſionem dedit, mutanda eſt ſenten-tia. Colonienſes quippe fuerunt iſti hæretici, in nonnullis quidem conſentientes cum Henricianis, ſed ab his in multis diſcrepantes. Colonienſes in duas claſſes diſtinguit Evervinus. Uni dicebant, Eccleſiam apud ſe tantùm eſſe, quaſi ipſi ſoli veſtigiis

A ſtigiis Chriſti inhærerent. In cibis vetabant lactis uſum, & quidquid inde conficitur. In ſacramentis ſuis velo ſe tegebant, & quotidie cibum & potum ſuum in Chriſti corpus & ſanguinem ſe conſecrare aſſerebant: ceteros in ſacramentis procul à veritate abeſſe. Præter baptiſmum aquæ, alium admittebant in igne & ſpiritu per ſolam manuum impoſitionem. Baptiſmum verò noſtrum cum nuptiis reſpuebant. Denique aiebant, quemlibet è ſuis electum ſeu baptizatum habere poteſtatem, alios, qui digni fuiſſent, baptizandi; & in menſa ſua corpus Chriſti & ſanguinem conficiendi.

qui ejuſdem fuere genii cum Henricianis, Vir ſanctus impugnat.

455 Alii verò ſacerdotibus Eccleſiæ, utpote ſæculari more viventibus, conſecrandi poteſtatem abjudicabant, aliaque ſacramenta conferendi, excepto baptiſmo, quem ſolis adultis, non parvulis conferebant. Omne conjugium, præter illud, quod inter virgines maſculum & feminam contrahitur, fornicationem reputabant. Poſtremò ſuffragia Sanctorum, jejunia, ceteraſque corporis macerationes reſpuebant, uti & purgatorium, & ſuffragia pro mortuis. Itaque Henri-

B cianis & Colonienſibus hæreticis communis fuit genius, odium in Eccleſiæ miniſtros, Sacramenta, baptiſmum parvulorum & nuptias: pauca peculiaria, quæ non ſectæ genus, ſed quamdam tantùm capitum diverſitatem arguunt. Uno verbo, diverſi fuerunt rami, ſed ex eadem radice prodeuntes. Nec dubitem Colonienſes illos hæreticos ex Tanchelmi officina prodiiſſe.

Adverſus hæreticos Apoſtolicos,

456 *A ſuperiore hæreticorum colluvie diſtincti nomine ſaltem fuere Apoſtolici, uti ſe vocabant: de quibus hiſtoricus Ciſtercienſis ad annum* 1147 *cap.* 14 *hæc litteris conſignat:* Henricianis hæreticis compreſſis, & magna ex parte Eccleſiæ reconciliatis, jam Pater ſanctus ad ſuos revertebatur. Cùm, ecce, incidit in aliam ſectam hominum, qui ſe Apoſtolicos volebant appellari. Ruſticum quidem genus agreſteque, & ſine præceptore aut duce, quem ſequerentur; ſed eo difficilius diſſuadendum; quippe ſingulis ſeorſim adeundis, & quibuſcum nec Scripturâ utendum, nec ratione. De his Sanctus reverſus jam ad filios, cùm toties pro Eccleſia, hoc eſt, pro ſponſa Canticum interruptum reaſſumpſiſſet, Sermone (66:) "Ruſticani homines ſunt, &
„ idiotæ, & prorſus contemptibiles. Sed non eſt
C „ (dico vobis) cum eis negligenter agendum.
„ Multùm enim proficiunt ad impietatem, &
„ ſermo eorum ut cancer ſerpit „. *Et paucis interjectis*, Quære, *inquit ſanctus Doctor*, ab illis ſuæ ſectæ auctorem; neminem dabunt. Quæ hæreſis non ex hominibus habuit proprium hæreſiarcham? Manichæi Manem habuere principem & præceptorem; Sabelliani Sabellium; Ariani Arium; Eunomiani Eunomium; Neſtoriani Neſtorium. Ita omnes ceteræ hujuſmodi peſtes, ſingulæ ſingulos magiſtros homines habuiſſe noſcuntur, à quibus originem ſimul duxere & nomen. Quo nomine iſtos titulove cenſebis? Nullo. Quoniam non eſt ab homine illorum hæreſis, neque per hominem illam acceperunt *&c.*

uti ſe vocabant, calamum etiam ſtrinxit,

457 *Jam verò quia nec habebant auctorem, nec nomen, Apoſtolos ſe nuncupari voluiſſe, teſtatur Sanctus in eadem epiſtola his verbis:* Non ignoro, quod ſe & ſolos corpus Chriſti eſſe gloriantur. Sed ſibi hoc perſuadeant, qui illud quoque perſuaſum habent, poteſtatem ſe habere quotidie in menſa ſua corpus Chriſti & ſanguinem conſecrandi ad nutriendum ſe in corpus Chriſti & membra. Nempe jactant ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, & Apoſtolicos nominant, nullum tamen apoſtolatus ſui ſignum valentes oſtendere. *Habes verba* S. Bernardi *de iſtis hæreticis: cujus ſi dictum conſideres*, Quo nomine iſtos titulove cenſebis? Nullo; *probabilius eſt, eos nomine & auctore ab Henricianis fuiſſe diverſos. Colonienſibus tamen eos annumerat Mabillonius in notatione ad mox productum locum, hæc obſervans:* Neſcio, an id dicturus fuiſſet Bernardus, ſi Colonienſes iſti Henricum, à quo Henriciani hæretici, auctorem habuiſſent. Quamquam ſimilia utrorumque dogmata erant, ut patet conferenti epiſtolam 240. Colonienſium duas claſſes notat Evervinus, quas Bernardus non niſi obſcurè diſtinguit in fine Sermonis 65. AUCTORE J. P.

458 *Adverſus impuriſſima itaque ac perverſiſſima hujuſmodi ſectariorum dogmata calamum ſtrinxit ſanctus Doctor. Videſis Sermones ejus* 65 *&* 66 *jam allegatos, nec non Eminentiſſimum Baronium ad annum Chriſti* 1147, *hoc Viri ſancti elogio rem concludens:* Quem ſcientiâ divinitus illuſtratum, in virtute miraculorum multiplicium à Deo miſſum & probatum, atque egregia vitæ ſanctitate imbutum, Dei amicum fuiſſe cùm certò ſciam; ipſi penitiſſimè inhærendo, qui in- E hæſit Deo, ſecurus exiſto, deplorans ex Chriſtiana charitate perditiſſimos novatores, qui hos nefandiſſimos ſectantes brutos hæreticos, iiſdem planè immenſa cæcitate percuſſi, plus deferant, quam Bernardo: ut jure cum Jeremia ſit exclamandum: Obſtupeſcite cæli ſuper hoc. *laudatus à Baronio.*

Præter alia miracula apud Toloſanos in confirmationem fidei facta,

459 *Quæ de ſancti Doctoris miraculis apud Toloſanos factis in confirmationem fidei orthodoxæ adverſus colluviem Henricianam, refert Gaufridus ſuprà aſſignatus, tam parca ſunt, ut mereantur ex aliis documentis ſuppleri. Ac primo quidem loco prodeat illud, quod legitur in Exordio magno Ordinis Ciſtercienſis apud Triſſierium diſtinctione* 2 *cap.* 18: Dum adhuc in eadem regione (*Toloſana*) reverendiſſimus Pater moraretur, & tamquam ex Apoſtolis unus circuiret per caſtella & civitates, euangelizando & curando omnes languores, hæreticorum quoque turpiſſima deliramenta redarguendo, convincendo, confutando; accidit, ut cæcus quidam in vicinia eadem, compertâ famâ virtutum atque ſignorum, quæ per manus Hominis Dei multiplicabantur per dies, ſpe recuperandæ ſanitatis animatus, eumdem Dei Famulum adire decrevit *, F
ſi forte beneficio cæleſtis gratiæ, quæ per ipſum miſeris mortalibus copioſè tribuebatur, ſibi quoque, cæcitatis caligine deterſa, lumen dulce reſtitueretur. Accelerans itaque, & ubinam Sanctum Dei reperire poſſet, ſolicitus inquirens, audivit, eum in quodam celebri conventu in medio magnæ multitudinis conſiſtere, verbumque vitæ diſſeminare.

* decreverit

Sanctus etiam abſens cæco viſum reſtituit:

460 Quò, cùm pedibus offendens, & anhelus currens, perveniſſet, triſti rumore percellitur, quoniam Vir Domini jam inde receſſerat, & ad alia loca tranſmigraverat. Quid tamen ageret, ſiquidem deſiderium recipiendæ ſanitatis cum eum ulteriùs currere compelleret, denſiſſimæ tenebræ, quæ oculos ipſius obſederant, pigrum & minùs expeditum reddebant. Cumque in defectione mentis conſtitutus multâ triſtitiâ contabeſceret, ſubitò divina gratiâ inſpiratus, & de meritis beatiſſimi Viri ſpem toto corde concipiens, circumſtantibus ait: Rogo per miſericordiam Dei, ducite me ad locum illum, in quo Hominem Dei ſtetiſſe, vel ſediſſe, certiſſimè ſcitis. Quod cùm benevolentiâ eorum, qui ade-

AUCTORE J. P.

rant, continuò consecutus fuisset, veniens ad locum, toto corpore in terram prosternitur, miraque devotione pulverem ipsum, in quo sacra Viri Dei vestigia steterant, deosculando, Domini quoque misericordiam per merita Servi sui enixiùs implorando. Quod dum faceret, & de ipso pulvere, fide plenus, oculos suos confricaret, repentè, miserante Domino, qui sanctitatem Famuli sui, licèt absentis, etiam in hac gratia declarare dignatus est, lumen oculorum recepit. Quod factum non solùm Catholicis orthodoxæ fidei firmamentum contulit; verùm etiam malignis hæreticis confusionis & opprobrii notam adauxit. *Hactenus Exordium.*

§ XLIV. Hæretici obdurati à Deo puniti; sanctitas Bernardi & miracula in summa sunt veneratione apud Tolosanos: inde non est profectus in Hispaniam.

B

reluctantes hæretici

Verùm non divinis dumtaxat favoribus causam Dei ac veræ fidei promovit sanctus noster Thaumaturgus apud Tolosanos; sed etiam eos, qui audientes vocem Domini per Bernardum, *obdurabant corda sua, pœnis coërcuit, ex Chronico mox citando:* Ægrotantem ergo terram tantæ infidelitatis disgratiâ * vir religiosus beatus Bernardus Claravallensis abbas, vitâ & litteraturâ conspicuus, zelo fidei accensus, aliquando visitavit, & ad castrum Viridisfolii, quod eo tempore vernabat militari multitudine, & vulgari, duxit ociùs accedendum, intendens quod, si posset, ibi extinguere hæreticam pravitatem, quæ locum ipsum multùm infecerat, faciliùs contra eam in aliis prævaleret. Cumque cœpisset sermonem in ecclesia proponere contra eos, qui majores erant ibi, illi ecclesiam exierunt: quos & populus est secutus: quos Vir beatus sequens, in platea cœpit proponere verbum Dei. Illi autem per domos undique latuerunt. Eo tamen plebeculæ circumstanti nihilominus prædicante; sed eis perstrepentibus, & fores percutientibus, ut & nec plebs posset percipere vocem ejus, & allegantibus verbum Dei, excusso pedum pulvere in testimonium illis, ut esse pulverem, & reversuros in pulverem declararet, exivit ab eis, & ipsum castrum respiciens, maledixit dicens: Viridefolium, deficcet te Deus.

* *i. e.* infortunio, *Gall.* disgrace.

C

puniuntur à Deo.

462 Quod quidem manifestis indiciis perseverat. Nam eo tempore, sicut antiqua tenet relatio, erant in eodem castro centum hospitia militum, equos cum intersignibus, & arma habentium, ad avenam alienam non revenientium, sed ad suam; ex tunc vera pauperies, sicut vir armatus, cœpit occurrere eis frequenter; quos aut grando frequens, aut sterilitas, aut seditio, aut guerra * etiam parum quiescere non permisit. Nam & ipse, cùm infans essem, vidi nobilem virum dominum Isarnum Nebulatum, qui fuerat major dominus Viridisfolii, qui bene dicebatur ætate centenarius, Tolosæ contentum uno roncino pauperrimè commorantem. Qualiter autem & quantum animadversum est, Dei judicio, in plures, qui defecerunt, ejusdem castri dominos, ipsa rerum declarat evidentia: dum quod Vir sanctus maledixerat, nequiverit repa-

* *i. e.* bellum

rari, donec dante ipsum castrum Comite Montis-fortis venerabili patri domino Fulconi, episcopo Tholosano, ex tunc cœpit paulatim, expulsis inde dominis reformari; sicut suo loco sequentia declarabunt. *Hæc narrantur in Chronico magistri Guillelmi de Podio-Laurentii, quod Catellus vulgavit ad calcem suæ Historiæ Comitum Tolosanorum, capitulo* 1. *Terminos duos in textu occurrentes expono.* Viride folium, *vernaculè Ver feuil, castrum est in diœcesi Tolosana, apud quod S. Dominicus postea congressus est cum hæreticis Albigensibus, ut datur videre tomo primo hujus mensis Augusti, die* IV, *pag.* 400. Roncinus *autem mihi hîc est equus minor, gregarius, Gallis roncin, roucin, vel rossin. Consule Glossarium Cangii. His itaque supplentur, quæ Gaufridus memorat de miraculis* S. Bernardi *apud Tolosanos.*

D

fama sanctitatis & miracula mirabilem Sancto conciliant æstimationem:

463 *Miracula porrò ac prædicatio, nec non fama eximiæ sanctitatis mirabilem ibidem erga illum concitavere venerationem; uti patet ex eo, quòd in ipso etiam ad Tolosanos adventu, atque adeo priusquam ullum forte signum apud ipsos patrasset, adeo jam tum in amoribus ibi fuerit, ut nihil supra. Audiatur Gaufridus lib.* 3 *cap.* 2.: Veniens autem cum incredibili devotione susceptus est à populo terræ, ac si de cælo angelus advenisset. Nec moram facere potuit apud eos, quod irruentium turbas reprimere nemo posset *&c. Quid, quòd* tanta fuerit multitudo irruentium populorum, benedictionem poscentium, ac sacras manus deosculantium, ut, tenerrima prorsusque attenuata carne ipsius compressionem & impetum crebrò deosculantium ferre non valente, manus & brachia sacra in modum pugnorum intumescerent, & unde alii benedictionem sibi per virtutem, quæ de illo exibat, procurabant; inde ipse debilitatus, & penitus conquassatus, graves corporis molestias sustineret; *ex magno Exordio distinctione* 2, *cap.* 18 *post relata signa Viri sancti, quæ in regione Tolosanorum facta sunt.*

E

quam Henrici hæretici assecla quidam

464 *Adeo autem insignis ibidem veneratio de ipso concepta atque hominum animis penitus insita erat, & palam inclaruerat, ut à quodam malevolo & hæretico sycophanta evelli vel obscurari non tantùm non potuerit, sed etiam magis fulserit, dicaculi istius loquacitate, quâ Virum Dei impetebat, prudenti hujus responso retusa Factum narrat Exordium magnum distinctione* 2, *cap.* 17: Quodam tempore, *ait*, cùm legatus Domini Papæ, aliique episcopi, pro confutanda hæresi Manichæorum ad partes Tolosanas sanctum Domini Bernardum secum traherent, paraverunt ei fratres equitaturam solito meliorem, quæ tam longo itineri sufficere posset. Qui cùm ad illas partes, comitantibus episcopis, devenisset, Henricus quidam monachus niger, tunc autem apostata vilis, & eorumdem hæreticorum princeps, cognito adventu Famuli Dei, veritus est à facie ejus, sciens, quia non posset resistere sapientiæ & spiritui, qui in eo loquebatur. Proinde maturatâ fugâ delituit, & minimè potuit usquam eo tempore reperiri.

F

protervo sarcasmate

465 Ibi quoque glorificavit Dominus Servum suum in conspectu totius populi, & principum terræ, faciens quotidie per manus illius, signa & prodigia magna in plebe. Nec facilè credi potest, quanta turbarum infinitas apostolicum Virum tota die prosequebatur: dum alii eruditionem, alii curationem, universi benedictionem ab eo postularent. Quadam igitur die, præsente innumerabili hominum multitudine, cùm eos copiosiùs

A piosiùs de fide Catholica conservanda, & de immunda hæreticorum societate vitanda commovisset; contigit adesse quemdam de hæreticis illis, qui potentior cæteris atque prudentior videbatur. Qui cùm amaro oculo cerneret venerationem, quam Dei Famulo populus impendebat, moliebatur aliquid agere, unde claritatem opinionis ejus aliquatenus obnubilaret, & daret maculam in gloria illius. Jamque expletis omnibus, quæ ad præsens necessaria videbantur, Vir Dei equum suum ascenderat, ut abiret. Et, ecce, prædictus hæreticus, quasi coluber tortuosus erecto capite venit ante Hominem Dei, & clamans coram omnibus ait: Domine abbas, sciatis, quia caballus magistri nostri, qui tam malus vobis apparet, non ita cervicosus, & pinguis est, sicut iste sonipes vester.

auxit potiùs, quàm minuit.

466 Quo audito Vir mitis & patiens respondit ei mox tranquillo vultu & animo dicens: Non diffiteor, amice, quod astruis. Verumtamen scire te convenit, quia jumentum istud, de quo mihi insultas, brutum est animal, unum utique ex illis, quæ natura prona atque obedientia ventri finxit. Quod si pro libitu suo comedit, atque

B pinguescit, nihil inde justitia læditur, quia jumentum, quod suum est, facit. Proinde non erimus arguendi in judicio Dei, ego & magister tuus, de cervicibus jumentorum: sed unusquisque de collo suo judicabitur. Nunc igitur, si placet, respice collum meum, & vide: & si grossius est collo magistri tui, inde me forsitan justè reprehendes. Hoc itaque dicto caputium exuit, & capite denudato usque ad humeros, apparuit ipsius collum, ut erat, productum & gracile: quod quamvis esset carnibus exesum & tenue, erat tamen ex dono cælesti pulchrum & candidum nimis, sicut collum oloris. Quod cùm viderent universi, qui aderant, lætati sunt lætitiâ magnâ, benedicentes Dominum, qui dedit in ore Famuli sui tam paratum & conveniens responsum, unde confunderetur, & obstrueretur os loquentium iniqua.

Sunt, qui volunt Virum sanctum è partibus Tolosanis in Hispaniam profectum;

C 467 *Annalista Cistercienſis cùm ad annum* 1147, *cap.* 13 *edocuisset, quàm se gesserit egregiè* S. Bernardus *in prædicatione Tolosana, refert ac refellit sententiam illorum, qui volunt Virum Dei in Hispaniam fuisse profectum. Opinio hæc si vera foret, huic anno iter illud innectendum, observat duabus de causis,* tum quia in eo monasterium de Spina fundatum est, ut suo, *ait*, loco dicemus: tum quia ex Tolosa transitus facilior, quippe provincia Hispaniæ convicina. *Ita ille, subjiciens argumenta adversus hanc sententiam malè fundatam; sed nos illa aliunde promemus. Dum anno Christi* 1721 *essemus Matriti, manuscripta posthuma Nicolai Antonii V. Cl., & Bibliothecâ Hispanâ à se in lucem datâ reipublicæ litterariæ notissimi, nobiscum communicavit perhumaniter reverendus admodùm & amplissimus dominus Adrianus de Coninck, propinquus laudati auctoris consanguineus. In istis verò Mss. totus est clarissimus hic Hispanus scriptor in impugnandis & convellendis figmentis fabulosis, ac commentis apocryphis pseudo-chronographorum famosorum, immò verò, loquamur apertè, infamium. Proferamus itaque hîc, quæ ex ejus Mss. deprompsimus ad præsens institutum. Confutat autem personati Juliani Petri, archipresbyteri S. Justæ, typis editi, locum, qui est in ejus* Adversariis *pag.* 96 *num.* 418:

468 Novum quoque & inauditum hactenus, imò falsissimum est, S. Bernardum, Clarevallensem abbatem sanctissimum in Hispaniis fuisse, & quidquid *loco mox citato* mendaciorum & ineptiarum continetur. *Hæc igitur ibi lego in Adversariis:* Ex quo imperator Adefonsus cepit Toletanam civitatem, & Christianis restituit, jussit, ut vocaretur civitas imperatoria, caput imperii Toletani & Hispani; & imperator, ut dictum est, auctoritate Anastasii PP. IV coronatus est: & ideo Bernardus Claravallensis vocat eum sic. Hic sanctus Vir venit in Hispaniam cum fratre Bernardo, & invisit monasteria Toleti S. Clementis, & S. Dominici Exilienſis, & postea ad moniales S. Clementis scripsit. Fundavit in Hispania monasterium dictum de Spina. *Fabulatorem hunc ita castigat laudatus Nicolaus Antonius:* In primis duos Alfonsos VI & VII puerilitер confundit: nam sextus Toletum cepit à Mauris; septimus verò, prioris nepos, ex Urraca filia ille fuit, quem coronatum imperatorem Anastasii PP. auctoritate nos jam docuerat in Chronico . . ., quamvis uterque eorum imperator ab eo audiat, quod revera appellati sunt.

AUCTORE J. P. *sed illorum*

469 Deinde quod dicitur, S. Bernardum scripsisse ad hunc Alfonsum VII, imperatoris nomen ei attribuendo; æquè falsum est, aut certè nusquam rei indicium reperias inter epistolas sancti Abbatis. Duæ editæ sunt ad Alfonsum; sed Portugalliæ regem primum; nempe CCCVIII, ac CCCLXVII, quæ nihil ad Julianum. Eumdem autem Bernardum ad Hispanias venisse negat apertis verbis ejus Vitæ cujusdam partis auctor Gaufredus Clarevallensis monachus, sancti Patris alumnus, & qui se ait omnibus, quæ narrat, interfuisse. Is auctor est secundi libri, qui aliàs tertius, & quartus & quintus dicitur vitæ S. Bernardi; ut constat ex præfatione hujus partis in editionibus studio clarissimi Viri Jacobi Merloni Horstii digestis. (Parisiensem habemus anni MDCLVIII) Apertissimè is, ubi de variis & illustribus miraculis Coloniæ, Aquisgrani, Leodii, Cameraci, & in Hispania factis caput sextum libri 4 inscripsisset, de Hispanicnsibus miraculis sic præfatur: „ Nam & in Hispania, ubi præsens ipse non fuit, „ sanctitatis ejus indicia claruerunt „. Quo quidem Gaufridi testimonio utitur doctissimus Benedictinorum Ordinis scriptor F. Antonius Yepesius tom. 7, centuriâ 7, anno MCXLVI, fol. 370, col. 4, ad arguendum nonneminis errorem (*Hunc commisit noster Joannes Mariana in Historia de rebus Hispaniæ lib.* 10, *cap.* 12, *ad annum* 1123) qui deceptus non obscuris sancti Abbatis ad Petrum Venerabilem ex Hispania redeuntem verbis, epistolâ 227 (*quæ est* 228 *in editione Mabillonii*) locutum de se ipsum Bernardum credidit. Nec minùs aliquam epistolæ ad S. Clementis Toletanæ urbis sanctimoniales directæ comprobationem, quæ ruinosam asseverantes fidem quoquo modo commendat, invenimus.

opinio E

F

470 Claudit mendaciorum agmen tributa eidem Viro sanctissimo fundatio apud nos monasterii de Spina, quod in [amœno loco] utriusque regni Castellæ & Legionis, à Vallisoleto sex, à Tauro urbe quinque leucis distans, nomenclaturâ istâ propter spinam coronæ Dominicæ in ea servatam, Sanciæque infanti, Alfonsi VII imperatoris sorori, domûs fundatrici, à Ludovico juniori dicto, Franciæ rege, Parisiis prætereunti donatam gaudet. Rem narrat idem Yepesius eod. tom. 7, anno MCXLIII, cap. 1, fol. 328, adductis & explanatis iis, quæ significare quodammodo videbantur, præsenti Bernardo oblatum,

ac præsertim

AUCTORE J. P.

tum, & in manus traditum à Sancia monaſterium congruenter dotatum; nempe dotationis ipsâ chartâ, quâ dono dare ſe Bernardo, Claræ-vallenſi abbati, ait pia heroïna, hereditatem S. Petri de Spina, & item privilegio quodam Alfonſi regis, Sanciæ fratris, in ampliationem ejuſdem domûs ſimiliter concepto: quæ quidem æquè ac de præſentibus dici de abſentibus, quorum in gratiam donationes & oblationes celebrantur, paſſim conſuevere.

pſeudo-Juliani Petri

471 Siquidem S. Bernardum, miſſo fratre ſuo Nivardo (Bernardum legimus apud Julianum) in Hiſpanias, cujus inde & à Sancia ad ſe reverſi Vir ſanctiſſimus meminit in quadam epiſtola, ad eamdem directa, *quæ eſt* 301, piæ donationis exceptorem manus & induſtriam fabricæ admoviſſe, conſtans fama ejuſdem domus eſt, confirmata rudibus, ſed antiquis his verſibus, quos paſſim veteribus muris inſcriptos, & aulæis intextos domeſtici referunt:

PETIT ÆDIFICAT DITAT
SANCIA BERNARDUS PER NIVARDUM ALFONSUS
PROTEGIT APERIT
B SPINEA CORONA PETRUS.

Petro enim Apoſtolorum principi dicata primùm fuit ea religioſorum ædes, templumque de S. Maria poſtea nuncupata. Monaſteria S. Clementis Toletani monialium; item S. Dominici Exilienſis virorum, adiiſſe Bernardum falsò dixit Julianus, adventum clariſſimi Abbatis ad nos mentitus.

è Mſs. Nicolai Antonii

472 *Porrò de fundatione S. Petri de Spina tractat Manricus ad annum* 1147, *cap.* 18; *ubi ex epiſtola* S. Bernardi 301, *quæ ſuperiùs citata eſt*, Nivardi (*fratris natu minimi ex fratribus ſancti Doctoris ſecundum carnem, an alterius?*) adventum in Hiſpaniam magis, quàm finem conſtare, *fatetur. Si quis autem de pſeudo-Juliani Petri, S. Juſtæ Toletanæ archipreſbyteri, uti ſe nominat, plura noſſe deſiderat, laudatum Nicolaum Antonium conſulat tomo* 2 *Bibliothecæ Hiſpanæ veteris cap.* 8, *ubi auctor ille eruditus Opera ejus examinat, & uti falſa & commentitia caſtigat, eorumque inventori perſonato larvam detrahit. Capite autem* 9 *producit duodeviginti locos, ex quibus Juliani Chronicon & Adverſaria refelli, cuivis ſit exploratum.*

C

refutatur.

473 *Quid, quòd ipſemet Tamayus, tam crèdulus alioqui, tamque miſerè ſimplex atque immodicus pſeudo-Chronicorum hujuſmodi æſtimator, in ſuo Martyrologio Hiſpano tom.* 2, *ad diem* 111 *Aprilis, pag.* 469 *pronuntiare coactus fuerit iſta:* Videmus paſſim in hiſce Juliani Adverſariis tot gloſſematum ineptias, quòd potiùs ferrum, quàm illas deglutire compelleremur. *Verùm hæc ex incidenti, ut ita dicam, relata ſint de commentitio* S. Bernardi *itinere in Hiſpaniam. Veris certè & ita multis ad exſtinguenda ſchiſmata & exſtirpandas hæreſes abundat & inclareſcit peregrinationibus Vir planè apoſtolicus, ut falſam ipſi affingere, neceſſe neutiquam ſit. Nunc videtur nobis opportunum, hiſce, quæ in iſto genere feciſſe ipſum antea narravimus in depellendis malis ab Eccleſia Dei, ſubjungere bona innumera, ſeu profectum in emendandis moribus Reipublicæ Chriſtianæ.*

D

§ XLV. Sanctus Pater in emendandis eccleſiaſticorum, monaſticorum, ac ſecularium moribus fructuosè intentus.

Oſtenditur ſingillatim quantum boni fecerit Sanctus in Eccleſiæ præſidibus, ac clericis

Argumenti hujus materiem ac formam debemus, & acceptam referimus eruditiſſimo Mabillonio, qui in ſua Præfatione generali in novam ſuam Operum S. Bernardi *editionem* § 3 *ſic memorat:* Corruptos ſui ſæculi mores paſſim luget ac deplorat Vir ſanctus, maximè in Eccleſiæ miniſtris, quorum pleroſque ad meliorem frugem adduxit: adeo ut tota Eccleſiæ ac cleri, in primis Gallicani facies ſuis monitis ac ſermonibus penitus immutata fuerit, & in antiquum decus reſtituta. Quippe Eugenium, virum ſanctiſſimum, Romanæ Sedi ſuppeditavit, atque in eo Romanos Pontifices omnes ad rectam & legitimam ſuæ dignitatis adminiſtrationem erudivit, & accendit libris editis de Conſideratione planè divinis. In epiſcopis Henricum Senonenſem, Stephanum Pariſienſem, alioſque permultos ab aulico vivendi genere ad mores epiſcopali ordine dignos revocavit: multos etiam è ſuis in aliorum exemplum epiſcopos protulit. Clericis omnibus ſalutaria monita dedit in Sermone de Converſione ad clericos. Quæ omnia ſi quis accuratè videre cupit, legat librum ſextum de Vita ſancti Bernardi Gallicè edita, cujus Vitæ tres libri poſteriores ex ejus ſcriptis magna cum pietate & cum inſigni delectu contexti ſunt. De moribus & officio epiſcoporum legenda in primis epiſtola 42 ad Henricum Senonenſem, quæ in Tractatuum claſſem modò tomo ſecundo relata eſt. Meritò itaque in libro de epiſcopis Virdunenſibus dicitur is eſſe Bernardus, CUJUS CONSILIIS REGNA, ET ECCLESIÆ GALLICANÆ HODIE, inquit auctor *in Spicilegio Acheriano tom.* 12, *pag.* 311, INNITUNTUR.

E

ad rectam vitæ normam dirigendis:

475 Erat in eo mirifica dicendi „ gratia ut „ non poſſet ne ipſius quidem ſtilus, licèt exi„ mius, totam illam dulcedinem, totum reti„ nere fervorem. (Quippe) placabilem, & per„ ſuaſibilem, & eruditam linguam dederat ei „ Deus, ut ſciret, quem & quando deberet pro„ ferre ſermonem: quibus videlicet conſolatio „ vel obſecratio; quibus exhortatio congrueret „ vel increpatio: ut noſſe poterunt aliquatenus „ qui ejus legerint ſcripta, etſi longè minùs ab „ eis, qui verba ejus ſæpiùs audierunt „ *ex Vita apud nos num.* 158. Quod ſi ejus ſcripta legendo ita accendimur: quanto magis illi, qui loquentem audiebant? Non itaque mirum, quòd Deus tot & tanta in ſui temporis hominum ſalutem per eum operatus eſt.

F

quàm præclarè item ſuſcitarit

476 Quis verò explicet, quæ & quanta ab eodem patrata ſint ad monaſtici inſtituti primigenium fervorem denuo ſuſcitandum? Teſtantur hoc eximiæ ejus hac de re epiſtolæ ac ſcriptiones, liber De præcepto & diſpenſatione, Apologia ad Guillelmum abbatem, variique Sermones: in quibus monachos ad retinendum revocandumque veterum Patrum primarium inſtitutum animavit, id eſt, ad pœnitentiæ labores, auſteritates, modeſtiam & humilitatem, paupertatem, mundi contemtum, amorem ſolitudinis ac ſilentii, & ad conti-

A continuum profectum : in quibus totius rei monaſticæ cardinem verſari intelligebat. Hinc non immeritò Petrus Venerabilis in epiſtola, quæ eſt inter Bernardinas 228, vocat eum num. 30 " ,, lacteam fortemque columnam, cui innititur ,, monaſtici Ordinis ædificium ; ac rutilum ſidus, ,, quod exemplo, verboque non ſolùm monachis, ſed & toti Latinæ Eccleſiæ ſuo tempore ,, inſigniter lucem donavit ,,.

monaſticum 477 Laurentius de Leodio in libro de Epiſcopis Virdunenſibus, duos Ordines, Ciſtercienſem & Præmonſtratenſem, comparat cum duobus Cherubin propitiatorium obumbrantibus " ,, quorum unus Ciſtercienſis, duce Bernardo ſanctiſſimi nominis abbate, monaſticum Ordinem, ,, jam pænè lapſum, ad primam apoſtolicæ vitæ ,, normam reparavit. (Et) Ciſtercienſis quidem, per iſtud temporis, inquit, triennium, ,, jam in ducentas circiter abbatias magni nominis, meriti, & numeri accrevit ; & uſque in ,, barbaros Sarmatas & extremos Scythas jam diffundi cœpit ,,. Tantum potuit Bernardi fama & opinio ſanctitatis, ejuſque diſcipulorum ! Inde factum eſt, ut Ordinis Ciſtercienſis, qui Bernardum alumnum habuit, quaſi fundator habitus ſit ipſe Bernardus, ab ejuſque monaſterii Claræ-
B vallenſi dictus Ordo Claræ-vallenſis ſuo tempore ; immò poſtea & S. Bernardi : etſi id vetuit Innocentius VIII in litteris unionis monaſterii Claræ-vallenſis cum Ciſtercienſi.

fervorem. 478 Hinc in litteris Alberonis epiſcopi Virdunenſis apud Laurentium mox laudatum, abbates Trium-fontium, & de Caladia dicuntur " de Or- ,, dine Claræ-vallenſi ,,. Et à Petro Cellenſi " Ci- ,, ſtercienſis, ſive Claræ-vallis Ordo ,, vocatur in lib. 1 epiſtola 24. Sic in epiſtola Saniſonis Remenſis antiſtitis, quæ eſt ordine 435 inter Bernardinas, Ordinis Claræ-vallenſis mentio non ſemel habetur. Quamquam dici poteſt, Ordinis Claræ-vallenſis nomine lineam tantùm Claræ-vallenſem, non totum Ordinem, ſæpiùs deſignari.

Auſteram quoque in Ciſtercienſibus ſive Claræ-vallenſibus ſuis
C 479 Qualis ac quanta fuerit ſive Ciſtercienſium, ſive Claræ-vallenſium ſub Bernardo diſtrictio, & rigiditas, non eſt neceſſe hoc loco exponere, quando id ſatis ſuperque patet tum ex Bernardi litteris ac ſcriptis, tum ex ipſius Vita, maximè ex lib. 1 cap. 5, ubi primi Claræ-vallis incolæ Deo ſervîſſe memorantur " in paupertate ,, ſpiritûs, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, ,, in vigiliis multis. Pulmentaria ſæpiùs ex foliis ,, fagi conficiebant. Panis ex hordeo, & vicia, ,, & milio erat ,,. Ita Guillelmus teſtis oculatus. Bernardo in epiſtola 1 ad Robertum " olus, fa- ,, ba, pultes, paniſque cibarius cum aqua ,, Ciſtercienſium deliciæ perhibentur. Nec aliæ apud Faſtredum in epiſtola ſua inter Bernardinas. " Tan- ,, ta in cibo parſimonia, inquit Stephanus Tor- ,, nacenſis in epiſtola 72, ut duobus tantùm pul- ,, mentis utantur, quæ aut ager ex leguminibus, ,, aut ex oleribus hortus affert. Ipſi piſce tanto ,, rariùs utuntur, quanto frequentiùs apud eos ,, audiri ſolet, quam videri ,,. Plura videſis apud eumdem auctorem, & apud Petrum Cellenſem.

vivendi rationem exercuit, * *f.* rigor 480 Perſeveravit hic Ordinis vigor * non modò ad finem ſæculi XII, quod patet ex Petri Bleſenſis epiſtola 82 ; ſed etiam ultra medium ſæculum XIII, teſtante Jacobo à Vitriaco in Hiſtoriæ occidentalis cap. 13 ; " Carnes, inquit, niſi in- ,, gravi infirmitate non manducant. Piſcibus, o- ,, vis, lacte, & caſeo non veſcuntur communi- ,, ter ,, &c. Eamdem vitæ ſeveritatem nos Galli etiam nunc refloreſcere conſpicimus in piiſſimis monachis beatæ Mariæ de Trapa, aliiſque nonnullis eorum imitatoribus : qui vitæ ſuæ puritate, auſteritate, ſolitudinis amore, ſilentio, labore, aliiſque religioſis virtutibus, id factu poſſibile adſtruunt, quod de Bernardo, ejuſque diſcipulis legebamus, nec fere credebamus. AUCTORE J. P.

muliebri ſexu ab eadem etiam non excluſo : 481 Subjungit idem Jacobus à Vitriaco in capite ſequenti, feminarum ſexum fragiliorem, à principio Ordinis ad tantæ diſtrictionis ſeveritatem adſpirare auſum non fuiſſe ; ſed id demum in morem poſtea veniſſe. Verumtamen vivente ipſo Bernardo non fuit omnino expers iſtius inſtituti femineus ſexus. Id probat Hermannus Laudunenſis monachus in lib. III de miraculis ſanctæ Mariæ cap. 17 ; ubi agit de Monſteriolo Ciſtercienſium virginum ad Laudunum parthenone, à Bartholomæo epiſcopo conſtructo : in quo ſanctimoniales ſub Guiburge abbatiſſa " depoſitis o- ,, mnibus lineis indumentis atque pelliceis, ſolis ,, tunicis laneis utebantur ; & non ſolùm nendo ,, vel texendo, ſed etiam in agris fodiendo, & ,, cum ſecuri & ligone ſilvam ſucciſam extirpan- ,, do, ſpinas & vepres evellendo, manibus pro- E ,, priis aſſiduè laborantes, cum ſilentio victum ſi- ,, bi quærebant, vitamque Claræ-vallenſium mo- ,, nachorum per omnia imitabantur ,,.

illuſtres principes ad vitam monaſticam traxit : 482 Longiùs progrederetur oratio, ſi, quotquot Bernardus ad monaſticam vitam pertraxit, illuſtriores utriuſque ſexus homines, quos ſcilicet novimus, in medium adduceremus : quales fuere Henricus, Ludovici VI Francorum regis filius, Ermengardis Brittanniæ ducîſſa, Adelais Lotharingiæ, & alii, aliæque innumeræ. Verùm illud paullo minùs prædicandum & mirandum, quòd hominibus in ſæculo remanentibus piiſſimam & rectiſſimam vivendi rationem perſuaſit. " Ad- ,, hæſit ei præ omnibus quidem ex principibus ,, Comes Theobaldus, & ſe, & ſua in ſubſidia ,, Claræ-vallis expoſuit, & in manibus Abbatis ,, poſuit animam ſuam, depoſita altitudine prin- ,, cipali, ſe inter ſervos Dei conſervum exhi- ,, bens, non dominum, ut obediret ad omnia, ,, quæcumque domus illius infimi poſtulaſſent ,,. Quid tantus princeps monente & hortante Bernardo præſtiterit, tum in conſtruendis, dotandis, juvandiſque monaſteriis, tum in egenis ſublevandis, tum denique in exercendo optimi principis officio, teſtis eſt Ernaldus abbas, ex quo præmiſſa retulimus : teſtes etiam Bernardi epiſtolæ de eodem. Theobaldi pium ſtudium æmulabatur nobilis & illuſtris femina Beatrix, ut diſcimus ex epiſtola 118. F

multum valuit Bernardi auctoritas in corrigendis hominum moribus. 483 Denique quantum Bernardi auctoritas in corrigendis hominum moribus valuerit, exemplo eſt converſio Guillelmi Aquitaniæ ducis, quem ex pertinaciſſimo ſchiſmatico, obſequentiſſimum & piiſſimum principem effecit. Ut paucis cum Gaufrido abſolvam " quæ ſcelera non arguit ? ,, quæ odia non exſtinxit ? quæ ſcandala non ,, compeſcuit ? quæ ſchiſmata non reſarcivit ? * * ,, quas hæreſes non confutavit ,, ? *Hæc ſunt, quæ de morum profectu, in Eccleſia Dei à magno* Bernardo *in omne hominum genus quaquaverſum diffuſo, collegit Mabillonius. Quæ verò ad hæreſes & ſchiſmata ſpectant, Viri dexteritate, ac labore protrita ; ſat multis alibi à nobis tractata ſunt.*

* *In editione Mabill. malè legitur* compeſcuit ?

AUCTORE J. P.

§ XLVI. An S. Bernardus ab imagine Deiparæ salutatus Spiræ; an ejusdem virgineo lacte irroratus.

Salutatio Spirensis,

Superiùs in nostro Commentario prævio § 40 *tria illustria facta, quæ Patri sanctissimo adscribuntur, in hunc reservata sunt locum. Primum erat de imagine Virginis Deiparæ, quæ Spiræ ter à Viro sancto salutata, semel ei salutem reddidisse*, cunctis audientibus, *memoratur apud Manricum ad annum* 1146, *cap.* 10, *num.* 6. *Alterum erat de lacte virgineo ejusdem Deiparæ, quo irroratus fertur* S. Bernardus, *ex eodem auctore ibidem num.* 8. *Tertium denique in eo erat positum, ut beatissimæ Virginis Mariæ voce salutatus fuerit apud cœnobitas Affligienienses. De singulis dicamus. Primum narrat mox citatus historicus Cistercienſis ex Joanne Nauclero, qui de illa re loquens,* In hoc, *inquit*, concordant, quòd Bernardus Spiram venerit, ubi tum erat tantus populi concursus ad eum venerandum, ut imperator, ne populus eum conculcaret, manibus suis illum exportare sit dignatus. Extant circuli in pavimento ecclesiæ majoris tres, ubi prostratus in terram Vir Dei, ter fertur salutasse virginem Mariam. Ad quem virgo Maria, Salve, inquit, Bernarde. *Hæc scribit Joannes Nauclerus generatione* 39, *inter alia, quæ memorat ad annum Christi* 1142. *Prodigiosam hanc Deiparæ salutationem confirmare conatur idem Manricus sic pergens:* Circulis verba ea sculpta sunt, quæ à fidelibus solent decantari sub antiphonæ finem; quam à principio apellamus SALVE REGINA. Hanc autem definentem in illis verbis, ET JESUM BENEDICTUM FRUCTUM VENTRIS TUI NOBIS POST HOC EXILIUM OSTENDE, Bernardus Pater recitasse fidenter fertur, & recitatæ trinam illam invocationem addidisse fidentiùs: ad quam imago Virginis commota, atque acceptans obsequium, audita est simili modo Sanctum resalutasse: SALVE BERNARDE. *Hæc ibi; super quibus notationes nonnullas lectori, partium studiis vacuo, & veritatis amanti, repræsento.*

B

C

quia auctores antiqui de ea non meminerunt,

485 *Notus imprimis abunde est Joannes Nauclerus, quem natione Germanum, patriâ Suevum, dignitate Præpositum Tubingensem fuisse lego. Edidit hic Chronicon universale, succinctè comprehendens res memorabiles seculorum omnium ac gentium ab orbe condito usque ad annum* 1500. *Floruit autem exeunte seculo sexto decimo, atque adeo quatuor circiter seculis post obitum Sancti. Nec verò ut* fertur, *quo utitur Nauclerus, parùm extenuat rei gestæ fidem. Melioris itaque notæ testimonio videtur opus, ut prædicta Deiparæ ad* Bernardum *salutatio tamquam historicè vera admittatur: ideo præsertim, quia in libro* 6 *Vitæ* S. Bernardi *seu miraculorum parte* 1 *cap.* 2; *ubi oculati testes summa cum fide & accuratione tot tantaque mirabilia de Viro Dei referunt, quæ Spiræ contigerunt, nullum habent de ista salutatione apicem; ubi tamen hanc silentio non præterire, tantopere conducebat ad Sancti gloriam. Nec concipio, quomodo rem gestam ignorare potuerint, cùm*, cunctis audientibus, *uti est apud Manricum suprà citatum, evenerit.*

486 *Quamquam verò ex antiquorum de hac re silentio definire certò nolimus, salutationem istam esse falsam; priusquam tamen eam admittamus tamquam veram, omnes rerum Bernardinarum apprime gnaros & studiosos rogatos impensè volumus, ut accommodata dignentur subministrare documenta reipublicæ litterariæ, quibus factum præsens, quod videtur nobis minùs probabile, verè & historicè probabile fiat. Nec rem conficit R. A. P. Augustinus Sartorius, sacri Ordinis Cistercienſis asceta, quando in suo Cistercio bis-tertio, Vetero-Pragæ anno* 1700 *typis excuso, titulo* 4, *qui est de* S. Bernardo *Cistercienſium propagatore, pag.* 91 *de statua, quæ Sanctum salutarit, sic scribit:* Hæc ipsa Virginis statua ad hanc usque nostram ætatem eximio Fidelium cultu Deiparæ ac Melliflui clientis memoriam conservat perennem. *Hac enim qualisqualis memoria seu traditio (utinam non merè popularis!) neutiquam videtur enervare argumenta superiùs propositа. Audi jam absurdam ineptiam, quâ hanc historiam deturpat Guilielmus Eysengreinius, quem mox citabimus, ad annum Christi* 1147: His verbis *à Bernardo* prolatis, vox ab imagine erumpens Bernardum Deo cunctisque hominibus gratum adventasse indicat, omnibus, qui aderant, audientibus. Perculsus hac voce Bernhardus, admirando, imagini interdicit, mulieres in ecclesia tacere debere. *Quod quidem est nugari in re tam seria. Papebrochius noster in suo Itinere Romano Ms., quod anno* 1660 *suscepit, pag.* 39 *de statua Spirensi, quæ fertur salvere jussisse* S. Bernardum, *inter alia sic scribit:* Ad eam omnes nostri studiosi quotidie sub quintam conveniunt, ac SALVE decantant cum litaniis. *Ita ille. Laudanda porrò est pia illorum fides, & religiosus erga Virginem Matrem affectus. Jam verò quid dicemus de lacte Deiparæ, quo sanctum Patrem irroratum volunt, si in physico seu reali sensu hoc intelligendum censeant, non autem in mystico?*

D

videtur nobis minùs probabilis.

E

Relatis

487 *Factum illud, quod secundo loco superiùs attingebam, jam paullo pluribus examinandum est. Manricus his verbis illud narrat num.* 8: Non desunt item auctores, iique graves, quibus placeat, Virgineum illum favorem, haud satis umquam ab ullo prædicatum, quamvis ab omnibus semper prædicetur, de Bernardo irrorato Mariæ lacte, forte ad hoc idem tempus referendum. Quod à Guilielmo Eysengreinio in Chron. Spirensi primùm traditum (*utinam indicasset annum Manricus!*) à Canisio Costeroque approbatum (*non dicit ubi*) noster Bivarius lib. 2 Bernardi vendicati § 10, & alii, *nimirum* Henriquez in Menologio, Maii XIII, confirmavere. Nobis, ut favor ipse certus sit, quem tamen non defuere qui negaverint (*ponitur ad marginem* Joannes Bertelius Dialogo 8) levi licèt & crasso fundamento, locus & tempus dubia adhuc existunt: & de tempore vix aliquid scribi; de loco, si quid certi haberi potest, ad Castellionem censeo referendum. Sed de his aliisque non dissimilibus agendum latiùs sub Viri Dei obitum, in quem locum consultò reservamus. *Sed nos consulentes hujus rei ordini & perspicuitati, hanc, de qua tractare jam cœpimus, continuato sermone prosequemur, ab anno* 1153, *cap.* 12, *quò Manricus illam transtulit, uberiorem ejusdem narrationem huc revocantes.*

F

argumentis

488 Insignes Christi, *inquit*, & Virginis favores Bernardo Patri exhibitos, & sub quibus plerumque depingi solet, nunc irroratus lacte Mariæ

A Mariæ Virginis, nunc ſtrictus brachiis pendentis Redemptoris; atque item alium, etſi minùs vulgarem, non minùs certum, quo Mater Filium eidem Sancto obtulit; quia fixum tempus concernere non reperi, in hunc locum conſultò reſervavi. Et quidem eos traditione [potiùs] quàm ſcripto acceptos, compertum eſt; conſtanti illa, atque à patribus ad filios derivata quaſi per manus: cujus aut minor fides, aliquando inconvulſior eſſe ſolet, hoc in antiquis, fateor, rariori, & picturis expreſſo magis, quàm litteris, non tamen ideo minoris æſtimando *&c. Sic præfatur Ciſtercienſis hiſtoricus, moxque incipit à Chriſto; de quo nos inferiùs dicemus. Deinde ſic pergit num. 6 ad rem noſtram:* Quod attinet ad lac beatæ Virginis, receptiùs adhuc & vulgatiùs ſacris iconibus: ut magis varient de tempore auctores, locoque, quàm de ipſo favore: quem Bernardo conceſſum, non eſt, qui ambigat. Unus Joannes Bertelius, quem ego viderim, revocat in dubium Dialogo 8 in Regul. S. Benedicti; ſed adeo craſſo & ſupino fundamento, ut nec mereatur à nobis confutari. "Quia B „ nemo dubitat (ait) ſuper multa ſecula Mariam „ ante Bernardum præceſſiſſe„. Quaſi verò quis umquam cogitaverit, Virginem ſacram, mortalem ac paſſibilem, ſugendum pectus Bernardo propinaſſe, aut quaſi poſt glorioſum ipſius tranſitum, tum in cælis glorioſa, tum in ſuis imaginibus in terris, non maneret æternùm duratura. Cæterùm his omiſſis, quia levibus, ex aliis nullum video dubitaſſe.

489 Verum eſt tamen, quòd de loco auctores variant, quibuſdam referentibus ad Spiram, *variis,* cùm Matrem Virginem, clementem, piam, dulcem, Bernardus Pater devotè ſalutaſſet. At non Spiræ, ſed apud Caſtellionem Lingonum oppidum, neque in tanta frequentia contigiſſe, veroſimilius eſt: forte cùm ſanctus Pater ad unam aliquam ex illis legatiis, ad quas mitti ſolebat, humilis perrecturus Virginis Matris auxilium imploraret. Porrò tunc creditur oblatus à Matre Filius, quem Bernardus ſuſciperet, & cui portando ſeu manibus exteriùs, ſeu interiùs in corde, ſe totum daret, & qua auſpice nihil timere poſſet. *Hactenus hiſtoricus Ciſtercienſis: qui cùm ſuperiùs, ut vidimus, candidè fateatur, mirabilem hunc Virginei lactis favorem,* C à Guilielmo Eyſengreinio in Chronico Spirenſi PRIMÙM TRADITUM, *neque aſſignentur antiquiora monumenta, unde chronologus iſte traditionem hanc acceperit; quiſnam vitio nobis det, ſi dixerimus novitiam eſſe traditionem illam favoris* Bernardo *impenſi, cùm hic obierit anno Chriſti* 1153; *ille autem ſcripſerit ſeculo ſexto decimo, utpote qui ſuum Chronicon perduxerit uſque ad annum Chriſti* 1561. *Confirmatores autem vel approbatores, quos Manricus nominabat, Eyſengreinio poſteriores ſeu ſuppares, an ponderis aliquid verè hiſtorici poſſunt addere primæ traditioni Eyſengreinianæ? Adde, quod hic chronologus parum ſibi conciliet auctoritatis, dum vel primus procudit, vel ex alio adoptavit ineptiam illam, quam antea num.* 486 *caſtigavimus.*

490 *Sed ne diſſimulemus alia, quæ congerit* *quod S.* *Manricus à num.* 7: Extat, *inquit,* authenti- *Bernardus* cum R. domini Edmundi à Cruce, tunc abbatis Ciſtercii, ad Fiterienſem Ignatium Firminum tranſmiſſum anno MDXCIX (quod ipſum, inter alias ejus ſchedas, apud me habeo) de hoc favore loquentis in hunc tenorem: "In eccleſia „ S. Beroli caſtri Caſtellionis ſuper Sequanam, AUCTORE „ Lingonenſis Diœceſis, quædam imago in ve- J. P. „ neratione, & honore beatæ Virginis Mariæ „ antiquitus exſtitit conſtructa, quæ quidem i„ mago S. Bernardo oranti Filium ſuum obtulit „ miraculosè in eccleſia dicens: BERNARDE, SU„ SCIPE PUERUM MEUM TOTIUS MUNDI REDEM„ PTOREM. Deinde quoque ultra omnem huma„ næ naturæ virtutem, ac ſi Chriſti frater na„ turalis fuiſſet, manu dictæ imaginis ſuſceptâ „ mammillâ, illico beato Bernardo ſibi devoto „ tres guttas lactis, ab ejuſdem imaginis mam„ milla profluentes, miraculosè diſtillabat.„ Hactenus teſtimonium venerandi abbatis: quod Antonius Hiepius ad hunc annum c. 5, & Franciſcus Bivarius lib. 1. Bernardi vendicati, aliique memorant. Quin & Henriquez in ſuo Menologio, Maii XIII, iconis meminit (ejuſdem ut puto) & ſubſcriptionis Gallicæ, quæ in Latinum converſa priorem partem favoris teſtificatur, ſic enim habet:

„ Bernarde multùm dilecte, mi Capellane,
„ Cape, ſuſcipe de mea manu, E
„ Dulcem Jeſum, Servatorem mundi„.

Quaſi ea Bernardo adhuc viventi, orantique, puerum Jeſum obtuliſſe perhibeatur.

491 Idem, qui ſuprà, *ſubdit Manricus num.* *Deipara la-* 8, Chryſoſtomus Henriquez aliud recentius adhuc *cte* teſtimonium ſuperinducit ex ipſo, ut ait, Caſtellione Lingonenſi ad R. abbatem Caſtellionis Virdunenſis nuper tranſmiſſum, à quo & ſe illud teſtatur accepiſſe. Porrò in eo, ultra facti traditionem, ſacram effigiem hodieque manere, &, quod mireris, conſervare adhuc, ſeu repetere magis memoriam facti, productis teſtibus, idemmet, qui perhibuit, teſtificatur: "In Caſtellione „ (ait) imago eſt B. Virginis, quæ ſanctum „ Bernardum ſuo lacte quondam irroraſſe fertur. „ Cùm enim in B. Virginem ſingulari flagraret „ amore; ſe quoque in eum, coram prædicta „ imagine indefeſſè orantem, matrem eſſe mon„ ſtravit. In dicto caſtro ſacellum erat, in cujus „ parte ſiniſtra beatæ Virginis imago conſiſte„ bat. Ibidem miles quidam demoratur vocatus „ Picant, qui ſuo fungens officio in bellis civi„ libus circumeundo caſtrum, in dicto ſacello, „ plùs quinquagies, voces canentes AVE MARIS F „ STELLA, audiiſſe teſtatur. Dictum enim mira„ culum accidiſſe memoratur, cùm, MONSTRA „ TE ESSE MATREM, à Sancto Bernardo profer„ retur. Bellis ſopitis, caſtroque deſtructo, in tem„ plum tutiùs conſervanda deportata eſt, ubi ma„ gna cum veneratione, & populi concurſu, „ maximè verò, ubi temporis neceſſitas exigit, „ in loco celebri, & eminenti aſſervatur: ex „ quo deponitur à tribus ſacerdotibus trium „ dierum jejunio præparatis, & ſolemni in pro„ ceſſione, unà cum reliquiis ſancti Veroli, à plu„ rimis virginibus, eodem jejunio triduano præ„ miſſo, devotiſſimè circumfertur. Sunt Caſtel„ lione, qui dicant, eamdem imaginem lactis „ guttas cùm dimittitur, ſtillare. Nunc quoque „ ſuperſunt duo vitæ probatæ presbyteri illic de„ morantes, unus Edmundus vocatur; alter Cle„ mens, quondam præceptor domini vicetenen„ tis Gaillard, qui clarè, & palam affirmant, „ in manus tertii ſacerdotis, qui Jacobus Vian„ dot dicebatur, modò defuncti, lactis copiam „ defluxiſſe, ita ut ſacriſtiam petere, illicque „ manus abluere cogeretur„. Hactenus ibi: quæ ſi certa ſunt, ingentem facto conciliant, & fere ſupra humanam fidem, auctoritatem,

492

AUCTORE J. P. *per influxum physicum aspersus fuerit;*

492 Philotheus, *sicut pergit Manricus num.* 9, de favore lactis pressiùs succinctiusque; verùm non semel concessum Bernardo tradit:

„ Quid referam quoties summi Regina theatri
„ Nectareos illi visa movere sonos?
„ Sæpè suum Virgo Famulum venerata solebat
„ Visere, & ambrosias sæpè referre dapes„.

In Hiepio lego, traditione item acceptum, apparuisse Bernardo Christum simul cum matre; ac Sancto medio hinc inde velut certatim obtulisse cruorem simul, & lac; illum de Christi vulnere manantem; hoc de Virginis mamma; utrumque cæleste, utrumque irradians, & fœcundans Bernardi ora. Tum verò Sanctum, utrumque veneratum, & neutro se fraudari æquè ferentem, tandem in ea verba prorupisse, quæ communiter Augustino tribui solent: " Hinc pascor à vul„ nere: hinc lactor ab ubere. Positus in medio, „ quo me vertam nescio„. Sed hæc, ut credo, piarum mentium devotio, quam rei veritas, aut eventus simultaneus magis conjunxit: & neque video in probato alio auctore traditionis notitiam; neque de facili credenda, nedum asseveranda similia puto. Extant & inter Opera Nicolai Saliceti quædam alia Bernardo patri adscripta, minori digna fide, quàm ut locum mereantur in his Annalibus. *Sic ibi. Porrò de Philotheo & Saliceto nonnulla observabo in fine paragraphi proximè sequentis.* Ignatius *verò* Firminus, de Hibero, monachus Nucalensis in Hispania, .., ac deinde celeberrimo Fiteriensi monasterio, [in] regno Navarræ *datus* abbas, *laudatur in Bibliotheca Cistercienſi pag.* 167.

B

493 *Virgineum hunc, quo de superiùs est actum, lactis favorem in sensu physico & reali, non autem in mystico dumtaxat intelligi debere, contendit etiam Sartorius suprà citatus:* Quòd si aliqui asserant, *inquit pag.* 91 *& sequente*, Bernardum lactatum quidem à Virgine fuisse, non tamen in carne, seu labiis carnalibus, neque per lac reale ac physicum, verùm dumtaxat in spiritu, & per mysticum quemdam influxum; hoc utique est antiquæ veritati, quæ tot calamis, tot penicillis per quinque & ampliùs secula firmata est, suspicionem affricare: quasi verò veteres illi scriptores non sciviſſent æque distinguere, ac nos, inter influxum illum mysticum, ac physicum & realem. Utraque lactatio concedenda Bernardo est, & illa in spiritu, & hæc in carne: non neganda hæc altera, quam utique principaliùs intenderunt historici veteres & sinceri. *Hactenus Sartorius satis liberaliter. Sed utinam* antiquæ isti veritati, quæ per quinque, *uti vult*, & ampliùs secula firmata est, *accommodato saltem vel unico documento subsidium attulisset, & suspicionem amovisset, quam rei gestæ affricari dicit. Quinam, amabo, sunt* veteres illi scriptores; *quinam* historici veteres & sinceri, *quos dicit, sed non nominat? Regeri enimverò ei potest illud Mabillonii, viri in rebus* S. Bernardi *longè versatissimi, sinceri item, & de scriptis, virtutibus, ac miraculis ejus optimè meriti, quod in fine Fragmentorum ex Herberti libris de miraculis Cistercienſium monachorum, in sua editione sæpiùs antea laudata notat col.* 1231 *&* 1232: In omnibus, *ait*, S. Bernardi miraculorum libris nulla usquam mentio de miraculoso illo lacte, à beatissima Virgine in Bernardum expresso: quod tamen miraculum præ aliis certissimis à pictoribus, & ab incautis sancti Doctoris devotis nunc venditari cernimus.

C

rationibus item expensis, quòd non fuerit;

494 *Venerabilis Guibertus abbas B. Mariæ de Novigento, quem anno* 1651 *Lutetiæ Parisiorum in lucem dedit ac notis illustravit Acherius, lib. 3 de pignoribus Sanctorum, cap.* 3, § 4, *pag.* 355 *lac Virginis Matris, quod* Lauduni.. in columba crystallina huc usque, *ait*, retineri dicitur, *improbat. In quem locum laudatus Guiberti editor varia animadvertit in notis & observationibus pag.* 575 *& sequentibus: sed unicum, & quod potissimùm huc spectat, inde excerpo:* Lac & B. Bernardo Clarevallensi eamdem cælorum Reginam infudisse ferunt scriptores nonnulli: sed quo fulciantur vero, judicent, qui gesta illius à tribus synchronis auctoribus exarata (quibuscum perquàm familiariter Bernardus est conversatus) excusserint. Quo enim modo fieri potest, ut, relatis ultra centum miraculis, hoc tam insigne oblivioni tradiderint? Ita Joan. Bertelius lib. 8 in Regulam S. Benedicti: quem Chrysostomus Henriquez confutat in Menologio Cistercienſi ad diem XIII Maii, & Angelus Manrique Annal. Cistercienſ. tom. 2 anno MCLIII cap. 12. *Hic quî respondeat Bertelio, nuperrime jam diximus: quænam autem è Chrysostomo Henriquez ab eodem Manrico afferantur pro tuenda veritate præsentis facti, etiam superiùs indicavimus. Enimvero qui utriusque hujus scriptoris Cistercienſis argumenta, sepositio partium studio, maturè expenderit, & contulerit cum argumento Bertelii ac Mabillonii, tametsi negativo, ut vocant; multùm fallar, si non his potiùs, quàm illis palmam delaturus sit: hujusmodi enim argumenta, tametsi dumtaxat negativa, majoris non rarò sunt momenti, spectatis rerum ac scriptorum circumstantiis quam affirmativa. Rationes denique quæ superius assumebantur à picturis, & à pietate populari, refutationem non merentur operosiorem. Ex his, quæ hactenus in utramque partem de præsenti controversia sunt disputata, concludimus, videri nobis ad verum magis accedere opinionem illorum, qui non admittunt,* S. Bernardum *physicè seu realiter Deiparæ lacte fuisse aspersum.*

D

videtur nobis opinio magis ad verum accedere, quæ hoc negat.

§ XLVII. Salutatio imaginis Deiparæ in cœnobio Affligenienſi; Jesus Cruci affixus, solutis ab ea brachiis Bernardum amplectens.

E

F

Narratur historia imaginis Deiparæ, quæ à Sancto salutata, salutem ei reddidisse

TRaditio est, *Virum sanctum, dum in cœnobio Affligenienſi Ordinis S. Benedicti, quod in Belgio situm est inter Bruxellam & Alostum, ab imagine Deiparæ salutatum fuisse. De altero isto, eoque prorsus singulari Deiparæ Virginis erga* S. Bernardum *favore, de quo superiùs ad me receperam agere, traduntur ista:* Celebre monasterium Affligemiense, *uti scribit Manricus ad annum* 1147 *cap.* 3, *agens de locis in Belgio, quæ Vir Dei adivit,* in transitu visitatum à sancto Patre, traditio constans est ejus ecclesiæ: ubi & monachos ad Cistercienſium normam reformari, repetita oratione, irrito licèt conatu, nixus fuerit: sed nihilominus baculum, quo imbecilles artus sustentare consueverat, amici animi pignus, dereliquerit, quem hodieque observant & venerantur. Quin majus quid ibidem contigisse, productis etiam antiquis monumentis Affligemienses affirmant: quod ab Arnaldo (*Raissio*) ante paucos annos vulgatum, quia mul-

A multa veritatis indicia præsefert, ejusdem verbis placuit hîc subjungere. *Laudatus itaque Arnoldus Raissius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani, ad diem* XX *Augusti hæc notata posteritati reliquit* : Eodem in cœnobio quondam visebatur sacra beatæ Virginis statua, quæ beatum Bernardum allocuta est, sub Godscalco abbate : cujus rei hi versus, ex Annalibus dicti monasterii excerpti, fidem adstruunt :

Bernardus Mariæ ait, mea ave tu Virgo beata,
Et tibi, Ave, Bernarde, ego imago redico volenter.

496 Cui adstipulatur Chronicon Gemblacense, ita dicens : " Ante Belgii desolationem, at- *traditur*,
„ que in ipso Belgio fidei Catholicæ labefacta-
„ tionem, in monasterio Affligemiensi Dei Ge-
„ nitricis erat imago, cui valedicens Bernardus,
„ Vale, inquit, alma Maria. At Bernarde vale,
„ ait sancta Maria „. Imago hæc beatæ Mariæ in ulnis Christum gestabat, sculpta ex candido & molliori lapide, arenâ nigrâ nonnihil insperſa (quam Brabanti **labender-steen** nuncupant) longitudine quinque aut ampliùs pedum, opere & habitu prorsus antiqua, velo ex capite dependente in humeros. Quæ imago hac ultima tempestate
B à quodam protervo nebulone ex basi dejecta &
* *l.* putante confracta fuit, putans * ligneam esse, ut inde ignem construeret. Ex quibus partibus duæ aliæ sculptæ sunt : quarum una Affligemii adservatur; alia verò Patribus Societatis Jesu Bruxellensibus à Priore donata. *Hisce è Raissio de famosa salutatione illa Deiparæ recitatis, audiamus quænam subjiciat Manricus num.* 9 : Certant igitur, *inquit*, Affligemium, Spiraque de imagine Deiparæ, quæ Bernardum Parentem salutantem resalutaverit, atque utraque monumentis antiquis nixam firmatamque traditionem præsefert, cui vix erit, qui audeat contrà ire; nobis, ut neutra vincatur, vincat utraque, & repetitum favorem, quod solùm supereſt, pia credulitate persuadeat. *Sed dum ita loquitur Manricus, hæret in cortice, & rei medullam non penetrat.*

497 *Nam de* pia credulitate *non est hîc quæ-* *& inquiri-*
stio : ecquis enim neget, traditionem Affligienen- *tur*
sem, (adde etiam, si vis, Spirensem, de qua superiùs est actum) piè credi posse ? Ast ejusdem veritatem probare ex synchronis rei gestæ testibus vel scriptoribus, vel è documentis historicè certis, hoc opus, hic labor est. Inspiciamus itaque
C *tantisper testimonia è Raissio allegata. Antonius Sanderus in Historia rerum Affligienensium, quæ Brabantiæ ab ipso editæ inserta est, similia iis, quæ modò retulimus, narrat pag.* 8 ; *uti etiam Continuatio Chronici Affligienensis, quod ex variis ejusdem abbatiæ monumentis prælo vulgatum legitur in Spicilegio Acheriano tomo* 10, *pag.* 610 *& sequentibus. Historia autem, qua de hic est sermo, pag.* 613 *subjicitur, imaginem hanc Deiparæ summa apud laudatos cœnobitas in veneratione habitam fuisse : nam* mos obtinuerat *apud illos*, ut mane numquam à dormitorio in ecclesiam irent, nisi per salutationem Angelicam hanc imaginem salutassent. *Hanc Continuationem præcedit Historia prædicti monasterii in eodem Spicilegii tomo : cujus editor scribit ista ad lectorem pag.* 23 : Adjecimus Continuationem seu epitomen illius historiæ, ex veteribus monumentis & authenticis conscriptam à D. Odone Cambiero, itidem Afflegemensi, dum in vivis esset, in rebus antiquis apprimè versato. *Porrò hujus conscriptoris seu collectoris ætas ex his innotescit verbis, quibus opusculum suum claudit :* No-

vissimus hiis temporibus nostris Benedictus Haef- AUCTORE
tenus, qui sanctissimum & clarissimum Patrem J. P.
Benedictum maximis illustravit splendoribus. *In lucem namque dedit Disquisitionum monasticarum libros duodecim, quos illustrissimo D. Jacobo Boonen, archiepiscopo Mechlinienſi, & abbatiæ Affligenienſis Prælato dedicavit ibidem Præpositus anno* 1644.

498 *Exstat apud nos aliud Chronicon Affli-* *quo fundamento*
genienſe, quod notatur N Ms. 5, *cuique manu propria adscripsit noster Heribertus Rosweydus*, ex Ms. Affligenienſi recentissimo *exceptum illud fuisse. Id quod indicio est, Chronicon illud vel à recentissimo tunc temporis scriptore fuisse aliundè collectum, vel ab hoc ex alio collectore transcriptum. Signatum reperio in ejusdem fine annum* 1514 : *nam tametsi alia deinde sequantur, quæ ad monasterium Affligenienſe pertinent, videlicet liber quintus in tres partes divisus ; non tamen is chronologiam continet ; sed materiem omnino diversam. In dicto autem Chronico ista leguntur :* Anno MCXLVIII *(apud Sanderum pag.* 10 *scribitur* MCXLVI) dominus Petrus sponte sua abbatiæ onus deponit : in cujus loco constituitur Dominus Godscalcus, bonæ spei juvenis, quia E
de nobili & sancta gente originem duxit. *Posteà verò hæc dicuntur :* Anno Domini MCLXIV dominus Godscalcus pastoralis curæ onus deponit *&c. Inter illud autem tempus regiminis Godscalci mentio quidem fit de* S. Bernardo ; *sed nihil tunc ibidem invenio de salutatione ; quâ Deiparæ statua Virum sanctum impertierit, quod tamen accidisse sub* Godscalco abbate, *affirmabat suprà Raissius ; Continuatio autem Chronici Affligienensis apud Acherium*, sub initio hujus prælaturæ *factum esse memorat. Quæ res cùm debuerit esse valde famosa apud cœnobitas Affligienenses, eorumque monasterio admodùm honorifica ; mirum videtur, nihil à prædicto collectore vel transcriptore de ea tradi. Ex Chronico autem Gemblacensi, quod suprà citabatur, conficitur, miraculosam illam Deiparæ imaginem in monasterio Affligienensi ante ferales in Belgio tragœdias, seculo Christi decimo sexto ab hæreticis excitatas, fuisse cognitam, atque adeo pro tali honoratam.*

499 *Antiquiora verò istius traditionis monu-* *traditio illa*
menta in promptu nobis non sunt. Apud Gaufridum, monachum Claravallensem, & Viri sancti in itinere Belgico comitem, qui singillatim & F
accuratè in parte 3 *miraculorum seu lib.* VI *Vitæ cap.* 5, *ejusdem itineris ephemeridem contexit : quam ne hîc cum fastidio lectoris retexamus, cùm loco citato inspici ea possit, satis nobis erit nomina locorum, ad quæ divertit Vir sanctus, annotare. Leodio itaque post prædicationem Germanicam pro bello sacro profectus est ad oppidum* Huy, *seu Huum diœcesis Leodiensis ; Huo* Gembolium, *seu Gemblacum ; inde* Villare, *seu Villariense monasterium petiit ; hinc* oppidum Fontanæ ; *Fontanâ* ad castrum Bins, *id est, Binchium, oppidum Belgii in Hannoniæ Comitatu se contulit ; Binchio eum excepere* Mons castrum, *seu nunc Montes Hannoniæ ; posteà* Valencenæ, urbs Cameracensis ; *monasterium* Humbleriæ ; *Laudunum ac Remi &c.* ; *denique suo Claravallensi cœnobio fuit restitutus. Hinc vides, Virum sanctum illuc rediisse per tractum Gallobelgicum ; non verò per Flandrobelgicum, in quo situm est monasterium Affligenienſe. Hoc autem iter, quod descripsimus, respicit tempus, quo narratur res prodigiosa sæpè memorata Affligenii accidisse. Eò autem tunc divertisse Sanctum nostrum, è superiore*

AUCTORE J. P.

riore peregrinationis ephemeride extundere nos haud poſſumus; neque meminimus nos id legere apud alium biographum primigenium. Sanderus tamen inter elogia cœnobii Affligenienſis pag. 7 S. Bernardum *ita illud laudaſſe memorat:* Anno præter propter MCXLVII, quum Affligenienſium ſanctam vitam oculis uſurpaſſet, ita pronuntiaſſe fertur. " Ubique inveni homines; hîc verò an„ gelos. Verum Affligenium, ubi genius affligi„ tur „. Ita habent ejus loci monumenta.

500 *Etiamſi verò Gaufridus nihil dicat de adventu* S. Bernardi *ad Affligenienſes; inde tamen non ſequitur, ipſum ad eos non divertiſſe; cùm contrarium habeatur in Chronico noſtro Ms. abbatum Villarienſium, quod ſignatur* N Ms. 9-a, *& tranſcriptum notatur* ex Ms. Rubeæ-vallis fol. pergam. ex 1 parte Novalis SS. *Annus Domini* 1333 *ultimus eſt, quem ibi ſignatè notatum reperio. Poſt Proœmium verò ſic laudatum Chronicum incipit:* Cùm aliquando ſanctus Bernardus cauſâ prædicationis Brabantiam intraſſet, ut fructum aliquem in ea acquireret, ſicut & in cæteris gentibus, cœnobium Haffligenienſe adiit, duos ſermones ibidem faciens: in cujus memoriam baculum, in quo conſueverat ſuſtentare imbecilles artus, Haffligenienſes conſervare feruntur. Sed cùm eos Ordini Ciſtercienſi adunare voluiſſet, nec valuiſſet, cœnobium Gemblacenſe intravit, & caritativè in eo ſuſceptus caſulam ſuam, quæ adhuc ibi eſt, in eo dimiſit. *In Chronico ſeu Hiſtoria Villarienſi typis vulgata apud Martenium Theſauri novi anecdotorum tom.* 3, *à col.* 1269 *eadem memorantur. Mnemoſynon verò à S. Patre relictum Gemblacenſibus, ita deſcribit Raiſſius idem qui ſuprà:* Planetam ſuam donavit, veteri more undique dependentem, & ſtolam cum manipulo: in quibus ſunt imagines, pulchrè per phryſionem acupictæ; uti mihi videre aliquando contigit. *Ex iis autem, quæ in laudato Chronico poſtmodùm notantur,* Cùm autem dominus Gyroldus ceſſiſſet, factus eſt dominus Faſtradus tertius abbas Vilarienſis, & hii duo fere quinque annis abbatizaverunt. Sed cùm anno Domini MCLI ſanctus Bernardus hunc locum viſitaſſet, & divina in oratorio celebraſſet, facta convocatione multorum abbatum Remis ſedavit ibidem controverſiam ortam inter nos & eccleſiam ſancti Foillani martyris; *ex iis, inquam, colligitur,* S. Bernardum *ad ſuos alumnos Villarienſes plus quàm ſemel divertiſſe. Vult Raiſſius, ſanctum Patrem* prophetico ſpiritu . . affirmaſſe, quod plures ex illo loco monachi ad cælum eſſent migraturi, quam ex quovis alio ejuſdem Ordinis monaſterio: quemadmodùm ſequentibus temporibus contigiſſe, vel ex hoc, *inquit,* meo Auctario apertiſſimè colligi poteſt: in quo triginta facilè ex eo monaſterio Religioſos, omnes vitæ ſanctitate celebres, deſcripſimus. *Hac Raiſſius. Sed redeamus ad propoſitum, unde tantiſper digreſſi ſumus. Ex iis, quæ propoſuimus hactenus de famoſa traditione Affligenienſi, tria deducimus corollaria. Alterum eſt, nentiquam nos velle eam traducere tamquam falſam vel apocryphum. Alterum, dolere nos, propterea quòd pro voto noſtro non poſſimus eamdem tamquam hiſtoricè certam nervoſiùs comprobare. Tertium, per nos non ſtaturum, quo minùs religioſiſſimi aſceta Affligenienſes in ſua traditionis poſſeſſione perſeverare pergant.*

501 *Quandoquidem verò toti hîc ſumus in colligendis favoribus cæleſtibus, qui Patri ſanctiſſimo indulti referuntur, eo pede, quo ſuprà, pergemus, & alia in hoc genere chariſmata ipſius recenſebimus. Auctor Annalium Ciſtercienſium ad annum* 1153, *cap.* 12, *num.* 2 *& ſequentibus ſcribens de prærogativa ſingulari, quâ Chriſtus Dominus dilectiſſimum ſibi Famulum honoravit, ſic ait:* Ejus imaginem è cruce ipſa pendentem, cùm à Bernardo teneriùs ſalutaretur, ſolviſſe brachia, ruiſſéque in amplexus ſalutantis, omni exceptione major auctor Exordii magni memoriæ prodit. *Factum exſtat apud Tiſſierium diſtinctione* 2 *iſtius Operis cap.* 7 *his verbis deſcriptum:* Domnus Menardus *, quondam abbas de Moris, quod eſt monaſterium vicinum Claræ-valli, vir religioſus, mirabilem quamdam rem quaſi de alio retulit familiaribus ſuis, quam tamen ſibimet eveniſſe putamus, ita dicens: Notus eſt mihi monachus quidam, qui beatum Bernardum abbatem aliquando reperit in eccleſia ſolum orantem: qui cùm proſtratus eſſet ante altare, apparebat ibi ei quædam crux cum ſuo Crucifixo ſuper pavimentum poſita coram illo: quam idem Vir beatiſſimus devotiſſimè adorabat, ac deoſculabatur. Porrò ipſa majeſtas ſeparatis brachiis à cornibus crucis, videbatur eumdem Dei Famulum amplecti, atque aſtringere ſibi. Quod dum monachus ille aliquamdiu cerneret, præ nimia admiratione ſtupidus hærebat, & quaſi extra ſe erat. Tandem verò metuens, ne Patrem ſanctum offenderet, ſi eum veluti ſecretorum ſuorum exploratorem ita ſibi de proximo imminere conſpiceret, ſilenter abſceſſit, intelligens nimirum, ac ſciens de illo Homine ſancto, quod verè ſupra hominem eſſet tota ipſius oratio atque converſatio. *Nos piiſſimam hanc hiſtoriam multa cum admiratione veneramur; teſtimonio utique fide digno ſuffultam Exordii magni ſæpenumero antea memorati: quæ etiam habetur in libro* 2 *Herberti, Turrium Sardiniæ archiepiſcopi, cap.* 19 *apud Chiffletium ſuprà citatum, pag.* 283. *Apud Tiſſierium inter notas ad utrumque Exordium Ciſtercienſe, quæ habentur poſt paginam* 262, *hæc obſervantur:* Quod de Chriſto viſo amplecti S. Bernardum dicitur, non contigit Moris, ut vulgò creditur. cùm hoc cœnobium fuerit fundatum ſub mortem ſancti Patris.

Quod Jeſus cruci affixus, ſolutis ab ea brachiis

al. Medardus & Gerardus

Sanctum ſic amplexus, teſtimonio fide digno probatur.

502 *Quis porrò fuerit Menardus ſeu Medardus iſte, qui ſacras haſce* Bernardi *delicias teſtatur, juvat hîc addere ex Manrico, qui ad annum prædictum cap.* 17, *oblatâ ſibi opportunitate agendi de fundatione monaſterii Morarum,* Accepto, *ait,* loco, Bernardus conventum miſit, cui præfecit abbatem B. Medardum, illum nimirum, cui ſacram Chriſti effigiem Bernardum amplexantem per viſum an reapſe conſpectam diximus. Porrò vir Dei Sancto familiaris, ſanctus & ipſe, plures alias viſiones videre meruit, præcipuè de dilecto ſibi Parente, è quibus unam . . à Godefrido ſcriptam tranſcribamus. *Sed videſis, lector, hoc factum lib.* 4 *Vitæ* S. Bernardi *cap.* 1. *Medardum iſtum poſuimus inter Prætermiſſos ad diem* VIII *Junii; & inde eum remiſimus ad Vitam* S. Bernardi . . , ſi aliquid certi de cultu eccleſiaſtico ſciatur & indicetur. *Quod hactenus mihi non occurrit. Sed de ſuperiore favore Crucifixi plura alia congerit Manricus cap.* 12, *quorum etiam hoc loco à nobis habenda ratio eſt.*

Variæ aliæ

503 *Sic itaque pergit:* Conſona tabula monaſterii Claræ-vallis in clauſtro refectorii ſatis antiqua, delineato favore, & ſubſcriptione poſita: quæ rem non ſemel, ſed pluries contigiſſe, neque per viſum tantùm, ſed reipſa, alterum aſſeverat,

verat, alterum probabiliter præsumit. " Alibi le-
„ gitur (ait) quòd, cùm beatus Bernardus quam-
„ dam devotissimam orationem composuisset, quæ
„ incipit,
„ Salve mundi salutare,
„ Salve salve, Jesu chare:
„ Cruci tuæ me aptare
„ Vellem verè: tu scis quare.
„ Da mihi tui copiam,
„ & eam * coram imagine Crucifixi recitaret *,
„ tunc imago Crucifixi, solutis de cruce bra-
„ chiis amplexabatur (*al. additur* & osculabatur)
„ eum: & piè credendum est, hoc sibi pluries
„ contigisse „. Hanc subscriptionem transcripsit ex ipsa tabula Bernardus Villalpandus anno MDXCIX, cùm illuc ab abbate Fiteriensi ad hæc & alia lustranda transmissus esset. Meminit & illius Antonius Hiepius centuriâ septimâ ad hunc annum (1153) cap. 5 eisdem verbis; *apud quem sunt variæ, quas modò notavi, lectiones.*

* *al.* iam
* *al.* peroraret

notitiæ

504 Ad idem faciunt Nicolaus Salicetus, & Philotheus, ante ducentos annos plùs minusve; alter prosa oratione, versa alter scribens; & quidem Salicetus adeo constanter, ut producat antiquam orationem ad Bernardum Parentem, in qua idem Christi amplexus commemoratur. Transcribit primùm Bernardi ad Christum verba, sub hoc titulo " in Antidotario animæ: Oratio devotissima B. Bernardi abbatis Clarævallensis, „ quam cùm semel diceret ante imaginem Crucifixi, ipsa imago de Cruce se inclinans, eum „ amplexata est „. Dein subjungit orationem ad Bernardum, in qua per hunc dulcissimum amplexum quasi adjuratus, pro aliis intercedere rogatur ad eum, à quo meruit tantum favorem. Quin, & Henriquez in suo Menologio, Martii XXIII, constanter affirmat, in quodam libro cœnobii Cisterciensis adnotatum amplexum ipsâ, quâ contigit, die designatâ, nempe vigesimâ tertiâ mensis Martii. " Imago (inquit) Christi in cruce pen-
„ dentis Bernardum amplexatur vigesima tertia
„ die Martii „. Et in annotationibus. " Ut in
„ Martyrologio Cistercii notatum legitur „. Quod si ita est, non leve pondus addit cæteris omnibus.

de hoc amplexu congeruntur,

505 At Philotheus ejusdem temporis auctor, (nam scripsit recèns cusis Bernardi operibus, quæ à nascente in Europa typographia vidisse lucem, ipsa, quæ hodie etiam perseverant, perantiqua exemplaria, manifestant:) Philotheus, inquam, ejusdem sæculi auctor, hunc ipsum Christi amplexum non minùs prodit, cùm Sanctum Patrem ante illius effigiem orantem descripsisset his planè versibus:

„ O decus, ô nostri lenimen Christe doloris!
„ O mihi tam duro parta labore salus:
„ Fœlix, si tantas in me convertere pœnas,
„ Et liceat misero sic mihi posse mori.
„ Ipse immaturos ausim decerpere fructus:
„ Christe tamen dentes obstupuere tui.
„ Sydera, terra, fretum, Domini miserescite vestri:
„ Flete meos casus, sydera, terra, fretum.
„ Talia dum memorat, Christi pendentis imago,
„ Solvit in amplexus brachia nexa suos „.

Hactenus Philotheus, & nos de hoc favore Christi Domini, quem tamen in Bernardo non stetisse, sed transisse ad filios, quæ inferiùs reddemus, declarabunt. *Hæc Cistercienses Annalista.*

506 *His verò, quæ modò retulit, addo pleniorem notitiam de tribus scriptoribus ab ipso nominatis*, Philotheo *videlicet*, Villalpando *ac* Saliceto. *R. D. Carolus de Visch in Bibliotheca scriptorum sacri Ordinis Cistercienses pag.* 281 *non videtur satis perspectum habuisse tempus Philothei: nam dicit quidem, eum fuisse* monachum Ordinis Cistercienses, *&* scripsisse carmine docto & fluido Tractatum insignem de vita & moribus S. Bernardi, qui impressus legitur ad calcem Operum ejusdem sancti Patris: *sed de auctoris tempore tacet: quod utcumque colligitur ex Prologo ejus, in quo inductio ponitur Beatæ Virginis Philotheum ad scribendum excitantis exemplo Baptistæ Mantuani, quem lego obiisse anno* 1516. *Post hunc ergo scripsit ille. In eadem Bibliotheca Cistercienſi pag.* 53 *laudatur Villalpandus, cujus etiam ibidem Opera commemorantur.* In vivis adhuc erat anno MDCXXVI, *ut ibidem dicitur. Salicetus* florebat anno MCDLXXX, & deinceps, *teste laudato bibliographo pag.* 251, *ubi etiam de libris ejus agit. Supereſt modò ut, priusquam ad supremos vitæ sancti Patris* Bernardi *annos illustrandos perveniamus, nonnulla præmittamus, quæ ad anteriores pertinent.*

AUCTORE J. P. *uti & de auctoribus hic allegatis.*

§ XLVIII. Conversio Arnulfi; gloria cælestis ei promissa; victoria, ut fertur, regi Lusitaniæ addicta; iter cum Eugenio PP.; merita de S. Malachia, quem novit esse in cælo; cura pro rege Galliæ: frater ejus asceta Cistercienſis, uti & alius.

Arnulfus de Majorica, vir magnus in sæculo, tradit se Bernardo,

NOn *infima* S. Bernardi *gloria fuit conversio illustris viri Arnulfi de Majorica, tum quia illa per se fuit mirabilis, tum quia mirabilis fuit modus, quo Vir sanctus eam promovit. Manricus illam intexit anno Christi* 1147, *quam & ibidem cap.* 6 *refert ex auctore Exordii magni, Arnulphi splendorem, conversionis ordinem ac modum describente. Extant ea apud Tissierium distinctione* 3 *cap.* 17. *En tibi verba:* Dum reverendissimus Pater Bernardus aliquando provinciam Flandriæ intrasset, & retia verbi Dei in capturam animarum laxaret, & nobiles, & literatos multos de fluctibus sæculi ad littus conversionis traheret, inter cæteros illustris vir Arnulfus de Majorica, dives & delicatus, secretò in manibus ejus se reddidit. Fuit autem utriusque consilium, rem silentio tegere, propter quædam impedimenta sæculi, usque ad ultimum diem, quo egressurus esset de terra, & cognatione sua. Erat enim magnus paterfamilias, ornatus filiis & fratribus, tantisque divitiis irretitus, ut absque suorum damno & scandalo gravi abrumpere se non posset, nisi priùs domum sapienter & cautè disponeret. *His de Arnulfi splendore, ac modo, quo in manus sancti Patris se totum tradidit, ab Exordii scriptore præmissis, pergit auctor idem exponere, quàm mirabiliter divinà clementia cum eo egerit, ut præstitutum sibi vocationis scopum attingeret.*

& cælitus confirmatur in sua vocatione:

508 Interim verò dum silentium istud tenerent omnia, & arcani hujus negotii causam ipsi duo soli in mundo scirent; factum est verbum Domini ad quemdam rusticum armentarium, cùm

AUCTORE J. P.

boves mitteret ad aratrum, dicens: Vade, dic Arnulfo de Majorica, ut secum ducat te in Claramvallem, quò proximè iturus est ad conversionem: & cum eo convertere. Audivit verò vocem, sed neminem videbat. Facta autem hac voce, cœpit pauper ille attentiùs orare, ut, si à Domino sermo fuisset egressus, revelaret iterum auriculam ejus. Et adjecit secundò loqui ad ipsum, repetens eumdem sermonem. Accepto itaque secunda jam vice oraculo, venit ad prætaxatum virum, & ait: Verbum mihi ad te dominum meum. A quo cum fuisset ductus in partem, procidit ad genua illius, dicens: Obsecro te per Christum Dominum nostrum, ut ducas me ad Claramvallem tuam, & salves tecum animam meam. Et, si scire desideras, Dominus pius & misericors secreta tua, causâ salutis meæ mihi revelare dignatus est. Audiens autem nobilis ille paterfamilias verba ista, miratus & lætatus est valde. Acceptumque hominem conduxit ad se ipsum: quem etiam postmodùm individuum comitem itineris pariter & conversionis habuit; habiturus, ut credimus, consortem æternæ retributionis. *Sic itaque visum est divinæ providentiæ vocationem Arnulfi roborare & promovere edito etiam hunc in finem cœlesti oraculo. Nec verò ille vocem Domini audiens obduravit cor suum.*

B

509 *Nam, uti pergit auctor Exordii magni,* Explicitis . . negotiis, pro quibus moram fecerat, venit Claramvallem, tam submissus humilitate, quàm sublimis divitiarum affluentiâ: multaque eidem monasterio de suis facultatibus contulit: sed & aliis nonnullis cœnobiis dona largitus est. Beatus verò Bernardus, de conversione ejus multùm exhilaratus, talem de eo in conventu fratrum sententiam protulit: De conversione fratris Arnulphi nec minùs admirandus, nec minùs glorificandus est Christus, quàm de resurrectione Lazari quatriduani; eo videlicet, quòd in tantis deliciis clausus atque sepultus, velut in tumulo jacebat, & quasi vivens mortuus erat. *At quàm suaviter & paternè Vir sanctus Arnulphum, contracta in vita seculari peccatorum sordes sacramenti pœnitentiæ lavacro eluentem, tractarit, opera pretium est audire ex laudato auctore:* Huic, *inquit*, confitenti cum gemitu & lacrymis multis delicta universa, quæ in mundo contraxerat, beatus Bernardus intuens cordis ejus amarissimam contritionem, & ad omne opus bonum spontaneam voluntatem, injunxit ei, ut PATER NOSTER tribus vicibus diceret, atque in suo proposita deinceps usque ad mortem perduraret.

quem ad Claramvallem ingressum, & serò pœnitentem

C

510 Quo ille audito contristatus respondit: Ne, quæso, irrideas famulum tuum, beatissime Pater. In quo, ait, te irrideo? Ad ille ait: Jejunia septem annorum vel decem non sufficerent mihi etiam humiliato in sacco & cinere: & tu mihi præcipis, PATER NOSTER tertiò dicere, & in Ordine perseverare? Et Sanctus ad eum: Ergone tu me meliùs nosti, quid te oporteat facere, ut salveris? An fortè tibi parum videtur, Ordinem tenere, & in ipso usque ad mortem perseverare? Ille verò respondit: Absit ab anima mea tam iniqua præsumptio. Sed propter Deum obsecro, ne mihi parcas in præsenti, ut meliùs parcas in futuro: & talem nunc impone pœnitentiam, quatenus post mortem carnis ad requiem sine pœna perveniam. Cui beatus Pater ait: Fac, ut locutus sum: & securum te facio, quia depositâ mole corporis, mox ad Deum sine molestia pervolabis. Hoc itaque responsoquasi divinitus accepto, confortatus est nimis, adeo ut deinceps nullâ tentationum violentiâ, nullâ infirmitatis molestiâ, posset à cursu desiderii, quo totus in Deum pergebat, aliquatenus retardari. Erat autem circa observantiam Ordinis, & custodiam cordis solicitus & timoratus nimis: ita ut neminem vidisse me recolam tam studiosum propriæ conscientiæ mundatorem. *E quibus ultimis verbis colligitur, ei, qui ista narrat, Arnulphum non modò synchronum, sed etiam apprimè cognitum fuisse. Cætera, quibus deinde religiosissimi istius ascetæ elogium contexitur, apud eumdem auctorem inspici possunt. Conveniens autem omnino fuit, hanc mirabilem non præterire conversionem, cujus utpote gloria in* S. Bernardum *ex Arnulpho, tamquàm ex filio in parentem egregiè derivatur.*

D

Sanctus tractat benignissimè, ac promittit ei gloriam æternam.

511 *Historicus Cisterciensis ad annum* 1147 *cap.* 9 *narrationem exhibet de Alfonso I Portugalliæ rege, qui Scalabim (vulgo Santaren) expugnaturus, votum fecerit Christo in favorem Cisterciensium: additque, Virum sanctum ei promisisse victoriam, prece à se promotam, visamque & annuntiatam in Claravalle. Accedit eò ratio temporis, circa quod difficultatem esse fatetur:* datur item epistola regis ad Bernardum, *nec non hujus ad illum. Verùm huic facto, quod refertur, securiùs nos suffragaremur, si probatioris & antiquioris notæ scriptores produxisset Manricus, quàm Britum & Brandaonium. Inter ea verò, quæ idem Manricus de hac re memorat, occurrunt nonnulla, ad ejusdem persuadendam veritatem non ex omni parte faventia: etenim dum è subscriptione recenti, ut fatetur, nonnulla retulerat; observat*, plura *esse ibidem*, sed tempus prævenientia. *Deinde, expositâ re gestâ, subdit:* Hæc Brito ex antiquis exemplaribus; quæ tamen dum Gerardum Bernardi fratrem colloquentem inducunt; quem constat obiisse ante septennium, ut non suspecta, corrupta esse apparent, atque additis quibusdam depravata.

Fertur Vir sanctus promisisse victoriam Alfonso regi Portugalliæ.

E

512 *Summatim indicamus, quæ in Historia Cisterciensi ad annum* 1148, *cap.* 5 *prolixiùs referuntur, videlicet Eugenium PP. Trevirim profectum, assumpto secum* Bernardo, *celebrasse concilium super revelationibus & scriptis S. Hildegardis virginis; episcopum Virdunensem ad illam misisse; scripta & revelationes approbasse &c.; sed illa ibidem legi possunt. Vide etiam præmissa à nobis de hac virgine* § 39. *Eadem Historia Cisterciensis ad annum mox indicatum cap.* 6 *ita pergit:* Tres menses Treviri Eugenius PP. fecit: post quos [in] Galliam reversus, Claramvallem (incunabula suæ Religionis) dein Cluniacum, demum Cistercium visitans, utrique se familiæ præsentavit, utramque fovit. Bernardus ejus viæ perpetuus comes, dum ne tunc quidem continuis parcit miraculis, amantissimum sibi filium, patremque, quin totius Ecclesiæ, penè in dispendium vitæ potuit adducere. Tantus enim concursus populorum, quacumque pergeret, Sanctum sequebatur, ut ne Pontifex quidem liber ab oppressione, obrueretur à turba, ægrè tandem periculo abducendus. *Factum describit Gaufridus lib.* 4 *Vitæ cap.* 5; *ubi etiam de miraculis. Manricus cap.* 9 *de S. Malachia scribens varia ex præsulis istius dignissimi Vita, à* S. Bernardo *graviter & patheticè ad posteros transmissa, colligit, quæque ab ipso facta sunt extremo, quo inter mortales degebat, tempore. Capite autem* 10 *scribit de ejusdem Pontificis sanctissi-*

Eugenium PP. comitatur Treviros, & ad Claramvallem: ubi optimè meritus est

F

A *ſanctiſſimi à Claravallenſibus ſuſcepti morbo, mortiſque prædictione, nec non piiſſima ad eam obeundam præparatione, atque ſuaviſſima obdormitione in Domino, miraculo etiam illuſtrata. Verùm hæc & alia melliflua* Bernardi *calamo expreſſa videre licet in præclara illa, quam memorabam, Malachiæ Vita, è qua liquidiſſimè apparet, quanti Sanctum hunc Sanctus noſter faceret, & quam tenero eumdem affectu complecteretur.*

de S. Malachia, cujus demortui veſtem ſibi reſervat, & quem novit eſſe in gloria,

513 *Illud autem, quod in ejuſdem Vitæ præfatione, Congano abbati inſcripta, narrat ſibi à Malachia, extremum jam exhalaturo ſpiritum, fuiſſe præſtitum, notari meretur ipſis ſancti Patris verbis. Sic narrat:* Accurri ego, ut benedictio morituri ſuper me veniret. At ille, cùm jam membra alia movere non poſſet, fortis ad dandam benedictionem, elevatis ſanctis manibus ſuper caput meum, benedixit mihi, & benedictionem hæreditate poſſideo. *Sed ulterius etiam progreſſa eſt magnitudo amoris & æſtimationis. Etenim* cùm corpus ſepulturæ præpararetur, *ut narrat Manricus cap.* 11, dum lavandum exui-

B tur veſtibus à lavatrio reſumendis; devotus Abbas (quod ſuprà notabamus) pio & amico furto, certè fideli, tunicam, in qua Sanctus obdormierat, cum propria permutatam latenter abſtulit, quâ uteretur in feſtis ſolemnioribus ad offerendum Miſſæ ſacrificium, & in qua demum, cùm obiret, ſepeliretur. Rem, quamdiu vixit, omnibus occultam; ſed poſt obitum ab ipſo revelatam, detectamque Godefridus, qui Bernardi Vitam ſcripſit.., narrat *apud nos libro 5 cap.* 3. *In funebri autem S. Malachiæ Officio* offerens pro ejus tranſitu venerabilis Abbas Hoſtiam ſalutarem, gloriam ejus, Domino revelante, cognovit, &, eodem inſpirante, Sacrificio jam expleto, formam mutavit orationis, & collectam intulit, quæ ad ſanctorum pontificum celebritates, non ad commendationem defunctorum pertinet, ita dicens: Deus, qui beatum Malachiam pontificem Sanctorum tuorum meritis coæquaſti *&c. Adiſis Gaufridum lib.* 4, *cap.* 3, *è quo hæc extraxi.*

514 *Hoc aliàs à Viro ſancto factum fertur in Annalibus Ciſtercienſibus cap.* 11 *citato, num.* 3; *è quo huc tranſcribo iſta:* Eumdem Sanctum

C ante annos ut minùs ſexdecim, cùm pro Alberone Virdunenſi epiſcopo celebraret, hoc ipſum feciſſe, Antonius Democharis præcedenti ſeculo ex libro Antiquitatum magiſtri Richardi [de] Waſſebourg, archidiaconi Virdunenſis; atque hoc noſtro, uterque in Catalogo epiſcoporum Virdunenſium, & Joannes Chenu vulgarunt, totidem verbis: " Albero de Chini anno MCXXXI „, (ſupple moritur. *Sed apud Sammarthanos mox citandos ſcribitur, tunc ad epiſcopalem dignitatem promotus fuiſſe.*) Pro iſto beatus Bernardus, „ cùm cantaret Miſſam, mutaſſe collectam de „ functorum in collectam confeſſorum traditur „. Hæc illi: nos nec negare audemus, nec aſſerere: certè ejuſmodi actiones ſemel in gloria; ſi repetantur, magna ponderis ſui parte carebunt. Quid, quod id ipſum tertiò itidem factum pro Alberico Cardinali epiſcopo Oſtienſi, quem anno præcedenti defunctum diximus, Joannes etiam Piſtorius adnotavit in Chronico Belgico, anno MCXXXVIII: " Anno (inquit) Conradi decimo quarto moritur apud Virdunum Oſtienſis „ epiſcopus Cardinalis dominus Albericus, ad „ cujus tumulum B. Bernardus Miſſam pro eo ce-

f. poſt communionem

„ lebrans, cum veniſſet ad collectam poſt * con- AUCTORE „ cionem pro mortuo, dimiſit, & collectam de „ confeſſore dixit „. J. P.

515 Verum eſt tamen, hos duos forte eum- *ut fertur:* dem (*eſſe*) ex loci idemtitate, nempe Virduni, nec magna nominum Alberici, Alberoniſque diſtantiâ, irrepente errore, qui non facilè poſtea diſcernatur. Nobis certa ſuis locis adnotantur; dubia, vel obiter ſufficiat tetigiſſe. *Huc uſque auctor Annalium Ciſtercienſium. Apud Sammarthanos in Gallia Chriſtiana inter epiſcopos Virdunenſes pag.* 1167 *in Alberone de Chiny hæc etiam lego:* Pro quo Miſſam celebrans B. Bernardus, collectam defunctorum mutaſſe dicitur in collectam confeſſorum, cum is, *Albero videlicet*, obdormiiſſet in Domino anno MCLVIII. *Itane verò, dum* S. Bernardus *jam ab anno* 1153 *obdormierat in Domino? Sequitur itaque, ut vel illud factum ſit apocryphum, vel annus falſus. Manricus* anno præcedenti, *id eſt*, 1147 defunctum *ſcribebat ſuprà Albericum*; annus *autem* Conradi decimus quartus *incidit in annos Chriſti* 1151 *&* 1152, *atque adeo illa mutatio collecta, quæ ſuprà narrabatur, ſecundum Manricum debuiſſet accidiſſe annis circiter quinque* E *poſt mortem Alberici; quod cum Piſtorio, quem citat, neutiquam coharet: atque hinc factum videri poſſet apocryphum; niſi alia eſſent, quæ facerent illud magis accedere ad verum. Sunt autem illa.* 10. *Quia hoc habetur apud Gaufridum lib.* 4 *Vitæ* S. Bernardi *cap.* 3, *etiamſi non ſit ſcriptum ab ipſo Gaufrido, ſed Gaufrido inſertum ex Ms. in editione Horſtii, & in Mabilloniana uncinis* [] *etiam à Gaufridi textu diſcretum; in qua Mabilloniana editione ad ejuſdem textus marginem notatur pro* Alberti, *ſicut ibi eſt, nomen* Alberici *legendum.* 20. *Quia ibi dicitur præſens factum contigiſſe* ad tumulum.., noviter antè defuncti, *Alberici videlicet.* 30. *Quia in Alberici Chronico, Trium fontium monachi, Ordinis Ciſtercienſis, in epiſcopatu Catalaunenſi, quod vulgavit Leibnitius tomo* 2 *Acceſſionum hiſtoricarum, & cujus auctor floruit ſeculo* 13, *prædicta mutatio diſertè narratur pag.* 320 *his verbis:* Anno MCLI.. moritur apud Virdunum Hoſtienſis epiſcopus Cardinalis & legatus dominus Albricus, ad cujus tumulum beatus Bernardus Miſſam celebrans, cum veniſſet ad poſtcommunionem, collectam pro mortuo dimiſit, & F collectam pro uno ſancto Confeſſore dixit. *Hinc videtur ſatis confirmari factum* S. Bernardi, *ac refutari annus* 1147, *morti Alberici Cardinalis apud Manricum aſſignatus, uti & apud Ciaconium in Vitis Pontificum Romanorum & Cardinalium tomo* 1, *col.* 993, *ubi etiam exſtat mutatio iſta collecta.*

Hæc occaſione S. Malachiæ dicta ſunto: de quo etiam conſuli poteſt Manricus cap. 11 *ſuperiùs allegato, num.* 4, *in quo profert epitaphium S. Malachiæ ſepulcro inſcriptum, quodque* à Bernardo Patre conſcriptum, hodieque perſeverat, *ut ibi dicitur*, ſub ejus nomine. *Alia, quæ ſoluta oratione de hoc ſancto Pontifice litteris mandavit, recenſentur in ejuſdem capitis decurſu: quod ita concludit Manricus:* Cæterùm, quod ad Malachiæ adventum *ad Claravallenſes* attinet,..ne vel defunctus fruſtraretur optatis votis; non ſolùm pallia ab Eugenio Hiberniæ data, verùm & auctas archiepiſcopales ſedes, adnitente Bernardo, & juxta numerum provinciarum illius inſulæ quatuor deſignatas, anno MCLII, quo eveniſſe conſtat, referemus. *At nunc alia nos vocant, quæ refert Manricus ad an.* 1149.

AUCTORE J. P. *agit contra monomachiam, & pro regno & rege Galliæ,*

516 *Cap.* 1 *num.* 5 *occurris Vir ſanctus bono publico iterum intentus, dum datis ad Sugerium abbatem S. Dionyſii, &, abſente rege Ludovico juniore, monarchiæ Galliarum moderatorem, obnixè conatus eſt impedire monomachiam execrabilem inter Robertum regis fratrem, atque Henricum Theobaldi Comitis filium, quæ tunc utrimque erat indicta ad tempus præſtitutum. Conſule epiſtolam* 376 *inter Bernardinas in Mabillonii editione. Epiſtola autem* 377 *ad eumdem data ſpirat ſingularem affectum ſancti Patris erga ſalutem regni Galliarum ac regis, qui nondum tunc redierat ad ſuos poſt infelicem ſuccèſſum belli ſacri. Ad hæc, epiſtola in* S. Bernardi *perſona à Nicolao ſcripta ad Emmanuelem imperatorem Conſtantinopolitanum, quâ commendatur ei exercitus Chriſtianorum tempore militiæ tranſmarinæ iſtius, nonne indicio eſt, Virum ſanctum egregiè invigilaſſe communi bono reipublicæ Chriſtianæ? Epiſtola illa profertur in Annalibus Ciſtercienſibus allegatis, num.* 9.

B *cujus fratrem induxit ad inſtitutum Claravallenſe,*

517 *Illuſtris præterea non minùs ſancto Patri exſtitit Henrici, qui erat regis Ludovici germanus frater, converſio ad inſtitutum Claravallenſe, quàm mundo venerabilis, atque ex rerum circumſtantiis ſpectabilis. Audiamus Manritum cap.* 3, *num.* 7: Convenit ille Bernardum in Claravalle, negotia quædam regni tractaturus: ſed quæ ipſe pro regno temporali, in cæleſte Bernardus commutavit, vocato homine, & tracto per efficaciam verbi aut orationis. *Robertus de Monte, qui ſub iſto nomine vulgatus circumfertur, rem innectit anno Chriſti* 1149: Henricus, *ait*, Ludovici Francorum regis germanus, contempto mundi ſchemate, pro Chriſto in Claravalle indutus monachali ſchemate. *Quoniam autem modo converſio iſta acciderit, narrat Gaufridus in Vita* S. Bernardi *lib.* 4, *cap.* 2. *Sanctum verò hujuſce eventus, priuſquam contigerit, præſcium fuiſſe, videtur haud obſcurè ſignificare biographus idem, dum Henrico iſta à Viro ſancto prænuntiata teſtatur:* Confido, ait, in Domino, nequaquam in eo te moriturum, in quo nunc poſitus es; ſed velociter experimento proprio probaturum, quantum tibi iſtorum (*Fratrum Claravallenſium*) profit oratio, quam expetiſti. Quod eodem poſtmodùm die non abſque multorum admiratione completum eſt.

C *quem ſequitur alius miro modo compunctus.*

518 *Sed mirabilis admodùm fuit mutatio dextera Excelſi per* Bernardum *facta, & præter ſpem omnem ab eo prænuntiata, in Andrea, qui comitatus fuerat laudatum Henricum, dominum ſuum, ad Claravallenſes. In hunc ille invehebatur tamquam in ebrium & inſanum, convitia etiam & blaſphemias evomens, ſancto Patri nomen falſi prophetæ tacita cogitatione impingens, & die altera monaſterium ejus diris devovens. In cauſa erat domini ſui converſio; ſed vehementi Spiritus ſancti impulſu victus nocte proxima, & ante diluculum ſurgens, rediit ad monaſterium, ac veluti ex altero Saulo in Paulum alterum mutatum ſe exhibuit, teſte biographo mox allegato, qui mirandam hanc mutationem longiore ſermone deſcribit.*

D

§ XLIX. Imperat feris; diſſidentem pacificat; mortuum ad vitam revocat; prodeſt Aurelianenſi epiſcopo; reſpondet Præmonſtratenſi abbati; Henrici, regis Galliæ fratris, morbus, religioſa profeſſio, epiſcopatus; Sancti vaticinia; aqua in vinum mutata; obitus Theobaldi Comitis.

Vir ſanctus imperat beſtiis: * *f.* Foreſtæ, *infrà dicitur* Comes Forenſis

HOc item anno, *nimirum* 1149, quantùm ex ſerie hiſtoriæ licet conjicere, cum Comites Viennæ, atque Floreſtæ * invicem impugnarent .., Bernardus Pater componendis rebus, atque animis pacandis vocatus eſt .. obviatum ab auctore diſcordiæ conſiliis pacis, & duo lupi in itinere objecti, ſuprà inſitam ſævitiam furentes rabie .. terruêre venientes, & penè cunctos à cœpto revocarunt. Conſultum de retroceſſione eſt à ſociis viæ, ne ſe, ne Sanctum periculo exponerent in detrimentum reipublicæ Chriſtianæ. At beatus Abbas charitatè flagrans, & fide fervidus, nec ab opere pacis dimovendus, angelus pacis, periculum non tam contempſit, quàm amovit. *Hæc è Ciſtercienſi hiſtorico ad annum modò deſignatum cap.* 5, *num.* 1. *At rei geſtæ ſeriem accipe, lector, ex Joanne eremita in Vita* S. Bernardi *lib.* 2, *num.* 8, *col.* 1288 *editionis Mabilloniana:* Burgundiam, *inquit*, adibat, Comitem Forenſem, & Comitem Viennæ pacificaturus. Tranſiens autem per quamdam villam, audivit ab incolis loci illius, duas feras immaniſſimas, quæ vulgo dicuntur varoli *, in nemore proximo deſævire. Quod cum audiſſent ſocii ejus, rogaverunt eum regredi, quia malebant duabus dietis vel multo ampliùs divertère, quàm ſe periculosè feris objicere. Quibus nolens conſentire, reſpondit, ſe numquam divertere tali cauſa. Nec mora, & ecce feræ progredientes in planum, occurrerunt eis terribili hiatu quaſi ad devorandum. Quas ubi vident fratres, præ timore nimio cuncti mox ad ſanctum Virum fugerunt, latitantes circa eum, clamaveruntque una voce: Pater ſancte, libera nos. At ille, Quid timidi eſtis modicæ fidei? Ad hanc vocem manu elevata ſignum crucis feris oppoſuit: quæ ſtatim factæ ſunt tamquam lapides, tamquam nullam penitus habentes nocendi poteſtatem. Quo ſigno viſo, omnes, qui aderant, gratias exſolverunt Viro Dei immenſas. Hoc verò audito, vicini valde lætificati ſunt: præ timore enim ferarum egredi non audebant pauciores quàm duodecim.

* *f. ob varios colores ſic dictos lego.*

E

F

unum è duobus Comitibus diſcordibus pacificat, prædicta ei victoria contra alium:

520 Proficiſcens inde ſanctus Bernardus venit ad dictos Comites: qui cùm pacem ab eis quæſiſſet, Forenſis Comes ei humiliter conſenſit. Comes autem Viennæ improbè refragatus eſt, dicens quod numquam eſſet cum adverſario pacem habiturus, donec eum exſulare coëgiſſet: collectoque exercitu terram illius aggreſſus eſt. Tunc Forenſis Comes timore perterritus S. Bernardum exoravit, quatinus ab omnipotente Deo victoriam impetraret. Beatus verò Bernardus victoriam ei confidenter promiſit. Hac fide confortatus

AUCTORE J. P. *Heliam ep. Aurelianenſem*

A rus hoſtes ſuos invaſit, cepitque Comitem, & hoſtium tantum numerum proſtravit, ut vix aliquis vivus evaderet. Hujuſque victoriæ gratias reddidit ſancto Bernardo. *Hactenus biographus Joannes eremita: qui paullo pòſt num.* 11, *col.* 1289 *aliud illuſtre prodigium litteris commendavit in hæc verba:*

puerum reſuſcitat in aquis mortuum;

521 Dum navigaret aliquando per Ligerim, navicula ejus forte concuſſit ponticulum, cui puer ſuperèrat: qui ſtatim in fluvium delapſus eſt, & necatus. Et excitati occurrerunt vicini, defunctum puerum plangentes: quem ſanctus Vir juſſit ſibi afferri; eoque defuncto oblato, oravit Sanctus. Puer itaque, videntibus cunctis, qui aderant, & Deum una voce collaudantibus, ad orationem Sancti ſtatim ſuſcitatus eſt. Tunc à die illa & deinceps Hominem Dei, ut patrem filius affectuoſiſſimè diligens, poſtea profectus in Claram-vallem, ibi converſus factus eſt, dictus Teſcelinus Naſcardus, quia de aqua fuerat ſublatus, & piſcatus ſicut piſcis. *Manricus nuperrimè aſſignatus, num* 3 *de hoc miraculo etiam tractat; ſed dubitat an* in hoc itinere, an in diverſo *acciderit*; certè *tamen* per hoc tempus
B *cenſet patratum: cui ſequens ſubdit epiphonema:* Sic Bernardus Martino comparatus, quod in pluribus aliis ſuperiùs vidimus, in hoc etiam ei ſimilis evadit, trium mortuorum ſuſcitator magnificus: blaſphemi hominis, quem Deus morte mulctaverat: mulieris extinctæ ad Claramvallem, & hujus in fluvio ſubmerſi adoleſcentis, quos de faucibus mortis liberaverit. *Sed Annaliſta idem oſtendit, ſe nomem auctoris non ſatis hîc habuiſſe perſpectum, è quo hæc deſumpta ſint: nam poſtquam narraverat eventum duorum Comitum, quem ſuprà dedimus, citatur ab eo* antiquus auctor, quem Sylva tranſtulit; *miraculo autem de ſuffocato in aquis, & vitæ redonato per Virum ſanctum, ſubjicit iſta:* Hæc idem auctor Gallus, ex quo Sylva; & nos hactenus dicta: quem Joannem eremitam multi putant; alii alium, ſed coævum, & fidei integræ: de cujus dictis non liceat dubitare.

cui inditum nomen à rei eventu, quod exponitur.

C 522 *At quæret curioſus lector, unde deducta ſit alluſio iſta etymologica* dictus Teſcelinus Naſcardus, QUIA de aqua fuerat ſublatus, & piſcatus ſicut piſcis? *Reſpondeo: Nomen* Teſcelinus *puto ei proprium fuiſſe ante ſubmerſionem, nec poſt illam mutatum: quod confirmatur ex eo, quod pater* S. Bernardi *geſſerit idem nomen: unde arguere licet, nomen* Teſcelini *fuiſſe nomen proprium, & hominibus dari ſolitum aliquando ſaltem: ita ut videatur hæc quæſtio cadere in ſolum cognomen* Naſcardus. *De quo accipe ſequentem conjecturam valde probabilem. Menagius in Dictionario etymologico vel originibus linguæ Gallicæ, ad vocem* naſſe *colligit iſta:* Naſſe, inſtrumentum piſcatoris; à Latino naſſa. Feſtus: Naſſa, eſt piſcatorii vaſis genus, quò cum intravit piſcis, exire non poteſt. Iſidorus lib. 9 cap. 5: Naſſa, ex viminibus tamquam rete contextum ad capiendos piſces. Plautus: Numquam Hercule ex iſta naſſa hodie ego eſcam petam. Silius Italicus:

Haud ſecus & vitreas ſolers piſcator ad undas
Ore levem patulo texens de vimine naſſam.

Quæ mihi videntur propoſitæ modò quæſtioni ſolvendæ perquam accommodata: quaſi dicas Naſcardum *appellatum, quia virtute* Bernardi, *ſicut naſſâ piſces ſolent, ex aqua extractus fuit. Supereſt, ut paucula alia, quæ de* Bernardo *ad prænotatum annum habet conditor Annalium Ciſtercienſium, non prætermittamus.*

523 *Cap.* 7 *refert, Præſulem Aurelianenſem* Bernardi *conſilio amplexum fuiſſe inſtitutum Ordinis Ciſtercienſis: cujus rei circumſtantias, ſatis diu extractæ, uti vult Manricus, paulo altiùs repetemus. Idem itaque hiſtoricus ad annum Chriſti* 1146 *cap.* 2, *num.* 8, Sub idem, *inquit*, tempus, quantùm ex ſerie epiſtolarum Bernardi, & earum contextura liquidò conſtat, Eugenii (Papæ) zelus conſtans pro veritate Aurelianenſem epiſcopum (Manaſſem tabulæ videntur indicare) infulis abdicatis aut projecit aut traxit ad Claramvallem. Is genere nobilis.. converſatione profanus.., pontificalis dignitatis inſignia levitate morum, gravitatem eccleſiæ Gallicanæ pernicioſis exemplis dehoneſtabat.. Ad Eugenium delatus.., quæ per teſtes defendere non poterat, per interceſſores ſaltem attenuare, atque exponere veniæ deliberabat, & totam fere Galliam commovebat, ut flecterent Eugenium, aut conciliarent.. Scripſit pro eo Ludovicus rex, ſcripſere & proceres, ſcripſit & venerabilis Petrus Mauricius. Unus in tota Gallia Bernardus fuit, qui, ut ſcriberet, adduci numquam potuit. Quin cùm Eugenius obduratus adverſùm
E preces, virum ſiſti judicio præcepiſſet.., propoſitum firmavit litteris tunc demum datis in hunc tenorem, *quarum fragmentum, quod huc pertinet, ſubditur, quodque legi poteſt apud Mabillonium in principio epiſtolæ* 245. His litteris, *ſicut pergit hiſtoricus Ciſtercienſis num* 9, Bernardi firmatus Pontifex, accuſatoribus ſolemnem diem indixit, quem accuſato non minùs intimavit.. At quid cum ipſo, & in ipſo factum ſit, qualiterque.. in purgatione facienda per epiſcopos, cùm adhuc lis penderet, nec deſperata, nihilominus ipſe epiſcopum ultro exuens, quem ſolum non propitium expertus eſſet, Bernardum ſibi elegerit magiſtrum, parentemque humilis monachus factus in Claravalle, anno MCXLIX, quo evaſiſſe * conſtat, lite eouſque protracta.. more noſtro commodiùs referemus. **f. eveniſſe*

conſilio juvat, & Ciſtercienſibus aggregat.

F 524 *Hanc porrò rem geſtam prolixo ſermone deſcribit ad annum* 1149, *cap.* 7, *quod modò citabam, ubi datur videre, indictam quidem Præſuli Aurelianenſi fuiſſe purgationem; ſed poſt maturam cum* S. Bernardo *deliberationem, conſultiuſne eſſet, abdicare infulas, an ſuper illis litigare, Viri ſancti conſilio exuiſſe epiſcopum, atque monachum Ciſtercienſem induiſſe. Quænam verò in ipſius favorem deinde fecerit ſanctus Pater apud Eugenium PP., patet ex illius epiſtola* 246 *ad hunc data, quæ apud Mabillonium aptatur anno Chriſti* 1146, *& ſic incipit:* Tempus eſt, ut & ego ſcribam, non jam pro epiſcopo; ſed pro paupere & humili monacho *&c. Mabillonius in notis brevioribus ad epiſtolam* 245, *animadvertit duo, quæ non conveniunt cum narratione jam recitata ex Annaliſta Ordinis Ciſtercienſis. Etenim ab eo differt in ſignando nomine epiſcopi Aurelianenſis, & in tempore abdicati ab eo epiſcopatus, utrumque breviter ad illas epiſtolæ voces,* Pro Aurelianenſi epiſcopo, *obſervans,* Nempe Helia, *inquit*, qui gravium criminum accuſatus, cùm neque per ſe, neque per regem aut amicos, Eugenium flectere potuiſſet, anno MCXLVI epiſcopatu ſponte ceſſit, ex aliis Notis, & epiſtola ſequente. *Ex hujus quippe anno, quo notatur ſcripta, & ex verbis, quæ paullo antè ex eadem protuli, Præſul ille tunc non præſul erat amplius, ſed monachus. In Notis autem fuſioribus ad eamdem epiſto-*

AUCTORE J. P. *epiſtolam, accuſatio ipſius innectitur anno* 1144 : *ibidem alia videri poſſunt.*

Querelis abbatis Præmonſtratenſis reſpondet :

525 *Hiſtoricus Ciſtercienſis ad annum Chriſti* 1150 *cap.* 3 *memorat difficultates, quæ inter duos præclariſſimos Ordines, Præmonſtratenſem videlicet & Ciſtercienſem, obortæ ſunt. Ad hos ſcriptæ à Præmonſtratenſi abbate litteræ cauſam præbuêre* S. Bernardo *reſcribendi prædicto abbati, conditâ epiſtolâ, quæ eſt inter Bernardinas ordine quinquageſima tertia ſupra ducenteſimam apud Mabillonium ; & in qua expendit objectas à Præmonſtratenſibus querelas, ſinguliſque earum capitibus reſpondens, liberam & vividam pro ſe ac ſuis apologiam contexit, eamdem concludens terminis apprime exprimentibus ſummam, quâ erga Præmonſtratenſium familiam afficiebatur, benevolentiam, ac ſtudium procuranda cum ea pacis.*

Henrici, qui erat frater regis Ludovici, morbus, iter, profeſſio religioſa, epiſcopatus : mors Gaufridi

B 526 *Idem, qui ſuprà, hiſtoriographus cap.* 6 *ſcribit iſta :* Interea Henricus, Ludovici frater, quem anno præcedenti converſum, ac ſuæ, ut ipſe dicebat, deſponſationis ſolemnem diem præſtolantem commemoravimus (antè an poſt profeſſionem non ſatis conſtat) ingenti vitæ & victûs mutatione in febrim incidit moleſtam ſatis, & periculoſam ; non ſine ingenti dolore Bernardi Patris, qui in regio ſanguine generoſum contemptum gloriæ, venerabatur. Medicos medicinaſque arte factas in conventum inferre, nequaquam utile ; ſed ægrotanti Henrico non ſubvenire, penè inhumanum, viſum Bernardo & Fratribus eſt, ut Pariſios curandus deferretur. Non curru, non lectică vectus diſceſſit, quamvis infirmus, nec equo ornato ſtramentis decentioribus : ruſticanis inſedit regius adoleſcens, qualia decebant monachum, qui ſe regum & filium & fratrem eſſe longè minoris faciebat, quàm monachatum. *Legi poteſt de diſceſſu ipſius, ac via ſociis epiſtola Nicolai, cujus verba ibidem referuntur. Deinde autem cap.* 7 *idem Henricus, votis ſolennibus Deo nuncupatis, poſtquam ſaluti priſtinæ ac Clarævalli ſuæ redditus eſſet, ad cathedram Bellovacenſem promotus fuit.* Bernardus *in hac re quomodo ſe geſſerit, quomodo Henricus ; quæque adhibita ſint media, ut ambo conſentirent, legere pluribus ibidem licet. Hæc è diverſis duobus capitibus citatis nos hic ſimul conjunximus. De obitu autem Gaufridi de Amaio apud Claravallenſes, prout ſanctus Pater prædixerat, adiſis Manricum cap.* 6 : *qui cap.*

C 8 *agit de famoſo illo ac infami Nicolao : ſed nos hiſtoriam iſtius ſycophantiæ collegimus ſuprà per anticipationem temporis.*

& Raynardi à S. Patre prædicta :

527 *Sequitur annus Chriſti* 1151, *ubi cap.* 1 *Manricus inter alia tractat de Raynaldi ſeu Rainardi, viri magni in Ordine Ciſtercienſi, ejuſdemque monaſterii abbatis, morte à* S. Bernardo *denuntiata ; de qua re conſuleſis Gaufridum biographum lib.* 4 *Vitæ ſancti Patris cap.* 2, *num.* 207. *Deinde ſubjungitur in Hiſtoria Ciſtercienſi num.* 8 *mors Sugerii, abbatis S. Dionyſii, ſuperiùs à nobis laudati ; ad quem, imminente jam ei morte, exſtat epiſtola* S. Bernardi *ordine* 266, *quâ ipſum hortatur ad eamdem intrepidè excipiendam. Præſenti anno* 1151 *etiam illigatur epiſtola* 270 *ad Eugenium PP. in cauſa Prioris Cartuſiani contra tranſgreſſores quoſdam, poſt ſuborta inter eos diſſidia. Vide Manricum hic cap.* 2, *& notas Mabillonii ad iſtam epiſtolam.* Hoc ipſo anno, *uti vult hiſtoriographus Ciſtercienſis in eodem capite num.* 9, Bernardus penſum ſolvens, & ſolitum de Conſideratione librum ad Eugenium Pontificem D ſcribens, multa deplorat in Romana curia, quæ per ipſum corrigenda eſſe deberent ; ſed præcipuè frequentes legationes in Hiſpaniam ; præſertim quæſtuoſas legatis, verùm Eccleſiæ non inutiles tantùm, ſed nocivas. *Deinde recitat fragmentum libri* 3 *ex eodem Opere. Sed rectius illa diſtuliſſet hiſtoricus ad annum* 1152 *propter rationes, paragrapho proximè ſequenti à nobis aſſignandas. Ex his itaque conficitur, Virum ſanctum in poſtremis quoque vitæ ſuæ annis, ſicut conſueverat in prioribus, nunquam non fuiſſe attentum ad captandas occaſiones vel ſtudio quæſitas vel ſponte oblatas, ut operam conferret in commodum publicum Eccleſiæ, aut particulare alicujus communitatis vel perſonæ. Accedit eò illud, quod Manricus ad annum* 1151, *cap.* 6 *obſervat his verbis :* Hoc ipſo anno compilatum Decretum per Gratianum, Benedictinum monachum, ex codice bibliothecæ Vaticanæ, Baronius notat ad hunc annum : "Decretum Gra„ tiani, monachi ſancti Felicis Bononienſis, „ Ordinis ſancti Benedicti, compilatum in di„ cto monaſterio anno Domini MCLI, tempore „ Eugenii Papæ III „. Verùm neque id ſine Bernardo factum lego in notis ad Hiſtoriam Joannis Dubravii lib. 9 lit. G : "Sancti Bernardi (in„ quiunt) Claræ vallenſis abbatis hortatu, Gra„ tianus Pontificum decreta compilavit„. *Sic obſervat Manricus.* E

ſordidum quemdam locum

528 *Et mox num.* 7, Claudat, *inquit*, caput miraculum Bernardi ſatis illuſtre, per hoc tempus patratum, ſed multos adhuc poſt annos perſeverans. Fons aquæ fœtidæ converſus in fontem vini. Id à Joanne eremita memoriæ proditum, cum eumdem nanciſci non potuerim, ex tranſcriptore Sylva accipiat lector. *Sed cum illud in Vita ab iſto Joanne condita, & poſt Chifletium noſtrum à Mabillonio vulgata, in promptu ſit, alioque ibidem modo narretur, ex editione Mabillonii col.* 1289 *&* 1290 *factum damus :* Cùm pertranſiret die quadam circa horam ſextam Vir venerabilis finagium * de villa, cui nomen Columbeium in foſſa, invenit fontem in itinere ſuo à pecoribus conculcatum. Cumque ibi conſiſteret, juſſit ſibi & diſcipulis ſuis panem miniſtrari in eodem loco. Illi verò, quia locus ille inhoneſtus videbatur, volebant potiùs in alium locum tranſire : dixeruntque ad Hominem Dei : Non eſt, inquiunt, Pater, hic locus idoneus ad manducandum. Tranſeamus hinc, donec ad locum veniamus, ubi honeſtiùs manducare poſſimus. Locus enim iſte coinquinatus eſt à pecoribus, & juxta viam quotidie tritam ab itinerantibus. Vir autem Domini noluit acquieſcere ſermonibus eorum. In proximo autem erant viri quidam magni nobilitate & opibus, qui obviam occurerunt ei de villa prædicta, volentes eum ducere in domos ſuas.

** Gallicè finage, id eſt confinium.*

F

prædixit multis fore ſalutarem aquam ibi mutat in vinum :

529 Qui nullatenus voluit eis aſſentire, præcipiens magis ac magis, in prædicto loco eſcas ſibi præparari. Tunc verò unus ex diſcipulis ſuis, Hemericus nomine, dixit ad eum : Quid eſt hoc, Pater, quod vis facere ? quia hic locus fœtet, & à pecoribus eſt coinquinatus : & tu vis in eo manducare ? Hunc igitur ſermonem cum audiſſet Vir Dei, ultra ſuſtinere non potuit, ſed aperuit os ſuum, & prophetare cœpit coram omnibus, dicens : Audite me, fratres, & qui mecum eſtis omnes. Dico vobis in verbo veritatis, quia veniet tempus, in quo multi hunc locum requirent, ut in eo ab infirmitatibus variis


A riis curentur. Sanctus eſt locus, utpote à Domino ſanctificatus. Hoc cùm audiſſent diſcipuli, acceperunt panes & cibaria, comederuntque cum eo, & alii multi; plures namque venerant obviam, ut ſupra diximus. Tunc vir Dei elevans manum ſuam, ſigno crucis ſuper fontem edito, benedixit eum, & ſanctificavit, dixitque miniſtris: Haurite, propinate comedentibus. Miniſtri autem hauſerunt aquam, & impleverunt ſcyphos; & verſa eſt in vinum: biberuntque omnes qui aderant, & gratias exoluerunt Deo immenſas, dicentes cum gaudio magno: Verè homo iſte ſanctus eſt, verè Spiritus ſanctus habitat in eo.

paupertatem prædicit viro, qui neglexerat purgare dictum locum.

530 Igitur Vir beatus poſt cibum, quemdam virum de prædicta villa, nomine Johannem, vocavit, qui dives & abundans erat valde; præcepitque ei, ut prædictum locum curaret, & à ſorde mundaret, & de lapidibus muniret, ne pecora illum coinquinarent. Adjecit etiam dicens: Si hoc, inquit, adimplere nolueris, ſcias, te ante obitum talem penuriam pati, quod in morte, ubi revolvi poſſis, panniculum non habebis. Illo autem pigritante, im-
B mò nolente juſſa beati Viri adimplere, res, prout Sanctus ei prædixerat, ſubſecuta eſt. Nam in morte de tota poſſeſſione ſua ſudarium habere non potuit, juxta verbum Hominis Dei. Quis hæc ſine ſpiritu prophetiæ Virum ſanctum prædixiſſe dubitet? Multa quoque, dum adhuc viveret, prophetavit, quæ in effectum ſuccedere vidimus longo tempore poſt glorioſum tranſitum ejus. Nam de fonte prædicto, ſicut prædixerat, multa evenerunt miracula. Nunc etiam, ſi cujuſpiam corporis membrum, quolibet dolore gravatum, ex aquis fontis illius fidei devotione fuerit perfuſum, cognitum eſt à multis, in melius reformari. In potu quoque ſumptæ, diverſarum infirmitatum incolumitati proſunt. Nam & ſi quis febris gravi laborans incommodo, inſpirante confeſſore Chriſti Bernardo, deſiderium habuerit hauriendi, protinus ut hauſerit, convaleſcit, & ita exſtinguitur vis febrium, ceu ſi videas ſuper immenſum rogum projectis undis univerſa incendia repentè exſtingui. Tertianarum, quartanarum febrium ignibus accenſis, ut potatæ fuerint, dolores compeſcunt.

Mors Theobaldi Comitis.

C 531 *Mortem Theobaldi, Comitis Campaniæ, cujus ſuprà mentio non parca occurrit, in hunc annum* 1151 *incidiſſe, invenies apud Manricum cap.* 6; *uti & alia plura, videlicet vitæ integritatem ex variis ſcriptoribus, qui ibidem aſſignantur; locum ſepulturæ; illuſtrem viri in ſuis per regia matrimonia cohoneſtationem; epiſtolam* S. Bernardi, *ſinceræ erga eum amicitiæ teſtem, ordine* 271; *monachatum denique Theobaldi reprobatum tamquam apocryphum.*



§ L. Archiepiſcopi Lundenſis peregrinatio ad S. Bernardum; hic illum à ſe diſcedentem miraculo proſequitur; ratio temporis librorum de Conſideratione; variæ prædictiones; turbæ in Lotharingia compoſitæ; luctus filiorum in ultimo morbo Patris; hujus pro illis cura.

AUCTORE J. P.

Eskilus archiep. Lundenſis in Dania Sancti viſendi deſiderio *al. Eskilus, Eſchilus E

PErvenimus *ad annum Chriſti* 1152, *vitæ magni Patris penultimum, ad quem annum cap.* 3 *ita loquitur Annaliſta Ciſtercienſis:* Inter hæc venerabilis Eskyllus *, Lundenſis archiepiſcopus, Danorum primas, idemque Apoſtolicæ ſedis legatus per totam Daniam .., Claramvallem * adire deliberavit, Parentem ſanctum per tot pericula terræ mariſque, per ſumptus, per incommoda viæ viſitaturus. De ea peregrinatione Saxo Grammaticus pagina 310 ad medium: ,, Eodem ,, tempore Eskyllus domeſticis ſupra vires nego-,, tiis fatigatus, dum quieti intentiùs conſulit, ,, proficiſcendi licentiâ à rege difficiliter extortâ, ,, nobile Galliarum cœnobium, quod Claravallis ,, nuncupatur, petivit, ibique aſperum patriæ ,, convictum voluntariæ peregrinationis lenitate ,, mutavit, jocundiorem rerum uſum apud ex-,, teros, quàm inter cives habiturus,,. *Sed quæ hîc narrantur ex iſto auctore, pleniùs exſtant apud Gaufridum in Vita* S. Bernardi *lib.* 4 *cap.* 3, *& in Exordio magno diſtinctione* 3 *cap.* 25.

Claramvallem petit, & admitti in illam cupit; ſed hoc accidit tantùm poſtea.

533 *Addit idem Manricus, in votis fuiſſe venerabili iſti præſuli, privatam in Claravalle vitam ducere, relictis inſulis; ſed viro multis perutili, immò etiam neceſſario, id à ſancto Patre diſſuaſum fuiſſe tunc temporis. Mira quoque ſunt,* & S. Bernardo *perquam honorifica, quæ de pane, ſola ejus benedictione dudum ſervato à corruptione; item quæ de dente & capillis Viri ſancti (detulerat illa ſecum Eskilus è Claravalle profectus) memorat Annaliſta allegatus. Quæ cùm in loco poſtmodum exhibenda ſint ex eodem Gaufrido, quem modo deſignabam, adeat illum lector. Laudatus porrò Eskilus, depoſitâ inſulâ, ſe adjunxit cœnobitis Claravallenſibus poſt mortem ſancti Patris, atque in Ordinis Annalibus frequens & honorifica de ipſo recurrit memoria. Virum hunc annuntiat & laudat Henriquezius in ſuo Menologio Ciſtercienſi ad diem* x *Aprilis.* E

Libri de Conſideratione diverſis annis ſcripti ac miſſi:

534 *Ad hunc etiam annum pertinet coronis à* S. Bernardo *impoſita aureo ſuo Operi de Conſideratione ad Eugenium Papam. Pagius in Critica Baroniana ad annum Chriſti* 1152, *num.* 2 *de ordine temporis & ſcriptionis ita diſſerit:* Loquitur hoc anno Baronius de quinque libris de Conſideratione ad Eugenium Papam à divo Bernardo elucubratis, quæ inter ejus Opera præſtant; ſed ſanctus Doctor non eos uno tenore abſolvit, ut putavit Baronius; verùm diverſis intervallis ſcriptos ad Eugenium tranſmiſit, uti obſervat Mabillonius in Præfatione ad tomum 2 Operum ſancti Bernardi. Et primum quidem anno MCXLIX edidit, cùm Nicolaus Claræ-vallenſis

AUCTORE J. P.

monachus, ejuſdem ſancti Bernardi notarius, ante ſuam diſceſſionem ſcribens Petro venerabili dicat "Mitto vobis librum domni Abbatis „ Claræ vallis ad Dominum Papam„. Quæ epiſtola ſeptima eſt lib. 6. Nicolaus autem paullo pòſt receſſit à ſancto Doctore, uti ſuo loco diximus. Præterea Bernardus ſecundum librum direxit Eugenio anno MCL poſt infelicem expeditionis Hieroſolymitanæ exitum: de quo ab ipſo libri exordio apologiam præmittit. Tertium hoc anno poſt obitum Hugonis Autiſſiodorenſis ſcripſit: cap. enim 2 num. 11 de eò loquens inquit, DEFUNCTO SANCTO EPISCOPO; quem quidem librum num. 20 declarat à ſe editum anno quarto à concilio Remenſi. Ejus verba Baronius citat. Denique quartum & quintum librum paullo pòſt, ſi non cum tertio, abſolvit.

gravis infirmitas ſancti Patris,

335 *Tandem hiſtorica de rebus* S. Bernardi *collectio noſtra ad annum Chriſti* 1153 *deducta. Fuit is Viro Dei terminus hujus vitæ mortalis, ac principium beatæ immortalitatis. Obſervat auctor Annalium Ciſtercienſium ad hunc annum cap.* 1 *num.* 2, Initio anni, hoc eſt, in media hyeme, ægrotaſſe Bernardum uſque ad mortem, *ex ipſius epiſtola. Eſt illa inter alias Bernardinas à Mabillonio vulgatas ordine* 307, *domino Oſtienſi ſcripta, & ibidem notata* anno Chriſti MCLIII. *Sic autem in rem noſtram ſcribit ad eum ſanctus Pater:* Deinde ſuper ſtatu corporis mei cognovi vos eſſe ſollicitum. Verum eſt, quod audiſtis: infirmatus ſum uſque ad mortem; ſed interim revocatus ad mortem, atque hoc (ut me ſentio) non diu: longè enim ſum debilior, quàm credi poſſit. Quod tamen dixerim abſque præjudicio divinæ providentiæ, quæ & mortuos ſuſcitare poteſt. *Ex his itaque patet, Sanctum tunc deſperatiſſima infirmitate affectum fuiſſe: at quo tempore morbus ingraveſcens illum tandem ad extrema deduxerit, teſtatur Gaufridus lib.* 5 *Vitæ cap.* 2, *ubi feliciſſimum, ſed fratribus triſtiſſimum Viri obitum deſcribit, & de ipſo, illos alloquente, ſic memorat:* Hæc ſunt verba, quæ loquebar ad vos, cùm præterita hieme ægrotarem, non vobis eſſe, quod adhuc timeretis: æſtate proxima imminere (me mihi credere) hujus corporis diſſolutionem. *Porrò quemadmodum ſe Sanctus geſſerit, in gravi ſua infirmitate, invictum & heroïcum in ardenti fervore & piis occupationibus ſpiritum exercens, præmiſerat idem biographus lib.* 5 *cap.* 1.

ac filiorum de eo cura: variæ ipſius

536 Interea fratres (*ſicut narrat idem Vitæ ſcriptor cap.* 3) inſtare ſupplicationibus, & obſecrationibus, quibus poterant apud Deum. Unde etiam Sanctus ipſe cognoſcens eorum precibus deſiderium ſuum differri, cùm aliquanto melius ſecundum corpus habere cœpiſſet, congregatis fratribus hæc eadem verba locutus eſt: Quid tenetis miſerum hominem? Fortiores eſtis, & invaluiſtis. Parcite, quæſo, parcite: ſinite me abire. *Quibus ſubdit iſta Manricus num.* 4: Sed nihilominus prophetiæ ſpiritu plenus, nec minùs interim paterno amore æſtuans, conſolari lugentes, dilationem promittere, inſtillare fiduciam, atque in ſpem cunctos erigere, & ſe ad æſtatem uſque differendum, datis dolori induciis, promittebat: "Hæc ſunt verba, quæ „ loquebar ad vos, cùm præterita hieme ægro„ tarem„, *&c.* Ergo (*uti pergit Manricus num.* 5) dum inter ſpem & metum fluctuarent ancipites, atque diu imminentem ſententiam mortis, vix, aut ne vix [quidem] ſperarent poſſe differri, minùs forte fidentes Bernardi verbis confirmavit viſio; *quæ à Gaufrido exponitur cap.* 3 *jam indicato.* Hæc tertia, *ſicut obſervat hiſtoriographus Ciſtercienſis*, jam de Bernardi obitu viſio, quam tamen quarta alia ſequuta eſt, quâ differendum etſi minùs clarè; haud tamen nimis obſcurè confirmabatur. *Exhibebat ea Odonem, unum è ſenioribus Claravallenſibus, moriturum ante ſanctum Patrem. Hanc lege apud deſignatum modò ſæpius biographum; cui adde auctorem Exordii magni diſtinctione* 3, *cap.* 6; *ubi quia ſequitur ſancti Patris aſſeveratio vel prædictio de gloria cæleſti, ſtatim poſt mortem Odoni obventura, ex eodem Exordio etiam tranſcribo iſta:*

prædictiones

537 Poſt prædictam enim viſionem idem famulus Dei Odo moleſtiâ corporis tractus ad extrema pervenit. Ad quem viſitandum cùm beatus Bernardus ingreſſus fuiſſet, videns eum pavere & anxiari, quaſi ſi minùs perfectè vixiſſet, & ob hoc ancipitem adhuc ſententiam judicis expectaret: ſic eum allocutus eſt: Quid trepidas, quid turbaris, ô anima beata? A diebus adoleſcentiæ tuæ devotum Chriſto famulatum in multis & magnis laboribus exhibuiſti: & exire formidas? Perge, perge ſecurus: ego tibi in veritate dico, quia recto curſu ad Creatorem tuum pervenies, & ſanctus coram ipſo apparebis. Qua conſolatione dilecti Patris ſui humilis Odo roboratus .. vitam veraciter apprehendit. Ut autem Pater ſanctus ſententiam, quam de eo protulerat, piæ humilitatis obſequio veram eſſe comprobaret, corpore ſancto adhuc in area jacente, antequam ad lavandum deferretur, reverenter accedens, funeris Deo digni veſtigia ſacra devotè oſculatus eſt.. Benedicti corporis ejus exuviæ in monumento, quo piæ memoriæ Humbertum locatum diximus, ob reverentiam ſanctitatis ipſius reconditæ ſunt.

memorantur:

538 *Sed mirabile prorſus eſt aliud Viri ſancti vaticinium, quod Manricus cap.* 2 *credit pertinere ad primos hujus anni* 1153 *menſes, ac producit ex ſcriptore Exordii magni. Sic itaque illud refertur in editione Triſſerii diſtinctione* 3 *cap.* 27: Nobiliſſimus princeps Gunnarus, judex quondam & dominus Sardiniæ detrachalis *, cùm aliquando gratiâ orationis ſanctum Martinum Turonenſem expetiiſſet, in reditu tranſiens per Claramvallem, & à beato Bernardo devotè ſuſceptus, de ſalute quoque animæ copioſè admonitus, converſioni minimè conſenſit: licèt Pater ſanctus, ipſo præſente, & multùm garrulante, cæcum quemdam illuminaſſet. Cui abeunti Vir Domini ſic locutus eſt: Ego quidem inſtanter pro tua converſione Dominum rogavi: ſed ad præſens exaudiri non merui. Et nunc abire te patior, quia retinere non licet invitum: ſcias tamen, te huc iterum de Sardinia reverſurum. Abiit ergo in patriam ſuam: ſed verba, quæ ex ore Viri Dei audierat, inceſſanter animum ejus ſtimulabant, Spiritu intus ſuggerente, prophetiam, quam tantus Propheta ſibi de ſe prædixiſſet, caſſari penitus non poſſe. Modico pòſt hinc elapſo tempore, cum nuntiatum eſſet ei, beatum Virum tranſiſſe de hoc mundo ad Patrem, conſternatus eſt animo vehementer, arguens ſemetipſum, & pœnitens valde, quòd ad illius prædicationem converſus non fuiſſet. Mox ergo igne illo, quem Dominus mittit in corda electorum ſuorum, & vult vehementer accendi, totus incanduit: nec omnino moram facere ſuſtinens, primogenitum filium ſuum pro ſe in regno ſuo principari conſtituit: ipſe verò dum

* *f.* tetrachalis

A dum adhuc quadragenarius esset, ætate corporis & animi vigore præpollens, relictâ Sardiniâ omnique gloria mundi spreta, pauper & humilis ingressus est in Claramvallem : ibique sub disciplina suscepti Ordinis usque ad decrepitam ætatem, imò usque ad mortem perseveranter militans, regnum terrenum pro cælesti se commutasse gloriabatur.

in tumultibus apud Lotharingos

539 Varii in Lotharingia tumultus, *sicut perhibent Annales Ordinis Cistercienſis cap.* 4, apud Metenses, Bernardum tamquam angelum pacis forte ad hoc reservatum præstolabantur. Quin & Illinus * Trevirorum metropolita, sub quo Metensis sedis, ad Claramvallem veniens, eumdem Sanctum humilis supplexque, ut tantis subveniret malis solicitabat. *Rem narrat Gaufridus lib.* 5 *Vitæ cap.* 1, *addens, vires ad tanti operis successum in hoc casu, sicut in aliis eventibus præteritis contigerat, Viro Dei cælitus fuisse redditas.* Dominus, *inquit*, sicut semper fidelis Servi sui direxerat vias, & in præcipuis quibusque causis aptissimo usus fuerat instrumento, ex paucis antè diebus ægritudinem corporis ejus aliquatenus relevarat. *Et paucis interjectis :* Quod quidem sæpiùs erga eum providentia divina disposuit . . , ut quoties eum grandis aliqua necessitas evocaret, vincente omnia animo, vires corporis non deessent . . Cui in opere novissimo tam manifestè divina affuit virtus, ut ex laboribus vires capere videretur. *Interim* Jam arma utrimque, *inquiunt num.* 4 *Annales citati*, & clamores audiebantur : & alteri ex ardore vindictæ, alteri ex victoriæ recentis elatione, fremebant utrique. Cùm sanctus Pater admonitus per visum nulli repulsæ cedere, tandem quæcumque vellet impetraturus, Trevirensium antistitem secutus, pervenit ad castra, quæ jam jamque in se invicem irruitura, Mosellæ ripas longiùs occupabant.

**. al.* Hilinus

B

à Viro Dei compositis, mirabilia varia,

540 *Quot & quanta hîc mirabilia in Virum sanctum quasi confertim à divina providentia sunt congesta ! Mirabile ad illos tractus iter ejus ; qui puncto vix unico distabat ab itinere ad æternitatem : mirabilis in desperatissimæ pacis negotio tam certa & affirmata de bono ejus eventu prædictio ; mirabilis denique atrocissimarum istarum discordiarum compositio : etenim* partis utriusque primarii . . , compositis omnibus, secundum quod fidelis arbiter (*Bernardus*) definivit, datis sibi invicem dextris, reconciliati sunt in osculo pacis, *uti Gaufridus testatur : qui lectorem, totius rei gestæ seriem describens, pleniùs edocebit.* Premebat *videlicet* homines, *uti rectè observat Manricus num.* 6, auctoritatis Bernardi pondus, premebant miracula, cùm nefas ducerent utrique non exaudire, quem Deus exaudiebat, & cui ipsa natura obtemperabat. Præter alios illuminati duo cæci ad tactum Viri Dei : claudi item duo donati libero gressu, Deum in Bernardo præsentem manifestabant. *Deinde ex eodem Gaufrido refert celeberrimam mulieris, vehementi tremore ac validis membrorum motibus ab annis octo concussæ sanationem ; uti & alterius paralyticæ curationem. Adisis ipsum Gaufridum loco superiùs citato : qui postquam narraverat ea, quæ in hoc supremo ac prorsus memorabili Abbatis sanctissimi itinere contigerunt, sic eumdem affatur, prædictum caput primum concludens :*

C

ac memorabilia : reversus ad suos

541 Cæterùm nimis difficile, aut omnimodis impossibile foret, itineris illius magnalia universa complecti. Sed neque propositi nostri est, ejusmodi modò prosequi signa, & narrandis vir-

tutum operibus operam dare. Hic enim viarum tuarum, Pater dulcissime, finis beatus, & hîc labor ultimus fuit. In hoc opere non minùs utili, quàm difficili, nec minùs desperatæ quàm necessariæ pacis labores tuos gloriosè complevit, qui magnificè semper honestavit te in laboribus tuis, te in suo nomine, & nomen suum in te glorificans, rex gloriæ Dominus Deus tuus. *Hæc Gaufridus ; qui cap.* 2 *tractat de Sancti ad cœnobium Claravallense regressu, ac animi gaudio, quo erat delibutus. En nonnulla è pluribus, quæ scribit :* Ut expleta Metensium reconciliatione, & provinciæ illi pace reddita, Abbas sanctus ad monasterium rediit, gravi admodùm jam jamque deficientis incommodo corporis occupatus, in tanta animi suavitate, & dulcedine spiritûs quotidie propinquabat ad exitum, ac si in portu navigans paulatim vela deponeret. Evidenter quoque fratribus aiebat : " Hæc sunt verba, quæ „ loquebar ad vos, cùm præterita hieme ægro„ tarem„ *&c. quæ suprà præmissa sunt.* AUCTORE J. P.

& ad extrema vitæ deductus movet filios ad gravissimum luctum ;

D

542 *Claravallensium filiorum de desperata amantissimi Parentis salute dolorem commemorat Manricus cap.* 7, *his verbis usus :* Jam Pater sanctus morti, jam mors victoriæ, jam victoria triumpho appropinquabant. Jam beati angeli, jam spiritus cælestes novum civem cum gaudio, quin ipsi dæmones Bernardum abeuntem, per quem tot millia animarum perdidissent, quà poterant, cum tripudio præstolabantur. Soli fratres & filii, destituendi tanti Patris solatio, tanti magistri ductu, mœrebant tristes, ejus vitam vel propriis redempturi. Quippe sub eo discedere, in felicitate ; sine eo vivere, in miseria reponebant. Videres homines penè extra se factos, ipso, quem amittendum deplorabant, ut apparebat, morte propinquiores. *Audiatur unus ex illis Gaufridus lib.* 5 *Vitæ cap.* 2 : Nostrum sub tam gravi articulo inconsolabilem luctum aliquatenus illi æstimare, ac sibimet exhibere licebit, pallidasque, si piè senserit, turmas imaginabitur filiorum, exterminatas facies, vultus exsangues, genas lacrymis sordentes, suspiria quoque pectorum ac singultus.

E

quibus testamentum relinquit.

543 *Deinde idem biographus apostrophen teneerrimi affectus, venerationis profundissimæ, ac cumulatissimæ laudis expressionibus plenam dirigit ad sanctum suum Parentem : sed, ne actum agam, huc illam non transcribo. Mitto hîc etiam alia, quæ subjungit, de filiorum ad Patrem accessu, hujusque & illorum verbis, ac fletu. Item dilectissimam sibi sobolem consolabatur. Ad hæc, monitis eam instruebat dulcis ac solicitus Pater (vide laudatum Gaufridum loco citato) ad religiosam perfectionem, lacrymis præ affectu sermoni verè paterno intermixtis, charissima sibi pignora adhortans. Nec præteribo tria illa monita, quibus testamenti seu ultimæ voluntatis loco dilectos sibi filios benignissimus Pater affatus fuisse dicitur ab Alano apud Mabillonium volumine* 2, *col.* 1271 *&* 1272 : Videns itaque suorum finem imminere dierum, quosdam fratres, qui in familiari sibi conversatione diutiùs adhæserant, seorsum advocans, alloquebatur, talia dicens : Quia non arbitror me magna vobis religionis exemplum posse relinquere, tria vobis imitanda commendo, quæ in stadio, quo cucurri, me pro possibilitate mea memini observasse : Minùs sensui meo, quam alterius credidi ; læsus de lædente vindictam non expetivi. Nemini scandalum facere volui : &, si quando incidit, sedavi ut potui. *His merentur*

F

AUCTORE J. P.

adjungi, quæ Manricus in additis ad Exordium magnum lib. 7 cap. 10 legisse se significat, hisce verbis expressa: Ut olor dulcissimus, qui canoro & suavi modulo, ad limina mortis ductus, cantare solet; sic & B. P. Bernardus jam in extremo vitæ præsentis ac perituræ constitutus, dulciora multo, magisque melliflua verba sonabat: adeo ut præ gaudio mixto tristitiæ, omnes, qui ibi aderant, ingenti luctu ac gemitibus enarrabilibus, in lacrymas dissolverentur.

§ LI. Morbus; revelatus obitus; litteræ, ut fertur, Duciſſæ Lotharingicæ; virorum illustrium acceſſus; mors; corpus; miraculis finis impositus per obedientiam.

S. Pater ipse suum morbum describit:

B

MOdum autem ægritudinis ejus si quis nosse desiderat, exstat epistola, quam ad amicum quemdam pauciſſimis diebus ante sacram à nobis profectionem suam ipse dictavit, *teste Gaufrido lib. 5 Vitæ cap. 2, qui eam etiam ibidem recitat. En tibi sequens ex ea fragmentum:* Somnus recessit à me, ne vel beneficio sopiti sensus dolor umquam recedat. Defectus stomachi fere totum quod patior est.. Pedes & crura intumuerunt, quemadmodùm hydropicis contingere solet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum, secundum interiorem hominem (ut minùs sapiens dico) spiritus promptus est in carne infirma. *Epistola porrò hæc ordine 310 signatur, & inscribitur* Ad Arnoldum Carnotensem abbatem Bonæ-vallis, *notante Mabillonio*, Ernaldum passim appellari in vetustis monumentis, ut in Spicilegii tomo 12 pag. 390, & apud Arnulfum episcopum Lexovienſem, qui ejus epistolas laudat. Omnes excidisse summopere dolemus. Ernaldo librum secundum de Vita Bernardi.. tribuendum esse, docent Notæ fusiores.

abbati cuidam prope Claramvallem bis revelatur ejus mors:

C

545 *Manricus cap. 7 num. 7 & 8 scribit de duabus aliis, præter eas, quas diximus revelationibus, quibus Sancti mors prænuntiata fuerit. Proferamus ejus verba:* Hoc ipso tempore in abbatia Claræ-valli proxima, nec satis certum adhuc, in qua fuerit, quarta de Sancti morte revelatio abbatem simul instruxit & invitavit, affuturum, si vellet, obitui sancto, cui curia omnis cæleſtis præsens assisteret. *Factum narratur ac confirmatur apud Gaufridum lib. 5 cap. 3. At sive rem non tam prope adesse existimaret abbas ille, sive non plenam isti revelationi haberet fidem, sive aliis occuparetur negotiis urgentibus; hanc monitionem cæleſtem subsecuta est alia, de qua Manricus citato num. 8, prædicti monasterii Præposito facta ab ipso* S. Bernardo; *quæ cùm sit breviter relata à laudato mox biographo, eam huc ex ipso transfero:* In monasterio prædicti illius abbatis, qui sic ejus natalem præviderat ea nocte, quam nobiscum Pater sanctus manè profecturus ultimam fecit, venerabili ejus Præposito apparens, valefecit illi, & ait: Noveris, quia jam migro, nec ulteriùs hîc morabor. Quod ut ille indicavit abbati, accelerans abbas, & Claramvallem veniens, ipso die Abbatem sanctum, sicut dixerat, reperit jam migrasse. *Atque* hæc *quidem* quinta revelatio mortis, *uti observat Manricus num. 8*, sanctissimi Patris: *& quantùm nos novimus, etiam postrema, quæ utique accidit ultima nocte, post quam proximo matutino diluculo erat migraturus ad Dominum.*

D

ipsi fertur scripsisse Duciſſa Lotharingiæ: accessus virorum illustrium, tempus mortis:

546 *Appetente autem mortis tempore, venisse ad eum fertur nuntius è Lotharingia, ac Duciſſa, à Viro sancto olim conversa, litteras ad ipsum detulisse. Quid verò in eisdem scripserit, & quid Sanctus responsi dederit, legi potest apud Historicum Cistercienſem cap. 7 num. 9, post cujus rei narrationem addit:* Hæc ex anonymo antiquo, *ut vocat*, Ms., à quo se Brito hausisse testificatur, *qui inspici potest lib. 3 cap. 28; ubi allegatur quidem* codex Ms. fol. 64, *& alii nominantur auctores; sed facti fides sit apud asserentes; cùm Gaufridus adeo diligens & accuratus scriptor eorum, quæ sub finem Vitæ* S. Bernardi *acciderunt, nihil horum memoret. Porrò de mirabili hujus duciſſæ Adeleidis conversione agit Guillelmus in Vita lib. 1 cap. 7, & Fragmenta Gaufridi col. 1277. Vide quæ suprà dixi § 18, num. 198. Postremò Virum sanctum jam morti proximum illustrium personarum consortio cohonestatum fuisse, testis est Gaufridus lib. 5 Vitæ cap. 2:* Noviſſimè, *inquit*, cùm exterioris habitaculi undique jam soluta compago,.. magnus ille dies illuxit, quo perpetuus illi ortus est dies: ad cujus exitum vicini episcopi cum abbatum & fratrum copiosa multitudine fuerant congregati. *Tempus verò mortis mox subdens*, Horâ, *inquit*, diei pæne tertiâ.. (*Manricus cap. 7, num. 11*, tribus, *ait*, ante meridiem horis, plùs minusve) à corpore mortis.. migravit. *Deinde autem alias temporis notas signat.* Annis circiter sexaginta tribus expletis.. decimo tertio Kalendas Septembris inter filiorum manus obdormivit in Christo, *anno videlicet reparatæ salutis 1153; quem dictus biographus, nonnullis rebus interjectis, de quibus agetur illico, etiam notat, dicens:* Facta sunt hæc eodem anno, quo beatus Papa noster Eugenius tertius.. ab hac luce.. migravit.

E

sanctissima ipsius animam à Deipara cælo in fertur:

F

547 *Quo autem momento beatissimus Pater animam purissimam suo Creatori reddidit, visio planè singularis condecoravit felicissimum ejus ex hac vita transitum, quam Manricus num. 13 sic narrat ex additis ad Exordium magnum lib. 7 cap. 10:* In ipso verò momento, quo ultimum exhalavit spiritum, visa est in eodem cubiculo, quo sanctus Vir jacebat, piissima Dei Genitrix, specialis B. Bernardi patrona, largissima suorum remuneratrix, innumeram angelorum ac cæleſtium spirituum multitudinem, prout reginam cæli ac dominam angelorum decebat, secum in comitatu habens, quæ cernentibus omnibus, qui ad funus venerant, sanctissimam Viri Dei animam quasi ab ore ejus rapiens, usque ad penetralia cæli cum eodem comitatu, lætantibus angelis, hymnosque cæleſtes per aëra cantantibus perduxit, quo pia sui memorum immemor nequaquam existeret. Similiter & visa est eadem cæli regina illam B. Patris nostri Bernardi animam in cæleſti beatitudine ad latus suum collocasse. *Ea autem sic metro illigavit Philotheus in Carmine encomiastico de vita & moribus* S. Bernardi:

Cùm niveus, lacrymas inter gemitusque suorum,
Spiritus, abjecto corpore, celsus abit:
Ipsa per aërios Virgo nitidissima tractus,
Visa est cæleſtes ducere læta choros:
Purpureamque trahens animam super arce locavit

Empy-

A Empyrea, lateri compoſuitque ſuo. *Hæc ibi de iſta apparitione; ſed Gaufridus nihil de ea ſcriptum reliquit, quod miror. Quid de ſacro corpore expoſito, concurſu hominum, & ſepultura?*

corpus expoſitum, concurſus, ſepultura,

548 Corpus *defuncti Abbatis* etiam rite paratum, & ornatum ſacerdotalibus indumentis, oratorio beatæ Dei Genitricis infertur; *teſte Gaufrido lib. 5 cap. 2, concurrente ad illud plurima hominum multitudine, vallemque totam ploratu atque ululatu implente; ſicut ibidem ſequitur.* Biduo manſit in medio gregis Paſtor exſtinctus, dum priſtina illa dulciſſimi gratia vultus nil minorata, ſed aucta, magis omnium in ſe figeret oculos, animos traheret, ſepeliret affectus. *Quid præterea?* Creſcebat autem ſupra modum ruens undique populi multitudo, & intolerabilis jam fiebat impetus concurrentium, ac deſiderabiles tenentium pedes, oſculantium manus, applicantium panes, baltheos, nummos, & alia quæque ſervanda ſibi pro benedictione. *Et verò ſecunda die tam erat importuna corpus venerabile obſidentium multitudo, ac præſtolantium ſa-*

B *cratiſſimi iſtius pignoris ſepulturam, die tertia faciendam, ut anticipata ejuſdem fuerit hora, ad vitanda, quæ timebantur, incommoda. Conſule laudatum mox biographum, qui iſta pleniùs enarrat. Quid, quod unus è fratribus, gravi ac diuturno morbi caduci malo laborans, &, priuſquam corpus tumulo conderetur, plena fide ad illud accedens opemque flagitans, perfectam recuperarit ſanitatem, prout videre licet apud eumdem ſcriptorem: quamquam hæc ſanatio aliunde ejus textui inſerta eſt. Adiſis etiam Exordium magnum diſtinctione 2 cap. 20.*

miracula tot facta ſunt,

549 *Neque filio ſuo ac domeſtico Pater ſanctus dumtaxat fuit benignus; ſed externis etiam præbuit ſe propitium. Audiatur Exordium magnum loco jamjam indicato:* Pridie etiam quàm reconderetur pretioſiſſimus ille theſaurus, puer quidam de proximo viculo advenit, præ ſiccitate nervorum aridum habens brachium, & manum contractam. Cujus ætati & debilitati qui præſentes aderant compaſſi, tantò huc fiducialiùs ad ſacri corporis tactum invitavere poſt horam orationis nonam, quantò id minus innocens ætas per

C ſe præſumere audebat. Ubi verò brachium aridum brachio ſancto, & manus contracta manui benedictæ applicata eſt; repentè vigore naturæ redeunte brachium convaluit, & manus liberè extendens & reflectens digitos, ſub oculis totius multitudinis, quæ ſacrum funus quaquaverſum circumdederat, perfectæ ſanitati reſtituta eſt. In cujus curatione tantus illicò factus eſt clamor omnium, qui aderant, vociferantium in laude Dei, ut vix eum potuerit Fratrum diſciplina reprimere. Superveniente verò nocte allatus eſt alius toto corpore debilis, procubuit loculo, & coram pſallentibus erectus eſt, & deductus ad altare. *Ita Exordium magnum Ordinis Ciſtercienſis.*

ut propter populi tumultum juſſus ſit Sanctus iis finem imponere:
* *al. additur* Gozeuinus
* *al. additur* abbas

550 *At magna virtus miraculorum exierit oportet de corpore Abbatis noſtri jam vitâ functi, cùm injunctum ei dicatur, ne eadem ulteriùs continuaret, Goſvino abbate Ciſtercienſi illud prohibente. Factum audi ex auctore Exordii magni diſtinctione 2, cap. 20:* Enimverò domnus * Ciſtercienſis *, qui cum aliis pluribus abbatibus ſui Ordinis ad exequias Viri Dei venerat, conſiderans tantam importunitatem tumultuantis populi, & ex præſentibus futura conjiciens, vehementer timere cœpit, ne, ſi crebreſcentibus ſignis tam intolerabilis illuc populorum turba concurreret, earum improbitate diſciplina periret Ordinis, & ſanctæ religionis fervor in eodem loco tepeſceret. Quapropter, habita ſuper hoc deliberatione, reverenter accedens, per virtutem obedientiæ, ne ſigna ulteriùs faceret, inhibuit. Sed cum dicat Apoſtolus de Domino noſtro Jeſu Chriſto, quia factus eſt obediens Patri uſque ad mortem, & ipſius exemplo legiſlator noſter ſanctus Benedictus obedientiam nobis uſque ad mortem in regula proponit; ſancta & verè humilis anima Patris noſtri mortali homini, etiam poſt mortem carnis, obediens fuit. Nam ſigna, quæ tunc jam radiare cœperant, ita ceſſavere, ut ex illa die & deinceps numquam publica miracula facere viſus ſit: licèt quibuſque fidelibus, præcipuè ſui Ordinis fratribus, pro variis incommoditatibus ad ſe clamantibus, uſque hodie deeſſe non poſſit. Namque ſola illa ſigna, quæ diſciplinam Ordinis per turbas concurrentium populorum minuerent, domnum Ciſtercienſem fieri noluiſſe, manifeſtum eſt. AUCTORE J. P.

hanc Viri obedientiam objicit

551 *Caterùm, quid occaſione hujus mandati acciderit in tartareo ſpiritu, qui mulierem poſſidebat, indeque per merita* S. Bernardi *exire juſſus, hanc ipſius jactabat obedientiam, ne occupatam à ſe ſedem deſerere cogeretur, non abs re fuerit hoc loco commemorare ex magno Exordio Ciſtercienſi, quod paullo antè deſignatum eſt. Rem itaque geſtam ex illo intellige:* Evolutis dehinc poſt tranſitum beati Viri pluribus annis, erat in partibus Italiæ matrona quædam, quam correptam ſpiritus malignus atrociter vexare cœpit. Quo tam lamentabili caſu propinqui & amici ejus vehementer conſternati, ſi quid remedii foret, ſedula meditatione penſare cœperunt. Erat autem in vicinia cœnobium quoddam Ordinis Ciſtercienſis; & ſicut mentibus in anguſtia conſtitutis ſpes undecumque concepta ſolet parere fiduciam, ad eamdem domum dæmoniacam illam causâ curationis ducere communi conſilio decreverunt. Quod & factum eſt. Siſtitur miſera ad portam: & aliqui ex ſimul comitantibus, qui tantum malum abbati & fratribus nuntiarent, opemque flagitarent, mittuntur. Abbas verò quoſdam de ſenioribus, quos magis noverat ſpirituales, aſſumens, cum cruce Dominica & Sanctorum reliquiis egreditur ad patientem. Cumque malignus ille ſpiritus per Domini crucem & per ſacra Sanctorum pignora conjuratus nil moveretur, recordatus eſt abbas, habere ſe venerandas reliquias de capillis & barba S. Bernardi: quas eodem, ni fallor, anno ad Capitulum vadens in Claravalle pro benedictione acceperat, & ad tutelam ſui continuè ſecum ferebat. Et nil dicens, manus ſub cuculla ſilenter miſit, quatenus extractis his reliquiis dæmonem per has urgeret.

E

F

ſpiritus malignus excat liere [illegible] ſa.

552 Quod peſtifer ille lynceis oculis deprehendens, cœpit continuò ſcabellum pedibus terere, ſputa jacere: totius quoque corporis indecenti motu, quid intus pateretur, prodebat invitus. Et erumpens in vocem, Eja, inquit, abbatule, quid vis facere? Quid modò mali contra me ſub illa veſte tua machinaris? Fruſtra niteris, incaſſum laboras: ſervà Bernardulum tuum, nec enim proficies quidquam. Dicente verò abbate, per Domini gratiam & hujus ſanctiſſimi Viri merita, modò egredieris, reſpondit: Quid? An excidit tibi, quòd prohibitum eſt ei ſigna facere? Hoc ergo ſciens, ſecurus in hoc meo domicilio requieſco. Audiens autem abbas & fratres, qui cum ipſo erant, hæc verba, valde

AUCTORE J. P.

mirati ſunt, quòd ſcilicet ſpiritus nequam interdictum illud in ſcutum ſuæ defenſionis tam celeriter invenerit.

§ LII. Variæ poſt beati Patris obitum apparitiones; tumulus; epitaphia; elogia; aqua, quâ ejus ſacrum corpus fuerat ablutum, prodigioſa; ſermo anniverſarius; corporis ac morum deſcriptio.

S. Bernardi gloria cæleſtis

A Scendentem in cælum beatam animam ex variis mundi plagis conſpexêre viri ſanctiſſimi; ſed inter alios duo commemorantur, alter in Anglia, in Vaſconia alter exiſtens: hic Montis Peſſulani Guillelmus Comes, quem dudum in Grandi ſilva converſum, inde in Hiſpa-
B niam miſſum, ſed nunc forte reverſum commemoravimus: ille anonymus, ſed magnæ ſanctitatis, nec ſimilibus diſſuetus revelationibus: uterque eadem die, qua deceſſit; ſed alter alloquens; alter tantùm videns. Et de Anglo hæc auctor Exordii magni lib. 1 cap. 38: " Ferunt „ in regione Angliæ quemdam Religioſum ma„ gnæ virtutis exiſtere, qui in ipſa die, qua B. „ Bernardus, abbas in Claravalle, de mundo „ migravit, cum eſſet in Anglia, vidit in ſpiri„ tu maximum quemdam angelum de cælo tranſ„ miſſum, maximam nihilominus animam quam„ dam de terra aſſumentem, & eam cum ingen„ ti gaudio ſecum ad aſtra ferentem „. *His exorditur Ciſtercienſis Annaliſta ſuum caput octavum. Apparitionem verò aliam, quæ laudato Guillelmo accidit eâdem ipſâ nocte, quâ Abbas ſanctus ex hac vita deceſſit, idem hiſtoriographus ſubnectit ex Gaufrido lib. 5 cap. 3: ubi lector pluribus illam deſcriptam inveniet.*

poſt obitum ejus

554 *Duabus hiſce ſuperaddit tertiam Manricus*, quatuor à Claravalle, *uti* refert, dictis factam Regulari Canonico, qui pòſt monachum induit in Claravalle. *Rem verò geſtam memorare*
C *ſe dicit ex anonymo Gallo, quem Silva tranſtulit. Sic itaque habet:* Is eâdem, quâ Sanctus, obiit die, imò & eâdem horâ, videre ſibi per ſomnum viſus eſt monachos plures in cucullis albis ſplendidos, binos & binos lentè procedentes, ac deducentes corpus beati Viri à cella uſque in eccleſiam, ubi funebres ejus exequiæ celebrabantur.. Evigilans, de morte & viſione ſolicitus ac dubius diſtrahebatur, an ſanctus Doctor de mundo jam migraſſet, & an pro illo orandum, an ipſe potiùs, quaſi qui poſſet pro aliis intercedere. Repentè extra ſe factus ſtellam vidit claritatis ingentis & pulchritudinis, atque eam eſſe amici & Patris animam voce è cælo delapſa clarè cognovit, ante Dei thronum æternùm micaturam. *Hac viſione expoſita*, Similem, *inquit*, aliam in Italia factam ibidem habes. *Hactenus Annalium Ciſtercienſium collector.*

variis eſt manifeſtata perſonis & locis:

555 *Accipe aliam, quæ apud eumdem hiſtoricum exſtat num. 5, ex additis, quæ citat, ad Exordium magnum lib. 7 cap. 10:* Refert ergo (ait) doctor Jacobus de Paradiſo, qui fuit de Ordine Carthuſienſium, quod illâ horâ, quâ B. Bernardus de hoc ſeculo feliciter migravit, triginta millia hominum è vita deceſſerunt. Inter quos etiam fuit vir quidam Decanus eccle- D
ſiæ Lincolnienſis, qui, dum vixit, vir vitæ laudabilis fuit. Qui mundanos honores fugiens, vitam ſolitariam elegit in quadam eremo, in qua per viginti quinque annos ſanctiſſimè converſatus eſt. Obiit igitur etiam hic decanus eodem die, quo beatiſſimus Pater noſter Bernardus. Poſt mortem autem apparuit Lincolnienſi epiſcopo cum magna gloria, pro ipſius epiſcopi, & omnium audientium admonitione dicens ei: Age pœnitentiam, emenda vitam, corrige conſcientiam, dimitte ſuperbiam ſimul & avaritiam: aliter numquam habebis cæleſtem gloriam. Non enim tam facile eſt, ſalvari hominem, ſicut multi credunt. Quoniam, dum ego præſentarer tremendo Dei judicio, affuerunt ibi triginta millia animarum, de quorum numero vir beatus Bernardus, & ego ſumus ſalvati: tres deſcenderunt in purgatorium: alii omnes ceciderunt in infernum. His dictis diſparuit Decanus. Sed benedictus ſit Deus in Sanctis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui ſanctum Patrem noſtrum Bernardum ita in omni gente, & natione glorificari dignatus eſt. *In Bibliotheca Cartuſiana, auctore F.* E
Theodoro Petreio, notatur Jacobus de Cluſa, aliàs de Paradiſo (licet alii diverſos fuiſſe exiſtiment) ante Ordinis ingreſſum S. Theologiæ doctor ac profeſſor publicus; poſtmodùm verò Erphordianæ Cartuſiæ alumnus, ſcripſiſſe tractatum DE APPARITIONIBUS ANIMARUM, poſt exitum à corporibus.., obiiſſe *autem* anno .. MCDLXV, aut præter propter.

multæ aliæ de hac re evenerunt apparitiones:

556 *Plura ſunt alia viſa, quibus Dominus Deus fideliſſimi ſui Famuli jam vitâ functi gloriam manifeſtavit. Legatur Gaufridus lib. 5 Vitæ cap. 3; è quo hæc in compendium redigo:* Proxima nocte, poſtquam ſacrum corpus ſepulturæ traditum fuerat, quantam adhuc pro filiis ſolicitudinem gereret Pater ſanctus.., evidenter oſtendit. Apparens enim cuidam fratri in multa gloria.., & deſiderantem tenere, citò pertranſiens, aiebat, Quia pro quodam fratre ſimplice veni... Circa horam diei tertiam veritas comprobata eſt viſionis. Defunctus eſt enim quidam frater.., & ſicut omnino credibile eſt, animam ejus.. ſecum tulit. Paucis quoque expletis diebus alteri cuidam fratri magnificè ſatis apparens, .. Hoc etiam ſcito, ait, & dicito fratri- F
bus, cujuſdam verè Sancti corpus, cujus & ego habeo veſtem, in oratorio eſſe ſepultum. Dicebat autem epiſcopum Malachiam. Ipſius enim tunicam, in qua Sanctus ille feliciter obdormierat, ad Miſſarum ſibi ſervaverat celebrationem, & moriturus in ea ſeſe juſſerat ſepeliri, ſicut & Sanctum illum in ſua ſepelierat veſte. Quod tamen verbum & ipſi fratri, & quampluribus aliis uſque ad hanc viſionem prorſus erat ignotum. *Aliæ* S. Bernardi *apparitiones numero bene multæ, ac genere ſuo ſingulares dabuntur à nobis pòſt in Gloria Viri poſthuma. Liceat nobis interea temporis ad alia pergere.*

ſepultura, tumulus, epitaphia

557 *Tertio itaque poſt mortem die corpus ipſius ſepultum eſt. Superpoſitas tamen pectori ſacratiſſimo fuiſſe* B. Thaddæi Apoſtoli reliquias, *ſicut beatus Abbas præceperat*, eodem anno ab Jeroſolyma ſibi miſſas, *perhibet Gaufridus lib. 5 cap. 2. Occaſione ſepulturæ de epitaphiis etiam aliqua ſunt notanda. Manricus cap. 9 ſequens de iis judicium profert:* Bernardi tumulum ab ipſo ſancto ſepulto ornaverunt elogia, ſeu epitaphia, quæ ſimul cum Operibus ejus circumferuntur, bonitate quàm numero inferiora. Ener-

via

A via ea pro argumenti qualitate, & nunc dura, nunc frigida, aut, si quando incalescant, inæqualia: certè quæ ideo plura esse videantur, quia nullum satis. Nec tamen sine nutu divino factum credam, ut summa aliàs ingenia velut in luce Bernardi cæcutirent, & quæ laudandis aliis supereſſent, in ipso deficerent, quasi qui solus sibi sufficiens foret; & laureatus spiritu sapientiæ, non aliis coronandus veniret, quàm suis scriptis. Adsensisse videtur Baronius ad hunc annum huic conjecturæ, atque ipsam etiam judicio suo approbasse: nam Sancti laudibus cœptis, sed vix libatis, ad Adamum de sancto Victore propere transit, unum præ aliis Bernardi laudatorem, & tandem concludit: " Ista in laudem ,, laudatoris S. Bernardi redundent ,, . .

seu elogia: 558 Epitaphium Adami Victorini, quia revera præ aliis dulciùs sonat, omissis reliquis hîc duxi transcribendum, *quod haberi indicat* inter epitaphia D. Bernardi. *Sic verò expressum est:*

Claræ sunt valles: sed Claris vallibus Abbas
Clarior his clarum nomen in orbe dedit.
Clarus avis, clarus meritis, & clarus honore,
B Clarus & eloquio, relligione magis.
Mors est clara, cinis clarus, clarumque sepulchrum:
Clarior exultat spiritus ante Deum.

Sic Victorinus Adam lusit, adlusitque ad sancti Abbatis, & loci claritudinem. Cætera languent, & nec Bernardi operibus digna erant, neque his Annalibus. *Non itaque opus est ad hujusmodi elogia recurrere. Alia gravissimorum omnis status ac conditionis virorum de Sancto testimonia paullo inferiùs proferemus, ne vel ipsis quidem ex laudatorum istorum agmine exclusis heterodoxis, qui suam quoque symbolam in* Bernardi *præconia contulere. Enimverò si sapientissimorum virorum elogiis addere nostrum de sancto Patre sensum liceat; tam ex dictis per decursum hujus nostri Commentarii, quam ex dicendis infrà in Vita ejus, nec non post illam in Gloria posthuma in ipsius honorem à nobis elucubranda, manifestissimè conficitur, sequentes titulos, non adumbratos, sed veros ac genuinos ipsi convenire. Fuit itaque Vir sanctissimus, ac vocari debet meritissimo jure Ecclesiæ Catholicæ lumen & columen,*
C *Sedis Apostolicæ fulcrum, hæreticorum malleus, apostolus, propheta, thaumaturgus, Angelus pacis, Dei omnipotentis organum, perfectionis religiosæ norma, Ordinis Cistercienſis propagator & gloria, vas denique electionis, ad agendas res magnas, & ad felicem exitum promovendas non difficillimis dumtaxat, sed desperatissimis etiam temporibus.*

in sermone, qui habitus est in die anniversario, agitur de aqua prodigiosa 559 Edidit . . in anniversaria sacri obitus illius solemnitate perelegantem sermonem Godefridus, ejus notarius, cùm postmodùm abbas esset in Claravalle. Qui licet mendis plurimis respersus, in posterioribus, quæ circumferuntur, editionibus, simul cum operibus sancti lucem accepit, sub hoc initio: Quam dulcis hodie, dilectissimi filii, paterna debet esse memoria; *prout observat Manricus cap. 9, num. 5. Sermo iste pluribus à nobis indicatus est § 1 hujus Commentarii num. 18, ubi etiam signatur, quo anno fuerit habitus. De auctore autem consulat lector observationes § 63. Mirabile autem est, quod dicto num. 5 refertur de aqua, quâ ablutum fuerat corpus Sancti vitâ functi, post multos etiam deinde annos salutifera & prodigiosa. Audiantur Sermonis verba:* Nonnullis etiam Pater sanctus, cùm in carne eum non viderunt, benignum sese in spiritu exhibuit patrem; tulit opem, abstulit tentationem, attulit consolationem. Nam ex lavacro sacri corporis ejus, cùm ex more ei post transitum debitas exhiberemus exsequias, fratres quidam in remotissimas orbis partes deportaverunt, &, sicut eorum certa relatione didicimus, cùm jam decimus annus transierit, non tantùm aqua illa usque modo manet omnimodis illibata; sed eamdem obtinet & gratiam, quæcumque fuerit superfusa. Cùm enim pluribus jam ad remedia postulantibus de eodem sacro liquore donaverint (nam & eum multis opem tulisse confirmant) impleto tamen sæpiùs aquâ alterâ vasculo, talis permanet usque hodie, qualis prima fuerat die. AUCTORE J. P.

accurata S. Bernardi 560 *De singularibus gratiæ dotibus, quibus Vir sanctus erat præditus, asserit ista scriptor Vitæ Gaufridus lib. 3 cap. 1*: Serenus *erat* vultu, modestus habitu, circumspectus in verbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione devotus, & . . de omni re magis fidens orationi, quàm industriæ propriæ vel labori: magnanimus in fide, longanimis in spe, profusus in charitate *&c.* Apparebat in carne ejus gratia quædam, spiritalis tamen potiùs quàm carnalis. In vultu claritas præfulgebat, non terrena E utique, sed cælestis. In oculis angelica quædam puritas, & columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris ejus hominis pulcritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis & gratiæ copiosè perfusus homo quoque exterior videretur. *Jam verò externum corporis statum ita pergit exhibere idem biographus loco allegato:* Corpus omne tenuissimum, & sine carnibus erat: ipsa quoque subtilissima cutis in genis modicè rubens . . Cæsaries ex flavo colorabatur, & candido. Barba subrufa, circa finem vitæ ejus respersa canis. Statura mediocritatis honestæ, longitudini tamen vicinior apparebat.

repræsentatur descriptio. 561 *Infirmo autem ac plurimis incommodis subjecto Vir sanctus erat corpore. Audiamus denuo Gaufridum citatum:* Aliàs autem thesaurus iste in vase fictili erat, contrito penitus & undique conquassato. Laborabat siquidem caro ejus multiplicibus infirmitatum incommodis, ut in eis virtus animi perficeretur. Quarum periculosior quidem in meatu arctissimi gutturis, nil penitus siccum, vix solidum aliquid admittentis: molestior erat defectus stomachi, viscerumque corruptio. Hæ continuæ illi, præter alias sæpiùs incidentes. *Porrò de virtutibus Viri, ac modo vivendi, quæ laudatus biographus ibidem enarrat, non memoro; sed ea in ipso fonte legenda designo, ne justo longior sim, si omnia singillatim describsero, quæ ibi scripta sunt. Interea temporis vellem, ut repræsentasset idem auctor, qualis fuerit in ipso vultûs conformatio, qualia frontis, oris, oculorum lineamenta. Id verò cùm nec ipse fecerit, nec ab alio antiquo biographo factum norim; conabor, quoad potero, hunc defectum aliunde supplere inferius.* F

§ LIII. Effigies; cubiculum; calix; peregrinationes ad Sancti corpus.

Ex tribus Sancti imaginibus TRia *apud me sunt ectypa, quæ* S. Bernardi *effigiem repræsentant Unum, hac epigraphe*

AUCTORE J. P.

phe ſubſcriptum : Vera effigies S. Bernardi, primi abbatis Claræ-vallenſis, ſacri Ordinis Ciſtercienſis amplificatoris. *Sed veritas illa, ſeu perfecta hujus ectypi cum ſuo prototypo convenientia aſſeritur ibi quidem ; ſed non probatur. Imago alia, & à priore omnino diſcrepans præfigitur Vitæ Gallicæ* S. Bernardi, *quæ typis edita eſt Lutetiæ Pariſiorum anno* 1704. *Inſcriptio aſſerit, veram hanc Viri ſancti effigiem eſſe, æri videlicet inciſam è pictura, quæ Româ ſit miſſa, quæque è vultu ipſius anno* 1152, *dum ageret annum ætatis* 62, *expreſſa fuerit. Imago illa repræſentat elegantem ſimul ac venerabilem, & paterna cum ſuavitate conjunctam vultûs conformationem ; ſed vereor ne affectatam. Etenim Pater ſanctus tam emaciato erat corpore, ut cutis vix tegeret oſſa ; oſſa verò ipſa ægrè cohærerent cum reliqua infirmiſſimi corporis compagine, morti naturali jam tum, ut ita dicam, quaſi moraliter præmortua. Conſule, quæ modò præmiſi ex Gaufrido ſub finem* § 52. *Breve eſt illud epiſtola* 144 *inter Bernardinas, ubi Vir ſanctus,* Pavidæ, *inquit,* mortis pallidam circumferentes imaginem *&c.*

B *quænam, & quare una hîc datur præ aliis :*

563 *A prædictis imaginibus prorſus diverſa eſt Viri ſancti forma, quæ exſtat apud Puricellum inter* Ambroſianæ Mediolani baſilicæ, ac monaſterii hodie Ciſtercienſis monumenta (*Ita inſcribitur Opus laudati auctoris*) *volumine* 1, *pag.* 623. *Illa verò mihi magis probatur, quam duæ aliæ præcedentes, quia hæc majorem apud nos habet auctoritatem, quàm illæ, prout ſtatim dicam. Ea itaque de cauſa ſatius eſſe duxi, eamdem hîc exhibere ſimul cum ſua epigraphe, quæ notatur apud eumdem Puricellum, & in qua affirmatur eſſe* vera *Sancti noſtri* effigies, *præ duabus aliis. Hanc porrò effigiem chalcographus noſter imitari conatus eſt, hiſce ſcalpri lineamentis & characteribus, prout in hoc ejus ectypo cernis, vultum Viri ſancti præcipuè exprimendo ſecundum exemplar ſibi propoſitum.*



VERA EFFIGIES S. BERNARDI ABBATIS CLARÆVALLENSIS.

Joan. Schauberg ſculpſit Antverpiæ

Effigiei, quam hîc damus, auctoritatem conciliat Puricellus, quando pag. 622, *num.* 370 *hæc de ea ſcribit :* Satis verò fideliter inciſa æri hæc eſt ex altera paris menſuræ, quam ſuperioribus annis ad ſuos in hoc Ambroſiano monaſterio monachos jam Ciſtercienſes Pater Generalis è Gallia tranſmiſit, hoc elogio commendatam, quòd ex omnibus æri hactenus inciſis non alia umquam magis ad veram & nativam ſancti Abbatis effigiem congruerit. D

564 *Nec tacitè prætermittam nonnulla hoc loco, quæ Manricus ad annum* 1153, *cap.* 9 *in fine ſcribit de* S. Bernardi *cubiculo, ac quibuſdam aliis.* Interim adnoto, *ait,* extare hodieque felix cubiculum, longitudinis ad quadraginta pedes, latitudinis ſex ſupra viginti, quadrato lapide in parte pavimenti, cui ſtramineus Sancti lectus imponebatur. In medio lapidis cavitas conſpicitur, dubium, cui uſui apta : & ſunt, qui dicant, reponendo igni effoſſam, quo caloris naturalis defectus (namque eo præcipuè Sanctus ægrotabat) repararetur. Viſitur & in eodem cubili ligneus lectus, cui incubabat, cùm ſpiritum emiſit ; conſervatus, ob Sancti reverentiam, integer poſt annos atque illæſus. Demum inter reliquias Claræ-vallis, de quibus aliquæ nobis dicendæ erunt, oſtenditur ex Inventario Claræ-vallis, *quod citatur :* „ Scrinium parvum ligneum de„ argentatum, cujus ſera eſt de argento, plenum „ reliquiis, videlicet de veſtimentis ſacerdotali- E „ bus S. Bernardi abbatis Patris noſtri „. Hoc enim titulo prænotatur in Inventario Itemque „ pulcher quidem, ſed parvus calix, cum pede „ & pomello rotundo per totum, tam intra quàm „ extrà, bene deauratus, cum ſua patena & cochleari etiam deauratis, ponderis unius marchæ, „ & quinque unciarum ; qui propter reveren„ tiam S. Bernardi, qui eo uti ſolebat in Sacri„ ficio, in Inventario primum locum obtinet „. *Verùm de Sancti reliquiis plura fortaſſe à nobis proferentur in Gloria ejus poſthuma, ſi major illarum ad nos notitia pervenerit.* *deſcribitur Sancti Patris cubiculum &c.*

565 *Præter illa, quæ ſepulturam beatiſſimi Patris ſpectant, quæque paullo antè à nobis relata ſunt, dicere nunc aggredimur peregrinationes, ad venerabilem ejus tumulum primis poſt mortem temporibus piè ac religioſè à variis ſuſceptas. Hiſtoricus Ciſtercienſis ad annum* 1154. *cap.* 1, *num.* 1 : Bernardo, *inquit,* Patre ad Superos tranſlato, vota ad ſepulchrum ejus, non ſecus ac ad alia loca ſacra, ex toto penè orbe frequentabantur. Primus vel inter primos Eskyllus fuit, illuſtris Daniæ Primas, de quo ſuperiùs, hoc anno milleſimo centeſimo quinquageſimo quarto, qui fuit Ciſtercii quinquageſimus ſeptimus, ex ultimis finibus terræ veniens ad Claramvallem. *Et mox rationem reddens, cur innectat huic anno adventum ejus, uti & Sardiniæ reguli (de quo mox)* Ergo .., *ſicut pergit,* ſub veris initium, qui ante biennium Bernardum viſitaverat, cùm Viri tranſitum glorioſum agnoviſſet, ſcribente Gaufrido, ſepulchrum ejus veneraturus advenit. F *Eskilus archiep.*

566 *Porrò adventus ille narratur & confirmatur ex verbis Exordii magni, diſtinctione* 3 *cap.* 25, *ubi leguntur iſta :* Haud multo verò poſt hæc (*nimirum poſtquam ex Claravallenſi cœnobio redierat*) elapſo tempore, triſtiſſimus rumor aures ejus perculit de dormitione beati Viri, ſpecialis amici ſui, ſcribente ſibi libellum de tranſitu ejus domno Gaufrido, monacho Claræ-vallenſi, qui notarius ejuſdem ſanctiſſimi Abbatis non parvo tempore fuerat. Tum verò caluit cor ejus intra ipſum, & in meditatione ipſius exarſit ignis : vana tranſitoria atque caduca reputans univerſa, quæ hominis intentionem præpedire poſſunt à recto curſu, quo ad patriæ cæleſtis beatitudinem *ad ſepulcrum ejus peregrinatus ;*

A tudinem tenditur. Itaque commendans ecclesiam, cui laudabiliter præfuerat, Deo & principibus terræ, relictis parentibus & propinquis, notis & amicis, ipsique patrio cespiti valedicens, exul egregius Claramvallem venit: sepulchrum beati Viri, intimi quondam amici sui visitavit, & ad sacratissimam tumbam ipsius vivere & mori delegit: ubi etiam sacræ Religionis habitum, Deo donante, postmodùm suscepit. *Hæc ibi; sed memoriâ repete, quæ de monastica professione apud Claravallenses, vivente* S. Bernardo, *ab eo desiderata, præmisimus* § 50, *num.* 532. *Adde, quæ observat allegatus mox Manricus num.* 4.

cui adde regulum Sardiniæ, ac Simonem

567 Eodem anno, & eodem ejus tempore (*sic pergit Manricus num.* 5) quantùm licet conjicere, Sardiniæ regulus, cujus superiùs fecimus mentionem, primogenito in solio substituto, relicto regno, qui hactenus adhærere viventi noluit, adhæsit cineribus, humilis monachus factus in Claravalle. *Hunc itaque ad Sanctum fuisse attractum, & Claravallensium institutо adscriptum fuisse, colligimus ex eodem Exordio magno. Rem exposui* § 50, *num.* 537, *alia ibidem oblata*

B *opportunitate agendi de ejus ad Claravallenses profectione, quam inter alias ad Viri sancti sepulcrum peregrinationes connumero, uti etiam illam, quæ narratur in laudato Exordio distinctione* 3 *cap.* 28: Vir venerabilis Simon, quondam abbas Caziaci, quod est non ignobile monasterium nigri Ordinis monachorum, magno cordis affectu beatum Bernardum diligebat, adeo ut de consilio & voluntate ejus totus pendêre videretur. Huic autem desiderium magnum inerat, curam pastoralem deferere, & fieri monachum in Claravalle. Verumtamen sanctus Pater Bernardus sciens virtutem viri & gratiam, quâ commisso cœnobio idoneus valde atque perneces-sarius erat, quamdiu vixit in carne, numquam ei super hujusmodi petitione consensum præbere voluit.

abbatem Caziacensem

568 Quadam igitur die dixit ad eum idem abbas: Domine Pater, ego senex, & penè decrepitus, fatiscentibus in corpore membris, & insuper urgentibus morbis, jamjamque resolvi me sentio. Quod si extra Claramvallem defecero, erit mihi dolor inconsolabilis, & irreparabile damnum. Unde necesse est, ut vel nunc abire

C me jubeas, & satisfacere votis meis, quia mors accelerans, moram ampliùs facere me non permittit. Cui Vir Dei respondit: Mane in loco tuo, & noli timere. Ego securum te facio, quia morieris in Claravalle. Credidit homo sermonibus Sancti, & mansit interim in prælatione sua securior pluribus annis. Post transitum verò beati Viri, cùm jam desiderii sui stimulos nullo reprimente tolerare nequiret, dimisso regimine Claramvallem se contulit: ubi etiam magno Dei dono, magnoque miraculo septennium supervivens, mirabile prorsus in tali ætate vel infirmitate, fervoris ac devotionis exemplum nobis omnibus in fine reliquit. *Hæc ibi.*

qui duo etiam videntur adiisse Claramvallem, ut sepulcri solatio frue-rentur.

569 *Tametsi verò duæ illæ peregrinationes ab auctore, qui illas memorat, clarè ac distinctè non asserantur peractæ ad visendum atque honorandum pretiosum corporis sacri apud Claravallenses depositum; cùm tamen videatur verosimile, hanc etiam causam vel tamquam primariam, vel saltem tamquam secundariam, ut cum philosophis loquar, influxisse in eorum, qui ad illud monasterium se contulerunt, iter; non alienum à vero putavimus, si, Manrici exemplum secuti, istas duas profectiones diceremus ab ipsis institutas ad honorandum venerabile pignus illud, quod Claravallenses possidebant, quotidiano illius solatio fruituris, quamdiu viverent, eorum institutо adscripti.* Sic, *inquit Manricus num.* 6, venerati omnes Bernardi cineres; Religiosi in Simone Caziacensi; principes in Gumaro (*sive Gunnaro;*) pontifices in Eskylo, nec sola peregrinatione susceptа; sed constitutâ apud eos habitatione, atque ad normam vitæ ejusdem Sancti, quod excellentius, &, ipso absente, arduius judicabatur. *Mabillonius Annalium Ordinis S. Benedicti tomo* 3, *ad annum* 854, *num.* 80 *notionem dat* Caziacensis (*Chesy*) sancti Petri abbatiæ, quæ ad Matronam fluvium infra Castrum-Theoderici in diœcesi Suessionica posita est *&c. Hæc notare placuit, propterea quod de istius abbatiæ præside suprà occurrit mentio.*

AUCTORE J. P.

§ LIV. S. Bernardi sanctitas, doctrina, & auctoritas in Ecclesia.

E

Fuit Doctor

QUæ hic prænotantur, elogiorum capita illustrat Mabillonius in sua Præfatione generali § 2. *Observet autem lector, citationes, quæ apud ipsum habentur ad marginem textûs, à nobis ipsi textui esse insertas; quas verò designat è biographis, uti sunt fere omnes, conveniunt ejus editioni; ita tamen ut in nostra etiam inveniri possint: cùm in hac signentur ad marginem istius capita. His prænotatis, Mabillonium audiamus:* Antequam ulteriùs procedamus, juvat expendere duos, qui Bernardo tribui solent, titulos, nempe quod sit INTER DOCTORES MELLIFLUUS; atque ULTIMUS INTER PATRES, sed primis certè non impar. Doctoris nomen Ecclesia his tribuit, quorum doctrina publico ipsius suffragio approbata est, maximè ubi sanctitatis concentus accedit. Patres vocat eos, quos sanctitas, doctrina, & antiquitas commendat; doctrina, inquam, Scripturæ & Traditioni potiùs, quam rationibus philosophicis inhærens. Itaque Doctores appellari possunt statim à morte viri sancti doctrinâ illustres: Patres verò nonnisi quos recepta jam dudum auctoritas venerabiles fecit, F & modus tractandi res, à philosophica ratione alienus. Utrumque elogium merito sortitus est Bernardus. Et primum quidem in ipsa ejus canonizatione eidem tribuit Alexander tertius in Missa, quam de eo tunc celebravit, dicto Euangelio, quod solis Doctoribus sanctis assignatur, ex Matthæi cap. v, Vos estis sal terræ.

ab Patre Ecclesiæ, Melliflui etiam titulo appellatus, & divinitus edoctus.

571 Disertè verò Innocentius tertius idem elogium confirmavit in collecta à se compositа, in qua BEATUS BERNARDUS ABBAS ET DOCTOR EGREGIUS, appellatur. MELLIFLUI adjectivum, quod recentius est, sancto Doctori asseruit Theophilus Raynaudus libello singulari, qui APIS GALLICANA inscribitur. Primi inter editores hoc epitheton in fronte appposuerunt: Lugdunensis quidem anno MDVIII; tum Jodocus Clichtovæus anno MDXV; atque etiam duo illi monachi Claravallenses jam superiùs laudati; idemque ab aliis subinde postea neglectum restituit Horstius. Verùm inter elogia illud referre præstat: cum nudum sancti Bernardi nomen satis ipsius Operum titulum commendet, quod auctoris implet elogium. Sanè si quod aliud epitheton Bernardo convenit, maximè Θεοδίδακτος * ab aliis editoribus eidem &i

* *i. e.* divinitus edo-

AUCTORE J. P.

eidem tributum : propterea quod doctrinâ non tam humanis viribus acquisitâ, quàm cælitus infusâ, præditus fuisse videatur.

Theologus fuit insignis,

572 Quamquam ei non defuit labor & industria in legendis versandisque auctoribus, non modò sacris, sed etiam profanis, ut ex horum verbis subinde adductis manifestum est. Verùm haud dubiè in sæculo hæc didicerat juvenis, quæ etiam seni in memoriam aliquando recurrebant. At rebus theologicis accuratè operam dederat monachus : quarum rerum cognitio quàm profunda & sublimis in eo esset, docent in primis Sermones duo in Cantica, nempe LXXX, & LXXXI; ubi de imagine Dei, quæ in Verbo & in anima est, & de simplicitate Dei tam altè & aptè disserit, ut nemo meliùs antè vel post eum. Idem etiam dicendum de Christi pro nobis patientis satisfactione, quæ miro sanè modo in epistola CXC ad Innocentium explicatur. Ad hæc, quid in Canonum scientia eximiis ejus de Consideratione libris comparari potest ? Hinc confirmatur istud Leonis Magni effatum : Verus recti amor in semetipso habet & apostolicas auctoritates, & canonicas sanctiones.

B

& in Scripturæ sacræ,

573 Denique Doctor sanctus quantum in Scripturæ sacræ lectione versatus fuerit, ubique clamant ejus scripta, quæ nihil aliud quam centones divinorum voluminum, ut Sixti Senensis verbis utar, dici possunt; quippe undecumque veteris ac novi Testamenti sententiis ita distincta, ceu gemmeis emblematibus, hisque adeo commodè & aptè insertis, ut ibi nata esse credantur. Qui quidem scribendi modus sicut in quovis argumento promiscuè usurpari non decet; ita in rebus sacris non debet improbari. Huc enim adduci potest, quod Apostolus ait : Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Quod vero Bernardus quosdam Scripturæ locos in sensum improprium ac minimè litteralem quandoque detorquet, adeo ut ludere potiùs in verbis, quàm verba ipsa exponere videatur; id sanè ea ratione excusare licet, quod in Scriptura multiplicem sensum, qui ad mores informandos conducat, accommodè emi posse crediderit Vir sanctus, præsertim ubi non de fide agitur, sed de pio quodam argumento exornando, ad excitandam scilicet auditorum attentionem ac delectationem.

C

nec non Sanctorum Patrum lectione apprime versatus ;

574 Jam verò sanctissimum Virum non tantùm in Scripturæ sacræ, sed etiam in sanctorum Patrum lectione apprime, quantùm ferebant variæ ipsius occupationes, versatum fuisse, nemo inficiabitur, qui ejus scripta diligenter lectitarit. Nam & Patres aliquando, eorumque sententiæ in his laudantur, & doctrina eorum per omnia ejus Opera respersa est. Unde cum quercus & fagos se magistros habuisse dicit Vitæ lib. I num. 23, id eo modo interpretandum est, quem Cardinalibus ipse suggerit in lib. IV de Consideratione num. 12 : nempe in omni re orationi plus fidendum, quam propriæ industriæ vel labori. Quod Bernardo re quidem vera Gaufridus aptavit Vitæ lib. 3 num. 1. Ceterùm quantum ex lectione Patrum, præsertim sancti Augustini, profecerit, probat in primis liber de Gratia & libero arbitrio, quod Augustinianæ doctrinæ eruditum quoddam summarium est. *Sed cavendum, ne in laudato cùm hîc, tum suprà § 15, sancti Doctoris Opusculo confundatur libertas à coactione cum libertate à simplici necessitate. Hoc si observarent hodierni libertatis humanæ destructores, è Melliflui Doctoris succo venenum non conficerent, ac propinarent incautis lectoribus ac perversis assectis suis ; non dissimiles Juliano Pelagiano, qui verbis S. Joannis Chrysostomi abutebatur ad negandum originale peccatum parvulorum. Sed S. Augustinus lib. I contra eumdem Julianum cap. 6, verba sancti istius Patris explicans, & dans rationem, cur ita fuerit locutus, hæc Juliano respondet :* Quia disputans, *ait*, in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus securiùs loquebatur. *Quod itaque in hoc casu Juliano regerit magnus Augustinus de S. Chrysostomo, omnino etiam obtinet in nostro, de* S. Bernardo, *aliter videlicet locuturo, si ipsius ætas in Lutheri, Calvini, Jansenii, Quesnelli tempora incidisset. Nunc progrediamur cum Mabillonio ad alios Patres,* S. Bernardo *apprime notos.* Ambrosium Augustino adjungit in epistola seu Opusculo XI ad Hugonem Victorinum; additque, ab his duabus Ecclesiæ columnis non facilè se avelli. Athanasium item laudat in Opusculo X contra Petrum Abaëlardum, aliquando etiam Gregorium Magnum. Denique in clausula Homiliarum de laudibus Virginis, multa à Patribus accepisse se fatetur

D

E

quod mirum est in Viro aliunde occupatissimo, & infirmo :

575 Mirum verò est, Hominem sanctum, tot morbis & infirmitatibus obnoxium, tot curis distractum, negotiisque non modò domesticis, (quæ sanè nec levia, nec pauca erant in tam numeroso monachorum cœtu) sed maximè publicis interpellatum, parem fuisse aut tot libris legendis, aut tam diserte eruditisque scriptis elaborandis : adeo ut præter naturale ingenium, quod in eo excellentissimum & sublimissimum erat, divinam quamdam ipsi loquenti, agenti, docenti, ac scribenti sapientiam adfuisse nemo dubitare possit. Unde " confessus est aliquando, " ait Gaufridus lib. 3 num. 7, sibi meditanti vel " oranti sacram omnem velut sub se positam & " expositam, apparuisse Scripturam ". Etsi verò fateri solitus erat, Vitæ lib. I num. 24, se meliùs Scripturarum sensum assequi " in primæ origi- " ginis suæ fonte, quàm in decurrentibus expo- " sitionum rivis; sanctos tamen & orthodoxos " earum expositores humiliter legens, nequa- " quam eorum sensibus suos sensus æquabat, sed " subjiciebat formandos, & vestigiis eorum fide- " liter inhærens, sæpè de fonte, unde illi hau- " serant, & ipse bibebat ".

F

quamquam infirmitas corporis multum otii litterarii ei dederit.

576 Hæc sancti Doctoris erga sanctos Patres reverentia passim elucet in ejus scriptis, ut in epistola XCVIII, num. 1, Sermone V in Cantica, num. 6, & alibi. Ad eos porrò legendos otium ipsi concessit diutina illa infirmitas, quæ primis præfecturæ suæ annis ipsum à cœtu fratrum abesse, & quasi privatum seorsim in monasterio degere coëgit, primò quidem ex præcepto Guillelmi episcopi Catalaunensis, & abbatum sui Ordinis, testante altero Guillelmo abbate, ibid. num. 33 & 40 : deinde verò ex vi ingravescentis infirmitatis. Vidit illum Guillelmus abbas " feriatum " ab omni sollicitudine domûs, tam interiori, " quàm exteriori, vacantem Deo & sibi, & " quasi in deliciis paradisi exsultantem ". Tunc Vir sanctus disseruit illi de Cantico canticorum, uti fusiùs ille prosequitur. Accessit Bernardo convalescenti ad impetrandam in sacra studia feriationem procuratio Gerardi germani sui, qui ejus vices in monasterio ita supplebat, ut Bernardus Sermone XXVI in Cantica ei adscribat spiritualium studiorum suorum profectum. Hæc verò studia erant, orare, legere, scribere, meditari, & similia, ex Sermone II in Cantica num. 3. Sic

beatus

A beatus Pater vixit per annos quindecim, id eſt, à condito monaſterio Claræ-vallenſi ad ſchiſma Petri Leonis: quo tempore magnis arduiſque rebus adhibitus, talis demum evaſit, qualem poſtea tota Europa, ne dicam orbis univerſus, admirata eſt.

Summam apud omnes reverentiam

577 Non immeritò itaque magnus ille Nicolaus Faber, Ludovici Juſti præceptor, teſte Franciſco Balbo in ejus Vita, cùm Patres omnes ſummopere venerari ſolitus erat, tum maximè divum Auguſtinum, cujus lectioni aſſiduè inhærebat, & ex recentioribus, DIVUM BERNARDUM, QUEM ULTIMUM PATRUM NOMINABAT. Et certè hoc elogium nullus veterum meliùs meruerit ſecundum Auguſtinum, quàm Bernardus, nullus ita poſt eum: cum nulli aut ſanctitas miraculis & factis illuſtrior, aut doctrina purior, traditioniſve tenacior, aut dicendi, ſcribendive modus divinior, aut denique major fuerit auctoritas." Cujus enim, ut Guillelmi verbis utar Vitæ lib. 1, num. 70, voluntati ſic detulit, cujus conſilio ſic ſe humiliavit omnis tam ſæcularis, quam eccleſiaſticæ dignitatis altitudo? Reges ſuperbi, principes & tyranni, milites & raptores ſic B eum timebant, ut videatur in eis impletum, quod in Euangelio legitur Dominus dixiſſe diſcipulis ſuis: Ecce, inquit, dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes &c.

& auctoritatem obtinuit

578 „ Potrò inter ſpirituales . . longè ei alia „ auctoritas erat. Sicut enim dicitur per Prophe„ tam de ſanctis animalibus, quia cùm fieret vox „ ſupra firmamentum, quod imminebat capiti eo„ rum, Stabant, & ſubmittebant alas ſuas: ſic „ hodie, inquit, ubique terrarum ſpirituales qui„ que, loquente eo ſeu tractante, ſtant cedendo „ præcedenti, & ſenſibus ejus vel intelligentiis „ ſubmittunt ſenſus vel intelligentias ſuas. Te„ ſtantur hoc ſcripta ejus „ &c. Meritò proinde Cæſarius Heiſterbacenſis monachus lib. 14 de Mirac. c. 17 ait, tantam fuiſſe ejus auctoritatem, „ ut per unius os Bernardi purpurati Patres, re„ ges, principeſque terrarum, quaſi per COM„ MUNE MUNDI ORACULUM loquerentur „. Hæc ſancti Doctoris exiſtimatio ad noſtram uſque ætatem propagata eſt, ut fidem faciunt illuſtrium virorum de eo teſtimonia: in quibus Bartholomæus à Martyribus, piiſſimus ille Bracarenſis antiſtes, Bernardi cultor & admirator, non inferiorem locum obtinere debet. C

ob profundiſſimam præſertim humilitatem,

579 Hanc porrò auctoritatem cum multa ei viventi conciliabant, tum maximè eximia ejus in honoribus ipſis humilitas, quo nihil, ipſius Bernardi judicio in Homil. 4 de Laud. Virg. num. 9, ſublimius. Audi Ernaldum Vitæ lib. 2 num. 25: „ Plurima autem in eum probabilia, & laude di„ gna concurrunt. Alii namque doctrinam, alii, „ mores, alii mirantur miracula. Ego quidem „ (ait ille) his omnibus honorem defero: ſed „ præ omnibus, quantum in me eſt, hoc ſubli„ mius duco, hoc propenſiùs prædico, quod „ cùm eſſet vas electionis, & nomen Chriſti co„ ram gentibus & regibus ferret intrepidus; cùm „ obedirent ei principes mundi, & ad nutum e„ jus in omni natione ſtarent epiſcopi; cùm ipſa „ Romana eccleſia ſingulari privilegio ejus vene„ raretur conſilia, & quaſi generali legatione „ conceſſa, ſubjeciſſet ei gentes & regna; cùm „ etiam, quod glorioſius judicatur, facta ejus & „ verba confirmarentur miraculis: numquam ex„ ceſſit, numquam ſupra ſe in mirabilibus am„ bulavit: ſed de ſe ſemper humiliter ſentiens, „ venerabilium operum non ſe auctorem credi„ dit, ſed miniſtrum; & cùm eſſet omnium ju- AUCTORE J. P.
„ dicio ſummus, ſuo ſibi judicio conſtitit infi„ mus. (Quippe, Vitæ lib. 3, num. 22) vin„ cebat ſublimitatem nominis humilitas cordis: „ nec tantùm poterat univerſus eum mundus eri„ gere, quantùm ſe ipſe dejicere ſolus „. Neque verò tanta ſui demiſſio & abjectio profectum ejus apud alios minuebat, immò ampliùs augebat. Nimirum (ibidem num. 8) quo humilior, eo ſemper utilior fuit populo Dei in omni doctrina ſalutari.

Patris ſanctitati ſuam quoque ejus filii adjunxêre.

580 Patris ſanctitati ex æquo reſpondebat ſanctimonia filiorum, quæ in Patris etiam gloriam redundabat. Teſtis ipſa Romana Curia, quæ Innocentium ad Claramvallem comitata eſt. " Fle„ bant epiſcopi, (Vitæ lib. 2 num. 6) flebat „ ipſe ſummus Pontifex; & omnes mirabantur „ Congregationis illius gravitatem, quòd in tam „ ſolemni gaudio oculi omnium humi defixi, nuſ„ quam vagabunda curioſitate circumferrentur; „ ſed compoſis palpebris, ipſi neminem vide„ rent, & ab omnibus viderentur. Nihil in ec„ cleſia illa vidit Romanus quod cuperet. Nulla „ ibi ſupellex eorum ſollicitavit aſpectum; nihil E „ in oratorio, niſi nudos viderunt parietes. So„ lis moribus poterat inhiare ambitio, nec dam„ noſa poterat eſſe fratribus hujuſmodi præda, „ cùm minui non poſſet aſportata religio „. His columnis ac præſidiis fulta erat Bernardi auctoritas: adeo ut (Vitæ lib. 3, num. 21; lib. 1, num. 28) " auſteritatem ſuavitas morum tolle„ret, auctoritatem ſanctitas conſervaret: quaſi „ de cælo afferens inter homines miraculum quod„ dam conquiſitæ apud Deum pluſquam huma„ næ puritatis „.

Adde ejuſdem miracula à

581 Porrò ſanctitatem illam ac puritatem atteſtabantur miracula, quæ adeo clara & illuſtria fuerunt, ut etiam ejus adverſarii ea faterentur: tam crebra & frequentia, ut Bernardus ipſe obſtupeſceret (apud Gaufridum lib. 3, num 20.) Non mirum proinde, ſi tantum potuit ejus auctoritas, primùm quidem " circa reſuſcitandum „ (ut Guillelmus loquitur lib. 1, num. 42) in „ monaſtico ordine antiquæ religionis fervorem „: deinde, ex Gaufrido lib. 3, num. 12 " in ca„ tholicorum moribus corrigendis, in ſchiſmati„ corum furoribus comprimendis, in hæretico„ rum erroribus confutandis „. Quod tum ex ejus Vita, tum ex ejuſdem ſcriptis, maximè ex epiſtolis, manifeſtum eſt. F

§ LV. Varia in laudem S. Bernardi teſtimonia ſimul collecta.

Dantur hîc de Sancto collecta à Mabillonio elogia

Immortalia ſanctiſſimi Abbatis noſtri præconia, à doctiſſimo Mabillonio illuſtrata, ac paragrapho proximè antegreſſo à nobis ex ipſo tranſcripta, confirmare placet ex multis ac variis de eodem Viro ſancto teſtimoniis. Habentur ea quidem in Introductione ad Opera S. Bernardi, *Coloniæ Agrippinæ per Merlonem Horſtium vulgata; verum quia laudatus Mabillonius illa edidit meliore ordine, viſum eſt, eidem nos conformare. In varios itaque perſonarum ordines diſtribuit præſens argumentum in fine voluminis ſecundi col.* 1345 *& ſequentibus. Rem totam dividere placuit in tres partes, ſuâ cuique claſſe attributâ.*

AUCTORE J. P.

PARS PRIMA.

CLASSIS I.

Summorum Pontificum.

Innocentii II, Alexandri III,

INnocentius II Epistolâ ad S. Bernardum ; Quam firma, ait, perseverantique constantia causam B. Petri, & sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, incandescente Petri Leonis schismate, fervor tuæ religionis & discretionis susceperit defendendam, & te murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos regum ac principum, & aliarum tam ecclesiasticarum, quàm secularium personarum ad catholicæ Ecclesiæ unitatem, & B. Petri ac nostram obedientiam frequentibus argumentis & ratione munitis inducere laboraveris, magna, quæ Ecclesiæ Dei & nobis provenit, utilitas manifestat ,,. Florebat anno MCXL.

B

Alexander III in litteris Canonizationis ad Ecclesiam Gallicanam : " B. Bernardus, singularis gratiæ prærogativâ suffultus, non solùm in seipso sanctitate ac religione præfulsit, sed etiam in universa Ecclesia Dei, fidei & doctrinæ lumine radiavit. Fructum verò, quem in domo Domini & verbo operatus est & exemplo, nullus fere terminus sanctæ Christianitatis ignorat, cum usque ad exteras quoque & barbaras nationes sanctæ religionis instituta transmiserit &c ,,. Florebat anno MCLXX.

Pii V, Gregorii XIV.

584 Pius V In Bulla Ex innumeris, &c., inter alia quæ suggerit media reformandi Ordinis Cisterciensis, lectionem Operum S. Bernardi proponit his verbis : " Ubi sacra lectio juxta Concilii Tridentini dispositionem haberi non poterit, præter eos libros, qui ad divini Officii & chori usum necessarii sunt, saltem Biblia, & Catechismus ad parochos recèns editus, item Opera S. Bernardi, & si qui alii ad honestam monachorum occupationem potefunt, habeantur &c ,,. Florebat anno MDLXX.

C

His, quæ de S. Pio V ex editione Mabillonia-na recitavimus, aliud addimus è Vita laudati Pontificis, auctore Joanne Antonio Gabutio, apud nos editâ tomo I *Maii, in quâ libro* 6, *cap.* 13 *aliàs, ibi autem cap.* 5, *pag.* 708, *num.* 366 *hæc de eo referuntur :* Accumbenti verò sibi cùm magnam rerum omnium munditiam, tum in primis sacram perpetuò voluit lectionem adhiberi : ac præcipuè S. Bernardi libros de Consideratione ad Eugenium (quibus videlicet, quæ pro honore Dei ac totius Ecclesiæ bono, animarumque salute considerandæ sunt, luculenter edocentur) sæpiùs prælegi curabat : sententiarumque gravitatem attentissimè ponderans, quæ suo tempore & loco exequeretur, secum ipse diligenter conferebat. *Pergamus nunc iterum cum Mabillonio :*

Gregorius XIV " Meditabatur mane horâ integrâ, inquit Cicarella in ejus Vita, legens opera Mellifiui Bernardi, & si quos ex iis erueret mentis conceptus, eos diligenter annotabat, concinnéque scribebat ,,. Florebat anno MDXC.

D

CLASSIS II.

Cardinalium & Ecclesiæ Doctorum.

Jacobi de Vitriaco, S. Bonaventuræ,

JAcobus de Vitriaco Tusculanus episcopus & S. R. E. Card. Sedisque Apost. Legatus, lib. de Historia Occident. cap. 14, sic scribit. " Suscitavit Dominus eis à principio novellæ plantationis eorum agricolam peritum, prudentem & sanctum virum, quem invenit Dominus secundum cor suum ... sanctum videlicet Bernardum Claræ vallis Abbatem, religionis probatissimam margaritam, lucernam Ordinis & stellam in firmamento Ecclesiæ Dei radiantem, qui non ab homine neque per hominem, sed solâ Dei inspiratione præeminentem sanctarum Scripturarum accepit intelligentiam, & quasi de ipso Dominici pectoris fonte potavit cælestes aquas, quas diffunderet in plateis multis. Et quoniam potens fuit in opere & sermone, exemplo sanctæ & præeminentis conversationis, & doctrinâ cælestis prædicationis, sed & virtute miraculorum & mirabilium operum multis factus est odor vitæ in vitam ,,. Florebat anno MCCXXX.

E

S. Bonaventura S. R. E. Card. & episcopus Albanensis. Ord. Min. in Meditationibus vitæ Christi, quas ubique Bernardi sententiis veluti gemmis insignivit, ita loquitur cap. 36. " Audisti verba pulcherrima altissimi contemplantis, & orationis dulcedinem degustantis Bernardi. Rumines ea, si vis, ut sapiant tibi. Ideo autem libenter ipsius verba in hoc Opusculo interfero, quia non solùm spiritualia sunt & cor penetrantia, sed & decore plena, & ad Dei servitium excitantia. Ipse enim fuit eloquentissimus, & spiritu sapientiæ plenus, & sanctitate præclarus, quem te desidero imitari, & ipsius monita & verba opere exercere : propter quod sæpe tibi propono eumdem ,,. Florebat anno MCCLX.

S. Thomæ Aquinatis, Augustini Valerii, Baronii, Bellarmini,

585 S. Thomas Aquinas Serm. de S. Bernardo sic ait. " Fuit ergo os ejus vas pretiosum, os aureum, os gemmeum .... Vino dulcedinis inebriavit totum mundum ..... Aurum fuit Bernardus per voluntatis sanctitatem, multitudo gemmarum per morum honestatem & virtutum multiplicitatem, vas pretiosum per virginitatis puritatem .... Fuerunt autem in hoc novem gemmæ, de quibus dicitur Ezechielis 28. Lapides isti significant novem ordines Angelorum : quibus fuit dotatus Bernardus, quia in se habuit virtutes & officia omnium ordinum Angelorum, sicut dicitur in libro, ubi scribuntur acta ejus ,,. Florebat anno MCCLX.

F

Augustinus Valerius S. R. E. Cardin. episcopus Veronensis, lib. de Rhet. Eccl. cap. 41. " In S. Bernardi libris, inquit, inest admirabilis quædam suavitas, ita ut cum sancta animi voluptate semper legantur ,,. Florebat anno MDLXXX.

Cæsar Baronius S. R E. Cardin. tomo XII Annal. anno MCXXX. Bernardum Tubam cælestem appellat : anno vero MCXLIII Alterum Eliam. Sic autem de eo scribit anno MCLIII. " Bernardus, vir verè apostolicus, immò verus Apostolus missus à Deo, potens opere & sermone, illustrans ubique & in omnibus suum apostolatum sequentibus signis, ut planè nihil minus habuerit à magnis Apostolis ... dicendus totius Ecclesiæ Catholicæ

A tholicæ ornamentum ſimul ac fulcimentum : Gallicanæ vero in primis Eccleſiæ prædicandus ſummum decus, ſumma gloria, ſumma felicitas. Cujus memoria feliciſſima in benedictione & ſanctificatione ad morum informationem & diſciplinam, & in condemnationem hæreticorum in ſancta Eccleſia jugiter perſeveret ,,. Florebat anno MDC.

Robertus Bellarminus S. R. E. Cardin. lib. de Script. Eccl. ait " S. Bernardus abbas Claræ-vallenſis , vir planè apoſtolicus , & non minùs gloriâ miraculorum , quàm ſapientiæ ſplendore illuſtris ,,. Item tomo 2. Controv. lib. 4 cap. 14 : " Idem beatus Bernardus pluribus miraculis claruit, quàm ullus Sanctorum , quorum vitæ ſcriptæ exſtant. Nam , &c. ,,. Florebat anno MDCXX.

CLASSIS III.

Epiſcoporum.

Hildeberti, Othonis Friſing., B Hildebertus epiſcop. Cenomanenſis , demum Turonenſis archiepiſcop. , epiſt. 24 ad Bernard. ſcriptâ " Maximum duco , inquit , atque habeo , quod mihi ſacrarium familiaritatis aperuiſtis. In eo ſuſceptus , multis & magnis expertus ſum periculis , quantum valeat deprecatio juſti aſſidua ,,. Et paulo poſt: " Habeo igitur atque ago veſtræ gratias religioni , cujus ſinum , quaſi reus aram , jamdudum complexus eſſem , ſi conſultus Papa Pontificis munus amoliri permiſiſſet. Ille dum me remiſit ad laborem , invidit gloriam: non imputet ei Dominus. Interim in umbra alarum tuarum ſperabo , donec educar de lacu miſeriæ & de luto fæcis. ,, V. ejuſdem epiſt. 72, quæ eſt 122 inter Epiſtolas Bernardi. Florebat anno MCXXV.

Otho Friſingenſis epiſcopus lib. 1 de Geſt. Frid. cap. 34 ita habet. " Erat eo tempore in Gallia cœnobii Clarævallenſis abbas , Bernardus dictus , vita & moribus venerabilis , religionis ordine conſpicuus , ſapientia litterarumque ſcientia præditus , ſignis & miraculis clarus. Hunc principes vocandum , ab eoque quid de hac re (n. expeditione tranſmarina) fieri oporteret , tamquam à divino oraculo conſulendum decernunt,,. Et infra : " Qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos ut Prophera vel Apoſtolus habebatur ,,. Florebat anno MCL.

C 587 Petrus Cellenſis abbas , poſtea S. Remigii Remenſis , demum epiſcopus Carnotenſis , lib. 6. epiſt. ult. ſcribens contra Nicolaum quemdam Anglum (non vero Notarium S. Bernardi , ut probatum eſt ad epiſt. 284) qui S. Doctoris pectori maculam poſt ejus mortem affingebat , quod B. Virginis Conceptionem impugnaſſet , ſic in Bernardi laudes excurrit. " Quæ , inquiens , hujus Bernardi ſanctitas , quæ religio , quæ meritorum prærogativa ? Nullus ſum ego ad illius ſancta præconia referenda. Vita ejus , fama ejus , opera , ſcripta , miracula , fides , ſpes, caritas , caſtitas , abſtinentia , mortificatio demum in membris ejus , ſermo , vultus , habitus & geſtus ejus , & his ſimilia ; ipſa ſunt , quæ teſtimonium perhibent de eo . . . . . Alumnus familiariſſimus fuit Dominæ noſtræ , cui non unam tantùm baſilicam , ſed totius Ordinis Ciſtercienſis baſilicas dedicavit , ad cujus laudem politiſſimos tractatus & facundos compoſuit. Si ergo potes tangere pupillam oculi Dominæ noſtræ , ſcribe contra Bernardum ſuum , cui loquitur ipſa ; *Petri Cellenſis, Anſelmi Havelberg.*, Qui tangit te , quaſi qui tangit pupillam oculi mei ,,. Florebat anno MCLX. AUCTORE J. P.

Anſelmus Havelbergenſis in dialogo contra Græcos lib. 2. " Noſtris temporibus apparuit quidam abbas in loco , qui dicitur Claravallis , nomine Bernardus , vir religioſiſſimus , virtute miraculorum inſignis , ab Occidente uſque in Orientem pro ſui ſanctitate famoſiſſimus : quem venerabilis Papa Eugenius , quondam ſui monaſterii monachus , in conciliis multorum epiſcoporum condignâ reverentiâ plerumque honoravit. ,, Floruit tempore Eugenii III.

588 Guillelmus Tyri archiepiſcopus lib. 16 Belli ſacri cap. 18 : " D. Eugenius Papa viros religioſos potentes in opere & ſermone ad diverſas Occidentis partes dirigit . . . Inter quos vir immortalis memoriæ & honeſtæ converſationis D. Bernardus Clarævallenſis abbas , piæ in Domino & per omnia amplectendæ recordationis , ad prædicti Deo placiti muneris exſecutionem præcipuus eligitur. Qui injunctæ ſibi diſpenſationis ſedulus exſecutor , ejuſdem operis ſecum Deo amabilis trahens comminiſtros , impiger , indefeſſus , licèt corporis eſſet invalidi , tum propter jejunia pæne continua & ſubtilem nimis dietam , regna circuit , regiones obambulat , euangelizans ubique regnum Dei ,,. Florebat anno MCC. *Guillelmi Tyrenſis, & Pariſienſis*, E

Guillelmus Pariſienſis epiſcopus , Serm. de S. Bernardo ſic eum prædicat : " Excellentiſſimè vixit , gratioſiſſimè docuit , manifeſtiſſimis miraculis fulſit : eum non humana inſtructio , ſed divina inſpiratio ſapientem fecit , quod in Scripturis ſpecialiter ſenſit,,. Et infra : " Sicut Deus Moiſi recitavit ſua myſteria , & vultus ejus claritate reſplenduit radiorum , ut non poſſent in eum reſpicere filii Iſraël : ſic B. Bernardo ſecreta multa revelavit , ut cæleſti luce illuminatus multùm Eccleſiam illuminarit ,,. Florebat anno MCCXXX.

589 Theobaldus epiſcopus, ſeu quiſquis eſt auctor Vitæ Guillelmi Aquitaniæ Ducis , cap. 2 : " Eo tempore , inquit , fundatum eſt monaſterium Clarævallis , & ibi Spiritus ſancti conſilio ad regimen abbas eſt Bernardus ordinatus , qui in tantum vita , virtutibus & doctrina clarus effulſit , ut nullus ei in orbe ſecundus exſiſteret ingenio , moribus , ore , ſtilo & virtutibus. Hic eſt, qui in diebus ſuis hæreſes exſtirpabat , hæreticos confundebat , ſchiſmaticos revocabat , erroneos inſtruebat, & principes arguebat,,. Et paulo pòſt: " O virtutem viri , ô animi puritatem , nec affectantis publicum , nec formidantis tyrannum (Guillelmum) pro ejus ſalute ! Qui fugiebat publicum, quomodo affectaſſet cathedræ faſtigium ? Deus meus , quot & quantæ Eccleſiæ cathedrales propriis orbatæ paſtoribus eum in pontificem elegerunt ? Sed non plus delectabat eum mitra & anulus , quàm raſtrum & ſarculus ,,. *ac Theobaldi*, F

PARS SECUNDA.

CLASSIS IV.

Regum & Magnatum.

CArolus V Imperator , teſte Thuano Hiſtor. lib. 21 : " Toto biennio, quod mortem præceſſit , in Hieronymianorum fratrum ſodalitio , monitore uſus Conſtantino quodam , qui ei à ſa- *Caroli V imperatoris*,

AUCTORE J. P.

cris confessionibus erat, præcipuè B. Bernardi abbatis lectione se solabatur „. Claruit anno MDXL.

Ludovici XIII Gallorum regis, Pici Mirandulani,

591 Ludovicus XIII Galliarum & Navarræ rex Christianissimus, cognomento Justus, in Diplomate Congregationi Fuliensi pro erectione Fontanensis monasterii à se concesso anno MDCXVIII, S. Bernardum appellat " magnum & celeberrimum Confessorem, Ecclesiæ Patrem & Doctorem, populorum reformatorem, schismatum & dissidiorum conciliatorem, Religiosorum Patriarcham, mirabilium patratorem, ac Deiparæ Virginis cultorem eximium „. Regnabat feliciter anno MDCXXX. Videsis apud Henriq. Menolog. Cisterc. ad diem XX Aug. præclara omnium pæne regnorum & Christianorum, diversorumque statuum elogia, initialibus prædicti monasterii Fontanensis lapidibus inscripta in honorem sanctissimi abbatis Bernardi, in primis verò Sereniſſimæ Reginæ Mariæ Medices, matris ipsius Christianissimi regis, quæ B. Bernardi meritis divinitus concessam sibi fuisse fœcunditatem, sollemni testificatione declarat.

B Johannes Franciscus Picus Mirandulæ Comes, lib. 2 de morte Christi, cap. 8, " Sed & audiamus, inquit, Bernardum devotissimum atque doctissimum, sed hoc ultimo titulo vulgò fraudatum, nullâ certè suâ culpâ, nullo demerito, quando & ob ejus scripta, quæ doctrinâ solidâ atque salubri undique scaturiunt, & ob validissimas disputationes in Gilbertum & Petrum Abaëlardum (quarum ope ab distorto calle erroris atque mendacii ad veritatis semitam rediere) Docti sibi nomen vindicavit „. Florebat anno MD.

CLASSIS V.

Abbatum & Generalium.

Petri Mauricii, Burchardi,

PEtrus Mauricius, cognomento venerabilis, epist. 29, lib. 6 sic scribit: " Forti ac splendidæ monastici Ordinis, immò totius Ecclesiæ Dei columnæ D. Bernardo Claravallis abbati F. Petrus humilis Cluniacensium abbas, &c. Si liceret, si Dei dispositio non obstaret, si in hominis potestate esset vita ejus, maluissem, carissime, beatitudini tuæ nexu indissolubili adhærere, quàm vel principari inter mortales alicubi, vel regnare. Quid enim? Nonne regnis omnibus terrenis præferri à me deberet grata non solùm hominibus, sed & Angelis ipsis cohabitatio tua? Concivem te illorum si dixero, licèt nondum spes in rem transierit, per misericordis Dei gratiam mendax non ero, &c. „. Florebat anno MCXL.

C Burchardus abbas Balernensis, in Subscriptione lib. 1 Vitæ S. Bernardi, sic de eo loquitur: " In utero matris sanctificationem visus est accepisse, de qua concepta sunt præsagia futuræ sanctitatis & doctrinæ „. Florebat anno MCXL.

B. Guerrici, Gaufridi, Roberti, Aquavivæ.

593 B. Guerricus abbas Igniacensis, S. Bernardi discipulus, Serm. 3 in Natali Apost. Petri & Pauli: " Magister noster, S. Bernardus, ille interpres Spiritus sancti, de toto illo Carmine nuptiali (Cantico cant.) loqui instituit, spemque nobis dedit ex eis, quæ jam edidit, quia si pervenerit ad locum de quo quæritis, Donec adspiret dies & inclinentur umbræ, umbras ipsas ponet in lucem intelligentiæ: quod dictum est vel erit in tenebris, nobis dicet in lumine „. Florebat anno MCXLV. D

Gaufridus, primùm S. Bernardi notarius, deinde Igniacensis, postmodum Clarævallensis abbas, lib. 3 Vitæ S. Bernardi seu primo à se conscripto, cap. 7: " Ceterùm, inquit, longe eminentius in suis ille libris apparet & ex litteris propriis innotescit; in quibus ita suam videtur expressisse imaginem, & exhibuisse speculum quoddam sui, ut illud quoque Ambrosianum meritò illi posse videatur aptari: Laude ipse se signet, & laureatus spiritu scriptis coronetur suis „. V. Sermonem ejusdem de S. Bernardo in fine tomi 6. Florebat anno MCIX.

Robertus abbas S. Michaëlis in Periculo maris, Ord. S. P. Bened. in Append. ad Sigebert. anno MCLII: " Venerabilis Bernardus primus abbas Clarævallis, vir admirandæ religionis & doctrinæ efficacis, humanæ vitæ satisfecit moriendo XIV Calend. Sept. relinquens sapientiæ suæ plurima documenta, maximè in Commentariis in Cantica cant. „. Florebat anno MCLXXX.

P. Claudius Aquaviva, V Præpositus generalis Societ. Jesu, scribente Johanne Bourhesio, in lib., cui titul. Societas Jesu Mariæ Deiparæ sacra, cap. 4: " Coluit certè B. Virginem & S. Bernardum præcipuo cultu, eosque in omni re dubia sensit adjutores „. Florebat anno MDCX. E

CLASSIS VI.

Doctorum Theologorum.

Henrici de Hassia

HEnricus de Hassia, doctor Parisiens., postea Cartusianus, in Tractatu ad Jacobum abbatem Eberbacensem, contra S. Bernardi maculatores ita scribit parte 1, cap. 3. " Ubi quæso talis devotionis igniculus reperitur, talis compunctionis rivulus infunditur; ubi talis amoris stimulus injicitur, sicut in vita & doctrina beatissimi Patris Bernardi abbatis Clarævallensis, sideris Ecclesiæ, principalis Cisterciensis Ordinis ampliatoris, & monasticæ vitæ inflammatoris ardentissimi? Et quis penetrabilior virtutum hortator occurrit, quis efficacior vitiorum eliminator decurrit, humanum excitans torporem ad cælestia, ardorem elidens ad terrestria, somnum F mortis impediens, divinæ lucis radios, fugatis tenebris inclarescere satagens? Cujus insuper fœcundis ac decoris Sermonibus Virgo Christi Mater tam gloriosis extollitur laudum præconiis, pretiosissimis ornatur puritatis encomiis, integerrimis prædicatur virginitatis signaculis. Et nedum hoc, sed & ejus doctrinis universalis Ecclesiæ fabrica ut gemmis vernantibus rutilat, & verborum elegantia singulari glorioſiùs coruscat. Et fœcunda facundia cælestis irrigui, gratia influente, Scripturarum ænigmata referat, solvit nodos, dilucidat obscura, declarat dubia, sicuti beati Bernardi Doctoris Ecclesiæ eximii, qui in gloriam patriæ abiens, sic saluberrimis omnis sanctitatis monitis doctrinæ & exemplis vitæ totam subcælestem fœcundans irrigavit ecclesiasticam hierarchiam. Quem ideo alma mater Ecclesia exuberantis testimonii plenitudine, in Sanctorum canonizatione requisiti, in miraculis, doctrinis, virtutum exercitiis, luce clarius reperta ejus cælesti vita testimonium afferente, pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuissimis titulo eximium Confessorem & Doctorem studiis honorari, sollicitis & sonoris efferri præconiis

A niis instituit, & honoribus disponit sollemnibus venerari, & Sanctorum catalogo glorioſius annotari „. Florebat anno MCD.

595 Johannes Gerſon, doctor & cancellarius Pariſienſis in quodam Serm. de S. Bernardo, ſic eum affatur: " Te verò beatiſſimum Bernardum unum eſſe ex conſortio ignitorum illorum ſpirituum, quos Seraphim Scriptura nominat, ego fide pia tenens, obſecro jam, & obſecro per amorem tuum, quatenus ſumpto calculo ardenti de altari illius, cujus ignis eſt in Sion, & caminus in Jeruſalem .... tu labia mea tangens purges, &c. „. Et circa finem: " Conſideranti mihi in ea quæ per accidens & velut ab extrinſeco juverunt S. Bernardum ad amorem Dei capeſſendum, reperio illa eſſe quatuor inter cetera, quæ ſunt, matris devotio, apta complexio, debita educatio, & ſolitudinis affectio „. Et infrà: " Denique dici poteſt, omnia iſta quatuor juviſſe de per accidens Bernardum, ut propheta & miraculorum eſſet patrator, inter quæ præcipua ego illa deputo, quæ egit in converſione illorum, qui etiam converti toto niſu fugiebant „. Florebat anno MCD. *Gerſonis,*

B 596 Jodocus Clichtovæus Neoportuenſis, doctor theol. & Canonicus Carnotenſis, Serm. 1 de Bernardo ſic eum Johanni Baptiſtæ comparat: " Tertiò, inquit, lucerna noſtra, Bernardus, fuit, lucens multiplici ſacrorum operum compoſitione, quæ non ſolum ſui temporis hominibus, ſed & poſteritati prodeſſent ad ædificationem fidei & morum .... Illuxit certè omnibus non ſolùm tunc præſentibus, ſed & futuris uſque ad conſummationem ſæculi, per multorum librorum elaborationem, ad profectum aliquem ſpiritualem ſemper tendentium, in quibus tanta eſt dictionis ſuavitas, ut melle dulcior illi fluat oratio, unde & Mellifluus Doctor meritò nuncupatus eſt „. Item in Præfat. quadam Operibus S. Bernardi præfixa: " Inter opera, ait, à probatiſſimis auctoribus elucubrata, beatiſſimi Bernardi volumina non poſtremo loco collocanda ſunt. Si enim auctorem ſpectare libet; & vitæ ſanctimonia, & præclara eruditione præſtantiſſimus occurret. Si characterem ipſum rationemque ſcribendi; comperietur ſuaviſſima, & ſine aſperitatis offendiculo cum ſumma facilitate elegantiaque decurrens, ut melle dulcior videatur ex ejus ore C fluxiſſe oratio. Si denique materia quam pertractat, exquiritur; aliud invenietur nihil, niſi quod involucra ſacræ Scripturæ in lucem proferat, aut vitia gravi verborum tonitruo effulminet, aut ad virtutem ſtudioſiùs invitet „. Florebat anno MDXXX. *Clichtovæi,*

597 Ludovicus Granatenſis lib. 2 de Relig. Chriſti cap. 27: " Non erit, inquit, conſentaneum inter tot graviſſimos Doctores dulciſſimum & ſanctiſſimum Bernardum non inſerere, qui quo fuit humilior & à vana gloria alienior, hoc majorem gratiam & virtutem ad facienda miracula conſecutus eſt „. Et cap. XI: " De S. Bernardo etiam legitur, quod initio glorioſi ſui novitiatus ita in ſpiritu raptus & extra ſe poſitus ibat, quod ſenſuum uſum amiſiſſet .... Vis enim ſpiritus & divinæ ſuavitatis guſtus, quem ſecum trahit caritas, ita animæ vires ſuxerat & ſecum traxerat, ut ad nihil aliud, niſi ad id, ullam virtutem haberet „. Florebat anno MDLX. *Ludovici Granat.,*

598 Carolus Sacci, doctor theolog. Pariſienſis in Serm. de S. Bernardo, qui manuſcriptus exſtat in monaſterio noſtro de Lyra diœc. Ebroicenſis, hæc inter alia commemorat: " Exſtinxit profectò, ne longiùs ſerperent, univerſi ſchiſmatis faces, & quidem tot tamque diuturnis peregrinationibus & vigiliis, ut mirum ſit in mortali adhuc viro tantas perferendarum rerum, peregrinationum, lucubrationumque vires fuiſſe, immò verò ſuperfuiſſe. Non unam, ſed in multas & longas nóctes continentes interdum vigilavit. Ægrotationes graves ſecutæ, quas ille non patienter modò, ſed jocundo quoque animo tulit, eaſdemque vitæ beatæ & cæleſtis imitatrices appellare ſolebat. Interea non temperavit aut intermiſit ſacrarum Litterarum ſtudium, quas, velut æquiſſimam planiciem quamdam, oculis ſuis propoſitas videre ſe dicere ſolebat. Conciones infinitas habuit, libros elegantiſſimo verborum cultu expeditiſſimè ſcripſit „: De Contemptu mundi librum unum, Meditationum librum unum, De Paſſione Chriſti & reſurrectione librum unum, De diligendo Deum, De gradibus humilitatis, De Gratia & lib. Arb., De Præcepto & diſpenſatione, Ad Innocent. Papam de Petri Abaëlardi hæreſibus, ad Eugenium Papam de Conſiderat. Ad Templarios de laude militiæ novæ, Ad Cluniacenſes Apologeticum, Super Pſalmum XC homilias duas de viginti. Super Cantica cantic. homilias tres & octoginta. Super Euangelium Lucæ homilias quatuor. Super Canticum Mariæ librum unum, In Vitam Malachiæ epiſcopi librum unum, Epiſtolas " quidem innumerabiles, quæ tamen in manibus adhuc verſantur, ducentas quinque & quadraginta &c „. Florebat anno MCDLXX. *Sacci.*

AUCTORE J. P.

E

PARS TERTIA.

CLASSIS VII.

Religioſorum ex diverſis Ordinibus.

HUgo Metellus, canonicus regularis cœnobii S. Leonis apud Tullum Leucorum, in epiſtola ad ipſum S. Bernardum hîc edita tomo 1 col. 378. Oleum effuſum, inquit, nomen tuum, fragrans more contritorum aromatum. Fama nominis tui clariſſimi uſque ad fines terræ pertranſiit „, &c. Vixit anno MCXXX. *Hugonis Metelli,*

Hugo monachus ſancti Mariani Autiſſiodorenſis, in Chronico ad annum MCXIV: " Eodem anno, inquit, Claravallis fundata eſt, cujus primus abbas exſtitit ſervus Dei Bernardus, vir opinatiſſima ſanctitate præclarus, per quem ſui temporis Eccleſia in antiquum religionis decus reſloruit „. Scribebat anno MCC. *Hugonis monachi,*

Andreas Silvius Benedictinus Marchianenſis in Synopſi Hiſtoriæ Franco-Merovingicæ, ſic ſcribit ad anno MCXXVI: " D. Bernardus abbas Clarævallenſis quaſi ſtella matutina monachicum Ordinem illuſtrat, & ſanctitate, doctrina, miraculis claret in Gallia (immò Germania, Italia, Anglia) cujus vita in tantum excellit, ut parum ſit omne quod in ejus laudem dictum, vel ſcriptum fuerit &c „. Florebat anno MCC. *Andreæ Silvii,*

F

600 Helinandus Frigidi-montis in Gallia Ordinis Ciſterc. monachus, lib. de Reparat. lapſi, cap. 8 ſic de S. Bernardo loquitur: " Lege pulcherrimum librum de Conſideratione ad Eugenium, ex cujus nobiliſſimo ſtilo poteris intelligere, auctorem libri ſapientiorem fuiſſe Apolline, eloquentiorem Demoſthene, ſubtiliorem Ariſtotele, *Helinandi, Cæſarii Heiſterbac., Henrici Suſonis,*

AUCTORE J. P.

ristotele ; moderatiorem Socrate , discretiorem Platone ,,. Florebat anno MCC.

Cæsarius Heisterbacensis monachus Ordinis Cisterc. lib. 14. Mirac. cap. 17 : " Bernardus in illa formidolosi schismatis flamma , quâ Christianus orbis flagrare cœperat , lustravit provincias, infectum reddidit quidquid factum non oportuit, & gladio verbi divini succinctus fregit terrorem armorum. Vir tantæ auctoritatis , ut per unius os Bernardi , purpurati Patres , reges , principesque terrarum , quasi per commune mundi oraculum loquerentur ,,. Claruit anno MCCXXX.

Henricus Suso , Ord. Præd. in Dialog. de æterna Sap. cap. 14 ita S. Bernardum affatur : " Et tu quoque inter omnes Ecclesiæ Doctores benedictus sis , Bernarde Melliflue , cujus anima sempiterni Verbi mirificè fuit illustrata splendoribus, qui mellito eloquio tuo , ex cordis manante redundantia , humanitatis Christi Passionem dulcissimè deprædicans evehensque ita ais , &c. Merito sanè , Pater sanctissime Bernarde , lingua tua dulcissima manat eloquia , quando cor tuum Christi melliflua passio adeo indulcarat ,,. Florebat anno MCCCXL.

B

Dionysii Cartusiani ,

601 Dionysius Cartusianus Serm. 1 in Festo S. Bernardi sic eum commendat : " Beatissimum virum S. P. Bernardum Deus omnipotens & benignissimus tam copiosa atque multiplici gratia decoravit , ut verè de ipso dici posset , quod de Paulo apostolo dixit Salvator , Vas electionis est mihi iste , &c. Et quod in Ecclesiastico legitur: Non est inventus similis illi. Non enim tempore suo habuit æqualem in mundo , sed verè Apostolus fuit temporis sui ,,. Et Serm. 2 : " Electissimus Dei Bernardus , omnium religiosorum excellentissimus Doctor , lumen & gloria monachorum , exemplar ac species devotorum , tot & tantis desuper præventus est gratiis , tot excellentiis decoratus , tot privilegiis sublimatus , ut non sint ingenia quæ valeant penetrare , nec loquelæ , neque sermones, qui possint exprimere , tantumque Virum sufficienter laudare ,,. Florebat anno MCDLX.

Sixti Senensis ,

602 Sixtus Senensis Ord. Præd. Biblioth. S. lib. 4 : " Bernardus , inquit , vitæ sanctimonia & præclara eruditione præstantissimus , sic ab infantia sacras litteras imbibit , & per omnem ætatem memoriâ retinuit , ut quoties aut aliquid scribere , aut loqui tentaret , toties in verba & sententias sanctarum Scripturarum prorumpere cogeretur. Unde & diversa Scripta ejus , quæ nihil aliud quàm centones divinorum voluminum dici queunt , undecumque veteris ac novi Testamenti sententiis distincta sunt , ceu gemmeis emblematibus , hisque adeo commodè & aptè insertis, ut ibi nata esse credantur. Modus docendi ejus in sensibus mysticis indagandis & in moribus formandis fere semper versatur. Oratio ubique dulcis & ardens ita delectat & ardenter incendit , ut suavissima lingua ejus mel & lac verborum fluere , & ex ardentissimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur ,,. Florebat anno MDLXVI.

C

Hieron. Plati , Petri Canisii , S. Aloysii Gonzagæ ,

603 Hieronymus Platus Societatis Jesu , lib. 3 de bono statu Relig. cap. XI hæc inter alia scribit : " Quid de Bernardo dicemus ? quem verè appellare possumus planè mellitum , qui spiritualibus documentis scatens , iisque optimis ac perfectissimis , id etiam præcipuum habet , ut ita Scripturas sacras in suum stilum immisceat , & contexat , ut vel ipse Scripturæ verbis loqui , vel Scriptura ipsius ore sonare videatur. Quæ res una cum lepore gravitatem quoque ac vim habet mirabilem ,,. Florebat anno MDXC. D

Petrus Canisius ejusdem Societatis , Mariał. lib. 5 , cap. 28 : " Florebat sub Lothario II & Conrado III Bernardus Clarævallensis , vir in Gallia , Germania , Italiaque percelebris , quem omnes non solùm ob doctrinam divinitus inspiratam , sed etiam propter vitæ sanctimoniam , clarissimis sæpè miraculis demonstratam , merito suspicerent ac revererentur , quo uno melius nec scripsit , nec vixit quisquam in universo cœtu monachorum , si Lutheri quidem calculum admittamus ,,. Florebat anno MDXCVII.

Aloysius Gonzaga ejusdem Societatis , ut legitur in Vita ipsius , lib. 2 , cap. 32 : " Lectionem Bernardi , tam sibi in vita jucundam neque morti vicinus omisit. Nam in morbo qui illi postremus fuit , Bernardum adeo carum habuit , ut quotidie aliquid ex ejus in Cant. Sermonibus sibi prælegi curaret ,,.

CLASSIS VIII.

Jurisconsultorum , & Oratorum. E

Francisci Petrarchæ , Nicolai Pithœi ,

FRanciscus Petrarcha , lib. 2 de vita solit. cap. 14 : " Solebat , inquit , dicere Bernardus , omnes se , quas sciret , litteras , quarum nescio an alius sua ætate copiosior fuerit , in silvis & in agris didicisse , non hominum disciplinis , sed meditando & orando , nec se ullos unquam magistros habuisse præter quercus & fagos ,,. Florebat anno MCCCLXX.

Nicolaus Pithœus in epistola præmissa Thesauro suo ex Operibus S. Bernardi : " Magna mihi cum D. Karolo Perroto amicitia & familiaritas est. Eum igitur die quodam cum , uti soleo , adiissem , ac variis de rebus multa ultro citroque essemus collocuti ; injecta mentio est divi Bernardi Clarævallensis cœnobii abbatis primi : quem tantis ille laudibus extollebat , tantique scripta ejus faciebat , ut ad ea evolvenda animum induxerit meum ... Atque ita, quod futurum ille prædixerat , verum esse comperi. Tanta enim ex ejus me lectione voluptas cepit , ut omnes pæne illas , quæ animum meum tam misere cruciabant, molestias abstersrit ,,. Idem inferius " Bernardum quoddam quasi Ecclesiæ ruentis columen atque sustentaculum ,, appellat. Scribebat anno MDLXXXIX. F

Justi Lipsii , Renati Choppini ,

605 Justus Lipsius , Lovanii regius professor & historicus , rogatus ab Auberto Miræo , quosnam è Patribus legendos formandis concionibus judicaret , hoc responsi dedit Epist. 49 Centur. 3 : " Mihi inter omnes Græcos placet Chrysostomus .... Inter Latinos Bernardus me capit , & usum habet excitandi , ob acrimoniam ubique & calorem ; tum etiam docendi atque imprimendi , ob sententiarum acumen quas crebro & salubriter miscet ,,. Florebat anno MDCX.

Renatus Choppinus , in supremo Paris. senatu advocatus , lib. 2 de sacra Politia : " Eâdem tempestate , inquit , D. Bernardus emicuit , cœnobita quercuumque discipulus , & nullo præeunte magistro doctissimus , qui è solitudine in celebritatem , ex umbra in solem , sanctitatem eruditionemque importavit. Is tam πολύγεγραφος , quàm αὐτοδίδακτος ; quod paucis admodùm id genus scriptoribus cernimus contigisse ,,. Florebat anno MDCXX.

A

CLASSIS IX.

Illuſtrium Feminarum.

S. Hildegardis, S. Gertrudis, B. Mechtildis,

SAncta Hildegardis, Montis S. Roberti prope Bingen abbatiſſa, in quadam Epiſtola ad ſanctum Bernardum, ſic illum exprimit: " Ego ante duos annos te in hac viſione vidi ſicut hominem in ſolem aſpicere, & non timere .... Tu aquila es aſpiciens in ſolem &c ,,. Florebat anno MCL.

S. Gertrudis, abbatiſſa monaſterii Elpedani, in Comitatu Mansfeld., deſcribit modum quo ſibi apparuit S. Bernardus, lib. 4. Inſin. cap. 51. Inter cetera verò ſic ait: " Pectus quoque ejus ſanctiſſimum, collum & manus videbantur aureis quibuſdam laminis, gemmiſque roſei coloris valde rutilantibus intextis honorabiliter circumamicta. Unde & per laminas aureas notabatur præcipua elegantia doctrinæ ejus ſalutaris, quam

B corde devoto ſedulo retractans, per gutturis ſacri miniſterium ore ſacrato edidit, & manibus ſanctis fideliter conſcripſit omnibus in eis proficere volentibus ad ſalutem. Per gemmas vero figurabantur illa dicta, quæ ſpecialius redolent divinum amorem ,,. Florebat anno MCCC.

B. Mechtildis, ejuſdem B. Gertrudis in eodem cœnobio comes, ſic ſcribit in lib. Gratiæ ſpir. cap. 91: " In medio Eccleſiæ S. Bernardi, ſingulariter à Deo in benedictionibus dulcedinis præventi, Dominus aperuit os, quia Spiritus ſanctus eum tam affluenter & ſuperabundanter influendo repleverat, ut velut cùm ventus rapidiſſimo impetu januam aperit, ita Spiritus ſanctus impulſu, ea quæ ſibi divinitus inſpirabantur, caritate accenſus infudit, & Eccleſiam ſuâ doctrinâ multum illuminavit, & implevit eum Dominus Spiritu ſapientiæ & intellectus, & ſuprà quàm dici poteſt mente illuſtratus, licèt multa effuderit, multo tamen plura intellectu reſervavit ,,. Florebat circa annum MCCC.

CLASSIS X.

C

Heterodoxorum.

Lutheri, Neandri, Buceri, Oecolampadii, Calvini, Heinſii.

MArtinus Lutherus, in Colloq. convivial. cap. de Patrib. Eccl.: " Bernardus, inquit, omnes Eccleſiæ Doctores vincit: ſed cum diſputat, in alium virum mutatur, ibi nimium tribuit libero arbitrio ,,.

Michaël Neander, de eodem ita ſcribit Præfat. ad Gnomolog. Græcorum: " Plus ſpiritûs vitæ, doctrinæ & fidei in paucis aliquot paginis D. Bernardi reperitur, qui philoſophiam non attigit, ſolâ Scripturâ contentus, quam adeo familiarem ſibi fecerat, ut mera Scripturæ verba loqueretur; quàm in toto Hieronymo, qui linguarum, artium, philoſophiæ, antiquæ ſapientiæ cognitione cunctis præſtabat ,,.

Martinus Bucerus, lib. de Concord. art. de Juſtif. " Bernardum virum Dei nominat ,,.

Johannes Oecolampadius, citatus à Guthberto Tonſtallo lib. de verit. Corp. Chriſti in Euch. " Excellebat, ait, Bernardus exactiore judicio omnes ſuæ ætatis viros ,,.

Johannes Calvinus, lib. 4. Inſt. cap. 11 § 10 hæc teſtatur: " Bernardus abbas in libris de Conſideratione ita loquitur, ut Veritas ipſa loqui videatur ,,. Item cap. 10 § 17: " Bernarduni vocat pium & ſanctum Scriptorem ,,. AUCTORE J. P.

Daniel Heinſius Orat. 3: " Quis, inquit, ſuaviùs Bernardo ſcribit? cujus ego Meditationes rivum paradiſi, ambroſiam animarum, pabulum angelicum, medullam pietatis vocare ſoleo ,,.

APPENDIX.

Superioribus addunturEvervinus, & Laurentius de Leodio.

SUperioribus magni Viri præconibus annumerare nobis liceat duos alios epimetri loco. Primus ſit Evervinus Steinfeldenſis prope Coloniam Præpoſitus, in epiſtola ad ipſum data, quam vulgavit Mabillonius Veterum Analectorum tom. 3, pag. 452, ubi ſic loquitur: Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa, qui nobis memoriam abundantis ſuavitatis Dei eructare in omnibus dictis & ſcriptis veſtris ſoletis, maximè in Cantico amoris ſponſi & ſponſæ, hoc eſt Chriſti & Eccleſiæ, ita ut eidem ſponſo dicere veraciter poſſimus: " Servaſti bonum vi-

E ,, num uſque adhuc ,,. Hujus vini tam pretioſi pincernam te nobis ipſe conſtituit: non ceſſes propinare, non hæſites, hydrias non poteris evacuare .. O bone Pater, ſatis interim propinaſti de quarta hydria omnibus nobis ad correctionem, ad ædificationem, ad conſummationem, incipientibus, proficientibus atque perfectis; uſque in finem ſæculi profuturus contra teporem ac pravitatem, quæ eſt in falſis fratribus. *Hæc Evervinus. Alter, qui ſanctum Patrem laudat, eſt Laurentius de Leodio in Hiſtoria epiſcoporum Virdunenſium apud Acherium in Spicilegio tom. 2 noviſſimæ editionis Pariſienſis pag. 251 de Henrico ſic loquens:* Henricus primò capit conſilium à Bernardo ſanctæ memoriæ abbate Clarevallenſi, cujus conſiliis regna & eccleſiæ Galliarum hodieque innituntur.

§ LVI. Superſtitionum calumniæ perperam ab hæreticis in Virum ſanctum conjectæ; Horſtii Paræneſis ad ſectarios de S. Bernardo cum fructu ab ipſis legendo.

F

Iniquæ & erroneæ Centuriatorum Magdeburgenſium cenſuræ

OBſervatio ſequens habetur poſt elogia, quæ proximè jam dedimus, apud laudatum Mabillonium à col. 1354, quâ impudentiſſimæ heterodoxorum adverſus S. Bernardum *criminationes confutantur. His itaque verbis expreſſa eſt:* Horſtius hoc in loco refert iniquas & erroneas Centuriatorum Magdeburgenſium cenſuras, ex eorum Centuria XII excerptas, quibus in S. Bernardi geſta & dicta nonnulla ſuperſtitionis nomine impiè aut iniquè cavillantur. Has vero cenſuras, quas in XXII articulos diſtinxit idem Auctor, brevitatis ergô in decem capita præcipua revocavimus, ne aliquid prætermiſiſſe videamur. Et quidem primo S. Bernardum notant Magdeburgenſes, " quod Hoſtiæ in Miſſa oblatæ & conſecratæ cultum adhibuerit, eâque uſus ſit ad ,, dæmones expellendos. 2. Quod Sanctorum reliquias veneratus ſit. 3. Quod rebus benedictione ſacra munitis quamdam crediderit ineſ-

AUCTORE J. P.

„ ſe virtutem. 4. Quòd Romanum Pontificem „ adverſus impugnatores defenderit, eique jus „ inveſtiturarum aſſeruerit contra Lotharium im„ peratorem. 5. Quòd extra Eccleſiam catholi„ cam ſperandam eſſe ſalutem negaverit. 6. Quòd „ expeditionem ſacram, quam Crucem vocant, „ prædicaverit. 7. Quòd veritatem à mortuis ex„ piſcatus ſit, iiſque prodeſſe crediderit Miſſæ „ ſacrificium. 8. Quòd miracula ad errores, ut „ ipſi loquuntur, confirmandos perpetraverit. 9. „ Quòd vitam monaſticam propagaverit, & ad „ illam induxerit plurimos; in primiſque ſorori „ ſuæ licet conjugatæ interdixerit omni veſtium „ pompa, ejuſque à viro ſeparationem probave„ rit, ut ipſa clauſtrum ingrederetur. 10. Quòd „ ipſe Bernardus in ſtagnum rigens ſe injecerit „ ſtudio caſtitatis, ac in ſumma corpus ſuum i„ niquius torſerit „.

ſancto Doctori imputatæ refelluntur.

610 Et hæc quidem ſunt ſuperſtitioſa illa, quæ in ſancto Doctore hæretici calumniantur, opera, quibus ſingulis acres potiùs invectiones, quàm refutationes Horſtius appoſuit. Verùm cum illa non tam ipſum Bernardum, quam communem Catholicæ religionis cauſam impugnent, iiſque copioſè & eruditè ſit reſponſum à multis, non viſum eſt illis diutius immorandum. Certè hæc, quæ tamquam ſuperſtitioſa criminantur hæretici, longe validius in eos regeri poſſunt pro Bernardo: quem cum VIRUM DEI appellet Bucerus, Calvinus PIUM ET SANCTUM; eum ſuperſtitioſis ad mortem uſque factis addictum fuiſſe nefas eſt opinari. Ac proinde ea nequaquam ſuperſtitionis nomine in Catholicis notanda ſunt, quæ, quo minùs Bernardus ſanctus, & miraculis à Deo illuſtratus fuerit, efficere non potuerunt. Ceterùm conſulat lector, ſi lubet, Confeſſionem Bernardinam, ex S. Doctoris operibus expreſſam à P. Theodoro Petreio Cartuſiano Colonienſi, ubi loca doctrinæ Catholicæ in certas claſſes digeſta reperiet.

B

Sectarios è S. Bernardi auctoritate,

611 *Hiſce in editione Mabilloniana ſubjicitur* Horſtii Paræneſis ad ſectarios, de S. Bernardo cum fructu ab ipſis legendo: *quam utinam, ſi non omnino ſint excordes & obdurati, altè in animum demittant! Accipe textum:* Diverſas Sectariorum de Bernardo cenſuras audivimus. Alii laudant, alii vituperant: niſi forte in eo conveniunt omnes, quod adverſantem ſuis ipſorum placitis & moribus omnes æquè damnant ac rejiciunt. Hæc tamen quæ ipſi tamquam doctrinæ ſuæ contraria improbant, nos Catholici vel ideo probanda & amplectenda ducimus, quia Bernardum, alioſque illi ſimiles viros ſanctiſſimos, talia docuiſſe & feciſſe, adeoque diverſâ ab illis viâ inceſſiſſe novimus. Sanctitas nimirum vitæ doctrinæ adſtipulatur, & falſa nobis doctrina, aut erronea fides videri nequit, quam Viri tanta ſanctitate illuſtres tenuerunt. Cur ſibi plus credi volunt, nullo ſanctitatis ſuffragio nixi, quam ſanctiſſimo Bernardo, aliiſque orthodoxis Patribus, quorum doctrina & fides tot ſanctitatis argumentis, immò tot ſignis & miraculis comprobatur? Sanè non poteſt arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos. Quis enim ſanæ mentis ſibi perſuadeat, hominem impia, falſa, abſurda, erronea docentem; idololatriæ, ſuperſtitioni, vanis obſervantiis deditum, qualia atri iſti cenſores, Centuriatores, Bernardo impingunt; inter hæc nihilo minus continuis gratiæ incrementis apud Deum & homines proficere, & ad tantam divini amoris, omniſque virtutis perfectionem emergere potuiſſe?

C

612 Porrò quid de præcipuis orthodoxæ fidei capitibus Bernardus ſenſerit, ſcripta ejus abunde teſtantur. Sed etſi nihil litteris commendaſſet, ipſo vitæ tenore ſatis oſtendiſſet, cui Eccleſiæ adhæſerit, quàm à vobis doctrina & moribus alienus fuerit. Nam vos modò pauliſper affari libet, ô ſectarii, quibus etiam Bernardum ſubinde legere lubet: ſi forte detur & aliquando intelligere, & reſipiſcere. Miſſa vobis mera & horrenda idolomania eſt: at quoties Bernardus Miſſam, verum Deo ſacrificium obtulit? Non facilè illam intermiſiſſe ad extremum uſque ſpiritum, teſtatur Vita; & vos ipſi, etſi non ſine calumnia. Nonne ipſa Miſſæ oblatione dæmones ſæpe teruit & profligavit? Nonne Guillelmum Ducem Aquitaniæ, pertinacem illum ſchiſmatis fautorem, nullis cedentem minis ac monitis, poſt oblatum Sacrificium ab altari veniens, dextrâ, non ferro, ſed ſacrâ Dominici corporis hoſtiâ, armatâ perculit, & expugnavit? Legite & intelligite, ſi forte & tandem expugnetur duritia cordis veſtri &c. D

exemplo. 613 Sed longius progredior, quàm ferat inſtituti ratio: paucis dumtaxat vos commovere ferebat animus, ne præ Bernardo vos ſapere arbitremini. Cur enim novitatem à veteribus damnatam, veteres damnantem inducitis? cur non tenetis viam, qua Bernardus, ſanctique illi Viri & Confeſſores, totaque antiquitas cælum petiit? Si errare vos non creditis; quâ iſti pergant viâ videte: ſi agnoſcitis, cur peritos viæ duces non ſequimini? cur non vel tandem eo reditis, unde diſcedere numquam oportuit? E

ſanctitate & miraculis confutat Horſtius,

614 Ego quidem, ut ingenuè de me fatear, ſi vel ab ineunte ætate veſtris imbutus eſſem erroribus; vel ſi quocumque caſu à tramite veritatis & orthodoxæ religionis ad ſectas veſtras deflectere contigiſſet, ſolus mihi Bernardus ſufficeret, qui veſtra mihi dogmata ſuſpecta redderet: immò qui devium reduceret in viam veritatis. Sic quippe ratiocinarer mecum: Si vera non ſunt, quæ vir tam eximiæ & irrefragabilis ſanctitatis tenuit & docuit, quomodo tanta ſanctitas cum tanta falſitate conſiſtere potuit? Sanctitatem ejus inficiari non poſſum, quam video à tot viris graviſſimis, & ſcriptoribus omni exceptione majoribus, quin & ab ipſis ejus æmulis conteſtatam. Miracula quoque innumera in ejus confirmationem edita conſpicio, quæ negare velle, non videtur eſſe hominis prudentis: calumniari autem tamquam præſtigias & opera ſatanæ, id prorſus videtur hominis malè ſani, nedum maligni, cùm talia non niſi divina virtute fieri potuerint. At verò in confirmationem errorum talia patrata credere, id verè foret hominis prorſus impii, & in Deum blaſphemi, ac in Sanctos ejus injurii. Liceat hîc merito illud ſancti cujuſdam Doctoris inſigne dictum uſurpare (*citatur ad marginem* Richardus à S. Victore lib. 1 de Trinit. cap. 2.) " Domine, ſi error eſt, à te „ decepti ſumus. Nam iſta in nobis tantis ſignis „ & prodigiis confirmata ſunt, & talibus, quæ „ non niſi per te ipſum fieri poſſunt; certè à ſumme ſanctitatis viris nobis tradita, & cum ſumma, & authentica atteſtatione probata, teipſo cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis „. F

ejuſque Opera ut legant, ipſos hortatur.

615 Hæc in gratiam veſtri, ô ſectarii, quia ſapientibus & inſipientibus me debitorem agnoſco: quamvis vobis ſuper docentes vos intelligere & ſapere videamini. Sed miror tamen quid vobis ſit animi, dum Bernardum legitis, toto à

vobis

A vobis cælo diffidentem : conſcientia haud dubiè præjudicatis opinionibus reclamante. Legite deinceps ; hoc unicè precor, & ſuadeo ; legite, inquam, & ſi ulla vobis cura ſalutis ; intelligite. En lucem ſanctitatis & ducem veritatis Bernardum vobis exhibeo : aut ſi mavultis, ipſum vobis apprecor, qui eſt lux vera, immò via, veritas, & vita. *Quandoquidem verò de* S. Bernardi *operibus cum fructu legendis inſtitutus eſt à nobis ſermo ; non abs re videmur facturi, ſi nunc agamus de Viri ſancti lucubrationibus, quas in bonum publicum ad poſteros tranſmiſit.*

§ LVII. S. Bernardi Opera an juſſu Deiparæ ſint collecta ; editio Mabilloniana ; ſancti Doctoris in ſcribendo characteres.

Datur ratio, cur de genuinis ac ſpuriis Sancti Operibus non agamus.

B *AD prælum paraveram ea, quæ illuſtriſſimus Mauricus ad annum Chriſti* 1153, *cap.* 10 *de ſancti Doctoris ſcriptis genuinis, dubiis atque alienis collegit, operâ uſus tum aliorum auctorum, tum præcipuè Cardinalis Bellarmini in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis ; verùm, re deinde expenſâ, mutavi conſilium, &, ne falcem, quod dicitur, mitterem in alienam meſſem, operosè tractando de materia, quæ propriè ad bibliographos, non verò ad hagiographos pertinet, viſum eſt hoc labore ſupersedere, atque lectores mittere ſuper illo argumento ad Mabillonii editionem propter rationes ſtatim aſſignandas. In memoriam tamen revocare juvat, quaſdam* S. Bernardi *lucubrationes in hoc Commentario laudatas eſſe, videlicet* § 15 *&* § 54 *de gratia & libero arbitrio ;* § 23 *&* 28 *Sermones in Cantica canticorum ;* § 50 *librum de Conſideratione. Adde, quod Gaufridus biographus genuina quædam ſancti Patris Opera enumeret in libro* 3 *Vitæ ejus, apud nos cap.* 5. *Sed occaſione præſentis argumenti diſcutiendum breviter eſt factum quoddam, de quo Manricus paullo antè allegatus. Rem expono.*

Quòd Opera ejuſdem Sancti ſint collecta juſſu Deiparæ

C 617 *Vult itaque hiſtoricus ille*, S. Bernardi *Opera juſſu Deiparæ collecta fuiſſe ; pro qua re affert teſtimonium Philothei :* Sequuntur, *inquit*, ordine libri, quos *ſanctus Doctor* reliquit, ingens volumen Operum, ſed pondere quàm mole longè præcellens : nempe gemmea omnia, ſeu veriùs aurea, & de quibus inter laudes Bernardi Philotheus. . . cùm collecta & vulgata recèns fuiſſent, piâ quidam licentiâ, ſed poëticâ, non aliud majus donum (hujus generis) à Virgine accepiſſe genus humanum, quàm quod ſcriptis Bernardi frueretur, fidenter ait *iſta, quæ in editione Mabilloniana habentur volumine* 2, *cap.* 7, *col.* 1304 :

Hoc tamen audenti liceat dixiſſe camœna,
Atque animi ſenſus exſeruiſſe mei,
Humano numquam generi, noſtroque decori
Parthenice tantum muneris alma dedit ;
Quantum grata ſuo nuper cum munere nobis
Protulit hæc brevibus ſcripta legenda notis.

non ſatis probatur.

618 *Hiſce Philothei verſibus recitatis ſuperaddit iſta de eodem Manricus :* Attribuit autem Virgini hoc munus, quia ejus juſſu collecta Sancti opuſcula, atque in volumen unum conglobata uſui publico lucem aſpexere. *Ita ille ; qui mox recitat ſequens ex eodem poëta diſtichon, quo rem confirmat :*

Protulit ipſa quidem, proprio nam Diva clienti
Juſſit, ut egregii quæreret orſa ſenis.

Factum illud memoriâ dignum eſſet, ſi de ejuſdem veritate ſufficienter conſtaret. At verò nonnulla ſunt, quæ huic rei officiunt. Nam contrà eſt primò, quod juſſum illud confusè admodùm referatur. Quæro enim, quiſnam fuerit cliens *iſte* proprius : *item quo loco, quo modo, quo tempore id acciderit : quibus tabulis confirmetur. Contrà eſt ſecundò, quod pictoribus atque poëtis proprius ſit ac frequens epiſodiorum uſus. Unde conſequens eſt, ut imperata illa Operum collectio probari debeat teſtimonio melioris notæ, antequam nos ei ſuffragemur. Jam verò, quandoquidem paullo antè lectorem miſimus ad Operum* S. Bernardi *editionem Mabillonianam, non abs re fuerit brevem de eadem notitiam dare.*

Editio Mabillonii præ aliis laudatur ;

619 *Clariſſimus hic editor* S. Bernardi *Opera omnia cùm genuina, tum ſpuria, tum dubia, tomis ſex comprehenſa vulgavit in volumine duplici. Et in primo quidem refert quatuor priores tomos, ſeu genuina Sancti Opera omnia ; in ſecundo autem, quod continet duos poſteriores tomos, quintum videlicet & ſextum, exhibet alia. Utrumque verò volumen, ſecundis curis ad limam revocatum, Lutetiæ Pariſiorum typis commiſit anno* 1690, *poſt editionem primam, quæ ibidem loci prodierat anno* 1667. *Socios, qui operam ſuam in hac editione anni* 1690 *ſtrenuè poſuerunt, nominat Mabillonius in fine Præfationis generalis. Hunc tamen, non illos, tamquam auctorem primarium nos ſemper allegamus. Dicebam ſuperius, Mabillonium* Opera omnia *ſancti Doctoris vulgaſſe, etiamſi ſcripta nonnulla epiſtolæ ad ipſius manum non pervenerint.* Sanè, *inquit in Præfatione generali* § 1, nulla ſupereſſe Bernardi Opuſcula, ſaltem alicujus momenti, haud edita exiſtimo, præter nonnullas epiſtolas, quæ hactenus deſiderantur, *& quas ibidem aſſignat. Quanam verò in editione anni* 1719 *ſint addita, diſces ex Præfatione generali in fine ejuſdem. In Admonitionibus autem, quæ opuſculis, in ſecundum volumen ab erudito iſto editore rejectis, præfiguntur, ſpuria, dubia vel incerta à genuinis ſecernit, eo ſucceſſu, ut aliis omnibus, qui in hoc ſtudiorum genere ipſum præceſſerant, palmam eripuerit, teſte Caveo heterodoxo, atque adeo neutiquam hîc adulationis, vel falſæ laudis ſuſpecto, qui hoc ei dat elogium :* Opera ſuppoſititia à genuinis optimè diſcrevit, quæ nemo umquam certiùs diſtinxit, vel de iis doctiùs judicavit. *Hæc ille in ſua Scriptorum eccleſiaſticorum hiſtoria literaria.*

qui elucentes in S. Bernardo ingenii, ſtyli,

620 *Ceterum Doctoris Melliſlui ſingulares, & non facilè imitabiles in ſcribendo characteres, peculiari nimirum Spiritus ſancti, qui per eum loquebatur, unctione delibutas, ita exprimit idem Mabillonius in ſua generali Præfatione, volumini primo præfixa, paragrapho primo num.* 3, *diſertè juxta ac graviter iſta ſcribens :* In ejus enim ſcriptis elucet ingenium naturâ nobile, generoſum, excelſum : ſed humanum, civile & honeſtum. Eloquentia quaſi congenita, ſine fuco, non ſine ornamento, ſed nativo. Stilus preſſus, oratio vivax, dictio propria, cogitatus ſublimes, affectus pii, lepores ſponte naſcentes, totus ſermo unum Deum ac cæleſtia ſpirans. Ardet, non urens, ſed inflammans. Pungit & ſtimulat, non ut irritet, ſed ut moveat. Corripit, increpat, non ut detrahat, ſed ut attrahat. Arguit, minatur, terret ; ſed amando, non indignando. Blanditur,

AUCTORE J. P.

ditur, ſed non adulatur: laudat, ſed non extollit. Urget blandè, præſtringit abſque moleſtia: delectat, recreat, placet. Quippe " oratio ejus, „ inquit Sixtus Senenſis, ubique dulcis & ardens, „ ita delectat, & ardenter incendit, ut ex ſua„ viſſima lingua ejus mel & lac verborum fluere; „ & ex ardentiſſimo ejus pectore ignitorum affe„ ctuum incendia erumpere videantur „.

ac doctrinæ ſacræ characteres deſcribit.

621 Jam verò doctrinam habet minimè vulgarem, Scripturæ ſacræ verbis ac ſucco refertam; ſic autem Patrum ſententiis inhærentem, ut tamen propria ejus eſſe ſentiatur. Ita quippe ſcribit de rebus divinis, de gratia & libero arbitrio, de moribus & officio Pontificum, clericorum, monachorum, laïcorum, ut fontem hæc indicent, non rivum aut canalem. Et miramur, ſi vir tantus amatur? Si ejus ſcripta comparantur, leguntur, teruntur ab omnibus? Si editiones eorum ſine numero fiant? Si viri docti & eruditi illis augendis, illuſtrandis, & ad nativam integritatem revocandis operam adhibeant ſuam? Si Roma ipſa, orbis domina & magiſtra, quæ Bernardum quondam docentem, immò &
B redarguentem venerata eſt; ſi Roma, inquam, ipſa libros de Conſideratione, Eugenio III primùm oblatos, tum Nicolai V juſſu elegantiſſimè deſcriptos, demum Pontificum typis ſub Clemente VIII publicari paſſa eſt, totum Bernardum editura in lucem, ſi Gerardus Voſſius (*Præpoſitus Tungrenſis*) operam itidem ſuam in totum Bernardum contuliſſet. Quo minùs mirandum eſt, ſi in metropoli Galliarum tantum Galliæ lumen regiis typis meruit honorari. *Hactenus Mabillonius.*

§ LVIII. Variæ Operum ſancti Doctoris editiones; ſententia perperam ei attributa; cur & quænam Chronologia Bernardina hîc detur.

Deſignantur alia

IN primis nihil magis Bernardi meritum & pretium arguit, quàm adeo frequentes, & toties repetitæ ejus Operum editiones, ſive antè,
C ſeu poſt inventam artem typographicam. Quippe multiplex illa editio argumento eſt, quàm comparetur Bernardus à multis, quàm avidè legatur, quàm denique ab omnibus ametur, *ut Mabillonii utar verbis in Præfatione generali § 1: ubi de tot ac tam variis eorumdem Operum editionibus longum mox ac curioſum ſermonem ſubnectit, incipiendo à Moguntina, quam Petrus Schoyfferus fecit anno 1475, quæ ei videtur fuiſſe prima. Quantum verò diligentiæ, accurationis, ac laboris inſumpſerit editor ille Benedictinus, ut ſua impreſſio prodiret in lucem, quàm poſſet emendatiſſimè; perſpicuum omnino ſit, ſi quis legat, quæ in allegata Præfatione de hoc argumento ſubdit. In illa autem, quæ in Operum editione anni 1719 recuſa eſt, hæc de illo lego addita priori:* Toto vitæ tempore eruendis expoliendiſque Bernardi Operibus, aliis licèt iiſque graviſſimis ſtudiis diſtractus, omnem curam, diligentiam omnem impendit.

exemplaria excuſa.

623 *Ad varias, de quibus dicebam, impreſſiones addi obiter poteſt, R. A. dominum Godefridum Bouvart, Ordinis Ciſtercienſis, in celeberrimo ac florentiſſimo cœnobio* S. Bernardi, *quod in territorio Antverpienſi ad Schaldim jacet, aſcetam, obſervatione non indiligenti uſum eſſe,* D *ut impreſſorum Operum ejuſdem Sancti exemplaria bene multa ac varia cognoſceret & annotaret. Inter alia quippe, quæ de eodem Sancto hæc ſcripſit die* XV *Martii anno* 1737, Addo, *inquit*, hîc ſeriem editionum Operum ejuſdem Sancti, quas in bibliothecarum, auctionum, & officinarum catalogis, præfationibus Operum, & alibi reperire licuit. *Earum autem catalogus, quem ſubtexit, incipit ab editione Moguntina anni* 1475, *ac deſinit in Mabilloniana, anno* 1719 *recuſa Lutetiæ Pariſiorum, ita ut editiones omnino quadraginta diverſas deſignet.*

Sententia quædam

624 *Verùm priuſquam hinc diſcedamus ad alia, conveniendus mihi eſt ſcriptor quidam Catholicus, qui ſancto Doctori noſtro ſententiam quamdam imputavit a ſana doctrina alienam. De heterodoxis, qui è mellito* Bernardi *ſucco venenum conficiunt, jam egimus* § 54, *num.* 574. *An verò inter Catholicos auctores inveniantur, qui alia quædam in ejus Operibus vel minùs rectè intelligunt, vel perperam carpunt, ſicut non eſt mihi promptum dicere, ſic operosè inquirere ſuperſedeo: cùm illud argumentum non ſit proprie fori noſtri, ſed theologorum; quibus incumbit* E *ſanctum Patrem rectè intellectum explicare, non ſecus atque alios Eccleſiæ Catholicæ Doctores. Res itaque hîc mihi eſt cum auctore quodam Catholico, qui in* Bernardo *inveniſſe ſe putavit, quod in* Bernardo *non eſt. Factum intellige.*

perperam S. Bernardo imputata.

625 *Lucas Caſtellinus in Tractatu de certitudine gloriæ Sanctorum canonizatorum cap.* 1, *puncto* 23, § 3 *convenit eos, qui aſſerunt,* S. Bernardum ſequutum fuiſſe errorem illorum, qui negabant animas juſtorum ante extremi judicii diem, frui gloriâ ſempiternâ, quemadmodum de illo ſcribit Alphonſus de Caſtro lib. 3 adverſus hæreſes tit. BEATITUDO, poſt ſextam hæreſim, § BEATUS BERNARDUS. *Quæ verò deinde affert idem Caſtellinus pro defenſione ſancti Doctoris, legi poſſunt loco mox allegato. Sed pluribus hoc argumentum pertractat Mabillonius volumine primo pag.* 709, *ubi expendit ſententiam* S. Bernardi *de medio animarum ſtatu. Sanctum Doctorem etiam defendit Natalis Alexander tom.* 6 *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, anno* 1714 *Pariſiis editæ, agens de hac re pag.* 527 *&* 528. *Si quis porrò plura deſiderat de Alfonſo à Caſtro, qui natione Hiſpanus, profeſſione Franciſcanus fuit; adeat Waddingi ſcriptores Ordinis Minorum, & Nicolai Antonii Biblothecam Hiſpanam.* F

nonnullæ de Chronologia Bernardina obſervationes.

626 *Etiamſi me non lateat, in Introductione ad Opera* S. Bernardi, *à præſtantiſſimo viro Jacobo Merlono Horſtio Coloniæ publicata, exſtare chronologiam vitæ & ſcriptorum ejuſdem ſancti Patris, cum Præfatione ad lectorem; chronotaxeos tamen Bernardinæ hoc etiam loco rationem eſſe habendam duxi, ut rebus videlicet ab iſto magno Doctore geſtis, atque in meo hoc Commentario prævio ad determinatos annorum calculos revocatis è conditore Annalium Ciſtercienſium, nova vel melior etiam lux accedat, ſi ea ſub uno veluti aſpectu hîc ita repræſententur, ut cum temporis ratione Manriciana, quam in dicto Commentario ſecutus ſum, conferri, atque hæc ex illa vel confirmari, vel emendari, ſicubi forte aberret, meritò poſſit ac debeat. Et verò quiſnam inficias ierit, chronologiam eſſe lucidam hiſtoriæ facem? Produco autem Chronologiam illam, quam Mabillonius ad calcem ſui voluminis primi vulgavit, non verò Horſtianam. Etenim*

A *nim cùm poſt hanc ordinata ſit iſta, & in lucem data; mirari non debemus, ultimam iſtam melioris eſſe notæ, ab eo videlicet ordinatam, qui poſt Horſtium, alioſque Operum ac ſcriptorum* S. Bernardi *editores, in eamdem recudendam & illuſtrandam gnaviter ac ſapienter incubuit. Iſtius itaque Chronologiæ, in tres à nobis partes diviſæ, quibus adjecti hîc etiam ad marginem à nobis ſunt numeri Arabici, & additiones, ut vocant, en tibi, lector,*

§ LIX. Chronologiæ Bernardinæ

PARS PRIMA.

Ab anno Chriſti MXCI, *qui fuit Sancto natalis, uſque ad* MCXXV.

B *S. Bernardi natales, initium Ordinis Ciſtercienſis,*

ANno Chriſti MXCI, Urbani Papæ II 4, Henrici IV imper. 35, Philippi I Gall. regis 31, natus eſt Bernardus in caſtro Fontanis appellato, prope Divionem in Burgundia, patre Teſcelino Soro, domino de Fontanis, matre Aletha Bernardi domini Montisbarrenſis filia. Paternæ ejus ædes recèns, beneficio Ludovici XIII Galliarum regis, RR. Patribus Congregationis Fulienſis conceſſæ, in monaſterium converſæ ſunt. Degenere ſancti Bernardi lege Admonitionem præmiſſam initio Vitæ S. Bernardi, & Johannem Eremitam in Vita quarta, ubi viri ſancti genus paternum ex veteri Burgundiæ Ducum familia originem duxiſſe fertur.

S. Robertus ejuſdem abbas:

628 MXCVIII B. Robertus abbas Moliſmenſis, aſſumtis ſecum ex eodem monaſterio 21 monachis, in eremum Ciſtercii ſecedit, ibique novum monaſterium exſtruit, in diœceſi ſcilicet Cabilonenſi, quinque circiter leucis à Divione, opitulantibus ſimul & probantibus Gualtero Cabilonenſi & Hugone Lugdunenſi præſulibus; prædia verò largiente Odone Burgundiæ Duce, quo ibi cum ſociis ſtrictiùs ad amuſſim obſervaret

C Regulam S. P. Benedicti, cujus die ſacro in Dominicam Palmarum hoc anno incidente, opus illud tum primum exordium ſumpſit. Ex primis B. Roberti ſociis fuere Albericus, Odo, Johannes, Stephanus, Letaldus, & Petrus.

Ordinis confirmatio;

629 MXCIX Henrici IV imp. 43, Philippi Gall. regis 39, Urbano II decimo nono anno pontificatûs, IV Calend. Aug. defuncto ſuccedit Paſchalis II ex monacho Cluniacenſi.

Beatus Roberus Moliſmenſium interpellationibus in concilio Romano ac Pontificis juſſu Moliſmum redit, eique Albericus ex Priore ſubſtituitur apud Ciſtercium, eccleſia in honorem beatæ Virginis hoc anno dedicatur.

MC Hoc anno Johannes, & Ilbodus monachi Romam mittuntur ab Alberico Ciſtercii abbate, cum litteris commendatitiis Johannis & Benedicti Cardinalium, Hugonis archiepiſcopi Lugdunenſis, atque Walteri Præſulis Cabilonenſis, quorum precibus Paſchalis II inſtitutum Ciſtercienſe confirmat peculiari privilegio dato Troiæ XIV Cal. Maii, Indict. 8, pontificatûs anno 2. Exſtat apud Baron. & Manriq.

630 MCI Albericus abbas arctiſſimam Regulæ S. Benedicti obſervationem inſtituit in novo monaſterio, abjiciens quicquid Regulæ adverſaretur.

Obiit B. Bruno inſtitutor Ordinis Cartuſienſis, (qui anno MLXXXVI exordium ſumpſit) patriâ Colonienſis, ſanctitate ac ſcientia illuſtris. AUCTORE J. P. *obſervatio regulæ S. Benedicti; fundator; mutatio habitûs; mors matris S. Bernardi &c:*

MCII Odo Burgundiæ Dux, Ciſtercii fundator, moritur, & ſepelitur in eccleſia Ciſtercienſi; eodemque anno Henricus ejus filius habitum monaſticum ibidem induit.

MCIII Ciſtercienſes nigrum habitum in album commutaſſe creduntur, & B. Virginis Officium quotidie recitandum ſibi propoſuiſſe.

MCV Obiiſſe putatur Aletha, S. Bernardi mater, calendis Septembris, ex Necrologio S. Benigni Divionenſis, ubi ſepulta eſt: cujus corpus poſt 145 annos tranſlatum eſt Claram-vallem. Ejus obitum deſcribit Guillelmus lib. 1 Vitæ S. Bernardi cap. 2.

MCVI Paſchalis II 7, Philippi I Galliarum regis 46, Henricus IV infeliciter vitam clauſit anno imperii 49. Huic ſucceſſit Henricus V hoſtili in Eccleſiam animo patri non degener filius: qui Romam pergens, Paſchali Pontifici manus injecit, ab eoque per vim eccleſiarum inveſtituras extorſit; ſed & coronam imperatoriam anno MCXI.

E *regis Francorum; Alberici, ac S. Roberti Moliſm. mors; S. Bernardi converſio: Firmitas fundata:*

631 MCVIII Paſchalis II 9, Henrici V 2, 3 Cal. Aug. Philippus rex Francorum obiit apud Milidunum: cui Ludovicus ejus filius, cognomento Groſſus, ſucceſſit.

MCIX B. Albericus, ſecundus Ciſtercii abbas, obiit VII Cal. Februarii, anno regiminis nono & dimidio: cui ſubſtitutus B. Stephanus Hardingus, nobili apud Anglos ſtemmate oriundus, Prioris antea vice functus, qui & ipſe cum aliis, Moliſmo vitæ arctioris deſiderio egreſſus fuerat.

MCX Hoc anno ad ſuperos migravit III cal. Maii B. Robertus abbas Moliſmenſis, Ciſtercii primus inſtitutor, non anno MXCVIII, ut vulgò creditur.

MCXIII Paſchalis II 14, Henrici V 8, Ludovici VI 6, B. Bernardi converſione celeberrimus eſt. Qui annos natus circiter viginti tres, Ciſtercienſium familiæ ſub Stephano abbate una cum 30 ſociis nomen dedit. Ex quo tempore Ciſtercienſis Ordo mirificè propagari & florere cœpit.

Eodem anno Firmitas, *la Ferté*, prima Ciſtercii filia, fundatur in diœc. Cabilonenſi ad Gronam fluvium, *la Grone*, à dominis Vergiacenſibus, Savarico & Guillelmo ejus filio, Comitibus Cabilonenſibus. Primus abbas Bertrandus. F

S. Bernardo divinitus data ars metendi; Pontigniacum, & Claravallis fundata:

632 MCXIV S. Bernardus metendi artem & facultatem, cum per corporis imbecillitatem aliàs non valeret, divinitus impetravit, Vitæ lib. 1, cap. 4.

Fundatur Pontiniacum, *Pontigny*, ſecunda Ciſtercii filia, quatuor ab Autiſiodoro leucis diſtans, in allodio Heriberti canonici Autiſiodorenſis, concurrente Herveo Comite Nivernenſi, ſub Humbaldo epiſcopo: cujus cœnobii baſilica à Theobaldo Campaniæ Comite poſtmodùm ædificata, fundatoris nomen ipſi obtinuit. Primus abbas Hugo Matiſconenſis, poſtea epiſcopus Autiſiodorenſis, ad quem plures Bernardi epiſtolæ.

MCXV Fundantur hoc anno Claravallis & Morimundus, tertia & quarta Ciſtercii filiæ. Claravallis quidem, *Clairvaux*, ad fluvium Albam in Comitatu Campaniæ & diœc. Lingonenſi VII Cal. Julii, non à Theobaldo (ut quidam opinantur, cœnobii Claræ-vallenſis tranſlationem, de qua anno MXXXV, cum fundatione confundentes,) ſed ab Hugone Trecenſi Comite, ut probabitur in Notis ad epiſt. 31. Claræ-vallenſi monaſterio præficitur Bernardus, & à Guillelmo de Campellis

AUCTORE J. P.

Catalaunensi episcopo, absente scilicet Josceranno episcopo Lingonensi, consecratur, quatuor & viginti agens annos, Vitæ lib. 1, cap. 7. Morimundus vero, *Morimond*, in eadem dicec. ab Odolrico de Agri-monte & Adelina ejus uxore, dominis *de Choiseul*. Primus abbas Arnoldus, ad quem epist. 4. Et hæ sunt quatuor abbatiæ, quasi totidem Cistercii filiæ primigeniæ, ex quibus inde ceteræ omnes sunt exortæ.

Eodem anno obiit Ivo Carnotensis episcopus, vir doctissimus, qui successorem habuit Gaufridum, Legati in Gallia honore perfunctum, S. Bernardo carissimum, de quo Epist. 15, 47 & 55, & lib. 4 de Consid. cap. 5, tum etiam Vitæ S. Bernardi lib. 2, cap. 1 & 6, & lib. 4, cap. 4.

633 MCXVI Primum Cistercii Capitulum generale à B. Stephano convocatum, quotannis in posterum frequentandum Idibus Septembris; ut habet Johan. à Vitriaco, Historiæ Occidentalis cap. 14.

primum Capitulum Cisterc.; S. Bernardi infirmitas; patris ejus conversio &c.

MCXVII B. Bernardus gravi infirmitate detentus, medico rusticano curandus committitur, procurante Guillelmo episcopo Catalaunensi, Vitæ lib. 1, cap. 7. Quo quidem anno vel circiter accidisse fertur conversio Tescelini S. Bernardi parentis, qui non multo pòst sanctitatis fama celebris decessit undecima die Aprilis, ut habet Necrologium S. Benigni Divionensis.

B

MCXVIII Henrici V 12, Ludovici VI 10, Paschali II post annos pontificatûs octodecim & menses quinque vita functo, successit Gelasius itidem II ex monacho itidem Cluniacensi, cui Henricus imperator Mauricium Burdinum, archiepiscopum Bracarensem, Gregorii nomine opposuit.

634 Hoc item anno cœpit Ordo Militum Templi, cujus primi auctores Hugo de Paganis & Gaufredus de S. Aldemaro, ut testis est Tyrius lib. 12 belli sacri: quo etiam auctore idem Ordo confirmatur in concilio Trecensi, anno MCXXVIII, ut diserte habet Michaëlensis scriba concilii, postea exstinguendus à Clemente V sub Philippo IV, Galliarum rege, anno Christi MCCCXIII in concilio Viennensi.

Ordinis Militum Templi, Trium fontium, Fontaneti, ac Fusniaci fundatio;

Fundatur monasterium Trium-fontium, *Trois-fontaines*, prima filia Claræ-vallis, in dicec. Catalaunensi. Primus abbas Rogerius: 2. Guido, ad quem epist. 69 & 70. Item Fontanetum, *Fontenay*, secunda Claræ-vallis filia, in dicec. Æduensi, *Autun*. Primus abbas Godefridus, Bernardi consanguineus, qui fundato loco regulariterque ordinato, refert liber sepulcrorum Claræ-vallis, ad suam Claramvallem rediit, ubi tertius Prior fuit, demumque episcopus Lingonensis.

C

635 MCXIX Henrici V 13, Ludovici VI 11, Gelasio II Cluniaci è vivis sublato suffectus est Callistus II Viennensis antea episcopus, Guido appellatus, qui hoc anno Remis concilium celebravit XII Cal. Novemb., & Burdini schisma feliciter compressit.

synodus Remensis ac Suessionensis &c.

Eodem anno conficitur charta Caritatis vulgo appellata, triginta constans articulis seu capitulis, agente B. Stephano abbate Cisterciensi, assentientibusque ceteris coabbatibus, ad providendum paci & tranquillitati Ordinis Cisterciensis, quæ à summo Pontifice Callisto II approbata est. Exstat apud Manrique.

MCXX Sanctus Norbertus, quem Bernardus *Spiritus sancti fistulam* vocat epist. 56, Ordinem Præmonstratensem instituit in loco territorii Laudunensis, Præmonstrato vulgò nuncupato. V Epist. 255 & Notas ad eamdem.

D

MCXXI Celebratur Synodus Suessionensis adversus Petrum Abaëlardum, præsidente Conano episcopo Prænestino, apostolicæ Sedis legato, in quo ipse Petrus librum suum de Trinitate flammis tradere compulsus est. Guillelmus Campellensis episcopus Catalaunensis eodem anno ineunte obiit: de quo vide Notas ad epist. 3.

Fundatur Fusniacum, *Foigny*, in dicec. Laudunensi, cujus abbati Rainaldo Bernardus scripsit epist. 72, 73 & 74.

MCXXII Petrus Mauricius, natione Arvernus, dictus Venerabilis, carissimus Bernardi amicus, fit abbas Cluniacensis in Octavis Assumptionis. Notæ ad epist. 1 S. Bernardi.

636 MCXXIII Hoc circiter anno eligitur episcopus Tarentasiensis, Petrus Firmitatis abbas, primus è familia Cisterciensi episcopus, substituto in ejus locum Bartholomæo Bernardi fratre.

Primus è Cisterc. episcopus; Sugerius abbas, Honorius PP.

Item Adamo S. Dionysii prope Parisios abbate defuncto, communibus eligentium votis successor renuntiatus est Sugerius. Exstant Bernardi complures ad eum epistolæ.

MCXXIV Henrici V imper. 18, Ludovici VI Galliarum regis 16, Callistus Papa obiit pontificatûs anno VI, Sedemque apostolicam Honorius II antea dictus Lambertus, episcopus Ostiensis, eodem anno conscendit.

E

637 MCXXV Henricus V imperator moritur Trajecti ad Rhenum, cum annos 19 imperasset, ac nullis post se liberis relictis, funestum diuturnumque ortum est discidium, Bernardi operâ aliquando componendum, inter Lotharium Saxonum Ducem & Conradum Henrici decessoris sororium, qui à Friderico fratre & aliis rex proclamatus, consensis Alpibus, à Mediolanensibus suscipitur, ac ab eorum archiepiscopo Anselmo, inquit Otto Frisingensis, qui ista narrat Chronic. lib. 7, cap. 17, Modoyci, sede Italici regni, in regem ungitur. Pro Mediolanensium reconciliatione cum Innocentio atque Lothario hujus nominis II (in cujus gratiam electionis jure Imperii summa cessit) multùm fuit Bernardo insudandum, ut postea dicetur.

Bernardi reconciliationes; caritas erga egenos; sanatio miraculosa;

Eodem anno gravis fames, in Gallia maximè & Burgundia sæviens, Bernardi caritatem exercet, lib. 1. Vitæ cap. 10, quo anno ipse etiam gravi morbo conflictatus incidit in vitæ discrimen, ope tandem B. Virginis & SS. Benedicti atque Laurentii sanitati restitutus, ibidem: ac postmodum singularis ejus sanctitatis & doctrinæ cælestis fama per Urbem & orbem volavit.

F

PARS SECUNDA.

Ab anno Christi MCXXVI *usque ad* MCXXXIV.

S. Bernardus epp. Parisiensi ac Senonensi patronus: Igniaci fundatio:

ANno MCXXVI Otto, postea Frisingensis episcopus, celebris historiographus, monachum induit in cœnobio Morimundi. Is, ut scribit familiaris ejus Radevicus, imperatorum Henrici IV nepos, Henrici V sororius, Conradi frater uterinus, & Friderici patruus fuit, ex patre clarissimo & pio Principe Leopoldo Austriæ marchione, & matre Agnete, filia Henrici IV.

MCXXVII. Hoc circiter anno Stephanus, ex Cancellario episcopus Parisiensis, à curiæ frequentia ad meliorem frugem Bernardi monitis revocatus,

A vocatus, graviter à Ludovico rege exagitatur, tandemque poſt multas infeſtationes, Ciſtercienſium, maximè vero Bernardi operâ in gratiam reſtituitur. Quod etiam Henricus Senonenſis archipræſul non multo pòſt, eademque de cauſa expertus, eumdem habuit cauſæ patronum ac defenſorem. Conſule epiſt. 45 & Notas.

Fundantur Igniacum, *Igny*, quarta Claræ-vallis filia, dicec. Remenſis, à Raynaldo de Pratis Remorum archiep. Primus abbas Humbertus, ex Caſæ-Dei monacho Claræ-vallenſis factus, qui non multo pòſt amore quietis, dimiſsâ præfecturâ, Claramvallem rediit; qua de re à Bernardo in Italia tunc propter ſchiſma detento acriter correptus epiſt. 141, nihilo minùs hoc in ſancto otio perſtitit ad diem uſque mortis, in quo S. Bernardus de eximiis ejus virtutibus ſermonem habuit. Abbas ſecundus Guerricus pietate juxta ac ſcriptis percelebris, cujus Sermones hîc in tomo VI.

intereſt concilio Trec., fundantur Regniacum & Urſi-campus: concilium Catalaunenſe;

639 MCXXVIII Concilium Trecenſe celebratur (non vero MCXXVII, teſte Michaëlenſi ſcriba concilii) in ſollemnitate S. Hilarii, præſidente Matthæo Albanenſi, Apoſtolicæ Sedis legato: eique interfuere Stephanus Ciſtercienſis, Bernardus Claræ-vallenſis, aliique ejuſdem Ordinis abbates. In ipſo Patres Templariis Regulam veſteſque candidas (quibus Eugenius III poſtea rubeam crucem attexi curavit) præſcripſere.

B Fundatur Regniacum, *Regny*, in dicec. Autiſiodorenſi.

MCXXIX Matthæus Albanenſis (verba ſunt Alberici in Chronico) Legatus ex Ordine Cluniacenſi, concilium tenuit apud Catalaunum in Purificatione beatæ Mariæ Virginis: ubi de conſilio S. Bernardi abbatis, Henricus Virdunenſis epiſcopus epiſcopatum dimiſit, & factus eſt epiſcopus per biennium, quidam Urſio abbas S. Dionyſii Remenſis.

Fundatur Urſi-campus, *Ours-camps*, in dicec. Noviomenſi à Simone epiſcopo.

ſchiſma Anacleti oppugnat;

640 MCXXX Lotharii II imperator. 5, Ludovici VI Galliar. regis 22, mortuo Honorio Papa XVI Cal. Februarii, pontificatus ſui ſexto, graviſſimum ſchiſma in Eccleſia Dei oritur, Innocentio II canonicè electo XIII Cal. Martii, qui Gregorius antea vocabatur; ſed Petro Petri Leo-

C nis filio, violentiâ amicorum ſuorum, qui potentiſſimi in Urbe erant, favente ſibi Rogerio Siculo, intruſo. Innocentii cauſam Bernardus per octo annos ſtrenuè propugnavit. Vide epiſt. 124 & ſeqq. Nam & inter alia hoc ipſo anno à Patribus concilii, Stampis ea de re habiti, arbiter una voce conſtitutus, Innocentium Anacleto præferendum declaravit, & Henricum Angliæ regem ad eum ſuſcipiendum induxit, Vitæ lib. 2, cap. 1. Vide Præfationem noſtram generalem, articulo IV.

recuſat infulas Genuenſes:

641 Eodem anno ipſe Bernardus ſumma animi demiſſione epiſcopatum Genuenſem, Sigefridi anno ſuperiori ad Superos tranſlati morte deſtitutum, recuſavit. Balduinus verò in concilio apud Clarum-montem in Gallia habito, primus ex Ciſtercienſibus ſacro Cardinalium collegio adſcriptus eſt. Cui adjunctus putatur Martinus vir ille integerrimus, cujus meminit Bernardus lib. 4, de Conſid. cap. 5. De Balduino in epiſt. 144 & 244.

642 MCXXXI Innocentio Leodii magnificè recepto, cum prius ſub finem anni ſuperioris in Galliam ſe recepiſſet, Bernardus repreſſit Lotharium imperatorem, epiſcopales inveſtituras repetentem; eumque ſummus Pontifex ibidem in Germaniæ regem coronavit, Romæ poſt duos annos imperatorio diademate donandum. Peractâ verò Leodii Quadrageſimâ præſentis anni, Innocentius in Gallias redux, ad Concilium contra Anacletum menſe Octobri Remis indictum profectus, Ludovicum juniorem in locum Philippi fratris, ex equi lapſu infeliciter necati, regem conſecravit. Quo quidem concilio ſoluto, inquit Sugerius in Vita Ludovici Groſſi, dominus Papa Autiſiodori delegit demorari, reliquo nempe tempore labentis anni, cùm prius Cluniacum, cujus eccleſiam dedicavit, deinde Claramvallem aliaſque eccleſias viſitaſſet, comitante ipſum ubique Bernardo. Leodii conventum poſt Concilium Remenſe narrat Ernaldus in lib. 2, de Vita Bernardi cap. 1 contra expreſſam Sugerii auctoritatem.

AUCTORE J. P. *reprimit Lotharium imp.; epiſcopatum Catalaun. non vult: varia monaſteria:*

Hoc etiam anno Bernardus, ut habet magnum Chronicum Belgicum, epiſcopatum Catalaunenſem electus recuſavit, & per ipſum Gaufredus abbas ſancti Medardi Sueſſion. fit epiſcopus Catalaunenſis. Idem refert Albericus, qui & addit, Innocentium ſancti Medardi eccleſiam conſecraſſe, Idibus nimirum Octobris, ante Concilium E Remenſe, ut habet Chronicum ejuſdem monaſterii.

Hoc itidem anno, Thomas prior S. Victoris Pariſienſis, vir integerrimus, pro juſtitia crudeliter perimitur à nepotibus Theobaldi Neoterii archidiaconi Pariſienſis, cui ob exprobratas in eccleſiaſticos exactiones inviſus erat. Nec multo pòſt Archembaldus ſubdiaconus Aurelianenſis idem mortis genus eademque de cauſa ſubiit, Johanne auctore eccleſiæ S. Crucis itidem archidiacono. Pro Priore S. Victoris ſcripſit Bernardus epiſt. 158, 159, 160 & 162. Et pro ſubdiacono epiſt. 61. Suſcepta autem eſt & agitatá utriuſque cauſâ in concilio Jotrenſi, *Joüarre*, diœceſis Meldenſis.

Fundatur Morerola, *Moreruela*, in Caſtella & territorio Zamorenſi. Monaſterium S. Johannis de Tarouca in Luſitania, diœceſis Lamecenſis. Longuſpons, *Long-pont*, in diœceſi Sueſſionenſi. Carus-locus, *Charlieu*, in diœceſi Biſuntinenſi. Bonus-mons, *Bonnemont*, in Sabaudia, diœceſis Gebennenſis. Rievallis, *Ridal*, in Anglia, diœceſis Eboracenſis.

F

iter Italicum; reconciliat Piſanos & Genuenſes; monaſteria; iter Germanicum;

643 MCXXXII diſcedentem è Galliis Innocentium Bernardus in Italiam proſecutus, Piſanos & Genuenſes reconciliavit, oblatumque denuo Genuenſem pontificatum, Syro vel deferente, vel in ſedem necdum evecto, modeſtè conſtanterque rejecit.

Exorta item eſt Cluniacenſes inter & Ciſtercienſes magna controverſia, occaſione videlicet privilegii, quo iſtos Innocentius à decimarum ſolutione exemit. V epiſt. 228 & 283.

Fundantur monaſterium Valcellenſe, *Vaucelles*, in dicec. Camerac. V epiſt. 186: ac Trium-Fontium, *Trois-Fonts*, in Anglia, diœceſ. Eborac. V epiſt. 92, 94 & ſeqq.

MCXXXIII S. Bernardus, in Italiam anno ſuperiori profectus, cum vires Innocentio non ſufficerent ad Romam expugnandam (Lothario quippe armatorum dumtaxat duo millia miniſtrante) Henrico majoris Britanniæ regi ſcripſit epiſtol. 138 ad ferendum ſuppetias. Sed tandem Innocentius Urbem ingreſſus, in baſilica Lateranenſi Lotharium coronavit imperatorem: quo abeunte, Anacleto per Urbem graſſanti cedere coactus, Piſas ſe contulit. Unde Bernardus mittitur in Germaniam,

AUCTORE J. P.

maniam, Conradum cum imperatore Lothario reconciliaturus. Qua occaſione captata, Rogerius Siciliæ tyrannus, ab Anacleto regis nomine donatus, Piſanos ab Innocentii obedientia retrahere conatur: quibus in fide conſtanter perſiſtentibus, S. Abbas congratulatoriam hoc anno dedit epiſtolam 130. Porrò in illo ejus itinere contigit Maſcelini converſio, de qua lib. 4. Vitæ, cap. 3, necnon & Duciſſæ Lotharingiæ, ibid.

644 MCXXXIV Concilium Piſanum celebratur, ad quod cum Bernardus Innocentii juſſu facta pace cum Lothario & Conrado accedens per Lombardiam iter ageret, Mediolanenſes ſacrorum communione & metropolitana dignitate privati, quòd Anſelmum archiepiſcopum ſecuti, Conrado & Anacleto adhæſiſſent, litteris illum interpellant, de reſtituenda ſibi Pontificis & imperatoris Lotharii gratia, quibus peracto Concilio adfuturum ſe promiſit, datis epiſt. 132 & 133. Nec mora, concilio ejus potiſſimùm prudentiâ abſoluto, cum Matthæo Albanenſi & Guidone epiſcopo Piſano Cardinalibus, necnon & Gaufrido Carnotenſi, delegatur ad componendam B Mediolanenſium pacem: à quibus ingenti plauſu & ſumma veneratione acceptus, archiepiſcopalem honorem ſibi pertinaciter delatum vix effugere potuit. Multis vero ibidem converſis, de quibus epiſtola 135, primam eodem loci Ordinis ſui coloniam, ſcilicet Caramvallem, aliis mendoſè Claramvallem, excitavit. Inde juſſu Innocentii, ut habet Sigonius de regno Italiæ lib. 11 ad pacificandas ipſas inter ſe Lombardiæ civitates profectus, Papiam & Cremonam ſe contulit. Cùm autem apud Cremonenſes nihil profeciſſet, eorum Innocentio pertinaciam ſignificavit epiſt. 318.

redux in Italiam, intereſt concilio Piſano; pax Mediolanenſium facta; recuſatæ infulæ;

645 Interim poſt Concilium ad Superos migrat Norbertus Ordinis Præmonſtratenſis fundator. Sed & Stephanus abbas Ciſtercienſis v Cal. Aprilis: cui poſt rejectum Widonem, qui Stephano adhuc ſuperſtite electus, ſex menſes pedum geſſit paſtorale, ſubſtitutus eſt Rainaldus, filius Milonis Comitis Barri ſuper Sequanam, inquit Ordericus lib. 8 monachus Claræ-vallenſis. Is præclara inſtituta 87 capitibus comprehenſa in Capitulo generali ordinavit, quæ videre licet in Annal. Manrique.

mors S. Norberti, monaſteria fundata:

C Fundantur præter Caramvallem Mediolanenſem, Hemmerodium, *Hemmerode*, in dicec. Trevirenſi; Vallis-clara, *Vau-Clair*, in dicec. Laudunenſi. Primus abbas Henricus de Murdach, ad quem epiſt. 321.

646 MCXXXV Bernardo ex Italia reduce per urbem Mediolanenſem, lib. 2. Vitæ, cap. 4, transfertur Claravallis in commodiorem locum, lib. 2. Vitæ cap. 5: ubi cum vix tantiſper conſediſſet, juſſus eſt in Aquitaniam ſe conferre cum Gaufrido Carnotenſi, ad revocandum Guillelmum Comitem Pictavenſem, alioſque ſchiſmaticos à Gerardo Engoliſmenſi epiſcopo ſeductos, ibidem cap. 6. Poſtea aliquamdiu ſibi redditus, inſignem illam in Cantica explanationem, hortante altero Bernardo Portarum priore Cartuſiano, aggreſſus eſt. V epiſt. 153 & 154.

transfertur Claravallis: convertitur Guilielmus Comes; explanantur Cantica; fundationes; mors Guidonis;

Fundantur Buſaium, *Buzay*, in dicec. Namnetenſi, ab Ermengarde Britanniæ Comitiſſa, quam in prædicto itinere à ſæculi vanitate revocavit. V epiſt. 116 & 117. Primus abbas Johannes, ad quem epiſt. 232. Altacumba, *Hautecombe*, in dicec. Gebennenſi. Gratia Dei, *la Grace-Dieu*, in Santonenſi. Eberbachum, *Eberbach*, in Moguntina.

MCXXXVI Guido, inter Bernardi fratres natu major, extra Claramvallem, juxta fratris vaticinium, lib. 2. Vitæ cap. 12, moritur, nimirum Pontiniaci. D

647 Fundantur Balerna, *Balerne*, in dicec. Biſuntinenſi. Primus abbas Burchardus, ad quem epiſt. 146. Domus Dei, *la Maiſon-Dieu*, ad Carum fluv. in dicec. Bituricenſi, cujus abbas fuit Robertus Bernardi conſanguineus, ad quem epiſt. 1. Alba-ripa, *Auberive*, in dicec. Lingonenſi. Denique adoptatur Monaſterium Alpenſe, *l' Abbaye des Alpes*, dicec. Gebennenſis, tradente Guarino abbate, poſtea epiſcopo Sedunenſi. V epiſt. 253.

fundata monaſteria;

648 MCXXXVII Innocentii II 8, Lotharii II imperat. 12, Ludovicus VI regni ſui anno 29 Pariſiis mortuus eſt Cal. Aug., cui ſucceſſit filius Ludovicus VII Junior appellatus, quod vivente patre regnare cœpiſſet.

mors Ludovici VI; tertium iter Italicum; Rainulfus Siculus ſuperatus; monaſteria;

Hoc ipſo anno Bernardus ab Innocentio accîtus, tertio in Italiam progreditur, ſub Anacleto laborantem vexatione Rogerii Siculi, qui à Rainulfo duce Bernardi precibus ſuperatus, cum armis prævalere non poſſet, ad verba ſe convertit, atque Anacleti cauſam in ore Petri Piſani viri eloquentiſſimi reponere ſe ſimulans, cùm ipſum à Bernardo convictum & reductum vidiſſet, ne ſic quidem ad meliora potuit emolliri. B

Fundantur monaſterium Columbæ, *di Columba*, in Italia, dicec. Placentinæ; Bochla, *Bocon*, in Hungaria, dicec. Veſprinienſis, *Veſprin*, quamvis à nonnullis ad annum MCLIII referatur. Item adoptatur monaſterium Bellifontis, nunc Vallis-Paradiſi, *Val-Parayſo* nuncupatum, in Hiſpania dicec. Zamorenſi, *Zamora*.

649 MCXXXVIII Lotharius II imperii 13 regnare deſiit III Nonas Decemb. ſuccedente Conrado Franconiæ duce, quondam ejus æmulo. Quo etiam anno miſerè interiit Anacletus pſeudo-pontifex, cui ſuffectus ex Rogerii factione Gregorius Cardinalis, Victor vocitatus, qui ſupremæ dignitatis inſignia Bernardo reſignans, ſchiſmati tandem, poſt ſeptem annos S. Doctoris ſtudio ac prudentia compreſſo, finem optatum impoſuit. V epiſt. 317. Abbas verò ſanctus Romanam Curiam, nullâ morâ interpoſitâ, deſerens, nihil inde in Gallias referre voluit pro xeniis, præterdentem S. Cæſarii, aliaſque Sanctorum reliquias, lib. 4. Vitæ cap. 1. Qui de ſtatu electionis Lingonenſis à Lugdunenſi metropolita contra ſponſionem Romæ initam celebratæ certior factus, varias ſcripſit epiſtolas 165 & ſeqq., cui quidem dolori acceſſit alius longè gravior, nempe de Gerardi fratris obitu, cujus inducias in Italia, ubi comitem eum habuerat in extrema ſua peregrinatione, à Deo impetrarat, quem multis lacrymis proſecutus eſt Sermone 26 in Cantica, à quo reſumpſit aureum hoc opus à ſe interruptum. F

ſchiſmati finem imponit; reſumit Cantica: mitram Remenſem recuſat; monaſteria &c.

Ipſo anno Rainaldus Remenſis archiepiſcopus obiit, ut refert Auctarium Gemblacenſe: poſt biennium verò, ſcilicet anno MCXL, Samſon Carnotenſis eccleſiæ Præpoſitus Remorum ordinatur archiepiſcopus, cùm ipſe Bernardus hanc dignitatem recuſaſſet.

Fundatur monaſterium Benedictionis Dei, *Beniſſon-Dieu*, in dicec. Lugdun., cui præfectus Albericus, ad quem epiſt. 173. Adoptatur etiam monaſterium Dunenſe, *Dunes*, dicec. Brugenſis. Primus abbas Robertus, cui ſcribitur epiſt. 324, Bernardo apud Claramvallem aliquando ſucceſſurus.

A *Petrus Card. Pisanus Innocentio PP. reconciliatus; iter Romanum S. Malachiæ:*

650 MCXXXIX Convocatum est Romæ concil. Later. mille circiter episcoporum, in quo iteratò damnati Petri Leonis fautores, infirmatæ ab eo factæ ordinationes, torneamenta interdicta, Arnaldus Brixianus, tamquam hæreticus Italiâ excedere jussus. A qua quidem sententia adversus Anacleti fautores severitate Bernardus vindicare laboravit Petrum Pisanum Cardinalem, Innocentio prius à se reconciliatum, ut patet ex epist. 213. Nec multo pòst Innocentius ipse à Rogerio Siciliæ duce dolosè captus est, quod pacis diù exoptatæ inter utrumque componendæ fuit occasio.

Hoc item anno Malachias archiepiscopus, Hiberniæ Primas, Romam iter aggressus est, non verò, ut vult Baronius anno MCXXXVII; cum constet ex Bernardo, Vitæ S. Malachiæ cap. 10, Malachiam ab hac peregrinatione novem dumtaxat annos supervixisse, itemque ex cap. ult., anno MCXLVIII decessisse. Malachias verò in hoc itinere Claramvallem adiens, ibi sex socios reliquit, qui Cisterciense institutum edocti, illud postea in Hiberniam transtulerunt.

B

PARS TERTIA

Ab anno Christi MCXL *usque ad* MCLIII *Sancti emortualem.*

Concilium Senonense contra Abaëlardum; monasteria:

ANno MCXL habetur concilium Senonense adversus Abaëlardum, qui condemnatis errorum capitulis Sedem Romanam appellavit quidem, sed Petri Venerabilis persuasione cedens appellatione, Cluniaci remansit: ac ejusdem operâ Ecclesiæ reconciliatus, cum per biennium ibi laudabiliter vixisset, in monasterio S. Marcelli Cabilonensi, quò morbi curandi causâ se contulerat, cessit è vita. Vide epist. 197 & seqq. & ibidem Notas.

Fundantur hoc anno Clarus-mariscus, *Clairmarets*, in dicec. Audomarensi. Blancha-landa, *Blanckelant*, in Wallia Angliæ provincia, dicec. Menevensi; Ursaria, *l'Ourſiere*, in regno Callæciæ, dicec. Aurien si, *Orense*. Aripatorium, aliis Ripatorium, *Larivoir*, in dicec. Trecensi,

C cui præfectus Alanus, postea episcopus Autisiodorensis, Vitæ S. Bernardi compilator. Item Innocentius monasterium S. Anastasii ad Aquas-Salvias reparatum Claravallensibus attribuit, præfecto Bernardo Pisano, S. Bernardi discipulo, qui subinde Eugenii III nomine in Sedem Romanam assumptus est. Denique adoptantur monasterium Benchorense, *Benchor*, à Malachia Hiberniæ Primate Bernardo concessum; necnon & Casæmarium, *Casamario*, in civitate Verulana, *Verulo*, in Italia.

terra Ludovici regis interdicta; vexatus ab eo Theobaldus Comes; Humbelinæ S. Bernardi sororis mors; monasteria; Eugenius PP.

652 MCXLI Innocentius Papa, ait Robert. de Monte, interdixit terram Dominicam regis Ludovici, quia nolebat recipere archiepiscopum Bituricensem, quem tamen postea recepit, & absolvit eum de sacramento, quod irrationabiliter fecerat. V epist. 218 & seqq.

Quo etiam anno idem rex Franc. Ludovicus, ut habet idem auctor, afflixit Comitem Theobaldum, & vastavit terram ejus, maximè in Campania, ubi combussit castellum Vitreuvium, seu Vitriacum, *Vitry*, ubi multitudo diversi sexus hominum & ætatis, nimirum mille trecentæ animæ, teste Roberto de Monte in Supplem. ad Sigibertum, qui hoc refert ad annum MCXLIII; cremata est. Consule epist. 217, 220, 222, 223. AUCTORE J. P.

Hoc tempore contigit obitus Humbelinæ sororis sancti Bernardi; de qua lib. 1 Vitæ, cap. 6.

Fundatur cœnobium Mellifontis, *Mellifont*, in Hibernia, dicec. Armachanæ, *Armach*, Malachia procurante, adscitis ex Claravalle Christiano ac sociis, quos prædictus episcopus instituendos ibi reliquerat. V epist. 356 & 357.

Alfonsus rex Lusitaniæ in Claramvallem beneficus &c.:

653 MCXLII Ivo presbyter Card. ex Canonico regulari S. Victoris apud Parisios, mittitur in Gallias ad ferendam sententiam in Radulfum Viromanduorum Comitem, qui repudiata priori uxore Petronilla, Theobaldi Comitis sorore, Guillelmi Aquitaniæ Ducis filiam, reginæ sororem; superinduxerat. Quo etiam anathemate involuti Bartholomæus Laudunensis, Simon Noviomensis, Petrus Silvanectensis episcopi, divortii auctores. V epist. 216, 217, 220, 221.

Item Alfonsus Lusitaniæ rex se suumque regnum Claræ alli vectigale fecit, assignatis 50 marabitinis sive dipondiis auri probati.

Quo etiam anno, teste Roberto de Monte, vel proxime evoluto, ut tradit Ortelius in Anselmo Gemblac. apud Miræum, animam cælo E reddidit magnus ille Hugo Victorinus, S. Bernardi amicus & cultor præcipuus, alter sui sæculi Augustinus. V epist. 70.

Fundantur monasteria Melonis, *Melon*, in Callæcia, dicec. Tudensis, *Tuy*; & Superadi, *Sobrado*, circa hæc tempora, in dicec. Compostellana. Item Alta-crista, *Haute-creſte*, in Sabaudia, dicec. Lausanensis.

obit Innocentius PP., monasteria,

654 MCXLIII Conradi III imper. 5, Ludovici VII Franc. reg. 6, Innocentius Papa moritur VIII Cal. Octob., cum sedisset annos fere 14, cui succedit Guido de Castello, dictus Cælestinus II, ad quem epist. 234, 235.

Fundantur Alvastrum, *Alvaſtern*, in Suecia, dicec. Lincopensi. Nova-vallis, (aliis post quadriennium) *Ni-dal*; ibidem. Bella Pertica, *Belle-perche*, in dicec. Montisalbani; Meyra, *de Meyra*, in Callæcia, dicecesi Lucensis, *Lugo*.

pax inter Ludovicum regem, & Theobaldum à S. Bernardo composita; fratris ejus mors &c.:

MCXLIV Cælestinus Papa, semestri necdum exacto, decessit: cui subrogatur Gerardus Camerarius ex Canonico reg. presbyter Card. tit. S. Crucis in Jerusalem, Lucius II nuncupatus. Quo tempore Bernardus inter Ludovicum regem & Theobaldum Comitem pacem composuit. Legendæ epist. 220 & seqq.

Hoc item anno moritur Bartholomæus Firmitatis abbas, frater S. Bernardi. Item Stephanus Catalaunensis Cardin., episcopus Prænestinus ex Ordine Cisterciensi, vir magnæ sanctitatis, cui Bernardus varias inscripsit epistolas. F

Fundatur Bellilocus, *Beaulieu*, in dicec. Rutenensi, *de Rodez*.

MCXLV Conradi III imperat. 7, Ludovici VII Francor. reg. 8, Lucio Papæ, v Cal Martii defuncto, substituitur Eugenius III ex abbate S. Anastasii ad Aquas-Salvias, Bernardus antea vocatus, de quo suprà anno MCXL. V epist. 237 & seqq. Quo tempore S. Bernardus à Ludovico rege de sacra expeditione consultus, rem ad summi Pontificis sententiam remittit, ex nostra Præfatione generali art. VII.

Fundatur Pratea, *la Prée*, in dicec. Bituricensi.

655 MCXLVI: In concilio Carnotensi pro expeditione sacra ind&o hoc anno, ad quod Petrus Venerabilis invitatus, epist. 364, venire non potuit, ut colligitur ex ejus responsione epist. 18 lib. 6.

AUCTORE J. P.

lib. 6, S. Bernardus in primarium militiæ ducem electus, ex mandato Eugenii, Germaniæ populos, Francos Orientales, Bajoarios, Anglos, &c. ad capeſſendam Crucem tum litteris, tum viva voce cohortatus eſt, multis ſuffragantibus miraculis, epiſt. 363, 365, & lib. de Mirac. Bern.

S. Bernardus in primarium belli ſacri ducem electus; prædicationes; miracula; fundatum Villarium:

Hoc itidem anno Tornacenſis eccleſia, quæ per 500 & amplius annos epiſcopis Noviomenſis eccleſiæ commendata fuerat, proprium epiſcopum, Anſelmum nomine, ex abbate S. Vincentii Laudunenſis, ab Eugenio Papa III recepit, Bernardo abbate Claræ-vallenſi inter alios procurante.

Fundantur Boxelona, *Boxley*, in Anglia, diœc. Cantuarienſ; Villarium, *Villers*, in Brabantia diœc. Namurcenſis. Hujus fundationem Auctarium Gemblacenſe apud Miræum reponit anno ſequenti, his verbis: Monachi duodecim cum Laurentio abbate, & quinque Converſis à B. Bernardo ex Claravalle in Brabantiam miſſi, Villarienſe monaſterium ædificarunt.

B

Eugenius PP. in Gallia; ſynodi; Sanctus in Aquitaniam contra Henricum hæret. tendit; Scalabis ejus meritis victa; monaſteria:

656 MCXLVII Eugenius anno ſuperiori, Romanis Arnaldi factione, de qua epiſt. 242, infeſtantibus, in Galliam confugiens, hoc anno Pariſiis honorificè excipitur à Ludovico rege, qui cùm anno præcedenti, ut refert Robertus de Monte in Append. ad Sigibert., apud Vezeliacum, *Vezelay*, die Dominica in Ramis palmarum crucem aſſumpſiſſet, ſimulque Robertus frater ejus, & Gaufridus Comes Mellenti, & alii multi, hoc anno Pariſius receſſerunt, nimirum die XIV Junii, ut habet Chronologia Cluniacenſis, in Syriam contra Saracenos profecturi.

Hoc eodem anno plures variis in locis habitæ Synodi. Prima Stampis, in qua de negotio Jeroſolymitano & regni diſpoſitione, Bernardo præſente, actum eſt, Galliæ adminiſtratione Sugerio S. Dionyſii abbati commiſſa. Vide Chronic. S. Dionyſii tom. 2. Spicil, & lib. Mirac. S. Bernardi cap. 16. Secunda Autiſiodori, præſidente Eugenio. Tertia Pariſiis, teſte Ottone Friſing. in Frid. lib. 1, cap. 50: in quibus cauſa Gilberti Porretani propoſita, ad concilium Remenſe anno proximo celebrandum remiſſa eſt. V Præfationem generalem.

Præterea Bernardus cum Alberico Cardinali Oſtienſi & legato, Gaufridoque Carnotenſi, pergit in Aquitaniam contra Henricum hæreticum, de quo in noſtra Præfatione generali & in epiſt. 241. Quo etiam anno Alfonſus Luſitaniæ rex, urbe Scalabi meritis S. Bernardi expugnata, datis litteris monachos petit ad inſtituendum Ordinis Ciſtercienſis in ſuo regno monaſterium.

C

Fundantur Alcobatia, *Alcobaza*, à prædicto rege in Luſitania, diœc. Uliſſiponenſi; Vallis richerii, *Vaurichier*, in diœc. Bajocenſi; Morganium, *Morgan*, in Wallia. Monaſterium de Spina, in diœc. Palentina in Caſtella, à Sancia Alfonſi regis ſorore. Vide epiſt. 301. Item adoptatur Grandis-ſilva, *Grandſelve*, Ord. S. Bened., in diœc. Toloſana, Bernardo ejus abbate ſe & domum ſuam tradente. V epiſt. 242.

Gilbertus Porretanus ab eo convictus; mors Malachiæ; monaſteria:

657 MCXLVIII, inito concilio Remenſi XIV Cal. Aprilis, Eugenio præſidente, carcere damnatur Eon fatuus hæreticus: Gilbertus vero Porretanus Pictavenſis epiſcopus, à Bernardo convictus, ſuos retractat errores. Nec multo pòſt Eugenius, agente ſancto Abbate, ſcripta Hildegardis approbavit in concilio Trevirenſi, cum priùs Tullenſis eccleſiæ dedicationem, cui & Bernardus interfuit, peregiſſet. Quo eodem anno præfatus Eugenius, cùm Capitulo Ciſtercienſi adfuiſſet, novumque cœmeterium ſacraſſet, fratribus non ſine lacrymis valedicens, in Italiam remeavit. D

Poſt Eugenii è Gallia diſceſſum, S. Malachias Hiberniæ Primas, Romam denuo ad ſummum Pontificem Pallii cauſa profecturus, optato die & loco apud Claramvallem diem feliciter clauſit ipſo die ſollemnis commemorationis omnium defunctorum, cujus memoria ſtatim ab ipſius morte celebris haberi cœpit. Vide epiſtolam 374 conſolatoriam ad Hibernienſes; item Vitam ejus tomo 2, & duos Sermones in ejus depoſitione habitos tomo 3. Porrò cum S. Malachias in extremis jam fere ageret, conſummato ædificio novæ Claræ-vallis, oſſa venerabilium Patrum, qui in priori cœnobio obdormierant, è veteri cœmeterio in novum tranſlata ſunt in feſto omnium Sanctorum, ex Serm. 1 de S. Malach. num. 2. Ejus canonizatio in Chronico Claræ-vall. apud Franc. Chifflet. refertur ad annum MCXCII.

Eodem anno obiit beatus Humbertus abbas Igniacenſis, non anno MCXLV, ut putat Manricus. Probationes vide in Notatione ad Sermonem de ejus obitu à Bernardo habitum, qui exſtat in tomo 3. E

Fundatur Camberona, *Cambron*, in diœc. Camerac. Primus abbas Faſtradus ex Claravalle, cui etiam poſt Robertum præfuit. Adoptatur etiam Alna, *Alne*, priùs Benedictinorum, deinde Canonic. regul. in diœceſ. Leodienſi. Item in Capitulo Ciſtercienſi hoc anno Serlo abbas Saviniacenſis ſe ac 30 monaſteria, quæ à Saviniaco Benedictinorum monaſterio diœceſis Abrincenſis pendebant, Claræ-valli ſubdidit: quatuor verò Stephanus, congregationis Obazinenſis in diœc. Lemovicenſi naſcentis Pater & inſtitutor.

Henricus, regis Galliæ frater, fit monach. Claraval., ac dein ep.; monaſteria; Sancti apologia:

658 MCXLIX. Hoc anno cum infelicem exitum habuiſſet tranſmarina expeditio, Ludovicus in Galliam reverſus eſt V epiſt. 386, lib. 2 de Conſid. cap. 1, & Vitam S. Bernardi lib. 3 cap. 4. Qui quidem ad novam iterum ſe accingens, à Ciſtercienſibus retardatur, ut tradit Robertus abbas in Chronico ad annum MCL.

Eodem anno Henricus, Ludovici regis Franciæ frater (verba ſunt Chronici Turonenſis) priùs theſaurarius beati Martini Turonis, pòſt apud Claramvallem monachi veſte indutus, provehitur ad epiſcopatum Belvagicæ civitatis: quod quidem Chronicon ſancti Petri Vivi Senonenſis anno ſeq. reponit. Lege epiſt. 307 & Notas. F

Fundatur Fons-moriniacus, *Font morigny*, in diœceſi Biturienſi; Albæ petræ, *Aubepierre*, in Lemovic.; Longum vadum, *Longuay*, in Lingonenſi; Laus B. Virginis, *Loz*, in Tornacenſi. Adoptatur Bullencuria, *Boullancour*, Canonic. reg. in Trecenſi.

MCL Eugenio Romæ ad S. Petrum poſt multos conflictus reſtituto, Bernardus librum 2 de Conſideratione tranſmittens, apologiam de Jeroſolymitanæ expeditionis conſilio prætexit, recipitque epiſtolam conſolatoriam à Johanne Caſæ-marii in civitate Verulana abbate, quæ eſt modo 386 inter Bernardinas.

epiſtolæ ad Sugerium moribundum ab eo ſcripta; monaſteria:

659 MCLI Rainaldo abbati ſub finem anni ſuperioris defuncto, nimirum XVII Cal. Januarii, ſuffectus eſt Goſevinus ex abbate Bonæ-vallis Viennenſis. Vide epiſt. 270.

Item moritur Hugo Autiſiodorenſis epiſcopus, vir bonæ memoriæ dictus in Chronico S. Petri Vivi. De ſucceſſoris electione vide epiſtolas 261, 274 & ſequentes. Obiit item Sugerius abbas ſancti Dionyſii, vir integerrimus, cui in extremis poſito

A posito Bernardus scripsit epist. 266.

Ludovicus & Alienora, inquit Robertus de Monte, in Quadragesima apud Balgenceium, dato sacramento coram archiepiscopis & episcopis quòd consanguinei essent, separati sunt auctoritate Christianitatis.

Fundatur monasterium Esronense, *Esron*, in Dania, dicec. Roskildensi, *Roschilt*.

MCLII Eugenii III 8, Ludovici VII Franc. reg. 15, Conradus imperii anno 13 purpuram morte resignat Friderico cognomento Ænobarbæ, Sueviæ duci, Conradi ex fratre nepoti. Sed & Theobaldus Campaniæ Comes, vir insignis pietatis, VI Id. Januar. defunctus, in monasterio Latiniacensi, *Lagny*, ad Matronam, cujus fuerat advocatus, sepelitur, ad quem non longè ante obitum Bernardus scripsit epist. 271.

Adoptatur abbatia de Moroliis, *de Morolles*, in dicec. Malleacensi, *Mallezés*: fundatur abbatia Clarimontis, *Clermont*, in dicec. Cenomannensi. Circa hoc tempus adoptatur Armentaria, *Armentera*, in Callæcia, dicec. Compostellanæ.

B 660 MCLII. Friderici I imper. 2, Ludovici VII Franciæ reg. 16, Eugenius diem clausit VI Idus Julii, cum sedisset annos 8, menses 4, dies 13: cui successit Conradus, ex Canonico regulari episcopus Sabinensis, dictus Anastasius IV. Nec longe pòst sanctissimus Doctor Bernardus, multis pro Deo & Ecclesia defunctus laboribus, cùm à media hiemis tempestate gravi morbo correptus, ut scribit epist. 288, 307 & 308, pacem nihilo minùs inter Metenses composuisset, in pace tandem ipse quievit XIII Cal. Septemb., tribus ante meridiem horis, anno ætatis 63, monasticæ professionis 40, præfecturæ 38. Qua etiam hebdomada Ascalon, munitissima civitas in Palæstina, juxta Sancti promissionem frequentiùs repetitam, à Christianis capta est, ut testatur Gaufrid. lib. 3 Vitæ S. Bern. cap. 4. Bernardus apud Claramvallem successorem habuit Robertum ex abbate Dunensi.

composita pace inter Metenses obit Sanctus; ejus promissio de capienda Ascalone, & successor.

Fundantur monasteria Petrosæ, *la Perouse*, dicec. Petragoricens.; De Moris, *de Mores*, dicec. Lingonens., & adoptatur abbatia Montis-rami, de *Monte-ramo*, dicec. Aurienſis in Callæcia.

C § LX. S. Bernardus solenni ritu Sanctorum canoni adscriptus.

Canonizatio S. Bernardi dilata fuit,

Sicut magni Patris in Sanctorum numerum relati dignitas tum ipsi Viro, tum sacro Ordini Cistercienſi universo fuit honorifica propter modum ac rerum adjuncta, quibus actus ille sacer ac solennis peractus est; sic de anno, quo accidit, inter eruditos non convenit. Non est, *inquit Mabillonius volumine 2, col. 1341*, inter Bernardi elogia ultimo loco reponendum, quòd primus ex Ordine Cistercienſi in Sanctorum album sollemni ritu referri meruerit. Poscebant hoc B. Viri sanctitas singularis, immensi pro Ecclesia susceptí labores, cælestes denique insignium miraculorum attestationes, queis seriùs subscribere nefas esse videretur. Vix à sacro ipsius obitu anni decem effluxerant, cùm in concilio Turonensi, anno MCLXIII celebrato, sedente & præsidente Alexandro III, ea res primùm agitari cœpit. At summus Pontifex, quamvis alioqui pro sua erga Bernardum veneratione libentissimè annuisset, tantisper nihilo minùs differendam censuit ob eas rationes, quas ipse in litteris canonizationis postea exposuit.

AUCTORE J. P. *& qua de causa:*

662 " Cùm enim, inquit, eidem negotio „ (scilicet de canonizando Bernardo) favorabili „ satis intenderemus affectu, supervenit multitu„ do & frequentia petitorum, qui in diversis pro„ vinciis rem similem postulabant. Unde cum nos „ videremus, non posse congruenter omnibus sa„ tisfieri, statutum fuit pro scandalo devitando „ etiam in hoc differri, quod oportebat pro tem„ pore ceteris denegari „. Demum verò ipsemet Alexander, rogatu Gerardi abbatis & Conventus Claravallensis, piorum votis filiorum facturus satis, Bernardum Patrem Sanctorum fastis adscribi voluit. *Ita Mabillonius. Quod verò, ut suprà indicabam, sancto Abbati nostro, nec non sacro Ordini Cistercienſi universo, ac præsertim ascetis Claravallensibus, maximè honorifica fuerit res ista, perspicuum fiet è litteris Apostolicis, quas paullo pòst referemus.*

alii alium annum eidem assignant;

663 *Nunc interea dispiciendum etiam est, cuinam anno innecti debeat canonizatio illa. Idem, qui suprà, Operum Bernardinorum editor de hoc facto ita disserit columna 1341 citatâ:* Quo autem anno hoc contigerit, cùm in litteris Apostolicis disertè non exprimatur, non una est auctorum sententia, aliis ad annum MCLXIV, ut Horstio & Henriquez; aliis verò ad annum MCLXVI referentibus: sed utrisque, ut videtur, contra temporis rationem; cùm Gerardus Claravallensis abbas, cui Alexandri litteræ inscribuntur, anno dumtaxat MCLXXII præfecturam inierit. Meliùs omnium Ciaconius in Alexandro III, cui ex Romanarum antiquitatum, litterarumque Pontificiarum notitia tutior fides; reponit ad annum MCLXXIV, eumque secutus doctissimus Sirmondus in Notis ad Petrum Cellensem ad epist. 9, lib. 9, & Manricus in Annalibus: quibus adstipulatur Albericus in Chronico. Accedit omni exceptione majus testimonium Chronici Claravallensis apud Chiffletium Societatis Jesu, ab auctore anonymo, sed æquali conscripti.

E

664 *In dicto itaque Chronico, quod vulgavit idem Chiffletius in libro, quem composuit de* S. Bernardi *Claravallensis genere illustri asserto, pag. 84 notantur ista ad annum Domini 1174:* Eodem anno facta est dedicatio ecclesiæ Clarevallensis, & canonizatio beati Bernardi, & elevatio ejus: ubi adfuit domnus Wichardus Lugdunensis archiepiscopus, abbas quondam Pontiniaci. Et sequenti anno, in capitulo generali receperunt cantum B. Bernardi, & cantum de Trinitate. *Hinc conficitur, sacram hanc actionem, quâ* Bernardus *Cœlitum contubernio adscriptus est solenni ritu, restituendam esse anno 1174, & incidisse in diem XVIII Januarii, in litteris Apostolicis distinctè notatum; atque adeo* ab ejus obitu, *sicut computat Mabillonius*, viginti annis exactis, mensibus quatuor, & diebus viginti novem, *uti clarum est retrogradienti à dictis anno ac die mensis, ad diem XX Augusti, & ad annum Christi 1153, Sancti emortualem. De elevatione ipsius, de qua fiebat mentio apud Chiffletium mox memoratum, redibit inferiùs sermo, postquam protulerimus documenta antiqua, etiamsi alibi una cum* S. Bernardi *Operibus vulgata exstent, quæ sacram Viri inter Sanctos relati inaugurationem illustrant. In editione autem quæ anno 1719 in lucem prodiit, litteris Apostolicis præmittitur epistola Traimundi seu Tromundi, monachi Claravallensis, ad Gerardum abbatem, à quo Romam missus fuerat, ut beati Doctoris canonizationem urgeret. Verùm cum nihil*

sed accidit an. 1174.

AUCTORE J. P.

hil magnopere interſit lectoris legere, quæ in iſta epiſtola memorantur, eamdem huc tranſcribendam non judico. Primò itaque proferantur

Alexandri PP. III Litteræ apoſtolicæ ad Eccleſiam Gallicanam, de B. Bernardo in numerum Sanctorum relato, ejuſque feſtivitate deinceps ſollemniter in Eccleſia celebranda.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus univerſis archiepiſcopis, epiſcopis, & dilectis filiis abbatibus, aliiſque eccleſiarum Prælatis in regno Franciæ conſtitutis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. B

Rationem reddit Pontifex, cur dilata fuerit S. Bernardi canonizatio;

COntigit olim, dum eſſemus Pariſius conſtituti, ut magni quidam ac venerabiles viri de canonizando ſanctæ recordationis Bernardo quondam Claræ vallenſi abbate facerent mentionem, optantes utique & piis nobis precibus ſuggerentes, ut in concilio, quod de proximo erat Turonis celebrandum, digno huic & laudabili voto celerem daremus effectum. Cumque nos eidem negotio favorabili ſatis intenderemus affectu, ſupervenit multitudo & frequentia petitorum, qui in diverſis provinciis rem ſimilem poſtulabant. Unde cum videremus non poſſe congruenter omnibus ſatisfieri, ſtatutum fuit pro ſcandalo devitando etiam in hoc differri, quod oportebat pro tempore ceteris denegari. Nuper autem ex inſtantia & devotione Claræ vallis fratrum, & aliarum ſublimium perſonarum, eiſdem apud nos precibus innovatis, reduximus ad memoriam noſtram ejuſdem beati Viri ſanctam ac venerabilem vitam: qualiter ipſe ſingularis gratiæ prærogativâ ſuffultus, non ſolùm in ſeipſo ſanctitate ac religione præfulſerit, ſed etiam in univerſa Eccleſia Dei fidei & doctrinæ lumine radiarit. Fructum verò, quem in domo Domini & verbo operatus eſt & exemplo, nullus fere terminus ſanctæ Chriſtianitatis ignorat: cum uſque ad exteras quoque & barbaras nationes ſanctæ religionis inſtituta tranſmiſerit, atque monaſteriorum fundationem extenderit, & infinitam multitudinem peccatorum per viæ ſæcularis latitudinem incedentem, ad ſpiritualis vitæ rectitudinem revocarit. C

ry cur deinde conceſſa.

666 Specialiter autem ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, cui auctore Deo præſidemus, ita quondam ſub gravis perſecutionis turbine laborantem, tam vitæ merito, quam datæ ſibi cælitus ſapientiæ ſtudio ſuſtentavit, ut dignè quidem & nobis, & omnibus ejuſdem Eccleſiæ filiis in memoria habendus ſit, & devotione perpetua venerandus. In afflictione verò corporis ſui uſque adeo ſibi mundum, ſeque mundo reddidit crucifixum, ut confidamus Martyrum quoque eum merita obtinere ſanctorum, quem confeſſionis ordine, & parſimoniâ vitæ, tam longum conſtat duxiſſe martyrium. Quibus omnibus pia conſideratione penſatis, & in concilio Fratrum noſtrorum expoſitis, confiſi de miſericordia Dei, cui perſeveranter & fideliter militavit, necnon & de beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, & ejuſdem beatiſſimi Confeſſoris meritis præſumentes, eum Apoſtolicæ Sedis auctoritate catalogo Sanctorum adſcribi mandavimus, & commemorationis ſuæ feſtum decrevimus amodo publicè celebrandum. Vos ergo, qui & ejuſdem Sedis Apoſtolicæ inſtituta ſuſcipere, & Deum in Sanctis ſuis conſueviſtis glorioſiùs honorare, ſic memoriam Sancti hujus celebretis in terris, ut precibus ejus & meritis digna præmia recipiatis in cælis. Datum Anagniæ xv Kalend. Febr. D

Ejuſdem Alexandri Pontificis Apoſtolicæ Litteræ ad Regem Franciæ.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, illuſtri Francorum Regi Ludovico, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. E

Eam ſignificat regi Franciæ,

NOvit (ut credimus) regalis tuæ magnificentiæ celſitudo, quod ea, quæ cum honore Dei grata tibi acceptaque cognovimus, ad utilem ſemper effectum magno & volenti animo promovemus. Maximè autem hoc in illis operibus obſervamus, in quibus ſpecialiter & honor Dei, & ſuorum gloria Sanctorum declaratur: ſcientes quoque tibi fore gratiſſimum, quidquid ad decorem Eccleſiæ, & ſuperni Regis honorem auctoritate fuerit Apoſtolica conſtitutum. Unde, quoniam ſanctæ recordationis Bernardus quondam abbas Claræ vallis, & Deo ſemper carus, & tam tibi, quam univerſo regno tuo gratus exſtitit & acceptus, eum ad gloriam Dei & exaltationem Eccleſiæ ac totius regni tui, canonizandum decrevimus, & inter beatiſſimos Confeſſores feſtiva celebritate colendum, tam de miſericordia Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus confiſi meritis, quàm ſuæ converſationis & ſanctimoniæ non ignari. F

cui etiam affectum erga Sanctum ac Claravallenſes commendat.

668 Monemus igitur Chriſtianiſſimæ Sereni-tatis tuæ regiam pietatem, ut hoc cæleſtis gratiæ donum, regno tuo te regnante collatum, lætæ devotionis brachiis amplectaris, eique jam cæleſti beatitudine perfruenti ſolita pietate devotus exſiſtas, quem pro ſua venerabili ſanctitate adhuc in tenebris poſitum diligebas. Claræ vallenſe verò monaſterium, quod fundavit, in quo etiam corpus ejus venerabile requieſcit, ita te ob reverentiam ejus habere volumus commendatum, ut eum ſemper merearis habere patronum. Datum Anagniæ xv Kal. Febr.



Ejuſdem

A

Ejuſdem Alexandri Pontificis Litteræ apoſtolicæ ad omnes abbates Ciſtercienſis Ordinis.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Ciſtercii, de Firmitate, & Pontigniaci, & Claræ-vallis, & Morimundi, atque univerſis abbatibus Ciſtercienſis Ordinis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis

QUoties honeſta nobis opportunitas exhibetur, ut fidei & devotioni, quam circa Eccleſiam Dei noſtris temporibus habuiſtis, poſſimus in aliquo pro meritis reſpondere, opportunitatem ipſam libenter amplectimur; & in his maximè, quæ ſpecialem noſcuntur redolere virtutem, veſtris occurrere profectibus non moramur. Contigit autem hoc tempore, ut verbum, quod
B ab olim fuerat de beati Bernardi quondam Claræ-vallis abbatis canonizatione propoſitum, & pro quorumdam ſimilia poſtulantium ſcandalo, à Turonenſis concilii celebratione dilatum, ad noſtram reduceretur Deo volente memoriam; & faciente nobiſcum ſignum in bonum, qui hoc pietatis opus noſtris ſervavit manibus conſummandum. Nos enim vitam & ſanctitatem ejuſdem beatiſſimi Confeſſoris recordatione ſollicita memorantes, quomodo ſcilicet & in ſeipſo religionis & ſanctimoniæ prærogativa magnificus, & univerſæ Eccleſiæ Dei, ſpecialiter autem Ordini veſtro fide & doctrina utilis exſtiterit, & copioſiſſimè fructuoſus: confiſi de miſericordia Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, necnon de ejuſdem ſancti Confeſſoris meritis præſumentes, eum, Fratrum noſtrorum communicato conſilio, auctoritate Apoſtolicæ Sedis Sanctorum catalogo duximus adſcribendum, & diem depoſitionis ipſius in Eccleſia publicè celebrandum.

de ea ſcribit;

670 Unde, quoniam hoc ita in gloriam & honorem ſummi Conditoris exuberat, ut in veſtram quoque ædificationem conſolationemque reduhdet; veſtrâ potiſſimum intereſt, omnipotenti Deo
C gratias agere, qui modernis temporibus Virum perfectæ & prædicabilis ſanctitatis in veſtro Ordine voluit ſuſcitare. Vos igitur munificentiæ donum ſpeciali devotione ſuſcipite, & Deum in Sanctorum ſuorum glorificatione mirabilem, in ejus celebratione ſpecialiter honorate. Datum Anagniæ xv Kal. Febr.

Ejuſdem Alexandri Pontificis Litteræ apoſtolicæ ad Claræ-vallenſes.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Gerardo abbati, & univerſo conventui Claræ-vallis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

nec non abbati Claravallenſi,

SIcut de religione & pietate, quam circa Deum geritis, nihil nobis reſtat ambiguum: ſic exhibitæ circa robur devotionis & fidei clara ſemper eſt certitudine manifeſtum. Non enim poteratis, ſed nec deinceps Deo auctore poteritis à gratia ſanctitatis apparere degeneres, quos ſancti Patris conſtat eſſe heredes: cui & gratia ſpiritualis abundavit ad meritum, & operum efficacia non defuit ad exemplum. Scitis namque & pia veneratione recolitis, qualiter beatæ memoriæ Bernardus, cœnobii veſtri primus abbas, præcipuuſque fundator, Deo quidem pro virtute religionis acceptus, & Eccleſiæ Dei pro plenitudine devotionis & fidei exſtiterit gratioſus, ita ut meritò deberetis haberi culpabiles, ſi imitationis & venerationis ipſius effetis in aliquo negligentes. Placuit ergo nobis, quod pro eo, tamquam pro pio Patre, ſollicitudinem habuiſtis, & canonizationem ipſius voto laudabili poſtulaſtis. Nos, quibus cordi ſemper eſt pro multis, fili abba, tuæ devotionis obſequiis, & totius domus veſtræ ſtudiis religioſis & piis, veſtris jugiter obtemperare precibus, & profectibus adſpirare: voto huic clementer annuimus, ut noſtram circa vos & gratiam & benevolentiam comprobemus.

AUCTORE J. P.

commendans ei gratiarum actionem.

672 Vitâ igitur ejuſdem beatiſſimi Confeſſoris ad memoriam revocatâ, quomodo ſcilicet fide & religione atque doctrina præfulſerit, quantoque in Eccleſia Dei perſpicuæ claritatis lumine radiarit: eum, Fratrum noſtrorum conſilio habito, confiſi de miſericordia Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, atque de ejuſdem Sancti meritis præſumentes, catalogo Sanctorum duximus adſcribendum, diemque depoſitionis ejus feſtivum de cetero & celebrem obſervandum. Unde quia veſtra potiſſimùm intereſt, & ejus imitari vitam, & gloriam venerari, ſatagite in omnibus & ſtudete ipſius ſancti Patris & inhærere veſtigiis, & feſtum excolere ſanctitatis, ut cujus converſationis meruiſtis eſſe participes, digni habeamini ejuſdem beatitudinis fore conſortes. Datum Anagniæ xv Kal. Febr. *Ex his omnibus ſummæ erga beatum Virum venerationis teſtificationibus & argumentis, à Sede Apoſtolica ad publicos eidem decernendos Cælitum honores exhibitis, concludere debemus, vix ullam ad illud uſque tempus in Eccleſia Dei majore cum ſolennitate celebratam fuiſſe canonizationem, quàm* S. Bernardi, *atque adeo hanc & Viro ipſi, & Ordini Ciſtercienſi univerſo, & aſcetis præſertim Claravallenſibus maximè honorificam extitiſſe.*

E

F

§ LXI. Orationes pro Miſſa ab ipſo Innocentio PP. III dictatæ; elevationes corporis; altaria; reliquiæ in varias Europæ regiones tranſmiſſæ.

Innocentius PP. III

PRæter alia, *de quibus modò egimus, eaque prorſus ſingularia ornamenta, à Chriſti Vicario Alexandro III, dum* S. Bernardum *Cælitum cœtui aggregavit, litteris commendata; illud etiam accidit ſingulare, quod poſtea alius Summus Pontifex Officium ejus in ſacrificio Miſſæ recitandum non modò præſcripſerit, verùm etiam ore proprio dictaverit. Factum accipe è Mabillonio antea deſignato, qui illud ſic narrat à columna* 1344: Non erant ſatis ad Bernardi memoriam & ingentia merita tantæ commendationis monumenta, niſi etiam ſupremus Eccleſiæ Antiſtes ore proprio ejus Officium dictaret.

AUCTORE J. P.

Hoc præſtitit Innocentius III ad ſupplicationem Johannis, ex metropolita Lugdunenſi monachi Claræ-vallenſis, ſimulque Raineri monachi Heiſterbacenſis Innocentio à confeſſionibus, litteris ad Johannem datis anno MCCI; *quas dictus auctor mox ibidem recitat in hæc verba:*

ore proprio dictat collectas Miſſæ:

674 Johanni quondam Lugdunenſi archiepiſcopo. Negare noluimus, quod petere voluiſti, cùm ex eo tam nobis, quàm tibi fructus æternæ retributionis accreſcat. Petiſti namque rogatus à fratribus, ut ad honorem beati Bernardi primi Claræ-vallenſis abbatis, quem Apoſtolica Sedes Sanctorum adſcripſerat catalogo venerandum, nos ipſi Collectam & alias orationes ore proprio dictaremus, tum propter auctoritatem dictantis, tum propter ſtilum dictaminis cum majore devotione dicendas. Et ecce ſicut potuimus, ad inſtantiam dilecti filii fratris Raineri, petitionem tuam curavimus exaudire. COLLECTA. Perfice, quæſumus Domine, pium in nobis ſanctæ religionis effectum, & ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem, B. Bernardus Abbas & Doctor egregius ſuis apud te ſemper pro nobis meritis & precibus intercedat. Per Dominum &c. SECRETA. Grata tibi ſit, Deus, hujus oblatio Sacramenti, quod in memoriam Dominicæ Paſſionis tuæ offerimus majeſtati. POSTCOMMUNIO. Suum in nobis omnipotens Deus, cibus, quem ſumpſimus, operetur effectum, ut incorporet nos ſibi eſus edentes. Qui tecum &c. Datum Laterani VI Idus Julii.

B

& Doctoris nomine Sanctum honorat.

675 *Hiſce productis ſuperaddit iſta Mabillonius:* Ubi vides S. Bernardum Doctoris nomine à ſummo Eccleſiæ Præſule fuiſſe inſignitum: quod quidem ab ipſo etiam Alexandro III in Miſſa canonizationis uſurpatum teſtatur vetus codex Corbeienſis, in quo Sancti vita continetur, ubi præmiſſis Collectis, ADESTO SUPPLICATIONIBUS NOSTRIS &c. de communi, epiſtolâ, HÆC DICIT DOMINUS, EGO MISI AD VOS MANDATUM ISTUD &c., nec non Euangelio de Doctoribus, VOS ESTIS SAL TERRÆ, hæc ſubjiciuntur: Hæc Miſſa ſupraſcripta de S. Bernardo à D. Papa Alexandro III in primis eſt celebrata.

Elevatio corporis

C

676 *Regrediamur nunc ad ſancti Doctoris elevationem, quæ paragrapho proximè antegreſſo obiter à nobis eſt indicata ex Chronico Claravallenſi apud Chiffletium; ubi vidimus, eccleſiæ Claravallenſis dedicationem, canonizationem* S. Bernardi, *& elevationem ejus alligari anno* 1174. *Manricus ad iſtum annum cap.* 2, *num.* 2 *elevationem differt, ita loquens:* Dedicationem eccleſiæ Claræ-vallis, & canonizationis ſancti Bernardi meminit magnum Chronicum Belgicum ad hunc eumdem annum; quamvis confundat cum elevatione corporis Sancti, quam tamen conſtat contigiſſe poſt quadriennium. *Sed quia auctor Chronici Claravallenſis ſynchronus, & omni exceptione major, quidquid ſit de Magno Chronico Belgico, iſtam elevationem affigit dicto anno* 1174; *non videtur nobis accuſandus de errore, ſi aliâ viâ excuſari poſſit. Et quippe nî poſſit, ſi duas elevationes tempore diverſas accidiſſe admittamus, præeunte Mabillonio, qui columnâ* 1341 *obſervat ſequentia?*

duplex

677 Quod ſpectat ad elevationem, de qua mentio in citata auctoritate (*Chronici videlicet Claravallenſis apud Chiffletium*;) in libro ſepulchrorum Claræ-vallis facta eſſe dicitur ab ipſo Guicardo quidem Lugdunenſi, & Henrico abbate Claræ-vallenſi poſt aliquot annos à canonizatione: ſed hoc de alia ſollemniori tranſlatione intelligendum eſſe, ſatis ipſa verba declarant; dum præ- D dictum Henricum abbatem inſinuant per G archiepiſcopum Lugdunenſem curaſſe *elevationem iſtam. Verba libri ſepulcrorum Claravallenſium apud Manricum, quem allegatus Mabillonius citat ad annum* 1178, *ſic ibidem cap.* 3, *num.* 1 *referuntur, oblata opportunite Godefridi Soritani, qui præſens aderat inter cæteros:* Audiens autem (*Godefridus*) canonizationem beati Bernardi per felicis memoriæ Alexandrum Papam III factam, & tranſlationem corporis ejuſdem beati Bernardi ſub domino Henrico abbate ſeptimo Claræ-vallis faciendam, ad capitulum generale veniens, exinde Claramvallem feſtinavit: ubi cum archiepiſcopo Lugdunenſi, & coëpiſcopis officioſiſſimè ſtuduit intereſſe.

admittenda.

678 *Deinde ex eodem libro in epitaphio Henrici*, Duo, *inquit Manricus num.* 2, in Claravalle bona opera & magnifica, exemptis aliis innumeris bonis, gloriosè conſummavit. Nam beatum Bernardum, quem jam dominus Alexander Papa III canonizaverat, & diem depoſitionis ejus ab univerſa Eccleſia cum gaudio celebrari præceperat, commotis hinc inde venerabilibus E epiſcopis, aliiſque reverendis perſonis, per venerabilem patrem noſtrum dominum Guicardum, archiepiſcopum Lugdunenſem, quondam abbatem Pontigniacenſem, fecit cum magno gaudio, & exultatione totius eccleſiæ Gallicanæ elevari, & relevari, & in tabernaculo marmoreo retro altare beatæ Mariæ Virginis, ſicut hodie apparet, religiosè & honorificè collocari. *Nonne igitur ex hiſce teſtimoniis videtur omnino veriſimile, & veritati conſentaneum, duas accidiſſe corporis* S. Bernardi *elevationes; alteram quidem anno* 1174, *quæ minùs fuerit ſolennis; alteram verò anno* 1178 *ſolenniorem?*

De ſecunda ſcribit Henricus abb. Claraval. ad Stephanum Angliæ regem,

679 *Ceterùm Henrici Claravallenſis abbatis littera de hac poſteriore elevatione, notis tamen chronologicis non ſignata, ad regem Anglorum Stephanum, exſtant apud Mabillonium columnâ* 1345 *&* 1346, *& continent iſta:* Celebratus eſt apud nos dies honorabilis & ſollemnis, nova feſtivitate jucundus, & ampla jucunditate feſtivus; utpote quem nobis relevatio ſacratiſſimi corporis beati Bernardi celeberrimum reddidit, & lumine clariore perfudit. O quam voluimus gaudiis illis, plus utique cæleſtibus, quàm terre- F nis, veſtræ majeſtatis intereſſe præſentiam! quatenus & nobis de gloria principali decor tantæ feſtivitatis excreſceret, & vobis de meritis illuſtriſſimi Confeſſoris, miro quodam irriguo uberioris benedictionis largitas emanaret. Verùm quia id nobis ampla diſtantia remotiſſimæ regionis invidit, ad ſpirituale remedium vota tranſtulimus, fecimuſque, Deo propitio, quod veſtra ibi, etſi præſentia defuit, memoria non vacavit. Sollemniter etenim nomen veſtrum cum ſuæ pietatis inſignibus, veſtrorum, ut oportuit, & affectionibus fratrum, & cordibus impreſſimus filiorum: qui ampla illud devotione ſuſceptum, aſpectui quodam modo ſancti Patris offerrent, & cæleſtis aulæ ſecretario præſentarent.

ac S. Bernardi digitum ad eum mittit:

680 Præterea ne abſentiæ corporalis occaſio regias apothecas inventi muneris participatione fraudaret, mittimus vobis de theſauro reliquiarum ejus honorabilem portionem: indignum penitus reputantes, ſi pietas tanti principis, tantæ ſanctitatis participio fraudaretur. Suſcipite igitur digitum ſacræ illius manus, quam pro eo, quod vir juſtus ab omni munere terreni quæſtus excuſſit, Deus eam, ut dignum fuit, affluentiſſi-

mâ

A mâ copiâ cæleſtis benedictionis implevit : illius, inquam, manus, cujus tactus ſanabat ægros, roborabat invalidos, firmabat homines, dæmones effugabat : illius manus, quæ Claræ-valli noſtræ, cui vos dare tecta diſponitis, primum injecit lapidem fundamentis. Fuit autem ſtudii noſtri diligenter in vaſculo conſignare quod mittitur, ne vel theſaurus ibi reconditus per frequentes apertiones injuriæ pateat, vel devotæ ſurreptionis inſtinctu dolus aliquis piæ fraudis irrepat.

dedicata in Sancti honorem altaria :

681 *Jam verò quid dicemus de aliis honorum inſignium ornamentis, quæ Viro in Sanctorum canonem relato honorificè impenſa ſunt? Auctor Annalium Ciſtercienſium ad annum* 1174, *cap.* 2, *num.* 2 *ſcribens de illa ſolennitate*, Crediderim, *ait*, in eodem etiam feſto ſacratum Sancto altare ; qualia plurima in honorem ejus, in aliis etiam eccleſiis erigebantur. *Et ibidem num.* 3 *ſubdit idem hiſtoriographus Ciſtercienſis :* Certè hoc anno Tarentaſienſis præſul, ſenio jam fractus, ſed ad bona omnia promptus procliviſque, ad ejuſdem Lingonenſis epiſcopi *(de Gualtero erat actum)* & Fratrum Longivadi petitionem,
B Longumvadum adveniens, novum, in honorem ſancti Patris, dedicavit altare, cœmeteriumque, coëuntibus populis, atque inter ſe certantibus, quis propior nova ſacra luſtrare poſſet. *Videſis Vitam S. Petri Tarentaſienſis in tomo noſtro* 11 *Maii impreſſam, die* VIII *ejuſdem menſis, cap.* 4, *pag.* 331. *In Annotatis autem ad illud caput lit.* a *dicitur* Longum-Vadum Ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Lingonenſi, filiam Claræ-vallis, conſtructum anno MCXLIX.

reliquiæ ipſius

682 *Honorem Sancti noſtri non mediocriter amplificarunt pignora ſacra, quæ in varias Europæ regiones migrarunt. Ponam hîc illa, quæ pervenere ad meam notitiam, etiamſi mihi planè perſuadeam, plurima alia vel apud Ciſtercienſes, vel alibi aſſervari. In Kalendario Ciſtercienſi, quod Divione impreſſum eſt anno* 1617 *ſignatur ad diem* XVII *Maii* Tranſlatio S. P. N. Bernardi ad Avinionem : *de qua apud nos in Prætermiſſis ad iſtum diem tomo* IV *ejuſdem menſis pag.* 3 *mentio facta eſt. Id quod de aliqua ſacrarum reliquiarum parte forſan intelligi debet. De pretioſiſſimo pignore, digito videlicet* S. Bernardi, *quem Henricus abbas ad Stephanum Anglorum regem miſit, modò diximus. In Hiſtoria regiæ abbatiæ Deiparæ Virginis Sueſſionenſis, anno* 1675 *Pariſiis excuſa, lib.* 4, *cap.* 2, *pag.*
C 398 *narratur dominus d' Honcourt anno circiter* 1400 *filiæ ſuæ Agneti dediſſe hierothecam argenteam, in qua reliquiæ* S. Bernardi, *S. Guilielmi, & aliorum viginti. Sed in catalogo reliquiarum pag.* 403 *invenio de veſtibus agi* S. Bernardi, *non autem de aliqua parte corporis ejus. Mabillonius volumine primo col.* 362. *in notis ad epiſtolam* 410 *antea* 366, *ſancti Patris, occaſione* abbatiæ ſancti Victoris extra muros Pariſienſes, Canonicorum regularium Ord. S. Auguſtini . . , *refert*, ejuſdem Sancti cucullam in theſauro ejuſdem abbatiæ ſervari, perenne ejus in illam amoris monumentum, cum charta, ex qua dependet S. Bernardi ſigillum, de quo ſuprà, *ait*, ad epiſtolam 284.

in varias

683 *Ad Hiſpaniam ſpectant pars coſtæ quinque digitis longa, & quinque aliæ reliquiæ minores, ſicut notatur in noſtro Ms., quod ex Inventario reliquiarum, ſeu lipſanologio, uti apud nos indicari ſolet alibi, regii monaſterii S. Laurentii Scorialenſis deſumptum eſt. Quid de Italia ? Tomo* IV *Italiæ ſacræ apud Ughellum inter ea, quæ narrantur de epiſcopis Januenſibus, in Othone, columnâ* 850 *noviſſimæ editionis Venetæ, agitur de amore ac veneratione* S. Bernardi *viventis erga Januenſes ; nec non de eorum ad eumdem Sanctum vitâ functum perfugio, dum anno* 1625 *exorto in Italia bello (Adiſis Commentarium hunc noſtrum §* XVIII) *timebant libertati ſuæ : & verò non modò eum Januenſes tutelarem elegere patronum ; ſed oratorem etiam in Gallias deſtinarunt Auguſtinum Centurionem, ut Abbatis noſtri ſepulcrum publico honore lampadis argenteæ continenter arſuræ condecoraret, prout ibidem invenies apud Ughellum. Quæ verò mox ſequuntur columnâ* 851, *huc pertinent :* Centurionem autem abbas Claræ-vallenſis Claudius Argenterius cum monachis ita honorificè excepit, ut ex conſenſu eorumdem monachorum, adaperto S. Bernardi ſepulchro, legatum cum Januenſi populo coſtâ ex Sancti corpore detractâ donandum cenſuerit, tanto gratius Januenſi populo donum futurum, quanto conſtabat, nemini hactenus contigiſſe, vel ſublato lapide à monumento S. Bernardi corpus oculis uſurpare, vel ejuſdem reliquias à cæteris membris divulſas ſecum auferre. E

Europæ regiones

684 Cæterùm delatam Januam ſancti corporis coſtam tantus populi concurſus excepit, ut illis ſupplicationibus nil fieri potuerit magnificentiùs : incluſamque argenteo vaſe ad Sancti promerendam tutelam perpetuam, in metropolim intulêre. Inde collige, lector, alicujus alterius S. Bernardi fuiſſe oportet illa duo brachia, quorum alterum Caſſinenſes monachi S. Catharinæ Januæ ; alterum Fratres Prædicatores apud S. Mariam Novellam Florentiæ ſe gloriantur habere. Siquidem ſpectante legato Centurione, Claudioque abbate, numeroſaque Claræ-vallenſis cœnobii monachorum multitudine, conſtat ita integrum illibatumque S. Bernardi corpus fuiſſe repertum, ut ne minima quidem pars cætero corpori excidiſſe videatur. *At digitus tunc ſaltem aberat à reliquo corpore, ſecundum dicta paullo antè. Ughellus citatus tomo* 9 *exhibens Cuſentinam metropolim, col.* 185 *inter alia ſacra lipſana, quæ refert in baſilica metropolitana aſſervari, ponit* brachium Bernardi abbatis ; *non utique Claravallenſis, ſicut ſequitur ex iis, quæ mox præmiſimus ex eodem auctore ; niſi poſt annum* 1625 *eò eſſet miſſum, quod deberet probari. Hinc collige, quid ſit dicendum de* brachio S. Bernardi, *quod Maſinius in Bononia perluſtrata, ad diem* XX *Auguſti affirmat eſſe apud moniales S. Leonardi.* F

tranſmiſſa.

685 *Raiſſius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani, ſignat haſce* S. Bernardi *in eodem Belgio reliquias ; fol.* 170 *verſo* Camberone, *inquit*, vidi aliquando . . hujus melliflui Doctoris planetam unam. Sancti Bernardi aſcetæ in Brabantia ad Schaldim fluvium, ſecundo lapide ab Antverpia, etiam unam planetam Patris ac patroni ſui ſeſe habere gaudent, ſimul cum junctura una integra ejus ſacræ manus. *Sed die* XIV *Februarii anni, quo hæc ſcribo,* 1737, *dum eſſem in hoſpitio ſeu refugio, ut vocant, quod dicti aſcetæ in hac urbe Antverpienſi habent, relatum mihi fuit, illam junctiuram furto eſſe ablatam. Ibid. fol.* 170 *agitur de fonte* S. Bernardi *in Luxemburgenſis Ducatus monaſterio Clari-fontis ; qui* cum fide ac devotione epotus, contra morbos opitulationi eſſe creditur. *Superſunt alia ſacra lipſana indicanda paragrapho proximo.*

AUCTORE J. P.

AUCTORE J.P.

§ LXII. Alia ſacra lipſana apud Belgas; Officium; lectiones propriæ; an Sanctus antiphonæ SALVE REGINA, ſicut in iis dicitur, auctor; honor publicus illi tributus Pariſiis, Leodii, ac Romæ.

Sancti planeta, calix,

RAiſſius *in Hierogazophylacio Belgico aliàs bene multas* S. Bernardi *reliquias commemorat, nimirum pag.* 314 duo egregia oſſa *in cathedrali eccleſia S. Mariæ Tornaci: pag.* 82 *in elencho* De oſſibus Sanctorum *apud S. Auberti Canonicorum Regularium S. Auguſtini cœnobium Cameraci, ponitur nomen* Bernardi; *pag.* 218 os *in Floreffienſi cœnobio Ordinis Præmonſtratenſis in territorio Namurcenſi; pag.* 227 planeta cum ſtola & manipulo *in Gemblacenſi cœnobio Ordinis S. Benedicti, inter Bruxellas & Namurcum ſita in Brabantia Gallo-Belgica.* Ipſa autem illa planeta, à me, *ait idem Raiſſius*, haud ſemel conſpecta (cum qua etiam ſæpius Miſſæ ſacrificium Deo Patri indignus obtuli) antiquitatem mirè redolet. Non enim ſicuti modò noſtræ planetæ, hinc & inde à lateribus aperta eſt, & bifida, ſed undequaque clauſa in rotundum, ad mediam uſque tibiam deſcendit. Hinc celebrans utramque illius oram lateralem infernè collectam ſuper brachia ſuſtinet: nec enim manicas, vel foramina habet, per quæ brachia ſacerdotis exerantur.

B

cuculla, induſium &c.

687 *His accedunt exuviæ aliæ in eodem Hierogazophylacio notatæ. Pag.* 298 de cilicio & ſudario S. Bernardi abbatis *in Maricolenſi Ord. S. Benedicti in Landreſienſi territorio Hannoniæ cœnobio; pag.* 459 de oſſibus & cuculla S. Bernardi Claræ-vallenſis antiſtitis, *in parthenone Salſinienſi Ord. Ciſtercienſis prope Namurcum; pag.* 80 *inter reliquias abbatiæ Ciſtercienſis Aureæ-vallis in Ducatu Luxemburgenſi*, deauratum ibidem, *ait citati Hierogazophylacii auctor*, præterea vidimus beati Bernardi Claræ-vallenſis calicem, quo in Miſſæ ſacrificio utebatur, quem Conſtantini primi Aureæ-vallenſis abbatis tempore ibidem reliquit; *pag.* 515 Vidimus, *inquit idem reliquiarum collector, agens de Valcellis ſive Vallis-cella Ord. Ciſtercienſis in agro Cameracenſi*, ibidem induſium S. Bernardi, prægnantibus mulieribus contra partûs pericula remedium ſingulare: *pag.* 3 *ſignatur ab eodem* baculus .. quo imbecilles artus ſuſtentare conſueverat; quem monachis hujus loci, *nimirum Affligenienſibus Ord. S. Benedicti in territorio Aloſtano*, mnemoſyni loco reliquit.

C

Officium;

688 *Nec à propoſito noſtro fuerit alienum, aliqua etiam obſervare de Sancti cultu, quo in Eccleſia honoratus fuit, poſtquam in Sanctorum album erat relatus. Officium ejus deinde ſtabilitum fuiſſe ritu ſemiduplici; ſed S. Pium PP. V illum evexiſſe ad duplicem, mutata tamen in eodem oratione, & homiliâ, quæ hodiedum legitur, apponi juſſâ, notat Bailletus ſub finem Vitæ* S. Bernardi, *ex Gavanto: qui de hac re videri poteſt in Theſauro ſacrorum rituum tom.* 2, *pag.* 160. *Habemus apud nos apographum lectionum propriarum, quæ hoc titulo præno*tatur: Ex Breviario eccleſiæ Fontanenſis parochiæ deſumptæ ſunt hæ novem lectiones, quæ in feſto S. Bernardi ad Nocturnos ſolent legi, nonnulla in ejus Vitâ omiſſa continentes. *Supra hunc titulum adſcribitur* Dono Reverendiſſimi P. Generalis Feullant *: (*id eſt*, Fulienſis) *& apponitur nomen* Joannis Bona, *cujus merita ſatis nota ſunt, laudaturque apud Ciacconium inter Vitas Pontificum Romanorum & Cardinalium tomo* 4, *col.* 793. *De Religioſis reformatis Ordinis Ciſtercienſis, qui in Gallia Fulienſium, in Italia autem Reformatorum* S. Bernardi *nomen habent, agit Hippolytus Helyot in Hiſtoria Ordinum monaſticorum &c. tomo* 5, *parte* 4, *cap.* 38, *à pag.* 401. *His animadverſis, en tibi nunc lector, prædictas lectiones.*

D

* Feuillant

dantur è Breviario Fontanenſi

689 LECTIO I. Beatiſſimus Bernardus in pago Lingonenſi Fontanis oppido patris ſui digna propagine oriundus fuit. Carnis quidem proſapiâ nobilis; ſed culmine mentis nobilior. Genitor ejus Teſquilinus nomine, genitrix verò ejus Alet, filia Bernardi Montis Barri domini, viri potentis, & de antiquorum Burgundiæ Ducum generoſitate originem trahens. Sex namque filios, & unam filiam Dei providentiâ genuerunt. Sed quia de ejus genere hiſtoriam in præſenti explicandam non ſuſcepimus, ſaltem pauca miracula de vita ipſius, Domino largiente, referamus.

E

LECTIO II. Igitur quadam nocte B. Bernardus vigilans, monachis circumquaque dormientibus, audivit angelos in eccleſia voce clara & delectabili Deum collaudantes, & B. Virginem: quos cùm audiſſet, occultè ſurrexit, & perrexit protinus ad eccleſiam, ut in proximo conſtitutus videret manifeſtiùs, quidnam hoc eſſet.

LECTIO III. Vidit namque ſanctam Dei Genitricem in medio angelorum, quorum unus manu ſua thuribulum aureum; alius incenſum tenebat. Horum altero deducente, ſanctus Vir quaſi à dextris glorioſæ Virginis incedens ad altare uſque pervenit. Ubi voce angelica audivit decantari hanc antiphonam: Salve Regina, ex integro uſque ad finem, quam corde tenus retinens, poſtea ſcripſiſſe, & Domino Papæ Eugenio tranſmiſiſſe fertur, ut ex præcepto auctoritatis Apoſtolicæ per eccleſias ſolemnis haberetur, in honorem Virginis Matris Dei. Quod & factum eſt, ut adhuc plerique teſtantur.

F

propriâ

690 LECTIO IV. Cùm navigaret beatus Vir aliquando per Ligerim, navicula ejus fortè concuſſit pontilium, cui pontilio puer ſupererat: qui ſtatim in fluvium dilapſus eſt, & negatus. Excitatâ famâ occurrerunt vicini defunctum plangentes; quem juſſit ſibi afferri: eoque defuncto oblato, oravit Sanctus: puer, cunctis videntibus, ad orationem Sancti ſuſcitatus eſt.

LECTIO V. Fuit vir quidam religioſus nomine Odo; cujus pars corporis per aliquantum tempus penè manſit emortua, adjacens incommota contractionis. Is poſt mortem B. Viri pervenit. Cumque ex eo, infirmitatis loco [ſe] perfudiſſet ex aqua, à B. Viro ſanctificatâ, ſanus & incolumis reverſus eſt.

LECTIO VI. Alius verò dolore capitis immaniter vexatus, & omnino ſenſu privatus, fonte à ſancto Bernardo ſanctificato irrigatus, ſanatus eſt. Alius per ſeptennium languerat, à parentibus ad ſacrum fontem ductus, ſoſpes factus eſt. Alius quidam longo tempore de febre quartana laboraverat, qui potu fontis ejuſdem ſanitatem recepit.

691 LECTIO VII. Igitur apud Barni * ſuper *lectiones*, Albam *f.* Barrum

A Albam erant duæ feminæ, quas dæmones vexaverant. Deinde parentes earum adduxerunt eas ad Hominem Dei, ut ab eo curarentur. Et cùm portæ Claræ-vallis appropinquassent, dixit unus ex diabolis per os mulieris ad alterum diabolum, Oportet exire de hac muliere. Quare, inquit dæmon, oportet hæc fieri? Qui respondit: Bernardum non possum videre, nec vocem ejus audire. Et confestim egressus est de muliere, & sanata est ex illa hora.

Lectio viii. Qui præsentes huic miraculo aderant, laudantes Deum dicebant: Verè Sanctus est homo ille, & Spiritus sanctus habitat in eo. Et cum hæc dicerent, venit Servus Dei, & gratias agens oravit.

Lectio ix. Post orationem verò conversus est ad alteram mulierem dicens: O dæmon pessime, inimice Dei, exi de hac femina; ad quam vocem egressus est dæmon de muliere, & sanata est ex illa horâ.

692 *Expono voces quasdam superiùs occurrentes.* Negatus, *id est*, submersus, vel in aquis suffocatus. *Vide Glossarium Cangii tom.* 4, *col.* 1165 *editionis novissimæ.* Incommota contractionis (*in nostro Ms. vel mendosè, vel modo non satis intelligibili scribitur* in commota) *ita explico ex sensu, ut significet* sine motu contractionis. *Utrum* S. Bernardus *composuerit antiphonam* Salve Regina, *sicut indicabatur suprà in lectione* 3, *statim discutietur. Si* Barrum *in lectione septima* super Albam, *vel* Barri, *subintelligendo oppidum, sit legendum, est illud in Campania Galliæ provincia. Hæc tot tamque varia publica erga sanctum Doctorem venerationis signa, quæ in hoc paragrapho ac proximè præcedente colligere visum fuit, argumento sunt, eum, uti promeritum, ita & nactum fuisse communem omnium æstimationem tam publicis quam privatis dotibus suis parem. Adde, quod Facultas, ut vocant, theologica Parisiensis in memoris animi tesseram pro beneficiis, à Sancto nostro præstitis huic corpori contra Abaëlardum, Gilbertum Porretanum, & alios quosdam è membris ejus morbidis; annis singulis, ut celebret solenni ritu Sacrum, quod comitatur dictio ad concionem, adeat Bernardinos die* xx *Augusti, sicut Bailletus ad calcem Vitæ sanctissimi Doctoris testatur. Populus Romanus in memoriam beneficiorum à Viro sancto acceptorum, quando in magnis admodùm angustiis versabatur Roma, calicem ei offert cum quatuor facibus, teste Piazza in Hemerologio sacro ad diem* xx *Augusti.*

693 *Apud Edmundum Martene in Veterum scriptorum & monumentorum amplissima collectione tomo* 8, *à col.* 1486, *inter* statuta ecclesiæ Leodiensis, facta anno Domini mcccxxxvi & mcccxxxvii, *notantur ista:* Insuper pia consideratione & rationabili debito excitati, statuimus & ordinamus, ut bono confessori & Doctori egregio beato Bernardo abbati, qui suâ præsentiâ, dùm viveret, sanctam ecclesiam, urbem & patriam Leodiensem in Missarum solemniis, & crebris prædicationibus, divinis ac admirandis signis & miraculis illustravit, sicut in historiis nostris dignoscimus contineri, specialis devotio, & aliqualis pro tantis donis recompensatio eidem Confessori glorioso singulis annis in ejus festivitate reddantur, videlicet ut festum ipsius cum tribus lectionibus de propria ejus Legenda, & collecta speciali cum Te Deum, & Horis ac Missa de communi unius confessoris non pontificis, in hac ecclesia celebretur.

694 *Controversia quædam paullo antè huc remissa, an videlicet* S. Bernardus *composuerit antiphonam* Salve Regina, *nunc examinabitur. Imprimis non videtur certò constare, quòd Vir sanctus istius antiphonæ primus exstiterit auctor: deinde non satis liquet, si alius fuerit, quisnam ille sit. Utrumque patebit ex rationibus, in quibus varii varios ejusdem antiphonæ designant auctores. Inter Opera supposititia & aliena* S. Bernardi, *quæ in suum volumen secundùm conjecit Mabillonius, exstant Sermones quatuor in illam antiphonam; quos cur abjudicet isti Sancto, indicat ibidem columnâ* 721 *ante Sermonem primum. Illius auctor loco citato dicens,* Canticum istud . . à Sanctis compositum, *rem involvit potiùs, quam decidit, dum nullum ex iis nominat, & plures videtur indicare. Enimvero locus ille prædicto Mabillonio in notis, quæ habentur in fine voluminis primi; col.* cxvii & cxviii, *occasionem quidem dedit differendi de præsenti controversia, ac varia proponendi & discutiendi; sed exitu tamen dubio & incerto, prout patet ex verbis ejus, quæ subdimus:* AUCTORE J. P. *An S. Bernardus*

695 Hujus antiphonæ auctorem fuisse Hermannum Contractum monachum Benedictinum pluribus probat Wion Ligni vitæ lib. 5, cap. 105, variis recentiorum adductis testimoniis, quibus hic contextus nonnihil adversari videtur. Nam Hermannum Sancti nomine insignitum nullibi lego. Præterea Johannes Eremita lib. 2 Vitæ S. Bernardi num. 7 refert, S. Bernardum „ voce angelica audivisse decantari antiphonam Salve „ Regina, ex integro usque ad finem: quam „ corde tenus & postea scripsisse, atque D. Pa„ pæ Eugenio transmisisse refertur (inquit) ut „ ex præcepto auctoritatis Apostolicæ per eccle„ sias sollemnis haberetur . . Quod & factum est „ &c. „. Quo ex loco angeli istius orationis auctores dicendi essent. Ad quod alludere videntur alia hujus sermonis verba, superiùs relatis proxima: " A summis labiis canticum istud effusum ve„ nit „. Paulo aliter hanc historiam refert Albericus in Chronico ad annum mcxxx, ubi commemorat, S. Bernardum Divione apud S. Benignum aliquando hospitio exceptum " quam (in„ quit) abbatiam semper dilexit, eo quòd ma„ ter sua ibi sit sepulta; audivisse ante horolo„ gium circa altare ab angelis antiphonam Salve „ Regina dulci modulamine decantari, primó„ que credidisse, fuisse conventum, ac dixisse „ abbati die sequenti: Optime decantastis „ antiphonam de podio hac nocte circa „ altare B. Virg. *composuerit* E

696 „ Dicebatur autem antiphona de po„ dio, eo quòd Haimerus episcopus Podiensis „ eam fecerit . . . Unde in quodam capitulo ge„ nerali Cisterc. veniam suam accepit, qualiter „ hæc antiphona ab omni Ordine reciperetur, „ quod & factum est „. Haimerus seu Aimarus, Ademarusve, fuit episcopus Aniciensis, beatæ Virginis in primis cultor, tempore Urbani PP. II. Verùm à Guillelmo Durando in Rationalis libro 4, cap. 22 Petrus Compostellanus episcopus hanc antiphonam composuisse perhibetur: quod etiam asserit Claudius à Rota in Notis ad pseudo-Luitprandum. *His, quæ hactenus ex Mabillonio produxi, nulla alia superaddenda mihi suppetunt, quibus primus famosæ antiphonæ auctor ex incerto & ignoto fiat perspicuus.* *antiphonam Salve Regina.*

in quibus nonnulla exponuntur: cultus Parisiis, Romæ

ac Leodii peculiaris.

AUCTORE J. P.

§ LXIII. Tres primi rerum à Sancto geſtarum ſcriptores.

S. Pater inſignes habet biographos.

SUperiùs *de* Bernardi *pro aliis vel ad alios ſcriptis diximus; nunc autem de* Bernardo *ipſo ab aliis deſcripto, ſeu de vita ipſius hiſtoricis tractabimus. Egregiè imprimis eos laudat Mabillonius in Admonitione ad libros de vita & geſtis ſancti Patris, quæ habetur volumine ſecundo pag.* 1057, *his verbis uſus:* Vix quiſquam Sanctorum eſt, qui tot rerum ſuarum geſtarum præcones, tamque eximios, & probatæ fidei ſcriptores habuerit, quàm beatus Bernardus: cujus vitam & præclara facta tres auctores clariſſimi, continuato ſermone, quaſi ex condicto ſunt perſecuti; nempe Guillelmus, olim ſancti Theoderici prope Remos abbas; ſed tunc monachus Signiacenſis; Ernaldus Bonæ-vallis in agro Carnotenſi abbas, & Gaufridus, ipſius Bernardi notarius; omnes quaſi teſtes rerum oculati. His acceſſerunt alii poſt eos, Alanus epiſcopus Autiſiodorenſis, &, ut alios poſteriores prætermittam, Johannes Eremita, & multi alii recentiores: quos inter Philotheus, verum an fictum nomen, monachus Claræ-vallenſis, Bernardi geſta carmine cecinit.

B

Auctorem libri primi Vitæ

698 *Mabillonius de biographis iſta præfatus, tres primos, eoſque præcipuos geſtorum ſancti Doctoris ſcriptores hiſce obſervationibus illuſtrat:* Librum primum de vita S. Bernardi, vivente ipſo Bernardo, ſed neſciente ſcriptum fuiſſe, diſertè aſſerit in Præfatione ejus auctor Guillelmus, pridem ſancti Theoderici abbas, ſed tunc jam monachus Signiacenſis cœnobii, in pago Regteſtenſi diœceſis Remenſis, ad quod deſiderio ſolitudinis & quietûs ſeſe contulerat, teſtante Burchardo abbate Balernenſi in Subſcriptione ejuſdem libri primi. *De tempore, quo vitam quietiorem amplexus ſit Guillelmus, magis determinatè conſtat, quàm quo ſuum de Vita* S. Bernardi *librum inchoâriit. De utroque hoc puncto ita memorat citatus Mabillonius:* Tempus Guillelmi ſeceſſûs Signiacum intelligitur ex chartaceo S. Theoderici libro, in quo Helinus abbas, ejus apud S. Theodericum ſucceſſor, anno MCXXXV primùm nominatur. Quo anno inchoatus ſit à Guillelmo liber iſte, non conſtat. Certè poſt tranſlationem monaſterii Claræ-vallenſis in capaciorem locum, novamque ædium fabricationem, ex num. 34 & 62 (*in noſtra autem diviſione lib.* 1. *cap.* 4, *num.* 39; *& ibidem cap.* 7, *num.* 68) itemque poſt ſchiſmata Eccleſiæ ſedata, & confutatas hæreſes, ex num. 40 (*apud nos autem lib.* 1, *cap.* 5, *num.* 45) adeoque poſt annum MCXL, & forte poſt MCXLV. Porrò ante Bernardum obiit Guillelmus; de quo plura in tomo 5, in Admonitione præfixa epiſtolæ ad Fratres de Monte Dei, & in Notis fuſioribus ad epiſtolam 85.

C

qui morte præventus opus imperfectum reliquit,

699 *Hac de biographo, qui librum primum de geſtis* S. Bernardi *conſcripſit, obſervanda cenſuit Mabillonius. Quouſque verò Vitam ejus perduxerit, & quanam in eadem pertractârit, intellige ex Manrico ad annum Chriſti* 1153, *cap.* 11, *num.* 1: Scripſit primordia, genus, patriam, parentes, adoleſcentiam, converſionem, monachatum, & præfecturam naſcentis tunc cœnobii Claræ-vallis cum reliquis, uſque ad ſchiſma Petri Leonis. *Ceterùm aureo hoc auctore à continuando opere per mortem avulſo, non deſuit alter aureus, qui illud proſequeretur: de quo audire ſuprà deſignatum Mabilloniam juvat:*

D

excepit Ernaldus, qui operi etiam ſuo immortuus eſt.

700 Vitam, *inquit*, à Guillelmo inchoatam, mortuo Bernardo, perſecutus eſt ſecundo libro Ernaldus ſeu Arnaldus abbas Bonæ-vallis, non ejus, quæ in diœceſi Veſontionenſi; neque alterius, quæ in Rutinenſi Ordinis Ciſtercienſis; ſed illius, quæ eſt in agro Carnutenſi Nigrorum monachorum; ad quem Arnoldum extrema Bernardi epiſtola 310 ſcripta eſt, quidquid alii in contrarium ſentiant. Vide Notas fuſiores ad epiſtolam 310. Hunc librum adortus eſt Ernaldus rogatu Claræ-vallenſium, qui præ modeſtia hanc provinciam in ipſum rejecerunt, ut in Præfatione libri ſecundi auctor teſtatur, qui opus imperfectum moriens reliquit. *Quo autem circiter tempore occupatus fuerit ſcribendâ* S. Bernardi *Vitâ, diſces ex Annotatis ad libri* 2 *ejuſdem Vitæ caput* 3, *lit.* g. *Duobus hiſce Actorum* S. Bernardi *ſcriptoribus ſucceſſit tertius: quæ autem intereſt lectoris de eo diſcere, tradit idem, qui ſuprà, Mabillonius. Proferantur hujus de illo verba:*

E

Duobus horum duorum libris tres alios adjecit Gaufridus

701 Superioribus duobus libris tres adjecit Gaufridus, non alius ſine dubio, quàm ipſius Bernardi notarius; diſtinguendus utique à Gaufrido de Perona, cujus mentio in libro 4 num. 16 (*apud nos lib.* 4, *cap.* 2, *num.* 204) itemque à Godefrido Bernardi conſanguineo, & converſionis ſocio, poſtmodùm Priore Claræ-vallenſi, ac demum epiſcopo Lingonenſi, qui tandem ad privatam Claræ-vallenſium vitam ſeſe recepit, ibidemque mortuus eſt VI Id. Novemb. anni MCLXIV. Gaufridus verò in Præfatione trium ſequentium librorum lugens ſcribit, poſt annos à ſua ipſius converſione CIRCITER TREDECIM acerba morte ab ſe avulſum fuiſſe Bernardum, atque adeo Gaufridi converſio anno MCXL accidiſſe dicenda eſt.

patriâ Autiſiodorenſis, Sancti notarius, ac dein abbas Claravallenſis; cujus

F

702 Is patriâ Autiſiodorenſis, ante ſuam converſionem Petri Abaëlardi diſcipulus fuit, & quidem clericus, ut patet ex libro Declamationum, cujus & ipſe auctor eſt, num. 13: POSTREMO ET NOS IN CLERO FUIMUS. Poſt converſionem Bernardi, unà cum Nicolao Claræ-vallenſi notarius, ac peregrinationum ſocius, dein, Bernardo mortuo, Igniaci primùm, tum Claræ-vallis poſt Faſtredum abbas anno MCLXII: cui loco QUADRIENNIO CIRCITER PRÆFUIT, ex Chronico Claræ-vallenſi apud Chiffletium; ſed poſtmodum à ſuis vexatus, ABBATIAM DIMISIT ANNO MCLXV, & ad Foſſam-novam in Italia ſe recepit: ubi & abbas poſtmodùm fuit, ac demum Altacumbæ, ut fuſiùs in eodem Chronico legitur. Ibidem quædam ejus Opera recenſentur; nempe opus inſigne ſuper CANTICA CANTICORUM, VITA S. PETRI ARCHIEPISCOPI TARENTASIENSIS, ET PLURES ALII LIBRI ET SERMONES.

alia ſcripta commemorantur.

703 Exſtat apud Baronium ejus epiſtola ad Henricum Cardinalem, & epiſcopum Albanenſem, atque Domini Papæ Vicarium ſeu legatum ſcripta de quadam nova controverſia, quam reverſus in Galliam comperit, ſcilicet „ de ſubſtantiâ aquæ, quæ vino mixta in calice offertur, an & ipſa ſimiliter cum eodem vino in ſanguinem Domini convertatur „. Item ejuſdem eſt LIBELLUS CONTRA CAPITULA GILLEBERTI Porretani, Pictavienſis epiſcopi, quem libellum poſt libros de Vita Bernardi cum aliis ejus opuſculis referemus. Denique ſcripſit etiam contra

A contra Abaëlardum, ut mox dicemus, & Sermonem edidit de S. Bernardo, inferiùs edendum cum commentariolo in Orationem Dominicam. An autem Bernardi Vitam, cujus fragmenta tertio loco proferemus; ſecundamque partem libri ſexti de miraculis Bernardi, præter libros tres jam memoratos, compoſuerit, nunc diſpiciendum.

Miraculorum libros duos,

704 Quinque libros de vita Bernardi mox dictis ſubjicimus libros duos de miraculis ejuſdem: unum à variis auctoribus ſcriptum: alterum ex Magno Exordio Ciſtercienſi collectum, atque ex fragmentis Herberti, ex monacho Claræval-lenſi archiepiſcopi Turritani in Sardinia: qui libros tres de miraculis ſuorum Ciſtercienſium compoſuit, editos apud Chiffletium. Prior liber miraculorum dividitur in tres partes; quarum prima ſcripta eſt à Philippo monacho Claravallenſi ad Samſonem Remorum archiepiſcopum: altera ab aliis Claræ-vallenſibus, quibus Philippus ipſe hanc curam injunxit. Ex his unus eſt Gaufridus tertiæ partis item ſcriptor in epiſtola ad Hermannum epiſcopum Conſtantienſem, de miraculis ſcilicet, quæ à Spira uſque Leodium à Bernardo facta viderat. Huic alia ejuſdem argumenti ſuccedit epiſtola Gaufridi monachi " magiſtro ſuo cariſſimo „ Archenfredo, & utrique Capitulo fratribus „ ſuis uterinis „. Hunc porrò Gaufridum eumdem eſſe, qui tres poſteriores vitæ libros ſcripſit, non dubito.

B

quinam ſcripſerint,

705 Neque enim aſſentior Carolo de Viſch, qui hos libros Gaufrido notario tribuit; illam verò partem libri de miraculis Gaufrido Autiſiodorenſi: quem à Gaufrido notario minimè diſtinguendum eſſe probat Helinandus monachus in Chronico his verbis: " Hujus Petri (ſcilicet „ Abaëlardi) aliquando fuerat diſcipulus Gaufre-„ dus Autiſiodorenſis, qui multo tempore fue-„ rat notarius ſancti Bernardi: qui inter cetera „ de eodem Petro dixit: Ego mihi aliquando re-„ colo magiſtrum fuiſſe illum, qui pretium re-„ demptionis noſtræ evacuans, nihil aliud in ſa-„ crificio Dominicæ paſſionis commendabat, niſi „ virtutis exemplum, & amoris incentivum &c. „ Benedictus Deus, qui mihi ſimul & vobis ma-„ giſtrum dedit meliorem (Bernardum,) per „ quem prioris redarguit ignorantiam, & inſo-„ lentiam confutavit: ſecundum quem tria ſpe-„ cialia in paſſione ſua Chriſtus nobis exhibuit, „ exemplum virtutis, incentivum amoris, & ſa-„ crificium redemptionis „ apud Bernardum tomi 2 Opuſculo XI, num. 25. " Hæc & alia multa (addit Helinandus) dictus Gaufredus contra Pe-„ trum magiſtrum ſuum fortiter & Catholicè ſcri-„ pſit „. Ad Gaufridum Nicolaus Claræ-vallenſis ſcripſit epiſtolam 42 pro epiſcopo Aletenſi. Hæc de Gaufrido, aliiſque Vitæ prioris, & miraculorum ſcriptoribus ſufficiant: de aliis ſcriptoribus poſt ipſa miracula agendum; *ſed nos paullo poſt huic noſtro Commentario illos intexemus.*

C

Fides, ac ſcriptionis tempus

706 *Porrò de tribus jam laudatis biographis conſuli etiam poteſt hiſtoriographus Ciſtercienſis ad annum Chriſti* 1153, *cap.* XI, *num.* 4, *ubi inter alia, quæ de illis memorat, eorum ſic laudat fidem, ac ſcriptionis tempus definit:* Ergo Bernardus hos tres ſcriptores habuit ſuorum operum, inſignes religione & ſcientiâ viros; nec minùs omnes teſtes oculares, ut neque falli poſſent, nec fallere voluiſſe credendi ſint. Porrò Guillelmus, ut dixi, vivente Sancto; Arnoldus abbas, ſtatim ab ejus obitu: Godefridus biennio pòſt ſcripſit. Ideo enim de pane benedicto, atque ab Eskyllo in Daniam aſportato loquens, ait, tertium tunc annum eſſe, & nihilominus incorruptum conſervari: tertium, inquam, ab Eskili adventu in Claramvallem, vivente Sancto, quem anno Chriſti MCLII, uno, ut minimùm, ante Bernardi Patris obitum contigiſſe, Exordio magno auctore commemoravimus.

AUCTORE J. P.

trium biographorum ex Manrico,

707 Unde obiter corrigendus venit Trithemius in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis, ubi non ſolùm Arnoldum Ciſtercienſem (quaſi uno homine ex ſuis, noſtris adſcripto, innumeros, quos aufert, compenſaret) ſed circa annum MCLX floruiſſe tradit, non minùs in hoc errans, quàm in illo. Quippe Godefridus nequaquam aſſumpſit opus, ipſo vivente; qui ſine dubio argumentum implebat pro dignitate. Quare aſſumptum, ut ex liquido patet, circa annum Domini MCLV, Arnoldum antè obiiſſe planè convincit, ideoque Godefridum continuâſſe, quod jam Arnoldus, qui cœpit, nequaquam poſſet.

§ LXIV. Alii biographi poſt tres priores; alii recentiores; Vitæ apud Surium, Horſtium, & Mabillonium; hujus exemplar cur præ aliis prælo à nobis detur.

Alanus priores quinque libros Vitæ in meliorem utcumque ordinem reduxit:

Diſtuli huc paullo antè reliquos Vitæ Bernardinæ ſcriptores, qui poſt alios § 63 *recenſitos ſancti Doctoris geſta & prodigia ad poſteros tranſmiſerunt. Mabillonius non prætermiſit operam ſuam deſiderari in notandis rebus variis, quæ ad notionem hujus argumenti conducunt. En tibi, lector, quæ apud ipſum lego volumine* 2, *pag.* 1233: Primus, *ait*, eſt Alanus, ex abbate Aripatorii epiſcopus Autiſſiodorenſis ab anno MCLIII ad MCLXI, quo anno ad Claramvallem denuo ſe recepit, ibidem mortuus anno MCLXXXI. Is ex quinque prioribus libris præmiſſis continuam rerum à Bernardo geſtarum ſeriem contexuit, adhibitis propriis auctorum verbis, quos ad temporum ordinem utcumque reduxit. Nam ubi Gaufridus in libro 3 cap. 4 infelicem expeditionis Jeroſolymitanæ exitum præponit ſynodo Senonenſi contra Abaëlardum habitæ, quæ decem annis præceſſit; Alanus contrà expeditioni ſynodum præponit. Item idem Gaufridus ex ejuſdem libri 1 cap. 6 Gilberti Porretani confutationem in concilio Remenſi factam refert ante Bernardi prædicationem contra Henricum hæreticum, & poſt ea omnia Bernardi reditum ex Urbe lib. 4 cap. 1. Hæc autem omnia recto ordine deſcribuntur ab Alano, qui etiam ſancti Doctoris teſtamentum, ab aliis ſcriptoribus omiſſum, primus commemorat.

E

F

quo circiter anno ſcripſerit:

709 Sanè Gaufridus ipſe in Præfatione libri 3 fatetur in ſua narratione " cohærentiam magis ſi-„ militudinis rerum geſtarum, quàm temporis „ obſervari „. Quin etiam ex eodem Alano Gaufridi Carnotenſis epiſcopi vulgatum annorum calculum emendare licet. Cùm enim is Alberico Cardinali Oſtienſi epiſcopo & legato, in Toloſanas partes adverſus Henricum hæreticum, DIEBUS, inquit Alanus, EUGENII EXORTUM, & quidem anno MCXLVII proficiſcenti, unà cum Bernardo comes Gaufridus adhæſiſſe dicatur, extrema Vitæ Gaufridi periodus non quidem ad annum

AUCTORE J. P.

num MCXXXVIII, ut præfert Gallia Christiana, referenda est, sed post annum MCXLVII differenda, id est, in annum sequentem, tum quia Gaufridus legationis munere, quod Innocentius Papa II post annum MCXXXI ipsi commisit, functus est PER QUINDECIM ANNOS, ex Actis episcoporum Carnutensium editis Analectorum tomo 2; tum quia Goslenus, ejus nepos, & in sede Carnutensi successor, in litteris monasterio Josaphatensi anno MCLI concessis, annum sui episcopatus tertium dicit. Quid in reliquis Alanus præstiterit, docet ejus Præfatio ad Pontium Clarævallensem abbatem quintum, qui anno MCLVIII Gaufrido successit; post annos quatuor ad sedem Claromontensem promotus. Ac proinde ad annum circiter MCLXX revocanda hæc Alani scriptio: de quo vide plura in fusioribus notis ad epistolam 280.

Excerpta Gaufridi

710 Secundus auctor, qui Alanum subsequitur, ab erudito Petro Francisco Chiffletio Parisiis editus anno MDCLXXIX inter quatuor Opuscula, videtur ipsi esse Gaufridus ille, cujus tres posteriores de S. Bernardi Vita libros cum parte

B

altera miraculorum superiùs retulimus. Nec levis de auctore conjectura. Is quippe in cap. 6 testatur, se IN CORPORE Bernardi EPISTOLARUM PRIMAM eam constituisse, quæ ad Robertum scripta est, ob miraculum, quod AB IPSIUS ORE, QUI SCRIPSIT EAM IN PLUVIA SINE PLUVIA, acceperat. Quod quidem videtur fuisse notarii officium, quo Gaufridus fungebatur. Idem auctor de se addit cap. 9, conversionem suam contigisse ex sermone, quem IN SCHOLIS PARISIENSIBUS Vir sanctus habuit. Id si Gautrido aptari potest, Sermo ille de Conversione ad clericos, qui inter Opuscula tomo 2 habetur, anno MCXL assignandus est. Siquidem Gaufridus ipso anno ad conversionem venit, nempe anno tertio-decimo ante Bernardi obitum, ut ipse in Præfatione ad librum tertium de Vita ejus testatur. Certè eodem fere modo loquitur Gaufridus tum in Præfatione ad librum tertium, tum in Sermone de S. Bernardo, ubi de sua ipsius conversione, atque auctor in Vitæ sequentis cap. 6.

à Chiffletio edita:

C

711 Porrò ex hoc auctore tantùm Excerpta quædam retulit Chiffletius, quòd cetera cum aliis auctoribus convenirent, & quidem de verbo cum ea parte libri sexti miraculorum, quæ ipsum Gaufridum habet auctorem. Hæc porrò censet vir doctus quædam collectanea fuisse de vita & rebus gestis Bernardi, ac veluti materiem scribendæ ejus historiæ præparatam: cujus historiæ primum & secundum librum cum elaborassent duo viri eruditi & graves, Guillelmus & Ernaldus; noluerit Gaufridus pios illorum labores opere suo obscurare: sed intactis, quæ illi tractaverant, reliquam sancti Bernardi vitam tribus libris prosecutus sit, ad priores duos adnectendis. Hæc sunt veri similia.

Joannes Eremita quando Sancti Vitam exararit,

712 Excerptis Gaufridi (sic eum postmodùm appellabimus) succedent libri duo Johannis Eremitæ de vita itidem sancti Bernardi, sed imperfecti, quos Chiffletius mox laudatus vulgavit eo in Opusculo, quod Diatribæ de illustri S. Bernardi genere præmisit. Johannes ex nomine Eremita dictus videtur, non ex vitæ professione. Nec fortasse monachus fuit; sed APUD QUOSDAM DISCIPULORUM EJUS, scilicet Bernardi, OLIM ASSIDUUS, ADHUC PUER, ut de se ipse testatur in Præfatione secunda ad Herbertum Turritanum in Sardinia episcopum. Nam prima ad Petrum Tusculanum episcopum scripta est. Ex hac duplici Præfatione tempus, quo Petrus hos libros scribebat, colligi potest. Herbertus quippe libros suos scribebat anno MCLXXVIII, quo anno Petrus ab Alexandro III creatus est Cardinalis episcopus Tusculanus. Adde quæ habet Johannes de Roberto abbate, Bernardi consanguineo, QUI MAGIS, inquit lib. 1 num. 5, QUAM SEXAGINTA SEPTEM ANNIS IN MONASTERIO SUB JUGO DISCIPLINÆ REGULARIS VIXIT. Ergo post annum MCLXXX scribebat Johannes, cum Robertus non ante annum MCXII Bernardo se adjunxerit, antè oblatus in monasterio Cluniacensi. *Hæc sunt, quæ suprà memoratus Mabillonius de istis biographis à se editis observavit.*

D

Datur catalogus

713 *Porrò in animum induco meum, lectori non displicituras alias de biographis recentioribus notitias, quorum catalogum contexuit, atque huc misit R. D. Godefridus Bouvartus, quem suprà laudabam § 58, num. 623. Philotheum, Gilbertum de Hoylandia, Cæsarem Baronium, Laurentium Surium, Zachariam Lippeloum ibidem ille memorat; sed sufficerit, si sequentes ex eodem catalogo huc transcripsero: sunt autem hi, & hoc ordine referuntur:*

E

Franciscus Cæsar monachus de Dunis. MCDLXXXIII.
Bernardus de Rosergio archiep. Tolosanus. MCDLXXIV.
Guillelmus Flameng Canon. Lingon. MDXX.
Congregatio Regularis observantiæ Romæ. MDLXXXVII.
Joannes Alvarez Arragonius. MDXCV. Hispanicè.
Christoph. Gonzales, MDCI. Hispan. & Latie.
Chicherè Bailly de Citeaux. MDCI Gallicè.
Philipp. Malabayla. MDCXXXIV. Italicè.
Antonius Le Maitre, sub nomine Lamy. Gallicè. MDCXLIV, LVI, LXIII, LXXIV, LXXXIV, &c.
Theophilus Raynaudus Soc J. MDCLVII, LXV.
Anonymus. Gallicè. Divione MDCLIII.
Nicolaus Hacqueville Parisiis MDCLXVII.

recentiorum Vitæ scriptorum; quæ Sinicè etiam prodiit.

714 Lucas Bartolottus abbas carmine. MDCLXXXII.
Josephus Almonazid Hispanicè. MDCLXXXII.
Franciscus Giry. Gallicè.
Petrus Ribadeneira. Hispanicè.
P. Viel. Gallicè. MDCIII.
Petrus Lenain. Gallicè. MDCXCVII.
Franc. Jos. Bourgoin. Gallicè. MDCCIV.
Gaspar Verstockt. Flandricè. MDCL.
Religiosi de Baudeloo Latinè & Fland. MDCLIII.

F

Quid, quod etiam Chinicè scripta *fuerit* Vita S. Bernardi, quam habet Domnus Abbas Sambernardinus ad Scaldim, *prout superiori catalogo subjungit laudatus Bouvartus. Biographis autem jam nominatis adjici possunt alii neoterici Galli duo, videlicet Adrianus Baillet in Vitis Sanctorum, quæ Lutetiæ Parisiorum anno 1704 impressæ sunt; & Villefore, qui Sancti Vitam ibidem eodem anno vulgavit.*

Vitæ apud Surium,

715 *Sed quandoquidem Vita apud Surium, de quo mentio facta est suprà, omnium passim manibus teritur, censeo lectoris interesse, ut non ignoret, quæ de Vita istâ animadvertit Horstius in Admonitione ad lectorem, quam præfixit Vitis à se editis, & ibidem observat,* Vitam *istam* collatam cum ea, quæ hactenus, *inquit*, unà cum Operibus S. Bernardi edi solet, deprehensam à me non parùm verbis & reipsa variantem. Mirabar initio sanè (jam tum necdum Ms. Vitæ nactus eram) cur, vel quomodo id factum. Suspicabar, an forte Surius aliquid solitæ & familiaris sibi licentiæ, quâ in plerisque aliis SS. Vitis usus erat, hîc quoque usurpasset. Sed suspicionem

A nem vix admisit oratio horum authorum non egens limâ, utpote per se, ac pro instituto tersa satis & elegans: ut taceam, quod stylus sanctis illis Viris pariter ac eruditis, illo præsertim ævo, familiaris, habeat peculiare quiddam ac patheticum, & nescio quid latentis energiæ ad commovendos lectoris affectus, quod nostri non ita facilè assequantur.

& apud Horstium edita.

716 Esto itaque notetur aliàs ab eruditis velut intempestiva Surii diligentia; ego hîc culpâ illum vacare credebam: neque enim verborum dumtaxat, licèt rariùs; sed & rerum discrimen inter utrasque editiones notabam, & tale quidem, quod Surianam recentis alicujus mutationis notâ facilè liberaret, utpote quæ vulgatâ plenior & uberior, fide alicujus Ms. exemplaris haud dubiè niti videretur. Attamen dum hîc anceps fluctuo, tandem offertur mihi, quod hactenus anxius quæsieram, antiquum Vitæ S. P. exemplar Ms. è bibliothecâ celeberrimi monasterii Campensis Ord. Cisterc., id quod inspectum mox omni suspicione Surium absolvit, utpote Surianæ editioni respondens; sed in multis tamen longè correctius & auctius: nam librum quoque miraculorum adjunctum habebat. Ex hoc itaque Vitam S. Bernardi tibi, benigne lector, repræsentamus .. Quæ his notis [] inclusa vides,

B scito in hactenus editis desiderari; & nunc recèns ex Ms. inserta esse. *Atque hæc sunt, quæ Horstius inter alia præfatur ad lectorem de sua editione; in qua accuranda etiamsi vir eruditus ac sedulus insignem prorsus atque utilem insumpsit laborem; non hanc tamen, sed Mabillonianam potius à nobis recudendam censuimus.*

Cur à nobis recudatur Vita, quam vulgavit Mabillonius;

717 *Movit nos primò, quia Mabillonius Horstiano labori secundas curas adjecit, dum illum editorem præ oculis habuit. Secundò, quia eumdem auxit, uti patebit è Vitæ, quam vulgavit, decursu, ac indicat ipsemet in Admonitione ante librum primum ejusdem Vitæ, dicens:* In fine hîc monemus, ea quæ ansulis in consequentibus offendes, ab Horstio ex codice Campensi, vel à nobis addita fuisse. *Tertiò, quia exemplar Mabillonianum, quod prælo dabimus, est magis emendatum, quam Horstianum, uti perspicere nobis licuit, quando hoc cum illo contulimus. Quartò, quia illud novis ac doctis notis illustratum, ut nihil dicam de variis lectionibus. Utimur autem hîc impressione, qua apud nos est, quæque in lucem prodiit Parisiis anno 1690. Noverit interim lector, non omnes Vitas, quæ apud dictum editorem exstant, typis commissum iri à nobis, ob rationes proxime designandas.*

C

& quo modo detur.

718 *Nova autem à nobis fiet capitum partitio, novos capita ipsa dividentur in numeros. Antiqua tamen librorum quinque dabimus post Præfationem libri primi: quæ deinde etiam assignabuntur ad marginem nostræ impressionis. Tituli item miraculorum sive libri sexti Vitæ, dabuntur post ejusdem Præfationem. Præter Annotata, quibus hunc librum conabimur elucidare, ratio etiam habebitur observationum, quas mense Septembri anno 1672 huc misit Tornaco R. P. F. Josephus Ignatius à S. Antonio Carmelita Excalceatus. Miraculorum etiam synopsim proferemus in Gloria posthuma* S. Bernardi, *eorum commodo consulentes, quibus vel non vacat longiores ac numerosas eorumdem miraculorum narrationes perlegere, vel quibus selecta quædam placent, atque ad concionem accommodata, quæ convenienter ad suæ dictionis materiem proponant auditoribus, magisque ad manum hoc modo illa habere possint.*

AUCTORE J. P.

§ LXV. Illustrissimus Manricus quo apparatu, & qua fide scripserit suos Annales, atque adeo res gestas S. Bernardi eisdem intextas; de auctore Exordii magni Cistercienſis.

Manrici elogium;

R. *D. Carolus de Visch in Bibliotheca scriptorum sacri Ordinis Cisterciensis Angelum Manricum laudat à nobilissima familia, acuto ac facili ingenio, atque ad omnia prompto; nec non à singulari adeo in studiis philosophicis ac theologicis progressu, ut professoribus admirationi esset. Addit idem bibliographus, eum magna ad concionem dicendi, suosque auditores ad quemcumque vellet affectum inclinandi, verborum copiâ & elegantiâ præditum fuisse, idque munus summo cum concursu & plausu exercuisse, undequaque ad illud invitatus: virum item summi in rebus gravissimis consilii* E *fuisse; cathedræ autem theologicæ in academia Salmanticensi præfectum, summa cum nominis celebritate spartam hanc per annos plurimos egregiè exornasse. Varia ejus Opera allegatus bibliographus etiam recenset. Ad cathedram episcopalem Pacis Juliæ vel Augustæ (vulgo Badajos) à Philippo IV Hispaniarum rege provectus est anno Christi 1644 (Nicolaus Antonius mox citandus signat proximè sequentem) prout ibidem invenies. Insignia denique elogia, quibus alii viri docti Manricum prosecuti sunt, habentur ante tomum primum Annalium Ordinis Cisterciensis. De laudato auctore etiam tractat Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana, ubi scribit, eum in urbe Pacensi obiisse anno 1649. Hunc itaque virum Annales Ordinis Cisterciensis nacti sunt auctorem.*

apparatus litterarius ad contexendos Annales,

720 *Cæterùm egregia documentorum supellectile Manricum fuisse instructum, antequam eosdem Annales conderet, abunde liquet e Præfatione ejus, tomo primo istius Operis præfixa, ubi hæc memorat num. 4:* Affuerunt .. quatuor bibliothecæ, queis refertissimis Salmantica illustratur, domestica Cisterciensis collegii, nulli F inferior, Ludovici Bernardi de Quiros, sacræ olim Bibliæ primarii professoris conquisita industriâ. Nec minùs nobis perviæ, beneficio suorum, tres externæ: altera ex Regali collegio Societatis Jesu; duo ex his, quæ Majora vulgò appellant, Sant-Bartholomæano nimirum, & Ovetensi. Atque hæc ultima (magni quondam viri Didaci Covarruvias gloriosa cura) fere præ cunctis aliis in usu fuit. Cetera supplevere Mss. undecumque quæsita ex Gallia, Italia, Belgio, Germaniaque, & quæ reliquit Ignatius Firminus Iberus, Fiteriensis abbas, ipsa autographa: quin per triennium patens Vaticanum insignis eruditionis viro Leandro Vadillo, ad hoc transmisso Romam, cùm primùm hos Annales meditaremur.

ratio scribendi, amor veritatis

721 *Quandoquidem autem prima genuini historici dos est veritas; hanc se unicè præ oculis habuisse, gravissimis verbis, quin immò interposito etiam ad firmiorem rei confirmationem sacramento, testatum reliquit loco citato num. 8:*

AUCTORE J. P. Non dubitamus, *inquit*, à nobis multa omissa: quis cuncta colligat? multa aliter narrata, quàm evenerint. Quis in tam varia rerum multitudine non quandoque cæcutiat, aut dormitet? Illud adseveramus cum sacramento, nihil à nobis scienter immutatum; nihil consultò auctum, detractumve, quod facere ad historiam putaremus. Sed neque nostris quidquam attributum, quod alienum censeamus, veræ quàm falsæ gloriæ appetentiores. Non sumus hi, qui aliorum dispendio quæramus laudem: non indiget Cistercium furtivis bonis. *Hæc illustrissimus Manricus, candidè professus, se, si non semper & ubique veritatem fuerit assecutus, semper tamen & ubique eam fuisse secutum in suo Opere, cujus gratiâ hæc à nobis indicata sunt.*

& correctionis, sicubi errarit.

722 *Et verò quemadmodum sese veritatis tenacissimum esse testatur, sic etiam correctionis, sicubi à veritate aberravit, cupidissimum, non obscurè scribit, loco mox citato concludens suam Præfationem in hæc verba:* Utinam sint, qui corrigant, qui deleant! Utinam & qui addant, ostendantque, quàm parum fecerimus, dum; quæ
B non fecimus, plura in lucem edant. Bernardus Parens volumen cum cultello Matthæo Cardinali legato misit "quatenus impostoram, quam a-„ vulsione dignam judicaret, proprio ipsius au-„ ctoris gladio succideret„: nostros Annales cum cultello & calamo vellemus eruditis cunctis transmittere, succidendis, quæ irrepserunt per errorem, sed non minùs addendis, quæ desunt per ignorantiam: quod ô! utinam Deus multis inspiret.

Exordii magni titulus,

723 *Jam verò quandoquidem creberrimè superiùs usi sumus libro, qui inscribitur* Exordium magnum Ordinis Cisterciensis, *quod in distinctiones & capitula dispertitum exstat apud F. Bertrandum Tissier, doctorem theologum Bonifontis in Therassia ejusdem Ordinis Priorem, in Bibliotheca Patrum Cistercienssium pag. 13 & sequentibus; videtur instituti nostri ratio exigere, ut. Operis istius notitiâ lectorem imbuamus, iis usuri, quæ dictus Tissierius ad illud præfatur. Ac de titulo quidem monet ista:* In codice manuscripto cœnobii Fusniacensis, quo utor, habetur hic titulus: "Incipit narratio de initio Ci-„ sterciensis Ordinis; qualiter Patres nostri de „ Molismensi cœnobio propter puritatem Ordi-„ nis secundum tenorem regulæ sancti Benedi-„ cti recuperandam, egressi, fœcundam Cister-„ ciensem ecclesiam fundaverunt, quæ est ma-„ ter omnium nostrûm: quoniam ex ipsa tam-„ quam de fonte purissimo rivuli cunctarum ec-„ clesiarum Ordinis nostri derivati sunt: & de
C „ nonnullis reverendis, atque in omni religione „ conspicuis personis, quæ in Cistercio & Clara-„ valle claruerunt„. Quia tamen hic liber Exordium magnum Ordinis Cistercienssis solet appellari, sicut & præcedens (*ibidem à pag.* 1) ex oppositio Parvum exordium; idcirco titulum prædictum præelegi.

auctor,

724 *De auctore autem sic pergit:* Hujus Magni Exordii authorem ignorari, ait Angelus Manrique in Annalibus: verùm Fusniacensis codex hæc habet verba: "Istum librum composuit „ quidam abbas, Conradus nomine, Everba-„ censis cœnobii, qui fuit monachus Claræ-val-„ lis„. Et monasticen quidem in Clarà-valle se professum, non obscurè indicat in fine hujus Operis; ubi temporibus B. Petri & D. Garnerii postea Lingonensis episcopi, quorum ille octavus, hic nonus Claravallensis abbas extitit, se Claravalle disciplinis claustralibus eruditum fuisse D
asserit, videlicet circa annum MCLXXX. Est autem Eberbac, cui Conradus iste dicitur præfuisse, monasterium de linea Claræ-vallis in Moguntina diœcesi: cujus ipse author summa cum laude meminit in distinctione 5 cap. 17, & alibi: ubi tamen non indicat ejusdem loci se abbatem esse. Sed quisquis sit libri author, hunc lectu dignissimum, & utilissimum in Bibliothecæ Patrum nostrorum capite locandum judicavi.

exemplaria ac tituli;

725 *Opus porrò istud laudat etiam Horstius in Introductione ad Opera* S. Bernardi *pag.* 70, *hæc præmittens libro septimo Vitæ* S. Bernardi, *quem è laudato Exordio typis edidit:* Hunc, *inquit*, librum verbotenus decerpsimus EX LIBRO VIRORUM ILLUSTRIUM ORD. CISTERC., quem quidem Ms. Confluentiæ accepimus è Collegio Soc. Jesu. Aliud ejusdem exemplar è Carthusia Wesalienssi PP. Carthusiani Colonienses nobis cura-runt. Sed & tertium Pater N. Societ. Jesu, Embricæ propria manu descriptum exhibuit; qui & variarum lectionum notas adjecerat: cujus industria magno nobis subsidio fuit. Porrò de eo Libro lector monendus, ne forte fallatur, dum
E hosce titulos alicubi legit, EXORDIUM ORD. CISTERCIENSIS, LIBER DE VIRIS ILLUSTRIBUS ORD. CISTERC., item LIB. DE INITIO ORD. CISTERC.; quos Henriquez tamquam diversos libros non rarò allegat, cum unus idemque sit, (etsi alibi aliam forte sortitus epigraphen) uti facilè deprehendet, dum quæ ille, quasi ex diversis adfert, in uno DE VIRIS ILLUSTRIBUS CISTERC. (nam hunc solum titulum tria, quæ ego vidi, Mss. præferunt) reperies. Id te monitum volui confusionis vitandæ causâ, cui occasionem præbuit dictus author eò magis, quòd EXORDIUM in libros; illum verò DE VIRIS ILLUSTRIBUS, in distinctiones dispertiat. Sed ejusdem nihilominus scriptoris de hoc libro censuram audiamus:

fides & auctoritas

726 „Omnium nostri Ordinis historiarum „ (inquit) quasi lapis fundamenti, & scriptum „ maximè authenticum est liber ille, quem Ex-„ ORDIUM Ord. Cisterc. NOMINAMUS„. Et paulo pòst: "Quantum ad me, inquit, quotiesF „ cumque hunc librum evolvo, non possum sa-„ tis pietatem, styli gravitatem, sententiarum „ pondus, & mirandos eventus, qui ibidem re-„ feruntur, non mirari: idque ausim dicere; „ hunc in suo genere esse ex majoribus & pre-„ tiosioribus thesauris, quo gaudet Ecclesia, ta-„ lemque à fidelibus habendum„. Ita Henriq. Appar. ad Menol. Cist. cap. 4. Cui & ego libens adsentior; dignum scilicet esse librum, qui totus edatur in lucem.

hujus Operis, quod Tissierius vulgavit.

727 Quod etiam Aubertum Miræum bene de Historia monastica meritum optasse video. Miror è Cistercienssi familia neminem hoc sibi operis sumere. Ego ipse admoverem manum; nisi vererer in messem alienam mittere falcem. Porrò author hujus libri vicinus fuit temporibus S. Bernardi; nam hiscum familiariter egit, qui simul cum Bernardo vixerunt: & ex eorum ore fere refert, quæ hîc narrantur: ut videas, qua fide & authoritate nitantur. *Hæc ille. Porrò doctorum istorum virorum desiderio factum est satis, quando Opus illud edidit Tissierius. Specimina verò, quæ ejusdem Operis meritum commendant, suggerit noster Commentarius prævius. Mabillonius librum septimum Vitæ* S. Bernardi *ex eodem Exordio excerptum, post Horstium etiam vulgavit volumine 2, col. 1195 & sequentibus; quod indicio*

A *dicio eſt, ei etiam in pretio fuiſſe illud Opus. Additis autem hoc accreviſſe, habemus ex Manrico, qui illa allegat, ut videre licet in Commentario noſtro prævio § 50 in fine; § 51, num. 547; § 52, num. 555. Poſtremò, ſive Exordii auctor collegerit vel ſcripſerit ipſemet, quæ ſe vivente accidere; ſive alia poſtmodùm acceſſerint; nos & Exordium ipſum, & ejuſdem auctorem in Commentario prævio identidem citavimus.*

§ LXVI. Quænam Vitæ, & cur à nobis non recuſæ; alia quædam præterita.

Fragmenta Herberti à nobis recuduntur; non verò liber ſeptimus Vitæ;

B *Libros ſex de vita ac rebus geſtis* S. Bernardi, *qui jam pridem excuſi exſtant apud Horſtium ac Mabillonium recudemus ac illuſtrabimus, ſicut ſuprà indicatum eſt. Vitis hiſce adjiciemus cum Mabillonio* Fragmenta, *non tamen omnia*, ex Herberti libris de miraculis Ciſtercienſium monachorum: *non verò librum ſeptimum de vita ejuſdem Sancti, qui* excerptus ex libro, cui titulus EXORDIUM MAGNUM CISTERCIENSE, diſtinctione ſecunda, *notatur in editione Mabilloniana; de Horſtiana autem conſule, quæ præmiſi § 65, num. 725. Ratio, cur libros iſtos à noſtra editione ſecludamus, eſt, quia ex eiſdem libavimus, & huic Commentario intexuimus varia facta, quæ in illis ibidem de ſancto Patre referuntur. Si quæ tamen notabilia ſuperſint, poterit illorum etiam haberi ratio in Gloria poſthuma. Nec verò* Vita, *ab* auctore ſeu compilatore Alano, quondam epiſcopo Autiſiodorenſi *conſcripta, quæ eſt apud Mabillonium, iteratis typis exhibebitur.*

nec Vita,

729 *Etenim biographus ille* ex quinque prioribus libris præmiſſis continuam rerum à Bernardo geſtarum ſeriem contexuit, & adhibitis *quidem* propriis auctorum verbis: quos ad temporum ordinem utcumque reduxit; *uti obſervabat Mabillonius § 64 à me citatus; ad hæc*, ſancti Doctoris teſtamentum, ab aliis ſcriptoribus omiſſum, primus commemorat, *ſicut ibidem eſt*

C *dictum: verùm cum ordini temporis, præeunte Manrico, proſpexerimus in Commentario noſtro prævio, & Chronologiam Bernardinam in eodem dederimus; cumque biographos priores, è quibus ſuam Vitam compilavit ac contraxit Alanus, producturi ſimus; quid opus eſt illam denuo typis committere, & tam grandem aliunde rerum S.* Bernardi *molem ſine neceſſitate augere?*

quam Alanus contraxit; nec Fragmenta Gaufridi;

730 *Sed audiatur Alanus ipſe in Prologo ad eamdem Vitam:* Nos, *inquit*, ex eadem *plurium, qui jam tum Acta Viri ſancti, & miracula conſcripſerant, auctorum* narratione nonnulla omittentes, & apponentes perpauca, breviori perſtringimus ſchedula. *Quod modò dicebat Mabillonius de teſtamento*, quod . . primus ipſe commemorat; *videtur pertinere ad tria illa monita, quæ Pater ſanctus filiis ſuis imitanda reliquit jam morti proximus; de quibus Alanus cap. 30, quæque nos ſuprà ex eo dedimus § 50. Poſt iſtam Vitam ſubjungit Mabillonius* Fragmenta ex tertia Vita S. Bernardi, auctore, ut videtur, Gaufrido monacho Claræ-vallenſi, *capitibus octo comprehenſa. Conſule dicta § 64. Fragmenta iſta non ſemel nobis uſui fuêre in Commentario prævio, & fortè erunt poſtea, ſi quæ reſtant digna notatu. His ibidem proxima* AUCTORE J. P. *datur* Vita quarta . . duobus libris ſcripta à Johanne eremita. *Quæ ad iſtum biographum attinent, habes mox indicato § 64: cujus Vitâ bis jam recuſâ ſuperſedendum nobis duximus; cùm perſuaſum habeamus, biographos primigenios abunde ſuffecturos tum lectorum utilitati, tum Sancti gloriæ, tum denique muneri noſtro. Quod ſi nonnulla referat ſingularia, quæ noviſſe lectoris interſit, poterit etiam eorum haberi ratio.*

nec quædam alia.

731 *Idem, quem modò nominabam, Vitarum* S. Bernardi *editor col.* 1292 *profert* Prætermiſſa apud Chiffletium ex Gaufrido ſuperiùs, *inquit*, col. 1278 poſt articulum 10, & poſtea reperta: *quæ excipit carmen panegyricum Philothei monachi de vita & moribus ejuſdem Sancti, quem inter ſcriptores Ordinis Ciſtercienſis ponit Carolus de Viſch in ſua Bibliotheca. Carmen illud etiam exſtat in editione Horſtiana. Adde duo alia de laudibus ſancti Patris; alterum, cui auctor prænotatur* Nicolaus Hacqueville, ſacri ſenatus Pariſienſis præſes æquiſſimus; *alterum* Baptiſtæ Mantuani ex VIII Faſtorum. *Sed facilè patimur abeſſe ab editione noſtra rivulos hoſce poëticos, ubi genuinis antiquiſſimorum biographorum fontibus abundamus. Meminiſſe interim hoc loco non pigeat illud, quod habetur apud Mabillonium col.* 1306: In Ms. cod. Aquicinctenſi legitur carmen ſic inſcriptum: „ Venera-
„ bili abbati Claræ-vallenſi Bernardo Anſelmus in
„ laudem Claræ-vallis „ ſub hoc initio:

E

Vallis devexa, quam mons devexus opacat.

Poſt brevem hanc obſervationem datur ibidem Deſcriptio poſitionis ſeu ſituationis monaſterii Claræ-vallenſis; *quæ apud Horſtium etiam exſtat, & quam ſuprà allegavi § 5, num. 56.*

732 *Hæc habui, de quibus lectorem meum præmonerem. Si verò in Vitis, ab hac noſtra impreſſione ſecluſis, præter illa, quæ in anteceſſum à nobis inſerta ex iis ſunt huic Commentario prævio, alia ſe offerant documenta, quæ vel ad Sancti gloriam, vel ad lectoris inſtructionem conducere admodùm comperero, locum illis dabo poſt Vitas, in Gloria poſthuma* S. Bernardi, *in qua colligentur de Viro res bene multæ atque inſignes, quas eò differre viſum eſt. Tandem itaque longum maris, ut ita dicam, iter emenſus vela contraho, ac ſubdo Acta; in quorum impreſſione quænam à nobis ſint ſervata, ſuperiùs lectorem monui § 64 in fine.*

F

A

VITA

Quam Mabillonius occaſione Operum S. Bernardi, anno MDCXC *Pariſiis à ſe vulgatorum, volumine 2, à columna* 1061 *poſt Opera ſuppoſititia & aliena edidit.*

LIBER PRIMUS,

Auctore Guillelmo *a*, olim S. Theoderici prope Remos abbate, tunc monacho Signiacenſi.

B

PRÆFATIO.

Auctor dignitatem argumenti,

SCripturus vitam Servi tui, ad honorem nominis tui, prout tu dederis Domine Deus ipſius, per quem Eccleſiam temporis noſtri in antiquum apoſtolicæ gratiæ & virtutis decus voluiſti reflorêre, eum invoco adjutorem, quem jam olim habeo incentorem, amorem tuum. Quis enim de amore tuo quantulumcumque ſpiraculum vitæ habens, & videns teſtimonium gloriæ, & honoris tui tam præclarum & tam fidele mundo inſolitum effulſiſſe, non det operam quantamcumque potuerit, ne lumen à te accenſum, tuorum quempiam lateat, ſed quantum humano fieri ſtilo poteſt (quod meliùs ipſe tamen per virtutem operum facis) manifeſtatum & exaltatum luceat omnibus qui ſunt in domo tua? In quo cum ego jam olim vellem qualecumque miniſterium agere vicis meæ, ſeu timore, ſeu verecundiâ prohibitus ſum uſque adhuc, modò quidem

C ſupra me judicans eſſe dignitatem materiæ, & dignioribus opificibus reſervandam; modò etiam poſt obitum ejus quaſi ſupervicturus ei meliùs hoc & competentiùs deliberans actitandum, cum jam homo non gravaretur laudibus ſuis, & tutiùs id fieret à conturbatione hominum, & contradictione linguarum. At ille vigens & valens quanto infirmior corpore, tanto fortiòr fit & potens, non ceſſans agere digna memoriæ, & magna majoribus ſemper accumulans, quæ ipſo tacente ſcriptorem requirant. Ego verò jam delibor urgentibus infirmitatibus corporis mortis hujus, & membris omnibus incipientibus habere reſponſum vicinæ mortis, ſentio inſtare tempus reſolutionis meæ; plurimumque timeo ne ferò me pœniteat tamdiu diſtuliſſe, quod, priuſquam pereffluam, velim omnimodis peregiſſe.

ac ejuſdem fidem commendat.

2 Sed & me fratrum quorumdam pia benevolentia plurimùm ad hoc impellit & cohortatur, qui cùm Viro Dei jugiter aſſiſtant, omnia ejus noverunt, ingerentes quædam diligenti inquiſitione veſtigata: plura etiam, quibus, cùm fierent, ipſi interfuerunt, & viderunt, & audierunt. Qui cùm multa ſuggerant & præclara, quæ per Servum ſuum Deus ipſis præſentibus operatur, & nota eorum religio & ſchola magiſterii ab omni me liberet ſuſpicione falſi, adhuc etiam ad teſti- D monium ſibi adſciſcunt probabilium auctoritatem perſonarum, epiſcoporum, clericorum & monachorum, quibus fidem non habere nulli fidelium licet. Quamquam id ſuperfluò dixerim, cùm totus ea noverit mundus, & virtutes ejus narret omnis Eccleſia Sanctorum. Quapropter attendens divinæ laudis mirificam materiam omnibus ſe offerentem, neminem verò ſuſcipientem, diſſimulantibus eis, qui meliùs hoc ac digniùs poterant, ſuſcepi in ea agere ipſe, quæ potero, non vanitate præſumentis, ſed fiducia diligentis. [Metiens tamen memet ipſum in memet ipſo, & me ipſum comparans mihi, nequaquam totam vitam Viri Dei ſuſcepi digerendam, ſed ex parte, experimenta ſcilicet aliqua viventis & loquentis in eo Chriſti, opera quædam exterioris cum hominibus converſationis ejus, quæ de ipſo viderunt, quibus hoc datum eſt, & nos quoque ex parte vidimus & audivimus, & manus noſtræ contrectaverunt. Cùm enim hoc ipſum ex parte magna de ſeipſo ſentiendum ſit, quod de eo, qui dicit: Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus: & alibi: An, inquit, experi- E mentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus? non inviſibilem illam vitam viventis & loquentis in eo Chriſti enarrare propoſui: ſed exteriora quædam vitæ ipſius experimenta, de puritate interioris ſanctitatis & inviſibilis conſcientiæ, per opera exterioris hominis, ad ſenſus hominis exteriores micantia: quæ ſicut omnibus ſcire, ſic etiam quibuſlibet utcumque ſcribere in promptu eſt.] Præſertim cum nec ipſa quaſi accuratiùs digerenda, ſed ſaltem in unum congerenda & reponenda ſuſceperim: nec edenda vivente ipſo, ſicut nec ſcribuntur ipſo ſciente. Confido autem in Domino, quoniam poſt nos & poſt obitum ejus exſurgent, qui meliùs ac digniùs perficient, quod nos conati ſumus: qui etiam exteriora interioribus comparare poterunt, & pretioſam in conſpectu Domini mortem ejus, vitæ ſimilem, continuare ſcribendo, & de vita mortem, & de morte vitam commendare. Jam ergo, adjuvante Domino, propoſitum aggrediamur.

ANNOTATIO.

F

a *De hujus libri primi auctore conſule Commentarium noſtrum prævium § 63, ac Subſcriptionem Burchardi abbatis Balernenſis eidem libro inferiùs ſubjunctam.*

PRIOR CAPITUM PARTITIO.

LIBER PRIMUS. PRÆFATIO.

Caput I. De parentibus B. Bernardi, eorumque inſigni pietate in educandis liberis; deque Bernardi jam tum pueri indole, & præclaris moribus.

Cap. II. De integritate Bernardi pueri, curam feminæ præſtigiatricis deteſtantis; de viſione nati Salvatoris ei facta, & de matris obitu.

Cap. III. De ſtudio tuendæ caſtitatis, deque vitæ religioſæ propoſito, & allectis in eamdem ſententiam fratribus ſuis, aliiſque ſociis.

Cap. IV. De ingreſſu Ordinis, & fervore novitiatûs. Quàm parcus cibi & ſomni; cupidus quoque laboris externi; deque ejus miro in ſacra Scriptura profectu.

Cap. V. De initio Claræ-vallis, & vili victu primorum ibidem monachorum; deque oſtenſo divini-

A divinitus ejus incremento.

Cap. VI. De magna ejus in anguſtiis erga Deum fiducia : deque zelo perfectionis, & converſione ſororis.

Cap. VII. De Ordinatione S. Bernardi in abbatem, deque cura valetudinis ejus ; item de laude diſciplinæ religioſæ jam tum in Clara-valle vigentis.

Cap. VIII. De magna vitæ ejus ſeveritate, & indefeſſo inter continua fractæ valetudinis incommoda laborandi ſtudio.

Cap. IX. De miraculis per eum patratis, & periculo arrogantiæ in eo mirè per propinquos repreſſo.

Cap. X. De aliis ſanitatum beneficiis erga diverſos præſtitis.

Cap. XI. De miraculo epiſtolæ in imbre ſcriptæ, nec madefactæ, & aliis quibuſdam ſtupendis.

Cap. XII. De altercatione Bernardi cum diabolo ; de ſanitate per B. Virginem ipſi reddita. Item de abbate Guillelmo ab eo ſanato.

Cap. XIII. De fama ſanctitatis ejus ubique divulgata ; & ipſius Claræ-vallis mirabili propaga-
B tione. Item de ſpiritu prophetiæ ipſi conceſſo.

Cap. XIV. De aliis quibuſdam beneficiis divinitus per eum præſtitis, & honorum ſeu dignitatum fuga.

LIBER SECUNDUS. PRÆFATIO.

Cap. I. De pontificatu Innocentii II, operâ S. Bernardi fortiter & feliciter vindicati. Item de profectione Pontificis in Gallias, & repreſſione Imperatoris.

Cap. II. De Synodo Piſis per Innocentium celebrata. Item de Mediolanenſibus operâ Bernardi Eccleſiæ reconciliatis, & energumenis ibidem curatis.

Cap. III. De expulſione dæmonum à variis obſeſſis, tum virtute Euchariſtiæ, tùm panis & aquæ benedictæ, tum ſigni crucis. Item de aliis curationum beneficiis.

Cap. IV. De dæmoniacis curatis, & mira humilitate Bernardi, inter tot illuſtria opera æquè ſemper de ſe modeſtè ſentientis.

Cap. V. De reditu Bernardi ex Italia, & de monaſterii Claræ-vallis in locum capaciorem tranſ-
C latione.

Cap. VI. De ſchiſmate Aquitaniæ operâ Bernardi compoſito ; & femina ab incubo dæmone mirabiliter liberata.

Cap. VII. De cauſa ſchiſmatis Romæ & apud Rogerium regem Siciliæ feliciter acta.

Cap. VIII. De Præſulibus Eccleſiæ è Clara-valle progenitis. De inſigni pietate Comitis Theobaldi, ejuſque gravi tribulatione. *Liber 2 eſt Ernaldi.*

LIBER TERTIUS. PRÆFATIO.

Cap. I. De moribus & virtutibus S. Bernardi ſummatim.

Cap. II. De viſitatione Hugonis Gratianopolitani epiſcopi, & Cartuſianorum ; deque mira in Bernardo ſenſuum cuſtodia.

Cap. III. De rara in eo ſermonis cura, modeſtia, ſimul & gratia ; deque dignitatum fuga.

Cap. IV. De infelici expeditionis in Orientem ſucceſſu, & nato hinc contra Virum ſanctum murmure.

Cap. V. De erroribus Petri Abaëlardi, & Gilleberti Porretani operâ S. Bernardi confutatis.

Cap. VI. De hæreſi Henriciana in partibus To-

loſanis repreſſa, & patratis ibidem miraculis. A. GUIL-

Cap. VII. De ſuaviſſimis beati Viri moribus, & præclaris virtutibus, & quid de ſuis miraculis ſentiret. LELMO.

Cap. VIII. De ſcriptis S. Bernardi, & animi ejus effigie in ipſis expreſſa.

LIBER QUARTUS.

Cap. I. De reditu ejus ab Urbe, & aſportatis inde Sanctorum reliquiis. Item de beneficiis diverſis, ejus merito, ſed ipſo inſcio, in alios collatis.

Cap. II. De ſpiritu prophetiæ, & revelatione futurorum, quâ claruit.

Cap. III. De variis futuris eventibus ſpiritu prophetico ab eo prædictis.

Cap. IV. De mirabilibus & variis beneficiis ab eo, præſertim in regno Galliæ, præſtitis.

Cap. V. De variis miraculis à beato Bernardo per Germaniam, Conſtantiæ, Baſileæ, Francofurti, Treviris &c. patratis.

Cap. VI. De variis & illuſtribus miraculis Co-
E loniæ, Aquiſgrani, Leodii, Cameraci, & in Hiſpania factis.

Cap. VII. De miraculis in patria & vicinia Claræ-vallis per beatum Bernardum factis.

Cap. VIII. De variis ſignis & miraculis promiſcuè editis, de quorum eventu priùs in viſu edoctus fuerat.

LIBER QUINTUS.

Cap. I. De pace inter civitatem Metenſem & vicinos quoſdam principes operâ B. Bernardi reformata ; editiſque ea occaſione miraculis.

Cap. II. De feliciſſima, ſed fratribus triſtiſſima, beati Viri morte.

Cap. III. De revelationibus diverſis poſt S. Patris obitum factis. *Hi 3 libri ſunt Gaufridi.*

CAPUT I.

Parentes, eorum liberi, viſio matris de Sancto ; ſtudia ejus, indoles, pudicitia ; myſterium F *Incarnationis ei revelatum ; propoſitum Religioſæ vitæ.*

CAPUT I. *Sanctus parentes habuit nobilitate, virtutibus, ac ſobole inſignes.*

BErnardus Burgundiæ partibus, Fontanis *a* oppido patris ſui oriundus fuit, parentibus claris ſecundum dignitatem ſeculi ; ſed dignioribus ac nobilioribus ſecundum Chriſtianæ religionis pietatem *b*. Pater ejus Tecelinus *, vir antiquæ & legitimæ militiæ fuit, cultor Dei, juſtitiæ tenax. Euangelicam namque ſecundum inſtituta Præcurſoris Domini militiam agens, neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam, contentus ſtipendiis ſuis, quibus ad omne opus bonum abundabat. Sic conſilio & armis ſerviebat temporalibus dominis ſuis, ut etiam Domino Deo ſuo non negligeret reddere quod debebat. Mater Aleth *c*, ex caſtro cui nomen Mons-Barrus *d* ; & ipſa in ordine ſuo apoſtolicam regulam tenens, ſubdita viro, ſub eo ſecundum timorem Dei domum ſuam regebat, operibus miſericordiæ inſiſtens, filios enutriens in omni diſciplina. Septem quippe liberos *e* genuit non tam viro ſuo, *e*

a
b
* *al.* Theſſelinus
c *d*

A. GUILLELMO.

quàm Deo, ſex mares, feminam unam: mares omnes monachos futuros, feminam ſanctimonialem: Deo namque (ut dictum eſt) non ſeculo generans, ſingulos mox ut partu ediderat, ipſa manibus propriis Domino offerebat. Propter quod etiam alienis uberibus nutriendos committere illuſtris femina refugiebat, quaſi cum lacte materno materni quodammodo boni infundens eis naturam. Cùm autem creviſſent, quamdiu ſub manu ejus erant, eremo magis quàm curiæ nutriebat, non patiens delicatioribus aſſueſcere cibis, ſed groſſioribus & communibus paſcens; & ſic eos præparans & inſtituens, Domino inſpirante, quaſi continuò ad eremum tranſmittendos.

Futura ejus magnitudo matri præ-nuntiatur: f

4 Hæc cùm in ordine filiorum tertium Bernardum haberet in utero, ſomnium vidit præſagium futurorum, catellum *f* ſcilicet totum candidum, in dorſo ſubrufum, & latrantem in utero ſe habere. Super quo territa vehementer, cùm religioſum quemdam virum conſuluiſſet, continuò ille ſpiritum prophetiæ concipiens, quo David de ſanctis prædicatoribus Domino dicit; Lingua canum tuorum ex inimicis: trepidanti & anxiæ reſpondit: Ne timeas, bene res agitur: optimi catuli mater eris, qui domûs Dei cuſtos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei edituruſ eſt latratus. Erit enim egregius prædicator, & tamquam bonus canis, gratiâ linguæ medicinalis in multis multos morbos curaturus eſt animarum. Quo reſponſo mulier pia & fidelis quaſi à Deo ſuſcepto, læta efficitur, & jam tunc in amorem nondum nati tota transfunditur, cogitans ſacris eum litteris erudiendum tradere ſecundùm modum viſionis & interpretationis, quâ ei de illo tam ſublimia promittebantur. Quod & factum eſt. Mox enim, ut felici partu edidit, non modò obtulit eum Deo, ſicut de aliis agere conſueverat, ſed ſicut legitur de ſancta Anna matre Samuelis *g*, quæ petitum à Domino & acceptum filium in tabernaculo ejus deſtinavit perpetuò ſerviturum; ſic & ipſa eum in Eccleſia Dei acceptabile obtulit munus.

B

g

ad ſtudia mittitur, & præclaris naturæ & gratiæ dotibus fulget.

h

5 Unde & quàm citiùs potuit in eccleſia Caſtellionis *h* (quæ poſtmodùm ipſius Bernardi operâ à ſæculari converſatione in Ordinem regularium Canonicorum promota cognoſcitur) magiſtris litterarum tradens erudiendum, egit quidquid potuit, ut in eis proficeret. Puer autem & gratiâ plenus, & ingenio naturali pollens, citò in hoc deſiderium matris implevit. Nam in litterarum quidem ſtudio ſupra ætatem, & præ coætaneis ſuis proficiebat; ſed in rebus ſæcularibus jam mortificationem futuræ perfectionis velut naturaliter inchoabat. Erat namque ſimpliciſſimus in ſæcularibus, amans habitare ſecum, publicum fugitans, mirè cogitativus, parentibus obediens & ſubditus; omnibus benignus & gratus; domi ſimplex & quietus; foris rarus, & ultrà quàm credi poſſet verecundus; nuſquam multum loqui amans; Deo devotus, ut puram ſibi puericiam ſuam conſervaret: litterarum etiam ſtudio deditus, per quas in Scripturis Deum diſceret & cognoſceret: in quo quantum in brevi & profecerit, & quàm perſpicacem in diſcernendo induerit ſenſum, ex eo, quod ſubjungimus, adverti poteſt.

C

II. *Repulſis mulierculæ præſtigiis, recreatur viſu nativitatis Dominicæ:*

6 Cùm adhuc puerulus gravi capitis dolore vexaretur, decidit in lectum. Adducta autem ad eum eſt muliercula quaſi dolorem mitigatura carminibus. Quam cùm ille appropinquantem ſentiret cum carminalibus inſtrumentis, quibus hominibus de vulgo illudere conſueverat, cum indignatione magna exclamans à ſe repulit & abjecit. Nec defuit miſericordia divina bono zelo ſancti Pueri: ſed continuò ſenſit virtutem, & in ipſo impetu ſpiritûs ſurgens, ab omni dolore liberatum ſe eſſe cognovit. Ex quo cùm non parum in fide proficeret, adjecit ei Dominus apparêre, ſicut olim puero Samueli in Silo, & manifeſtare ei gloriam ſuam. Aderat namque ſolennis illa nox Nativitatis Dominicæ, & ad ſolennes vigilias omnes, ut moris eſt, parabantur. Cúmque celebrandi nocturni Officii hora aliquantiſper protelaretur, contigit ſedentem expectantemque Bernardum cum ceteris inclinato capite paululùm ſoporari. Affuit illico Puero ſuo ſe revelans pueri Jeſu ſancta nativitas, teneræ fidei ſuggerens incrementa, & divinæ in eo inchoans myſteria contemplationis. Apparuit enim velut denuo procedens ſponſus è thalamo ſuo. Apparuit ei quaſi iterum ante oculos ſuos naſcens ex utero Matris Virginis Verbum infans, ſpecioſus formâ præ filiis hominum, & Pueruli ſancti in ſe rapiens minimè jam pueriles affectus. Perſuaſum autem eſt animo ejus, & nunc uſque fatetur, quòd eam credat horam fuiſſe Dominicæ nativitatis. Sed & facile eſt advertere iis, qui ejus auditorium frequentaverunt, in quanta benedictione eâ horâ prævenerit eum Dominus; cùm uſque hodie in iis, quæ ad illud pertinent ſacramentum, & ſenſus ei profundior, & ſermo copioſior ſuppetere videatur. Unde & poſtmodùm in laudem Genitricis & Geniti, & ſanctæ ejus Nativitatis, inſigne edidit opuſculum inter initia Operum ſuorum ſeu tractatuum, ſumptâ materiâ ex eo Euangelii loco, ubi legitur; Miſſus eſt Gabriel Angelus à Deo in civitatem Galilææ, & cætera quæ ibi ſequuntur.

D

E

mira ejus miſericordia in pauperes: mors matris, & elogium:

7 Neque illud tacendum, quòd ab ipſis jam puerilibus annis ſi quos poterat nummos habere, clandeſtinas faciens eleemoſynas, & verecundiæ ſuæ morem gerebat, & pro ætate, immò ſupra ætatem, pietatis opera ſectabatur. Cùm autem aliquanto tempore evoluto, proficiens ætate & gratia apud Deum & homines puer Bernardus de pueritia tranſiret in adoleſcentiam, mater ejus liberis fideliter educatis, & vias ſeculi ingredientibus, quaſi peractis omnibus, quæ ſua erant, feliciter migravit ad Dominum *i*. De qua nequaquam prætereundum eſt, quòd, cùm multo tempore vixiſſet cum viro ſuo honeſtè & juſtè ſecundum juſtitias & honeſtates ſeculi hujus, & legem fidemque conjugii, per aliquot ante obitum ſuum annos, in eo, ad quod nutrire filios videbatur, prout potuit & licuit mulieri ſub poteſtate viri conſtitutæ, nec habenti proprii corporis poteſtatem, omnes ipſa prævenit. Etenim in domo ſua & in profeſſione conjugali, & in medio ſeculi, eremiticam ſeu monaſticam vitam non parvo tempore viſa eſt æmulari, in victûs parcitate, in vilitate veſtitûs, delicias & pompas ſæculi à ſe abdicando: ab actibus & curis ſæcularibus, in quantum poterat, ſe ſubtrahendo, inſiſtendo jejuniis, vigiliis, & orationibus: & quod minùs aſſumptæ profeſſionis habebat, eleemoſynis & diverſis operibus miſericordiæ redimendo. In quo de die in diem proficiens ad extrema devenit, perficienda in futuro in eo, in quo proficiens de hoc ſeculo migravit. Obdormivit autem pſallentibus clericis qui convenerant, & ipſa pariter pſallens, ut in extremis quoque cum jam vox ejus audiri non poſſet, adhuc moveri labia viderentur, & lingua palpitans Dominum confiteri. Demùm inter litaniæ ſupplicationes, cùm diceretur,

i

F

A retur, Per paſſionem & crucem tuam libera eam, Domine, elevans manum ſignavit ſe, & emiſit *k* ſpiritum, ita ut manum non poſſet deponere, quam levaverat. *k*

III. 8 Ex hoc Bernardus ſuo jam more, ſuo jure victitare incipiens, eleganti corpore, grata facie præeminens, ſuaviſſimis ornatus moribus, acri ingenio præditus, acceptabili pollens eloquio, magnæ ſpei adoleſcens prædicabatur. Cui tamquam ingrediens * ſæculum, plures ſe viæ ſæculi ipſius offerre cœperunt, & in omnibus aſſurgere proſperitates vitæ hujus, & magnæ ſpes undique arridere. Obſidebant autem benignum Juvenis animum, ſodalium diſſimiles mores, & amicitiæ procelloſæ, ſimilem ſibi efficere geſtientes. Quæ ſi ei dulceſcere perſtitiſſent, neceſſe erat amareſcere illi, quod in hac vita dulcius cordi ejus inſederat, caſtitatis amorem. Cui præcipuè invidens coluber tortuoſus, ſpargebat laqueos tentationum, ac variis occurſibus calcaneo ejus inſidiabatur. Cùm enim aliquando curioſiùs aſpiciendo defixos in quamdam oculos aliquamdiu tenuiſſet, continuò ad ſe reverſus, & de ſemetipſo erubeſcens apud ſemetipſum, in ſeipſum ultor

B ſeveriſſimus exarſit. Stagno quippe gelidarum aquarum, quod in proximo erat, collo tenus inſiliens, tamdiu inibi permanſit, donec penè exſanguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis etiam à calore carnalis concupiſcentiæ totus refriguit, induens illum caſtitatis affectum, quem induerat, qui dicebat: Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.

Sanctus inter mundi blanditias,

* *al* ingredienti

& impudicæ mulieris irritamenta, eximiam exercet caſtitatem:

9 Circa idem tempus inſtinctu dæmonis in lectum dormientis injecta eſt puella nuda. Quam ille ſentiens, cum omni pace & ſilentio partem ei lectuli, quam occupaverat, ceſſit, & in latus alterum ſe convertit, atque dormivit. Miſera verò illa aliquamdiu jacuit ſuſtinens & exſpectans, deinde palpans & ſtimulans. Noviſſimè cùm immobilis ille perſiſteret, illa, licèt impudentiſſima eſſet, erubuit; & horrore ingenti atque admiratione perfuſa, relicto eo ſurgens aufugit. Contigit item, ut cum ſociis aliquantis apud matronam aliquam Bernardus hoſpitaretur. Conſiderans autem mulier Adoleſcentem decorum aſpectu, capta eſt laqueo oculorum ſuorum, &

C in concupiſcentiam ejus exarſit. Cúmque tamquam honoratiori omnium, ſeorſum ei feciſſet lectulum præparari, ſurgens ipſa de nocte impudenter acceſſit ad eum. Quam Bernardus ſentiens, nec conſilii inops, clamare cœpit, Latrones, latrones. Ad quam vocem fugit mulier, familia omnis exſurgit, lucerna accenditur, latro quæritur, ſed minimè invenitur. Ad lectulos ſinguli redeunt, fit ſilentium, fiunt tenebræ ſicut priùs, pauſant ceteri, ſed non illa miſera requieſcit. Exſurgit denuo, & Bernardi lectulum petit: ſed denuo ille proclamat, Latrones, latrones. Quæritur iterum latro, latet iterum, nec ab eo, qui ſolus noverat, publicatur. Uſque tertiò improba mulier ſic repulſa, vix tandem ſeu metu ſeu deſperatione victa ceſſavit. Cùm autem die ſequenti iter agerent, arguentes Bernardum ſocii, quoſnam toties ea nocte latrones ſomniaverit, perquirebant. Quibus ille, Veraciter, inquit, aderat latro, & quod mihi pretioſius eſt in hac vita, caſtitatem videlicet hoſpita nitebatur auferre, incomparabilemque theſaurum.

animum adjicit ad Ordinem Ciſtercienſem.

10 Inter hæc tamen cogitans & perpendens, quod vulgo dicitur, non eſſe tutum diu cohabitare ſerpenti; fugam meditari cœpit. Videbat enim mundum & principem ejus exteriùs ſibi multa offerentem, magnas res, ſpes majores, ſed fallaces omnes, & vanitates vanitatum, & vanitatem omnia. Veritatem verò ipſam interiùs jugiter audiebat clamantem ac dicentem: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris. Perfectiùs verò relinquere mundum deliberans, cœpit inquirere & inveſtigare ubi certiùs ac puriùs inveniret requiem animæ ſuæ ſub jugo Chriſti. Inquirenti autem occurrit Ciſtercii *l* innovatæ monaſticæ religionis nova plantatio: meſſis multa, ſed operariis indigens, cum vix adhuc aliquis converſionis gratiâ illuc declinaret, ob nimiam vitæ ipſius & paupertatis auſteritatem. Quæ tamen cùm animum verè Deum quærentem minimè terrerent, poſthabita omni hæſitatione ac timore, illuc vertit intentionem, poſſe ſe æſtimans omnino ibi deliteſcere & abſcondi in abſcondito faciei Dei ab omni conturbatione hominum, maximéque ad effugium vanitatis, ſeu de ſæculari generoſitate, ſeu de acrioris ingenii gratia, ſeu etiam fortè de alicujus nomine ſanctitatis. *l*

A. GUILELMO.

ANNOTATA.

E

a *Locum Sancti natalem variis notitiis exponit Commentarius noſter prævius* § 1, *num.* 3.

b *De nobili eorum genere, ac virtutibus plura diximus in eodem* § 1, *item in* § 2.

c *Alibi vocatur* Alayſa, Alayſia, Eliſabeth; *eſt qui* Aalydem *ſcribit. Vide eumdem Commentarium ibidem num.* 8 *&* 10; *ita ut planè ignorem, unde Manricus in Annalibus Ciſtercienſibus aliam hujus nominis, quâ utitur, efformationem hauſerit: niſi forte per errorem* Alcidis *nomen pro* Aleydis, *quo alicubi ipſam vocari diximus in eodem Commentario* § 2 *num.* 16, *exaratum ſit.*

d Mons-Barrus, *Mont-bar*, oppidum Galliæ in Burgundia, & in Alexienſi tractu, ad amnem Brenne, 3 leucis à Semurio in ſeptemtrionem, Caſtellionem ad Sequanam verſus; *prout obſervat Baudrandus.*

e *De iis nonnulla præmiſſa ſunt in Commentario* § 2.

f Huc referri poteſt id, quod ait Bernardus in epiſtola 78 num. 7: " Malis audacter, cùm „ vidimus, oblatravimus „. Confer epiſtolam F
230: " Demonſtro lupum, inſtigo canes „. Et Sermonem Gaufridi de S. Bernardo inferiùs num. 17. *Obſervatio eſt Mabillonii hîc.*

g *Acta ejus illuſtravimus in Commentario noſtro hiſtorico ad diem* 19 *hujus menſis, tomo* III, *pag.* 6 *& ſequentibus.*

h Caſtellionis *videlicet ad Sequanam, vulgò Chaſtillon ſur Seine; eſtque* urbs Galliæ ſatis culta & oblonga, cum abbatia, in Ducatu Burgundiæ . . , montani tractus caput, 16 leucis à Divione in ſeptemtrionem, & 13 à Lingonibus in occaſum, *ſicut habet Baudrandus. Dixi* ad Sequanam: *ſic quippe diſtinguitur ab aliis Caſtellionibus ſynonymis, quæ in Gallia etiam exſtant, & quarum aliæ ab aliis ſecernuntur per notas topographicas ſibi proprias, uti apud eumdem auctorem licet videre. Ibi ſtuduit Sanctus; non autem inde fuit oriundus. Vide Commentarium huic Vitæ prævium* § 1, *num.* 5.

i *Manricus ad annum* 1105, *cap.* 3 *num.* 10 *affirmat mortem ejus incidiſſe in iſtum annum: obiit enim cum* puer Bernardus de pueritia tranſiret in adoleſcentiam, *atque adeo anno*

A. GUILLELMO.

atatis quarto decimo expleto, cui ſuccedit initium adoleſcentiæ. Anno autem 1091 *Sanctum in lucem prodiiſſe conſtat; à quo ſi pergas ad annum* 1105, *numerabis annum ætatis ejus decimum quartum. Hoc argumento idem Mauricus convenit Chryſoſtomum Henriquez in Menologio ſuo, in quo ad diem* IV *Aprilis obitum matris* S. Bernardi *affigit annum circiter* 1110.

k *Piiſſimam hanc feminam pluribus nos laudavimus in Commentario* § 2 *à num.* 15. *Adde ex Mabillonio in notis hîc:* Herbertus in lib. 2 cap. 23 tradit, Bernardum novitium quotidie pro anima matris ſuæ ſeptem pſalmos pœnitentiales recitare ſolitum, iis ſemel ex parte omiſſis, ab Stephano abbate increpitum fuiſſe. *Verba Herberti habentur apud Chiffletium in* S. Bernardi *Genere illuſtri aſſerto pag.* 291. *Adjungit mox citatus Mabillonius:* Matris obitus contigit Kal. Septemb. Corpus in Divionenſi S. Benigni eccleſia ſepultum, poſtea in Claram-vallem tranſlatum eſt.

l *Aliquas de hoc celeberrimo loco notitias ſuggerit Commentarius noſter prævius* § 5, *à nu-*
B *mero* 53.

CAPUT II.

In Religioſæ vocationis propoſito confirmatur; ejuſdem ſocii; plures alii ad vitam meliorem converſi; unius è ſociis, nec non cujuſdam Ciſtercienſis viſio.

Amici niſuntur eum ab illo divertere; ſed oratione confirmatur; avunculum, & fratres

UBi verò de converſione tractantem fratres ejus, & qui carnaliter eum diligebant, perſenſerunt, omnimodis agere cœperunt, ut animum ejus ad ſtudium poſſent divertere litterarum, & amore ſcientiæ ſæcularis ſæculo arctiùs implicare. Qua nimirum ſuggeſtione, ſicut fateri ſolet, propemodum retardati fuerant greſſus ejus: ſed matris ſanctæ memoria importunè animo ejus inſtabat, ita ut ſæpius ſibi occurrentem
C videre videretur, conquerentem & improperantem, quia non ad hujuſmodi nugacitatem tam tenerè educaverat, non in hac ſpe erudierat eum. Demum cùm aliquando ad fratres pergeret in obſidione caſtri, quod Granceium *a* dicitur, cum Duce Burgundiæ conſtitutos, cœpit in hujuſmodi cogitatione vehementiùs anxiari. Inventâque in itinere medio eccleſiâ quâdam, divertit, & ingreſſus oravit cum multo imbre lacrymarum expandens manus in cælum, & effundens ſicut aquam cor ſuum ante conſpectum Domini Dei ſui. Ea igitur die firmatum eſt propoſitum cordis ejus. Nec verò ſurda aure percepit vocem dicentis: Qui audit, dicat, veni. Siquidem ab illa hora ſicut ignis, qui comburit ſilvam, & ſicut flamma comburens montes, hinc inde priùs viciniora quæque corripiens, poſtmodùm in ulteriora progrediens: ſic ignis, quem miſerat Dominus in cor Servi ſui volens ut arderet, primò fratres ejus aggreditur, ſolo minimo, ad converſionem adhuc minùs habili, ſeniori patri ad ſolatium derelicto, deinde cognatos & ſocios & amicos, de quibuſcumque poterat eſſe ſpes converſionis. Primus omnium Galdricus avunculus ejus, abſque dilatione aut hæſitatione, pedibus D (ut aiunt) ivit in ſententiam nepotis, & conſenſum converſionis vir honeſtus & potens in ſæculo, & in ſæcularis militiæ gloria nominatus, dominus caſtri in territorio Æduenſi *b*, quod *b* Tuillium *c* dicitur. Continuò etiam Bartholomæus *c* occurrens, junior cæteris fratribus, & necdum miles, ſine difficultate eâdem horâ ſalutaribus monitis dedit aſſenſum. Porrò Andreas Bernardo etiam ipſe junior, & novus eo tempore miles, verbum Fratris difficiliùs admittebat, donec ſubitò exclamavit, Video, inquit, matrem meam. Viſibiliter ſiquidem ei apparuit, ſerena facie ſubridens, & congratulans propoſito filiorum. Itaque & ipſe continuò manus dedit, & de tirone ſæculi factus eſt miles Chriſti.

lucratur 12 Nec ſolus vidit Andreas tantorum matrem filiorum lætantem, ſed confeſſus eſt & Bernardus eamdem ſimiliter ſe vidiſſe. Guido primogenitus fratrum, conjugio jam alligatus erat, vir magnus, & præ aliis jam in ſæculo radicatus. Hic primò paululum hæſitans, ſed continnò rem perpendens & recogitans, converſioni conſenſit, ſi tamen conjux annueret. Verùm id quidem de E juvencula nobili & parvulas filias nutriente penè impoſſibile videbatur. At Bernardus de miſericordia Domini ſpem concipiens certiorem, incunctanter ei ſpopondit aut conſenſuram feminam, aut celeriter morituram. Demum cùm omnimodis illa renueret, vir ejus magnanimus, immò eâ jam præventus fidei virtute, in qua poſtmodùm excellenter enituit, virile conſilium, Domino inſpirante, concepit, ut abjiciens quidquid habere videbatur in ſæculo, vitam inſtitueret agere ruſticanam, laborare ſcilicet manibus propriis, unde ſuam ſuſtentaret & uxoris vitam, quam invitam dimittere non licebat. Interim ſupervenit Bernardus, qui undique alios atque alios colligens diſcurrebat. Nec mora, flagellabatur prædicta Guidonis uxor infirmitate gravi. Et cognoſcens quia durum ſibi eſſet contra ſtimulum calcitrare, accerſito Bernardo, veniam deprecatur, & prior ipſa converſionis petit aſſenſum. Denique juxta morem eccleſiaſticum ſeparata à viro, interveniente parili voto caſtitatis, in cœtum ſanctimonialium tranſiit feminarum, religiosè *d* uſque hodie ſerviens Deo.

d *& Gerardum quidem ſecundogenitum*

13 Secundus natu poſt Guidonem Gerardus erat, miles in armis ſtrenuus, magnæ prudentiæ, benignitatis eximiæ, & qui ab omnibus diligeretur. Qui ceteris, ut dictum eſt, primo auditu & primo die acquieſcentibus, ut mos eſt ſapientiæ ſæcularis, levitatem reputans, obſtinato animo ſalubre conſilium, & fratris monita repellebat. Tum Bernardus fide jam igneus, & fraternæ caritatis zelo mirum in modum exaſperatus, Scio, inquit, ſcio, ſola vexatio intellectum dabit auditui: digitumque lateri ejus apponens; Veniet, inquit, dies, & citò veniet, cùm lancea lateri huic infixa pervium iter ad cor tuum faciet conſilio ſalutis tuæ, quod aſpernaris, & timebis quidem, ſed minimè morieris. Sic dictum, ſicque factum eſt. Pauciſſimis interpoſitis diebus circumvallatus ab inimicis, captus & vulneratus juxta verbum Fratris, lanceam geſtans ipſi lateri, eidemque infixam loco, cui ille digitum applicuerat, trahebatur, & mortem quaſi jam præſentem metuens clamabat, Monachus ſum, monachus ſum Ciſtercienſis. Nihilo minùs tamen captus & recluſus in cuſtodia eſt. Vocatus eſt Bernardus per celerem nuntium, ſed non venit. Sciebam, inquit, & prædixeram, quòd durum

A rum esset ei contra stimulum calcitrare, nec tamen ad mortem ei vulnus hoc, sed ad vitam. Et factum est ita. Siquidem de vulnere præter spem citò convaluit, propositum verò seu votum, quod voverat, non mutavit. Cumque jam liber ab amore sæculi hostilibus adhuc vinculis teneretur, & hoc solum esset, quod conversionis ejus propositum retardaret, in hoc etiam citò affuit ei misericordia Dei. Venit frater ejus laborans, ut erui posset, sed non profecit. Et cum nec loqui ei permitteretur, accedens ad carcerem clamavit: Scito, frater Gerarde, quia ituri sumus in proximo, & monasterium introïturi. Tu verò quandoquidem exire non licet, hîc monachus esto, sciens quod vis, & non potes, pro facto reputari.

non sine miraculo.

14 Cumque Gerardus magis ac magis anxiaretur, paucis interpositis diebus audivit vocem in somnis dicentem sibi, Hodie liberaberis. Erat autem sacrum Quadragesimæ tempus. Circa vespertinam itaque diei horam cogitans quod audierat, compedes suas tetigit, &, ecce, ex parte crepuit in manu ejus ferrum, ut minùs jam teneretur, & aliquatenus incedere posset. Sed quid ageret? Erat ostium obseratum, & pro foribus pauperum multitudo. Surrexit tamen, & non tam spe evadendi quàm tædio jacendi, seu curiositate tentandi, accedens ad ostium subterraneæ domus, in qua vinctus & clausus erat, mox ut pessulum tetigit, sera tota inter manus ejus collapsa est, & ostium domûs apertum. Exiensque pedetentim, sicut homo compeditus, ad ecclesiam, ubi adhuc vespertina celebrabantur Officia, pertendebat. Porrò mendici, qui pro foribus domûs astabant, videntes quod fiebat, & divinitus exterriti, in fugam versi sunt, nihil clamantes. Cumque jam ecclesiæ propinquaret, egrediens quidam de familia domûs captivitatis suæ, germanus illius, à quo custodiebatur, vidensque eum ad ecclesiam properantem, Tardè, inquit, Gerarde venisti. Expavescente illo, Festina, ait, adhuc superest quod audias. Oculi quippe ejus tenebantur, nec prorsus, quid ageretur, intelligebat. Demum ad altiores gradus ecclesiæ cùm adhuc compeditum data manu Gerardum sublevasset, introëunte illo ecclesiam, tunc primùm quid ageretur agnovit, & conatus eum retinere non potuit. Hoc modo Gerardus à captivitate amoris sæculi hujus, & captivitate filiorum sæculi liberatus, votum, quod voverat, fideliter exsolvit. In quo potissimùm notum fecit Dominus, à quanta perfectione sanctæ conversationis gratiam iste Dei Famulus cœperit, qui in ejus spiritu, qui fecit, quæ futura sunt, quod erat futurum videre potuit quasi jam factum. Præsentialiter quippe in latere fratris ei lancea apparebat, quando digitum applicuit loco vulneris mox futuri, sicut postmodùm ipse confessus est, cùm ab his interrogaretur, quibus celare non poterat *e*.

B C

e

Inter alios, quibus persuadet conversionem, fuit Hugo Matisconensis;

15 Cùm autem ceteri, ut diximus, prima die in eodem essent cum Bernardo spiritu congregati, manè intrantibus eis ad ecclesiam, Apostolicum illud capitulum legebatur: Fidelis est Deus: quia qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet usque in diem Jesu Christi. Quod devotus Juvenis haud secus accepit, quàm si de cælo sonuisset. Exultans itaque spiritualis jam Pater regeneratorum in Christo fratrum suorum, & manum Domini intelligens secum operantem, cœpit ex hoc prædicationi insistere, & quoscumque poterat aggregare. Cœpit novum induere hominem, & cum quibus de literis sæculi, seu de sæculo ipso agere solebat, de seriis & conversione tractare; ostendens gaudia mundi fugitiva, vitæ miserias, celerem mortem, vitam post mortem seu in bonis, seu in malis, perpetuam fore. Quid multa? Quotquot ad hoc præordinati erant, operante in eis gratia Dei, & verbo virtutis ejus, & oratione & instantia Servi ejus, primò cunctati, deinde compuncti, alter post alterum credebant & consentiebant. Inter quos adjunctus est ei etiam dominus Hugo Matisconensis, nobilitate & probitate morum, possessionibus & divitiis seculi ampliatus. Qui hodie merito religionis & sanctitatis suæ raptus à Pontiniacensi *f* cœnobio, quod ipse ædificavit, Autissiodorensi ecclesiæ præest merito & honore pontificis *g*. Hic audiens de conversione socii & amici carissimi, flebat quasi perditum, quem sæculo mortuum audiebat. Ubi autem primò data est utrique facultas mutui colloquii, post dissimiles lacrymas, & gemitus dissimilium dolorum, verba verbis cœperunt conferri, & res rebus comparari. Cumque inter ipsa verba familiaris amicitiæ Hugoni infunderetur spiritus veritatis, aliam jam faciem habere cœperunt verba mutuæ collocutionis. Datis itaque dextris in sodalitium novæ vitæ, longè digniùs veriusque facti sunt cor unum & anima una in Christo, quàm in sæculo antè fuissent.

A GUILELMO. E

f

g

qui postquam resiliisset à proposito, Sancti colloquio resipiscit.

16 Post paucos autem dies nuntiatur Bernardo, subversum ab aliis sociis Hugonem à proposito resilire. Qui opportunitate inventa, quòd magnus quidam episcoporum conventus illis in partibus haberetur, festinat ut revocet pereuntem, iterumque parturiat. Observantes autem prædicti sodales & subversores Hugonis, viso eo, prædam ambiunt suam, & omnem ei loquendi adimunt facultatem, omnem aditum intercludunt. At ille cùm ei loqui non posset, clamabat pro eo ad Dominum. Quo orante cum lacrymis subita & vehemens inundatio pluviæ mox erupit. Confederant autem in campo, quòd aër serenus esset, & nil tale sperarent. Dispersi igitur omnes ad repentinum imbrem, vicum proximum petunt. At Bernardus Hugonem tenens, Mecum, ait, sustinebis hujus pluviæ guttas. Cumque soli remansissent, non fuerunt soli; sed Dominus fuit cum eis, reddens eis continuò & aëris & animi serenitatem. Ibi renovatum est fœdus & propositum confirmatum, quod non potuit deinceps violari *h*.

F

h

Mira in Bernardo vis trahendi animos:

17 Videbat ista peccator & irascebatur, dentibus suis fremebat & tabescebat; justus autem confidens in Domino gloriosè de sæculo triumphabat. Jamque eo publicè & privatim prædicante, matres filios abscondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant: quia voci ejus Spiritus sanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus. Crescente siquidem numero eorum, qui in hanc conversionis unanimitatem consenserant, sicut de primitivis Ecclesiæ filiis legitur, Multitudinis eorum erat cor unum & anima una in Domino, & habitabant unanimiter simul, nec quisquam aliorum audebat se conjungere eis. Erat enim eis Castellioni domus una propria, & communis omnium, ubi conveniebant, & cohabitabant, & colloquebantur; quam ingredi vix aliquis audebat, qui non esset de cœtu eorum. Sed & si quis intrabat, videns & audiens, quæ ibi gerebantur & dicebantur, sicut de Christianis Corinthiis Apostolus dicit, omnibus quodammodo prophe-

A. GUILLELMO.

tantibus convincebatur ab omnibus, dijudicabatur ab omnibus; & adorans Dominum, & confitens quòd verè Deus eſſet in eis, aut ipſe unanimitati eorum adhærebat, aut recedens flebat ſemetipſum, illos autem beatificabat. Hoc enim illis temporibus, & in illis erat partibus inauditum, ut alicujus adhuc in ſæculo commorantis converſio præſciretur. Ipſi verò quaſi menſibus ſex poſt primum propoſitum in ſeculari habitu ſtabant, ut proinde plures congregarentur, dum quorumdam negotia per id temporis expediebantur.

viſio unius è ſociis S. Bernardi de perſeverantia ſociorum.

18 Cùm autem jam ſuſpecta inciperet eſſe multitudo, ne quem de numero eorum ſurriperet is, qui tentat, placuit Deo ſuper hoc revelare, quid futurum eſſet. Aſpiciebat enim quidam eorum in viſu noctis, & videbat quaſi eos omnes conſediſſe in domo una, & per ordinem ſingulos quaſi communicare de cibo quodam miri candoris & ſaporis. Quem ceteris omnibus optimè ſuſcipientibus, & cum gaudio magno, duos ex omni numero illo notabat à cibi illius ſalutaris participatione vacuos remanſiſſe. Alter namque
B eorum nec ſumebat; alter ſumere quidem videbatur, ſed tamquam minùs cautè ſumeret, ſpargebatur. Utrumque verò poſtea probavit eventus. Alter enim, priuſquam ventum eſſet ad rem, converſus retrorſum in ſeculum rediit; alter cum ceteris cœpit quidem opus bonum, ſed non perfecit. Vidi ego eum in ſæculo poſtea vagum & profugum à facie Domini, ſicut Caïn, quantum animadvertere potui, hominem humillimum, & miſerabilis confuſionis; ſed nimiæ puſillanimitatis. Qui tamen in ultimis Claram-vallem rediit infirmitate corporis & inopia cogente, cùm homo benè natus ab omnibus cognatis & amicis projiceretur: ibique proprietati renuntians, ſed non omnino propriæ voluntati, obiit non quidem intus ſicut frater & domeſticus; ſed foris miſericordiam poſtulans, ſicut pauper & mendicus.

Fratrum natu minimus S. Bernardi poſtea eos ſequitur.

19 Jam verò adveniente die reddendi voti, & complendi deſiderii, egreſſus eſt de domo paterna Bernardus pater fratrum ſuorum cum fratribus ſuis, filiis ſuis ſpiritualibus, quos verbo vitæ Chriſto genuerat. Videns autem Guido primogenitus fratrum ſuorum Nivardum fratrem ſuum minimum, puerum cum pueris aliis in platea, Eja, inquit, frater Nivarde, ad te ſolum reſpicit omnis terra poſſeſſionis noſtræ. Ad quod
C puer non pueriliter motus, Vobis ergo, inquit, cælum, & mihi terra? Non ex æquo diviſio hæc facta eſt. Quo dicto abeuntibus illis, tunc quidem domi cum patre remanſit, ſed modico pòſt evoluto tempore fratres ſecutus, nec à patre, nec à propinquis ſeu amicis potuit retineri. Supererat de Deo dicata domo illa pater ſenior cum filia, de quibus etiam ſuo loco dicemus.

Paucitas Ciſtercienſis monaſterii augenda prænuntiatur per apparitionem.

i

k

20 Eo tempore novellus & puſillus grex Ciſtercienſis *i* ſub abbate degens viro venerabili Stephano *k*, cùm jam graviter ei tædio eſſe inciperet paucitas ſua, & omnis ſpes poſteritatis decideret, in quam ſanctæ illius paupertatis hereditas transfunderetur, venerantibus omnibus in eis vitæ ſanctitatem, ſed refugientibus auſteritatem: repentè divina hac viſitatione tam læta, tam inſperata, tam ſubita lætificatus eſt, ut in die illa reſponſum hoc à Spiritu ſancto accepiſſe ſibi domus illa videretur: Lætare ſterilis, quæ non pariebas, erumpe & clama, quæ non parturiebas: quia multi filii deſertæ magis quàm ejus quæ habet virum, de quibus poſtmodùm viſura es filios filiorum uſque in multas generationes. [Nam anno priore uni ex eiſdem Ciſtercienſibus primis fra- D
tribus in extremo jam poſito apparuit innumera hominum multitudo prope baſilicam, ad fontem lavans veſtimenta ſua: & in ipſa viſione dictum eſt ei, quia fons Ennon vocaretur. Quod cum indicaſſet abbati, intellexit protinus vir magnificus divinam conſolationem: & multùm quidem jam tunc de promiſſione, ſed plurimùm poſtea de exhibitione lætatus, egit gratias Deo per Jeſum Chriſtum: qui cum eo & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſeculorum. Amen.]

ANNOTATA.

a Granceium, quod & Granciacum, *Grançay* (*apud Mabillonium hîc Grançey ſcribitur*) caſtrum Galliæ in Campania provincia, & in ipſo limite Burgundiæ Ducatûs, 8 leucis diſtans à Caſtellione ad Sequanam in ortum hybernum, & totidem à Lingonibus in occaſum hibernum etiam. *Baudrandus.*

b Territorium Æduenſe *antiquum, & hodiernum valde ſunt diverſa: utrumque è mox dicto Baudrando accipe:* Horum ditio continebat aliàs majorem partem Ducatûs Burgundiæ; E
ubi hodie tractus Auguſtodunenſis, Carolegium, Alexienſis, & Cabillonenſis: nunc verò multò minor eſt, continetque tantùm agrum Auguſtodunenſem, l' Autunois. Horum primaria urbs fuit Auguſtodunum, Autun, quæ & Hedua dicta fuit, ad Arotium fluvium, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Lugdunenſi. Erant autem Ædui diviſi à Sequanis Arari fluvio in ortum; à ſeptemtrione habebant Lingones; ab occaſu Vadicaſſes, & à meridie Seguſianos.

c Tuillium, *vulgo Toüillon: de quo Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum hæc obſervat:* Toullon in pleriſque tabulis reperio ad flumen Arotium infra Auguſtodunum. Alanus Autiſſiodorenſis epiſcopus in Vita Bernardi Claravallenſis abbatis .. caſtrum Tuillum vocat, quod caſtrum Chiffletius à Tilio (Til) pagi Aleſienſis caſtro duabus leugis, à Monte Barro 5 diſtare aſſerit. In chartulario Auguſtodunenſis eccleſiæ, quod ſcriptum vidi, nunc caſtrum Tullonum, & Tollonum; nunc caſtrum Tullinum; item paſſim Tullionem vocari reperio. In litteris anni MCCLXXII, & in aliis anni MCCLXXIII caſtrum de Tul- F
lione, & Tullionem; in litteris anni MCCLXX Tolonum, & domum Dei de Tolono invenio; caſtrum Toilonum alibi.

d Et quidem apud Elariacum ſeu Lariacum, vulgo Lairé, ad muros Divionenſes, ex tertia Vita, & ex tabulis Lariacenſibus: qui locus nunc prioratus eſt monaſterii S. Benigni: cui cum iſtæ ſanctimoniales ſubjectæ erant, uti & Julliacenſes Moliſmenſibus, Guntramnus rex locum S. Benigno conceſſit; *ſicut notatur apud Mabillonium hîc.*

e *Fratres* S. Bernardi *hactenus memoratos ita refert, ac laudat Joannes Eremita in ejus Vita à Mabillonio recuſa, col.* 1282: In ordine filiorum primogenitus fuit Guido, homo diſciplinatus, & à Deo dilectus, ſapiens in verbis ſimul & opere: ſecundus Girardus, vir vitæ venerabilis, honeſtus moribus, ſapientiâ clarus, conſilio providus: tertius Bernardus, lux & ſpeculum fratrum ſuorum, & ſanctæ Eccleſiæ columna ſublimis: quartus Andreas, vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo: quintus Bartholomæus, qui primævæ indolis florentibus annis ſenum anticipans vitas, ætatem immacu-

A immaculatam mentis ſinceritate decoravit: ſextus Nivardus, qui terrena hereditate contempta, cæleſtia præelegit. Femina verò beatum Bernardum naſcendi ordine ſubſecuta, in ſacro baptiſmate Humbelina nomen accepit.

f Pontiniacenſis, *vulgo Pontigny: de quo Commentarius noſter § 5, num. 54.*

g Hugo III ex primo abbate Pontiniacenſi creatur antiſtes *anno* MCXXXV, *aiunt Sammarthani tomo 2 Galliæ Chriſtianæ pag. 273; ac varia de illo viro inſigni colligunt deinceps.*

h *Converſio Hugonis aliter narratur apud nos è Ms. Aureæ vallis in Commentario huic Vitæ prævio § 3, à num. 33.*

i *Hoc monaſterium* fundat Odo Burgundiæ Dux, anno Domini MXCVIII, XII Kal. April. ipſo ſancti Benedicti feſto, in Dominicam Palmarum tunc occurrente. *Hæc Gaſpar Jongelinus in Notitiis abbatiarum ejuſdem Ordinis lib. 1, pag. 6, apud quem plura, uti & apud Manricum in Annalibus cap. 2 anni jam dicti, ubi inter alia agit num. 3 de nominis etymo. De ſitu loci vide. Commentarium prævium noſtrum § 5, num. 54.*

B k *Geſta S. Stephani hujus, qui fuit tertius abbas Ciſtercienſis, illuſtrata ſunt ad diem 17 Aprilis, tom. 11 ejuſdem menſis, à pag. 496. Hic verò Ciſtercienſis Ordinis præfectus cùm* S. Bernardum *admiſerit; manifeſtum eſt, errare eos, ſi qui putant eumdem ſanctum Patrem Ordinis Ciſtercienſis fundatorem fuiſſe.*

CAPUT III.

Ingreſſus in Ordinem Ciſtercienſem; virtutes; naturæ dotes; mirus in ſacra Scriptura progreſſus; ars metendi; præfectura Claravallenſis.

IV. *Fit monachus Ciſterc., cum ſociis, quorum uxoribus conditur parthenon:* * *al.* XXII

ANno ab Incarnatione Domini MCXIII, à conſtitutione domus Ciſtercienſis XV, ſervus Dei Bernardus annos natus circiter XXIII *, Ciſtercium ingreſſus, cum ſociis ampliùs quàm XXX, ſub abbate Stephano, ſuavi jugo Chriſti collum ſubmiſit. Ab illa autem die dedit Dominus benedictionem, & vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum ſuum, extendens palmites ſuos uſque ad mare, & ultra mare propagines ſuas. C [Quia verò ex prædictis ſociis ejus, uxorati aliqui fuerant, & uxores quoque cum viris idem votum ſacræ converſationis inierant: per ipſius ſollicitudinem ædificatum eis cœnobium ſanctimonialium feminarum, quod Julleium *a* dicitur, in Lingonenſi parochia, Domino cooperante, magnificè ſatis excrevit, uſque hodie religionis opinione celeberrimum, & perſonis ac poſſeſſionibus dilatatum: ſed & propagatum jam per loca alia, & non ceſſans adhuc ampliorem facere fructum.] Hæc quidem fuêre Viri Dei converſionis ſancta principia. Converſationis autem ejus inſignia, quomodo vitam angelicam gerens in terris vixit, neminem enarrare poſſe puto, qui non vivat de ſpiritu, de quo ille vixit. Solius quippe donantis & accipientis eſt, noſſe quantum ab ipſo mox converſionis exordio prævenerit eum Dominus in benedictionibus dulcedinis ſuæ; quantâ repleverit gratiâ electionis; quomodo ab ubertate domus ſuæ inebriaverit eum. A. GUILLELMO.

a 22 Ingreſſus eſt autem domum illam pauperem ſpiritu, & eo adhuc tempore abſconditam ac penè nullam, intentione ibi moriendi à cordibus & memoria hominum, & ſpe deliteſcendi & latendi tamquam vas perditum, Deo aliter diſponente, & eum ſibi in vas electionis præparante, non ſolùm ad ordinem monaſticum confortandum ac dilatandum, ſed etiam ad nomen ſuum portandum coram regibus & gentibus, & uſque ad extremum terræ. Ipſe verò nil tale de ſe æſtimans aut cogitans, potiùs ad cuſtodiam ſui cordis, & propoſiti conſtantiam, hoc ſemper in corde, ſæpè etiam in ore habebat: Bernarde, Bernarde, ad quid veniſti? Et ſicut de Domino legitur, quia cœpit Jeſus facere & docere: à prima die ingreſſus ſui in cellam novitiorum, ipſe cœpit agere in ſemetipſo, quod alios erat docturus. *modeſtia animi,*

23 Poſtmodùm enim cum Claræ-vallis *b* abbas eſſet ordinatus, adventantibus novitiis & feſtinantibus ingredi, audire eum ſoliti ſumus prædicantem ac dicentem: Si ad ea, quæ intus ſunt feſtinatis, hîc foris dimittite corpora, quæ de ſæculo attuliſtis. Soli ſpiritus ingrediantur, caro non prodeſt quidquam. Quod tamen novitiis ad novitatem verbi perterritis, parcens teneritudini eorum, clementiùs exponendo, carnalem concupiſcentiam prædicare ſolebat foris dimittendam. Ipſe cùm novitius eſſet, in nullo ſibi parcens, inſtabat omnimodis mortificare non ſolùm concupiſcentias carnis, quæ per ſenſus corporis fiunt, ſed & ſenſus ipſos, per quos fiunt. Cùm enim jam interiore ſenſu illuminati amoris dulciùs ac frequentiùs ſentire inciperet deſurſum ſpirantem ſibi ſuavitatem, ſenſui illi interiori timens à ſenſibus corporis, vix tantùm eis permittebat, quantum ſufficeret ad exterioris cum hominibus converſationis ſocietatem. Quod cùm continui uſus inſtantia in conſuetudinem mitteret, conſuetudo ei ipſa quodammodo vertebatur in naturam: totuſque abſorptus in ſpiritum, ſpe tota in Deum directa, intentione ſeu meditatione ſpirituali totâ occupatâ memoriâ, videns non videbat, audiens non audiebat: nihil ſapiebat guſtanti, vix aliquid ſenſu aliquo corporis ſentiebat. Jam quippe annum integrum exegerat in cella novitiorum, cùm exiens inde ignoraret adhuc, an haberet domus ipſa teſtudinem, quam ſolemus dicere cælaturam. Multo tempore frequentaverat intrans & exiens domum eccleſiæ, cum in ejus capite, ubi tres erant, unam tantùm feneſtram eſſe arbitraretur. Curioſitatis enim ſenſu mortificato, nil hujuſmodi ſentiebat; vel ſi fortè aliquando eum contingebat videre, memoriâ, ut dictum eſt, alibi occupatâ non advertebat. Sine memoria quippe ſenſus ſentientis nullus eſt. *ſtudium mortificationis, cuſtodia ſenſuum,* *b* E F

24 Natura quoque in eo non diſſentiebat à gratia, ut in eo quoque quodammodo impletum videretur eſſe, quod legitur, Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam: & cùm magis eſſem bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Ad contemplanda quippe ſpiritualia quæque ſeu divina, cum gratia ſpirituali, naturali quadam virtute pollebat ingenii, ſortituſque etiam in hoc erat animam bonam, ſenſualitatem non curiosè laſcivam, nec ſuperbè rebellem, ſed congaudentem ſpiritualibus ſtudiis, & in eis, quæ ad Deum ſunt, ſponte ſubditam ſpiritui & ſervientem: corpus etiam nullius umquam contaminatum conſenſu flagitii: etſi neglectum minùs *, ſicut oportebat, curaretur, ad ſerviendum ſpiritui *naturæ dotes,*

* *al.* non nimis neglectum

A. GUILLELMO.

spiritui in servitio Dei aptissimum instrumentum. Sed cùm caro in eo ex dono prævenientis gratiæ, & adjutorio subsequentis naturæ, & usu bono spiritualis disciplinæ vix jam aliquid concupisceret adversus spiritum, hoc est, quod spiritum læderet, spiritus supra vires, supra virtutem carnis ac sanguinis, tanta adversus carnem concupiscebat, ut infirmum animal cadens sub onere usque in hanc diem non adjiciat ut resurgat. Quid enim dicam de somno, qui in ceteris hominibus solet esse refectio laborum & sensuum, aut mentium recreatio?

somni ac cibi parcitas:

25 Ex tunc usque hodie vigilat ultra possibilitatem humanam. Nullum enim tempus magis se perdere conqueri solet, quàm quo dormit, idoneam satis reputans comparationem mortis & somni: ut sic dormientes videantur mortui apud homines, quomodo apud Deum mortui dormientes. Unde etiam si quem fortè religiosum in dormiendo seu duriùs * stertentem audierit, seu minùs compositè jacentem viderit, patienter ferre vix potest, sed carnaliter eum seu sæculariter dormire causatur. In ipso namque tenuem victum
B tenuis somnus comitatur. In neutro enim ullam indulget corpori suo satietatem, nisi quòd in utroque sumpsisse aliquid sat ei est. Quantum enim ad vigilias, vigiliarum ei modus est, non totam noctem ducere insomnem. Porrò ad comedendum usque hodie vix aliquando voluptate trahitur appetitûs, sed solo timore defectûs. Etenim comesturus, priusquam comedat, solâ cibi memoriâ satiatus est. Sic accedit ad sumendum cibum, quasi ad tormentum. A primo siquidem conversionis suæ anno, seu egressionis de cella novitiorum, natura ejus cùm teneræ nimis semper & delicatæ complexionis fuisset, jejuniis multis & vigiliis, frigore & labore, durioribus & continuis exercitiis attrita, corrupto stomacho, crudum continuò per os solet rejicere, quod ingeritur. Quod si quid naturali decoctione digestum transfunditur ad inferiora, ibi nihilo minùs partibus illis corporis non minoribus infirmitatum incommodis obsessis, non nisi cum gravi tormento egeritur. Si quid autem residuum est, ipsum est alimentum corporis ejus qualecumque, non tam ad vitam sustentandam, quàm ad differendam mortem. Semper autem post cibum quasi
C si pensare solitus est, quantum comederit. Si quando vel ad modicum mensuram solitam excessisse se deprehenderit, impunè abire non patitur. Sed & usus parsimoniæ sic ei in naturam versus est, ut, etsi aliquando corporalis sibi cujuslibet refectionis plus aliquid solito velit indulgere, vix possit.

** f.* diutius.

Spiritûs robur in corpore debili, labores, scientia Scripturæ,

26 Sic autem ab initio fuit inter novitios novitius, monachus inter monachos, spiritu validus, corpore infirmus, nil indulgentiæ circa corporis quietem seu refectionem, nil remissionis de communi labore vel opere fieri sibi aliquando acquiescens. Ceteros namque sanctos esse arbitrabatur & perfectos; se verò sicut novitium & incipientem, nequaquam emeritorum perfectorumque indulgentiis & remissionibus indigere, sed fervore novitio, & Ordinis districtione, & rigore disciplinæ. Propter quod communis vitæ seu conversationis ferventissimus æmulator, cùm opus aliquod manuum fratres actitarent, quod seu minor usus ei, seu imperitia denegabat, fodiendo, seu ligna cædendo, propriis humeris deportando, vel quibuslibet laboribus æquè laboriosis illud redimebat. Ubi verò vires deficiebant, ad viliora quæque opera con-
D fugiens, laborem humilitate compensabat. Et mirum in modum is, qui tantam contemplatione rerum spiritualium ac divinarum acceperat gratiam, circa talia non solùm occupari patiebatur, sed & plurimùm delectabatur. Sed mortificata, ut dictum est, sensualitate, cujus seu curiositate, seu infirmitate in hujusmodi laborum corporalium distractionibus, perfectorum etiam quorumcumque mentes sæpè necesse est, etsi non intentione, certè memoria & cogitatione ab interiore unitate spiritus aliquam pati dissolutionem; ipse privilegio majoris gratiæ in virtute spiritûs simul & totus quodammodo exteriùs laborabat, & totus interiùs Deo vacabat: in altero pascens conscientiam, in altero devotionem. Laboris ergo tempore & intus orabat seu meditabatur absque intermissione exterioris laboris, & exteriùs laborabat absque jactura interioris suavitatis. Nam usque hodie quidquid in Scripturis valet, quidquid in eis spiritualiter sentit, maximè in sylvis & in agris meditando & orando se confitetur accepisse, & in hoc nullos aliquando se magistros habuisse, nisi quercus & fagos, joco illo suo gratioso inter amicos dicere solet.
E

peritia metendi cælitus obtenta.

27 Messis tempore fratribus ad secandum cum fervore & gaudio sancti Spiritus occupatis, cum ipse quasi impotens & nescius laboris ipsius, sedere sibi & requiescere juberetur, admodum contristatus, ad orationem confugit, cum magnis lacrymis postulans à Deo donari sibi gratiam metendi. Nec fefellit simplicitas fidei desiderium Religiosi. Continuò namque quod petiit, impetravit. Et ex illo die in labore illo præ ceteris peritum se esse cum quadam jucunditate gratulatur, tantò in hoc opere devotior, quantò se in hoc ipso facultatem ex solo Dei dono reminiscitur accepisse. Feriatus autem ab hujusmodi labore vel opere, jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum si se solitudo offerret, eâ utebatur: sin autem, ubicumque, seu apud se, seu in turba esset, solitudinem cordis ipse sibi efficiens, ubique solus erat. Canonicas autem Scripturas simpliciter & seriatim libentiùs ac sæpiùs legebat; nec ullis magis quàm ipsarum verbis eas intelligere se dicebat: & quidquid in eis divinæ sibi elucebat veritatis aut virtutis, in primæ sibi originis suæ fonte magis quàm in decurrentibus expositionum rivis sapere testabatur. Sanctos tamen & orthodoxos earum expositores humiliter legens, nequaquam eorum sensibus suos sensus æquabat, sed subjiciebat formandos: & vestigiis eorum fideliter inhærens, sæpè de fonte, unde illi hauserant, & ipse bibebat. Inde est quòd plenus Spiritu, quo omnis sancta Scriptura divinitus est inspirata, tam confidenter & utiliter eâ usque hodie, sicut Apostolus dicit, utitur ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum. Et dum prædicat verbum Dei, quidquid de ea affert in medium, sic patens & placens efficit, & circa id, unde agitur, efficax ad movendum, ut mirentur omnes tam sæculari quàm spirituali prædíti doctrina, in verbis gratiæ, quæ procedunt de ore ejus *c*.
F

c

Mittitur ad Claramvallem; loci situs, ac paupertas; d e

28 Cùm autem complacuit ei, qui eum segregavit à sæculo & vocavit, ut ampliore gratia revelaret in eo gloriam suam, & multos filios Dei, qui erant dispersi, per eum congregaret in unum; misit in cor abbatis Stephani ad ædificandam *d* domum Claræ-vallis mittere fratres ejus *e*. Quibus abeuntibus ipsum etiam domnum Bernardum præfecit abbatem, mirantibus sanè illis tamquam maturis & strenuis tam in religione quàm

v.

A quàm in ſeculo viris, & timentibus ei tum pro tenerioris ætate juventutis, tum pro corporis infirmitate, & minori uſu exterioris occupationis. Erat autem Claravallis locus in territorio Lingonenſi, non longè à fluvio Alba *f*, antiqua ſpelunca latronum: quæ antiquitus dicebatur Vallis abſinthialis, ſeu propter abundantis ibi abſinthii copiam, ſeu propter amaritudinem doloris incidentium ibi in manus latronum. Ibi ergo in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis conſederunt viri illi virtutis, facturi de ſpelunca latronum templum Dei, & domum orationis. Ubi ſimpliciter aliquanto tempore Deo ſervierunt in paupertate ſpiritûs, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in vigiliis multis. Pulmentaria ſæpius ex foliis fagi conficiebant. Panis inſtar prophetici illius ex hordeo, & milio, & vicia erat, ita ut aliquando religioſus vir quidam appoſitum ſibi in hoſpitio, ubertim plorans clàm aſportaverit, quaſi pro miraculo omnibus oſtendendum, quòd inde viverent homines, & tales homines.

f Alba (l' Aube) fluvius Galliæ, qui oritur in limite Burgundiæ, deinde per Campaniam provinciam fluens, Barrum rigat; hinc auctus aliquot fluviis, in Sequanam ſe exonerat ſupra oppidum Pontem ad Sequanam dictum; dicitur-que etiam & meliùs Albula, *ut ſcribit Baudrandus. Ceterùm ulteriorem Claravallenſis monaſterii notionem jam deſignabam ſuprà lit.* b. A. GUILLELMO.

B *virtutes Sancti, ac viſio de Claravallis incremento.*

29 At Virûm Dei minùs iſta movebant. Summa ei ſollicitudo de ſalute multorum, quæ à prima die converſionis ſuæ uſque ad hoc tempus tam ſingulariter ſacrum illud pectus noſcitur poſſidere, ut erga omnes animas maternum gerere videatur affectum. Erat ergo vehemens in præcordiis ejus, ſancti deſiderii, & ſanctæ humilitatis conflictus. Modò enim ſeipſum dejiciens, fatebatur indignum, per quem fructus aliquis proveniret: modò oblitus ſui, æſtuabat flagrantiſſimo ardore, ut nullam niſi ex multorum ſalute conſolationem poſſe admittere videretur. Sanè fiduciam caritas pariebat, ſed eamdem caſtigabat humilitas. Contigit autem inter hæc, ut aliquando temperiùs ſolito ſurgeret ad vigilias. Quibus peractis cùm uſque ad matutinas laudes aliquantò longius ſupereſſet noctis intervallum, egreſſus foras, & loca vicina circumiens, orabat Deum, ut acceptum haberet obſequium ſuum, & fratrum ſuorum: & in eo, quod diximus, ſpiritualis fructus deſiderio conſtitutus, ſubitò ſtans in ipſa oratione modicè intercluſis oculis, vidit undique ex vicinis montibus tantam diverſi habitus & diverſæ conditionis hominum multitudinem in inferiorem vallem deſcendere, ut vallis ipſa capere non poſſet. Quod quid ſignificaverit, jam omnibus manifeſtum eſt. Hac igitur Vir Domini viſione magnificè conſolatus, exhortatus eſt etiam fratres ſuos, commonens eos de miſericordia Dei numquam deſperare.

C

ANNOTATA.

a *Mabillonius*, Aliis, *inquit*, Juliacum, vulgò Juilly, quem locum Milo Barri Comes cœnobio Moliſmenſi conceſſit " ut religioſis de-„ ſerviret feminis ſub ordinatione Moliſmenſis „ abbatis: quibus ad regimen ſui, tam corpo-„ rum, quam animarum, quatuor deputati e-„ rant monachi per abbatem Moliſmenſem „. Hæc acta ſub Guidone abbate ſub annum MCXV; ad quem Bernardi epiſtola 80, ex charta apud Chiffletium.

b *Monaſterium hoc pluribus elucidatum eſt in Commentario noſtro* § 5, *num.* 55 *& ſeqq.*

c *De Sancti doctrina adiſis ibidem paragràphum* 54.

d *A quo, & quando hoc monaſterium fuerit fundatum, ibidem dicitur* § 5, *à num.* 57.

e *Non hos tantùm; ſed alios etiam Claramvallem miſſos, dictum eſt ibidem num.* 51.

CAPUT IV.

Magna in rebus anguſtis erga Deum fiducia; ſtudium perfectionis; ſororis converſio; ordinatio abbatialis; cura valetudinis; diſciplinæ Religioſæ apud Claravallenſes vigor.

D E

VI. *Inopiæ Claravallenſi ſuccurrit Deus: ſanatur ægrotus:*

CUm verò ante inſtantem hiemem Gerardus frater ejus, cellarius domûs, apud eum duriùs quereretur, ad neceſſaria domûs & fratrum multa deeſſe, nec habere ſe unde ea coëmeret, & urgente neceſſitate jam nullam verborum reciperet conſolationem; res autem in promptu non eſſet, quæ daretur: Vir Dei, quantum interim ad præſentes anguſtias ſufficere poſſet, inquiſivit: ille verò undecim * libras reſpondit. Tunc dimittens eum, ad orationem confugit. Poſt paulum verò rediens Gerardus, mulierem quamdam de Caſtellione foris eſſe, & velle ei loqui nuntiavit. Ad quam cùm egrederetur, procidens ad pedes ejus eadem mulier duodecim librarum benedictionem ei obtulit, orationum ſuffragia implorans viro ſuo periculosè ægrotanti. Quam breviter allocutus dimiſit à ſe; Vade, inquiens, ſanum invenies virum tuum. Illa verò abiens in domum ſuam, ſicut audierat, ſic invenit. Abbas verò conſolans puſillanimitatem cellarii ſui, ad ſuſtinendum Dominum de cetero reddidit fortiorem. Nec tantùm ſemel hoc ei contigiſſe certum eſt, ſed ſæpè, cùm hujuſmodi neceſſitas inſtaret, repentè, unde non ſperabatur, auxilium ei à Domino affuiſſe *a*. Propter quod viri prudentes, intelligentes manum Domini eſſe cum eo, teneritudinem mentis ejus à deliciis paradiſi nuper egreſſi, rerum exteriorum ſollicitudine gravare cavebant, eas ipſi intra ſemetipſos, ut poterant, digerentes, & tantummodò de interioribus conſcientiis ſuis, & causâ animarum ſuarum eum conſulentes.

* *al.* duodecim

F *a*

ſermo Sancti angelicus ſummo cum perfectionis ſtudio conjunctus;

31 In quo tamen penè hoc eis contigit, quod filiis Iſraël legimus olim de Moyſe contigiſſe, cùm diu converſatus cum Domino in monte Sina, & de caligine nubis egrederetur & deſcenderet ad populum, ex colloquio Domini facies ejus cornuta appareret, & terribilis, adeo ut fugeret populus ab eo. Egreſſus enim Vir ſanctus à facie Domini, quâ in ſolitudine Ciſtercii, & ſublimioris altitudine contemplationis in ſilentio aliquamdiu fruitus erat, quaſi de cælo afferens inter homines miraculum quoddam conquiſitæ ſibi apud Deum pluſquam humanæ puritatis, homines, quos regere, & inter quos converſari veniebat, penè omnes à ſe abſterruit. Si quando namque de ſpiritualibus, & ædificatione animarum ſermonem ad eos habebat, loquebatur hominibus

A. GUILLELMO.

minibus linguâ angelorum, & vix intelligebatur. Maximè autem in his, quæ ad mores hominum pertinebant, ex abundantia cordis sui tam sublimia eis proponebat, tam perfecta exigebat ab eis, ut durus videretur sermo, in tantùm non capiebant, quæ dicebantur. Rursum cùm sigillatim eos audiret confitentes sibi, & semetipsos accusantes super diversis illusionibus cogitationum communium humanarum, quas nullus in carne vivens homo penitus vitare potest, hoc potissimum fuit, in quo luci illi ad tenebras illas conventio esse non potuit; scilicet quòd homines inveniebat, quos in hac parte angelos æstimabat. Angelicam enim magna ex parte degustans puritatem, & ex conscientia jam olim acceptæ à Deo gratiæ singularis, simpliciter præjudicans universæ conditioni humanæ fragilitatis, in tentationes seu inquinationes cogitationum harum nullum religiosum posse incidere, vel si incideret, verè religiosum non esse æstimabat.

quod moderatur ex submissione fratrum:

32 Sed viri verè religiosi & piè prudentes, & in prædicatione sermonum ejus venerabantur etiam, quæ non capiebant, & in confessionibus suis licet ad novum stuperent auditum, eo quòd seminarium quoddam desperationis præferre videretur infirmis: tamen juxta sententiam sancti Job, nefas putabant contradicere sermonibus Sancti, non excusantes, sed accusantes infirmitatem suam in conspectu Hominis Dei, in quo nemo vivens justificari potest in conspectu Dei. Unde factum est, ut fieret magistra magistri pia humilitas discipulorum. Cùm enim ad nutum arguentis humiliarentur qui arguebantur, cœpit etiam spirituali magistro adversus fratres humiles & subjectos zelus suus esse suspectus: in tantum, ut ipse jam potiùs accusaret ignorantiam suam, & defleret necessitatem, quod silere non liceret, cùm nesciret loqui: quòd non tam alta ad homines, quàm indigna hominibus loquendo læderet conscientias auditorum: quòd tam scrupulosè perfectionem à fratribus simplicibus exigebat, in quo se nondum inveniret ipse perfectum. Cogitabat namque eos multò meliora & viciniora saluti suæ in silentio suo meditari, quàm ab ipso audirent: devotiùs & efficaciùs salutem suam operari, quàm ex ejus exemplo acciperent: ex prædicatione verò ejus scandalizari potiùs, quàm aliquid concipere ædificationis.

B

C

visione divina excitatur ad docendum:

33 Cumque super hoc vehementiùs turbaretur & contristaretur, & diversæ cogitationes ascenderent in cor ejus: post multos cogitationum flexus, & cruciatus cordis, decrevit ab exterioribus omnibus ad interiora sua recolligere se, ibique in solitudine cordis & secreto silentii continere, & præstolari Dominum, donec quocumque modo misericordiæ suæ super hoc ei suam revelaret voluntatem. Nec tardavit misericordia Dei auxilium in tempore opportuno. Paucis siquidem evolutis diebus vidit in visu noctis puerum caritate quadam divina astantem sibi, & magna auctoritate præcipientem fiducialiter loqui quidquid ei suggereretur in apertione oris sui: quoniam non ipse esset, qui loqueretur, sed Spiritus, qui loqueretur in eo. Et ex tunc manifestiùs in eo & per eum loquens Spiritus sanctus, & sermonem ei potentiorem & sensum in Scripturis abundantiùs suggerens in apertione oris ejus, apud auditores quoque ei gratiam addidit & auctoritatem, & intellectum super egenum & pauperem, peccatorem pœnitentem, & veniam postulantem.

34 Cumque jam aliquatenus didicisset inter homines conversari, & humana agere & tolerare, jamque inter fratres suos & cum eis incipere frui fructibus conversionis suæ, pater quoque, qui solus domi remanserat, veniens ad filios suos, apposítus est ad eos. Qui cùm aliquantum tempus ibi fecisset, obiit in senectute bona *b*. Soror *c* quoque eorum in seculo nupta, & seculo dedita, cùm in divitiis seculi periclitaretur, tandem aliquando inspiravit ei Deus, ut fratres suos visitaret. Cumque venisset quasi visura venerabilem Fratrem suum, & adesset cum comitatu superbo & apparatu, ille detestans & execrans eam, tamquam rete diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquievit exire ad videndum eam. Quod audiens illa, confusa & compuncta vehementer, cùm ei nullus fratrum suorum occurrere dignaretur, cùm à fratre suo Andrea, quem ad portam invenerat monasterii, ob vestium apparatum stercus involutum argueretur, tota in lacrymas resoluta, Etsi peccatrix sum, inquit, pro talibus Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, idcirco consilium & colloquium bonorum requiro. Et si despicit Frater meus carnem meam, ne despiciat Servus Dei animam meam. Veniat, præcipiat: quidquid præceperit, facere parata sum.

D

pater ejus in Claravalle suscipitur; non item soror ad visitandos fratres: b c

E

35 Hanc ergo promissionem tenens exiit ad eam cum fratribus suis Frater ejus. Et quia eam separare à viro non poterat, primo verbo omnem ei mundi gloriam in cultu vestium, & in omnibus sæculi pompis & curiositatibus interdixit; formam vitæ matris suæ, in qua multo tempore vixit cum viro, ei indixit, & sic eam à se dimisit. Illa verò obedientissimè parens præcepto, rediit ad propria, mutata repentè secundum omnipotentiam dexteræ Excelsi. Stupebant omnes, adolescentulam nobilem, delicatam, subita mutatione in habitu & victu, in medio sæculi vitam ducere eremiticam: instare vigiliis & jejuniis, & continuis orationibus, & ab omni seculo prorsus se facere alienam. Biennio postea sic vixit cum viro suo: illo sanè, secundo maximè anno, dante Deo honorem, nec temerare ulteriùs præsumente templum Spiritus sancti. Qui etiam tandem virtute ejus perseverantiæ victus, liberamque à se dimittens juxta ritum Ecclesiæ, facultatem ei concessit serviendi Deo, cui se probavit. Illa verò optata libertate potita, monasterium Julleium adiens, cum sanctimonialibus inibi Deo servientibus reliquum vitæ suæ Deo vovit: ubi tantam ei Dominus gratiam contulit sanctitatis, ut, non minùs animo quàm carne, illorum probaretur virorum Dei esse germana.

vivendi formam à S. Bernardo accipit, & mirè convertitur ab eo.

F

VII.

Consecratur abbas ab episcopo Catalaunensi; d e

36 Cùm autem missus noviter Claram-vallem Bernardus ordinandus *d* esset in ministerium, ad quod assumptus erat, & sedes Lingonensis vacaret, ad quam ordinatio ipsa respiciebat: quærentibus fratribus, quo eum ducerent ordinandum, citò de proximo se obtulit bona fama venerabilis Catalaunensium episcopi opinatissimi illius magistri Guillelmi de Campellis *e*, illucque eum transmittendum esse diffinitum est. Sicque factum est. Abiit autem Catalaunum, assumpto secum Elboldone monacho quodam Cistercienſi. Intravit ergo prædicti episcopi domum juvenis exesi corporis & moribundi, habitu quoque despicabilis, subsequente monacho seniore, & magnitudine & robore corporis eleganti, aliis ridentibus, aliis irridentibus, aliis rem, sicut erat, interpretando venerantibus. Cùm autem quæreretur, quis eorum esset abbas, episcopus primus oculos in eum apertos habens agnovit Servum

A vum Dei, & ſuſcepit eum ſicut ſervus Dei. Cùm enim primò in privato colloquio omni meliùs locutione prudentiam juvenis magis magiſque proderet verecundia loquendi, intellexit vir ſapiens divinam viſitationem in adventu hoſpitis ſui. Nec defuit hoſpitalitatis pia inſtantia, donec uſque ad familiarem fiduciam & libertatem loquendi producto colloquio ad alterutrum, jam meliùs eum commendaret conſcientia ſua, quàm verba. Quid multa?

qui intimâ cum eo conjungitur amicitiâ.

37 Ex illa die, & ex illa hora facti ſunt cor unum, & anima una in Domino; in tantum, ut ſæpè alter alterum hoſpitem deinceps haberet, & propria eſſet domus epiſcopi Clara-vallis: Claræ-vallenſium verò efficeretur non ſola domus epiſcopi, ſed & per ipſum tota civitas Catalaunenſis. Quin etiam & Remenſis provincia & Gallia tota per eum in devotionem excitata eſt ad reverentiam Viri Dei. Ab illo ſiquidem tanto epiſcopo ceteri didicerunt ſuſcipere eum, & revereri tamquam angelum Dei, ita ut hujus temporis præſenſiſſe in eo gratiam videatur homo tantæ auctoritatis, ſic affectus erga ignotum monachum, & monachum tantæ humilitatis. Modico

B verò pòſt tempore tranſacto, cùm eouſque infirmitas Abbatis ingraveſceret, ut jam non niſi mors ejus, aut omni morte gravior vita ſperaretur, ab epiſcopo viſitatus eſt. Cumque viſo eo epiſcopus ſe non ſolùm vitæ ejus, ſed & ſanitatis ſpem habere diceret, ſi conſilio ejus acquieſcens, ſecundùm infirmitatis ſuæ modum aliquam corpori ſuo curam pateretur impendi: ille verò à rigore vel uſu conſuetudinis ſuæ minùs facilè flecti poſſet, profectus epiſcopus ad capitulum Ciſtercienſe, ibi coram pauculis abbatibus, qui convenerant, pontificali humilitate, & ſacerdotali caritate toto corpore in terram proſtratus, petiit & obtinuit, ut tantum anno uno in obedientiam ſibi traderetur. Quid enim tantæ humilitati in tanta poſſet auctoritate negari? Reverſus itaque Claram-vallem, extra clauſtra & terminos monaſterii domunculam unam ei fieri præcepit, ordinans & mandans in cibo vel potu, ſive in aliquo ejuſmodi circa eum nullam ibi teneri Ordinis diſtrictionem, nullam de tota cura domûs ad eum referri ſollicitudinem; ſed ſini * eum vivere ſecundùm modum ab eo præſtitutum.

* *al.* ſibi

C *A Guillelmo abbate S. Theoderici inviſitur, dum ægrotaret;*

38 Eodem tempore & ego Claram-vallem, ipſumque frequentare cœpi. Quem cùm ibi cum quodam abbate altero viſitarem, inveni eum in ſuo illo tugurio, quale leproſis in compitis publicis fieri ſolet. Inveni autem ex præcepto, ut dictum eſt, epiſcopi & abbatum feriatum ab omni ſollicitudine domûs tam interiori quàm exteriori, vacantem Deo & ſibi, & quaſi in deliciis paradiſi exſultantem. Ingreſſuſque regium illud cubiculum, cùm conſiderarem habitationem & habitatorem, tantam mihi, Deum teſtor, domus ipſa incutiebat reverentiam ſui, ac ſi ingrederer ad altare Dei. Tantâque affectus ſum ſuavitate circa hominem illum, tantoque deſiderio in paupertate illa & ſimplicitate cohabitandi ei, ut, ſi optio illâ die mihi data fuiſſet, nil tam optaſſem, quàm ibi cum eo ſemper manere ad ſerviendum ei. Cumque & ipſe viciſſim nos cum gaudio ſuſcepiſſet, & quæreremus, quid ageret, quomodo ibi viveret, modo illo ſuo generoſo arridens nobis, Optimè, inquit. Ego, cui hactenus homines rationabiles obediebant, juſto Dei judicio irrationali cuidam beſtiæ datus ſum ad obediendum. Dicebat autem de quodam homine ruſticano & vano, nihil prorſus ſciente, ipſumque ab infirmitate, quâ laborat, curaturum ſe jacitante, cui ad obediendum ab epiſcopo & abbatibus & fratribus ſuis traditus erat. Ibique cum eo manducantes, cùm arbitraremur hominem tam infirmum, tantæque providentiæ commiſſum, ſicut oportebat, procurandum, & videremus ei, agente medico illo ſuo, offerri cibos, quos ſanus quis vix præ anguſtia famis attingeret, videbamus & tabeſcebamus, vix regulari ſilentio nos cohibente, quin in illum quaſi ſacrilegum & homicidam irâ & contumeliis inſurgeremus. A. GUILLELMO.

& egregia patientiæ exempla præbet, ac videt transferendum monaſterium.

39 Ipſe autem, in quem hæc fiebant, indifferenter cuncta ſumens, æquè omnia approbabat, ſicut qui ſenſu ipſo corrupto, & penè emortuo ſapore, vix aliquid diſcernebat. Nam & ſanguinem crudum per errorem ſibi oblatum pro butyro multis diebus noſcitur comediſſe; oleum bibiſſe tamquam aquam: & multa talia contingebant ei. Solam quippe aquam ſibi ſapere dicebat, eo quòd, dum ſumeret, fauces & guttur ei refrigerabat. Sic ergo tunc eum inveni, & ſic habitabat in illa ſolitudine ſua Vir ille Dei. Sed non erat ſolus, cum quo erat Deus, & cuſtodia & conſolatio ſanctorum angelorum: quod etiam E manifeſtis indiciis demonſtratum eſt. Nocte enim quadam ſolito attentiùs orando effuderat ſuper ſe animam ſuam, cùm tenuiter ſoporatus voces audivit tamquam tranſeuntis multitudinis copioſæ. Evigilans autem, & eaſdem voces pleniùs audiens, cellam quoque, in qua jacebat, egreditur, & proſequitur abeuntes. Haud procul aberat locus denſis adhuc ſpinarum vepriumque frutetis abundans, ſed nunc longè mutatus ab illo. Super hunc aliquamdiu ſtabant velut alternantes chori hinc inde diſpoſiti, & Vir ſanctus audiebat & delectabatur. Cujus tamen myſterium viſionis non priùs agnovit, quàm tranſlatis poſt aliquot annos ædificiis monaſterii, eodem loco poſitum oratorium cerneret, ubi voces illas audiſſet. Manſi autem indignus ego cum eo paucis diebus, quocumque oculos vertebam mirans, quaſi cælos me videre novos, & terram novam, & antiquorum Ægyptiorum monachorum patrum noſtrorum antiquas ſemitas, & in eis noſtri temporis hominum recentia veſtigia.

Claræ-vallis aurea ſecula, religioſa vita, ſilentium, ſolitudo,

40 Erat enim tunc temporis videre Claræ- F vallis aurea ſæcula, cùm virtutis olim divites in ſeculo & honorati, tunc in paupertate Chriſti gloriantes, Eccleſiam Dei plantarent in ſanguine ſuo, in labore & ærumna, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in perſecutionibus, & contumeliis, & anguſtiis multis, præparantes Claræ-valli eam, quam hodie habet ſufficientiam & pacem. Neque enim ſe tam ſibi quàm Chriſto & fratribus inibi Deo ſervituris vivere æſtimantes, pro nihilo habebant quidquid ſibi deeſſet: dum relinquerent poſt ſe, quod illis ſufficeret & ad ſubſidium neceſſitatis, & ad aliquam conſcientiam voluntariæ pro Chriſto paupertatis. Primaque facie ab introëuntibus Claram-vallem per deſcenſum montis Deus in domibus ejus cognoſcebatur, cùm in ſimplicitate & humilitate ædificiorum, ſimplicitatem & humilitatem inhabitantium pauperum Chriſti vallis muta loqueretur. Denique in valle illa plena hominum, in qua nemini otioſum eſſe licebat, omnibus laborantibus, & ſingulis circa injuncta occupatis: media die mediæ noctis ſilentium à ſupervenientibus inveniebatur, præter laborum ſonitus, vel ſi fratres in laudibus Dei occuparentur. Porrò ſilentii ipſius ordo & fama tantam etiam apud ſeculares homines ſupervenientes ſui faciebat reverentiam, ut

A. GUILLELMO.

& ipſi non dicam prava vel otioſa, ſed aliquid etiam, quod ad rem non attineret, ibi loqui vererentur. Loci verò ipſius ſolitudo inter opaca ſilvarum, & vicinorum hinc inde montium anguſtias, in quo ſervi Dei latebant, ſpeluncam illam ſancti Benedicti patris noſtri quodammodo repræſentabat, in qua aliquando à paſtoribus inventus eſt: ut cujus imitabantur vitam, habitationem ejus ac ſolitudinis formam aliquam habere viderentur. Omnes quippe etiam in multitudine ſolitarii ibi erant. Vallem namque illam plenam hominibus ordinis ratione caritas ordinata ſingulis ſolitariam faciebat: quia ſicut unus homo inordinatus, etiam cùm ſolus eſt, ipſe ſibi turba eſt: ſic ibi unitate ſpiritûs & regularis lege ſilentii in multitudine hominum ordinata, ſolitudinem cordis ſui ſingulis ordo ipſe defendebat.

victus pertenuis:

41 Domibus verò & habitaculis ſimplicibus victus inhabitantium perſimilis erat. Panis non tam furfureus, quàm terreus videbatur, duris fratrum laboribus vix de terrâ deſerti illius ſterili productus: cætera quoque cibaria quæque vix erant aliquid ſaporis habentia; præterquàm quod
B fames ſeu amor Dei faciebat: ſed & ipſum novitii fervoris ſimplicitas ſibi tollebat, cùm quaſi venenum arbitrantes quidquid comedentem utcumque delectaret, recuſarent dona Dei propter gratiam, quam in eis ſentiebant. Cùm enim circa omne genus carnalis tolerantiæ cum adjutorio gratiæ Dei, ſtudium ſpiritualis Patris hoc in eis effeciſſet, ut plurima, quæ homini in carne conſtituto impoſſibilia priùs videbantur, jam non ſolùm conſtanter peragerent & ſine murmuratione, ſed etiam cum ingenti delectatione: ipſa delectatio aliam in eis pepererat murmurationem, eò periculoſiorem, quò eam æſtimabant quaſi remotiorem à carne, ſpiritui propinquiorem. Perſuaſum quippe habentes, & quaſi cum teſtimonio conſcientiæ ſuæ memoriæ fideliter commendatum, inimicam eſſe animæ omnem delectationem carnis, quidquid carnem cum qualibet delectatione nutrire videretur, fugiendum arbitrabantur. Quaſi enim per aliam viam reduci ſe putabant in regionem ſuam, cùm præ dulcedine amoris interioris, amara æquè ac dulcia delectabiliter edendo, delectabiliùs vivere ſibi viderentur in eremo, quàm priùs vixiſſent in ſæculo.

C *epiſc. Catalaun. indiſcretum fratrum zelum redarguit.* f

42 Cumque in hoc ſuſpectam aliquatenus haberent ſpiritualis Patris quotidianam correptionem *f*, quaſi carni eorum pluſquam ſpiritui deferentem, aliquando ad judicium prædicti Catalaunenſis epiſcopi, qui tunc fortè aderat, res delata eſt. Super quo vir ille potens in verbo, ſermonem ad eos aggreſſus, ad eum finem perduxit, ut omnem hominem, quicumque dona Dei recuſaverit propter gratiam Dei, inimicum eſſe gratiæ Dei, & Spiritui ſancto reſiſtere pronuntiaret. Adducta ſiquidem hiſtoria *g* de Eliſæo Propheta & filiis Prophetarum, cum eo in deſertis locis vitam eremiticam ducentibus, quomodo cùm aliquando ad horam refectionis ventum eſſet, amaritudo quædam mortis in olla decoctionis eorum inventa, per virtutem Dei, & miniſterium Prophetæ, per infuſionem farinulæ dulcorata eſt: Olla, inquit, illa prophetica, olla veſtra eſt, nil in ſe niſi amaritudinem habens: farina verò amaritudinem in dulcedinem convertens, gratia Dei operans eſt in vobis. Sumite ergo ſecuri, & cum gratiarum actione, quod cùm naturaliter minùs aptum fuerit uſibus humanis, ad hoc per gratiam Dei veſtris eſt uſibus aptatum, ut utamini & comedatis. In quo ſi inobedientes & increduli permanetis, reſiſtitis Spiritui ſancto, & D gratiæ ejus ingrati eſtis.

g

ANNOTATA.

a *Hoc patet ex Commentario prævio, quem vide § 6, à num. 63.*

b *Laudavimus eum ibidem § 2: de converſione ipſius ac die mortis adiſis § 7.*

c Humbelina *nomine; de qua noſter Commentarius ſuprà § 2 ſub initium; § 30 ibidem, & § 59 in parte 3 Chronologiæ Bernardinæ ad an.* 1141.

d *Quo anno ad dignitatem abbatialem Sanctus ſit promotus, indicatum eſt ſuprà § 5, num. 50: cur verò ab epiſcopo Lingonenſi conſecratus, § 6 in principio.*

e *Plura de hoc præſule notantur ibidem § 7.*

f *Sermone* 1 *in Epiphania Domini ſanctus Pater ſuper illis Apoſtoli verbis ad Titum cap.* 3 *v.* 4, Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei, *ita loquitur:* Gratias Deo, per quem ſic abundat conſolatio noſtra in hac peregrinatione, in hoc exſilio, in hac miſeria. Super his namque SÆPIUS VOS ADMONERE curamus, E ut numquam mente excidat, peregrinos nos eſſe *&c.*

g *Vide librum* 4 *Regum cap.* 4.

CAPUT V.

Vitæ ſeveritas; indefeſſus in afflicta valetudine labor; miracula; arrogantiæ periculum repreſſum.

VIII. *Magno vitæ rigori, adjungit Sanctus*

HÆc ergo fuit in tempore illo ſub abbate Bernardo & magiſterio ejus in clariſſima & cariſſima valle illa ſpiritualium ſchola ſtudiorum; hic fervor regularis diſciplinæ, omnia eo faciente & ordinante, & tabernaculum Deo in terris ædificante ſecundum exemplar, quod ei in monte oſtenſum eſt, cùm in ſolitudine Ciſtercienſi cum Deo in nube habitaret. Et utinam poſt rudimenta primæ converſationis, poſtquam didicit aliquatenus & conſuevit homo cum hominibus eſſe, & intelligere ſuper egenum & pauperem, compatiendo infirmitatibus hominum; utinam ſe circa ſemetipſum talem exhibuiſſet, qualem erga ceteros, tam benignum, tam diſcretum, tam ſollicitum! Sed continuò cùm ab annuæ illius obedientiæ vinculo ſolutus, & ſui juris effectus eſt, velut arcus diſtentus ad priſtinum rigorem, & ſicut torrens detentus & dimiſſus, ad prioris curſus conſuetudinem reverſus eſt, quaſi repetens à ſemetipſo pœnas diutinæ * illius quietis, & damna laboris intermiſſi. Videres hominem imbecillem & languidum conari & aggredi quæcumque vellet, minùs conſiderare quid poſſet, ſollicitum pro omnibus; circa ſeipſum negligentem; omnibus in omnibus aliis obedientiſſimum; ſed de ſeipſo vix aliquando ſeu caritati, ſeu poteſtati obedientem. Semper enim priora ſua nulla reputans, majora moliebatur ad non parcendum corpori, ad ſtudiis ſpiritualibus robur addendum, corpus ſuum variis infirmitatibus per ſe attenuatum, jejuniis inſuper & vigiliis ſine intermiſſione atterendo.

F

* *al.* diuſculæ.

44 Ora-

A *assiduam orationem, usum cilicii, ac tenuissimos cibos: unde corruptio stomachi:*

44 Orabat stans die noctuque, donec genua ejus infirmata à jejunio, & pedes ejus à labore inflati, corpus sustinere non possent multo tempore: & quamdiu occultum esse potuit, cilicio ad carnem usus est. Ubi verò sciri advertit, continuò illud abjiciens, ad communia se convertit. Cibus ejus cum pane lac, vel aqua decoctionis leguminum, vel pultes, quales infantibus fieri solent. Cetera vel ejus infirmitas non recipiebat, vel parsimoniæ studio ipse recusabat. Vino si quando utebatur, raro & nimis modico, cùm magis aquam & infirmitati suæ & appetitui competere testaretur. Sic autem affectus & confectus, à communi fratrum labore, seu diurno, seu nocturno, vix se aliquando patiebatur esse excusatum, seu ab occupationibus & laboribus ministerii sui. Videbant eum & conversationem ejus homines medici & mirabantur, tantamque vim eum in se ipso causabantur inferre naturæ, ac si agnus ad aratrum alligatus arare cogeretur. Nam cùm crebra illa ex corruptione stomachi per os ejus indigestæ cruditatis eruptio aliis inciperet esse molestior, maximè autem in choro psallentium, non tamen illico collectas fratrum deseruit; sed juxta locum stationis suæ procurato ac effosso in terra receptaculo, doloris illius sic aliquamdiu, prout potuit, necessitatem illam transegit. At ubi ne hoc quidem permisit intolerantia rei, tunc demum collectas deserere, & seorsum secum habitare compulsus est, nisi quantum sive collocutionis, sive consolationis gratiâ, sive disciplinæ claustralis necessitate, conventui eum fratrum aliquando oportebat interesse.

B

Separatur à suis subditis; infirmus quidem, sed ad magna quælibet à Deo electus.

45 Et hæc fuit tristis illa necessitas, quâ primò sancta illa fraternitas, sanctæ illius paternitatis jugi consortio carere posse coacta est. In quo dolemus quidem & plangimus infirmitatis ejus tristem effectum, sed sancti desiderii & spiritualis fervoris affectum veneramur. Quamquam nec infirmitatis ejus effectus usquequaque plangendus sit & dolendus. Quid enim si voluit sapientia Dei per infirma potiùs hominis illius tot tantaque confundere fortia mundi hujus? Quid verò aliquando pro qualibet infirmitate ejus remansit infectum, quod per eum, secundum datam sibi gratiam, fieri oporteret? Quis enim nostra ætate, quantumvis robusti corporis, & accuratæ valetudinis, tanta aliquando fecit, quanta iste fecit, & facit moribundus & languidus ad honorem Dei, & sanctæ Ecclesiæ utilitatem? Quantum postea numerum hominum verbo & exemplo traxit de sæculo, non solùm ad conversionem, sed ad perfectionem? Quantas ex eis per totum Christianum orbem constituit domos seu civitates refugii, ut quicumque peccaverint ad mortem, & æternæ mortis rei judicati fuerint, reminiscantur & convertantur ad Dominum, & confugiant ad eas, & salventur in eis? Quæ schismata Ecclesiæ *a* non sedavit? Quas non confudit hæreses? Quam pacem inter dissidentes ecclesias & populos non restituit? Et hæc quidem communia sunt. Ceterùm quæ bona innumeris hominibus sigillatim præstitit pro causa, pro persona, pro loco, pro tempore, quis enumeret?

C

a

Etiamsi ejus fervor aliorum exemplo possit excusari, eum tamen ipsemet incusat.

46 Porrò si nimietas in eo reprehenditur sancti fervoris, habet certè apud pias mentes excessus iste reverentiam suam: quia quicumque Spiritu Dei aguntur, multùm verentur in Servo Dei reprehendere nimium * istam nimietatem. Habet & facilem apud homines excusationem, cùm vix audeat quisque eum condemnare, quem Deus justificat, tam multa, tam sublimia cum eo & per eum operando. Felix, cui solùm reputatur ad culpam, quod ceteri præsumere sibi solent ad gloriam. Fuerit autem bono Juveni suspecta juventus sua, beatus quippe, qui semper est pavidus; fuerit ei studium tantam virtutum plenitudinem, quam habebat ex gratia, aliquâ etiam laboris sui conscientiâ cumulare. Sed & vita ejus, quæ omnibus proponebatur imitanda, frugalis continentiæ exemplo carere non debuit. In quo Servus Dei etsi nimietate forsitan excessit, piis certè mentibus non de nimietate, sed de fervore exemplum reliquit. Quid autem eum nitimur excusare, in quo ipse, qui veretur omnia opera sua, non confunditur usque hodie se accusare, sacrilegii arguens semetipsum, quòd servitio Dei & fratrum abstulerit corpus suum, dum indiscreto fervore imbecille illud reddiderit ac penè inutile? Sed convaluit de infirmitate, & infirmus fortior & potens factus est. Virtus namque Dei vehementiùs in infirmitate ejus refulgens, ex tunc usque hodie digniorem quamdam apud homines ei efficit reverentiam, & in reverentia auctoritatem, & in auctoritate obedientiam.

* *al.* nimiam

A. GUILELMO.

E

Ad bonum publicum ordinatur à Deo.

47 Jam tunc enim ad opus prædicationis divinitus aptabatur, ad quod, ut suprà dictum est *, ex utero matris suæ cum testimonio divinæ revelationis olim fuerat præsignatus. Nec tunc tantummodò, sed omni tempore conversionis, & subjectionis, & prælationis suæ, ipso ordinante, quo & agente, congruo ordine ad hoc instituebatur, & ignorans quid de se fieret, non solùm monastico, sed & omni ecclesiastico ordini in hoc præparabatur. Et primùm quidem circa resuscitandum in monastico Ordine antiquæ religionis fervorem, primitias juventutis suæ dedicavit, exemplo & verbo in conventu fratrum intra septa monasterii ad hoc omni studio vacans. Postmodum autem cùm ad alium vitæ & conversationis ordinem infirmitate corporis cogeretur, &, sicut dictum est, necessitas infirmitatis, & ordo necessitatis à communi eum conversatione conventûs plus solito sequestraret: hæc prima cœpit esse occasio, ut quasi hominibus de sæculo expositus, quorum jam ad eum multitudo magna confluebat, ipse etiam præsentiam suam liberiùs eis ac liberaliùs commodans, verbum vitæ prædicaret. Cumque & longiùs aliquando à monasterio pro causis Ecclesiæ communibus obedientiâ traheretur, & quocumque veniret, undecumque locuturus, de Deo silere non posset, & agere quæ Dei sunt non cessaret: sic in brevi apud homines innotuit, ut Ecclesia Dei tam utili membro in corpore suo reperto uti ad quodcumque oportebat non dissimularet. Sed & licèt à primo flore ineuntis ætatis, fructibus Spiritûs semper abundaverit; ab hoc tamen tempore copiosiùs ei addita est, sicut Apostolus dicit, manifestatio Spiritûs ad utilitatem, sermo scilicet fœcundior sapientiæ ac scientiæ cum gratia prophetiæ, operationes virtutum, & diversarum opitulationes sanitatum. Quorum quædam, quæ certa narratione didici, qua fide à fidelibus mihi viris assignata sunt, eadem & ipse legentibus resigno.

* cap. 1.

F

IX. *Varia*

48 Primum ergo signum hoc fuit, quod in manu Servi sui mundo celebre Christus effecit. Cùm aliquantos jam in Claravalle explesset annos, contigit virum nobilem, & ipsius quoque secundum carnem propinquum, Josbertum de Firmitate *b*, quod est oppidum proximum monasterio *c*, graviter infirmari. Qui subitò præoccupatus, amisit penitus intellectum pariter & loquelam. Unde & filius ejus Josbertus junior, & omnes simul

b *c*

A. GUILLELMO. amici, eò magis affligebantur dolore, quòd ſine confeſſione & viatico vir magnificus, & magnificè honoratus obiret. Cucurrit nuntius ad Abbatem; neque enim tunc in monaſterio erat. Venit, & invenit eum jam triduo ſic jacentem. Compaſſus autem homini, ſed & motus lacrymis filii ſimul & lugentium ceterorum, confiſus eſt de miſericordia Dei, & ſermonem magnificum protulit, dicens eis: Notum vobis eſt, quòd in pluribus homo iſte gravavit eccleſias, oppreſſit pauperes, offendit Deum. Si mihi creditis, ut eccleſiis reſtituantur ablata, & uſurpatæ in gravamen pauperum conſuetudines dimittantur, loquetur adhuc, & ſuorum confeſſionem faciet delictorum, divina quoque ſuſcipiet Sacramenta devotus.

miracula 49 Mirantur omnes, lætatur filius, familia omnis exſultat: quidquid præcipit Homo Dei, firmiter ei promittitur & impletur. Cæterùm frater ejus Gerardus, & Galdricus avunculus, non parum territi & turbati, ſecretiùs eum ſuper tali promiſſione conveniunt, duriùs arguunt, acriùs invehuntur. Quibus breviter ſimpliciterque reſpondens, Facile, inquit, facere poteſt Deus, B quod difficile credere vos poteſtis. Itaque poſt ſecretam orationem, ad oblationem Sacrificii immortalis accedit. Quo offerente nuntius ſupervenit, qui indicaret præfatum Josbertum liberè jam loquentem rogare obnixiùs, ut Vir Dei feſtinaret ad eum. Cui etiam poſt oblatum Sacrificium venienti, cum lacrymis & gemitu peccata confeſſus, divina Sacramenta ſuſcepit: & duobus poſt hæc aut tribus diebus vivens, & loquens, ea maximè, quæ præceperat Abbas ſanctus, conſtituit ſine ulla retractatione ſervari. Sed & diſpoſuit domui ſuæ, & eleemoſynas dedit, & ſic demum Chriſtiano more in bona ſpe miſericordiæ Dei animam exhalavit.

quæ fecit, 50 Revertebatur aliquando Pater ſanctus à pratis, & obviam habuit mulierem, parvulum filium in brachiis deportantem, quem de longè attulerat ad eum, ab utero matris habentem manum aridam & brachium tortum. Motus autem lacrymis matris & precibus juſſit puerum deponi, factaque oratione continuò ſignans puerum, & brachium, & manum ejus, dixit mulieri, ut vocaret filium ſuum. Vocavit illa infantem, & C ille accurrit, & utroque brachio amplexatus matrem ſuam, ſanus factus eſt ex ea hora.

elationis periculum ab eo arcentibus amicis, 51 Erant autem hujus beati Viri fratres & filii ſpirituales mirantes ſuper his, quæ audiebant & videbant de eo. Nec tamen more carnalium in gloriam elevabantur humanam, ſed juvenili ejus ætati, & novæ adhuc converſationi, ſpirituali ſollicitudine metuebant. In quo nimirum zelo Galdricus avunculus ejus, & Guido primogenitus fratrum, ceteros anteibant, ut ipſos tamquam geminos quoſdam ſtimulos carnis ſuæ, ne gratiarum magnitudo eum extolleret, accepiſſe divinitus videretur. Neque enim parcebant, verbis durioribus exagitantes teneram verecundiam ejus, calumniantes etiam bene geſta, ſigna omnia annihilantes, & hominem manſuetiſſimum nihilque contradicentem, frequenter uſque ad lacrymas improperiis & opprobriis affligentes. Narrare ſolet venerabilis epiſcopus Lingonenſis Godefridus, ſancti Viri & propinquus ſanguine, & converſione ſocius, & ex tunc per omnia individuus comes, primo miraculo, quod per manus ejus fieri vidit, prædictum germanum ejus affuiſſe Guidonem. Erat enim eis tranſitus per caſtrum d Nantonis *d* in territorio Senonum, & juvenis quidam, cujus pedem fiſtula occupaverat, prædicti D Patris tactum, & benedictionem cum multa ſupplicatione petebat. Signatus autem ſtatim convaluit: & poſt pauciſſimos dies regreſſi per idem oppidum, ſanum eum atque incolumen invenerunt. Cæterùm ſæpedictus beati Viri frater ne ipſo quidem poterat compeſci miraculo, quo minùs increparet eum, & præſumptionis argueret, quòd acquieverit tangere hominem: tanta ſiquidem caritate pro eo ſollicitus erat.

commemorantur: quibus adde notitiam 52 Circa idem tempus accidit, ut avunculus ejus Galdricus, qui & ipſe zelo ſimili ejus manſuetudinem (ſicut prædiximus) duris increpationibus obruebat, graviſſimis febribus laboraret. Demum, ingraveſcente morbo, ipſa doloris magnitudine ſuperatus Abbatem humili obſecratione compellat, ut ſui miſereatur, & opem ſibi ferat, quam ceteris conſuevit. At ille, cujus ſpiritus ſuper mel dulcis, primùm leniter breviterque commemorans crebras ſuper hujuſmodi objurgationes ipſius, & imponens ei, ne fortè hæc diceret tentans eum, perſiſtenti tandem * manum * *al.* tamen imponit, & febrem abſcedere jubet. Nec mora, ad imperium ejus reliquit eum febris, expertum in ſemetipſo, quod in ceteris arguebat. Idem E quoque Galdricus cùm in Clara-valle aliquantos jam perageret annos fervens ſpiritu & totius boni æmulator, ex hac luce migravit *e*. Qui ante unam fere horam mortis turbatus ad momentum, & toto corpore terribiliter motus infremuit: ſed ad priſtinam ſerenitatem reverſus, vultu deinceps placidiſſimo exſpiravit. Noluit autem Dominus ſollicitum Abbatis animum hujus rei cognitione fraudari. Siquidem poſt aliquot dies idem Galdricus apparens ei in viſu noctis, cùm omnia erga ſeſe proſpera eſſe ſciſcitanti reſponderet, & in magna ſeſe gratularetur felicitate locatum, demum interrogatus eſt, quidnam ſibi voluerit tam acerba illa in morte tamque repentina commotio. Dicebat autem, quòd ea hora duo ſpiritus nequam velut in puteum horrendæ profunditatis eum præcipitare paraſſent: unde territus ita contremuit, ſed beato Petro accurrente ereptus nihil ſenſit deinceps læſionis.

ſtatûs mortuorum, & opem eis latam, 53 Longum eſſet cuncta narrare, quæ ſuper his, qui ex hac vita diſceſſerant, & eorum felicitate ſeu etiam neceſſitate, divina ei gratia revelare ab ipſis initiis conſuevit *f*. Unum tamen dixerim, quod ob fratrum commonitionem aliF quoties etiam ipſe commemorat. Frater quidam bonæ intentionis, ſed durioris erga ceteros fratres converſationis, & minùs compatiens, quàm deberet, in monaſterio defunctus eſt. Poſt paucos autem dies Viro Dei apparuit vultu lugubri, & habitu miſerabili, ſignificans non ad votum ſibi cuncta ſuccedere. Interrogatus autem, quid ſibi eſſet, quatuor lacertis * ſeſe traditum quere- * *al.* dilaceratis batur. Ad quod verbum continuò impulſus eſt, & quaſi præcipitanter expulſus à facie Viri Dei. Qui graviùs ingemiſcens poſt tergum ejus clamavit: Præcipio tibi in nomine Domini, ut qualiter tecum agatur, in proximo mihi iterum innoteſcas. Et converſus ad orationem pro eo, & oblationem Hoſtiæ ſalutaris, aliquos etiam fratrum, quorum ampliorem noverat ſanctitatem, eidem ſimiliter ſubvenire monebat. Nec verò deſtitit, donec poſt paucos dies, ſicut præceperat, per aliam revelationem cognita ejus liberatione meruit conſolari.

& alia 54 [Vir reverendiſſimus Humbertus, Ignia- *g* cenſis *g* poſtea cœnobii ædificator, & primus pater, in Claravalle tam acriter morbo epilepſiæ labora-

A laborabat, ut ſepties corruens una die, demum etiam cerebro turbato, vix multorum manibus fratrum colligatus in lectulo teneretur. Adveniens autem venerabilis Abbas, & ſic inveniens virum, quem pro ſua ſanctitate ſpeciali venerabatur affectu, repletus eſt zelo & ait: Quid facimus? Eamus: oremus. Ut autem ingreſſus oratorium genua flexit, prædictus vir inter manus tenentium obdormivit. Qui ſequenti die Dominica, de manu ejus Sacramenta ſuſcipiens, perfectam adeptus eſt ſoſpitatem, ut nihil umquam deinceps tale pateretur.]

erga vivos prodigia. h

55 Circa hoc tempus *h* in regno Galliæ, & finitimis regionibus fames invaluit: ſervorum autem ſuorum horrea Domini benedictio cumulavit. Siquidem uſque ad annum illum numquam eis laboris ſui annona ſuffecerat. Sed & tunc quoque poſt meſſem collectam, diligenter omnibus ſupputatis, vix uſque ad Paſcha ſibi eam poſſe ſufficere æſtimabant. Cum autem emere vellent, ſumptus non invenerunt, quòd longè cariùs ſolito venderetur. Itaque ipſo tempore quadrageſimali, pauperum ad eos maxima multitudo confluxit. Quibus erogantes fideliter quod habebant,

B Domino benedicente, ex modica illa annona uſque ad meſſem ipſi pariter, & qui ſuperveniebant pauperes, alacriter ſuſtentabantur. Virum pauperem non longè à monaſterio habitantem uxor adultera maleficiis cruciabat. Sicut enim ei in ira & furore fuerat comminata, egerat per malignas incantationes, ut miſer homo conſumptis carnibus nec poſſet mori, nec vivere fineretur. Sæpius denique & vocis uſum, & ſenſum omnem corporis amittebat, iterumque redibat non ad vitam, ſed ad mortem prolixiorem crudeliter revocatus. Adducitur tandem homo ad Virum Dei in monaſterio demorantem, & ei tragœdia miſerabilis explicatur. Qui vehementer indignans, antiqui hoſtis malitiam tantum ſibi in Chriſtianum hominem uſurpaſſe, vocans duos è fratribus, ante ſanctum altare hominem deportari, ibique ſuperpoſito capiti ejus vaſculo Euchariſtiam continente, in ipſius Sacramenti virtute, à læſione Chriſtiani jubet dæmonem prohiberi. Factum eſt, ut præcepit: & miſerum hominem poſt tantos cruciatus fides perfecta perfectæ reddidit ſanitati.

C

ANNOTATA.

a *Hinc in Commentario noſtro prævio § 63, num. 698 determinatum circiter eſt tempus, quo Guillelmus, hujus libri auctor, ſcribere eum cœperit; ibidem etiam videri poteſt alia temporis notatio.*

b Josbertum de Firmitate *nominavimus ſuperiùs ex hoc biographo, quando § 1, num. 10 egimus de nobilitate* S. Bernardi *ex linea materna.*

c Quod eſt oppidum proximum monaſterio *Claravallenſi, vulgò* la Ferté ſur Aube, *id eſt,* Firmitas ad Albulam, *& ſic diſtinguitur ab aliis locis ſynonymis in Gallia.*

d *Locum hunc ita deſcribit Baudrandus:* Caſtrum Nantonis, Chaſteau Landon, urbecula Galliæ in Inſula Franciæ & Vaſtinio agro, prope Fuſinum amnem, in colle 2 leucis à Nemoſio in meridiem, verſus Montargium 4, & 20 à Pariſiis etiam in meridiem: crevit autem ex ruinis Vellauduni in viciniis, & à quibuſdam recentioribus Caſtrum Landonis vocatur.

e *In Annalibus Ciſtercienſibus apud Manricum obitus ejus innectitur anno Chriſti* 1124, *ut ibidem cap. 2 licet videre, Locum Viro dedimus inter Prætermiſſos ad diem 17 Februarii.* A. GUILLELMO.

f *Locum hunc alio ſupplevimus exemplo in noſtro Commentario, quem lector conſulat § 12 à num. 123; & diximus, gratiam ſubveniendi defunctis, à ſancto Patre in filios derivatam fuiſſe.*

g *Vir ille inſignis pluribus illuſtratur in Commentario noſtro § 7.*

h *In Supplemento ſeu continuatione Chronici Sigeberti, ſub nomine Roberti de Monte edita, ad annum Domini* 1125 *lego iſta:* Fames permaxima graſſatur in Gallia, in qua Caroli inclyti marchionis Flandriæ liberalis enituit munificentia, qui innumerabilibus diverſis in locis pauperibus quotidiana miniſtrabat victûs ſtipendia. *Hæccine ſit fames illa, de qua loquitur noſter biographus, an alia, etiamſi certò mihi non conſtat; ratio tamen temporis præbet fundamentum ſuſpicandi, non eſſe opus, ut aliam inquiram. His tamen addi poſſunt, quæ narrantur in dicto Supplemento ad annum* 1126: Fames valida ubique, magna multitudine utriuſque ſexûs pereunte.

CAPUT VI.

E

Alia miracula; altercatio cum diabolo; valetudo per Deiparam Sancto reddita; Guillelmus biographus per eum ſanatus.

FRater Robertus, ejuſdem ſancti Viri monachus, & ſecundum carnem propinquus *a*, in adoleſcentia ſua quorumdam perſuaſione deceptus, Cluniacum *b* ſeſe contulerat. Venerabilis autem Pater poſteaquam aliquamdiu diſſimulavit, eumdem fratrem ſtatuit per epiſtolam revocare *c*. Quo dictante, venerabilis Guilielmus, Rievallis poſtea monaſterii primus abbas *d*, in membrana ſcribens, eamdem excipiebat epiſtolam. Erant autem ambo pariter ſub dio ſedentes: ad dictandum quippe ſecretiùs ſepta monaſterii egreſſi fuerant *e*. Subitò autem inopinatus imber erupit, & is qui ſcribebat (ſicut ipſo referente didicimus) chartam reponere voluit. Ad quem Pater ſanctus, Opus, inquit, Dei eſt: ſcribe, ne timeas. Scripſit ergo epiſtolam in medio imbre ſine imbre. Cùm enim undique plueret, chartam expoſitam virtus operuit caritatis, & quæ dictabat epiſtolam, ſchedulam quoque pariter conſervabat. Et hæc quidem epiſtola ob tam grande miraculum, in codice epiſtolarum ejus à fratribus *f* non immeritò prima eſt ordinata.

XI. *Epiſtola non made-facta ab imbre:* *a* *b* *c* *d* *e* F *f*

57 Agebatur ſolennitas quædam præcipua, & frater aliquis, quem pro ſecreta culpa ab altaris ſacri communione ſuſpenderat, notari timens & ruborem non ſuſtinens, ad manum ejus cum ceteris nimium præſumptuoſus acceſſit. Intuitus autem eum, quoniam cauſa latens erat, repellere hominem noluit, ſed intimo corde orabat Deum, ut de tanta præſumptione melius aliquid ordinaret. Itaque ſumens homo Euchariſtiam, non poterat ad interiora trajicere, & diu multumque conatus cùm nullo modo prævaleret, anxius & tremebundus clauſam ore ſervabat. Expletâ denique horâ orationis ſextâ, Patrem ſanctum traxit in partem, cujus pedibus advolutus, cum multis ei lacrymis quod patiebatur aperuit, & aperto

indignè communicans punitus:

ore

A. GUILELMO.

ore ipſam quoque Euchariſtiam oſtendebat. Increpans autem eum confitentem abſolvit, & ex eo ſine difficultate recepit Dominica Sacramenta *g*.

g

58 In minimis etiam rebus magna per eum novimus contigiſſe. Venerat aliquando Fuſniacum *h*, quæ eſt abbatia una de primis, quam ipſe ædificavit, in Laudunenſi territorio. Cumque novi ibidem oratorii dedicatio pararetur, ita illud occupaverat muſcarum incredibilis multitudo, ut earum ſonitus, improbuſque diſcurſus, gravem nimis introëuntibus moleſtiam generaret. Nullo igitur occurrente remedio, dixit Sanctus, Excommunico eas, & manè omnes pariter mortuas invenerunt. Cumque pavimentum omne operuiſſent, palis ejicientes eas, ita demum baſilicam mundaverunt. Hoc autem tam notum & tam celebre fuit, ut inter vicinos quoque, quorum ad dedicationem maxima multitudo convenit, muſcarum Fuſniacarum maledictio in parabolam verteretur.

muſcæ miro modo exſtinctæ:

h

59 In eo quoque monaſterio, cui Charus-locus *i* nomen eſt, puerum quemdam, qui inceſſanter flebat & ejulabat, Vir ſanctus oſculo ſanavit. Cum enim per multos dies ſine intermiſſione plorans, nullam reciperet conſolationem, quod genus morbi medici non ignorant, miſerabiliter deficiens tabeſcebat. Quem ſeorſum alloquens Pater ſanctus monebat, ut ſuorum confeſſionem faceret delictorum. Facta autem confeſſione, ſubitò vultum ſerenans, petiit à beato Patre ſibi oſculum dari. Acceptoque oſculo pacis ex ore Sancti, in omni protinus pace quievit, & lacrymarum fonte ſiccato lætus & incolumis eſt regreſſus ad propria.

puer oſculo ſanatus:

i

B

60 Exeunte aliquando Abbate poſt fratres reliquos ad laborem, filium claudum ei pater obtulit, ſupplicans, ut ei manum imponere dignaretur. Excuſabat autem ſe Vir Dei dicens, non ſe eſſe illius meriti, à quo talia deberent beneficia poſtulari: claudis reddere greſſum, Apoſtolicæ eſſe, non ſuæ virtutis. Victus tamen patris inſtantiâ, ſignavit puerum, ac dimiſit. Qui ex ea hora convaluit, & intra paucos dies ab eodem iterum patre cum multa gratiarum actione reductus, incolumis oblatus eſt Viro Dei.

claudus item puer curatus:

61 Divertit aliquando nobilium cohors militum ad Claram-vallem, ut viderent locum, ac ſanctum ejus Abbatem. Propè autem erat ſacrum Quadrageſimæ tempus, & illi omnes ferè juvenes dediti militiæ ſeculari, circumibant quærentes execrabiles illas nundinas, quas vulgò tornetas *k* vocant. Cœpit itaque ab eis petere, paucos illos, qui ante Quadrageſimam ſupererant, dies, ne armis interim uterentur. Quibus obſtinato animò ejus acquieſcere monitis renuentibus, Confido, ait, in Domino, quòd ipſe mihi dabit inducias, quas negaſtis. Et accerſito fratre, jubet eis cereviſiam propinari, benedicens eam & dicens, ut potionem biberent animarum. Biberunt ergo pariter, quidam tamen inviti præ amore ſæculi, metuentes eum, quem poſtea ſunt experti, divinæ virtutis effectum. Ut enim egreſſi ſunt monaſterii fores, mutuis ſeſe cœperunt inflammare ſermonibus, quia cor eorum ardens erat in eis. Inſpirante igitur Deo, & currente velociter verbo ejus, eâdem horâ reverſi, & converſi à viis ſuis, ſpirituali militiæ dextras dederunt. Quorum quidam adhuc militant Deo; quidam autem cum eo jam regnant, carnis vinculis abſoluti *l*.

milites repentè mutati & converſi:

C

k

l

62 Quid autem mirum, quòd devotis hunc hominem colit obſequiis major ætas, in cujus devotionem divina virtus ipſam quoque infantiam excitat expertem adhuc rationis, & devotionis ignaram? Norunt multi illuſtrem juvenem Waltherum de Monte-mirabili *m*, cujus patruus frater Waltherus *n* inter eos, quos prædiximus, milites, ſacram in Clara-valle militiam eſt profeſſus. Hunc ergo Waltherum juniorem, cum adhuc infantulus eſſet *, & necdum ab ortu ſuo menſem tertium expleviſſet, mater ſua benedicendum obtulit Viro Dei, gratulabunda & exultans, quòd in domo ſua hoſpitem mereretur habere tam ſanctum Virum. Cumque Vir Dei, ſicut ſemper & in omni loco facere conſueverat, de ſalute & ædificatione animarum ad circumpoſitos loqueretur, prædicti mater infantis tenens eum in gremio, ſedebat ſecus pedes ipſius. Accidit autem, ut inter loquendum aliquando manum protenderet: & apprehendere eam conabatur infantulus. Advertitur tandem conatus parvuli, cum ſæpiùs id feciſſet: & mirantibus univerſis datur ei facultas, ut manum poſſit apprehendere, quam optavit. Tum verò mirâ admodùm reverentiâ, alteram manum ſuam ſupponens, alterâ tenens eam, tulit ad os ſuum, & oſculatus eſt eam. Neque id ſemel tantùm, ſed toties faciebat, quoties beatam manum tenere permiſſus eſt.

D

ab infantulo apprehenſa manus, & oſculum eidem datum.

m

n

* *al.* eſſet, adhuc anniculus ſola poſſe cognoſcere ubera cognoſceretur, mater, *&c.*

E

63 Infirmabatur aliquando Homo Dei, & velut rivulus quidam phlegmatis inceſſanter ab ejus ore fluebat. Unde exhauſto corpore uſquequaque deficiens, paulò minùs ad extrema devenit. Convenerunt itaque filii & amici ejus velut ad exſequias tanti Patris: & ego ipſe inter ceteros adfui, quòd me quoque ejus dignatio in amicorum numero reputaret. Cumque extremum jam trahere ſpiritum videretur, in exceſſu mentis ſuæ ante tribunal Domini ſibi viſus eſt præſentari. Adfuit autem & ſatan ex adverſo improbis eum accuſationibus pulſans. Ubi verò ille omnia fuerat proſecutus, & Viro Dei eſſet pro ſua parte dicendum, nil territus aut turbatus, ait: Fateor, non ſum dignus ego, nec propriis poſſum meritis regnum obtinere cælorum. Ceterùm duplici jure illud obtinens Dominus meus, hereditate ſcilicet Patris, & merito paſſionis; altero ipſe contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vindicans, non confundor. In hoc verbo confuſus inimicus, conventus ille ſolutus, & Homo Dei in ſe reverſus eſt. Cumque ex hoc magis diſſolutionem ſui corporis imminere ſperaret, viſio altera longè diſſimilis eſt ſecuta.

XII. *Bernardus ad mortem uſque infirmatur; diabolum confundit:*

F

64 Siquidem velut in littore quodàm poſitus videbatur ſibi navem, quæ ſe tranſveheret, exſpectare, cumque applicuiſſet navis ad littus, feſtinabat ingredi, & illa cedens impingebat in aquam. Uſque tertiò ita faciens, tandem relicto eo navis ibat, & non revertebatur. Intellexit autem protinus, necdum tempus ſuæ migrationis adeſſe. Adhuc tamen creſcebat dolor, eò utique magis moleſtus, quò minùs jam eum ſpes imminentis exitus ſolabatur. Contigit autem, adveſperaſcente jam die, ut ceteris fratribus juxta conſuetudinem accedentibus ad lectionem collationum, ſolus Abbas cum duobus fratribus ſibi aſſiſtentibus remaneret in diverſorio, in quo jacebat. Cumque vehementiùs affligeretur, & ſupra vires dolor excreſceret, advocans alterum è duobus, jubet citiùs oratum ire. Excuſantem denique & dicentem, Non ſum ego talis orator; obedientiæ auctoritate compellit. Itum eſt & oratum ad altaria, quæ in eadem baſilica erant tria.

ex viſione diſcit nondum adeſſe tempus mortis, & à Deipara ſanatur;

Primum

A Primum in honore beatæ Dei Genitricis: duo circumpoſita in honore beati Laurentii martyris, & beati Benedicti abbatis. Eâdem igitur horâ adfuit Viro Dei prædicta beata Virgo, duobus illis ſtipata miniſtris, beato ſcilicet Laurentio, & beato Benedicto. Aderant autem in ea ſerenitate & ſuavitate, quæ eos decebat, & tam manifeſtè, ut ex ipſo introitu cellulæ, perſonas quoque diſcerneret ſingulorum. Imponenteſque ei manus, & loca doloris attactu piiſſimo lenientes, omnem protinus ægritudinem depulerunt. Siccatus eſt enim illico phlegmatis rivus, & dolor omnis abſceſſit.

Sicut etiam Guillelmus, hujus Vitæ auctor, o

65 Cum autem & ego ægrotarem aliquando in domo noſtra, & jam me nimiùm fatigaſſet, & attriviſſet in longum, nimiùm ſe protendens ægritudo; audiens hoc, miſit ad me fratrem ſuum, virum bonæ memoriæ Gerardum *o*, mandans me venire ad Claram-vallem, ſpondens me ibi citò aut curandum, aut moriturum. Ego verò quaſi divinitus accepta, vel oblata facultate, ſeu apud eum moriendi, ſeu aliquamdiu cum eo vivendi, (quorum quid maluerim tunc, ignoro)

B profectus ſtatim ſum illuc, quamvis cum nimio labore ac dolore. Ubi factum eſt mihi quod promiſſum fuerat, & fateor ſicut volui. Reddita quippe mihi ſanitas eſt à magna & periculoſa infirmitate; ſed paulatim vires corporis redierunt. Deus bone, quid mihi boni contulit illa infirmitas, feriæ illæ, vacatio illa, ex parte ad

r Apud Horſtium id quod

quod * volebam. Nam & cooperabatur neceſſitati meæ toto illo tempore infirmitatis meæ apud eum infirmitas ejus, quâ & ipſe tunc temporis detinebatur. Infirmi ergo ambo, tota die de ſpirituali phyſica animæ conferebamus; de medicamentis virtutum contra languores vitiorum. Ita-

p que tunc differuit mihi de Cantico canticorum *p*, quantùm tempus illud infirmitatis meæ permiſit, moraliter tantùm, intermiſſis myſteriis Scripturæ illius, quia ſic volebam, & ſic petieram ab eo, ſinguliſque diebus quæcumque ſuper hoc audiebam, ne mihi effugerent, ſcripto alligabam, in quantum mihi Deus donabat; & memoria me juvabat. In quo cùm benignè, & ſine invidia exponeret mihi, & communicaret ſententias intelligentiæ, & ſenſus experientiæ ſuæ, & multa docere niteretur inexpertum, quæ non niſi ex-

C periendo diſcuntur, etſi intelligere non poteram adhuc, quæ apponebantur mihi, plus tamen ſolito intelligere me faciebat, quid ad ea intelligenda deeſſet mihi. Sed de his hucuſque dixiſſe ſufficiat.

à S. Bernardo.

66 Cùm autem inſtante Dominicâ, quæ Septuageſima denominatur, veſpere ſabbati Dominicam ipſam præcedentis, jam tantùm convaluiſſem, ut valerem de lecto per me ſurgere, & ſolus exire, & intrare poſſem, cœpi diſponere de

q reditu noſtro ad fratres noſtros *q*. Quod ipſe auditum omnino prohibuit, & uſque ad Dominicam Quinquageſimæ omnem mihi ſpem reditûs, & conatum interdixit. Acquievi facilè, cùm, quod præcipiebatur, & voluntas non abnueret, & infirmitas requirere videretur. Cùm autem ultra Dominicam illam Septuageſimæ à carnibus, quibus uſque ad diem illam, ipſo præcipiente & neceſſitate cogente, veſcebar, vellem abſtinere; & hoc ipſum prohibuit. Super quo cùm nec monenti acquieſcerem, nec rogantem audirem, nec obedirem præcipienti, ſic veſpera illa ſabbati ab invicem diſceſſimus, ille tacitus ad Completorium; ego ad lectum. Et, ecce, infirmitatis meæ rabies rediviva, quaſi reſumptis omnibus viribus priſtinis, cum tanta me vehementia & ferocitate invadens corripuit, tantaque malignitate tota nocte illa devaſtando cruciavit, ſupra vires, ſupra virtutem, ut de vita deſperans, vix ſaltem uſque ad diem, ut vel ſemel adhuc loquerer Viro Dei, crederem me victurum. Cumque in dolore illo totam noctem duxiſſem, ſummo manè accerſitus ille advenit, non tamen afferens mihi, quem ſolebat, vultum compatientis, ſed quaſi arguentis. Subridens tamen, Quid, inquit, hodie comeditis? Ego verò, qui jam ipſo tacente, heſternam inobedientiam certiſſimè interpretabar cauſam eſſe illius afflictionis meæ, Quidquid, inquam, præcipietis. Quieſcite ergo, ait, non moriemini modò. Et abiit. Et quid dicam? Confeſtim & omnis dolor abiit, niſi quòd fatigatus nocturno illo dolore meo, tota ipſa die vix de lecto ſurgere prævalui. Quis enim aut qualis fuit ille dolor? Non recolo ſimilem me aliquando fuiſſe perpeſſum. In craſtino autem ſanus factus ſum, & vires recepi. Et paucis interpoſitis diebus, cum benedictione & gratia bona boni hoſpitis mei ad propria reverſus ſum. A. GUILELMO. E

ANNOTATA.

a *Sic etiam tum compellat* S. Bernardus *in epiſtola prima, quæ ipſi eſt inſcripta, num.* 9: Tua tibi conſcientia reſpondeat, cur abieris . . ., cur me, qui & tibi propinquus carne, & propinquior ſpiritu ſum, deſerueris. *Fuit autem Alaydis, Bernardi matris, ex ſorore nepos. Vide noſtrum Commentarium prævium § 2, num.* 15.

b Cluniacum, *vulgò Clugny*, pagus *eſt* Galliæ in Burgundiæ Ducatu, & in agro Matiſconenſi, cum abbatia percelebri, quæ caput eſt Ordinis Cluniacenſis ab ea dicti, ſedet ad fluvium parvum Croſne dictum, 4 leucis diſtans à Matiſcone in occaſum Carolias verſus ſex *&c.*, *ſicut obſervat Baudrandus.*

c *Prima ponitur, ut modò dicebam, inter Bernardinas, & innectitur apud Mabillonium anno circiter* 1119.

d *Manricus ad annum* 1131, *cap.* 7, *num.* 1, *monaſterio Rievallenſi præfectum fuiſſe, ac primum invexiſſe in Angliam, quæ ipſi erat patria, Ciſtercienſe inſtitutum memorat. Et verò natione Anglum exſtitiſſe probat ex epigrammate Nicolai Rievallenſis, quod affert. Plura de hoc monaſterio apud ipſum legi poſſunt. Videri etiam poteſt Chronologia Bernardina mox aſſignanda, ad dictum annum.*

e *Epiſtola itaque iſta fuit dictata extra* ſepta monaſterii, *notante ad eamdem Mabillonio*, locum, ubi id contigit, prope Claram-vallem, oratoriolo ſpectabilem eſſe, ob facti memoriam.

f Et quidem, *ſicut notat hîc Mabillonius*, ab auctore tertiæ Vitæ, *ſeu in Fragmentis, quæ vocavimus, Gaufridi, ubi hæc ſunt apud eumdem editorem col.* 1277: Exſtat adhuc epiſtola: & ego ipſe primam eam conſtitui in corpore epiſtolarum, cùm audîſſem tam grande miraculum ab ipſius ore, qui ſcripſit eam in pluvia ſine pluvia. F

g *Aliud de SS. Euchariſtia exemplum dedimus in Commentario prævio* § 10, *à num.* 111.

h *Vide Chronologiam Bernardinam in Commentario prævio* § 59, *parte* 1, *ad an.* 1121. *Manricus ad dictum annum cap.* 5 *agit de hoc cœnobio, ac de primo ejuſdem abbate. Exordium magnum diſtinctione* 6, *cap.* 1 *meminit* Fuſnia-

A. GUILLELMO.

censis ecclesiæ, quæ est una de dignioribus, & magis religione conspicuis filiabus Clarævallis. *Hanc, uti refert Manricus citatus*, Bernardus Præmonstrato substituit, Norberto Patri non multo antè concesso: *de qua re consuli potest Commentarius noster prævius § 9.*

i *Consule Chronologiam Bernardinam ad annum* 1131.

k Tornetas, *Gallicè Tournois, quo nomine significantur ludi militares, militaria exercitia, imaginaria bellorum prolusiones, quæ non ex odio, sed solius exercitii gratiâ atque virium ostentatione fiebant, sicut videre licet apud Cangium Dissertatione 6 super Historia S. Ludovici, Galliæ regis, in qua eruditus auctor tractat de origine & usu istarum exercitationum. Quamquam verò cautio adhiberetur, ne ex armis, quibus prolusiones illæ peragebantur, incommoda orirentur, magna tamen sæpè accidisse ostendit è funestis eventibus plurimis, quos refert. Hinc exercitationes istæ sub severissimis pœnis prohibitæ fuerunt à summis Pontificibus; quæ nonnumquam etiam à principibus secularibus interdicebantur, sicut pluribus narrat Cangius: ut mirum non sit, ludos illos hîc à nostro biographo nuncupari* execrabiles nundinas, *& à concilio Lateranensi, quod anno* 1179 *habitum fuit*, detestabiles . . nundinas vel ferias, quas vulgò torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto venire solent, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ temere congrediuntur: unde mortes hominum & animarum pericula sæpè proveniunt.

l *Hujus historiæ meminit Commentarius prævius § xi in principio, ubi de tempore, quo accidit, annum verò incertum esse, ibidem dicitur.*

m *Gallicè* de Montmirail: *quem Menologio Cisterciensi inserit Manriquez ad diem* 15 *Junii: quo videri possunt Prætermissi apud nos. De* Monte mirabili *scribit Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum.*

n *Laudatur apud nos inter Prætermissos ad diem* 6 *Junii, è mox dicto Manriquez, Bucelino, & Saussayo.*

o *De B. Gerardo, qui Sancti nostri germanus fuit frater, locuti sumus suprà § 28, num.* 303.

p *De Canticis canticorum à S. Doctore expositis agitur suprà § 23.*

q Signiacenses *intelligo: nam* olim *quidem* S. Theoderici prope Remos *fuerat* abbas; *sed* tunc, *quando ista scribebat, erat* monachus Signiacensis, *ex titulo Vitæ, quam hîc damus, præfixo.*

CAPUT VII.

Fama sanctitatis; mira Claravallensium propagatio; spiritus prophetiæ; beneficia divinitus per Sanctum præstita; dignitatum fuga.

XIII. *Fama sanctitatis, vis trahendi animas, Clara-vallis celebris ubique,*

CUmque dilectus Deo & hominibus Bernardus in illa valle sua & vicinis civitatibus, & regionibus, quas aliquoties eum invisere domesticæ curæ ratio cogebat, tantis floreret virtutibus & miraculis, cœpit etiam seu communibus Ecclesiæ necessitatibus, seu caritate fratrum, seu obedientiâ majorum, ad remotas pertrahi regiones, paces desperatas inter dissidentes ecclesias & principes sæculi reformare; causas humano sensui & consilio interminabiles auxilio Dei pacificè terminare; & virtute potiùs fidei quàm spiritu hujus mundi de multis hujusmodi impossibilibus possibilia faciendo, quasi montes transferendo, magis ac magis in oculis omnium mirabilis & venerabilis apparere. Maximè verò in tantum in eo enitescere cœpit virtus prædicationis, ut dura etiam corda auditorum ad conversionem emolliret; & vix aliquando vacuus domum rediret. Postmodùm verò feliciter proficiente & usu sermonis, & exemplo conversationis, rete verbi Dei in manu piscatoris Dei tam copiosas piscium rationalium multitudines cœpit concludere, ut de singulis ejus capturis, navicula domus illius impleri posse videretur. Unde factum est, ut in brevi majori miraculo præ omnibus, quæ in hac vita gessit, miraculis, per unum hominem languidum & femineceum; & tantummodo loqui valentem, obscura usque ad illud tempus illa vallis, & re & nomine Clara-vallis efficeretur, divinæ cujusdam claritatis lumen quasi de summo quodam apice virtutum diffundens in devexa terrarum. Et ex tunc apud vallem illam, quæ priùs dicebatur Vallis Absinthialis & amara, cœperunt montes stillare dulcedinem. Quæ vacua fuerat & sterilis ab omni bono, cœpit abundare spirituali frumento, & de rore cæli & benedictione Dei in tantum pingue scere omnia deserta ejus, & multiplicata gente magnificare lætitiam, ut impletum in ea videatur, quod olim per Prophetam dictum est ad civitatem Hierusalem: Adhuc, inquit, dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ: Augustus est locus, fac locum ut habitemus. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis & non parturiens, & istos quis enutrivit?

& in varias regiones propagata.

68 Jam enim de locis angustioribus Vallis illius, domus claustralis habitationis non sine divinis quibusdam revelationibus translata *a* in locum planiorem & spatiosum, magnificatæ ibi & amplificatæ sunt, & adhuc multitudini inhabitantium ipse locus angustus est. Jam domûs Ordinis illius, filiæ domus ipsius citra & ultra alpes & maria, deserta plurima impleverunt, & adhuc sunt & quotidie confluunt, quibus locus quærendus est. Et petuntur undique fratres & mittuntur, cum beatos se æstiment reges gentium & præsules ecclesiarum, civitates & regiones, quæcumque de domo illa & disciplina Viri Dei meruerint contubernium aliquod adipisci. Quid dico? Ultra homines usque ad barbaras nationes, in quibus naturalis feritas naturam quodammodo exuit humanam, religio hæc profecta est, ubi per eam bestiæ silvæ homines fiunt, & cum hominibus assuetæ conversari, discunt cantare Domino canticum novum. Quapropter piscator Dei, præcipiente Domino, non cessat laxare retia in capturam, & aliis abeuntibus, aliis succedentibus in locum eorum, numquam sanctæ illius congregationis minuitur plenitudo. Hoc usque nunc egerunt, & quotidie agunt mirificæ ejus capturæ Catalaunensis, Remensis, * Maguntinensis, Leodiensis, & aliarum nonnullarum civitatum: Flandriæ quoque & Germaniæ, Italiæ, Aquitaniæ, & aliarum regionum quascumque, quacumque necessitate, contigit aliquando, seu adhuc usque hodie contingit Virum Dei visitare. Cooperante siquidem gratiâ Spiritus sancti, quocumque vadit, plenus redit, & sua cum plenitudo ubique comitatur *b*

* *Apud Horstium additur* Parisiacensis,

69 Nec

A *Novit absentia.*

69 Nec dimittit ſuos, quos à ſe tranſmittit, ſed ubicumque ſunt, & ipſe ſemper paternâ ſollicitudine cum eis eſt. Et ſicut ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ſic ad ipſum quotidie ſeu læta ſeu triſtia filiorum ſuorum. Sæpè etiam ſine omni revelatione carnis ac ſanguinis, paternæ ejus ſollicitudini divinitus innoteſcit, quid circa aliquos eorum longè à ſe diſtantes agatur, ſi quid eis providendum, ſi quid in eis emendandum ſit, tentationes & exceſſus eorum, infirmitates & obitus, & quarumlibet ſæcularium tribulationum incurſus. Nam & pro abſentium fratrum certis neceſſitatibus, præſentibus circa ſe fratribus ſæpè orationem indicit. Nonnumquam etiam morientes in locis aliis ad ipſum per viſionem acceſſiſſe noſcuntur, benedictionem ejus & licentiam poſtulantes: nimirum hoc agente & obedientia miſſorum, & caritate mittentis. Veneram aliquando ad eum, & dum loquerer ei, vidi & audivi, quod ſilere non debeo. Aderat monachus quidam Fuſniacenſis, continuò ad ſuos rediturus. Cumque accepto reſponſo ſuper his, pro quibus venerat, jam ab eo egrederetur, in ſpiritu & virtute Eliæ revocans eum Propheta
B Dei, & nomine fratris cujuſdam de domo illa præmiſſa, de occultis quibuſdam me audiente mandavit illi, ut ea corrigeret: ſin autem, ſuper ſe judicium Dei in proximo exſpectaret. Stupefactus ille, quis hoc ei dixerit, requiſivit. Quiſquis, inquit, dixerit mihi, tu vade, & dic, quæ ego dico tibi, ne, ſi diſſimulaveris, te quoque involvat par pœna peccati. Mirabar ſuper hoc, ſed miranti mihi, in ſimili penitus cauſa multo mirabiliora de eo narrata ſunt *c*.

e *Pater ſanctus futura præno-ſcit,* *d* ** al.* alicubi

70 Guido namque frater ejus, major natu inter fratres ſuos, cujus gravitatis & veritatis fuerit vir, omnes ſciunt, qui eum ſcire potuerunt *d*. Hic cum ſimul aliquando * eſſemus, & de hujuſmodi loqueremur, & quærerem ego ab eo, ſicut jucundæ ad amicos collocutionis eſſe ſolebat, Fabulæ, inquit, ſunt quæ auditis. Cumque ſuo more & ſolito ſtudio fraternas virtutes deprimeret, mihi tamen nollet eſſe moleſtus, Quæ, inquit, neſcio, non dico vobis, ſed unum ſcio & expertus ſum, multa ei in oratione revelari. Deinde narravit mihi, quo modo cùm primò melliflua illa ſpiritualium apum alvearia nova de
C ſe examina circumquaque proferre, novaſque ex eis domos Ordinis ſui ædificare cœpiſſent, petente & agente Domino Guillelmo *e* epiſcopo, in epiſcopatu Catalaunenſi eam, quæ Trium fontium dicitur, conſtruxerunt *f*. Ad quam cùm abbatem cum monachis emiſiſſent dominum Rogerium, virum nobilem ſecundùm ſeculum, ſed nobiliorem ſanctitate *g*, & viros quoſdam ſimilis formæ cum eo, ſpiritualis Pater filios, quos emiſit, non dimiſit, ſed paterna ſollicitudine & pia affectione cum eis erat. Unde cùm die quadam ſoli ſimul eſſent Abbas & ipſe, cujus hoc relatione didici, & de fratribus ipſis ad alterutrum loquerentur, ſubitò altiùs ſuſpirans, duriùs aliquid ſolito de eis corde ſuo ſibi reſpondente, Vade, ait fratri ſuo, ora pro eis: & quidquid de eis oſtenderit tibi Deus, refer ad
** i. e.* morbo me. Ipſe enim graviſſima valetudine * eâ horâ laborans, in lectulo tenebatur. At ille vehementer expaveſcens, Abſit, inquit, non ſum qui hoc modo noverim orare, qui hoc merear impetrare. Perſeverante tamen eo in ſententia, itum eſt & oratum. Orans ergo quantùm prævaluit, pro ſingulis effudit animam ſuam: tantâque per ſingulos in orando perfuſus eſt ſuavitate

conſcientiæ, tantâque impetrandi fiduciâ, & omni gratia ſpiritualis conſolationis, ut in omnibus certa fide exauditum ſe exſultaret ſpiritus ejus, exceptis duobus, in quibus oratio titubavit, hæſitavit devotio, fiducia defecit. Quod cùm retuliſſet ad eum, à quo miſſus erat, ille ſtatim pronuntiavit de illis duobus, quod poſtea probavit eventus. *A. Guillelmo.*

quemdam mali ſpiritus inſtinctu Ordinem petere teſtatur

71 Abbas autem Rogerius, & aliqui, qui cum eo erant, ipſi fuerunt, quos Vir Dei aliquando de Catalaunenſi traxerat civitate, de quibus, vel in quibus etiam tunc ſimile quid fuerat factum. Cùm enim epiſcopi gratiâ Catalaunum frequentaret, rediens aliquando traxit ſecum multitudinem nobilium & litteratorum clericorum & laicorum. Quibus adhuc in domo hoſpitum demorantibus, dum novellas plantationes cæleſtibus rigaret eloquiis, ſupervenit portarius monachus, nuntians Stephanum de Vitreio magiſtrum eorum adeſſe ad renuntiandum ſeculo, & cum eis commorandum. Quis alius de talis viri adventu non exſultaſſet, præſertim cùm vallis illa hujuſmodi frumento non multùm adhuc abundaret? Ipſe verò, revelante ſibi Spiritu ſancto, inſi- E
dias ſpiritualis neglitiæ, tacitus aliquantùlum ingemiſcens, erupit in vocem audientibus univerſis: Malignus, ait, ſpiritus huc eum adduxit. Solus venit, ſolus revertetur *h*. Obſtupuêre omnes, qui priùs audito ejus adventu non ſe capere poterant præ lætitia. Verumtamen ne puſillos adhuc ſcandalizaret filios, ſuſcepit hominem; de perſeverantia, aliiſque virtutum ſtudiis ſtudioſè commonuit; & ſciens & prævidens omnia promittentem nihil acturum, cum verè Deum quærentibus & perſeveraturis, in cellam novitiorum probandum intromiſit. Sed de omnibus, quæ prædixerat, nihil cecidit in terram. Vidit idem Stephanus, ſicut confeſſus eſt, cùm in cella novitiorum adhuc demoraretur, Maurulum quemdam puerum ab oratorio ſe extrahentem. Ubi novem fermè menſibus degens, noviſſimè tamen defecit, & ut de eo prædictum fuerat, ſicut ſolus venerat, ſic ſolus receſſit. Fruſtrata autem eſt & verſutia inimici, & quem novitiorum paraverat in ruinam, de ipſius potiùs ruina illi confirmati ſunt. *h*

equum fugitivum orando reducit.

72 Priuſquam à Catalauno recedamus, cùm aliquando Pater ſanctus inde rediret, frigore & vento tam ipſe, quàm qui cum eo erant, graviter laborabant. Cumque præcedentibus multis, F
qui tunc fortè in comitatu ejus erant, nec præ anguſtia frigoris ad eum attendentibus, penè ſolus ipſe ſequeretur, contigit equum unius de duobus, qui cum eo erant, incautè dimiſſum evadere, & excurrere per planitiem latè patentem. Quem cum apprehendere non poſſent, & intemperies aëris ad hoc non permitteret vacare diutius, Oremus, inquit. Flexiſque genibus in oratione cum fratre, qui cum eo erat, vix adhuc Dominicam poterant orationem expleviſſe, cum, ecce, equus ille cum omni manſuetudine rediens ſubſtitit ante pedes ipſius, & redditus eſt ſeſſori ſuo.

Diſcordes conciliat: furibundum ſanat, & epilepticam:

XIV.

73 Et ut à Catalauno ad Remenſem civitatem pertranſeamus, contigit aliquando diſſentientibus, archiepiſcopo, & populo Remenſi, ad conciliandos eos adeſſe Virum Dei. Cumque in palatio ejuſdem civitatis cum Joſleno Sueſſionenſi epiſcopo conſediſſet, & magna Cleri plebiſque frequentia repleta domo, de pace tractaretur; ecce coram omnibus miſera mulier filium ſuum plenum (ut putabatur) dæmone, ei offerens, miſe-

A. GUILLELMO.

ricordiam precabatur. Siquidem jam ea ipsa die insurgens in ipsam matrem suam, penè eam occiderat, & mutus effectus, & cæcus, & surdus, apertis oculis non videbat, & stupentibus in eo sensibus omnibus, etiam sine intellectu permanebat. Compassus verò miseræ matri, quam maximè sensus doloris illius excruciabat, misero adolescenti blandiens, & piis manibus caput ejus & faciem demulcens, alloqui eum cœpit, & quonodo in matrem suam mittere manus præsumpserit, scisciteri. Ille verò ad se reversus, continuò peccatum suum recognovit, & deinceps emendationem promittens, incolumis restitutus est matri suæ *i*. In monasterio quoque, quod Alpense *k* dicitur, inter ceteros, qui curam requirebant, infirmos, venit ad eum mulier, quæ caduco morbo laborabat. Hæc in ipsa hora cùm staret coram eo, à repentino impetu mali illius corruit. Sed apprehensa Vir Domini manu ejus continuò erexit eam, nec tantum in illa hora, sed perfectè omnino curata est ab infirmitate sua.

i

k

B

ducissam Lotharingiæ convertit; gratiam compunctionis monacho impetrat.

74 Ducissa Lotharingiæ, femina nobilis, sed non tam nobiliter victitans, cum vidisset aliquando in somnis Hominem illum Dei serpentes septem horribiles de utero suo manibus propriis extrahentem: postmodùm ad religiosè vivendum *l* ejus admonitione conversa, usque hodie se esse, de qua septem dæmonia ejecerit, gloriatur. Novi ego clericum quemdam, Nicolaum nomine, seculo penè desperabiliter deditum, sed per eum de seculo liberatum. Qui cum in Clara-valle monasticæ conversationis habitum & ordinem suscepisset, videns eos, qui de sæculi naufragio illuc confugerant, naufragii sui damna continuis redimere lacrymis, idem ipse facere volens, nec valens præ duritia cordis sui, rogabat eum cum magno cordis dolore, ut impetraret sibi à Deo gratiam lacrymarum. Oravit, tantamque ei & tam continuam impetravit compunctionem cordis cum gratia lacrymarum, ut vix aliquando ultrà invenirentur vultus ejus in diversa mutati vel oculi ejus sine lacrymis, etiam cùm comederet, cùm iret per viam, vel dum cum quolibet loqueretur.

l

Miracula ejus penè fidem superant: dignitates ecclesiasticas recusat:

C

75 Tot sunt & tantæ, quas in hunc modum de eo audivimus & vidimus, virtutes, & circa diversas hominum necessitates diversæ opitulationes, ut si quis omnia velit vel verbo pronuntiare vel scripto, fastidiosis incredulitatem, vel incredulis possit generare fastidium. In omnibus autem operibus suis quàm purus ei sit oculus intentionis, manifestè denuntiat corpus lucidæ operationis. Summos quippe honores ecclesiasticos, & sæcularium principum favores, quasi dignum eum jugiter persequentes, non jactanter respuendo, sed religiosè & rationabiliter declinando, quid in omni operatione sua quæsierit, quid ambierit, manifestè declarat. [Mediolani, Remis, Clero eligente, populo æclamante, in archiepiscopum nominatus est. Catalauni, Lingonis in episcopum: & idipsum in multis jam aliis civitatibus actum fuisset, si consensûs ejus aliqua spes esse potuisset *m*.] Cúmque dignus esset, ut cogeretur, nescio quo judicio Dei, & singularis reverentiâ sanctitatis, jam olim apud omnes obtinuit, ne aliquando ad aliquid contra voluntatem suam cogatur. Sed cùm hoc modo mundi hujus fugit honorem, omnium honorum non effugit auctoritatem, dignus in conscientiis omnium, qui in timore & amore Dei timeatur & ametur: quo præsente, ubicumque fuerit, nihil contra justitiam audeatur: cui, ubicumque aliquid loquitur, vel agit pro justitia, obediatur.

m

D

mirâ apud omnes valet auctoritate

76 Ejusmodi fultus auctoritate in Ecclesia Dei, cum obedientiæ vel caritatis urget necessitas, nullam refugit incommoditatem laboris sui. Cujus enim voluntati sic detulit, cujus consilio sic se humiliavit omnis tam sæcularis, quàm ecclesiasticæ dignitatis altitudo? Reges superbi, principes & tyranni, milites & raptores sic eum timent & reverentur, ut videatur in eis impletum, quod in Euangelio legitur Dominus dixisse discipulis suis: Ecce, inquit, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Porrò inter spirituales, & ubi spiritualia spiritualiter examinantur, longè ei alia auctoritas est. Sicut enim dicitur per Prophetam de sanctis animalibus, quia cum fieret vox supra firmamentum, quod imminebat capiti eorum, stabant, & submittebant alas suas: sic hodie ubique terrarum spirituales quique, loquente eo seu tractante, stant, cedendo præcedenti, & sensibus ejus vel intelligentiis subnittunt sensus, & intelligentias suas. [Testantur hoc scripta ejus, quæ vel ipse scripsit, vel alii scripserunt, sicut ex ore ejus exceperunt.] Tanta ergo Virum illum sanctum usque hodie apud Deum & apud homines, commendant sacrarum insignia virtutum, testimonia circumvallant sanctitatis, charismata sancti Spiritus illustrant; quodque majus his omnibus & difficillimum est in rebus humanis, hæc ei omnia sine invidia adesse videntur. Compescit autem ab eo invidiam, quòd omni invidiâ major est, in quantum nequitia cordis humani hoc sæpè cessat homini invidere, quò non potest adspirare.

E

etiam sine invidia.

77 Sed & ipse omnem invidiam aut mortificat exemplo humilitatis, aut mutat in melius provocatione caritatis, aut si nequior, aut durior est, obruit pondere auctoritatis. Quis enim tam efficacis & affectuosæ prudentiæ hodie invenitur ad fovendam caritatem, ubi est; ad provocandam, ubi non est? tam, ad quoscumque potest, beneficus, ad omnes benevolus, tantam habens gratiam ad amicos, patientiam ad inimicos? Si tamen ullum aliquando potuit habere inimicum, qui nulli aliquando voluit inimicari. Sicut enim amicitia non nisi duorum est, nec nisi inter duos amicos haberi potest: sic nec inimicitia nisi duorum forsitan inimicorum. Qui enim odit, vel non diligit diligentem se, non tam inimicus, quàm iniquus est. Sed qui omnem hominem diligens, nullum aliquando inimicum habet virtute sua, nonnumquam tamen est quod patiatur, inimicante sibi gratis iniquitate aliena. Caritas autem, quæ totum eum possidet, patiens est, benigna est, sapientiâ vincens malitiam, patientiâ impatientiam, superbiam humilitate.

F

Finis libri primi.

ANNOTATA.

a *Hujus translationis meminit Commentarius prævius § 21, numero 231; & § 59, numero 646: ante illam verò non videtur hic Vitæ liber scribi cœpisse. Vide ibidem § 63, numero 698.*

b *A sancto Patre Ordo Cisterciensis in Suecia fuit propagatus. Consule Commentarium prævium § 33. Longum esset commemorare numerosissimam Patris Claravallensis sobolem, & non necessarium; cum hoc argumentum singillatim pertractarint Gaspar Jongelinus in Notitia abbatiarum*

A *rum Ord. Ciſterc, & Manricus in Annal.*

c *Quæ hîc narrata ſunt, tractantur in Commentario prævio § 12.*

d *Notatur in Menologio Ciſtercienſi apud Henriquez die* XI *Maii.*

e *De hoc præſule plura dedimus in Commentario prævio § 7, num. 77.*

f *Monaſterium hoc non vaticinio dumtaxat, quod mox hîc ſequitur, ſed etiam miraculo fuiſſe honoratum à* S. Bernardo, *ibidem invenies § 8 in principio. Apud Mabillonium in notulâ marginali hîc annectitur fundatio ejus anno* 1118; *ſitus autem ducatui Barrenſi; & apud Jongelinum diœceſi Catalaunenſi. Exſtat Chronicon Alberici monachi Trium fontium: de quo Commentarius noſter prævius meminit § 15, num.* 158.

g *Hic fuit primus abbas hujus monaſterii, ex Manrico ad annum* 1118, *cap.* 3. *Laudatur apud Henriquezium die* 23 *Aprilis. Videri etiam poſſunt apud nos Prætermiſſi ad eumdem diem.*

h *Quo tempore exierit è tirocinio vide apud Manricum ad an.* 1115 *in fine.*

B i *De Pace inter Remenſes compoſita, & miraculo ea occaſione facto legi poteſt Commentarius prævius § 12, num.* 128.

k Monaſterium Alpenſe *fuiſſe aggregatum Ciſtercienſibus anno* 1136, *ac ſitum eſſe in diœceſi Gebennenſi, habetur è notula marginali apud Mabillonium hîc. Plura de illo Manricus ad eumdem annum cap.* 6, *num.* 3 *& ſeqq.*

l Nempe in parthenone Tartenſi Ord. Ciſterc. (tunc prope, nunc intra Divionem) ut patet tum ex tertiæ Vitæ cap. 7, tum ex litteris Matthæi Lotharingiæ ducis, ejus filii, pro eodem parthenone apud Chiffletium (*in Probationibus Diatribæ, ſupra in Commentario noſtro citatæ, pag.* 446,) ubi hæc Duciſſa ATHELAIDIS (*immò* Atheleidis) appellatur. Vide epiſtolam 119. *Hæc è Mabillonio hîc.*

m *Recuſatio infularum, quæ hîc aliunde determinatè inſeritur, confirmatur ex libro* 2 *Vitæ apud Ernaldum cap.* 3, *num.* 110; *ubi additur* Januenſis. *Vide etiam Commentarium noſtrum prævium* § 17 *&* 20.

præcipuè uſque modò prodit ad manifeſtationem: quia plures epiſtolas idem Sanctus ſcripſit ad illum, in quibus, quid de eo ſentiat, manifeſtè liquet legentibus illas. Scripſit etiam ad ipſum librum Apologeticum, & alterum de Gratia & Libero arbitrio. Fuit tamen eidem Guillelmo, ſpeciali valentior, generalis cauſa ſcribendi; videlicet utilitas totius Eccleſiæ Dei, ne cum abſconditur vas plenum theſauro deſiderabili, ipſe quoque theſaurus pariter abſcondatur: unde non immeritò conqueritur, qui exponi deſiderat, dicens: Theſaurus inviſus, & ſapientia abſcondita, quæ utilitas in utriſque? Exponit iſte divitias ſalutis, theſaurum deſiderabilem, ne lateat cum gleba, quod gleba non eſt, ſed pretioſiſſima margarita. Accidit tamen ei contra deſiderium ſuum, quia ſicut ipſe in præfatione ſua veteri ſe denuntiarat, præoccupatus morte non explevit quantum animo conceperat ſtilo mandandum. Itaque qui accedit ad lectionem Operis hujus, facilè ſatis intelliget, à quanta perfectione pius puer & religioſus Bernardus, velut alter Benedictus, primordia converſionis fuerit aggreſſus, qui & in utero matris ſignificationem * viſus eſt accepiſſe, de qua concepta ſunt præſagia futuræ ſanctitatis illius vitæ pariter & doctrinæ. Quid etiam adoleſcens factus agere cœperit, in præſcripto narratur Opere, ac deinceps uſque ad virum perfectionis depingitur diligenter, quantum (ſicut jam dictum eſt) licuit optimo pictori, ſed præoccupato. A. GUILLELMO.

* *al.* ſanctificationem

E

ANNOTATA.

a *Datâ ad ipſum eſt epiſtola* 146 *inter Bernardinas, poſt quam notantur iſta apud Mabillonium de loco, cui Burchardus præfuit:* Balerna Ord. Ciſtercienſis in diœceſi Veſontionenſi condita anno MCXXXVI. Abbas primus Burchardus, cujus cenſuram habes in fine lib. 1 de Vita S. Bernardi.

b *Subſcriptionem hanc, prout ſuperiùs edita eſt, in omnibus non convenire cum ea, quæ exſtat apud Surium, colligitur è Commentario noſtro prævio* § 2, *num.* 20.

c

SUBSCRIPTIO

Operis præcedentis, quam, auctore defuncto, Burchardus abbas Balernenſis a *appoſuit* b.

a b

Auctoritas & fides Guillelmi laudantur.

PRæſcriptum Opus, quod de vita ſanctiſſimi viri Bernardi Claræ-vallis abbatis conſcriptum eſt à venerabili Guillelmo, pridem ſancti Theoderici abbate, ſed tunc jam monacho Signiacenſis cœnobii (ad quod deſiderio ſolitudinis & quietis ſeſe contulerat) uſque ad tempus ſchiſmatis adverſus Innocentium Papam à Petro Leonis conflati, digeſtum eſſe cognoſcitur. Fuit autem præfato fideli viro ſpecialis cauſa ſcribendi, amicitia & familiaritas, quibus Viro Dei multo tempore conjunctus erat. Unde & tantam apud illum invenerat gratiam, ut vix alter magis intimus inveniretur ad ſecreta mutuæ dilectionis communicanda, ad ſpiritualium myſteriorum conferenda colloquia. Cujus familiaritatis gratia ex eo

LIBER SECUNDUS,

F

Auctore Ernaldo * abbate Bonævallis in agro Carnutenſi, ex editione Mabillonii col. 1091 & ſeqq.

* *al.* Arnaldo

PRÆFATIO AUCTORIS.

Biographus ſuam profitetur tenuitatem ad res tanti Sancti ſcribendas.

VIrorum illuſtrium geſta nonnulli ſcriptorum laudibus attollentes, verbis ea ſolemnibus celebrarunt, quantùm excellentis ingenii, & diſertæ linguæ potuêre conamina. Cumque tractator & Opus junctis complexibus pari ſunt fœdere conjugati, & ad propoſitum thema ordinandum ingenium & eloquentia convenerunt, proſperè actum eſt, & ad quietum tranquillumque portum directo greſſu materia dignè ordinatéque diſpoſita appulit. Ubi verò ſublimitas negotii ſub imperito artifice naufraga illiditur ſcopulis, &, ſuccumbente ſenſûs hebetudine, tractatoris laſſatur præſumptio, ſerò de correctione initur conſilium:

A. ERNALDO.

quia quæ in multos effusa sunt, nec revocari possunt, nec corrigi, & dissonantiam scripti & Operum venustius esset abradi quàm emendari. Hæc ergo mecum reputans & revolvens, omnino timeo, ne, sicut ipse multorum imprudentiæ soleo indignari, qui, cùm scientiâ & facundiâ careant, ad scribendum præcipites, cùm se vehementer emunxerint, eliciunt sanguinem : ita & ego, si, quod supra me est aggrediar, meipsum derisioni exponam. Quis enim ego sum, qui ad scribenda gesta sanctissimi viri Bernardi Claræ-vallis abbatis adspirem, qui nostris temporibus singulari religione floruit & doctrinâ : cujus odor exinanitus universam replevit Ecclesiam : cujus gratia, operante Domino, signis & miraculis declaratur ?

ubi præsertim sunt Claravallenses, qui eas possent scribere.

80 Quot in monasterium ejus litteratos viros, quot rhetores, quot philosophos sæculi hujus scholæ miserunt ad conversationem theoricam, & mores divinos ? Quæ non ibi floruit disciplina, ubi erant examina magistrorum, & egregii viti exercitato intellectu insignes, qui divinis studiis inhærentes, multis gratiarum auctoramentis invicem seipsos edocent & accendunt ? [Quorum unanimis universitas cantat canticum graduum ; & ascendens cum Jacob in summitate scalæ, in decore suo Deum videt radianti corona perspicuum.] Debuerant utique viri illi, quibus nihil in aliqua gratia deest, hunc laborem assumere, & venerabilis Patris insculpere monimenta, ut esset eorum studio delectabilis pagina, quam quasi viventem traderent legendam discipulis, & perpes fieret consolatio secus positis reliquiis sacri corporis & sermonis. Sed extrema æmulari, & quæ homines lateant, Claræ-vallis consuevit humilitas, & proferre in publicum aliqua sui indicia viri illi nobiles erubescunt, & quietiores facit eos contemptus & abjectio, quàm quælibet oblatio dignitatis, in qua sibi professio humilitatis periclitari videtur. Ob hujusmodi causas sese intra silentii cardines retinentes, magis in saceo eremi, quàm in socco * palatii delectantur : nec jam in stilo, sed in cruce gloriam quærunt. In hoc ergo, sicut & in cæteris ejusmodi, negotiorum suorum sarcinas aliis libenter imponunt. Et nunc sublato venerabilis memoriæ Domno Guillelmo, qui ejusdem Viri sancti gloriosa primordia fideliter & devotè conscripsit, ad meam exiguitatem hujus Operis devenit petitio, & imposuit mihi dilectæ Ecclesiæ caritas, ut coquam pulmentum filiis prophetarum. In quo si colocynthidas miscuero negligens, superjectâ (ut confido) farinulâ * condiet Elisæus, & excessus insipientiæ, obedientiæ excusabit affectus.

* *al.* ferico

* *Apud Horstium additur* amaritudinem

B

C

CAPUT I.

Pontificatus Innocentii II contra Anacletum à Viro sancto vindicatus ; Lotharius imperator repressus.

LIBER II. CAPUT I. *Honorio PP. substituitur ab aliis Innocentius ; ab aliis Anacletus :*

EA tempestate Honorius Papa viam universæ carnis ingressus est *a*. Nec mora, in electione dissidentibus Cardinalibus, & divisâ Ecclesiâ, plures numero, & saniores consilio, vitâ probabiles, viri virtutum, presbyteri, diaconi, episcopi Innocentium elegerunt, cujus vita & fama & ætas & scientia digna summo sacerdotio habebatur. At verò pars altera, infames ausus vid. lentiâ, non ratione, corroborans, Petrum Leonis ad hunc apicem adspirantem, fraudulentis machinationibus seorsum & præcipitanter nominavit Anacletum, & ceteris renitentibus ordinavit. Qui verò in parte Catholica erant, electum suum solenniter ordinatum collocarunt in cathedra, & per loca illa, in quibus sessiones habent ex antiqua consuetudine Romani Pontifices, circumduxere, & pro tempore honor debitus Apostolicæ affuit dignitati. Et tunc sanè circa Lateranense palatium morabantur, nec erat jam eis tuta in domibus propriis mansio, cùm eos acerrimè Petri satellites infestarent. Ibi etiam diu resistere non valentes, per confœderatos sibi quosdam ex nobilibus Romanis ad tempus in turribus eorum receptacula habuerunt. Sed nec in eis perseveravit fidelitas. Nam in brevi aut vi, aut formidine temeritatis multitudinis, aut pretio corrupti sunt. Nam Petro tam propria generis virtute, quam adhærentium sibi affinitate multitudo tanta erat, ut ferè tota eum civitas sequeretur, vel pecuniâ, vel commodis obligata.

D

82 Congregaverat sanè opes innumeras, tam in exactionibus curiæ, quàm in legationum negotiationibus, quas ad exspectandas nundinas reservarat. Insuper & paterni census ampla congeries eatenus sigillata, modò distributa in populum, ad fas & nefas venalem plebem armaverat. Quibus erogatis, donaria regum in ornamentis Ecclesiæ, ab ipsis evulsit altaribus. Et cùm calices frangere, & crucifixos aureos membratim dividere ipsi profani Christiani vel timerent vel erubescerent, Judæos aiunt esse quæsitos, qui sacra vasa & imagines Deo dicatas audacter comminuèrent. Igitur quisque pro modo suo secundùm majus & minus conducti ad scelus, sacramentis generalibus publicè Petro vendiderunt assensum, & in omnem sanguinem manus exposuerunt & arma, & quotidianis congressibus partem; quæ cum Innocentio erat, maledictis infectabantur & gladiis *b*. Habuêre igitur servi Dei consilium, & quia vi humana se tueri non poterant, cedere elegerunt. Et procuratis clàm navigiis, de ore Leonis, & de manu bestiæ, per Tiberim in Tyrrhenum mare elapsi, prosperis ventis carbasa impellentibus, in portum Pisanum feliciter appulerunt. [Audito tantorum virorum adventu, & cognitâ causâ, propter quam de Urbe exierant, gratulata est Pisa, quòd ad se Romani nominis gloria transferretur, &, illis perpetuæ sibi infamiæ insculpentibus notam, sibi nominis æterni & perennis famæ inscriptio pararetur. Occurrunt ergo honorati & consules, & domini Papæ pedibus advoluti, gratias agunt, quòd eos tanto dignos judicasset honore, ut eorum eligeret urbem, quam propriâ dignaretur illustrare præsentiâ.

b

E

hujus potentia, barâ baries sacrilega ; illius perfugium

F

83 Tua est, inquiunt, civitas : nos populus tuus : nostris stipendiis famulamur tibi : immò in usus tuos respublica, quidquid apud se repositum habet, exponet. Nihil duplicitatis invenies in Pisanis : non modò adhærebunt, modò resilient: modò jurabunt, modò juramenta dissolvent. Non inhiat populus iste rapinis domesticis & cædibus intestinis. Non est gens nostra domi audax ; nec extrà meticulosa. Nos nec servi sumus, nec domini : sed concives & fratres, honore invicem prævenientes, non seditiosis ausibus alterutrum provocantes. Domi mansuetudine utimur : fortitudinem

ad Pisanos.

titudinem noſtram ſæpè extranei expetiuntur. Nos, Pœnis ſubactis, & Balearibus inſulis ſubjugatis, terra marique de piratis & dyſcolis triumphantes, reges eorum captivos in vinculis Piſam induximus: de quorum ſpoliis & varia ſupellectile in adventu tuo ornantur compita & plateæ; & lætabunda civitas coronatur *c*. Poſt hujuſmodi verba populo obviam procedente, præ innumerabili multitudine vix patebat advenientibus via: ſed pedetentim procedentes, deſideratam ſui copiam proſpicientibus per feneſtras matronis & virginibus & parvulis Cardinales præbebant, & porrectis hinc inde benedictionibus, uſque ad beatæ Mariæ canonicam, dominus Papa cum comitatu ſuo glorioſè deductus, & honorificè ſuſceptus eſt.]

84 Præmiſſi, antequam de urbe egrederetur, à domino Papa in Gallias fuerant nuntii, qui diſſenſionis & ſchiſmatis à Petro facti ordinem Gallicanæ intimarent eccleſiæ, & hortarentur epiſcopos, ut in ultionem præſumptionis hujus accingerentur, &, damnata parte ſchiſmatica, ſubſcriberent unitati. Necdum verò ad plenum tenor operis innotuerat epiſcopis, nec privatim quiſquam commodare præſumpſit conſenſum, donec collecto Stampis *d* generali conventu, in commune decernerent, quid reciperent, quid damnarent. Neque enim Francia, ceteris regionibus proclivibus ad ſchiſmata, aliquando tali factione * fœdata eſt, nec malignorum acquievit erroribus: nec fabricata eſt idolum in Eccleſia, venerata in Petri cathedra monſtrum. Nec enim talibus in cauſis principalia aliquando eos terruerunt edicta, aut generalibus utilitatibus privata commoda prætulerunt: nec declinantes in partem, perſonis detulêre, ſed cauſis. Sed ſi quid oportuit, fortiter perſecutionibus obviarunt, nec damna, nec exilia formidarunt. Convocato igitur apud Stampas concilio, abbas ſanctus Claravallenſis Bernardus, ſpecialiter ab ipſo rege Francorum, & præcipuis quibuſque pontificibus acceſſitus, ſicut poſtea fatebatur, non mediocriter pavidus & tremebundus advenit, periculum quippe & pondus negotii non ignorans.

In ſynodo Stampenſi

** al.* Guiberti vel Burdini ſuſceptione

85 In itinere tamen conſolatus eſt eum Deus, oſtendens ei in viſu noctis eccleſiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem, unde ſperavit pacem ſine dubio proventuram. Ubi verò ad locum ventum eſt, celebrato priùs jejunio, & precibus ad Deum fuſis, cùm de eodem verbo tractaturi rex & epiſcopi cum principibus conſediſſent, unum omnium conſilium fuit, una ſententia, ut negotium Dei, Dei famulo imponeretur, & ex ore ejus cauſa tota penderet. Quod ille timens licèt & tremens, monitis tamen virorum fidelium acquieſcens ſuſcepit, & diligenter proſecutus electionis ordinem, electorum merita, vitam & famam prioris electi, aperuit os ſuum, & Spiritus ſanctus implevit illud. Unus ergo omnium ore locutus, ſuſcipiendum ab omnibus ſummum Pontificem Innocentium nominavit: & ratum eſſe omnes pariter acclamarunt *e*. Et decantatis ex more laudibus Deo, obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentii omnes pariter ſubſcripſerunt.

ſumma cum auctoritate Bernardus cauſam agit Innocentii;

86 Interea Dominus Papa multis in Piſis, & in Tuſcia, & in aliis provinciis poteſtativè diſpoſitis, valefaciens Piſanis, & gratias agens, in Provinciam navigio delatus eſt: & Burgundiam tranſiens Aurelianum pervenit: ubi, occurrentibus epiſcopis, à rege piiſſimo Francorum Ludovico *f* alacriter & honorificè ſuſceptus eſt. Inde à Gaufrido Carnotenſi epiſcopo, magnarum virtutum viro, Carnotum deducitur, ubi etiam glorioſus Anglorum rex Henricus *g* ei cum maximo epiſcoporum & procerum comitatu occurrit. Hunc quoque regem venerabilis Abbas ad eum præmiſſus adduxit: quem vix perſuaſit Innocentium recipere, ab epiſcopis Angliæ penitus diſſuaſum. Cùm enim omnimodis recalcitraret & detractaret, Quid times ait? times peccatum incurrere, ſi obedias Innocentio? Cogita, inquit, quomodo de aliis peccatis tuis reſpondeas Deo; iſtud mihi relinque, in me ſit hoc peccatum. Ad quod verbum perſuaſus rex ille tam potens, extra terram ſuam Domino Papæ occurrit uſque Carnotum. [Multa ibi dicta & facta ſunt; multaque ibi ſæcularia & eccleſiaſtica negotia definita.]

honorificè is ſuſcipitur in Galliis, & à rege Angliæ:

87 Reverſi interim de Germania Legati Domini Papæ tam epiſcoporum quàm regis aſſenſum & litteras detulerunt, & deprecationem publicam, ut ad eos tranſiens, ſuam eis deſideratam exhiberet præſentiam. Facilè enim perſuaſi ſunt recipere eum, quem jam ceteri recepiſſent. Sed detinuit eum dilectio & devotio eccleſiæ Gallicanæ; & ſinguli & omnes viſitationem Apoſtolicam expetebant. Perluſtratâ igitur Franciâ, Remis convocavit *h* concilium, in quo multis ad honorem Dei diſpoſitis, regem Ludovicum, vivente Patre, pro Philippo fratre *i* coronavit in regem. In omnibus his Dominus Papa Abbatem à ſe ſeparari non patiebatur, ſed cum Cardinalibus rebus publicis aſſidebat. Sed & privatim quotquot habebant negotia, Virum Dei ſecretiùs conſulebant. Ipſe verò audita referebat ad Curiam, & oppreſſis patrocinia exhibebat. Igitur ſoluto *k* concilio, Leodium Dominus Papa Romanorum regi occurrit. Et honorificè quidem ſuſceptus eſt, ſed velociter obnubilata eſt illa ſerenitas. Siquidem importunè idem rex inſtitit, tempus habere ſe reputans opportunum, epiſcoporum ſibi reſtitui inveſtituras, quas ab ejus prædeceſſore imperatore Henrico per maximos quidem labores, & multa pericula Romana Eccleſia vendicarat. Ad quod verbum expavêre & expalluêre Romani, gravius ſeſe apud Leodium arbitrati periculum offendiſſe, quàm declinaverint Romæ. Nec conſilium ſuppetebat: donec murum ſe oppoſuit Abbas ſanctus. Audacter enim reſiſtens regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compeſcuit *l*.

expetitur à Germanis; concilium Remenſe celebrat: defenditur à Sancto contra Lotharium:

Innocentius Claramvallem viſitat:

88 Rediens autem Leodio *m*, Claram-vallem Dominus Papa per ſeipſum voluit viſitare. Ubi à pauperibus Chriſti, non purpura & byſſo ornatis, nec cum deauratis Euangeliis occurrentibus, ſed pannoſis agminibus ſcopuloſam bajulantibus crucem, non tumultuantium claſſicorum tonitruo, non clamoſa jubilatione; ſed ſuppreſſa modulatione affectuoſiſſimè ſuſceptus eſt. Flebant epiſcopi, flebat ipſe ſummus Pontifex: & omnes mirabantur congregationis illius gravitatem, quòd in tam ſolenni gaudio oculi omnium humi defixi, nuſquam vagabunda curioſitate circumferrentur; ſed compoſis palpebris ipſi neminem viderent, & ab omnibus viderentur. Nihil in eccleſia illa vidit Romanus, quod cuperet, nulla ibi ſupellex eorum ſollicitavit aſpectum; nihil in oratorio niſi nudos viderunt parietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio; nec damnoſa poterat eſſe fratribus hujuſmodi præda, cùm minui non poſſet aſportata religio. Gaudebant omnes in Domino, & ſolemnitas non cibis, ſed virtutibus agebatur. Panis ibi autopyrus *n* pro ſimila: pro carne

A. ERNALDO.

careno ſapa, pro rhombis olera: pro quibuſlibet deliciis legumina ponebantur. Si fortè piſcis inventus eſt, Domino Papæ appoſitus eſt, & aſpectu, non uſu in commune profecit.

diaboli turbæ apud Claravallenſes elusa.

89 Invidit diabolus, & ſervorum Dei gloriam, quos tanti hoſpitis nobilitabat præſentia, ferre non valens, dum in choro alacriter pſallerent & devotè, præſentibus etiam nonnullis ex Cardinalibus, qui in auditu & aſpectu eorum delectabantur, aliquantos fratrum horribili pavore turbavit. Nam & unus præ ceteris occupatus blaſphema quædam verba locutus eſt, Dicite, inquiens, ego ſum Chriſtus; & alii plures territi & tremebundi, ad beati Patris veſtigia confugerunt. At ille converſus ad ceteros, Orate, inquit: ac deinceps ſub ſilentio eos, qui turbati videbantur, eduxit, atque compeſcuit: ut nequiſſimus ille, qui conventum pietatis transferre conabatur in theatrum, & ſcholam innocentiæ in deriſum, non, ut putabat, exiſtimationem religioſorum hominum corrumpere poſſet, ſed ſe proderet, & conatus ſuos experiretur infirmos. Tanta ſiquidem celeritate omnia ſunt ſedata, B ut perſonas illas, quæ propè aſtabant, omnino latuerit, quod acciderat, & malignus hoſtis velociter increpatus, non modò ſcandalum eis, quod parabat, inferre nequiverit, ſed nec ad illorum notitiam rem perferre. Factumque eſt ex eo, ut ampliori ſeſe cuſtodia fratres munirent, & merito & numero, & poſſeſſionibus deinceps creſceret Clara-vallis, & multiplicatis Conventibus, ferè per omnem latitudinem loci illius dilataretur religio, ipſe etiam Abbas ſanctus ex tunc amplius ſolito miraculis clareret & ſignis.

ANNOTATA.

a *Anno videlicet Chriſti* 1130, *medio Februario, uti præmiſſum eſt in noſtro Commentario* § 16, *num.* 168.

b *Hiſce, quæ modò retulit biographus de famoſo hoc ſchiſmate, elucidandis ſubſerviunt dicta in Commentario prævio* § 16.

c *Baudrandus de Piſa ſcribens, Italiæ urbe archiepiſcopali*, Sardiniam, *inquit*, inſulam è manibus Saracenorum vindicavit, Carthaginem domuit, & Baleares inſulas, egregiamque Chriſtianis orientalibus navavit operam. *Plura elogia de Piſanis exſtant apud Leandrum Albertum in Deſcriptione Italiæ, quæ Colonia Agrippina edita eſt anno* 1566, *pag.* 42.

d Stampæ (Eſtampes) urbs Galliæ oblonga in Belſia .., 14 leucis diſtans à Lutetia Pariſiorum in meridiem Aurelianum verſus 20 circiter .., eſtque partim in Belſia propria, & partim in Hurepœſio tractu, *ex Baudrando.*

e *De auctoritate* S. Bernardi *in concilio Stampenſi agit Commentarius* § 16, *num.* 173.

f *Conſuli poſſunt, quæ de hoc rege ibidem dicuntur* § 14.

g *Fuit is Henricus, hujus nominis primus, qui ſuo germano Willelmo II, S. Anſelmi perſecutori ſucceſſit anno Chriſti* 1100.

h *Hujus acta è variis auctoribus habentur apud Labbeum tomo* 10 *Conciliorum, non col.* 989, *ſicut malè impreſſum eſt, ſed col.* 979 *& ſeqq.*

i *Videatur noſter Commentarius prævius* § 14.

k *Innocentium PP. iviſſe Leodium ante concilium Remenſe, liquet è Commentario noſtro prævio* § 16, *num.* 171. *Quod autem ſanctus Abbas duos in Remenſi concilio Sermones recitavit, qui exſtant ſub ejus nomine, rejicitur ibidem* § 17, *num.* 184. D

l *De geſtis à Viro ſancto contra Henricum regem pro jure eccleſiaſtico, conſuli poteſt idem Commentarius* § 17. *Quænam acta fuerint pro inveſtituris ab Henrico V, Germaniæ rege, Henrici III imperatoris filio, narrat Baronius ad annum* 1111; *contra illas autem quænam ſint geſta, ad annum* 1112. *Henrico prædicto Lotharius ſucceſſit anno Chriſti* 1125; *quo videri poſſunt Baronius & Pagius.*

m *Urbs eſt epiſcopalis ſub archiepiſcopo Colonienſi ad Moſam fluvium, in Belgio fere inſerta, ſed tamen in Germania, & in Circulo Weſtphaliæ.*

n PANIS AUTOPYROS, *ſicut hîc obſervatur apud Mabillonium*, dicitur is, ex quo nihil neque pollinis, neque furfuris excretum eſt, quaſi totum in ſe triticum non imminutum habens. Vide Celſ. lib. 2, cap. 17. Differt à pane cibario: nam huic bona pars pollinis adempta eſt, & magna ex parte furfuraceus eſt. A ſimila autem differt: nam hæc eſt medulla farinæ triticeæ; hoc eſt, ea pars, quæ media eſt inter pollinem, & ſecundarium. CARENUM, ex Vincentio Lucenſi, eſt vini dulcis cocti genus. SAPA verò E (aliàs vinum ad tertiam decoctum ſignificans) eſt ſuccus herbarum: unde fortaſſe Gallicè SOUPE pro juſculo: hîc opinor, poſitum pro zyto ſeu cerviſia vel ptiſanna. RHOMBUS, Gallicè TURBOS, piſcis plani genus. *Quæ autem primo loco notantur de* pane autopyro, *habentur etiam in editione Horſtiana.*

CAPUT II.

Præclarè geſta in concilio Piſano; Mediolanenſes Eccleſiæ reconciliati; miracula apud eoſdem facta.

II. Concilio Piſano, quod Innocentius contra Anacletum indixit, Bernardus intereſt cum honore: F

LOngas in Galliis facere moras Dominus Papa non potuit, ſed ſicut cum Lothario rege condixerat, Romam ei occurrit: & vi exercitûs in Lateranenſe palatium deductus eſt. Multi etiam ex nobilibus Romanis fideles Eccleſiæ, eum honorificè ſuſceperunt. Verùm Petrus Leonis non ponens Deum adjutorem ſuum, ſed confœderatorum ſtipatus malitiâ, in editioribus & tutioribus turribus manens, Lotharii ludificavit virtutem, & interdicens ſuis congreſſus publicos, nec ſibi ſecuritatis ſuæ fecit periculum, nec cauſam conflictûs hoſtibus dedit; ſed tamen liberum eorum diſcurſum machinis ſuperioribus & obſtaculis variis impedivit. Vitavit etiam obſtinatiſſimè Imperatoris colloquium, nec minis nec blandimentis flexus eſt, nec de ſtatu ſuo conſilium cujuſlibet perſonæ admiſit. Relicto igitur Romæ Innocentio, aliàs Imperator digreditur. Petrus verò poſt ejus diſceſſum crebros movens per Urbem excurſus, fidelium cædibus inhiabat. Intelligens ergo Innocentius Romæ ſibi infructuoſam eo tempore moram, ne præſentia ſua illius beſtiæ rabiem efferaret, rurſus Piſas revertitur, ibique aggregatis totius Occidentis epiſcopis, aliiſque religioſis viris, magnæ gloriæ ſynodus celebratur *a*. Adfuit per omnia & conſiliis, & judiciis, & definitionibus omnibus ſanctus Abbas, impendebaturque ei reverentia ab omnibus, &

A & excubabant ante ejus limina ſacerdotes, non quòd faſtus, ſed multitudo communem prohiberet acceſſum: & aliis egredientibus, alii introibant; ita ut videretur Vir humilis, & nihil ſibi de his honoribus arrogans, non eſſe in parte ſollicitudinis, ſed in plenitudine poteſtatis. Actiones concilii longum eſt proſequi: ſumma tamen in excommunicatione Petri, & irregreſſibili fautorum ejus dejectione conſtitit, & uſque hodie hæc ſententia perſeverat.

91 Soluto concilio, ad reconciliandos Mediolanenſes Dominus Papa Abbatem Claræ-vallis, quem multis ſupplicationibus expetierant, & Guidonem Piſanum, & Matthæum Albanenſem *b* epiſcopum à latere ſuo direxit, qui ſchiſma per Anſelmum in eadem urbe factum abluerent, & ad unitatem Eccleſiæ devios revocarent. Abbas igitur cum prædictis viris, quos à Domino Papa collegas acceperat, addidit conſortio & communi conſilio virum venerabilem Gaufredum Carnotenſem epiſcopum, cujus innocentiam & ſinceritatem in multis probaverat. Etenim viſum eſt Cardinalibus bonum, ut tanto adjutore negotium

B tanti ponderis fulciretur. Tranſcenſo itaque Apennino, ubi audierunt Mediolanenſes Abbatem deſideratum ſuis finibus propinquare, longè à civitate milliaribus ſeptem omnis ei populus obviat: nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quaſi de civitate migrarent, proprios lares deſerunt, & diſtinctis agminibus incredibili reverentia Virum Dei ſuſcipiunt. Omnes pariter delectantur aſpectu, felices ſe judicant qui poſſunt frui auditu. Deoſculantur pedes ejus univerſi: & licèt hoc ille moleſtè acciperet, nulla potuit pronos & devotos ratione compeſcere; nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam pilos, quos poterant, de indumentis ejus, & ad morborum remedia, de pannorum laciniis aliquid detrahebant, omnia ſancta, quæ ille tetigiſſet, judicantes, & ſe tactu eorum vel uſu ſanctificari. Præcedentes itaque & ſubſequentes lætabundis acclamationibus applaudebant Abbati, & diu intra agminum ſpiſſamenta detentum, tandem ſolenni reddidêre hoſpitio. Et cùm tractatum eſſet in publico de negotio, propter quod tam Vir Dei, quàm Cardinales advenerant, oblita fortitudinis ſuæ civitas, omni ferocitate depoſita, ſe ita Abbati ſubſtravit, ut obedientiæ

C eorum non incongruè ille poſſet aptari Poëtæ verſiculus:

Juſſa ſequi, tam velle mihi, quàm poſſe neceſſe eſt.

92 Pacatis omnibus, reconciliatâ eccleſiâ, firmatis inter plebes concordiæ pactionibus, alia cœperunt naſci negotia, & inſanienti diabolo, & in quibuſdam obſeſſis corporibus debacchanti, oppoſitum eſt Chriſti vexillum, &, increpante Viro Dei, de poſſeſſis atriis, ſuperveniente eminentiori virtute, territa & tremebunda diffugêre dæmonia. Ecce nova legatio, non Romanum pragma circumferens, ſed divinis legibus fidei pragma allegans, prolatis in medium litteris ſanguine Chriſti conſcriptis, & bullâ Crucis impreſſis, quæ figura auctoritate ſua terreſtria & inferna ſibi ſubdit & curvat. Inaudita eſt noſtris temporibus tanta populi fides, tanta in homine virtus, inter quos religioſa erat contentio, cùm ſignorum gloriam Abbas credulitati eorum, illi verò ſanctitati Abbatis adſcriberent, & hoc de eo indubitanter ſentirent, ut, quidquid à Domino pereret, impetraret. Adducunt igitur ad eum nihil hæſitantes mulierem omnibus notam, quam annis ſeptem immundus vexaverat ſpiritus: & poſtulant ſupplices, ut in nomine Domini dæmoni imperet fugam, & mulieri reſtituat ſoſpitatem. Quæ populi fides non minimam verecundiam Viro Dei ingerebat, &, humilitate magiſtra, inconſueta experiri non præſumebat, & inſtante petitione populi erubeſcebat, ſi caritati poſtulantium obſtinatiùs reſiſteret: & videbatur ei, quòd offenderet Deum, & omnipotentiam ejus diffidentiâ obnubilare videretur, ſi à fide populi fides propria diſſentiret. A. ERNALDO.

93 Æſtuabat igitur ſecum, & licèt ſigna non fidelibus, ſed infidelibus fieri oportere aſſereret; auſus ſuos Spiritui ſancto committit, & orationi incumbens, cælitus illapſa virtute ſatanam in ſpiritu fortitudinis increpat, & fugat, mulieremque reddit incolumem & quietam. Lætantur qui aderant, & levantes manus ad ſidera, Deo, qui de excelſo eos viſitavit, gratias agunt. Auditum eſt hoc verbum, & percrebuit fama, & repentè totam perculit urbem; per eccleſias, per prætoria, & per compita omnia conveniunt undique: de Viro Dei ſermo habetur ubique: dicunt publicè, nihil ei impoſſibile eſſe quod à Domino poſtulet, & ad preces ejus apertas Dei E aures dicunt & credunt, prædicant & affirmant. Nec poſſunt aſpectu ejus, vel auditu ullo modo ſatiari. Irruunt alii in præſentiam ejus: alii, donec exeat, pro foribus præſtolantur. Ceſſatum eſt ab officiis & artibus, tota civitas in hoc ſpectaculum ſuſpenſa manet: concurrunt, poſtulant benedici: & tetigiſſe eum, ſingulis ſalutare videtur.

94 Tertia die ad eccleſiam S. Ambroſii divina celebraturus myſteria Servus Dei procedit: ubi, exſpectante innumera populi multitudine, inter ipſa Miſſarum ſolennia, dum clericis canentibus ipſe ſecus altare ſederet, puellam ei parvulam offerentes, quam vehementi impetu vexabat diabolus, orant ut miſellæ ſubveniat, & diabolum in ea debacchantem elidat. Audita ſupplicatione adſtantium, & intuitus perſonam frendentem dentibus & ſtridentem, ut etiam intuentibus eſſet horrori, compaſſus eſt ætati, & vehementiæ anxietatis ejus condoluit. Patenam igitur calicis, in quo divina celebraturus erat myſteria, accipit, & digitis latice ſuperfuſo, orans intra ſe, & de Domini virtute confidens, ori puellæ ſalubrem potum applicat, & corpori e- F jus ſtillam medicinalem infundit. Nec mora, quaſi ureretur ſatanas, infuſionis illius virtutem ferre non potuit, ſed urgente intrinſecus crucis antidoto, feſtinanter egrediens, vomitu ſordidiſſimo tremebundus erupit. Sic purgatâ perſonâ, diabolo profugo & confuſo, laudes debitas Deo canit eccleſia, & poſt acclamationes lætabundas alacer populus ibidem, donec divina compleantur myſteria, immobilis perſeverat. Sub aſpectu itaque omnium incolumis puella à ſuis domum reducitur, & vix tandem à populo dimiſſus ad hoſpitium Vir Dei revertitur.

95 Divino judicio ea tempeſtate in Mediolano, juxta Eſaiæ verbum, piloſi clamabant alter ad alterum, & occurrebant onocentauris dæmonia, & effrenatis decurſibus plurimos infeſtabant: nec erat qui inſolentiæ eorum reſiſteret, cum diu ſub Anſelmi ſchiſmate *c*, qui Petri fautor Mediolanenſem occupaverat cathedram, ſacerdotes gementes, virgines ſqualidæ, ſanctificationes maledictæ, altare pollutum, iram Dei in populum provocaſſent. At verò in adventu Viri Dei, abdicatis Anſelmi præſtigiis, & in Sedis

quem deinde Mediolanenſes ſtudioſiſſimè excipiunt, & ab eo Eccleſiæ reconciliantur: *b*

ibidem dæmones ab obſeſſis fugat,

& energumenam liberat miro cum populi applauſu:

celebrans divina myſteria, puellam curat vexatam à diabolo,

cujus licentiam apud Mediolanenſes etiam reprimit: *c*

A. ERNALDO. Apoſtolicæ obedientiam ſub Innocentio revocatâ eccleſiâ, impedita eſt illa dæmonum licentia, & quotidie dabat locum; & ad preces Viri Dei diſfugiebat diabolus: & ſi quando reſiſtere conabatur, in ipſo conflictu ſuccumbens glorioſiùs vincebatur.

III. *contra malignos ſpiritus ſigno crucis,*

96 Inter eos igitur qui vexabantur, mulier grandæva civis Mediolanenſis, & honorata quondam matrona, uſque ad eccleſiam beati Ambroſii poſt beatum Virum à multis tracta eſt: in cujus pectore pluribus annis diabolus ſederat, & jam ita ſuffocaverat eam, ut viſu & auditu & verbo privata, frendens dentibus, & linguam in modum promuſcidis elephantinæ protendens, monſtrum non femina videretur. Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fœtidus, inhabitatoris ſatanæ colluvia teſtabantur. Hanc cum aſpexiſſet Vir Dei, novit inhærentem ei & inviſcatum * diabolum, nec facilè egreſſurum de domo; quam tanto poſſederat tempore. Converſus ad populum, cujus innumera aderat multitudo, orare jubet attentiùs, & clericis & monachis ſecùm juxta altare conſiſtentibus, mulierem ibidem jubet conſtitui & teneri. Illa verò reluctans, & vi diabolica, non naturali virtute recalcitrans, non ſine aliorum injuria, ipſum Abbatem pedè percuſſit. Quem diaboli auſum manſuetè ille contempſit, & ad expulſionem non indignatione iræ, ſed pacifica & humili ſupplicatione Deum invocat adjutorem, & ad immolationem hoſtiæ ſalutaris accedit. Quoties tamen eamdem ſacram hoſtiam ſignat, toties ad mulierem quoque converſus, eodem ſigno crucis edito ſpiritum nequam Athleta fortis impugnat.

* *al.* inviſceratum

B

corpore Chriſti, & ſacrificio Miſſæ mira operatur.

97 Nam & ille malignus, quoties adverſus eum ſignum crucis intenditur, percuſſum ſe indicans, acriùs ſævit, & recalcitrans contra ſtimulum, quidnam toleret, prodit invitus. Expleta autem oratione Dominica, efficaciùs hoſtem aggreditur Vir beatus. Patenæ ſiquidem calicis ſacrum Domini Corpus imponens, & mulieris capiti ſuperponens, talia loquebatur: Adeſt, inique ſpiritus, judex tuus, adeſt ſumma poteſtas: jam reſiſte, ſi potes. Adeſt ille, qui pro noſtra ſalute paſſurus, Nunc, inquit, princeps hujus mundi ejicietur foras. Hoc illud Corpus, quod de corpore Virginis ſumptum eſt, quod in ſtipite crucis extenſum eſt; quod in tumulo jacuit; quod de morte ſurrexit; quod videntibus diſcipulis aſcendit in cælum. In hujus ergo majeſtatis terribili poteſtate, tibi, ſpiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens, contingere eam deinceps non præſumas. Cumque eam invitus deſerens, & manere ultrà non valens, atrociùs afflictaret, tam magnam iram, quàm modicum tempus habens, rediens Pater ſanctus ad altare, fractionem hoſtiæ ſalutaris ritè complevit, diffundendamque in populum pacem miniſtro dedit: & confeſtim pax & ſalus integra reddita eſt mulieri. Sic ille nequam, divina myſteria quantæ ſint efficientiæ & virtutis, non confeſſione, ſed fugâ coactus oſtendit. Fugato diabolo mulier, quam in tantorum ſartagine tormentorum carnifex peſtilens tanto tempore frixerat, mentis ſuæ compos effecta, redditis cum ratione ſenſibus, revolutâ intra fauces linguâ, Deum confeſſa gratias egit, & intuita curatorem ſuum, pedibus ejus advoluta eſt. Ingens per eccleſiam attollitur clamor, omnis ætas jubilat Deo, perſonant æramenta, benedicitur ab omnibus Deus, excedit veneratio modum, & Servum Dei ſupra hominem, ſi dici fas eſt, liquefacta caritate civitas veneratur.

C

98 Audiebantur hæc, quæ Mediolani fiebant, & per totam Italiam Viri Dei diſcurrebat opinio, & divulgabatur ubique, quòd ſurrexiſſet Propheta magnus, potens in opere & ſermone, qui, invocato Chriſti nomine, & infirmos curaret, & obſeſſos à dæmonibus liberaret. Maxima quidem ei in curationibus ægritudinum gratia, ſed in dæmonibus eliminandis frequentior operatio erat: quia copioſior vexatorum numerus ad experta ſubſidia concurrebat, & majorum operatio virtutum minores obſcurabat effectus. Jam verò præ frequentia populi, qui à mane uſque ad veſperam foribus aſſidebat, oppreſſionem vulgi præ corporis imbecillitate non ferens, ad feneſtras domûs procedens, ſe eis conſpiciendum præbebat, & elevata manu benedicebat eis. Panes quoque & aquam devehebant ſecum, quibus benedictioni ejus ſuppoſitis, pro beneficiis ea ſacramentalibus referebant. Ex vicinis ſanè caſtellis & vicis & urbibus multi confluxerant; & communia tam advenarum quàm civium in Mediolano ſtudia erant profequi Sanctum, expetere beneficium, audire verbum, videre ſignum: & doctrina & miraculis ultrà, quàm credibile eſt, delectabantur.

D *Nominis ejus celebritas per totam Italiam.*

E

Præter puerum dæmoniacum,

99 Aderat inter eos quidam ex ſuburbanis, qui puerum dæmoniacum illuc advexerat. Qui repentè coram omnibus ad ſignum crucis, quod Vir ſanctus edidit, de bajuli ſui brachiis ruit, & eliſus humi quaſi mortuus ſine ullo ſenſu immobilis viſus eſt, neque vox neque halitus erat in eo: tantùm circa præcordia exiguus ei ſuperat vapor. Dant igitur ceteri locum, ut poſſet procedere, & admitti ad Virum Dei ſeminecis pueri bajulus; & attonita multitudo tam miſerabilis casûs præſtolabatur eventum. Ingreſſus igitur ad Virum Dei homo eſt, & puerum ſtupidum, nec aliquid ſentientem; ante pedes Abbatis expoſuit: & ait: Puer iſte, Domine Pater, quem ante tuos poſui pedes, jam per triennium à dæmonio acerrimè vexatus eſt: & quoties vel eccleſiam ingreditur, & ſalibus exorcizatis aſpergitur, vel ſignum ei crucis imponitur, vel Euangelium audire compellitur, vel divinis intereſt ſacramentis, offenditur habitator ejus diabolus, & torquetur atrociùs. Dumque modò cum ceteris ego pro foribus exſpectarem, ſignum ſanctæ crucis figurante te, & extendente in populos manum, ſacramentalium ſignorum virtute exacerbatus diabolus, vehementiùs ſolito totus ad pueri vexationem ſe contulit, &, ſicut vides, totum corpus ejus occupans, ferè ei etiam vitalem ſpiritum intercludit. Sed & ipſe puer, cùm audita eſſet apud nos gratiæ, quam à Deo accepiſti, opinio, ex aliorum curationibus ſuam ſperans ſalutem, rogavit me, ut eum ad te adducerem. Obſecro igitur per miſericordiam Dei, ut & laboribus meis, qui in ejus cuſtodia operam damnoſam & periculoſam impendo, & illius miſeriæ, quæ tanta eſt, quantam ipſe oculis probas, pio & conſueto affectu ſubvenias, & rabiem dæmonis non uſquequaque procedere patiaris. Flebat igitur, & lacrymis ora perfuſus præſentes quoſque commovit, ut omnes pariter ſupplicarent.

F

quem reddit ſoſpitem,

100 Tunc Vir Dei confidere eos in Dei miſericordia jubens, baculo, cui innitebatur, collum pueri leniter tangit. Sed & frater ejus Gerardus, volens experiri quæ ab homine dicta fuerant, latenter dorſo ejus ſignum crucis impreſſit. Cúmque priùs ſine motu & ſenſu, nec videns, nec audiens, ante pedes Abbatis diu extenſus pavimento hæſiſſet, ad tactum baculi & ad ſignum crucis infremuit, & turbatus ingemuit. Jubet igitur

A gitur Abbas ſuper proprium lectulum eum poni. At ille quaſi ex injuria offenſus rejecit ſe in pavimentum, & ſtridebat dentibus, & mordebat procuratorem ſuum, & capillis eorum, qui aderant, manus injiciens, quo poterat conatu ſe ab eorum manibus abſtrahebat, & ab eis vix teneri poterat. Eia, inquit Abbas, ad lectum noſtrum eum reducite. Orante itaque Abbate, & fratribus in oratione proſtratis, quaſi ardentibus paleis, quæ in lecto continebantur, diabolus ureretur, tormenti æſtuantis, vi divina propinquante, paſſionem clamoribus teſtabatur. Jubet igitur Vir ſanctus aquam benedictam in os patientis infundi. Quam ille preſſis labiis & dentibus non admittens, vix tandem, cuneo infixo diſſolvente preſſuram, vellet, nollet, intra fauces & gutur recepit. Confeſtimque ut penetrans ſanctificatio ad interiora deſcendit, quaſi infuſo antidoto vis maligna erupit, & vomitu ſordidiſſimo quaſi torrentis impulſu, feſtina præcipitatione rotatus cum ingenti contumelia dæmon exivit. Repentè, qui videbatur mortuus, vivit, & de lecto Abbatis quietus & incolumis ſurgens, patronumque * ſuum amplexatus, Deo gratias; Sanus ſum, inquit. Gratias agunt omnes communiter Deo, & qui modò flebant, lætantur. Foras clamor effunditur; res intus geſta ſuper tecta ſolemniter prædicatur; tota ad ſpectaculum convenit civitas; benedicitur Deus, gaudet populus, in Abbate tanti operis patratore totius plebis requieſcit affectus.

* *al.* patratum

B

101 Febricitantibus multis idem Sanctus manus imponens, & aquam benedictam porrigens ad bibendum, ſanitatem obtinuit: aridas manus & membra paralyſi diſſoluta tangens incolumitati reſtituit: cæci etiam ſub multorum teſtimonio in eadem civitate ut viderent, impoſito ſigno crucis, à Patre luminum potenter obtinuit. Per idem tempus hoſpitium Albanenſis epiſcopi *, quem Dominus Papa in eadem legatione ſibi collegam dederat, gratiâ tractandorum negotiorum intraverat: & de his, quæ injuncta fuerant, conferebant: cum repentè irruit ſuper eos adoleſcens, cujus manus arida erat, & retorta ad brachium: & advolutus pedibus ejus ſuppliciter poſtulat ſanitatem. Ille aliàs occupatus, benedixit quidem, & abire præcepit, & ne ampliùs ſibi moleſtiam faceret verbis ſolito ſeverioribus interdixit. Recedebat ille non conſecutus quod quæſierat: cùm venerabilis epiſcopus ſub omni celeritate eum regredi jubet, & manu arreptum tradit Abbati. Huic, inquit, qui minimè beneficium conſecutus, tibi, ut diſcederet, obedivit, tu ne claudas viſcera miſericordiæ: quin potiùs tu obedi, & virtute obedientiæ, me jubente, adſtrictus fac quod poſtulat, largire quod petit; & confidens in ejus virtute, per quem expetit ſanitatem, poſtula & impetrabis, ut & nos de Dei munere, & ille de optata glorietur ſalute.

varia ſanitatum beneficia

* Matthæi

C

102 Ad præceptum epiſcopi Abbas apprehenſa pueri manu invocavit Dominum, & exaudivit eum: & ſigno crucis edito, nervi, qui obriguerant, extenſi ſunt, & caro, quam aſſiduus * congelaverat morbus, redeunte ſoſpitate ingenita, mobilis facta eſt & flexibilis, & dicto citius languidum diu membrum convaluit. Obſtupuit epiſcopus, tam repentinæ virtutis admirans effectum, & ampliori etiam extunc veneratione Virum Dei coluit, & miraculorum illius ipſe teſtis extitit & relator. Compulit autem eum, ut ibidem ea nocte cœnaret. Cujus rei aſſenſum cum magna difficultate obtinuit, ea dumtaxat ratione ſuaſum, quòd intolerabilis undique populus exſpectaret; nec ſine periculo poſſe egredi videretur. Inter cœnandum verò, paropſidem, in qua Abbas comederat, epiſcopus miniſtro familiari ſervandam tradidit, & præcepit, ut ſeorſum reconditam, cum omni diligentia cuſtodiret. Elapſis exinde aliquot diebus, epiſcopus idem febrium vehementi ardore corripitur. Et recordatus Hominis Dei, familiarem jubet accerſire miniſtrum. Diſcum, inquit, Abbatis, quem tibi nuper tradidi conſervandum, huc afferre ne cuncteris. Cumque ille obtuliſſet allatum, Infunde, inquit, aquam in eo, & panis exiguas buccellas conſcinde. Quod cùm factum eſſet, confidens in Domino, & Abbatis precibus ſe commendans, comedit & bibit, & abſque ulla dilatione convaluit.

A. ERNALDO.

103 Augebatur adventantium numerus, & mirificata opera ad ſe populos invitabant: nec uſquam Viro Dei dabatur requies, dum ex ejus laſſitudine alii ſibi requiem procurarent. Abeuntibus occurrebant advenientes, & ſuccedebant ſibi beneficia mendicantes. Inter quos miles quidam in ulnis ſuis puellulam ad Virum Dei attulit, quæ ita exoſam lucem habebat, ut ſemper clauſis palpebris etiam brachium opponeret oculis, ne aliquo modo aliqua lucis particula ſe ei ingereret. Avellebantur aliquando oppoſita brachia violenter, & cùm ſe ei lumen infunderet, clamabat & flebat, & erat ei claritas pro cruciatu, & lux viſa quaſi aculeos ejus cerebro infigebat. Benedicit infantulæ Vir Dei, & ſignaculum crucis faciens ſuper eam, tranquilliorem dimittit: & dum domum referretur, ultro aperit oculos, & pedes ſine vectore ipſa revertitur. Et ipſo in loco mulieri à dæmonio vexatæ multis adſtantibus à Patre miſericordiarum idem Sanctus obtinuit ſanitatem.

confert.

E

ANNOTATA.

a *Quæ in hoc capite dicuntur de hac ſynodo, & de actis in eadem à Viro ſancto, uti & apud Mediolanenſes, illuſtrat noſter Commentarius prævius § 19. Legi etiam poteſt epiſtola* S. Bernardi *ordine centeſima trigeſima, in qua Piſanos egregiè laudat.*

b *De viris hiſce, ac de Gaufredo Carnotenſi epiſcopo, qui ſtatim hic nominatur, breviter quædam notavimus ibidem num.* 209.

F

c *Conſule ibidem dicta § 20, num.* 223.

d *Miraculorum, quæ Sanctus fecit, multitudinem quis enumeret? Eorum compendium dabimus in Gloria ejus poſthuma.*

CAPUT III.

Dæmoniaci Papiæ & alibi curati; Sanctus in oculis aliorum rebus geſtis maximus; in ſuis minimus; dignitatum deſpicientia; reditus ad monaſterium Claravallenſe; hoc aliò tranſlatum.

JAm Papiam *a* advenerat, & fama virtutum adventum ejus præceſſerat, & cum debito

IV. a

A. ERNALDO. *Papiam venit S. Bernardus;*

gaudio & apparatu tantæ gloriæ Virum civitas lætabunda ſuſcepit. Et ne diu populi deſiderium dilatio ſuſpenderet, qui, ſicut Mediolani miracula facta audierat, ſignum ab eo optabat videre; advenit repentè poſt eum ruſticus quidam, qui de Mediolano ſecutus eum fuerat, uxorem dæmoniacam ſecum adducens, quam ante pedes ejus, lacrymabili voce intrinſecas proteſtans anxietates, depoſuit. Nec mora, in contumeliam Abbatis, per os miſeræ mulieris diabolus locutus eſt, & irridens Servum Dei, Non, inquit, me de canicula mea hic porrulos edens & braſſicas devorans pellet. Multa in hunc modum in Virum Dei jaculabatur convicia, ut blaſphemiis provocatus, impatienter ferret opprobria, & confunderetur in præſentia populi, cùm indignis ſe audiret ſermonibus laceſſiri. Sed Vir Dei aſtutias ejus intelligens, irriſorem irriſit, & ultionem non ipſe experens, ſed ad Deum remittens, ad eccleſiam ſancti Syri dæmoniacam duci præcepit. Voluit quippe curationis illius gloriam dare Martyri, & primitias operationum virtuti ejus adſcribi. At verò ſanctus Syrus ad hoſpitem ſuum remiſit negotium, nec in eccleſia ſua quidpiam ſibi deferens, intactum opus reduci voluit ad Abbatem. Reducitur igitur mulier ad Abbatis hoſpitium, garriente per os ejus diabolo, & dicente: Non me Syrulus ejiciet, non expellet Bernardulus. Ad hæc Servus Dei reſpondit: Nec Syrus, nec te Bernardus ejiciet, ſed Dominus Jeſus Chriſtus. Et converſus ad orationem, pro ſalute mulieris Domino ſupplicabat.

ubi mirum adverſus dæmones

105 Tum verò ſpiritus nequam, velut priori improbitate mutata, Quàm libens, inquit, egrederer ab hac canicula, graviter moleſtatus in ea, quàm libens egrederer! ſed non poſſum. Interrogatus cauſam; Quia necdum vult magnus Dominus, ait. Cui Sanctus: Et quis eſt magnus Dominus? Et ille: Jeſus Nazarenus. Ad quem rurſum Vir Dei: Unde enim Jeſum noſti, aut ſi umquam vidiſti eum? Vidi, inquit. Ubinam eum vidiſti? In gloria. Et tu in gloria fuiſti? Fui quidem. Et quomodo inde exiſti? Cum Lucifero, inquit, multi cecidimus. Hæc autem omnia voce lugubri per os vetulæ, audientibus omnibus, loquebatur. Reſpondente autem Abbate ſancto, Numquid non in illam redire gloriam velles, & reſtitui in gaudium priſtinum? Rurſum voce mutata, & miro modo cachinnans, Hoc, inquit, tardatum * eſt. Et nihil ultra locutus, orante attentiùs Viro Dei, nequiſſimus ille victus abſceſſit, & mulier ſibi reddita, quantas potuit gratias egit. Revertitur igitur vir cum muliere, & per totam viam incolumitati ejus congaudens, exſpectantibus amicis domui ſuæ redditur. Lætabantur omnes qui ordinem rei geſtæ audierunt: ſed repentè gaudium vertitur in mœrorem: quia ubi domus ſuæ limina mulier attigit, rurſus eam intrat diabolus, & infeſtior ſolito miſeram diſcerpit atrociùs.

B

C

* *al.* tardum

imperium

106 Quid faceret miſer maritus, quò ſe verteret, neſciebat. Cohabitare cum dæmoniaca moleſtiſſimum, relinquere impium videbatur. Surgit igitur, & aſſumpta ſecum muliere rurſùm Papiam revertitur. Ubi cùm Virum Dei non inveniſſet, uſque Cremonam *b* proſequitur abeuntem. Indicat quid factum ſit, & ut gratiam inveniat, lacrymabiliter deprecatur. Nec deeſt piæ petitioni Abbatis clementia; ſed præcipit, ut eccleſiam civitatis illius ingrediatur, [& ante Confeſſorum corpora] orans exſpectet, donec ipſe ſequatur. Itaque memor promiſſi, circa noctis crepuſculum ceteris dormitum euntibus, ipſe, uno tantùm proſequente, eccleſiam ingreditur, & tota nocte illa orationi vacans, obtinuit à Domino quod petebat; &, impetrata mulieri ſanitate, jubet eam ſecuram reverti ad propria. Sed cùm illa reditum ad ſe diaboli, ſicut jam experta fuerat, formidaret, collo ejus alligari chartulam, hæc verba continentem, præcepit: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti præcipio tibi, dæmon, ne hanc amodò mulierem præſumas contingere. Quod mandatum ſic expavit diabolus, ut mulieri regreſſæ ad propria, numquam deinceps appropinquare præſumpſerit.

D

b

exercet;

107 Erat etiam in eadem civitate dæmoniacus quidam, cujus paſſio multos ad riſum movebat, cùm alii, qui ſeverioris animi erant, clementiſſimo ei compaterentur affectu. Hic ita latrabat, ut, ſi audires, nec videres perſonam; canem crederes. Quem ſibi exhibitum Vir Dei cum latrantem audiſſet, ingemuit: qui eo modo latrabat, quo ſolent percuſſi vel obruti canes iraſci, & ringere * in percuſſores. Sed & in præſentia Viri Dei anhelans & latrans, acriùs ſolito turbabatur. Increpato itaque diabolo, & in virtute Chriſti expulſo, homini imperat, ut loquatur. Purgatus homo intrat eccleſiam, intereſt ſacramentis, crucis ſigno ſe munit, audit Euangelia, confitetur & orat, & cetera ſanæ mentis officia Deo reddit & conſecrat.

* *al.* fremere

E

ſicut etiam Mediolani.

108 Cùm ſecundò per Mediolanum eodem anno Pater ſanctus tranſiret, oblata eſt ei dæmoniaca mulier. Nam eo tempore aberat, quo primùm Vir Dei civitatem prædictam ſuâ illuſtravit præſentiâ. Hanc poſſidebat dæmonium, quod modò Italicâ, modò Iberâ * linguâ loquebatur; nec ſatis certum, utrùm unus eſſet bilinguis, an duo, ſui quiſque ſermonis idiomate utens; ſed tam propriè modò hæc, modò illa ſonabat, ut diceres, hic qui loquitur, Ligur * eſt; hic Hiſpanus. Hæc etiam genuum paſſione, & poplitis tremore perturbabatur. Quæ cùm ad Virum Dei adducta fuiſſet, ſaltu concito ſcamnum, in quo ſedebat, inopinata celeritate tranſiliit. Reducta & interrogata, quid ſibi vellet & ſaltus, & fuga, & unde ægrotanti & vetulæ tanta virtus & velocitas adveniſſet; reſpondit, hanc ſibi agilitatem ex præſentia ineſſe diaboli, ut currentes comprehenderet equos, & eorum dorſo ſine ullo adminiculo inſiliret. Hæc ſequenti die dum in eccleſia divinis, quæ ille celebrabat, Officiis intereſſet, crudeliſſimè & diutiſſimè coram omnibus vexata eſt. Compaſſus Abbas mulieri, jam ſæpè in talibus expertus Dei clementiam, imperat diabolo ut recedat. Ille ad imperium Servi Dei tremebundus evanuit: mulier verò non ſolùm à vexatione, ſed etiam à nervorum contractione in momento convaluit. Hæc & alia multa intra Alpes conſtitutus operatus eſt Vir Dei, & diverſa loca perluſtrans, benefaciebat iis, qui infirmabantur, illuminando cæcos, erigendo debiles, curando febricitantes, maximè oppreſſos à diabolo diligentiori ſtudio purgans: & quæ malignus fœdaverat ſpiritus pectora, templa Deo acceptabilia conſecrabat.

* *i. e.* Hiſpanica

* *i. e* Longobardus, *vel* Inſûber

F

In rebus tantis demiſſiſſimè ſe gerit:

109 Plurima autem in eum probabilia & laude digna concurrunt. Alii namque doctrinam, alii mores; alii mirantur miracula. Ego quidem congruum his omnibus honorem defero; ſed præ omnibus, quantùm in me eſt, hoc ſublimius duco, hoc propenſius prædico, quòd, cum eſſet vas electionis, & nomen Chriſti coram gentibus & regibus ferret intrepidus, cùm obedirent ei principes

A principes mundi, & ad nutum ejus in omni natione ſtarent epiſcopi; cùm ipſa Romana Eccleſia ſingulari privilegio ejus veneraretur conſilia, & quaſi generali legatione conceſſâ ſubjeciſſet ei gentes & regna; cùm etiam, quòd glorioſius judicatur, facta ejus & verba confirmarentur miraculis: numquam exceſſit, numquam ſupra ſe in mirabilibus ambulavit; ſed de ſe ſemper humiliter ſentiens, venerabilium operum non ſe auctorem credidit, ſed miniſtrum: & cùm eſſet omnium judicio ſummus, ſuo ſibi judicio conſtitit infimus. Soli Deo quidquid fecit adſcripſit: immò ſe nihil boni aut velle aut poſſe, niſi inſpirante & operante Deo, & ſenſit & dixit. Sed aderat vis divina in tempore accepto, & in die ſalutis, ſegregans in Euangelium ſuum Servum ſuum, cujus humilitatem reſpexerat, cujus animam Spiritus ſanctus ornaverat: & quia ſinceritatem ejus nulla maculabat duplicitas, nec interrumpebat bonum ejus quælibet conſperſio falſitatis, in loco ſuo idem ſpiritus manebat immobilis.

B *carne infirmus, ſpiritu promptus eſt, & dignitates reſpuit:*

110 Qui, ut ſemper ſplendidior eſſet & purior, quotidie in fornace probabatur, &, ne quid ei rubiginis obreperet, crebris malleorum ictibus in incude tundebatur, flagellabatur, & arguebatur, non ad pœnam pro crimine, ſed ad gloriam pro virtute. Numquam ei defuit ſtimulus ægritudinis. Et cùm ſciret virtutem in infirmitate perfici, ſufficientem ſibi in hoc experiebatur gratiam, quòd videret ſuos omnes quantulumcumque extraordinarios motus limâ illius quotidianæ afflictionis abradi. Erat quidem caro infirma, ſed ſpiritus promptus: & quo minùs in corpore poterat delectari, ampliùs delectabatur in Domino; nec aliqua ſeculi hujus ambitione pulſabatur, qui ſolis cæleſtibus inhiabat. Quot eccleſiæ deſtitutæ paſtoribus, eum ſibi in epiſcopum elegerunt? Elegit eum domeſtica Lingonenſis eccleſia, elegit Catalaunenſis. Intra Italiam civitas Januenſis, & Mediolanum metropolis Ligurum, hunc optaverunt paſtorem & magiſtrum. Remi, nobiliſſima Franciæ civitas, ſecundæ Belgicæ provinciæ caput, ejus dominationem ambivit. Omnibus his vocationibus poſtpoſitis, non ſollicitavit animam ejus honor oblatus; nec motus eſt pes ejus, ut inclinaret ſe ad gloriam, nec magis eum delectabat tiara & annulus, quàm raſtrum & ſarculus.

C *Claravallenſium ſtudium in Patre ſuo ſecum retinendo.*

111 Petentibus ſe nec annuens aliquando, nec inſolenter aut improbè renuens, dicebat ſe non eſſe ſuum, ſed aliorum ſervitio deputatum. Quæ res cùm referretur ad fratres, reſpondebant: Nos omnibus, quæ poſſidebamus, venditis, inventam pretioſam margaritam comparavimus, ad patrimonia diſtracta redire non poſſumus. Quòd ſi & pretium & appretiatum nobis perierit, & ſubſtantiis, & margarita privati fuerimus, exſpectationi noſtræ malè proviſum eſt, ſi oleo noſtro effuſo, clauſis januis ſicut fatui mendicemus. Providerant etiam ſibi ex conſilio ſanctiſſimi fratres, & Domini Papæ auctoritate muniti erant, ne quis gaudium ſuum tollere poſſet ab eis, & aliorum conſolatio eis fieret tribulatio, & eorum inopia aliorum plenitudinem cumularet. His aliiſque rationibus Servi Dei expugnaverant petitores, & jam divulgatum erat ubique, Abbatem ſic ſtatutum in Eccleſia à Deo, ſicut in Hebræorum populo Moyſes fuit, qui cùm non eſſet pontifex, Aaron tamen unxit & ſacravit pontificem; & diſpoſitionibus ejus tota **Levitica** omni tempore ſucceſſio paruit.

112 Jam Alpes tranſcenderat *c*; & deſcendebant in occurſum ejus de ſummis rupibus paſtores, & armentarii, & agreſte hominum genus, & conclamabant à longè, benedictionem petentes, & reptabant per fauces montium, regredientes ad caulas ſuas, colloquentes ad invicem & gaudentes, quòd Sanctum Domini vidiſſent; & manu ejus ſuper ſe extenſa optatæ benedictionis gratiam accepiſſent. Tandem Chryſopolin *d* veniens, uſque Lingonas *e* ſolenniter deducitur, circà quos fines fratres ei Claravallenſes occurrunt: provoluti genibus, ſurgunt ad oſcula, & viciſſim ei colloquentes, Claramvallem eum deducunt alacriter. Adſunt fratres congregati in unum, & mira devotione dilectum Patrem ſuſcipiunt. Agitur ſine tumultu cum omni gravitate lætitia. Facies quidem purior hilaritatem diſſimulare non poterat, ſed caſtigatus actionum & locutionum modus, metas proprias non tranſgrediebatur, & cohibebant ſe affectiones ipſæ, ne quid ageret, in quo diſſolutionis nota religionis maturitatem offenderet. In tanta Abbatis mora nihil in Claravalle potuit diabolus texere, nihil interim rubiginis ſinceris affricuit mentibus; nec in aliqua parte domus Dei, ſupra petram fundata, mota eſt. Ità opus ſuum Servus Dei abſens corpore, præſens ſpiritu, orationum inſtantiâ munierat & ſolidarat, ut nec rima aliqua in tantis conſtructionibus hiſcere videretur.

A. ERNALDO. V. *Ex Italia redux à Claravallenſibus ſuſcipitur:*

c

d

e

E

113 Nullæ in adventum ejus lites ſervatæ ſunt: non odia nutrita in præſentia judicis eruperunt. Nihil juniores adverſus priores de auſteritate vel duritia, nihil priores adverſus juniores de diſſolutione aliqua vel remiſſione cauſati ſunt. Integer univerſorum ſtatus, concors ſocietas, vera unitas; omnes unius moris in domo Dei, in pace & ſanctimonia inventi ſunt, aſcendentes ſcalam Jacob, & feſtinantes ad intuitum Dei, cujus delectabilis aſpectus in ſuperioribus eminebat. Abbas itaque non immemor ejus, qui ait: Videbam ſatanam ſicut fulgur cadentem de cælo; eò humilior erat, & ſubjectior Deo, quò intelligebat deſideriis ſuis Deum adeſſe propitium. Nec de hoc in ſe gloriabatur, quòd ſubjiciebantur ei dæmonia, quin potiùs in Domino gaudebat, quòd nomina fratrum ſuorum ſcripta videbat in cælo, quorum unanimitas immaculatam ſe ab hoc ſæculo cuſtodiret.

apud quos, ipſo abſente vigebat religioſa diſciplina.

F *conſilium de monaſterio in locum ampliorem transferendo non probat;*

f

g

114 Aderant ei in conſiliis venerabiles fratres ſui; aderat Godefridus Prior ejuſdem loci, propinquus ejus in carne & ſpiritu, vir ſapiens & conſtans, qui etiam religionis & prudentiæ merito poſtea *f* in eccleſia Lingonenſi factus epiſcopus, & ſanctitatis formam retinens, & dignitatis, in qua eſt honorem non minuens, uſque hodie *g* ingrediens & egrediens laudabiliter perſeverat. Hic ergo atque alii plures viri providi, & de communi utilitate ſolliciti, Virum Dei, cujus converſatio in cælis erat, aliquando deſcendere compellebant, & indicabant ei quæ domus neceſſitas exigebat. Inſinuant itaque ei, locum anguſtum & incommodum, in quo conſederant, nec capacem tantæ multitudinis: & cùm quotidie catervatim adventantium numerus augeretur, non poſſe eos intra conſtructas recipi officinas, & vix oratorium ſolis ſufficere monachis. Addunt etiam, ſe conſideraſſe inferiùs aptam planitiem, & opportunitatem fluminis, quod infrà illabitur, ibique locum eſſe ſpatioſum ad omnes monaſterii neceſſitates, ad prata, ad colonias, ad virgulta & vineas: &, ſi ſylvæ videatur deeſſe clauſura, facilè hoc parietibus lapideis, quo-

A. ERNALDO.

rum ingens ibi copia est, posse suppleri. In primis Vir Dei non acquievit consilio. Videtis, inquit, quia multis expensis & sudoribus jam domus lapideæ *h* consummatæ sunt, aquæductus cum maximis sumptibus per singulas officinas traducti. Si hæc omnia confregerimus, poterunt homines sæculi malè de nobis sentire, quòd aut leves sumus & mutabiles, aut nimiæ, quas tamen non habemus, divitiæ nos faciunt insanire. Cúmque certissimum vobis sit, penes nos non esse pecunias, verbo euangelico vobis dico, quia ædificaturo turrim, futuri operis necesse est supputare expensas: alioquin cùm cœperit, & defecerit, dicetur: Hic homo fatuus cœpit ædificare, & non potuit consummare.

h

sed eidem deinde consentit,

115 Ad hæc fratres respondent: Si consummatis iis, quæ ad monasterium pertinent, habitatores cessasset mittere Deus, stare posset sententia, & cessandum ab operibus rationabilis esset censura. Nunc verò cùm quotidie gregem suum Deus multiplicet, aut repellendi sunt quos mittit, aut providenda mansio, in qua suscipiantur. Nec dubium est, qui parat mansores, quin
B præparet mansiones. Absit autem, ut pro diffidentia sumptuum confusionis hujus incurramus discrimina. Audiens hæc Abbas, fide & caritate eorum delectatus est, & aliquando tandem consiliis acquievit; plurimis tamen priùs super hoc ad Deum precibus fusis, nonnullis quoque revelationibus præostensis. Gavisi sunt fratres, ubi effusum est verbum in publicum.

Theobaldo & aliis sumptus suppeditantibus.

i

k

116 Audivit hoc sanctæ memoriæ *i* nobilissimus princeps Theobaldus, & multa in sumptus dedit, & ampliora spopondit subsidia. Audierunt episcopi regionum, & viri inclyti, & negotiatores terræ, & hilari animo sine exactore ultrò ad opus Dei copiosa contulêre suffragia. Abundantibus sumptibus, conductis festinanter operariis, ipsi fratres per omnia incumbebant operibus: alii cædebant ligna [alii lapides conquadrabant, alii muros struebant] *k* alii diffusis limitibus partiebantur fluvium, & extollebant saltus aquarum ad molas: sed & fullones, & pistores, & coriarii, & fabri, aliique artifices, congruas aptabant suis operibus machinas, ut scaturiret & prodiret, ubicumque opportunum esset, in
C omni domo subterraneis canalibus deductus rivus ultrò ebulliens: & demum congruis ministeriis per omnes officinas expletis, purgata domo, ad cardinalem alveum reverterentur, quæ diffusæ fuerant aquæ, & flumini propriam redderent quantitatem. Inopinata celeritate consummati sunt muri, totum monasterii ambitum spatiosissimè complectentes. Surrexit domus, & quasi animam viventem atque motabilem haberet, nuper nata ecclesia, in brevi profecit & crevit.

ANNOTATA.

a Papia, *al.* Ticinum, *urbs est Longobardiæ præclara in Ducatu Mediolanensi.*

b Cremona, *notissima Italiæ urbs est in eodem Ducatu Mediolanensi.*

c *De anno, quo Sanctus ad suos Claravallenses rediit ex Italia, consule Commentarium prævium* § 21.

d Chrysopolis, *quæ aliter* Vesontio *dicitur, vulgo Besançon, urbs est Galliæ archiepiscopalis in Ducatu Burgundiæ.*

e *Urbs est Galliæ, vulgo Langres, in Campania provincia, ad fontes Matronæ fluvii.*

f *Ad insulas fuit evectus anno* 1139; *eas dimisit, ac suam Claramvallem repetiit anno* 1161, *vel* 1163: *obiit anno* 1164, *vel, ut alibi notatur,* circa annum Domini MCLXV, *ex Gallia Christiana tom.* 4, *col* 581 *editionis novissimæ. Consule etiam Commentarium prævium* § 28. D

g *Ex notis characteristicis chronologicis, ad litteram* f *proximè præcedentem signatis, eruimus, Ernaldum hæc non scripsisse ante annum* 1139, *nec post annum circiter* 1165.

h *Al.* domus ista parata est, sublimis est ecclesia, domus lapideæ &c. *ex Codice Corbeiensi apud Mabillonium hic.*

i *Adisis Commentarium nostrum prævium* § 49 *in fine.*

k Hæc, *uti habet notula marginalis apud Mabillonium,* ex Ms. Corb.

CAPUT IV.

Schisma Aquitaniæ compositum; mulier ab incubo dæmone mirabiliter liberata; Cantica Canticorum explanata. E

VI. *Guilielmus princeps Aquit. fovet schisma, uti & Engol. Mensis ep.,*

LAborabat ea tempestate *a* sub schismaticorum oppressione tota Burdegalensis *b* ecclesia: & non erat in Aquitania, qui posset resistere principi, cujus animum induraverat Deus: qui, annuente Gerardo Engolismensi episcopo *c*, & instillante in cor ejus dissensionis semina, factus est schismatis defensor & auctor. Quicumque susceptioni Petri Leonis non subscribebant, persecutionibus expositi, alii damnis, alii proscriptionibus mulctabantur: alii à sedibus propriis pulsi exsulare compellebantur. Sibilabat in auribus Comitis illius crebris persuasionibus ** quasi serpens antiquus veterator ille, qui diu in partibus illis Sedis Apostolicæ fuerat Legatus, & nunc à magistratu tanto dejectus, non poterat se pati suæ solius ecclesiæ episcopum, qui se viderat totius Aquitaniæ principem & magistrum. Erubescebat enim ad primam domum redire, cujus potentatui & Turonica, & Burdegalensis, & Auxiensis provinciæ subjectæ fuerant, & quid-
F quid à collibus Iberorum *d* usque ad Ligerim *e* complectitur & claudit Oceanus, paruerat ejus imperio. Consuetus igitur prædari provincias, & sub titulo justitiæ de causis emergentibus facere quæstum, infinitas aggregavit pecunias, quæ sibi erant in idolum, & in apostasiæ simulacrum. Videns itaque periisse sibi exactionum auctoritatem, & solam domum, quæ nuper multis stipata clamoribus, jam carebat æreriis; impatienter ferens, quòd manus ejus non implerentur muneribus; homo serpentinæ astutiæ, festinatò ad Petrum Leonis misit, ut ei legationem concederet, & ipse ei fidelitate jurata obediret; insuper & principem terræ, & quoscumque posset, ad ejus imperium inclinaret. Gavisus homo perditionis, quia locum, in quo dilataret malitiam suam, se inveniisse putavit, citò annuit; & libenter ei etiam in adstipulationem erroris Gilonem Tusculanum Cardinalem episcopum *f*, qui solus de Romanis cum Petro Portuensi episcopo *g* ei adhæferat, celeriter delegavit.

a

b

al suggestionibus

d *e*

f

g

118 Porrò Gerardus ipse, qui priùs se mutilatum dolebat, resumpsit cornua, & deinceps cœpit securior & audacior apparere. Nam & quod antè

qui illum corrumpit, & sibi consiliat.

A antè non fecerat, publicè procedebat mitratus, ut ipsa sacri officii insignia ampliorem ei reverentiam in populos vindicarent. Aggreditur ergo Comitem multis pecuniis, invadit animam ejus rationibus venenatis, & hominem promptum seducit facilè & corrumpit. In primis ab urbe Pi-
h ctavensi Guilielmus episcopus *h*, vir honestus, homo Catholicus, in societate & defensione universalis Ecclesiæ stabilis, violenter expellitur,
i & à Gerardo & Cardinale adjutore suo *i*, quia Petrum abdicabat, damnatur. Erant & aliæ familiares causæ, pro quibus ei à multo tempore Comes infensus, data occasione, libentissimè eum persequitur & abjurat. Visum est autem tam Gerardo quàm Comiti, ut ad confirmationem partis suæ, sine mora Pictavi crearent episco-
k pum. Et invenerunt hominem ambitiosum *k*, nobilem quidem genere, sed degenerem fide: quem, ut genus suum cum eo in causa ponerent, quibusdam ex clericis consentientibus, elegerunt: & profanas ei imponentes manus, execrabile caput ejus non tam unxerunt, quàm contaminaverunt. Simile huic monstrum in Lemovicensi ec-
B clesia instruxerunt Ramnulfum quemdam Doratensem abbatem *l*, quem non multò pòst ultio
l divina secuta est: cadens enim resupinus de equo in via plana, uno tantùm lapide ultore, qui ad hoc ibi erat relictus, infixo capiti ejus, & quassato cerebro exspiravit.

Carnotensis ep. Ecclesiæ succurrit, assumpto Bernardo: qui mulierem,

119 Audiens hæc & hujusmodi vir venerabilis Gaufredus Carnotensis episcopus, cui à Papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata, vehementer indoluit, & succurrendum periclitanti Ecclesiæ, postpositis aliis negotiis, sine ulla dilatione decrevit. Abbatem igitur Claræ-
m vallensem petit & obsecrat, ut sibi ad tanta mala eliminanda succurrat. Assensit Vir Dei, & se
n in proximo congregationem monachorum in Britanniam, in locum, quem juxta Nannetum *m* Comitissa Ermengardis *n* paraverat, ducturum intimat; & promittit, dispositâ illa domo secundum genus & species suas, se cum eo in Aquitaniam profecturum. Ibant igitur simul, &, ne multis ambagibus utar, simul Nannetum venerunt. Erat autem in regione illa misera mulier, quæ à quodam petulante diabolo vexabatur. [Apparuit autem ei lascivus ille diabolus in specie militis,
C valde pulcri aspectu, & in amorem suum intus suggestione latenti, extrà locutione blandienti animum ejus fallaciter inclinavit. Cumque mulieris assensum obtinuisset, expansis brachiis, pedes ejus super una manuum suarum posuit; altera verò manu caput ejus operuit, sibique eam
* *al.* desponsavit fœderis hujus signo dotavit. *] Habebat autem illa virum strenuum militem; sed hujus tam execrabilis commercii prorsus ignarum. Abutebatur ergo eâ, etiam in eodem lecto cubante marito, invisibiliter impurissimus ille adulter, & incredibili vexabat libidine.

fœdum habentem cum diabolo commercium,

120 Sex annis tantum latuit malum, nec detexit mulier perdita tanti criminis probrum. Septimo verò anno confusa est in seipsa, & expavit, tum propter colluvionem tam continuæ turpitudinis, tum propter timorem Dei, cujus judicio singulis momentis timebat intercipi & damnari. Confugit ad sacerdotes, & piaculum confitetur. Peragrat loca sancta, & Sanctorum implorat suffragia: sed nulla ei confessio, nulla oratio, nulla eleemosynarum largitio suffragatur. Quotidie, ut priùs, & importuniùs à dæmone infestatur. Denique in publicum tantum scelus effusum est. Quo audito & cognito, maritus ejus contubernium execratur. Interea ad locum præ- A. ERdictum Vir Dei cum comitatu suo advenerat: NALDO. cujus ut audivit adventum infelix mulier, se ad pedes ejus tremebunda projecit. Aperit ei lacrymis perfusa passionem horribilem, & ludificationem inveteratam; & quòd nihil ei profeciissent, quæcumque feciisset sibi à presbyteris imperata. Addidit, sibi ab oppressore suo adventum ejus prædictum, & minaciter ei interdictum, ne ante ejus veniret præsentiam, quia nihil ei prodesset, & ipse, recedente Abbate, qui fuerat amator, crudeliissimus ei fieret persecutor. Audiens hæc Vir Dei, blandis verbis consolatur mulierem; & de cælo promittens auxilium, præcipit, ut die altera, jam enim nox instabat, confidens in Domino revertatur. Reversa manè, cùm Viro Dei blasphemias & minas, quas eadem nocte ab incubo suo audierat, retuliisset; Ne cures, inquit Vir Dei, minas ejus; sed tolle baculum hunc nostrum; & pone in lectulo tuo; &, si quid potest, agat.

liberat.

121 Egit mulier quod jussum fuerat, & recubans in lectulo suo, signo crucis munita, juxta se baculum ponit. Adest ille continuò; sed nec ad consuetum opus, nec ad ipsum cubile E præsumit accedere: minatur tamen acerrimè, quòd, discedente Viro Dei, ipse in ejus supplicia reverteretur. Instabat dies Dominica, & voluit Vir Dei per edictum episcopi populum in ecclesiam accersiri. Cumque ipsa die maximus populus ad ecclesiam conveniisset, inter Missarum solemnia comitantibus episcopis, Gaufredo Carnotensi, & Brictio *o* Nannetensi, ipse ad ambonem conscendit, &, ut omnes, qui in ecclesia erant, accensas candelas in manibus teneant, locuturus edicit. Quod & ipse cum episcopis & clericis faciens, inauditos diaboli ausus publicè aperit, & fornicatorem spiritum, qui in tam horrenda inquinamenta, etiam contra naturam suam, exarserat, cum omnium fidelium, qui aderant, subscriptione anathematizat, & auctoritate Christi tam ad illam, quàm ad omnes mulieres deinceps interdicit accessum. Extinctis itaque sacramentalibus illis luminibus, extincta est deinceps tota virtus diaboli, & mulieri post confessionem communicanti, numquam postea apparuit inimicus, sed irregressibiliter eliminatus aufugit.

F

Intrat Aquitaniam cum Suessionensi episcopo ad componendum schisma:

122 His itaque patratis, simul Abbas & Legatus ingrediuntur Aquitaniam. Interim Gerardus assensu Comitis, Burdegalensem archiepiscopatum occupaverat, & simul Burdegalensem & Engolismensem detinebat ecclesiam. Sed effluentibus pecuniis, quas in assentatorum manus injecerat, & magis ac magis cognita veritate; jam defluebant ab eo subsidia principum; & perfidiæ ejus timebant existere defensores. Morabatur itaque in locis illis, in quibus securiorem se putabat, nec jam facilè publicis sese conventibus præsentabat. Ut enim priùs gesta breviter repetamus, ubi primùm cœpit audiri, quid adversus Ecclesiam Dei Gerardus ille machinaretur, ab Innocentio Papa adhuc in Galliis demorante missi sunt Abbas noster Claravallensis, & Joslenus venerabilis episcopus Suessionensis, & Pictavim usque venerunt, ut tam ipsum quàm prædictum principem convenirent. At ille, jam eodem principe persuaso, impudenter in Ecclesiam Catholicam, à qua se præcidebat, convicia cœpit jaculari, & pollicitam priùs Innocentio subtrahere obedientiam. Anacletum suum electum digniorem *; & quicumque ei non obedirent, erroneos & acephalos nominare.

* *al.* dignius

123 Unde

A. ERNALDO. *impietas Decani punitur terribili vindicta:*

123 Unde factum est, ut animati & armati in insaniam clerici, publicè ex ea die persecutionem Catholicis intentarent. Priùs tamen, quàm ab unitate seipsos taliter præcidissent, obtulerat Abbas sanctus in eorum ecclesia Sacrificium Deo. Post cujus discessum, Decanus ejusdem ecclesiæ altare, in quo divina mysteria celebrarat, impiè quidem, sed non impunè confregit. Siquidem post breve tempus percussus à Deo, cùm spiritum exhalaret, domum, in qua moriebatur, plenam vidit dæmonibus, & se à dæmonio jugulari clamitans, cultellum à circumstantibus postulabat, quem immergeret gutturi suo, ut extracto dæmone viveret. Sed diabolus, cui datus erat, eum inter hæc verba exstinxit, & pestilentem animam in infernum demersit. Archipresbyter quoque, qui Petri invasoris Pictavensis ecclesiæ synodum denuntiabat, coram ipsis, quos ad conventum perfidiæ invitabat, à diabolo correptus est. Sed & in alios multos, qui in schismate illo ferventiores extiterant, manus divina manifestam exercuerat ultionem. Propter hæc & alia hujusmodi, ante homines confundi cœperat Gerardus, & timens opponi sibi, quæ negari non poterant, conventus publicos evitabat. B

Comitem Aquitaniæ episcopis acerrimè infensum

124 Significatum est interim Comiti per viros illustres, qui ad eum securiùs audebant accedere, quòd Abbas Claræ-vallensis, & episcopus Carnotensis, aliique episcopi, & religiosi viri colloquium ejus expeterent, quorum etiam studium esset, ut secum de pace Ecclesiæ, & de malo removendo tractarent. Persuasumque est illi, ne tantorum virorum devitaret colloquium: quia poterat fieri, ut, communicato cum eis consilio, facile esset, quod modò putabatur difficile: & quod videbatur impossibile, repentino proventu possibile redderetur. Itaque apud Partiniacum *p* hinc inde conveniunt, & in primis de divisione Ecclesiæ; & de scissuræ obstinatione, quæ infra Alpes in sola Aquitania, quasi nebulæ corruptela consederat, multis modis & rationibus à servis Dei Comiti intimatum est, quòd Ecclesia una est, & quidquid extra eam est, quasi extra arcam, judicio Dei necesse est interire & dilui. Adducta quoque exempla Dathan & Abiron, quos pro reatu schismatis terra vivos absorbuit, nec tanto malo vindictam Dei aliquando defuisse monstratum est. His auditis Comes ex parte sano usus consilio, respondit, se in obedientiam Innocentii Papæ posse dare consensum, sed in restitutionem episcoporum, quos de sedibus suis expulerat, nulla ratione induci, quoniam implacabiliter eum offenderant: & juraverat, se eorum pacem nullo tempore susceperum. Diu per internuntios protractus est sermo, & dum vicissim verbis se mutuò occupant, Vir Dei efficaciora arma corripiens, ad altare sanctum oblaturus & supplicaturus accedit. Intraverant ecclesiam, quibus licebat divinis interesse mysteriis, Comes sustinebat pro foribus.

p

C

mirabiliter Vir sanctus

125 Peractis igitur consecrationibus, & pace data & diffusa in populum, Vir Dei jam non se agens ut hominem, Corpus Domini super patenam ponit, & secum tollit, atque ignea facie, & flammeis oculis, non supplicans, sed minax foras egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem: Rogavimus te, inquit, & sprevisti nos: supplicavit tibi in altero, quem jam tecum habuimus, conventu, servorum Dei ante te adunata multitudo, & contempsisti. Ecce, ad te processit Filius Virginis, qui est caput & Dominus Ecclesiæ, quam tu persequeris. Adest judex tuus, in cujus nomine omne genu curvatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Adest judex tuus, in cujus manus illa anima tua deveniet. Numquid & ipsum spernes? Numquid & ipsum, sicut servos ejus contemnes? Lacrymabantur universi, qui aderant, & orationibus intenti præstolabantur exitum rei: & omnium suspensa exspectatio, nescio quid divinum fieri cælitus exspectabat. Videns Comes Abbatem in spiritu vehementi procedentem, & sacratissimum Domini Corpus ferentem in manibus, expavit & diriguit, membrisque tremebundis metu, & dissolutis, quasi amens solo provolvitur. Elevatus à militibus rursum in faciem ruit, nec quippiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, salivis in barbam defluentibus, cum profundis efflans gemitibus, epilepticus videbatur. D

à schismate convertit:

126 Tum Vir Dei ad eum propiùs accedit, & pede pulsans acclivem, surgere jubet, & stare supra pedes, & Dei audire sententiam. Præsens est, inquit, Pictavensis episcopus, quem ab Ecclesia sua expulisti, vade & reconciliare ei, & in osculo sancto pacis cum eo jungito fœdera, & ipse ad Sedem suam eum reducito: & satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, & in universo principatu tuo divisos & discordes ad caritatis revoca unitatem. Subdere Innocentio Papæ, & sicut ei omnis obedit Ecclesia, tu quoque electo à Deo tanto pare Pontifici. Audiens hæc Comes, auctoritate Spiritus sancti, & sanctorum Sacramentorum præsentiâ victus, nec audebat respondere, nec poterat: sed statim occurrit, & in pacis osculo recepit episcopum, & eâdem, quâ eum abjuraverat, manu, cum totius exsultatione civitatis ad propriam sedem reduxit. Sed deinceps Abbas cum Comite jam familiariùs, & suaviùs loquens, paternè eum monuit, ne ad tam impios, & tam temerarios ausus ultrà exsurgeret, ne Dei patientiam tantis irritaret flagitiis, ne pacem factam in aliquo violaret. E

in quo dum perseverat Gerardus ep. Engolismensis, funesta morte punitur.

127 Pace itaque omni Aquitanicæ ecclesiæ reddita, solus Gerardus perseverat in malis: sed non multò pòst adveniente die iræ in domo sua miserabiliter exstinctus est. Et cùm dicat Scriptura: Est peccatum ad mortem; pro eo non dico, ut roget quis: impœnitens & subitò mortuus, sine confessione & Viatico, de corpore egredientem spiritum ei reddidit, cujus minister usque in finem exstiterat. Corpus ejus à nepotibus suis, quos in ecclesia illa honoribus sublimaverat, inventum in lectulo suo exanime, & enormiter tumidum, in basilica quadam humatum est; sed postea à Gaufrido Carnotensi episcopo Sedis Apostolicæ Legato inde extractum, alioque projectum est *q*. Nepotes quoque ejus ab eadem ecclesia postea eliminati sunt, & omnis progenies & plantatio à radice avulsa, per extera regna, tanti judicii circumferens querimonias, exsulavit. Tanto igitur malo obruto, & schismate Gerardi redacto in cineres, Vir Dei cum gaudio magno Claram-vallem revertitur. Adsunt fratres circumfusi pedibus ejus, gratias agunt Deo, qui bonis initiis feliciores proventus accumulat, & Servi sui humilitatem ubique glorificat & exaltat. F

q

Otio suo redditus Canticum Canticorum exponit S. Bernardus.

128 Nactus verò Vir Dei aliquod quietis tempus, aliis se negotiis occupavit, & secedens in casulam pisatiis *r* torquibus circumtextam, solus meditationibus divinis vacare disponit. Et repentè occurrunt ei in diversorio humili quasi ad præsepe Domini consistenti, amatoria Cantica, &

r

A & ſpiritualium fercula nuptiarum. Conſiderat & expaveſcit, quòd ſponſus ille ſpecioſus formâ præ filiis hominum, in quem etiam angeli proſpicere deſiderant, fuſcam adamaverit ſponſam, & decoloratam à ſole, tanto extollat præconio, ut dicat eam totam formoſam, nec ullam in ea maculam eſſe. Ipſam quoque ſponſam dilectione languere miratur, & inquirit diligenter, quæ ſit illa caritas, cujus oſcula * dulciora ſunt vino, ad quorum delibationem tanto affectu anima impatienter anhelat. Cúmque ſponſus multis laudibus ſponſam attollat, non tamen in omnibus plenam ei ſui copiam præbeat, nec uſque ad plenitudinem ſatietatis, ſe ſponſæ deſideranti concedat; quæſitus aliquando non inveniatur, & poſt longos circuitus repertus teneatur, ne fugiat. Multo tempore * in harum meditatione rerum animam ſuam effudit; & multipliciter hæc exponens, quantùm in ſe profecerit, qui quotidie in illis epulabatur deliciis, quantùm nobis, profuerit, quibus ejuſdem benedictionis reliquias in ſcriptura ſervavit, manifeſtum eſt legentibus eam.

* *al.* ubera

* *al.* aliquamdiu

B

ANNOTATA.

a *Conſule Commentarium prævium* § 22, *& Chronologiam Bernardinam ibid.* § 59, *parte* 2, *ad dictum annum.*

b *Burdigala, urbs eſt metropolis Galliæ Aquitanicæ ad Garumnam fluvium celeberrima, habetque nunc eccleſias ſibi ſuffraganeas Aginnenſem, Condomienſem, Engoliſmenſem, Santonenſem, Pictavienſem, Malleacenſem, nunc Rupellenſem, Lucionenſem, Petrocorienſem, Sarlatenſem. Dicebam* nunc *iſtas eccleſias ſuffraganeas eſſe Metropoli Burdigalæ: neque enim erant omnes ſeculo* 12. *Conſuli poteſt Gallia Chriſtiana tom.* 2 *impreſſionis noviſſimæ. Verùm an* tota Burdegalenſis eccleſia *ita tunc laborabat, ut omnes eidem ſuffraganeæ ſimul etiam ſchiſmate eſſent infectæ? Sic videtur ex iis, quæ proximè ſubdit biographus.*

c *Eſt hic Gerardus II, dictus de Blaye, de quo agitur in Gallia Chriſtiana mox citata col.* 995 *& ſeqq. Præeſſe cœpit anno* 1101; *obiit* 1136, *ſicut ibidem licet videre: ubi & laudes*
C *ejus ac vituperia.*

d *Id eſt, à limitibus Hiſpanorum.*

e *Fluvius eſt Galliæ percelebris, & ſatis notus.*

f *De ejus obſtinatione ſcribit Baronius ad annum* 1138.

g *Qui antipapam Petrum Leonis ſchiſmaticè pronuntiavit, & pro eodem ſcripſit ad quatuor epiſcopos Cardinales,* totius *utique* illius factionis anteſignanus, *ex Baronio ad an.* 1130.

h *Hujus nominis ſecundus: de quo plura invenies in Gallia Chriſtiana tom.* 2, *à col.* 1171 *editionis noviſſimæ.*

i *In editione Mabilloniana legitur,* & à Gerardo cardinale & adjutore ſuo; *ſed mendosè, ut colligo ex antecedentibus de Gerardo epiſcopo & Gilone Cardinale; atque adeò textum reſtituo ex impreſſione Horſtiana.*

k *Petrum videlicet III. Inſpice Galliam Chriſtianam mox aſſignatam col.* 1173.

l *In Gallia Chriſtiana, quam allegabam modò, col.* 548 *ita deſcribitur hæc abbatia:* Doratum ſeu Scotorium, S. Petri in Marchia inferiori ad Separim, ſeu Severum (la Sevre) amnem vetus eccleſia, cujus archimandrita dicebatur abbas Scotorienſium, teſte Ademaro Cabanenſi, ut aiunt Sammarthani fratres: nunc autem ſeculare capitulum, cui præeſt abbas. *De Ramnulfo autem agitur col.* 549. A. ERNALDO.

m *Al.* Nannetes, *vulgo Nantes, urbs Britanniæ Armoricæ notiſſima.*

n *Exſtat epiſtola* 116 *inter Bernardinas ad illam ſcripta.* Fuit hæc Alani Comitis conjux, in Claræ-vallenſes maximè benefica, quibus monaſterium, juxta urbem Namnetum conſtruxit. Monaſterio vocabulum eſt Buzeïum, *ſicut dicitur in fuſioribus Notis col.* XLIII *apud Mabillonium.* Teſtatur dux Conanus, Alani ex Armengarde filius, *ſicut ibidem ſubditur è litteris cœnobii hujus conditi,* ſe unà cum matre ſua abbatiam *illam* ædificare ſtatuiſſe; ſed quorumdam ſiniſtro deceptos conſilio ab incœpto deſtitiſſe: dum veniens in illas partes Bernardus abbas Claræ-vallis " ad „ cujus abbatiam Buzenſe cœnobium ſpectabat „.. vehementer doluit, *& Conano ſeveriſſimè increpito* " abbati ac fratribus, qui ibidem moraban„ tur, ut locum relinquerent, & ad Claram„ vallem redirent, imperavit „. Interceſſit Alanus, & reſtitutis, quas abſtulerat, monaſterii rebus, ædificia perfici curavit. Ad Armengardem ut revertamur, Goffridus abbas Vindocinenſis in lib. 5 epiſt. 23 eam hortatur ad reſumendum vitæ religioſæ propoſitum, à quo deflexiſſe viſa erat. E

o *Habetur apud Sammarthanos tom.* 3, *pag.* 768.

p *Eſt urbs Galliæ in Pictavenſi provincia, vulgò Parthenay.*

q *In Nova bibliotheca manuſcriptorum librorum apud Labbeum tomo* 2, *ubi exſtat Hiſtoria Pontificum & Comitum Engoliſmenſium, cap.* 3, *pag.* 261, *longè aliter Gerardi mors narratur, his verbis deſcripta:* Die autem proxima mortis ſuæ accepimus, quòd in confeſſione ſua ſacerdotibus dixerit: Si partem Petri Leonis contra voluntatem Dei ignorans manu tenuerit, ſe confiteri & pœnitere . . . Sabbato autem Miſſam celebrans maxima devotione & effuſione lacrymarum, ſequenti die Dominica migravit à ſeculo MCXXXVI anno ab Incarnat. Domini . . , & illud magnificum fidus, quod claritate ſui partes occiduas illuſtraverat, proh dolor! extra eccleſiam, quam ædificavit, ſub vili latet lapide. *Prædictus Labbeus in Syllabo ſcriptorum, qui præmittitur huic tomo, obſervat, Hiſtoriam ſuprà memoratam* incerto auctore ſcriptam, quem canonicum Engoliſmenſem fuiſſe, & vixiſſe anno MCLIX certum eſt. *Sed auctor ille, quiſquis fuerit, videtur tam immodicus in ſupprimendis vel tacendis vituperiis Gerardi, quàm effuſus in ipſius laudes: nàm poſtquam retuliſſet multa ejuſdem elogia, unicum hoc dictum jejunè, frigidè ac breviſſimè illis ſubnectit:* Tamen circa finem ad Petri Leonis ſchiſmatici partes divertit, errori illius favens. *Æqui ergo lectoris judicium requiro, an vel ad latum unguem hîc ab Ernaldo ſit deflectendum.* F

r Feüillages de pois *Gallicè redditur in notula marginali apud Mabillonium; id eſt,* foliis piſorum coopertam.

A. ERNALDO.

CAPUT V.

Acta feliciter Romæ, & apud regem Siciliæ in ſchiſmate; quo tandem per Bernardum exſtincto, pax Eccleſiæ reſtituta; qui ad Claravallenſes ſuos redit.

Pontificis litteris evocatur ad Urbem, ut opem laboranti Eccleſiæ adferat: * *al.* obtendi

INterea litteræ Apoſtolicæ Virum Dei vocant, & ut adſit laboranti Eccleſiæ, ſupplicant Cardinales. Intermittuntur ſtudia, & quæ modò continua erant, interpolatis diſcurſibus reſumuntur. Nulla vacatio ſupereſt; Servus Dei aut orat, aut meditatur, aut legit, aut concionatur. Videns igitur excuſationes fruſtra expendi *, [& neceſſe eſſe obedire mandatis,] convocatos à multis partibus fratres, diu profundéque ſuſpirans, affatur: Videtis, fratres, in quantis tribulationibus laboret Eccleſia: pars quidem Petri & in Italia, & in Aquitania, auctore Deo, eliſa, jam non parturit, ſed abortit. Evaſati ſunt in his regionibus ſchiſmatis defenſores: Romæ magna pars nobilium Innocentium ſequitur, & favent ei multi fidelium: qui tamen temeratiæ multitudinis impetum formidantes, non audent publicè confiteri, quem Innocentio firmavêre, conſenſum. Conjuratores habet Petrus homines perditos, quos corrupit pecunia: & munitionibus eorum occupatis, non Simonis Petri fidem, ſed Simonis Magi repræſentat præſtigias. Contra unam gentem, Occidente edomito, ſupereſt lucta. Orantibus vobis & jubilantibus Jericho ruet; & cùm extenderitis ad Deum cum Moyſe manus, Amalech victus aufugiet. Joſue pugnat, & ut ad conſummationem victoriæ dies ſufficiat protelata, ſoli, ut ſtet, non tam orat, quàm imperat: & meretur fides tam ſolis obedientiam, quàm de hoſte proſtrato victoriam.

exhortatur ſuos Claravallenſes in diſceſſu.

130 Nobis igitur pugnantibus vos ferte præſidium, & auxilium de cælo ſupplicibus animis implorate. Agite quæ agitis, & ſtate in gradu, quo ſtatis: & licèt nihil vobis conſcii ſitis, judicio tamen veſtro non æſtimetis vos juſtos: quia ſolus Deus, quos juſtificat, judicat, & perfectiſſimus quiſque judicii divini diſtrictum examen ignorat. Judicari autem ab humano die non multùm curetis, neque veſtra propria, neque aliena judicia approbantes, ſub timore Dei ſic ſtate, ut nec vos quempiam judicantes aliquando extollamini; nec aliorum curantes judicia, excidatis in nugas: ſingula verò proſequentes, vos ſervos inutiles reputetis. Eundum eſt autem, quò nos obedientia vocat, & hujus domus fraternitatem *, & veſtri cuſtodiam Deo, pro quo hunc aſſumimus laborem, confidentes de ejus clementia, tradimus & commendamus.

* *Horſt.* paternitatem

Romæ intelligit, quænam ſchiſmaticos ab Eccleſiæ unitate remorentur: * Cardinales.

131 Hæc dicens, & benedicens, flentibus univerſis diſceſſit: & cum multa reverentia ubique ſuſceptus, demum Romam pervenit. In cujus adventu tam Dominus Papa, quam Fratres * lætati ſunt; & communicatis cum eo conſiliis, ſecundum rerum proventus, & ſtatum cauſarum, Abbas aliâ viâ aggreditur; nec in curribus, nec in equis ſpem ponens, ſed colloquia quorumdam ſuſcipiens, ſciſcitatur, quæ ſit eorum facultas, qui fautorum animi, utrum errore, an malitia ſeducti, tantum ſcelus protrahant, & protelent. Intelligit ex ſecretis Clerum, qui cum Petro erat, de ſtatu ſuo ſollicitum, ſcire quidem peccatum, ſed non audere reverti, ne perpetuâ notatus infamiâ, vilis inter ceteros haberetur, & malle ſub umbra honeſtatis interim ſic eſſe, quam expelli à ſedibus ſuis, & publicæ mendicitati exponi. Eorum, qui de Petri proſapia erant, hæc erat reſponſio, quia jam credi eis à nemine poſſet, ſi demembrarent genus ſuum, & eum relinquerent, qui cognationis ſuæ caput eſſet & dominus. Ceteri juramento fidelitatis excuſabant perfidiam, nec aliquis ex ſana conſcientia parti illi conferebat ſuffragia. Denuntiabat itaque eis Abbas colligationes impietatis eſſe ſacrilegas, & profanas conſpirationes, legibus & canonibus condemnatas, juramentis non poſſe muniri, non poſſe, nec debere veritatis ſacramenta mendacio ſuffragari: inſanire autem eos, qui rem illicitam ſacramenti patrocinio conſtare exiſtimant; cùm oporteat extraordinarias pactiones, quocumque religionis obtentu ſancitas, revocari * in irritum, & auctoritate divina diſſolvi.

* *al.* evacuari *qui Sancti ſermonibus miteſcunt; non tamen Rogerius rex; ſed ſubdolè agit:*

132 Auditis his aliiſque Viri Dei ſermonibus defluebant à Petro, & quotidie partis illius diſſociatis agminibus, vincula rumpebantur: ipſius quoque Petri animus tabeſcebat, quia ſe quotidie minui, Innocentium verò creſcere, minimè dubitabat. Defecerant pecuniæ, contabuerat curiæ amplitudo, aruerant miniſteria domûs, rarus menſam ejus frequentabat conviva, deliciæ in plebeia cibaria commutaræ, cultus obſequentium vetuſtate obſcurus, [macri & acuti] ſtipendiarii ære alieno oppreſſi, & tota domus effigies pallida, diſſolutionem proximam indicabat. Interea rex Siciliæ Rogerius, qui ſolus jam ex principibus obedire Papæ Innocentio detrectabat, ad eum mittit petens, ut Aimericum cancellarium ſuum, & Abbatem Claræ-vallis ad ſe mitteret: nihilominus à Petro Leonis idem petens, ut Petrum ſibi Piſanum à ſuo latere delegaret. Aiebat autem, ſe diſſenſionis hujus, quæ jamdiu induruerat, velle ſcire originem, & cognita veritate, aut corrigere errorem, aut ſancire ſententiam. Mittebat autem in dolo; quia audierat, Petrum Piſanum eloquentiſſimum eſſe, & in Legum & Canonum ſcientiâ nulli ſecundum; putabatque, ſi eloquentiæ ejus in publico conſiſtorio audientia præberetur, declamationibus rhetoricis ſimplicitatem Abbatis poſſe obrui, & ſilentium ei, vi verborum, & pondere rationum imponi.

cui Bernardus fugam & cladem prædicit; & adverſario ejus victoriam.

133 Ne diu morer, venit pars utraque Salernum. Sed militaverat ultio, & prævenerat tanti ſceleris machinamentum. Parato namque ad bellum innumerabili exercitu adverſus Rannulfum ducem, idem rex in campum armatas produxerat acies: cùm ſubitò, viſo Duce audacter obviam procedente, territus fugit, effuſumque exercitum prædæ & cædibus expoſuit, & innumeris militibus captis & interfectis, invitus Ducem ditavit opibus, gloriâ ſublimavit. Quæ quidem ei juxta verbum Viri Dei omnia contigerunt: cùm enim primus eorum, qui vocati fuerant, Abbas ſanctus adveniens regem in caſtris poſitum inveniſſet, per multos dies vicinas acies, ne committerent, impedivit, denuntians regi, Quia ſi conflictum inieris, victus & confuſus abibis. Noviſſimè verò cum ejuſdem regis plurimùm creviſſet exercitus, ignorans, quòd non in multitudine foret eventus belli: Virum ſanctum quærentem,

A tem ea, quæ pacis erant, ulteriùs audire contempſit. At ille Ducem Rannulfum, & Catholicorum aciem verbis potentibus adhortatus, ſicut regi fugam, ſic illis victoriam pollicitus eſt & triumphum. Cumque ad proximam villulam declinaſſet, & inſtaret orationi, repentè fugientium & inſequentium clamor auditur. Siquidem per eumdem locum fugientem regis exercitum Rannulfus perſequebatur. Egreſſus itaque frater quidam ex his, qui cum Abbate erant, uni ex militibus occurrit, &, quid accidiſſet, interrogabat. At ille, ſiquidem litteras noverat, Vidi, inquit, impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut cedros Libani: & tranſivi, & ecce non erat. Nec mora, Dux ipſe ſecutus, ut monachum vidit, ſicut erat armatus, equo deſiliit: & ejus pedibus advolutus, Gratias, inquit, ago Deo, & fideli Servo ejus, quia non noſtris viribus, ſed ejus fidei collata hæc victoria eſt. Iterumque inſiliens equo, hoſtes inſequebatur.

134 Nec tamen hâc plagâ ſibi inflictâ cæli- *S. Bernardi oratio in conventu per regem Siciliæ indicto*
tus, correctus eſt animus regis, nec detumuit procella, quam conglomeraverat pravæ mentis elatio: ſed poſt fugam reverſis, qui evaſerant, ſimulans alacritatem, regio ſe ornatu attollens, ſtipatâ militibus curiâ, utramque partem præcipit accerſiri: & priùs inſtructo Petro, & multarum promiſſionum authoramentis accenſo, de cauſæ ſuæ rationibus eloqui jubet. Prior itaque Petrus electionem domini ſui canonicam probare contendit *; & verba ſua multis legum & canonum aſſertionibus munit. At verò Vir Dei non in ſermone, ſed in virtute regnum Dei eſſe intelligens, Scio, inquit, Petre, te virum ſapientem & litteratum eſſe, & utinam ſanior pars, & honeſtiora te occupaſſent negotia! Utinam te patronum cauſa juſtior & felicior obtineret! & ſine dubio rationabilia allegantem, nulla poſſet impedire facundia. Et nos quidem agreſtes, ſæpius ligonibus quàm pragmaticis advocationibus * aſſueti, ſi cauſa fidei non urgeret, inſtitutum ſilentium teneremus. Nunc autem cogit nos caritas eloqui, quia tunicam Domini, quam in tempore paſſionis nec ethnicus præſumpſit ſcindere, nec Judæus, fautore hoc domino, Petrus Leonis lacerat & diſrumpit. Una eſt fides, unus Dominus, unum baptiſma. Nos neque duos dominos, nec geminam fidem, nec duo baptiſmata novimus.

135 Ut ab antiquis ordiar, una arca tempore diluvii fuit. In hac octo animæ, ceteris omnibus pereuntibus, evaſerunt; & quotquot extra arcam inventi ſunt, perierunt. Arcam hanc typum tenere Eccleſiæ, nemo eſt qui ambigat. Arca alia nuper fabricata eſt, & cùm duæ ſint, alteram neceſſe eſt eſſe adulteram, & in profundum demergi. Arca, quam regit Petrus, ſi ex Deo eſt, neceſſe eſt, ut arca, quam regit Innocentius, obruatur. Peribit ergo orientalis Eccleſia, peribit occidens totus: peribit Francia: peribit Germania: Iberi & Angli, & barbara regna in profundum pelagi demergentur. Religio Camaldrenſis *, & Cartuſienſis, & Cluniacenſis, & Grandimontenſis *a*, & Ciſtercienſis, & Præmonſtratenſis, aliaque innumerabilia ſervorum, & ancillarum Dei collegia, neceſſe eſt, ut ſub uno turbine corruant in abyſſum. Epiſcopos & abbates, & reliquos Eccleſiæ principes collo præcipiti molâ aſinariâ alligatâ pelagus vorax excipiet. Solus ex principibus mundi arcam Petri intravit iſte Rogerius, & ceteris omnibus enecatis, ſolus ipſe ſalvabitur? Abſit, ut totius mundi religio pereat, & ambitio Petri, cujus vita palàm eſt qualis extiterit, regnum cælorum obtineat.

136 Ad hæc verba non ſe poterant ultrà, qui præſentes aderant, continere, ſed abominati ſunt & vitam Petri Leonis, & cauſam. Abbas autem tenens manum Petri Piſani, elevavit eum, & ſimul ipſe ſurrexit, Tutiorem, inquiens, ſi mihi credas, intrabimus arcam. Et ſicut jam pridem mente conceperat, ſalutaribus illum aggrediens monitis, cooperante gratia Dei, protinus perſuaſit, ut ad Urbem rediens, Innocentio Papæ reconciliaretur. Soluta concione, rex necdum voluit obedire *b*, quia ſancti Petri patrimonium, quod in Caſſinenſi & Beneventana provincia ampliſſimum eſt, cupidus occupaverat, putabatque hujuſmodi ſuſpenſionibus aliqua à Romanis extorquere privilegia, per quæ in jus proprium deinceps ſibi ſtabiliretur hereditas. Sic Herodes viſum Salvatorem contempſit, & quem deſideravit abſentem, contempſit præſentem. Sic omnipotens Deus claritatem, quam accepit à Patre, dedit hominibus, & contemnentes ſe facit inglorios, & erigit in ſublime humiliatos. Igitur circa curationem cujuſdam viri nobilis, & in urbe Salernitana notiſſimi, ſuccumbentibus medicis, quorum ibi præcipuè ars viget & ſtudium *c*, eidem viro de medicorum auxilio deſperanti, nocte quidam per ſomnium apparens intimavit adveniſſe Salernum Virum ſanctum, & in curationibus efficacem. Hunc inquirere jubetur, & de lavacro manuum ejus bibere. Quæſivit, invenit, aquam petiit, bibit, convaluit. Hoc verbum per totam urbem divulgatum, ad aures regis & procerum ejus pervenit. Cum omnium igitur populorum favore, ſolo rege in malitia permanente, Abbas Romam revertitur, prædictum quoque Petrum Piſanum, & quoſdam alios reconciliat Eccleſiæ, & Innocentio Papæ confœderat.

137 Advenerat tempus, in quo, completâ Amorrhæi malitiâ, angelus percutiens gladium jam vibrabat, & pertranſiens domos, quarum ſuperliminaria ſanguis Agni imbuerat, ad domum Petri Leonis veniens, ſalutare in ea non reperit ſignum. Percuſſit igitur miſerum, nec tamen illico defungitur, ſed datur per triduum pœnitentiæ locus. Ille patientiâ Dei abutitur, & in peccato ſuo moritur deſperatus. Miſerabili pompa corpus ejus effertur, cadaver ejus in latebris ſepelitur, & uſque hodie fovea illa à Catholicis ignoratur. Attamen pars ipſius Papam ſibi pro illo alterum ſtatuerunt *: non tam ex pertinacia ſchiſmatis, quàm ut opportuniùs per aliquam temporis moram Papæ Innocentio reconciliarentur. Quod ſine mora per manum Servi ſui Chriſtus effecit. Nam & ipſe ridiculus Pontifex, Petri Leonis heres, ad eumdem Virum Dei nocte ſe contulit: & ille quidem nudatum eum uſurpatis inſignibus, ad Domini Innocentij pedes adduxit.

138 Quo facto civitas gratulabunda lætatur, Innocentio Eccleſia redditur, Romanus populus ut paſtorem & Dominum Innocentium veneratur: Abbas Claræ-vallis in mira reverentia habetur, ab omnibus auctor pacis, & pater patriæ prædicatur. Procedentem viri nobiles proſequuntur, acclamat populus, matronæ ſequuntur, & omnes ei prompto animo obſequuntur. Sed quamdiu ille gloriam toleravit? Quamdiu pace fruitus eſt poſt tam diuturnum laborem? nec diem pro anno recipere acquievit. Sedatis omnibus & compoſitis vix quinque dies teneri potuit, qui ſeptem annis & ultrà, pro reſarcienda eadem ſciſ-

A. ERNALDO. *Petrum Piſanum alioſque convertit, Rogerio manente in obſtinatione.*

Petro Leonis miſerè exſtincto, & pace reddita Eccleſiæ.

ſimplex quidem ſed efficax

* *Horſt.* canonicam aſſerit

* *al.* declamationibus

* *al.* Camaldulenſis.

a

b

c

* *nomine* Victorem

ſanctus Pater ſummo cum plauſu Româ diſcedit,

A. ERNALDO.

sione sudavit. Exeuntem Roma prosequitur, deducit Clerus, occurrit populus, universa nobilitas comitatur. Nec poterat sine communi mœrore dimitti, qui colebatur amore communi. [Lacrymantur post eum, & se ab eo postulant benedici, & orationibus ejus cum omni devotione se commendant.] Acceptâ ergo ab Innocentio licentiâ, confirmata pace, Vir *d* Dei regreditur; & maximum domi reportans gaudium, à fratribus cum gratiarum actione devotè suscipitur *e*.

revertiturque ad Monasterium suum, alio Romæ ipsi assignato.

139 Interea Romæ Innocentius potestativè agenda disponit, undique visitatores occurrunt. Alii cum negotiis, alii tantùm gratiâ congaudendi adveniunt, processiones per ecclesias solenniter celebrantur, depositis armis ad audiendum verbum Domini plebes accurrunt. Post multifarias egestates in brevi civitas opulenta reflоret: quæ discordiæ tempore distracta fuerant, pax solidata reducit & revocat. Arantur solitudines, & deserta pinguescunt: requiescunt singuli sub vite & ficulnea sua: nocturnæ silent excubiæ, & apertis januis, omnis timor excluditur. Dato tempore Innocentius Ecclesiæ ruinas restaurat, recolligit exsules, ecclesiis antiqua servitia, depopulatas colonias expulsis restituit, insuper & congrua dona largitur. Monasterium etiam apud Aquas Salvias *f* in sancti Anastasii martyris honore constituit; quod quidem ibi priùs fuerat; sed hoc tempore sola ecclesia: deerat habitator. Constructis itaque cœnobialibus mansionibus, & reformata ecclesia, assignatis etiam ad alimonias domibus, agris, & vineis, à Clara-valle abbatem & conventum fratrum sibi mitti Dominus Papa petiit & obtinuit. Mittitur ergo Bernardus *, Pisanæ olim ecclesiæ vice-dominus, & religiosi cum eo fratres, qui secundum beati Benedicti regulam in eodem loco Domino deservirent. Citò profecit illa plantatio, & associatis sibi viris indigenis, servorum Dei multiplicatus est numerus; & pascua * congrua nutrimentis, incolume & multiplex in brevi produxêre peculium.

B

f

* *cognomento* de Paganellis

* *Horst. add.* pinguia ac

ANNOTATA.

C

a *De abbatia Grandimontensi, ejusque abbatibus tractatur in Gallia Christiana tomo 2, à col. 645 editionis novissimæ. Sita est in diœcesi Lemovicensi. Historia brevis Priorum Grandimontensium edita est apud Edmundum Martenium in Veterum scriptorum &c. amplissima collectione, tomo 6, à columna 113. Historia autem eorumdem Priorum prolixior, à col. 123.*

b *Quòd ei rex se submiserit, relatum sibi scribit Falco. Vide Comm. prav. § 27, num. 292.*

c *Leander Albertus in Descriptione Italiæ, inter ea, quæ memorat de Campania felice, pag. 295 editionis, quæ anno 1566 Coloniæ Agrippinæ vulgata est, hac narrat, ab ubertate ingeniorum urbem hanc laudans:* Præter alios Salerno ortos inclyti fuere memoriâ patrum nostrorum Jacobus Solimenius excellens medicus cum Antonio filio: item Bartholomæus Salvanius Pandectarum medicinalium congestor, aliique summi viri permulti, quorum nos peculiarem cognitionem non habemus.

d Vir Dei domum revertitur, & duplex exhibens gaudium cum exsultatione universæ terræ suscipitur &c., *sicut notatur hîc apud Mabill.*

e *Quæ in hoc capite sunt, elucidantur, & supplentur in Comm. prav., quem vide § 27 & 28.*

f *Vocatur etiam* Tres fontes. *Plura, Manricus ad annum 1140, cap. 8, & Jongelinus lib. 7 pag. 4 & seqq.* Ibi cœnobium monachorum Honorius I. instituerat anno DCXXVI, *ex notula apud Mabillonium hic.*

D

CAPUT VI.

Ecclesiæ præsules è Claravalle creati; Comitis Theobaldi, de S. Bernardo optimè meriti elogium, & res adversæ.

VIII. *Viri illustres Claravallenses.*

ABbas sanctus ad studia sua reversus, dilectum amplectitur Epithalamium. E diversis etiam regionibus, odore religionis illius ubique diffuso, fratres ad fundanda monasteria invitantur. Fundata quoque & statuta ditioni ejus sese subjiciunt, & arctioris ineunt regulas disciplinæ. Sed & diversarum regionum civitates ex hoc collegio meruêre episcopos. In primis Roma summo ornatur Pontifice *a*. Prænestе Stephanum *b* habuit totius modestiæ * virum. Ostia virum magnum Hugonem *c*. In ipsa quoque Romana curia Henricus *d*, & Bernardus *e*, alter presbyter, alter diaconus ordinati sunt Cardinales. Prope urbem Romam Nepa *f* quoque sub Huberto *g* refloruit. In Tuscia Pisis natalis soli gloria, & magnum Ecclesiæ lumen Balduinus *h* effulsit. Citra Alpes Lausannæ datus est Amedeus *i*; Seduno Garinus *k*, Lingonis Godefridus *l*, Autisiodoro Alanus *m*, Nannetis Bernardus *n*, Belvaco Henricus *o*, Tornaco Giraldus *p*, Eboraco Henricus *q*. In Hibernia duo episcopi, re & nomine Christiani *r*. In Alemannia civitate Curia Algotus *s*, sapientia, ætate & gratia reverendus. Hæc luminaria de Clara-valle assumpta fulgore puro prædictas urbes suâ illustravere præsentiâ, & pastoralis officii elucidantes gloriam, exemplum ceteris episcopis facti sunt doctrinæ & vitæ, & in altitudine sua semper humiles constiterunt.

E

a b

* *al.* gloriæ

c

d e

f g

h

i

k l

m n

o p

q

r

s

141 Defuncto siquidem Innocentio Papa, & successoribus ejus, Cælestino, & Lucio *t*, quàm velociter consummatis, Bernardus, quem priùs apud sanctum Anastasium abbatem diximus ordinatum, Papa Urbis efficitur *u*, & Eugenius tertius appellatur. Hic seditione orta in populo *x*, pulverem pedum in litigantes excussit, &, relictis eis, in Franciam venit. Cúmque se comederent ac morderent, & se invicem consumerent, exspectavit in pace, donec fatigati conflictibus & damnis afflicti, ejus præsentiam cuperent & optarent. Qui interim, celebrato Remis concilio *y*, Claram-vallem humiliter visitat, & gloriam pontificatus Romani, pauperum repræsentat aspectibus. Mirantur omnes in tanta altitudine humilitatem immobilem, & in tam excellenti culmine propositi sancti permanere virtutem; ut altitudini sociata humilitas pro officio exteriùs splendeat, & pro virtute nequaquam interiùs inanescat.

inter quos Eugenius t

F

u

x

y

142 Adhærebat carni ejus lanea *z* tunica, & diebus ac noctibus cucullâ vestitus sic ibat, & sic cubabat. Intus monachi habitum retinens, extra se Pontificem & moribus, & vestibus exhibebat: rem difficilem agens, diversarum in uno homine proprietatem exprimens personarum. Segmenta-

Claravallem visit. z

tæ

ta *aa* ei circumferebantur pulvinaria. Lectus ejus palliis opertus, cortinâ ambiebatur purpureâ; ſed ſi revolveres operimenta, invenires ſuperjectis lanéis compoſita ſtramina, & paleas conglobatas. Homo in facie, Deus videt in corde: ipſe verò bona coram Deo, & hominibus providebat. Alloquitur fratres non ſine lacrymis; miſcens ſermonibus avulſa à corde ſuſpiria, hortatur & conſolatur, & ſe inter eos fratrem & ſocium, non Dominum exhibet, vel magiſtrum. Cúmque * ibi morari diutius non pateretur magna eum proſequens comitantium multitudo, ſalutatis fratribus iter in Italiam dirigens abſceſſit, & ad Urbem pervenit *bb*.

143 Scripſit ad eumdem Papam Vir ſanctus multæ ſubtilitatis * Librum *: in quo acutiſſima indagatione tam ea, quæ circa eum, quàm quæ infra ſunt, proſequens, etiam ad ea, quæ ſupra ipſum ſunt, aſcendens, tanta de natura divina diſſeruit, ut videatur in tertium cælum aſſumptus audiſſe quædam verba, quæ non licet homini loqui, & Regem in decore ſuo vidiſſe. In his quæ infra, & quæ circa ipſum ſunt; morum ſocietas, naturæ æqualitas, officiorum diſtantia, conſideratio meritorum, dijudicatio provectuum ſubtiliſſimè diſtinguitur, & ſingulis in ſuo genere ſui cognitio intimatur. In his quæ ſupra hominem ſunt, ſpeculatur cæleſtia *cc*, non eo modo, quo angeli, qui ſemper adhærent Deo, conſiderant; ſed eo modo, quo poteſt homo puri animi, & mentis ſinceræ divina contingere; & conformari hierarchiæ cæleſti ſacerdotium temporale. Cum enim in cæleſti militia conſtet alios aliis principari, & miniſteriales ſpiritus, ad nutum ſuperiorum poteſtatum, ad diverſa officia delegari; quidam viciniùs aſſiſtentes, ab ipſo accipiunt, quæ aliis vel agenda, vel intelligenda inſinuent. Cúmque exigat homo præpoſituræ ſuæ reverentiam exhiberi, ad honorem ſummæ poteſtatis cuncta referri neceſſe eſt: quia cum ſit ſubditus homini homo, vel ſpiritui ſpiritus: ſubdi maximè oportet Deo, de cujus munere datur iſta prælatio, &, quo docente, fit, ut pateat homini tam cognitio ſui, quàm per fidem & ſpem ad divinam contemplationem pro modo data & indulta acceſſio. Dictabat Vir Dei, & nonnumquam ſcribebat in tabulis cereis, [mellá reſtituens, & quidem gratiora prioribus] *dd* non patiebatur perire inſpirata ſibi divinitus. Sedabat lites eccleſiarum, & appellationes importunas, quas inter ſe diſcordes clerici concitabant, blando ſpiramine componebat. Interdum etiam duriùs increpante eo, redibat tranquillitas, & detumeſcentibus procellis, qui ſeditioſi ante eum venerant, & bile diffuſa ſcaturientes declamationibus, pacifici revertebantur.

144 Adhæſit ei præ ceteris quidem principibus Comes Theobaldus, & dilectionem opere proſecutus, & ſe, & ſua in ſubſidia Claræ-vallis expoſuit, & in manibus Abbatis poſuit animam ſuam, depoſita altitudine principali, ſe inter ſervos Dei conſervum exhibens, non Dominum; ut obediret ad omnia, quæcumque domus illius infimi poſtulaſſent *. Emebat igitur fundos, conſtruebat domos, abbatiis novis præbebat impenſas, & ubicumque ſervi Dei extendiſſent propagines, delegabat pecunias, non unam domum ſicut Salomon Hieroſolymis ſtatuens, ſed ubicumque hujus ſchematis * conſediſſent perſonæ, ſatagebat eis miniſtrare neceſſaria, quaſi Chriſto in terris præſenti propriam faceret manſionem. Sed & hoc in arbitrio Viri Dei poſuit, ut quibuſcumque egentibus, eo mandante, ad opus Dei ſumptus præberet. Videns igitur Abbas promptum principis animum, pietatem accendit, & maximè quidem domeſticis fidei voluit eum eſſe obnoxium; & immortalia templa fundare conſuluit, & eleemoſynas ea ſagacitate diſponere, ut ſemper fructificantes redivivis & renaſcentibus acceſſionibus novas ſemper eleemoſynas parturirent. Deinde egenis, quos hàc atque illac quaſi veſpæ pungentes ſtimuli paupertatis exagitant, omnimodis docuit miſereri: aliis indumenta, aliis alimenta largiri monuit: & ſuggeſſit, ut per ſeipſum xenodochia viſitaret, nec horreret aſpectus * languentium: quia in hoc duplicaretur clementiæ bonum, ſi & videret, & foveret: ſi conſolaretur, & reficeret.

145 Humiliare pauperum oppreſſores, defendere pupillum & viduam, miſereri & commodare, ſermones in judicio diſponere, providere quieti Eccleſiæ, rationem gladii intelligere, quaſi elementarium inſtruxit, ſummam principalis officii ei intimans, & hoc à principe requiri ex debito, ut laudi bonorum, & vindictæ malorum intendat. Hæc & alia hujuſmodi ſalubria monita homo rationabilis revereriter accipiens, luxum curiæ, & faſtum altitudinis in humilitatem & honeſtatem convertit: nec erat, qui in præſentia ejus auderet aliquid indecens vel agere, vel loqui: ſed in hoc etiam ei placere ſtudentes, ſive ficto, ſive puro animo, ea, in quibus dominum ſuum delectari videbant, ipſi quoque ſæpiùs factitabant. Introducebant igitur ad eum, qui familiariùs ei aſſiſtebant, pauperes patientes calumniam; nuntiabant languentes in plateis jacentes, & quoſcumque in amaritudine & miſeria conſtitutos; & ipſe oblata ſibi occaſione clementiæ lætabatur, & altiori gratia amplectebatur, quos de hujuſmodi rebus videbat magis eſſe ſollicitos. [Et quia ſuorum neminem vel in illa curia, vel pro cauſa illa Vir Dei paſſus eſt demorari;] *ee* duos religioſos Viros, de Præmonſtratenſi ordine evocatos, eleemoſynæ ſuæ præpoſuit, ad quorum curam ſpectaret circumire caſtella & vicos, in quibus ipſe maneret: & de propria menſa languentes & leproſos, qui ibi manebant, quamdiu in illis locis eſſet, abundanter refici juſſit.

146 Sed & aliis pauperibus largas, & congruas perſonis eleemoſynas, ſive in cibis, ſive in veſtibus, eorum miniſterio donari inſtituit. Et illis quidem tantum in domo ſua voluit eſſe dominium, ut poteſtativè pincernis, & piſtoribus, & coquis, & reliquis miniſterialibus, quæ vellent, juberent: quæ placeret, tollerent; nec eſſet, qui aliquid prohibere auderet, vel referret ad Comitem, ſi in aliquo prodigi viderentur. Sed & viri illi timentes Deum, & tam ei placere, quàm Comiti cupientes, nec magnificentiam principis minuebant, qui caritatis plenitudinem de ſuis impleri præceperat; nec Deo ingrati eſſe volebant, ſi invenirentur deſides & avari, ubi eos promptos & expeditos diſpenſatores eſſe, tam voluntas Dei, quàm principis ſufficiens bonitas injunxiſſet. Erat præterea horum officio deputatum, ut monachis & religioſis viris, quos ad curiam diverſa mittebant negotia; hoſpitia providerent, & de penu, & horreo Comitis neceſſaria miniſtrarent. Circumferebant etiam rigente bruma, aptatis ſarcinis, pauperum indumenta, & pelles, & birros *ff*, & calceamenta, in quibus nec azungia deerat, quæ per vicos indigis erogabant. Nullum in Comitatu illo clementiæ

A. ERNALDO.

E

F

ſ

aa circumferebantur pulvinaria.

bb & ad Urbem pervenit.

Huic inſcripſit S. Bernardus libros de Conſideratione.

* *al.* utilitatis

* *i. e.* libros quinque

cc ſpeculatur cæleſtia

dd patiebatur perire

Theobaldi Comitis Campaniæ erga Virum S. ingens ſtudium & liberalitas;

* *al.* imperaſſent.

* *i. e.* hujus religioſi veſtitus, vel inſtituti

* *Horſt. add.* eum

* *al.* aſpectu

ee

inſigne ejuſdem Comitis

elogium contexit biographus.

A. ERNALDO.

deerat opus : ad portum illum naufragi omnes tutum habebant refugium. Temporibus famis non ſicut Pharao frumenta venundedit populo, nec in ſervitutem ſibi erogatis annonis ſubjecit Ægyptum : ſed Abbate ſancto, quaſi altero Joſeph, diviniore uſus conſiliario, gratis egenis aperuit horrea, nec exhauſit pecuniâ populum, nec âſtu circumvenit afflictos, nec re publica ad ſe tranſlata, privatos in terra cumulavit theſauros, ſed in cælo potiùs theſaurizans, infatigabilis diſtributor cum magna alacritate & pecunias diſtribuit, & annonas.

S. Bernardus in rebus adverſis Comitem conſolatur

147 Nec defuit viro inhianti cæleſtibus, magni ponderis & horrenda tentatio : ſed aggreſſus eſt eum tam rex, quàm principes, & commota eſt & contremuit terra : & quaſi iratus eſſet ei Deus, rapinis & incendiis ferè omnia ad eum pertinentia depopulatoribus expoſita erant : & operuit faciem terræ regis exercitus, & paſſim omnia vaſtabantur. Nec erat ei tutum reſiſtere, vel obviare perſecutoribus : quia & ſui deſeruerant eum, manifeſtè infeſtantes : & qui remanſerant, in inſidiis, non ad ſubſidia erant : undique anguſtiæ graves, quia nec domi ſibi cavere, B nec extrà poterat congrua providere, cùm omnino qui ſui eſſent, neſciret ; & tam de perfidia refugarum, quàm de duplicitate ſuorum prorſus diffideret. Inter has autem anguſtias converſus ad Dominum, & de cælo quæſivit auxilium, & accito Viro Dei, cujus conſilio maximè utebatur, nec deſperans de miſericordia Dei, hoc ex ejus reſponſione accepit, ut intelligeret, quia flagellat Deus omnem filium quem recipit : & hujuſmodi correptiones vel purgant, vel probant animam, & glorioſiorem fuiſſe Job, cùm ſederet in ſterquilinio, quàm fuiſſet, cùm circumſtante exercitu ſediſſet illæſus in ſolio. Oſtendit ei Vir ſanctus Salomonem peccaſſe in otio, & abuſum bono pacis defluxiſſe in vitia : cùm David pater ejus, Abſalon filio perſequente, & univerſo Iſraël adverſus eum armato, permanſiſſet in gratia. Intimavit etiam, quomodo ipſum ſatanas colaphizarit Apoſtolum, in qua tribulatione immobiliter perſeverans illud meruit audire, quia Virtus in infirmitate perficitur, & quia in præſenti vita ſegniores nos faciunt proſpera, & circumſpectiores adverſa.

C *magno cum fructu.*

148 Audiens hæc venerabilis Comes, magnificè animatus, duo immenſi ponderis & mixi operis vaſa aurea (in quibus pretioſiſſimæ gemmæ *gg* habebantur incluſæ, quæ in ſolennitate coronæ ſuæ rex Anglorum Henricus avunculus ejus *hh* ad oſtentationem divitiarum ſuarum & gloriæ ſuæ, in menſa coram ſe habere conſueverat) ſub omni celeritate proferri juſſit in medium ; & à corde ſuo delectationem hujuſmodi avellens, gemmas à retinaculis ſuis juſſit abſtrahi, & aurum confringi præcepit, ut venderetur, & de pretio eorum dilecta Domino ſuper aurum & topazion tabernacula fundarentur. Nec deſiſtebat Amalech ab infeſtatione Iſraël, ſed Moyſes elevatis in cælum manibus potitus eſt victoriâ, &, retrahentibus ſe hoſtibus, Abbas ſanctus ſequeſter ſollicitus, clamantibus ad Deum & domi plorantibus fratribus, irrupit in acies ; & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, & allegationibus divinis intercurrentibus detumuêre procellæ, & reverſa eſt inter regem & principem tranquillitas, & pacis deſiderata ſerenitas *ii*.

gg

hh

ii

Finis libri ſecundi.

D

ANNOTATA.

a *Eugenio videlicet tertio, Trium Fontium antea primo abbate. Vide Manricum ad annum* 1140, *num.* 10.

b *De Stephani, diſcipuli* S. Bernardi *in Claravalle, Cardinalis deinde epiſcopi Præneſtini creatione, patria, egregiis animi dotibus, agit Manricus ad an.* 1140, *cap.* 9, *num.* 4. *Exſtat ejuſdem ſancti Patris epiſtola* 224 *ad ipſum ſcripta : cujus occaſione Mabillonius volumine* 1, *col.* 207 *&* 208 *notat ſequentia :* Stephanus Præneſtinus, ad quem etiam epiſtola 219, ex Ordine Ciſtercienſi Cardinalis ab anno MCXL, mortuus MCXLIV. Eumdem laudat præter alios Johannes Saresberienſis in Polycratici lib. 6, cap. 24.

c *Sanctus Abbas in epiſtola* 273 *ad Eugenium PP. de eo ſcribit. Mabillonius ad illam notat iſta :* Hugo ſcilicet Trium-fontium in Campania Galliæ provincia abbas, Romam ab Eugenio accitus anno MCL, ut crearetur Cardinalis, ut in Notis fuſioribus, ad quem epiſtola ſequens.

d De eo Ernaldus in lib. 1 (*immò* 2) de vita Bernardi, cujus apud Claram-vallem monachus fuerat Henricus, tunc Cardinalis tit. ſanctorum Nerei & Achillei. Epiſtola ejus exſtat in tomo 3 Bibliothecæ Ciſtercienſis pag. 239 de legitima electione Alexandri III, *ſicut obſervatur apud Mabillonium poſt epiſtolam* 295, *quæ notatur data circa an.* 1150.

e *Cum titulo* beati *refertur in Menologio Ciſtercienſi apud Henriquez ad diem* 1 *Maii, ubi plura de illo proferuntur, quæ ibidem legi poſſunt. Apud nos autem locus ei datur inter Prætermiſſos ad dictum diem.*

f *Al.* Nepet, Nepete, Nepeta *&c., nunc etiam* Nepi, *urbs parva & epiſcopalis ditionis Eccleſiæ, in provincia Patrimonii, inter Romam fere & Viterbium.*

g *Al. vocatur* Humbertus. *Inſcribitur Menologio mox citato cum titulo* beati *ad diem* 22 *Aprilis ; quo à nobis ſignatur inter Prætermiſſos. Ughellus Italiæ ſacræ tomo* 1 *in epiſcopis Nepeſinis col.* 1028 *noviſſimæ editionis Venetæ de eo agit.*

h *Balduini Piſani initia, ac progreſſus legi poſſunt apud Manricum ad annum* 1130, *cap.* 6 : *cui anno dignitas ejus cardinalitia ibidem intexitur. In Menologio Ciſtercienſi habetur die* 6 *Octobris.*

i *Al.* Amadeus ; *laudatur in Menologio Ciſtercienſi ad diem* 7 *Januarii, quo in Prætermiſſis diximus, nos de eo acturos ad diem* 27 *Septembris. Plura interim de iſto digno præſule ſuggerunt Annales Ciſtercienſes ad annum* 1144, *cap.* 6, *ac Sammarthani in epiſcopis Lauſannenſibus. Eſt autem Lauſanna urbs apud Helvetos ad lacum Lemanum : è qua ſedes epiſcopalis propter hæreſim tranſlata eſt Friburgum.*

k *Al.* Guarinus ; *qui Operi noſtro inſertus eſt die* 6 *Januarii.*

l *De eo Comm. præv.* § 28. *Adiri etiam poteſt Galliæ Chriſtianæ tomus* 4, *col.* 575 *&* ſeqq. *noviſſimæ editionis. Habetur apud nos inter Prætermiſſos die* 22 *Julii.*

m *Annuntiatur cum titulo* beati *in Menol. Ciſt. ad diem* 14 *Octobris : de quo inſuper Sammarthani inter epiſcopos Autiſſiodorenſes, & Manricus ad an.* 1140, *cap.* 10. *Alanus porrò hic Vitam* S. Bernardi *compilavit. Plura de illo*

E

F

A *illo præmissa sunt in Commentario prævio § 64.*

n *Locum habet apud nos inter Prætermissos die 22 Martii, & in Gallia Christiana apud Sammarthanos inter episcopos Nannetenses.*

o *Fuit is Ludovici VII Francorum regis germanus frater. Consule Commentarium prævium § 48 & 49, & Galliam Christianam. Sed annum suscepti habitus in Ordine Cisterciensi corrige ex observationibus, quæ habentur infrà ad lib. 6 Vitæ* S. Bernardi, *seu De miraculis.*

p *Al.* Geraldus. *Videsis Galliam Christianam tom. 3, à col. 212 editionis novissimæ, & Monologium Cisterciense ad 22 Septembris.*

q *Lege Manricum tomo 1 ad annum 1132 cap. 8, num. 8; & ad an. 1143, cap. 2; cap. 3, cap. 6. Item tomo 2, ad annum 1145, cap. 2 & 5; ad an. 1153, cap. 14.*

r *De illis Menologium Cisterciense ad diem 3 Novembris.*

s *Idem Menologium de illo agit ad diem 17 Januarii, & in addendis, quæ habentur ad calcem ejusdem Menologii. Præsul iste Curiensis in Rhetia locum habet apud nos inter Prætermissos jam dicto die. Quæ de viris illustribus, è Claravalle ad insulas assumptis, superiùs dicta sunt,* B *suppleri possunt è catalogo, qui habetur ad finem Menologii Cisterciensis apud Henriquezium, & ejusdem Ordinis personas utriusque sexus dignitate conspicuas designat.*

t *Consule Chronologiam, quam in Commentario præmisimus § 69, parte 3.*

u *Ibidem § 34 habes Viri electionem & elogia; ubi etiam agitur de sancti Abbatis nostri litteris ad eumdem datis.*

x *De Eugenii PP. ob turbas Arnaldianas Româ Viterbium discedente egimus in dicto Commentario § 35; uti & de miraculo, quod eo sacris ibidem operante contigit.*

y *Concilium hoc elucidatur ibidem § 41. Adiri etiam potest Chronologia Bernardina § 69, parte 3: ubi præter concilium Remense indicantur alia in Galliis habita.*

z Vide religionem in Summo Pontifice, qui non laneâ interulâ, sed tunicâ corpori adhærente utebatur, nec cucullam de nocte etiam in lecto abjiciebat; non scapulari, quod tunc non licebat, teste Herberto in libro 2 de Miraculis Cistercienſium cap. 35. Bernardo ob infirmitates C permissus lanei indusii usus cum pileo simili, infrà lib. 3, num. 5; *apud nos verò num. 156. Prædicta in notatione apud Mabillonium hîc leguntur.*

aa Segmentata, *exponitur Gallicè apud Mabillonium in notula marginali*, carreaux de broderie, *id est, pulvinaria acu picta.*

bb *Anno videlicet Christi* 1148, *ex Chronologia paullo antè designata.*

cc *Præter elogium, quod hîc datur de isto Opere; alia de eodem habentur apud Mabillonium volumine primo, pag. 406, in Monito ad lectorem, quod ex Joanne Merlone Horstio ibi præfigitur laudato Operi. Adi Annot. ad lib. 3, cap. 4 lit.* b.

dd *In notula marginali editionis Horstianæ, quam habemus, dicitur,* Hæc non leg. Ms.

ee Hæc ex cod. Corbeiensi, *uti est in notula marginali apud Mabillonium.*

ff Birrus *præter alias significationes accipitur pro vili & crassiori veste, sicut videre licet apud Cangium in Glossario; quæ significatio videtur hîc convenire isti voci.*

gg Fortasse hæ erant gemmæ, quas à duobus abbatibus ORDINIS CISTELLENSIS emit Sugerius, ex libro de ejus administratione cap. 32. A. ERIdem auctor Theobaldum Comitem HYACINTHOS NALDO. RUBEOS ad ecclesiæ S. Dionysii dedicationem donasse tradit apud Chesnium tom. 4, pag. 356. *Mabillonius hîc.*

hh *Fuit enim Theobaldus Adelæ Henrici Angliæ regis sororis filius, teste Willielmo Malmesburiensi De gestis regum Anglorum lib. 5 in Henrico I, pag. 159; nam ibidem agens de simultate inter Ludovicum Crassum, & Henricum* pro Theobaldo Comite, *inquit*, Blesensi (*& Campaniæ,*) filio Stephani; qui apud Ramulam occubuit; quòd Theobaldus, susceptus erat Stephano ex Adala filia Willielmi Magni. *Legi etiam possunt quæ habet Pagius ad an. 1116; à num. 14.*

ii *De illatis Theobaldo à Ludovico VII Galliarum rege vexationibus, ac pace à Sancto inter eos compositâ, diximus in Commentario, quem inspice § 30 & sequentibus.*

LIBER TERTIUS,

E

Auctore Gaufrido, Monacho quondam Claravallensi, & S. Bernardi notario; postea Claravallensi abbate.

PRÆFATIO.

Gaufridus per annos circiter 13 Sancti discipulus

CLarissimi Patris nostri Bernardi Claræ-vallensis abbatis memoriam, viri insignes, ad laudem Christi, & multorum ædificationem literis commendarunt. Inventa sanè materia uberi, prout cuique licuit, & certior ei gestorum innotuit veritas, non eam totam, sed partes aliquas digessêre. Videtur autem nonnullis, quòd multò minus eum silere debuerat * puer sanctitatis ipsius, dignationis filius, benignitatis alumnus. Quem ab ejus uberibus post annos circiter tredecim (quod sine singultu nec meminisse debeo, nec proferre queo) sola tandem, quæ sola potuit, mors avulsit. In quo tibi utinam sibi * complaceat etiam nunc, Pater sancte, sicut aliquando videbatur, & aliquamdiu complacere. Et quis alter tibi tam debitor, quis tam obnoxius, quis tam tuus? Momordit, fateor, & durè momordit mors improba; sed non totum pariter deglutivit. Amputavit, non exstirpavit; sine misericordia, portionem, quæ se contingebat, accepit. Tulit aspectum, tulit eloquium, corporale etiam tulit obsequium; sed non rapuit fidem præsentis etiam nunc opitulationis: non absorbuit spem futuræ aliquando visionis: non denique in præteritorum memoria altiùs radicatum filialis assumpsit devotionis affectum. Cæterùm mihi quidem, ut optimè novi, præsertim tanto idonea operi, nec scientia, nec eloquentia suppetit. Sed tua sanè magnalia, & tuas dignè eloqui laudes, non Origenis ingenium, non Ciceronis lingua sufficeret. Nec desperandum tamen, quòd tuorum magis operum fructus carpere, prudens lector, quàm verborum nostrorum folia indigna debebit: ut illorum magis suavitate gustata, quàm istorum ariditate culpata, non tam nequiter ista mordeat, quàm illos delectabiliter edat. Nam & securiùs, & sinceriùs visa solent, quàm audita narrari: & in tertium vas transfusa, faciliùs

al. debeat

Horst. sic F

A. GAUFRIDO.

liùs coaceſcunt. Sed & dulciùs ea bibitur aqua, quæ ab exiguo licèt alveo fontis hauritur, quem confeſtim repleverit vena ſcaturiens, quàm quæ ex rivo tollitur longiùs jam progreſſo, vel ex flumine etiam copioſo.

fidem ſuam in ſcribendo commendat, & Operis partitionem indicat.

150 Inde eſt, quòd intactis eorum libris, qui de ejuſdem beatiſſimi Patris noſtri initiis, ſeu etiam mediis conſcripſerunt, ne tamquam ſuper alienum ædificaſſe videar fundamentum, circa ea potiſſimùm noſter ſermo verſatur, quibus penè omnibus præſens affui: interdum etiam licèt pauca interſerens, quæ fideliſſima fratrum, qui aderant, relatione cognovi. Verumtamen opus iſtud libellis tribus partitum lector inveniet. Quorum primus quidem ea maximè, quæ ad habitum, mores, atque doctrinam hujus beati Patris videntur pertinere, proſequitur. Secundus autem virtutes multas per eum factas eloquitur. Tertius in ejuſdem bono fine completur. Illud etiam admonendum, in rerum narratione geſtarum cohærentiam ſimilitudinis magis, quam temporis obſervari: ſiquidem nec ſigna ipſa, nec opera quædam eo ordine ſcripta, quo facta ſunt: B ſed interdum aliqua, prout occurrere locis opportunioribus videbantur, inſerta. Firmior enim videtur, & haberi acceptior ſolet oratio, quæ ſuis innititur & illuſtratur exemplis: velut fabrica quædam idoneis fulta columnis. Nonnulla quoque tranſpoſita ſunt, ut ſimilibus aliis jungerentur, & quæ erant ejuſdem generis, ſibi aptiùs cohærerent. Verùm hæc in duobus quidem libellis prioribus: nam in tertio penè per omnia ordini ipſi ipſius temporis, ſeries narrationis obſequitur *a*.

a

ANNOTATIO.

a *Prioris editionis capita inveniet lector poſt præfationem libri primi Vitæ.*

CAPUT I.

Mores ac virtutes ſummatim; acceſſus ad Hugonem epiſcopum Gratianopolitanum, & ad Carthuſianos; ſenſuum cuſtodia, uti & ſermonis; modeſtia ſimul ac gratia; dignitatum fuga.

C

LIB. III. CAP. I.

Virtutum enumeratio; corporis dotes

INnumeris quidem ſignis atque miraculis, ut orbis comperit univerſus, fidelem famulum ſuum Bernardum Claræ vallenſem Deus glorificavit abbatem, ſicut glorioſus ſemper in Sanctis ſuis, & in ſua mirabilis eſt majeſtate. Ceterùm, ſicut Malachiam ſanctum idem ipſe commendat, primum maximumque miraculum, quod exhibuit, ipſe fuit: ſerenus vultu, modeſtus habitu, circumſpectus in verbis, in opere timoratus, in ſacra meditatione aſſiduus, in oratione devotus: &, (ſicut alios ipſe monebat, crebrâ ſiquidem experientiâ perſuaſus) de omni re magis fidens orationi, quàm induſtriæ propriæ vel labori. Magnanimus in fide, longanimis in ſpe, profuſus in caritate, ſummus * in humilitate, præcipuus in pietate. In conſiliis providus, in negotiis efficax; numquam tamen minùs, quàm

* *al.* profundus

in otio otioſus: jucundus ad opprobria, ad obſequia verecundus: ſuavis moribus, meritis ſanctus, miraculis glorioſus; affluens denique ſapientia, & virtute, & gratia apud Deum, & homines. Cujus ſanctæ animæ adjutorium ſimile ſibi fecerat Deus, & ſpeciali præventum benedictione corpus aptaverat. Apparebat in carne ejus gratia quædam, ſpiritualis tamen potiùs quàm carnalis: in vultu claritas præfulgebat, non terrena utique, ſed cæleſtis: in oculis angelica quædam puritas, & columbina ſimplicitas radiabat. Tanta erat interioris ejus hominis pulcritudo, ut evidentibus quibuſdam indiciis foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis & gratiæ, copioſè perfuſus homo quoque exterior videretur. D

& habitudo, nec non infirmitatis.

152 Corpus omne tenuiſſimum, & ſine carnibus erat, ipſa quoque ſubtiliſſima cutis in genis modicè rubens. In illo nimirum quidquid caloris inerat naturalis, aſſidua meditatio, & ſtudium compunctionis attraxerat. Cæſaries ex flavo colorabatur & candido. Barba ſubrufa, circa finem vitæ ejus reſperſa canis *a*: ſtatura mediocritatis honeſtæ, longitudini tamen vicinior apparebat. Aliàs autem theſaurus iſte in vaſe fictili erat, contrito penitus & undique conquaſſato. Laborabat ſiquidem caro ejus multiplicibus infirmitatum incommodis, ut in eis virtus animi perficeretur. Quarum periculoſior quidem in meatu arctiſſimi gutturis, nil penitus ſiccum, vix ſolidum aliquid admittentis: moleſtior erat defectus ſtomachi, viſcerumque corruptio. Hæ continuæ illi, præter alias ſæpiùs incidentes. Summum ejus ſtudium fugere admirationem, & tamquam unum ſeſe agere ceterorum. At proſequebatur gloria fugientem, ſicut è regione captantes ſeſe alios fugere conſuevit. Proverbium illud in ore ei frequenter, ſemper in corde: Qui hoc facit quod nemo, mirantur omnes. Quo nimirum intuitu vitam regulamque communem ampliùs æmulabatur, nil in ſuis actibus præferens obſervantiæ ſingularis. Ob hoc denique & cilicium, quod pluribus annis occultè geſtaverat, ponere maluit, quàm ut ferre ſciretur, minùs illum latêre velle conteſtans, qui cum cæteris ejuſdem profeſſionis ſibi communia non ſectatur. In ipſis tamen communibus erat illi ſingularis puritas, & devotio non communis. Nihil negligens, & minima quæque cum ſtudio & intentione tractabat; ex propria ſiquidem experientia definire ſolitus ſapientem, cui quæque res ſapiunt prout ſunt. F

a

Gulæ odium, parcitas cibi & potûs, piæ exercitationes.

153 A primis ferè annis ſic evaſit illecebras gulæ, ut ipſam quoque ſaporum diſcretionem ex magna parte perdiderit. Quoties pia ſibi miniſtrantium fraude deceptus, liquores pro aliis allios ſumpſit! Nam & oleum ſibi per errorem aliquando propinatum bibit, & penitus ignoravit. Nec priùs id cognitum, quàm ſuperveniens quidam, labia ejus miraretur inuncta. Cibus ejus buccella panis in aqua calida penitus emolliti cum exiguis ſorbitiunculis erat. Modicus ille quidem, ſed non modicam ejus partem crudam rejiciebat ſtomachus, ne qua illi foret in cibo voluptas, quem ſumere periculum; ſumptum tenere, dolor; rejicere miſeria. Sic nimirum fideli Servo juxta deſiderium cordis ſui diſpenſatio ſuperna providerat, ut nec fructus ei deeſſet abſtinentiæ ſingularis, & odioſam ſemper admirationem declinaret ſub umbra neceſſitatis. De vino quidem ſæpius nobis ipſe dicebat, decere monachum, quando ſumere oporteret, ſic guſtare

A ſtare illud, ne exinaniſſe calicem notaretur. Quod ſic ipſe ſervabat, quoties ſibi vinum patiebatur apponi, ut non modò poſt unum potum, ſed poſt totum qualecumque prandium, ſuum vaſculum, in quo ei propinabatur, vix aliquando videretur minùs plenum à menſula reportari. Minùs quidem ſtare poterat, ſed erat ſedens penè jugiter, & rariſſimè movebatur. Quoties ſubtrahere ſe negotiis poterat, aut orans, aut legens, aut ſcribens, aut inſiſtens doctrinæ, & fratrum ædificationi; aut in ſacra meditatione perſiſtens. In quo nimirum ſtudio ſpirituali obtinuerat gratiam ſingularem, ut non tædium in illo, non difficultatem aliquam ſuſtineret, liberè ſecum habitans, & deambulans in latitudine cordis ſui, & ibidem exhibens Chriſto (ut monêre alios ipſe ſolebat) cœnaculum grande ſtratum. Omnis ei ad meditandum hora brevis, locus omnis congruus erat. Frequenter tamen, licèt ſic affectus, divino urgente metu, imò regente ſpiritu, ſtudium hoc lucris uberioribus poſtponebat, doctus quærere non quod ſibi erat utile, ſed quod multis. Alioquin in quolibet
B cœtu hominum vel tumultu, niſi ejus intentionem cauſa depoſceret, tota facilitate animum colligens, interiori quadam, quam ubique ipſe ſibi circumferebat, ſolitudine fruebatur, nihil prorſus attendens, quod ſonaret vel appareret exteriùs.

II. *Inviſit B. Hugonem Gratianopol. epiſcopum:* *b*

154 Cum jam Dei famulus annos aliquot in Clara-valle peregiſſet, ſubiit animum ejus ut ſanctum Hugónem Gratianopolitanum epiſcopum *b*, & Cartuſienſes fratres devotionis gratiâ viſitaret. Quem prædictus epiſcopus tam grataner, & tam reverenter ſuſcepit, divinam intelligens in ejuſdem hoſpitis viſitatione præſentiam, ut proſtratus ſolo tenus adoraret. Videns autem Servus Chriſti epiſcopum ætate grandævum, celebrem opinione, ſanctitate conſpicuum, coram ſe procidentem, vehementer expavit, & ipſe quoque pariter corruens ante eum, ita demum ſuſceptus in oſculo pacis, humilitatem ſuam tanti viri veneratione confuſam, non ſine gravi gemitu cauſabatur. In cujus pectore ſingularem obtinuit ex eo tempore locum, ut fierent deinceps duo illi filii ſplendoris, cor unum, & anima una, & ſe invicem fruerentur in Chriſto. Sicut
C enim regina Saba de Salomone teſtatur, uterque ſeſe in altero longè ampliùs, quàm fama vulgaſſet, inveniſſe gratulabatur.

item Cartuſianos: mira in S. Bernardo oculorum cuſtodia: *c d*

155 Cartuſiæ *c* quoque à viro reverendiſſimo Guigone *d* Priore, & à ceteris fratribus eodem affectu & eadem veneratione ſuſceptus eſt Servus Chriſti, exſultantibus illis in gaudio, quia qualem eum per epiſtolam priùs noverant, talem invenerunt & præſentem. Ceterùm cum in reliquis omnibus ædificarentur, unum fuit, quod prædictum Priorem Cartuſienſem aliquatenus movit, ſtratura videlicet animalis, cui idem Vir venerabilis inſidebat, minùs neglecta, minùs præferens paupertatem. Nec ſilentio preſſit æmulator virtutis, quod menſe conceperat; ſed locutus uni è fratribus, aliquatenus ſuper hoc moveri ſeſe confeſſus eſt, & mirari. Cumque ille ad Patrem ſanctum, quod audierat, retuliſſet; non minùs ipſe miratus, quale illud eſſet ſtramentum quærebat, quòd ita ſcilicet à Clara-valle Cartuſiam uſque veniſſet, ut numquam illud vidiſſet, numquam conſideraſſet, & uſque in horam illam, quale eſſet, omninò neſciret. Neque enim ſuum erat animal illud, ſed à quodam monacho Cluniacenſi avunculo ſuo, & in ſua vicinia demorante, fuerat commodatum: & erat, ſicut ſibi ſternere ille ſolebat. Quod verbum ſæpè dictus Prior audiens, in eo potiſſimùm mirabatur; quòd ſic ille Dei Famulus foris oculos circumcidiſſet, intus animum occupaſſet, ut quod ipſe primo offenderat viſu, hoc ille tanti itineris ſpatio non vidiſſet. Juxta lacum etiam Lauſannenſem *e* totius diei itinere pergens, penitus eum non vidit, aut ſe videre non vidit. Cùm enim veſpere facto, de eodem lacu ſocii colloquerentur, interrogabat eos, ubi ille lacus eſſet: & mirati ſunt univerſi.

A. GAUFRIDO. *e*

amor ſolitudinis & ſilentii religioſi, ac modeſtia: *f*

156 Deſideraverat tamen ab initio omni modo ſubtrahere ſe negotiis, & nuſquam egredi, ſed in monaſterio reſidere. Quod & poſtmodùm, ex defectu corporis occaſionem inveniſſe ſe reputans opportunam, aliquando ſtatuit, & aliquamdiu tenuit, donec illum exire coëgit neceſſitas gravis Eccleſiæ Dei, & ſummi Pontificis, atque omnium abbatum ſui Ordinis juſſio *f*, quibus per omnia tamquam patribus deferebat ipſe omnium pater. Ex quorum etiam mandato, noviſſimis quidem annis, præter cucullam & tunicam, laneo panno in modum chlamydis decurtatæ, & pileo ſimili utebatur, inter tantos languores corporis & labores, nullis umquam uti pellibus acquieſcens. In veſtibus ei paupertas ſemper placuit, ſordes numquam. Nimirum animi fore * indices, aiebat, aut negligentis, aut inaniter apud ſe gloriantis, aut gloriolam foris affectantis humanam. Inceſſus ejus & habitus omnis modeſtus & diſciplinatus, præferens humilitatem, redolens pietatem, exhibens gratiam, exigens reverentiam, ſolo viſu lætificans & ædificans intuentes. De riſu dicimus, quod ex ore ejus frequenter audivimus, dum cachinnos religioſorum hominum miraretur, non meminiſſe, ſe à primis annis ſuæ converſionis aliquando ſic riſiſſe, ut non potiùs ad ridendum, quàm ad reprimendum ſibi vim facere oporteret; & riſui ſuo ſtimulum magis adhibere, quàm frenum.

E

* *i. e.* eſſe

III. *ſermo captui auditorum accommodatus, & à nugis alienus:* F

157 Vocem illi in invalido corpore validam ſatis intelligibilemque contulerat, qui in opus prædicationis ſegregaverat illum ex utero matris ſuæ. Sermo ei, quoties opportuna inveniebatur occaſio, ad quaſcumque perſonas, de ædificatione animarum, prout tamen ſingulorum intelligentiam, mores & ſtudia noverat, quibuſque congruens auditoribus erat. Sic ruſticanis plebibus loquebatur, ac ſi ſemper in rure nutritus: ſic ceteris quibuſque generibus hominum, velut ſi omnem inveſtigandis eorum operibus operam impendiſſet. Litteratus apud eruditos, apud ſimplices ſimplex; apud ſpirituales viros, perfectionis & ſapientiæ affluens documentis: omnibus ſe coaptabat, omnes cupiens lucrifacere Chriſto. Cautus erat artificioſiſſimè obſervare quod ad Papam Eugenium ſcribens *g*, de ſui cordis plenitudine eructavit: Nugæ ſi incidant, interdum, inquit, ferendæ fortaſſis; referendæ numquam. Interveniendum cautè & prudenter nugacitati. Prorumpendum ſanè in ſerium quid, quod non modò utiliter, ſed & libenter audiant, ut ſuperſedeant otioſis.

g

mira ejus facundia & gratia ſermonis: intelligentia Scripturarum divinitus conceſſa.

158 Quàm verò placabilem & perſuaſibilem, quámque eruditam linguam dederit ei Deus, ut ſciret, quem & quando deberet proferre ſermonem, quibus videlicet conſolatio vel obſecratio, quibus exhortatio congrueret vel increpatio; noſſe poterunt aliquatenus qui ipſius legerint ſcripta, etſi longè minùs ab eis, qui verba ejus ſæpius audierunt. Siquidem diffuſa erat gratia in

A. GAUFRIDO.

labiis ejus, & ignitum eloquium ejus vehementer, ut non posset ne ipsius quidem stilus, licèt eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere fervorem. Mel & lac sub lingua ejus, & nihilo minùs in ore ejus ignea lex: juxta illud Cantici canticorum: Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Inde erat, quòd Germanicis etiam populis loquens, miro audiebatur affectu, & ex sermone ejus, quem intelligere, utpote alterius linguæ homines, non valebant, magis quàm ex peritissimi cujuslibet post eum loquentis interpretis intellecta locutione, ædificari illorum devotio videbatur, & verborum ejus magis sentire virtutem. Cujus rei certa probatio tunsio pectorum erat, & effusio lacrymarum *h*. Utebatur sanè Scripturis tam liberè commodéque, ut non tam sequi illas, quàm præcedere crederetur: & ducere ipse quò vellet, auctorem earum ducem Spiritum sequens. Quem nimirum ut in medio Ecclesiæ aperiret os ejus, sic impleverat Deus spiritu sapientiæ & intellectûs, ut secundum quod in libro Job legitur, profunda quoque fluviorum scrutaretur, & abscondita proferret in lucem. Nam & confessus est aliquando, sibi meditanti vel oranti, sacram omnem velut sub se positam & expositam apparuisse Scripturam.

h

B

159 Cæterùm quàm gratis euangelizarit, quis dignè prædicet, quis dignè miretur? Minùs fore * credidit, nullas sibi ab auditoribus transitorias petere facultates, nisi oblatas sæpiùs refutaret ecclesiasticas dignitates. Parum illi fuit nulla quærere stipendia militantem: ne insignia quidem recipere acquievit. Denique velut alter David processurus ad bellum, bellica arma sibi graviora causatus est, quibus multos suo præsertim tempore cerneret prægravari: & in simplicitate sua gloriosiùs triumphabat. Tantam enim gratiam virtus ei divina contulerat, ut licèt abjectus esse elegisset in domo Dei, uberiùs tamen fructificaret in ea, quàm alii quilibet in sublime porrecti, & lucens ampliùs illustraret Ecclesiam velut de sub modio humilitatis suæ, quàm ceteri super candelabra constituti. Nimirum quò humilior, eò semper utilior fuit populo Dei in omni doctrina salutari, in quo tamen numquam voluit locum tenere doctoris. Beatus planè, qui sicut ipse de quodam Sanctorum ait *i*, legem dilexit, & cathedram non affectavit. Quàm feliciùs siquidem in virtutum cathedra sedere meruit, dum noluit præsidere in cathedris dignitatum! Denique sicut justus & fortis in prædicatione euangelica laboravit, sicut prudens & temperans cavit sibi semper ab ecclesiastica prælatione. Nec enim contumaciter umquam renuit, sed frequenter, & ad maximos electus honores, prudenter egit, divina sibi cooperante gratia, ne aliquando cogeretur. Moyses quidem sanctus cessit Aaron fratri suo pontificium; sed linguæ erat impeditioris. Bernardum nostrum non ab opere Euangelistæ necessitas aliqua, sed ab honore solo sola humilitas revocavit. Meritò proinde apud Deum & homines obtinuit gratiam singularem, qui non modò sine sumptu temporalis facultatis, verùm etiam sine gradu ecclesiasticæ dignitatis, non autem sine fructu fraternæ salutis, Euangelium posuit; & populo Dei semper prodesse studuit, numquam præesse sustinuit. Rarò tamen nisi forte ad loca proxima, ut prædicaret, exivit. Sed quoties eum necessitas aliqua traheret, seminabat super omnes aquas, publicè & privatim annuntians verbum Dei. Quod tamen ipsum ex mandato summi Pontificis actitabat: ad nutum quoque præsulum ceterorum, ubicumque eorum aliquem contigisset adesse. Nimirum quantò magnus erat, humilians se in omnibus, eò magis sacerdotibus deferebat, quò pleniùs intellexerat, quæ ministris Christi reverentia deberetur.

Grâtis euangelizat, dignitates respuit.

* esse

C

D

ANNOTATA.

a *His adde Sancti effigiem ex nostro Commentario prævio* § 53.

b *Habetur in Opere nostro ad diem* 1 *Aprilis.*

c Cartusiæ. *Notissima est ascetarum eremus in Delphinatu Galliæ, & in tractu Gratianopolitano, sic dicta à vico* Chartrous *ei adjacente, ut observat Baudrandus.*

d *Guigo ille conscripsit Vitam S. Hugonis episcopi Gratianopolitani, quæ à nobis edita est ad diem* 1 *Aprilis. De eodem Guigone, ac Cartusianis, quos impensè amavit* S. Bernardus, *consule dictum nostrum Commentarium prævium* § 11, *à num.* 119. *His subjungo fragmentum epistolæ, quam Fr. Gaspar van Craesbeeck Cartusianus, Lirâ (parva civitas est paucis leucis distans Antverpiâ) ad nostrum Papebrochium dedit die* VI *Decembris anno* 1685: Certissimum est, *inquit*, & præter omne dubium, quòd S. Bernardus Clarevallensis in domo nostra Montis Dei sæpissime hospitatus sit devotionis causâ: imò tam frequenter, ut ei fuerit assignata cella singularis, quæ fuit vocata cella S. Bernardi. Hanc non semel trivit R. P. Pecquius, ut habeo ex ore ejus. Hæc jam à paucis annis est diruta ob ampliationem ambitûs. *Hæc quia nec possum negare, nec confirmare; ideo intra simplicis relationis limites me contineo.*

E

e *Consule Annotata ad lib.* 2 *cap.* 6, *lit.* i.

f *Meretur legi epistola* 21, *item* 48 *in fine.*

g *Vide librum* 2 *de Consideratione cap.* 13.

h *De summa persuadendi gratiâ, quâ Vir sanctus excelluit, agit Commentarius prævius* § 39, *num.* 416.

i Nimirum de S. Malachia in ejus Officio, Antiphonâ 1 ad Matut., *ex Mabillonio hîc.*

CAPUT II.

F

Sanctus calumniis obnoxius ex infelici successu belli sacri; errores Petri Abaëlardi & Gilleberti Porretani ab ipso confutati; hæresis Henriciana repressa; miracula.

IV. *Calumniis impetitur ob siniſtrum ſucceſſum expeditionis in Orientem: innumera miracula.*

NEc tacendum, quòd ex prædicatione itineris Hierosolymitani grave contra eum quorumdam hominum vel simplicitas, vel malignitas scandalum sumpsit, cum tristior sequeretur effectus. Quod tamen verbum * dicere possumus ab eo quidem initium non sumpsisse. Cùm enim multorum jam animos permovisset audita necessitas, à rege Francorum semel & iterum propter hoc expetitus, Apostolicis etiam litteris monitus, nec sic acquievit super hoc loqui, vel consilium dare, donec per ipsius tandem summi Ponti-

* *i. e.* negotium

A Pontificis generalem epiſtolam juſſus ab eo eſt tamquam Romanæ Eccleſiæ lingua exponere populis atque principibus. Cujus epiſtolæ *a* tenor fuit, ut in pœnitentiam & remiſſionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut ſuas pro illis animas poſituri. Hæc & hujuſmodi ſuper hoc poterant veraciter dici: ſed dicendum potiùs id, quod potiùs fuit. Evidenter enim verbum hoc prædicavit, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Sed quàntis, & quàm multiplicibus ſignis? Quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Nam & eodem tempore ſcribi cœperant, ſed ipſa demum ſcriptorem numeroſitas ſcribendorum, & materia ſuperavit auctorem: nimirum cum aliquando una die viginti ſeu etiam plures ab incommodis variis ſanarentur, nec facilè ab hujuſmodi dies ulla vacaret. Denique plures eo tempore Chriſtus per Servi ſui tactum & orationem, ex ipſis etiam matrum uteris cæcos videre, claudos ambulare, aridos convaleſcere, ſurdos fecit audire, & mutos loqui: mirabiliùs reſtituente gratia, quod minùs præſtitum fuerat à natura.

a

B 161 Nec tamen ex illa profectione Orientalis eccleſia liberari, ſed cæleſtis meruit impleri & lætari. Quod ſi placuit Deo tali occaſione plurimorum eripere, ſi non Orientalium corpora à paganis, Occidentalium animas à peccatis: quis audeat dicere illi, Quid feciſti ſic? Aut quis rectè ſapiens, illorum magis non doleat, qui ad priora, vel peiora fortè prioribus ſcelera redierunt, quàm eorum mortem, qui in fructibus pœnitentiæ purgatas variis tribulationibus Chriſto animas reddiderunt? Alioquin quamlibet dicant Ægyptii, dicant filii tenebrarum, qui veritatem nec videre valeant, nec proferre: Callidè eduxit eos, ut interficeret in deſerto: patienter tolerat Chriſtus Salvator opprobrium, quod tantarum animarum ſalute compenſat. Meminit hujus verbi ipſe quoque venerabilis Pater, inter cætera dicens: Si neceſſe ſit unum fieri è duobus, malo in nos murmur hominum, quàm in Deum eſſe. Bonum mihi, ſi dignetur me uti pro clypeo, libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata ſpicula blaſphemorum, ut non ad ipſum perveniant. Non recuſo inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam. Hæc

Utilis expeditio illa, quamvis fruſtrata fructu.

C quidem ille in libro de Conſideratione ſecundo. Accidit autem, ubi primùm de ejuſdem exercitus diſſipatione lamentabilis intra Gallias inſonuerat rumor, ut illuminandum Dei Famulo filium cæcum offerens pater, multis precibus vinceret excuſantem. Et imponens Sanctus puero manum, orabat ad Dominum quatenus, ſi ab eo verbum prædicationis illius exierat, ſi prædicanti Spiritus ejus affuerat, in illius illuminatione oſtendere dignaretur. Dum verò poſt orationem, orationis præſtolaretur effectum, Quid facturus ſum? ait puer: video enim. Attollitur illicò clamor adſtantium, plures enim non modò è fratribus, verùm etiam è ſecularibus aderant, qui, ut puerum vidère videntem, multipliciter conſolati, Deo gratias referebant.

Aſcalon capitur divinâ potiùs quam humanâ virtute.

162 [Illud etiam jucundè ſatis credimus conſideràſſe nonnullos, quòd eâdem hebdomadâ, quâ feliciſſima anima ejus carne ſoluta eſt, eccleſia Hieroſolymitana magnificè ſatis fuerit divino munere conſolata, ſicut ſæpiùs noverant illum promiſiſſe. Siquidem capta *b* eſt Aſcalon illa munitiſſima, paucis à ſancta civitate milliariis diſtans, & periculosè inſtans calcaneo ejus. Adverſus hanc quinquaginta annis & eo ampliùs nihil profecerant Chriſtiani laborantes: nam & tunc non humana virtute capta eſt, ſed divina. Nec incongruum nunc ipſius interſerere verba, quæ eodem ſcripſerat anno ad virum optimum Militem Templi, tunc miniſtrum, nunc etiam, Magiſtrum Militiæ Templi, qui ipſius ſecundùm carnem avunculus erat *c*. Væ principibus noſtris, ait. In terra Domini nihil boni fecerunt: in ſuis, ad quas velociter redierunt, incredibilem exercent malitiam, & non compatiuntur ſuper contritione Joſeph. Confidimus autem, quia non repellet Dominus plebem ſuam, & hereditatem ſuam non derelinquet. Porrò dextera Domini faciet virtutem, & brachium ſuum auxiliabitur ei: ut cognoſcant omnes, quia bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus.] Sed de his hactenus *d*.

b

c

d

163 Jam & illud propter poſteros memorandum, quàm multipliciter Eccleſiæ ſanctæ Viri Dei doctrina profuerit in Catholicorum moribus corrigendis *e*, in ſchiſmaticorum furoribus comprimendis *f*, in hæreticorum erroribus confutandis *g*. Siquidem præter eos, quos docuit ſobriè, & juſtè, & piè vivere in ſæculo, quantos etiam perfectiùs valedicere ſeculo perſuaſit, vel ex hoc liquet, quòd non ceſſavit, quamdiu vixit, deſerta ſæculi, ſæculi deſertoribus implens. Cujus miniſterio videtur propheticum illud etiam corporaliter exhiberi: Poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua in exitus aquarum. Et collocavit illic eſurientes, & conſtituerunt civitatem habitationis. Et ſeminaverunt agros, & plantaverunt vineas, & fecerunt fructum nativitatis: & benedixit eis, & multiplicati ſunt, & jumenta eorum non minoravit. Sanè in diebus ſchiſmatis generalis, quàm fideliter Servus Domini ſtetit in confractione in conſpectu ejus, ut averteret iram ejus; quàm efficaciter ſtetit & placavit, & ceſſavit quaſſatio; quàm denique evidenter in tempore iræ factus eſt reconciliatio, non modò latiùs proſequendum. Sufficere interim poteſt, ſi ipſius ſuper hoc ſcribentis ad eum Innocentii Papæ verba *h* ponamus: "Quam firma, ait, perſeverantique conſtantia cauſam beati Petri & ſanctæ matris tuæ Romanæ Eccleſiæ, incandeſcente Petri Leonis ſchiſmate, fervor tuæ religionis & diſcretionis ſuſceperit defendendam, & ſe murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos regum ac principum, & aliarum tam eccleſiaſticarum quàm ſæcularium perſonarum ad Catholicæ Eccleſiæ unitatem, & beati Petri, ac noſtram obedientiam, frequentibus argumentis, & ratione munitis reducere laboraverit, magna, quæ Eccleſiæ Dei, & nobis provenit, utilitas manifeſtat". In quibus autem pro fide quoque quàm magnificè egerit Servus fidelis & prudens, breviter intimandum.

e

f

g

E

F

b

Quæ fecit Sanctus pro Eccleſia Dei, inſigni elogio Innocentii PP. prædicantur.

164 Fuit in diebus illis Petrus Abaëlardus *i* magiſter inſignis, & celeberrimus in opinione ſcientiæ; ſed de fide perfidè dogmatizans. Cujus cùm blaſphemiis plena graviſſimis volitare undique ſcripta cœpiſſent, profanas novitates vocum & ſenſuum viri eruditi atque fideles ad Dei Hominem retulerunt. Qui nimirum ſolita bonitate & benignitate deſiderans errorem corrigi, non hominem confundi, ſecreta illum admonitione convenit. Cum quo etiam tam modeſtè tamque rationabiliter egit, ut ille quoque compunctus ad ipſius arbitrium correcturum ſe promitteret univerſa. Ceterùm cum receſſiſſet ab eo Petrus idem, conſiliis ſtimulatus iniquis, & ingenii ſui viribus, plurimoque exercitio diſputandi infeli-

Petrus Abaëlardus provocat eum ad diſputationem in concilio Senonenſi

i

A. GAUFRIDO.

citer fidens, resiliit à proposito saniori. Expetens denique Senonensem metropolitanum, quòd in ejus ecclesia celebrandum foret in proximo grande concilium, Claræ-vallensem causatur Abbatem suis in occulto detrahere libris. Addit quoque, paratum se esse in publico sua defendere scripta, rogans ut prædictus Abbas dicturus, si quid haberet, ad concilium vocaretur. Factum est ut postulavit. Sed vocatus Abbas venire penitus recusavit, suum hoc non esse renuntians *k*. Postea tamen magnorum virorum monitis flexus, ne videlicet ex ipsius absentiâ & scandalum populo, & cornua crescerent adversario, demum pergere acquievit, tristis quidem, nec sine lacrymis annuens, sicut in epistola *l* ad Papam Innocentium ipse testatur, in qua plenius lucidiúsque negotium omne prosequitur.

k

l

165 Affuit dies, & ecclesia copiosa convenit: ubi à Dei Famulo Petri illius in medium scripta prolata sunt, & erroris capitula designata *m*. Demum illi optio data est, aut sua esse negandi; aut errorem humiliter corrigendi; aut respondendi, si posset, objiciendis sibi rationibus pariter & sanctorum testimoniis Patrum. At ille nec volens resipiscere, nec valens resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur, ut tempus redimeret, Sedem Apostolicam appellavit *n*. Sed & postea ab egregio illo Catholicæ fidei Advocato monitus, ut vel jam sciens in personam suam nihil agendum, responderet tam liberè, quàm securè, audiendus tantùm & ferendus in omni patientia, non sententiâ aliquâ feriendus: hoc quoque omnimodis recusavit. Nam & confessus est postea suis, ut aiunt, quòd eâ horâ maxima quidem ex parte memoria ejus turbata fuerit, ratio caligaverit, & interior fugerit sensus. Nihilo minùs tamen ecclesia, quæ convenerat, dimisit hominem, mulctavit abominationem, à persona abstinens, sed dogmata prava condemnans. Quando verò Petrus ille refugium inveniret in Sede Petri, tam longè dissidens à fide Petri? Et ipsum ergo auctorem eâdem sententiâ cum erroribus suis Apostolicus Præsul involvens, scripta incendio, scriptorem silentio condemnavit.

sed à Summo Pontifice damnatur.

m

B

n

Gilleberti Porretani errores condemnantur in concilio Remensi, præsente Eugenio Pontifice;

o

C

166 Fuit item Gillebertus *o*, quem cognominavere Porretanum, Pictavorum episcopus, in sacris Litteris plurimùm exercitatus, sed sublimiora se etiam ipse scrutatus, ad insipientiam sibi. Siquidem de sanctæ Trinitatis unitate & Divinitatis simplicitate non simpliciter sentiens, nec fideliter scribens, discipulis suis panes proponebat absconditos, furtivas propinabat aquas, nec facilè quid saperet imò quantum desiperet, personis authenticis fatebatur. Timebat enim, quod apud Senonas Petrum ei dixisse ferunt:

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Noviſſimè tamen, cum jam fidelium super hoc invalesceret scandalum, cresceret murmur, vocatus ad medium est, & librum tradere jussus, in quo blasphemias evomuerat graves quidem, sed verborum quodam involucro circumseptas. Igitur in concilio, quod in urbe Remorum Papa venerabilis Eugenius celebravit, egit cominùs adversus hunc Gillebertum, Ecclesiæ sanctæ suo tempore singularis athleta Bernardus: primò quidem totum, quod ille verborum cavillationibus occultare nitebatur, eliciens: deinde verò tam suis ratiociniis, quàm Sanctorum testimoniis biduana disputatione redarguens, considerans sanè nonnullos ex his, qui præsidebant, jam quidem animadvertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen avertentes injuriam à persona, accensus est zelo, & domesticam sibi ecclesiam seorsum convocat Gallicanam.

D

novum symbolum conditur, & Gillebertus resipiscit.

167 Communi denique consilio, à patribus decem provinciarum, aliis autem episcopis & abbatibus plurimis, dictante Viro Dei, novis dogmatibus opponitur symbolum novum. Cui etiam subscribuntur nomina singulorum, ut eorum videlicet omnium, sicut irreprehensibilis fides, sic irreprehensibilis zelus ceteris innotescat. Ita demum Apostolico judicio & auctoritate universalis Ecclesiæ, error ille damnatur, episcopus Gillebertus, an eidem damnationi consentiat, interrogatur. Consentiens, & publicè refutans *p* quæ priùs scripserat & affirmaverat, indulgentiam ipse consequitur, maximè quòd ab initio cautus fuisset ea lege eamdem ingredi disceptationem, ut promitteret sine ulla sese obstinatione, pro Ecclesiæ sanctæ arbitrio, correcturum liberè suam opinionem.

p

VI.

Henricus monachus apostata hæreses disseminat in partibus Tolosanis.

168 In partibus Tolosanis Henricus *q* quidam, olim monachus, tunc apostata vilis, pessimæ vitæ, perniciosæ doctrinæ, verbis persuasibilibus gentis illius occupaverat levitatem, &, ut prædixit Apostolus, de quibusdam, in hypocrisi loquens mendacium, fictis verbis de eis negotiabatur. Erat autem hostis Ecclesiæ manifestus, irreverenter ecclesiasticis derogans Sacramentis pariter & ministris. Nec mediocriter in ea jam malignitate profecerat. Sic enim de eo scribens *r* Pater venerabilis ad principem Tolosanum, inter cetera ait: Passim inveniebantur jam ecclesiæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reverentia, sine Christo denique Christiani. Parvulis Christianorum Christi vita intercludebatur, dum baptismi gratia negabatur. Ridebantur orationes oblationesque pro mortuis, Sanctorum invocationes, sacerdotum excommunicationes, fidelium peregrinationes, basilicarum ædificationes, dierum solemnium vacationes, chrismatis & olei consecrationes, & omnes denique institutiones ecclesiasticæ spernebantur.

q

E

r

Bern. cum Alberico Ostiensi episc. Tolosam petit, in itinere multa edens miracula;

169 Hac necessitate Vir sanctus iter arripuit, ab ecclesia regionis illius sæpiùs jam antè rogatus, & tunc demum à reverendissimo Alberico Ostiensi episcopo & Legato Sedis Apostolicæ persuasus pariter & deductus. Veniens autem, cum incredibili devotione susceptus est à populo terræ, ac si de cælo angelus advenisset. Nec moram facere potuit apud eos, quod irruentium turbas reprimere nemo posset: tanta erat frequentia diebus ac noctibus adventantium, benedictionem expetentium, flagitantium opem. Prædicavit tamen in civitate Tolosa per aliquot dies, & in ceteris locis, quæ miser ille frequentasset amplius, & graviùs infecisset, multos in fide simplices instruens, nutantes roborans, errantes revocans, subversos reparans, subversores & obstinatos auctoritate sua premens & opprimens, ut non dico resistere, sed ne assistere quidem & apparere præsumerent. Ceterùm, etsi tunc fugit hæreticus ille & latuit *s*, ita tamen impeditæ sunt viæ ejus & semitæ circumseptæ, ut vix alicubi postea tutus, tandem captus & catenatus episcopo traderetur. In quo itinere plurimis etiam signis in servo suo glorificatus est Deus, aliorum corda ab erroribus impiis revocans; aliorum corpora à languoribus variis sanans.

F

s

ac prædicationem suam confirmans.

170 Est locus in regione eadem, cui Sarlatum *t* nomen est, ubi sermone completo plurimos ad benedicendum panes, sicut ubique fiebat,

Dei

t

A Dei Famulo offerebant. Quos ille elevata manu & ſigno crucis edito in Dei nomine benedicens, In hoc, inquit, ſcietis vera eſſe, quæ à nobis, falſa, quæ ab hæreticis ſuadentur, ſi infirmi veſtri, guſtatis panibus iſtis, adepti fuerint ſoſpitatem. Timens autem venerabilis epiſcopus Carnotenſium, magnus ille Gaufridus, (ſiquidem præſens erat & proximus Viro Dei) Si bona, inquit, fide ſumpſerint, ſanabuntur. Cui Pater ſanctus de Domini virtute nil hæſitans, Non hoc ego dixerim, ait, ſed verè, qui guſtaverint, ſanabuntur: ut proindè veros nos, & veraces Dei nuntios eſſe cognoſcant. Tam ingens multitudo languentium guſtato eodem pane convaluit, ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur, & Vir ſanctus per vicina loca regrediens, ob concurſus intolerabiles declinaverit, & timuerit illò ire.

171 Præcipuum * ſanè miraculum, quod per Famulum ſuum in urbe Toloſa Chriſtus exhibuit, paralytici cujuſdam clerici curatio fuit. Hunc in domo Regularium Clericorum ſancti Saturnini *u*; quorum unus ipſe erat, ad petitionem abbatis & fratrum, circa noctis crepuſculum viſitans Homo Dei, moribundum invenit hominem, qui extremum ſpiritum trahere videretur. Conſolatus itaque miſerum, & data benedictione egrediens, ſicut poſtea confeſſus eſt, loquebatur in corde ſuo fidelis Servus ad Dominum tam fiduciaB liter, quàm fideliter, dicens: Quid exſpectas Domine Deus? Generatio hæc ſigna quærit. Alioquin minùs apud eos noſtris proficimus verbis, niſi abs te fuerint confirmata ſequentibus ſignis. Eâdem horâ exſiliit paralyticus de grabato, & accurrens, ſecutus & conſecutus eſt eum, ſacra veſtigia devotione, quâ debuit, amplexatus. Cui ſubitò procedenti obvians ex concanonicis unus expavit & exclamavit, ſiquidem phantaſma putabat. Quando enim de lectulo eum crederet ſurgere potuiſſe? Egreſſam magis à corpore ejus animam phantaſticè ſibi apparuiſſe arbitratus aufugit. Sed ipſa demum tam ei quàm ceteris rei veritas fidem fecit. Egreditur exinde ſermo inter fratres, curritur ad ſpectaculum tam jucundum: ipſe etiam inter primos accurrit epiſcopus & Legatus, inde pergitur ad eccleſiam, eo ipſo, qui convaluerat, præeunte, conclamatur in laudes Dei, eodem pariter concinente; ruit undique C populus, benedicitur Chriſtus, triumphat fides, infidelis quiſque confunditur, exſultat pietas, & impietas contabeſcit. Porrò Vir Dei cellam, ubi manebat, ingreſſus, diligenter omnes obſervari aditus, obſerari januas jubet; ne quis pateat introitus populo concurrenti. [Sanè is quidem Bernardus (hoc enim Clerico nomen erat, qui ſanus factus eſt) corporali beneficio non ingratus; magiſque ſollicitus pro remedio ſpirituali, ſecutus eſt Servum Chriſti, monaſticum in Claravalle Ordinem profitens, & habitum ſumens. A quo etiam miſſus ad partes iterum Toloſanas, & abbas illic conſtitutus, hodieque monaſterio præeſt, quod Vallis-Aquæ dicitur *x*.]

Toloſæ paralyticus moribundus repentè curatur.

* *al.* primum

u

x

ANNOTATA.

a *Epiſtola prima Eugenii PP. III, quæ data eſt ad Ludovicum Galliarum regem, de expeditione in Terram ſanctam, habetur apud Labbeum tomo* 10 *Conciliorum col.* 1046 *& ſeqq.*

b Captam eſſe *Aſcalonam* anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo quarto.. menſe Auguſto, die menſis duodecimâ, *auctor eſt Guillelmus Tyrius in ſua rerum in partibus tranſmarinis geſtarum Hiſtoria, lib.* 17, *cap.* 30 *in fine: ſed Pagius in Critica Baroniana ad annum Chriſti* 1153, *num.* 19 *ſcribit, hoc anno rem accidiſſe, die* XIV *Kal. Septembris; & allegatis auctoribus*, Quare, *ait*, Tyrius, qui, cùm res ab aliis acceptas, non verò à ſe viſas narrat, ſæpè fallitur, hanc Balduini III Hieroſolymorum regis victoriam.. perperam in annum ſequentem differt. *Si quis autem de iſta expeditione cupit plura noviſſe, adeat eumdem Guillelmum in dicto libro.* A. GAUFRIDO.

c Andreas *videlicet: ad quem* S. Bernardus *ſcripſit epiſtolam, ordine* 288 *apud Mabillonium, de infelici exitu ſacræ expeditionis.*

d *Nullo pacto imputari poſſe Viro ſancto infelicem militiæ Orientalis eventum, liquet tum è ſuperiore Gaufridi pro eo apologia, tum è Commentario noſtro prævio; quem videſis* § 40.

e *Quid Sanctus præſtiterit in reformandis eccleſiaſticorum, monaſticorum, ac ſecularium moribus,* § 45 *expoſitum eſt in Commentario.*

f *Vide eumdem Commentarium varii locis.*

g *Concertationes ejus dedimus ibidem* § 41, *& ſequentibus.* E

h *In epiſtola Innocentii PP. II, quæ inter Bernardinas in editione Mabillonii ponitur ordine trecenteſima quinquageſima ſecunda, & innectitur anno Chriſti* 1131.

i *De Abaëlardi erroribus à Sancto Viro impugnatis, ac de rebus, quæ huc ſpectant, pluribus agit idem Commentarius* § 29.

k *Legi poteſt epiſtola* S. Bernardi 187.

l *Ordine* 190; *quæ ob prolixitatem refertur alibi apud Mabillonium, nimirum volumine primo, à col.* 643.

m *Adi Commentarium prævium* § 29, *num.* 316.

n *Vide epiſtolam ſancti Patris* 189 *ad Innocentium PP. II de erroribus Abaëlardi; &* 188 *ad epiſcopos & Cardinales curiæ.*

o S. Bernardi *concertationem cum Gilleberto Porretano dedimus in Commentario prævio* § 41.

p Hæc fuſiùs refert hujus libri auctor Gaufridus, qui & ipſe concilio interfuit, in epiſtola ad epiſcopum Albanenſem Henricum. Ad hæc, idem Gaufridus diſputationem edidit adverſus Gilbertum, quam habes in fine hujuſce tomi cum prædicta epiſtola. *Ita Mabillonius hîc.* F

q *Henricianos hæreticos à ſancto Doctore coërcitos, ac miracula ad deſtruendos illorum errores ab eo facta apud Toloſanos, exhibet Commentarius prævius* § 42.

r *Vide epiſtolam* 241.

ſ *Conſuli poteſt Gaufridi de hoc Henrico epiſtola, quæ dabitur infrà apud nos, à num.* 351.

t *Vulgò* Sarlat, *urbs Galliæ in Aquitania, & in Petrocorienſi provincia.*

u *Gallicè* S. Sernin de Toloſe *vocatur apud Sammarthanos tomo* 4 *Galliæ Chriſtianæ, pag.* 811, *ubi plura. Conſuli etiam poſſunt Annales Benedictini à Mabillonio editi tomo* 5, *ad an.* 1083, *num.* 49.

x Vallis-aquæ (*Valdeau:*) *de quo monaſterio non reperi plures notitias.*

A. GAUFRIDO.

CAPUT III.

Suavissimi mores, ac præclaræ virtutes.

VII. *Vir sanctus quid de se sentiat inter tot miracula.*

CUm autem per totum ab eadem provincia reditum Viri sancti magis magisque signa crebrescerent, & multiplicarentur indies, non prætereundum, quidnam ipse inter hæc animi gereret, qui à Christo humilitatem cordis & mansuetudinem didicisset. Disputans enim secum in cogitationibus suis, & ex ipsa demum locutus abundantia cordis sui, domesticis sibi religiosis quibusdam fratribus aiebat: Plurimum miror, quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit Deo talia actitare per talem. Nil mihi videor in sacris Paginis super hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa per sanctos homines & perfectos: facta sunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum, nec fictionis. Scio enim Sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur: confido autem nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, & à Domino ignorantur. Hæc & hujusmodi crebsiùs secretiusque cum viris spiritualibus conferebat. Novissimè verò opportunum sibimet visus exitum reperisse, Scio, inquit, hujusmodi signa non ad sanctitatem unius, sed ad multorum spectare salutem, & Deum in homine, per quem talia operetur, non tam perfectionem considerare, quàm opinionem, ut in eo commendet hominibus, quæ illi creditur inesse, virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc, per quos fiunt; sed pro eis magis, qui vident illa, vel sciunt. Nec eo fine per eos ista Dominus operatur, ut ipsos probet ceteris sanctiores, sed ut ceteros magis amatores & æmulatores faciat sanctitatis. Nihil ergo mihi & signis istis, quandoquidem meæ illa famæ magis, quàm vitæ noverim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem, sed ad commonitionem potiùs aliorum. Satis, ni fallimur, hujus Viri mirabitur animum, quisquis hoc diligenti consideratione pensaverit, nec præstantius reputabit æstimator quisque fidelis, signa atque prodigia mirabiliter operari, quàm perpetrata taliter interpretari.

B

C

Mira in eo integritas, & suavitas morum, ac moderatio affectuum:

173 Sibi quoque non minùs utile judicabit, imitandos ejus affectus, quàm mirandos actus; & morum insignia, quàm operum signa cognoscere. Sed ad hæc quis idoneus? In hujus siquidem pectore Viri Dei, pari fœdere puritas suavitasque confederant: satis quidem utraque mirabilis; sed mirabilior utriusque complexus. Inde nimirum tam singulariter in unum hominem totius orbis vota pariter concurrebant, quòd puritatem suavitas amabilem faceret; suavitatem puritas acceptabilem: ut difficile fuerit æstimare, gratiæ an reverentiæ amplius obtineret. Quis enim tam rigidæ conversationis, qui Claræ-vallensem non sublimiter revereretur Abbatem? Quis tam dissolutæ, qui non erga eumdem dulciter afficeretur? Dulcissimis enim affectibus plenum pectus ipse gerebat, sed quàm liberè eos, quoties causa deposceret, coërcebat: humanissimus in affectione, magis tamen fortis in fide. Et ut breve aliquod hujus rei proferamus exemplum, sicut ipse quoque testatur in Sermone super Cantica canticorum vicesimo sexto; siccis oculis germani sui, & germani tam necessarii, tam dilecti, Gerardi videlicet, celebravit exsequias, siccis oculis corpus ejus tradidit sepulturæ, ne affectus fidem vincere videretur. Nam extraneum quemlibet vix aut numquam sine lacrymis sepelivit. Talem sibi illum, uberiùs proinde fructificaturum, manus divina formaverat, ut austeritatem suavitas morum tolleret, auctoritatem sanctitas conservaret. Cui enim vel tanta benignitas esset oneri, vel tanta bonitas non esset honori? Legimus de Salomone, quòd omnis terra desideravit videre vultum illius. Grande præconium, sed forsitan in hac parte non minùs quàm Salomon hic. Neque enim satis credibile est, Salomonem illum in omni gloria sua tam universalem orbis obtinuisse favorem, quàm hunc in sua humilitate. Imò verò difficile omnino videretur ex historiis aliquibus invenire hominem unum conversantem adhuc cum hominibus in universa terra, tam celebre & amabile obtinuisse nomen à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari.

D

E

celeberrima Viri fama cum summa sui despicientia: verecundia:

174 Ut enim illas memoremus provincias, ex quibus usque hodie monumenta certiora supereſſe noscuntur, & in ecclesia orientali & apud soles occiduos Hibernorum, & à meridie in remotis finibus Hispaniarum, & ab aquilone in insulis, quæ procul sunt, Daciæ Sueciæque, celeberrima ejus opinio fuit. Crebras undique recipiebat epistolas, & reddebat. Undique ei xenia mittebantur, undique ejus benedictio petebatur. Postremò quasi vitis abundantissima suos undique palmites propagavit, excepto quòd in terram Hierosolymitanam, quamvis locus esset à rege paratus, ob incursus paganorum, & aëris intemperiem, non acquievit mittere fratres suos. Neque verò episcopus ille incongruum aliquid usurpasse videtur, qui post sacrum ejus obitum, dum fratres consolaretur, inter cetera hoc quoque in ipsius prosecutus est laudem, quia in omnem terram exivit sonus ejus, & in fines orbis terræ verba illius. Vincebat tamen sublimitatem nominis, humilitas cordis, nec tantùm poterat universus eum mundus erigere, quantùm seipse dejicere solus. Summus reputabatur ab omnibus, infimum ipse se reputans: & quem sibi omnes, ipse se nemini præferebat. Denique sicut nobis sæpiùs fatebatur, inter summos quosque honores & favores populorum, vel sublimium personarum, alterum sibi mutuatus hominem videbatur, seque potiùs reputabat absentem, velut quoddam somnium suspicatus. Ubi verò simpliciores ei fratres, ut assolet, fiducialiùs loquerentur, & amica semper liceret humilitate frui, ibi se invenisse gaudebat, & in propriam rediisse personam. Innata ei à puero verecundia usque ad diem perseveravit extremum. Inde erat quòd, licèt tam magnus esset & excelsus in verbo gloriæ, numquam tamen (sicut sæpè eum audivimus protestantem) in quamlibet humili cœtu sine metu & reverentia verbum fecit, tacere magis desiderans, nisi conscientiæ propriæ stimulis urgeretur, timore Dei, caritate fraterna.

F

patientia in morbis eximia, & in aliis eventibus,

175 Patientiam ejus maximè quidem flagellis dominicis exercitatam novimus & probatam: qui nimirum ab ipso suæ conversionis initio usque ad diem sacræ depositionis tanta sustinuit, ut vita ejus his, qui noverant, non nisi quædam mortis protelatio videretur. Cæterùm erga homines quoque, etsi rarior ei occasio minora forsitan

A sitan patientiæ potuit experimenta præstare, dicendum tamen vel breviter, ne hujus quidem apparuisse eum virtutis immunem. Et quia genus hoc patientiæ solitus erat dicere tripartitum, videlicet ad verborum injurias, ad damna rerum, ad corporis læsionem: de singulis saltem singula proponamus exempla, quæ interim nobis occurrunt. Scripserat aliquando Dei Famulus ad episcopum aliquem *a* de curia & consilio regis, monens eum super quibusdam verbis regi suadere & consulere meliora. At ille vehementer exacerbatus, amarissimam ei reddidit epistolam, dicens in ipsa salutatione prima, Salutem, & non spiritum blasphemiæ, tamquam videlicet Vir sanctus (quod horror est dicere) ex blasphemiæ spiritu illa scripsisset. Ad quod verbum mansuetissimus Christi Servus, memor Dominicæ responsionis: Ego dæmonium non habeo (sicut hodieque exstans ejus epistola continet;) Minimè quidem, ait, spiritum blasphemiæ habere me credo, sed nec maledixisse cuiquam, aut maledicere velle me scio, præsertim principi populi mei.

a

B 176 Nec minùs postea carum, nec minùs familiarem eumdem episcopum habuit; sed elogium illud prædictum, apud eum sic fuit quasi non dictum. Abbas Farfensis *b* conventum fratrum à Clara-valle vocaverat, monasterium eis ædificaturus: sed Romanus impedivit Antistes, & sibi tollens eos in loco altero ordinavit. Unde plurimùm dolens prædictus ille vir magnus, & magnæ devotionis, collectam pecuniam sexcentarum ferè marcarum argenti deposuit sub chirographo, quam ad Dei Hominem veniens obtulit ei, rogans ut, quod non meruerat in partibus suis, vel citra Alpes novum exinde cœnobium conderetur. Missum est pro argento, & totum prorsus amissum. Nec respondit aliud Homo Dei cùm ei nuntiaretur, quàm, Benedictus Deus, qui nobis pepercit ab onere. Nam & illis, inquit, qui abstulere, leviùs indulgendum. Sunt enim Romani: & pecunia videbatur immanis, ac vehemens fuit ista tentatio. Gratulari etiam consueverat, decem circiter monasteria, vel ædificandis monasteriis loca congrua numerans, fraudulenter & violenter sibi ablata, dum contendere nollet, & magis eum vinci, quàm alios vincere delectaret.

quorum exempla
b

C 177 Veniens aliquando Claram-vallem clericus quidam ex his, quos Regulares vocant, importunè satis instabat, ut in monachum reciperetur. Suadente Patre sancto, ut ad suam reverteretur ecclesiam, nec acquiescente recipere eum: Ut quid ergo, ait ille, in libris tuis tantopere perfectionem commendasti, si eam desideranti opem renuis exhibere? Et maligno spiritu iracundiæ vehementiùs instigatus, sicut postmodùm evidenter apparuit, Jam, inquit, si illos tenerem, discerperem libros. Cui Vir Domini, Puto, ait, in nullo eorum legisti, non posse te in tuo claustro esse perfectum. Morum correctionem, non locorum mutationem, si benè memini, in libris omnibus commendavi. Tum verò impetum faciens homo velut insanus in eum, percussit maxillam ejus, idque tam graviter, ut succederet statim rubor ictui, tumor rubori. Jam qui aderant in sacrilegum involabant: sed prævenit eos Servus Domini clamans, & adjurans per nomen Christi, nullatenus eum tangere, sed educere cautè, & curam ejus habere, ne ab aliquo ei vel in aliquo noceretur. Quod tam districtè præcepit, ut miser ille timens & tremens, absque omni injuria eductus sit & deductus.

referuntur.

A. GAUFRIDO.

178 Et quidem in libertate spiritûs, Dei Famulus excellenter enituit cum humilitate & mansuetudine tamen, ut quodam modo videretur & vereri neminem, & omnem hominem revereri. Increpatione rariùs utebatur, monitis potiùs & obsecrationibus agens. Quàm verò invitus, & non ex cordis amaritudine verbum proferret amarum, ex eo maximè animadvertebatur, quòd perfacilè hujusmodi impetum cohiberet. Siquidem mirabatur hominum improbitatem, quos aliquando fortè turbatos, excusationem quamlibet rationabilem, satisfactionem quamlibet humilem admittere gravat, quòd ipsa suæ turbationis passio miseros sic delectet, ut oderint omne remedium, ut contineant aures, claudant oculos, objiciant manus, & omnimodis satagant, ne semel orta commotio sedari valeat & sanari. Ejus tamen objurgationem non minùs facilè aliquando compescebat gravis & turbulenta responsio, quàm humilis & modesta; ut ab aliquibus proinde diceretur cedenti insistere, cedere resistenti.

Rarò increpat delinquentes, potiùs monens ac obsecrans:

E

179 Dicebat enim, ubi resonat utrimque modestia, dulce esse colloquium: ubi vel ex parte altera, utile: ubi ex neutra, pernicioſum. Ubi enim hinc inde duritia sonat, jurgium est, non correctio, nec disciplina; sed rixa, ut deceat magis interim dissimulare Prælatum, & commotione sanatâ, utiliùs castigare subjectos: aut certè, si ita res exigit, observare consilium Sapientis, quia Stultus non corrigitur verbis. Loquitur ipse de increpationibus minùs utiliter, minùs patienter acceptis, in sermone super Canticum canticorum quadragesimo secundo, inter cetera dicens: Utinam neminem objurgare necesse sit! Hoc enim melius. Sed quoniam in multis offendimus omnes, mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere, magis autem urget caritas. Quod si arguero, & fecero quod meum est, illa autem procedens increpatio minimè, quod suum est, faciat, neque ad quod misi illam, sed revertatur ad me vacua, tamquam jaculum feriens & resiliens, quid me animi tunc habere putatis, fratres? Nonne angor? nonne torqueor? Et ut mihi usurpem aliquid ex verbis magistri, quia de sapientia non possum, prorsus coarctor è duobus, & quid eligam nescio, placerene mihi in eo, quod locutus sum, quoniam quod debui, feci: an pœnitentiam agere super verbo meo, quia, quod volui, non recepi. Et infra: Dicas forsitan mihi quòd bonum meum ad me revertatur, & quia liberavi animam meam, & mundus sum à sanguine hominis, cui annuntiavi & locutus sum, ut averteretur à via sua mala, & viveret. Sed etsi innumera talia addas, me tamen minimè ista consolabuntur, mortem filii intuentem. Quasi verò meam illa reprehensione liberationem quæsierim, & non magis illius. Quæ enim mater, etiamsi omnem, quam potuit, curam & diligentiam ægrotanti filio adhibuisse se sciat, si demum se frustratam viderit, & omnes labores suos esse penitus inefficaces, illo nihilo minùs moriente, propterea umquam à fletibus temperabit? Et hæc hactenus.

utile dat monitum de correptione moderandâ.

F

180 De cetero tantus æmulator erat mansuetudinis & pacis, ut si fortè improbus quisque petitor duriùs extorsisset à negante responsum, haud facilè deinceps cum eâdem repulsâ dimitteretur inanis. Siquidem velut naturaliter (ut fatebatur) oderat omne scandalum; & gravamen cujusli-

mansuetudo ejus & charitas eximia.

A. GAUFRIDO.

cujuslibet hominis sustinere, ei admodùm grave; non sentire, impossibile erat. Adeo neminem sprevit, nullius hominis scandalum parvi pendit: etsi veritatem Dei, justitiamque prætulerit. Nam & quoties oporteret noxios aliquorum vel reprehendere actus, vel impedire conatus, tam consideratè fiebat, ut abundanter ipsi quoque, qui læsi viderentur, haberent, unde sibi pro eo satisfacerent in cogitationibus suis. Sanè vidimus ex ipsis quoque nonnullos, & de quibus minùs id videbatur posse sperari, ampliori devotione ejus postmodùm vel obsequiis deservisse, vel etiam adhæsisse vestigiis. Dicitur tamen & invidos habuisse, ut haberet meritum & ex eis. Ceterùm tam singulariter eminebat gloria nominis ejus, ut pestis illa magis desperatione, quàm livore tabesceret, & timeret agnosci. Quin etiam humilitate ejus & mansuetudine vincebatur, beneficiis suffocabatur, obruebatur obsequiis; nimirum doctus erat vincere in bono malum, sicut ad quosdam fratres scribens *c*, inter cætera ait: Adhærebo vobis, etsi nolitis: adhærebo, etsi nolim ipse. Invitis præstabo, ingratis adjiciam, honorabo & contemnentes me.

c

B

horror scandali, gaudium de fructu animarum, misericordia etiam in feras.

181 Usque adeo siquidem omnes homines germano amplectebatur affectu, ut eorum scandalo (sicut ipse fateri solebat) gravius ureretur, quibus nullam videretur occasionem scandali præbuisse. Plus enim piissimum pectus, gratuitum affligebat alterius scandalum, quam propriæ immunitas conscientiæ solabatur. Siquidem minùs sperabat posse sanari, quod, unde procederet, non videbat; magnum sibi è regione solatium fore perhibens, quoties inveniret unde satisfacere posset vel homini pro se, vel Deo pro homine non sine occasione turbato. Erga omnium quidem hominum spirituale commodum incommodumve ampliùs afficiebatur: & summum ei desiderium, summum gaudium erat animarum fructus, conversio peccatorum. Et corporeas tamen necessitates piissimo miserebatur affectu. Cujus tanta erat humanitas, ut non modò hominibus, sed irrationabilibus etiam animantibus, avibus compateretur & feris: nec compatienti deerat virtutis effectus. Contigit enim aliquoties, ut iter agens, fugientem, & (ut videbatur) protinus capiendum vel lepusculum à canibus, vel aviculam ab accipitribus, signo crucis edito mirabiliter liberaret, diceretque sequentibus, frustra sese conari, nec ullatenus, se præsente, ejusmodi exercere posse rapinam.

C

ANNOTATA.

a *Joslenum nempe, episcopum Suessionensem. Lege epistolam* 223.

b Id accidit tempore Innocentii secundi, qui monachos à Farfensi abbate petitos, Romæ ad Aquas-salvias locavit. Farfæ, quod monasterium est perillustre in Sabinis, tunc præerat Adenulfus loci abbas ab anno MCXXV ad MCXLIV, laudatus in Chronico Mauriniacensi tomo 4 Chesnii, pag. 377; ubi dedicationi Mauriniacensis ecclesiæ ab Innocentio factæ unà cum Bernardo anno MCXXX interfuisse perhibetur. Gerardus ex monacho Farfensi Claræ-vallensis laudatur ab Herberto in lib. 2 de miraculis cap. 29, *sicut notatur hìc apud Mabillonium. Sed in citato textu apud Chesnium lego, à prædicto Pontifice* in ecclesia Mauriniacensis cœnobii consecratum esse altare ante Crucifixum; *non verò ecclesiam ipsam.*

c *Ad Præmonstratenses videlicet in epistola* 253 *sub finem. Quam verò egregiè sanctus Pater do illis fuerit meritus, diximus in Commentario prævio, quem vide* § 9 & 11.

D

CAPUT IV.

S. Bernardi effigies in scriptis suis expressa; mira virtutum & gratiarum omnium in eodem congeries.

VIII. *Ex scriptis suis qui possit cognosci.*

HÆc nos quidem de sacris moribus Patris nostri, pro modulo nostro sub brevitate perstrinximus. Ceterùm longè eminentiùs in suis ille libris apparet, & ex litteris propriis innotescit, in quibus ita suam videtur expressisse imaginem, & exhibuisse speculum quoddam sui, ut illud quoque Ambrosianum meritò illi posse videatur aptari: Laude sua ipse se sonet, & laureatus spiritu, scriptis coronetur suis. Si quis enim nosse desiderat, quàm sollicitus ab initio sui ipsius dijudicator & scrutator exstiterit, primum opus illius de Gradibus humilitatis inspiciat. Inde, si quæritur piæ mentis religiosa devotio, transeundum ad Homilias in laudibus Virginis Matris; & illum, quem de diligendo Deo edidit, librum. Si fervens contra suorum vel aliorum vitia zelus, legatur is, quem Apologeticum vocat. Si vigil eodem in zelo & circumspecta discretio, de Præcepto & Dispensatione differens audiatur. Quàm verò fidelis cujuslibet piæ conversationis commendator extiterit & adjutor, Exhortatorius ad Milites Templi Sermo declarat. Quàm non ingratus gratiæ Dei, ex his liquet, quæ de Gratia & libero arbitrio *a* tam fideliter, quàm subtiliter disputavit. Quàm liber in voce, quàm disertus, & in rerum superiorum pariter inferiorumque scientia locuples, in his, quæ ad Papam Eugenium de Consideratione *b* scripsit, diligens considerator agnoscet. Quàm devotissimus prædicator alienæ sanctitatis, tam diligenter episcopi sancti Malachiæ vitam prosecutus ostendit. Nam & in Sermonibus super Cantica *c* & investigator mysteriorum, & morum ædificator magnificus innotescit. In Epistolis, quas ad diversas personas ob negotia diversa dictavit, prudens lector advertet, quo fervore spiritûs justitiam omnem dilexerit, omnem æquè oderit injustitiam.

a

b

c

E

F

Ubique bonis promovendis, & malis exterminandis dat operam.

183 Fidelis etenim Servus Christi non quærebat aliquid suum: quidquid tamen erat Christi, sic curabat ut suum. Quæ enim scelera non arguit, quæ odia non exstinxit, quæ scandala non compescuit, quæ schismata non resarcivit, quas hæreses non confutavit? Quid verò sanctum, quid honestum, quid pudicum, quid amabile, quid bonæ famæ, quid virtutis aut laudabilis disciplinæ, suis ortum in qualibet regione diebus, non roboravit ejus auctoritas, non fovit caritas, diligentia non promovit? Quid antè promotum dilatari ampliùs non optavit? Quid fortè collapsum non totis pro loco & tempore viribus egit ut repararetur? Quis malitiam quamcumque disponens, ejus zelum & auctoritatem non timuit? Quis proponens quodcumque bonum, ejus, si potuit, non consuluit sanctitatem, non desideravit favorem, opem non flagitavit? Quis ad sacrum in ejus pectore habitantis templum divinitatis,

A tatis, de quacumque tribulatione fideliter clamaturus acceſſit, & inefficaciter laboravit? Mœſtus ab eo ſolatium, afflictus auxilium, conſilium anxius, æger remedium, pauper ſubſidium reportabat. Ita ſeſe omnium fecerat ſervum, ac ſi toti genitus orbi: ita tamen liber ex omnibus conſcientiæ ſuæ curam gerens, tamquam ſoli deditus curæ & cuſtodiæ cordis ſui.

Diverſa Sanctorum hominum charismata.

184 [Et quidem diviſiones gratiarum commendat Apoſtolus: & ſi quis diligenter quærat, inveniet diverſos ab initio Dei famulos in diverſis enituiſſe muneribus. Legimus enim viros in fide magnificos, multiplicibus claruiſſe miraculis: alios ſpiritum habuiſſe propheticum, & futura quaſi præſentia, occulta velut ſub oculis poſita mirabiliter cognoviſſe. Alios nihilo minùs antiquorum litteræ proteſtantur graviori abſtinentiæ deditos, parſimoniam coluiſſe: alios in humilitatis propoſito, ſpretis dignitatibus hujus ſeculi, auctori ſeculi plurimùm placuiſſe: alios in doctrina verbi ad ſalutis ſcientiam plurimos erudiſſe, ut ſecundum promiſſionem Scripturæ ſanctæ, luceant quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Alii quoque in ædificandis cœnobiis laborantes, amplificaverunt nomen ſanctitatis: alii in ſedandis ſcandalis & turbinibus hujus ſeculi, promovendiſque Eccleſiæ Dei negotiis efficaciter occupati, utiles in actione: alii in ſacris meditationibus ſpiritualiter feriati, ſublimes in contemplatione fuerunt.

S. Bernardus verò omnibus videtur dotatus gratiis.

185 Quid horum noſtro videbitur defuiſſe Bernardo? Immò quid horum tam inſigne in eo non fuit, ut ad commendationem ſatis eſſet, etiamſi ceterorum aliquid non adeſſet? Nam etſi multiplicibus Eccleſia ſui temporis, tam in ſuprà memoratis negotiis, quàm in aliis pluribus, actionis ejus utilitatem meruit experiri; magnificè tamen etiam gratia contemplationis in eo tam ex viſionibus & revelationibus Domini, quàm ex ſcriptis ſuis, quæ ſpiritualibus exuberant ſenſibus, eluceſcit. Porrò monaſteriorum fructus, quæ per eum Dominus ordinavit, tam copioſus & evidens, humanis ſeſe ingerit oculis, ut nullis egeat litteris commendari. Magis autem & ex ipſa quoque eorumdem multitudine cœnobiorum, omnis deinceps generatio certum capere poterit documentum, quantos collegerit ad ſervitium Chriſti, qui tam multos undique propagavit.

C Quod ad reliqua ſpectat, de humilitate ejus, & dignitatibus refutatis, ſed & de tenuiſſimo victu, ſuperiùs proſecuti, ex his, quæ ad prophetiam pertinent, oſtenſionemque virtutum, ſub alio quidem principio curabimus annotare perpauca de multis.] *d* Et nunc igitur jam ſuper his, quæ in ſignis exterioribus, & multiplici virtutum exhibitione conſiſtunt, ſecundus *e*, ut præmiſſum eſt in præfatione, libellus aliquanta narrabit.

Finis libri tertii.

ANNOTATA.

a *Laudatur in Commentario noſtro prævio* § 15 & 54.

b *Inſpice Commentarium eumdem* § 50; & § 55, *ubi inter* S. Bernardi *elogia*, *claſſe* 10, *vel ipſe hæreſiarcha Calvinus libros illos egregiè laudat. Conſuli etiam poſſunt, quæ ibidem exſtant in claſſe* 1, & 7. *Ernaldus lib.* 2 *Vitæ*, *cap.* 6, *num.* 143, *inſigni præconio hanc Sancti lucubrationem condecorat. Vide etiam Annotata ad lib.* 2, *cap.* 6, *litt.* cc.

c *Varia de illis prænotantur ibidem* § 23, & 28.

d *Gaufridi textum aliunde ſuppletum eſſe*, A. Gaufridum. *indicant anſulæ, quibus ſatis multa hîc includuntur, notante Mabillonio ad marginem*: Hæc inſerta ex mss. variant in edit. & quibuſdam mss.

e Secundus *eſt Gaufridi*; *ſed hîc ordine* 4.

LIBER QUARTUS,

Auctore Gaufrido monacho Claræ-vallenſi.

CAPUT I.

Reditus ex Urbe; Sanctorum reliquiæ inde aſportatæ; beneficia in alios collata; ſpiritus propheticus.

E SIcut Sermone ſuper Cantica canticorum viceſimo quarto ſervus Domini Bernardus Claræ-vallenſis gratulatur, & gratias agit illi; tertiò quidem reditum *a* ab Urbe ſuum clementior è cælo reſpexit oculus, & ſerenior tandem vultus arriſit, quòd quieviſſet rabies Leonina, accepiſſet finem malitia, recepiſſet Eccleſia pacem. Tanta verò exſultatione eccleſia illum Gallicana recepit, ut non minorem videretur de ſuo reditu exhibere, quàm de pace reddita nuntiare lætitiam. Unde etiam mirari ipſe ſæpiuſque cauſari, quòd, dum ſibi poſt tam graves frequentias hominum, & tumultus velut ab exordio valefaciendum ſæculo judicaret, & tamquam de novo adoriendum ſacræ propoſitum converſationis, tunc potiſſimùm uberioribus acciperetur gaudiis, obſequiis coleretur. Rediens autem Pater ſanctus ab Urbe, ex ſanctorum Apoſtolorum Martyrumque corporibus xenia ſecum attulit pretioſa, haud modicum hunc ſibi reputans fructum eſſe laboris. Inter quæ beati Cæſarii dentem quonam modo receperit, memorandum. Cùm enim integrum ei prædicti Martyris caput exhiberetur, ut tolleret inde, quod vellet, dari petiit dentem unum. Fruſtra verò aliquamdiu fratres, qui cum eo venerant, laborantes, conceſſum ſibi trahere F penitus non valebant. Fractis enim cultellis duobus aut tribus, quos applicuerant, nihilominus adhuc dens immobilis permanebat. Tum ille, Orandum nobis, ait: nec enim habere poſſumus, niſi Martyr ipſe concedat. Facta denique oratione, reverenter accedens, incredibili facilitate duobus tulit digitis, quod ferreis antè moveri non poterat inſtrumentis.

CAPUT I. *Pax Eccleſiæ redditur, mortuo Petro Leonis antipapa: Sanctus reliquias ex Urbe fert ſecum; a*

tunica ejus Romæ ſervata moribundum ſanat; b

287 Fratres autem Hieroſolymitani Templi, fidelis militiæ profeſſores, cum novam habere eo tempore domum in Urbe cœpiſſent, redeunte prædicto Patre, ſpecialique patrono ſuo *b*, tunicam ejus pro eximia benedictione ſervabant: apud quos eodem anno ſacerdos quidam graviſſima febre correptus deſperabiliter ægrotabat. Ut autem omnino deficiens deveniſſe viſus eſt ad extrema, portari ſeſe in oratorium, & prædictam beati Viri tunicam ſupponi ſibi fecit, in ſola poſitus exſpectatione exitûs mortis: cùm ſubitò raptus in quemdam mentis exceſſum, ac veluti jam carne ſolutus, videre ſibi viſus eſt corpus ſuum eodem, quo jacebat, in loco exanime, jam circumdatum multitudine ſacerdotum, apertos te-

A. GAUFRIDO.

nentium libros, & celebrantium exſequias ex more ſolemnes. Nec mora, in vultu habituque prædicti Patris ſancti, reverenda quædam perſona prodiens ex altari, manu illis innuit, ut tacerent, voce pariter prohibens, ne mortuum reputarent, cujus vitam Claræ-vallenſi Abbati donaverat Deus. Confeſtim denique ad ſe rediens, ſanum ſe reperit, &, quod viderat, fratribus indicavit. Qui quidem, ut à fidelibus viris nuper accepimus, hodieque ſuperſtes, & in partibus Aquitaniæ degens, beneficium, quod accepit, ſedulò confitetur, ipſius præconio, cujus merito vivens. Si quis hoc minùs miratur, animadvertat de beato Nicolao ex innumeris, quibus eſt decoratus miraculis, in natalis ejus annua commemoratione tamquam eximium commendari, quod imperatorem Conſtantinum ab interitu quorumdam longè conſtitutus per viſum deflexit.

188 Nec illud diſſimile eſt, quod annectimus. Abbas Gerardus de Moris *c*, quod eſt monaſterium proximum Claræ-valli, teſtatus eſt nobis, vidiſſe ſe eum aliquando pſallentium fratrum circuire choros, & ſicut frequenter agebat, excitare torpentes, ita ut affectuoſiùs & viriliùs pſalleretur quod reliquum fuit vigiliarum. Cúmque die ſequenti apud eum familiariter cauſaretur, tardiùs illum quàm oportuerat, eà nocte viſitaſſe pſallentes, Ego, ait, nocturnis horis corporeo occupabar incommodo: ſed quò non potuit corpus, ſpiritus venit *d*. Expavit ille audiens non adfuiſſe in corpore, quem tamdiu ipſe corporeo ſpectaſſet obtuitu, circumeuntem utrumque chorum, & dormitantes quoſque, ut conſueverat, excitantem, & manum ſingulis imponentem.

abſens corpore, ſpiritu præſens excitat torpentes in choro.

c

B

d

189 [Tempore, quo Pater ſanctus apud Urbem morabatur, contigit fratrem quemdam, Robertum nomine, in Clarà-valle graviter infirmari. Huic apparuit juvenis quidam, ſimilis fratri infirmario, præcipiens, ut ſequeretur ſe. Viſum eſt, quòd ſequeretur præeuntem; venitque ad montem excelſum, in quo Dominum invenit Jeſum cum angelis ſuis, audivitque eum illi ductori ſuo dicentem: Cuſtodi mihi iſtum. Jamque miſit etiam Dominus in cor ipſius infirmi quædam verba, quæ ſuæ Claræ-valli per illum mandavit. Facto ergo manè, reſedit, qui moriturus illico putabatur, mirantibuſque omnibus, dominum Godefridum, tunc Priorem, nunc Lingonenſem Epiſcopum, vocari fecit. Cui præſenti inter cetera dixit: Mandat vobis Dominus, ut domos amplas faciatis, quæ gentem poſſint capere, quam ipſe multam miſſurus eſt vobis: fratribuſque grangiarum * mandate, ut honeſtè ſe habeant, formamque boni exempli hominibus ſæcularibus præbeant: quia væ ei, per quem unus retrò abierit. Poſt dies ferme viginti, cùm eâdem adhuc valetudine deſperabiliter laboraret, admirabilis Pater Bernardus corpore abſens, ſed ſpiritu præſens, Clara-vallem advenit, languentem viſitavit, matutinos hymnos circa eum cum ingenti fratrum multitudine decantavit, noctemque illam ibidem juxta illum fecit, & manè facto, idem frater ſanus apparuit, modum etiam ſuæ liberationis fratribus indicavit.]

Apud Urbem degens ſanat in Claravalle moribundum:

C

* *i. e.* prædiorum, *vel* villarum ruſticarum

190 Ad multorum aures famam credimus perveniſſe viri venerabilis Guilielmi, qui olim Montis-Peſſulani dominus, nunc verus Chriſti pauper & humilis monachus, degit in cœnobio, quod Grandiſſilva vocatur. Ipſius relatione didicimus, quod dicturi ſumus, ſicut ab ejus ore, cui contigerat, ſe accepiſſe dicebat. In civitate Auxitanorum, quæ metropolis eſt Vaſconiæ, miles quidam infirmabatur. Cujus cùm inferiores corporis partes à renibus & deorſum morbus ſæviens occupaſſet, erat diebus multis lecto decubans, non modica parte præmortuus. Compunctus denique & confiſus de miſericordia Dei, ad Servum ejus, cujus circumquaque tam celebris ſeſe virtutum fama diffuderat, quocumque labore ſe præcipit deportari. Jam per dies aliquot proceſſerat, profeceratque non minùs in fide & devotione, quàm in itinere ipſo: cùm miſeratus hominem Deus, mirabiliter ſatis & infirmitati ejus ſubvenire dignatus eſt, & parcere fatigationi. Occurrens enim quidam in via, quiſnam eſſet, aut quo tenderet, inquiſivit: acceptaque itineris ejus neceſſitate, Ego, ait, ex parte illius Sancti præcipio tibi, ut revertaris, ſciens quòd, ubi domum veneris, ſanus eris. Perſuaſit illi Deus, ut crederet, cujus nimirum diſpoſitione omnia gerebantur. Rediit, redienſque, paulatim recepit eam, quæ ſibi promiſſa fuerat, miſericordiam, ut non priùs domum pertingeret, quàm plenariæ donum perciperet ſoſpitatis.

vir nobilis miro modo redit ad ſanitatem:

D

E

191 [Anglorum quoque regina Mathildis *e*, tantum huic Famulo Dei exhibuit aliquando devotionis affectum, ut venienti Boloniam *f*, extra urbem cum populo pedes occurreret, gravida tamen ipſa, multumque jam gravis. Quæ poſt dies aliquot, ut pariendi tempus advenit, tam graviter eſt afflicta, ut tam ipſa, quàm domus omnis, de vita ejus penitus deſperarent: jamque omni reliqua ſupellectili pauperibus & eccleſiis delegata, veſtis etiam regia pararetur, in qua ſepeliretur, tamquam protinus moritura. Tum ſubitò recordata Hominis Dei, & nomen illius invocans plena fide, in ipſa protinus invocatione ſine periculo partum edidit deſperatum. Nec diſtulit legatum deſtinare fidelem, per quem gratias ageret celebri Subventori, ipſum ſic natum, non immeritò natum *g* ejus appellans.] Verùm ille, quoties tale aliquid contigiſſet audire, non minùs humiliter, quàm jucundè refutans, dicere conſueverat: Hoc certè mihi ſic eſt imputandum, ſicut ei, qui conſcius omnino non fuit.

Regina Angliæ in ſummo periculo abſentem virum Dei invocans, mox liberatur:

e

f

g

F

192 In monaſterio, cui nomen eſt Bella-vallis *h*, prope urbem Chryſopolim *, homo quidam à dæmone vexabatur, mira eo inſtigante faciens, mira loquens. Poſt multas igitur orationes fratrum, cùm improbè perſiſteret illa nequitia ſpiritualis, recordatus eſt venerabilis Abbas loci illius Pontius *i* hodieque ſuperſtes, habere ſe ſtolam, quâ beatus Pater aliquamdiu uſus fuerat in oblatione Hoſtiæ ſalutaris. Nec cunctatus, tulit protinus arma potentia Deo, & fiducialiter aggreſſus eſt inimicum. Vix limen attigerat cellulæ, in qua miſer homo jacebat, cùm ſubitò ille malignus horrendis vocibus victum ſe profitens; En, inquit, egredior, recedo protinus: manere ultra non poſſum. Reſpondente autem abbate: Per nomen Domini, & ipſius beati Viri meritum, cujus hæc ſtola fuit, tibi præcipio, exi citiùs, ne morêris: continuò dæmon fugatur ab homine, homo liberatur à dæmone. Quis alter non periculosè forſitan exſultaſſet, uſque adeo ſibi ſpiritus eſſe ſubjectos, ut cederent & abſenti? Verùm ille, abbate ipſo nuntiante, nil motus, magiſque ſubſannans eos, quos videbat magna ſuper hoc admiratione moveri, hæc eadem verba reſpondit: Quidnî facilè nos duo prævaluiſſemus in unum? Leviter illum ejicere potuit Deus, præſertim cùm ego, ut dicitis, ei *k* ſocius

ſtolâ ejus, quâ in ſacrificio uſus, pellitur dæmon ab obſeſſo:

* Veſontionem, *Beſançon*

h

i

k

A ſocius datus ſim & adjutor. Hujuſmodi nempe reſponſis, in hujuſmodi rebus ſæpiùs utebatur. Noverat ſiquidem verus & verax non oſtentator, ſed æmulator humilitatis, efficaciùs diſſuaderi poſſe hominibus, quod ſtupebant, obliqua quadam & artificioſa objectione, quàm aperta excuſatione, quæ humilitatem magis prædicabilem præferendo, exiſtimationem non minueret hominum, ſed augeret. Unde quodam loco * ex propria loquens experientia: Verus, inquit, humilis, vilis vult reputari, non humilis prædicari.

* *Serm. 16 in Cant.*

11. *novitius mortis ſuæ diem*

193 Illud quoque notiſſimum fuit, quòd adhuc in carne degens, apparens autem in ſpiritu, fratri cuidam obitûs ſui prænuntiaverit diem. Infirmabatur novitius quidam frater in Clara valle, bonæ converſationis, & bonæ indolis adoleſcens. Nec longè aberat dies, quâ, poſt annuam ex more probationem, novum indueret hominem, ſi non priùs hominem exuiſſet. Siquidem conſummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. Quinto igitur die ante ultimum diem ſuum, viſitante ſe fratre quodam [Gerardo *l*, qui hodie abbas eſt monaſterii Longipontis, *m*] idem novitius exhilaratus plurimùm, inter alia ſpiritualis gratiæ verba, Ecce, inquit, quinta moriar die. Hodie enim mihi Pater noſter dominus Abbas apparuit cum multitudine monachorum, & blanda conſolatione refovens, quinto die moriturum me eſſe dicebat. Exiit ſermo inter fratres, &, antequam impleretur, divulgatum eſt verbum. Expectabatur ab omnibus dies illa, ſed præ omnibus ille beatus in exſpectatione ſua fuit. Jam dies quinta inclinabatur ad veſperam, illius autem ſpiritus magis ac magis elevabatur ad Dominum.

l
m

B

194 Demum circa undecimam horam in ipſo mortis agone poſitus, obducto prorſus, ut aſſolet, lumine oculorum, & nemini jam intendens, ad exitum feſtinabat. Interim viſitans eum Pater ſanctus velut ab alto ſomno revocat, & quaſi retrahit commeantem, nec inſalutatum abire permittit. Ad cujus vocem aperiens oculos, & mirum in modum facie ſerenata, aliquamdiu intendebat in eum. Mirabamur omnes mortalem hominem, imò jam morientem eatenus triumphare de morte, ut in ipſo mortis articulo exſultaret in gaudio, pulcherrimè nobis exhibens illud Poëtæ:

ex apparitione Sancti diſcit:

C

Incipe parve puer riſu cognoſcere matrem.

Tum verò conſolans eum Pater ſanctus nihil timere jubet, ſed recto protinus curſu pertingere ad Dominum Jeſum Chriſtum, & offerre ei humilem pauperis ſuæ familiæ ſalutationem. Ad hanc vocem qua potuit capitis inclinatione & motu annuens labiorum, iterum clauſit oculos, & eâdem horâ in pace quievit.

Herveium nobilem puerum prædicit fore monachum:

n o
p

195 Multa quidem huic Famulo Dei revelata per ſpiritum, multa ſine præcedenti revelatione mirabiliter ab eo prædicta cognovimus: ex quibus exempli gratiâ pauca ſubnectimus. Cùm eſſet aliquando Pater ſanctus in Urbe Noviomenſium *n* in domo epiſcopi Simonis *o*, adductus eſt ad eum Herveius de Baugenceio *p*, puer admodùm gratioſus, ortus ex regio ſanguine, & ipſius epiſcopi nepos. De quo ſequenti nocte Famulo ſuo Chriſtus oſtendit, quod erat poſt tempora longa futurum: ſiquidem videbatur ſibi tamquam in Miſſarum celebratione angelo cuidam pacis oſculum dare, quod ad puerum deferretur. Nec dubius de revelatione, eumdem Herveium renuntiaturum ſæculo, & futurum a-

liquando devotum Chriſti famulum promitteba... A. GAUQuæ promiſſio tam celebris exſtitit & vulgata, ut FRIDO.
ipſe quoque Herveius nobis poſtea fateretur, adoleſcenti ſibi ad omnes arguentis conſcientiæ ſtimulos ſemper occurrere, impoſſibile eſſe, ut poſt Viri ſancti tale promiſſum, in ſæculari habitu moreretur; nec fraudatus eſt ſpe ſua. Siquidem venerabilis Walerannus *q*, Urſi-campi *r* cœnobii primus abbas, monachum illum fecit, & angelico functus officio, pacem, quam ex ore Patris ſancti ipſe ſuſceperat, communicavit Herveio. Cujus talis poſtmodum apparuit converſatio, ut tali dignus oraculo videretur. Nam & prædicto Waleranno in regimine monaſterii Urſi-campi ille ſucceſſit; & noviſſimè obitum ſuum imminentem ſanus adhuc & incolumis, eodem Waleranno per revelationem ſibi annuntiante, præſcivit atque prædixit.

q r

196 Et quod addimus, huic ſimile fuit: Patrem ſanctum fines Pariſiorum aliquando peragrantem, ut ad ipſam diverteret civitatem, epiſcopus Stephanus, & ceteri omnes, qui pariter aderant, obnixè rogantes non poterant obtinere. Magno ſiquidem zelo, niſi cauſa gravis urgeret, conventus publicos declinabat. Cùmque veſpere iter ſuum aliàs ordinaſſet, manè, ubi primùm locutus eſt fratribus, dicere jubet epiſcopo, quia Pariſius ibimus, ut rogaſti. Conveniente igitur clero admodùm copioſo, ſicut ſemper ab eo ſolebant expetere verbum Dei, continuò tres ex illis compuncti ſunt, & converſi ab inanibus ſtudiis ad veræ ſapientiæ cultum, abrenuntiantes ſæculo, & Dei Famulo adhærentes. Quorum ille primum intuens, cùm ſubitò inter loquendum ſurgeret, peteretque veſtigia ejus, inclinavit ſe modicè, & fratri cuidam propiùs aſſidenti in aure locutus eſt, dicens: Iſtum ego ſicut nunc video venientem nocturna viſione prævidi, propter quem etiam Dominus nos adduxit. Qui nimirum novitius in multa poſtmodùm puritate & devotione converſatus, plurimúmque acceptus Deo & hominibus, in Clara-valle poſt annos aliquot beato fine quievit. Apparuerunt aliquando Viro Dei in Trecenſium urbe poſito venerabiles ejus filii jam quidem carne ſoluti, Galdricus & Gerardus: quorum etiam ſecundùm carnem alter germanus, alter avunculus ejus exſtiterat. Cúmque velut accelerantes ociùs pertranſirent, revocanti & retinere volenti reſpondebant, eundum ſibi pro fratre Gaufrido monacho, qui eorumdem à prima converſione ſocius ſtrenuè ſatis in multis cœnobiis exſtruendis militaverat Deo. Continuò Pater ſanctus excitatis Fratribus accelerari jubet, & ad monaſterium veniens, ipſo die, ſicut eis prædixerat, eumdem Gaufridum jam poſitum reperit in extremis.

Pariſiis tres Clerici ejus prædicatione compuncti eumque ſequuti ſunt:

E

F

197 [Infenſus aliquando rex Francorum ſenior Ludovicus quibuſdam ſui regni epiſcopis, ſuis eos ſedibus & civitatibus exturbavit. Unde etiam hic Vir reverendus plures ſcripſit epiſtolas, pro eorum pace laborans, quarum hodieque exemplaria perſeverant. Accidit autem, ut, præſente eodem Patre ſancto, epiſcopi multi, indignationem regis flectere cupientes, tota humilitate proſtrati ſolo tenus, ejus tenerent veſtigia, & nec ſic gratiam obtinerent. Qua ex re Vir Dei religioſa animoſitate permotus, die altera regem duriùs increpans, quòd Domini ſacerdotes ſpreviſſet, liberè quoque denuntiavit, quod eadem ſibi nocte fuerat revelatum. Hæc, inquit, obſtinatio primogeniti tui Philippi regis morte mulctabitur. Vidi enim te cum minore filio tuo

divinitus punitur rex ob contemptos ſacerdotes.

A. GAUFRIDO.

Ludovico ad pedes episcoporum, quos heri contempseras, inclinatum, & protinus intellexi, Philippo celeriter facto de medio, pro Ludovici substitutione ecclesiam, quam nunc opprimis, te rogaturum. Quod quidem non longè pòst miserabilis casus implevit, &, decedente Philippo, egit pater, ut is, qui feliciter hodie regnat, Ludovicus junior ungeretur.] ſ

ſ

ANNOTATA.

a *De reditu ex Urbe ad Claravallenses, & quæ eâdem occasione acciderunt, tractat Commentarius prævius* § 27.

b *De illis bene meritus est sanctus Pater, ex eodem Commentario* § 15 : *non tamen regulam eorum, quæ ipsis data est in concilio Trecensi, condidit, ut ibidem licet videre.*

c Ord. Cisterc. in D. Ling. fund. anno MCLIII à Samsone Rem. arch., *ex notula marginali apud Mabillonium hîc, vulgo* de Mores. *Ibidem non accidit prodigium Crucifixi, qui* S. Bernardum *amplexus est ; sicut observatur in Commentario prævio* § 47 ; *ubi etiam laudatur Gerardus seu Medardus ejusdem abbas.*

B

d *His adde quæ ibidem sunt præmissa* § 21.

e *Scripta est ad eam epistola nunc* 315, *quam hac notâ elucidat Mabillonius :* Mathildis filia Malcolmi III Scotiæ regis, Henrici V imperatoris, dein Henrici I Anglorum regis uxor : ex eo genuit Henricum II, de quo Bernardus in fine epistolæ, quæ ante annum MCXXXV Henrici I mortalem, scripta est. Alia fuit Mathildis, Fulconis V Comitis Andegavensis filia, Guillelmo ejusdem Henrici I filio desponsa : sed eo Oceani aquis absorpto Fontis-Ebraldi religiosa & abbatissa : ad quam Petrus Cellensis lib. 1, ep. 10.

f *Urbs est Galliæ in Picardia provincia.*

g *Sanctus Pater in epistola ad Mathildem lit. e citata*, De cetero, *inquit*, bene servate mihi filium, quem nunc peperistis : quia & ego quoque (si regi non displicet) in eo mihi vindico portionem.

h Ordinis Cisterciensis, fundat. anno MCXIX, *ex notula marginali Mabillonii* ; filia Morimundi *vocatur apud Sammarthanos tomo* 4 *Galliæ Christianæ pag.* 144.

C

i *Primum hujus monasterii abbatem Manricus ad annum* 1119, *cap.* 8 *fatetur sibi esse ignotum ; inter primos tamen hunc Pontium ponit.*

k Manricus *modò citatus., num.* 5, legendum vult HUIC, id est Pontio, superbum esse putans, si diceret Bernardus, se socio & adjutore Deum facilius ejicere dæmonem potuisse. Sed hîc ironia est, *sicut notatur hîc apud Mabillonium, anno* 1719 *editum.*

l *Hunc primum istius cœnobii abbatem fuisse scribit Manricus ad an.* 1131, *cap.* 6, *num.* 5. *Henriquezius eum annuntiat cum titulo* beati *ad diem* 26 *Aprilis. Hunc etiam dicta & facta* S. Bernardi *studiosè observare solitum, habes in Commentario prævio* § 21, *num.* 229.

m *Vide Chronologiam Bernardinam ad annum* 1131 : *cui addi potest Manricus mox allegatus.*

n Noviomum, *vulgo Noyon, urbs Galliæ in Insula Franciæ.*

o Simon de Vermandois . . . regiæ prosapiæ princeps, è ramo Comitum Viromandensium prognatus *laudatur pluribus apud Sammarthanos in Gallia Christiana tomo* 3, *pag.* 817.

p *Al.* Balgentiacum, *seu* Baugentiacum, *vulgò Baugency, urbs est Galliæ ad Ligerim fluvium inter Aurelianum & Blesas.*

D

q *De eo agit Manricus ad annum* 1129, *cap.* 7, *& ad annum* 1142, *cap.* 10. *Henriquezius eum refert cum titulo* beati *die* 12 *Septembris.*

r *Adisis Chronologiam Bernardinam ad annum* 1129, *& Manricum ad eumdem annum, cap.* 7.

ſ *Consuli potest Commentarius prævius* § 14, *num.* 142.

CAPUT II.

Alia quædam vaticiniorum specimina.

III. *Theobaldus Comes mirè vexatur à rege Galliæ; sed eum liberandum prædicit S. Pater ;*

FIdelissimum principem Theobaldum Comitem in magna tribulatione probatum non minùs mirabiliter quàm misericorditer Dominus liberavit. Is nimirum potentissimus in regno, & secundus à rege, totus tamen eleemosynis deditus, & studio pietatis intentus, omniumque servorum Dei, sed specialiter Bernardi Claræ-vallensis amator devotissimus erat. Quem eatenus impugnari & affligi passus est Deus, ut, rege pariter & vicinis potentibus ferè cunctis adversus eum conjurantibus, usque adeo de ejus evasione desperaretur, ut publicè quoque jam insultaretur religioni, pietati detraheretur, eleemosynis derogaretur. Monachi & conversi, inutiles ejus milites & ballistarii dicebantur. Nec modò apud extraneos, sed in ipsis quoque ejus civitatibus & castellis ejusmodi jam blasphemiæ personabant. Denique congregatis aliquando episcopis pluribus, aliisque personis, præsente etiam Viro Dei, dum super his agerent & colloquerentur, episcopus quidam eo tempore, auctoritate & opinione prudentiæ celeberrimus aiebat: In manu regis est Comes Theobaldus, non est qui possit eum eruere. Respondente alio quodam antistite : Est qui possit liberare eum : multum ille miratus, quisnam crederetur posse, quærebat. Demum audiens, quia potest eum eripere, qui omnia potest, Deus : non parum substomachans, Potest, inquit, si manifestus appareat, si clavam teneat, hinc inde percutiat ; sed hactenus ista non fecit. In tanta igitur desperatione, cùm prædictum principem vehementer urgerent extranei, graviùs tamen impugnarent, qui ab eo defecerant, universi penè potentes homines sui ; nec minùs illum affligerent pauci, qui residui videbantur, ex aliorum defectu ipsi quoque suspecti, Lingonensis episcopus Godefridus frequenter & familiariter Dei Hominem consulebat, quidnam sibi Dominus super his revelaret. Cui ille, cùm jam sæpiùs respondisset, nihil sibi apparere nisi tribulationem super tribulationem, demum aliquando scisitanti, ait, Quia quinto mense pax erit. Sanè ultima die quinti mensis reformata est pax, ipso quidem & orante, & operante : ut non esset ambiguum, ejus potissimùm studio & merito piissimum illum principem à tam gravibus imminentibusque periculis liberatum.

E

F

199 [Post annos aliquot, inter eumdem regem Francorum & Gaufridum *a* Comitem Andegavensium, exercebantur inimicitiæ graves. Causa erat, quòd virum nobilem Gerardum de Monasteriolo, rege prohibente, in munitissimo oppido suo Comes obsidens, comprehenderat cum

uti & cuidam nobili consolationem ;

a

A cum uxore ac liberis & propinquis, ipſamque diruerat munitionem. Tractabat ergo Vir ſanctus de reformanda pace, multis ad hoc ipſum epiſcopis & principibus congregatis : cùm ſubitò Comes ille, amaritudinis felle commotus, inſalutatos omnes relinquens, equo inſiliit, & receſſit. Confuſis denique omnibus, jam conventus in deſperatione pacis ſolvebatur : & prædictus Gerardus accedens ad Hominem Dei, licentiam poſtulabat, velut in mortem & carcerem rediturus. Sub obſidibus enim ad colloquium illud erat adductus. Cumque Vir Domini conſolaretur eum, graviùs ille flens & ejulans, Meam, inquit, minùs doleo ſortem : meos omnes lugeo pariter morituros. Compaſſus itaque Vir beatus, Ne timeas, ait : certus eſto, quia Deus tibi tuiſque ſubveniet, idque celeriùs, quàm valeas vel ſperare. Siquidem recordatus viſionis, quam veniens ad id colloquium viderat, tamquam lecturum ſe Euangelium, à ſancto epiſcopo Malachia petere benedictionem, confiſus eſt pacem ſine dubio proventuram. Necdum Gerardus ille limen domûs attigerat, à facie ejus egrediens, cùm ſubitò quidam occurrens, redire Comitem nun-
B tiavit. Mirati ſunt omnes, tam celerem audientes promiſſionis effectum. Eâdem etenim horâ Comes rediit, & pariter pax deſiderata provenit.

ac Comiti Andegavenſi, qui contemnebat anathema, divinam ultionem.

200 Erat autem idem Comes pro eodem negotio ex mandato ſummi Pontificis anathematis vinculis innodatus, ſed abſolvendus : humiliari, ut debuit, vel culpam ſuper hoc fateri ſuam, penitus recuſavit : magis autem, ut erat plurimùm animoſus, Deum ſibi culpam hujuſmodi numquam remittere imprecabatur, innocentem ſe reputans & injuſtè ligatum. Quamobrem diſceſſit Pater ſanctus non parum triſtis ab illo, dicens ei, ſiquidem literas noverat : In qua menſura menſus fueris, remetietur tibi. Eâdem autem die, cauſantibus ſuper hac improbitate perſonis quibuſdam, & principem illum graviter erraſſe dicentibus, accenſus zelo Dei Famulus, aiebat : Graviter ſatis hæc temeritas punietur. Fieri omnino non poteſt, quin hoc eodem anno Comes ipſe aut moriatur, aut evidentem aliam divinæ indignationis ſentiat ultionem. Hoc verbum & ex ipſis & ex aliis audiêre non pauci. Quod tam celeriter eſt impletum, ut Comes idem in-
C fra diem quintum decimum moreretur.]

Clerico nihil minus cogitanti prædicit, ipſum monachum futurum :

201 Ingreſſus aliquando Servus Chriſti Germaniæ regnum, feſtinabat ad partes Moguntinorum, pacem reformaturus inter regem Lotharium, & prædeceſſoris ejus imperatoris Henrici nepotes, Conradum ſcilicet, qui Lothario poſtea ſucceſſit in regnum, & Fridericum patrem hujus Friderici, qui poſt Conradum electus obtinet hodie principatum. Venerabilis autem Metropolitanus Moguntinorum Albertus honorabilem quemdam clericum nomine Maſcelinum Viro Dei obviam miſit. Hic igitur Maſcelinus cùm à Domino ſuo miſſum ſe eſſe diceret ad ſerviendum ei, pauliſper intuitus illum Vir Dei, Alius, inquit, Dominus ad ſibi ſerviendum te miſit. Expavit Teutonicus, & miratus quid dicere vellet, firmiùs aſſerebat, à domino ſuo Moguntino ſeſe archiepiſcopo deſtinatum. Econtra Servus Chriſti, Falleris, ait, major Dominus eſt, qui miſit te, Chriſtus. Tunc demum intelligens homo, quorſum vellet vibrare ſermonem, Putas, inquit, quòd monachus fieri velim ? Abſit à me, non cogitavi, nec aſcendit ſuper cor meum. Nihilo minùs tamen, renuente illo, Dei Famulus affirmabat, omnimodis fieri oportere non quod ipſe de ſe cogitaverat, ſed quod de eo diſpoſuerat Deus. In eodem denique itinere converſus ad Dominum ſæculo valefecit, & cum aliis pluribus litteratis, honoratiſque perſonis, quas collegit eo tempore Servus Chriſti, ipſe quoque, ſicut ſibi prædictum fuerat, ſecutus eſt eum. A. GAUFRIDO.

Henricus regis Francorum frater inopinatò fit monachus in Claravalle : Andreas quidam,

202 Henricum quoque germanum regis Francorum, qui Belvacenſem hodie cathedram ornat, non diſſimili Dominus converſione mutavit. Accidit enim, ut veniens idem Henricus ad Hominem Dei ſuper quodam ſæculari negotio locuturus, conventum etiam fratrum viſitans, eorum ſeſe orationibus commendaret. Cui Pater ſanctus inter verba ſanctæ exhortationis, Confido, ait, in Domino, nequaquam in eo te moriturum, in quo nunc poſitus es, ſed velociter experimento proprio probaturum, quantum tibi iſtorum proſit oratio, quam expetiſti. Quod eodem poſtmodùm die non abſque multorum admiratione completum eſt, & de tanti juvenis converſione cœnobium omni exſultatione repletum. Lugentibus autem ſociis, & familia tota, ac ſi mortuum illum cernerent, ejulante, præ ceteris Andreas quidam Pariſienſis Henricum ebrium, E Henricum vociferabatur inſanum, nec conviciis, nec blaſphemiis parcens. Econtra ſanè idem Henricus pro illius potiſſimùm converſione Dei Hominem dare operam precabatur. Cui Vir ſanctus, audientibus multis, Dimitte, ait, hominem : modò anima ejus in amaritudine eſt, nec pro eo multùm ſollicitus ſis, quia tuus eſt ille. Cúmque ampliùs ſpe concepta Henricus inſtaret, ut loqueretur Andreæ, ſeveriùs intuitus eum Vir Dei, Quid hoc eſt ? ait : Numquid non jam dixi tibi, Tuus eſt ille ?

id indigniſſimè ferens, deinde idem inſtitutum amplectitur.

203 Audiens hæc Andreas, aſtabat enim & ipſe, ſicut plurimùm improbus erat, & à ſacra converſatione vehementer abhorrens, talia ſecum, ut hodieque fatetur, tacita cogitatione volvebat : In hoc nunc ſcio falſum te eſſe prophetam : hoc enim certus ſum, quia locutus es verbum, & non fiet. Hoc tibi ego coram rege & principibus, in celebri quocumque conventu improperare non parcam, ut tua omnibus falſitas innoteſcat. Ceterùm quàm mirabilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum, ridens eorum vana conamina, ut propoſitum ſuum, quando & quomodo ipſe voluerit, impleatur ! Siquidem F die altera ibat Andreas mala omnia imprecans monaſterio, ubi dominum dimittebat, ipſam quoque deſiderans Vallem funditus ſubrui cum habitatoribus ſuis. Nec parùm moti ſunt & mirati, qui prædictum Viri ſancti de ipſo audierunt verbum, cùm taliter videretur abire. Sed non diu puſillanimitatem eorum & fidem modicam tentari paſſus eſt Deus. Illa tantùm die procedens & repellens quodammodo gratiam Dei, nocte proxima victus & quaſi vinctus, trahente ſe & vim faciente Spiritu Dei, diem exſpectare non potuit, ſed exſurgens ante diluculum, velociterque rediens ad monaſterium, alterum nobis Saulum, vel magis de Saulo altero Paulum alterum exhibebat.

Multi ex Flandria ſequuntur Bernardum ; inter quos Gaufridus de Perona ;

204 Inter ceteros, quos de vana converſatione hujus ſæculi per miniſterium Servi ſui Chriſtus eripuit, de partibus Flandriæ multi aliquando nobiles, multi ſapientes & litterati Viri ſub ipſius magiſterio ſacram profeſſi ſunt ſervitutem : quorum primus videbatur Gaufridus ille de Perona, qui poſtmodùm in Clara-valle Prioris officio functus eſt, & defunctus in eo. In quibus evidenter ſatis euangelicum illud impletum eſt :

A. GAUFRIDO. Multi dicent vobis, Ecce hic est Christus, ecce illic. Plurimis enim persuasionibus actum est cum eis, ut aliam magis eligere professionem, & loca alia debuissent, donec occurrit Dei Famulus jam propè dispersis, & in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus, pristina omnis hæsitatio facta de medio, & omnium pariter in ipsius consilio irrefragabiliter est firmata voluntas. Quod quidem non sine subita & penitus insperata quorumdam ex ipsis mutatione factum est animorum. Denique cùm jam Dei Hominem ad monasterium sequeretur prædictus ille Gaufridus, gravissima cœpit tentatione pulsari. Intuitus autem illum unus è fratribus, Quid est, inquit, quòd facies tua exterminata, & tristitiæ quodam nubilo graviter obvoluta videtur? Cui Gaufridus: Scio, inquit, quòd numquam amplius lætus ero. Quod verbum cùm ad Dei Famulum idem frater satis anxius retulisset, videns ille sacram basilicam prope viam, per quam gradiebantur, in eam divertit, & ingressus orabat. Ceteris autem deforis præstolantibus, Gaufridus ille gravatus tædio super lapidem obdormivit. Demum cum ambo pariter surrexissent, ille de oratione, iste de somno, apparuit idem
B Gaufridus tantùm jucundior & hilarior ceteris, quantùm tristior priùs. Cumque ei prædictus frater verbum mœstitiæ, quod locutus fuerat, amicabiliter improperaret: Etsi tunc, inquit, dixi, Numquam ampliùs lætus ero; sed nunc dico, Numquam ampliùs tristis ero.

de patris ejus conversione edit Sanctus vaticinium:

205 Idem quoque Gaufridus primo tempore tirocinii sui pro patre suo viro nobili & potenti, quem in sæculo reliquerat, filiali pietate sollicitus, Patrem sanctum pro ejus conversione rogare Dominum, affectuosiùs exorabat. Cui Vir Dei: Ne timeas, inquit, ego illum probatum monachum manibus meis in hac Clara-valle sepeliam. Utrumque secutum est: & perfectus monachus factus est, & à Patre sancto, sicut ipse prædixerat, in Clara-valle sepultus. Tamquam enim mori illo absente non posset, quinque mensibus infirmatus, & creberrimum imò continuum responsum mortis in seipso habens, sustinuit, donec Pater sanctus rediret, qui, ut olim promiserat, eum traderet sepulturæ.

aliud de partu reginæ Francorum; b

206 [Regina Franciæ, supradicti Ludovici junioris uxor *b*, plures cum eo fecerat annos, & sobolem non habebat. Erat autem Vir sanctus apud regem pro quadam pace laborans, & regina in contrarium nitebatur. Cúmque eam moneret desistere cœptis, & regi suggerere meliora; inter loquendum illa cœpit conqueri super sterilitate sua, humiliter rogans, ut sibi partum obtineret à Deo. At ille: Si feceris, inquit, quod
C moneo, ego quoque pro verbo, quod postulas, Dominum exorabo. Annuit illa, & pacis non tardavit effectus. Quâ reformatâ, prædictus rex, nam verbum ei regina suggesserat, à Viro Dei promissum humiliter exigebat. Hoc autem tam celeriter est impletum, ut circa idem tempus anno altero eadem regina pepererit.]

de morte abbatis Cisterciensis denuntiata:

207 Dominus abbas Rainardus Cisterciensis, quem ex Clara-valle assumptum Pater sanctus & ut filium amplectebatur, & reverebatur ut patrem, ob quorumdam monasteriorum ordinationem, Provinciæ partes intravit. De quo Vir Dei in Clara-valle consistens, dum fratri cuidam loqueretur, subita inspiratione permotus, Dominus, ait, Cisterciensis aut mortuus est, aut in proximo moriturus. Nec parùm ille frater miratus est, audiens verbum: magis tamen obstupuit, cùm ejusdem abbatis post dies paucos audiret obitum nuntiari.

D

item de aliis.

208 [Eodem anno, quo de hac vita Pater sanctus fuerat exiturus, tres adolescentes de proximo oppido, quod Barrum dicitur super Albam, monasterium Claræ-vallis gratiâ conversionis intraverant, quorum tertius, suadente maligno, ad vomitum est reversus. Qua ex re pro duobus aliis magis solliciti fratres, ipsis quoque præsentibus, Patri sancto super hoc loquebantur. At ille intuens in eos, Hic, inquit, nulla umquam tentatione laborabit: iste verò multâ, sed tamen prævalebit. Utrumque, sicut audivimus, sic vidimus, adeo ut frequentiùs alteri objiceremus, cùm aliquoties in tentatione penè deficeret, & inciperet jam abire, impossibile esse, ut vinceretur, quem Vir sanctus dixerat nulla tentatione vincendum.] Pernoctabat aliquando Dei Famulus in oratione, in suo Claræ-vallensi cœnobio constitutus, & solita intentione Dominum deprecabatur. Contigit autem eâdem horâ pauperem quemdam, & verè pauperem spiritu, in cella hospitum mori; cujus animam cum vocibus canoris in cælum deferri Pater sanctus audivit: & interrogatis manè fratribus, qui adfuerant, illam fuisse horam obitûs ejus comperit, quâ prædictas audierat in sublime tendentium voces *c*.

E

c

ANNOTATA.

a *In Chronico Normanniæ, quod inter historiæ Normannorum scriptores antiquos edidit Andreas Chesnius, hæc lego ad annum* 1148: Dux Gaufridus castellum Monasteriolum in pago Pictavensi obsedit . . , & duravit illa obsidio per tres annos, usque quo Berlai dominus castelli reddidit se Comiti. Tunc etiam Comes turrem & castellum funditus evertit. *Et inferiùs ad annum* 1150: Rex Ludovicus in civitate Parisius acuta febre interceptus lecto prosternitur. Hac de causa sapientibus viris religiosis intercurrentibus, ex utraque parte dantur & accipiuntur induciæ, donec rex convalesceret. Quo convalescente, Dei misericordiâ serenitas pacis refulsit, reddito Girardo Berlai, pro quo in maxima parte discordia erat.

b *Tres Ludovico VII seu juniori fuerunt conjuges, quarum primam, cui nomen* Alienordis *vel* Elionora, *repudiavit, postquam duas ex ea habuisset filias: de qua re legi potest Chronicon Normanniæ, quod modò citabam, ad annum* 1151. *Ad annum verò* 1153, *ibidem hæc sunt:* Ludovicus rex Francorum duxit uxorem filiam Alfonsi regis Hispaniarum. *Hæc fuit* Constantia. *Altera fuit* Adela. *Vide Baronium ad annum* 1151, *Pagium ad annum* 1160, *num.* 9, *& dicta in nostro Commentario prævio* § 33, *num.* 359. *Hanc verò prædictionem* Bernardi *ad Alienordem pertinere, Fragmenta Gaufridi, de quibus in dicto Commentario* § 1, *num.* 5, *docent apud Mabillonium col.* 1277, *ubi hæc sunt, è quibus hoc vaticinium, quod aliunde textui biographi est insertum, confirmatur:* Et præcipuus hujus incentor odii [inter regem Ludovicum Juniorem, & Campaniæ Comitem Theobaldum] Comes Viromandensium fuit, Radulfus de Perona, sororem reginæ tenens, dimissa quadam affini Comitis Theobaldi. Factum est in festivitate beati Dionysii, regina Alienordis in ecclesia ipsius martyris cum Patre nostro loquebatur, conquerens, quòd concluisset Dominus vulvam ejus, ne pareret. Jam enim annis fere novem

F

vixerat

A vixerat cum rege : & à primis quidem annis conceperat ; ſed fecerat abortivum : & exinde ſterilis permanebat , jam de fœcunditate deſperans. Cui miſerabiliter conquerenti Pater venerabilis ait : Sollicitè quære , quæ ad pacem ſunt , & ego tibi , confiſus de divina miſeratione , partum promitto. Hoc & ipſe rex , reginæ verbum cognoſcens , ubi perfecta eſt reconciliatio , ſecretiùs alloquens beatum Virum , quod reginæ promiſerat , exigebat &c. Ipſo denique anno regina concepit , & peperit.

c *Occurrunt ſuperiùs nonnulla alia , de quibus videri poteſt Commentarius prævius.*

CAPUT III.

Mirabilia , & varia beneficia à Sancto , præſertim in regno Galliæ præſtita.

B

IV. *Malachiæ recèns defuncti felix ſtatus ei revelatur : item Alberici ep. Oſtienſis.*

CUm beatus epiſcopus Malachias , cujus vitam virtutibus plenam Vir ſanctus ſtudiosè deſcripſit , juxta deſiderium cordis ſui in Clara valle beatam cælo animam reddidiſſet ; offerens pro ejus tranſitu venerabilis abbas Hoſtiam ſalutarem , gloriam ejus Domino revelante cognovit , &, eodem inſpirante , Sacrificio jam expleto, formam mutavit orationis , & collectam intulit , quæ ad ſanctorum Pontificum celebritates , non ad commendationes defunctorum pertinet , ita dicens : Deus qui beatum Malachiam pontificem Sanctorum tuorum meritis coæquaſti , tribue quæſumus , ut qui pretioſæ mortis ejus feſta agimus , vitæ quoque imitemur exempla. Deinde reverenter accedens , ſacra ejus veſtigia devotiſſimè oſculabatur. Modum tamen & ſeriem viſionis nec cuiquam aperire , nec in ejuſdem epiſcopi vita ſcribere acquievit : hoc tantùm reſpondens, cùm plurimùm rogaretur , nimis ad propriam ſui ipſius pertinuiſſe perſonam. [Nec ſanè dubium , plura eum ſimilia occultâſſe ſimiliter , quæcumque videlicet paſſus eſt Dominus occultari. Nam & Virduni aliquando , quæ eſt civitas Lotharingiorum , cùm ad tumulum reverendiſſimi viri Alberti * epiſcopi Oſtienſis , noviter antè defuncti , pro commendatione ejus Sacrificium laudis offerret , collectam ſimiliter in fine mutavit : de quo tamen quid vidiſſet , nec interrogatus eſt , nec confeſſus , cùm ſine certa revelatione id feciſſe minimè videatur *a*.]

* *l.* Alberici

C

a

Mulieri ultra tempus prægnanti facilem impetrat partum :

210 Super his , quæ ad gratiam pertinent ſanitatum , tam multa inſignia per hunc Famulum ſuum operatus eſt Chriſtus , ut in eo quoque videretur exhiberi , quod de ipſo Joannes Euangeliſta teſtatur : Si omnia ſcriberentur , ne ipſum quidem mundum capere eos , qui ſcribendi fuerant , libros. Ceterùm nos ſaltem pauca de pluribus exempli gratiâ proferamus. Caſtrum Villanum accolæ vocant, quòd à Clara-valle , ut aiùnt, ſex milliariis diſtat : ubi mulier prægnans tempus omne tranſierat pariendi , & aliquantis menſibus jam decurſis , cùm necdum pareret, amplius mirabatur. Cujus eò uſque dilatus eſt partus , ut morbus potiùs videretur , nec jam crederetur eſſe prægnans , ſed tumens. Quis enim credere poſſet, infantulum anno integro intra viſcera poſſe materna teneri ? Deſperata igitur mulier ad monaſterium Viri Dei ducitur , ſic ſe habens. Siſtitur ad portam miſera , & portario fratri cauſa tam miſerabilis intimatur. Rogatus ille , & inaudito compaſſus incommodo , ſupplex adiit Patrem ſanctum , fideliter ei neceſſitatem indicans mulieris , fidelitur explens negotium ſuſceptæ legationis. Et , ô mira divinæ virtutis operatio , mirabiliùs accelerantis , quod mirabiliter tardabatur. Tamquam enim hoc ſolum tanto tempore naſciturus infans exſpectaverit , horâ eâdem femina peperit , &, præcurrente remedio , ad portam rediens frater ille , incommodum , quod nuntiaverat , non invenit. A. GAUFRIDO.

211 Alio tempore in territorio Autiſſiodorenſi apud oppidum , quod Cona *c* vocatur , mulier quædam periclitabatur multis diebus , quòd veniſſet filius uſque ad partum , & vires non haberet parturiens. Cùmque ſuperveniſſet interim Servus Chriſti , poſtulanti benedictionem , aquam benedictam miſit. Guſtavit mulier , & confeſtim natus eſt puer : quem venerabilis epiſcopus Carnotenſis Gaufridus baptizavit , Bernardi ei nomen imponens. In eodem itinere & in territorio eodem, dum febricitantium multitudo , ſicut ubique ſolebant , à Dei Homine panem peterent benedictum , Girardus quidam clericus ex caſtro , cui nomen eſt Clamiceium *d* , malè ſciolus & ſubſannans fidem populi blaſphemabat. In ipſis autem verbis blaſphemiæ graviſſima febre correptus , uſque Autiſſiodorum abeuntem ſequi coactus eſt Virum Dei , & pœnitentiam agens apud eum , ipſam , cui detraxerat , multis obtinuit precibus benedictionem. Tam multis verò guſtata ejuſmòdi benedictio reddidit ſanitatem , ut ſolius Dei , cujus hæc virtute fiebant , poſſet notitiâ comprehendi.

pane benedicto

c

d

E

212 Vidimus in Meldenſi territorio militem devotiſſimas referentem gratias Viro Dei , quòd ad primum guſtum panis ab eo benedicti , plenam receperit ſoſpitatem à febre quartana , quâ ſic graviter laboraverat menſibus fermè decem & octo , ut in hora acceſſionis , quaſi phreneticus, nec matrem agnoſceret ſuam. Virum quoque venerabilem Gerardum *e* Lemovicenſem epiſcopum teſtantem audivimus , juvenem quemdam de familia ſua letaliter in capite ſaucium , cùm jaceret ſpumans & impos mentis , immiſſâ ſibi in os buccellulâ panis , quem benedixerat Homo Dei , tam celerem ſenſiſſe virtutem , ut incolumis ſurgeret ipſâ horâ. Neque illud tacendum , quòd ipſam quoque ſubſtantiam panis ab omni corruptionis injuria eadem benedictio vindicabat, adeo ut plures viderimus , qui per ſeptennium & ultra , eoſdem ſervaverint panes , nec colore , nec ſapore mutato. Ante hos paucos dies , venerabiles abbates Girardus & Henricus de Sueciæ partibus venientes, dum ſuper his conferremus,teſtati ſunt nobis , panem ante annos undecim ejus benedictione ſignatum , manere adhuc apud ſe penitus incorruptum. Nec diſſimilem apud aliquos noſtrûm uſque hodie novimus , & apud alios multos credimus eſſe repoſitum. Et nunc idoneum ſatis & evidens hujus rei teſtimonium proferamus.

mira patrat; qui diu ſervatur incorruptus.

e

F

213 Vir magnus & magnificè honorandus Danorum archiepiſcopus Eskilus Patrem ſanctum unico venerabatur affectu , unica devotione colebat. Nec contentus eſt in filiis eum videre , cùm novum cœnobium exſtruxiſſet , & impetraſſet ab eo deſideratum ſacræ congregationis examen. Prævaluit apud eum deſiderium vehemèns , ut homo tantæ auctoritatis , & in inſulis illis tam eccleſiaſtica quàm ſæculari auctoritate ſingulariter potens , expoſitis ſuis omnibus , etiam ſemetipſum

Eskilus archiepiſc. viſitat S. Bernardum , qui miræ virtutis panem ei dat :

A. GAUFRIDO.

pſum periculis multis traderet & labori. Nam de expenſis dicere non eſt magnum, quamvis eumdem audierimus proteſtantem, quòd expenderit in itinere ipſo argenti marcas ampliùs quàm ſexcentas. Venit ergo ad Claram-vallem tam humilis & ſublimis, quem à finibus terræ non curioſitas audiendæ ſapientiæ, ſed fidei zelus, & plenitudo devotionis attraxerat. Ubi quantùm fleverit; qualem ſeſe non modò erga eum, quem tam unicè ſuſpiciebat, ſed etiam erga minimos quoſlibet fratrum exhibuerit, non eſt facile dictu: demum rediturus ad propria, ut benedictum à Dei Famulo panem referre poſſit, & diutiùs conſervare, humano ſenſu præcipit, ut in clibano recoquatur, ſicut ſolent, qui maria tranſeunt, panem ferre biſcoctum. Audiens autem Sanctus, non eſt paſſus errare hominem tam devotum; ſed amicabiliter arguens in hac parte, fidem ejus modicam inveniri, Itáne, inquit, non poterit panem ipſum benedictio magis, quàm recoctio conſervare? Et non acquievit benedicere illum, ſed communem ſibi panem præcipiens exhiberi, benedixit, & dixit: Ecce hunc tolle te-
B cum, nihil deinceps de corruptione ſollicitus. Tulit, & ad ſuos rediens, uſque hodie gloriatur, fidei ſuæ defectum evidentiſſima rei veritate convinci. Nec enim paſſus eſt Patris ſancti non viſitare ſepulcrum *f*, nec minùs erga eum nunc afficitur, nec minùs quàm olim in vivente confidit, nimirum quem veriùs vivere omnino non ambigit. Confeſſus eſt etiam nobis de pane, quem retulit, quòd nunc uſque, cùm jam tertius annus tranſierit, illæſum eum beati Viri fides & benedictio cuſtodivit.

f

214 Narraverunt etiam nobis viri religioſi, qui cum eodem archiepiſcopo venerant, miraculum dignum memoriâ nuper factum in cœnobio *g*, quod, ut ſuprà meminimus, in terra ſua ipſe fundavit. Erat enim, inquit, in regione eadem adoleſcens nobilis, ipſius quoque archiepiſcopi ſecundùm carnem propinquus; ſed ob multa ſua flagitia minùs carus. Correptus autem graviſſima valetudine, viſitationem ejus vix impetravit, & per manum ejus ad monaſterium, quod fundaverat, ille ſe contulit. Ubi & cum maxima cordis compunctione renuntians ſæculo, per dies aliquot in humili & fideliſſima confeſſione perſiſtens, magis ac magis eadem ægritudine
C laborabat. Qua demum invaleſcente exitum ſibi imminere cognoſcens, abbatis & fratrum præſentiam miro amplectebatur affectu, mira eos devotione monebat, ut ſpiritualia arma corriperent, egreſſuram protinus animam ſibi commendatam efficaciter protecturi, & exhibituri fideliter neceſſarium prorſus, inter imminentium hoſtium crudeliſſima tela, conductum. Cumque in hujuſmodi ſupplicatione divinis jam Sacramentis munitus, & de eorumdem ſervorum Dei patrocinio, & Domini miſeratione piiſſima devotione præſumens, ac proinde circumſtantibus omnibus multam ſuæ ſalutis relinquens fiduciam, exſpiraſſet; offerebant fratres pro commendatione animæ ejus, quàm devotiſſimè poterant, Dominici Corporis Hoſtiam ſalutarem.

ſpiritus malignus ob converſionem cujuſdam adoleſcentis

g

215 Tum ſubitò inimicus humanæ ſalutis, ex ejuſdem, ſicut indubitabile eſſe videtur, liberatione animæ, quam ex multis diebus irreparabiliter ſeſe occupaſſe credebat, iram magnam concipiens, & tamdem, permittente Deo, crudeliter ſatis exercens, unum è fratribus repentino furore pervaſit. Clamabat igitur horrendis vocibus miſerabilis homo, & vix multorum manibus tenebatur. Demum cum maximo quidem labore D aſportatus, & in lectulo religatus, tam ſua quàm adſtantium membra dentibus appetens, diriſſimè vexabatur. Nec illâ, quam priùs noſſet, linguâ, ſed novâ quâdam, quam nec aſtantium quiſquam noverat, loquebatur. Et cùm nihil, quod diceret, intelligerent, tam liberè tamen & ſine offendiculo non inconcinnas eum audiebant edere voces, ut indubitanter crederent, quòd linguâ aliquâ loqueretur. Poſt aliquantas igitur horas, cùm vehementer confuſi fratres, quid agere poſſent, anxiè cogitarent, & ſtudiosè conquirerent, unus ex eis ſalubre conſilium, Domino inſpirante, concipiens, ſacra pignora ab ipſo archiepiſcopo eodem anno iſtic depoſita, videlicet de capillis & barba, & dentem unum beati Patris noſtri Bernardi afferri monet, & ejus pectori ſuperponi.

in monachum furens,

216 Quod ut factum eſt, Germanicâ linguâ per os ejus cœpit horrendis vocibus nequam ſpiritus exclamare, Tollite, tollite, amovete Bernardum: & dicebat: Heu, quàm ponderoſus factus es, Bernarde, quàm gravis, quàm intolerabilis factus es mihi! Cumque hæc & ſimilia aliquamdiu clamitans loqueretur, factum eſt breve ſilentium, & ſubitò frater idem, Domino miſerante, purgatus, aperuit oculos, ac velut de gravi ſomno evigilans, circumſtantes fratres, & ſua plurimùm vincula mirabatur, verecundè ſatis, quidnam ſibi vellent hæc, vel quid accidiſſet, interrogans. Ex ea igitur hora priſtinam ſanitatem mentis & corporis per beati Patris merita ſancta recepit, nil penitus, quod in illo tam gravi caſu fecerit aut locutus fuerit, recordatus. Hæc quidem à nobis de teſtimonio viri reverendiſſimi Eskili Danorum archiepiſcopi, ex occaſione panis à Dei Homine benedicti, non ſine quadam anticipatione ſunt dicta. [De cetero jam ex ordine reliqua proſequamur.]

torquetur & fugatur reliquiis S. Bernardi:

E

217 Non modò autem hominibus, ſed pecoribus etiam & armentis tam frequenter ejus benedictio profuit, ut monaſterii ſui cellarium durè aliquando increparit, quòd ſibi non indicans, mori animalia permiſiſſet, unde fuerant pauperes ſuſtentandi. Dehinc, ut ſolitus erat, benedixit ſal, & animalibus juſſit apponi, & protinus lues orta ceſſavit. Quod in aliis quoque monaſteriis vidimus & cognovimus, ut audiens fra- F
trum animalia mori, interdum etiam non rogatus, ſed ipſe prior admonens eos, eodem remedio ſubveniret. Gaudum dicitur locus quidam Caziacenſium *h* monachorum, ubi Vir ſanctus cùm aliquando pernoctaret, exhibitum ſibi juvenem claudum oratione & benedictione ſanavit, ita ut poſt dies pauciſſimos per eumdem locum redeunti, incolumis & devotus adſtaret. In eiſdem partibus vico, cui nomen Algorrium, mulierem phreneticam populus obtulit tranſeunti; cui manus imponens & orans, ſanam dimiſit & abiit. Hanc in eodem vico poſtea vidimus Viro Dei cum gratiarum actionibus occurrentem.

qui pecora, juvenem claudum, mulierem phreneticam,

h

manum invalidam pueri; & alterius oculum, ac tertii contractionem ſigno crucis ſanat.

218 In remotis etiam regionibus, quocumque eum eccleſiæ ſanctæ neceſſitas traxit, virtus eſt proſecuta ſignorum. Apud Viride-folium (ſic enim dicitur caſtrum territorii Toloſani, quod, ut ſuperiore libro meminimus, aliquando Pater ſanctus introïens, multis ibidem virtutibus claruit) puer mancus & claudus ex utero matris ſuæ, ad cujuſdam memoriam Martyris, utriuſque pedis & alterius manus receperat ſoſpitatem. Hujus alteram manum adhuc invalidam tamquam divinitus ſervatam ſibi Pater ſanctus benedicendo ſana-

A ſanavit ; ut Sanctorum innoteſceret particeps eſſe
i virtutis. Caturcium *i* dicitur civitas Aquitaniæ, per quam Viro Dei ipſo tempore tranſitus fuit. Ibi præter alia beneficia, quæ præſtitit infirmantibus multis, unus de pueris epiſcopi civitatis ipſius, qui ex vulnere gravi alterius oculi lumen amiſerat, ſub manu ejus viſum recepit. In pago quoque Engoliſmenſi, loco cui nomen eſt
k Caſtellare, poſt oblationem Hoſtiæ ſalutaris, adſtantibus venerabilibus epiſcopis, Lamberto *k* Engoliſmenſi, & Gerardo Lemovicenſi, puerum ex matris utero claudum & mancum, cujus, in modum pilæ, cubiti cum genibus umbilico ; pedes autem natibus adhæſiſſent, Dei Famulo offerebant. At ille ſingula membra edito priùs ſigno crucis attrectans, mira facilitate extendit protinus & ſanavit. Apprehendens denique manum ejus erexit illum, & dimiſit liberè gradientem. Populus autem pro tantis nimirum virtutibus, magnis vocibus Dominum collaudabat. Nam & die ſequenti in pago Lemovicenſi, in vico, quem
* *Al.* Germani, *S. Germain Laval.* ſancti Geniani * nomine vocant, ſigna per eum plurima claruerunt. Undique enim confluebant, qui incommodis variis laborabant, & virtus erat
B Domini ad ſanandum eos. Ubi inter ceteros puer fermè decennis, cæcus ex utero matris ſuæ, coram omni populo oblatus eſt Viro Dei. Qui in digitos ſuos exſpuens, & liniens oculos ejus, brevem fecit orationem, & in nomine Chriſti aperuit oculos cæci nati.

ANNOTATA.

a *Adiſis Commentarium prævium* § 48.

b Chaſteau Vilain nuncupatur, locus Comitatûs titulo inſignis in finibus Lingonum, *ex Hadriano Valeſio in Notitia Galliarum.*

c Cona *hîc* ; *al.* Condate Senonum *apud eumdem Valeſium*, ad ripam Ligeris in finibus Senonum poſitum, vulgò Coſne ſur Loire.. ad confluentes Ligeris, & Noiani, amnis ignobilis.. Condate autem vetus eſt nomen Gallicum, confluentes deſignans : quod nos patriâ linguâ nunc Condé, & Coude, nunc Cande ; modò Coſne, & Coneſque ; modò Condat & Condac; interdum & Cuniac, ac Cognat dicimus. *Oppidum autem, quod hîc à Gaufrido vocatur* Co-
C na, *alibi, mutato ordine litterarum, aliter ſcribitur, ſicut ibidem datur videre.*

d Opidum eſt in agro Nivernenſi ad flumen Icaunam Climiciacum, *vulgo* Clamecy, *ex Valeſio mox citato : ubi plura.*

e Geraldus de Cher *nuncupatur in Gallia Chriſtiana apud Sammarthanos.*

f Eskilus demum in Clara-valle monachus anno MCLXXVIII, ibidem deceſſit anno MCLXXXI, *ſicut* ex Chronico Claræ-vallenſi *notatur hîc apud Mabillonium. Conſule etiam Commentarium noſtrum* § 53.

g Is duo monaſteria Ordinis Ciſtercienſis fundavit in Dania, unum vocabulo Granadium in diœceſi Lundenſi ; alterum Eſconenſe in Roſkildenſi, de quo hîc ſermo, *ex Mabillonio.*

h *Vide Comm. præv.* § 53 *in fine, & Hadrianum Valeſium.*

i *Al.* Cadurcum, *vulgo* Cahors, *de qua urbe idem Valeſius plurima collegit.*

k *De eo in epiſtola* 168.

CAPUT IV.

A. GAUFRIDO.

Varia Germaniæ loca à S. Bernardo miraculis illuſtrata ; alia in Belgio, & in Hiſpania.

REgnum quoque Germaniæ cùm introiſſet aliquando Vir beatus, tam excellenter enituit in gratia ſanitatum, ut nec verbis exprimi, nec credi valeat ſi dicatur. Nam & teſtati ſunt qui affuêre in territorio Conſtantienſi, circa vicum, quem Doniguem * nominant, ex iis qui diligentiùs veſtigarunt & viderunt oculis ſuis, una die illuminatos ad ejus impoſitionem manûs, cœcos undecim ; ſanatos etiam mancos decem, & claudos erectos decem & octo. Cæterùm ne feciſſe nos inopes copia videatur, ex innumera multitudine ſaltem pauca memoriæ commendamus, quæ in locis celebrioribus facta noſcuntur. Cùm ve-
E niſſet Conſtantiam *a* Homo Dei, & undique ſe virtutum ejus fama diffunderet, abbas Augienſis *b* (quod intra lacum Lemanum antiquum extat & nobile monaſterium) hominem, quem ſuis eleemoſynis ſuſtentabat, cæcum miſit ad eum, & confeſtim videntem illum recepit. Heytereſeim dicitur locus ad ejuſdem diœceſim pertinens civitatis, ſed plurimùm à civitate remotus. Ibi quoque, ſicut & in ceteris illius provinciæ, per quæ tranſiit, locis, multis in Servo ſuo miraculis glorificatus eſt Deus. Ubi etiam cæcus natus ſub manu ejus viſum recepit. Item alteri à nativitate ſurdo & muto auditus redditus eſt & loquela. In civitate etiam Baſilea cùm ex more ſermonem habuiſſet ad populum, ut impleretur in eo, quod de ſanctis Apoſtolis legitur ; qui videlicet profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, oblata eſt ei femina muta, & confeſtim orante eo locuta eſt. Oblatus eſt claudus & ambulavit, oblatus eſt cæcus & vidit.

v. *Uno die ſanat homines 39, ac deinde alios multos :* * Doningen.

a

b

220 Apud Spirenſium civitatem, præſente Romanorum rege Conrado, qui Dei Hominem ab eccleſia ad hoſpitium devotiſſimè deducebat, offerebant puerum claudum, rogantes, ut ei manum imponere dignaretur. Quem ſignatum protinus erigens, ſuper pedes ſtatuit, & liberè
F gradiebatur, in Dei laudem acclamantibus univerſis. In capella epiſcopi civitatis ipſius, rege ipſo vidente, viſum reddidit cæcæ cuidam mulieri, & claudo nato greſſum donavit. Multa quidem & alia in manu ejus ibidem Chriſtus effecit, ſed ad exemplum pauca ſufficiant. Nonnullos etiam pauperculos pueros rex ipſe devotus ſuis illi manibus offerens, de multorum curatione meruit gratulari. Nec modò apud prædictam Spirenſium urbem, ſed apud Francovadum *c*, Moguntinæ diœceſis locum, innumeris virtutibus idem Dei Servus effulſit. De tota ſiquidem regione quotquot patiebantur, afferebant ad eum, & tantus erat concurſus, ut prædictus rex, cùm aliquando populum comprimentem coërcere non poſſet, depoſita chlamyde Virum ſanctum in proprias ulnas ſuſcipiens, de baſilica exportarit. Inter plurimos ſanè, qui ibidem adepti ſunt ſanitatem, ſenex quidam paralyticus de vicinia illa, homo notus & honoratus, multis ſuorum precibus, non ſine multo labore introductus eſt ad

Spiræ complura edit miracula : item Francofurti,

c

A. GAUFRIDO. Hominem Dei : à quo poſt breviſſimam, ut ſolebat, orationem erectus protinus & ſanatus, non modò incolumis, ſed & fortis apparuit, ut poſſes credere, ſi videres, non tam alteratum hominem eſſe, quàm alterum.

& in diœceſi Moguntina :

221 Jamque eo viriliter procedente, parabant alii tollere lectum ejus, in quo advectus erat, cùm revocans eum unus ex circumſtantibus Hugo Tullenſis eccleſiæ archidiaconus, Euangelici illius paralytici memor, Non ſic, ait, non ſic vacuus reverteris, tolle grabatum tuum, & ambula. Et imponens in humeros ejus dimiſit eum liberè procedentem : & omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo. Ibidem etiam puer ſurdus & mutus ex utero matris ſuæ, ſublevatus per ſcalam, & in feneſtra accedens ad Virum Dei, ſub manu ejus auditum recepit pariter & loquelam. Sed & paralytica quædam mulier de eadem regione dives & honorata, ibidem recepit amiſſam ex multo tempore ſoſpitatem. Dumque exſiliens ambularet, omnes quidem lætati ſunt qui videbant, ſed præ ceteris exſultavêre milites, qui attulerant & obtulerant eam. Nam & ipſius ſibi particeps eſſe virtutis religioſa devotio videbatur. Per idem tempus tranſeunte Sancto prope vicum in littore Rheni poſitum, quem Bobardum *d* vocant, & varios per univerſam provinciam curante languores, oblatus eſt paralyticus in grabato. Auditâ ſiquidem famâ virtutum, à prædicto vico in occurſum ejus ſe fecerat apportari. Cui in medio populi manus imponens erexit hominem, incolumemque remiſit ad propria.

B

d

e Treviris plurimos ſanat :

222 Eodem anno *e* ingredienti urbem Trevereníium Servo Chriſti, ex more obviam ruit populus univerſus. Offerunt autem ei ſorores duas, quæ ab annis quatuor, amborum lumen amiſerant oculorum. Quarum ille utrique imprimens ſignum crucis, viſum reddidit lucis : & videntes Virum Dei cum ceteris ſequebantur. In ejuſdem baſilica civitatis cùm ad altare beati Petri Apoſtoli, Vir Apoſtolicæ gratiæ immortalem Hoſtiam immolaſſet, oblatus eſt ei claudus, & ambulavit : oblatus eſt cæcus, & vidit : oblata eſt ſurda mulier, & audivit. Hæc in ſomnis admonitam ſe eſſe dicebat, ut Dei Hominem peteret, cujus beneficio receptura eſſet auditum. Apud Confluentiam Trevirenſis diœceſis nobile caſtrum ad Moſellam fluvium, qui ibidem in Rhenum labitur, Dei Famulus pertranſibat : cúmque paululùm proceſſiſſet, oblatum ſibi & ſignatum hominem claudum deponi juſſit & ambulare ; ſed non fuit qui obediret. Nec mora, claudus idem retractum femoris nervum clamat ſponte laxari, & dum neſcit, extendi velut ab altero genu ſuum, quod quamlibet antè conatus, nullo modo potuiſſet. Mirantur omnes, probatur ſub omni velocitate quod dicitur : deponitur illico, illico graditur, illico ſanus & incolumis innoteſcit.

C

VI. *Coloniæ claudum, phreneticam, & ſurdam puellam ;*

223 Non eſt nobis Colonia tranſeunda. Magna eſt civitas : magna illic Dei Famulo virtus affuit ; magna illum devotio coluit populorum. Oſtenditur uſque hodie in clauſtro beati Petri, ſicut à perſonis veridicis nuper accepimus, adoleſcens olim claudus, nunc liberè gradiens, qui oblatus Viro Dei, ad impoſitionem manûs ejus greſſum recepit, unde etiam filius ejus publicè cognominatur. Abbas Henricus de Suecia, cujus nos ſuprà * fecimus mentionem, nuper retulit nobis, feminam nobilem germani ſui olim uxorem, cùm poſt obitum viri ſui præ dolore phreneſim incurriſſet, & multo tempore ſic ſe habens in vinculis teneretur, eidem Patri ſancto in præfata urbe oblatam, & vix tenuiter in turba circumſtrepente ſignatam ; dum ex more ligata revehitur, mentem priſtinam atque integram recepiſſe ſalutem. In eadem etiam civitate filiam ſurdam eidem Patri ſancto parentes nobiles obtulerunt. Hanc aiebant à pueritia traditam ſanctimonialium monaſterio feminarum, ibidem amiſiſſe prorſus auditum, & annos plures in eodem incommodo peregiſſe. Cujus aures ſigno crucis edito Pater ſanctus attrectans, protinus & auditum ei, & parentibus eam reddidit audientem.

D

** Vid. ſuprà n. 212*

item cæcam in uno oculo, contractam, atque alios plures curat :

224 Accedens inter hæc mulier honorata Colonienſis itidem civis, quæ alterius oculi lumen amiſerat, plurima jam per quinquennium inutiliter ſeſe in medicos expendiſſe dicebat. Et ipſam quoque continuò per ſignum crucis illuminans Vir beatus, quod gratis acceperat, gratis dedit. Sed & matronam alteram in beati Petri baſilica oblatam in lectulo, idem Chriſti Servus erexit protinus, & incolumem ſuis pedibus abire præcepit. Hujus ex multo tempore nervi femorum fuerant ſic retracti, ut nec erigi ullatenus poſſet, nec conſiſtere pedibus ſuis. Nam ex perſonis aliis perhibebant, qui ſtudioſiùs obſervarunt, ad ejuſdem Viri ſancti orationem & manus impoſitionem, in civitate prædicta intra triduum, quod ibi fecit, duodecim claudos erectos, mancos duos ſanatos, quinque cæcos illuminatos, loquelam redditam mutis tribus, & decem ſurdis auditum.

E

Aquiſgrani, & Leodii, & Cameraci multis ſoſpitatem reſtituit.

225 Aquiſgrani ſede regia, dum in illâ famoſiſſimâ toto Romanorum orbe capellâ Vir beatus Miſſarum ſolemnia celebraret, claudo homini greſſum, & cæcis quatuor viſum ſub manu ejuſdem Servi ſui, Rex regum & Dominus dominantium reparavit, & potenti virtute reſtituit. Eodem etiam tempore intra Leodienſium fines, præter innumera alia, quæ brevitatis ſtudio præterimus, juxta oppidum, quod Fontanas vocant, orante eo aperuit Dominus oculos cæci nati. Hujus non modò oculi cæci, ſed etiam ipſæ quoque palpebræ clauſæ & emortuæ erant, quas ſacratiſſimis digitis ſuis aperiens Vir beatus, divino munere & vigorem palpebris, & pupillis præſtitit claritatem. Confeſtim denique idem puer lucem miratus ignotam, maxima cum exſultatione clamabat : Video diem, video omnes homines, video capillatos. Plaudens quoque manibus & tripudians, Deus, inquit, ex hoc jam non offendam ad lapides pedes meos. In urbe etiam Cameraco, celebranti Miſſarum ſolemnia Viro Dei ſurdum & mutum à nativitate puerum offerebant. Quem audientem protinus & loquentem, qui propiùs aderant, ſuper gradum ligneum ſtatuêre, ut de eo loco eminentiori novo ſermone populum ſalutaret. Nec mirum, quòd mira plebis devotio, mira protinus vociferatio ſit ſecuta. Et hæc quidem ſuper iis, quæ in regno Germaniæ in manu Servi ſui mirabiliter operatus eſt Deus, è pluribus pauca ſufficiant.

F

Sanctitatis ejus fama claret in Hiſpaniis ; ubi abſens ſanat paralyticum :

226 Nam & in Hiſpaniis, ubi præſens ipſe non fuit *f*, ſanctitatis ejus indicia claruerunt. Cum enim fidelis Servus & prudens & pretioſum Dominicæ crucis fructum undique colligeret, atque iterum propagaret ubique, contigit, ut de filiis ſuis in Hiſpanias mitteret, in illis quoque, ſicut in ceteris gentibus, fructum aliquem habere deſiderans. De quorum numero Albertus quidam faber in loco, cui nomen eſt Superadum *g*, graviſſima valetudine occupatus per multum jam tempus jacebat paralyticus in grabato. Interim per abbatem ſuum incommodum ſuum nuntiat

f

g

A nuntiat Pâtri ſancto, & ut ſui miſereatur exorat. Eadem autem die, qua Vir beatus in Claravalle pro eodem paralytico ad petitionem ſui illius abbatis oravit, currente velociter verbo virtutis, & virtute orationis, ille in Hiſpaniis repentè convaluit, tamquam vas plenum aquâ ſuo ſentiens capiti ſuperfundi. Regreſſus quidem abbas cùm prædictum fratrem incolumem reperiſſet, diligenter ſciſcitatus ab eo modum & tempus ſuæ liberationis, certiſſimè comperit, orante in Galliis Dei Famulo, illum in Hiſpaniis eſſe curatum.

miſſo illuc pileo ſuo ſanat acerrimos capitis dolores.

227 Et quia ſemel ad Hiſpanias vertimus ſtilum; illud quoque, quod contigit de Viro Dei reverendiſſimo Petro *h* Aſturienſi * epiſcopo, proſequamur. Is quidem Petrus nobilis genere, monachus profeſſione, pietate devotus, in cœnobio quodam, quod eo tempore ipſe regebat, tam vehementi dolore capitis laborabat, ut nec regulam obſervare jejunii, nec ſine pelliceis *i* poſſet pileis ſtare. Audiens autem celeberrimam virtutum famam, quæ per Dei Hominem efficiebantur, per quemdam fratrem legationem mittit ſuæ ſupplicationis, & opem flagitat ſuæ interceſſionis. Cui Vir ſanctus laneum, quo ipſe utebatur, pileum miſit, & promiſit ægro capiti de Domini virtute remedium. Suſcepit ille miſſam ſibi benedictionem maxima cum reverentia & devotione. Confitens enim, quàm ſollicitè potuit, delicta ſua, & ſtolâ ſeſe induens ſacerdotali, ita demum velut Chriſti fimbriam tangens, ſervi Chriſti pileum ſumpſit, & impoſuit capiti ſuo. Nec tardavit fidei fructus, & benedictionis effectus: ſed miratus & ipſe eſt, celerem protinus ſentiens medicinam, & ex tunc uſque hodie ab hujuſmodi languore ſanus & incolumis annuntiat omnibus, quam experiri meruerit ipſe virtutem. Nam & epiſcopus factus xenia * illa diviſit, partem mediam ſuis ſecum in ſcriniis honorificentiſſimè ferens; mediam in monaſterio ſub eadem veneratione deponens; nec locum ſcilicet, unde vocatus, nec ſedem, cui prælatus eſt, volens tanta benedictione fraudari.

B

* *i. e.* dona, munera.

h * Aſturicenſi

i

ANNOTATA.

C a Conſtantia, *urbs eſt Germaniæ in Circulo Sueviæ, & in ipſo Helvetiæ confinio, ob concilium Conſtantienſe œcumenicum ibidem celebratum memorabilis.*

b *Mabillonius in Annalibus Benedictinis tomo 2 ad annum Chriſti 724, num. 65 Augiam deſcribens*, Duplicem, *inquit*, illius nominis inſulam efficit Rhenus, ſuperiorem & inferiorem: unam ſupra Conſtantiam ad lacum Potamicum, quæ Major dicta: alteram duabus infra eamdem urbem leucis, quæ Cellenſis dicta eſt ab opido Cella, ſive Augia ſimpliciter, aliis Ouva, ſeu Auva, quæ vox Germanicè pratum ſeu agrum ſignificat; à fundi domino Sintlacis-Ouva; denique ab opibus Augia-dives, ſeu Richenaw appellata.

c *Id eſt*, Francofurtum, *civitas ad Mœnum, binis in anno nundinis celeberrima.*

d Boppardia, *urbs parva Germaniæ eſt ad Rhenum fluvium, in ditione Electoris Trevirenſis, infra fanum S. Goaris; quam hîc cenſeo deſignari à biographo, etiamſi paulo aliter ab ipſo ſcribatur.*

e *Videlicet* 1146, *ſecundum ea, quæ poſtea de aliis Viri prodigiis, per Germaniam factis, referentur. Adiſis etiam Comm. præv.* § 39 & 40.

f *Sanctum Patrem ibidem numquam fuiſſe, pluribus dictum in Commentario prævio* § 44. A. GAUFRIDO.

g *Vide Chronologiam Bernardinam parte* 3, *ad an.* 1142. *Manricus ad annum* 1142, *cap.* 12 *plura de eo ſcribit, ſitum diſtinctiùs determinans, antiquitatem laudans &c. Videri etiam poteſt cap.* 13.

h *Manricus ad annum* 1151, *cui mortem ejus affigit, cap.* 9 *hæc de viro memorat*: E Claravalle miſſus in Hiſpaniam, Superadi cœnobium, à centum fere annis ſub ſeculari poteſtate poſitum, & ab eiſdem recepit, & ſancto Patri Benedicto reſtitutum, Ciſtercienſibus imbuit diſciplinis. *Alias ejus laudes ibidem videre licet. Ægidius Gonſalvus Davila in ſuo Theatro eccleſiaſtico de illo agit in epiſcopis Aſturicenſibus, vulgo de Aſtorga.*

i *Vide libri* 3, *cap.* 1, *num.* 156. *Mabillonius* Agnina caputia vel capellos *vocari obſervat à Petro Venerabili, allegans ſcriptum ineditum de veſtimentis fratrum, in quo præſcribi affirmat Priori Cluniacenſi, ut det ſingulis* tunicas, hoc eſt vulgari nomine frocos, cucullas pellicias, agnina caputia vel capellos, ſtamineas; E femoralia, flumas, hoc eſt opertoria pulvinarium. *Deinde indicat lectori, ut conferat notas ad* Bernardi *epiſtolam* 1. *Hæc è nota Mabillonii in hunc Gaufridi locum.*

CAPUT V.

Sanctus thaumaturgus in patria ſua, & in vicinis Clara-valli locis prodigiis clarus.

VII. *Medetur cujuſdam viri graviſſimo incommodo:*

EX hoc nobis ad ea quoque, quæ mirabiliter egit in regione propria, redeundum. Nam in eo fortè etiam pluſquam propheta dici poſſe videtur, quòd propheticus ei non defuerit honor, ne in patria ſua quidem. [Henricus quidam, vir magnus & potens in domo & familia Ducis Bavarorum, ex multo jam tempore, miſero penitus & miſerabili quodam incommodo deſperabiliter laborabat. Siquidem tamquam vivum aliquid & motabile intra præcordia ſentiens, & ex magna parte phreneticus, nec conſolari poterat, aut ſecurus eſſe: nec, quid timeret aut pateretur, agnoſcere, niſi quòd dæmonium eſſe ſuſpicabatur. Talis ad Dei Hominem de Bavaria Clara-vallem uſque perductus, ejus oratione perfectam meruit ſoſpitatem. Cui etiam formam vitæ, & mandata, quæ deinceps obſervaret, idem Sanctus imponens, incolumem remiſit ad propria. Nam & uſque in præſentem diem, ſicut certa relatione didicimus, tam obediens perſeverat, ut non modò ſuis contentus ſit ſtipendiis, ſed operibus etiam pietatis intentus: ita ut mirabilior ejus morum converſio, quàm curatio videatur.] F

hydropicum item, paralyticum, ſurdum quoque & mutum,

229 Muſſeium * dicitur villa ſuper Sequanam fluvium paucis à Clara-valle milliaribus diſtans. Ex hac virum hydropicum ad Dei Hominem adduxerunt: cui manus imponens & orans, proprio quoque cingulo tumentem enormiter uterum ejus accinxit, præcipiens ut, incolumitate recepta, præſtitutum ſibi cingulum reportaret. Nec tardavit ſanitas, ſed paulatim tumor abſceſſit. Denique circa viceſimum diem gracilis incolumiſque reverſus, cingulum ſimul & gratias

* Muſſy l'Eveſque

A. GAUFRIDO.

multas ſuo retulit Curatori. Exeunti alio tempore monaſterii clauſtra, ſenem paralyticum ex proximo viculo, qui Mundivilla * dicitur, obtulerunt. Subſiſtens autem, modicè & breviter orans, tetigit hominem, & incolumem ſuis precibus abire præcepit. Quo abeunte, populus multus, qui in occurſum Viri Dei confluxerat, non ſine lacrymis Dominum collaudabat. Item redeunti aliquando de via, præ foribus monaſterii oblatus eſt puer ſurdus & mutus. Exſpuens igitur tetigit linguam ejus, & digitos immiſit in aures. Protinus autem aurium ejus obſtacula facta de medio, & ſolutum eſt vinculum oris ejus.

* Meurville

230 Malenvilla * dicitur vicus, tribus circiter milliariis à monaſterio diſtans. Hunc quandoque pertranſiens Vir beatus, mancam puellam tetigit & curavit, quam nunc uſque ſuperſtitem & incolumem eſſe nuper accepimus. Per idem tempus in finibus illis apud caſtrum, quod nominant Burdemontem *a*, duo milites de beati Patris virtutibus conferebant: ſed minùs credulus alter, Si hunc, inquit, ſanaverit puerum, ex tunc firmiùs credam. Dicebat autem ſurdum quemdam & mutum, qui apud eos nutritus, nec locutus fuiſſet aliquando, nec audiſſet. Poſt dies paucos tranſeunte propiùs Patre ſancto, ambo pariter puerum tollunt & offerunt ei. Impoſita igitur manu puero, & ſignans os illius & aures, allocutus eſt eum, & loquentem protinus & audientem dimiſit. Apud Riſnelmum, oppidum regionis ejuſdem, uſque modò cernere eſt adoleſcentem Simonem nomine ſatis notum, qui præfato Dei Famulo claudus oblatus eſt, & ſub ejus manu greſſum recepit. Barrum ſuper Albam dicitur oppidum, tribus (ut aiunt) leucis diſtans à monaſterio Claræ-vallis. Ibi quoque ſæpiùs per hunc Hominem Dei divinæ virtutis opera claruerunt. Siquidem præter ea, quæ minùs diligenter curavimus veſtigare, quòd omnis noſtra curioſitas ſignorum multitudine vinceretur, quatuor illic claudos ad ipſius orationem & manûs impoſitionem diverſis temporibus Chriſtus erexit, cæcos duos illuminavit, duobus æquè ſurdis & mutis auditum præſtitit & loquelam. Sed & juxta alterum Barrum ſuper Sequanam *b*, ad ejus tactum illuminatus eſt cæcus, convaluit etiam paralyticus: greſſum recepit puer claudus ex utero matris ſuæ.

& mancam puellam: iterum ſurdum & mutum, & multos alios incolumitati reſtituit.

a

b

231 Cùm reverendiſſimus Papa noſter Eugenius tertius ex monacho Clara-vallenſi, & abbate ſancti Anaſtaſii in urbe Roma, ad Apoſtolicam aſſumptus Cathedram, Gallias introiſſet, ibat cum eo Vir ſanctus, nec minùs Apoſtolica virtus in illo, quàm in illo dignitas præeminebat. Tantus enim ad beatum Virum concurſus erat incommodis variis laborantium, ut cum aliquando Summus Pontifex baſilicam, ubi ille Miſſarum ſolemnia celèbrabat, devotus intraſſet, expleto Sacrificio ex more accedentibus eis, qui curam deſiderabant, paulo minùs idem Papa comprimeretur à turbis, & vix potuerit per miniſtrorum manus educi. E plurimis ſanè, quæ in ejuſdem Apoſtolici Viri facta ſunt comitatu, duo ſcribimus, quæ nos obliviſci ipſa, quam vidimus, magnitudo lætitiæ non permittit. Chaleta * dicitur vicus inter Provignum *c* caſtrum, & Sequanam fluvium conſtitutus, ubi puer ferme decennis ab anno priore paralyticus ſic jacebat, ut nec ipſum caput flecteret, niſi ab altero moveretur. Quem afferentes in culcitra mater ejus, ceterique propinqui offerebant Viro ſancto prope eumdem locum per ſtratam * publicam tranſeunti. At ille ſignatum erigens ſtatuit ſupra pedes ſuos, & ire præcepit. Nec mora, exſiliit puer, & ambulabat magnificans Deum: qui tamdiu Sanctum proſecutus eſt abeuntem, donec ille invitum licèt & renitentem redire præcepit. Ubi non immeritò quidem magna admodùm facta eſt admiratio, magna exſultatio omnium, qui videbant: ſed præ ceteris frater junior in ipſius tamquam redivivi oſcula ruens, multos eorum ad lacrymas uſque permovit. Hunc quidem puerum & poſt annos quatuor in eodem vico beato Viro mater ejus offerens, ſacros monebat oſculari pedes, Hic eſt, inquiens, qui tibi vitam reddidit, & te mihi.

Mirabilis morbidorum ad Virum Dei concurſus: puer paralyticus curatur:

* Charletre

c

* Provins

232 Eodem anno * apud Ciſtercium juxta morem abbatibus congregatis, prædictus Papa venerabilis adfuit, non tam auctoritate Apoſtolica præſidens, quàm fraterna caritate reſidens inter eos quaſi unus ex eis. Ubi cùm ad cellulam, in qua jacebat, facto veſpere & conventu ſoluto, Dei Famulus divertiſſet, ſurdum ei puerum obtulerunt. Erat autem puer ille de vicinia eadem, & ſicut poſtea didicimus, ex longo antè tempore vigilans in cuſtodia gregis ſui ſubito terrore percuſſus, amiſerat prorſus auditum. Orans itaque Pater ſanctus, & puero manus imponens, utrùm audiat, ſciſcitatur. At ille mira devotione proclamans, Audio, Domine, audio: tam firmiter amplexatus eſt eum, ut vix ab eo poſſet avelli. Auditum eſt verbum, oblatus eſt puer Summo Pontifici, aliiſque perſonis, celeberrimumque hoc miraculum fuit. Venerat Pater ſanctus ad monaſterium in diœceſi Biſuntina, cui nomen eſt Carus-locus *d*, & erant cum eo ex abbatibus ſui Ordinis multi, ubi matrona quædam de finibus illis ex multo jam tempore clauda, in carro allata, & oblata eſt ei. Orans verò breviter, & ſignans eam in nomine Domini erexit & ſanavit, ut eâdem horâ incolumis remearet ad propria.

quibus adde ſurdum puerum, * MCXLVIII.

d

mulierem claudam, monachum paralyticum, adoleſcentem ſine voce, febri laborantem,

e

233 Eodem tempore in monaſterio Morimundo, quæ eſt Ciſtercienſis Ordinis abbatia una de primis *e*, monachus quidam jacebat uſque adeo paralyſi diſſolutus, ut, omnibus penè membris officio proprio deſtitutis, non manum poſſet movere, non pedem. Interea ſuperveniens Vir beatus paralyticum viſitat, manum poſtulatus imponit, & continuò opem ſenſit ægrotus. Ut tamen gratius eſſet miraculum, velut gradatim prius alteram manum, ſecundò alteram recuperavit. Exinde profecturus palliolo ſuo operuit poſtulantem, & ſubito in brevi obtinuit etiam reliqui corporis ſoſpitatem. In monaſterio Albæripæ *f* monachus quidam adoleſcens uſum vocis amiſerat, ut nec pſallere inter fratres, nec à quoquam, niſi multum proximo ſibi, intelligi poſſet, quid loqueretur. Cui Vir ſanctus dum idem monaſterium viſitaret, aquam cum vino benedicens potum dedit, & poſt paululum frigidus ex ejus pectore mira cum ſuavitate ſudor erupit. Deinde ipſa die ab eodem incommodo liberatus, pſallere cœpit quaſi unus de ceteris fratribus, & hoc illi beneficium uſque hodie perſeverat. [Norunt multi devotum juvenem, qui Lugdunenſis olim eccleſiæ filius, modò monachus Ciſtercienſis, patrui ſui ſancti Hugonis epiſcopi Gratianopolitani, cujus & nomen meruit, mores imitatur. Hujus converſione Vir ſanctus audita, gaviſus eſt, quia patruo ejus ſingulari fuerat caritate devinctus, & conſolatorias illi litteras miſit *g*. Contigit autem, ut eodem tempore idem juvenis febre correptus, graviter laboraret. Suſceptam igitur debita veneratione epiſtolam, fideli

f

g

A deli devotione collo ſuo ob remedium ſalutis appendit, & uſque modò gratulatur, perfectam ſe protinus obtinuiſſe ſoſpitatem.]

cæcum, puellam curvam, multoſque alios

234 Cùm veniſſet aliquando Pater ſanctus ad monaſterium Trium Fontium *h*, oblatus eſt ei clericus quidam ex his, qui Regulares nominantur, homo grandævus & cæcus. Impoſuit ei manum, & brevem ex more fecit orationem, & eâdem horâ videntem illum remiſit ad eccleſiam ſuam. In Trecenſium urbe multa per hunc Dei Famulum miracula claruerunt. E quibus duo, quæ præſentibus epiſcopis Godefrido Lingonenſi, & Henrico Trecenſi facta ſunt, memoramus. Puellam curvam in prædicti Trecenſis epiſcopi domo, propinqui & noti cum multis ei precibus offerebant. Tantus verò concurſus erat, ut cum eam ſignatam Dei Famulus, ac ſi molle lutum intra ſacras manus mirabiliter formans erexiſſet, & erectam incedere præcepiſſet, locus non potuerit inveniri. Demum ſuper menſam magnam, quæ propè poſita erat, ſtatuerunt illam, & erecta liberè gradiebatur, magnificè Dominum collaudantibus univerſis. Hanc quo-

B que adhuc ſuperſtitem ab his, qui eam novêre, nuper audivimus. In eadem urbe filiam mutam Patri ſancto obtulit mater, cui morbus epilepſiæ loquendi ademerat facultatem. Nec mora, Servo Chriſti imponente ei manum, ſolutum eſt vinculum oris ejus, & loquebatur rectè. In ejuſdem urbis diœceſi, loco cui nomen Domnamant, cùm Vir ſanctus Miſſarum ſollemnia celebraſſet, cæcum illi filium obtulit pater. Exſpuens autem in digitos ſuos, & palpebras ejus liniens, eâdem horâ videntem illum reddidit patri ſuo. Nec lon-

i gè ab eodem vico apud oppidum Argillerias *i*, poſt Miſſarum ſimiliter celebrationem, feminam claudam, quæ ibidem multo tempore mendica vivebat, cum baſilicam egrederetur, ſignans & ſanans, populum multum, qui undique fuerat congregatus, admiratione & exſultatione replevit. In

k exitu quoque oppidi, quod Roſnaium *k* vocant, paralyticum hominem ſic extenuatum corpore, ut ſolam circumferre videretur pallidæ mortis imaginem, impoſitum plauſtro tranſeunti Viro Dei offerunt. Is quoque ubi ſignatus eſt, deponi & incedere juſſus, plauſtrum ſuum ſuis pedibus incolumis ſequebatur, vehementer ſtupentibus, &

C in Dei laudem acclamantibus univerſis.

utriuſque ſexus,

235 Alio tempore proximum caſtrum Brenam *l* tranſiens, obvium habuit populum multum, ſicut ubique ſemper & undique in ipſius occurſum confluebat innumera multitudo. Ubi, cernentibus cunctis, feminam claudam ex eodem oppido tetigit & erexit, quam & ibidem poſtea vidimus occurrentem ei cum ceteris, & præ ceteris, gratias referentem. In pago Seno-

m nico apud caſtrum quod Triangulum *m* vocant, inter Miſſarum ſacra ſollemnia, femina, cujus ibidem per annos decem cæcitas omnibus innotuerat, ſub manu Viri Dei mirantibus omnibus viſum recepit. Apud Monaſteriolum *n* quoque, ubi

n *o* Yona & Sequana confluunt *o*, præſente piiſſimo principe Comite Theobaldo, aliiſque adſtantibus non paucis potentibus viris, offerenti divina Sacrificia Viro Dei paralyticam feminam obtulerunt, quam, expletis ſollemnibus, tangens & erigens, ipsâ horâ ſanam remiſit ad propria, ita ut ſuis illa pedibus abeunte, grabatum, in quo fuerat apportata, in eadem baſilica vacuum viderimus. Ejuſdem quoque diœceſis caſtrum Jo-

p viniacum *p* tranſeunti eidem Famulo Chriſti, in ſtrata publica cæcam feminam offerebant: ſubſtitit, & breviter orans eidem feminæ manus impoſuit, & Dominus aperuit oculos ejus. Ut autem videre viſa eſt, & exſultatio magna ſecuta eſt omnium, qui aderant, & clamantes alter ad alterum, Anna videt, Anna videt (hoc enim eidem feminæ nomen erat) copioſiùs undique confluebant. A. GAUFRIDO.

à variis incommodis liberat.

236 Interea Vir ſanctus accelerans declinabat turbas, & egrediebatur, cùm juvenis quidam altero oculo cæcus ab utero matris ſuæ, ſecutus eſt, & conſecutus eſt eum. Qui quidem & ipſe continuò ad ejus benedictionem viſum recepit, & geminata eſt lætitia populi proſequentis. [Autiſiodorum aliquando veniens Vir beatus, orationis causâ monachorum baſilicam introivit, ubi confeſſor Domini glorioſus Germanus *q* epiſcopus requieſcit. Cui poſt orationem regredienti mulier clauda, genibus repens & manibus, ut ſui miſereretur, ſupplicabat. At ille, ſigno crucis edito, apprehendit manum ejus, & erexit eam: exienſque dimiſit incolumem, & Deo gratias reddituram, ad prædicti confeſſoris memoriam miſit, ſuis pedibus gradientem.] Chableia *r* nomen eſt vico, qui inſignem beati Martini baſilicam habet. Nam & fundus ipſe ad poſ- E ſeſſionem ſpectat eccleſiæ Turonenſis, ubi corpus jacet ejuſdem glorioſiſſimi confeſſoris. Hunc verò vicum Dei Famulo tranſeunti, claudum adoleſcentem populus offerebat. Quem ad ejus orationem erectum protinus & liberè gradientem, ad prædictam beati Martini baſilicam deduxerunt, magnificè Dominum collaudantes, qui Martini ſui ſpiritum ſuſcitaverat in Bernardo.

q

r

ANNOTATA.

a Vulgo dicitur *Bourlemont*, d in l mutato, ut cicada noſtris eſt *cigale*; cauda Hiſpanis *cola*. Hoc caſtrum nobili familiæ Burdemontiorum originem ac nomen ſuum dedit, *ut dicit Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum.*

b Barrum ad Sequanam in Lingonibus non ignobile eſt oppidum, *Bar ſur Seine*; ita cognominatum, ut diſtinguatur à Barro ad Albam, *Bar ſur Aube*, & à Barro Ducis, *Bar le Duc. Hæc & plura apud eumdem Valeſium.*

c Galliæ urbs *eſt* in Bria provincia, 4 leucis diſtans à Sequana in ſeptemtrionem . . Hinc roſæ F laudatiſſimæ, *uti ſcribit Baudrandus.*

d *Conſule Chronologiam Bernardinam ad an.* 1131.

e *Vide eamdem Chronologiam ad an.* 1115.

f *De eo ibidem, ad annum* 1136.

g *Eſt illa epiſtola in editione Mabilloniana ordine* 322.

h *Conſule Commentarium prævium* § 8, *& Chronologiam Bernardinam ad an.* 1132.

i *Vulgò* Argilly, *ex notula Mabillonii hîc.*

k *Vulgò* Roſnay, in Campania, *ex citato Mabillonio.*

l *Vulgò* Brienno, in Campania, *ex eodem Mabillonio.*

m Hic locus in Tricaſſibus, *inquit Hadrianus Valeſius*, à re nomen habet, ita dictus à triangula ſpecie, delta referente . . Vulgò dicitur Trainel aut Treynel.

n *Vulgò* Montereau *vocatur in notula Marginali apud Mabillonium. Baudrandus*, Oppidum, *ait*, Galliæ in Campania provincia cum caſtro antiquo, in ipſo limite Vaſtinii.

o Cum ponte, *ſicut obſervat Baudrandus*, lapideo, in quo interfectus fuit Joannes Dux

A. GAUFRIDO. Burgundiæ, die x Septembris anno MCDXIX.

p Joviniacum, Joigny, urbs Galliæ cum ponte lapideo ad Icaunam fluvium, in Campania provincia, & in Senonensi agro.. Ab aliis Juiniacum dicitur & Jogniacum. *Baudrandus.*

q *Actum de eo est apud nos die* 31 *Julii, tomo* VII *ejusdem mensis, pag.* 184 *& seqq.*

r *Hadrianus Valesius hæc scribit :* Capleiam olim vocatum esse aiunt locum aut vicum pagi Ternodorensis, vino inclytum, qui nunc Chablie aut Chablis (*apud Mabillonium in notula marginali* Chably) nuncupatur. *De* Ternodoro *autem* (*Tonnerre*) *in Lingonibus ad Hormentionem fluvium, uti & de pago Ternodorensi agit idem auctor.*

CAPUT VI.

Signa & miracula promiscuè edita, & à Viro sancto antea prævisa.

B

VIII. *Magnam signorum gratiam Deus ei contulit,*

NOnnullas etiam sanitates, quas in manu fidelis Servi sui mirabiliter Christus effecit, per visum ei mirabiliùs præostendit, multas ipse cum fierent, animi virtute persensit : ad aliquas etiam spiritu suggerente non rogatus accessit. E quibus, ne videatur in immensum processisse narratio, exempla pauca subjicimus, illud etiam è regione monentes, ne quis fortè tam breviter scribi opera tanta miretur. Siquidem multa ex his in tam brevi fieri vidimus, ut tam celeriter ea proloqui nequeamus. Et cùm dici soleat, nihil esse facilius dicto ; huic tamen Dei Famulo per gratiam, quam acceperat, signa facere magis facile videbatur, quàm nobis facta narrare. Egredienti aliquando monasterium Patri sancto, homo quidam de finibus illis occurrens, sanandum filium offerebat. Nam intra monasterium quidem infirmis imponere manum difficiliùs acquiescebat, ne videlicet, si concursus illuc hominum fieret, quies cœnobii turbaretur, & disciplina periret. Erat autem prædictus puer ille fatuus, & mentis inops ; claudus quoque & surdus & mutus. Qui eâdem horâ per ipsius orationem & manûs impositionem, ab omni simul incommodo liberatus C audiebat, loquebatur, & ambulabat, & sanæ mentis effectus à priori penitus inquietudine & furore cessabat. Cúmque eumdem jam incolumem filium Pater devotus ad oratorium beatæ Dei Genitricis cum gratiarum actione deduceret, loquebantur mutuò fratres, de tam multiplici unius incommodo pueri conquirentes.

238 Ad quos Pater sanctus, Flagellum, inquit, Dei erat, & maligni spiritus dira vexatio. *prævidet-que in spiritu futura miracula,* Vidi enim nocte præterita hoc eodem in loco (erat autem juxta fluvium Albam, ubi sanatus est puer) hîc, inquit, vidi oblatum mihi puerum talem, exeunte ab eo spiritu nequam, omnem protinus recipere sospitatem, usumque membrorum. Addit etiam Vir beatus, de eadem scilicet visione, Cumque paululum processissem in eodem itinere, quò nunc pergimus, juxta proximum vicum (dicebat autem de eo, quem nominant Longum-campum) offerebatur mihi puella clauda, & Dominus ei gressum reddebat. Audierunt & mirati sunt fratres, futuri magis attoniti exspectatione miraculi, quàm recordatione præteriti. Quid enim umquam simile mundus audivit ? Ventum est ad locum, inventa est ibi protinus puella clauda, exspectans Dei Hominem transiturum, & à simul transeuntibus, juxta verbum, quod ipse dixerat, exspectata. Oblata igitur ab eis, qui attulerunt eam, signata ab Homine Dei, ex Dei munere gressum recepit, & ibat gratias agens. D

239 Anno altero causa extitit ut Vir sanctus *quæ hîc* Lingonas peteret, inter episcopum & clerum civitatis illius orta gravi admodùm simultate. Ubi cùm prima die inefficaciter laborasset, & manè facto pararet abire, dicebat fratribus, Quia vidi per visum noctis introëunti mihi ecclesiam, offerri claudam feminam, & sanari. Post unam ferè horam cùm iterum clerici convenissent, præter spem omnium reformata pace, multis precibus coëgerunt illum beati Mammerti martyris intrare basilicam, &, quia fames invaluerat, populum ad eleemosynam exhortari. Ubi inter loquendum (sicut prædixerat) oblata est ei clauda mulier, & erecta, mirantibus quidem omnibus, sed eis ampliùs, qui, sicut videbant factum, ita sese recordabantur audîsse futurum. E

240 In pago Treverensi antiquum exstat cœ- *à biographo a* nobium, quod Rutinense *a* vocatur : ubi, celebrante aliquando Missarum sollemnia Viro Dei, innumerabilis aderat multitudo. Interea Guntranus de Sura, quod est oppidum eidem proximum monasterio, claudam feminam fecit afferri. Hæc ex multo jam tempore repens humi erigi penitus non valebat, sed scabellula tenens manibus, renes emortuos post se trahere consueverat. Cùm autem præ multitudine populi ad Dei Hominem introduci femina non valeret, in basilica media repentè convaluit, & exsiliens ambulabat, non sine lacrymis agens gratias Deo. Cujus scabellula populus jubilans tulit protinus ad altare, ut sisterent ea Domino, & Bernardo servo ejus. De cujus nobis curatione confessus est Pater sanctus, quòd præcedenti nocte sibi præostensa fuisset. Videbatur enim sibi in eadem basilica in medio populi circumstantis clandestinus & ignotus ejusmodi feminam tangere & transire, ac protinus eamdem videre sanatam, plurimùm sibi ipse congratulans & exsultans, quòd agnitus non fuisset. Eadem etiam die rutilavit Rutinæ in beati Viri præsentia lux cæleſtis, cujus benedictio aliis quoque claudis duabus feminis gressum, visum reddidit cæcis æquè duabus. Sæpissime verò contigit, ut inter orandum indubitanter Dei Servus agnosceret virtutem adesse divinam. Cujus tamen modum cognitionis, nullis se posse verbis exprimere fatebatur. F

241 Nonnumquam verò cum signasset aliquos *pluribus* & transisset, sanatos esse dixit, & regressus aliquis ex his, qui audierant, sicut dictum erat, invenit. Egressus aliquando Basileam urbem, surdum quemdam signaverat & transierat. Cúmque paululum processisset, vocans Alexandrum Colonienſem, Revertere, ait, quære utrùm audiat homo : rediit ille, & illum reperit audientem. Similiter ipso die cùm signasset alium cæcum altero oculo, & abiret, Deus, inquit, aperuit oculum ejus. Hoc etiam prædictus Alexander, cum ad inquirendum reflexisset iter, ita esse cognovit. Iste est Alexander, qui in eisdem diebus ad Viri Dei sacra monita, ostensionemque virtutum cum aliis ferme triginta seculo valefecit, & secutus est eum. A quo etiam post modicum tempus abbas est ordinatus in monasterio Tolosanæ diœcesis, quod Grandissilva *b* vocatur. In Constantiensi quoque diœcesi prope ca- *b*

strum

A ſtrum Frieborg, cum homini cæco in via manum impoſuiſſet, remiſit, qui videret eum, & inventus eſt videns. Quod de duobus aliis cæcis in pago Colonienſi prope monaſterium, quod
c Brumvillare *c* dicitur, ſimiliter fecit; & cùm videre renuntiarentur, confeſſus eſt, ſe quoque ſenſiſſe virtutem.

242 In territorio etiam Senonenſi, in oppi-
& ſingillatim do, quod ſancti Florentini *d* nomine vocant, oblata eſt Viro Dei mulier ſurda, cui manus impo-
d nens, per ſpiritum ſenſit virtutis effectum, cùm illa adhuc ſtupida & tumultuoſa (ut eſt genus iſtud) & ut ipſa antè ſolebat, nihil ſe audire clamaret. Mane autem facto, cùm nec illa rediret, nec alter aliquid indicaret de ea, ſciens Sanctus divinam illi miſericordiam adfuiſſe, accerſiri feminam jubet. Inventa igitur auditum recepiſſe, venit glorificans Deum, & Dei Famulo gratias agens. Egrediebatur idem pater Metenſium civitatem, & ex more devotus eum populus deducebat, cum epiſcopo eorum Stephano *e*, & fra-
e tre ejus Rainaldo Barrenſi comite *f*, aliiſque perſonis tam ex clericali, quàm ex militari ordine
f B multis. Interim cauſa exſtitit, ut rogaret nobilem virum Henricum de Salmis ſuper verbo quodam, quod ipſe ei epiſcopus & alii, qui convenerant, ſuggerebant, ut videlicet Metenſi civitati & populo pacem daret, cui graviter inimicabatur. Ille verò renuere penitus & abjurare, nec ullis precibus flecti. Inter hæc ſupervenientes alii offerebant beato Viro hominem ſurdum, obſecrantes, ut ei manum imponere dignaretur. At ille fidei zelo ſuccenſus, ſicut interdum ob cauſas neceſſarias terror quidam & auctoritas ſupra hominem in ejus facie rutilabat, converſus ad militem, Tu nos, inquit, audire contemnis, quos continuò coram te audiet ſurdus? Et imponens manus homini, ſignavit eum, & in aures ejus digitos miſit. Quo protinus audiente, pavens Henricus & tremens ruit ad pedes Hominis Dei, humiliter ſatisfaciens, & liberè annuens quidquid fuerat poſtulatus.

243 Tranſiens aliquando Servus Chriſti Bre-
enarrata nam oppidum, mendicantem in platea vidit feminam cæcam, quam aliquantiſper intuitus, cùm ex more à tranſeuntibus eleemoſynam flagitaret, Tu, inquit, petis argentum, & Deus tibi vi-
C ſum donabit. Accedens ergo tetigit eam, & oculos ejus aperuit. Quæ beneficium ſentiens inſperatum, non minùs miſericordiæ magnitudinem, quàm lucem inſolitam mirabatur. Inter primas propagines, quas hæc abundantiſſima vitis emiſit, in Remorum parœcia monaſterium Igniacenſe *g* plantatum feliciter radicavit. Quod ali-
g * la Marne quando viſitans idem Sanctus, vicum Maternæ * fluvio proximum, quem Rivolium nominant, pertranſibat. Vir quoque magnificus & devotiſſimus ejus amator Samſon Remorum archiepiſco-
h pus *h* comitabatur illum, ſolita veneratione deducens. Senex autem claudus ad mendicandum poſitus erat in via, cui unus è fratribus eleemoſynam dedit. Secutus Abbas ſanctus, cum jam hominem pertranſiſſet, convertit ſe; & pauliſper intendens in eum, quid patiatur, interrogat circumſtantes, & ſibi illum præcipit exhiberi. Suſpicati homines, quòd eſſet ei amplius aliquid ipſe daturus, Domine, inquiunt, claudus eſt, nec moveri poteſt, nos ad eum feremus, quod volueris dare. Quo reſpondente verbum & dicente, Tollite eum & afferte ad me: primò quidem præ admiratione mutuò ſeſe intuebantur, ignorantes, quid eſſet facturus. Demum agnoſcentes eum, clamabant ad invicem, Abbas eſt Claræ-vallis, & protinus illum ſanabit. A. GAU-FRIDO.

244 Nimirum ſolitus erat, quoties poterat, *proferuntur.*
operam dare, ne in vicis agnoſceretur, & interdicere ſociis, ne cui ex occurrentibus manifeſtarent eum, aut de eo aliquid loquerentur, ſed quærentibus, quis tranſiret, dicerent, monachos eſſe, aut aliquem de perſonis ſimul euntibus nominarent. Igitur agnito Dei Famulo ruunt undique, & levantes hominem ferunt & offerunt ei. Qui imponens utramque manum capiti ejus, & in cælum ſuſpiciens, ac breviter orans, deponi illum jubet, & ambulare. Excuſante eo & dicente, Non poſſum; Ego tibi, ait, in nomine Domini & ejus virtute præcipio, vade, & ſanus eſto jam ab hac hora. Quid plura? Statim depoſitus, ſtatim ſanatus eſt, ſtatim liberè gradiebatur repletus ſtupore & extaſi in eo, quod contigerat ſibi. Sed & vicini ejus & noti pariter congratulantes Dominum collaudabant, qui miſerabilis hominis & meritum ſimul & votum abundantiâ ſuæ pietatis exceſſit. Unde etiam uſque hodie locus ab incolis demonſtratur, ubi ſignum tam evidens divinæ virtutis effulſit, ubi ſenex E
claudus ex multis annis, tota inferiori corporis ſui parte præmortuus, & à renibus deorſum omni prorſus membrorum deſtitutus officio, dum ſtipem poſtulat, ſanitatem recepit. Hic fuit Viri ſancti noviſſimus in Remorum partes ingreſſus: ſiquidem factum eſt hoc ante ſacram ejus depoſitionem corporis anno uno. De qua felicium ejus actuum feliciſſimâ conſummatione erit nobis jam, ſed ſub alia narratione dicendum. Nimis enim fallitur, ſi quis arbitratur, hujus ſanctiſſimi Viri facta mirifica poſſe cuncta narrari: & tam neceſſe eſt multa ſileri, quàm impoſſibile omnia comprehendi.

Finis libri quarti.

ANNOTATA.

a *Apud noſtra Mss. de miraculis* S. Bernardi *invenio ſequentem de hoc loco obſervationem* ex litteris, *uti adſcribit noſter Bollandus*, P. Alexandri Wiltheim, Luxemburgo datis XXIX Novembris MDCXLII, *quæ his conſtat verbis:* Monebam aliàs quædam de monaſterio Rutilenſi, de quo mentio in Vita D. Bernardi; nempe F
mendosè ibi legi RUTINA pro RUTILA. Adverterit Ra. Va., idem nomen Rutilæ mendosè ſcriptum in Reginone ad annum DCCCXCII; " Men-
„ſe Septembri Megingandus Comes nepos ſu-
„pradicti Ottonis regis, dolo interfectus eſt ab
„Alberico & ſociis ejus, in monaſterio S. Xy-
„ſti, quod vocatur Sotila: cujus corpus Tre-
„verim deportatum, apud S. Maximinum eſt
„ſepultum „. Nam pro SOTILA legendum ROTILA vel RUTILA, quæ verè eſt, & fuit ſemper S. Xyſti, & tribus aut quatuor circiter miliaribus diſtat Treviris, hodie KETTEL. *Cenſeo, ſcribendum* Rettel, *& ab eo, qui hoc fragmentum tranſcripſit, errorem hîc eſſe commiſſum. Apud Raiſſium in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani, vocatur* Rutelle.

b *Conſule Chronologiam Bernardinam ad an.* 1147.

c *Monaſterium eſt Ordinis S. Benedicti*, unius horæ itinere diſtans à Colonia-Agrippina, *ſicut ſcribit Mabillonius in Annalibus ejuſdem Ordinis tomo* 4 *ad annum* 1024, *num.* 48.

d Ad flumen Ormentionem, quo Icauna augetur,

A. GAUFRIDO.

getur, positum *esse*, & à patrono suo dictum opidum S. Florentini, vulgo S. Florentin, cujus vetus nomen ignoratur, *affirmat Hadrianus Valesius, & hunc biographi locum citat.*

e *Cognomento* de Bar *vocatur apud Sammarthanos in episcopis Metensibus*, Theodorici I Barri Comitis, Montisbelicardi, & Moncionis, ex Hermintrude Burgunda, sorore Callisti II summi Pontificis natus. *Eidem, tamquam* Metensis ecclesiæ strenuo ministro, *inscribitur epistola, quæ est inter Bernardinas ordine vigesima nona. De exordio episcopatûs ejus, ac morte consuli potest notatio Mabillonii ad eamdem epistolam; ubi & de gravibus contra eum* S. Bernardi *querelis mentio fit.*

f Fratres habuit *Stephanus* Ludovicum Moncionis, Theodoricum Montisbelicardi, Rainaldum Barri, Fredericum Ferreti Comites, *ut aiunt Sammarthani, quos proximè citabam.*

g *De quo Chronologia Bernardina ad annum* 1127.

h *Ad eum est Præfatio Philippi de Claravalle in librum miraculorum* S. Bernardi, *quæ posteB a dabuntur. Adisis, quæ ad dictam Præfationem notabimus.*

LIBER QUINTUS,

Auctore Gaufrido monacho Claravallensi.

CAPUT I.

Pax inter Metenses, ac vicinos quosdam principes reformata, non sine miraculis ea occasione factis.

CAP. I. *Corpore languente, spiritus æquè ad sua munia robustus:*

C Um post tantos & tam multos jam labores ac sudores Dominus dilecto suo Bernardo Claræ-vallensi abbati diu desideratum pretiosæ mortis somnum dare disponeret, & fidelem servum in requiem introducere suam, cœpit magis ac magis promptus in ipso proficere spiritus, & caro infirma deficere. Cognoscens enim Vir sanctus propè esse jam bravium, solito currebat alacriùs, & terrestris suæ habitationis dissolutionem sentiens imminere, votis uberioribus adspirabat ad habitationem ex Deo, domum non manu factam æternam in cælis. In cujus purissimo pectore sacri sese desiderii flamma non capiens, crebris erumpebat indiciis, & ignitum eloquium vehementer fervoris interni vehementiam declarabat: sicut in sanctis animalibus per Prophetam inter cetera describuntur scintillæ quasi aspectus æris candentis. Corpus lectulo decubans variis exercebatur incommodis: animus tamen nihilo minùs liber & potens, quæ Dei erant exercebat invictus, non cessans in mediis quoque doloribus meditari sacrum aliquid aut dictare, orare affectuosiùs, fratres studiosiùs exhortari. In oblatione Hostiæ salutaris, quam usque ad defectum ultimum vix aliquando intermisit, artus sibi vix cohærentes vigore spiritûs sustentabat, semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam Deo in odorem suavitatis. Quo tempore ad avunculum suum Andream Militem Templi, qui & regionis Hierosolymitanæ maxima columna habebatur, epistolam scribens *a*, inter cætera ait: Ego enim delibor, nec puto me longum facere super terram, D *a*

246 [In illis diebus causa exstitit, ut fratrum aliquis in remotas Germaniæ partes pro quibusdam mitteretur agendis. Et missus est frater Henricus monachus, quem ante sex annos de Constantiensis diœcesis partibus cum pluribus aliis idem Pater sanctus adduxerat. Hic ergo dum mitteretur, longioris itineris pericula timens, (nimirum hiems erat) illud tamen maximè verebatur, ne contingeret, ut idem Pater sanctus, priusquam ipse rediret, ab hac vita migraret, & absens ipse benedictionis extremæ participio fraudaretur. At ille benedicens ei, & dicens, Ne timeas, & incolumis reverteris, & me quoque, sicut desideras, invenies, consolatum illum emisit. Profectus idem frater, in territorio Argentinensium adstrictum glacie fluvium pertransibat. Tum subitò fracta glacie sub pedibus muli, quo vehebatur, corruit, & sub glaciem vehemens illum unda trahebat. Quid faceret mersus flumine, glacie clausus? Recordatus est Patris sui, recordatus est promissionis ejus, quæ inanis esse non potuit. Continuò siquidem, ut hodie quoque fatetur, Patrem sanctum sibi visus est habere præsentem: tantâque suavitate perfusus est, ut nec impetum amnis, nec molestiam frigoris, nec spirandi difficultatem, nec ullum denique incommodum sentiret aut metum. Nec mora: contra fluminis impetum sine suo conatu divina virtute reductus, ad ipsum, per quod antè ceciderat, foramen se reperit, marginem arripit, exit intrepidus, illæsus evadit, expleto negotio redit incolumis, & fideli promissione, sicut ipse promisit, inventa, multiplices gratias agit, ad sacrum cujus tumulum tam devotus hodieque persistit, quàm certus est, ejus sese meritis, velut de tumulo, & quidem satis horribili, revocatum. Sed non est nobis super hoc declamandum. Alii antiqua miracula conferant: nec minùs hunc mirabiliter, quàm beati Benedicti puerum Placidum *b*, nec minori afferent à periculo liberatum: qui etiam, si viderent, quem adstrictus glacie reddidit fluvius, ei compararent, quem evomuit cetus: nobis sufficit brevis & pura narratio.] E *monachus mirabili modo à mortis periculo liberatur:* *b* F

247 Cùm adhuc Pater sanctus in suo Claræ-vallensi cœnobio, licèt lectulo decubans, cursum vitæ viriliter consummaret, gravis admodùm plaga Metensi *c* populo supervenit. Egressi enim in multitudine gravi adversus vicinos principes, à quibus præter morem lacessitam se esse tanta civitas indignabatur, traditi sunt multi in manus pauciss imorum. Concluși denique inter Frigidi-montis * (sic enim eum appellant) & Mosellæ amnis angustias, ac mutuo sese impetu collidentes, una horâ (sicut dicebatur) plusquam duo millia corruerunt, quidam gladiis trucidati, plures amne submersi. Vehementi igitur indignatione concepta, nobilis illa civitas totis ad ultionem viribus parabatur, cùm è regione adversarios quoque & fortiores præda copiosa, & audaciores feciss et eventus. Imminebat totius provinciæ certa vastatio, cum venerabilis eorum metropolitanus Illinus * archiepiscopus Trevirensis *d*, dolens anxiè de præteritis, sed adhuc graviora formidans, & dignam gerens suorum sollicitudinem filiorum, unicum in tanta necessitate petiit refugium, & expetiit Virum Dei. Veniens *exortam inter Metenses ac quosdam principes discordiam;* *c* * Froidmont * Hilinus. *d*

A niens ergo Claram-vallem, ipſius atque omnium fratrum veſtigiis tota humilitate proſtratus, rogabat & obſecrabat, ut ſe tantis dignaretur opponere malis, quibus alter nemo poſſe modum ponere videretur. Dominus autem, ſicut ſemper fidelis Servi ſui direxerat vias, & in præcipuis quibuſque cauſis aptiſſimo uſus fuerat inſtrumento, ex paucis antè diebus ægritudinem corporis ejus aliquatenus relevarat. Quibus diebus cùm ad litteras venerabilis Hugonis Oſtienſis epiſcopi reſcriberet, ait *: Verum eſt quod audiſtis. Infirmatus ſum uſque ad mortem; ſed interim, ut ſentio, revocatus ad mortem, atque hoc, ut me ſentio, non diu. Vitam quippe mortalem, mortem magis, quàm vitam reputans, non à morte, ſed ad mortem revocatum ſe ſentiebat, cum ab exitu revocaretur, licèt ſentiens haud diutius differendum.

* *epiſt.* 307

248 Quod quidem ſæpiùs erga eum providentia divina diſpoſuit, in cujus manu placita erat anima illius, ut quoties eum grandis aliqua neceſſitas evocaret, vincente omnia animo, vires corporis non deeſſent, mirantibus, qui videbant eum, & robuſtos homines in tolerantia ſuperare. Expletis namque negotiis, velut in ſe rediens, multiplicibus infirmitatibus laborabat, ut vix viveret feriatus, qui occupatus deficere neſciebat. Cui in opere noviſſimo tam manifeſtè, tamque magnificè divina adfuit virtus, ut ex laboribus vires capere videretur. Accidit autem cum in prædicti Moſellæ fluvii littore reſidentibus hinc inde partibus mediator fidelis rogaret, quæ ad pacem erant, ut pars altera, ex tanta ſiquidem hoſtium ſtrage ferocior, quod exigebatur, obſtinata animoſitate renueret. Subitò denique tamquam agitati furiis diſceſſerunt, Virum Dei inſalutatum, ſolam verò ceteris omnibus relinquentes deſperationem pacis. Nec ſanè ex contemptu aliquo, ſed ex metu reverentiæ ejus inière fugam: ſiquidem verebantur, ne præſentium mentes quamlibet improbas facilè flecteret: minùs conſiderantes quid ille per ſpiritum nuſquam abſentem poſſet etiam in abſentes.

Deo mirificè imbecillitatem corporis ejus roborante,

B

249 Jam conventus in magno turbine ſolvebatur, ſola utrimque meditabantur arma, ſola inibant conſilia malignandi: cum Vir ſanctus eos, qui ſecum venerant, conſolatus fratres, Ne turbemini, inquit, licèt enim per multas difficultates, omnino tamen pax deſiderata proveniet. Quibus etiam unde id noſſet innotuit, dicens: Videbar mihi per nocturnum ſoporem Miſſam celebrare ſolemnem: cúmque expleta paulominùs oratione prima, recordarer Angelicum ex more canticum, id eſt, Gloria in excelſis Deo, præcedere debuiſſe; erubui, & quod oblitus omiſeram canticum inchoans, vobiſcum pariter ad finem uſque complevi. Jam medium noctis tranſierat, cum Vir ſanctus de prædictorum pœnitudine principum legatione ſuſcepta, jucundè ſatis converſus ad ſuos, Agnoſcite, ait, promiſſæ nobis canendæ gloriæ & cantici pacis præparationem. Interim ergo partibus convocatis, per dies aliquot de pace tractatum eſt, & ob maximas difficultates occurrentes utrimque ſæpius deſperatum, niſi quòd omnes jam conſolabatur, quæ omnibus innotuerat, Abbatis ſancti tam certa de reformanda pace promiſſio. Nec parum ipſa dilatio profuit, his præſertim, qui variis incommodis laborantes, remedia conſequebantur in carne, ſeu etiam qui videntes ædificabantur in fide. Tantus enim concurſus erat, ut multitudine pariter atque importunitate

componit, uti prædixerat, præter exſpectationem,

C

ſua ipſum quoque negotium componendæ pacis penè deſperabiliter impedirent, donec quæſitâ tandem in medio flumine inſulâ, partis utriuſque primarii in naviculis acceſſerunt. Ubi compoſitis omnibus, ſecundùm quod fidelis arbiter diffinivit, datis ſibi invicem dextris reconciliati ſunt in oſculo pacis.

A. GAUFRIDO.

illuſtri miraculo diſſidentium corda compungens.

250 Inter omnes ſanè, quas per manum Servi ſui ibidem præſtitit Dominus, ſanitates, celeberrima fuit cujuſdam curatio mulieris. Hæc ab annis octo peſſima ægritudine laborabat, vehementi tremore & validis motibus univerſa pariter membra concutiens. Cùm autem videretur gravioribus ortis difficultatibus propemodum excidiſſe ſpes pacis, Domino diſponente venit mulier ita tremens, nec minus horribilis, quàm miſerabilis, & omnes pariter ad ſpectaculum convenerunt. Orante denique Dei Famulo, ſub oculis omnium paulatim concuſſione ſedata, perfectam adepta eſt protinus ſoſpitatem. Quæ res in tantam admirationem etiam duriſſimos quoſque permovit, ut percutientes pectora ſua, per horam ferè dimidiam cum lacrymis acclamarent. Tantus denique factus eſt impetus & concurſus procidentium & deoſculantium Viri Dei ſacra veſtigia, ut propemodum comprimeretur, donec tollentes eum fratres, & imponentes in naviculam à terra modicè ſubduxerunt. Cúmque accedentes ad ſe principes, ut cœperat, pro pace rogaret, ſuſpirantes dicebant: Oportet nos libenter eum audire, quem, ut ipſi cernimus, Deus diligit & exaudit: & audito eo multa facere, pro quo tanta faciat Deus in oculis noſtris. Quibus ille (ut ſemper cautus erat competenter hujuſmodi gloriam declinare,) Non propter me, inquit, ſed propter vos facit.

E

Metis paràlyticam ſanat; cæco viſum dat &

251 Simili quoque miraculo & in ſimili opportunitate, ipſa etiam die Metenſium animos Dominus inclinavit ad pacem. Ingreſſus enim Sanctus Metenſium civitatem, epiſcopum ſimul & populum ad ea, quæ pacis erant, vehementer urgebat. Graviter autem urebat illos vulnus acceptum: quibus enim validè ſatis reponere cogitaverant, ſecus, quàm vellent, remittere cogebantur. In ipſa hora oblata eſt ei mulier paralytica, de civitate eadem: cui manus imponens, & orans, dignatus eſt palliolum quoque proprium, quo utebatur ipſe, ſuperextendere ei, tenendumque epiſcopo tradere propè adſtanti, & ſub eodem velamine debilia tangere membra. Expleta autem oratione, & benedictione data erexit illam: omnibuſque mirantibus per medium illorum incolumis ibat, quam attulerant in grabato. In flumine quoque Moſella dum ob intolerabilem concurrentium multitudinem Vir beatus naviculâ veheretur, unus ex his, qui curari deſiderabant, cæcus clamabat in littore, obſecrans, ut duceretur ad eum. Cumque ille jam pertranſiret, audiens homo navigantem poſt eum in navicula altera piſcatorem, diffibulatam protinus chlamydem, quâ erat opertus, porrigens dabat illi, ut in navicula reciperetur. Factum eſt, & ut pervenit ad Sanctum, juxta ſuæ fidei magnitudinem magna velocitate ſub manu ejus viſu recepto miratus clamabat videre ſe colles, videre homines, videre arbores, & cetera univerſa.

F

claudò greſſum.

252 Paucis ab eodem loco milliariis diſtat cœnobium, quod ſancti Benedicti nomine vocant: ubi puer claudus, & à renibus infrà omni prorſus membrorum deſtitutus officio, ſolis ad movendum manibus utebatur, & renibus, pedes emortuos poſt ſe trahens. Quem ex Burgundiæ

A. GAUFRIDO.

partibus pater advectum ante annos quatuor ibi reliquerat, & ex tunc fratrum eleemosynis alebatur. Itaque cum beati Patris adventum, & virtutes, quas Dominus operabatur in ipso, per omnem circà provinciam celebris fama vulgaret, impositum plaustro eumdem puerum fratres prædicti cœnobii adduxerunt ad eum, rogantes ut solita pietate misero subveniret. Acquievit, imposuit manus, oravit, & eâdem horâ sanum reddidit, firmiter stantem, firmiter ambulantem. Denique sicut ab ejusdem loci abbate nuper accepimus, usque hodiè fratrum pecora idem puer incolumis sequitur & custodit; &, si quis desiderat scire, Joannes est nomen ejus. Alter etiam claudus, in ejusdem monasterii vicinia degens, eodem tempore ad prædicti Patris sancti benedictionem sanatus est, & gressum recepit. Sed & prope Leucorum urbem *e*, loco cui nomen est Gundervilla, idem Vir Dei feminam cæcam illuminavit sub oculis plurimorum, qui de tota confluxerant regione. Ceterùm nimis difficile, aut omnimodis impossibile foret, itineris illius magnalia universa complecti Sed neque propositi nostri est, ejusmodi modò prosequi signa, & narrandis virtutum operibus operam dare. Hic enim viarum tuarum, Pater dulcissime, finis beatus, & hic labor ultimus fuit. In hoc opere non minùs utili, quàm difficili, nec minùs desperatæ, quam necessariæ pacis, labores tuos gloriosè complevit, qui magnificè semper honestavit te in laboribus tuis, te in suo nomine, & nomen suum in te glorificans, rex gloriæ Dominus Deus tuus.

e

B

ANNOTATA.

a *In epistola* 288.

b *De eo agetur cum Martyrologio Romano ad diem* 5 *Octobris.*

c *Metensium discordia à Viro sancto composita habetur in Commentario prævio* § 50.

d *Sedit ab anno* 1152, *usque ad* 1170, *quo obiit, sicut habent Sammarthani.*

e *Al.* Tullum, *vulgo Toul, urbs est ad Mosellam fluvium satis nota: de qua Hadrianus Valesius varia collegit.*

C

CAPUT II.

Extremus sancti Patris morbus, & felicissima mors.

II. *Vir sanctus gravius morbo corripitur, & ad extrema tendit;*

UT expleta Metensium reconciliatione, & provinciæ illi pace reddita, Abbas sanctus ad monasterium rediit, gravi admodum jamjamque deficientis incommodo corporis occupatus, in tanta animi suavitate, & dulcedine spiritûs quotidie propinquabat ad exitum, ac si in portu navigans paulatim vela deponeret. Evidenter quoque fratribus aiebat: Hæc sunt verba, quæ loquebar ad vos, cùm præterita hieme ægrotarem, non vobis esse, quod adhuc timeretis: æstate proxima imminere (me mihi credere) hujus corporis dissolutionem. At quam evidenter, proprio didicimus experimento, quod de sanctis Apostolis Euangelia sacra testantur, quòd, dum suam illis prædiceret Dominus passionem, erat verbum absconditum ab eis, & capere non valebant. Nimirum quod tam vehementer horrebat animus, minùs facilè persuadebatur, ut crederet, præsertim cùm & ipse compatiens filiis ejusmodi verba supprimeret. Ceterùm factis quodammodo clamans, Opera consummavi, quæ dedit mihi Pater ut facerem, magis ac magis actus omittere, affectus retrahere, &, sacrorum funibus desideriorum sedula intentione præjactis, vicino jam littori hærere firmiùs, & commodiùs applicare. Denique cùm venerabilis antistes sedis Lingonicæ Godefridus de quibusdam eum sollicitaret agendis, & minùs apponere animum miraretur, Ne mireris, inquit, ego enim jam non sum de hoc mundo.

D

consolatur suos, & adhortatur ad perfectionem.

254 Videns autem Pater sanctus, compassionis & misericordiæ visceribus affluens, carissimos sibi fratres, & filios miserabiliter admodùm tabescentes, & arescentes præ timore & exspectatione supervenientis desolationis gravissimæ, & lamentabilis orbitatis, dulcissimis eos consolationibus refovebat. Et monens eos in tuto divinæ clementiæ sinu spei fideique suæ anchoram per inconvulsibilem caritatem firmiùs radicare, se quoque promittebat nec post mortem aliquando defuturum. Propensiùs autem, quàm noster queat exprimere sermo, rogans obsecransque per multas lacrymas, timorem Dei & sacræ puritatis, ac totius perfectionis amorem nostris imprimere animis conabatur. Sed & monebat, & cum lacrymis obtestabatur, ut, si quid fortè virtutis, aut exemplo nobis aliquando commendasset aut verbo, id æmularemur, id firmiter teneremus, & proficeremus in eo: aliis quidem verbis, sed eodem spiritu illud Apostolicum loquens: Rogamus vos & obsecramus in Domino Jesu, ut, quemadmodum accepistis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare & placere Deo per omnia, sic & ambuletis, ut abundetis magis. Atque utinam tam efficaciter persuaserit, quàm affectuosè suasit! Modum autem ægritudinis ejus si quis nosse desiderat, extat epistola *a*, quam ad amicum quemdam paucissimis diebus ante sacram à nobis profectionem suam ipse dictavit: quam nimirum huic nostræ narrationi duximus inserendam, quòd videlicet etsi aliena quoque de ipso, ampliùs tamen nos ipsius de se verba delectent:

E

a

Ad Arnoldum Bonævallis abbatem scribit de suo statu.

255 " Suscepimus caritatem vestram in caritate, & non in voluptate. Quæ enim voluptas, ubi sibi totum vindicat amaritudo? Nisi quod solum nihil comedere, utcumque delectabile est. Somnus recessit à me, ne vel beneficio sopiti sensus dolor umquam recedat. Defectus stomachi, fere totum quod patior est. Frequenter in die & nocte exigit confortari modico admodùm qualicumque liquore. Nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non sine gravi molestia sumit, sed timet graviorem, si sese vacuum omnino dimiserit. Quod si plusculum quid interdum admittere acquiescat, id gravissimum. Pedes & crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere solet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de statu amici solicitum, secundùm interiorem hominem (ut minùs sapiens dico) spiritus promptus est in carne infirma. Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis, ut is qui insidiatur, invenire non possit unde figat dentem, & vulnus infligat. Hæc ipse dictavi *, sic me habens, ut per notam vobis manum agnoscatis affectum ,,.

F

* *i. e.* scripsi

256 Hoc exemplar epistolæ, quam, ut nos dixi-

A diximus, & ipſa quoque ejus verba declarant, Pater ſanctus exitu jam imminente dictavit. Ex cujus tenore poſſet nimirum diligens lector ſacrum illius vel ex parte aliqua pectus agnoſcere, quanta illi in ipſa ſui ruina corporis tranquillitas mentis, ſerenitas animi, ſuavitas ſpiritûs; quanta ſub fiduciæ culmine radix humilitatis. Sed noſtrum ſub tam gravi articulo inconſolabilem luctum aliquatenus illi æſtimare ac ſibimet exhibere licebit, pallidaſque, ſi piè ſenſerit, turmas imaginabitur filiorum, exterminatas facies, vultus exſangues, genas lacrymis ſordentes, ſuſpiria quoque pectorum ac ſingultus. [Quis enim apud nos erat tumultus cogitationum, quod naufragium animorum, cùm theſaurus tam amabilis raperetur à nobis, & præſentibus & cernentibus, quia nec ſpes eſſet retinendi, nec facultas aliqua commeandi? Pater erat, ſed qualis Pater, qui videbatur abire? Nobis quodammodo proprius, veriùs tamen toti mundo communis. Erat enim omnium & bonorum gloriatio, & malignantium metus: ut de eo non incongruè videretur eſſe pſallendum: Videbunt recti & lætabuntur, & B omnis iniquitas oppilabit os ſuum. Quo præſente, ſanctitas omnis jucundabatur, præſumptio frenabatur, duritia compungebatur. Quo præſente, celebris quiſque conventus velut quodam ſole reſplenduit: abſente, caliginoſus & quodammodo mutus apparuit. Quàm devotè, quàm piè ſingulis noſtrûm & tunc hodieque clamandum, Pater mi, pater mi: currus Iſraël, & auriga ejus! Tu fluctuantium portus, clypeus oppreſſorum, &, ut de ſeipſo beatus Job loquitur, cæco fuiſti oculus, & pes claudo. Tu perfectionis exemplar, virtutis forma, ſpeculum ſanctitatis. Tu gloria Iſraël, tu lætitia Jeruſalem, tu deliciæ tui ſeculi, & unicum tui temporis decus, oliva fructifera, vitis abundans, palma florida, cedrus multiplicata, platanus exaltata. Vas electionis, & vas honoris in domo Dei: vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo, fide & ſanctitate ſolidum, & variis chariſmatibus tamquam gemmis ornatum.

Sancti in extrema infirmitate ſerenitas, fratrum dolor & lamenta de ejus deceſſu: illuſtre

257 Tu Eccleſiæ ſanctæ fortiſſima ſplendidiſſimaque columna, tu vehemens tuba Dei, tu dulciſſimum ſancti Spiritus organum, pios oblectans, deſides excitans, debiles portans. Cu- C jus medicinalis manus & lingua, morbos utraque curabat, illa corporum, iſta animorum. Cujus erat ſimplex habitus, ſimplex vultus, dulcis facies, gratioſus adſpectus. Cujus denique vita fructuoſa, cujus mors pretioſa: quia tibi quoque Chriſtus vivere fuit & mori lucrum. Quòd ſi nobis alterum fortaſſis utilius, ſed alterum multo melius tibi. Et quod tibi tam commodum, nobis, ſi piè ſapimus, non poteſt non eſſe jucundum. Ceterùm etſi pium eſt congaudere tibi, Pater bone, qui in gaudium Domini tui feliciter introiſti: non tamen impium ſuper nos ipſos flere, quos nimirum, abeunte te, ſolito graviùs horror geminus circumſepſit, dum nobis eſt vita tædio, mors timori. Et ſi pium congaudere tibi, qui beato tranſitu mortis, ad torrentem voluptatis, quem ardenter ſitiebas, acceſſiſti: noſtram tamen vicem dolere non impium, quibus & vivendi omnis pariter eſt ſublata ſuavitas, & moriendi necdum collata ſecuritas. Et ſi pia tibi impenditur gratulatio, felix anima, quæ in plenitudine lucis exſultas: non tamen impia ſuper nos aſſumitur lamentatio, qui relicti ſumus, poſt mirificam, in qua hactenus exſultavimus, claritatem, horrere magis tenebras ſubintrantes;

ejuſdem elogium:

poſt aurea, quæ paulò antè vidimus, ſecula, graviùs ferre hoc planè ferreum, quod ſucceſſit. Sed reflectamus ſtilum ad ordinem narrationis, & patroni, quibus poſſumus, votis exitum proſequamur, exitum nobis lugubrem: nam illi potiùs triumphalem.]

A. GAUFRIDO.

258 Igitur ante Patris hujus exceſſum accedentes ad eum filii, quos per Euangelium ipſe genuerat, piiſſimum ejus animum lacrymabili ſupplicatione pulſabant, & hæc atque hujuſmodi loquebantur: Numquid non miſereris huic monaſterio Pater? Numquid non compateris nobis, quos tanto pietatis affectu maternis lactaſti uberibus, paterna conſolatione foviſti? Quomodo ſic exponis labores tuos, quos in loco hoc laboraſti? Quomodo tam dilectos hactenus filios ſic relinquis? Tunc verò flens ipſe cum flentibus, & columbinos oculos in cælum porrigens, ac mente tota Apoſtolicum illum concipiens ſpiritum, teſtabatur coarctatum ſe è duobus, & quid eligeret ignorantem, & divinæ totum tribuere arbitrio pietatis. Nam & hinc paterna illum urgebat caritas, filiorum votis annuere, ut maneret: & inde trahebat Chriſti deſiderium, ut migraret. Cui tamen ab olim jam atque altiùs radicata in pectore ejus humilitas perſuaſerat, ut ex intimo cordis affectu ſervum inutilem ſe eſſe diceret, & arborem ſterilem reputaret: ex cujus vita nullus ſibi fructus, nullus alteri cuiquam proveniret. Nam & ſolitus erat in familiari collocutione fateri, vix credere ſe hominibus, quòd ſic eum ſibi utilem crederent, ut dicebant. Sed nec parvum ſeſe in ſuis ſuper hoc cogitationibus perhibebat aliquando ſuſtinuiſſe conflictum, quòd nec tam veraces homines fallere velle, nec tam prudentes falli poſſe, veriſimile videretur, cum alterutrum excuſare non poſſet. Quem enim totus mirabatur orbis, ſolus ipſe (quod erat mirabilius) non videbat, ſuæ videlicet operationis opinioniſve ſplendorem, ſicut ille quondam vir ſimplex & rectus, nec ſolem cum fulgeret, nec lunam incedentem clarè vidiſſe ſe memorabat.

pathetica verba filiorum ad Patrem, & Patris ad filios:

E

259 Noviſſimè cùm exterioris habitaculi undique jam ſoluta compago, deſideranti animæ liberum præſtaret egreſſum, magnus ille dies illuxit, quo perpetuus illi ortus eſt dies, ad cujus exitum vicini epiſcopi cum abbatum & fratrum copioſa multitudine fuerant congregati. Horâ autem diei penè tertiâ ſingularis lucerna ſuæ generationis ſanctus ac verè beatus abbas Bernardus à corpore mortis in terram viventium feliciter Chriſto duce migravit, ex filiorum circumſtantium, & inter graves ſingultus ac lacrymas uberes utcumque pſallentium choro, ad multorum, quos ipſe præmiſerat, cœtus tranſiens lætabundos, ad Sanctorum cuneos gratulantes, ad obvia agmina angelorum. Felix anima, quam ſic levabant excelſa ſuorum privilegia meritorum; quam ſic pia filiorum proſequebantur inferiorum vota; ſic quoque ſuperiorum deſideria ſacra trahebant! Felix illi & verè ſerenus dies, quo plenus ei meridies Chriſtus illuxit! Dies cunctis vitæ ſuæ diebus, tantis ab eo exſpectatus deſideriis, expetitus ſuſpiriis, frequentatus meditationibus, orationibus præmunitus! Felix tranſitus de labore ad refrigerium, de exſpectatione ad præmium, de agone ad bravium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad patrem! De quo etiam tranſitu ejus multa novimus apparuiſſe quàm multis, & quidem non indigna relatu, ſed difficile

beatiſſimi Viri obitus, crebræ apparitiones:

F

A. GAUFRIDO.

cile nimis singula vestigare, & scribere omnia nimis longum. Nam & usque modò multifariè multisque modis paternus erga filios amor, verè etiam nunc, immò nunc veriùs vivens & vigens crebris revelationibus eorum dignatur solari lacrymas, relevare mœstitiam, ut quo dulciùs ei congaudent, minùs anxiè doleant sibi. Si qua tamen ex his minùs prolixam desiderantia narrationem lector scire desiderat, proprio magis & novissimo credimus reservanda capitulo.

corpus expositum, & magnus ad illud videndum & honorandum

260 Interim cetera prosequentes, quantâ possumus violentiâ animos avertamus ab illo tam gravi gemitu & rugitu, quo nimirum grex miserabilis, pastore migrante, personuit. Parcamus paginæ, &, quantum possumus, stringamus oculos, palpebras complodamus adversus lacrymas, quibus in illo suæ claritatis abscessu Vallis nostra fluebat, Ecclesiæ protinus universæ calicem sui propinatura mœroris, cui hactenus consueverat stillare dulcedinem, gaudia fundere, fluere consolationes. Dum fidelis Minister & sacerdos Altissimi feliciter ingreditur in locum tabernaculi admirabilis, ad altare Dei, sacram ei & acceptabilem hostiam sui spiritus oblaturus; corpus etiam ritè paratum & ornatum sacerdotalibus indumentis, oratorio beatæ Dei Genitricis infertur. Plurima quoque nobilium & ignobilium de vicinis quibusque locis gemebunda protinus turba convenit, & Vallem totam ploratus & ululatus multus implebat. Amariùs tamen pro foribus monasterii lamentabatur sexus miserabilior mulierum, quòd accedentibus ad beata vestigia viris, monastici Ordinis disciplina inexorabiliter eis etiam tunc negaret ingressum. Biduo mansit in medio gregis pastor exstinctus, dum pristina illà dulcissimi gratia vultûs nil minorata, sed aucta magis, omnium in se figeret oculos, animos traheret, sepeliret affectus.

B

populi confluxus:

261 Crescebat autem supra modum ruens undique populi multitudo, & intolerabilis jam fiebat impetus concurrentium, ac desiderabiles tenentium pedes, osculantium manus, applicantium panes, baltheos, nummos, & alia quæque servanda sibi pro benedictione, & variis necessitatibus profutura. Maximè tamen parati in diem tertium solemnem per loca proxima præstolabantur reponendi sacri corporis ejus horam, copiosiùs undique conventuri. Nam & secunda die tantus circa meridiem populus fuerat congregatus, & tanto pietatis zelo stipati undique sacrum corpus obsederant, ut nulla penè episcopis reverentia, nulla fratribus haberetur. Unde veriti, ne quid simile aut fortè gravius accideret die tertia, præoccupantes horam, & manè divina ex more Sacrificia consummantes, sicut & biduum jam in celebratione Missarum & jugi fecerant psalmodia, purissimum illud balsamum suo vasculo commisere, in lapide reponentes lapidem pretiosum, optimam margaritam.

C

Sancti ætas, cœnobia ab eo condita, sepultura, miraculum.

262 Consummatis ergo feliciter vitæ suæ diebus, & annis circiter sexaginta tribus expletis, dilectus Domini Bernardus, Claræ-vallensis cœnobii primus abbas, aliorum quoque ampliùs quàm centum sexaginta *b* monasteriorum pater, decimo tertio Kalendas Septembris inter filiorum manus obdormivit in Christo. Sepultus est autem undecimo Kalendas ejusdem mensis ante sanctum altare beatæ Virginis Matris, cujus fuerat devotissimus ipse sacerdos. Sed & pectori ejus ipso tumulo capsula superposita est, in qua beati Thaddæi Apostoli reliquiæ continentur, quas eodem anno ab Jerosolyma sibi missas, suo jusserat corpori superponi, eo utique fidei & devotionis intuitu, ut eidem Apostolo in die communis resurrectionis adhæreat. [Priùs tamen, quàm sacratissimum illud corpus tumulo redderetur, unus è fratribus, qui ex multis annis caduco morbo graviter laboravit, plena fide opem flagitaturus accessit. Quem nunc usque superstitem novimus, & nihil umquam ex ea hora prædictæ infelicitatis expertum.] Facta sunt hæc eodem anno, quo beatus Papa noster Eugenius tertius, ejusdem Patris sancti in conversatione sancta filius, ab hac luce, vel ab hac magis caligine migravit ad lucem, cujus merita in ipsa, cui insigniter præfuit, Urbe, miraculis pluribus illustrata *c* coruscant: successore ejus Anastasio Romanæ Ecclesiæ præsidente, regnantibus autem in Romanorum imperio Friderico illustri; in Francorum regno, piissimo rege Ludovico filio Ludovici *d*: principatum Ecclesiæ universæ ac totius creaturæ visibilis & invisibilis monarchiam tenente Dei Filio Jesu Christo, anno ab Incarnatione sua millesimo centesimo quinquagesimo tertio. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in secula seculorum. Amen.

D

c

d

E

ANNOTATA.

a *Epistola hæc ordine* 310, *ut Mabillonius notat hîc*, in quibusdam Mss. ita inscribitur: " Epistola ad Arnoldum Bonæ-vallis abbatem, „ qui ei quædam xenia mittens, de ejus valetu„ dine sollicitè fuerat scisitatus „.

b *Hoc quomodo sit intelligendum, dicetur in Gloria Sancti posthuma.*

c *Præter hoc gravissimi auctoris de Eugenii miraculis in genere testimonium, consuli possunt quæ scribit Manricus ad an. Christi* 1153, *cap.* 5, *num.* 9; *qui cap.* 6 *agit de miraculis in specie. Cetèrum de venerando hoc Pontifice agitur in nostro Comm. prævio, in Menologio Cisterciensi ad diem* 8 *Julii, & apud nos in Prætermissis ad eumdem diem.*

d *Consule Chronologiam Bernardinam in fine.*

CAPUT III.

F

Diversa post obitum revelationes; Amalrico regi prænuntiata in somno victoria.

III. *Mors ejus 7 annis antè prædicta: successor ipsius:*

JAm de suprà memoratis revelationibus pauca dicturi, ab eo sumamus initium, quod prædictum est anno septimo antequam fieret. Erant duo fratres in monasterio, de sacra beati Patris vita & felicibus ejus actibus colloquentes: quorum alter ab ineunte adolescentia educatus ibidem, ad alterum ait: Nosti quot annos sit victurus hic beatissimus Pater noster? Cui ille: Nescio, inquit. Et alter: Ego, ait, novi eum sex aut septem annos adhuc in carne victurum. Hoc autem unde sciret, minimè jam scire possumus, quia nec tum indicavit, & ante Patrem sanctum ipse decessit. Porrò alterius hodieque superstitis relatione hoc verbum nobis innotuit, qui tunc magis miratus est, se audîsse, quando, ut ab olim audierat, ita vidit. Talis verò ille est, de cujus testimonio nec nos ambigimus, nec cuilibet alteri, qui eum noverit, credimus dubitandum. Neque id solùm, sed, quod non minori

A nori dignum admiratione videtur, nomen quoque & perſonam ſucceſſoris ipſius, indicante ſibi eodem fratre, ex tunc innotuiſſe teſtatur. Manifeſtè enim eâdem horâ frater ille prædixit : Quia dominus Robertus *a*, qui hodie abbas eſt de Dunis *b*, poſt hunc beatum Patrem abbas futurus eſt Claræ-vallis. Nam quod disjunctivè ſex vel ſeptem annos victurum dicebat, ad hoc pertinuiſſe videtur, quòd inventus ſit terminus idem ultra ſextum annum, intra ſeptimum tamen.

a *b*

invitus retinetur in vita precibus fratrum : cujuſdam de ejus morte viſio :

264 Prope erat jam tempus, & feſtinabat Pater ſanctus ad metam. Infirmabatur enim, ſicut in hujus libelli principio memoravimus, adeo ut illa jam infirmitate ipſius perfici virtus, jam imminere exitus videretur. Interea fratres inſtare ſupplicationibus & obſecrationibus, quibus poterant, apud Deum. Unde etiam Sanctus ipſe cognoſcens eorum precibus deſiderium ſuum differri, cum aliquantò meliùs ſecundum corpus habere cœpiſſet, congregatis fratribus hæc eadem verba locutus eſt : Quid tenetis miſerum hominem ? Fortiores eſtis, & invaluiſtis. Parcite, quæſo, parcite, ſinite me abire. Priùs tamen cum in ſummo periculo & timore fratres omnes in orationibus humiliarent animas ſuas, uni eorum viſio talis apparuit. Occurrebat cum multa exſultatione Viro Dei extra monaſterii clauſtra innumerabilis multitudo : in qua tamen proceſſione, ſolos quatuor præeuntes idem frater, qui videbat, agnovit, magnum illum dilectorem ejus atque dilectum, cujus & ipſe in libro quarto De conſideratione cum laude meminit, Gaufridum epiſcopum Carnotenſem, Humbertum quoque, qui Igniacenſis cœnobii fuerat primus abbas, & duos ejus fratres germanos, Guidonem ſcilicet & Gerardum. Exceptus itaque reverenter, & poſt oſculum pacis amica diu colloquia miſcens Pater ſanctus ac beatus, cum his quatuor ſtabat, exſpectante ſeorſum multitudine ceterorum. Noviſſimè ſalutantes eum prædicti viri, ex hoc ſibi jam redeundum eſſe dicebant. Tum verò expalluit ille, & circumfuſâ ſibi mœſtitiâ internum declarans animi dolorem, Quid ergo ait, ſine me vultis abire ? Et illi : Non poteſt adhuc tuo & noſtro ſatisfieri deſiderio, donec veniat tempus novorum. Dicebant autem tempus novorum, quo fruges novæ colligerentur, ſicut evidenter poſtmodùm probavit eventus, dum in Auguſto menſe deceſſit. Manè ergo frater ille, cui hoc oſtenſum fuerat, conſolatus eſt ceteros velut jam imminentem Patris obitum formidantes, & quod viderat & audierat indicavit. Adhuc autem hiems erat.

B

C

item alterius fratris viſio, & cujuſdam abbatis :

265 Eodem tempore altera quoque viſio prioris confirmatio fuit : niſi quòd evidentiùs jam utriuſque completa veritas probat, quam evidenter in utraque quod futurum erat, Dominus revelavit. Videbat enim frater quidam, &, ecce, parabat Vir beatiſſimus aſcendere Jeroſolymam, jamque ipſo in procinctu itineris erat. Ad quem venerabilis Odo, qui à primis fere annis ſtrenuè ſatis & laudabiliter converſatus in monaſterio, abſentium conſueverat præpoſitorum ſupplere vices, reverenter accedens, dicebat ſe præceſſurum. Cujus viſionis ſic oſtenſa eſt veritas, ut prædictus Vir Deo dignus ad cæleſtem Jeruſalem, ubi verè viſio pacis, parantem jam egredi, & paulò poſt ſecuturum Patrem ſanctum, felici functus legatione præiret. Sed & abbas quidam ſatis ei habitatione vicinus, nec minùs affectione devotus, paucis diebus ante feliciſſimum Patris hujus exceſſum, videbat eum pretioſiſſimis ornatum ſacerdotalibus indumentis, & excellenti perfuſum gloria, cum ingenti ſolemnitate ad altare deduci. Ad cujus introitum eccleſia magna reſultans vocibus clamabat : Puer natus eſt nobis. Verè etenim puer ipſe erat, mitis & humilis corde, & ſicut parvulus accipiens regnum Dei : in cujus merito gratulabunda natali angelica multitudo, & omnis pariter Sanctorum eccleſia, dum nobis videretur mori, ſibi illum naſci, dum hîc conſummaretur, ibi incipere, non tam ſonoris vocibus, quam votis paribus concinens exſultabat.

A. GAUFRIDO.

frequentia monachorum in Clara valle ſub obitum S. Patris.

266 Si enim ad unius pœnitentiam peccatoris tota illa cæleſtis regio in lætitiam ſuſcitatur ; quænam illi gaudia exhibuiſſe credendus eſt, per quem gaudia tanta receperat de tam multorum converſione & pœnitentia peccatorum ? Quis enim valeat æſtimare, quantis in ſæculari habitu & converſatione manentibus ; quantis etiam ad alias virorum ſeu feminarum congregationes tranſeuntibus, per hujus fidelis Famuli miniſterium dedit Dominus pœnitentiam ad ſalutem ? Aut quis numeret eos, qui ſub ejus cura in centum ſexaginta monaſteriis per Dei benignitatem ad pœnitentiam ſunt adducti ? Nam ex his ſolis, qui ſpeciales ejus filii videbantur, præter eos, qui jam curſum vitæ feliciter conſummaverant ; præter eos, qui per alia loca fuerant propagati, ea die, qua feliciſſimus Pater ex Clara-valle montem aſcendere meruit clariorem, reliquit habitantes in ea ſeptingentas *c* ferme animas, Domino ſervientes. Quid igitur mirum, ſi gratus curiæ, ſi acceptus Regi, ſi exceptus cum lætitia & exultatione credatur : in quo gratia Dei uſque adeo vacua non fuit, qui tam feliciter, tam efficaciter, plus omnibus ſui temporis & multarum retrò generationum laboravit : qui talentum ſibi traditum tam copioſè multiplicavit ; tanta denique lucra retulit de negotio ?

E

c

Apparet cuidam præpoſito, ac Guillelmo de Monte Peſſulano,

267 Sed de his hactenus, ne quis nos arguat ejus, quam polliciti ſumus, metas excedere brevitatis. Sanè in monaſterio prædicti illius abbatis, qui ſic ejus natalem præviderat, ea nocte, quam nobiſcum Pater ſanctus manè profecturus ultimam fecit, venerabili ejus Præpoſito apparens, valefecit illi, & ait : Noveris quia jam migro, nec ulteriùs hic morabor. Quod ut ille indicavit abbati, accelerans abbas, & Claramvallem veniens, ipſo die Abbatem ſanctum, ſicut dixerat, reperit jam migraſſe. Frater Guillelmus de Monte Peſſulano, cujus & ſuprà fecimus mentionem, vir magnificus olim in ſæculo fuit, ſed magnificentior in ſæculi fuga. Hic in monaſterio Grandis-ſilvæ monachus factus, Patrem ſanctum devotiſſimè viſitavit. Rediturus autem lacrymabiliter querebatur, quòd non eſſet eum ultra viſurus. Cui vir Dei, Ne timeas, ait, adhuc ſine dubio me videbis. Hujus effectum promiſſionis devotiſſimus ille Guillelmus exſpectans, ipſa nocte, cùm beatus Pater ex hac vita deceſſit, in monaſterio Grandis-ſilvæ apparentem ſibi videre meruit & dicentem : Frater Guillelme. Et ille, Ecce ego Domine. Veni, inquit, mecum. Ibant igitur pariter, & ad montem quemdam altiſſimum pervenerunt. Interrogabat autem Sanctus, an ſciret quò veniſſent. Ille verò ſe neſcire profeſſus eſt. Cui ipſe : Ad radices, inquit, montis Libani venimus. Et nunc manebis hîc, ego autem aſcendam in montem. Interrogatus qua de cauſa vellet aſcendere ; Diſcere volo, inquit. Miratus ille, Quid, inquit, vis diſcere Pater, quem nulli hodie in ſcientia credimus

F

A. GAUFRIDO.

esse secundum? Ad quem Sanctus: Nulla, ait, hîc scientia, nulla veri cognitio: sursum scientiæ plenitudo, sursum vera notitia veritatis: & in hoc verbo dimittens eum, in montem altissimum subiit coram illo.

cui S. Bernardus hoc promiserat.

268 Cúmque intueretur euntem illum, expergefactus est, & occurrit protinus ei verbum illud, quod ad Joannem olim de cælo sonuit: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Ut ergo manè locutus est abbati suo & fratribus, Patrem sanctum ex hac vita migrâsse dicebat. Et notantes diem ac diligentiùs inquirentes, ut audierant invenerunt. Euge Pater sancte, qui ascensiones in corde dispositi in valle lacrymarum, feliciter jam ascendisti de Clara-valle in montem Libani, montem candidationis, plenitudinem lucis, celsitudinem claritatis. Innocens manibus & mundo corde ascendisti in montem Domini, ad divitias salutis: ad thesauros sapientiæ & scientiæ pervenisti, ubi purè puram videas veritatem, ubi unus tibi cum omnibus sanctis magister est Christus: ubi omnes jam docibiles Dei. Trahe nos post te, quæsumus, & de monte excelso misericorditer respice Vallem tuam. Adesto laborantibus, subveni periclitantibus, ascendentibus manum porrige. Dat fiduciam tua nobis ab olim experta, nec exinanita modò sed amplius cumulata benignitas. Quin etiam visio, quam subnectimus, ab eadem nostra præsumptione non discrepat.

B

Apparet iterum in magna gloria cuidam fratri; item alteri, cui indicat ubi sit vestis S. Malachiæ.

269 Proxima nocte postquam sacrum corpus sepulturæ traditum fuerat, quantam adhuc pro filiis sollicitudinem gereret Pater sanctus, & quomodo suos, quos in mundo dilexerat, in finem quoque diligeret, evidenter ostendit. Apparens enim cuidam fratri in multa gloria, & fulgore magno vestis ac vultus, & desiderantem tenere, citò pertransiens, aiebat, Quia pro quodam fratre simplice veni. Audierunt hoc fratres & mirabantur: sed circa horam diei tertiam veritas comprobata est visionis. Defunctus est enim quidam frater laudabilis admodùm simplicitatis, &, sicut omnino credibile est, animam ejus tanto duce felicem, qui pro eo se venire dixerat, secum tulit. Paucis quoque expletis diebus, alteri cuidam fratri magnificè satis apparens, & arguens de suo nos doluisse discessu, post verba

C

multæ consolationis, & promissionem felicitatis æternæ in sua perseverantibus obedientia & doctrina, Hoc etiam scito, ait, & dicito fratribus, cujusdam verè Sancti corpus, cujus & ego habeo vestem, in oratorio esse sepultum. Dicebat autem episcopum Malachiam, ipsius enim tunicam, in qua Sanctus ille feliciter obdormierat, ad Missarum sibi servaverat celebrationem, & moriturus in ea sese jusserat sepeliri, sicut & Sanctum illum in sua sepelierat veste. Quod tamen verbum & ipsi fratri, & quàm pluribus aliis usque ad hanc visionem prorsus erat ignotum. Felix pontifex, cujus merita Pater sanctus & vivens prædicaverat & defunctus! Felix caritas, quæ in morte non excidit! Felix societas, quam nec illud divortium tam crudele diremit! Glorioso siquidem Patres quemadmodum in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.

Abbas ex Anglia venit Claramvallem, & sanatur ad sepulchra SS. Bern. & Malachiæ.

270 Nam & post dies circiter quadraginta abbas quidam ex majoris Britanniæ insula, sacræ illius societatis virtutem feliciter experiri meruit in seipso. Qui eodem tempore cum ceteris coabbatibus suis ex more Cistercium petens, in Clara-valle remanserat gemino quodam desperabiliter occupatus incommodo, pleuresis scilicet, & febris quotidianæ. Jamque eatenus longa vexatione defecerat, ut solum animæ ejus exitum fratres, qui ei numquam deerant, observarent. Cúmque animum ejus angeret non tam desiderium vitæ præsentis, quàm absentium desolatio filiorum, quòd peregre moreretur, obnixè petiit, ut ad tumulum sancti deportaretur Abbatis. Ubi cum orasset tota devotione, quâ potuit, beati quoque episcopi Malachiæ in aquilonari isius oratorii latere positum cogitavit visitare sepulcrum, auxilium flagitare: sed fatigationem veritus, & quasi jam securus de incolumitate, quod cogitaverat non implevit. Die altera iterum fratres advocans, ut ad oratorium veniat, opem sibi postulat exhiberi. Causantibus illis (periculum siquidem verebantur) Omnimodis, inquit, oportet, ut sancti Malachiæ tumulum petam. Cum enim nocte præterita vix tenuiter obdormissem, expergefactus subitò audiebam vocem dicentem mihi: Sanatus jam ab altera ægritudine tua, si ab altera vis sanari, episcopum pete. Fecerunt illi, ut ille voluit, & continuò factum est, sicut dictum erat ad illum. Eâdem die sanus factus, post pauciſſimos dies iter arripuit, & incolumis reversus est ad suos. Tuum in hoc opere spiritum, tuum agnoscimus, Pater dulcissime, zelum, tuam considerationem: tuum hoc opus, sic deferre collegæ tuo, ut hunc quoque ei communicares honorem & amorem, cum quo veriùs & feliciùs honorificaris in cælis. Immò verò tui sunt hæc omnia operis, tui muneris, Deus noster. Tu enim omnem replesti ab initio temporis terram præsentiâ tuæ divinitatis, omnem aliquando repleturus gloriâ majestatis: cujus tamen partes interim quasdam, & æterno præelecta loca consilio excellentiùs visitans, reples speciali gratia sanctitatis. Fac Domine spirituali semper abundare frumento Vallem, quam ut faceres re quàm nomine clariorem, dignatus es tam eximiæ claritatis sideribus illustrare duobus. Custodi domum, in qua tibi geminum hoc tam pretiosum depositum custoditur. Fiat nobis denique juxta verbum tuum, ut, ubi est thesaurus tuus, ibi sit & cor tuum; ibi gratia & misericordia, & respectus assiduæ pietatis omnibus adsit in tuo ibidem nomine congregatis, quod est super omne nomen, sicut & tu super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

D

E

F

Duci Turcarum invadere Ægyptum meditanti

271 *Hucusque Liber quintus Vitæ; post quem Mabillonius*, In codice, *ait*, Vaticano n. 676 hic Liber constat capitulis XXIII; quorum ultimum deest in vulgatis. *His verò verbis illud mox de Sancto recitat:* In memoria æterna justus Domino constitutus, & suorum non negligit memoriam filiorum; agens post mortem peragensque miracula, quod suis adhuc vivens oraculis prædicebat. Cernitur in operibus virtutis ejus sermo ille vivus & efficax, & testamentum fidele, quod dispositi dilectis suis: Agam, inquit, assiduè Claræ-vallensis familiæ curam, & plantationem meam continuè fovens benedictionis irriguo, sic me præsentem beneficiis exhibebo, ut inde non videar aliquando recessisse. Undique nobis materiam consolationis exquirit: ita ut nuper in ipsis partibus transmarinis, nostris inventus sit inhiare subsidiis. Factum enim post annos plurimos ab obitu Sancti hujus, ut sanctitatis suæ signa de crucis signaculo radiarent, & quàm pia cupiditate virtutem vivificæ crucis ambiret, ipse crucis consecrator ostenderet. Cùm enim Sarracon *d* dux Turcorum urbem Alexandriam, & adjacentem Ægypti provinciam dis-

d

posuisset

A posuissет invadere, suæque subjicere ditioni; & e rex Jerusalem Christianissimus Amalricus e requisitus à Saracenis Ægypti, repentino impetu in præsidia subvectionis accingitur, timens videlicet & præcavens in futurum, ne si forte Turcos in Ægypto dominari contingeret, & majorem in Christianos agerent pro locorum vicinitate perniciem, & ipse interim ex Ægypto tributariam perderet functionem.

Amalricus sese opponit;

272 Electis igitur militibus, & instructo progressus exercitu, in occursum properat Sarracenis, vadens & progrediens usque ad alveum Nili fluminis, quod de paradisi fonte dissiliens, aridas Ægyptiorum irrigat regiones. Cumque venisset ad flumen, fecit illud navium potestate meabile, & relinquens in custodia pontis ex utraque parte fluminis milites peditesque non paucos, & ipse cum trecentis equitibus fugientem Sarraconem insequitur, persequens eum & exercitum ejus grandem, quatuordecim millia Turcorum, & tria millia pugnatorum Arabum contrahentem. Illis autem itinere diei unius ante regis impetum fugientibus, non deerant hinc inde nuntii de me-
B dio concurrentes, quorum alii suggerebant regi, ut multitudinem illam contritam, & fame & lassitudine dissolutam jamjam consumpturus invaderet: & alii è contrario Turcos hortabantur, ut starent; facile admodùm fore, concludi paucos in manu tantæ multitudinis affirmantes.

cui apparet S. Bernardus, & victoriam

273 Convertitur ergo Sarraconis exercitus, & exspectato rege instruuntur ad pugnam, qui priùs præcipites ferebantur in fugam. Adveniente autem nocte castrametati sunt juxta aquas, quæ utrumque exercitum stricto satis alveo dirimebant. Cumque obdormisset rex, in ipso clypei sui concavo requiescens, confestim sibi in somnis beatus Bernardus apparuit, exprobrans & improperans ei peccata sua, & quòd non esset dignus vivificæ crucis lignum (quod de consuetudine appensum collo gestabat) in illo certamine circumferre. Statimque rex territus & turbatus veniam petit, & Sancto, qui loquebatur ad eum, peccata sua flebiliter confitetur. Tunc beatus Bernardus admota propiùs manu crucem sanctam, quæ collo regis pendebat, accepit; & benedicens ei trino signaculo sanctæ crucis, consolabatur eum dicens: Confide rex, in hoc si-
C gno vinces, & in periculo timoris magni, quale numquam hactenus expertus es, sine læsione tui hostes evades. Cùmque hoc dixisset, visus est velle discedere, crucem, quam à collo regis acceperat, portans secum.

ei prædicit,

274 Rex autem apprehendens eum ait: Non dimittam te, nisi crucem dimiseris mihi. Ad quem Sanctus, Noli, inquit, noli rex, alios filios habeo, quos oportet crucis hujus signaculo benedici. Et his dictis somnus abiit, & fulgor matutinus illuxit, factâque copiâ splendoris & lucis, uterque exercitus sibi invicem ad ineunda certamina propinquavit. Aggreditur regis cuneus multitudinem copiosam, & in medio ejus, qui in pelago maris absorptus inimicos crucis Christi sub crucis vexillo prostravit. Cadunt à latere suo mille, & multa millia à dextris ejus, & discurrunt undique triumphantes in Christi nomine Christiani: ita ut, dum illi diversis pugnæ partibus dividuntur, rex ipse solus in quodam congesti sabuli tumulo remaneret tam morti & internecioni proximus, quàm longe erat suorum omnium solatio destitutus. Cernebat ex eminenti stationis suæ loco Turcos undique concurrantes. Nam jamque imminentem sibi exspectabat interitum, nisi quia in eo quodammodo confidebat, quòd se illis non ignorabat ignotum. A. GAUFRIDO.

quæ deinde secuta est.

275 Recordatus ilico præteritæ visionis, & pia intra se vota conficiens, pollicitus est Deo & beato Bernardo, quòd, si de manu inimicorum vivus evaderet, crucem, quam Sanctus petierat, filiis ejus Clara-vallensibus *f* destinaret. *f* Continuò igitur triginta de militibus suis regem ipsum à longe cognoscentes, acri in se certamine Turcos provocant ad pugnandum, ut, vergente in illos fortitudine tota conflictûs, rex iterum ab hostibus & ignotus persisteret & securus. Quod cùm quindecim milites de sacra Christi militiâ conspexissent, per confertissimos hostes violenter irrumpunt, persequentes, juxta quod scriptum est, unus mille, & duo fugantes decem millia in millibus suis. Associati ergo aliis triginta militibus, divisis & cæsis occurrentibus inimicis, ad regem suum cum lætitia & victoria pervenerunt. Sicque factum est, quòd & rex juxta verbum sancti Patris nostri de beneficio sanctæ crucis donum ejusdem sancti Patris meritis apprehendit. Porrò supradictæ ordinem visionis idem ipse rex Richero abbati Salvationis *g* *g*
E ore proprio diligenter exposuit, qui eam postmodùm in Gallicanis partibus fideliter nuntiavit, vir utique testimonii boni & conversationis honestæ, tam à mendacii suspicione remotus, quàm à vitæ corruptionibus alienus. Deo gratias. Amen.

ANNOTATA.

a *Alias de illo notitias dat Commentarius prævius* § 38; *de quo consuli possunt Prætermissi apud nos die* 29 *Aprilis, & Annales Cistercienses tomo* 1 *&* 2, *quorum indices vide.*

b *Tunc apud Furnenses in Flandria erat monasterium illud; sed postea ad urbem Brugensem fuit translatum, ex eodem Commentario* § 38. *Quòd verò* S. Bernardus *Dunas Furnenses adierit, varia ibidem proferuntur testimonia.*

c *De numero autem novitiorum hæc dicuntur in Exordio magno Ordinis Cisterciensis distinctione* 6 *in Recapitulatione finali:* Sanctæ recordationis dominus Henricus, Vitæ-scholæ, quod est cœnobium in Dacia de linea Claræ-vallis, primus abbas, referre solebat, quia cùm esset novitius in Clara-valle, & nonaginta tirones in cel-
F la probatoria sub disciplina beati Bernardi instituerentur, quadam vice discumbentibus eis intravit ad visitandos filios suos idem piissimus pater *&c.*

d *Apud Guillelmum Tyrium lib.* 19, *cap.* 24 *vocatur* Siraconus: *de quo ibidem plura legi possunt.*

e *Amalricum Balduino III in regnum Hierosolymorum successisse anno Christi* 1162, *tradit Pagius ad annum* 1163, *num.* 8, *contra Baronium, qui huic anno rem gestam innectit. Sententiam suam confirmat Pagius ad annum* 1173, *num.* 6, *cui anno Amalrici mortem affigit.*

f *Manricus ad annum* 1173, *cap.* 6, *num.* 8, *ex Inventario reliquiarum Claravallis hæc in rem nostram recitat:* Secundo loco est tabula argentea, continens novem marchas argenti, & unam auri, quam fieri fecit Dominus Hugo prædictus: in cujus tabulæ medio, tamen eminentiori parte, posita est crux, quam miraculosè misit Amalricus rex Hierosolymitanus in Claramvallem, post plurimos annos à transitu D. Bernardi; ab eoque in somnis admonitus, sicut in tractatu

A. GAUFRIDO.

tractatu de eadem plenius continetur. Eidem cruci adjunctæ sunt circumquaque portiones ligni Domini, quas attulit Nonus Artandus, frater Militiæ templi, postea monachus, & cellerarius Claræ vallis.

g Credo in Syria, *inquit Manricus ad annum* 1161, *cap.* 6, *num.* 1.

HORSTII AD LECTOREM

PRÆFATIO

in Librum sequentem de miraculis per S. Bernardum editis, & nostræ in eumdem Librum observationes.

Hæretici Miraculorum calumniatores.

a

B

INter Sanctos miraculorum gloriâ celebres, eminere mihi Bernardus videtur; aut paucos sibi habere pares *a*. Ut vel hinc facilè sit obstruere loquentium iniqua, & miracula posterioris ævi cavillantium ora. Nimirum non desunt etiam nunc Pharaones, qui obdurant corda sua ad visa vel audita tot prodigia; ne cogantur agnoscere Deum mirabilem in Sanctis suis: sunt quoque nunc serpentes & aspides surdæ obturantes aures suas, ne audiant vocem incantantis sapienter. Quin etiam hodie reperire est cæcos & contumaces Pharisæos, aut pejores, qui potestati satanæ isthæc ausint adscribere. Nempe otiosa censent miracula post claram Euangelii lucem toto orbe diffusam, & quæ postmodum facta etiam à viris fide dignissimis accepimus, etsi toto orbe spectante & attestante; hæc ipsi inter fabulas & figmenta, immò inter præstigias deputant. O cæcum & miserum hominum genus, qui videntes non vident, & audientes non intelligunt. Sed non est abbreviata manus Domini etiam hodie facere per fideles servos suos, quæ sensum, & naturam superent; cùm ita necessum fuerit. Hoc verò definire, nostrum non est, sed ejus, qui omnia in pondere & mensura facit, cujus sapientia attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Temerarium & impium foret, hîc leges ac limites divinæ potentiæ seu providentiæ præfigere. Hanc ipsam tantummodò S. Bernardi Vitam inspicite, vos, inquam, Sanctorum gloriæ mastiges; cujus sanctitatem prorsus eximiam, præterquam quod scripta ejus, nedum gesta, ad vivum exprimunt; tot ac tanta irrefragabilis fidei testimonia comprobant, ut vel ipsa calumnia eam inficiari non audeat; sed & invitis, ac quantumvis invitis venerationem extorqueat. Miracula verò, etsi aliàs indubia, ac infallibilia sanctitatis argumenta non sint; in Bernardo tamen vitæ sanctimonia, & miraculorum gratia, tam arcto sibi fœdere connexa fuêre, ut aut stolidos, aut impios esse necesse sit, qui vel alterutram, vel utramque Viro sancto detrahere ausint.

C

S. Bern. miraculorum gratiâ excellit: miraculorum quis finis:

277 Quocirca alii aliis eum ornent elogiis; ego libens omnibus applaudo, quia nullum par ejus meritis invenio. Attamen Thaumaturgum per excellentiam non possum non appellare; visis scilicet tot ejus miraculis, & operantis tam familiariter, nec minùs mirabiliter, in eo virtutis divinæ testimoniis. Esto, sit nonnemo Sanctorum, qui hunc sibi titulum longi temporis præscriptione vindicet: non ægrè tamen is Bernardum in hujus tituli & honoris consortium recipiet. Quamvis vindicandæ sibi ipsis hac in parte laudis & gloriæ nulla viris Sanctis æmulatio esse soleat. Bernardus certè studiosè eam semper à se amoliri solitus est, sciens illi omnem deberi gloriam, qui operatur omnia in omnibus, & facit mirabilia magna solus. Nostrum nihilo minùs est, Deum laudare in Sanctis suis: eoque diligentius recolere miracula, quæ divina virtute, cùm Dei gloria, aut fidei ac religionis confirmandæ causa, aut Christiani populi salus id exigeret, sancti homines fecerunt, ne fine suo frustrentur, si à nobis neglecta, aut inofficioso, seu potiùs irreligioso silentio præterita fuerint. Præcipuus autem finis est, divinam asserere gloriam, ostendere potentiam, & orthodoxam potissimùm fidei veritatem, seu ad confutandos incredulos, seu ad confirmandos fideles adstruere. Ut verò jam alia infinita præteream; per unum certè Bernardum tam frequentia & illustria adstruendæ fidei argumenta edita video; ut illis Richardi de S. Victore verbis Christiano cuivis, si quando infidelitatis tentatione quatitur, cum Deo agere liceat: " Domine, si error est, à te „ ipso decepti sumus. Nam ista in nobis tantis „ signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, „ quæ non nisi per teipsum fieri possunt. Certè „ à summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita, „ & cum summa & authentica attestatione pro„ bata, teipso cooperante, & sermonem confir„ mante sequentibus signis „. Ita ille.

D

E

miracula fidei propugnacula.

278 Vereor ne excursus sit longior: non possum tamen quin S. Gregorii M. verba valdè hic opportuna recenseam. Ille, postquam miracula Sanctorum comparasset propugnaculis, virtutes eorumdem clypeis, quibus utrisque etiam nunc Christiani sese muniant, ac defendant, sic ait: " Hi itaque (Viri sancti) quàm vera de Deo „ dixerint, testantur miracula, quia talia per il„ lum non facerent, nisi de illo vera narrarent: „ & quàm pii, quàm humiles, quàm benigni ex„ titerint, eorum testantur operationes. Si igi„ tur de fide tentamur, quam ex illorum prædi„ catione concepimus, loquentium miracula con„ spiciamus, & in fide, quam ab eis accepi„ mus, confirmamur. Quid ergo illorum mira„ cula, nisi nostra sunt propugnacula? quia & „ muniri per illa possumus, & tamen hæc in ma„ nu arbitrii nostri non tenemus. Nam talia fa„ cere non valemus &c. „ Hæc paulo prolixiùs adferre visum in gratiam eorum, qui parum tribuunt aut fidunt miraculis; & Sanctorum gloriam calumniis lacerant: nec honorant, quos Deus sic voluit honorare. Spero hæc non ingrata, aut inutilia lectori fore: certè ingenuus Bernardi cultor non improbabit. *Quibus hæc subnectit Mabillonius:*

F

Ea, quæ fecit Sanctus, vel ipse laudat Berengarius.

279 His ab Horstio dictis addere licet, alia Bernardi miracula illustria, & omnibus, ipso vivente, immò ante prædicationem crucis seu sacræ expeditionis, de qua in Libro sequenti, comperta fuisse, ut Berengarius, ille Abaëlardi discipulus & defensor, in Apologia pro magistro suo, quantumvis Bernardo infensus, ea ut indubitata agnoscat. " Jam dudum, inquit Ber„ nardum alloquens, sanctitudinis tuæ odorem „ ales per orbem fama dispersit, præconizavit „ merita, MIRACULA DECLAMAVIT. Felicia ja„ ctabamus moderna secula, tam coruscí sideris „ venustata nitore; mundumque, jam debitum „ perditioni, tuis meritis subsistere putabamus. „ Spera-

A „ Sperabamus in linguæ tuæ arbitrio cæli ſitam „ clementiam, aëris temperiem, ubertatem ter„ ræ, fructuum benedictionem. Caput tuum „ nubes tangebat: Et, juxta vulgare prover„ bium, rami tui umbras montium tranſſcende„ bant. Sic diu vixiſti, ſic Eccleſiam caſtis inſti„ tutionibus informaſti, ut ad ſemicinctia tua „ rugire dæmones autumaremus, & beatulos nos „ tanto gloriaremur patrono „. Hæc ille, teſtimonium vel invitus veritati perhibens: etſi in conſequentibus Bernardum traducat, quòd Abaëlardum impugnaverit. *Quibus ego haſce ſuperaddo obſervationes.*

Animadverſiones variæ

280 *In manibus habeo epiſtolam F. Joſephi Ignatii à S. Antonio, Carmelitæ Excalceati, de quo mentio facta eſt à me ſuperiùs in Commentario prævio § 64, num. 718, anno 1672, die x Septembris, Tornaci ſignatam, & Papebrochio noſtro inſcriptam, in qua rationem ei reddit de exemplari Ms., Sancti miracula continente, quæ ab illo facta ſunt* in Alemannia. *Præter epiſtolam iſtam invenio etiam folium laudati Joſephi manu ſcriptum, cui prænotatur ſequens titulus:* Miracula à S. Bernardo edita in Germa-
B nia, duobus libris comprehenſa, ex Ms. C. S. Martini Tornac. *Deindè ſubdit ea, quæ ex illo extraxit, & notas, quas adjecit. Inſcriptio in codice iſto eſt:* Ad Henricum novitium Clarevallenſem. Domino deſiderantiſſimo & totis viſceribus caritatis amplectendo Fratri Henrico, verè regio pauperi, ſalutem optant qui cum Abbate ſunt fratres.

è codice Ms. 281 *Poſt hæc ſequitur epiſtola his verbis:* Tibi ſpecialiter deſtinandum credimus deſcriptionis hujus breviculum, ut & tibi ſit conſolatio, & per te cæteris innoteſcat, quibus judicaveris expedire. Moleſta tibi, moleſta eis eſt Patris mora, & ipſius animam gladius iſte pertranſiit, ſicut nos ſcimus. Quid nî deſideret ipſe filios tales? Quid nî deſideretur talis Pater à filiis? Verumtamen ubicumque ille ſit; apud vos eſt ſpiritus ejus, & corpus ipſum, ſi vobiſcum non eſt, pro vobis eſt. Pater enim filiis theſaurizat. Accipite igitur gratum munus, & nobis, qui verſamur in ſeculi fluctibus, beneficium rependite orationis. Agnoſcite quid à Deo datum ſit vobis, cùm animabus veſtris tantùm Patrem paC ſtoremque providit. *Hæc è laudato codice Ms. Joſephus.*

Tornacenſi, 282 *Quibus mox ſubditur:* Explicit epiſtola, incipit Proœmium, *in hæc verba:* Cùm in regno Theutonicorum verus crucis Servus verbum crucis annuntiaret, neceſſe fuit, ut regi Cunrado pro quodam pacis negotio loqueretur: occurrit autem ei Franckene vurt; qui in territorio Moguntinæ urbis viculus eſt, ſitus ſuper Mogum, & à Francorum vado nomen accepit. Ibidem quoque Conſtantienſis epiſcopus Heri* *al.* Her- mannus * nomine, vir religioſus, affuit, obmannus nixiùs ſupplicans, ut ad partes ſuas aſcendere dignaretur &c. *Ex hoc ſpecimine, atque ex aliis, quæ dabuntur poſtea in noſtris Annotatis, non obſcurè colligitur, Ms. Tornacenſe convenire cum miraculis antea excuſis: quænam autem in eo non ſint, poſtea notabimus: epiſtola verò ſeu Præfatio, quam Philippus monachus Claravallenſis in editione Horſtii ac Mabillonii dirigit ad Samſonem archiepiſcopum Remenſem, à ſuperiore codicis Tornacenſis, quæ Henrico laudato inſcribitur, omnino diverſa eſt. In notis, quas ſolio ſuo huc miſſo intexuit P. Joſephus, quaſque nos deinceps Tornacenſes vocita-*

bimus, obſervat ad inſcriptionem è codice Tornacenſi, Henrici, cui illa dirigitur, tirocinium in Claravalle, eſſe retrahendum ad annum Chriſti 1146, *contra auctores alios, qui illud differunt in annum* 1149. Ex EDITIS ET MSS.

283 Henricus, *ait*, hic, qui REGIUS PAUPER vocatur, eſt indubiè Henricus filius Ludovici VI Francorum regis, ac Aleydis à Sabaudia, frater autem Ludovici VII, qui monachum in Claravalle induit anno MCXLIX, ut habet Sigebertus (*immò verò Sigeberti continuator*,) & ex eo Baronius ad eumdem annum in Annal. eccl. Sed ex hac epiſtola nuncupatoria corrigendi. Nam epiſtola hæc ſcripta fuit Spiræ (ubi imperialis conventus in natali Domini an. MCXLVI habitus fuerat) menſe Januario, ut colligitur ex fine libri primi miraculorum S. Bernardi, ubi hæc verba leguntur. " Sed eundum eſt nobis, & qui „ deportaturus eſt iſta (ſcilicet miracula ad Hen„ ricum novitium Claravall., *prout interſerit no„ tarum Tornacenſium auctor*) nuntius jam feſti„ nat „. Quod confirmatur ex verbis Proœmii libri 2 horum miraculorum, quæ ſic ſe habent: " Multi ex vobis curiosè legerunt exemplar li„ belli, quod ad illuſtrem Henricum, regium E „ ſpiritu magis quàm ſanguine, miſimus de ſig„ nis, quæ vidimus à prima Dominica Adven„ tûs (nempe an. MCXLVI, in quo Dominica „ prima Adventûs fuit prima Decembris) uſque „ ad diſceſſum noſtrum à curia, quæ nuper Spi„ ræ habita eſt „. Ex quibus, *inquit*, evidenter colligitur, Henricum ſumpſiſſe habitum Religionis anno MCXLVI, antequam S. Bernardus è Claravalle diſcederet ad conventum Spirenſem. *Ad hunc itaque annum revoca, quæ ſuperiùs in Commentario prævio § 48, num. 517, ex Manrico, poſt Robertum de Monte, qui ſub iſto nomine vulgatus circumfertur, & Sigeberti Chronicon ſupplevit ſeu continuavit, præmiſſa ſunt de habitu Ciſtercienſi aſſumpto ab Henrico; atque adeò videſis etiam, quæ § 49, num. 526 de eodem Henrico referuntur è dicto Manrico. Quandoquidem autem innumera penè in decurſu ſequentium miraculorum ſignantur loca, in quibus ea contigerunt; non eſt, quod lector exſpectet noſtras ad ſingula notationes. Nam præterquam quòd nimis hoc longum eſſet, accedit etiam illud, quòd eorum notitia ſuppleri utcumF que poſſit è tractu terrarum, provinciis ſatis obviis, uti etiam ex fluminibus & urbibus, ne dicam de noſtris Annotatis ad libros quinque de* S. Bernardi *Vita, quæ de variorum locorum ſitu tractant.*

S. Bernardi

miracula referente.

284 *Porrò miraculorum hiſtoriæ, quam proximè daturi ſumus, fides ac meritum non indiget noſtra commendatione, cùm tot tantique in eadem clarè reluceant auctoritatis genuinæ ac ſinceræ characteres, quibus ſe ipſam cumulatiſſimè commendat, ut pleniſſimam fidem legentibus facere debeat. Notæ autem, quæ ad marginem ponentur, ex editione Mabilloniana, Horſtiana; ex codice item Ms. Tornacenſi; adde varia, quæ Henſchenius noſter obſervata reliquit, huc ſunt tranſcriptæ, ac partim variantes continent lectiones, partim loca explanant. Præfatio & pars prima miraculorum, in dicta editione præferunt* auctorem Philippum monachum Claræ-vallenſem: *parti ſecundæ Philippi nomen eodem modo, quo ponitur in prima, non additur; ſed in exordio epiſtolæ, quæ eidem parti ſecundæ præfixa eſt, ac deinde per narrationis decurſum nominantur* Everhardus, Ge-

Ex editis et mss. rardus, & Gaufridus monachi *Claravallenſes* ; *quibus adduntur* Philippus Leodicenſis, Volmarus (*al.* Vuolvemarus) Conſtantienſis . . , quos Vir ſanctus eripuit de medio Babylonis. *Pars autem tertia eſt* Gaufridi monachi Claræ-vallenſis. *In epiſtola verò P. Joſephi, de qua agebam ſuprà, circa codicem Tornacenſem, miracula Sancti referentem, ea dicuntur* deſcripta, non à Philippo de Claravalle ; ſed contenta libro 1, ab Herimanno epiſcopo Conſtantienſi : contenta libro 2, à Wolkemaro, antè dicti Herimanni clerico, & poſtea monacho Clarevallenſi. Liber primus mei Ms., *uti pergit P. Joſephus*, continet miracula facta ſingulis diebus à Dominica prima Adventûs anni MCXLVI . . uſque ad III Januarii anni ſequentis MCXLVII, & quibus in locis. Liber verò ſecundus continet ea, quæ facta ſunt ab illa die III Januarii, uſque ad diem V Februarii, quo S. Bernardus Claramvallem ingreſſus eſt, & etiam quibus in locis. *Verùm illa diverſitas nominum, quæ eſt in codice Tornacenſi, non evincit, eſſe nobis recedendum à nominibus auctorum, qui in editione Mabillonii ſunt. Nam* B *quid vetat, ab his miracula primò fuiſſe ſcripta, vel collecta, ac deinde ab aliis* deſcripta ? *Favet jam dictis Horſtiana impreſſio, in qua miraculorum, per Germaniam, Galliam, ac Belgium à* S. Bernardo *editorum*, auctores præcipui *nominatur* Philippus monachus Clara-vall., quondam archidiac. Leodienſ., & Gaufridus monachus itidem Clara-vall. *Et tamen Philippus, ſe ea* non ſcripſiſſe, ſed collegiſſe, *indicat in ſua Præfat.*

LIBER SEXTUS,

Seu miracula à Sancto per Germaniam, Belgium, Galliamque patrata anno MCXLVI & MCXLVII, in tres partes diſtributa, quarum ſingulæ ſuos præferunt auctores.

C

a

Narratio Herberti a *abbatis cœnobii Morenſis, de libro Miraculorum S. Bernardi, per inſigne miraculum ſervato.*

Narrat Herbertus, qua occaſione

b c d

VIſitante nuper venerabili abbate Claræ-vallenſi Petro *b* monaſteria ſua *c*, quæ in Remenſi provincia, flante Spiritu Dei, venuſtiſſimè florent, nos quoque cum illo profecti venimus die quadam unà cum ipſo ad monaſterium Vallis-Regis *d*. Invenimus autem ibidem miraculorum S. Bernardi multitudinem copioſam, quæ propter legentium tædium in codice vitæ ejus inſeri non potuerunt. Nam ſi prolixiùs ſcriberentur, plurima inde volumina conficerentur. Hunc ergo Miraculorum Librum, quem in Clara-valle non haberi comperimus, acceptum mutuò nobiſcum ferre curavimus, ut eum tranſcribi faceremus. Portabatur autem in mantica cum aliis ſeptem libris tam majoris quàm minoris voluminis. Venientibus itaque nobis ad monaſterium Longi-pontis, contigit, ut eorumdem D Librorum portitor equus cum ceteris ad aquam duceretur. Qui dum incautè dimiſſis habenis vadum excederet, lapſus in profundum ſtagni fluctuando & natando fermè unius horæ ſpatio, huc & illuc anxiè pervagabatur. Exclamantibus autem, qui aderant, quòd equus ille librorum atque veſtimentorum ſarcinam habens cum puero ſuperpoſito mergeretur ; accurritur undique, ut ei ſuccurratur. Interim autem quadrupes, & ipſe puer ſub aqua latebant, niſi quod ora protenſa modicè ſuperiùs apparebant. Quidam verò juvenis indumentis exutus, & natando diutius inſecutus pereuntes, eripere voluit, ſed fugiente caballo minimè potuit.

286 Tandem verò quæſitâ & de longè adductâ naviculâ, miſerante Domino, reducti & liberati ſunt ſimul adoleſcentulus, & caballus, non modò viventes, verùm etiam ſalvi & alacres. Mantica verò continens ipſos libros, inventa eſt aquis in modum utris plena atque diſtenta. Quæ dum poſtmodùm incuriâ miniſtrorum clauſa diutiſſimè permaneret, tandem eâ reſeratâ inventi ſunt libri à minimo uſque ad maximum, ita madefacti atque deleti, ac ſi in profundo ſtagni diutius jacuiſſent. Verumtamen ſolus ille Miraculorum Liber, cùm tamen ceteris aquâ imbutis atque ſubmerſis eſſet immixtus, ita repertus eſt incorruptus & ſiccus, ita pulcher ac floridus, ut minimè tunc extractum de vivario crederes, ſed potiùs aſſumptum de armario diceres. Nam quemadmodum uſque hodie cernitur, ne unam quidem in eo literulam magnam vel modicam aquæ ſtilla delevit, aut tetigit ; cum ceteri, ſicut dictum eſt, libri ita fluctibus obliterati, & pellium more confecti viderentur, ut nullis deinceps uſibus judicarentur apti. Unde mirati, & magna jucunditate repleti, gratias egêre multimodis divinæ clementiæ, qui dilecti ſui Bernardi merita veneranda voluit etiam nunc hujuſmodi ſigno glorificare. Nos quoque magnificè conſolati, proprium damnum de ſubmerſione librorum non modò leviſſimè, verùm etiam lætiſſimè tulimus : quippe qui in ejus reſtitutione, jucunda verè piſcatione, tantum & tale miraculum de immenſitate aquarum cum libris extulimus. Et quidem duplex nobis incubuit exſultandi materia, tum pro ipſa miraculorum gloria commendata, de quorum certitudine præſenti miraculo certiores exiſtimus : tum pro ipſa pueri vita donata, cujus liberationem ſanctiſſimi Confeſſoris hujus precibus & meritis attribuendam eſſe non dubitamus. F

& modo liber ille fuerit non tactus ab aqua.

E

ANNOTATA.

a *Fuit* Herbertus *monachus Claravallenſis, dein abbas de Moris, ac demum archiepiſcopus Turritanus in Sardinia. De ſingulis vide tomum 2 Auguſti, die 6 ejuſdem menſis, in Commentario prævio ad Vitam B. Schetzelonis confeſſoris ; & Annotata ad eamdem Vitam. Conſuli etiam poteſt Henriquezius in Apparatu ad Menologium Ciſtercienſe cap. 3.*

b *Fuiſſe hunc octavum abbatem Claravallenſem, ac obiiſſe anno 1186, ſcribitur in ſerie iſtorum abbatum apud Jongelinum lib. 1, pag. 25. Dictus etiam fuit* Monoculus, *de quo Manricus ad an. 1183, cap. 4 ; cui præſens miraculum innectit. In Prætermiſſis apud nos ad diem 18 Maii refertur idem Petrus.*

c Fuſniacum *videlicet*, Bonum-fontem, & Signia-

A Signiacum, *teſte Mabillonio hîc in notula marginali.*

d Vallis-regia (*la Val-Roy*) in diœceſi Remenſi, filia Igniaci, de linea Claræ-vallis, fundatur anno Domini MCXLVIII, *ex Jongelino.*

Philippi de Clara-valle Præfatio in Librum miraculorum S. Bernardi, ad Samſonem a *archiepiſcopum Remenſem.*

a

Cariſſimo patri & Domino S., Dei gratiâ Remorum archiepiſcopo, frater Philippus *b* de Clara-valle, ambulare à claritate in claritatem tamquam à Domini Spiritu.

b

B *Philippus dat rationem cur agat de miraculis Sancti:*

MUlta eſſet præſumptio, ſi non multa eſſet dilectio, quod veſtræ præſumo ſcribere ſublimitati. Quid enim ſervus ad dominum, diſcipulus ad magiſtrum, ad epiſcopum monachus? Nihil mihi & illi, cùm illum ſumma dignitas, me vilitas alta componat. Sepultus inter homines, non eſt revocandus ad homines, nec revocari debet ad phaleras gloriamque verborum, qui ſilentium impoſuit ori ſuo. Scitis & vos, domine pater, quia ſcribere nec monacho in uſu, nec indocto in promptu, nec pœnitenti eſſe debeat in affectu. Durum quoque eſt, ut cùm alii vacent & videant, quoniam ipſe eſt Dominus, ego ſtilum tabulaſque involvam, quem non ignoratis durioris pœnitentiæ martyrio confringendum. In veritate didici, nihil eſſe efficacius ad promerendum divitias gratiæ Domini, quàm ſedere & tacere, & ſemper humilibus conſentire. Humilitas virtutum regina, primogenitum filium ſuum ſilentium parit, in quo, & de quo cultus juſtitiæ pendet, juſto atteſtante, qui ait: Cultus juſtitiæ ſilentium. Sed nimis progredior, & interrumpendus eſt curſus ſermonis, quia fortaſſis incommoda prælibatio eſt, ſi, quos pluribus debetis oculos, detineam paginâ longiori. Idipſum autem quando præſumpſiſſet puſillitas, vel puſillanimitas mei, ſervi veſtri: niſi præveniſſet vel interveniſſet veſtra humilis ſublimitas, immò ſublimis humilitas, amantiſſime pater? Rogatis igitur, ut ſcribam vobis, quæ comperta habeo de miraculis Patris noſtri, amici veſtri, qui vos diligit non verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Et illa quidem egebant diligentiori diſputatione, & doctiori diſputatore, cùm illa tamen ego non ſcripſerim, ſed collegerim: certus autem quod auribus meis audierim, & perſpexerim oculis univerſa: ipſa tamen, quæ in itu & reditu Stampenſis collocutionis effecit, ego nec vidi, nec audivi: ſed viderunt & audierunt, qui miniſtri fuerunt ſermonis, & quibus credo ſicut oculis meis. Ego enim tunc intravi ſcholam Jeſu, & valedixi ſeculo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Decrevimus autem & hæc & alia, quæ fideli ſtilo à principio itinerarii ipſius excerpta ſunt, alicui de linguis inſignibus & religioſis commendare, qui potenti virtute verborum facta lucida perducat in lucem. Vos quoque, cum hanc epiſtolam ſuſceperitis, orate pro Philippo veſtro, qui veſter ero, quamdiu fuero, in viſceribus Jeſu Chriſti.

C

EX EDITIS.

ANNOTATA.

a *Apud Sammarthanos Rainaldo à Pratis, anno* 1137 *vitâ functo, ſucceſſiſſe ponitur; ac diem ultimum clauſiſſe anno* 1161, *apud Alberici Chronicon; ex cœnotaphio autem anno* 1160. *Laudatur à* S. Bernardo *in epiſtola* 210, *&* 247.

b *Adiſis ſuprà obſervationes noſtras num.* 284.

PRIOR CAPITUM LIBRI VI, SEU MIRACULORUM DIVISIO.

Caput I. De profectione Bernardi Conſtantiam verſus; item de perſonis & nominibus eorum, qui miraculorum oculati teſtes fuerunt.

Cap. II. De miraculis per beatum Bernardum factis Friburgi, Baſileæ lociſque vicinis.

Cap. III. De miraculis Conſtantiæ, & per viciniam à beato Bernardo editis.

Cap. IV. Beatus Bernardus venit Spiram in vigilia Natalis Domini ad conventum imperatoris & principum, & de miraculis ibidem patratis. E

Cap. V. De aliis miraculis Spiræ factis.

Cap. VI. Epiſtola monachorum Claræ-vallenſium, & comitum S. Bernardi ad Clericos eccleſiæ Colonienſis.

Cap. VII. De miraculis à Spira Coloniam uſque per beatum Bernardum editis.

Cap. VIII. De variis miraculis Coloniæ Agrippinæ factis.

Cap. IX. De miraculis in itinere, Coloniâ Leodium uſque, id eſt, Juliaci, Aquiſgrani, Trajecti, factis.

Cap. X. Epiſtola Gaufridi monachi Clara-vallenſis ad Hermannum epiſcopum Conſtantienſem.

Cap. XI. De miraculis Leodii, Gemblaci, Villarii, Montibus, Valencenis, &c. factis.

Cap. XII. De miraculis Cameraci, &c. patratis.

Cap. XIII. De miraculis in itinere verſus Claram-vallem editis.

Cap. XIV. De miraculis Claræ-valli, Trecis, Stampis, Senonis & vicinis locis per Bernardum patratis.

Cap. XV. De miraculis Autiſiodori, Moliſmi, &c. factis. F

Cap. XVI. De miraculis quibuſdam Treviri, Rutilæ, & Francofurti per Bernardum editis.

Cap. XVII. De miraculis, quæ Tulli per B. Bernardum contigerunt.

PARS PRIMA,

Auctore Philippo monacho Claræ-vallenſi.

CAPUT I.

Iter Conſtantienſe; miracula, & oculati eorumdem teſtes.

CUm in regno Teutonicorum verus crucis ſervus Bernardus verbum crucis annuntiaret *a*; neceſſe fuit ut regi Conrado pro quodam pacis negotio loqueretur. Occurrit autem Franckevoert, CAP. I. *qui epiſc. Conſtantienſem adit.* a

A. PHILIPPO. kevoert *, quod in territorio Moguntino ſuper Mogum * ſitum eſt caſtrum, & à Francorum vado nomen accepit. Ibidem quoque Conſtantienſis epiſcopus Hermannus *b* nomine, vir religioſus adfuit, obnixiùs ſupplicans, ut ad partes ſuas aſcendere dignaretur. Cujus petitioni multa quidem negotia reſiſtebant; maximè tamen Claræ-vallenſium ſuorum intima ſollicitudo, & præcordialis affectus, ad quos redire omnimodò feſtinabat: neque enim filiorum uteri ſui mater poterat obliviſci, ſed toto fere anno avelli à ſe viſcera ſua graviſſimè querebatur. Vicit tamen conſtantia domini Conſtantienſis, cùm opportunè, importunè, modò per ſe, modò per regem & epiſcopos ſupplicaret. Sic nimirum intolerabile ſibi indicat Vir benigniſſimus pro ſe anxios contriſtari. Magis autem prævaluit timor Domini, & ſpiritus ejus, ſuggerens apertum ſibi eſſe oſtium magnum. Hoc enim ſtudium ejus, hæc conſuetudo eſt, ut licèt animum habeat affectione pleniſſimum, nullum tamen apud eum propria obtineat affectio locum in deliberatione faciendorum, ſed totum ſibi vindicet divinæ inquiſitio voluntatis. Acquievit ergo venire cum epiſcopo. Et dominicâ primâ Adventus Domini ingreſſi ſumus fines epiſcopatus Conſtantienſis, & in villa cui nomen eſt Kentingen *, maxima populi devotione ſuſcepti. Multa ex hoc divinæ miracula virtutis claruerunt: quæ etſi nos tacuerimus, lapides clamabunt. Propterea qui præſentes fuimus, dignum duximus annotare eâ vitandæ gratiâ confuſionis, & dubitationis abigendæ. Singulorum enim præſcripſimus nomina; & ſinguli quod vidimus & audivimus, certa veritate teſtamur. Eramus autem cum eo ego Hermannus Conſtantienſis epiſcopus; & Eberhardus * capellanus ejus *: abbates duo Baldowinus & Frowinus *c*: monachi quoque duo, Gerardus & Gaufridus: clerici tres, Philippus Leodienſis archidiaconus; Otto & Franco: quibus additus eſt in ipſo itinere Alexander Colonienſis *d*: Romam enim proficiſcebatur, ſed videns opera divinæ virtutis, & audiens crebram Patris exhortationem, compunctus eſt & converſus. Singulorum nomina ex præſcriptione primarum invenies litterarum *e*.

b

B

* *al.* Kentzigen *prope Friburgum Briſgoiæ.*

* *al.* Everardus.

* *al.* meus

c

d

e

II. *Miracula*

C

f

289 *Hermannus epiſcopus.* Mihi ſacerdos villæ Herenheim, ob hoc ipſum vocatus, indicavit, hominem cæcum jam annis decem, qui de domo ſua erat; Dominicâ primâ *f* Adventûs ſignatum in tranſitu; ubi domum rediit, ſtatim illuminatum eſſe. Hoc ab alio priùs audieram, & in tota regione certiſſimum eſt. *Eberhardus.* Ego à duobus honeſtis viris, quorum alter ſacerdos, alter monachus erat, audivi duos in villa Lapenheim * ipſa die ſignatos ſimiliter illuminatos. *Philippus.* Secundâ feriâ, me præſente, cæcus ſenex adductus eſt in eccleſiam, & poſt manûs impoſitionem, ſicut omnes audiſtis, illuminatum eum populus acclamavit. *Frowinus abbas.* Ego hominem illum videntem vidi, & frater Gaufridus mecum. *Franco.* Tertiâ feriâ in Frienburg * puerum cæcum mater obtulit manè in hoſpitio: dumque reportaret eum poſt manûs impoſitionem, juſſit pater inquiri à puero an videret: & ego ipſe ſecutus ſum, & cum interrogaſſem puerum, clarè ſe videre reſpondit: quod & in multis probatum eſt argumentis. *Gaufridus.* Statim ut ingreſſi ſumus eccleſiam, adoleſcens claudus per ſignum vitæ greſſum accepit. *Epiſcopus.* Omnes vidimus eum ante altare, cùm populus in Dei laudibus acclamaret. *Eberhardus.* Ego illa ipſa die tres alios claudos erectos vidi. *Franco.* Mulierem cæcam, quæ in ingreſſu eccleſiæ illuminata eſt, & populo præſentata, omnes vidiſtis. *Gaufridus.* Et puellam, cujus arida manus reſtituta eſt ſanitati, de qua inter oblationes cantatum eſt. *Gerardus.* Ego ipſa die puerum illuminatum vidi. *Otto.* Quartâ feriâ, cum poſt Miſſarum celebrationem Pater egrederetur eccleſiam, mulieris manus aridas tetigit, quæ poſt paululum incolumitatem recepit: cantum omnes audiſtis: ego & Franco vidimus ipſas manus. *Gaufridus.* Sic & puero, cum egrederetur vicum, manus reddita eſt coram omnibus nobis. Sed & mulier clauda, quam Patris juſſu, dum conſequi nos non valeret, reverſus Henricus noſter ſuper equum ſuum attulerat, nobis videntibus, greſſum recepit in ipſo loco, ubi puella clauda ex utero cœperat ambulare, & ſimul duæ currebant. *Franco.* In ipſo itinere puellæ cuidam manus arida reſtituta eſt. Et ego ei baculum Abbatis tradidi, & fortiter eum tenebat.

D

290 *Epiſcopus.* Quid illud omiſiſtis, quòd prima die in Frienburg pro divitibus juſſit fieri orationem, ut auferret Deus velamen de cordibus ipſorum, quia pauperibus accedentibus, ipſi crucem ſuſcipere cunctarentur. Neque enim otioſa fuit oratio: ſed, ut ſcitis, ditiſſimi quique, etiam peſſimi, vici illius ſignati ſunt. *Philippus.* Meminiſtis etiam cæci illius ſenis, qui in via ſignatus eſt, & quemadmodum ſenſit Pater ſanctus exiſſe virtutem non à ſe quidem, ſed à verbo virtutis & ſignaculo vitæ; remiſit enim cùm paululum proceſſiſſemus, qui inquirerent, an videret, & inventus eſt videns. *Gaufridus.* Ipſe nobis ſecretò confeſſus eſt, quòd ſæpius futura erga eos, quos ſignabat, beneficia præſentiret, & de ſurdis illis mulieribus, quæ eâdem illâ die, in villa Crocingen, per quam tranſivimus, videntibus nobis auditum receperunt, ad tactum prioris, ſicut ex ipſius ore audivi, locutus eſt Deo, quòd nullum adhuc ſurdum hac vice beneficium ſenſiſſe cognoviſſet, & ſine hæſitatione tetigit eas. *Eberhardus.* Ego cum duabus illis etiam adoleſcentem vidi, qui in ipſa hora fuerat illuminatus. *Epiſcopus.* Herzeretheim * quartâ feriâ *g* manè, poſt Miſſarum ſolemnia, puellam, cui reſtituta manus eſt, ego obtuli. *Philippus.* Et ego puerum ſurdum, & mutum ab utero, quem protinus audiſtis rectè loquentem & audientem clarè.

E

* *al.* Heyreresheim.

g

F

291 *Epiſcopus.* Ego ipſe allocutus ſum puerum, ubi ſignatus eſt, & liberè ſtatim reſpondit, & omnes audiſtis populi vociferationem. *Gaufridus.* Unde ei verba, quæ numquam audierat? *Epiſcopus.* Ab eo, qui linguas infantium facit diſertas. *Gerardus.* Hoc erat quod præcedente veſpera ſecretò colloquentibus Pater dixerat, neminem adhuc mutum in hac vita ſe vidiſſe loquentem: & poſt paululum, Cùm ſoleant, inquit, qui muti ſunt à nativitate, etiam ſurdi eſſe, mirum valdè eſt an aliquando ſic curentur, ut linguam, quam penitus antè non noverant, ſubitò intelligant, & loquantur. *Philippus.* Puellam claudam, quæ ibidem erecta eſt, & greſſum recepit, & puerum illuminatum omnes vidimus. *Frowinus abbas.* Infantulum cæcum mater attulerat, & ſignatus receperat viſum: ſed illa adhuc neſciebat, donec ego puero pomum obtuli, & extenſa manu apprehendit illud. Et ex hoc probatus eſt videre. *Eberhardus.* Cùm educeretur Vir ſanctus de eccleſia, immò deportaretur magis ante oſtium, me præſente & vidente

* Friburg.

& varia,

claudum

A claudum ſignavit, & tulit baculos ejus, & ille exſiliens ambulabat. *Philippus.* Cæcum à nativitate puerum, cujus dum egrederemur, Pater beatus aperuit oculos, & ego vidi, & populus multus qui aderat; & nos ferè omnes. Similiter ex media parte corporis paralyticum, cui etiam oſculum dedit poſt ſignaculum, & ſtatim ſanus factus eſt coram nobis; nam & manum ejus aridam antè curaverat. In villa Stieng * cæca ab annis quatuor mulier in aquæ tranſitu illuminata eſt coram populo, & omnes ferè vidimus eam. *Gerardus.* Ego in eadem via puellam vidi, cujus manus arida ſanata eſt, videntibus & acclamantibus multis. *Epiſcopus.* Sextâ feriâ, Baſileæ poſt ſermonem habitum & datas cruces, mulier muta oblata eſt Viro Domini, cujus cum tetigiſſet linguam, ſtatim ſolutum eſt vinculum oris ejus, & loquebatur rectè. Hanc ego vidi, & ei locutus ſum: ſed claudum, qui antea greſſum receperat, de quo ſic acclamavit populus, quis veſtrum vidit? *Otto.* Omnes vidimus eum. *Eberhardus.* Ego & milites Domini mei ipſa die, id eſt, ſextâ feriâ puerum vidimus, quem ad

B hoſpitium ſancti Viri cæcum mater adduxerat, & reducebat videntem. *Gerardus.* Multa eo maximè die facta ſunt, quæ præ tumultu ſcire nequivimus. Audivi enim ipſum dicentem, quòd cæcos eo die tetigiſſet, quos credebat omnino illuminatos eſſe aut citò illuminandos. *Epiſcopus.* Sabbato juxta caſtrum Rinvel * puer claudus erectus eſt, & ego cùm audiviſſem vociferationem, præcedebam enim, redii & inveni ambulantem claudum in medio populi exſultantis. *Eberhardus.* Secking *, veſpere Sabbati, dum egrederetur eccleſiam Homo Dei, puer, cujus erant nervi cervicis indurati, & caput erigere, aut circumducere non valebat, oblatus eſt, &, ubi ſignatus eſt, rediit, ſolutis nervis, erexit caput & liberè circumſpexit. Serviens meus, qui in ipſo hoſpitio pernoctavit, & puerum vidit, mihi hoc indicavit, cum aliis ſociis meis.

292 *Gaufridus.* Ipſa eſt villa, ubi manè die Dominica *h*, puero manus reſtituta eſt, & alter claudus à nativitate greſſum recepit; & duo claudi, alter vir, & altera mulier in egreſſu villæ erecti ſunt, & baculis, quibus ſuſtentabantur abjectis, liberè incedebant magnificantes Dominum. Nec longè proceſſeramus, &, ecce, mulieris manus invalida ſignata eſt & ſanata. Omnes hoc vidimus, & ad ſingula clamor factus eſt, & exſultatio magna. Hominem etiam mente captum, quem in eadem villa Pater ſignaverat, & ſtatim quietum ac ſanè loquentem & agentem gratias vidimus, & ex hoc ſanum permanſiſſe audivimus. Redeuntes juxta eamdem villam, ſacerdoti locuti ſumus; & dixit ex his, de quibus certi erant, ipſa die ibi aut erectos aut illuminatos. Veſperi quoque, ut Dux Conradus occurrit, claudus puer coram eo, & militibus greſſum recepit, videntibus etiam nobis. *Epiſcopus.* Ibidem contigit, quod modò ſileo, ſed ſuo loco à vobis velim commemorari. *Eberhardus.* Ipſo die in ingreſſu eccleſiæ Doningen *, alterum claudum erectum vidimus & ambulantem. Manè ſecundâ feriâ, ex utero claudus in ingreſſu ejuſdem eccleſiæ, me præſente & vidente, greſſum recepit. Puer quoque, quem in hoſpitio noſtro manè mutum videramus, coram nobis locutus eſt. Sed & hoſpita noſtra nobis teſtabatur, neptem ſuam, quæ quadraginta annis cæca fuerat, à quarto anno ætatis ſuæ, ipſa die illuminatam. *Gerardus.* Ego in hoſpitio die ipſa puerum cæcum illuminatum vidi. *Philippus.* Et ego adoleſcentulam cæcam, quæ prope villam illuminata eſt, quam & ex noſtris, & ex populo multi viderunt. A. PHILIPPO.

293 *Gaufridus.* Multa eo die vidimus, quorum jam non poſſumus recordari. Unum tamen occurrit, ipſa, quam, vidi lætitiæ magnitudine ad memoriam revocante. Dico autem de muliere, quam diu claudam in villa quadam, per quam tranſivimus, erectam vidimus omnes, *Eberhardus.* Ego cum militibus Domini mei contuli, & ex his, quæ tam illi viderunt, quàm ego ipſe, numeravimus triginta ſex miracula, quæ facta ſunt ipſa die. Cæci undecim illuminati ſunt; claudis decem & octo greſſus redditus eſt. Mancis undecim manus reſtitutæ, ſurdus unus audivit. Si plus in ſumma veniunt quàm triginta ſex, inde eſt, quod priùs perſonas numeraveram, modò ſigna. Nam erga puellam unam multa ſunt facta, quæ cæca, clauda utroque pede, & muta erat, & alteram manum aridam habens: ad multa etiam alia cantantem audivimus populum qui ſequebatur nos, ſed quia reverti nequivimus, non vidimus ea. *ab eo edita.* E

Philippus. Tertiâ feriâ Scafhuſen * multa amiſimus, quia tumultus intolerabilis erat, & omnino abſtinere oportuit Patrem à benedictione infirmorum, & fugere, adeo ſe populus invicem comprimebat. *Eberhardus.* Ego ipſe ante altare rogabam obnixiùs, ne cui manus imponeret, prorſus ignorans, qua ratione poſſet educi. *Philippus.* In ingreſſu tamen eccleſiæ clauda greſſum receperat, me præſente: & populi cantum omnes andiſtis. Vidimus & alteram claudam, quæ egredientibus nobis de villa ſupra montem ſignata eſt, & confeſtim ſolutis nervis liberè ambulavit. *Eberhardus.* Me vidente, in eadem villa ſurdus recepit auditum, & mulier greſſum, quæ clauda fuerat utroque pede. Audivi etiam à milite quodam domini mei, qui in ipſa turba Sanctum Domini defendebat, & præſens erat omni hora, quòd aridum brachium cujuſdam ſanatum ſit, & claudus ambulaverit. *Epiſcopus.* Feriâ quartâ manè in ingreſſu eccleſiæ, me præſente, & vidente cum populo, & fratribus noſtris, claudus utroque pede, & manum habens unam aridam ab utroque incommodo liberatus eſt, & liberè ambulabat & movebat manum. *Philippus.* Cæcum puerum, qui ibidem illuminatus eſt, ego vidi. * Schafhauſen F

ANNOTATA.

a *Cur, quando, & quanto cum fructu Pater ſanctus Germaniam peragraverit, præmittitur in Commentario prævio § 39; ubi & de miraculis.*

b *De eo breviter agunt Sammarthani inter epiſcopos Conſtantienſes ad Rhenum. Gaufridus ei dedicat miracula* S. Bernardi, *ut poſtea videbimus.*

c Frowinus ex monacho Einſidlenſi factus eſt abbas in Monte-Angelorum apud Helvetiæ Subſilvanos, idemque nonnulla Opuſcula eruditè ſcripſit, quæ vidimus, *inquit Mabillonius in nota hîc*, in bibliotheca Einſidlenſi.

d *Miro modo Alexander ad Ciſtercienſe inſtitutum fuit converſus, ſicut narratur in Commentario prævio § 39. Habetur in Menologio Ciſtercienſi apud Henriquezium die 29 Julii, cum titulo* beati, *& inſigni elogio: apud nos autem locus ei datur inter Prætermiſſos ad eumdem*

* *Not. Torn.* Elieng

* Reinfeld

* Seckingen

in iſtis terrarum tractibus h

* Doningen *vel* Dangen.

A. PHILIPPO.

dem diem.

e *In Ms. Tornacenſi ſubditur hîc :* Explicit Proœmium. Incipiunt ſigna, quæ in Alemannia per ſervum ſuum B. Abbatem Claræ vallenſem operatus eſt Deus.

f *Dominica illa anno Chriſti* 1146, *quo hæc miracula evenerunt, incidit in diem primam Decembris, concurrentibus littera Dominicali, ac prima menſis Decembris die F. Hinc feriæ, quæ deinceps occurrunt, uti & Dominici dies, ac feſti, facilè ſuis quæque menſium diebus aptantur.*

g *In notis Tornacenſibus ſignatur* feria v, id eſt, v Decembris. *Et verò in lectionem* feriâ quintâ, *ſatis propendeo, quia ephemerides illæ diſtribuuntur in feriis hebdomadæ ſingulas, uti licet videre in ſequentibus ; in Mabilloniano autem exemplari ac Horſtiano* feria quinta *vacat, & bis ponitur* feria quarta.

h *Dominicâ videlicet ſecundâ Adventûs*, 8 *Decembris.*

CAPUT II.

B

Miracula Conſtantiæ, ac in vicinis locis, nec non Spiræ facta.

III. *Miracula alia :*

C

Conſtantiæ facta, fere incognita.

B *Aldowinus abbas.* Ubi Rhenum tranſivimus, cantus ille, quem audiſtis, omnes enim in altera parte remanſeratis, populo præoccupante naves, fuit pro erectione claudi cujuſdam pueri, quem ego vidi. *Gaufridus.* Cæcum ſenem, qui in eodem itinere, dum tranſiremus villam, lumen recepit, ego vidi, & mulierem claudam longo jam tempore, quæ ſub manu benedicentis exſiliit : cui ſic congratulabantur omnes, qui noverant eam priùs : curru enim venerat, & pedibus revertebatur. *Philippus.* Puerum utroque brachio impotentem Pater ſignaverat, cujus dum alterum brachium extendiſſet, unus ex militibus, alterum dum ei offerre vellet, coram omnibus nobis extendit. *Gaufridus.* Omnes vidiſtis, quantùm exſultavit mulier inſolitam lucem mirata, quæ juxta lacum illuminata eſt. *Epiſcopus.* Puerum paralyticum parte media ſignatum atque ſanatum milites noſtri ſe vidiſſe teſtantur. Filium quoque militis cujuſdam, cujus erat manus arida, ut videbatur, fere duodennem, cum adduceretur, ego vidi, ſtatim verò cantantes audivi & inquiſivi, quid accidiſſet. Miles autem quidam reſpondit, ſanatam manum filii domini ſui. *Alexander.* Ego hunc ſanatum vidi. *Gaufridus.* Ego alterum vidi pauperem adoleſcentulum, cui manus arida reſtituta eſt in villa proxima Conſtantiæ.

295 *Frowinus abbas.* Quæ Conſtantiæ facta ſunt, præ tumultu pauci viderunt : ego tamen cæcum illum, qui feriâ quintâ ante altare illuminatus eſt, vidi. Abbas Augienſis adduci præceperat eum, cujus mendicus erat. Puer quoque de hoſpitio noſtro, quem ego ipſe adduci feceram, ipſa die ſignatus, claudus enim erat, greſſum recepit. Sed & pro tribus aliis ſignis in eccleſia cantatum eſt, & campanæ pulſatæ ſunt, licèt nemo noſtrûm viderit, quid ageretur. *Gaufridus.* Nulla ſic ignoravimus, ſicut ea, quæ Conſtantiæ facta ſunt, quia nemo noſtrûm ſe turbis immiſcere audebat : & nos hæc, quæ vidimus, loqui propoſuimus. Ex eis, quæ feriâ ſextâ facta ſunt, nihil vos vidiſſe arbitror ipſa die. Nam Sabbato manè inter oblationes puerum vidimus cum multa devotione gratias agentem Patri, cujus oratione ipsâ feriâ ſextâ amiſſum recepit greſſum. Cujus devotionem Vir ſanctus intuens, ad meipſum converſus, ait : Non eſt inventus, qui rediret & daret gloriam Deo, niſi puer iſte. Priùs autem in ipſa oblatione, adoleſcens ſurdus jam duodecim annis, ſicut ipſe confeſſus eſt, ſub manu ſignantis beneficium ſentiens exclamaverat in gaudio & exſultatione, quòd recepiſſet auditum. Omnes eum vidimus, aliqui etiam ex noſtris locuti ſunt ei. Sic & mulierem claudam, quæ ibidem greſſum recepit, vidimus, & puellam claudam, quæ ſimiliter eſt erecta. Altera quoque puella, quæ ſurda erat, ibidem recepit auditum. Hæc, ut ſcitis, Conſtantiæ, in capella domini epiſcopi facta ſunt ſabbato. D

296 *Philippus.* In ſolio, cùm jam pararet exire, mulieris manus invalida ſanata eſt, & hanc ego vidi. *Baldowinus abbas.* Ego adoleſcenti illi, qui in exitu civitatis auditum receperat, locutus ſum, cùm populus exſultans vociferaretur. *Philippus.* Veſpere ſabbati in hoſpitio apud Winterthur, puellam mutam vidiſtis, cùm eam mater adduceret, & quomodo poſtea redierit loquens ; ipſi ſcitis : de multis enim interrogata liberè reſpondit. Nam manè Dominica *a* die præ tumultu omnes exiſtis eccleſiam, nec vidiſtis, quæ fiebant, licèt clamorem populi vociferantis audiretis. Ego autem vidi puerum media parte corporis paralyticum, cui & brachium, & manum, & tibiam ſimul, & pedem, quæ omnia invalida erant, virtus divina reſtituit ad Patris benedictionem. Duabus quoque, claudæ alteri quidem pede uno ; alteri verò utroque, greſſus redditus eſt, & has præſens vidi. *Alexander.* Ipſa die in via, nobis videntibus, puer claudus greſſum, & mulier ſurda auditum recepit : ſed prope Turegum *b* coram multis, qui occurrerant, claudus erectus eſt. *Gaufridus.* Turegi ſecundâ feriâ manè in eccleſia cæca mulier illuminata eſt. Hanc ego vidi cæcam cum adduceretur, & cum manus ei imponeretur, præſens adfui, & protinus illuminatam vidimus univerſi. *Franco.* In eadem eccleſia, puella clauda greſſum recepit, & mutus loquelam, præſentibus & videntibus nobis. *Philippus.* Similiter & puella cæca, viſum. Multa quoque ibidem facta ſunt, quæ nemo ex nobis videre potuit præ tumultu. E F

Alia alibi patrata,

a

b

297 *Gerardus.* Ubi fluvium Lindemach *c* tranſivimus, cui ſuperpoſitus eſt vicus ille, infra dimidium milliare duo pueri manci manus, mutus unus loquelam, ſurdus unus auditum, ſenex cæcus viſum, coram omnibus receperunt. Hæc nos omnia vidimus, & certiſſimè ac diligentiſſimè probavimus, acclamante ad ſingula multitudine, quæ Sanctum Domini deducebat in lætitia & exſultatione. *Philippus.* In ipſo itinere clauda erecta eſt, quam in humeris deportatam ubi ſignavit Pater, deponi juſſit & ambulare ; hæc erat, cui ſic congratulabantur vicinæ mulieres, & omnes qui noverant eam : ſed & ſurdus quidam, ipſa die juxta viculum, per quem tranſivimus, coram nobis recepit auditum. *Gerardus.* Feriâ tertiâ profecti manè à viculo, cui nomen Birbovermeſdorff*, priuſquam fluvium Rufam tranſivimus, duas mulieres claudas vidimus in itinere erectas, utriuſque directionem Pater, dum eas agitaret, ſine ulla hæſitatione cognovit. Subſtitit enim, & utramque deponi fecit, & liberè ambulabant magnificantes Deum. *Alexander.* Ipſo

& diſtinctè cognita

c

* *al.* Bibomeſdorf

A ſo die juxta viculum puer intorto & rigido collo ſanatus eſt coram nobis, & liberè caput movebat. *Eberhardus.* Unum omiſiſtis, quod ego vidi, & populus multus villæ, quæ dicitur Frichen * ; omnes enim præcedebatis. Ibi clericus quidam de villa, quæ dicitur Seckingen, obnixiùs rogavit Sanctum Domini, dum ingrederetur villam, ut aliquod faceret ſignum, quia populus duriſſimus erat : &, ecce, mulierem claudam ab annis viginti offerebant, quam ubi ſignavit Pater, juſſit deponi, & liberè ambulavit.

* *al.* Fricken, *&* Frichem

298 *Alexander.* Manè quartâ feriâ apud caſtrum Rinvelt *, ubi pernoctaveramus, priuſquam intravit Vir ſanctus eccleſiam, in atrio exteriori intortum collum pueri ſanavit, & puellæ manum invalidam reddidit ſoſpitati. *Gaufridus.* In eccleſia poſt Miſſæ celebrationem, puellam ei obtulimus, quæ ex utero matris ſuæ cæca, vix lucem ſolis videre poterat, nec aliud diſcernere. Cujus oculos ſputo linivit Pater beatus, & continuò clarè vidit, & omnia diſcernebat. Ibidem quoque ſurdus auditum, & cæcus quidam viſum recepit. *Alexander.* Puer etiam alter,

referuntur.

* *al.* Rheinfeld

B cujus nervi cervicis obdurati & retracti caput circumducere non ſinebant, in eccleſia ſanatus eſt ipsâ horâ. In via quoque, contracta mulier & omnino impotens, quam in ventilabro deportaverant in occurſum ſancti Viri, ut ſignata eſt, exſiliit clamitans ; & facta eſt lætitia magna in populo. Sed & prope Baſileam vir quidam, qui graviter audiebat, clarum recepit auditum.

Quintâ feriâ ante lucem egreſſi feſtinavimus Ronaſcle. In ipſo autem itinere ſurdus quidam recepit auditum, & puer altero oculo cæcus, vidit utroque : nec latuit Patrem, ſed cùm paululùm pertranſiſſet eos, miſit qui ſcrutarentur, & inventum eſt ita. *Eberhardus.* Cùm miſiſſet te, inquit ad Alexandrum, ut videres, an puer illuminatus eſſet, converſus ad me, qui propiùs incedebam, ait : Deus aperuit oculum pueri illius. Sextâ feriâ in eccleſia Ronaſcle, ubi intravit, puer allatus eſt, altero oculo parum, altero nihil videns, & continuò clarè vidit utroque: omnes vidimus eum. Nam continuò etiam alio ſigno conclamatum eſt, & dicebant, cæcum illuminatum eſſe : ſed videre eum nequivimus præ tumultu. *Franco.* Puerum quemdam claudum,

C qui poſt ſermonem habitum ad plebem, erectus eſt in ipſa eccleſia, de quo etiam vociferati ſunt, ego ambulantem vidi in medio populi acclamantis. *Epiſcopus.* Sabbato in eccleſia Berche poſt Miſſarum celebrationem, clericus altero oculo cæcus jam per quinquennium, viſum recepit. Et ego eum vidi agentem gratias & exſultantem. *Otto.* Priùs ibidem convaluerat puer intortum habens collum, cujus, ſub manu Patris, nervi crepuerunt & relaxati ſunt ; & pueri pater, & puer ipſe incredibiliter lætabantur. Omnes audiſtis cantantem populum : ego puerum vidi. *Gerardus.* Adoleſcentem, cujus arida erat manus cum brachio toto, & ibidem curatus eſt, omnes vidimus. Et puellam, quæ Dominicâ quartâ Adventûs *d* Argentinæ in eccleſia poſt Miſſarum celebrationem erecta eſt : de qua ſic exſultabat pater, ſic populus acclamabat. *Philippus.* Ipſa die priuſquam navem ingrederemur, puer claudus erectus eſt, & coram populo liberè ambulabat, & qui aderant, vociferabantur cum gaudio, ſicut omnes audiſtis. Secundâ feriâ in navi proficiſcebamur, & non poterant accedere qui infirmabantur, veſpere tamen Bagenbach in hoſpitio mulier clauda greſſum recepit. *Gerardus.* Ipsâ horâ, quâ mulier ſupervenit, querebamur invicem, nihil nos ea die vidiſſe, & illa ſtatim ſine baculo ambulare cœpit gratulabunda & laudans.

d

A. Philippo.

299 Tertia feria, vigilia fuit Dominicæ Nativitatis, & navi venimus Spiram : ibi enim diem feſtum celebravit rex Conradus, ibi coronatus eſt : ibi adfuit epiſcoporum principumque conventus. Illuc Pater ſanctus advenit, inter principes quoſdam pacem cupiens reformare ; quorum inimicitiis ab exercitu crucis Chriſti multi detinebantur : verumtamen non crebra ſolent in illis conventibus apparere miracula, nec dignatur Deus, ubi tantus eſt concurſus multitudinis curioſæ, revelare gloriam ſuam : ſed non fuit otioſus Patris adventus, ibi enim factum eſt, ut ipſius verbis utar, miraculum miraculorum. Siquidem rex ſignatus eſt præter ſpem omnium, qui convenerant : cucurrit velociter ſermo vivus & efficax : verè ibi probatum eſt, quòd cor regis in manu Dei eſt. Priùs enim apud Frankenvoert regem ſecretò convenerat Vir beatus, admonens, ut ipſe ſaluti propriæ provideret in tempore miſericordiæ uberis. Cui cùm reſpondiſſet, nullum ſibi hujus militiæ ineſſe propoſitum : tacuit Vir manſuetiſſimus dicens, non eſſe parvitatis ſuæ importuniùs inſtare regiæ majeſtati. Sic & Spiræ, cùm in ſermone publicè jam ſecundò regem, ſicut priùs, peregrinationis admonuiſſet ex nomine, die tertia cum beati Joannis feſtivitas ageretur, ſecretò aggreſſus cum * ſolita manſuetudine, ſuggerens providendum omnino, ne ſic præteriret eum pœnitentia levis, brevis, honorabilis, ſalutaris, quam ad ſalvandos peccatores divina pietas excogitaverat. A quo hoc tandem reſponſum obtinuit, quod deliberaret ſecum & conſuleret ſuos, ſequenti die ſuper hoc reſponſurus.

IV. *Conradus rex, primò à ſacra militia abhorrens ;*

E

* *Horſt.* eum

300 Exinde intra Miſſarum ſolemnia, beati Patris animum cœpit ſpiritus ſtimulare divinus, ut præter morem, nullo rogante, diceret, non oportere ſine ſermone præterire diem. Quid multa ? locutus eſt, & in fine ſermonis regem, non ut regem, ſed ut hominem tota libertate convenit. Proponebat enim futurum judicium, hominem ante tribunal Chriſti adſtantem, imperantem Chriſtum & dicentem : O homo, quid debui tibi facere, & non feci ? Ex hoc autem numerans regni culmen, divitias, conſilia, virilem animum & corporis robur. His & hujuſmodi verbis commovit hominem, ut in medio ſermone non ſine lacrymis exclamaret : Agnoſco prorſus divina munera gratiæ, nec deinceps, ipſo præſtante, ingratus inveniar : paratus ſum ſervire ei, quandoquidem ex parte ejus ſubmoneor. Dixit : & ecce populus rapiens verbum de ore loquentis exclamat in laudem Dei, & reſonabat terra in voces eorum. Continuò ſignatus eſt rex *e*, & vexillum ab altari per manum Patris ſuſcepit, quod ipſe in exercitu Domini manu propria deportaret. Signatus cum eo nepos ejus Dux Fridericus junior, ſignati alii principes, quorum non eſt numerus. Ipſa autem die juxta capellam, ubi Pater ſanctus Miſſam celebravit, puer claudus, me præſente, greſſum recepit.

ſed deindè à S. Bernardo compunctus cruce ſignatur cum aliis innumeris.

F

e

301 *Eberhardus.* Sabbato manè cum Innocentum feſtus ageretur dies, exeunti de hoſpitio Patri ſancto occurrebam, adducens mecum militem, qui ſignari volebat, &, ecce, in media turba puerum cæcum intuens ; Quid vult, inquit, puer iſte ? cujus verba cum minùs intelle-xiſſem, quod Romanâ linguâ loqueretur ; Adduc, inquit, puerum ad me : factum eſt, ut imperavit,

Alia miracula

A. PHILIPPO. peravit, & confestim signatus puer visum recepit. Ego ipse in multis probavi quòd clarè videret. *Gerardus.* Post Missæ celebrationem in capellam, quæ dormitorio *f* Canonicorum adjacet, inductus Vir Dei virum signavit uno cæcum oculo, & visum statim recepit, cujus & cæcitas prima, & illuminatio secunda diligentissimè probata est. Sic & surdum, dum ab ecclesia rediret, impresso crucis signaculo fecit audire, immittens digitos in aures ejus: & hoc vidimus & probavimus. *Episcopus.* Sic & cæcum illum, qui Dominicâ *g* ante altare illuminatus est, dum graduale cantaretur, quem ego ipse obtuleram. *Eberhardus.* Multa ibidem facta arbitror, quæ non vidimus; sæpe enim cantantem audivimus populum, & nemo ex nobis irrumpere potuit, ut videret, quid ageretur: unum tamen surdum, qui ibidem recepit auditum, ego vidi, & ego obtuli eum.

f

g

v. *Spiræ* 302 *Philippus.* Ipso die conventus factus est; ubi manifestè Spiritus adfuit: neque hinc cuiquam dubitare licebit. Convocavit enim rex omnes principes, & milites, qui signati erant, B simulque residentibus universis exhortatus est eos Pater sanctus non humanis sermonibus, sed divinis. Ubi verò egressi fuimus, & rex ipse cum principibus Sanctum Domini deducebat, ne comprimerent eum turbæ, puer claudus oblatus est ei coram rege. At ille signo crucis edito puerum erigit, & jubet coram omnibus ambulare. Quantâ lætitiâ, quanta exsultatione puer deductus sit, quis loquatur? Conversus autem Pater sanctus ad regem, Propter vos, inquit, factum est hoc, ut noveritis quia Deus verè vobiscum est, & acceptum est ei, quod cœpistis. Ipsâ horâ, priusquam egrederemur hospitium, puella erecta est, & cæca mulier illuminata. *Eberhardus.* Manè secundâ feriâ cum ad ecclesiam Vir sanctus proficisceretur, multitudo languentium impediebat nos, & omnes præcedere jussimus. Nec mora: claudus quidam ante altare erectus est: utrum esset signatus, ignoro. Ambulantem tamen vidi & ligni pedem in ecclesia pendentem. *Otto.* In capella regis, ipso præsente, puer claudus ex utero gressum recepit. *Eberhardus.* Eadem die alii duo, claudus alter, & alter curvus erecti, & C, me præsente, ad majorem ecclesiam ab universo populo sunt deducti. Nam vociferationem & sonantes campanas omnes audistis. Vix redieram domum: &, ecce, iterum clamor, iterum compulsatio. Festinavi ad ecclesiam, & duos iterum claudos adduxerant, qui ipsâ horâ receperant gressum.

facta: 303 *Gerardus.* Vespere dum rediret Pater à curia regis, multitudo languentium hospitii januas oblidebat, quos in ordinem fecimus residere, & singulos tetigit ac sanavit. Ibi puer claudus ex utero gressum recepit. Alter cæcus uno oculo illuminatus, & vir claudus ab annis decem erectus. Hos ego vidi statim sanatos sub manu benedicentis. Unus è fratribus nostris, unum adhuc surdum, qui auditum recepit, se vidisse testatur, & mulierem gratias referentem, quòd à dolore capitis convaluisset. *Eberhardus:* Feriâ tertiâ puer cæcus illuminatus est, quem ego vidi. *Philippus.* Item vir quidam in præsentia regis & principum, unius oculi visum recepit. In ipso loco factum est, unde plurimùm congratulabamur, eo quòd præsens esset Dux quidam Græcus, missus à rege Constantinopolitano. Hic in capella regis loquebatur Patri nostro, cùm mulier cæca oblata est: ubi verò signata est coram eo, statim illuminata est; & homo ille compunctus est plurimùm in hoc verbo. Sic & circa vesperam adstante rege, & ipso Duce, & principibus multis, puer claudus offerebatur. Protinus autem fiducialiter loquens Vir fidelis, audientibus omnibus, ait: In nomine Jesu Christi tibi præcipio, surge & ambula. Sonuit vox virtutis, & secuta est virtus: surgensque puer, liberè ambulabat, & priùs quidem trementibus membris vel tibiis ibat, sed paulatim sub oculis omnium roborabatur. D

304 *Gerardus.* Anselmus *h* episcopus Havenbergensis in fronte & faucibus gravissimè patiebatur, ut vix aliquid gustare posset, aut loqui. Hic ergo rogabat beatum Virum dicens, Quia deberes etiam me curare. Cui jucundè respondens, Si eamdem, inquit, haberes fidem, quam habent mulierculæ, posset tibi fortè prodesse. At ille: Et si ego, ait, fidem non habeo, salvum me faciat fides tua. Tandem signavit eum Pater & tetigit: & continuò dolor, omnisque tumor abscessit. *Philippus.* Victa est curiositas nostra, quia crebra miracula quotidie coruscant. In octavis Nativitatis Mariæ *i*, dum ad ecclesiam proficiscceremur, in claustro Canonicorum puer E claudus gressum recepit, & coram ipso Patre nostro ambulabat exsultans. *Gerardus.* Inter Missarum solemnia curvus puer erectus est: & hunc vidi, cùm ad altare deduceret mater, incolumem, ut offerret pro adepta salute candelam. *Otto.* Post Missarum celebrationem mulier clauda gressum recepit, quam nos vidimus omnes ambulantem. *Gerardus.* Multa quidem & hac die & sequente collata beneficia languentibus vidit rex ipse, vidit curia, vidit universa civitas Spirensis, à cujus memoria deleri non poterunt in æternum. Nostra quidem schedula, ubi hæc annotaveramus, negligentiâ cujusdam fratris amissa est: parcat ei Deus. Tria tamen occurrunt memoriæ, nam cetera investigare non vacat. Feriâ quintâ pueri duo, quorum uterque oculi unius lumen amiserat, in hospitio illuminati sunt, & paralyticus curatus est, quem deportaverant in grabato. *Philippus.* In capella regis dum perficeretur reconciliatio, pro qua nominatim venerat Pater beatus; signavit hominem, cujus caput sine intermissione tremebat, & sanatus est ipsâ horâ. Puer etiam claudus ibidem erectus est. *Gerardus.* Vespere in hospitiis duo cæci illuminati sunt coram nobis. Manè sextâ feriâ coram nobis cæcus visum recepit. F

sanatus etiam est Anselmus ep. Havenbergensis, & beneficia plurimis aliis concessa. *h*

305 Sed eundum est nobis, & qui hæc deportaturus est *k*, nuntius jam festinat. Quæramus proinde, quid Dominus episcopus reservavit. *Episcopus.* Optimè factum est, ut me commoneres: nam mihi, fateor, prorsus memoriâ exciderant. Sagittarius quidam serviens Ducis Conradi, cùm nobis Dux occurrisset, detrahebat verbo crucis, & sanctum Dominum * blasphemabat, dicens, Quia non plus ille signa facit, Domini quàm ego. Ubi ergo ad imponendam manum infirmis Pater substitit, accessit homo, & vidit cui derogaverat: statim cecidit exanimis, & diu jacuit sine sensu. *Alexander.* Ego illi proximus eram, quando cecidit, & equus quidem immobilis stabat. Iniquus autem ille impulsus, subitò virtute divina cecidit retrò. Obstupuimus omnes, & advocavimus Patrem, nec priùs ille miser surrexit, quàm descendens & orans erigeret eum. Sic in se ipso cognita virtute, cui priùs detrahebat incredulus, sequenti die signatus est ad præceptum Patris nostri, in exercitum Domini profecturus.

Miraculorum detractor punitur, & sanatur. *k*

* *Horst.*

A fecturus. *Epiſcopus.* Per omnia benedicta miſeratio Domini, qui noviſſimæ huic generationi unum ſaltem ex antiquis Sanctis reſervavit, ut tamquam lucerna ardentiſſima temporis hujus tenebras vitâ, doctrinâ, miraculis confecraret *. Felices vos, qui ſub pennis ejus ſperatis, & ſatiamini ab uberibus conſolationis ejus: felix congregatio, quæ tanto Patre lætatur; cujus nos miſeri ſeculares tenui ſaltem notitia gloriamur.

* *cod. Tornacen.* illuſtraret.

ANNOTATA.

a Dominicâ, *tertiâ nempe Adventûs, die* 15 *dicti menſis.*

b *Zurie, al.* Tigurum. Prius nomen mediæ ætatis ſcriptoribus uſitatum fuiſſe, teſtatur Bertius in Germania ſua; *ita in notula marginali apud Mabill. hîc.*

c Lindemacus, aliis Limagus, amnis *eſt*, qui Tigurum ſecat: cujus utraque pars tribus pontibus jungitur. *Ex Horſtio & Mabillonio.*

d *Decembris* 22. *In notis Tornacenſibus obſervantur ſequentia:* Dominicâ IV Adventûs,
B & in omnibus feriis illius hebdomadæ, uſque ad
* *lege* XXII ſabbatum, id eſt à XXI * die Decembris uſque ad XXVIII Decembris, quo celebratur feſtum, [SS. Innocentium,] nihil eſt in Ms. codice: unde [collige,] illa, quæ illis diebus facta fuere miracula, eſſe omiſſa, ut & adventus S. Bernardi Spiram: ubi omnibus illis diebus moratus eſt, ut aſſiſteret dietæ imperiali.

e *Conſuli de hac re poteſt Otto Friſingenſis De geſtis Friderici I imperatoris lib.* 1, *cap.* 39: *qui, tametſi* Bernardo *aliàs nequaquam ſoleat favere, eum tamen tunc* plurima in publico, vel occulto feciſſe miracula *teſtatur. Adiſis etiam caput* 40 *&* 41, *ubi invenies Sancti epiſtolam, in conventu Ratiſponenſi lectam, innumerabilibus hominibus perſuaſiſſe, ut cruce-ſignatis annumerarentur. Vide denique Commentarium noſtrum prævium* § 40.

f *Hinc colligo, canonicos iſtos vixiſſe in communi. Fuit hoc olim uſitatum, & à ſacris canonibus præſcriptum: nam in concilio Mogunti-*
C *no, quod anno Chriſti* 813 *celebratum eſt, tomo* 7 *Conciliorum apud Labbeum col.* 1244, *canone* 9 *hæc ſunt:* In omnibus igitur, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut canonici clerici canonice vivant . . ., & ut ſimul manducent, & dormiant, ubi his facultas id faciendi ſuppetit, vel qui de rebus eccleſiaſticis ſtipendia accipiunt, & in ſuo clauſtro maneant. *In concilio item Turonenſi, quod eodem anno eſt habitum, apud eumdem conciliographum col.* 1264, *canone* 23 *hæc leguntur:* Canonici & clerici civitatum, qui in epiſcopiis converſantur, conſideravimus, ut in clauſtris habitantes ſimul omnes in uno dormitorio dormiant, ſimulque in uno reficiantur refectorio, quo facilius poſſint ad horas canonicas celebrandas occurrere *&c. His adde ſynodum Romanam eodem ſeculo celebratam, quæ apud eumdem auctorem tomo* 8, *col.* 107, *canone* 7, Neceſſaria, *inquit*, res exiſtit, ut juxta eccleſiam clauſtra conſtituantur, in quibus clerici diſciplinis eccleſiaſticis vacent. Itaque omnibus unum ſit refectorium, ac dormitorium. *Anno* 1698 *Leodii prodiit* Compendium inſtituti clericatûs ſecularis in communi viventis *&c., ex Italico Jacobi Antonii Velauri Gallicè redditum.*

g Dominicâ *poſt natalem Chriſti, quæ erat dies* 29 *Decembris, & in qua habitus eſt conven-*

h Hic eſt Anſelmus epiſcopus Havenbergenſis, ſeu Havelbergenſis, *ſicut notat hîc Mabillonius*, cujus Dialogi tres adverſus Græcos editi ſunt in Spicilegii (*Acheriani*) tomo 13, *à pag.* 88 *prioris editionis; ubi incipit Prologus ad Eugenium PP. III: qui de eo meminit apud Ottonem in Friderico lib.* 1, *cap.* 61, *col.* 694 *noviſſimæ editionis Mediolanenſis.*

i *Id eſt,* partûs Mariæ, *ſeu Nativitatis Domini, ſicut patet ex ſenſu; die videlicet prima Januarii, anni* 1147, *quæ fuit feria quarta.*

k *Miracula videlicet, ad Henricum novitium in Claravalle, ex obſervationibus, quas ſuprà dedimus ante hanc partem primam miraculorum, num.* 283.

PARS SECUNDA

Miraculorum S. Bernardi.

CAPUT III.

Epiſtola cœnobitarum Claravallenſium ac Sancti comitum, ad Clericos Colonienſis eccleſiæ, quâ eos, ad reformandam vitam diſſolutam hortantur. Miracula in itinere Colonienſi.

Dominis & amicis ſuis Clericis eccleſiæ Colonienſis ſalutem dicunt fratres & amici eorum, Everardus, Gerardus, & Gaufridus monachi qualeſcumque; Philippus Leodicenſis; Volmarus * Conſtantienſis, & ceteri tirones ſpiritualis militiæ, quos Vir ſanctus eripuit de medio Babylonis.

* *al.* Wolvemarus

A. PHILIPPO.

E

F

VI. *Actis Deo gratiis, qui tot chariſmatibus cumulavit S. Bernardum,*

ANte omnia decet nos ex ipſis medullis cordium tibi gratias agere, Domine Deus noſter. Multiplicaſti enim ſuper nos miſericordiam tuam, & magnificaſti facere nobiſcum, immemor omnium iniquitatum noſtrarum, quibus dignè puniendis nec ipſa quidem gehenna ſufficeret. Et unde hoc nobis peccatoribus utique peſſimis omnium, quos, tua ordinante patientia, tellus in vita cogitur ſuſtinere? Unde hoc nobis ut ſub tantæ ſanctitatis patrocinio reſpiremus? O verè inæſtimabilis cumulus miſerationis! ô incomprehenſibilis divinæ pietatis abyſſus! Accumulavit gratiæ ſuæ munera ſuper Virum, quem elegit, ut ad eum colligat undique deſperatiſſimos peccatores, in quo ſecuriùs habeant ſibi repoſitam ſanctitatem. Vos autem, cariſſimi, uſquequò gravi corde? Nonne ſi in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ in vobis factæ ſunt his diebus, egiſſent pœnitentiam in cinere & cilicio? Ad ſignum unum aliquando converſa legimus de populo, utique duræ cervicis, hominum tria millia, cum in porta templi mendicantem claudum de ore Petri prolata vox virtutis ambulare feciſſet. Quantos in brevi civitas

Ex editis. Colonienſis vidit erectos ? Et multi quidem de populo, ad quod vocabantur, converſi ſunt, & oblatam ſibi à ſummo Pontifice indulgentiam, & indictam pœnitentiam devotiſſimè ſuſceperunt.

corripiuntur mores cleri Colonienſis, ac divitiæ,

307 Sed certè niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam eorum, non intrabitis in regnum cælorum. Laïci de mundo ſunt, licitè cogitant, quæ mundi ſunt. Apoſtolis dictum eſt: Vos de mundo non eſtis, ſed ego vos elegi de mundo: quorum vos hodie occupatis loca, quorum ſtipendiis vivitis, quorum poteſtatem tenetis, quorum auctoritate polletis, quorum vobis vindicatis honorem, cum quibus, ut pace veſtra dixerimus, communia vobis ſunt omnia, præter converſionem & converſationem, præter opera & voluntatem, præter vitam denique & opinionem. Si in terra paſci gregem viderit, quis miratur ? Paſtorem autem ſimiliter incurvari deorſum, ſimiliter inhiare terrenis, & quæ inferiùs ſunt quærere, numquid non ridiculum eſt, & abuſio magna ? At nunc erubeſce Sydon, ait mare, Publicani & peccatores præcedunt vos in regnum Dei. Deſperata eſt plaga cleri hujus, à
B planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Ditata eſt eccleſia terrenis poſſeſſionibus, ſed virtutibus ſpoliata. Neque enim longa eis eſſe potuit cohabitatio, ex quo pauper factus propter nos Rex gloriæ, ita paupertatem elegit, ut diceret, Niſi quis renuntiaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Heu ! heu ! videmus venenum additum Eccleſiæ, ſicut dictum eſt Ludovico, quem nominatis Pium, qui præcipuè ditavit eccleſias. Legimus enim in hiſtoria ejus, quod audierit vocem dicentem ſibi: Venenum Eccleſiæ addidiſti *a*.

a

quæ ſunt venenum Eccleſiæ.

308 An fortè vobis videtur abſonum, venenum interpretari divitias ? Chriſtus etiam in Euangelio ſpinas vocat: & Apoſtolus eas laqueum definit eſſe diaboli. Quicumque, inquit, divites volunt fieri in hoc ſæculo, incidunt in tentationem & laqueum diaboli. Evadant ergo, qui volunt fieri pauperes & ſecurè decantent, quia Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Agnoſcite vocem jucundam, qui laqueum hunc tranſiliſtis (fratres veſtros loquimur, qui adhuc inter vos ſolo tantùm corpore detinentur.) Neque enim otioſus fuit, videlicet ad clerum, ſermo Domini, ut magis inexcuſabiles ſint, qui ad-
C huc in perditione perſiſtunt: immò faciliùs trahat ceteros funiculus triplex, qui difficilè rumpitur: cùm verbo & ſignis, etiam proximorum accedat exemplum. Protrahunt epiſtolam, ut videtis, ubertas materiæ & deſiderium fervens, quo vos omnes habere cupimus ſocios in viſceribus Jeſu Chriſti. Verumtamen ſuperſedendum eſt nobis, præſertim quòd copioſiùs hæc & efficaciùs ab ipſo Patre noſtro annuntiata ſunt vobis, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

Miracula ſequentia ſcribuntur in gratiam eccleſiæ Colonienſis: eorum fides.

b

309 Multi ex vobis curiosè legerunt exemplar libelli, quod ad illuſtrem Henricum, regium *b* ſpiritu magis quam ſanguine, miſimus de ſignis quæ vidimus à prima Dominica Adventûs uſque ad diſceſſum noſtrum à curia, quæ nuper Spiræ habita eſt. Multi adhuc petunt, ut, quæ facta ſunt apud vos, non negligamus adjungere: quòd hæc vobis dulciùs ſapiant, quæ præſentes ipſi vidiſtis. Quod triplex nobis conſideratio perſuaſit, ut & novi fratres, dum ſæcularibus adhuc terminandis negotiis detinentur, in lectione hac recaleſcant; & ceteri cogitent, quale ſit, quod admittunt, qui tanto Patri, quem profectò ubi Deus ſuſtulerit, multi lacrymabiliter plangent, quòd eum diſſimulaverint, dum vocaret, animas ſuas committere, aut illecti voluptatibus nolunt; aut trepidant cordis puſillanimitate retracti. Sed & habeat, ut dignum eſt, nobilis eccleſia Colonienſis memoriale ſempiternum earum rerum, quarum præſentiâ meruit exaltari. Non quidem ut noſtrum hoc ſcriptum reſervandum ſit: ſed ut luculentiùs hæc & digniùs ſcribant, qui ſcientiam habent, & poſſunt diligentiam adhibere. Nec dubitamus multò plura & apud vos, & in itinere miracula claruiſſe, quàm tunc potuerimus nôſſe, aut poſſimus nunc recordari. Sed certiſſima tantùm & probatiſſima ſcripſimus: ea quoque addere propoſuimus, quæ ſingulis adhuc diebus per fidelem Servum & devotum Famulum virtus Omnipotentis mirabiliter operatur. Sed & pauca ex his, quæ vidimus à Spira uſque ad Coloniam, huic annotationi præmittenda credidimus, ut priori narrationi iſta cohæreant. Nonnulla quoque ex his, quæ præſentes viderunt venerabiles abbates Theodoricus Campenſis *c*, & *c*
Herwinus *d* Steinveldenſis, ſicut ab eis accepi- *d*
mus, ſub eorum nominibus ſunt deſcripta. E

VII.

Referuntur illa, quæ Spirâ diſcedens

310 Jam quia reverendus epiſcopus Conſtantienſis abeſt, locum ejus, clericus ipſius, noſter jam frater Vuolkemarus ſuppleat in hac relatione, & primus ipſe loquatur *e*. *Vuolkemarus*. Utinam inter nomina electorum nomen meum jubeat Deus adſcribi ! Utinam in libro vitæ vel ultimum inveniatur ipſius oratione & meritis, in cujus laude præſenti, primùm id fieri veſtræ placuit ſanctitati ! Sextâ igitur feriâ, ſicut prioris libri finis declarat, ſoluta eſt curia Spiræ: & nos Vuormaciam feſtinavimus; ubi Pater ſanctus, licèt obnixiùs rogaretur, moram facere noluit, dicens, Quia oportet me & aliis civitatibus euangelizare. Tranſierat enim per Vuormaciam ante duos menſes, & ſermone habito innumerabilem ibi ſignaverat populum ſignaculo militiæ Chriſtianæ. Priùs tamen quam egrederemur die Sabbati, infirmos tetigit, qui convenerunt; ubi inter manus meas ſurdi duo, quos offerebam, adſtante populo & acclamante, auditum ſibi redditum fatebantur cum multa exſultatione. *Philippus*. In itinere *f* puer claudus erectus eſt, quem *e*
omnes verè vidiſtis. *Gaufridus*. Secundâ feriâ, *f*
die feſto Epiphaniæ, apud caſtrum Gruzenach * regrediens ab eccleſia Pater beatus, puerum tetigit & erexit, quem ſex annis penitus claudum fuiſſe parentes ſui, & alii plures de populo circumſtante, qui eum noverant, teſtabantur. Hunc nos ipſi ſtatim vidimus ambulantem, dum ad eccleſiam deduceretur, in laudem Dei acclamantibus univerſis. *Vuolkemarus*. Tertiâ feriâ Pichenbach * (ſic enim nominant viculum, ubi pernoctavimus) die Apparitionis manè tria apparuerunt miracula, quæ præſens vidi oculis meis. Siquidem in ingreſſu eccleſiæ ſurdus oblatus eſt, à quo ſtatim Vir Domini ſacratis digitis ſuis ſurditatem repulit, & immiſit auditum. In ingreſſu *g* quoque greſſum puella altero pede clauda *g*
recepit. Necdum exierat villam Pater beatus: & ecce offerunt ei paralyticum in grabato, qui, auditâ famâ virtutum ejus, à vico magno, qui ſupra Rhenum ſitus eſt, & nominatur Bobardus *, plauſtro ſeſe fecerat deportari: & hunc quoque ſignavit, tetigit & erexit, & ad propria miſit incolumem.

* Cruznach

* Pickenbach.

* Bobbart.

Coloniam verſus patravit:

311 *Gaufridus*. In parochia Treverenſi ſitus eſt famoſiſſimus vicus, ubi Rhenus & Moſella confluunt, unde & Confluentia nominatur. Ibi multa

A multa coram omni populo oſtenſa ſunt ſigna, quæ noſtram notitiam aut memoriam effugerunt. Claudum tamen puĕrum, qui in eccleſia ſancti Florini poſt Miſſarum celebrationem erectus eſt, memini me vidiſſe. Sed & cæcum ibidem illuminatum aſſerit Fredericus noſter, qui ab eodem vico ſecutus eſt Sanctum Domini una cum Adulpho optimo adoleſcente. Hic ignorantibus propinquis & amicis nobiſcum tranſiit Moſellam, indutus tantùm ſuperpelliceo, ſicut venerat ab eccleſia ſancti Caſtoris, in qua canonicus erat. Reliquit alter Joſeph pallium cum adultera, fugitque Ægyptios, & effugit. In eodem itinere cum paululùm proceſſiſſemus, claudus quidam, notiſſimus in terra illa, equo advehebatur. Hujus ita nervus femoris aruerat, ut replicato genu, quantùm menſura eſt palmi unius, tibia illa brevior alterâ videretur. Signavit autem eum Vir ſanctus, & nihil hæſitans de virtutis effectu deponi juſſit & ambulare: ſed non fuit, qui obediret, fortè quia minùs ſperaverunt id, qui adſtabant, aut quia minùs intellexerunt verbum. Siluit ergo Pater, ſed non ſiluit vox virtutis: ſubitò ſiquidem exclamavit homo laxari ſentiens B nervum, & extendi genu ſuper equum, quo vehebatur. Statim verò depoſitus liberè ambulabat, magnificans Deum, & tota illa die ſuum ſecutus eſt curatorem. Alter quoque, cujus ſimiliter femoris nervus aruerat, ut vix ſummis digitis pedis unius terram tangeret, ſanatus eſt in via eadem, ita ut liberè talum deponeret & ſine baculo graderetur *h*. *Volkem.* Feriâ quintâ apud vi- *h*
culum Riegemach *, manè priuſquam egrede- *f.* Remagem.
remur, me præſente puer quidam greſſum recepit, qui ſex annis claudus exſtiterat, ſicut ab ipſis parentibus ejus accepi. Ibidem etiam mulier ſurda audivit, & vir cæcus illuminatus eſt, cui unus tantùm oculus erat, & hic quoque ad nihilum valens.

Coloniam ubi venit, Miſſam celebrat, ac clericos objurgat.

312 *Gaufridus.* Memor ſit in æternum diei hujus civitas Colonienſis, quâ ſuſcipere meruit Hominem ſanctum, quem ſemper optaverat. Quia tamen inſperatus advenit, minor eo die fuit frequentia populorum. Sic nimirum gloriæ calcator humanæ ſolemnes ſemper exceptiones, quoad in ſe eſt, fugere conſuevit, & elegit magis occultè ingredi civitates. Rarò tamen id poteſt, quia C ſequitur major gloria repellentem. Manè ſextâ feriâ, priuſquam ingrederemur eccleſiam, in hoſpitio noſtro mulier cæca oculo uno ab annis decem, ad tactum beatæ manus coram nobis viſum recepit. Hæc in eccleſia ſtatim præſentata eſt clero, & diu jacuit ante altare gratias agens Deo. Interea puer quoque cæcus in ipſo hoſpitio eſt illuminatus. Ex quo ingreſſus eccleſiam Pater ſanctus ad altare beatæ Mariæ, quod in orientali parte locatum eſt, Miſſam celebravit: ubi verò complevit, coram omni populo puella cæca illuminata eſt, & matrona dives & nota in civitate, cujus crura arida ab annis tribus extendi penitus non valebant, reſolutis nervis ad ſignum vitæ ſine dilatione ſtetit erecta. In pulpito quoque dum ſermonem habiturus ad populum aſcendiſſet, cæcus ſenex viſum recepit. Multa quidem & alia ſigna facta ſunt in ipſa die, & ſæpiùs acclamabant. Sed nemo noſtrûm inquirendi exſtitit curioſus. Sabbato quoque multa in hoſpitio vidimus & cognovimus ea, ſed quia annotare negleximus; ſuperveniente multitudine ceterorum, nobis jam penitus exciderunt: verba tamen quæ ad clerum habuit (neque enim exire voluit ad populum ea die) & quomodo formam

hanc clericorum, immò vitam prorſus infor- Ex editis-
mem omnibus divinarum teſtimoniis Scripturarum probaverit eſſe contrariam, non omnibus eis arbitror excidiſſe: Vos, inquit, Propheta notabat, cum diceret: In laboribus hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos ſuperbia. Et Iſaïas eodem ſpiritu, immò Deus per Iſaïam: Miſereamur, inquit, impio, & non diſcet facere juſtitiam, in terra Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini. Et expreſſiùs ac nominatim in alio Propheta: Principes populi mei, inquit, ejicientur de domibus deliciarum propter peſſimas voluntates ſuas, & cleri eorum non proderunt eis. Sed hæc aliàs. Jam ad narrationis ordinem revertamur.

ANNOTATA.

a Alii id Conſtantino M. tribuunt, poſt factam donationem Eccleſiæ. Vide Beſſæum fer. 4 Domin. 1 Quadr., *ſicut obſervat Horſtius.*

b *Fuit hic frater Ludovici VII Francorum regis. Vide quæ ſuprà diximus num.* 283. E

c Theodoricus electus eſt abbas Campenſis anno MCXXXVI, *ex Mabillonio poſt Horſtium.*

d Herwinus ipſe eſt præpoſitus, pòſt abbas Steinveldenſis, *qui redit infrà in principio capitis* 4. *De eo agit Commentarius prævius in Appendice ad* S. Bernardi *elogia, quæ habetur in fine paragraphi* 55; *ubi vocatur* Evervinus Steinfeldenſis.

e *Inter excerpta, quæ habemus è cod. Ms. Tornacenſi, hoc loco ponuntur iſta:* Incipit liber 11 de ſignis, quæ à Spira uſque ad Leodium claruerunt. *Et tunc pergit* Wolkemarus: Utinam inter nomina *&c.*

f *Hîc legendum videtur* die Dominicâ, *quam ſignatam lego in proximè dictis excerptis, poſt ſabbatum, & ponendum ante* τὸ in itinere, *ne alioqui Dominica dies omittatur hîc præter morem, quæ incidit in diem* 5 *Januarii.*

g *In diverſis lectionibus, quas ante me habeo manu Henſchenii ſcriptas, lego* egreſſu: *alias ex eiſdem deinceps textui apponendas, ejuſdem Henſchenii nomine vocabimus.*

h *In notis Tornacenſibus iſta ponuntur:* Feriâ quartâ, *& additur* VIII Jánuarii Confluentiæ: *unde colligo, Sanctum iſtâ feriâ, quam tamen non lego apud Horſtium, ac Mabillonium, Confluentiæ fuiſſe.* F

CAPUT IV.

Prodigia varia memorantur, quæ ſanctus Thaumaturgus Coloniæ, & inde digreſſus, Juliaci, Aquiſgrani, Trajecti ad Moſam operatus eſt.

DOminicâ *a*, priuſquam Miſſa celebraretur, VIII. cæcus quidam per ſignaculum lucis & vitæ illuminatus & adductus eſt ad altare: eâ ſiquidem die ad promiſſum ſermonem convenerat populus inæſtimabilis, quantum nemo clericorum ſeſe aliquando in eccleſia illa vidiſſe dicebat. Celebravit autem Miſſam Pater ſanctus ad altare beati Petri, quod in occidentali parte ſitum, obtinet *Urbem hanc a*

EXEDITIS. in ecclesia principatum. Ibi post Missæ celebrationem innumera coram omnibus miracula contigerunt. Honorata mulier & notissima in civitate, quæ per quinquennium uno oculo cæca, multa sese in medicos fatebatur inutiliter expendisse, sub manu signantis visum recepit. Altera quoque similiter illuminata est. *Abbas Campensis.* De multis, quæ ibidem vidi, duo tantùm occurrunt memoriæ. Dico autem de puella surda & muta, quæ confestim audivit & locuta est: & de juvene claudo, quem ad Servi sui orationem divina virtus erexit. *Hervinus abbas Steinveldensis.* In platea, ubi sermonem habuit Vir beatus, eò quòd ecclesia populum capere non sustineret, nobis adstantibus cæcus quidam visum; & mancus aridæ manus simul & brachii adeptus est sanitatem. *Abbas Campensis.* Ubi finito sermone domum regressi sumus, ex quo januam intravit exteriorem priusquam hospitii limen attingeret, me præsente, curvum erexit puerum: mulieri insanæ reddidit mentem: claudam ambulare fecit, & cæcam uno oculo matronam Pater beatus illuminavit. *Gerardus.* Hæc fuit, de qua sic mirabatur unus è fratribus nostris, quòd & diviti beneficium tam facilè præstaretur; & verè digna fuit omni admiratione celeritas. Priùs enim quàm signata videretur, illuminatam se esse clamavit.

B

314 *Eberhardus.* Ex quo pransi sumus, numquam nobis illa die miracula defuerunt. Et hæc quidem certiùs novimus, & diligenter probavimus ea. Stabat enim Vir sanctus in fenestra, & per scalam offerebantur infirmi: siquidem ostium domûs aperire nullus audebat, tantus erat impetus & tumultus: ibi quoque filia divitis cujusdam viri notissimi in civitate auditum recepit, quem ex multis annis prorsus amiserat: hanc in claustro quodam parentes antè locaverant: sed remiserant eam sanctimoniales, eò quòd penitus amisisset auditum. Diu quoque sic mansérat nihil audiens, donec ad tactum sacratæ manûs Deus aperuit aures ejus. Post paululum quoque contracta mulier erecta est, & ambulabat. *Gerardus.* Puerum curvum qui erectus est ipsa die, & cæcos multos, qui illuminati sunt, omnes vidistis. *Vuolkemarus.* Ego ex iis, quos vidi & quorum memini, numeravi quinque, quosdam uno oculo cæcos, quosdam utroque. *Abbas Campensis.* Circa vesperam illuminata est mulier, quæ post manûs impositionem duabus aut tribus horis residebat cæca. Tandem abire volens, nec habens à quo deduceretur, palpabat miserabiliter ad parietem cum fletu & ejulatu. Omnes miserabamur eam, sed statim congratulati sumus: acclamavit enim subitò, quia videret, & festinantes ad eam multis hoc probavimus argumentis.

multis

C

315 *Gerardus.* Dum hæc intus agerentur, ego foris adstabam, nec ullatenus poteram introire: ab hora nona, usque ad vesperam sic permansi cum quibusdam fratribus nostris, nec accedere quidem valens ad ostium, vel ad scalam: tanta erat undique multitudo. Vix tandem nocte secedentibus turbis ingressus vidi confestim hominem surdum qui recepit auditum. Ubi cœnavimus, quia languentium convenerat multitudo, rogavimus Patrem, ut ad signandos * eos egrederetur. Protinus autem puellis duabus surdis & mutis ad tactum sacratæ manus coram nobis Deus auditum reddidit & loquelam. *Eberhardus.* Ibidem puer quidam & matrona de civitate ipsa ambo claudi, ambo erecti sunt. *Philippus.* Secundâ feriâ summo manè, vir surdus auditum, & cæca puella visum recepit. Post paululum quoque mulier cæca illuminata est, & tantus ibi tumultus factus est & concursus, ut vix potuerit in hospitium retrahi Vir beatus; & nescio, an fuerit ibi majus miraculum, quàm quòd evaserit incolumis. *Gerardus.* Circa horam tertiam exiturum Virum Dei exoptabat languentium multitudo, eò importuniùs instantes, quò modicum jam tempus viderentur habere. Egressus igitur in plateam signavit ex ordine residentes, & sub oculis omnium ipsâ horâ quatuordecim sunt sanati, claudi septem, surdi quinque, puer mancus, & mulier cæca, optatum quique beneficium perceperunt. Ad singula populus acclamabat, & in laudes Dei voces tonant per nubila: Christ uns genade, Kyrie-eleison. Die Heiligen alle helffen uns *.

D

prodigiis

* *Henſch.* ſanandos.

* *i. e.* Christe miserere nobis, Kyrie-eleison. Sancti omnes adjuvent nos.

316 Porrò archiepiscopus civitatis in ipso residebat hospitio, & coram eo quoque Pater sanctus ubi egressus est, puerum cæcum illuminavit. *Abbas Campensis.* Ex hoc jam turba erat intolerabilis, ut nemini prorsus egredi domum ingredive liceret. Consilium ergo fuit, ut in domum archiepiscopi deduceretur, liberiùs exinde profecturus. Ibi verò nobilis puer, filius sororis advocati Colonienſis, ex longo jam surdus & mutus, coram omnibus nobis per manûs impositionem recepit auditum pariter & loquelam. Ibidem quoque cæcus quidam visum, & alter, cujus erat crus aridum & inutile, adeptus est sanitatem. Sed & puella quædam, cujus adhærerat lingua faucibus, & vix poterat loqui, curata est ipsâ horâ soluto vinculo oris: horum omnium testes sumus: testis est civitas Colonienſis. Neque in angulo facta sunt, sed in publico, ut ab omnibus Deus glorificetur, qui in Sanctis suis glorioſus est. Si quis fortè aut incredulus aut curioſus exstiterit, multa ex his facilè ei probare licebit, præsertim quæ in personis facta sunt non infimis, nec ignotis.

E

illuſtrat:

IX. *quibus adde, quæ in territorio Colonienſi, b*

317 Vix tandem egressi Coloniam, venimus Brunvilare *b*, quod est monasterium duobus à civitate millibus distans. In via quoque, præsente populo Colonienſi, qui devotione debita Sanctum prosequebatur, surdi duo oblati sunt, quorum Deus aperuit aures, cum injecisset Pater beatus digitos, & ore sacrato inspirasset auditum. *Eberhardus.* Tertiâ feriâ, manè in ecclesia beati Nicolai, in ipsius siquidem honore dedicatum est monasterium Brunvuiler, quod Nigrum-Villare interpretatur, coram altari puer cæcus illuminatus est, quem offerebat dominus abbas Campensis. Vix adhuc exsultantis populi siluerat vociferatio, &, ecce, surdus & mutus auditu donatus est, & loquelâ. *Vuolkem.* Alter etiam surdus adstantibus nobis recepit auditum. *Abbas Campensis.* Primum, quod in via ipso die vidimus miraculum, aridi cujusdam brachii & manûs restitutio fuit. *Gerardus.* Crebra vidimus in ipso die miracula: plena siquidem erat populis, & campus omnis nobis civitas erat. Secundum, nisi fallor, miraculum fuit cæcus uno oculo, qui confestim illuminatus est: in ipso autem loco contigit, unde magis constupuimus universi: obtulit enim mulier filiam jam adultam, quam ex utero surdam & mutam esse dicebat, & id ipsum multi ex circumstantibus, qui eam noverant, testabantur. Hæc autem per manûs impositionem curata est ipsâ horâ, & audivit, & locuta est liberè coram nobis. Nec longiùs adhuc proceſſeramus, quando vir surdus recepit auditum. *Gaufridus.* Usque ad hæc miracula ego turbas præcedebam: audiens autem tam crebros populi

F

cantus,

A cantus, ſubſtiti, & quæ deinceps facta ſunt in itinere diligentiſſimè probavi. Surda & cæca mulier audivit & vidit: ſurdi tres audierunt, clauda una ambulavit: illuminati ſunt quinque cæci: alii quidem uno oculo; alii verò utroque: & unius quidem pueri, qui omnino cæcus erat, illuminationem certi ſumus Patrem ſanctum in ſpiritu cognoviſſe. Subſtitit enim, & ad eum converſus, inquiri fecit utrùm videret.

Juliaci, Aquiſgrani,

318 *Abbas Campenſis.* Sic & de cæco alio fecerat priùs, & meipſum, cum pertranſiſſem, remiſerat ad inquirendum: cumque redirem & illuminatum eum nuntiaſſem: Et ego ſenſeram, inquit. Veſperâ venimus Juliacum, quod à Julio Cæſare caſtrum ædificatum, & ejus nomine eſt inſignitum. Ingreſſus autem eccleſiam Pater beatus, & intuitus mulierem claudam jacentem coram altari, novo quodam fervore ſpiritûs, ita ut omnes miraremur, apprehendit manum ejus & elevavit eam quantâ fide, tantâ etiam facilitate. Sic & in atrio eccleſiæ, cum ingrederetur, coram nobis & omni populo cæcum illuminavit.

c *Gerard.* Manè *c* in eccleſia poſt Miſſæ celebra-
B tionem cæcus puer viſum recepit, & vir ſurdus auditum. Honorata quædam mulier, neptis Comitis Juliaci, ab annis quinque altero oculo nihil, altero tam parum videns, ut vix poſſet ſine duce tenere viam, ubi ſignata eſt, clarè vidit utroque. Advocatus etiam caſtri illius viginti annis vixerat cæcus, & illuminatus eſt ipſa die. Multa quidem & alia facta ſunt, ſæpiuſque clamabat populus ſuum illud, Chriſt uns genade, & in caſtro & in itinere, ſed nobis è plurimis pauca ſufficiant. *Eberhardus.* In via, quorum ego memini, ſurdus puer auditum recepit, mulier cæca viſum, altera quoque clauda greſſum coram omnibus nobis. Eſt autem Aquiſgranum ſedes, celeberrimus & amœniſſimus locus, voluptati corporum accommodatior, quàm animarum ſaluti. Siquidem proſperitas ſtultorum occidit illos, & væ domui indiſciplinatæ. Non ad deſtructionem loquor, ſed utinam legat qui corrigat: utinam & aliquis ipſorum recogitet & convertatur & vivat! Illic ergo in capella regia ad altare beatæ Mariæ, feriâ quintâ, puella cæca viſum recepit: ego ipſe Patri adſtabam, ſed tan-
C tus illico tumultus, ut cedere oporteret. *Philippus.* Claudus quidam ſenex ibidem erectus eſt, cujus baculos in ipſa ſtatim eccleſia ad teſtimonium ſuſpenderunt: hunc ego ipſe diu repuleram, ad quid vellet accedere, aut quid expeteret ignorans. *Eberhardus.* Mulieres duæ, quarum manus omnino aruerant, ibidem ſanatæ ſunt ipſâ horâ.

Trajecti ad Moſam,

319 *Abbas Campenſis.* Alterius quidem manum Pater ſanctus ſuâ extendit manu, ſed altera ſanata eſt velut in fimbria veſtimenti. Stabat enim poſt tergum ejus, & conquerebatur, quòd ad manum accedere non valeret. Cui ego, Applica, inquam, veſtimento ejus manum, ſi fortè palpare poſſis. Fecit, ut ei conſului, ſubitoque cœpit tenere cucullam, & dum traheret eam, digiti extendebantur, & ſanata eſt ſtatim. *Gerar-*
* *al.* com- *dus.* Nuſquam in itinere illo ſic compreſſus * eſt prehenſus. Pater, ut in capella illa, quia locus anguſtus erat, & turba impellebat turbam, ſicut unda ſolet undam præcipitare. Propter hoc multa ex his, quæ facta ſunt, ignoramus. Gerardus noſter, tunc canonicus ipſius eccleſiæ, qui eâdem die præbendam ſeculumque pariter reliquit, illuminatos ibidem aſſerit cæcos quinque. *Vuolkem.* Trajectum vocatur locus, ubi quondam ſedes Leodienſis erat, à beatiſſimo confeſſore Servatio à Tungrenſi civitate tranſlata. Illic feriâ quartâ * pernoctavimus in eccleſia beatæ Mariæ. Manè verò feriâ quintâ * poſt Miſſæ celebrationem, in eminentem locum Patrem deduximus, ut ſine oppreſſione ſanaret infirmos. Ego illi proximus eram, &, quæ fiebant, novi plenius, & diligentiùs univerſa probavi. Ibi cæci illuminati ſunt quinque, vir ſurdus audivit, mutus locutus eſt. Item ſurdus alter auditum & * manci manuum incolumitatem receperunt. *Gerardus* *, Ipſo die in hoſpitio ſurdus & mutus puer oblatus eſt: cúmque ſignaret eum Pater ſanctus; honeſtus quidam juvenis Conradus, Colonienſis canonicus, abrenuntians ſeculo ſeſe reddebat in manus ejus. Elevavit ſe, ut ſuſciperet eum, & continuò puer locutus eſt & audivit. Populus autem præſtolabatur foris; &, ecce, puer audiens & loquens parentibus redditur, & ſequitur exſultatio copioſa. Notus enim erat in civitate puer: & hoc famoſiſſimum fuit in populo. Nec mora, etiam clauda mulier greſſum recepit, tres quoque cæci illuminati ſunt, & ſinguli quique deducti in populum cum lætitia & exſultatione.

Ex editis.
* * *Henſch.* quintâ
* *Henſch.* ſextâ
* *Henſch.* *add.* duo
* *Henſch.* Gauf.

E

320 *Philippus.* Cum egrederetur Vir ſanctus Trajectum, cauſa exſtitit, ut ad eccleſiam beati Servatii declinaret pro negotio fratris Norberti, qui Canonicus erat ejuſdem eccleſiæ: ſed is continuò & præbendæ abrenuntiavit & ſæculo. In ipſo autem itinere puer claudus erectus eſt coram nobis. In eccleſia quoque beati Servatii oferentes claudum hominem Patri noſtro, rogabant, ut ei manum imponeret. At ille: Neſcio, inquit, ſi diſplicebit beato Servatio, ſi id in domo ejus præſumimus. Acclamantibus omnibus & dicentibus, Domine non diſplicebit: In nomine, inquit, Domini noſtri Jeſu Chriſti & beati Servatii, ſurge & ſta ſuper pedes tuos. Surrexit igitur ſine mora & cunctatione, & facta eſt lætitia magna in populo. Heri facta ſunt hæc apud Trajectum. Hodie Leodii clerus convenerat univerſus, qui in civitate illa copioſiſſimus eſt, & in camera epiſcopi Patrem præſtolabantur, ut ſermonem haberet ad eos, &, ecce, prævenit eos Dominus ſermone virtutis, & claudus quidam Clericus ab renibus deorſum ſic diſſolutus, ut omnino non poſſet ſtare ſuper pedes ſuos, oblatus eſt Viro Dei. At ille debilia membra ſignans F & attrectans, Ambula, inquit, in nomine Jeſu Chriſti. Protinus autem confortatus ambulare cœpit. Et egreſſus eſt ſermo in clerum, & exclamaverunt, Tua ſunt hæc Chriſti opera, qui Sanctos tuos ita glorificas. Ipſi gloria & imperium nunc, & in omnia ſæcula ſeculorum. Amen *d.*

ac Leodii accíderunt.

d

ANNOTATA.

a *Die 12 Januarii, quo Coloniâ egreſſus eſt.*

b *Al. lego* Brouwyler, Brawiler. *Monaſterium eſt Ordinis S. Benedicti: de cujus etymo ac ſitu Gelenius in ſua Colonia Agrippina lib. 3, ſyntagmate 15, § 1, pag. 385:* Brunovillare, *inquit*, pagus cum inſigni abbatia, leucæ itinere abeſt à Colonia Agrippinenſi ad occaſum, in clivo ſilvæ ac montium, qui vulgo VILLA appellantur. Nomen accepit à quodam Brunone, qui, ut fama eſt, per dumeta ſecutus ſuculam, in denſiſſima ſilva reperit vetus ſacellum, in quo illa fœcundo partu multum fœtum enixa erat. Ego ab hoc, vel alio nobili, quia novalia hoc loci orſus ſit, nihil dubito nomen accepiſſe.

c *Feriâ videlicet quartâ, die 15 Januarii,*

EX EDITIS. *quo Jnliaci, & Aquiſgrani fuit; veſpere autem Trajectum ad Moſam venit, ut patet è ſequenti textu Mabilloniano, conſentiente etiam Horſtiano.*

d *Notæ Tornacenſes indicant*, in Mss. nihil aliud haberi de eis, quæ egit Leodii; nec quot diebus ibi manſerit; nec quo diſceſſerit die: ſed ſine ullo titulo ſequi miracula, quæ fecit à Leodio uſque ad Claramvallem. *Verùm, quæ à Viro ſancto Leodii acta ſint, ſtatim referetur ex Gaufrido.*

PARS TERTIA

Auctore Gaufrido monacho Claravallenſi.

Epiſtola ejuſdem ad Hermannum epiſcopum Conſtantienſem.

B

Domino dilectiſſimo, & reverendiſſimo patri Hermanno, Dei gratiâ Conſtantienſi epiſcopo, puer ſanctitatis ejus Gaufridus Claræ-vallis monachus qualiſcumque, in orationibus ſuis filiorum meminiſſe ſuorum.

x. *Præfatur Gaufridus, quænam miracula, & qua fide ſcribat.*

EA quidem miracula, quæ à Spirâ uſque Leodium facta vidimus & cognovimus, ad Clerum Colonienſem eo deſcripſimus modo, quo priora fuerant antè deſcripta, ut ad inſtar collationis, viciſſim ea, quibus adfuimus, ſinguli loqueremur. Quia ergo libelli illius exemplar, veſtram, pater beatiſſime, diligentiam effugere non poterit, ut confido: reliqua deſcribere & ſanctitati veſtræ dirigere non neglexi. Multa quidem nos & ex prioribus ignoraſſe, certiſſimum eſt. Nemo quippe in tranſcurſu proſequi poterit univerſa. Maximè tamen nocuit, ubi Teutonicorum exivimus regionem, quod ceſſaverat veſtrum illud, Chriſt uns genade: & non erat qui vociferaretur. Neque enim ſecundum veſtrates propria habet Cantica populus Romanæ linguæ, quibus ad ſingula quæque miracula referrent gratias Deo. Multa proinde tecta ſilentio ad noſtram non pervenêre notitiam: licèt ex his quoque, quæ certiſſimè novi, omiſerim non pauca ſcienter, veritus equidem, ne fortè quamlibet curioſo pareret copia tanta faſtidium. Illud ſanè non tam vobis lòquor, de cujus credulitate non dubito, quàm ceteris, in quorum manus hæc poterunt devenire, nil me ſcripſiſſe, niſi quod aut vidi oculis meis, aut fratrum noſtrorum, qui præſentes fuerunt, certiſſima relatione cognovi.

C

D

CAPUT V.

Prodigia, quæ Leodii, ac deinceps in itinere per Gallo-Belgicam, & in Campania edita ſunt.

IGitur Dominicâ poſt octavas Epiphaniæ *a*, & ſecundâ feriâ, Leodii manſimus, dum Philippus noſter ea, quibus tenebatur implicitus, ſæcularia negotia conſummaret. Factum eſt autem Dominicâ die, cùm ad altare beatæ Mariæ in majori eccleſia Pater ſanctus Miſſarum ſolemnia celebraſſet coram univerſo populo, puer oblatus eſt, quem ex utero claudum eſſe dicebant: ubi verò ſignavit tibias ejus & renes tetigit, apprehendens manum ipſius erexit eum protinus, & deduxit. Conclamatum eſt ſtatim à clero: Te Deum laudamus: ſed mugitus fletuum & ſingultus vociferationem laudis evicit. Dabat pro cantu lacrymas plebs ignara canendi. Duas quoque aridas manus ibidem tetigit & curavit, ut ſenſum pariter motumque reciperent. Necdum ab altari dimotus, ſenem cæcum per ſignum crucis illuminavit: & alterum claudum ambulare fecit in facie totius eccleſiæ, quæ convenerat. Feriâ ſecundâ in domo epiſcopi *b* manè, poſt Miſſarum celebrationem cæcus uno oculo juvenis ad tactum ſacræ manus illuminatus eſt, & ſub manu ſignantis exſiliit clamitans, quia viſum recepit. Nec mora afferebatur alter utroque oculo cæcus, & hic quoque ibidem illuminatus eſt ipsâ horâ. Aderat autem epiſcopus civitatis explorator diligens omnium quæ fecerat. Audiens igitur adoleſcentem illuminatum ſe eſſe gratulabundis vocibus acclamantem, ut probaret, an verum eſſet, de multis interrogabat eum, & incunctanter ille ad ſingula reſpondebat. XI. *Prodigia facta Leodii a*

E

b

319 Ipſa die circa horam ſextam exiit Pater ſanctus ut ſignaret ægrotos, & ibi ſtatim claudus quidam greſſum recepit. Audientes autem quia ſemel exiiſſet ad infirmos in ſpatioſiorem domum, multo plures prioribus pervenerunt. Poſt horam igitur nonam egreſſus ad eos ſignavit ex ordine reſidentes. Et continuò ex his, de quibus certi ſumus, illuminati ſunt cæci quinque, & claudi tres receperunt greſſum, dignè admirantibus univerſis; veſpere quoque in capella epiſcopi ſurdus quidam recepit auditum. Tertiâ feriâ priuſquàm egrederemur, tres in ipſa epiſcopi domo claudi erecti ſunt, mulieres duæ & puer unus. Multa quidem & alia ſigna Leodii, & in itinere facta ſunt: ſed è multis pauca ſufficiant. *memorantur:*

F

320 Feriâ quartâ profecti ab oppido, cui nomen Huy, feſtinavimus ad monaſterium quod Gembolium *c* * vocant. In ipſo autem itinere ſenex cæcus uno oculo, & adoleſcens eodem laborans incommodo, ambo ſimul illuminati ſunt. Feriâ quintâ *d* manè in monaſterio prædicto Gembolio, puer claudus oblatus eſt Viro Dei, & confeſtim ſignatus ab eo greſſum recepit, & coram omnibus ambulabat. Poſt paululum quoque in ingreſſu * ejuſdem vici, puer alter pedibus manibuſque contractus ſub oculis omnium, utrorumque membrorum adeptus eſt ſanitatem. Nec longè proceſſerat, &, ecce, puer mutus ex utero offerebatur in via, & hunc quoque ſignavit *item Gemblaci, ac Villarii,*

c

* *f.* Gembloïum

d

* *Henſch.* egreſſu,

&

A & ſanavit, ſtatimque ſolutum eſt vinculum oris ejus, & loquebatur rectè. In ipſo itinere oblati ſunt ſurdi duo, & qui mutum fecerat loqui, ſurdos fecit etiam audire. Novum in partibus illis ædificatur monaſterium, cui Villare *e* nomen eſt, & ante paucos menſes illuc Pater ſanctus congregationem miſerat monachorum. Voluit ergo plantationem novellam, vel in tranſitu viſitare, & peregrinantes filios conſolari. Factum eſt autem cùm monaſterio appropinquare cœperat, claudam mulierem tetigit, ſignavit, erexit, & præcepit liberè ambulare. Duabus quoque claudis in ipſo loco greſſum, & juveni cuidam amiſſum unius oculi viſum reddidit coram fratribus ipſis, & aliis plurimis, qui convenerant.

e

321 Exinde feſtinabat ad oppidum, cui Fontanæ nomen eſt, ubi Philippus noſter apud propinquos ſuos eum rogaverat hoſpitari. In eodem verò itinere offerebant ei cæcum à natìvitate puerum, qui nec ipſas quidem poterat aperire palpebras oculorum. Deſperarant omnes, etiàm qui plurima viderant maximaque miracula. At ille nihil cunctatus manum impoſuit puero, factaque oratione breviſſima (ut ſolebat) digitis ſuis palpebras ejus aperuit & ſciſcitatus eſt an videret. Cui puer: Video, inquit, Domine, video vos: & omnes homines video capillatos. Plaudenſque & vehementer exſultans aiebat: Deus, Deus, ultra non offendam ad lapidem pedes meos. Feriâ ſextâ Fontanis priuſquam egrederemur; puellæ contracta & arida manus ſanata eſt & extenſa. In via quoque juxta vicum quemdam, puer claudus greſſum recepit.

apud opp. Fontanæ,

B

322 Ex hoc acceſſimus ad caſtrum, quod nominant Bins, unde tanta occurrit hominum multitudo, ut totam camporum planitiem populus operiret. Illic puerum claudum humeris offerebant; quem Vir Domini ſignans deponi juſſit, ut ambularet: vix potuit novis greſſibus via parari, tantus erat concurſus, tantuſque tumultus: depoſitus tamen ambulare cœpit in medio populi, & deducentes eum in liberum campum pluriml ſucceſſerunt: aderat enim mater, aderant propinqui ejus, & multi, qui noverant eum, ipſa ſua exſultatione fidem miraculo facientes. Interim ſanè dum ſeceſſiſſet cum puero pars non modica populi, geminata lætitia eſt, & alter quoque puer ſimiliter claudus, ſimiliter

C greſſum recepit. Tertius in eadem planitie claudus vir erectus eſt, & coram omnibus ambulabat & currebat gratulabundus & laudans. Prope idem caſtrum cæcus unus illuminatus eſt, & ſurdi duo receperunt auditum ipſo loco, ubi ſubſtiterat, ut populo benediceret & dimitteret eos. Mons vocatur caſtrum primum in provincia Haynonenſium, ubi ſextâ feriâ pernoctavimus. Illic mane ſabbato priuſquàm proficiſceremur, ſenex quidam de proxima villa multis eorum, qui aderant, & Philippo noſtro non incognitus, quod à multis jam annis amiſerat oculorum lumen, recepit. Sed & puer quidam ſcholaris cæcus altero oculo illuminatur tanta celeritate, ut non priùs amoveret Pater beatus manum, quàm puer clamaret: Video Domine, ſtupentibus univerſis.

Binchii, Montibus Hannoniæ,

323 Hæc in hoſpitio facta ſunt coram venerabili epiſcopo Cameracenſi Nicolao *f*, & clericis ejus etiam, & multis religioſis viris, qui de tota provincia occurrerant Viro Dei. Iiſdem quoque adſtantibus, cum egrederetur caſtrum, mulieris aridam manum ſanavit, & greſſum reddidit claudo. Plurima ipſo die miracula coruſcaverunt, adeo ut multa ex ipſis à memoria elaberentur: horum tamen certiſſimè recordamur. Surdæ duæ auditum receperunt in via, & puer quidam unius oculi viſum. Nec longè proceſſeramus, &, ecce, in campo mulier amiſſum ex longo unius oculi lumen recepit. In eadem ſtrata, capellula quædam eſt, duobus à prædicto caſtro millibus diſtans, illuc in occurſum Viri Dei venerabilis * convenerat multitudo, ut faciem ejus videret, & ſuſciperet benedictionem. Nec fraudavit Dominus populi ſui devotionem, quin deſiderata eis virtutis ſuæ magnalia demonſtraret. Ibidem enim coram omnibus ſenex quidam, qui viginti, ut dicebatur, annis cæcus manſerat, factus eſt videns, & mulier ſurda audivit non ſine multa ipſorum & populi exſultatione. Alio quoque in loco cùm ſubſtitiſſet, oblati ſunt pueri duo, quorum uterque uno tantùm videbat oculo, & mulier ſurda. Nec antè dimotus eſt quàm & pueris viſum, & mulieri reddidiſſet auditum. Adhuc autem in eodem itinere prope torrentem Huns, ante tranſitum, puer cæcus illuminatus eſt: poſt tranſitum duæ ſurdæ receperunt auditum. Jam appropinquabamus hoſpitio, &, ecce, clauda mulier per manûs impoſitionem greſſum recepit coram multitudine copioſa plebis: quæ in occurſum beati Viri de tota venerat regione. Alii quoque debiles & ægroti deſiderata adepti ſunt beneficia. Sed longum eſt ſingula quæque referre. Valencenas nominant oppidum, ubi ea nocte manſimus, oppidum grande & populoſum. Illic ſanè priuſquàm ingrederemur hoſpitium, mulierem claudam notiſſimam populo ſignans & erigens Pater ſanctus fecit coram omnibus ambulare. Inde profecti, Dominica die *g* venimus Cameracum.

ac in territorio eorum, & Valencenis

f

A. GAUFRIDO.

* *f.* innumerabilis

E

g XII.

324 Plurima autem & in caſtro ipſo, & in itinere miracula contigerunt: ſed è pluribus pauca collegimus. In eccleſia beati Joannis poſt Miſſæ celebrationem puer ſurdus & mutus ex utero matris ſuæ audivit & locutus eſt, & admiratæ ſunt turbæ. Hic juxta me reſederat mutus & ſurdus, & coram me præſentatus audivit & locutus eſt ipsâ horâ. Vix ceſſaverat cleri jubilatio, &, ecce, ſenex claudus erectus eſt, & ambulabat. Ibidem contigit *, unde præ ceteris miraculis obſtupuimus. Puer enim cæcus à nativitate opertis albugine oculis (ſi tamen oculi dicendi erant, quibus nec color, nec officium, nec ipſa ſaltem cavitas inerat oculorum) ad impoſitionem beatæ manus viſum recepit. Multis hoc indiciis probavimus, vix credentes oculis noſtris, quod talibus oculis viſus poſſet ineſſe. In ipſo loco etiam arida mulieris manus adepta eſt ſanitatem. Ex hoc cùm beatum Virum turbæ comprimerent, vix deductus eſt in domum Regularium Canonicorum. Ibi quoque plurima languentium beneficia contulit: ſed hæc ſunt, quorum certiſſimè recordamur. Claudi duo ibi erecti ſunt, puer cæcus & mulier cæca viſum receperunt.

uti etiam

* *Henſch. add.* unum

F

325 Secundâ feriâ in urbe Cameracenſi in eccleſia beatæ Mariæ ad altare ſublimius Pater ſanctus Miſſarum ſolemnia celebravit, ut in eminentiori loco poſitum videre poſſet populus & non comprimeret. Accedentibus ergo ceteris ad oblationem, puer adductus eſt ſurdus & mutus ex utero matris ſuæ: hic in proximo vico natus, multis eorum, qui adſtabant, non incognitus erat: cœperat autem, qui adduxerat, obſecrare Hominem Dei, ut puero manum imponere dignaretur: ſed nos concurſum populi metuentes, prohibui-

Cameraci,

A. GAUFRIDO. prohibuimus dicentes, ut finitâ Missâ adduceret eum. Prævenit tamen exspectationem, virtutis effectus. Offerens enim puer, sacratam manum ex more osculatus est, & pertransiit. Nec mora, accedens unus ex militibus prædicti fratris* episcopi, interrogavit puerum dicens: Oz tu *? quod latinè interpretatur, Audis tu? Protinus autem ad * ipsum puer quoque respondit dicens: Oz tu. Surdus nimirum ex utero ea tantùm loquebatur, quæ ex ore interrogantis audivisset. Addidit ergo miles loqui ad eum, & docebat invocare Deum & beatam Virginem nominare &c. Singula verò incunctanter puero respondente, qui propiùs adstabant clerici convenerunt: cognitâque miraculi veritate, levaverunt vocem magnificantes & laudantes Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Elevatus puer salutat populum, & exsultat in gaudio civitas Cameracensis, loquentem audiens puerum, qui ex utero matris suæ nec locutus est aliquando, nec audivit. Ipsa die in domo * episcopi, ubi Virum sanctum magna cum devotione susceperat, puellæ manus invalida ad tactum ejus sanata est & extensa. Vespere quoque claudam longo tempore filiam pater obtulit, & recepto gressu lætus reduxit ad propria. Tertiâ feriâ aridas manus duas sanavit, & mulier clauda experta est, quia efficax in Bernardi manu gratia curationum. Puerum quoque cæcum, cùm jam egrederetur, illuminavit in porta, & in campo adolescentem surdum fecit audire, & mutum loqui coram universo clero & populo civitatis.

* *Hensch.* frater
* *al.* Hoerst du
* *Hensch.* id
* *Hensch.* in hospitio
B

Valcellæ, Laudumi, Remis. *h* 326 Valcellam *h* vocant monasterium tribus ab ipsâ civitate millibus distans, quod idem Pater noster missis olim à Clara valle fratribus ædificaverat. Illic feriâ tertiâ pernoctavit, nolens fraudare filios visitatione & consolatione paterna. In ipso sanè monasterio manè feriâ quartâ priusquam egrederetur, militem quemdam de regione eadem, qui à diebus multis debilis pedibus simul & cruribus ambulare non poterat, benedictionis virtute sanavit, referentem gratias, ad sua remisit incolumem. In via quoque surdus vir aure altera, recepit auditum. In oppido cui
* *al.* Gouy nomen Gom *, juxta monasterium Canonicorum Regularium, quod Montem sancti Martini
C vocant, novo temporis nostri Martino claudam puellam offerebant. At ille signo crucis edito, Vade, inquit, in nomine Jesu Christi. Statim verò deposita exsiliit & ambulabat, currens & laudans Deum. Feriâ quintâ in monasterio, quod
i Humblerias *i* vocant, paralyticam media parte corporis filiam pater obtulit Viro Dei. Hæc & manûs & brachii, & tibiæ simul, & pedis etiam & linguæ officium, morbo invalescente, perdiderat: ubi verò signavit eam Pater beatus, sanata est, evidentissimè loquens & ambulans, & liberè movens manus. Ipsa die Laudunum venimus, ubi sextâ feriâ in monasterio beati Joannis (illic enim hospitabatur) coram omnibus vir surdus auditum recepit *. Sabbato quoque Remis, cum jam pararetur iter, cæcum uno oculo puerum per signum crucis Pater sanctus illuminavit, adstante clericorum & civium multitudine.

* *Hensch. add.* per manûs impositionem

ANNOTATA.

a *Incidit ista Dominica anno* 1147 *in diem* 19 *Januarii.*

b *Fuit is Henricus II; de quo plura in Historia Leodiensi à nostro P. Foullon deducta, atque anno* 1735 *Leodii edita, tomo* 1, *parte* 2, *ad an.* 1145. *& seqq.*

c *Id est*, Gemblacense, *Ordinis S. Benedicti: quod* vulgò Gemblours incolis, Giblou Gallis, *ut notat Baudrandus.*

d *Die* 23 *Januarii. Hîc iterum incipit narratio miraculorum in codice Tornacensi, ut in notis ad eumdem lego.*

e *Videri potest Chronologia Bernardina parte* 3, *ad an.* 1146. *Cœnobium hoc incoluit B. Gobertus, ex Comite Asperimontensi ibidem monachus: cujus Vita illustrabitur apud nos hac die.*

f *Hujus nominis primo: de quo in Gallia Christiana tomo* 3, *à col.* 28 *novissimæ editionis.*

g *Die* 26 *Januarii.*

h *Vide Chronologiam Bernardinam ad an.* 1132.

i Humblieres, *Ordinis S. Benedicti.*

D

CAPUT VI.

Mirabilia alia in Campania usque ad ingressum in monasterium Claravallense; item alia deinde post brevem in eodem moram.

E

XIII. *Catalauni cur nulla miracula tunc edita: ea continuavit*

DOminica die *a* festum erat Purificationis beatæ Mariæ: & Francorum rex Ludovicus, devotissimus & Christianissimus princeps, Catalaunum occurrebat Viro Dei. Plurimi quoque ex principibus utriusque regni convenerant, & legati regis Romanorum, & Vuolfonis *b* inclyti Ducis, ut de via Jerosolymitana communi consilio tractaretur. Quo Vir Domini colloquio sic detentus est per biduum illud, ut ad populum exire nequiverit: licèt vehementissimè desideraretur. Oportebat enim generale bonum votis anteferre privatis. Egredienti verò feriâ tertiâ, mulier quædam occurrit, aridæ manus postulans curationem: & juxta fidem ejus factum est ei, ut fieret ipsâ horâ sana. Et hoc quidem miraculum jam inter vicinos & notos factum est, ne quis objiceret illud de Evangelio: Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua. Aderat enim venerabilis episcopus Lingonensis
F Godefridus, beati Viri quondam filius professione, nunc pater officii dignitate. Aderant & principes quidam, & milites terræ nostræ non pauci. Quartâ feriâ, cùm jam desideratæ Valli magis appropinquaret desideratus & ipse; multiplicata sunt miracula manifesta, ut plusquam Propheta probaretur, * propheticus honor non de erat, ne ipsa quidem in patria sua. Ipsa siquidem die in vico Campaniæ, cui nomen Davamant, in honore beatæ Agathæ, cujus festivitas agebatur, Missarum solemnia celebravit. Necdum secesserat ab altâri, &, ecce, vir quidam cæcum filium offerebat, cujus oculos sputo liniens tetigit, & illuminatus est ipsâ horâ.

* *Hensch. add.* cui

Vir sanctus 328 In oppido, cui nomen Rosnay, languidum & penitus debilem virum plaustro deportabant, cui solùm videbatur supereſſe sepulcrum: & huic quoque coram omni populo & militibus multis manum imponens, ambulare eum fecit sine dilatione: & stupentibus universis, quò prius fuerat deportatus, plaustrum sequebatur incolumis. Similiter & puerum, qui & ipse à diebus multis ne unum quidem passum poterat ambulare, signavit, ubi castrum, est egressus: & statim liberè

A berè ambulavit. In eadem ſtrata, aliud ſitum eſt caſtrum, quod Brena ab indigenis nominatur. Illic tranſeunte Viro Dei, per orationem & benedictionem ejus, puella clauda greſſum recepit. Ubi verò egreſſus eſt, ſtipem quærebat ab eo cæca mulier & mendica. Intuens autem Vir in eam miſericorditer, Tu, inquit, argentum quæris, ſed Deus tibi viſum reſtituet: aecedenſque ſignavit eam, & coram omnibus illuminata eſt ipsâ horâ. Interrogata verò quamdiu cæca fuiſſet, ab his undecim annis nihil penitus ſe vidiſſe reſpondit.

in aliis 329 Sic Apoſtolicus Vir Apoſtolicum imitatus exemplum, & petitionem mendicantis, & ſpem liberalitate ſanctiſſima ſuperavit. Nec longè proceſſerat, &, ecce, puer uno oculo cæcus benedictionem flagitat, tactum requirit. Quid ei negaret, qui dederat non petenti? Nihil cunctatus ſignavit oculum cæcum, & eum, quo videre ſolebat, manu claudens movit digitum coram eo, & quid ageret inquiſivit *. Audientes peregrini quidam, quòd Homo Dei tranſiret, ſocium ſuum ſurdum ei cum precibus obtulerunt, cujus aures ſputo liniens, & immittens digitos ſuos, auditum reddidit ei ipsâ horâ. Exinde cum paululùm proceſſiſſet, ſecutus homo eum, gratias egit, & ſignum crucis ab eo accepit, ut in exercitum Domini proficiſceretur.

* *Henſch. add.* ſtatimque ille reſpondit, quòd digitum ſuum moveret.

B

330 Ipſa die venimus Barrum ſuper Albam, quod nominatiſſimum oppidum eſt, tribus à Clara-valle millibus diſtans. Quintâ igitur feriâ Vir ſanctus Miſſarum ſolemnia celebravit in eccleſia ſancti Nicolai. Illic ad nova divinæ virtutis magnalia obſtupuere Barrenſes *c*. Addidit adhuc magnificare Famulum ſuum Dominus, & oculos pueri cæci nati ſub manu ejus aperuit. In eadem baſilica poſt Miſſarum celebrationem, puella contracta, cujus tali adhæſerant renibus, erecta eſt & liberè ambulabat. Altera quoque puella, quæ ſtare omnino non poterat, ibidem adepta eſt ſanitatem. Item mulier clauda greſſum recepit, & quàm citò ſignata eſt, virtutem ſentiens, juſſit pulſari campanas, ſicut ad ſingula quæque miracula faciebant. In eodem loco, duo ſurdi & muti à nativitate * receperunt auditum, pariter & loquelam. Alter quidam puer, alter adoleſcens erat * notiſſimus in oppido illo; adhuc autem ſurdus unus auditum recepit, & puella ex utero matris ſuæ impos manibus, ſanata eſt ipsâ horâ. Alteri quoque manum aridam ante domum eleemoſynariam, cum jam proficiſceretur, reſtituit ſanitati. Ipſa die Diſpenſator bonus multiformis gratiæ Dei fuit redditus Claræ-valli, reportans manipulos pretioſos, inſtar patriarchæ Jacob cum duabus turmis regrediens. Nam & triginta ſecum adduxit, & totidem ferè facto jam voto & conſtituta die venturos præſtolabatur. Quid ergo dicemus ad hæc? Felix nimirum, cujus oratio tam accepta, tam ſalubris tactus, ſermo tam vivus & efficax invenitur! Felix anima, quam implevit Dominus oleo gratiæ præ participibus ſuis: felix lingua tot animarum medens vulneribus deſperatis: felix manus gratiâ ſanitatum, & tot virtutum affluens ſignis!

* *Henſch.* duo ſurdi & muti receperunt
* *Henſch. add.* uterque

C

Campaniæ locis donec rediit, ad Claramvallem,

c

XIV. *His attexuntur prodigia*

331 Paucos dies Claræ-valli faciens Pater ſanctus, ne intromitterentur infirmi, fratrum quieti providens interdixit. Ipſa tamen die, quâ exiturus erat, juvenem Lingonenſem, cujus auris altera ab annis multis penitus obſurduerat, venerabilis epiſcopus noſter obtulit, & confeſtim audivit homo, & gratias egit celeri medicinæ. Egrediens autem Pater monaſterii januam, invenit languentium multitudinem, cæcorum, claudorum, aridorum: plurimique in tumultu illo ſub manu ſignantis deſideratam adepti ſunt ſanitatem. Ubi verò montem aſcendit, obvium habuit puerum ſurdum & mutum, qui diebus multis inter fratres noſtros Fontarciæ manſerat, tantùm innuens eis. Hujus linguam ſputo liniens, & auribus ejus immittens digitos ſuos, Deum nominare juſſit, cœpitque puer paulatim loqui: ſed adhuc vox in gutture laborabat. Quod advertens unus ex fratribus noſtris rurſum obtulit eum rogans, ut gutturi ejus manum imponeret. Statimque locutus eſt liberè, cum multis lacrymis gratias agens Deo. Tamdiu ſiquidem ſurdus & mutus exſtiterat, ut ei nomen proprium penitus excidiſſet, & neſciret, quis vocaretur. Vix recordatus civitatis nomen, unde fuerat oriundus, Pariſienſem ſe eſſe dicebat.

A. GAUFRIDO.

332 In eodem itinere ſurdus alter audivit: pueri duo claudi greſſum receperunt; & prope Mundivillam (ſic enim vocatur viculus duobus ferme à monaſterio millibus diſtans) curatus eſt paralyticus ſenex nobis adſtantibus, turbis acclamantibus vehementer. Villa ſuper Arnam nominatur, ubi pernoctavimus ipſa die. Manè verò in baſilica poſt Miſſæ celebrationem adoleſcens altero crure contractus, ubi à Viro Dei ſignatus eſt, extendit nervum, & coram omni populo gradiebatur exſultans. In eodem vico, ingreſſus hoſpitium & irruentibus multis, cæcum uno oculo puerum, & puellam mutam à nativitate, conſueta benedictione ſanavit. Siquidem & puer illuminatus, & puella locuta eſt, audientibus & admirantibus univerſis. In platea quoque cum detineret eum populus egredientem, ſanati ſunt manci duo: quorum alter etiam unius oculi lumen recepit amiſſum, duplicique liberatus incommodo, duplex gaudium reportavit.

plurima,

E

333 Eadem die juxta caſtrum Barrum, quod alluit Sequana fluvius, coram multitudine copioſa plebis, quæ de tota regione convenerat, curati ſunt puer cæcus, & vir cæcus, puella manca & paralyticus ſenex: hunc in plauſtro detulerant, & ab annis ſex ſic elanguiſſe dicebant, ut nec ſedere quidem, nec ſine alio poſſet mutare latus. In ingreſſu villæ, quam Bargonium vocant, erectus eſt puer claudus ex utero matris ſuæ: in ingreſſu quoque mulier quædam amiſſum ab annis quatuor greſſum recepit. Nec longè progreſſi eramus, &, ecce, currebat poſt nos mulier cæca uno oculo: & hæc quoque ubi pervenit ad Virum Dei, ab eo ſignata eſt continuò, & viſum recepit. Et revertebatur gratulabunda & laudans. In ingreſſu diœceſis Tricaſſinæ, in vico, cui Fulceriæ nomen eſt, oblatus à populo puer à nativitate ſurdus & mutus, ab utroque morbo ſanatus eſt ipsâ horâ. In via quoque, cùm egrederemur, puellæ manum à nativitate aridam & contractam benedicta Bernardi manus extendit, quaſi eſſet cerea; & ſanata eſt ſtatim, ita ut teneret fortiter baculum, quem tradidimus ei. Mirabantur omnes, qui deducebant Sanctum Dei, viri de eadem regione nobiles & potentes. Magis autem mirati ſunt juxta vicum, qui Wanda vocatur, puellam claudam mutam ex utero matris ſuæ, benedictione percepta, ambulantem videntes, audienteſque loquentem.

quæ è Claravallenſi

F

334 Altera autem die in majori eccleſia Trecenſi congregatus eſt populus innumerabilis, ut audiret à Dei Homine verbum ejus. Factus eſt ergo tumultus intolerabilis comprimentium ſeſe turbarum; & periculum metuens, egreſſus eſt

cœnobio

A. GAUFRIDO.

Vir beatus; cúmque in hoſpitium epiſcopi ſe recepiſſet, ſequebatur eum languentium multitudo & pro foribus exſpectabat. Ingreſſa eſt autem puella clauda, & ſub oculis omnium, ſignante Viro Dei, adepta eſt ſanitatem, & liberè ambulavit. Erat autem nota in civitate puella, & ex propinquis ejus aderant eâdem horâ nonnulli. Poſt paululum quoque cæcus uno oculo puer illuminatus eſt, & alii duo, quorum erant aridæ manus, ſanati ſunt, admirantibus & exſultantibus univerſis. Veſpere quoque exſpectantes infirmos, juxta cancellum eccleſiæ ſeorſum poni præcipiens, exivit ad eos, & ſignavit ex ordine reſidentes. Aderant autem venerabiles epiſcopi Godefridus Lingonenſis, qui ferè omnia, quæ ſcribimus, præſens vidit; & Henricus Trecenſis: aderant clerici & laici de civitate non pauci: coram his omnibus puella clauda & muta oblata eſt Viro Dei. Cúmque ſignatam apprehenſa manu deduceret, loqui cœpit & ait: Non poſſum, Domine, ambulare, non poſſum. Obſtupuimus omnes: iterum ſignari rogavimus eam, & greſſum quoque recepit. Ibidem quoque cæcum oculum pueri ſputo liniens illuminavit. Mulierem
B claudam ab annis quindecim, quæ in eccleſia beatæ Mariæ à ſanctimonialibus alebatur, ſignans & attrectans curavit protinus: ita ut, quod antè non poterat, & ſederet & liberè graderetur. Exſultans igitur vehementer tulit baculos, quibus antea utebatur, in beati Petri eccleſia ſuſpendendos. Item juvenis quidam ejuſdem eccleſiæ ſervus, amiſſum ab annis quinque ibidem recepit auditum. In eadem civitate facta ſunt, quæ ſequuntur. Faber quidam longa ægritudine claudicans, ut ſine baculo incedere omnino non poſſet, ubi à beato Patre ſignatus eſt, lætus rediit, gradiens pedibus ſuis. Deinde mulier epilepticam ei obtulit filiam, cui morbus ille loquendi prorſus ademerat facultatem; cui Vir beatus manus imponens ſignavit eam, ſtatimque locuta eſt coram nobis.

profectus 335 Manè egreſſus Trecas, dum tranſiret Vir ſanctus villam, quam Prunetum vocant, oblatus eſt ei puer, cujus pedem retracti nervi torſerant in perverſum, ita ut ambulare omnino non poſſet: acclamabant autem, qui convenerant,
C levantes manus in cælum, dum Vir Domini puerum attrectaret. Nec mora: ſignatum pedem omni facilitate detorquens, deponi jubet, & coram omnibus ambulare cœpit incolumis. In oppido quoque quod Romanâ linguâ Triangulum vocant, poſt Miſſarum celebrationem feriâ ſextâ coram omnibus ad altare adducta eſt mulier cæca ejuſdem indigena caſtri; cumque ei Vir beatus impoſuiſſet manum, interrogata à circumſtantibus, Jam citò videbo, inquit: & poſt paululum, Video, ait, clarè, omnes vos video: benedictus Deus, qui fecit mecum miſericordiam. Altera quoque illuminata eſt, quam ab annis decem cæcam fuiſſe teſtabantur. Ibidem clauda mulier greſſum recepit, & mutus loquelam, acclamantibus omnibus, maximéque illius caſtri, qui nulla priùs ſimilia viderant. Ipſa die tranſeunti prope caſtrum Braium (quod lutum interpretatur) occurrit vir quidam filiam portans in humeris, quæ nec loqui unquam potuerat, nec ſtare ſupra pedes ſuos: ſtatimque ſub omnium oculis ab utroque eſt incommodo liberata.

patravit. 336 Apud Monaſteriolum, ubi Jona fluvius in Sequanam influit, præſente Comite Theobaldo, & multis aliis nobilibus pariter & ignobilibus, mulieres tres, prima auditum recepit; ſecunda amiſſum ab annis ſeptem unius oculi viſum; ter- D
tia paralytica ſanitatem: hæc in grabato in eccleſiam fuerat deportata, & ubi ſignata eſt, & juſſa ſtare ſupra pedes ſuos, in medio populi ſtetit incolumis, &, relicto grabato ſuo, gratulabunda repetiit domum ſuam. Ipſo die apud Moretum * *d* oppidum, juxta leproſorum domos, ſur- * Moret
dum & mutum à nativitate puerum offerebant, *d*
cujus ſtatim aures apertæ ſunt, & ſolutum vinculum oris ejus. Ubi verò caſtrum egreſſi, flumen tranſivimus, quod Luten *e* vocant, occur- *e*
rit Viro Dei populus innumerabilis, & ibi quoque puer, quem bene noverant circumſtantes, amiſſam loquelam ejus benedictione recepit.

Stampis, & alibi facta. 337 Stampis negotio Jeroſolymitanæ expeditionis, & regni Franciæ tam ipſe, quàm ceteri, qui convenerant, intendebant. Reddidit tamen illic auditum ſurdo; phrenetico, quem ligatum attulerant, mentem; mulieribus duabus viſum; alteri quidem unius oculi, alteri utriuſque. Exiens quoque finito concilio, cæcam puellam per ſignum crucis illuminavit. Apud viculum Meſſam, qui tribus à Stampis milliaribus diſtat, coram univerſo populo, qui convenerat, ſurdis duobus, viro & vetulæ mulieri re- E
ſtituit auditum. Milliacum * oppidum tranſiens * Milly
ipſa die mulierem languidam, & viribus corporis adeo deſtitutam, ut nec ambulare, nec ſtare poſſet, ſignavit atque ſanavit, propriiſque pedibus eſt reverſa, quæ fuerat apportata pedibus alienis. Illic etiam clericus quidam amiſſum unius oculi lumen adeptus eſt, & puer claudus inceſſum: ſic & Moreti vir cæcus uno oculo, qui Viro Dei occurrebat ingredienti, confeſtim illuminatus eſt ad ejus benedictionem. Senonis, quæ Galliæ olim maxima civitas erat, in conſpectu cleri, qui ad eum fuerat congregatus, mulierem ſurdam & cæcam per manus impoſitionem auditu donavit: & præter alia, quæ ſcribere ſuperſedimus, vitantes prolixitatem; ingredienti oppidum, cui, Joviniacum * *f* nomen eſt, oblata eſt mulier cæ- * Joigny
ca, confeſtim in habitum verſa privatione; de *f*
cæca facta eſt videns, exiitque ſermo in popu- * *Horſt. bis*
lum, & undique acclamabant, Anna videt *: Anna videt
quia omnes noverant eam: ubi verò egreſſi ſumus, geminata eſt populi lætitia, & ſub oculis omnium puer à nativitate cæcus uno oculo, negatum à natura munus adeptus eſt gratiæ beneficio. F

ANNOTATA.

a 2 *Februarii*, & 3, *quia* per biduum *ibi fuit, ut colligitur ex iis, quæ ſtatim ſequuntur.*

b *Apud Baronium ad annum Chriſti* 1152 Vulpho Dux *intereſt tractatui concordiæ inter Eugenium III PP., & Fridericum novum regem Romanorum.*

c Siquidem inter oblationes claudi quatuor erecti ſunt, & puer cæcus illuminatus eſt coram eis; *quantum ex varia lectione ab Henſchenio notata conficio, quæ ex incauta abſciſſione aliquid paſſa eſt.*

d Quod veteres Murittum, & Muritum; recentiores Moretum dixêre. Legi concilium Muritenſe Ms., anno Chriſti DCCCL habitum, *inquit Hadrianus Valeſius ad nomen* Murittum. *Vide notam proximè ſequentem.*

e *Mabillonius* legendum, *ait*, Luen, Latinè Lupa, vulgo Loin, amnis agri Waſtinenſis, in Sequanam influens infra Moretum.

f *De hoc loco, ac de alio ſynonymo conſuli poteſt Hadrianus Valeſius.*

CAPUT

A

CAPUT VII.

Prodigia reliqua in Gallia & Germania.

XV. *item Autiſſiodori, Cableæ, Tornodori,*

ADveniens igitur Autiſiodorum Vir beatiſſimus, orationis causâ monachorum baſilicam introivit, ubi pretioſus ille theſaurus jacet; ubi Germani glorioſi corpus ſacratiſſimum requieſcit. Regredienti verò mulier clauda, quæ genibus tantùm & manibus gradiebatur, occurrit in porta, tenenſque veſtigia ejus, miſericordiæ viſcera miſerabili ſupplicatione pulſabat: cujus renes & genua ſigno crucis edito Vir beatus attrectans elevavit eam in nomine Domini: & ad ſanctiſſimi confeſſoris altare miſit ſuis pedibus gradientem: ipſius etenim nomen, dum mulier elevaretur, univerſus, qui convenerat populus, invocabat. Hoc in civitate illa notiſſimum celeberrimumque miraculum fuit. Omnibus ſiquidem nota erat mulier illa, & tribus fermè annis in
B grabato viderant eam deportari. Hoſpitatus eſt autem Vir ſanctus in domo epiſcopi, & illic quoque, videntibus multis, aridam manum mulieris extendit liberè & ſanavit. Sic & manè, cum egrederetur, ſimili incommodo laboranti beneficium ſimile contulit manus benedicta. Ipſa die Cableïam pertranſeunti claudum puerum offerebant, quem ſanatum protinus, & erectum in beati Martini eccleſiam deduxerunt. Ad eum ſiquidem & illa eccleſia pertinet, & vicus ipſe, quem in Bernardo revixiſſe mirabantur. Adhuc enim proſequentibus eum turbis, puella clauda & alteram manum invalidam habens, ab utroque incommodo liberata eſt coram eis. In caſtro Tornodorenſi eadem die, videntibus nobis, in hoſpitio mulier cæca uno oculo, per ſignum crucis illuminata eſt: & exiit magnificans Deum. In eccleſia etiam beati Aniani feriâ quartâ, dum ad oblationem inter Miſſarum ſolemnia reſediſſet, obtulerunt puerum cæcum: cujus ſtatim oculos ſub manu fidelis Servi, divina virtus aperuit. Similiter & puella cæca, cum jam egrederemur caſtrum, coram omnibus, qui proſequebantur
C beatum Virum, amiſſum ab annis multis, ſignante eo, viſum recepit, & altera cæca uno oculo illuminata eſt prope fluvium, qui Armancia * nominatur.

* l' Armençon

339 Ipſa die Moliſmum venimus, quod eſt monaſterium, unde egreſſi ſunt olim Patres noſtri, à quibus Ciſtercienſis eccleſia ſumpſit exordium. Extat liber uſuum Ciſtercienſium, ubi pleniùs id ſcriptum diligens lector inveniet *a*. Illic ergo (ut dictum eſt) quartâ feriâ Virum Domini magna cum devotione ſuſceperunt; cumque in hoſpitio reſediſſet, vir quidam cæcus uno oculo ingreſſus eſt, & genu flexo miſericordiam precabatur: ubi verò ſignavit eum ſacris digitis, cæcum tetigit oculum, & confeſtim illuminatus eſt, & gratias egit Deo. Factum eſt autem poſt unam horam, cùm adveſperaſceret, eſſetque inclinata jam dies, egreſſus eſt Vir beatus, ut ſignaret infirmos, qui pro foribus exſpectabant. Primus illic convaluit puer cæcus oculo dextro, qui ſignatus ſiniſtrum claudebat oculum, quo priùs videre ſolebat, & clarè diſcernens omnia, ſciſcitantibus nobis, quidquid oſtenderetur continuò reſpondebat. Id ipſum tribus aliis eodem laborantibus incommodo, per manum Bernardi

in monaſterio Moliſmenſi,

a

ſui beneficium præſtitit Deus; puellæ videlicet, & ſeniori viro & mulieri, ſimilique & in eis probatum eſt diligentia. Adhuc autem in ipſo loco puellula debilis pedibus & clauda ex utero matris, ſanata eſt per manûs impoſitionem, & exſultabat in gaudio mater, quòd tunc primò ſtantem eam & ambulantem cernere mereretur. A. GAUFRIDO.

340 Feriâ quintâ egredientem Moliſmenſe cœnobium Hominem Dei, devotione debita proſequens innumerabilis multitudo, quæ de tota convenerat regione, mulierem claudam, quæ plauſtro ſubvecta fuerat, ubi ſignata eſt, ab eo ſuis gradientem pedibus gratulabunda reduxit. In eodem itinere dum ſilvam ingrederemur, adoleſcens ſurdus auditum, & mulier quædam amiſſum ab annis duodecim alterius oculi viſum, per manûs Hominis Dei impoſitionem receperunt, præſentibus & videntibus multis. Occurrentes deinde viri duo, & ipſi quoque, quod amiſerant, ſingulorum lumen adepti ſunt oculorum. Nec longè proceſſeramus, &, ecce, concurrentibus turbis undique, puer claudus, quem attulerant, ad tactum beati Viri ſanatus eſt, & liberè gradiebatur exſultans. Confinium dicitur villa noſtris proxima finibus, per quam tranſivimus ipſa die. Ibi
E quoque ſub oculis omnium, qui convenerant, puerum claudum & mulierem claudam ex utero matris ſuæ ſignans Vir Domini & attrectans, amiſſum reddidit alteri viſum, alteri novum contulit greſſum. *& dum inde*

341 Ingredienti denique Claram-vallem unus de noſtris occurrit, adducens ſurdum & mutum puerum, qui in monaſterio diebus jam quindecim Sancti præſtolabatur adventum. Nec fraudatus eſt à deſiderio ſuo puer fidelis; ſed continuò, ut ſignatus eſt, recepit auditum pariter & loquelam. Et primò quidem vix potuit nominare Deum, ac deinde præcipientibus nobis, invocare cœpit beatæ Virginis nomen: tandemque, ſoluto penitus oris vinculo, omnia loquebatur, ubertim gaudii lacrymas fundens. Multi etiam fratrum, qui eum noverant priùs, nec audientem penitus nec loquentem, locuti ſunt in auribus ejus, & audierunt eum ad plenum verba omnia formantem. Interrogatus autem quamdiu mutus & ſurdus permanſiſſet: Tertius, inquit, annus tranſivit, ex quo obſurdui & obmutui, & eram innuens tantùm. Et hæc dicens cum lacrymis benedicebat Dominum, qui feceF rat cum eo miſericordiam. Ipſi & nos pro tanto Patre & patrono quantas poſſumus gratias referimus, glorificantes ſemper & laudantes Deum, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula. *rediret Claramvallem.*

342 Sexto Calendas Aprilis, ingrediente Viro Dei Treverim, obviam ruit ex more populus univerſus: &, ecce, offerebant ei puellulas ſorores duas ex eadem civitate, alteram quinque, alteram quatuor annis miſerabili cæcitatis incommodo laborantes: ubi verò ſignavit eas Vir ſanctus, ambæ illuminatæ ſunt, & in eccleſiam beati Petri deductæ, ubi eâdem horâ Miſſarum ſolennia celebravit. Illic eas vidit clerus & populus: illic probavimus diligenter miraculi veritatem. Conſummato demum Sacrificio, Vir Domini juxta altare reſedit, ut ſuper ægros manus imponeret & bene haberent. Protinus autem claudus oblatus eſt, & ambulavit; oblatus eſt cæcus & vidit; oblata eſt mulier ſurda & audivit. Et hæc quidem in ſomnis admonitam ſe eſſe dicebat, ut feſtinaret ad eum: cujus benedictione receptura eſſet auditum. Non dubito quin & alia multa diligens inveniat inveſtigator: ſed hæc ad XVI. *Plurima etiam*

A. GAUFRIDO.

memoriam arbitror posse sufficere. Adhuc tamen in domo archiepiscopi puerum cæcum uno oculo coram nobis illuminatum certissimè recordamur. Veritus autem molestam vobis esse brevitatem, ex his quoque quæ Rutilæ facta sunt, nonnulla subjunxi. Viderat Pater sanctus in somnis, quod nobis secretiùs intimavit, mulierem claudam in ecclesia quærentem se, cum nec ab ea, nec à populo cognosceretur. Gloriabatur autem quòd ignotus esset, & accedens clanculò signabat eam, & pertransibat: subitoque admirans illa erigebatur. Hujus autem visionis effectus apparuit manifestus. Siquidem dum in ecclesia illa Missarum solemnia celebraret Vir beatus, allata est contracta mulier, quæ à diebus multis per terram repens erigi penitus non valebat, sed genibus & scabellulis, quæ gestabat manibus, utcumque gradiebatur.

apud Trevirenses,

343 Guntrannus de Sirco, quod super Mosellam situm est castrum, à prædicto monasterio paululùm distans, mulierem illam in ecclesia fecerat deportari. Necdum ad beati Patris manum accesserat, &, ecce, accessit ad eam spiritus ejus occultè sicut præviderat: subitoque curata exsiliit, & ambulabat laudans & magnificans Deum. Videns autem populus, qui claudam priùs noverat eam, exclamavit in laude Dei, tollentesque scabellula, ad altare protinus detulerunt, ut sisterent eam Domino & Bernardo servo ejus. Ibidem sanè ad tactum ejus mulier de eodem vico, clauda ab annis septem, & puellula contracta, cujus obstupuerant nervi femoris utriusque, ut extendere genua, aut erecta stare non posset, desideratum gressum coram omnibus receperunt. Oblati sunt ei vir quoque cæcus & mulier cæca, & confestim, edito signaculo crucis, ab utroque repulit tenebras, & utrisque lucem restituit. Sed fortè hæc nostra descriptio, licèt studiosis brevior, oblivionis prolixior videatur. Et ipsis itaque providentes, instar proverbii, quæ dicta sunt, perstringamus. Resultabat canoris vocibus ecclesia Treverensis ad Bernardi tactum ambulante claudo, audiente surda, cæco vidente. Duas quoque sorores cæcas idem Vir Domini in ingressu civitatis illuminavit, & in domo puerum cæcum uno oculo. Rutilavit Rutilæ *b* in Bernardi præsentia lux cælestis, cujus benedictio claudis duabus gressum, visum reddidit cæcis æquè duobus: in eadem ecclesia, mulier clauda, quæ genibus & scabellulis ferebatur, erecta est, priusquam perveniret ad Hominem Dei.

b

Francofurtenses,

344 Residebat aliquando Frankenvoert in solio Pater sanctus, & per fenestram ad manum ejus admittebantur infirmi, quorum innumerabilis multitudo undique fuerat congregata. Et, ecce, oblatus est inter ceteros adolescens quidam surdus & mutus ex utero matris suæ: cui Vir beatus manum imponens confestim curavit eum, & liberè audiebat & loquebatur. Nullam tamen noverat linguam, sed ea tantùm proferebat verba, quæ ex colloquentis ore audivisset. Hoc, fuit, quod maximè nostrum movit Hugonem, ut describi hoc miraculum postularet: sed nos multa similia videramus. In ipso quoque solio matrona quædam dives & honorata de regione eadem deportata est, quæ ex longo tempore jacuerat paralytica. Et hanc quoque signans Homo Dei tenuit manum ejus & erexit eam, præcipiens ut liberè ambularet in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in virtute Spiritus sancti. Dixit, & factum est: exsilienſque ambulabat. Tunc verò acclamabant omnes; sed specialiter exsultabant milites, qui propriis humeris deportaverant, quam videbant regredientem pedibus suis. Nimirum videbatur sibi quodammodo miraculi particeps pia devotio. Et hæc quoque excitavit amicum nostrum, ut fileri miraculum hoc, nefarium judicaret.

edidit;

345 Tertium autem simile est huic. Erat siquidem in proximo vico vir paralyticus ab annis octo, notus omnibus & omnium dignus miseratione. Neque enim movere poterat membra, nec, si domus, in qua jacebat, undique flagrare cœpisset incendio. Hic ergo coram nobis & aliis quampluribus, qui beato Patri tunc assistebant, subvectus in culcitra depositus est coram eo: cujus debilia membra edito signaculo salutis attrectans, confestim erexit eum, & tam perfectè curatus est, ut ad exercitum Domini profecturus ilicò susciperet signum crucis; nimirum, cujus virtutem tantam, & tam celerem esset expertus. Cumque tollerent alii lectum ejus, Non sic, ait venerabilis Hugo, sed magis ipse portabit, & imponens in humeros ejus dimisit eum, & tam viriliter ambulabat, ac si nihil priùs sustinuisset incommodi. Quartum, quod describi Hugo miraculum postulabat, puellæ cujusdam erectio fuit: hanc in hospitium vespere obtulerunt humeris deportantes. Cujus cùm signaret genua Vir beatus, contractos & obduratos quasi in modum virgæ ligneæ nervos sentiens; Heu, inquit, hujus ex toto retracti sunt nervi, & flectere genua, immo flexa extendere omnino non potuit. Et certè sic erat, nec poterat à diebus multis gradi pedibus, sed manibus & pedibus reptabat utcumque. Igitur ad Patris benedictionem laxatus est statim nervus uterque, & elevavit eam unus è fratribus: ipse verò tenebat tibias, & paulatim extendebantur: cumque ambulare cœpisset incolumis, obstupuimus vehementer omnes, sed & Sanctus ipse præ admiratione se signans, Domino virtutum gratias referebat.

XVII.

uti etiam

346 Jam ad ea, quæ Tulli facta sunt, veniamus. Quater siquidem hoc in anno Vir sanctus illam ingressus est civitatem; nec umquam transiit absque miraculis. Primùm siquidem Dominicâ ante Pentecosten in ecclesia beati Stephani ad altare majus Missas celebranti oblatus est puer cæcus, notus in civitate eadem, qui per manûs impositionem visum recepit; & hunc usque hodie Tullensis habet ecclesia virtutum beati Bernardi speculum, testimoniumque fidele. Secundò quoque accedens civitati proximam villulam, quam Calmas nominant, pertransibat. Et, ecce, ruit obvia plebs devota, aquam afferens signandam atque benedicendam, quam protinus, Euangelici instar miraculi, sapore pariter & odore vini benedictione ipsa donavit: & qui gustaverunt, omnibus perhibent testimonium. Unde & nunc in tota regione illa certissimum est celeberrimumque miraculum, apud villam Calmas sub Bernardi manu aquam in vinum esse mutatam. Nam super vestem cujusdam sparsum est vinum novum, dum undique concurrentes certatim traherent vasculum, & multis diebus vini pretiosissimi servavit odorem.

apud Tullenses.

347 Tertiò deinde prædictam Tullensium civitatem ingressus timuit turbas, & quia grandis ei restabat via, nocte egredi festinavit. Id ipsum autem suspicati nonnulli de populo, observabant eum, nec exire vel nocte potuit sine turba: inter quos oblata est paralytica mulier in grabato, quam protinus elevans Vir beatus in nomine Domini

A mini ſignavit atque ſanavit. Hujus quoque curatio univerſæ innotuit civitati, quam nimirum adhuc hodie incolumis mulier inhabitat, quæ in ea diu jacuerat paralytica. Similiter autem & altera mulier cæca uno oculo, quæ ad eum deducta eſt extra civitatem, ſignante eo, viſum recepit, quod in hoc adventu veriſſimè certiſſiméque probavimus. Nuper ſanè apud beatum Aprum Vir Domini ſuſceptus hoſpitio, monaſterium illud plurimis miraculis illuſtravit, claudum erigens puerum, auditum ſurdo reddens adoleſcenti. Tres quoque cæcos, uno viſionis munere donans in ipſius nomine qui, Trinus adoratur & Unus: ubi plurima quoque miracula claruiſſe non dubito: ſed hæc coram me facta novi certiùs, fiducialiúſque deſcripſi.

ANNOTATA.

a *Videri poteſt Exordium parvum Ciſtercienſe.*
b *Ex his confirmantur, quæ de vero hujus loci nomine præmiſſa ſunt ad libri 4 Vitæ caput 6, lit.* a.

B

Epiſtola Gaufridi monachi Claravallenſis, quædam S. Bernardi miracula recenſens.

Magiſtro ſuo cariſſimo Archenfredo, & utrique Capitulo, fratribus ſuis uterinis *a*, frater Gaufridus memores ejus eſſe, qui diligit vos in veritate. *a*

Scribit auctor, quæ comperta habuit,

NUllis mihi ad te, magiſter, verborum blanditiis utendum eſſe, certis experimentis cognovi: latêre enim non potuit familiarem filium, quem præ ceteris fovere ſolebas teneriùs, & amplecti cariùs, non quòd dignum, ſed quia indignum eſſe ſentires; adhærentem, inquam, lateri tuo latêre non potuit, quam parùm acceptes eos, qui verba venantur, ſentiens planè cum Apoſtolo, regnum Dei non eſſe in ſermone, ſed in virtute. Ut quid ergo verba multiplicantur? Tu ſcis, Domine, quia amo te; tu ſcis, C quia tuis & tuorum orationibus egeo, & quantùm diligam, & quantùm egeam, non ignoras. Sileo proinde de meipſo, ſciens quòd ſcienti me ſcribam. Ceterùm, cùm * memor ſum, in quanta ſollicitudine reliquerim vos, & totam pariter Claram-vallem, eò quòd dubia videretur Domini abbatis de itinere iſto voluntas; ſcribo vobis de quo magis præſumo, quæ in eo vidimus & audivimus, ut habeatis conſolationem, & veſtris eam nihilominus præbeatis. Hoc autem ſcitote, nihil me ſcribere, niſi veritate compertum.

* *al.* quoniam

narrans res miras, quæ Sancto contigerunt apud Pictavenſes;

349 Dum appropinquaremus Pictavim, cœpit dominus Abbas infirmari, ita ut paulo minùs eum pœnitere inciperet oneris, nos itineris hujus. Ibi ad noſtram & ipſius conſolationem facta vox ad eum in viſione cantans, Et domus impleta eſt ex odore unguenti. Erat autem cantus ut verſiculi, & tantummodò punctum ultimum deerat in hunc modum *b*. Et domus impleta eſt ex odore unguenti. Quo defectu quid ſignificatum credamus, ſequentia manifeſtant *. Altera die cùm iterum decubaret, ſic in os ejus miſſum * eſt canticum novum, Lætabitur juſtus in Domino, ut evigilans ſæpiùs nil aliud poſſet cogitare. Pictavi, dum nocte ſederemus, & ipſe cum candela ſolus deambularet, exſtincta eſt candela, & abbas Cari-loci vidit eum ſine lumine ambulantem. Proinde autem cum ſonitu quodam, ut ipſe confeſſus eſt, candela reaccenſa eſt, & ardentem eam uſque ad nos deportavit. A. GAUFRIDO.

b

* *Vide infrà num.* 352.
* *al.* immiſſum

Burdegalæ clericos cum archiepiſcopo conciliat: alibi ſanat infirmos;

350 In urbe Burdegali res facta eſt digna miraculo, quod obſtinatiſſimos animos clericorum convertit, ut concederent in ſede epiſcopali Regulares ordinari Canonicos, pro qua re per ſeptem annos excommunicati, parvi pendebant omnino; ita ut quinquennium exſularet archiepiſcopus, vacaret eccleſia; redditus illi violenter diriperent, & tam exoſus eſſet omni populo archiepiſcopus, ut in ingreſſu etiam omnibus noſtris exprobrarent, dicentes: Quoniam iſti ſunt de patronis archiepiſcopi; ſed mutavit animos eorum ſermo Dei vivus & efficax, præter ſpem univerſorum, qui noverant negotii difficultatem & obligationes peſſimas nimis *c*. In caſtro, quod dicitur Bragerach * allatus eſt ad eum vir nobilis graviſſima infirmitate laborans, & ex illa hora convaluit, ut poſtea didicimus *d*. Homo civitatis illius pauper & inops laudat hodie nomen Domini, qui longa infirmitate fractus * viribus, laborare non poterat, aut operari quidquam; ſed benedicto pane veſcens, cum per aliquot dies ſequeretur nos, fortis & incolumis eſt reverſus. In Caturcenſi urbe quidam ſerviens epiſcopi percuſſus in capite, oculi unius lumen amiſerat. Sed ſignante eo viſum recepit. Ibidem burgenſis quidam bibit aquam ab eo benedictam, & viſum eſt ei, ac ſi projiceretur ſuper caput plenum vas aquæ, & ex hora convaluit à febre, quâ per ſeptem annos laboraverat. Jam verò Petragorici populi devotionem quis explicet? Paulò minùs ſuffocabant eum; adeo ut neceſſe habuerit clàm diſcedere ab eis.

c
* *al.* Bragerradi
d
E
* *al.* fractis

Toloſæ magnos fructus facit

351 In Toloſana urbe ſatis devotè ſuſceptus eſt, ſed per paucos dies pluſquàm ſatis, & etiam pluſquam nimis fuêre devoti. Paucos quidem habebat civitas illa, qui hæreticò faverent; de textoribus, quos Arrianos ipſi nominant, nonnullos. Ex his verò, qui favebant hæreſi illi, plurimi erant, & maximi civitatis illius. Denique non longè ante adventum noſtrum, unum è dictioribus civitatis illius cum uxore ejus ſeduxerant, ut, relictâ ſubſtantiâ ſuâ, & parvulo filio in villam ſecederent, quæ hæreticis plena eſt, & nullis deinceps propinquorum perſuaſionibus reduci potuerant. Vocatus eſt ergo Henricus, vocati ſunt Arriani, & pollicitus eſt populus, quòd nemo eos deinceps ſuſciperet de cetero, niſi venirent & palam loquerentur. Fugas Henrici, & Arrianorum latibula, longum eſt enarrare. Fugerunt ſiquidem, qui in civitate erant Arriani, audientes ſigna & mirabilia, quæ fiebant. Fautores eorum abnegaverunt eos, & credimus omnino perfectè liberatam civitatem ab omni hæreticæ contagio pravitatis. De militibus promiſêre nonnulli, quòd deinceps expellerent, & non manu-tenerent eos. Si qui verò cupidi fuerint, & aliter voluerint agere, hæreticorum munera diligentes, data eſt ſententia in hæreticos & in fautores eorum, atque in omnes, qui manu-tenuerunt eos, ut neque in teſtimonio, neque in judicio ſuſcipiantur, nemo communicet in convivio, neque in commercio. Henricum fugientem ſecuti & perſecuti ſumus; ſed ille eo ampliùs fugiebat *e*.

F

e

contra Henricum hæreticum

352 In ipſis ſanè caſtellis, quæ ſeduxerat, locutus eſt dominus Abbas, & libenter audiente populo

A. GAUFRIDO.

pôpulo crediderunt, qui erant præordinati ad vitam. Milites quidem nonnullos invenimus obſtinatos. Sed non tam errore, ut nobis videtur, quam cupiditate & voluntate mala; oderunt enim clericos; & gaudent facetiis Henrici, & quia id loquitur eis, unde occaſionem habeant & excuſationem malitiæ ſuæ. Omnes tamen affirmabant, quòd deinceps non manu-tenerent eum, ſiquidem domini Abbatis colloquium refugiſſet. Data proinde ſententia eſt in hæreticum, & in fautores ejus, & patefacta eſt omni populo peſſima ejus vita, & quomodo in Piſano concilio, omnes, quas nunc prædicat, hæreſes abjuraverit, & redditus domino Abbati litteras acceperit ab eo in Clara-valle, ut ibi monachus fieret. Credimus, annuente Domino, malitiam ejus finiendam brevi. Terra tam multiplicibus errorum doctrinis ſeducta, opus haberet longa prædicatione; ſed dominus Abbas nec tanto labori ſufficere * videtur, & multò magis timet moleſtus eſſe fratribus ſuis; & hic eſt, ni fallimur, ejus, quem prædiximus, puncti defectus in cantu verſiculi, quem audivit.

* *al.* tanto labori non ſufficere poſſe

B

Vir ſanctus, & ſummâ æſtimatione dignus.

353 Acceptis ergo à Clara-valle multis hinc inde litteris, cum omni feſtinatione revertitur: & credimus, annuente Deo, quòd non longè poſt octavam Aſſumptionis beatæ Mariæ viſuri ſitis deſiderium *, merito deſiderabilem Virum. Utinam enim noſſemus, quantum & quam inæſtimabile donum dederit nobis Deus Patrem ſanctum, advocatum fidelem, patronum potentem, paſtorem bonum, plenum gratiâ & virtutibus coram Deo & omni ſæculo. Denique quòd in certis locis virtutes occultet humilitate, certis didicimus experimentis; quando per ejus diſceſſum continuò ſanabantur infirmi; uti ſic, eſſet illis benè, ut ipſum nemo magnificaret. Ubi verò neceſſe fuit, maluit, ut ipſe confeſſus eſt, ſuſtinere proprium periculum, quàm ſaluti eorum non providere.

* *al.* addeſideratum &

Infirmos multos

354 Erat in eccleſia ſancti Saturnini, in qua hoſpitabamur, Canonicus quidam Regularis Joannes nomine, peritiſſimus medicæ artis. Is ergo ſeptem, ut dicebatur, menſibus decubans, à ſancto Paſcha ita languebat, ut quotidie ſolum ejus obitum exſpectarent. Defecerant tibiæ ejus ita, ut nequaquam viderentur puerilibus brachiis groſſiores. Specialiter ſanè dextri femoris nervus aruerat, ut à ſancto Paſcha ad * modicum quidem poſſet extendere genu. Languebat miſer ſemivivus, & quotidie reſponſum mortis habens in ſeipſo, & ne ad urinam quidem, aut egeſtionem ſurgere omnino valebat. Ob fœtorem denique & languorem extra monaſterium factus, erat in burgo collocatus, non ſuſtinentibus canonicis præſentiam ejus. Rogat ergo obnixiùs, ut prope dominum Abbatem deferatur; & portant ſex viri in grabato in cameram, quæ proxima erat hoſpitio noſtro. Ibi viſitatus à domino Abbate, confeſſus eſt ei peccata ſua, & pro ſua liberatione & ſanitate obnixiùs obſecrabat. Ubi ergo benedixit ei dominus Abbas, exivit de camera, & ivimus nos quoque cum eo. Ibat autem ſecum cogitans & dicens tamquam ſervus fidelis, En, Domine, ſigna quærunt: & nihil proficimus aliter, quouſque diſſimulaveris *. Et continuò exſiliens ille cucurrit poſt nos, ita ut vix ingreſſi eſſemus hoſpitium, quando ſequentem nos vidimus, & ambulantem, ut ipſe dicebat, non viribus, ſed virtute divina. Exinde pergit ad eccleſiam, gratias agens Deo, & fratres cantantes cum eo, Te Deum laudamus. Quanta devotione domini Abbatis oſcularetur pedes, ſcire poteſt nemo, niſi qui vidit.

C

* *al.* ne ad modicum

* *al.* diſſimulas

D

Pater ſanctus

355 Puer quidam ſeptennis, ut dicebatur, languens inter brachia matris ignorantis, quænam eſſet paſſio, cum benedictus à domino Abbate reverteretur, continuò vomuit lapidem, quem multi quoque viderunt, & ſanus factus eſt ex illa hora. In ipſa civitate hominem jam ſenem, qui unius oculi lumen amiſerat, per ſignum crucis illuminavit. Sic & puerum, qui utroque oculo cæcus erat; alterum verò jam majoris ætatis cæcum ſimiliter illuminavit. Fuit in ipſa urbe mulier quædam, quæ ſubitum in capite dolorem ſentiens dixit, Quia non comedam, donec veniam ad Virum Dei; dehinc cùm cogeret eam vir ejus, ut comederet, ubi primum guſtavit panem, paulo minùs ſuffocata, & arctata gutture, pervaſa eſt à dæmonio. Exinde per triduum non poterat comedere aut bibere quidquam, donec præſentata domino Abbati, benedictum panem & aquam ſumpſit de manu ejus. Præcepit deinde dominus abbas, ut juxta nos in capella pernoctaret, volens ad eam ſine turba venire ſecretiùs. In nocte verò conqueri * cœpit vehementiùs, ita ut nunc quidem dæmon, nunc femina loqueretur: & modò in ſiniſtram, modò in dextram partem vertebatur lingua, ſecundùm quod mutabatur loquentis perſona. Dicebat dæmon, audientibus univerſis, qui adſtabant: Quia non egrediar, donec veniat Abbas, donec veniat Abbaticulus. Admonitus interim dominus Abbas in ſomnis venit ad eam; & quam in tanto cruciatu invenerat, quietam omnino dimiſit. Et protinus, mane facto, celebrans Miſſarum ſolemnia, dedit ei communionem ſanctam, & incolumem remiſit in domum ſuam.

* *al.* torqueri

E

reddit

356 Ex his, qui manus habebant intortas in partem alteram, & digitos in partem replicatos, tres ſanavit Toloſæ, tres in confiniis ejus. Allata eſt enim ad eum puella quædam, dum oblationem ſuſciperet, & ſignans manum atque apprehendens digitos cum omni facilitate aperuit. Idipſum quoque de duobus aliis fecit, niſi quòd alterius, cujus erat manus contracta utraque, erubeſcens propter epiſcopos, qui præſentes erant, parumper aperuit, & ſic tradidit Militi cuidam de Templo, qui præſens erat, ut ipſe perficeret. Quartum, ab hoc incommodo liberavit infantem quemdam apud Dameyſeriam, vidente domino Engoliſmenſi epiſcopo, & ſtupente, quòd, ubi ſignavit manum & dimiſit, ipſa quaſi eſſet chorda quædam, in bonum ſtatum converſa eſt, & digiti aperiri cœperunt. Ibidem ſanè in horâ eâdem & ſurdum fecit audire & mutum loqui. Quintum, mancum ſanavit in caſtro quod dicitur Viride-folium, ubi ſedes eſt ſatanæ *f*, & ipſe peſſimi (ni fallor) hæretici puer erat. Sextum, ſanavit in caſtro, quod dicitur Sanctus-Paulus, quos ex ſervientibus Domini legati remanere in terra aliena febris graviſſima coëgiſſet, niſi ſubveniſſet eis cæleſtis medicina panis benedicti.

F

f

ſoſpites.

357 In Albigenſi civitate factum eſt, quod ceteris non immeritò miraculis credimus præferendum. Erat enim populus civitatis illius ſuper omnes, qui in circuitu ejus ſunt, hæretica pravitate contaminatus, ut audivimus; ita ut domino legato, qui per biduum ante nos venerat, cum aſinis & tympanis exierint obviam; & cùm ſigna pulſarent ad populum convocandum, ad Miſſarum ſolemnia celebranda vix convenere xxx. Tertia die dominus Abbas cum multa populi lætitia

A titia ſuſceptus eſt. Sed tanta mala de illis audierat, ut penitus non acceptaret devotionem eorum. Sequenti verò die, cùm beati Petri ſolemnitas eſſet, tanta ad audiendum verbum Dei multitudo convenit, ut non caperet eos grandis eccleſia. Quos allocutus dominus Abbas, Seminare, inquit, veneram, ſed præoccupatum à ſemine peſſimo agrum inveni. Verumtamen, quia rationalis eſt ager, Dei enim agricultura vos eſtis, ecce oſtendo vobis ſemen utrumque, ut ſciatis, quid eligere debeatis. Et incipiens à Sacramento altaris, per ſingula capitula, quid hæreticus prædicaret, quæve eſſet fidei veritas diligentiùs exponebat. Demum interrogavit eos, quid eligerent, & reſpondens omnis populus cœpit abominari & deteſtari hæreticam pravitatem, & cum gaudio ſuſcipere verbum Dei, & Catholicam veritatem. Pœnitemini, inquit, igitur quicumque contaminati eſtis; redite ad Eccleſiæ unitatem. Et, ut ſciamus, quis pœnitentiam agat & ſuſcipiat verbum vitæ, levate in cælum dextras in ſignum Catholicæ unitatis. Factum eſt ergo, ut, levantibus omnibus dextras in cælum cum
B exſultatione, ipſe ſermoni finem imponeret. Et nos quoque epiſtolam terminemus *g*. Valete.

Finis libri ſexti.

ANNOTATA.

a *Scribit igitur Gaufridus ad unius ejuſdemque matris, id eſt, monaſterii Claravallenſis filios, atque adeo fratres ſuos in Chriſto: idque confirmatur, quando proximè ſubdit:* Ceterùm, cùm memor ſum, in quanta ſollicitudine reliquerim vos, & totam pariter Claram-vallem *&c. Quid autem ſibi velit* τὸ utrique Capitulo, *non ſatis equidem intelligo: niſi fortaſſis hæc epiſtola etiam directa fuerit ad cœnobitas abbatiæ Trium-fontium, primam matris Claravallenſis filiam, vel ad aliam ex primis; de quibus in Chronologia Bernardina.*

b *In apographo noſtro ſtatim nominando ſequitur ſeries punctorum: unde ſuſpicor, aliqua eſſe omiſſa.*

c *Facta ſunt hæc ſub Gaufrido ſeu Goffredo de Loratorio, archiepiſcopo Burdegalenſi; de quo plura legi poſſunt in Gallia Chriſtiana tomo*
C *2, à col.* 811 *noviſſimæ editionis. Ad hunc nondum tunc præſulem data eſt epiſtola* S. Bernardi 125. *Pro ipſo etiam ſcripſit epiſtolam ordine* 342 *apud Mabillonium. De diſcordia autem, quæ hîc refertur, ac de pace compoſita exſtat inſtrumentum in citata Gallia Chriſtiana à col.* 814, *è quo iſta delibo:* Actum hoc atque firmatum in præſentia & in manu D. Legati, & D. Claræ-vallis. *Et paullo inferiùs:* Fuit verò facta hæc concordia Burdigalæ in domo D. archiepiſcopi, anno ab Inc. Dom. MCXLV, VI Non. Julii *&c.*

d *In apographo noſtro, quod ſignatur* ex Ms. Marchianenſi vetuſto. Poſt miracula B. Mariæ, *quo uſus ſum ad notandas varias lectiones in miracula, quæ Gaufridus in hac ſua epiſtola narrat, ſequitur hîc proximè:* Jam verò Petragorici populi devotionem *&c. Et mox:* Homo civitatis illius pauper & inops *&c.*

e *Conferri hæc poſſunt cum dictis in libro* 3 *Vitæ apud nos cap.* 2.

f *De hoc loco, & ejuſdem incolis, quia erant hæretici obdurati, punitis, conſule Commentarium prævium* § 44.

g *In noſtro apographo, quod modò allega-* *bam, additur:* Apud ſanctum Anthonium ſanavit puellam, cujus brachium totum aridum erat. A. GAUFRIDO.

FRAGMENTA

Ex Herberti libris de miraculis Ciſtercienſium monachorum, apud Mabillonium typis vulgata. Herberti auctoritas.

IN Commentario prævio § 66 diximus, nos hæc Fragmenta, non tamen omnia, daturos cum Mabillonio, qui ea profert à columna 1223 *Voluminis ſui ſecundi. In iſtis itaque Fragmentis primo loco ponitur vaticinium* S. Bernardi *de tirone furtim exiturò è monaſterio, & obſervari juſſo, ne quidquam ex illo auferret ſecum.* E *Sed illud vaticinium antea à nobis è magno Exordio Ciſtercienſi narratum eſt in Commentario prævio* § 12, *atque adeo hîc pro inſerto haberi debet. Secundo loco memoratur apud eumdem Mabillonium hiſtoria longa de Schocelino, agri Trevirenſis eremita, qui egregia vitæ ſanctitate, & mirâ rerum humanarum deſpicientiâ excelluit; quemque etiam Pater ſanctus inviſit per ſuos, ac muneribus eſt proſecutus. Sed nos de illo, tamquam beato, non ita pridem tractavimus ad diem* VI *Auguſti, tomo* II *ejuſdem menſis, pag.* 175 *& ſequentibus, ubi etiam dedimus ejus Vitam ex Herberto prædicto, in qua legi poſſunt, quæ apud Mabillonium de eo exſtant.* *Fragmenta hæc pleraque*

359 *Sequitur narratio de fratre quodam laïco & Converſo Claravallis, pro inimicis orare conſueto, divina viſione teſtimonium perhibente de pretioſa ejus morte. Verùm, quæ iſti viſioni ſubnectuntur, ad ſancti noſtri Abbatis perſonam unicè ſpectant, his verbis expreſſa:* Beatus verò Bernardus, cùm quidam de fratribus ſuis hanc viſionem coram eo grandi admiratione referrent, ita reſpondit: Et vos, fratres, iſta miramini? Ego verò magis admiror in vobis incredulitatem & duritiam cordis, qui adhuc minimè creditis, F aut minimè forte advertitis ad vocem illam, quæ de cælo clamatur: " Beati mortui, qui in Do-„ mino moriuntur: amodo jam dicit Spiritus, „ ut requieſcant à laboribus ſuis, opera enim eo-„ rum ſequuntur illos „. Mihi ſiquidem luce clariùs, & vitâ, quâ vivo, certiùs conſtat, omnes qui in cordis hujus puritate obedientes & humiles perſeveraverint, mox ut carnem exuerint, ab omni miſeria protinus exuendos, & immortalitatis gloriâ veſtiendos. *ſunt præmiſſa*

360 *Quarto loco in editione Mabillonii refertur prædictio* S. Bernardi *de Simone abbate Caziacenſi: cui ille, quamdiu vixit, tranſitum quidem è nigro Ordine Benedictinorum recuſavit ad Claramvallem; ſed tamen addidit, Simonem ibidem moriturum, ſicut poſtea accidit. Rem pluribus memoravimus in Commentario prævio* § 53, *à num.* 567, *ex magno Exordio Ciſtercienſi. Quintum locum obtinet Gunnarius Sardiniæ tetrarcha, quem Sanctus prænuntiavit futurum monachum Claravallenſem; vaticinio reſpondit eventus poſt ejuſdem Sancti mortem: de quo lege Commentarium prævium* § 50, *num.* 538. *in noſtro Commentario prævio;*

EX HERBERTO.

538, *ubi nſi ſumus verbis Exordii magni. Sexto loco occurrit* S. Bernardus, *qui, dum abeſſet à ſuis Claravallenſibus, ac Romæ verſaretur, eos ſubinde inviſit tamquam præſens; & ſpectatus ibidem eſt in aëre ſuſpenſus & à terrâ elevatus. De his idem Commentarius* § 21, *ex dicto Exordio. Verùm ea, quæ ſtatim ſeptimo loco ſequuntur apud Mabillonium ex lib.* 2, *cap.* 14 *Herberti, alia quædam de Sancto mira continent, hoc loco neutiquam prætereunda:* Hic ergo venerabilis Pater, cùm eſſet aliquando in itinere, haud longè à caſtro Pruvinenſi, revelatum eſt ei divinitus, quemdam de filiis ſuis Clarevallenſibus tunc migraſſe; ſtatimque de vehiculo deſcendens, fecit obſequium pro defuncto, commendans animam ejus Deo. *De hoc caſtro conſule Annotata ſuperiùs ad libri* 4 *Vitæ caput* 5, *lit.* c. *Pergamus cum Herberto:*

quibus additur ſanatio à S. Bernardo prædicta & ſurda ac muta curata:

361 Cúmque veſpere divertiſſet ad oppidum, quod Cantamerula * nominatur, domina ipſius loci, quæ illum in hoſpitio ſuo devotè ſuſceperat, obtulit ei filiam ſuam, quartano incommodo jamdiu laborantem; ut ei benedicendo manum imponeret, & bene haberet. Ipſe verò benedicens eam, atque conſignans, ait: Adhuc unam acceſſionem paſſura es, filia, & liberaberis. Atque ita contigit ei. Alia autem vice cum iſdem vir beatiſſimus de Laviniaco *, nobili villa in epiſcopatu Meldis poſita, egrederetur, oblata eſt ei grandiuſcula puella quædam ſurda & muta. Quam cum impoſuiſſent ſuper collum jumenti ſui, reſpiciens in cælum breviter oravit. Cúmque ſalivâ ſuâ liniſſet labia ejus atque auriculas, benedixit illam; præcipiens, ut vocaret ſanctam Mariam. Mox ergo puella, quæ numquam fuerat locuta, aperiens os ſuum clamavit, & dixit: Sancta Maria. Rogerius ergo quidam, vir religioſus & monachus Claræ-vallenſis, cùm adhuc eſſet in ſæculo, videns miraculum iſtud factum in oculis ſuis, compunctus eſt valde; & hæc erat, ut nobis aſſeruit, maxima cauſa, pro qua ſeipſum reddidit in Claramvallem.

* Chantemerle
* *f.* Latiniaco

B

omittitur hîc elogium Faſtradi abbatis:

362 *Octavo denique ac poſtremo loco texitur apud Mabillonium ex Herberti libro* 2, *cap.* 25, *laudatio Faſtradi, qui primò abbas Camberonenſis, deinde Claravallenſis, poſtremò Ciſtercienſis fuit: vir ſanè egregius ac præclarus. Sed elogia, quæ ibidem legere licet, nihil attinent ad perſonam* S. Bernardi; *ſi viſionem excipias cujuſdam Religioſi in Anglia, quæ refertur accidiſſe ipſa die, quâ Vir ſanctus è Vitâ migravit. Verùm illa præmiſſa eſt in Commentario prævio ſub initium paragraphi* 52, *è Manrico; ubi citat Exordium magnum lib.* 1, *cap.* 38; *ſed in editione Tiſſieriana habetur Diſtinctione, ſeu libro,* 1, *cap.* 24. *Quæ itaque ex dictis Fragmentis dedimus in anteceſſum locis ſuperiùs deſignatis, accipiat lector, tamquam hîc ex eiſdem Fragmentis producta; ita tamen ut ex editione libri Chiffletiani, qui eſt de* S. Bernardi *genere illuſtri aſſerto, & cui ſunt inſerti libri Herberti de Miraculis, varia ſuppleturi ſimus, quæ à Mabillonio ſunt omiſſa. His igitur locus infrà erit in Gloria Sancti poſthuma ac Supplemento. Verùm priuſquam eò progrediamur, conducit in rem noſtram, ut, præter ea, quæ breviter de Herbertò præmiſimus antea in principio libri ſexti lit.* a, *commendemus ejus antiquitatem ac fidem.*

C

D

363 *Laudatus Chiffletius in Præfatione ad Herberti tres iſtos libros, primò à ſe typis vulgatos, pag.* 159, Scripſit, *inquit*, de Miraculis libros tres anno Chriſti MCLXXVIII, annis quinque & viginti poſt S. Bernardi obitum, ut colligitur ex libro 1, cap. 31, & lib. 2, cap. 13. Quare, ut monet auctor Chronici Clarevallenſis, ex hoc anno reliqui inveſtigandi ſunt, ſi quando ante tres annos, vel ante ſeptem aut plures hoc vel illud contigiſſe memorat. Promotus eſt haud multo pòſt in archiepiſcopum Turrium Sardiniæ: moxque Johannes Eremita quædam illi obtulit de Vita & rebus geſtis S. Bernardi, prætermiſſa à ſenioribus, quæ ex nonnullorum ejus diſcipulorum ore accepta, illius hortatu ediderat. Apud Chryſoſtomum Henriquez in Menologio, & in Faſciculo Sanctorum Ciſtercii; itemque apud Angelum Manrique in Annalibus Ciſtercienſibus, permulta occurrunt citata ex libro Exordii Ordinis Ciſtercienſis, ejuſque Appendice, vel ex libro de Viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſis, vel ex Johanne Eremita in Vita S. Bernardi, quæ ex his Herberti libris deſcripta ſunt.

E

auctoritas

commendatur.

364 Unde eſt, quòd Vitæ S. Bernardi per Johannem Eremitam longè plura capita ab his auctoribus laudata reperies, quàm quæ nos ex autographo veteri hîc protulimus: quia ſcilicet Herberti opus ἀνεπίγραφον, quod Johannis Eremitæ lucubrationi proximè ſubjectum erat, ipſi Johanni ab incautis attributum eſt, ac pro Vitæ S. Bernardi quadam continuatione habitum. Fontem ipſum damus; quem mirabitur lector tamdiu latuiſſe in membranis Claræ-vallis, cùm & ad fidem auctoris, & ad ejus narrationum gravitatem utilitatemque animum adjecerit. *Ex his confirmantur ea, quæ paullo antè dicebamus inſerta Commentario noſtro prævio. Reliquum nunc eſt, ut ſequentem rebus geſtis ac miraculis* S. Bernardi *coronidem imponamus.*

F

GLORIA

GLORIA POSTHUMA,

Ac ſupplementum ad S. Bernardi Vitam, & miracula, nec non ad noſtrum Commentarium prævium.

CAPUT I.

Veneratio publica; monaſteriorum propagatio; recentiſſimæ notitiæ de Sancti ſepulcro, ac reliquiis. Umbra ejus, & alia ſacra lipſana.

Officium apud Cluniacenſes: invocatur contra peſtem:

QUæ *in Commentario prævio* § 62 *dicta ſunt de Officio* S. Bernardi, *ac de veneratione publica ipſi tributa, hiſce ſuppleri poſſunt. Inter* Statuta ſelecta capitulorum generalium Ordinis Ciſtercienſis, *quæ* ex variis codicibus manuſcriptis *habentur apud Martenium in Theſauro novo Anecdotorum tom.* 4, *lego iſta ad annum* 1321, *col.* 1506, *num.* 3: Item, cùm ad mutuam caritatis gratitudinem ex debito profeſſionis monaſticæ teneamur, ſervitium pro ſancto Hugone primo abbate Cluniacenſi, eo quòd in dicta domo & ſuo Ordine univerſo ſancti Bernardi patris noſtri ſolemne ſervitium celebratur; in hunc modum ſalubriter ſtatuit generale capitulum *&c. Unde liquet, Officium de* S. Bernardo *tunc celebratum fuiſſe apud Cluniacenſes omnes ritu ſolemni. Ad venerationem publicam etiam ſpectat, quòd Viri ſancti patrocinium imploratum fuerit contra morbum contagioſum. Etenim poſt Vitam & miracula S. Adriani, luis peſtiferæ patroni peculiaris, quæ, auctore P. Guilielmo Hardigny è Societate Jeſu, anno* 1636 *Luxemburgi Gallicè ſunt impreſſa, unà cum parvis aliquot tractatibus aliis, pag.* 260 S. Bernardum *annumerat cælitibus aliis, qui morbo iſti ſunt propitii, & addit, anno* 1625 *opem Viri contra eum imploratam fuiſſe Liræ, prope Antverpiam, in ſacello ejus. Immò forte in æde ſacra monialium Ciſtercienſium B. Mariæ de Nazareth extra muros Liranos: ubi frequens & utilis, ut audio, ad Sanctum quotannis eſt concurſus die* XX *Auguſti, & per octavam.*

ſingularis item erga Sanctum memoria apud Rutilenſes,

2 *Superiùs parte tertia miraculorum, cap.* 7, *num.* 343 *referuntur ea, quæ Rutilæ patrata ſunt. Locus autem iſte ſcriptoris ex grata Rutilenſium memoria commendatur, qui magnum Soſpitatorem ſingulari cultu proſecuti ſunt, teſte Raiſſio in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani, ad diem* XX *Auguſti, fol.* 170, *ubi hæc ſcribit:* Hunc etiam locum, Rutilenſem ſcilicet vicum miraculis illuſtravit, quando tres mulieres claudas, & duos cæcos reſtituit ſanitati. In cujus rei perpetuam memoriam, imago ſancto Bernardo erecta eſt in ipſa eccleſia, quam vidi: fiuntque ad eam annuæ proceſſiones feriâ ſextâ poſt Pentecoſten, quando illa miracula facta ibidem fuiſſe, ex veteri traditione, devotus populus arbitratur. Hæc autem mihi ibidem exſiſtenti, monaſterii dicti Prior, Petrus Haymam communicavit.

3 *Joannes Cognatus, vulgò Couſin, libro* 3 *Hiſtoriæ Tornacenſis cap.* 50, *affirmat,* S. Bernardo *obſtrictos admodùm eſſe Tornacenſes, ac jure merito eum tamquam patronum & protectorem epiſcopatûs Tornacenſis haberi ab ipſis poſſe, propterea quòd ejus apud Eugenium Papam auctoritate interpoſita obtinuerint antiſtitem particularem, cùm antea ſubeſſent epiſcopo Noviomenſi; atque hac de cauſa Viri effigiem in vitro feneſtræ ad latus ſeptemtrionale, in circuitu chori eccleſiæ cathedralis, depictam eſſe ſupra hiſtoriam itidem in pictura repræſentatam reſtaurati epiſcopatus. Favor autem ille novi ac proprii epiſcopi Tornacenſibus conceſſi, ſuffragante* Bernardo *contigit, ſicut teſtatur Albericus in Chronico ad annum* 1148: Apud civitatem, *inquit,* Tornacum, cùm per quadringentos annos circiter fuit iſta civitas ſub epiſcopis Noviomenſibus, tandem ſancto mediante Bernardo poſitus eſt per Eugenium Papam novus epiſcopus, & recepit eccleſia privilegium antiquum. Primus epiſcopus dictus eſt Anſelmus, ſecundus Geraldus, tertius Galterus. *Nec verò religioſum* S. Bernardi *cultum apud cœnobitas Aquicinctinos, in Gallobelgica prope Duacum, indictum relinquam, quando ipſius reliquiæ eò delatæ ſunt ab iſtius monaſterii abbate. Quippe Ferreolus Locrius in Chronico Belgico ad annum* 1179 *è Chronico Aquicinctino hæc narrat:* Anno MCLXXIX Simon, nonus Aquicinctini monaſterii antiſtes, in reditu ex concilio Romano, Clarevallem divertit, & reliquias beati Bernardi ab ejuſdem cœnobii abbate, precibus impetrat: quas Aquicinctum delatas, magnis honoribus affecit. *In Gallia Chriſtiana tomo* 3 *editionis noviſſimæ, col.* 412, *res etiam narratur ſub Simone I, abbate nono Aquicinctino. Adde ex Manrico, quòd Paulus abbas Palaciolenſis in Caſtella veteri Hiſpaniæ, ſingulare aliquid in honorem Sancti excogitarit, quando præſcripſit,* ut in confeſſione, quæ in Miſſarum initio proferri ſolet, ſanctus Bernardus Parens poſt B. Virginem immediatè invocaretur: „ Confiteor Deo, beatæ Mariæ, & beato Ber„ nardo „„ *Hæc è dicti hiſtorici Ciſtercienſis libavimus Appendice ad tomum* 4 *Annalium Ciſtercienſium pag.* 629, *& habentur inter alia, quæ intexuntur anno* 1550.

Tornacenſes, & Aquicinctinos.

Laudatur ob ſingularem

4 *Sancti noſtri gloria maximè inclaruit apud poſteros ex mirifica ſobolis ſuæ Claravallenſis propagatione: de qua ſic ſcribit Guillelmus libro* 1 *Vitæ apud nos ſuprà cap.* 7: *& quamvis in meis ad illud Annotatis hoc argumentum ſingillatim non tractare ſtatueram; ſequentia tamen ad illum biographi locum illuſtrandum ſubjungere hoc loco viſum eſt. Apud Gaufridum libro* 5 *Vitæ cap.* 2, *num.* 262, *dicitur* Claræ-vallenſis cœnobii primus

Ex variis. primus abbas, aliorum quoque ampliùs quàm centum ſexaginta monaſteriorum pater. *Quod ſic eſt intelligendum, ut magnam tot fundatorum monaſteriorum partem ſanctus Pater non immediatè per ſe, ſed per ſuam ſobolem excitarit; ita tamen, ut, quod filii ejus fecerunt per ſe*, Bernardus *Pater in filiis feciſſe meritò dici poſſit, atque adeo felix ac fœcunda illa propagatio ad gloriam ipſius Sancti poſthumam pertineat; obſervante Mabillonio ad locum Gaufridi, quem proximè indicabam*, nempe tam per ſe, quàm per abbatias Claræ-valli ſubjectas *Abbatem ſanctum fundaſſe iſta monaſteria.* Nam Bernardus, *ait*, per ſe tantùm ſeptuaginta duo circiter monaſteria excitavit vel adoptavit; nempe in Gallia 35, in Hiſpania XI, in Belgio 6, in Anglia 5, totidem in Sabaudia, & in Hibernia: in Italia 4, in Germania duo; duo item in Suecia, ac demum unum & alterum in Hungaria & Dania, ex Chronologia noſtra: *quam lector etiam inveniet in noſtro Commentario prævio § 59. Innocentius itaque PP. III in litteris Apoſtolicis ad eccleſiam Gallicanam, quas Commentario noſtro prævio intexuimus § 60, hanc ſingularem Viri*
B *prærogativam inter alias meritò ſuſpicit, quando illum laudat, quòd* uſque ad exteras quoque & barbaras nationes ſanctæ religionis inſtituta tranſmiſerit, atque monaſteriorum fundationem extenderit.

vitæ monaſticæ propagationem.


5 *Alter verò Chriſti in terris Vicarius Gregorius IX, inſigne ad perpetuam Viri ſancti memoriam in ſimili materia adjunxit decus, dum in bulla, quâ S. Dominicum, Ordinis FF. Prædicatorum fundatorem, Sanctorum Faſtis adſcripſit, hæc de* S. Bernardo *enuntiat apud nos tomo primo menſis Auguſti, pag. 624:* Poſt quos, *primos videlicet novæ legis prædicatores, ac S. Benedicti filios, de quibus egerat, Chriſtus Dominus* quaſi laſſum renovaturus exercitum, & redditurus jubilum poſt lamentum, applicitis ad quadrigam tertiam equis albis, fratribus Ciſtercienſis Ordinis, & Florenſis, velut tonſarum greges, geminæ caritatis fœtibus uberes, de pœnitentiæ lavacro fecit aſcendere, ſancto Bernardo, ariete ovium in virtute ſpiritûs, quâ ex alto indutus exſtitit, & in abundantia frumenti vallium præeunte, ut tranſeuntes liberati per
C eum, in fortitudine clament ad Dominum, dicant hymnum, & ponant caſtra Dei exercituum ſuper mare. *Superſunt quædam notanda de ſtatu hodierno corporis* S. Bernardi, *ac ſepulcro.*

Unde nobiſcum ſint communicata

6 *De hac re ſubjungo iſta, uti etiam alia nonnulla, quæ ad idem fere argumentum pertinent; quæque omnia ſupplementum erunt ad dicta in Commentario noſtro prævio § 50, de Sancti corpore, ac teſtamento ejus ſeu ultima voluntate; § 51 de tumulo; § 53 de cubiculo &c. Hiſce autem ibidem præmiſſis novæ poſtea ad nos ſubmiſſæ ſunt notitiæ, quas cum grati animi memoria debemus R. A. & Eximio D. Candido Briger, Ord. Ciſterc., in Valle B. V. M. de Campo liliorum, vulgo* Lilienfeldt, *in Auſtria inferiore, ac in diœceſi Patavienſi, Priori meritiſſimo, ac ſacræ theologiæ Doctori. Etenim poſtquam Viro, ad capitulum generale, quod ſub initia menſis Maii anno hoc 1738 Ciſtercii inchoatum fuit, proficiſcenti, ac ſuâ noſtrum muſeum præſentiâ in tranſitu honoranti, expoſuiſſem meum deſiderium diſcendi plura de ſtatu præſente corporis* S. Bernardi; *id ſibi futurum curæ addixit. Nec minùs fecit, quam addixit; prout patet ex humaniſſimis ejus litteris, quas huc direxit* è Ciſtercio in Burgundia, octavo Idus Maii, anno D
MDCCXXXVIII, actu ſedente Capitulo generali *Ex iis autem delibo ſequentia, quæ potuit Brigerus in rem noſtram comperire in monaſterio Claravallenſi:*


noviſſimæ de ſepulcro, ac reliquiis Viri ſancti notitiæ:

7 Corpus .. ſub terra conditum quieſcit. Caput verò pelle & carne nudum (quod calvariam vulgo dicimus) argenteæ incluſum thecæ, eo loco aſſervatur, quo loco eccleſiæ theſaurus reponitur: ubi etiam proſtat argentea tumba; at præter Viri ſancti cucullam, nihil omnino condens. Tumulus ejus retro aram majorem in Claræ-vallenſi templo, octo circiter pedes ſupra terram attollitur, & marmoreis columnulis veſtitur: cui ſtatua ſancti Viri deſuper inſiſtit. Ad pedes tumuli erectum cernitur altare: ſuper quo Miſſarum ſacrificia Deo offeruntur. Facies & latera ſepulchri eâ figurâ ſunt, quam accluſa ſchedula exhibet, rudi licèt penicillo depictam. Dominus nihilominus Abbas Claræ-vallenſis, quem ea ſuper re hodie hîc loci conveni, accuratiorem ſe miſſurum ſpopondit. *Promiſſo reſpondit eventus: nam nomine Reverendiſſimi Domini ſui Abbatis Claravallenſis meliorem mauſolei* S. Bernardi *delineationem huc miſit è Claravalle, die* XXIX *Julii anni* 1738, *R. A. D. Joannes Antonius Macuſon, Sedis Apoſtolicæ protonotarius, & magiſter novitiorum ejuſdem abbatiæ. Delineatio autem, quam accepi, è majore forma ad minorem hîc contracta eſt à noſtro chalcographo, qui faciem ſepulcri, ſecundum exemplar ſibi propoſitum, accuratè imitari conatus eſt, prout in hoc ejus ectypo cernis.* E



Quæ verò ſint latera mauſolei, diſcet lector è ſchemate ſecundo. Utrique, prout huc eſt miſſum, ſupereminet Sanctus; ſed manu adſcribitur, in 1°, *non in* 2°, *eſſe verum ejus veſtitum. En illud:*

8 *Alia;*



quibus aliæ addun-tur.

8 *Alia, quæ huc ſpectant, his verbis deſcribere pergit laudatus Brigerus:* Tumulo antrorſum gemina tabula ferreis catenis affixa viſitur, quarum prior ſic habet:

HIC REQUIESCIT SANCTUS BERNARDUS PRIMUS ABBAS SACRI MONASTERII CLARÆVALLIS.

In altera tabula leguntur ſequentia: TESTAMENTUM BEATISSIMI BERNARDI, ABBATIS: TRIA VOBIS OBSERVANDA RELINQUO *&c., videſis noſtrum Commentarium prævium* § 50, *num.* 543; *ubi non adduntur iſta verba:* Ecce, charitatem, humilitatem, patientiam vobis relinquo. *Poſt quæ ſequitur in epiſtola laudati Brigeri, teſtamentum ſancti Patris metro alligatum: ac de tabulis iſtis locutus,* Præterea, *inquit,* domus, ſeu cella potiùs, tota penè lignea, & grabatus, in quo ſpiritum emiſit, hodiedum ſuperſunt in Claravalle.

C

9 *Porrò ſi quis plura deſiderat de ipſo Claravallenſi monaſterio; Gallicum adeat Hodœporicon, ſeu Itinerarium litterarium duorum Religioſorum Ordinis S. Benedicti, è congregatione S. Mauri, auctore Edmundo Martene, parte* 1; *ubi pag.* 99 *leget, in cœmeterio, de quo ibi agitur, ſepulcra fratrum* S. Bernardi *ſpectari, uti etiam ejuſdem Sancti cellulam, quam Guillelmus de Campellis, epiſcopus Catalaunenſis, exſtrui pro eo juſſit, ut infirmitatibus corporis laboranti ſolatium afferret. Vide Commentarium noſtrum prævium* § 7, *num.* 78, *& librum primum Vitæ, cap.* 4, *num.* 37. *In dicto Itinerario etiam hæc narrantur pag.* 100, *videlicet, caminum non eſſe in iſta cellula; adeo quippe* S. Bernardum *fuiſſe mortificatum, ut ignem pro ſe ſtrui noluerit; verùm ſub Viri lecto magnum lapidem exſtitiſſe, in pluribus locis perforatum, ſub quo accendebatur foculus, ut cubiculum calefieret, ipſo id non obſervante: ad hæc, cubiculo iſto, ac* S. Bernardi *lecto, qui ibidem hodieque conſervatur, nihil magis ſimplex videri poſſe; cellæ item huic contiguum eſſe parvum ſacellum, quod veroſimiliter fuerit conſtructum, ut ad aram faceret; vitâ ibi functum eſſe, affirmari; legique ibidem inſcriptionem, quæ ſatis perſpicuè hoc enuntiet.*

Ex his, quæ ex iſto Itinerario libavi, magis lucescunt paullo antè præmiſſa, & ea, quæ habentur in Commentario prævio § 53, *num.* 564. EX VARIIS.

10 *Præter ea, quæ jam memorata ſunt è Martenio, mentio etiam fit apud eum de calice* S. Bernardi, *pag.* 99; *de caſula autem pag.* 104; *ubi etiam tractat de magna capſa argentea, quam epiſcopus aliquis Santonenſis fieri curavit ad imponendas in eadem reliquias* S. Bernardi; *ſed addit, Religioſos, timentes ne, ſi oſſa ejus extraherentur è ſepulcro, principes plurimi, quibus id negari haud poſſet, aliquid ex illis peterent, maluiſſe, ut ea ibi relinquerentur. Fertur etiam apud Claravallenſes ſpectari umbra Sancti ſupra lapidem, in quo corpus ejus lotum fuit poſt mortem; at neſcire ſe aſſerit Martenius, an hoc tam ſit prodigioſum, quàm creditur: nam umbra, ait, illa non ſpectatur ab omni parte; ſed oportet eſſe in certo quodam ſitu, ut illa deprehendatur; idque fieri poſſe judicat naturaliter per reflexionem luminis. Hæc ille. At quidquid ſit; mirabilis quidem iſta luminis reflexio eſt; an verò fiat per ſtricti nominis miraculum, in medio relinquo. Audiamus interim de hac re* B *Chryſoſtomum Henriquez in Faſciculo Ordinis Ciſtercienſis lib.* 1, *diſtinctione* 4, *cap.* 51: In ſacro, *inquit,* cœnobio Claravallenſi, ſtupendum, idque continuum extat miraculum, quod non parùm ſancti Abbatis commendavit virtutem. In lapide enim, ubi corpus ipſius, ſecundum conſuetudinem Ordinis, fuit ablutum, ejuſdem corporis umbra in hodiernum uſque diem perſeverat, ab omnibuſque clarè & manifeſtè videtur. Cumque hæretici tanti miraculi memoriam abolere niterentur, & variis inſtrumentis lapidem ipſum cavarent, umbra deſcendit, nec aliquo modo deleri potuit, ut à R. D. Adriano Cancellier, abbate Dunenſi accepi. *Sancti umbra ſpectatur in quodam lapide:*

11 *Laudatus ſuprà Martenius in Itinerario ſacro quodam alio, quod in lucem prodiit Lutetiæ Pariſiorum anno* 1724, *agens de celebri abbatia Camberonenſi, Ordinis Ciſtercienſis, in territorio Montenſi Hannoniæ, pag.* 108 *ſcribit, caſulam* S. Bernardi, *quæ ibi oſtenditur, inſpirare pietatem: nec eſſe illam è panno aureo, nec argenteo, nec ſerico; ſed ex ſimplici goſſipio contextam: uſui eam eſſe in die feſto Sancti, & in primitiis Religioſorum. Idem auctor pag.* 40, F *inter alia, quæ refert de Valle-clara, quæque ſignatur ſuperiùs in Chronologia Bernardina apud nos parte prima, ad annum* 1134, *mentionem facit de* S. Bernardi *pallio, quod Gallicè vocat* la coule, *dicitque illud ibidem conſervari. Nec piget, hîc obſervare, quòd duplex ſit apud Bernardinos palliorum genus; unum nempe candidum, quod eſt veſtimentum valde amplum, & quo aſcetæ Bernardini utuntur in cæremoniis, & quando aſſiſtunt Officio: alterum verò nigrum, eſtque etiam veſtimentum admodùm amplum, & quo Bernardini utuntur dumtaxat in urbibus, & quando incedunt per plateas; ex Dictionario Gallico-Latino, quod anno* 1704 *Trevoltii editum eſt, in voce* coule.

12 *Apud eumdem Martenium in Veterum ſcriptorum & monumentorum &c. ampliſſima collectione, tomo* 6 *producitur fundatio monaſterii B. Mariæ de Alta-ripa, Ordinis Ciſtercienſis, filiæ Chari-loci, lineæ Claræ-vallis, & col.* 317 *ponitur inter reliquias ſacras præcipuas ejuſdem cœnobii,* ſtola ſanctiſſimi P. N. Bernardi ex groſſiori panno coloris griſei obſcuri, quâ ſanctus hic Pater ſacrarium noſtrum decoravit, dum *ejuſdem lipſana reſeruntur.*

EX VARIIS. eundo & redeundo ex Germania, per hoc monaſterium tranſiret. *In libello reliquiarum, quæ Aquiſgrani aſſervantur, anno 1734 ibidem typis edito, inter ornamenta eccleſiæ Virginis Matris, pag. 46 ponitur caſula, quæ more Græcorum facta, & ex ſerico cæruleo terſo ac denſo contexta eſt, acu eidem appictâ cruce ex margaritis. Hanc caſulam Melliſluus Doctor* Bernardus *in iſta eccleſia ad Sacrificium Miſſæ adhibuiſſe anno 1146, ac poſt illud dediſſe viſum cæcis quatuor, & paralytico uni greſſum, in eodem libello dicitur.* D

CAPUT II.

Variæ S. Bernardi apparitiones, ac prædictiones.

§ I. Apparet monacho Ciſtercienſi; & Converſo, quem conſolatus, proſperum negotiorum ſucceſſum ei prænuntiat.

S. Bernardus cum S. Malachia

IN Commentario prævio § 52 retuli varias poſt Viri ſancti obitum apparitiones; de aliis me acturum dixi in Gloria ejus poſthuma. Harum igitur primum hîc obtineat locum illa, quæ exſtat apud Triſſierium in Exordio magno Ordinis Ciſtercienſis, diſtinctione 3, cap. 14: Factum

B eſt autem in una dierum, cùm prima cantaretur in choro, & ipſe *(videlicet Guillelmus, quem mox pluribus deſcribam)* conjunctus pſallentibus ſtabat in ordine ſuo, vitulos labiorum ſuorum in voce exultationis Domino reddens. Et, ecce, apparuit ei vigilanti atque pſallenti S. Malachias, Hibernienſis quondam epiſcopus, qui in eadem baſilica jacet honorificè tumulatus. Reſidebat verò in cathedra juxta altare, annulo, baculo, mitrâ, cæteriſque Pontificalibus ornamentis mirificè decoratus: tamquam Miſſarum ſolemnia poſt finem illius horæ celebraturus. Erat autem tunc anniverſaria dies depoſitionis ejuſdem beatiſſimi præſulis: quæ etiam omnium fidelium defunctorum memoria eſt ſolemnis. Apparuit quoque cum eo B. Bernardus, ejuſdem eccleſiæ feliciſſimus paſtor atque patronus: qui & ipſe erat veſtibus pretioſis & candidis micans, atque mitratus, minimè tamen infulatus *a*. Et meritò quidem.

a

apparet Guillelmo monacho Ciſtercienſi;

C 14 Erat enim paterfamilias in propria domo, deferens atque congratulans venerando ac ſpeciali hoſpiti ſuo: dignoque honore præveniens amantiſſimum, cedebat ei libentiſſimè ſolemnia Miſſarum, eâ potiſſimùm die, quâ ſanctus ille pontifex curiam ſupernam ingreſſus, & cæleſtibus hymnis primò fuerat honoratus. Unde etiam ipſe beatus Pater officioſum ac ſedulum ſeſe circa eumdem ſanctum epiſcopum, & circa ipſius altaris miniſterium, exhibuit. Porrò beatus antiſtes baculo paſtorali innixus, defixa lumina verſus chorum aſſiduè tenebat. Sanctus verò Bernardus modò epiſcopum, modò Conventum, modò ipſum altare, tamquam ſolicitus omnium, reſpiciebat. Hæc viſio tam manifeſta eidem famulo Dei vigilanti, & corporeis oculis intuenti, viſibiliter apparuit, quamdiu pſalmus unus in eadem hora à Conventu percantaretur. Finito itaque pſalmo, finita eſt viſio, ſed in corde videntis deinceps finiri non potuit viſionis illius pia devotio. *Hactenus Exordium magnum de una ſancti Patris apparitione. Alia, quæ ibidem mox ſequitur, his verbis conſcripta eſt, & eidem Guillelmo exhibita:*

qui deinde etiam videt ſanctum Patrem

15 Altero quoque die apparuit ei nihilominus idem beatus Bernardus, vultu & habitu glorioſus. Quem cùm ille vidiſſet, procidit ad pedes ejus, orans & petens aliquid ab eo. Cui Sanctus ait: Quid tibi vis faciam? Et ille: Domine mi pater, ſi inveni gratiam in oculis tuis, indica mihi, utrum ſalvus fieri debeam. Et Sanctus ad eum: Numquid parva res eſt iſta, quam poſtulas? Hodie cùm egrederer de paradiſo, quàm multa millia hominum foris ad januam reliqui, qui utique iſtiuſmodi timore torquentur: ignorantes utique, utrum amore, an odio digni habeantur. His itaque præmiſſis, dedit ei reſponſum ſuper verbo, quod imploraverat. Sed quid ei definitè reſponderit, incertum eſt nobis: quia vanæ gloriæ peſtem vitans, hoc nobis indicare noluit. Erat enim vir ille circumſpectus, & gravis in locutione: multumque cavebat, ne quid diceret, quod ſuam ipſius gloriam redoleret. Verumtamen ex fiducia ſermonis, & vultûs illius hilaritate, ſatis dabatur intelligi, quia jucundum à ſancto Patre ſuper tali verbo reſponſum acceperit. *& loquitur cum eo.* E

Quis fuerit iſte Guillelmus.

16 Iſte eſt Guillelmus, quem ſuprà *(diſtinctione 2, cap. 22)* memoravimus, ſpiritum fornicationis in ſpecie phantaſticæ meretricis vidiſſe infirmitorium curiosè circumeuntem, & ex iis, quæ ab ea audierat, & viderat, D. Roberto abbati Claræ-vallis apoſtaſiam duorum adoleſcentium prædixiſſe: quod etiam verum fuiſſe, fœda eorum fuga incontinenti ſubſecuta demonſtravit. *Porrò Guillelmus iſte*, priuſquam Ciſtercienſium Ordini ſe contuliſſet, multo tempore vixit in monaſterio ſancti Albini Andegavenſis, *ut dicitur in principio citati capitis* 14; *in quo plura alia de eodem legi poſſunt. In Menologio Ciſtercienſi apud Manriquez refertur cum titulo* beati *ad diem* XIX *Novembris, & vocatur* S. Bernardi diſcipulus. *De duabus autem, quæ modo ſunt datæ, apparitionibus legi poteſt Herbertus lib. 1 de Miraculis cap.* 4. F

Converſus quidam in Claravalle, Laurentius nomine, mittitur ad regem Siciliæ,

17 *Laudatum Exordium diſtinctione* 4, *cap.* 33 *aliam commemorat apparitionem:* Erat, *inquit*, in Claravalle converſus quidam religioſus, nomine Laurentius, .. vir .. ſpiritualis & devotus in omni converſatione ſua, orationi atque compunctioni mirabili pertinacia jugiter inſiſtens: ita ut per plurimos annos, cùm ſanctorum confeſſorum Bernardi & Malachiæ corpora in ſecretario diu noctuque ſervaret, vix umquam aliquâ horâ poſſet ibidem aliter inveniri, niſi ſemper orationi incumbens, & diuturnis fletibus pavimentum rigans. Poſt tranſitum autem B. Bernardi contigit, ut idem frater à domno Philippo, venerabili Claræ-vallis priore, ad regem Siciliæ Rogerum mitteretur, pro negotio ejuſdem eccleſiæ. Qui cùm Romam fuiſſet ingreſſus, comperto, quòd idem rex nuperrimè mortuus fuiſſet,

A fuiſſet, conſternatus eſt animo : &, quid in tali articulo facere deberet, prorſus ignorabat. Et recordatus ſancti patris ſui Bernardi, ſub quo pro diverſis negotiis frequenter miſſus proſperè ibat & redibat, cum gemitu & lacrymis multis converſus ad orationem, eumdem Sanctum Dei invocabat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Iſraël & auriga ejus, ut quid dereliquiſti nos ? Heu me, Pater ſancte, quid dicam, vel quid faciam ego pauperculus & miſellus : ego omni conſilio & auxilio deſtitutus ?

& Sanctum invocans in via ſuper eventu dubio negotii ſui ;

18 Te vivente, & te jubente ſecurus procedebam ad terras & ad nationes diverſas, & ubique recipiebar ob gratiam tui, nimirum deferens ſalutationes & litteras tuas : quas reges & præſules cum cæteris omnibus tamquam cælitus miſſam benedictionem ſuſcipiebant : & eulogiis tuis nobiliores quique ſe nobilitari gaudebant. Nunc autem, te defuncto, defuncta eſt tecum pariter & gratia mea : nec erit jam, qui peregrino & inopi manum porrigat adjutorii. Et, ecce, mortuus eſt rex, qui te ſincero diligebat affectu: ſurrexitque filius pro eo, puer qui te forſitan

B ignorat. Quem adhuc tam longè remotum ſi adire voluero, & repulſam ab eo pati contigerit, inconſolabilis mihi erit dolor, poſt tanti laboris & longiſſimi itineris defatigationem, infecto redire negotio : qui, te vivente, bonis omnibus cumulatus in Claramvallem tuam redire ſolebam.

audit ex eo, omnia ſibi

19 Si verò incontinenti reverſus negotium intentatum reliquero, torporis & inſipientiæ argui pertimeſco. Porrige, precor, auxilium, præbe conſilium indigenti : & ne deſpicias gemitum ſervuli miſerandi. Eâdem itaque nocte apparuit ei idem beatiſſimus Pater, & magnificè conſolatus eſt eum, dicens: Quid tibi viſum eſt, frater, ita de Dei miſericordia & mea interventione diffidere ? Quando enim, vel ubi ſenſiſti, defuiſſe tibi adminiculum meum in neceſſitatibus tuis ? An fortè impotentiorem me modò autumas, quando jam introductus ſum in potentias Domini, quàm olim fuerim, dum in carne vixi? Vade ergo ſecurus, quia proſpera cuncta evenient : & in hoc ipſo ſcies, quia ego te miſerim. Hæc & alia plurima Sancto loquente, frater ille præ nimio pietatis ardore totus in anima liqueſcebat : & corde ejus immenſam parturiente

C lætitiam, foris quoque devotionis lacrymæ erumpebant.

proſperè ſucceſſura : qui Româ revertens

20 Cúmque evigilaſſet, madentibus oculis atque maxillis, etiam pulvillum, in quo caput reclinarat, eodem lacrymarum profluvio undique perfuſum eſſe cognovit. Summo igitur mane iter arripiens, cum de Urbe fuiſſet egreſſus, reperit cuneum inſtitorum, mercimonii gratiâ Siciliam adeuntium. Qui cognoſcentes eum eſſe de Claravalle, mox eum in ſuo conductu atque convictu gratanti animo receperunt, & quæque neceſſaria gratis quotidie miniſtrabant. Tandem ingreſſus ad regem Siciliæ, invenit gratiam magnam in oculis ejus. Et non ſolùm de negotio, pro quo fuerat ad patrem deſtinatus, proſperum eventum obtinuit : verùm etiam rex apertis theſauris ſuis ad ædificationem novæ baſilicæ Claræ-vallis, pro ejuſdem patris ſui anima non modicam auri ſummam per eumdem fratrem magna devotione tranſmiſit.

redit in Claramvallem à latronibus liberatus.

21 Reverſus itaque Romam prædictus frater, talem nihilominus ibidem gratiam reperit, ut de donariis Cardinalium, aliorumque Romanorum, plurimam acciperet benedictionem, ita ut etiam, largientibus eis, ex Urbe uſque ad decem bubalos educeret : quos non ſine ingenti omnium ſtupore, Deo ſe protegente, ſanctique Patris ſui meritis patrocinantibus, Claramvallem uſque perduxit. Factum eſt autem, ut tranſire cogeretur per quoddam municipium, cujus principatum latronum principes obtinebant : quorum manus nullus immunis evadere poterat, niſi forte, qui viribus prævalebat. Manè verò jam rutilante aurora, cùm de aliquo prato, in quo cum animalibus pernoctarat, egrederetur, rogavit attentiùs Dominum, ſanctumque Bernardum, ut ab imminenti periculo erueretur. Et, ecce, apparuerunt ei procul quaſi duo viri obviam venientes, & ſingulos cereos accenſos in manibus ferentes. Qui paulatim appropinquantes, cùm jam penè ad ipſum perveniſſent, ſubitò ab oculis ejus evanuerunt, multamque fiduciam evadendi Dei famulo contulerunt. Ingreſſus itaque illum diaboli nidum, illico ſiſtitur, atque ad prædam diripiendam undique accurritur. Nutu verò Dei ſupervenientes eâdem horâ quidam honeſti viri, cùm eum Claræ-vallenſem eſſe cognoviſſent, de manibus irruentium liberarunt, & cum ſuis omnibus abire fecerunt *&c.*

Ex variis.

F

Quædam de iſta hiſtoria obſervationes.

22 *Quænam ſint geſta* Bernardum *inter ac Rogerium ſuprà memoratum, narrat noſter Commentarius prævius* § 27. *Verùm, quæ modò relata ſunt de itinere, quod Laurentius ſuſcepit, ut cum eodem Rogerio ageret, non cohærent cum chronologia. Nam in ſententia Baronii, qui mortem Rogerii affigit anno Chriſti* 1152, *quomodo fieri potuit, ut* S. Bernardus *iſti fratri religioſo appareret tamquam vitâ functus, qui anno proximo dumtaxat fuit mortuus ? Quomodo item converſus ille* per plurimos annos, cùm ſanctorum confeſſorum Bernardi & Malachiæ corpora in ſecretario diu noctuque ſervaret *&c. ? Si autem cum Pagio Rogerii mortem differas ad annum* 1154, *ubi num.* 4 *de eadem ex profeſſo tractat ; ſic quidem tollitur difficultas prima ; ſed manet ſecunda. Hinc tamen non ſequitur, ut ſuperioris apparitionis hiſtoria ſit falſa : cui medela affertur, ſi τὸ* per plures annos *expungas, quæ circumſtantia intrudi huc facilè potuit ab incauto aliquo, vel imperito deſcriptore aut interpolatore. Quod attinet ad* ædificationem novæ baſilicæ Claræ-vallis, *de qua ſuprà ; tomo* 4 *Galliæ Chriſtianæ, col.* 129, *in Guichardo archiepiſcopo Lugdunenſi, hæc de eo exſtant :* Præſens fuit eccleſiæ Claræ-vallenſis dedicationi anno MCLXXIV. *Sed de illius dedicationis anno videri etiam poteſt noſter Commentarius prævius* § 61, *num.* 676.

F

ANNOTATIO.

a Mitratus *&* infulatus *nonne paſſim ſunt ſynonyma ? Quomodo igitur hîc diſtinguuntur ? Suſpicor, ſcriptorem indicare voluiſſe, S. Malachiam apparuiſſe tectum mitrâ, è quâ deorſum vittæ utrimque pependerint ;* Bernardum *verò mitrâ, ſine iſtis vittis. Sunt enim, qui ab* inferus *vel* infra, *vocem* infulæ *derivari putarunt,* propter vittas, quæ inferiùs ex ea pendent ; *ſicut indicatur in Etymologico linguæ Latinæ apud Voſſium.*

EX VARIIS.

§ II. Duobus monachis Claravallenſibus apparet, & eorum apoſtaſiam impedit; adoleſcentulum quemdam in propoſito monaſtico confirmat; incendium comprimit; morti proximo ſe videndum præbet; & alteri ægroto.

Monachus Claravallenſis à diabolo corruptus apoſtaſiam decernit;

HErbertus *lib.* 1, *cap.* 28 *narrat, monachum Claravallenſem, qui à propoſito reſilire cogitabat, viſis per quietem S. Malachia, &* S. Bernardo, *cujus baculo contundebatur, ad ſanam mentem rediiſſe. Proferamus Herberti verba:* Quidam de fratribus Clarevallenſibus, cùm inſtinctu diabolico in mente corruptus eſſet, ut jam ad ſæculum apoſtatare diſponeret; vidit in viſu noctis B. Bernardum, ſanctumque Malachiam in dormitorio deambulantes, & eos, qui ibi pauſabant, viſitando benedicentes. Qui cùm in ordine viſitationis, ad ejus lectulum deveniſſent, ait ſanctus Malachias, Homo iſte perverſus nihil omnino boni in corde verſat; ſed diabolo ſuadenti jam dedit aſſenſum, ut ad vomitum ſeculi proximè revertatur. Quo audito, B. Bernardus dixit ei: Tu ergo fugere quæris? Et quò fugies, miſer, à facie Domini? Crede mihi, quia malo tuo talia cogitaſti. Neque enim delectabit te ampliùs fuga, quando jam evaſeris de manu mea.

ſed à Sancto vapulans reſipiſcit:

24 Et his dictis, cœpit eum crebris ictibus tundere baculo, quem tenebat, & ait: Ecce ſtipendia, quæ mereris. Surge nunc, & fuge, ſi poteris. Evigilans itaque frater, invenit ſe tunſionibus illis ita dolentem atque confractum, ut in infirmitorium ductus, lecto detineretur. Qui, accerſito Priore, confeſſus eſt malitiam, quam intenderat, & pœnam, quam inde pertulerat: acceptâque pœnitentiâ perfectè reſipuit, & non apprehendit eum ultra deſiderium fugiendi. *Ibidem cap.* 31 *conſimilis argumenti apparitio refertur in hæc verba:*

alius reverti ad ſeculum ſtatuens, ab eo confirmatur

25 Alius quidam ejuſdem cœnobii frater, vir honeſtus & religioſus, mihi de ſeipſo narravit, cum verecundiâ tamen, quòd ſcilicet in primordio converſionis, cùm anxiè ſtimularetur à ſpiritu fornicationis, deliberavit animo, cedere tentatori, &, projecto religionis habitu, ad ſæculum reverti. Qui dum jam opportunitatem recedendi ſollicitè aucuparetur, aſtitit ei per viſionem B. Bernardus, paulo antè defunctus; increpans illius ſocordiam, & arguens ſuper iniquitate, quam mente conceperat, & actu perficere ſatagebat. Cui cùm ille reſpondiſſet, ſeſe diutiùs reluctaſſe *, & jam tentationis violentiam ferre non poſſe, ait Sanctus ad illum: Scito prænoſcens, quoniam adhuc multa certamina te manent. Sed age viriliter, & noli deficere: quia Dominus aderit tibi, tamquam adjutor in opportunitatibus, ut eruat te.

* *immò* reluctatum eſſe

in vita religioſa:

26 Unde polliceor tibi, quòd, ſi in Ordine uſque in finem perſeveraveris, ſalvus eris. Quòd ſi forſitan aliquis tibi nocere tentaverit, in die noviſſimo ego reſpondebo pro te, & animam meam pro anima tua ponam. Hac ergo pollicitatione frater ille corroboratus, deinceps à ſtabilitate ſua moveri non potuit: qui etiam nunc in Ordine complens annum quinquies quinum, viriliter uſque hodie decertat, multâque victoriâ jam potitus, ſalutem repromiſſam certiùs operitur.

alia ſancti Patris viventis

27 *Idem auctor lib.* 2, *cap.* 9 *agens de quodam adoleſcentulo Alemanno, qui in Claravalle ad vitam monaſticam mirabiliter converſus, egregia ſanctitate, & divinis manifeſtationibus claruit, factum refert in rem noſtram, quod vivente ſancto Patre accidit. Excerpo ſequentia:* Egregius quidam adoleſcentulus de partibus Alemanniæ oriundus, ſtudiorum gratiâ, comitante didaſcalo * ſuo Pariſius adibat. Qui cùm tranſitum haberet per domum Clarevallenſem, magiſter ille videns loci conventum & ordinem, neſcio quo Dei judicio compunctus ad horam, petiit & obtinuit, ut ſuſciperetur ad converſionem. Cúmque rogaret adoleſcentulum, ut ſecum remaneret, penitus non acquievit: multùm ſiquidem abhorrebat à conſortio, etiam & colloquio Ciſtercienſium monachorum; ſæpiuſque rogaverat Dominum, numquam ſibi dari ad Ordinem illum velle converti. Proinde roganti magiſtro & fratribus monaſterii adhortantibus eum, dura cervice reſiſtens, nullis prædicationum machinis poterat expugnari. Eâdem igitur nocte, dum eorum monita mente revolveret, facta eſt vox divinitus ad eum, dicens: Si hinc receſſeris, & Pariſius veneris, uſque ad Pentecoſten morieris, & ſine dubio morieris. Ad hanc itaque vocem juvenculus ille multùm obſtupuit: necdum tamen potuit duritia cordis illius emolliri.

* *i. e.* magiſtro

apparitio;

28 Porrò ſequenti nocte, cùm ſopori membra dediſſet, videbatur ſibi eſſe demerſus in limo putei profundi. Cúmque deſperatus ibidem jaceret, ſubitò apparuit deſuper ad horam * putei beatus Johannes Euangeliſta, in vultu & habitu beati Bernardi, cum alio quodam Sancto, cujus nomen excidit mihi: qui & ipſe ſimillimus erat cuidam religioſiſſimo viro, nomine Gerardo, portario Clarevallenſi. Quos cùm ille vidiſſet, rogabat obnixiùs, ut ſui miſererentur. Cui B. Johannes reſpondit: Tu ſano conſilio acquieſcere contemnens, opem flagitas à nobis? Cúmque ille promitteret, ſe eſſe facturum, quidquid ei placeret; Vis ergo, inquit, fieri monachus in monaſterio Clarevallenſi? Etiam, domine mi; libentiſſimè volo. Quod cùm firmiter pollicitus eſſet, ſeſe citiùs impleturum; protinus eductum de profundo liberum abire permiſerunt.

* *l.* orans

quâ adoleſcentulus inſtituto Claravallenſi ſe dicat:

29 Mane igitur facto, poſtulavit præſentari quantociùs B. Bernardo: quem cùm antea non vidiſſet, continuò illum in vultu & habitu deprehendit, ipſum eſſe pro certo recognoſcens, quem in nocte tranſactâ, ſub conditione convertendi, liberatorem habere meruerat. Proinde miratus vehementer atque compunctus, protinus eidem ſancto Viro ſe reddidit, à quo benignè receptus, mox in ætate teneriori, gravitatis & ſapientiæ canos, cunctis mirantibus induit. *Alia, quæ ibidem de illo exſtant, manifeſtationum chariſmata, non ſunt hujus loci. Ad majorem tamen hiſtoriæ, quam modò referebamus, fidem conducit allegati capitis clauſula, quâ Herbertus rem confirmat:* Hæc, *inquit*, omnia, quæ ſuperiùs retuli, aliaque quamplurima, quæ licèt magna exiſtimem, tamen brevitatis amore reticui, ab eodem Dei famulo arcana relatione cognovi: eâ videlicet conditione, ut uſque ad obitum ejus, apud me ſecreta tenerentur. Sed quia jam,

A jam, vocante ſe Domino, expletis in Ordine annis XXVI quàm ſinceriter vixit, tam feliciter obiit, ego ſolutus à nodo polliciti hujus, præfatas revelationes, in quibus non modicè conſolatum fuiſſe me memini, ad aliorum æquè ſolamen præſenti paginæ intuli.

alia, quâ incendii graſſationem compreſſiſſe dicitur:

30 *Apud Manricum tomo* 4 *Annalium Ciſtercienſium in Appendice, inter ea, quæ pag.* 659, *num.* 13, *exſtant ad annum* 1592, *habetur ſequens apparitio:* Menſe Auguſto, in die Parentis Bernardi, Saltus novalis miſerabiliter conflagravit, præſentibus abbate, & majori parte conventûs ſancti Petri de Eſlonza Benedictinis, qui venerant cum noſtris, ſancti Patris ſolemnia celebraturi. Vulgavit fama, apparuiſſe cuidam ex ipſis utrumque Parentem, nimirum Benedictum, Bernardumque, atque flammas graſſantes compreſſiſſe, ne ultrà procederent: cùm, aëre in contrarium impellente, nihil non abſumpturæ timeri poſſent. *Nota, quòd* Saltus novalis *in iſta Appendice pag.* 602, *num.* 18, in regno Legionenſi, diœceſique *ſignetur.*

B *apparet Gerardo Farfenſi morti proximo, & alteri ex gutture laboranti.*

31 *Herbertus lib.* 2, *cap.* 29, *mira quædam narrat de Gerardo de Farfa, admirandæ pietatis, & ſanctitatis eximiæ ſene; quibus ſubdit iſta:* Huic autem viro jam poſito in extremis beatus Bernardus angelico vultu & veſtibus albis decoratus apparuit, in eâ tamen conſiſtentiâ & habitudine corporis, quâ ante obitum fuit. Quem cùm ille inſpiceret ad ſe ingredientem, & veteranos ac venerandos artus baculo ſuſtentantem, manu ac voce, quâ poterat, ſuis ſervientibus innuit, ut Sancto venienti aſſurgerent, & locum ſedendi citiùs præpararent. Illis verò mirantibus ac quærentibus de quonam Sancto ille loqueretur, premente ſe ægritudine non poterat reſpondere. Poſtmodùm verò receptâ virtute loquendi, cùm idipſum denuò ſciſcitarentur, confeſſus eſt ſe vidiſſe beatum Bernardum blando ipſum alloquio conſolantem. Qui cùm benedixiſſet eum, benedixit etiam totam domum, ſubjungens hæc eadem verba, & dicens; Hæc eſt domus mea, quam ædificavi. Dominus cuſtodiat eam in æternum, & in ſæculum ſæculi. *De Gaufrido Sorenſi epiſcopo, qui, dum gravi ac penè à medicis deſperatâ gutturis moleſtiâ laborabat,*

C *à Viro ſancto ſibi apparente ſanatus eſt, legi poteſt Herbertus lib.* 3, *cap.* 10.

§ III. Tribus vicibus ſe manifeſtat cuidam fratri; apparet item B. Mariæ Ogniacenſi; alteri prædicit cæleſtem gloriam; Aſcelinæ mortem; mira libri miraculorum inventio, ac monachi litteratura.

Poſt Sancti apparitionem tranſit frater quidam ad Claravallenſes:

P*Raditis apparitionibus addi poſſunt aliæ tres, quæ narrantur in Exordio magno Ciſtercienſi, diſtinctione* 4, *cap.* 7, *his verbis:* Frater quidam de Ordine Regularium canonicorum, cùm eſſet proficiendi avidus atque chariſmatum meliorum æmulator, deſiderabat deſiderio magno beati Bernardi magiſterio ſubjici, & Claræ-vallenſium collegio ſociari; licèt hoc, ipſo ſancto Patre vivente, conſequi minimè potuerit. Quo decedente, auditâ famâ pretioſæ mortis ejus, conſternatus eſt animo vehementer; miſerum ſe, atque indignum clamitans, quòd voti ſui compos fieri non meruiſſet. Poſt autem paucos dies apparuit ei in viſu idem venerabilis Pater, quaſi ſtrenuus operator, præcinctus ad laborandum in agro latiſſimo, in quo manipuli triticeæ meſſis innumerabiles eſſe videbantur: ex quibus multitudinem magnam in acervum grandem congeſſerat: reliquis verò, qui ſupererant, qui etiam multo plures erant, comportandis & coacervandis pertinaciter inſiſtebat. Quod cùm vidiſſet, intellexit illico, congeriem illam manipulorum figuram tenere multitudinis fratrum, quam idem egregius prædicator, quamdiu vixit in carne, Chriſto Domino aggregarat: adhuc autem reſtare innumeros, qui ejus meritis & exemplis ad ſalvationis gratiam eſſent perducendi. Unde multùm exultans, ſeque unum ex illis fore non deſperans, Claramvallem, quàm citiùs potuit, adiit, poſtulans & impetrans, ſe ad probationem admitti. Ex VARIIS.

cui, dum eſſet in tirocinio, iterum, E

33 *Hac itaque ſancti Viri apparitione frater ille ad tirocinium Claravallenſe vocatus eſt: quem verò favorem in eodem acceperit ab eodem Sancto, pandit altera illius apparitio, fratri iſti facta:* Qui dum adhuc ibidem novitius eſſet, & beati Viri memoriam penè inceſſanter atque inſatiabiliter animo volveret; quâdam die Dominicâ circa finem vigiliarum fatigato illi, & modis pluribus afflicto, cœpit obrepere ſopor. Et, ecce, apparuit ei reverendiſſimus Pater, cujus amore flagrabat, dignanter alloquens eum, & monens de dirigenda ad Deum jugiter intentione, cum quotidiana lacrymarum effuſione. Quod ſi faceret, divinam miſerationem, & ſuam ipſius viſitationem ſecurus expectaret. Et cùm iſta dixiſſet, recepit ſe in tumbam ſuam, quæ ibidem coram altari beatæ Virginis Matris poſita erat. Quæ videlicet receptio tam evidens fuit, ut frater ille neſciret, utrum dormitans, an vigilans hoc vidiſſet.

ac tertiò ſe videndum præbuit.

34 Cúmque aperuiſſet oculos, & piiſſimi Patris admonitionem dulci recordatione penſaret, ſubitò iterum apparuit illi jam plenè vigilanti, & corporeis oculis intuendum ſe obtulit. Stabat igitur cominus coram ipſo, ita ut manu tangi facilè poſſet: diligenter eum conſiderans, & F quaſi explorans, utrum dormiret, an vigilaret; more eorum, qui excitant ad vigilias dormientes. Quem cùm novitius ſtupidus & attonitus intueretur, protinus ille, qui videbatur, evanuit: & quod mirum dictu eſt, viſum eſt illi, quòd quaſi ſenſibiliter præcordiis ejus illapſus fuiſſet. Unde vehementer accenſus in amorem Dei & ejuſdem beatiſſimi Viri, ad ſuſceptionem novæ vitæ in gaudio & exultatione ſpirituali de die in diem inſtituebatur. Denique ſequenti nocte cùm vigiliis fratrum ſimiliter intereſſet, talem ac tantam divinæ viſitationis gratiam ibidem expertus eſt, qualem ac quantam in vita ſua numquam antea ſenſerat: quod totum utique meritis ejus, quem diligebat, ſe obtinuiſſe, gratulatus eſt. Cumque per dies plurimos memoriam abundantiæ ſuavitatis hujus recolendo frequentiùs eructaret, fundebat ubertim dulces & pias lacrymas, quibus die noctuque ſatiari non poterat. *Hactenus Exordium magnum Ciſtercienſe; quod de laudati fratris, veſtigiis* S. Bernardi *jugiter inſiſtentis, vita ac morte etiam agit.*

Spectatur à B. Maria Ogniacenſi,

35 *Apud nos tomo* IV *Junii, die* XXIII *ejuſdem menſis, pag.* 660 *narrat Jacobus de Vitriaco, ſcriptor Vitæ B. Mariæ Ogniacenſis, ei acci-*

Ex variis. *accidiſſe* S. Bernardi *apparitionem, quam his verbis refert:* Apparuit ei aliquando B. Bernardus, Ciſtercienſis Ordinis Pater, & lucerna, quaſi alatus, & alas ſuas circa eam expandebat. Cumque diu cum eo in cantello eccleſiæ ſediſſet, & illa, cujuſmodi eſſent hæ alæ, quæreret; reſpondit, quòd ipſe velut aquila ſublimi volatu ſublimia & ſubtilia divinæ Scripturæ attigerat, & multa de arcanis cæleſtibus ei Dominus reſeraverat.

& à monacho, eâdem die eum moriturum, & in cælo futurum prædicens: Aſcelinæ obitum prænuntiat.

36 *Herbertus in libris de Miraculis, lib.* 2, *cap.* 28 *refert ſequentem Viri ſancti apparitionem:* Defunctus eſt ibi (*actum erat antea de abbatiâ Domûs Dei, filiâ Claravallenſi*) monachus, ætate quidem juvenis, ſed religionis maturitate provectus: de quo etiam aſſerunt, quod florem virginitatis uſque ad mortem, Domino largiente, ſervaverit. Hic verò ſpe mirabili confortatus, ita cupiebat diſſolvi, & cum Chriſto eſſe, ut nihil timere videretur, niſi adhuc à morte differri, & in corpore remanere, multùmque doleret, ſi aliquis ei commeatum vel promitteret, vel optaret. In ipſa verò die migrationis ſuæ apparuit ei beatus Bernardus cum ſupradicto abbate F. *, qui dixit ad eum: Frater Bernarde, (ſic enim juvenis vocabatur,) ecce, adduco tibi ſanctum Patrem noſtrum Bernardum, ut te in manibus illius reddam. Beatus verò Pater clementi dextera ſuſcipiens eum, ait illi: Hodie mecum eris in paradiſo. Et his dictis evanuerunt. Tunc monachus ille, quæ viderat, & audierat, fratribus indicavit, atque ſubjunxit: Si uſque in craſtinum vixero, non ſum vera loquutus: quod ſi hodie migravero, fidem faciat dictis ipſa migratio. Defunctus eſt itaque frater in ipſa die, ut perficerentur in eo omnia, quæ dicta fuerant illi à ſancto Patre. *Hiſtoriographus Ciſtercienſis ad annum* 1195, *cap.* 3, *num.* 7, *Virum ſanctum* tranſi ûs ſui nocte *apparuiſſe Aſcelinæ, ac mortem ei ſuam denunciaſſe commemorat. Porrò* Aſcelina virgo in Gallia, S. P. Bernardi ſecundum ſanguinem neptis, ſecundum ſpiritum diſcipula, cum titulo beatæ memorari ab Henriquez in Appendice Menologii Ciſtercienſis, *diximus inter Prætermiſſos ad diem* XVIII *Maii: cujus cultus examinari poterit ad diem* XXIII *hujus menſis Auguſti.*

* *i. e.* Francone B

C

Liber miraculorum S. Bernardi perditus

37 *Joannes Eremita, qui* S. Bernardi *Vitam conſcripſit, in epiſtola, quæ primo loco Vitæ eidem præfixa eſt, & apud Mabillonium recuſa volumine* 2, *mirabilem hanc refert apparitionem col.* 1279: Monachus quidam, venerandi Abbatis verax dilector & ſincerus, forte cum quodam laïco fratre, Humberto nomine, per virgultum adjacens monaſterio Claræ-vallenſi deambulabat, librum miraculorum ſancti Patris tenens in manibus; exponens ea ſecundum idioma Romanæ linguæ, tam ſuæ quàm illius ædificationis causâ. Contigit ergo eos, modicæ pauſationis gratiâ, conſedere ſub arbore piro, ſecus viam, per quam quotidie vadunt & veniunt laborantes in horto. Cumque non poſt modicum tempus conſurgerent, ſupradictus monachus, oblivione ſubripiente, ſicut multotiens fieri ſolet, librum, quem paulo ante in manu tenuerat, humi per improvidentiam depoſitum reliquit.

miro modo

38 Abiit itaque, & regularis diſciplinæ ſtudiis occupatus, cum tandem reduceret ad memoriam, quomodo, ubi, & quando perdidiſſet illum; nullam omnino ſpem recuperandi concipiens, (tum quia prope viam dimiſerat, tum quia interim tanta fuerat facta inundatio pluviarum, ut etiamſi reperiretur, nihil amplius quàm perditum valere crederetur) poſt aliquantum tempus ab illius inquiſitione ceſſavit: immò etiam penitus deſiſtere viſus eſt; maximè tamen conſtrictus, quòd per negligentiam ſuam miraculorum ſancti Viri volumen amiſiſſet. D

invenitur conſervatus:

39 In hunc modum tranſigens unum circiter menſem, cùm poſt modicam per hortum deambulationem, ſub arbore prædicta reſediſſet, non tamen propoſito quærendi, vel ſpe recuperandi, quod perdiderat; miro & inaudito modo librum, tamquam ab aliquo conſervatum, & tunc de recenti, & ex induſtria juxta ſe poſitum, ſubitò in medium proferri miratus eſt. Et ut mirabilius eſſe credatur, quod contigit, tam charta, quàm ſcriptura adeo ſana & incorrupta permanſerat (niſi quod pauculis guttis exterius operimentum reſpergi videbatur) ac ſi cum ceteris libris in bibliotheca liber idem fuiſſet repoſitus. Quid ſuper hoc audientibus viſum fuerit, neſcio: ego autem pro parte mea aſſeverare non dubito, rem talem, tamque inſolitam, nequaquam ſine miraculo contigiſſe: quod ſiquidem beati Viri meritis adſcribere & ratio perſuadet, & veritas compellit. E

quâ occaſione fratrem idiotam

40 Nocturni temporis ſilentio, cum poſt fatigationem diurni laboris, modicæ repauſationis gratiâ recubuiſſet in lectulo, apparuit ei vigilanti vir venerabilis, amictus ſtolâ niveâ, & ſtaturæ mediocris, ætate grandævus, crine candidus, angelica facie reverendus. Is in manibus ſuis duos libros tenere videbatur. Accedens itaque ad fratrem ſuprà memoratum, porrexit ei utrumque, dicens: Accipe, vide, & lege. Qui repentinæ viſionis horrore (ſicut fieri ſolet) attonitus, ſecuritatem tamen ex affatu benigno, aſpectu tranquillo, vultu quoque angelico ſumens, reſpondit: Domine Pater, neſcio litteras. Simplex & illiteratus quomodo legam? At ille: Fili, noli timere. Ecce Dominus tecum eſt, & docebit te, &, me intercedente, bene erit tibi. Hujuſmodi pia admonitione confortatus frater, utrumque volumen accepit, evolvit, & legit; mirans & obſtupeſcens in ſemetipſo, quonam modo id fieret. Perſona deinceps aſſiſtens, quaſi alterum volumen ſecum deferens, alterum fratri relinquens, vale faciens ei data benedictione diſparuit. F

docet litteraturam.

41 Quid igitur? Mirabile quidem dictu eſt, quod dicemus. Quid enim mirabili hoc mirabilius? Fratrem novimus omnes quotquot ſumus. Laïcus quidem erat paulo antè, nec etiam alphabetum noverat. Deo tamen illuminante ejus intelligentiam, & quibuſdam fratrum ſuffragantibus, in brevi ad hoc profecit, ut non ſolùm legere, verùm etiam cantare ſatis decenter & convenienter ſciret. Exinde tam uſu, quàm gratiâ cooperante, dictionum ſignificationes aliquantùm intelligere cœpit, & in hujuſmodi ſcientia paulatim proficere. Viſionem itaque ſupradictam ſcripſit in ſpe adjutorii divini, & ſubventionis beati Viri, quem credimus ei apparuiſſe. Nonnulla miraculorum ipſius, quæ vel ſcriptoribus ignota, vel per negligentiam fuerant prætermiſſa, tam decenter, tam bene, tamque eleganter litteris commendavit, ut ſubinde rapti in admirationem, dicamus cum Propheta David: A Domino factum eſt iſtud? & eſt mirabile in oculis noſtris. Quis ergo neget, hoc miraculosè factum eſſe? Quod apertius, quod evidentius miraculum? Adſcribimus igitur in primis gratiæ Dei;

illud

A illud attribuimus deinde meritis Sancti, assignamus denique fidei & obedientiæ fratris.

§ IV. Aliquot Viri sancti vaticinia.

Multos in monasterio Villariensi fore salvos prædicit:

TAmetsi in nostro Commentario prævio ad S. Bernardi *Vitam*, *ac in Vita ipsa contineantur tot & tanta vaticinia, quibus liquidissimè probatur, Virum sanctum, præter alias eximias prærogativas, in hoc genere summum mereri nomen: non ita tamen hæc materia ibidem exhausta est, ut non supersint exempla nonnulla, quorum notitiâ lectorem meum privari nolim. In Itinere litterario, de quo superiùs cap.* 1 *num.* 9 *actum fuit, parte* 2, *pag.* 201 *narratur sancti Abbatis nostri prophetia, quâ, dum Villarium venisset, ut ibidem monasterium fundaret, & in monte esset (monasterium quippe duos inter montes situm est) baculum suum plantasse dicitur in terra, & prænuntiasse:* In hoc loco salvabuntur multorum animæ: *baculum verò illum, jacta radice, excrevisse in arborem, quæ superstes fuerit in annum usque* 1697; *eodemque tempore, quo Thomas abbas, emortuam esse. Quæ res materiem dedit quatuor hisce pangendis versibus:*

B Villaria quondam tellure recondita phœnix
Emorior pariter, commoriente Thomâ.
Quinque & dimidium lustravi sæcula, & annum
* *f.* serit Quo Bernardi me dextera sacra sevit *.

novitio Claravallensi mortem;

43 *Vir sanctus tironi cuidam prænuntiasse diem mortis perhibetur in Exordio magno Ordinis Cisterciensis distinctione* 2, *cap.* 12: Invenitur etiam in gestis hujus beati Viri, quòd adhuc in carne degens novitio cuidam in Claravalle graviter ægrotanti, cum multitudine monachorum in spiritu apparuit: prædicens ei, quod quintâ die foret moriturus: & quòd in ipsâ quintâ die, sole jam ad occasum vergente, visitans eum, jussit considere & nihil timere: sed recto protinus cursu pertingere ad Dominum Jesum Christum, & offerre ei humilem suæ Claræ-vallensis familiæ salutationem. Ad quam vocem novitius, quâ potuit capitis inclinatione, & motu annuens labiorum, clausis oculis eâdem horâ obdormivit C in Domino. *Et sanè observatu digna sunt, quæ memorantur ibidem in eodem Exordio cap.* 14 *de tironibus quibusdam, ad abbatialem dignitatem, ne vel uno quidem eorum excepto, sicut prædixerat Sanctus Pater, evectis. Factum audi.*

aliis autem novitiis suis

44 Ad benedictionem hujus sancti Patris quidam aliquando novitii ejus, veterem hominem cum actibus suis exuentes, novum, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis induerunt: de quibus Vir beatus in spiritu Dei loquens prædixit, omnes eos gratiam spiritualis dignitatis adepturos, & nomen & officium abbatis sortituros. Cúmque, succedentibus annis, temporibus opportunis, in singulis eorum verbum prophetiæ hujus effectui manciparetur; unus ex eis, nomine Petrus, quem in Suecia ad domum Novævallis Abbas sanctus direxerat, post obitum ipsius per annos quamplures usque ad senectam, imò penè decrepitam ætatem, absque hoc munere gratiæ vixit, eo quòd simplicioris esset naturæ, & ad tantum officium administrandum minùs idoneus existimaretur. Sed quid? Numquid vel in extremis finibus mundi latens, vel gravioris ætatis incommoda sustinens, omnipotentiam sancti Spiritus effugere potuit, quo minùs impleretur de eo, quod per os prophetæ sui Bernardi idem Spiritus tanto antè prædixerat?

abbatialem dignitatem vaticinatur.

45 Denique post tanti temporis spatium, cum jam fere in oblivionem venisset, quod de hoc columbinæ simplicitatis homine Pater reverendissimus prædixerat; accidit, ut fratres de quadam domo Novævallis * in insula, quæ Godandia * dicitur, sita, destituti pastore, secundum generalem consuetudinem Ordinis, ad matrem suam recurrerent, quatenus per providentiam & solicitudinem patris abbatis, domui ipsorum dignus dispensator constitueretur. Et, volente Domino, sine cujus nutu nec folium arboris, nec unus passer in terram cadit, tam patri abbati, quàm cæteris, qui electioni intererant, placuit, prædictum senem in hanc partem solicitudinis assumere, ut tanto fiduciàliùs de pietate Dei, sanctissimique Patris sui meritis confideret, quanto humiliùs de suâ insufficientiâ diffideret. Quod ubi factum est, & verbum, quod olim Sanctus prædixerat, ad memoriam revocatum, ubique divulgatum est; mirati sunt universi, qui audierunt, dicentes, promotionem tam senis & simplicis hominis, ad hoc tantùm divina dispensatione fuisse provisam, ne ex omnibus, quæ per spiritum prophetiæ locutus est Homo Dei, unum saltem iota, vel unus apex incassum prolata viderentur. *De laudato* Petro *agitur apud nos in Prætermissis ad diem* x *Junii.* Gotlandia *autem insula in mari Baltico satis nota est; ita ut non indigeat ulteriore explicatione.*

* *i. e.* de domo Novævalli subjecta, * Gotlandia,

CAPUT III.

Supplementum miraculorum.

§ I. Variæ corporis infirmitates sanatæ; præfixus moribundo terminus mortis; miraculum perperam S. Bernardo Claravallensi attributum; epilepticus cur non omnino curatus; mortuus ad vitam revocatus.

Podagrâ laborans, ac spinâ piscis suffocandus sanantur;

CHrysostomus Henriquez *in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterc. lib.* 1, *dist.* 4, *cap.* 51, Non multis, *ait*, elapsis annis post obitum pii Patris, Gundisalvus abbas Morerolæ, quod est cœnobium Ordinis Cisterciensis in Legionensi regno, podagrâ oppressus, vix doloris acerbitatem sustinere valebat. Summâ tamen reverentiâ & devotione partem aliquam habitûs sancti Ber-

Ex variis. nardi, quæ in eodem monaſterio inter cæteras reliquias ſervabatur, membris languentibus applicavit, & ſubitò dolor omnis diſceſſit, & integram obtinuit ſanitatem. Suerus abbas Nucalenſis in Hiſpaniâ, ſpinâ piſcis, quam incautè deglutierat, ferè ſtrangulatus, & tandem, ingraveſcente morbo, jam in extremis conſtitutus, & à medicis derelictus, lecto jacebat. Tunc Prior Morerolæ corrigiâ, quâ præcingebatur, quamque devotionis causâ ſepulchro ſancti Abbatis Bernardi, cum Claramvallem viſitaſſet, impoſuerat, guttur inflatum infirmi abbatis tetigit, & ſtatim ſpina deſcendit, & ab omni prorſus infirmitatis incommodo liberatus fuit, ac proinde à periculo mortis. Narrat hæc duo miracula Bernardus Britto, lib. 3, cap. 29.

uti & pars corporis penè emortua, dolor capitis, febris, infirmitas, mutus per fontem prodigioſum.

47 *Mirabilia prorſus ſunt, quæ in Commentario prævio § 49 narravimus de prodigioſo fonte. His verò, quæ ibidem de illo legenda præmiſimus, adjunge ſequentia ex Joanne Eremita apud Mabillonium col.* 1290: Fuit vir quidam religioſus, Odo nomine, cujus pars corporis per aliquantum tempus pæne manſit emortua, adjacentis incommodi contractione. Is poſt mortem beati Viri ad eumdem fontem perrexit. Cúmque eo infirmitatis locum perfudiſſet, ſanus & incolumis rediit. Alius dolore capitis immaniter vexatus, & omnino ſenſu privatus, fonte irrigatus, ſanatus eſt. Alius per ſeptennium languerat, qui à parentibus ad ſanctum fontem ductus, ſoſpes factus eſt. Alius quidam, Suynus nomine, longo tempore febre quartana laboraverat, qui potu fontis ejuſdem ſanitatem recepit. Quidam verò maximâ infirmitate gravatus, cum guſtaſſet de eâdem aquâ, vermiculus quidam ſimilis locuſtæ, per os illius, omnibus videntibus, egreſſus eſt, & ſtatim convaluit. Mutus etiam, ut aiunt, qui viderunt, ad fontem venit, & loquelam recepit. Hæc & multa alia tam à nobis, quàm ab aliis viſa, quibus non credere impium eſt, ne forte narrationis prolixitate audientibus faſtidium generetur, perſtrinxiſſe ſufficiat.

Fratri cuidam Claravallenſi moribundo

48 *Viri ſancti miraculis etiam accenſeri poteſt mandatum ejus ſingulare, quo obitus cujuſdam monachi Claravallenſis differtur. Res geſta exſtat apud Mabillonium inter Excerpta è magno Exordio Ciſtercienſis Ordinis col.* 1200, *& apud Herbertum lib.* 1 *De miraculis cap.* 13, *è quo eam tranſcribo:* Quidam de fratribus ejuſdem loci, *cœnobii videlicet Claravallenſis*, cùm eſſet poſitus in extremis, ingreſſus ad eum viſitandum beatus Bernardus poſt Completorium, & videns hominem morti proximum, jamjamque migraturum, ait: Noſti (cariſſime frater) quia conventus noſter modò fatigatus eſt de labore, & jam poſtmodùm habet ad vigilias ſurgere. Quod ſi te iterum * obdormiente, oporteat illum ſuam interrumpere dormitionem, nimiùm vexabitur, & prægrandes vigilias minùs celebriter exequetur. Ut ergo bene ſit tibi, & longo vivas tempore ſuper terram, ad quam ingrederis poſſidendam, in nomine Chriſti præcipio, quod uſque ad horam divini Officii exſpectes nos. Cui ille reſpondit: Faciam, Domine, ut imperaſti, ſi tamen voto meo tuis precibus ſuffrageris. Quid multa?

* *l.* interim

terminum mortis præſcribit:

49 Abiit Pater in dormitorium, & frater non obiit ante terminum conſtitutum. Moxque, ut ſignum ad vigilias pulſari cœpit, pulſata eſt tabula, & ille deceſſit. Quod non modò de illo fratre, verùm etiam de pluribus aliis pluries accidit, ut uno, pluribuſve diebus protelaretur finis eorum ad ipſius Patris imperium & votum. *Porrò ut lector norit, quid ſibi velit* pulſata eſt tabula; *Manricus ad annum Chriſti* 1141, *cap.* 4, *num.* 6, uſitatiſſimum, *ait*, in omni Eccleſia olim, in Ciſtercienſi etiam hodie perſeverat, ſignificato decedentium exitu per crebros raucoſque tabulæ ictus. *Alia deinde ſubdit. Sed nos cetera magni noſtri Thaumaturgi prodigia proſequamur.*

miraculum aliud huic noſtro Sancto perperam adſcriptum;

50 *Inter hæc perperam recenſetur apud Mabillonium col.* 1109 mira ſacerdotis concubinarii, & monachi quondam Claræ-vallenſis, converſio, *quæ datur* ex cod. Barbelliano Ord. Ciſt. in diœc. Senonenſi. *Neque enim ullam in iſta converſione partem habuit* S. Bernardus *noſter; ſecundum ea, quæ dicentur ad diem* XXI *hujus menſis Auguſti, in Commentario hiſtorico S. Bernardi de Alzira* § 3. *Ceterùm miram illam converſionem S. Abbati Claravallenſi etiam tributam invenio apud Horſtium lib.* 7 *Vitæ, pag.* 77, *ex editione Pariſienſi, quam allegat.*

epileptico impetrat, ut morbum ſuum præſentiens, caveat improviſum lapſum,

51 *Herbertus lib.* 2, *cap.* 20 *rem miram memoriæ proditam reliquit de monacho, qui, dum laboraret morbo epileptico, per merita* S. Bernardi *obtinuit, ut morbum præſentiens, lecto decumbere, & repentini caſus eliſionem vitare poſſet. Recito ejuſdem Herberti textum:* Exiit aliquando Pater ſanctus ad viſitandum fratres ſuos metentes in agro. Qui quoniam infirmus erat, & pedes ire non poterat, perrexit in aſello. Porrò monachus quidam cum eo tunc ambulans atque aſinum minans, cùm ab olim pateretur caducum morbum, ſubitò coram eo in ipſo itinere corruit, & cœpit ab eâdem epilepſiâ graviter torqueri. Quo viſo, Vir ſanctus condoluit ei; unde & deprecatus eſt pro eo Dominum, ut paſſio illa non apprehenderet ampliùs improviſum. Igitur æger ex eo tempore uſque ad diem mortis, per viginti & eo amplius annos, quibus poſteà ſupervixit, datum eſt ei, quòd antea non habebat, quodque cæteris epilepticis vix aliquando contingit, quotiens ex eodem morbo cadere debebat, per aliquantum temporis ſpatium præſentire, ita ut opportunè poſſet lecto decumbere, & repentini caſus eliſionem jugiter præcavere.

& cur ipſum integrè non ſanaverit.

52 Et quidem Vir ſanctus, qui hoc ei à Domino minus impetravit, credimus, quia perfectam illi ſanitatem obtinere potuiſſet, ſi ſaluti animæ ejus expedire cognoſceret. Sed quoniam ille homo gravis moribus ad portandum, & duri admodùm cordis erat, cui ſalvando & virga correctionis, & baculus conſolationis ſemper neceſſaria videbantur; conceſſum eſt ei miſericorditer, ut ſubitanei caſus periculum præſciendo jugiter declinaret, & ſalutiferi morbi ſtimulo non careret.

§ II. Mortuus ad vitam revocatus.

Dum S. Bernardus eſſet in Germania,

Iſſierius in Exordio magno Ordinis Ciſtercienſis diſtinctione 2, *cap.* 19 *narrat miraculum, quod inter alia primæ notæ meritò annumerari debet. Factum audi, his verbis deſcriptum ibidem:* Terram Jeroſolymorum tempore quodam occupantibus Saracenis, beatus Bernardus, cujus animam Chriſtianæ deſolationis gladius acerbitate ſingulari perfoderat, circumquaque diſcurrens, ad ulciſcendam Salvatoris injuriam;

A riam, & ad expugnationem gentis incredulæ, turbas fidelium non verbis tantùm, ſed ſignis & virtutibus hortabatur. Accidit autem, eum in Alemanniam devenire, & egredientem die quadam de Friburc, oppido memorabili in partibus Briſgaudiæ conſtituto, à quodam Henrico viro nobili, & adhuc juvenculo, ad quamdam manſionem ipſius, ubi erat, in veſperâ pernoctandum deduci, copioſa multitudine eum ſequente.

famulus quidam

53 Cùm autem idem Henricus, accepto jam crucis ſignaculo, non equitare, ſed pedes propoſuiſſet incedere, donec, expenſarum apparatu collecto, propoſitæ peregrinationis iter arriperet *a*. Aſcenſo igitur equo, ſecutus eſt eum protinus abeuntem. Videns hoc & invidens quidam vir belial, ſerviens ejuſdem Henrici, homo totius pravitatis amator, & boni totius incredulus, in Servum Dei ait: Ite modò, & diabolum illum ſequimini, & ipſe vos diabolus apprehendat. A latere verò duæ mulierculæ venientes, inter ſe deportabant tertiam, pedum & quorumdam membrorum deſtitutam officio, & contractam: Virumque Dei rogare volebant, ut calamitatem infirmæ, & bajularum anguſtias, curationis optatæ remedio relevaret. Porrò Henricus hanc intuens, & miſertus, Ægram, inquit, ſuper collum equi mei mihi porrigite: & vos ad Servum Domini properantes ſubſidium implorate.

a

B

nefandas evomens

54 Præfatus ergo ſerviens ad hoc pietatis opus domini ſui indignans & impatiens uſquequaque, ipſum invectione arguit acriore: quaſi ad incantatorem & maleficum, & mentium everſorem, eſſet miſeram delaturus. Cui Henricus, Non, inquit, ſed defero, ut ad benedictionem Viri Dei recuperet ſoſpitatem: & ex certiſſima ſalutis ejus fiducia tibi polliceor, quòd ſi eam non ſanaverit, equum, cui inſideo, tibi dabo. Verbum igitur hoc ille gratulanter & gratanter accipiens, totâ diffidentiâ faciendæ virtutis riſit pariter & irriſit, tam de curatione diffidens, quàm de adeptione equi prægaudens. Illa verò dum ad Sanctum Domini delata fuiſſet, & deſideratam ſibi benedictionem illius adepta, illico ſurrexit incolumis, alieno jam, ſicut hactenus, miniſterio non geſtanda.

C

adverſus ejus miracula blaſphemias, morte punitur ſubitâ;

55 Viſo hoc ſerviens ſæpefatus in impetu ſpiritûs maligni, quem gerebat in pectore, feſtinavit, & converſus in faciem Viri Dei, quidquid nequius vel turpius, aſpirante ſatana, concepiſſet interiùs, in ipſum, toto conamine maledicens & convitians, jactitabat. Verùm, ultione Domini protinus occurrente, ipſe retro corruit reſupinus, & cervice colliſa ſpiritum exhalavit. Unde ſubitò lamentandæ mortis ejus dolore percuſſus Henricus, caſum hunc lugubrem, & occaſum nuntiavit Abbati, ſupplicans, cùm paululum proceſſiſſet, ut ad tam triſte ſpectaculum remearet. Dicente quoque eodem Henrico, Hoc ei propter vos accidit, quoniam in vos blaſphemus eſſe, & contumelioſus, non timuit; Heu, inquit, Dominus, ut propter me quiſpiam moriatur.

ſed Viri ſancti precibus

56 Retrogreſſus igitur ad orationem, in qua ſola in omni difficultate fidebat, ſe contulit: & ad longitudinem unius Pater noſter, ſuper eum ſilenter oravit: & mox præcepit aſtantibus, illum erigere; qui erectus, utpote jam defunctus, caput carens cervicis ſuffragio quaquaverſum agebat miſerabili circumflexu. Rurſuſque ait: Tenete, tenete firmiter ei caput. Demum appropians, & ſalivâ ſuâ, cujus medicinali unctione perſæpiùs utebatur, loca læſuræ deliniens, & conſignans, In nomine Domini, ait, ſurge. Et iterum: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Deus tibi ſpiritum tuum reddat.

Ex variis.

ad vitam revocatur, addicens ei meliores poſthac mores.

57 Ille verò, recepto mox ſpiritu, factus eſt in animam viventem, vel potiùs redivivam: mirantibus præ gaudio, & in cælum voces ac laudes attollentibus univerſis, qui aderant, & viderant, tam manifeſtè quàm miraculosè mortuum revixiſſe. Interrogatus denique ab eodem Sancto Dei, quomodo victurus, quid acturus eſſet in reliquum: Domine, ait, modo, quo juſſeris, vivam, faciamque quidquid præcipies, quidquid voles. Ab aſtantibus etiam requiſitus, utrùm eſſet jam mortuus, Mortuus, inquit, eram, & ſententiam damnationis acceperam: ac niſi Abbas ſanctus feſtinaſſet accurrere, irrevocabiliter eram ad inferna ducendus. Ad exhortationem quoque quorumdam aſtantium, crucis accepit ſignaculum, & cum cæteris Jeroſolymam eſt profectus. Henricus iſte in eodem itinere Deo & beato Bernardo ſe reddidit, & in Claravalle poſtmodùm monachus ejus fuit. Hoc ipſe miraculum cùm fidelibus oculis eſſet intuitus, credereque ſcriptoribus Vitæ ſancti Patris eſſe notiſſimum; deprehenſo, tandem fuiſſe ſilenter omiſſum, indoluit: & ad gloriam Dei & Sancti ſui, juxta quod præſentaneè fuerat contemplatus, narravit: ut in quanta gloria ſit habendus, quem ita glorificavit Altiſſimus, audiat & intelligat omnis generatio in ſæculum ſæculi ſequutura. *Hæc ibi. Hiſtoria iſta etiam exſtat apud Horſtium ac Mabillonium lib. 7 Vitæ, cap. 19.*

E

Aliud hujus miraculi apographum.

58 *Habemus apographum, quod* ex Ms. S. Matthiæ prope Treviros, poſt libros de Vita S. Bernardi *deſumptum notatur, cui etiam ſequens præfigitur titulus:* Glorioſum miraculum à quodam monacho Claravallenſi cum ſequentibus conſcriptum, quomodo S. Bernardus mortuum reſuſcitavit, quæ in Vita omiſſa ſunt. *Quæ in iſto ecgrapho ſequuntur poſt hoc miraculum, prætermittimus; ſed notamus, ſuperiorem hiſtoriam ibi etiam notatam eſſe. Miramur interim, adeo illuſtre ac primæ claſſis miraculum non inveniri inter alia innumera, quæ ſumma cum fide ac diligentia ſcriptores omni exceptione majores annotarunt, ut ſuprà vidimus, quando ſanctum Thaumaturgum, populos Germaniæ claſſico ſacro cientem ad expeditionem orientalem, comitabantur, & quæ patrabat miracula, accuratiſſimè obſervabant. Conſuli interim poſſunt, quæ habentur in Commentario prævio § 40, num. 428 de mortuo ad vitam revocato per Sanctum, in Germania prædicantem, ex* libro Miraculorum domni Herberti: *apud quem tamen in editione Chiffletii hoc miraculum non invenio; ac proinde non eſt mihi exploratum, idemne cum ſuperiore, an aliud ſit.*

F

ANNOTATIO.

a *In notula marginali apud Triſſierium dicitur ſenſus hoc loco eſſe imperfectus. Forte deſiderantur illa, quæ proximè ſequuntur in noſtro apographo è Ms. S. Matthiæ:* Sanctus Abbas nihilominus in equo ſecum comitari præcepit.

Ex variis.

§ III. Modus mirabilis, quo pater S. Bernardi conversus dicitur, secundis curis expensus; plaustrum, fracto axe, longiùs promotum; caducus Humberti morbus sanatus; alter in spiritu & in corpore adjutus &c.

Mira illa conversio

PAtrem S. Bernardi *ad monasticum institutum, relicto seculo, transiisse, retulimns in Commentario prævio § 8. Modus autem mirus, quo illa res accidisse, ibidem narrabatur è Vincentio Bellovacensi, & cujus locum unum non convenire cum altero, observabatur; modus, inquam, mirus ille habebat aliquid, unde Manrico & mihi displiceret. Notabam etiam, quòd nihil de eo scriptum reliquisset Guillelmus biographus. At modum hunc magis probabilem faciunt ea, quæ leguntur apud P. Jacobum Echard in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum tomo* 1, *pagg.* 188 *&* 189, *inter scripta F. Stephani de Borbone, vel de Bellavilla, qui floruit proximo post* Bernardum *seculo, Christi decimo tertio. Quamquam autem in dicto Commentario prolati sunt loci duo ejusdem, qui suprà, Vincentii de hac conversione, quorum uterque est ferè consimilis ei, quem Stephanus memoratus de illa refert; ejusdem tamen Stephani narrationem, ut cum Vincentiana conferri possit, præsertim quia brevis est, huc etiam transcribendam duxi. Stephanus itaque rem gestam, ejusque adjuncta sic memorat:*

videtur esse probabilis:

50 Audivi, *inquit*, quòd, cùm B. Bernardus Clarevallensis convertisset omnes fratres suos, & fecisset eos monachos, solo patre magis indurato in seculo manente, venit ad villam suam, & prædicans ibi juxta truncum antiquissimum in præsentia patris sui, cùm videret ejus duritiam, præcepit hominibus, qui in circuitu trunci ficca ligna apportaverant, ut ipse eis mandaverat, ignem succenderent: quo facto, ligna ficca citò succensa sunt, & truncus tardè circa medium, ab extremis emittens humorem fœdum & fumum teterrimum, diu ignem servavit. Tunc incepit Sanctus loqui de pœnis inferni. Patri dixit, quòd ipse esset similis illi trunco, qui non poterat igne divino succendi, nec flere peccata sua, nec suspirare ad Deum, sed ipse in inferno, nisi pœnitentiam ageret, in æternum arderet, fleret, & fœtentem fumum emitteret. Ad quæ verba pater dictus compunctus, eum secutus est, & monachus factus est. *Et ad majorem facti confirmationem, subdit Stephanus:* Hæc audivi in loco ipso, ubi prædicatio facta est, à D. Calone, domino de Fontanis, pronepote B. Bernardi, in loco nativitatis suæ, Fontanis dicto.

vectura, fracto axe, ad imperium Sancti tendit ulteriùs:

61 *In nostro apographo è Ms. Aureæ vallis, de quo meminit Commentarius prævius § 2, num.* 21, *& cujus exemplar, sicut colligo ex ejusdem principio ac decursu, idem illud est, vel simile cum eo, è quo desumpta sunt Excerpta, quæ sub nomine Gaufridi exstant apud Mabillonium; in nostro, inquam, apographo*, auctore, *prout eidem prænotatur*, discipulo, Parisiis à S. Bernardo ad Ordinem converso, *res mira narratur in hunc modum:* Factum est in primis annis, messis tempore, venerabilis Bernardus loquens cum fratre quodam, sedebat in descensu nemoris, quod monasterio illi (*actum erat proximè de Claravallensi,*) quod nunc est, in excelso supereminet monte: ecce verò coram ipso fractum est plaustrum, quod oneratum manipulis fratres laïci, bobus trahentibus, deducebant. Fractus est autem axis; ita ut vix transversi digiti spatio cohæreret. Turbati itaque fratres conqueruntur Abbati super gravi damno, quoniam manipulos jamjamque cadentes quomodo in grangiam possent deducere, non habebant. At ille, facto eminus signo crucis, In nomine, inquit, Domini ite usque in aream. Erat autem grangia longiùs posita à loco isto, ut vix posset abinde vox clamantis audiri. Cumque in aream perveniisset carrus, tamquam completo jam obedientiæ ministerio, qui priùs cadere prohibebatur, confracto axe, cecidit in ipsa hora. Quo facto valde consolati sunt fratres.

sanatio Humberti abb. Igniacensis confirmatur.

62 *In laudato mox Ms. referuntur ista:* Illud quoque, quod de viro reverendissimo Humberto, postmodùm abbate Igniacum *, factum est, non silebo: erat enim, cùm ad Claramvallem venit, jam provectioris ætatis, & caduco morbo laborare solebat. Arreptus ergo solita infirmitate, sed multo acriùs solito, unâ in die septies cecidit: ita ut in insaniam versus, dentibus appeteret eos, à quibus tenebatur in lecto. Videns autem Vir Domini, fidei zelo accensus; Quid agimus, inquit: eamus ad orationem. Cumque ingressus oratorium inclinasset se, sine morâ penetrans cælos oratio justi, desideratum reportavit effectum. Protinus enim inter manus fratrum dormivit Humbertus, sequentique die accipiens Sacramenta divina de manu sancti & beati Viri, sanus factus est: & plurimis postea vivens annis, numquam deinceps hujusmodi infirmitate laboravit. *Factum hoc aliis verbis refertur superiùs apud nos lib.* 1 *Vitæ, cap.* 5, *num.* 54; *quod tamen cùm non sit in ipso textu Guillelmi, sed aliunde eidem interjectum; rei gesta veritas ex citato optimæ notæ apographo confirmatur.*

* *f.* ad Igniacum *vel* Igniacensi

discipulus S. Bernardi mirificè curatus

63 *Ignoscat mihi lector, quòd hîc subdam ex eodem Ms. Aureæ Vallis sanitatem animæ, quam auctor inter miracula à se relata, à* S. Bernardo *se accepisse ingenuè & gratanter agnoscit, quando Vir sanctus oculos ejus, in tenebris hujus seculi, & quasi in umbra mortis sedentis illuminavit, & pedes ejus direxit in viam pacis.* Non debeo, *inquit*, qui de ceteris loquor, mei ipsius oblivisci, ne forte ingratus inveniar. *Deinde, expositio insigni fructu, quem Sanctus retulit* in scholaribus Parisiensibus, *ita de se ipso loquitur idem auctor:* Sit benedicta dies illa à Domino, quâ sedenti in tenebris, & umbra mortis, lux orta est mihi! Sit benedicta dies, quâ sol justitiæ, imò misericordiæ Oriens visitavit ex alto miseram animam meam! Adversum & perversum nimis hominem, in verbo uno, in momento, in ictu oculi, inæstimabili mutatione dexteræ Excelsi prorsus in alium hominem recreans, ut sim initium aliquod creaturæ ejus. In æternum non obliviscar miserationis hujus, quâ tam copiosè præventus, tam subitò mutatus, multorum super me animos obstupescere feci. Multi verò in illa captura Dominicis retibus irretiti sunt pisces, multi & in itinere adjuncti nobis, ita ut, transacto probationis anno, ex hoc collegio monachi facti simus viginti & unus. *Ex his*

A *his ſupplentur & confirmantur ea, quæ in Commentario prævio § 10 præmiſſa ſunt de captura apud Pariſienſes: deinde commendatur antiquitas & auctoritas ſcriptoris iſtius, è quo tam hæc, quàm ſuperiora, quæ modò ex eo recitabamus, ſunt extracta.*

in corporis ac mentis infirmitate:

64 *Proximè ſubjungit idem ſcriptor, ſe ab eodem Viro ſancto curatum fuiſſe, dum infirmo erat corpore, & afflicta mente.* Eodem ſanè, *ait*, tirocinii noſtri tempore, abſente aliquando Patre noſtro, cœpi corpore infirmari, & affligi mente. (Scio quia ſathanas expetivit me, ut cribraret ſicut triticum;) ſed non latuêre Patrem, quæ circa me agebantur, & perfectè omnia cognoſcens per ſpiritum, quæ verſabantur in corde meo, ſicut poſt reditum ejus comperi; oravit pro me, ne deficeret fides mea. Ibi, ibi, ſuprà quàm eſſem, impreſſiſti me mirabiliter cordi ejus, Domine Deus meus! Gratias tibi! gratias tibi! Unde enim tali animæ, in tali pectore talis locus? Simile quiddam ſibi venerabilis Albericus, qui hodie abbas eſt in loco, cui nomen eſt Benedictio Dei, de ſe, cum novitius eſſet, accidiſſe teſtatur: ſubita ſiquidem & vehementiſſima tentatione impulſus; paulominus ceſſit, cum venerabilis Bernardus, qui itinere dieì unius aberat, hoc ipſum, Domino revelante, cognoſcens, ſurgenſque de nocte eâdem horâ feſtinavit ad conſolandum eum.

B

favores aliis à Sancto præſtiti.

65 *Alia nonnulla, quæ apud laudatum ſcriptorem lego, in compendium redigo.* In villa proxima Caſtellioni, ſanguinis fluxum patiebatur homo per multos dies: *quem Sanctus, dum illac* forte tranſibat, ſignavit, *ac ſanguinem ſtitit*, videntibus atque ſtupentibus univerſis. Sequenti verò nocte *malum rediit; at Vir ſanctus librum ſuum mitti ad eum, & ad caput ipſius deponi juſſit: & convaluit.* Hominem pauperem de Campania mulier adultera maleficiis appetens, ut dicebatur comminata fuiſſe ei, ita tractaverat, ut miſer homo, conſumptis carnibus, nec mori poſſet, nec vivere permitteretur ... Hic cùm ad Dei Hominem eſſet adductus, .. *per duos fratres* languentem hominem ante altare deportari jubet; & ſuppoſito capiti ejus vaſculo, *in quo Corpus Chriſti* continebatur .., in brevi convaluit homo. *Potuiſſet intexi huic paragrapho converſio monachi, qui tertiò defecerat ab Ordine, monitis ac precibus* S. P. Bernardi *obtenta, nec non pœnitentia ejus, ac patientia in paterna Dei caſtigatione*; de cujus felici conſummatione, *prout narratur locis ſtatim allegandis*, beatus Bernardus * hilaratus, ſermonem devotiſſimum ad fratres in capitulo fecit, commendans in eo dignum pœnitentiæ fructum, & admirabilem patientiam ejus, omnibus proponens exemplum; *ſed quia hujus rei geſtæ narratio ſatis longa eſt; legi ea poteſt apud Horſtium, ac Mabillonium, lib. 7 Vitæ* S. Bernardi *cap. 25; apud Triſſierium verò in Exordio magno Ordinis Ciſtercienſis diſtinctione 4, cap. 16.*

C

* *Triſſierius add.* multum

§ IV. Synopſis miraculorum S. Bernardi, quæ ſunt innumerabilia.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Collector hujus ſynopſeos, ac noſtra ejuſdem partitio.

QUam *in Commentario prævio § 64, num. 718 promiſi miraculorum ſynopſim, huc diſtuli. Rationes, quæ me moverunt, ut illam darem, ibidem expoſui. Ejuſdem exemplar Ms.* perhumaniter *mecum communicavit Reverendus admodùm ac Ampliſſimus Dominus Alexander Adriaenſſens, celeberrimi cœnobii* S. Bernardi *in territorio Antverpienſi ad Schaldim abbas meritiſſimus. Synopſim porrò hanc collegit R. A. D. Bernardus Timmermans, paſtor in Capella S. Jacobi, quondam ſupprior, & novitiorum magiſter in iſta abbatia. Citationes, quas deſignat, procedunt ſecundum ordinem anterioris editionis, libros quinque Vitæ, ac ſextum, qui eſt de miraculis, complectentis, prout etiam fit in editione noſtra; ita tamen ut in hac capitum ac numerorum nova facta ſit diviſio. Verùm quia ſignantur in editione noſtra ad marginem antiquiora etiam capita, poterit inde juvari lector, ut inveniat, quæ deſignantur in dicta ſynopſi ex impreſſione priore. De locis, qui occurrent ex libro ſeptimo, conſulat lector Commentarium noſtrum libris Vitæ prævium § 66, & quæ poſt librum ſextum à pag. 351 dicuntur de Fragmentis ex Herberto apud Mabillonium vulgatis. His adde ea, quæ relata ſunt ſuperiùs in Gloria poſthuma. Cæterùm hanc nos ſynopſim in ſectiones duas, appoſitis etiam utrique ad marginem numeris ac notationibus, partimur. Hæc habui, de quibus monerem meum lectorem; ut nihil jam ſuperſit, quàm producere ipſam ſynopſim, verbis laudati Domini collectoris huc tranſcriptam.*

Ex variis. E

SECTIO I.

Infirmi, cæci, ſurdi, muti, claudi, contracti, fatui, phrenetici, & alii a S. Bernardo ſoſpitati.

Tres ſupra viginti

PRimum miraculum à S. Bernardo factum narrat Guillelmus lib. 1, cap. 9, num. 43. Josbertum ſcilicet in extremis poſitum, & extra ſenſus, fecit liberè loquentem. Confitetur homo ſua peccata, cæteriſque bene diſpoſitis juxta ſancti Patris conſilium, duobus aut tribus diebus pòſt moritur.

F

Abſens periculosè quemdam ægrotantem ſanat, dicens ejuſdem uxori: Vade, ſanum invenies virum tuum. Illa verò ſic invenit. Cap. 6, num. 27.

Avunculum Galdricum à febri ſubitò ſanat. Cap. 10, num. 46.

Ipſum Guillelmum libri auctorem, eo quòd ſancto Patri in comedenda carne non obediret, reincidentem, & uſque ad mortem afflictum, jam acquieſcentem comedere, ſubitò ſanat. Cap. 12, num. 60.

Mulierem à caduco morbo ſanat. Cap. 14, num. 67.

Epiſcopus Mediolanenſis diſcum, ex quo ſanctus Pater comederat, adferri jubet: jubetque infundi aquam, & panis exiguas buccellas apponi. Comedit & bibit, & abſque ulla dilatione à febrium vehementi ardore convaluit. Lib. 2, cap. 3, num. 19.

Nobilis quidam de medicorum auxilio deſperans, bibit de lavacro manuum ejus, & convaluit. Cap. 7, num. 46.

Sacerdos deſperabiliter ægrotans, & ad extrema deveniſſe viſus, per tunicam S. Bernardi ſubitò ſanatur. Lib. 4, cap. 1, num. 2.

EX VARIIS. Fratrem Robertum Clarevallenſem poſitum in extremis abſens ſanat, num. 4.

Militem quoque in via, ut quocumque modo deportaretur ad Virum ſanctum, num. 5.

à variis morbis ſanat:

68 Miles ad primum guſtum panis ab eo benedicti, plenam recipit ſoſpitatem à febre quartana, quâ graviter laboraverat menſibus ferè octodecim, uſque ad phreneſim. Cap. 4, num. 24.

Ibidem num. 23 indicat auctor multitudinem febricitantium curatam, & inter alios clericum quemdam graviſſimâ febri correptum, in pœnam, quod ſubſannans fidem populi blaſphemaſſet: ſed compunctum ſanavit ſanctus Bernardus.

Juvenis quidam correptus febri, epiſtolam ſuſceptam à S. Patre collo ſuo appendens ſanatur protinus. Cap. 7, num. 40.

Mulierem ab annis octo peſſima ægritudine laborantem, vehementi tremore & validis motibus univerſa pariter membra concutientem ſanat. Lib. 5, cap. 1, num. 5.

Morti proximum manûs impoſitione facit ſubitò ambulare. Lib. 6, cap. 13, num. 44.

Item puerum à multis diebus ne unum quidem
B paſſum potentem ambulare, ibidem.

Item mulierem viribus corporis adeo deſtitutam, ut nec ambulare, nec ſtare poſſet. Cap. 14, num. 50.

In eodem lib. 6 alius à febri ſanatus narratur, num. 3 Epiſt. Gaufridi, poſt lib. 6.

Virum nobilem graviſſima infirmitate laborantem curat. Ibid.

Item ibidem virum pauperem longâ infirmitate viribus fractum.

Item Canonicum Regularem ſemivivum curat. ibid. num. 7.

Item ibidem puerum morbo incognito laborantem, & poſt benedictionem lapidem evomentem ibid.

Fratrem ſuum Girardum, ipſo teſte, ſanat à morbo. S. 26, n. ult. in Cant.

Item varios alios:

69 Multos alios à variis morbis ab ipſo ſanatos, præter dictos viginti tres, manifeſtum eſt ex cap. 3, num. 15, lib. 2, ubi dicitur " maxi„ ma ei in curationibus ægritudinum gratia „ fuiſſe. " Febricitantibus, inquit idem auctor n.
„ 18, multis manus imponens, & aquam be„ nedictam porrigens ad bibendum, ſanitatem
C „ obtinuit „ & diverſa loca perluſtrans benefaciebat iis, qui infirmabantur . . . curando febricitantes. Lib. 3, cap. 6, num. 18, narrat, ingentem multitudinem languentium, guſtato pane ab eo benedicto convaluiſſe, omnes, qui guſtaverunt juxta promiſſionem à S. Patre factam. Manifeſtum eſt ergo, paucos, reſpectu eorum, quos à variis morbis curavit, ab auctoribus in particulari annotatos, quod & confirmabitur ex art. 3 ſequenti.

tres ſanat ab epilepſiâ, à paralyſi quatuordecim;

70 Reverendiſſimum Humbertum, Igniacenſis poſtea cœnobii ædificatorem, & primum patrem, in Claravalle ab acri morbo epilepſiæ ſanat. Lib. 1, cap. 10, num. 48.

Item mulierem præ hoc morbo impotentem ad loquendum, manûs impoſitione. Lib. 6, cap. 14, num. 47.

Item monachum quemdam, ſed pro parte; ita ut caſum præſentiret ad eliſionem præcavendam, eo quòd ſic magis ſaluti animæ ejus expedire cognoviſſet. Lib. 7, cap. 8.

Abſens ſanat paralyticum, Albertum nomine, in Hiſpania. Lib. 4, cap. 6, num. 35.

Item mulierem paralyticam, tangens eam ſub ſuo palliolo. Lib. 5, num. 6.

Lib. 6 memorat duodecim alios à paralyſi ſanatos: ex quibus, ni fallor, ſunt decem, quos lib. 4, cap. 5, & 7 memorat. D

hydropicum, laborantem ex faucibus, fere exanimem, puerum flentem, quatuor, quibus malè affectum caput.

71 Virum hydropicum cingulo ſuo accingens ſanat. Lib. 4, cap. 7, num. 37.

Anſelmum epiſc. Havenbergenſium, in fronte & faucibus graviſſimè patientem, ita ut vix aliquid guſtare poſſet, aut loqui, ſanat. Lib. 5, cap. 5, num. 19.

Exanimem, & diu ſine ſenſu jacentem, ac quòd detraxiſſet miraculis S. Patris, ſanat. Ibidem num. 20.

Puerum inceſſanter flentem oſculo ſanat. Lib. 1, cap. 11, num. 23.

Petrum, Aſturicenſem epiſc. in Hiſpania, pileo ſuo, ipſi tranſmiſſo, & impoſito, ſanat à dolore capitis. Lib. 4, cap. 6, num. 36.

Alterum à dolore capitis ſanatum memorat Lib. 6.

In capite faucium curat. Lib. 4, cap. 4, num. 24.

Unum à tremore capitis ſanat. Lib. 6.

His adde cæcos 191, E

72 Veniamus ad cæcos, ſurdos, claudos, mancos &c. Tranſeo modum curationis, niſi circumſtantia occurrat notabilis, contentus etiam ſolùm Lib. 6 ſine cap. & n. citare, quia neglexi ea notare, eo quòd non judicarem eſſe opus.

Puellam lucis impatientem ſanat. Lib. 2, cap. 3, num. ult.

Illuminat puerum cæcum in teſtimonium, quòd expeditionem in Orientem, Deo inſpirante, prædicaverat. Lib. 3, cap. 4, num. 29.

Puerum in uno oculo cæcum ſanat. Lib. 4, cap. 1, num. 6.

Alterum ibidem utroque oculo orbatum ex utero matris, num. 7.

Omitto multos alios, quos idem Lib. 4 illuminatos memorat; cùm Lib. 6 eoſdem videatur memorare.

Lib. 5 cæcum & cæcam illuminatos memorat.

Lib. 6 memorat illuminatos centum octoginta quatuor, ex quibus pro majori parte utroque oculo cæcos, quoſdam uno, multos ex utero matris invenies.

Lib. 7, cap. 18, memorat unum illuminatum oſculando terram, & eâdem oculos confricando, quam audierat S. Patrem tetigiſſe tranſ. F
eundo. Itaque habes centum nonaginta unum in particulari cæcos illuminatos.

ſurdos 86; mutos 32, mancos ſeu manus aridas habentes 61, brachia arida 3.

73 Surdos auditum percepiſſe octoginta ſex memorat Lib. 6.

Mutos triginta & unum loquelam recepiſſe memorat idem Lib. 6.

De uno verò mentionem facit Lib. 7, cap. 21.

Lib. 1, cap. 9, num. 44, puerum ab utero matris habentem manum aridam, & brachium tortum, ſanatum memorat.

Lib. 2, cap. 3, num. 18, memorat aridas manus, & membra paralyſi diſſoluta incolumitati reſtituta, & inter alia manum adoleſcentis aridam & retortam ad brachium.

Lib. 4, cap. 4, num. 29 memorat pueros mancos duos curatos: quos verò in ſequentibus memorat mancos curatos, memorat etiam Lib. 6: memorat autem hîc mancos & habentes manus aridas curatos quinquaginta ſeptem. Plures alios à ſimili infirmitate ſanatos indicat cap. 9, num. 32. Habentes brachia arida, ſeu impotentia ad motum, curat tres. Lib. 6.

74 A fiſtula pedis ſanat juvenem. Lib. 1, cap. 9,

A cap. 9, num. ult. Huc ſpectant claudi, qui greſſum per Virum ſanctum acceperunt.

Fiſtulam pedis; claudos 164, contractos 12, caput erigere non valentes,

Lib. 1, cap. 11, num. 54 memorat unum.

Lib. 4, cap. 4, num. 28 & 29 memorat duos, quos in ſequentibus memorat, citat etiam Lib. 6.

Lib. 5, num. 7 memorat etiam duos.

Lib. 6 memorat centum quinquaginta ſeptem claudos erectos, ex quibus pauci curvi fuerunt.

Ibidem cap. 15, num. 51, gradiens genibus & manibus curatur.

Lib. 6 memorat undecim contractos, & omnino impotentes curatos. Lib. 7, cap. 19, unam.

Caput erigere non valentes memorat Lib. 6: curatos 5

fatuos tres, phreneticos 4 Sanctus ſoſpites reddit, uti & ſubmergendum.

75 Puerum fatuum & mentis inopem, claudum quoque ſurdum & mutum ſanat. Lib. 4, cap. 8, num. 44.

Lib. 6 fatuos duos menti reſtitutos memorat.

Henricum virum magnum & potentem in domo & familia Ducis Bavarorum, magnâ ex parte phreneticum, & aliis incommodis laborantem

B deſperabiliter, ſanat. Lib. 4, cap. 7, num 37.

Item phreneticam idem Lib. 4, cap. 4 ſanatam commemorat.

Item alteram ibidem. Cap. 6.

Lib. 6 etiam phreneticum ſanatum memorat.

Abſens corpore, ſed præſens ſpiritu, ſubmergendum ſalvat.

77 Nunc dicendum de virtute miraculosâ, quam habuit in dæmones. Lib. 2, cap. 3.

" In dæmonibus eliminandis, ait Arnaldus lib. „2, cap. 3, num. 15, frequentior operatio e„rat „. Item : " Maximè oppreſſos à diabolo „diligentiori ſtudio purgabat „. Cap. 4, num. 24.

Ex variis. *Curat dæmoniacos, feminam ab incubo; alium à maleficiis &c.*

Inter alios, de quibus particulariter fit mentio, Lib. 1 memorat dæmoniacum, ſurdum, cæcum, & mutum curatum, cap. 14, num. 67.

Lib. 2, cap. 2, num. 10 mulierem; num. 11, puellam: cap. 3, num. 13 mulierem; num. 17 puerum; & mulierem, in fine num. 20. Cap. 4 rurſus mulierem, num. ſcilicet 21 & 22; num. 23 virum; num. 24 mulierem; ac dæmoniacos liberatos memorat.

Lib. 4, cap. 1, num. 7 memorat dæmoniacum curatum per ſtolam, quâ S. Pater in Miſſa uſus fuerat. Alterum. Lib. 6.

Monachum à diabolo agitatum adinſtar dæmoniaci, liberat. Lib. 2, num. 7.

Feminam ab incubo dæmone mirabiliter liberatam memorat Lib. 2, cap. 6, num. 34 & 35.

E

A maleficiis virum liberat, Lib. 1, cap. 10 in fine.

His adde, quod narrat Lib. 2 Exordii Ordinis Ciſtercienſis cap. 7: item traditio. Vocatus S. Pater ab Innocentio II Romam, in fine ſchiſmatis dæmonem, cujus inſidiis rotam curru vectus fregerat, ejuſdem rotæ fractioni miraculo ſubſtituit.

SECTIO II.

Mortui ad vitam revocati; mors dilata; impetrata proles; parturientes adjutæ; imperium in dæmones, beſtias, & elementa; alia ſtupenda miracula; converſiones; pœnæ obſtinatis inflictæ; reconciliationes; prodigia S. Thaumaturgi innumerabilia.

C

Beſtiis, & elementis imperat; admira patrat generis diverſi:

78 Sequuntur quædam miracula, ad gratiam ſanitatum non pertinentia, ex quibus conſtabit, Bernardum & elementis, ſed beſtiis &c. per miraculum imperaſſe.

Pluviam procurat miraculosè nondum Religioſus. Lib. 1, cap. 3, num. 14.

Miraculosè vires obtinet ad laborandum, cap. 4, num. 14.

Subvenit penuriæ ſuorum per miraculum, cap. 6, num. 27.

Annonam multiplicat. Cap. 10, num. 49.

Epiſtolam ſcribit in imbre ſine imbre. Cap. 11, num. 50.

Indignus non poteſt deglutire Euchariſtiam, orante S. Patre, qui eum indignum noverat: ſed confeſſus ipſi, ſine difficultate deglutivit num. 51.

A multitudine muſcarum oratorium purgat, eas excommunicando (impropriè ſcilicet juxta alibi dicta,) num. 52.

Equum indomitum ante ſuos pedes facit ſtare. Cap. 13 in fine.

Donum lacrymarum ſubitò impetrat cuidam Nicolao. Cap. 14, num. 68.

Gaufrido de Perona nimiâ triſtitiâ afflicto impetrat ſubitò ſpirituales conſolationes. Lib. 4, cap. 3, num. 16.

Victoriam impetrat Duci Rannulpho. Lib. 2, cap. 7, num. 44.

Item Duci Theobaldo, ibidem in fine Lib. 2.

Item Portugallenſibus contra Saracenos. Ita habet Medulla Vitæ ejus.

Dentem ex capite B. Cæſarii miraculosè extrahit. Lib. 4, cap. 1, num. 1

Mortuos reſuſcitat 3; mortem jubet differre duos; ſterili prolem impetrat; tres in partu periclitantes juvat.

MOrtuos reſuſcitavit tres: unum memorat Lib. 7, cap. 19: idque mortuum ſubitò in pœnam blaſphemiæ adverſus S. Patrem. Alterum reſuſcitatum memorat Lib. 2 Vitæ ejus à Joanne Eremita editus: tertium, mulierem ſcilicet reſuſcitatam memorat Barnabas de Montalbo Hiſt. Ciſterc. Lib. 3, cap. 63. Vide cap. 30 Medullæ Vitæ S. Bernardi.

In agone poſitum revocat, & quaſi retrahit commeantem, nec inſalutatum abire permittit. Lib. 4, cap. 2, num. 8.

Quidam moribundus ex mandato S. Patris mortem differt ad magis opportunum tempus. Lib. 7, cap. 9.

Reginæ Galliæ ſterili partum prædicit & impetrat. Lib. 4, cap. 3, num. 18.

Mathildis Anglorum regina invocat abſentem, & partum edit deſperatum ipſa pariter deſperata. Lib. 4, cap. 1, num. 6.

Mulierem anno integro gravidam mirabiliter facit párere. Cap. 4, num. 22.

Alteram ibidem periclitantem in partu, aquâ benedictâ potatâ liberat.

bruta ſanat per ſalem benedictum: alia edit ſtupenda miracula:

79 Cùm lues graſſaretur in animalia bruta, benedixit ſal, & apponi ipſis juſſit, & protinus lues ceſſavit. Quod in aliis, *ait*, quoque monaſteriis vidimus & cognovimus &c. Cap. 4, num. 28.

Aliquoties fugientem, &, ut videbatur, protinus capiendum vel lepuſculum à canibus, vel avicu-

Ex variis. aviculam ab accipitribus, ſigno crucis edito, mirabiliter liberavit; dicebatque ſequentibus, fruſtra ſeſe conari, nec ullatenus, ſe præſente, ejuſmodi exercere poſſe rapinam: nempe abhorrebat ab eâ Vir manſuetus. Lib. 3, cap. 7, num. 27.

Aquam mutat in vinum. Lib. 6, cap. 17.

Candelam ſine igne miraculosè accendit; num. 2 Epiſtolæ, in fine lib. 6.

Rigor & inflexibilitas æris, teneritudini digiti ejus cedit. Lib. 7, cap. 27.

Benedictio ejus panem ab omni corruptione multis annis vendicat, quod & ipſe Eskilo Danorum archiepiſc. minùs confidenti promittit. Lib. 4, cap. 4, num. 24 & 25.

converſiones innumerabiles

80 Sequuntur quædam converſiones non ſine miraculo factæ. Cæteræ, teſte etiam Alexandro III in bulla canonizationis S. Patris, ſunt innumerabiles.

Non dubito quin miraculoſa fuerit converſio illorum ampliùs quàm triginta ſociorum, cum quibus Ciſtercium eſt ingreſſus, certè aliquorum. Lib. 1, cap. 3.

B Huic adde converſionem ſuæ ſororis. Cap. 6, num. 30.

Nobilium cohortem militum per potum benedictum convertit, facitque omnes monachos. Cap. 11, num. 55.

Duciſſam Lotharingiæ convertit. Viderat illa in ſomnis Bernardum ſerpentes ſeptem horribiles de utero ſuo manibus propriis extrahentem &c. Cap. 14, num. 68.

Convertit miro modo Guillelmum Aquitaniæ Ducem, poſtea ſanctè mortuum. Lib. 2, cap. 6, num. 38. Item Petrum Piſanum, cap. 7, num. 45 & 46. Victorem Antipapam, num. 47.

Item venerabilem quemdam Clericum Maſcelinum. Lib. 4, cap. 3, num. 14.

Item Henricum Germanum regis Galliæ. Lib. 4, cap. 3, num. 15.

mirabili cum ſucceſſu

81 Item Andream quemdam miro modo præ cæteris jam dictis contrà nitentem. Ibid.

Item Gaufridum de Perona cum variis aliis, num. 16. Item illius patrem, virum nobilem & potentem, num. 17.

Item nobilem virum Henricum de Salinis. Cap. 8, num. 49.

C Clericos obſtinatiſſimos convertit; num. 3 Epiſt. poſt Lib. 6.

Item populum Albigenſem obſtinatiſſimum in hæreſi Henricianâ. Ibid. num. 10.

Item monachum dubium circa veritatem Euchariſtiæ, in ſua fide jubet communicare, & convertit. Lib. 7, cap. 6. *Vide Comm. prav. num.* 111.

Varios Clericos Pariſienſes ad Religionem convertit. Cap. 13.

Latronem à crucis ſupplicio liberat, & ſanctum facit. Cap. 15.

Blaſphemum ſuum à morte ſuſcitatum convertit. Cap. 19.

à Viro ſancto factæ.

82 Alexandrum canonicum & doctorem Colonienſem per piſcem ipſi oblatum, & priùs benedictum, Religioſum facit. Cap. 20.

Sacerdotem concubinarium & monachum apoſtatam convertit. Cap. 21. *At vide ſuprà numero* 50.

D Item monachum tertiò apoſtatantem. Cap. 25

Hæc breviter de converſis à S. Patre, quorum converſio non tam exemplum, quàm miraculum venit reputandum, ut videre eſt ſuis locis: unde meritò Gerſon, doctor & cancell. Pariſienſis " Inter miracula, ait Serm. de S. Bern., præcipua ego illa deputo, quæ egit in converſione illorum, qui etiam converti toto niſu fugiebant ,,. Sed tales pro maxima parte jam allati erant.

Obſtinati divinitus puniti: mirabiles reconciliationes.

83 Conſtat, & nonnullos Viro Sancto obſtinatè reſiſtentes divinitus fuiſſe punitos. Inter alios Ramnulphum quemdam Doratenſem abbatem. Lib. 2, cap. 6, num. 33.

Varios à dæmone poſſeſſos, num. 36;

Petrum Leonis antipapam cap. 7, num. 47;

Hujus fautorem, Gerardum Engoliſmenſem cap. 6, num. 39;

Gaufridum Comitem Andegavenſium. Lib. 4, cap. 3, num. 13;

Girardum quemdam Clericum. Lib. 4, cap. 4, num. 23.

Item Thomam de Beverla, quem ipſe S. Pater teſtatur, ſubitâ & horrendâ morte præreptum. Epiſt. 108, num. 3. E

Tranſeo reconciliationes varias, ab eo non ſine miraculo factas inter privatos & publicos, inter reges & principes, inter civitates & civitates: inter hos, & Eccleſiam, inter epiſcopos & clerum: ita ut meritò vocetur Angelus pacis.

Miracula ſancti hujus Thaumaturgi

84 Numera nunc miracula in particulari recenſita, & invenies ſexcenta ſeptuaginta ſex. Verùm hæc eſſe pauca reſpectu eorum, quæ in particulari non ſunt recenſita, modò ex dictis conſtat & confirmabitur articulo ſequenti; *in quo R. D. Paſtor antea laudatus oſtendit, miracula* S. Bernardi *eſſe innumerabilia. Manricus autem ad annum Chriſti* 1183, *cap.* 4, *hæc ſcribit in rem noſtram, oblata ſibi opportunitate agendi de libro Miraculorum invento à Petro Monoculo abbate, de qua re exſtat Narratio Herberti ſuperius in principio libri ſexti, & quam allegatus Manricus ex eodem auctore etiam recitat:*

ſunt innumerabilia.

85 Invenio, *inquit num.* 5, notatione dignum circa hunc librum, id quod Ignatius Firminus Fiterienſis obſervatum reliquit, poſtquam cum aliis quinque contuliſſet, & cum Joanne Eremita, ſimulque cum Exordio atque Cæſario, quibus ex parte argumentum haud diſſimile, ultra patrata quaſi catervatim, & in confuſo, velut cùm cunctis guſtaturis panem, cui benedixit (& erat panum ingens multitudo) repromiſit ſalutem, ex ſingularibus atque ſpecialioribus, centum & ſeptuaginta ſupra mille miracula referri, quæ Sanctus fecerit. *Verba ejus, qua ſunt apud Manricum, ita ſonant:* Nam cæcos à nativitate inveni illuminatos CCXXI; mutos locutos, & ſurdos auditui redditos CLXXX; claudos greſſui donatos CXXVI; mancos, & debiles viribus & manibus CLXXXIV; contractos libero ſuorum membrorum uſui CXXV; amentes XI; demum tres mortuos luci, & vitæ redditos, & ſexaginta ſanatos ab aliis morbis. F

DE

A D

DE S. BERNARDO MON. CISTERC.

CANDELEDÆ IN HISPANIA,

SYLLOGE.

J. P.

Locus, veneratio publica, tempus mortis.

SECULO XII VEL XIII. *Notitia loci, ubi vixit Sanctus, & colitur :*

Illuſtriſſimus Angelus Manrique tomo 3 Annalium Ciſtercienſium ad annum Chriſti 1177 *cap.* 9 *hæc memorat :* Illuſtre & perantiquum monaſterium in regno Toletano ad ripas Alberchæ, à ſitu loci & eccleſiis, quas continebat Vallis Eccleſiarum, cognominatum, hoc anno fundationum initia conſecrat, quo creditur ſuſcepiſſe Ciſtercii jugum. *Plura deinde de illo monaſterio proſecutus, ſubdit iſta in rem noſtram num.* 8 : Fertur cœnobium Vallis Eccleſiarum genuiſſe filiam, Grandi-ſylvam nomine, in extremis utriuſque Caſtellæ finibus, qua parte aſpiciunt Bæticam; unde & Eſtremadura (olim pars Luſitaniæ) nuncupatur : porrò abbatia generali peſte deſtructa, ſolum conventum atque monachos matri reſtitutos cum inſtrumentis donationis filiæ, quorum hodie notitia perſeverat. Hujus domus abbatem ſive monachum exſtitiſſe conjector S. Bernardum, dictum de Candeleda ex loco, ubi requieſcit ipſius corpus, quem Ciſtercienſem & Sanctum fuiſſe conſtat; cum tamen reliqua lateant notitiam hominum. *His de loci ſitu ita recenſitis, cultum Viri publicum ita exponit & confirmat laudatus Annalium conditor :*

ſtabilitur

2 Candeledenſes ut patronum colunt; ſed ignorato etiam obitûs die, dum Bernardum audierunt, ſacro magni Bernardi Claraval. feſto venerantur ſepulcrum, frequentantque celebri anniverſaria ſolennitate. Erat olim in altari eccleſiæ tabula ante centum triginta annos depicta, in qua C Sancti effigies, ſine cuculla, cum alba tunica, & nigro ſcapulari, quaſi qui operi manuum accingeretur. Subtus aram in fronte iterum pictus jam cucullatus, lectoque decumbens, unde anima cælos penetraret, corpus terræ, ex qua factum, reſtitueretur. Ferunt miraculis in vita, poſt mortemque uſque ad hæc noſtra tempora claruiſſe : inter quæ illud in eadem tabula pictum, quòd fluvium monaſterio ſuo proximum, manto ut navigio utens, dum viveret, tranſibat ſicco veſtigio. Chryſoſtomus Henriquez in Menologio auctor eſt, extitiſſe in eccleſia Candeledenſi libellum manuſcriptum deputatum miraculis, quæ frequentia à Deo ad ſacram Sancti tumbam perpetrabantur.

publica ejuſdem veneratio :

3 Pretioſa gleba cùm ante ſexaginta quinque annos, Chriſti nimirum MDLXXII, digno concurſu & cultu detegeretur, cæleſti odore fragrans inventa eſt, qui in hunc diem continuus perſeverat. Tum ad capellam dicatam ejus nomini religiosè tranſlata, & ſub altari poſita in arca, atque arca ipſa incluſa cratibus ferreis, cuſtodiæ ſimul & religioſæ venerationi : clavibus tribus crates obſerantur, quarum una plebani; altera œconomi fidei velut commiſſis; tertiam conſiſtoriales miniſtri ſervant, gratulantibus cunctis tanto ſe miniſterio deputari. Calvariæ fruſtum urnori cuſtodiæ ſubeſt, tangendis infirmis, qui plurimi experiuntur virtutem Sancti. Super altare tabula recentior effigiem ejus reddens, & diſtincta miraculis, ex quibus quædam ipſius, quædam magni Bernardi eſſe probantur, nempe ut alterutrùm gloriam ſibi præſtent : hic dum diem partitur; ille dum aram. *Ex his omnibus videmus, ſatis tutò deduci poſſe, noſtrum* Bernardum *ita eſſe in poſſeſſione publici ac religioſi cultus, ut, ſalvo famoſo Urbani PP. VIII decreto, ex ea nec poſſit, nedum debeat amoveri.* E

annuntiationes, & elogia :

4 *Venerationi itaque* S. Bernardi *noſtri legitimæ ac publicæ in fide Manrici hactenus ſtabilitæ, non abs re adjunxerimus ſequentes annuntiationes & elogia. Chryſoſtomus Henriquez in Menologio Ciſtercienſi hodie ſic eum refert :* S. Bernardus monachus Ciſtercienſis in monaſterio Vallis-Eccleſiarum, in vita & poſt mortem admirandis ſignis illuſtris; cujus corpus in templo ſibi conſecrato Candeledæ quieſcit, & magno populi concurſu honorificè colitur. *Addit in notis, quòd* Candeledæ (oppidum eſt in ea parte Hiſpaniæ, quæ Eſtremadura vocatur, ſitum) Vir ſanctus obierit. *Et mox hæc addit è Seguino :* Candeledæ in Eſtremadura ſanctus Bernardus monachus Vallis-Eccleſiarum, qui, dum viveret, magnis miraculis coruſcavit, ita ut ſuper undas magni fluminis illæſus, & ſicco pede tranſierit. Obiit autem virtutibus plenus, & quieſcit in loco, qui Candeleda dicitur, ad quem magnus eſt populi concurſus, ibidemque in ſui nominis baſilica F Officio colitur eccleſiaſtico. *Annuntiatur etiam à Chalemoto cum elogio, qui citat Calendaria Ordinis, & Seguinum. De Philippo Seguino, monacho & Priore Chaliſii ſeu Caroliloci in diœceſi Silvanectenſi, agit Carolus de Viſch in Bibliotheca ſcriptorum Ordinis Ciſtercienſis, ac refert ſcripta ejus, nondum tunc impreſſa, inter quæ ponit* Catalogum .. Sanctorum ac Beatorum univerſi Ordinis Ciſtercienſis. *Videri etiam de noſtro Sancto poteſt Miraus in Auctario, ſive lib. 5 Originum monaſticarum cap.* 14.

annus mortis incertus.

5 *Jam verò etiamſi hujus Viri præclari vita, virtutes ac miracula, uti & dies obitûs & annus nos latent, prout conficitur ex hiſtoriographo Ciſtercienſi ſuprà laudato; mortem tamen ipſius affiximus ſeculo* XII *vel* XIII, *idque per conjecturam non improbabilem ex iis, quæ ex eodem hiſtoriographo antea narravimus, volentes potiùs aliquod aſſignare tempus, quàm nullum. Hæc pauca habuimus dicenda de* S. Bernardo *Candeledenſi : utinam plura monumenta antiqua, eodem Viro, uti & memoriâ poſterorum digna, nanciſci nobis licuiſſet !*

DE B. GOBERTO CONFESSORE,

ORDINIS CISTERCIENSIS,

IN ABBATIA VILLARIENSI IN BRABANTIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

P. D.

§ I. Beati cultus, Acta, biographi unius ætas & fides.

ANNO MCCLXIII. *B. Gobertus*

BEatum Gobertum, *quem abbatia Villarienſis, tom.* v *Junii pag.* 606 *deſcripta, cælo peperit; venerationem, publicam à tempore longiſſimo nactum, varia ſuadent indicia, ſi non ſingula & ſeparatim accepta, ſaltem conjuncta, & in unum conglomerata. Henriquez in Menologio Ciſtercienſi, anno* 1639 *typis vulgato, ad diem* XX *Auguſti in notis ita ſcribit:* In antiquo libro manuſcripto, qui ante trecentos annos renovatus fuit, ſequens antiphona cum oratione legitur. ANTIPHONA. O Sanctorum conſors, pie monachorum Goberte, nos tua prece Chriſti junge gratiæ, ut peracto vitæ curſu ſociemur gloriæ. ℣. Ora pro nobis miles inclyte: ℟. Ut digni efficiamur Chriſti promiſſione. OREMUS. Deus retributor omnium bonorum, adeſto invocationibus noſtris & præſta, ut, ſicut de venerabilis confeſſoris tui pii Goberti glorioſis virtutibus jucundamur in terris, ita meritis ejus & precibus æternæ vitæ gloriam aſſequi mereamur in cælis, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. *Antiphonam allegatam in Alnenſi cœnobio initium ſumpſiſſe ſuſpicor ex iis, quæ Claudius Chalemot in Serie Sanctorum ac Beatorum Ordinis Ciſtercienſis ad diem* XXI *Auguſti, pag.* 275 *ſcribit:* B. Gobertus ... habet .. propriam antiphonam ex Alnenſi cœnobio mutuatam. *Cùm autem dicat* mutuatam, *innuit, eamdem & in cœnobiis aliis uſitatam fuiſſe, & Beati cultum propagatum.*

B

C

à multo jam tempore

2 *Occurrit & invocationis pluſquàm privatæ veſtigium in* B. Goberti *epitaphio, quod ſi non citiùs, ſaltem ſeculo decimo quarto exaratum eſt, & uſque in hodiernum diem, inquit Henriquez ad diem* XX *Auguſti*, ad ipſius ſancti Viri tumulum pendet, *veriſiculos complexum ſequentes:*

Inclyte Confeſſor Domini, ſpeculum monachorum,
Nunc interceſſor ſis pro culpa populorum.

Et paulo infrà ponuntur verſiculi iſti:

Per te ſalvemur, Confeſſor, mortis in hora.
Ne condemnemur, pro nobis omnibus ora.
Amen.

publicum cultum

3 *Poſterioribus quoque ſeculis ita viguit* B. Goberti *veneratio, ut, cùm recentiùs inchoata non reperiatur, meritò ab antiquioribus ad poſteros cenſeatur tranſmiſſa. Rayſſius in Gazophylacie Belgico pag.* 531, *inter* religioſos in Villarienſi cœnobio ſanctitate conſpicuos *numerato* Coberto (*ita Beatus noſteribi appellatur*) comite Aſperi-montis, *ſubdit:* Cujus nomen in publicis invocatur litaniis. *Gazetus in Tabulis ſacris Gallo belgicæ pag.* 71 *accenſet illum* Sanctis, qui in diœceſi Namurcenſi coluntur. *Religioſi, ſepulchrum, ſepulchroque impoſitam Beati effigiem tranſimari, eam corpore inclinato reverentiam exhibent, quam imaginibus ſacris Catholica religio imperit, ut Foumes d'Aſſignies in libro Gallico de Viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſis fol.* 140 *verſo teſtatur.*

4 *Denique poëta Gallicus, des Hayons nuncupatus, in libello anno* 1657 *Leodii impreſſo* E *obtinuit;* ſub hoc titulo Les viſions de Melinte, *poſt pag.* 78 *teſtatur, marmoreo* B. Goberti *monumento affixam hanc epigraphen, lamina argentea inciſam:* Anno reparatæ ſalutis MDCXLVIII, tempore paſchali, DD. Ferdinandus comes ex Aſpremont, Lynden & Recheim, unà cum illuſtriſſima domina Elizabetha, comitiſſa in Furſtenberg, Wertenberg, Heyligenberg, Lantgravia in Bar, B. Goberti comitis ex Aſpremont oriundi reliquias in abbatia Villarienſi piè viſitantes, ejus interceſſione eodem anno deſideratum poſt quinque filias filium à D. O. M. impetrarunt, cui & Goberti nomen impoſuerunt.

Chronicon anni beneficii accepti.

GOBERTI PRECIBUS FRATER POST QUINQUE SORORES
GIGNITUR * IS MEDIUS, POSTQUE NEQUE ANTE FUIT.

* *Credimus ſic legi in dicto libello, qui, dum hæc typis dantur, in promptu non eſt.*

Anno igitur MDCLI, menſis Junii ultimo, illuſtriſſimi præfati conjuges unà cum filio eò profecti in gratiarum actionem, perpetuamque rei memoriam, hoc beato Goberto monumentum poſuerunt. *Tum paucis interjectis, huc non ſpectantibus, ſubditur hoc* F

Chronicon

HOMO ORAT ET DANT CÆLITES.

Hæc omnium oculis inſpicienda leguntur, quæ ab ipſo anno 1651, *quo exarata ſunt, potius eradenda fuiſſent, ſi aſcetis Villarienſibus non conſtitiſſet de cultu immemorabili, quem Urbanus VIII anno* 1625 *exegerat, ut quis publicè vel* Beati *titulo inſigniretur, vel aliâ quâdam ſacrâ afficeretur veneratione.*

& meritò titulo Beati condecoratur.

5 *His adde, ſi placet, qui ipſius, tamquam Viri beati, memoriam ſuis in libris celebrarunt. Ut omittam Manrique in Annalibus Ciſtercienſibus ad annum Chriſti* 1229, *cap.* 1, *alioſque ejuſdem Ordinis ſcriptores plurimos; ſuis illum Faſtis cum titulo* Beati *inſeruerunt Caniſius, Fiſen, & Roſweydus: ad quos accedunt Rayſſius & Gazetus citati num.* 3.: *accedit & Molanus in Additionibus ad Uſuardum; quamquam ſuam ille ſententiam poſtea mutaſſe videatur: nam in Natalibus Sanctorum Belgii*, ex informatione, quam Villariâ acceperat, *ita ſcribit:* Villariæ obitus Goberti (*omittitur titulus* Beati) comitis Aſperi-montis: *dein ſubjicit typis minoribus:* qui, contempta nobilitate, in Villariâ profeſſus eſt monaſti-

monaſticam religionem, ubi & honorificam habet ſepulturam, & vitæ hiſtoriam libris tribus conſcriptam: ſed non eſt ab eccleſia Sanctis aſcriptus; ut nec aliquot alii, qui in eodem monaſterio ſanctitate claruerunt, quorum veneranda oſſa ſimul ſunt collocata: Gobertus tamen cubat ſeorſim in tumba. *At licèt* informatio Villariâ accepta *docuerit Molanum*, non eſſe Sanctis adſcriptum Gobertum *ritu illo ſolenni, qui hodie in uſu eſt; non perinde docuit, cultum illum legitimum non eſſe nactum, neque* Beati *titulo condecorandum.*

AUCTORE P. D.

B. Goberti vita duplex eſt:

6 *Vitam* B. Goberti *nacti ſumus duplicem, alteram prolixam, contractiorem alteram. Priorem, litteris ſatis antiquis in membrana exaratam, tribuſque diſtinctam libris, ſumma cum humanitate nobis anno 1736 commodarunt exſcribendam reverendi abbatiæ Villarienſis aſceta. Integra, quod ſciam, typis vulgata nondum fuit. Citant tamen ipſam ſcriptores multi, Miræus, Fiſen, Molanus, Henriquez, Manrique, & alii. Sanderus in Bibliotheca Belgica manuſcripta, monumenta Villarii aſſervata enumerans,*

B *pag.* 272 *ait:* In membrana adſervatur Vita B. Goberti quondam Comitis Aſperi-montis in Lotharingia, poſtea humilis monachi Villarienſis, Ordinis Ciſtercienſis in Brabantia, tribus diſtincta libris. *In Gallicum idioma tranſlata prodiit, ſed non integra, operâ rev. Domini Joannis d' Aſſignies, in libro de Viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſis.*

prolixior ex teſtibus idoneis

7 *Quo ſit tempore conſcripta, exactè determinari nequit. Scriptam ante annum 1355, manifeſtè colligimus ex num.* 7, *ubi auctor ait:* Anno ., MCCXXXVII, primo tempore principis potentiſſimi Henrici *ſecundi*, Lotharingiæ & Brabantiæ ducis robuſtiſſimi, illius ſcilicet, qui, primo jubente, dum ſuum naturæ irrevocabile ſolveret debitum, in obitu ſuo, [in] Villarienſi cœnobio Ordinis Ciſtertienſis præelegit intumulari: & licèt antea fuerat inauditum, ducem Brabantiæ extra Lovanium ſepeliri, neque etiam poſtea CASUM SIMILEM venturum de facili ſperamus, tamen hic Henricus in dicto cœnobio . . . concupivit incinerari, *& revera ſepultus eſt anno* 1247. *Hæc ut ſcriberet auctor poſt annum* 1355, *locus non erat: cum tum* caſus ſimilis evenerit, *Joanne, Lotharingiæ & Brabantiæ Duce, in Villarienſi quoque eccleſia ſepulto.*

C

& ſynchronis

8 *Immò anno* 1312 *antiquiora ſe eſſe, Acta inſinuant, dum, ut videtur, ſupponunt, vix accidere, ut Brabantiæ Dux extra Lovanium terra mandetur: nam anno* 1312 *caſus is non erat infrequens, quando Joannes I & II, uterque Brabantiæ Dux, Bruxellis tumulum fuerunt nacti, alter apud RR. PP. Franciſcanos ſepultus; alter in choro D. Gudulæ. Accedit, quòd eo tempore biographus ſcripſerit, quo erant in vivis, ſaltem multi, quibus* B. Gobertus, *anno* 1263 *ad Superos tranſlatus, convixerat: ait enim num.* 6, *religioſos, quibus ſcribebat, à B. Aſceta* ad mortem uſque dilectos, *ſupponens utique, eoſdem tempore morti prævio & cognitos fuiſſe à* B. Goberto, *& in amore habitos.*

bonâ fide eſt hauſta,

9 *Quod ſpectat ad fidem auctoris, eam commendat* 10. *facilis rerum notitia: nam &* B. Goberto *vicinus fuit tempore; & cum iis verſabatur, qui B. virum in terris viventem noverant. Commendat* 20. *aſcetarum Villarienſium, quibus ſcribebat, abhorrens maximè à fabulis mendaciiſque ſanctitas: cujus teſtis eſt Villarien-*

non tamen jam exſtat integra, nonnullis item à quodam neoterico malè omiſſis.

E

fis, (de quo mox plura) chronologus in præfatione libri 2 *dicens:* Cum hi religioſi patres ad commune colloquium accederent, & referrent geſta ſanctorum patrum, valdè erant ſcrupuloſi, ne excederent plus vel minus dicendo: unde, ſoluto colloquio, trahentes priorem in auditorium, confitebantur de delicto præterito, cautiores facti de reliquo. *Talibus autem coram viris quomodo mendacia cudiſſet biographus, præſertim falſitatis mox convincendus ab iis, qui* B. Goberto *convixerant?* 30. *Fidem commendat idem Villarienſis chronologus, qui licèt rerum à* B. Goberto *geſtarum peritus aliunde; maluit tamen epitomen texere vitæ prolixioris, ratus utique fontem magis illimem non reperiendum. Fidem denique commendat affixum tumulo epitaphium, quod rerum earum ſuccincta eſt epitome, quas multis biographus proſequitur.*

10 *Cæterùm vitam cœnobiticam inter aſcetas Villarienſes videtur profeſſus: nam eoſdem* fratres *frequenter appellat. An inter illos adſcitus ſit, vivo* B. Goberto, *an defuncto, incertum: non enim ullum occurrit utramvis in partem argumentum. In ætate minùs provecta operi ſe manum admoviſſe, innuit num.* 1, *cùm ait,* ætatem ſuam necdum tempus impleviſſe. *Amplificationibus res ſuas frequentibus ornat, uſus facto, quod junioribus eſt commune. Non omnia, quæ litteris mandare decreverat, ad poſteros tranſmiſſa ſunt: non enim ſcripta reperiuntur* miracula, quæ poſt mortem ejus Dominus meritis ipſius . . operatus eſt; *ſed ea à ſe annuntiata* in tertio libello, *ipſe teſtatur in Actis num.* 4. *Præterea clauſula illa,* explicit liber, *ſub finem tertiæ partis deſideratur: cùm tamen non tantùm reliquos libros claudat, ſed & ipſos prologos ac proœmium. Igitur liber tertius vel ad finem perductus non eſt, vel certè jam non exſtat integer. Ex dictis obiter colliges, laudatum ſupra Joannem d' Aſſignies, cùm* B. Goberti *Vitam ex noſtro hoc biographo Gallicè ederet, non ſatis prudenter eos omiſiſſe, qui libris præfiguntur prologi: ex iis enim diſcimus cujus fuerit ætatis biographus, cujus fidei & profeſſionis. Diſcimus item Beatum noſtrum claruiſſe miraculis, quamvis diſtinctam eorum notitiam caſus inviderit adverſus.*

F

§ II. Alterius biographi ætas inveſtigatur.

Vita brevior B. Goberti continetur in Villarienſi Chronico,

VItam B. Goberti *contractiorem complectitur noſtrum Ms. Chronicon monaſterii Villarienſis, ex manuſcripto Rubea-vallis folio pergameno ex prima parte* Novalis Sanctorum. *Diſtinguitur Chronicon illud in libros tres. Primus complectitur ſeriem & vitam abbatum triginta; ſecundus monachos virtute illuſtres, tertius fratres (ut vocant,) converſos, quos ſingularis pietas commendavit. Monumentum hoc idem typis vulgavit Martene tom.* 3 *Anecdotorum à col.* 1270; *ſed in prima ſui parte, quâ complectitur abbates quadraginta & unum, auctius, in reliquis etiam à noſtro aliquando diverſum. Dubium non eſt, quin Chronicon illud, prout à Martenio eſt editum, plures habuerit auctores. Vitam Franconis, qui anno* 1459 *in præſulem* XLI *electus fuit, obiitque anno* 1485, *conſcripſit auctor anonymus. Franco ipſe deceſſorum ſuorum ſeriem texuerat, initio ducto ab anno* 1334

AUCTORE P. D. *uſque ad annum* 1459, *quo abbas quadrageſimus è vita exceſſit. Hæc omnia incurrunt in oculos legenti procuratam à Martenio editionem tom. cit. col.* 1302 *&* 1308. *Verùm ea ad rem noſtram faciunt parùm, cùm à Francone compoſitam* B. Goberti *vitam, nullatenus ſit probabile: ipſe enim tantùm id ſibi propoſuit, ut* aliqua *rerum earum* haberetur memoria, *quæ* ſecutæ *ſunt mortem Joannis, anno* 1333 *in abbatem electi: ac proin complexus non eſt vitam* B. Goberti, *qui anno* 1263 *ad Superos migravit. Videri poteſt editio Martenii proximè citata.*

12 *Laborandum ergo unicè de accuratiori notitia illius, qui Chronicon uſque ad annum* 1333 *perduxit; & in primis quærendum, hiccine Villarienſem hiſtoriam à principio inchoarit, an continuaverit ab altero inceptam: hoc enim ſcire lectoris intereſt, inde collecturi, an* B. Gobertus *habuerit biographum hunc ætate parem, an ſupparem tantùm. Martenius tom. cit. col.* 1267 *præter eum chronologum, qui vixit anno* 1333, *ſtatuit alium, eumque arbitratur* vixiſ-
B ſe tempore Willelmi abbatis, qui anno MCCXXI pedum paſtorale ſuſcepit, geſtavitque *Villarii* ad annum MCCXXXVI, *quo in abbatem Claravallenſem electus eſt. Ita colligit ex his ejus verbis de Conrado abbate:* De hoc viro excellentiſſimo illud dictu mirabile ab abbate Villarienſi Willelmo COGNOVI, quod digiti manuum ejus, quos in conſecratione corporis Chriſti extendebat, ad ſtudium & inſpectionem librorum, nocte inſtar candelarum in tenebris relucebant. *At hæc ratio nulla eſt: nam non narrat chronologus, quæ ipſe* cognoverat, *ſed quæ* cognoverat *Cantipratanus, quem loquentem inducit, ipſius verbis ex lib.* 1 *De apibus cap.* 9, *num.* 3 *allegatis.*

13 *Haud aliter hallucinatur Martenius, dum* Roberto abbati, *qui* Valliſcellenſe monaſterium regebat anno MCCXXXVI, *hiſtoricum noſtrum ſynchronum concludit; quia in Walteri, abbatis Villarienſis X, vita leguntur ſequentia:* De eo venerabilis Robertus abbas Valcellenſis, ME CORAM POSITO, referebat, quod ab illius ore audiſſet, frequenter eum per dimidiam vel totam fere diem, dum meditaretur aut oraret, in tan-
C ta mentis ſinceritate & tranquillitate fuiſſe, ut nec unâ ſaltem tenuiſſimâ cogitatione ejus animus .. pulſaretur. *Voces illas* me coram poſito *malè ita accipit Martenius, ac ſi prolatæ fuiſſent* coram poſito *Villarienſi chronologo, cum prolatæ ſint* coram poſito Cantipratano, *cujus verba, ex lib.* 2. *De apibus, cap.* 26, *num.* 6 *excerpta, referuntur. Quid plura? Cum in Willelmi abbatis ſupra memorati actis ſcribitur,* hunc ſpecialiſſimè deditum lacrymis VIDIMUS, *non id chronologus* vidiſſe *traditur, ut opinatur Martenius, ſed idem Cantipratanus, cujus textus hîc, ſicut ſuprà, ex lib.* 2. *De apibus cap.* 25, *num.* 6, *exſcriptus adoptatur.*

14 *Argumenti alterius magiſque ſpecioſi materiam arripit Martenius ex his, quæ hiſtoricus de Willelmo abbate jam ſæpiùs laudato ita enuntiat:* Hic poſtea factus abbas Claræ-vallis PERMISSIONE NOSTRA viſitavit abbatiam de Camera. *Ubi, inquit Martenius,* hæc verba PERMISSIONE NOSTRA indicare videntur, auctorem non ſimplicem fuiſſe monachum, ſed abbatem, cujus eſt hujuſmodi permiſſionem concedere. Forte Arnulphus is eſt, qui ex ſubpriore anno MCCXL abbas Villarienſis factus legitur. *Verùm attentiùs temporum rationem ineunti novus hîc error apparet, quem ſic oſtendo. Willelmus anno* D 1236 *ex præfectura Villarienſi ad Claravallenſem tranſlatus, obiit anno* 1243 *aut proximè ſequenti, ut tom.* 4 *novæ Galliæ Chriſtianæ pag.* 805 *traditur. Willelmo abeunti, in abbatia Villarienſis regimine ſucceſſit Nicolaus anno* 1240 *defunctus; Nicolao Arnulphus, anno* 1250 *è vivis ſublatus. Chronographus autem, qui de Willelmo ſcripſit,* permiſſione noſtra abbatiam de Camera viſitavit, *in vivis erat, ſi non ſeriùs, ſaltem anno* 1260: *nam citat librum Cantipratani De apibus, quem poſt annum* 1260 *in lucem emiſſum oſtendunt Echardus in Bibliotheca Dominicanorum, & Colvenerius in Cantipratani Vita. Ex quibus hoc fluit argumentum: Willelmus facultatem inſpiciendi Camerenſis cœnobii vel à Nicolao impetravit vel ab Arnulpho: atqui Chronologus ab utroque diſtinguitur: ergo ex illis verbis* permiſſione noſtra *nec Willelmo ſynchronus oſtenditur, nec abbas.*

15 *Quis ergo vocum illarum* permiſſione noſtra *ſenſus erit? Reſpondeo, non aliud ſonare, quàm* permiſſione cœtus Villarienſis. *Sanè inuſitatum non eſt in hac Villarienſi hiſtoria, ut ſibi ſuiſque ea obtigiſſe, dicat ſcriptor, quæ* E *cœnobio ſuo obtigere etiam tum, quando illius pars nondum erat. Exemplum ſe offert in Vita Joannis abbatis* XXV, *in qua hæc leguntur:* Joannes .. abbatizavit anno Domini MCCCXV ... Eo tempore dignum duximus ſcripto commendare fundatores capellarum noſtrarum ... Noſcat ergo generatio ventura, quòd .. Domnus Henricus Leodienſis epiſcopus, compatiens inopiæ NOSTRÆ dedit NOBIS decimam de Diepenbeke. *Hîc voces* noſtræ, nobis, *Villarienſem cœtum deſignant, perſonam verò ſcribentis non comprehendunt: nam quando Henricus decimas illas conceſſit, primam nondum lucem iſte aſpexerat hiſtoricus: obiit enim Leodienſis ille antiſtes anno* 1164 *juxta Chronicon Lamberti parvi, aut* 1165, *ut habet Albericus ad annum eumdem: hiſtoriographus autem ſeculo decimo quarto vivebat ſuperſtes, ut patet ex citatis proximè verbis, ubi abbatis creati anno* 1315 *meminit. Tam fallax vocis* nobis *ſignificatio efficit, ut de Villarienſis chronographi ætate nihil audeam definire ex iis, quæ apud Martenium col.* 1294 *ita ſcribit:* Domnus Almericus monachus Fuſniacenſis XVIII abbas Villarienſis à domno Claræ-vallis NOBIS F datus, abbatizavit anno MCCLXVIII. *Mitto aliæ his ſimilia, quæ apud Martenium col.* 1296, *& alibi occurrunt.*

16 *Crediderim tamen, cùm lib.* 2 *Chronici cap.* 3, *Vitam Franconis metricè deſcripſit, illum innuere eidem ſe Franconi contemporaneum vixiſſe. Agens quippe de ſupremo ipſius morbo, ita loquitur:*

Nam NOBIS PRÆSENTIBUS dicere ſolebat
Quod ſtatuta Ordinis valde diligebat
Et cunctis deliciis mundi præferebat.

Et paulo infrà:

Dum in ſuo lectulo Franco recubaret,
Et oblatum ſumere cibum recuſaret,
DIXIMUS aliquando, ut ſe elevaret,
Et ad Miſſæ ſonitum ire feſtinaret.
Hæc autem fallaciter illi DICEBAMUS:
Nam quod ipſe ſumeret cibum VOLEBAMUS,
Quia nimis debilem ipſum VIDEBAMUS,
Cujus ægritudini nos CONDOLEBAMUS.

17 *Hîc voces plurimæ, niſi aperta ipſis vis non ſatis inferatur, biographum hunc Franconi ſynchronum demonſtrant. Franco autem poſt annum* 1270 *non*

cujus auctorem

circa annum 1236

floruiſſe, non rectè

concludit Martene.

Omiſſo indicio ætatis

A *non erat ſuperſtes, ſi fides ſit Bartholomæo Fiſen, qui in Floribus Leodienſibus pag.* 381 *tradit, eumdem* anno circiter MCXC *rem Chriſtianam multis in Paleſtina præliis propugnaſſe, duobus ſuis adjutum filiis. Qui enim anno circiter* 1190 *duos habebat filios, bellis gerendis idoneos, veroſimiliter jam tum attigerat annum ætatis circiter quadrageſimum, neque adeo uſque ad annum* 1270 *erat ſupervicturus. Vellem tamen teſtimonium habere antiquius, ex quo conſtaret, expeditionem, quam Franco contra Saracenos ſuſcepit,* anno circiter MCXC *factam: quod cum hactenus reperire non licuerit, indicium aliud temporis, quo floruit hic* B. Goberti *biographus, ſupereſt quærendum.*

ex certiori colligitur hic ſcriptor

18 *Chron. Villar., ubi lib.* 2, *cap.* 2 *narravit vitam* B. Goberti, *mox res geſtas Franconis, Godefridi, Cæſarii, & Gillæ exponit, hicque ſeculo ſe vixiſſe* 13 *prodit cap.* 5, *dicens:* SANCTIMONIALIS quædam Bruxellenſis, Gilla nomine, ſub regula S. Benedicti habitûs nigri .. arctioris vitæ deſiderio ad ordinem Ciſtercienſem aſcendere modis omnibus aſpirabat, nullum habens deſiderii ſui adjutorem præter domnum Carolum TUNC TEMPORIS Villarienſem abbatem .. AUDIVI AB EADEM, quod ad tactum illius veſtis, *quæ fuerat Godefridi,* multis infirmis & languentibus deſiderata reſtituta ſit ſanitas. *Carolus, qui Gillam* tunc temporis *adjuvit, quo* Villarienſis *erat* abbas, *anno* 1209 *ut præfecturâ exueretur, petiit obtinuitque; proin Gilla ante annum eumdem maturæ fuit ætatis, utpote ſtatum religioſum profeſſa; neque adeo ſupervixit ſeculo decimo tertio elapſo. Igitur & Villarienſis chronographus, qui cum Gilla ſermonem habuit, ſin minùs ſeculo illo vitæ finem impoſuit, illo certè vixiſſe dicendus eſt.*

B

vixiſſe ſæculo decimo tertio,

19 *Efficaciùs hanc ad rem faciunt, quæ verbis mox relatis ſubjiciuntur:* Profecit itaque Gilla in deſiderio ſuo & adjutorio egregiæ memoriæ domni Caroli domum de Bernebeke juxta Bruxellam, quæ nunc Camera appellatur, fundavit & ædificavit, *fundamentis locatis jam ab anno* 1201, *ut liquet in diplomate anno eodem in Gillæ favorem edito; in quo apud Miræum in Notitia eccleſiarum Belgii pag.* 512, *Henricus Lotharingiæ dux ita loquitur:* Contuli religioſæ ſorori Giſlæ locum juxta Bruxellam, qui vocatur Pennebeke ad conſtruendum .. cœnobium ſanctimonialium. *Proin Gilla, de qua ſcriptor ait,* audivi ab eadem, *anno Chriſti* 1201 *ætatis fuit tam provectæ, ut condendo cœnobio foret idonea, neque adeo ſeculi decimi tertii finem attigit. Caterùm locus, qui hìc* Pennebeke, *ſuprà* Bernebeke, *alibi* Bunnebeke *appellatur, in recentiori Henrici mox memorati diplomate apud Miræum citatum pag.* 570, *mutato nomine,* Camera *vocatur.*

C

quod an ſuperarit, & quantùm, in certum eſt: qui etſi rerum geſtarum fucrit gnarus,

20 *Vixit ergo hic* B. Goberti *biographus ſeculo decimo tertio: at quâ ævi illius parte, determinare non licet, cùm aſſequi nullatenus potuerim, quo anno Gilla è vita migraverit. Incertum manet & illud, an unus idemque auctor Villarienſem hiſtoriam ab initio inchoatam, uſque ad annum* 1333 *perduxerit; an, quam alter inchoarat, alter continuarit. Quidquid ſit, habuit* B. Gobertus *hunc biographum, ſin minùs ætate parem, ſaltem ſupparem. Habuit & rerum geſtarum apprime peritum: nam lib.* 2 *cap.* 2 *Vitam* B. Goberti *ſcripturus, in libri limine hoc præfatur:* In primis lectorem noſſe volumus, quòd interrogavimus aliquoties patres noſtros, quanta fuerit olim religio in Villari; & annuntiaverunt nobis; inquiſivimus à majoribus noſtris; & dixerunt nobis. *Et infrà:* Cùm hi religioſi patres ad commune colloquium accederent, .. valde erant ſcrupuloſi, ne excederent, plus vel minus dicendo. Unde, ſoluto colloquio, trahentes priorem in auditorium, confitebantur de delicto præterito, cautiores facti de reliquo. AUCTORE P. D.

vitam tamen B. Goberti ex Actis prolixioribus eſt mutuatus.

21 *Porrò quamvis chronologus in verbis mox allatis apertè profiteatur, ea ſe ſcribere, quæ ex aliorum ſermone hauſerat; id tamen ita accipiendum, ut pleraque, ex aliorum colloquio intellecta, litteris mandaverit, non omnia: nam Beati noſtri vitam ex Actis prolixioribus, procul dubio mutuatus eſt; cujus manifeſtum indicium præbet perpetua fere ordinis, verborum & crebrarum ſententiarum conſenſus. Atque hinc plurimùm prolixioris Vitæ creſcit auctoritas: ut quid enim eam contrahendam ſuſcepiſſet chronologus, aliunde de rebus geſtis abunde inſtructus, ſi fabulis mendaciiſve conſperſam credidiſſet?*

Epitaphium B. Goberti paucis multa complectitur.

22 *Supereſt, ut pauca dicamus de epitaphio* B. Goberti. *Rerum geſtarum brevis eſt epitome, miraculorum teſtis, & cultûs indicium eo veriſimiliter tempore tumulo affixum, quo* B. Goberto *marmorea tumba primùm erecta ſtetit. Compoſitum certè eſt, antequam biographus, qui ſuo id Chronico inſeruit, operi finem imponeret, ac proin ſaltem ante annum* 1333. E

§ III. B. Goberti genealogia, & expeditiones bellicæ.

Ex nobiliſſima F *ſima familia*

EX *nobiliſſima oriundus familia Gaufridus ſeu Godefridus, comes Aſperi-montis,* B. Goberti *parens fuit. Ita teſtantur Acta, aliique ſcriptores paſſim. Imhoffius in Notitia Imperii Romani, illuſtriſſimam genealogiam latiùs explicat. Lib.* 9, *cap.* 8 *ita fere ſcribit:* Gobertus, primus hujus nominis Aſperi-montis dominus, ex Hedwige Luxemburgica, pater fuit Goberti II; ex quo & ex Ida, Alberti comitis de Chiny filia, natus eſt præter alios Godefridus primus: qui ex Iſabella, comite de Dampierre & Flandre, genuit Joannem & Gobertum III: quorum ille epiſcopus Virdunenſis & Metenſis fuit: hic autem, à bellica ſub regibus Galliæ expeditione redux, regimen patruo ceſſit; & monaſterium Villers ingreſſus eſt: ubi, cum ſanctimoniæ fama, vitâ functus eſt anno MCCLXIII. *Quamquam error manifeſtus in hac genealogica ſerie non occurrat, ut tamen tamquam genuina approbetur, operoſiùs requiritur examen, quam patiatur finis à nobis intentus; quibus ſatis eſt,* tantâ domum Aſperimontanam nobilitate illuſtrari, ut (*teſte Calmeto tom.* 1 *Hiſtoriæ Lotharingicæ col.* CCXVII) cum pluribus præclariſſimiſque Europæ familiis de ea meritò contendat. *Obiter noto, malè ab Imhofio ſupponi* B. Gobertum expeditionem in Palæſtinam ſub regibus Galliæ ſuſcepiſſe; *cùm ſoli Friderico II imperatori comitem ſe junxerit.*

natus eſt B. Gobertus anno 1187 *elapſo.*

24 *Quo præcisè anno Beatus noſter in lucem ſit editus, nullibi diſertè expreſſum reperio. Natum anno* 1187 *elapſo, conſequens eſt ex Chronico epiſcoporum Metenſium, juxta quod ipſius frater Joannes, anno* 1217 *in epiſcopum Virdunenſem eligendus,* erat in flore juventutis conſtitutus citra annos triginta, *qui in electionibus epiſcoporum requiruntur. Proin &* B. Gobertus,

AUCTORE P.D.

piſcopo Virdunenſi ætate junior, anno 1217, *annis triginta erat minor, neque adeo natus ante annum* 1187 *elapſum. Apud Calmetum citatum col.* ccxx, *Beati noſtri ætas terminatur ſeculo duodecimo. At minùs rectè: cùm conſtet, ipſius mortem incidiſſe in annum* 1263. *Graviùs errat Muſſey à Calmeto allegatus col.* ccxviii, *dum* Gobertum, *Joannis Virdunenſis & Metenſis epiſcopi fratrem, nuptias cum Juliana de Roſey celebraſſe tradit: nam exploratum eſt quàm maximè, hunc epiſcopi Metenſis fratrem, vitam duxiſſe cælibem, conjugio numquam inito.*

anno 1228 ad bellum ſacrum profectus eſt,

25 B. Gobertus, *in primæva ætate religionem, patriam, & amicos armis propugnans, varia edidit bellicæ fortitudinis indicia. Specimina aliquot Vitæ auctores narrant, quorum adjuncta uberiùs explicanda ſunt. Initium duco ab expeditione in Palæſtinam contra Saracenos ſuſceptâ. Contigit hæc anno* 1228. *Verno tempore iter aggreſſus, in Terram ſanctam pervenit anno eodem, menſe Auguſto, aut paulo pòſt. Ita colligitur ex Chronicis Mutii, abbatis Urſpergenſis, & Matthæi Pariſienſis, qui has ſignant circumſtantias itineris ab imperatore Friderico II inſtituti, cui Beatus noſter ibat comes. Eadem ſuſceptæ à Friderico expeditionis epocha ex variis epiſtolis, apud Raynaldum in Annalibus eccleſiaſticis ad annum* 1228 *&* 1229 *impreſſis, tam liquidò confirmari poteſt, ut tum Nangius in Chronico, tum hiſtoriographi mox citandi aberraverint, cùm ipſius iter ad annos poſteriores*

B

diſtulerunt.

Pontificis præcepto nequaquam contrarius.

26 *At numquid minùs reverens in Pontificem Maximum fuit* Goberti *animus, Fridericum ducem ſequentis; cui (ut Marinus Sanutus lib.* 3 *De ſecretis fidelium crucis parte* II, *cap.* 11 *ſcribit*) Papa Gregorius .. per ſolennes nuntios mandat, ut mare non tranſeat tamquam cruce ſignatus; donec à ſententia eſſet, quam inciderat, abſolutus; eſſetque per eum de perjurio, quod incurrerat, *bello contra Saracenos ultra terminum promiſſum differendo*, integrè ſatisfactum .. imperator verò denuntiata parum attendens, iter aſſumit. *Reſpondeo, hoc Vicarii Chriſti præceptum, vel non omnibus innotuiſſe, vel coloratâ interpretatione in ſenſum alienum fuiſſe detortum: nam varii hiſtoriographi imperatorem ex Pontificis voluntate profectum ſcribunt. Monachus Patavinus Friderico coævus tom.* 8 *Scriptorum rerum Italicarum col.* 672, Ne præceptum Apoſtolicum, *inquit*, omnino ſpernere videretur ... in Syriam navigavit. *Abbas Urſpergenſis eum via ſe dediſſe tradit*, quia volebat pacatum ſibi reddere Papam; *Platina, quia* Pontificis minis feſſus *erat. Quæ indicia ſunt Pontificii beneplaciti de expeditione Syriaca omittenda non ſatis divulgati, aut falſa expoſitione adulterati.*

C

Heroïcum B. Goberti facinus

27 *Ubi ad Terram ſanctam Beatus venit*, quia, *teſte Vita a num.* 18, Fridericus properabat Templicolas debellare, *ac* Goberti *adventus iis innotuerat:* magiſter Hoſpitalis Jeruſalem, & præceptor Templicolarum .. Gobertum cum Latinis cœperunt rogare .. ut .. eos contra prophanum imperatorem dignaretur defendere ... Vir Dei ... zelo Dei perfuſus, cum ſuis militibus & quibuſcumque potuit ſibi confœderare, ab exercitu Frederici ſegregatur, & in adjutorium Templicolarum properavit ... vexilla & ſigna ſua in altum ſuper cancellos levari atque figi præcepit .. Fridericus verò navigans in profundo maris, videns vexilla & ſigna tremenda ſuper altitudinem muri erecta, quid hoc eſſet, admirans inquiſivit. Cui quidam reſpondens ait .. Hæc ſunt vexilla .. potentiſſimi militis Goberti .. Alperi-montis. Hoc audito Fridericus .. cœpit dicere: Vertamus ergo vela .. ut .. poſſimus fugam capere.

D

in propugnandis Templariis

28 *Circa quæ Manrique in Annalibus Ciſtercienſibus ad annum Chriſti* 1229, *cap.* 1, *num.* 10, *ita ſcribit:* Hoc ingens facinus comitis Goberti, quia ſingulare, quia à nullo hactenus editum, quia Annales eccleſiaſticos atque hujus temporis hiſtoriam illuſtraturum, præterire non licuit: *nec adeo mirum, hoc facinus* B. Goberti à nullo hactenus editum: *quia hiſtoriographi in hac Friderici expeditione narranda, plerumque perbreves ſunt, & multa ſilentio paſſim prætereunt. Illud fortaſſe mirabitur quiſpiam, nullum illatæ hujus à Friderico Templariis injuriæ veſtigium exſtare in litteris Geroldi Patriarchæ Hieroſolymitani, quibus, tum apud Gregorium Papam IX, tum apud univerſos fideles, frequentiſſimas de eodem imperatore querelas depoſuit; ut apud Raynaldum in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 1229, *& apud Matthæum Pariſienſem in Hiſtoria majore ad annum eumdem videre licet. Sed advertat lector, ex ipſius Geroldi teſtimonio conſtare, omiſſa ab ipſo* multa, *quæ Fridericus malè geſſit.* Hæc & multa alia, *inquit in litteris, apud Matthæum citatum impreſſis*, quæ relinquimus aliis enarranda, quæ mundus novit, commiſit imperator in Terræ ſanctæ & animæ ſuæ detrimentum.

E

contra Fridericum Imp.

29 *Inter ea, quæ Geroldus aliis enarranda reliquit, meritò cenſetur relata à biographo noſtro Templariorum aggreſſio, aliorum præſertim ſcriptorum teſtimonio etiam confirmata: nam S. Antoninus* 3 *parte Summæ hiſtorialis, tit.* 19, *cap.* 4, § 1, *ita ſcribit:* Poſt hæc anno MCCXXXIV Fredericus præfatus, præparatis magnis copiis, iter arripuit per ſe ad Terram ſanctam ſine requiſitione Papæ vel licentia ejus, & magis, ut creditur, ad capiendum regnum Hieroſolymitanum ſibi promiſſum à Soldano, quàm ob zelum fidei vel utilitatem Chriſtianorum: cujus rei ſignum fuit, quòd, poſtquam applicuit Acram, præmiſit ſeneſchallum ſuum cùm parte exercitûs ſui, qui non attendit ad pugnandum contra Saracenos, ſed contra Chriſtianos ... & in civitate Acra voluit deſtruere templum Templariis, & plura caſtra fecit eis auferri.

F

pluribus confirmatur.

30 *Ne verò cui ſcrupulum forſitan moveat minor hâc in parte S. Antonini auctoritas, ſcribentis res geſtas à ſua ætate remotiores, obſervandum eſt, Sanctum hunc hiſtoriologum totam hanc narrationem mutuatum eſſe vel ex Malaſpina, Friderici coævo, vel ex Villano, qui totum Malaſpinæ textum exſcripſit. Ita deprehendet, qui vel cum S. Antonino, vel inter ſe contulerit citatos mox ſcriptores, quorum libri Italicè tom.* 8 *&* 15 *inter ſcriptores rerum Italicarum typis vulgati ſunt. At, inquies, cur facinus tam illuſtre chronologus Villarienſis in Vita breviori prætermiſit, illud ſolum commemorans, quod* B. Gobertus cognitâ *Friderici* perfidiâ, *ipſum declinavit? Reſpondeo, non quia fictum credidit, ſed quia brevitati ſtudebat: nam quod in Vitâ omiſit, tacitè confirmavit, cum Vitæ ſubjunxit epitaphium, in quo dicitur;* ipſum Cæſar metuebat: *occaſio enim, quâ Cæſar* B. Gobertum *metuit, aſſignari nequit alia præter eam, quam Vita prolixior indicavit. Cæterùm locus, in quo Templarios aggreſſus eſt Fridericus,*

A *dericus, fuit urbs Acconenſis; ad quam (ut habet Matthæus Pariſienſis) anno* 1228 *menſe Septembri pervenit. Vocatur quidem ea civitas* Acra *à S. Antonino & aliis; at inde ortum id habet, quod, teſte Baudrando, Italicè appelletur* Acri, *Gallicè* Acre. *Acconis ſitus tom.* 3 *Anecdotorum col.* 283 *apud Martenium ita deſcribitur:* Civitas Accon in littore maris, quæ antiquitus Ptolemaïda vocabatur, & eſt ipſo mari & meridie & occidente præcluſa, ab oriente & Septentrione tota patet.

§ IV. Alia bellicæ fortitudinis ſpecimina; vitæ cœnobiticæ initium; exercitia; mors; Acta.

Subditos quoque ſuos

Compreſſo Friderici furore, B. Gobertus (*ut Acta num.* 24 *& ſeqq. tradunt*) *ſacra loca inviſit, moxque reverſus in Europam, Com-*

B *poſtellam abiit, S. Jacobi veneraturus reliquias. Redux in patriam ſubditos ſuos vindicavit à ducis Barrenſis injuria, eumque ad pacis compoſitionem adegit anno veriſimiliter* 1230, *quando (ut Albericus ad annum eumdem habet)* comes Barri ſuper nepotem ſuum Matthæum Lotharingiæ ducem combuſſit villas ſeptuaginta ... dux verò cum comite Campaniæ & Simone de Joveville ET MULTIS ALIIS vel tantùm mali vel ampliùs operati ſunt ſuper comitem Barri.

& fratrem defendit

32 *Quâ animi fortitudine ſubditos tutatus eſt beatus Miles, eâdem liberavit & fratrem ſuum epiſcopum Metenſem*; qui (*ut habet Vita num.* 29) à comite de Barro, multiſque aliis principibus ſic infeſtabatur, ut ab eis civitas Metenſis ex uno latere fuiſſet obſeſſa. *Accidit hoc anno* 1231, *ut opinari licet ex Chronico Metenſi apud Labbeum tom.* 1 *Bibliothecæ Mss. impreſſo, in quo ad annum citatum de comite Barrenſi aliiſque principibus hæc leguntur:* Suburbium Metenſe à comite Campaniæ, & comite Barrenſi, & comite Lucemburgenſi cum omni poteſtate eorum obſeſſum eſt, & confuſi receſſerunt.

C

B. Vir militiæ peritiſſimus.

33 *Nec tantùm ex biographo, ſed ex aliis quoque licet diſcere, quantùm in armis valuerit* B. Gobertus. *Nam in Chronico epiſcoporum Metenſium apud Dacherium tom.* 6 *Spicilegii impreſſo, inter caſus adverſos, qui Joanni epiſcopo Metenſi, anno* 1234 *à civibus ſuis undique oppreſſo, obtigerunt, in primis narratur ille, quod* ſecum non haberet fratrem ſuum, *beatum nempe* Gobertum, *prater quem non habuit alterum; quique proinde vir fuit, à quo ob bellicam indolem & militiæ peritiam ſubſidium non modicum erat exſpectandum. Cauſa verò, cur abfuerit tum Beatus noſter, ibidem hæc redditur:* In Franciam ſe tranſtulerat, ut cum armatorum potentia rediturus fratri ſuo ſubveniret: *ex quò obiter & colligas,* B. Gobertum *non minùs amicitiæ vinculo quàm ſanguinis conjunctum fuiſſe cum epiſcopo Metenſi, cujus probitatis, ut cætera omittam, teſtimonium amplum complectitur breve ipſius epitaphium:*

Hujus enim fuerat, quod habent hæc tempora rarò,
Mitis vita, manus munda, pudica caro.

Error Waſſeburgii

34 *Richardus de Waſſebourg lib.* 5 *antiquitatum Galliæ Belgicæ fol.* 360 *verſo alium Beati noſtri canit triumphum: nam redditurus cauſam, cur fratri ſuo, ab inimicis jam penè obruto, non tulerit opem, ita fere idiomate Gallico loquitur:* Epiſcopi Metenſis frater, Dominus Aſperi-montis, ex præcepto S. Ludovici regis tum temporis abierat in Galliam, ut cum Joanne, domino de Bello-monte exercitum duceret contra hæreticos Albigenſes & Tholoſanos, qui in catholicos patriæ incolas recentiùs inſurrexerant. Porrò operâ horum ducum & induſtriâ rebelles profligati ſunt, coactique ſunt clementiam implorare regis, ejuſque imperio ſubjicere Arcem Regalem.

oſtenditur.

35 *At narrationis hujus falſitatem detegit everſa temporum ratio: nam memorata comitis de Bellomonte expeditio incidit in annum* 1239, *ut habet Nangius in Chronico, vel in annum* 1240, *ut apud Dacherium tom.* 2 *Spicilegii innuit Chronicon Sueſſionenſe collatum cum hiſtoriis apud Cheſnium tom.* 5, *pag.* 696 *&* 779 *impreſſis: bellum autem, in quo* B. Gobertus *non potuit ſuccurrere fratri ſuo, jam anno* 1234 *fuit abſolutum.* Metenſes cum comite Barri, *inquit Albericus, res anno* 1234 *geſtas enumerans,* cum epiſcopo .. reconciliati ſunt; medi- E
ante epiſcopo Tullenſi Rogero: *bellum autem, quod epiſcopi Tullenſis terminavit induſtria, aliud ab eo non eſt, in quo* B. Goberti *præſentia fuit deſiderata, vel ipſo Waſſeburgio teſte. Præterea Joannes, Metenſium antiſtes, antequam hoc bellum contra Albigenſes moveretur, jam è vivis exceſſerat, anno* 1238 *defunctus; prout ad annum eumdem notant Albericus, Chronicon Metenſe apud Labbeum tom.* 1 *Bibliotheca Mss. & Meuriſſius in libro De epiſcopis Metenſibus pag.* 456.

Monaſterium videtur ingreſſus B. Gobertus

36 *Quo anno* B. Gobertus *pio Villarienſium cœtui aſſociatus ſit, biographi diſertè non exprimunt. Accidit procul dubio menſibus tribus nondum elapſis ab initio anni* 1239, *ſi tempus rectè ſignet manuſcriptum, quod à Joanne d' Aſſignies, in libro de viris illuſtribus ordinis Ciſtertienſis pag.* 106, *idiomate Gallico vulgatum eſt, traditque Abundum, piiſſimum cœnobii Villarienſis aſcetam, mortali vita exutum* anno MCCXXXIX, quæ tum erat poſtridie Dominicæ Palmarum: *cum enim religioſiſſimum hunc virum* B. Gobertus *conſuluerit, moxque, ipſo auctore, vitam ſit cœnobiticam amplexus, conſequens eſt, ut anni mox dicti initio ingreſſus in monaſterium debeat illigari.* F

circa annum 1239.

37 *At ſcrupulum movet error, quo traditur* anno MCCXXXIX dies XIX martii fuiſſe poſtridie Dominicæ Palmarum: *nam ea Dominica tum incidit in* XX *Martii, adeoque dies* XIX *tum fuit* pridie *illius, non* poſtridie: *quia tamen in talibus ob rerum cognationem obvius eſt amanuenſium error, nihilque aliunde ſuppetit certius, vitæ religioſæ initium ultra tempus aſſignatum non differemus: immò anno* 1237 B. Gobertum *in Villarienſe ſe cœnobium recepiſſe, ſuſpicari quis poſſet ex illis biographi verbis num.* 7: Anno igitur Domini MCCXXXVII, primo tempore principis potentiſſimi Henrici Lotharingiæ *&c.*; *hæc enim temporis nota ut ad religioſæ ipſius vitæ tirocinium rectè poteſt referri, ita perperam ad quidvis aliud, ut contextum totum legenti fiet manifeſtum. Atque hinc jam rurſus patet, vacillare illa, quæ ſupra Waſſeburgius narrat de bello contra Albigenſes anno* 1239 *vel proximè ſequenti geſto: cum militiam* B. Gobertum *jam tum abdicaſſe ex citato Ms. Joannis d' Aſſignies ſit conſequens. Non negaverim tamen, aliis eum tempo-*

AUCTORE P. D. *temporibus contra eosdem hæreticos militasse : id enim non tantùm suadent conjuncta excelso animo pietas , religio , mosque nobilium virorum tum usitatissimus , sed vel maximè epitaphium , in quo appellatur* alter Machabæus , *utique à pluribus bellis pro fidei incolumitate præclarè gestis.*

verba obscuriora

38 *Cæterùm expositione nonnullâ indigent , quæ Christophorus Butkens in Annalibus familiæ de Lynden libro* I , *Gallicè editis , testatur à Chesnio referri : nimirum Gobertum Asperi-montis Dominum , quem ait vixisse anno* 1223 , *& sancto Ludovico in Terram Sanctam comitem iviſſe* 1249 , *quemque à Joanne de Joinville cognatum vocari asserit , Julianæ de Rosoy matrimonio junctum fuisse. Hæc enim de Beato nostro intelligi nequeunt , licèt ipse anno* 1223 *fuerit Asperi-montis dominus : nam* 1°. B. Gobertus *vitam duxit calibem , ut insinuant Acta num.* 33 *&* 46. 20. *S. Ludovicum non videtur comitatus , tum quia biographi hoc iter tacent , tum quia vitam religiosam anno* 1239 *verosimiliter erat professus. Quo autem sensu Chesnii verba rectè intelligantur , explicat laudatus Butkenius:* Credo , *inquit* , Gobertum , *qui anno* 1229 *vixisse dicitur , & Julianam de Rosoy uxorem duxisse* , Asperi-montis appellari Dominum , quia postea patrueli suo successit , *& comitatum Asperimontanum obtinuit anno* 1247; hocque insignitus titulo S. Ludovico comes ire potuit.

Chesnii

39 *Quæ explicatio confirmatur ex antiquo Ms. , quod apud eumdem Butkenium complectitur fere sequentia : Gobertus , Asperi-montis Dominus , duos post se reliquit filios Godefridum & Gobertum : horum natu major Godefridus dominium , terras & comitatum Asperi-montis obtinuit , duosque etiam genuit filios , nimirum Joannem , qui fuit episcopus Virdunensis & dein Metensis , & Gobertum , qui postea fuit monachus Villariensis. Gobertus natu minor frater Godefridi comitis Asperi-montis , & patruus* B. Goberti , *obtinuit toparchiam Dunensem , habuitque filium etiam nomine Gobertum , qui postea in dominium Asperi-montanum successit.*

C *& vitæ religiosæ conditio explicantur :*

40 *Varias in religioso vitæ stadio exercitas virtutes enumerat biographus : quem verò in eo dignitatis ordinem tenuerit , restat quærendum. Sacerdotali charactere non fuisse insignitum , colligitur ex Actis num.* 61 , *ubi dicitur* intellectum clericalem non habuisse , *& idiomatis Latini fuisse ignarus. Neque tamen illis fuit annumeratus , qui destinantur ad opera obeunda domestica & servilia : nam* 1°. *Chronicon Villariense ipsius vitam inseruit libro* secundo , *qui, ut præfert titulus , agit* de viris illustribus , *non* tertio , *qui agit de* conversis *domesticà curantibus , & cæterorum quasi famulis.* 2°. *Chronicon idem* B. Gobertum *frequenter appellat* nonnum: *quod nomen laïcis , opere servili occupandis tribuitur numquam : iis verò debebatur , qui reverentia majore censebantur digni , ut apud Cangium in glossario videre est.* 3°. B. Gobertus *vocatur* monachus : *monachum autem à* conversis, *ut vocant , Chronicon Villariense lib.* 3 , *cap.* 5 *distinguit ; nam de fratre quodam Joanne agens ait ;* quod indignum se judicans habitu monachorum . . in conversum redactus sit.

anno 1263 *defunctus est :*

41 *Annum & diem emortualem Beati nostri biographus ita signat :* Anno Domini MCCLXIII in die S. Bernardi , quæ tunc fuit in feriâ quartâ mensis Augusti , horâ matutinâ , scilicet in secundo nocturno vigiliarum ejusdem festivitatis pius Gobertus . . suo Creatori spiritum . . . reddidit. *Tempus idem paucioribus Chronicon Villariense his verbis notat :* Anno Domini MCCLXIII in festo S. Bernardi , quod tunc fuit feria quarta mensis Augusti , horâ matutinâ pius Gobertus . . . Creatori spiritum . . . reddidit. *Anno* 1263 , *quo littera dominicalis erat* G. , *dies* XX *Augusti incidit in feriam secundam. Proindè vel festum S. Bernardi tunc non , ut jam , celebrabatur Villarii* XX *Augusti , vel erroneè scribitur* B. Gobertus *obiisse* festo S. Bernardi , quod tunc fuit feria quarta , *scribendumque est* , quod tunc fuit feria secunda. D

à biographis omissa

42 *Cætera , quæ in Actis* B. Goberti *narrantur , aut clariora sunt , quàm ut illustrari debeant , aut si obscura , commodiùs explicabuntur in annotationibus. Interim hîc pauca subjicio , quæ in Actis ipsis non reperiuntur conscripta. Lib.* I *Chronici Villariensis cap.* 14 *in Joanne abbate* XXV *hæc leguntur :* Vinum , quod habemus in minutionibus , *id est , statis illis temporibus , quibus fas erat sanguinem minuere , seu pati sectionem venæ ,* acquisierunt nonnus Gobertus de Aspero-monte , & frater Theobaldus quondam miles & Castellanus de Courtray. *Libro autem tertio cap.* 6 *editionis Martenii , hoc zeli ipsius narratur specimen :* E


supplentur ;

43 Fuit in monasterio Villariensi conversus quidam Henricus nomine ex Bruxella originem ducens. Hic . . . cùm . . . teneritudinem pristinæ conversationis ægrè dedisceret , & asperitatem vigiliarum, jejuniorum, & subjectionis, & aliarum institutionum gravem valde sentiret , Ægyptum repetere volens , mortem in olla religionis esse clamabat : quippe farinam veri Heliſei nondum gustaverat : quod audiens nonnus Gobertus de Aspero-monte , eum per mensem unum in Ordine permanere rogavit & ordinavit : mense verò ille peracto , cum doleret tristitiâ , moræ impatiens , pondus Ordinis diutius ferre non prævalens , abire disponit : sed homo Dei nonnus Gobertus adhuc inducias unius quindenæ ab eo extorsit. Interim oratio fiebat à Conventu ad Deum pro eo : & exaudivit Dominus preces clamantium ad se : & in se reversus novitius instinctu Spiritûs S. mox elegit potiùs in domo Dei subjici, quàm cum hoc sæculo inaniter gloriari; & deinceps tantâ charismatum eminentiâ enituit , ut vitæ ejus elegantiâ vehementer fratres ejus affecti gratularentur. *Dein pluribus exponitur vita morsque pia ejusdem Joannis , cujus saluti tanto studio consuluerat Beatus noster.* F

& nominatim honorifica sepultura describitur.

44 *Denique Joannes d' Assignies jam sæpe allegatus locum sepulturæ Beati nostri idiomate Gallico ita exponit :* Corpus ejus terræ mandatum est ante gradus , quibus è monasterio itur ad templum , ad latus dexterum : ubi erectum stat monumentum ex marmore , cui effigies incumbit , repræsentans Gobertum veste monachali indutum. Transituri hâc cœnobitæ , corpus inclinant , eam exhibentes venerationem , quæ imagini sacræ defertur. *Marmorei illius monumenti imaginem ari inciſam affert Christophorus Butkens in Annalibus familiæ de Lynden pag.* 23 : *cujus typum , sicut ibidem repræsentatur , contractum tamen hîc ad formam minorem , in subjecto , quod vides , ectypo imitari conatus est chalcographus. Hanc etiam indicati mausolei imaginem exhibet poëta Gallicus , qui suprà citatus est num.* 4 : *quam tamen huc iterum transferre visum est ad* beati Goberti *gloriam.*

45 Re-



Acta. 45 *Reſtat, ut Acta ſubjiciam. Præ cæteris autem ea placet imprimere, quæ typis nondum eſſe vulgata dixi num.* 6, *omiſſurus alia, quæ jam eſſe excuſa notavi num.* 11. *Cæterùm antiquam Actorum diviſionem in prologos tres, libros tres & proœmium unum, relinquo intactam, & ſolùm libros in capita ſubdivido, rerum narrandarum titulis prænotatis. Ne autem hæreat lector ad participia, quæ occurrent per decurſum Vitæ, à biographo adhibita loco verborum, ſubſervient ea, quæ anſulis incluſa ſunt, ut ſenſus, qui alioqui obſcurus eſſet, clariùs intelligi poſſit per voces eiſdem interjectas: quibus alia etiam incluſa ſunt, ut exemplar Ms. juvetur. His præmiſſis, en tibi nunc, lector, qualiſcumque iſta* B. Goberti *confeſſoris repræſentatur*

C

VITA

Auctore anonymo cœnobii Villarienſis aſceta,

Ex codice Ms. ejuſdem cœnobii.

PROLOGUS PRIMUS.

Biographus ſuam ineptitudinem

SI propheta Jeremias, qui, antequam formaretur in utero, à Domino electus eſt; & priuſquam exiret de ventre, ſanctificatus eſt, dum eum Dominus, ſpiritu ſuo illuſtrans, verbi officio manciparet, de ætatis infirmitate & ignorantia conqueſtus eſt, dicens, Ah, ah, ah Domine Deus: ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum: quid ego peccator acturus ſum, qui in iniquitate conceptus ſum & in delicto profuſus, propter ſordes vitæ incircumciſus ſum corde & auribus; quia videlicet nec ſcienda dignè percipio, nec audita devotè conſervo: quomodo juſtitias Domini enarrabo & aſſumam teſtamentum ejus per os meum? cujus ætatem nec tempus adhuc implevit, nec ſcientia commendavit: cujus dicta nec doctrina corroborat, nec vita confirmat. Præſertim cum ea ſcribere jubeatis, fratres *a* cariſſimi & ordinare, quorum dignitatem vix animo torpente conjicio. A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO. *a*

2 Hac tamen de cauſa audendi talia viam invenio. Scilicet, quòd credo me à Domino ſublevandum, & quòd me confido pii Fratris Goberti interceſſione veſtriſque precibus adjuvari: pro quorum veneratione & amore grande onus humeris aptavi debilibus. Nunc ergo conſtituendis tam præclaræ materiei verborum ornatibus, quis ſaltem peritorum, ſufficiet conatus? Veſtris tamen, ut dictum eſt, ô domini & fratres mei, orationibus adjutus, ipſiuſque venerandi ac pii fratris Goberti confeſſoris patrocinio ſuffultus, quod minus eſt virium, ea ſpe & fide conſtanter proveho, & provectum dilectioni veſtræ decernendum ſalubriter impendo. Annuit etiam ipſa divinitas; quæcumque in laude ipſius mortalium præſumit voluntas: nam nihil dignum Deo dicitur ſine eo: neque etiam ipſe ſine ſe invocatur, cujus nimirum dona ſunt, ſi quis mereatur omnipotentis opera denuntiare. Et cum magnum & valde bonum ſit, Sanctorum merita prædicare & extollere virtutes; ipſas utique virtutes ambire, atque imitando acquirere, revera optimum eſt & excellens. Utrumque tamen & cælitus datur & inſpiratur. *& divini auxilii* E

3 Virtutum omnium cooperatorem Spiritum ſanctum tota mentis intentione collaudemus, atque ad ſummam Dei gloriam de venerabilis ac pii Goberti vita laudabili, & ſancta converſione, & converſatione tractaturi, ejuſdem Spiritus ſancti gratiam, quæ etiam in rebus minimis imploranda eſt, invocemus: ut qui eum per gratiam ſuam in contemptu ſeculi, & in ſui ipſius abnegatione prævenit atque ſecutus eſt, ipſe nos quoque in hac retractatione prævenire dignetur ac ſubſequi, & efficiat idoneos tantæ hiſtoriæ relatores: quoſdam enim Deus beatificat paſſione martyrii, quoſdam gloriâ caſtitatis & integritate meritorum, quoſdam vero fide & miſericordiæ operibus remunerat. Nunc igitur quæ ad communem ædificationem pertinent, quæque devotis auditorum animis prodeſſe ad imitationem poſſunt, de vita & miraculis tanti militis Chriſti, tamque glorioſi tyronis, aggrediamur: *neceſſitatem prædicat.* F

4 Nec non & ea, quæ mundi fuerant, geſta videlicet fortia, ad terrenam dignitatem atque ſæcularem militiam pertinentia; quæ inclyta ac relatu digna ſunt in memoria æterna, nos non præterire ſilentio decrevimus, ſed primo libello inſeruimus. Geſta verò ſpiritualia, ſcilicet ea, quæ ſibi contigerant, poſtquàm inſtinctu Spiritûs ſancti ad Ordinem Ciſtertienſem ſe transferre decreverat; & quomodo receptus in Ordinem fuerat; & quæ ſibi contigerant, poſtquam monachalem habitum aſſumpſerat, uſque ad infirmitatem, quâ mortuus eſt, in ſecundo libello ex parte explicuimus. In tertio verò libello, infirmitatem, quâ obiit, & obitum ſimul etiam, & miracula *b*, quæ poſt mortem ejus Dominus meritis ipſius, ut credimus, operatus eſt, annuntiavimus. Deprecantes autem [ſumus] eos, qui hoc ad legendum ſumpſerint, ne ruſtico incultoque conſcripta ſtylo faſtidiant, ſed potiùs nobis veniam tribuant. Jam ergo cæleſtis auxilii invocatâ clementiâ, accelerabimus pii Goberti acta præcellentia, ut quantis in Chriſto gratia- *Opuſculi diviſionem inſtituit.* *b*

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

rum donis sit præditus, perspicua luce palam extet fidelibus.

ANNOTATA.

a *Hæ similesque voces infrà occursuræ, cum ad Villarienses ascetas dirigantur, innuunt, biographum religiosam illos inter vitam fuisse professum.*

b *Hinc patet* 1°. *miracula mortem Beati nostri esse subsecuta.* 2°. *Librum tertium non esse integrum: cum nulla in eo miracula reperiantur.*

PROLOGUS SECUNDUS.

Allatis similitudinibus

CRedo nonnullos esse meum miraturos opusculum, quòd coram tanta doctissimorum virorum copia, qui variè diligenterque in diversarum scientiarum facultate sunt edocti, ausus sum temerario ac penè sacrilego conatu de gestis arduissimis inclyti viri pii Goberti tractare libellum: sed cum illic sciam viros doctissimos, me autem ad tam grande opus suscipiendum esse sciam inutilem & ineptum, in hoc tamen me puto B excusandum: quòd non est considerandum, quis loquitur, sed quid: non enim in spineto consideranda est spinæ asperitas, sed rosæ amœnitas; & in fragili calamo mel recipitur, & viles ungulæ *a* pretiosa desudant balsama; & ex lapide flamma excutitur. Non igitur idcirco hoc arripui opusculum, quòd mei cordis sapientia & honestæ vitæ conversatio tali respondeat materiæ, de qua tractare propono; sed quia, si aliquando majores silent, non est mirum, si minores balbutiunt; &, si littera silet, lapides clamant.

ostendit capacitatis

6 Igitur si divina clementia aliquam guttam mellis sapientiæ in ariditatem mei pectoris dignaretur distillare, illam ego juxta consuetudinem mellificæ apiculæ in scripturam trifariam de vita pii Goberti sollicitè studerem exercere. Et bene dico in scripturam trifariam: quia pii Goberti vita in tres libellos dividitur. Primus narrat libellus de ejus sæculari militia: secundus de ejus vita spirituali usque ad infirmitatem, qua obiit. Tertius liber loquitur de ejus infirmitate, quâ mortuus est, & morte, & de miraculis, C quæ fecit Deus per ipsum. Vos igitur, viri religiosi fratres Villarienses, non humilis personæ meæ ineptitudinem respicientes moneo humiliter ac devotè in Christo Jesu Domino nostro, ut vestri fratris pii Goberti titulos recipiatis unanimiter & benignè: sicut unanimiter & benignè vos usque ad mortem *b* in firma caritate dilexit.

tenuitatem excusandam.

7 Non despiciatis, inquam, personam mei scribentis; nec miremini si in fragili calamo mel reperiatur, & vilis ungula pretiosa desudet balsama; sed recolatis quæ & quanta Nabuchodonosor, licèt indignus, de Christo prophetavit *c*; & sic re licet sim indignus, qui de pio Goberto scribere proposui, benignè recipere dignemini: ut dignis meritis pii Goberti intercedentibus, angelus ille, qui stetit juxta aram templi, Michaël cognomine, pro vobis de manu sua offerat incensa multa in conspectu Altissimi. Anno igitur Domini MCCXXXVII, primo tempore principis potentissimi Henrici Lotharingiæ *d* & Brabantiæ ducis robustissimi, illius scilicet, qui, primo jubente, dum suum naturæ irrevocabile solveret debitum in obitu suo [in] Villarienſi cœnobio ordinis Cistertiensis præelegit intumulari: & licèt antea fuerat inauditum, Ducem Brabantiæ extra Lovanium sepeliri; neque etiam postea casum similem venturum de facili speramus: tamen hic Henricus in dicto cœnobio præ cunctis locis orbis terræ in naturali corruptionis dissolutione concupivit incinerari. D

ANNOTATA.

a *Videtur auctor respexisse ad cap.* 24 *Eccli.* ℣ 21, *ubi* ungula *inter odorifera ponitur. Ad quem locum notat à lapide:* Ungula . . . est aroma colore unguis humani.

b *Hæc innuunt, tempore biographi monachos non paucos, qui cum* B. Goberto *vixerant, fuisse superstites.*

c *Dan.* 1 ℣. 34 *Videbat Nabuchodonosor statuam, quam* absciſſus .. lapis de monte sine manibus.. percussit ..in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Lapis .. autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram. *Cum autem lapis iste Christum figuraverit (ut apud interpretes passim videre est) hinc ait biographus, sensu tamen improprio, Nabuchodonosorem de Christo prophetasse.* E

d *Agit de Henrico II, qui principatum tenuit ab anno* 1237 *usque ad* 1247. *Vide de hac periodo imperfecta commentarium prævium numero* 7.

PROOEMIUM AD LIBRUM SEQUENTEM.

Vita Sanctorum à Deo ordinata

PIissimus ac summè bonus Dominus Deus noster, qui omnes homines vult salvos fieri, & neminem perire, sed ad agnitionem veritatis venire, ipse sibi ab æterno prævidit vasa electa, homines scilicet secundum cor suum, atque quondam reges futuros, qui scirent semet ipsos regere corde, ore & opere. Corde, rectè credendo; ore, purè confitendo; opere, satisfaciendo, atque quæ justa sunt operando: qui scirent etiam per Dei notitiam vivere, & per sanctum servitium, quod Deo exhibituri erant, secundùm quod dicitur, regnare: quem nosse vivere, cui servire regnare est. Unde & B. Johannes Apostolus dicit: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, &, quem misisti, Jesum Christum: qui scirent nihilominùs quàm perfectissimâ atque plenissimâ, ut ait B. Augustinus, sic justitiâ Deum toto corde amare, illique totâ voluntate adhærere, horum ipse Deus prævidit originem, unde erant processuri; vitam, quâ erant victuri; viam, per quam erant ambulaturi; finem & mortem, quâ erant ab hoc sæculo migraturi. Præterea quia consilio sanctæ Trinitatis creati & opere divinæ majestatis sunt renati, ideo non immeritò ex instinctu Spiritûs sancti, quantum debent conditori suo gratiarum actionis & amoris, intellexerunt, & sancti effecti sunt: Dei enim beatitudine digni sunt, qui se ipsos probabiles servaverunt. Hi itaque justi spernentes mundum cum actibus ejus, qui bona voluntate & pietate & spe meliore acquiescentes mandatis Dei, fruuntur deliciis paradisi, Christum solum diligentes, super omnia corruptibilia [eum] prætulerunt, idcirco singuli in Deo lætantur, in Christo illuminantur, & in Spiritu sancto renovantur. F

Cælitibus est gaudio.

9 Indesinenter etiam super eos Trinitas sancta exultat: lætantur super eos angeli & archangeli: lætatur super eos paradisus cum deliciis

A ciis. Verè iſti laudabiles & glorioſi, & per omnia ſunt beati: hos namque Dominus tales prævideratꝰ, quales per gratiam ſuam futuros eſſe noverat. Angeli enim & homines beatificant eos; eo quòd univerſo mundo caritatem Domini prætulerunt, & Dominus ſanctus, juſtus & verus donavit eis regnum ſuum, & gloriam & majorem gratiam, ut videant eum cum angelis ſanctis ſemper in gaudio. Horum utique Sanctorum glorioſo collegio hunc venerabilem Deo, & hominibus dilectum, pium ſcilicet Gobertum, non immeritò ſperamus conjunctum ſpeciali privilegio: cujus origo quamvis nobilis ſecundùm ſæculi dignitatem, tamen nobilior in Chriſto effecta eſt ſecundùm fidei meritum & virtutem. Clarus extitit quidem parentibus, ſed pretioſior virtutibus. Qualis ergo ejus fuit origo, pandamus ſermone compendioſo.

LIBER I.

B. Goberti vita ſecularis.

B

CAPUT I.

Nativitas, ætas juvenilis, vita militaris, expeditio in Palæſtinam.

LIBER I. *B. Gobertus, nobiliſſimi parentis heres,*

REverendus igitur ac inclytus piuſque Gobertus, vir virilis corde & opere, in finibus erat Lotharingiæ *a*, parentibus & cognatis, aviſque & proavis, ex vetuſtiſſimo *b* tempore nobiliſſimis, trabeatus *c*: ſecundùm etiam mundi probitatem & morum nobilitatem ex reverenda proſapia procreatus, ex firmiſſimo erat oppido Aſpero-monte *d* oriundus. Erant enim parentes ejus locupletes valde. Pater autem ejus, Gaufridus nomine, duos habuit filios. Primogenitus vocabatur Joannes & alter Gobertus. Erant enim * ambo pueri elegantes, pulchri & robuſti inter omnes ſuæ pubertatis coætaneos. Quadam ergo C die reſpiciens pater filios ſuos, & diligenter conſiderans, perpendit juniorem filium ſcilicet Gobertum ſecundùm morem ſæculi probiorem & magis aptum eſſe militiæ: dedit ei, quod tamen contra morem eſt ſæculi, omnia bona ſua poſſidenda hæreditario jure. De fratre verò ejus Joanne primogenito, qui minùs videbatur aptus militiæ ſæculari, fecit clericum: qui primùm Virdunenſis *e* ac poſtea Metenſis factus eſt epiſcopus.

a
b
c
d
* autem
e

cum in ætate juvenili

11 Hinc cœpit Gobertus, ſicut rivus originalis fontibus æmulus, moribus & opere ſuæ progeniei ab annis teneris mundanam probitatem imitari: nam cujus prudentiæ, cujus fuerit intelligentiæ, rei exitus probavit. Erat autem talis ac tantus vigor in eo, quod ætas tenera hunc ſtuperet corpore prævalidum ac robuſtum, moribus edoctum, audaciâ cordis elatum, nobiliſſimo affatu inſtructum, in omni magnanimo opere comprobatum, contra hoſtes ſuperbos atrociſſimum, parvis & humilibus manſuetum, in verbo ſapientem & modeſtum, in teſtimonio ac conſilio firmum, in judicio peritum, & in omni facetia præparatum. Et quamvis tunc temporis de terrenis faſtigiis in ætate juvenili aliquantulùm ambiret, tamen mentis ejus aciem in Creatoris omnium timore ſimul & amore fixam tenebat.

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO. *& vita militari ad ſeculum nonnihil deflexiſſet,*

12 Cùm proceſſu temporis Gobertus noſter miles, quamvis juvenis, fuiſſet effectus, tempore ſuæ juventutis in quibuſdam actibus ſæculi exercebat voluntates: nam conſtans erat in bellis exercendis, ac incenſus obſcœnis laterum flexionibus: ſed, Chriſto auxiliante, hoc vitium citò verſum eſt in bonitatem: nam excepit Spiritûs ſancti doctrinam, & invenit ſapientiam: non enim ei expedivit ad animæ ſalutem, ſæcularem exercere militiam: & quia ſcriptum eſt; Nemo poteſt quidquam accipere, niſi ei datum fuerit deſuper (nam omnes peccaverunt & egent gloriâ Dei; & non eſt volentis neque currentis, ſed Dei eſt miſerentis) accepit à Domino felicitatem, quia Deus erat ſpes ejus; & deſideria dignanter inflammavit, & ad perfectionem poſtmodùm roboravit: quia ſicut non poteſt diſſolvi, quando à Deo eſt: ſic quando à Deo non eſt, diu ſtare non poteſt: ut ipſe Dominus ait: Vos amici eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.

ad ſanctiora convertitur,

13 Sic dum præfatus miles, pius ſcilicet Gobertus, mundanæ militiæ adhuc vacaret, & præ cunctis coætaneis nomen famoſum uſurparet; cœpit in corde præponderare, quòd fama mundanæ gloriæ non poterat in cælo perennare. Cœpit ergo timere Deum & perſonas eccleſiaſticas venerari, beatamque Dei Genitricem Mariam magno amplecti deſiderio; & intra mundanæ militiæ rubiginem, ſic jam eſſe devotus, ut poſſet quodammodo dici perfectus; omniumque virtutum opere, ſi fas eſt, alicui Sanctorum penitus æquiparari. Ab illo ergo tempore legis judicia non contempſit: ſed & omnium materiam ſcelerum evitare cœpit. Affinibus ſuis non nocuit, ſed etiam pauperibus latiùs erogavit. Erat autem in eo tanta largitatis induſtria, ut plurima poſtmodum pauperibus & egenis erogaret, quæ antea *f* ab eis rapuerat. Amicitiæ fidem non minùs retinuit quàm appetivit: nec tam fortunam excoluit, quàm virtutes imitatus eſt. Miſericordiâ ſublevavit etiam oppreſſos, indeſinenter recolens in omni cultu pietatis maximè Deum in hoc ſibi fore propitium peccatorum ſuorum, ſi omnes injuſtè oppreſſos ſublevandos eſſe ſatageret ab eo cui dicit propheta: Cum ceciderit juſtus, non collidetur: quia Dominus ſupponit manum. F

f

variaſque virtutes exercet.

14 Cæterùm miles Dei pius Gobertus, in turbine mundanæ militiæ ſublimatus, cœpit omne negotium Dei & Eccleſiæ ſibi appropiare, ut, ſi poſſet, vellet illud ſolus perficere, & ſicut membrum caput voluntarium ſublevare. Cœpit etiam proximos ſic propter Deum diligere, ut omnibus vellet, ſi poſſet, ſubvenire, nec etiam inimicum quoquo vellet modo defraudare; imbecilles contra potentes, ab eis injuſtè preſſos, defendere; viduas & orphanos ſuſtentare, homines ſibi ſubjectos illæſos cuſtodire, ab omni injuria propria manu defendere, ſuiſque ſtipendiis contentus eſſe; inimicis propter Deum parcere, proximis, ut dictum eſt, ſubvenire; Deum ſuper omnia & præ omnibus diligere & timere: ſic ut jam videatur obedire Domino dicenti in Euangelio: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & in tota mente tua: &, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

15 Quadam autem die vir Dei pius Gobertus, divinâ ſibi gratiâ cooperante, ſic fuit inſpiratus, ut verecundiam *g*, quæ in ſancta terra Jeruſa- *g*

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO. *Ad bellum ſacrum contra Saracenos proficiſcens,*

lem ab infidis contra Dominum opponitur, vellet vindicare, idolorum ab infidis cultus opprimere, idola *b* manu facta, lignea & lapidea, & quolibet fuſa genere metallorum, ſurda, vana, cæca & muta, ſi poterit deſtruere, & ibidem divinum officium exaltare. Talia viro Dei in corde cogitante, hocque propoſitum cum diſcreta deliberatione in animo confirmante, quidam nefandiſſimus Romanorum imperator, nomine Fridericus, qui latenter erat infidelis *i*, ut multis poſtmodum manifeſtus apparuit experimentis, terram ſanctam Jeruſalem adire proponebat, ut falſa boni ſimulatione iniquitas ejus velaretur. Hic itaque perverſus imperator, habitans cum multa fortitudine in littore maris *k*, Dei militem præfatum, ſcilicet pium Gobertum, nunc verbis fallacibus, nunc promiſſis, nunc precibus, nunc muneribus ſubtiliter ſibi fœderavit, ac ſibi ſuum commilitem in dicta peregrinatione acquiſivit. Et quia miles fidelis dictum imperatorem credebat fida peregrinatione Terram ſanctam viſitaturum, in dicta peregrinatione ſuo ſubditus eſt imperio. Aſſumpto quippe Chriſti ſignaculo *l*, in Dei nomine cum gratia & proſperitate uſque ad ſanctam Terram pacificè transfretavit.

h

i

k

l

B

ſalutis propriæ

16 Ac miles Dei omni famoſiſſimo mundi favore ſtipatus, quod tamen parvipendit ut nihilum, necnon etiam Dei gratiâ circumfultus, curam mundanæ gloriæ projiciens, ſemper eſt ſervitio Dei deditus; ſciens non eſſe utile, ſimul & ſemel duobus dominis ſervire: ideoque ſe ſuo Creatori & B. Mariæ Dei Genitrici in omnibus ſervire præoptavit, omnemque mundanam ſervitutem poſtponens *, ac ſi illud conſideraret, quod Dominus ait in Euangelio: Omnis homo ponens manum ad aratrum & reſpiciens retro, non eſt aptus regno Dei. Quapropter Deo altiſſimo volens appropinquare, & B. Virgini Mariæ devotè ſervire, curſum Horarum ejuſdem glorioſæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ in via didicit, non aleas aut calculos arripiens; ne per vanas delectationes ejus ſervitium vituperaret. Quaquâ ſiquidem die dicebat Horas B. Virginis Mariæ, Horaſque canonicas in ſuo aſpectu ad laudem & honorem Dei cum ſumma voluptate ex cauſa devotionis quotidie faciebat celebrari. Ita erat devotus, ut jam monachalem religionem videretur imitari.

* *l.* poſtponere

C

& militum curam gerit.

17 Inſuper vir Domini pius Gobertus non ſuam tantùm, ſed etiam proximorum ſalutem cœpit deſiderare, ſecundùm illud euangelicum: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Suis ergo commilitibus & clientibus verba ſalutis prædicabat, ut per cibos ſpirituales & per panem quotidianum eorum animæ ſuſtentarentur. Loquens etiam [erat] eis de vano mundi defectu, de carnis feſtina marceſcibilitate, de diaboli aſtutiſſima tentatione, de Dei gratiſſima bonitate & de perennis gloriæ æternalitate Singulis igitur diebus hortabatur eos, ut omnia ſibi adverſantia pro occaſione voti crucis propter Deum libenter ſuſtinerent: & hortatur eos, ut recolant, qualiter, quæ & quanta Deus eſt remuneraturus illis, quos fide & opere ſuos eſſe prænoſcit. Quando rependet pro vanis vera, pro ſophiſticis manifeſta, pro inutilibus utilia, pro amaris dulcia, pro odioſis amabilia, pro faſtidioſis placentia, pro vilibus pretioſa, pro fœtidis redolentia, pro tranſitoriis in æternum duratura, pro terrenis cæleſtia, pro momentaneis in ſæcula ſæculorum manſura. Hæc & his ſimilia hortabatur: nec pœnam terrenam æternæ remunerationi compara-

bat, recolens illud, quod Scriptura alibi ait: Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Monſtravitque talibus & multis aliis rationibus pœnas hujus vitæ non timere, commemorans eis, quantò majora Deus pro ſuis electis ſuſtinuit: quæ non aliquis mortalium ſuſtinere queat per unius horæ ſpatium. Quod patet per verbum prophetæ in perſona Chriſti dicentis: O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte; ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Tali ſiquidem militi & quodammodo principi bonum eſt ſervire, qui ſuis commilitibus corporalem cibum & ſpiritualem inolita bonitate ſatagit rependere.

D

ANNOTATA.

a *Ducatus Lotharingiæ notior eſt, quàm ut hîc deſcribi debeat.*

b *De genealogia Beati noſtri actum eſt in Comment. num.* 23 *&* 41.

c Trabeatus *idem quod* natus: *ſic* trabeatio *olim idem quod* nativitas, *ut in recuſo Cangii Gloſſario videre eſt.*

E

d Aſper-mons *olim* (*nam jam belli cladibus corruit*) *arx erat conſtructa in monte, ſito inter oppidum S. Michaëlis & Nanceium, quod olim ducum Lotharingiæ ſedes.*

e *Epiſcopus Virdunenſis creatus eſt anno* 1217; *Metenſis, teſte Alberico,* 1224.

f *Joannes d'Aſſignies in Commentario ſæpe allegatus, verba hæc ita interpretatur:* Perquam ſtudiosè veris Dominis heredibuſque ea reddebat, quæ, ne forte injuſtè acquiſiviſſet vel uſurpaſſet, timebat.

g Verecundia *idem quod* contumelia *vel* injuria. *Vide Cangium ad vocem* verecundus.

h *Deſtruenda non erant idola, ſed Terra ſancta à Turcarum imperio vindicanda. At auctor minus doctus Turcas cum paganis confundit.*

i *De hæretica infidelitate Imp. Friderici II, de quo hic ſermo, teſtimonia exſtant apud Raynaldum ad annos* 1230, 1237, 1242, *& alibi: hic tamen vox* infidelis, *ut opinor, eam ſignificat in promiſſis fallaciam, quâ opem Terræ ſanctæ ex juramento debitam nolebat ferre.*

k *Id eſt, in loco mari vicino, Brunduſii forſitan, unde in Terram ſanctam vela fecit.*

F

l *Id eſt,* cruce ſignatus.

CAPUT II.

B. Gobertus Chriſtianos contra Friderici Imp. injuriam tuetur, & loca ſacra inviſit.

Fredericum in Chriſtianos arma vertentem

IGitur Friderico memorato & pio Goberto per maris devia nocte dieque navigantibus, & nautis per aſtrorum notitiam viam conſervantibus, in terram ſanctam Jeruſalem pervenerunt. Omnibus ſiquidem à maris littore ad aridam aſcendentibus, tentoria quamplurima & ſigna ſtatuerunt: quia Fridericus properabat Templicolas debellare. Quo peracto, fama hujus rei uſque ad Templarios evolavit. Igitur iſte Fridericus imperator, apoſtata nefandiſſimus, eos urgebat à ponti latere, multas habens carinas armis & militibus *a* munitas in maris littore, ut Hoſpitalarii, Templarii *b*, aliique diverſarum manſionum Chriſtiani non poterant nec audebant Friderico apparere.

a

b

A rere. Revera igitur nuntiatum eſt ſummo magiſtro Hoſpitalis Jeruſalem, & Templicolarum ſummo præceptori, quòd illic ex tranſmarinis partibus venerat miles quidam illuſtriſſimus, qui miles probiſſimus eſſet & potens, Aſperi-montis [comes] Gobertus nomine: qui famâ in finibus Francorum præfulgebat, ejuſque nomen, quod tremendum eſſet in univerſis eiſdem regionibus, numquam ad arma ſibi reperit parem in omnibus partibus tranſmarinis. Ex cujus etiam adjutorio eorum penuria, Deo propitio, poterit relevari. Quo audito, cœperunt gaudere & dicere: Benedictus Dominus, qui habitat in Sion, qui miſertus eſt nobis. Verè miſertus Dominus, quia reſpexit plebem ſuam, non derelinquens ſperantes in ſe. Quis enim ſperavit in eo, & derelictus eſt ab eo?

B. Gobertus deſerit, & Chriſtianis ſe adjungit,

19 Tunc magiſter Hoſpitalis Jeruſalem, & præceptor Templicolarum, atque Templarii militem Chriſti Gobertum cum Latinis cœperunt rogare, ac multis precibus exhortari; ut eis contra hoſtes Eccleſiæ ſubvenire, ac eos contra prophanum imperatorem dignaretur defendere. Ejus etiam fraudem viro Dei detexerunt. Hoc audiens
B inclytus miles Chriſti Gobertus, admirans cœpit inquirere, ſi hoc ita poſſet eveniſſe. At verò, multis teſtibus idoneis & viris religioſis, Templarii pio Goberto ea eſſe vera aſſerebant. Vir verò Dei mundi ſpernens inanem gloriam & omnis jactantiæ favorabilem gratiam, non ſe verbis attollens, dicit ſe pauca poſſe, imo nihil poſſe ſine Domino: tamen prout Deus bonum ſibi dederit eventum, inimicos Terræ ſanctæ deſiderat calcare, & fidem tueri Catholicam: quia paratus eſt propter Deum in laborem & in mortem ire. Ut autem vidit vir Dei Fridericum contra Templarios talia præparare, & ut vidit in ejus mente, verbo & opere talia ſigna apparere, quæ teſtimonium perhibent de ejus infidelitate; quia non eſt tutum viros Catholicos cum infidelibus habitare (ne tangens picem coinquinetur ab ea) zelo Dei perfuſus, cum ſuis militibus & quibuſcumque potuit ſibi confœderare, ab exercitu Friderici ſegregatur, & in adjutorium Templicolarum properavit.

eorumque, maximè afflictorum,

C 20 Veniens ergo Chriſti tyro in Terram benedictam, cum magno cordis affectu cœpit orare, gratias referens Deo altiſſimo, quòd de fluctibus & periculis maris eum eruerat, & in ſanctam Terram famulum ſuum incolumem perduxerat. Eſt tamen vir Dei anguſtiâ & rubore perfuſus; eo quòd Terram ſanctam Jeruſalem ab omni officio divinæ majeſtatis repperit deſolatam, miniſtrorumque Dei habentem paupertatem, & in ea cultores idolorum repperit habitantes, paucoſque ibi repperit Chriſtianos: quotquot autem erant, arcto metu mortis opprimebantur, ſic ut non auderent propter metum paganorum à vallo caſtrorum & civitatum elongari: nam ex latere muri à paganis arctabantur, ex Oceani latere ab apoſtata Friderico graviſſimè infeſtabantur. Ibi aſpexit quoſdam metu mortis quaſi ſemivivos, quoſdam quaſi exanimatos: Qui metu mortis non videbantur apti bella gerere; qui potuerunt quaſi queruloſo gemitu vocis & cordis dicere: Parce, Domine, parce populo tuo: quem redemiſti, Chriſte, pretioſo ſanguine tuo.

animos erigens,

21 Magiſter Hoſpitalis, & Templicolarum ſummus præceptor, atque cæteri Chriſtiani virum Dei pium Gobertum in ſuum adjutorium ſuſcipientes, gaviſi ſunt gaudio magno nimis. Similiter & illi, qui metu mortis primò fuerant imbecilles, arma magnanimo corde arripuere. Fit tumultus magnus per totam Chriſtianorum provinciam: cum armis animo ferventi curritur ad naves. Sed Gobertus cum ſuis commilitonibus & populo ſibi adhærenti in auxilium Hoſpitalariorum & Templicolarum cucurrit. Reliqui verò Chriſtiani ſua caſtra cuſtodiebant, ut, in firma fide Eccleſiæ & Chriſtiana religione, ſervi Dei, licèt pauci, Fridericum perfidum & apoſtatam imperatorem poſſint debellare: ſcientes, quòd in paucis & in multis non pendeat victoria; ſed ſicut fuerit voluntas in cælo: recolentes illud propheticum Pſalmiſtæ dicentis: Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum enim Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordiâ ejus. Et alibi: Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus.

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

Fridericum ab incepto deſiſtere cogit.

22 Igitur vir Dei pius Gobertus in nomine ſanctæ Trinitatis cum ſuis militibus & clientibus (armatis in adjutorium, ut ſuperiùs dictum, Hoſpitalariorum, & Templicolarum fratribus) aſcenſo *, vexilla, & ſigna ſua in altum ſuper cancellos levari *c*, atque figi præcepit; ut viſa * vel ſic Fridericus, & inimici Chriſtianorum confutarentur; atque in fugam verterentur. Fridericus verò navigans in profundo maris, videns vexilla, & ſigna tremenda ſuper altitudinem muri erecta, quid hoc eſſet, admirans inquiſivit. Cui quidam reſpondens ait: Domine mi; hæc ſunt vexilla & ſigna illius probiſſimi, & potentiſſimi militis Goberti Domini Aſperi montis. Hoc audito, Fridericus cœpit valde contriſtari; quòd ſic eum dereliquiſſet. Et, mente confuſa, gemens cœpit dicere: Non eſt mihi tutum me tali opponere, ne forte manus ejus non poſſim evadere. Vertamus ergo vela obliquo quàm citiùs latere, ut, tramite tranſverſo, poſſimus fugam capere. Sic ſuos ſervos miſericos Deus per manus ſui militis liberavit. Hæc, & alia multa opera exercuit Deus per manum ſervi ſui Goberti; cujus vitam, ſi velimus in omnibus perſcrutari, antè ſcribenti penna deficiet, quàm ſulcorum *d* finis hæreat; antè ſtudenti deficerent tempora, quàm ſulcis tota percurratur hiſtoria. Sed quia ponderoſum eſt & longum, ſingula perquirere, & ne faſtidium in animo auditoris generetur, ſtylo brevitatis me decet in omnibus percurrere.

* *f.* accenſus
c
* iis viſis
d
E
F

Votum, quod conceperat, expleturus

23 Cæterùm in tam diſtricto periculo præfatæ audaciæ miles Dei voverat Domino, ſi Dei miſericordia ſibi & ſuis coadjutoribus propitia concederet hoc levamen, ut ſani & incolumes Fridericum poſſent debellare, ſepulchrum Domini & crucem in ſancta civitate Jeruſalem vellet viſitare. Unde Friderico fugato, cœperunt Templarii cordetenus fremere, dicentes: Proh dolor, cur ſic evaſit iſte ſeductor? Cur ſic evanuit juſtitiæ perſecutor? Cur ſic à nobis latenter evolavit impunitus fraudis & iniquitatis amator? Quibus Chriſti miles pius Gobertus ait: In hoc tanto miraculo debetis Domino laudes mirandas reddere, redditas iterare, iteratas replicare, quia tam potentiſſimum principem, in omni bellica militia nimis aſtutum, & armatis militibus, turmis innumerabilibus præmunitum, ſic à facie ſervorum Domini imbecillem defugiſſe, multò magis eſt, quàm armis calcandum viciſſe & victum fugaſſe.

inviſit loca ſacra, ubi cruribus laborat,

24 Fugato ergo Friderico, vir Dei pius Gobertus pro voto ſolvendo aſcendit in Jeruſalem: quia meliùs eſt non vovere, quàm poſt votum

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

illud non ſolvere : recolens hoc quod Scriptura ait : Vovete & reddite Domino Deo veſtro. Aſcendit ergo venerabilis & fidelis ſervus Dei, ſicut voverat, in Jeruſalem, non in lineis, ſed in laneis veſtibus ; nudus pedibus ; non eques, ſed pedes, ut mereretur Domino peregrinari. Ille enim aſcendit in ſanctam Jeruſalem, ſedens ſuper pullum aſinæ ; iſte propriis pedibus carnis ſuæ. Ille domandi carnem exemplum dedit in ænigmate ; iſte Dei exemplo propriam carnem Dei calcavit in virtute. Cum aſcendiſſet ergo vir Deo plenus in ſanctam civitatem, cœpit Deo gratias agere & dicere: Gratias tibi ago, tibi, Domine Deus rex cæli & terræ : quòd non pepercisti Filio tuo unigenito, Domino meo Jeſu Chriſto propter me ; ſed miſiſti hunc in terram hanc redimere me ; & me peregrinantem in hanc ſanctam Terram perducere dignatus es. Viro ſiquidem Dei in hac aſcenſione in Jeruſalem morbus eſt validus annexus, ei adhærens cruribus, ut numquam in vita mortali potuit ab eo liberari. Quem morbum ſcimus ſignum amoris præcipuum fuiſſe. Dicit enim ſcriptura : Quem amo, arguo & caſtigo. Et alibi Scriptura ait : Qui accipiuntur * à numero flagellorum, accipiuntur * à numero filiorum. Et alibi : Flagellat Deus omnem filium, quem recipit.

B * excipiuntur

25 Gobertus verò hilari animo ſuſcepit virgam Dei, quaſi gaudens proſpiceret illud : Sicut aurum purgatur in fornace, ſic anxietas tribulationum fortes examinat. Gaude, Goberte, quia morbi tale recepiſti ſignum in tam ſancta peregrinatione, quod in æterna remuneratione coram ſummo judice tuæ peregrinationis tibi erit teſtimonium grande. Siquidem vir Dei, in Terra ſancta voto crucis cum devotione maxima peracto, per maris ſemitas & terræ devia ſanus & incolumis (excepta crurium infirmitate, ut dictum eſt) cum magna proſperitate reverſus eſt ad propria. *& redit in patriam.*

ANNOTATA.

a *Si velit biographus, multas à Friderico copias ductas in Aſiam, aberrat, prout conſtat ex certis monumentis apud Raynaldum in Annalibus ad annum* 1228 *&* 1229, *& apud Maimbourg in libro de bellis ſacris, ad annum* 1228. *Verùm non erit hic error ſolius biographi : nam, ut alios omittam, Mutius in Chronico Germanico ſcribit Fridericum in Palæſtinam* cum MULTIS armatorum millibus navigaſſe. *At forſan biographus non loquitur abſolutè, ſed reſpectivè ad copias, quas Templarii & Hoſpitalarii habebant, quaſque Friderici exercitus numero longè ſuperabat.*

b *Militares hi ordines ſatis noti ſunt. Videri de iis poſſunt Guilielmus Tyrius, Jacobus de Vitriaco, Barboſa, Tamburinus de jure abbatum, & Hippolytus Helyot in Hiſt. Ord. monaſt. &c.*

c *De heroïco hoc facinore vide Commentarium prævium num.* 28.

d *Id eſt*, linearum, *quæ* ſulcorum *inſtar ducuntur.*

C

D

CAPUT III.

B. Gobertus è Palæſtina redux, peregrinationem ſuſcipit ad S. Jacobum ; deinde ſuis ſubditis & fratri ab hoſtibus oppreſſis fert opem.

Divinis officiis intereſt etiam ſummo cum periculo.

GOberto pio famulo Dei ad propria reverſo, ut exercuerat in via peregrinationis Terræ ſanctæ, Horas B. Virginis & Dei Genitricis Mariæ, & Horas canonicas audire ; ſic non recedens à bono, ſed ſanctæ vitæ firmiter adhærens, Deo & B. Virgini Mariæ ſervire cum maxima devotione ſatagebat, ut non computaretur inter illos, de quibus Scriptura ait : Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Dum etiam audiret divinum Officium, & dum Horas B. Virginis Mariæ diceret, ſemper corde erat intentus ad Deum, ut non de eo dicatur illud, quod de negligentibus Dominus ait : Populus hic labiis me honorat ; cor autem eorum longè eſt à me. Multotiens accidit viro Dei, ut dum ante diem iret ad matutinas Horas, propter metum hoſtium inermis *a* ire non audebat : & tamen plus diligebat cum magno timore ad Dei cultum ire, quàm ſine metu illâ horâ in cubili ſuo laſcivè requieſcere, quaſi cernens illud euangelicum : Qui amat animam ſuam, ſcilicet in hoc mundo, perdet eam : & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Sæpe ante diem ivit cum armis ad divinum Officium. Ante diem dico, propter illud, quod in ſancta Eccleſia canitur : Non ſit vobis vanum mane ſurgere ante lucem. Contra duplicem quippe hoſtem, viſibilem ſcilicet & inviſibilem, arma arripuit, quaſi conſiderans illud, quod dicit Dominus in Euangelio : Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet.

E

a

Piam ad S. Jacobum peregrinationem inſtituit,

27 Præterea miles Chriſti pius Gobertus omnem fructum militiæ volens in bonum convertere, ad S. Jacobum Apoſtolum peregre proficiſcens, ſervitium B. Mariæ Virginis non poſtponebat : ſed ei ſemper ſervire paratus, quotidie in prima diei hora quærebat eccleſiam, ubi videret & audiret ſanctæ Euchariſtiæ divinum Officium celebrari, ut ejus anima corpore divino quotidie poſſet ſuſtentari. In talibus operibus omni die miles Dei vires ſuæ militiæ primitus explicabat, ſecundùm illud Euangelicum : Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & omnia adjicientur vobis. Sic perfectus [erat] eundo & redeundo, ſemperque de bono in meliùs operabatur, ut in eo hoc, quod Scriptura dicit, impleri videatur : Ibunt de virtute in virtutem, donec videant Deum deorum in Sion.

F

unde reverſus ſubditos ſuos armis tutatur.

28 Præterea dum Dei miles pius Gobertus ad terram, quæ ſibi hæreditario jure ſpectabat, remeaſſet, comes de Barro terram ſuam & gentem atrociter cœpit infeſtare *b* ; ſic ut terræ habitatores metu mortis in conſuetis locis vel domibus non audebant habitare. Tunc accedebant ad Gobertum ejus patriæ milites, ruricolcæ & clientes, magno gemitu conquerendo dicentes : Domine, quid agis ? Quis umquam terram tuam & gentes moleſtavit juſtè & injuſtè, te præſente ? Quid nos pateris à tanto comite moleſtari ? Reſume

b

A me arma bellica ; nec ulteriùs ſinas nos tam atrociter infeſtari, nec hæredes tuos exhæreditari. Si quidem vir Dei jam in corde ſuo propoſuerat ſterilem mundi militiam non amplius velle imitari : ſed viſum eſt ei in corde non eſſe acceptabile Deo & hominibus, ſi ſuam plebeculam pro defectu principis pateretur deperire. Accenſus irâ ferventiſſimâ arripuit arma, ſuoſque milites & clientes & agricolas adunavit. Contra dictum comitem ad bellum properavit, & in terram ſui adverſarii cum armis, & igne ſingula comburens, introivit, cui ejus adverſarii non poterant, nec reſiſtere audebant : Deus enim pugnabat pro eo, & nomen ejus poſuerat ſuper omne nomen militiæ. Videns hoc comes de Barro non audebat ei obviam venire : ſed promittebat eum ſanſurum * ad omnimodam voluntatem dicti Goberti [&] pro bono pacis cum eo compoſuit. Sic vir Dei à tam gravi infeſtatione ſuam patriam & gentem liberavit.

* ſancituram

mutato habitu Metas ingreſſus,

29 Huic viro nobiliſſimo, pio ſcilicet Goberto, corde, mente, verbo & opere carnalis frater erat Joannes Metenſis epiſcopus : qui quodam tempore à comite de Barro, multiſque aliis principibus *c* ſic infeſtabatur, ut ab eis Metenſis civitas ex uno latere fuiſſet obſeſſa ; ſic quod Metenſes quærerent vix viribus enſes. Hanc adverſitatem Metenſium epiſcopus nuntiavit fratri ſuo pio Goberto, multis precibus exorans, ut ei in tam diſtricto periculo non differat ſubvenire : quo audito pius Gobertus non audebat gentem ſuam Metas ducere, ne terrâ ſuâ plebibus viduatâ, ſua caſtra ſubvertantur. Siquidem vir Dei cœpit mirabilia proponere, quæ poſtea complevit opere : ſed tamen non eſſet facile cuiquam talia excogitare. Se ipſum diſſimulando proponit Metas ire, ſciens famam ſui nominis adverſarios ſui fratris poſſe deterrere. Aſſumens ergo ſibi ornamenta aurigæ, nobilitati militiæ diſſona, videlicet tabarum * dilaniatum, ex limo & terra varias maculas habentem, [&] tunicam horribilem, quæ ex groſſis pilis aſini & cameli potiùs, quàm ex lanâ Angliæ ſubtili contexta eſſe videbatur ; ocreas duras habens, tam longo tempore diſſiccatas, ut pro defectu uncturæ in latere rimulæ lato hiatu in eis apparerent extenſæ : quibus ocreis more aurigarum erant calcaria conſuta. Aſcendit & in equum, qui adeo erat maceratus, ut potiùs videretur aſſereus, quàm carneus. Ex ejus utroque latere pili ceciderant pro aſſidua temonis delimatione. Ideo pius Gobertus ſic ſe adaptavit, ut Aſperi-montis Dominum ſe eſſe diſſimularet. Aſſumptis ſecum duobus ruſticis in habitu conſimili, multis eſt obvius in via, ſed à nemine cognitus, cum ſuis ruſticis in habitu conſimili uſque Metas pacificè pervenit, & in eadem civitate cum magno gaudio eſt receptus.

B

c

* *i. e.* ſupparum *vel quid ſimile*

C

urbem obſidione liberat.

30 Igitur famâ velociſſimâ volante per totam patriam & civitatem Metenſem, advenas armiferos perterruit : quia ipſa per caſtra & tentoria exercitûs velociter evolavit, ex ejus adventu cœperunt epiſcopus & cives Metenſes attolli, & gaudere ; eorum adverſarii deflecti & timere : quaſi recolentes quomodo Philiſtiim de filiis Iſraël quaſi perterriti dicebant : Venit Deus in caſtra : væ nobis. Sic illi Metenſes metuerunt in adventu pii Goberti, ac ſi dicerent : Nemo contra eos : Deus enim pugnat pro eis. Quia venuſta conſolatio & maxima fortitudo venit in caſtra eorum, fugiamus à facie eorum, vel pacem cum eis componamus. Sic itaque Metenſium adverſarii per adventum viri Dei robuſtiſſimi Goberti tanto ſunt ſtupore perterriti, quòd cum Metenſi epiſcopo pace ſibi gratuita compoſuerunt. Quâ pace compoſitâ, pius Gobertus à fratre ſuo, ſcilicet Metenſi epiſcopo, licentiâ acceptâ, reverſus eſt ad propria, laudans & glorificans pro obtenta victoria Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui vivit & regnat per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Potiùs hoc locum habuit in Palæſtina : unde ordo temporis hic non videtur ſervatus.*

b *Anno veriſimiliter* 1230 ; *ut dictum eſt in Commentario prævio num.* 31.

c *Anno, ut apparet,* 1231, *ut dictum eſt loco proximè citato.*

PROLOGUS AD LIBRUM SEQUENTEM.

E

*Non ſectatur ſcriptor fabulas, aut voces phaleratas & ineptas ; * ſubintellige* ſpecimina *vel quid ſimile*

IGitur viri Dei pii Goberti ſæcularis militiæ, lineis brevitatis, hiſtoriâ peragratâ, & de his, quæ contigerant ei in Terra ſancta Jeruſalem, compagine memoratâ ; ſanctiſſimæ ejus converſionis atque converſationis multa * ſub compendio proponemus. Nos ſiquidem ejuſdem pii Goberti vitam celeberrimam, firmamque converſationem, Deo & hominibus acceptabilem, brevibus nudiſque verbis evidenter proponimus enucleare ; non vulgi favorabilem gratiam præoptantes (propter illud, quod Scriptura ait : Qui vult amicus hujus ſæculi eſſe, inimicus Dei conſtituitur) non Pieridum favillis * inhærentes, non metaphoras aut verborum picturas ſequentes, non elegi, tragœdiæ, comæ * vel ſatyræ ſophiſticis pedibus gradientes, verba ſcurrilia & riſum moventia, atque puerilia, rhythmorum melodias & metrorum conſonantias excludimus.

* *f.* fabellis

* comœdiæ

ſed legentium utilitatem intendit.

32 Verba ſcurrilia & riſum moventia dicimus, propter illud, quod B. Petrus Apoſtolus ait : Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei loquatur. Puerilia verba dicimus propter illud Salomonis : Væ terræ, cujus rex puer eſt. Rhythmorum melodias & metrorum conſonantias excludimus ; quia ſcimus ea non animabus cibum ſpiritualem, ſed auribus adulationis funeſta paſcua largiri. Et quia prolixa congeries verborum, quaſi noverca favoris, non tantùm aures, ſed etiam corda audientium avertit, præſentem hiſtoriam ſuccincta compagine coagulavimus. Non ludibria poëtarum, quaſi fiſtulâ delectando, proſequimur ; ſed quia ſi parvuli forte panem petierint, ne querantur, qui frangerent eis panem ſcripturæ, non reperiſſe, nos placet in actibus pii Goberti deſudare, ut ejus exempla ſint parvulis panis animæ. Inſuper pium eſt, pii Goberti piis exemplis piè vacare : cum præceptum ſit à Domino, fragmenta, ne pereant, recolligere : id eſt, exempla Sanctorum ad cordis memoriam reducere, &, ne pereant, id eſt, ne oblivioni tradantur, ea per ſcripturæ memoriam perennare. Quibus fragmentis ſi cophini, id eſt, corda parvulorum impleantur, de nobis non poterunt conqueri, cum panem petierint, quod non fuerit, qui frangeret eis. Præſertim qui coëgit Nabuchodonoſor *a*, & Caypham *b* de Filio Dei prophetare, nos coëgit pii Goberti exempla ad parvulorum memoriam per ſcripturæ chirographum reducere. Et ſi quid utilitatis in eo fuit inventum, plaſma præbet miniſterium ; ſed divina

F

a *b*

pietas

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

pietas propinat incrementum.

ANNOTATA.

a *Quâ ratione Nabuchodonoſor de Chriſto prophetaverit, dictum eſt in annotatis ad prologum ſecundum cap.* 1, *lit.* c.

b *Caiphas de Chriſto prophetavit Joan.* 11 ℣ 50: Expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo.

LIBER II.

CAPUT I.

B. Goberti vita cœlebs; rerum mundanarum contemptus; ingreſſus in cœnobium Villarienſe.

B

LIB. II. *B. Gobertus caſtitatis cultor,*

PIus Gobertus, licèt [emineret] .. præpotens in omnibus bonis temporalibus, cuncta tamen relinquens [fuit] .. propter Deum, ſecundùm quod Dominus ait: Qui non reliquerit patrem & matrem & uxorem & filios & agros, & omnia, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Cum autem vir Dei propter Deum cuncta reliquit, non iterum poſt hæc oculo mentis vel carnis reſpexit, propter illud, quod dominus ait: Omnis homo ponens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, non eſt aptus regno Dei. Famulo ſuo promiſit Deus, quod, [quia] eum à carnali commercio ſubtraxerat in terris, perenni matrimonio eum cum angelis jungeret in cælis. Erubeſcant ergo ſoluti matrimoniali conjugio, ſeſe commixtionibus infelicibus, non matrimonio protecti, polluentes: cum vir Dei potens in omni virtute, non tantùm miles ſimplex, ſed & vir nobiliſſimus antiqua propagine, robuſtus corpore, aſpectu tremebundus, verbo terribilis, præpotens corpore, quaſi comes potens famoſiſſima virtute, illicitis amplexibus ſe ſubtrahens *.

* ſubtraxerit.

34 Divitias multas, quibus utebatur, [fuit] poſtponens, non eas tantùm quaſi nihilum & inane vilipendens, ſed quaſi vilia ſtercora propter Deum contemnens: quaſi cordi ſuo inſculptum eſſet illud Euangelicum Domini dicentis: Faciliùs eſt camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in regnum cælorum. Recolens & illud Hieronymi: Omnis dives aut eſt iniquus, aut hæres iniqui. Et ne in carnali laſcivia perſeveret *, recolebat illud Johelis prophetæ dicentis: Putruerunt jumenta in ſtercore ſuo; hoc eſt, homines carnales in fœtore luxuriæ vitam finire. Itaque vir Dei oleo pœnitentiæ, oleo eleemoſynæ, oleo miſericordiæ, & trifario oleo caritatis, ignem ſæcularium deſideriorum extinxit: & ſic, miſericordiâ Dei præeunte, coronam æternæ remunerationis meruit triumphalem.

divitiarum, C

* perſeveraret

35 A principio itaque converſionis venerabilis & Deo dilecti pii Goberti, illuminator omnium gentium ita ejus cor ſua benigniſſimâ miſericordiâ illuminavit, & gratiâ ſancti Spiritûs replevit, quòd lineam ſuæ præclariſſimæ nobilitatis, quam * omnibus retro avis & proavis ſanguis in eo transfuderat, in tanta haberet vilitate,

nobilitatis & mundi contemptor,

* ex

ut, ſpreta omni celſitudine, quaſi pauper ipſe ad pauperum Chriſti Villarienſium caſtra hoc modo evolaret. Erat aliquando vir Dei electus in corde cogitans & per rationem præponderans, mundanam militiam & omnem mundi gloriam eſſe ut pulverem ante faciem venti: [atque hinc] quæ mundi ſunt & carnis deſpiciens [evaſit:] quaſi ſibi ſcriptum eſſet in corde hoc, quod ait Auguſtinus: Mundus ait, deficiam: caro clamat, tradam: diabolus clamat, deſtruam: Dominus clamat, reficiam. Quem ſequeris homo, quem ſequeris? D

36 Gobertus verò Deum volens imitari, ſicut exercuerat militiam ſæcularem, ſic etiam militiam clericalem & ſpiritualem firmiter amplecti: ut ſicut cum delectatione militaverat mundo, ſic cum delectatione militaret etiam Deo, ſecundùm dictum Apoſtoli: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati ad inquitatem; ita exhibete ſervire Deo in ſanctificationem. Si ergo victoria militis laus eſt imperatoris; laudi Creatoris quædam quaſi damna facit, qui, unde in electis ſuis laudetur, reticeſcit. Neque tamen aut Creator laudari, aut electi humano ore egent celebrari: ſed nos ut laudemus, magnopere indigemus: qui enim ſolus nullius eget (ut ſcriptum eſt: Quoniam bonorum meorum non eges) neceſſe eſt, ut omnes ejus indigeant. Hanc tantam in laudando Deo noſtram indigentiam Propheta intuens, Laudate, ait, Dominum in Sanctis ejus. E

vitæ ſanctioris propoſitum concipit.

37 Omnipotens Deus in fortiſſimo athleta ſuo triplicem militiam exercuit, ut militando tres hoſtes devinceret, mundum ſcilicet, carnem & diabolum, .. & ut hæc triplex militia ejus in uno milite ſanctæ deſerviret Trinitati, in una ſubſtantia exiſtenti. Unde & miles Chriſti [ut] militiæ clericali & ſpirituali firmiùs & magis devotè vacare poſſet, in conſortio monachorum Ordinis Ciſtertienſium concupivit collocari, quærendo ſibi utile cœnobium. Peragratâ itaque multâ provinciâ, multiſque cœnobiis, uſque Nivellam *a* perrexit, pro eo quod bonos rumores audierat de religioſis mulieribus, ſcilicet Beghinis *b* ibidem commorantibus. Inter ceteras ibidem reperit quamdam virginem, quæ propter honeſtæ vitæ converſationem Deo erat acceptabilis: cui virgini nomen erat Emmeloth: quod nomen etymologicè poteſt dici ab e (quod eſt extra) & melos (quod eſt carmen) quaſi extra mundi carmen. F

Ordini Ciſtertienſi cupiens aggregari,

a

b

38 Huic virgini pius ac devotiſſimus Gobertus ſui ſecreta cordis de converſione revelavit. Confitebatur etiam ei, quomodo, multis locis peragratis, quærebat locum, ubi cum ſanctis viris poſſet ut monachus collocari. Rogans ergo eam [erat] deſiderantiſſimus tyrunculus, ut pro ſuo negotio Deum oraret: quia non invento ſibi apto cœnobio, in ſuam patriam remeare proponebat. Cui divino perfuſa flamine venerabilis virgo Emmeloth reſpondit: Rogo te, mi Domine, & tremendis precibus exoro, ut vadas uſque Villarium, antequam recedas retrorſum: ibi procul dubio invenies virum, perfectiſſimum monachum, nomine Abundum. Ille tibi dicet per omnia, quæ te oporteat facere.

virginis Nivellenſis conſilio edit

39 Hoc audito, vir benigniſſimus pius Gobertus gaviſus eſt gaudio magno nimis. Perrexit ergo Vir Deo plenus, & pertranſiit uſque Villarium, ibique humilem invenit Abundum. Cui invento omnia ſua ſecreta detexit, & omne negotium ſuum ſibi agendum tradidit. Abundus igitur religioſus & pius monachus, negotio venerabilis

Abundum Villarienſem aſcetam,

A rabilis ac devoti militis pii Goberti cum multa devotione ſuſcepto, adorans beatam & glorioſam Virginem ac Dei Genitricem Mariam, quam privilegio ſingulari [&] amoris prærogativâ poſt Deum dilexit, ſuper dicto negotio conſuluit.

cujus impulſu cœnobium Villarienſe eligit, c

40 Quo negotio à famulo Dei Abundo conſulto, & à B. Virgine Maria, unica ſua amica *c*, divina permiſſione reſponſo accepto, dixit: Hic te Deus & B. Virgo Maria volunt manere: quia hæc eſt terra quaſi repromiſſionis tuæ: per quam ad patriam remunerationis poteris pervenire. Gobertus ergo interiùs mox divino igne accenſus, venerabilis Abundi conſilio penitus eſt fretus. Gaudeamus ergo; quia quod Ananias fuit Apoſtolo Paulo, hoc fuit venerabilis Abundus pio Goberto. Ille Paulum in Chriſtianos atrociter furentem in fide Catholica præſtruxit: iſte Gobertum contra hoſtes, iniquum militem, ſuperbum mundi amatorem, mundum deſpicere, ſuperbiam humilitate frangere, inimicum propter Deum diligere, & omnem monachalem religionem edocuit cuſtodire. Gaudeat propterea

B caula, cujus agnus lupi ſævientis factus eſt doctor. Gaudet nihilominùs Villarienſis caula, quæ ſuos vocat electos, & ex longinquis regionibus congregat in unum, quaſi gallina, quæ congregat pullos ſub alas: unde canit Eccleſia; Congregavit nos Chriſtus ad glorificandum ſe ipſum: item, Congregavit nos in unum Chriſti amor. Timeamus & ameмus Chriſtum Deum. Ubi caritas & amor, ibi Deus.

cui proin meritò gaudendum.

41 Gobertus itaque venerabilis Abundi uſus conſilio, ex providentia Dei Villarium in Brabantia Cyſtercienſis Ordinis præelegit: quaſi ſcriptum eſſet in corde ſuo illud propheticum Pſalmiſtæ dicentis: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi. Hîc habitabo, quoniam elegi eam. Ibique non ex abrupto, non impetuosè, ſed cum ſanctiſſima deliberatione monachus fieri præoptavit; quaſi illud recolat in corde ſuo, quod Dominus ait per Pſalmiſtam dicentem; Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Quia verò viſum eſt ei, multam ibi innocentiam atque religionem *d* reperiſſe, præelegit

d

C ibi monachari: quod & factum eſt. Gaudeat ergo chorus Villarienſium monachorum, in cujus conſortio miles potens & rigidus, pauper & humilis factus eſt monachus. Rigidus factus eſt flectens, & potens frater humilis uſque ad minimum, quaſi viola fragrans odorem optimum. Nam ibi vita illius circumquaque exempla eximiæ converſationis dedit. Et ſicut flos placens eſt in flore, ſic pius Gobertus factus eſt placens in ſua pia converſatione; præſertim cùm in eo floreret fervor & religio, dum tali conjunctus fuiſſet collegio.

ANNOTATA.

a *Nivella, olim Nivigella & Nivalis dicta, oppidum Belgii in Brabantiâ prope fines Hannoniæ, diſtat Bruxellis leucas* 5, *Namurco* 8. *Ita fere Ferrarius in Lexico geographico.*

b *Beghinæ, in ſolo fere Belgio commorantes*, medium vitæ genus agunt inter monaſticum & ſæculare. Certis legibus omnes vivunt, de ſuo victitant; à votis *perpetuis* liberæ ſunt; ſi nubere viſum *eſt*, migrant & nubunt, *ſolutæ voto obedientiæ & caſtitatis, quo obſtringuntur, quamdiu Beghinarum ſtatum profitentur. Ita Lindanus apud Cangium in Gloſſario, ubi & plura poſſunt legi ad ipſas ſpectantia, ac præſertim quomodo Joannes XXII ſuo eas diplomate declaret diſtinctas à Beguinis in concilio Viennenſi damnatis. Porrò jam ab anno* 1226 *plures Nivellæ floruiſſe Beghinas pietate conſpicuas, teſtatur Cantipratanus lib.* 2. *De apibus cap.* 51.

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

c *Piam Abundi Vitam, ejuſque amorem erga ſanctiſſimam Deiparam, memorat Chronicon Villarienſe apud Marteniam tom.* 3 *Anecdotorum col.* 1350. *Item Joannes d' Aſſignies in libro de viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſis fol.* 87 *verſo. De ejus obitu dixi in Commentario prævio num.* 36 *&* 37.

d *Cantipratanus, qui eodem, quo* B. Gobertus, *anno è vivis exceſſit, lib.* 2 *De apibus cap.* 26, *num.* 6 *agens* de ſanctis fratribus monaſterii Villarienſis, *ait:* In hoc monaſterio multos vidimus Sanctos, & pleroſque qui prophetiæ ſpiritu & miraculis claruerunt.

CAPUT II.

Variæ B. Goberti virtutes.

E

In Religioſa B. Goberti vita conſpicuæ ſunt virtutes variæ,

HInc accedenti tempore cum in annis floreret pii Goberti religio ſuæ ſanctæ ac novæ militiæ, tamquam plus aliquid adeptus libertatis, toto ſpiritûs impetu viam currebat ſanctitatis: unde cùm monachus fuiſſet factus, cœpit omnes fratres in Deo & propter Deum ſimpliciter firmiterque diligere, & humiliter venerari, ac eis obedire, juvenibus, ſenibus & mediocribus pro ſuo poſſe gratum honorem impendere. Mandata Dei & Ordinis ſciens non tranſgrediebatur: minores ſe non contemnebat, ſe ſibi paribus non præponebat, majoribuſque non conabatur adæquari. Quatuor hæc non faciebat, quaſi ſciret, ea eſſe radices ſuperbiæ: quam ut poſſet effugere, factus eſt mitis & humilis corde, ut in eo inveniatur, quod Dominus ait ad diſcipulos ſuos: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Multiplicabatur ergo & creſcebat pius Gobertus in proficiendo de virtute in virtutem in domo Domini (ut palma & cedrus Libani, in cujus ramis pupillus ſuffugium, & vidua cum affligeretur, protectionis invenit umbraculum) in qua

F domo ſæpius ingrediebatur & toto corpuſculo proſtratus in conſpectu Domini exercituum, quod potiſſimum habebat, impoſuit ſacrificium, cor ſcilicet contritum & humiliatum.

erga Deum,

43 Præterea ſapiens diſſimulator, quidquid in ſe virtutis naſceretur quotidie, ſummè ſtuduit occultare, timens quaſi deprædari, ſi theſaurum piæ actionis non abſconderet. Hic ab anno ſuæ probationis egregia futuræ ſanctitatis dedit indicia: præſentia ſcilicet faſtidire, nihil in mundo appetere, Conditoris amori nihil præponere, ſola, quæ fructum veræ virtutis pariant, ambire. Et, quod omnibus utile eſt, à primo ſcilicet inſtinctu Spiritûs ſancti, quamvis in juvenili ætatis ſuæ tyrocinio, tamen ita in Conditoris ſui amorem exarſit, ut cuncta, quibus mortalium vita fovetur, deſpiceret, atque in immortalis vitæ appetitu deſudaret. Cunctis enim virtutibus, quibus cæleſte regnum adipiſcitur, pii viri nutriebatur ſpiritualis militia: deſpexit enim mundum, quia certus erat deficere mundum: factuſque eſt pauper pro Chriſto, ut dives fieret in Chriſto. Hunc rigidum flexit pietas; ſuperbum inclinavit humilitas; de leone fa-

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

ctus est agnus, quia pacis tulit actus per virtutem fidei, spei, & caritatis. Ergo iste qui videbatur leo, hoc quodammodo triplici fune virtutum nunc jungitur Deo.

& proximum,

44 Hinc etiam inter tristes contristabatur, desolatos consolabatur, bona bonis exhortabatur: & quia corde erat lenis, gestabat pia viscera, ac dedit egenis pietatis ubera. Non lasciviebat in prosperitate, sed ridebat in adversitate: & licèt peste plena, tamen huic sapiebat, ut dulcia, pœna: sciens quòd à servis Christi non est cassa tribulatio pro Domino passa; quia virtus in infirmitate perficitur. Apostolum hac imitabatur, &, ut dictum est, desolatos solabatur: ad omnes quoque bonum operabatur: sed magis domesticis fidei & peregrinis inclinabatur, tribuens eis solamen majusque juvamen. Hic Gobertus pro pœnitentia suam carnem maceravit; qui etiam in luce, quæ Christus est, ambulavit: ac omni tempore tam opere & veritate, quam verborum oratione Deum invocavit: quia pœnitentiam non devovit, propterea bonus pastor suus ovem suam recognovit. Hunc ergo Deus
B exaudivit, quem veste munda scilicet caritatis vestivit. Hic etiam Jerusalem *a* introïvit, spernens, ut dictum est, mundum, Deum forti corde concupivit. Et quia corde sequendo Christum, annexus est Christo, propterea non fidebat in isto mundo.

a

præsertim afflictos:

45 Hic etiam vir justus justis consiliis Dei acquievit, & in bonis operibus crevit: quia quamdiu vixit, mortalem reatum hîc purgans, se Deo gratum dedit. Nemini quippe [erat] dans offensionem pius Gobertus, arridens tribulationibus, assistens proximi necessitatibus, gaudens angustiis & laboribus, sollicitus in orationibus, exultans in vigiliis, hilaris in jejuniis, fervens in divinis officiis, gratus castitate, mitis suavitate, plenus fuit Dei & proximi caritate: & propterea terrenum fœnus non captavit. Hic etiam sæpius infirmos visitabat, miseros confortabat, egenos pro posse sustentabat, schismata terminabat, discordantes omni, quo potuit, studio pacificabat, probra proximorum arguebat, in membris suis Deum diligebat, nudos vestiebat, laudibus Dei lætus astabat, & dogmata juris alebat, ideoque cum Christo sedem sibi præparabat: non
C autem cum fatuis virginibus gressus retardavit, sed cum doctis virginibus prudentibus ad nuptias properavit. Oleum misericordiæ in lampade exempli portavit: chlamyde exempli totum corpus adaptavit, tenebras exteriores sapienter evitavit, & ad portam nuptiarum sponsum exspectavit: quem sponsus etiam ad nuptias collocavit. Atque sic ad æterna gaudia pertransivit, ideoque nunc in sempiternis tabernaculis cum Sanctis omnibus gloriosè vivit.

alios ad sui admirationem & imitationem rapit:

46 His & hujusmodi indiciis ac præclaris virtutibus monachi in novum militem Christi advertentes superna visitatione illustratum, planè nec sine divino consilio & auxilio hoc existimant factum: in quo facto tantæ humilitatis exemplo se exhibuit cunctis, ut illum omnes caritatis affectu venerarentur. Verè namque erat castitatis amator, hospitalitatis indulgentissimus cultor, erga Deum & proximum nectareo flagrans incendio. Oleo pœnitentiæ sæcularia desideria calcavit. Dum factus monachus, cœpit mente, verbo & opere doctores juris, religionis & honestatis, videlicet monachos Villarienses, suos confratres, in omni bonitate non tantùm imitari, sed etiam in bonis virtutibus superare, sicut carbunculus inter calles, & sol inter stellas. Interea vir Dei in D
brevi tempore, moribus mutatis in meliùs, in omni opere bono transcendit suos doctores: ita ut extendens radios suos, videretur stellas confines obnubilare: sic ut posset dici lux lucens in tenebris; quia in ejus respectu confratres, licèt boni, tenebræ tamen quodammodo possent appellari: cum non possent claritatem bonitatis ejus comprehendere. His igitur sanctis virtutibus atque actibus pollens vir cælebs, dum in præfata cœnobii ecclesia supra coævos & senes, ceu sydus egregium radiaret, multi fratrum ejus exemplo animati, vivere beatiùs elegerunt.

mortificationi

47 Nil etiam erat Viro Dei magis ingratum, quam per pœnitentiam non punire peccatum; quasi recolens illud Apostoli: Castigo corpus meum & in servitutem redigo. Modicus somnus, vestis aspera, modicus cibus, lectus durus de conversatione viri Dei testimonium perhibebant. Mira res! qui in omni lascivia mundanæ delectationis [fuit,] sic consuevit corpus lascivum asperâ pœnitentiâ perdomare. Insuper vir Dei pius Gobertus carnem lascivam cœpit divinæ servituti subjugare: & in his pœnitentiæ tormentis si lingua fessa aliquando tacebat, tamen mens E
cordis solitâ devotione Christo psallebat, quasi recolens illud Apostolicum: Orate sine intermissione; & illud B. Andreæ pendentis in cruce: Orate sine cessatione, ut diabolus, qui circuit quærens aliquem devorare, elisus & prostratus à servis Domini superetur.

& humilitati studet:

48 Tot ergo tantisque virtutum formulis cum vir Dei fuisset adornatus, ab omnibus honoratus, & contemnebat; ab omnibus amabatur, & solus se oderat. Hæc tua est, Christe, in servis tuis glorificatio. Hæc illorum pro tui nominis amore suimet abjectio: nam mens, quæ divino spiritu impletur, habet evidentissimè signa sua, virtutes scilicet & humilitatem: quæ si utraque in una mente perfectè conveniunt, liquet, quòd de præsentia sancti Spiritûs testimonium ferunt: nam in magna Dei custodia sunt, qui se ipsos in hac vita despicere noverunt. Et sicut lege non astringitur Spiritûs sancti donum, sic vera existimatio vitæ est in virtute operum, non in ostentatione signorum: nam opus ex dono est, non donum ex opere. Accepit ergo pius Gobertus Spiritûs S.
F donum, & operatus est bonum. Ditaverat namque eum Deus gratiâ Spiritûs sancti in homine interiori & exteriori, scilicet spiritu sapientiæ & intellectûs, spiritu consilii & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis: nec etiam deerat ei spiritus timoris Domini.

donis cælestibus repletur:

49 Amantissimo Domini pio Goberto congruere videtur hoc, quod per Salomonem dicitur in persona Ecclesiæ: Læva ejus, id est, Christi, sub capite meo, & dextera ipsius amplexabitur me. Ad lævam sponsæ pertinent bona temporalia & terrena: ad dexteram verò bona spiritualia atque cælestia. Bona corporalia sunt generis & morum nobilitas, valetudo corporis & pulchritudo. Bona dexteræ sunt sanctæ virtutes, quibus in præsenti anima illuminatur, & vita æterna, quæ virtutibus promeretur. Utraque bona dexteræ scilicet & sinistræ Salomon alibi exponit, cum dicit: Longitudo dierum in dextrea ejus; divitiæ autem & gloria in sinistra illius. Pius Gobertus quam diu vixit in seculari habitu, gloria & divitiæ in domo illius fuerunt, cujus justitia, quam per sanctam conversationem postea promeruit, permanet in sæculum sæculi.

50 Quæ justitia talis in eo fuit, quia unicui-

que,

A que, quod ſuum erat, tribuit: nam religioſos, imo in religioſis Chriſtum honorare ſtuduit. Sacerdotes etiam tam Ordinis quam ſæculares, quamvis fuiſſent pauperes, & viderentur eſſe deſpicabiles, in tantum honoravit, quod numquam priùs, quam illi manus abluiſſent, ſuas, dum ſimul ad menſam accedere deberent, abluere voluit, & perſonis illuſtribus, ſecularibus tamen, illos præferre ſtuduit. Et quia timor Domini ſine dilectione minùs placet, Deum præ omnibus & ſuper omnia dilexit atque reverenter timuit. Beatam etiam & benedictam atque glorioſam Virginem Mariam, quæ mater eſt pulchræ dilectionis, id eſt, Chriſti, qui fons eſt & origo atque auctor totius ſancti amoris, ſuper omnia poſt Deum dilexit.

Sacerdotes reveretur, & B. Virginem Deiparam plurimùm diligit:

51 Unde beatiſſimus Apoſtolus Paulus, qui vas eſt electionis, gloriam electorum, & circa illos divinam intelligens diſpenſationem, ſic ait: Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & magnificavit. Quatuor hic enumerat glorioſus Apoſtolus, prædeſtinationem, B vocationem, juſtificationem, magnificationem. Primum æternum eſt, & eſt cauſa trium ſubſequentium. Quos autem Deus ab æterno prædeſtinat, hos in tempore vocat, juſtificat & magnificat. Pium Gobertum, ab æterno prædeſtinatum, prædeſtinantis gratia ad ſanctæ converſationis locum tempore & occaſione, quibus voluit, ut prædictum eſt, vocavit: vocatum contritione, confeſſione, ſatisfactione & proprietatis renuntiatione juſtificavit: juſtificatum autem ſignis & virtutibus poſt mortem magnificavit. De magnificatione autem ejus cæleſti dicere non ſufficimus, quia qualis vel quanta ſit, neſcimus.

prædeſtinationis divinæ effectus habuit.

ANNOTATIO.

a *Id eſt, ut arbitror*, animi pacem invenit: *nam* Jeruſalem *Hebraïcè* viſionem pacis *ſignificat: ut latè videri poteſt apud Serrarium in cap.* 10 *Joſue, Q.* 2.

CAPUT III.

C

Beatus Gobertus levem defectum graviter caſtigat; ejus animi demiſſio, & in precibus attentio.

B. Gobertus ſibi viſus cum ſocio

NIl fuit magis gratum viro Dei pio Gobertо, quam membra ſua non cibo delicioſo, ſed aſpero & modico foveri. Unde quâdam die pro quodam negotio in regionem peregrinam proficiſcens * cum quodam ſuo confratre & monacho Petro, non ficto ſed vero nomine dicto; ſiquidem per iter perveniſſent quorumdam dierum itinere, quodam in oppido ceperunt hoſpitium ſub quodam veſpere, ubi neceſſe habebant pernoctare. Ipſis longo & gravi itinere vexatis, & diei & æſtûs fervore & labore fatigatis, requiem gratanter acceptabant (quamvis ſemper promptus ad laborem eſſet) ne caro infirma deperiret. Erat quidem idem monachus, Petrus nomine, loculos habens, quibus viatica geſtaret, fecitque in menſa multa dapinari, & pocula miniſtrari: his etenim quàm plurimùm indigebant; quippe poſt laborem requies ſit gratiſſima, poſt abſinthium deguſtatum bonus cibus & pocula videntur eſſe melliflua. In tantum [erant] edentes & bibentes, ut carnis infirmæ acciperent neceſſaria. Sed viſum eſt pio Goberto, hæc ad ſobrietatem non accepiſſe; ſed ultra modeſtiam viſum eſt & cibos & pocula abſorbuiſſe. Se ipſum ſuper his tacitè in cordis thalamo accuſabat conſcientia. Ipſis ſiquidem cibis & potu refectis, non audebat fratri ſuo, quæ in mente ſua ſunt abſcondita, detegere; donec in craſtino videret cordis jejunia remeaſſe. Sciebat enim, quòd Bacchus veniens in pectore, neſcit verba correctionis patienter ſuſtinere.

* cùm proficiſceretur

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

53 Mane autem facto in die craſtina, dum vir Dei pius Gobertus cum dicto Petro confratre ſuo per quamdam viam perrexiſſet, cœpit in ſecreto dicto fratri ſuo humiliter & benignè, quæ in corde conceperat, ſuper dictis expenſis detegere; & quomodo conſcientia ſua ſuper his eum accuſabat, cœpit ei declarare, prorumpens in hæc verba: O frater mi, domine Petre, ſuper expenſis, quæ ſerò fecimus, multùm me mea perturbat conſcientia: non enim expendimus ad ſobrietatem, ſed ultra vitæ neceſſaria, E bona temporalia abſorbuimus ad ſuperfluitatem, parvipendentes illud Sapientis, dicentis; Victui meo tantùm tribue neceſſaria; & illud Apoſtoli; Nihil intulimus in hunc mundum, ſed & nihil efferemus: habentes autem victum & amictum, his contenti ſimus. Non etiam licet nobis patrimonium Crucifixi expendere ad ſuperfluitatem, ſed inde poſſumus nobis & archifamiliæ noſtræ ſumere neceſſaria: reſiduum verò pauperibus reddere [debemus.] Propterea dico, reddere, quoniam patrimonia Chriſti propriè ſunt pauperum.

temperantiæ limites exceſſiſſe;

54 Hæc & his ſimilia, opera pii Goberti plùs quàm verba aſſerebant, ac ſi ſcriptum eſſet in corde ſuo illud, Clerici beneficiati in eccleſia diſpenſatores ſunt, non veri domini, quia diſpenſatio eſt tantùm illis credita. Et [erat] quaſi conſiderans illud Ambroſii: Cùm pauperibus ſubvenimus, non noſtra, ſed ſua eis largimur, & quaſi conſiderans ſuper Ezechiam Hieronymum in fine dicentem; Quæ ſanctificata ſunt Domino, non ſunt eorum propriè, quibus data ſunt, ſed ejus, cujus nomine poſſidentur. Ergo bona F eccleſiaſtica non propriè ſunt clericorum, ſed Chriſti & pauperum. Itaque vir Dei velut cernens prælibata, ſciens * eccleſiaſtica non hiſtrionibus eſſe danda, ne dæmonibus immoletur; nec in uſus ſuperfluos expendenda, ne Chriſti pauperibus, quæ ſua ſunt, furentur. Videtur etiam vir Dei conſiderare *, quod alibi dicit auctoritas, Aliena rapere convincitur, qui ultra neceſſaria ſibi retinere comprobatur. Nihil ſiquidem ultra neceſſaria, ſed neque neceſſaria retinens, quidquid poterat, pauperibus erogabat. Nihil ad craſtinos uſus retinebat, ſed penitus B. Martino æmulus fiebat, qui de craſtino non cogitabat. His & multis aliis ſeſe & ſuum fratrem reprehendens pius Gobertus, intra cordis hoſpitium deplangebat, quòd de Chriſti patrimonio laſcivierat, ut poſſes putare ipſum illud Auguſtini conſiderare dicentis; Sub ſpinato capite non decet membrum eſſe delicatum.

ſe & ipſum accuſat.

* ſciebat

* conſiderâſſe

55 Siquidem frater Petrus hanc increpationem pii Goberti non ſuſcipiebat animo reverenti; neque pacificè viri Dei dictis acquieſcebat; ſed contra in virum Dei acriter viſu defixo, irâ perfuſus cœpit ſtomachari, ſic ut præ nimia ira-

Socium reprehenſione offenſum lenire conatur,

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

cundiæ intemperantiâ æſtuans per omnia viſcera, non poterat ei verbum reſpondere : ſed, ut fera ſylveſtris jugum diſſuetum ferre dedignatur, ſimiliter hic contra verbum piæ correctionis calcitrabat. Sic incedebant ferè quaſi diei illius trium horarum itinere ; ſed nec Petrus pio Goberto dabat reſponſa : quem videns pius Gobertus ſuis juſtis increpationibus ſine cauſa ad iracundiam promoviſſe, ſuper hoc cœpit contriſtari & dolere ; & ut fratrem prælibatum poſſet ſibi placare, ſæpe eum dulcibus verbis affabatur & leniebat, quaſi conſiderans illud Salomonis : Verbum dulce multiplicat amicos & mitigat inimicos.

ac in terram proſtratus

56 Videns autem pius Gobertus præfatum monachum quoquo modo non poſſe deflecti, nec ejus animum pacificari, dixit ei : Frater mi, ſolvamus Horarum ſervitutem noſtro Creatori. Quibus monitis ille favit, ſed tacendo. Et quia mos

a

eſt in Ordine Ciſtercienſi *a* in introïtu Horarum privatis diebus genua flectere ; ut Ordini pareant, ab equis deſcenderunt, in terra genua reflectentes. Cum igitur pius Gobertus vidiſſet fratrem Petrum in terra proſtratum, conjunctis manibus,

B

poſitis in terra cubitibus & genibus, & velut parumper prorumpens in lacrymas, humiliter & benignè veniam poſtulabat ; ſuper eo, quòd viſum eſt ei pro ſua correctione dictum fratrem ad iracundiam provocaſſe. Sed viri Dei preces illum penitus non tangebant : obduratum quippe fuit cor Pharaonis. Siquidem vir Dei verbis humilibus, & aſſiduis precibus magis ac magis inſtabat, & ſe numquam erexiſſe * conſtanter affirmabat, donec ſuper prælibatis veniam impetraſſet. Hoc viſo, frater Petrus eum cum indulgentia erexit, iram ſubmittendo.

** erecturum*

demiſſo animo

57 Mira res ! Quis umquam audivit vel vidit talia ? O nimia & miranda humilitas ! ut vir dilectus Deo & hominibus, vitâ & moribus præordinatus, venuſtate præcellentiſſimus, moribus & natu ab origine vetuſtiſſima venuſtiſſimus (ubi veniâ non indigebat, quia culpâ carebat) ſic veniam poſtularet, & ante pedes crudelis belluæ ſic genua procurvaret. Hæc ſinceræ caritatis & mirandæ humilitatis operatio lapideo deberet epigrapho perennari, ne fumoſo livoris ardore comburatur, [&] ut cophini impleantur, hoc eſt, ut corda legentium & audientium hoc exem-

C

plo roborentur & ædificentur, ne fragmenta depereant, hoc eſt, ne patrum memoria tradatur oblivioni : ſiquidem iſtud opus miſericordiæ fuiſſe patet manifeſtè : ſi enim vir Dei Dominum Deum ſuum non dilexiſſet, nequaquam ante pedes fratris ſui ſic procubuiſſet.

veniam petit.

58 Siquidem & hæc operatio poteſt virtus maxima, admirandæ necnon & inauditæ humilitatis appellari ; ut ante pedes pauperis monachi vir talis ac tantus, inſignia ſuæ nobilitatis prætermittens, conjunctis manibus genua deflecteret, veniam poſtulando ſuper eo, ubi culpa pœnam non promeruerat. Siquidem quantò gloria mundanæ delectationis inter ipſa mundi exercitia pio Goberto plus arriſerat, tantò plus in habitu monachali, parvipendens mundi proludia, ad omnes, & intus omnia ſe humi inclinans humiliabat. Ideo hæc humilitatis virtus in eo perfecta fuit : cum humilis dicatur, quaſi humi acclivus. Itaque vir Dei videbatur illud reſpicere, de quo Scriptura ait : Non prodeſt virtutes cumulare, niſi quis ſtudeat humilitatem cuſtodire : quia, ſicut ait B. Gregorius, qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi pulverem in vento portat.

59 Quoniam Scriptura dicit ; Ubi Spiritus Domini, ibi libertas ; planè dignoſcitur in hoc venerabili viro pio Goberto Spiritum Domini fuiſſe : nam tanta fuit præditus libertate animi & ſpiritûs, quòd non ſolùm ex bona voluntate, & ex voluntaria bonitate Domino Deo deſerviebat, & mala facere contemnebat ; verùm etiam quidquid ſibi diceretur, vel fieret, totum ex animi libertate pro Deo parvipendebat. Et ſic veraciter utebatur libertate animi : in qua voluntas ejus bene vivendi permanſit, atque ſecum uſque in finem vitæ ſuæ perſeveravit : ita ut bene vivendi, & numquam peccandi voluntatem gratia Dei augeret. Unde quadam die contigit, quòd vir ſanctus, pius ſcilicet Gobertus, pro quodam arduo negotio, & cum eo quidam monachus nomine Radulphus cantor Villarienſis proficiſci deberet. Factum eſt autem cum in via eſſent, & tempus Horarum perſolvendarum adveniſſet, dixit monacho, ſocio ſcilicet ſuo, vir devotus ; Frater cariſſime, tempus eſt & appropinquavit jam hora, ut perſolvamus Domino Deo Creatori noſtro Horarum noſtrarum debita. Radulphus verò ſolus, quamdiu cum eo erat, Horas canere coram ipſo conſueverat.

D

Litterarum ignarus,

E

Horarum canonicarum lectionem

60 Cumque Horam canonicam perdixiſſent, & Horam de B. Maria poſt Horam canonicam incepiſſent, contigit, ut in quamdam villam intrare debuiſſent. Et ecce ejuſdem villæ canes veniebant, & magnos latratus contra ipſos dabant : quos cum vir Dei per manicam cucullæ ſuæ à ſe & à ſocio ſuo abigere vellet, & * quantò magis eos equitando abigebat, tantò minùs proficiebat ; quia eos magis ſequebantur & magis latrabant. Cum ergo hoc vir devotus perſpiceret, quod latratus canum ad aſcultandum Horas divinas eum impediret, dixit monacho ſocio ſuo ; Dimittite nunc hanc dicere Horam, donec pertranſeamus villam ; quia tumultus iſtorum latrantium canum non permittit me recipere ſonum ſanctorum verborum.

** redundat &*

attentè ut audiat, ſedulò conatur :

61 In his verbis percutiuntur & redarguuntur clerici ; qui, dum ad ea, quæ cantant & legunt, cor habere deberent ut intelligerent, à ſemetipſis per ſuam negligentiam deviant. & cor ſuum perdunt, & propterea, quæ cantant, non intelligunt, vel quæ legunt ; hic autem Vir ſanctus, quia laïcus erat, & quæ cantando vel legendo dicebantur, non intelligebat, ideo dixit ; Tumultus iſtorum latrantium canum non permittit me recipere ſonum ſanctorum verborum. Væ nobis erit, qui ſcientiam intelligendi, quæ cantamus vel legimus, habemus, ſi non intendimus, vel cor apponimus : cum vir iſte, qui intellectum clericalem non habebat, tantam dulcedinem cordis de ſonitu ſanctorum verborum ſentiebat. Et propterea voluit in hoc Deum honorare, quia ſciebat tantò Deum ab hominibus meritò digniùs honorandum, quantò & pro hominibus meminerat indigna ſuſcepiſſe. Sed nunc ad ordinem revertamur.

F

detractiones non eſſe curandas, docet :

62 Cum ergo pertranſiſſent villam, dixit monacho pius Gobertus : Solvamus modò beatæ Virginis Horam, quam propter latratus canum ſolvere dimiſimus. Quâ perſolutâ, iterum dixit monacho vir ſanctus : Frater Radulphe, dic mihi aliquod verbum conſolatorium, cariſſime. Qui reſpondit ; Quod verbum vobis dicere potero, qui ad præſens in memoria, quod dicam, non habeo ? Cui Vir pius dixit ; Dic mihi, quid ſignificet latratus canum, & quid nobis innuat. Reſpondit Radulphus : Quid aliud portenderet latratus iſte canum, niſi quia hoc faciunt, quod

à natu-

A à natura acceperunt. Cui dixit vir Sanctus : Audi ergo me, docebo te. Et dixit : Sicut non curamus de latratu canum iſtorum, ſic nec curare debemus de detractionibus hominum garrulorum. Hìc poſſumus notare in Viro Dei nobilitatem cordis atque ſtabilitatem animi : nam quodammodo ſtetit inflexibilis ſtatus ipſius mitis : & quia detractio eum ad iram non provocavit, ideo conſequenter dici poteſt, quòd eum ad remiſſionem inutilis guerræ * nullus favor inclinavit.

* *i. e.* inutilium gerrarum *ſeu* nugarum.

ANNOTATIO.

a *Martene tom.* 3 *Anecdotorum col.* 1325 *ita ſcribit :* Hic mos (*ſub initium Horarum flectendi genua*) non Ciſtercienſium ſolùm fuit, ſed aliorum inſuper monachorum, qui in itinere conſtituti, canonicas ſtatuto tempore Horas recitaturi, ex equo deſcendebant, flectebant genua, tum incepta hora, iter proſequebantur. Ita videre eſt in regula Magiſtri cap. 56, in ſtatutis Lanfranci cap. 25 apud Udalricum lib. 3, cap. 3, & in Mss. S. Pauli Romani monaſterii conſuetudinibus.

B

CAPUT IV.

B. Goberti abſtinentia & miſericordiæ opera.

Carnes, quas æger deſideravit, QUadam die vir Dei pius Gobertus corporali quadam infirmitate vexabatur atrociter, ſic ut ipſum in accubitu lectuli ſui, velit nolitque, ex anguſta neceſſitate oportebat procubuiſſe. Cæterùm cum ſic aculeo diſtrictæ infirmitatis infeſtaretur, velut infirmitas naturalis & accidentalis ſuppetebat, cœpit carnes pullinas ardenter ſitire : ſed talium carnium tempora non prætendebant abundantiam : cum verò carnes prædictas vir Dei [non haberet ;] cujus ne humana fragilitas præ nimia infirmitate magis ac magis debilitaretur, [volebat Deus] quia Dominus in tempore neceſſitatis & anguſtiæ non dereliquit ſperantes in ſe, ut ſervi ſui deſiderium adimpleret, duo pulli quaſi ex divina proviſione

C viro Dei tranſmittuntur.

64 Quibus allatis, & ad uſus esûs præparatis, *reſpuit.* pioque Goberto præſentatis, ut, quæ ſua infirmitas appetebat, comederet, ne caro infirma in via deficeret *a* ; quaſi contra infirmitatis ſuæ ingluviem loquendo, cœpit murmurare & dicere: O peſtifera & intolerabilis ingluvies, quæ, ve- *a*

* vores lut corvus cadavera ſemper inhias, ut voles * ſingula, quæ me tua ſterili voracitate conaris fraudulenter debellare, quæ me tanto tempore telo gulæ reverberaſti : ſed in me non prævalebunt tuæ laſcivæ cupiditatis inquinamenta. Recede à me : non tibi pareo : non, inquam, ex cibo, tam æſtuanti deſiderio mihi præoptato, meæ carnis cupidinem placabo : non ex his pullis gula vorax comedes ; ſed te copia faciet inopem ; ut non mihi dominetur gulæ iniquitas, & ut mihi faveat Dominus, quod petiit David dicens : Pone, Domine, cuſtodiam ori meo. Tunc cœpit ſciſcitari, qui inter fratres eſſent infirmiores, volens eis pullos comedendos præſentari, ut eis quantulumcumque infirmitatis ſuæ facerent levamen, dicens & aſſerens, ſe ex iis numquam eſſe refecturum. O res admiranda ! quis umquam vidit militem laïcum, qui nil niſi mundana conſueverat, ſic eruditum ? qui ſic ſciret omnibus modis virtutum rebellem carnis aſellam perdomare, quaſi conſiderans genus humanum per ingluviei cupidinem corruiſſe, & per gulæ appetitum ventre ſaginato, corpus humanum (vas fictile de vili ſchemate plaſmatum) ad omnes carnales, & illecebres delicias, pronum ſe inclinaſſe. A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

65 Quia, ſicut prædictum eſt, pio Goberto tanta erat cura de pauperibus, ut bona temporalia vix poſſent ad hoc ſibi ſufficere, propterea fuit ei menſura dandi & portio præordinata, ut non poſſet amplius dare pauperibus, quàm ſibi fuerat conſtitutum. Non equidem volebat menſuram dandi à ſuis ſuperioribus ſibi conſtitutam excedere. Licèt namque voluntas fervens & ordinata pauperibus propter Deum dandi eleemoſynam ſit maxima, plus tamen acquieſcebat ſuorum prælatorum & Ordinis mandatis obedire; quaſi recolens illud quod Scriptura ait ; Melior eſt obedientia quam victima : & velut æmulus Chriſto Domino, de quo dicitur : Factus eſt obediens uſque ad mortem. Sicut pio Goberto dum mundanis uteretur, cura fuit ſuperbiæ & vanæ gloriæ vacare ; ſic dum monachali uteretur officio, ſanctis animæ virtutibus cura fuit intendere ſecundùm illud Apoſtoli : Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Vir Dei pius Gobertus mundi & carnis deſideria poſtponens, cœpit bona diligere ſecundùm illud Prophetæ : Diverte à malo & fac bonum, inquire pacem & perſequere eam. A malo divertebat ſe, quaſi ſciens [quòd] peccatum, quod non aboletur per pœnitentiam, pondere trahit ad alia. Quodcumque poterat bonum, faciebat ; ut de ipſo dici [poſſit] illud Scripturæ, Ibunt Sancti de virtute in virtutem. *Eleemoſynis modum præſcribunt ſuperiores, quibus obedit.*

E

66 Inter cæteras ergo virtutes, quibus Dominus Jeſus Chriſtus ſuum militem, pium ſcilicet Gobertum, armaverat, præcipuè duplici miſericordia, corporali ſcilicet & ſpirituali ipſum adornaverat. Corporalem quippe patet ipſum miſericordiam habuiſſe, ſicut per opera manifeſtè patet : opera enim firmum perhibent teſtimonium de homine : porrò eſurienti cibum tribuebat, ſitientes potabat, nudos veſtiebat, hoſpites ſuſcipiebat, infirmos viſitabat, & cæ- F tera his ſimilia pietatis opera, prout poterat, Chriſti pauperibus impendebat. Cum eleemoſynam manualem dare non poterat, ſe ipſum pauperibus compatientem exhibebat, ſecundùm illud, quod Dominus ait in Euangelio ; Omni petenti te tribue : te, dicit, ut nullus excuſetur: quia quilibet poteſt ſe ipſum pauperi compatientem exhibere propter Deum : unde B. Auguſtinus ait : Numquam deeſt juſto quod det. Quodlibet genus eleemoſynæ videlicet mentalis, vocalis & manualis lucet in ipſo. Sic patet, ipſum miſericordiam corporalem habuiſſe, cum ad eam opera prædicta pertinere dignoſcantur. *Opera miſericordiæ corporalis,*

67 Siquidem & ſpiritualem miſericordiam, prout poterat, impendebat : dolentes enim conſolabatur, bene agentes exhortabatur, negligentes corripiebat, quocumque in crimine ſuperbientes ad emendationem & ſatisfactionem provocabat, & in omni opere bono fideles Chriſti perſeverare admonebat ; peccatores ab errore viæ ſuæ revocabat, & eos verbo & operis exemplo ad bene agendum incitabat. Sed cùm hæc ad miſericordiam ſpiritualem pertineant, hanc ipſum *& ſpiritualis exercet.*

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

habuiſſe per prædicta manifeſtum eſt. Et quia humiliter & benignè in perfecta Dei ſuique ipſius & proximi caritate utramque miſericordiam, prout poterat, fideliter proximis impendebat, ſicut evidenter patet per præmiſſa, mihi procul dubio Domini noſtri Jeſu Chriſti diſcipulus eſſe videtur. Quotieſcumque ſibi licitum erat & poterat pauperibus ſubvenire, ſic ferventi deſiderio propter Deum, quibuſcumque modis poterat, ipſis ſubveniebat: nec eis ſubvenire vel miniſtrare erubeſcebat: ſed adeo ſollicitè Creatori ſuo in ſuis membris miniſtrare ſatagebat, ut per frequens miniſterium Marthæ comparari poſſet. Similiter cum theologiæ verba ſalutifera ab aliquo ſapiente audiebat proclamari, ardenter in tantum audiebat, ut Maria ſedens ſecus pedes Domini, quæ audiebat verbum illius, poterat appellari, cum qua optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Beghinæ pauperi b

68 Quadam die pius Gobertus invenit ante Villarienſem portam quamdam Beghinam *b* in diviriis mundanis penitus imminutam: ſed ob caritatem ſui Creatoris onus paupertatis patienter ſuſtentabat, ſeque in pio Goberto fiduciam habere fatebatur. Inter cæteras nimirum paupertates, quas dicta muliercula habebat, viro Dei intulit querimoniam ſuper eo, quod non habebat ſotulares * à tanto tempore, ut ab illæſione lapidum & durarum viarum repercutione *, tribulorumque & ſpinarum inſtimulatione pedes haberet prægravatos. Quo audito pius Gobertus cœpit dolere & contriſtari, ad multas officinas *c* cœpit percurrere, perquirendo ſi poſſet ab aliquo ſotulares impetrare, unde poſſet dictæ mulierculæ inediam alleviare: ſed quia non potuit novos ſotulares ſibi acquirere, tamen veteres ſotulares acquiſivit, quos dictæ Beghinæ in eleemoſynam contulit. Et quia veteres & duri erant quam plurimùm, de quorum * duritia Beghina conqueritur, eo quod non poterit in eis durare, quia eorum duritia pedes ſuos excoriabit. Quo audito, vir Dei cœpit ab ea ſciſcitari, unde eorum duritia poſſit emolliri, quod penitus tunc ignorabat; quia ſuper talibus numquam, antequam intraret Ordinem, didicerat: cum tamen ſæpiùs ſibi ipſi ſuos ſotulares, poſtquam monachalem habitum aſſumpſerat, unxiſſet. Cui illa reſpondit: Domine mi, uncto ſagino vel oleo poſſet eorum duritia temperari.

B

i. e. calceos

i. e. repercuſſione

c

i. e. eorum

C

calceamenta ſollicitè procurat.

69 Mox igitur vir Dei cucurrit ad locum, ubi in talibus utebatur, ut ibi ab aliquo miniſtrorum poſſet hujuſmodi uncturam impetrare, portans ſecum pottulum *d* de luto fictilem, quem attulerat ſecum ſæpe dicta Beghina: quo in pottulo datur ei oleum liquidum. Reverſus ad portam, ubi pauperem mulierculam ſedentem dimiſerat, cui oleum, quod in manu ſua geſtabat, in eleemoſynam conferre cupiebat. Cum igitur locum portæ appropinquaſſet, ubi mulieribus ſedere licitum erat, vidit quemdam virum obviam ſibi venientem, quem vana adulatio humani favoris nobilem aſſerebat. Sed talis nobilitas pro nulla reputatur; cum hæc ſecundùm philoſophum nihil aliud ſit niſi divitiæ inveteratæ; & cum non ſit perſonarum acceptor Dominus, cui ſervire regnare eſt. Cum vidiſſet hunc, quem mundi fallax adulatiò nobilem eſſe opinabatur, pottulum, in quo liquidus liquor olei latitabat, abſcondit in ſinu ſuo: non ut ſervitus ſibi Dei, vel pauperum ſibi ſit oneri, vel vertatur in verecundiam vel ridiculum; ſed ne cor Pharaonis pro humana indignatione ſit induratum.

70 Cum ergo ſe ad invicem amplecterentur, pius ſcilicet Gobertus & ille nobilis, oleum diffuſum in ſinu ſuo, per veſtes totumque corpus pii Goberti diſcurrens, uſque ad terram emanabat: ſic ut quidam dicerent, ipſum ita præ quadam infirmitate prægravatum, ut non poſſet urinam retinere: alii dicebant eum ſanguinare. Hoc ſervi mundi cernentes in ejus opprobrium cachinnabant; virque Dei ſic illuſus ab hominibus poterat cum Chriſto dicere; Factus ſum opprobrium hominum & abjectio plebis. Sed quia de marceſcibilibus mundi floribus non curabat, cum Paulo Apoſtolo dicere poterat: Mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo. Non hic vacabat in veſte pretioſa, non in capillis tortis auro & margaritis, ſed in veſte ſordida, in exemplum B. Joannis Baptiſtæ, quem Euangeliſta laudavit de ſordida veſtis aſperitate; & ut in aliquo protoplaſto aſſimiletur, cui Dominus fecit tunicam pelliceam.

D

Irriſionem patienter ſuſtinet.

71 Vir Dei pius Gobertus peregrinabatur quodam tempore de loco ad locum, ubi negotium habebat agendum: & quia * nulla gaza ſibi ſufficiebat ad pauperibus diſtribuendum: à ſuis quippe prælatis fuerat ei, ut dictum eſt ſuperiùs, portio quædam ordinata, ultra quam nil erat ſibi licitum vel conceſſum pauperibus impertire. In univerſam [autem] regionem illam percurrebat tempeſtas valida; eo quòd nive, grandine, & glacie horrida hiems tanta ſæviebat, ut ferè vis algoris & gelu aſperitas viatorum viſcera tranſmearet. Igitur eleemoſynarum portione ſibi licita in uſus pauperum penè tota diſtributa, obvium habuit pauperem quemdam paucis & vilibus veſtibus involutum, cujus frigoris aſperitas viſcera tranſecarat; qui pio Goberto, ut ſibi daret eleemoſynam, exorabat. Quâ datâ, rogavit etiam aliquod veſtimentum ad cooperiendam corporis ſui nuditatem, & fugandam frigoris aſperitatem. Et quia Gobertus non habebat, unde poſſet illi pauperi ſubvenire, & nuditatem ſuam tegere (nam veſtes, quibus indutus erat, licitum non erat ei dare) exuit ſibi, cum paululùm à paupere proceſſiſſet, omnes ferè veſtes ſuas, ut ex compaſſione, frigore & inedia participaret cum dicto paupere: cui ſervi & confratres dicebant: Quid agis, mi Domine? tanto poſſes frigore leviter deperire. Qui dixit: Non poſſum ſufferre, ut videam membra patris mei Crucifixi tantos defectus ſuſtinêre: ſed quia non eſt licitum mihi de veſtibus meis illi aliquod veſtimentum tribuere, me decet cum eo ſimiliter compati, ut in membris ſuis poſſim meo Creatori deſervire. Sic pius Gobertus, licèt illitteratus, tamen divinâ gratiâ inſpiratus ſecundùm S. Scripturas operabatur, ut poſſet cum Paulo dicere: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?

Veſtes exuit, frigus paſſurus cum paupere, cui non poterat ſubvenire.

* quia *redundat.*

E

F

ANNOTATA.

a *Ciſtercienſibus ægris carnes, ſaltem plerumque, fuiſſe permiſſas colligitur ex ſtatuto tertio capituli generalis, anno* 1185 *celebrati, ubi tantùm cavetur, ne diebus ſabbati abſque diſpenſatione iiſdem utantur.*

b *Beghinarum ſtatus explicatus eſt in Annotatis ad cap.* 1, *lib.* 2, *lit.* b.

c Officinæ *in monaſteriis erant ædiculæ, in quibus aſſervabantur neceſſaria ad uſus monachorum. Ex Cangio in Gloſſario.*

d Bottulus *pro* vaſculo, *diminutivum eſt à* pottus, potti. *De quo plura Gloſſarium citatum.*

CAPUT

A

CAPUT V.

Monachum è cœnobio profugum reducit.

Monachum profugum è cœnobio,

PRæter hæc omnia, quidam monachus, Jacobus nomine, fuit in quadam abbatia, quæ Vallis *a* B. Lamberti nuncupatur: qui ſecundùm carnem frater fuit venerabilis Abundi *b* Villarienſis monachi: qui etiam frater Jacobus à ſuis ſuperioribus Villari fuit miſſus, culpis ſuis exigentibus, ut ibi pœnitentiam pro quodam exceſſu, tempore ſtatuto, perageret. Qui cùm quodam tempore manſionem prædicta feciſſet in Villarienſi abbatia, cœpit tædere, ſic ut fere lapſus eſſet in acedia: & diabolo tentante, cogitabat, quòd à monachali vellet elongari religione. Cum verò hæc firmans in corde ſuo ſæpiſſime cogitaret, & ejus infirma caro diabolicæ tentationi ſubſediſſet, velut obſtinatus & totus fere deſperatus à

B Villarienſium monachorum ſancto grege ſeparatus, ad ſæculares uſus repedavit. Quo audito, pius Gobertus ſuper his rumoribus contriſtatus eſt, [&] pergens poſt monachum præfatum, currens per devia ſollicitè perquirebat quónam remeaſſet.

a
b

hortatur, ut redeat:

73 Qui cùm multis in locis per camporum ſylvarumque devia prædictum monachum pius Gobertus inquiſiſſet, & tandem ipſum fugientem juxta quamdam villam, quæ Meleni *c* rivus appellatur, reperiſſet, eum precibus aſſiduis exorando monebat, dicens: Ne facias hoc, frater cariſſime, tàm perverſam rem ne facias, ne præponas ſecuris timida, pretioſis vilia, cæleſtibus mundana, æternis temporalia, ſpiritualibus carnalia; ne repellas à te gratiam tibi oblatam, non acquieſcas tentationi: ſed illud ſapientis recole; In omnibus operibus recordare noviſſima tua, & in æternum non peccabis: memorare, frater cariſſime, & illud Propheticum; Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus; & ad Deum noſtrum; quia multus eſt ad ignoſcendum.

c

C

reluctantem imponit humeris & reducit.

74 Cui frater Jacobus reſpondit: Suſtine, pater cariſſime: deſine jam talia monere; quia verba tuæ monitionis in me fructum non patiuntur ſalutis: quia ulteriùs non in habitu monachali converſabor. Cui pius Gobertus ait: Tu tamen uſque ad abbatiam mecum revertere, quatenus reſciam meis precibus acquieviſſe. Reſpondens frater Jacobus ait: In vanum laboras, pater mitiſſime: nam ſi tecum reverterer hodie, cras ad uſus ſæculares reverterer celeri itinere. Cum pius hoc audiſſet Gobertus, videns, induratum cor monachi non poſſe flecti precibus vel monitis, ferventiſſima caritate ſuccenſus, ſic ut ne lacrymas quidem contineret, amore ſincero Dei & proximi perfuſus, præfatum monachum per utrumque latus arripuit, & eum in humeris ſuis ſublevavit, quemque, voluiſſet aut non, uſque ad abbatiam Villarienſem reportavit.

Caritatis elogium

75 Sed neque viro Dei tantus labor fuit oneri, & bonum ejus deſiderium aſperitas tanti laboris immutavit. Siquidem vir Dei, quæ non potuit impetrare monitis vel precibus, tandem ardentiſſimis perpetravit viribus. Sic miles Chriſti proximum ſuum ab errore viæ ſuæ revocavit, quaſi recolens illud Scripturæ; Qui converti fecerit proximum ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum. Mira res! quis umquam audivit talia? quis umquam vidit militem tanta caritatis fortitudine circumfultum? tanta miſericordiæ compaſſione commotum? tanta humilitatis dulcedine ſtipatum? Quippe talis miles ſic deſudans & pro ſalute proximi ſui vitam ſuam conſumens, ſic in humeris ſuis ad gregem reportans ovem perditam, bono paſtori fuit æmulus, qui animam ſuam dedit pro ovibus ſuis. Cùm hic miles corporalem & ſpiritualem miſericordiam fortiter amplecteretur, perfectus potuit dici diſcipulus.

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

Inſuper hic frater Jacobus à Villarienſium monachorum conſortio ſegregatus, illi viro potuit comparari, qui peregrinabatur à Jeruſalem in Jericho. A viſione pacis quippe elongabatur, à tam dulci conſortio dum ſeparabatur: in Jericho properavit, dum profugus ad mundana vitia repedavit: in latrones incidit, dum mundanis delectationibus affectum cordis applicavit: & quia non fuit, qui adjuvaret, cùm nec ſacerdos

E nec levita ſubveniret, neceſſe fuit, ut verus Samaritanus adveniret, qui eum ſemivivum jugo corporis ſui imponeret, & ad ſtabulum pœnitentiæ ſubintroduceret. Quid plura? cui niſi vero Samaritano pius Gobertus poteſt comparari? qui ſic ſui proximi miſericorditer miſertus eſt, ut in humeris ſuis ad conſortia ſervorum Chriſti reportaret. Etiam cùm Samaritanus, cuſtos interpretetur; hic Samaritanus bene poteſt appellari, qui ſic cuſtodivit proximum ſuum. Hic pius Gobertus ut fidens athletha Chriſti, non ut Cain, locutus eſt: Cain quippe Dominum interrogavit, non propriè velut interrogando, ſed quaſi ironicè per contrarium negando, dicens; Domine, numquid cuſtos fratris mei ſum ego? Sed hujus militis opera teſtimonium perhibent de ſe ipſo, qui quaſi per ſua poteſt opera dicere: Domine cuſtos ego fratris mei Jacobi.

texitur à biographo.

76 Hic videtur prudentiſſimè conſideraſſe hoc, quod Apoſtolus ait: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Hic non tantùm portavit onus alterius in corde, ſed etiam proximi ſui totum portavit corpus in corpore. Amen, amen dico vobis, fratres cariſſimi, non inveni F in temporibus meis filium in Iſraël, qui diligeret proximum ſuum ſicut ſeipſum ultrà, quàm pius Gobertus dilexit, qui ſuper aſinam corporis ſui proximum ſuum, non ſemivivum, ſed fere pravis cogitationibus totum exſtinctum, etiam nolentem, ad locum pœnitentiæ reportavit. Hic eſt, de quo Scriptura ait: Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem Excelſi. Non ei Abrahæ patriarchæ, non Chatini, non carmentis grammatica *d* doctrinæ viatica contulerunt: *d* ſed Spiritus ſanctus docuit eum ſapientiam vitæ & intellectûs: illam, inquam, ſapientiam, quæ dicitur ſapore virtutum condita ſcientia. Quid amplius referre potero? Ex quo pius Gobertus factus eſt domeſticus ſervorum Domini, mundanas delicias, quaſi quamdam peſtem mortiferam, cœpit deſpicere, ſuumque Creatorem ſuper omnia diligere, & ei in ſuis creaturis deſervire, ſciens, quòd Domino ſervire, regnare eſt.

ANNOTATA.

a Vallis S. Lamberti, *incolis vulgò* Vau ſainct Lambert, *cœnobium celebre Ordinis Ciſtercienſis*,

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

sis, situm secundo ab urbe Leodiensi lapide, initium sumpsit MCCII.

b *De* Abundo *dictum est in Annotatis ad caput* 2, *lib.* 2, *litt.* c.

c *Villam seu pagum designari arbitror, qui in tabulis Blavianis scribitur* Meling, *in aliis* Mela, *à cœnobio Villariensi horâ circiter mediâ dissitus.*

d *Hæc adeo sunt obscura, ut, quid velit dicere biographus, non sit facile divinare.*

CAPUT VI.

Devota B. Goberti oratio; cæcitas; misericordia.

Somnum obrepentem, pipere masticato depellit Beatus:

POstquam pius Gobertus monachali consortio fuit consutus **, inanem mundi militiam, quæ nil parit conducibile ad vitam æternam, cœpit non tantùm vilipendere, sed etiam detestari: monachalem verò militiam sic amplectebatur, ut, in quibuscumque poterat, fratrum suorum religionem imitabatur: jejuniis insistebat; nocturnis vigiliis & matutinalibus orationibus invigilabat, secundùm illud Euangelistæ dicentis; Vigilate, quia quâ non putatis horâ, filius hominis veniet; & illud, Si sciret pater familias, quâ horâ fur veniret, vigilaret utique & non sineret perfodi domum suam. Item canit Ecclesia; Non sit vobis vanum, mane surgere ante lucem. Non igitur vanum reputabat suo Creatori matutinale servitium ante lucem ministrare: sed caro ejus infirma, quam longo tempore lascivia nutriverat, in somnum sæpe decidebat: nec mirum, si caro repetebat, quod per sceleratam naturam consuetudinis amplecti solebat. Ergo vir Dei piper assiduè secum deportabat, unde carnem somnis vacantem concitabat: qui, quotiens ad officium matutinale somnum caro repetebat, piper inter dentes masticabat, per cujus ardorem totum corpus evigilabat. Sic vir Dei carnem suam domabat, & modis talibus suæ carni cultum sui Creatoris imprimebat.

* confitus *seu* sociatus.

B

amissum oculorum usum

C

78 In quadragesimali tempore, in die scilicet Parascevæ, id est passionis Domini, quâ Christus redemit electos *a*, quos suos fide & opere futuros esse præscivit; quâ die conventus Villariensis in oratione devotissima existebat, omnisque populus Christianus plus solito debet religioni vacare, accidit, ut in illa die sanctissima ad quamdam curiam Villariensi cœnobio pertinentem miles quidam nefandissimus adveniret: nomen siquidem militis Godefridus de Winze *b* malè dicitur: nomen verò curiæ, cum ad Villariensem abbatiam duo gerat, scilicet panes & pisces, ideo etymologicè Villarii Gerundium *c* appellatur. Hanc itaque curiam dictus miles sathanæ cum suis complicibus deprædavit atrociter in ipsa eademque die: eos verò, quos ibi repperat, cum cæteris brutis animalibus deduxit, multaque mobilia, necnon & altaris ornamenta violenter cum suis complicibus rapuit & asportavit. Fratres quoque, quos ibi repperit, crudelibus verberibus affecit. Sic ille tyrannus dictam curiam violavit. Quo audito in abbatia Villariensi, magnus fit tumultus inter fratres, qui multis cum abbate precibus rogaverunt pium Gobertum, quòd ad locum iret præfatum, ut videret, quid hoc esset. Cumque pius Gobertus devotis precibus abbatis & conventûs fratrum suorum paruisset, & cum ad curiam sæpe dictam properare debuisset super eo quod miles sathanæ in hac die sanctissima tantam violentiam fecisset, adeo mirabiliter cœpit contristari, ut cum de abbatia debuit exire, præ nimia cordis anxietate atque admiratione carnali sive corporali privaretur lumine.

a

b

c

D

die tertia recipit:

79 Nempe quia pius Gobertus sanctissimo tempore Dominicæ passionis enormem ignominiam tyrannicæ deprædationis non potuit aspicere, divinâ provisione corporeo lumine privatur triduo, sicut corpus Dominicum triduo latuit in sepulchro. Igitur hoc, quòd pius Gobertus in aspectu tantæ enormitatis lumen amisit oculorum carnalium, atque in eo fuit exstinctum lumen mundale, significat tria tempora persecutorum Ecclesiæ, scilicet præsens, præteritum & futurum, in quibus vero lumine privatur, quia omnia sua tempora expendunt in usus malitiæ. Non etiam voluerunt in illa sanctissima die redemptionis electorum malevoli unâ horâ suam malitiam reprimere. Et sicut Deitas beata Dominicum corpus ad vitam die tertia resuscitavit, ita & in pio Goberto die tertia lumen corporale reparavit.

E

misericordiæ in pauperes

d

e

* *i. e. spectantibus ad virtutem*

80 Tempore quodam accidit, ut vir Domini pius Gobertus pro quodam negotio, & cum eo monachus quidam Villariensis, Radulphus nomine, cantor videlicet ejusdem domûs, in partibus Namurcensium *d* proficiscerentur. Qui venientes ad locum quemdam ejusdem provinciæ Gemblacum *e* nomine, loquebantur ad invicem de multis ædificatoriis *: cumque sic simul pergerent, & incedentes per viam sermocinarentur ad invicem, inter cætera, quæ loquebantur, hoc quoque vir Domini, motus pietate ad pauperes, [à] monacho interrogare cœpit, dicens; Frater Radulphe, habesne aliquas eleemosynas pauperibus erogandas? Cui monachus Radulphus respondit: Habeo quidem, sed eas omnibus dare nolo, quia ampliùs indigentibus impertiri studebo. Sic confabulantibus & procedentibus, venerunt ad quemdam locum, ubi obviam habuerunt quamdam muliercuiam, caseos super caput suum in sporta portantem: quam videns vir misericors, misericordiâ motus, percussoque equo calcaribus, antecessit monachum, ut monachus non audiret, quæ cum muliere loqui vellet.

F

edit specimen,

81 Cumque elongatus fuisset à monacho, & ad mulierem perveniisset, salutavit eam humiliter, & dixit ei: O bona mulier, indigesne eleemosynâ? Admirans autem [erat] mulier, quare proposuisset talia: erat enim talis, quòd non eleemosynam ab aliquo petîsset, nisi priùs vir Domini pius Gobertus ad hoc eam incitasset. Depositâ ergo mulier de capite suo sportâ cum caseis, humiliter petere cœpit eleemosynam, dicens eis: Verè, Domini mei, valde bona eleemosyna, vel aliquid indigeo boni. Dixit propterea ei pius Gobertus: Pete ergo citiùs; quia tibi daturus eleemosynam hic sequens monachus. Hæc omnia erant dicta, antequam propiùs appropinquabat idem monachus. Pius Gobertus cernens monachum venientem, dixit mulieri: Modò pete eleemosynam in præsentia istius monachi: quâ petitâ, dixit monacho pius Gobertus: Frater Radulphe, numquid audis, quòd ista paupercula mulier nimiùm indiget eleemosynâ? Da ergo ei. Cui monachus respondit: Numquid non consideras in hac muliere, quòd dives sit, & non indiget eleemosynâ? Videte, quod caseos & ova portat super caput suum in sporta: quæ

A quæ ſi pauper eſſet, antequam eam ad petendum incitaſſetis, à nobis forſitan eleemoſynam petiſſet. Cui vir inclytus reſpondit: Non, non, cariſſime, ſed date ei eleemoſynam, & permittite abire. Cui Radulphus monachus dixit: Domine, ego volo eleemoſynam meam meliùs quàm in hac muliere ſtabilire. Cui dixit pius Gobertus: Ey, cariſſime, numquid jam audiſti quod dixit; Verè paupercula ſum, & bene indigeo eleemoſynâ: da ergo ei, ne ulteriùs tardes. Quid plura? vellet, nollet monachus, oportebat, quòd ei daret: quâ datâ, receſſit mulier, & ipſi proceſſerunt ad negotia ſua.

verè pater egentium.

82 Verè, pie Goberte, pater pauperum & ſublevator orphanorum potes appellari atque viduarum. Tu cum muliere paupercula loquebaris in itinere, compaſſus inediæ atque miſeriæ. Tu imitaris Chriſtum, qui cum muliere loquebatur ſuper puteum. Ille petivit ab ea potum: tu imperaſti mulieri, ut à te & à ſociis tuis aliquod peteret ſubſidium. Pete ergo & tu pro nobis ad Dominum, ut meritis tuis donet nobis indulgentiam omnium peccatorum, & pervenire mereamur ad regna cælorum, ipſo præmiante, qui vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum.

B

Explicit liber ſecundus Vitæ pii Goberti militis.

ANNOTATA.

a *Biographus in Actis num.* 8 *affirmat, quòd* Deus .. omnes homines vult ſalvos fieri, & neminem perire. *Cenſuit proinde Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus: quandoquidem ſalvetur nemo independenter à meritis ipſius. Cum ergo hic ait, quod* Chriſtus redemerit electos, *non negat mortuum quoque ipſum pro reprobis; vel ſi neget, non ita negat, quaſi media ad ſalutem ſufficientia Chriſtus eiſdem non promeruerit; ſed illo ſenſu; quòd, qui media ad ſalutem ordinata negligunt, illis ſalutem non promeruerit efficaciter.*

b *Alludit forſitan ſcriptor ad vocem Belgicam* winnen, *quæ* lucrari *ſignificat, ſenſuſque eſt, militem illum malè dictum* Winze, *quia ruinæ autor erat, non lucri.*

c Gerundium *compoſitum ex vocibus* gerit duo; *ut innuit contextus.*

C

d *Comitatus Namurcenſis, cujus caput eſt urbs ſynonyma, provincia eſt Belgii, ditioni Leodienſi confinis.*

e Gemblacum, *incolis* Gemblours, *Gallis* Giblou, *oppidum in Gallo-brabantia Namurcum inter & Lovanium, diœceſis eſt Leodienſis: ubi inſignis eſt abbatia Ordinis S. Benedicti, anno 922 exſtructa. Videri poteſt Sanderus tom.* 1 *Chorographiæ ſacræ pag.* 1.

LIBER III.

Beati Goberti obitus.

LIB. III. *In defenſionem cœnobii Gemblacenſis iter ſuſcipit;*

APpropinquante tempore victoriæ viri Dei pii Goberti, quo ipſe contra omnia mundana vitia palmam triumphalem detineret: quo Dominus Jeſus ipſe ſervum ſuum ad vitam remunerationis æternæ convocaret, & in ejus capite lauream perpetuæ beatitudinis imprimeret, ſubtili necnon & admiranda nimis occaſione Domi-

nus Deus, ſicut pater piiſſimus, filium dilectiſſimum pium Gobertum ab omni charybdi & tentatione maris hujus mundi liberavit, & de carcere carnalis ergaſtuli cum triumphalibus canticis & hymnis angelicis hoc ordine eduxit. Imminente quippe tempore, quo pius Gobertus ad nuptias ſuperni regis convocatus, omni occaſione ſpreta, nec juga boum *a*, nec villas emens, ſine plica *b* & ſcrupulo, ſimplex & rectus ad cœnam paſchalis agni pervolaret, eodem tempore contigit, ut duciſſa Brabantiæ Aleydis *c* nomine, maritali patrocinio viduata *d* eccleſiam B. Petri *e* Gemblacenſis *f* deprimeret, & ejus jura quorumdam malevolorum conſilio defalcaret, jura monachorum loci prælibati ſibi appropiaret *g*, & dictam eccleſiam adeo moleſtaret, ut infamia tantæ perſecutionis aures pii Goberti percuteret. Hoc viſo abbas *h* & conventus Gemblacenſis cœperunt contriſtari ſuper eo, quòd duciſſa jura ſua crudeliter defalcabat: & quia tantam peſtem non poterant evadere, precibus quàm plurimis unanimiter pium Gobertum flagitabant, ut ipſe precibus duciſſam interpellans *; adeo quòd ipſa precibus pii Goberti mollita dictum abbatem Gemblacenſem & conventum ſuo jure pateretur gratulari *. Igitur pius Gobertus, videns eorum juſtas eſſe querimonias, anguſtiis eorum & querimoniis turbatus eſt, ſic ut ſe vix à lacrymis contineret: [&] ipſorum negotium, prout meliùs poſſet, ſuſcepit agendum.

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

a
b
c
d
e *f*
g
h
* *i. e.* interpellaret
E
* *i. e.* gaudere

84 Perrexerunt itaque virum Dei pium Gobertum ſecum ducentes ad duciſſam, quòd * à corde ſuo ſentes & tribulos poſſent monitis ſalutaribus evellere. Cumque perrexiſſent, equus pii Goberti, [qui] nimiâ eſûs & otii laſciviâ fuerat indocilis & effrænus, contra calcaria calcitrabat, venienſque ad locum, ubi tranſitus non erat expeditus, cum impetu procurrens, ſe ipſum ſuumque ſeſſorem obruit in terram: ſic ut pius Gobertus ſub equo ruit in faciem ſuam, ut fere fuiſſe videretur extinctus. Videntibus & ſtupentibus pii Goberti conſortibus, eruerunt eum cum Chriſti ſignaculo & dixerunt ei: Revertere ad locum Villarienſem, pater piiſſime, quia ſanguis à facie tua non ceſſat emanare: non poſſes ad locum propoſitum nobiſcum venire: ſed pius Gobertus, deſiderans dictum negotium cum pietate promovere, reſpondens ait: Non revertar imperfecto negotio, quod ferventi ſuſcepi peragendum deſiderio, à quo nullus labor me poterit avertere; quia pro Eccleſiæ negotio ſum paratus in laborem & in mortem ire: nec mihi poterit aſperitas cujuſlibet rei deſiderium fervens immutare.

in quo graviter vulneratus, * *i. e.* ut

F

85 Sic Gobertus vir piiſſimus, per ſingula membra totius corporis ſanguinolentus, uſque ad duciſſam perrexit: quo viſo duciſſa cœpit contriſtari & tædere, admiranſque inquiſivit, quid hoc eſſet, & quis viro Dei tantam moleſtiam intuliſſet: qui reſpondens ait: Domina *i* mea duciſſa hæc mihi feciſti vulnera, nec alius niſi tu ſanguinem meum diffudit à corpore meo. Cui duciſſa; Quid dicis, pater piiſſime: pro totius mundi pecunia nollem tibi talia feciſſe. Ad quam pius Gobertus ait: Si non opprimiſſes * jura B. Petri Gemblacenſis, hoc mihi non accidiſſet. Cui duciſſa dixit: Quomodo tibi hæc evenerunt, audire deſidero. Ad quam pius Gobertus ait: Audito in rumore nubilo, quo, quantis & quibus ſuppliciis jura jam ſæpe dictæ eccleſiæ moleſtares; ut pro dicto negotio preces humiles tibi diffunderem, ad te veniens * nimia feſtina-

Aleydem Brabantiæ ducem permovet

i

* *i. e.* oppreſſiſſes

* *i. e.* veni

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

tione, ſicut dicit philoſophus: Omnis impetus habet ſæpe difficiles aditus: hinc eſt quod ex abrupto, non prævisus ego ſub equo, & equus meus ſub me, necnon & ſupra me penitus & impetuosè cecidit. Ego ſi quidem ruens * in faciem meam, ſic ut nimiâ læſione tantum ſanguinis emanaret, ut roſeo cruore meæ veſtes & membra ſingula tingantur.

* *i. e.* rui

86 Cum hæc & multa alia duciſſa percepiſſet viro Dei eveniſſe, doluit acriter ſuper eo, quod viro Dei talia contigerunt ipſius occaſione, cœpitque à pio Goberto ſiſcitari, ſi poſſet aliquâ medicinâ convaleſcere. Cui pius Gobertus reſpondit: Si vis, Domina mea, me potes ab hac corporis læſione mundare. Ad hæc duciſſa feſtinanti voce reſpondens exclamavit: Si te potero quocumque modo curare, pœna, labor, & expenſæ me non poterunt à tua ſoſpitate retrahere. Cui pius Gobertus reſpondens, ait: Si bono Petro Gemblacenſi ſua jura pacifica reliqueris & quieta, ſic ut ea non ampliùs defalcaveris, mihi videberis totum corpus meum curaſſe, & animum meum jucunditati reliquiſſe. Dico tibi ſiquidem;

ut jura Gemblacenſium relinquat intacta.

B Non eſt tutum jura cæleſtis janitoris diſſipare. Quoniam, velut Apoſtolus dicit, opera ſingulorum ſive bona ſive mala ſint, ſequuntur illos. Ad hæc verba duciſſa, juris & rationis aculeo ſtimulata, reſpondens coram multis viris fide dignis, prorupit in hæc verba: Ex hoc nunc in ſempiternum jura B. Petri Gemblacenſis in firma libertate relinquo, & ab omni infeſtatione remitto.

87 Sic pius Gobertus dictam eccleſiam in eccleſiaſticam libertatem reduxit, & pro ſponſa Chriſti ſanguinem ſuum fudit, atque mortis ergaſtulum ſubiit, ſicque imitator Chriſti effectus eſt, ſicut patet in præmiſſis. Hoc ergo negotio peracto pius Gobertus arduiſſimis & gravibus læſionibus afflictus, in locum ſuæ converſationis reverſus eſt. Cumque fratres Villarienſes eum vidiſſent tantis læſionibus afflictum, per totius abbatiæ officinas fit tumultus fratrum plangentium, videnteſque eum doloribus oppreſſum dixerunt: Decet te, frater piiſſime, te decet in infirmatorio requieſcere, donec poſſis ſanitatem recuperare. Qui reſpondens ait: Sic me placet cum fratribus meis habitare, quia mihi tam jucundum videtur

Redux domum ex vulnere ægrotat.

C eſſe, quòd in vita mea ſemper eis cupio conjungi, & in morte non vellem ab eis ſeparari. Dixerunt ergo ei: Non poſſes, frater piiſſime, læſus & imbecillis clauſtri laborem ſuſtinere. Vir pius Gobertus tandem monitis ſalutaribus fratrum confractus, eorum precibus præbuit aſſenſum. Ergo pia pompa monachorum pium Gobertum duxit ad infirmatorium

88 Ibidem vir pius jacens in grabato, ſuoque corpore præ nimia vexatione læſionis inflato, de die in diem magis ac magis ægrotabat: & quia virtus in infirmitate perficitur, velut aurum in fornace comprobatur, & ſicut ferrum ſcrupuloſum limâ mordaci planatur & decoratur; ſic vir Dei quantò magis exteriùs infirmitate corporis flagellatur, tantò magis fide fultus & confeſſione, cæteriſque virtutibus ſuo Creatori firmiùs junctus copulatur. Miro modo totus in Dei ſervitium conſutus, circa pauperum negotia ſollicitabatur; ſemperque ſuo meditans Creatori circa fidem Catholicæ religionis & altaris myſteria in corporalis infirmitatis agonia vacabat. Hoc videntes fratres ejus in aſpectu ſuo ſtatuerunt altare Domino, volentes in eo pii Goberti deſideria complere, ut ibi quotidie poſſet Euchariſtiæ confectionem

S. Euchariſtia ſolatio eſt menti

divinam videre. Illuc quotidie plures monachi D venientes, gratam & immaculatam & acceptabilem hoſtiam Dominici Corporis cum ſacerdote offerente per fidem conſecrantes, ſpiritum pii Gobertii conſolabantur: quam Euchariſtiam vir Dei animo fideli amplectebatur, ſic ut corporis infirmitatem traderet oblivioni, nec ab ea vellet erui, ſciens, quos Deus amat, arguit & caſtigat; & illud; qui eripiuntur à numero flagellorum, eripiuntur à numero filiorum.

89 Siquidem vir Dei hæretica temeritate non vacillabat, ſed fidem, Apoſtolica veritate fundatam, in corde firmabat. Si verò fides Catholica quædam continebat, quæ ratio humana nequit comprehendere, tamen hoc pius Gobertus fideliter credebat & devotè, ſecundùm illud Scripturæ *k*: Divina operatio ſi ratione comprehendatur, non eſt admirabilis; nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet fundamentum: & quia de facili à gloria mundanæ militiæ feliciter abſolutus erat, omnis vana ſuperſtitio mundanæ militiæ ſuis felicibus actibus invidebat. Suis fratribus, in quibuſcumque poterat, miniſtrabat: majoribus & paribus ſincera mente, ſimplici pietate, robuſta caritate verbi, mentis & operis miniſtrabat: minoribus propter Deum ſic obediebat, ut non ſibi pares eos adaptaret: ſed, ſi liceret, eis calceamenta detraheret & tergeret: quia miro affectu domeſticos fidei venerabatur; quos & in extremis erudiebat, ne deciperet eos ille callidus inſidiator, qui non ceſſat inſipientes inſidiari, ut incautos decipiat, devoret deceptos, tamen devorans nequit [eſſe] ſatur.

verâ & humili fide illuſtrata.

k

E

90 Propter dilectionem proximorum vir Domini pius Gobertus præſentem vitam diligebat: ſpes & conſolatio vitæ æternæ præſentem vitam ſe ſpernere cogebat. Sic mens ejus erat diverſis concuſſa deſideriis, quia inter fratres converſari deſiderabat, & ad Chriſtum ſublimari præoptabat: nihil tamen in corde niſi Chriſti voluntatem confirmabat, ejuſque deſiderium mandato ſui Creatoris ardebat * cum jam premeret ipſum infirmitas & læſio morti vicina, numquam tamen recedebat à cultu ſui Creatoris cujus * ſpiritus multis articidiis pœnitentiæ *

Acquieſcens voluntati divinæ

* *hæc legi non poterant*

91 Igitur vir Dei pius Gobertus corporis ſui læſione, carnaliſque languoris decoctione defæcatus, in vera fide & ſincera religione proximis ſuis F ſalutare reliquit exemplum, anno Domini MCCLXIII in die S. Bernardi, quæ tunc fuit in feria quarta *l* menſis Auguſti, horâ matutinâ, ſcilicet *l* in ſecundo nocturno vigiliarum ejuſdem feſtivitatis, pius Gobertus toto corpore contremuit, & ſuo Creatori ſpiritum in conſpectu conventûs monachorum ac cæterorum fratrum plangentium atque canentium, in ſumma pace reddidit: cujus beatam animam non tantùm unus deportat chorus angelorum; ſed innumerabilium multitudo legionum, tribuſque & hierachiæ ſpirituum beatorum gratulantes, eam deportant perenniter laureandam. Ipſam & deportat chorus angelorum cantantium & laudem Deo dicentium. Corpus exanime proſequitur pompa monachorum, ac cæterorum fratrum deplangentium.

piè moritur,

ANNOTATA.

a *Alludit ad parabolam propoſitam Lucæ* 14, ℣ 16, *ubi invitati ad cœnam excuſationem petunt à bobus agriſve coëmptis.*

b *Id eſt, nulli ſe* implicans *excuſationi, nullam oſtendens difficultatem. Senſu hoc vocem* ſcrupulus

A pulus *uſitatam oſtendit Gloſſarium Cangii.*

c *Nata eſt Aleydis ex Hugone ſeu Odone IV Burgundiæ duce, nupta Henrico III Lotharingiæ & Brabantiæ duci, cui cognomen* magnanimus. *Obiit anno* 1273.

d *Obiit Aleydis maritus biennio vel triennio ante* S. Gobertum.

e *Cœnobium Gemblacenſe primariam circa annum* 950 *patronam habuit ſanctiſſimam Dei Matrem. Dein à S. Petro, ſuo quoque patrono, communiter* Gemblacum S. Petri *cœpit appellari. Latiùs hæc Sanderus tom.* 1 *Chorographiæ ſacræ, pag.* 7.

f *De Gemblacenſis abbatiæ initio diximus in annotatis ad caput proximè præcedens lit.* e.

g *Aliorum conſilio, non ſuopte ingenio Aleydis hæc patravit; ut teſtatur chronologus Villarienſis apud Martenium col.* 1329. *Et verò Aleydem cum ſuo conjuge affectu benigno & liberali religioſos viros complexam, teſtatur ipſius epitaphium, tumbæ marmoreæ Lovanii in templo RR. PP. Dominicanorum inciſum, & relatum tom.* 1 *Diplomatum Belgicorum pag.* 207. A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

h *Abbatem Gemblaci agebat Radulphus ex Hasbanica nobilitate oriundus. Obiit anno* 1268. *Ita colligitur ex Sandero tom. cit. pag.* 14.

i *In eodem Sanderi tomo, pag.* 24 *ſchedæ Gemblacenſes tradunt, has à* B. Goberto *querelas contra Aleydem depoſitas apud Henricum, maritum Aleydis: verùm hoc cum biographis noſtris non cohæret; qui non modo rem apud Aleydem ipſam tradunt peractam, verùm etiam Henricum tum temporis fuiſſe defunctum, &* Aleydem maritali fuiſſe patrocinio viduatam.

k Scriptura *ſumitur latiùs, prout complectitur libros quoſvis pios: non enim verba à biographo allegata leguntur in Litteris ſacris; ſed in homilia S. Gregorii ſuper cap.* 20 *Joannis.*

l *De die obitûs dictum eſt in Commentario num.* 43.

B

DIES VIGESIMA PRIMA AUGUSTI. E

SANCTI, QUI XII KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

SAnctus Euprepus vel Euprepius ep. Veronæ in Italia.
S. Paternus M. Fundis in Latio.
S. Cyriaca vidua & mart. Romæ.
S. Anaſtaſius vel Attalus M. Salone in Dalmatia.
S. Natalis conf. presb. Caſali in Liguria.
S. Donatus, S. Romulus, S. Sylvanus, S. Venuſtus, S. Hermogenes } MM. Foro-Julii in Italia.
c
S. Luxorius, S. Ciſellus, S. Camerinus } MM. in Sardinia.
S. Baſſa, S. Theognis vel Theogonius, S. Agapius, S. Piſtus vel Fidelis, ejus filii } MM. hæc in Halone inſula; illi Lariſſæ vel Edeſſæ in Græcia.
SS. Quadrati epiſcopi.
S. Priſtus, S. Sevus, S. Quadratus ep., S. Sundophagus } Martyres
S. Aſtuſus, S. Diomedes, S. Zoticus, S. Zatamgelus, S. Moyſeus } Alexandrini.
S. Julius, S. Julianus, S. Vincentius, S. Augurius, S. Eulodius } MM. in Hiſpania.
S. Hippolytus, S. Traianus, S. Quadratus, S. Primus } MM. Romani. E
S. Bonoſus, S. Maximilianus vel Maximianus } MM. Antiochiæ in Syria.
S. Privatus epiſc. & mart. in Occitania Galliæ provincia.
S. Julianus epiſc. Benearnenſis in Gallia.
S. Leontius epiſc. Burdegalenſis in Gallia Aquitanica.
S. Avitus epiſc. Claromonte in Arvernia.
S. Theocleta Thaumaturga.
B. Balduinus abbas Ordinis Ciſtercien-

A ſtercienſis, Reate in Italia.
S. Bernardus de Alzira martyr, Ordinis Ciſtercienſis.
B. Bernardus Ptolomæus, fundator congregationis S. Mariæ Montis Oliveti. D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI.

IN Italia, depoſitio B. Michaëlis Florentini, congregationis .. Camaldulenſium monachi, *occurrit hodie in Menologio Bucelini, ubi etiam hic laudatur. Caſtellanus in Additionibus ad ſuum Martyrologium univerſale pag.* 941 *eum ponit cum titulo* venerabilis, *die* XXIII *Januarii: apud nos verò ad diem* XXI *ejuſdem menſis ex aliis quidem hagiologis ſignatur; ſed, quia de publico ejus cultu non ſatis conſtabat, inter Prætermiſſos tantùm ponitur; uti videre licet in Prætermiſſis ad dictum diem* XXI Januarii.

B Duorum fratrum ac martyrum, qui Arwaldi ſunt vocati, ac regio ſanguine orti, paſſio in Vecta inſula (*vulgo Wight.*) *Annuntiatio hæc extracta eſt ex ſecunda editione Martyrologii Anglicani Wilſoni. Quæ autem huc ſpectant, cùm expoſita jam pridem fuerint in Prætermiſſis ad diem* XXVIII *Januarii; item ad diem* XX *Februarii, occaſione Cymberti abbatis; adeat lector* XXVIII Januarii, & XX Febr.

In Alexandria Conchæ martyris *annuntiatio ponitur hac die in noſtro Florario Ms.; quâ etiam notatur ex Greveno inter auctaria ad Uſuardum à nobis editum; ſed paulo aliter:* In Alexandria, Contæ nobilis. *Vide quæ jam pridem à nobis dicta ſunt de* S. Cointa *ſeu* Quinta *ad diem* VIII Februarii.

S. Renoberti tranſlatio Varziacum (*à Varzy*) *habetur in Catalogo Ms. Sanctorum urbis Autiſſiodorenſis, quem aſſervamus ſub involucro* SS. 19. *De S. Renoberto epiſcopo Bajocenſi in Gallia, mentio fit in Prætermiſſis ad diem* XXIII *Aprilis, ubi remiſſus eſt ad diem* XVI *Maii. Caſtellanus in Additionibus ad eumdem diem* XVI *Maii pag.* 957 *ponit collegiatam S. Eugeniæ Varziacenſis in provincia Nivernenſi eccleſiam, in qua videri aſſerit ejus ſepulcrum cum hac inſcriptione:* Hîc jacet Regnobertus præſul, Bajocenſis epiſcopus; *& ubi* S. Renobertum *appellari ipſum obſervat, ſicut etiam Autiſſiodori, ſub ejus nomine eccleſiam paræcialem ibidem eſſe addens, ac feſtum ejus celebrari die* XXI *Auguſti, quâ una è tranſlationibus illius accidit. Plura de hoc præſule jam pridem dicta ſunt in Opere noſtro ad diem* XVI Maii.

In Macedonia ſancti Quadrati, qui Publio Athenarum epiſcopo ſucceſſit, imperante Hadriano, *annuntiatio habetur apud Maurolycum hac die. Ad* XXVI *Maii ponit iſtam:* Apud Athenas B. Quadrati epiſcopi, qui Publio ſucceſſit, & pro defenſione fidei librum .. Hadriano tradidit. *Sunt, qui hunc ab illo diſtinguunt; ſed adjuncta utrobique tam ſimilia non credimus convenire perſonis numero inter ſe diverſis. Conſule, quæ jam pridem à nobis dicta ſunt die, quam modò memorabam,* XXVI Maii.

S. Richardus epiſcopus Andrienſis in Apulia, *occurrit apud Ferrarium in utroque Catalogo, & in Martyrologio Anglicano typis edito. Actum de illo eſt tomo* II *Junii ad diem* IX *iſtius menſis. Adeat itaque lector eumdem diem* IX Junii.

Certamen S. Argenteæ & filiorum ejus *notatur in Martyrologio Arabico-Ægyptio. Apud nos ad diem* XIII *Junii, tomo* 2 *iſtius menſis, pag.* 679 *actum eſt de Martyribus, qui ibidem dicuntur in Ægypto paſſi; & inter illos de* Argenide, *quam magis ſuſpicarer, eamdem forte eſſe cum ſuperiore, mutato licèt aliquantulùm nomine, ſi ei filios in martyrio ibidem adjunctos viderem, ſicut ſuprà fit. Vide interim, quæ dicta ſunt ad diem, quem memorabam,* XIII Junii. E

S. Palladius epiſcopus Ebredunenſis *eſt apud Ferrarium: de quo etiam Tamayus. Vide apud nos diem* XXI Junii.

S. Euprepia, ancilla & martyr *annuntiatur* Auguſtæ Vindelicorum *hac die à Caſtellano. Ibidem loci in ſuo textu Gallico Martyrologii Romani ad diem* XII *Auguſti retulerat* Euprepiam *martyrem, & unam ex ancillis S. Hilariæ, matris B. Afræ martyris. Locus, nomen, officium ancillæ, & titulus martyris cùm utrobique conveniant, omnino mihi perſuadeo, unam eamdemque Sanctam annuntiari; præſertim quia idem martyrologus in ſuo indice nominum Sanctorum, unicam dumtaxat aſſignat die* XII *Auguſti: de qua egimus cum Martyrologio Romano ad eumdem diem* XII Auguſti.

Beneventi, SS. Leontii, Valentii, atque Ypolyti, *commemoratio notatur in additionibus Mss. Cartuſiæ Bruxellenſis ad Uſuardum Greveni. In noſtra collectione Sanctorum, quam Bollandus ſua manu ſcriptam nobis reliquit,* dicuntur epiſcopi. *Catalogus iſtorum epiſcoporum apud Ughellum adeo mutilus eſt, ut à primo procedat ad decimum tertium; ita ut nihil ex eo lucis invenerim. Nec plus reperire mihi licuit apud Viperam in epiſcopis Beneventanis, & in ejus Catalogo Sanctorum, quos iſta eccleſia colit. Apud Florentinium annuntiatur:* In Lucania provincia natalis ſanctorum Valentini, Leonti; *additque in notis:* Quæ de Lucanis Martyribus adnotare potuimus, jam præteritâ die dicta ſunt; *quâ etiam nos de illis egimus; ut compertum non habeam, an & qualis facta hîc ſit confuſio. Videri interim poſſunt, quæ de Lucanis forte Martyribus dicta ſunt heſterno die* XX Auguſti. F

S. Mochteus abbas in Hibernia *invenitur apud Witfordum. Acta ejus illuſtravimus in tomo* III *hujus menſis* XIX Auguſti.

S. Lucius M. *ponitur in Synaxario, quod è Menologio, juſſu Baſilii imperatoris collectum notatur; ſed vide, quæ de eo diximus* XX Aug.

Romæ, S. Attali militis & martyris *meminit Ferrarius in ſuo Catalogo generali; Caſtellanus autem hæc habet:* Paleſtrinæ, S. Attalus martyr.

martyr. *Plura, quæ addamus, in promptu non ſunt, præter ea, quæ hoc die dicentur de S. Anaſtaſio vel Attalo martyre. Eò itaque lectorem mittimus.*

Cordubæ in Hiſpania S. Sampſonis abbatis. *Annuntiatio eſt Ferrarii. De eo etiam agunt Tamayus, ac monaſtici, Wion, Dorganius, & Menardus; & hic ultimus eum refert cum titulo* epiſcopi; *quo fundamento? In notula verò marginali*, an, *inquit*, Sanctus ſit habendus, non ſatis liquet. *Scribit de illo Ambroſius de Morales in ſuo Chronico lib.* 14, *cap.* 3, *& lib.* 15, *cap.* 21; *item in ſcholiis ad librum primum Memorialis Sanctorum divi Eulogii pag.* 255. *Sed hactenus publica hujus abbatis veneratio neutiquam nobis ſuadetur: cui etiam nullo modo favet epitaphium. quod idem auctor recitat ex Cypriano archipresbytero, ubi inter Viri elogium ſunt iſta:*

Flecte Deum precibus, lector, nunc flecte, peroro,
Æthera uti culpis valeat conſcendere terſis.

Hæc non cohærere cum cultu publico tunc temporis, quis non videat?

S. Artoſus & ſocii ejus martyres *ponuntur à Caſtellano; qui aliunde nobis ignoti ſunt: niſi forte ſpectent ad Alexandrinos, de quibus agetur hac die.*

Flori abbatis, diſcipuli ſancti Mauri abbatis, *commemoratio habetur inter Auctaria ad textum Uſuardi noſtri impreſſi & illuſtrati, hac die cum titulo* beati; *quâ etiam refertur à Ferrario in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, & eodem titulo honoratur. Actum eſt de* Floro *apud nos tomo* 1 *Januarii in Vita S. Mauri abbatis; ubi cap.* 9, *pag.* 1049 *dicitur* Cùm .. ſanctiſſimè .. in omni vixiſſet religione, duodecimo Kalendarum Septembrium feliciter migrans ad Dominum, diem clauſiſſe extremum: *& obſervatur in notula*, eo die in multis Martyrologiis ejus inſcriptum eſſe nomen. *Mabillonius in Annalibus Benedictinis tomo* 1, *ad annum Chriſti* 547 *refert, eum* piiſſimè vixiſſe, *& dicto die obiiſſe; & in Actis Sanctorum iſtius Ordinis tomo* 1, *pag.* 295 *obſervat ex Bollando id quod jam indicabam. Cùm tamen nec ibi, nec in Faſtis monaſticis Wionis, Dorganii, Menardi,* Florum *Sanctis annumeratum inveniam, alioquin in hac materia ſatis liberalium; ſuſpicor, ipſi deeſſe publicum ac legitimum cultum; de quo ſi interea ſufficienter nobis conſtiterit, locus ipſi dabitur inter Sanctos in ſupplemento Operis noſtri.*

Verdæ S. Sevilonis epiſcopi *commemoratio habetur in Ferrario* ex Kal., *ſicut aſſerit in notis*, & Brev. Scotico: in quo unus ex iis, qui ſub Karolo Magno Saxones convertit, narratur. *Eum quoque memorat Demſterus. Plura de eo quæſita, ſed reperta non ſunt hactenus.*

Vliæ in Bætica Hiſpaniæ S. Quadrati, ipſius urbis epiſcopi, *memoriam ex pſeudo-Dextro conſignat Tamayus, eumdem hunc eſſe volens, qui hodie ſine titulo loci epiſcopatûs annuntiatur in Martyrologio Romano; ſed perperam. Varii Quadrati epiſcopi dantur hac die; quibus antequam ſynonymus adjungatur in Hiſpania, neceſſe eſt hoc probari teſtimoniis melioribus quàm pſeudo-Dextri, ac Bivarii ad eumdem notis apud Tamayum: de quorum ineptiis nihil hîc dicam, cùm toties in Opere noſtro eorumdem nugæ jam refutatæ ſint. Adeat interea lector quæ hodierna die de ſanctis Quadratis epiſcopis dicentur.*

Servatus *aliquis eſt in noſtra collectione Sanctorum, quam noſter Bollandus ſua manu ſcriptam reliquit ex variis Kalendariis ſeu Faſtis ſacris. Plura de eo in promptu non habemus.*

SS. Timotheus ep. Alexandrinus, & Proterius presbyter MM. *indicantur apud Witfordum. De Timotheo conſule Prætermiſſos ad diem* VII *Februarii, & Hiſtoriam Patriarcharum Alexandrinorum chronologicam, quæ habetur ante tomum* V *Sanctorum Junii noſtri, ubi pag.* * 51 *datur elogium ejus; è quo nondum hactenus videtur ſufficiens nobis præberi fundamentum, ut eum annumeremus Sanctis, qui titulus ibidem à pag.* 50 * *ipſi apud nos etiam tributus non fuit; nec apud Renaudotium in Hiſtoria patriarchar. Alexandr. à pag.* 120 *de eo agentem. Certiora itaque antiqui ejus cultûs deſideramus documenta. S. Proterius martyr & patriarcha Alexandrinus habetur tomo* III *Februarii, die* XXVIII *ejuſdem menſis, à pag.* 729; *qui* primò eccleſiæ Alexandrinæ presbyter, dein archipresbyter, poſtea epiſcopus ſeu patriarcha *fuit, ſicut ibidem dictum.*

Natalis ſanctorum Valentii & Leoncii in ſancta Sophia, *notatur inter Auctaria Uſuardi à nobis illuſtrati. De Martyribus ſynonymis mentio fit inter hodiernos Prætermiſſos. Hi autem quales ſint; compertum non habemus.*

Heyndenricus abbas beatæ Mariæ de Zedelitz in Germania, *exſtat apud Henriquezium hac die; ſed proximè ſequenti apud Chalemotum, utrobique honoratus* beati *titulo.* Henricum *vocat Mauricus in Annalibus Ciſtercienſibus ad annum Chriſti* 1133, *cap.* 8, *num.* 1: *ubi dum nomini ejus addit vocem* quidam, *ſatis indicat, illum ſibi non ſatis cognitum fuiſſe. Nec verò nobis cognitus eſt publicus ejuſdem abbatis cultus, atque adeo hîc ipſi locum damus.*

S. Mazota virgo in Scotia *ponitur à Caſtellano; de qua Demſterus meminit die* XXII *&* XXIII *Decembris. Vide quæ hac die inter Prætermiſſos dicimus de Fincana.*

Octogeſæ in Hiſpania S. Vildefridi ipſius urbis presbyteri, qui gloriâ confeſſoris admirabilis, & miraculorum munificentiâ celebris, in Domino quievit; *ex Tamayo, qui indicat in notis, memoriam ejus ſignari hac die*, quia Luitprandus .. illam conjungit cum SS. Martyribus Juvenali, Bonoſo, & Maximiano. *Addit iſta:* Prorſus ejus res geſtas obliteravit temporum colluvies, quæ nec diem, nec annum obitûs S. Præſulis nobis patefecit. *Affirmat denique*, eum floruiſſe ante tempora Conſtantini. *Ut hunc presbyterum, cujus res geſtæ, vel ipſomet Tamayo fatente, in tanta ſunt obſcuritate; inter alios hujus diei Sanctos recenſeremus, melioris notæ teſtimonio opus erat, quàm pſeudo-Luitprandi, vel aliorum hujuſmodi fabulatorum. Conſule, quæ hac die dicentur in SS. Bonoſi & Maximiliani, vel Maximiani MM. Commentario prævio* § 2.

Baſſus monachus in Clara-valle *notatur in Kalendario Ciſtercienſi, quod anno* 1617 *Divione excuſum eſt. Non invenio illum hac die in Menologio apud Henriquez: quâ Chalemotus eum annuntiat cum titulo* beati, *& laudat, dicens inter alia, fuiſſe cum* de primis

A S. Bernardi discipulis, qui Claræ-vallensem eremum coluerunt, piisque operibus illustrarunt. *Sed mirum est, nihil à me inventum de eo fuisse in Annalibus Cistercien-sibus Manrici; ut omnino censeam, sufficere solam, quam de illo hîc facimus, memoriam.*

Gitmara de Rosario, in monasterio Averiensi Lusitaniæ, *exstat in Viridario Germanico P. Friderici Steil.*

Philippus eremita *notus est in Martyrologio Siculo Octavii Caietani nostri, sed appositio asteriscо, ut secernatur à Sanctis, qui publicis honoribus coluntur.*

Vincentius Vernedus *cum titulo* venerabilis *exstat apud Marchesium in sacro Diario Dominicano, ubi etiam datur ejus Vita.*

Helinus Floreffiensis primùm abbas septimus, deinde abbas S. Abacuc Jerosolymitanæ diœcesis *legitur in Bibliotheca Ordinis Præmonstratensis apud Joannem le Paige, partis primæ libro primo, cap.* 18, *pag.* 348, *& quidem cum* beati *titulo; sine quo refertur in Floribus ecclesiæ Leodiensis apud nostrum Fisenum hoc die pag.* 382, *quem signat in elogio Viri, quod pag.* 383 *subdit è Bibliotheca Cistercien-si.*

B Valentianæ, depositio beati Gilberti, secundi sancti Joannis conventus abbatis. *Ita Raissius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani. Elogium ejus, quod subditur, in fine refert,* animam Deo cum sanctitatis opinione eum reddidisse, *recitatque versum, qui ad ipsius sepulcrum fuerit appositus, & in quo* sanctus *vocatur. Si constaret, eum cultu publico & Sanctis debito honoratum fuisse, inter hujus diei Cælites locum illi daremus.*

Julianus episcopus *annuntiatur* in Vasconia *apud Saussayum in Supplemento, & titulo* Sancti *donatur:* quem, *ait,* nonnulli censent eum esse, qui primus præfuit hierarcha ecclesiæ Lescarensi in Bearnia provincia. *Si hic sit, paucula, quæ de eo reperta sunt, invenies inter alios hujus diei Sanctos; sin verò diversus; majorem de eo notitiam suggeri desideramus.*

Depositio beatissimæ matris nostræ Humbelinæ, beati Bernardi sororis, quæ ab ipso mirabiliter conversa, sæculi deliciis contemptis, rigidissimam vitam instituit.. *nec non* post multa pietatis opera, miris præcedentibus signis.. ad æternam patriam transivit. *Annuntiatio est Chrysostomi Henriquez in Monologio Cistercien-si hac die; quâ etiam Saussayus ac Menardus eam referunt, & quidem cum titulo* Sanctæ. *At Chalemoto in sua Serie Sanctorum & Beatorum &c. Ordinis Cistercien-sis, die proximè sequente sufficit titulus* Beatæ. *Inter alias verò illius laudes,* Ejus festum, *inquit,* celebratur per omnia congregationis Hispaniæ cœnobia tamquam patronæ sanctimonialium Ordinis Cistercien-sis *&c.; sed memoriâ, ut suspicamur, privatâ, vel saltem non satis accommodatâ ad cultum publicum ei concedendum, atque adeo ad eam collocandam in Opere nostro inter Cælites, qui talem cultum habere probantur. Et confirmamur in suspicione nostra ex eo, quòd Manricus, Annalium Cistercien-sium diligens ac fidelis collector, & Hispanus quidem, ad annum Christi* 1141, *cap.* 4, *ubi scribit de piissimo ejus obitu, ac mirabilibus, quæ ista occasione acciderunt, ac ibidem videri possunt, tametsi* Sanctæ *prærogativâ eam dignetur, in fine tamen dicti capitis nulla alia proferat in rem præsentem, publicam, inquam, venerationem, monumenta, quàm* Martyrologium Menologiumque, *quæ eam* Sanctis annumerant, Cistercien-se & monasticum, utrumque vigesima prima die mensis Augusti. *Additur* Miræus item in suo Kalendario die sequenti. *In Vita ejus, quæ anno* 1633 *Lovanii edita est Gallicè, auctore R. P. D. Bonaventura Wauſtru Ordinis Cistercien-sis, cap.* 8, *quo agitur de obitu ipsius, nullum etiam publici cultus vestigium expressum invenimus. Ut itaque in hac re procedamus debita cum cautela, rogatos volumus eruditos Cistercien-ses, ut, si fortasse inciderint in alia documenta, quæ publicum Humbelinæ cultum certiùs nobis comprobent; ea subministrare nobis non graventur, honoratiorem piissimæ mulieri daturis locum in hoc Opere nostro, vel in ejusdem supplemento, si petitioni nostræ faciant satis.* D

Guillelmus Reriachus, *Vauri in Aquitania*
Stephanus Regnacus, *ibidem*
Jacobus Lambertus, *ibidem*
Conradus Probus episcopus, *Tulli Leucorum*
Simon confessor, *Messanæ in Sicilia*
Petrus à Colle conf. Tertiarius, *in Hetruria*
Anonyma virgo, *Cassiliæ in territorio Hispalensi*
} *cum titulo* beatorum martyrum *referuntur tres primi ab Arturo in Martyrologio Fran-ciscano: quibus adduntur alii,* beatorum *titulo donati.* E

Hæc etiam notatur in Gynæceo, & in Menologio Hueberi; sed ab hoc sine titulo beatæ. *Ex eo addimus sequentes: sunt autem isti:*

Julianus Guliacco, *Rossi in Languedocia ab hæreticis occisus.*
Anonymus, *Erfurthi in Thuringia.*
Simon Aimonis, *Messanæ in Sicilia.*
Anastasius, *prope Alconellium opp. in finibus Castellæ.*
Bonaventura de Monte regali, *Spoleti in Umbria.*
Thomas Calaritanus, *in Sicilia.*
Johanna de Jesu Maria, *Burgi in veteri Castella.*

C Romæ, S. Antonii martyris *&c., annuntiatio est in Auctariis ad nostrum Usuardum. Vide* XXII Augusti. F

S. Veredemi confessoris in pago Uzetico *mentionem facit Saussayus in Supplemento: sed die* XX *hujus inter Prætermissos etiam occurrit Sanctus iste, ubi remissus est ad diem* XXIII Augusti.

S. Sidonii Apollinaris episcopi *meminerunt hac die Ferrarius, Castellanus, & Martyrologium Parisiense anno* 1727 *vulgatum. De eo agemus cum Martyrologio Romano* XXIII Augusti.

S. Aredii *mentio fit in Gallia Christiana apud Sammarthanos tom.* 4 *in Attano monasterio pag.* 99, *cujus fuisse dicitur fundator ac primus abbas. Sed Molanus in additionibus, Galesinius, Ferrarius, Wion, Dorganius, Menardus, & Bucelinus agunt de illo ad diem, quò nos quoque eum differimus,* XXV Augusti.

Florentiæ, beatæ Villanæ Nazarenæ, tertii Ordinis Dominicani *annuntiatio signatur ab Arturo in Gynæceo hac die, quâ etiam ponitur à Marchesio in Diario Dominicano, ubi Arturum citat; ad cujus annuntiationem Fanningus*

A *ningus noſter hanc ſua manu adſcripſit obſervationem :* Villanam hoc die XXI poſuerit fortaſſe Arturus è ſuo cerebro : poteſt tamen tunc obiiſſe, utpote non diu poſt feſtum S. Laurentii mortua, uti innuit Vita. At feſtum ejus colitur ultimâ Dominicâ Januarii ; atque ideo poſſet ad ultimum diem iſtius menſis referri. Referri quoque poſſet ad XXVI Auguſti, quâ corpus tranſlatum fuit anno MDLXIX. *De illa itaque nos agemus ad dictum modò diem* XXVI Auguſti.

S. Adelindis abbatiſſa in Germania *ſignatur hoc die (non heſterno, quo poſita eſt in Prætermiſſis per errorem) apud Caſtellanum in Martyrologio univerſali. Quæ de illa dare poterimus, dilata ſunt heri ad diem* XXVIII Aug.

SS. confeſſorum Ariſtidis & Optati *annuntiatio ſignatur in noſtro Florario Ms. Eorum nomina invenio in Martyrologio Romano ad diem, quo de illis plura dici poterunt,* XXXI Auguſti.

Commemoratio martyrum Sergii & Bacchi ; A-

B braham, Iſaac & Jacob *ſignatur in quodam Kalendario, quod ſimul ligatum eſt cum collectaneis noſtris ex Faſtis Sanctorum Græcis. De primis duobus agetur cum Martyrologio Romano ad diem* VII *Octobris ; de Abraham patriarcha, ad diem* IX *ejuſdem menſis ; de duobus aliis vide Prætermiſſos ad diem* V *Februarii. Tribus itaque jam dictis Sanctis locus dabitur apud nos cum Martyrologio Romano* VII & IX Octobris.

Fincana virgo *annuntiatur à Camerario.* Fintana *vocatur apud nos in Prætermiſſis ad diem* XXVII *Maii : ſed Ferrarius in Catalogo generali, & Arturus in Gynæceo referunt eam die* XIII *Octobris unà cum Otha, illius, uti ex eodem Arturo habemus, ſorore. Diſpici poterit, quænam de iis ſint dicenda, ad dictum diem* XIII Octobris.

Spiræ in Germania Reginbaldi epiſcopi *cum titulo* Sancti, *& inſigni cum elogio exſtat in Menologio Bucelini ; apud Menardum verò annuntiatur cum eodem titulo ad diem* XIII *Octobris ; quo etiam refertur à Caſtellano, & vocatur* Reginobaldus ; *ſed tantùm cum titulo* venerabilis. *Iſto itaque die inquiri poterit, an publicum cultum habeat, videlicet* XIII Octobris.

Natalis B. Apoſtoli Thaddæi, qui & Lebæus dictus eſt, *annuntiatur in Menologio Græcorum,*

C *quod Cardinalis Sirletus Latinè reddidit, & Caniſius vulgavit. Conſentiunt Menæa magna excuſa :* Memoria S. Apoſtoli Thaddæi, qui & Lebbæus. *Typicum verò, quod vocatur ſancti Sabbæ, dicit :* Sancti Apoſtoli Thaddæi, *iſto alio cognomento omiſſo ; ſicut etiam fit in Calendario Græcorum, quod Genebrardus edidit. Omnino autem ab iſtis differt Menologium Sparwenfeldianum in ſua annuntiatione,* D *quam his verbis exprimit :* S. Ap. Thaddæi Letvienſis, filii Joſephi, genere Cyrenii, in urbe Berito in Phœnicia ab infidelibus ſuſpenſi & ſagittis perfoſſi. *Raderus noſter in obſervationibus Mss., quas habemus, ad Menæa magna Græca, hac die* XXI *Auguſti in rem noſtram notat, tria nomina fuiſſe iſti Apoſtolo :* Nam apud Lucam, *inquit,* 6, & Act. 1, JUDAS JACOBI vocatur ; apud Matth. cap. 10. Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, LEBBÆUS, COGNOMENTO THADDÆUS. Diſputat Baronius de duobus Thaddæis ad XXVIII Octobris ; quo die apud Latinos colitur Thaddæus cum Simone ; ſed verè tradit, non niſi unum eſſe Thaddæum, unumque ab Eccleſia coli, hunc ipſum, noſtrum, inquam, Græcis XXI Auguſti celebrari ſolitum. *Hæc Raderus. Sed Baronius non omnino affirmatè illud* tradit ; *ſed quando allegat S. Hieronymum, & cæteros Latinorum, utitur verbo* videri. *Apud nos ad diem* XIX *Junii, tomo* III *ejuſdem menſis,* E *à pag.* 802 *edita eſt* de S. Juda Apoſtolo ex LXXII diſcipulis, martyre Araræ in Armenia, diſſertatio conjecturalis, dijudicandum proponens ejus à Juda Thaddæi differentiam, cultumque & genus, & locum mortis diverſum. *Vides hic, lector, locum aperiri ulteriori indagationi circa unum vel plures Thaddæos : huic autem controverſiæ pluribus diſcutiendæ jam non eſt locus ; ſed eam remittimus ad diem modò deſignatum* XXVIII Octobris.

Georgii ſancti Anicienſis ac Velaunenſis epiſcopi conf. *mentio fit in Additionibus Mss. Cartuſiæ Bruxellenſis ad Grevenum. Sauſſayus eum refert die* IX *Novembris ; ſed Caſtellanus, ac Martyrologium Pariſienſe anno* 1727 *editum, die proximè ſequenti, ad quem nos etiam illum differimus,* X Novembris.

S. Alberici epiſcopi Ultrajecteni & conf. *memoria occurrit apud hagiologos monaſticos Benedictinos, videlicet Wionem, Dorganium, ac Menardum ; quibus adde Ferrarium. Ms. Florarium noſtrum cum titulo* venerabilis *illum memorat. Verùm à Sauſſayo in Supplemento, & à Molano in Natalibus Sanctorum Belgii, refertur ad diem, quò nos etiam illum differimus,* XIV *Novembris, quo in Batavia* F *ſacra parte* I, *pag.* 96 *aſſeritur coli ; obiiſſe autem hac die* XXI *Auguſti. De illo itaque agetur die* XIV Novembris.

Conſecratio altaris beati Andreæ Apoſtoli *habetur inter Auctaria ad Uſuardum à nobis editum. Colitur iſte Sanctus* XXX Novembr.

S. Birini epiſcopi Dorceſtriæ tranſlatio *legitur in additionibus Mss. Cartuſiæ Bruxellenſis ad Uſuardum Greveni. Habetur hic Sanctus in Martyrologio Romano* III Decembr.

D E

A D

DE SANCTO EUPREPO VEL EUPREPIO EPISCOPO,

VERONÆ IN ITALIA,

G. C. SYLLOGE HISTORICO-CRITICA.

Sancti hujus memoria in Martyrologiis, cultus, reliquiæ, ætas, & Acta.

SECULO I AUT II. *Ex Martyrologiis,*

B *Memoria hujus ſancti Præſulis, qui ab aliquibus* Euprepus, *ab aliis* Euprepius *nominatur, apud recentiores Martyrologos occurrit, inter quos Galeſinius die* XXI *Auguſti ſic habet:* Veronæ, ſancti Euprepii epiſcopi. Is primus eſt, qui epiſcopali munere eccleſiam Veronenſem geſſit, ſanctéque inſtituit ad Chriſti pietatem. *Huic annuntiationi Ghinius in Natalibus ſanctorum Canonicorum ad eamdem diem ex traditione Veronenſium ætatem* S. Euprepii *præterpropter addidit hoc modo:* Veronæ ſancti Euprepii epiſcopi & confeſſoris, quem ferunt ſancti Petri Apoſtoli diſcipulum, ibidem primum epiſcopum, eamdem eccleſiam ſanctè inſtituiſſe ad Chriſti fidem & pietatem. *Caſtellano aliiſque omiſſis, hîc adjungo breviorem hodierni Martyrologii Romani annuntiationem, quæ ſic ſonat:* Veronæ ſancti Euprepii epiſcopi & confeſſoris. *Eminentiſſimus Baronius ibidem in Notis indicat, ſeſe hanc publicæ venerationis notitiam hauſiſſe ex monumentis Veronenſibus, quæ ad confirmandum immemorabilem hujus Sancti cultum jam conſulemus.*

honore ſacris reliquiis exhibito, 2 *Illuſtriſſimus Auguſtinus Valerius epiſcopus Veronenſis in Antiquis eccleſiæ ſuæ monumentis, quæ Venetiis anno* 1576 *edita ſunt, fol.* 1 *&* C *ſequentibus ex veteri Martyrologio ſcriptoribuſque ſeculi decimi quinti probat, ab immemorabili tempore triginta ſex primos urbis Veronenſis epiſcopos publico cultu honoratos fuiſſe. Deinde ex quodam Ms. Chronico & litteris Hieronymi Segalæ, menſe Martio anni* 1492 *ad Joannem Bevilaquam Comitem datis, de inventione* S. Euprepii *& aliquot ejus ſucceſſorum, refert ſequentia:* Anno Domini MCDXCII menſe Martii in crypta ſeu confeſſione ipſius eccleſiæ ſub altari majori, ſex ſive ſeptem pedibus in terra defoſſa, inventa ſunt cum multis Sanctorum reliquiis corpora quatuor ſanctorum epiſcoporum Veronæ, Euprepii primi epiſcopi, à ſancto Petro creati, ſancti Agapii, ſancti Cricini ſive Crichini & ſancti Proculi; ſuper cujus corpore erat lapis ophites, hoc eſt ſerpentinus, ducatis trecentis tunc æſtimatus; ſubter quo lapide erat effigies S. Proculi in alio lapide marmoreo (mirabile viſu) nulla arte inciſa ſeu depicta: & in feriam quintam ſequentem hac de cauſa decretæ fuerunt publicæ ſupplicationes ac univerſo clero indictæ.

& indulgentiis 3 *Laudatus Auguſtinus Valerius fol.* 3 *verſo poſt relatam inſcriptionem anni* 1502 (*hæc eadem lib.* 4 *Antiquitatum Veronenſium cap.* 3 *etiam ab Onuphrio Panvinio refertur*) *de ætate & cultu* S. Euprepii *ſic diſſerit:* Hæc ſunt corpora Sanctorum ſepulta in eccleſia S. Proculi; & primò in altari inferiori ejuſdem jacet corpus S. Proculi epiſcopi Veronenſis, & fuit quartus epiſcopus Veronenſis; & corpora ſanctorum martyrum Coſmæ & Damiani, Cerboni, Valentii, Luperii, Probi epiſcoporum Veronenſium, & brachium ſancti Martini epiſcopi & confeſſoris. In alio altari ad dextrum latus præfati altaris jacet corpus S. Agabii epiſcopi, & fuit tertius epiſcopus Veronenſis. In alio altari ad ſiniſtrum latus præfati altaris jacent corpora ſanctorum Euprepii & Cricini; qui quidem Euprepius fuit primus epiſcopus Veronenſis, miſſus & conſecratus à beato Petro Apoſtolo, & ſimiliter Cricinus ſecundus epiſcopus Veronenſis. Item die XXII Martii MCDXCIX conceſſum fuit indultum per R. D. Baptiſtam Cardinalem ſanctæ Mariæ in Porticu, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, qui dictam eccleſiam ſancti Proculi Veronæ in ſingulis annuntiationibus glorioſæ Virginis Mariæ, & S. Proculi, & S. Euprepii, S. Cricini, S. Agabii, & SS. Coſmæ & Damiani viſitaverint, centum dierum indulgentiarum, ut in bulla authentica in ſacriſtia ſocietatis S. Mariæ, S. Sebaſtiani, & S. Rochi.

probatur ea- 4 *Denique illuſtriſſimus ille ſcriptor de ſacris* *gitimus cul-* S. Euprepii *reliquiis fol.* 6 *hæc habet:* Corpus *tus hujus* venerandum beati patris Euprepii, ſepultum ex- *Sancti.* tra muros Veronenſis civitatis, in eccleſia beati F Proculi epiſcopi Veronenſis in arca ſita in crypta ejuſdem eccleſiæ à latere meridiano poſt altare ipſius requieſcit. *His duas inſcriptiones ibidem ita ſubjungit:* In crypta ſeu confeſſione eccleſiæ ſancti Proculi in altari SS. Euprepii & Crichini: EUPREPIO VERONÆ A CHRISTI ANNO LXXII PRÆSULI PRIMO ET CRICINO LABORUM SOCIO ET COMITI LOCUS RESTITUTUS. In dicta crypta in marmore ſtrato pavimenti apud columnam ad meridiem: HIC REQUIESCUNT IN PACE CORPORA SANCTORUM EUPREPII ET CRICINI EPISCOPI. *Etiam ibi de aliis* S. Euprepii *reliquiis, & quadam ejuſdem Præſulis effigie ſic meminit:* In eccleſia ſeu monaſterio ſancti Joannis inter reliquias, quæ ibi aſſervantur, ſunt etiam reliquiæ ſancti Euprepii epiſcopi Veronenſis. In palla capellæ S. Mariæ Virginis in eccleſia cathedrali eſt effigies ſancti Euprepii cum paſtorali & eccleſia in manu, ut oſtendatur fundator eccleſiæ Veronenſis. *Quamvis hæc epitaphia aliaque monumenta judicio nobiliſſimi Scipionis Maffei non videantur admodum antiqua, tamen ad demonſtrandum immemorabilem* S. Euprepii *cultum ſufficiunt.*

5 *Quod*

A 5 *Quod verò ad ſeriem primorum epiſcoporum Veronenſium attinet, ea apud diverſos ſcriptores diverſa eſt, ut Onuphrius Panvinius lib.* 4 *Antiquitatum Veronenſium cap.* 3 *teſtatur, & Ughellus in noviſſima editione Italiæ ſacræ tomo* 5 *col.* 678 *clariùs exponit his verbis:* Cœpit igitur ſedere Veronæ Euprepius anno Domini LXXII, ut innuit lapis ſuperiùs allatus, Lini Pontificis anno tertio, Veſpaſiani primo. Quot annis ſederit, incertum eſt; neque ulla habenda eſt fides Tinti chronologiæ aliorumque, qui de primis Veronæ præſulibus ſcripſerunt, cùm erroribus multis ſcateant, & pro libito poſt Euprepium & Cricinum ceteros enumerant epiſcopos, ut infrà in Proculo, qui quartus epiſcopus ab iis recenſetur, cum certum ſit, poſt ſanctum Zenonem, qui octavus dicitur, hanc ſedem tenuiſſe. *Quamvis Ughellus id certum putaverit, tamen hîc à veritate aberravit, ut ex infrà dicendis patebit.*

qui in ſerie præſulum Veronenſium,

6 *Deinde varias auctorum opiniones ibidem ita proponit:* Imò inconſtans eſt illorum ſententia; nam Joannes Diaconus, qui à Julio Cæſare ad Henricum ſeptimum imperatorem ſcripſit hiſtoriam, recenſens primos Veronenſium præſules, primo loco Euprepium, II Dimidrianum, III Simplicium, IV Proculum, V Saturninum, VI Lucillum, VII Cricinum, VIII Zenonem ſtatuit, à ceteris hiſtoricis Veronenſium diſſentiens, qui primum Euprepium, II Cricinum, III Agapium, IV Proculum, V Saturninum, VI Lucillum, VII Dimidianum, VIII Zenonem enumerant, alios præponunt, poſtponunt, omittunt. Neque annorum ratio eadem omnibus conſtat; plures, pauciores, his, illis contribuunt. Et ſanè magnam partem habeo ſuſpectos manifeſtè erraſſe. Eſt mihi ſane compertum, Panvinium valde mirari Joannem Diaconum, qui hanc ſeriem inverterit. Ceterùm ego quoque nequeo non mirari Panvinium, qui plus quam Diacono, ceteris fidei præſtet: nam æquè in incerto laboramus, ſive Diaconum ſive ceteros ſequamur, uſque ad certiora monumenta, de quibus dubitari non licet. Unde enim Diaconus & reliqui hæc hauſerint, ut ultro eorum dictis credulitatem deferamus, neſcio.

quamvis hæc inter ſe diſcrepet,

B

C 7 *Verùm antiquiora & ſaltem certiora monumenta poſtmodum detecta ſunt, de quibus nobiliſſimus Scipio Maffeius ad Nicolaum Coletum tomo* 5 *Italiæ ſacræ, nuper Venetiis recuſæ, col.* 672 *ſic ſcribit:* Intellexi ex tuis litteris, te momentis rationum mearum, quibus ab Ughelliana epiſcoporum Veronenſium hiſtoria universè expendenda, documentiſque exagitandis abſtinere decrevi, tandem acquieſcere, ac poſtulationes tuas eò redigere, ut ſi quid habeam de vetuſtioribus tantùm epiſcopis, quod neque ab Ughello, neque ab hiſtoricis noſtris allatum ſit, pariterque ſi quem umquam cujuſcumque temporis præſulem fortè detexerim, qui nondum innoteſcat, & à dyptichis noſtris adhuc exulet, tecum ſtatim communicem; quæ quidem paucis præſtabo. Nullum extat ea de re monumentum antiquius rhythmica quadam Veronæ deſcriptione, regnante Pippino Caroli magni filio, ab anonymo auctore elucubrata. Priorem illius partem edidit Hieronymus à Curte in Hiſtoria Veronenſi lib. 1 ex Ms. Chronica apud Jeſuatos; reliquæ, in qua octo primi epiſcopi recenſentur, ex antiquiſſimo libro apud Cæleſtinos cœnobii Ariminenſis aliquot verba allegat Perettus; fruſta quædam occurrerunt mihi multis abhinc annis in Zenoniano codice.

& in inſtrumento ſeculi octavi,

AUCTORE G. C. *quod non ita pridem vulgatum eſt,*

8 Verùm perierat prorſus inſignis documenti præſtantior pars & expetibilior, niſi P. Mabillonius ex Lobienſi bibliotheca integrum demum abſolutumque emiſiſſet. Ratherius multis ſcriptis clarus, ex eo monaſterio ad ſedem Veronenſem anno CMXXVIII, ut Sigebertus docet, tranſlatus fuerat; qui cum deinde Veronæ valedicere & monaſtica aliquando clauſtra repetere cogeretur, deſcriptionem illam ſimul cum ichnographia civitatis noſtræ minio depicta, Lobiam pertulit. Ea quidem membrana, necnon ichnographia, quæ hiſtoriæ Veronenſi maximo adjumento eſſet, anno MDCCXIII per fratrem meum, Namurcenſi tunc provinciæ præfectum, operam dedi, ut ſummâ diligentiâ perquirerentur; abbatia ſiquidem Lobienſis vix decem aut duodecim horarum iter ab Namurco abeſt; verùm irrito conatu; multumque conquerentibus Patribus, plures codices vel ſurreptos fuiſſe, vel ab iis, qui utendos acceperunt, minimè redditos. Cum Mabillonii Analecta vetera, quorum tomo primo rhythmicum id monumentum inſertum eſt, in Italia perquam rarò occurrant, ejus exemplar, quod fideliter olim exſcripſi, ad te mitto. *Tum refert iſtud antiquum inſtrumentum, quod Mabillonius inter Analecta vetera tom.* 1 *pag.* 371 *& ſequentibus edidit, quodque nuper inter Scriptores Rerum Italicarum tomo* 2 *part.* 2 *col.* 1095 *recuſum eſt.*

E

ſemper primo loco collocatur.

9 *In hoc venerando ſeculi octavi documento ſeries octo primorum præſulum Veronenſium ita exprimitur:* Primùm Veronâ prædicavit Euprepus epiſcopus, ſecundus Dimidrianus, tertius Simplicius, quartus Proculus confeſſor, paſtor egregius. Quintus fuit Saturninus, & ſextus Lucilius; ſeptimus fuit Gricinus doctor & epiſcopus; octavus paſtor & confeſſor Zeno martyr inclytus. *Proximè laudatus Maffeius de hac ſerie, quæ ab Ughello aliiſque rerum Veronenſium ſcriptoribus non parum diſcrepat, in iiſdem litteris ad Coletum datis tale fert judicium:* At cùm Ughellus, tum hiſtorici noſtri, elenchorumque conſarcinatores, ubi pedem figant, non habent, nec antiquum teſtem proferunt, nec monumento nituntur ullo. Qui ante annos aliquot Ordini Veronenſi epiſcoporum hiſtoriam adjecit, Dimidrianum ſextum decimum ſtatuit, Saturninum decimum quartum, Lucilium ſeu Lucillum decimum octavum; quo fundamento, ſi exquiras, nihil eſt quod afferatur. De Agapio inſcriptionem proferunt, quam proximis ſeculis compactam quis primo intuitu non agnoſcat? Mihi ergo nec vetuſtius, nec ſincerius documentum uſque in hanc diem reperienti piaculum videretur, ab anonymi traditione recedere: præcipuè cum & ſecundus teſtis adſit, qui annis plus quàm ducentis hujus argumenti ſcriptores ceteros anteceſſit; nempe Joannes eccleſiæ Veronenſis Diaconus, qui in imperiali, quam exaravit, hiſtoria nunc deperdita primos octo Veronenſium præſules iiſdem nominibus ac eodem prorſus ordine recitabat, ut ex Panvinio Antiquitatum Veronenſium lib. 4 cap. 3 diſcimus, qui eam chronicam legerat.

F

Sed de ætate hujus epiſcopi dubitatur,

10 *Quamvis* S. Euprepius *ubique in catalogis primus Veronæ epiſcopus aſſignetur, tamen inter eruditiſſimum Maffeium & alios ſcriptores Veronenſes de certa illius primi Antiſtitis ætate non convenit: nam Panvinius, Ughellus, aliique auctores paſſim tradunt,* S. Euprepium *ab Apoſtolorum principe Petro Veronam miſſum eſſe,*

AUCTORE G. C. *se, & anno Christi septuagesimo circiter episcopalem istius urbis cathedram ascendisse vel potius instituisse. Sed hanc traditionem non admittit nobilissimus marchio Maffeius; quinimo ex certiore S. Proculi ætate colligit, prædicationem sive cathedram* S. Euprepii *ad posteriora tempora differendam esse, cum non sit satis probabile, quatuor primos urbis Veronensis episcopos tam diu isti ecclesiæ præfuisse, ut tria ferè secula implèverint. Non repetimus hic verba eruditissimi marchionis, quæ in Commentario prævio ad Acta SS. Firmi & Rustici martyrum die* IX *Augusti, sive tomo* 2 *istius mensis pag.* 416 *dedimus, ubi etiam Veronenses ad solida traditionis suæ monumenta proferenda humaniter invitavimus. Cum interim nihil nobis communicatum fuerit, ætatem* S. Euprepii *circa initium hujus sylloges ambiguè seculo primo vel secundo affiximus.*

& breviter ejus Acta exhibentur.

11 *Jam tantùm superest, ut aliqua dicamus de gestis hujus sancti Præsulis, quæ reverendissimus Augustinus Valerius in Monumentis antiquis ecclesiæ Veronensis fol.* 38 *verso ex communi Veronensium traditione breviter exhibet hoc modo:* Cum Petrus Apostolus, Apostolorum princeps Hierosolymis profectus, Antiochiæ primùm sedisset, deinde post annos septem Romam venisset, ubi Pontificatum gessit annos viginti quinque, discipulos viros apostolicos in diversa loca & provincias ad sanctissimam Christi fidem propagandam misit; in quorum numero fuit Euprepius, vir admirabili sapientia & sanctissimis moribus præditus, cujus fidei Veronam nobilissimam Italiæ civitatem credidit, eique episcopum præfecit. Euprepius zelo Dei incensus, ut illa tempora patiebantur, simulacrorum cultu ejecto, primus religionis Christianæ semina suâ doctrinâ & pietate Veronæ jecit: quo in munere cum multos annos magno cum labore Vir Dei esset versatus, extrema senectute confectus, intrepidè ubique Christum prædicans, Magistrum imitatus, pro grege sibi commisso pastor bonus migravit in cælum duodecimo Calendas Septembris. Sepultus est extra urbem, quo loco nunc est sita ecclesia sancti Proculi, in cryptæ ejus latere, quod est ad meridiem. *Utinam hæc omnia & singula, præsertim quæ ad ætatem istius sancti Antistitis spectant, ex antiquioribus documentis probari possent!*

DE SANCTO PATERNO MARTYRE,

FUNDIS IN LATIO,

G. C. SYLLOGE HISTORICA.

Sancti hujus notitia & cultus ex Martyrologio Romano, Ferdinando Ughello, & Mss. Actis.

SUB DECIO. *In Martyrologio Romano,*

Hodie Martyrologium Romanum memoriam hujus Martyris ita celebrat: Fundis in Latio sancti Paterni martyris, qui ab Alexandria Romam veniens ad Apostolorum memorias, & inde in agrum Fundanum secedens, cum martyrum corpora sepeliret, à tribuno comprehensus, in vinculis exspiravit. *Ughellus in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 1 *col.* 719 *testatur, Fundis in Latio festum ipsius die* XXI *Augusti quotannis coli, & de gestis ejus hæc breviter indicat:* Fundis sanctus Paternus Ægyptius martyrio coronatus est: hic enim cum ad limina Apostolorum institutum iter haberet, Fundosque divertisset, ibique pietate cogente, insepulta martyrum corpora sedulò traderet sepulturæ, demum Christianæ religionis apud judicem expostulatus, martyrum curator, martyr & ipse effectus est, quo pii exantlati laboris præmium amplissimum reportaret. In Fundana ecclesia ejus Martyris professus dies die XXI mensis Augusti recurrit.

C

& ab aliis paucis scriptoribus

2 *Pauca admodum de hoc sancto Martyre superesse documenta, satis declarat Antonius Caracciolus, dum in Sacris ecclesiæ Neapolitanæ monumentis cap.* 2 *sect.* 2 *sic scribit:* In Romano item Martyrologio ad diem XXI Augusti, de Paterno martyre tantùm legitur, illum ab Ægypti Alexandria in Italiam & Campaniam advenisse, atque in agro Fundano occisorum pro Christo martyrum curasse sepulturam. Manuscriptus autem codex Fundanæ ecclesiæ, è quo excerpta aliquot, illustrissimo episcopo Belmosto mandante, nuper ad me missa sunt, paulo sanè latiùs hæc digerit, traditque, necatos per ea loca fuisse, Decio & Valeriano imperatoribus, Christianos bis mille quingentos nonaginta septem. Quo autem anno, quo præside, quove mortis genere interempti fuerint, nulla adsunt monumenta, quæ tradant. At ejusmodi tamen & merito & numero hi sunt, de quibus certa distinctaque memoria & cognitio Fundis exstare deberet. Vah, quam multa tempus atrox falce metit!

F

memoratur hic Sanctus,

3 *Quod hîc de bis mille quingentis nonaginta septem martyribus dicitur, & in Actis infrà dandis repetetur, verosimiliter desumptum est ex Actis S. Magni martyris in Cappadocia, vel Andreæ Ducis in angustiis montis Taxri ab Antiochò cum multis aliis interfecti, quæ cum Actis S. Magni Tranensis episcopi confusa sunt, ut ad diem* XIX *hujus mensis operosè probavimus. Porrò quod ad tempus attinet, quo* S. Paternus *lauream martyrii obtinuit, illud imperio Decii alligavimus, quandoquidem tribus diebus post S. Magnum Tranensem præsulem obiit, & hunc sub Decio collocavimus. Cum tamen in Actis mox edendis dicatur fama* S. Paterni & S. Magni ad aures Decii & Valeriani *pervenisse, & hic sub Decio passus tradatur, non magnopere repugnabo, si quis alterutrum vel utrumque Martyrem sub Decio aut Valeriano collocaverit ob rationes, quas in Commentario historico de S. Cyriaca vidua fusiùs hac ipsa die allegabimus.*

cujus Acta ex Ms.

4 *Nunc tantùm restat, ut referamus qualia- cumque* S. Paterni *Acta ex manuscripto codice ecclesiæ Fundano*

A *ecclesiæ Fundanæ, cujus apographum Papebrochius noster olim ex collectione Antonii Caraccioli accepit, quod ita sonat:* Divus Paternus Alexandrino genere ortus est. Omissis multis, quæ in pueritia & in ejus patria, Deo adjuvante, fecit, Alexandriâ ejus patriâ derelictâ, in Italiam se contulit Apostolorum sepulcra visitaturus. Primò in Campaniam venit, & diu in villa, quæ Fregellanus dicitur, aliàs Ceperanus, commoratus est, quæ prope fluenta Cornilli fluminis posita, ibique ad honorem S. Petri principis Apostolorum fabricavit ecclesiam. His peractis, sicut Domino placuit, ad Fundanam civitatem applicuit, & non procul à civitate reperit fontem in campo Demetriano, apud quem cryptas invenit, ac in eodem loco ecclesiam Deiparæ Virginis dedicavit. Et cum tristis existeret pro sibi sacerdote non assistente, Dominum deprecatus est, & in somnio apparuit ei angelus Domini dicens: Paterne, serve Dei, Dominus exaudivit te, quoniam tibi emittet sacerdotem fidelem.

5 Excitatus à somno de angelica apparitione lætus divinoque favore accensus, multos viros Deum timentes congregavit, qui illis in locis Christianam vitam ducebant. Transactis igitur nonnullis diebus, dum festum beatæ Virginis ab ipsis solenniter celebratur, ante ostium præfatæ ecclesiæ beatus Magnus Tranensis episcopus apparuit, expulsus ab ecclesia sua, prout in ejus Legenda latiùs ejus Vitæ descripta apparet; & cognitus à beato Paterno exclamavit: Tune es ille, quem Dominus in sacerdotem misit? Cui respondens, ait: Ego certissimè ipse sum. Sed quia longum esset, ut omnia recenserem, multa omittuntur, & præter ea, miracula, quæ per interces-sionem tam sancti Paterni, quam sancti Magni Dominus demonstravit.

hîc exhibemus,

B

6 His gestis pervenit rumor ad aures Decii & Valeriani, & directis satellitibus & apparitoribus, Magnus & duo millia quingenti nonaginta septem Christianorum ad Dei honorem congregati, ab ipsis interfecti sunt, martyriique coronam adepti sunt die XIX mensis Augusti, in qua celebratur festivitas sancti Magni. Quapropter vallis illa illustris effecta est & cruore Sanctorum perfusa, ac corporibus Sanctorum plena. Divus autem Paternus timore correptus ad montem arcanum aufugit: die tertio ex monte descendens, ut corpora sanctorum Magni & aliorum sepeliret, corpus beati Magni exanime vidit, & invenit capite à corpore abscisso; & sepultis Sanctorum corporibus, cum ad propriâ rediret, à prædictis apparitoribus captus, compellebatur dæmonibus sacrificare.

AUCTORE G. C.

quamvis ex Actis S. Magni excerpta sint,

7 At noctis silentio adveniente, custodibus sopore oppressis, divus Magnus adfuit dicens: Paterne veni, & epulemur simul, quia triduo corpore disjuncti fuimus. Eâdem horâ in vinculis exspiravit sub duodecimo Kalendas Septembris, cujus corpus nunc conditum sub altari majori cathedralis ecclesiæ cum corpore sanctissimi Libertini abbatis. *Etiam in Additione quadam ad Italiam sacram novissimæ editionis Venetæ tomo* 1 *col.* 720 *legimus sequentia:* In cathedrali quiescunt corpora sanctorum Paterni martyris, Libertini abbatis, & sancti Mauri martyris, aliæque insignes reliquiæ. *Majores nostri S. Libertinum abbatem die* XIII *Januarii in Opere nostro collocassent, si tempestivè notitia de hoc sancto abbate ipsis subministrata fuisset. Cum illa postmodum ad nos pervenerit, & in scriniis ad dictam diem* XIII *Januarii conservetur, in supplemento duorum primorum mensium locum poterit invenire. Quis sit autem ille Maurus martyr inter tot homonymos, & quo die colatur, Fundani nos edocere non graventur. Ceterùm hæc breviora* S. Paterni *Acta lucem aliquam accipient ex Actis S. Magni, quæ die* XIX *hujus mensi utcumque illustravimus, quamvis ambo non videantur magnam antiquitatem præ se ferre.*

& magnam auctoritatem habere non videantur.

E

DE S. CYRIACA VIDUA ET MART.

ROMÆ,

C

COMMENTARIUS HISTORICUS.

F G. C.

§ I. Legitimus hujus Sanctæ cultus, Acta, & tempus martyrii.

SUB DECIO VEL VALERIANO. *Refertur hæc Sancta in Martyrologio Romano,*

Martyrologium Romanum hodie memoriam hujus sanctæ Matronæ sic annuntiat: Romæ in agro Verano sanctæ Cyriacæ viduæ & martyris, quæ in persecutione Valeriani, cum se suaque omnia in Sanctorum ministeria impendisset, demum pro Christo martyrium subiens, vitam quoque ipsam libenter impendit. *Bartholomæus Piazza in Hemorologio Romano parte* 2 *pag.* 186 *asserit, hac die festivitatem istius sanctæ Martyris in variis ecclesiis Romæ celebrari, & notabiles ejusdem reliquias ibidem conservari. Hæc & alia, quæ inferiùs dicentur, ad immemorabilem illius Sanctæ cultum demonstrandum sufficiunt, quamvis in antiquissimis Martyrologiis mentionem ejus non invenerimus.*

2 *Etiamsi Martyrologium Romanum tradat,* S. Cyriacam *in persecutione Valeriani passam esse, tamen Acta hic statim subjungenda martyrium ipsius sub imperio Decii & præfectura Valeriani collocant. Brevis historia Actorum ejus, quam ex collectione Baroniana transcriptam accepimus, tomo* 7 *fol.* 87 *sic sonat:* Temporibus Decii Cæsaris & Valeriani præfecti erat quædam Matrona nobilissima genere, virtutibus Christianissima, Cyriace nomine, nominis sui dignitate pollens: Cyriace namque Græcè, Latinè Dominica interpretatur. Hæc fuerat cum viro suo annis undecim, & in viduitate sinceriissima permanserat annis triginta duobus; & de facultatibus suis pauperibus Christi quotidie solatium exhibebat. Cum autem fervor persecutionis instaret, hæc Matrona domum suam, quæ erat in Celio-Monte militibus Christi, sanctis videlicet, ad conveniendum & Sacramenta Dominica insinuanda

& ex collectione quadam Baronii

AUCTORE G. C.

nuanda obtulit nullo timore perterrita.

dantur ejus Acta,

3 Multitudine verò Chriſti militum ad ſiderea regna migrante, beatiſſimoque Xiſto epiſcopo per glorioſam martyrii coronam cum Chriſto gloriante, beatus Laurentius archilevita, ſuper theſauris Eccleſiæ pauperibus erogandis poteſtate accepta, cœpit quærere per regiones, ubicumque ſancti pauperes eſſent abſconſi. Veniens autem in Celium-Montem invenit in domo beatæ Cyriacæ multos Chriſtianos presbyteros & clericos, ibique Domini mandato peracto, pauperibus Chriſti, prout cuique opus erat, de facultatibus Eccleſiæ obtulit; Cyriacam quoque viduam capitis infirmitate liberavit. Poſt glorioſam autem ſancti Laurentii paſſionem juſſerunt Decius & Valerianus Cyriacam ſanctiſſimam præſentari, à qua Decius multis injuriis auditis, fecit os beatæ Cyriacæ diutiſſimè tundi, deinde in arctiſſimam cuſtodiam recludi.

in quibus dicitur paſſa ſub Decio,

B

4 Mane autem facto, juſſit eam Decius ante ſuam præſentiam adduci, cui & dixit: Si mente ſana tecum hac nocte cogitaſti diis noſtris libamina offerre? Sancta Cyriace reſpondit: Non diis, ſed Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivus & verus Deus eſt, me ipſam in ſacrificium offero. Tunc Valerianus dixit ad Decium: Hujus impietas multimodè ferienda eſt: deorum enim culturam pro nihilo computat. Decius autem juſſit eam diutiſſimè fuſtibus cædi; quæ cum gratias Deo retuliſſet, ita ſanata eſt, ut nec etiam ſignum percuſſionis in ejus membris inveniri potuiſſet. Unde irati Decius & Valerianus receperunt ſe in palatium anguſtiando *, eo quod à muliere ſuperarentur. Poſt hæc fecerunt eam plumbatis atque ſcorpionibus affligi uſque dum Domino reddidit ſpiritum. Corpus verò ejus Chriſtiani in prædio ejuſdem ſanctiſſimæ Martyris ſepelierunt in agro Verano non longe à corpore beati Laurentii à parte occidentali (ibi in cœmeterio ſurſum prima eſt Cyriace ſancta vidua) decimo Kalendas Septembris. *Etſi hæc ſancta Vidua lauream martyrii obtinuerit die* XXI *Auguſti, ut auctores paſſim conſentiunt, potuit tamen* XXIII *ejuſdem menſis, ſive* decimo Kalendas Septembris, *ut hîc legitur, ſepeliri.*

* *forſan* anguſti ambo

C

etſi Martyrologium Romanum eam collocet ſub Valeriano;

5 *Ceterùm eruditus lector videt, in his Actis martyrium* S. Cyriacæ *ſub Decio collocari. At quomodo, inquiet aliquis, hæc cohærent cum Martyrologio Romano, quod eam* in perſecutione Valeriani *paſſam affirmat? Certè dici non poſſunt Decius & Valerianus ſimul imperaſſe, quandoquidem Decio mortuo ſucceſſit Gallus, & poſt hunc tribus menſibus regnavit Æmilianus, antequam Valerianus ad culmen imperii Romani eveheretur. Si quis ad hæc inter ſe concilianda ex Actis reſpondeat, Valerianum ſub Decio urbis præfectum fuiſſe, & hinc perſecutionem utrique imputari, Tillemontius tomo* 3 *Monument. eccleſ. pag.* 327, *& alii ſeveri critici negant, eo tempore præfecturam Valeriani in antiquis & fide dignis monumentis inveniri.*

quod utrumque Baronius

6 *At ſaltem Valerianus ex ſenatuſ-conſulto electus eſt cenſor Romæ ſub Decio imperatore, ut teſtatur Trebellius Pollio hiſtoricus antiquus, cujus verba eminentiſſimus Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 253 *num.* 140 *& ſequentibus refert, & quibus ad rem noſtram hæc ſubnectit:* Hucuſque Pollio ex ejuſmodi ſenatuſ-conſulto laudes texens Valeriani, quo magiſtratum illum coactus accepit, ac ſtrenuè exercuit; utinam piè atque juſtè: quippe qui gentilitiam patriam ſuperſtitionem, quam ab ineunte ætate excoluerat, reſtituere ex officio cenſuræ laborans, in Chriſtianos illius deſertores ſe iniquiſſimum præbuit ac ſeveriſſimum. Quamobrem actum eſt, ut ſuo etiam nomine inſcriberentur leges, & in Chriſtianos promulgarentur edicta, adeo ut eadem perſecutio utriuſque nomine, nempe Decii & Valeriani, cenſeretur, eoque nomine perſeveraret in poſterum; quod eo ſemel eorum, qui juſtiſſimi atque ſanctiſſimi haberentur, perſecutio nobilitata nominum titulo, quo religioſior ac juſtior haberetur, eo licentiùs graſſaretur in Eccleſiam Chriſti.

D

conciliare nititur,

7 Ex his igitur complures tricæ atque ambages ſolvuntur, dum plerique martyres in perſecutione Decii & Valeriani unà paſſi leguntur, quos conſtat, non ſimul eodem, ſed diverſo tempore imperaſſe; & quòd nonnulli, quos perſpicuum eſt paſſos eſſe ſub Decio, iidem ſub Valeriano martyrium pariter exegiſſe tradantur; & quos ſuſtulit Valeriani perſecutio, iidem ſub Decio & Valeriano paſſi legantur. Hæc qui non conſiderat, innumeris ſe ac planè inſolubilibus implicet erroribus neceſſe eſt, feraturque per devia, atque multiplicibus viarum anfractibus diſtineatur. *Licet hæc Actorum conciliatio cum Martyrologio Romano ſubtiliter ab eminentiſſimo Baronio excogitata ſit, tamen legi meretur Antonius Pagius, qui in Critica ad Annales eccleſiaſticos Baronii anno Chriſti* 251 *num.* 9 *huic opinioni quamdam difficultatem opponit.*

E

& quod nos disjunctivè ponendum putamus.

8 *Attamen S. Hieronymus in Vita S. Pauli eremitæ perſecutionem Decii & Valeriani non diſtinguit, dum tomo* 4 *parte* 2 *noviſſimæ editionis Pariſienſis col.* 69 *ſic ſcribit:* Sub Decio & Valeriano perſecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine, felici cruore martyrium pertulerunt, multas apud Ægyptum & Thebaïdem eccleſias tempeſtas ſæva populata eſt. *Præterea ſanctus ille doctor loco proximè citato ejuſdem editionis Pariſienſis in Catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum col.* 122 *de hac perſecutione rurſus ita meminit:* Methodius Olympi Lyciæ & poſtea Tyri epiſcopus, nitidi compoſitique ſermonis adverſum Porphyrium confecit libros, ... & ad extremum noviſſimæ perſecutionis (*hoc loquendi modo indicatur perſecutio Diocletiani, quæ ultima fuit*) ſive ut alii affirmant, ſub Decio & Valeriano in Chalcide Græciæ martyrio coronatus eſt. *Poſſet hæc poſtrema S. Hieronymi aſſertio ſecundum mentem Cardinalis Baronii explicari. Sed potius credimus, ſcriptores Actorum poſt unum alterumve ſeculum elapſum non ſatis diſtinctè noviſſe, ſub quo imperatore martyres coronati eſſent, & illos propterea utramque perſecutionem aſſignaſſe, vel unam cum altera confudiſſe. Hinc ipſo S. Hieronymi tempore quidam affirmabant, S. Methodium in noviſſima perſecutione Diocletiani paſſum eſſe, aliis martyrium ejuſdem ſub Decio & Valeriano collocantibus, ut ex hoc ultimo ſancti doctoris teſtimonio liquet. Cum igitur Acta martyrium* S. Cyriacæ *ſub Decio ſtatuant, & Martyrologium Romanum in perſecutione Valeriani, nos defectu certioris notitiæ illud disjunctivè* ſub Decio vel Valeriano *collocandum cenſuimus.*

F

§ II.

A

§ II. Prima Sanctæ ſepultura, tranſlatio corporis, & dubium circa aliam ejuſdem tranſlationem.

Corpus hujus Sanctæ, quod in prædio ſuo ſepultum fuerat,

IN *Actis ſuprà relatis ſub finem legimus, hanc ſanctam Matronam poſt conſummatum martyrium à Chriſtianis ſepultam fuiſſe in prædio ſuo, quod deinde cœmeterium* S. Cyriacæ *appellatum eſt, & de quo Paulus Aringhus lib.* 4 *Romæ ſubterraneæ cap.* 16 *habet ſequentia:* Celeberrimum Cyriacæ cœmeterium Tiburtinâ viâ, eo potiſſimum loco, ubi nunc inſignis B. Laurentii martyris baſilica, in ejuſdem Cyriacæ Romanas inter feminas nobiliſſimæ agro exſtructum olim fuit, quam & ſub Valeriano imperatore illuſtri martyrio coronatam fuiſſe, Romano ex Martyrologio didicimus, XII nimirum Kalendas Septembris. *Tum exhibet aliqua Actorum* S. Cyriacæ *fragmenta, & recenſet quoſdam Sanctos in hoc cœmeterio ſepultos, quibus hæc addit:* Eodem pariter loco ad agrum Veranum ipſam-

B met Cyriacam eximiæ pietatis matronam, quæ prima cœmeterii hujus fundamenta jecerat, haud longè ab ipſo beati Laurentii corpore, poſt nobile conſummatum pro fide martyrium depoſitam fuiſſe, in Mss. ejuſdem Actis Cod. Vallic. his verbis exponitur. *His ſubdit ultimas Actorum lineas, noſtris ſuprà relatis omnino ſimiles. Unde conjicimus, Acta ſuperiùs repræſentata ex eodem Ms. Codice Vallicellenſi prodiiſſe.*

tranſlatum eſt in eccleſiam S. Martini Romæ,

10 *Denique Aringhus circa finem citati capitis* 16 *memorat, ex cœmeterio* S. Cyriacæ *varias inſcriptiones in eccleſiam S. Martini tranſlatas fuiſſe, & ſimul de tranſlatione corporis* S. Cyriacæ *mentionem facit his verbis:* Porrò complures inſcriptiònum harum in eccleſiam ſancti Martini ſeu in Equitii titulum delatas fuiſſe idem Boſius, vel hoc uno argumento permotus conjicit, quod ibi in dimidiatis nonnullis, quæ adhuc exſtant in ejuſdem eccleſiæ pavimento, lapidibus nomen divi Laurentii expreſſum legatur: cui planè ſententiæ tum illud commode argu-

C mentum ſuffragari videtur, quod jam probè ſacras recolendo antiquitates, in eumdem Equitii titulum à Sergio Papa ſecundo beatæ Cyriacæ corpus delatum & in eo perhonorificè conditum fuiſſe didicerimus, uti inſcriptio, quæ ad hanc uſque diem ibidem legitur, ſatis apertè teſtatur.

ut ex antiqua tabula marmorea,

11 *Cardinalis Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 847 *num.* 4 *exhibet hanc veterem inſcriptionem, quæ marmoreæ tabulæ inciſa ſic ſonat:* Temporibus Domni Sergii Junioris Papæ recondita ſunt in hoc ſacro altari beati Silveſtri præſulis corpora & beati Martini. Item corpora beatiſſimorum Fabiani atque Stephani cum Sotere mart. ac Pont., ſimulque Aſterio cum ſanctiſſima filia ejus, ſanctoque Cyriaco, Papia, Mauro, Largo & Smaragdo & ſociis; Siſinio atque Anaſtaſio & Innocentio Pontificibus, unà cum ſancto Quirino ac Leone; pariterque Artemio, Siſiano, Pollione, Theodoro, Nicandro, Creſcentiano martyribus; cumque beata Sotere atque Paulina, nec non Memmia, Juliana, & Quirilla, Theophiſte, Sophia virginibus atque martyribus; & beata Quiriaca vidua (*etiam Sancta noſtra hoc nomine pro* Cyriaca *in vetuſtis monumentis appellatur*) & beata Juſta cum aliis multis, quorum nomina Deo ſoli ſunt cognita, omneſque ſub ſacro altare dedicans collocavit. Hæc Sanctorum corpora tranſlata ſunt de cœmeterio Priſcillæ viâ Salariâ: ſtatuens omni anno in feſtivitatibus eorum indulgentiam trium annorum & trium quadragenarum omnibus ad ea devotè venientibus. AUCTORE G. C.

& ex Anaſtaſio Bibliothecario diſcimus.

12 *Anaſtaſius Bibliothecarius in editione Fabroti pag.* 173 *& ſequente ſimilia habet; ſed non meminit de cœmeterio Priſcillæ viâ Salariâ, nec ullum verbum facit de indulgentiis, quæ in hac tabula memorantur, & omittit aliquot Sanctos ibidem expreſſos, inter quos tamen* S. Quiriacam *ſive* Cyriacam viduam *recenſet. Etiam Baronius in notis ad Martyrologium Romanum hac die monet, corpus* S. Cyriacæ *viduæ à Sergio II Pontifice in titulum Equitii, ſive in eccleſiam S. Martini tranſlatum fuiſſe; ſed eminentiſſimus ille ſcriptor de poſteriore aliqua hujus ſacri corporis tranſlatione altùm ſilet, ita ut* S. Cyriaca *adhuc in eodem templo S. Martini quieſcere videatur. Attamen Carolus Bartholomæus Piazza, qui Romæ anno* 1675 *Sanctuarium ſive Menologium Romanum Italicè edidit, ad* E *diem* XXI *Auguſti, ſeu pag.* 283 *partis primæ affirmat, corpus hujus* S. Cyriacæ *in eccleſia S. Mariæ de Campitello conſervari, & in templo S. Mariæ Majoris partem brachii ex eodem ſacro corpore aſſignat. Neſcimus, an forſan hæc corporis tranſlatio poſt ætatem Cardinalis Baronii facta ſit, & ideo ulteriorem hujus rei notitiam ab eruditis Romanis exſpectabimus. Verùm reſtat alia difficultas, eaque non minor, quam nunc proponemus.*

Dicuntur illud habere Carmelitæ Veſalienſes in Germania,

13 *Joannes Molanus in Additionibus ad Martyrologium Uſuardi hac die annuntiat annuam feſtivitatem* Quiriacæ matronæ Romanæ & martyris, in Weſalia ſuperiori quieſcentis apud Carmelitas, de qua in paſſione beati Laurentii. *Venerabilis Petrus Caniſius noſter in Martyrologio ſuo Germanico eumdem quietis locum, quem vernaculè* obern-Weſel, *id eſt,* ſuperiorem Weſaliam *vocat, huic ſanctæ Martyri aſſignat. Hæc autem urbs Germaniæ, quæ in limite Palatinatus inferioris ad Rhenum ſita eſt, & nunc Electori Trevirenſi paret, Weſalia vel Veſalia* ſuperior *dicitur, ut diſtinguatur ab alia ejuſdem nominis urbe, quam exactiores geographi in Ducatu Clivenſi collocant, & diſcriminis gratiâ* F *Veſaliam* inferiorem *cognominant. Cum Romæ PP. Carmelitæ eccleſiam S. Martini jam diu poſſederint, facilè fieri potuit, ut Veſalienſes eorum ſodales corpus* S. Cyriacæ *aut ſaltem notabiles ejus reliquias ex illa eccleſia Romana acceperint. Nihilominus de iſta ſacri corporis tranſlatione dubitamus ob aliquot ſcrupulos non omnino contemnendos, quos nobis eximi cupimus, priuſquam opinionem Molani & Caniſii pro certa habeamus.*

de qua tranſlatione dubitamus,

14 *Eminentiſſimus Baronius haud dubie legit Martyrologium Uſuardi, quod Molanus anno* 1568 *vel* 1573 *cum additionibus edidit, quandoquidem in Præcapitulatione de Martyrologio Romano cap.* 9 *illum ipſum editorem laudat his verbis:* Habet, ſi quis plura quærat, ejus argumenti luculentam piamque valde ac eruditam lucubrationem R. D. Joannis Molani theologi Lovanienſis, quam in ſecunda ſui Uſuardi editione poſuit, Appendicis de Martyrologiis titulo prænotatam; de qua illud, quod dignum admiratione videtur, lectorem commonendum putamus: cur nempe ille de cunctis Martyrologiis

AUCTORE G. C. eruditam instituens tractationem, de Romano tamen Martyrologio agere prætermiserit. Id quidem non injuria, vel (quod procul abest à viro pientissimo) dolo malo factum noveris; sed quod existimavit, Romanam Ecclesiam non alio quàm Usuardi uti Martyrologio: id enim ipse testatur eodem libello cap. 43 sicque agens de Martyrologio Usuardi, ea ratione & Romano satisfactum putavit: credidit enim, nullum aliud reperiri Romanum Martyrologium ab eo, quod typis excusum Venetiis, scriptum, emendatum, editumque habetur, auctore Alexandro de Peregrinis presbytero Brixiensi. Præterierunt enim Molanum quamplurima antiqua manuscripta Romani Martyrologii exemplaria, ex quibus, quodnam qualeve esset germanum ipsum Romanum Martyrologium, intelligere certiùs potuisset. Tolerabilis quidem & veniâ dignus error, cum ipse tam longè positus ea nesciverit, quæ illi, qui Romæ agunt, vix magno labore, pervigili diligentia & summâ sunt industriâ consecuti. *Cur ergo Baronius de hac Vesaliensi* S. Cyriacæ *translatione tacuit, cum varias aliorum Sanctorum*
B *translationes in Martyrologio vel notis suis commemorare consueverit?*

eique opponimus silentium Baronii,

15 *Fortè postmodum Molanus, visa nova Martyrologii Romani editione, etiam hac in re sententiam mutavisset, nisi eum mors præoccupasset, ut aliqua ratione colligimus ex eodem eminentissimo scriptore, qui verbis suis proximè relatis hæc immediatè subdit:* Gavisus verò non mediocriter fui, cum nuper opportunè admodum, accincto jam ad secundam editionem typographo, conjecturam suspionemque hanc meam ex litteris R. D. Henrici Gravii theologi Lovaniensis minimè vanam aut inanem fuisse cognovi. Scribit is enim ad me, R. D. Molanum, accepto jam recèns edito Romano Martyrologio, notationes mox suas, quas in Usuardum jam pridem scripserat, probe recognitas auctasque eidem Martyrologio attemperasse atque accommodasse; sed eo præmatura morte subtracto, minus facere licuisse. Quæ proinde mihi causa fuit, ut apud prædictum D. Gravium per litteras agere cœperim, ut eruditissimi viri monumentum edere non prætermitteret: ita enim futurum, ut duorum vel trium concurrente testimonio, veritati possit firminùs esse consultum. Equidem tanti viri, de
C Ecclesia Dei & veritate Catholica optimè meriti, nec brevem scedulam deperire æquanimiter patior; cui (dicam ingenuè) istæc omnia hac ex parte accepta fero, quod in densissimam silvam primus ipse ingressus, mihi aliisque aditum patefecit, quo etiam nomine cùm ego, tum eruditi omnes plurimum ei debere, lubenter agnoscimus & confitemur. *Candidè fatemur, hoc argumento nostro, quod conjecturale est, rem nondum evinci. Quare huic addimus aliud, quod dissolvi desideramus.*

Annales Joannis Baptistæ de Lezana,

16 *Joannes Baptista de Lezana in Annalibus Carmelitarum tomo 3 pag. 402 & sequentibus ex Anastasio Bibliothecario & ex marmorea tabula recenset Sanctos, quorum corpora Sergius II Pontifex in ecclesiam S. Martini transtulit, & inter quos* S. Quiriacam *vel* Cyriacam *nostram superiùs invenimus. Deinde hic Annalista in Appendice ad tomum tertium ejusdem Operis fusè narrat, quomodo reverendissimus Carmelitarum Generalis Joannes Antonius Philippinus anno 1642 eamdem ecclesiam S. Martini exornaverit, & ibidem pag. 573 sedulum industriumque illum virum laudans, jure meritissimo dicit, quod hæc templi instauratio vel exornatio fuerit* conformis sanè auctoris pietati ac devotioni erga tot ac tam insignes Sanctos, quales ii, quorum memoriæ sub eo altari sitæ sunt; Silvester nempe, Martinus, Fabianus, Sother, Stephanus, Anastasius, & Innocentius Romani Pontifices; Asterius, Cyriacus, Maurus, Largus, & Smaragdus, & alii utriusque sexus, quos longa serie in præcedentibus retulimus. *At inter illos ex antiquis monumentis nominatim retulerat* S. Quiriacam *vel* Cyriacam *viduam, de cujus translatione hîc agimus.* D

& testimonium Carmelitarum Romanorum,

17 *Porrò laudatus Annalista Carmelitanus ad propositum nostrum eodem loco sic pergit:* Quamvis autem pretiosissimas has reliquiarum & Sanctorum ac Sanctarum corporum gazas eo loco reconditas esse, nullum esse dubium possit, nec de hoc certiores fieri Fratres nostri desiderarent; E cum tamen pro fornicum, graduum, murorum, & aliorum ornamentorum dicti cœmeterii, altaris & odei fabrica terræ pars magna eruta & effossa esset, casu contigit, ut arca marmorea, in qua cælestis hic thesaurus reconditus creditur, pariete quodam lateritio inclusa, obscurè cerneretur; sed candelâ accensâ, & pro posse approximatâ, clariùs compertum est, eum esse locum sanctarum reliquiarum. Istum igitur piè venerati Fratres INTEMERATUM omnino reliquerunt; etsi pro perpetua rei memoria hoc instrumentum seu testificationem fecerint, cujus originale in archivio ejusdem conventus reservatur.

qui ecclesiam S. Martini possident.

18 *Tum denique exhibet authenticum hujus rei instrumentum, cui subscribunt testes omni exceptione majores, & in cujus fine leguntur sequentia:* Hæc cùm dictus Generalis cum aliis Patribus sedulò observasset, & religiosè veneratus esset, NULLA RE MOTA VEL MUTATA, jussit, ut fornix superexstrueretur. Voluit autem testimonium hoc authenticum & ab iis, qui testes præmissorum fuerunt oculati, subscriptum ad posteros pervenire, quo certiores essent, condita F ibi esse plurimorum Sanctorum corpora, prout fert antiqua traditio, constatque ex veteri tabula marmorea, quæ in prædicta ecclesia hodieque asservatur. *Jam discere cupimus, quomodo PP. Carmelitæ Vesalienses seculo decimo sexto habuerint corpus* S. Cyriacæ *viduæ, cum PP. Carmelitæ Romani circa medium seculi decimi septimi* casu *invenerint sacrum thesaurum reliquiarum, inter quas olim corpus istius sanctæ viduæ fuit, eumque*, nulla re mota vel mutata, intemeratum *reliquerint, ut ex Annalibus & authentico testimonio constat. Si hîc à veritate aberramus aut scrupulus noster est inanis, dignentur PP. Carmelitæ Germani solidis argumentis nos edocere, quando & quomodo corpus* S. Cyriacæ *viduæ vel notabiles ejusdem reliquias Româ acceperint. Atque hæc sunt, quæ de sancta illa Vidua & Martyre reperire potuimus.*

A D

DE S. ANASTASIO VEL ATTALO MARTYRE,

SALONÆ IN DALMATIA,

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA. G. C.

Antiquus hujus Sancti cultus, palæstra tempusque martyrii, distinctio istius Martyris ab alio synonymo, ac verosimillima reliquiarum ejus translatio.

SUB AURELIANO. *Hic sanctus Martyr,*

B

Franciscus Maria Florentinius die XXVI *Augusti profert quædam Martyrologii Hieronymiani exemplaria, in quibus hic sanctus Martyr* XII Kal. Septembris *seu die* XXVI *Augusti memoratur. Verùm hodie in veteri apographo Corbeiensi annuntiatur his verbis :* XII Kal. Sept. civitate Salona nât. S. Anastasii martyris. *Martyrologium Romanum Parvum seu vetus, quod Rosweydus noster edidit, eodem die habet hæc pauca :* Salone Anastasii martyris. *Quis autem fuerit hic* S. Anastasius, *ab Adone clariùs eâdem die in Martyrologio explicatur in hunc modum :* In civitate Salona natalis Anastasii martyris; qui cum videret S. Agapitum inter tormenta fortiùs Christum confitentem, exclamavit : Magnus est Deus, & non est alius præter eum. Erat autem cornicularius miles. Ad quem præses; Sicut video, inquit, seductus es. De quo præses imperatori Aureliano renuntiavit; qui mox perire illum jubet; & ita martyr factus, migravit ad Dominum.

qui ab aliquibus Attalus,

2 *In Actis S. Agapiti, quæ die* XVIII *Augusti illustravimus, miles ille cornicularius passim* Attalus *appellatur, quamvis in aliis exemplaribus* Anastasius *vocetur, ut tomo* 3 *Augusti pag.* 537 *in Annotatis monuimus. Hinc Maurolycus & Galesinius Attalum ab Anastasio distinguunt, & hac die primum Romæ, alterum Salonæ annuntiant. Nos absque evidentibus argumentis Sanctos multiplicare non audemus. Quid si cornicularius ille binonimis fuerit, ut Petrus de Natalibus episcopus Equilinus infrà citandus innuere videtur? Ex prioribus S. Agapiti Actis ibidem conjecimus, forsan hodiernum* S. Anastasium *post publicam Christianæ fidei professionem ex Italia in Dalmatiam discessisse, ut imminentem persecutionis procellam evitaret, ac postea Salonæ ab ethnicis pro fide interfectum esse. Quidquid sit de hac conjectura nostra, Usuardus illum etiam Salonæ collocat hoc modo :* In civitate Salona sancti Anastasii martyris, qui pro confessione nominis Christi, jubente Aurelio imperatore, interemptus est. *Vides, hîc nullam mentionem fieri de Actis S. Agapiti, & pro Aureliano imperatore Aurelium assignari.*

C

ab aliis Anastasius cornicularius appellatur,

3 *Tamen hodiernum Martyrologium Romanum vestigiis Adonis insistit, & simul ex Usuardo annuntiationem suam ita proponit :* Salone sancti Anastasii cornicularii, qui cum videret beatum Agapitum constanter tormenta perferentem, conversus est ad fidem, & pro confessione nominis Christi, jubente Aureliano imperatore, interemptus, martyr migravit ad Dominum. *Eminentissimus Baronius hac die in notis ad Martyrologium Romanum appellationem cornicularii sic explicat :* Quod autem ad cornicularii nomen spectat; erant in castrensi militia nobilis ordinis equites, merentes corniculo, quod erat ornamentum militare, à quo dicti cornicularii. *Deinde eminentissimus Cardinalis hanc nominis explicationem ex Livio, Plinio, aliisque auctoribus confirmat. Glossarium Cangii ad vocem* cornicularius *etiam varias hujus nominis significationes suggeret, si quis illud consulere voluerit. Ceterum ex his veterum Martyrologiorum annuntiationibus abundè constat de immemorabili hujus sancti Martyris veneratione, quæ tamen ex mox dicendis etiam robur accipiet.*

E

passus est Salonæ in Dalmatia,

4 *Quod verò ad palæstram martyrii attinet, hîc ubique designari Salonam in Dalmatia, præter quam non novimus aliam, colligi potest ex Joanne Lucio, qui in Inscriptionibus Dalmaticis pag.* 67 *ad Opus suum de Regno Dalmatiæ & Croatiæ, occasione Bernardi præsulis Salonitani seu potius Spalatini addenda monet sequentia :* Hic consecravit altare S. Anastasii, ut constat ex inscriptione sculpta in capite argenteo ejusdem Sancti, quæ talis est : A. D. N. J. CHRISTI MCCX, IND. XIII, TEMPORE D. INNOCENTII PAPÆ III, ET ANDREÆ REGIS UNG., ET D. BERNARDI ARCHIEPISCOPI, ET DOMALDI COMITIS, X KAL. JUNII, HOC OPUS FACTUM EST, ET ALTARE CONSECRATUM AD HONOREM DEI ET SANCTI ANASTASII, IN QUO CORPUS REQUIESCIT, CUJUS CAPUT HOC EST. *Id intellige de civitate Spalatina, ad quam reliquiæ* S. Anastasii *post excidium Salonæ & diu ante hanc inscriptionem translatæ fuerunt, ut in fine hujus Sylloges ex veteri scriptore referemus.*

F

non sub Diocletiano imperatore.

5 *Thomas archidiaconus Spalatensis, qui anno Christi* 1268 *ex hac vita migravit, in Historia Salonitana cap.* 3 *agens de persecutione Diocletiani & Maximiani, in qua S. Domnionem martyrio coronatum asserit, de nostro sancto Martyre hodierno, nî fallor, hæc subjungit :* Eodem tempore Anastasius Aquileiensis apud Salonam martyrium pro Christi nomine suscepit. *At si sub Aurelio vel Aureliano imperatore passus fuerit* S. Anastasius, *ut Ado & Usuardus testantur, quomodo martyrium ejus usque ad persecutionem Diocletiani & Maximiani differri potest? Maurolycus tamen hanc Thomæ archidiaconi sententiam sequi videtur, dum die* XXVI *Augusti eumdem Martyrem annuntiat hoc modo :* Salonæ in Dalmatia, sub Diocletiano sancti Anastasii martyris in mare demersi, de quo

suprà

AUCTORE G. C.

suprà duodecimo Calendas, *nimirum Septembris, id est die* XXI *Augusti.*

vel Alexandro, ut quidam volunt;

6 *Sed Martyrologus iste secum pugnat, quandoquidem illa ipsa die* XXI *Augusti, ad quam lector hîc remittitur, eumdem Martyrem sub Aurelio imperatore sic collocat:* In civitate Salona sancti Anastasii martyris sub Aurelio imperatore. *Quomodo igitur idem Martyr ille sub Diocletiano & Aurelio lauream martyrii adeptus est? Galesinius verò alium imperatorem assignat, dum hac die in suo Martyrologio* S. Anastasium *sic annuntiat:* Salonæ sancti Anastasii martyris, qui, Alexandro imperatore, variè cruciatus, pro Christi gloria demum necatus est. *Deinde Galesinius fol.* 151 *in notationibus rationem hujus suæ annuntiationis ita reddit:* Equilinus Romæ, non Salonæ, eum martyrio coronatum esse scribit. At Salonæ Usuardus, Ado, ceterique affirmant, Aureliano scilicet imperatore. Nos ALEXANDRO IMPERATORE scripsimus ex auctoritate solùm Martyrologii, quod à Paulo IV Pontifice emendatum esse fertur.

sed sub imperio Aureliani, ut Ado tradit.

B

7 *At saltem Petrus Equilinus hunc sanctum Martyrem sub imperatore Aureliano collocavit, dum lib.* 7 *sui Catalogi cap.* 88 *gesta ejus ex Actis S. Agapiti contraxit hoc modo:* Anastasius sive Attalus martyr passus est sub Aureliano Augusto & præside Antiocho Romæ. Qui cum esset cornicularius, Agapitum martyrem in custodia habuit mandato præsidis; & audiens ab eo verba vitæ ferè conversus est. Cum autem Agapitus versis pedibus superiùs esset suspensus, & fumo de subter facto, sic quatuor diebus esset dimissus, ut suprà dictum est in passione ejus XV Calendas Septembris, & post dies quatuor Anastasius illuc vadens inveniisset eum solutum, ambulantem & psallentem, fidem Christi omnino suscepit & baptizatus est. Et dum hæc omnia, quæ viderat, præsidi nuntiasset, & Christum constanter confessus esset, jussu Aureliani decollatus est XII Calendas Septembris. *Nos initio hujus sylloges in margine martyrium hodierni* S. Anastasii *affiximus imperio Aureliani, hac in re secuti Adonem & Petrum Equilinum, qui verosimiliter istud imperatoris nomen in vetustioribus monumentis invenerunt.*

C

Nonnulli illum confuderunt cum alio synonymo,

8 *Forsan hæc palæstræ ac temporis diversitas, quæ apud varios auctores reperitur, originem habet ex errore, quo nonnulli Martyrologi duos ejusdem nominis Martyres confuderunt: nam in Martyrologio Romano ad diem* VII *Septembris quidam Anastasius martyr* Aquileiæ *collocatur, ac eminentissimus Baronius ibidem in notis circa illum monet sequentia:* Fuit hic fullo, & pro fidei merito in numerum martyrum cooptatus est; idque ex veteribus manuscriptis Molanus in additionibus ad Usuardum hac die. *Galesinius eodem die de Martyre illo meminit, eique eamdem martyrii palæstram assignat his verbis:* Aquileiæ sancti Anastasii martyris; hic infimo genere natus, fidei confessione nobilitatus, præclaram martyrii coronam tulit. *At Petrus Equilinus in Catalogo lib.* 7 *cap.* 124 *hunc ipsum S. Anastasium fullonem Salonæ passum scribit, ut patet ex initio Actorum, quod ita sonat:* Anastasius martyr passus est in Salone Dalmatiæ civitate sub persecutione Diocletiani imperatoris. Hic ex Aquileia ortus civitate, cum artem fullonis exerceret, quidquid ex ipsa consequi poterat, præter parcum quotidianum victum, pauperibus erogabat. Tandem amore animatus martyrii ad Salonitarum civitatem devenit *&c. Petro Equilino favet superà laudatus Thomas archidiaconus Spalatensis,* D *dum S. Anastasium cognominat Aquileiensem, eumdemque* apud Salonam *martyrio coronatum esse asserit.*

ac ipsi Dalmatæ videntur ignorare,

9 *Dubito, an ipsi Dalmatæ* S. Anastasium *martyrem, qui apud eos ab immemorabili tempore colitur, satis distinctè noverint, nisi fortè duos synonymos sibi vindicent: Sponius enim in suo Itinerario Orientis tomulo* 1 *pag.* 82 *testatur, sibi inter ruinas urbis Salonitanæ monstratum fuisse sepulcrum S. Anastasii præsulis, qui illic cathedram habuisse dicebatur. Verùm hæc Dalmatarum opinio neque* S. Anastasio *corniculario neque fulloni convenit, cum neuter in antiquis monumentis episcopus fuisse perhibeatur. Præterea corpus S. Anastasii, cujus sepulcrum præcedente seculo inter rudera Salonitana Sponio monstrabatur, jam ab aliquot seculis post ruinam Salonæ ad urbem Spalatensem translatum est, ibique deinceps quievit, ut suprà indicavimus, & infrà repetemus.*

quem S. Anastasium colant,

10 *Etiam nescio, utrum Græci in Menologio Sirleti die* XXV *Octobris, ac* V *Decembris duplicem S. Anastasium, an bis eumdem vel alium martyrem celebrent: nam nec locum certaminis, nec conditionem sui athletæ exprimunt. Posset* E *tamen S. Anastasius, cujus Acta in Menologio Sirletiano ad diem* V *Decembris referuntur, facilè idem esse cum illo, quem Martyrologium Romanum die* VII *Septembris memorat. Quare ad dictam diem* VII *Septembris oportebit Acta S. Anastasii fullonis accurratiùs discutere, & ex Petro Equilino gesta ejus narrare, eaque cum Menologio Sirletiano vel Menæis Græcorum conferre. Nos interim adhæremus vetustiori omnium Adoni, dum hodierna die* in civitate Salona *annuntiat martyrium* S. Anastasii *cornicularii, qui in Passione S. Agapiti ad fidem Christianam conversus est, & quem ab altero* S. Anastasio *Aquileiensi diversum existimamus.*

& cujus sacras reliquias possideant,

11 *Nunc aliquid dicendum superest de translatione reliquiarum* S. Anastasii *in Dalmatia sepulti, quam laudatus Thomas archidiaconus Spalatensis in Historia Salonitana cap.* 12, *sive apud Joannem Lucium in Opere de Regno Dalmatiæ & Croatiæ pag.* 120 *narrat his verbis:* Eodem tempore reverendus antistes (*nimirum Joannes I præsul Salonitanus, qui seculo septimo floruit*) cœpit tractare cum civibus, ut corpus B. Domnii pontificis, quod Salonæ remanserat, levaretur, translatumque in ecclesia, quæ nuper dedicata fuerat, locaretur; & valde placuit omnibus. Explorata itaque temporum vice, quando possent hoc commodè attentare, abierunt Salonam, ingredientesque basilicam episcopii, confusa & dissipata omnia repererunt; repletus enim erat locus ille ruinosis tectis, congestique incendiorum cineres vepres jam & virgulta produxerunt, ita ut quamvis adhuc aliqui supererent, qui locum sciebant, tamen quia tumba ipsius subterraneis fornicibus absconsa latuerat, non facilè discerni poterat, unde corpus B. Domnii tolleretur. F

quæ Salonâ Spalatum translata sunt,

12 Effodientes autem terram, locumque discooperientes, arcam, quæ primò apparuit, levaverunt; & metuentes, ne fortè impedirentur à Sclavis, cum celeritate magna Spalatum detulerunt; quam aperientes, non corpus B. Domnii, sed corpus B. Anastasii martyris invenerunt. Protinus ergo die sequenti revertentes Salonam, de eodem loco sarcophagum B. Domnii effoderunt, & cum summa festinatione Spalatum transferentes, devotione nimia amborum martyrem pignora

A nora pretiosa locaverunt in prænominata Dei Genitricis ecclesia, ubi dante Domino usque hodie requiescunt. *Etiam Constantinus Porphyrogenitus in lucubratione sua de administrando imperio ad Romanum filium cap.* 29 *testatur, suo tempore sive seculo decimo* S. Anastasium *quievisse in urbe Spalatensi, quam ipse Aspalathum appellat. Hinc sequitur, errasse Dalmatas illos, qui post medium præteriti seculi inter ruinas Salonitanas ostenderunt Sponio tumulum* S. Anastasii, *si hac monstratione indicare voluerint, ibi corpus istius Sancti adhuc depositum esse.*

13 *Si quis autem contendat, ibi alium S. Anastasium præsulem quiescere, is meminerit, ab eruditissimo Dalmata Joanne Lucio in notis ad Historiam Salonitanam Thomæ archidiaconi Spalatensis, ubi hic scriptor cap.* 3 *de* S. Anastasio *martyre Salonitano breviter agit, pag.* 469 *citari annuntiationem hodierni Martyrologii Romani, adeoque solum* S. Anastasium *cornicularium Salonæ in Dalmatia assignari. Hæc sunt præcipua, quæ de hodierno* S. Anastasio *martyre colligere potuimus. Si verò curiosus lector in hac sylloge certiora quædam circa hunc sanctum Martyrem requirat, ea ab eruditis Dalmatis exspectabimus.* AUCTORE G. C. *etsi probabilius hodiernum venerentur.*

DE S. NATALE PRESB. ET CONF.

CASALI IN LIGURIA ITALIÆ,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. P.

B Cultus, Acta, ætas. E

SECULO CIRCITER III, VEL SEC. VIII. *Notitia topographica:*

CASALE, *civitas Liguriæ in Italia, multis illustratur notitiis apud Ughellum tomo* 4 *Italiæ sacræ col.* 768 *& sequentibus, occasione Casalensium episcoporum, de quibus ibi tractat. Sufficerit in rem nostram, nonnulla hîc in compendium contrahere è pluribus, quæ de hoc loco scribit Baudrandus:* Casale, *inquit*, & Casalensis urbs .. permunita Italiæ, dicitur aliquando ad aliorum Casalium (*de quibus etiam agit idem geographus*) Casale S. Evasii .. à S. Evasio ejus patrono .. Sedet ad padum fluvium, estque caput Ducatûs Montisferrati, sub Duce Mantuano .., 4 milliaribus distans à Tridino in ortum Valentiam versus 12, & 15 ab Asta in Boream Novariam versus 10, & 40 à Taurino. *Hinc abunde dignoscitur istius loci situs; ut necesse non sit plura superaddere. Pergamus itaque ad publicum cultum, qui ibidem* S. Natali *potissimùm exhibetur: cujus nomen tametsi Martyrologiis antiquis inscriptum non norim, eadem tamen civitas subministrabit materiam, ut hodiernis apud nos Sanctis meritò jure annumerari possit.*

C

probatur publica Sancti veneratio:

2 *Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Chronologica historia Cardinalium, episcoporum, & abbatum Pedemontanæ regionis cap.* 14, *pag.* 189 *agens de statu civitatis Casalis*, Ejus, *inquit, cathedralis* .. S. Evasium protectorem habet, cujus, & SS. Projecti, Natalis, & sociorum sanctissimas reliquias veneratur. *Ughellus laudatus eodem fere modo rem exprimit col.* 769: Cathedralis pulchra est, veneraturque pro divo tutelari S. Evasium, ubi requiescunt corpora sanctorum Projecti, Natalis, & sociorum. *Acta, inferiùs à nobis producenda, quamquam aliunde exigui, vel nullius sint valoris, in hoc tamen eorumdem auctor meretur fidem, quando loquens de suo tempore,* S. Natalis *cultum, & solennem quidem, tunc confirmat exstitisse hodiernâ die, dicens* vigesimâ primâ Augusti .. ipsius festum solemne haberi in Casalensi ecclesia: in qua ipsius corpus prope corpus S. Evasii olim conditum, etiamnum ibidem quiescit. *Rectè igitur* S. Natalis *memoriam intexuit Ferrarius in Catalogo suo Catalogo ad hunc diem, uti etiam Castellanus Martyrologio suo universali. Ex dictis hactenus habemus quantum sufficit ad publicam hujus Sancti venerationem, ut illæso famoso Urbani PP. VIII decreto, inter alios hujus diei cælites, quos damus, locum meritò nanciscatur.*

castigantur Acta,

3 *Porrò ejus Acta exiguæ sunt auctoritatis, quia conflata sunt ex Actis S. Evasii, quæ tam miserè & crassè sunt composita, ut non cohæreant, sed secum pugnent. Verum quidem est, Acta* S. Natalis, *quæ infrà proferentur, non continere crassum illum errorem, quo imperitus Actorum S. Evasii M. scriptor res, personas ac tempora confundit, ut mox dicetur. Cum tamen ex his accepta sint ista; meritò suspecta haberi posse videntur. Qualis enim fons, talis rivulus ex eo dimanans. Audire nunc juvat censuras, quibus Acta S. Evasii impetuntur. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, hac die narrationem brevem gestorum* S. Natalis *profert* ex Vita S. Evasii, Tridinii, *uti addit*, anno D. MDLXVI edita; *quam illico in annotatione ita castigat:* In ea Vita (in quâ plura de Casalensi civitate notantur) nonnulla videntur emendatione indigere, quemadmodum in Vita S. Projecti monuimus, *die videlicet* XXV *Januarii, ubi determinatè castigat* illud quòd Atubalus, quem Arianum fuisse ex *Casalensi, quam memoraverat*, historiâ apparet, Evasium ad idolorum cultum perducere conabatur. Non enim erant idola eo tempore in Italia, nec ea Ariani venerabantur. Sunt & alia in historiâ prædictâ inverisimilia, seu etiam falsa. F

è quibus Vita ejus desumpta est:

4 *Idem auctor ad diem* 1 *Decembris postquam res gestas S. Evasii narraverat* ex libello, in quo multa de Casalensi civitate tractantur, Tridinii excuso anno D. MDLXVI, *sequenti eumdem censurâ ferit in annotatione:* Multâ accuratâque indiget is liber censurâ, cùm quædam minimè verisimilia contineat. *Legi etiam possunt, quæ habet Ughellus tomo* 4 *Italiæ sacræ anno* 1719 *Venetiis recusæ col.* 335, *ubi in S. Evasio primo cathedræ Astensis episcopo*, Joannes, *ait*, Maria Ballainus Casalensis vulgari sermone Evasii Vitam emisit in lucem, quæ nec temporum, nec rerum veritati ex parte consentit. Confundit enim

AUCTORE J. P.

nim hunc primum Evasium .. martyrem cum alio Evasio confessore ejusdem ecclesiæ Astensis episcopo, qui sub Luitprando Catholico rege claruit sanctitate. Hanc noster Philippus Malabayla in Apologia, & doctissimus Paulus Britius nobilis Albensis ecclesiæ episcopus, nuper in Historia occidentalis ecclesiæ seculo septimo eruditissimis rationibus sugillarunt. *Conspirarunt itaque, uti vides, jam pridem auctores in censurandis S. Evasii Actis; quæ cùm sint notæ tam malæ; quidnam ex eis conficias pro Vitâ* S. Natalis *nostri ex eisdem acceptâ, quod suspectum non sit?*

observationes de ætate,

5 *Dispiciamus interim, an aliquid de ætate, quâ is vixit, statui queat probabili fundamento nixum. Decidenda porrò esset hæc controversia è tempore, quo floruit S. Evasius, magister & comes individuus* S. Natalis, *quia pro hujus Actis, atque adeo pro figendâ temporis ratione, non habemus nisi Acta illius; qui cùm è duobus, tempore omnino discrepantibus, in unum confusus dicatur, ratio etiam temporis ut sit confusa, ac vacillet, necesse est. Nimis præmaturum est* B *hanc rem pluribus ac funditus hîc examinare, quæ à nostris successoribus expendi poterit ad diem* 1 *Decembris, ubi S. Evasius ep. cum titulo martyris signatur in Martyrologio Romano, & quò in Prætermissis ad diem* XV *Maii apud nos dilatus est. Notemus tamen aliqua, ne nihil dicamus, de tempore* S. Natalis. *Galesinius in suo Martyrologio die* 1 *Decembris* S. Evasii episcopi, *non martyris, sed* confessoris *meminit:* de quo; *sicut observatur in Notationibus,* & in monimentis ecclesiæ Casalensis, & in codicibus pervetustis ecclesiæ tum Vercellensis tum Bergomensis, scriptum est, prout nos etiam vidimus.

quâ vixerit,

6 *Si hic itaque sit Evasius, qui secundus istius nominis Astensis episcopus ponitur apud Ughellum citatum col.* 336, *& dicitur vixisse tempore Luitprandi regis; tunc* S. Natalis *spectabit ad seculum octavum, quo S. Projectus, superiùs memoratus, innectitur apud nos die* XXV *Januarii, pag.* 636. *Sin verò alium Evasium, hujus nominis primum, ac martyrem admittas sub idololatris, quem Ughellus electum ponit* circa annum Domini CCLXV; *& cujus discipulus fertur exstitisse* S. Natalis; *eo casu ad quodnam* C *tempus pertineat, manifestum est. Sed quandoquidem pleraque, vel omnia, quæ in Actis antea castigatis habentur, adeo sunt intricata ac perturbata, ut ex eisdem velle aliquid eruere, quod historicè probari queat, sit in tenebris palpare, ideo superiùs signavi* sec. circiter III, vel sec. VIII; *etiamsi, sequendo nostrum exemplar Actorum, circiter seculi tertii finem illigari deberet.*

& de Actis, quæ hic dantur.

7 *Desumptum illud exemplar notatur* ex Actis S. Euasii .. episcopi Astensis & M., & monumentis eccl. Casalensis. *Bollandus verò eidem Ms. prænotavit nomen* R. P. D. Philippi Malabayla visitatoris generalis congregationis S. Bernardi, Ord. Cistercienſis. *Laudatus Malabayla, vel alius forte, quisquis fuerit, illud exemplar correxerit & expurgaverit à crassa saltem illa hallucinatione, de qua suprà conquesti sumus, allatis variorum scriptorum censuris; cùm in eâdem aperta hujusmodi falsitas non reperiatur. Qualecumque igitur illud Actorum exemplar lectori exhibemus, etiamsi non sit tanti valoris, ut in eventibus mirabilibus, quæ narrat, magnam fidem mereatur, cùm aliud non sit nobis in promptu, quod mereatur majorem. Annotata dabuntur pauca: nam cum parvus sit Commen-* D *tarius, facilè legi potest, ita ut assignari identidem non debeat. Locorum quorumdam obscurorum, si non suspectorum, situs intelligetur ex ipso narrationis contextu.*

ACTA

Auctore anonymo.

S. Natalis individuus S. Evasii comes, a

S Anctus Natalis Beneventi *a* in lucem editus, à S. Evasio ad pietatem, & omnem virtutem institutus, ipsi Sancto assidua verbi Dei prædicatione, ac miraculorum ostensione, Christianâ fide jam imbutos confirmanti; & idololatras ad illam in dies pertrahenti, sedulum præbebat obsequium. Cumque S. Evasio angelus significasset, Deum illum in Astensem episcopum præelegisse; ideoque ut Romam se conferret monuisset; Natalis se illi in comitem adjunxit. In ipsa Urbe, dum sanctorum Apostolorum, ac E Martyrum templis, ac memoriis visitandis intenti commorantur, legati ad summum Pontificem missi ab Astensibus, ut proprium episcopum illis concederet, quantæ sanctitatis, ac doctrinæ vir esset sanctus Evasius, opportunè edocti, eidem Romano Pontifici, ut sibi in episcopum concederetur, supplicarunt. Et voti compotes facti, illum ab eodem Papa consecratum, secum Astam *b* ducunt, & Natalis simul profectus, b Astensis ecclesiæ presbyter ordinatur. Ibi sancto episcopo, optimi pastoris officia, & munera omnia sollicitè exequenti, præcipuum ministrum se exhibuit, maximo cum suo merito: & non tantùm civium, sed totius diœcesis, tum quidem amplissimæ utilitate.

conversioni infidelium in variis locis

2 Exorta deinde novâ in Christianos persecutione, cum hi ipsi S. Evasium à civitate abscedere, quo se suo gregi diutiùs servaret incolumem, cogerent; ipse Natalem, Projectum diaconum, & Malianum *c* subdiaconum secum habere voluit: ut sacra facienti adjumento; conversioni infidelium operam danti subsidio; laboranti essent solatio. Itaque ex urbe egressi, ad F fontem circiter mille passus ab ea distantem, & ab hoc eventu Fontana sancta deinde dictum, deveniunt. Et, quoniam jejuni iter arripuerant, sancto episcopo ætate & inediâ debilitato, ut ibidem considat, & cibo se reficiat, suadent. Inde transversis itineribus progredientibus se illis objecit rivulus, Rupta dictus: quem vado transiturus sanctus Evasius, recordatur, episcopale pedum apud fontem humi defixum, se reliquisse. Ad eum afferendum tum properans Natalis, purpureis floribus, velut è turgentibus gemmis erumpentibus, illud ornatum conspicatur. Quo miraculo à S. Evasio in omen futuri martyrii accepto, itineri rursum se committunt: & sub noctem oppidum ingrediuntur, tunc Volusianum *d* dictum. Ibi quieti membra dant cæteri. At Natalis, de sui sancti patris salute, magis quam de sua, sollicitus ne incauti à persecutoribus opprimerentur, invigilabat. Nec id frustra. Etenim, multa jam nocte, illos appropinquare præsentit. d

in quæ profugere cogitur, dat operam.

3 Excitatis igitur sociis, de via rursus deflectunt, ac versus Padum iter convertunt. Erat tunc is locus, ubi nunc Casale, ab hoc sancto episcopo Astensi sancti Evasii dictum, consiste-

re

A re cernitur, vaſta ſylva Cornea dicta : fluminis Padi vadoſo brachio à continenti diviſa. Hanc ingreſſi, ad perſequentium ſollicitudinem fallendam, atque ad viciniorum incolarum ſalutem procurandam, opportunam experti, in ea ſedem figunt : & ad rem divinam faciendam, Natalis, ac ſocii eccleſiam ædificare aggrediuntur : quæ deinde eleemoſynis, eorum, quos ad fidem Chriſtianam perducebant, & præcipuè conſulis illius regionis, perfecta fuit. Brevi ſiquidem ſanctus epiſcopus, miraculis Chriſti fidem, quam prædicabat, confirmando, circumſtantes populos ad illam perduxit. Sed muneris ſui eſſe intelligens, ita his novis lucris intendere, ut cæterarum ovium ſibi commiſſarum curam non negligeret : ea, quæ tam in urbe Aſtenſi, quàm per commiſſam diœceſim, eſſent providenda, ſancto Natali exequenda committebat.

S. Evaſio martyrii palmam adepto,

4 Accidit porrò, ut hac de cauſa abſente Natali, Antubalus prætor Sedulæ urbis, haud multùm à ſylva Cornea diſtantis, de iis, quæ ibi, ac in viciniori regione in ſuorum deorum contemptum, & Chriſtianæ religionis augmentum, acciderant, certior fieret : & ſanctum Evaſium comprehendi, & in carcerem trudi juberet. Cumque deinde nec pollicitationibus, nec minis, à Chriſti fide ad idolorum cultum eum abducere potuiſſet ; illum, ac Projectum, & Malianum, cum centum quadraginta quinque aliis Chriſti fidelibus, capite damnavit : quemadmodum in Vita ſancti Evaſii fuſiùs explicabitur. Ad harum rerum primum nuntium ſanctus Natalis Sedulam ire feſtinavit, ſperans eorum coronæ participem fieri. Aſt ubi ſententiam in eos latam jam executioni mandatam comperit, ſui ſancti magiſtri, ac ſociorum, itemque aliorum martyrum ſacra corpora, ſepulturæ mandare curavit. A. ANONYMO.

5 Deinde verò, tum ejuſdem ſancti Evaſii memoriæ impenſiùs recolendæ affectu, tum ſtudio confirmandi, ac perfectè inſtituendi noviter iis in locis ad Chriſti fidem pertractos, cùm maximè Auſtubalus ipſe, juxta ſancti Evaſii prædictionem, ad fidem converſus, ac cum omnibus ſuis baptizatus, magno illi in deducendis aliis ad Chriſtianam religionem eſſet adjumento, apud eamdem eccleſiam reliquum vitæ exigere decrevit. Ibi magis ac magis ſemper & virtutum ſtudio, propriæ, & prædicationibus, alienæ ſaluti intentus ; quod ſocii ſanguinis effuſione, ipſe ejuſmodi exercitationibus tandem conſecutus, in æterna gloria illis junctus fuit die vigeſimâ primâ Auguſti : quâ ipſius feſtum ſolemne habetur in Caſalenſi eccleſia : in qua ipſius corpus prope corpus S. Evaſii olim conditum, etiamnum ibidem quieſcit. *ipſe poſt uberes fructus in pace obdormit.*

ANNOTATA.

a *Urbs eſt archiepiſcopalis in regno Neapolitano ſatis nota.* E

b *Ad Tanarum fluvium in Liguria.*

c *Britius ſuprà allegatus, pag.* 710 *ex* antiquo, *uti vocat*, Martyrologio Sedulenſi, *nomen* Malliani ſubdiaconi *recitat, nobis è Faſtis ſacris antiquis ignotum.*

d Oppidum Voluſianum, *& inferiùs* Sedulam urbem, *quâ auctoritate nominent Acta, non ſatis intelligo.*

DE SS. DONATO, ROMULO, SYLVANO, VENUSTO, ET HERMOGENE MARTYRE,

FORO-JULII IN ITALIA,

C F

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

Cultus, ſacra lipſana, Acta.

SUB DIOCLETIANO. *Loci notitia :*

FOrum Julii civitas in ea Italiæ regione ſita eſt, quæ olim Carnorum, nunc provincia Forojulienſis, quæſitâ ab urbe principe apellatione, nuncupatur. Mediam ſecat Natiſo fluvius, priſcis ſcriptoribus memoratus : tergum Alpes Juliæ claudunt, frontem ingens planities, uberi ſolo nobilis, expandit. *Ita Philippus à Turre in Diſſertatione de colonia Forojulienſi, quæ habetur poſt Monumenta veteris Antii, Romæ ab eo vulgata anno* 1700, *à pag.* 322. *Loci etymon Paulus Diaconus De geſtis Langobardorum lib.* 2, *cap.* 14 *his verbis exponit :* Hujus Venetiæ Aquileia civitas extitit caput, pro quo nunc Forum-Julii, ita dictum, quòd Julius Cæſar negotiationis forum ibi ſtatuerat, habetur. *Plura de hoc loco inveniet curioſus lector apud Iau-*

datum Philippum à Turre.

2 *Hanc itaque urbem hodierni noſtri Martyres nacti ſunt ſedem publicæ ſuæ venerationis, quâ ibidem honorantur ab immemorabili tempore, prout teſtatur prædictus Philippus à Turre, quem lego in ſcripto quodam noſtro, dum anno* 1692 *Eminentiſſimi Cardinalis Imperialis, Ferrariæ legati, auditor eſſet, litteris die* x *Junii tunc huc datis, docuiſſe de eorum cultu ſequentia :* Acta S. Donati, & ſociorum, *quæ litteris addiderat Vir Cl., quæque nos infrà daturi ſumus*, deſcripta ſunt ex breviariis vetuſtiſſimis, quibus olim noſtra eccleſia utebatur, diſpoſita ſecundum lectiones .. In ſacrarum reliquiarum cemelio ejuſdem eccleſiæ aſſervatur caput S. Donati, thecâ argenteâ reconditum, quod, recurrente die feſtivitatis XXI Auguſti, publico cultui exponitur unà cum aliis ſociorum reliquiis. Quo- *Sanctorum ibidem cultus,*

AUCTORE J. P.

modo ex Pannonia ad Forum-Julium tranſlata fuerint hæc ſacra pignora, & quando in patronos adſciti S. Donatus, & ſocii; nil memoriæ proditum inveni, nec traditione compertum. At certè monumenta antiquiſſimi temporis S. Donatum hujus civitatis patronum memorant, & in Faſtis ſacrorum codicum adnotatur.

nec non Aquileiæ:

3 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem*, ex monum. eccleſiæ Civitatenſis, *id eſt, Forojulienſis*, & ex breviario antiq. Aquileien., *refert martyrium, in quo memorantur dnmtaxat* S. Donatus, *anonymus* presbyter, & Venuſtus; *ſed inſigniores eò delatas vult illorum reliquias, quàm modò narravimus è Philippi Turrii teſtimonio, ſic ſcribens:* Quorum Martyrum corpora . . Forum Julium tranſlata, ibi præcipuo honore coluntur: Civitatenſes enim SS. Martyres ſuæ urbis tutelares ſibi aſciverе. *Sed idem auctor forte accipit partem corporis pro toto, ut non rarò ſit. Certè Turrius non ſignabat* S. Donati *corpus, ſed* caput; *nec* ſociorum *corpora, ſed eorum* reliquias; *plura veroſimiliter dicturus, ſi plura de ſacris hiſce pignoribus ei comperta fuiſſent. Ad cultum autem* S. Donati *& ſociorum ejus accedit illud, quod is non apud ſolos Foro-Julienſes, ſed etiam apud Aquileienſes fuerit propagatus, uti patet è* Kalendario Aquilegienſi ex bibliotheca Vallicell. Cod. N., *cujus apographum apud nos eſt in involucro; quod ſignatur* S 19, *& in quo ad diem* XXI *Auguſti notatur:* Donati, & ſociorum ejus.

B

Acta unde deſumpta.

4 *Acta eorum, ſicut antea indicatum eſt, huc miſit Philippus Turrius, qui, unde fuerint deſumpta, ibidem notabat. Teſtimonium verò, quod eiſdem erat additum, his verbis conſtat:* Hæc Acta SS. martyrum Donati, & ſociorum extraxi, & exemplavi ex antiquo breviario Ms. exiſtente in archivio reverendiſſimi capituli civitatis Fori-Julii, ego Thomas Miniſinus, ejuſdem capituli canonicus & archiviſta, & meo ſigillo munivi. *Cujus autem antiquitatis ſit tam hoc breviarium, quam illa, quæ ſuperiùs* vetuſtiſſima *vocabat Turrius, nos latet. Porrò voces quaſdam in noſtro apographo, quæ legi non potuere, omiſſas videbit lector; quaſdam etiam uncinis incluſas, ut earum defectus ex conjectura utcumque ſuppleatur. Reliqua huc ſpectantia dicentur in Annotatis, dum unicum hîc addidero, videlicet, ſynonymum S. Donatum, de quo egimus tomo* III *Februarii, die* XVII *ejuſdem menſis, Concordiæ in Italia tributum, non eſſe confundendum cum hodierno: de qua re conſuli poteſt ſylloge hiſtorica ad iſtum diem* § 1, *num.* 5.

C

ACTA

Ex Breviario Ms. Foro-Julienſi.

S. Donatus diaconus in fide conſtans, juſſu Victoriani præſidis interimitur.

IN diebus illis regnantibus Diocletiano & Maximiano imperatoribus, decreverunt, ut immenſis perſecutionibus *a* Chriſtianos perſequerentur de civitatibus eorum & caſtellis qui eſſent, qui diligenter Chriſto deſervirent, ut eos à fide Chriſti facerent deviare. Et, ecce, adveniens Victorianus præſes ex præcepto Diocletiani, in partibus Sirmienſibus *b* ad Chriſtianos torquendos, ita à clericis ſumpſit exordium. Apprehenſum S. Donatum, diaconum S. eccleſiæ Singidonenſis *c*, ... miſit in carcerem. Aliâ autem die, primo diluculo exurgente, dixit Victorianus præſes: Donate, quis te perſuaſit, ut non colas deos noſtros, ſicut & nos, & judices noſtri? Dixit ei S. Donatus: Deos tuos ſurdos & mutos non colo: colo autem Dominum meum Jeſum Chriſtum, Filium Dei vivi, qui eſt verus & omnipotens Deus. Iratus autem Victorianus præſes dixit ei: Recede ab hac ſtultitia. Dixit ei B. Donatus: Stultus tu es, & judices tui. Audiens autem hæc præſes, furore accenſus, juſſit eum apprehendi, & ſtatuit eum capitalem ſubire ſententiam.

D

c

Accedunt S. Romulus presbyter, & S. Sylvanus diaconus, cum S. Venuſto B. Donati fratre.

2 Presbyterum quoque, Romulum nomine, Sirmienſis eccleſiæ, qui cum S. Donato diacono & martyre Chriſti, pro fidei conſtantia, & commiſſa ſibi plebe fortiter dimicabat, ad cæleſtem palmam ſimili ſententia [prædamnatum] provexit immitis. Item & alium diaconum, S. Sylvanum nomine, ejuſdem eccleſiæ, idolis renuntiantem, & impia præcepta contemnentem, per varia tormentorum genera confectum temporali morte tradidit in æternitate victurum. Sed cum in eis ejus ſatiata crudelitas non fuiſſet, vicinas civitates peragrandas decrevit, & cùm ſpecie publicæ neceſſitatis in civitatem Civalitanam *d* deveniſſet, de qua ... Chriſtianiſſimus eſſe cognoſcitur, contigit .... apprehenſum eſſe S. Venuſtum, germanum S. Donati martyris, à miniſtris ipſius impiiſſimi Victoriani, & præcepit eum ſiſti ſuis apparitoribus: qui dum eum intuitus fuiſſet, Victorianus præſes dixit ei: Venuſte, recordaris, quomodo germano tuo Donato caput feci amputari? conſule . . . tu . . tibi, veni & ſacrifica diis noſtris, quos & nos, & principes noſtri veneramur, ne tibi ſimiliter fieri præcipiam. S. Venuſtus ſubridens dixit: Vivit Dominus meus Jeſus Chriſtus: quia neſcio plures deos eſſe, quos tu dicis; ſed ſcio unum Deum vivum & verum, Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum, qui & trinus & unus Deus. Dixit ei Victorianus, præſes: Quid plura? Sacrifica. Dixit ei S. Venuſtus: Non ſacrifico diis tuis vanis, ſed ſacrifico Deo Patri ſacrificium laudis, qui regnat in cælis. Tunc furore repletus Victorianus præſes juſſit miniſtris ſuis eum apprehendi & foras civitatem adduci, & ibi decollari; & dum diutius oraſſet ad Dominum, decollatus eſt in eodem loco.

d

E

F

Demum apprehenditur S. Hermogenes lector,

3 Et, ecce, appropinquavit B. Hermogenes, quem cùm cognoviſſent, eum adduxerunt ad præſidem: & dum ſibi præſentari feciſſet, dixit ei præſes: Dic mihi, Hermogenes, & tu vis ſeduci? dixit ei B. Hermogenes: Tu ſeduceris, miſer. Dixit ei Victorianus: Fortaſſis & tu Chriſtianus vocaris? Dixit ei B. Hermogenes: Chriſtianus vocor. Victorianus præſes dixit: Quod officium geris Chriſti? S. Hermogenes dixit: Qui ſcientiam populis legere conſueverunt *e*. Dixit ei præſes: Quæ mandata legis, vel cujus ſalutis gaudia doces? S. Hermogenes dixit: De Domino meo Jeſu Chriſto rege ſæculorum pia & ſancta mandata. Præſes dixit: Et quem Deum adoras? B. Hermogenes dixit: Unum Deum verum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt. Dixit ei præſes: Numquid dii noſtri veri dii non ſunt? Dixit ei B. Hermogenes: Dii tui lignei & lapidei ſunt; nec aliquid in ſe divinum habent, nec tibi, nec alicui præſtare poſſunt ſalutem. Dixit ei præſes: Hermogenes, conſule tibi: veni & ſacrifica

e

A crifica diis noſtris : nam faciam te celeriùs puniri. Reſpondit S. Hermogenes : Jam pridem tibi dixi : non ſacrifico diis tuis vanis, mutis & ſurdis. Tunc iratus præſes juſſit eum in carcerem trudi. Apprehendentes cuſtodes, vinctis manibus, trahebant ad carcerem.

qui dum ad carcerem ducitur, corruit idolum & pars templi, ac dæmon filiam præſidis occupat :

4 Et dum [trahebatur,] conſpiciens idolum, facto ſignaculo Chriſti, comminatus eſt ſpiritui, qui in eo latitabat : & ſtatim cecidit maxima pars templi ; &, ecce, exiens dæmon ab eo, clamabat dicens : Quid nobis & tibi, vir Dei : veniſti ante tempus torquere nos ; & introivit in filiam præſidis, & clamabat per os ejus dicens : Si non venit vir Dei, quem in carcerem miſiſti, non exeo hinc. Audiens autem hæc præſes, juſſit eum ſilentio ad ſe perduci : & cum veniſſet B. Hermogenes ad præſidem, dixit ei præſes : Hermogenes, potes filiam meam ſalvam facere. Dixit ei B. Hermogenes : Non ego ; ſed Dominus meus Jeſus Chriſtus : in ipſius nomine poſſum eam ſalvam facere. Dixit ei præſes : Si potes, fac, quod dicis.

B *quem S. Hermogenes expellit.*

5 Dixit ei vir Dei : Si credis in Deum meum Jeſum Chriſtum Filium Dei vivi, qui tertiâ die reſurrexit à mortuis, ego faciam quod promiſi. Præſes dixit : Si jam ſanam video filiam meam, credam in Deum tuum. S. Hermogenes dixit : Scio, quòd falles, & non credes ; quia obduratum eſt cor tuum : ſed propter populum aſtantem faciam eam ſalvam. Et poſuit genua ſua in terram, & rogavit Dominum, dicens : Domine Deus omnipotens, qui cognitor es omnium, præſta, ut tuâ virtute exeat dæmon de puella hac. Et hæc dicens, erexit ſe, & poſuit manum ſuper caput puellæ, & facto ſignaculo Chriſti dixit : Præcipio tibi, immunde ſpiritus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, recede ab hac puella, & non ampliùs eam fatigare audeas. Et ſtatim exiit ab ea, & facta eſt quaſi mortua. Et elevavit vocem ſuam laudans & glorificans Deum, qui eam ſalvam fecit.

Nihil hoc miraculo commotus Victorianus

6 Et videns pater ejus, quòd ipſa Dominum Deum cæli benediceret, obdurato corde dixit ei : Filia, dii tui te ſalvam fecerunt. Audiens hæc vir Dei ſubridens ait : Dii tui vani ſunt, ſicut & tu factus eſſe cognoſceris ; & nihil tibi nec aliis præſtare poſſunt. Victorianus iniquus præſes dixit : Hermogenes, noli tam vana & tam inutilia verba proloqui ; ſed veni & ſacrifica diis, qui filiam meam ſalvam fecerunt. S. Hermogenes dixit ei : Vivit Dominus Deus meus, qui filiam tuam ſalvam fecit : quia ipſum adoro, & ei ſacrificare non deſiſto. Victorianus præſes dixit : Hermogenes, doleo de pulchritudine tua, &, niſi celeriùs mihi acquieveris, diutiſſimis pœnis te affici præcipiam. Poſt hæc juſſit eum apprehendi, & iterum in carcerem recludi : & non diu, iterum juſſit eum ante ſuum tribunal conſiſti *. Et dum ſtaret ante tribunal ; dixit ei præſes : Jufſerunt Domini mei imperatores ceremoniari *f.* Dixit ei S. Hermogenes : Neque imperatorum præceptis obedio, neque [ſermonibus] tuis acquieſco. Tunc repletus furore Victorianus juſſit frænum in os ejus immitti, & foras civitatem duci, & ibidem decollari præcepit. Et dum ad loca damnatorum perveniſſet, poſuit genua ſua in terram, & Dominum Jeſum Chriſtum rogavit, ut ejus ſpiritum acciperet : & ſtatim decollatus eſt in eodem loco. Venientes autem viri religioſi, & tollentes corpus ejus, ſepelierunt eum prope corpora SS. Martyrum. Paſſi ſunt autem beatiſſimi Chriſti Donatus, Venuſtus, & Hermogenes ſub die duodecimo Kal. Septembris, imperantibus Diocletiano & Maximiano imperatoribus ; regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto ; cui eſt honor, & gloria, laus & poteſtas per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Ex BREVIARIO Ms.

* ſiſti *f*

jubet ei caput amputari.

ANNOTATA.

E

a *Videtur hîc deſignari famoſa perſecutio decima, quæ anno æræ vulgaris* 303, *die* 23 *Februarii inchoata fuit, publicato poſtridie edicto deſtruendi templa, libros ſacros comburendi &c. De hac perſecutione omnium crudeliſſima legi poteſt Lactantius De mortibus perſecutorum à cap.* 12.

b Sirmium *urbs eſt Pannoniæ inferioris, tribus fidei formulis ibidem editis notiſſima : de quibus Labbeus tomo* 2 *Conciliorum col.* 733.

c Singidonum. *Cellarius in Notitia orbis antiqui lib.* 2, *cap.* 8, *pag.* 363, *inter ea, quæ collegit de Mœſia ſuperiore*, Poſt confluentem, *inquit*, & Taurunum, qui finis erat Pannoniæ, primum oppidum ſuperioris Mœſiæ Singidunum eſt, ut Latini ſcribunt. *Obſervat item, alibi ſcribi* Singidonum, *ac* Pannoniæ tribui vel propter vicinitatem, vel quia verè quidam poſt Singidunum limitem conſtituerunt .. Quod oppidum hodie ſit, aut quo loco, *dicit* non planè conſtare. *De eo mentio facta eſt apud nos die* 13 *Januarii, tomo* 1, *pag.* 768.

d *Inter Murſam & Sirmium jacet, ut videre eſt in tabula geographica apud Cellarium allegatum, quæ datur ad paginam* 346. Urbes *has* regionis illius olim primarias *vocat Ferrarius in Nova topographia ad Martyrologium Romanum*, *de* Cibale *agens.*

F

e *Indicat ſe lectoris officio fungi, qui libros ſacros populo in eccleſia congregato prælegebat.*

f *Id eſt*, diis ſacra offerri, *è Gloſſario Cangii.*

DE SS. LUXORIO, CISELLO, ET CAMERINO MARTYRIBUS

IN SARDINIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

Vetuſtus horum Sanctorum cultus, Acta, reliquiæ, & inepta duorum ex his annuntiatio in Martyrologio Hiſpanico.

SUB DIOCLETIANO. *In veteribus Martyrologiis*

PRimus ex tribus hiſce Martyrologio Hieronymiano aliiſque antiquis Calendariis ad hanc diem ſic annuntiatur: In Sardinia natalis ſanctorum Luxuri, Trajani, Quadrati epiſcopi, Primi. *Vetuſtiſſimum Hieronymiani Martyrologii apographum Antverpienſe eidem* S. Luxorio *addit alios ſocios hoc modo:* In Sardinia Luxorii, Angeri, Eulodi. *Propter illos diverſos* S. Luxorii *comites dubitari poſſet, utrum nulla confuſio in laterculos Hieronymianos irrepſerit, & an tota hæc Martyrum claſſis ad Sardiniam ſpectet. Florentinius tamen in notis ad priorem hujus Martyrologii annuntiationem exiſtimat, contingere potuiſſe, ut ſodales ibi adjuncti in Sardinia cum* S. Luxorio *martyrium ſubierint. Quidquid ſit de hac Florentinii opinione, quæ alibi examinanda erit, Appendix ad Martyrologium Adonis die* XXVI *Septembris* S. Luxorium *ſine ſociis ita memorat:* In Sardinia natalis ſancti Luxurii. *Certè oportet antiquam eſſe* S. Luxorii *venerationem in Sardinia, cum S. Gregorius Magnus Pontifex in epiſtola ad Januarium præſulem Calaritanum meminerit de monaſterio, quod ibidem ſub nomine* ſanctorum Gavini atque Luxorii *conſtructum erat, ut in noviſſima Pariſienſi Operum ejus editione tomo* 2 *col.* 931 *videre eſt.*

B

2 *Die* XXI *Auguſti in Auctariis Uſuardinis, quæ Solerius noſter in Martyrologio Uſuardi illuſtrato edidit, tres Sancti in titulo propoſiti luxatis nominibus ex codice Florentino ita referuntur:* Apud Sardiniam, civitate Carilitana paſſio ſanctorum martyrum Ruſſoris (*in codice Mediceo* Ruxoris *& alibi* Luſorii *pro* Luxorii *legitur*) Caſelli & Camerini, ſub Diocletiano & Maximiano imperatoribus, præſidente Dalaſio præſide. *Codex Strozzianus annuntiationi ſimili adjungit ſequentia, quorum juverit inferius meminiſſe:* Caput autem ſancti Ruſſoris inde tranſlatum, Florentiæ poſitum eſt in eccleſia omnium Sanctorum. *Hinc patet, etiam de immemorabili* SS. Ciſelli *&* Camerini *cultu non eſſe dubitandum. Accedit, quod Seraphinus Eſquirrus in Sanctuario Calaritano pag.* 94 *& ſequentibus adducat plures fide dignos teſtes, qui jurati affirmant, ſe ſemper vidiſſe & à majoribus audiviſſe, quod die* XXI *Auguſti feſtivitas iſtorum Martyrum ſolenniter in Sardinia quotannis celebraretur. Porrò nos in exprimendis horum trium Martyrum nominibus ſecuti ſumus Martyrologium Romanum, quod hodie ſic habet:* In Sardinia natalis ſanctorum martyrum Luxorii, Ciſelli & Camerini, qui in perſecutione Diocletiani ſub Delphio præſide gladio cæſi ſunt.

celebrantur hi Martyres,

C

3 *Eminentiſſimus Baronius ad præcedentem Martyrologii Romani annuntiationem notat ſequentia:* Horum Acta recitat Mombritius tomo ſecundo Vitarum Sanctorum. Accepimus eadem ſinceriora ex Sardinia inſula. Hujus Luxorii nomine dictum eſt monaſterium, de quo S. Gregorius in Regiſtro lib. 7 ad Januarium epiſcopum Calaritanum. *Neſcio, qualia Acta Cardinalis Baronius ex Sardinia acceperit; ſed ſuſpicor, hæc non differre ab apographo Antonii Gallonii, quocum Papebrochius noſter contulit aliud exemplar, quod ex codice bibliothecæ Vaticanæ num.* 6453 *tranſcriptum fuerat. Quamvis autem exemplaria illa ſubinde ſtylo diſcrepent, tamen in ſubſtantia concordant. Porrò Vaticanum iſtud apographum ab imperito amanuenſi tam miſerè luxatum eſt, ut plures periodi vix intelligantur. Quare poſt hunc Commentarium prævium recudemus Acta horum Martyrum ex editione Mombritii, quæ cum apographo Antonii Gallonii ferè convenit, & in qua unum alterumve manifeſtum typotheta errorem ex aliis apographis emendavimus. Si quæ tamen notatu digna diſcrepantia in illis exemplaribus occurrerit, hæc in margine vel in Annotatis obſervabitur.*

quorum habemus Acta,

4 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ hac die ſatis exactam Actorum ſynopſin contexuit hoc modo:* Luxorius miles Sardus, Diocletiano & Maximiano imperatoribus, Chriſtum colens, cum ſacras Litteras legere cœpiſſet, relicta vita militari, pietatis officia colere cœpit. Quapropter M. Delaſio præſidi Calari accuſatus, ab eoque, cur militiæ renuntiaſſet, & deos non coleret, interrogatus, reſpondit, quia longè præſtantiorem Chriſtum inveniſſet, quàm deos & imperatores. Data autem ei optione, aut deos venerandi aut mortem ſubeundi, cum ſe mori pro Chriſto paratum diceret, vinculis ferreis conſtrictus, in tetrum carcerem truditur. Poſt aliquot dies eductus, cum præſidis conſiliis non acquieſceret, verberibus acerbiſſimè cæditur, ac, tortoribus jam defatigatis, fuſtibus crudeliter mactatur. Cumque in ſuppliciis divinas laudes caneret, extra urbem ductus capite plectitur XII Kalendas Septembris, & à Chriſtianis ibidem, ubi poſtea templum ſuo nomini excitatum eſt, ſepelitur. Eodem tempore paſſi ſunt Ceſellus & Camerinus impuberes, qui Calari nati & enutriti, ac à teneris Chriſti fidem edocti, & ipſi apud Delaſium accuſati; licèt nondum verbis accommodatis reſpondere ſcirent, quòd eſſent adhuc pueri, firmo tamen animo fidem ita retinebant, ut nullo pacto diis honorem habere adduci poſſent. Quare in carcerem traditi ſunt, donec Luxorius expediretur. Eo in cælos tranſmiſſo,

quæ Ferrarius contraxit.

F

A missо, Cesellum & Camerinum eductos, ubi se frustra illis minis & blanditiis suadere animadvertit, gladio eodem die percuti jubet; quorum corpora à Christianis eo loco sepulta sunt, ubi postea beato Lucifero episcopo Calaritano templum ædificatum fuit.

Corpora eorum Pisani,

5 *Verùm Sardis non placebit annotatio, quam Ferrarius huic Actorum compendio sic ibidem subjungit:* Horum corpora Pisis, eò translata, quo tempore Saraceni Sardiniam depopulati sunt, sive quo Pisani classe eam insulam sibi subegerunt, ut aljis videtur, habentur; quorum dies festus ibi die XXVI hujus agitur, uti ex tabulis ecclesiæ Pisanæ apparet. Corpora etiam Papiæ esse feruntur, eò unà cum corpore S. Augustini translata. *Sanè tertio milliari ab urbe Pisana est locus mari imminens, ut Papebrochius tomo* IV *Maii pag.* 17 *scribit, qui* nomen hodie obtinet à sancto Luxorio martyre, ac vulgo dicitur San-Rossore. Colitur hic XXI Augusti cum sociis Cesello & Camerino, Calari in Sardinia martyrium passus sub Diocletiano & Maximiano; cujus sacra lipsana huc esse devecta à Pisanis, cum eam ipsi insulam sub suo tenerent dominatu, aliter sentientibus aliis, aliorum est opinio,

B teste Ferrario. Tenuerunt autem Pisani insulam Saracenis ereptam ab anno MXVI usque ad MCCCXXII, quando inde sunt ab Aragoniis pulsi. *Nihil hîc repeto de capite* S. Luxorii, *quod suprà in codice Strozziano dicitur Florentiæ collocatum esse.*

Ticinenses & Sardi sibi vindicant;

6 *At Papienses sive Ticinenses contendunt, hæc Martyrum corpora multo priùs ad urbem suam translata fuisse, quandoquidem Jacobus Gualla in Sanctuario Papiæ lib.* 4 *cap.* 13 *de Luitprando Longobardorum rege in hanc rem ita scribit:* Locat quoque ea in sacra æde beatorum martyrum corpora Luxorii, Ciselii, Camerini, Robustani, Marci, Appianique episcopi, cum divo patre Augustino similiter translata, anno salutis septingentesimo & vigesimo secundo. *Sed Pisanis æque ac Ticinensibus incumbit possessionem suam solidis documentis probare, cum Sardi hanc rotundè negent. Inter eos Antiochus Strada Calaritanus opinionem Ticinensium multis argumentis refutasse dicitur in libro, cui titulus est* Spongia Sardorum, *de quo judicium ferre non possumus, cum istud Opus ad manus nostras numquam pervenerit. Quinimo Seraphinus Esquirrus lib.* 2 *Sanctuarii Calaritani cap.* 10 *&*

C *sequentibus narrat, quomodo sacra horum trium Martyrum corpora circa annum Christi* 1615 *in Sardinia coram multis testibus inventa fuerint. Nolumus hîc severiùs examinare varias inscriptiones, quas tunc Sardi lapidibus insculptas invenerunt, & de quibus Papebrochius noster die* XX *Maii in Commentario historico ad Acta S. Luciferi Calaritani sat fusè disputavit. Etiam non audemus certam sententiam ferre de sacris eorumdem Martyrum reliquiis, quas Pisani, Ticinenses, & Sardi sibi vindicant, & unicuique parti liberam & ulteriorem suæ possessionis defensionem relinquimus: nobis enim sufficit, Sanctos illos in Sardinia passos esse, & ibidem ab immemorabili tempore publicam venerationem habuisse.*

dum pseudoscriptores quidam duos ex illis

7 *Cum fraudes Tamayi jam passim notæ sint, & hac ipsa die rursus occurrant, decreveramus illas obiter dumtaxat indicare, nisi Cardinalis Aguirrius in Collectione maxima conciliorum Hispaniæ tomo* 1 *pag.* 322 *voluisset occasione horum Martyrum crassam istius Martyrologi Hispani impostruram fusius detegere his verbis:* Sed & hoc ipso loco similes fabulæ eorumdem Higueræ & Tamayi occurrunt circa alios huic concilio intervenientes, veluti Luxurium de Drona & Camerinum, quos Martyribus accensent ad diem XXI Augusti in Martyrologio Hispano, eo quòd illorum eadem die in Romano fiat commemoratio. Sed nulla vel levissima umbra fundamenti est, non dico ad censendum, sed ne ad suspicandum quidem; Luxurium presbyterum hoc loco memoratum, esse illum Luxorium (ita nominatur, non autem Luxurius) martyrem, qui colitur ab Ecclesia universali die XXI Augusti. Quia verò ii duo pseudo-historici legerunt ibidem Camerinum Luxorio adjungi comitem martyrii, ne dolus detegeretur, sive potius ut dolus duplicaretur, addiderunt Camerinum episcopum Tuccitanum, qui huic concilio subscribit quarto loco, esse ipsissimum illum Camerinum, qui comes Luxorii in martyrio fuit apud Sardiniam; cum tamen neuter eorum reipsa fuerit presbyter aut episcopus, nec id memoretur à Mombritio tomo secundo Vitarum Sanctorum, vel à sancto Gregorio Papa libro E VII Registri in epistola ad Januarium Calaritanum, unde eorum commemoratio in Martyrologium Romanum emanavit. Immò & Mombritii Acta testantur, Camerinum illum apud Sardiniam passum fuisse ac coronatum martyrio, cùm puerulus esset, adeo ut verba nesciret accommodare præsidi. Quomodo ergo is tenera ætate occisus potuit esse postea episcopus Tuccitanus, ac tandem (quod novum figmentum est) Toletanus?

fraudulenter in Hispaniam pertraxerunt.

8 Tot hæc commenta circa Camerinum adeo aperta & probrosa sunt, ut postquam ad diem XXI Augusti pag. 529 ea protulerat litterâ I, postea quasi religione perculsus pag. 541 agnoverit, narrationes Juliani nomine editas ea in parte erroribus scatere; sed melius diceret plenas fabulis & probrosis mendaciis ubique ferè. Porrò ex iis aliisque plurimis, inter alia damna, id malum secutum vereor, ut in multis ecclesiis & populis Hispaniæ nimia simplicitate ac credulitate delusis, celebrentur plura festa eorum Sanctorum, qui nullo prorsus titulo ad illas spectant, nisi fictitio; immò & eorum, qui Hispani quidem fuerunt, verùm numquam ab Ecclesia inter Sanctos relati. Dignum censeo suprema illa Hispaniarum Inquisitione, immò & hac sancta Sede, in ea omnia inquirere, & gravissimis quibusdam lectissimisque viris injungere onus examinandi omni studio ac ingenuitate sex illa volumina Martyrologii Hispani, & resecandi innumeras fabulas similes, quibus scatent in materia adeo gravi & sacra. *Eminentissimus iste scriptor ibidem profert plura, quæ observari merentur, & quorum juvabit meminisse, quando paulo inferiùs illustrabimus Acta SS. Bonosi & Maximiani martyrum Orientalium, quos iidem pseudo-scriptores in Hispaniam rapuerunt. Interim jam dabimus promissa horum trium Martyrum Acta, & ea cum apographo Vaticano conferemus.*

EX IMPRESSIS.

ACTA

Ex editione Mombritiana tomo 2, fol. LXIII, quam cum alio Ms. apographo contulimus.

Luxorius ſub imperio Diocletiani

TEmporibus ſuis Diocletianus & Maximianus imperatores à diabolo tantâ ſævitiâ accenſi ſunt in Chriſtianos, ut baſilicas everterent, & libros incenderent: nam & multos credentes in fide Chriſti diverſis pœnis affligebant, ſperantes ſua crudelitate devincere, quos Dominus ſuâ miſericordiâ ad palmam martyrii evocavit. Igitur cum rabies eorum mentis idolothytæ in loco, quo degebant, non ſufficeret in Chriſtianum ſævire, per totum orbem judices cum ſuis præceptis miſerunt ad perſequendos Chriſtianos, ut ad culturam deorum ſuorum converterentur *a*, aut diverſis pœnis interficerentur. Eodem tempore Delphium *b* quemdam præſidem ad Sardiniam miſerant, ut eadem præcepta impleret in provincia ſibi commiſſa. Cumque hic diverſis locis perſcrutaretur, ſi poſſet aliquos fideles invenire, qui ei conſentire poſſent, contigit, ut Luxorius paganiſſimus apparitor *c* ad Dominum vocaretur, & ex ipſius adſpiratione animum haberet.

a

B

b

c

2 Ipſe autem apud ſe Pſalterium retinebat, cum vellet legere; & dum ordinem pſalmorum legendo percurreret, venit ad octuageſimum quintum pſalmum, ubi dicit David propheta: Omnes gentes, quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te, Domine, & honorificabunt nomen tuum, quoniam magnus es tu & faciens mirabilia; tu es ſolus Deus. Quo pſalmo valdè perſcrutato, apertus eſt ſenſus Luxorii, & feſtinavit eſſe Chriſtianus. Cumque cruce Chriſti ſignaretur, factus eſt catechumenus. Ingreſſus deinde eccleſiam audivit pſallentes: Retribue ſervo tuo; vivam, & cuſtodiam ſermones tuos. Quo audito, confortatus eſt in fide Chriſti, animo gaudens & eum laudans. Quare cœpit exſecrari jam vana & inania ſimulacra, cœpitque, intermiſſis diebus, judicem obſervare *d*, & ſine intermiſſione Scripturis animum impendere. Intra paucum tempus Pſalterium & aliquot ex prophetis memoriæ commendavit.

legens pſalmos Davidicos

C

d

3 Perlectis itaque Scripturis divinis ex parte, ſcrutatus eſt legem divinam, & cum toto deſiderio percepit ſanctum baptiſmum. Deinde Apoſtolum & ſancta Euangelia commendavit memoriæ. Animo vivens factus eſt, & dum militiam ſeculi negligenter ſectaretur, & latenter ageret, rem proferre nolebat. Cum ad innocentiam * Chriſti perveniſſet, ſubitò ille adverſarius & inimicus animarum innocentium per ſatellites præſidi inſinuavit, Luxorium apparitorem contemptui *e* habere judicii ſui poteſtatem, & illam, neſcio quam, ſuperſtitionem Chriſtianorum velle ſequi. Quo audito, præſes iracundiâ motus juſſit aliis * apparitoribus Luxorium ſibi vinctum præſentari, ut haberet, in quem fræna malitiæ ſuæ laxaret.

ad fidem Chriſtianam convertitur;

* *al.* militiam

e

* *al.* ſuis

4 Quem conſpiciens, ita ad eum locutus eſt: Luxori, quæ te dementia à bono curſu vitæ tuæ deduxit? Ego te ſumma dilectione habui, & cogitaveram inter primates officii mei tibi honorem dare; tu verò in contemptum imperatorum & injuriam deorum *f* putaſti latenter de poteſtate judicii mei te ſubtrahere. Ad quem Luxorius ait: Si adhuc in illo errore idolorum verſatus eſſem, numquam bonum honorem adeptus eſſem. Sed nunc per Deum vivum Jeſum Chriſtum, præclarum honorem credo me acceptum eſſe. Cui præſes: Ergo melior eſt ille, quem dicis, quàm imperatores noſtri, aut dii immortales? Ait Luxorius: Illi imperatores terreni ſunt; Dominus meus Jeſus Chriſtus rex eſt cæleſtis, qui paſſus & mortuus eſt, & reſurrexit, & nunc vivit, & in æternum permanet; dii autem veſtri numquam vixerunt *g*. Præſes dixit: Si vis poteſtatem gladii mei effugere, diis ſacrifica. Et Luxorius: Ego didici ſacrificare ſacrificium juſtitiæ, hoc eſt orare Dominum Jeſum Chriſtum, & non dæmoniis vanis obſequi; quoniam qui his conſentiunt, cum eiſdem peribunt in æternum. Præſes dixit: Reducatur Luxorius in carcerem graviſſimis vinculis catenarum conſtrictus, & cogitet ſecum, quid ei expediat.

D

f

g

quem cum præſes Sardiniæ nullo modo poſſet

5 Cumque recluſus fuiſſet, oblati ſunt ei duo parvuli Ciſſillus & Camerinus neophyti. Tunc præſes, cui eos obtulerant, interrogavit, quid in eis cognoviſſent. At illi dixerunt: Chriſtianos eſſe audivimus. Et quia non erat ætas eorum ad dandum reſponſum interrogationi, juſſit eos ſub officii cuſtodia eſſe. Poſt aliquot dies juſſit Luxorium ſuis tribunalibus repræſentari. Cumque affuiſſet, ſic ad eum truculenta voce inquit: Quamdiu te, Luxori, in his tormentis lacerabis? Conſule ſaluti tuæ. Nega Deum tuum, & ſacrifica diis. Reſpondit Luxorius: Ego negare Deum meum Jeſum Chriſtum non poſſum, quem anima Chriſtiana confitetur, ſicut & ego. Præſes dixit: Adora poteſtatem deorum, ut tibi vita concedi poſſit. Dixit Luxorius: Quomodo ego figmenta lapidea aut aurea aut argentea venerari & adorare poſſum, qui nec palpebras ſuas ad me cernendum movere poſſunt, aut os ſuum ad loquendum mihi non valent aperire?

ab ea profeſſione avocare,

E

6 His commotus in iram præſes juſſit ſanctum Luxorium quatuor quaternionibus *h* flagellari. Famulus autem Dei ſecurus in Chriſto inter verbera ſtabat, ut diceretur alius, quàm ipſe, perpetim cædi. Juſſit deinde eum contundi fuſtibus. Et Electus Dei inter ictus fuſtium fortis & conſtans laudes Domino decantabat, ut intelligeres, nullum tormentum corpus illius contingere. Sed cum videret præſes iniquiſſimus, ſæviſſimis pœnis non poſſe ſanctum Luxorium deficere, ſed impatientiam ſuam patientiâ magis illius ſuperari, tulit ſententiam duodecimo Calendas Septembres in illos parvulos Ciſſillum & Camerinum & ſanctum Luxorium. Parvulos tamen juſſit extra civitatem Calaritanam gladio animadverti, atque [corpora] inhumata relinqui *i*. Quorum impius ille corpora æſtimabat projicienda, Dominus Jeſus Chriſtus eorum innocentiæ fidem pretioſam in ſe ſuſcepit: nam Chriſtiani nocte tulerunt ea, &, ubi nunc eſt ſedes ſancti Luciferi confeſſoris, ſepelierunt illos.

cum duobus pueris Chriſtianis

h

F

i

7 Sanctum verò Luxorium juſſit ubicumque abditum & deſerto loco capite plecti, ut non eum Chriſtiani colligerent, & ſibi martyrem facerent. Proinde duxerunt eum in territorium Fori-Trajenſis *k*, & extra municipium decollaverunt eum. Et cum homines iniquiſſimi putaverint in eremo ſanctum Luxorium perdere poſſe, Chriſtus pro ſuo nomine paradiſum illi ibidem oſtendit: tanta enim multitudo Chriſtianorum ad famam

juſſit cum gladio interfici.

k

k

A famam Martyris hujus ex diversis locis ibidem convenit, ut eam dinumerare nemo posset *l*. Eum cum hymnis & diversis luminaribus, conditum suavibus odoramentis extra oppidum in crypta sepelierunt; cujus fidem Passionis, prout necesse est, si qui habeant, & eum invocaverint, salutaria consequentur beneficia, agentes gratias Jesu Christo Domino nostro, qui tam dignum Martyrem sibi coronavit, cujus est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

l

ANNOTATA.

a *Vaticanum apographum sic hanc periodum exprimit:* Ut à cultura Christi filii Dei diverterentur *&c.*

b *Hic præses in Ms. Vaticano* Dalasius *& in Sanctuario Calaritano lib. 2 cap. 13* Marcus Delasius *appellatur.*

c *Hic sensus in apographo Vaticano ita legitur:* Ruxurius quidam paganus, apparente ei Domino, *&c. Ubique autem sanctus Martyr ille ibidem* Ruxurius *pro* Luxorio *nominatur,*
B *quod hîc semel monuisse sufficiat.*

d *Discrepat hic sensus ab apographo Vaticano, in quo sic exprimitur:* Et cœpit cogitare diem judicii, & observare *&c.*

e Luxorius *in apographo Vaticano non* appa- EX IMritor, *sed* miles *vocatur.* PRESSIS.

f *In Ms. Vaticano hæc immiscentur:* Tu verò imperatorum jussa contemnens, deorum nostrorum blasphemasti libamina, & cogitasti te latenter *&c.*

g *Post hoc verbum in Ms. Vaticano illa Martyris responsio augetur in hunc modum:* Sed sunt sine sensu & sine anima, & sunt lapides & ligna, in quorum capitibus solent sibi ciconiæ nidos instruere, quos araneæ texunt, & aves stercorant.

h *Id est à quatuor quaternionibus militum eum flagellari jussit, ut ex sensu conjicio.*

i *Martyrium parvulorum in apographo Vaticano sic narratur:* Jussit gladio eos jugulari, atque in platea canibus derelinqui.

k *Ortelius in Thesauro suo geographico meminit de quodam Foro Trajani in Sardinia; sed hodiernum ejus situm non assignat.*

l *Mirum sanè est, eo tempore tot Christianos fuisse in Sardinia, cum seculo quinto adhuc plures ibi essent gentiles, ut in Opere nostro ad diem* E
18 *Junii, tomo 3 istius mensis pag. 597 obiter ostensum est.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

BASSA, ET FILIIS EJUS THEOGNIDE VEL THEOGONIO, AGAPIO, AC PISTO VEL FIDELE,

HIS LARISSÆ VEL EDESSÆ IN GRÆCIA; ILLA IN HALONE INSULA CORONATIS,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

Cultus, martyrii palæstra, Acta.

C F

SUB MAXIMIANO. *Cultus apud Græcos,*

Martyr hæc una cum tribus filiis suis, martyrii etiam lauream consecutis, heri inter Prætermissos memorata est, atque in hunc diem dilata, quo inscribitur Martyrologio Romano, ac variis Græcorum Fastis sacris. Typicum, quod sub nomine S. Sabbæ citari solet, hæc memorat de Martyrum nostrorum matre: Sanctæ martyris Bassæ. *Menologium Sirleti eamdem etiam solam ponit in annuntiatione sua; sed in elogio, quod eidem subnectit, tres ipsius filios* Theognium, Agapium & Fidelem *adjungit. Menæa magna typis edita Pugiles hosce ac illorum Matrem referunt, his eorum triumpho versiculis adaptatis, qui Latinè sic sonant:*

Μητρὸς μιᾶς κάλλιστα παιδία τρία
Σὺν βάσσῃ μητρὶ σφῶν τομῶ ψυχὴ μία.
Βάσσαν σὺν τεκέεσσι πάμε ξίφος εἰκάδι πρώτῃ.

Tres ter-venustos filios Bassa edidit:
Unus sed animus omnibus ad ensem fuit.
Bassam cum natis gladius confumpsit eâdem,

videlicet die XXI *Augusti. Allusio autem poëtæ tam clara est, ut non egeat interpretatione, præsertim si addantur, quæ de genere martyrii posteà referemus.* SS. Theognium, Agapium & Pistum martyres *è Ms. Synaxario quodam Græco recitavimus inter Prætermissos ad diem* XVI *Maii.*

2 *Martyrologium Romanum annuam nostrorum Martyrum annuntiationem sic legendam præscribit:* Edessæ in Syria sanctorum martyrum Bassæ, & filiorum ejus Theogonii, Agapii, & Fidelis, quos in persecutione Maximiani pia mater exhortans, martyrio coronatos præmisit ad palmam, & truncato capite gaudens secuta est cum victoria. *In Excerptis è Theodori lectoris Historia ecclesiastica apud Henricum Valesium lib.* 1, *pag.* 554 *dicitur* Petrus quidam cognomento Fullo fuisse presbyter ecclesiæ S. Bassæ martyris, quæ est Chalcedone, *anno videlicet Christi circiter* 450. *Baronius in notationibus ad hanc diem* XXI *Augusti de nostra Martyre agens, de isto templo etiam meminit. De eodem etiam templo mentionem facit Theophanes in Chronographia, quæ anno* 1655 *Parisiis excusa est, pag.* 97. *Hæc de cultu: nunc de loco martyrii.* & Latinos.

AUCTORE J. P.

Disseritur de palæstra martyrii

3 *Baronius in Martyrologio Romano ponit illum* Edessæ in Syria, *sicut mox vidimus: sed in Annalibus ad annum Christi* 304 *in fine, solam* Edessam *memorat, dicens:* Edessæ verò martyres, quorum memoria est illustris, sunt Bassa mater, & filii, *quos nominat. Tomo* I *Maii, ubi exstat Augustus Græco-metricus inter Ephemerides Græco-Moscas, pag.* XXXVIII *corrigitur positio palæstræ, quæ exstat in Martyrologio Romano: nam de Matre cum tribus filiis facta mentione, subduntur ista:* Martyrium .. Edessæ quidem inchoatum, non tamen in Syria consummatum est (sicuti obrepsit Baronio Romanum hodiernum augenti) sed in Macedonia: hoc enim docent apertè Græca Acta, quæ habemus. *Lambecius in Commentariis de bibliotheca Cæsarea Vindobonensi lib.* 8, *pag.* 203 *& seqq., inter ea, quæ scribit de codice decimo quarto Græco, varia observat de historia martyrii* S. Bassæ, *ac trium filiorum ejus, positionem palæstræ, quam signat Martyrologium Romanum* Edessæ in Syria, *his verbis corrigens è dicto codice:* Verumenimvero ex integra martyrii istius narratione, quæ in præstantissimo hoc
B codice manuscripto Cæsareo exstat, luculentissimè apparet, in Menæis Græcorum pro ἐν Ἐδέσσῃ legendum esse ἐν Λαρίσσῃ, & similiter in Martyrologio Romano pro EDESSÆ IN SYRIA legendum esse LARISSÆ IN THESSALIA. Postquam enim auctor istius narrationis statim in principio indicavit, S. BASSAM habitasse IN URBE HELLADIS LARISSA, quæ quidem videtur esse mediterranea illa Thessaliæ ad Peneum fluvium; mox subjungit, eam à marito suo Valerio, sacerdote idolorum, fuisse propter Christianismum oblatam τῷ ἐκεῖ ἀνθυπάτῳ τῆς βικαείου (nempe τῆς Ἑλλάδος, ut aliquanto pòst expressè legitur) hoc est, PROCONSULI HELLADIS, EJUSQUE VICARIO, LARISSÆ DEGENTIBUS: & tres quidem illius filios ἐν αὐτῇ πόλει, hoc est, IN PATRIA SUA LARISSA, martyrium consummasse, & sepultos esse: ipsam autem S. Bassam è carcere eductam, & vicarium proconsulis, quod is in Macedoniam proficisceretur, jussam sequi.

contra Martyrologium Romanum,

4 Cumque ibidem (nempe in Macedonia) denuo variis modis ad sacrificandum idolis frustra fuisset coacta, tandem quadraginta à continenti Macedoniæ milliaribus præcipitatam quidem esse in mare Ægæum, sed singulari auxilio
C divino perveniisse salvam atque incolumem in insulam Hellesponti Halonem, sive Proconnesum è regione urbis Cyzici; cumque & ibi à Philippo, proconsulis Helladis scriniario, qui ipsius cruciatibus in Macedonia interfuerat, cognita esset, isque ea de causa in Macedoniam profectus, vicarium proconsulis de ejus incolumitate certiorem reddidisset; ac porrò vicarius Leontio consulari Cyzici demandasset, ut eam comprehenderet; eoque facto, tertiùm multis tormentis cruciata esset, sed semper in eâdem constantissima fidei Christianæ confessione perseverâsset, confractis denique membris, in insula Halone sive Proconneso decollatam esse, ejusque sanctas reliquias à Sophronio quodam presbytero fuisse collocatas in eadem insula, loco adeo edito, ut martyrium, sive ædes sacra, in honorem ejus ibi exstructa, à præternavigantibus dextrâ lævâque è longinquo potuerit conspici, & prompta ipsius apud Deum interceſſio à periclitantibus implorari. Ipsa Actorum Græcorum præcipua eò pertinentia verba *deinde recitat laudatus Lambecius, quæ legi apud ipsum possunt. Tametsi verò apud me sint Acta ista ex* D *eodem codice Vindobonensi transcripta; superiorem tamen narrationem ex ipso referre placuit.*

quod perpetuam

5 *Nec verò inutile fuerit huc transcribere, quæ observat in notis:* Plures, *inquit*, olim in Hellade seu Græcia fuerunt Lariſſæ: præcipuè autem duæ in Thessalia, quarum una in mediterranea ad Peneum fluvium; altera verò maritima ad Maliacum sinum, cognominata Κρεμαστὴ, sive Pensilis. De reliquis ejusdem nominis urbibus vide Stephanum Byzantinum in Onomastico geographico, ubi etiam Lariſſæ in Syria meminit, quæ à Syris appellatur Sizara. Hoc loco autem videtur significari prima illa & primaria Lariſſa Thessaliæ ad Peneum fluvium, quia quasi per excellentiam simpliciter vocatur Λαρίσσα τῆς Ἑλλάδος, simul etiam propter vicinitatem Macedoniæ, cujus in iisdem Actis fit mentio. *His ita è Lambecio propositis de palæstra certaminis nostrorum Martyrum, supereſt, ut dispiciamus, quidnam in hac materia à nobis dici probabiliter possit.*

Bassæ, ac filiis ejus eamdem palæstram assignat:

6 *Ac primò quidem sequitur ex allegato codice, aliam tribus* Bassæ *filiis, aliam* Bassæ *eorumdem matri obtigisse martyrii palæstram, seu locum mortis: illis videlicet Lariſſam patriam suam; huic verò insulam Halonem, sive Proconnesum, sicut textum suprà productum legenti patet. Et in* Bassæ *quidem palæstra satis conveniunt alia Græca exemplaria: nam ecgraphum nostrum è codice Ambrosiano, quod prælo damus, eumdem consummati martyrii locum indicat num.* 7: *eumdem Menologium à Cardinale Sirleto Latinè redditum: quibus adde Menæa magna impressa, & Ms. è bibliotheca Vaticana, de quo mox. Itaque secundum ista exemplaria, nostrorum trium Martyrum Mater coronidem certamini suo imposuit in insula Halone, non autem Edessæ in Syria; atque adeo non satis conformiter ad dicta exemplaria annuntiatur ibi in Martyrologio Romano. Jam verò alia supereſt controversia, quo in loco* S. Bassa *ac filii ejus martyrium inchoarint.* E

quorum ommemorat:

7 *Ecgraphum nostrum è codice Vaticano hæc* Ἐπληρώθη ἡ τὸ μαρτύριον τῆς ἁγίας Βάσσης σὺν τοῖς ἰδίοις αὐτῆς· ἡ ἀρχὴ μὲν τῆς ἀθλήσεως ἐν Ἐδέσσῃ· τὸ δὲ τέλος ἐν Ἅλωνι τῇ νήσῳ. *Id est:* Impletum verò est martyrium sanctæ Bassæ cum filiis suis: certaminis autem principium Edessæ; finis verò in Halone insula. *Verùm ex dictis suprà exemplaribus nec* S. Bassa, *nec filii ejus pati cœperunt Edessæ; nec hi cursum consummarunt in Halone. Id quod auctor ipse istius narrationis apertè asserit; sed secum ipse pugnat, dum neutiquam cohærentia loquitur. Etenim præmiserat ista, dum filiorum trium certamen ac mortem eorum retulerat:* Horum verò corpora sublata sunt, & sepulta in civitate Edessa, & martyrium trium filiorum S. Bassæ impletum est. *Apographum nostrum Ambrosianum unam omnibus quatuor certaminis inchoati* civitatem, *quantum e contextu colligo,* Græciæ Edessam *accidisse insinuat, ac tribus filiis etiam consummati. Verùm si sequamur codicis Vindobonensis lectionem superius expositam, hi & cœperunt & consummarunt martyrium Lariſſæ in Græcia; non autem Edessæ in eadem Græcia, ut perhibet Ambrosianum exemplar.* nium certamen Lariſſæ & Edessæ quidem dicitur inchoatum, sed non consummatum esse: F

locus trium Fratrum cur à nobis disjunctivè positus.

8 *His itaque hactenus animadversis, supereſt dicendum, quænam consummati pro Christi fide martyrii palæstra magis videatur ad verum accedere. Duæ inveniuntur Edessæ, quarum una quidem*

A *quidem in Syria ſeu Meſopotamia ; altera verò in Macedonia , quæ etiam Ægæ dicta. De hac pluribus agit Cellarius in Notitia orbis antiqui tomo* 1 , *lib.* 2 , *cap.* 13 , *quod eſt de Græcia antiqua , pag.* 665 : *de iſta autem tomo* 2 , *lib.* 3 , *cap.* 15 , *pag.* 442. *Edeſſa autem , quæ in exemplari Ambroſiano tribuitur Græciæ , poteſt dici ad hanc ſpectare , quia ſpectat ad Græciam antiquam vel latè ſumptam , quæ ſic Macedoniam complectitur , atque adeo Edeſſam in illa contentam. Jam verò cùm è noſtro ecgrapho Vindobonenſi habeamus , tres Fratres martyrii lauream conſecutos eſſe Lariſſæ in Græcia ; atque ex Ambroſiano , Edeſſæ in Græcia ; cumque nobis certò non conſtet , an pro* Lariſſa *non ſit legendum* Edeſſa , *vel contra ; hinc nodum hunc implexum ſcindere nobis viſum eſt , annuntiando tres dictos Pugiles Lariſſæ vel Edeſſæ in Græcia ; ſicut in titulo ante hunc Commentarium à nobis factum eſt :* Baſſam *verò in Halone inſula convenienter ad exemplaria ſuperiùs deſignata : de quibus nunc agemus.*

9 *Actis Vindobonenſibus hoc eſt exordium :* Ἡ ἁγία μάρτυς Βάσσα ἐπὶ Μαξιμιανοῦ τοῦ βασι-
Actorum B λέως ἐν Λαρίσσῃ πόλει τῆς Ἑλλάδος διεκρίθη. *Id eſt :* Sancta martyr Baſſa , tempore Maximiani imperatoris , Lariſſæ , civitate Græciæ , habitabat. *Narratio martyrii quæ ſequitur , brevis eſt, & cognoſcitur ex iis , quæ ſuprà retulimus è Lambecio. Menæa magna excuſa noſtrorum Martyrum acta etiam memorant , uti & Menologium Sirleti ; ſed hoc magis ſuccinctè , quàm illa. Exemplar verò è codice Ambroſiano tranſcriptum hoc prænotatur titulo :* Μαρτύριον τῆς ἁγίας μάρτυρος Βάσσης , καὶ τῶν τέκνων αὐτῆς Θεογνίου , Ἀγαπίου , καὶ Πιστοῦ. Martyrium ſanctæ martyris Baſſæ , & trium filiorum ejus Theognii , Agapii , & Piſti , *appoſito ad marginem die ab aliis Faſtis diverſo , videlicet* μηνὶ τῷ αὐτῷ κ' , eodem menſe *die* vigeſima. *Tametſi autem exemplar illud , ſicut paſſim accidere aſſolet in Actis Græcis , non tanti videatur eſſe meriti , ut à genuina ſinceritate multùm commendari præ aliis mereatur ; quia tamen narrationis ſcriptor nobis notus eſt , atque aliàs eo uſi ſumus , hîc etiam illum non prætereundum putavimus. Quiſnam verò auctor ille ſit , indicant iſtæ notæ , quas noſtro exemplari à ſe deſcripto appoſuit Papebrochius :* Ex cod. Ambroſ. f. N. n. 152. Vide Maximi. *Acta S. Maximi à nobis illuſtrata ſunt tomo* III *hujus menſis Auguſti , ad diem* XIII *ejuſdem menſis ; ubi in Commentario prævio §* 10 , *pag.* 116 , *num.* 80 *indicavimus codicem illum , menſis Auguſti Vitas continentem ,* ante annos CD à monacho quodam Laurentio in monaſterio Rutienſi , quod eſt in Calabria , *ſcriptum fuiſſe.*

10 *Aliud etiam Martyrii apographum præ manibus habeo , cui adſcribitur hæc notitia :* Bibliothecæ Vaticanæ ex codice 1671. *Sic autem incipit :* Βασιλεύοντος Μαξιμιανοῦ τοῦ χρισμὸς * ἀθεσμος τῶν Ἑλλήνων. Μαξιμιανὸς γὰρ ὁ βασι- * χρησμὸς
λεὺς συγκαλεσάμενος μάγους. *Quæ Latinè ita reddo :* Imperante Maximiano , impia à diis petebantur reſponſa per gentiles. Maximianus enim E imperator convocatis magis *&c. Hæc autem narratio ſicut ſuperioribus longior eſt , ſic præ illis mihi minùs arridet propter ſermones ſeu allocutiones præſertim , quæ eiſdem valde liberaliter infartæ ſunt more admodùm uſitato ſcriptoribus hagiographis Græcis , ut meritò exemplar illud à prælo arcendum nobis videatur , ne , ſi illud exhibeamus impreſſum , verbis potiùs detineamus lectorem , quam rebus hiſtoricis. Hæc ſunt , quæ de martyrii exemplaribus obſervanda cenſuimus , illud tamen addentes , ſimilia in eiſdem narrari , ſpectatâ rerum ſubſtantiâ. Denique ad tempus martyrii quod ſpectat ; poſuimus illud ſuprà ſub Maximiano , ad quem ab aliis refertur.*

AUCTORE J. P.

MARTYRIUM

Auctore Laurentio monacho Rutienſi ,

C

Ex codice Ambroſiano f. N. n. 152 , *interprete Joanne Pinio.*

F

Τὰ καθ' ἡμᾶς τὰ μεγάλῳ μάρτυρι Βάσσαν δίκαιον ἄνωθεν θεοῦ διήγησιν ὑφαπλῶσαι τῆς φιλοθέοις καὶ φιλομάρτυσιν ἀκεραῖς · ἔσται γὰρ πάντως ἔτι πολλοῖς ὠφελείας ὑπόθεσις. Ἔφυ μὲν ἡ καλλίπαις αὕτη , καὶ καλλίμαρτυς πόλεως μὲν Ἐδέσσης τῆς καθ' Ἑλλάδα · θεογόνων δὲ τῆς εἰς Χριστὸν πίστιν θερμῶν , καὶ τοῦ ζήλου τοῦ ἐνθέου. Συνήφθη δὲ Οὐαλερίῳ τινὶ θεοῖς χαμαὶ κοινωνίαν , ἀνδρὶ δυσεβεῖ καὶ τῶν εἰδώλων θεραπευτῇ · ἱερεὺς γὰρ αὐτῶν ἐχρημάτιζε. Τίκτει τοιγαροῦν ἐξ αὐτοῦ παῖδας ἡ Βάσσα τρεῖς , Θεόγνιν , Ἀγάπιον καὶ Πιστὸν τέτταρες ἐπονομάσασα , οὓς καὶ καλῶς ἔτρεφε , καὶ καλῶς ἐπαίδευε , καὶ τῆς ἀληθοῦς πίστεως ἐδίδασκεν. Ἄρτι δὲ τῶν τριακονθ' καὶ σταδίων Μαξιμιανοῦ τοῦ βασίλειον ἀρχοῦ διέποντος , καὶ διατάγματα καθ' πᾶσαν πόλιν καὶ χώραν προθέντος , ἐφ' ᾧ θυσίας οἱ ἄνθρωποι τοῖς δαίμοσι προσφέροιεν , ὁ τῆς Ἑλλάδος ἀνθύπατος Κλαύδιος , δεινὸς ἀνὴρ καὶ μεστὸς ἀσεβείας , δύθυς ἐχώρει πρὸς τὰς θυσίας , καὶ πάντας ἠνάγκαζε συνέρχεσθαι τούτῳ , καὶ τῶν μεμολυσμένων ἐκείνων κρεῶν , καὶ ξ οἴνου μεταλαμβάνειν.

QUæ ad magnam martyrem Baſſam ſpectant , *Sanctæ patria , maritus , filii :* æquum eſt narratione exponere eorum auribus , qui Deum ac Martyres amant. Hoc quippe argumentum multis omnino erit utile. Inſignium hæc liberorum parens , & inſignis Martyr primam hauſit lucem in civitate Edeſſa , quæ eſt in Græcia , parentes nacta , fide in Chriſtum ac divino ſtudio ferventes. Nupta autem fuit cuidam Valerio , viro impio , ac idolorum cultori : horum etenim ſacerdos erat. Parit itaque ex ipſo Baſſa liberos tres , quos Theognim *a* , Agapium , & Piſtum *b* nominavit : quoſque & educavit rectè , ac egregiè inſtituit , nec non verâ fide imbuit. Tunc verò temporis impio ac crudeli Maximiano imperii ſceptrum adminiſtrante , & mandata proponente per omnes civitates ac provincias , ut homines dæmonibus ſacrificia offerrent , Claudius , proconſul Græciæ , homo ferox & impietate plenus , ſtatim ad ſacrificia ſe conferebat , omneſque hac de cauſa convenire , & carnibus illis contaminatis , ac vino communicare cogebat. *a b*

A. LAURENTIO MONACHO RUTIENSI.

quorum primus Theognis proveri Dei cultu cruciatur, ac moritur.

2 Dum itaque Valerius, Baſſæ maritus, ipſam ac filios ad ſacrificia vocaret; hæc verò nequaquam præberet hac in re aures; nec multos poſt ſermones poſſet illos à recto propoſito avertere, præ furore vacillans, ad proconſulem ipſos adducit, indicans quæ pertinebant ad eos. Hic ſine mora ad tribunal illos ſiſtit. Ac primò quidem ſermonibus eos aggreſſus, ut ſuaderet illis ad idola accedere, ubi non perſuaſit, unum ex ipſis (erat autem primus,) matre & aliis inſpectantibus, ſuſpenſum radulis excarnificari jubet. Hunc autem raſum mater corroborabat maternis verbis, &, Modicùm, aiebat, fili, ſuſtine, ut magnam coronam conſequaris, atque immortalium bonorum heres demonſtreris. Corporis igitur illius raſores eo uſque pervenerunt, ut nuda apparerent ejuſdem oſſa, & terra illa ſanguine repleta fuerit. In iſto itaque cruciatu Theognis ſpiritum depoſuit in manibus angelorum.

2 Ἐπεὶ ἓν Οὐαλέριος, ὁ τ̃ Βάσσης ἀνὴρ, αὐτ̃ῷ τε καὶ τέκνα πρὸς τὰς θυσίας ἐκάλει, ἡ δὲ μηδ' ὅς παρεῖχε πρὸς ὅτο, μᾶλλον πολλὰ προτεινάμενος ἐκ ἴσχυσε τούτους τ̃ ὀρθ̃ μεταθεῖναι σκοπ̃, σφαδάζων τῷ θυμῷ, τῷ ἀνθυπάτῳ τούτους προσάγει, γνωρίσας τὰ κατ' αὐτούς, καὶ ὡς αὐτίκα πείσηται τούτους τῷ βήματι· καὶ πρότερον μὲν λόγοις τούτους ἐπιχειρήσας πεῖσαι προσελθεῖν τοῖς εἰδώλοις, ὡπὶ μὴ ἔπεισε, τ̃ ἕνα τούτων (ὁ πρῶτος ἦ υἱὸς) ἐπ' ὄψεσι τ̃ μητρὸς καὶ τ̃ ἄλλων ξέεσθαι κρεμασθέντα κελεύει. Ἐρώμενον ἦ ὅτον ὑπερφιλεῖ πως ἡ μητὴρ λόγοις μητρικοῖς, καὶ Μικρὸν, ἔλεγε, τέκνον, ὑπόμεινον, ἵνα μέγα στεφανωθῇς, καὶ τ̃ ἀθανάτων ἀγαθῶν κληρονόμος ἀναδειχθῇς. Ἐπὶ τοσοῦτον ἓν οἱ ξυσῆρες καθήκοντο τ̃ σαρκῶν αὐτ̃, ὡς γυμνὰ τῶν φαίνεσθαι τὰ ὀστᾶ, καὶ ἡ γῆ ἐκείνην πεπληρῶσθαι τ̃ αἵματος. Ἐν ταύτῃ γὲν τῇ βασάνῳ τὸ πνεῦμα Θεόγνις χερσὶν ἀγγέλων παρέθετο.

Deinde ſecundus excarnificatur; tertius autem,

B

3 Adducitur ergo ſecundus (pulcher is erat Agapius,) & ad ſacrificium excitatur. Hic verò, Non mihi contingat, ait, ut veritatem relinquam, ac dæmonibus ſacrificem: non te negabo, rex Chriſte; non te negabo, optime & cariſſime frater; ſed magnis animis te comitabor. Tunc, mandante præſide execrando, Martyris generoſi caput (heu!) excoriatur, pelle ad uſque pectus detractâ: & ſic Beatus iſte etiam conſummatus eſt. Tertius ordine adducitur, Piſtus nomine, Dei etiam amans. Qui, quo vocaretur nomine, interrogatus; Piſtus, inquit, à genitrice vocatus ſum, quæ & ipſa fidelis revera ac prudens eſt, prout ex utriuſque filii nomine omnino diſcere licet. Dilectio *c* enim, quæ habet fidem cognitionis Dei *d*, firmum comprobatur eſſe fundamentum. Fac igitur quod in animo habes: non enim turrim fidei meæ commovebis.

3 Ἄγετω τοίνυν ὁ δεύτερος (Ἀγάπιος ἔτος ἦν ὁ καλὸς) καὶ πρὸς θυσίαν παρακαλείτω. Ὁ δὲ Μὴ μοι γένοιτο, ἔφη, τ̃ ἀληθειαν καταλιπεῖν, καὶ δαίμοσι θύσαι· ἐκ ἀρνήσομαί σε, Χριστὲ βασιλεῦ, ἐκ ἀρνήσομαί σε, κάλλιστε καὶ φίλτατε ἀδελφὲ· ἀλλὰ προθύμως σοι συμπορεύσομαι. Τότε κελεύει ὁ καταράρατος ἄρχων, καὶ ἀπεκδείρεται φθ̃ τ̃ κεφαλὴν ὁ Γενναῖος, ἄχρι καὶ ἧς σήθυς αὐτ̃ τ̃ δορᾶς ἐκσπασθείσης· καὶ ἕτω καὶ ἕτος μακαρίως ἐτελειώθη. Ὁ τρίτος καὶ τάξιν παρίσατο ὁ ἐπονύμως Πιστὸς κληθείς, καὶ φιλόθεος, ὃς ὄνομα διερωτώμενος ὅπως ἄρα καλοῖτο, Πιστὸς, ἔφη, πρὸς τ̃ τεκούσης ὠνόμασμαι, πιστῆς ἔσης καὶ αὐτ̃ τῷ ὄντι καὶ σώφρονος, ὃ δὴ πάντως ἐκ τ̃ τ̃ γονέων παιδῶν προσωνυμίας ἐστὶ καταμαθεῖν. Ἡ γὰρ ἀγάπη πίστιν ἔχουσα θεογνωσίας, ἀρραγὲς θεμέλιον ἀναδείκνυται. Ποίει τοιγαροῦν τὸ σοι παρεσκεύασμαι· ἃ γὰρ μὴ τὸ πύργον διασείσεις τ̃ πίστεως.

fractis cruribus, truncatur capite.

4 Tunc ergo aliqui adſtantium conati ſunt blandis verbis ipſum à ſententia dimovere, dicentes: Noli, optime juvenis, noli patrias leges, ac deos ipſos contemnere, qui te paterno ſinu, ut ita loquamur, enutriverunt. Quid tibi cum corrupta matris fide? Illud igitur age potiùs, ut fias amicus deorum, præſertim Jovis, iiſque ſacrifices, & bene nobiſcum vivas. Præſes enim, & ipſe imperator multis te donis & honoribus dignabitur. Hæc illi. Sed inclytus ille Piſtus, Abſcedite, ait, à me, operarii iniquitatis: neque enim noſtis bonum mihi conſilium dare. Ecquis etenim homo mentis compos tenebras luci anteponet? Tunc inſani illi furore correpti confringunt crura & brachia ipſius: qui ſublatis ad Deum oculis orans, gratanterque ac fortiter cruciatus perferens, capite truncatur, & ſic etiam iſte martyrium complet.

C

4 Τινὲς ἓν τ̃ παρεστώτων λόγοις ἐπεχείρων ἐπαγωγοῖς μεταπείσειν αὐτ̃, Μὴ δὴ, λέγοντες, μειρακιῶν κάλλιστον, μὴ δὴ πατρικὰς ἀθετήσῃς θεσμὰς, καὶ θεὰς αὐτὰς, οἵ σε τοῖς πατρικοῖς κόλποις, ὡς εἰπεῖν, ἀνετρέφαντο· τί γάρ σοι καὶ τ̃ μητρὸς παρεφθαρμένῃ πίστει; Θέλησον τοίνυν φιλέσθαι φίλος θεῶν, καὶ μάλιστα Διὸς, καὶ θύσαι τούτοις, καὶ ζῆσαι καλῶς σὺν ἡμῖν· ἀξιώσει σε γὰρ ὁ ἄρχων, καὶ βασιλεὺς αὐτὸς πολλῶν δωρεῶν καὶ τιμῶν. Ταῦτα εἶπον· καὶ ὁ κλεινὸς ἔτος Πιστὸς, Ἀπόστητε, εἶπεν, ἀπ' ἐμοῦ οἱ ἐργάται τ̃ ἀνομίας· ἃ γὰρ οἴδατε συμβουλεύειν καλῶς· τίς γὰρ νοῦν ἔχων ἄνθρωπος τὸ σκότος ἀνθαιρήσεται τοῦ φωτός; Τότε οἱ μαθαιόφρονες θυμῷ λήθοντες συνθλῶσι τούτου τὰ σκέλη, καὶ τὸς βραχίονας. Ὁ δὲ πρὸς Θεὸν ἀναπίνας τὸ ὄμματα καὶ δυχόμενος, δυχαρισῶς τε τὰς βασάνους καὶ ἐμφερῶς ὑπομένων, τεμνέται τ̃ κεφαλὴν, καὶ ἕτω πληροῖ καὶ αὐτὸς τὸ μαρτύριον.

D

E

F

Eorum mater

5 Generoſiſſima verò eorum mater, ac victoriâ inſignis Baſſa, carceri traditur, in quo, fuſis ad Deum precibus, martyrii curſum ut ipſa quoque compleret, rogabat. Dies præterierunt ſeptem, & Vicentinus *e* vicarius, qui propter negotia quædam cum Aquilino tunc erat, in Macedoniam profecturus (hanc quippe adminiſtrabat) ſecum ducit Sanctam: & ſimul atque ſuam perveniſſet in provinciam, ſiſtique illam juſſiſſet, Omnino, inquit, novi, O Baſſa, ſtultitiam filiorum tuorum, qui per contumaciam attraxerunt ſibi mortem: at tu dementiâ illorum neutiquam te abduci ſinas; ſed accedens ſacrifica, & nobiſcum vives, ſuavemque hanc & amabilem lucem lucraberis. Ac Martyr, Non ſit tibi, ait, impie, laus illa, ut ego verbis tuis perſuaſa offeram ſacrificium dæmonibus. His auditis furit impius, ac lebetem quàm maximum & profundiſſimum afferri jubet, eumque impleri a-

e

5 Ἡ τοίνυν δύγενεστάτη τούτων μήτηρ ἡ καλλινίκος Βάσσα τῇ φυλακῇ παραδίδοται, ἐν ᾗ τὰς πρὸς Θεὸν δύχας ποιουμένη, τ̃ δρόμον ἠτεῖτο ἔ μαρτυρίου καὶ αὐτὴ τελέσαι. Ἡμέραι διῆλθον ἑπτὰ, καὶ Ἰκέντιος ὁ βικάριος, ὃς συνῆν τότε τῷ Ἀκυλίνῳ διά τινα πράγματα, μέλλων εἰς Μακεδονίαν ἀπάρας (ταύτης διεῖπε καὶ γὰρ τ̃ ἀρχῆς) λαμβάνει μεθ' ἑαυτ̃ τ̃ Ἁγίαν καὶ ἅμα τὸ καταλαβεῖν τ̃ ἐπαρχίαν αὐτ̃, προσπαθούμενος αὐτ̃, Ἔγνωκα, εἶπεν, ὦ Βάσσα, πάντως τ̃ μωρίαν τ̃ σῶν υἱῶν, ὅπως διὰ ἀπείθειαν τ̃ θανάτου ἐσπάσαντο· ἀλλὰ σὺ μηδαμῶς θελήσῃς τῇ ἐκείνων ἀνοίᾳ καταπαχυθῆναι· προσελθοῦσα γὰρ θύσον, καὶ ζήσεις σὺν ἡμῖν, καὶ τὸ φῶς ἔσο κερδήσεις τὸ ἡδὺ καὶ ἐπέρασον. Καὶ ἡ Μάρτυς, Μή σοι εἴη καλῶς, ἀνάσιε, εἶπεν, ἵν' ἐγὼ τοῖς σοῖς λόγοις πειθθεῖσα δαίμοσι προσίσω θυσίαν. Μαίνεται τούτων ἀκούσας ὁ δυσσεβὴς, καὶ λέβητα μέγιστον ὅτι καὶ βαθύτατον κομισθῆναι κελεύει, πληρωθῆναί τε ἔτον ὕδατος, καὶ ξίφη ἀμ-

φίκοπα

A Φίλιππα τέτῳ ϖϱοστεμπαϱῖῶαι, ϗ ταύτῃ ῥιφῖῶαι καῖ' αὐ῎τ, ἵν' ὑπὸ τέτων μὲν τεμνομένη, ϖαϱὰ δ' ὕδατος αὐτὸ῀ συμπνιγομένη ῥᾷτλον ᾖ ζωλὺ ἀποθάνῃ.

6 Γίνεται δὲ τοῦτο, καὶ σώζεται ϖϱᾳδόξως ἡ Μάϱτυς, καὶ πάλιν τῷ τυϱάννῳ ϖαϱίσαται βήματι. Μαγείαν δὲ ἐν ἐκείνῃ κϱίναντος τὸ ϖαϱάδοξον εἶται, ϗ ϖϱὸς θυσίαν αὐ῎τ αὖθις ἐκκαλεμένε, τὸ σεϱϱὸν ἐκείνη τ῀ ψυχῆς ἀμεταθέτῳ ἔχεσα, τὰς αὐτὸ῀ ϗ αὖθις θεὰς ἐκεϱτόμει ϗ διεχλεύαζε· τῷ τε θυμῷ ληφθεὶς ἀμέτϱῳ ὁ βέβηλος ἄϱχων τυϱὸν ὅ῾π μέγιϛον ἀναφθῆναι κελεύει, καὶ ᾖ Μάϱτυϱα ταύτῃ ϖϱαδοθῆναι. Καὶ δὴ γέγονε καὶ ἦτο· καὶ πάλιν ἡ Μάϱτυς ἀπαθὴς ἐδείκνυτο, καὶ μέσῳ δ῾ πυϱὸς ὡλογᾶτο Χϱιϛόν. Μεῤῥίζει τοίνυν τὸ πῦϱ δυνάμει Χϱιϛ῀ ᾖ οἰκείαν ἐνέϱγειαν, καὶ ταύτῃ μὲν ῥόσος ἐγίνετο, καῦσις δ῾ [καὶ] φλόγωσις τοῖς ϖαϱεσῶσιν. Ἀνάπτει ᾖ θυμὸν ὁ κακοῦϱγος, καὶ λίθοις ταύτῃ συγχωθῆναι ϖϱοστάττει. Γ῾νῶται Θεὸς καὶ τέτων αὐ῎τ, μηδενὸς αὐ῀ ἁψαμένε. Τῷ βήματι δ῾ δυσεβὴς ϖϱοσάγεται πάλιν, καὶ ϖϱὸς θυσίαν ᾖ δαιμόνων καλεῖται· τόπον τινὰ ᾖ ϗλασίῳ δὴ τέτῳ ϖϱοσαπατᾷ, καὶ ᾖ ναὸν ᾖ εἰδώλων καταῤῥήγνυσι, καὶ συντῖβει κ῀ λεπτόν· Γ῾δε σι, λέγει ϖϱὸς ᾖ τύϱαννον, ᾖ δυνάμιν ᾖ Θεῶν· οὐκ ἀσθενεῖς ἄϱα ἔ῾ϖι, καὶ μὴ ᾖ ἑαυτοῖς βοηθῆσαι δυνάμενοι; Τότε ᾖ θυμὸν ὑ῾ϖεκκαύσας ἐκεῖνος ϖϱὸς τὸ ϛάδιον αὐ῎τ ἀϖαχθῆναι κελεύει, καὶ θηϱία κατ' αὐ῀ ἀφεθῆναι. Τῶν θηϱίων δ῾ ἐν ὑ῾ϖολυθέντων, καὶ ταύτης μηδαμῶς ἁψαμένων, ἀνελόντων ᾗ μᾶλλον ᾖ ϖαϱεισαμένων τινὰς, τῷ βυθῷ τ῀ θαλάσσης ταύτην ὁ κακοῦϱγος ὑ῾ϖοῤῥῖφῆναι κελεύει.

7 Γ῾ϖίπτεται τοίνυν κ῀ τ῀ μεσαίτατον αὐ῀ ὑ῾ϖὸ ᾖ ϛϱατιωτ῀, ϗ ἄγγελοι φωτὸς δέχονται ταύτην, ϗ σκάφῃ ἐνθέμενοι διέζωσαν ἀβλαβῆ· καὶ ἔ῾τι μᾶλλον ἐκϖλαγήντες ἀϖαγγέλλουσιν ὑ῾ϖεϱέφαντες τῷ Γ῾ϐκενσίνῳ ταῦτα. Μεθ' ἡμέϱας δέ τινας κ῀ ᾖ νῆσον Α῾λόνῆσον ἡ Μάϱτυς ἐξάγεται. Η῏ν Φίλιππός τις σκϱινιάϱι῀, ῀ τ῀ Ε῾λλάδ῀ ἀνθυπάτε καταδὰς, καὶ γνωϱίσας ἀϖαγγέλλει τῷ βικαϱίῳ Γ῾ϐκενσίνῳ ᾖ Μακεδονίαν καταλαβὼν, ὡς εἴη ϖϱὸς τοῖς Χϱιϛιανοῖς ἡ Βάσσα κ῀ ᾖ νῆσον Α῾λόνῆσον. Γϱάφει τοίνυν ἐκεῖν῀ αὐτίκα Φλαβίῳ Λαοδικίῳ, τῷ τ῀ Ε῾λλησπόντε διοικητῇ, ϖάντα τὰ καῖ' αὐ῎τ, καὶ ὡς ἐ χϱὴ ταύτην ζῶσαν ὁϱᾶσθαι τοσαύταις γοητείαις ἁλῶσαν. Αὐτίκα τοίνυν ᾖ Α῾λόνῆσον ἦτος καταλαβὼν, καὶ ᾖ Μάϱτυϱα ζητήσας, ϗ ϖϱοφησαμένος εἰς ἐξέτασιν, ϗ ϖϱὸς θυσίαν ἐκκαλεσάμενος ᾖ εἰδώλων, ἐπεὶ μὴ πείθειν εἶχε, συντϱιβῆναι κελεύει ξύλοις ἀδϱοῖς ἅϖαν αὐ῎τ τὸ σῶμα, ϗ ἦτω ᾖ κεφαλῆ ἐκκοπῆναι. Γέγονε δὲ τοῦτο, ϗ ᾖ κεφαλῆ, ὦ καλλίϛη μάϱτυς, ξίφει τμηθεῖσα, χεϱσὶ Θεο῀ δ῀ ϖαλάσαντος ϖαϱέδε τὸ ϖνεῦμα. Σωφϱόνιος δέ σε ὁ ἱεϱὸς τ῀ ϖάντιμον ἀνελόμενος σῶμα φιλοτίμως ἔθαψεν, εἰς δόξαν Πατϱὸς, καὶ Υἱ῀, καὶ ἁγίε Πνεύματος, τ῀ ἁγίας καὶ ὁμοουσίας Τϱιάδος, ᾗ ϖϱέϖει ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τ῀ αἰώνων. Α῾μήν.

quâ, ac gladios utrimque acutos in hunc intromiti, atque illam eò injici, ut his quidem concisa, aquâ autem suffocata citiùs è vitâ migraret. A. LAURENTIO MONACHO RUTIENSI.

6 Fit hoc; sed modo mirabili servatur Martyr, & denuo adducitur ad tyranni tribunal. Qui dum miraculum hoc per magiam factum judicaret, iterumque ipsam hortaretur ad sacrificium; Martyr, firmum ac immutabilem animum gerens, deos ejus iterum convitiis & subsannationibus impetebat. Furore supra modum correptus Præses impius, ignem quàm maximum accendi jubet, & Martyrem in eum injici. Hoc etiam factum est: sed rursus Martyr illæsa apparuit, & in medio ignis benedicebat Christo: cujus potentiâ vim suam divisit ignis: & illi quidem factus est ros; adstantibus verò crematio & inflammatio. Furorem accendit vir malignus, ac lapidibus eam obrui mandat. Ab his etiam Deus ipsam liberat, nullo eorum illam tangente. Denuo ad hominis impii tribunal adducitur, & ad sacrificandum dæmonibus vocatur: modo quodam tortorem post hæc in errorem inducit, templumque idolorum fortiter percutit, & in frusta conterit. En tuorum, ait tyranno, potentiam deorum. Nonne hi sunt infirmi, qui semetipsos juvare non possint? Tunc ille furore ardens, ad stadium abduci ipsam jubet, feraſque adversus eam emitti. Feris itaque solutis, eamque neutiquam tangentibus, sed aliquos potiùs adstantium è medio tollentibus, vir malignus in profundum maris illam projici jubet. *variis cruciatibus frustra affigitur,*

7 A militibus itaque projicitur in medium maris; sed angeli lucis eam suscipiunt, scaphæque imponentes illæsam conservant. Milites verò stupore perculsi, ac reversi, Vicentino hæc annuntiant. Aliquot pòst diebus ad insulam Halonem Martyr educitur. Erat quidam Philippus scriniarius *f*, Græciæ proconsulis inspector, qui, re cognitâ, in Macedoniam profectus, Vicentino vicario annuntiat, Bassam esse in insulâ Halone apud Christianos. Statim ergo ille ad Flavium Laodicium, qui Hellespontum administrabat, perscribit omnia, quæ ad illam pertinebant; neque oportere hanc vivam conspici, quæ in tantis deprehensa sit magiis. Sine mora hic in Halonem *g* tendens, postquam Martyrem quæsitam, & ad examen comparere jussam, ad idolorum sacrificium hortatus esset, sed irrito conatu; totum ejus corpus solidis lignis conteri, & sic caput amputari mandat. Dictum factum. Tu verò, ô illustrissima Martyr, truncato per gladium capite, in Deî qui te formavit, manus tradidisti spiritum. Sophronius autem sacerdos *h* corpus tuum omni honore dignum abstulit, & splendidè sepelivit in gloriam Patris, & Filii, & sancti Spiritus, sanctæ & consubstantialis Trinitatis: quam decet gloria in secula seculorum. Amen. *donec tandem, abscisso capite, martyrio coronatur.*

ANNOTATA.

a *Alibi aliter scribitur hoc nomen. Vide Comm. prævium.*

b *Latinè* Fidelis, *quo nomine utitur Martyrologium Romanum cum Sirletiano.*

c *Alluditur ad nomen* Agapius: *ἀγάπη enim Græcis* dilectionem *significat.*

d *Respicit scriptor ad nomen proprium* Θεόγνις: *nam appellativum* Θεογνωσία *denotat* Dei cognitionem.

e *In apographo nostro è bibliotheca Vaticana scribitur* Οὐϊκεντῖνος, *quam nominis efformationem secutus sum in mea versione Latina.*

f *Vox* χϱεινίαϱιος *Græco-barbara est ex Latinâ* scriniarius. *Cangius in Glossario ad scriptores mediæ & infimæ latinitatis assignat varia scrinia, quæ ibi videri possunt.* Scriniarii, *inquit*, dicti, qui in hisce scriniis operam suam locabant, & scriptorum vices agebant. *Hîc verò videtur non malè posse accipi pro scriptore vel notario, qui Acta Martyrum publicè excipiebat. Quædam eorum Acta consularia; quædam proconsularia dicta sunt.*

g *De hoc loco, ac de* S. Bassæ, *nec non filiorum ejus palæstra martyrii, agit Comm. prævius.*

A h *Malim ſcribere* ἱερεὺς, *id eſt*, ſacerdos: *hoc enim videtur ſenſus exigere. Certè in exemplaribus noſtris Vindobonenſi ac Vaticano eſt* πρεσβύτερος, presbyter. D

DE SS. QUADRATIS EPISCOPIS

J. P. Cultus ex Martyrologio Romano, & aliis Faſtis ſacris.

XXI AUG. *Quæritur quiſnam ſit S. Quadratus;*

Martyrologium Romanum, hac die annuntians unum S. Quadratum epiſcopum, *per alias notas characteriſticas non ſatis diſtinctum, de pluribus agendi occaſionem nobis præbuit. Eminentiſſimus Baronius in notis*, Hic, *ait*, ſine epiſcopatûs loci titulo, tam in veteri Romano Martyrologio (Bellini ſcilicet, *prout indicat Florentinius ad hodiernum diem in notis*) quàm in veteri manuſcripto hactenus poſitus reperitur; nec cuinam eccleſiæ præfectus fuerit, aliquis docet. *Sed producamus alios Faſtos ſacros,* B *qui* S. Quadratum, *aſſignato utcumque epiſcopatûs loco, in quo vel vixit ac floruit, vel etiam vivere deſiit, ad hanc diem commemorant; In Martyrologio, quod ſub nomine D. Hieronymi idem Florentinius vulgavit, hæc ſunt:* In Sardinia natalis ſanctorum Luxuri, Traiani, Quadrati epiſcopi, Primi. *Conſonant Holſtenii Animadverſa ad Martyrologium Romanum, ex* 2 Ms. *referentis iſta:* In Sardinia natale SS. Luxurii, Traiani, Quarti epiſcopi, Primi. (*Per* Quartum *Florentinius in notis intelligit* Quadratum, *alios codices ſecutus.*) *Addit autem Holſtenius:* In Sardinia epiſcopum fuiſſe oſtendit Ms. uterque Reg. *Suecia. Quibus ſuffragatur exemplar Vaticanum, quod inter Auctaria ad noſtrum Uſuardum hac die citatur* num. 5949: In Sardinia, ſancti Quadrati epiſcopi. *Hæc de iſto* Quadrato *antiſtite admodùm clara ſunt. Dicebam ſuprà* utcumque, *quia, an & ubi ſederit in Sardinia, non determinatur.*

qui hodie annuntiatur

2 *Alter verò ſynonymus epiſcopus occurrit in textu Martyrologii apud Florentinium, quod ſuprà allegatum eſt:* In Alexandria, natalis ſanctorum Piſti, Semi. Item Quadrati epiſcopi: *Sed* C *quæſtio hîc moveri poteſt, an* Quadratus *iſte ibi ſit connectendus cum duobus præcedentibus Sanctis, atque adeo cum Alexandriâ, cui tribuuntur: an verò ponatur ſeorſim & abſolutè ſine loco. In hac re non ſatis per ſe clarâ, nihil lucis ſuppeditant Auctaria ad noſtrum Uſuardum. Etenim in annuntiationibus, quæ ex variis latercullis ſeu codicibus ibi proferuntur, ſignatur* Quadratus *epiſcopus, ſed ſine loco, ſi unicum excipias, de quo ſuprà agebam. Quò igitur ille* Quadratus *pertineat, non videtur ſatis perſpicuum; etiamſi Florentinius in notis, ubi occaſione ſynonymi præſulis Athenienſis, à Maurolyco hac etiam die relati, obſervet ſequentia:* Sed duo, hîc memorati, diverſi *ab eo* ſunt, alter Sardus, alter Alexandrinus, qui etiam epiſcopus conſtanter dicitur in libris Mss. noſtris, & in M. Antverpienſi: quamvis titulus epiſcopalis in M. Corbeienſi deſideretur, tam in ſchedis noſtris, quàm in Dacheriano exemplo, & alterius claſſis videatur, quàm Piſtus & Sevus. *Verùm ſi Florentinio* videatur *ab his ſeparandus iſte*, alterius *utpote* claſſis; *quærere mihi liceat, cur non ſit vel diverſi, vel ſaltem incerti loci? Ne tamen nodum alicui videar quærere in ſcirpo, ſi eum cum Florentinio adſcribere volueris Alexandriæ, non refragabor.* E

3 *An verò, & quem è duobus iſtis epiſcopis ſynonymis, annuntiet Martyrologium Romanum, non eſt, unde aliquis certò definire ex eo poſſit; quia annuntiatur ſine loco epiſcopatûs; nec ſcivit ipſe Baronius, cujuſnam loci epiſcopus fuerit, ſicut ex notis ipſius antea prolatis manifeſtum eſt. Caſtellanus, appoſito ad textum Martyrologii Romani, quod Gallicè vertit, aſteriſco, vult* Quadratum, *qui in eodem ſignatur, fuiſſe epiſcopum* de Trani, *id eſt*, Tranenſem *in Apulia. Sed in ſerie iſtorum Præſulum apud Ughellum tomo* 7 *Italiæ ſacræ non ita pridem recuſæ, à col.* 885 *nullum reperio* Quadratum; *& verò etiamſi ibidem exſtaret, quo pacto locus iſte epiſcopatûs è Romani Martyrologii annuntiatione vel per umbram extundi poſſet, nequaquam ſatis intelligo; prout conficitur ex dictis. Reliquum ergo eſt, ut exactè non poſſit determinari, quâ in cathedra ſederit* S. Quadratus *hac die in Martyrologio Romano notatus; niſi forte in Sardinia ſederit: cui utcumque ſuffragari videantur exemplaria de eo ante citata, quæ locum Sardiniæ exprimunt: unde nomen ejus forte migrarit ad Martyrologium aliquod Italum, & inde ad Bellinum, ac denique ad Romanum, quo hodiedum utimur. Verùm his tribuet lector* F *quantum voluerit, quæ pro merâ conjecturâ accipi volo. Utcumque autem præſens controverſia ſe habeat; quandoquidem illam ulteriùs promovere non poſſum; ſufficiat, hodierna die colendos ſignaſſe* SS. Quadratos epiſcopos *cum Faſtis, quos allegavi; etiamſi geſta, tempuſque vitæ ac mortis omnino mihi ignota ſint. S. Quadratum epiſcopum Athenienſem ſignat hac die Maurolycus; ſed adduci non poſſumus hactenus, ut credamus, hunc eſſe diſtinctum ab illo, quem idem Maurolycus annuntiarat die* XXVI *Maii; ſicut in hodiernis Prætermiſſis indicatum eſt.* *in Romano Martyrologio.*

DE

A

DE SANCTIS MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

PRISTO, SEVO, ITEM QUADRATO EPISCOPO, SUNDOPHAGO, ASTUSO, DIOMEDE, ZOTICO, ZATAMGELO, MOYSEO.

Ex apographis Hieronymianis. J. P.

XXI AUGUSTI. *Annuntiationes,*

Hæc Martyrum classis in Alexandria *eodem modo & ordine notatur inter apographa Hieronymiana apud Florentinium edita, excepto* Moyseo, *de quo mox. Annuntiatio autem ista, etiamsi non videatur in omnibus nominibus rectè expressa, meliùs tamen intelligi potest, quàm textus ipse Martyrologii, quod sub nomine S. Hieronymi auctor idem vulgavit. Hæc enim habet:* In Alexandria natalis sanctorum Pisti, Semi. Item Quadrati episcopi. Sindophagiæ natalis sanctorum Astosii, Diomedis, Zotici. *Paullo aliter scribitur in dictis apographis hæc Martyrum annuntiatio:* In Alexandria nat. SS. Pisti, Sevi, item Quadrati. Sindophagiæ nat. SS. Artosii, Diomedici, Zotici, Azatangoli, Moysei. *Vides hîc utroque loco pro* Pristi *scribi* Pisti; *in ultimo autem addi* Moyseum. *Pro* Azatangoli *fortè legendum* Agathangeli. *Sed quid sibi velit* Sindophagia, *planè non intelligo. Hîc ponitur pro nomine proprio alicujus loci;* Sundophagus *autem suprà (fortè scribendum* Syndophagus*) nomen videtur significare proprium hominis, quia uno tractu cum aliis enuntiatur. Hæsit aqua Florentinio in notis, si nomen* Sindosagiæ *sit proprium loci. Nam hæc ibi observat:* Locus geographis, quod sciam, ignotus, suspicionem movet, ne librarii vitio tam in codicibus nostris, quàm Corbeiensi & Antverpiensi legi debeat SYNDIOSPAGO *, pro loco in Authenticis memorato, *quem allegat:* ubi, *ait,* INCOLAS SYNDIOSPAGI populos quosdam vocat Justinianus. *Sed hæc eruditi viri suspicio non apparet satis fundata; cùm incertum prorsus sit, an illud nomen sit proprium hominis, an loci.*

B

* Syndiospagi

C

2 *Porrò quis modus, veram & genuinam tum huic nomini, tum aliis suprà memoratis effortiis apographis. mationem, & ordinem assignandi in tanta apographorum Hieronymianorum corruptorum varietate? Nec verò exemplaria Florentinii conveniunt in numero Martyrum, sicut testatur in notis, dicens:* Mancos hîc agnoscimus libros nostros: tres enim tantùm Cælites numerantur, Astosius, Diomedes, & Zoticus: Zatangelum addit Martyrol. vetustissimum: Azatangelum, & Moyseum Corbeiense. *Inter Martyrologia verò Hieronymiana contracta, quæ apud nos sunt edita, in Richenoviensi duos Alexandrinos hac die sic lego:* In Alexandria, Pisti, Sevi. *Fortè ad superiorem Martyrum manipulum pertinent* Artosus & socii ejus *martyres, quos è Castellano dedimus inter hodiernos Prætermissos. In additionum collectione ad Martyrologium, quod sub nomine Bedæ apud nos editum est, signantur è Barberiniano exemplari tres etiam isti:* Syndophagiæ natale SS. Artosii, Diomedis, Zotici. *Denique de* S. Quadrato episcopo, *qui in superiore Martyrum Alexandrinorum manipulo signatur, consule, quæ hac die de* SS. Quadratis episcopis *dicuntur. Quamquam mihi non videatur etiam satis exploratum, ob tantam annuntiationum perturbationem, an alii omnes Alexandriæ sint adscribendi. Isto tamen loco tam in titulo superiore, quàm in Catalogo Sanctorum, qui huic diei præfigitur, illos annuntiavi, quia apud Florentinium, è quo eos transcripsi, eidem loco attribui utcumque videntur, quidquid sit de nominibus miro modò expressis vel corruptis.* dantur è va-

D E

DE SS. JULIO, JULIANO, VINCENTIO, AUGURIO ET EULODIO MARTYRIBUS

IN HISPANIA.

G. C. Notitia horum Martyrum ex antiquis Martyrologiis; ſed Acta eorum & tempus martyrii incerta.

XXI AUG. *Horum Martyrum, qui in veteribus Martyrologiis memorantur,*

HÆc Sanctorum nomina in vetuſtiſſimo Martyrologio Hieronymiano, quod Franciſcus Maria Florentinius anno 1668 Lucæ edidit, annuntiantur in hunc modum: In Spaniis natalis ſanctorum Julii, & Juliani, Vincenti, Auguri, & Eulodi. *Alia apographa Hieronymiana contracta, quæ Sollerius noſter tomo* VI *Junii part.* 2 *vulgavit, duos dumtaxat ex his quinque Martyribus annuntiant, videlicet* Vincentium *&* Julianum, *quos etiam Rabanus & alii recentiores Martyrologi tantùm memorant. Sed Martyrologium reginæ Sueciæ ibidem pag.* 46, *duobus nominatim expreſſis, tres anonymos addit hoc modo:* XII Kal. Sept. Hiſpaniis natalis ſanctorum Julii & Juliani cum aliis tribus. *Inter Auctaria noſtra Uſuardina codex Roſweydi Martyres illos hac die ſic celebrat:* In Hiſpaniis ſancti Juliani martyris cum aliis quatuor. *Codex verò Vaticanus ibi nomina quinque Martyrum exprimit hoc modo:* In Hiſpania ſanctorum Julii, Juliani, Vincentii, Augurii, Fructuoſi. *Neſcio, qua metatheſi hîc nomen* Fructuoſi *pro* Eulodio *ſubſtitutum fuerit. Nos interim in exprimendis horum Martyrum nominibus antiquum Florentinii Martyrologium ſecuti ſumus.*

geſta

2 *Franciſcus Rus-puerta in Hiſtoria eccleſiaſtica diœceſis Giennenſis, quam anno* 1634 *Hiſpanicè vulgavit, ſeculo* I, *cap.* 17 *varia de natali ſolo horum Martyrum ac tempore martyrii congerit, quæ ex Luitprando aliiſque fictitiis auctoribus probare nititur. At Joannes Tamayus Salazar in notis ad Martyrologium ſuum Hiſpanum hac die contendit, duas diverſas Hiſpanorum martyrum claſſes ab illo ſcriptore confuſas fuiſſe. Cum Tamayus etiam pro ſua opinione Luitprandum alioſque ſuppoſititios auctores citet, non eſt noſtrum componere has frivolas lites, quæ tantùm ex cerebro impoſtorum vel otioſorum hominum prodierunt. Porrò ſæpius in Opere noſtro fraudes aut hallucinationes hujus Martyrologi Hiſpani detectæ ſunt, ac deinceps detegentur. Quare non eſt opera pretium exhibere Acta horum Martyrum, quæ Tamayus ipſe fabricavit, & quibus tamen confidenter more ſuo præmittit hæc magnifica verba:* Nos veritatis autographis inſiſtentes, ſanctos Martyres apud municipium Burginatenſe paſſos ex Luitprando concedimus; cetera reſpuere compellimur. Hinc eorum Acta ſic formanda eſſe (nam alibi haud inventa) contendimus. *Hac expreſſione ſatis clarè fatetur, ſeſe Acta iſtorum Martyrum, quæ alibi non ſunt inventa, ex genio ſuo compoſuiſſe.*

& ætas incerta ſunt.

3 *Hinc etiam vereor, ne ipſe Tamayus pro arbitrio ſuo determinaverit tempus martyrii, quod in fine Actorum aſſeveranter exprimit his verbis:* Ad carceris cuſtodiam adducti Juvenes poſt varia judicis examina, cum nec diis ſacrificia offerre, nec à Chriſti nomine ſeparari potuiſſent, diverſis tormentis cruciati, tandem martyrii coronis ad cæleſte regnum conſcenderunt ſtrenui, XII Kalend. Septembris, anno Domini XCV. *Sic quidem ille ex ſuo Luitprando affirmat. Sed non magis fictitio Luitprando quàm ipſi Tamayo fidere audemus, cum Martyrologium ejus Hiſpanicum ex tot fabulis conſutum ſit, ut vera à falſis ſecerni vix poſſint: nam homini mendaci interdum verum dicenti, credere non ſolemus, quemadmodum habet paræmia. Quapropter annum martyrii cautè ſuppreſſimus, & in margine diem* XXI *Auguſti tantummodo notavimus, quia ipſum glorioſi certaminis ſeculum ignoramus, quamvis hi Martyres veroſimillimè ſub imperatoribus ethnicis in Hiſpania paſſi fuerint.*

A

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS HIPPOLYTO, TRAIANO, QUADRATO, PRIMO.

Ex apographis Hieronymianis. J. P.

XXI AUGUSTI.

Quatuor hi Martyres hodierna die ſic memorantur inter apographa Hieronymiana apud Florentinium : In portu Romæ Ippolyti, Traiani, Quadrati, Primi. *Ita ibi*, & vetuſtiſſimum M. Antverpienſe *allegatur. Si Martyres iſti eodem loco ac tempore paſſi ſunt, ſicut videtur indicare eorum annuntiatio, tollitur difficultas, quæ ſeſe alioquì offert ex ſynonymis, qui hoc eodem die ſignantur alibi. Sic enim* Hippolytus *diſtinguetur à ſynonymo, qui apud laudatum Florentinium* in portu Romano *ſignatur ſine ſociis*; Quadratus, *ab aliis duobus homonymis, de quibus etiam agimus hac die*; Traianus, *ab homonymo, qui in Martyrologio Rabani, ac Bedæ Plantiniani conjungitur cum Luxurio vel Luxorio, quem hodie damus*; Primus *denique à ſynonymo, qui refertur apud eumdem Florentinium è codice Ms. reginæ Sueciæ*, In Sardinia. *Nos interim Martyres noſtros ſuprà dedimus eodem ordine ac modo, quo eos invenimus ſignatos inter dicta apographa, etiamſi valde diſſentiant annuntiationi, quam Florentinius è ſchedis ad ſe miſſis recitat in hæc verba :* In Sardinia nat. Luxurii, Traiani, Quadrati epiſcopi, Primi.

B E

DE SS. BONOSO ET MAXIMILIANO VEL MAXIMIANO MARTYRIBUS, *ANTIOCHIÆ IN SYRIA,*

COMMENTARIUS PRÆVIUS. G. C.

§ I. Immemorabilis horum Sanctorum cultus, occaſio martyrii, & authentica Actorum fides.

ANNO CCCLXIII. *Hac die Martyres illi memorantur in Martyrologiis,*

C

Ado ad diem XXI *Auguſti in ſuo Martyrologio annuam horum Martyrum memoriam ita celebrat :* Eodem die natalis ſanctorum martyrum Bonoſi & Maximiani, quorum geſta habentur. *Uſuardus Adonem verbum de verbo tranſcripſit, & hodiernum Martyrologium Romanum in ſimili annuntiatione ſua dumtaxat omittit, eorum geſta haberi. Quinimo eminentiſſimus Baronius in notis ad annuntiationem hodiernam Martyrologii Romani monet ſequentia :* De his Uſuardus, qui & eorum Acta exſtare teſtatur; ſed jam excidiſſe videntur : nuſquam enim reperire potuimus. *Verùm ſummæ debentur gratiæ Theoderico Ruinartio, qui genuina horum Pugilum geſta præterito ſeculo feliciter eruit ex Ms. codice monaſterii Sylvæ-majoris in diœceſi Burdigalenſi, & ea anno* 1689 *inter Acta primorum martyrum ſincera & ſelecta pag.* 664 *& ſequentibus retulit. Niſi hic pretioſus theſaurus, ab aliis fruſtra quæſitus, diligentiâ Ruinartii detectus fuiſſet, cum eminentiſſimo Baronio & Majoribus noſtris præclara horum Martyrum geſta, tempus & locum martyrii hactenus ignoraremus. Facilius etiam nobis imponere potuiſſent pſeudoſcriptores quidam Hiſpani, de quibus poſtea agemus.*

etſi forſan alio die martyrium ſubierint;

2 *Quamvis ex relatis Martyrologiis de immemorabili Martyrum noſtrorum cultu ſatis conſtet, tamen aliqua difficultas occurrit circa diem, quo coluntur aut martyrium ſubierunt. Caſtellanus in ſuo Martyrologio univerſali eos refert ad diem* XX *Septembris, haud dubiè ſecutus titulum, qui apud Ruinartium in editione Pariſienſi anni* 1689 *Actis ita præfigitur :* Paſſio ſanctorum Bonoſi & Maximiliani militum, de numero Herculianorum ſeniorum, ſub Juliano imperatore & Juliano Comite ejus, ſub die XII Kalendas Octobris. *At ipſe Ruinartius hac de re ante Acta ſic ratiocinatur :* Horum Martyrum memoriam Martyrologia Uſuardi, Galeſinii & Baronii celebrant die XXI Auguſti, ubi MAXIMILIANUS dicitur MAXIMIANUS, eorumque Acta laudantur; quæ huc uſque incognita, nunc primùm proferimus ex codice manuſcripto monaſterii noſtri beatæ Mariæ Silvæ-majoris in diœceſi Burdigalenſi. Alius dies in Actorum titulo præfertur, XII KAL. OCTOBRIS. Sed neuter videtur pro vero eorum mortis die aſſignari poſſe : ſiquidem Julianus Comes jam morbum incurrerat, cum fuerunt interrogati. At morbo iſto, ut ad Acta ſancti Theodoriti vidimus, non niſi poſt diem XXII Octobris laboravit, & initio anni ſequentis, ſcilicet CCCLXIII, ut refert Ammianus Marcellinus, exſtinctus eſt. Quare ſatius eſſet, iſtorum martyrum mortem ad menſem Decembrem revocare. Hunc autem diem, ſicut nec quæ in Actis omiſſa paſſim videntur, non niſi ex aliquo codice manuſcripto valemus ſupplere. *Quidquid*

AUCTORE G. C.

sit de vera martyrii die, nos Adonem & Usuardum cum Martyrologio Romano secuti, duos hosce sanctos Athletas hac die XXI *Augusti collocavimus.*

quia noluerunt mutare vexillum militare,

3 *Ceterùm ex relato Actorum titulo patet, Sanctos nostros militasse in legionibus Herculianorum, quæ à Maximiano Herculeo olim traxerant nomen, quod postea præstantissimis exercitûs copiis impositum est, ut Sextus Aurelius Victor in opusculo de Cæsaribus apud nos pag.* 578 *testatur, & de quibus Ammianus Marcellinus, ejusdem ætatis scriptor, lib.* 20 *&* 22 *Rerum gestarum sub imperio Juliani apostatæ meminit. Non omnino temere suspicor, Sanctos nostros aliqua dignitate militari præditos fuisse in his cohortibus: nam præfectus, nomine Secundus, in Actis infra edendis num.* 10 S. Bonosum *appellat* dominum, *quæ honorifica appellatio non videtur gregario militi convenire. Imò forsan hic* Bonosus *idem est cum illo, ad quem Constantius imperator, tamquàm* magistrum equitum *vel aliàs* militum *Hierapoli mense Maio anni* 347 *legem de militia scripsit, ut in Chronologia Codicis Theodosiani apud Jacobum Gothofredum pag.* XLVII *videre est. Præterea ad gregarios milites non pertinebat mutare labarum seu vexillum militare, quod ab his Sanctis exigebatur, & de quo vexilli signo hîc nonnulla præmonebimus, ut Acta postmodum edenda clariùs intelligantur.*

B

cujus figura ex Eusebio Cæsareensi

4 *Eusebius Cæsareensis in Vita Constantini lib.* 1 *cap.* 28 *& sequentibus fusè narrat, quomodo signum crucis in cælo huic imperatori apparuerit, sicut ex ipso Constantino jurato audiverat, ex qua historia ad rem nostram excerpimus sequentia:* Tum verò Christus Dei dormienti apparuit cum signo illo, quod in cælo ostensum fuerat; præcepitque, ut, militari signo ad similitudinem ejus, quod in cælo vidisset, fabricato, eo tamquam salutari præsidio in præliis uteretur. Ille primo statim diluculo surgens, arcanum omne amicis exposuit. Convocatis deinde auri ac gemmarum fabris, medius inter eos sedens, speciem signi eis sermone depinxit, jussitque, ut auro ac lapillis similitudinem ejus exprimerent; quod & nos aliquoties videre meminimus. Erat autem ejusmodi. Hasta longior auro contecta transversam habet antennam instar crucis: suprà in ipsa hastæ summitate corona erat affixa, gemmis & auro contexta. In hac salutaris appellationis signum; duæ videlicet litteræ, nomen Christi primis apicibus designabant, littera P. in medio sui decussata. Quas quidem litteras imperator in galea gestare post hæc etiam consuevit.

C


hic describitur,

5 Porrò ex antenna, quæ obliquè per hastam trajecta est, velum quoddam dependebat; textum videlicet purpureum pretiosis lapidibus inter se junctis, & luminis sui fulgore oculos perstringentibus, coopertum, multoque intertexo auro inexplicabilem quamdam pulcritudinis speciem intuentibus præbens. Atque hoc velum antennæ affixum latitudinem longitudini æqualem habuit. Ipsa verò recta hasta ab infima sui parte in magnam longitudinem producta, in superiori parte sub ipso crucis signo ad ipsam veli variis coloribus depicti summitatem, auream Deo cari imperatoris & liberorum ejus imaginem depictam pectore tenus sublimem gestabat. Hoc igitur salutari signo, tamquam munimento adversus oppositas quorumvis hostium copias imperator semper est usus; aliaque ad ejus similitudinem expressa signa cunctis exercitibus præferri jussit.

D

& cui nomen Christi

6 *Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 312 *num.* 26 *hanc Eusebianam labari descriptionem expressit in imagine, quam calatorem nostrum imitari jussimus hoc modo:*



Vides hîc per litteras initiales Græcas XP *nomen Christi expressum. Eminentissimus ille scriptor ibidem numero præcedente aliud mysterium in hoc monogrammate* ☧ *notaverat his verbis:* In hoc verò, *inquit,* ☧ & illud observandum, mira concinnitate iisdem elementis exprimi simul Christi nomen & crucis signum, ut crux in Christo & Christus in cruce monstretur: per X enim crux, licet transversa, notatur. *Tum ibi aliam istius monogrammatis figuram exhibet, quæ etiam in antiquo nummo Constantini imperatoris apud Auselmum Bandurum inter Numismata imperatorum Romanorum tomo* 2 *pag.* 213 *invenitur, & pag.* 250 *explicatur.*

E

variis modis inscriptum erat,

7 *Certè Christiani per litteram Græcam* X *nomen Christi intelligebant, ut ipse Julianus apostata in Misopogone adversus Antiochenos apud Sirmondum nostrum parte* 2 *Operum suorum indicat, ubi pag.* 88 *& sequentibus Christianum Antiochiæ civem ita loquentem inducit, ac simul explodit:* At enim, inquit, Chi & Cappa nihil civitati nocuerunt. Hoc sapientiæ vestræ ænigma quale sit, difficile est intelligere. Nos tamen quosdam vestrûm interpretes nacti, didicimus, his litteris nominum quorumdam initia significari, altera Christum, altera Constantium declarari. Sinite igitur me liberè, quod sentio, dicere. Una in re tantùm vobis injuriam fecit Constantius, quod me cum Cæsarem fecisset, non vitâ privavit. Nam quod ad reliqua attinet, utinam vobis solis ex omnibus Romanis dent dii multos Constantios vel potius amicorum ejus rapinas experiri: nam mihi quidem vir ille patruelis erat & amicus; postea verò quàm inimicus esse maluit, nostrumque certamen dii nobis perhumaniter disceptarunt, fidelior ei amicus fui, quàm ante inimicitias futurum me speraverat. Quare quid me illius laudes molestè ferre arbitramini, qui iis irascor, qui ei obtrectant? At Christum amatis & quasi numen tutelare colitis pro Jove & Daphnæo & Calliope, quæ vestram captionem explicavit. An verò Emiseni Christum amabant, qui Galilæorum sepulcra incenderunt? An ego Emisenos umquam offendi? Nam è vobis quidem certè plurimos ac fere omnes, senatum, divites, populum offendi: etenim populi maxima pars, imo totus populus, qui impietatis sectam sequitur, mihi succenset, quod me videt patrum religionem amplecti, eique adhærescere. *Ex his impii Apostatæ verbis liquet, cives Antiochenos ferè omnes eo tempore Christianos fuisse, & apud ipsos Græcâ litterâ* X *nomen Christi designari, quod ad propositum nostrum præcipuè spectat.*

F

ut apud Baronium

8 *Laudatus eminentissimus Annalium eccle- siasti-*

A *ſiaſticorum conditor ad annum ſuprà citatum num. 26 exhibet aliam labari ſive vexilli militaris figuram, quam ex veteri numiſmate delineari juſſit, & cui præmiſit hanc monitionem:* Ceterùm licet ſemper in eo una eademque ſervata ſit labari forma, ut videlicet ex erecto ſtipite & ligno tranſverſo compacta crux ſit, quæ appenſo eo modo velamine ornaretur; in hoc tamen reperitur variata eſſe figura, dum Chriſti nomen interdum non in vertice ſtipitis, ſed in ipſo velamine intextum, loco imperatoris imaginis & filiorum inſcriberetur. *Deinde repræſentat hunc nummum, in cujus una parte cernitur caput Conſtantini imperatoris diademate redimitum, & in qua per circuitum leguntur hæ voces:* CONSTANTINUS MAX AVG. *Alteram verò nummi partem exprimit hoc modo:*

B 

Curioſus lector facilè obſervat, ſolum monogramma nominis Chriſti hîc velo inſcribi, ubi in altera labari effigie Conſtantinus imperator cum liberis ſuis depingebatur, & nomen Chriſti circa ſummitatem ſtipitis coronâ cingebatur.

& Bandurum ex nummis oſtenditur,

9 *Anſelmus Bandurus inter Numiſmata imperatorum Romanorum tomo 2 pag. 242 ſimilem nummum Conſtantini imperatoris repræſentat, & pag. 273 illum notis illuſtrans, ea occaſione extraordinariam Harduini noſtri opinionem rejicit his verbis:* Nummus hic ob Chriſti monogramma in labaro cum rarioribus adnumerandus eſt, nec extat apud Mediobarbum. Chriſti autem monogramma in labaro vix notandum erat, niſi Harduinus Conſtantinum hunc Auguſtum necdum imperatorem (quid illud ſit, apud eum vide) ethnicum fuiſſe ſcripſiſſet: cum enim cru-
C cem, quæ in aliis nummis conſpicitur, negaret crucem eſſe; ſed nihil in illa videret præter merum ſculptoris ingenio lineæ duplicis tranſverſum ductum, affirmaretque ſolum illa ætate Chriſtianitatis indicium Chriſti monogramma eſſe, operæ pretium videbatur huic objicere nummos hoc monogrammate inſignes, in quibus Conſtantinus Auguſtus MAX. dicitur. Sed quid retulerit vide; è duobus hujuſmodi nummis unum aureum inſcriptum VICTORIA CONSTANTINI AVG. negat Chriſti monogramma præferre, tametſi effictum ſit ea ratione, qua ab Euſebio deſcriptum eſt; in hoc verò idem monogramma fidem potius exercitûs, quàm ipſius Principis teſtari contendit. Hæc referre, refellere eſt. *Profectò miramur, hæc ab Harduino noſtro in dubium revocata fuiſſe, cum ex aliis numiſmatibus apud Bandurum probentur, & maximè confirmentur ex nummo ejuſdem Conſtantini imperatoris, inſcripto* SPES PUBLICA, *quem Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti 325 num. 206 refert, & cujus explicatio in narratione Euſebii Cæſareenſis fundamentum habet.*

10 *Hanc militarem Chriſtianæ fidei teſſeram, quæ poſt converſionem Conſtantini Magni cohortibus Romanis præferri cœperat, impius apoſtata Julianus mutare voluit, ut S. Gregorius Nazianzenus coævus in Oratione tertia adverſus eumdem Julianum apud nos tomo 1 Operum ſuorum pag. 75 teſtatur his verbis:* Quin jam etiam adverſus magnum illud vexillum audaciâ effertur, quod cum cruce magnificè præcedit, in altumque elatum, exercitum ducit, ærumnarum ſolvendarum vim habens, hincque apud Latinos nomen trahens, principatumque, ut ita dicam, in reliqua omnia vexilla tenens. *Sozomenus ſcriptor Conſtantino ſubæqualis in Hiſtoria ſua eccleſiaſtica lib. 5 cap. 17 illud Apoſtatæ conſilium breviter & clarè exponit, dum ibi de Juliano imperatore ſic ſcribit:* Omnia excogitavit, quibus ſubditos, ac præcipuè milites, ad gentilium religionem, partim per ſe, partim per præſides, alliceret. Denique ut omnibus modis eos gentilium ſuperſtitioni aſſuefaceret, in priſtinam formam commutare decrevit ſignum illud nobiliſſimum exercituum Romanorum, quod Conſtantinus, Deo jubente, ut ſuperiùs retulimus, in crucis formam converterat. *Hæc dicta ſufficiant de Chriſtianis Romanorum militum vexillis, quale cohortis ſuæ ſignum retinere voluerunt Sancti noſtri, quæ voluntas eis occaſionem martyrii ſubeundi dedit. Nunc ad authenticam Actorum fidem paucis probandam progredimur.* E

AUCTORE G. C. *& ex antiquis ſcriptoribus confirmatur.*

Severi criticci Acta horum Martyrum

11 *Theodericus Ruinartius, vir eruditus ac minimè credulus, de Actis horum Martyrum, quæ in monaſterio Silvæ-majoris invenerat, in Opere ſuprà laudato pag. 663 tale fert judicium:* Etſi in Actis ſanctorum Bonoſi & Maximiliani aliquot loca ex ſcriptorum fortè errore vitiata occurrant, digna tamen nobis viſa ſunt, quæ inter ſincera antiquitatis monumenta reponantur: ſi enim miracula excipias, quæ in his paullò frequentiora quam in aliis vulgò habentur, nihil in eis eſt, quod antiquitatem non redoleat, nihil quod probatiſſimis & Juliano coæqualibus auctoribus conſonum non ſit; quamvis multa & maximè ſingularia in eis narrentur, quæ ſanè in Actis confictis nuſquam reperies. Talia ſunt, quæ de Secundo præfecto refert, de Hormiſda principe Perſa, de Conſtantini Magni baptiſmo, de Meletio epiſcopo, de Juliani Comitis uxore & morte, & alia ejuſmodi, quæ numquam, ſaltem ſine errore, à confictoribus F referri ſolent.

pro ſinceris & genuinis habent.

12 Nec etiam contra hæc Acta objicere juvat, Julianum à Chriſtianorum cædibus abſtinuiſſe: hi enim non ſolùm Chriſtiani erant, ſed etiam milites, quod ferre Julianus non poterat. Sed præterea labari ſignum contra ſpeciale imperatoris mandatum mutare noluerunt; immò & alios etiam avertebant, ne Juliani juſſa exſequerentur: quæ omnia rebellionis crimen eſſe reputabant. His adde, quod non ab imperatore, ſed ab ejus avunculo damnati ſunt, qui Chriſtianos uſque ad necem, quantum in ſe erat, perſequebatur, teſte Sozomeno lib. 5 cap. 7. *Severiores noſtræ ætatis critici libenter huic Ruinartii judicio ſubſcribunt. Quinimo Tillemontius tomo 7 Monument. eccleſ. pag. 740 & ſequentibus nonnullas difficultates, quæ Actis illis opponi poſſent, ultro explicat ac diſſolvit: nam exiſtimat, Acta iſta, quæ Ruinartius detexit, ex aliis genuinis amplioribus contracta eſſe, & ideo in illis obſcuriora quædam occurrere. Nos hæc & alia in Annotatis illuſtrare conabimur. At priùs oſtendemus, quomodo ſcriptores aliqui Hiſpani hodiernos illos Martyres, antequam*

AUCTORE G. C. *Acta eorum reperta essent, perperam patriæ suæ vindicare tentaverint.*

§ II. Varius conatus illorum, qui duos hos Martyres Hispaniæ vindicare voluerunt.

Hos Martyres patriæ suæ adscribunt Hispani,

CUm *impostores quidam advertissent, his duobus Sanctis nullam certaminis palæstram nullumque certum martyrii tempus in antiquis Martyrologiis assignari, & præterea cum Baronio putarent, Acta eorum intercidisse, opportunam fingendi occasionem sese nactos esse existimarunt. Quare duos istos Martyres confidenter Hispaniæ adscripserunt, ac etiam sine ulla veritatis specie multiplicarunt. Hinc pseudo-Dexter in Chronico suo ad annum Christi* 156 *sic scribit:* Blandæ in Hispania patiuntur sancti martyres Bonosus & Maximianus. *Pseudo-Luitprandus in insidiis succenturiatus eosdem Martyres alio tempore collocat, ut diversi credantur, &* B *illis in editione Matritensi Fragmentorum suorum pag.* 17 *num.* 66 *socium adjungit hoc modo:* In Hispania, civitate Octogessa, quam Gothi corruptè vocarunt decurtatè ICTOSAM, celebrantur martyres Juvenalis, Bonosus & Maximianus sub Trajano passi. *Denique pseudo-Dexter in Chronico ad annum Christi* 308 *duos ejusdem ferè nominis martyres rursus ita commemorat:* Urgabone in Bætica sub præside Daciano Bonosus & Maximinus martyres. *Habes hic ergo in sola Hispania tres Bonosos & totidem Maximianos martyres, vel unum ex iis posterioribus Maximinum, si lubet credere.*

inter quos Bivarius

14 *Sic nempe pseudo-Dexter exercere voluit ingenia interpretum suorum, inter quos Franciscus Bivarius ad primam ipsius annuntiationem notat sequentia:* Hîc igitur martyrio coronati sunt sub Antonino principe sancti Christi martyres Bonosus & Maximianus, quorum memoria cum benedictione permanet in Martyrologiis die XXI Augusti, ubi Ado affirmat, etiam Actus martyrii ipsorum extare. Usuardus similiter inquit: EODEM DIE SANCTORUM MARTYRUM C BONOSI ET MAXIMIANI, QUORUM ACTUS HABENTUR. Equilinus lib. XI cap. 138 num. 218 ait: BONOSUS ET MAXIMIANUS MARTYRES PASSI SUNT XII KALENDAS SEPTEMBRIS, QUORUM GESTA ADO DICIT HABERI. Galesinus verò Bedam quoque ipsorum meminisse refert, & ait: HOC IPSO DIE SANCTORUM MARTYRUM BONOSI ET MAXIMIANI, QUORUM RES PRO FIDE FORTITER ACTÆ LEGUNTUR. In Romano Martyrologio nihil de Actis dicitur, quoniam, ut Baronius in Notis animadvertit, jam excidisse (proh dolor!) cum dispendio gloriæ Sanctorum videntur: nusquam enim reperta sunt; sed dabit Deus ipsis Actis aliquando lucem, ut confidimus. *Certè præter exspectationem Bivarii aliorumque Deus postea dedit lucem Actis horum Martyrum, sed non talibus, qualia ipse Bivarius verosimiliter fabricavit, ut infrà videbimus.*

& Tamayus triplicem eorum classem distinguunt

15 *Interea curiosus lector observet, hîc à Bivario martyres Blandenses ad diem* XXI *referri, & postmodum ab Urgabonensibus ejusdem nominis martyribus distingui, dum ad alteram pseudo-Dextri annuntiationem hæc notat:* Diversi quidem sunt martyres, de quibus hîc agitur, ab eis, de quibus suprà anno CLVI actum est, D tametsi utrique eisdem nominibus nuncupentur: quamquam priores Bonosus & Maximianus; isti autem Bonosus & Maximinus dicantur. Certè urbium & temporum diversitas diversos esse convincit, dum illi Blandæ, hi Urgabonæ, illi anno CLVI, hi verò CCCVIII passi leguntur. *Tamayus his addit martyres Octogesenses, de quibus apud Bivarium nulla fit mentio, eosque in Notis ad Martyrologium Hispanicum ab aliis etiam distinguit ob has rationes:* Nam isti cum Juvenale, *inquit*, apud urbem Octogesam Celtiberiæ tempore Trajani circa annum CX patiuntur; illi primi apud urbem Blandam in Laletania Tarraconensi sub Antonino, ad annum CLVI; postremi apud Urgabonem in Bætica, ulteriori Hispania, sub Diocletiano & Maximiano anno Domini CCCI, quod & notavit P. Bivarius in Commentariis ad Dextrum dicto anno CCCVIII num. 4 fol. 360, licet de his Octogensibus altum apud eum silentium. Qui verò fuerint, nec Luitprandus exponit, nec ullibi eorum Acta comperimus, & ideo illa conscribere haud facile potuimus, hujus anamnesis relatione contenti. Cetera Dominus suo E tempore manifestare dignabitur, ut tantorum res gestas concelebret Ecclesia.

ex auctoritate pseudo-Dextri & Luitprandi,

16 *Tamayus autem omnes hos martyres ad diem* XXI *Augusti refert, & eo die triplicem eorum classem in ipso Martyrologio suo Hispanico magnificè annuntiat his verbis:* Octogesæ in Hispania sanctorum Juvenalis, Bonosi & Maximiani martyrum, qui Trajano imperatore Ecclesiæ persecutionem movente, pro fide tenti, post cruciatuum angustias mucroni guttura, animas Domino deposuere. *Deinde alios ita memorat:* Blandæ in Hispania citeriori sanctorum Bonosi & Maximiani martyrum, qui pro Christi fidei confessione trucidati vitam hanc ærumnosam cum cælesti martyres commutarunt æterna. *Denique postremos ibidem hoc elogio exornat:* Urgabone in Bætica Sanctorum Bonosi & Maximiani martyrum: qui cum essent fratres ex Illiturgitana urbe oriundi, Christo nomina dedêre, quo milites facti imperatoribus Romanis in Hispalensi tumultuario bello strenua aviditate servierunt. Sed adveniente Datiani præsidis persecutionis procellâ, pro fide tenti, cochlæa suspensi, & aliis cruciatibus fatigati, tandem abscissis cervicibus F martyrio coronati, palmam meruere.

quam Carteslimonio Dextri & Luitprandi, quos passim Eruditi viri, ac ipsi prudentiores Hispani jam pro suppositititiis auctoribus habent, & de quibus eminentissimus Cardinalis Aguirrius explodit.

17 *Verùm omnes illæ annuntiationes nituntur Carteslimonio Dextri & Luitprandi, quos passim Eruditi viri, ac ipsi prudentiores Hispani jam pro suppositititiis auctoribus habent, & de quibus eminentissimus Cardinalis Aguirrius in præfatione ad Concilia Hispaniæ tomo* I *pag.* VII *num.* 39 *sic judicat:* Tam verò in iis, *ait*, quàm in dissertationibus, exiguam aut potius nullam rationem habemus monumentorum quorumdam subleslæ fidei sive Chronicorum, quæ sub nomine Dextri, Maximi, Helecæ, Liberati, Luitprandi, Juliani Perez & Hauberti Hispalensis à fine circiter præcedentis seculi usque modò venditantur, ingenti planè detrimento & injuriâ veritatis atque historiæ rerum Hispaniæ; intra quam multi homines docti ab eo tempore, aut cum eruditissimo Mariana & aliis exteris scriptoribus rident ea commenta, aut bilem exercent & stylum exacuunt cum D. Nicolao Antonio, celeberrimo scriptore Bibliothecæ Hispanæ, quinque justis voluminibus comprehensæ, quorum tria nondum edita apud me sunt, & σὺν Θεῷ aliquando publicam videbunt lucem. Quin & clarissimus

vir

A vir D. Emmanuel Gonzalez, qui in Commentariis ad Eliberitanum concilium aliquam iis Chronicis fidem adhibebat, poſtea ab anno circiter MDCLXX cœpit ea irridere & contemptui habere, me præſente. Itaque quidquid plurimi minus verſati in chronologia, hiſtoria & critice, dicant & vociferentur in honorem earum farraginum, à malè feriatis quorumdam capitibus confictarum, nos ea ſolùm ſectabimur & trademus, quæ antiquitati & veritati conformia ſunt, aut omnino apparebunt. *Luſitana hiſtoriæ Academia, aliique viri eruditi, tum Hiſpani, tum exteri, prudens iſtud eminentiſſimi ſcriptoris judicium nunc paſſim ſequuntur.*

Bivarius aſſerit, corpora horum Martyrum

18 *Si quis autem ex Tamayo quærat, quænam ex hac triplici Martyrum claſſe ad diem* XXI *Auguſti ab Adone, Uſuardo, & Martyrologio Romano aſſignetur, in notis ad Martyrologium ſuum varias Hiſpanorum ſententias recenſet. Quinimo Bivarius, qui antea annuntiationem Adonis, & Martyrologii Romani martyribus Blandenſibus aptaverat, poſtea eamdem Urgabonenſibus applicavit: cum enim in oppido Urgabonenſi, quod nunc vulgò* Arjona *dicitur, anno* 1628 *reperta eſſent quædam cadavera, Bivarius in Apologetico ſuo pro Flavio Lucio Dextro § 6 contendit, tunc etiam ibi corpora* SS. Bonoſi & Maximiani *inventa fuiſſe. Scimus, ab Urgabonenſibus plurimos teſtes adductos eſſe, ut ex crebris luminibus apud locum ſepulturæ apparentibus aliiſque prodigiis ſanctitatem iſtorum corporum probarent. Etiam non ignoramus, eos Romæ laboraſſe, ut inventos hos martyres, tamquam populares ſuos ac patronos, Officio duplici quotannis celebrarent. Quid autem Romæ impetraverint, neſcimus, & hanc quæſtionem Sedi Apoſtolicæ dijudicandam relinquimus.*

in oppido Urgabonenſi inventa eſſe,

19 *Attamen ex omnibus iſtis teſtimoniis, etiamſi veriſſima ſupponantur, tantummodo probari poteſt, ea eſſe veneranda Sanctorum anonymorum corpora, cum nullum ex propriis illorum nominibus in hac inventione repertum fuerit. Id ipſe Bivarius fateri cogitur, dum in memorato Apologetico ſuo § 6 num.* 37 *ſic ſcribit:* Forſitan mihi objiciet quis, nullam Urgabone ſcripturam repertam, quæ nomina Martyrum prodat. Unde ergo habebimus, hos ipſos fuiſſe, quorum Dexter in Chronico meminit, & non alios? Fateor, ſcripturam illic deſiderari; ſed verò totius negotii notabiles & notiſſimæ circumſtantiæ evidentem veritatis ipſius generant perſuaſionem: nam quorum, quæſo, celebrabantur feſta? Quorum deſiderabantur reliquiæ? Nec enim caſu accidiſſe putandum eſt, ut illo potius quam alio tempore cæleſtia lumina Sanctorum illorum reliquias in lucem emergere fecerint, niſi quis velit, caſu Deum tot tamque ſtupenda miracula perpetraſſe. Annuit ergo votis ſuppliciter martyrum Apollinis & Bonoſi ceterorumque exuvias ſacratiſſimas perquirentium; & eapropter numerus integrorum cadaverum divina diſpenſatione, quaſi mutæ linguæ ſono, ad propalanda eorumdem martyrum nomina ſervatus eſt.

idque probare nititur ex novis eorum Actis,

20 *Poſtremò Bivarius videns, hanc reſponſionem ſuam non ſatis validam eſſe, eamque etiam militare pro Apolline, Iſacio & Crotate, quorum tamen feſtum die* XXI *Aprilis in Martyrologiis colitur, argumentatur ex auctoritate Actorum, in quibus nomina* SS. Bonoſi & Maximiani *diſerte expreſſa ſunt, & qui ibidem die* XXI *Auguſti martyrium ſubiiſſe dicuntur. At qualia, obſecro, ſunt hæc Acta? Nimirum ea, quæ ipſe Bivarius compoſuit, vel quæ ab alio recenter compoſita accepit. Bivarius quidem in præfatione Operis ſui, quod ſanctis* Bonoſo & *ſociis Urgabonenſibus martyribus nuncupavit, pag.* 2 *aſſerit, ſeſe Acta* SS. Bonoſi & Maximiani *ex Ms. codice protuliſſe. Sed nuſquam indicat, ubi codex iſte inventus fuerit, vel ubi adhuc conſervetur. Etiam Franciſcus Rus-Puerta in Hiſtoria Giennenſi Acta horum Martyrum Latinè & Hiſpanicè edidit, & ibidem fol.* 131 *præmonet, Bivarium ea Acta inter ſchedas amici cujuſdam reperiſſe. At neque amicum iſtum neque locum nominat.* AUCTORE G. C.

quæ nobis, ut alia ejuſmodi, ſuſpecta ſunt,

21 *Sic etiam Tamayus in Martyrologio Hiſpanico ad diem* XXI *Aprilis edidit & Hiſpaniæ aptavit Acta SS. Apollinis, Iſacii & Crotatis, de quibus Henſchenius noſter tomo* 2 *Aprilis pag.* 843 *ſic rotundè pronuntiat:* Ne interim hi Sancti viderentur derelicti orphani, eos aſſumpſerunt fabricatores pſeudo-chronici Dextri, in quo ad annum 300 ſic fabulantur: ALBÆ PROPE ACCIM IN HISPANIA BÆTICA SANCTI CHRISTI MARTYRES APOLLO, ISACIUS, CROTATONQUE EORUM SOCIUS GLORIOSUS. Et ſubſcribunt elucidatores Dextri Bivarius & Rudericus Carus, hos eſſe in Martyrologio & Menologio Sirleti relatos; imo Tamaius-Salazar allegat aliqua horum martyrum Acta ex Ms. Legendario Aſturicenſi, ſed quod videtur hoc ſeculo ſcriptum. Paſſos ergo dicimus Nicomediæ in Bithynia, ubi tunc erat Diocletianus. *Simile quid ſuſpicamur de hodiernis* SS. Bonoſi & Maximiani *Actis, quæ Bivarius omnium primus in lucem produxit. Attamen hîc ea exhibebimus, ut incautus lector diſcat, Acta hujuſmodi, apud Tamayum alioſque ſuſpectos ſcriptores occurrentia, ſeverè examinare, antequam illis fidem adhibeat.*

& quæ tamen hîc tranſcripſimus,

22 *Hæc autem apud Franciſcum Ruſ-puerta in Hiſtoria Giennenſi fol.* 131 *verſo & ſequentibus ita ſonant:* Cum impiiſſimi imperatores Diocletianus & Maximianus vexarent Dei Eccleſiam, & de eorum mandato Datianus in Hiſpaniis multos Chriſtianorum exquiſitis tormentis trucidaret, degebant Illiturgi Bonoſus & Maximianus fratres, ibidem ex liberalioribus parentibus nati & in fide Chriſtiana ac bonis litteris educati; & erant quidem bonæ indolis juvenes, à cunctis vitioſis actionibus abſtracti, moribuſque ſuis erant multis exemplo & ſolatio. Contigit autem illis diebus tumultuarium bellum, quod Bæticam infeſtavit, eo quod Hiſpalenſis præfectus urbem ſibi & provinciam contra jus faſque vellet occupare. Tunc Bonoſus & Maximianus militiam amplexi ſunt, ut juſtitiam defenderent; ibique ſtrenuè ſe geſſerunt, exemplum pariter bonorum operum ceteris militibus effecti.

ut curioſus lector videret,

23 Eo autem bello feliciter confecto, domum reverſi vehementi deſiderio afficiebantur oferendi ſe Domino per martyrium hoſtiam gratam & immaculatam; ad quod ſe invicem exercebant & animabant. Sed cum Datianus Urgabone conſiſteret in arce militum Romanorum, loco pro ſuppliciis Chriſtianorum deſignato, & multa de eis audiret, miſit apparitores, qui ſuis conſpectibus eos præſentarent. Quod cum factum fuiſſet, Datianus eis dixit: Quandoquidem conſtat, quod vos ſemel militiam profeſſi eſtis, neceſſum eſt, ut in eadem perſiſtatis, & arcem iſtam cum reliquis militibus incolatis & defendatis. Bonoſus & Maximianus reſponderunt: Nos quidem milites jam ſumus, ſed Chriſti. Datianus dixit: Vultiſne

AUCTORE G. C.

tisne magis hujus hominis milites esse, quàm imperatorum? Sancti martyres responderunt: Etiam, multoque nobis hoc est jucundius. Præfectus dixit: Ego igitur vobis atrocem mortem inferam, & tunc videbimus, quid vobis prodesse poterit Christus, quem adoratis. Sancti martyres dixerunt: Tunc, ô Datiane, feliciores erimus & veriores milites Dei & Domini nostri Jesu Christi, quem cum Patre & Spiritu sancto unum Deum in Trinitate veneramur.

quantum hæc differant à geminis eorundem Martyrum Actis,

24 Tunc Datianus jussit eos in cochlea torqueri, sic quod à summa arce præcipitati, sursum & deorsum è fune suspensi agerentur, & cum prope terram descendebant, à satellitibus ibidem præparatis, validis vectibus corpora sanctorum Juvenum collidebantur, & nihilominus acriter ad murum in repentino ascensu & descensu allidebantur. Sed in hoc cruciamine à Domino sustentati sunt, ne deficerent, & quasi in aëre suspensi invisibili gratia detinebantur, ne dirumperentur. Tunc Datianus dixit: Videtis malo vestro, quam fortes sint imperatores nostri, à quorum manibus Deus vester non potest vos eripere. Vultisne jam milites eorum fieri? Sancti martyres responderunt: Imò verò experti sumus debilem illorum fortitudinem, & infinitam Christi potentiam, qui nos, ne deficeremus, animabat. Præses jussit eos per octo dies in arcta custodia arcis detineri, & ibi continua siti, æstate media, & aliis tormentis cruciari. Venerunt quoque parentes eorum pietate moti ad judicem rogantes, ut juventutis illorum misereretur. Quibus ipse facultatem dedit eos, si possent, verbis & lacrymis à proposito removendi. Sed Sancti Dei talibus sunt verbis usi ad suos, ut parentes, visâ constantiâ filiorum & ardenti desiderio martyrii, eos potius ad coronam animarent.

B

quæ jam statim edemus.

25 Itaque jussi sunt tandem à Datiano decollari, & ita pro Christi nomine eorum capita palam amputata sunt XII Kalendas Septembris, horâ tertiâ post meridiem, cum Bonosus vigesimum annum ageret, & Maximianus decimum octavum. Parentes verò accesserunt ad judicem, ut ipsis concederet corpora honesto loco sepelienda; quod tamen ille negavit, volens sic insepulta manere, ut ceteris essent terrori & exemplo: quæ tamen Deus usque ad multam noctem splendore cælesti vestivit, quo usque quidam milites Christiani clam de arce exeuntes ad radicem arcis secretò sepelierunt, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto gloriatur, Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen. *Summus Ecclesiæ Pontifex & sacra Rituum Congregatio judicent, an Urgabonensibus propter hæc Acta, quorum authentica fides non assignatur, proprium Officium de* SS. Bonoso & Maximiano *sit concedendum. Si umquam in Hispania martyres hujus nominis fuerint, certè multùm differunt ab hodiernis nostris Martyribus, quorum genuina Acta jam ex Ruinartio recudemus, & consuetis Annotatis illustrabimus.*

C

D

PASSIO

Quam Theodericus Ruinartius ex Ms. Codice monasterii B. Mariæ Silvæ-majoris eruit, & Parisiis anno 1689 *inter Acta Martyrum sincera à pag.* 664 *vulgavit.*

Julianus Comes hos milites ad cultum deorum frustra adhortatus,

JUlianus Comes *a* dixit ad Bonosum & Maximilianum: Dominus imperator noster *b* jussit, ut signum, quod habetis in labaro *c*, mutare debeatis. Bonosus & Maximilianus dixerunt: Nos signum, quod habemus, mutare nullo modo possumus. Julianus Comes dixit: Dominus imperator jussit, ut deos colatis, quos ipse & ego colimus. Bonosus dixit: Nos deos colere non possumus, qui ab hominibus facti sunt. Julianus Comes dixit: Implete nunc jussionem sacram, priusquam videatis carnes vestras affligi tormentis. Bonosus & Maximilianus dixerunt: Parati sumus pro nomine Christi martyrium sustinere.

a
b
c

E

primò S. Bonosum;

2 Julianus Comes dixit: Sistatur *d* Bonosus. Cumque sisteretur, Julianus Comes ait ad Bonosum: Adora deos, quos imperator, & nos colimus. Bonosus dixit: Nos legem, quam à parentibus nostris accepimus, & ipsam & tenemus & colimus; istos autem deos nescimus. Julianus Comes dixit: Justè accepi potestatem, ut torqueam vos, & flammis exuram. Bonosus dixit: Terrorem tuum non timemus. Julianus dixit: Aptate illum ad plumbatas *e*. Cumque plumbatis tunderet[ur], & plusquam trecentas ei imposuissent, Julianus dixit ad Bonosum: Parce suppliciis tuis, & fac quæ tibi jubentur. Bonosus itaque subridens sub plumbatas, nihil respondit. Julianus dixit: Quid dicis, Bonose? Bonosus respondit: Nos Deum vivum colimus, & ipsi soli servimus; deos autem, qui sint, nescimus.

d

e

F

deinde S. Maximilianum

3 Julianus dixit: Sistatur Maximilianus. Cumque sisteretur, Julianus dixit: Colite deos, quos & nos colimus; & mutate signum de labaro, quod habetis. Maximilianus respondit dicens ad Julianum: Prius audiant te isti dii tui, & loquantur tibi: cumque locuti fuerint tecum, sic eos & nos poterimus adorare. Sed quomodo coluntur & adorantur à vobis dii vestri, nullum verbum nec sensum habentes? Noster autem Deus magnam virtutem habet, in quo speramus, & festinamus ad martyrium, ubi etiam spem nostram habere confidimus. Scis enim & ipse, nec ignoras *f*, quia nobis mandatur, ne idola surda & muta adoremus.

f

jubet affici variis tormentis,

4 Julianus dixit: Aptentur Bonosus & Maximilianus ad equuleum. Cumque aptati fuissent, Julianus dixit: Siste illos. Cumque sisterentur, Julianus dixit: Videtis, vos sævis applicari tormentis. Implete nunc jussionem sacram, & nolite universos contubernales vestros vestra prava exhortatione avertere; sed, sicut decet, facite, quæ jussa sunt; & mutate signum, quod habetis de labaro vestro, & accipite signum deorum immortalium. Bonosus & Maximilianus dixerunt: Non

A Non facimus, quæ jubes fieri contra Deum. Nos Deum vivum, inviſibilem & immortalem habemus, in quo ſperamus. Julianus dixit: Tunde illos. Cumque tertiò plumbatis tunderentur, nec ſentirent, Julianus dixit: Si uſque adeo veſtra non potuit flecti pertinacia, habeo adhuc quod ſuppliciis veſtris addam. Afferte mihi picem, quæ ferventiſſimo igni ſuccenſa, piſcinæque fornacis ſit infuſa, ibique eos merſos pœna ignis conſumat. Ubi eſt ille Deus eorum, in quo pernicioſa ſpe credere dicunt? Videamus ſi poterit eos liberare.

quæ nihil ipſis nocuerunt.

5 Cumque ibi mergerentur, nec timerent, ſed hilares ad glorioſum martyrium properarent; ſubitò velut rore *g* adſperſi ſunt, & flamma mollita eſt, & picis * frigida facta eſt, & totum quod in eorum pœnam diaboli crudeles carnifices aptaverant, exſtinctum eſt, ita ut ne ullum quidem dolorem membris ſentirent. Sed ne quid fortè tantæ confeſſionis teſtimonium, in tantum eorum corpora ſupplicia non ſentirent, quædam tormentorum notæ relictæ ſunt, quæ veritati perhiberent teſtimonium. Sed cum ſecuri & intrepidi in eo ſupplicio orationis perſolverent vo-

g

* *id eſt* pix

B ta, nihilque de tormentis perterriti, dolores *h* fuiſſent perpeſſi, Judæi & gentiles, qui ad eorum venerant irridendum exitium, clamare cœperunt: Iſti magi & malefici. Sic Chriſtus eorum maleficia faciebat. Et cum hæc Secundo præfecto nuntiata fuiſſent, ſtupefactus cum admiratione cucurrit videre, quod factum eſſet. Et cum vidiſſet, ait: Da mihi ſacerdotes deorum, & faciam eis ſimiliter, & videamus, ſi poſſint ſalvari, ſicut iſti. Et applicati ſacerdotes idolorum thurificati ſunt, & fecerunt ſecundum conſuetudinem ſuam, ut ſolebant in ſacrificiis ſuis. Et cum feciſſent omnia ſecundum ritum ſuum illi ſacerdotes, miſſi ſunt in flammam pi-

h

i ceam *i*; ibique carnes eorum remanſerunt.

Poſtmodum eos inediâ

6 Conſumptis his, confuſus eſt Julianus Comes; & denuo in carcerem juſſit includi Bonoſum & Maximilianum, uſque dum reſideret Præfectus & audiret eos. Septem vero diebus carcere clauſo, univerſis, qui in Chriſtum credebant, vincula ceciderunt. Tunc autem Comes

k ſignaculo ſuo *k* ſignabat panem & mittebat eis in

C carcerem, ut vel ſic per panem ſeducerentur. Die autem, quo audiri habebant, Bonoſus & Maximilianus dixerunt ad Julianum: Ecce panes, quos miſiſti, non manducavimus: ipſe enim nos ſaturavit, in quem credimus, & ideo veſtros terrores non timemus. Deus autem noſter Jeſus Chriſtus tormenta noſtra à vobis exquirere dignabitur.

l *& viva calce*

7 Tunc autem iratus *l* Secundus præfectus dixit ad Julianum: Audiamus illos hodie. Cumque reſediſſent, & audirent eos, nihilque apud illos nequitia eorum valeret, Julianus dixit: Afferte mihi calcinam vivam, & ibi eos includam, & ſuper eos exſtinguatur calcina; & ubi erit Deus eorum videamus, ſi eos poterit liberare. Et miſſis illis in calcinam vivam, cœperunt deſuper exſtinguere eam. Et exclamaverunt voce magna, dicentes: Benedictus es, Domine Deus patrum noſtrorum, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, qui dignatus es liberare nos de manibus inimicorum noſtrorum, & laudabilis & glorioſus in ſæcula. Cumque exſtincta fuiſſet calcina, & nihil eis omnino nocuiſſet; iratus Julianus rurſus eos incluſit in carcerem, & juſſit ſignari carcerem, & claves in palatio datæ ſunt.

EX IMPRESSIS. *nequidquam interficere conatur;*

8 Duodecimo autem die cum aperuiſſent carcerem, & inveniſſent eos habentes tamquam candelas nimio fulgore lucentes, quæ exſtingui non poſſent; tunc quaſi eſurientibus panes ſacrificiorum edendos obtulerunt, ut vel ſic fame coacti polluerentur à ſacrificiis eorum. Sed illi, qui Domini noſtri Jeſu Chriſti ſancto ſpiritu alebantur, impolluti atque incontaminati à ſacrificiis eorum perſeveraverunt. Sed tum Hormiſda Comes, qui credidit, & ipſe veniens ad carcerem ſua præſentia juſſit clauſtra patefieri. Et cum aperuiſſent carcerem, & univerſos ſalvos vidiſſet & hilares, & Deo & Chriſto gratias agentes, ait ad illos Hormiſda Comes: Rogate Dominum pro me peccatore, ut ſalvus ſim *m*. *m*

ſed cum nihil proficeret,

9 Hæc omnia cum audiret Julianus, ſæviebat, quod victus eſſet potentiâ Domini, & per ejus ſervulos videbat ſe contemni. Sed dum hæc intra ſe iratus cogitat, ingemuit & ait: Offerantur mihi, inquit, in Balneo-veteri, & ibidem eos audiam. Cumque offerrentur Bonoſus & Maximilianus, Julianus Comes dixit ad Bonoſum: Quam virtutem Dei tui oſtendis, ut Chriſtianus de manibus meis recedas? Bonoſus dixit: Po- E tens eſt Deus noſter, in quem credimus, ut martyrium, ad quod nos feſtinamus, in nos perficiat, ut Chriſtiani de tuis manibus recedamus. Julianus Comes dixit: Ad beſtias pugnaturi eſtis. Bonoſus dixit: Poteſt Deus Chriſtianorum adeſſe ad liberandum nos; & coronam, quam nobis ſperamus, ab eo ſuſcipiemus. Nos autem nec beſtias timemus, nec ea, quæ nobis promittis, veremur: ſed habemus Deum Patrem & Jeſum Chriſtum filium ejus, & Spiritum ſanctum, per quem hæc omnia ſuperamus.

& Martyres Chriſtum intrepidè confiterentur;

10 Julianus Comes dixit: Iterum mittam vos in fornacem ignis ardentis, & tunc complebitis juſſionem ſacram. Hæc cum audiſſent omnes, qui fuerant electi, ejus imperio reſtiterunt, & unanimes dixerunt: Videntes certamen fratrum noſtrorum, qui ad martyrium parati ſunt, & nos ad hoc properamus, ut adoremus Deum unum, qui omnes virtutes ſuas per ſervos ſuos fratres noſtros Bonoſum & Maximilianum oſtendit. Ad hæc Secundus præſes dixit: Ego non poſſum tormentis eos interrogare. Tu ſcis, Juliane, quando videas de ore tuo vermes exire *n*. Et *n*

F converſus ad Bonoſum dixit: Per Deum te adjuro, Domine *o* ſancte Bonoſe, ut in mentem *o* me habeas in orationibus tuis.

illos gladio percuti imperat,

11 Tunc Julianus Comes dixit ad JOVIANUM & HERCOLIANUM: Mutate ſignum, quod habetis in labaro, & accipite ſignum deorum; & quid defenditis ſignum Chriſtianorum. Ad hæc Jovianus & Hercolianus dixerunt: Nos Chriſtiani ſumus ſub patre noſtro Conſtantino accipiente Teſtamentum *p* in Aquilona *q* juxta Nicomediam, *p* *q* quando & ad finem mortis ſuæ jam properabat, ad juramentum nos conſtrinxit omnibus mandatis ſuis, ne quid contra purpuram filiorum ipſius, vel contra Eccleſiam faceremus. Tunc Julianus iratus, univerſos qui in carcere erant recluſi, unà cum Bonoſo & Maximiliano ſententiâ ſuâ gladio addixit, atque eo magis hilares & glorioſi proceſſerunt. MELITIUS *r* epiſcopus cum *r*

fratribus ſuis & coëpiſcopis lætantes eos ad campum uſque proſecuti ſunt, quæ univerſa tunc civitas lætata eſt, quæ ſibi Martyres provenire gaudebat. Tamen Bonoſus & Maximilianus poſt martyrium magnum gladio percuſſi ſunt.

12 Poſt triduum verò ſine ceſſatione Juliano de ore cœperunt vermes exire. Tunc Julianus uxori

EX IMPRESSIS. *& brevi meritas ſævitiæ ſuæ pœnas ſolvit.*

uxori ſuæ dicebat: Vade, miſera, ad eccleſiam *ſ*, & pete pro me, ne vidua ſedeas; & illis Chriſtianis dic, ut pro me petant, ut recedat putor iſte intolerabilis de ore meo. Cui reſpondit uxor ſua, & dixit: Numquid non dicebam tibi, Recede à Dei ſervis, & nolebas me audire? Et modò te vides vexari magnis tormentis. Et reſpondit Julianus uxori ſuæ: Curre, miſera, celeriùs ad eccleſiam, ne vidua ſedeas. Et reſpondit illi uxor ſua: Ego ab illo die vidua ſum, ex quo videbam te Chriſtianos perſequi. Meritis ergo tuis cum vermibus morieris *t*. Non ſum auſa pro te orare, ne aliqua preſſura ſuper me veniat, & ira Dei fulminet me *u*. Ad hæc tacuit Julianus, & ingemuit. Iterum exclamavit: Deus Chriſtianorum miſerere mei, quia oblita eſt miſericordiæ tuæ, & non me audit uxor mea. Deus vivorum adjuva me, & celerius recipe ſpiritum meum *x*. Et ſic ſecundum meritum ſuum vermibus ſcatens exſpiravit. Sancti verò martyres Bonoſus & Maximilianus requieſcunt in pace, & gloria Patri & filio, & Spiritui ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Hic Julianus Comes fuit avunculus Juliani imperatoris apoſtatæ, & Chriſtianis magnopere inimicus, de quo Sozomenus lib. 5 Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 7 ſic ſcribit:* Vir gentilium ſuperſtitioni ſupra modum addictus, & qui Chriſtianos graviſſimo odio proſequebatur; adeo ut quantum quidem in ipſo erat, contra imperatoris ſententiam perſecutio Chriſtianorum ad cædem uſque proceſſerit.

b *Nimirum Julianus apoſtata, qui poſt breve imperium in bello contra Perſas anno 363 interfectus eſt.*

c *Quale fuerit iſtud labarum ſeu vexillum, nomine Chriſti inſignitum,* § 1 *Commentarii prævii ſat fusè expoſuimus.*

d *Puto, per verbum* ſiſtatur *hoc loco Julianum voluiſſe indicare, ut propiùs admoveretur: nam Bonoſus præſens erat, & jam Juliano reſponderat.*

e Erant plumbatæ quoddam flagelli genus ex funiculis aut loris factum, quorum ſummitatibus glandes plumbeæ alligabantur, quo poſtea terga ac collum damnati hominis verberabantur, *ut Antonius Gallonius in Opere de Cruciatibus ſanctorum martyrum pag. 204 & ſequentibus fuſiùs probat.*

f *Acta noſtra hoc loquendi modo innuunt, Julianum Comitem etiam fuiſſe Chriſtianæ fidei deſertorem, & hac in re cum genuinis S. Theodoreti martyris Actis concordant, & utrorumque aſſertio confirmatur ex Philoſtorgio coævo, qui lib. 7 Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 10 ſic ſcribit:* Cum multi ex iis, qui adverſus Chriſtianos & contra religionem debacchati fuerant, meritas pœnas dederunt; tum manifeſtiſſimè & ſub omnium conſpectu præſentes ſolverunt pœnas Julianus Comes Orientis, avunculus apoſtatæ Juliani, & Felix comes largitionum, & Elpidius præpoſitus domus regiæ, quos Romani vocare ſolent Comites rerum privatarum. Hi porrò tres erant ex numero eorum, qui in imperatoris gratiam à religione noſtra deſciverant.

g *Ne quis propter hæc prodigia de ſinceritate Actorum noſtrorum dubitet, non gravetur audire S. Gregorium Nazianzenum ſynchronum, qui ſimile miraculum ſub ipſo Juliani imperio contigiſſe memorat, & in Oratione quarta apud nos tomo 1 pag. 133 adverſus eumdem imperatorem Apoſtatam hæc habet:* Neque enim adoleſcentibus illis ignaviores ſumus, qui in flammis rore perfuſi ſunt, & belluas per fidem vicerunt, & cum forti matre & fortiori ſacerdote alacri animo periculis ſeſe objecerunt, illudque planum ac perſpicuum fecerunt, fidem unam ex omnibus rebus eſſe, quæ nulla vi expugnari queat.

h *Tillemontius tomo 7 Monument. eccleſ. pag. 742 luxatum hunc ſenſum ita legendum eſſe exiſtimat:* Nihilque de tormentis præteritis doloris fuiſſent perpeſſi, *vel* nulloſque de tormentis præteritis dolores fuiſſent perpeſſi. *Hæc autem periodi reſtitutio cum antecedentibus melius cohæret.*

i *Hæc gentilium ſævities in ſuos ſacerdotes forſan alicui incredibilis videbitur. At is meminerit, ipſos ethnicos aliquando ſacerdotibus ſuis non peperciſſe, cum in Hiſtoria eccleſiaſtica Theodoreti apud Valeſium lib. 3 cap. XI pag. 134 Julianus, imperatoris Juliani avunculus, dicatur adituos poſt exuſtum templum Daphniticum tormentis ſubjeciſſe, ut incendii auctores noſſet. Id ipſum teſtatur S. Joannes Chryſoſtomus in Sermone de S. Babyla contra Julianum & gentiles, ubi in noviſſima Pariſienſi Operum ſuorum editione tomo 2 pag. 565 narrat ſequentia:* Hoc ubi accidit (*videlicet incendium fani Daphnitici Antiochiæ, de quo ibi ſermo eſt*) ſtatim dæmonis ſacerdos ad tribunal rapitur, & incendii auctorem indicare cogitur. Cum non poſſet autem, eum diſtortis antea cubitis, multis plagis afficientes, deinde ſublimem agentes, cæſis lateribus, nihil amplius didicerunt. *Fortè etiam gentiles illi ſacerdotes hanc conditionem ultro acceptaverant, ut cultum deorum contra Chriſtianos tuerentur, ſperantes, fore ut arte magica vel ope damonis iſtud mortis periculum evaderent. Sic in ſacris Litteris legimus, accuſatores Danielis conjectos fuiſſe in lacum leonum, ex quo ipſe incolumis evaſerat, & interfectos eſſe ſacerdotes Baal, qui cum Elia propheta de vera religione contenderant.*

k *Haud dubie iſtud Juliani ſignaculum aliquam idoli figuram efformabat, aut aliam ſuperſtitionis ſpeciem redolebat.*

l *Tillemontius loco proximè citato rectè advertit, vocem* iratus *hîc corruptè poni, aut aliquid in Actis omiſſum eſſe, cum nulla iracundiæ cauſa præceſſerit, aut ſaltem antea clarè exprimatur. Facilè crediderim, hæc Acta quantumvis genuina, vitio amanuenſis in quibuſdam mutila eſſe: nam poſtea quoque narrant, quod Jovianus & Hercolianus recuſaverint mutare ſignum in labaro, & tamen propter obſcuram vel truncatam narrationem ignoramus, an hi quoque cum aliis martyrium ſubierint.*

m *Ille Comes Hormiſda, qui erat natione Perſa & frater Saporis regis Perſarum, videtur fuiſſe Chriſtianus, cum in his Actis dicatur* credidiſſe, *& Chriſtiano more preces Sanctorum flagitet. Neque id incredibile videri debet, eo quod eſſet in comitatu Juliani apoſtatæ: nam fere quadraginta annis in aula Conſtantini Magni & Conſtantii vixerat, & cum Julianus imperator operâ ipſius tunc in bello contra Perſas indigeret, veroſimiliter eum in materia religionis cogere non audebat.*

n *Præfectus his verbis innuit, ſe non velle torquendo Chriſtianos ſimilem vindictam experiri, qualem tunc Julianus Comes ſentiebat. Cæterùm*

A *terùm de tali Juliani Comitis ſupplicio Sozomenus aliique auctores communiter meminerunt.*

o *Ex hoc titulo, quem præfectus* S. Bonoſo *tribuit, in Commentario prævio conjecimus, eum militari dignitate præditum fuiſſe. Porrò hæc urbanitas erga Chriſtianos non eſt magnopere admiranda in homine, qui ex ſolo timore aut lucri ſpe gentilis erat, & de quo S. Gregorius Nazianzenus in Oratione tertia apud nos tomo* 1 *pag.* 90 *tale teſtimonium reddit :* Religione gentilis, moribus tamen gentili ſublimior erat, ac præclariſſimis quibuſque & laudatiſſimis, tam veteris quàm noſtræ memoriæ, viris comparandus. *Etiam alii ſcriptores hunc gentilem præfectum ab animi moderatione laudant.*

p *Tillemontius tomo* 7 *Monument. eccleſ. pag.* 408, *& Ruinartius in notis ad hæc Acta, per* teſtamentum *intelligunt baptiſmum Conſtantini Magni, quem circa finem vitæ ſuæ ſuſcepit.*

q *Alias* Achyron, *qui eſt locus circa Nicomediam, ubi imperator ille baptizatus eſt, ut Euſebius lib.* 4 *de Vita Conſtantini cap.* 61 *& ſequente teſtatur. Hinc manifeſtè confirmatur ſententia Majorum noſtrorum de baptiſmo Conſtan-*
B *tini, quæ tamen olim acriter impugnata fuit, ut ex Reſponſionibus Papebrochianis patet.*

r *Is eſt S. Meletius epiſcopus Antiochenus, cujus Acta Majores noſtri ad diem* XII *Februarii illuſtrarunt, & cujus chronotaxim Boſchius noſter in Hiſtoria de patriarchis Antiochenis ante tomum* IV *Julii pag.* 52 *& ſequentibus ordinavit.*

ſ *Satis extraordinaria eſt hæc allocutio. Sed Julianus Comes fortè exiſtimabat, uxorem ſuam* EX IM-
fore miſeram, ſi maritum primariæ dignitatis PRESSIS.
amitteret.

t *Etiam dura nonnullis videbitur hæc uxoris Chriſtianæ reſponſio. At mulier illa jam fortè ſæpius experta fuerat, non eſſe ſeriam mariti ſui pœnitentiam, eumque dumtaxat expetere ſanitatem corporis, qua ad vexandos Chriſtianos abutebatur. Certè Theodoretus lib.* 3 *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ apud Valeſium cap.* 13 *teſtatur, eam maritum ſuum Julianum ſic allocutam fuiſſe :* Chriſtum ſervatorem laudare debes, mi vir, qui hujuſmodi caſtigatione ſuam ſibi potentiam declaraverit : neſcires enim, quis ſit, contra quem pugnabas, ſi ſolitâ uſus patientiâ, has tibi plagas divinitus infligere noluiſſet.

u *His verbis mulier illa veroſimiliter ſignificat, quod non audeat pro ipſo rogare ſanitatem corporis, ne rurſus ad perpetrandum malum eâ abutatur : nam fortè tacitis precibus ſalutem animæ ejus flagitabat, niſi divinitus monita fuerit, maritum ſuum juſto Dei judicio relinquendum eſſe.*

x *Timendum eſt, ne hæc Juliani Comitis oratio ſit ſimilis orationi regis Antiochi, qui tali* E
morbo afflictus ultionem divinam agnovit, & de quo tamen in libro 2 *Machabæorum cap.* 9 ℣ 13 *ita legimus :* Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus. *Porrò nos de ſinceritate pœnitentiæ, quam Julianus his verbis exprimere videtur, ſupremo cordium Scrutatori judicium relinquimus.*

DE S. PRIVATO EPISCOPO ET MARTYRE,

IN OCCITANICA GALLIÆ PROVINCIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. G. C.

§ I. Antiqua hujus Sancti veneratio, locus cathedræ, & controverſum martyrii tempus.

C F

POST MEDIUM SEC. III AUT INEUNTE SEC. V. *In antiquis Martyrologiis memoratur hic Sanctus,*

Hic ſanctus Martyr omnibus antiquis Martyrologis notus eſt, ſiquidem in Martyrologio Hieronymiano, quod Franciſcus Maria Florentinius edidit, ad diem XXI *Auguſti ſic annuntiatur :* In Gavallis vico Mimmatinſi paſſio ſancti Privati Martyris. *Hîc omiſſa dignitas epiſcopalis in veteri Martyrologio, quod Majores noſtri ſub nomine Bedæ ante tomum ſecundum Martii cum Auctario Flori & aliorum vulgarunt, eadem die exprimitur hoc modo :* Paſſio S. Privati, qui Valeriani & Galieni temporibus, cum eſſet epiſcopus Minatenſium, ob ſanctæ fidei confeſſionem, à barbaris flagris & uſtionibus afflictus tempus terminavit. *Præterea Uſuardus die* XXI *Auguſti habet ſequentem annuntiationem :* In territorio civitatis Gavalitanæ paſſio ſancti Privati epiſcopi & martyris, qui paſſus eſt perſecutione Valeriani & Galieni. *Denique Wandelbertus annuam hujus ſancti Martyris memoriam exornat hoc verſiculo :*

Auguſti Tomus IV.

Martyris hinc duodena Privati ſanguine fulget.

Non eſt opus hîc plures Martyrologiorum annuntiationes accumulare, cum ex allatis de immemorabili S. Privati *cultu ſatis conſtet.*

2 *Dum autem Uſuardus hoc loco aſſerit, illum Sanctum in* perſecutione Valeriani & Galieni *martyrium ſubiiſſe, id intelligendum eſt de tempore Valeriani & Gallieni, quo* S. Privatus *à barbaris in Galliam irrumpentibus ita percuſſus eſt, ut poſt paucos dies è vivis diſceſſerit, quemadmodum infrà dicetur. Hoc breviter monere voluimus propter Joannem Columbum noſtrum, qui inter varia opuſcula hiſtorica lib.* 2 *de Rebus geſtis epiſcoporum Vivarenſium apud nos pag.* 192 *aſſerit,* S. Privatum *non obtinuiſſe lauream martyrii in irruptione Alemannorum in Gallias, ſed juſſu Valeriani & Gallieni à Romanis occiſum fuiſſe. Ibidem pro hac aſſertione ſua Adonem alioſque veteres martyrologos allegat. Sed hæc nova illius opinio contradicit Floro, qui numero præcedente claris verbis exprimit, ſanctum illum epiſcopum temporibus Valeriani &* *ab Alemannis in Galliam irrumpentibus occiſus.*

AUCTORE G. C.

Gallieni propter ſancta fidei confeſſionem à barbaris *afflictum ac cæſum eſſe. At Romani non appellabantur barbari, & conſequenter annuntiatio Flori falſa eſt, ſi* Romani ex edicto Valeriani & Gallieni occidêre ſanctum Privatum, *quemadmodum Columbus ibi aſſerit. Præterea violenta iſta aliorum Martyrologorum interpretatio repugnat Gregorio Turonenſi, Fredegario, Aimonio, Sigeberto, aliiſque omnibus ſcriptoribus, qui unanimi conſenſu affirmant,* S. Privatum *in irruptione barbarorum ſub rege vel duce Croco martyrium ſubiiſſe.*

qui in Occitanica Galliæ provincia.

3 *Quomodo quidam ſcriptores* S. Privatum *appellent epiſcopum Gabalitanum, & alii Mimatenſem, facilè intelligetur ex iis, quæ Dionyſius Sammarthanus in noviſſima editione Galliæ Chriſtianæ tomo* 1 *col.* 83 *ante ſeriem epiſcoporum Mimatenſium ita monet :* Mimas ad Oltum fluvium, nunc ſedes epiſcopalis Gabalorum, olim vicus tantùm erat, à monte Mematenſi, cui adjacet, ſic dictus; qui illuſtratus martyrio & ſepulcro ſancti Privati epiſcopi Gabalitani clarior evaſit, tandemque ſede epiſcopali nobilitatus eſt ac factus civitas; quod Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum putat non diu ante annum Chriſti milleſimum contigiſſe. Priùs itaque Gabalitanus epiſcopus cathedram habuit in civitate Gabalum ſeu Gabalorum, ut probant priorum Galliæ conciliorum plurimæ ſubſcriptiones. Porrò civitatem illam vocatam ANDERITUM, docent multa veterum teſtimonia. Quidam volunt vicum ſeu oppidulum JAVOULS, quod à Mimate quatuor leucis diſtat, fuiſſe olim caput gentis Gabalorum, ſimilitudine nominis potius, quam aliquo certo teſtimonio adducti.

B

fuit epiſcopus Gabalitanus,

4 *Deinde Anderitum & populum Gabalitanum ex antiquis auctoribus aſſignat, ac ita pergit :* Quo tempore Mimas ad ſedis epiſcopalis dignitatem evectus ſit, inquirendum. Si fides Actis ſancti Privati ſit adhibenda, ibi ſanctus Privatus ſedem habebat, QUOD, QUI ANTE EUM EPISCOPI ILLIC FUERANT, EO LOCO ET COMMORATI ET SEPULTI ESSENT. Proindeque juxta hæc Acta ab Chriſtianæ religionis exordio Mimas ſemper fuiſſet ſedes epiſcopalis, quod pugnat contra veterum conſuetudinem & canones, quibus cautum erat, ne in viculis cathedræ epiſcopales conſtituerentur. Ex his eruditi quidam conjiciunt, Acta ſancti Privati non eſſe antiqua: quippe, ut ſuprà obſervatum eſt, ſedes epiſcopalis antiquitus non erat Mimati. Præterea ex his Actis habetur, plures epiſcopos præceſſiſſe ſanctum Privatum in epiſcopatu, quod minimè eruditis approbatur; maximè iis, qui volunt ſanctum Privatum occiſum eſſe in irruptione Alamannorum ſub Chroco duce facta anno CCLXV aut CCLXVIII. Veriſimile tamen eſt, Mimatem vicum poſt ſancti Privati martyrium, pace Eccleſiæ reddita, populorum, qui ad ejus ſepulcrum confluebant, frequentiâ factum eſſe celebrem; hocque loco epiſcopum & clericos ſedem fixiſſe. Nec obſtat, quod hi præſules dicti ſint nihilominus Gabalitani : non enim ita dicti ſunt à vico JAVOULS, ſed à tota gente Gabalorum, cui præerant; quemadmodum diu dicti ſunt Arverni epiſcopi, qui apud Clarum-Montem ſedebant, non Claro-Montenſes, & qui Anicii, epiſcopi Vellavorum appellabantur, non Anicienſes aut Podienſes &c.

C

5 *Denique Dionyſius Sammarthanus ibidem deſcribit urbem Mimatenſem, cujus ſitum Baudrandus tomo primo Geographiæ ſuæ pag.* 656 *diſtinctiùs indicat his verbis :* Mimatum ſeu Mimate (*vernaculè nunc* Mande *vocatur, ut hic geographus ibi monet*) urbs Galliæ aliàs in Aquitania, nunc in Occitania, Gabalorum caput, verſus Cemenos montes & fontes Oldæ fluvii, epiſcopalis eſt ſub archiepiſcopo Albigenſi, & Anderitum ſeu Gabalum dicitur à quibuſdam; ſed revera diſtat quatuor leucis à ruderibus Anderiti, ubi nunc vicus ineſt JAVOUX dictus, teſte Catello, & crevit ex ejus ruinis, cum antea tantùm eſſet vicus ad montis Gredonenſis radices, ubi hodie ſita eſt, & ubi occubuit ſanctus Privatus martyr; decem leucis diſtat à Floriopoli, in Ortum hybernum, uti ab Anicio, & quatuordecim à Rutenis in Ortum, eſtque in tractu montuoſo, ſed feraci. *Circa diſtantiam civitatis Mimatenſis ab urbe Ruthenenſi quoddam diſcrimen occurrit apud laudatum Dionyſium, qui ſuprà relatis hæc pauca ſubnectit :* Mimas urbs ſita eſt penè ad fontes Olti fluvii non longè à Loſera monte altiſſimo, juxta Apollinarem Sidonium altero Caucaſo, qui pars eſt montium Cebennarum (LES CEVENNES.) Hæc urbs epiſcopalis olim ſub metropoli Bituricenſi, nunc ſub Albigenſi intra jurisdictionem Parlamenti Toloſani, æqualiter penè diſtat à Ruthenis, Anicio ſeu Podio, & ſancto Floro. *Vides, hîc æqualem diſtantiam civitatis Mimatenſis ab aliis tribus urbibus aſſignari, cum tamen Baudrandus ab Anicio & Floriopoli decem, ac ab urbe Ruthenenſi quatuordecim leucas numeret. Hanc intervalli diſcrepantiam, quæ ad Sanctum noſtrum nihil attinet, indigenis conciliandam aut corrigendam relinquimus.*

D

cujus cathedra poſtmodum ad urbem Mimatenſem tranſlata eſt.

E

Gregorius Turonenſis martyrium ejus collocat ſeculo III,

6 *Verùm inter eruditos intricata agitatur quæſtio de tempore, quo* S. Privatus *palmam martyrii adeptus eſt : quidam enim martyrium ipſius poſt medium ſeculi tertii collocant, aliis illud uſque ad initium ſeculi quinti differentibus. Primam opinionem manifeſtè tradit S. Gregorius Turonenſis, dum in Hiſtoria Francorum lib.* 1 *cap.* 30 *&* 32 *ſic ſcribit :* Horum tempore (*nimirum Valeriani & Gallieni imperatorum, de quibus paulo antè agit*) & Chrocus ille Alamannorum rex, commoto exercitu, Gallias pervagavit. Hic autem Chrocus multæ arrogantiæ fertur fuiſſe, qui cum nonnulla iniquè geſſiſſet, per conſilium, ut aiunt, matris iniquæ, collectam *, ut diximus, Alamannorum gentem *, univerſas Gallias pervagatur, cunctaſque ædes, quæ antiquitus fabricatæ fuerant, à fundamentis ſubvertit. Veniens verò Arvernos, delubrum illud, quod Gallicâ linguâ VASSO Galatæ vocant, incendit, diruit, atque ſubvertit ..... Irruentibus autem Alamannis in Gallias, ſanctus Privatus Gabalitanæ urbis epiſcopus in crypta Memmatenſis montis, ubi jejuniis orationibuſque vacabat, reperitur, populo Gredonenſis caſtri in munitione concluſo. Sed dum oves ſuas bonus Paſtor lupis tradere non conſentit, dæmoniis immolare compellitur. Quod ſpurcum ille tam exſecrans, quam refutans, tamdiu fuſtibus cæditur, quoad uſque putaretur exanimis. Sed ex ipſa quaſſatione, interpoſitis paucis diebus, ſpiritum exhalavit. Chrocus verò apud Arelatenſem Galliarum urbem comprehenſus, diverſis affectus ſuppliciis, gladio verberatus interiit, non immeritò pœnas, quas Sanctis Dei intulerat, luens. *Capite ſequenti Gregorius meminit de cruenta Diocletiani imperatoris perſecutione contra Chriſtianos, ita ut ex hoc narrationis ordine palam fiat, ab ipſo martyrium* S. Privati *ante tempora*

** al.* collecta gente

F

A *pora Diocletiani collocatum fuiſſe.*

quod alii uſque ad initium ſeculi v differunt,

7 *At Fredegarius Scholaſticus, qui ante medium ſeculi octavi floruit, hunc Chrocum regem* Wandalorum *appellat, & ejus irruptionem in Gallias uſque ad exordium ſeculi quinti differt, ut patet ex hujus ſcriptoris fragmentis, quæ Ruinartius poſt Hiſtoriam S. Gregorii Turonenſis edidit, apud quem Fredegarius ille col.* 711 *&* 712 *ſic ſcribit:* Chrocus rex Wandalorum cum Suævis & Alanis egreſſus de ſedibus Gallias appetens, conſilium matris nequiſſimæ utens, dum ei dixiſſet: Si novam rem volueris facere & nomen adquirere, quod alii ædificaverunt cuncta deſtrue, & populum, quem ſuperas, totum interfice. Nam nec ædificium meliorem * à prædeceſſoribus facere non potes, neque plus magnam rem, per quam nomen tuum eleves. Qui Rhenum Magantiam ponte ingeniosè tranſiens primum ipſamque civitatem & populum vaſtavit: deinde cunctaſque civitates Germaniæ vallans, Mettis pervenit, ubi murus civitatis divino nutu per noctem ruens, capta eſt civitas à Wandalis; Treverici verò in arenam hujus civitatis, quam munierant, liberati ſunt. Poſt hæc cunctas Gallias Chrocus cum Wandalis, Suævis & Alanis pervagans, alias ſubſidione * delevit, aliaſque ingeniosè rumpens vaſtavit. Nec ulla civitas aut caſter ab eis in Galliis liberata eſt. Cumque Arelato obſiderent, Chrocus à Mario quodam milite captus & vinculis conſtrictus eſt; qui ductus ad pœnam per univerſas civitates, quas vaſtaverat, impiam vitam digna morte finivit, cui Traſemundus ſucceſſit in regnum. *Fredegarium in chronologia ſecutus eſt Sigebertus Gemblacenſis, qui in Chronico ſuo ad annum Chriſti* 411 *pauca hæc memorat:* Wandali, duce Croſco *, Gallias pervagati, multas urbes & eccleſias ſubvertunt. Croſcus tandem à Mariano præſide Arelati captus, & per victas urbes ignominiosè retractus, ad mortem tormentatur. Sub hoc turbine inter multos martyrizantur Sedunenſis Florentinus, & Hylarius, Deſiderius Lingonenſis cum Vincentio archidiacono, Antidius Veſontienſis epiſcopus.

B

* *lege* melius

* *al.* obſidione

* *lege* Croco *vel* Chroco

propter Crocum irruptionis ducem,

8 *Scriptores quidam Germani de hac Croci captivitate ac violenta morte nullam mentionem faciunt, eumque cum alio ejuſdem nominis duce aut rege Alemannorum confundere videntur. Inter eos Henricus Pantaleon in Proſopographia part.* 1 *ad annum* 281 *pag.* 125 *ſic ſcribit:* Chrocus apud Germanos rerum geſtarum magnitudine in maxima auctoritate fuit, Gallieno & Licinio Valeriano Romanam rempublicam adminiſtrantibus, anno poſt Chriſtum ducenteſimo ſeptuageſimo. Itaque Germani eum regem elegerunt, atque ſub eo ſeſe ob multorum populorum collectionem Alemanos dixerunt. Hic cum Romanos contemneret, ejus auſpiciis Germani quatuor agminibus in Romanas provincias eruperunt. Ipſe cum parte exercitûs in Gallias profectus, omnia ferro & igne populatus eſt. Primo Moguntiaci pontem tranſiit, ædes, templa diripuit & incendit. Poſtea Cabilo urbs expugnata; Privatus epiſcopus igne abſumptus. Inde Arelas Trevirorum Auguſta & Mediomatricum urbs vaſtata. Deinde omnibus profligatis, Hiſpanias obtinuerunt, atque Tarraconem caput Hiſpaniarum expugnarunt. Alia manus Germanorum Rhetias, Vindeliciam & Italiam populati ſunt, & Ravennam uſque omnia protriverunt. Tum autem Gothi Aſiam, Pontum & Cappadociam pervadunt, ita ut Heracleam uſque arma eorum intonuerint. Athenas cum cœpiſſent, ingentem librorum acervum in foro cumulant, quem cum comburere vellent, quidam ex ducibus prohibuit inquiens: Dimittamus illos Græcis, quibus dum incumbunt, imbelles fiunt. Eo tempore Suevorum gens Pannonias & Noricum occuparunt, à quibus tum Danubio ſeparabantur. Itaque ingens luctus & ubique mœror in Romanis provinciis exortus. Hinc factum, ut Conſtantinus, qui reliquis tyrannis reſiſtebat, Germanos ſibi ſtipendiis conciliarit, atque Crocum Germaniæ regem auxilii gratiâ cum copiis ad ſe pellexerit, cujus operâ, mortuo patre, imperii habenas occupavit. Unde non minima laus Germanorum exſtitit, quod tantus imperator & Eccleſiæ reſtaurator ipſorum auſpiciis evectus fuerit. *Joannes Aventinus in Annalibus Boiorum, anno* 1554 *Ingolſtadii editis, lib.* 2 *pag.* 181 *&* 191 *ferè ſimilia de Croco narrat.*

AUCTORE G. C.

quem nonnulli cum alio ſimilis nominis duce vel rege confuderunt.

E

9 *Circa hanc Pantaleonis narrationem nunc aliqua notanda occurrunt, & primò quidem obſervo, ab ipſo imperium Valeriani & Gallieni cum* anno poſt Chriſtum ducenteſimo ſeptuageſimo *perperam conjungi: nam ante annum illum Valerianus apud Perſas captivus detinebatur, & Gallienus interfectus fuerat, ut exactiores chronologi paſſim tradunt. Secundò errat circa genus martyrii* S. Privati, *dum affirmat, quod tunc* Privatus epiſcopus igne abſumptus *fuerit, niſi fortè tantummodo ſignificare velit, hunc ſanctum epiſcopum* uſtionibus *afflictum fuiſſe, quemadmodum ſuprà ex Auctario Flori retulimus. Tertiò non eſt ullo modo veriſimile, quod Crocus ille Romanorum hoſtis, qui Gallias temporibus Valeriani & Gallieni devaſtavit, ſit idem cum iſto Alemannorum rege, cujus auxilio Conſtantinus imperium obtinuit. Adde, quod hic Alemannorum rex, qui Conſtantino tantopere favit, à Sexto Aurelio Victore in Epitome de Romanis imperatoribus apud nos pag.* 642, *& in Hiſtoria miſcella lib.* XI *pag.* 304 Erocus *nominetur, licet Hadrianus Valeſius eumdem lib.* 1 *Rerum Francicarum pag.* 18 Crocum *appellet. Sed ſive is Conſtantini imperatoris adjutor* Erocus *ſive* Crocus *vocetur, numquam ætas illius protrahi poterit uſque ad initium ſeculi quinti, quo nonnulli martyrium* S. Privati *collocandum cenſent, ut jam breviter indicabimus.*

F

Dum neoterici de hac quæſtione chronologica dubitant,

10 *Tillemontius tomo* 4 *Monument. Eccleſ. pag.* 221 *&* 651 *Actis* S. Privati *& ſuprà relatæ Gregorii Turonenſis narrationi varias difficultates opponit. Attamen ibidem profitetur, ſe cum pluribus eruditis viris opinionem ejuſdem Gregorii Turonenſis in chronologia ſecutum eſſe. Ulterius progreſſi duo ſcriptores Benedictini, qui Pariſiis anno* 1730 *Gallicè Hiſtoriam Occitaniæ typis vulgarunt, in Notis ad tomum primum ejuſdem Hiſtoriæ pag.* 638 *& ſequentibus, de tempore, quo* S. Privatus *coronam martyrii adeptus eſt, longam diſputationem inſtituerunt. Freti auctoritate Fredegarii, Aimonii, Sigeberti, aliorumque (hi tamen omnes ſcripſerunt poſt ætatem S. Gregorii Turonenſis) diverſis ratiociniis contendunt, Gregorium unam barbarorum irruptionem in Gallias cum altera confudiſſe, & ideo martyrium* S. Privati *ineunti ſeculo quarto affigendum arbitrantur. Præterea ex principiis Tillemontii, qui facilè videtur plures barbarorum duces aut reges ejuſdem nominis diverſo tempore admiſſurus, ad hominem argumentantur, ut vulgo dici ſolet. Sed interim initio ſeculi quinti nullum Crocum aſſignant diſtinctum ab illo, de quo S. Gre-*

AUCTORE G. C. *S. Gregorius Turonenſis agit : nam Fredegarius & reliqui Croco Wandalorum regi eadem adſcribunt , quæ Gregorius Turonenſis de ſuo Croco Alemannorum rege narraverat , ut manifeſtum eſt.*

aut inter ſe diſceptant , 11 *Porrò omnia iſtorum Benedictinorum argumenta talia non ſunt , ut nos cogant rejicere auctoritatem S. Gregorii Turonenſis aut recedere à communiori opinione , quam illuſtriſſimus Boſquetus in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ lib. 3 cap. 39 amplectitur & exponit his verbis :* Plures leguntur Alemannorum in Gallias irruptiones , ſub quibus Chriſtiani paſſi ſunt. Inter alias illuſtris eſt Chroci eorum Ducis depopulatio , cujus tempus apud auctores varium eſt : nam Sigebertus Chroci , quem CHROSCUM vocat , vaſtationem ad annum Chriſti CDXII , & paſſos ſub eo Florentium, Hilarium , Deſiderium Lingonenſem , & Antidium Veſuntionenſem ſcribit ; cui conveniunt Acta manuſcripta Deſiderii & Antidii , quæ ad Honorii & Theodoſii tempora referunt. At Gregorius & alii plurimi , Valeriano & Galieno imperantibus , Chrocum Gallias ingreſſum in Privatum Gabalitanum & alios ſæviiſſe ſcribunt.

B Hunc CHROCUM Gregorius , SCORCONEM Privati vulgaria Acta , HERODEM eadem Acta apud Mombritium appellant. Conſtantius tamen eſt CHROCI nomen , quem ſub Valeriano & Galieno Gallias pervagatum fuiſſe ampliùs dubitandum non videtur , vel ante Valerianum captum , vel capto Valeriano , ſub Galieno vel Poſthumio demum cæſo ſub tyrannis : toties enim in Gallias hiſce temporibus irruperunt Alemanni , donec à Probo ultra Nicrum fluvium & Albim expulſi ſunt. *Illuſtriſſimus Boſquetus capite ſequente refert vulgaria Croci geſta , qualia Gregorius Turonenſis & Fredegarius aliique paſſim poſteritati reliquerunt , & Acta* S. Privati *in compendium redigit.*

nos hactenus opinionem S. Gregorii Turonenſis ſequimur. 12 *Dionyſius Sammarthanus in Notis ad inſtrumenta tomi primi noviſſimæ Galliæ Chriſtianæ pag. 137 de hac controverſia ſic meminit :* Quo tempore Alemanni , Croco duce , irruperint in Gallias , & tot tantaque damna intulerint, hîc paulo moroſiùs inquirendum. Qui citius id factum volunt , conſignant anno circiter CCLXV, Valeriano & Gallieno imperatoribus ; qui verò tardius , differunt hanc Galliarum ſtragem ad

C quinti ſeculi exordium. *Deinde ibidem proponit opinionem Gregorii Turonenſis , eamque defendit hac ratione :* Noſter Theodericus Ruinartius in Notis ad Gregorium Turonicum utramque ſententiam profert , ſed nihil decernit , ſatiſque habet nos remittere ad Tillemontium Hiſt. Eccleſ. tomo IV , ubi propenſior videtur in ſecundam opinionem. Ut magis incliner in priorem , præter ea , quæ jam dixi , facit hæc ratio. Si ineunte ſeculo quinto tot martyres in Gallia facti fuiſſent , quî ſeculo ſexto potuiſſent ignorari, ut certiſſimè ignorati ſunt ab ipſo Gregorio Turonico , qui de omnibus (excepto uno Privato) ſilet. *Non ignoramus , laudatos duos ſcriptores Benedictinos in Notis ad Hiſtoriam Occitaniæ pag. 639 huic Sammarthani argumento utcumque reſpondiſſe. Sed ea qualiſcumque ſolutio nondum nos movet , ut opinionem illorum amplectamur , niſi pro hac evidentiora rationum momenta adferantur. Cum tamen hæc & alia iſtorum auctorum argumenta non ſint contemnenda , tantum ponderis iis tribuendum cenſuimus , ut initio hujus Commentarii prævii in margine martyrium* S. Privati *poſt medium ſeculi tertii, vel ſortitan ineunte ſeculo quinto notaverimus. Nunc de* D *Actis & ſacris reliquiis hujus ſancti Præſulis agendum eſt.*

§ II. Varia Sancti Acta , publica ſacri corporis tranſlatio , & mira ejuſdem inventio.

Recenſentur varia hujus Sancti Acta , ACta S. Privati *die* XXI *Auguſti leguntur apud Surium ; ſed hic editor more ſuo ſtylum nonnihil mutavit. In ſupellectile noſtra litteraria habemus duo manuſcripta eorumdem Actorum apographa , quorum unum Petrus Poſſinus noſter anno* 1643 *ad Henſchenium Tolosâ miſit , & cui præfigitur hic titulus :* Sancti Privati martyris XII Kalendas Septembris. Ex geſtis ejus , quæ habet Bernardus Guidonis epiſcopus Lodovenſis in Ms. codice de martyribus. *Alterum apographum nobis tranſcriptum eſt ex Trevirenſi Ms. Codice ſancti Maximini , illudque in ſubſtantia narrationis cum priori Ms. Toloſano Bernardi Guidonis concordat. Si quod tamen notatu dignum diſcrimen inter illa occurrat , id poſtea in annotatis obſervabimus. Utrumque autem Ms. exemplar iſtud cum editione Suriana ferè convenit , ſi mutatum hinc inde ſtylum excipias.* E

de quorum antiquitate inter eruditos diſputatur , 14 *Joannes Columbus noſter in Opuſculis hiſtoricis ſuprà citatis , quæ anno* 1675 *Lugduni Gallorum edita ſunt , pag.* 192 *arbitratur , Acta* S. Privati *conſcripta eſſe ante ætatem S. Gregorii Turonenſis , & hunc ſuam narrationem de martyrio* S. Privati *ex illo auctore excerpſiſſe. Deinde tamen , allegatis quibuſdam Actorum fragmentis , tum Gregorium Turonenſem , tum iſtum Actorum ſcriptorem confidenter rejicit his verbis :* Sed tam vera de Croſco ſeu Scorcone attulit ille auctor , quàm de eo , qui ſanctum Privatum peremit. Neque enim Alemanni Croſcum ducem ſecuti , ſed Romani ex edicto Valeriani & Gallieni occidêre ſanctum Privatum. *Verùm hæc nova Columbi ſententia non ſolùm contradicit S. Gregorio Turonenſi aliiſque omnibus hiſtoricis , quos ſuperiùs num.* 2 *recenſui , ſed etiam venerando antiquitatis monumento , quod Dionyſius Sammarthanus inter inſtrumenta ad tomum primum noviſſimæ Galliæ Chriſtianæ pag.* 137 *vulgavit : in eo enim legitur S. Amatius , tertius Avenionenſis præſul , Avenione ab Alemannis obſeſſa , ſubditos ſuos hortatus eſſe , ut alacriter ad mortem ſeſe pararent , & imitarentur* epiſcopos ſenio , ſanctitate , & doctrinâ claros (*inter hos nominatim* Privatum Gabali *recenſet*) *quos* Crocus omnium teterrimus hoſtium Chriſtianorum nulli parcens gradui , ſexui vel ætati .... percuſſit & obtruncavit. F

inter eruditos diſputatur , 15 *Tillemontius tomo* 4 *Monument. Eccleſ. pag.* 651 , *& alii eruditi ſuſpicantur , Acta* S. Privati *poſt ſeculum decimum compoſita eſſe , eo quod in iis* S. Privatus *ejuſque præceſſores ſedem* in Mimatenſi viculo *habuiſſe dicantur. Valeſius autem in Notitia Galliarum pag.* 214 *exiſtimat, antiquam præſulum Gabalitanorum cathedram ſeculo decimo exeunte ad urbem Mimatenſem tranſiiſſe , quia ante hoc ſeculum epiſcopi iſtius diœceſeos numquam Mimatenſes , ſed ſemper Gabalitani appellabantur. Certè duo ſupradicti auctores Hiſtoriæ Occitanicæ tomo* 1 *pag.* 640 *ex diplomate quodam demonſtrant , Stephanum cir-*

A *ta medium ſeculi decimi primò titulum epiſcopi Mimatenſis geſſiſſe. Quidquid ſit de antiquitate Actorum* S. Privati, *quam certis argumentis defendere non poſſumus, curioſo lectori videre licet ea, quæ Dionyſius Sammarthanus huic difficultati ſuperius apud nos num.* 3 *& ſequente reſpondit.*

& ex quibus hîc breviora ac longiora edentur.

16 *At ſaltem illa novitatis aut recentioris ævi indicia non apparent in brevioribus* S. Privati *Actis, quæ forſan prædictis longioribus antiquiora ſunt, & quorum duo exemplaria typis impreſſa novimus. Primum habetur in Speculo hiſtoriali Vincentii Bellovacenſis, ubi lib.* XI *cap.* 75 *geſta* S. Privati *paucis narrantur. Secundum in Collectione Bonini Mombritii apud nos tomo* 2 *fol.* 225 *occurrit. Videntur hæc duo exemplaria ex eodem fonte prodiiſſe: nam ferme iiſdem phraſibus expreſſa ſunt, & pro Croco rex Alemannorum utrobique* Herodes *nominatur. Dubitamus, utrum quiſpiam hæc Acta breviora ex longioribus contraxerit, an verò ex brevioribus longiora adornaverit. Quare poſt hunc Commentarium prævium primo loco Acta breviora ex Vin-*

B *centio Bellovacenſi recudemus, & cum editione Mombritiana conferemus. Deinde illis ex Ms. apographo Trevirenſi Acta longiora ſubnectemus, ut eruditus lector faciliùs de vetuſtiori alterutrius ætate judicium ferre poſſit. Interea progredimur ad tranſlationem ſacri corporis & poſteriorem ejuſdem revelationem ſive inventionem, circa quas aliquod dubium noſtrum proponemus.*

Corpus hujus ſancti Præſulis anno 1036

17 *In Officiis propriis eccleſiæ Mimatenſis, quæ anno* 1619 *Lugduni Gallorum impreſſa habemus,* Dominica poſt feſtum ſancti Lucæ celebratur feſtum tranſlationis ſancti Privati, *ut in Rubricis præſcribitur, & tunc occaſione hujus feſtivitatis in ſecundo Nocturno recitantur Lectiones ſequentes:* LECTIO IV. Circa annum milleſimum trigeſimum ſextum cum apud Anicium populares quidam tumultus graviter pacis publicæ quietem interturbarent, & urbis epiſcopus Stephanus fruſtra in eis compeſcendis laboraſſet, tandem vir prudens & providens adverſus tot mala in dies ingraveſcentia, hoc ſalubri conſilio uſus eſt. Vicinos omnes epiſcopos rogat, ut illic cum ſuorum Sanctorum reliquiis convenire

C dignarentur, quorum auctoritate, populi levitate repreſſa, tam feri civilium diſſenſionum fluctus ſedarentur. Inter plures, qui piis poſtulationibus faciles aures præbuerunt, adfuit Raymundus Mimatenſis epiſcopus, qui cum ſuo clero & populo corporis ſancti Privati pignus admirabile illam ad urbem deportavit. Quo nuntio accepto, Anicienſes omnes, ad quos jam pridem virtutis Sancti fama pervenerat, ſimul cum epiſcopis jam præſentibus in ſacerdotalibus ornamentis pignora item ſua deferentibus, & univerſo civitatis clero, ſalutis noſtræ vexillis præcedentibus, obviam proceſſerunt.

ſolenniter Anicium tranſfertur

18 LECTIO V. Cumque paululum extra urbem utraque ſibi obviaret proceſſio, toto clero divinas laudes perſonante & feſtis vocibus acclamante turba, quæ undique convenerat, gemitibus & orationibus ſancti Martyris favorem & interceſſionem poſtulabat. Ex ea unus filium membris omnibus contractum ulnis deportans (inflammantibus etiam nonnullis Martyris potentiam expertis) & facta ſibi ab epiſcopis, maximè à ſancto Odilone Cluniacenſi abbate, qui ob cauſam memoratam & ipſe huic celebritati intererat, ſancti Martyris reliquias viciniùs adeundi facultate, maximo cum ejulatu filium profert, eum ſæpius in altum ferendo ſuſtentat, fletibus & que- AUCTORE
relis ad ſui memoriam ſpectantem populum invi- G. C.
tat. LECTIO VI. Tam triſti ſpectaculo permoti aſtantes, precibus ſuis beatum martyrem Privatum interpellant, ut homini infelici oratione ſubveniret. Mox verò virtus Sancti apparuit manifeſta: nam ſpiritus vitales per artus & membra juvenis ſunt diffuſi; dumque ipſius compaginum juncturæ ſolverentur, ſonitus audiebatur, & ad unamquamque corporis partem ſanatam gemitum emittebat æger. Demum cunctis iſta audientibus martyrem Privatum animo & voce collaudantibus, eum ſubitò debilem reſiſtentem & plena membrorum ſoſpitate recepta, cum ceteris ambulantem, & in gratiarum actionem Medico ſuo laudes intonantem omnes mirantur. Hinc nonnulli terrore attoniti, alii lætitiâ geſtientes ſummam Dei in ſuo Martyre potentiam ſuſpiciunt ac venerantur, eamdemque ſupplices obteſtantur pro pacis inter ipſos unione firmanda & ſtabilienda; quam, protinus compoſitis tot diſſenſionum ac tumultuum fluctibus, pia Martyris interventione feliciter conſequuntur.

E

à Ragamundo vel Raimundo epiſcopo Mimatenſi,

19 *Dionyſius Sammarthanus tomo* 1 *novæ Galliæ Chriſtianæ col.* 89 *notat, hunc epiſcopum Mimatenſem, qui reliquias* S. Privati *Anicium tranſtulit, Ragamundum vel Raimundum nuncupari, eumque fuiſſe primum, qui incunte ſeculo* XI *titulum Mimatenſis epiſcopi geſſerit, cum præceſſores ejus antea Gabalitani præſules appellarentur. Verùm Sammarthanus in hac poſtrema notatione fallitur: nam apud Mabillonium lib.* 6 *Operis Diplomatici num.* 137 *ex Chartario S. Theofredi profertur diploma anni* 950, *in quo Stephanus primus, hujus Raimundi & alterius Matefredi deceſſor, ſe ipſum diſertè Mimatenſem epiſcopum vocat; ut ſuperius ex duobus ſcriptoribus Hiſtoriæ Occitanicæ obiter monuimus. Porrò circa jam dictam* S. Privati *tranſlationem laudatus Sammarthanus in elogio iſtius Ragamundi vel Raimundi ibidem hæc habet:* Anno MXXXVI beati Privati corpus Anicium tranſtulit, miraculorum virtute conſpicuum, de quo in Officio Sanctorum Mimatenſium. *Juverit hujus anni milleſimi trigeſimi ſexti poſtmodum meminiſſe.*

F

& tamen dicitur poſtea delituiſſe,

20 *Sauſſayus in Martyrologio ſuo Gallicano ad diem* IX *Junii de annua memoria revelationis* S. Privati *ſive inventionis ſacri ejus corporis ſic mentionem facit:* Ipſo die Mimate Gabalorum inventio ſancti Privati epiſcopi & martyris, cujus purpurâ & laureâ claret inſignis dies XXI Auguſti. *At in Officiis propriis eccleſiæ Mimatenſis circa annuam illam feſtivitatem hæc Rubrica præmittitur:* Dominicâ tertiâ poſt Paſcha celebratur feſtum revelationis ſancti Privati, niſi impediatur feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis; tunc enim transfertur in proximiorem Dominicam. *Sed quocumque die feſtum iſtud celebretur, ibidem in Officio ad rem noſtram leguntur ſequentia:* Mimatenſes longo tempore à morte ſancti Privati, corpus illius venerandum è ſubterraneo ſepulcro, in quo primò illud poſt martyrium condiderant, in plumbeo loculo, cum multis aliis ſanctorum reliquiis in cryptam baſilicæ ſanctæ Teclæ magni conventus celebritate intulerunt. Temporum verò injuriâ, & pietate marceſcente factum eſt, ut hic locus primò ſacris deſtinatus, dirutus & collapſus profanis uſibus manciparetur, partim in ædes epiſcopales, partim in viridarium adoptatus, magnoque aggere terræ ſuper prædictam cryptam [conge-

AUCTORE G. C.

sto,] plurimis annis sanctissimum corpus humi sepultum & oblivioni mandatum cum variis Sanctorum reliquiis delitescеret; donec anno millesimo centesimo septuagesimo, Alexandro tertio summo Pontifice, Ludovico juniore regnante, Aldeberto episcopo & Gabalorum Comite, qui ædem divæ Teclæ alio in loco construi curaverat, Deo disponente, revelatum est.

ac anno 1170 inventum esse

21 Venerabilis Aldebertus in supradicto viridario terram altè in puteum effodi jusserat; cum ecce, humo profundiùs effossa, inventus est locus subterraneus, quadrato frontatoque lapide mirabilis, longitudinis pedum duodecim, latitudinis decem, novem altitudinis; cujus in summo ab Oriente erat laterale ostiolum, per quod non nisi capite inflexo curvatisque genibus liber erat homini ingressus, solisque in cryptam immittendis & ex ea educendis reliquiis videbatur idoneum. Res antistiti denuntiatur, qui cum beati Privati, quorumdam Innocentium aliorumque Sanctorum ossa verè ibi inexistere comperisset, indictis & celebratis jejuniis, solennibusque processionibus, postridie Exaltationis sanctæ Crucis magno religionis apparatu, Clero & populo comitante, gaudio palpitans, ex illa subterranea caverna sanctas reliquias beati Privati in præparata capsula honorificè repositas inter ulnas in cryptam majoris ecclesiæ, in qua primò post martyrium conditæ fuerant, asportavit, reservato exteriùs capite, ut diebus sancto Privato solemnibus populo venerandum & deosculandum exhiberetur. Variis languoribus affectis tunc prospera salus, tanti corporis pignore patrocinante, reddita est.

B

tempore Aldeberti III Mimatensis episcopi,

22 *Habemus eamdem revelationis sive inventionis historiam, etsi stylo nonnihil diversam, in schedis manuscriptis, quas laudatus Possinus noster Tolosâ ad Henschenium misit, & quibus in fine adduntur sequentia:* Caput verò ejus reservatum est exteriùs, quatenus in die solemnitatis ejus, posset ad videndum & deosculandum fideli populo exhiberi. Prædicti verò corporis S. Privati inventionem & translationem multæ visiones & revelationes factæ divinitus tam ipsi domino Aldeberto quàm quibusdam aliis præcesserunt & præostensæ sunt; & multa patrata sunt miracula & virtutes, quæ omnia in libro sigillatim diligentiùs conscripta habentur & leguntur: quem librum præfatus vir fidelis & verax dominus Aldebertus episcopus diserto stylo composuit & conscribi fecit, & is liber in archivis Mimatensis ecclesiæ conservatur. Facta fuit prædicta translatio corporis S. Privati, elapso septennio post concilium, quod Alexander Papa tertius convocaverat & celebraverat Turonis in festo Pentecostes anno Domini MCLXIII, & sic concluditur facta fuisse translatio supradicta anno Dominicæ Incarnationis MCLXX. *Vides, in hoc fragmento assignari eumdem annum Christi millesimum centesimum septuagesimum, qui etiam in Officio Mimatensis ecclesiæ exprimitur.*

C

quam inventionem clariùs explicari cupimus.

23 *At ex utraque illa historia translationis & inventionis dubium quoddam mihi suboritur: nam in Lectionibus propriis traditur, sacrum* S. Privati *corpus anno* 1036 *sub episcopatu Ragamundi vel Raimundi ad Aniciensem civitatem solenniter translatum fuisse; postmodùm verò in historia revelationis vel inventionis proximè relata dicitur idem corpus anno* 1170 *sub episcopatu Aldeberti III fortuito casu repertum esse. Quis autem facilè credat, sacrum hunc thesaurum post solennem translationem & patrata miracula anni* 1036 *statim adeo neglectum & oblivioni traditum fuisse, ut usque ad annum* 1170 *omnibus ignotus delituerit, & tunc primùm detectus fuerit? An forsan Anicii remansit, & usque ad annum* 1170 *delituit? Hoc innuere videtur Dionysius Sammarthanus, dum in Gallia Christiana novissimæ editionis tomo* I *col.* 90 *de Aldeberto* III *Mimatensi episcopo inter alia sic scribit:* Corpus sancti Privati relatum fuit ab eodem præsule Aldeberto. *Verùm huic opinioni repugnat historia, quæ ex omnibus circumstantiis indicat, illam sacri corporis inventionem in urbe Mimatensi contigisse. Dignentur itaque eruditi Mimatenses hunc scrupulum nobis eximere, & probabilem tam miræ occultationis causam distinctiùs explicare.* D

ACTA BREVIORA

Ex Speculo historiali Vincentii Bellovacensis libro XI *cap.* 75, *quæ cum editione Mombritiana contulimus.* E

Sanctus Præsul a

TEmporibus Valeriani & Gallieni *a*, sæviente in Christianos persecutione, indignatio Domini commota est contra Romanos, ita ut barbaræ nationes ab Oriente & Occidente adversus Rempublicam proruerent, ut populos trucidarent. Tunc Alemanni cum Herode *b* rege suo, transmisso Rheno, Gallias petierunt, & in Ganalitanæ * *c* regionis excidio animos armaque converterunt. Tunc incolæ loci ad montem Gredonæ *d* quasi ad præsidium confugerunt; cui regioni vel ecclesiæ Privatus episcopus præsidebat: qui cavernam sibi in montis cujusdam supercilio fecit, in quo omni tempore stetit, nisi cum ad agenda solemnia procedebat. Ibique positus, licet Gredonensibus præsentiâ non adesset, oratione non deerat; & quos corpore consolari non poterat, spiritu confortabat.

b

** Mombrit. Guavalitanæ c*

d

ab Alemannis captus, e

2 Interea barbari regionem vastantes, & ad Gredonensem montem confluunt, & quos oppugnatione capere non poterant, duobus annis *e* concluso tenuerunt, ut eos vel famis ingluvie * vincerent. Igitur dum in hac intentione persistunt, fama detulit, Episcopum regionis non esse cum clausis; sed intra receptaculum, quod sibi tempore pacis paraverat, commorari. Illico ad rapiendum eum convolant, sperantes per eum totius populi animos continuò frangi, & ad illam conditionem sponte descendere, in qua vidissent episcopum retineri. Cumque Vir sanctus à barbaris per interpretem compellatus fuisset, comperisseque ad hoc se perniciter * captum, ut suorum animos ad deditionis persuasionem molliret *f*, respondit, nequaquam se hoc facturum; meliusque sibi esse quælibet subire discrimina, quàm ad tale facinus præbere consensum.

** Mombrit. fame F*

** al. pertinaciter f*

verberibus aliisque tormentis ita affligitur,

3 Tali itaque barbari responsione permoti, statim eum fustibus cædunt, multisque actum verberibus ad vicum usque perducunt, credentes vel post illata supplicia ejus sententiam esse mutandam. At ipso in eadem voce persistente, illi sacrificia funesta cum ingenti honore obtulerunt dicentes, aut quod idolis immolaret, aut in tormentis deficeret. At ille; Melius est, inquit, mihi præsentes pœnas experiri, quàm vobis & dæmoni-

A monibus veſtris ſtultiſſimè humiliari. Cumque hæc & alia plura proclamaret, ſic in eum cœpit ſævire barbaries, ut majoribus flagris ardentioribuſque flammis, & novis pœnarum generibus excruciatus, exanimis relinqueretur.

ut poſt aliquot dies ex cruciatu obierit.

4 Poſt hæc barbari cum viderent, ſe nihil poſſe proficere, ad Gredonem redierunt, ut ab incluſis pacem poſtularent; verſaque vice rerum, præſtiterunt obſeſſi, quod rogare debuerant *g*. Plebs ergo, egrediendi libertate conceſſa, illico ad epiſcopum congratulans univerſa cucurrit; alii genibus ejus advoluti, alii ore proprio ſancto corpori ulcera inflicta lambentes. At verò ſanctus martyr Privatus ex ipſa cruciatione quaſſatus *, non multo pòſt migravit ad Dominum. Et quia tunc tanta in Chriſtianos perſecutorum fervebat rabies, ut nec Sanctorum cineribus parcerent, crypta in ſubterraneo facta eſt, in qua ſanctum corpus cum honore collocatum eſt. Hujus paſſio celebratur duodecimo Calendas Septembris.

g

* *Mombrit.* caſſatus

ANNOTATA.

B a *Valerianus & Gallienus ab anno 254 ſimul imperarunt uſque ad annum 259, vel ut alii volunt 261, quo Valerianus à Perſis captus eſt; Gallienus autem anno 268 Mediolani interfectus eſt.*

b *Rex aut dux iſte Alemannorum in Actis Mombritii etiam pro Croco vocatur Herodes. Unde conjicio, Vincentium Bellovacenſem & Mombritum hæc Acta breviora ex eodem fonte hauſiſſe; quod etiam ex ſimilitudine narrationis confirmatur.*

c *Legendum eſt* Gavalitanæ *vel* Gabalitanæ *regionis, quæ provincia Galliæ nunc vulgò* le Givaudan *vel* Gevaudan *appellatur.*


d Gredo *vel Gredonenſe caſtrum, de quo Valeſius in Notitia Galliarum pag. 237 hæc habet:* Gredonem vel Gredonenſis caſtri munitionem olim exiſtimavi eſſe MONREDON, qui locus Gabalis attribuitur; ſed poſtea acceſſi Catello, qui Gredonem GREZE interpretatur. Eſt autem Greze nunc ex caſtro vicus, radicibus montis adpoſitus, ab urbe ac monte Memmate vel Mimate non multùm diſtans.

C

e *Vix credibile videtur, Alemannos illos Galliæ vaſtatores in obſidione unius caſtri tam diu hæſiſſe.*

f *Mombritiana editio hanc periodum ita exprimit:* Ut ſuorum animos ad deditionem perſuaderet, molliter reſpondit.

g *Tillemontius tomo 4 Monument. Eccleſ. pag. 223 aſſerit, Alemannos à Gredonenſibus pacem petiiſſe, eo quod alimentis carerent. Fateor, id ex illo loquendi modo colligi poſſe, quamvis clarè non exprimatur.*



EX MSS.

ACTA LONGIORA

Ex Ms. apographo, quod in Trevirenſi monaſterio ſancti Maximini tranſcriptum eſt, & quod cum alio Ms. exemplari Bernardi Guidonis contulimus.

Romanis imperatoribus Chriſtianos perſequentibus,

VAleriani & Galieni temporibus, qui tunc Romanæ reipublicæ præerant, gravis adverſus Chriſtianos perſequutio ſæviebat, adeo ut innumeris eorum edictis compulſi judices cum Officio ac militari manu ubique diſcurrerent, captoſque Dei cultores cuſtodiis manciparent, & ad judicium pertractos verberibus agerent, beſtiis lacerarent, igne torrerent, & tam diverſo affligerent genere tormentorum, ut poſſet etiam ab his mortis remedium deſiderari, quos conſtabat gratulatione torqueri. Ea namque tempeſtate Romæ Cornelius, Cyprianus Carthagine, ſummi antiſtites pro Chriſti nomine glorioſo martyrio E coronati *a* ſunt. Unde factum eſt, ut per tot ac tanta mala Domini indignatio tandem commota procederet. Nam cùm diebus illis Romani nominis ſtatus, pacatis hoſtibus, incolumis haberetur, repentè omnes penè barbaræ nationes, quæ in ſuis ſedibus continebantur, adverſus rempublicam unita intentione prorumpunt, adeo ut Orientem Occidentemque vaſtantes, cuncta proſternerent, populos trucidarent, &, omni regione populatione evacuata, ſolitudines relinquerent vaſtitate horribiles.

a

Alemanni in Gallias irrumpunt,

2 E quibus Alemanni, tunc tranſmiſſo Rheno, Gallias petierunt numero quoque potius, quam virtute prævalidi; quibus Crocon regem illo tempore præfuiſſe confirmat antiquitas. Hæc itaque gens multitudine innumerabilis cum locuſtarum more non ſolum Gallia pervagata, univerſa perterreret vel deleret (quod etiam magnarum urbium proteſtantur ruinæ) in Gavaldanæ *b* regionis excidium animum atque arma convertit. Quod cum loci incolæ comperiſſent, ad montem, cui Gredone nomen eſt, pro rei neceſſitate confugiunt, & expetentes præſidium montis excelſi, quem adhuc non cura munierat, ſed natura, adeo ut ad tutelam loci illius etiam peregrini populi concurrentes, intolerandæ hoſtilitatis malum ſe evaſiſſe gratulati ſint.

b

F

& epiſcopum Gabalitanum capiunt,

3 Tunc regioni ſive eccleſiæ illi ſanctus Privatus præſidebat, ſedem in Mimatenſi *c* habens viculo, propterea quod, qui ante ipſum epiſcopatus ordinem tenuerant, in eo loco & commorati fuerant & ſepulti *d*. Tunc Vir ſanctitate præcipuus, tam religione flagrans, quam de quiete ſollicitus, caunam *e* ſibi, ut dici moris eſt, in montis ſupercilio, quod vico ipſi ſupereminet, grandi ſtudio & eleganti opere perfecit; in qua omni tempore conſiſtens, non uſquam ferme prodiit, niſi ad agenda tantum ex ritu ſollempnia procedebat. Ergo cum ſe præfatæ regionis populi in Gredonenſis montis munitione clauſiſſent, ſanctum vero Privatum epiſcopum in ſupradictæ caunæ ſuæ receptaculo hoſtilis terror invenit, in qua poſitus, licet Gredonenſibus præſentialiter non adeſſet, oratione non defuit: nam quos corpore conſolari non poterat, ſpiritu confovebat.

c

d

e

4 Inte-

EX MSS. *quem Fidelibus ſuis*

4 Interea ingreſſi barbari regionem, univerſa vaſtando ad Gredonenſem locum confluunt, in ea incolas obſeſſuri : nam cum plurimos & primarios viros ex aliis regionibus concurrentes, eadem obſidione incluſiſſent, non ſolum expugnationis ſpem, ſed nec aditum expugnationis habere potuerunt. Quibus incertis merito deſperatis, ad id factum feroces animos conferunt, ut quos grandi pernicitate vallaverunt, diuturno tempore clauſos tenerent, & qui capi expugnatione non poterant, vel famis ingluvie vincerentur. Hinc fuit, ut ipſa confuſio per duorum annorum ſpatia traheretur. Ergo dum in hac intentione perſiſterent, fama detulit epiſcopum regionis ipſius non eſſe cum clauſis ; ſed in receptaculo, ut ſibi pacis tempore paraverat, commorari. Quo comperto, illico ad rapiendum eum hoſtium pervolat multitudo ; ea vel maxime ſpe, quia cum ipſe fuiſſet exhibitus vel ſuorum obtutibus præſentatus, continuò totius populi animi frangerentur, atque ad illam conditionem ſponte deſcenderent, in qua viderent Antiſtitem retineri.

B *deditionem caſtri ſuadere*

5 Continuò igitur ad caunam deponitur Sanctus ad collem, inter montem ipſum & eccleſiam conſtitutum, in quo munimen eſt, cui tutoris nomen conditor vetuſtus impoſuit. Et cum ibi, ut barbaris aut neceſſitas aut moris eſt, ſanctus Privatus epiſcopus fuiſſet compellatus, comperiſſetque ad hoc ſe perniciter capiendum, & ob id perducendum, ut ſuorum animos ad deditionem perſuaſione molliret ; plebemque Dei & loci beneficio liberandam ad ſpontaneam captivitatem captus perſuaſor adduceret ; nequaquam ſe hoc ille facturum reſpondit, confirmans, nec ſacerdotem debere tale plebi ſuæ præbere conſilium ; nec populum in loco tutiſſimo commorantem deditionis comientiam * præſtaturum ; melius ſibi eſſe quælibet ſubire diſcrimina, quam ad tale facinus præbere conſenſum. Tali igitur barbari reſponſione permoti, ſtatim eum fuſtibus cædunt, multiſque actum verberibus ad vicum uſque perducunt, credentes, vel poſt illata ſupplicia ejus ſententiam eſſe mutandam. At ille in eadem voce perſiſtens, hoc ſolum addidit, potuiſſe illis ſemel dicta ſufficere, ſi quidquam prudentiæ aut humanitatis habuiſſent ; ſibi vero, quod ab illo poſcerent, non licere.

* *al.* conniventiam]

C *ac idolis ſacrificare*

6 Tunc illi majore indignatione ſuccenſi, utpote rationis expertes, ad multo acriora proſiliunt, ut tantæ ſanctitatis virum ad idolorum compellerent immolationem ; quatinus, qui civium ſuorum male ſuaſus hoſtis eſſe noluerat, vel animæ ſuæ efficeretur inimicus. Sacrificia ergo funeſta componunt, exhibita offerre cum ingenti interminatione cœperunt dicentes, ut aut eorum more immolaret idolis, aut in tormentis deficeret. Sanctus verò Privatus epiſcopus hæc abſque cunctatione reſpondit : Miror, vos qualemcumque antiſtitem ad talia & tam execranda compellere. Si aliquid vel humanæ providentiæ gereretis, poſſet apud vos abſque mea aſſertione conſtare, multo eſſe rectius loci mei hominem quemlibet atrociſſimæ mortis ſubire cruciatus, quam plebem ſibi creditam amittere, & ipſe dum perit, auctorem perſiſtere perditionis.

conſtanter recuſantem

7 His auditis, illi moderationem tamen utcumque fingentes aiunt : Numquid te ad inclyta & barbaris obſervata compellimus ? Nonne & imperatores veſtri & judices eorum idola colunt, & Chriſtianos omnes ſacrificare compellunt ? Sanctus verò Privatus epiſcopus reſpondit : Agnoſco, quod eſt graviſſimum, vera eſſe, quæ dicitis : apparent enim principes Romanorum in profanatione gentili non tam peccata, quam crimina. Nam niſi ita eſſet, in conquaſſatione Romanæ reipublicæ poteſtatem nationes barbaræ non haberent. Quicquid enim in perniciem noſtram geritis, non ex virtute veſtra, ſed ex imperatorum noſtrorum gentilitate perficitur ; ſed Deus noſter, quem vos penitus ignoratis, tantæ potentiæ eſt, ut ad momentum temporis & principes, quos vos objicitis, liberet ab errore & idola veſtra proſternat ; & nobis, tribulationum præſentium verbere caſtigatis, ſolita opitulatione ſubveniat. Ego tamen ſpe æternorum bonorum quæcumque mihi nunc intenta fuerint tormenta deſpicio. D

8 Tunc barbari ſolito ſæviora protulere ſupplicia dicentes : Aut ſacrifica ſine mora, aut noveris, te diverſo tormentorum genere confectum ad exemplum omnium nova & execrabili morte periturum. Sanctus verò Privatus epiſcopus, nutu Dei conſtantem habens animum ad omnia toleranda, reſpondit : Adhibete ergo quodlibet cruciatuum genus, finem vitæ imponite, quem vultis. Ego in nomine Domini Dei mei aliud, quam ſum, eſſe non poſſum : melius enim mihi eſt exſpectare pœnas præſentes, quàm vobis & dæmonibus veſtris ſtultiſſimè ſerviendo cruciatus perpetuos non evadam. Et cum hæc & plura alia reclamaret, quaſi tunc paſſio inchoaret, ſic in eum ſævire cœpit barbaries, & ita, ut majoribus flagris, ardentioribus flammis & novis pœnarum vulneribus excruciatus Sacerdos Dei atque confeſſor exanimis relinqueretur. *affligunt verberibus aliiſque tormentis,* E

9 Poſt hæc barbari cum viderent, nihil ſe proficere potuiſſe, hoc tantùm ſe ad Gredonenſem locum, unde profecti fuerant, retulerunt, ut ab incluſis pacem quemadmodum * poſtularent. Verſa autem rerum vice, præſtiterunt obſeſſis, quod rogare debuerant, ut illos magis crederes abſolutos ; qui datis multis muneribus obſeſſis, & pacem & commercia meruerunt. Quod quis dubitet meritis ſanctiſſimi Antiſtitis & martyris fuiſſe conceſſum, adeo ut continuo poſt illius paſſionem tota hoſtilitas ab obſidione diſcederet. Plebs verò, egrediendi tandem libertate conceſſa, illico ad Epiſcopum ſuum confeſſorem congratulans univerſa concurrit ; alii ejus genibus advoluti, alii ore ſancto corpori ulcera inflicta lambentes. Ita dono Dei pro tantæ miſerationis beneficio gratiæ in commune redduntur. *ex quibus poſt breve tempus moritur,* * *An* quodammodo ? F

10 Beatus verò Confeſſor aliquantum temporis deinceps manſit in corpore : ex ipſa tamen cruciatione quaſſatus, non multo pòſt ſeculo excedens ad gloriam ſibi debitam commigravit. Et quia per id, ut dixi, temporis adverſus Chriſtianos ubique perſecutio fervebat, & tanta erat in perſequutoribus rabies, ut nec Sanctorum cineribus parcerent, quos injuſtiſſimè puniebant, aſſiſtentes ſancto Antiſtiti ſuo, ſalubriore conſilio cryptam ſepulturæ ipſius in ſubterraneo fecerunt, in qua ſanctum corpus cum ſumma veneratione collocatum eſt ; in qua Dominus Deus noſter virtutum ſuarum beneficia penè quotidie, Martyris ſancti ſui meritis aſtipulantibus, dignatur operari *f*, ut ſit nomen Domini benedictum in ſecula ſeculorum. *& à Fidelibus honorifice ſepelitur.* *f*

ANNOTATA.

a *Sanctus Cornelius Papa ante perſecutionem Valeriani imperatoris martyrio coronatus eſt, ut chronologi conſentiunt. Unde Tillemontius tomo 4 Monu-*

A *Monument. eccleſ. pag.* 657 *colligit, hæc Acta neque ab accurato, neque ab antiquo auctore conſcripta eſſe. At ille parachroniſmus in Actis brevioribus non legitur.*

b *Suprà monuimus,* Gavalitanæ *vel* Gabalitanæ regionis *legendum eſſe.*

c *Ex hoc epiſcopatûs epitheto quidam conjiciunt, hæc Acta compoſita eſſe poſt ſeculum decimum, quo cathedra Gabalitana ad urbem Mimatenſem tranſlata eſt, ut exiſtimant.*

d *Ex hoc loquendi modo ſequeretur, plures ante* S. Privatum *in cathedra Gabalitana ſediſſe. Attamen Dionyſius Sammarthanus, unicum dumtaxat præſulem iſtius eccleſiæ ante* S. Privatum D *aſſignat.*

e Cauma *vel* Cauna *accipitur interdum pro tugurio forſan à voce Gallica* chaume, *ut in noviſſimo Cangii Gloſſario fuſius videre eſt.*

f *Eruditus lector facilè videt, in his Actis varia referri, quæ in brevioribus ſuprà editis non habentur. Sed ignoro, utrum poſterior quiſpiam ſcriptor brevioribus Actis hæc ornatûs gratiâ adjecerit, an verò prudentior ſcriptor alius illa in brevioribus Actis ſtudiosè omiſerit, ut in Commentario prævio monui.*

DE SANCTO JULIANO

BENEARNENSI SEU LASCURRENSI IN GALLIA EPISCOPO.

J. P.

Cultus, geſta, tempus vitæ, notitia topographica.

B E

SEC. V. *Inter pauca, quæ de hoc Sancto habemus, agitur de cultu publico,*

Odierna die inter Prætermiſſos mentio à nobis fit Juliani epiſcopi in Vaſconia ex Sauſſayo; quem præſulem à nonnullis cenſeri eumdem eſſe cum Laſcarenſi ſeu Laſcurrenſi, ibidem ex eodem Martyrologo indicavimus. Hinc data nobis fuit occaſio inquirendi, an de Laſcurrenſi notitiæ aliæ inveniri poſſent. Inventæ quidem illæ ſunt, ſed exiguæ admodum, ſufficientes tamen, ut S. Julianus *iſte reliquis hujus diei Cælitibus accenſeri poſſit, eccleſiâ, quæ ſub hujus ſancti titulo conſecrata ſit, teſtimonium perhibente de publica ejus veneratione. Petrus de Marca in Hiſtoria Bearnenſi lib.* 1, *cap.* 15, *pag.* 69 *&* 70 *tractat de noſtro ſancto Præſule, & poſt eum Gallia Chriſtiana tomo* 1, *col.* 1285 *noviſſimæ editionis: quæ autem ibi ex laudato hiſtorico Bearnenſi extracta ſunt, viſum eſt nobis huc tranſcribere. Sic itaque habent de primo ſedis Laſcurrenſis antiſtite* S. Juliano:

C *nonnullis rebus geſtis, ac tempore vitæ:*

2 In antiquo eccleſiæ Benearnenſis breviario legitur, S. Julianum Trevirenſis eccleſiæ diaconum, à Leontio Trevirenſi præſule ordinatum epiſcopum, miſſum fuiſſe ad Benearnenſes, ut eos ad Chriſtianam fidem, conculcatâ idololatriâ, revocaret; quod præſtitiſſe dicitur. Exſtat in ſuburbio eccleſia ſub ſancti Juliani titulo conſecrata. Ut narrationem hanc perſuadeat Petrus de Marca, obſervat 1°. Leontium fuiſſe Aquitanum, uti hoc in breviario habetur: unde non mirum, ſi miſeratus popularium ſuorum cæcitatem, qui, relicta fide Chriſtiana, idololatriæ erant deditî, ad eos verbi Dei præconem miſerit. Obſervat 2°. Trevirenſem urbem tempore Leontii, hoc eſt, anno circiter CD, ſedem fuiſſe præfecti prætorio Galliarum, & quaſi totius Galliæ metropolim, uti nuncupatur à S. Athanaſio in Apologia; unde jure exarchatûs in tota Galliarum diœceſi, ad eum pertinebat epiſcopos in eccleſiis vacantibus ordinare. Anno circiter CDVII Vandali Gallias ingreſſi Trevirenſem urbem diruerunt, & per totam Galliam effuſi pervenerunt uſque ad Novempopulaniam, cujus urbes tunc gravi clade afflictæ ſunt. Neque verò Benearno barbarorum pepercit furor: quo tempore S. Julianum adhuc ſediſſe credimus. *Nos itaque illud compendium ſecuti ſumus ſuprà in figendo tempore, & quandoquidem aliunde non ſcimus, quouſque poſtea ſupervixerit Sanctus, alligavimus eum ſeculo* V.

quibus accedit deſcriptio eccleſiæ, cui Sanctus præfuit,

3 *Reliquum eſt, ut lectorem tantiſper detineam, exponendo* eccleſiam Laſcurrenſem, olim Beneharnenſem, *uti nuncupatur in laudata Gallia Chriſtiana, cujus notitiam ponit ante ſeriem epiſcoporum iſtius cathedræ:* Beneharnum, *inquit*, quod nomen eſt hodie provinciæ, fuit olim civitatis, & urbis epiſcopalis. V. C. Petrus de Marca Hiſtoriæ Benearnenſis lib. 1 cap. XI contendit, Plinium in recenſione populorum Aquitaniæ, poſt Bigerros, Tarbellos & Cocoſates, meminiſſe Bearnorum ſeu Venarnorum, ſic enim legendum putat, non Venanorum. Contrà verò Hadrianus Valeſius cenſet, nec Strabonem, nec Melam, nec Plinium, aut Ptolemæum de Benearnis locutos eſſe, ita ut primus, qui Benearni meminerit, ſit Æthicus in Itinere à Cæſarea-Auguſta Benearnum, ſic: " Foro Gallo- F
„ rum M. P. XXX. Summo Pyrenæo XLVI. Foro
„ ligneo V. Aſpalluca VII. Ilurone XII. Benear-
„ num M. P. XII „. *Deinde nonnullis interjectis, aſſignat varia inſtrumenta, in quibus* Benarna urbs, Benarnum, civitas Benarnum *ſignata fuerint; unde colligitur ejuſdem nominis efformationem nonnihil diſcrepantem à ſuperiore etiam adhibitam olim fuiſſe. Nam* Benarnæ *meminit S. Gregorius Turonenſis epiſcopus lib.* 9 *Hiſtoriæ Francorum cap.* 7, *& cap.* 20 *in exemplari pactionis Guntramni & Childeberti ſcribitur:* De civitatibus, .. Burdegala, Lemovica, Cadurco, Benarno *&c. Apud Labbeum tom.* 4 *Conciliorum col.* 1395 *inter eos, qui ſynodo Agathenſi ad annum Chriſti* 506 *celebratæ, ſubſcribunt, habetur* Galactorius epiſcopus de Benarno: *in Matiſconenſi, quæ anno* 585 *habita notatur, apud eumdem conciliographum tom.* 5, *col.* 988 Savinus epiſcopus eccleſiæ Benarnenſium. *Ex his diſcimus, nomen hujus loci ab antiquiſſimis temporibus paulo aliter exprimi conſueviſſe: ſed de mutatione ejuſdem prorſus diverſa aliquid etiam dicendum.*

4 A longo verò tempore Benearni nomen ceſſit *topographica.*

AUCTORE J. P.

ceſſit ſoli pago, vulgo le Bearn; urbs verò pagi caput, poſtquam deſtructa fuiſſet à Normannis, omiſſo priori nomine, dicta eſt Laſcuris & Laſcurra, propter varios in loco, ubi ſita eſt, amniculi & fonticulorum circuitus, quos populares appellant LAS ESCOURRES, inquit Petrus de Marca loco jam ſuprà laudato. Laſcurram eſſe Benearnam veterum, docet quoque Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum, ubi refellit Joſephum Scaligerum, qui in notis ad Auſonium probare conatus eſt, Orteſium in Benearni locum ſucceſſiſſe, mutato tantùm nomine. Id autem falſi convincitur, tum quòd hoc oppidum ſit diœceſis Aquenſis, tum quòd ſancti Galactorii Benearnenſis epiſcopi, ſeculo VI ineunte, corpus ſemper apud Laſcurram fuerit aſſervatum uſque ad annum MDLIX, quo Calviniſtæ ſacrum hoc pignus combuſſerunt: quod innuit ſedem epiſcopalem eo in loco uſque perſeveraſſe. *Hæc, & plura dicuntur in Gallia Chriſtiana, quam memorabam.* Hos habet terminos, Bigorræ comitatum ab ortu, præfecturas Baionenſem & Aquenſem ab occaſu, à ſeptemtrione pagos Sialocenſem (la Chaloſſe) & Taurſanenſem, à meridie Pyrenæos & vicecomitatum Solenſem, *ſicut ibidem ſcribitur. Habes, lector, quæ de* S. Juliani *cultu, geſtis, ac ætate, quâ floruit, colligenda nobis reliquit obliviosa vetuſtas.*

DE S. LEONTIO EP. BURDEGALENSI

IN GALLIA AQUITANICA.

J. P.

Veneratio publica, ætas, epiſcopatus; an miles ſub Childeberto.

B

SEC. VI. *Publicus Sancti cultus*

Etiamſi non habeam multa, quæ de hoc Præſule dicam, ſufficere tamen quæ dicam, ut locus ipſi detur inter alios hujuſce diei Sanctos, illaſo Urbani VIII famoſo decreto, perſuaſum habeo. Sauſſayus in Supplemento ita eum annuntiat ac laudat hodierna die: Burdigalæ ſancti Leontii, metropolis illius epiſcopi & confeſſoris, cognomento ſenioris, qui nobiliſſimo genere in Aquitania natus temporibus Arcadii imperatoris & filiorum ejus, militari in exercitu claruit: at ſedatis Hiſpaniarum tumultibus, ad vitæ magis Deo hærentis ſtudia converſus, obeunte extremum diem ſancto Amando Burdegalenſi antiſtite, coruſcus jam virtutum multarum ſplendoribus, hanc ad ſedem (renitens quantumvis) evectus eſt. Quo officio perfecto cum decore functus, aucto multis incrementis grege dominico, placida morte in Chriſto, qui vera eſt vita, obdormivit in territorio Ruthenenſi.

C

Caſtellanus in Supplemento ſui Martyrologii univerſalis eum refert his verbis: Burdigalæ, S. Leontii ſenioris, epiſcopi. *Duobus his hagiologis adde noſtrum Jacobum Longuevallium, qui in ſua Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ tomo 2, lib. 4, ad annum 541, ubi de duobus ſynonymis Leontiis cathedræ Burdegalenſis præſulibus agens, utrumque dotibus ac virtutibus ſuis eamdem illuſtraſſe affirmat, & primum quidem honoratum eſſe tamquam Sanctum die* XXI *Auguſti; ſecundum verò in ſua eccleſia die* XV *Novembris, quem pluribus ibi laudat. Ex his teſtimoniis videtur ſatis conſtare de cultu publico* S. Leontii, *quem hîc damus. Ad majorem tamen publicæ venerationis confirmationem adde iſta.*

2 *Habemus* Supplementum Proprii Sanctorum ſecundum uſum eccleſiæ ſancti Victoris Maſſilienſis, *typis editum, neſcimus quo anno, quia primum folium deeſt; in quo Supplemento aſſignatur* XXI Auguſti *Officium* Leontii epiſc. & confeſſ. In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti (*& adſcribitur manu* ſemiduplex) In tertio Nocturno Homilia in Euangel.: Homo quidam peregre, ut in communi Conf. Pontif., & cætera omnia dicuntur de com. conf. Pontif.. Sed in ſuo monaſterio, quod eſt in diœceſi Ruthenenſi ſolenniter celebretur. *Situm hujus monaſterii, cujus nomen non exprimitur, eruditis diœceſeos Ruthenenſis incolis vel accolis diſtinctiùs determinandum relinquimus; niſi fortè ſit Conchenſe, de quo agitur in Gallia Chriſtiana tomo* 1, *col.* 235 *& ſequentibus noviſſimæ editionis. Ex die autem* XXI *Auguſti, qui in dicto Supplemento ſignatur, colligo indicari* Leontium *primum ſeu ſeniorem, quem hîc damus.*

probatur:

3 *Floruit* S. Leontius *ſeculo* VI. *Apud Caſtellanum citatum apponitur ei annus* 545; *apud Cointium in Hiſtoria eccleſiaſtica Francorum tomo* 1 *de illo tractatur ad annum* 541. *Etiamſi autem perſpectum nobis non eſt, quo anno obierit; non vixiſſe tamen poſt annum Chriſti* 549, *conficitur ex eo, quòd in Gallia Chriſtiana de Leontio II, proximo ipſius ſucceſſore, dicantur iſta tom.* 2, *col.* 793: Hic autem miſit ad ſynodum Aurelianenſem V Vincentium presbyterum, qui vice ſua intereſſet, anno DXLIX, *prout videre datur tomo* 2 *Conciliorum, col.* 1450 *editionis Harduinianæ. Quia tamen in Gallia Chriſtiana, quam deſignabam, nec initium vitæ, nec epiſcopatûs, nec utriuſque finis ibidem in* S. Leontio II *legitur; non videmus, certò conſtare vi nominis, quod ambobus Leontiis eſt commune, in illa ſubſcriptione magis exprimi* Leontium *primum, quàm ſecundum, niſi aliunde hoc probetur. Accedit eò, quo in tomo mox allato col.* 793 *non ſignetur annus, quo* Leontius II *ad ſacras infulas admotus eſt. Si autem hic ſubſcripſerit concilio Aurelianenſi quarto, tamquam præſul Burdegalenſis, quod anno Chriſti* 541 *celebratum eſt, tunc clarum eſt, eò uſque* Leontium I *non ſupervixiſſe, etiamſi interim non conſtet, quo anno vivere deſierit. Verùm uter è duobus illis præſulibus iſti ſynodo ſubſcripſerit, inter auctores non convenit, ſicut refert Longuevallius.*

quando floruerit, & an concilio Aurelianenſi

F

4 *In Gallia Chriſtiana col.* 793 *hæc dicuntur in Leontio II:* ſubſcripſiſſe concilio IV Aurelianenſi an. DXLI legitur in Gallia Chriſtiana Sammarthanorum; quod pernegat Cointius, hac fultus ratione, quod anno DXLI, quo habita fuit ſynodus Aurelianenſis IV, Leontio huic non licuerit per ætatem epiſcopali officio fungi, & ſedere inter epiſcopos in concilio. Sed non video tunc

ſubſcripſerit?

A tunc omnino immaturam episcopatui fuisse Leontii dicti junioris ætatem. In primo juventutis flore, ut ipsius Cointii verbis utar, militavit in castris Childeberti anno DXXXI. Primum juventutis florem appellare possumus ætatem viginti duorum annorum. Quid vetat igitur eum, qui anno DXXXI annos 22 natus erat, anno DXLI episcopum fuisse, scilicet anno ætatis suæ tricesimo secundo? Attamen per nos liceat Leontio seniori tribuere subscriptionem, quæ legitur in concilio IV Aurelianensi anno DXLI: & quidem ei convenire magis videtur quàm juniori. *Hæc dicuntur ibi in Leontio II: quibus consentiunt ista, quæ erant ibidem præmissa in* Leontio I *col.* 792: Anno DXLI adfuit concilio IV Aurelianensi secundum opinionem verisimiliorem, & ex quorumdam sententia præfuit. *Ex his sequitur, ut hallucinatus fuerit Saussayus suprà, ubi natales ejus affigit* temporibus Arcadii imperatoris.

elogium ipsius

5 *Ponitur inter sedis Burdegalensis antistitis ordine nonus, & Amelii vel Æmilii successor. At de hac re inferiùs. Porrò generis claritudine,*
B *& eximia vitæ integritate, nec non magna apud populares ac principes auctoritate spectabilem fuisse; quibus adde insignem erga ecclesiam suam & erga pauperes munificentiam; conficitur ex elogio ejus, quod Fortunatus metricè concinnavit sub hoc titulo:* Epitaphium Leontii episcopi anterioris civitatis Burdegalensis. *Habetur in editione Broweri lib.* 4, *carmine* 9, *à pag.* 101:

Ultima sors avido graviter properavit hiatu,
Pastorem rapiens, qui fuit arma gregis.
Hoc recubant tumulo venerandi membra Leonti,
Quo stetit eximium pontificale caput.
Quem plebs cuncta gemens confusa voce requirit,
Hinc puer, hinc juvenis deflet, & inde senes.
Defensoris opem hic * omnis perdidit ætas,
Et quantum coluit, nunc lachrymando docet.
Nemo valet siccis oculis memorare sepultum,
Qui tamen in populo vivit amore pio.
Egregius nulli de nobilitate secundus,
Moribus excellens, culmine primus erat.
C Hic pietate nova cunctis minor esse volebat,
Sed magis his meritis & sibi major erat.
Quo præsente viro meruit discordia pacem,
Expulsa rabie corda ligabat amor.
6 Ecclesiæ totum concessit in ordine censum,
Et tribuit Christo, quod fuit ante suum.
Ad quem pauper opem, precium captivus habebat,
Hoc proprium reputans, quod capiebat egens.
Cujus de terris migravit ad astra facultas,
Et plus iste Deo, quam sibi vixit, homo.
Cordis in amplexu retinens, & pectore plebem,
Diceret ut populum se generasse patrem.
Namque suos cives placida sic voce monebat,
Confitereris ut hunc ad sua membra loqui.
Ingenio vigilans, dives quoque dogmate Christi,
Et meruit studio multiplicare gradum.
Largior in donis absens sibi junxit amantes,
Et quo non fuerat munere, notus erat.
Principibus carus, hujusque amor unicus urbis,
Festinans animis omnibus esse parens.

* *f.* sic

ex Fortunato:

Lustra decem pollens, septem quoque vixit in annos, AUCTORE J. P.
Mox urgente die raptus ab orbe fuit.
Sed quis cuncta canat, cum tot bona solus habebat,
Nunc uno in tumulo plurima vota jacent.
Hæc tibi parva nimis, cum tu merearis opima,
Carmina Theodosius * præbet amore tuus.

* Theudosius

7 *Discimus ex hoc carmine tempus vitæ* S. Leontii, *in quo disertè scribitur* lustra decem *& septem in annos vixisse, id est, annos septem & quinquaginta. Deinde, quod inter alia ejus elogia refertur,* Principibus carus, *sic exponit Browerus in notis pag.* 117: Qui inclinante imperio cum Gothis in Gallia dubium certamen habuerunt. Constat enim Valentinianum, Anthemium, Avitum impp. tantum episcopis, quorum aliquod præsertim esset in Gallia nomen, indulsisse, ut, quod Sidonius apertè loquitur, per ipsos plerumque legationes ad barbaros mearent, ipsisque primùm non solùm tractata pax referaretur, verùm etiam tractanda committeretur. *Addit Browerus:* Hinc ad Basilium episcopum scribens, de Leontio, ejusque collegis *&c. Hæc confirmantur ex Apollinare Sidonio, qui lib.* 7 *epistolâ* 6 *ad Basilium, pag.* 184 *editionis Sirmondianæ anno* 1652 *Parisiis vulgatæ, hæc scribit:* Tu sacratissimorum pontificum Leontii, Fausti, Græci, urbe, ordine, caritate, medius inveniris. Per vos mala fœderum currunt, per vos regni utriusque pacta conditionesque portantur. Agite, quatenus hæc sit amicitia, concordia principalis, ut episcopali ordinatione permissa, populos Galliarum, quos limes Gothicæ sortis incluserit, teneamus ex fide, etsi non tenemus ex fœdere. *Observa obiter, Leontium illum, qui à Sidonio nominabatur, non esse Burdegalensis sedis episcopum, sed Arelatensis; vide notas Sirmondi ad dictam epistolam pag.* 73, *& Cointium in Annalibus ecclesiasticis Francorum tomo* 1 *ad annum Christi* 541, *num.* 63. *Arelatensem verò cum Burdegalensi videtur confudisse Browerus in notis mox allegatis, si textum ejus consideres.*

ætas, & gratia apud principes:

8 *Controversia est, cui successerit proximè in ejus decessor*
episcopatu S. Leontius *noster. Quæ Cointius habet de ordine aliquorum episcoporum, qui spectant ad præsens argumentum, legi possunt ad annum citatum à num.* 58, *ubi observat,* sententiis adeo diversis locum dedisse Sidonium Apollinarem, & Venantium Fortunatum variè explicatos. *In tomo* 2 *Galliæ Christianæ antea designatæ col.* 790 *& sequentibus hi ponuntur episcopi, & hoc ordine:* V. S. Amandus. VI S. Gallicinus. VII. Cyprianus. VIII. Amelius. IX Leontius I. *Deinde* X Leontius II. *Sed ordinem hunc non esse perfectum, constat ex Fortunato lib.* 1 *carmine* 15, *in quo hæc scribit de Leontio II urbis Burdegalensis episcopo:*

Tertius à decimo huic urbi antistes haberis,
Sed primus meritis enumerandus eris.

Ibidem col. 791 *dicuntur ista:* Post Gallicini mortem Burdigalensis ecclesia diu pastore caruit, ob illatum orthodoxis bellum ab Ariano rege. Sed eo mortuo circa annum CDLXXXIV ex omnibus penè catalogis, tandem electus est Amelius, al. Æmilius, cujus meminit Fortunatus tamquam antecessoris Leontii, lib. 1 Carm. c. 11 (*id est* XI,) *quem hæc canentem recitat:*

Qui cupis egregii structorem noscere templi,
Tam pia non patiar vota latere tibi.

AUCTORE J. P.

Longius hinc olim ſacra cum delubra fuiſſent,
Et plebs ob ſpatium ſæpe timeret iter;
Exiguam dederat hîc præſul Amelius arcem,
Chriſticolam populum nec capiente loco.
Quo vitæ claudente diem, pro * lege graduque
Venit ad heredem hoc opus, hicque locus.
Fundavitque piam dehinc * papa Leontius aulam,
Obtulit & Domino ſplendida dona ſuo.
Quam venerandus habet propriam Dionyſius ædem,
Nomine ſub cujus ſanctificata nitet.

* *al.* dehinc

* *al.* hanc

9 *Ex his conficitur*, Leontium *ſucceſſiſſe Amelio in epiſcopatu; verùm an huic proximè & immediatè ille ſucceſſit? Negat Cointius; affirmat auctor tomi* 2 *Galliæ Chriſtianæ Dionyſius Sammarthanus col.* 791, *quam citavi, ita ſcribens:* At quidquid dicat vir doctus, ſenſus obvius (*hujus nempe, quem protulerat, verſûs diſtichi*, Quo vitæ claudente diem *&c.*) ſignificat Leontium, poſtquam Amelius diem extremum clauſiſſet, epiſcopum creatum fuiſſe, & tamquam Amelii heredem, ipſiuſque in ſede Burdegalenſi ſucceſſorem, curam habuiſſe perficiendæ ac amplificandæ eccleſiæ, quam inchoaverat Amelius. Itaque exiſtimo immediatè poſt Amelium ſubrogari debere Leontium primum. *Hæc ſententia nobis etiam videtur propiùs ad verum accedere. Unde fit, ut proximus* Leontii *in epiſcopatu Burdegalenſi deceſſor non fuerit S. Amandus, ſicut ſuprà num.* 1 *indicabat Sauſſayus, cujus gratiâ hæc dicta ſunto.*

in epiſcopatu.

B

10 *Martyrologus idem in alio, uti ſuſpicor, puncto hallucinatus eſt, quando dicit, noſtrum Præſulem* in militari exercitu claruiſſe: at ſedatis Hiſpaniarum tumultibus ad vitæ magis Deo hærentis ſtudia converſum. *Suſpicor, inquam, hîc à Sauſſayo* Leontium *primum cum ſecundo confuſum fuiſſe: & ratio eſt, quia huic ſecundo, non illi militia alibi tribuitur.* Junior, *ait laudatus Cointius num.* 65, cùm in primo juventutis flore poſitus, & annis parvus eſſet, meruit in regiis Childeberti caſtris anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo primo, ut ſuo loco probatum eſt. *Hunc eodem ſub rege in Hiſpania meruiſſe, affirmatur etiam in Gallia Chriſtiana in Leontio II, col.* 793; *& in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ, quam ſuprà aſſignavi, dicitur* gloriam ſibi peperiſſe martio animo in bellis adverſus Viſigothos Hiſpaniæ. *Hinc patet, convenire teſtimonia auctorum contra Sauſſayum. At cur recurrimus ad recentiores, quando Fortunatum habemus? Nam lib.* 1 *carmine* 15 *de Leontio epiſcopo Burdegalenſi II hæc ſcribit:*

An miles fuerit ſub rege Childeberto.

D

Verſus ad Hiſpanas acies cum rege ſereno
Militiæ crevit palma ſecunda tuæ.

Hæc ſunt, quæ de S. Leontio *noſtro tempus edax rerum ad nos tranſmiſit cum poſteris communicanda.*

E

DE S. AVITO CLAROMONTENSI EPISCOPO,

ISTIUS NOMINIS PRIMO,

CLAROMONTE IN ARVERNIA,

G. C.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

C

§ I. Annuus hujus Sancti cultus, promotio ad epiſcopale munus, virtutes, & mira ſub ipſo plurium Judæorum converſio ad fidem Chriſtianam.

F

ANNO CIRCITER DXCIV. *Variis diebus in Martyrologiis*

Bollandus noſter Acta S. Aviti *Junioris, ſive ſecundi, qui ſeculo* VII *cathedram Claromontenſem tenuit, die* XXI *Januarii breviter illuſtravit. Hodie in Martyrologio Caſtellani occurrit alius* S. Avitus, *qui ſeculo* VI *eamdem eccleſiam Claromontenſem magna cum laude ac pietatis fama gubernavit. Non ignoramus, annuam ejus memoriam etiam aliis diebus aſſignari, quandoquidem Sauſſayus ad diem* XX *Septembris in Supplemento Martyrologii ſui Gallicani pag.* 1169 *hunc ſanctum Præſulem annuntiat ſequentibus verbis:* Claromonte Arvernorum ſancti Aviti epiſcopi cognomento fenioris. Hic vir Apoſtolicæ gratiæ & virtutis Judæos illius municipii (referato ab eorum oculis velamine infidelitatis) ad Chriſtum verum animarum lumen mirabili facinore convertit, inque vigilia Pentecoſtes conglobatim coram ſe proſtratos & baptiſmum flagitantes, ex gaudio ſpirituali pias in lacrymas effuſus, ſalutari aqua abluit, chriſmate linivit, atque in ſinum matris Eccleſiæ cooptavit, flagrantibus (ut Gregorius Turonenſis refert) cereis, lampadibus fulgentibus, totaque civitate nitente de grege noviter candidato: erant enim, qui tum ovili Dominico acceſſerunt, ampliùs quingenti. At ſanctus Pontifex, tam copioſa Chriſto progenita prole, aucta Eccleſiæ gloria, multiſque editis divinis virtutibus, ovans de lucris Domini, ejus ad conſpectum, quem unicè ſemper concupierat, tandem voti compos evolavit. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non recenſentur, eâdem die* XX *Septembris de hoc* S. Avito *meminit.*

2 *Etſi recentiores iſti Martyrologi non ſufficiant ad probandam hujus Epiſcopi ſanctitatem, tamen aliunde de ea certiores reddimur: nam S. Gregorius Turonenſis eumdem Præſulem paſſim* beatum *vel* ſanctum *appellat. Huic adde eminentiſſimum Baronium, qui in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 579 *num.* 24 *hunc Antiſti-*

annuntiatur hic Sanctus,

A *Antiſtitem titulo* ſancti *ornat, ibidemque num.* 26 *aſſerit, eum cuncta ſua ſancti Spiritûs arbitrio geſſiſſe, ac miraculis coruſcaſſe. Præterea noviſſimi Galliæ Chriſtianæ editores teſtantur, illum quotannis Officio duplici honorari, dum tomo* 2 *iſtius Operis col.* 243 *ſic ſcribunt:* Sancti Aviti feſtum celebratur unà cum feſto ſancti Sidonii XXIII Auguſti; at in novo Breviario, cujus ſpecimen editum eſt anno MDCCVI, feſtum ſancti Aviti duplex decernitur XXI Auguſti. *Nos in eligenda annuæ feſtivitatis die Martyrologium Caſtellani, ac ultimum Claromontenſis eccleſiæ decretum ſecuti ſumus.*

qui inter multos competitores,

3 *Ruinartius inter addenda & mutanda poſt editionem ſuam Gregorii Turonenſis aliorumque veterum monumentorum col.* 1392 *teſtatur, ſcriptorem quemdam ante ſexcentos annos Acta* S. Aviti *collegiſſe, eaque ſic inchoâſſe:* Arverna igitur civitate ſecundum ſeculi dignitatem beatus Avitus, non infimis nobilium natalibus ortus eſt, qui tempore pueritiæ ſuæ uſque ad archidiaconi arcem, Deo diſponente, perductus eſt. Defuncto itaque Cautino epiſcopo, plerique intendebant ad epiſcopatum

B *&c. Cum ſcriptor ille poſterior, cujus collectio nobis ad manum non eſt, exceptâ patriæ ac nobilitatis notitiâ, in aliis paſſim S. Gregorium Turonenſem ſecutus fuerit, nos hunc ipſum fontem adibimus, & præcipua* S. Aviti *geſta excerpemus ex eodem Gregorio coævo, qui in Hiſtoria Francorum lib.* 4 *cap.* 35 *promotionem hujus Sancti ad cathedram Claromontenſem, natalibus aliiſque prætermiſſis, ita narrare incipit:* Defuncto igitur, ut diximus, apud Arvernum Cautino epiſcopo, plerique intendebant propter epiſcopatum, offerentes multa, plurima promittentes; nam Eufraſius presbyter, filius quondam ſenatoris Ennodi, ſuſceptas à Judæis ſpecies magnas regi per cognatum ſuum Beregeſilum miſit, ut ſcilicet, quod meritis obtinere non poterat, præmiis obtineret. Erat quidem elegans in converſatione, ſed non erat caſtus in opere, & plerumque inebriabat barbaros, ſed rarò reficiebat egenos. Et credo, hæc cauſa obſtitit, ut non obtineret, quia non per Deum, ſed per homines adipiſci voluit hos honores. Sed nec illud potuit immutari, quod

C Dominus per os ſancti Quintiani locutus eſt: Quia non ſurgit de ſtirpe Hortinzi, qui regat eccleſiam Dei.

*teſte Gregorio Turonenſi, * lege* nulla

4 Congregatis igitur Avitus archidiaconus clericis in eccleſia Arverna multa * quidem promiſit, ſed tamen accepto conſenſu ad regem petiit, voluitque ei tunc Firminus, qui in hac civitate Comes poſitus fuerat, impedire; ſed ipſe non abiit. Amici autem ejus, qui in hac cauſa directi fuerant, rogabant regem, ut ſaltem una dominica præteriret, ut hic non benediceretur. Quod ſi propalaretur, mille aureos regi darent. Sed rex his non annuit. Factum eſt ergo, ut congregatis in unum civibus Arvernis, beatus Avitus, qui tunc temporis, ut diximus, erat archidiaconus, à clero & populo electus cathedram pontificatûs acciperet; quem rex in tanto honore dilexit, ut parumper rigorem canonicum præteriens, in ſua eum præſentia benedici juberet dicens: Merear de manu ejus eulogia accipere. Hæc enim in gratia fecit, ut apud Mettenſem urbem benediceretur.

ad cathedram Claromontanam evectus,

5 Idem, accepto epiſcopatu, magnum ſe hominibus præbuit, juſtitiam populis tribuens, pauperibus opem, viduis ſolatium, pupilliſque maximum adjumentum. Jam ſi peregrinus ad eum advenerit, ita diligitur, ut in eodem ſe habere & patrem recognoſcat & patriam, qui cum magnis virtutibus floreat, & omnia, quæ Deo ſunt placita, ex toto corde cuſtodiat, iniquam in omnibus exſtirpans luxuriam, juſtam Dei inſerit caſtitatem. *Duo in hac narratione breviter illuſtranda occurrunt, ac primò quidem dicitur rex parumper rigorem canonicum præteriiſſe, quia hunc ſanctum Antiſtitem in civitate Metenſi conſecrari juſſit: nam ſecundum præſcripta canonum, conſecrationes epiſcoporum à metropolitano in propria provincia fieri conveniebat. Secundò voluit rex de manu ejus accipere* eulogia, *quæ vox ſignificat aliquando ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, & ſubinde tantùm panes benedictos, quos epiſcopi vel ſacerdotes præſentibus in ſacrificio Miſſæ diſtribuebant. Videtur ea vox hoc loco alterutram ſignificationem habere, quamvis etiam varia alia ſignificet, ut in auctiore Cangii Gloſſario videre eſt.*

plurimos Judæos

6 *Quomodo autem ſanctus hic Antiſtes multos Judæos ad fidem Chriſtianam converterit, laudatus Gregorius Turonenſis in Hiſtoria Francorum lib.* 5 *cap.* 11 *exponit his verbis:* Et quia

E ſemper Deus noſter ſacerdotes ſuos glorificare dignatur, quid Arverno de Judæis hoc anno (*ſuperiùs aſſignat annum, quo Childebertus Sigiberti filius regnare cœpit, id eſt anno Chriſti* 576, *ut Ruinartius & noviſſimi Galliæ Chriſtianæ editores obſervant*) contigerit, pandam. Cum eoſdem plerumque beatus Avitus epiſcopus commoneret, ut relicto velamine legis Moſaïcæ, ſpiritaliter lecta intelligerent, & Chriſtum Filium viventis Dei prophetica & regali auctoritate promiſſum, corde puriſſimo in ſacris Litteris contemplarentur, manebat in pectoribus eorum, jam non dicam, velamen illud, quo facies Moyſi obumbrabatur, ſed paries. Sacerdote quoque orante, ut converſi ad Dominum velamen ab eis litteræ rumperetur, quidam ex his ad ſanctum Paſcha ut baptizaretur, expetiit, renatuſque Deo per baptiſmi ſacramentum, cum albatis reliquis in albis & ipſe procedit. Ingredientibus autem populis portam civitatis, unus Judæorum ſuper caput converſi Judæi oleum fœtidum, diabolo inſtigante, diffudit. Quod cum cunctus abhorrens populus voluiſſet eum urgere

F lapidibus, Pontifex, ut fieret, non permiſit. Die autem beato, quo Dominus ad cælos poſt redemptum hominem aſcendit glorioſus, cum Sacerdos de eccleſia ad baſilicam pſallendo procederet, irruit ſuper ſynagogam Judæorum multitudo tota ſequentium, deſtructamque à fundamentis campi planitiei adſimilat.

ad fidem Chriſtianam adduxit,

7 Alia autem die Sacerdos eis legatos mittit dicens: Ut ego vos confiteri Dei Filium non impello, ſed tamen prædico, & ſalem ſcientiæ veſtris pectoribus trado: paſtor ſum enim Dominicis ovibus ſuperpoſitus, & de vobis ille verus Paſtor, qui pro nobis paſſus eſt, dixit habere ſe alias oves, quæ non ſunt ex ovili ſuo, quas eum oporteat adducere, ut fiat unus grex & unus paſtor. Ideoque ſi vultis credere, ut ego, eſtote unus grex, cuſtode me poſito; ſin verò aliud, abſcedite à loco. Illi autem diu æſtuantes atque dubitantes, tertia die, ut credo, obtentu Pontificis conjuncti in unum, ad eum mandata remittunt dicentes: Credimus Jeſum Filium Dei vivi, nobis prophetarum vocibus repromiſſum; & ideo petimus, ut abluamur baptiſmo, ne in hoc delicto permaneamus. Gaviſus autem nuntio Pontifex, nocte ſancta Pentecoſtes, vigiliis ce-

AUCTORE G. C.

AUCTORE G. C.

lebratis, ad baptiſterium foras-muraneum egreſſus eſt, ibique omnis multitudo coram eo proſtrata baptiſmum flagitavit. At ille præ gaudio lacrymans, cunctos aquâ abluens, chriſmate liniens, in ſinu matris Eccleſiæ congregavit. Flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota civitas de grege candido; nec minus fuit urbi gaudium, quàm, quondam Spiritu ſancto deſcendente ſuper Apoſtolos, Hieruſalem videre promeruit. Fuerunt autem, qui baptizati ſunt, ampliùs quingenti. Hi verò, qui baptiſſimum percipere noluerunt, diſcedentes ab illa urbe, Maſſiliæ redditi ſunt. *Sanctus Venantius Fortunatus juſſu Gregorii Turonenſis hanc Judæorum converſionem cecinit extemporali & prolixo carmine, quod in editione Broweri noſtri lib. 5 carm. 5 legi poteſt.*

quos tamen contra decreta Eccleſiæ

8 *Fortè quiſpiam ſuſpicabitur, hanc* S. Aviti *actionem eſſe contrariam decreto S. Gregorii Magni Papæ, qui in noviſſima Pariſienſi editione anni 1705 inter epiſtolas lib. 1 epiſt. 10, ſive tomo 2 Operum col. 497 & 498 ad Bacaudam & Agnellum epiſcopos ita ſcribit:* Hebræos

B

gravari vel affligi contra ordinem rationis prohibemus; ſed ſicut Romanis vivere legibus permittuntur, annuente juſtitia, actus ſuos, ut norunt, nullo impediente diſponant. *Deinde lib. 1 epiſt. 47 Virgilium Arelatenſem & Theodorum Maſſilienſem monet, Judæos non eſſe ad baptiſmum cogendos, ſed ad fidem amplectendam ſuaviter excitandos. Denique idem ſanctus Pontifex lib. 13 epiſt. 12 ad Paſchaſium Neapolitanum epiſcopum de Judæis in diœceſi ejus commorantibus inter alia ſic habet:* Agendum ergo eſt, ut ratione potius & manſuetudine provocati, ſequi nos velint, non fugere; ut eis ex eorum codicibus oſtendentes, quæ dicimus, ad ſinum matris Eccleſiæ, Deo poſſimus adjuvante, convertere. *Sæpius alibi ſanctus ille Papa Judæos, quos Chriſtiani vexabant, prohibet injuriâ affici, ut faciliùs ad fidem Chriſtianam adducantur.*

ad infidelitatem deferendam

9 *Verùm eminentiſſimus Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum 579 num. 26, poſt narratam illam Judæorum converſionem, in favorem* S. Aviti *ſubjungit ſequentia:* Huc uſque Gregorius (*nimirum Turonenſis, ex quo hiſtoriam iſtam retulerat*) de Judæorum converſio-

C

ne à ſancto Avito divino Spiritu adminiſtrata, ex Euangelii (ut putavit) præſcripto, quo Dominus monuit, compellendos vi aliqua intrare in Eccleſiam remorantes, licet à ſancto Gregorio Papa incenſio ſynagogarum minimè comprobetur; ſed nec à recentioribus ſcholaſticis ſcriptoribus, qui eamdem quæſtionem diffuſiſſimè pertractarunt, vi extorquendam converſionem, conceditur; quamvis non deſint, qui ex adverſo obnixè repugnent, & contrariam ſententiam tueri conentur. In Avito autem quis id audeat condemnare, viro præſertim cuncta ſua ſancti Spiritûs arbitrio moderante, itidemque miraculis coruſcante?

non coëgit.

10 *Præterea Browerus noſter in notis ad prædictum Venantii Fortunati carmen pag. 138 cauſam* S. Aviti *defendit hoc modo:* Ceterùm, quæ gentis hujus notiſſima eſt pervicacia, niſi malo coacta haud mediocri, rarò, quibus inſuevit, deſerere ſolet; ita & hîc uſuvenit, ut niſi exſtimulata non daret Avito manus: nam concurſu turbæ, ob injuriam illatam neophyto, primum lapidibus acta, dein ſynagogæ excidio multata hanc ab Avito conditionem accipit, ut vel ſolum verteret, vel ſacra. Qui ſanè cogendi modus, ut probari multis nequeat, hoc tamen ſancti Viri exemplo erunt, qui ſe defendent, quando illuc res devenerit, ut moderata coactio, quam indirectam vocant, adhiberi poſſit; modò non interveniat actio palam injurioſa ab eo, qui cogit; ſiquidem talis coactio non eſſet ex æquo & bono. Quare Avitus hîc rectè ac ordine feciſſe videtur: quippe uſus furore multitudinis, tamquam occaſione ſua, pœnas & majora damna, quæ manentibus imminerent, ab eorum capite prohibuit, hocque tamquam fræno in gyrum religionis eos adduxit. *Denique, ut hîc pluribus argumentis referendis ſuperſedeam, quis temere condemnet Hiſpanos ac Luſitanos, qui jam ſub pœna capitis arcent à ſuis regionibus Judæos, niſi fidem Chriſtianam amplectantur?*

D

§ II. Diverſa pietatis opera, quæ ſanctus Præſul exercuit, obitus illius ac ſepultura.

E

Fortunatus Sanctum hunc ornat elogio,

S*Uprà laudatus Venantius Fortunatus in editione Broweri lib. 3 carm. 26 miſit* S. Avito *noſtro nonnullos verſiculos, quibus præfixit hanc inſcriptionem:* Domno ſancto atque apoſtolicis actibus prædicando, domino pio, & peculiariter dulci in Chriſto, patri Avito papæ Fortunatus humilis. *Deinde carmen ſuum ſic exorditur:*

Officiis intente piis, pater orbis, Avite;
Gloria pontificum, noſter & altus amor.
Per quem plebs, regio, peregrinus & hoſpes aluntur,
In quo cuncta capit, quæ ſibi quiſque cupit.
Ex opere immeritus merui pia dona patroni,
Ne minimam paſcens immemor eſſes ovem.
Qui trahis ore greges æterna ad pabula Chriſti,
Qualiter hinc vivant eſt quoque cura tua.
Semper & abſentes præſens tua protegit ala,
Quò pede non curris, munere totus ades.
Muneribus veſtris aut Agnes aut Rhadegundes,
Multiplici orantes fomite vocis agunt.
In cælos penetrandâ ſeras, Pater alte, talenta,
Quæ centena ſuo tempore culta metas.

F

Per Dominum Regemque bonum precor, aulice Præſul,
Ut Fortunati ſis memor alme tui.

quod explicatur,

12 *Browerus epitheton* aulice *in notis pag. 105 ſic explicat:* Num quia cæleſtis Regis aulæ templive cultor aſſiduus? An verò, ut ἄγεϱυλον Græci dicunt, ſic aulicum hunc Avitum appellat, quaſi in grege tuendo pervigilem? Utrumque placet præ ceteris, cum ἀυλικὸς interim ab ἀυλὸς ſit idem etiam, quod celebris & cantatus. *Quantam porrò curam* S. Avitus *pro aula vel templo cæleſtis Regis geſſerit, evidenter apparebit ex ſacris ædibus, quas tempore epiſcopatus ſui conſtruxit vel inſtauravit, ut infrà referemus. Interea lector meminerit, nos de Agnete & Radegunde, quæ in hoc carmine nominantur, ad diem* XIII *Auguſti, ſive tomo 3 iſtius menſis, in Actis S. Radegundis reginæ ac poſtea monialis Pictavienſis, ſparſim ſat multa dixiſſe.*

& Gregorius Turonenſis

13 *Baſilica S. Antoliani martyris ruinam minitabatur, ut Gregorius Turonenſis lib. 1 de Gloria martyrum cap. 65 fusè narrat, ubi ad rem noſtram de* S. Avito *ſubnectit ſequentia:* Quod periculum Avitus pontifex cernens, anticipans futuram

A futuram columnarum ſtragem, juſſit tigna aſſereſque vel tegulas amoveri; quibus ſubmotis, nec adjutoriis columnis appoſitis, nutu Dei diſcedentibus de machina ſtructoribus, ut cibum caperent, recedentibuſque & reliquis à baſilica, dato columnæ immenſo pondere, cum magno ſonitu ſuper altare & circa altare diruerunt, completaque eſt ædes nebulâ de effracti calcis pulvere. At Sacerdos exſanguis duorum damnorum detrimenta ſuſpirans, ne & marmora confregiſſent, & aliquis deperîſſet è populo, ſcire non poterat, quid damni acceſſiſſet: nullus enim propter nebulam pulveris illuc poterat accedere. Poſt duarum verò horarum ſpatium, recedente nebula, ingreſſi ſunt vel defunctorum colligere corpora, vel columnarum fragmenta rimari. Nullum hominem periiſſe cognoſcunt; altare quoque mirantur illæſum, in quod è tanta altitudine impactæ columnæ nihil læſionis intulerunt. Quid plura? Invenerunt omnia integra, cuncta contemplantur eſſe ſalvata; glorificant Martyrem, conſpiciunt Dei virtutem, qui ſic altare columnaſque ſervavit illæſas. *Veroſimiliter etiam Deus in hac mirabili altaris hominumque conſervatione reſpexit pietatem ſancti Præſulis noſtri, qui collabentem S. Antoliani martyris eccleſiam tam ſolicitè ſtudebat reſtaurare.*

B

laudat pietatem illius

14 *Sic quoque ſanctus noſter Antiſtes conſtruxit eccleſiam ſuper tumulum S. Geneſii martyris Arverni, qui ruſtico cuidam locum ſepulturæ ſuæ revelaverat, ut laudatus Gregorius Turonenſis in eodem libro de Gloria Martyrum cap.* 67 *poſt alia exponit his paucis verbis:* Audiens hæc Avitus epiſcopus urbis illius, baſilicam ſuper tumulum Sancti magnam ædificavit, dedicatamque, feſtivitatem in ea excoli præcepit, in qua nunc multa frequentia populorum cum votis, ut diximus, veniens, cum ſanitate regreditur. Hanc etiam baſilicam ſancti Geneſii Arelatenſis reliquiis illuſtravit. *Ruinartius in notis ad hunc Gregorii Turonenſis textum monet, huic baſilicæ S. Geneſii Arverni adjunctum fuiſſe monaſterium, quod Ordini Cluniacenſi poſtmodùm, retento abbatiæ titulo, unitum fuit, illudque in inferiori Arvernia ſitum eſſe, ac hodie vulgò* Thiern *ſeu* Thiers *appellari. Noviſſimi Galliæ Chriſtianæ editores tomo* 2 *col.* 243 *his addunt,*

C *in iſta eccleſia legi duas inſcriptiones, quarum una ſic ſonat:* Templum hoc anno conditum DLXXV: interiore parte vetuſtate everſum, reſtauratum anno MCVII: Calviniſtarum flammis deturpatum anno MDLXXVIII. *Altera verò exprimitur his verbis:* Templum hoc à beato Avito conditum Capitulo opibuſque auxit Guido à Thierno anno MXVI.

in exſtruendis ædibus ſacris.

15 *Apud jam laudatos Galliæ Chriſtianæ editores tomo* 2 *col.* 225 *&* 243 *dicitur* S. Avitus *monaſterium Volvicenſe fundaſſe, & eò tranſtuliſſe corpus S. Auſtremonii, qui primus eccleſiæ Arvernæ ſeu Claromontenſi præfuit. Inſuper apud Savaronem in Originibus urbis Claromontanæ pag.* 345 *ex anonymo* S. Aviti *biographo referuntur ſequentia:* Sanctiſſimus iterum Avitus poſt ædificationem Tiernenſis eccleſiæ, in urbe Arverna, qua (ut prædiximus) Domino annuente, cathedram pontificalem ſuſceperat, in locum, qui ab antiquis PORTUS vocabatur, in honore ſanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ eccleſiam eleganter conſtruxit, quam & multis Sanctorum reliquiis diligenter adornavit. *Ibidem pag.* 234 *hæc baſilica S. Mariæ de Portu, nunc vulgò* noſtre Dame du Port *dicta, in veteri Ms. codice ſeculi* x *vocatur* eccleſia S. Mariæ principalis, *ubi citatus anonymus Vitæ ſcriptor talem hujus cognominis rationem reddit:* Atque prædictam baſilicam principalem appellari placuit, vel quia inter ceteras, quæ per epiſcopatum in honorem ſanctæ Dei Genitricis conſtructæ videbantur, principatum teneret; vel quia in eadem civitate tunc temporis eccleſia ad gloriam Matris Dei fabricata inveniri nullo modo poterat. *Cointius in Annalibus Francorum ad annum Chriſti* 594 *num.* 4 *de iſto cognomine, quod ad rem noſtram hîc parum facit, fuſiùs ratiocinatur. Ceterùm* S. Avitus *in hac eccleſia ſanctæ Mariæ de Portu ſepultus eſt, ut in fine hujus paragraphi dicemus.* AUCTORE G. C.

Sanctus Præſul amicitiam colebat

16 *Si amor pares invenit, aut pares facit, ut vulgò dicitur, de ſanctitate Præſulis noſtri conjecturam facere poſſumus ex amicitia, quam cum Sanctis adhuc viventibus habuit. In hoc genere apud Gregorium Turonenſem in Vitis Patrum cap.* 11 *primus occurrit S. Caluppanus eremita, cujus horridam habitationem Gregorius ibidem ſatis indicat hac brevi deſcriptione:* Locus etenim ille tam difficilis eſt ad incedendum, E ut etiam feris beſtiis illuc accedere ſit laboris. *Non obſtante hac itineris difficultate,* S. Avitus *hunc Sanctum inviſit, ac Gregorium ſecum duxit, ut hic ibidem num.* 3 *teſtatur his verbis:* Acceſſimus autem & nos ad locum cum beato Avito epiſcopo, & omnia, quæ narravimus (*aſperam ejus vitam ac tentationes narraverat*) quædam ab ipſo relata cognovimus, quædam oculis propriis inſpeximus. A memorato autem Pontifice diaconatus ac presbyterii ſortitus eſt gradum. *Veroſimiliter hic ſanctus anachoreta* S. Avito *tam familiaris fuit, ut ei ſuas tentationes & corporis afflictationes patefecerit.*

cum ſanctis Viris

17 *Alterum hujus rei exemplum colligitur ex iiſdem Vitis Patrum cap.* 12, *ubi ſanctus Brachio abbas circa finem vitæ cæleſtes ſuas viſiones ſancto Præſuli noſtro revelaſſe ſic legitur:* Cumque tempus migrationis appropinquaret, vidit in viſu, ſicut ipſe beato Avito epiſcopo retulit, ductum ſe ad æthera in præſentiam Domini, ibique Cherubin ac Seraphin obumbrare majeſtatem Domini, & Eſaïam prophetam extenſo volumine verba, quæ vaticinaturus erat, intimare, turbam circumſtantem angelorum in F laudem Dei ſedentis ſuper æthera clamare. *Huc etiam referri poſſet amica converſatio Antiſtitis noſtri cum S. Gregorio Turonenſi, ſive potius paternus ejus affectus erga illum adhuc adoleſcentem, quem ad virtutem & eccleſiaſticam doctrinam excitavit, ut ipſe Gregorius in Vitis Patrum cap.* 2 *ante geſta S. Illidii grato animo fatetur. Si igitur alumnus vel diſcipulus doctus & ſanctus gloriam afferat magiſtro ſuo, multum laudis ex felici illa inſtructione in* S. Avitum *redundare juremerito cenſebimus.*

ſui temporis

18 *Hinc etiam S. Venantius Fortunatus ſuprà aſſignatum carmen quintum libri quinti, quod juſſu S. Gregorii Turonenſis in honorem* S. Aviti *de mirabili multorum Judæorum converſione panxerat, ita eoncludit:*

Novimus affectu potius, quod diligis illum,
Hunc quem corde vides, ſemper & ore tenes.
Hoc tibi nec ſatis eſt, hujus quod es ipſe relator,
Compellis reliquos plaudere voce ſibi.
Non fuit in vacuum, quod te provexit alumnum,

Si

AUCTORE G. C.

Si cui mente, fide, reddis amore vicem.
Annuat Omnipotens, longo memoraliter ævo
Ut tua laus illi, laus sit & ille tibi.
Me quoque vos humilem pariter memoretis uterque,
Et pro spe veniæ voce feratis opem.

Istud S. Aviti *magisterium in Vita S. Gregorii Turonensis, quæ Operibus ejus apud Ruinartium præfigitur, & quam Cluniacensis abbas Odo composuisse creditur, num. 6 clarius exprimitur his verbis:* Cum verò sanctus Gallus ad emeritam beatæ vitæ coronam vocaretur, Vir Domini Avitus adolescentem (*videlicet Gregorium postea Turonensem episcopum*) suscepit, qui cum ejus ingenium morumque habitudinem exploravisset, magistrorum diligentiam adhibuit, & quanta vel ipsius industria, vel eorum sedulitas velocitate poterat, ad arcem sapientiæ provexit.

& venerabatur alios jam vitâ functos,

19 *Sicuti* S. Avitus *cum Sanctis adhuc viventibus amicitiam colebat, ita Sanctos jam vitâ functos & in cælo glorioſos magna veneratione prosequebatur, ac visitandis ornandisque eorum sepulcris diligenter intendebat. Præter illa, quæ superiùs hac de re protulimus, id iterum discimus ex Vitis Patrum, in quibus S. Gregorius Turonensis cap. 2 gesta S. Illidii episcopi recensens, num. 4 sic scribit:* Hujus confessoris beatum corpus ab antiquis in crypta sepultum fuit; sed quia arctum erat ædificium, ac difficilem habebat ingressum, sanctus Avitus pontifex urbis, constructâ in circuitu miri operis ablidâ, beatos inquisivit artus, reperitque in capsa tabulis formata ligneis, & juxta morem sarcophago clausit.

quorum propterea patrocinium sensit,

20 *Cum quædam sacræ reliquiæ S. Germani Autissiodorensis in Arverniam delatæ essent*, S. Avitus *illas devotè visitans, meruit ex iis cælestem odorem percipere, quemadmodum jam sæpe laudatus Gregorius Turonensis in libro de Gloriâ confessorum cap. 41 testatur in hunc modum:* Quodam autem tempore ad supradictam basilicam, in qua reliquiæ conditæ sunt, cum Avito episcopo accessimus. Quò cum sanctus Pontifex jejunus ingressus fuisset horâ quasi decimâ, omnes, qui cum eo eramus, odorem liliorum & rosarum naribus hausimus, quod nobis beati Pontificis præstitum merito non ambigimus. *Etiam sanctus Antistes expertus est patrocinium S. Martini Turonensis, ut patet ex eodem Gregorio, qui lib. 3 de Miraculis S. Martini cap. 60 narrans ea, quæ in itinere suo gesta sunt, ad propositum nostrum hæc habet:* Metuens superventuras infirmitates, de hoc pulvere, id est sepulcri beati antistitis (*videlicet Martini*) auferre & mecum deferre præsumpsi, scilicet ut cum quempiam nostrorum morbus aliquis invasisset, virtus Sancti ope consuetudinaria subveniret..... Nos verò ex hoc itinere Arvernum venientes, reperimus Avitum episcopum à tertiano typo ita graviter concuti, ut etiamsi aliquid cibi sumeret, statim rejiceret; sed de hoc pignore potu sumpto, calcata febre, roboratus est.

& variis piis operibus intentus,

21 *Non dubitamus, quin* S. Avitus *exercuerit alia plurima pietatis opera, quæ nos latent, quandoquidem S. Venantius Fortunatus in suprà memorato carmine illum depingit, tamquam virum officiosum & omnibus omnia factum,*

Per quem plebs, regio, peregrinus & hospes aluntur,
In quo cuncta capit, quæ sibi quisque cupit.

Ex hoc generali scriptoris coævi testimonio benignitatem sancti Præsulis erga pauperes & afflictos abundè possumus colligere, quamvis hanc aliasque virtutes singillatim non expresserit Gregorius Turonensis, qui tamen in Historia Francorum lib. 10 num. 6 misericordiam ipsius erga captivos ita declarat: Apud Arvernos verò vincti carceris, nocte nutu Dei disruptis vinculis, reseratisque aditibus custodiæ egressi, ecclesiam ingressi sunt. Quibus cum Eulalius Comes onera catenarum addi jussisset, ut super eos posita, extemplo ceu vitrum fragile comminuta sunt; & sic, obtinente Avito pontifice, eruti, propriæ sunt redditi libertati. *Post hanc qualemcumque virtutum collectionem, nunc assignandum est tempus, quo circiter* S. Avitus *ad æterna meritorum suorum præmia evolavit.*

anno circiter 594 obiit,

22 *Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi 594, num. 4 de tempore mortis illius tradit sequentia:* Avitus Arvernensis episcopus obiit hoc anno, duodecimo Kalendas Octobris, quo die celebris ejus memoria recolitur. Id Joannes Savaro testatur in Originibus Claromontanis. Certè cum Aviti mortem in Historia ecclesiastica Gregorius Turonensis haud scripserit, ex eo colligere est, Avitum in vivis adhuc superstitem fuisse post annum Christi quingentesimum nonagesimum primum, quem Gregorianæ Historiæ ultimum esse constat. *Quamvis inde terminatus annus Christi 594, qui morti sancti Præsulis nostri affigitur, non invictè probetur, tamen nos Savaronem & Cointium secuti, suprà in margine eumdem obitûs annum circiter annotavimus, quia nihil huic epochæ contrarium invenimus. Nihil hîc dicimus de mortuali ipsius die, quam Savaro vigesimam Septembris fuisse affirmat: licet enim forsan* S. Avitus *eo die mortuus fuerit, tamen annuam ejus memoriam cum Castellano & novissimo Breviario Claromontensi hodie celebramus.*

& in ecclesia Portuensi sepultus est,

23 *Sanctus Antistes post obitum in ecclesia S. Mariæ de Portu sepultus est, ut anonymus Vitæ scriptor apud Savaronem pag. 345 testatur his verbis:* Sepultus est autem in ecclesia Portuensi, quæ principalis dicitur, quam ipse, dum adviveret, decenter fundaverat, & diligenter consummaverat. *Hanc ecclesiam Portuensem, quæ postea à Normannis combusta est, S. Sigo Claromontensis episcopus seculo nono restauravit, ut liquet ex his versiculis, quos Savaro pag. 344 & 345 ex Ms. Codice sic refert:*

Hoc templum sanctus primò fundavit Avitus,
Inclytus antistes, nobilis & genere.
Hoc Normannorum flammis gens usſit acerba,
Bacchans, & strages heu! miseras faciens.
Sed Sigo hanc præsul prisco decoravit honore *&c.*

ubi forsan adhuc reanonymus quiescit.

24 *Corpus* S. Aviti *verosimiliter huic Normannorum furori subductum fuit, cum auctor ecclesiis ac monasteriis Claromontanis apud Savaronem pag. 344 scribat hoc modo:* In ecclesia S. Mariæ principalis primum altare S. Mariæ, altare S. Juliani, altare S. Privati, altare S. Sulpitii; ubi requiescunt S. Avitus, & S. Garius, & S. Sigo. *Ruinartius in notis ad Historiam Francorum Gregorii Turonensis col. 490 de Sepultura* S. Aviti *hæc observat:* Sepultus est in ecclesia B. Mariæ principalis, ut habetur in libro de ecclesiis Claromontanis cap. 2, quæ dicitur B. Mariæ de Portu in ejusdem sancti Viri Vita, quam ecclesiam à cathedrali distinguendam esse, monet Savaro. Alius est Avitus, qui in eccle-

A ecclesia sancti venerandi quiescit, in libro laudato cap. 10, sancti Boniti frater. *Recentiore notitia destituti, de præsenti sacrarum ejus reliquiarum statu nihil certi referre possumus, ac propterea huic commentario historico finem imponimus.* D

DE SANCTA THEOCLETA THAUMATURGA.

Cultus è Fastis Græcis, elogium, tempus vitæ. J. P.

SEC. IX. *Annuntiatur in Menologio Sirleti, & alibi; elogium ejus*

profertur è Menæis impressis: * *in Græco* πωχοῖς, *quod* pauperes *significat.*

Menologium Sirleti Sanctam hanc annuntiat ad diem XXI *Augusti his verbis:* Eodem die commemoratio sanctæ Theoclitæ miraculorum effectricis. Hæc fuit sub Theophilo Christi osore, ab infantia Deo gratis moribus educata, divinorum eloquiorum meditatione, & multarum eleemosynarum in pauperes distributione, & opere quotidiano laborans, ut necessitatibus pauperum ministraret. Hæc & diem obitus sui prædixit. Quot verò, & quanta fuerint per eam edita miracula, difficile admodùm foret brevi sermone comprehendere. *Ecgrapha nostra è bibliotheca Ambrosiana lib. N.* 178 Theocletæ Thaumaturgæ *memoriam consignant eâdem die; sed in Menæi Chiffletiani apographo dumtaxat lego,* Τῆς ἁγ. Θεοκλητεῖς, *id est,* Sanctæ Theocletes, *omisso titulo* Thaumaturgæ; *quod tamen etiam habetur in Menæis magnis, hac quoque die* XXI *eam memorantibus. Elogium, quod in eisdem exstat, noster Matthæus Raderus è Græco Latinè vertit. Illud cum textu Græco contuli, atque huc transcribendum censui. Sic itaque sonat:* Vixit hæc imperante Christi hoste Theophilo, patria & stirpe oriunda ex ordine optimatum. Patrem habuit Constantinum, matrem Anastasiam. Ab incunabulis sanctè & religiosè educta; juncta dein viro, ipsi moribus simillimo, Zachariæ, ex cujus consuetudine nullum accepit detrimentum. Effusissima enim erat tunc in pauperes, sacrarumque Litterarum meditationi intenta, quidquid boni apprehendit, executa est, & quascumque ex Litteris sacris ad virtutem adhortationes legit, diligenter explevit. B C

2 Toto die occupabatur, & necessitatibus viduarum * ad ipsam concurrentium subveniebat, domesticisque ministrabat. Postquam autem dies ex vita emigrationis appropinquavit, convocatis familiaribus diem obitûs sui, quæque illo die eventura erant, prædixit. Quæ porrò post mortem ipsius miracula acciderint, litteris à nobis, qui rerum compendia sequimur, tradi non possunt. Unum tamen propter magnitudinem rei silentio non est transmittendum. Singulis annis tersanctum illius corpus propinqui levare solent, & vestes allatis aliis permutare, canamque comam componere, & ungues à manibus pedibusque præscindere, dictoque Trisagio, suo loco reponere. Corpus autem incorruptum manet. *Vox* Θεσάγιον, *id est,* ter sanctum *Latinè, ut suprà notatur; sed hìc significat formulam divinæ laudis, in qua* ἅγιος *ter repetitur, videlicet* ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς, *id est:* Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis. *Consuli potest Hierolexicon Macrorum in voce* Sanctus. E

3 *Quo tempore* S. Theoclete *floruerit, indicatur superiùs, dum dicitur vixisse sub imperatore Theophilo, Christi hoste; qui imperare cœpit loco patris sui anno Christi* 829, *ejusque adversus imagines sacras impietatis heres exstitit, è vita sublatus anno* 842. *Dolendum, hujus* Thaumaturgæ *miracula vel intercidisse, vel saltem non pervenisse hactenus ad meam manum; sicut & plura alia non esse in promptu, quæ de illa referam. Ad diem* 111 *hujus mensis inter Prætermissos habetur è Menæis impressis S. Theocleta, Græcè* Θεοκλητῶ, *quam nobis prorsus ignotam esse diximus, nisi forte esset hodierna; sed hanc ab illa diversam esse, non gravatè persuaderi mihi patior, quia hodiernæ apponitur* Thaumaturgæ *titulus, non illi in dictis Menæis. Habes, lector, quæ de hac Sancta discere nobis licuit & docere.* *vixit seculo nono.* F

A D

DE B. BALDUINO ABBATE
ORDINIS CISTERCIENSIS,
REATE IN ITALIA,

G. C.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

Beati hujus memoria in hagiologiis recentioribus & in litteris S. Bernardi, publicus ejus cultus ac diſtinctio ab alio Ciſtercienſi ſynonymo.

AN. MCXL. *Hic Beatus, qui ex Menologiis*

B *Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum ad diem* XI *Auguſti ex tabulis Reatinis annuntiat* Reate ſancti Balduini abbatis Ordinis Ciſtercienſis *annuam memoriam, & ibidem in notis de Beato illo monet ſequentia :* Is ex genere Comitis Marſorum, fuit S. Bernardi abbatis diſcipulus, ad quem decimam quintam epiſtolam ſcripſit. *At Chryſoſtomus Henriquezius in Menologio Ciſtercienſi ad diem* XV *Julii (nos tomo* IV *Julii pag.* 5 *Beatum iſtum inde huc remiſimus) eumdem Abbatem exornat ſequenti elogio :* In Gallia beatus Balduinus monachus Claræ vallis, ſanctiſſimi patris noſtri Bernardi diſcipulus, & ab eo ſpeciali amoris prærogativa dilectus, vir in divinis & humanis rebus ſufficienter inſtructus, & ſingulari ſanctitatis opinione celeberrimus, qui Reatini cœnobii abbas inſtitutus, piiſſimis moribus & angelicæ converſationis exemplo monachos curæ ſuæ traditos informavit. *Neſcio, cur Henriquezius hunc Beatum* in Gallia *annuntiaverit, cum Reate in Italia mortuus ac ſepultus fuerit, ut infrà videbimus.*

& epiſtola ſancti Bernardi

C 2 *Porrò ſingularis amor S. Bernardi erga hunc ſuum Diſcipulum facilè colligitur ex ducenteſima prima illius epiſtola, quæ inter Opera melliflui Doctoris* ad Balduinum abbatem Reatini monaſterii *ſcribitur, & in editione Mabilloniana anni* 1690 *tomo* I *col.* 192 *ſic ſonat :* Epiſtola, quam miſiſti, affectum tuum redolet, movet meum. Et doleo quod, prout moveor, non poſſum ſcribere. Nec immoror in excuſandis excuſationibus, ſciens, quod ſcienti me loquor. Noſti, inquam, ſub qua ſarcina gemo; & gemitus meus non eſt à te abſconditus. Tu verò pro ſchedulæ brevitate affectum non æſtimes, quem nulla ſui prolixitate explicare poſſet oratio. Et malitia quidem occupationum poſſet facere, ut paucis ſcribam, ſed non ut parum diligam. Actum ſanè excludat, vel impediat actus; ſed numquid affectum ?

nobis notus eſt,

3 Sicut mater unicum amat filium, ita te diligebam hærentem lateri meo, placentem cordi meo. Diligam & abſentem, ne ſolatium meum ex te, & non te videar dilexiſſe. Eras perneceſſarius mihi. Atque hinc vel maximè claret, quàm ſincerè te diligam. Hodie nempe non te caruiſſem, ſi quæſiviſſem, quæ mea ſunt. Nunc autem vides, quod ſpretis utilitatibus meis, tuis compendiis non invidi, ponens te utique ibi, unde aliquando tranſponaris ſuper omnia bona Domini tui. Tu autem cura inveniri fidelis ſervus & prudens, conſervis tuis cæleſte triticum communicare abſque invidia & abſque deſidia erogare. *Deinde ſanctus Magiſter hunc dilectum Diſcipulum ſuum pluribus hortatur, ut ſubditos ſuos* E *in monaſterio Reatino fortiter ſuaviterque regat, ac eis ipſe exemplo virtutum præluceat. Hinc ſatis patet, quanti S. Bernardus fecerit hunc Virum ſibi tam charum ac utilem, quem tamen cœnobio Reatino præficiendum cenſuit. Etſi magna laus ſit à tanto viro æſtimari ac diligi, tamen hæ rationes non ſufficerent ad aſſerendam* B. Balduini *ſanctitatem, niſi aliunde accederent fide digna publici cultus teſtimonia, quæ jam proferemus.*

teſtantibus Ughello,

4 *Ferdinandus Ughellus in ultima editione Veneta Italiæ ſacræ tomo* I *col.* 1199 *occaſione Donis epiſcopi Reatini de beato Abbate noſtro ſic meminit :* Hujus temporibus, aut certè paulo antè, Reatæ B. Balduinus deceſſit, filius Berardi X Comitis Marſorum, fraterque Raynaldi abbatis montis Caſini & Cardinalis. Fuit Balduinus S. Bernardi alumnus, factuſque Ciſtercienſis monachus, adeo exaggeratis effulſit virtutibus, ut, cum Reatini à ſancto Bernardo monachorum coloniam expoſtulaſſent, Balduinum delegerit, qui SS. Matthæi atque Paſtoris cœnobio primus abbas præeſſet; qui ſua prudentia, ſanctitateque, exemplis cœnobium illud fortunis F cultuque divino mirabiliter adauxit, ſanctiſque operibus plenus deceſſit ex hoc ſeculo, ſepultuſque eſt in cathedrali Reatina, ubi celebri populorum veneratione ejus memoria recolitur die 11 menſis Auguſti.

Oldoino noſtro

5 *Suſpicor, hîc in numerum diei, quo beatus iſte Abbas obiit, aut colitur; mendum irrepſiſſe : quidam enim venerationi ejus diem ſecundam Auguſti, nonnulli decimam vel undecimam ejuſdem menſis, ac alii denique decimam quintam Julii aſſignant, ut jam vidimus. Auguſtinus Oldoinus noſter occaſione Balduini, qui ex Ordine Ciſtercienſi ad Romanam purpuram aſſumptus eſt, in Additionibus ad Vitas & res geſtas Pontificum Romanorum ac S. R. E. Cardinalium tomo* I *pag.* 982 *de* B. Balduino *abbate ſic meminit :* Alium à Balduino abbate agnoſcunt ex tabulis & monumentis Reatinæ eccleſiæ Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano, & Ferdinandus Ughellius in additionibus ad Ciaconum : ille enim fuit filius Bernardi Marſorum Comitis, & Rainaldi abbatis Caſinenſis & Cardinalis frater, obiitque anno MCXL, & in eccleſia Reatina ſepultus

A sepultus decima die Augusti colitur.

& aliis scriptoribus

6 *Illustrissimus Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* 1130 *cap. 6 num. 6 ex additionibus Ughelli ad Ciaconium sub Innocentio II Pontifice allegat sequentia illius additoris verba:* Balduinus sancti Pastoris in diœcesi Reatina Cisterciensis Ordinis primus abbas, ex Clarevallensi monacho à sancto Bernardo directus, Bernardi decimi Marsorum Comitis filius & Rainardi Cassinensis abbatis, sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, frater germanus fuit, qui sanctis operibus & miraculis clarus obiit anno MCXL, & in Cathedrali Reatina humatus est, ibique summa cum veneratione, die secunda Augusti colitur. *Vides, hîc diem secundam Augusti cultui ejus assignari. At in documentis Reatinis, quæ anno* 1673 *ad decessores nostros missa sunt, post elogium* B. Balduini *superiori simile, circa diem mortis & venerationis in fine legimus sequentia:* Sanctis operibus plenus ex hoc seculo decessit die XXI Augusti, sepultusque est in ecclesia cathedrali Reatina in capella nunc dicta DELLE GRATIE subter altare, sacratissimæ

B virgini de Rosario dicatum, ubi celebri populorum veneratione ejus memoria recolitur die dicta XXI Augusti. *In eligenda annuæ festivitatis die hanc manuscriptam Reatinorum instructionem secuti sumus, & hunc beatum Abbatem hodie in Opere nostro collocavimus.*

in urbe Reatina publicè colitur.

7 *Sed quæcumque sit vera mortis aut venerationis dies, his testimoniis certiores reddimur de publico hujus Beati cultu, qui præterea confirmatur ex epistola Petri Fossini nostri, qui anno* 1674 *ad Papebrochium Româ scripsit in hunc modum:* Statim atque accepi litteras, ad me à R. V. datas XXVII Aprilis, scribendum curavi ad amicos Reatinos, ut notitiæ inde à vobis desideratæ mitterentur .... De B. Balduino abbate Cistercienſi promittit, qui scribit, amicus Reatinus, exploraturum se curâ, ecquid monumentorum de Actis ejus & miraculis illic reperiatur, cunctaque ad me missurum. De cultu hujus Beati affirmat idem, celebrari festum ejus ritu duplici Reate, & corpus ipsius quiescere in uno è sacellis episcopalis ecclesiæ sub altari marmoreo cum aperta fenestella, ex qua lumen lampadis,

C perpetuò ante ejus ossa ardentis, cernitur; caput quoque ejusdem in forma argentea conditum in festis anni præcipuis cum reliquiariis aliis in ara ejus templi principe exponi consueviſſe. Hæc sunt, quæ ad vestra quæsita Reatini respondent. *Hæc ad publicum & immemorabilem* B. Balduini *cultum probandum sufficere videntur, licèt ulteriorem de peculiaribus ipsius gestis notitiam non acceperimus.*

Etsi gesta ejus distincte non noverimus,

8 *Neque plura de gestis ejus invenit suprà laudatus Angelus Manrique, qui in Annalibus Cistercienſibus ad annum Christi* 1140 *cap.* 9 *num.* 10 *de obitu ejus hæc scribit:* Hoc item anno miraculis illustris, meritis clarus, sanctus Balduinus ad Superos transfertur, Bernardi filius, quem in primum Reatini monasterii patrem atque pastorem, ante decennium ab eodem sancto Patre promotum, diximus ..... Nobis aliunde nec Acta scire datum, neque miracula; imò nec AUCTORE qua occasione in cathedrali Reatina, & non in G. C. propria sancti Pastoris sepultus jaceat, quamvis urgentem non liceat dubitare. In Menologio die quinta decima Julii commemoratur; sed nulla majori notitia, quàm ea, quæ ex epistola Bernardi hauriri potuit, cujus nos etiam fragmentum suprà adduximus. *Manrique fragmentum hujus epistolæ, quod nos etiam suprà dedimus, in iisdem Annalibus Cistercienſibus ad annum Christi* 1130 *cap. 6 num. 6 exhibuerat, & eodem anno* 1130 *abbatiale ejus inchoaverat officium, illudque per decem annos usque ad mortem durasse affirmat. Propterea nos initio hujus Commentarii historici obitum hujus Beati anno* 1140 *in margine notavimus, cum probabiliorem ejus annum non invenerimus.*

tamen malè confunditur cum alio ejusdem nominis,

9 *Nonnulli hunc* B. Balduinum *perperam confuderunt cum alio ejusdem Ordinis Cistercienſis homonymo, qui ab Innocentio II Pontifice ad dignitatem cardinalitiam evectus est. Inter hos confusionis assertores numerari potest eminentissimus Baronius, qui in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1137 *num.* 33 *erroneam suam in* E *ea re opinionem post relata quædam Balduini Cardinalis gesta prodit his verbis:* Extat sancti Bernardi epistola officiosissima & affectuosissima (*citat in margine epistolam* 201, *cujus partem superiùs exhibuimus*) ad Balduinum abbatem Reatini monasterii, quem eumdem puto cum hoc, qui ad Cardinalatûs dignitatem assumptus est. *Chalemotus in Hagiologio Cistercienſi & Sartorius in Cistercio bis-tertio* B. Balduinum *abbatem Reatinum non memorant, & hunc verosimiliter exemplo Baronii cum Balduino Cardinale unum eumdemque fuisse existimarunt.*

ut Pagius & alii observarunt.

10 Porrò facile fuit utrumque Balduinum in unum conflare, cum uterque Italus, uterque ex Claravalle, atque uterque Bernardi discipulus fuerit, *ut Pagius in Critica historico-chronologica ad Annales Cæsaris Baronii anno* 1137 *num.* 18 *loquitur, ubi tamen hunc eminentissimi scriptoris errorem ita corrigit:* Baronius Balduinum istum Cardinalem primum ex Ordine Cistercienſi creatum ab Innocentio II anno MCXXX in concilio Claromontano & postea archiepiscopum Pisanum, qui dignabatur esse scriba divi Bernardi, perperam confundit cum altero Bal- F duino Reatini cœnobii primo abbate, itidemque Bernardi discipulo, ad quem est epistola divi Bernardi ducentesima prima, cum Reatinum monasterium regeret. Illud autem monasterium duplex, alterum sancti Matthæi, alterum sancti Pastoris, & huic Balduinus iste præfectus erat, quo tempore alter Balduinus Cardinalitiam dignitatem obtinebat. *Chrysostomus Henriquez in Menologio, Angelus Manrique in Annalibus Cistercienſibus, & Joannes Mabillonius in notis ad ducentesimam primam S. Bernardi epistolam tomo* 1 *Operum ejus col.* 192 *eumdem historicum Baronii errorem diu ante Pagium observarunt. Ecce omnia, quæ de beato illo Abbate Cistercienſi reperire potuimus.*

DE S. BERNARDO DE ALZIRA MART.

ORDINIS CISTERCIENSIS,

ITEM DE SS. GRATIA ET MARIA, SORORIBUS EJUS, VIRGINIBUS AC MARTYRIBUS,

ALZIRÆ APUD VALENTIAM IN HISPANIA,

J.P. COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Alziræ ſitus; S. Bernardi natales; frater ac ſorores; officium in ſeculo; mira ad Chriſti fidem, atque ad Ciſtercienſem profeſſionem converſio.

ANNO CIRCITER MCLXXX. *Alziræ notitia:*

ALzira, oppidum in diœceſi Valentina in Edetanis olim ignobile, pòſt famigeratum ob horum ſanctorum Martyrum agonem, *inquit Tamayus in ſuo Martyrologio Hiſpano ad diem* XXII *Auguſti poſt Acta eorum. Plura de hoc loco curioſus lector inveniet apud Gaſparem Scolanum in Hiſtoria Valentina libro* 8, *cap.* 24 *columnâ* 908; *ubi inter alia indicat, Alziram leucis ſex Valentiâ diſtare. Illuſtriſſimus Angelus Manrique præcipuus nobis dux & auctor erit in enarrandis Martyrum iſtorum Actis, tametſi alii plures de illis egerint, ſicut poſtea videbitur, ac dabitur ratio, cur hunc præ aliis potiſſimùm ſecuti ſimus. In Annalibus itaque Ciſtercienſibus tomo* 2 *ad annum Chriſti* 1156 *natales ejus, & alia narrat cap.* 1, *num.* 2 *in hæc verba:*

C *Sancti pater, frater, ac ſorores: ejuſdem dexteritas in publicis negotiis.*

2 Bernardo pater Almanzorius fuit ſub rege Sarraceno Valenciæ (nam ei tunc, ſicut & magnæ parti Hiſpaniæ, Sarraceni infideles dominabantur) ſub rege, inquam, Zaën, regulus ipſe: cui duo, neque exigua oppida ſuberant, Pintarrafes & Carlete. Frater ætate major, nominis ſimul ac dominii paterni heres; ſorores duæ, Zaida, Zoraidaque: ipſe, ut retuli, Ametus vocabatur. Uterque filius in aula Valentina inter regios miniſtros primæ notæ; filiæ in paterna domo continebantur. Et Almanzorius, quia heres, auctoritate; ſed Ametus induſtriâ præcellebat; adeo ut negotia regni graviora, ſubſidia belli, & ſumptus, collectæque vix præter ipſum alii crederentur. Redimendis captivis Sarracenis, qui ex continuis congreſſibus plurimi Barchinone detinebantur; an pacifcendis cum Chriſtiano rege induciis, & regulis in obſequio firmandis, in dubio eſt; certum, miſſum legatum à Zaëno, qui totius regni negotia pertractaret. Ea juveni virtus, prudentiaque, quam nulla, quamvis ardua, ſuperarent. *Hæc in laudatis Annalibus.*

3 *Sicut autem Deus mirabilis eſt in Sanctis ſuis, & in omnibus operibus ſuis, ſic in vocandis iis, quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt, inexhauſtum miſericordiæ ſuæ theſaurum aperuit & effudit in* S. Bernardum, *quando miro prorſus modo illum à denſiſſimis infidelitatis tenebris ad veræ fidei lucem attraxit, & ad ſacratiſſimi Euangelii legem ſimul ac religioſæ perfectionis normam. Audiamus itaque mirabilem converſionis ejus œconomiam ex laudato mox Manrico, qui eam ita deſcribit num.* 3 *& ſequentibus:* Hæc, *inquit*, Ameto ſalutis janua fuit. Quippe cum Catalauniam perveniſſet, Ilerdam (*urbs eſt Hiſpaniæ Tarraconenſis, quæ vulgò Lerida dicitur, & in Catalonia ſita eſt*) primùm; mox per incerta ductum, abruptaque; cum dies ſimul, & via deſeruiſſent, medio noctis ſilentio, in nemus incidit, vel in ipſo meridie horrendum exteris; nocte intempeſta vel propriis formidandum. Dumeta, & vepres terram, frondes cælum auferebant ab oculis euntium; & ſolæ tenebræ undequaque patebant viſui; trunci, quo minùs prævifi, minùs declinabiles; atque eò magis nihil metuentes repentino contactu territuri: ut nec vitare pericula liceret, & vel à tutis ſemper timendum foret. Placuit quieſcere, progredi impotentibus; & quæ major in rebus anguſtis prudentia eſt, commodum ab incommodo captare, quæ gradientibus cuncta in offenſione, detentis in uſu; atque arbuſta, & virgulta pro ſtraminibus, pro tectis frondes, pro parietibus trunci: pœnæ ad pabulum equos, equitantes ad requiem invitabant. Virginis ſole longè purioris agebatur ſolemnitas, & Sarracenus medius inter dormientem & vigilantem, ſed dormienti propinquior, erroris ſui damna, etſi non compenſabat, conſolabatur. Cùm ecce eminus auditæ cantantium voces, dulces, ſonoræ, graves; & quæ intervallis modicè diſtinctæ, alternantibus choris ab ipſa varietate mulcebant aures, animum aut rapiebant, aut excitabant. Obſtupuit, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit. *Audito monachorum Populetanorum*

4 Quippe nec ſuetus homines audire eatenus pſallentes, nec doctus angelos: & ut utroſque noſſet, hæſiſſet dubius, nec quinam, qui audiebantur, eſſent, determinaſſet. Ultra tres ho- *ſuavi cantu*,

ras

A ras prorogata melodia vocum, quò diuturnior, ſuavior; quippè timore pulſo ab aſſuetudine, ſolus pſallentium concentus percipiebatur. Tum verò muſica deficiente ſimul cum nocte; & ſuccedente harmoniæ lucis crepuſculo, qui ſolem advenientem prænuntiaret, ſubit animum, conſcenſis iterum equis, quà vepres permitterent, nemus peragrare: ſed illam ante omnes alias plagam, unde voces auditæ, auditorum affectum excitaverant. Creſcebat tunc ſub Grimaldo patre illuſtris domus, Raymundi Comitis opus, Populetum, cujus ſuprà meminimus, atque ingentioribus adhuc incrementis ingens vel initio præparabatur. Hæc loco proxima, & adhuc tectis humilis; ſed ſanctitate, obſervantiâque ſublimis, latitabat in nemore; & terram manibus per ligonem vomeremque, cælum corde, & linguâ per Dei laudes alternis vicibus ſibi comparabat.

ad monaſterium illud ſe confert,

5 Ergo cum primùm ſurgentes cominus muros, atque hominum conſpexit habitacula; ratus, quod erat, voces inde auditas; intentior ſubſtitit; & quodnam genus illud humanæ vitæ, qui ritus gentis, qui mores, perſcrutari providus an curioſus deliberavit. Ventum erat ad januam monaſterii, cum jam ſol oriens nemus irradiaret; & mallei ſonitu vocatus qui aperiret, venit, aperuit, hæſit, viſis hominibus, cognitis quippe ex veſte Sarracenis; ex apparatu, magnis; quos hoſtes fidei atque adeo & ſuæ profeſſionis non dubitabat. Vicit tamen timorem Ameti comitas, qui ſe pacificum, & noſcendæ vitæ causâ, non lædendi, adveniſſe, atque inermem ingreſſurum, ſi vellet, præſtito juramento pollicebatur. Cæleſti monitu, an propria magnitudine, animatus Grimaldus, in dubio eſt; certum, juſſiſſe virum ad ſe adduci, cui cuncta penetralia novæ domus, cui oratorium, cui chorus monachorum, quod ſummè ipſe exoptabat, oſtenderentur: nec detrectaſſe comites admittere; ſi pacificos, fortaſſis convertendos: ſi cruentos, glorioſam ſibi, & aliis per martyrium coronam allaturos.

ibique moratus, & inſtructus in Chriſtiana fide;

6 Vix Ametus monaſterium ingreſſus eſt; vix Grimaldum abbatem alloquutus, vix venerabilis ſenis verba auribus hauſit, cum ſe interius mutari repentè ſentit; & aut affici legi Chriſtianorum, quæ tales viros proferre conſueviſſet, aut invidere (nec ipſe ſatis noverat) atque ſimiles alios ex ſuis facere, ſi vitam probè noſſet, meditabatur. Quodcumque fuerit, morari dies aliquot in monaſterio petivit, & obtinuit; ſimulata fortaſſis ægritudine, qua deluderet ſocios; atque eis Ilerdam interim tranſmiſſis, facilè inde evocandis, cum convaleſceret. Tum verò ſolus inter monachos relictus, & ſingula diſquirens, perpendenſque, ac mahometicæ Chriſtianam legem conferens; dubitare primùm, mox differere; & de aliquibus rebus judicare: feria omnia, quæ à Chriſto, graviaque; ludicra, & levia multa à Mahometo; hæc rationi difformia, conſona illa: & illa per miracula firmata, qualia hæc nulla pro ſe valeat adducere. Quid, quod Chriſti potentiam inermes homines, deſpecti, & humiles, prævalentes in orbe: Mahometi impotentiam bella, & arma; nec quiſquam hactenus aliter perſuaſus, certis omninò indiciis manifeſtent? Noſtris ſolam virtutem in pretio eſſe; apud ſuos, vel vitia prævalere; utramque religionem nequaquam compati, &, ſi alterius electio facienda ſit, præſtare Chriſtianam non ſolùm pietate, ſed ſapientia; atque in utraque excellentibus hominibus; qui proprio ſanguine teſtimonium perhibuerint, pro veritate uſque ad mortem certaturi.

illam, nec non profeſſionem monaſticam

7 Hæc & ſimilia Ametus revolvens mente, atque unctione magiſtra altiùs edoctus, Chriſtianam primùm fidem, quod difficiliùs: quippe abdicandis patria, parente, opibus, propinquis, atque gratia Zaëni regis; & ſi quæ alia ſive hactenus habuerat, ſive deinceps ſperabat, ſimul cum lege: dein, quod jam faciliùs videbatur, Ciſtercienſe inſtitutum, ac vitam illam, quam principium ſalutis habuit, uſque in finem æmulandam ſibi decrevit. Non deerat generoſo Adoleſcenti interior lucta, ex aliorum offenſione major, quam ex ſeipſo. Laturum ægrè patrem apoſtaſiam, quam à vera religione eſſe putaret: quin deſpectui habendum ab aliis regulis, quòd degenerem filium genuiſſet: ſorores ſibi unicè dilectas in errore manſuras; quas forſan, ſi reverteretur, immò & totam familiam lucrari poſſet. Sed quod magis urgebat, negotia regni ſibi commendata, nec deferenda infecta viro nobili, cujus fidei commiſſa eſſent abs rege: redeundum ſaltem rationem reddituro, nec exponendam famam aulæ rumoribus, quibus mos cuncta in deterius interpretari: futuros, qui deſertum mahometiſmum levitati adſcribant; alios, qui deceptioni: utroſque timendos: ſed quantò magis, ſi violatam fidem, ſi regnum perditum, ſi defraudatum patrimonium regium, ſeu quæ ſimilia inter cauſas aſſignaret. Hoc opus, hic labor Ameti fuit. Quem non parentes, non patria, non propinqui, non regis favor, non opes retardaverant: quem corporis moleſtias contemnentem non novæ vitæ rigor deterruerat; ſola opinionis nota penè retraxit; &, ni Deus auxilians præſto foret, haud dubium quin retineret quamvis invitum.

amplectitur:

8 Sed vicit tandem in ipſo divina gratia, atque hactenus ignoratam veritatem deplorantem acerbè, ſitientem avidè, ad abbatis Grimaldi pedes traxit. Adſit & miſereatur errantis ovis, pro qua Chriſtus obierit, non deſerturus in deſerto reliquas, ſed ultro ad caulas venientem admiſſurus. Abluat fœdatum aquis ſacri fontis, atque ab ipſo levatum, ſi velit, probet; exequuturum fideliter mandata, atque aſpera quæcumque perlaturum. Indignum ſe conſortio Sanctorum hominum, & tunc primùm venientem ex paganiſmo, miniſtrum imparem, cui majora, cui gravia committi valeant. Obediendo quemcumque parem eſſe, ſi modò velit humeros ſupponere. Sed neque arcendos tirones ab Euangelio, quod non niſi per recèns converſos, hoc eſt Apoſtolos, vocatos ex Judaïſmo, plantâtum fuit. Senſit Grimaldus inflammatæ mentis ardorem, conſenſitque, ac, magiſtro aſſignato, catechumenum voluit mox Chriſtianum ac monachum futurum. Ferunt, intra unius hebdomadæ ſpatium edoctum legem, fidei articulos, præcepta utriuſque Tabulæ, tum etiam eccleſiaſticas orationes, Sacramenta, & quæcumque neceſſaria, non ſine ipſius magiſtri deſignati, ac cæterorum, qui videbant, admiratione. Quippe in aliquibus etiam ſupra magiſtrum; in aliis ipſe magiſter, ſeu potiùs Deus in ipſo comprobabatur.

baptiſmum ſuſcipit, nomen commutat,

9 Itaque hoc anno (ſed dubium, qua ejus die) luſtralibus ſacri fontis aquis abluto corpore, atque animâ per gratiam renovatâ, & veterem cum actibus ſuis exutâ hominem, novum induere meruit in Chriſto genitum, atque ex ipſo renatum, per ipſum tandem in cælis regnaturum.

AUCTORE J. P.

turum. Nomen Ameti depoſuit ſimul cum ſecta; atque ex recenti Bernardi ſanctitate Bernardus dictus; cui Sancto ab ipſis ſuæ converſionis initiis, ſeu famâ operum, ſeu ſtudio profeſſionis, ſupra alios addictus, in quantum potuit, voluit adhærere. Jam legebantur libri Vitæ ejus, primus præcipuè à Guillelmo abbate ſcriptus, qui & Ameto ſacris initiando traditus fuerat. Hunc ergo virum præ aliis imitandum cum catechumenus ſibi propoſuiſſet, nominis non minùs petivit anteſignanum: quo numquam poſſet ab aliis nominari, quin Bernardum ingererent; ſed neque ſui ipſe ſine Bernardo, ſic tamen renovati per Chriſtum recordaretur.

ac ad habitum monaſticum admittitur,

10 Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia, & Bernardus impatiens totius moræ, vixdum Chriſtianus, vitam perfectiorem, ſanctioremque in ea, cui adhæſerat, lege deſiderabat. Non ullæ tunc contra recèns converſos latæ; nulla infamia ex ſuſcepta religione, atque imitata Chriſtum ſimplex ætas, ut numquam non venirent ad Euangelium, ſeriùs venientes prioribus æquabat. Zelo, an invidia inductum noſtris
B temporibus, ut ab altari, & honoribus arceantur; quippe affluente miniſtrorum copia antiquiores cenſemus præferendos: nec dubitamus firmiores in religione, ſeu quia aliam non norunt, ſeu quia ſemel ſuſceptam numquam mutarunt. Demum recidivum expertos in aliquibus pericula effecerunt cautiores. Atque hæc omnia juſta, ſanctaque; ſi modò temperata, & cum debita temporum, quin etiam perſonarum diſtinctione. Cæterùm obicem converſioni gentium ponere, ac baptizandos, & eorum ſucceſſores etiam ultro venientes, etiam nobiles, ab ipſa ſacri fontis ſuſceptione reddi infames maculâ numquam ampliùs abluendâ; quod in noſtra Hiſpania uſu receptum, ac legibus ſancitum; an ſatis congruat, aliorum linquo judicio diſcernendum. Utcumque ſit, Bernardo regis filio nec nunc obſtaret macula, quam regius ſanguis cenſetur abſorbere. Ergo ad habitum Religionis ſuſceptus eſt, monachum induturus poſt probationem.

virtutum illuſtris exercitio.

11 Hæc de Viri primordiis, patria, & genere; ac de ſuſcepta utraque religione, ex ejus vitâ excerpta, quam ex antiquis Populeti tabulis, ac monaſterii Patrum ſanctæ Triados, in
C quo nunc corpus Martyris requieſcit, ad Algeziram oppidum, ad compendium redegit modernus author ejuſdem Religionis; cui conſonant medii omnes ſcriptores, Miedes, Beuter, Viciana, ex quibus aliqua etiam recentiores. Tironem veteranos anteiſſe exercitio virtutum, atque operibus totius pietatis, compertum eſt. Quin charitate in Deum, ſuoſque; his converſionem ad veram Chriſti fidem, ſibi pro Chriſto martyrium præoptaſſe: nec quidquam aliud inſtantiùs petiviſſe, quàm ut cum ſuis per martyrium conſummaretur. Quod tamen qualiter tandem impetraverit poſt plures annos exactos in Populeto, ſicut & quæ, & qualia mirabilia ante & poſt mortem per eum Deus patraverit, ſuis locis fideliter reddemus.

Converſionis tempus.

12 *Beuterus parte* 1 *Chronici generalis totius Hiſpaniæ, ac præſertim regni Valentini, lib.* 1 *cap.* 35 S. Bernardi *converſionem refert ad annum circiter Domini* 1130. *Verùm tempus illud apertè pugnat cum relata jam ex Manrico narratione; cum monaſterium Populetanum, de quo dictum eſt, necdum tunc eſſet in rerum natura, ſecundùm ea, quæ ex eodem Annalium ſcriptore referemus § 2. Unde corruant etiam neceſſe eſt, quæ habet Wionus in Appendice ad ſuum Martyrologium monaſticum Benedictinum litterâ* B, *& Menardus lib.* 1 *Obſervationum, ad menſis Auguſti diem* XX, *Wionem ſecutus. Memorant enim, eum in dicto monaſterio* monachum factum eſſe circa annum Domini MXC. D

§ II. Sanctus accuſatur; ſed à Deo honoratur miraculo; materteram Chriſto lucratur; monaſterium Populetanum.

Sanctus in pauperes admodùm liberalis, traducitur tamquam prodigus;

ILluſtriſſimus *Annalium Ciſtercienſium conditor ad annum Chriſti* 1163, *cap.* 5, *num.* 10 *ſcribit, quo Sanctus apud ſuos functus fuerit officio, quæque illa occaſione impacta adverſus eum fuerint accuſationes. Rem audiamus è laudati auctoris textu:* In Catalaunia Bernardus Alziranus, reguli Carletenſis filius, qui in Populeto E monachum induerat, quanto tardiùs ad fidem Chriſti converſus, eo ferventior, ac pietate inſigniori decorabatur. Præfecerat cellario monaſterii Stephanus abbas, & quam olim Valentini regis fiſco, negotiis domûs operam impendere homini induſtrio expertoque præceperat. Et creſcebant ſub ipſo annui fructus: ſed qui in pauperes largè diſtributi, ſive, ut aliquibus videbatur, prodigè, vix putarentur Conventui ſuffecturi. Creſcebat in dies concurſus adventantium, nec, numero alendorum multiplicato, panes decreſcere, aut minùs ſingulis tribui, animadverſum, zelatumque ne domus Dei exhauſta, deficiente annona, ad ultimam miſeriam redigeretur; eſſe modum in omnibus virtutibus, quem ultra non ſint tales: nec liberalitatem debere dici, quæ omnem liberalitatis materiam de medio tollat. Nam unde poſtmodùm liberales exiſtant, cùm nihil habeant? Quin ſi cogantur præ inopia mendicare, abſumpturos aliorum miſericordiam, ut imparem utriſque ſuſtentandis, ſic permiſſuram tot pauperes perire, quot alat monachos. Exigendam proinde rationem à cellerario, & computandos cum fructibus perceptis fructus conſumptos, atque item neceſſarios uſque ad meſſem: tunc eroganda, ſi quæ forte ſuperfuerint; ſed defectura, ut neceſſe erat, in proximo ſupplenda potiùs aliunde, quàm exhaurienda, & providendum miniſtrum prudentiorem, qui liberalitatem parſimoniâ producat, non profuſione impediat, nec petere cogatur, dum dare properat. *Sic Manricus. Verùm dum accuſaretur miniſter Sanctus à cœnobitis, quo pacto Deus illum honorarit, videamus.* F

ſed miraculo honoratur tamquam diſpenſator fidelis.

14 Hæc & ſimilia, *inquit idem ſcriptor num.* 11, ad abbatem producta, primùm omiſſa, à magnanimo incertum, an puſillanimi, certè à nolente, quem ſupplere minùs poſſet, defectum agnoſcere: ſed mox increbreſcentibus rumoribus ad examen delata, & Bernardus ad judicium vocatus eſt, dati & accepti rationem redditurus. Jam libri ante abbatem poſiti erant; jam ſumptus comparati perceptis fructibus duplo fere exceſſiſſe comperiebantur; jam timebatur ingens æs alienum, quod ad exceſſum Bernardus contraxiſſet: cum ſanctus Homo ſpiritu Dei plenus, & de exhibitione præcedentium (nam creverat annona, pecuniaque hactenus ab ipſo minùs advertente)

A vertente) firmam concipiens futurorum expectationem, Ego, ait, ab extraneis nihil accepi, ſed neque libros habeo certiores, quàm horrea monaſterii & officinas : illic acceptum & datum computetur. Nihil de foris advenit ; ſi quid habuerit, ea debiti noſtri ſumma erit, in anni reliquum prudentiùs diſtribuenda. Res mira, ſed certa, atque eo per multos comprobatior, quo mirabilior ! Frumentum, vinum, oleum, pecuniæque, & ſi quid aliud conventus adquiſierat, redundabat in doliis, horreis, thecis, acſi pluribus duplo congregatis nihil omnino ex eis hauſtum fuiſſet. Hoc fuit initium ſignorum beati Viri converſi ex mahometiſmo, prout narratur ab antiquis ſcriptoribus (*citatur ad marginem Antonius Beuter lib. 2 cap. 35.*) Inde firmatus in fide & charitate, profuſior in dies ; ſed neque monachi experti Dei virtutem, & ſancti Hominis merita, alium habere voluerunt diſpenſatorem. *Scolanus loco ſuperiùs aſſignato col. 914 & 915 alia de Viro ſancto, dum officio procuratoris fungeretur, mira memorat ; videlicet infirmos, quos inviſebat fervidè, ſigno crucis à ſuis*

B *infirmitatibus per eum liberatos fuiſſe : ad hæc, populos, ad quos ſe conferebat, operum ipſius mirabilium famâ motos, exiſſe, ut eum reciperent ; infirmoſque ei ſuos obtuliſſe, ut illos tangeret, parvulos potiſſimùm, propterea quòd Deus ipſi communicaſſet virtutem ſingularem ſanandi herniâ laborantes.*

Sudio ſalutis conſanguineorum accenſus

15 *Fidelem hactenus rerum, quæ ad corporis ſuſtentationem ſpectant, diſpenſatorem ac Deo placitum fuiſſe vidimus ; ſupereſt, ut oſtendamus, quam fidelis ac felix exſtiterit diſpenſator verbi Dei. Manricus ad annum Chriſti 1178, cap. 5, num. 6 & ſeqq. ad propoſitum noſtrum hæc narrat :* In Hiſpania vergenti jam ad ſenium Carletenſi Bernardo conceſſa quies, atque otium à monaſterii cura indultum, dolentibus monachis, & populis vicinis lacrymantibus, viriſque, quòd communem patrem amitterent, ſub quo neque illis deficere quod darent, nedum quod poſſiderent ; neque his quid acciperent, potuiſſet. Tum verò Sanctus ad altiora manum extendens, atque hactenus alendorum corporum curam ſibi commiſſam, ad convertendas animas, & ad ſpretos pro Chriſto conſanguineos, per Euangelii prædicationem illuminandos, transferens, petitâ ab

C abbate Hugone licentiâ obtentâque, Ilerdam priùs ad materteram pervenit ; inde ad ſorores, & fratrem perrecturus.

à matertera contemnitur :

16 Illa, ut nepotem, quæ auro & oſtro fulgidum juvenem conſpexiſſet, in vili ſago atque habitu deſpecto cognovit marcidum ſenem, inſultans primùm, & novos illi ritus, inviſum crucifixi Hominis cultum, religionem degenerem objiciens, quæ per ſpeciem virtutis enervet animos, & corpora ſervituti duræ ſubjiciat ; mox ut Bernardum de Chriſto diſſerentem, & Mahometanos errores confutantem attentiùs audiit ; ſerenior vultu, & jam deliberanti ſimilior, quàm objicienti, Quod, inquit, fili, in Chriſtiana lege ſubſidium, in qua dejectio pro humilitate, patientia pro conſtantia, & miſeriæ pro gloriis uſurpantur ? Quæ cæcitatem ſub honeſto nomine fidei aut producit, aut palliat, & rationi ac diſcurſui parùm defert, ſenibus nihil. Tum ſi in qualibet lege dubia occurrant, præferendam vitam, quam ſive fato, ſive providentia divina datam ſine culpa retineas, nec poſſis adimplere niſi cum laude, ut parentes, & patriam, genuſque accepta, non quæſita, nec quibuſlibet aliis permutanda ; ſic religionem, quam ſemel hauſtam, ad mortem conſervare, conſtantiæ ſit ; nimiùm examinare, ſacrilegii ; deſerere, perfidiæ ; variare, inconſtantiæ & levitatis. AUCTORE J. P.

ſed auditis ejus documentis ſacris

17 Hæc & ſimilia ad Bernardum annoſa mulier. Ille è contra fidei cæcitatem oculatiſſimam nequidquam è ratione magis, quàm multa dari, quæ ſint ſupra rationem. Non fore hominem, ſi à brutis caperetur ; non angelum, ſi ab homine mortali ; & quanto minùs Deum, ſi à creaturis. Quæ de ſe ipſo nobis revelavit, tot ac tantis inniti teſtimoniis, tot convinci argumentis, ut cæcus ſit, qui non videat cæleſte Numen. Tum ſemel cognita divina veritate, quid amabilius nobis, quàm Deus homo inter homines converſans, pro hominibus patiens, atque homines ad divinum eſſe aſſumens ? Æternas animas, æternis donandas præmiis, præferendas corporibus caducis ; quæ ſi rectè deſerviant ſpiritui, neque irremunerata remanebunt, ad immortalitatem ſurrectura : patriam, parentes, genus nequaquam eligi, quia præveniunt arbitrium : religioſum * arbitrio noſtro ſubjici, rem graviſſimam omnium, atque adeo conſultiùs eligendam. Hactenus forſan ignorantiæ datum, forſan inadvertentiæ, quòd non diſcuſſerit : nunc jam neutram ab ea poſſe prætendi. Videat, inſpiciat, conferat, & eligat æternum, aut damnanda, aut regnatura. * *l.* religionem E

orthodoxam fidem amplectitur, ac virtutibus emicat.

18 Dixit : & mulier, interiùs tangente Deo, velut ſi è gravi ſomno evigilaret, ſummum illud principium ſine principio, immutabile, immenſum, ac totam æternitatem mente revolvens, mahometanas nugas primùm ſpernere, averſari ſpurcitias, damnare licentiam, quæ ſanctis moribus plurimùm obſiſteret : mox gravitatem Chriſtianæ religionis venerari, amplecti, & nunc timore imminentis ſibi gehennæ terreri acriùs, nunc ſpe gloriæ allici : deinde amore immenſæ bonitatis, miſericordiæque, quæ in opere præcipuè redemptionis altiùs reſplenduiſſet, reſoluta in lacrymas, tandem fidem Chriſtianam, imò &, quà licuit, etiam perfectionem amplexa eſt, in utraque uſque ad mortem permanſura. Bona majori ex parte adhuc viventis diſtributa pauperibus : reliqua reſervata in uſus feminæ, modicos pro qualitate regii ſanguinis ; ſed ſibi & ſuis ſatis, &, qui ſupervenirent, adhuc pauperibus. Tum grati animi pignus poſt ejus obitum F hæc ipſa cedere voluit Populeto, unde illi ſalus, unde illuxiſſet Euangelii divina veritas : & manet hodie prædicto monaſterio nemus opacum non procul ab Ilerda, quod inter alia heroïnæ legatum fuiſſe, traditio eſt, inſtrumentis, ut ferunt, adſtipulantibus ; quæ tamen dolet ſe non inveniſſe, qui Acta Sancti collegit, unde hæc hauſimus. Hæc prima ſeges Bernardi Carletenſis, quam major alia in propria fratris domo, atque eo glorioſior, quo cruentior, præſtolabatur. Interim Populetum reverſus eſt, unde conſtantior animo, & novis à quiete & oratione reſumptis viribus, prædicationem efficaciùs aggrederetur.

Deſcribitur

19 *Cæterùm quandoquidem de monaſterio Populetano non infrequens recurrit mentio per decurſum hujus Commentarii ; ſubdo loci notitiam ; cujus juvabit meminiſſe § 3, ubi videbimus è loci iſtius ignorantia magnam hallucinationem fuiſſe commiſſam, attribuendo miraculum S. Bernardo Claravallenſi abbati, quod à noſtro* Bernardo *Populetano ſive Alzirenſi patratum eſt. Manricus ad annum Chriſti 1153, cap. 18, num. 1*

plu-

AUCTORE J. P.

plurima collegit de dicto monaſterio, è quibus hæc delibare viſum eſt : Populetum ad radices montis Pradenſis (vulgo de Prades) Tarraconenſis diœceſis in Catalonia (*& à Tarracone diſtans paullo minùs quàm itinere unius diei, teſte Domenecco infrà citando*) Raymundus Berengarius fundavit, illuſtris princeps, qui regnum Aragonum dotali titulo cum Petronilla conjuge; Comitatum Barchinonenſem hereditario jure poſſidebat. Nomen loci ab arborum frequentia, quas populos appellant, ſunt qui deducant, quòd ejuſmodi plantis abundaret. Alii à creſcentis domus magnitudine quaſi oppidulum dictum, quod vernaculâ linguâ poblet vocant. Meliùs, qui à S. eremita ejuſdem nominis, qui locum illum ab aliquot annis inhabitabat. Hunc à vicinis Sarracenis captum, qui ibidem frequentes ac vinculis compeditum in Siurana (id arci regiæ nomen) miraculoſè ereptum, ac ſuæ reſtitutum eremo, traditio eſt; atque hoc ipſum toties contigiſſe, ut tandem Agareni cedentes Numini, indemnem hominem ibidem conſervaverint; quin donaverint loco circumjacente, quem cum ſociis, quos B vellet, inhabitaret. Demum adjunctos Ciſtercienſes monachos, miſſos ex Fonte-frigido, eremum in cœnobium commutaſſe. Ita fere per omnia Joannes Alvarus, Solſonenſis epiſcopus, in Originibus monaſteriorum Aragonenſium.

monaſterium Populetanum.

20 Yepius ad hunc annum, deſumptum nomen ab eremita, & miraculum traditione acceptum quaſi per manus, non inficiatur : verùm locum donatum à Sarracenis Chriſtiano homini, haud ita facilè ſibi perſuadet; nec credendum, Raymundum Barchinonenſem fundaturum cœnobium, quod ſibi & ſuis eligat in ſepulturam, extra terminos propriæ ditionis, aut objeciſſe Ciſtercienſes monachos, ex longinquo vocatos, infidelium perfidiæ, quam toties ipſe cum ſuis eſſet expertus. Certè locum condendo monaſterio non eremitæ à Sarracenis datum, ſed Sanctio abbati cœnobii Fontis-frigidi à Comite Raymundo, deſcriptis terminis, indices rerum Aragoniæ teſtificantur; *quorum verba ibidem afferuntur. Deinde laudatus Annaliſta ſic concludit :* Sive ergo eremita jam obierit, ſeu ſupervixerit cœnobii fundationi; locus jam tunc ereptus à C Sarracenis intra fines Chriſtianos continebatur. Sed neque idem monaſterio locus, quem eremita incoluit, quamvis non longè diſtans, & intra terminos uterque continetur. *Hæc de notitia hujus monaſterii in rem noſtram protuliſſe ſufficiat. Si verò curioſus lector plura de eo deſiderat, conſulere poteſt aſſignatum ſuprà auctorem; apud quem leget donationem duplicem; alteram, ex Arabico Latinè redditam, pagani Almira Almominiz in favorem Populeti eremitæ; alteram Latinam* Catholici principis Raymundi, factam Sanctio abbati Montis-frigidi anno MCLI : (nam præceſſit adventum monachorum;) *ſepulcra regum Aragoniæ; inſignem eorum munificentiam & liberalitatem; quibus factum ſit*, ut Populetum creſcens, proficienſque, in eam, quam nunc habet, potentiam dilataretur; *quam ibidem deſcribit idem Manricus.*

D

§ III. Inſigne miraculum à Sancto patratum; in fratre convertendo irriti labores; ſorores duæ ad Chriſtiana ſacra ab ipſo adductæ; Sanctus per eas à morte ereptus.

Ex ignorantia loci, miraculum ab hoc Sancto

S*Equimur denuo laudatum ſæpiùs Annalium Ciſtercienſium ſcriptorem, qui poſtquam ad annum Chriſti* 1180, *cap.* 4, *num.* 1 *&* 2 *laudaſſet Bennonem ſeu Brunonem epiſcopum ob ardens fidei orthodoxæ propagandæ, ac Euangelii prædicandi ſtudium, pergit ibidem num.* 3 *referre, quid in eo genere præſtiterit Sanctus noſter.* In Hiſpania, *inquit*, Bernardus Carletenſis ſimili prædicandi Euangelii ſuccenſus zelo, abbatis ſui (Hugonis an Stephani? Nam Stephanus Hugoni ſucceſſit hoc ipſo anno) obtentâ licentiâ, ac E Fratrum ſe orationibus commendans, Carletum perrexit, fratrem ſororeſque, & ſi quos poſſet alios, ex mahometiſmo ad veram Chriſti fidem converſurus. Patrata ab eo in itinere miracula, Acta ejus affirmant; ſed quæ aut qualia, minimè recenſent. Celebre illud de monacho apoſtata per Virum Dei converſo; ſed non ſtatim reverſo ad monaſterium : qui mox decedens, in clericali ſepultus habitu, redeunte Sancto, ac ſepulcrum ſcrutante, in monachali cuculla inventus eſt, non ſine ingenti cunctorum admiratione. Atque hoc quidem ſive in hoc itinere, ſive in alio patratum ab hoc Bernardo : quod manifeſtè conſtat ex ejus Actis, Claræ-vallenſi per errorem tributum, maximè ab externis, qui Carletenſis minorem notitiam habent, ex Ms. monaſterii Barbelliani (*de quo mox dicetur*) Joannes Picardus vulgavit totidem verbis :

patratum in monacho apoſtata, perperam adſcribitur

22 „ Tempore B. Bernardi accidit, quòd mo- „ nachus quidam de ejus monaſterio & diſcipli- „ na exiens, relicto habitu, ſuadente diabolo, „ ad ſeculum rediit, & parœciam quamdam re- „ gendam ſuſcepit. Erat quippe ſacerdos. Et quia „ ſæpe peccatum peccato punitur, deſertor Or- „ dinis in vitium labitur libidinis. Concubinam, „ ſicut multis conſuetudinis eſt, ad ſibi cohabi- „ tandum accepit : de qua & liberos genuit. Ac- „ cidit, ut poſt annos plurimos, miſerante Do- „ mino, qui neminem vult perire, ſanctus Ber- „ nardus per villam, in qua morabatur idem „ monachus, tranſiret, & ad domum illius ho- „ ſpitandi gratiâ diverteret. Quem ille cogno- „ ſcens, & quaſi proprium patrem cum multa „ reverentia excipiens, devotè miniſtravit, & „ tam ipſi, quàm jumentis neceſſaria procuravit : „ non tamen cognitus eſt ab eo. Manè cum Vir „ ſanctus, dictis Matutinis, paratus eſſet ad eun- „ dum, nec poſſet loqui ſacerdoti, eo quòd „ maturiùs ſurgens ivit ad eccleſiam, ait filio „ ipſius ſacerdotis : Vade, defer nuntium iſtud „ Domino tuo. Erat autem puer idem mutus à „ nativitate. Qui præcepto obediens, & præci- „ pientis ſentiens in ſe virtutem, ad patrem cu- „ currit, & ſancti Patris verba verbis valde ab- „ ſolutis expreſſit, dicens : Hæc & hæc mandat „ tibi abbas.

S. Bernardo abbati Claravallenſi.

23 „ Pater primam filii vocem audiens, & „ præ gaudio lacrymans, ut ſecundò, ac tertiò „ ea-

A „ eadem verba repeteret, admonuit: & quid ſi-
„ bi abbas fecerit, inquiſivit. Cui ille: Nihil a-
„ liud mihi fecit: ſed ſolummodò mihi dixit:
„ Vade, dic domino tuo verba hæc. Ad tam
„ evidens miraculum ſacerdos compunctus, fe-
„ ſtinanter ad ſanctum virum venit, ſeque cum
„ lacrymis ad pedes illius proſtravit. Domine (in-
„ quit) pater, monachus veſter talis, ac talis fui;
„ & tali tempore à tali monaſterio receſſi. Rogo
„ igitur paternitatem veſtram, ut liceat mihi
„ redire vobiſcum ad monaſterium: quia Deus
„ in adventu veſtro viſitavit cor meum. Cui San-
„ ctus: Expecta me hîc: & ego, peracto ne-
„ gotio, citiùs revertens ducam te mecum. Ti-
„ mens ille mortem, quam priùs non timebat,
„ reſpondit: Domine, timeo interim mori. Ad
„ hæc ille: Hoc (inquit) pro certo ſcias: quia,
„ ſi in tali conditione, & propoſito mortuus fue-
„ ris, coram Deo monachus invenieris. Receſ-
„ ſit, fortè præſcius: ſed mox rediit, illumque
„ recentem mortuum, ac ſepultum audiens, ſe-
„ pulcrum aperiri præcepit. Dicentibus, quid vel-
„ let facere, reſpondit: Volo videre, utrum in
„ ſepulcro jaceat monachus, an clericus? Cle-
„ ricum, inquiunt, in habitu ſeculari ſepelivimus.
B „ Rejectâ terrâ, non in veſte, quâ ſepultus fuit;
„ ſed in tonſura, & in habitu monachi cunctis ap-
„ paruit, & magnificatus eſt ab omnibus Deus,,.
Hactenus ibi de Bernardo Claræ-vallenſi, quòd is, qui ſcripſit, Carletenſem ignoraret. Aliàs miraculum ab hoc ſecundo factum, authores omnes, qui ejus Vitam ſcribunt, conſtanter affirmant. Porro à Bernardo Patre non patratum (etſi his * contigiſſe, & fieri ab utroque facilè potuit) argumento eſt, quòd ab antiquis Guillelmo, Arnoldo, Godefridoque, auctore Exordii (*magni videlicet Ordinis Ciſtercienſis*) & aliis prætermittatur: & credibile, lecto Bernardi nomine, applicatum Bernardo principaliori, maximè ab his, qui Hiſpanum minùs norunt, eóque omnia ad unicum, quem noverant, referenda putarent: quod paſſim etiam aliis ſolet accidere, *uti habet Manricus. Adde, miraculum illud in Hiſpania à S. Bernardo Claravallenſi non eſſe factum, certiſſimè conſtare ex eo, quod Vir ſanctus in Hiſpaniam numquam pedem intulerit, prout in Commentario ejus prævio, quem heſterno die dedimus, § 44 à nobis probatum eſt. Porrò de* Barbello, *cujus ſuprà mentio incidit, monaſterio Ciſtercienſis inſtituti in diœceſi Senonenſi, agit Manricus ad annum* 1165, *cap.* 4, *num.* 5. *Sed nunc noſtrum* S. Bernardum *reviſamus, ac reſumamus annum* 1180, *cap.* 4.

* *l.* bis

C 24 Utcumque fuerit (*ita pergit ibidem laudatus auctor Annalium num.* 6,) ingreſſus domum fratris, gratanter primùm, velut qui ad vomitum paganiſmi reverſus, atque ad hoc tantùm veniſſe judicaretur, ſuſceptus eſt; indultâ ſtatim apoſtaſiæ veniâ, &, quando frater orbus permaneret, repromiſſâ coronâ, conjugéque, ex qua, etſi ſeros, ſucceſſores habere poſſet. At poſtquam Sanctus diverſam ſibi mentem, & longè aliam adventus ſui ad fratrem, cauſam aperuit, nec ſe ad ſacrilega deliria Mahometis, quæ ſemel exhorruiſſet auctoritate Euangelii, pervertendum; quin fratrem Almanzorium, ſororeſque Zoraidam, & Zaidam converſurum, ſi poſſet, proteſtaretur, unde ſalus ad populum deſcendens veram illis coronam, ſublimius regnum, atque præmia cæleſtia compararet; tum verò regulus terram pede quatiens, atque oculis naribuſque flammans & fumans, nec minùs ideo in eum dentibus ſtridens, quaſi qui zelo violatæ religionis commotus eſſet; exprobrare apoſtaſiam, cumulare opprobia, nec ſe fratrem, ſed hoſtem prædicare deſertoris ſacrilegi, in quem verbera, crucem, telaque ac graviora ſupplicia comminaretur: & niſi interceſſiſſent piæ ſorores, quæ fratrem * ſe ſuaſuras pollicebantur, actum fortaſſe foret de vita Sancti, occidente * Almanzorio, ſive ut Mahometem tali ſacrificio, ſive ut populum ſibi, quod principum aliquando conſilium eſt, per ſpeciem religionis conciliaret. Sed Bernardus divinâ providentiâ, quas poſtmodùm ſervaturus erat ſorores, tunc ſervatrices habuit, ſimul cum ipſo exinde coronandas.

AUCTORE J. P.

* fratri
* occiſuro eum

Bernardus Alziranus conatur fratrem ſuum ad Chriſtiana ſacra adducere; ſed fruſtra:

25 Igitur permiſſus Zoraidæ, Zaidæque, per quas ad leges avitas, & patriam religionem revocaretur, Bernardus magis, qua erat fide præditus, atque zelo Chriſtianæ profeſſionis, utramque aggreſſus, cum multa illis de cæleſti patria, multa de Chriſto & fide diſſeruiſſet, qui ſororibus pervertendus traditus fuerat, ſorores convertit, ac doctrinâ Chriſtianâ aptè inſtructas, ac verè fideles, ſacro baptiſmatis fonte devotus abluens, alteram Gratiam appellavit, Mariam alteram, utramque commendatam ex ipſo nomine, illo nimirum, quod gratiam præ ſe ferat; hoc, quod totius gratiæ Genitricem: utramque item ex virginitate, quâ ſerò licèt Agnum ſequuturæ, nihilominus ſequerentur, quocumque iret. Nec dubium, præſervatas ſibi à Chriſto, quas viro dudum maturas nubileſque, ſub lege continentiam aſpernante, opibus, genere, formaque præſtantes, plures jam reguli elegiſſent ſibi uxores, ſi non ab alio amatore præventæ eſſent, cui à cunctis vel invitis credendum foret.

convertit duas ſorores;

E

quæ à furore fratris Mahometani

26 Interim Sanctus fratrem Almanzorium ſalutaribus monitis aggreſſus, & nunc ex mahometanis deliramentis, nunc ex Chriſtianæ legis excellentia aucupium captans, cum nihil ſe proficere videret, & alias novæ ſponſæ Chriſti Maria & Gratia inter Chriſtianos Sponſo deſervire, atque inter virgines illi conſecratas ſolenniter, & ipſæ conſecrari exoptarent ardentiùs, communicato inter ipſos conſilio, ac ſingulis, quæ facienda erant, injunctis, placuit per fugam tempus antevertere. Tum Almanzorio, velut deſperatæ de revocando fratre, quem ſuis precibus durum omnino ſilicem, atque immobilem cautem expertæ eſſent, Quin, inquiunt, religionis deſertorem, & vilem transfugam, quantociùs expellamus de terra noſtra; quem neque perſuadere pertinacem, neque fratrem occidere, neque apoſtatam liceat retinere. Eat, & laborioſam ac deſpectam, quam ſemel elegiſſet, reſumens vitam, obſtinatæ perfidiæ pœnas luat. Cæteris gentibus mortem in ſupplicio, quia in deliciis vivere conſueſcunt; Chriſtianis vitam in amaritudine, mortem in gloria: unde in hanc faciles, atque eo atrociùs puniantur, quo diutiùs vivant.

F

eum tantiſper liberant,

27 Hæc & ſimilia dicentibus ſororibus credidit Almanzorius, & Bernardum ſeveriùs alloquutus, ab aula, ab urbe & regno abire jubet, nequaquam illuc ultra rediturum. Ille, ut erat de ſalute fratris ſolicitus, quamvis ſorores ob novum Chriſti vinculum charitate ardentiori complecteretur, obortis lacrymis, Diſcedam, frater, ait, & tibi terram leviter relinquam, dum cælum non deſeram: & qui non tua, ſed te quærere veni, facilè ab his amovear, quæ non quæſivi. Adveneram te Chriſto lucraturus, non mihi opes aut regnum temporale. Diſcedam lætus ab his, quæ lubens fugi, imò ab his, quæ evaſi.

AUCTORE J. P.

si. Sed te, quem fratrem vinculo naturæ, quem dominum jure succeſſionis & amavi & colui, æternæ damnationis vinculis captum, nec eripi patientem, dolebo triſtis, lacrymabor amarus, neque umquam capiam de amiſſo fratre, quem unicè dilexi, conſolationem. Dixit, & penè ad lacrymas commovit ſuperbum regulum; ſive intra proprias venas ſanguis efferbuit cum Bernardo communis; ſive de æterna ſalute aut damnatione memoria potens extorſit vel ab invito. Affuêre ſorores diſcedenti ſiccioribus oculis, qui tunc illis pro lingua, quibus horam & locum condicta commemorabant. Ergo Bernardus ſub veſperam egreſſus, altero ab urbe lapide divertit ad nemus, Mariam & Gratiam, ac reliquam familiam (nam plures ſeſe illis aſſociaverant) in medio noctis ſilentio præſtolaturus. Ibi orationibus & precibus intentus, ſacris Virginibus animum virilem, obſcuritatem nocti, oſtiariis aulæ fratris profundum ſomnum, demum conatibus piis felicem exitum, & tardam fratri notitiam deprecabatur. Sed nos eumdem intentum orationi, dum Virgines proſequimur, in ipſo
B nemore parumper relinquamus.

§ IV. Bernardi, ac duarum Sororum ejus martyrium; an hæ fuerint amplexæ inſtitutum Ciſtercienſe; corporum ſepultura, detectio, gloria.

Mariâ & Gratiâ ad martyrium anhelantibus,

PRædictus hiſtoriographus *Ciſtercienſis ad annum, quem modo notavimus*, 1180, *cap.* 5 S. Bernardi, *ac duarum Sororum ejus martyrium narrans*, Jam, *ait*, cæleſtem ſphæram profunda nox, ſilentium terras, atque homines ſomnus occupabat: cùm recens Chriſto deſponſatæ Virgines Sponſo obviam ituræ ſurrexerunt, ac congregatis, qui erant fidei ſociis, aſſumptiſque per ſopitos cuſtodes tranſeuntes, aulam primum, mox urbem deſeruêre. Nec erat leve ſpatium unius leucæ peragrandum utriſque; ſed præcipuè Mariæ Gratiæque feminis regiis, & ferri ſuetis magis, quam ambulare, & retinebant obſcura caligo noctis, cæca plerumque via, inviſi lapides, gliſcenteſque rupturæ, & ſi quæ alia paſſim occurrentia aut offendere ſolent, aut retardare. Sed quæ cum fide charitatem ſimul, cum charitate virtutes omnes induerant, novum ad omnia robur in ſe ipſis, fortitudinem novam ſupra virilem, nedum ſupra femineam experiebantur. Ergo albeſcente aurora nemus primùm, dein ante nemus Bernardum fratrem obvium conſpicientes, qui jam obviam exiret venienti agmini, reſolutæ in lacrymas, Ecquis, inquiunt, nos ultrà ſeparabit à charitate Chriſti? non mors, non vita, non periculum, non gladius. Quærat, ſi volet, ſorores Almanzorius, & inveniat, ſi poteſt: aut vita nos manebit inter Chriſtianos, aut mors pro Chriſto. Occultatas fideles præſtolantur, detectas angeli. Itaque ſive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. Interim nemus latentes tueatur, egreſſuras de latebris, cum fratris inquiſitio deferbuerit.

Bernardus incidit in furentem fratrem:

29 Jam biduum in eodem loco peregerant, & miniſtri Almanzorii, qui omnem circa diſcurrerant regionem, nulla prorſus veſtigia reperientes, ſpe ſua fraudati revertebantur: cùm, ecce, egreſſus de latebris Bernardus proximam nemori coloniam petiturus, unde aliquid, quo vitam ſuſtentarent, afferret ſororibus, in regem (heu!) & ſervos ejus incidit, agnus in lupum, ovis in carnifices. Tum verò regulus inſano furore percitus, irruere in fratrem, & niſi à propriis ſervis retentus eſſet, ultrò ſe offerentem, nec recuſantem pro Chriſto trucidari, haſtâ, quam manu geſtabat, tranſverberaſſet. Sed obſtitêre miniſtri primis conatibus: &, Si hunc, inquiunt, per mortem antevertas, quis nobis Zaidam, quis Zoraidam deteget, ſeu medio in nemore, ſive alibi relictas, & occultatas; antequàm inveniantur, perituras? Vivat potiùs, & detegat latentes, atque ejus conſiliis devias à veritate dedoceat dolos, fraudeſque reponat, quibus imbutas à fraterna domo eduxit. Placuit conſilium furenti quamvis regulo, & ſemet captum ad mortem ſemper adigi, revocari ad vitam numquam poſſe perpendens animo, propiùs accedens Bernardum fictè alloquitur:

à quo blandis verbis,

30 Ergone, frater, ſi te mihi permittas, me ipſo charior, quem amicum, quem regni nunc conſortem, mox ſucceſſorem, vel poſt avitas leges abjuratas dudum delegeram, fratrem non ſolùm ſpernis, ſed deludis? Ergone etiam ſorores mihi aufers (nam deceptas non dicam,) ut ne ex eis quidem adoptandos in proprios ſuſcipiam liberos? Eſto in me crimen aliquod invenias, quod majori adhuc pœna plectendum putes; quid in te patres noſtri commiſerunt? quid tanti meruêre viri, quos nepotibus fraudas? quos omnino deſtituis ſucceſſione? Eſto lex veſtra potior, & ſalubrior: an Chriſtus umquam filiorum in parentes impietatem approbavit, aut docuit? An generis humani conſervationi contrarius fuit? An reges orbos præcepit, aut conſuluit, ut ipſis mortuis nullus paci locus; ſed ſucceſſores per arma deſignarentur? Quin Radamirum *, Aragonium regem, ex monacho ad conjugium tranſlatum juſſu Pontificis, ex quo orta Petronilla, veſtræ gentis exempla, eaque ſatis recentia manifeſtaret, quantò magis, quæ nondum conſecratæ, tradendæ nuptiis, conſervandæ coronæ quantumvis minimæ? Nil ultrà nobis altercandum de religione, quæ cunctis libera; de ſucceſſione regni, quis prohibeat? Nubat utraque ſoror, nubat altera, & dum alicui, nubat Chriſtiano, ac veſtræ legis jura pia obſervet, ut vel in matrimonio perſeveret; vel, ſi maluerit, poſt ſuſceptam prolem ad cœlibatum redeat, uſque ad mortem in ipſo permanſura. *Pagius in Critica Baroniana ad annum* 1134 *à num.* 31 *de Ramiro ſeu Ranimiro, qui ex monacho factus eſt rex Aragoniæ, & ex uxore Mathilde, Willelmi VIII Comitis Pictavenſis filia, Petronillam filiam ſuſcepit, varia collegit; quæ ibidem legi poſſunt. Nos interim ea, quæ Almanzorius adverſus* Bernardum *fratrem egit, proſequamur.*

* *al. vocatur* Ramirus, *ac* Ranimirus.

deinde minis tentatus, martyrio coronatur:

31 Hæc Almanzorius in dolo ad Virum Dei, dum ad Sorores ſimul pervenirent. At poſtquàm prædâ optatâ potitus eſt, in furorem converſus, aut reſiliendum à fide Chriſtiana, aut ſubeundam atrocem mortem proponit. Nihil jam medium in Ameti rebus (ſic Bernardum vocabat ex priſco nomine) aut coronam, aut gladium ſubituri. Illam, ſi vellet fratri conregnare; hunc, ſi, ut ipſe putabat, ſuo Chriſto. Femineos animos per ſpeciem pietatis deceptos hactenus, utrovis modo reducendos ad veritatem; ſi perſeveret, timore ſimilis mortis; ſi reſipiſcat, eo ipſo magiſtro,

A gistro, quo deceptore. Tum verò Sanctus: Decepisti tu magis volentem decipi, & ultrò me offerentem ad sacrificium traxisti per dolos, quos facilè potuissem prævidere. Mihi vivere solus Christus est, pro Christo mori lucrum, quod dudum quæro. Nec credam semel Christo desponsatas Mariam, & Gratiam morte mea divellendas ab ejus fide. Quin sanguine fraterno velut irriguæ radicabuntur altiùs, securis ictus firmiùs susceptura. Dixit, & oculos ad cælum levans priùs, mox ad sorores vertens, quasi quas ad passionem invitaret, Christe, ait, quia possibile est, transeat à me ad illas calix iste; compatiantur, conregnent: & quas congenitas mihi carne, & spiritu, tibi in filias per gratiam adoptasti, fac cohærendes. Mox satellitibus vinciendas manus offerens, atque arborem, cui alligabatur, reverenter salutans, quasi quæ ligni Crucis speciem ferret, ferreo tandem, quem miles fortè ferebat, clavo ad frontem affixo, majorem ad cruciatum occisus est, videntibus Sororibus, & fratre, nec lacrymantibus; illis, quia gloriæ fratris congaudebant; hoc, quia propriæ vindictæ gratulabatur.

B *quo deinde ambæ sorores ejus perfunctæ etiam sunt.*

32 Coronato Bernardo per martyrium, atque ipsâ coronâ victrici fronti clavo velut infixâ, ne cadere, aut avelli facilè posset, restabant Sorores, quas inferiores viribus naturâ; sed gratiâ subæquales haud dissimilis triumphus præstolabatur. Has primùm mitis, promissis, blanditisque, & qui plerumque femineos animos movent, propositis conjugibus, atque alteri regni successione, alteri pingui dote, & gaza multa, quæ reges ambirent, largè oblatis, sedúcere studuit: per illecebras, luxum, deliciasque impotentiam muliebrem perversurus. Ast ubi blandimenta nihil proficere, atque utramque sororem in fide Christi accepta constantem videt, ad terrores conversus, & nunc subitam mortem intentans gladio; nunc cædem acerbiorem cæde fratris comminatus atrociter; Ille, ait, clavo confossus caput, occubuit: vos membra singula clavis, & uncis dabitis discerpenda per partes, quo diutiùs torqueamini, segniùs perituræ. An non placabo Deum sanguine vestro, qui vel proprio non parcerem? Aut reverebor contemptiones cælestis Numinis, in totius nostræ gentis, imò & ipsius legis confusionem? Natura feminas, generatione sorores, educatione filias (nam ut tales vos habui) post trucidatum fratrem de medio tollere, impium, fateor, videtur, &

C inhumanum: sed conservare prævaricatrices, atque apostatas viles, erit sacrilegum: & quantò Deus creaturis omnibus præstat, tantò observantiæ religio anteponenda. Darent fortasse pœnitentiæ locum, (atque ô utinam velitis pœnitere!) si non idem pateret obstinationi: sed cùm magis hanc lineam, quàm illam sperem, quod ipsæ proclamatis, pereundum est vobis, non tam quia peccavistis, quam ne peccetis. Dixit, & gladio percussas occidi jubet in conspectu cadaveris Bernardi, quod vires eis de terra, roburque non secus ac de cælo triumphans spiritus, auxilia & vitæ æternæ desiderium, temporalis contemptum, atque in morte lætitiam impetrabat. Excepit ictum sancta utraque Virgo constanter & avidè: nec seriùs penetravit anima cælos, quàm terram trunco contigit. Regio apparatu utrumque, quippe de cælo ovantibus occurrit cælestis aulæ curia. Terra non priùs corpora suscepit, quam proprio sanguine, ut purpura regali, constrata foret. Hæc de martyrio Principio invicti, Sororumque, ex Antonio Beutero, Martino de Viciana, aliisque, nec non & ex archiviis Populeti descripsit fideliter, qui Acta Sancti vulganda compilavit. AUCTORE J. P.

33 *Controversia hîc moveri potest, an sanctus Pugil noster Sorores suas germanas ita perduxerit ad Christianam fidem, ut institutum Cisterciense etiam sint amplexæ. Affirmat Chrysostomus Henriquez ad diem* XXIII *Augusti, qui post ea, quæ præmiserat de* S. Bernardo *earumdem fratre, sic pergit:* Maria verò & Gratia ejus sorores, quas ipse in Christo genuerat, &, præmisso castitatis voto, Cistertiensium numero adscripserat *&c. Idem tenet Chalemotus in sua Serie Sanctorum &c., dicens ad eamdem diem, illas*, jam suscepto religionis velamine, *trucidatas fuisse. Adde Bucelinum in Menologio Benedictino ad dictum diem, ubi asserit, Sanctum nostrum*, ut ad professionem vitæ monachicæ admitterentur, impetrasse. *Verùm apud Wionem & Menardum de hac re nihil lego. Manricus autem, quem modò allegabam, hoc religionis Cistercienſis institutum videtur habuisse vel suspectum, vel certè non satis probatum, cùm illud in medio relinquens, nihil de eo affirmare vel negare ausus fuerit. Sic enim loquitur num.* 7: Mariam & Gratiam multi nostris tribuunt, quasi spiritu & voto moniales: quod in antiquis non potui invenire. Quin potiùs ad materteram deduci, cum ipsa Ilerdæ piè conversaturas. Ego à Bernardo conversas, vel seculares, non dubito adscribendas illius gloriæ: cætera neque affirmo, neque nego; sed integra lectori meo relinquo. *Probabilius videntur non fuisse moniales Cistercienses.*

34 *Quid verò de sanctorum Martyrum corporibus factum fuerit, præmiserat idem historiographus Cistercienſis num. 6 in hæc verba:* Sanctorum corpora in nemore relicta, bestiis terræ & volucribus exposita: & pavissent utrasque procul dubio, si non unus de servis minùs barbarus, sive forte Christianæ legi addictus, effossâ terrâ, mandasset sepulturæ ipso in loco martyrii non procul ab Alzira, nobili oppido, à quo glorioſus Martyr hodieque sanctus Bernardus de Alzira cognominatur. Mansêre ignota sepulcra per multos annos; quoadusque sub Jacobo primo rege (quem post fundatum Ordinem sanctissimum beatæ Mariæ dictæ de Mercede, pro captivis Christianis redimendis, post Majoricam Valentiamque expugnatas, post plures & illustres victorias partas de Sarracenis tandem Cistercienſis familia præstolabatur) cælestibus signis præcedentibus detecta, atque ab ipso honorificâ capellâ, & tumulo marmoreo donata sunt: quod suo tempore latiùs referemus. Sic sanctus Martyr assumptus ex Cistercio, per regem in Cistercio consummandum inceptus coli, extorquentibus cæterorum omnium cultum crebris miraculis, quæ Deus per sacras reliquias operabatur. Qualiter autem, & qua occasione occultata iterum, iterum detecta, & locus sacer in Conventum Fratrum sanctissimæ Trinitatis de Redemptione captivorum transierit, quos Deus posuit custodes sacri thesauri, suo tempore etiam Annales tradent. *Sed quandoquidem quæ tum hîc, tum paulo antè, tum denique suprà apud nos § 1, num.* 11, *de miraculis Manricus suo tempore tradenda dicit, in Annalibus ejus tradita non reperio; aliunde supplere conabor inventionem corporum, publicosque eisdem indictos honores, nec non miracula, quibus inclaruêre, producturus ea, quæ ad nostram notitiam pervenerunt, ubi* *De Martyrum corporibus quid actum fuerit.*

E

F

AUCTORE J. P.

primò egero de publico noſtrorum Martyrum cultu.

§ V. Cultus publicus ; inventiones ac tranſlationes corporum ; favores per S. Bernardi patrocinium impetrati.

S. Bernardus Alziræ patronus.

Manricus ad annum modò dictum 1180 *num.* 7 *hæc de cultu notata reliquit :* Veneratur Alzira S. Bernardum , velut loci patronum , quem propitium ac potentem ad Deum interceſſorem in multis experti frequenter viſitant , & celebrant ſolenniter anniverſaria votiva feſtivitate. Recolunt etiam Bernardum Alziranum Martyrologium monaſticum Hugonis Menardi Auguſti xx , quamvis in notis annum typographi incuria longè anteponat ; Arnoldus Wionius in Appendice litterâ B. , Joannes Vincentius Dominicanus de Sanctis Cataloniæ , Alfonſus de Villegas de ſanctis Hiſpaniæ , Chryſoſtomus Henriquez in Menologio , Auguſti xxiii , & in Faſciculo. Quin & nos etiam , dum juvenes eſſemus , concione edita in Sanctorali noſtro , beati Martyris laudes declamavimus. *Quibus addi poteſt Ferrarius , qui in ſuo Catalogo generali Sanctorum , Martyres noſtros ita annuntiat die* xx *Auguſti :* Aloricæ in Hiſpania S. Bernardi monachi , & martyris cum duabus Sororibus.

Alii aliâ ,

36 *Præter publicam eorum venerationem , obſervare nonnulla juvat de die , quo coluntur. Vidimus modò , non eodem hunc ſignari tempore. Bollandus in rem noſtram ſua manu reliquit notatam obſervationem iſtam :* Porrò , *inquit ,* retulit mihi quidam R. P. Ordinis Trinitariorum Hiſpanus , qui ejuſdem Ordinis per Angliam , Scotiam , Hiberniam commiſſarius generalis erat , coli hunc Sanctum 2 Septembris , & plurimos ejus ope ab hernia ſanari. *Joannes de Marieta lib.* 3 *de Sanctis Hiſpaniæ Martyribus Religioſis cap.* 31 *coli eum indicat Aloricæ ſeu Alziræ , ac de eo legi die* xx *Auguſti. Alfonſus del Caſtillo Solorçano in ſacrario Valentino aſſerit ejuſdem feſtum celebrari eodem die , quo colitur feſtum S. Bernardi ,* fundatoris (*immò propagatoris*) ſacri Ordinis Ciſtèrcienſis , quod eſt die xxi (*voluerit dicere* xx) Auguſti. *Tamayus in Martyrologio Hiſpano tres Martyres noſtros refert ad diem* xxii *ejuſdem menſis. Nos Manricum ſecuti damus illos hac die , cùm hactenus certò nobis non conſtet , quo die martyrium eorum acciderit , vel quo coli debeant ; nam idem Tamayus in eorum Actis , quæ vulgavit , parum vel nihil habet firmitatis , quando ſic dicit :* Eorum agonem referunt eveniſſe xi Kalend. Septembris. *Addatur illud ex Miræo in Originum monaſticarum auctario , ſive libro* 5, *cap.* 14 , *ubi de noſtro* S. Bernardo *agens ,* Colitur , *ait ,* Officio eccleſiaſtico in ſui nominis baſilica Alciræ xx Auguſti , ubi pars corporis ejuſdem adſervatur.

nos illum ac ſorores ejus damus hac die cum Manrico.

37 *Sed nos , ut denuo id dicamus , à die , quem ſignat Manricus , etiamſi alicubi alius notetur , non recedimus : cur autem hac die Martyres referat potiùs , quàm alio , ita ediſſerit ad annum* 1180 , *cap.* 5 , *num.* 5 : De die mortis nihil certi conſtat : colitur tamen memoria trium Fratrum (*id eſt Fratris unius , ac duarum Sororum ejus*) vigeſimâ primâ menſis Auguſti ; ſive quia in ea martyrium obierunt ; ſive quòd prima poſt feſtum magni Bernardi Claræ-vallenſis abbatis , cui ſubjungi [ſe] voluerunt , ut Patri filias , ſi non , ut ſolet , occaſione ſumpta ex nomine. Haud aliter Bernardum de Candeleda memoratum ſuperiùs , eâdem die colunt , qui Durii fluminis extrema littora incolunt : unde ipſa provincia Extrema Daurii aut Durii , vulgò Eſtremadura , quæ Luſitaniam inter Bæticamque , atque utramque Caſtellam latè protenditur. *De S. Bernardo Candeledenſi egimus nos die* xx *hujus menſis.*

Propagatus cultus ex inventione

38 *Porrò quæ præmiſimus de publico noſtrorum Martyrum veneratione , confirmabuntur ex inventione & honore corporum ; quibus addemus miracula. Scolanus ſuprà citatus lib.* 8 , *cap.* 25 , *num.* 8 *& ſequentibus varia dat in rem noſtram , è quibus iſta excerpimus. Indicat igitur auctor ille , corpora iſta annis multis poſt eorum ſepulturam , dum ſub Mahometanorum ſervitute totum Valentiæ regnum gemeret , non ſepulta dumtaxat manſiſſe ; verùm etiam tum eorumdem , tum ſepulturæ memoriam delituiſſe , donec Jacobus rex victorias ſuas ſeu regni recuperationem proſequens , quadam nocte miſit , qui territorium Alzirenſe percurrerent. Dumque hac in ſilva ad ſomnum ſe compoſuiſſent , ſomniarunt vel audire ſe , vel revera audierunt dulciſſimam quamdam melodiam. Sequenti autem nocte , rei huic intenti viderunt inter noctis tenebras deſcendere de cælo luces ſex , quæ in duos choros ſeu ſeries æqualiter dividebantur. Contulerunt ſe ad locum timidi , quem deſignabant luminaria , & invenerunt terram recenti ſanguine madentem , divinoque impulſu incitati foderunt ibidem loci , & invenerunt corpora trium Martyrum : cooperuerunt ea modo , quantùm poterant , meliore & occultiore ; remenſoque ad regem itinere , rem geſtam ipſi retulerunt : cui , adhibita ejuſdem inquiſitione diligenti ac veritatis teſtificatione inter Mauros , narratum ab ipſis fuit horum Fratrum Martyrium.*

ac tranſlatione corporum ,

39 *Tunc juſſit eos magna cum veneratione inde tolli , & collocari in pio quodam eremitorio , quod conſtrui curavit , quodque hodiedum ,* inquit Scolanus , *permanet , & cum monaſterio Fratrum ſanctiſſimæ Trinitatis combinatum videmus. Similiter regis juſſu tumulus lapideus in eremitorio fabricatus eſt unà cum imagine ſeu ſtatua* S. Bernardi , *ſex columellis ſuſtentata. Infra tumulum depoſitæ ſunt Sancti reliquiæ , adjecta ad eremitorii fornicem hac inſcriptione :* Hic jacet corpus ſancti Bernardi martyris. *Alia inſuper habebatur inſcriptio Valentino idiomate expreſſa , quæ ſic ſonat Latinè :* Hîc ſunt corpora ſancti Bernardi martyris , ſanctæ Gratiæ ac Mariæ. *Pro corporibus autem iſtarum duarum Sororum exſtrui rex juſſit aliud ſepulcrum lapideum , ſicut prædictus refert hiſtoricus , in cujus fide ſuperiora huc tranſcripſimus , pauciori-bus ex eodem auctore delibaturi , quæ ad corporum tranſlationem ac publici cultus incrementum ſpectant , quæque pluribus ille enarrat.*

nec non ex munificentia unius è duobus filiis regis Valentini ;

40 *Procedentibus itaque temporibus quaſdam in iſto regno fuiſſe turbationes affirmat ; dumque in dicto eremitorio degeret ſolitarius quidam , timorem fuiſſe , ne illa ſacra corpora furto auferrentur , quia locus ille exſtabat extra ambitum oppidi : inde verò ſumma cum taciturnitate ac cautela , uti pluribus idem auctor tradit , eadem*

A *dem corpora tranſlata fuiſſe nec non depoſita prope ſummum altare. Deinde ſubdit, unum è duobus filiis regis Valentini, quem Zeyte Abuzeyte nominat, Ferdinandum Perez dictum, qui ad Chriſtianam fidem jam converſus & baptiſmo ablutus erat, dum ultimum teſtamentum conderet Valentiæ anno* 1262, *in mandatis dediſſe, ut certa quædam ſumma è ſuis bonis daretur pro fabrica* S. Bernardi *Alzirenſis & S. Felicis Sætabitani (vulgo de Xativa;) utque ſuis ſumptibus dormitorium, uti vocant, domus Valentinæ Fratrum Minorum ædificaretur. Exhinc pium venerationis affectum ſemper accreviſſe memorat; dumque Fratres Trinitarii ad locum ſacri depoſiti acceſſiſſent, ut eremitorium converterent in monaſterium, ab eremita revelatum clàm fuiſſe locum Provinciali ejuſdem Ordinis, in quo ſacrum illud depoſitum reconderetur; eamdemque notitiam cum aliis atque aliis provinciæ præſidibus ſecretò communicatam: donec anno* 1599, *menſe Maio (Solorçanus fol.* 28 *verſo ſignat diem* XXIII *Julii) impetratum eſt ab*

B *eo, qui tunc provinciam moderabatur, ut latentem theſaurum manifeſtaret, locumque concederet illum effodiendi, ut ſumptuoſo tumulo cohoneſtaretur.*

Alia corporum inventio, ac tranſlatio ſolennis: miracula.

41 *Dictum, factum: præmiſſis operibus piis, Religioſi accinxerunt ſe inveſtigationi iſtius depoſiti ſacri: laboratur per noctes duas: tertiâ verò invenitur os grande admodùm & odoriferum: nocte proxima redeunt Religioſi ad ſuum laborem, & reperiunt ſepulcrum, in quo erant Sancti oſſa conjuncta; ad latus autem caput cum foramine clavi, nullo apparente corruptionis veſtigio: rem intelligit D. Joannes de Ribera, archiepiſcopus Valentinus: mittit ſine mora viſitatorem ſuum, ut ex eo intelligat factum, ejuſque veritatem: hæc diſcutitur accuratè, agiturque de inſtituenda ſolenniſſima tranſlatione reliquiarum ad debitum locum, die* XXIV *Auguſti anno* 1610, *cui intereſſe voluit prædictus dominus archiepiſcopus, quæ una rerum celebrium fuit, quæ hoc in regno viſæ ſunt, ut refert ſuprà laudatus Scolanus, è quo ſuperiora excerpſi: & quamvis nonnullæ in hac relatione occurrant circumſtantiæ, quæ mihi non ex omni parte faciunt ſatis, quaſque cuperem aliunde probari;*

C *dandam tamen rem cenſui, quam apud eumdem auctorem inveni. Addit, de miraculis magis notabilibus trium Martyrum Valentinorum ſe aliquid dicturum ſuo loco; verùm cum de hoc argumento nihil apud ipſum inveniam in ſecunda parte Decadis primæ,* quæ tantùm Decas vidit lucem ex tribus ab authore promiſſis, *ut teſtatur Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpana; aliunde conabimur hanc materiem ſupplere.*

Genibus capta,

42 *Alfonſus Solorçanus in Sacrario Valentino fol.* 83 *& ſequentibus miracula iſta recenſet, quæ nos ex Hiſpanico idiomate in Latinum convertimus in hanc ſententiam:* Religioſa quædam è monaſterio S. Theclæ urbis Valentinæ, nomine Emerentiana Plaça, ab annis duobus capta fuerat genibus, & eorum juncturis, ita ut non poſſet pedibus conſiſtere ſine adjutorio. Dumque valde ſe affligeret, quia malo iſto laborare ſe videbat, neque poſſe ſe unà cum aliis monialibus vacare miniſteriis Ordinis, plorare ſolebat, & Dominum noſtrum rogabat, ut ſalutem conſequeretur. Sanctos etiam aliquos, erga quos peculiariùs erat affecta, invocabat, ut apud Deum ſibi eſſent propitii, ſanitatique ab eo redonaretur. In hunc etiam finem venerabatur reliquias Sanctorum, quas habere poterat. Inter illas adduxerunt ei oleum, quod ardebat in una è lampadibus antè ſanctum martyrem Bernardum. Aſſervabat autem illud uſque ad feſtum quemdam diem, quo ſedi impoſita in choro, (eâ quippe illuc erat deducta, quia movere ſe non poterat) coram ſanctiſſimo Sacramento, amborum genuum juncturas ungebat: & mox in inſtanti aiebat, comburi partes illas, quas unxerat. Poſtquam verò acceſſiſſent aliæ Religioſæ, uti eam inde tollerent, ac viderent, quidnam ei deeſſet, ac in pedes erigerent; quo tempore ſacerdos Sacrum faciens elevabat Hoſtiam, viderunt, quomodo illa ſola, nullo juvante, ſe levaret, atque incedere poſſet, gratiis Domino noſtro cum larga lacrymarum copia, nec non S. Bernardo perſolutis, quo patrocinante, ſalutem conſecuta fuit. AUCTORE J. P.

fluxu ſanguinis perniculoſiſſimè laborans; pilâ plumbeâ ictus, E

43 Mulier quædam, ex loco de Caſtellon, ad ſupremum vitæ terminum perducta, & extrema unctione jam munita ob fluxum ſanguinis, quo laborabat, quique durabat per multos dies; bibens parum aquæ, in quam immiſſi erant pulveres terrei è ſepulcro Sancti, magno cum pietatis affectu, ſanam ſeſe comperit, ac liberam ab infirmitate ſua, gratias agens ſancto Martyri de favore ſibi impenſo.

Ex Filio præcipui juſtitiæ præfecti in Guadaçuar, qui hodie (*editus eſt liber Solorçani anno* 1635) Religioſus eſt in Conventu S. Bernardi, eodem die, quo complevit votum amplectendi ſtatum religioſum, exſiliit pila plumbea, quam habebat in gutture ex ſclopeti ictu, quem exploſerat in eum pater ipſius, facere tamen id nolens.

item morti proximus;

44 Michaël Valentin, incola loci Caſtellonis Sætabitani (*vel* Sætabitanus, *ſi ad Michaëlem vox illa ſit referenda*) graviter admodùm infirmabatur, ita ut, omnibus Eccleſiæ Sacramentis munitus non modò fuerit, ſed etiam medicus dixerit, eum non poſſe valetudinem conſequi per humana remedia, niſi Deus potenti manu patraret aliquod prodigium. Infirmo autem exſpectanti, quandonam terminus adveniret ſolvendi neceſſarium naturæ debitum, nocte quadam apparuit S. Bernardus, Religioſis nonnullis eum comitantibus, ſecundum illud, quod dixit infirmus & affirmavit, ac ſine mora inclamare cœ- F pit conjugem ſuam, quæ in eodem cubiculo dormierat ſupra arcam quamdam, & dixit: Non vides, domina, glorioſum ſanctum Bernardum martyrem, qui inviſum me venit? Nunc novi, impertitam mihi ab eo eſſe ſalutem propter magnum pietatis affectum, quo per totam meam vitam fui eum proſecutus: atque adeo ab hac die in poſterum tempus propono, pro gratia hac, quam in me contulit, non orationibus dumtaxat exhibere me gratum; verùm etiam ipſi offero, me excepturum hoſpitio Religioſos omnes ac familiares ſancti ipſius Conventus. Et mox die craſtino infirmus convaluiſſe ſe ſenſit, ita ut medicus confiteretur, Deum in illo peculiare miraculum eſſe operatum, interponente Sancto interceſſionem ſuam.

infantes duo herniâ laborantes, & alii malis aliis,

45 Catharina Raſtroxo, incola loci Alcoy, duos habebat filios herniâ laborantes: unum ætatis annorum duorum cum dimidio: alterum menſium novem: quæ quoniam videbat quantum laboris pateretur utraque iſta proles, decrevit ire ad peragendam novendialem pietatis exercitationem in honorem ejus, ac ipſum rogare ſeriò admodùm, ut miſericordiâ motus reme-

AUCTORE J. P.

dium præberet duobus filiis ſuis. Hanc autem bonam voluntatem exſecutioni mandans, ac bonum iſtud exercitium quotidie proſequens, priuſquam iſti novem dies complerentur, filios ſuos vidit rectè valere, non applicato eis alio remedio majore, quam unctione ex modico oleo lampadum, quæ ardent ante Sancti altare.

Religioſus quidam è monaſterio S. Bernardi hæmorrhoïdibus valde laborabat; dumque vicibus aliquot magna cum devotione ſeſe unxiſſet pauxillo olei è Sancti lampadibus, omnino ſanus evaſit.

Pater magiſter Frater Honorius Gilbao & de Caſtro, qui S. Bernardi martyris hiſtoriam conſcripſit, magno lateris dolore affligi ſe ſenſit, nec non malo calculi: dumque nocte quadam curaſſet, ut novitii recitarent aliquos de Sancto jubilos, ſeque ipſe unxiſſet oleo lampadum ejus, ſalutem recuperavit. *Hiſce ſubjungit Solorçanus*, miracula, quæ hîc ſunt ſcripta, ad litteram deſumpta eſſe omnia è libro de iſto Sancto: præter quæ operatus eſt, & operatur multa Deus in iis, qui ſunt afflicti, ac in neceſſitate verſantur, quique ſeſe illi commendant, in ſuis afflictionibus
B & laboribus remedium invenientes.

à S. Bernardo

46 *En tibi, lector, alia quædam mira è Vita metrica Fr. Lucæ Freire de Daguarda, quam proximo paragrapho indicabo pluribus, huc tranſcripta. Hæc itaque biographus ille metricus poſteritati reliquit in rem noſtram:*

Nunc Benimuſlæi felicia tecta coruſcant:
Hæc quoque Bernardi gaudent peperiſſe favorem.
Antonius Gilbertus erat cognomine dictus:
Hic Benimuſlæi terram muroſque colebat
Agricola, & vacuum plorabat lumine natum,
Qui Lucas patrio fuerat ſermone vocatus.
Hic necdum octavum vitæ compleverat annum,
Cùm ſortis miſeræ proponens mente labores,
Inclyta Bernardi & ſecum miracula volvens,
Quodque alii largè conceſſit lumina cæco,
Antonius lacrymis patrem exoravit obortis:
Et ſi Bernardi meritis, precibuſque ſalutem
Impetret, atque oculos ſolita caligine puros,
Martyris ipſe tribus domui deſerviat annis.
47 Et cum fatorum genitrix caligine terram
ſoſpitantur. Cinxerat, & mutuum præbebat Cynthia lu-
C men,
Tum Morphei donum cæcus requiemque petivit;
Sed poſtquam roſeas monſtrans aurora figuras
Lucida flammarum prædixit lumina currus,
In fundum cæcus deducitur ipſe paternum,
Martyris hic meritis fulgentia ſidera cernit
Lætus, & optatam vidit retinere ſalutem.
Te quoque Bernardi, præclara, Valentia, tangunt
Munera, dum nimium monſtrat nutricis amorem.
Hîc Petrus Gonzalvus erat cognomine dictus,
Inguinibus binis hunc hygrocela gravabat:
Martyris aſt oleo pellit de corpore morbum.

In Geographia Blaviana volumine nono in mappa geographica regni Valentiæ, locum invenio Benimodo (*forte* Benimolo) *in territorio Alzirenſi ſitum; an illum metri causâ ſic mutarit, ac per nomen* Benimuſlæi *ſignificare velit poëta, an alium, non eſt mihi promptum dicere; erit iis, qui loco hîc dubio ſunt vicini, & quibus proinde id examinandum relinquo.* Hugrocela, *Græcè* ὑγροκήλη, *eſt herniæ ſpecies, vel ramex aquoſus, uti lego in Lexico Græco-Latino, quod* D *ante me habeo. Mittit etiam lectorem ad vocem* ἐντεροκήλη: *de qua Gorræus in Definitionibus medicis agens,* Eſt, *inquit*, tumor ſcroti, delapſo in id inteſtino: *ubi plura de hoc malo licet videre.*

§ VI. Acta ſtylo ligato & ſoluto conſcripta; tempus martyrii.

Vitæ metricæ, ex Hiſpania ad Roſweydum miſſæ, exordium & finis:

Præter ſcriptores illos, qui agunt de Martyribus noſtris, quique ſuperius per Commentarii hujus decurſum à nobis memorati ſunt; ſuggeritur alius in Ms. quod aſſervamus, hoc titulo manu noſtri Roſweydi prænotatum: Vita S. Bernardi de Alzira, ſanctarumque virginum Gratiæ & Mariæ ſororum ejus martyrum, nec non fundatio monaſterii S. Mariæ Populeti, Ordinis Ciſtercienſis, metricè deſcripta à F. Luca Freyre de Daguarda, ex regio S. Mariæ de Moreruela cœnobio, ſacræ Hiſpaniæ ſeu Caſtellæ reformationis, Ordinis ejuſdem (*in diœceſi Zamorenſi. Vide Manrici Annales locis variis, & Jongelinum in Notitia abbatiarum Ordinis Ciſtercienſis lib. 6 pag. 4.*) *Vitam hanc* accepi, *ait idem Roſweydus ad tituli marginem*, ex Hiſpania à *noſtro* P. Petro Caſtelarnau. *Sic autem illa incipit:*

Ogdoæ neque nota canam miracula Memphis,
Altos pyramidum, radiantia ſigna, coloſſos:
Nec miranda quidem Ninææ mœnia plebis,
Millia quæ decies terræ centena crearunt.
Non Ammoniacum cantet mea muſa theatrum
Nobile, quod circum ſplendentia cornua fulgent,
Altiſonum mea muſa quidem proſcindet hiatum,
Fervidaque exiguam deducet in æquora puppim,
Heſperiæ rutilum fulgenti lumine ſidus,
Exemplar meritis ac religione decorum,
Et Populetani decus admirabile tecti,
Bernardum ſimilem Gallo referemus Iberum,
Lilia de ſpinis ortum ducentia duris.

Finis autem metricæ hujus Vitæ ita ſonat: F

Sed vos ætherei fulgentia ſidera regni,
Lucidaque Hiſpanæ terrarum ſidera gentis,
Et Populetani non gloria parva ſacelli,
Nos patrocinio ſemper refovete beato.

de qua nonnulla notantur.

49 *Vocem* Ogdoæ *quia non intellexit Caſtelarnavius, ideo hanc ei cenſuram inuſſit in litteris ſuis, die* XV *Februarii anno* 1627 *ad Roſweydum Cæſarauguſtâ datis, ita ſcribens:* Primum verbum Vitæ D. Bernardi OGDOÆ, ex imperitia interpretum Græcæ linguæ corruptum eſt. *Sed errat: nam Memphim, urbem Ægypti regiam, ab* OGDOO *rege conditam, & à nomine filiæ ejus ita appellatam fuiſſe, perhibent Lexica, quæ vidi. Quippe nî ergo hoc epitheto, deſumpto ab hujus urbis conditore, uti potuerit prædictus poëta, & revera uſus ſit? Ætas ejus colligitur ex epiſtola memorati Caſtelarnavii, ad eumdem Roſweydum anno, quem notabam,* 1627, *menſe Septembri ſignata, in qua exſtant ſequentia:* Accipiat interim Vitam S. Bernardi Alzirenſis martyris bis deſcriptam: prius .. exemplar amiſſum fuit. Invenit illam Benedictinus monachus, cognatus meus, inter libros, qui fuerant epiſcopi Sancii Barcinonenſis, anno hujus ſæculi vigeſimo demortui. Dicarat illam ipſi ejus

author

A author F. Lucas Freyre de Daguarda *&c.* Videtur esse ipsum autographum. *Porrò nos Vitam illam typis non committimus, tum quia non habet, unde præ aliis ab antiquitate sua commendari possit; tum quia poëticè adornata est; tum denique quia illustrissimus Manricus, Ordinis Cistercienſis historicus, diligenter ea collegit, & stylo soluto intexuit Annalibus suis, quæ de nostro sancto Martyre, ac Sororibus ejus duabus scripta invenit; quem nos proinde suprà secuti sumus, & qualiacumque Acta ex eo transcripsimus.*

Vita apud Ughellum etiam metrica.

50 *Noster P. Carolus à Manderscheidt in litteris die 2 Octobris 1666 huc datis*, Initium, *inquit*, Vitæ illius Beati Cistercienſis, quam habet D. Ughellus, hoc est :

" Cæruleo ruerat non intempesta tridenti ,,.

Et post aliqua carmina, quæ videntur veluti prologus præmitti, incipit seriò narrare historiam Martyris, hisce verbis :

" Extat in Hesperia longos celebrata per annos ,,.

Ultimus versus istius Operis, quod constat 500 versibus, est hic :

B " Præmia percipiat nullum interitura per ævum ,,.

Vitam hanc non invenio apud nos : sed non magna est ejusdem jactura : neque enim auctoris nomen & ætas indicantur in dictis litteris. Et verò cur ad poetas recurramus, quando Martyrum gesta habemus prosaicè vulgata ?

De Vitis stylo soluto apud Tamayum ac Manricum vulgatis.

51 *Hæc etiam stylo soluto ac Latino refert Tamayus in suo Martyrologio Hispano ad diem* XXII *Augusti, ita de eisdem præfatus :* Acta scripsit brevi libello, Hispano sermone, Anonymus quidam, quem apud me retineo, ex quo illa dabimus. *Hæc si conferas cum iis, quæ ex Annalibus Cistercienſibus Manrici jam dedimus, comperies utraque sic convenire inter se, ut ad eumdem fontem referenda sint. Ad hæc, talis utrobique est Latina narrationis forma, ut verba unius exemplaris nimis conformia sint verbis alterius, quàm ut tribui possint scriptori seu interpreti diverso, non autem uni & eidem. Versio itaque ex Hispanico idiomate in Latinum, quam habet Tamayus, videtur mutuata ex Annalibus Cistercienſibus Manrici, hic enim ante illum de* S. Bernardo *nostro scripsit, & ab illo citatur inter auctores alios, Actis nostrorum Martyrum, quæ modò indicabam ex Tamayo, prænotatos. Porrò unde laudatus Manricus eorum Acta hauserit, partim indicat* § 1 *superioris nostri Commentarii, ita memorans num.* 9 :

C Hæc de Viri primordiis, patria, & genere, ac de susceptа utraque religione, ex ejus Vita excerpta, quam ex antiquis Populeti tabulis, ac monasterii Patrum sanctæ Triados .. ad compendium redegit modernus author ejusdem Religionis : cui consonant medii omnes scriptores, Miedes, Beuter, Viciana, ex quibus aliqua etiam recentiores ; *partim* § 4 *num.* 32, *ubi illa ex Manrico prolata sunt :* Hæc de martyrio Principis invicti, Sororumque, ex Antonio Beutero, Martino de Viciana, aliisque, nec non & ex archiviis Populeti descripsit fideliter, qui Acta Sancti vulganda compilavit. *Hæc etiam vulgavit Hispanicè Domeneccus in Historia generali Sanctorum, ac virorum illustrium sanctitate, principatûs Cataloniæ lib.* 2 *fol.* 10 ; *ac Scolanus antea allegatus, cap.* 24 *&* 25 ; *quibus adde Solorçanum, de quo suprà, fol.* 65 *& sequentibus, nec non Fratrem Honorium Gilbaum de Castro, ex dictis antea num.* 45 *in nostro Commentario.* AUCTORE J. P.

Tempus martyrii.

52 *Reliquum est, ut de anno martyrii breviter differamus. Solorçanus illud affigit anno Domini* 1180, *uti etiam Acta apud Tamayum, ubi hæc sunt :* Eorum agonem referunt evenisse E XI Kalend. Septembris anno Domini MCLXXX. *Manricus, sicut suprà vidimus, ad eumdem annum refert illorum palmam, & nos cum illo in principio hujus nostri Commentarii, etiamsi in Actis, quæ ex isto auctore descripsimus, annum hunc expreſsè signari non invenerimus : qua de causa nos ibidem illum notavimus cum aliqua latitudine, addendo particulam* circiter. *Scolanus, quem suprà assignavimus, cap.* 24, *col.* 910 *refutat Beuterum & Vicianam, rem accidisse scribentes anno* 1130 *: quia, sicut mox, ait, dicemus, accidit valde prope monasterium Populetanum, & scimus ex Historia Carbonelli, illud ædificari cœptum multo post tempore, anno videlicet* 1153 *per Comitem Berengarium, qui reginam Petronillam Aragoniæ duxit uxorem ; absolutum autem ab ejus filio Alfonso rege, qui regnare cœpit anno* 1162, *& anno* 1196 *obiit ; ita ut historiam* S. Bernardi, *ait Scolanus, ponere non possimus nisi ab anno* 1153, *usque ad annum* 1196, *conformiter ad Gilbaum, qui cap.* 3 *martyrium ejus ponit anno* 1180. *Hæc ille. Ast haud satis concipimus, cur nostrorum Sanctorum martyrium differri debeat usque ad annum* 1196. *Hoc enimverò Scolani ratiocinatio nequaquam probat, ut considerанti patebit. Consuli possunt etiam, quæ superiùs paragrapho* 2 *à nobis præmissa sunt de cœnobio Populetano. His Commentario nostro finem imponimus.* F

D E

A D

DE B. BERNARDO PTOLOMÆO,

INSTITUTORE CONGREGATIONIS S. MARIÆ MONTIS OLIVETI,

SENIS IN TUSCIA,

G. C. COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Immemorabilis legitimusque hujus Beati cultus ab Apostolica Sede declaratus & extensus.

ANNO MCCCXLVIII. *Sacra Rituum Congregatio declaravit*

B *Sacra Rituum Congregatio immemorabilem hujus Beati cultum approbavit, ut patet ex testimonio juridico, quod post Italicam* B. Bernardi Ptolomæi *Vitam, à Gregorio Lombardello Dominicano conscriptam, & à Bernardino Paccinello monacho Montis Oliveti editam, apud nos pag.* 143 *& sequente sic sonat:* In nomine Domini. Amen. Fidem facio per præsentes ego notarius publicus infrascriptus, qualiter die sabbati vigesimâ sextâ Novembris MDCXLIV, constitutus in officio mei notarii infrascripti, & coram me eodem notario D. Carolus Mentalis procurator venerabilis Religionis seu Congregationis Olivetanæ, & reverendissimi patris D. Gasparis de Neapoli abbatis Generalis dictæ Congregationis Olivetanæ, repetitis instantiis, aliàs factis in causa canonizationis servi Dei B. Bernardi Ptolomæi, dictæ Religionis seu Congregationis Olivetanæ fundatoris, instat iterum & de novo, non obstantibus oppositionibus factis, pro parte illustrissimi & reverendissimi D. Promotoris fidei, declarari causam dicti servi Dei B. Bernardi non esse comprehensam in decretis sanctissimæ Inquisitionis sancti Officii in materia non cultûs seu venerationis; quinimo stante cultu immemorabili ejusdem servi Dei B. Bernardi, causam, de

C qua agitur, esse de casu excepto in decretis, prout ex verbis eorumdem decretorum, ibi videlicet declarantes, quod per suprascripta in aliquo noluimus, neque intendimus præjudicare iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientiâ ac tolerantiâ præfatæ Sedis Apostolicæ vel Ordinarii celebrantur.

2 Et ideo stante dicto immemorabili cultu dicti Servi Dei supplicatur fieri decretum, causam *immemorabilem hujus Beati cultum,* præfatam esse in casu excepto in decretis prædictis, & ita fieri & provideri petit & instat, non solùm præmisso, sed omni alio meliori modo &c. Item qualiter die Lunæ quintâ Decembris ejusdem anni MDCXLIV constitutus in eodem officio notarii infrascripti & coram me eodem notario idem D. Carolus Mentalis in supradicta causa procurator præfatus & ad docendum de decreto favorabili per sacram Rituum congregationem in dicta causa canonizationis dicti servi Dei B. Bernardi Ptolomæi, dictæ congregationis Olivetanæ fundatoris, sub die XXVI Novembris proximè facto, produxit dictum decretum dictæ sacræ congregationis, subscriptum per eminentissimum & reverendissimum D. Petrum Paulum Crescentium dictæ sacræ congregationis præfectum, suoque solito sigillo impresso munitum, ac per reverendissimum P. D. Carolum Paulutium dictæ sacræ congregationis secretarium pariter subscriptum, tenoris subsequentis, videlicet: " Referente eminentissimo & reverendissi- E
„ mo D. Cardinali Franciotto causam servi Dei
„ Bernardi de Ptolomæis, monachorum Congre-
„ gationis Olivetanæ fundatoris, die vigesimâ
„ sextâ Novembris MDCXLIV sacra Rituum con-
„ gregatio censuit constare, causam prædictam
„ esse in casu excepto in decretis S. Romanæ &
„ universalis Inquisitionis.
„ P. Card. Crescentius ..... Loco ✠ sigil. impress.
„ Carolus Paulutius S. Congr. Rituum secr. „
Omni meliori modo &c., & aliàs latiùs, prout in actis meis, ad quæ &c. In quorum fidem has præsentes subscripsi, & meo solito tabellionatûs signo signavi. Romæ hac die septima mensis Decembris MDCXLIV

Loco ✠ signi Not.

Ita est Clearchus Buschus S. R. Congr. Not.

In fidem &c.

F

3 *Porrò illustrissimus D. Joannes Baptista Raynoldus in oratione, quam coram Innocentio X Pontifice ad impetrandam* B. Bernardi Ptolomæi *canonizationem habuit, enumeratis hujus Beati virtutibus ac miraculis, immemorabilem ejus cultum demonstrat his verbis:* Divulgavit horum aliorumque prodigiorum fama Bernardi sanctitatem. Hinc factum (Beatissime Pater) quod immemorabili huc usque cultu, quaqua ubi beati Patris viget cognitio, veneratus, adoratus, & SANCTUS vocatus fuerit. Traditiones immemorandi temporis testimonia maxima sunt. Ludicra commenta, mendaces ritus, impias sanctiones tempus absumit, edax ætas contumulat. At quæ veritatem supra innixa sunt, neque venti persecutionum, neque seculorum voracitas, neque barbaries tyrannorum vertere & absumere valent. Annos trecentos & ultra à Bernardi obitu numeramus, & toto hoc tempore fidelium communio populorumque devotio in ipsis diœcesis principibus templis non lampadas illius tumulo, non vota altari, non thura iconi, non tabellas parietibus, non orationes, non lacrymas, non eleemosynas destitit accumulare. Viguit semper cùm inter Olivetanos tanti parentis filios, tùm inter *qui præterea confirmatur*

A inter pios fidelium cœtus erga Bernardum intenſa religio & devotio ; non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, mons Eccleſia pugnatrix eſt fulminibus adverſariorum objectus. Civitates Sancti, qui ex eminentiori loco ceteris integritatis lumina impertiuntur.

ex duplici oratione panegyrica,

4 Piorum fidelium erga beatum Bernardum devotio mirum quantum incrementa ſumpſit à teſtimoniis virorum, & ſumma probitate & ſublimi dignitate & litteraturâ fulgentium. Qui de Bernardo Ptolomæo meminerint, qui paſſim ſanctum hominem, beatum eremicolam, ſanctæ Religionis fundatorem vocitent, auctores viginti quatuor ſunt. Non præteream præcipuos quoſdam. Stephanus Coppia Olivetanus referens ampliſſimum arbitrium viventi Bernardo à generali Capitulo conceſſum, ter à ſanctis iis eremicolis SANCTUM appellatum fuiſſe teſtatur. Annalium liber, qui in Monte Oliveti ſacroſanctus aſſervatur, hæc de eo habet ; " Ipſe Pater ſanctus, „ ſuſcepto æternæ vitæ viatico, omnibuſque „ ſanctæ Eccleſiæ Sacramentis, redditurus Do„ mino duplicata talenta, inter pſallentium fi- B „ liorum manus ſimul & mœrentium, & inter „ verba orationis gaudens, in Domino exultans, „ beatum ſpiritum reddidit Creatori „. Pius ſecundus Pontifex optimus maximus undecimo Commentariorum libro ſic laudat : " Nomen vi„ ro Bernardo fuit, qui Deo plenus, Religionis „ novellæ fuit auctor & cœnobii fundator, cu„ jus oſſa religioſè colunt „.

quarum una coram Innocentio X Pontifice,

5 *Deinde reverendiſſimus ille advocatus conſiſtorialis, qui poſtmodum ad cathedram Lucenſem evectus fuit, ita perorat, ac ſummum Pontificem alloquitur :* Quare, Pater beatiſſime, ut tam pium Virum Sanctorum in numerum cooptes, eique [decernas] Miſſam Officiumque (ut mos eſt ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus in terris fulgidum caput es) humillimè ſupplicamus tibi. Hoc religioſum cœnobium, ſanctiſſimis & doctiſſimis refertum viris, à Bernardo fundatum; hoc prodigioſæ Bernardi virtutes ; hoc inſignia ejus miracula ; hoc cultus immemorabilis à ſacra Rituum congregatione Sedis Apoſtolicæ delegata approbatus ; hoc illuſtrium virorum de ejus ſanctitate teſtimonia ab integerrima tua juſtitia expoſtulant. Hoc Olivetanus Ordo ſanctiſſimi Pa- C rentis religioſa proles ad tua genua meo nomine procumbentes à benignitate tua humillimè rogant ; ut ſcilicet illum Sanctorum albo exornes, quem Italiæ ac diſſitæ oræ devotè colunt, quem piorum vota venerantur, quem ſanctiſſimus patriarcha Benedictus, eademque Sanctorum Regina Deipara ad cælum invitavere, æternæ ſalutis certum reddidere, & ad divinam gloriam perfruendam ſecum adduxere.

altera coram Alexandro VII habita eſt

6 *Cum hæc peroratio deſiderato effectu caruiſſet, cauſa canonizationis obtinendæ ſub Alexandro VII Pontifice reſumpta eſt, coram quo illuſtriſſimus D. Julius Cæſar Fagnanus, ſacræ aulæ conſiſtorialis advocatus, orationem ſuam exorſus eſt hoc modo :* Jam quartum excurrit ſeculum, beatiſſime Pater, cum poſt exactam laboriosè vitam, præclaris virtutibus & rerum geſtarum gloria admirabilem, Bernardi Ptolomæi inſtitutoris Olivetanæ familiæ mens cælo reddita, conſortio fruitur Beatorum. Et quando exſpectatiſſimus dies aderit, ut Chriſtianæ reipublicæ & noſtrorum temporum felicitati hoc additum decus & cumulatum gaudium gratulari poſſimus, ſpectatiſſimæ ſanctitatis Viro cæleſtes honores & publicas aras & ſacrorum ſolemnitates tandem eſſe decretas, ut appellatione SANCTI, rituque & veneratione ſalutandum colendumque Bernardum habeamus ? Sed nimirum diu res agitata conſultationibus, inter populorum vota ac Principum preces, numquam tamen ad optatum exitum perducta, arcano Divinitatis conſilio, crediderim. Tibi potiſſimùm reſervata eſt, beatiſſime Pater, ut divinæ tuæ vocis oraculo clariſſimus & ſanctiſſimus Popularis tuus, de Catholico nomine egregiè promeritus, in Divorum album relatus, & adorandus Eccleſiæ propoſitus, hoc quoque titulo beatiſſimi Pontificatûs tui famam in diſſitas quaſque nationes & in omnem poſteritatis memoriam feliciùs extenderet. De quo mihi apud Sanctitatem tuam in hoc ampliſſimo orbis theatro de more verba facturo, ſi præfari veniam liceat, pro elaborata & ſuis abſoluta numeris oratione abunde fuerit, quæ ſui pompam pulchriorem exhibeat, maximarum rerum ſimplex & nullis rhetorum ornamentis exculta oratio. AUCTORE G. C.

ad impetrandam ſolennem ipſius canonizationem.

7 *Tandem facundus orator, expoſitis præcipuis* B. Bernardi Ptolomæi *virtutibus ac miraculis, orationem ſuam concludit his verbis :* Quæ cum ita ſint, beatiſſime Pater, multoque plura atque ampliora, quàm ut à me breviter & carptim commemorari dicendo potuerint, tot retro annorum confirmata conſenſu, toties publicis litterarum tradita monumentis, & hîc quoque non ſemel à ſummis viris cum ſumma eloquentiæ laude declamata & repetita feliciter, iterum atque iterum repetit humillimas preces, renovatque calidiſſimas obteſtationes ſuas apud Sanctitatem tuam, non ſolùm inclyta Senarum urbs, tot Divorum parens fœcundiſſima, non ſolùm ſereniſſimus magnus Etruriæ Dux, ſed Italia omnis, ſed omnis Europa, & tota Chriſtianæ reipublicæ, quàm latè patet, univerſitas, & ſacer Olivetanorum Ordo beatiſſimis tuis pedibus advolutus, per tuam Te clementiam ac pietatem, beatiſſime Pater, orat obſecratque ſuppliciter, ut virum ſanctiſſimum Bernardum Ptolomæum, parentem & conditorem ſuum, ſuis tandem cultibus tituliſque auctum & decoratum publicè velis, ut fulgidiſſimum illud lumen ſuper aureum Eccleſiæ candelabrum accendas, ut luceat in ſplendoribus Sanctorum, & glorificetur æterni luminis Pater, qui in ſole poſuit tabernaculum F ſuum. E

Poſteriores Pontifices Romani

8 *Quamvis hæc vota hactenus irrita fuerint apud Sedem Apoſtolicam, quæ in negotiis hujuſmodi cautè ac ſeverè ſolet procedere, tamen toties repetita inſignium geſtorum miraculorumque teſtimonia videntur poſteriores Pontifices Romanos moviſſe, ut Congregationi Olivetanæ Lectiones proprias de* B. Bernardo Ptolomæo *recitandas concederent, ac deinde cultum beati Viri extenderent, quemadmodum liquet ex ſequente decreto, quod Lectionibus propriis ita ſubnectitur:* Pater D. Joannes Franciſcus Foſſati Mediolanenſis abbas, & procurator generalis congregationis Olivetanæ, nec non procurator cauſæ canonizationis B. Bernardi Ptolomæi abbatis Ordinis S. Benedicti, ob ſummum pietatis ſtudium, quo ipſi oratores & Religioſi ejuſdem congregationis Olivetanæ ipſum B. Bernardum proſequuntur, ſupplicaverunt nomine totius ſuæ Religionis ſacrorum Rituum Congregationi pro extenſione Officii & celebrationis Miſſæ de eodem Beato per univerſum Ordinem monaſticum cum lectionibus propriis, aliàs præfatæ Religioni die XIX Aprilis MDCLXXXI ſub ritu duplici recitari conceſ-

AUCTORE G. C.

sis. Et sacra Congregatio, precibus oratorum benignè inclinata, ad relationem eminentissimi & reverendissimi D. Cardinalis de Lauræa, gratiæ petitæ annuendum esse censuit; & in posterum ab omnibus utriusque sexus totius Ordinis monastici Religiosis juxta Rubricas Breviarii & Missalis Romani, Officium & Missam de prædicto Beato sub eodem ritu duplici, ut suprà, singulis annis, XXI Augusti die ipsius Beati festo, recitari ac respectivè celebrari posse benignè concessit, si Sanctissimo D. N. placuerit. Die XXIV Novembris MDCXCI. Et facta de prædictis Sanctissimo D. N Innocentio Papæ XII relatione per me secretarium, Sanctitas sua annuit, & decretum expediri & publicari mandavit die XXIX ejusdem mensis Novembris & anni MDCXCI.

A. Episc. Ostien. Card. Cybo.

Loco ✠ sigilli.

Joseph Vallemanus sacr. Rit. Congr. secr.

Officium cum lectionibus pro priis

9 *Ceterùm Lectiones ista propriæ, quæ synopsim Vitæ continent, recitantur hoc ordine:* LECTIO V. Bernardum, qui in seculo Joannes, Senis ex prisco Ptolomæorum genere natum, pia genitorum cura apud Religiosos S. Dominici educatum, priusquam nasceretur, sub specie cycni, rostro ramum ex viridi decerptum olea referentis, mater parere sibi visa est; qui è puerperæ sinu postea divulsus, aliis comitantibus, in cælum evolaret: quod Olivetani Ordinis præsagium fuisse creditur. Adolescens equestri dignitati eruditionis præstantiam adjungens, philosophiæ ac jurisprudentiæ professor excelluit. LECTIO VI. Cum aliquando celebrem disputationem instituisset, oculis repentè captus; sed à Deipara, quam impensiùs colebat, voto ei nuncupato, oculorum lumini restitutus, cathedram conscendens, & lectionis vice facundum de vanitate mundi sermonem habens, bonis omnibus statim abdicatis, eisque in pauperes & alia pia opera erogatis, in solitudinem Acconæ secessit, quò eum plures nobiles cives, ejus voce & exemplo permoti, consectati sunt; ibique assiduis & voluntariis jejuniis & flagellis, ceterisque corporis macerationibus asperrimum, sed divinorum ac cælestium meditationibus suavissimum novus homo novum anachoriticæ vitæ genus exorsus est.

C *de hoc Beato recitari permiserunt,*

10 LECTIO VII. Tantam lucem princeps tenebrarum ægrè cum ferret, de quo Vir Dei pluries divinitus triumphaverat, famam illius falsis criminationibus per improbos homines apud Joannem XXII Avenione tunc sedentem denigrare conatur: quem summus Pontifex ad se accersitum, agnitâ ejus innocentiâ aliorumque, qui ad ipsum ex sanctitatis odore confluxerant, laudatum ad Guidonem episcopum Aretinum destinavit; cui instituti sub certa regula approbandi jus & facultatem contulit. Episcopus verò, triduano indicto jejunio, candidum habitum sub regula sancti Benedicti cum insignibus Religionis, quam congregationem sanctæ Mariæ de Monte Oliveto denominavit, prout ipsi antistiti in somnis fuerat à Deipara præmonstratum, Servo Dei ac sociis impertivit. LECTIO VIII. Bernardus subinde ad eum locum reversus, ubi novæ plantationis prima jecerat fundamenta, ædem Deo sacram sub invocatione Nativitatis beatæ Mariæ Virginis ædificat. Porrò tanta erat in ipso animi demissio, ut vix tandem suorum votis adduci potuerit ad assumendum Religionis regimen, nisi postquam ternis moderatoribus paruisset. Fervor verò charitatis ejus in proximi salutem emicuit, cum, grassante Senis & in ejus ditionis ambitu fœda pestilentia, & morbo laborantium tum corporum tùm animarum incolumitati se suosque devovit: quo ipse morbo correptus, ætatis suæ septuagesimo sexto, meritis & virtutibus insignis, in monasterio Senensi salutari refectus epulo, inter psallentium pariterque mœrentium manus exultans, immaculatum spiritum Deo reddidit decimo tertio Kalendas Septembris, anno salutis reparatæ suprà millesimum trecentesimo quadragesimo octavo, ibique miraculis clarus sepultus est. D

11 *His Lectionibus additur oratio propria, quæ sic recitatur:* Deus, qui per beatum Bernardum, novum anachoriticæ vitæ genus in Ecclesia tua exordiri voluisti; concede, quæsumus, ut ejus vestigiis insistentes, æternæ vitæ præmia consequi mereamur. Per Dominum *&c. Hæc oratio sive collecta mense Aprili anni* 1692 *post examen eminentissimi Cardinalis Colloredi à sacra Rituum congregatione & ab Innocentio Papa XII approbata est, ut in peculiari decreto ibidem refertur. Idem Pontifex, ni fallor, nomen hujus beati Viri jussit inseri Martyrologio Romano, in quo hodiedum ita legimus:* Senis in Tuscia beati Bernardi Ptolomæi abbatis, Congregationis Olivetanæ fundatoris. *Cum hic Commentarius jam prælo paratus esset, R. admodum D. Benedictus Campo-Sampieri Olivetanus sacræ theologiæ lector, Romæ anno* 1737 *dedit ad nos humanissimam epistolam, in qua ex archivo congregationis suæ exhibet instrumenta, quæ jam supra retulimus, iisque in fine notitiam nobis hactenus ignotam subjungit hoc modo:* Tandem die XXI Martii MDCCV per decretum sacræ Congregationis approbatum à Clemente XI sub die IV Aprilis ejusdem anni concessum fuit, ut in tota Congregatione celebraretur festum B. Bernardi sub ritu duplici secundæ classis cum octava, cujus postea lectiones propriæ approbatæ fuerunt, & concessæ die IV Julii MDCCV. *Licet itaque egregius ille religiosæ familiæ Conditor nondum solenniter canonizatus sit, tamen hæc certa publicæ venerationis testimonia abundè sufficiunt, ut in Opere nostro locum habeat. Nunc de biographis ac gestis ejus agemus.* *ejusque nomen Martyrologio Romano adscripserunt.* E

F

§ II. Diversi Actorum scriptores memorantur, & copiosa Vitæ synopsis exhibetur.

Post Joannem Baptistam de Populonia

PRimus *Vitam* B. Bernardi Ptolomæi *scripsisse dicitur F. Joannes Baptista de Populonia, coævus Ordinis Dominicani scriptor, quemadmodum Petrus Marcellinus Oraffius, abbas Olivetanæ Congregationis mox citandus, ante Italicam Beati Vitam in præfatione ad lectorem testatur. Quinimo Gregorius Lombardellus ex Ordine Prædicatorum, qui Acta ejusdem Beati Italicè exaravit, in Appendice ad caput quintum libri primi affirmat, hanc veterem & Latinam sodalis sui lucubrationem sibi ab excellentissimo D. Ludovico Falugio equite S. Stephani commodatam fuisse Plumbini in Hetruria, ubi eam ex antiquo exemplari fideliter transcribi jussit. Lombardellus ibidem addit, Joannem Baptistam de Populonia fuisse amicum* B. Bernardi Ptolomæi, *& sub hujus beati Patris disciplina habuisse fratrem, nomine Guilielmum, ex cujus*

A *jus ore gesta beati Viri potissimùm collegit. Videtur hæc ignorasse Jacobus Echardus Dominicanus, qui non ita pridem scriptores Ordinis sui recensuit, & tamen nullam Joannis Baptistæ de Populonia mentionem fecit; nisi forsan sub alio nomine hunc scriptorem citaverit. Quidquid sit hac de re, utinam inveniretur istud authenticum documentum, quod verosimiliter alicubi cum blattis & tineis luctatur! Saltem Patres Olivetani nuper à nobis Romæ per amicum consulti responderunt, sese istud antiquitatis instrumentum non potuisse reperire.*

varii recentiores tum Latinè tum Italicè

13 *Varii recentiores gesta Beati nostri litteris mandarunt, ut discimus ex Ms. anonymi ad nos olim misso, in quo præcipui biographi sic enumerantur:* Omnium primus ejus ad posteros transmisit Vitam Joannes de Populonia Ordinis Prædicatorum magister ac doctor, qui & vixit tempore beati Bernardi; & fratrem habuit Guilielmum sub illius magisterio ac disciplina; deinceps ejusdem Ordinis theologus, ac sancti officii Senarum consultor Gregorius Lombardellus opusculo tribus libellis digesto. Et ne fileantur prorsus Olivetani scriptores, Antonius Bargensis in
B sua Congregationis historia; D. Michaël Angelus Bonhaverti in Dialogo ad nuperos Olivetanos; abbas D. Secundus Lancellotti in Historia Olivetana libro primo; D. Paulus Carpenterius Neapolitanus libris quinque; D. Petrus Marcellinus Oraffius abbas Laudensis, & D. Dominicus Becoli in libello Italicè exarato.

de gestis hujus Beati scripserunt,

14 *His etiam alii addi possent, si recensere vellem omnes illos, qui de* B. Bernardo Ptolomæo *breviter aut obiter meminerunt. Unde Paulus Carpenterius ante Latinam Beati Vitam, quam quinque libris complexus est, initio præfationis lectorem ita alloquitur:* Beati Bernardi Ptolomæi Senensis Olivetanorum cœnobiarum parentis gesta, virtutes, & mira multi viri graves scripsere, sed carptim (ut verum fatear) potius, saltuatimque magis (si perpaucos exceperis) quàm ex professo. *Nos itaque dumtaxat hic lectori notitiam suggeremus de illis Vitæ scriptoribus, qui Acta* B. Bernardi Ptolomæi *ex professo, ut aiunt, posteritati reliquerunt. Ex his autem seligemus eos, quos præ manibus habemus, & de quibus consequenter certius judi-*
C *cium ferre possumus. Etiam rationem reddemus, cur unum alteri ad vulganda Beati gesta prætulerimus.*

inter quos potissimum recensemus eos,

15 *Paulus Carpenterius abbas Ordinis Olivetani anno 1642 Neapoli vulgavit Latinè quinque libros, quibus gesta & miracula beati sui Fundatoris eleganter ac fusè prosecutus est. At hic scriptor floridus sæpe evagatur ad narrationes, ab instituto nostro & Actis Beati alienas, ut ipse circa finem præfationis fatetur his verbis:* Digredimur multoties, & per quædam eruditione digna excurrimus. Profana (ne hilum quidem à veritatis fundamento recedentes) interteximus, & pleraque verosimilia, ut soliloquia, conciones, præcepta, descriptiones, gravissimos secuti auctores, qui & juvare & delectare studuerunt, ne legentes etiam perbreve opusculum tæderet. Quare ea omnia superflua minimè putavimus. *Sed nos istas digressiones & verborum phaleras potius rhetori, quàm historico convenire censemus, ac propterea illam lucubrationem, quæ jam antea publicè prodiit, minimè recudendam existimavimus, quamvis iterata ejusdem editio nobis facillima foret.*

16 *Cum Gregorius Lombardellus Dominicanus anno 1613 in urbe Senensi moriens Italicam* B. Bernardi Ptolomæi *Vitam prælo paratam reliquisset, Bernardinus Paccinellus monachus Olivetanus eam postea typis vulgavit, absque ulla immutatione, quemadmodum editor in præfatione ad lectorem testatur. Lombardellus autem post hanc lucubrationem suam in Appendice ad caput primum libri tertii apud nos pag.* 130 *asserit, sese omnia, quæ de* B. Bernardo Ptolomæo *scripsit, ex Joanne Baptista de Populonia aliisque antiquis monumentis hausisse. Sed magnam nobis præstitisset gratiam, si vetera illa documenta verbum de verbo expressisset, aut saltem singillatim assignasset, ut hoc tempore desiderant eruditi critici, inter quos Echardus Dominicanus in Bibliotheca Prædicatorum tomo* 2 *pag.* 385 *de similibus Lombardelli scriptis tale fert judicium:* Ego verò Gregorium non parum laudandum judico, ut virum in evolvendis historicis assiduum, deque re litteraria, præsertim in hagiographis, optimè meritum. Non nego tamen, mihi videri de fide lectoris plus satis præsumere, dum ea, quæ indiscriminatim à variis excepit etiam incerta & dubia, nullo prolato teste authentico narrat, acsi nullatenus narrantis posset vacillare fides. Hinc etiam post illum, etiam cum gustu lectum, ipsa tamen à peritis, non absque ratione, primigenia quæruntur adhuc & expetuntur documenta. *Hoc Echardi judicium de suo sodali minimè suspectum videri debet.* E

& ex omnibus ad prælum seligimus quemdam anonymum,

17 *Præterea Petrus Marcellinus Oraffius abbas Olivetanæ Congregationis anno* 1650 *Venetiis edidit Italicè Acta beati sui Fundatoris, quæ potissimùm ex Lombardello excerpsit, ut in proœmio ad lectorem monet. At ibidem fatetur, sese his Actis inseruisse observationes morales, salutaria monita, & quasdam digressiones, ne Vita illa nimis sicca vel sterilis in lucem prodiret. Etiam ingenuè confitetur, quod sermones à* B. Bernardo Ptolomæo *habitos arbitratu suo auxerit, & interdum verosimilia pro veris narraverit. Attamen publicè testatur, se id non fecisse ad ostentandum ingenium, sed ad fovendam nutriendamque lectoris pietatem, & sese hac in re varios Sanctorum biographos imitatum esse. Certè nimis multi Vitarum scriptores hac licentia usi sunt, & sua sensa cum veterum documentis ita confuderunt, ut in his ab illis discernendis labor noster assidue & difficulter impendatur. Verùm nos istas amplificatas exhortationes, utilia monita, & morales annotationes concionatoribus relinquimus, & indagamus solam historiæ veritatem, quam videmur propiùs reperisse in brevioribus ac simplicioribus Mss. Actis, de quibus aliqua jam præmonebimus.* F

qui Acta Beati simpliciter & historicè collegit.

18 *Olim accepimus à Patribus Olivetanis (ita ex indiciis quibusdam suspicamur) Vitam* B. Bernardi Ptolomæi *recentioribus characteribus exaratam, & in quinque partes divisam, quarum prima Beatum in seculo, secunda in eremo, tertia in cœnobio repræsentat: in quarta autem parte referuntur ejus miracula, & in quinta laudes Ordinis ab ipso instituti celebrantur. Hanc anonymus quispiam, qui forsan ex animi demissione suppressit nomen suum, collegit ex Carpenterio, Lombardello & Oraffio, quos identidem in margine diligenter assignat. Hæc anonymi collectio propter brevem ac simplicem gestorum narrationem nobis prælo digna visa est, & propterea illam diffusis & exornatis Carpenterii Actis prætulimus. Illam itaque post hunc Commentarium prævium typis excudemus.*

AUCTORE G. C.

& more consuetò illustrabimus, ubi quid notatu dignum occurrerit. Dividemus autem collectionem istam in quinque capita, & post singula in annotatis referemus ea, quæ anonymus in margine notavit, si operæ pretium fuerit.

Germanicus Ptolomæus eum ornat centum & pluribus elogiis,

19 *Post omnes istos biographos Germanicus Ptolomæus generalis vicarius illustrissimi Cœlii Picolominei Senarum archiepiscopi (hic anno 1671 cathedram Senensem ascendit) gesta* B. Bernardi Ptolomæi *centum & duobus elogiis, ut ipse vocat, vel acutis inscriptionibus exornavit. Hoc opus posthumum Marius Ptolomæus, auctoris ex fratre nepos, tandem anno 1710 Senis in lucem dedit, & acutum patrui sui ingenium posteritati commendavit. Quamvis ingeniosa sit illa Germanici Ptolomæi lucubratio, tamen ea parum nobis potest prodesse, quia in isto scribendi genere datur nimia ornandi licentia, & auctor interdum œstro quodam poëtico abripitur, ut editor in præfatione non diffitetur. Igitur ex hoc opere excerpemus solos elogiorum vel inscriptionum titulos, qui seriè temporis singulare gestorum compendium continent, & posthumam Beati gloriam non parum illustrant.*

B *quorum solos exhibemus titulos,*

20 ELOGIUM I. Nobilissimis parentibus, Mino Ptolomæo & Fulvia Tancreda sterilibus, ecrum vota Deipara obsecundante, beatus Puer concipitur. ELOGIUM II. Mater, dum Puerum gestaret in utero, sibi visa est in somnis candidum cycnum peperisse, qui virentis olivæ decerpto ramo, densis stipatus cycnis cælum volatu conscenderet. ELOGIUM III. Nascitur Senis in Hetruria die decima Maii, anno à partu Virginis MCCLXXII, seculo Italiæ & universo orbi Christiano Guelphorum ac Ghibellinorum dissidiis funestissimo, & in illius ortu repentino afflata gaudio patria Senensis exultat. ELOGIUM IV. Nato à Fulvia matre imponitur nomen Joannes. ELOGIUM V. Mira in eo, vel à tenera infantia, morum gravitas, & pietatis maturitas. ELOGIUM VI. Formosus ad miraculum adolescens Joannes. ELOGIUM VII. Christophoro Ptolomæo religiosissimo aghato suo nobilis Adolescens educandus committitur in cœnobio divi Dominici Senis. ELOGIUM VIII. Annum ætatis agens decimum quintum, summa totius patriæ acclamatione, philosophiæ ac juris utriusque doctor renuntiatur. ELOGIUM IX. Ab imperatore Rodulpho Eques Cæsareus creatur. ELOGIUM X. Delectatur venatione Joannes.

C

qui copiosam Vitæ synopsim continent,

21 ELOGIUM XI. In sodalitio Virginis Deiparæ, quod sub Senensi nosocomio adhuc religiosissimè floret, suæ ponit tyrocinia sanctitatis. ELOGIUM XII. Adhuc ætate minor electus reipublicæ Senensis supremus moderator, illam sanctissimè ac prudentissimè temperat. ELOGIUM XIII. Seculi sui sapientum facilè princeps, patria in academia publicè docens, doctrinæ gloriâ universam implet Italiam. ELOGIUM XIV. Vanâ doctrinæ gloriâ malè tumescens, à pietate desciscit. ELOGIUM XV. Cæcitate improvisa divinitus percussus, resipiscit. ELOGIUM XVI. Solitariam vitam vovens, amissum oculorum usum à Virgine Deipara recuperat. ELOGIUM XVII. Discipulis novas atque curiosas, uti ante cæcitatem promiserat, ab eo theses exspectantibus, de vanitate rerum terrenarum & seculi contemptu jam in eremum secessurus, in Senensi lycæo religiosissimam concionem habet. ELOGIUM XVIII. Universa bona sua piè distribuit in pauperes. ELOGIUM XIX. In eremum Acconæ secedit. ELOGIUM XX. Secedentem in eremum sequuntur Ambrosius Picolomineus & Patritius de Patriciis, religione æquè ac sanguine præstantissimi D

etsi breviter narrent

22 ELOGIUM XXI. Mutat nomen Joannis in Bernardum. ELOGIUM XXII. Lacero sacco semiamictus ferè nudus desertum colit. ELOGIUM XXIII. Bernardi cellulam arboribus in eremo constructam protinus mali dæmones evertunt. ELOGIUM XXIV. Defossam à se specum inhabitat. ELOGIUM XXV. Quam incolit spelunca in speciem sepulchreti humanorum cadaverum exuviis horrenda. ELOGIUM XXVI. Archangelum Michaëlem in patronum assumit, cui in singulas hebdomadas perpetuum ac severissimum jejunium vovet. ELOGIUM XXVII. Vinum ultra non gustaturus, omnes Acconæ vites obtruncat. ELOGIUM XXVIII. Perpetuo atque severissimo sibi indicto jejunio, bis tantùm in hebdomada pane vescitur. ELOGIUM XXIX. Asperum induit cilicium atque ferreâ catenâ se præcingit. ELOGIUM XXX. Ubertim & amarissimè plorat.

varias Beati exercitationes in eremo, E

23 ELOGIUM XXXI. Sese septies in die horrido fustuario cruentat. ELOGIUM XXXII. Quod religiosis curis supereset temporis, terræ in culturam impendit. ELOGIUM XXXIII. Circumspectus suæ custos pudicitiæ, omnium vitat aspectum feminarum. ELOGIUM XXXIV. Duabus vix horis quieti necessariè permissis, traducit noctes insomnes. ELOGIUM XXXV. Integras cujusque feriæ sextæ noctes patientis Dei in fervidas meditationes vigil impendit. ELOGIUM XXXVI. Silentium non interruptum religiosissimè servat. ELOGIUM XXXVII. Virginem Deiparam tenera dilectione prosequitur. ELOGIUM XXXVIII. Sacræ lectioni vacanti sæpius Virgo Deipara sacrarum Scripturarum difficultates enodat. ELOGIUM XXXIX. Inferni spiritus, Ambrosii atque Patricii assumpta specie, suadentes Bernardo discessum ab eremo, ab eo divinitus detecti fugantur. ELOGIUM XL. Ambrosius & Patricius, suggestione diabolica adornantes discessum ab eremo, prodigiosa caligine circumfusi, frustra circumerrantes, exitumque ab Accona non invenientes, mirè ibi Bernardi prece detinentur.

tentationes dæmonum

24 ELOGIUM XLI. Fercula ac pocula infecta veneno à Guelphis, simulata pietate, dono missa, Bernardus, fraude divinitus cognita, illico signo crucis expurgat visibiliter à veneno. ELOGIUM XLII. Sanctorum Innocentium cædi sacrata die à malo dæmone graviter vulneratus, à Christo Crucifixo illi apparente prodigiosè sanatur & recreatur. ELOGIUM XLIII. Reparatoris tormenta fervidè meditanti diabolus tot se daturum verberationes minatur, quod ad columnam passus est Christus Jesus. ELOGIUM XLIV. Sathan, assumpta specie feminæ impudicæ, Bernardum impuros ad amores solicitans, signo crucis fugatur. ELOGIUM XLV. Concupiscentiæ motus repressurus, se inter spinas volutat. ELOGIUM XLVI. Sacra Bernardi gloria ex Italia universa multos trahit in eremum. ELOGIUM XLVII. Ostenditur Bernardo scala argentea cælum usque pertingens, in cujus summitate Jesus & Virgo Mater, plurimis in veste candida per illam ascendentibus. F

ELOGIUM XLVIII. Latrante invidia, tamquam suspectus de hæresi cum sociis ad summum Pontificem Joannem XXII defertur, à quo citati Bernardus & Ambrosius calumniam purgaturi, Avenionem in Gallia proficiscuntur. ELOGIUM XLIX. Avenionem proficiscenti occurrunt sæpius angeli ductores in via. ELOGIUM L. Esurienti in itinere angeli panem suppeditant.

virtutes;

25 ELOGIUM LI. Sathan, assumpta forma religiosi

A ligiosi anachoretæ, Bernardo occurrens, perfidè insinuat, ut contemptis imperiis summi Pontificis, Acconam revertatur, & ab eo detectus & derisus fugatur. ELOGIUM LII. Summus Pontifex, deprehensâ statim innocentia Bernardi, & illius admiratus sanctitatem, honorificè exceptum & gratiis cumulatum, Hetruscam in eremum dimittit. ELOGIUM LIII. Rediens in Italiam Bernardus à nobili viro Taurini hospitio excipitur, cujus servus commissum à se furtum suggestione diabolica perfidè impositurus Bernardo, argenteam pateram in ejus pera condit, cujus indicio actus reus furti manifesti Bernardus, & carceri mancipatus, impetratâ priùs furaci servo veniâ, furem ac furtum retegit sibi divinitus revelata. ELOGIUM LIV. Dum accusatus furti detineretur in vinculis, habuit in carcere angelos consolatores. ELOGIUM LV. Nobilis hospes Bernardi mirâ hac illius charitate & mira vitæ sanctimonia devinctus, suis bonis omnibus erogatis in pauperes, eum sequitur in eremum. ELOGIUM LVI. Vercellis feminam à malo spiritu obsessam aspectu solo liberat. ELOGIUM LVII. Reversus
B in eremum instituit Congregationem S. Mariæ Montis Oliveti, ipsa de cælo Virgine Deipara præbente vestem candidam, & novæ Congregationis insignia, scilicet ternos montes cum cruce purpurea, mediâ inter geminos ramos virentis olivæ. ELOGIUM LVIII. Virgo Deipara regulam S. Patris Benedicti de cælo præbet Bernardo, quam novæ suæ Congregationi observandam proponat. ELOGIUM LIX. Admirabili demissione Congregationis suæ summam præfecturam recusans, tandem post diuturnum certamen eidem abbas generalis licet invitus præficitur. ELOGIUM LX. Bernardi in summa moderatione summa modestia.

revelationes, 26 ELOGIUM LXI. Singulari demissione oculorum languorem causans, ut commissum deponat præsulatum, id à filiis amantibus impetrare non valet; sed in eo perpetuò, donec vivit, confirmatur. ELOGIUM LXII. Nova Bernardi Congregatio frequentibus donata cœnobiis per universam Italiam illico propagatur. ELOGIUM LXIII. Celebre templum & cœnobium Montis Oliveti
C in eremo Acconæ Bernardo ædificante, inferni lemures, assumptâ Æthiopum formâ, noctu evertentes, quod fuerat constructum interdiu, Bernardi precibus à Michaële archangelo fugantur. ELOGIUM LXIV. Stephanum de Lugano cæmentarium inter templi ruinas casu lethali exstinctum solo contactu pectoris mirè in vitam revocat. ELOGIUM LXV. Auri vis ingens diabolico præstigio in fundamentis novi cœnobii reperta, Bernardo illam signante signo crucis, protinus evanescit. ELOGIUM LXVI. Sæpius visus, dum orat, raptus in extasim in cælum toto corpore ferri. ELOGIUM LXVII. Feriâ sextâ majoris hebdomadæ juxta imaginem Jesu Crucifixi ardentiùs orans, visus est sursum corpore raptus cruci diutius adhærere. ELOGIUM LXVIII. Eadem die Jesus crucifixus amanter cum Bernardo colloquitur. ELOGIUM LXIX. A Christo crucifixo multa arcana & futura Bernardo revelantur. ELOGIUM LXX. Cælitus illustratus noscit secreta cordium, & arcanas cogitationes revelans, multos in viam salutis revocat.

miracula, 27 ELOGIUM LXXI. Prophetiæ dono illustratur. ELOGIUM LXXII. Fratrem Marinum de Parisiis incurabili morbo claudicantem miraculosè sanat. ELOGIUM LXXIII. Fratrem Pacificum lethaliter vulneratum prodigiosè curat. ELOGIUM LXXIV. Solæ Bernardi vestes mirè sanant febricitantes. ELOGIUM LXXV. Imperat febri quartanæ, ut discedat à Fratre, cui nomen Bonus, & illico relinquit eum febris. ELOGIUM LXXVI. A summo Pontifice Joanne XXII Sutrium missus, animos populorum civilibus discordiis æstuantes conciliaturus, statim tumultus sedat. ELOGIUM LXXVII. Dum summi Pontificis jussu Sutrium progrederetur Bernardus, à pia femina Volsinii hospitio recipitur, quæ mali dæmonis arte, ejus impuro amore accensa, noctu dormientem aggressa, ab illo pudicâ prorsus astutiâ protinus exclamante sibi furem instare, fugatur. ELOGIUM LXXVIII. Fugatâ impurâ feminâ, concupiscentiæ motus sedaturus, horrido fustuario se cruentat. ELOGIUM LXXIX. Sutrii Romulum quemdam, prima ab infantia cæcum, Deiparæ ope implorata, protinus liberat à cæcitate. ELOGIUM LXXX. Inferni spiritus, mentita nobiliorum procerum specie, Bernardum ambitionis tentaturi, illi offerentes præcipuas seculi dignitates, ab eo protinus agniti deridentur.

28 ELOGIUM LXXXI. Contempto à diabolo graviter vulneratus, à Michaële archangelo sanatur. ELOGIUM LXXXII. A Deipara Virgine redditur certior æternæ beatitudinis. ELOGIUM LXXXIII. Prædicit luem pestiferam, quæ anno Domini MCCCXLVIII Italiam totam funestissimè devastavit. ELOGIUM LXXXIV. Communi in contagione languente patria, accurrit ab eremo cum sociis, ægris languentibus suppetiaturus. ELOGIUM LXXXV. Uti Bernardus prædixerat, octoginta ejus filii, dum auxiliantur ægris, victimæ charitatis occumbunt. ELOGIUM LXXXVI. A divo Benedicto vicinæ mortis dies vigesima Augusti Bernardo prænuntiatur. ELOGIUM LXXXVII. Gloriosæ Virginis assumptioni sacrata die, illius in cælum assumptæ triumphus ostenditur Bernardo. ELOGIUM LXXXVIII. Dum ferventissima charitate opitulatur ægris, contrahit labem lethalem. ELOGIUM LXXXIX. Moriturus exultat & suavissimè ridet. ELOGIUM XC. Agens ætatis suæ annum septuagesimum sextum, die vigesima Augusti, anno Domini MCCCXLVIII; sanctissimè moritur, assistentibus morienti Christo Jesu, Virgine Matre, & cum cælesti militia archangelo Michaële.

& aliqua gesta singularia, E

quæ in aliis Actis non reperiuntur. F

29 ELOGIUM XCI. Circa sacrum cadaver cælestis exaudita melodia, & visa beatissima illius anima à Christo Jesu & Virgine Matre gemino diademate coronata, ac veste candida trabeata in specie triumphantis inter divos Benedictum & Bernardum cum cælesti militia cælum conscendere. ELOGIUM XCII. Mortuus ab universa Hetruria lugetur, & fit ad ejus feretrum concursus populorum. ELOGIUM XCIII. Sacrum cadaver suavissimum odorem efflat. ELOGIUM XCIV. Sacri contactu corporis plurimi contagiosa lue afflati mirè curantur, inter quos præcipui Fratres Hieronymus Neapolitanus, Christophorus Bononiensis, Gregorius Pavensis, & Raynerius Romanus. ELOGIUM XCV. Antonii Ghini de Senis arida manus sacri contactu corporis sanatur. ELOGIUM XCVI. Joanna de Bonoconventu energumena, cingulo Bernardi præcincta, à spiritu invasore liberatur. ELOGIUM XCVII. Mulier Faustina de Monte sancti Sabini ab insanabili sanguinis fluxu ad feretrum Bernardi liberatur. ELOGIUM XCVIII. Dominica Griffoli de Monterone, hydrope incurabili laborans, ad feretrum Bernardi saluti restituitur. ELOGIUM XCIX. Sacrum Bernardi corpus reperiri adhuc non valuit, quod ideo factum creditur, quia id humilis Servus moriens

AUCTORE G. C.

AUCTORE G. C.

moriens à Domino poſtulaverit. ELOGIUM C. A ſummo Pontifice Innocentio X ob cultum immemorabilem, Bernardum uti Beatum coli decernitur anno ſalutis MDCXLIV. ELOGIUM CI. A Clemente X ſummo Pontifice aris admotus atque publico cultu decoratus anno MDCLXXIII. ELOGIUM CII. Ad beatum Bernardum agnatum ſuum auctoris peroratio, & operis concluſio. *In his elogiorum titulis aliqua narrantur, quæ in Actis inferiùs edendis non reperientur. Non facilè dictu eſt, quantam auctoritatem habeant illa hîc expreſſa, & alibi prætermiſſa, cum Germanicus Ptolomæus nullum aſſertionum teſtem citet. Idem auctor his elogiis ſubnectit ſeptemdecim odas, quarum unam paragrapho ſequente referemus.*

§ III. Diſcutiuntur nonnulla, quæ ad Vitam, miracula, & corpoream Beati formam ſpectant.

Inter alia auctores diſputant,

B *Beatus noſter patrem habuit, nomine Minum Ptolomæum, ut omnes biographi conſentiunt. Hinc corrigendus Gabriel Bucelinus, qui in Menologio Benedictino ad diem* XXII *Auguſti ſic perperam ſcribit:* Senis in Tuſcia depoſitio ſancti Bernardi Tolomæi abbatis & primi fundatoris monachorum Ordinis ſanctæ Mariæ matris Dei de Monte Oliveto. Bernardus celebri admodum & illuſtri Tolomæorum familia Senis ortus, Joannis filius, Mini nepos, Joannes & ipſe primùm in baptiſmo vocatus eſt. *Vides, hîc Bucelinum erraſſe, & ex patre* B. Bernardi Ptolomæi *Minum avum temere finxiſſe, cum contrà maternus Beati avus Joannes appellaretur, ut Gregorius Lombardellus in Vita Italica lib.* 1 *cap.* 1 *affirmat. Carpenterius hanc Lombardelli ſententiam ſequitur, dum lib.* 1 *Vitæ cap.* 3, *pag.* 21 *de primo ipſius nomine hæc tradit:* Ortus infantulus, verè filius orationis & voti, ſacrâ baptiſmatis undâ perluitur, abluitur, ſancti Spiritûs ſalubri flante aura, ex originaria labe; diciturque primò Joannes: hoc enim nomen pro nato orat & exorat Fulvia mater ex ſui genitoris fato jam functi memoria. *Deinde biographus hic Latinus ibidem monet, qua de cauſa poſtmodum Beatus nomen Bernardi aſſumpſerit.*

C

quo tempore Beatus nomen ſuum mutaverit,

31 *At inter auctores diſceptatur, quo tempore nomen iſtud Joannis in aliud mutatum fuerit: nam Lancellottus lib.* 1 *Hiſtoriæ Olivetanæ putat, huic Beato nomen* Bernardi *ab epiſcopo Aretino impoſitum fuiſſe, quando habitum candidum ei dedit ac regulam S. Benedicti præſcripſit, ut abbas Oraffius lib.* 1 *Vitæ Italicæ cap.* 8 *teſtatur. Tamen alii Vitæ ſcriptores contendunt, Beatum iſtum initio converſionis ſuæ nomen* Bernardi *ultro aſſumpſiſſe, ut S. Bernardum Claravallenſem abbatem tanto ferventiùs imitaretur. Germanicus Ptolomæus ſuprà laudatus in Elogio* XXI *id ingeniosè declarat his verbis:* Receſſurus à mundo, à quo perfide exceptus, jam non pulverem modò, ſed ipſo levius pulvere, nomen etiam excuſſit; jam nova & ſublimiori initiandus doctrina, primæ vel prima nomina dediſcit; & purgatiori idiomate locuturus, ipſa etiam novat vocum elementa. Reformaturus ſeſe, ipſo incipit à nomine; & ut ſit totus azymus, vel leviſſimæ vocis vetus fermentum expurgat. Ad harmonicum decachordum ſuum ſacer ſylvarum Orpheus bene modulaturus, requirens modos muſicos, de male modulato diſcordis ſeculi choro, nec vocem unam probat. Joannis nomen, utcumque reſonans gratiam, adhuc ingratum ſonat; ſeu quod veterem hominem novis graviter auribus reſonaret; ſeu quod anachoretæ cognominis infans anachoreſis quadragenario ſibi ſanctum pudorem incuteret. Bernardi mores induit adeo cum nomine, ut ſuſpicari poſſis, Claravallenſem aſcetam in aſcetam Acconæ decorâ metempſychoſi demigraſſe, niſi in novo Bernardo habeat jam, quod Hetruſcæ Gallica anachoreſis invideat. *Lombardellus, Oraſſius & alii ſcriptores etiam exiſtimant, hanc nominis mutationem initio converſionis aut vitæ anachoreticæ factam fuiſſe.* D

à quibus ei venenum propinatum fuerit,

32 *Inter biographos alia minoris momenti controverſia oritur occaſione veneni, quod* B. Bernardo Ptolomæo jam eremitæ *propinatum fuit. Carpenterius lib.* 2 *cap.* 5 *ſcelus illud factioni Ghibellinorum imputat in hunc modum:* Ex aſſeclis, ſeu potiùs ex diris Gibellinorum furiis quidam Bernardi gloriæ invidentes ſanctitatis famâ undequaque celeberrimi, & Ptolomæorum nominis novi fulgoris, Bernardum (nihil ſanctitate auguſtius, nihil ad æternandam proſapiæ memoriam concinnius) perimere moliuntur. Et quid belli parat vobis homo nudus, inermis? Quæ formido, qui terror exſpectandus ab eremicola? Inſtabat lætiſſima reſurgentis Numinis dies, qua Servator noſter, ſubacta morte, triumphale corpus reſumpſit. Statuunt in tanta celebri luce vitæ mortem mortis filii Gibellini Patri noſtro inferre, rati etiam ceteros eremum relicturos, amoto Bernardo principe. Deſtinant famulum callidum & in verſutiis cunctis verſatum, qui venenatas in deſertum ferat epulas *&c. Sed anonymus collector noſter ſceleratas illas inſidias contrariæ Guelphorum factioni tribuit, & propterea ad eam narrationem in margine notaverat ſequentia:* Ex Oraffio in Vita B. Bernardi lib. 1 cap. 14, Senenſis Ptolomæorum familia Cæſaris & Ghibellinorum parti adhærebat pro more illius duriſſimæ tempeſtatis. Suffragatur Oraffio Lombardellus lib. 2 cap. 14. Corrigendus proinde Carpenterius, dum ſcribit, venenum fuiſſe à Ghibellinis non verò à Guelphis deſtinatum. *At undecumque mortiferum hoc venenum allatum fuerit, nobis ad ſanctitatem innocui Viri declarandam ſufficit, iſtud ab eo divinitus cognitum ac detectum fuiſſe.* E F

utrum ipſe Avenionem profectus ſit

33 *Etiam inter ſcriptores Actorum diſputatur, utrum* B. Bernardus Ptolomæus *ipſe ex Hetruria Avenionem diſceſſerit, an autem ſuo loco quoſdam ex ſociis eò miſerit, ut coram Joanne XXII Pontifice impactam ſibi hæreſeos calumniam refellerent. Plerique cenſent, ipſum Beatum ſeſe eò contuliſſe, ut Pontifici ſanam ſuam doctrinam exponeret. Certè Carpenterius lib.* 2 *Vitæ cap.* 10 *id confidenter aſſerit his verbis:* Joannes igitur XXII ſummus Pontifex Avenionem cauſam dicturum evocat Bernardum noſtrum, qui, nullâ interpoſitâ morâ, ex Hetruriæ deſerto ad ſummi Paſtoris pedes, uti obſequentiſſima ovicula, aſcito ſibi ex eadem Acconenſi eremo, comite & ſocio Ambroſio Picolomineo, maturat. *Alii tamen cum Lancellotto exiſtimant, Beatum ſociis ſuis iſtud negotium commiſiſſe. Lancellottum hac in re ſecutus eſt Hippolytus Helyotus, dum in Opere Gallico de Ordinibus Religioſis ac militaribus tomo* 6 *pag.* 193 *affirmat,* B. Bernardum Ptolomæum *duos*

ex

A *ex ſociis ſuis Avenionem miſiſſe, ut orthodoxa animi ſui ſenſa circa fidem Catholicam Pontifici indicarent. Abbas Oraſſius in Vita Italica lib. 1 cap. 19 dicit, hanc erroneam opinionem ortam eſſe ex interpolato quodam manuſcripto, quod in bibliotheca Montis Oliveti conſervatur, & cui nullum auctoris nomen præfigitur.*

ad Joannem XXII Pontificem,

34 *Quidquid ſit de origine iſtius opinionis, eam Carpenterius loco proximè citato impugnat his argumentis:* Scio, à quibuſdam non Bernardum, ſed ſocios ab eo miſſos ad Pontificem Maximum affirmari. Nos firmioribus tamen nixi tabulis, Bernardum ipſum procul dubio iviſſe aſſerimus; ſequimurque ea, quæ ſcripſit doctiſſimus & fidiſſimus Joannes Baptiſta de Populonia Ordinis Prædicatorum, quem ſecutus eſt Gregorius Lombardellus ejuſdem familiæ, ſacræ theologiæ magiſter, vir celeberrimus & ſancti Officii in univerſa ditione Senenſi quiſitor. Sed Joannes Baptiſta Populonenſis coætaneus extitit beato Bernardo, & oculatiſſimus teſtis, & pro ejuſdem ſancti Officii munere, noſtri Patris vitæ morumque ſcrutator acerrimus. Accedit, quod ſub eadem Patris noſtri Bernardi ſeveriori diſci-

B plina erat ejus frater, cui nomen Guilielmus.

an autem ſuo loco

35 Neque ſimile vero eſt, Bernardum uti novæ caput ſectæ poſtulatum, accitumque à beatiſſimo Patre, alios ſuo loco, tamquam eremi membra deſtinaviſſe. Nec conſtat, Virum gravi aliqua præpeditum cura, aut viribus detentum imbecillis, aut graveſcente ætate ineptum itineri. Adde, illum in diluendis ſibi objectis ad Pontificium thronum, alterius non indigum miniſterii atque operis. Quod verò aſſeritur, ne ejus diſceſſu, qui in eremo remanerent, triſtarentur orbati tanto Parente; aut quaſi oves, paſtore abſente, luporum dæmonum inſidiis latiùs paterent; nam in deſerto non deerant viri & prudentia & probitate inſignes, quos in ſuum locum Bernardus ſufficeret. Nec æternus illius futurus erat diſceſſus, ut, reditu deſperato, periclitaretur eremus.

ſocios eò miſerit,

36 Inſtant hi, miſſos à Bernardo Avenionem viros omni ex parte ſapientes, vitæque integritate ſpectabiles, Pontificem ſummum allocuturos. Sed quorſum, ſi omnia per ſe ipſum præſtare poterat, debebat aliorum operâ uti? Ob-

C jicient, ne Accona ſine rectore eſſet. Sed liquet, humilem & ſapientem Bernardum regimen reſpuiſſe, vocarique ducem; verùm voluit, ut omnium dux eſſet una charitas. Denique, ut dicemus cum regulam ſancti Benedicti à beatiſſima Virgine per Guidonem Petramalium accepiſſet eremus, primum generalem abbatem exſtitiſſe conſtat (renuente dignitatem illam Bernardo) Patritium de Patritiis; hæc autem electio fuit omnium eremicolarum vel cœnobitarum, ex quo clarè patet, beatum Bernardum ſibi ſemper conſimilem aliis in deſerto noluiſſe imperare. Cur ergo ad itinera aliaque peragenda gravia munia, ad ea, quæ ad ipſum peculiari jure ſpectabant, alios deſtinet, quæ etiam maximam arguebant auctoritatem? Tandem quia etiam multa admiratione digna in hoc ad Galliam itinere edidit noſter Pater, quæ in iiſdem tabulis exarata habentur, quibus procul dubio ſtandum. *Ad hanc Carpenterii ſententiam prudenter admittendam ſufficit ſolum teſtimonium Joannis Baptiſtæ de Populonia, ſi de illo evidenter conſtet. An ergo Lancellottus Ordinis Olivetani hiſtoricus antiquas iſtas tabulas ignoravit? Igitur hanc litem decidere poterunt ii, qui genuinam Joannis Baptiſtæ Dominicani lucubrationem præ manibus habent.*

AUCTORE G. C.

37 *Denique inter biographos & Menologos aliquod diſcrimen occurrit circa diem, quo* B. Bernardus Ptolomæus *ad Cælites migravit: nam Lombardellus, Oraſſius, & alii vigeſimam Auguſti diem morti ejus aſſignant. Faſti Senenſes ea die de obitu ejus ſic habent:* Ab iſta victoria decretum in cælo triumphum cæleſtis Regina Deipara denuntiat; triumphalem verò diem divus legiſlator Benedictus indicit. Igitur poſt brevem bidui pugnacem decubitum triumphator in cælum evolavit; decimo tertio Kal. Septembris; ut fatale putes, eodem geminum die Claravallenſem ac Senenſem triumphare Bernardum. *Hos ſequitur Germanicus Ptolomæus, qui in Elogio nonageſimo diem ipſius emortualem diſertè & cautè exprimit his verbis:* Quæ Gallicum Bernardum rapuerat dies, eadem rapit Hetruſcum; ne vel mors eos divideret, quos concors adeo vita ſociaverat. *Atqui ſuprà ex Actis S. Bernardi Claravallenſis abbatis liquet, eum die* XX *Auguſti obiiſſe. Tamen Wionus, Menardus Bucelinus, aliique Menologi Benedictini obitum* B. Bernardi Ptolomæi *undecimo Calendas Septembris, ſive* XXII *die Auguſti collocant. Sed neceſſe eſt, ut hi ignoraverint aut rejecerint prædictionem ſancti Patris ſui Benedicti, qui Beato noſtro apparens prænuntiavit, illum die* XX *Auguſti moriturum, quemadmodum ſcriptores Olivetani paſſim tradunt: Nulla autem ratio nos movet, ut iſtam S. Benedicti apparitionem & prædictionem negemus, aut hanc in determinando mortis tempore falſam fuiſſe dicamus. Quare cum biographis Olivetanis & aliis ſcriptoribus opinamur,* B. Bernardum Ptolomæum *die* XX *Auguſti è vivis exceſſiſſe, licet annuum ejus feſtum cum decreto Sedis Apoſtolicæ & Martyrologio Romano ad ſequentem diem diſtulerimus.* E

& quo die obierit.

Recens Beati miraculum vel beneficium

38 *Actis utcumque diſcuſſis, aliquid dicendum eſt de miraculis, quæ Beatus interceſſione ſua poſt obitum patravit. Ex his nonnulla Carpenterius lib. 5 cap. 7 & ſequentibus ex Lombardello refert, quæ eadem noſter anonymus collector in Vita inferiùs edenda num. 55 breviter narrabit. Vetuſtioribus illis miraculis hìc adjungimus recentius quoddam beneficium, quod* B. Bernardus Ptolomæus *invocatus præſtitit conſanguineo ſuo Germanico Ptolomæo, qui poſt lethalem è ciſio lapſum mirabiliter convaluit, & Ode* XII *pro collato beneficio gratias agit his verſibus.* F

Dum rota nuper rapidus volucri
Volvor in præceps; gravidam ruinis,
Dive, tu molem regis, & ruentem
Eripis orco.
Vivimus per te. Digito potenti
Feſſa, feſtinam Lacheſim coërcens,
Penſa producis, medicâque mulces
Vulnus oliva.
Arbiter vitæ, domitorque mortis,
Jura naturæ facilis refingis:
Tu Stygem frænas, & ahena clemens
Sydera frangis.
Has tibi ſoſpes redivivus auras
Additoſque annos dico. Tu expiata
Labibus ſerva nova prorogatæ
Munera lucis.

ex Germanico Ptolomæo refertur,

39 *Videtur ille Germanicus Ptolomæus ſæpius opem ejuſdem Beati expertus eſſe, vel ſaltem magna cum fiducia patrocinium ipſius implora-*

rum

AUCTORE G. C.

rum ſolos titulos hìc exhibemus. Ode XIII : Diro dolore laterum auctoris laborantis B. Bernardo votum. Ode XIV : Dira pituitæ eluvione prope in phthiſim labentis auctoris B. Bernardo votum. Ode XV. Auctoris gravi & moleſtiſſima ſurditate laborantis votum. Ode XVI. Dum eminentiſſimus dominus Cardinalis Cælius Picolomineus, Senarum archiepiſcopus, amantiſſimus dominus ſuus, diuturna ac gravi febri tertiana decumberet, auctoris beato Bernardo votum. *Neſcimus, an auctor ſemper à prædictis morbis poſt facta vota liberatus fuerit. Nobis etiam non indicavit, utrum eminentiſſimus Cælius Picolomineus ſtatim aut mirabiliter ex febri tertiana convaluerit. At ubique ſaltem oſtendit, ſeſe in patrocinio hujus beati Conſanguinei ſui magnam ſpem collocare, & propterea Ode ultima gratulatur* nobiliſſimis adoleſcentibus ſeminarii Ptolomæorum, Senis nuper erecti, quod B. Bernardum in patronum aſſumpſerint.

& corporea illius forma ex imagine quadam

40 *Denique nunc paucis examinabimus corpoream* B. Bernardi Ptolomæi *formam, de qua Carpenterius lib. 4 cap. 9 ſic diſſerere incipit :* Effigies beati noſtri conditoris Bernardi colligi poteſt ex iis, quæ antiquiores exprimunt de illo picturæ, ut in cathedrali Senæ templo, ubi inter ceteros illius urbis Divos & patronos ſpectatur ſanctitudinis inſignibus honeſtatus beatus Pater. Itidem in cœnobio Olivetani Ordinis princ. Similiter in vetuſtiſſimis divi Bernardi Aretii ſeptis vel ædiculis, paſſimque aliis in locis. Circumferuntur plurimæ etiam imagines ejuſdem typis cuſæ. *Deceſſores noſtri (neſcimus unde) duplicem hujus Beati imaginem æri inciſam acceperunt. Una* B. Bernardum Ptolomæum *lacrymoſis oculis in eremo orantem repræſentat. Sed facies illa non ſatis convenit cum deſcriptione formæ, quam ſtatim referemus. Quare huic prætulimus alteram imaginem, in qua Beatus coram Deipara & puerulo Jeſu librum & inſignia Ordinis ſui manibus tenens exhibetur, eamque calatorem noſtrum imitari juſſimus. En ipſam.*



41 *Jam judicet curioſus lector, an hæc figura non ſatis propè accedat ad graphicam Beati picturam, quam Carpenterius poſt verba proximè relata deſcribit hoc modo :* Staturæ fuit proceræ & bene compactæ, faciei decoræ & magnæ, & ad proportionem aliquantulum oblongæ, & ex ſenio rugoſæ, coloris ſubfuſci pallidi, pellis oſſi hærentis. Inerat eidem ſinciput decoratum calvitie, frons lata, naſus aliquantulum oblongus, oculi nigri & ſemper ferè flebundi, os mediocre, labia aliquantulum tenſa, collum latum. *Faſti Senenſes cum hac deſcriptione conſentiunt, & ex forma corporis mentem Beati ſimul delineant his verbis :* Libet extremo loco ſpeciem corporis nempe imaginem animi calamo pingere. Staturâ fuit procerâ, & in cælum inſtar mentis erectâ ; compacta etiam & firma, quæque virtutis firmitudinem adumbraret. Vultu prærerea magno & in virilem gravitatem oblongo, ſubfuſcum pallorem ex afflictationibus præferente. Fronte adverſus fortunæ captiones recalva & lata, ingentibus videlicet negotiis pari, piiſque curis rugoſa : Oculis nigrantibus, & Heraclitæis prudentiùs lacrymoſis. Naſo in judicii notam decenter producto, nec non ore in verborum parſimoniam modicè anguſto. Sic in extimis etiam lineamentis intima legebatur ſanctimonia. *Jam ſolum ſupereſt, ut paragrapho ſequente demus notitiam de Ordine Olivetano, quem Beatus noſter inſtituit.*

D *calamoque Carpenterii biographi repræſentatur.*

E

§IV. Congregationis Olivetanæ origo, progreſſus, & privilegia.

Bonannius initium Congregationis Olivetanæ

PHilippus Bonannius *noſter in Catalogo Ordinum Religioſorum cap. 126 brevem Ordinis Olivetani notitiam ſuggerit his verbis :* Beatus Bernardus, antea Joannes vocatus, natus Senis ex nobili Ptolomæa familia, à prima ætate ſtudiis addictus, legibus operam dedit, quas factus doctor, publicè eſt interpretatus. Cum autem in gravem oculorum ægritudinem incidiſſet, ſanctiſſimam Virginem precatus eſt, ut ſanitatem ſibi reſtituere dignaretur, pollicitus ſeſe ipſius famulatui, relicto ſeculo, perpetuo addicturum. Compos voti factus, promiſſionis ſuæ memor, habita publica de mundi vanitate concione, rudi amictu indutus, ſe in Montem Olivetum apud Montem Ilcinum contulit, quem Patricius ex Patricia familia & Ambroſius Piccolomineus ambo nobiles Senenſes ſecuti ſunt. Ibi Ordinis fundamenta jecit, facultatibus ſuis ei dicatis, & aſperam vitam ducens, vidit ſcalam ad cælum pertingentem, per quam angeli monachos albo veſtitos colore ad Chriſtum & beatam Virginem deducebant.

F

breviter expoſitis nominis numerant

43 Cum autem Joannes XXI (*alii hunc* XXII) ſummus Pontifex Avenione degens vitæ eorum rationem intellexiſſet, Guidoni epiſcopo Aretino imperavit, ut eis regulam præſcriberet & approbaret ſodalitatem. Apparuit deinde Guidoni in ſomnis beata Virgo albis veſtibus induta, & congregationem illam commendavit ; quam ob cauſam illos inter Miſſarum ſolemnia habitu candido monachorum induit die XXI Maii (*Carpenterius lib. 2 cap. 15, & Acta inferùs edenda num. 22 tradunt, id* die ſeptimo ante Calendas Aprilis *contigiſſe*) anno MCCCXIX, eiſque regulam S. Benedicti ſervan-

A vandam tribuit, impoſito nomine congregationis ſanctæ Mariæ Montis Oliveti. Eam Gregorius XI anno MCCCLXXI auctoritate Apoſtolica comprobavit, & deinde variis in locis exſtructis cœnobiis propagata eſt. Romæ monaſterium habet apud baſilicam ſanctæ Mariæ novæ dictam in foro boario, in qua corpus S. Franciſcæ Romanæ requieſcit. Veſtis eſt alba cum caputio ſupra humeros criſpato.

ſed fatetur, ſe ignorare tempus,

44 *Laudatus Bonannius parte ſecunda ejuſdem Operis, quæ virgines Deo dicatas continet, cap.* 80 *de ſanctimonialibus Olivetanæ Congregationis ita breviter meminit:* Conſtitutiones conformes regulæ S. Benedicti ſervant tam viri, quàm virgines eidem Congregationi Olivetanæ adſcriptæ, & ſimili veſte alba, ut monachi, indutæ. Quo autem tempore primum earum cœnobium erectum fuerit, apud nullum auctorem potui reperire. P. Secundus Lancellottus in Hiſtoria Olivetana lib. 2 cap. 25 narrat, B. Jordanum abbatem Generalem circa annum MCCCLIX duo monaſteria exſtruxiſſe Patavii, virginum ſcilicet & monachorum, ſimul conjuncta; nec antiquius conſtructum commemorat. Cucullâ albâ utuntur hæ moniales, ſicut & tunicâ: velamine duplici, ut ceteræ, caput exornant.

B

quo primùm moniales Ordini aggregatæ fuerint.

45 *Hippolytus Helyotus in Opere de Ordinibus Religioſis ac militaribus tomo 6 pag.* 203 *ad hæc Bonannii verba obſervat, inter abbates generales Ordinis Olivetani non reperiri nomen Jordani, ſed anno* 1359 *Silvium Florentinum per duodecim annos huic Congregationi præfuiſſe uſque ad annum* 1369, *quando Raynerius Senenſis ei ſucceſſit. Porrò aſſerit, primam hujus Ordinis monialem fuiſſe venerabilem Franciſcam Lephantam Panormitanam, quæ priùs ſub regula S. Claræ vixerat. Cum autem hæc anno* 1515 *ædificaſſet monaſterium, cum quibuſdam ſociabus ad inſtitutum Olivetanum tranſiit, impetratâ licentiâ à Leone* X *Pontifice, qui eam creavit abbatiſſam perpetuam ejuſdem monaſterii, ubi in opinione ſanctitatis obiit. Anonymus noſter Actorum collector de hac venerabili Franciſca meminit, eamque infrà num.* 67 *Leophantam cognominat. At quocumque tempore moniales Ordinis Olivetani primùm exortæ fuerint,*

C

de quo certam ſententiam ferre non poſſumus, extat illarum monaſterium Butunti in regno Neapolitano, quemadmodum laudatus Helyotus ibidem affirmat. Jam primam monachorum Olivetanorum inſtitutionem, progreſſionem & prærogativas, quas Bonannius noſter obiter propoſuit, authenticis documentis ſive diplomatibus confirmabimus.

Guido Petramalius,

46 *Temporis ordine primum diploma circa Congregationem Olivetanam occurrit apud Ughellum in Italia ſacra noviſſimæ editionis Venetæ tomo* 1 *col.* 425 *&* 426, *ubi Vido vel Guido præſul Aretinus, cognomine Petra mala, habet ſequentia:* Guido miſericordiâ divinâ epiſcopus Aretinenſis nobilibus & diſcretis viris Bernardo quondam D. Mini de Ptolemæis, & Patritio quondam Franciſci de Patritiis de Senis dilectis nobis ſalutem in Domino ſempiternam. Potentia Dei ex alto progrediens eorum corda illuſtrat, quos elegit, & mentes eorum gratiâ ſupernâ inducens ad opera charitatis, extollit eas quotidie in virtutes; & ut poſſint electi quietius in illius contemplatione perſiſtere, qui elegit, Deo ſe dedicant, & ſua exponunt & exhibent ſervitio Jeſu Chriſti, ut in illis ſic expoſitis & collatis ædificentur eccleſiæ, divina celebrentur myſteria, & ipſum Corpus Chriſti pro redemptione humani generis traditum paſſioni, orationibus inſtitutis in altari per ſacerdotes Catholicos immoletur. AUCTORE G. C.

epiſcopus Aretinus, * *lege* Patriti

47 Sanè percepimus, Bernarde ac Patritii *, dilecti noſtri, quod in operibus charitatis ſic hactenus inſudaſtis, ſic in pœnitentiæ propoſito laudabiliter perſtitiſtis, quod divinâ gratiâ inflammati, poderia veſtra de Accona & Melanino in præſentia & coram Capitulo eccleſiæ cathedralis Aretinenſis Deo contuliſtis & Virginis ** glorioſæ, ad cujus reverentiam monaſterium in Accona conſtruatur ſub regula B. Benedicti & obſervantia monachali, & divina in illo celebrentur myſteria ad laudem ipſorum, & animarum veſtrarum & Chriſtianorum ſalutem fidelium ac profectum; poſtulantes humiliter, ut aliquibus diſcretis viris ſuper dedicatione perſonarum veſtrarum & ſociorum, quam hodie Deo & beatæ Mariæ Matris ejus ſub præſcripta regula diſpoſuiſtis facere in monaſterio ſupradicto, & ſuper benedicendis veſtibus albis, quas geſtare intenditis, & ſuper induendis ipſis juxta morem ſolitum monachorum, nec non ſuper videndo in Accona & ordinando locum, ibidem conſtruendo monaſterio magis aptum, & ſuper infigendo in illo crucem, benedictionem ſive orationem proferendo, ac per nos benedicendum lapidem primarium imponendo, vices noſtras committere deberemus: inſuper exemptiones ipſius monaſterii & alia in petitione veſtra contenta per privilegium noſtrum de aſſenſu Capituli noſtri concedere dignaremur. * *forſan* Virgini

E

B. Bernardo Ptolomæo & ſociis,

48 Nos autem conſiderantes veſtræ merita probitatis, & quod ex tranſactis operibus dignè laudis inſignia reportatis; conſiderantes, quod ex dedicatione veſtra & erectione monaſterii Eccleſia Dei extolletur, augebitur cultus divinus, ipſeque Chriſtus & ejus Mater laudabitur multipliciter in chordis & organis plurimorum, petitionem veſtram ex certa ſcientia duximus admittendam, & contenta in petitione ipſa de conſenſu præſcripti Capituli ad hæc præſentis, quanto pleniùs valeat, approbamus, & per præſens privilegium concedimus & largimur. Et ut petita per vos & in petitione veſtra contenta continuè fidelibus pleniùs patefiant, & conceſſio noſtra & largitio petitorum omnibus clariùs innoteſcat, mandamus ipſa præſenti privilegio deſcribenda: committimus enim vicem & auctoritatem noſtram religioſo & diſcreto viro D. Joanni monacho abbatiæ de Saxo noſtræ diœceſis, nunc in cathedrali eccleſia noſtra reſidenti ad altare in eccleſia ipſa conſtructum per Cionem ..... quod dedicationem, quam vultis facere vos præſcripti Bernardus, Patritius & Ambroſius, Deo & beatæ Mariæ de Oliveto in Accona, in monaſterio conſtruendo ibidem ſub regula B. Benedicti, & habitu & obſervantia monachali, recipiat vice noſtra, & albas veſtes, quas geſtare vultis, benedicat & inducat illas vobis. Item committimus vicem & auctoritatem noſtram diſcreto viro presbytero Reſtauro capellano eccleſiæ de Morello, & nunc apud domum fraternitatis ſanctiſſimæ Trinitatis de Aretio commoranti, quod vadat ad podere de Accona, & locum magis aptum monaſterio conſtruendo in illo deſignet, crucem figat ibidem, benedicat illum cum oratione ſolita in his, & per benedicendum lapidem primarium ibi ponat.

F

primum cœnobii locum

49 Concedimus inſuper auctoritate hujus privilegii & largimur de aſſenſu Capituli ſupradicti, quod *aſſignat,*

AUCTORE G. C.

quod in prædicto loco de Accona noſtræ diœceſis, ſito in comitatu Senenſi in parochia S. Angeli de Luco, plebatu * plebis de Saltu diœceſis ſupradictæ, monaſterium erigatur cum campanili & campanis ad honorem Virginis glorioſæ ſub regula B. Benedicti & obſervantia monachali, & vocetur monaſterium S. Mariæ de Oliveto in Accona, prout exſtitit poſtulatum. Item quod locus ſive monaſterium ipſum per abbatem dumtaxat regatur & gubernetur in perpetuum, & numquam per laïcos ſive clericos ſeculares, ſed ſemper per abbates & monachos permanſuros ibidem in regula B. Benedicti. Servetur, & obſervantia monachalis vigeat in eodem. Item ut abbas, monachi, Converſi & alii familiares, qui pro tempore fuerint, in monaſterio ipſo liberiùs & quietiùs valeant Domino famulari, monaſterium ipſum liberum facimus & exemptum ab omni ſolutione decimarum, jure cathedratico, datiis, collectis, impoſuiſtis *, & aliis occurrentibus oneribus & factionibus quibuſcumque, & ab omni lege juriſdictionis & diœceſani; decernentes ac mandantes ipſos ſeu monaſterium ipſum in prædictis vel aliquo prædictorum nullo tempore aliqualiter moleſtandos; confirmatione abbatum dicti monaſterii, viſitatione ac confirmatione ipſius & degentium in eodem nobis dumtaxat, noſtriſque Catholicis ſucceſſoribus, reſervatis.

forſan plebanatu

id eſt impoſitionibus

B

variaque privilegia concedit,

50 Item quod apud ipſum monaſterium ſit & eſſe poſſit cœmeterium, ubi & in quo ſepeliantur abbates, monachi, Converſi & familiares omnes monaſterii ſupradicti. Item pro amplianda ipſius monaſterii libertate, quod abbas nunc eligendus in ipſo, & qui fuerit ibidem pro tempore, per ſe vel alium, cui commiſerit vices ſuas, poſſit & liceat ſibi confeſſiones monachorum, Converſorum & familiarium omnium dicti monaſterii audire, & eis pro commiſſis imponere pœnitentiam ſalutarem, corrigere & abſolvere ipſos omnes & ſingulos, prout fuerit decens. Item quod abbas & monachi monaſterii præfati poſſint in ipſo conſtitutiones facere in iis, quæ ſpectarent ad ipſum monaſterium, quas utiles & exemptas providerint pro eodem. Item quod abbas, qui pro tempore fuerit in monaſterio ſupradicto, poſſit & liceat ſibi confiteri ſacerdoti, cui voluerit, & cuncta Sacramenta & abſolutionem percipere ab eodem: & ordines ab epiſcopo Catholico, quem ad hoc duxerit eligendum, hoc eſt, licitum ſit & poſſint monachi, Converſi & familiares, qui pro tempore fuerint in eodem, de licentia tamen abbatis monaſterii ſupradicti.

C

ſine præjudicio juris alieni,

51 Præmiſſa verò conceſſa & largita per nos & unumquodque ipſorum valere volumus & tenere ſine jüris præjudicio alieni: non enim per ipſa volumus nec intendimus alicui præjudicium generari; addentes, quod abbas, monachi, Converſi & familiares monaſterii præfati, nec poſſint, nec debeant parochianos aliarum eccleſiarum recipere ad divina, vel iis eccleſiaſtica conferre ſine licentia rectoris expreſſa illius eccleſiæ, de qua eſſent parochiani, qui vellent audire prædicta vel ipſa recipere ab iiſdem. In cujus rei teſtimonium præſens privilegium ſcribi mandavimus per Guadagnum cameræ noſtræ ſcribam, & noſtri pendentis ſigilli munimine inſigniri. Datum & actum in civitate Aretii in ſala epiſcopalis palatii ſub anno Domini à Nativitate MCCCXIX, Indictione ſecunda, tempore S. P. D. Joannis XXII, die Lunæ menſis Martii, præſentibus Bertuldo Maſcii de Petra Mala. Ego Guadagnus &c.

D

quæ Joanes XXII confirmavit,

52 *Deinde Joannes* XXII *Pontifex anno Chriſti* 1324 *Congregationem Olivetanam in clientelam Sedis Apoſtolicæ ſuſcepit, ut liquet ex peculiari ipſius Conſtitutione, quæ apud Laërtium Cherubinum in Appendice ad tomum tertium Bullarii Romani pag.* 14 *& ſequente ſic ſonat:* Joannes epiſcopus, ſervus ſervorum De. Dilectis filiis abbati, Conventui monaſterii S. Mariæ de Monte Oliveto in Accona, Ordinis S. Benedicti, Aretin. diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras & locum, in quo divino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis, præſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, ſpecialiter autem decimas, grancias, curres, terras, vineas, domos, prata, nemora, poſſeſſiones & alia bona veſtra, ſicut ea omnia juſtè ac pacificè poſſidetis, vobis & per vos monaſterio veſtro auctoritate Apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſalva in prædictis decimis moderatione concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei aulu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenione XVI Calendas Junii, Pontificatus noſtri anno octavo.

E

ac Clemens VI auxit,

53 *Porrò Clemens* VI *Pontifex anno Chriſti* 1344 *eamdem Congregationem angeri permiſit, eique varia privilegia conceſſit, ut patet ex conſtitutione iſtius Pontificis, quam tomo* I *citati Bullarii Romani pag.* 212 *&* 213 *legimus in hunc modum:* Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis abbati & Conventui monaſterii ſanctæ Mariæ de Monte Oliveti in Accona, Ordinis S. Benedicti, Aretinæ diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Solicitudinis paſtoralis officium, quod ſuper omnes orbis eccleſias & monaſteria, diſpoſitione divina, licet immeriti gerimus, pulſat & excitat mentem noſtram, ut cunctorum fidelium, & præſertim regularium perſonarum, quæ mundanis relegatis illecebris, ſub arctioris vitæ obſervantia ſe perpetuò divinis obſequiis emanciparunt, commodis intendamus, ac in iis, quæ divini cultus, animarum ſalutem & religionis augmentum concernunt, eos Apoſtolici favoris præſidio foveamus.

F

qui hanc Congregationem novis monaſteriis

54 Exhibita ſiquidem nobis nuper veſtra petitio continebat, quod nonnulli Chriſti fideles, gerentes ad veſtrum monaſterium ſpecialis devotionis affectum, ac cupientes, ut monaſterium ipſum ad divini laudem nominis amplietur, pro animarum ipſorum ſalute nonnullas domos, terras, poſſeſſiones, loca & alia bona ad eos ſpectantia, vobis ac veſtro monaſterio liberalitate provida donaverunt, & ea intentione contulerunt, ut in eiſdem domibus, terris, poſſeſſionibus & locis Prioratus & Oratoria cum officinis neceſſariis ad opus perſonarum dicti monaſterii conſtruantur, & de novo fundentur, ipſaque conſtructa & fundata, dicto veſtro monaſterio

A sterio tamquam membra capiti sint subjecta, & in eis sic constructis & fundatis instituantur, ponantur & deputentur Priores, monachi & Conversi ac familiares, per te, fili abbas, & successores tuos abbates, qui erunt pro tempore, monasterii supradicti; quodque quamplurimi alii Christi fideles similes donationes & concessiones vobis libenter facerent ad similes usus, ut creditis, si vos super his à Sede Apostolica haberetis auctoritatem, licentiam etiam & facultatem. Quare nobis humiliter supplicastis, ut vos in hac parte, prærogativa Sedis Apostolicæ gratia prosequendæ consuetæ ipsius clementia dignaremur.

ac possessionibus donari permisit,

55 Nos igitur, qui sumus almifici confessoris Benedicti Ordinis professores, cupientes Ordinem ipsum ad Dei laudem & gloriam, ipsiusque Confessoris memoriam celebrem dilatari, ac cultum augeri divini nominis, & animarum salutem etiam procurari, & propterea hujusmodi pia desideria devotorum volentes favoribus Apostolicis confovere, vestris supplicationibus inclinati, recipiendi hujusmodi domos, terras, pos-

B sessiones, loca & omnia bona prædicta vobis jam concessa & donata, & ea etiam, quæ in posterum vobis donabuntur & concedentur ad usus prædictos, & in eisdem domibus, terris, possessionibus, locis donatis & concessis, ac donandis & concedendis, prout domorum, terrarum, possessionum, locorum hujusmodi magnitudo seu quantitas, & eorum etiam facultates exposcent, Prioratus vestri Ordinis & oratoria cum officinis necessariis construere & fundare in partibus dumtaxat Italiæ, ac in eis Priores, monachos, Conversos & familiares juxta dictarum facultatum exigentiam instituere, qui secundum ejusdem B. Benedicti regulam & instituta dicti vestri monasterii devotum impendant perpetuò Altissimo famulatum: & quod eisdem Prioribus, monachis, & Conversis liceat in eisdem Prioratibus & oratoriis habere altaria, campanilia cum campanis, cœmeteria pro sepultura personarum in illis degentium, ac in oratoriis ipsis Missas & alia divina officia celebrare; quodque Prior cujuslibet loci sic construendi possit monachorum & Conversorum Prioratus seu loci sui confessiones audire, ipsosque absolvere, ac eis pro commissis

C pœnitentiam injungere salutarem, dummodo talia non fuerint, propter quæ foret Sedes Apostolica meritò consulenda.

uti etiam posteriores Romani Pontifices fecerunt.

56 Nec non eisdem cuncta Sacramenta ecclesiastica ministrare, & quod in Prioratibus & oratoriis ipsis erectionem & consecrationem altarium, & cœmeteriorum benedictionem à quocumque malueritis Catholico antistite, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente (si Prioratuum & locorum ipsorum diœcesani eas vobis & ipsis Prioribus ac monachis gratis & sine pravitate exhibere noluerint) recipere liberè valeatis; vobis & eisdem Prioribus & monachis Prioratuum & locorum hujusmodi, sine parochialium ecclesiarum & cujuslibet alterius juris alieni præjudicio, auctoritate Apostolica licentiam & facultatem liberam tenore præsentium de gratia concedimus speciali. Nulli ergo &c. Datum Avenione XII Cal. Februarii, Pontificatus nostri anno secundo. *Laërtius Cherubinus in observatione prævia ad illud Clementis VI diploma assignat alios Pontifices posteriores, qui hanc Congregationem favoribus Apostolicis prosecuti fuerunt. Denique disciplinam ac laudes Ordinis Olivetani curiosus lector etiam intelliget ex capite quinto Actorum, quæ jam prælo subjicimus.* AUCTORE G. C.

VITA

collectore anonymo,

quæ ex Actis tum Latinis, tum Italicis excerpta est.

CAPUT I.

Gesta Beati in statu seculari, & secessus in eremum.

Singulari Deiparæ patrocinio

NObilitate, & pietate concordes, sed matrimonii fructûs expertes, semota liberorum & posteritatis spe, mœstos in civitate Senarum traducebant annos optimi conjuges Minus Ptolomæus, & Eulvia Tancreda: lacrymas, precesque fundunt diu tenerrimas, ut prolem expetitam à bonorum omnium Largitore consequantur. Virginis Matris patrocinium implorant, eique sobolem in obsequium, & cultum mancipatam spondent; si impetrent, reddituri munus, quod accipiant. Precantes benignè audivit, & voti compotes effecit Deus, numquam non invincibilis, nisi cum ex corde rogatur. Fœcundato jam utero, Fulvia fœtum sentit, videturque, oblata sibi in somnis jucunda specie, non puerum enixa, sed cycnum oleæ ramulum ore præferentem, candidissimum plumis, cui plauderent minores cycni conferto agmine circumvolantes. Visum, sopore excusso, Mino *a* narrat, gnara somnii, sed ignara prodigii. Nec non injectam divinitus speciem subsecuta res apertè monstravit. Etenim, quem postea genuit, Bernardus, moribus, habituque nitidissimus, multorum aliorum cycnorum fortunatus parens, illos docuit superna petere, familiâ institutâ, cui oliviferi hinc inde montes purpureæ subjecti cruci tesseram formant.

a

F

Beatus ille Senis in Tuscia nascitur,

2 Parit Fulvia infantulum Senis in Thuscia anno à partu Virginis MCCLXXII, sexto Idus Maii, diciturque Joannes in baptismate, licet postea Bernardus, ipsomet D. Bernardi Clarævallensis expetente nomen, cum monasticas induens vestes, sibi tanti heroïs proposuit imitanda vestigia. Beneficâ porrò Numinis providentiâ factum est, ut luctuosa illa ætate donaretur Italiæ infans, novæ sobolis futurus Pater, Benedictini Ordinis subsidium, & penè collapsæ disciplinæ monasticæ reparator insignis. Et quidem hoc ipso impellente fine, plures Olivetanis sacras ædes concessas (nempe ut claustris redderent disciplinam regularem, quæ corruerat) testantur Pontifices summi diplomate non uno.

& in pueritia piè educatus,

3 Sic editus Bernardus vix infantiæ fines egreditur, cum maternis abreptus ex ulnis, traditur educandus consanguineo suo Christophoro Ptolomæo Ordinis D. Dominici, scientia, & probitate digno, ut dein episcopali infula decoraretur *b*. Sub magisterio tanti viri ibat de virtute in virtutem (ascensiones quippe dispoſuerat in corde suo) nocturnæ, diurnæque psalmodiæ assiduus, meditationibus frequens, ovis tenera

b

EX MS. sui rectoris voci in omnibus parens. Interea literarum ſtudiis operam navabat. Rhetoricæ primùm præcepta diſcit, philoſophicis poſtmodum imbuitur diſciplinis ea profectûs laude, ut non ſolum collactaneis ſuis tyrónibus, verùm ipſis quoque emeritæ militiæ veteranis admirationem excitaret; quam geminabat humilitate propè ſingulari, quotieſcumque in diſceptationibus, aut circulis ſuam juſſus exponeret ſententiam. Erga inſtitutum D. Dominici amore captus, optabat inter ejus alumnos numerari. Sed certior factus Minus, imperio ſuo ad paternos lares revocandum curat natum unicum, ſpem poſteritatis. Exciderat fortè è memoria votum, quod pridem conceperat ſuſpiria inter & preces, filium Deo conſecrandi. Aſt inſuperabili amantiſſimi Numinis decreto ceſſit genitoris conſilium fragile.

varias ſcientias diſcit ac docet.

4 Paternam itaque repetit domum Bernardus, ſacris tamen clauſtris animo hærens, ubi fuerat virtutum lacte innutritus. Et quò ſeculares inter remotius, ut poterat, à ſeculi ſcopulis navigaret, in ſodalitio D. Anſani *c* ſcribi voluit, ubi Senenſes electæ nobilitatis adoleſcentuli, velut
c
B in palæſtra, ad omnia pietatis officia exercebantur. In hoc lycæo quantum ipſe profecerit, quantum illius exemplo profecerint alii, mirum eſt. Non propterea à ſtudiorum conſuetudine abſtinebat. Philoſophicis haudquaquam contentus diſciplinis, ad mathematicas induſtriam confert; quin & jus utrumque aſſequitur *d*. Nec theo-
d logiam omnino prætermittit, theologiam illam ſemper inhians Beatorum, qua ſcientiarum omnium ſcaturigo clariori lumine revelatur. Quo dignum ſe præbuit, ut doctorali præcinctus laurea, indigenis, conveniſque plaudentibus, ad nexus difficiliores in patrio gymnaſio explicandos deſtinaretur.

Dum inſuper equeſtri

5 Minus tamen ducens genitor Bernardum togatum, & totius encyclopediæ ſublimitate celebrem, à Rodulpho imperatore obtinet, ut inter ſuæ Cæſareæ majeſtatis equites cooptetur. Et ecce humanæ mentis vitream inconſtantiam. Lucebat undique Bernardus non litterarum modò, ſed virtutum radiis. Miſer inter vaniſſimos armorum ſtrepitus frangitur militari luxu. Mundo jam militat, ancillatur mulierculæ, pii ſodalitii, virtutum, ſtudiorum, & ſui ipſius penè oblivi-
C ſcitur. Haud tamen in ea dementia, ac levitate demoratus eſt. Nec enim antiquum ignem adeo extinxerat, quin ſcintillam aliquam ſub Martis inſignibus, & armorum pondere ſervaret Deus, quam Sancti ſpiritus aura excitavit, ut mendacem hujus ſeculi imaginem agnoſceret, luctuoſa deponeret arma, & indueret arma lucis. Ita porrò factum eſt; novuſque miles Bernardus adverſus mundi fallacias pugnam acriùs inſtaurat; & ſodalibus noſocomii Senenſis, quod de Scala appellant, aſcriptus divino cultui, ac virtutum omnium exercitationibus impenſiùs vacat. Languentes, egenos, morbo, fame, aut carceribus detentos nullo non proſequebatur charitatis officio. Corpus ſuum jejuniis, flagelliſque coërcebat, erga cæteros benignus, ſed ſibi immitis: quippe quem præteritæ vanitatis vindicem ſtatuerat.

& civili dignitate fulget,

6 Jam Bernardi nomen omnium in ore erat, jam ejus probitas aſſociata doctrinæ ſermonibus omnium circumferebatur. Quamobrem optimates, civeſque Senenſes, poſt inſigniora ei delata munia populi Ducem, quæ erat primaria reipublicæ dignitas, tum demum ſuffragiis minimè diſcrepantibus conſtituunt. Felicem tunc ſe reſpublica ſenſit, cum Bernardus virens quidem D annis, at canus ſenſibus, & morum gravitate maturus ſupremum regeret clavum. Dici vix poteſt, quot, moderatore illo, prodierint ſanctiones, quibus templorum reverentiæ; paci patriæ, literarum incremento, indemnitati omnium proſpiciebatur. Et minimum erat leges condere, niſi ſuo firmaret exemplo. Ipſemet indigentes pecuniis & ope juvare, infirmos, & carcere incluſos crebrò inviſere, puellas à pudicitiæ diſcrimine ſanctis nuptiis vindicare. Propterea miſerabilium patronus, patriæ parens celebrabatur undique, omnibus utilis, nemini non clarus, vitiis ſolis infenſus.

vanâ gloriâ efferitur;

7 Tam perſpicuæ lucis impatiens umbrarum rex elationis ventum laxavit, qui illuſtriorum virtutum flores arefaceret. Ipſo flante, nutat coloſſus ille, quem univerſi venerabantur ſapientia, & moribus cælo proximum. Reapſe Bernardum cepit inanis libido gloriæ. Hinc ab aſſuetis pietatis ſtudiis feriari, nonniſi frigidè, aut rarò ſacro ſodalitio intereſſe, ad mundanas delicias animo declinare. Leve videbatur, quod coleretur ab aliis ut ſapientiſſimus, ſi non alios ipſe floccipenderet, ut minùs ſapientes. Divino E
tamen obtigiſſe conſilio, ut deficeret Bernardus, creditum eſt; quatenus fragilitatis, & inſipientiæ ſuæ conſcius, fallacemque gloriam ſeriò deteſtans, unicè inhiaret veræ gloriæ ſibi numquam defecturæ in cælis. Idque non multò pòſt probavit eventus. Cum enim ad oſtentationem ingenii in publica Senarum academia difficilem moliretur proponere diſputationem, indicta priùs die, ut plures eum audituri ex diſſitis quaquà locis convolarent, mirabili oſtento fit repentè cæcus, & utroque captus oculo, tenebras manu palpat.

ſed cæcitate percuſſus,

8 Cæcitatem per urbem univerſam circumgeſtat rumor. Caſum collacrymare cives, mœrere convenæ, ſtupere omnes. Ipſe interim aperiens mentis lumina, beneficam Numinis obcæcantis providentiam agnoſcit, cæcitatem tranſactam recolit, ingemit, ac novit ſe numquam vidiſſe meliùs, quàm oculorum officio deſtitutum. Humillimè invocat Deiparam patronam, cui fuerat emiſſo voto à parentibus mancipatus: precibus fuſis, lacrymiſque ſpondet meliorem uſum oculorum, ſi concedatur uti, mundi fu- F
gam, novum anachoriticæ vitæ genus. Nec irritæ preces. Abſque mora recuperat amiſſum lumen, novo miraculo, Tutelaris ſuæ beneficio. Adeunt Ptolomæas ædes, qui indictam diſputationem confluxerant audituri. Gratulantur & illi, & ſibi invicem, rogantes, ut fidem liberet.

& ope Deiparæ ſanatus, in eremum ſecedit.

9 Bernardus non terrenam, quæ coram Deo ſtultitia eſt, ſed cæleſtem meditans in ſchola humilitatis ſapientiam, ſponſionem firmat. Quare convocatis undique proceribus, civibus, exteriſque, ſtatuta die cathedram conſcendens, citra expectationem omnium, profanæ diſceptationis vice orationem recitat ſacram de contemptu mundi *e*. Ipſa abſoluta, amicis, cognatiſque mirantibus, mœrentibus valedicit, ac patriæ illecebris firmo pede calcatis, unà cum duobus ſociis Ambroſio Piccolomineo, & Patritio de Patritiis *f* nobilitate claris, virtute æmulis in e- f
remum contendit.

ANNOTATA.

a *Errat ergo Bucelinus, dum patrem Beati noſtri Joannem nominat, ut § 3 Commentarii prævii monuimus.*

b *Ughel-*

A b *Ughellus in noviſſima editione Venetæ Italiæ ſacræ tomo 3 occaſione Chriſtophori de Ptolomæis, qui anno 1637 ex primicerio eccleſiæ metropolitanæ Senenſis ab Urbano VIII Pontifice declaratus eſt epiſcopus Suanenſis, ibidem col. 761 & 762 de hoc Chriſtophoro Ptolomæo ſic diſſerit :* Recenſetur à Paulo Carpenterio lib. 1 Vitæ B. Bernardi Ptolomæi, Olivetanæ Congregationis Ordinis S. Benedicti inſtitutoris, Chriſtophorus alter Ordinis Prædicatorum alumnus, ſcientiâ & vitæ ſanctimoniâ illuſtris, ejuſdemque divi Bernardi conſanguineus & educator, quem ob eximiam apud omnes exiſtimationem ad hanc Suanenſem ſedem evectum tradit; ſed cum nos in Regeſtis Vaticanis nullam de ipſo reperiſſemus mentionem, illum ex albo Suanenſium præſulum expunximus, ne ſeries noſtra claudicare apud pleroſque videretur. *Cum itaque Chriſtophorus iſte non fuerit epiſcopus Suanenſis, ut Lombardellus, Carpenterius & Oraſſius contendunt, & hic collectar nullam certam ſedem ei tribuat, dignentur PP. Prædicatores aſſignare aliam hujus ſui alumni cathedram, quam ſaltem in Italia ſacra non reperimus.*

B c *Hic S. Anſanus Senis martyrium ſubiiſſe dicitur, de quo Faſti Senenſes ad diem primam Decembris meminerunt. Carpenterius lib. 1 cap. 6 pia exercitia hujus ſodalitii fusè deſcribit.*

d *Nonnulli negant, Beatum noſtrum juris utriuſque peritum fuiſſe. Sed Lombardellus poſt Italicam* B. Bernardi Ptolomæi *Vitam in Appendice ad caput quintum libri primi apud nos pag. 127 & ſequente aſſerit, eum philoſophiæ & utriuſque juris doctorem fuiſſe, & ſeſe hac in re ſententiam Joannis Baptiſtæ de Populonia ſecutum eſſe.*

e *Carpenterius lib. 1 Vitæ cap. 15 recitat hanc* B. Bernardi Ptolomæi *orationem, ſed ſtylo ſuo adornatam. Libenter exhibuiſſemus iſtud antiquitatis documentum, ſi illud genuinum ac primigenia phraſi expreſſum reperiſſemus.*

f *Carpenterius lib. 3 cap. 3 laudes horum duorum virorum, qui fuerunt primi Congregationis Generales, pluribus exponit.*

C

CAPUT II.

Pia Beati exercitia in eremo, ac diverſæ tentationes.

Beatus in horrida ſolitudine

ANtequam Bernardus exiret de domo, & cognatione ſua, vendidit univerſa, quæ habuit, & pauperibus erogavit, unico ſibi retento agro, cui nomen Accona, quindecim paſſuum millia diſſito ab urbe Sena, & quatuor circiter millia à via Romulea. Terra prorſus deſerta, invia, & inaquoſa, quam profundæ circumquaque ſepiunt valles, pallentes ſylvæ, anfractus horribiles, confragoſæ rupes. Unus ad eam aditus, iſque admodum anguſtus per pontem penſilem. In hanc ſolitudinem, in hos receſſus ab omni populari ſtrepitu, & hominum conſuetudine ſecuros conferunt ſeſe Bernardus, & ſocii anno ab ortu Chriſti MCCCXIII, mundanis ſoluti impedimentis, ut Deo liberiùs vivant.

auſteram vitam ducit,

11 Quis porro ediſſerat, quàm arcta vivendi ratio inſtituta? Sed reliquorum coryphæus, & dux Bernardus eoſdem aſperitate veſtium, & vitæ duritie antecellebat. Ejus amictus pungens cilicium, nodoſo funе præcinctum; cibi herbarum radices, olera agreſtia, & interdum incondita legumina; potus pluviales aquæ in ciſternis collectæ, pauperies, & egeſtas individuæ comites; cæleſtium contemplatio jugis, ejus deliciæ; manuum labores, ſacræ preces, divinæ Scripturæ aut ſanctorum Patrum lectio illius oblectamenta; cubiculum in latebroſa ſpecu propriis effoſſa manibus, quam potiùs cœmeterium dixiſſes, vel vivi hominis ſepulturam, ubi magnificus apparatus arida oſſa, mortuales exuviæ. Conſtruxerant eremicolæ ex materia argillacea oratorium, ubi nunc ſacellum virgini Scholaſticæ divi Benedicti ſorori dedicatum, atque illuc ad recitandas horarias preces conveniebant. Bernardus verò ſepties in die religioſæ pſalmodiæ ſubjiciebat ſanguineam flagellationem; neve ſopor nocturnus piis exercitationibus eriperet tempus, pro cervicali durum ſibi paraverat lapidem vilemque humi ſtoream, ubi cubans brevem adeo captabat quietem, ut videretur magis pœnitentiam fulcire, quàm corpus recreare. EX MS.

& famâ virtutum varios ò attrahit;

12 Tantum lumen ſub modio latere Deus minimè permiſit: nam admirabilis ſanctimoniæ ubique fama percrebreſcens, non modo è vicinis, ſed è diſſitis quoque oris ad ſpecus Acconenſes complures pertrahebat. Quoſdam excitabat ſtudium videndi Bernardum, quem veluti recentem Baptiſtam pœnitentiæ monſtrum in deſerto ſuſpiciebant: alii ſalutaribus documentis inſtituendi, alii ætatem cum eo, felici conſortio, traducturi confluebant. Omnes verò perhumaniter Bernardus excipiebat, nullum dimittebat non lætum, devinctumque Deo, & ſibi. Quos autem noverat in divino famulatu, & diſciplinis ſeverioribus profecturos, aſciſcebat ſocios. E

ſed invidus dæmon

13 Excandeſcens interim dæmon invidus adversùs Dei ſervum inſidias molitur, & dolos; ſperabat ſiquidem bella, quæ ſibi in eremo parabantur, finem habitura, triumphato Duce. Ebulliebant ferrea illa ætate Ghibellinorum, & Guelphorum diſcordiæ. Ex his *a* ergo aliquos ſtimulat, qui mortiferas dapes Ptolomæo mittant. Seſe offert famulus vafer in deſerto, & ad Bernardi pedes provolutus ait geſtare eleemoſynam frugalem, piorum virorum munus pro læta, quæ jam inſtabat, reſurgentis Numinis ſolemnitate. Sed Bernardus ſuſpirio humili præmiſſo, Non me, inquit, latet, quæ ſit donorum fraus, & dona mittentium. Vobis ignoſco, &, ut Deus itidem ignoſcat obſecro: factoque ſuper ciſtam crucis ſigno, nigrantes carnes, ac ſuffervens vinum extemplo virus patefaciunt. Tunc munerum lator confuſus ac ſtupens veniam à ſancto Patre poſcit, & diſcedit. *a* F

diverſas ei ſtruit inſtidias ac tentationes,

14 Aliis artibus Bernardo perniciem ſtruit ſatanas. Duos ex inferorum ſede legat, qui habitum eremiticum ementiti ſub gemina Ambroſii Piccolominei, & Patritii de Patritiis eremi principum ſpecie Ptolomæum adeunt. Ejus ſe ad pedes ſiſtunt; teſtantes à Deo monitos, ut ſolitudine poſthabita ad ſeculum remeent, ubi xenodochiis, carceribuſque inviſendis, ubi egentibus, viduis, pupillis juvandis, & permultis aliis charitatis officiis latus aperitur campus. Dein ad reliquos eremicolas converſi, ſigno diſceſſui dato, elata voce: „ O Acconenſes incolæ, ſi „ veſtra vobis ſalus, & beatitas cordi eſt, otio„ ſa antra iſta deſerite: vos uberior meritorum „ ſeges manet in patria. Deus revocat, abite „. Eorum auditis ſermonibus, ac conjectis in ipſos oculis Bernardus fallaciam novit, exprobrat

EX MS. invidiam, ac facto præpotenti crucis signo, ululantes inter sulphureas flammas cogit recedere. Verùm Deus voluit eremicolas nonnullos jam discessui accinctos miraculosè percutiendo sanare. Nam primum repentè excæcati viam egrediendi minimè reperiunt, pòst à sancto Patre orante, unà cum venia, lumen recipiunt, & in suscepto confirmantur instituto.

quibus viriliter superatis, 15 Neque hic technarum finis. Lascivas cogitationes, spurca phantasmata, quæ malus spiritus frequenter excitabat, Bernardus flagris, jejuniis, lacrymis pœnitentiæ numquam non invictus repellebat. Nihilominus ingredienti quadam die ad precandum cellulam suam, en dæmon occurrit venustissimæ sub virginis specie, & amplexibus, blanditiis, suspiriis interruptis, cæterisque muliebribus armis Ptolomæum adoritur; simulat, se unam esse, quæ Senis degentem eum ferventiùs adamasset, & illuc per umbras, per salebras, per rupes, nec non per ipsas mortis fauces flammis amatoriis percitam advolasse. Substitit aliquamdiu attonitus sanctus Pater; at cælesti lumine illustratus commentum agnoscit, vires colligit, atque inter Jesu tremenda nomina ementitam feminam abarcet, fugat: tum demum ut insurgentes fœdæ libidinis motus penitus cohibeat, membra innocua inter spinas volutat.

B

cælesti visione recreatur. 16 Quia verò Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit, quos paterna regit providentia dilectos suos, triumphum, quem Bernardus reportaverat de carne, & satana, voluit clementissimè cælesti favore munerari. Depulso spectro, beatus Pater humiliùs Dominum rogabat, oculis ac manibus in astra elevatis, ut sua, suorumque obsequia dignaretur grata habere. Cum ecce suspicienti ipsum sub meridie argentea se objecit scala à terra ad cælum usque pertingens, cujus hærebat vertici Christus à dextris, Virgo Mater à sinistris, nitidissimis stolis exornati. Virgini pectus sidere coruscabat. Per gradus angeli catervatim descendebant, & monachos niveis vestibus amictos benignè juvantes ducebant ad fastigium, ubi immortalis gloriæ compotes efficiebantur. Inter admirationem, & gaudium sanctus Pater cupiens commilitones suos tam juvandi * prospectus participes, quos non procul orationi vacare conjicit, festinanter advocat. Accurrunt illi, oculos sustollunt, & divino illo spectaculo ad breve tempus recreati, dulces lacrymas unà cum eo fundunt, gratias uberes Parenti luminum persolvunt, atque ad conflictus cum mundo, carne, & satana validiùs impostetum sustinendos, Ptolomæo suasore, disponuntur. Interea mysterii interpretationem nullus attingebat; sed aperuit aliquot post annos ipsamet cælitum Regina, cum eremicolas suis sub auspiciis candidis cucullis jussit amiciri.

* *forsan* jucundi

C

De hæresi accusatus, Avenionem tendit, 17 Beatus Pater novis instructus divinæ gratiæ viribus in arenam iterum provocatur. Apud Joannem XXII hierarcham Ecclesiæ summum, Avenione tunc sedentem, hæreseos, aut perniciosæ alicujus molitionis arcessitur. " Latent, monebat accusator, " eremicolæ in valle nulla „ peculiari vallata lege: solus Ptolomæus & præ„ ceptor, & signifer: ætas periculosa nimis: „ hæreses initio scintillæ viles, sed, nisi celeriter restinguantur, incendiorum grandium parentes: ejiciendi è specu ficti pœnitentes, antequam concluſa flamma latiùs diffundatur „.; Fidem monitori non continuò Pontifex adhibuit sed Bernardum evocat, ut Avenione coram ipso causam dicat. Obedire absque mora statuit ovicula obsequentissima supremi Pastoris voci. Quare sodales post pacis osculum commendat Deo, & Virgini Matri, ipsis verò sodalibus charitatem, concordiam, perseverantiam; subinde ascito sibi comite Ambrosio Piccolomineo nudis pedibus hyberno tempore longinquam peregrinationem aggreditur *b*, pericula non horret, multa & gravia incommoda æquo animo suffert; innocentiæ ubique, & pietatis exhibet specimina.

D

b

dæmone frustra iter dissuadente, 18 Trium circiter dierum itinere Avenione distabat; & en virum senio gravem, specie spectabilem, habitu eremitam: blandis verbis Ptolomæum alloquitur, &, ne progrediatur ulteriùs, suadet, asseverans ipsi licèt insonti parari flammas supposititi sceleris ultrices, ubi Pontificem adeat; idque divinitus accepisse. Principio hæsit ad hæc Bernardus; ast Pontificis æquitate, & sapientia fretus, de sua, & sociorum fide, ac moribus securus, ad loquentem conversus; Sed tu quis es? ait, producitque interim metuendum crucis signum. Tum ementiti senis locum fœtidus adeo vapor occupat, ut Bernardum in terram dejiceret.

E

& falsam accusationem coram Papa diluit, 19 Avenionem tandem Ptolomæus tenet, ac Pontificis, datâ copia, se ad pedes sistit, veste pannosus, humilis cultu, incessu verecundus, hilaris tamen animo. Interrogatus, ea constantia, & ordine de sui conversione, de fide, & moribus cum sociorum, tum suis disseruit, ut pontificiam aulam admiratione complerit. Igitur comperiens Hierarcha summus Bernardum virum esse Deo plenum, piam eremicolarum disciplinam laudat, & datis ad antistitem Aretinum litteris, ad cujus ditionem pertinebant Acconenses valles, Pientinæ *c* postmodum diœcesi adjectæ, mandat, ut eremi curam suspiciat, Ptolomæo ac sodalibus patrocinium impendat, nec non regulari alicui, probatoque subjiciat instituto, quatenus in salutis itinere gressu tutiore progrediantur. Aretinam tunc civitatem moderabatur Guido Petramalius sacra pariter & humana potestate. Huic pontificiam epistolam Bernardus exhibet. Episcopus legit, gratulatur de summi Pastoris erga oves suas tam benigna dilectione. Tum verò jussionem significans, " Gravissi„ ma, inquit, res est, & plena negotio. Ad „ commilitones redite, & meis verbis triduanum „ jejunium cum publicis supplicationibus indici„ te. Vestris humiliter adjungam meas. Nimirum „ à Patre luminum expectandum lumen, & au„ xilium, ut secundus sit rei exitus „.

c

F

à quo mittitur ad episcopum Aretinum, 20 Itaque cum Ambrosio Acconæ se restituit Ptolomæus, ac Deo O. M. persolutis gratiis, quæ sibi Avenione primùm, subinde Aretii contigerant, denarrat; qua humanitate fuerit exceptus à summo Pontifice; quæ ab ipso mandata reportaverit vivendi sub aliqua certa regula, quæve ab Aretino præsule implorandi divini Spiritus lucem; ut, quid agendum, illucescat, & authore Deo feliciter peragatur. Reducem ingenti oblectatione excipit, & auscultat cœtus omnis. Gestiunt certatim mandata perficere, totumque illud triduum jejunantes, & carnem affligentes, precibus ferventissimis implent. Novissima nocte Petramalio inter summa silentia quiescenti adest cælorum Regina pulchrior lunâ, nitidior sole, magno famulante beatarum mentium agmine, undequaque amplissimè circumfulgens. Tacto leniter episcopi animo, sic illum amicis compellat verbis: " Mihi Acconensis eremus

A „ mus ſacra, meis auſpiciis ſurgit recens fami-
„ lia. Divino proinde decreto placet Con-
„ gregationem meo nomine appellari ſanctæ Ma-
„ riæ à Monte Oliveto. Benedicti Regulam cu-
„ ſtodiat, candidis veſtibus, hiſque inſignibus
„ utatur „. Atque hæc inter, tres albos monti-
culos virginea manu exporrigit in unum coactos, oleæ ſurculo hinc inde conſurgente; at medio monticulo purpurea infixa cruce.

qui Beato ac ſociis

21 Experrectus Antiſtes, quæ per quietem viderat, animo recolit, ſtupet, divinum eſſe negotium non dubitat; unde altiorem de eremicolis, ac eorum præſertim Coryphæo exiſtimationem concepit. Poſtridie ſupervenienti cum Ambroſio, & Patritio ſociis Bernardo Petramalius obvium ſe præbet, ruit in amplexus, gratulatur tam ſolicitam Dei providentiam, ac Deiparæ in ipſos amorem ſingillatim renuncians, quæ Virgo monſtraverit, quæ juſſa reliquerit, iiſdemque exhauriendis dies conſtituitur.

B *regulam S. Benedicti cum candidis veſtibus præſcripſit, d e*

22 Quamobrem die ſeptimo ante Calendas Aprilis, hebdomadæ ſecundo, anno ſalutis reſtitutæ ſupra milleſimum trecenteſimo decimo nono, à converſione Bernardi ſexto, in æde Aretina Sanctiſſimæ Trinitatis *d* antiſtes infulatus, peracto ſolemni ritu incruento Sacrificio, per ſuum proëpiſcopum *e* tribus eremicolis candidum imponit cucullum. Hortatur, ut penè corruptam in Italia, communi eorum temporum calamitate, Benedictini Ordinis diſciplinam ſuis nitantur moribus reſtaurare, ut niveis veſtibus reſpondeat animi nitor, ac nomini Congregationis videlicet ſanctæ Mariæ de Monte Oliveto peculiaris erga ipſam Virginem Matrem cultus; utque in monte tricipiti olivifero cum rubra cruce virentibus concluſa oleis, velut in ſpeculo, ſervatoris Jeſu paſſionem, cruentam mortem æmulandam jugiter contemplentur. Stupere interim mentes, præ inſuetâ dulcedine ſolvi in lacrymas oculi non ſolum novæ ſoboli, ſed clero, & populo ferè univerſo, quem tanti prodigii fama conciverat.

& novam hanc congregationem privilegiis donavit.

C

23 His peractis, Bernardum ac ſocios jam cucullis amictos albis Guido epiſcopus pontificio nomine pluribus exornat privilegiis. Nempe facultatem concedit erigendi templum, & monaſterium, obſervantiam inſtituendi monaſticam ſub vexillis divi Benedicti, Montolivetenſi familiæ alios in poſterum adſciſcendi: inſuper à ſeculari foro, vectigalibus, decimis, & collectis omnibus immunitatem, aliaque permulta beneficia impertitur, quæ Hiſtoriæ Olivetanæ inſeruntur, ipſomet Guidonis ſcripto de verbo ad verbum relato *f*. Poſtremò ſecedendi copiam permittit, & benè precatur.

f

ANNOTATA.

a *Collector hic anonymus illam veneni propinationem Guelphis imputat contra opinionem Carpenterii, ut* § 3 *Commentarii prævii oſtendimus.*

b *Lancellottus exiſtimat*, B. Bernardum Ptolomæum *non iviſſe Avenionem ad Pontificem, ſed eò ſocios dumtaxat ab ipſo miſſos eſſe, de qua controverſia in eodem paragrapho tertio Commentarii prævii egimus.*

c *Ughellus tomo* 1 *Italiæ ſacræ col.* 1174 *ſitum & originem hujus diœceſis ita deſcribit:* Viginti milliariis procul à Senis ad dextram militaris viæ Romanæ in planitie montis ſupra Uricæ fluminis vallem, Pientia civitas ſita eſt, quam olim Corſinianum incolæ appellabant de nomine fundatoris. Pientia modò eſt à Pio II Pontifice maximo, qui ibi è patre exule natus educatuſque eſt. Pius igitur jam Pontifex factus memor loci, ubi primùm ſpiritus hauſerat, oppido muros adjecit, atque ædificiis auxit, in eoque Deiparæ Virgini in cælum aſſumptæ conſecratum templum conſtruxit, ut pro cathedrali eſſet .... Diœceſim viginti duorum oppidorum noviter inſtitutæ eccleſiæ tribuit, quæ partim ab Aretino, partim à Cluſino epiſcopatu disjunxit. *Hinc facilè colligitur, quo tempore valles Acconenſes ab Aretina diœceſi ad Pientinam tranſlatæ fuerint.* EX MS.

d *Lombardellus lib.* 3 *Vitæ Italicæ cap.* 2 *ſcribit, id factum eſſe in eccleſia cathedrali Aretina; ſed in Hiſtoria Olivetana oſtenditur, id Aretii in eccleſia ſanctiſſimæ Trinitatis contigiſſe, quam opinionem Carpenterius lib.* 2 *cap.* 15, *& Oraſſius lib.* 2 *cap.* 4 *ſequuntur.*

e *Carpenterius lib.* 2 *cap.* 15 *innuit, hos tres viros candidis veſtibus ab ipſo præſule Aretino indutos fuiſſe. Ab hoc autem collectore dicitur antiſtes iſte id* per ſuum proëpiſcopum *feciſſe. Si præſul ille proëpiſcopum aut vicarium habuerit monachum Camaldulenſem, hæc ultima opinio facilè conciliari poteſt cum Auguſtino Florentino, qui lib.* 2 *Hiſtoriæ Camaldulenſis cap.* 57 *de* B. Bernardo Ptolomæo *ac ſociis ex Chronico refert hæc verba:* Venerabilis autem pontifex Aretinus per manus cujuſdam religioſi viri Joannis monachi Camaldulenſis abbatiæ de Saxo Aretinæ diœceſis induit præfatos Patres puriſſimum & album habitum. *Vide ipſum fundationis diploma, de quo ſtatim.* E

f *Iſtud Aretini præſulis diploma* § 4 *Commentarii prævii ex Ughello tranſcripſimus.*

CAPUT III.

Cœnobitica Beati vita poſt acceptam S. Benedicti regulam.

Religioſa congregatione Olivetana inſtituta, F

REgreditur ergo Bernardus in candido amictu candidior animo, & cæleſtibus favoribus dives ad rupes Acconenſes, dicamus jam ad Montem Olivetum: hoc enim, ut antè vidimus, nomen fecit Virgo Mater. Quis explicet Fratrum lætitiam? Eos in ædicula coactos ſingulorum, quæ obvenerant, conſcios facit, cœnobitico operit habitu, divina interim myſteria conſideranda proponens; magni monachorum parentis Benedicti regulam exhibet, ſimul ad obſervantiam inflammans, ſimul innumera objiciens heroum exempla, qui tanto duce militantes palmam vincentibus promiſſam ſunt aſſecuti. Cum verò præſide eſſet opus, ad cujus voluntatem quiſque ſuam componeret, curæ omnium in Bernardum unicè intendebantur, quem & patrem habebant, & magiſtrum. Aſt ille precibus flecti nullo potuit modo, humillimè dictitans ſe oneri imparem, honore indignum.

Patritius abbas eligitur,

25 Quare ipſo hortatore abbas communibus ſuffragiis renunciatur primùm Patritius de Patritiis, deinceps Ambroſius Piccolomineus, uterque Ptolomæi ſodalis in ſeculo, uterque ſectator in eremo. Annum exigunt ambo in regimine, grandi novelli cœtûs incremento. Denique accumulatis caſtitatis, & pœnitentiæ laudibus, in cæleſtem ſunt Jeruſalem aſcripti. Ambroſio ſufficitur Simon de Thure Senenſis ſpectatiſſimæ virtutis,

ex ms. tutis, qui anno gloriosè expleto, provinciam deponit. Interea loci circumsonare fama eorum, quæ in sacra eremo gerebantur. Pervulgat mores castissimos, sedulas meditationes, studiosum, præterquam in concinendis divinis laudibus, silentium, pacem suavissimam, mancipati Deo animi delicias; ut nemo ambigat inter eas rupes revirescere veterum monachorum disciplinam. Quapropter multi, iique spectabiles in seculo viri pessumdatis fallacibus fortunis ad montem oliviferum undique convenire, ut jam non solitudo, sed felix summo Numini militantium civitas videretur.

& post alios ipse Beatus cogitur fungi eo munere,

26 Bernardus totum illud triennium in contemplatione divinarum rerum insumpsit; sed Simone de Thure mortalitate exuto, cum de implenda suprema sede ageretur, victus tandem, & coactus à suis, anno reparatæ salutis MCCCXXII administrationem Ordinis suscipit; à qua licet quotannis pro illo Congregationis ritu abdicare se satagat, attamen usque ad vigesimum septimum, hoc est usque ad vitæ extremum, sociis minimè acquiescentibus, confirmatur. Anno MCCCXXVII enixiùs eos rogitat, quatenus à munere absolvant: oculis enim usque adeo laborare, ut nec assequendo sacerdotio aptus sit: videlicet assidua beneficiorum Dei, & retroactæ vitæ consideratio quemadmodum lacrymas ubertim extrahebat, ita sensim languorem invexerat. Nec adhuc auditur.

B

quod frustra abdicare conatur.

27 Consuluntur hac super re tum Joannes S. Theodori Diaconus Cardinalis, Apostolicæ Sedis in Hetruria tunc legatus, tum jurisperiti ea tempestate illustres Paulus de Azzariis decretorum doctor, Andreas de Guantariis, ac Dinus Pisarum archiepiscopus. Horum omnium eadem responsio, Bernardum " regimini idoneum, sup-
„ plente nimirum defectionem luminum meritorum probitate *a* „. Equidem quidquid in optimis præsulibus expeti poterat, in eo uno mirificè elucebat. Ipse in Superos, in proximum studiosissimus, divinis diu noctuque interesse, infirmis & languentibus opem ferre, erigere jacentes, recreare mœstos, accendere frigidos, excitare torpentes, omnibus omnia factus ubique adesse, numquam nòn vigil, defatigari nescius, exemplo priùs, quàm verbo adjicere cunctis incitamenta virtutum. Hinc sacri commilitones ducem æmulati certatim proficere, & sanctitatis fastigio inhiantes, magis magisque in dies conscendere.

a

C

Etsi cœnobium Olivetanum contra dæmones

28 Jam suavissimo tam absolutæ religionis odore illecti non solum finitimi populi, sed & principes, & civitatum antistites Olivetanos à Bernardo efflagitant, jam cœnobiis extruendis facultates, & loca suppeditant. Jam numero cœnobitarum Acconæ fines angusti nimis. Jam in Monte Oliveto pia confluentium liberalitate, & monachorum manibus, templum surgit Deiparæ Ordinis patronæ sacrum, nempe munitissimum propugnaculum adversùs inferi portas minimè prævalituras. Præsentit interim Christianæ charitatis hostis, & furore percitus nihil non molitur, ut religiosos labores irritos reddat. Reapse quod per diem construunt pii cæmentarii, noctu destruunt avernales larvæ. Spectantur mane diruta tecta, disjectæ trabes, profligati parietes. Conqueritur cœnobitarum grex fusos conatus, inexploratâ causâ.

à S. Michaële defenderetur,

29 Bernardus abjectissimè de se ipso sentiens, proprias in culpas rejicit, plorat, Deumque obsecrat, ut dignetur ultricem manum amovere; mœrentium sociorum pietati prospiciat. Distulit aliquot dies, sed tandem dolore affectum mirabili ostento sanavit divina bonitas. Nam inter ferventiùs orandum ecstasi correpto Viro Dei apparuit juxta ruinarum acervos militari specie juvenis statura procerus, ore elegans, templum circumiens, districtum gladium hac, illacque vibrans, & dæmones perturbatores sternens, fugans; eumque supernè novit esse Michaëlem cælestis militiæ principem, loci vindicem, & custodem in posterum futurum. Jam amico spectaculo Bernardus erigitur animo, perfunditur dulcedine. Fratres verò certiores facti, & ad constructionem ædis alacrius incumbunt, & Archangelo tutelari aram inibi exædificant.

D

& congregatio privilegiis Apostolicæ Sedis ornata crescret,

30 Cernens itaque Vir sanctus conditæ religionis incrementa, quam Superi ingeminatis prodigiis declaraverant acceptam, curat suprema quoque in terris Papæ authoritate firmari. Atque id primùm impetrat anno Christianæ epochæ MCCCXXIV à Joanne XXII *b*, legatis Avenionem monachis aliquot, dein à Clemente VI, anno MCCCXLIV *c*, ipso virginis Agnetis festo, qui proinde Montolivetensibus ad hæc usque tempora solemnis est, & sacris pompis speciatim celebratur. Videlicet uterque Pontifex Olivetani Ordinis pariter amantissimus, & illum approbat beneficientia non absimili, & privilegia rata faciens, quæ Guido Petramalius concesserat, alia plura & quidem ampliissima superaddit.

b

c

E

tamen beatus Institutor variis modis

31 Hisce, & aliis commissi sibi cœtus & tuendi & augendi distento curis bono Præsuli insidiatur via duplici stygius serpens. Modò avaritiâ tentat, modò ad ambitionem solicitat. Mente interdum agitabat Bernardus, qua ratione inchoatum monasterium promoveretur, quandoquidem multa desiderabantur necessaria, simulque pecunia ipsa, qua possent comparari. Sarana occasione arrepta, Ambrosii Piccolominei habitum & imaginem mentitus, accedit ad solicitum Virum Dei ac ducit, ubi thesaurus ingentis pretii quasi recens effossus in conspectu se dabat. Modicum fuisset hortari, ut in ædificium converteret; stimulat ut exportet, utque impositò tandem præsentis conditionis angustiis fine, unà pariter cum illo in urbem ad lætiorem se conferat. Ipsa stimulatio, utpote pietati dissentanea, & professioni suæ Bernardum fraudis admonuit. Quare producto de more crucis signo, " Apage, inquit, auri & urbis suasor. Nec au-
„ rum habet me, nec urbs. Impostor apage „. Atque sic clamantem è vestigio simul deserunt & tentator, & fictæ divitiæ.

F

à dæmone tentatur;

32 Die altera dæmon idem toties urgens, numquam victor, nobilem se tabellarium simulat Pontificio nomine missum, ut Bernardo nunciet ecclesiam Avenionensem, defuncto Pastore, sibi præclari nominis cœnobitæ destinatam. Illum adit comitatus famulitio, & perquam humilibus, scilicet ad fallendum compositis, verbis, ac signis honorat, laudibus effert, denique exporrecto ad legendum diplomate allicit, ut Papæ imperanti lubens obsequatur. Inter obedientiam, & modestiam fluctuans Vir Dei supernum exposcit lumen. Nec mora: implanatoris divinitus assequitur technas; unde invocato Jesu nomine minacis instar clamat: " Vade, satana; ad-
„ huc audes contra servos Dei „? Tum qualis esset nuncius, res miranda significavit. Nam ipse, & comites immanium serpentum figuram susceperе, subin repentina mutatione attollentes se in gigantes sævos, ita acerbè illum cecide-

runt

runt, ut jaceret propè exanimis. Verùm ſuccurrente eremi vindice Michaële archangelo, qui concuſſa membra cæleſti linivit balſamo, mirificè convaleſcit.

ſed poſt victoriam

33 Bernardus porrò animum intendens in ſtudioſiſſimam Dei providentiam, qua, quos amat, premit, non perimit, imo facit, judice Apoſtolo, cum tentatione proventum, officioſiſſimas effundebat lacrymas. Cumque eſſet in Deum præ amoris magnitudine transformatus, cupiebat diſſolvi, & eſſe cum illo, ac diuturnas ecſtaſes, ſociis etiam ſpectantibus, patiebatur, ubi ſuper aëra pendens, extenſis brachiis, confixis in cælum oculis, ridenti ore angelos, Sanctos, & ipſum Sanctorum Regem ſuaviter delibabat. Ecſtaſes ejuſmodi, quas plures memorant, celebriores attingemus.

Deipara illum de æterna ſalute certiorem reddit,

34 Illuceſcente aſſumptæ Virginis ſolemni die, myſterium Vir pius omni mentis ſtudio, & pari itidem affectûs erga Deiparam contentione meditabatur, ſcire interim cupidus, num ea, quæ ſolvebat, officia, ſibi, & Filio eſſent accepta, quidve de ſua poſt exitum anima eſſet futurum. B Prolixam poſt orationem ipſo oriente ſole ſplendidior apparuit ei beatiſſima Virgo, & veluti linguæ, ſenſuſque expertem his ultro verbis compellat: " Bernarde, perfice inceptum curſum; „ accipies inter electos paratum tibi bravium à „ conſtitutione mundi „. Atque his prolatis, candidiſſima nubes eam è conſpectu ſuſtulit. Ipſe autem de præmio ſecurus & viriliter, plus quam antea, curſum proſequitur, & mortem poſtea vix explicanda oblectatione deguſtat.

Chriſtus multa poſtmodum eventura docet

35 Feriâ ſextâ majoris hebdomadæ Dominum pro ſe crucifixum, ante ſacratiſſimam ejus imaginem, contemplando deperibat. Quàm verò ſibi placeret amantis illud, & ſimul compatientis deliquium, ipſemet Chriſtus ſuo divino ore teſtari voluit. Nam Servulum affatus, de mercede ſuorum laborum ſpem injecit non levem. Multa inſuper futura præſignificavit Olivetanæ familiæ profectus, reductionem Apoſtolicæ Sedis Avenione Romam, univerſalem luem, & bellicas neces in Italia, hæreſes, aliaſve eccleſiæ calamitates in Europa; quæ omnia venerabundus Vir Dei excepit, nec umquam, niſi obitu inſtante, renunciavit.

in duplici extaſi ſeu colloquio,

C 36 Die item reſurgentis Salvatoris feſto, poſt ſacras Dominici ipſius Corporis epulas ecſtaſi correptus, & in aëre conſiſtens, viſus eſt pluribus crucifixi Domini ſui imaginem amplexari, & cum eo ſuaviter colloqui, tametſi verba, quæ dicebantur, circumſtantium nemo perciperet. Ut verò aliquod poſt tempus cognovit Fratres ecſtaſis ſpectatores fuiſſe, rubore perfuſus ſeſe continuò in cellulam ſuam recepit, ubi triduo clauſus neque comedit, neque bibit, cæleſtibus nimirum deliciis ſatur.

& S. Benedictus apparens de die mortis præmonet.

37 Anno ſalutis reparatæ MCCCXLVIII die Martii vigeſima prima, quæ eſt Divo Benedicto ſacra, fœdiſſima graſſante lue, Bernardus profuſis lacrymis ac fervidis precibus iratum Numen flectere ſatagebat, ut contineret gladium furoris ſui, neve Italiam, regionem cæteroqui florentiſſimam, accumulatis ærumnis vaſtitatem faceret. Sic oranti adfuit monachorum almus Patriarcha luce perſpicua circumfuſus, & ad Clientem ſuum ait: " Bernarde fili, tempus eſt, ut „ tu & Fratres tui impenſiùs orationi vacetis, „ quoniam Deus de Italiæ ſceleribus pœnas capere dignas ſtatuit. Mors ſæviet etiam in corpora juſtorum, impiorum causâ. Et quidem „ tu ipſe efflabis animam die vigeſima *d* Auguſti: „ ſed Bernardus Claræ vallenſis, quem peculiariter colis, erit tibi patronus, & ad cælum „ dux, ubi meritorum fructum uberem aſſequere „. Poſt quæ tenues in auras evanuit viſio. Aſt abeuntem auguſtum Patrem ſuperſtes filius oculis, & affectu proſequi. Felicem prænuntiati ſibi tranſitus diem exſuſpirat, ac perficiendis monitis adhibet operam, & induſtriam omnem.

EX MS. *d*

Ingruente peſte, ſocios ad auxilium proximi hortatur,

38 Itaque, quotquot ſupererant menſis Martii dies, oratione, & contemplatione, aliiſque religioſis exercitationibus implevit. Pòſt contractos in unum cœnobitas ſuavi ac forti concione excitat, ut accurrant ad tabefactos juvandos. " Fratres, inquit, mei dilectiſſimi, corona mea, „ vos non lateat triſtiſſima horum temporum conditio. Lues teterrima in urbes irruit, in oppida, obvium quemque invadit, illæſum præterit neminem. Quis recenſeat, quot aut corpore, aut ſpiritu, aut utroque miſerè periclitantur? Ut auxiliemur, invitat charitas, „ ſuadet commiſeratio. Sumus Chriſti membra: „ caput æmulemus ipſum Dominum, qui civitates, & pagos obambulans nec difficultates „ timuit, nec laboribus pepercit; quin mortem E „ ipſam ſponte ſubivit, ut homines è morte vindicaret. Fratres mei, itote bini, & tabidis quolibet humili ac pio famulatu ſuccurrite. Moneo tamen, ut die ante pervigilium Deiparæ „ aſſumptæ in cœnobium noſtrum Senenſe con„ veniatis: nam incolumes interim ſervandos „ ſpondet mea fides. Inibi præſtò labor, corde „ vos ſequor „. Sed ne verbis deeſſet exemplum, ipſe omnium primus, adjuncto ſibi comite, Senas, ubi atrocior peſtilentiæ conflictatio, feſtinus, & alacer concedit. Quæ ibi egerit, quæ toleraverit, quot fortitudinis, quot pietatis, quot animi humilis argumenta præbuerit, dici ægrè poteſt. Ipſe correptis lue inſervire, exhibere medicamina, palpare ulcera, amicis conſiliis, ſalubribus hortamentis, ſolatium, & opem ferre. Nempe Bernardi charitatem nec incommoda frigefaciunt, nec pericula terrent, nec aſpectus mortis cruentiſſimus remoratur.

& ipſe priùs charitatis hujus exemplum præbens,

39 Die Auguſti decima tertia Senas in cœnobium ſancti Benedicti, quod Bernardo parebat, ſeſe contulerunt Fratres. Gratulantur invicem incolumitatem, quam ipſe prædixerat, eamque beneficentiæ divinæ munus confitentur ſoluto gratiarum penſo. Luce poſtera convocatis Vir Dei & ſuum, & multorum ex iis obitum denunciat: Sic enim, inquit, horum temporum conditio poſcit, ſic Deus jubet. Hortatur ſtrenuè ad Numinis amorem, ad mutuam inter ipſos charitatem, ad cuſtodiam legum ſancti patris Benedicti, ad contemptum mundi. Dein verbis humillimis culparum veniam à ſingulis petens, obſecrat, ut [ſe] commendent Deo, & Virgini tutelari, ac præſertim imminente Aſſumptionis feſto orationibus unà inſiſtant omnes. Atque hæc inter, ſuſpiria miſcens, lacrymas ab omnibus præ affectûs teneritudine excutiebat. F

in illo obſequio piè moritur,

40 Die ſextadecima in monachos ſeſe peſtis injecit, quorum aliqui ante, alii poſt beati Bernardi obitum, juxta ejus prædictionem interiere. Ipſe verò ſciens inſtare ſibi extremas horas, viliſſimo & pauperrimo ſe lectulo componit, ubi flexis genibus Sacramentis Eccleſiæ confirmatur, & crucifixum Dominum frequenter deoſculans, " En, ait, expectatiſſima adventat dies. „ Tu Jeſu, amor mi ſuaviſſime, ſuſcipe me inter hæc viſcera tua „. Denique poſt primam

ex ms. monachos ſuprema concione allocutus piis monitis inſtruit, ſe iterum, atque iterum eorum precibus committit; ac ſydera ſuſpiciens, & cæleſtem hilaritatem ore præſeferens, dives meritis, confectus laboribus, charitatis victima puriſſimam animam effudit undecimo calendas Septembres *e*, anno ætatis ſuæ LXXVI, converſionis XXXV; legis acceptæ, & candidi amictus XXIX, abbatiatûs XXVII, nondum abſoluto, Chriſti naſcentis MCCCXLVIII. De ejus egreſſu ita refert Arnoldus Wion in Ligno vitæ lib. ſecundo: "Undecimo Calendas Septembris. Senis in Thuſcia „ depoſitio ſancti Bernardi Ptolomæi abbatis, & „ primi fundatoris monachorum Ordinis ſanctæ „ Mariæ Montis Oliveti, qui inter pſallentium „ filiorum manus, ſimul, & mœrentium, & in„ ter verba orationis gaudens in Domino, & „ exultans beatum ſpiritum reddidit Creatori „ ſuo„.

e

gloriâque ejus diverſimode revelatâ,

41 Eadem hora, nempe tertia, qua Beatus Bernardus è vita migravit, quinque monachi vitæ auſteritate præclari, Pius Tancredus Senenſis, Alexander Meſſanenſis, Silvanus Alemanus, Hieronymus à Neapoli, & Chriſtophorus Bononienſis diverſis è locis viderunt Chriſtum deſcendentem inter Virginem Matrem ſuam, & archangelum Michaelem, comitantibus D. Benedicto, & D. Bernardo Claræ vallenſi abbate, aliiſque beatis mentibus, animam decedentis excipere, & duplici diademate coronare. Frater Alphonſus Ptolomæus Dominicanus cum communi luis morbo laboraret, jam jamque eſſet diem clauſurus, circumſtantibus ſui Ordinis religioſis aſſeveravit, ſe intueri Bernardi Ptolomæi animam ſuperna petentem ingenti lumine, & majeſtate. Item beata *f* Ginocchia ejuſdem Ptolomæi cognominis, & ſanguinis, cujus deſcripſit vitam Gregorius Lombardellus, inter orandum cæleſti ſono præmonita, ut oculos elevaret, aſpexit Bernardi ſpiritum ſydera verſus proficiſcentem, iis ferme vocibus aures tantiſper pulſantibus, quæ in tranſitu patriarchæ Benedicti auditæ fuerunt: „ Hec eſt via, quâ Bernardus in cælum aſcen„ dit„.

B

f

decoratur ſepulcro, cujus locus nunc latet.

42 Evulgato Abbatis Montolivetenſis obitu, perturbatur civitas Senenſis, triſtantur univerſi extinctum patriæ lumen, reliquis calamitatibus hanc recèns additam calamitatem. Defuncti Parentis cadaver in eccleſiam ſancti Benedicti deferunt dolentes filii, ibique contumulant, ingementibus, venerantibus viris, ac mulieribus promiſcuæ conditionis, qui confluxerant. Hodie tamen nullum ſepulcri monimentum. Jacturæ cauſam referunt in vaſtitatem, quas tunc temporis invexit ſæva peſtilentia, adeo ut ex Olivetanis duos abſtulerit ſupra octoginta. Pius quidem ſecundus Pont. Max. in ſuis Commentariis libro decimo Bernardum Ptolomæum memorans ſcribit: "Nomen viro Bernardo fuit, cujus oſſa re„ ligioſè colunt„. Sed fortè ad ſepulcralem ædem, quæ in ancipiti poſita non eſt, non verò ad particularem tumuli locum, qui adhuc ignoratur, alludere voluit.

C

ANNOTATA.

a *Quæ hìc parvis uncis diſtinguuntur, ſunt ipſa Joannis Cardinalis verba, quemadmodum collector noſter in margine ex teſtimonio Lancellotti in Hiſtoria Olivetana notavit.*

b *Diploma Joannis* XXII *Pontificis* § 4 *Commentarii prævii exhibuimus.*

c *Etiam hanc Clementis* VI *Papæ conſtitutionem ibidem tranſcripſimus.*

d *Aliqui ſcriptores non adverterunt, falſam fore illam S. Benedicti prædictionem, ſi* B. Bernardus Ptolomæus *obiiſſet die* XXI *vel* XXII *Auguſti, quem ipſi aſſignant, ut in Commentario prævio monuimus.*

e *Etiam collector noſter non obſervavit, hunc mortis diem cum prædictione S. Benedicti ſuperiùs relata non cohærere. Propterea nos* § 3 *Commentarii prævii oſtendimus, Beatum noſtrum die* XX *Auguſti mortuum eſſe, quamvis die ſequente in Martyrologio Romano celebretur.*

f *Carpenterius lib.* 3 *cap.* 18, *hanc feminam etiam titulo* beatæ *ornat; ſed diſcere cupimus, an titulus ille propter immemorabilem cultum ei legitimè tribuatur.*

D

CAPUT IV.

Præcipuæ virtutes, quas Beatus exercuit, & varia miracula, quibus in vita ac poſt obitum claruit.

E

In Beato profunda animi demiſſio,

ÆTerni Patris ſapientia Chriſtus viri juſti argumenta nos edocens, duo ſpeculanda propoſuit. "Ab operibus, inquit, eorum cogno„ ſcetis eos„. En virtutum munia; & "Signa „ eos qui crediderint, hæc ſequentur„, videlicet quæ ipſe indicat prodigiorum dona. De virtutibus beati Bernardi Ptolomæi plura ex dictis colligere fas eſt, addemus paucula, plurima dici poſſent. Ac in primis ejus humilitatis totidem propemodum exempla fuere, quot geſta. Ipſe nobilitate conſpicuus, doctrina pollens, ſanctitate excellens, ſe dictitabat omnium infimum, peccatorem miſerrimum, in vinea Domini ſervum inutilem. A ſociis enixè rogatus, ut jura ſanciret, utque cæteris præeſſet, pro viribus recuſavit; nec, niſi coactus, poſt triennium acquievit, in eo ſanè modeſtior, quod ſuſciperet regimen ſuorum, ne non vinceretur à ſuis. Ipſe in ſarcinis ferendis, fodienda terra, aliiſque abjectis exercitiis omnium primus, in miniſtrando infirmis, tabefactis juvandis nulli ſecundus. Hæc ſunt ſolidæ humilitatis ſpecimina, quæ Bernardus exhibuit.

ſio,

F

auſterum jejunium,

44 Jejunium ſpirituum cælo deſtinatorum cibum impensè coluit: nam Quadrageſimæ tempore quater dumtaxat in hebdomada veſcebatur, videlicet bis die Dominico, die Martis ſemel, & ſemel die Jovis; ceteriſque diebus, quemadmodum etiam in pervigiliis Sanctorum, & in quatuor anni temporibus ab omni cibo penitus temperabat. Die Veneris ſervatori Chriſto, & die Sabbathi Virgini Matri inediam conſecrabat. Vinum deguſtabat modiciſſimum, & perquàm rarò, fortaſſe iis Apoſtoli vocibus admonitus: "Bonum eſt non manducare carnem, & non „ bibere vinum„. Utque ſocios in hujus religioſi propoſiti cuſtodiam adduceret, ac periculum illius aliquando frangendi removeret, juſſit vineas circumcidi, & dolia è monaſterio aſportari. Aſt cum cœnobitæ frigidam haurientes ſtomacho languerent, & fere omnes decumberent, ſatius duxit vinum poſtea permittere, ſed bene aqua dilutum, qua ratione Timotheo quoque gentium Doctor illud injunxit ſcribens; "Noli „ adhuc

A „ adhuc aquam bibere; ſed modico vino utere „ propter ſtomachum „.

varia corporis afflictatio,

45 Pœnitentia & auſteritas fuit Bernardo aſſidua vitæ comes. Urticarum faſciculis carnes cædere, flagellis ad copioſam uſque ſanguinis diffuſionem lacerare, vigiliis, & inedia fatigare, inſomnes noctes intra ſpeluncæ anguſtias plorando agere, fuere hujus virtutis officia, quæ Bernardus exercuit. Præſertim tota nocte ante Veneris diem, mente vigilans cum Chriſto ludibriis & verberibus divexato, nulli prorſus quieti indulgebat. Horrido cilicio, ac ponderoſa catena humeros preſſit, & lumbos cinxit, neve hypocriſis labe pollueretur, communibus forinſecus integumentis utebatur.

rerum divinarum meditatio,

46 Divinæ Scripturæ lectio, & ſupernarum rerum meditatio erant jocundiſſima illius animi oblectamenta. Ubi ſenſum ſacræ lectionis non aſſequebatur, orationem & inediam intermiſcebat; unde non ſemel obtinuit, ut Dei Genitrix, & archangelus Michael cæleſti magiſterio utriuſque Teſtamenti plura ei referarent arcana. Hæ Bernardi deliciæ in ſummam invidentiam traxere infenſum ſatanam. Aliquando cum

B Innocentum cladem ipſa luce, quâ memoriam eorum fauſtiſſimam celebrat Eccleſia, tota affectus intentione penſitaret, objecit ſeſe dæmon immanis, ore, oculis, manibus minax, omni ex parte terrificus; & flagro in Bernardum irruens, adeo violentis & crebris ictibus percuſſit, ut præ impetu caderet nec reſurgere valeret, ſanguine fœdatus, & ſemimortuus. Verum ſic jacenti in conſpectum ſe obtulit affixus Cruci humani generis Reparator, oſtendens faciem pollutam ſputis, corpus univerſum purpureo ſanguinis amictu coopertum, & membra adeo dilaniata flagellis, ut oſſa ſingula diſcernerentur. Tum Bernardus agnovit verè ſolum Jeſum eſſe virum dolorum, ſuas plagas eſſe prorſus umbratiles, ubi tanto exemplari conferantur. Proin lacrymas effudit uberes, & verba tenerrima. Ex hac verò viſione ſe oppidò indemnem ſenſit, & viribus confirmatum, ut ad cæleſtium contemplationem in poſterum conſtanter incumberet, ac ſtygias molitiones irritas redderet.

magna caſtitatis cura,

47 Tuendæ caſtitatis ſtudioſiſſimus fuit. Cujus quidem virtutis non unum habemus indicium in curſu vitæ hactenus deſcripto. Sed aliud adjiciamus. Volſinii, quod mediterraneum Hetruriæ

C oppidum eſt, itineris gratiâ apud devotum virum diverſabatur. Impudica mulier noctu cubile intrat, & lectum advenæ deſtinatum aggreditur, libidine æſtuans, oſcula, & amplexus parans; at vacuum reperit. Per tenebras Bernardum quæritat, & in illum vigilantem offendit. Multis precibus, & qualiter meretricia arte, iterum atque iterum tentat, ſed fruſtra. Nam Vir Dei poſtquam reprehenſam ſigno crucis ejecit, petulcæ impudentiam miratus, baculum arreptum vibrat, ſimul Bernardi Claræ-vallenſis exemplo clamans: " Heus, citò accurrite; audacem, qui „ meas divitias invadit, furem capite „. Quo ſtrepitu & territa mulier de cubiculo ſeſe ſubducit, & feſtinantes, quotquot propè cubabant, ac neminem præter hoſpitem invenientes, ſomniaſſe credunt. Victor interim Bernardus extitit, qui caſtimoniam vigiliis, inedia, carnis maceratione, totque laborum pretio comparatam, divitias jure appellavit ſuas.

amor erga Deum

48 Charitas erga Numen, quæ, Apoſtolo teſte, reliquis præſtat virtutum donis, fuit in Bernardo ferventiſſima. Hoc igne ſurſum elatus, animo, quæ Dei erant, aſſiduè pertractabat; geſta & actus ſuos in Deum referebat; cupiebat diſſolvi, ut Deo frueretur; unde ecſtaſes illæ diuturnæ, & cæleſtia veluti deliramenta. Ex hoc puriſſimo fonte manabant alii virtutum rivuli. Hinc Catholicæ religionis ardor, hinc ſtudium ſalutis animarum, hinc zelus divinæ gloriæ. A Deo ad proximum amore caſtiſſimo deflectens, tam pro alienis, quam pro domeſticis non timebat incommoda ſubire, modò alios levaret, ſeque ac ſuos exponere periculis, ut vindicaret alios. EX MS.

& proximum præcipuè emtuerunt.

49 Hac fretus pietate antiſtes ſupremus Joannes XXII non dubitavit Bernardum præ cæteris Sutrium delegare, vetuſtam Thuſciæ civitatem, ut populum illum civilibus diſcordiis tumultuantem componeret, furore & armis ad interitum properantem ſuum. Et quidem obſequentiſſimus Filius tanta felicitate injunctam expedivit provinciam, ut celeriter rixas extinguere, fugare odia, animis omnium imperare, & ſolus potuerit, & ſola aſpectus ac nominis veneratione. Eamdem beati Viri charitatem exploratam habentes alii principes, & dynaſtæ, illum frequenter in rebus arduis conſulebant, quibus per litteras *a* ſaltem conſiliis, & adhortationibus proderat. Denique tam eximiæ charitatis exemplum illud inſigne fuit, quod pro bono proximorum, & gloria Dei ſuam ac ſuorum vitam objectaverit. E *a*

Beatus etiam prædictus fuit

50 Tot, ac tantis Famuli ſui virtutibus clementiſſimus Deus adjecit munus, quo penetraret alieni cordis arcana. Dum Avenione regrederetur cum Ambroſio Piccolomineo, Taurini illos hoſpitio excepit præclarus & pius vir. Occaſionem nactus iniquus ſervus argentea vaſcula domino ſuffuratur; unum ex pluribus inter Eremitarum involucra condit, moxque herum admonens pretioſam ſupellectilem ſibi deeſſe, in advenas furtum traducit. Tunc iratus herus miſſis lictoribus Eremicolas in via capit, retroductos in carcerem trudi mandat, ubi triduo detinentur. Crimen tantiſper objicit, hypocriſim, vitium ingrati animi. Probra è converſo Vir Dei æqua mente ferebat, ſereno vultu, humiliter affirmans, neque ſe, neque ſocium eſſe furti reum. Tandem domino inquit: " Furem novi, & lo„ cum, ubi ſupellectilem repoſuit tuam; ape„ riam utrumque, ſi veniam ſpoponderis „. Illo igitur annuente, petit ſiſti accuſatorem, quem F ſtatim ac vidit, furti materiam, tempus, locum diſtinctè exprobravit ſuadens, ut pro remiſſione divinam bonitatem roget. Confuſus famulus commentum & noxam fateri cum lacrymis minimè dubitavit. Herus autem Bernardi virtutem ac probitatem venerans, haud multo poſt peſſumdato ſeculo in eremum Acconenſem ſe recepit, ubi cœnobiticam vitam in amictu candido laudabiliter uſque ad ſupremum diem tranſegit, frater Baſilius à Taurino nuncupatus.

intima arcanorum cognitione

51 Placidum monachum, natione Sarmatam, nonnullis menſibus à dæmone pulſatum, & penè victum, ut eremo nuncium remitteret, beatus Pater coram duobus ſociis increpat, & ad meliorem frugem reducit. Fratrem Damianum de Venetiis turpes inter cogitationes fluctuantem ad ſe vocat, & verbis gravibus reprehenſum hortatur, ut prece, jejunio, flagello, his, inquam, armis adverſus ejuſmodi phantaſmata viriliter pugnam ſuſtineat. Stupuit interim cœnobita uterque Bernardo tam bene perſpecta mentis ſuæ cogitata, quæ ratus fuerat unicè Deo nota.

EX MS. *seu cordium perspicientiâ,*

52 Catharinæ de Ptolomæis beati Viri consanguineæ ejus precibus commendanti fæminam nobilem, adversâ fortunâ divexatam, respondit: „ Mulier, quam commendas, ab adolescentia „ vovit cælibatum inter religiosa claustra; ni„ hilominus sponsum sibi terrestrem adscivit, & „ votum infregit: hæc illi infractio fuit infor„ tuniorum scaturigo. Maritus quamprimum de„ cedet: ipsa verò abstineat à novis nuptiis, „ quas animo volvit, alioquin violento fato in„ teribit „. Reapse fæmina brevi pòst tempore marito vidua superfuit; unde & voti conscia, & prædictione territa immortali se Sponso per sacrum connubium dedicavit.

ut exemplis quibusdam probatur,

53 Viri duo, nobilis alter à Mediolano, alter à Luciniano Thusciæ oppidulo, nomine Augustinus, verbis supplicibus seorsim efflagitabant à beato Bernardo monasticam vestem, pretexentes contemptum mundi, religiosum Numinis cultum; cum tamen unus Guelphicæ partis minister ad explorandos eremi mores, alter seculari vindictæ obnoxius illuc advenisset, ut eam declinaret. Fraudes utrique detexit Vir sanctus, quidve corde agitarent objiciens, & rubore suffusos pariformiter dimisit, & mirantes, quod abscondita cordis inspexisset.

B

& variis miraculis,

54 Miraculorum signis Servi sui sanctitatem, cum adhuc viveret, illustrem, & gloriam pòst beatum exitum voluit Deus perpetuò comprobatam. Pacificus eremicola cædendo ligna vulnus adeo grave ex securi acceperat, ut præ vehementi spasmate *b* propè interiturus jaceret. Tetigit Bernardi animum commiserationis affectus, & dato signo crucis, dolorem, vulnus, & vulneris vestigium extemplo omne delevit. Mulierem à dæmone obsessam, ac dirè exagitatam, quæ se illi Vercellis obtulit, benedictione humaniter impertita, illico liberavit. Nimirum ejus benedictioni inerat vis quædam salutifera, qua morbos, & languores mirificè depellebat. Frater Bonus jam pridem quartanâ detentus decumbebat lectulo, viribus languens, & inhabilis ad labores. Vir Dei cum ejus operam desideraret, adhibito crucis signo; Surge, ait, in nomine Jesu, qui est salus, vita, & resurrectio nostra. Porro facilius Bernardo non fuit hæc verba proferre, quam jacenti prorsus convalescere, & demandato operi manus viriliter admovere.

C

tum in vita,

55 Ejus etiam intercessione tum cæci, tum claudi, tum morbis aliis miserè laborantes rectum corporis statum, ac naturales membrorum functiones à Domino impetrarunt. Dum Sutrii Pontificis Maximi legatione fungeretur, vir quidam Romulus nomine ad ejus pedes adducitur oculis captus, & exposcens per illius preces optatum lumen. Quem Bernardus intuens suasit, ut ad Virginem Deiparam confugeret, cujus olim jam ope ipsemet oculorum officium recuperaverat. Ne verò postulationem vacuam relinqueret, tamdiu oravit, donec visus est redditus postulanti, qui & mirabilium Dei, & Bernardi sanctimoniæ evulgator fuit. Oratione itidem Marino Parisiensi cœnobitæ, qui altero pede inconstans, & claudus acerbè discruciabatur, obliquitatem sanavit, & dolorem abegit. Inter alia verò ostenta illud celebre commemoratur, quod in extructione templi Montolivetensis, cum Stephanus cæmentarius è valle Luciniana, dæmonum invidia & arte præceps actus, mortem pariter, ac tumulum inter ruinas habuisset, beatus Bernardus pòst fervidas preces iis Christi Domini usus verbis, " Non est hic mortuus, sed dormit„, ad lucis istius auras extinctum revocaverit.

D

tum post mortem claruit,

56 Clarissima etiam pòst Bernardi obitum signa ejus animæ felicitatem sunt testata auctore Deo. Antonius de Chino Senensis dexterâ jam pridem aridus beati Patris mox tumulandi exosculatus vix humiliter vestes, cum gaudio & admiratione revirescentem manum conspexit. Joanna Petri ex Bonconvento Etruriæ pago, cingulo, quo sanctus Pater utebatur, circumcincta, evadit repentè à dæmone, à quo perdiu fuerat obsessa & itidem divexata. Faustina à Monte sancti Savini, quæ sanguinis fluxum quadriennio, adnitentibus incassum medicis, sustinuerat; & Dominica Griffoli ex Monterone, ditionis Senensis villa, hydrope laborans, magna fide juxta ejus cadaver orant, & sanitatem, morâ minimè interpositâ, consequuntur. Cœnobitæ quatuor Montolivetenses, Hieronymus à Neapoli, Christophorus à Bononia, Gregorius Papiensis, & Raynerius Romanus similiter lue tabidi, & fato proximi, excessum Præsulis vehementer indolentes, manuum in feretro expositarum oscula statim ac suprema obsequia solvunt defuncto, sic in pristina valetudine confirmantur, ut nonnisi multos pòst annos concluserint in Domino dies suos. His, aliisve prodigiis Deus semper mirabilis in E Sanctis suis Bernardi Ptolomæi gloriam illustrem & manifestam voluit, ut propterea immemorabili huc usque cultu, ubicumque ejus viget cognitio, adoratus, & appellatus SANCTUS fuerit.

ANNOTATA.

a *Collector hîc in margine notat, hac Mss. litterarum exemplaria in archivo Montis Oliveti majoris adhuc conservari, & Lancellottum in Historia Olivetana lib.* 1 *pag.* 17 *citat.*

b Spasmus *vel* spasma *est contractio, rigor vel distentio nervorum, quam vulgò convulsionem appellant, ut passim notum est. Simile quid hoc loco indicatur.*

CAPUT V.

Posthuma Beati gloria ex Ordine religioso, quem instituit.

F

Anonymus Actorum collector ex Pio II Papa

PIus secundus, qui Pontificatum rexit seculo Christi quintodecimo prope medium, Olivetanam memorans religionem, libro Commentariorum decimo ita loquitur: " Parva ab initio „ fundatio, devotione hominum aucta, felices „ successus habuit, & in omnem ferè Italiam „ propagata est„. Sed quot, ac quanta ab eo tempore accessere templa, & monasteria? Intra Italiæ limites, & adjacentis Siciliæ duo numerat supra octoginta, ex quibus non pauca præseferunt regulari copulatum modestiæ sacrum splendorem & majestatem. Prælatos habent totidem abbates cum jure mitræ, & pontificalium. Archicœnobium Montis Oliveti Majoris, ut vocant, olim Aretinæ, nunc Pientinæ diœcesis in Thuscia, abbatis Generalis sedes, totius Ordinis origo, & caput est. Claustris, officinis, cubiculis, aliisque ædificiis amplè adeo patet, ut hospites, habuerit Carolum Quintum imperatorum augustum cum magno principum, & equitum ad bis millenos homines comita-

A mitatu; Pontifices insuper duos, Paulum Tertium, & Pium secundum, qui eo loci venerant, pietatem ac religionem veneraturi.

situm monasterii Olivetani describit;

58 Pius idem Papa in suo Itinerario monasterium luculenter his verbis describit: " Ven-
„ tum est ad monasterium, cui Montis Oliveti
„ nomen indidere, quod non procul ab oppi-
„ dulo Clausuræ jacet. Situs monasterii in hunc
„ modum se habet. Collis sublimis est ad Occi-
„ dentem respiciens, topho cretaque compa-
„ ctus, stadio uno, vel circiter longus, latitu-
„ dine multo minor. Si formam quæris, casta-
„ neæ folium imitatur. Undique rupes & ba-
„ rathra pergunt profundissima, in quæ horror sit
„ inspicere. Qua jungitur reliquæ terræ collis,
„ dorso modico, turris erecta est lateritia, qua
„ omnem prohibet accessum non amicum, &
„ fossa deducta, quæ in utrumque barathrum e-
„ mittit aquas: ea ponte conjungitur, quo sub-
„ lato, nulli patet ad cœnobium aditus. Declivis
„ est collis, & in medio nobile templum con-
„ structum, & juxta monachorum cœnacula,
„ deambulatoria, porticus, & omnia officina-
B „ rum genera, quæ necessaria Religiosi ducunt.
„ Nihil non egregium, nihil non nitidum, &
„ quod cupidè non intuearis „. Dein nonnullis
a interjectis *a*. " Religio eadem ferè est, quæ mo-
„ nachorum sancti Benedicti, ipsius Regulam ob-
„ servantium. In habitu discrimen invenias, illi
„ fusca veste utuntur, hi candida & mundissi-
„ ma. Usus carnium utrisque pariter interdictus,
„ nisi ægritudo requirat. In cæremoniis pleraque
„ invenies diversa, in substantia una ferè est vi-
„ vendi norma. Et hi quidem usque in hoc tem-
„ pus sine infamia vitam agunt. Mons ipse do-
„ mesticus arboribus consitus plurimas habet o-
„ leas, unde Oliveti nomen ortum. Sunt fici,
„ & amygdalæ, pyrorum malorumque multa ge-
„ nera, adsunt cupressi, nemuscula, in quibus
„ æstate suaves captare umbras licet, vineta quo-
„ que & umbracula pampinea, & olerum hor-
„ ti, lavacra, & fons perennis, & cisternæ,
„ & putei. In ipsis rupibus quercinæ silvæ, &
„ arbor iuniperi. Deambulatoria multa, quæ
„ duos capiunt homines, collem circumquaque
„ ambiunt, mediumque intersecant, hinc atque
„ inde rosetis, aut vitibus, aut rore insita mari-
C „ no. Jucunda monachis solatia, jucundiora his,
„ quibus, postquam viderint, licet abire „. Ha-
ctenus Pontifex.

& ex aliis testibus refert,

59 Olivetani cœtus incrementa, quæ indicat Pius, & non minùs fausta, quæ posteris temporibus evenere, monachorum suorum, ac Conditoris in primis commendatissimi peperit sanctitudo Hujusmodi enim odore ubique diffuso, confinium Etruriæ primùm, subinde etiam dissitarum urbium præsules ac proceres Montolivetensibus ædes certatim deferebant, ut nempe languens ea tempestate, ac propemodum jacens Benedictini Ordinis disciplina per eorum mores ac gesta glorioſa refloresceret. Fidem perhibent diplomata, ex quibus ista renunciamus. Ranutius episcopus Volaterranus *b* beatum Bernardum ejusque socios suis literis ita compellat: " Et quia
„ vos Abbatem, Fratres, & monachos, Capi-
„ tulum, & Conventum dicti Monasterii (Mon-
„ tis Oliveti) novimus experientiâ viros esse re-
„ ligiosos, & sanctæ conversationis & vitæ,
„ per quos erudiri populus ad virtutes, & Cle-
„ rus animari ad sanctitatem poterit, & augeri
„ verbo pariter & exemplo, ac per vos me-
„ lius reformari; nec sunt ad præsens alii Reli-
b
„ giosi ejusdem (divi Benedicti) aut alterius EX MS.
„ Ordinis, nec inveniri potuerunt per nos, per
„ quos posset reparari & regi, ac salubrius gu-
„ bernari ullo modo, facta super his inquisitio-
„ ne &c. „. Atque idcircò ostendit se cupiditate flagrare, ut ex præfatis cœnobitis eò quispiam proficiscatur.

quomodo ob vitæ integritatem propagata sit hæc Congregatio,

60 Supremus hierarcha Urbanus Quintus suo diplomate Olivetanos appellat " Speculum &
„ exemplum observantiæ regularis & vitæ „. Gregorius duodecimus ejusdem Congregationis studiosissimus, ut extinctam in vetustissimo & celeberrimo monasterio sanctæ Justinæ de Patavio monasticæ vitæ formam excitaret, in eam sedem Olivetanos destinat. Sic enunciat diploma datum Lucæ x Calendas Junii Pontificatûs anno secundo per ea verba: " Nos itaque ex injuncti
„ nobis pastoralis officii debito ad reformationem
„ dicti monasterii (sanctæ Justinæ) in spiritua-
„ libus ac temporalibus, paternis affectibus in-
„ tendentes, motu proprio & universis vobis
„ (Olivetanis) ex nunc authoritate Apostolica
„ liberaliter donamus &c. „. Anno Christi MCDVIII. Montolivetenses adeunt reformatores, & Pontificis optata cumulatè exhauriunt. Verùm aliquot post annos Venetorum potentiâ vallati monachi Justinenses, quos & Cassinenses & nigros ex veste atra Itali vocitant, arctioris vitæ specimina spondentes, quæ & præstitêre, duce Ludovico Balbo *c*, remearunt. E

c

cui Pontifices Romani

61 Eâdem ipsâ capti sanctimoniâ morum summi Pontifices, & antistites, erga Olivetanam familiam benevoli juxta & benefici illam copiosis privilegiis locupletarunt. Quædam ejusdem Chronicis inserta, pleraque in unum distinctum volumen collecta, & typis evulgata conspiciuntur. Gregorius undecimus Pontifex maximus Montolivetenses monachos, eorumque monasteria, & loca tam præsentia, quam futura à qualibet episcoporum, archiepiscoporum, & patriarcharum eximit visitatione, reformatione, correctione, jure, ac potestate. Verùm is antequam ad Pontificium culmen ascenderet, Petrus Belfortius Cardinalis Diaconus nuncupatus, ædem sanctæ Mariæ Novæ titulum suum, ubi nunc Romanum cœnobium, à Clemente sexto Ordini Olivetano impetraverat, porrecto in eum finem libello supplici, in quo studiosæ adeo petitionis illam maximè causam exponebat: " Quia tam-
„ quam nova plantatio ex irrigatione superna,
„ tam in capite, quam in membris, continuis
„ proficit spiritualibus & specialibus incrementis,
„ ex redolentibus monachorum ipsorum exem-
„ plaris vitæ meritis, & regularibus disciplinis,
„ quæ notoria fama divulgabat „. F

varia privilegia concessa ferunt,

62 Joannes XXII, & Julius II indulgent, ut Congregationis personæ, loca, & bona omnia sub beati Petri, & Sedis Apostolicæ protectione suscepta intelligantur. Idem Julius sancit, ut Prælati Montolivetenses iisdem beneficiis gaudeant, ac suis fungantur muneribus, æquè ac si essent Benedictini. Pius II & Julius item II, ut voventes ingredi aliam religionem, (Carthusiensium exceptâ) in Olivetanam recipi possint. Urbanus sextus, Gregorius XI, Bonifacius Nonus & Julius prædictus, ut confessor, quem monachus quivis in articulo mortis duxerit eligendum, plenariam omnium peccatorum remissionem Apostolica valeat authoritate impertire. Pius quartus diplomate dato die XXIII Februarii MDLX approbat privilegium, seu pacificam, & quietam possessionem deligendi liberè Cardinalem Ordinis pro-

EX MS. protectorem, eique Pontificiæ firmitatis robur adjungit. Sed, cæteris longe pluribus prætermissis, jam pridem Pius secundus privilegia, immunitates, & exemptiones omnes, quæ per Eugenium Quartum, & alios prædecessores Pontifices concessa fuerant monachis & monasteriis Congregationis Cassinensis, aliàs sanctæ Justinæ de Padua Ordinis sancti Benedicti, etiam monachis, & monasteriis Congregationis sanctæ Mariæ Montis Oliveti expresse fuerat dilargitus.

& quam principes Christiani protexerunt.

63 Romanorum imperator Sigismundus Olivetanos tam singulari est benevolentia prosecutus, ut cum in Italia unitati Ecclesiæ à celebri illo trium Pontificum schismate redimendæ religiosissimam navaret operam, eorum consuetudine libenter & crebrò uteretur. Senis in ædibus divi Benedicti adolescentem monastica veste propriis manibus operire honoris loco habuit. Exinde monachos in Pannoniam accitos duobus spontè monasteriis auxit, ac multis aliis muneribus largissimè cumulavit. Carolus Quintus Cæsar, quem prænotavimus in cœnobio principe pietatis causâ diversatum, litteris datis apud Villam-francam Niceæ die Junii XVII anno Domini MDXXXVIII, Congregationis personas, loca, & familiares sub sacri Imperii Romani suscipit protectione, tuitione, & salva-guardia. Senarum decus divam Catharinam indignum prorsus est pertransire silentio, quod suum erga Montolivetensem familiam studium, & obsequium significationibus præclaris testata sit: nec obscurè loquuntur, quæ supersunt typicis commissæ notis, inter ejus epistolas ad plures cœnobitas præfati Ordinis scriptæ.

Post testimonium Antonii Bargensis, d

64 Sed quales essent beati Bernardi discipulorum mores, quæ vitæ severitas, ex iis conjicere fas est, quæ venerabilis ejusdem Religionis vir divo Bernardino Senensi *d* necessitudine, & familiaritate conjunctus in sua historia edidit centesimo circiter ad obitu Institutoris anno Antonius Bargensis. " Nunc quidem in præsentia-
„ rum (historici verba sunt) quamquam non
„ æquali modo ut Patres nostri, tamen Regula-
„ ris observantia strictè tenetur. Nam ab Idibus
„ Septembris usque ad Domini Resurectionem
„ quotidie jejunamus, nullam penitus violantes
„ diem, dumtaxat diem dominici Natalis, in quo
„ ob tantæ solemnitatis reverentiam minimè con-
C „ venit abstinere. Porrò si quis visitatorum, vel
„ abbas Generalis aliquem vellet necessitatis cau-
„ sa, vel recreationis, seu etiam adventûs pe-
„ regrinorum fratrum dispensare, eis solum li-
„ ceret; tamen id raro fit. Tempore namque
„ vindemiæ hactenus consuetum fuit dispensare,
„ ubi oportet vindemiare. Istis autem prætermis-
„ sis diebus, nec Prior potest dispensare Conven-
„ tum absque licentia abbatis Generalis, seu
„ visitatorum, quæ non leviter conceditur. A
„ Pascha usque ad Pentecosten nec unum diem
„ jejunamus juxta præceptum regulæ. A Pente-
„ coste autem usque ad festum Exaltationis san-
„ ctæ Crucis, quartam, sextamque feriam je-
„ junant Fratres, nequaquam hanc normam vio-
„ lantes, nisi nimius fervor æstatis incaluerit. In
„ Adventu Domini, in Quadragesima, in vigi-
„ liis ab Ecclesia statutis, & in omni die Veneris
„ lacticinia, nec ova concedimus. Carnes num-
„ quam manducamus, nisi gravis intervenerit infir-
„ mitatis necessitas; quod ut infirmatus se melius
„ habere cognoverit, oppidò dimittit eas, & ad
„ proprii Conventus revertitur usum.

65 „ De vestibus quid dicam? Non enim an-
„ tiquis Patribus comparandi sumus, qui modi-
„ cis ac paucis pannis utebantur; tamen nec D
„ gyrovagis conformari credimus. Nam tunichi- *qui regularem veterum Olivetanorum observantiam*
„ num penitus sine evidenti necessitate, videli-
„ cet infirmitatis, tenemus. Camisiam autem ne-
„ que lineam, neque laneam portamus, sed tan-
„ tum super nuda carne simplicem tunicam. U-
„ nusquisque nostrum tres ad usum habet tuni-
„ cas cum cuculla, & scapulare. Singulis quo-
„ que dantur pedules, & capellinæ necessariæ:
„ nam caligæ difficilè conceduntur, iis dumta-
„ xat, quos infirmitas aut senectus urget, vel
„ alia urgentissima causa deposcit. Pelliciis om-
„ nino quisquam nostri, quamvis fuerit antiquus
„ aut infirmus, non utitur. Balnearum verò u-
„ sus præstatur in necessitate ab abbate, vel vi-
„ sitatoribus. Nullus monachus potest manduca-
„ re aut bibere sine sui Prioris licentia, & hu-
„ jusmodi licentia haud illis conceditur per an-
„ num, sed per diem, & horam; quod si quis
„ secus fecerit, mandens aut bibens absque
„ licentia, à Priore suo minimè valet absolvi,
„ ad abbatem reservatur. Qui autem contra ho-
„ nestatem quid vel in minimo actu, impudico
„ videlicet animo fecerit, eidem subjacet vin-
„ dictæ. Nocturnalem nempe synaxim secundum E
„ Regulæ decretum tam æstivo tempore, quam
„ hyemali, sagaciter celebramus; nec ullus valet
„ post matutinum, nisi cum sui majoris licentia,
„ dormire. Unde quidam abbas fecit fieri in sin-
„ gulis hostiis cellarum duo foramina, quæ clau-
„ sa in quibusdam monasteriis adhuc videntur, ut
„ senior deputatus potuisset videre vigilantes, &
„ dormientes. Vota proinde, quæ profitentur ii,
„ qui mundialibus curis dorsa verterunt, optimè
„ hucusque in nostro Ordine communiterque
„ servantur.

& austeram vivendi rationem exponit,

66 „ Quidnam de obedientia dicturi sumus,
„ in qua totius Religionis consistit robur, & fun-
„ damentum? Omni quidem anno ab abbate &
„ visitatoribus fiunt de novo familiæ, mutantur-
„ que Fratres de loco ad locum, ut melius no-
„ verint saluti animæ singulorum convenire;
„ mittunt schedulas singulis conventibus, in qui-
„ bus continentur mutationes, quibus sicut Euan-
„ gelio tam Prælati, quàm subditi obediunt.
„ Transmigrantibus autem de loco ad alium lo-
„ cum propter obedientiam, datur à Priore mo-
„ nasterii, à quo recedunt, pecunia eorum victui
„ necessaria, dum itinerantur. In communi pro- F
„ fecto juxta beatissimorum Patrum leges vivi-
„ mus, nec ullus quid esse suum dicere audet.
„ Fit quidem à visitatoribus temporibus congruis
„ magna inquisitio proprietatis: nam post tri-
„ duanum ab eis terminum impositum, ut mo-
„ ris est dare, si quis parum, vel multum possi-
„ dens contra majorum voluntatem non ultro-
„ neus panderit delictum suum, illicò excommu-
„ nicatur. Cæterùm visitatores de monasterio,
„ quod visitaverint, antequam recedant solicitè
„ scrutantur cellas Fratrum, ne aliquis in tam
„ gravi nefandoque delicto jaceat ignotus. At-
„ qui ut olim regularis exercitii disciplinam cu-
„ stodiunt Fratres. Nocturnum verò, diurnum-
„ que divini operis officium cum magna diligen-
„ tia celebratur, tam cantando, quam legendo.
„ In plerisque monasteriis toto hyeme cantatur
„ Matutinum, potissimè in monasterio Montis
„ Oliveti, in quo tam in hyeme quam in æsta-
„ te pene totum Officium decantant Fratres, ex
„ quibus aliqui, tum propter longitudinem can-
„ tûs, tum propter exercitium, quod nimis pro-
„ lixè extenditur, tum propter jejunium & vi-
„ gilias

A ,, gilias laſſi aliquoties cantando, ſeu legendo ,, ceciderunt in terram ,,. Hucuſque vetuſtus hiſtoricus & ſpectatiſſimus vir.

anonymus noſter perſonas, doctrinâ

67 Neque tamen ſola rituum ac morum probitate fulſit Olivetanus cœtus, verum etiam eruditione. Quamobrem & ſcriptores varios inter ſuos recenſet, & epiſcopos plurimos atque archiepiſcopos ſedium diverſarum : Commendatores inſuper duos xenodochii ſancti Spiritus Romæ præfectos ; nempe Benedictum Senenſem, qui etiam præfuit abbatiæ ſancti Gregorii de Urbe, & D. Euangeliſtam Torniolum de Peruſio epiſcopum Tiphernenſem : duos item S. R. E. Cardinales, Georgium Martinuſium Croatam, & Petrum Tartarum Romanum. His accedit Ardicinus de Porta Novarienſis, qui ſacro Purpuratorum collegio ſe abdicavit, ut inter Montolivetenſes candidas veſtes indueret. Quod autem Petrum Tartarum Caſſinenſibus quidam aſcribant, ab admiratione procul eſſe debet. Enimverò cum proſtratam in monaſterio Montis Caſſini monaſticam obſervantiam Andreas ejus loci abbas cuperet erectam & inſtauratam videre, B factâ ſibi per Romanum Pontificem copiâ, anno ſupra milleſimum trecenteſimo ſeptuageſimo à Raynerio abbate Generali Congregationis Montis Oliveti auxiliares aliquot è ſuis requiſivit. Quibuſdam detrectantibus, tranſmigrarunt alii, quos inter duo abbatis munus in eo cœnobio reliquorum facilè principe leguntur obiviſſe, Andreas Faventinus anno MCCCLXXII, & Tartarus ille, qui antea fuerat Prior Olivetanus ſanctæ Mariæ Novæ de Urbe, dehinc in Cardinalem à Gregorio XI cooptatus Proin Tartarum, & Olivetanum & Caſſinenſem citra invidiam appellaveris.

& vitæ ſanctimoniâ illuſtres,

68 Ad extremum, quod caput eſt, ne anguſtiſſimis hiſce finibus claritas ſua coërceretur, divos plures Olivetana Religio in cælum tranſmiſit, ubi quaſi ſtellæ myſtici illius firmamenti fulgebunt in perpetuas æternitates. Præter Bernardum Ptolomæum omnium parentem, Ambroſium Piccolomineum, & Patritium de Patritiis eidem ſanctitate proximos, veneratur *e* ſancta Franciſca Romana toto orbe celebratiſſima. Oblatarum domum Ordinis divi Benedicti Congregationis Montis Oliveti, ductore Fratre Antonio, qui ſanctæ Mariæ Novæ tunc temporis præ- C erat, integri animi, & magnæ religionis viro, in Urbe inſtituit beatus Bernardus Vercellenſis, qui Montolivetenſibus in Pannonia religioſiſſimè præſedit, ut propterea, Pio ſecundo Antiſtite maximo in Commentariis authore, ejus oſſa reverenter cuſtodiantur ; beatus Hieronymus de Mantua, & beatus Hieronymus de Corſica Converſus ; Antonius Bargenſis in Pannonia hactenus laudatus abbas, Franciſca Leophanta ſanctimonialis Panormitana ; Jacobus de Carpo, cujus inter divos Benedictinos in ſuo Menologio meminit Gabriel Bucelinus, Daniel de Fulgineo, & Franciſus de Verona ambo Converſi ; hi, inquam, omnes & familiæ numquam ſatis commendatæ filii ſunt, & tam ante, quam poſt obitum opinione ſanctitudinis coruſcarunt *f*.

ex illa Congregatione recenſet.

69 Neque hi ſolùm, ſed alii numero plures, & doctrina, & morum probitate clariſſimi ; ut idcirco Andreas Volaterranus alter ejuſdem Congregationis ſcriptor, qui ſeculo Chriſti decimo quinto inter medium & finem vitam beati Hieronymi de Corſica exaravit, in Prologo Julianum monachum ſic alloquatur : " Jam pridem ,, rogaſti me, Frater Juliane cariſſime, ut vitam EX MS. ,, beati Hieronymi conterranei tui & monachi ,, noſtri Latinam facerem, quo tanti viri ad po- ,, ſterorum eruditionem aliquid extaret monu- ,, menti, exoſus veteratam ſuperioribus ſeculis ,, in noſtra Religione conſuetudinem, quâ vir- ,, tutes magnam fecêre jacturam ; dum clariſſi- ,, morum virorum, qui in noſtra hac Olivetana ,, Religione innumerabiles prope fuere, nullus ,, memoriam litteris demandavit ,,. Nec omittendum, quòd memoratus iterum, atque iterum Bargenſis in ſua Olivetanarum rerum Hiſtoria præfationem claudit his verbis : " Nam quæ ſcripſi- ,, mus, partim ex archiviis Montis Oliveti ex- ,, cepimus, partim ab antiquis audivimus Patri- ,, bus, alia oculis noſtris perſpeximus, & quidem, ,, ſi vita nobis comes fuerit, alio in libro vi- ,, ros, quos Ordo noſter vegetavit, enarrabimus ,, illuſtres, & miracula ab ipſis facta, & libros, ,, quos ſagaciter ediderunt ,,. Quæ cum ita ſint, quoniam dicit Scriptura divina, " Gloria patris ,, eſt filius ſapiens ,, inferendum cum divo Maximo erit, quantæ Bernardi Ptolomæi ſint gloriæ, qui tantorum filiorum ſapientia & devo- E tione lætatur.

ANNOTATA.

a *Nimirum lib.* 10 *Commentariorum Pii II apud nos pag.* 262 *in editione Francofurtenſi anni* 1614 *interjiciuntur ſequentia :* Agrum hunc & circumjacentem fuiſſe tradunt nobilium quorumdam virorum apud Senenſes prognatorum, qui Deo pleni & Religionis novellæ fuerint inventores & cœnobii fundatores, cui poſſeſſiones ſuas donaverunt. Nomen viris Bernardo Ptolomæo, Ambroſio Picolomineo, & Patritio ex gente Patricia fuit, quorum oſſa religiosè colunt. Parva ab initio fundatio devotione hominum aucta felices ſucceſſus habuit, & in omnem Chriſtianitatem propagata eſt. Ex familia Picolominea multa huic cœnobio acceſſerunt incrementa, cujus poſſeſſiones in circuitu fuere ; Avena & Chiatini, quæ olim non contempſere loca, nunc ferè deſerta ſunt, ad Picolomineos pertinuere, & plures ex ea familia in Monte Oliveto poſt obitum conditi ſunt. *Neſcio, cur collector noſter ea prætermiſerit.*

b *Hic Ranutius vel Raynuccius ab anno* 1321 *uſque ad annum* 1348 *fuit epiſcopus Volaterranus, ut in editione Veneta Italiæ ſacræ col.* 1453 *&* 1454 *traditur.* F

c *Jacobus Cavacius in Hiſtoria cœnobii Patavini S. Juſtinæ ab initio libri quinti hanc rem diſtinctiùs exponit, & hunc arctioris diſciplinæ ducem ſive reſtauratorem appellat Ludovicum Barbum, qui huic cœnobio abbas præfectus eſt.*

d *Die* xx *Maii, ſive tomo* v *iſtius menſis pag.* 257 * *egimus de S. Bernardino Senenſi, qui anno Chriſti* 1444 *obiit. Hinc ætas Antonii Bargenſis facilè colligi poteſt.*

e *Dignentur Olivetani Patres nobis immemorabilem ac legitimum Ambroſii Picolominei ac Patricii de Patriciis cultum ſolidis argumentis indicare.*

f *Omnibus iſtis piis Congregationis Olivetanæ alumnis nihil laudis detractum volumus ; ſed eos Sanctis aut Beatis accenſere non audemus, antequam de publico vel immemorabili illorum cultu certiores reddamur.*

DIES VIGESIMA SECUNDA AUGUSTI.

SANCTI, QUI XI KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

SAnctus Symphorianus M. Augustoduni in Gallia.
S. Antonius vel Antoninus M. Romæ.
S. Anthusa solitaria, S. Athanasius ep. & M., S. Charisius M., S. Neophytus M., duo hi S. Anthusæ famuli — Tarsi in Cilicia.
S. Hippolytus ep. & M. in Portu Romano.
S. Martialis, S. Saturninus, S. Epictetus, S. Maprilis, S. Felix, SS. Socii — martyres in Portu Romano.
S. Maurus, SS. Socii quinquaginta — martyres Remis in Campania Galliæ.
S. Agathonicus, S. Zoticus, S. Theoprepius, S. Acindynus, S. Severianus, S. Zenon, S. Princeps senator — martyres in Bithynia & in Thracia.
S. Gunifortus martyr Ticini in Italia.
S. Timotheus M. Romæ.
S. Fabricianus, S. Philibertus — MM. in Hispania.
S. Nectavus vel Nectarius & forsan, S. Sevus — Neo-cæsareæ in Ponto.
S. Sigfridus abbas in Anglia.
S. Andreas Conf. prope Fesulas in Etruria.
S. Aldrovandus episc. Balneoregii in Etruria.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI.

MEssanæ, in cœnobio Montis-Virginum, ostensio sacri, & incorrupti corporis B. Virginis Eustochii, abbatissæ, ejusque cœnobii fundatricis, *notatur in Martyrologio Siculo Octavii Caietani. Locum habet ista virgo in Prætermissis apud nos die* xx Januarii.

Consecratio ecclesiæ S. Dominici Fulginatis *exstat hac die in Vita ejus, quam Jacobillus anno 1645 in lucem dedit, cap. 8, pag. 40. Vita hujus Sancti illustrata est die* xxii *Januarii: ubi in Commentario eidem Vitæ prævio, pag. 442, num. 2, mentio fit de illius ecclesiæ dedicatione, ad eumdem diem* xxii Januarii.

S. Bernardus, vel Barnardus *in Gallia Christiana Claudii Roberti in archiepiscopis Viennensibus, scribitur* sepultus fuisse ii (*id est* xi) Calend. Septembris. *De hoc Sancto Præsule actum est apud nos die* xxiii *Januarii; ubi pag. 544 indicatur, hoc videri mendum. Adi eumdem diem* xxiii Januarii.

Translatio corporum, sanctorum Hylarii episcopi & confessoris, Innocentii martyris, & sancti Peregrini episcopi & martyris in basilica sancti Dyonisii, *inter Auctaria ad Usuardum nostrum datur è codice Bruxellensi. Quibus ibidem è codice reginæ Suecia additur nomen* Patrocli. *De* S. Hilario, *celeberrimo Pictavensi episcopo, egimus die* xiii *Januarii; de* S. Peregrino *martyre, & episcopo Autissiodorensi, die* xvi *Maii; de* S. Innocente *vel* Innocentio *episcopo Cenomanensi, die* xix *Junii.* Patroclos *autem dedidimus aliàs, nimirum episcopum & M. Trecensem in Gallia, die* xxi *Januarii; ibidem inter Prætermissos, archiepiscopum Arelatensem; item episcopum & M. in Gallia* xxxi *ejusdem mensis. Consuli præterea de* Patroclis *potest index Sanctorum Castellani ad Martyrologium universale, quod edidit. Videantur itaque dies* xxiii Jan., xvi Maii &c.

Romæ, Timothei discipuli sancti Pauli Apostoli *fit mentio in Martyrologio Rhinovienſi, & apud Florentinium in textu Martyrologii, quod in lucem dedit. Plura ibidem videre licet in ejusdem notis, & quæ hac die apud nos diffu-*

A *diffusè disputabuntur in* S. Timotheo martyre Romano. *De eo autem, qui fuit* discipulus S. Pauli Apostoli, *egimus jam pridem ad* XXIV Januarii.

In Camera beatæ Mariæ (*parthenon est Cisterciensis in Brabantia prope Bruxellas*) beatus Godefridus monachus, & ejusdem monasterii confessarius. *Annuntiatio est Manriquezii in Menologio Cistercienst. Inter alias verò ipsius laudes, quas subdit*, sancti Viri *titulum ei dat; quem stricto nomine ipsi convenire, probari deberet. De hoc* Godefrido *mentio fit apud nos inter Prætermissos ad diem* XII *Junii*, & III *Martii*: *de quo etiam agit Saussayus hoc die* XXII *Augusti; sed post textum aliorum, ac minoribus litteris eum signat. Videri ergo possunt dicta ad dies* III Martii, & XII Junii.

Apud Carnotum sancti Leonini episcopi *memoria hodie in Ms. Florario nostro celebratur. Sed de hoc sancto episcopo Carnotensi, qui interdum* Leoninus, *& plerumque* Leobinus, *aut* Leubinus *appellatur, Majores nostri satis fusè egerunt ad diem* XIV Martii.

B S. Musa V. Romæ *notatur apud Witfordum. Castellanus in Indice Sanctorum sui Martyrologii universalis*, Musam, laudatam à S. Gregorio Magno *signat minore charactere Romano, tamquam venerabilem, &* omissam *indicat; qui utpote eam non satis noverat. Datur enim apud nos* II Aprilis.

S. Macharii alterius (*unum enim inter Prætermissos hac die etiam damus*) qui fuit monachus monasterii S. Bavonis in Gandavo, *mentio fit in Kalendario Sanctorum Ord. S. Benedicti, quod apud nos est è Ms. monasterii S. Salvatoris, Ord. Cistercienstis. Vide diem, quo Acta* S. Macarii *apud nos sunt illustrata*, X Aprilis.

Lambertus abbas Chesiriaci in Anglia *cum titulo* beati *habetur in Menologio Cistercienst apud Henriquezium, & cum elogio: in quo cùm dicat, eum* virtutibus clarum piissimè obiisse; *videtur tacitè indicare, quòd stricti nominis cultus ipsi non debeatur. Fuit autem frater S. Petri archiepiscopi Tarentasienstis, ac de eo fit mentio in laudati Petri Vita apud nos die* VIII *Maii, cap.* I, *tomo* 2 *istius mensis, pagg.* 324 *& sequente. De Lamberto etiam meminit Saussayus ad diem* XXII *Augusti; sed post textum aliorum, ac minoribus litteris eum signat. Vide* VIII Maii.

C Beatæ memoriæ Hymberti, Ordinis Prædicatorum, *mentio habetur in Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Usuardum Greveni. Si hîc agatur de* Humberto, *Generali V Ordinis Prædicatorum; consule Prætermissos ad diem* XIV *Junii. Sin autem de alio; titulus* beatæ memoriæ *videtur satis indicare, ei non convenire publicum stricti nominis cultum. Consuli itaque potest dies* XIV Junii.

Osanna virgo *hac die in nostro Ms. Florario annuntiatur. Sed divinare non possumus, quænam illa sit inter alias synonymas: nam Castellanus in Martyrologio suo universali inter ahemeros pag.* 828 *meminit de duplici Osanna, quæ utraque nec legitimum cultum, nec certum mortis diem videtur habere. Si collector Florarii indicare voluerit B. Osannam virginem Mantuanam, de ea jam pridem copiosè actum est in Opere nostro ad diem* XVIII Junii.

Sanctus Grumbertus confessor *etiam hac die in Augusti Tomus IV.*

in nostro Ms. Florario refertur. Nullum hujusmodi Sanctum novimus, nisi fortasse nomen ejus corruptum sit ex Gumberto, *cujus confessoris Acta, quantùm fieri potuit, illustrata sunt die* XV Julii. D

B. Gualterii, Ord. Min., discipuli S. Francisci *annuntiatio ponitur à Ferrario hac die* Alanquerii in Lusitania. *Dedimus eum die* II Aug.

Eberhardi, primi abbatis cœnobii Einsidlensis & confessoris, in Germania, depositio, *cum titulo* Sancti, *& elogio. Hæc è Menologio Benedictino Bucelini extracta sunt. Verùm cùm jam nobis non magis constet de publico ejus cultu, quam anteà; mittimus lectorem ad Prætermissos die* XIV Augusti.

Certamen sancti martyris Leucii Cyrenensis *occurrit in nostro supplemento Ms. ad Menæa Græca typis edita Sirmondo-Chiffletiano, cum brevi narratione martyrii. In Martyrologio Romano vocatur* Lucius, *& nos illum cum eodem dedimus Martyrologio ad diem* XX Aug.

Heydenricus, abbas B. Mariæ de Zedelithz *notatur cum titulo* beati *in Serie Sanctorum, Beatorum, ac illustrium virorum Ord. Cisterc. apud Chalemotum, qui* meruit post mortem, *uti addit*, inter Cistercienses viros illustres ascribi in Menologio. *Vide, quæ de eo dicta sunt in Prætermissis die* XXI Augusti. E

Arwaldi duo principes insulæ Vectæ (*vulgò Wight in Anglia*) *notantur in Ms. collectione Sanctorum è variis Fastis sacris, quæ apud nos est. Consule, quæ die hesterno inter Prætermissos de iis dicta sunt*, XXI Augusti.

De sanctis Timotheo & Proterio martyribus *hodie in Catalogo Sanctorum lib. 7, cap. 92 meminit Petrus Equilinus, quem recentiores Martyrologi quidam secuti sunt. Titulus* martyris *rectè convenit* S. Proterio, *cujus Acta Majores nostri die* XXVIII *Februarii operosè illustrarunt. Sed non videmus, quomodo tam martyrium strictè dictum* Timotheo *præsuli Alexandrino tribui possit, quàm publicus cultus. Adeat lector Prætermissos ad diem, quo de hoc utroque Præsule egimus*, XXI Augusti.

B. Bernardi abbatis, Ord. M. Oliveti institutoris *notatur* Senis *in Novo catalogo Sanctorum apud Ferrarium. Illustratus est Beatus iste apud nos hesterno die* XXI Augusti. F

Humbelina soror S. Bernardi, Cisterciensium sanctimonialium institutrix *ponitur in Kalendario Cistercienst, quod Divione excusum est anno* 1617, *& in Serie Sanctorum &c. ejusdem Ordinis, apud Chalemotum cum elogio. Adisis, quæ de ea diximus in Prætermissis ad diem hesternum* XXI Augusti.

Octava Assumptionis beatæ Mariæ Virginis *notatur in Martyrologio Romano; de qua etiam meminerunt varii alii Fasti Latini. Vide Auctaria ad Martyrologium Usuardi à nobis editum, hac die.*

Macharii, primi abbatis S. Jacobi Herbipolensis, *cum titulo* sancti, *annuntiatio ponitur in Kalendario Sanctorum Ord. S. Benedicti, cujus apographum habemus è Ms. domûs S. Salvatoris, Ord. Cistercienstis. Castellanus in Supplemento ad ahemeros pag.* 923 *sui Martyrologii universalis, titulum ei dat* venerabilis, *& addit, quod fuerit* primus abbas Sancti Kiliani Herbipolensis, ubi nominatur beatus. *Cupimus certiores fieri de publico ac legitimo ejus cultu.*

Bedfordiæ in Anglia S. Arnulphus episcopus *hodie*

A *die annuntiatur in Martyrologio Anglico Wilſoni, & Sauſſayus in Supplemento Martyrologii Gallicani tomo* I *pag.* 1160 *ad diem* XXII *Auguſti de illo habet ſequentia :* Tranſlatio ſancti Arnulphi epiſcopi, cujus corpus è Gallia tradunt in Angliam delatum, & apud Bedfordiam fuiſſe depoſitum. *Alfordus noſter in Annalibus eccleſiæ Anglicanæ ad annum Chriſti* 890, *num.* 18 *dubitat, quis ſit iſte* Arnulphus, *& in fine iſtius anni ſic de illo ſcribit:* Diſputent alii, an epiſcopus è Gallia fuerit; an verò è Britanno ſanguine ortus, in Anglia natus & defunctus. *Videtur itaque ex Martyrologio Sauſſayi hæc eſſe dies tranſlationis. Ubi Angli diem mortis & diſtinctiorem hujus epiſcopi notitiam ſuggeſſerint, alibi de eo agi poterit.*

Cæleſtia petiit Quintinus Kennedius, Comitis Caſſiliæ frater, & abbas Crucis regalis, poſt varios cum hæreticis congreſſus, ſuperatoſque publica diſputatione hoſtes, ab inferni aſſeclis medicato poculo ſublatus, vitam cum morte commutavit anno Chriſti MDLXIV. Hujus multa ſunt & doctiſſima de fidei dogmatis
B monimenta : *ut dicit Camerarius in Scotorum Menologio.*

Μνήμη τῆς βασιλίσσης Ἀριάδνης, *id eſt*, Memoria reginæ Ariadnes, *notatur in Synaxario Sirmondi. Synonymam in Phrygia martyrem ſignat Martyrologium Romanum die* XVII *Septembris, & Menologium Sirleti : die autem* XVIII *ejuſdem menſis Menæa magna, quæ memorant fuiſſe ancillam. Hodiernam, quæ fuerit* regina, *principis uxor, vel auguſta, (hæc enim ſignificat* βασίλισσα) *non ſatis perſpectam habeo.*

In Antiochia natalis ſancti Marini. *Annuntiatio eſt Martyrologii Hieronymiani, quod Florentinius edidit. Eadem repetitur in ipſius ad illud notis ; ſed nihil ibidem lucis reperio, quâ in ulteriorem deducar iſtius martyris cognitionem.*

Lucina Margarita Sonſinenſis *in Lombardia, cum titulo* beatæ *notatur in Sancto anno Ordinis Prædicatorum, Antverpiæ excuſo Belgicè anno* 1675 ; *de qua etiam Viridarium ejuſdem Ordinis, anno* 1676 *Coloniæ à Friderico Steil Germanicâ linguâ editum.*

C Dominicus, *apud Tartaros*
Viginti quinque Fratres, *in inſula prope Cyprum*
Anonymus, *Arimini*
} *In Martyrol. Arturi ſunt cum titulo* beatorum *ac* martyrum.

Ægidius de Capotiis, *Aſſiſii in Umbria*
Franciſcus à Florentia, *Feſulis in Tuſcia*
Joannes Tertiarius, *Urbini*
Petrus à Turreionzillo, *in Caſtella*
} *ibidem cum titulo* beatorum *conf.*

Quiliſinda virgo, *in diœceſi Meldenſi*
Sicchedis V, abbatiſſa, *apud Alciacum in diœceſi Morinenſi*
Maria de Aſſumptione V. Clariſſa, *Alanquerii in territ. Uliſſip.*
} *In Gynæceo Arturi ; ſecunda cum titulo* ſanctæ ; *aliæ vocantur* beatæ.

Armezana V. abbatiſſa, Ord. Ciſterc., *in diœceſi Calagurritana*
Hadriana Tertiaria Franciſcana, *Cortonii. His addi poſſunt*
} *His addi poſſunt*

Gabriel à S. Maria, *aliter ab aliis nuncupatus, apud Ruthenos in Gallia*

Franciſcus Pallonius, *Venetiis*
Jacobus de S. Nicolao, *in Caſtilia*
Joſephus Albizius, *ibidem*
Franciſcus de Belviſo, *Coriæ*
Ludovicus de Fabriano, *in Monte ſancto*
Ludovicus de Parma, *Caracici*
Joannes de Pergola, *non additur locus*
Joannes de Terra nova, *Galatri in Italia*
} *Memorantur ab Huebero in Menologio Franciſcano.*

D Vitalis, al. Vitus, primus Lituaniæ epiſcopus, *cum titulo* beati *indicatur cum elogio apud Fridericum Steil in Viridario ſacri Ordinis Prædicatorum.*

S. Apollinaris martyris, qui vidit gloriam S. Timothei, & ideo ſe baptizari fecit, & cum Timotheo decollatus eſt, *meminit hac die codex Hagenoyenſis inter Auctaria ad noſtrum Uſuardum, poſt annuntiationem S. Timothei martyris Romani ſive Oſtienſis, qui à nobis dabitur hodierna die. Sed quòd hunc confuderit cum ſynonymo Remenſi, planum fiet ex iis,*
E *quæ cras dicentur de SS. martyribus Remenſibus Timotheo & Apollinare* XXIII Auguſti.

B. Richildis virgo Summontorii prope Oenipontem *ponitur apud Caſtellanum in Additionibus ad Martyrologium ejus univerſale, hac die ; ſed alibi, die proximè ſequenti de illa agitur, quò & nos eam differimus, tunc examinaturi, an de vero ac legitimo ipſius cultu ſatis conſtet. Adi ergo eumdem diem* XXIII Aug.

S. Euſebii, & comm. mart. Lupi *notatur in collectaneis Sanctorum, quæ apud nos ſunt. Vide diem hujus menſis proximè ſequentem* XXIII Auguſti.

Depoſitio B. Jacobi de Blanconibus (*al. vocatur* de Mevania) *cum elogio adſcribitur additionibus apud Molanum anno* 1568 *editum : de quo etiam agitur in Martyrologio, vulgò Caniſii nominato. Acta ejus illuſtrabuntur* XXIII Auguſti.

In Galliis civitate Auguſtoduno natalis ſanctorum Medardi & Æmiliani cum filiis ſuis octo, *ut in Auctariis Uſuardi noſtri illuſtrati legitur. Sed eſt manifeſtus librarii error, qui ex corrupto codice Hieronymiano prodiit, ubi civi-*
F *tas Galliæ, & duo priora Martyrum nomina perperam mutata ſunt, ut patebit ex die, quo de iſtis agemus,* XXIII Auguſti.

In Oſtia, natalis ſanctorum Quyriaci & Archelai *memoria notatur in Auctariis ad Uſuardum noſtrum inter ea, quæ ex Molano deſumpta ſunt, hoc die : ſed habentur in Martyrologio Romano die proximè ſequenti, ubi dicitur in notis :* Horum res geſtæ narrantur in Actis ſanctæ Aureæ, *quæ exſtat in eodem Martyrologio die* XXIV *hujus. Plura itaque de illis vide* XXIII & XXIV Auguſti.

S. Eptadius in Monte-Telonis in diœceſi Auguſtodunenſi *inſcribitur Martyrologio univerſali apud Caſtellanum, cum titulo* martyris. *Adi diem, quo de hoc Sancto tractabimus,* XXIV Aug.

Apud Senonas ſancti Ebbonis archiepiſcopi *commemoratio cum elogio inſcribitur Menologio Benedictino apud Bucelinum. At Caſtellanus eum refert alio die, quo videri poterit, quænam ei debeantur, videlicet* XXVII Auguſti.

SS. martyres Irenæus, Or, & Orepſis *ſunt in Menæis magnis excuſis, & alibi apud Græcos, ac in Martyrologio univerſali Caſtellani. Sed daturi eos ſumus die, quo in Synaxario Baſilia-*

A *Basiliano signantur apud nos*, xxx Augusti.
In Scotia S. Barreæ episcopi *memoria exstat apud Ferrarium*, ex Menol. Scot., & Martyrol. Canis., *sicut additur in notis, & citatur* lib. 2 Hist. Scot. *In Martyrologio vulgò Canisiano, quod anno 1599 linguâ Germanicâ editum est Dilingæ, notatur* in Hibernia *die* xxv (*pro quo ibi malè est impressus dies* xxvi) *Septembris. Eodem item die* xxv, *ac loco occurrit inter Auctaria ad nostrum Usuardum. In Menologio autem Scotico Dempsteri annuntiatur die* xxiii *Augusti, &* xxiv *Septembris.* D *Nos itaque hunc episcopum differimus ad dictum diem* xxv Septembr.
Romæ S. Mauri monachi & martyris sub Numeriano imperatore *signatur à Ferrario in Novo catalogo Sanctorum; de quo etiam Galesinius. Est in Romano Martyrologio* xxii Novembr.
SS. Justi & Habundii martyrum *annua festivitas in Ms. nostro Florario signatur hac die. Cum Martyrologio Romano de duobus istis Martyribus agendum erit die* xiv Decembris.

DE S. SYMPHORIANO MARTYRE,

AUGUSTODUNI IN GALLIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. G. C.

§ I. Vetustus hujus Sancti cultus, posthuma ejusdem gloria ex ecclesiis, miraculis & reliquiis.

B E

AN. CIRCITER CLXXX. *Veneratio hujus sancti Martyris ex antiquis Martyrologiis,*

HIc Sanctus *Æduam sive Augustodunum, celebrem Burgundiæ civitatem, nunc vulgo* Autun *dictam, martyrio suo illustravit, teste S. Venantio Honorio Clementiano Fortunato, qui lib.* 8 *carmine* 4 *illum inter inclytos variarum regionum Sanctos recenset hoc pentametro:* Augustoduno Symphoriane venis. *Antiqua Martyrologia Hieronymiana passim de hoc generoso Athleta meminerunt, & Usuardus eumdem hodie annuntiat his verbis:* Eodem die Augustoduni, sancti Simphoriani, tempore Aurelii imperatoris, qui cum idolis sacrificare nollet, primò verberibus affectus, deinde carceri mancipatus, ad ultimum cæso capite martyrium consummavit. *Usuardus hæc ad apicem ex Adone transcripsit, si excipias nomen imperatoris* Aureliani *ab Adone expressum, pro quo Usuardus nomen* Aurelii *rectè substituit, ut ex infrà dicendis apparebit.*

C *& ex veteri liturgia Gallicana*

2 *Antiqua hujus sancti Martyris veneratio confirmatur ex forma Missæ, quæ ante annos mille apud Gallos in usu erat, & quam Mabillonius lib.* 3 *Liturgiæ Gallicanæ pag.* 280 *& sequente ex Missali Gothico edidit in hunc modum:* Sacratam mysteriis cælestibus diem ad officium devotionis nostræ sollemnitatis ingressi, Fratres dilectissimi, laudemus Dominum in Sanctis suis, eumque in beatissimi Sinfuriani martyris honore veneremur, agentes ei gratias pro triumphis ejus & gloria; quem adversus corporis infirmitatem pœnarumque sævitiam, Spiritûs fortitudine dimicantem, spei viribus roboravit, muro credulitatis inclusit, successuque victoriæ ad præmia immortalitatis invexit. Oremus quoque, ut nos in hoc seculo, etsi non pari agone certantibus, similis fortitudo non desinat; & sicut illum exhortatio piæ matris extulit ad peragendam certaminis hujus victoriam, ita nos Catholicæ fides Ecclesiæ inreprehensibiliter custodita, perducat ad veniam, provehat ad coronam. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

sive Missali Gothico probatur;

3 COLLECTIO SEQUITUR. Sanctorum omnium gloriosa protectio, Deus, qui beato martyri tuo Sinfuriano auxilium non negasti, & per iniqua mortis ludibria ad hanc gloriam vocare dignatus es, præsta, ut similes nos fides martyrio copulet, quos tempus passionis in stadio non reliquit; ac sicut illum iter durum & scopulosum per ærumnas passionum paradiso conlocavit; ita nos præsentium voluptatum contemptus .... Per Dominum nostrum. COLLECTIO SEQUITUR. Recitatis nominibus offerentum, Fratres carissimi, omnipotentis Dei misericordiam deprecemur, ut plebi, quæ in honore beati Sinfuriani martyris vota reddit altaribus, divinæ credulitatis infundatur affectus, ut ejus administratione firmentur, qui Martyris meritis non junguntur; ac sicut ille post carceris septa, post pœnarum ligamina, postque famis inediam, æternitatis gaudia infinita perfruitur; ita defunctorum animæ, laxatis inferni pressuris, Abrahæ patris gremio conlocentur. Quod ipse præst. dignetur, q. COLLECTIO AD PACEM. Largitor bonorum omnium, Deus, qui inter illas Martyrum splendentium nivea fide catervas, toto orbe terrarum gratia coruscante diffusas, pretiosum peculiaremque nobis beatum Sinfurianum martyrem indulsisti; largire cotidianis supplicum tuorum votis, ut in cujus festa devoto exultamus trepudio, ejus in posterum consortio conjungamur; hominum osculis corporalibus, spiritualibus alligari mereamur affectibus Per. F

ubi etiam aliqua ejus gesta attinguntur.

4 IMMOLATIO MISSÆ. Dignum & justum est, æquum & salutare est, nos tibi in honore beati martyris tui Sinfuriani laudum hostias immolare, Domine Deus æterne, in cujus nos sollemnitate confortat vel ratio manifesta rerum vel eruditio perfecta virtutum; qui splendere meruit non solùm terrenorum claritate natalium, verùm etiam sublimitate cælestium virtutum; & Fatisti fulgidus genere, fausti martyrii levatur in culmine: qui beatos patres Andochium Benignumque secutus, ad martyrii flagrantiam electus pervenit ad palmam; qui dum afflictionem sequitur præsentium, instructionem effecit posterorum: & materno conloquio pietate transfertur ad præmium, cui ei insinuatur non debere mortem metuere, quia Martyribus vita non tollitur, sed mutatur. O admiranda gratiarum fides! quæ de beato filio vitam glorioso exultat affectu, & quæ luge-

AUCTORE G. C.

re credebatur, gaudere cognoſcitur; ſecura de regni tui præmiis, filium exhortatur cum ingenti lætitia, ſcientes morientes in Chriſto vivere, & amiſſam vitam, eo reſtaurante, recipere. Dignè ergo hic honoratur in nomine tuo, qui te honoravit in ſanguine ſuo; qui pro te afflictus eſt in ſuppſicio, per te glorificatus eſt in ſepulcro; qui te honoravit in gladio, tecum regnat in cælo; qui per anguſtiam præſentium tribulationum pervenire meruit ad amplitudinem cæleſtium gaudiorum, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per q. *In hac veteri Miſſa referuntur aliqua* S. Symphoriani *geſta, quæ ex Actis ipſius infrà clariùs intelligentur.*

Variæ eccleſiæ

5 *Interea colligemus nonnulla, quæ ad poſthumam hujus ſancti Martyris gloriam ſpectant, & quibus annumerari poteſt templum, quod S. Euphronius medio circiter ſeculo quinto in honorem ipſius conſtruxit, ut S. Gregorius Turonenſis in Hiſtoria Francorum lib. 2 cap. 15 teſtatur his verbis* Eo tempore & baſilica beati Symphoriani Auguſtodunenſis martyris ab Euphronio presbytero ædificata eſt. Et ipſe Euphronius hujus deinceps urbis epiſcopatum ſortitus eſt. *Acta hujus ſancti præſulis Auguſtodunenſis die* III *Auguſti, ſive tomo* I *iſtius menſis pag.* 227 *&* 228 *utcumque illuſtravimus. Apud eumdem S. Gregorium Turonenſem lib.* 8 *Hiſtoriæ Francorum cap.* 30 *invenimus alterum* S. Symphoriani *templum, quod ſeculo ſexto in Arvernia exſtabat, & in quo rex Guntchramnus ſolemnitatem hujus Martyris celebravit. Præterea ſanctus ille Franciæ hiſtoricus in libro de Gloria confeſſorum cap.* 80 *meminit de* baſilica ſancti Symphoriani, quam memoratus pontifex (*nimirum Probianus epiſcopus Bituricenſis*) fabricaverat ante conſpectum muri Biturigi.

B

in honorem S. Symphoriani exſtructæ,

6 *Non dubitamus, quin in Gallia ad honorem hujus ſancti Martyris extructa fuerint plura templa vel ſacella, quorum notitia ad nos non pervenit. Saltem Ruinartius in Admonitione ad Vitam* S. Symphoriani *inter Acta Martyrum ſincera pag.* 68 *duas alias ipſius eccleſias nobis indicat hoc modo:* Cellula, in qua beatum Symphorianum ſepultum fuiſſe Acta memorant, poſt aliquod tempus in celebrem baſilicam mutata eſt; cui cum monaſterium fuiſſet adjunctum, abbas præfuit ſanctus Germanus, qui, teſte Venantio Fortunato in ejus Vita, tanta devotione erga hunc beatiſſimum Martyrem ferebatur, ut ſingulas ferè noctes, quamdiu Auguſtoduni manſit, prope ejus ſepulcrum tranſigeret. Ipſe poſtea Pariſiorum epiſcopus factus, in ejuſdem beati Martyris honorem ſacellum conſtrui juſſit, in quo, ſicut ipſe præceperat, poſt mortem ſacrum ejus corpus ſepultum eſt, exſtatque etiam nunc inferiori majoris baſilicæ noſtri monaſterii ſancti Germani à Pratis parti adhærens verſus meridiem. Eccleſiam quoque ſub nomine ſancti Sinfuriani ſeu Symphoriani in pago Meldenſi exſtitiſſe ſub prima regum noſtrorum ſtirpe, patet ex Ermentrudis teſtamento, quod ab eodem Mabillonio in appendice libri de Liturgia Gallicana vulgatum eſt.

C

miracula quædam,

7 *Etiam ad poſthumam* S. Symphoriani *gloriam ſpectat inſigne miraculum, quod S. Gregorius Turonenſis in Opere de Gloria martyrum lib.* 1 *cap.* 52 *ita narrat:* Symphorianus martyr apud Auguſtodunenſem urbem martyrium conſummavit. De loco autem illo, ubi gladio percuſſus eſt, & ſanguis ejus effluxit, quidam religioſus tres lapillos cum ipſo ſanguine levavit, & in capſa argentea reconditos in eccleſiam ligneis conſtructam tabulis apud Thigernum caſtrum urbis Arvernæ in altari ſancto locavit. Tempore autem, quo Theodoricus rex Francorum regionem illam evertit, hoc caſtrum ab hoſtibus incendio concrematur. Cumque ab aliarum domorum exuſtione domus Dei, quæ, ut diximus, ligneis erat tabulis fabricata, igni adprehenſa conſumeretur, populi plangentes dicebant: Utinam vel beatæ reliquiæ non periiſſent. Interea cum prunarum magnus eſſet de incendio acervus effectus, ſubitò Aquilone flante atque urente, vehementer favillæ ab incendio relictæ per diverſa jaciuntur; & ecce capſa illa argentea illæſa refulgens, tamquam ſidus præclarum apparuit. Colligentes autem eam, qui tunc aderant, clerici requirentes, nihil de beatis pignoribus diminutum reperientes, mirati ſunt inter tam valida incendia ſpeciem tam tenuem ſic fuiſſe ſalvatam; in qua, ut ita dicam, non ſolùm hæc, ſed etiam mille libræ argenti aut ferri potuiſſent ſine mora diſſolvi. Verè magna ibidem virtus apparuit, quæ populum ad Dei cultum & honorem ſui nominis roboravit, qui, factâ deinceps aliâ in eodem loco baſilicâ, ſanctas reliquias in altari poſuerunt.

D

E

interceſſione ejuſdem Martyris patrata,

8 *Petrus Louvetus in Hiſtoria Bellovacenſi lib.* 3 *cap.* 16 *Gallicè narrat tria miracula, quæ ſeculo decimo per interceſſionem* S. Symphoriani *prope Bellovacum contigerunt. Excerpſit autem illa ex Ms. codice Latino monaſterii* S. Symphoriani, *quod non procul ab urbe Bellovacenſi ſitum eſt. Si Latinum iſtius Ms. codicis apographum nobis ad manum eſſet, forſan in eo plura hujus Martyris miracula reperiremus, & illa fideliter typis ederemus. Cum igitur hoc nobis deſit, ſumma trium iſtorum miraculorum capita dumtaxat indicabimus. Primum* S. Symphoriani *beneficium collatum eſt cuidam pauperi, qui per annum paralyſi laboraverat, & delatus ad ſacellum ſancti Martyris ſtatim perfectam ſanitatem impetravit. Alterum obtigit cuidam cæco, qui firmiter ſperabat, ſe interceſſione* S. Symphoriani *illuminandum eſſe. Deductus itaque ad eccleſiam ſancti hujus Martyris, fuſis precibus, cum ſtupore multorum civium Bellovacenſium viſum ſubitò recuperavit. Tertium Sancti beneficium expertus eſt juvenis quidam agricola, qui ſacro igne afflictus, poſt magnos trium dierum dolores in ſacello* S. Symphoriani *integram ſanitatem obtinuit. Si quis alia hujus Sancti miracula aut beneficia noſſe cupit, adeat Vitam S. Germani epiſcopi Pariſienſis, quæ ad diem* XXVIII *Maii illuſtrata eſt, ne hîc actum agamus. Nunc de ſacris ejus reliquiis memorabimus pauca, quæ ad notitiam noſtram pervenerunt.*

F

& ſacræ communicata ſunt variis eccleſiis ac monaſteriis, quæ ab ipſo nomen traxerunt.

jus reliquiæ Rhemis

9 *Haud dubiè ſacra hujus Martyris oſſa olim Certe Rhemis conſervantur aliquæ ipſius reliquiæ, quemadmodum Marlotus tomo* 2 *Hiſtoriæ Rhemenſis lib.* 2 *cap.* 21, *ſive pag.* 241 *probat ex ſequenti inſtrumento:* Univerſis præſentes litteras inſpecturis nos Hugo de Cantu-Merulæ, miles domini regis, ballivus Kadrellenſis pro domino Comite Claromontenſi, cuſtoſque ſigilli ejuſdem in prædicta ballivia Kadrellenſi & in caſtellania Cavæ-Rupis conſtitutus, ſalutem in Domino. Noverint univerſi, quod nos ad inquiſitionem & inſtantiam dilecti conſanguinei noſtri, magiſtri Guillelmi de Perreciaco, clerici domini regis, Canonici ſancti Symphoriani Remenſis, attendentes quod devotio-

votionem, quam erga dictam ecclesiam S. Symphoriani habebat dictus Guillelmus, eidem de reliquiis sancti Symphoriani, videlicet unum frustum de ossibus dicti Sancti, ad opus dictæ ecclesiæ Remensis concessimus & tradidimus, sperantes, quod in dicta ecclesia meritis & intercessione prædicti Martyris, suffragante Domino, universa plebs fidelium adjuvetur. In cujus rei testimonium præsens instrumentum prædicto magistro Guillelmo tradidimus nostro sigillo roboratum. Datum die Lunæ ante festum sancti Michaëlis archangeli anno Domini MCCCI, præsentibus Hugone Leoboldi de Paredo presbytero notario publico dictæ balliviæ, domno Guillelmo Choat presbytero & dicto Viant de Chamberlin, in præmissis vocatis & rogatis.

aliisque locis conservata

10 *Apud Ægidium Gelenium in Opere de Magnitudine Coloniæ Agrippinensis pag. 267 inter alias Sanctorum reliquias in hierotheca vigesima sexta fit mentio* de S. Symphoriani martyris costa. *Rayssius autem in suo Hierogazophylacio Belgico enumerat sacrum thesaurum ecclesiæ cathedralis Atrebatensis, ubi pag.* 305 reliquiæ sanctorum Simphoriani & Leodegarii martyrum *recensentur. Laudatus Belgicarum reliquiarum collector ibidem pag.* 452 *in Cartusia Rutilensi ad ripam Mosæ assignat* ossa sanctorum martyrum Simphoriani, Sebastiani, Smaragdi, Valentini & Vincentii. *Nescimus, utrum hæ reliquiæ ad hodiernum* S. Symphorianum *pertineant, eo quòd plures ejusdem nominis martyres exstiterint. Si itaque ecclesiæ istæ existiment, se possidere reliquias hujus celeberrimi Martyris Augustodunensis, possessionem suam claris ac solidis documentis probare non graventur.*

posthumam ipsius gloriam declarant.

11 *Augustinus Lubin in Tabulis geographicis ad Martyrologium Romanum pag.* 41 *asserit, corpus* S. Symphoriani *hodierni Crolium (est parva urbs diœcesis Bellovacensis, quæ vernaculè* Creil *appellatur) delatum, & ibidem in ecclesia collegiata conditum fuisse. Saussayus in Martyrologio suo Gallicano ad diem* XXII *Augusti de illa translatione etiam meminit, & deplorandam sacri hujus thesauri jacturam explicat, dum elogio* S. Symphoriani *ibidem ita finem imponit:* Cujus corpus cum exanime in agro feris expositum jaceret, pii viri latenter submoventes, ad fontem, qui extra publicum campum est, detulerunt, condideruntque cum aromatibus in parva cellula, è qua micantia deinde gloriæ divinæ lumina ethnicos stupore multo percelluerunt, sanitatum beneficiis cumularunt fideles, Martyrem beatum magna virtutis & gloriæ celebritate illustrarunt. Ceterùm glorioſi ipsius Athletæ corpus deinde ad oppidum Belvacensis diœcesis delatum, inque collegiata ecclesia de Crolio in monimentum pietatis collocatum hæretici, avitæ pietatis insignia delere nitentes, Sanctosque, quorum religionem deseruerunt, immani odio (postquam à Christo in cælum puri illorum spiritus assumpti sunt) in corporum reliquiis persequentes, impiè flammis injectum in cineres converterunt, cineres in auras dissipaverunt. *At uterque ille scriptor tempus & occasionem hujus translationis silet, & neuter istas* S. Symphoriani *reliquias Crolium translatas distinctè describit. Hinc meritò dubitamus, an hæretici maximam harum reliquiarum partem in cineres redegerint, quantumvis illæ generali corporis nomine appellentur: adhuc enim Parisiis in parochiali* S. Symphoriani *ecclesia partes aliquot ossium ejus conservari dicuntur. Jam ad tempus martyrii & Acta ejusdem sancti Pugilis examinanda progredimur.*

AUCTORE G. C.

§ II. Sancti Acta, commune eruditorum de iis judicium, verosimile martyrii tempus assignatum, & scrupulus Tillemontio exemptus.

Ruinartius edidit Acta hujus Sancti,

RUinartius *inter Acta Martyrum sincera & selecta Parisiensis editionis pag.* 67 *in admonitione ad Vitam* S. Symphoriani *sic præfatur:* Invenimus Acta beati Symphoriani in pluribus Mss. codicibus, etiam antiquissimis, sed in duobus tantummodo sincera & pura, quorum unus est abbatiæ Conchensis prope Ebroïcas in Normannia; alter verò in nostra bibliotheca sancti Germani à Pratis asservatur. Eorum operâ stylum & verba, quæ passim Surius mutaverat, ad primigenium statum revocavimus; sicque ea Acta, quæ Baronius sincera judicavit, collata cum Mombritio, ejusdem Baronii fragmentis, ac codicibus manuscriptis etiam iis, in quibus interpolata habentur, proferimus; quæ eadem esse non dubitamus, quæ à Gregorio Turonensi libro de Gloria confessorum cap. LXXVII laudata sunt. *Gregorius Turonensis quidem occasione S. Simplicii episcopi Augustodunensis loco proximè citato innuit, se quædam* S. Symphoriani *Acta vidisse; sed non exprimit, qualia ista fuerint, ut patet ex sequentibus illius verbis:* Ferunt, etiam in hac urbe simulacrum fuisse Berecynthiæ, sicut sancti martyris Symphoriani passionis declarat historia. *Hinc nondum scimus, utrum sanctus ille historicus primigenia, an verò interpolata istius Martyris Acta præ oculis habuerit: nam Tillemontius tomo* 3 *Monument. eccles. pag.* 609 *negat, primigenia esse* S. Symphoriani *Acta, quæ Ruinartius edidit, & tamen ex conjecturis quibusdam judicat, eadem circa medium seculi quinti conscripta fuisse.*

quorum vanos enumerabimus aliquot alia Actorum exemplaria, quæ ex variis locis accepimus. Inter illa primum locum obtineret istud, quod in antiquo Musei nostri codice signato ✠ *Ms.* 74 *exstat, nisi postrema sui parte mutilum foret. Media autem Actorum pars in illo codice (reliqua desiderantur) cum editione Ruinartiana convenit. Alterum apographum desumptum est ex Ms. Audomarcensi, quod integrum est, & ad editionem Ruinartianam proximè accedit. Tertium accepimus Treviris ex codice S. Martini, quod cum Ms. Maximiniano ejusdem urbis collatum est, & quod ab aliis jam relatis propter solam scribendi methodum & ampliorem phrasin differt. Chiffletius ad Majores nostros misit quartum eorumdem Actorum apographum, ex variis Mss. Burgundicis collectum, cujus initium ab omnibus hactenus recensitis discrepat: nam in illo baptismus & pia pueritia* S. Symphoriani *memorantur, dum reliqua cum vulgatis Actis ferè concordant.*

ria habemus apographa,

in quibus initium duorum exemplarium

14 *Attamen huic ultimo apographo consonat codex octogesimus primus reginæ Suecia, cujus exordium sic habet:* Sub Aureliano imperatore cum adversus Christianum nomen persecutionis diræ procella detonaret, atque ipse ob istius sce-

AUCTORE G. C.

leris cauſam penè totam Galliam pervagaret, & ad delendam legis Catholicæ religionem imperii ſui decreta converteret, tandem ad Senonum civitatem profectus ad depopulandos ubique, quos reperire poterat, Chriſtianos, ſeſe in Æduorum finibus ſpiritu nequitiæ exactus applicavit. Erat tunc in Auguſtodunenſi urbe Fauſti nobilis viri filius, nomine Simphorianus, Chriſtianæ familiæ litteris inſtitutus bene & moribus, ita ut primævæ indolis gerens annos, [ſenum vitam anticiparet.] Pater triennem atque in annis infantiæ conſtitutum à ſupervenientibus divinæ legis cultoribus, id eſt, Benigno, Andochio & Thyrſo Chriſtianum fieri petiit, eumque mox cum totius familiæ comitatu ſub ejuſdem religionis nomine baptizari rogavit; cujus illi petitionibus annuentes, baptizatum ſanctæ Trinitatis nomine puerum reddiderunt, cui ſanctus Benignus divinis rebus baptizator exſtitit; beatus verò Andochius ei de ſacro fonte ſuſceptor advenit. Quibus ritè peractis, ſacriſque myſteriis Domini celebratis, cœpit ſupradictus Puer veraciter in Chriſto credere, & in divinæ legis ſtudiis permanere.

15 Cumque in antedictos Dei cultores nequiſ-

ab aliis differt.

B ſimus imperator nequitiæ ſuæ pœnas exerceret, eoſque martyrio coronatos in loco, qui dicitur Sedelocus, ſpiritu viventes, corpore tantùm mortuos reliquiſſet, illico perditionis ſuæ participem & ſacrilegæ mentis conſortem ad Auguſtodunenſem dirigit urbem Heraclium quemdam profani ſpiritus conſularem, quem ita feralibus inſtruxit edictis, & profanis legibus roboravit, ut niſi quis idolis immolaret, nullum Chriſtianorum permitteret haberi ſuperſtitem. Hic itaque, ut dictum eſt, vir Dei Symphorianus cum in adoleſcentia creſcens tranſiret infantiam, & ætas feliciter auſpicata in robur virile tranſiret, tanta ſpe propoſitum animi in divinitatis amore conſtituit, ut illum omnis jam boni cum ſupernis virtutibus habere conſortium meritorum admiratione judicarent: illuſtrabat enim eum cæleſtis ſapientia, & ſpiritualibus gemmis ornata ſimplicitas, & juſtum vitæ tramitem tenens, felici gu-

* *al.* gubernaculi

bernatoris * defenſione ſervatus, è naufragio mundi male blandientis elapſus eſt. *Quamvis illa, quæ in hoc Actorum principio de Trajano imperatore narrantur, cum hiſtoria non cohæreant, tamen baptiſmo & ſpiritualibus* S. Symphoriani *magiſtris hîc nominatis favet antiqua Miſſa Gothica, in qua ſanctus ille Martyr* beatos patres

C Andochium Benignumque ſecutus *dicitur. Cum porrò omnia Actorum exemplaria circa ſubſtantiam rei inter ſe concordent, excepto illo duplicis apographi principio, rurſus prælo ſubjiciemus editionem Ruinartii, quæ noſtris apographis emendatior, & cum variis Mss. codicibus ab editore collata eſt.*

16 *Tillemontius tomo* 3 *Monument. eccleſ.*

Tillemontio hæc Acta carpenti

pag. 609 *& ſequente Actis Ruinartianis aliiſque ſimilibus opponit quaſdam difficultates, quæ ad ſummum probant, Acta illa tribus ferè ſeculis poſt martyrium* S. Symphoriani *ſcripta & nonnihil exornata fuiſſe. Facilè concedimus, ea non eſſe proconſularia, ut vulgò vocantur, vel ab auctore ſynchrono exarata: nam nobis etiam non placent in iis longiora colloquia & alia ornamenta, quibus primigenia martyrum Acta carere ſolent. At putamus, ea ſaltem ex genuinis deſumpta & poſtea parum aucta eſſe. Forſan eccleſia Viennenſis in Gallia primigenium Actorum exemplar præ oculis habuit, cum in lectionibus propriis iſtius eccleſiæ de* S. Symphoriano *non habeantur pleraque illa, quæ Tillemontium a-* D *lioſque eruditos offendunt.*

17 *Lectiones autem iſtæ in Viennenſi Brevia-* *exhibemus ex Breviario Viennenſi*

rio anni 1522 *fol.* 360 *recitantur hoc modo:* Sub Aureliano principe cum adverſus Chriſtianum nomen perſecutionis dira procella detonaret, & ad delendam religionem Catholicæ legis imperii ſui decreta converteret, erat tunc in Auguſtodunenſi urbe Fauſti nobilis viri filius Symphorianus Chriſtianæ familiæ litteris bene inſtitutus & moribus, ita ut primævæ indolis florentes annos, ſenum anticipans vitam, immaculatæ mentis ſinceritate ſuperaret. Erat tunc Edua civitas antiquæ nobilitatis titulis & ſacrilegæ religionis referta cæremoniis errori famulans: diverſis idolorum templis vanæ ſuperſtitionis amore tenebatur. Berecynthiæ, Apollinis & Dianæ cultum ſpeciali dilectione venerata eſt. Ad Berecynthiæ matris dæmonum profanam ſolennitatem populorum multitudo convenerat. Eraclius illius temporis conſularis in eadem urbe reſidebat, ad requirendos diſcutiendoſque Chriſtianos ſagaci inquiſitione ſolicitus.

18 Symphorianus affuit, & quia ſtatuam Be- *Lectiones ſi-ve Actorum compendium*

recynthiæ adorare noluiſſet, comprehenſus tenetur, & Eraclio conſulari ſtatutus ingeritur. Cui E ille de tribunali reſidens dixit: Nomen, conditionem deſigna. Ille reſpondit: Symphorianus dicor; Chriſtianus ſum. Judex dixit: Cur deæ matris effigiem adorare noluiſti? Symphorianus reſpondit: Paulo antè dixi; Chriſtianus ſum; Deum vivum adoro, qui regnat in cælis. Simulacrum verò dæmonum non ſolùm non adoro, verum etiam, ſi permittis, malleis illud mea auctoritate comminuo. Judex dixit: Niſi deæ matri ſacrificaveris, hodie te dilaniatum omnibus pœnis, capitalis ſententiæ damnatione proſternam. Symphorianus dixit: Ego omnipotentem Deum, qui me fecit, timeo, & ipſi ſoli ſervio. Tu corpus meum ad tempus in poteſtate habes; animam verò meam non habes. Hæc ſancto Symphoriano loquente, judex iracundiâ ſuccenſus dixit: Symphorianus publici criminis reus, qui diis ſacrificare detrectans, majeſtatis ſacrilegium perpetravit, ſacris etiam altaribus nefariis vocibus irrogavit injurias, gladio ultore feriatur, ut, dum crimina funeſta reſecantur, deorum pariter & legum vindicetur injuria.

19 Sic datâ ſententiâ, dum beatus Vir duce- *quòd illum & alios eruditos*

retur ad victimam, venerabilis mater ſua de muro ſedula illum voce commonuit dicens: Nate, F nate Symphoriane, in mente habe Deum tuum. Reſume conſtantiam, fili. Timere non poſſumus mortem, quæ ſine dubio perducit ad vitam. Surſum corda ſuſpende, fili. Aſpice illum, qui regnat in cælis. Hodie tibi vita non tollitur, ſed mutatur in melius: & quamlibet anguſtus callis iter durum & ſcrupulum ærumnoſæ tribulationis indicat, hæc vita eſt, in qua percuſſorem tuum proſtratus interficis. Si perduraveris hodie, nate, ad ſupernam nobilitatem felici commutatione migrabis. Sic Sanctus Symphorianus extra murum ductus, & à perſecutore proſtratus, & à religioſis latenter inde eſt ſublatus. Sic Martyr delatus ad fontem, qui extra publicum campum eſt, & inibi in parva cellula tunc ſepultus, ſemper tamen ſe virtutibus publicavit, ita ut, gentilibus ſtupentibus propter mira dona ſanitatum, in honore maximo etiam illis temporibus haberetur.

20 *Hæc Lectionum clauſula etiam in pleriſ-* *nihil aut parum poteſt*

que Actis habetur, & ex ea Tillemontius loco ſuprà *offendere.*

A *ſuprà citato infert, hæc Acta diu poſt exſtinctam gentilium ſuperſtitionem (puta medio ſeculo quinto) primùm compoſita fuiſſe. Sed nobis frivolum videtur hoc ejus argumentum, cum gentiles ac alii infideles non rarò venerentur ſepulcra Sanctorum, ſi ſanitatem aut alia bona temporalia conſequi ſperent, quemadmodum in Opere noſtro ſæpius oſtenſum eſt. Sic etiam hodiedum propter eumdem finem Mahometani & hæretici adeunt prodigioſa Sanctorum ſepulcra aut alia loca ſacra Catholicorum, ut paſſim teſtantur illi, qui peregrinationes in Oriente inſtituerunt. Non ergo tantopere mirandum eſt, ſi gentiles in honore habuerint locum, in quo videbant agrotis ſanitatem reddi vel alia beneficia conferri. Adde, quod Acta vel hæ Lectiones ſatis innuant, iſta miracula tempore florentis ethniciſmi contigiſſe: nam diſertè aſſerunt,* S. Symphorianum *magno in honore habitum fuiſſe* etiam illis temporibus, *quæ expreſſio non obſcurè tempora gentilitatis deſignat. Denique non dicuntur ethnici* S. Symphorianum *venerati eſſe, ſed obſtupuiſſe propter mira dona ſanitatum,*

B *quæ fidelibus ipſum in honore maximo habentibus conferebantur, & quæ non erant adeo occulta, ut omnes ethnicos latere poſſent. Ut ut eſt, nihil meritò in his Lectionibus reprehendi poteſt præter nomen* Aureliani *imperatoris, de quo jam agemus.*

21 *Eminentiſſimus Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 273 *numero* 2 *martyrium* S. Symphoriani *ſub Aureliano imperatore collocat, & ibidem ad rem noſtram ita ſcribit:* Quod verò, qui ab Aureliano ſunt interfecti, dicantur à Vopiſco ſeditionis auctores: ejus criminis, nempe ſeditionis, his plane temporibus infamari ſolitos Chriſtianos, Acta Symphoriani, quæ habentur germana, ſignificant, quibus dicitur: Adfuit & Symphorianus, & cum nollet ſtatuam Berecynthiæ, quæ carpento vehebatur agminibus ſtipata populorum, per contemptum adorare, publicæ ſeditionis prætextu comprehenſus tenetur, & Heraclio conſulari offertur. *Sanè non multùm miramur, eruditiſſimum Baronium martyrium* S. Symphoriani *imperio Aureliani affixiſſe, cum in antiquis Martyrologiis & Actis dicatur hic Martyr ſub Aureliano paſſus eſſe, ſi excipias ſolum Uſuardum, qui nomen* Aureliani *rectè in* Aurelii *commutavit, ut*

C *initio hujus Commentarii prævii monuimus.*

22 *At exactiores critici contendunt, iſtud martyrium toto ferè ſeculo citius contigiſſe, & illuſtriſſimus Boſquetus in Hiſtoriis eccleſiæ Gallicanæ lib.* 2 *cap.* 27 *hac de re tradit ſequentia:* Hanc Aurelii poſtremam perſecutionem, primùm populi ſeditione coortam, poſtmodum imperatoris reſcriptis decretam fuiſſe conſtat ex Epiſtola Lugdunenſium. Edicti contra Chriſtianos verba referunt Acta Symphoriani elegantiori ſtylo conſcripta, cujus hac ipſa Aurelii perſecutione martyrium celebre fuit: non enim ad Aureliani tempora pervenire potuit, qui à Benigno baptizatus eſt. Natus autem erat annos tres Symphorianus, dum baptiſmi gratiam accepit, & quintum decimum agebat, cum patre Fauſto Benigno martyri juſta perſolvens; ac tandem anno viceſimo pro Chriſti fide paſſus eſt, ut ex Actis illorum martyrum patet. Itaque Benigno anno Chriſti CLXXVIII ab Aurelio damnato, Symphorianum demum anno Chriſti CLXXXIII occubuiſſe oportet.

23 *Ab hac chronologia parum differt Ruinartius, dum ante Acta* S. Symphoriani *pag.* 68 *ſic eadem de re monet:* Porrò hujus Sancti mortem ad annum circiter CLXXX referimus, cum à beato Benigno ſancti Polycarpi diſcipulo baptizatus dicatur. Unde exiſtimamus imperatoris AURELII nomen pro AURELIANO in Actis debere reponi. Certè in Mss. codicibus Aurelius & Aurelianus, Fabius & Fabianus, Valerius & Valerianus, aliaque ſimilia nomina ſæpius confunduntur; quod ſexcentis exemplis probare facillimum eſſet. *Antonius Pagius in Critica ad Annales eminentiſſimi Baronii anno* 272 *num.* 13, *& Tillemontius in Monumentis eccleſiaſticis tomo* 3 *pag.* 609 *&* 610, *aliique viri eruditi communiter hanc Ruinartii ſententiam amplectuntur. Nos etiam probabiliorem illam opinionem ſecuti ſumus, & propterea initio Commentarii prævii in margine martyrium hujus Sancti circa annum Chriſti* 180 *collocavimus.*

24 *Sed ea occaſione contrà Tillemontium formabimus argumentum ad hominem, ut vulgò dici ſolet: quamvis enim ſeverus ille criticus admittat,* S. Symphorianum *ſub Aurelio martyrium ſubiiſſe, tamen edictum iſtius imperatoris, quod infrà in Actis longioribus recitabitur, pro fictitio habet, & Aurelium numquam aliquod decretum adverſus Chriſtianos edidiſſe affirmat. Hinc non parum infirmatur fides Actorum, quæ tamen ab eruditis paſſim ſincera reputantur: nam ſi auctor Actorum iſtorum finxerit decretum imperatorium, quod numquam exſtitit, qualem fidem reliquis ejus narrationibus adjungemus? Si igitur in aliis antiquis manumentis tale decretum oſtenderimus, totus Tillemontii ſcrupulus evaneſcet. Id autem ſic probare conabimur.*

25 *Imprimis Melito Sardianus epiſcopus Aurelio imperatori obtulit apologiam pro Chriſtianis, in qua apud Euſebium lib.* 4 *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap.* 26 *hæc leguntur:* Quod enim numquam antea factum fuerat, perſecutionem nunc patitur piorum hominum genus, NOVIS per Aſiam DECRETIS exagitatum. Impudentiſſimi namque delatores & alienarum opum cupidi ex IMPERIALIBUS EDICTIS occaſionem nacti, palam diu noctuque graſſantur, ſpoliantque homines innoxios. *Hæc referri non poſſunt ad antiqua decreta Romana, quorum Cicero lib.* 2 *de Legibus meminit, & quibus omnis religio peregrina prohibebatur: nam Melito apud imperatorem expreſſè conqueritur, Chriſtianos* novis decretis *exagitari. Hoc teſtimonium adeo evidens eſt, ut ipſe hypercriticus Elias du Pin in nova Bibliotheca ſcriptorum eccleſiaſticorum tomo* 1 *apud nos pag.* 62 *aſſerat, Melitonem in hac apologia ſive ſupplici libello ab imperatore Aurelio petiiſſe, ut cœptam perſecutionem ſiſteret revocando edictum, quod adverſus Chriſtianos promulgaverat.*

26 *Præterea Tillemontius tomo* 2 *Monument. eccleſ. pag.* 400 *& ſequente martyrium S. Juſtini philoſophi ſub imperatore Aurelio collocat, & ibidem ac pag.* 657 *Acta illius ſinceriſſima eſſe agnoſcit. Attamen in his ipſis Actis, quæ Tillemontius tantopere laudat, pluries fit mentio de edicto imperatoris. Hoc liquet ex verbis, quibus apud laudatum Ruinartium pag.* 43 *Ruſticus præſes S. Juſtinum ita alloquitur:* Age, eſto diis ipſis obediens, & imperatoris EDICTIS. *Deinde circa finem Actorum ibidem pag.* 45 *memoratus præfectus adverſus S. Juſtinum & ſocios hanc ſententiam pronuntiat:* Qui diis ſacrifi-

Quidam chronologi ſub Aureliano,

alii ſub Aurelio

AUCTORE G. C.

martyrium ipſius collocant,

& ea occaſione,

E

allatis aliquot exemplis,

F

levem ſcrupulum Tillemontio excutimus.

AUCTORE G. C.

crificare, & imperatoris EDICTO parêre noluerunt, flagello cæsi ad capitalem pœnam abducantur, quemadmodum leges præcipiunt. *Illud utique erat edictum Aurelii imperatoris, sub quo S. Justinus philosophus palmam martyrii obtinuit, ut Tillemontius fatetur. Hæc mihi ad dissipandum Tillemontii scrupulum sufficere videntur. Si quis tamen cupit plura, consulat Honoratum à sancta Maria Carmelitam in Animadversionibus ad regulas & usum Criticæ, dissertatione 4, art. 10, sive tomo 2 istius Operis Gallici pag. 58 & sequentibus, ubi hanc rem fusiùs tractat, & omne Tillemontio effugium præcludit. Jam tantummodo supereſt, ut editionem Ruinartianam recudamus ac consuetis annotationibus illustremus.*

VITA

Ex Actis martyrum sinceris & selectis, quæ Ruinartius anno 1689 Parisiis edidit, cum aliis Mss. codicibus collata.

B

Sanctus Adolescens

a

b

c

SUb Aureliano *a* principe, cum adversus Christianum nomen persecutionis diræ procella detonaret, & ad delendam religionem Catholicæ legis imperii sui decreta *b* converteret, erat tunc in Augustodunensi urbe Fausti nobilis *c* viri filius, nomine Symphorianus, Christianæ familiæ, litteris bene instructus & moribus, ita ut primævæ indolis florentes annos, senum anticipans vitam, immaculatæ mentis sinceritate superaret.

Augustoduni piam vitam agens,

2 Hic itaque cum in adolescentiam crescens, transiret ab infantia, & jam ætas feliciter auspicata in robur virile migraret; tantam spem virtutum suarum omnibus fecit, ut illum jam omnes boni cum supernis virtutibus habere consortium, meritorum admiratione judicarent. Illustrabat namque eum cælestis sapientia & spiritualibus gemmis ornata simplicitas: & justum vitæ tramitem tenens, felicis gubernaculi defensione servatus, naufragium male blandientis sæculi elapsus est.

C

& statuam Berecynthiæ venerari nolens,

d

e

3 Erat tunc Ædua civitas antiquæ nobilitatis, titulis & sacrilegæ religionis referta ceremoniis, atque errori gentilium famulans, diversis idolorum templis, & vanæ superstitionis amore tenebatur. Nam Berecynthiæ *d*, Apollinis, & Dianæ cultum speciali dilectione venerata est. Itaque ad Berecynthiæ matris dæmonum profanam solemnitatem *e* populorum multitudo convenerat. Heraclius illis temporibus vir consularis in eadem urbe residens, ad inquirendos discutiendosque Christianos sagaci inquisitione sollicitus erat: cui sanctus Symphorianus affuit. Qui cum statuam Berecynthiæ, quæ carpento portabatur agminibus stipata populorum, despectam adorare noluisset, publicæ seditionis obtentu comprehensus tenetur, & Heraclio consulari arguendus præsentatur.

ab ethnicis comprehenditur;

4 Heraclius vir consularis in tribunali residens dixit beato Symphoriano: Nomen conditionemque designa. Ille respondit: Christianus sum; Symphorianus vocor. Judex dixit: Christianus es? Quantum video, latuisti nos: nam nominis hujus apud nos non magna professio est. Cur deæ matris effigiem profana abusione despiciens, adorare noluisti? Sanctus Symphorianus respondit: Jam dixi tibi, Christianus sum. Deum verum adoro, qui regnat in cælis; simulacrum verò dæmonis non solum non adoro; verumetiam, si permittis, mea auctoritate, malleis illud comminuo. D

& ab Heraclio judice

f

5 Judex dixit: Iste non solùm sacrilegus, verum etiam rebellis conatur exsistere. An hujus loci civis sit, edicat Officium *f*. Ex Officio dictum est: Hinc est, & quidem nobilis familiæ. Judex dixit: Jocaris tibi, Symphoriane, gloriosæ indolis. Hoc tibi sub ambiguo fama cœpit suadere mendacium. Ignoras forsitan, quod principum nostrorum scita sanxerunt? Officio recitante pandatur. Ex Officio recitatum est. Aurelianus imperator omnibus administratoribus suis atque rectoribus. Comperimus ab his, qui se temporibus nostris Christianos dicunt, legum præcepta violari. Hos comprehensos, nisi diis nostris sacrificaverint, diversis punite cruciatibus, quatenus habeat districtio prolata justitiam, & in resecandis criminibus ultio terminata jam finem. E

variis modis

6 Lectis imperatoriis præceptionibus, judex dixit: Quid ad hoc, Symphoriane, respondes? Numquid possumus hæc decreta convellere? Duplex tibi crimen impenditur. Videris & pro deorum despectione sacrilegium perpetrare, & pro legum abusione contemptor exsistere. Unde nisi præceptis satisfeceris, hæc omnia sanguinis tui placabit effusio. Sanctus Symphorianus respondit: Numquam ego hanc imaginem nisi diabolicæ persuasionis infaustum simulacrum & publicæ perditionis exsecrandum dæmonem judicabo. In chaos semper semita vergente * collabitur, quisquis Christianus, damnatus passionibus deterioris vitæ mala retrorsum conversus respexerit: statimque per devium gradum semitâ exorbitante jactatus, & parati muneris gratiâ destitutus, antiqui hostis retibus patet. Deus noster ut novit remunerare merita, ita novit punire peccata. Nomini suo obedientes vivificat, rebelles interficit; in cujus confessione firma stabilitate duranti, tutum mihi [magis] est sempiterni Regis tenere portum, quàm mortiferum diaboli sævientis intrare naufragium. F

** al.* urgente

ad idolorum cultum excitatur;

7 Ubi vidit judex sanctum Symphorianum jussionibus suis non præbere famulatum, jussit eum à lictoribus cædi, & carceri mancipari, quem cum post comperendinatis diebus præsentare suis jussisset obtutibus, producebatur è tenebris filius lucis; de illo vestibulo feralis ergastuli, cum æterno Rege semper in æternitate victurus. Artiores nexus liventium lacertorum macie cutis attenuata laxaverat; & dum animum suum ad supernæ gaudia alacritatis attolleret, inter beata supplicia non fuit minus consumpsisse sanguinem, quam fudisse.

sed cum nec blanditiis,

g

8 Tum judex: Quantum rectius faceres, Symphoriane, ut immortalibus diis serviens, muneratum te ex ærario publico *g* nobilis militiæ splendor attolleret. Qui nisi hodie venerandum deæ matris simulacrum genu prostratus adoraveris; Apollinis quoque & Dianæ sublimium numinum te cultorem venerabundum declarare *h*. Quapropter, si vis, sertis redimire jubemus altaria; thure, odoribusque incensi sacrificia digna diis solve. Symphorianus dixit: non debet judex, cui commissa res publica est, frivolis verborum sermo-

h

A fermocinationibus ſubjacentem * proferre ſententiam. Si periculoſum eſt non quotidie ad profectum animæ aliquid addere, quanto periculoſius eſt à ſalute diſcedentem in ſcopulis peccatorum naufragio collidi?

* *al.* jactantem

9 Judex ait: Sacrifica diis, ut poſſis palatii honoribus perfrui. Symphorianus reſpondit: Judex tribunal ſuum polluit, qui gladiis legum glutinatur * in publico, animæque ſuæ perpetuæ calamitatis mortem affert, & vita ejus perennis opprobrii maledictis proſcinditur. Nos vitam, quam Chriſto ſoluturi ſumus ex debito, quidni ex voto ſolvamus? Sera pœnitudo eſt ſub judicis timuiſſe conſpectum: munera enim veſtra fucati mellis permixta dulcedine, male credulis mentibus venena parturiunt; divitiæ verò noſtræ ſemper in Chriſto ſunt, quas non caduca per tempus vetuſtas, diuturnitatis ipſius labefactatione corrumpit. Cupiditas autem veſtra omnia habendo nil poſſidet, quæ diabolicis delegata * facultatibus, infelicis lucri cupiditatibus delinitur. Nobis verò nihil in hoc mundo aufert humanæ fragilitatis lapſura conditio. Gaudia veſtra inſtar vitri ad ſolis ſplendorem crepantis diſſiliunt. Quidquid finis interimit, caſus involvit, cum æternam mundi vertiginem * rapax tempus obducit. Solus Deus noſter beatitudinem vindicat. Hujus gloriæ exordium, quia non fuit conſcia rerum, neſcit antiquitas, hujus terminum, quia non erit, noſſe non poterit ſeries inveterata ſeculorum.

nec minis,

* *al.* latrocinatur

* *al.* divulgata

B

* *al.* virtutem

10 Judex dixit: Nimium diuque *, Symphoriane, te de neſcio cujus Chriſti magnitudine diſputantem, patientiæ meæ tenore ſuſtinui. Niſi matri deæ ſacrificaveris, hodie te dilaniatum omnibus pœnis, capitalis ſententiæ damnatione proſternam. Symphorianus dixit: Ego omnipotentem Deum, qui me fecit, timeo; & ipſi ſoli ſervio. Tu verò corpus meum ad tempus in poteſtate habes; animam vero meam non habes. [At nunc non in idoli hujus cultu portentoſam attende ſuperſtitionem veſtram, quod tu ad opprobrium & exitium tuum veneraris: in cujus ſacris exciſas corporum vires caſtrati adoleſcentes infauſtæ imagini exultantes illidunt, & exſecrandum facinus pro grandi ſacrificio ducitis, ſacrilegi ſacerdotes, ut quod immane ſcelus eſt religionis prætextu veletur. Ubi perſtrepentes buxos & tibias, fanatici furoris inflati inſania, ubi cymbala pulſat corybantes. Apollinem verò iſtum, quis neſciat apud Amphryſum fluvium Admeti regis fuiſſe paſtorem? Qui voluptatum ſuarum illecebras recolens, laureas diligit ſertis coronas. Ubi per implicitas ambages mugiente tropidum * ſpecu diabolicas voces, ubi frequenter deceperit, dicitur aliquoties vera ceciniſſe. Dianam quoque dæmonium eſſe meridianum, Sanctorum induſtria inveſtigavit, quæ per compita currens, & ſilvarum ſecreta perluſtrans, incredulis hominum mentibus zizaniæ tribulos ſceleris ſui arte diſſeminat, Triviæ ſibi cognomen, dum triviis inſidiatur, obtinuit *i.*]

* *al.* diu te *à profeſſione fidei Chriſtianæ avocari poſſet,*

C

* *al.* tripodum

i

11 Hæc ſancto Symphoriano loquente, judex furore ſuccenſus dixit: Symphorianus publici criminis reus, qui diis noſtris ſacrificare detrectans majeſtatis ſacrilegium perpetravit, ſacris etiam altaribus irrogavit injurias, gladio ultore feriatur; ut dum criminis funeſta reſecantur, deorum pariter & legum vindicetur injuria. Sic data ſententia, beatus Vir Dei ducebatur ad victimam. Venerabilis autem mater ſua, de muro nota illum voce commonuit dicens: Nate, nate Symphoriane, in mente habe Deum vivum. Reſume conſtantiam, fili. Timere non poſſumus mortem, quæ ſine dubio perducit ad vitam. Surſum cor ſuſpende, fili; aſpice illum, qui regnat in cælis. Hodie tibi vita non tollitur, ſed mutatur in melius. Hodie, nate, ad ſupernam vitam felici commutatione migrabis *k*.

capitali ſententia damnatur,

EX IMPRESSIS.

k

matre eum ad martyrium exhortante.

12 Sic ſanctus Symphorianus extra murum ductus, à percuſſore proſtratus eſt. Purpurei ſanguinis ſui undâ perfuſus, à religioſis latenter inde ſublatus eſt. Sic Martyr delatus ad fontem, qui extra publicum campum eſt, & ibi in parva cellula ſepultus, ſemper tamen virtutibus ſe publicavit; ita ut ipſis quoque gentilibus, ob miracula & ſanitatum beneficia ſtupentibus, in maximo honore ea tempeſtate haberetur, non longe à baſilica ſua, quæ ſtudio ſummo Antiſtitis noſtri *l* eccleſiæ celſum protulit ædificata faſtigium; fulget non uno muneris ſui ornata privilegio, patroni noſtri Symphoriani martyris referta virtutibus, qui prætervolantis vitæ naufragia, dum de diabolo triumpharet, excluſit, defenſor factus patriæ ſuæ, dum ad veram patriam feſtinaret: apparuitque turris fortitudinis contra faciem adverſantis inimici, quam ſanguinis ſui effuſione conſtruxit. Inexpugnabilem murum auxilia corporis ſui perennis patrocinii mediator attollit, innumeras curationes meritorum ſuorum virtute donat. Denique per eum nobis apud Dominum Jeſum Chriſtum evidens miſericordiæ panditur via, ut in omnium votorum plenitudinem felix aperitur ingreſſus, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui eſt vita omnium ſine fine Sanctorum, & regnat cum Patre in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

l

E

ANNOTATA.

a *Cum Uſſhardo legendum eſt* Aurelio *pro* Aureliano, *ut initio & in decurſu Commentarii prævii monuimus.*

b *Quamvis hæc perſecutionis* decreta *vel* edicta *offendant Tillemontium, tamen in Commentario prævio num.* 25 *& ſequente probavimus, eum hîc inani ſcrupulo vexari.*

c *Hæc nobilitas confirmatur ex Miſſali Gothico, in quo dicitur hic ſanctus Martyr* ſplendere terrenorum claritate natalium . . . , & Fauſti fulgidus genere.

d Berecynthia, *ſic dicta à Berecyntho Phrygiæ monte, ab ethnicis mater deorum vocabatur.*

F

e *Adhuc diu poſt hæc tempora celebris erat Berecynthiæ cultus in urbe Auguſtodunenſi: cum enim tempore Simplicii Æduenſis epiſcopi ſimulacrum Berecynthiæ per eamdem urbem circumferretur, precibus hujus ſancti Antiſtitis in terram corruit, nec ullo modo dein moveri potuit; quo miraculo multi ad fidem Chriſtianam converſi ſunt, ut S. Gregorius Turonenſis in libro de Gloria confeſſorum cap.* 77 *narrat.*

f Officium *hîc ſumitur pro miniſtris vel eorum præcipuo, ut ſæpius alibi explicuimus.*

g *Tillemontius tom.* 3 *Monument. eccleſ. pag.* 701 *ſuſpecta habet illa Martyrum Acta, in quibus præmia promittuntur Chriſtianis. Sed ſi hac regula critica ſubſiſtat, oportebit rejicere multa Acta genuina, ut Honoratus à Sancta Maria in Animadverſionibus ad regulas & uſum criticæ Diſſert.* 4 *art.* 9 *oſtendit.*

h *Hæc periodus in omnibus ferè exemplaribus eſt corrupta. Tamen in apographo noſtro Audomarenſi ita legitur:* Qui niſi hodie venerandum deæ matris genu proſtratus adoraveris, A-

EX IMPRESSIS.

pollinis & Dianæ ſublimium numinum venerandas odorare fores faciemus. *Sed in hoc exemplari alia luxata ſunt.*

i *Hæc uncis incluſa in aliis quibuſdam Mss. codicibus deſunt. Enimvero illa & alia hujuſmodi poſtmodum genuinis Actis ab amplificatore quodam ſuperaddita fuiſſe ſuſpicamur.*

k *Etiam Miſſale Gothicum hanc generoſæ matris adhortationem paucis commemorat, ut in Commentario prævio videre eſt.*

l *Ruinartius in notis ad hunc textum obſervat ſequentia:* Is eſſe videtur Euphronius, qui teſte Gregorio Turonenſi lib. 2 Hiſtoriæ cap. 15 baſilicam ſancti Symphoriani adhuc presbyter ædificavit. Is circa ſeculi quinti medium floruit, quo tempore ea, quæ ſequuntur, Actis beati Symphoriani adjuncta ſunt, quæ ideo in pleriſque codicibus manuſcriptis deſiderantur. *Ceterùm omnia, quæ in Lectionibus leguntur, ex genuinis Actis deſumpta fuiſſe exiſtimamus.*

DE S. ANTONIO VEL ANTONINO MARTYRE

ROMÆ

G. C.

Memoria hujus ſancti Martyris apud antiquos Martyrologos, & locus ſepulturæ.

B

SUB IMPERATORE COMMODO.

De hoc Martyre meminerunt Ado, Uſuardus,

IN veteri Martyrologio Romano, quod Roſweydus noſter edidit, hodie breviter memoria Antonii martyris *celebratur. Sed Ado brevem illam annuntiationem clariùs explicat, dum eodem die undecimo Kalendas Septembris in Martyrologio ſuo ſic ſcribit:* Romæ, natale beati Antonii martyris, qui, cum eſſet carnifex, vidit ſtantem juvenem cum ſpongia, & detergentem latera ſanctorum martyrum Euſebii, Pontiani, Peregrini atque Vincentii, cum ſuſpenſi in eculeo cæderentur; & mox clamare cœpit: Verè Deus Chriſtus, quem hi prædicant. Fugiens occultè, à Rufino presbytero baptizatus eſt; & reverſus ad Vitellium, cum ſe Chriſtianum liberè fateretur, capitis ſententiâ damnatus, viâ Aureliâ, juxta formam Trajanam, undecimo Kalendas Septembris ſepultus eſt. *Uſuardus Adonem ita contraxit:* Romæ ſancti Antonii martyris, qui, cum ſe Chriſtianum liberè fateretur, jubente Vitellio judice, capitali ſententia eſt damnatus, viâque Aureliâ ſepultus. *Uſuardo conſonat hodiernum Martyrologium Romanum, niſi quod in hoc Martyr ille* Antoninus *pro* Antonio *nominetur. Etiam in Lubeco-Colonienſi Uſuardi editione* Antoninus *appellatur, ut ad hanc diem in Auctariis noſtris Uſuardinis videre eſt.*

C

& Petrus Equilinus,

2 *Petrus Equilinus in Catalogo ſuo lib. 7 cap. 94 vel ex Adone vel ex ipſis Actis S. Euſebii & ſociorum geſta ſancti Martyris hodierni breviter narrat his verbis:* Antonius martyr paſſus eſt Romæ tempore Commodi imperatoris (*hic ab anno Chriſti* 180 *poſt mortem patris ſolus imperium tenuit, & anno* 192 *ſtrangulatus eſt*) ſub Vitellio præfecto. Qui cum eſſet carnifex, & ſanctos martyres Euſebium, Pontianum, Peregrinum & Vincentium in equuleo levatos mandato præſidis laniaret, vidit juvenem ſtantem & cum ſpongia Sanctorum vulnera tergentem (de quibus infrà dicetur VIII Kalendas Septembris) qui mox converſus, & à Rufino presbytero baptizatus, dum Chriſtum confiteretur, juſſu præfecti capitali ſententia damnatus eſt, & viâ Aureliâ juxta forum Trajani ſepultus XI Kalendas Septembris.

D

qui locum ſepulturæ ejus perperam

3 *Neſcio, cur Petrus Equilinus* formam Trajanam, *ſuperiùs ab Adone expreſſam, hîc in* forum Trajani *commutaverit, cum Paulus Aringhus in Roma ſubterranea lib. 2 cap. 11, ſive tomo 1 iſtius Operis pag. 344 num. 5 de antiqua illius loci appellatione meminerit in hunc modum:* Sanè in beatorum Martyrum Actis frequens admodum mentio habetur Trajanæ cujuſdam formæ, aquæ-ductûs videlicet, qui inibi exſtabat. Quinimo & in pervetuſto quodam lapide, & apud Publium Victorem de aqua Trajana mentio occurrit. Quocirca veriſimile nobis fit, Trajanum imperatorem hujuſcemodi aquæ-ductus, viamque cum eis pariter inſtauraſſe, iiſdemque reſtitutis, ſuum utrique nomen impoſuiſſe. Verùm ipſimet Trajani aquæ-ductus alio vocabulo FORMA SABBATINA appellati ſunt, iiſdemque in atrium Vaticanum aqua deferebatur quam etiam ad ſuæ naumachiæ, hortorum, ac tranſ-Tyberinæ uſum regionis Auguſtus ab Alſietino lacu, longo in urbem tractu deduxit; ex quo Alſietina pariter & Auguſta aqua hæc appellata quondam fuit. *Ita ille, ſuperiùs agens de via Aurelia, quam etiam Trajanam cognominari aſſerit.*

E

in alium videtur commutaſſe.

4 *Floravantes Martinellus in deſcriptione urbis Romanæ pag. 327 varios aſſignat martyres, qui in via Aurelia propter fidem Chriſtianam interfecti & ibidem ſepulti ſunt,* inter quos Antonius carnifex, *inquit,* qui factus Chriſtianus, capitis ſententiam ſubivit eâdem viâ juxta viam Trajanam. In ea ſepultus S. Petrus princeps Apoſtolorum. In eadem erat cœmeterium Calepodii, in quo ſepulti Julius ſenator, dictus Antonius, ſanctus Calliſtus Papa; item Felicis Papæ baſilica, in qua ipſius corpus ſepultum à Damaſo presbytero, poſtquam fuerat capite truncatus juxta formas Trajanas. *Certè hic martyrii ac ſepulturæ locus à foro Trajani multùm diſtat, ut tabulam topographicam Romæ veteris inſpicienti patebit. Si operæ pretium videatur, etiam de hac forma Trajana conſuli poteſt Opus (præſertim pag. 51) quod Raphaël Fabrettus de aquis & aquæ-ductibus veteris Romæ anno* 1680 *Latinè vulgavit. Ceterùm de hodierno* S. Antonio *vel* Antoni-

F

A Antonino *ad diem* XXV *Auguſti mentio recurret in Actis ſanctorum Euſebii & ſociorum martyrum, quæ illo die, Deo favente, diſcutientur & illuſtrabuntur.* D

DE S. ANTHUSA SOLITARIA. ITEM DE S. ATHANASIO EP. ET MART., AC DUOBUS S. ANTHUSÆ SERVIS CHARISIO ET NEOPHYTO MARTYRIBUS,

TARSI IN CILICIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

Cultus, variæ obſervationes, Acta.

B E

SUB VALERIANO. *Memoria in Martyrologio Romano,*

TArſi, ſanctorum Athanaſii epiſcopi & martyris, Anthuſæ nobilis feminæ, quam ipſe baptizaverat, & duorum ejus ſervorum, qui ſub Valeriano imperatore paſſi ſunt. *Annuntiatio eſt hodierni Martyrologii Romani ad hanc diem* XXII *Auguſti, è Menologio Græcorum; ad quos pro aliis documentis, quæ ad Sanctos eoſdem attinent, nobis deinceps recurrendum eſt. Menologium itaque Sirleti,* Eodem die, *inquit,* natalis beatæ martyris Anthuſæ, & Athanaſii epiſcopi, qui eam baptizavit, & Chariſſimi & Neophyti ſervorum. *Menæa magna excuſa hanc de illis mentionem faciunt hac etiam die:* Memoria ſanctæ martyris Anthuſæ, & Athanaſii epiſcopi, qui eam baptizavit, & Chareſimi ac Neophyti, ſervorum ejus. *In quorum omnium honorem hi verſiculi ibidem concinnati leguntur. Et de* Anthuſa *quidem ſic, cum alluſione ad ejus nomen, quod* florentem *Latinè ſonat,*

C *& ad Seleuciam, natale ejus ſolum:*

Ἀνθῆσαν ἐκ γῆς τὸ Σελευκείας ῥόδον,
Ἀνθῆσαν ἐδρέψαντο χεῖρες ἀγγέλων.
Roſam Seleuci in urbe florentem priùs,
Anthuſa, te decerpit angelica manus.

2 *In duobus ſequentibus de* S. Athanaſio, *etiam alluditur ad ipſius nomen; quod Latinis eſt* immortalis *& aliis*

Ἀθανάσιος κἂν τεθνήξομαι ξίφει,
Καὶ ζῶσι χρὴ ζῶν πετάξομαι φίλοις.
Athanaſius licèt enſe moriturus cadam,
Mihi Chriſti amicis vita cum viventibus.

De duobus S. Anthuſæ *ſervis ſubduntur hi duo verſus, poëta notante, eos per ſuum martyrium è ſervis factos eſſe nobiles:*

Δῶλοι δύο τμηθέντες εὗρον οἱ δύο
Τὸ εὐγένειαν, ὃ ἀπώλεσαν πάλαι.
Servos duos necat enſis, inveniunt duo,
Quod perdiderunt antè, nobilium genus.

3 *In Menæo Chiffletiano hac etiam die notantur:* Ἀνθούσης, Ἀθανασίᾳ, ἧ τῶν δούλων αὐτῆς. *Id eſt:* Anthuſæ, Athanaſii, ac ſervorum ejus, (*ſcilicet* S. Anthuſæ.) *Sed in noſtro ſupplemento Ms. ad Menæa excuſa Sirmondo-Chiffletiano, tantùm fit mentio de* Anthuſæ elogio, *cui addi indicatur:* Τελεῖται ἡ ἡ τῆς Ἁγίας σύναξις ἐν Ἱππωδίχνοις. Agitur Sanctæ ſolennitas in Hippoïchnis. *Suſpicor hîc deſignari locum Conſtantinopoli; quem tamen apud Cangium in Conſtantinopoli Chriſtiana hactenus non reperi. Verùm, quod attinet ad elogia; habent illa Sirletus, ac Menæa magna typis edita. Continent autem Actorum compendium; hæc verò cum poſtmodùm ſimus producturi, illis deſcribendis ſuperſedemus. More tamen noſtro in ſermonem Latinum convertemus elogium Baſilianum, cujus textus Græcus habetur ad calcem tomi primi apud nos hujus menſis Auguſti pag.* 667. *Sic ergo Latinè ſonat:*

Faſtis Græcis:

4 Anthuſa Chriſti martyr, Valeriano imperante exſtitit, è civitate Seleucienſi natales habens, divitum quidem parentum, ſed idololatrarum filia. Illa autem Chriſti deſiderio accenſa, & parentes & domum reliquit, aſſumptiſque Chariſimo ac Neophyto ſervis ſuis, ſimulans, diſcedere ſe ad nutricem ſuam, viæ ſe dedit, quæ ducit ad civitatem Tarſenſem, baptizari volens. Angelus autem Domini rapiens Athanaſium Tarſenſem epiſcopum, in occurſum illius eum duxit in via: & quoniam deerat aqua; epiſcopus, fuſis precibus, aquam è terra eduxit, ipſamque ac ſervos ejus baptizavit. Deinde ad matrem reverſa, ſed non admiſſa, animum adjecit ad vitam ſolitariam, &, decurſo rectè certamine, requievit. Epiſcopus verò Athanaſius, unà cum Chariſimo ac Neophyto, à Valeriano comprehenſus, multoſque priùs cruciatus perpeſſus, tandem capite truncatur: & ſic conſummato martyrii curſu, regnum cælorum receperunt. *Hæc, quæ ſuperius de Sanctis noſtris collegi, animadverſionibus variis illuſtranda ſunt.* *elogium.*

5 *Obſervo itaque primò,* S. Anthuſam *in annuntiatione, quæ habetur in Menologio Sirleti, ſignari cum titulo* beatæ martyris: *quod mirum eſt: quia apertè pugnat cum elogio, quod ſtatim ſubditur; ubi inter alia de illa dicitur:* In eremo tribus & viginti annis cum feris converſans, & ab ipſis nutrita.. in pace Deo ipſi ſpiritum commendavit. *Hinc lapſus ille migravit in Martyrologium Romanum, cùm Baronius in notis alleget* Menologium Græcorum, *Sirletianum* *Variæ dantur ſuper annuntiationibus*

AUCTORE J. P.

num videlicet, quo usus est. Errorem verò illum clariùs adoptat in Annalibus infrà citandis. Eadem hallucinatio est in Menæis magnis excusis; quam suspicor tum ibi tum alibi traxisse originem ex eo, quòd in exemplari Ms. fuerit abbreviatio hæc aut similis, μρς, *id est,* μητρὸς, matris, *non autem* μάρτυρος, martyris, *ut è contextu narrationis seu elogii poterat ac debebat colligi. Exemplo sit nostrum apographum Græcum Menologii Basilii imperatoris, in quo præter alias multas abbreviationes, quæ ibi inveniuntur, est ista in rem nostram die* XXV *Julii:* Μνήμη τ ἁγίας Ἄννης τ μῆς τ Θεου, *id. est,* Θεοπάκς. Memoria sanctæ Annæ matris Deiparæ. *Et, ne plura exempla inquiram, videtur Papebrochius noster in titulo Græco, qui præfigitur Vitæ* S. Anthusæ *nostræ, è codice Ambrosiano à se descriptæ, & à nobis post hunc Commentarium typis subjiciendæ, invenisse* μρς, *vel simile quid: nam vocem* μάρτυρος, *quam, inconsulto fortè narrationis textu, incautè primò scripserat, expunxit, & supra illam posuit suâ manu* μητρὸς ἡμῶν, matris nostræ. *Qui titulus, si Actis credimus, Sanctæ omninò est conveniens, quia tot annis monasticam vitam egit, & in eâ obiit.*

B

Fastorum sacrorum,

6 *Mirum etiam mihi accidit, hunc errorem irrepsisse in Menologium Basilianum, in cujus exemplari Græco integrè & clarè scribitur* μάρτυς Ἀνθοῦσα, martyr Anthusa, *& stricti quidem nominis, sicut ex nostro textu latino, Græci interprete, superiùs à nobis dato liquet, cùm in eo dicatur* Christi martyr. *Hoc autem amanuensis errore accidisse suspicor, quia in titulo, qui eidem textui prænotatur, tantum lego in nostro Ms.* Καὶ μνήμη τ ἁγίας Ἀνθούσης. Et memoria sanctæ Anthusæ. *Et sequuntur in eodem titulo ista:* Καὶ ἄθλησις ὁσίου Ἀθανασίου ἐπισκόπου, ᾧ τ σὺν αὐτῇ. Et certamen S. Athanasii episcopi, & sociorum. *Quibus distinguuntur isti tamquam martyres à* S. Anthusa, *quæ martyr non fuit; idque etiam confirmatur ex titulo, qui nostro apographo Ambrosiano præponitur, & postea dabitur, quando agemus de variis Vitæ exemplaribus.*

cultûs die,

7 *Observo secundò, in nostro ecgraphò Ambrosiano aliam Sanctis nostris assignari diem, nempe vigesimam quartam Augusti, ut colligitur ex iis, quæ ad marginem ejusdem exemplaris adscribuntur,* μηνὶ τῷ αὐτῷ κδ'. *Id est:* Mense eodem (*Augusto*) XXIV. *Verùm quia tum in sacris aliis Fastis, tum præcipuè in Romanis, quibus nos solemus conformare, annuntiantur Sancti die hodierna; hac etiam de iis nos agimus. Quamquam, si fides nostro Ms. è bibliotheca Vaticana, quod signatur* Codice 1671, *quodque separatim post Vitam* S. Anthusæ *narrat* martyrium sancti episcopi Athanasii, qui illuminavit S. Anthusam, *uti præfert ejusdem martyrii inscriptio seu titulus; si fides, inquam, isti Ms.,* τὸ μὲν τ ἀφθαρσίας στέφανον ἔτυχε ὁ μακάριος Ἀθανάσιος εἰς ἀμοιβὴν ἀγαθῶν παρὰ Θεοῦ κομίζεται τῇ πρὸ δεκαπέντε καλανδῶν Μαρτίων. *Quæ Latinè sic sonant:* Hic beatus Athanasius immortalitatis coronam in retributionem bonorum à Deo reportat decimo quinto Kalendas Martii. *Duo autem* S. Anthusæ *servi post* S. Athanasium *coronati, secundùm narrationem qualemcumque certaminis eorum, quæ ex citato codice Vaticano sequitur in nostro apographo; quod sic habet:* Ἐτελειώθησαν δὲ οἱ ἅγιοι Μάρτυρες & Χριστοῦ μηνὶ Αὐγούστῳ κδ'. Consummati autem sunt sancti Martyres Christi mense Augusto (*die*) XXIV.

C

Baronius statim indicandus eos dicit passos, mi D *& Athanasium ac Anthusam die* XXII *Augusti: de quo die ipse viderit. Diem mortis* S. Anthusæ *non invenio in Actis.*

8 *Observo tertiò, vitam* S. Anthusæ, *ac mortem trium nostrorum Martyrum referri ad imperium Valeriani imperatoris. Baronius ad annum Christi* 260, *num.* 32, Quod verò, *inquit,* ad Cilices Martyres spectat: inter alios plures in Cilicia passos, Tarsi martyrium consummarunt Athanasius episcopus, & Anthusa nobilis femina, & duo servi ipsius, undecimo Kalendas Septembris. *Observa obiter, Sanctam hic clarissimè, sed perperam annumerari tribus aliis Martyribus. Annus autem ille non pugnat cum Actis, quæ memorant Sanctos vixisse sub dicto imperatore. Quod verò eadem dicunt Acta num.* 4 *de* monastico habitu, *quo induta fuerit; cave, ne hoc intelligas de tali habitu strictè dicto, seu religioso, qui temporibus Valeriani neutiquam convenit. Sub hoc imperatore hodiernos Sanctos nos etiam antea posuimus cum Romano Martyrologio, & Actis qualibuscumque; dum certiora in promptu non sunt. Sed nonnulla alia superioribus nostris notationibus superaddenda occurrunt.* E

tempore mortis,

Anthusis variis synonymis,

9 *Observo igitur quartò, & ne* Anthusa *hodierna confundatur cum aliis synonymis, varias alias enumero cum Radero nostro, qui in observationibus Mss. ad Menæa Græca, occasione hujus,* Sex, *ait,* hoc nomine celebrantur Sanctæ in Menæis, XXII Februarii, XII Aprilis, XXVI Julii, XXVII Julii, XXII Augusti, & infrà XXVII Augusti junior. *Prima fuit martyr cum* XII *famulis, & datur apud nos die* XXII *Februarii. Secunda,* filia Constantini Copronymi, *quæ à die* XII *Aprilis à nobis dilata est ad diem* XVII *ejusdem mensis. Tertiam, quæ in eisdem Mss. observationibus indicabatur, spectare ad* XXII *Julii, in Menæis non invenio. Quarta,* Anthusa V. sub Constantino Copronymo, *à nobis producta est die, quo superiùs assignabatur,* XXVII *Julii. Quinta est hodierna. Sexta,* junior, quæ cilicio induta, & in puteum projecta exspiravit; *de qua videbitur alias.* Vocabatur *hodierna* senior ratione sequentis XXVII Augusti, *sicut addit Raderus; nomen tamen* senioris *non lego apponi in ejus annuntiatione in dictis Menæis.* Anthusa *igitur hodierna ab aliis homonymis satis distinguitur per idiotismos modò assignatos.* F

ac servis ejus, uti & de S. Athanasio observationes.

10 *Observo quintò nonnulla de duobus* S. Anthusæ *famulis, ac de eorum uti & de* S. Athanasii *palæstra certaminis. Famuli isti in nostris Actis vocantur* Charisius ac Neophytus; *in Menæis Græcis* Χαρήσιμος & Νεόφυτος δύο εὐνοῦχοι, Charesimus & Neophytus eunuchi; *in Menologio Sirletiano ac apographo Vaticano Græco convenit nomen* Neophytus *cum aliis exemplaribus; sed in Vaticano per decursum martyrii alter dicitur* Charisimus; *in Sirletiano autem* Charissimus, *ac* Carissimus. *Et quamvis nihil, vel certè parum referat, utrâ efformatione illud nomen expresseris; nos tamen in titulo ante hunc Commentarium & scripsimus illud nomen, sicut habetur in nostro Ms. Græco Ambrosiano; &* Neophytum *ex eodem, & aliis ipsi adjunximus, tametsi neutrius nomen proferat annuntiatio Martyrologii Romani. Illud etiam secuti sumus, suprà in positione trium Martyrum palæstræ* Tarsi, *quæ est urbs Ciliciæ; ubi pariter cum eodem* S. Anthusam *retulimus, etiamsi ibidem non obierit, sed in solitudine, secundum Acta; quia certio-*

A *certiora documenta non ſunt ad manum, quibus illam poſitionem diſtinctiùs illuſtremus.*

11 *Sed variorum apographorum, quæ res geſtas Sanctorum noſtrorum memorant, habenda etiam ratio eſt. Vaticanum ſuprà deſignatum præfert hunc titulum:* Βίος καὶ πολιτεία τῆς ἁγίας Ἀνθέσης. Vita & converſatio S. Anthuſæ. *Sic autem incipit:* Ἦν τις θαύσκηπος ἅγιος τῇ πράξεσιν, ὀρφανῶν ἀντιλήπτωρ, χηρῶν ὑπερασπιστής, καταπονεμένων βοηθὸς, καὶ χειμαζομένων λιμήν· ᾧ ἦν τὸ ὄνομα αὐτῷ Ἀθανάσιος. Παραγενόμενος οὖν οὗτος ἐν Ταρσῷ τῆς Κιλικίας. *Quæ in ecgrapho noſtro Latino ex eadem bibliotheca Vaticana loco antea indicato ſic vertit interpres:* Fuit epiſcopus quidam vitâ & operibus valde ſanctus, pupillorum adjutor, viduarum propugnator, afflictorum hominum ſublevator, & fluctuantium portus. Viro illi nomen Athanaſius. Hic cùm veniſſet in urbem Tarſum Ciliciæ *&c. Hoc ecgraphum rectè diſtinguit Vitam* S. Anthuſæ, *in ſolitudine mortuæ, à Martyrio* S. Athanaſii, *&* SS. Cariſii *ac* Neophyti, *cùm ſingula ſeorſim, appoſitis novis titulis, narret, ſicut indicabam ſuprà; ſed*

B *aliis laborat incommodis, de quibus mox agetur.*

12 *Lambecius lib.* 8 *Commentariorum de bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, pag.* 209 *è cod.* 14 *hos Sanctos quatuor ponit* XXIV *Auguſti, & ſub eodem titulo, non ſecus ac ſi omnes fuiſſent martyres, hoc modo:* Μηνὶ Αὐγούστῳ κδ'. Μαρτύριον τῆς ἁγίας μάρτυρος Ἀνθέσης, καὶ τῶν παίδων αὐτῆς Νεοφύτου καὶ Χαρησίμου, καὶ Ἀθανασίου ἐπισκόπου τοῦ βαπτίσαντος αὐτούς. Menſe Auguſto XXIV. Martyrium ſanctæ martyris Anthuſæ, & ſervorum ejus Neophyti & Chareſimi, & Athanaſii epiſcopi, qui baptizavit eos. *Principium narrationis Græcæ apud Lambecium eſt:* Ἦν τις ἐπίσκοπος ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ὀνόματι Ἀθανάσιος, ἅγιος τῇ πράξεσιν ὑπάρχων *&c. Quod ſic reddo Latinè:* Erat in illis diebus epiſcopus quidam nomine Athanaſius, operibus exiſtens ſanctus. *Fanningus noſter jam pridem notatum reliquit, illius exemplaris initium, è quo nonnulla recitat, quæ in eodem ſequuntur, parùm diſcrepare à Vaticano: ad cujus apographi Græci marginem notavit nonnulla alia è Ms. Cæſareo, & hujus finem ſcripſit poſt ultima verba Vaticani. Sed illum huc tranſcribere, non eſt operæ pretium;*

C *qui ferè ſimilis eſt fini ejuſdem apographi Vaticani.*

13 *Aliud denique exemplar prænotatur:* Βίος καὶ πολιτεία τῆς ἁγίας μητρὸς ἡμῶν Ἀνθέσης, καὶ μαρτύριον τῶν ἁγ. ἱερομ. Ἀθανασίου, Χαρισίου καὶ Νεοφύτου. *Id eſt:* Vita & converſatio ſanctæ matris noſtræ Anthuſæ, & martyrium ſancti hieromartyris Athanaſii, & Chariſii, ac Neophyti. *Deſumptum illud eſſe* ex cod. Ambr. f. N. n. 152, *appoſuit noſter Papebrochius, qui idem exemplar exſcripſit. Auctor eſt Laurentius monachus Rutienſis in Calabria. Codicem hunc jam pluries per decurſum hujus menſis Auguſti citavimus, ac præſertim ad diem* XIII *ejuſdem menſis pag.* 116, *in Commentario prævio S. Maximi* § 10, *num.* 80. *Eò itaque pro ulteriore notitia lectorem mitto.*

14 *Porrò Vitam* S. Anthuſæ, *& certamen trium Martyrum è dicto Ms. præ Vaticano delegi ad prælum, non quòd omnia in illo contenta approbem tamquam pura & ſincera (*

D *quæ horum Sanctorum Acta narrant, ra quippe illa num.* 7, *ne alia memorem, quæ ſine ſufficienti auctoritate proferuntur, videtur aliquid habere de genio Græco;) ſed quia ſatis breviter rem expedit, quam exemplar Vaticanum extrahit in longiorem ſermonem, more Græcis uſitato, qui logis, inductionibus, mirabilibus eventibus, allocutionibus, viſionibus, ac prodigiis Vitas Sanctorum infarcire aſſolent. Loquacitatem verò ut Vaticani biographi oſtendam, hunc ejus locum produco, quem interpres Latinus his verbis è Græco tranſtulit:* Tempore illo ſurrexit imperator valde impius, nomine Valerianus, qui cùm ſanctiſſimum Athanaſium comprehendiſſet, maximis cruciatibus interfecit. Cùm verò ſancta Virgo Anthuſa à Spiritu ſancto didiciſſet, beatum Athanaſium martyrio conſummatum, Beatus es, inquit, Athanaſi; fidem enim tuam Deus, ſicut Abelis dona, acceptam habuit. Reſpexit te Deus, ut Enoch illum, qui tranſlatus eſt in tabernacula juſtorum. Dilexit te Deus, ut Noë, qui vidit mundum aquarum eluvione ſubmerſum. Elegit te Deus ut Danielem, quem de lacu leonum eripuit. Liberavit te Deus, ſicut Ananiam, Azariam, Miſaëlem de flamma fornacis liberavit. Accepit Dominus Deus ſacrificium tuum, ut Abraham, filium ſuum offerentem. Factus es perfectus, ut Joſeph, qui venditus eſt in Ægypto à fratribus ſuis. Non dereliquit te Deus, ſed ut Davidi auxiliatus eſt. Sapientiam ut Salomon accepiſti.

15 *En alia hujuſmodi furfuris, vel pejoris:* Venit alius dæmon. Age, inquit, veni, Anthuſa, & bibe de flumine lactis & mellis. Cui Anthuſa, Quiſnam, inquit, tu es? Tum ille, Ego, inquit, habito in his locis deſertis, ſicut & tu. At ſancta Virgo, Adjuro, inquit, & obteſtor te per ſanctum nomen Dei, ut dicas, quis es tu. Tum ille, Ego, inquit, ſum, qui Adamum inflammavi, & ſuggeſſi, ut comederet de ligno illo, & à paradiſo ejiceretur. Ego ſum, qui contra corpus Job poteſtatem accepi. Ego, qui Judam Iſcariotem accendi, ut Dei Filium in cruce figendum traderet. *Sed ſatis verborum eſt; ut vel ex his pateat, non ſine ratione arcuiſſe me illud exemplar ab impreſſione. Quæ verò addit exemplar Vaticanum in fine Martyrii* S. Athanaſii, *ſi non ſubleſtæ, incertæ ſaltem apparent eſſe fidei. Sunt autem hæc:* Ἀνὴρ δέ τις εὐλαβὴς ὑπάρχων ἦκεν ἐξ ἀργυρίου κατασκευάσας, ἀπέθετο τὸ λείψανον τοῦ μάρτυρος, καὶ ἀπῴκησεν ἐν Ἱεροσολύμοις, καὶ ἀπέθετο, μισθὸν ἐκ τοῦ θεοῦ τὸν Ἄγιον μνήμης αἰωνίων ἀγαθῶν θησαυρὸν περισάμενος διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Quæ Latinè ſic interpretor:* Vir quidam pietate præditus, dum thecam ex argento confeciſſet, reliquias Martyris [in ea] depoſuit, ac tranſtulit Hieroſolymam, & repoſuit, [ſuæ] erga Sanctum memoriæ mercedem, ſempiternorum bonorum theſaurum, conſecutus, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum *&c. Cæſareum verò exemplar etiam eſſe juſto longius, colligò ex Lambecio allegato, qui illud in bibliothecæ Vindobonenſis codice notat produci* à fol. 248, pag. 1, colum. 2, uſque ad fol. 258, pag. 1, col. 1. *Proferamus nunc qualecumque noſtrum exemplar; cui Annotata non apponimus, cùm facilè conſuli poſſit Commentarius adeo brevis.*

Varia

apographa

Græca,

recenſentur.

E

F

ACTA

Auctore Laurentio quodam monacho Rutienſi in Calabria.

Ex codice Ambroſiano f. N. n. 152. *Interprete J. P.*

Anthuſa S. Athanaſii videndi cupida,

IMpio Valeriano Romani imperii ſceptra moderante, magnâque contra Chriſtianos perſecutione motâ, magnus ille Athanaſius, qui tunc temporis degebat in civitate Tarſenſi, omnes fideles roborabat in Chriſti dilectione, & docebat omnes, multoſque infidelium ad veri Dei cultum miraculis adduxit, ac divino baptiſmate multos illuſtravit. Inter hæc igitur, famâ per ipſam Seleuciam ditatâ, Anthuſa, roſa è ſpinis orta, & ex oleaſtro oliva fructifera (pater enim ejus, ac mater gentiles erant; ille quidem Antoninus; hæc verò Martyria vocati) ad illum audiendum excitata eſt, Virumque, quiſnam eſſet, videre deſiderabat. Diſcedere itaque ad nutricem ibidem degentem meditabatur, atque ad matrem ſe conferens, iter exigit. Hæc autem dum prætexeret timorem Paulini (hic erat Martyriæ vir in ſecundis nuptiis) Anthuſæ animus dolore afficiebatur: ipſique in ſomnis apparet Dominus ſub forma Athanaſii, ac mentem ejus implet hilaritate, fideique rationem proponit. Nec mora, manè quoſdam è ſervis ad Sanctum mittit, ut, quam vidiſſent formam, ſibi eam annuntiarent.

Οὐαλεριανῷ δὲ δυσεβοῦς τὰ τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς ἐγκεχειρισμένῳ σκῆπτρα, καὶ διωγμὸν μεγάλην τῷ Χριστιανῶν κινηθέντος, ὁ μέγας ἐκεῖνος Ἀθανάσιος τῇ Ταρσέων ἐνδιατρίβων πόλει, πάντας τοὺς πιστοὺς ἐστερέωζε πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν ἀγάπην, καὶ πάντας ἐδίδασκε, καὶ πολλοὺς τῶν ἀπίστων τοῖς θαύμασιν ἐνῆγε πρὸς τὴν εὐσέβειαν, καὶ πολλοὺς τῷ θείῳ βαπτίσματι κατελάμπρυνε. Τὰ περὶ τούτων γὰρ τὴν φήμης καὶ αὐτὴν τὴν Σελευκείαν διαβιβασάσης, ἡ Ἀνθοῦσα, ῥόδον ἐξ ἀκανθῶν φυεῖσα, καὶ ἐξ ἀγελαίας καλλέλαιον· ἔλλιωες γὰρ ἔτι οἱ ταύτης ἦσαν γεννήτορες, ὁ μὲν Ἀντωνῖνος, ἡ δὲ Μαρτυρία καλέμενοι· πρὸς τὴν ἀκρόασιν διηγέρθη, καὶ τὴν ἄνδρα, ὅστις ἄρα καὶ εἴη, κατιδεῖν ἐπεθύμει. Σκέπτεται τοίνυν τὸ πρὸς τὴν τροφὸν ἀπελθεῖν ἐκείσε πάλιν διάγκασαν, καὶ τῇ μητρὶ προσιοῦσα τὴν ἀπέλδυσιν ἐξαιτεῖ. Ταύτης δὲ τὴν Παυλίνα προφασισαμένης φόβον· ἀνὴρ γὰρ ἔτος ἦν δευτέρας γάμους τὴν Μαρτυρίας· ἡ Ἀνθοῦσα λύπῃ συνείχετο τὴν ψυχὴν, καὶ δὴ καὶ φαίνεται ταύτῃ καθ' ὕπνους ὁ Κύριος μορφῇ δὲ Ἀθανασίᾳ, καὶ διφροσύνης αὐτὴν πληροῖ τὴν ψυχὴν, καὶ τὴν τῆς πίστεως ἐποπίησι λόγον, καὶ ἅμα πεῳὶ στέλλει τινὰς τῶν οἰκετῶν πρὸς τὴν Ἄγιον, ἐφ' ᾧ τοὺς ἰδόντας τὴν μορφὴν, αὐτῇ προσαγγεῖλαι.

voti ſit compos:

2 Dictum factum: & intellexit è ſimilitudine, divinam fuiſſe viſionem. Unde gaudebat, ac bene ſperabat, omnino eum viſuram ſe. Matrem ergo iterum adit, & eamdem, uti priùs, ſupplicationem inſtituit. Hæc autem chariſſimam ſibi contriſtari nolens, petitionem ejus implet, & omni cum comitatu mittit ad nutricem. Itinere igitur jam abſoluto, videt eminus Athanaſium, ſecundum ſpiritum, quo prædita erat, procedere, & factâ de ejus vultu conjecturâ mittit unum è ſuis famulis, qui hoc interroget, diſcere quærens, an hic eſſet Athanaſius. Diſcit hoc, & vehiculo deſcendens, ſola ipſum adit, convenientem exhibet reverentiam, ſomnium annuntiat, fidei expoſitionem petit, Chriſti baptiſmum poſcit, & obteſtatur, ut aliqua ipſius pars fiat.

2 Γένονε δὲ τὸ· συνῆκεν ἐντεῦθεν ὅτι δὲ ὁμοιότητος, θείαν εἶναι τὴν ὄψιν· ἔνθέν τοι καὶ χαίρουσα λίαν, καὶ εὔελπις, ὡς ὄψεται πάντως αὐτόν. Πρόσεισιν ἔν αὖθις τῇ μητρὶ, καὶ τὴν αὐτὴν τῇ πρωτέρᾳ πιεῖται παρεγκλησιν· κἀκείνη μὴ βελομένη λυπεῖν τὸν φιλτάτου, πληροῖ ταύτης τὴν αἴτησιν, καὶ πέμπει σὺν θεραπείᾳ πάσῃ πρὸς τὴν τροφόν. Ἤδη γὰρ τὴν ὁδὸν ἀνύσασα βλέπει μακρόθεν τὴν Ἀθανάσιον τῇ ψυχῇ ἐν αὐτῇ διερχόμενον, καὶ συμβαλοῦσα τὴν ἐκείνῃ μορφὴν, ἕνα τῶν παίδων αὐτῆς εἰς ἐρώτησιν πέμπει, εἰ αὐτὸς ἐκεῖνός ἐστι μαθεῖν ἐκζητοῦσα. Μανθάνει δὲ τὸ, καὶ δὲ ὀχήματος ἀποβᾶσα, μόνῃ θεάσεσι τούτῳ, καὶ τῷ θεοσήκεσαν ἀπονέμει θεοσκύνησιν, ἀπαγγέλλει τὴν ὄνειρον, αἰτεῖ τὸν τῆς πίστεως ἔκθεσιν, αἰτεῖ τὸ Χριστὸ βάπτισμα, καὶ τὴν αὐτῆς μεμοίρου ἀξιοῖ.

ab eo baptizatur:

3 Non differt Vir magnus illud dare; ſed ad locum quemdam ſolitarium unà cum ipſa, & paucis ancillis ſe conferens, quoniam in eo non erat aqua, orat; & producto fonte, cui adſtabant angeli, quoſque Anthuſa ac ipſe Athanaſius viderant, eam baptizat in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, beatæ Trinitatis: & pluribus de fide inſtructam committit Deo. Anthuſa itaque, pulcher ille virginitatis flos, ad nutricem ſuam abiit. Hæc admittit illam libenter: honoratum ipſius amictum non videt, ſed miſerandum: novam formam videt, ac præfulgentes mores, aliud vitæ inſtitutum: ſecumque rem obnixè conſiderans, intelligit è ſervis, eam factam eſſe Chriſtianam: dolore afficitur, & alienum ab his gerens animum, dicit, non eſſe fas, ut vel ad breve tempus ſecum maneat.

3 Οὐκ ἀναβάλλεται πρὸς τὴν τοῦτο δόσιν ὁ μέγας· ἀλλ' εἴς τινα τόπον ἀνακεχωρημένον σὺν αὐτῇ τε καὶ παιδίσκαις ὀλίγαις γυόμενος, ἐπεὶ μὴ εἶχεν ὕδωρ ὁ τόπος, εὔχεται, καὶ πηγῆς ἀναδοθείσης, ἀγγέλων ἐφεστώτων αὐτῇ, ἃς καὶ ἡ Ἀνθοῦσα καὶ αὐτὸς Ἀθανάσιος ἑωράκει, βαπτίζει ταύτην ἐν ὀνόματι τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, τῆς μακαρίας Τριάδος· καὶ πλείσι περὶ τῆς πίστεως διδάξασαν τῷ Θεῷ παρατίθησιν. Ἄπεισον δὲ τὸ καλὸν ἄνθος τῆς παρθενίας ἡ Ἀνθοῦσα πρὸς τὴν ἰδίαν τροφόν· δέχεται ταύτην ἀσμένως ἐκείνη· βλέπει μὴ δεδοξασμένην τὴν καταστολὴν αὐτῆς, ἀλλ' οἰκτρὰν· βλέπει ξένην μορφὴν, καὶ ὑπερλαμπρὸν διαγωγὴν, δίαιταν ἄλλην· καὶ λογισμοῖς προσπαλαίει, μανθάνει Χριστιανὴν αὐτὴν γεγενῆσθαι τῶν παίδων· καὶ λύπη συνέχεται, ἀλλοτριόφρων ὅσα, καὶ μὴ θέμις εἶναι λέγει, κἂν πρὸς βραχὺ μεῖναι παρ' αὐτῇ.

parentes deſerit, & in ſolitudinem ſe abdit.

4 Puella igitur inde profecta pervenit ad propria: &, quoniàm ad novitatem formæ, ac mutationem amictûs, etiam mater obſtupuit, animumque nunc huc nunc illuc verſans, diſcere quære-

4 Τοίνυν ἡ παῖς ἐκεῖθεν ἀπάρασα, τὰ οἰκεῖα καταλαμβάνει, καὶ ἐπεὶ πρὸς τὸ ξένον τῆς μορφῆς, πρός τε παρηλλαγμένον τῆς καταστολῆς καὶ ἡ μήτηρ ἐκπέπληκτο, καὶ διεμερίζετο τὴν ψυχὴν, μαθεῖν ἐ-

ζήτει.

A ζήτει τί τ᾽ συμβάν. Οἱ παῖδες ἓν ἀπαγγέλλουσι τὸ συμβεβηκότα τῷ αὐτῇ, κἀκείνη τῷ ἀνδρὶ καταλέγει τὸ δρᾶμα. Τὸν ἐν τῷ μέσῳ δὲ καιρὸν ἡ Ἀνθοῦσα τῇ φυγῇ ἱκανὸν δρεπαίᾳ ὑποχωρεῖ· καὶ τινά κρυπτὸν ἐν τῷ τότε τόπον· εἶτα μὲν ζήτησιν, καὶ τ᾽ ἀπαγόρευσιν τ᾽ διώκτου, τ᾽ Ἀθανάσιον τάχ᾽ καταλαμβάνει, καὶ δ᾽ τ᾽ μοναχῶν καταξιοῖ τῷ σχήματ᾽, τὸν ἔρημόντε βλέπει, καὶ τινά σπήλαιον γίνεται, κἀν τούτῳ τινὰς μεγάλας ὑποδύεται τὰς ἀγῶνας, τ᾽ ἄνωθεν θείας χειρὸς συνεφαπτομένης, καὶ συντηρούσης αὐτόν.

5 Τῷ διωγμῷ τοίνυν κρατοῦντ᾽, καὶ μεγάλα πνέοντος, συλλαμβάνεται καὶ τ᾽ διωκτ᾽ Ἀθανάσι᾽, καὶ τῷ δ᾽ βασιλέως καὶ τ᾽ Ταρσοῦ διαγοντ᾽ τινὶ βήματι, καὶ μὴ πειθομέν᾽ θυσίας εἰδώλοις τινὶ προσίσειν, τίνεται καὶ γῆς, καὶ ξύλοις ἁδροῖς συντλᾶται τὰ μέλη, τὰς σάρκας σπαράσσεται, καὶ πικρῶς καταξαίνεται, αἵματ᾽ ἡ γῆ πληροῦται, καὶ θάμβος οἱ παρεσῶτες. Εἶτα καὶ ξίφει τὸν κεφαλὸν ὁ καλλίμαρτυς ὑποτέμνεται, καὶ φιλοτίμῳ ταφῇ παραδίδοται. Διαβάλλοντι τοίνυν τῷ τυράννῳ καὶ Χαρίσι᾽ καὶ Νεόφυτ᾽ τ᾽ οἰκετ᾽ τ᾽ Ἀνθούσης οἱ προκεκριτοι, οἵ τινες καὶ αὐτοὶ σὺν αὐτ᾽ δ᾽ θείᾳ βαπτίσματ᾽ ἠξιώθησαν, καὶ πρὸς ἄρνησιν Χριστ᾽ καὶ ἔτι προσκαλοῦντι. Ἐπεὶ δ᾽ μὴ ἐπείθοντο, φραγὲ ζοφώδει, καὶ τοῖς ἐκ ταύτης κακοῖς ἐμβάλλουσι. Ἡμερῶν δ᾽ γομένων ἑπτὰ, ἄγουσι πάλιν πρὸς τὸν ἐξέτασιν, καὶ πάλιν θύειν τοῖς εἰδώλοις καταναγκάζουσι· ἃ πειθόντι, καὶ τῷ ξύλῳ προσαναρτῶσι, καὶ σιδηροῖς ὄνυξι τὰς πλευρὰς καταξέουσι· εἶτα καὶ ξίφει τὰς κεφαλὰς ὑποτέμνουσι, καὶ ἕτω τ᾽ δ᾽ μαρτυρίᾳ ἀνύσαντες δρόμον, ἐν Κυρίῳ καλῶς τελειοῦνται.

6 Ἀλλὰ τούτων ἕτω γομένων ἡ μεγάλη καὶ περίφημ᾽ Ἀνθοῦσα τοῖς ὄρεσιν ἰδ᾽ ἐμφιλοχωρεῖσα, καὶ τὰς ἀσκητικὰς ἀνύσασα πόνους, χρόνους, ὡς φασι, τριακοντα πρὸς τοῖς ἑπτὰ, τροφὸν τὰς φυομένας ποιουμένη βοτάνας, καὶ ἄλλα τινὰ πρὸς δ᾽ φιλάνθρωπ᾽ ἀγγέλου κομιζομένου αὐτῇ. Ἔνθα δὴ καὶ θείας χάριτος τὸ τέλος αὐτῇ γνωρισάσης Ἀθανασίῳ, Χαρισίῳτε, καὶ Νεοφύτῳ, δόξαν ἐδίδου Θεῷ τῷ πάντα πρὸς τὸ συμφέρον οἰκονομοῦντι. Πολλὰς ἓν ὁ πονηρὸς κινήσας κατ᾽ αὐτοῦ μηχανὰς, καὶ δι᾽ πάντων ἡττηται, καὶ καταπεπάτηται· καὶ γὰ προσιὼν αὐτῇ ποτε ὥς τις μοναχὸς, Ἔγειραι, λέγει, παρθένε· κῶμεν εἰς προσευχήν. Ἐκείνη δ᾽ συνεῖσα τὸν πλάνον δ᾽ δαίμονος, δίκαις αὐτ᾽ ὡς καπνὸν διέλυσε, καὶ ὡς χὴν ἐξελίκμησε. Καὶ ταῦτα μὲν εἰς τοσοῦτον.

7 Προσευχομένης δ᾽ ταύτης μιᾷ τ᾽ νυκτ᾽ ἐν αὐτῷ τῷ σπηλαίῳ, σεισμὸς γίνεται μέγας, καὶ σωτερομ᾽ ἐκείνη πεσοῦσα πρὸς γῆν, ἄγγελ᾽ αὐτῇ θεῖ᾽ ὀπτεύει, Μὴ φόβου, λέγει, Ἀνθοῦσα, καλῶς τ᾽ ἀσκητικὸν διήνυσας δρόμον· Δεῦρο, λοιπὸν ὑπόλαβε τὸν ἡτοιμασμένους σοι τ᾽ πόνων μισθὸν, καὶ τὸ στέφ᾽ τ᾽ ἀφθαρσίας. Τούτων ἡ παρθέν᾽ ἀκούσασα δικαίσατο πρὸς δίκας, εἶτα καὶ τῇ πέτρᾳ, ἧπερ εἴθιστο τ᾽ ὕπνον, ὁσάκις αὐτῇ ἡ σώματ᾽ ἰδ᾽ ἄλλα ἔκαζε φύσις, τελεῖν, ἑαυτὴν ἀνακλίνασα, τῷ Κυρίῳ τὸ πνεῦμα παρέθετο. Χρόνοις δ᾽ ὀπίσω πανάγνῳ σώματ᾽ αὐτ᾽ θείᾳ προνοίᾳ φυλαττομένῳ, ἡ μεγάλη Πολυχρονία τὴν κοίμησιν αὐτ᾽ χρηματίζεται· ἰδ᾽ ἡ αὐτὴ τοῖς αὐτοῖς ὄρεσι τ᾽ ἀσκητικὸν διανύσασα δρόμον. Ἐνθὺς δ᾽ ἀναπαῦσα καταλαμβάνει τὸ σπήλαιον, καὶ, ἰδὲ, πάρδαλις ἐξιοῦσα, καὶ δ᾽ ῥάκος τοῖς ὀδοῦσιν αὐτ᾽ ὑπιλαβομένη πρὸς αὐτὸ ταύτῃ εἰσάγει, καὶ φέρεται πρὸς δ᾽ σώματ᾽ ἴσης. Ἡ δ᾽ δ᾽ τὸν νεαρὸν ὥσπερ δίρκαν, καὶ ἄρτι θανὲς, καθαπτομένη, καὶ δάκρυσι πλύνασα, τάχ᾽ τ᾽ ἐν μοναχοῖς ἀοίδιμον καταλαμβάνει Ἀβραμιον, καὶ τὸ πρᾶγμα γνωρίζει.

8 Καὶ ἔτ᾽ ἅμα τρεῖς ἀδελφοὺς παραλαβὼν ἀδελφὸς

bat, quidnam accidiſſet. Servi itaque denuntiant, quæ circa eam acciderant. Illa verò rem geſtam recenſet marito. Interea Anthuſa, commodum ad fugam tempus nacta, ſubducit ſe: & ad locum quemdam abſtruſum tunc temporis ſecedit; deinde verò poſtquam quæſita eſſet, ſed non inventa, Athanaſium citò reperit, ac monaſtici habitûs dignitate donatur; & eremum videt, ſeque in ſpelunçam quamdam abdit; atque in eâ ad magna ingreditur certamina, divina manu ex alto ipſam ſuſcipiente & conſervante. A. LAURENTIO.

5 Perſecutione igitur invaleſcente, ac magnos ſpiritus emittente, Athanaſius à perſecutoribus comprehenditur, & ad imperatoris, qui verſabatur Tarſi, tribunal adducitur: dumque induci non poſſet, ut ſacrificia idolis offerret, per terram extenditur, ac lignis ſolidis confringuntur ejus membra, diſcerpitur corpus, & amarè radulis excarnificatur: terra ſanguine, adſtantes ſtupore replentur. Deinde egregius hic Martyr capite plectitur, & honorifico ſepulcro traditur. Apud tyrannum etiam accuſantur Chariſius & Neophytus, ſervorum Anthuſæ præcipui, qui ſimul cum eâ baptiſmatis divini dignitatem erant conſecuti; & provocantur etiam hi, ut Chriſtum abnegent. Quod poſtquam eis non poſſet perſuaderi, tenebroſæ cuſtodiæ, maliſque ex ea conſecutis mancipantur. Septem verò pòſt diebus iterum ducuntur ad quæſtionem, ac rurſus adiguntur, ut idolis ſacrificent: non obtemperant; ſuſpenduntur è ligno, ac ungulis ferreis latera eorum raduntur: deinde gladio truncantur capita, & ſic, peracto martyrii curſu, in Chriſto rectè conſummantur. *Audito S. Athanaſii, nec non Chariſii, ac Neophyti martyrio,*

6 Verùm his ita geſtis, magna & celebris Anthuſa montium loca inhabitavit lubens, & exercitationum labores peregit tribus, ut fertur, annis ſupra viginti, natas herbas convertens in alimentum, aliudque ei addens, quod ſibi à cuſtode angelo erat allatum. Poſtea verò divinâ gratiâ illi notum faciente finem Athanaſii, Chariſii, ac Neophyti, dedit gloriam Deo, qui omnia diſponit ad id, quod utile eſt. Machinas itaque multas maligno ſpiritus contra illam movit, & in omnibus ſuperatus eſt ac deluſus. Etenim dum aliquando eam adiret ſicut monachus; Surge, inquit, puella: inſtemus orationi. Hæc verò ſciens fraudem dæmonis, ipſum, non ſecus ac fumum, diſſolvit, & tamquam pulverem ventilavit. Atque hæc quidem hactenus. *machinas diaboli vincit.*

7 Ipſa autem dum quadam nocte in eâdem ſpeluncâ oraret, magnus terræ motus eſt factus; illique cum tremore in terram cadenti adſtans Dei angelus, Ne metue, ait, Anthuſa, exercitationum curſum pulcrè peregiſti. Veni, deinceps accipe præparatam tibi laborum mercedem, & incorruptibilem coronam. His auditis, Virgo aſſurgit ad preces; deinde autem in rupe, in qua ſomnum, quoties natura corporis eam cogebat, capere ſolebat, ſeipſam inclinans, Domino ſpiritum tradidit. Aliquot itaque pòſt annis, divinâ providentiâ puriſſimum ejus corpus cuſtodiente, magna Polychronia, quæ in iſtis etiam montibus ſolitariæ exercitationis curſum exercebat, divinitus fit certior de ejus dormitione. Statim itaque conſurgens ad ſpeluncam pervenit, &, ecce, panthera egrediens, & dentibus ſuis lacernam ejus arripiens, eò illam deducit, atque ad corpus perducens ſubſiſtit. Polychronia autem illud tamquam recens reperit, & modò mortuum, & oſculatur, lacrymiſque lavans, reverendum monachum Abramium adit, ac rei geſtæ notitiâ imbuit. *Mors ejus, ac corpus mirabili modo oſtenſum:*

8 Hic verò, aſſumptis ſimul fratribus tribus, vadit

A. LAURENTIO. *Sepultura, ac publica veneratio.*

vadit cum Polychronia, ac peractis circa eam omnibus, quæ conveniunt, floridum illud sanctæ Anthusæ corpus terræ tradit, atque ita rediit. Non multo autem elapso tempore, Dei angelus ipsi mandat, ut ædem sacram faciat juxta speluncam, ac monasterium condat. Hanc rem senex sine mora exsecutioni mandat ad commune bonum, ac miraculosum sepulcrum accolis ostendit, quod prodigiorum fontes ad hoc usque tempus præbet rogantibus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, unius consubstantialis & individuæ Trinitatis: quam decet omnis gloria, honor, & adoratio nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

ἔρχεται σὺν τῇ Πολυχρονίᾳ, καὶ τὰ εἰωθότα τελέσαντες ἐπ' αὐτῇ, τῇ γῇ τὸ ἀνθηνὸν παραδίδωσι σῶμα ἐκεῖνο τῆς Ἀνθούσης, καὶ ἔτως ὑπέστρεψε. Χρόνος παρῆλθεν ἐχὶ συχνὸς, καὶ ἄγγελος αὐτῷ θείῳ παρακελεύεται οἶκον δύκτήριον θεοῦ τῷ σπηλαίῳ ποιῆσαι, καὶ μονὴν ἀποκατασῆσαι. Ὁ δὴ ἅγιον ὁ γέρων διαπραξάμενος κοινὸν ἀγαθὸν, τὴ θαυμαίων σοφὸν τοῖς θεοίκοις ἀπέδειξε, τὰς τῶν θαυμάτων πηγὰς εἰς ἔπ χωρηγοῦντα τοῖς χρήζουσιν, εἰς δόξαν Πατρὸς, τῆ Υἱοῦ, τῆ ἁγίου Πνεύματος, τῆς μιᾶς ὁμοουσίου τῆ ἀδιαιρέτου Τριάδος· ἡ πρέπει πᾶσα δοξα, τιμὴ, τῆ προσκύνησις νῦν τῆ ἀεὶ, τῆ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

DE S. HIPPOLYTO EPISC. ET MART.

IN PORTU ROMANO,

G.C. COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS.

B

§ I. Distinctio hujus Sancti ab aliis ejusdem nominis martyribus, & cultus ex antiquis Martyrologiis.

CIRCA MEDIUM SECULI III. *Distinctio hujus Martyris ab aliis homonymis*

Plures varios Hippolytos, quorum solum nomen aut martyrium notum est, Bollandus noster die XXX *Januarii breviter illustravit Acta* S. Hippolyti *presbyteri Antiocheni*, qui Novati schismate aliquantulùm deceptus, sed operante gratia Christi correctus, ad unitatem Ecclesiæ rediit, pro qua & in qua postea illustre martyrium consummavit, *ut in Usuardo & Martyrologio Romano legitur. In Opere nostro ad diem* XIII *Augusti edita sunt Acta alterius* S. Hippolyti, *quem eodem die Martyrologium Romanum ex Usuardo sic annuntiat:* Romæ beati Hippolyti martyris, qui pro confessionis gloria sub Valeriano imperatore post alia tormenta ligatis pedibus ad colla indomitorum equorum, per carduetum & tribulos crudeliter tractus, toto corpore lacerato, emisit spiritum. *Denique alius ejusdem nominis Martyr hodie in laudato Martyrologio Romano memoratur his verbis:* In Portu Romano sancti Hippolyti episcopi, eruditione clarissimi, qui sub Alexandro imperatore ob præclaram fidei confessionem manibus pedibusque ligatis in altam foveam aquis plenam præcipitatus, martyrii palmam accepit; cujus corpus à Christianis apud eumdem locum sepultum fuit. *Ex loco, tempore, aliisque rerum adjunctis hi tres ejusdem nominis Martyres inter se diversi videntur.*

C

cum Ruinartio

2 *Unde Ruinartius inter Acta Martyrum sincera pag.* 155 *editionis Parisiensis in Admonitione prævia ad martyrium alterius* S. Hippolyti *nostrum hodiernum ab aliis ita distinguit:* Verùm etsi Prudentium hîc ab errore vindicemus, non tamen imus inficias, alios quoque præter hunc Hippolytos fuisse, quos Ecclesia agnoscit & celebrat. Illustris est inter eos magnus Hippolytus martyr, cujus opuscula recenset Eusebius libro VI Historiæ cap. XXII, quemque antea cap. XX alicujus ecclesiæ episcopum seu præfectum πρεσβὺς appellaverat. De eodem Hippolyto & ejus opusculis plura habes apud Hieronymum in Catalogo, ubi illum ignotæ sibi sedis episcopum fuisse dicit. Gelasius libro de duabus Naturis eumdem ARABIÆ METROPOLITAM appellat; alii passim Portuensem episcopum fuisse dicunt. Sic Photius ipsum sancti Irenæi, alii verò Clementis Alexandrini discipulum fuisse tradunt. Ejusdem quoque meminit Epiphanius Hæresi trigesima prima, aliique ferè scriptores ecclesiastici: cujus festum agunt Martyrologia vulgata die XXII aut XXIII mensis Augusti, ejusque martyrium ad Alexandri Severi, tempora referunt.

adversus Tillemontium

3 *Attamen Tillemontius tomo* 3 *Monument. eccles. pag.* 242 *&* 675 *accusat eminentissimum Baronium, acsi magnum* S. Hippolytum *episcopum & martyrem die* XXII *perperam collocasset, eumque cum altero ejusdem nominis martyre confudisset. Deinde contendit, Antiochiæ* S. Hippolytum *præsulem annuntiandum esse* XXIX *Januarii, quo die à Græcis celebratur. Quinimò facilè concedit, forsan hunc Sanctum postero die in Martyrologiis repeti, & unum eumdemque esse Martyrem, qui die* XXIX *colitur, & die sequente in Martyrologio Hieronymiano annuntiatur. Non gravatè admittimus,* S. Hippolytum *antistitem die* XXIX *Januarii à Græcis, & die* XXII *Augusti à Latinis celebrari: nam Tillemontius ipsâ historiæ tractandæ experientiâ novit, sæpius eumdem Sanctum apud Græcos & Latinos diversis diebus annuntiari. Sed difficulter admittemus,* S. Hippolytum *episcopum, qui* XXIX *Januarii &* XXII *Augusti in Martyrologiis refertur, eumdem esse cum homonymo martyre, qui die* XXX *Januarii in iisdem fastis ecclesiasticis memoratur: hic enim tantummodo fuit presbyter Antiochenus, qui aliquantulùm schismati Novatiano adhæserat, ac postea respuerat, ut Ado, Usuardus, ac ipse Prudentius testantur. Hæc autem labes, quantumvis pœnitentiâ & sanguine satis eluta, nusquam sancto Præsuli nostro tribuitur.*

F

probatur,

4 *Præterea adversus Tillemontium militant ipsi Græci, quos pro sententia sua allegat: hi enim in Menologio Basiliano, quod seculo decimo scriptum est, die* XXIX *hunc* S. Hippolytum *appellant* papam, *id est, episcopum, & meminerunt*

A *runt de* beata Chryſa, *hoc eſt S. Aurea, ac denique elogium ſuum concludunt his verbis :* Commotus tanta Chriſtianorum cæde Hippolytus papa, & divino incenſus zelo, coràm tyrannum graviùs accuſavit, qui impotenti ira correptus, Papam ejuſque comitatum, presbyteros, diaconos, & Epiſcopum acerbiſſimè prius tortos, alligatis ad manus pedeſque graviſſimis ſaxis, in mare projiciendos curavit. *Alii Græci die* xxx *Januarii metrici de eo ſic canunt :* Ἱ᾽ππολυτον πόντε τειακηοσῇ ὑπτάνε ῥόῦμα. *Id eſt :* Ter dena Hippolytum ponti ſub gurgite merſit. *Quis inde non videt, hîc à Græcis deſignari* S. Hippolytum *epiſcopum, qui in Actis noſtris ſuprà relatis dicitur S. Auream ſepeliviſſe, & poſtea crudelitatem tyranno exprobraſſe, ac tandem ſubmerſus fuiſſe ? Quapropter ex Tillemontio diſcere cupimus, quo die apud Græcos & Latinos colatur* S. Hippolytus *ille, quem Eccleſiæ doctorem, epiſcopum ac martyrem vocat, & quiſnam ejuſdem nominis Sanctus apud veteres Martyrologos die* xxii *vel* xxiii *Auguſti* in portu Romano *annuntietur. Quis & ubi ſit iſte portus*
B *Romanus, poſtea diſcutietur. Interim videamus, quomodo inclytus iſte Martyr etiam apud alias nationes celebretur, ut inde quoque noſtra opinio aliquod robur accipiat.*

5 *In Faſtis ſacris eccleſiæ Æthiopicæ, quos*
& ex ſacris Faſtis Æthiopum *Jobus Ludolfus anno* 1681 *Francofurti ad Mœnum edidit, die* v *menſis* Jacatit, *id eſt* xxx *Januarii noſtri, annuntiatur* Hippolytus, *& die ſequente recolitur* emerſio corporis Hippolyti è mari, *ad quas annuntiationes editor pag.* 430 *notat ſequentia :* Hippolytus Abulides, Æthiopibus Papa Romanus vocatur, ſicuti indicavimus in Commentariis num. xxx § 103, ubi etiam canones ejus recenſuimus. A Græcis & Ruthenis hoc ipſo die, qui illis eſt Januarii trigeſimus, cum multis aliis Sanctis ſociis commemoratur ; nec non Πάπα Ῥώμης, Papa [urbis] Romæ in Synaxariis illorum appellatur. Sub Claudio paſſus dicitur, non illo vitrico & anteceſſore Neronis, quia tunc temporis perſecutio Chriſtianorum nondum cœperat ; ſed Gallieni ſucceſſore, circa annum Chriſti cclxvii, qui ſtrenuus miles, at Chriſtianorum infenſiſſimus hoſtis fuit. Epiſcopum Portus Romani eum fuiſſe
C cenſet doctiſſimus P. Papebrochius in notis ad Januarium Græcorum metricum dicto die trigeſimo, ac pollicetur illuſtrationem hiſtoriæ illius ad diem xxii Auguſti, quo à Latinis colitur. Miraculum de eo refert encomiaſtes *(is eſt poëta Æthiops, ut mox intelligetur)* quod corpus ejus, quamvis ſaxo pedibus appenſo, mari innataverit, nec ſubmergi potuerit, ut hoc & ſequenti die narratur.

6 *Præterea Ludolfus ad Papebrochium miſit*
ac Coptitarum, *duplicem hymnum ſtylo ligato, quem poëta Æthiops die* v *&* vi *menſis* Jacatit, *aut apud nos* xxx *&* xxxi *Januarii, recitandum proponit. Nos utrumque ab eodem Ludolfo Latinè redditum, ſine ulla metri diſtinctione tranſcribimus, & unum ex Ode quarta diei quintæ exhibemus hoc modo :* Salutem tibi, Hippolyte ; pater noſter, qui dignus fuiſti, ut appellareris doctor, mundi ſacerdos. Super abyſſo cadaver tuum dum nataret incolume, pudore & ludibrio affecit, qui projecerunt te perſecutores tyranni, pedi tuo alligantes lapidem. *Alter verò ex Ode prima diei ſextæ ſic ſonat :* Salutem dico emerſioni corporis (ejus) è mari, quamvis lapis gravis pedibus ejus alligatus fuiſſet, Hippolyte doctor. Ad-

ferat mihi benedictionem è Gerizan monaſterio, ſicut materiam divitiarum & ſplendorem adfert navis. *In Martyrologio Coptico, quod ex interpretatione Simonis Moyſis Maronitæ manu ſcriptum ſervamus, ſimilia de ſupernatante* S. Hippolyti *cadavere leguntur, ac ibidem Martyr ille titulo Papæ Romani donatur. Si Æthiopes & alii nomine Papæ Romani hîc ſupremum Eccleſiæ Catholicæ hierarcham intelligant, haud dubiè cum Græcis hallucinantur, cum* S. Hippolitus *numquam ſummus Eccleſiæ Romanæ Pontifex fuerit. Sed aliqui hunc titulum mitigant, & alio ſenſu exponunt, ut infrà videbimus.* AUCTORE G. C.

7 *Probabiliter itaque propter affines hiſtoriæ circumſtantias exiſtimamus, hunc unum eumdemque eſſe* S. Hippolytum *noſtrum, qui die* xxii *Auguſti ab aliquibus Martyrologis annuntiatur, & ab aliis ad diem ſequentem refertur. In Auctariis Uſuardinis hac die* Romæ *vel* in portu urbis Romæ ſancti Hippolyti martyris *annua memoria celebratur. Ipſe autem Uſuardus die* xxiii *Auguſti in ſuo Martyrologio ſic habet :* In portu urbis Romæ (*Ado* in portu Romano *legit*) ſanctorum Yppoliti, Quiriaci, & Archillai. *Sed Martyrologium Hieronymianum Flo-* E *rentinii eadem die* xxiii *Auguſti hos duos* S. Hippolyti *ſocios alibi collocat, ut liquet ex hac duplici & diſtincta annuntiatione :* In Porto * * *lege* Portu. urbis Romæ natalis ſancti Ypoliti, qui dicitur Nonnus, cum ſociis ſuis. In Hoſtia natalis ſanctorum Quiriaci & Arcilai. *Quidquid ſit de ſodalibus hujus ſancti Martyris, utroque die eumdem* S. Hippolytum *commemorari, colligimus ex Auctariis Martyrologii Bedæ ſeu Flori, quod tomo ſecundo Martii præfiximus : in iis enim ad diem* xxii *Auguſti annuntiatur feſtivitas* S. Ypoliti in portu ; *ſequente autem die ibidem celebratur* in portu urbis Romæ natale S. Hippolyti, qui dicitur Nonus. *Quid hîc ſibi velit nomen* Nonus *ſive potius* Nonnus, *poſtmodum explicabitur.* *aliiſque antiquis Martyrologiis*

8 *Porrò propter illam promiſcuam ejuſdem* S. *legitimus*
Hippolyti *annuntiationem, libera electio nobis* *ipſius cul-*
relicta videtur, ut Acta iſtius Martyris hac die *tus oſtendi-*
vel ſequente pro arbitrio diſcuteremus. Sed hac *tur.*
in re Martyrologium Romanum ex more noſtro ſecuti ſumus. Inſuper hæc antiqua Martyrologia ſufficiens teſtimonium reddunt de immemorabili F *Martyris noſtri cultu, qui tamen confirmari poteſt ex eccleſia, quæ ad honorem ipſius olim exſtructa fuit, & de qua Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Leonis III Pontificis ex editione Fabroti pag.* 130 *ſic meminit :* Fecit autem iſdem almificus Pontifex in baſilica beati Hyppoliti martyris in civitate Portuenſi veſtes de ſtauraci duas, unam ſuper corpus ejus, & aliam in altari majori. *Qualis autem ætate Baronii ſtatus eccleſiæ iſtius fuerit, ipſe eminentiſſimus ſcriptor in Annalibus ſuis eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 229 *num.* 6 *indicat his paucis verbis :* Extat & inviſitur memoriâ olim celebris puteus ille, ſeu profunda fovea aquis plena, in qua ſanctus Hippolytus martyrii coronam accepit ; modò autem frequentibus piratarum incurſionibus, dirutâ ejus eccleſiâ, apparet ignobilis. *Non tantùm deploramus hujus eccleſiæ ruinam ; ſed etiam dolemus, pleraque celeberrimi iſtius Viri geſta à nobis ignorari : adeo enim confuſa & corrupta ſunt ipſius Acta, quæ præ manibus habemus, ut vix ullam fidem mereantur, quemadmodum ex eorum initio mox demonſtrabitur.*

AUCTORE G. C.

§ II. Interpolata ejuſdem Sancti Acta, veroſimilis ætas, qua floruit; ſed incertum martyrii tempus.

Propter craſſum Actorum anachroniſmum,

SErvamus duo Actorum exemplaria, quorum unum prolixius olim Romæ ex collectione P. Gallonii tomo F excerpſimus, cujus exordium ita ſonat: Poſt tranſitum beatiſſimæ Pelagiæ, quæ per multos annos in quodam montis Oliveti antro degens maſculus putabatur (fuerat enim peſſima meretrix) beatus Hyppolitus, qui & Nonus dicitur, cujus prædicatione Alexandria converſa fuerat, limina Apoſtolorum viſitare cupiens Romam adiit. Sanctorum ſepulcra, quibuſcumque in locis vel in cœmeteriis inveniret, curioſiſſimè requirebat, ibique dignas Domino laudes referens diu noctuque in orationibus perſiſtebat. *Deinde imperitus Actorum ſcriptor fusè narrat varia, quæ* S. Hippolytus *ſub imperio Alexandri Severi geſſit & ſcripſit. Denique idem auctor affirmat, illum ſub Claudio Alexandri imperatoris ſucceſſore martyrium ſubiiſſe. Verùm, ut hîc alios errores hiſtoricos prætermittam, quis umquam conciliabit tempora Alexandri & Claudii, qui ſeculo tertio imperarunt, cum ætate S. Nonni epiſcopi, qui ſeculo quinto Pelagiam meretricem convertit & ad bonam frugem reduxit?*

B

in quem S. Petrus Damiani etiam impegit,

10 *Attamen S. Petrus Damianus, magis virtutibus exercendis quam tricis chronologicis diſcutiendis aſſuetus, in eumdem craſſum parachroniſmum impegit, dum in Epiſtola nona ad Nicolaum II Pontificem inter alia ſic ſcripſit:* Beatus quoque Nonnus martyr, qui & Hippolytus, memoriæ noſtræ non prætereundus occurrit; qui nimirum poſtquam triginta millia Saracenorum ad Chriſti fidem efficaciſſima prædicatione convertit, poſtquam beatam quoque Pelagiam de lupanaribus ad Eccleſiæ pudicitiam provocavit, poſtquam denique nonnullos ſanctarum expoſitionum libros luculenter explicuit, tandem epiſcopatum deſeruit, de Antiochenis partibus,

C

unde erat oriundus, abſceſſit, Romanos fines appetiit. Cumque beata Aurea apud Oſtiam civitatem, ſaxo cervicibus alligato, in marinis fluctibus martyrium conſummaſſet, beatus Nonnus ſanctum cadaver pia devotione collegit, & cum omni diligentia tumulavit: quem mox idem perſecutor, qui dicebatur Ulpius, juxta Tyberis alveum in foveam aquis plenam mergi præcepit; cujus poſtmodum corpus, conſummato triumphali martyrio, in civitate, quæ Portus dicitur, Chriſtiana devotio ſepelivit. Illico audita eſt vox velut infantium, per unam ferè horam clamantium DEO GRATIAS. Qui ergo talem vitæ meruit claſulam, liquidò patuit, quia epiſcopatum deferens coram Deo non incurrit offenſam. *Hinc manifeſtum fit, Acta* S. Hippolyti *jam tempore S. Petri Damiani adeo confuſa & corrupta fuiſſe, ut vix tutò admitti poſſint ea, quæ in illis forſan vera narrantur.*

non ſatis quoque confidimus eorum compendio,

11 *Præterea habemus aliud Actorum apographum, quod ex tomo* VII *Ms. Collectionis Baronianæ fol.* 149 *prodit, & ex ſupradictis Actis longioribus contractum videtur. Illud hic integrum curioſo lectori exhibebimus, cum breve ſit, & omnia ſummatim complectatur his verbis:* Beatus Hippolitus, qui & Nonnus dicitur, cujus D prædicatione Alexandria converſa fuerat, limina Apoſtolorum viſitare cupiens Romam adiit. Sanctorum ſepulcra ubicumque in locis vel cœmeteriis invenire poterat, curioſiſſimè requirebat, ibique dignas Deo laudes referens, die noctuque in orationibus perſiſtebat. Poſtmodum verò ad portum Tyberinæ urbis properans, Spiritus ſancti gratia revelante, verbum vitæ, quibus poterat, cum miraculorum indiciis prædicabat. Denique poſtquam multa divinorum Librorum commentaria edidit, & beatam virginem Auream pro Chriſto paſſam ſepelivit, cum Ulpium Romulum urbis Romæ vicarium reprehenderet, quod Chriſtianos crudeliter damnaret, prædicti vicarii præcepto ligatis manibus ac pedibus in foveam aquâ plenam præcipitatur, ſicque cum martyrii triumpho ad Chriſtum perrexit.

quod hîc exhibetur.

12 Tunc audita eſt quaſi vox infantium dicentium DEO GRATIAS. Qua voce audita, Ulpius Romulus dicebat: Modò patefiunt artes magicæ. Nonne auditis conſolationes dæmonum? Pretioſiſſima autem Martyris anima cum hujuſmodi laudis voce cælos penetravit. Unde non dubium E eſt, angelica illic ſolatia conſortii adfuiſſe. Chriſtiani verò noctu levaverunt corpus ejus de puteo occultè, & cum hymnis & laudibus omnique veneratione ſepelierunt in eodem loco non longè ab ipſa fovea, quaſi pedes plus minùs ſexaginta in inſula, quæ uno latere mare habet, à duobus diviſione alvei Tyberis cingitur, vigeſima ſecunda die menſis Auguſti; ubi quotidie præſtantur Chriſti beneficia, & fructus orationum ſancti Martyris exuberant uſque in præſentem diem. *Vides, in hoc Actorum compendio* S. Hippolytum *etiam Nonnum appellari. At eminentiſſimus Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 229 *num.* 7 *& in Notis ad Martyrologium Romanum die* V *Auguſti monet, iſta voce tantummodo monachum ſignificari. Fortè* S. Hippolytus *ita cognominatus eſt, eo quod antea vitam ſolitariam duxiſſet. Quidquid ſit de iſto ſancti Martyris noſtri cognomine, hic cum S. Nonno, qui Pelagiam meretricem convertit, confundi non poteſt.*

Eruditi diſſentiunt circa tempus,

13 *Etiam in hac Actorum ſynopſi non exprimitur tempus, quo* S. Hippolytus *vixit, quamvis in Actis longioribus dicatur floruiſſe ſub Alexandro Severo, & martyrium ſubiiſſe ſub Claudio II imperatore, qui primùm anno Chriſti* 268 *in locum Gallieni ſucceſſit. Quod ad ætatem ipſius attinet, Euſebius Cæſarienſis lib.* 6 *Hiſtoria eccleſiaſticæ cap.* 22 *tradit, eum ſub Alexandro imperatore claruiſſe. Quapropter accommodè explicandi vel prorſus rejiciendi ſunt Palladius in Hiſtoria Lauſiaca cap.* 148, *& Cyrillus in Vita S. Euthymii, qui videntur hunc* S. Hippolytum *Apoſtolis notum vel familiarem appellare, licet Poſſevinus noſter id alteri Hippolyto tribuendum exiſtimet. Cotelerius tomo* 2 *Monumentorum eccleſiæ Græcæ in notis ad Vitam S. Euthymii col.* 639 *&* 640 *putat ibi deſignari* S. Hippolytum *noſtrum, & propterea hæc Cyrilli expreſſio ab illo* magna hyperbole *ibidem vocatur. Photius in Bibliotheca cap.* 121 *teſtatur ſe legiſſe libellum* Hippolyti *illius,* qui Irenæi diſcipulus fuit, *in quo hæreſes quaſdam impugnat. Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 229 *num.* 4, *& Miræus in Scholiis ad Catalogum S. Hieronymi de Scriptoribus eccleſiaſticis cap.* 61 *aſſerunt, eumdem* S. Hippolytum *diſcipulum S. Clementis Alexandrini*

A *drini fuiſſe. Hæc Photii aliorumque opinio cum ætate Sancti noſtri ſatis convenit, etiamſi eam apud antiquiores ſcriptores non invenerimus. Jam videamus, an alicunde veroſimiliter eruere poſſimus tempus martyrii ipſius, de quo veteres auctores diſtincte non meminerunt.*

quo ſanctus hic Præſul martyrium ſubiit,

14 *Severioribus criticis non placet, quod in Martyrologio Romano martyrium* S. Hippolyti *collocetur ſub imperio Alexandri Severi, cum tunc nulla perſecutio fuerit, quinimo ipſe imperator Chriſtianis faveret. Unde Ruinartius in Præfatione ad Acta Martyrum ſincera pag.* XLVIII *eumdem ſcrupulum proponit, & utcumque diſcutere conatur hoc modo:* Alexandrum Heliogabali ſucceſſorem Chriſtianis faviſſe nemo poteſt inficiari, niſi omnes antiquos ſcriptores rejicere velit. Unde mirum eſt, tot martyres ſub ejus imperio paſſos à nonnullis recenſeri. An id ad præfectos, quos ſub ejus imperio ſæviſſimos, fuiſſe aiunt, referendum eſt? An fortè dicendum, aliquot martyres, qui ſub Severi perſecutione paſſi ſunt, ad Alexandri tempora incautè transferri, quod & ipſe Severus fuerit appellatus? At Calliſtus Papa, qui eo imperante vivere deſiit, inter martyres in Kalendario Bucheriano recenſetur. *Sed* S. Hippolytus *noſter non potuit lauream martyrii adipiſci ſub imperatore Severo, cum hic anno Chriſti* 211 *obierit, & ille cyclum ſuum Paſchalem ab anno Chriſti* 222 *inceperit, ut poſtea dicetur.*

B

cum aliqui ſub Alexandro imperatore,

15 *Eminentiſſimus Baronius non tanti facit Acta, ut propter eorum auctoritatem temporibus Claudii II imperatoris martyrium* S. Hippolyti *affigat, quemadmodum hac die in notis ad Martyrologium Romanum monet ſequentibus verbis:* Extant Acta Hippolyti & ſociorum, in quibus corrigenda ſunt ea, quæ de Claudio dicuntur: nam ſub Alexandro imperatore eum claruiſſe, iidem qui ſuprà auctores teſtantur. Quod præterea de Ulpio in illis ſcribitur, Ulpianum pro Ulpio reſtituendum putamus: is etenim ſub Alexandro præfecturam Urbanam adminiſtrans, diriſſimas de Chriſtianis ſumpſit pœnas. *Laudatus eminentiſſimus ſcriptor in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 225 *num.* 1 *& ſequentibus probat, ſub imperio Alexandri Severi inter alios juriſconſultos Romanos præcipuè Ulpianum Chriſtianis infenſiſſimum fuiſſe.*

C

alii ſub hujus ſucceſſore Maximino,

16 *Nonnulli ſcriptores propter favorem Alexandri imperatoris erga Chriſtianos mallent martyrium* S. Hippolyti *collocare ſub Alexandri ſucceſſore Maximino, de quo Euſebius in Hiſtoria eccleſiaſtica lib.* 6 *cap.* 28 *ita ſcribit:* Interea cæſo Alexandro imperatore, qui tredecim annis regnaverat, in ejus locum ſuccedit Maximinus; qui gravi odio ſuccenſus adverſus familiam Alexandri, in qua plerique erant Chriſtiani, perſecutione excitata, ſolos eccleſiarum antiſtites, utpote euangelicæ prædicationis auctores, interfici juſſit. *Adde, quod ſub imperio hujus Maximini inveniatur Ulpius conſul, ut Cenſorinus auctor coævus in Opuſculo ſuo de Die natali cap.* 21 *apud nos pag.* 38 *teſtatur his verbis:* Secundum quam rationem, ni fallor, hic annus cujus velut index & titulus quidam eſt Ulpii & Pontiani conſulatus, ab Olympiade prima milleſimus eſt & quartus decimus, ex diebus dumtaxat æſtivis, quibus agon Olympicus celebratur; à Roma autem condita nongenteſimus nonageſimus primus. *Chronologi diſputant, in quem Chriſti annum hæc computatio conveniat, de qua Petavius noſter in Doctrina temporum lib.* 9 *cap.* 42 *conſuli poteſt: nobis enim ſufficit, hunc conſulatum in imperium Maximini incidiſſe.*

AUCTORE G. C.

illud collocent;

17 *Porrò Onuphrius Panvinius in Commentario ad librum ſecundum Faſtorum apud nos pag.* 258 *exiſtimat, hunc conſulem fuiſſe M. Ulpium Crinitum, qui rurſus poſtea ſub imperatore Valeriano conſulatum geſſit. Sed in Actis noſtris (hæc tamen exiguam aut nullam ferè auctoritatem habent) judex* S. Hippolyti *vocatur Ulpius Romulus, & urbis Romanæ vicarius fuiſſe dicitur. Quamvis igitur ſub imperatore Maximino habeamus perſecutionem adverſus Chriſtianos, quæ præcipuè ſpectabat ad eorum antiſtites, qualis etiam ſanctus Martyr noſter fuit, & reperiamus Ulpium conſulem, tamen ob diſcrepantiam cognominis & officii non audemus huic Ulpii conſulatui martyrium ejus confidenter alligare.*

etſi forſan ob rationes hic allegatas

18 *Imò ne quidem aſſeveranter martyrium* S. Hippolyti *audemus ſtatuere ſub imperio Maximini, propter epiſtolam ipſius, quæ* ad reginam quamdam *ſcripta eſt, & ex qua Theodoretus Dialogo* 2 *&* 3, *ſive tomo* 4 *Operum pag.* 88 *ac* 155, *fragmenta aliquot allegavit. Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 229 *num.* 10 *putat, hanc reginam fuiſſe Mamæam, imperatoris Alexandri matrem, quæ Chriſtianis utcumque favebat. Verùm anno Chriſti* 1551 *in agro Verano repertus eſt cyclus Paſchalis, de quo poſtea agetur, & in cujus latere inter alias* S. Hippolyti *lucubrationes* exhortatio ad Severinam *notatur. Unde Tillemontius tomo* 3 *Monument. eccleſ. pag.* 243 *ſuſpicatur, hac Severina indicari Severam, Philippi imperatoris uxorem, quæ Chriſtiana fuiſſe perhibetur, & ad quam doctiſſimus Origenes etiam litteras dedit. Si illa Tillemontii ſuſpicio vera ſit, haud dubie martyrium* S. Hippolyti *uſque ad annum Chriſti* 250 *ſive ad perſecutionem Decii imperatoris differendum eſt.*

E

uſque ad perſecutionem Decii differendum ſit.

19 *Ad hanc ſuſpicionem confirmandam accedit teſtimonium S. Epiphanii, qui Hæreſi* 37 *ſive* 57 *contra Noëtianos ita ſcribit:* Poſt hunc alius quidam hæreticus, Noëtus nomine, prodiit; neque multis abhinc annis, ſed ante hos ferè centum ac triginta, *nimirum priuſquam Sanctus hoc Opus ſuum componeret. At S. Epiphanius circa annum* 375 *illud Opus adverſus hæreſes conſcripſit, adeoque retrorſum numerando hæreſis Noëtiana ſub imperatore Philippo exorta eſt, ut Tillemontius tomo* 3 *Monument. eccleſ. pag.* 242 *affirmat. Cum itaque* S. Hippolytus *hanc Noëti hæreſim recenter exortam videatur impugnaſſe, ut apud eumdem Tillemontium paginâ proximè citatâ oſtenditur, in iſta hypotheſi martyrium ipſius ante perſecutionem Decii imperatoris collocari non poteſt. Hæc tamen Tillemontii argumenta non omnino certa ſunt, quandoquidem ab aliis negantur. Propter has difficultates undique intricatas, quas eruditus lector videt, initio hujus Commentarii martyrium* S. Hippolyti *circa medium ſeculi tertii lato quodam modo ad marginem notavimus.*

F

§ III. Incerta hujus ſancti Epiſcopi & Martyris cathedra.

EUſebius *in Hiſtoria eccleſiaſtica lib.* 6 *cap.* 20 *de epiſcopatu* S. Hippolyti *ſic ſcribit:* Eadem tempeſtate multi eccleſiaſtici viri doctri-

AUCTORE G. C.

nâ excellentes florebant .... Inter hos fuit Beryllus Boſtrenorum in Arabia epiſcopus, qui præter epiſtolas & lucubrationes, varia quoque elegantis ingenii monumenta dereliquit. Similiter & Hippolytus alterius cujuſdam eccleſiæ epiſcopus. *Sanctus verò Hieronymus videtur locum epiſcopatûs ejus indagaſſe & non inveniſſe, quemadmodum in Opere de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. 61 innuit his verbis:* Hippolytus cujuſdam eccleſiæ epiſcopus (nomen quippe urbis ſcire non potui) rationem Paſchæ temporumque canones ſcripſit *&c. Aubertus Miræus in notis ad hunc S. Hieronymi textum aſſerit, illum fuiſſe epiſcopum* Portûs Romani, *& in hac re ſecutus eſt opinionem eminentiſſimi Baronii & aliorum, quos infrà recenſebimus.*

Quamvis Euſebius & Hieronymus ignorent ſedem hujus Sancti,

21 *Gelaſius I Pontifex, vel potius Gelaſius Cyzicenus, ut Bellarminus aliique viri docti malunt (uterque ſeculo quinto floruit) in opuſculo de Duabus in Chriſto naturis contra Neſtorium & Eutychen, quod in Colonienſi Patrum Bibliotheca tomo 5 part. 3 editum eſt, ibidem pag. 671 teſtimonium* Hippolyti epiſcopi & martyris Arabum metropolis *contra iſtos hæreticos producit. Ex his Gelaſii verbis alio charactere expreſſis Tillemontius tomo 3 Monument. eccleſ. pag. 239 affirmatiſſimè concludit,* S. Hippolytum *noſtrum à Gelaſio metropolitanum Arabum antiſtitem nominari. Poſtmodum verò pag. 672 ejuſdem tomi in ea hypotheſi contra Gelaſium, quem ſibi adverſarium fingit aut putat, ſpecioſè argumentatur in hunc ferè modum: Boſtra eo tempore, inquit, veroſimiliter erat unica Arabiæ metropolis; atqui ex ſupradicto Euſebii Cæſarienſis teſtimonio conſtat,* S. Hippolytum *tunc non fuiſſe antiſtitem Boſtrenorum, ſed* alterius cujuſdam eccleſiæ *epiſcopum; ergo non poteſt verè à Gelaſio metropolita Arabum appellari. Nos totum hunc Tillemontii ſyllogiſmum gratis admittere poſſumus, ut ex infrà dicendis patebit.*

tamen Gelaſius eam collocat

B

22 *Poſtremò Tillemontius dubitat de genuina Gelaſii lectione, & ob leviſſimam ratiunculam ſuſpicatur, voces* Arabum metropolis *ab aliquo interpolatore in textum Gelaſianum intruſas eſſe. Sed audiamus, quale ſit hujus ſuſpicionis fundamentum. Syntaxis ſive periodus Gelaſii non eſt intelligibilis aut perfecta, ait Tillemontius, niſi pro* Arabum metropolis *legatur* Arabum metropolitani. *At quid ſi vox* metropolis *in genitivo caſu poſita ſit, ita ut ſignificet,* S. Hippolytum *ſub Arabum metropoli vel antiſtite metropolitano epiſcopum fuiſſe? Si haberemus Græcum Gelaſii textum, forſan in eo genitivus Græcus* metropoleos *exprimeretur. Certè nihil nos cogit Arabicum* S. Hippolyti *epiſcopatum de ipſa Arabum metropoli intelligere, cum ſub illa metropoli potuerit eſſe epiſcopus obſcurioris urbis, quam Euſebius & Hieronymus non noverant. Huic explicationi noſtræ congruunt nonnulla, quæ curioſo lectori nunc proponemus.*

ſub metropoli Arabica,

C

23 *Quidam volunt,* S. Hippolytum *fuiſſe Portuenſem vel Adanenſem in Arabia epiſcopum, quod non prorſus improbabile videtur. Saltem eruditiſſimus Joſeph Simonius Aſſemanus Maronita huic conjecturæ conſentit, dum tomo 3 Bibliothecæ Orientalis Clementino-Vaticanæ part. 1 cap. 7 pag. 15 poſt enumeratas quaſdam ſancti Martyris noſtri lucubrationes, in notis ita monet:* Hippolytus, Portus Romani, non ad Oſtia Tyberina, ſed celebris in Arabia hoc nomine emporii epiſcopus, ut Stephanus le Moyne conjicit. Abulidum Romæ episcopum (*verba majuſculis hìc expreſſa ibidem Arabicè recitantur*) vocant recentiores Chriſtiani Arabes. Claruit circa annum Chriſti ccxx. *De epiſcopatibus Arabiæ conſuli poteſt Carolus à ſancto Paulo in Geographia ſacra pag. 295 & ſequente, ubi etiam de metropoli Boſtrenſi meminit.*

D

& forſan in urbe Adanenſi,

24 *Numero præcedente diximus,* S. Hippolytum *forſan fuiſſe Portuenſem vel Adanenſem epiſcopum, quia hic Romanorum portus ſive Romanum in Arabia emporium videtur* Adane *& vulgò* Aden *appellari. Sanè Philoſtorgius in Hiſtoria eccleſiaſtica lib. 3 cap. 4 narrat, quomodo princeps Arabum ad fidem Chriſtianam converſus fuerit, & in ditione ſua conſtruxerit tres eccleſias, de quibus habet ſequentia:* Ex illis autem eccleſiis unam quidem in metropoli totius gentis, quam Tapharon vocant, ædificavit; aliam verò in eo loco, in qua Romanum erat emporium, ad exteriorem oceanum vergens: vocatur autem hic locus Adane, quo cuncti, qui ex Romanorum ditione veniunt, appellere ſolent. Tertiam denique eccleſiam in altera regionis parte exſtruxit, ubi Perſicum eſt emporium celebre in oſtio maris Perſici, quod inibi eſt, ſitum. *Si tamen* S. Hippolytus *umquam fuerit epiſcopus urbis Adanenſis, profectò mirum omnibus videbitur, Euſebium Arabiæ vicinum, & S. Hieronymum, Romæ & in Oriente diu verſatum non noviſſe cathedram epiſcopalem hujus ſancti Viri, ſive celeberrimum Arabiæ emporium, quod à Romanis paſſim frequentabatur. Igitur undique involvimur tenebris, quas ſine clariore luce diſſipare non poſſumus, & ideo ad opiniones aliorum referendas progredimur.*

quæ portus Romanus olim vocabatur.

E

25 *Leontius Byzantinus exeunte ſeculo ſexto edidit opuſculum de Sectis hæreticorum, ubi in editione Baſileenſi Græco-Latina anni 1578, apud nos pag. 431 ab ipſo* Clemens & Hippolytus epiſcopi Romani *inter alios hæreſum impugnatores recenſentur. At ſicut certum eſt, Clementem Eccleſiæ Catholicæ præfuiſſe, ita etiam conſtat, nullum Hippolytum inter Pontifices Romanos numerari poſſe. Attamen Georgius Syncellus hunc non epiſcopum dumtaxat, verùm etiam archiepiſcopum Romanum vocat, dum in Chronographia ſua Pariſiis anno 1652 Græco-Latinè edita pag. 315 meminit de cyclo Paſchali* beati apoſtoli, archiepiſcopi, & in agro Romano martyris Hippolyti *Græcè* ἁγίων μακαρίων ἀποστόλων καὶ ἀρχιεπισκόπων ..... Ῥώμης Ἱππολύτου, καὶ ἱερομάρτυρος. *Sed ab eodem chronographo poſtmodum pag. 358 laudatæ editionis appellatur* Hippolytus ſacer philoſophus, Portûs Romani epiſcopus, Chriſtianâ philoſophiâ præſtans, *Græcè* Ἱππολύτου ἱεροῦ φιλοσόφου, ἐπισκόπου Πόρτης ἁγίᾳ τῇ Ῥώμῃ, σοφόδεσι διαπρεπῶς ὠδεῖ ἐν τῇ ἁγίᾳ Χερσῶνι φιλοσοφίᾳ. *Quinimo in Menæis Græcorum ad diem* xxx *Januarii* S. Hippolytus Πάπας Ῥώμης, *id eſt* Papa Romæ *vel* Papa Romanus *nominatur.*

Græci quidam cum epiſcopum Romanum vocant;

F

26 *Combefiſius in Auctario noviſſimo Bibliothecæ Græcorum Patrum pag. 63 hanc Græcorum phraſim explicare conatur his verbis:* Quod Hippolytus paſſim Ῥώμης epiſcopus Græcis dicitur, nonnumquam Πόρτης Ῥώμης, ſatis ambiguum, quo ſenſu ab eis ſcriptum ſit. Fuiſſe Romanum Antiſtitem, vel uſquam Romæ ſediſſe (id eſt Apoſtolicæ Sedi ſenioris Romæ præſediſſe) nullum veſtigium eſt. Factum eſſe Portuenſem epiſcopum, ſicque Romanum antiſtitem, Romanæ ſcilicet propriè metropoleos ſuffraganeum, ut vocant, ac comprovincialem, ultra quam erat

quam illorum phraſin Combefiſius

AUCTORE G. C.

rat Romana propria diœceſis, in qua Romanus Pontifex creabat epiſcopos peculiari jure (qui idcirco epiſcopi Romani, ut diſtincti à Gallis, Hiſpanis, aliiſque in quavis provincia metropolitico jure, ex canonum Nicænorum diſpoſitione ordinari ſolitis, nonnullis nuncupantur) Græci ſignificant, quod ita citant; ſicque legiſſe auctor eſt Marianus Victorius in antiquo codice Sorbonæ. Hunc tamen ejus epiſcopatum Hieronymus non novit, etſi diu Romæ verſatus, rerumque ibi eccleſiaſticarum ſtrenuus indagator fuit.

in noviſſimo Auctario Græcorum Patrum

27 Num Romæ Græcis epiſcopus ſive Romanus ea phraſi, qua Caſſianum perinde Romanum vocant (Ρωμαῖον acſi dicerent LATINUM) quod relicta Syria in Occidente & ditione peculiari Romani Pontificis, ſive in ejus patriarchatu conſediſſet, cum tamen ipſi jam Græci ſe Ρωμαίους vocent à juniore Roma; vixque aliter, quàm ὑβριστικῶς (contumeliæ causâ) ſchiſmatico ſpiritu LATINOS nominent. Quod à viro amiciſſimo, erudito, infulato, & inter patres infulatos ſanctitatis luce ſplendidiſſimo noſtræ Galliæ jubare, inque illa feliciſſimè novatorum tenebras ſuis radiis diſpellente, atque eos ad unam verè ſanctam Eccleſiam Catholicam Apoſtolicam ipſis maximè ejus ſanctitatis ac diſciplinæ momentis cogente; epiſcopos Romanos dici, qui quaſi levando onus Romani ipſius Antiſtitis, ejuſque vice in Urbe celebrent, ad id muneris peculiariter delecti, inter quos ſe ipſe annumerabat, neſcio an tantæ antiquitatis ſit, ut inde Hippolytus Ρ'ωμης epiſcopus audire Græcis potuerit, ſive etiam an illi eum Romanæ Eccleſiæ ritum, nobis etiam Latinis ſatis obſcurum, ita perſpectum habuerint. *Hactenus ſcriptor ille Dominicanus, qui non ſatis clara periodorum conſtructione ſententiam ſuam exponit.*

& anonymus quidam criticus

28 *Clariùs ac meliùs hunc loquendi modum apud Græcos excuſat anonymus quidam criticus, qui Pariſiis anno* 1717 *varias diſſertationes de antiquitate eccleſiaſtica & profana edidit, & opuſculum ſuum Gallicè* Amœnitates criticæ *inſcripſit: hic enim lib.* 1 *Diſſert.* 12 *aſſerit, ab ipſis Latinis ſimilem phraſim uſurpatam fuiſſe ad deſignandos comprovinciales Romani Pontificis epiſcopos, & opinionem ſuam ſatis ſolidè probat ex Itinere Italico Mabillonii, quod tomo* 1 *Muſei Italici part.* 1 *pag.* 146 *& ſequente repræſentat hanc inſcriptionem:* Anno MXC, Indict. XIII, menſe Mart., die XXV dedicata eſt hæc eccleſia ſanctæ Mariæ, quæ appellatur ad Pineam per EPISCOPOS URBIS, id eſt V. Savinenſem & Johannem Tuſcolanenſ. tempore domni Urbani II Papæ, in qua ſunt reliquiæ *&c.*

explicant illo ſenſu,

29 *Deinde eruditiſſimus Mabillonius ad hanc inſcriptionem obſervat ibidem ſequentia:* In hac inſcriptione advertere juvat, Sabinenſem & Tuſculanenſem URBIS EPISCOPOS (quod proinde vocabulum Romani Pontificis ſuffraganeis commune erat) appellari. Hinc explicari poteſt, quod legimus in chartario Farfenſi, nempe quod „ DODO EPISCOPUS SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ „ dedit libras quinque pro rebus poſt mortem, „ id eſt eccleſiam ſanctæ Mariæ cum caſamento „ ipſo Caſſiano. Actum menſe Octobri, tem„ poribus Benedicti VIII „. In alio diplomate illi ſuffraganei vocantur Romani epiſcopi. Dodo mox laudatus videtur fuiſſe epiſcopus Sabinenſis, omiſſus apud Ughellum. *Supra laudatus anonymus Gallus ex his exemplis concludit, Græcos per nomen* Papæ *vel* Epiſcopi Romani, *quod* S. Hippolyto *tribuunt, præſulem Romani Pontificis ſuffraganeum ſeu comprovincialem indicare voluiſſe, eoſque propter hunc loquendi modum non ſtatim erroris arguendos eſſe, cum ipſi Latini ſeculo* XI, *& forſan citius ita ſcripſerint.*

quo ab aliis appellatur epiſcopus portûs Romani.

30 *Quidquid ſit de menie Græcorum, qui ſæpe rerum Occidentalium imperiti ſunt, nos hanc dubiam eorum phraſim libenter in meliorem partem interpretamur, cum præſertim diſtinctius locuti fuerint alii ſcriptores ejuſdem nationis, inter quos Anaſtaſius cum Georgio Syncello diſertè aſſerit, hunc ſanctum Martyrem fuiſſe epiſcopum Portûs Romani: nam in Epiſtola ad Theodoſium presbyterum Gangrenſem data, quam Sirmondus noſter anno* 1620 *inter alia opuſcula Pariſiis edidit, adverſus hæreticos pag.* 209 *&* 212 *allegat teſtimonium* ſancti Hippolyti, epiſcopi Portûs Romani, & martyris veritatis, *ſeu Græcè* ἁγίου Ἱππολύτου ἐπισκόπου Πόρτου, ἡγουν ἁγιομάρτυρος Ῥώμης, τῆς μάρτυρος τῆς ἀληθείας. *Etiam S. Germanus patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ineunte ſeculo octavo floruit, Sanctum noſtrum videtur Romanis annumerare, dum in Colonienſi Patrum Bibliotheca tomo* 8 *pag.* 58 *ſic ſcribit:* Id & Hippolytus è Roma, & ſanctus Cyrillus dicunt in libris ſuis de Antichriſto.

Non videtur fuiſſe ſenator Romanus;

31 *Quinimo nonnulli putant, ipſum ab Hieronymo in Epiſtola ad Magnum oratorem appellari* Romanæ urbis ſenatorem, *eo quod in quibuſdam editionibus Operum S. Hieronymi, ac etiam in noviſſima Pariſienſi tomo* 4 *parte* 2 *col.* 656 *legant ſequentia:* Hippolytus quoque & Apollonius, Romanæ urbis ſenatores, propria opuſcula condiderunt. *At Remigius Ceillier Benedictinus in Opere Gallico de Scriptoribus eccleſiaſticis tomo* 2 *pag.* 316 *in notis ad articulum primum capitis vigeſimi ſeptimi ſolerter obſervat, ita dumtaxat in aliquibus editionibus legi: nam in antiquis manuſcriptis, quibus Marianus Victorius præſul Italus in editione Operum S. Hieronymi uſus eſt, teſte eodem bibliographo Gallo, pro voce* ſenatores *legitur* ſenator, *ita ut hæc dignitas tribuatur ſoli Apollonio, cui certè convenit, cum S. Hieronymus in libro de Viris illuſtribus cap.* 42 *eamdem rurſus ei adſcribat, & ibidem cap.* 61 *in elogio* S. Hippolyti *de illa dignitate ſenatoria nullam mentionem faciat.*

ſed ex Aratia Romam venisse,

32 *Quod verò ad Romanum vel potius Portuenſem* S. Hippolyti *epiſcopatum attinet, hunc ei tribuunt plerique recentiores, inter quos Cangius in Præfatione ad Chronicon Paſchale poſt diu quæſitam alibi urbem Portuenſem, tandem pag.* XVI *& ſequente ſic diſſerit:* Sed quod Hippolytum Portus Romani fuiſſe epiſcopum omnino videatur ſuadere, id potiſſimum fuerit, quod is Romanus dicatur in Catalogo imperatorum Leunclaviano ſuprà laudato, & quod anno MDLI in agro Verano non procul ab æde ſancti Laurentii ad Urbem reperta ſit antiqua è marmore ſtatua ſolio inſidens, in cujus quidem ſolii binis laterculis cycli Paſchales annorum ſedecim Græcis litteris erant deſcripti; ex quibus, tum ex librorum lemmate, quod horum dexter continebat, Hippolyti, cujus nomen non erat expreſſum, facilè deprehenſum eſt ſtatuam eſſe, quam ex portu Romano, non verò ex Ægypto huc eſſe allatam admodum eſt probabile. *Deinde hunc* Hippolytum, *cujus ſtatua anno* 1551 *in agro Verano cum cyclo Paſchali inventa eſt, confundit cum* S. Hippolyto *presbytero, qui ſimul*

AUCTORE G. C.

mul cum Pontiano in insulam Sardiniæ relegatus est, & qui passim in Martyrologiis ad diem XIX *vel* XX *Novembris cum sancto Pontiano Pontifice Romano memoratur. Hæc Cangii opinio nobis non placet, & ad diem* XIX *vel* XX *Novembris ei plura argumenta opponi poterunt. Nihil hîc dicimus de crasso Centuriatorum Magdeburgensium errore, qui Centuria* 3 *cap.* 10 S. Hippolytum *statuunt episcopum Ostiensem, & hac nova opinione imperitiam suam produnt, inter episcopatum Ostiensem & Portuensem non distinguentes.*

& episcopus Portûs Romani factus esse, ut Baronius

33 *Si quis porrò quærat, quomodo Sanctus iste ex cathedra Orientali ad Occidentalem sive Portuensem in Italia translatus fuerit, eminentissimus Baronius huic quæstioni respondet, dum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 229 *num.* 4 *de* S. Hippolyto *nostro sic scribit:* Ipsum autem Romam advenientem dignè (ut par erat) acceptum à Romano Pontifice Callisto (nam ante ipsum nulla exstat de eo memoria) & ab eo Portuensis ecclesiæ episcopatu donatum apparet, eo nimirum consilio, ne tantum episcopum, sede alia obligatum, in Arabiam redeundi cura prioris commissi sibi gregis impelleret: quem ut lateri semper adhærentem haberet, & in ambiguis consultorem, creavit episcopum Portuensem, sedem illi tribuens modicæ quidem curæ, sed amplissimæ dignitatis, cujus episcopus assistere soleret Romano Pontifici. *Hæc eminentissimi scriptoris opinio displicet Tillemontio & quibusdam aliis, eique præcipuè objicitur silentium S. Hieronymi, qui diu Romæ versatus Portuensem* S. Hippolyti *episcopatum non ignorasset, ut illi argumentantur.*

& Ughellus existimant,

34 *Non obstante hoc argumento negativo, quod hîc certè vim suam habet, Ferdinandus Ughellus in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 1 *col.* 110 *sententiam Baronii secutus est, & illum sanctum Martyrem ibidem exornavit hoc elogio:* Sanctus Hippolytus episcopus Portuensis, genere Arabs, olim metropolita Arabiæ (*quod non sit dicendus metropolita; sed quomodo sub metropolita Arabiæ episcopus esse potuerit, superiùs explicatum est*) Clementis Alexandrini discipulus, cujus hortatu in Italiam profectus est, Romamque veniens Apostolorum limina martyrumque cœmeteria veneratus est: cujus vitæ sanctimoniâ à Cælestino (*lege Callisto*) perspectâ, Portuensis episcopus creatus est, ut eo viro doctissimo sanctissimoque in gravissimis rebus uteretur, ut ex tabulis ecclesiasticis, ejusdemque martyrii Actibus colligi potest. Nonnus cognominatus est, id est monachus, ut Petrus Damiani in Epistola ad Nicolaum Papam scribit, ubi illum cum altero Nonno, qui Pelagiam nobile scortum temporibus Theodosii junioris à veterno libidinis suis precibus suscitavit, perbellè satis confundit. Hippolytus Portuensis floruit sub Callixto I, passusque martyrium est, non sub Claudio, ut depravati quidam codices affirmant, sed sub Alexandro imperatore anno CCXXIX, die XXII mensis Augusti, Ulpiano Romæ præfecto, seu, ut alii legunt, Ulpio. Itaque pedibus manibusque ligatis in profundum puteum demersus est, ac post ejusdem excessum in eodem Portu Romano Hippolyti socii illustrem tulere palmam martyrii. *Vix audemus hanc communiorem sententiam amplecti propter argumentum, quod desumitur ab ignoratione S. Hieronymi, qui loco suprà citato indicat, se urbem episcopalem* S. Hippolyti *indagasse, & tamen eam scire non potuisse. Si autem hæc urbs fuisset Portus Romanus in Italia, verosimillimè sanctus Doctor Romæ in vicinia istius episcopatûs degens illam non ignorasset. Quapropter eruditis aliam quamdam conjecturam proponimus.*

quorum opinioni conjecturam superaddimus,

35 *Ex antiquis Martyrologiis suprà relatis primò constat,* S. Hippolytum *hac die vel sequente in Portu Romano martyrium subiisse. Præterea ex Eusebio aliisque vetustis scriptoribus liquet, hunc Martyrem episcopali dignitate præditum fuisse. Denique S. Hieronymus in Opere de scriptoribus ecclesiasticis cap.* 61 *testatur,* S. Hippolytum *habuisse homiliam* de laude Domini Salvatoris, in qua, præsente Origene, se loqui in ecclesia significat. *Hinc videtur* S. Hippolytus *fuisse episcopus in Oriente & forsan in Arabia, ad quam Origenes anno circiter* 217 *evocatus est, ut apud Eusebium lib.* 6 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* 19 *legimus. Unde noster Petrus Halloix in Vita Origenis lib.* 1 *cap.* 10 *hac de re scribit sequentia:* Dum in Arabia tantisper moratur, minimè dubium est, quin illic quoque id, quod vulgò in more habebat, factitarit, & partim studii partim honoris causâ ad audiendos in ecclesiæ cœtu episcopos accesserit; ac tum quidem accidisse illud, quod de S. Hippolyto refertur, nempe dum concionem ad populum de Domini Salvatoris laudibus haberet, atque in præsentem Origenem oculos intendisset, ejus præsentiam auditoribus indicasse, seu quod eum dictis suis assentientem videret, seu quod plebi talem tantumque declarando hospitem, gratificari vellet.

quam tamen facilè deseremus.

36 *His ita positis, nonne* S. Hippolytus *episcopus Arabs facilè potuit ad visitanda Apostolorum aliorumque martyrum sepulcra Romam venire, in Portu Romano ab ethnicis comprehendi, & ibidem martyrio affici? Quid si plebs, determinatam istius Martyris cathedram ignorans, hunc peregrinum episcopum à loco martyrii Portuensem cognominaverit, & hic popularis error ad aliquos posterioris ævi scriptores transierit, vel potius illa appellatio posteris occasionem dederit, ad Portuensem hujus Martyris episcopatum asserendum? Quidquid sit de hac conjectura nostra, quam propter certiora cujuslibet argumenta libenter deseremus, nos in titulo martyrium* S. Hippolyti *cum vetustis ac recentioribus Martyrologiis* in Portu Romano *collocavimus. Ceterùm in hoc nostro systemate pressiùs urgere possumus anonymum criticum suprà citatum, qui Orientalem* S. Hippolyti *episcopatum inficiari videtur: nam ex Eusebio aliisque constat,* S. Hippolytum *alicui ecclesiæ præfuisse, & S. Hieronymus asserit, concionem ab ipso habitam fuisse coram Origene, qui utique in Oriente commorabatur. In superiori autem hypothesi nihil negotii nobis facessunt alia ejusdem critici argumenta, quibus adversus Tillemontium contendit,* S. Hippolytum *potius in Occidente quàm in Oriente episcopum fuisse: nos enim non inviti Orientalem & Occidentalem hujus sancti Martyris episcopatum cum Baronio & Ughello admittemus, ut suprà innuimus, & hoc ultimum systema nostrum pro mera conjectura damus. Cum singularia Sancti nostri gesta nos lateant, jam tantummodo reliquum est, ut de scriptis ejus agamus.*

§ IV.

A

§ IV. Elogia hujus ſancti Viri, & aliqua ejuſdem ſcripta.

Præter laudes huic Martyri impenſas,

THeodoretus *hunc ſanctum Doctorem fluento fontis comparat, dum Dialogo* 3, *ſive tomo* 4 *Operum ſuorum pag.* 154 *& ſequente teſtimonium ipſius & aliorum ſanctorum Patrum contra hæreticos adducit hoc modo:* Fac igitur pateant aures, & ſpiritalium fontium fluenta accipe, ſancti Ignatii epiſcopi Antiocheni & martyris ex epiſtola ad Smyrnenſes, ... Irenæi epiſcopi Lugdunenſis ex tertio libro adverſus hæreſes, ... ſancti Hippolyti epiſcopi & martyris ex epiſtola ad quamdam reginam. *Anaſtaſius in Collectione Sirmondiana, quæ Venetiis anno* 1728 *recuſa eſt, tomo* 3 *col.* 387 *citans aliquos* S. Hippolyti *textus, ex auctoritate ipſius contra Monothelitas ita concludit:* Ecce nunc & ſacratiſſimus hic & magnus Doctor, veritatiſque teſtis fidelis, concorditer cum aliis omnibus ſanctis Catholicæ Dei ac Apoſtolicæ inſtitutoribus

B Eccleſiæ, duas ſecundum unitionem inconfuſam & impartibilem quemadmodum naturas, ita etiam duas voluntates & duas operationes congruentes & convenientes naturis, divinam, ut dictum eſt, & humanam, increatam & creatam, non inceptam & cœptam, tamquam Dei ſimul & hominis unius & ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti magna voce confitetur & prædicat. *Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Magnum oratorem, quam ſuprà aſſignavimus, numerat* S. Hippolytum *inter doctos illos viros, qui philoſophiâ ac profanis ſcientiis ad gentiles oppugnandos utebantur. Nunc ad aliquas lucubrationes ejus recenſendas progrediamur.*

Euſebius Cæſarienſis

38 *Euſebius lib.* 6 *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap.* 20 *teſtatur, epiſtolas* S. Hippolyti *ſuo tempore in bibliotheca Hieroſolymitana adhuc aſſervatas fuiſſe, & ibidem cap.* 22 *ſcripta ipſius ita ſummatim enumerat:* Eodem tempore & Hippolytus inter plurima alia ingenii ſui monumenta librum de Paſcha compoſuit; in quo temporum ſeriem deſcribens & canonem quemdam Paſchalem per ſexdecim annorum circuitum exhibens,

C anno primo imperatoris Alexandri computationem temporum circumſcribit. Ex reliquis autem illius ſcriptis hæc ſunt, quæ ad notitiam noſtram pervenerunt: In opus ſex dierum. In ea, quæ poſt ſex dies conſecuta ſunt. Adverſus Marcionem. In Canticum Canticorum. In capita quædam Ezechielis. De Paſcha. Adverſus omnes hæreſes. Sed & alia plurima apud alios aſſervata licet reperire. *Videtur Euſebius hîc tantum agere de illis* S. Hippolyti *ſcriptis, quæ ipſe viderat. Non eſt ergo mirum, ſi ab aliis plura recenſeantur.*

& S. Hieronymus ejus ſcripta enumerant,

39 *Sanctus Hieronymus in Catalogo virorum illuſtrium cap.* 61 *de lucubrationibus ejus hæc habet:* Hippolytus cujuſdam eccleſiæ epiſcopus (nomen quippe urbis ſcire non potui) rationem Paſchæ temporumque canones ſcripſit uſque ad primum annum Alexandri imperatoris, & ſedecim annorum circulum, quem Græci ἑξκαιδεκαετηρίδα vocant, reperit; & Euſebio, qui ſuper eodem Paſcha canonem decem & novem annorum circulum, id eſt ἐννεακαιδεκαετηρίδα compoſuit, occaſionem dedit. Scripſit nonnullos in Scripturas commentarios, è quibus hoc reperi: In ἑξαήμερον & in Exodum, & in Canticum Canticorum; in Geneſin & in Zachariam; de Pſalmis; in Eſaïam; de Daniele; de Apocalypſi; de Proverbiis, de Eccleſiaſte; de Saul & de Pythoniſſa; de Antichriſto; de Reſurrectione; contra Marcionem; de Paſcha; adverſus omnes hæreſes; & περὶ Ὁμιλιῶν; de laude Domini Salvatoris, in qua, præſente Origene, ſe loqui in eccleſia ſignificat. In hujus æmulationem Ambroſius, quem de Marcionis hæreſi ad veram fidem correctum diximus, cohortatus eſt Origenem in Scripturas commentarios ſcribere, præbens ei ſeptem & eo amplius notarios, eorumque expenſas, & librariorum parem numerum; quodque his majus eſt, incredibili ſtudio quotidie ab eo Opus exigens; unde in quadam epiſtola ἐργοδιώκτῃ (*id eſt Operis impulſorem*) eum Origenes vocat.

AUCTORE G. C.

in quibus thedram Conſtantinopolitanam occupavit, aliqua ex his S. Hippolyti *Operibus legit, ut ipſe teſtatur in Bibliotheca ſua Codice* 121, *ſive pag.* 302 *in editione Schotti noſtri his verbis:* Legi libellum Hippolyti (qui Irenæi diſcipulus fuit) contra duas & triginta hæreſes. Auſpicatus à Doſitheanis uſque ad Noëti & Noëtianorum hæreſes, quas refert, Irenæo differente, argumentis profligatas, horumque argumentorum ſummam colligentem ſe libellum hunc conſcripſiſſe. Oratio ejus clara eſt, ac nonnihil gravis, miniméque redundans, etſi ad Atticum ſermonem non tendat. Refert autem cum alia non omnino proba, tum epiſtolam ad Hebræos non eſſe Pauli Apoſtoli. Ferunt item hunc conciones ad populum, Origenis imitatione, habuiſſe, illoque familiariſſime utentem, tantum eſſe factum ſcriptorum ejuſdem admiratorem, ut ad divinam Scripturam commentario illuſtrandam hortando impulerit, additis etiam illi ſuo ſumptu ſeptem notariis, qui dictata celeriter exciperent, totidemque librariis, qui accuratè deſcriberent. Hæc igitur ſubminiſtrantem Hippolytum ſine remiſſione ſolitum exigere Opus, quod elaboraſſet Origenes, atque hinc etiam Operis exactorem epiſtola quadam ab eo nominari. Commemorant autem & hunc alia præterea plurima ſcripſiſſe. *Nunc aliqua ad hanc Photii cenſuram notanda eſſe cenſemus.*

aliquam ſententiam,

E

à Photio reprehenſam,

41 *Quod imprimis attinet ad Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos, quam* S. Hippolytus *huic Apoſtolo non tribuit, potiſſimùm nobis placet reſponſio Sixti Senenſis, qui lib.* 7 *Bibliothecæ ſanctæ hæreſi* 8, *ſive apud nos pag.* 593 *de hoc argumento contra adverſarios ſuos ita diſſerit.* Donemus eis, nuſquam ab antiquis Patribus Epiſtolam hanc fuiſſe citatam, & (quod plus eſt) etiam ab ipſis aliquando fuiſſe de ea dubitatum. Quid ergo? Numquid & nobis licebit iterum de ea dubitare? Minimè profectò: nam etſi pervetuſtis illis Patribus ante univerſalem totius Eccleſiæ determinationem de hac Epiſtola addubitare, eamque non temere in canone recipere licuit, nobis tamen poſt tot conciliorum decreta & communem Eccleſiæ Catholicæ ſanctionem id ipſum minimè facere licet, cum ex his omnes illæ cauſæ dubitandi ſublatæ ſint, quæ Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Lactantium, atque alios Patres inducere potuerunt, ut de hac Epiſtola non immeritò hæſitarent, ac proinde ex ea teſtimonia ad confirmationem fidei noſtræ non

F producerent.

cum Sixto Senenſi excuſamus,

42 Inter ceteras verò ſuſpicionum occaſiones prima fuit, quod hæc Epiſtola eſſet de genere carum

AUCTORE G. C.

earum Scripturarum, quæ non ſtatim ab initio naſcentis Eccleſiæ, ſed paulò ſeriùs ad notitiam totius Eccleſiæ Catholicæ pervenerunt, cujuſmodi ſunt Epiſtola Jacobi, ſecunda Petri, ſecunda & tertia Joannis, & ejuſdem Apocalypſis, de quibus, antequam in canone ponerentur, meritò inter Patres diſceptatio fuit, ne rem tanti momenti ſine longa & diligenti examinatione decernerent. Altera verò cauſa eſt, quia cum nondum totius Eccleſiæ auctoritas quidquam de hac Epiſtola decreviſſet, liberum erat cuique ſine hæreſis periculo de ea dubitare ac diſſerere. Nunc verò quando Epiſtola hæc poſt tantam annorum multitudinem, tot conciliorum decretis in canonem aſſumpta eſt, non ſolùm temerarium eſt, ſed hæreticum, iterum illius auctoritatem in dubium revocare. *Hæc ad excuſandam* S. Hippolyti *opinionem, quæ tunc temporis innocua erat, abundè ſufficiunt. Si quis tamen hac de re plura legere deſideret, conſulat eminentiſſimum Bellarminum tomo* 1 *Controverſiarum lib.* 1 *cap.* 17, *& paſſim obvios ſacræ Scripturæ interpretes, qui commentarios ad hanc S. Pauli epiſtolam ediderunt.*

B *& ipſum Photium in alia re erraſſe oſtendimus.*

43 *Dum autem Photius ſuprà aſſerit*, S. Hippolytum *Origeni ſeptem notarios totidemque librarios dediſſe, & illum ab Origene* ἐργοδιώκτην, *id eſt, Operis exactorem appellari, manifeſtè fallitur, cum S. Hieronymus id Ambroſio cuidam adſcribat. Imò ipſe Origenes in ſelectis fragmentis commentariorum ſuorum ad Pſalmos, hunc Ambroſium vocat Operis ſui impulſorem, ut colligi poteſt ex his verbis, quæ in noviſſima Pariſienſi Operum ejus editione tomo* 2 *pag.* 526 *ſic leguntur:* Hæc à nobis velut præfandi gratiâ propoſita ſunt, qui maximum certamen, quodque vires noſtras ac facultatem ſine ulla dubitatione ſuperat, ab ingenti tuo, Ambroſi Vir ſanctiſſime, erga litteras ſtudio concitati fuimus, & ut in illud deſcenderemus, humanitate tua ac moderatione perpulſi: quandoquidem diu me comperta periculi magnitudine recuſantem, non modò diſputare de ſacris Litteris, ſed & multò magis ſcribere ac poſteris relinquere, modis omnibus atque illecebris demulſiſti, & ad hoc quibuſdam divinitatis progreſſionibus adduxiſti. *Hinc ſatis patet, Origenem ab Ambroſio præcipuè inſtigatum fuiſſe, ut commentarios in ſacram Scripturam vulgaret.*

C *Sanctus aliam opinionem, quæ à Photio carpitur,*

44 *Jam pergamus audire Photium, qui codice* 202 *vel pag.* 526 *Bibliothecæ ſuæ de alia* S. Hippolyti *lucubratione tale fert judicium:* Legi Hippolyti epiſcopi ac martyris interpretationem Danielis; quem etſi ad verbum non explicat, nullum tamen ſenſum, ut verum dicam, prætermittit. Pleraque porrò veteri more, non ut poſtea fuere accuratiùs excuſſa, recenſet; quamquam eorum ipſum reddere rationem æquum non eſt: decet enim ab iis, qui principium ſcientiæ alicujus ſtatuerunt, non repoſcere rationem eorum, quæ præterierunt; ſed contentum eſſe potius conatu ipſo, & iis, quæ quatenus licuit, è conſiderandis aſſecuti ſunt. Ceterùm quod Antichriſti adventum (quando etiam mundi hujus aſpectabilis interitus ſequetur) quem ne diſcipulis quidem rogantibus manifeſtavit Chriſtus, Hippolytus hic quingenteſimo poſt Chriſtum anno adſcribere auſus ſit, quaſi à prima mundi conſtitutione ſex millibus annorum tum decurſis, ejus interitus inſtaret, hoc ſanè calidioris, quam par ſit, animi eſt. Verùm hæc ejus aſſertio humanam ignorantiam potius, quàm cæleſtem aliquam inſpirationem arguit. Genus ejus dicendi clarum imprimis ac perſpicuum interpretem ſatis decet, etſi Atticas revera leges repudiat. Legimus unà ejuſdem homiliam de Chriſto & Antichriſto, in qua eadem dicendi forma ſervata & ſenſuum ſimplicitas major eſt ac vetuſtas. D

cum antiquis Patribus docuit,

45 *Veroſimiliter* S. Hippolytus *opinionem hîc à Photio reprehenſam didicit à magiſtro ſuo S. Irenæo, qui lib.* 5 *contra hæreſes cap.* 28 *in noviſſima editione Pariſienſi pag.* 327 *de futuro mundi interitu ſcribit ſequentia:* Quotquot enim diebus hic factus eſt mundus, tot & millenis annis conſummatur. Et propter hoc ait Scriptura Geneſeos: " Et conſummata ſunt cælum „ & terra, & omnis ornatus eorum, & con„ ſummavit Deus die ſexto omnia opera ſua, „ quæ fecit, & requievit in die ſeptimo ab om„ nibus operibus ſuis, quæ fecit „. Hoc autem eſt & ante factorum narratio, quemadmodum facta ſunt, & futurorum prophetia. Si etenim dies Domini quaſi mille anni, in ſex autem diebus conſummata ſunt, quæ facta ſunt; manifeſtum eſt, quoniam conſummatio ipſorum ſextus milleſimus annus eſt. *Sed à quocumque* S. Hippolytus *hanc improbabilem doctrinam hauſerit, ſaltem multos ejuſdem ſententiæ defenſores habuit ex illuſtribus Eccleſiæ doctoribus, quos apud Sixtum Senenſem lib.* 5 *Bibliothecæ ſanctæ Annotatione* 190, *ſive apud nos pag.* 394 *& ſequenti videre eſt. Attamen S. Auguſtinus in Enarratione Pſalmi* 89 *& alibi illam quorumdam veterum Patrum opinionem rectè refellit.* E

& ſcripſit canonem Paſchalem, anno 1551 *repertum,*

46 *Præterea* S. Hippolytus, *teſtibus Euſebio & Hieronymo ſuprà citatis, conſcripſit Paſchalem ſedecim annorum cyclum, cujus occaſione Bucherius noſter in Commentario ſuo ad canonem Paſchalem Victorii Aquitani pag.* 291 *&* 292 *monet ſequentia:* Perierat iſte canon cum ceteris ejuſdem Hippolyti monumentis, nec ejus quidquam præter nomen ſupererat; cùm ecce, bono Deo, & magnâ eruditorum omnium lætitiâ (ut Baronius, Scaliger, Gruteruſque teſtantur) anno Domini MDLI ex agro Verano non procul ab æde ſancti Laurentii ad Urbem, è memoriæ Hippolyti antiquæ ruderibus effoſſa prodiit antiqua è marmore ſtatua, ſolio inſidens, Græcis utrimque litteris inſcripta. Litteræ in binis cathedræ laterculis cyclos Paſchales annorum ſedecim exhibebant; quartarum decimarum dextro, Dominicarum Paſchalium ſiniſtro, utroſque centum duodecim annis univerſim comprehenſos, qua annorum periodo ferias eaſdem in orbem redire credidit Hippolytus. Non erat quidem expreſſum Hippolyti nomen, ſed facilè ipſâ Heckædecaëteridos methodo & librorum lemmate, quod dextrum laterculum continebat, proditum eſt: eorum enim omnium auctorem Euſebius, Hieronymus, aliique Hippolytum epiſcopum faciunt. Tam illuſtre, tam rarum primitivæ Eccleſiæ monumentum Marcello Cervino tunc S. R. E. Cardinali, poſtea etiam ejuſdem nominis Papæ II digniſſimum viſum, quod Romam inde deferretur, & in Vaticana bibliotheca conderetur; edidit deinde Græcè, ut erat, cum antiquis ſuis inſcriptionibus Gruterus; Scaliger etiam notis illuſtravit: ego hîc Latinè fideliter redditum, non tam de novo explicare, quàm Paſchalibus Victorii noſtri Latinorumque primorum rationibus conformem, paucis oſtendere conſtitui. F

47 *Deinde Bucherius ibidem pag.* 295 *exhibet*

A *cum quo nonnulli Operum ejus tituli inventi fuerunt.*

bet Latinam istius opusculi interpretationem, ex qua dumtaxat excerpemus sequentes lucubrationum titulos, qui in dextro latere sic exprimuntur: In Psalmos pœnitentiales. De Pythonissa. De Joannis Euangelio & Apocalypsi. De charismatibus. Apostolica traditio. Chronicon. Ad Græcos. In Platonem, vel etiam de omni. Exhortatio ad Severinam. Demonstratio temporum Paschæ; etiam in tabula. Odæ in omnes Scripturas. De Deo & carnis resurrectione. De bono, & unde malum. *Etiam Syri norunt aliquas* S. Hippolyti *lucubrationes, ut in Bibliotheca Orientali Clementino-Vaticana tomo 3 parte 1 pag. 15 videre est, ubi eruditissimus Assemanus ex Syriaco Ebedjesu episcopi Sobensis catalogo quosdam librorum titulos Latinè reddit his verbis:* Sanctus Hippolytus martyr & episcopus composuit librum de Dispensatione, & expositionem Danielis minoris & Susannæ, & capita adversùs Caium, & apologiam pro Apocalysi & Euangelio Joannis Apostoli & Euangelistæ.

Recensentur alia opuscula ei adscripta, B

48 *Arabes etiam* S. Hippolyto *tribuunt triginta octo disciplinæ ecclesiasticæ canones, ut laudatus Assemanus ibidem testatur his verbis:* Canones Arabicos duodequadraginta sub ejus nomine collegit tomoque primo canonum ecclesiæ Alexandrinæ inseruit Macarius presbyter ac monachus monasterii sancti Macarii in codice Arabico scripto anno Christi MCCCLXXII. *Joannes Michaël Vansleb ius Dominicanus in Historia ecclesiæ Alexandrinæ part. 5 cap. 3, seu pag. 280 & sequentibus, hos triginta octo canones sub nomine Abulidis Gallicè edidit, & ibidem in margine lectorem monet, se ne conjecturâ quidem assequi potuisse, quis fuerit iste Abulides. Verùm Jobus Ludolfus in Historia Æthiopica pag. 333 & sequente eosdem* S. Hippolyti *canones Latinè interpretatus est, ibique Vansleb ium docet,* Hippolytum *ab Æthiopibus* Abulidem *vocari; ac denique post exhibitos istos triginta octo canones hæc addit:* Propter hos canones Hippolitus vocatur DOCTOR ECCLESIÆ ab Æthiopibus; & tam ab ipsis, quàm à reliquis Orientalibus appellatur PAPA ROMANUS, cùm tamen in catalogo Pontificum non reperiatur. Attamen invenitur in Synaxariis Græcorum xxx Januarii, qui est v Februarii apud Æthiopes. *Insuper ab aliquibus eidem sancto Martyri adscribitur* Didascalia Græca, *quæ eadem est ac* Constitutio sanctorum Apostolorum per Hippolytum, *de qua Lambecius in Bibliotheca Vindobonensi lib. 8 pag. 429 meminit.* AUCTORE G. C.

quæ bibliographis examinanda relinquimus.

49 *Sed cum nostri instituti sit potius gesta Sanctorum, quàm singula eorum scripta fusè discutere, huic Commentario historico-critico finem imponimus, & curiosum lectorem remittimus ad Remigium Ceillier Benedictinum, qui in Historia generali de auctoribus ecclesiasticis tom. 2 cap. 27 non ita pridem veras, dubias, & supposititias* S. Hippolyti *lucubrationes operosè examinavit. Denique Joannes Albertus Fabricius Lutheranus in Bibliotheca sua Græca tomo 5 parte 1, sive lib. 5 cap. 1 pag. 203 de* S. Hippolyto *scriptisque ejus tùm superstitibus tùm deperditis abundè disserit, & postea annis 1716 & 1718 omnia istius sancti Martyris Opera, quæ reperire potuit, duobus in folio voluminibus Hamburgi edidit, notisque illustravit, ut laudatus Remigius Ceillier cap. 27 proximè citato, art. XI num. 2 lectorem monet. In hac editione Fabricii tomo 1 pag. 282 contra Calvinistas observari meretur apertum veteris istius Doctoris testimonium, quod realem Christi præsentiam in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento demonstrat his disertis verbis:* Divinam ipsius carnem ac venerabilem ejus sanguinem (*Græcè* Θείαν αὐτοῦ σάρκα καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ αἷμα) dedit nobis edendum bibendumque in remissionem peccatorum. *Hæc sunt præcipua, quæ de intricatis hujus Sancti Actis, & variis ejusdem scriptis exponenda censuimus.* E

DE SS. MARTIALE, SATURNINO, C EPICTETO, MAPRILE, ET FELICE CUM SOCIIS MARTYRIBUS, F

IN PORTU ROMANO.

Antiqua horum Sanctorum memoria in Martyrologiis, & incertus martyrii annus. G. C.

SEC. III. *Hi sancti Martyres*

DE hoc Martyrum manipulo vix quidquam novimus præter nomina, quæ in variis Martyrologiis diversimodè referuntur, ut apparet ex apographis Hieronymianis, in quorum exemplari Corbeiensi apud Florentinium hac die sic annuntiantur: In Portu Romano peregrinorum martyrum, & sanctorum Martialis, Aureli, Epicteti, Saturnini, Aprilis & Felicis cum sociis eorum Justi & Julii. *Sed antiquissimum exemplar Antverpiense videtur nomen appellativum* peregrinorum *mutasse in nomen proprium* Peregrini, *ut ibidem apud laudatum Florentinium indicatur his verbis:* In Portu Romæ Peregrini, Epicteti, Marcelli, Aureli, Felicis, Ippoliti, Saturnini. *Martyrologium Reginæ Suecia pro nomine* Aureli *legit* Auræ, *& eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi 229 num. 7 putat hos Martyres memorari in Actis S. Aureæ, de quibus ad diem* XXIV *hujus mensis agetur, & quæ Baronius ibidem* mendis plena *ac* in multis restituenda *censet.*

2 *Unde Florentinius hac die in notis ad Martyrologium Hieronymianum ita disserit:* Ex sociis S. Hippolyti Portuensis episcopi hos pere- *tam diversè annuntiantur*

AUCTORE G. C.

grinos ſanctos Martyres putat ad hanc diem Baronius ex Actis S. Aureæ vel ipſius S. Hippolyti. Nominibus hos ſignant Beda, Uſuardus & Ado, ſuntque iidem, qui in noſtris codicibus exprimuntur, uno præterito Aurelio; ſocii etiam anonymi in libris noſtris deſiderantur, quos tamen addit Martyrologium Corbeienſe, & facilè Juſtus & Julius ſunt, ab eodem codice ſuperadditi. Auram ſcribit manuſcriptum Reginæ Sueciæ, aptiùs fortaſſe, quàm Aurelius; poſt agonem enim Timothei Antiocheni ſummatim relatum ita habet: IN PORTU ROMANO SANCTORUM PEREGRINORUM MARTYRUM, MARTIALIS, AURÆ, SATURNINI, EPICTETI, APRILIS &c. Sepulta enim S. Aurea habetur in fragmentis ejuſdem Actorum apud Aringhium ex codicibus Mss. Lateranenſi & Vallicellano lib. 3 cap. 8 Romæ ſubterraneæ, in Portu Romano, ſive ad Oſtia Tiberina IX Kalendas Septembris, cum tamen ex ſaxo ad collum alligato demerſam in mari fuiſſe die præcedenti, probabile admodum fuerit. An verò ſanctus Martialis & ſocii ex iiſdem militibus fuerint, qui in mare præcipitati & ab Euſebio ſepulti fuerint in campo Oſtiæ juxta cryptam via Oſtienſi, ut in iiſdem Actis non legitur *; improbabile putarem. *Videſ hìc ubique denſas tenebras, quas diſſipare non poſſumus, niſi fortè poſtmodum ex Actis S. Aureæ major lux affulgeat.*

B

* *forſan* legitur, non improbabile *&c.*

in variis Martyrologiis,

3 *Interim audiamus alios Martyrologos, inter quos auctor veteris Martyrologii Romani poſt enumeratos alios Martyres hac die ſic habet:* Et peregrinorum martyrum, Martialis, Epicteti, Saturnini cum ſociis eorum. *His* Aprilem *&* Felicem *adjungit Ado, quem ſecutus Uſuardus, eoſdem Martyres annuntiat his verbis:* In Portu Romano, ſanctorum peregrinorum martyrum, Martialis, Epicteti, Saturnini, Aprilis, & Felicis cum ſociis eorum. *Poſſunt etiam conſuli Auctaria noſtra Uſuardina, quæ de martyribus peregrinis meminerunt. At Petrus Equilinus, omiſſis his peregrinis, hodiernos Martyres lib.* XI *Catalogi ſui num.* 219 *ſic enumerat:* Martialis, Epictetus, Saturninus, Aprilis & Felix cum quibuſdam eorum ſociis in Portu Romano martyrium paſſi ſunt XI Kalendas Septembris. *Haud dubiè Petrus de Natalibus aut Equilinus illa ex antiquioribus monumentis tranſcripſit. Porrò nos ſuperiùs in titulo ſervavimus ordinem hodierni Martyrologii Romani, quod hos Athletas ad diem* XXII *Auguſti celebrat hac ſerie:* In Portu Romano ſanctorum martyrum Martialis, Saturnini, Epicteti, Maprilis & Felicis cum ſociis eorum.

C

ut ambigatur, utrum ab aliis dividendi

4 *Propter has varias & ambiguas Martyrologiorum annuntiationes, in quibus hi Martyres peregrini modò adduntur, modò prætermittuntur, non immeritò dubitari poſſet, utrum illa duplex an unica Martyrum claſſis fuerit, & an iſti peregrini forſan anonymi vel ignoti diſtinguendi ſint ab aliis, quorum nomina exprimuntur. Certè Florentinus ibidem in notis de hac diſtinctione vel confuſione ſic diſputat:* In Martyrologio Corbeienſi in duas claſſes dividuntur anonymi peregrini à ſociis ſancti Martialis, ſicut etiam in libris noſtris, in quibus legitur IN PORTU ROMANO PEREGRINORUM MARTYRUM; & ſejunctim deinde, NATALIS SS. MARTIALIS &c. Peregrinos facile eſt, ignoratis nominibus, ita dictos, quod ad Apoſtolorum limina peregrinatione ſuſcepta, Chriſtum confitentes ad Portum Romanum in mari mergendi ducti fuerint, vel ibidem alio modo pro Chriſto necati. D

an cum iis conjungendi ſint,

5 Nec multum refert, quod Martyres illi in Actis S. Aureæ memorati, ſepulti dicantur ad Oſtia Tyberina: quamquam enim Portus Romanus urbs fuerit ab Oſtia urbe diſtincta (à læva enim Oſtii Tiberini Oſtia erat, à dextra Portus Auguſti ſive Trajani) cum tamen inſula Tyberis ſeu ſacra tantùm media eſſet, parva erat diſtantia, & una pro altera urbe exciſa non rarò penes ſcriptores accipitur. Verùm ab adductis Mss. libris diſtat Martyrologium vetuſtiſſimum Antverpienſe & in Portu Romæ, non peregrinos Martyres, ſed proprio nomine Peregrinum aliorum anteſignanum, Epictetum pro Martiale, Marcellum, Aurelium, Felicem, Saturninum, & pro Aprile Hippolytum exhibet. Cum verò Hippolytus ad ſequentes Faſtos pertineat, & pro reliquis reliqui omnes codices conſpirent, ab iiſdem non eſſe diſcedendum putavi. *Hactenus cum Florentinio in tenebris palpavimus, & propterea illam hodiernorum Martyrum diſtinctionem vel conjunctionem libenter aliis antiquitatis indagatoribus illuſtrandam relinquemus.* E

& ignoretur certum martyrii tempus,

6 *Nunc breviter aliquid dicendum ſupereſt de tempore martyrii, quod eminentiſſimus Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti 229 num.* 7 *ſub imperatore Alexandro collocat, eo quod hos Martyres ex ſociis S. Hippolyti fuiſſe exiſtimet. At etiamſi concederemus, hodiernos illos Martyres ſimul eum S. Hippolyto paſſos eſſe, tamen adhuc certum hujus martyrii tempus aſſignare non poſſemus, ut patet ex iis, quæ in Commentario hiſtorico de S. Hippolyto circa epocham martyrii ejus propoſuimus. Caſtellanus in Martyrologio ſuo univerſali ad Romanam Martyrum noſtrorum annuntiationem notat, eos ſeculo tertio martyrium ſubiiſſe, quam latè ſumptam chronologiam nos etiam ſuperiùs in margine expreſſimus, quia non ſatis conſtat, illos ac S. Hippolytum eodem tempore lauream martyrii adeptos eſſe.*

cum monumenta eorum perierint.

7 *Ceterùm pro tempore aut Actis horum Martyrum nihil ex poſthumis eorum monumentis erui poteſt, cum laudatus Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum 270 num.* 15 *ruinam Portuenſis eccleſiæ poſt alia deſcribat his verbis:* Fruſtra ſunt perquiſita aliorum Portuenſium martyrum monumenta; nulla enim ibi penitus veſtigia Eutropii, Zoſimæ, atque Bonoſæ, nec illorum glorioſorum quinquaginta militum, qui in S. Bonoſæ certamine ad fidem converſi, martyrium ſubiere, quos omnes ſanctus Felix Papa ſacro baptiſmate abluit, & ad pugnam pro Chriſto reddidit fortiores, eccleſiaſticis chartis tantùm notos. Sed nec ſanctorum martyrum Martialis, Saturnini, Epicteti, Maprilis, Felicis, ac ſociorum, quorum in Actis ejuſdem Hippolyti eſt clara mentio, memoriæ aliquid reſidui erat. *Qualem fidem mereantur Acta S. Hippolyti, ſuperiùs hac die demonſtravimus ex craſſo parachroniſmo, cujus hìc juverit meminiſſe.* F

DE

A D

DE SANCTO MAURO, ET SOCIIS L MARTYRIBUS,

REMIS IN CAMPANIA GALLIÆ,

SYLLOGE. J. P.

§ I. Cultus, numerus Martyrum, lipſana eorum ſacra.

EXEUNTE CIRCITER SEC. III. *Memoria horum Martyrum*

AUctaria ad Uſuardum, à noſtro Sollerio editum, hunc ſanctorum Martyrum manipulum annuntiant è variis codicibus. *Nam Bruxellenſis ibidem hæc memorat:* Remis civitate, natale Martyrum quinquaginta. *Remenſis:* Remis, B paſſio ſanctorum Mauri presbyteri, & cum eo quinquaginta Martyrum. *Editio Lubeco-Colonienſis:* Xonis civitate Galliæ, ſanctorum quinquaginta Martyrum. *Grevenus:* Mauri presbyteri & martyris, aliorumque quadraginta: *ſed ad hanc annuntiationem obſervat noſter Sollerius, quòd* prior editio *habeat* SEXAGINTA. *Et mox ex eodem Greveno ſequitur iſta annuntiatio:* Xonis civitate Galliæ, ſanctorum Martyrum quinquaginta. *Et paullo pòſt ſubditur iſta ex Molano:* Remis, civitate Galliæ, beati Mauri, & cum eo quinquaginta Martyrum. *Maurolycus omittit locum palæſtræ; ſed exprimit genus mortis, ſic dicens:* Item quinquaginta Martyrum decollatorum. *In Florario autem noſtro Ms., præter locum martyrii, ſignatur imperator, ſub quo paſſi ſunt, & annus, his verbis:* Remis civitate, natale quinquaginta Martyrum, ſub Nerone paſſorum anno ſalutis LVII. *Denique in Martyrologio Pariſienſi, quod anno 1727 excuſum eſt, annuam obtinuere memoriam: ſic enim ibidem leguntur:* Remis, ſanctorum martyrum Mauri presbyteri, & ſociorum quinquaginta. C *Sed apponitur notatio temporis longè diverſa à priore, nimirum* ante finem III ſæculi.

in Faſtis ſacris: 2 *Marlotus lib.* 1 *Metropolis Remenſis hiſtoriæ cap.* 16, *pag.* 58 *hæc recitans è Martyrologio ejuſdem metropolis ad hunc diem, Martyrum numerum auget:* Remis paſſio S. Mauri presbyteri, & cum eo quinquaginta Martyrum, & aliorum plurimorum ſanctorum Martyrum. *Quod ſi dicas ultimos hoſce* plurimos *ad priores non ſpectare; ſed ab iis eſſe diverſos; laudatus tamen Marlotus tom.* 2, *lib.* 1, *cap.* 37, *pag.* 126 *priorum numerum in codicibus aliquibus Mss. multiplicari ad nonaginta affirmat. Martyrologium verò Romanum non determinat eorum numerum, ſic dicens:* Rhemis ſanctorum martyrum Mauri & ſociorum. *Concors itaque tot ſacrarum tabularum teſtificatio liquidiſſimè comprobat antiquum Pugilum Remenſium cultum: quem priuſquam aliunde pluribus illuſtremus, reſpondendum hìc videtur ad quæſtiones nonnullas, quæ ſuper annuntiationibus jam recitatis inſtitui poſſint.*

eorum numerus: 3 *Quæres itaque primò, quid ſit probabiliùs dicendum de Martyrum numero. Reſpondeo; qui minorem poneret quàm quinquaginta, ac plures adderet ſupra quinquaginta, diſſentiret à ſuperioribus annuntiationibus, quæ in eo conveniunt. Vidimus* S. Mauro *à nonnullis addi Athletas* quinquaginta: *quod etiam fit à Sauſſayo in Martyrologio Gallicano ad hunc diem. Flodoardus eccleſiæ Remenſis presbyter canonicus, qui ſeculo decimo floruit, in Hiſtoria ejuſdem eccleſiæ lib.* 1, *cap.* 4, *fol.* 10 *editionis Sirmondianæ, non ſatis clarè indicat in Actis iſtorum Martyrum, quæ profert, an ſimul quinquaginta illi, quos diſertè ſignat, conjungi debeant cum* S. Mauro, *an ſine illo numerum quinquagenarium conficiant. Textum Actorum audiamus:* Adveniens quidam presbyter, nomine Maurus, multitudinem hominum baptizavit. *Et, aliquibus interjectis, ſequuntur iſta:* Præſes verò ... juſſit ſingulos decollari .. Fuerunt autem omnes, qui decollati ſunt, quinquaginta viri, ſub die undecimo Kalendas Septembris. *Ubi vides τὸ* ſingulos, *& τὸ* quinquaginta viri *referri ad illam* multitudinem hominum, *quam* Maurus baptizavit: *an autem* Maurus *ipſis ſuperaddi debeat, non exprimit; ſed relato SS. Timothei & Apollinaris martyrio, quod accidiſſe ſcribit* ſub die x Kalend. Septembris, *ſepulturam verò* die nono Kal. Septembris, *ac nonnullis adjectis de conſtructa eorum baſilica, decorato ſepulcro, & altari, quod* S. Mauri, *uti addit,* fertur reliquiis & honore dicatum, *mox adjungit iſta:* Qui eodem, quo præfati tempore pro Chriſto cæſus capite, ipſorum meruit conſortio F renitere. *Ubi nihil determinat in rem noſtram. Verùm quoniam hac die* XXII *Auguſti illos* quinquaginta *diſertè ſignat Flodoardus martyrio coronatos, & concors aliquorum eſt Faſtorum notatio in præmittendo illis nominatim* S. Mauro; *nos quoque eorum Faſtorum exemplum ſecuti, & hunc nominatim, & alios* quinquaginta *numero rotundo ſuperiùs ſignavimus.*

locus palæſtræ: 4 *Quæres ſecundò, quid ſibi velit* Xonis civitate Galliæ, *cui attribuuntur in duobus auctariis ſuperiùs citatis Martyres hodierni. Reſpondeo, ſcribendum* Remis, *& ex omnibus aliis annuntiationibus, quas dedi, confici videtur, quòd ab imperito ſcriptore aliquo error ille commiſſus ſit. Enimverò de* Xonis civitate Galliæ *nuſquam reperi hactenus apud geographos, quos conſului, ullum ſignari veſtigium. Unde etiam ſuſpicor, Grevenum, qui poſt annuntiationem* Mauri presbyteri & martyris *&c., ſuprà ex eo datam, mox ſubtexuit aliam* Xonis, *ut ibidem licet videre, aberraſſe per poſitionem, quam alicubi legerat, iſtius loci, & bis ſignaſſe hodiernos Martyres Remenſes; cùm apud alios omnes hagiologos antea allegatos dumtaxat ſemel*

AUCTORE J. P.

ſemel occurrant Martyres quinquaginta, vel quinquaginta & unus, quando eis S. Maurum *adjungunt. Ad hæc, mendosè ab eo exprimi in annuntiatione* S. Mauri, *numerum* aliorum quadraginta, *vel uti habet prior ejus editio*, ſexaginta, *colligitur è noſtro reſponſo ad quæſtionem primam. Sed de his ſatis.*

cultus S. Mauri apud Remenſes, & Florimenſes,

5 *Nunc de publica veneratione, quâ ſancti Pugiles noſtri, præſertim verò* S. Maurus, *inclaruêre, nonnulla colligere viſum eſt.* S. Mauri, ſociorumque ejus *commemoratio habetur in Breviario Remenſi, quod in tergo ſignatur eſſe editum anno* 1543 : *quæ etiam præſcribitur in Breviario ejuſdem metropolitanæ eccleſiæ anni* 1630. *Publicus* S. Mauri *cultus apud monachos Florinenſes propagatus fuit, quando ſacræ ejus reliquiæ illuc Remis tranſlatæ ſunt. Marlotus ſuprà citatus tomo* 2, *lib.* 1, *cap.* 18, *pag.* 61 *rem geſtam narrat his verbis :* Gerardus Cameracenſis, patre defuncto apud Florinas, pro loci reverentia, quo natus fuerat, monaſterium ſancti Ginculfi, imperfectum à patre relictum, ad finem perduxit. Aliud quoque ſancti Joannis
B ex rebus ſuis fundavit ; hoc quidem Clericorum, illud monachorum, utrumque annuente Baldrico Leodienſium epiſcopo, in cujus parochia ſunt, conſecravit. Ipſâ verò ſancti Joannis abbatiâ domno Richardo abbati commendatâ, idem Gerardus cœpit cogitare apud ſe, quomodo eam Sanctorum reliquiis locupletaret.

ex tranſlatis ad hos ultimos

6 Et quoniam ſtricta quædam intercedebat neceſſitudo inter eum, & Arnulfum Remenſem archiepiſcopum, petiit ab eo quamdam venerabilium oſſium partem ſanctorum martyrum Mauri & Timothei, quæ olim oſculatus fuerat, cùm Remis ageret : quod & obtinuit, ut fidem faciunt prædicti Arnulfi ac capituli Remenſis litteræ, quas Molanus retulit in ſuo Martyrologio, *id eſt, in Natalibus Sanctorum Belgii ad diem* XXII *Auguſti : è quibus Marlotus iſta, quæ ſuperioribus ſubdit, delibavit ; ſed ego ea tranſcribo ex ipſo Molano :* Fecimus cum proximo noſtro Gerardo Arnulphi filio, quod charitas monet, & convicti ejus precibus pro voto petitionis contulimus talentum pretioſiſſimi ponderis, corpus domini ac Deo digniſſimi presbyteri & martyris Mauri : qui ab Apoſtolis veniens,
C Rhemenſis noviter fundatæ eccleſiæ columna fuit. Et tanto libentiùs id fieri decrevimus, quanto Nodgeri anteceſſoris veſtri ſanctæ memoriæ erga hujuſmodi rem benevolentiam novimus : & quod eo amplius locus Florinenſis, Deo donante, augebitur, ſicut oculis ipſi comprobavimus. Veſtro igitur conſilio & adjutorio, honorificè in veſtro ſuſcipiatur epiſcopio : & hunc apud juſtum judicem patronum habeatis, & defenſorem. Cæterùm ne ſedes epiſcopalis patrocinio tanti fruſtretur patroni, caput prædicti martyris in eburnea theca reconditum reſervavimus, pro quo aliud eorum, qui cum eo paſſi ſunt, mittere dignum duximus ; *nimirum* Timothei : ejus enim expreſſa mentio eſt in Officio monaſterii Florinenſis, *uti addit Molanus. Sed nos de ea re, ac de iſto Sancto agemus die craſtinâ. Gerardus I epiſcopus Cameracenſis eſt factus anno Chriſti* 1013, *ex Gallia Chriſtiana tom.* 3 *editionis noviſſimæ, col.* 19. *Baldricus II in eodem tomo* 3, *col.* 848 *Notkero ſuffectus dicitur anno* 1008 ; *in Hiſtoriâ autem Leodienſi, anno* 1735 *ac duobus proximè ſequentibus Leodii editâ, tomo* 1, *part.* 2, *lib.* 4, *pag.* 208, *initium epiſcopatûs ejus aſſigitur anno* 1007. *Hinc colligi utcumque poteſt, quo circiter tempore ſuperior donatio ac tranſlatio reliquiarum* S. Mauri *acciderint : de qua donatione etiam mentionem facit Mabillonius in Annalibus ſui Ordinis ad annum* 1012, *num.* 74. *De Arnulfo archiepiſcopo Remenſi agit Marlotus tomo* 2, *lib.* 1, *cap.* 14 *& ſequentibus.* D

ipſius reliquiis :

7 *Jam verò, ut reliqua, quæ apud Florinenſes ſubſecuta ſunt poſt pretioſi hujus pignoris depoſitionem, referamus ; Molanus loco ſuperiùs à nobis indicato refert,* quod Martyr Florinis celeberrimam habeat memoriam, & frequenti offerentium concurſu ex Gallia, & aliis orbis partibus honoretur. *In Indiculo autem Sanctorum Belgii memorat iſta in rem noſtram :* S. Mauri corpus quieſcit in abbatia Florinenſi, patriæ & diœceſis Namurcenſis (*Ordinis S. Benedicti,*) ubi tanta pietate colitur, quòd oblationes ſingulis annis facilè aſcendant ad quadringentos aut quingentos florenos Rhenenſes . . Exceptio autem ſancti Mauri à Florinenſibus recolitur tertio Novembris. *Nec verò Remis* S. Mauri *ac ſociorum Martyrum veneratio publica, eaque ſingularis ceſſavit, ſicut Marlotus teſtatur variis locis. Nam tomo* 2, *lib.* 1, *cap.* 37, *pag.* 126, Poſſidet, *inquit,* imprimis theſauraria collegiatæ eccleſiæ ſancti Timothei Remenſis corpora quinquaginta Martyrum (Mss. codices nonaginta numerant,) qui ſub initium naſcentis Eccleſiæ ſanguinis ſui ſigillo fidem Chriſti confirmarunt, quorum dux & caput fuit invictiſſimus levita Timotheus . . . Supra majus altare quinque aliæ viſuntur capſæ . . , *quarum* tertia beatiſſimi martyris Mauri pignora recludit. *Laudatus ſcriptor tomo eodem, lib.* 3, *cap.* 9 *indicat templum quoddam Remenſe aliquando vocatum ejus nomine, occaſione eccleſiæ S. Balſamiæ, vulgo Sanctæ Nutricis, quam ita dictam affirmat, pag.* 114, quòd B. Balſamia S. Remigii nutrix fuerit, & mater S. Celſini : unde prædicta eccleſia quandoque S. Celſini vocatur à Flodoardo, quòd ejus reliquiæ in ea depoſitæ eſſent, ut & B. Mauri martyris ; *addit tamen* Balſamiæ ſeu Nutricis *conſtans ejuſdem eſſe nomen. Eam Caſtellanus refert in ſuo Martyrologio univerſali ad diem* XIV *Novembris.*

cujus etiam, uti & ſociorum, Remis remanſerunt.

8 *Ibidem pag.* 415 *Marlotus de ejuſdem eccleſiæ ſacrario agens,* S. Mauri martyris, ac ſociorum reliquias *aſſervari* in capſa *aſſerit :* major enim pars corporis ipſius ſub Arnulfo archiepiſcopo apud Florinas tranſlata eſt. *Pag.* 416 *addit* caput, ſeu veriùs capitis fruſtum ſancti Mauri martyris. Integrum enim in cathedrali eccleſia ſecus altare aſſervari, idem Flodoardus aſſeverat lib. 1, cap. 20 (*immò* 4.) *In fine autem capitis citati hæc narrat :* Viſitur quoque ſecus eccleſiam capella ſubterranea, cryptis Martyrum haud abſimilis : ubi B. Maurum quidam volunt latuiſſe tempore perſecutionis, ac immaculatam Deo Hoſtiam obtuliſſe. Hac itur in cryptulam, quam B. Mauri cameram vulgus nuncupat, piéque ab eo feriâ quintâ & ſextâ majoris hebdomadæ præſertim viſitatur : ſed de hac cùm ſiluerit Flodoardus, licèt vetuſtatis aliquod ſit monumentum, plura referre, operæ pretium non exiſtimo. *Hæc Marlotus. Idem hiſtoricus tomo* 1, *lib.* 1, *cap.* 19, *pag.* 69 *retulerat, ſacra lipſana noſtrorum Pugilum* quinquaginta, *Remenſium liberalitate ad varias eccleſias delata fuiſſe ; ut Martyrum notitia, æſtimatio, atque adeo invocatio ac publica veneratio non mediocre variis locis caperent incrementum.* Quinquaginta, E F

A ginta, *ait*, Martyrum reliquiæ ciſtis incluſæ, in crypta veteri latent adhuc, quarum partes ſat notabiles nuper à canonicis variis eccleſiis, etiam extra diœceſim, liberaliter collatæ, eo longiùs Sanctorum nomen propagabunt, quo ad remotiſſimas urbes delatæ, à fidelibus venerationem recipient. Sic enim iiſdem pro tutelaribus habitis, cultus eorum ac memoria magis ac magis inclareſcet.

S. Mauri veneratio in Ducatu Luxemburgenſi,

9 *Addi his poſſunt, quæ P. Bollandus noſter ſua manu notavit ad Martyrium Ms.* S. Mauri presbyteri, *videlicet* In pago Ducatûs Luxemburgenſis, dicto Alla, decanatûs Moſomenſis, 4 leucis Moſomo diſtante, vigere ejuſdem S. Mauri cultum, eóque convenire certis temporibus multos peregrinos: videri iſthic olim fuiſſe reliquias, quæ per bella inter Carolum V, & Franciſcum I deperditæ ſint. Sed alias illi pago Remis obtinuiſſe abbatem Moſomenſem noſtrâ memoriâ.

& alibi.

10 *Coronidis loco ſint illa, quæ, poſtquam ſuperiora ſcripſeram, lego apud Caſtellanum in Additionibus ad Martyrologium univerſale hac die pag.* 976; *ubi aſſerit, quòd ab eo (agit de* S. Mauro Remenſi) *nomen habeat pagus* Saint-Moret *ad fluvium Axonam apud Vongiacum (Vonzy;) Latinè* ſanctus Maurulus, *id eſt*, parvus Sanctus-Maurus. *Porrò diſtinctus hujus loci ſitus exhibetur in Geographiæ Blavianæ volumine* 7 *in mappa diœceſis Remenſis, ac territorii Retelenſis poſt paginam* 59. *Nec nomen dumtaxat hujus ſancti Athletæ inditum eſſe iſti loco, ſed in eo etiam ipſum coli, obſervat in Indice locorum ad nomen* Vongiacum *pag.* 1066 *idem Caſtellanus:* apud quem, *inquit*, locum eſt cultus S. Mauri Remenſis.

B

§ II. Actorum exemplaria; tempus martyrii, & ejuſdem hiſtoria è Flodoardo.

Varia exemplaria,

C *Inter alia Actorum apographa habemus unum* ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris, *ab anonymo quodam & imperito homine conflatum, ſicut liquet è ſequenti ſpecimine. Nam contra veterum auctoritatem effutit, adverſus Neronem imperatorem non decreta tantùm, ſed reipsâ ei inflicta fuiſſe hæc ſupplicia:* Cumque poſt diutina ejus malorum tædia ex ſenatûs ſententia, eo quòd cunctis eſſet intolerabilis, nudus per publicum ductus, furcâ collo ejus inſertâ, virgis ad mortem uſque cæderetur, per noctem ſervatus eſt, ut in craſtino præcipitaretur è ſaxo. Is verò noctis medio aufugiens, ſanè nullo priùs reperto, à quo feriretur; exclamaſſe fertur *&c. Porrò fabulator ille* Paſſionem S. Mauri cum ſociis *ſic incipit:* Beatiſſimi Mauri martyris Chriſti, ſociorumque ejus, quorum hodie ſolemni more digniſſimum exequimur cultum *&c.*

quæ referunt

12 *Aliud Actorum exemplum huc miſit P. Joannes Gamans S. I.* ex Bodecenſis cœnobii Ord. Regul. S. Auguſt. diœceſis Paderbornenſis Paſſionali pergameno Ms. inſigni *&c. ſicut in apographo noſtro notatur: cujus hoc eſt narrationis exordium:* Temporibus Neronis cùm Lampadius præſidatum ageret, in Remenſi civitate facta eſt perſecutio in Chriſtianos pervalidè. *Titulus, qui præfigitur, ſic habet:* Incipit paſſio ſanctorum Timothei & Apollinaris, quæ eſt x Calendas Septembris. *Non placent hæc Acta, tum quia rem geſtam affigunt* temporibus Neronis: *tum quia multitudinem noſtrorum Martyrum, quos baptiſmo abluerat* S. Maurus, *extendit ad* nonaginta, *quod eſt niti contra torrentem Martyrologiorum, ut ſuprà indicatum eſt: tum denique quia* Lampadius præſes *ita loquens inducitur:* Audio te, Timothee, novam legem hominibus prædicare, ſcilicet quòd homo crucifixus Deus ſit. Quod itaque cùm prædicas, ignoras forſitan legum ſeveritatem à ſacratiſſimis imperatoribus prolatam, per quam juſſerunt, ut omnis, qui non adoraverit deos, tormentis ac morti ſubdatur.

AUCTORE J. P.

martyrium,

13 *Quæro enim, quo pacto hæc cohæreant cum Nerone, qui & ſolus imperavit, & primus ex imperatoribus Chriſtianos eſt perſecutus? Nec cautiùs enimverò in hac re proceſſit Flodoardus, qui lib.* 1, *cap.* 4 *de primis urbis Remenſis Martyribus ſcribens, inter ea, quæ de SS. Timotheo & Apollinare memorat, iſta refert ad eos præſidem dixiſſe,* Infeliciſſimi hominum, conſentite præceptis IMPERATORUM, & adorate eos, quos illi adorant; *nam etiamſi Neronis imperatoris nomen non legam loco citato expreſſum;* E *poſtquam tamen cap.* 3, *in quo de primis urbis Remenſis epiſcopis tractaſſet, ducto, uti vult, exordio à tempore S. Petri Apoſtolorum principe; ibidem de primis, quos dicebam, ejuſdem urbis Martyribus, ſcribit iſta, non obſcurè indicans, eos ad prima Eccleſiæ naſcentis tempora, immò etiam ad Neronis perſecutionem ſpectare. Sic enim dictum caput tertium concludit:* Nec eos eccleſiam noſtram tantummodo ab urbe Româ conſtat habuiſſe patres vel fundatores; quæ Martyribus etiam redimita, eorumque ſacrata ſanguine atque triumphis SUB IPSO ROMANÆ PERSECUTIONIS ARTICULO decorata probatur.

hic examinantur,

14 *Verùm hîc devolvimur ad famoſam controverſiam de primis Galliæ apoſtolis, ſeu fidei ibidem Chriſtianæ præconibus; de quâ aliquid ſtatim dicemus. Interim quia nec ætatem, nec auctorem codicis Bodecenſis apprime novimus; viſum nobis eſt ex Flodoardo extrahere paucula illa, quæ de* S. Mauro *ac* ſociis Martyribus *ad poſteros tranſmiſit, omiſſis hîc aliis, ac in proximè ſequentem diem* XXIII *Auguſti remiſſis, quæ de SS. Timotheo & Apollinare interſerit. Dicebam modò, me apprime non noviſſe ætatem codicis Bodecenſis:* F *antiquum verò eſſe vel hunc ipſum codicem, vel ſaltem primum ejuſdem fontem, videtur colligi utcumque ex eo indicio, quòd non meminerit noſtrum exemplar de tranſlatione eorumdem SS. Timothei & Apollinaris, quæ, ut ad* XXIII *Auguſti patebit, circa medium ſeculi noni facta eſt, & refertur à Flodoardo lib.* 1, *cap.* 4. *Narratur tamen in iſto Ms., horum Sanctorum corpora tranſlata & condecorata fuiſſe ſub Tilpino præſule Remenſi, qui vixit ſeculo octavo. Sed de his plura, quando eorum Acta illuſtrabimus. At quid de illorum, atque adeo de* S. Mauri *ac* ſociorum *tempore martyrii?*

& indagatur

15 *Quoniam non eſt mihi animus notiſſimæ controverſiæ atque inter eruditos admodùm ventilatæ telam hîc retexere de primis annuntiati in Gallia Euangelii præconibus, in hoc puncto, quoad Martyres noſtros ſpectat, conabor eſſe brevis. Theodericus Ruinartius, qui Opera S. Gregorii epiſcopi Turonenſis edidit & illuſtravit, ad librum ejus primum De Gloria Martyrum, cap.* 55, *in quo tractatur de SS. Timotheo & Apollinare MM., col.* 785 *notat ſequentia:* Horum

AUCTORE J. P.

Martyrum Acta, illos cum Mauro presbytero, aliisque multis, Nerone imperante, sub Lampadio præside passos fuisse commemorant: quæ sententia non placet iis, qui nullos Martyres in Galliis ante M. Aurelii tempora admittunt. Videntur tamen Maximiani temporibus antiquiores: nusquam enim sub Rictio Varo præside passi, ut ceteri Belgicæ Galliæ istorum temporum Martyres, dicuntur. *Sulpitius Severus Sacræ historiæ lib. 2, pag. 157 editionis Lovanienſis anni 1680,* Sub Aurelio, *inquit*, Antonini filio, persecutio quinta agitata. Ac TUM PRIMUM INTRÀ GALLIAS martyria visa, seriùs trans Alpes Dei religione susceptа. *Hæc auctor ipse Gallus omni exceptione major, qui claruit initio seculi quinti, & quem mirum esset non rescivisse, si ante signatum ab ipso tempus Martyrum carnificina in Galliis exercita fuisset. Laurea itaque martyrii probabiliùs videtur in aliud tempus differenda. Sed ad quod?*

tempus,

16 *Flodoardus lib. 1, cap. 4, fol. 11 verso editionis Sirmondianæ hæc memorat post martyrium SS. Timothei & Apollinaris:* Eusebius
B quidam vir spectabilis, qui & ipse per verbum ipsorum credidit, fabricavit illis ecclesiam. *Hinc Tillemontius tomo 4 Monumentorum ecclesiasticorum in S. Dionysio, primo Parisiensi episcopo & martyre, articulo 21, pag. 495 credi posse affirmat, illos non esse passos ante Diocletianum. Ad hæc, in notis, quæ sunt in eodem tomo pag. 734, super Actis S. Timothei Remensis, dicit, fieri posse, ut passus fuerit sub M. Aurelio; sed se non videre, quo id fundamento nitatur: ac proin mavult istum Sanctum, & Apollinarem, socium ejus, ponere inter illos, quorum veneratio est certissima, sed quorum tempus ac gesta ignorantur. Si tamen admittatur ex eorum Actis ac Flodoardo, Eusebium ipsis ædificari jussisse ecclesiam, quod, ait, parùm præsumi potest accidisse quàm tempore Constantini; sic ante Diocletianum non erunt passi. Hæc ille, lectorem relinquens fere tam incertum de tempore, quod hîc inquirimus, quam fuit antè. P. Jacobus Longuevallius noster in Historia ecclesiæ Gallicanæ tomo 1, lib. 1, ad annum 257, satis dubiè vel timidè in figendo Remensium Martyrum tempore pronuntiat, dicens eos pati potuisse sub per-*
C *secutione Valeriani. Castellanus verò incompertum sibi tempus fuisse satis indicat, quia in suo Martyrologio universali, dum annuntiat hodiernos Pugiles nostros Gallicè è Latino textu Martyrologii Romani, nullum eis tempus apponit. Martyrologium novum Parisiense notat ad marginem annuntiationis illorum, superiùs num. 1 prolatæ,* ante finem 111 sec.

quo illud acciderit.

17 *Quæ cùm ita sint; perspicit lector, scriptores in varias abire sententias, ut Athletarum nostrorum certamini laureato aliquod tempus assignent. Nobis verò non displicet opinio ista, quæ vel sub Valeriano, vel saltem exeunte circiter seculo tertio coronatos martyrio refert. Sic enim obviam itur, & videtur fieri satis duabus difficultatibus, quæ occurrunt, si illud tempus multùm anticipetur; quarum una consistit in ecclesia illa, jussu Eusebii cujusdam in honorem SS. Timothei & Apollinaris fabricata, ut suprà dictum est ex Flodoardo. Quid enim vetat, Eu-*
D *sebium* per verbum ipsorum credidisse, *& post annos quindecim, vel post plures, si vis, basilicam eis construi curasse; cùm tempus, quo id contigerit, Flodoardus non definiat, etiamsi rem gestam eorumdem martyrio statim subjungat? Cur itaque non liceat ipsum exponere cum illa extensione ac latitudine temporis, ut factum id fuerit, quando per Constantinum M. & pax Ecclesiæ erat data, templisque & altaribus condendis concessa libertas? Deinde hoc etiam modo evanesceret difficultas, ex famoso loco Severi Sulpitii antea proposita, ut consideranti patebit. Quia tamen adeo sunt obscura, quæ ad præsentem controversiam pertinent, ut nihil historicè certi videatur de eadem definiri posse; ideo* SS. Mauri *ac* sociorum *mortem innexui seculo circiter tertio exeunti, quam temporis limitationem volo accipi, sicut eam dedi, per modum probabilis conjecturæ.*

Datur historia passionis

18 *En tibi nunc, lector, Acta è Flodoardo lib. 1, cap. 4:* Ipsâ autem nocte adveniens quidam presbyter, nomine Maurus, multitudinem
E hominum baptizavit in nomine Domini nostri Jesu Christi: Apollinaris verò cùm baptizaretur, vidit cælos apertos & audivit angelum dicentem sibi: Beatus es, Apollinaris, qui credidisti. Beati omnes, qui tincti sunt in aquâ, in quâ tu purificatus es. Quicumque hac nocte hic baptizatus fuerit, crastinâ die in paradiso suscipietur. Hoc autem dictum omnes, qui ibidem aderant, audierunt, & genua flectentes dixerunt: Parce nobis, Domine Deus noster, & præsta misericordiam tuam his, qui diligunt nomen tuum. Altera autem die jussit præses adduci eos ante tribunal suum. Astantibus autem illis præses dixit: Stulti homines, quæ res vos circumvenit, ut credatis in hominem crucifixum, qui sub Pontio Pilato multa perpessus est, novissimè autem crucifixus asseritur?

ex Flodoardo.

19 Tunc illi respondentes dicentes: Vidimus in hac nocte angelum Dei loquentem cum Sanctis, quos tu tenes in carcere: & ipsi angeli dixerunt nobis hodie ituros esse in paradisum, & accepturos esse coronas, quas tui oculi videre non merebuntur. Præses verò iracundiâ plenus
F jussit singulos decollari. Cumque ducerentur Sancti extra civitatem, signaverunt se signaculo Christi, & sic martyrizati sunt, confitentes Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Fuerunt autem omnes, qui decollati sunt, quinquaginta viri, sub die undecimo Kalendas Septembris. *Post hæc, interjectis nonnullis de SS. Timothei & Apollinaris martyrio, sepulturâ, basilicâ, ac corporibus eorum à Tilpino archiepiscopo è veteri tumulo permotis, ac decorato eorum sepulcro, ita pergit Flodoardus:* Altare denique, quod ante tumbam eorumdem stat medium, sancti Mauri fertur reliquiis & honore dicatum, qui eodem, quo præfati, tempore, pro Christo cæsus capite, ipsorum meruit consortio renitere. Cujus ossa in ecclesia beati Celsini servantur deposita. Caput autem infra civitatem intra beatæ Dei Genitricis Mariæ basilicam in arca secus altare veneratur reconditum.

DE

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS

AGATHONICO, ZOTICO, THEOPREPIO, ACINDYNO, SEVERIANO, ZENONE, AC PRINCIPE SENATORE,

IN BITHYNIA, ET IN THRACIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

§ I. Annuntiationes è tabulis sacris Græcorum; elogium; aliquæ super nonnullis ex his Martyribus observationes; Agathonicus præ reliquis clarus.

B E

Sub Maximiano. *Memoria in Græcis Fastis,*

Varii Græcorum Fasti annuam hac die consignant horum sanctorum Martyrum memoriam, ita tamen, ut non omnes omnium simul nomina exprimant. Nam Typicum, quod S. Sabbæ dicitur, nec non Supplementum Sirmondo-Chiffletianum, solius Agathonici *meminerunt; Menæa autem magna typis edita, ac Menologium Sirletianum nominant quinque primos in annuntiatione sua: quibus in Menologii Basiliani elogio superadditur* Zeno, *qui alibi etiam signatur, & habetur in Martyrio, quod infrà dabitur. Menæum Chiffletii ponit* Ἀγαθονίκου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, *id est*, Agathonici ac sociorum ejus, *Menologium Sparwenfeldianum scribit*, & amicorum ejus. *Menæa, quæ dicebam, his Pugiles nostros singulos versiculis laudant, si* Principem senatorem *excipias. Ac primò canit de* Agathonico, *alludens ad nomen ejus, quod bonum victorem, vel victoriâ insignem denotat; cui addit mortis diem.*

C

Ἀγαθονίκου κλῆσις ἀψάμενος ξίφους,
Χερσὶν βοῶσα δεξιᾷ νίκην ἔχων.
Ἔκτανε δευτέρᾳ ξίφους εἰκάδι Ἀγαθόνικον.
Verum Agathonico nomen impositum fuit,
Ab ense palmam illius insignem notans.
Ense Agathonicum undena bis dies secat.

2 *Tres Pugiles alios Menæa laudant sine nomine.*

versibus honorantur in Menæis excusis:

Τρεῖς καρτερῶντες μηχανήματος βίαν,
Τὰς μηχανὰς λύσει ξ παμμηχάνε.
Dum machinarum fortiter vires ferunt
Tres, machinantis cuncta dissolvunt dolos.

De Severiano *autem panguntur ibidem ista:*

Ἐν μάρτυσι τιμηθεὶς τὸ αὐχένα ξίφει
Σεβηριανὸς τάπητι σεφηφόρος.
Severianus martyres inter, caput
Post amputatum, serta martyrii gerit.

Duo ultimi versus conveniunt S. Zotico, *qui, ut mox videbimus, ad crucem dicitur condemnatus, & alludunt ad Simonem Cyrenæum.*

Γ' δὲ παρ' ἡμῖν καὶ Κυρηναῖος ἄλλος
Οὐκ ἀγκαρδιθεὶς, ἀλλ' ἑκὼν σαυρὸν φέρων.
Nobis & alter en Cyrenæus comes:
At non coactus, sed lubens crucem ferens.

3 *Elogium porrò habent in dicto Menologio eorum elogium. Basiliano, quod more solito hîc datur è Græco versum, & sic sonat:* Eutolmius comes ab imperatore Maximiano Nicomediâ missus in provinciam Ponticam ad Christianos de medio tollendos, pervenit ad emporium nomine Carpen, inventumque ibi Zoticum cum discipulis suis, Christum profitentes, occidit. Deinde Nicomediam reversus, atque edoctus, quòd princeps per quemdam Agathonicum gentiles ab idolorum cultu abstraheret, missis militibus utrumque comprehendit cum aliis Christianis non paucis, secumque in Thraciam ad imperatorem traxit. Cum porrò ad locum, cui nomen Potamῶν, perveniisset, occidit Zenonem, Theoprepium, & Acindynum, qui incedere non poterant. Chalcedone verò sanctum Severianum; sanctum autem Agathonicum cum reliquis captivis, ac principe, Byzantii vehementer cæsum, Selymbriam usque abduxit, ubi Maximianus degebat, ibique ipsi cum sociis caput amputavit. *Nomen* Ποταμῶν, *quod est in Græco, significat* Fluviorum. *Duo insuper elogia exstant, & unum quidem in Menæis magnis; alterum verò in Menologio Sirletiano. In hoc dicitur de* Comite Eutolmio, *quòd*, cùm inveniisset sanctum Zoticum cum discipulis Christum prædicantem, crucis morte condemnarit . . Ubi verò ad eam regionem venit, quæ Fluvii nomine appellatur, sanctum Zenonem, Theoprepium, & Acindynum catapultis interfecit. Cumque esset prope Chalcedonem, interfecit S. Severianum, *non expresso genere mortis.* Sanctus verò Agathonicus cum reliquis vinctis, & ipso principe . . , cùm perveniisset Lilybæum . . , capite obtruncatus est cum Principe, & aliis Christianis. *Similia narrantur in elogio, quod habent Menæa magna. At quid sibi vult* τὸ catapultis? *In dictis Menæis est* καταπέλτεις. *Per hanc vocem noster Raderus in latina sua Menæorum interpretatione, quam Ms. habemus, jaculorum trajectionem intellexit. Sic enim habet:* Cùm venisset *Eutolmius Comes* ad locum, qui Potamus seu flumen dicitur, Zenonem & Theoprepium, & Acindynum, quod ambu-

AUCTORE J. P.

ambulare, propter plagas seu vulnera, in prioribus quæstionibus accepta, non possent, jaculis trajectos è medio sustulit.

Exponitur, quâ morte nonnulli ex iis sint interfecti;

4 *Sed Gallonius in libro de Cruciatibus SS. Martyrum, cap.* 2, Catapulta, *inquit*, nonnumquam sumitur pro machina bellica, ad jaciendas sagittas fabricata, sicuti baliſtæ ad jaciendos lapides: hîc autem sumitur pro instrumento torquendi. Hinc Suidas ait esse tormenti genus, vinculis manuum, catapultis pedum. Et Plautus " te nervo torquebo itidem, ut catapul-„ tæ solent „. *Hæc Gallonius ad locum, quem ex Josephi libro de Machabæis producit Latinè his verbis:* Satellites eum ligatum traxerunt ad catapultas: ad quas cum eum ligassent ad genua, & hæc cum laqueis ferreis conglutinassent, ipsius lumbum circa rotundum cuneum deflexerunt; circa quem totus circa rotam repercussus confringebatur. *Cangius in Glossario Græco per vocem* καταπέλτης, *instrumentum tortorium etiam intelligit; & apponit exempla, quæ videri apud ipsum possunt. Nunc è citatis elogiis nonnulla alia observanda sunt de nostris Martyribus.*

B

item nomen expenditur

5 *In titulo, quem huic Commentario suprà præfiximus, vides, lector, nominari* principem senatorium, *qui tamen in annuntiationibus antea citatis non habetur. Sed illum Martyribus aliis annumeravimus ex Menologii Sirletiani, ac Menæorum magnorum elogiis, & ex Martyrio, quod postea Græco-Latinè daturi sumus. In dictis tamen Menæis dicitur* princeps *sine alio titulo. Sed quæret aliquis, an nomen* principis *sit proprium viri, an appellativum. Quæstionis hujus causam nobis dedit novus interpres Latinus, qui in elogio, quod* certamen sancti martyris Agathonici, & sociorum ejus *breviter continet, quodque habetur Græco-Latinè in editione Menologii Basiliani, ab Eminentissimo Cardinale Annibale Albano, Urbini anno* 1728 *tribus tomis nitidissimè ac magnificentissimè excudi curata, sed interpolata; qui, inquam, interpres, nomen* πεΐγκιψ *reddit Latinè* Princippus; *ita ut videatur illud accipere pro nomine proprio. Appellativum verò esse, indicant Acta, quæ infrà typis committemus, ubi num.* 1, *postquam dictum esset,* ὅτι πρῶτος πεΐγκιψ *&c.* quòd

C

primus princeps in Christum credidisset, *Nicomediæ videlicet; subduntur ista num.* 2 *de* S. Agathonico: Οὗτος καὶ τὸ πεΐγκιπα τὸ ἐνταῦθα συγκλήτου ἀνέπεισε. Hic etiam principem senatûs, qui ibi est, induxit *&c.*

alterius martyris.

6 *Martyrium* S. Agathonici, *quod Ms. habemus è codice Ambrosiano.* Εὐτόλμιος ἦλθε Νικομήδειαν κατέλαβεν, ἐν ᾗ καὶ μαθὼν, ὡς ὁ ταύτης πεΐγκιψ διά τινος Ἀγαθονίκου σοφοῦ πεπεισμένος ἦν Χριστῷ. Eutolmius Nicomediam pervenit, in qua dum etiam didicisset, quòd hujus princeps per quemdam Agathonicum sapientem adductus esset ad Christum *&c. In exemplari è bibliotheca Vaticana, quod etiam apud nos est, quodque signatum lego* C. 1671, Καὶ διδαχθεὶς, ὅτι ὁ πρωτοπεΐγκιψ ἐπείθη Χριστῷ, *quod ita vertit interpres Latinus, cujus apographum* ex cod. Vatic. bib. n9. 6188 *notatum, ante me habeo:* Cùm verò didicisset, primum virum ejus regionis principem Christi fidem sequi *&c. Siquis autem plura desiderat exempla, consulat Cangium in Glossario ad scriptores mediæ & infimæ Græcitatis, ubi videbit, nomen* πεΐγκιψ *esse appellativum, non verò proprium. Duo hinc testimonia accipe ex pluribus, quæ profert, & unum quidem è Mo-*

schopulo, πεΐγκιψ, ἀξιώματος ὄνομα: *id est,* princeps, nomen dignitatis: *alterum autem è Martyrio S. Menæ Ægyptii Ms.* Πηγάσιος τὸ ὄνομα, πεΐγκιψ, τὸ ἐπώνυμον. Pegasius nomine; princeps, nomine addititio, *ut ita dicam, seu, ut Latini loquuntur,* appellativo. *Porrò de hac dignitate videri potest Cangius citatus, & in Glossario Latino. Plura hujusmodi nomina appellativa in Glossario Græco apud ipsum legi possunt. Exempli gratiâ subnecto hæc pauca; videlicet* δοὺξ, dux, δουκᾶτον, præfectura ducis; κουβικουλάριος, cubicularius; σχολάριοι, scholarii; κορνικουλάριος, cornicularius; *quibus adde* Κόμης, Comes; *quod postremum infrà occurrit in Actis. Hactenus de anonymo isto* principe, *quem Acta dicunt à* S. Agathonico *conversum ad Christi fidem. Jam verò eadem Acta aliunde suppleamus ex publica veneratione, quam posteri tribuerunt* S. Agathonico.

Publica S. Agathonici

7 *Duo de hac re in promptu sunt testimonia. In Supplemento nostro Sirmondo-Chiffletiano ad Menæa excusa notantur ista:* Τελεῖται ἡ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῷ ἁγιωτάτῳ αὐτοῦ μαρτυρείῳ, τῷ ὄντι ἐν Καισαρόπολει, ἢ ἐν τῷ μαρτυρείῳ τῆς ἁγίας Θεοδώρας ἐν τῇ Ξυροκέρκῳ. Agitur autem ejus solennitas in sanctissimo ejus martyrio *, quod est in Cæ- * *i. e.* æde nopoli; & in martyrio S. Theodoræ in Xyro- sacra cerco. *Loca ista exponit Cangius in sua Constantinopoli Christianâ.* Cænopolis, *inquit lib.* 4, *pag.* 153, Καινόπολις, ecclesia ita nuncupata, in nona regione statuitur in Urbis descriptione: " Continet in se ecclesias duas, Cænopolim &c „ Omonœam „. Meminit etiam Chronicon Alexandrinum in Arcadio pag. 716, nullo præterquam situs indicio, innuens haud procul extitisse à Foro Theodosiano. De nominis etymo nihil succurrit, nisi forte quòd exstructa primitus fuerit in nova, uti aiebant, urbe, cùm veteris Byzantii fines longiùs prolati sunt à Constantino Magno. *Pro* Ξυροκέρκῳ, *suspicor scribendum* Ξυλοκέρκῳ, *qui locus Latinè dici potest* Circus ligneus. *Laudatus Cangius lib.* 2, *pag.* 107, Extitit præterea, *ait*, Circus alius, Xylocircus appellatus, ad S. Mamantem in Stheni ripâ exstructus; *de quo plura ibidem eruditus auctor collegit; & observat inter alia, fuisse locum hunc* extra urbem . . , qui non alius fuit ab eo, quem Constantinus M., priusquam Byzantium adornasset, asseribus & lignis compactum extra urbem statuerat, ut auctor est Sozomenus lib. 8, cap. 22.

D

E

F

veneratio

8 *Alterum, non minùs illustre quàm antiquum de honoribus sacris, quibus Constantinopoli* S. Agathonicus *inclaruit, monumentum profertur ab eodem Cangio lib.* 4, *pag.* 119 *his verbis:* S. Agathonici templum formâ dromicâ exædificatum à Constantino Magno, ex Cedreno pag. 284, Nicephoro Call. lib. 7, cap. 49, & Codino in Orig. p. 38 ex Origin. Constantinop. ineditis: deinde in angustiorem formam excitatum à Justiniano, ex Procopio lib. 1 de Ædif. cap. 5 (*cap.* 4 *mihi*) annotavimus in Descriptione ædis Sophianæ, num. 1. Idem Codinus & anonymus in Collect. Constantinop. pagg. 85 91, primùm ab Anastasio, deinde à Justiniano renovatum scribunt, in eoque per annos 57 patriarchas sedisse, coronatosque imperatores quatuor, tandemque in magno palatio, cui adjacebat, inclusum sub Tiberio Mauricii socero. Ad hanc porrò ædem stetit statua Verinæ imperatricis, ut observat Suidas verbo Βηρωνή, quam Origines Constantinop. ineditæ μετὰ τὴν ἄνοδον τῆς

ἐκεῖσε

A ἐκεῖσε βαθμίδων (*id est, post ascensum graduum, qui ibi erant,*) Leone imperatore ejus conjuge superstite positam aiunt. *Ne cui autem in mora sit* forma dromica, *de quâ superiùs; Cangius lib. 3 Constantinopoleos Christianæ pag. 7 eam sic exponit:* Ædis Constantinianæ forma fuit dromica, id est quadrata, sed oblongior: ita enim δρομικὸν accipiendum censent plerique è doctioribus, etsi Allatius repugnet. *Plura ibidem.*

illustratur. 9 *Porrò insignis splendor istius ecclesiæ illustratur à Procopio de Ædificiis Justiniani lib. 1, cap. 4, pag. 15 editionis regiæ Parisiensis, quæ in lucem prodiit anno 1663, ubi de basilicæ istius laude paucis quidem verbis dicit multa, plura tamen lectori intelligenda relinquens.* S. Agathonici templum, *inquit*, orationem ad se trahit, mihique nec vocem, nec vocabula habenti rebus apta, vim affert. Mentionem ejus feciſſe contenti, ipsius nitorem, & absolutam numeris omnibus magnificentiam aliis enarrandam relinquimus, quibus ad dicendum satis vegeta est, necdum planè defessa mens. *Quæ cùm ita sint, non debet mirari lector,* S. Agathonici *& sociorum ejus cultum ab Orientali ecclesia ad Occidentalem migrasse, de qua re jam agemus.*

B

§ II. Veneratio apud Latinos; locus martyrii; Acta.

Cultus apud Latinos: IN *variis Martyrologorum Latinorum tabulis hac etiam die memorantur nostri Pugiles. Galesinius ita illos annuntiat:* In Græcia, sanctorum Agathonici, Zotici, Theoprepii, Acyndini, & Severiani, martyrum, qui in Maximiani gravissima contra Ecclesiam Christi oppugnatione, acerrimi propugnatores, præclarè datis virtutis & pietatis Christianæ in omni certamine testimoniis, nobilis martyrii palmam tulerunt. *Molanus in additionibus brevissimè solius* sancti martyris Agathonici *mentionem facit in editione anni 1573. Martyrologium Romanum annuam eorum memoriam celebrat his vocibus:* Nicomediæ passio sanctorum Agathonici, Zotici, & sociorum Martyrum, sub Maximiano imperatore, & Eutholomio præside. *Ad locum palæstræ seu martyrii quod attinet, en tibi, lector, sequentes observationes.*

C

locus martyrii: 11 *Galesinius Pugiles nostros annuntiat in Græcia; Martyrologium Romanum Nicomediæ. Verùm quandoquidem è Fastis Græcis propagatus est eorum cultus ad Latinos; non video, mihi recurrendum esse aliò, quàm ad Acta Græca, ut locus, in quo martyrium suum confecerunt, assignetur. In fide itaque Actorum istorum posuimus eos partim in Bithynia, partim in Thracia: hîc enim una eorum pars; illic autem pars altera coronam martyrii adepta scribitur. De locis autem aliis, in quibus eorum constantia fuit probata, agetur in Annotatis ad eadem Acta, quæ à lectore consuli possunt. En tibi nonnullas alias observationes, super variis videlicet Actorum exemplaribus Mss., quæ sunt apud nos.*

datur notitia 12 *Quod suprà designabamus è bibliotheca Vaticana, hoc prænotatur titulo:* Μαρτύριον τῆς ἁγίας Ἀγαθονίκης, καὶ τῶν σὺν αὐτῇ. Martyrium S. Agathonici, & sociorum ejus. *Sic autem incipit:* Ἐν ἀρχῇ διδάσκων τοὺς ἑαυτοῦ μαθητὰς Θεὸς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, ἔλεγλν· Αἷμα δίκαιον βοᾷ πρός με Ἄβελ. In principio dum Deus Jesus Christus doceret discipulos suos, dixit: Sanguis justus Abelis clamat ad me. *Apographo alteri, quod apud nos est,* ex cod. Ambros. f. N. n. 152 (de quo vide ad mart. Maximi) *desumptum, titulus est:* Μαρτύριον τῆς ἁγίας μάρτυρος Ἀγαθονίκης. Martyrium sancti martyris Agathonici. *Initium autem:* Μαξιμιανὸς τῆς τυραννίδος τὸ βασίλειον ἄρχων, ὡς δὲ ὤφειλε, τῆς τοῦ Νικομηδέως διέποντος, ὁ κόμης Εὐτόλμιος τὴν τῶν Χριστιανῶν ἐξουσίαν ἐλάμβανε. Maximiano tyranno regium imperium, quod utinam non administrasset, in urbe Nicomediensium administrante, comes Eutolmius contra Christianos potestatem accepit. *Codex ille aliàs in hoc mense sapiùs à nobis indicatur; de quo pluribus agitur die* XIII *ejusdem mensis in Commentario prævio S. Maximi* § 10, *num.* 80; *ubi etiam de scriptore* monacho quodam Laurentio in monasterio Rutiensi, quod est in Calabria.

de variis 13 *Aliud exemplar descriptum est è codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis: de quo apud nos aliàs. Consule Lambecium lib. 8 Commentariorum de ista bibliotheca, pag. 205. Ibidem etiam indicatur* Oratio encomiastica in sanctum magnum . . . martyrem Agathonicum. *Hanc quoque nos habemus ex prædicto codice. Ejusdem laudationis narratio ita incipit:* Λαμπρὰ μὲν τὰ τῆς ὑποθέσεως διηγήματα, λαμπρότερα δὲ καὶ τὰ κατ' αὐτὸν θείας πανηγύρεως τὰ προβλήματα. Splendidæ quidem sunt propositi ad scribendum argumenti narrationes; sed splendidiores divinæ per illud laudationis tractationes. *Extenditur autem illud elogium ad paginas quindecim, verbis utpote potiùs abundans quàm rebus; quæ cùm habeantur breviter in Actis, quæ daturi sumus, nihil attinet recurrere ad prolixam orationem panegyricam, & lectorem detinere, ne dicam fatigare, verbosa ac græcula oratione. Martyrium è codice Vaticano anteà assignato satis etiam longum est, paginas videlicet fere duodecim complectens. Ambrosianum multo brevius; Vindobonense omnium brevissimum. Exemplaria denique ista tria sunt similia in substantia.*

Actorum exemplaribus: 14 *Præplacet sua brevitate Vindobonense: quod proinde præ duobus aliis Latinitate donare nobis visum est. Titulus eidem apponitur in Græco ecgrapho nostro:* Μαρτύριον ἐν σωτόμῳ τῆς ἁγίας μάρτυρος Ἀγαθονίκης, καὶ τῶν σὺν αὐτῇ. Compendium martyrii sancti Martyris Agathonici, ac sociorum ejus. *In locum verò illum, in quo ejusdem Martyrii apud nos num.* 2 S. Agathonicus *dicitur esse* Asclepiadis præsidis progenies, *animadverto ista ex apographo nostro Ambrosiano, quæ Eutolmio comiti ipse respondet:* Οἱ θεοί σου βδελύγματά εἰσι, δαιμόνων ἀπατηλῶν ἀφιδρύματα· ὧν καὶ Βαβύλας ὁ ἀρχιερεὺς καὶ μάρτυς ἐπὶ Νεμεριανοῦ κατέπτυσεν ἐν Ἀντιοχείᾳ, καὶ δὴ καὶ Ῥωμανὸς κατεγέλασεν ὁ μάρτυς, ὃς καὶ τὸν Θεόλογον ἐκείνῳ ἐποτέμνετην γλῶσσαν πρὸς τοῦ ἐμοῦ πατρὸς τοῦ ἐπάρχου Ἀσκληπιάδου, νηπίῳ πλωκαῦτα ὄντι μοι, καὶ ὀφθαλμοῖς αὐτοῖς καθορῶντι τὸ πεπραγμένα.

observatio peculiaris de conversione ac genere S. Agathonici. 15 Τότε δὴ καὶ Ἄνθιμος ὁ κλεινὸς τῆς δεῦρο Χριστὸν ἀγῶνα ὅπη Μαξιμιανοῦ τοῦ τυράννου τετέλεκεν, ἐλέγξας τλὺ αὐτοῦ κακοηγωμοσυνίλιν καὶ ἀθεότητα· ἅπινα ἦν ταῦτα καλῶς ἐγὼ μνηθείς, σὺν ὅλῳ τῷ οἴκῳ, καὶ τῇ τεκούσῃ προσῆλθον Χριστῷ. *Quæ sic interpretor Latinè:* Dii tui sunt res abominandæ, fallacium dæmoniorum simulacra: quæ etiam Babylas pontifex & martyr sub Numeriano contempsit Antiochiæ, quæque enimverò irrisit Romanus martyr, cui item illa divini sermonis lingua ab Asclepiade præside, patre meo, abscissa fuit, me tunc

AUCTORE J. P.

tunc parvulo hiſce oculis intuente, quæ facta ſunt. Tunc quippe etiam inclytus Anthimus certamen propter Chriſtum ſub Maximiano tyranno conſummavit, reprehendens malitiam ejus & impietatem. Horum verò omnium ego rectè memor, cum domo tota, ac matre ad Chriſtum acceſſi. *Hæc in dicto mox apographo: quæ ſive ex antiquiore exemplari tranſcripta ibi ſint, ſive per interpolationem poſtea interjecta; hîc tamen à nobis eorum rationem haberi poſſe duxi. Porrò de S. Babyla epiſcopo Antiocheno videri poteſt dies* XXIV *Januarii; de Romano autem martyre etiam Antiocheno, cui lingua abſciſſa fuit, agit Martyrologium Romanum die* XVIII *Novembris; ubi dicitur quidem ſub* Aſclepiade præfecto *paſſus; ſed cùm id accidiſſe ibidem notetur* tempore Galerii imperatoris; *quomodo tunc* parvulus *erat* S. Agathonicus, *qui ſub Galerio, ut ſuprà dictum, pro Chriſto certavit? Idem eſt de S. Anthimo ep. Nicomedienſi, quem ſuſpicor ſuprà indicari, & de quo apud nos die* XXVII *Aprilis, ubi ponitur in* perſecutione Diocletiani.

MARTYRIUM

Auctore anonymo,

è codice bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, cum aliis Mss. collatum. Interprete Joanne Pinio.

B

S. Zoticus cum ſociis occiditur in Bithynia:

S Anctus Chriſti martyr Agathonicus exſtitit Maximiano *a* imperante. Qui Maximianus comitem *b* quemdam, Eutolmium nomine, Nicomediâ in provinciam Ponticam miſit uſque ad Neocæſaream. Huc dum adveniſſet, & inquiſiviſſet Chriſtianos, rediit. Et quia difficiles in via erant fluvii, navigium ingreſſus, in Bithyniæ emporium, quod Carpen dicunt, appulit: & ibidem ſanctum Zoticum ac diſcipulos ejus, confitentes nomen Domini, occidit: quos Chriſtiani depoſuerunt in loco inſigni. Præſes verò publicâ progreſſus viâ, Nicomediam venit; & edoctus, quòd primus princeps *c* Chriſto credidiſſet per ſapientem quemdam Agathonicum, ac degeret in agro, cui nomen Cyberorum *d*, ipſo Agathonico *e* alios etiam gentiles convertente ad Chriſti fidem: proficiſci eò jubet ingentem militum copiam, eoſque ad ſe duci.

a
b
c
d e

S. Agathonicus interrogatur à judice,

2 Hic autem magnis animis, unà cum principe glorificans Deum, proficiſcebatur. Unde milites alacrem & generoſam Viri indolem conſpicati, ad Chriſti fidem attrahebantur. Dum verò è Cyberis diſcederent Nicomediam verſus, milites inſtituebat in via, ut cognoſcerent Chriſtum verum regem, & ante ſecula. Poſtquam perveniſſent ad portam urbis Nicomedienſis, comes ſedens in regia, quæ erat in loco, qui dicebatur Lauſus *f*, quæſtionem inſtituebat, dicens: Ubi ſunt, qui edicta imperatorum nihili faciunt? Apparitores præſidis, Adſtat, inquiunt, clarituditi tuæ Agathonicus, qui præcipuum inter Chriſtianos coryphæos locum tenet, è genere magni Hippaſii *g* oriundus; Aſclepiadis verò præſidis progenies, qui in pago Cyberorum degit cum matre. Hic etiam perſuaſit principi ſenatûs, qui ibidem exiſtit, ſecum ut coleret Crucifixum.

C

f

g

qui eum ducit in Thraciam,

3 Tunc comes, Confitêre, ait, Agathonice, an hæc ita ſe habeant: ſanctus autem Agathonicus per ſapientiam ſibi à Deo datam exorſus narrare è ſacra Scriptura, præſidem atque aſſeſſores ejus omnes perculit ſapientiâ divinitus inſpiratâ, atque rerum divinarum notitiâ ſuâ. Unde flagris eum cædi jubebat: ac pòſt Nicomediâ diſcedens præſes, in Thraciam ſe contulit ad imperatorem, Chriſti confeſſoribus vinctis ſeſe comitari juſſis, ut ab imperatore interrogarentur: & quotquot nobilitate vel dignitate erant ſpectabi-

D

Ὁ ἅγιος μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Ἀγαθόνικος, ὑπῆρχεν ἐπὶ τῆς βασιλείας Μαξιμιανοῦ. Οὗτος Μαξιμιανὸς ἀπέστειλε κόμητά τινα ὀνόματι Εὐτόλμιον ἐκ Νικομηδείας ἐπὶ τὸν Ποντικὸν χώρον ἕως Νεοκαισαρείας· ἔνθα καταλαβὼν, καὶ ἀναζητήσας τοὺς Χριστιανούς, κατῆλθεν. Καὶ εὑρὼν τοὺς ἐν τῇ ὁδῷ χαλεπὸς ποταμοὺς ἐμβὰς εἰς πλοῖον, κατέλαβε Βιθυνίαν εἰς ἐμπόριον λεγόμενον Κάρπιν· Κἀκεῖ τὸν ἅγιον Ζωτικὸν σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὁμολογοῦντας τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου, ἀπέκτεινεν, οὓς τινας οἱ Χριστιανοὶ κατέθηκαν ἐν τόπῳ ἐπισήμῳ. Ὁ δὲ ἄρχων τὴν δημοσίαν βαδίσας ὁδὸν, ἦλθεν εἰς Νικομήδειαν, καὶ διδαχθεὶς, ὅτι ὁ πρῶτος πείκιψ ἐπίστευσε τῷ Χριστῷ διά τινος Ἀγαθονίκου σοφοῦ, καὶ διάγει ἐν ἀγρῷ καλουμένῳ Κυβέρων αὐτοῦ Ἀγαθονίκου ἐπισρέφοντος καὶ τοὺς ἄλλους ἕλληνας εἰς τὴν τοῦ Χριστοῦ πίστιν, κελεύει βαρεῖαν δύναμιν στρατιωτῶν προσελθεῖν, καὶ ἀγαγεῖν αὐτούς.

2 Ὁ δὲ μακάριος μετὰ τοῦ πείκιπος δοξάζων τὸν Θεὸν, ἐπορεύετο. Ὅθεν οἱ στρατιῶται εἰδόντες τὸ μακάριον τοῦ εὐγλωττίας καὶ ἀνδρὸς, ἐν τῇ πίστει τοῦ Χριστοῦ ἐφείλκυστο. Ὡς δὲ ἀπῆλθον ἐκ Κυβέρων, ἀφίκεσθαι εἰς Νικομήδειαν, ἐν τῇ ὁδῷ ἐνεδέτει τοὺς στρατιώτας, ἐπιγνῶναι τὸ μακαριώτατον καὶ ἀληθινὸν βασιλέα Χριστόν. Φθασάντων δὲ αὐτοὺς ἐπὶ τὴν πύλην τοῦ πόλεως Νικομηδείας, καθίσας ὁ κόμης ἐν τῇ βασιλικῇ ἐν τόπῳ καλουμένῳ Λαύσῳ, ἐξέτασιν ἐποιεῖτο, λέγων· Πῦ εἰσὶν οἱ τὰ θεσπίσματα τῶν βασιλέων ἐξουθενοῦντες; Οἱ παρεστῶτες εἶπον· Παρέστηκέν σε Ἀγαθόνικος, ὁ κορυφαιότατος ἐν Χριστιανοῖς, γνώσει μεγίστῃ ἐπαρχος καὶ μεγάλης ἔγγονος, γόνιμα δὲ Ἀσκληπιάδου τοῦ ἐπάρχου, σὺν μητρὶ διάγων ἐν κώμῃ Κυβέρων· ὅτος καὶ τὸν πείκιπα τοῦ ἐνταῦθα συγκλήτου ἀνέπεισε, σὺν αὐτῷ θρησκεύειν τῷ Ἐσταυρωμένῳ.

3 Ὁ κόμης λέγει· Ὁμολόγει, Ἀγαθόνικε, εἰ ταῦτα οὕτως ἔχει. Ὁ δὲ ἅγιος Ἀγαθόνικος τῇ προσούσῃ αὐτῷ ἐκ Θεοῦ σοφίᾳ ἀρξάμενος διηγεῖσθαι ἐκ τοῦ θείας γραφῆς, ἐξέπληξε τὸν ἄρχοντα, καὶ πάντας τοὺς συγκαθημένους αὐτῷ, ἐπὶ τῇ θεοπνεύστῳ σοφίᾳ καὶ θεολογίᾳ αὐτοῦ. Ὅθεν ἐκέλευσεν μαστιχθῆναι αὐτὸν, καὶ μὴ ἔτι ἀπάρας ἀπὸ Νικομηδείας ὁ ἄρχων, ἐπὶ τὸν Θεόκλειον πρὸς τὴν βασιλέα ἀπήχετο, κελεύσας καὶ τοὺς ὁμολογήσαντας τὸν Χριστὸν, δεσμίους ἀκολουθεῖν αὐτῷ, ἵνα ἐπὶ τοῦ βασιλέως ἐρωτηθῶσι· καὶ ὅσοι ἐξ εὐγενῶν καὶ ἐν ἀξιώμασιν ὑπῆρχον, τύ-

τως

A τῆς μεθ' ἑαυτῆ * ἡγεμὼ· τὰς δὲ λοιπὰς ξίφει ἀνεῖλεν εἰς πλῆθος ὑπάρχοντας.

* *f.* μεθ' ἑαυτῆς

4 Καὶ ὁδευόντων αὐτῆ, ἐδίδασκε πάντας τὰς πιστὰς ὁ ἅγιος Ἀγαθόνικος, καὶ ὑπέμνησκε τὰ θαυμάσια τῆ Θεῆ, ἃ ἐποίησεν εἰς αὐτὰς δι' τοῦ ἁγίων αὐτοῦ· ὅπως πάντες οἱ κακῶς ἔχοντες, καὶ ποικίλαις κατεχόμενοι νόσοις, τῇ ἐπικλήσει μόνῃ τῆ Χριστοῦ ἐθεραπεύοντο· καὶ ἔλεγε· Ἴδετε, ἀδελφοὶ, πῶς ἐστιν ἀγαθὸς ὁ φιλάνθρωπος ἡμῶν Θεὸς καὶ Κύριος Ἰησοῦς Χριστός. Τοῦτον ἂν ποθοῦντες, καταφρονήσωμεν τοῦ πρόσκαιρου ταύτης ζωῆς, καὶ μὴ πτήξωμεν τὰς ἀπειλὰς τῶν ἀθέων εἰδωλομανῶν. Ἰδὼν οὖν ὁ ἄρχων, ὅτι ἐ παύεται νουθετῶν Ἀγαθόνικος τοὺς σὺν αὐτῷ δεσμώτας, ἅμα δὲ καὶ αὐτὸς ἐκ τῶν ἡμομένων εἰς αὐτὸς βασάνων μὴ δυναμένους βαδίζειν, ἐπερωτήσας, καὶ μαθὼν τὸ ἀμετάθετον αὐτῶν τῆς πίστεως, καταπέλταις αὐτὸς ἀνεῖλε. Ἐτελειώθησαν οὖν οἱ ἅγιοι Ζηνὼν, Θεοπρεπὴς, καὶ Ἀκίνδυνος, οἱ ἐν τριβουνάτοις τῶν Νεοκομηδαρέων διαπρέψαντες, ἐν χωρίῳ λεγομένῳ Ποταμοῖς, τὸν στέφανον τῆς δικαιοσύνης παρὰ Χριστοῦ κομισάμενοι· ὃς προσέταξεν ὁ ἄρχων μετὰ τῶν δεσμῶν αὐτῶν ἐν τῷ εἰρημένῳ τόπῳ τεθεῖναι.

les, secum duxit; reliquos verò numero multos gladio sustulit.

SUB MAXIMIANO.

4 Dum iter facerent, sanctus Agathonicus fideles omnes docebat, & memores reddebat mirabilium Dei, quæ in eis operatus erat Dominus per Sanctos suos. Quomodo omnes, qui malè habebant, ac variis morbis detinebantur, sola Christi invocatione sanarentur: & Videte, aiebat, fratres, quàm bonus sit benignus noster Deus & Dominus Jesus Christus. Hunc itaque desiderantes contemnamus temporalem hanc vitam, minasque ne timeamus eorum, qui Deum non colunt, & idolorum amore insaniunt. Videns igitur præses, quòd Agathonicus non cessaret monere eos, qui secum erant vincti, quódque ob cruciatus sibi illatos non possent incedere; interrogationem repetiit, gnarusque eos in fide immutabiles persistere, catapultis *h* illos interemit. Consummati itaque sunt sancti Zenon, Theoprepes, & Acindynus, qui tribunatibus Nicomediensium ornati fuerant, in loco Potamus *i* dicto, coronam justitiæ à Christo reportantes: quos præses mandavit unà cum vinculis suis in præfato loco poni *k*.

ubi Zenon, Theoprepes & Acindynus martyrio coronantur:

h

i

k

B 5 Ἐλθὼν δὲ ὁ ἄρχων πλησίον Καλχηδόνος, ἀνεῖλε τὸν ἅγιον Σεβηριανὸν, παῤῥησίᾳ κηρύττοντα τὸν Χριστόν. Περασάντων δὲ αὐτῶν διὰ τῆς Θρᾴκης, παρεγένετο ὁ ἅγιος μάρτυς Ἀγαθόνικος σὺν τοῖς ἁγίοις, τοῖς ὄντι ἐν Βυζαντίῳ τῆς βουλευτηρίῳ τῆς Βυζαντίδος, κἀκεῖ τὸν Χριστὸν ὁμολογήσας, καὶ σκιτδύσας τῷ πλάνῳ τῶν εἰδώλων, τύπτεται σφοδρῶς. Εἶτα ἀπάγεται πρὸς Μαξιμιανὸν, ἐν Σιλυμβρίᾳ διάγοντα ἐν τόπῳ λεγομένῳ Ἄμμος· κἀκεῖ πάλιν μὴ παῤῥησίας τὸν Χριστὸν ἀνακηρύξας Θεὸν, καὶ σκιτδύσας τῷ ἄνοιαν τῶν σεβομένων τὰ εἴδωλα, μὴ πολλὰς τὰς πυρείας, τῷ διὰ τῆς ξίφους ἀποφασιν λαβὼν, ἀπετμήθη τῷ κεφαλῷ σὺν τῷ πρίγκιπι, καὶ ἄλλοις πλείοσι Χριστιανοῖς. Τελεῖται δὲ ἡ μνήμη τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἀγαθονίκου μηνὶ Αὐγούστῳ κβ'. Ταῖς δὲ πεισβείαις τῶν ἁγίων σου μαρτύρων Ἀγαθονίκου, ζωτικοῦ, Ζηνὼν *, Θεοπρεποῦς, Ἀκινδύνου, Σευηριανοῦ, καὶ πρίγκιπος τῆς συγκλητικῆς, ζῶσον τὰς ψυχὰς ἡμῶν, ὅτι εὐλογητὸς εἶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

* Ζηνώνος

5 Ubi autem præses perveniſſet prope Chalcedonem, sanctum Severianum, dum liberè Christum prædicaret, occidi præcepit. Ipsis verò iter in Thraciam emensis, sanctus martyr Agathonicus simul cum reliquis Sanctis, coram concilii Byzantini senatoribus comparuit, ibidemque Christi fidem professus, & in idolorum errorem invectus, vehementer cæditur: deinde ducitur ad Maximianum, in Silymbria *l* degentem in loco Ammos *m* nuncupato. Et ibidem iterum liberè Christum prædicans, & dementiam colentium idola vituperans, post multos cruciatus, acceptâ amputandi capitis sententiâ, simul cum principe, & aliis plurimis Christianis capite truncatus est. Agitur autem sancti martyris Agathonici memoria mense Augusto, die XXII. Sanctorum itaque martyrum tuorum Agathonici, Zotici, Zenonis, Theoprepii, Acindyni, Severiani, & principis senatorii, salva animas nostras; quia benedictus es in secula seculorum. Amen.

uti & Severianus: ac tandem Agathonicus cum aliis.

l *m*

ANNOTATA.

a Maximianum Galerium *intelligo.*

C b *De* comitum *dignitate actum est apud nos tomo 5 Julii in Commentario prævio Historiæ conversionis S. Josephi comitis § 2.* F

c Princeps *est nomen appellativum, non proprium, ut in Commentario hisce Actis prævio probatum est.*

d *Hujus loci situs est obscurus. De urbe Ciberi meminit Procopius de Ædificiis Justiniani lib. 4, cap. 10; ubi de ejus operibus in Thraciæ Chersoneso scribens, hæc refert:* Urbi Ciberi, quæ eversa jacebat, muros atque incolas dedit. *Cellarius in Geographia antiqua lib. 2, cap. 15,* Sed neque Ciberis, *inquit*, positionem demonstrare possumus. *Forte ager iste vel pagus nomen traxerit ab ista urbe, ubicumque in Thracia fuerit sita.*

e *An hîc sit genitivus absolutus Græcus, qui Latinè solet exponi per ablativum, ut sensus sit* ipso Agathonico alios etiam gentiles convertente *&c.; an verò sit genitivus alius, qui significet, agrum illum fuisse* Agathonici, *sive ad illum pertinuisse, non omninò videtur clarum. Nobis in versione Græca præplacuit genitivus absolutus per ablativum latinum redditus.*

f *In nostro apographo Ambrosiano est*, ἐν τῇ Λάμψῳ, in Lampso.

g *In eodem apographo* Ἱππυσασίᾳ, Hippostasii.

h *De significatione hujus vocis consule Commentarium prævium; de* Asclepiade *autem, quod proximè sequitur, vide ibidem num.* 15.

i *Menæa magna excusa*, ἐν χωρίῳ λεγομένῳ ποταμῷ. *Sirleti Menologium:* Ubi verò ad eam regionem venit, quæ fluvii nomine appellatur *&c.*

k *Forte legendum* κτεῖναι, occîdi: *quod etiam videtur sensui conforme.*

l *Codex Vaticanus* πλησίον Σαλαμβρίας, prope Salambriam. *Cellarius idem qui suprà, lib. 2 cap. 15 in Thracia, inter alia, quæ collegit de orâ Propontidis & Ponti, pag.* 881 Succedit, *ait*, Selymbria, ut modò ex Scymni versu apparuit, & Ptolemæi ordo confirmat, cui, etiam Herodoto lib. 6, cap. 33, nec non Straboni lib. 7, pag. 221 est Σηλυβρία: at Scylax & Stephanus scripserunt Σελυμβρία, quam formam Latini tuentur. Mela lib. 2, cap. 2. " In Propon-

SUB MAXIMIANO. ,, tide Selymbria, Perinthos Bithynis ,,. Plinius lib. 4, cap. 11. " Oppida, Selymbria, Perin- D
,, thus ,,. Antoninus itineribus ſuis nullam ejus rationem habuit, quòd forſan interciderat.. Nomen Selymbriæ Strabo interpretatur Σήλυϐρον πόλιν, quia vox βρία, bria, Θρᾳκιστὶ, linguâ Thracicâ ſonet oppidum.

DE S. GUNIFORTO MARTYRE,

TICINI IN ITALIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

Temeraria hujus Sancti confuſio cum S. Cucufate martyre, cultus ex Martyrologiis, patria, frater, ſorores, tempus martyrii, & Acta.

FORSAN SUB MAXIMIANO. *Hic Sanctus, quem Caſtellanus cum S. Cucufate*

B

Neſcio, quid Caſtellano in mentem venerit, dum in Martyrologio ſuo univerſali ad hodiernam S. Guniforti *annuntiationem, quæ in Martyrologio Romano legitur, in margine breviter notavit, hunc ſanctum Martyrem eſſe eumdem cum S. Cucufate, cujus Acta Boſchius noſter die* XXV *Julii diligenter illuſtravit. Caſtellanus eamdem opinionem ſuam fuſiùs indicat in notis, quas anno* 1705 *ad duos priores Martyrologii menſes edidit, ubi ad diem* XV *Februarii, ſive pag. 656 agens de S. Cucufate, pagina ſequente conſidenter aſſerit, hunc ſanctum Martyrem Ticini vel Papiæ honorari* XXII *Auguſti ſub nomine Guniforti propter ſuas ſacras reliquias, illo die Ticinum delatas, quæ cultui ipſius occaſionem dederunt.*

perperam confundit,

2 *Verùm Caſtellanus hac in re diſſentit ab omnibus Ticinenſibus aliiſque ſcriptoribus, qui ſub nomine* S. Guniforti *diverſum planè martyrem agnoſcunt. Quod ſi novæ huic opinioni ſuæ aliquam fidem adhiberi volebat, evidentibus inſtrumentis oſtendere debuiſſet, reliquias S. Cucufatis die* XXII *Auguſti Ticinum perveniſſe, & S. Cucufatem tunc à civibus Ticinenſibus appellatum eſſe* S. Guniforti*tum per ingentem nominis diſcrepantiam vel mutationem, quæ nullo modo credibilis videtur. Hinc Boſchius noſter in Commentario prævio ad Acta S. Cucufatis tomo* VI *Julii pag.* 159 *improbabilem illam Caſtellani ſententiam rejecit, & ibidem paulo poſt exhibuit ex Mombritio ipſa S. Cucufatis Acta, prorſus diverſa ab Actis* S. Guniforti, *quæ ex eodem Mombritio poſt hunc paragraphum prævium recudemus: nam S. Cucufatis &* S. Guniforti *patria, palæſtra martyrii, & alia geſtorum adjuncta prorſus inter ſe differunt, ut Acta utriuſque Martyris conferre volenti manifeſtum fiet. Quapropter ignoramus, quo fundamento Caſtellanus, alioquin in rebus hagiologicis plerumque circumſpectus, adeo affirmatè temerariam illam ſuam conjecturam propoſuerit.*

C

in Martyrologiis annuntiatur Ticini ac Mediolani,

3 *Petrus Galeſinius inter Martyrologos primus eſt, apud quem memoriam annuam* S. Guniforti *hac die ſignatam invenimus his verbis:* Papiæ, ſancti Guniforti martyris, cujus res fortiter contra hæreticos geſtæ, ac mirabiliter divinituſque actæ, narrantur. *Veroſimiliter mentio hæreticorum, quæ fit hic & in Actis infrà edendis, aliquos ſcriptores induxit, ut martyrium* S. Guniforti *differrent uſque ad tempora Arianorum, quemadmodum poſtea dicemus. Sed Martyrologium Romanum, nullo temporis charactere indicato, ſic eumdem Sanctum hodie breviter annuntiat:* Papiæ, ſancti Guniforti martyris. *Porrò Petrus Paulus Boſca in ſuo Martyrologio Mediolanenſi non Papiam vel Ticinum, ſed Mediolanum, pro palæſtra certaminis eidem Martyri aſſignat hac annuntiatione:* Mediolani, ſancti Guiniforti martyris, qui ibidem ſagittis confoſſus, innumeriſque vulneribus penè confectus, cum Papiam confugiſſet, in ea urbe, martyrii coronâ decoratus, migravit in cælum. E

quod paradoxum explicatur.

4 *At ibidem Boſca paradoxum ſuum mox ita explicat:* Guinifortum licet ex Martyrologii Romani ſententia Ticinenſes ſibi vendicent, nihilominus etiam urbi noſtræ adſcribimus; Mediolano ſiquidem Guinifortus martyrii lauream, Papiæ tumulum debet. *Hac de re non contendent Ticinenſes, ut opinor, neque illam illati martyrii gloriam ſibi vindicabunt: nam Jacobus Gualla lib. 6 Sanctuarii Papienſis cap. 9, aliique ſcriptores Ticinenſes ultro fatentur,* S. Guniforum *Mediolani ſagittis vulneratum eſſe, ac inde Papiam diſceſſiſſe, ubi poſt triduum feliciter animam Creatori ſuo reddidit. Magis ad gloriam Mediolanenſium & propoſitum noſtrum ſpectant verba, quæ laudatus Boſca ibidem ſubjungit hoc modo:* Divus Guinifortus (quem vulgus perperam vocat BONIFORTUM) ferè ignotus eſt Mediolani, quemadmodum Guiniboldus olim ignotus Comi; habet tamen Guinifortus Mediolani extra portam Ticinenſem ædem ſacram ſuo nomini dicatam. *Joannes Baptiſta Cariſius in Diario ſacro eccleſiæ Mediolanenſis ad diem* XXII *Auguſti meminit de eadem* S. Guniforti *eccleſia, quæ extra portam Ticinenſem ſita eſt. Hæc, & ipſa Acta ad immemorabilem ſancti Martyris hodierni cultum ſtabiliendum nobis ſufficere videntur.* F

Sanctus noſter exiit Scotia patria ſua

5 *Quod verò ad patriam ſancti Martyris attinet, plerique ſcriptores ex Actis Mombritianis aſſerunt,* S. Guniforum *natione Scotum fuiſſe. Hinc in Menologiis Scoticis apud Dempſterum hac die, & apud Camerarium* XXIX *vel* XXX *Octobris annuntiatur. Etiam Kalendariis ſuis illum inſcribunt Hiberni, qui ſeſe antiquitus nomine Scotorum appellatos fuiſſe contendunt. At mihi non lubet odioſam & intricatam iſtam litem diſcutere, cum ſemper ab ea decidenda abſtinuerit Operis noſtri conditor Bollandus, qui*

in

A *in Præfatione ad tomum primum Februarii cap. 3 circa hanc rem monet ſequentia :* Porrò Hibernis (nam eorum occaſione huc devenimus) ſervamus religiosè, quam in Præfatione ad Januarium cap. 2 § 6 dedimus fidem ; ut quam adverſus Scotiæ hodiernæ incolas acriter defendere nituntur nominis Scottorum ac patriæ poſſeſſionem, & Sanctorum, qui plerique olim Scotti appellati, poſſeſſionem iis neutiquam abjudicemus ; ſed nec ſecundùm eos potius, quàm Scotos pronuntiemus : quos enim Scotos ſeu Scottos, in vetuſtis codicibus nuncupatos reperimus, Scotos vocamus ; Hibernos, quos Hibernos. Neque an Hiberni ac Scoti, quorum patria (ut ex Beda diximus) Hibernia, unà gens fuerit, diſputamus. Litigent ipſi ſanè, quoad volent, inclyti illius collatione decoris, modò fidei orthodoxæ & Chriſtianæ caritatis communione invicem devincti permaneant.

cum duabus ſororibus & fratre,

6 *Ceterùm* S. Guniſortus, *patriâ Scotus aut Hibernus, ut volueris, habuit fratrem nomine Guiniboldum vel Guniboldum, ac duas ſorores, quarum nomina non exprimuntur. Quamvis hi quatuor pugiles diverſis diebus ac locis martyrium ſubierint, tamen Dempſterus occaſione* S. Guniſorti *ad diem* XXII *Auguſti de tribus aliis in Menologio ſuo Scotico ſic meminit :* Mediolani Guniſortis martyris, qui cum duas ſorores in Germania barbarorum gladio interemptas amiſiſſet, & frater ipſius Comi occubuiſſet cæſus pro Chriſto, ipſe ſagittis confixus à paganis, inde Ticinum abiit, & in paupertina vetulæ domo animam beatam cælo reddidit ; & tugurium illud in templum verſum eſt, & ille civitatis patronus colitur, Actaque in Sanctuario Papiæ exſtant. *Illuſtriſſimus Brautius eodem die in Martyrologio ſuo poëtico de quatuor his martyribus ſimul ita canit :*

Germano paſſo, geminiſque ſororibus, arſit
Martyrio, donec foſſus & uſtus obit.

quibus laureâ martyrii coronatis,

7 *Quinimo Primus Aloyſius Tattus in Martyrologio ſuo Novocomenſi fratrem* S. Guniſorti *ad eamdem diem* XXII *Auguſti annuntiat his verbis :* Novocomi paſſio ſancti Guiniboldi martyris, origine Scoti, qui unà cum fratre Guiniforto & duabus ſororibus ob Chriſtianam fidem exagitatus, ad effugiendas conſanguineorum moleſtias ſolum vertere coactus eſt. Et primò quidem ſe contulit in Germaniam, ubi religionis gratiâ ſæviſſima à gentilibus tulit verba, & enecatas ſorores luxit. Mox deſcendens ex Alpibus cum ipſo germano Novocomum pervenit. Novocomi cum ethnicos impietatis argueret, & illis Chriſti Domini fidem annuntiaret, ad urbis præfectum puniendus accuſatur, & ab eo de unius Dei veneratione ſilere juſſus, quia mandata illius contemneret, cum Guiniforto captus eſt, & per civitatem raptatus, ac tandem capitali ſententia ſub Maximiano imperatore damnatus, victor migravit in cælum. *Etiamſi Tattus die* XXII *Auguſti memoriam S. Guiniboldi celebraverit in ſuo Martyrologio Novocomenſi, tamen in notis ultro fatetur, hunc fratrem* S. Guniſorti *paſſum eſſe alia die, quæ neſcitur. At parum refert, certum martyrii illius diem à nobis ignorari : nam omnia, quæ de fratre ac ſororibus* S. Guniſorti *dicenda eſſent ad iſtos dies, ſi ſcirentur, in Actis infrà recudendis narrabuntur. Cum autem Tattus in proximè relato S. Guiniboldi elogio certamen hujus athletæ, ac conſequenter Fratris ejus, ſub* Maximiano imperatore *collocet, examinanda eſt hæc martyrii chronologia, quam ſcriptores alii non admittunt, ut jam videbimus.* AUCTORE G. C.

ipſe, nm ſub imperio Conſtantii vel Honorii,

8 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ die* XXII *Auguſti, poſt contracta* S. Guniſorti *Acta, habet hanc annotationem :* Hujus Martyris hiſtoria ſatis manca videtur, nec ſuſpicione caret, cum nulla in ea Pontificis, imperatoris aut regis, temporiſque mentio fiat ; tametſi, Conſtantio imperatore, illum martyrio affectum eſſe, probabile eſt ; quo tempore Ariani, quibus ille mirum in modum favebat, Catholicos maximè divexabant ; quæ perſecutio etiam ſub Wandalis & Gothis viguit. *Ab hac Ferrarii chronologia multùm recedit Dempſterus, dum in Hiſtoria eccleſiaſtica gentis Scotorum lib. 7 num. 575 ſanctum Martyrem hodiernum memorat his paucis verbis :* Sanctus Guniſortis nobiliſſimo loco natus, in Italia peregrinabatur, Theodoſio Mediolani agente, & ab infidelibus captus, ſagittiſque confixus, Ticini exſpiravit, ubi corpus, duabus ei ſtructis eccleſiis, magnâ miraculorum gloriâ aſſervatur. Acta non vidi ; ſed publica fama Scotum facit. Colitur die XXII Auguſti .... Floruit anno CDXVII, aut circiter. F

ſicut Aloyſius Tattus

9 *Suprà laudatus Tattus in Annalibus Novocomenſibus, quòs anno 1663 Italicè vulgavit, lib. 3 num. 37 & ſequentibus utramque illam chronotaxin fusè impugnat, & opinionem ſuam de tempore martyrii ſub imperatore Maximiano variis argumentis tuetur. At poſteà in notis citatis ad Martyrologium Novocomenſe, quod anno 1675 edidit, hanc longiorem diſſertationem ſuam Latinè contraxit, ac ibi pag. 178 ſyſtema chronologicum Ferrarii primò refutare aggreditur in hunc modum :* Magis ardua difficultas nos angit in conſtituendo tempore, & anno peculiari, quo interfectus eſt Guiniboldus, aliis alia ſentientibus, & ita diſſidentibus inter ſe, ut concordare nequeant. Nonnulli, in quibus eſt Philippus Ferrarius de Sanctis Italiæ, in ea ſunt ſententia, ut credant, hos fratres mactatos eſſe ſub Conſtantio imperatore Ariano ; certum tamen annum non explicant.

contra Ferrarium

10 Conſtantius imperii habenas moderatus eſt ab anno Chriſti CCCXXXVII uſque ad CCCLXI. Fatemur ultro, ipſum in Catholicos perſecutionem excitaſſe, factum hæreſis Arianæ propugnatorem. Nihilominus inficiamur, hujus imperatoris ſævitiam univerſè in Chriſti capita collimaſſe ; infectatus eſt quidem aliquos ; ſed hos, quia fidei Catholicæ aſſertores, hominum Arianæ perfidiæ communionem abhorrebant. Senſit nonnihil moleſtiæ & Inſubria annis Domini CCCLV & CCCLIX, ut videre eſt apud Baronium tomo tertio Annalium eccleſiaſticorum. Sed alia fuit perſecutio Conſtantii, alia perſecutio, cujus rabies Guiniſortum & Guiniboldum proſtravit. Horum prædicatio ethnicæ ſuperſtitioni bellum movebat, non Arianæ doctrinæ ; idolorum cultum evertebat ; non Filii cum Patre tuebatur æqualitatem, ut apertiſſimè cuique conſtabit, ſi noſtrorum Martyrum Acta vocet in judicium. Quare nullo pacto poſſumus aſſentiri, Guiniboldi martyrium accidiſſe ſub Conſtantio. F

& Dempſterum rectè probat.

11 *Deinde aliam Dempſteri chronologiam refellit his verbis :* Alii, inter quos Thomas Dempſterus Scoticæ Hiſtoriæ libro ſeptimo perperam ſibi ſuadent, Guiniſorti & Guiniboldi necem adſcribendum eſſe temporibus Honorii & Theodoſii Junioris, quod ex diametro pugnat cum veritate ; ſub his enim principibus, Catholicæ religionis patronis, neque ethnici neque Ariani

AUCTORE G. C.

pollebant viribus in Insubria, ut Novocomi & Mediolani in Christiani nominis concionatores tam fœdè debaccharentur: nam propagata in omnibus Insubriæ civitatibus Catholica fides nulli publicæ infidelium persecutioni patebat, & infideles repetitis imperatorum legibus ac decretis coërciti Christianos infectari palam non audebant. Verum quidem est, Novocomi sub Honorio & Theodosio aliquos inhabitasse gentiles, eosque perseverasse etiam nonnullis annis, dum divus Abundius huic ecclesiæ præerat, cujus precibus & miraculis tam in urbe quàm in agro Comensi penitus deleti sunt. Hac tamen tempestate nullus eorum impetus, nulla persecutio fervebat in Christianos, qualis ea fuit, in qua pro Christi fide vitam Guiniboldus amisit: quamvis enim pagani immixti fidelibus hanc urbem incolerent, urbs tamen paganorum appellari non poterat, qui, ut ex Vita Sanctorum liquet, in ea arbitratu suo dominabantur, cum Guiniboldus gladio percussus ipsos moriendo superavit.

sed sub imperatore quodam ethnico,

12 *Refutatis aliorum opinionibus, Tattus denique ibidem pagina sequente tempus istius martyrii, quod antea sub imperio Maximiani collocaverat, iterum stabilire nititur hac ratiocinatione:* Cum neutra igitur, sive Ferrarii, sive Dempsteri, & asseclarum opinio historicæ consonet veritati, aliis temporibus potiori ratione Guiniboldi & Guiniforti tribuenda nobis est cædes. Arridet adhuc, quod Annalium nostrorum Comensium lib. 3 num. 37 scribebamus, Guiniboldum scilicet martyrio coronatum sub Maximiano circa annum Domini CCCIII. Docet hoc manifestè Guiniforti Vita, in qua licèt imperatorum fideles persequentium nomina obvolvantur silentio, sæpius & non obscurè elucescit, per Scotiæ, per Germaniæ & Italiæ provincias tunc maximè in Christianos grassatos esse infideles, cum Guiniboldus in urbe nostra glorioſam mortem obivit. Tunc enim verè (ut hæc Vita testatur) QUOTIDIE CHRISTIANUM NOMEN SE HABERE CONFITENTES JUGULABANTUR: nam, ut prætereamus singulares Insubricarum urbium martyres, in hac Maximiani crudelitate mundo sublatos, & vitæ huic labenti, quonam tempore plures enumeravit Christianæ fidei pugiles Novocomum, quàm exercente tyrannidem Maximiano? cujus sævitiâ, ne in æternum perirent, perire decreverunt Carpophorus, Fidelis, Exanthus, Cassius, Secundus, Severinus, Licinius, Juliana, Matthæus, Gusmæus, & alii penè innumerabiles, quorum nomina scripta sunt in Libro vitæ, etsi illorum agones & res præclarè gestas contumelioſa temporum anteactorum obliterarit iniquitas.

B

C

Mediolani graviter pro Christo vulneratur, & Papiæ obit,

13 Si ergo tam Novocomi, quàm Mediolani, assiduo Christianorum sanguine maduit Maximiani gladius adeo, ut priorum tyrannorum persecutiones videri potuerint gladiatorum ludi, dum crebris feritatibus comparantur, quas ipse unus Christiani cruoris hirudo insatiabilis ubique ostendit, ut Christi nomen & amorem à cordibus indigenarum evelleret, quis congruentiùs Guiniboldi & Guiniforti martyrium suis aptabit temporibus, quàm illis, quibus execrandum hoc sævitiæ monstrum suum abundè virus effudit in universos Christi cultores, quos nostris in regionibus adinvenit? In hac ergo Maximiani persecutione meritò collocavimus Guiniboldi ejusque Fratris passionem, quia nobiscum loquitur historiæ series, & firmiore base veritas consolidatur. *Hæc argumenta satis probant, martyrium* S. Guniforti *sub imperatoribus ethnicis contigisse; sed nondum prorsus evincunt, hunc Martyrem sub determinato Maximiani imperio passum esse: nam præcedentes aliquot imperatores etiam Christianos ubique persecuti sunt, & postea gentiles urbium aut provinciarum præfecti sub imperatoribus quibusdam sequentibus publicos Christi cultores impunè interfecerunt. Cum tamen illa Tatti sententia sit probabilis, & duabus aliis opinionibus præferenda, addito dubitationis indicio* forsan, *hanc Tatti chronologiam secutus sum, & superiùs in margine eadem* S. Guniforti *sub Maximiano collocavi.*

D

ut tradunt Acta,

14 *Jam tantummodo superest, ut breviter aliquid præmoneamus de mox edendis horum Martyrum Actis, quæ scriptor ignoti nominis & incertæ ætatis exaravit. Ea primus in publicam lucem protulit Boninus Mombritius, de quo variorum Actorum collectore in Hierolexico utriusque Macri ad vocem* birrus *pag.* 83 *leguntur sequentia:* Mombritius tamen qui ex antiquo Passionario in pergameno Ms., in archivio Lateranensi conservato, Acta Sanctorum descripserat, & tempore Sixti IV typis mandaverat, sic de S. Cypriano habet. *Hæc ad Mombritii ætatem ejusque collectionem pertinent. Ceterùm ipse biographus, cujus nomen & ætatem ignoramus, parum accuratus videtur, cum nullas temporum notas expresserit, & paganos alicubi nomine hæreticorum appellet, dum interim tota ejus narratio demonstrat, illos fuisse ethnicos, qui* S. Guniforum *hujusque fratrem martyrio affecerunt, ut in Annotatis observabimus.*

E

de quibus breviter aliqua præmonemus.

15 *Unde miror, Ferrarium propter illam hæreticorum appellationem tam facilè inductum fuisse, ut ideo crediderit, hos Martyres ab Arianis occisos esse: nam ipse Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XXII *Aprilis post Acta S. Danielis martyris Laudensis habet hanc annotationem:* Quod de paganis hîc dicitur, parum verisimile est; neque enim idololatræ, Carolo Magno imperatore, in Italia, in his præsertim regionibus erant, nisi nomine paganorum hæretici, ut aliquando in historiis Sanctorum animadvertimus, intelligantur. *At si biographus sancti Danielis hæreticos nomine paganorum appellaverit, cur è contrario paganos nomine hæreticorum designare non potuit ignotus & forsan imperitus auctor horum Actorum, in quibus omnia narrationis adjuncta ethnicam persecutorum superstitionem evidenter indicant? Hac brevi monitione præmissa, exhibemus ipsam Martyrum nostrorum historiam, eamque consuetis observationibus illustramus.*

F

ACTA

A

ACTA

Auctore anonymo incertæ ætatis.

Ex editione Bonini Mombritii circa finem tomi primi folio CCCXXXVIII *& ſequentibus.*

PROLOGUS.

Biographus poſt brevem prologum

B C Um humanas laudes videmus & mortalium inſulas, aut ære inciſo conſcriptas, aut auro radiantibus litteris ad poſteritatis memoriam commendatas attendimus; miror quare non erubeſcimus militum Chriſti victorias ſilentio tegere: infinita enim bona inde proveniunt, quando vita illorum honeſta hominibus explicatur. Nam ipſi ſunt ſpeculum in populo, modus & exemplar dignè Deo vivendi; multique ad exempla illorum in proſperis efficiuntur humiliores, & in adverſis fortiores. Porrò laus Dei eſt, cum iſta leguntur; memoria Sanctorum extollitur, ædificatio mentibus traditur, honor martyribus exhibetur.

CAPUT I.

Sancti diſceſſus è Scotia in exteras regiones cum fratre ſuo ac duabus ſororibus, quæ in Germania pro Chriſto martyrium ſubierunt.

narrat, quomodo S. Guniſortus

C Vitam igitur beatiſſimi Guiniforti martyris ad laudem & gloriam invictiſſimi Imperatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti & totius curiæ cæleſtis ſcribere exordiar: & quamvis ad omnia illius nequaquam potuerimus pervenire, pauca tamen de millibus declarabimus. Iſte namque martyr Guiniſortus cum fratre ſuo Guiniboldo ſtatura quidem grandiores, genere Scoti *a*, nobiliſſimi proſapiâ fuere: ubi cum gravis infidelium *b* hæreticorum *b* oriretur perſecutio, quæ non modicum populum ibi fidem Chriſtianam colentem terreret, hi glorioſiſſimi fratres genere, [nec] non fide *c* cum duabus ſororibus, innumerabilia tormenta pro nomine Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti paſſi ſunt, non tantùm perſequentibus inimicis, verùm etiam parentibus & propinquis; ſicut per magiſtrum veritatis prædictum eſt: Trademini autem gentibus à parentibus & cognatis & amicis, & morte afficient ex vobis; & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et ut verba veritatis adimpleantur, Fideles ſanctæ eccleſiæ contemnuntur, & ubique terrarum vexantur, habenturque contemptui, quia oportet, ut, qui boni ſunt, probentur.

3 Et hoc nulli debet videri mirabile, ſi pſalmographi verba bene attendant, quæ dicunt: Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum &c. Sequitur autem conſolatio dicens: Non patietur ſuos temptari ſuprà id, quod poſſunt. Benedictus Deus in omnibus & per omnia ſecula, qui non patitur gentem expertem ſuæ fore fidei, ſecundum quod legitur: Non eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus: & cum iſte glorioſiſſimus Martyr Guinifortus, de quo nunc mentionem facimus, cujus hodie feſtum celebramus *d* cum fratre ſuo Guiniboldo duabuſque ſororibus diſpoſuiſſent propter Deum parentibus & patriæ renuntiare, & crucem Chriſti nudam portare, ad memoriam reducentes * Euangelii ſermonem ſicut boni diſcipuli: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. A fide verò Catholica parentes eorum ſine intermiſſione deliciis multis & mollibus verbis eos revocare videbantur, ſuadebantque eis in cymbalis & cytharis & organis, ut placerent eis, ancillas ſuas ante eos ſaltare facientes: ex quo glorioſiſſimi martyres memores divinæ legis dixerunt: Nos Deo ſervire & omnia proſpera mundi deſpicere propter amorem ſuum diſpoſuimus, ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti juxta illud verbum Euangelii: Qui non dimiſerit patrem & matrem, agros & vineas & cuncta, quæ poſſidet, non eſt me dignus.

Ex MOMBRITIO. *cum fratre ac duabus ſororibus*

d

* *fortè* reduxerunt

E

4 Parentes itaque eorum voce magna exclamare & amicos rogare cœperunt dicentes: Plangite nobis, quia videmus filios noſtros volentes ſponte perire. Ad hoc ſanctus Guinifortus reſpondit: Nos non perimus, ſi in congregatione juſtorum poterimus introire. Cum autem vidiſſent, eos deliciis precibuſque flecti non poſſe, injuriis multiſque afflictionibus affligere eos appoſuerunt, ut fidem Chriſti deſpicerent, & idolis *e* ſacrificia immolarent. Tunc acceſſerunt & ita eos alloquuntur: Unde vobis tam durum tamque ferreum pectus, ut caniciem abjicere patiamini, & matri jam decrepitæ novos partus auferre curetis? Tunc inclyti Martyres cum ſe & ſuas ſorores ſponſas Chriſti incepti certaminis pondere fatigari vidiſſent, ad eas dixerunt: O dulciſſimæ ſorores, ô ſummi Regis ſponſæ, nobiſcum in pugna perſeverate, & in tribulationibus nolite deficere, quia paſſiones hujus temporis non ſunt condignæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Perſecutio autem in eos indies magis augebatur; & cum diu in regno Scotiæ pro Chriſti nomine tormenta paterentur, timentes, ne parentum pietas ut aſſolet, bonum eorum ſanctorum propoſitum impediret, à Scotia quaſi quatuor candelabra totam patriam ſacris operibus illuſtrantia receſſerunt, attendentes dominicum illud præceptum: Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Poſſent namquem diutius ſuis perſecutoribus reſiſtere tamquam nobiles & armis potentes, & non ſolum, ut diximus, genere clariſſimi, ſed & facultatibus ornati; voluerunt tamen ſervare, quod dicitur: Non voſmetipſos defendentes, cariſſimi; ſed date locum iræ.

e

F

patriam deſeruerit,

5 Multis tamen itineribus fatigati, atque paſſi labores, tandem ad nequiſſimos Theotonicos *f*, Deo gubernante, pervenerunt; apud quos non modicus in ſanctos Dei furor agitabatur: ſanctos enim virgis ferreis, aliiſque diverſis pœnis affligebant. Beatiſſimi ſiquidem martyres Guinifortus & Guiniboldus, ac inclytæ ſorores, corpore non mente mulieres, pulchræ facie, ſed longè pulchriores corde, contra ferocem Theotonicorum

ſororibuſque in Germania pro Chriſto occiſis,

f

Ex Mombritio.

nicorum sævitiam insuperabiles contendebant dicentes : Fugiendo flagella, invenimus scorpiones ; fugiendo minas, invenimus verbera. Heu heu nostræ gens regionis in ipsius fidei & Christianæ religionis professos insurgit ; Theotonicus autem populus in nos sitiendo eorum sanguinem insanit. Crudelis Scotia ; sed crudelior Theotonica. Illa mater nos pro Christo, quem colimus, in exilium fugavit ; ista noverca per eosdem nos quærit interficere. Talia dicentes, flagellis multis cæsi sunt. Inter hæc majora quippe tormenta in regionibus Theotonicorum sorores illorum propter fidem Jesu Christi passæ sunt martyrium, per quod venerunt ad amplexus Christi, cui se annulo fidei devinxerunt.

ipse felicitati earum invidens,

6 Sic quoque Martyres orbati dulcibus soroB ribus, magis cupientes pro Deo vivere, obortis lacrymis aiunt : Quare nos viros, ô sorores, qui fortiores esse deberemus, in holocaustum Deo præcessistis ? Non dedignando loquimur de vestra prosperitate, sed condolendo de nostra miseria. O beatæ sorores, quanta felicitate repertæ hac in terra fuistis. Venistis enim pro illo mori, qui pro vobis effundere sanguinem suum dignatus est. Potestis enim dicere : Mortuus pro nobis es. Collætetur itaque Scotia, quia eas genuit ; tristetur, quia eas amisit. Tristetur Theotonica, quia eas interfecit ; lætetur, quia earum habet corpora glorioſa. Scotia mater fuit ; Theotonica noverca. Noverca possidet, privatur mater. Quemadmodum, dulcissimæ sorores, fratres fuimus genere, ita debuissemus esse & morte. Reservavit nos forsitan Jesus Christus, pro quo certavimus, ad majora sustinenda certamina. Parcunt namque nobis Theotonici, quia credunt nos (quod Deus non permittat) ad errorem suum posse revocari. Frustra tamen laborant: nos enim volumus pro Christiana fide tormenta quantacumque usque ad amissionem capitum tolerare. Igitur, crudelissima gens, noli nobis parcere : non enim mutabimus propositum : melius namque est mori corporaliter, quam æternis incendiis comburi. Cum nocere, nequissima gens, nobis cupias, noli parcere : parcendo quippe magis noces, quàm si nos citiùs interficeres.

ibi simul cum fratre suo

7 Talia persecutores audientes, mirabantur C de tanta eorum constantia ; & cum tantam eorum voluntatem moriendi perciperent, dicebant : Verè isti minas & tormenta contemnunt & respuunt. Et quanto ardentius mortem desiderant, tanto magis eis parcatur. Interea faciebant eos ante se adduci ; quibus dicebant : Guiniforte ac Guinibolde, perseveratis adhuc in errore solito ? Quibus nihil respondentes, quasi indignati, tacebant. Cupiebant jam dudum dissolvi, & esse cum Christo. Illi autem magis interrogantes dixerunt : Respondere vos oportet, stultissimi viri, si adhuc perseverare cupitis. Tunc beatissimi martyres ad eos dixerunt : O gens perversa, quare gratis animas vestras diabolo traditis, vocantes errorem Christianam fidem, quæ se colentes æternâ vitâ remunerat ? Respicite, ne cum sathana pereatis. Minas & tormenta incutitis, quas pro nihilo cum Dei auxilio reputamus. Major quoque cruciatus penè videtur esse, qui non finitur tempore, quàm qui momento transit. Non ignoramus, quin corpus occidere possitis ; animas autem lædere minime potestis. Quapropter agite citius, quod agere vultis, quia nos Christiani sumus, & Christi fidem licèt indignè colimus.

8 Hoc audientes Theotonici, cœperunt magis eos de fide sua, & quem Deum colerent interrogare. At illi Jesum Christum Dei & hominis D filium, nostræ redemptionis exordium, per quem *gentiles illos intrepidè fidem docuerit,* & in quo facta sunt omnia, quæ cælo, terra & mari continentur, & per quem reseratæ sunt portæ paradisi, quæ humano generi propter primi parentis peccatum clausæ manebant. Hic Jesus, quem colimus, & cujus freti solatio tormenta vestra non formidamus, sanguine suo portas has suis fidelibus aperuit. Et qui per istum introibunt, salvabuntur, veluti ipse testatur in Euangelio dicens : Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur, & pascua inveniet. Et alibi : Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus. Hunc itaque colimus, quia languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portavit : huic nos immolare desideramus sacrificio laudis : rupit enim vincula, quibus ad inferna trahebamur. Igitur ei sacrificare nos ipsos concupiscimus, ut possimus dicere cum psalmista : Dirupisti vincula mea ; tibi sacrificabimus hostiam laudis.

& frustra lauream martyrii quæsierit.

9 Miratur Theotonicus furor hoc audiens, & E à sævitia sua non desistens hos sacrificare dæmonibus compellere nititur dicens : Aut sacrificare diis nostris *g* vos oportet, aut diversis mori tormentis. Quibus illi : Mori dudum, Deo teste, desideramus ; sacrificare idolis mutis & surdis omnino respuimus : intrepidi minas & tormenta vestra contemnimus, & magis de damnatione animarum vestrarum, quàm de nostra morte, quæ propriè vita æterna vocanda est, dolemus. Sed quid præstolamini nos quasi pacificas hostias ad victimam ducere ? Putatis, quòd verum Deum creatorem cæli & terræ propter minas vestras, quæ sunt quasi pluviæ guttæ, dimittamus ? Sine effectu sunt vestræ pravæ cogitationes. Miramur siquidem, quòd sic à diabolo seducti pertinaces estis in nequitia. His auditis, cognoverunt eos bonos esse viros, & propterea interficere noluerunt. Unde Christi martyres maximè turbati dicebant : Servi Christi sumus, qui natus est de Virgine, & pro eo mortem subire cupimus. Deinde his verbis se vicissim alloquuntur : Nos infeliciores mulieribus sumus : sorores namque nostræ coronam martyrii à Deo sibi promissam accipere meruerunt.

ANNOTATA.

F

a *In Commentario prævio monui, me exemplo Bollandi nolle operosiùs discutere antiquam illam litem inter Hibernos & Scotos, qui utrimque Sanctum nostrum popularibus suis adscribunt.*

b *Biographus hîc imperitè appellat hæreticos, quos postea idololatras fuisse indicat, ut ex statim observandis patebit.*

c *Hîc uncis incluſi vocem* nec, *ut sensus requirere videtur : nam martyres isti non tantùm genere, sed etiam fide fratres ac sorores fuerunt. Sic etiam alia quædam levioris momenti in hac vitiosa Mombritii editione corrigere coactus fui.*

d *Hæc antiqua festi celebratio confirmat immemorabilem Sancti nostri cultum, cujus festivitas publicè celebrata fuit centum & pluribus annis ante decretum Urbani VIII, cum Mombritius hæc Acta sub Sixto IV Pontifice ex vetustioribus monumentis ediderit.*

e *Si Scoti Sanctos nostros inducere voluerint,* ut idolis sacrificia immolarent, *ut biographus hoc loco asserit, qua nominum proprietate illos antea hæreticos appellavit ?*

f *Per*

A f *Per* Theutonicos *hîc intelliguntur Germani, qui etiam* Theotiſci *&* Teutones, *aliiſque vicinis nominibus appellantur. Sic paulò pòſt in his Actis* Theotonica *pro Germania accipitur, de quibus vocibus Cangius in auctiore Gloſſario conſuli poteſt.*

g *Hinc etiam patet, Theotonicos illos ſive Germanos ſuperſtitione gentiles aut ethnicos fuiſſe, cum Sanctos noſtros* ſacrificare diis *juberent.*

CAPUT II.

Ulterior Sancti profectio cum fratre in Italiam, ubi hic Novocomi ab ethnicis occiditur; ille autem Mediolani letaliter læſus, paulò pòſt Ticini ex vulneribus piè moritur.

B

Quapropter in Italiam profecti,

CUm autem hæc inter ſe dicerent, inierunt conſilium, ut in Italiam, ubi maxime Chriſtianorum perſecutio tunc temporis erat, tranſirent. Itinere verò proſpero venerunt in Italiam in civitatem Comi *a*, ubi quotidie Chriſtianum nomen ſe habere confitentes, jugulabantur: quod cum audirent Guinifortus, & Guiniboldus, lætitiâ maximâ repleti ſunt, cupientes ſubire martyrium. Pervenientes autem illuc, ubi Chriſtiani decollabantur, dixerunt lictoribus: Quid, nequiſſimi, ſanctos Dei tam crudeliter trucidatis? Nos etiam Chriſtiani ſumus. Cumani *b* verò hoc audientes, ſtupebant dicentes: Etiam iſti Chriſtiano errore ſeducti ſunt. Quare ad Poteſtatem civitatis venientes, narrabant ei: Venerunt hodie duo homines ad nos, ubi Chriſtianitatis nomine decollabamus, nos crudeliter increpantes, quod in Dei ſervos tam acriter ſæviremus; ſe ipſos ſponte vocantes Chriſtianos. Unde nos vehementi ſtupore perterriti ſumus, quoniam antè, ubicumque Chriſtiani erant, ſe ſollicitè occultare invenimus *c*.

a

b

c

C

Chriſtum Novocomi publicè prædicant,

11 Præſes verò hæc ubi audiſſet, gravi dolore ingemuit dicens: Ite, & adducite eos, omni poſtpoſita dilatione, ad me. Qui exeuntes à conſpectu ejus invenerunt eos in platea mortem Salvatoris apertè prædicantes, & cum eis innumerabilem populum, qui eorum bona verba libenter audiebat. Et dixerunt eis: Chriſtiani, princeps civitatis vos vocat. Venite ad eum. Quibus ipſi: Princeps ſupernæ civitatis Jeſus Chriſtus eſt mediator Dei & hominum, & ſponſus ejus, ut legitur: Vidi civitatem ſanctam Jeruſalem novam deſcendentem de cælo à Deo paratam, quaſi ſponſam ornatam &c. Iſte autem princeps noſter eſt; veſter verò, qui nos vocat, miniſter eſt antichriſti, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui cum magiſtro ſuo impio. Quare temptatis, cum nihil cum eo commune habeamus? Quid autem miniſtri Chriſti cum diabolo? Ite, renunciate, quod interea ejus minas nullatenus expaveſcimus. Illi autem venerunt ad principem ita referentes: Princeps noſter, lumen patriæ, audi, quod Chriſtiani dicunt, ad quos paulò antè, ut venirent ad te, miſiſti. Prædicant namque nomen fidei ſuæ publicè in platea, dicentes in præſentia populi, quod neque te, neque minas tuas pertimeſcunt. Jube igitur capi, antequam totus ſeducatur populus tuus ab eis; quia jam fere omnes ſequuntur eos. Ex Mombritio.

12 Tunc indignatus Cumanorum princeps ſurrexit, &, advocata concione militum, conſilium inierunt; qualiter iſtos Dei Martyres crudeliter perderent. Veniens autem ad eos cum multis armatis, his aggreſſus eſt eos verbis: Unde eſtis, aut quare populum meum ſeducitis? Qui dixerunt: Scoti ſumus genere, ſed Chriſtiani profeſſione. Populum tuum non ſeducimus; ſed filios Dei ad æternam beatitudinis patriam invitamus. Tunc princeps: Quos, inquit, vocatis Dei filios? Et illi dixerunt: Quos ipſe ſuo ſanguine redemit. Hîc ſævus tyrannus infremuit, juſſitque eos per omnem civitatem duci & decollari. Recordatus tamen pòſt paulo putavit, timore mortis unius alterum ad errorem ſuum poſſe deducere. Mandavit ergo, ut alter non decollaretur. Venientes autem ad victoriam gratulabantur, quaſi ad epulas invitati. Sed cum hoc dubium eſſet, quis libentiùs caput pœnæ traderet, jugulatus eſt Guiniboldus. In nocte corpus ejus à fidelibus Chriſtianis furtim tamen in civitate Comi ſepelitur, ubi requieſcit uſque in hodiernum diem. *ubi S. Guniboldus capite truncatur;* E

13 Guinifortus ſolus recedens venit Mediolanum, ubi Domini ſine intermiſſione Chriſti nomen prædicavit, multorumque errores ſuſtulit. Credebat namque, quod ſuis peccatis exigentibus, Deus ei ſpem & vitam augeret, cum ſorores fratremque ſuum coronaſſet. Quapropter ſæviens ſic apud ſe loquebatur: Deus omnium rerum creator, cum ſorores & fratrem meum jam diu æternâ coronâ donaveris, me miſerum ſervum tuum peccatorem quare non ſuſcipis? Cum talia oraret, Mediolanenſium furor in eum ſurrexit dicens: Guiniforte ſacrifica *d*. Cui reſpondit: Sacrificare Deo vivo me ipſum in odorem ſuavitatis concupiſco. Quem nominas, dixit perſecutor, Deum vivum? Et ille: Jeſum Chriſtum Deum vivum & hominem, qui me fecit, & ſuo ſanguine me redemit. *ſanctus verò Gumfortus Mediolanum pergens,*

d

14 Tunc tyrannus & perſecutor ſæviſſimus iratus & maximo furore repletus, eum duci extra civitatem & decollari præcepit. Sed antequam pervenirent ad locum, ubi beatus vir ducebatur, juſſit ſæviſſimus tyrannus miniſtris, ut F ſine intermiſſione eum ferirent lapidibus & ſagittis uſque dum ad prædictum locum pervenirent; inſuper virgis ferreis flagellarent eum. Tunc miniſtri impiiſſimi vix putantes viſuros horam, in qua virum ſanctiſſimum occidere poſſent, præcipitaverunt eum extra civitatem Mediolanenſem; & carnifices crudeliſſimi ſanguinem innocentis effundere & ejus glorioſa membra dilaniare cupientes, ſagittis & lapidibus corpus ſuum ſanctiſſimum percuſſerunt, & hinc atque inde ſanctiſſimum Martyrem ſagittis repleverunt, ut quaſi ericius videretur. *ibi ſagittis multis vulneratur,*

15 Inclytus autem martyr Guinifortus ſic innumerabilibus martyrii pœnis afflictus, & multis affectus injuriis, nequaquam ab amore Chriſti divelli potuit. Cum verò impiiſſimi miniſtri, antequam percuſſiſſent glorioſum martyrem Guinifortum, & eum perduxiſſent ad locum, ubi decollandus erat, is præ nimia afflictione affectus cecidit quaſi mortuus in terram, & genu flexo collaudabat Dominum dicens: Domine rex æternæ gloriæ, pie pater, ſuſcipe corpus meum & animam meam, quam tibi offero in ara ſacrificii. Crudeliſſimi autem miniſtri jam mortuum exiſti- *& ſic læſus ac pro mortuo relictus,*

Ex MOMBRITIO.

exiſtimantes, abierunt, relicto eo in terra latente *.

* *forſan* jacente

16 Poſt puſillum verò temporis, Deo volente, glorioſiſſimum corpus pio ejus amore ſic afflictum, ſic vulneratum, in nobiliſſimam Italiæ civitatem Papiam venit, in qua totus percuſſus, ſagittiſque adhuc corpori ſuo fixis, quas ipſe extrahere non potuerat, ſuſceptus eſt cum magna reverentia & caritate à quadam muliere Chriſtianiſſima & Deo devota, quæ juxta eccleſiam ſancti Romani morabatur. Cum verò in ejus domo glorioſiſſimus Martyr per tres dies ſtetiſſet; vir Deo dilectiſſimus Guinifortus carnis exutus ſarcinâ, ad paradiſi atria commigravit, ubi martyrii palmam poſſidet, qui coronâ gloriæ meruit decorari.

diſcedit Papiam, ubi brevi ex vulneribus obit,

17 Porrò cum ſanctitas hujus glorioſi martyris Guinifortì hominibus eſſet incognita, omnipotens Deus, quanti meriti eſſet & ſanctitatis venerandus Martyr, ultra latere homines noluit: nam poſteaquam animam Chriſto beatus Guinifortus reddidit, ecce circa corpus ejus angeli Dei cum magna claritate aſtiterunt, totam domum, in qua erat, illuminantes, eamque fragrantiſſimo odore replentes. Quibus rebus tam magni quam parvi clara voce & ſumma lætitia magnificabant Deum dicentes: Benedictus Deus, qui ſemper in Sanctis ſuis glorioſus eſt. Magna itaque Dei omnipotentis gloria, & fidelium ingenti gaudio, undecimo Calendas Septembres ſepultus eſt in eccleſia ſanctæ Mariæ juxta eccleſiam ſancti Romani majoris, ubi multa miracula per ejus merita glorioſus Deus in Sancto ſuo operatus eſt. Cæci quidem multi ad ſepulchrum ejus venientes lumen optatum recipere meruerunt. Infirmi quoque & leproſi innumerabiles ibidem precibus beatiſſimi Guinifortì martyris ſanati ſunt. Verè fideliſſima urbium Papia non immerito congaudere debet, quæ inclyti martyris Guinifortì ſacratiſſimum corpus meruit poſſidere.

& poſt mortem variis miraculis claret.

B

ANNOTATA.

a *Comum vel Novocomum eſt urbs Italiæ in Ducatu Mediolanenſi, quæ nunc ab incolis vernaculè* Como *vocatur, & natalibus Innocentii XI Pontificis inclaruit. Ager autem ei adjacens communiter à ſcriptoribus* Comenſis *appellatur.*

b *Actorum ſcriptor magis clarè incolas hujus urbis* Comenſes, *quàm* Cumanos *appellaſſet: nam* Cumanus *propriè dicitur, qui Cumis in Campania Italiæ natus eſt. Unde Sibylla, quæ ibi floruit, vulgò* Cumana *vel* Cumæa *cognominatur. Hìc tamen ex antecedentibus & circumſtantiis abundè colligitur, cujus urbis incolas auctor deſignet.*

c *Tota hæc periodus & omnia adjuncta ſatis apertè indicant, illos Comenſes Sanctorum perſecutores ethnicis ſuperſtitionibus deditos fuiſſe, & S. Guiniboldum ab iis propter profeſſionem fidei Chriſtianæ interfectum eſſe.*

d *Hic loquendi modus etiam oſtendit, Mediolanenſes illos adhuc diis ſacrificaſſe, & tunc nondum agnoviſſe Jeſum Chriſtum, Deum vivum & hominem. Quare errat Jacobus Gualla, dum in Sanctuario Papiæ lib. 6 cap. 9 de iiſdem* S. Guniforti *perſecutoribus ita ſcribit:* Mediolanum ingreditur, ubi quoque Chriſtiani per diverſa tormenta trucidabantur. Tunc verò ſtrenuus Chriſti Athleta, in cujus pectus Deus lumen veritatis infuderat, quoniam divini nominis verus erat cultor, ſublimi voce cuncto populo intemeratæ fidei veritatis adeo perlucida argumenta cœpit prædicare, quod ei reſiſtere non poterat. Nec tamen ab hæretica perfidia ad veram Dei religionem convertebantur; at magis rabido furore furebant in eum. Ad ultimum martyr inclytus Guniforſus à protervis Arrianis extra Mediolani urbem crudeliter trahitur, & ibidem tot & tantis furentibus ſagittis crebris vulneribus perforatur, quod pro cadavere media in via jacens, magnis confoſſus vulneribus, ſanguine undique fœdatus ſæviſſimè relinquitur. *Hinc quoque corrigendus eſt Ferrarius, qui martyrium* S. Guniforti *diſtulit ad tempora Conſtantii imperatoris Ariani, quemadmodum in Commentario prævio monuimus. Ceterùm neque Gualla, neque Ferrarius ullum biographum hoc anonymo noſtro antiquiorem allegant.*

C

D

E

F

DE S. TIMOTHEO MARTYRE

ROMÆ,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

§ I. Antiquiſſimus ac celeberrimus Sancti cultus; an fuerit S. Pauli Apoſtoli diſcipulus.

SUB IMPERATORIBUS ETHNICIS. *Celeberrimus hic Martyr*

TAnta eſt, & tam conſtans documentorum, quæ de hoc ſancto Martyre ad poſteros transmiſſa ſunt, *in honoribus ei deferendis conſenſio, ut cultûs antiquitas, celebritas, ac propagatio quaſi pro præmio, ut ita loquar, inter ſe contendiſſe videantur: quibus utinam Acta ejus reſponderent! Antiquiſſimum Kalendarium, à noſtro Bucherio editum, ita eum inter alios Martyres refert:* Undecimo Kalendas Septembris, Timothei Oſtienſe. *Clariùs Romanum parvum ſeu vetus:* Romæ viâ Oſtienſi, Timothei martyris. *Calendarium, quod Leo Allatius diſſertationi ſuæ De Dominicis & hebdomadibus recentiorum Græcorum attexuit,* è bibliothecæ Vaticanæ, *ſicut præfatur,* codice antiquiſſimo, ante nongentos annos deſcripto, *ſic breviſſimè:* XI Cal. Septemb. Natale S. Timothei. *Adde* Kalendarium antiquiſſimum eccleſiæ Carthaginenſis, *quod vulgavit Mabillonius in Veteribus analectis tomo 3, & in quo pag. 399 ſignatur* . . . Sept. ſancti Timothei *nomen; noſtrine an alterius, quis ſatis tutò definiat, cùm deſint dies menſis, titulus-*

A *tituluſque ac palæſtra martyrii ? Mabillonius in notis ad laudatum Kalendarium pag.* 412 *videtur reſpexiſſe ad hodiernum, dum obſervat iſta:* In Martyrologiis vetuſtis . . laudatur XI Kalen. Septemb. Timotheus martyr, qui Antiochiâ Romam profectus Melchiade Pontifice, ibidem capite plexus eſt. *In Kalendario Frontonis ſeculi Octavi :* Die XXII menſ. Aug. Natal. S. Timothei. Ad B. Paulum Apoſt., *id eſt, ſicut Fronto addit in notula*, Statio eſt ad B. Paulum, quia non habebat S. Timotheus Romæ eccleſiam. *In Prænotatis autem ad laudatum Kalendarium* § 7, *pag.* 73, Statio, *inquit*, non erat aliud, quàm confluxus cleri & populi, præſente epiſcopo, in locum, ubi illo die publica Miſſarum ſolennia fieri debebant.

2 *His adjungantur Martyrologi alii, Beda videlicet, qui ſic canit :*

ſignatur in antiquis Martyrologiis,

Inde Timotheus undecimas tenet ordine digno. *Ado :* Romæ viâ Oſtienſi in cœmeterio ejuſdem, natalis ſancti Timothei : qui Antiochiâ veniens Romam, ſub Melchiade Papa, ſuſceptus eſt : quique cùm annum totum, & aliquos menſes ibi prædicans, multos ad fidem Chriſti convertiſſet,

B tentus à Tarquinio Urbis præfecto, & longâ carceris cuſtodiâ maceratus, cùm ſacrificare idolis noluiſſet, tertiò cæſus, & graviſſimis ſuppliciis attrectatus, ad ultimum decollatus, & juxta beatum Apoſtolum Paulum ſepultus eſt. Scriptum invenitur in hiſtoria ſancti Silveſtri. *Elogii iſtius ultima clauſula propriè ſpectat ad Sancti Acta. Annuntiationem hanc contraxit Uſuardus ; de qua videri poteſt illius Martyrologium à nobis editum. Wandelbertus hoc verſiculo illuſtrem Sanctum proſequitur :*

Undecimam Romæ Timotheus paſſus honorat.

Pluribus porrò hujus Sancti annuntiationibus erit locus, quando expendetur, an fuerit S. Pauli diſcipulus. Conſtat itaque ex antè dictis venerationem ejus publicam longè antiquiſſimam ac celeberrimam fuiſſe.

& in aliis vetuſtis monumentis.

3 *Nec alia ſunt à nobis prætermittenda, quæ huc faciunt. In Præfationibus antiquis per anni circulum, à Pamelio editis lib.* 2 *Liturgicorum, pag.* 592, In Natali S. Timothei martyris *recitanda præſcribitur iſta :* Æterne Deus, tibi enim feſta ſolennitas agitur, tibi dies ſacrata celebratur

C ; quam B. Timothei martyris tui ſanguis, in veritatis tuæ teſtificatione profuſus, magnifico nominis tui honori ſignavit. *Illa verò Præfatio cujus ſit ætatis, etiamſi non conſtet ; Pamelius tamen loco citato cenſet eſſe Gelaſianam. Verùm cujuſcumque ea ſit auctoris, antiqua ſanè videtur eſſe. Aliud, nec minùs inſigne antiqui cultus cum quadam ſolennitate conjuncti monumentum docet nos liber Sacramentorum S. Gregorii magni PP. apud Menardum pag.* 125, *ubi ſanctus ille Pontifex præſcribit orationes tres, tempore incruenti Sacrificii dicendas* in Natal. S. Timothei martyris. *Ad hæc, liber antiphonarius ejuſdem Sancti, qui in nova Operum ejus editione, anno* 1705 *Pariſiis vulgata, habetur tomo* 3, *parte* 1, *ordinat col.* 708 *varia decantanda in* Natal. SS. Timothei & Symphoriani. *Puto autem hîc agi de noſtro Martyre, quia alteri celeberrimo etiam athietæ additur, qui hac die celebratur. Atque hæc quidem, quæ de antiquiſſimo ac celeberrimo* S. Timothei *cultu jam collegimus, ſatis clara ac teſtata ſunt ; obſcurior verò & incertior eſt quæſtio, an idem Sanctus fuerit diſcipulus S. Pauli Apoſtoli.*

4 *Et talis quidem aſſeritur in variis Martyrologiis. Illud, quod ſub nomine S. Hieronymi in lucem dedit Florentinius, hæc ponit :* Roma via Oſtenſe in cimiterio ejuſdem ſancti Timothei diſcipuli Pauli Apoſtoli. *Conſentit Corbeienſe apud eumdem Florentinium in notis :* XI Kal. Sept. Romæ via Oſtienſe in cimiterio ejuſdem, Nat. S. Timothei diſcipuli Pauli Apoſtoli. *Inter Martyrologia Hieronymiana contracta, quæ apud nos vulgata ſunt, puncto hîc controverſo adſtipulantur Rhinovienſe, ac Richenovienſe. At verò Martyrologium Reginæ Sueciæ, quod ibidem dedimus, Beda prout à nobis editus eſt, Ado, & Animadverſa Holſtenii ad Martyrologium Romanum, viam omnino diverſam ineunt, quando* Timotheum *hodiernum innectunt tempori Melchiadis PP., qui vixit ſeculo quarto. Conſulatur una pro omnibus annuntiatio Adonis, quæ jam præmiſſa eſt ſuperiùs. Egregius enimverò ſaltus à ſeculo primo ad ſeculum quartum. Sed an hoc, an alio poſt primum ſeculo vixerit, poſtea diſpicietur : primo ſaltem non vixiſſe, atque adeo S. Pauli diſcipulum non fuiſſe, probabilius mihi videtur.*

AUCTORE J. P. *Inquiritur*

E

5 *Nam primò, ſi apographa Hieronymiana objicias, ea non ſatis ſibi conſtant ; in aliis quippe illa clauſula eſt, in aliis non eſt, ſed omnino diverſa, ſicut jam vidimus : immò verò nulla eſt in vetuſtiſſimo Martyrologio Antverpienſi apud Florentinium, ut fatetur ipſemet in notis, qui tamen in iſta clauſula tam impensè ibidem verſatur.* Timotheum, *inquit*, fuiſſe diſcipulum S. Pauli Apoſtoli, vetuſtiſſimum Antverpienſe M. ita ſilet : " XI Kal. Septembris. Romæ via Oſtienſi Timothei ,,. *Nulla eſt in antiquiſſimo Bucheriano ; non eſt in Romano parvo ſeu veteri ; non eſt in Frontone ; non eſt in documentis aliis diſcipulatus ille, quæ antea ad illuſtrandum* S. Timothei *noſtri cultum num.* 3 *protulimus : ita ut non ſine probabili fundamento ſuſpicari poſſe videamur, voces illas, quibus dicitur idem Sanctus exſtitiſſe* diſcipulus S. Pauli, *prædictis apographis Hieronymianis aliunde aſſutas eſſe, & pro ſpuriis & adjectitiis habendas.*

an hodiernus

6 *Tomo* 2 *Januarii, die* XXIV *ejuſdem menſis, in Commentario ad Acta S. Timothei apoſtoli, epiſcopi Epheſini, ac martyris, qui fuit diſcipulus S. Pauli, occaſione variorum dierum, quibus colitur, pag.* 563 *memorantur hæc ab Henſchenio :* XXII Auguſti iſta habet pervetuſtum Rhinawien. Ms. " Romæ Timothei diſcipuli S. ,, Pauli ,,. Sed poſtremæ tres voces videntur à librario adjectæ. Colitur alioquin eo die S. Timotheus Romanus martyr. *His ſtabilitur mea ſuſpicio, cui hæc adjungi poteſt conjectura, quòd in textûs genuini additionem prona fuerit occaſio, tum quia Sanctus noſter homonymus fuit diſcipulo S. Pauli,* & ad B. Paulum Apoſtolum *habita fuerit ejus* ſtatio, *ut ex Frontone dictum eſt : tum quia textus Martyrologii Hieronymiani apud Florentinium adeo luxatus, corruptus & perturbatus eſt, ut mirum non foret, ſi pro vocibus mox productis* ad B. Paulum Apoſtolum, *ſubſtitutum eſſet* diſcipuli Pauli Apoſtoli.

S. Timotheus

F

7 *Florentinius in notis ad hunc diem favens clauſulæ in ſuis exemplaribus contentæ, quâ* conſtanter, *ait, affirmetur*, S. Timotheum hac die memoratum, fuiſſe diſcipulum Pauli Apoſtoli, *ſuſpicatur, quòd* de Timotheo tantùm Romano, & Novati fratre, quæ hîc dicuntur, accipi debeant. Fuit enim Timotheus pariter presbyter, & diſcipulus Apoſtolorum. De Novato dum agit Romanum Martyrol. ad diem XX Ju-

fuerit diſcipulus

AUCTORE J. P.

nii . . , fuiſſe . . affirmat . . fratrem TIMOTHEI PRESBYTERI : ſed Beda editus addit : " Romæ „ S. Novati fratris Timothei presbyteri, qui à „ beatis Apoſtolis eruditi ſunt „. *Hîc tria ſunt breviter expendenda, nimirum* 10. *, in Sylloge hiſtorica ad eumdem diem* XX *Junii, tomo* 4 *ejuſdem menſis apud nos pag.* 4 *obitum S. Novati affigi anno æræ vulgaris* 151 *, quocum ibi dicitur non convenire , quòd ipſe ac frater ejus* à beatis Apoſtolis eruditi ſint. 20. *Ibidem etiam dicitur, Bedam iſto die vacare, & additionem eſſe, in qua illud aſſeritur. Videri poteſt Martyrologium ſub Bedæ nomine à nobis editum tomo* 2 *Martii pag.* XXIII. *Expendendum* 30 *, in Antiquiſſimo Kalendario Bucheriano , & in aliis vetuſtis Martyrologiis hoc die ſignari* Timotheum *laureâ martyrii coronatum : titulus autem ille non datur iſti , qui eſt apud nos in Sylloge , quam deſignabam modò : nec titulo* presbyteri *, quo hic vocatur ibidem apud nos , inſignitur* S. Timotheus *hodiernus , uti in Faſtis ſacris ſuperiùs allegatis licet videre. Profert quidem Florentinius epiſtolam S. Pii PP. ad Juſtum epiſcopum Viennenſem , in qua dicitur inter alia :* S. Timo-

B theus & Marcus per bonum certamen tranſierunt; *ſed epiſtola illa , quæ eſt edita apud Labbeum tomo* 1 *Conciliorum col.* 576 *, dicitur ibidem in notula marginali à Baronio agnoſci germana , ſed ab aliis quibuſdam non probari ; quænam contra illam objiciantur , refert Tillemontius Monumentorum eccleſ. tomo* 2 *, notâ* 4 *in S. Pium pag.* 614 *: de loco autem ejuſdem epiſtolæ, quem ſtatim citavimus è Florentinio , tractat ibidem notâ* 5. *Ex his concludo ,* S. Timotheum *hodiernum martyrem per tot ambages à Florentinio quæſitum , in ſynonymo ſancti Novati fratre inventum hactenus non eſſe.*

8 *Conſiderandum hîc etiam nobis eſt , quomodo ex hiſce difficultatibus expedire ſeſe conatus* S. Pauli *fuerit Tillemon. in nota* 5 *, quam mox allegavimus. Quærit itaque , ſententiâ Florentinii rejectâ , quiſnam ſit* Timotheus *ille diſcipulus S. Pauli , & indicat , mirum non fore , ſi magnus Timotheus Epheſinus honoratus fuiſſet Romæ , & in eccleſia S. Pauli , ſicut refert Kalendarium Frontonis (vide apud nos ſuprà num.* 1 ; *) ſed objicit auctores , qui memorant , eum Epheſi obiiſſe , & ex illa civitate tranſlatum fuiſſe Conſtantinopolim anno* 356 ; *Martyrologia tamen*

C *Hieronymiana dicere , quòd* S. Timotheus *hujus diei* XXII *Auguſti honoraretur in cœmeterio ſui nominis ; atque adeo neceſſariò eſſe dicendum, quòd ſaltem reliquiæ ipſius ibidem fuerint. Deinde ex Florentinio pag.* 767 *mentionem facit de inſcriptione , quæ indicet , etiamnum haberi corpus alicujus* S. Timothei *, martyris Romæ , in eccleſia S. Pauli , quò transferri potuit è cœmeterio ſui nominis , quod creditur ibidem propè fuiſſe ; ſed in eadem inſcriptione notari , hunc* S. Timotheum *paſſum eſſe ſub Tarquinio , ac proin non fuiſſe diſcipulum S. Pauli.*

Apoſtoli ; 9 *Dicine , inquit , poſſet , nominis conformitatem in cauſa fuiſſe , quòd Timotheus hic pro Epheſino fuerit acceptus ; tametſi rectè admòdùm ab eo diſtinctus ſit in aliquibus monumentis, quæ citantur apud eumdem Florentinium tamquam è Vaticano extracta ; & quòd idcirco tam celebris evaſerit , in ipſa etiam Africa ? Nam quæ præter illud de eo dicuntur , non debuerunt illum adeo multùm reddere celebrem , de quo utpote propriè loquendo ſciatur nihil. Hæc Tillemontius , lectorem mittens ad perſecutionem Diocletiani , quæ habetur tomo* 5 *Monum. eccleſ. , ac conſuli ibidem poteſt §* 49. *Atque hanc quidem ſolutionem ſæpè jam allegatus auctor dicit eſſe facilem ; ſed ex ea ſequi , ut eccleſia Romana , & eccleſia Africana in moleſtam confuſionem fuerint lapſæ : ita ut neſcire ſe dicat , an non expediret dicere , quòd , dum corpus magni S. Timothei Epheſo Conſtantinopolim transferretur ſub Conſtantio , quædam ejuſdem reliquiæ fuerint diſtributæ , ſicut refert certò factum eſſe in S. Andrea , & , dum nonnullæ ex iis delatæ eſſent Romam , depoſitæ fuerint apud S. Paulum in ſacello , quod* S. Timothei *habuerit nomen , illudque indiderit vicino cœmeterio.* D

& nos probabiliùs 10 *Hoc autem cenſet non obſtare , quo minus* S. Timotheus *alter potuerit eſſe ſepultus eumdem locum verſus , & tranſlatus poſtea ad eccleſiam S. Pauli : quin immò dicendum affirmat , ejus feſtum in eumdem concurriſſe diem ; credi enim, Kalendarium Bucherianum , in quo ſignatur , factum eſſe anno* 354 *, biennio antè , quàm S. Timotheus Epheſinus Conſtantinopolim tranſlatus eſt. Huc uſque ſuper intricata hac difficultate Tillemontius , quam eruditis proponit , eorum judicium exſpectare ſe dicens. Vides , lector, quot* E *conjecturis ac dubitatiunculis ſeſe implicet auctor ille , ut quis , qualiſve fuerit* S. Timotheus *hodiernus , indaget , & illum inveniat in via Oſtienſi , ac diſcipulum S. Pauli : hunc , quem tam operosè quæſivit , ne vel per probabilem utcumque conjecturam inveniſſe mihi videtur : cùm ſynonymus hodiernus , etiamſi ſit cultu clariſſimus , cetera tamen adeo ſit obſcurus , ut vel divinando diſtincta aliqua de eo notitia ſperari nequeat, ipſomet fatente , ut ſuprà retulimus , Tillemontio , de eo ſciri nihil.*

hanc ſententiam eſſe rejiciendam cenſemus. 11 *De hac porrò re neotericus legendiſta Gallus, à nobis toties ac meritò alibi caſtigatus , non videtur malam tuliſſe cenſuram , quando ad præſentem diem exhibens* S. Timotheum *noſtrum , & hac oblata opportunite de S. Timotheo S. Pauli diſcipulo , ejuſque tranſlatione Conſtantinopolim , unde reliquiæ ipſius Romam dicuntur delatæ , ſcribens , cenſet ſufficere ad hunc errorem , qui alioquin ſatis eſt antiquus , deſtruendum , ſi obſervetur , quòd corpus noſtri Martyris jam tum Romæ honoratum fuerit , &* F *quieverit etiam tunc in via Oſtienſi , ſicut ſignat Kalendarium anni* 354 *, antequam corpus S. Timothei , diſcipuli S. Pauli , eſſet Conſtantinopoli , id quod dumtaxat accidit anno* 356. *Neque alia tentanda indicat idem biographus , ſed obſervandum , quod martyr* Timotheus *, cujus memoriam honorat Eccleſia die* XXII *Auguſti, unus ſit è numero Sanctorum , qui cultu quidem ſuo notiſſimi , ſed rebus geſtis ignotiſſimi ſunt. Quod quàm verè dixerit idem auctor , planum fiet ex Sancti Actis , quæ examinare aggrediemur , poſtquam nonnulla eis præmiſerimus de hujus ſancti Pugilis ſepultura ac corpore.*

§ II. Sancti ſepultura ac corpus ; Acta & eorum cenſura.

Locus antiquæ ſepulturæ, & corporis DE *primævo loco , in quo conditum fuit ſacrum Martyris corpus , antea dictum eſt ex antiquiſſimo Kalendario Bucheriano , & ex aliis pariter indicatum , ubinam ſequentibus ſeculis quieverit. Willielmus autem Malmesburienſis De geſtis regum Anglorum lib.* 4 *, qui eſt de*

A *de Willielmo II, cap. 2, pag. 135 editionis Francofurtenſis anni 1601*, Duodecima, *inquit*, porta & via Oſtenſa * dicitur, modò porta ſancti Pauli vocatur, quia juxta eam requieſcit in eccleſia ſua. Ibidemque Timotheus martyr. *Hæc Malmesburienſis inter alia, quæ ſcribit de urbe Romana. Ejuſdem ſancti Athletæ corpus ibidem eſſe noſtris etiam temporibus, teſtatur Piazza ad diem* XXII *Auguſti in ſuo Hemerologio ſacro, dicens feſtum ejus celebrari ad S. Paulum extra muros, & ibidem eſſe ſacrum ejus corpus; atque ex eo nomen ſumpſiſſe famoſum cœmeterium, quod dicitur* S. Timothei *viâ Oſtienſi, quæ jacet ſub eâdem baſilicâ, cum indulgentiâ plenariâ.*

* *al.* Oſtienſis

13 *Apud Ferrarium in Indice alphabetico, qui habetur ante ejus Catalogum Sanctorum Italiæ, notantur iſta:* Timotheus mart. Romæ XXII Aug. corp. Placentiæ in eccleſia S. Xyſti. *Sed illud corpus vel eſt alterius S. Timothei, vel, ſi ſit ejuſdem, qui hac die colitur; ſicut vult Ferrarius, quod ultimum tamen videtur probationem aliquam requirere, tunc ſumitur pars*

ſequentibus ſeculis perſeveravit.

B *pro toto: alioqui hæc cum ſuperioribus non cohærent. Aringhus tomo 1 Romæ ſubterraneæ lib. 3, cap. 3, pag. 413 ſcribit de pignoribus ſacris, quæ in eccleſia S. Pauli aſſervantur, & indicat corpus* S. Timothei *in decentiorem locum tranſlatum fuiſſe, hæc dicens:* Haud ſilentio prætereundum à nobis eſt, quòd ſub altari quidem S. Brigittæ, quod ipſi aræ maximæ proximum eſt, corpora ſanctorum Timothei, *& aliorum, quos nominat*, martyrum requieſcunt: quæ in ſubterranea olim Apoſtoli confeſſione, & S. Juliani oratorio condita fuerant. *Addit idem auctor his qualemqualem inſcriptionem; ſed quando, & à quo condita ſit, incertum, & ideo illam qualemqualem voco.*

14 *Celeberrimus hic Martyr eamdem in Actis ſuis ſubiit fortunam, quam tot alii Sancti, publica quidem veneratione ac æſtimatione, nominiſque claritudine quaquaverſum diffuſa illuſtriſſimi; ſed adeo parùm ſincerè ac verè in rerum geſtarum narrationibus ſunt depicti ac malè compti, ut eorum Acta non tam mereantur eruditorum lectorum approbationem & fidem, quàm*

Acta à Combefiſio edita

C *juſtas querelas & indignationes. P. Franciſcus Combefiſius Lutetiæ Pariſiorum vulgavit librum hoc titulo* Illuſtrium Chriſti Martyrum lecti triumphi *&c., in quo libro exſtat Vita S. Silveſtri PP., intextis eidem Vitæ Actis* S. Timothei *à pag.* 260. *Acta S. Silveſtri quo loco ſint habenda, apocrypha videlicet ac fabuloſa, notiſſimum eſt; nec fabularum ac ineptiarum in eiſdem contentarum memoria hîc refricari debet. Examinemus itaque hiſtoriam* S. Timothei, *quæ habetur apud Combefiſium:* Beatus Silveſter .. cùm ſanctus Timotheus .. perſecutionis tempore Antiochiâ Romam veniſſet, humaniſſimè hoſpitem habuit: quod nec ipſi ſacerdotes ob rei periculum præſtare auſi fuerant. *Atque hoc quidem Actorum ſancti Martyris noſtri eſt exordium, in quo quia* perſecutionis *tempus refertur ad tempora circiter Melchiadis PP., ut patebit ex ſequentibus, qui anno Chriſti* 310 *ad Petri cathedram evectus eſt; ideo non ſatis intelligo, quomodo* nec ipſi ſacerdotes ob rei periculum præſtare auſi fuerant, *quod dicebatur S. Silveſter huic Martyri præſtitiſſe, quando hoſpitium ei præbuit.*

15 *Etenim ab anno* 306 *uſque ad annum* 312 *Romæ imperabat Maxentius, in qua tyrannidem quidem exercuit impudicam pariter & crudelem;*

examinantur,

ſed tantùm abfuit à continuanda vel movenda perſecutione adverſus Chriſtianos, ut eam fecerit ceſſare, teſte Euſebio Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 8, cap. 14, pag. 310 editionis Valeſianæ: Maxentius, *inquit*, qui Romæ tyrannidem arripuit, principio quidem fidei noſtræ profeſſionem ſimulavit, ut in eo morem gereret, blandireturque populo Romano. Itaque ſubditis ſuis præcepit, ut à perſecutione Chriſtianorum deſiſterent, fictam ſcilicet pietatis ſpeciem præ ſe ferens, utque benignior multò atque humanior ſuperioribus principibus videretur. Verùm progreſſu temporis haudquaquam talem ſe rebus ipſis præſtitit, qualis futurus ſperabatur. *Deinde laudatus auctor commemorat iſtius furiæ libidinem, flagitia; item crudelitatem, quâ in populum Romanum deſæviit; ſed renovatam ejus juſſu adverſus Chriſtianos, quà tales, perſecutionem, à qua deſiſti juſſerat, non lego: ita ut omnino ſuſpecta mihi videantur metus tantus ſacerdotum,* ac rei periculum *Romæ, de quibus ſuprà dictum eſt, quo territi fuerint* ipſi ſacerdotes, *& non auſi Antiochenum advenam hoſpitio excipere.*

16 *Quo autem fundamento nitatur iter illud & caſtiex urbe Antiochena ad Romanam; neſcio: et-* *gantur*
E *iamſi non ignorem, illud haberi apud Adonem ſuprà allegatum,* ſub Melchiade Papa: *ſed poſt hoc, & alia, quæ narrat ibidem,* ſcriptum invenitur, *inquit*, in Hiſtoria S. Silveſtri. *Acta eadem, quæ examinamus, narrant, quòd* S. Timotheus, cùm annum ac menſes aliquot veram Chriſti doctrinam prædicaſſet .. gladio animadverſus occubuerit; *hoc autem accidiſſe ſub* ſancto Miltiade, *ſeu Melchiade*, epiſcopo, *id eſt Papa*, Romano, *indicatur in ſequentibus. Unde conſequens eſt ſecundum iſta Acta, ut Romam advenerit anno circiter* 310, *vel paulò ſeriùs, ſed non poſt annum* 311, *quo hic ſanctus Pontifex obiit. At quo pacto tam diu differri poteſt adventus* S. Timothei *in Urbem, ſi verum eſt, quod eadem Acta inſinuant, S. Silveſtrum nondum ſacerdotio fuiſſe initiatum, cùm* S. Timotheus *Romam venit? Silveſter enim* puer cùm eſſet, Cyrino presbytero adhærebat, pariterque officiis (*ſeu, ut eſt in textu Græco,* διακονίας, miniſterio) defungens *&c. Ad hæc* τὸ ipſi ſacerdotes, *de quibus mox à nobis jam actum, nonne indicat, ſanctum hunc Pontificem tunc ſacer-* F *dotem non fuiſſe? Et tamen eum jam tum ante annum* 305 *ſacerdotem fuiſſe teſtatur S. Auguſtinus, quia illum annumerat ſacerdotibus S. Marcellini PP., anno Chriſti* 304 *vitâ functi. Sic enim ſcribit hic ſanctus Doctor in libro De unico baptiſmo contra Petilianum cap.* 16, *pag.* 87 *editionis Plantinianæ:* Quid ergo jam opus eſt, ut epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumniis infectatus eſt, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, & Sylveſter traditionis codicum divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur. *Nonne hoc ſatis clarè cum Actis iſtis pugnat?*

17 *Pergamus. In eiſdem Actis ſanctus noſter* *tamquam*
Martyr dicitur eſſe paſſus ſub illo, qui ibidem *apocrypha;*
vocatur Tarquinius præfectus. *Verùm hujus no-* *aliud ejuſ-*
minis præfectum non invenio in catalogis præfe- *dem furfu-*
ctorum Urbis, quos typis vulgaverunt V. Cl. E- *ris*
manuel à Schelſtrate in Appendice ad tomum primum Antiquitatis Eccleſiæ à pag. 528; *ac Theodoricus Janſonius ab Almeloveen poſt Faſtos Romanos conſulares, anno* 1705 *Amſtelodami excuſos, a pag.* 295. *Sequitur itaque, ut*

AUCTORE J. P.

lius, vel saltem exiguæ fidei sint Acta ista, quæ Tarquinium præfectum, *alibi ignotum, in scenam producunt? Acta verò seu historiam S. Silvestri cùm citet Ado, sicut paullo antè indicavimus, mirari non debemus, eum affirmare, quòd noster Athleta fuerit* tentus à Tarquinio Urbis præfecto *&c. Habemus aliud Actorum exemplar hoc titulo:* Passio S. Timothei martyris XI Kal. Septemb., *quæ transcripta notatur* ex Ms. membr. Pruvinensi D. Wion de Dourvalle. *Sic autem incipit:* Factum est autem, ut Timotheum quemdam, virum Christianum & religiosum, venientem ab Antiochia, Christum publicè prædicantem tempore persequutionis, Romæ hospitem susciperet S. Sylvester. *Verùm cùm Acta ista, etiamsi sint breviora, similis tamen cum jam dictis sint furfuris, easdem censuras merentur.*

exemplaria

18 *Sed an Acta melioris notæ non sunt speranda nobis apud Baronium ad annum* 311 *à num.* 58? *Nequaquam. Nam exemplar, quo usus est, quale sit, disce ab uno hoc specimine, quod sic conatus est corrigere vir Eminentissimus:* Sed quid tandem accidit de Timotheo martyre?

B Cùm enim tempore Constantini imperatoris passum esse constet, perperam in codice scripto legimus, in persecutione ejusdem Constantini subiisse martyrium. *Sed mirum non est, hæc & alia apocrypha in eodem codice contineri de* S. Timotheo, *cum ex Actis S. Silvestri sint hausta, sicut significat Baronius: apud quem etiam in scenam prodit* Tarquinius Perpenna, *Urbis præfectus tempore Melchiadis PP., & anno Christi* 311, *in Catalogis, quos suprà citabam, omnino ignotus. Quærere insuper è Baronio mihi liceat, unde Martyrem nostrum* tempore Constantini imperatoris passum esse constet? *Si ex hisce solis Actis; cùm illa vacillent, cur non vacillet tempus, quod memorant, quodque suprà jam castigatum est? Monet etiam Baronius, de* Timotheo Martyre illud non prætermittendum, perperam ejus martyrium poni sub sexto consulatu Constantii ante quinque annos: nam cùm appareat, passum sedente Melchiade Papa, nequaquam aptari potest tempori illi, quo Romanæ Ecclesiæ constat præfuisse Marcellum. *Sed vel corrigere, vel figere tempus, quidnam hîc aliud, quàm palpare in tenebris? Ad hæc, quærere iterum liceat ex Baronio, unde constet, hodiernum* Timotheum

C *signari apud Cuspinianum, quem citat* de Consulibus sub sexto consulatu Constantii, *& non alium potiùs, cum dies martyrii prorsus sint diversi, & ponatur* Annius Anullinus præfectus? *Cui mox subduntur ista:* In vetustissimo sine autoris titulo Chronicorum libello reperi hæc verba: " Constantio sexto, & „ Maximiano sexto Coss. passus est Timotheus „ Romæ x Kal. Jul. „. *Et revera cùm isti consules, tum præfectus Urbis mox nominatus notantur in catalogis, quos nuperrimè designabam, ad annum* 306. *Ante me habeo apographum* ex Ms. Congregationis Oratorii, & Mariæ Majoris Romæ, *uti eidem adscribitur, & sic incipit:* Sub persecutione Constantini imperatoris *&c. Insulso huic exordio non addo alia. Eodem fortasse vel simili exemplari usus est Baronius.*

designantur.

19 *Ecce autem metamorphosim aliam chronologicam apud Petrum de Natalibus lib.* 7, *cap.* 91, *ubi recitat* S. Timothei *martyrium, quod liberali spongiâ indiget. In eo quippe dicitur* presbyter; *sed quo prævio auctore ac duce hoc dicitur? Deinde ibidem* passus *notatur* sub Valeriano imperatore, & Tarquinio Urbis præfecto. *Atque adeo tempus martyrii quinquaginta* D *circiter annis ibi anticipatur. At verò pugnantia loquitur ista narratio: sic enim pergit:* Qui ab Antiochia veniens tempore Melchiadis Papæ, à S. Silvestro . . hospitio devotè susceptus est. *Insulsa enimverò rerum, personarum ac temporum combinatio! Sed tricarum jam satis. Quandoquidem autem tempus martyrii omnino obscurum & incertum est, idque de Sancti morte unicum certò constat, quòd ea ultra annum* 354 *differri non possit; ideo, vanis conjecturis valere jussis, fixi suprà martyrium sub imperatoribus ethnicis. Ex Actis suspectis pessima sunt, quæ habentur apud Petrum de natalibus: ex aliis autem prælo committimus ea, quæ suprà designatus Combefisius edidit, non quia iis meliora; sed ut aliquod saltem exemplar lectori in promptu sit, quod censuris in decursu hujus Commentario notatis subserviat.*

ACTA

APOCRYPHA E

Auctore anonymo,

ex Vita S. Silvestri PP., quam edidit Combefisius in libello, cui titulus, Illustrium Christi Martyrum lecti triumphi, à pag. 260.

Sanctus à B. Sylvestro hospitio excepius,

IGitur beatus Silvester puer cum esset, Cyrino presbytero adhærebat; pariterque officiis defungens, omnem sponte sua curam sedulò explebat. Unde cum sanctus Timotheus vir religiosissimus, ac qui Christum liberè, ac palam prædicaret, persecutionis tempore Antiochiâ Romam venisset, humanissimè hospitem habuit; quod nec ipsi sacerdotes *a* ob rei periculum præstare ausi fuerant. At Silvester nedum gaudebat illo suscepto; verùm etiam omni excusso metu, Virique tum vitæ rationem, tum prædicationem spectatam habens, multis eum laudibus omnibus commendabat. F

a

post aliquod tempus martyrio afficitur,

2 Sanctus itaque, quem dixi, Timotheus, cum annum ac menses aliquot veram Christi doctrinam prædicasset, neque idolis ut sacrificaret in animum induceret, tertiò tortus ac verberatus, trinâque eâ perfunctus luctâ, ad extremum gladio animadversus occubuit. Cujus corpus cum Silvester profundâ, atque mediâ nocte clanculùm rapuisset, domum intulit: accersitoque sancto Miltiade Episcopo, cunctis id compresbyteris ac diaconis ut sanciretur præstandum, obtinuit: totamque noctem sacris illis canticis producens, martyrium * ejus dedicavit.

** i. e.* ædem Martyri sacram

& honorificè sepelitur:

3 Mulier autem quædam Christiana nobilis, ac Deum timens, Theona nomine, cùm sancto Apostolo Paulo vicinum hortum haberet; eum, cujus memini, beatissimum Papam, suis ipsius sumptibus eo ipso in horto martyrium ut extrueret, inque illo sacratissimi Timothei corpus conderet, officiosissima rogavit. Quod ita gestum Christianos omnes abunde gaudio affecit; quod nempe

A nempe etiam Timotheo quondam Pauli discipulo cognominis Martyr, è vicino illi conditus fuisset.

4 His eo successu peractis, Tarquinius Præfectus, habuisse Timotheum aliquid pecuniarum ratus, comprehendi sanctum Silvestrum jussit; aitque, Nisi cunctas mihi opes sceleſtissimi Timothei dederis, ac diis sacrificaveris, diversis te conficiam tormentis. Ad quem sanctus Silvester Euangelicam tibi dicam vocem; Hac nocte anima tua à te auferetur; ut noveris, Timotheum, quem pœnis sustulisti ,, non sceleratum hominem, ut dixisti, sed Christi martyrem esse *b*.

tyrannus miserè perit.

b

A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Silvester itaque nondum tunc erat sacerdos, sicut conficitur hic ex Actis: talis erat tamen omninò, teste S. Augustino. Vide Commentarium prævium § 2 num. 16: sed alios eorumdem errores non assigno singillatim, qui in dicto Commentario notantur.*

b *Quæ hoc ultimo numero narrantur, non sunt in duobus apographis nostris; & suspicor, esse episodium fabulatoris, qui Acta S. Silvestri apocrypha conflavit.*

DE SS. FABRICIANO ET PHILIBERTO MARTYRIBUS,

IN HISPANIA.

J. P.
E

B Veneratio eorum publica, gesta ignota.

DIE XXII AUG. *Probatur eorum cultus:*

IZaniorum plenus est ager, *quem hodie nobis aperit ad colligendum triticum famosus Tamayus, more suo in apocryphis loliis colligendis & lectori obtrudendis operosè intentus: ubi tamen nihil habent hi duo Sancti, quod verè ac fundatè de eis colligi possit, præter cultum publicum, quem paucis, utinam liceret pluribus, ita stabilimus. Martyrologium Romanum hac die illos sic annuntiat:* In Hispania sanctorum martyrum Fabriciani & Philiberti; *addente in notis Baronio:* De his veter. manuscript., & in tabulis ecclesiæ Toletanæ. *In Missali ejusdem ecclesiæ, quod anno* 1550 *editum est, nihil de his Sanctis invenio: sed Henschenius noster in Calendario Sanctorum, quod isti Missali præfigitur, quodque* collatum esse *testatur* cum Breviario secundum regulam B. Isidori dicto Mozarabes, impresso anno MDII jussu D. Francisci

C Ximenes archiepiscopi: item cum Missali mixto secundum regulam B. Isidori, dicto Mozarabes, excuso Toleti anno MD jussu Francisci Ximenes archiepiscopi *&c.*, *Henschenius, inquam, ad diem* XXII *Augusti sua manu adscripsit in isto Calendario:* Fabriciani & Philiberti M. IX lec. *In apographo autem nostro, quod è Breviario Mozarabico anno* 1722, *dum Toleti essemus, ibidem extractum est, hæc notantur:* Sanctorum

* *f.* abbatum Fabriciani & Philiberti abbatis * & martyrum, omnia dicantur plurimorum martyrum. *Hæc sunt, quæ de nostrorum Sanctorum cultu colligere mihi licuit; præter quem, si alia quæsieris de eorum patria, ætate, ac rebus gestis, adeo vacillant omnia, ut omnino non sit locus, ubi firmum pedem figas.*

2 *Ad Tamayum quod attinet; jam illum conveni: nec addam plura, ne tempus perdam, si nugas ejus operosè castigem, & lectoris aures obtundam novis querelis, quas toties repetere, si non supervacaneum, tetricum certè videri possit. Hinc facilè etiam patior sileri ea, quæ habet noster P. Antonius de Quintanadueñas in suis Sanctis Toletanis ad seculum quartum à pag.* 225. *Quid enim exspectes ab eo limpidum & purum de hodiernorum Sanctorum gestis, qui sordes pro aqua bibit, ex famosis cloacis hausias, quæ jam pridem ab eruditis Hispanis detectæ sunt, uti patet ex auctoribus apocryphis ac documentis, quæ producit, personatis utique magnorum in speciem scriptorum nominibus deceptus, sicut innumeris aliis contigit. Porrò Sanctis apposui suprà titulum* Martyrum *cum Romano Martyrologio, ac Breviario Mozarabico, etiamsi planè ignorem, ubi, quando, & sub quo passi sint. Signavi item illos* in Hispania *cum dicto Martyrologio, non quia mihi id certò constat; sed quia Hispani sunt, ut ita dicam, in possessione, in qua ipsos relinquo. An ambo monachi fuerint, item cujus Ordinis ac monasterii, pariter incompertum mihi est.*

ætas, Acta &c.

3 *Castellanus in Martyrologio universali hac die ad nomen* Philiberti, *quod è Romani Martyrologii textu Gallicè scribit* Philbert, *notulam marginalem apponit, & affirmat,* esse humationem sancti Philiberti abbatis Gemeticensis, factam in insula Nigri-Monasterii (*Nermoutier;*) *sed abbas iste non fuit martyr, ut ad diem* XX *Augusti, quo ejus Acta illustrata sunt, licet videre. Deinde non satis assequor, quomodo tam rotundè & affirmarè hoc enuntiet Castellanus sine ulla probatione, præsertim cùm obscurissima sint omnia, quæ de hoc Sancto quæri possunt. Novi equidem, credidisse Nicolaum Antonium, quòd Herii insulæ in Gallia nomen, ubi alius Filibertus ille abbas synonymus obiit, pseudo-Julianus in fictitium commutaverit, dum Hispaniæ insulæ illum adjudicat; sicut pluribus refertur ad dictum mox diem* XX *hujus mensis in Commentario ad ejus Vitam* § 1, *num.* 6, *pag.* 67. *Sed cùm hic Philibertus à pseudo-Juliano dicatur fuisse* in Hispania solitarius; *sive is ab isto fabulatore fictus sit, sive verè aliquando talis ibi exstiterit, quod non est hujus loci examinare; noster autem in documentis suprà allegatis signetur cum titulo* martyris, *non video inde quidquam erui posse pro sententia Castellani.*

nos latent.

F

DE

DE SS. NECTAVO VEL NECTARIO ET FORSAN SEVO

G. C. *NEO-CESAREÆ IN PONTO.*

Notitia horum Sanctorum ex antiquis Martyrologiis.

XXII AUG. *Nomina horum Sanctorum in antiquis Martyrologiis exprimuntur;*

FRanciſcus Maria Florentinius *hac die in exemplaribus Hieronymianis iſtos Sanctos ita annuntiat:* In Ponto Neocæſar. natalis ſanctorum Nectavi, Sevi. *Ex vetuſtiſſimo apographo Antverpienſi eoſdem Sanctos refert his verbis:* Neocæſarea civitate Nectavis, Sævi. *Deinde laudatus Hieronymiani Martyrologii editor in notis monet ſequentia:* Additur IN PONTO ad differentiam alterius urbis Neocæſareæ in Bithynia. In Ponto Polemoniaco Cappadociæ Neocæſaria civitas eſt Ptolomeo, Ammiano & Solino. Ibi natale ſanctorum Nectavi & Sevi ex adductis manuſcriptis libris recolebatur, qui tamen in aliis editis Martyrologiis latent. *Sed poſt hanc annotationem adhuc ignoramus, utrum illi Martyres an confeſſores fuerint. Attamen ſuſpicamur, illos laureâ martyrii coronatos fuiſſe, cum vetera hujuſmodi Martyrologia plerumque de Martyribus meminerint.*

2 *Quidquid ſit de hoc incerto martyrio, in aliis Hieronymiani Martyrologii exemplaribus primus ex his duobus Sanctis tantùm memoratur. Rhinovienſe apographum, quod tomo* VI *Junii part.* 2 *edidimus, hac die ſic habet:* In Ponto Nectarii. *Huic conſentit ibi Richenovienſe, quod eodem die* in Ponto Nectarei *ſolius memoriam celebrat. Sed Martyrologium Auguſtanum ex Monaſterio ſancti Udalrici, quod ibidem poſt duo præcedentia vulgatum eſt, priori Sancto alterum ſocium adjungit, omiſſoque venerationis aut martyrii loco, duos hoſce Sanctos poſt S. Timotheum ſic annuntiat:* Romæ Timothei, Marcialis. Alibi Nectavi, Mariani. *At in aliis apographis Hieronymianis apud Florentinium Marianus ille ſub nomine Marini Antiochiæ collocatur, & fortè propter luxatos laterculos hic in Martyrologium pro* Sevo *irrepſit. Cum tamen ille* Sevus *in quibuſdam Martyrologiis omittatur, in aliis exprimatur, eum* S. Nectavo *vel* Nectario *cum ſigno dubitationis adjunximus. Ceterùm obſcuras illas annuntiationes ulterius illuſtrare non poſſumus, dum tota antiquitas & alii Martyrologi de diſtinctiore horum Sanctorum notitia ſilent.*

ſed reliqua ad eos ſpectantia ignorantur.

DE SANCTO SIGFRIDO ABBATE *IN ANGLIA,*

G. C. SYLLOGE HISTORICA.

C Hujus Sancti monaſterium, ætas, cultus ab immemorabili tempore, biographus, & Acta. F

ANNO DCLXXXIX. *In Wirenſi Angliæ monaſterio,*

VEnerabilis Beda *originem monaſterii Wirenſis aut Wiremuthenſis, cui ſanctus Abbas noſter poſt alios præfuit, apud Mabillonium ſeculo ſecundo Ordinis Benedictini pag.* 1004 *deſcribit, ubi de S. Benedicto Biſcopo, primo iſtius monaſterii fundatore, narrat ſequentia:* Tandem ad patriam gentem ſolumque, in quo natus eſt, pedèm convertens, Ecgfridum Transhumbranæ regionis regem adiit; cuncta quæ egiſſet, ex quo patriam adoleſcens deſeruit, replicavit, quo religionis deſiderio arderet, non celavit, quid eccleſiaſticæ, quid monaſticæ inſtitutionis Romæ vel circumquaque didiciſſet, quot divina volumina, quantas beatorum Apoſtolorum ſive Martyrum Chriſti reliquias attulit, patefecit, tantamque apud regem gratiam familiaritatis invenit, ut confeſtim ei terram ſeptuaginta familiarum de ſuo largitus, monaſterium inibi primo Paſtori Eccleſiæ facere præciperet: quod factum eſt, ſicut & in proœmio memini, ad oſtium fluminis Wiri ad Aquilonem, anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto, Indictione ſecunda, anno autem quarto imperii Ecgfridi regis.

2 *Mabillonius ibidem pag.* 1002 *in obſervationibus præviis, quas iiſdem S. Benedicti Biſcopi Actis præfixit, hoc monaſterium & alterum ei vicinum diſtinguit his verbis:* Monaſterium ſancti Petri ad Wiræ fluminis oſtia (unde Wiremuthenſe dictum) quinto ferè milliari diſtabat à cœnobio ſancti Pauli ſito ad Tinam fluvium in territorio Girwenſi, vulgò JARROW, ex quo Girwenſe ſancti Pauli monaſterium dictum eſt. Utrumque condidit Biſcopus, ac eidem abbati, iiſdemque inſtitutis ſubeſſe voluit. Quod in cauſa fuit, ut nonnumquam apud Bedam alioſque auctores, quaſi unius monaſterii vocabulo cenſeretur. Girwenſe incoluit Beda, à Danis poſtea ſemel atque iterum deſtructum. *In illo priori cœnobio noſter hodiernus Sanctus felicem*

quod ab alio vicino diſtinctum eſt,

A *cem animam Creatori reddidit.*

obiit hic ſanctus Abbas

3 *Hinc paſſim recentiores hagiologi Benedictini* S. Sigfridum *ſacris faſtis ſuis inſerunt, ac inter alios Gabriel Bucelinus hac die illum in Menologio ſuo ſic annuntiat:* In Anglia, monaſterio Wirenſi depoſitio ſancti Sigfridi abbatis. Sigfridus tertius Wirenſis cœnobii abbas, quod ſanctus Benedictus Biſcopius in Northumbria conſtruxerat, vir ſacrarum Litterarum ſcientiâ ſufficienter inſtructus, mira autem abſtinentiæ virtute præditus fuit. Ejus in diuturno pulmonum morbo, quem forti pertulerat animo, inſignis patientia celebratur. Præfuit cœnobio ſanctiſſimè triennium ſolùm, & plenus meritis diſceſſit anno Chriſti DCLXVIII. *Bucelinus hìc multùm aberrat à vera mortis ejus epocha, ad quam propiùs accedit Hugo Menardus, qui lib. 2 Obſervationum ad Martyrologium ſuum Benedictinum pag. 667 & ſequente eumdem ſanctum Abbatem ita laudat:* Fuit tertius abbas cœnobii Wirenſis, quod ſanctus Benedictus Biſcopius in Northumbria conſtruxerat; qui cum Romam cogitaret, monaſterio ſubrogavit abbatem ſanctum

B Eaſterwinum. Quo mortuo, Fratres elegerunt ſanctum Sigfridum, virum litteris Scripturarum ſufficienter imbutum, moribus optimis ornatum, & mira abſtinentiæ virtute præditum, atque etiam patientiæ; nam diuturnum pulmonum morbum forti animo pertulit. Rexit hoc monaſterium tres annos. Obiit anno ſexcenteſimo octuageſimo octavo.

anno Chriſti 689,

4 *Eduardus Maihewius in Trophæis Benedictinis hac die ex Florentio Wigornienſi eumdem obitûs annum aſſignat. At Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. 17 num. 72, & lib. 18 num. 1 oſtendit,* S. Sigfridum *anno 689, die* XXII *Auguſti, obiiſſe quatuor menſibus ante S. Benedictum Biſcopum, qui menſe Januario ſequentis anni ad Superos migravit, ut in fine hujus ſylloges apparebit. Hinc corrigendi ſunt majores noſtri ad diem* XII *Januarii, dum deſtituti accuratioribus monumentis, obitum iſtius S. Benedicti anno Chriſti 703 affixerunt. Nunc aliquid addemus de immemorabili* S. Sigfridi *cultu, quem propter hactenus relata recentiorum ſcriptorum teſtimonia nondum admitteremus.*

C

cujus immemorabilem cultum

5 *Florentius Wigornienſis, qui circa initium ſeculi duodecimi floruit, in Chronico ſuo ad annum Chriſti 688 hæc habet:* Eodem anno venerabilis ac Deo dilectus abbas Sigefridus, inductus in refrigerium ſempiternæ quietis, introiit domum regni cæleſtis in holocauſtis perpetuæ laudationis, XI Calendas Septembris. *Similia refert venerabilis Beda ſynchronus, qui præterea hunc Virum titulo* ſancti *ornat, dum apud laudatum Mabillonium ſeculo ſecundo Benedictino pag. 1009 de S. Benedicto Biſcopo ejuſque adjutoribus ita ſcribit:* Sexdecim (ut diximus) annos monaſterium rexit, primos octo per ſe, ſine alterius aſſumptione abbatis; reliquos totidem viris venerabilibus & SANCTIS Eaſterwino, Sigifrido, Ceolfrido, abbatis ſe nomine, auctoritate & officio juvantibus, primo quatuor annos, ſecundo tres, tertio unum. *Hinc patet,* S. Sigfridum *tribus annis dumtaxat cœnobio Wirenſi præfuiſſe.*

ex antiqua oſſium ejus tranſlatione,

6 *Denique publicum & immemorabilem* S. Sigfridi *cultum colligimus ex antiqua corporis ejus tranſlatione, quam venerabilis Beda ibidem pag. 1011 & ſequente exprimit his verbis:* Reverſo autem domum Huvetberto, advocatur epiſcopus Acca, & ſolita illum in abbatis officium

benedictione confirmat; qui inter innumera monaſterii jura, quæ juvenili ſagax ſolertia recuperabat, hoc inprimis omnibus delectabile & gratificum fecit; ſuſtulit oſſa Eaſterwini abbatis, quæ in porticu ingreſſûs eccleſiæ beati Apoſtoli Petri erant poſita, nec non & oſſa Sigfridi abbatis ac magiſtri quondam ſui, quæ foris ſacrarium ad meridiem fuerant condita, & utraque in una theca, ſed medio pariete, recludens, intus in eccleſia beati patris Benedicti compoſuit. Fecit autem hæc die natalis Sigfridi, id eſt, undecimo Kalendarum Septembrium. *Hæc reliquiarum elevatio ſive ſacrorum oſſium in honorificentiorem locum tranſlatio ex veteri Eccleſiæ conſuetudine publicam venerationem deſignabat, ut eruditi antiquitatis inveſtigatores paſſim tradunt.* AUCTORE G. C.

& ex ratiocinio Mabillonii

7 *Certè Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. 27 num. 72 legitimum* S. Sigfridi *cultum indicat hoc ratiocinio:* Sigfridum venerabilis Beda, uti Benedictum, Eaſterwinum ac Ceolfridum, SANCTUM vocat, ejuſque natalem ſeu depoſitionem collocat XI Kalendas Septembris, quo die in Faſtis Benedictinis colitur. In ſincero, ut creditur, Bedæ Martyrologio, quod E Bollandi continuatores tomo ſecundo Martii præmiſere, nulla Sigfridi abbatis mentio fit, imò neque Benedicti Biſcopi, cujus tamen depoſitionis diem ſolemni ritu ipſius Bedæ tempore apud ſuos celebratum fuiſſe, conſtat ex ejuſdem homilia de ipſo Biſcopo, quem Beda BEATÆ MEMORIÆ PATREM ſuum vocat, CUJUS HODIE, inquit, VENERANDAM ASSUMPTIONIS DIEM DEBITA SOLEMNITATE RECOLIMUS. Neque verò ejuſdem Benedicti, nedum Sigfridi & ſequentium abbatum mentio fit in metrico ejuſdem Bedæ Martyrologio, quod in Spicilegii tomo decimo vulgatum eſt. Id verò ea de cauſa factum veriſimile eſt, quod Beda ſuis faſtis nominatiſſimos tantùm Sanctos adſcripſerit, & ferè ubique receptos, non quoſvis peculiares. *Mabillonius his verbis ſat clarè innuit,* S. Sigfridum *ab immemorabili tempore licitum cultum habuiſſe, quamvis in Martyrologio Bedæ cum celeberrimis Sanctis non collocetur.*

aliiſque argumentis probamus.

8 *Quinimo videmur poſſe hodiernum ſanctum Abbatem Operi noſtro inſerere ex mente Urbani VIII Pontificis, qui in notiſſima Conſtitutione anni 1625 circa cultum Sanctorum, poſt varia decreta* § 4 *monet,* quod per ſupraſcripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum (*id eſt ante centum annos, ut idem Pontifex poſtea declaravit*) AUT PER PATRUM VIRORUMQUE SANCTORUM SCRIPTA, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ vel Ordinarii coluntur. *Cum itaque ſanctus ac venerabilis Beda jam à tot ſeculis hunc Abbatem in ſcriptis ſuis* ſanctum *nominaverit, & honorificam oſſium ejus tranſlationem retulerit, veroſimillimè voluntatem ſummi Pontificis de legitimo* S. Sigfridi *cultu intelligimus ex verbis, quæ mox ſuprà majori charactere expreſſimus. Hæc argumenta ſufficere exiſtimamus, ut* S. Sigfridus *in Opere noſtro locum habeat, ideoque ad biographum & Acta ejus aſſignanda progredimur.* F

Sanctus Beda

9 *Venerabilis Beda coævus, ac monaſterio Wirenſi vicinus, geſta hujus ſancti Abbatis conſcripſit in opuſculo, quod Eduardus Maihewius in Trophæis Benedictinis ſparſim primus edidit. Hujus editionis ignarus Jacobus Waræus, Eques auratus, aliam typis Dublinenſibus anno 1664*

AUCTORE G. C.

vulgavit, eamdemque Ludovicus Billaine typographus Parisiensis biennio pòst recudit. Denique Mabillonius eamdem venerabilis Bedæ lucubrationem, in duos libellos divisam, Actis Sanctorum seculi secundi Benedictini inseruit, ubi pag. 1001 *& sequentibus Vitam S. Benedicti Biscopi abbatis ejusque successorum exhibet. Ex hoc venerabilis Bedæ opusculo excerpemus occurrentia* S. Sigfridi *gesta, & alia ad eum non spectantia omittentes, aliquot punctis indicium hujus omissionis dabimus.*

laudat virtutes S. Sigfridi,

10 *Pauca igitur* S. Sigfridi *gesta, quæ venerabilis Beda posteritati reliquit, in hac ultima Mabillonii editione sic referuntur:* Verùm inter læta, quæ veniens attulit (*superiùs agitur de S. Benedicto Biscopo, qui ex urbe Romana in Angliam redierat*) tristia domi reperit, venerabilem videlicet presbyterum Easterwinum, quem abiturus abbatem constituerat, simul & Fratrum ei commissorum catervam non paucam, per cuncta grassante pestilentia, jam migrasse de seculo. Sed aderat & solamen, quia in loco Easterwini virum æquè reverentissimum ac mitissimum de monasterio eodem, Sigfridum videlicet diaconum, electione Fratrum suorum simul & coabbatis ejus Ceolfridi, mox substitutum cognovit, virum scientiâ quidem Scripturarum sufficienter instructum, moribus optimis ornatum, mira abstinentiæ virtute præditum; sed ad custodiam virtutum animi, corporis infirmitate non minima depressum, sed ad conservandam cordis innocentiam nocivo & irremediabili pulmonum vitio laborantem.

B

ac præcipuè patientiam

11 Nec multo pòst etiam Benedictus ipse morbo cœpit ingruente fatigari: ut enim tantam religionis instantiam etiam patientiæ virtus adjuncta probaret, divina utrumque pietas temporali ægritudine prostravit in lectum, ut post ægritudinem morte devictam perpetua supernæ pacis & lucis quiete refoveret. Nam & Sigfridus, ut diximus, longâ interiorum molestiâ castigatus, diem pervenit ad ultimum. Et Benedictus per triennium, languore paulatim accrescente, tanta paralysi dissolutus est, ut ab omni prorsus inferiorum membrorum factus sit parte præmortuus, superioribus solùm, sine quorum vita vivere nequit homo, ad officium patientiæ virtutemque reservatus. Studebant in dolore semper Auctori

C

gratias referre, semper Dei laudibus fraternisque hortatibus vacare....

in diuturno morbo,

12 At ubi uterque Abbas lassatus infirmitate diutina jam se morti vicinum, nec regendo monasterio idoneum fore conspexit (tanta namque eos affecit infirmitas carnis, ut perficeretur in eis virtus Christi, ut cum quadam die desiderantibus eis se invicem, priusquam de hoc seculo migrarent, videre & alloqui, Sigfridus in feretro deportaretur ad cubiculum, ubi Benedictus & ipse suo jacebat in grabato, eisque uno in loco ministrorum manu compositis, caput utriusque in eodem cervicali locaretur lacrymabili spectaculo; nec tantum habuere virium, ut propiùs posita ora ad osculandum se alterutrum conjungere possent; sed & hoc fraterno compleverunt officio) inito Benedictus cum eo cumque universis Fratribus salubri consilio, acciit abbatem Ceolfridum, quem monasterio sancti Pauli Apostoli præfecerat, virum videlicet sibi non tam carnis necessitudine, quàm virtutum societate propinquum, & eum utrique monasterio. cunctis Fratribus faventibus atque hoc utillimum judicantibus, præposuit patrem, salubre ratus per omnia ad conservandam pacem, unitatem, concordiamque locorum, si unum perpetuò patrem rectoremque tenerent....

D

piamque ejus mortem,

13 Igitur post hæc revolutis mensibus duobus, primò venerabilis ac Deo dilectus abbas Sigfridus, pertransito igne & aqua tribulationum temporalium, inductus est in refrigerium sempiternæ quietis, introiit in domum regni cælestis, in holocaustis perpetuæ laudationis reddens sua vota Domino, quæ sedula labiorum mundorum distinctione promiserat; ac deinde adjunctis aliis

E

mensibus quatuor, vitiorum victor Benedictus & virtutum patrator egregius, victus infirmitate carnis ad extrema pervenit.... Sexto decimo postquam monasterium fundavit anno, quievit in Domino confessor, pridie Iduum Januarii, sepultus in ecclesia beati Apostoli Petri, ut quem degens in carne semper solebat amare, quo pandente, januam regni cælestis intrabat, ab hujus reliquiis & altari post mortem nec corpore longiùs abesset.

cujus annum evidenter assignamus.

14 *Ex anno conditi hujus monasterii Mabillonius ibidem pag.* 1009 *in notis concludit, S. Benedictum Biscopum anno Christi nati* 690 *mortuum esse, cum hic die duodecima Januarii ad Cælites migraverit. Hinc porrò sequitur,* S. Sigfridum *obiisse anno* 689, *cum mors hujus Sancti Abbatis die vigesima secunda Augusti contigerit, & venerabilis Beda initium anni à Nativitate Christi, sive* XXV *Decembris, ex consuetudine veterum Anglorum numeret, ut laudatus Mabillonius in Opere de Re diplomatica lib.* 2 *cap.* 23 *num.* XI *&* XIII *demonstrat. Cum denique ex testimonio biographi coævi mors* S. Sigfridi *obitum S. Benedicti Biscopi* mensibus quatuor *præcesserit, cuilibet calculum subducere volenti evidens fiet, inter diem* XXII *Augusti anni* 689, *ac* XII *Januarii anni* 690 *effluxisse dies aliquot cum* mensibus quatuor, *quos Beda numero rotundo computavit. Alia verò, quæ S. Beda de triennali* S. Sigfridi *regimine & honorifica ossium ejus translatione narrat, superiùs occasione legitimi cultus retulimus, & jam huic syllogæ finem imponimus.*

F

DE

A D

DE S. ANDREA CONFESSORE,

PROPE FÆSULAS IN ETRURIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

§ I. Publicus hujus Sancti cultus ab immemorabili tempore, & posthuma ejusdem gloria.

CIRCA FINEM SECULI IX. *Sanctus hic in auctariis Usuardinis*

IN Florentino Usuardi codice, de quo Sollerius in præfatione ad Usuardum nostrum illustratum pag. LXIII *meminit, hac die celebratur memoria* sancti Andreæ diaconi & ministri sancti Donati de Scotia episcopi Fesulani, cujus corpus honorificè sepultum est in monasterio sancti Martini de Mensola in territorio Florentino. *Similia habet codex Mediceus, ut ibidem notatur. Thomas Dempsterus in Menelogio suo Scotico eumdem, tamquam Popularem suum, die* IV *Augusti sic annuntiat:* Fæsulis Andreæ archidiaconi, sancti Donati socii, cujus corpus in templo sancti Martini de Mensula in Fæsulanis montibus maximo concursu, ingenti religione, crebritate miraculorum frequentatur. *David Camerarius lib.* 3 *de Scotorum pietate etiam diem quartum Augusti huic sancto Viro festivum assignat.*

& aliis Martyrologiis annuntiatur,

2 *Sed Philippus Ferrarius in Catalogo generali hunc* S. Andream *die* XXII *Augusti memorat, & eodem die in Catalogo Sanctorum Italiæ illum exornat sequenti elogio:* Andreas natione Scotus, sancti Donati episcopi Fæsulani discipulus, cum illo ex Scotia in Italiam causâ peregrinationis veniens, Fæsulis constitit; ubi ob ejus virtutes & probos mores sacris à Donato initiatus, postea ecclesiæ Fæsulanæ archidiaconus creatus est: quo in munere inter cetera ab eo præclarè gesta, sacram ædem divi Martini extra urbem ad Minsolam amnem collapsam restituit. C Monasterium constructuit, in quo cum aliquot aliis vitam austeram ad extremum usque spiritum duxit. Ejus sanctitatem multa ab ipso patrata miracula, cæcis, dæmoniacis, & aliis infirmis mirabiliter curatis, testata sunt. Vixit Karolo Magno imperatore. Denique piis exercitationibus confectus, obdormivit in Domino XI Kalendas Septembris, qua die natalis illius ab ecclesia Fæsulana celebratur. Corpus in ecclesia à se constructa conditum est.

& publicus ejus cultus

3 *Castellanus & alii Ferrarium sequuntur in hac die signanda, & Placidus Puccinellus in Italica* S. Andreæ *Vita apud nos pag.* 54 *& sequente contendit, hunc verum annuæ festivitatis diem semper fuisse. Id autem primò probat ex antiqua consuetudine, propter quam monachi Benedictini abbatiæ Florentinæ die* XXII *Augusti mediam partem capitis* S. Andreæ *in summo altari quotannis publicæ venerationi exponunt. Insuper eodem die monachi Florentini adeunt ecclesiam S. Martini de Mensula, ibique cum accolis festum* S. Andreæ *solenniter colunt, instituentes piam supplicationem, in qua capitis ejus altera media pars circumfertur. Huic probationi non officit, quod congregatio quædam sive confraternitas opificum Dominicâ primâ post diem* XXII *Augusti peculiariter hunc Sanctum honoret: id enim ideo fit, ut festivitas ipsius majori cum solennitate ac populi concursu celebretur.*

ac gloria posthuma

4 *Neque nova est hac confraternitatis institutio: nam laudatus Puccinellus ibidem testatur, Florentinos, Fæsulanos, aliosque vicinos quosdam antiquitus inter se constituisse congregationem, quæ diebus Dominicis & festis in ecclesiam S. Martini de Mensula conveniebat, ibique pro* E *sua erga* S. Andream *devotione sepulturam elegerat. Hanc societatem, quam tempus edax rerum dissolverat, quidam Dei servus anno* 1473 *conjunxit eo successu, ut etiam femina viros imitatæ fuerint. Sed hanc rursus casu bellorum & pestis exstinctam R. D. Lucas Bartolinus abbas monasterii Florentini anno* 1600 *resuscitavit, & antiquam utriusque sexus sepulturam restaurari jussit in medio prædictæ ecclesiæ S. Martini, ubi hæ inscriptiones leguntur:*

D. O. M.
M. H. E. Virorum societatis S. Andreæ de Scotia P. A. D. 1600
D. O. M.
M. H. E. mulierum societatis S. Andreæ de Scotia P. A. D. 1600

Quamvis hæc omnia abundè demonstrent publicam S. Andreæ *venerationem, tamen ex eodem Puccinello hîc addemus nonnulla, quæ ad posthumam ejusdem Sancti gloriam spectant, & ex quibus antiquus ipsius cultus non parum confirmabitur.*

F

ex ornatu sacrarum reliquiarum,

5 *Anno Christi* 1380 *nobilis quædam matrona Florentina, per intercessionem* S. Andreæ *accepto beneficio, jussit efformari argenteam hujus Sancti effigiem pectore tenus, eamque ipsa in signum grati animi detulit ad ecclesiam S. Martini de Mensula, cui insculpti sunt hi characteres:* D. ANDREÆ NATIONE SCOTI, S. DONATI EPISCOPI FÆSULANI CONCIVIS, DISCIPULI, COMITIS, AC LEVITÆ. CLARUIT CIRCA ANNUM DCCCLXXX. *Cum autem ecclesia S. Martini de Mensula crebris latrociniis esset exposita, monachi Benedictini effigiem illam transtulerunt ad abbatiam Florentinam, eique incluserunt mediam partem capitis* S. Andreæ, *quæ festis solennioribus, & in octava Assumptionis beatissimæ Virginis Mariæ in summo altari publicæ fidelium veneration exponitur, ut superiùs alia occasione dictum est.*

sacellis & altaribus

6 *Præterea nobilis familia Mazzinghorum in ecclesia S. Donnini, cujus patronatum habet, ex singulari devotione sacellum ad honorem* S. Andreæ *construxit. Etiam Leonardus Bonafides, qui postea ad cathedram Cortonensem evectus est, in ecclesia S. Martini de Mensula sacellum ad gloriam* S. Andreæ *exstrui jussit, & sacras hu-*

AUCTORE G. C.

jus Sancti reliquias ad altare ejuſdem ſacelli cum magno populi vicini concurſu transferri curavit. Romani Pontifices, teſte eodem Placido Puccinello, fidelibus hunc locum devotè viſitantibus varias indulgentias conceſſerunt. Inferiùs intricata difficultas occurret circa hunc Leonardum de Bonafide Cartuſianum, qui poſt abdicatum epiſcopatum Cortonenſem in monaſterio ſui Ordinis obiit, ubi tale ipſius epitaphium legitur : Leonardus Bonafides cœnobio in hoc Religionem profeſſus, ſummiſque honoribus functus, ita per multos annos ſe geſſit, ut à Clemente VII Pontifice maximo ad colligenda S. Spiritus Romam fragmenta vocari meruit. Demum ſupremâ ſenectâ ab eodem Clemente Cortonenſi inſignitus pontificatu, diem ſuum clauſit, maximum ſui deſiderium reliquit, anno ſalutis MDXLV, annum agens XCV. *Puccinellus in Chronico abbatiæ Florentinæ pag.* XI *refert hoc epitaphium, cujus infrà juverit meminiſſe.*

ad honorem ipſius erectis,

B

7 *Supradictus R. D. Lucas Bartolinus Florentinus abbas reſtauravit ſacellum* S. Andreæ *noſtri, & in eo erexit altare marmoreum, quod ab epiſcopo Burgi ſancti ſepulcri anno* 1602 *conſecrari curavit, ut apud Puccinellum in Vita Italica* S. Andreæ *pag.* 84 *& ſequente docet hæc inſcriptio :* D. O. M. Aram hanc, quam vetuſtate attritam R. P. D. Lucas à Boiano abbas abbatiæ Florentinæ in divum Andream Scotum, pietatis ergô renovatâ ſtructurâ, aſportatis importatiſque ejuſdem Divi ſacris oſſibus, exornandam colendamque curavit, R. D. Alexander Burghius, Burgi S. Sepulcri epiſcopus, ſacrato lapide dicavit anno Domini MDCII, XV Kal. Auguſti. *Denique anno* 1613 *&* 1614 *quidam opifices in eccleſia S. Martini de Menſula renovarunt confraternitatem & ſacellum* S. Andreæ, *in quo diebus feſtis conveniunt ad recitandum Officium Deiparæ, quam ſimul cum Sancto noſtro tamquam loci iſtius tutelarem venerantur. Jam ſæpe citatus Puccinellus hac occaſione monet, monachos ibidem ſub ritu duplici celebrare feſtum* S. Andreæ *die* XXIII *Auguſti, eo quod pridie propter Octavam Aſſumptionis Deiparæ impediantur.*

aliiſque venerationis ſignis confirmantur.

C

8 *Porrò olim in annua* S. Andreæ *feſtivitate conciones habitas fuiſſe, colligimus ex duobus Actorum exemplaribus, quæ ſic incipiunt :* Sanctus & ſolennis, fratres cariſſimi, adeſt dies omni laude extollendus, omni devotione colendus, quo in ſancti Patris noſtri obitu exultat chorus angelicus ; & licet omnium Sanctorum ſolennitates dignis celebremus muneribus digniſque extollamus laudibus, præſertim tamen eorum feſtivitates miro affectu celebrare miroque tripudio venerari debemus, quorum pignora poſſidemus ut heredes, quorum meritis ſuſtentamur ut debiles, quorum precibus juvamur ut fideles, & à peccatorum ſorde lavamur ; de quorum collegio fuit beatiſſimus Andreas, cujus feſtum nobis celebrandum hodie occurrit. Hic Scotorum gentis nobili proſapia ortus *&c. Tum narrantur præcipua* S. Andreæ *geſta, quæ videntur contracta eſſe ex longioribus ejus Actis, de quibus nunc aliqua præmonebimus.*

D

§ II. Scriptor Actorum, varia horum exemplaria, Sancti patria, profeſſio & ætas.

Difficultas quædam circa ſcriptorem Vitæ

I *Lluſtriſſimus Franciſcus Cataneus Diacettius epiſcopus Fæſulanus in Præfatione Italica ad Vitas aliquot Sanctorum ſuæ eccleſiæ, Thomas Dempſterus in Hiſtoria eccleſiaſtica gentis Scotorum lib.* 1 *cap.* 31, *& Placidus Puccinellus aliique paſſim aſſerunt, Philippum Villanum primò Italicè Acta* S. Andreæ *conſcripſiſſe. Huic aſſertioni favet exemplar Actorum, quod Romæ apud Minoritas Hibernos ad S. Iſidorum armario* 4 *num.* 32 *conſervatur, & cui in apographo noſtro hic titulus præfigitur :* Vita & miracula S. Andreæ de Scotia, ſcripta vetuſto Italico idiomate per Philippum Villanum, dedicata Leonardo de Jacopo Buonafedi, exſtracta ſeu exſcripta ex vetuſto codice Ms. monaſterii ſancti Martini de Maiana (*forſan* de Menſula *legendum eſt*) Ordinis monachorum nigrorum ſancti Benedicti prope Fæſulas. *Haud dubie nonnulli ſtatim putabunt, hunc Philippum Villanum eſſe Matthæi Villani filium, qui anno* 1363 *hiſtoricum Opus patris ſui proſecutus eſt, ut inter Scriptores rerum Italicarum non ita pridem Mediolani editos tomo* 14 *col.* 729 *& ſequentibus videre eſt. Ego facilè in eamdem deſcenderem ſententiam, niſi me moraretur aliqua difficultas, quæ in prologo Actorum occurrit, & quam nunc eruditis extricandam propono.*

E

circa ſcriptorem Vitæ

10 *Scriptor hujus Vitæ, qui nuſquam nomen ſuum exprimit, lucubrationem ſuam cuidam Leonardo dedicat, eumque in prologo ſic alloquitur :* In hoc numero fidelium, Leonarde cariſſime, intentio tua affectuosè verſatur, quandoquidem ſancti viri Andreæ Scoti reliquias, quæ diu ſine honore debito penè ignotæ manebant, in capella, quam ſibi tuis ſumptibus feciſti conſtrui in monaſterio ſancti Martini de Menſula, ſummo cum honore transferri ſolenniter curaſti. *Jam ſuperius ex Puccinello retulimus, quod Leonardus Bonafides Cartuſianus, & poſtea epiſcopus Cortonenſis, in eccleſia S. Martini de Menſula ſacellum* S. Andreæ *erexerit, & ad illud ſacras ejus reliquias honorificè transferri curaverit. Hic autem Leonardus, agens annum ætatis nonageſimum quintum, anno Chriſti* 1545 *è vivis exceſſit, ut ex epitaphio ipſius ſupra relato liquet. Cum itaque Leonardus ille Bonafides tantùm anno* 1450 *natus ſit, non potuit ei lucubrationem ſuam dedicare Philippus iſte Villanus, qui fuit Matthæi Villani filius, & qui anno* 1363 *hiſtoriam patris ſui defuncti proſequi cœpit, ut calculos annorum ſubducenti manifeſtum fiet.*

F

ſeu Actogum propo-nitur,

11 *Suſpicari quis poſſet, forſan hunc prologum vel epilogum ab interprete Latino Actorum Italicorum additum eſſe, & ab ipſo Latinam* S. Andreæ *Vitam Leonardo iſti dedicatam fuiſſe. Sed in apographo proximè memorato habemus hæc Acta, partim Latinè explicata, partim Italicè relicta, in quorum epilogo Italico prorſus ſimilia de Leonardo illo leguntur. Oportet igitur alium Philippum Villanum quærere, qui hæc Acta Italicè primùm conſcripſerit, aut aſſignare alium Leonardum, qui ſacellum* S. Andreæ *ædificari & reliquias ejus transferri curaverit. Ego*

A *Ego propter hanc difficultatem, cui diſſolvendæ me imparem fateor, certum biographi nomen Actis præfigere nolui, quamvis hoc ab aliis paſſim expreſſum viderim. Si quis tamen ex eruditis Fæſulanis aut Florentinis hæc inter ſe conciliare potuerit, magnam mihi præſtabit gratiam, & libenter ſententiam mutabo. Nunc recenſenda ſunt aliquot Actorum apographa, quæ præ manibus habeo.*

& diverſa eorum exemplaria

12 *Primum exemplar, cujus titulum initio hujus paragraphi tranſcripſi, media ferè parte Latinum & altera Italicum eſt, quaſi interpretem laboris incepti pœnituerit, aut ei tempus abſolvendi defuerit: nam totum apographum eadem manu exaratum eſt. Quamvis illud ex eodem fonte Italico prodeat, tamen ſtylus Latinus ab aliis nonnihil diſcrepat, ut patet ex ipſo exordio, quod ita ſonat:* Sancta Sedes Apoſtolica ordinavit, quod natalitia Sanctorum, quorum memoria in benedictione eſt, ſolemniter per orbem univerſum celebrentur, & eorum pariter reliquiæ in veneratione habeantur *&c. Aliud autem exemplar, quod totum Latinè redditum*
B *eſt, quodque poſt hunc Commentarium prævium typis edemus, ſic exorditur:* Sanctorum, quorum memoria in benedictione eſt, ſolenniter natalitia celebrare, & eorum venerari reliquias, Sedes decrevit Apoſtolica *&c. Vides, hæc ſtylo differre, quamvis in ſubſtantia rei conveniant.*

recenſentur,

13 *Inſuper habeo præ oculis duo breviora* S. Andreæ *Acta, prorſus inter ſe ſimilia, quæ olim videntur uſurpata pro concione, ut patet ex eorum initio, quod ſupra num.* 8 *exhibui, ut etiam ex hac parte immemorabilem Sancti cultum probarem. Uni apographo, quod Majores noſtri ex collectione Conſtantini Caietani acceperunt, præfigitur hic titulus:* Vita ſancti Andreæ confeſſoris de Scotia, ex pervetuſto codice manuſcripto S. Martini ad flumen Menſulæ & Feſularum civitatem. *Alteri autem exemplari, quod Joannes Colganus Minorita Hibernus illis communicavit, præmittuntur ſequentia:* Vita ſancti Andreæ archidiaconi & confeſſoris, Meſſulanæ eccleſiæ fundatoris & patroni, ex Hibernia inſula Scoti, & diſcipuli atque comperegrini S. Donati epiſcopi Feſulani in Italia. Ex Ms. co-
C dice S. Martini ad flumen Menſulæ. *His accedit compendium Actorum, quod Papebrochius noſter Florentiæ ex bibliotheca Medicea pluteo* xx *tranſcripſit, & quod anonymus quidam ex Actis longioribus contraxiſſe & pro ſuo arbitrio mutaſſe videtur. Quare his omnibus relictis, prælo ſubjiciemus unicum Actorum exemplar, quod ex manuſcripto Placidi Puccinelli deſumptum & totum ab anonymo interprete in linguam Latinam tranſlatum eſt. Attamen illud cum aliis apographis conferemus, in Annotatis monituri, ſi aliqua majoris momenti diſcrepantia occurrerit.*

omiſſâque controverſiâ de patria & profeſſione Sancti,

14 *Ceterùm operosè de vera* S. Andreæ *patria, quæ in Actis Hibernia & Scotia appellatur, diſputare nolumus memores, quod Bollandus in præfatione ad tomum primum Januarii pag.* xxx *& ſequente ſic ſcripſerit:* Inter Hibernos ac Scotos magna pugnatur pugna de natione, nomine, patria, gentilibus Sanctis ..... Non ſum neſcius utra pars ſæpius (non ſemper tamen) jure ſuperior eſſe videatur; ſed decidere lites tantas, haud id opis meæ eſſe confiteor. Cum Scotos appellatos eſſe Sanctos reperio, Scotis accenſeo; cum Hibernos, Hibernis. Nolo mihi Hibernos iraſci aut Scotos, cum utramque gentem amem. Sanctos quorum gente ſe ſatos gloriantur AUCTORE (unica tamen uno à Patre propagata, unâ lege G. C. caritatis colligata natio Cælitum eſt) mihi propitios eſſe precor, ut & divinam mihi gratiam concilient, & intelligentiam imprimant Actorum ſuorum, quæ plus quam Cimmeriis obvoluta nonnumquam tenebris ſunt. *Nobis etiam non lubet diſceptare de certo vitæ inſtituto, quod aliquando amplexus eſt* S. Andreas, *quem Conſtantinus Caietanus & Placidus Puccinellus Ordini ſuo Benedictino adſcribunt. Sed Bucelinus, Mabillonius aliique iſtius Ordinis ſcriptores de Benedictina hujus Sancti profeſſione nullam mentionem faciunt, quantum ſcimus. Potius itaque indagabimus tempus, quo Sanctus ille præterpropter ad Superos migravit.*

ætas ipſius utcumque indicatur.

15 *Bollandus noſter occaſione S. Brigidæ junioris, cujus Acta ad diem primam Februarii Commentario prævio illuſtravit, tomo* 1 *iſtius menſis pag.* 244 *& ſequente fuſius diſſerit de Fæſulano S. Donati epiſcopatu, ex quo obitus* S. Andreæ *utcumque eruendus eſt. At ipſius ſententia conciliari non poteſt cum Ughelliano Fæſulanorum præſulum catalogo, quem vitioſum* E *eſſe jam alii obſervarunt. Neque Bollandi opinio vel conjectura de morte S. Donati componi poteſt cum ætate antiſtitum Fæſulanorum, qui circa hæc tempora conciliis interfuerunt: nam anno Chriſti* 826 *celebratum eſt concilium Romanum præſente* Grauſolpho epiſcopo Fæſulenſe, *ut apud Labbeum noſtrum tomo* 8 *Conciliorum col.* 103 *videre eſt. Præterea anno* 877 *Epiſtolæ concilii Ravennenſis inter epiſcopos ſubſcribit* Zenobius Feſulanus, *ut apud eumdem Labbeum tomo* 9 *Conciliorum col.* 305 *legitur. Cum itaque S. Donatus quadraginta ſeptem annis eccleſiam Fæſulanam gubernaverit, ut in Actis ejus traditur, inter Grauſolphum & Zenobium collocandus videtur. Hinc corrigendus eſt Ughellus, qui Grauſolpho poſtponit S. Donatum, quamvis hunc quadraginta ſeptem annis eccleſiæ Fæſulanæ præfuiſſe fateatur. Porrò nos ex hac emendata præſulum Fæſulanorum chronotaxi conjicimus,* S. Andream *poſt S. Donatum circa finem ſeculi noni obiiſſe, cum ille haud dubie junior magiſtro ſuo fuerit, & tamen circa tempus mortis* venerandus ſenex *appelletur, ut ex Actis jam* F *edendis patebit.*

ACTA

Quæ ex Ms. Placidi Puccinelli accepimus.

PROLOGUS.

Auctor præmonet, cum aliis Sanctis,

SAnctorum, quorum memoria in benedictione eſt, ſolenniter natalitia celebrare, & eorum venerari reliquias, Sedes decrevit Apoſtolica, ut inde religio Chriſtiana inſtruatur, quàm ſit pretioſa vita Sanctorum in conſpectu Altiſſimi, qui ut nos à poteſtate diaboli & æternâ morte redimeret, Unigenitum ſuum in aſſumptâ mortali carne voluit in holocauſtum pro nobis in arâ crucis offerri, ut inde, placatâ mitiſſimâ *a* irâ Dei, monerentur mortales de ineffabili virtute caritatis ſuæ, in quâ miſericorditer nos ſuſcepit; diſcerentque humiliter pro regno cæ-

EX MSS. lesti, spretis pompis mundi, adversa omnia cum patientiâ tolerare. Ab hac sanctâ institutione caritatis immensæ fortiter sancti Dei Martyres tyrannorum jussa superbissima contemnentes, excelso animo & infracto cruciatus incredibiles, ipsosque tortores suos irridentes, moriendo vicerunt.

quorum aliquos enumerat, 2 Hinc B. Joannes, antequàm adolescere inciperet, in eremum profectus, ut pœnitentiam nos doceret, totis suæ vitæ diebus usque ad martyrii palmam locustas & mel silvestre comedit. Quem secuti Paulus, Antonius, Hilarion, & alii sancti Deo amabiles eremitæ, miraculis innumeris claruerunt. Hinc sanctæ vitæ Hieronymus, Benedictus, Basilius, & alii monachorum Patres, relicto seculo hoc, solitariæ vitæ secreta eligentes, dum famam & mundi gloriam fu-
b gere conarentur, in laudes maximas inciderunt *b*. Longum foret enumerare Sanctorum merita, quibus tenebrosa dies nostra, in quâ continuò
c errando vexamur *c*, seu astris coruscantibus illustratur. Quorum meritorum consideratione ad devotionem piæ hominum mentes excitatæ, mi-
B rè in amorem Sanctorum inflammantur. Inde patrocinia nacti & suffragia, peccatorum, in quibus fragilitate naturæ facilè collabuntur, spe certissimâ veniam expectant; à quâ nequaquam frustrati, in amorem Dei & proximi incenduntur ardentiùs: atque eo usque hæc devotio sancta processit, ut eligat sibi quisque Christianus intercessorem præcipuum, cui serviat, quem honoret, cui porrigat preces, & quo præsertim interpellante, Deum speret propitium.

etiam hunc S. Andream coli. 3 In hoc numero fidelium, Leonarde carissime, intentio tua affectuosè versatur, quandoquidem sancti viri Andreæ Scoti reliquias, quæ diu sine honore debito penè ignotæ manebant, in capella, quam sibi tuis sumptibus fecisti construi in monasterio S. Martini de Mensulâ, sum-
d mo cum honore transferri solenniter curasti *d*; & miro sancti Viri captus amore, à me instanter ampliùs exegisti, ut inventa sparsim in diversis codicibus de vitâ Sancti cœnobitæ in opusculo hoc, quo possem, meliori stylo redigerem. Feci, votis tuis annuens, ut potui; sed an Viro tanto digna compegerim, tuisque desideriis satis-
C fecerim, ignoro. Tu, qui alto ingenio præditus es, atque limatioris eloquentiæ, quæ desunt, supplere poteris, quæque minùs benè dicta cognoveris, abolere De tuâ igitur fidens censurâ prosequar, quod quærebas.

ANNOTATA.

a *In altero Ms. exemplari, de quo num.* 9 *&* 12 *Commentarii prævii mentionem feci, pro* mitissima *legitur* gravissima.

b *Hæc periodus in alio apographo jam laudato sic exprimitur:* Mundanas pompas & inanem gloriam declinantes, maximam laudem promeruerunt.

c *Etiam in hoc sensu exprimendo phrasis alterius apographi ita mutatur:* Longum foret merita Sanctorum recensere, quibus tenebrosum hoc seculum, in quo continuò peccando viximus, velut stellis coruscantibus illuminatur.

d *In Commentario prævio num.* 10 *&* 11 *ex his verbis concluſi, hanc Incubrationem non posse tribui seniori Philippo Villano, Matthæi Villani historici filio, vel antiquiorem Leonardum inveniendum esse.*

D

CAPUT I.

Sancti patria, peregrinatio cum sancto Donato populari suo, & mira socii ejus electio ad episcopatum Fæsulanum.

Piè transactâ pueritiâ, ANdreas vir Dei ex insulâ fuit Hiberniæ, quæ alio nomine vulgatiori Scotia *a* appellatur, in occiduis sita regionibus juxta littus Oceani, insulæ Britanniæ, quæ Anglia dicitur, adeo contermina, ut propemodum una & eadem insula censeantur; parvissimo siquidem freto à mari usque ad mare in specie fluminis *b* dirimuntur. Fuit & nobilissimis ortus parentibus, multisque divitiis abundantibus. Huic fuit soror natu minor, nomine Brigida *c*, virgo magni apud Deum meriti, quam propter vitæ castimoniam & justitiæ opera B. Andreas supra naturalem consanguinitatis amorem unicè diligebat. Hic puer sanctæ indolis, etsi operam studiis liberalium artium solerter impenderet, debitis tamen horis columbinâ simplicitate ecclesias Dei & loca sancta continuò devotissimè visitabat. Tempus, quod superabat, lectioni, parvâ nocturnæ quieti per somnum portione relictâ, orationi frequentissimè impendebat, jejunio rebellem carnem comprimebat, & delicatissimum corpus assiduâ maceratione in servitutem animi redigebat. Religiosorum hominum & famulorum Dei collocutiones summo complexus desiderio, sine intermissione festis profestisque diebus, quando dabatur commoditas, ardentissimè expetebat, egestati ac necessitatibus eorum piè compatiens, ad eas sublevandas liberalissimam sæpe manum porrigebat. Erat insuper decorus puer aspectu, habitu verecundus, incessu gravis, locutione gestuque modestus, vestitu honestissimus, & qui gradum sanctitatis, in quem erat evasurus, ostenderet. Coætaneorum, qui fluxè & secundùm mundum adolescerent, cum omni humilitate consuetudinem, ne pravis ipsorum vitiis ipsius conscientia inquinaretur, modestissimè declinabat.

a

b

c

E

F

sanctus Adolescens cum magistro suo 5 Cumque metas adolescentiæ attigisset atque altiores appeteret scientias, Donati sanctæ conversationis philosophi, in Christi doctrina eruditissimi, scholas cœpit assiduè frequentare; ejusque factus auditor, in tantam ejus gratiam venit, tum propter docilitatem facilem, quâ mirè pollebat, tum propter vitæ sanctitatem, ut illum Donatus loco filii coleret & amaret. Hi ambo cùm temporis processu apud suos viri doctissimi & singularis apud Deum gratiæ haberentur, ipsique nihil de rigore pœnitentiæ remittentes, & Christi amore inflammati in caritate Dei & proximi mirabiliter æstuarent, veriti, ne populari laude, quæ consuevit inanis gloriæ pulverem excitare, & victores in ipso victoriæ triumpho prosternere, illecti forderent, & ceu labe pernicioſissimâ fœdarentur, ne otiosa colloquia & conversatio propinquorum affiniumque eis periculo forent, & pœnitentiæ rigorem emollirent, sancti Dei afflati Spiritu, quidquid de suis divitiis, quas in Domino colligere potuerunt, Christi pauperibus & piis locis discretissimè erogatis, viam Euangelicam eligentes, decreverunt ad urbem Romanam in formâ peregrinorum

A grinorum pauperum pervenire, ibique in pœnitentiâ ducere dies ſuos.

6 Vale itaque facto ſuis, ſumpto habitu iti- *ex Scotia*
nerantium pauperum, non ſine mœrore ac luctu propinquorum provincialiumque, qui eos uſque ad maris littora catervatim proſecuti fuêre, ex inſula deſcendentes, iter ſuum cœpere. Verùm ne quidquam de caritatis præceptis omitterent, antequam navim conſcenderent, ſuos flentes & triſtitiâ prægravatos piis in Domino exhortationibus conſolati ſunt, parum Deo placere oſtendentes, ſi quid homines moliti eſſent contra eos, quos ſorte certâ in ſuæ prædeſtinationis arcano ipſe vocaret; ſimul promittentes, quod ſi quid meriti apud Deum eorum peregrinatio inveniret, ſecundùm vota ſua ipſos inde futuros eſſe participes.

7 Poſtquàm ergo Dei milites tenuiſſimo via- *diſcedit in*
tico ſumpto, quod vix ſufficeret transfretationi *Italiam,*
nauticæ, eò quòd propoſuiſſent petitis eleemoſynis mendicare, per altum ſecundo ſpiritu navigantes, ad terram applicuiſſent, baculo peraque contenti humiles cœptum iter peragerent,
B loca ſacra urbium locorumque omnium eorum itineri occurrentium, ubi indulgentias conceſſas vel Sanctorum reliquias manere ab accolis intelligebant, ſeduli viſitabant; & ſicubi eremitam, ut hominum fugeret conſortia, latitare noviſſent, etſi loca inculta aſperrimaque & aditu difficillima incolerent, illuc nullis laboribus fatigati feſtinabant, ut eorum, qui mundum ſpernerent, ſermones conſolatorios audirent, ſanctiſque collocutionibus paſcerentur; eaque formâ
d ſuas continuabant dietas *d*, collaudantes & benedicentes Deum, eumque deprecantes, ut eis inoffenſum iter largiretur. Per idem tempus civi-
e tas Florentiæ impiiſſimi Attilæ *e* flagello deleta ſine ſpecie, ſine homine, ſub ruinis ſuis, ſpinis vepribuſque contecta, latebat. Et Fæſulæ,
f quæ per ipſum Totilam *f* Florentini nominis odio reparatæ fuerant, ne umquam ſinerent quemquam æmulæ urbis refectioni vacare, populoſæ tunc erant, & latiſſimi agri fertilitate ac longa pace felices.

8 Cumque per eos dies Fæſulani paſtore or- *ubi magiſter*
bati diſſidiis civilibus circa novi electionem la- *ejus*
borarent, animis nobilium & popularium in di-
C verſa tendentibus, & propterea in magno diſcrimine periculoque civitas ſciſſa verſaretur, perorantibus Deum bonis & juſtis civibus, quatenus fluctuantem urbem ſuam à cruore civili liberaret, & miſericorditer de bono paſtore provideret; in eo conſternatæ civitatis turbine, cùm ad eos, dum Tuſciam peragrarent, famoſâ numeroſitate martyrum, qui ibi jacerent, & Indulgentiarum largitate vocati viri Dei, Donatus ſcilicet & Andreas appuliſſent, &, ut mos peregrinantium eſt, altitudinis ſuperbiâ *g* fatigati
g & itinere feſſi, ad hoſpitale, quod erat per jactum lapidis, ante januam civitatis redirent; Deus, qui ſperantes in ſe in agone, ultra quam poſſint, ſtare non ſinit, Fæſulanorum laboribus miſeratus, juſtorum precibus auditis, diſpenſatione mirabili eis repentè providit.

9 Nam cùm reſumpto paullulùm ſpiritu, Do- *ex prævia*
natus & Andreas ſurrexiſſent, ut in urbem per- *Dei moni-*
gerent, omnes civitatis campanæ, nullo humano miniſterio accedente, ſponte ſua motæ perſonare altiſſimè cœperunt; atque extinctæ in eccleſiis lampades ſubito fulgore mirantes ultra ſolitum morem coruſcarunt. Ex tanto miraculo cives attoniti ſtupenteſque paſſim ſine ordine mirabundi huc atque illuc per civitatem decurrebant, quidnam ſibi vellent prodigium ſignumque Dei, pavidi ſciſcitantes, atque in religionem poſt admirationem converſi ad eccleſiam cathedralem Dei nutu mares & feminæ, ſenes & pueri, pio voto concurrentes, ſanctorum ſuffragia, poſitis in terram genibus, levatis in cælum manibus, poſtulabant, Deum devote orantes, ut quid aſſererent miracula, quæ cernebant, oſtendere dignaretur, clamabant & inſtabant precibus cumulatis: quibus ſic perorantibus, facto repentè ſilentio, vox de cælo inſonuit dicens: Donatum Scotum advenam, qui præſto aderit vobis, ſuſcipite & tollite in paſtorem. *ex MSS.*

10 Cumque vox Domini quieviſſet; & po- *eligitur epi-*
pulus, quid ageret, ignoraret, atque propter- *ſcopus Fæ-*
ea in oratione perſeveraret, ecce vir Dei Dona- *ſulanus*
tus & Andreas civitatem nuper ingreſſi ad templum, quo congregatus populus orabat, pervenerunt, feſtumque putantes diem, conſternatam in oratione plebem ſuſpenſam & anxiam mirabantur, tardoque greſſu procedentes ſteterunt, rei exitum taciti exſpectantes. Tunc quidam plebeus juxta eos propius manens, advenas forte
E intuitus, unde eſſent, quo pergerent, & tandem quo nomine vocarentur rogavit, ut dicerent. Donatus ſimplicitate ſolita humiliter reſpondit: Scoti ſumus ambo; hic Andreas, ego Donatus appellor, Romamque peregrinationis gratiâ properamus. Plebeus divini memor oraculi, quod nuper audierat, extemplo voce magna clamavit: Vir, cives, adeſt, de quo paulo ante loquutus eſt Dominus; eumque complexus in ulnis extulit. Facto deinde concurſu populi ad virum, reique intellecta veritate, acclamantibus omnibus, in epiſcopum electus eſt. Vox ſiquidem populi in Domino jubilantis hæc erat: Donate, pater, te Deus nobis dedit, ut vides. Miſerere nobis, & urbis hujus peſtiferum tolle diſſidium, & ſcandalum, quo turpiter hic populus inquinatur, exſtingue. Miſerere laborum noſtrorum, & quod Deus ſua diſpoſuit miſeratione, ne declines, exoramus ſuppliciter. Voluit Deus ſine controverſia annuere hujuſmodi vulgi precibus atque deſideriis.

11 Donatus homo mitiſſimus tremens, obor- *& hanc di-*
tis lacrymis, humilitatis ſpiritu ſic exorſus eſt lo- *gnitatem ac-*
qui: Viri fratres, ut quid fruſtra conamini, ut *ceptare cogi-*
quid deſideria ad Urbem properantis ex voto di- *tur,*
F ſturbare contenditis, ut quid indignum tanto opere in paſtorem compellitis? Conſpicite puſillum hominem, abjectum, ſemibarbarum & morum veſtrorum penitus ignorantem. Sinite peregrinum ſuo, quod cœpit itinere, fatigari. His ſimilibuſque verbis & opere, quo modeſtiùs poterat, onus evitare tendebat. At ille quanto humilius repudiis inſiſtebat, tanto illi credentius vehementiuſque electioni inſiſtebant, & magis atque magis propoſitis inhærebant. Miratus affectionem tantam Donatus, Deique voluntatem ſuæ præferens voluntati, populi placitis acquievit, ſumptoque honore & onere paſtorali, ut homo cui magna inerat rerum divinarum humanarumque cognitio, cuique Dei gratia cooperabatur, è veſtigio tanta moderatione animi cœpit, quæ ad ejus pertinebant curam officiumque, ſollicite adimplere, ut oſtenderet cæleſte de ſe teſtimonium veriſſima ceciniſſe: diu ſiquidem idem paſtorale officium homo ſimplex & rei inſcius miniſtraſſe videbatur.

12 Multa ſancto viro inerat diſcretio, mo- *in qua va-*
deratio multa, multaque manſuetudo atque pie- *riis virtuti-*
tas, *bus clarui-*

EX MSS. tas, & pro rerum qualitate, atque opportunitate temporum prudentia, qua bonos digna laude meritisque honoribus prosequeretur; malos humili, & quæ episcopum deceret, increpatione corriperet: parvoque tempore factum est, ut affectu filiali tam à clero, quàm à populo pariter amaretur: erat siquidem vir Dei Donatus in sermone verax, justus & æquus in judiciis, in consilio providus, in agendis sedulus & fidelis, in exhortatione potens, in corripiendo pro criminium immanitate cum miseratione severus, in eleemosynis liberalis atque munificus, in oratione pervigil & assiduus, mitis omnibus & benignus, & propterea carus omnibus & acceptus.

ANNOTATA.

a *Venerabilis Beda in Historia ecclesiastica gentis Anglorum lib.* 1 *cap.* 1 *dicit, Hiberniam propriè Scotorum patriam esse. Etiam apud Isidorum lib.* 14 *Originum cap.* 6 *Scotia & Hibernia pro eadem regione accipitur. Propterea tamen liti Scotorum & Hibernorum, pro Sanctis*
B *suis acriter certantium, me immiscere nolo, ut num.* 14 *Commentarii prævii lectorem monui.*

b *Peregrinus auctor errat in eo, quod putaverit, Hiberniam ab Anglia dividi parvo freto, quasi flumine: nam mare Hiberniam ab Anglia dividens revera satis latum est, & in plerisque locis latius, quam mare quod Angliam à finibus Galliæ disterminat, ut Colganus Hibernus testatur. Si verò biographus intelligit Scotiam, quæ nunc sola Scotiæ nomen retinet, æquè hallucinatur: nam hodierna Scotia nullo* freto à mari usque ad mare; *sed solis hinc fluviis, & in medio altis montibus ab Anglia dividitur.*

c *Bollandus ad diem primam Februarii in Opere nostro Acta hujus S. Brigidæ Junioris tomo* 1 *istius mensis à pag.* 243 *illustravit.*

d Diæta *vel* dieta *accipitur interdum pro itinere, quod una die conficitur, vel etiam quovis itinere, ut in recuso Cangii Glossario traditur. Videtur ista vox hoc loco in alterutra significatione accipienda esse.*

e *Attila notissimus Hunnorum rex, qui se flagellum Dei nominabat, & de quo auctores pas-*
C *sim obvii meminerunt.*

f *Ughellus in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 3 *col.* 5 *meminit de excidio urbis Florentinæ, quod sub Totila, famoso Gothorum rege, factum est.*

g *Opinor, hic* altitudinis superbiâ *significari alios montes, quibus ascendendis peregrini illi erant defatigati, ut ex sensu colligitur.*

CAPUT II.

Sancti munus in ecclesia Fæsulana, miraculum, & restauratio cujusdam templi.

Sanctus Andreas factus diaconus

ERat beatissimo Donato, ut præfati sumus, socius & comes Andreas, discipuli humilitatem cum omni servans diligentia, humanitate, tantaque solertia in vita sine cujusquam proficiens injuria, ut non secus à clero populoque diligeretur, quàm Donatus. Erga eum indies continuò augebatur propter ejus benemerita & D
virtutes Donati affectio paternalis; præsertim cum eum cerneret magna florere sanctitate: volensque illum augere dignitate, quo reverentiorem eum faceret populo, eum ad diaconatûs officium promovere conatus est. Andreas indignum se reputans, optansque in quo erat humili statû permanere, & Deo servire, ut cœperat, cum sancta mentis puritate, verecundo cœpit reverentique sermone oblatum munus, quantum poterat, modestiùs declinare; cujus humilitatem cum perspexisset Donatus, cœpit persuasionibus præcepta commiscere, & ut munus subiret, instare.

in eccleſia Fæſulana.

14 Andreas præceptoris spiritualisque patris reverentiam suæ dispositionis præferens desideriis, Donato cessit, receptoque diaconatûs pondere, quantum viribus poterat, sanctissimorum Levitarum Stephani ac Laurentii vestigia æmulari conabatur; eorumque factus imitator, injunctum officium sollicitè ac devotè & sine murmure peragebat, & sine querela humiliter dispensabat: tantaque parvo tempore officii valuit E
dignitate, ut penes omnes post S. Donatum in vitæ sanctitate secundum locum & gratiam obtineret. Erant Viri sancti non solùm Fesulis, sed in regionibus circumstantibus sanctitatis immaculatæ decore famosi, & reverentia ac veneratione singulares: eorum suffragiis penes Deum multi multa sunt beneficia & commoda consequuti. Dum ea mente Donatus & Andreas Deo & hominibus deservirent, seque intra sanctitatis suæ conscientiam continerent, humanas laudes abhorrentes, euangelicâ contenti vitâ, pudicos dies agerent, per illos dies contigit, quod nobilis ac divitis cujusdam Fesulani filia morbo gravissimo, quem paralysim physici dicunt, miserabiliter teneretur; laxatis undique nervis, tota corporis compagine veluti resoluta laboraret, & ceu temulenta *a* stare pedibus non valeret.

a puellam paralyticam prodigiosè sanat,

15 Pater, cui illa unica erat & tenella, non secus animo, quam illa in corpore, torquebatur; cumque nullo medicinæ beneficio, accersitis physicis, curari puella potuisset, quasi omni destituta humano remedio sola Dei misericordia supereſſe videretur, vir nobilis pro languore filiæ ad Donati pedes lacrymabundus humiliter se prostravit, orans & deprecans, ut ad domum suum veniret, & puellæ manum dignaretur imponere. Donatus sancto afflatus Spiritu F
cum fremitu ingemiscens, manum porrexit & procumbentem erexit, justitque ab oratione, in qua suspensus in Domino morabatur, Andream ad se illico evocari, eique rem ordine enarravit, quam nobilis ille petierat, petentisque devotionem commendavit, sibique in obedientiæ precepto subjunxit mandavitque, ut cum eo, quî aderat, ad curam puellæ, quantum sibi Dominus concederet, properaret. Ille, ut mitis erat aspectu, oculis in terram defixis, in Domino fidens paruit, & cum patre puellæ procedens, ingressus est domum; & stans in triclinio, in quo puella jacebat, positis in terram genibus, & manibus expansis in cælum, multo lacrymarum profluvio precibus fusis ad Deum cum summo cordis fervore in extasim est ductus, & oratione impleta, in pedes levatus, voce magna clamavit dicens: Filia, surge; surge filia. Sanavit te Dominus noster Jesus Christus. Et prosilivit cum omnium astantium stupore è vestigio puella de cubiculo sanitati pristinæ restituta, nervis ac compagibus solidatis, acsi nec mali quidquam

A quam perpeſſa fuiſſet ; & in terram ante faciem ſuam cadens , Viri ſancti pedes deoſculabatur , Deo agens gratias , ſanctoque Andreæ , cujus interventu fuerat liberata. Divulgato itaque miraculo , Donatus Deo benedicere cœpit , quod tanta per manus ſervi ſui Andreæ operari dignatus fuerat ; reverſoque eo ad ſe , illo ſuo more propter innatam humilitatem reverenter , ei archidiaconatus gradum conceſſit , & poſt ſe in eccleſia Feſulana primum locum tenere apud populum juſſit & voluit ; quamquam ille quanto amplius honore ſublevaretur , tanto amplius apud ſe alioſque vera humilitate vileſcere infimus ſuperat *b* * : arundinem ſe reputabat turbinibus agitatam , & quanto amplius miraculis & beneficiis coruſcabat , tanto amplius ſe ſervum inutilem exiſtimabat.

b * *fortè* cupiebat.

& poſt reſtauratam eccleſiam S. Martini de Menſula ,

16 Erat ad radices collis , ubi Feſulæ vetuſtiſſimæ ſitæ erant , juxta torrentem Menſulæ baſilica quædam dudum in honorem S. Martini epiſcopi dedicata , quæ tempore impiiſſimi & immanis Attilæ ſolo tenus fuerat everſa , & fidelium animos ruinarum ſpectaculo nimiùm offendebat. Inde cùm die quadam Donatus epiſcopus , Andrea comite , proceſſiſſet , & ab accolis , quos interrogaverat , deſolationis loci ſancti cauſam intellexiſſet , miſericordiâ motus amarè flevit , triſtatuſque ſuper ruina converſus eſt ad Andream , & deſtructionem templi conqueſtus , reparatorem epiſcopus Dei tacitè exigebat. Beatus Andreas piiſſimi patris lacrymis , verbiſque , accolarumque votis & deſideriis in ipſa collocutione cum epiſcopo intellectis , zelo caritatis inflammatus , operam ſuam impenſiùs pro reparatione epiſcopo cœpit humiliter polliceri , ejuſque placitum juſſaque dimiſſo in terram contuitu exſpectabat. Donatus Viri ſancti devotionem conformem ſuæ intentioni , quam nuper conceperat , collaudans , manu extenta crucis ſigno facto , illi in Dei [nomine] benedictionem conceſſit , ut deinceps pio vacaret operi & cœnobium repararet , in quo vitæ ſuæ dies cum fratribus , quos ſibi ipſe eligeret , in Domino conſummaret.

B

eo loco habitans varias exercet virtutes ,

17 Andreas , licet opus viro forenſi & egeno arduum ſatis & difficile videretur , à ſancto epiſcopo confortatus cœpit cum pleriſque viris religioſis partium earum , qui Sancto favebant cœptui , locum ſanctum purgare vepribus & ſpinis , antiqua fundamenta requirere , veterum parietum lapides , qui ſub ruina occultabantur , effodere , & novos , cæmentaque & alia ædificationi neceſſaria ſedula ſollicitudine præparare. Eleemoſynis à piis fidelibuſque perſonis undique conquiſitis & abundè ſuſceptis , architectoribus pretio conductis , refectioni cum Dei timore , more argumentoſæ apis , cum inſtantia inſiſtebat , & quæ corpuſculo jejuniis attenuato poterat , continuò adimplebat ; parvoque tempore non ſolùm in formam priſtinam reſtituit baſilicam , ſed longe etiam ampliorem reformavit. Ex iis inſuper , quæ ex ſuis confratrumque laboribus vel ex receptis eleemoſynis amore Dei poſt victum tenuiſſimum potuiſſet ſanctâ parcimoniâ vir Dei reſervare prædia , quæ arctiſſimæ vitæ cœnobitarum vix ſufficere poſſent , emit , reſpuens ſuperflua , quæ vigorem rigidæ pœnitentiæ emollire poſſent & enervare. Reliqua , ſi quid poſt impletum opus fuiſſet oblatum , pauperum neceſſitatibus diſtribuebat ; neque ea in loculis ne ad momentum quidem condere ſinebat : exiſtimabat enim Vir Dei ſummum nefas avaritiam ; qua ex occaſione noverat etiam clericorum fideles animos inquinari ſæpiſſime. Omnibus igitur , quæ ad ſanctæ vitæ ordinem pertinerent , rite matureque compoſitis , uſque ad ſenſuum *c* * ferme ſumma cum animi tranquillitate pervenit , incredibili arctiſſimæ pœnitentiæ vigore vitæque auſteritate deſpiciens terrena , & corpus imperio rationis ſubigens.

C

ex mss.

c * *forſan* ſenium

& patrat miracula , quæ auctor omittit.

18 Si velim ſigillatim miracula recenſere , quæ Deus Viri ſancti precibus facere dignatus eſt , potius me ſtylus calamuſque deſereret , quàm quæ geſſerit deſignarem ; & in longum protenderetur volumen præter ſacrarum Litterarum morem : nam neque in divinis Litteris repoſita legimus omnia , quæ Dei Filius in diſpenſatione carnis aſſumptæ ex beatiſſima Virgine Maria operatus eſt : non enim quæcumque peregit , ſcripta ſunt omnia ; ſed ea ſolùm , quæ ad inſtructionem mortalium neceſſaria videbantur : neque qui geſta martyrum conſcripſêre ; quæcumque eorum precibus virtus Altiſſimi miraculosè confecit , litteris mandaverunt ; quis enim mortalium auſus fuerit ſanctiſſimi Nicolai *d* confeſſoris eximii , & apud Deum ſingularis meriti , crebram miraculorum multiplicationem reputare , quandoquidem intellexerit ab inhumano hoſpite minutatim cæſos ſcholares & in pauciſſima fruſta conciſos , ac more piſcium ſalitos , & in vaſculis ligneis conditos , ad imperium ſancti viri ſuſcitatos , & repentè quaſi in ictu oculi in humanam ſpeciem attrita illa membra conſurrexiſſe *e*. Qui hoc tam celebre miraculum potuit , quis negabit , febres ab ægro corpore manuum impoſitione potuiſſe depellere ? Deſinant , oro , fideles divinarum virtutum numerum quærere , & piè in Domino venerentur , quos noverint etiam ſemel miraculis claruiſſe. Sane vir Dei dum ageret in humanis , non ſolùm juſſu ſignoque crucis , ſed etiam contactu veſtium ſuarum ab obſeſſis innumeris ſpiritus expulit , leproſos quamplurimos oratione curavit , cæcis viſum reſtituit , debiles ſolidavit , ac infirmos reſtituit ſanitati.

d

e

E

ANNOTATA.

a *Pro* temulenta *in altero prædicto apographo habetur* tremula.

b *Pro verbo* ſuperat , *quod hîc ſenſum vitiat , ſubſtituendum eſt verbum* curabat *vel* cupiebat , *aut aliud ſimile , cum in altero exemplari hæc periodus ita legatur :* Ipſe verò , quo magis exaltabatur , tanto ſe viliorem æſtimari oculis omnium deſiderabat.

F

c *Hîc aliquid deeſt , ita ut intelligi debeat Sanctus noſter ad* ſenſuum *exſtinctionem* ferme *continuo mortificationis uſu perveniſſe. Si id minus placet , pro* ſenſuum *ſubſtitue* ſenium , *& periodus facilè intelligetur.*

d *Hoc loco S. Nicolaus epiſcopus Myrenſis indicatur , ut ex ſequenti nota apparebit.*

e *Hoc miraculum modis planè diverſis narratur , ut patet ex Vita S. Nicolai , quam Antonius Beatillus noſter Italicè collegit , ubi lib. 5 cap. 15 idem prodigium diverſimodè refert. Ad diem ſextam Decembris , quo S. Nicolaus colitur , examinari poterit ſtupenda iſta hiſtoria , quæ videtur ex populari quadam traditione prodire , ut Joannes Molanus in Hiſtoria Imaginum lib. 3 cap. 53 innuit his verbis :* Fertur etiam à plebeis , mulierem quamdam veſperi tres pueros occidiſſe , & in vaſe pro ſalitis carnibus repoſuiſſe , eoſque demum à Nicolao reſuſcitatos eſſe.

EX MSS.

CAPUT III.

Ultimus Sancti morbus, prodigiosa sororis ejus transportatio ex Scotia in Italiam, mors illius, sepultura & ætas.

Sanctus mortis præscius cupit videre sororem suam,

IS dum diem mortis suæ in spiritu Domini diu ante prævidisset ægrotasset que febribus, quibus & extinctus est, convocatis fratribus, obitus sui diem horamque manifestavit, eosque pio paternoque affectu commonens, ad patientiam & perseverantiam roboravit atque exhortatione propemodum divina, ut in Dei timore sanctoque proposito perseverarent, exoravit obsecrans, ne locum, quem ipse reparaverat, quamdiu viverent, derelinquerent; sed ibi, ut
B cœperant, Deo humiliter pieque servirent. Cum igitur fratres in fletu & mœrore sancti Viri monita suscepissent, nutu Dei, ut puto, Andreæ soror Brigida venit in mentem, cœpitque videndi eam amore flagrare; sed tacitam voluntatem sancta moderatio temperabat, cum intelligeret, id per longissimam loci distantiam, quâ manebat, fore difficile. Sed Omnipotens, qui sancta desideria & pia vota cordis intelligit, eum consolari voluit: eâ siquidem horâ, qua cogitatio videndi sororem animam Andreæ cœperat agitare, Brigida apud Hiberniam refectionis causâ in mensa sedebat, atque olusculum & piscículos solitario prandio comedebat.

quæ momento temporis ex Scotia

20 Tunc angelus Dei & illam & mensam cum iis, quæ ibi parata fuerant, ante Viri Dei conspectum & fratrum, qui ibi aderant, per momentum temporis præsentavit: quo viso miraculo, qui adstabant in cella obsequentes infirmo, obstupuere, & attoniti ad spectaculum certatim quos poterant advocabant. Brigida visionem potius quam veritatem existimans, nunc regionem insolitam, in gyrum oculos vertens, nunc locum
a conspectumque venerandi Senis *a* in grabato jacen-
C tis, nunc insuetos sibi homines cum pavore & mœrore conspiciens, mente quasi consternata suspensa manebat: quam Vir Dei extemplo sancto præmonitus Spiritu sic placita allocutione affatus est: Brigida, soror carissima, desideravi in corde meo, antequam morerer, te videre; tale tamen desiderium hora mortis meæ, ad quam festino, ipsaque locorum, quæ nos caperet, nimiùm remota discretio restinguebat; sed fons caritatis æternæ, quæ cernis, oblata mihi peccatori nil tale speranti concessit. Ne timeas igitur: nam verè certóque vides Andream Scotum germanum tuum, quem modicùm visura es, quem jam diu ex hoc sæculo migrasse putabas. Speravi meritis tuis, dum morior, Deum habere propitium; speravi, ut in hanc regionem, in qua longè à patria dies meos debilis athleta consumpsi, aliquando venires atque solitariam vitam ac pœnitentiam ageres, ut quæ meæ desunt militiæ, tuæ pœnitentiæ severitate suppleres. Ecce Dei misericordia adest. Ne timeas; sed in Dei timore cum animi fervore consurgens, rogatam te velim, ut pro me Deum ores. Ecce appropinquat hora, qua vocor. Depone stuporem animi, & scito, te vera videre, quæ vides.

in Italiam translata dicitur,

D 21 Tunc Brigida quasi è somno evigilans, in religionem conversa, flere præ gaudio & fervore ac mœrore tenerrimè cœpit, & manum fratris deosculans eam stricte tenebat: neque poterat, impediente singultu atque suspiriis, verbum facere. Deinde Fratrem amplexu castissimo modestissimis manibus contrectabat, & ejulans decentiâ quâdam sanctâ piâque lacrymis inundabat. Cumque per horam mœrore confecta obmutuisset, postremò in vocem prorupit, dansque Deo gloriam, genu in terram posito, sic orsa est: Omnipotens Deus, qui facis mirabilia solus, cui cæli potestates observiunt, obediunt elementa, & omnis creatura meritò famulatur, in laude & benedictione tibi gratias ago, quandoquidem famulæ tuæ dignatus es in prodigio grandi sanctum Fratrem ostendere. Sit tibi honor & gloria. Deinde ad Fratrem conversa sic ait: Piissime Frater, juventutis meæ dudum optimus moderator & vitæ, cui me tuis sanctis persuasionibus dedicasti, institutor & custos, in brevissimo hoc temporis curriculo gaudeo pariter ac doleo: nam cum languores tuos cerno, urgente sensualitate, compatior, quodque sine me ex
E hac misera vita recedens longiori tecum conversatione, qua multa in Deo nostro mutuæ charitatis officia spes futura inconsolatam relinquas, tristor ac doleo. Verum cum te viderim labore maximo mundi hujus adulationes & illecebras superasse, & persecutorem hominis antiquum vicisse, multisque in Domino bonis actionibus meruisse, exulto & gaudeo. Cæterùm quidquid post te mihi dierum supererit, votis tuis justissimis dare decrevi, tua sequens vestigia, quantum infirmitas carnis peccatricis, in qua versor, patietur, quantumque, Deo volente, licebit, in locis his, ubi angelus domini me deportavit, in patientia commorabor; orans te, carissime Frater, ut pro me Deum roges obsecrans, ut fragilitati fœmineæ virile robur adjiciat. Ita Frater in Domino conforteris, & in cruce Domini fortitudinem, quam in vita tenuisti, ostendas in morte.

& Fratri suo morienti adstitit,

22 His dictis, vir Dei Andreas sororis persuasionibus confortatus, surgens in genua super lectulum hispidum & acerrimum, in quo jacebat, clausis manibus in altum, prout poterat, levatis, oculisque defixis in cælum, vale dicto
F sorori fratribusque; Suscipe, inquit, mi bone Domine & redemptor Jesu Christe, in tuo sinu spiritum famuli tui Andreæ, & velatis oculis continuò exspiravit. Tunc fratres, qui cum sorore in oratione aderant, horam exspectantes transitûs Viri, quam prædixerat, splendorem, quem præ nimio fulgore non poterant oculis sustinere, de cælo super virum Dei descendere repentè viderunt, odorisque fragrantiam insuetam suavitatisque mirabilis, quæ totam compleverat domum, naribus susceperunt, lumineque ad cælum, unde venerat, redeunte, corpus sanctum, acsi dormiret cancellatis brachiis supra pectus in speciem crucis jacens, in lectulo invenerunt; indeque, ut cœnobitis mos est, reverenter amotum posuerunt in pheretro & in facie altaris bustum locaverunt, quo usque debito tempore funeris solemnia celebrarent.

quo honorificè sepulto,

23 Interim quasi angelicâ tubâ excitati Fesulani omnes, mares & feminæ, juvenes & senes, civitate relicta, catervatim ad cœnobium S. Martini corpus sanctum visuri properabant. Innumerabilis insuper à circumstantibus agro Fesulano regionibus quasi divino moti oraculo, Viri sanc-

ti

A cti audito tranſitu, ad locum, ubi Viri corpus incorruptum incontaminatumque & more viventium tractabile ſine ullo nervorum rigore manebat, confluebant, & cum reverentia & devotione manus pedeſque ejus deoſculabantur, & quas poterant particulas de Viri ſancti veſtibus furtim rapere, pro reliquiis referebant. Neque mirabilis in Sanctis ſuis Omnipotens, ut mortem Senis ſui faceret pretioſam, à miraculorum exhibitione ceſſavit: in ſancti enim corporis tactu multa ab obſeſſis expulſa ſunt dæmonia, multis cæcis lumina reſtituta, multis claudis greſſus redditi, multi debiles ſolidati, atque adeo multis & notiſſimis miraculis coruſcavit, ut inde receptis teſtimoniis Romanus Pontifex non dubitaverit Sanctorum catalogo canonicè applicare *b*. Et ut proſequar, quo cœpi, ordine, importunitate peregrinorum venientium vix poſt dies multos fratres potuere funebria expedire. Tandem ſepultus eſt ſanctus Chriſti confeſſor & Levita Andreas in eccleſia, quam ipſe reparaverat, multiſque deinceps per temporum interſtitia claruit miraculis, ibique uſque in hodiernum diem ejus merita piis hominum deſideriis

B ſuffragantur.

24 Floruerunt viri ſancti Donatus & Andreas
ipſa ſeculo nono circa annum DCCC à die, qua Redemptor noſter ex glorioſa Virgine Maria voluit incarnari, eorumque natalitia celebrantur per dies, quibus Leo III Romanæ eccleſiæ præſidebat, Romanorum-
c que Carolus Magnus *c* Rex Francorum præerat imperio; per idem etiam tempus, quo bonus Ludovicus præfati regis filius apud Aquiſgranum canonicam normam inſtituit, eorumque memoria in Sanctorum benedictione jugiter celebratur.
d Fuit & alia Brigida *d* apud Scotos ſingulariſſimæ ſanctitatis vitæque, multiſque illuſtris miraculis anno gratiæ DXXV, Joannis Romani Pontificis
e tempore, Juſtino *e* Conſtantinopoli imperante, Romæ ſub impio Theodorico Arriano miſerabiliter laborante: ea in Hibernia vitâ perfuncta eſt, in cujus reverentiam in ipſa præſertim inſula, ubi jacet, multas reor pro varietate temporum fuiſſe Brigidas appellatas, quarum una fuit hæc ſoror Andreæ, de qua & habitus & habendus eſt mihi ſermo.

C 25 Brigida ſoror S. Andreæ poſt fratris exceſſum pœnitentiæ rigidioris gratiâ, & ut ſe-
in eremum ſecedit, ibique piè moritur. cundum mundum viventium conſortia declinaret, ſeceſſit in eremum, & in aſperrimos tunc ſaltus, qui in ſuperioribus Alpium partibus proſpectantur eiſque imminent, ubi hodie veſtibulum eſt in ipſius honorem fabricatum, quod in præruptis montium aliquantum diſtans à Plebe S. Martini in Baco ſitum eſt, ubi vitam pœnitentiamque peregit (ea enim loca tunc luſtra ferarum erant ſylveſtrium & inculta) ibique diu ſeveriſſimam agens pœnitentiam fructibus ſylveſtribus & herbarum radicibus contenta in cibum, in Domino quievit ætate ferme decrepita. Neque ejus vita neque mors uſquequaque fuit ignota, cum ii, qui contermina umbroſis nemoribus arva colebant, ſanctæ mulieris ſpeluncam ſcirent; aliquando per nemus errantes venationis gratiâ latratu canum inveniſſent, & quandoque quibus minime indigebat, delicatioribus eleemoſynis condonaſſent. Cumque obitus ſui tempus inſtaret, nutu Dei matronæ multæ virique ſanctæ vitæ complures illuc commigraverunt ejus famulantes neceſſitatibus, quoad [non] per infirmitatem, ſed longiſſimo ſenio reſoluta, vitâ functa eſt; habitoque loco, quem elegerat ad pœnitentiam, in reverentia, in eo ſub ejus nomine eccleſiam condiderunt, in qua ejuſdem natalia annua feſtivitate celebrantur. Amplius cœpere ex circumſtantibus undique loca illa reddere cultiora, nemoribus profundiſſimis ſolo tenus evulſis exuſtiſque & pro ſylveſtribus arboribus domeſticis plantatis; parvoque tempore facta eſt illa regio mire populoſa. Miracula gratiaſque, quæ, vivente ea, quæve poſt obitum ejus per eam Deus facere & operari voluit, qui ſcire plenius abundantiuſque deſiderant, legant, quæ per Dei viros de vita morteque ejus ſcripta fuere. EX MSS.

ANNOTATA.

a *Cum Sanctus noſter hoc loco* venerandus ſenex *appelletur, ſequitur, eum in Italia diu vixiſſe, ex quo titulo ætatem ejus præterpropter eruimus, ut in Commentario prævio num.* 17 *videre eſt.*

b *Utinam biographus modum & tempus hujus canonizationis diſtinctiùs indicaſſet!*

c *Nimis vaga eſt hæc temporum notitia, & certè aliqua correctione indiget, ut ex num.* 15 *Commentarii prævii colligi poteſt.* E

d *Bollandus ad diem primam Februarii, tomo* 1 *iſtius menſis à pag.* 99 *Acta ſenioris hujus S. Brigidæ fuſiùs illuſtravit.*

e *Auctor hic in tempore aſſignando multùm errat, cum Juſtinus tunc non imperaret, ut laudatus Bollandus tomo* 1 *Februarii pag.* 247 *in Annotatis monuit.*

CAPUT IV.

Sacri corporis ejus inventio, gloria poſthuma, & biographi epilogus.

S Atisfeciſſe deſideriis tuis putabam, Leonarde cariſſime, quandoquidem inventa de viro Dei S. Andrea Scoto, qui meruit in Sanctorum catalogo annotari, ſparſim & ſine certo ordine fideliter in opuſculum hoc redegerim. Sed tanto Viri ſancti amore teneris, ut amplius exigas, quo pacto venerabile ejus corpus, quod ne furtim neve hoſtium incurſu, qui voluerint patriam ſuam reliquiis Sanctorum honorare, auferretur, abditum loco manebat ignoto, miraculoſe fuerit inventum opuſculo adjici quæris. Parebo affectionibus tuis cum idipſum ad laudem ſancti Viri non parum pertinere crediderim: & ut rem ordiar, fuerat jam dudum in cœnobio, tunc ſacrarum virginum monaſterio, ſub titulo eodem S. Martini altare erectum in ſancti viri Andreæ reverentiam & honorem; ubi ejus natalitia feſtiva hilaritate & annua ſolennitate colebantur, in cujus ſinu jacere corpus ſuum circumſtantes accolæ exiſtimabant. *Auctor narrat, quomodo corpus hujus Sancti,* F

27 Contigit anno ſalutis MCCLXXXV, puellam *occaſione* famoſæ pulchritudinis & præcipuæ vanitatis, quæ *cujuſdam* nuper in matrimonium conceſſerat, ex hac mor- *feminæ ibi* tali vita decedere; cujus funus tum cognatorum *dem ſepultæ* tum affinium nobilitate pro qualitate locorum ſumptu ampliſſimo ductum eſt, ejus cadaver ante altare ſancti Andreæ, ut honoratiùs ſepeliretur, humatum eſt: quo peracto, in nocte imago S. Andreæ facie ſplendida, ſed parumper irata, ſacerdoti, qui virginibus Deo dicatis in

EX MSS. ministerio altaris sacra mysteria dispensabat, in somnis apparuit, & subtristi paululùm & irata facie impuri cadaveris tabe ossa sua fœdari conquestus est, instantissimeque exposcebat purgari locum, in quo jacebant. Cumque somnus evanuisset, expergiscens sacerdos parum intelligens oraculum, quasi religionis nihil afflaret, subticuit. Sequenti nocte ipsi eidem dormienti iterum facie iratiori apparuit, eique pœnam comminatus est, ni sine mora curaret ab injuria inhonesti & impuri corporis horribilisque fœtoris corpus suum liberare, & indignato persimilis, repente discessit. Sacerdos jam secundò commonitus & increpatus tam acerbe, pavore conterritus atque tremebundus in Domini timore, quid sibi vellet somnium cœpit propensiùs cogitare; nec tamen quid exposceret sibi Sanctus, in animo suo poterat [considerare,] jussumque inane ratus [neglexit *a*.]

a

28 Pervicaciam tandem tarditatemque crassi & ignavi sacerdotis sequenti nocte iterum in somnis Andreas apparens severiori priùs facie illum increpans, minari verbo primùm, & asperrimo deinde flagello percussit. Eo verbere excusso somno, submurmurans secum presbyter, eâ formâ languere cœpit, qua qui morbo epileptico tacti spumantes distorquentur. Mane autem facto, horâque elapsâ, qua Missarum solennia celebrare consueverat, cum numquam, aliàs sedulus sacerdos, alicubi compareret, moniales miratæ, & qui deputati servire sacerdoti circa altare consueverant, cum loca, quibus ipse è cubiculo surgens conversari solebat, solicitius exquisiissent, eo nusquam reperto, profundiori solito somno captum existimantes, ostium triclinii, in quo ipse cubabat, frequentius altiusque pulsare cœperunt, presbyteri nomine sæpius cum clamore repetito. Cumque ille non responderet, pessuloque introrsum munitum ostium inveniissent, nullisque clamoribus vocatus responderet, securi ostium confregerunt: & repertus est homo laborans valde in cubiculo, ore ad renes inflexo distortoque saniem spumans, omni membrorum deperdita mobilitate. Obstupuerunt dirigueruntque calamitatis aspectu, qui introò concesserant, & opertorio atque linteaminibus involutum languentem, multis ad spectaculum convocatis, quasi hostili impulsu facto eum ceu à dæmonio obsessum Dei nutu ante ipsum S. Andreæ altare fortuitò locaverunt, sanctæque Dei virgines & sæculares, qui aderant, miserati casum viri, preces Deo humiliter porrigentes, eum cœpere B. Andreæ devotissime commendare.

post trinam sacerdotis monitionem

B

C

D

29 Tunc sacerdos repentè consurgens, acsi à mortuis in lucem rediisset, resumpto paululum spiritu & integritate corporis reparata, cum tremore omnia, quæ illi jam tertiò acciderant, ordine recensuit. Quo tacti miraculo, qui convenerant, quasi divinitus miraculi velamine patefacto, accensis cereis campanisque pulsatis, sumptis ligonibus cum Dei timore & viri sancti Andreæ reverentia locum, in quo nuper puella, de qua suprà habuimus mentionem, effodere cœperunt, ejus cadavere putrido, & quod vermibus scateret & pessimè oleret, inde amoto: ac deinde profundiùs fodientes S. Andreæ corpus antiquis conditum aromatibus in cophino ligneo neque putredine neque vetustate comminuto, sed solido, acsi nuper defosso, invenerunt; sed scabro, rudi & impolito antiquitatis sobriam effigiem præferenti: quod inde solemnibus hymnis cum reverentia sublevatum est, ossaque sacra festina celebritate translata atque in loculum lapidum juxta majus altare locata fuere, ibique usque ad illum mansere diem, quo, tu optime Leonarde, inde ea levare magnopere procurares, condique faceres ornatè in capella nova, quam suis laudibus dedicasti, impetratis ibidem à Romano Pontifice aliisque episcopis indulgentiis, qui devotioni tuæ annuentes celebriorem Viri sancti memoriam reddidere, præsertim cum translationis hujusce diem solennem canonico feceris anniversario sancti Viri celebrari *b*. Habes nunc, amice Leonarde, forte, quod quæris; non eo stylo, quo decet, sed sermone pedestri atque vulgari & incomposito. Tu, qui habes veram limam cunctaque eloquentiæ instrumenta, poteris hæc in cumulum coacta, ut volueris, expolire. Opto te sospitate bona valere, & diu; atque ut sis memor mei per otiosa illa studia tua disciplinarum multarum bonarumque artium, in quibus assidua lucubratione solerter versaris.

inventum & honorificè translatum fuerit.

E

b

ANNOTATA.

a *Hunc sensum, qui ab amanuensi corruptus fuerat, hoc aut simili modo restituere coactus sum, ut aliquo saltem modo intelligeretur.*

b *Ex his confirmatur publicus & antiquus Sancti cultus, quem* § 1 *Commentarii prævii abundè stabiliviſſe videor.*

F

A D

DE S. ALDROVANDO EPISCOPO, BALNEOREGII IN ETRURIA,

SYLLOGE HISTORICA. G. C.

Publicus hujus Sancti cultus, cathedra episcopalis, & ætas.

FLORUIT ANNO DCCCLXIX. *Hic Sanctus, qui Balneoregii colitur,*

B

Balneoregium, vernaculè Bagnarea *dictum, episcopalis Etruriæ civitas, quæ natalibus S. Bonaventuræ potissimùm apud exteros innotuit, hodie celebrat annuam festivitatem Sancti, qui* Aldrovandus *aut alio simili propemodum nomine appellatur, ut ex dicendis apparebit. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XXII *Augusti de cultu hujus Sancti tradit sequentia :* Aldrovandus episcopus, qui & Androvandus & Aldrebandus dicitur, Balneoregii in Hetruria colitur ex antiqua traditione hac die, cujus caput ibi religiosè asservatum solet per urbem, clero populoque comitante, circumferri, Sanctique intercessione, quod suppliciter postulatur, impetrari. *Quamquam Ferrarius illum Sanctum hoc loco episcopum nominet, tamen ibidem in Annotatione monet, incertum esse, utrum Balneoregiensis an alterius urbis episcopus fuerit, cum Acta ejus desiderentur.*

& verosimiliter hujus urbis episcopus fuit,

2 *Neglecto hoc Ferrarii dubio, Ferdinandus Ughellus in Italia sacra novissimæ editionis Venetæ, tomo* I *col.* 515 *eumdem Sanctum inter episcopos Balneoregienses recenset his verbis :* Sanctus Aldovandrus sive Aldibrandus interfuit Romano concilio sub Hadriano Papa anno DCCCLXXI. Ejus festum Balneoregii celebratur die XXII mensis Augusti. Hujus meminit Ferrarius hoc ipso die, ejusdemque civitatis Divus tutelaris habetur. *Etiam traditio Balneoregiensium habet, hunc Sanctum civitatis suæ præsulem fuisse, quemadmodum colligo ex litteris, quas Bernardinus Coccovaginus Viterbio ad Papebrochium nostrum dedit, & in quibus ipsum, documenta de hodierno Sancto petentem, sic instruit :* Balneoregio de S. Ildebrando nullæ notæ ad te missæ sunt. Tantùm respondent, ipsum fuisse episcopum ipsius civitatis, ut notatur in Ughellio in Italia sacra, nec illius ullam memoriam exstare in archivio. Tamen civitas, ut patronum, illum colit, & feriatum diem in ipsius honorem celebrat, & Officium cum octava. Fama est apud cives, illi oblatos turtures assos, signo Crucis facto à Viro sancto, è patina vivos volasse. Puto, hoc esse commentum, cum rei nulla exstet memoria. *Ex his testimoniis certè publicum* S. Aldrovandi *cultum discimus, & saltem probabiliter Balneoregiensem ejusdem episcopatum admittimus.*

C

3 *Si verò Sanctus ille Balneoregiensem ecclesiam rexerit, ut Ughellus & traditio asserunt, jam præterpropter ætatem ipsius colligimus : nam sub Hadriano II Pontifice Romanum concilium, cui Sanctus noster interfuisse dicitur, anno Christi* 869 *celebratum est, non anno* 871, *sicut Ughellus suprà perperam affirmat. Huic autem concilio inter alios antistites apud Labbeum tomo* 8 *Conciliorum col.* 1095 *& in editione Harduini tomo* 5 *col.* 870 *Præsul Balneoregiensis subscribit in hunc modum :* Adoaldus episcopus sanctæ Balneoregiensis ecclesiæ manu propria subscripsi. *Si quis igitur cum Ferrario dubitet, an* S. Aldrovandus *ecclesiam Balneoregiensem gubernaverit, is nobis inter episcopos Balneoregienses assignare non gravetur aliquem, qui propiùs, quàm Sanctus noster hodiernus, accedat ad nomen* Adoaldi, *quod huic concilio subscriptum legitur. Cum verò Ferrarius ultro fateatur,* S. Aldrovandum *fuisse episcopum, ex traditione & testimonio Ughelli nobis admodum fit verosimile, illum ecclesiæ Balneoregiensi præfuisse, & anno Christi* 869 *nomen suum concilio Romano subscripsisse : cur enim Balneoregienses ab immemorabili tempore præsulem alterius ecclesiæ tam solenniter coluissent ? Eodem fundamento superiùs in margine notavimus hunc Sanctum anno* 869 *floruisse, quandoquidem tempus mortis ejus ignoramus. Ceterùm hæc sunt omnia, quæ de Sancto illo colligere potuimus, cum Acta ejus non inveniantur.*

E

videtur anno Christi 869 *floruisse.*

F

DIES VIGESIMA TERTIA AUGUSTI.

SANCTI, QUI X KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

SAnctus Zacchæus vel Zacharias ep. Hieroſolymitanus.
SS. Martyres anonymi, Bodobrigæ, ſeu Boppardiæ, in Germania.
S. Minervius vel Minervus, S. Eleazarus, SS. Filii octo — martyres Lugduni in Gallia.
S. Quiriacus epiſc., S. Maximus presb., S. Archelaus diac., SS. Socii — apud Oſtia Tiberina.
S. Claudius, S. Aſterius, S. Neon, S. Domnina, S. Theonilla — martyres Ægis in Cilicia.
S. Timotheus, S. Apollinaris — MM. Remis in Campania Gall.
S. Theonas vel Teuna epiſc. Alexandrinus.
S. Fortunatus, S. Hermon, S. Xiſtus, S. Martialis, S. Hermogeratus: item, S. Laurentius, S. Habundus, S. Innocentius, S. Merendinus — Aquileiæ in Italia, & Romæ.
S. Silvanus, S. Sabinus, S. Pantherius — martyres in Thracia.
S. Donatus, S. Reſtitutus, S. Valerianus, S. Fructuoſa, SS. Socii XII alii — martyres Antiochiæ in Syria.
S. Cedonius vel Sidonius conf., & ep., ut fertur, Aquis-Sextiis in Provincia.
S. Lupus vel Luppus M.
S. Moderatus ep. & conf. Veronæ in Italia.
S. Sidonius Apollinaris ep. Arvernis in Gallia.
S. Eugenius vel Eogainus ep. in Hibernia.
S. Victor conf. & epiſc. Vitenſis in Africa.
S. Juſtinianus eremita & M. in Lemeneia inſula Angliæ.
S. Veredemius eremita in territorio Ucetienſi Galliæ.
S. Flavius epiſc. Rothomagi in Normannia.
S. Flavianus epiſc. Auguſtoduni in Gallia.
S. Callinicus I patriarcha Conſtantinopolitanus.
S. Altigianus, S. Hilarinus — monachi & MM. in Burgundia.
S. Antonius & forſan B. Nicodemus — monachi Hierachii in Calabria.
B. Richildis virgo recluſa Summontorii prope Oenipontem.
S. Aſcelina virgo Ord. Ciſterc. in Campania Galliæ.
S. Philippus Benitius conf. ex Ordine Servorum B. Mariæ virginis, Tuderti in Umbria.
B. Jacobus Mevanas, ex Ordine Prædicatorum, Mevaniæ in Umbria.
B. Bartholomæus à Foreſto, Converſus Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis, Brixiæ in Inſubria Italiæ.

PRÆTER-

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI.

MEmoria S. Meletii, archiepiſcopi Antiocheni, *& elogium ejus occurrunt hac die in Synaxario Baſiliano apud nos ad calcem tomi* I *menſis Auguſti pag.* 667. *Annuntiatio ejus inſcribitur Martyrologio Romano ad diem, quo geſta ejus illuſtravimus,* XII Februarii.

Paſſio Longini militis, de quo Idibus Martii. *Ita Maurolycus. De duobus* SS. Longinis, *uno quidem milite, altero autem centurione, conſule jam pridem dicta ad diem* XV Martii.

Duorum SS. martyrum Irenæorum martyrium, *videlicet Sirmienſis ac Lugdunenſis epiſcoporum, hoc die ſignatur in apographo è codice Græco Ms. bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis: in quo ad eumdem diem etiam exſtat ſeorſim Martyrium epiſcopi Sirmienſis jam dicti. Hunc* B *etiam memorat Galeſinius; adde Ferrarium in Catalogo novo, ſeu generali. Uterque etiam habetur in Menæis magnis Græcis typo editis cum elogio. At de* S. Irenæo *Lugdunenſi actum eſt apud nos die* XXVIII *Junii; de Sirmienſi autem* XXV *Martii. Adeat itaque lector dies, quos citavi,* XXV Martii, & XXVIII Jun.

Adæ primi hominis *meminit Grevenus*, ſecundum, *ut præmittit*, aliquos hîc; *conſonat Molanus, apud quem in editione anni* 1568 *hoc ſequitur de eo elogium:* Qui, etſi in ſuperbiam elatus, & de pomo vetito comedens, ſe totum & ſuam propaginem originalis peccati labe, eam afficiendo & inficiendo, miſerè perdiderit; per ſecundum tamen Adam eum à delicto ſuo eductum eſſe, atque vitæ æternæ gaudiis potiri, Catholica tenet Eccleſia. *Vide librum Sapientiæ cap.* 10 ℣ 1 *&* 2, *S. Irenæum lib.* 3, *cap.* 23, *à pag.* 220 *editionis novæ Pariſienſis; S. Epiphanium hæreſi* 46; *S. Auguſtinum de hæreſibus ad Quotvultdeum cap.* 25. De Adamo *etiam meminit Martyrologium vulgò Caniſianum. Cur verò* C *eum inter alios hujus diei Sanctos non ponamus, ſed hîc; ratio eſt, quia ne quidem Operi noſtro inſerere ſolemus Cælites veteris Teſtamenti, niſi habeantur expreſſi in Martyrologio Romano; ut mirum videri non debeat, ſi prætermittamus* S. Adamum: *de cujus ſepultura videri poſſunt dicta ad diem* XXV Mart.

S. Theonas abbas .. pater trium millium monachorum in eremo Scythi *laudatur apud Petrum de Natalibus lib.* 7, *cap.* 99. *De illo etiam Maurolycus, Grevenus, Martyrologium Caniſianum, Ferrarius in Novo catalogo Sanctorum. Vide, quæ de illo exſtant apud nos die* IV Aprilis.

S. Udalrici monachi Cluniacenſis, diſcipuli beati Hugonis abbatis, qui in Nigra ſylva requieſcit, *annuntiatio habetur in Kalendario Sanctorum Ordinis S. Benedicti, cujus apographum è Ms. monaſterii S. Salvatoris Ordinis Ciſterc. apud nos eſt. Hujus Sancti Acta illuſtravimus* X Julii.

Memoria S. Euſtathii epiſcopi Antiocheni *cum elogio habetur in ſuprà deſignato Baſiliano Synaxario. Tractavimus de hoc præſule cum Martyrologio Romano ad diem* XVI Julii.

Luchina, Tertiaria Dominicana, *hoc die ſignatur apud Arturum à Monaſterio* Soncini in Lombardia, *cum titulo* beatæ, *ac in ea laudantur* miræ abſtinentiæ, orationis exſtaticæ, ac ſpiritus prophetici *dotes. Conſule, quæ de illa habentur inter Prætermiſſos die* VII Aug.

Sancti Frambaldi abbatis & confeſſoris *meminerunt hac die Wion & Dorganius; de quo etiam Bucelinus in ſuo Menologio, & Mabillonius in indice Sanctorum prætermiſſorum in primo ſeculo Benedictino: quibus adde Ferrarium in Catalogo generali. De illo actum eſt ad diem* XVI Auguſti.

S. Arrigii epiſcopi Nivernenſis *annuntiationem ſignat Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt. Conſule diem, quo de ipſo actum eſt apud nos,* XVI Auguſti.

Firminus epiſcopus *ſcribitur hac die in noſtra* E *collectione Ms. Sanctorum: cùm verò non addatur locus epiſcopatûs; non eſt facilè dictu, quiſnam ſit hodiernus; niſi forſan ſit ille ſynonymus, de quo egimus hoc ipſo menſe, ad diem* XVIII; *vel alius, cujus ſit mentio inter Prætermiſſos ad eumdem diem* XVIII Auguſti.

Sancti triginta octo Martyres in Thracia *annuntiantur hodie in Maneis excuſis cum duobus verſibus, ac indicio, quod gladio martyrium conſummarint. Galeſinius totidem refert Martyres, & in eadem* regione, qui poſt varios cruciatus . . . tandem ſecuri percuſſi *ſint. De Martyribus triginta ſeptem anonymis in Thracia paſſis egimus cum Martyrologio Romano ad diem* XX *hujus menſis; ſed in eo, uti etiam in Menæis impreſſis dicuntur igne martyrium conſummaſſe. In Actis autem, quæ ibidem apud nos dantur à pag.* 30, Sancti *referuntur* triginta & octo .. capite truncati .. die vigeſimâ quartâ menſis Maii. *De eorum numero conſuli poteſt Commentarius eiſdem Actis prævius. Si iſta Martyrum claſſis diſtingui debeat* F *ab ea, quam ſuprà dicebamus referri hodie in Menæis excuſis; hæc hodierna non eſt nobis ſatis nota. Poteſt interim lector adire diem* XX Auguſti.

Bernardus ab. Clar. *ſcribitur inter Kalendaria varia, ac per dies digeſta, ſicut indicatur in noſtra collectione Ms. Sanctorum hujus diei. Acta ejus illuſtrata ſunt die* XX Auguſti.

Alziræ in Hiſpania paſſio ſanctorum martyrum Bernardi, Mariæ & Gratiæ *annuntiatur hac die in Menologio Ciſtercienſi apud Chryſoſtomum Henriquez, & apud Chalemotum in Serie Sanctorum &c. ejuſdem Ordinis, utrobique cum elogio. In Kalendario autem Ciſtercienſi, quod anno* 1617 *editum eſt Divione, ſolus ponitur* Bernardus. *Adeat lector diem, quo tres hoſce Martyres dedimus,* XXI Auguſti.

Oſannæ virginis *mentionem facit Grevenus. Tres ſynonymas dedimus inter Prætermiſſos heſterno die; ſi Grevenus ad Mantuanam ſeu Andreaſiam reſpexerit (hanc verò indicare non potuit collector noſtri Florarii Ms., quia hic ante illam obierat; unde corrige, quæ inter eoſdem Prætermiſſos, de hac re ſub conditione dicta ſunt:) ſi, inquam Grevenus, ad iſtam reſpe-*

A *reſpexerit ; videri poſſunt quæ de hac ibi notata ſunt : ſin verò aliam ; quiſnam divinet ex vaga ejus annuntiatione , quænam illa ſit? Legi poſſunt quæ inter Prætermiſſos diximus ad diem* XXII Auguſti.

Grumberti confeſſoris *commemoratio fit apud dictum Grevenum. Quod de Sancto ſynonymo dictum eſt heri , videlicet eum nobis notum non eſſe , niſi forte ſcribi debeat* Gumbertus , *hîc repetimus , ac lectorem mittimus ad Prætermiſſos heſternos* XXII Auguſti.

Romæ ſub Aurelio imperatore , & præſide Antiocho Porphirii martyris : qui forte idem eſt, de quo nudius quartus. *Ita Maurolycus. Sancto iſti , de quo egerat Maurolycus die* XX *hujus , apponitur* , qui ſanctum martyrem Agapetum erudivit in fide. *Habetur apud nos eâdem die : ubi tametſi ponatur* in Italia , *non autem* Romæ , *& martyrium ejus non ſatis probari indicetur* ; Romæ *tamen annuntiatur in Martyrologio Romano , & in ejuſdem notis dicitur* , ejus martyrium deſcriptum haberi in Actis S. Agapiti : *ut non mirum ſit , ſi*

B *alicubi illa puncta duo legerit etiam Maurolycus. Adde , quæ de* Aurelio *&* Antiocho *dicuntur in Commentario prævio Actis S. Agapiti martyris tomo* III *Auguſti , die* XVIII , *pag.* 525. *Videri itaque poſſunt* XX & XVIII Auguſti.

In Porto (*lege* in Portu) urbis Romæ natalis ſancti Ypoliti , qui dicitur nonnus , cum ſociis ſuis *legitur in Martyrologio , quod ſub nomine S. Hieronymi vulgavit Florentinius. Martyrologium Uſuardi* S. Ypolito *adjungit nomina* Quiriaci & Archillai. *Alios hagiologos hîc prætereo , cùm de hoc Sancto operosè actum fuerit heſterno die : de ſociis verò agendum ſit hodierno ſeorſim. Conſule itaque de* S. Hippolyto XXII Auguſti.

Zacchei diſcipuli , qui ſtaturâ puſillus Dominum ſuſcepit gaudens , *commemoratio habetur in additionibus Bruxellenſibus Mss. ad Uſuardum Greveni. Inter Prætermiſſos ad diem* XX *Aprilis mentio fit* S. Zachæi Apoſtoli *ex Menæis impreſſis : item* Zachæi epiſcopi Hieroſolymitani : *& indicavimus , quod ab aliquibus addatur* Sachæus publicanus , de ſycomoro à Chriſto vocatus , *& hac quidem notione, quaſi poſtmodum præfuiſſet cathedræ Cæſarienſi in Palæſtina. Ad diem verò* XXI *ejuſdem menſis inter Prætermiſſos notatur* S. Zacchæus Apoſtolus *(intelligo Apoſtolorum diſcipulum) è ſynaxariis Græcis ibidem nominatis. De epiſcopo Hieroſolymitano jam dicto tractamus hac die. Quiſnam verò ſit iſte* Zacchæus Apoſtolus , *non novimus : cùm ei non addatur nota characteriſtica ulterior , vi cujus diſtinctè nobis innoteſcat. Sed quiſquis ille ſit , titulus* Apoſtoli *forſan præbuerit alicubi occaſionem , ut per ideam adjectitiam acceptus ſit pro* Zacchæo publicano : *cui antequam inter reliquos hujus diei Cælites locum demus , majorem ac diſtinctiorem requirimus notitiam de publico ejus cultu.*

Zacheus epiſcopus Antiochenus primus poſt Petrum Apoſtolum conſtitutus fuit : de quo in Itinerario Clementis dicitur *&c. Ex Petro de Natalibus lib.* 7 , *cap.* 97 ; *qui ea acceperit è ſcriptis apocryphis. Etenim inter patriarchas Antiochenos , quorum Hiſtoria habetur ante tomum* IV *menſis Julii , nullum invenio* Zachæum , *qui vel remotè , nedum proximè , ſucceſſerit S. Petro ; ſed ei ſubſtitutum S. Euodium , ibidem datur videre : de quo tractavimus ad diem* VI *Maii. Quòd verò pugnantia loquatur idem Equilinus epiſcopus , conficitur ex eo , quòd lib.* 4 *cap.* 137 *hæc præmiſerit :* Enodius epiſcopus apud Antiochiam martyrium paſſus eſt : de quo S. Ignatius ſcribit , quòd PRIMUS ibidem ab Apoſtolis epiſcopus eſt inſtitutus. *Patet ex dictis , erraſſe etiam Maurolycum , & Felicium , adde Ferrarium in Novo catalogo Sanctorum , qui hunc quoque ſignant* Zachæum *Antiochenum epiſcopum ; in Martyrologio vulgò Caniſiano inſuper notatum.*

Zachei monachi , miræ patientiæ & virtutis viri ; de quo in Vita Pachomii. *Annuntiatio eſt in additionibus Bruxellenſibus Mss. ad Uſuardum Greveni. Vita S. Pachomii abbatis apud Tabanenſes in Thebaïde , apud nos exſtat tomo* III *Maii , die* XIV : *in qua Vita pag.* 326, *num.* 77 *memoratur* Zacchæus , *laudati Pachomii diſcipulus. In indice Sanctorum ad Martyrologium Caſtellani laudatur aliquis* Zacchæus Tabenniſiota *à magna abſtinentia.*

Hieroſolymis , Johannis epiſcopi & confeſſoris *nomen hoc die inſcribitur noſtro Florario Ms.; è quo idem dies cultûs jam pridem notatus fuit in Hiſtoria Chronologica epiſcoporum Hieroſolymitanorum , quæ habetur ante tomum* III *Maii. Viri elogium ibidem datur pag.* VI *ex qualicumque fide Theodorici Pauli. Si plura de ipſius cultu , ac rebus geſtis nobis eſſent ad manum , inter alios hujus diei Sanctos ei locum concederemus.*

In Oſtea Arcei. *Annuntiatio eſt apud Florentinium è Martyrologio S. Willibrordi. An genuinum hoc ſit alicujus Sancti nomen ; an verò luxatum & contractum ex* Archelao *ſeu* Arcilao , *quis ſatis tutò definiat ? Conſuli interim poteſt Florentinius in notis. De* S. Archelao *agemus hac die : à quo ſi* Arceus *ſit diverſus , aliunde nobis non eſt notus.*

Nunnus , *cujus* in Portu Romæ *notatur apud Florentinium è Martyrologio S. Willibrordi commemoratio , quò ſpectet , ex ſuprà dictis de* S. Ypolito *patet.*

Symphoroſa *notatur in noſtra collectione Ms. Sanctorum hujus diei , è variis Faſtis ſacris deſumpta.* S. Symphoroſa *martyr in Campania felice habetur apud nos die* 2 *Julii pag.* 307; *martyr verò alia ſynonyma cum ſeptem filiis MM. in Latio , die* XVIII *ejuſdem menſis , pag.* 350. *Superior quò ſpectet , quis è ſolo nomine divinet ?*

Sanctus Nectanus epiſcopus Aberdonenſis *memoratur à Camerario in Menologio Scotico , qui* apud Davidem Scotorum regem tantâ valuit gratiâ , ut omnium in republica negotiorum momenta ab illius nutu & conſilio rex meritò pendêre voluerit. Epiſcopatum Aberdonenſem pius rex ſancti Nectani causâ multis donavit proventibus atque prædiis , *quæ ibidem nominat idem Camerarius , cujus de* Nectano *elogium recitavi. Laudatur etiam apud Hectorem Boëtium in Vitis , quas edidit , epiſcoporum Aberdonenſium , ſed ſine titulo* ſancti : *quem nos quoque ipſi dare non audemus , donec aliunde probetur , hunc ei deberi.*

Drancius *laudatur apud noſtrum Malbrancum De Morinis tomo* I , *lib.* 4 , *cap.* 20 , *ubi inter alia* , Inſignis , *ait* , ejus apud Morinenſem eccleſiam perennavit memoria , quæ ſuos inter

A inter Cælites connumerare ſemper hactenus ſolita eſt. *Ibidem cap.* 1 *ſcribitur anno* 662 ſuffraganei munus adiiſſe. *In Chronico Belgico Ferreoli Locrii tomo* 1, *pag.* 34 *in Morinenſium epiſcoporum catalogo, proximè poſt S. Audomarum ſignatur quarto loco* Drancius al. Diancius, *ſine titulo* ſancti; *quem tamen ei dat Gazetus in Hiſtoria eccleſiaſtica Belgica in ſerie epiſcoporum Taruanenſium pag.* 560. *In tabula autem Sanctorum, de quibus fit mentio in iſta Hiſtoria, quæque ordine menſium ac dierum diſpoſita eſt ad calcem ejuſdem Hiſtoriæ, nomen ipſius non invenio; ut meritò nobis liceat deſiderare ulteriora documenta, quibus probetur publicus Viri cultus.*

Moſis epiſcopi Fermenſis *mentionem facit Calendarium Coptorum Chriſtianorum, quod habetur apud Seldenum ad calcem Operis* De ſynedriis *&c.* veterum Ebræorum *lib.* 3, *cap.* 15, *pag.* 411, *menſe ac die, qui ibi ſcribuntur incidere in hanc diem* XXIII *Auguſti: quâ idem epiſcopus apud Jobum Ludolfum in Hiſtoria Æthiopica Faſtis ſacris eccleſiæ ejuſ-*

B *dem gentis adſcribitur pag.* 426. *Hac etiam die Caſtellanus eum annuntiat* in Æthiopia, *& cum titulo* ſancti. *Plures de hoc epiſcopo deſideramus notitias, ac probationes certiores de vero ac legitimo ejus cultu.*

Romæ, depoſitio beati Gregorii, eo nomine noni, Pontificis Maximi *commemoratur à Bucelino; cujus etiam laudationem ſubdit. At nos de publico ejus cultu nihil novimus.*

Ebbæ Virginis *meminit Grevenus. Vide inter hodiernos Prætermiſſos quæ dicimus de abbatiſſa ſynonyma.*

Braccaræ Auguſtæ in Gallæcia S. Fabiani, ejuſdem urbis epiſcopi, *annuntiatio datur à Tamayo; qui in notis fatetur,* hactenus ejus nomen ignoratum à Braccarenſibus, & nondum in tabulis eccleſiaſticis Sanctorum recenſitum. *Pſeudo-Julianus Petri in Chronico num.* 80 *de illo ſcribit cum titulo* Sancti, *dicens eum* obiiſſe x Kalend. Septembris anno CCXXX. *Adde illuſtriſſimum Rodericum A Cunha in Tractatu de primatu Bracharenſis eccleſiæ pag.* 209. *Verùm magis ſolida ac ſeria deberent*

C *proferri fundamenta, quàm iſtius perſonati Juliani, ut* Fabianus *hodiernis Sanctis à nobis annumeraretur, cùm titulus ille nugatoris ejuſdem ſubleſto teſtimonio nitatur.*

Apud Caudiacum, natale ſancti Ainandi, & ſancti Domnini martyris, *ſicut ſcribitur hac die inter auctaria ad Uſuardum noſtrum: qui nobis hactenus noti non ſunt.*

Feſtum inventionis ſanctæ Crucis Chriſti in Walſtenake *exſtat in apographo noſtro additionum Bruxellenſium Mss. ad Uſuardum Greveni.*

In Gallia, beatæ memoriæ Elſini abbatis Remenſis *annuntiatio & laudatio inſeritur Menologio Benedictino Bucelini. Verùm in Gallia Chriſtiana tomo* 4, *à pag.* 779 *ejus nomen inter abbates S. Remigii ſeu Remenſes, Ord. S. Benedicti, invenire nobis non licuit.*

Panhormi, celebre Catenarum miraculum, unde D. Virgini Panhormitanæ cognomentum, in cujus primum æde, ac nomine patratum eſt, Siciliæ rege Martino, *ſignatur* ex ſcriptis tab. ejus eccleſ.; *in Martyrologio Siculo apud noſtrum Caietanum.*

In Germania obdormitio pii patris Joannis abbatis Waldſaſſenſis cœnobii, *eſt apud Chryſoſtomum Henriquez, qui ſatis indicat, ſtri-*

cti nominis cultum ei non deberi, pii *titulo* D *utens, in* beatorum *epithetis multiplicandis alioqui tam profuſè liberalis. Viri laudes ibidem legi poſſunt.*

Joannes à Tapia, *Zacatecis in India occidua*
Joannes, *in India orientali prope Zeilamicam inſulam*
Petrus Podianus, *Interamnæ*
Guido de Spathis, *Bononiæ*
Janinus, *in Gallia*
Nicolaus Volſcus, *in Latio*
Antonius Æthiops, Tertiarius, *Camari in Sicilia*
Angelus de Paz, *Romæ*
Felix virgo, *Fulginii in Umbria*
} *Sunt in Menologio Franciſcano Arturi, omnes cum titulo* beati; *ac duo primi etiam cum titulo* martyris.

Nonnulli ex illis apud Hueberum in Menologio S. Franciſci ponuntur; ſed rectiùs abſque titulo beati. *Iconem* Angeli de Paz *æri inciſam habemus, quæ dicitur in epigraphe* vera *viri eſſe* effigies; *in qua repræſentatur flexis genibus orans ante venerabile Sacramentum. Prædictis autem addi poſſunt*

Adolphus Drolshagen, *Suſati in Saxonia*
Joannes Hueber, *Sauzii in Valle Oenana*
Dambertus Weyer, *Hamelbergæ in Thuringia.*
Andrea de Blandinis virgo, *Volaterræ in Thuſcia*
Lucius, *in Italia*
} *Apud Hueberum in Menologio S. Franciſci ſine titulo* beati.

In Germania plurimorum Sanctorum atque beatorum monachorum, qui pro fidelitate & reverentia erga Sedem Apoſtolicam, cùm idolum Henrici IV imperatoris ſchiſmatici execrarentur, .. injurias varias & graviſſimas perpeſſi, cœnobiis ejecti, in exilium pulſi, ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres .., teſtimonio fidei probati reperti ſunt. *Hæc, & plura narrat Bucelinus in ſuo Menologio. Virorum iſtorum venerabilium exemplum omnes verè Romano-Catholicos excitare debet ad eorum imitationem.*

Joannes ab Angelis, *pro fide in Japonia interemptus, cum titulo* beati *ac* martyris *habetur in Sancto anno Ordinis Prædicatorum, è Gallica lingua in Flandrobelgicam edito Antverpiæ anno* 1675. *De illo etiam in Viridario ſpirituali Germanicè excuſo ejuſdem Ordinis Fredericus Steil.* F

Vita ſervi Dei, fratris Thomæ [de] Lemos, *ex Ordine FF. Prædicatorum, & ex Hiſtoriâ controverſiarum de divinæ gratiæ auxiliis, anno* 1705 *Antverpiæ editâ, apprimè noti, datur in Sacro diario Dominicano Marcheſii ad hunc diem, tomo* 4, *pag.* 526 *& ſequentibus.*

Apud Heduos monaſterio Cerviduno ſancti Nepradii presbyteri & monachi, actibus & meritis glorioſi, *annuntiatio notatur à Sauſſayo. Vide Commentarium prævium S. Eptadii confeſſoris, de quo ſermo erit* XXIV Auguſti.

Sandradi abbatis *meminit noſtrum Florarium Ms. Adiſis diem proximè ſequentem* XXIV Auguſti.

Vigilia S. Bartholomæi Apoſtoli *hac die notatur inter auctaria Uſuardina. De rebus ad hunc Sanctum ſpectantibus tractabitur à nobis ad diem, quo exſtat in Martyrologio Romano.* XXV Auguſti.

In Scotia, ſanctæ Ebbæ abbatiſſæ. *Annuntiatio eſt, quæ habetur hac die inter auctaria ad*

A *Uſuardum à nobis editum. Inter Prætermiſſos ad diem* 2 *Aprilis de illa meminimus, uti & de altera ſynonyma: & ibidem dictum eſt, utramque datum iri die* XXIII *vel* XXV *hujus menſis Auguſti. Plura itaque exſpectet lector ad diem eumdem* XXV Auguſti.

Cenomannis, Victoris epiſcopi & confeſſoris *annuntiatio eſt apud Grevenum: de eo etiam agit noſtrum Florarium Ms., & inter auctaria Uſuardina ſignatur ex editione Lubeco-Colonienſi. Duo apud Cenomanenſes coluntur* Victores, *ſeu* Victorii, *ejuſdem urbis epiſcopi, alter pater* XXV *Auguſti; alter filius, qui communiùs* Victorius *nominatur,* I *Septembris. De utroque agetur ad* XXV *Auguſti, de filio iterum* I *Septembris. Vide itaque prædictos dies* XXV Auguſti, & I Sept.

Limæ in India occidentali beatæ Roſæ à ſancta Maria *annuntiatio hac die refertur in Gynæceo Arturi à Monaſterio, quâ, ſicut ait in notis, obiit. Hæc Sancta inſcribitur Martyrologio Romano, & de illa nos dare conabimur, quæ ad illuſtranda ejus geſta conducent, die* XXVI Aug.

B Lauduni in Gallia, ſancti Chagnoaldi, ejuſdem civitatis epiſcopi & confeſſoris, *commemoratio cum elogio legitur apud Bucelinum in Menologio Benedictino. Caſtellanus eum refert die* IV *Septembris. Examinari itaque poterit, an de cultu ejus publico ſatis conſtet, eodem die* IV Septembris.

Senonis tranſlatio ſanctorum pontificum & martyrum Saviniani & Potentiani: nec non Altini, Eodaldi, & Serotini, purpuratorum quoque Chriſti teſtium: quando ſacratiſſima eorum corpora Venilo archiepiſcopus, ab ipſis beatis Saviniano & Potentiano admonitus, è loco primæ tumulationis tranſtulit ad baſilicam cœnobii S. Petri, illicque in thecis argenteis magna cum honorificatione collocavit. Quam repoſitionem oſtendit Deus ſibi fuiſſe gratiſſimam: eâ enim nocte, quæ tranſlationis ipſius ſolemnia præcedebat, audita eſt angelica harmonia, quæ ad Martyrum occurſum & veneracionem plurimos excitavit. *Narrat iſta Sauſſayus ad hunc diem. De* BB. Sabiniano & Potentiano *tractat Martyrologium Romanum die* XXXI *Decembris.* Altinus Senonenſis

C *in tabula Sanctorum apud Caſtellanum ſcribitur* omiſſus: *ad diem verò* XXII *Septembris notatur in Martyrologio ejus univerſali* S. Serotinus. *Sauſſayus ad diem* XXXI *Decembris Martyres quinque ſuprà nominatos refert, & longam de illis narrationem contexit, alioſque ibidem memorat martyrio affectos. Nos interim lectorem aliò mittimus, videlicet ad diem* XXII *Septembris, ubi mentio fieri poterit de* Serotino: *de* Sabiniano *autem ac* Potentiano *agendum erit ad diem* XXXI *Decembris: quo die forſan erit de aliis etiam agendi locus. Repeto itaque, quos modò deſignabam, dies* XXII Septemb., & XXXI Decembr.

D S. Barræa epiſcopus martyr *ponitur in Catalogo Sanctorum Hiberniæ expanſo, quem habemus, editum à noſtro P. Henrico Fitz Simon. Inter Prætermiſſos heſternos mentio facta eſt epiſcopi ſynonymi, ſed* in Scotia, *& abſque titulo* martyris; *& ibi diximus, eum alibi notari* in Hibernia. *Quem itaque notatum invenimus hac die* XXIII *Auguſti; ſicut heſternum remiſimus ad* XXV *Septembris, eòdem tranſmittimus; ubi forte diſcuti poterit, duone futrint an unus & idem, ſi documenta ſufficientia reperiantur ad eumdem diem* XXV Septembr.

Lucius & Ptolomæus *ſunt apud Wandelbertum hac die, quâ notantur etiam in Martyrologio Trevirenſi S. Maximini cum titulo* ſanctorum Martyrum. *Si ſint iidem, qui inſcripti in Martyrologio Romano leguntur cum eodem titulo, ſpectant ad diem, quo ibidem ſignantur,* XIX Octobris.

Primus, Sontius & Valentinus MM., Titi in regno Neapolitano *celebrantur Officio ſolenni hac die; qui ſub Diocletiano & Maximiano paſſi fuerint, & quorum corpora poſtmodùm per divinam revelationem reperta eſſe dicuntur. Sed apud illuſtriſſimum Paulum Reginm, qui tamen Sanctos regni Neapolitani copiosè recenſet, & in Directoriis Neapolitanis aliiſque Martyrologiis nullam horum veterum Martyrum memoriam invenire potuimus. Etiam ignoramus, quo tempore illa reliquiarum detectio contigerit, & qua auctoritate publicus eorum cultus inceperit. Si Titenſes ea nobis indicaverint, & legitimam Martyrum ſuorum venerationem demonſtraverint, poterit de illis agi cum S. Laverio martyre, qui ibidem ſolenniter celebratur, ad diem* XVII Novembr.

S. Sperus *vel* Heſperius *epiſcopus Metenſis hodie in Martyrologiis Ferrarii, Sauſſayi & Caſtellani refertur. Sed neſcimus, cur illum annuntient hac die, cum in veteri Chronico epiſcoporum Metenſium apud Dacherium tomo* 6 *Spicilegii pag.* 650 *legamus ſequentia:* Iſis ſucceſſit Sperus XXIII. Præfuit Metenſi eccleſiæ annis XVII ſub Vigilio Papa; ſub imperio Juſtiniani. Obiit x Kal. Decembris. *Si igitur eruditi Metenſes nobis cauſam hujus anticipatæ annuntiationis indicaverint, & interim* E *alia ad hunc ſanctum Præſulem ſuum ſpectantia ſuggeſſerint, poterit de illo agi mortuali ejus die* XXII Novembris.

Juſti & Abundi martyrum *meminit Grevenus. Inter Prætermiſſos heſternos invenies eos ſpectare ad diem, quo habentur in Martyrologio Romano, videlicet* XIV Decembris.

De tertia *S. Stephani protomartyris* commemoratione *in eccleſia Veſontionenſi,* quæ celebratur XXIII Auguſti, *ſcribit Joannes Jacobus Chiffletius in ſua Veſontione parte* 2, *pag.* 134, *&, uti addit,* legi ſolent duo miracula, *quæ ſubjungit. Sanctus iſte ſpectat ad diem* XXVI Decembris.

DE

A D

DE S. ZACCHÆO VEL ZACHARIA

EPISCOPO HIEROSOLYMITANO.

Antiqua Sancti memoria in Martyrologiis, tempus inchoati G. C. episcopatûs, & incertus mortis annus.

NON DIU POST ANNUM CHRISTI CXI. *Præter immemorabilem cultum,*

Huic Sancto duplex nomen in titulo assignavi, quia S. Epiphanius in editione Græco-Latina Petavii nostri Hæresi 66 cap. 20, & S. Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus in sua Chronographia compendiaria hunc quartum Hierosolymæ antistitem nominant Zachariam, *qui tamen ab aliis passim* Zacchæus *appellatur, & sub hoc nomine in Martyrologiis antiquis refertur, ut jam videbimus: nam vetus Martyrologium Romanum, quod Rosweydus noster edidit, hac die* XXIII *Augusti tantum breviter indicat annuam memoriam* Zacchæi episcopi, *locum & tempus episcopalis cathedræ omittens. Sed Ado & Usuardus eodem die hunc sanctum Præsulem distinctiùs annuntiant his verbis:* Beati Zachei episcopi, qui quartus à Jacobo Hierosolymorum ecclesiam clarissimè rexit. *Eamdem phrasim imitantur recentiores hagiologi, quos hîc accumulare non est opus, cum jam relata veterum Martyrologorum testimonia ad immemorabilem hujus Sancti cultum stabiliendum sufficiant.*

B

& Hierosolymitanum hujus Sancti episcopatum

2 *Suprà laudatus Nicephorus huic sancto Præsuli quatuor gubernationis annos tribuit, ac etiam tempus decessorum successorumque ejus determinat. Verùm hac in re incertam ætatis suæ traditionem secutus est, aut interpolata Græcorum documenta simpliciter transcripsit, cum Eusebius Cæsariensis tot seculis antiquior, & vicinus in Palæstina episcopus, in Historia sua ecclesiastica lib. 4 cap. 5 sic scribat:* Eorum autem episcoporum tempora, qui Hierosolymis præfuerunt, nusquam reperire potui. Omnes quippe brevi admodum tempore sedisse perhibentur. Illud tantùm ex veterum scriptorum monumentis didici, ad illam usque obsessionem Judæorum, quæ, imperante Hadriano contigit, quindecim episcopos continua successione illi ecclesiæ præfuisse... Primus igitur fuit Jacobus, is qui Domini frater vocabatur; secundus Symeon; tertius Justus; quartus Zacchæus; quintus Tobias; sextus Benjamin; septimus Joannes; octavus Matthias; nonus Philippus, decimus subrogatus est Seneca, cui successit undecimus Justus. Ephres deinde secutus est; post hæc Joseph. Omnium postremus fuit Judas, ordine quintus decimus. *Ex his eruditus lector facilè colligit, nullos ab Eusebio certos annos episcopatui istorum præsulum adscribi, quia diligens ille vetustatis indagator, qui ante medium seculi quarti obiit, eos invenire non potuerat, ut ipse suprà testatur.*

C

nihil ferè de eo novimus

3 *Unde Valesius in notis ad hunc Eusebii textum pag. 59 observat sequentia:* Ceterùm non sine causa mirari subit, undenam Nicephorus annos illos acceperit, quos singulis Hierosolymorum episcopis assignat, cum Eusebius, qui in Palæstina degebat, & qui omnes episcoporum illius ecclesiæ indices perlegerat, nihil se de annis eorum legisse testetur. *Quapropter etiam Papebrochius noster in Historia chronologica episcoporum Hierosolymitanorum, quam tomo tertio Maii præfixit, pag.* X *lectorem de istis sanctorum Jacobi & Symeonis successoribus ita monet:* Atque hinc luce meridiana clarius patet, eos, qui vel annorum numerum definire singulis vel mortis diem determinare, vel de eorum virtutibus miraculisque in particulari scribere aliquid præsumpserunt, id fecisse ex sui capitis phantasia propria; ac proinde in iis, quantumcumque verosimiliter excogitatis, nullum haberi fundamentum ad aliquam solidam in re historica conclusionem. *Nihil igitur hîc nobis superest, nisi ut investigemus annum, quo* S. Zacchæus *Hierosolymitanam cathedram ascendit, & ex eo reperto utcumque eruamus tempus, circa quod Sanctus ille ad Superos migravit.*

E

quamvis ex Eusebio Cæsariensi conjecturemus

4 *Olympiade ducentesima vigesima secunda, anno Traiani imperatoris decimo quarto, consulibus Pisone & Bolano,* post Justum ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopatum quartus susceptit Zacchæus, *quemadmodum Eusebius, interprete sancto Hieronymo, in Chronico suo Græco loquitur. Hi chronologici characteres & consules anno Christi centesimo undecimo respondent, ut Labbeus, Papebrochius, Tillemontius, Pagius, & plerique Fasti consulares consentiunt. Probabiliter itaque habemus annum, quo* S. Zacchæus *ecclesiam Hierosolymitanam gubernare cœpit. At inde nondum scimus, quam diu Sanctus noster isti ecclesiæ præfuerit, aut quo anno moriens hanc cathedram successori reliquerit. Attamen investigemus, an saltem tempus mortis ejus præterpropter eruere non possimus ex certa quadam epocha præsulum, qui Sancto nostro successerunt.*

F

illum non diu post annum Christi CXI *obiisse.*

5 *Inter illos* S. Zacchæi *successores, quorum certam vel saltem verosimillimam epocham quærimus, in laudato Chronico Eusebii primus occurrit Seneca, decimus Hierosolymorum episcopus, cujus initium ibidem Olympiade ducentesima vigesima quinta, anno Hadriani imperatoris octavo, sub consulatu Glabrionis & Torquati collocatur. Hic autem octavus imperatoris annus, eique adjunctus Glabrionis & Torquati consulatus ex communi chronologorum sententia designant annum Christi centesimum vigesimum quartum, quo Seneca in cathedra Hierosolymitana sedere cœpit. Ex his notis chronologicis patet,* S. Zacchæum *& quinque ejus successores ab Eusebio suprà nominatos usque ad Senecam, non diu cathedram Hierosolymitanam tenuisse: si enim ab anno Christi* CXI, *quo* S. Zacchæus *ex suprà dictis regere cœpit, huic & singulis ejus successoribus duos gubernationis annos ac totidem menses concedamus, perveniemus ad annum Christi* CXXIV, *quo Seneca ad Hierosolymitanam cathedram evectus est, ut Eusebius in Chronico testatur.*

AUCTORE G. C. *ſtatur. Cum tamen ex hiſce ſex Senecæ deceſſoribus haud dubiè unus altero diutiùs eccleſiæ Hieroſolymitanæ præfuerit, adhuc ignoramus emortualem Sancti noſtri annum, & ideo ſuperiùs in margine indicavimus, eum non diu poſt annum Chriſti* CXI *vixiſſe.* D

DE SS. MARTYRIBUS ANONYMIS,

BODOBRIGÆ, QUÆ NUNC VULGO BOPPARDIA VOCATUR,

IN GERMANIA INVENTIS,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

§ I. Loci notitia; documentum inventionis cum ejuſdem hiſtoria collatum, ac variis obſervationibus elucidatum.

B AN. CXLII. *Martyres hoſce extra muros Boppardienſes*

BOdobriga, *quæ nunc* Boppardia *vulgò dicitur, à Baudrando, iſtius loci inſpectore, deſcribitur his verbis:* Bodobriga, urbs Germaniæ, ex libro Notitiæ, Baudobriga Antonino, Boppart vulgo, quamquam incolæ Bopprt pronuntient, urbs parva Germaniæ ad Rhenum fluvium in ditione Trevirenſi, & in tractu Hunnorum dorſo dicto, aliàs fuit imperialis & libera; ſed anno MCCCXII oppignorata fuit Balduino archiepiſcopo Trevirenſi ab Henrico VII imperatore ejus fratre, & anno MCDXCIV perpetuò unita fuit Electoratui Trevirenſi ſub Joanne Badenſi ejus archiepiſcopo. Sedet ad radices collis prope Poderæ montana, ut ego pluries vidi, vix 2 milliaribus Germanicis diſtans à Fano S. Goari in Boream, uti 5 à Bingio Confluentias verſus totidem, & 3 à Naſſavia in occaſum, in confinio Comitatûs Cattimeliboci inferioris. *Urbs hæc topographicè repræſentatur apud Crombachium in Opere de vita & martyrio S. Urſulæ ac ſociarum, in mappa, quæ ſpectat ad tomi ſecundi librum* 4, *cap.* 8: *de cujus urbis etymologia dicetur infrà in annotatis ad hiſtoriam inventionis noſtrorum Sanctorum. Hunc itaque locum illuſtrarunt plurimi ſancti Martyres anonymi, quorum corpora ibidem multis ſeculis in pace ſepulta fuerant, & ignota latuerant; donec tandem placuit divinæ providentiæ illorum gloriam manifeſtare generationi venturæ per miram iſtius ſacri theſauri inventionem, quæ accidit ſeculo tertio decimo. Ante omnia hic juvat præmittere rei geſtæ notitiam ex documento apud noſtrum Hermannum Crombachium in Appendice ad Urſulanum martyrium tomo* 2, *lib.* 11, *cap.* 1, *cujus* copiam ex authentico inſtrumento tranſcriptam, & à R. P. Lotzio, provinciali ſtrictioris Obſervantiæ, *ad ſe* perhumaniter tranſmiſſam *teſtatur, & profert à pag.* 1093 *in hæc verba:*

C

eſſe inventos, probatur ex inſtrumento, quod hîc datur,

2 Honorabilibus viris, & in Chriſto dilectis dominis abbatibus, prioribus, præpoſitis, decanis, archipresbyteris, paſtoribus, ſive viceplebanis cathedralium, ſive Conventualium eccleſiarum, parochialium, ſive capellarum, aliiſque eccleſiarum rectoribus univerſis, ad quos præſens ſchedula pervenerit, Hartmannus præpoſitus, & Conventus eccleſiæ Montis ſanctæ Mariæ Bopardiæ, Canonici eccleſiæ B. Severi. Ibidem ſcultetus, milites, ſcabini, & univerſitas civium ibidem, ſalutem in eo, qui eſt omnium ſalus. Cùm nos jam dudum à multis viris, & mulieribus fide dignis nobis referentibus intellexerimus, quòd cùm ipſi fuiſſent apud Wetzlar, Marpurg pro viſitandis Sanctorum reliquiis, & veniſſent Aldenburgum ad viſitandam venerabilem, & Deo dicatam virginem filiam beatæ Eliſabethæ, audierunt ab ore ipſius, quòd juxta Bopardiam extra muros ſita eſſet capella in honore beati Martini dicata, ubi multæ Sanctorum reliquiæ requieſcerent, & non eſſet multùm neceſſe ad loca remota pro viſitandis Sanctorum reliquiis ſe transferre. Et ſic medio tempore, ac jam ad præſens [cùm] illa capella ſit nimia vetuſtate conſumpta, & in ruinam deducta, & boni homines ipſam eccleſiam honeſtè, decenter, ac opere ſumptuoſo ad honorem Dei & beatiſſimæ ſuæ Genitricis, & ſancti Martini reparare inceperint, ecce in ipſius operis initio, ſecundum quod prædicta virgo filia beatæ Eliſabethæ prædixerat, cum foderent in altum, invenerunt feliciter multa corpora recondita, & in Chriſto requieſcentia, nec non & quemdam gladium, in ſignum martyrii corporum prædictorum, in quodam ſarcophago, quo videlicet gladio capitibus amputatis ad Dominum felice martyrio indubitabiliter tranſmigrarunt ab anno Dominicæ Incarnationis CXLII, ſicut ibidem inventum eſt in lapidum ſculptura ſub terra. Datum anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo, Laurentii martyris. Subſcriptus atteſtor. E F

3 *Hactenus inventionis documentum; in cujus fide quandoquidem nititur rei geſtæ veritas, conferemus illud cum hiſtoria ejuſdem inventionis, quæ habetur apud noſtrum Chriſtophorum Browerum in Annalibus Trevirenſibus ad annum Chriſti* 1200, *ſive lib.* 15, *pag.* 838 *& ſequente*, ex publico reſcripto & diplomate Bopardien. oppidi; *in editione verò iſtorum Annalium, quam noſter Jacobus Maſenius in lucem dedit, à pag.* 97. *Quamvis enim laudatum documentum inventionis, & hiſtoria ejus prodierint ex eodem fonte; quia tamen hæc continet nonnulla, quæ cum iſto non ſatis rectè cohærent, ſicut obſervat Crombachius, argumentum præſens conabimur ad juſtam veritatis trutinam expendere, & obſervationibus elucidare, in varia illud partituri*

& confertur cum Hiſtoria inventionis, quam edidi Browerus,

A *tituri capita accusationum, de quibus Browerum convenit Crombachius in Appendice citata pag.* 1094. *Prima itaque accusatio est de apographo*, quod, *inquit*, vitiatum habuisse virum aliquem (*Browerum tacitè indicat*) doctissimum existimo, qui credidit Martyres illos anno MCC in Octava S. Laurentii repertos esse & detectos à S. Elisabetha Schonaugiensi, quæ forte pietatis vel officii causâ in Aldenburch erat, cùm ibi Bopardienses peregrinarentur, quam ii etiam famâ sanctitatis ejus permoti adierunt. *Et statim ab apographo ad historiam ex eodem confectam pergens, hæc subdit:* Displicet hac in narratione universè, quòd sine ratione, fundamento, teste, vel alio Ms. citato, discedat ab his, quas recitavi, literis, cùm eas solas laudet. *Hæc de ista historia observat in genere Crombachius; & mox descendens ad singularia sic prosequitur idem auctor:* Deinde in specie non probantur tria: tempus inventionis mutatum, peregrinatio Bopardiensium anticipata, revelatio nova S. Elisabethæ Schönaugiensi attributa.

B *quam Crombachius accusat*

4 *Accusatio itaque secunda à nobis nunc ponatur de tempore, Crombachii verbis:* Tempus, dico, inventionis non placet: quia in literis, syllabis integris, annotatur hoc modo annus: ANNO MILLESIMO, DUCENTESIMO, OCTUAGESIMO, S. LAURENTII. At verò à viro hoc, forte transcriptoris negligentiâ, τὸ OCTUAGESIMO mutatur in OCTAVAM SANCTI LAURENTII. Unde cùm anno MCC putet effossos esse Martyres, quando nec ipsa mater S. Elisabethæ nata erat (quam Lipsius loco citato non nisi anno MCCVII putat esse genitam) debuit ad Elisabetham Schönaugiensem refugere, quæ quinquaginta annis antè floruerat, licèt laudatis literis id manifestè repugnaret. *De anticipatione peregrinationis Boppardiensium animadvertit ista, quæ nobis erunt materia alterius accusationis.*

tamquam minimè sinceram,

5 *Accusatio autem ista, quam tertio loco ponimus, continet rationes varias, quibus contendit Crombachius, istam peregrinationem esse differendam in posterum tempus.* Quis enim, *inquit*, circiter annum Domini MCLII, quo cœpit sancta Elisabeth Schönaugiensis clarere spiritu prophetico, meminit peregrinationum è Germania Marburgum è Treverica ditione institutarum? Ad quorum Sanctorum reliquias ante sanctæ Elisabethæ viduæ mortem eò peregrini confluebant? Demus tamen usitatas ea tempestate Christianorum ad eadem loca peregrinationes, & 40 vel 50 annis post hujus sanctæ Elisabethæ mortem, cùm sancti Martini templum vetustate fatisceret, nondum immemores illius sanctorum Martyrum Bopardiæ tumulatorum indicii; quomodo verò credam, à sancta Elisabetha Schönaugiensi talia fuisse Aldenburgi divinitus præcognita, & denuntiata? Primò enim quis umquam historicorum dixit, sanctimonialem hanc, quæ ab anno ætatis duodecimo Schönaugiæ sancti Benedicti leges professa, semper ibidem mansit, (nisi cùm angelico monitu jussa sanctam Hildegardem est vicino in monasterio Bingiensi visere) in Altenburg, sive pietatis, sive officii causâ, ad S. Norberti Præmonstratensium asceterium commigrasse?

& variis defectibus laborantem.

6 Deinde, commigrasset tamen eò; cur nihil ipsa, quæ sibi factas à Deo de sanctis præsertim Martyribus notitias, & revelationes singulas, adjectis diebus ipsis, quibus acceperat, tam diligenter curavit adnotandas; cur, inquam, nihil hujus uspiam meminit, nec frater ejus Egbertus, vel alii vitæ ejusdem scriptores? Et cur non, cùm Schönaugiæ viginti annis vicino in loco (qui vix unius diei itinere abest Bopardiâ) degeret, protulit oraculum divinum? Quid opus eam Aldenburgi tam dissito loco conveniri? *His ita relatis subjungit Crombachius ista, & rem concludit:* Maneat igitur indubitatum, testibus istis auritis & oculatis fidem adhibendam ejus rei, quam recèns à filia S. Elisabethæ prædictam audierant, & quæ anno MCCLXXX (cùm adhuc superstes eidem Aldenburgensi cœnobio magistra præsideret) eventu fuit, & ipsâ sanctorum Martyrum exhumatione comprobata; quam iidem cum magistratu oppidi sacro civilique, tabulis erectis testantibus, rei gestæ seriem posteritati fideliter transmiserunt. *Habemus hîc auctores duos, in historica sanctorum Martyrum narratione admodùm sibi contrarios; utrius causa sit potior, tunc videri poterit, quando accusationes Crombachii adversus Browerum fuerint à nobis examinatæ.*

AUCTORE J. P.

7 *Accusatio prima, quæ vult apographum, Noi è quo Browerus confecit historiam inventionis, vitiatum fuisse,* & octavam *pro anno* octuagesimo *suppositam, non est quod nos hîc moretur: ea namque probari debet vel improbari ex sequentibus, in quibus descenditur ad particularia. Displicet tamen in exemplari Crombachiano τὸ* Laurentii martyris, *quod* anno millesimo ducentesimo octuagesimo *proximè apponitur. Expressio namque est imperfecta, nisi subintelligi velis* die *vel* festo, *vel quid simile. Expendamus nunc accusationem secundam, quæ erat de tempore inventionis, quæ accidit anno Christi* 1280 *secundum Crombachium; secundum Browerum autem anno* 1200; *hoc volente, rem fuisse prænuntiatam à filia S. Elisabethæ Schonaugiensis; illo verò à filia S. Elisabethæ Thuringicæ: in qua diversitate præcipuus vertitur præsentis controversiæ cardo. Filia S. Elisabethæ Thuringicæ, nomine Gertrudis, Deo se consecravit in monasterio Aldenbergensi; eidem etiam præfuit sæculo decimo tertio: in eodem denique anno Christi* 1297 *obiit in odore sanctitatis, postea videlicet titulum beatæ consecuta.*

E

8 *Probemus singula. Theodoricus Turingus, S. Elisabetæ synchronus, in Vita ejus, quæ extat apud Canisium tomo* 5 *Antiquarum lectionum lib.* 2, *cap.* 5, *pagg.* 163 *&* 164, *de ea sic scribit:* Peperit .. filium Hermannum nomine, qui successor patris lantgravius fuit Thuringiæ. Filiam quoque, quam duxit conjugem Dux Brabantiæ. Itemque aliam filiam, quæ in virginitate permanens in Aldenburch cœnobio famulabatur, domina * existens magistra sanctimonialium usque hodie. *Nomen ipsi fuit Gertrudis, teste Browero ad annum* 1248: Secundum, *inquit, de S. Elisabetha loquens*, eum tam acerbum casum, *mariti nempe è vita erepti*, posuit uterum Elisabetha, atque edita in lucem puella Gertrudis nomen in baptismo tulit. *Alia, quæ habet idem auctor de Gertrude per matrem ad cœnobium Aldenbergense delata, ac religioni Præmonstratensi consecrata; item de ejus ibidem vita ac præfectura, nec non de obitu cum opinione sanctitatis anno Domini* 1297, *prætereo; cùm de beata ista Gertrude tractatum sit apud nos tomo* III *Augusti, die* XIII, *à pag.* 142.

F *Crombachii*

* *f.* Dominó,

9 *Hisce obiter addamus aliquid de laudato sententiæ parthenone Aldenburgensi. Browerus ad annum, quem dicebam,* 1248, Mons, *ait*, quem parthenon occupat, haud procul oppido Wetzla-

AUCTORE J. P.

riæ. *Apud Baudrandum tomo* 2 *notantur* urbes imperiales & liberæ.. quæ Imperium immediatè recognoſcebant, & partim adhuc recognoſcunt; *& in earum catalogo alphabetico pag.* 436 *ponitur* Wetzlaria, WETZLAR, in Haſſia, ſub protectione Landgraviorum Haſſo-Darmſtatinorum ab anno MDCXIII. *Qui plures de hoc loco notitias deſiderat, Merianum conſulere poteſt in Topographia Haſſiæ, & regionum vicinarum à pag.* 84. *Jacobus Baſnagius heterodoxus Præmonſtratenſe cœnobium modò deſignatum turpiter confudit cum ſynonymo virorum, & Ordinis Benedictini in Flandria, quod ſitum eſt in territorio Brugenſi. Etenim in nova ſua editione Antiquarum lectionum Henrici Caniſii, tomo* 4, *pag.* 124 *de laudato parthenone Aldenburgenſi hæc notat :* Cœnobium Ordinis Benedict. in ſylva Cosfurt in honorem ſancti Petri in Flandria conditum. *Quot hîc voces, tot fere errores, ſicut ex ſuprà dictis manifeſtum eſt. De hac Aldenburgenſi cœnobio plura invenies tomo* III *Auguſti, die* XV, *pag.* 221. *Nunc redeamus ad noſtrorum Pugilum inventionem.*

B *aſſentimur.*

10 *Enimverò argumenta, quæ Crombachius objiciebat contra hiſtoriam ejuſdem, quæ exſtat apud Browerum, convincunt nos, ut ejus ſyſtemati aſſentiamur, & dicamus rem, de qua hîc eſt controverſia, accidiſſe tempore B. Gertrudis, filiæ S. Eliſabethæ Thuringicæ. Nam locus, tempus, aliæque circumſtantiæ tam aptè ac concinnè cohærent cum inſtrumenso Boppardienſi ſuperius producto, ut non videatur relictus dubitandi locus. Sic quippe inter alia intelligitur primò, quòd convenienter ad annum* 1280 *in eodem inſtrumento ſignatum,* multi *ex peregrinis illis fuerint tunc ſuperſtites, qui de noſtris Martyribus ſermonem habuerant* cum venerabili ac Deo dicata virgine. *Secundò, quòd ea exſtiterit* filia *matris ſanctæ, nimirum* BEATÆ Eliſabethæ : *ita ut non videatur recurri poſſe ad S. Eliſabetham virginem Schonaugienſem in diœceſi Trevirenſi : cujus mater deberet fuiſſe ſynonyma* Eliſabetha, *&* beata, *ſecundum ſæpè dictum inſtrumentum. Neutrum autem invenio apud nos ad diem* XVIII *Junii, ubi Acta S. Eliſabetæ Schonaugienſis illuſtrata ſunt. Ex dictis conficitur, Boppardienſium peregrinationem ad parthenonem Aldenburgenſem annis octoginta anticipatam eſſe à Browero, ſecundum teſtificationem inſtrumenti, quod num.* 2 *recitavimus, & accuſationem Crombachii, quam tertio loco poſuimus num.* 5 ; *ita ut nihil illi ſuperaddendum videatur.*

C

§ II. Tempus martyrii, Sanctorum numerus, ſepultura, veneratio publica.

Accidit eorum martyrium anno 142 :

INſtrumentum *Boppardienſe*, Ad Dominum, *inquit*, felici martyrio indubitabiliter tranſmigrarunt ab anno Dominicæ Incarnationis CXLII, ſicut ibidem inventum eſt in lapidum ſculptura ſub terra. *An verò annus iſte litteris numeralibus ibidem expreſſus fuerit, an aliis indiciis compertus, non dicitur; nedum in iſta ſculptura notatam fuiſſe formulam computandi tempus ab anno* Dominicæ Incarnationis, *quæ formula à Dionyſio Exiguo apud Latinos inchoata primùm eſt ſeculo* VI, *ſed diu pòſt admiſſa ; (de qua re conſuli poteſt Mabillonius De re diplomatica lib.* 2, *cap.* 23, *num.* 13 ;) *atque adeo ſi in illa ſculptura calculus iſte diceretur ſcriptus, nimis eſſet recentis & incertæ ætatis, quàm ut fidem facere poſſet. Etiamſi itaque calculus ille Dionyſianus adhibeatur in inſtrumento inventionis ſeculo decimo tertio ; cum non probetur, hunc ipſum ſic exſtitiſſe in ſcriptura antiqua ; non eſt, cur ea ſit deturbanda ex ſua antiqua ſinceritatis poſſeſſione in notatione anni* 142 : *cui Martyrum noſtrorum palmam etiam affigunt Browerus in hiſtoria ejuſdem inventionis, quam infrà producemus, & Crombachius antea jam citatus : quibuſcum nos eorum martyrium referimus ad imperium Antonini Pii. Plura, quæ ad præſens argumentum pertinent, congeruntur apud eumdem Crombachium à pag.* 1095 : *quibus ſingillatim examinandis, ac fusè deſcribendis ſuperſedemus. Conſuli interim poſſunt, quæ Tillemontius collegit de ſtatu Eccleſiæ ſub Antonino imperatore, Monumentorum eccleſiaſticorum tomo* 2 *in S. Juſtino articulo* 13.

D

E *numerus ultra ſexdecim non extenditur; quo modo Martyres fuerint ſepulti.*

12 *De Martyrum numero ac nominibus ita ſcribit Crombachius :* Numerus Martyrum non adeo magnus videtur fuiſſe, neque ſextum decimum numerum ſuperant capita. Eorum, qui reperti ſunt, nomina perierunt : nulla enim vel in monimentis inventa ſunt, vel à B. Gertrude manifeſtata. *Quonam autem modo eorum corpora ſepulta fuerint, præmiſerat pag.* 1093 : Sacrorum, *inquit*, Martyrum corpora ſingulis disjuncta loculis inveniunt. Utque memores adhuc monitionis B. Gertrudis minimè de ſanctitate cinerum ambigerent, aliud propè monimentum eruunt, in quo nudus gladius condebatur, quem reſecto à cervicibus capite ; cruore ſuo adſperſerant, more, ut ſæpè monui, jam inde ab Eccleſiæ primordiis recepto Chriſtianis, ut inſtrumenta martyrii cum ſacris cineribus conderentur, indicio poſteris, quo mortis genere fidei teſtimonium obſignaſſent. *Utinam addidiſſet locum unum alterumve è pluribus, in quibus egit de* more *illo* jam inde ab Eccleſiæ primordiis receptò Chriſtianis, *ut gladii iſtius inventio, quæ videtur aliquo modo mira, aliunde à nobis confirmaretur.*

Ex variis F

13 *Poſtremum ſupereſt, ut noſtrorum Pugilum publicus ſtabiliatur cultus. Varia de eo teſtimonia profert Crombachius à pag.* 1096 *in hæc verba :* Elevatos, *ait*, è terra Martyres Deus videtur prodigiis, homines cultu religioſo ſtatim honeſtaſſe. Nam in templi parte ſeptemtrionali ſub gradibus lapideis, quibus ad odæum ſanctimonialium aſcenditur, ara conſtructa viſitur, prope quam fragrantiſſimus odor percipitur : nam & litteris abſens & coram retulit P. Pius Bodenheim ſtrictioris Obſervantiæ virginum conſcientiæ arbiter, ſe rei ignarum, occulto pioque impulſu permotum, locum adiiſſe, viſumque ſibi mentem ibi præcipuâ ſpiritûs dulcedine recreari, quamvis loci ſanctitatem ignoraret. Addit fuiſſe ſedile quoddam olim ibi conſtitutum, in quo cum homines, ſub divinis, genibus curvatis inniterentur, & ſedes ipſa, quæ hodie ſuperat, & terra ſubjecta commoveri levarique videbatur.

teſtimoniis,

14 Florebat tunc Bopardiæ Joannes Flamingius presbyter pietate & doctrina, cujus ingenii ſpecimen in fine capitis attexam. Is maturo conſilio aram erexit ibidem loci, terraque ſtatim in hodiernum uſque diem conquieſcit. Ita refert octogenaria ſuperſtes ſanctimonialis, cui

foro-

A sorores, quæ cum Flamingio vixerunt, rei teſtes oculatæ retulerunt. Oſſa verò ſanctorum Martyrum, & capita multis retro ſeculis in ara collocantur, ornantur, coluntur concurſu Bopardienſium, qui feſtivis diebus eò commeant magnâ frequentiâ, ducti fida majorum narratione, ſpatium illud omne, quod intra crucem prægrandem ſuburbanam, & S. Martini ſacram ædem, nunc Martyrum iſtorum conditorium, intercipitur, olim ſanguine Martyrum maduiſſe.

quæ allegat

15 Inſtaurata fuit, ut antè dixi, circa annum MCCLXXX eccleſia: exinde quædam feminæ nullis certis adſtrictæ legibus ibi Deo piè ſervierunt, donec anno MCCCCLXXXIX, pridie Sanctorum omnium, Confluentinæ virgines Tertiariæ S. Franciſci è monte Beſſelich locum reformarunt, & ad Seraphici Patris præſcriptum cuncta renovarunt: ita teſtatur M. S. codex vetuſtus cœnobii, vernaculo ſermone ſcriptus hoc ſenſu: "Anno Domini MCCCCLXXXIX ſtatuta ſunt „hæc inviolabiliter obſervanda in conventu „Religioſarum ſororum S. Martini, quæ ſponte clara voce concordes ſe in domo capitulari fe„riâ ſextâ, in vigilia Sanctorum omnium, ma-
B „tutinis horis obtulerunt, coram duabus ſoro„ribus montis Beſſelich (quæ mandato reveren„diſſimi Trevirenſis archiepiſcopi, de licentia „Guardiani Patrum Confluentinorum de Obſer„vantia eò venerant) ad hunc conventum pro„movendum in vitæ Religioſæ progreſſu, ſer„vato recto ordine & bona reformatione ſecun„dum inſtitutum, leges & conſuetudines mon„tis Beſſelich, & aliorum Religioſorum conven„tuum, cum obſervatione ſanctæ earum regu„læ & profeſſionis„. Urſit hanc reformationem Joannes II archiepiſcopus Trevirenſis ex illuſtriſſima Marchionum Badenſium familia, qui anno MDIII deceſſit, cum LVII annis cathedræ Trevirenſi præſediſſet.

Crombachius

16 Hæc mihi perſcripta ſæpiùs, oculis poſtea volui coram uſurpare, & ab incolis, quæ fama & traditione majorum acceperant, inaudire: vidi locum ſacratiorem, aram ſubjectam gradibus, legi templi inſcriptiones, audivi virginum & civium narrationes, omnia comperi conſentanea iis, quæ jam ante ſcripſeram; ſacras etiam Martyrum exuvias piè veneratus, gladium conſpexi, quo cæſi Chriſti Pugiles, rubigine jam exeſum, cui talis adjecta inſcriptio:
C HIC EST GLADIUS, QUI CUM HIS MARTYRIBUS INVENTUS EST. Eminet in craniis omnibus unum, cujus prægrandis plaga fronti propè dexterum oculum cæſim inflicta exſtat cum hac epigraphe: HOC EST CAPUT MARTYRIS CUM GLADIO REPERTUM. Superant præterea ſedecim alia crania, horum, ut ſuſpicor potiſſimùm Martyrum, aliorum tamen Divorum inſerta reliquiis, quorum ferè nomina iiſdem apponuntur, quæ omnia decenter ornata altaribus imponuntur, à multis retro ſeculis cum gladio rubiginoſo, ut nequeat dubitari, quin hactenus iis à tempore inventionis ſit cultus religioſus attributus, licèt anniverſarium diem non habeant: poſſet is tamen iis menſe Auguſto poſt octavam Aſſumptionis Deiparæ rectè adſignari, quod circa id tempus videantur eſſe inventi & elevati.

de immemorabili eorum cultu ſatis conſtat.

17 Addamus carmen quod Joannes Flamingius ſacerdos, his Chriſti Athletis accinuit, & in tabella membranæ inſcriptum, ac templi parieti affixum reperi. Is ſe Boniportuenſem ideo nominat, quòd oppidum illud, ut Romanis Bodobriga, ſic ſeculis poſterioribus Boniportum ſit appellatum: hoc etiam nomen retinet in antiquiſſimis cenſuum archiepiſcopalium Trevirenſium indicibus. AUCTORE J. P.

Multus in hoc quondam Chriſti pro nomine ſanguis
Sanctorum effuſus creditur eſſe loco.
Plura Beatorum ſunt corpora ſancta reperta
Sub terra; multos quæ latuere dies.
Inventumque fuit Latiis epigramma figuris
Inſculptum ſaxo, quod poſuere pii.
Enſis & appoſitus fuerat, quo cæſa feruntur
Corpora Sanctorum, quando tulere necem.
Propterea hanc ſacram quicumque intraveris ædem,
Dic, precor, ætheria luce fruatur Ivo.
Quem cæleſtis amor pietas ac ſancta coëgit
In Chriſti laudem hunc ſic reparare locum,
Qui modò neglectus ſenio foret, atque jaceret,
Si pius hunc iterum non renovaſſet Ivo.
Sic igitur longos locus hic veneratur in annos
Unde Deo laudes perpetuumque decus.

Hæc de Bopardienſibus Martyribus comperi, quæ vulgare primus hoc etiam nomine volui, ut incolarum & accolarum excitarem ſtudium, E ad Martyrum iſtorum cultum inſtaurandum, & latiùs propagandum, ac veſtigia traditioneſque veteres de iis accuratiùs perſcrutandas, quo religioſiùs Deus in his Martyribus honoretur. *Supereſt, ut exhibeatur*

HISTORIA INVENTIONIS

Ex Annalibus Trevirenſibus Chriſtophori Broweri noſtri ad annum Chriſti 1200, *ſive lib.* 15 *pag.* 838 *& ſequente.*

Ex revelatione cujuſdam ſanctæ Virginis

ANno, qui poſt Chriſtum natum illuxit, ſupra ducenteſimum milleſimus *a*, è tenebris eruta in lucem præclara ſunt Martyrum apud Bodabrigam *b* ſub Antonino imperatore *c* in Germania ſecunda *d* pro Chriſti religione morte oppetita glorioſorum monumenta, & tot jam inde annorum ſpatiis obſcuro in ſpecu abdita, munere Dei immortalis repertis ita ſub D. Martini ſacello tunc eorum ſepulchris, in hominum notitiam prodita ſunt. Eo tempore, quo adhuc inter mortales degebat B. virgo Eliſabetha de Schonaugia *e*, frequens pro ejus ætatis religione Boppardienſium incolarum ad Wetzlarienſem, Marburgenſemque trans Rhenum haud obſcuras tum in Cattorum *f* finibus eccleſias venerandis ibi Divorum reliquiis, inſtituta peregrinatio. Aldenbergum *g* cœnobium eſt, ut loco dicemus, ſacrarum virginum diſciplinâ Præmonſtratenſium, ubi Eliſabetha officii causâ vel pietatis fortè tum agebat. Huc Boppardienſes, ejus ſanctitatis famâ permoti, cum ſalutatum illam adiiſſent, variis, ut fit, ultro citroque ſermonibus habitis, virgo tandem; Ecquid viſendis contingendiſque Beatorum cineribus hac tanta concurſatione & itinerum moleſtiâ ipſi ſeſe fatigarent? Simul habere domi oſtendit, quod magno labore, & fructu ſæpe nullo, apud exteros ipſi quærerent: ſtare namque vetuſtam prope Boppardiam ſub mœnibus ædiculam, D. Martino ſacram: inibi Divorum ſat multas conditas eſſe

a
b
c
d
F
e
f
g

Ex Browero.

esse reliquias, neque opus magnis esse ad eas colendas itinerum laboribus, ac impensis. Nec plura tunc divina virgo.

corpora horum Martyrum detecta sunt.

2 Aliquantum temporis adhuc medium, cum vetustatis injuriam sacellum ultrà non ferens, casuque & ipsâ ruinâ suâ solitudinem attestans, tam Clerum quàm populum oppidi miseratione sui perpulit, ut ædem, eo solo dignam, stipe quoque, eam in rem missis circum oppida vicina literis, corrogatâ excitarent, ac Martyrum honori sub Mariæ Virginis ac D. Martini antiquis nominibus dedicarent. Cùm igitur fundamentis in terra jaciendis regesta altiùs humo operæ insudant, ecce tibi sacrorum corporum, quæ suis quæque loculis sive sarcophagis dispositа, polyandrion *h*; progrediendoque inveniunt monumentum, in quo nudus conditus gladius, sive securis: hancque ipsam felici Martyres cruore tinxisse, capiteque à cervicibus resciſſo præclarum Christo fidei suæ testimonium sub Christi annum centesimum quadragesimum secundum perhibuisse, reperta ibidem lapidis indicabat vetus inscriptio *i*, idque ita hoc anno accidisse Hartmannus præpositus conventui ecclesiæ Montis S. Mariæ Bopardiæ, canonici B. Severi, recenter tum ibi instituti, prætor oppidi, milites, scabini, & civium tota denique universitas literis, quibus pro instauranda ecclesia subsidia flagitarunt, octava *k* D. Laurentii datis contestantur. Major inde haud dubiè loco frequentia & grandior, uti par honos accessit. Verum ut peregrinâ adversâque glebâ conflictatæ felices etiam emoriuntur stirpes; sic errorum & pravæ doctrinæ lolio pietas antiqua suffocatur. Hinc tam alta Martyrum locique sacrati oblivio cum incolis ipsis, tum liminis sacri virginibus custodibus non longævis obrepsit, mihi ut rei coram inspiciendæ istic olim periculum facienti omnia alia potiùs, quam de Martyrum sepulchris ac certaminibus narrarint: quò in eorum honore vindicando me longior quoque provexit oratio.

h

i

B

k

ANNOTATA.

a *Immò contigit ea res anno* 1280, *secundum dicta in Commentario prævio.*

C b *Cluverius lib.* 2 *Germaniæ antiquæ cap.* 14, *pag.* 58 *de etymologia hujus urbis hæc scribit:* A superiore Vesalia decem iterum sunt millia ad oppidum vulgari nunc vocabulo Boppart; quem eumdem esse locum, qui in tabula Bontobrice, & apud Antoninum Baudobrico dicitur; situs in ripa Rheni, intervallum, quod penè in tabula constat, & nominis similitudo convincunt. In Notitia imperii vocatur Bodobriga. Unde apud Antoninum lego Baudobrica, & in tabula Bautobrica. Omnium recta est ratio, variantibus linguæ Celticæ dialectis, quæ facilè au in o, t in d, & g in c, & vice versa commutant. Antiquis Germanis credo fuisse Bodebrige & Botteprige: unde postea Bobbrig & Bopprig; & mox Bobbert & Boppert, quod tandem Boppart. D

c *Nos Martyres illos posuimus tempore hujus imperatoris, & sub anno Christi* 142. *Vide Commentarium prævium.*

d *Germania* secunda *vocatur alibi* inferior, *ac complectitur Treviros ac vicinas aliquot regiones, ut videsis apud Baudrandum ad vocem* Germania.

e *Immò verò* Elisabethæ Thuringicæ *filia, nomine* Gertrudis, *secundum ea, quæ disputavimus in dicto Commentario.* E

f *Cluverius lib.* 3 *Germaniæ antiquæ cap.* 5 *pag.* 21 Cattorum finibus *includit Hassiam, & ibidem hodiernum Hassorum nomen à Cattis deducit.*

g *De hoc monasterio turpiter confuso cum alio, quod est in Flandria, consuli potest sæpè allegatus Commentarius noster.*

h *Græcè* πλυάνδειον *vel* πλυάνδειον. *Formatur à voce* πολὺς, multus, *& à genitivo* ἀνδρὸς, *cujus nominativus est* ἀνὴρ, *id est*, vir: *nam* polyandrion, *sive locus capacior sepulcri, vel cœmeterium, multos homines seu viros continet. Consuli etiam possunt, quæ de hac voce observata sunt jam pridem tomo* v *Julii, die* 22, *pag.* 250 *in Annotatis lit.* h.

i *Quæ huc spectant, expendimus in Commentario.*

k *Hæc vox* octava *sive malè transcripta, sive perperam ex abbreviatione sic fuerit formata, in erroneum hujus historiæ systema induxit Browerum, dum illam accepit pro anno* octuagesimo *seculi decimi tertii. Plura idem Commentarius.* F

A D

DE SS. MINERVIO VEL MINERVO, ET ELEAZARO CUM FILIIS OCTO MARTYRIBUS.

LUGDUNI IN GALLIA.

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA. G. C.

§ I. Antiqua horum Sanctorum memoria in Martyrologiis, ætas & palæstra martyrii.

INEUNTE SECULO TERTIO. *Annua horum Martyrum memoria celebratur*

B *Quàm certus est horum Martyrum cultus, tam incerta sunt eorum gesta, ætas, & reliqua, quæ in Martyrologio Hispanico de illis traduntur. Immemorabilem illorum cultum indicant varia Martyrologii Hieronymiani exemplaria, inter quæ Corbeiense apud Florentinium hac die sic habet:* Lugduno Galliæ natalis sanctorum Minervii, Eleazari, cum filiis octo martyribus. *Huic annuntiationi ferè consonant alii vetusti codices ibidem relati, si excipias unum, in quo nomen* Eleazari *corrumpitur, & numerus Martyrum minuitur hoc modo:* In Gallia natalis sanctorum Minervi, Eliaga, cum filiis VII. *Verùm magis corrupta sunt apographa diei præcedentis, ut inter Prætermissos vel in alium diem dilatos tunc monuimus, in quibus iidem Sancti cum octo filiis ita annuntiari videntur:* In Gallia natalis sanctorum Medardi & Emiliani cum filiis VIII. *Palæstra martyrii quoque mutata est in duobus codicibus, ex quibus Antverpiensis die* XXII *Augusti sic eos memorat:* Augustoduno Galliæ Minervi & Emiliani cum filiis VIII, & S. Simphoriani. *Cum S. Symphorianus Augustoduni passus sit, ut die præcedente vidimus, non omnino temere suspicamur, transpositum esse nomen hujus urbis, quod immediatè S. Symphoriano præmittendum erat, vel* Augustodunum *pro* Lugduno *oscitantiâ amanuensis in textum irrepsisse.*

C 2 *Porrò Florentinius in notis ad diem* XXII *Augusti de istis corruptionibus ita disserit:* Ninervium, non Medardum, cum Emiliano & filiis octo addit antiquarius Gallicus, tam in Martyrologio Antverpiensi quàm Corbeiensi; librarius verò nostrorum codicum deceptus celebriori fama S. Medardi in Gallia, nomen Minervii corrupit; unde etiam Augustoduni nomen subticuit, quod Noviomensis episcopus Medardus fuerit, vel Suessionensis, ut ad diem octavam Junii dictum est, & quod de Minervio sequenti die memoriam recolat. Ex fide igitur aliorum codicum restituendum videtur: IN GALLIA SANCTORUM MINERVII ET EMELIANI CUM FILIIS VIII, quemadmodum Augustodunum locum venerationis signantia retinent Martyrologia Antverpiense & Corbeiense. Hos tamen præterit Saussayus hac die. Videantur, quæ in sequentem diem adnotamus. *in diversis exemplaribus*

3 *Florentinius autem die* XXIII *Augusti in notis observat sequentia:* Sanctum Minervium cum Emiliano & filiis octo Martyrologium Antverpiense vetustissimum & Corbeiense non Lugduni, sed Augustoduni, veneratum proposuerunt proximo præcedenti die, ubi codices nostri pro Minervio Medardum exhibuerunt, & nos emendatione dignos duximus. Hodierni fasti in omnibus ferè Martyrologiis signantur memoriâ Lugdunensium Martyrum Minervii & Eleazari cum octo pariter filiis. Eosdem esse idem Minervii nomen & octo filios succedenti Martyri assignatos non difficilè suadere videntur, immutato dumtaxat Eleazaro in Emilianum, & Lugduno in Augustodunum. De Minervio Lugdunensi fatetur Raynaudus in Hagiologio Lugdunensi obscura ferè omnia esse, & quamquam de Eleazaro cum filiis octo diffusiùs agat, & indulgentias quasdam antiquitus concessas pro veneratione ejusdem sancti Martyris ac filiorum adducat, præter Adonis tamen auctoritatem, qui sanctos Minervium & Eleazarum cum filiis octo conservari affirmat in crypta, quæ urbi ab Occidente imminet, & quæ dicitur sancti Irenæi, reliqua à Saussayo adducta de tempore passionis non omnino probat, sicuti omnino improbat, quæ Julianus Petri in Chronico adducit. In vetusto Hagiologio Franco-Galliæ Labbei XI Kal. Augustoduno tantùm S. Symphorianus tribuitur, & X Kal. LUGDUNO GALLIÆ SANCTORUM MINERVII ET ELEAZARII CUM ALIIS OCTO memoriam consignat, & in hoc unicum est, quod non filios Eleazari, sed socios tantùm videatur nuncupare, sicuti Usuardus. ELEAZARUM etiam, non EMILIANUM legit Galesinius in libris scriptis. *Martyrologii Hieronymiani*, E F

4 *Dum Florentinius hoc loco significat, inter Hagiologium Labbeanum & Usuardum convenire, iisque singulare esse, quod* aliis octo *pro* filiis octo *scripserint, verosimiliter intelligit Usuardum Molani, qui in editione anni* 1568 *ad hanc diem sic habet:* Lugduni Galliæ sanctorum martyrum Minervii & Eleazari cum aliis octo. *Sed in posterioribus Molani editionibus & in Usuardo genuino sic annuntiatio illa distertè exprimitur:* Lugduno Galliæ sanctorum martyrum Minervii & Eleazari cum filiis octo. *Haud dubiè Usuardus hanc annuntiationem ex Adone excerpsit, omisso sepulturæ loco, quem Ado in suo Martyrologio ad diem* XXIII *Augusti designavit his verbis:* Lugduno Galliæ, natalis sanctorum martyrum Minervi & Eleazari cum filiis octo, quorum corpora in crypta, quæ urbi ab Occidente imminet, condita habentur. *Omittimus hîc collectorem hodierni Martyrologii Romani* *ab Usuardo & Adone*

AUCTORE G. C. *Romani & alios recentiores hagiologos, eo quod ſuas annuntiationes ex jam dictis hauſerint, & hæc ad antiquum cultum horum Martyrum probandum ſatis ſuperque ſufficiant.*

(nomen Eleazari forſan eſt muliebre) 5 *Occaſione ſupradictæ diverſitatis, quæ in* Uſuardo Molani *occurrit, ubi legitur* aliis *pro* filiis, *Sollerius noſter in obſervationibus ad Uſuardum ſuum die* XXIII *Auguſti novam ſententiam de* S. Eleazaro *proponit his verbis:* Grevenus & Molanus contra communem omnium codicum lectionem ſcribunt non CUM FILIIS, ſed CUM ALIIS OCTO, non advertentes, nomen ELEAZARI eſſe muliebre, ab ELEAZARUM, ut GLYCERII à GLYCERIUM, EUSTOCHII ab EUSTOCHIUM &c. *Non ignoro, quod Caſtellanus in margine Martyrologii ſui univerſalis monuerit,* Eleazarum *in feminino genere accipiendum eſſe. Etiam ſcio, in indice Martyrologii Pariſienſis, quod eminentiſſimus Cardinalis Noaillius anno* 1727 *typis excudi curavit,* S. Eleazarum *uxorem* S. Minervii *appellari. Sed antiquiora hujus aſſertionis teſtimonia deſidero, quandoquidem Majores noſtri tomo* I *Junii pag.* 676 *num.* 32,
B *& ſcriptores alii paſſim ambos iſtos Martyres, tamquam viros & ejuſdem certaminis ſocios, cum filiis octo memoraverint. Quare illam Solerii noſtri obſervationem pro conjectura dumtaxat haberi volumus, donec alicunde major ad incertam hanc opinionem illuſtrandam lux affulſerit.*

& videntur omnes martyrium ſubiiſſe 6 *Audiamus interea Theophilum Raynaudum noſtrum, qui in Hagiologio Lugdunenſi apud nos pag.* 45 *de iiſdem Martyribus ita ratiocinatur:* Sanctus Eleazarus martyr Lugduni paſſus eſt XXIII Auguſti cum ſancto Minervio & octo filiis, ut habent omnia Martyrologia. An verò illi octo filii ad ſanctum Eleazarum omnes vel aliqui, an ad ſanctum Minervium ſpectarint, non reperio; quamvis ad ſanctum dumtaxat Eleazarum pertinuiſſe, conjectura ducitur ex eo, quod in Martyrologiis Romano, Bedæ, Uſuardi & Adonis, præmiſſo ſemper Minervio ſubjicitur Eleazarus cum filiis octo. Et in veteri ſcriptura eccleſiæ ſancti Irenæi, qua referuntur indulgentiæ ei eccleſiæ conceſſæ à variis ſummis Pontificibus dicitur, cæleſtes illos theſauros fuiſſe diſtributos in honorem ſanctorum Irenæi, Epipodii, Eleazari cum filiis octo (tacito Minervio) &
C undeviginti millium martyrum: condita enim fuiſſe ſancti Eleazari & ſociorum corpora in crypta ſancti Irenæi teſtatur Ado. *Dominicus de Colonia noſter in Hiſtoria civitatis Lugdunenſis, quam anno* 1728 *&* 1730 *Gallicè duobus voluminibus edidit, tomo* I *iſtius Operis part.* 2 *pag.* 106 *& ſequentibus de magna martyrum Lugdunenſium multitudine meminit, atque ingentem hunc numerum non contemnendis argumentis tuetur.*

Lugduni Celtarum in Gallia 7 *At ſupereſt quæſtio chronologica, utrum Sancti noſtri cum ingenti illa martyrum Lugdunenſium multitudine ac S. Irenæo paſſi fuerint, an autem in alia perſecutione vel populari ethnicorum tumultu martyrium ſubierint. Raynaudus loco proximè citato de obſcura hac controverſia ſic ratiocinari pergit:* Quod tamen in eadem crypta, procedente tempore, condita conſtet corpora ſanctorum Epipodii & Alexandri, qui ante ſanctum Irenæum paſſi erant, non poteſt ex ea ibidem tumulatione S. Eleazari & ſociorum conſtare, an cum ſancto Irenæo paſſi ſint, vel tempore aliquo anteriore aut poſteriore, qua de re altum apud omnes ſilentium. Unde cautè auctor Martyrologii Gallicani (quod poſt hæc à nobis primùm vulgata prodit) hos ſanctos Martyres D paſſos ait in ea immani perſecutione, quæ tot pios abſumpſit, nullam deſignans perſecutionem, niſi quòd cum dicat, eos inſtitiſſe ſanctorum ſuorum præſulum Photini ac Irenæi ſalutaribus monitis, ſignificare videtur, eos in poſteriori perſecutione per Severum facta, ſancto Irenæo ad clavum eccleſiæ Lugdunenſis ſedente, periiſſe.

circa initium ſeculi tertii, 8 *Procul dubio Raynaudus per auctorem Martyrologii Gallicani hîc deſignat Andream Sauſſayum, qui in Martyrologio ſuo Gallicano ad diem* XXIII *Auguſti de Martyribus noſtris ita ſcribit:* Lugduni natalis ſanctorum martyrum Minervii & Eleazari, octoque hujus filiorum, qui in acri illa perſecutione, quæ tot pios illius urbis incolas abſumpſit, Photini & Irenæi ſuorum ſucceſſivè præſulum ſalutaria documenta & exempla ſequentes, cervices pro Chriſto intrepidè ferali gladio ſuppoſuerunt; quorum ſacra cadavera eodem loco ſepulta ſunt; ubi & humata recoluntur & coluntur ſub ſancti Irenæi patrocinio, unde viginti millium martyrum, hoc ſub turbine necatorum pro fidei teſtificatione, corpora veneranda. *Cum certum horum Martyrum tempus ex antiquis monumentis eruere non poſſimus,* E *& Martyrologium Pariſienſe ſuprà allegatum poſt alios ſcriptores annuntiationi eorum in margine addat annum Chriſti* 202 *vel* 211, *nos hanc communiorem ſententiam ſine operoſa diſcuſſione ſecuti ſumus, & initio hujus ſylloges in margine martyrium illorum* ineunte ſeculo tertio *collocavimus.*

quamvis locus ac tempus martyrii mutata ſint 9 *Verùm ab hac chronologia ac ipſa martyrii palæſtra multùm recedunt aliqui recentiores Hiſpani, quemadmodum Raynaudus eodem loco refert his verbis:* At Julianus Petri, archipresbyter Toletanus in Chronico ad annum Domini LXVI multo anterius obitum horum ſanctorum Martyrum conſignat, & alibi, quam Lugduni Celtarum, paſſos aſſerit. Sic enim ſcribit: LUGDUNI IN CONVENIS XXIII AUGUSTI ANNO DOMINI LXVI ELEAZARUS CUM OCTO FILIIS, DISCIPULUS SANCTI PETRI, PRIUS TOLETANUS ARCHISYNAGOGUS, IN JERUSALEM AB ILLO CONVERSUS, FUIT MARTYR. Lugdunum Convenarum, ex quo everſo urbs excitata eſt, cui hodie nomen à ſancto Bertrando, ad radices Pyrenæorum ſitum eſt, ut proinde Julianus Eleazarum ſanctis Hiſpanis annumeret. Quo ſuppoſito, tempus martyrii S. Eleazari liquidum eſt, & ad eum pertinuiſſe filios octo, de quibus agunt ſacræ tabulæ, fit extra dubium. Ipſe tamen ſanctus Eleazarus cum octo filiis Lugduno Celtarum ſubducitur; quòd tamen præter Julianum nemo, quem viderim, ac ne ipſe quidem Flavius Dexter, quantumvis pro augendis Hiſpaniæ decoribus ſolicitiſſimus, ſanctum Eleazarum ac filios Lugduno quondam Hiſpanienſi tranſcribat, ſed omnes Lugduno ſimpliciter dicto ſive Celtico hos Cælites addicant, ibique jam olim peculiarem cultum tamquam indigenæ obtineant, adhuc hæreo. F

ab Hiſpanis quibuſdam fabulatoribus. 10 *Non immeritò Raynaudus hîc hæret, & de veritate memorati teſtimonii dubitat. Sed non diu hæſiſſet, ſi noviſſet impoſtorem ejuſque adjutores, qui ſub nomine Juliani aliorumque veterum auctorum, innumeras fabulas incautis lectoribus obtruſerunt. Non diu hæſiſſet, inquam, ſi legere potuiſſet Bibliothecam veterem Hiſpanam Nicolai Antonii, qui lib.* 7 *iſtius Operis cap.* 9, *ſive tomo* 2 *pag.* 29 *præter alia manifeſta ſuppoſitionis argumenta nominatim huic pſeudo-Juliano*

A *liano ſequentes accuſationes jure impingit:* Sanctis, quorum ignoratur natalis locus, Hiſpanos natales temere aſſerit; atque item æquivoco uſus, aſſignata his martyrii loca in Martyrologiis, cum Hiſpaniæ aliis eadem facit. Eumdem æquivocationis ludum in locis ludens, peregrè facta quæque in Hiſpania contigiſſe, ridiculo auſu ſcribit. *Videtur itaque Raynaudus has impoſtorum fraudes ignoraſſe aut ſaltem non ſatis perſpectas habuiſſe. Vix operæ pretium eſt has ſimileſque pſeudo-Juliani fabulas refellere, quas eruditi jam paſſim norunt ac contemnunt. Ne quis tamen cum multiſcio iſto viro propter impudentem fabulatorum confidentiam dubius hæreat, paragrapho ſequente hanc ipſam fallaciam ex Hiſpanis ſcriptoribus detegemus.*

§ II. Nonnulla, quæ pſeudo-ſcriptores Hiſpani de his Martyribus finxerunt, & quomodo tempus ac palæſtram martyrii mutaverint.

B

Lugdunum Convenarum diſtinguitur

JAm *ſuperiùs ex Raynaudo retulimus, hos Martyres à pſeudo-Juliano* Lugduni in Convenis *ad hanc diem annuntiari. Baudrandus tomo* I *Geographiæ ſuæ ſitum & viciſſitudinem hujus civitatis deſcribit hoc modo:* Lugdunum Convenarum urbis Galliæ in Aquitania ad montium Pyrenæorum radices, in Convenenſi tractu; unde dicitur etiam Convenæ; exciſa fuit à Francis ſub rege Guntchramno anno DLXXXIV, & in ejus ruinis excitata fuit urbs à ſancto Bertrando anno MC; unde nomen recens S. BERTRAND, fanum S. Bertrandi, eſtque epiſcopalis ſub archiepiſcopo Auſcitano. Sedet in colle ad Garumnam fluvium in confinio Aragoniæ, teſte Petro de Marca. Dicitur etiam à quibuſdam SAINT BERTRAND DE COMINGES, & diſtat ſedecim millibus paſſuum ab Aquis Convenarum, ut conſtat ex Itinerario Antonini, quindecim leucis à Toloſa in occaſum hybernum, undecim ab Auſciis in Auſtrum, & quinque à Conſoranis in Occaſum. Ab aliis vocatur Lugdunum Aquitaniæ. *Plura de hac civitate apud Valeſium in Notitia Galliarum pag.* 157, *& apud editores noviſſimos Galliæ Chriſtianæ tomo* I *col.* 1089 *& ſequentibus videri poſſunt.*

C

à Lugduno Celtarum,

12 *Baudrandus autem aliud Galliæ Lugdunum, quod interdum* Lugdunum Seguſianorum *vel* Celtarum *cognominatur ad diſtinctionem, deſcribit ibidem his verbis:* Lugdunum, urbs Seguſianorum in Gallia Celtica, quæ ab ipſa Lugdunenſis dicta fuit Straboni, Plinio, Antonino & aliis, à Munatio Planco condita ſub Auguſto, & ſic vocata veteri Gallorum linguâ, quaſi MONTIS CORVUS, ut exiſtimant. LUGDUNUM CELTARUM dicta fuit etiam, & LUGDUNUM SEGUSIANORUM ad aliarum urbium hujus nominis differentiam, nunc vulgo LYON incolis, ... urbs Galliæ celeberrima & ampliſſima, archiepiſcopalis & permunita, Lugdunenſis provinciæ ab ea dictæ caput, emporiumque clariſſimum ad montium radices in ipſo limite provinciarum Breſſiæ & Delphinatûs, à qua ultima ſeparatur tantùm Rhodano fluvio, qui ad ipſam ponte trajicitur lapideo oblongo, & juxta & infra recipit Ararim fluvium, qui per hanc urbem labitur, &

in ea jungitur tribus pontibus *&c. Ex his diſcrimen utriuſque iſtius civitatis Gallicæ ſatis manifeſtum eſt.* AUCTORE G. C.

13 *Cum pſeudo-Julianus adverteret, in Martyrologiis paſſim* S. Eleazarum *cum octo filiis Lugduni ſimpliciter annuntiari, ex hac æquivoca martyrii palæſtra arripuit occaſionem collocandi Sanctos illos Lugduni Convenarum, ut eos Hiſpaniæ ſaltem viciniores redderet. Inſuper eoſdem ex urbe Toletana oriundos finxit, ut patriam ſuam hoc commentitio ſplendore illuſtraret. Hinc fidelis ipſius ſectator Joannes Tamayus de Salazar in Martyrologio ſuo Hiſpanico ad diem* XXIII *Auguſti, præmiſſa magnifica horum Martyrum annuntiatione, notas ſuas ita exorditur:* Celebre in omnibus ſeculis fuit nomen eorum in Gallia; ſed celebrius erit in poſterum in Hiſpania. Ibidem, quia Lugduni famigerata Convenarum urbe, Celticis ſita populis, tantorum Martyrum paſſio; iſthinc, quia Toleto regia civitate, Carpetanorum capite, feliciſſima origo. Illorum memoriam repetunt omnia ferè Martyrologia, Bedæ, Uſuardi, Adonis, & recentiorum. *Deinde plurimos hagiologos, tamquam opinioni ſuæ faventis, confidenter citat, cum tamen nulli de Lugduno Convenarum & Toletana horum Matyrum origine meminerint, ſi paucos recentiores Hiſpanos ab impoſtoribus hujuſmodi deceptos excipias.* *& Tamayus in priori urbe hos Martyres collocans,*

E

14 *Sed hic imprudens pſeudo-Juliani diſcipulus poſtea ſecum pugnat, & incautè magiſtrum ſuum prodit, dum Acta* S. Eleazari *terminat his perbis:* Hinc [Eleazarus] Hiſpaniam & Toletum reverſus, quia adhuc Phariſaïca perſecutionis reſpirabat procella, filios octo quos habebat, ſacris laticibus tinxit, & Romam aggredi deſiderans cum prole Petrum viſurus, per Gallias tranſiens & Lugdunum Celtarum ingrediens, cum Chriſtum verum Deum ediceret, à gentilibus tentus, & variis cruciatibus expoſitus, tandem in fide conſtans, unà cum filiis ad martyrii coronam celebris & ſtrenuus Agoniſta pervenit x Kalendas Septembris, anno Domini LXVI: quorum corpora poſt aliquot ſecula inventa in crypta ſancti Irenæi, ibidem adhuc aſſervantur, & debito venerationis coluntur obſequio. *Tamayus hoc loco palæſtram martyrii, quam antea* Lugdunum Convenarum *appellaverat, jam* Lugdunum Celtarum *cognominat, & conſequenter aſſerit,* S. Eleazarum *cum filiis paſſum eſſe in celeberrima illa Galliæ civitate, quam ſuperiùs num.* 12 *ex Baudrando aſſignavimus. Igitur hîc ſibi ipſi turpiter contradicit, aut duas diverſas Galliæ civitates imperitè confundit.* *ſibi non conſtat,*

F

15 *Præterea Tamayus hîc meminit de* crypta ſancti Irenæi, *quæ certè Lugduno Celtarum vel Seguſianorum vicina eſt, & in qua corpora horum Martyrum inventa eſſe ac etiamnum conſervari affirmat. Videtur itaque ſorex indicio ſuo hîc periiſſe, ut proverbii loco dici ſolet. Unde eruditus Nicolaus Antonius in Mss. poſthumis, quæ reverendus admodum ac ampliſſimus D. Adrianus Connink, auctoris conſanguineus, nobis Matriti circa finem anni* 1721 *benevolè tranſcribenda conceſſit, contra pſeudo-Julianum ac Tamayum ſic diſſerit:* Planè Eleazarum hunc XXIII Auguſti unà cum Minervio & octo filiis Lugduni in Gallia martyrem laudant veteres ac recentiores à Joanne Tamayo collecti, qui tamen differentiâ inſuper habitâ, quam inter Lugdunum Seguſianorum ſive Celtarum, Galliæ Lugdunenſis caput (hodie LYON) ad Rhodanum, *ut argumentis quibuſdam probatur.*

AUCTORE G. C.

& Lugdunum Convenarum in Aquitania & prope Hiſpaniam & Pyrenæos montes, SAINT BERTRAND DE COMENGE hodie dictum agnoſcunt, omnes Lugduno Celtarum, non Convenarum, invito Juliano, adſcribunt martyrem; quem quidem Lugdunum ampliſſima urbs LYON inter plures alios ſuum agnoſcit, conſpirantibus iis, qui apud Lugdunum Galliæ paſſos Martyres (quod de præcipua hujus nominis urbe intelligi debet) affirmant Ado, Uſuardus, auctor Martyrologii Franco-Galliæ, Equilinus, Galeſinius, Maurolycus, Lubinus, exteri & Galli, quique de Sanctis ſcripſerunt, Sauſſayus in Gallia, Raynaudus in Lugduni Sanctis ſive Indiculo ſanctorum Lugdunenſium. Et apud Adonem ſignatè notatum legimus: QUORUM CORPORA IN CRYPTA, QUÆ URBI AB OCCIDENTE IMMINET, CONDITA HABENTUR. Quod de crypta ſancti Irenæi vocata intelligunt Raynaudus & Florentinius, *quibus ego ipſum Tamayum ſuperius adjunxi.*

Inſuper originem Hiſpanicam,

16 *Nunc patienter audiamus fictitia eorumdem Martyrum Acta, quæ pſeudo-Julianus ſparſim inſeruit ſuis Adverſariis, ex quibus Tamayus ea ſimul refert in hunc modum:* Eleazarus ex Hebræa gente, quam Nabuc-Zerdam ſeu Pyrhus Nabuccodonoſſoris Babyloniæ regis dux Hiſpanias traxerat, oriundus, cujus atavi ad Toletum celebrem Hiſpaniæ urbem & Carpetaniæ primariam ſiſtentes, ibidem ſynagogam Iberiæ maximam conſtruxere, quæ, ut moris erat, continuò apud Jeroſolymam procuratorem, qui omnia à pontificibus illius legis decreta & ordinata ad ceterarum ſynagogarum gubernationem emitteret, habebat. Ergo Eleazarus urbe Toletana natus, & ejus ſynagogæ ſacerdos, omnium Hebræorum conſilio ad archiſynagogi ſeu procuratoris in Jeroſolyma conſiſtentis apicem evectus, muneris penſum obire cœpit eo tempore, quo Chriſtus Dominus per Judæam & Samariam ſalutis oſtia reſerabat æternæ; cujus inculpabilem vitam cognoſcens, cujus mirabilia opera plaudens, cujus prodigia recogitans & verba ſalutaria demirans, in animo concipere, illum futurum veritatis antiſtitem & univerſæ gentis ſalvatorem, dubio procul occepit. Hinc etiam meditabatur, quanta eſſet principum ſuorum invidia, qua Chriſtum inſectari, ejus opera invidere, & ad mortem uſque protrahere deſtinaſſent.

ſuppoſitias literas,

17 Igitur per ſcribas & phariſæos de Chriſti morte conſilium cum cognoſceret Eleazarus, ne Toletana in illorum decreto ſynagoga, cujus vices gerebat, inconſulta peccaret, hanc illi literam præmiſit: " Eleazar archiſynagogus gentis Hiſpanæ in Jeruſalem, & ſeniores ejus, Levi archiſynagogo Toletano, Samueli & Joſepho ſenioribus ſalutem in Domino Iſraël. Fratres ſcitote, hîc prædicare virum bonum, nomine Jeſum Chriſtum, Nazarenum, qui facit multa miracula, ſuſcitat mortuos, ſanat leproſos, cæcis viſum, claudis greſſum, paralyticis membrorum uſum præſtat. Eſt homo benefaciens, humilis, benignus, miſericors & gravis; formoſus præ filiis hominum, & gratioſus in ſermone, potens in opere, in omnibus ſupra reliquos homines, & apud multos habetur ut Meſſias. Joannes Zachariæ filius illum monſtravit digito dicens: ECCE AGNUS DEI. Nos in mortem ejus, quam illi Annas & Cayphas principes ſacerdotum machinaverunt, conſentire noluimus, & admonemus, ne vos aut alii conſentiant ex Hiſpanis duodecim tribuum, quæ ibi quidem ſolùm ſunt; memores, cum Aman majores noſtros jam in Hiſpaniam delatos, & alios aliarum provinciarum Judæos juſſit ſuſpendi, Deo ordinante, ex furca, quam præpararat patri noſtro Mardochæo, illum ſuſpenſum fuiſſe".

& alia geſta S. Eleazaro affingit

18 Hanc cum reciperet epiſtolam ſynagoga Toletana, protinus ad Samuëlem, Annam & Caypham præcipuos de Chriſti morte adminiſtros, reſponſionem dirigere decreverunt, qua illos ab incepto errore diſſuadere conantur, pluribus relatis circumſtantiis, quibus Jeſum verum eſſe Meſſiam interpretabantur. Sed cùm invidia illorum corda obduraſſet, haud aliquid valuit apud æmulos Toletanorum ſpecifica contradictio. Tandem poſt Chriſti Domini mortem alia adverſus ejus diſcipulos perſecutio Jeroſolymis eſt exorta, qua omnes ab urbe profugi Samariæ, Judeæ, Palæſtinæ & aliarum provinciarum orbis civitates in refugium ingredi decreverunt. Sed principum ſacerdotum Jeroſolymorum furor adeo excanduit adverſus eos, quòd epiſtolas ad omnes ſynagogas orbis præmitteret, quibus præcipitur, ne diſcipulos Crucifixi ullatenus recipiant; imò illos à ſuorum conſortio ferociùs expellant. Quorum decretum cum agnoviſſet Eleazarus, iterum ſuis reſcripſit, haudquaquam obedirent canoni ſynagogæ Jeroſolymitanæ, ſed diſcipulos Chriſti admittendos & honorandos diſſeruit, maximè Jacobum, tamquam ad prædicationem illius provinciæ apoſtolum deſtinatum.

ſecutus pſeudo-Julianum,

19 Poſt hæc cum beatus Petrus Apoſtolorum princeps ſermonem de Chriſti divinitate coram populis & gentibus inſtrueret, inter alios, quos ad fidei confeſſionem attraxit, Eleazarus conſignatur, qui ab ipſo Apoſtolo de fide edoctus, etiam fuit ablutus aquis protinus ſalutaribus, & illi adhærens, inter ejus diſcipulos fuit merito conſignatus. *Deinde Tamayus narrat, quomodo* S. Eleazarus *cum filiis in Hiſpaniam redierit, & inde Romam profecturus ab ethnicis Lugduni in Gallia comprehenſus fuerit, ac ibidem pro Chriſto martyrium ſubierit, ut ſuprà retulimus. Hæc autem omnia figmenta adornavit ex ſuo pſeudo-Juliano, qui in Adverſariis num. 9 & 10 inter alia ſic fabulatur:* Judæorum Hiſpanorum ſynagoga, quæ erat Hieroſolymæ, non conſenſit morti Chriſti, nec fuit cum illis, qui petierunt Pilatum, ut occideretur; quin defenderat Jeſum, ut patet ex euangelio Nicodemi. Iidem petierunt à Petro, ut mitteret Jacobum ad ſuos. Hujus gentis & ſynagogæ tranſtuli in Latinum & Arabicum epiſtolam, quam miſerat ex Jeruſalem ad Toletanos Judæos, quæ incipit: ELEAZAR ARCHISYNAGOGUS GENTIS HISPANÆ.

cujus vana auctoritate fretus,

20 *Tamayus hoc oraculo fretus in iiſdem notis ita gloriatur:* Multa in his Actis & illuſtria prorſus involvuntur Hiſpanicæ antiquitatis monimenta, quorum illuſtrationem ferè omnis tam noſtratum quam exterorum efflagitat eruditio. *Verùm Nicolaus Antonius hanc glorioſam nonnihil minuit, dum in ſupradictis Mss. poſthumis reſpondet hoc modo:* Plura ex his locis Hiſpaniæ decora procedere jactat Joannes Tamayus; adventum Hebræorum ſcilicet in Hiſpaniam antiquiſſimum, cujus aſſertores olim & à Juliano deceptos jam confudit ſolidiſſimo de hac re commentario excellentiſſimus Mondexarenſis Marchio, ubi & incolatum eorum cùm Toleti (quem neſcio quare tam antiquis radicibus infixum ei fuiſſe urbi prætendunt Toletophili) tum in

A in locis aliis, quorum ab eorumdem Hebræorum lingua nomenclaturam derivant, non niſi ab Hadriani tempore, aut forſan ab ingreſſu Maurorum in Hiſpanias deduci poſſe, cetera de his mutuis epiſtolis Toletanorum & Hieroſolymitanorum ſub Chriſti triumphum ſcriptis litteris ficulna eſſe ſomnia confirmat. *Conſulat itaque commentarium Marchionis Mondexarenſis, ſi quis hæc ſomnia operoſiùs exploſa legere deſideret.*

& levi nominis ſimilitudine nixus;

21 *Ceterùm tota hæc fabella nititur ſolo nomine cujuſdam Eleazari, quem pſeudo-Julianus apud Clementem lib. 3 Recognitionum num. 68 inter diſcipulos S. Petri numerari legerat. At eodem fundamento alios, quorum nomina ibidem leguntur, ex Hiſpania oriundos aſſerere poterat, ſi nomini eorum ſimilem hiſtoriam addidiſſet, aut potius affinxiſſet. Quod ſi nomen Eleazari ad hanc fabulam contexendam requirebatur, tantùm inſpicere oportebat Antiquitates Judaïcas Flavii Joſephi vel Annales eccleſiaſticos eminentiſſimi Baronii, ubi invenire eſt diverſos Eleazaros, qui primo Chriſti ſeculo floruerunt, & quos etiam pſeudo-Julianus ex Hi-*

B *ſpania oriundos ac martyres dicere potuiſſet, ſi nomen eorum ſimilibus epiſodiis hiſtoricis exornaſſet. Oſtendant itaque nobis pertinaces pſeudo-Juliani & ſimilium fabulatorum defenſores, ubi umquam in genuino quodam antiquitatis inſtrumento de S. Eleazaro & octo filiis martyribus Lugdunenſibus invenerint fictitias illas hiſtoriæ circumſtantias, quas jam retulimus.*

arroganter inſultat ſcriptoribus Gallis,

22 *Attamen Tamayus ſola nominis ſimilitudine confiſus (alia enim omnia adjuncta non niſi apud pſeudo-Julianum reperire potuit) in iiſdem notis ſcriptores Gallos arroganter redarguit his verbis:* Hinc etiam annum agonis ſancti Martyris & filiorum ex ipſo textu Juliani percipies, & quàm vafrè ſcriptores Gallos errare cognoſces, qui dicunt temporibus Photini & Irenæi Eleazarum & filios agonizaſſe, ut inquit Sauſſayus in Martyrologio Gallicano fol. 541, ut etiam notavit Theophilus Raynaudus in Indiculo Sanctorum Lugdunenſium fol. 214; imò & ipſe hallucinatur, qui Martyrum paſſionem ad annum Domini CLXXIX rejicit. Quibus varietatibus exploſis, jam Lugdunenſes ulteriùs annum paſſionis ſuorum Martyrum percipient. *Etiam confidenter exteris obtrudit epiſtolam reſponſoriam ſynagogæ Toletanæ ad principes ſynagogæ Hieroſolymitanæ, quam fabulator quiſpiam corrupto idiomate Hiſpanico compoſuit, & ex cerebro ſuo fabricavit.* AUCTORE G. C.

dum interim ab eruditis Hiſpanis exploditur.

23 *Nobis nec lubet nec vacat operoſiùs refutare ſingulas has nugas, quibus referendis jam inde nimis diu immorati ſumus, cum præſertim temerariam illam Tamayi confidentiam ſatis repreſſerit eminentiſſimus Cardinalis Aguirrius, dum in Collectione maxima conciliorum Hiſpaniæ tomo 1 pag. 322 de ſcriptis ejus tale tulit judicium:* Ex iis turbidis & feculentis lacunis Joannes Tamayus de Salazar nimia credulitate, & criſi nulla, delibavit, aut potius coacervavit figmenta innumera, iiſque implevit ſex illos tomos ſui Martyrologii Hiſpani, à vulgo & ſemidoctis receptos cum ingenti plauſu; ſed ſtomachum ac bilem moventes eruditiſſimis quibuſque E Hiſpanis & exteris. Nec contentus Tamayus aliena commenta ſuis ſcriptis inſerere, adjecit è ſuo plurima tertio quoque verbo, ac præſertim carmina inſulſiſſima, & nec grammatices nec poëſeos leges ſervantia, tamquam olim à Maximo aliiſque viris graviſſimis ſcripta, quæ tamen partim ab ipſo Tamayo, partim ab aliis convictoribus ejus in domo illuſtriſſimi D. Didaci de Arce Reynoſo, Inquiſitoris generalis Hiſpaniarum, abſque ullo genio aut ſale compoſita fuerunt. *Non inſtituiſſem tam longam digreſſionem, niſi ſuperiùs obſervaſſem, Theophilum Raynaudum noſtrum, virum doctum ac minimè credulum, ad has audaces pſeudo-Juliani fictiones attonitum hæſiſſe, & quaſi de vera Martyrum noſtrorum palæſtra dubitaſſe.*

DE SS. QUIRIACO EPISCOPO, MAXIMO PRESBYTERO, ARCHELAO DIACONO, ET SOCIIS MARTYRIBUS,

APUD OSTIA TIBERINA.

C F

Cultus ex Martyrologiis, ſocii, tempus, Acta, & Archelai tranſlatio. J. P.

CIRCA MEDIUM SECULI III.

Indicantur Faſti ſacri, in quibus habentur hi Martyres:

Larior eſt horum Sanctorum memoria in multis Faſtis ſacris, quam hiſtorica martyrii eorum narratio, uti poſtea videbimus, quando ipſorum Acta examinabimus. Primò itaque producamus Martyrologia aliquot, in quibus memorantur. Martyrologium à Florentinio vulgatum ſic habet: In Hoſtia natalis ſanctorum Quiriaci, & Arcilai. *Romanum vetus ſeu parvum:* Romæ, Hippolyti, Quiriaci, & Archillai. *Ado:* In Portu urbis Romæ, natalis ſancti Hippolyti, Quiriaci, & Archillai. *Adoni adde Uſuardum, qui tres iſtos Sanctos eidem loco attribuit. Inter Martyrologia Hieronymiana contracta, quæ à nobis edita ſunt, habetur in Rhinovienſi ac Richenovienſi ſolus* Cyriacus *cum duobus aliis, hoc modo:* Romæ, Cyriaci, Abundi,

AUCTORE J. P.

di, Innocenti. *In Richenovienſi tamen ſcribitur* Abundii, Innocentii: *de quibus hac etiam die ſeorſim agimus. De* S. Hippolyto *ſuperiùs annuntiato conſule diem heſternum. Hodiernos verò ita refert Martyrologium Romanum modernum:* Apud Oſtia Tiberina ſanctorum martyrum Quiriaci epiſcopi, Maximi presbyteri, Archelai diaconi, & ſociorum, qui ſub Ulpiano præfecto tempore Alexandri paſſi ſunt.

de eorum ſociis,

2 *Longus porrò* ſociorum, *quorum in Romano non exprimuntur nomina, manipulus nominatur in Actis, ſive eorum compendio apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ hac die, quod producit* ex geſtis & Paſſione S. Aureæ virginis: *de qua erit agendi locus cum eodem Martyrologio Romano ad diem proximè ſequentem; ita tamen, ut quædam hìc etiam in anteceſſum ſimus notaturi, quoad in rem præſentem erit ſatis. Porrò* hujus Maximi & Archelai corpora Parmæ in templo cathedrali aſſervantur, ut tabulæ ejuſdem eccleſiæ indicant, *inquit Ferrarius idem in Annotatione:* Quiriaci *autem &* Aureæ virg. *hiſce adduntur apud Ughellum tomo 2 Italiæ ſacræ, columnâ 142 editionis noviſſimæ Venetæ.*

B *Jam verò lectoris intereſt, ut paucis eum inſtruamus de Actis, è quibus tres Pugiles noſtri, ſuperiùs à nobis in titulo nominati, deſumpti ſunt à Baronio, reliquis ſub generico* ſociorum *titulo, non addito eorum nomine, annuntiatis: quam Martyrologii Romani annuntiationem ſequi etiam nobis viſum eſt: propterea quòd iſtius Sanctæ Acta, è quibus plurimorum ſociorum nomina accepit Ferrarius, parvæ ſunt auctoritatis, ſicut patebit die, quo examinabuntur, vigeſimâ quartâ hujus menſis, dicente Baronio ad annum 229, num. 7, quòd* mendis plena in multis eſſent reſtituenda.

ac tempore.

3 *Baronius in notis hodiernis ad Martyrologium ſuum, ad* Quiriacum epiſcopum & ſocios *ſic obſervat:* Horum res geſtæ narrantur in Actis S. Aureæ, ubi legitur, hos paſſos eſſe temporibus Hippolyti Portuenſis epiſcopi, quem diximus Alexandro imperatore conſummaſſe martyrium: unde corrigendi ſunt, qui hos paſſos temporibus Probi imperatoris anno Domini ccxxxv tradunt. *Verùm conſuli poſſunt ea, quæ heri in Commentario hiſtorico-critico S. Hippolyti*

C *§ 2 de veroſimili ejus ætate ſunt diſputata. Interim noſtros Martyres ſuperiùs alligavimus circa medium ſeculi tertii, cùm ſpectent ad idem tempus, quo paſſus fuit probabiliùs S. Hippolytus. Sed ſi hiſce alia ſuperaddenda ſint de tempore, poterit eorum ratio haberi die craſtina, quando de Actis S. Aureæ tractabitur. Interim ſequens compendium accipe è Ferrario.*

Martyrii compendium

4 Quiriacus epiſcopus, Maximus presbyter, D & Archelaus diaconus unà cum Euſebio & Concordio presbyteris Oſtiæ orationibus vacantes mira circa infirmos operabantur, quo tempore S. Hippolytus epiſcopus Portuenſis paſſus eſt, & Aurea virgo Oſtiæ relegata fuerat. Nam dæmones ab obſeſſis corporibus expellebant, cæcos ad lumen revocabant: ægros & languidos à variis morbis liberabant. Cùm Maximus & Archelaus quadam die ad Cenſorinum, qui primas apud Ulpianum obtinebat, ob fidem Chriſti in carcere detentum, viſitandum veniſſent, in ipſo carceris ingreſſu catenæ omnes, quibus Cenſorinus conſtrictus fuerat, repentè ſponte ſua ceciderunt. Quo miraculo Theodotus tribunus, & Felix, Maximus, Taurinus, Herculanus, Hiberius, Storacinus, Mennas, Commodus, Hermes, Maurus, Euſebius, Ruſticus, Monaſius, Amandinus, Olympius, & Cyprius milites carceris cuſtodes ad Chriſtum converſi, poſt triduanum jejunium aquis ſalutaribus expiati ſunt, & à Quiriaco in fide confirmati, ſacratiſſimo Chriſti corpore refecti.

ex Ferrario.

5 Cùm verò Quiriacus cum ſociis multis Chriſtianis comitatus illam * tranſiret, ubi Fauſtinus puer duodennis, ſartoris filius, defunctus jacebat, patris lacrymis permotus, oratione illum ad vitam revocavit. His ad Ulpianum præfectum delatis, Ulpium vicarium Oſtiam miſit: qui Chriſtianos diis immolare recuſantes diverſo pœnarum genere interficeret. Is itaque omnibus comprehenſis, ac fruſtra minis à fide Chriſti deterritis, Maximum, Archelaum, Cenſorinum, Fauſtinum cum ejus patre, Theodorum tribunum cum militibus ſuprà memoratis, nudatos fuſtibus cædi, ac Deo gratias agentes capite plecti: Quiriacum verò in carcere necari præcepit x Cal. Sept. Quorum corpora Euſebius presbyter diverſis in locis ſepelienda curavit.

* *l.* illàc E

Corpus S. Archelai Cremonam tranſlatum.

6 *Lando epiſcopus Cremonenſis ſeculo nono dicitur tranſtuliſſe corpus* S. Archelai, *ut refert Ughellus tomo 4 Italiæ ſacræ columnâ 584 editionis noviſſimæ, ubi hæc ſunt:* E portu Romano detulit Cremonam corpus S. Achillei *(ſic ibi vocatur)* illius, qui olim paſſus martyrium fuerat cum SS. Hippolyto atque Quiritio XXIII Auguſti ſub Alexandro imperatore, condiditque ſub confeſſione. *Quid verò ſit* confeſſio, *multis exponitur in Hierolexico, à fratribus Macris edito, à pag. 179. Landus Benedicto ſucceſſiſſe anno 876 apud Ugellum ſcribitur; ſed corrigitur in nota, ubi anno 877 adhuc vixiſſe Benedictum, invenies ex Harduino: quem vide tomo 6 Conciliorum col. 191.*

F

D E

A D

DE SS. CLAUDIO, ASTERIO, NEONE, DOMNINA ET THEONILLA MARTYRIBUS,

ÆGIS IN CILICIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. G. C.

§. I. Horum Martyrum palæstra, patria, & antiqua eorumdem memoria in Martyrologiis Latinis & Græcis.

ANNO CCLXXXV. *Hi Martyres passi sunt Ægis,* B

ÆGæ *vel* Ægææ *quibusdam dissyllabum, aliis trisyllabum nomen, Græcè* Αἰγαὶ *&* Αἰγαῖαι, *apud antiquos plerosque topographos plurali numero inflectitur, quantumvis à quibusdam* Αἰγαῖα, *id est* Ægæa *singulariter nominetur. In Oriente diversa sunt hujus ferè nominis oppida, quæ Stephanus in Opusculo De urbibus, & Christophorus Cellarius in Notitia orbis antiqui ex veteribus cosmographis assignant. At* Ægæ *vel* Ægææ, *de quibus hîc agitur, olim fuit episcopalis urbs Ciliciæ sub metropolita Anazarbeno, quemadmodum illustrissimus Carolus à sancto Paulo in Geographia sacra, cum notis & animadversionibus Holstenii anno* 1704 *recusa, pag.* 289 *affirmat. In hac civitate fortissimi Athletæ, quos in titulo nominavimus, luculentum Christianæ constantiæ documentum dederunt, & prope illam vel in ipsa feliciter agonem suum consummarunt, ut ex Actis eorum fide dignissimis infrà manifestum fiet.*

Licèt aliqui assignent

2 *Quapropter summopere miramur, Simeonem Metaphrastem in Actis S. Zenobii & ejus sororis apud Surium die* XXX *Octobris de Martyribus nostris scripsisse sequentia :* Tam imperii quam furoris in Christianos relictus est hæres Diocletianus; statim autem Lysiam præfecit Ciliciæ, qui & ad cruciandum erat violentissimus, C & ad alliciendum blanditiis maxima vi præditus. Ille autem cum venisset ad Mopsi urbem, excitat persecutionem adversus Christianos, eamque gravissimam & maximè horribilem. Tres autem numero adolescentes Claudius, Asterius & Neon fuerunt etiam exerciti in ea persecutione; quos quidem tulit Isauria, Larandus autem exercuit: ii enim à Lysia vehementibus & multis subjecti cruciatibus, in crucem acti extra muros subierunt mortem maleficorum; eorum autem corpora projecta sunt devoranda à feris & volucribus.

alias urbes,

3 *Metaphrastes hoc loquendi modo innuit, tres istos Pugiles nostros in Isauria natos esse, & non procul ab urbe Larandæorum post varia tormentorum genera, ibidem invicto animo tolerata, martyrium subiisse. Sed in assignanda illa martyrii palæstra certè fallitur, cum ex proconsularibus horum Martyrum Actis aliisque antiquis Græcorum ac Latinorum monumentis constet, illos Ægis in Cilicia passos fuisse. Larandus autem, vel potius Laranda, à quibusdam geographis adscribitur Lycaoniæ, vel ab aliis dubiè collocatur in Pisidiæ ac Isauriæ confinio, quod Lycaoniam simul attingit, ut apud citatum Cellarium in Notitia orbis antiqui tomo* 2 *lib.* 3 *cap.* 4, *sive pag.* 123 *videre est. Neque majorem fidem meretur opinio quorumdam Græcorum, qui in Menologio Basilii imperatoris tradunt, hos tres Fratres è Cilicia venisse Mopsuestiam, ut ab injusta noverca hereditatem paternam repeterent, ibique ab ipsa accusatos fuisse tamquam Christianos, eosque à præfecto propterea comprehensos, ibidem varia tormenta ac denique mortem subiisse : quamvis enim Mopsuestia sit urbs Ciliciæ, tamen hæc nova martyrii palæstra ex Actis huic Commentario prævio subnectendis abundè refutabitur.* E

& in Ciliciæ nati videntur.

4 *Quod verò attinet ad patriam horum trium Fratrum, nescimus, quo fundamento Metaphrastes illam Isauriam dixerit. Imò verisimiliùs ex Cilicia oriundi fuerunt, quandoquidem Ægis vel Ægæis in Cilicia accusati, ab Ægensi magistratu comprehensi & usque ad proconsulis adventum in carcere detenti sunt, ut patet ex initio Actorum, quod in quibusdam exemplaribus & apud eminentissimum Baronium in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 285 *num.* 4 *sic sonat :* Delati sunt ad judicem à noverca Claudius, Asterius & Neon, quod essent Christiani, deos injuriâ afficientes, atque etiam Donuina & Theonilla ejusdem criminis reæ sunt constitutæ; omnesque vincti in carcerem trusi sunt usque ad adventum proconsulis Lysiæ. Cum F autem proconsul circumiret provinciam, factum est, ut perveniret Ægæam, ubi sedens pro tribunali dixit : Adducantur examini meo Christiani, qui hujus urbis magistratui traditi sunt ab officio. *Lector ergo videt, illos Martyres comprehensos fuisse Ægæis, in qua civitate verosimiliter orti & educati fuerant. Hæc de vera martyrii palæstra & probabiliore trium Fratrum patria sufficiant, ut ad immemorabilem eorum cultum probandum progrediamur.*

Vetera quædam Martyrologia die XXIII *Augusti*

5 *Nostri Martyres hac die memorantur in antiquissimis Martyrologii Hieronymiani exemplaribus, quorum una annuntiatio magis quam altera luxata est, ut ex ipsa textuum relatione mox in oculos incurret. Apographum Lucense apud Florentinium die* XXIII *Augusti sic habet :* In provincia Liciæ natalis sanctorum Egias, Claudi, Steri, Neonis. *At Corbeiense paulò emendatiùs ita sonat :* In provincia Ciliciæ natalis sanctorum Agiæ, Claudi, Asterii, Neonis, Domnini cum sociis eorum. *Denique vetustissimus S. Wil-*

AUCTORE G. C.

S. Willibrordi codex eoſdem Martyres adhuc clariùs annuntiat his verbis: In provincia Cicilia, civitate Egas, Claudi, Aſterii, Neonis, Domninæ. *Florus apud nos ante tomum ſecundum Martii pag.* XXIX *omittit* Domninam, *& tantùm tres Fratres ita memorat:* In civitate Egeas paſſio ſanctorum Claudii, Aſterii, Neonis, qui ſub Lyſia præſide crucifixi ſunt.

his tribus Fratribus addunt duas mulieres

6 *Nuſquam hîc fit mentio de* S. Theonilla, *quam tamen Uſuardus in autographo San-Germanenſi correcto (in aliis exemplaribus Martyrologii Uſuardi tantummodo tres recenſentur)* S. Domninæ *adjunxiſſe dicitur hoc modo:* Apud Liciam civitate Egea ſanctorum martyrum Claudii, Aſterii, Neonis, Domninæ & Theonillæ, qui ſub Liſia præſide variis pœnis excruciati atque interempti ſunt. *Quamvis auctor hodierni Martyrologii Romani videatur ſuam annuntiationem ex Uſuardo deſumpſiſſe, tamen rectè* Liciam *in* Ciliciam *commutavit, & hos quinque Martyres eadem die ſic recenſuit:* Ægeæ in Cilicia ſanctorum martyrum Claudii, Aſterii, & Neonis fratrum, qui Chriſtianæ religionis à noverca accuſati, ſub Diocletiano imperatore & Lyſia præſide poſt acerba tormenta cruci affixi, victores cum Chriſto triumpharunt. Paſſæ ſunt poſt eos Donuina & Theonilla. *Quod hîc de noverca trium Fratrum memoratur, haud dubie ex Græcis vel etiam Latinis quibuſdam Actorum exemplaribus acceptum eſt, ut ex ſupra dictis colligi poteſt, & ex infrà dicendis confirmabitur.*

B

eadem die paſſas,

7 *Rabanus Uſuardum ſecutus* Lyciam *pro* Cilicia *retinuit, & decimo Kalendas Septembris in ſuo Martyrologio breve Actorum compendium exhibet his verbis:* Paſſio trium Fratrum ſub Lyſia præſide, in provincia Lycia, civitate Ægea, hoc eſt Claudii, Aſterii, Neonis, quos ſingillatim præſes torqueri præcepit, primùm Claudium equuleo ſuſpendi, flammas pedibus ex parte laniatis adhiberi, teſta acutiſſima & candela ardente latera ejus aduri; Aſterium verò fratrem ejus ſimiliter juſſit in equuleo ſuſpendi, carbones ardentes ſub pedibus ejus ſubſterni; tertium fratrem ejus, hoc eſt Neonem juſſit in cervice torqueri, carbonis * ſupermitti, & nervis dorſum ejus cædere. Mulieres autem, hoc eſt Domninam & Theonillam, projicere in terram, & alapis eas cædi & capita tondi *, & ſic carbonibus ſuccendi; ad extremum verò corpora eorum * ſacco incluſa in mare juſſit demergi. *Ea, quæ Rabanus hoc loco breviter & obſcurè narrat, ex Actis infrà edendis majorem lucem accipient.*

* *lege* carbonibus

* *id eſt* tonderi

* *forte* earum

C

ut Florentinius etiam obſervat

8 *Ex Martyrologiis hactenus relatis apertè liquet, hos Sanctos ab immemorabili tempore cultum habuiſſe, & ex ſequentibus obſervationibus patebit, Florentinium prudenter judicaſſe, dum de apographis ſuis Hieronymianis pag.* 772 *ſic diſſeruit:* IN PROVINCIA LICIÆ. Aptius legit Martyrologium Corbeienſe IN PROVINCIA CILICIÆ; ſed in eodem luto hæret, dum pro urbe EGEA, EGIAM martyrem ſive etiam majori lapſu AGIAM legit. Sed & LICIAM retinet Rabanus, qui x Calendas habet Paſſionem trium Fratrum ſub Lyſia præſide in provincia Lyciæ, civitate Ægea, hoc eſt Claudii, Aſterii, Neonis, quorum Acta deinde percurrit, ſanctarum etiam Domninæ & Theonillæ memoriam admiſcens. Vetuſtiſſimum Martyrologium minori diſſonantia CICILIÆ pro CILICIÆ ſcribit, & rectè civitatem EGAS retinet (ita enim vocatur Ciliciæ civitas apud Tacitum, quæ Straboni EGEAS eſt, ÆGÆ Ptolomeo & Stephano.) LYCIAM pro CILICIA habet etiam Uſuardus & ex eo Bellinus de Padua & Maurolycus. Acta ſanctorum Martyrum trium germanorum Claudii, Aſterii, & Neonis proconſularia & ſincera exſtant apud Surium tomo VIII. Hi à noverca delati, pluribus tormentis vexati & crucibus affixi nobile certamen compleverunt.

D

in notis ad Martyrologium ſuum,

9 Eadem die in eadem urbe ſanctæ mulieres Donuina (ita apud Surium ſcribitur, non Domnina) fuſtibus necata, & Theonilla vidua, verè Chriſti imitatrix, novaculâ abraſo capite & ſilveſtri rubo coronata, flagellis cæſa, & in ventre uſta, immortalem coronam acceperunt. Hæ fortiſſimæ mulieres, quamquam ſanctorum Fratrum germanorum in Paſſione ſociæ non fuerint, cum tamen apud Ægeam ſub Lyſia proconſule, decimo pariter Kalendas Septembris agonem compleverint, ut ad calcem eorumdem Actorum adnotatur, ſimul cum illis in albo Sanctorum & antiquis Martyrologiis fuiſſe ſcriptas, non eſt incongruum, licet injuriâ temporum & librariorum incuriâ deletæ deinde fuerint. Id ſuadent Martyrologium vetuſtiſſimum, in quo retinetur DOMNINA pro DONUINA, & Martyrologium Corbeienſe, in quo legitur DOMNINUS cum ſociis ſuis; immeritò in utroque nimirum præterita Theonilla, & DONUINA in DOMNINUM immutata. Pro ATERIO etiam in codicibus noſtris reſtituendus eſt ASTERIUS. *Hactenus Martyrologia Latina, quibus Græca nonnulla breviter adjungimus.*

E

quamvis Græci die XXX *Octobris*

10 *Die* XXX *Octobris Menologium Græcum Baſilii imperatoris, quod ſeculo* X *conſcriptum eſt, contractis horum Martyrum Actis apud Ughellum in noviſſima editione Veneta Italiæ ſacræ in Appendice poſt tomum decimum col.* 283 *præfigit hunc titulum:* Certamen ſanctorum martyrum Claudii, Aſterii, Neonis & Theonillæ. *Poſt hæc ſequitur Actorum compendium, quod paragrapho ſequente tranſcribemus. Magna Græcorum Menæa eodem die celebrant annuam memoriam* τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἀστερίου, Κλαυδίου, Νέωνος, καὶ τῆς ἀδελφῆς αὐτῶν Νεονίλλας, *id eſt*, ſanctorum martyrum Aſterii, Claudii, Neonis, & ſororis eorum Neonillæ. *Non ſcimus, qua veritatis ſpecie collectores Menæorum Neonillam trium illorum Martyrum ſororem appellaverint: nam in proconſularibus Actis infrà exhibendis* Theonilla, *quam Græci in* Neonillam *transformarunt, coram præſide teſtatur, ſeſe viginti tribus annis viduam manſiſſe, & tres Fratres in iiſdem Actis* pueri *vocantur. Non eſt autem ſatis veroſimile, Martyres adeo juvenes ſororem tam maturæ ætatis habuiſſe.*

F

tantùm tres illos Fratres & unam mulierem celebrent.

11 *Deinde Græci in laudatis Menæis Martyres noſtros exornant his verſiculis:*

Κλαύδιος, Ἀστέριος, ἀλλὰ καὶ Νέων
Ἄθλων ξίφος ὤφθησαν ἀστέρες νέοι.
Ἐπὶ ξύλῳ ταθεῖσα ἡ Νεονίλλα
Ξύλῳ παλαιὰν ἐξερεύγεται βλάβην.

Mihi Claudius, & Aſterius, ac etiam Neon
Certamine enſis ſidera videntur nova.
Extenſa verò corpore in ligni trabe
Eructat damnum ligni Neonilla vetuſtum.

Poëta Græcus his obſcuris verſiculis indicare voluit, nî fallor, tres iſtos Fratres gladio interfectos fuiſſe, & Neonillam in ligno extenſam pleno ore celebraſſe & quodam modo eructaſſe laudes Chriſti, qui in ligno crucis reſtauravit vetus damnum, quod protoparentes noſtri humano generi per fructum ligni intulerant. Præterea

A *ea auctor horum carminum frigidè alludit ad nomen proprium* Νέων, *quo unus ex Martyribus appellatur, & adjectivum* νέον, *quod Latinè* novum *significat. Denique apparet etiam aliqua alluſio inter nomen proprium* Aſterii *& vocem Græcam* ἀστέρες, *qua* ſtellæ *vel* aſtra *indicantur. Fortè ſanctam Martyrem, quæ in antiquis Actis & Menologio Baſiliano diſertè* Theonilla *vocatur, recentiores Græci propter ſimilem alluſionem ad adjectivum* νέος, *id eſt,* novus, *in* Neonillam *tranſmutarunt. Collectores Menæorum his verſiculis ſubnectunt ſatis prolixa eorumdem Martyrum Acta, quæ tamen ab authenticis illorum Actis non parum diſcrepant, ut jam paragrapho ſequente obſervabimus.*

§ II. Diſcrimen inter Acta Græca & Latina, & varia horum exemplaria.

B *Menologium Baſilii imperatoris, quod ab Ughello in Italia ſacra editum eſt, in Appendice poſt tomum decimum noviſſimæ editionis Venetæ col.* 283 *ſynopſim Actorum exhibet his verbis:* Claudius, Aſterius, & Neon, Diocletiano imperatore & Lyſia Ciliciæ præfecto, ætate integra & florenti, & germani fratres è Cilicia Mopſueſtiam profecti facultates paternas à noverca repetere & perſequi lite ac judicio cœperunt; ſed illa, ne quid daret, detulit eos ut Chriſtianos. Quare retenti à præfecto & interrogati, Chriſtum liberè confeſſi ſunt. Inde in theatrum deducti nudatique & in equuleum ſublati primùm fuſtibus mulctantur, deinde ungulis ferreis acerbiſſimè depectuntur, tum multis aliis affecti ſuppliciis unâ omnes conſtricti catenâ & extra urbis mœnia tignis in altum erectis affixi, martyrii coronam conſecuti ſunt. Poſt hos ſancta Theonilla in ſublime capillis ſublata, ſcipionibus uſque adeo cæditur, ut inter diros cruciatus exſpirârit. *Ad hunc Menologii textum quædam notaſſe juverit.*

in quo nonnulla abſona occurrunt,

13 *Imprimis Acta proconſularia de lite, quam tres iſti Fratres ad hereditatem paternam exigendam noverca ſua intentaſſe dicuntur, nullum verbum faciunt. Facilè tamen credidero, privignos ab iniqua noverca fortunis eorum inhiante tamquam Chriſtianos accuſatos fuiſſe, cum in aliis antiquis Actorum exemplaribus* à noverca ad judicem delati *legantur, ut ſuprà num.* 4 *vidimus. Præterea videtur Menologium Baſilianum implicitè aſſerere, Mopſueſtiam non eſſe ſitam in Cilicia, dum confidenter narrat, quod hi Fratres* è Cilicia Mopſueſtiam profecti, *juridicè facultates paternas à noverca ſua repetere cœperint. At communi conſenſu Mopſueſtiam, quæ ſimpliciter à Plinio* Mopſos *& ab aliis divisè* Mopſi Heſtia *nominatur, in Cilicia collocant antiqui geographi, inter quos Stephanus Byzantinus ad nomen hujus urbis habet ſequentia:* Mopſi Heſtia oppidum Ciliciæ ad Pyramum amnem ſita, quæ à Mopſo vate nomen habet. *Procopius autem in Opere de Ædificiis Juſtiniani imperatoris lib.* 5 *cap.* 5 *ad rem noſtram ita ſcribit:* Urbs eſt Ciliciæ Mopſueſtia, vatis, ut ferunt, illius antiqui opus. *Patet ex his aliiſque teſtimoniis, quæ brevitatis causâ omitto, Mopſueſtiam Ciliciæ adſcribendam eſſe. Qua criſi igitur auctor Menologii Baſiliani affir-*

C

mat, hos Martyres è Cilicia Mopſueſtiam diſceſſiſſe? Denique videtur his Fratribus Mopſueſtiam pro palæſtra martyrii aſſignare. Sed hac in re pugnat cum Actis antiquiſſimis, ut paragrapho præcedente monuimus, & ex ipſis infrà manifeſtum fiet. AUCTORE G. C.

14 *Litem novercæ intentatam, & diſtinctam martyrii palæſtram ſilent magna Græcorum Menæa, in quibus poſt verſiculos ſuprà relatos ſequuntur Acta Græca, quæ ſic Latinè interpretamur:* Sub primo conſulatu Diocletiani, Lyſia Ciliciæ præſide, erant hi Chriſtiani & germani fratres, qui ſimul habitabant, & ſufficientes divitias poſſidebant. Poſt obitum matris ſuæ acceperunt novercam, quæ, poſtmodum mortuo etiam eorum patre, facultates privignorum ſuorum acquirere ſtudens, eos velut Chriſtianos præſidi prodidit. Hi verò Juvenes interrogati dixerunt præſidi: Nos quidem omnia contemnimus, ô præſes, & quidquid propter fidem nobis evenerit, ſuſtinemus. Hæc autem, quæ in locum matris noſtræ infeliciter ſucceſſit, non religionem noſtram perſecuta, nos ad tribunal tuum adduxit, ſed paternam ac maternam hereditatem, quæ copioſa eſt, ſibi vindicare ſtudens. Quibus auditis, viſus eſt præſes ad eumdem ſcopum proprio ſuo jure collineare, & ſtatim Claudius juſſu ipſius à quatuor corporis partibus extenſus eſt, ac tergum ejus virgis laceratum. Deinde per extrema manuum ſuſpenſus, ſubjectis pedibus ejus ardentibus carbonibus, aduſtus eſt, & latera ipſius ferreis pectinibus laniata ſunt. Tum teſtis acutis perfrictum ejus corpus incenſis chartis ambuſſerunt. *& magna Græcorum Menæa* E

15 Sanctus inter hæc omnia audiebat: Sacrifica diis & liber abibis. At ille: Iterum dixi, inquit, propter fidem Chriſti mei contemno ipſam mortem. Fac, quod volueris. Tunc à ſtipite depoſitum in carcerem rejecerunt, & Aſterium præſentarunt, ad quem Lyſias dixit: Quod tibi nomen eſt? Cum taceret, dentes ejus frangi præcepit, & per præconem auribus ipſius ingeri: Sacrifica diis. Ille verò reſpondit: Quod facere libet, fac, ô præſes: ego enim Chriſtum ac Deum meum numquam abnegabo. Tunc ſuſpenſus & dilaniatus eſt, ſuppoſitaque ardentium carbonum congerie, pedes ejus aduſti ſunt, eumque flagris conciſum in carcerem retruſerunt. Deinde adduxerunt Neonem, qui nomen interrogatus reſpondit: Si nomen meum ſcire vis, ô præſes, Neon vocor; nec eſt, quod plus à me ſperes: germanus enim frater ſum eorum, qui ante me jam torti ſunt; ab illis ſeparari non poſſum, ſed pro confeſſione Chriſti mei adſum tibi. Proinde quod facturus es, facito. Tunc etiam ipſum diſtentum atrociter verberarunt, pedibuſque ejus carbones ignitos ſubſtraverunt, eumque multis horis cæſum in carcerem reduxerunt. *in Actis horum Martyrum,* F

16 Poſtridie, Lyſia ſedente pro tribunali, rurſum ſanctum Claudium produxerunt, quem Lyſias exhortari & à ſententia deducere volens, ſic allocutus eſt: Dic nobis, meliuſne tibi conſuluiſti? Cui Sanctus: Audentior tibi adſto, quam heri, & tormentis tuis factus ſum robuſtior & confidentior. Tum extremis manibus & pedibus acerrimè conſtrictum ſuſpenderunt, & manualibus inſtrumentis diductas membrorum compages diſtenderunt, & poſt multas horas ita ſeminecem ſolutis artubus iterum carceri manciparunt. Aſterium adſtantem reſpiciens præſes dixit: Quid ais? Decreviſti ſacrificare diis, & *quæ hîc Latinè reddita exhibemus,*

AUCTORE G. C.

deinceps hæc ſupplicia evadere ? Cui Sanctus : Qui Deum verum novit, & omnem in eo ſpem collocavit, mortem non curat, quamvis infinitis tormentis afficiatur. Tum Lyſias dixit : Suſpendite ipſum, latera ejus fodicate, extrema manuum & pedum præcidite, & ignitis verutis crura ipſius adurite. Quibus factis, Sanctus aſperrimos dolores ſentiens exclamavit : Videat Deus, quæ facis, crudeliſſime, & pœnam te dignam exſpecta. Tunc præſes hunc in carcerem retrudi præcepit, aliumque ſibi ad quæſtionem ſiſti. Cum Sanctus compareret, & æquè conſtans eſſet, diſtentum nervis conciderunt, prioribuſque vulneribus & plagis renovatis, totum corpus dilaniatis artubus unum vulnus fecerunt, & eum rurſus carceri incluſerunt.

narrant aliqua,

17 Tunc etiam Sanctorum ſororem Neonillam præſes adduci juſſit, & cum eam rupe firmiorem in fide Chriſti inveniſſet, faciem ejus colaphis percuti imperat, pedes colligari, & plantas loris cædi ; deinde his factis, ex vinctis manuum ſummitatibus ſuſpendi, capite radi, & à quatuor extremis corporis partibus diſtentæ carnes crudis nervis lacerari. Denique ſupinæ & in terram proſtratæ viſcera carbonibus torruerunt, & eam ſic vitâ privarunt. Venerandum ejus corpus ſacco incluſum in altum mare jactarunt. Milites verò extra muros urbis corpora ſanctorum Claudii, Aſterii, & Neonis concidentes, ea eſcam feris projecerunt. Sic glorioſi Martyres & germani fratres vitam finiverunt. *Præter illa, quæ paragrapho præcedente ad annuam Menæorum annuntiationem de* Neonilla *ſeu* Theonilla *notavimus, jam nonnulla ex his Actis Græcis diſcuticmus.*

B

ab Actis proconſularibus diſcrepantia,

18 *Initio horum Actorum dicuntur noſtri Martyres paſſi* ſub primo conſulatu Diocletiani, *quod intelligendum eſt de primo conſulatu, quem Diocletianus jam imperator geſſit : nam in faſtis conſularibus apud Petrum Relandum pag.* 250 *legimus, antea anno Chriſti* 284 *Diocletianum & Annium Baſſum M. Aurelio Carino & M. Aurelio Numeriano conſulibus ſuffectos eſſe. Verùm hic imperfectus Diocletiani conſulatus ab aliquibus inter alios ejus conſulatus non numeratur, & in quibuſdam faſtis conſularibus non exprimitur. In aliis tamen faſtis anno ſequenti notatur ſecundus Diocletiani conſulatus cum Ariſtobulo, qui anno Chriſti* 285 *reſpondet. Facilè ergo intelligitur, quomodo Græci in Menæis ſuis hunc primum Diocletiani conſulatum appellare potuerint. Si quis hac de re plura deſideret, adeat Tillemontium in Hiſtoria imperatorum tomo* 4 *pag.* 596, *ubi clarè videbit, anno Chriſti* 285 *Diocletianum cum Ariſtobulo conſulem fuiſſe, & conſequenter Martyres noſtros eodem anno lauream martyrii conſecutos eſſe.*

C

quibus expoſitis

19 *Nemo nobis hîc ex Euſebio opponat, Chriſtianos eo tempore magna religionis ſuæ libertate fruitos eſſe, & perſecutionem Diocletiani primùm poſt annos aliquot ab inito imperio cœpiſſe: nam facilè ad hanc objectionem reſpondebimus, particulares urbium vel provinciarum præfectos pro privata ſuperſtitione vel ſpe lucri ſemper habuiſſe occaſionem vexandi Chriſtianos, & antiqua imperatorum edicta in favorem ſuum allegare potuiſſe, licet imperator quiſpiam in exercitio religionis Chriſtianæ conniveret. Hinc Ruinartius in præfatione ad Acta Martyrum ſincera & ſelecta, quæ Pariſiis anno* 1689 *edidit, pag.* LVII *lectorem ea de re prudenter præmonet his verbis :* Non tamen imus inficias, primis Diocletiani temporibus Eccleſiam nullis edictis agitatam fuiſſe, nec tum Chriſtianos, maximè in his locis, quæ ſub ſpeciali Diocletiani cura erant, inquiſitos fuiſſe, ut ex Euſebii Hiſtoria initio libri octavi conſtat. Unde ſi tunc martyria aliquot fuere, aut veterum legum auctoritate, aut ex præſidum genio, vel alia quavis occaſione abſque edictis patrata ſunt. *Forſan hic Ciliciæ præſes Lyſias copioſis illorum Martyrum opibus inhiabat, quemadmodum in Menæis indicatur.* D

& aſſignatiis,

20 *Præter alias diſcrepantes minoris momenti circumſtantias, quæ in his Actis occurrunt, & quas eruditus lector haud difficulter obſervabit, Menæa prorſus ſilent de ſupplicio crucifixionis, quo tres iſti Fratres affecti fuerunt, & quod in Menologio Baſiliano ſic Græcè memoratur :* Εἶτα μὴ πολλὰς νικήσῃ διαφόρους βασάνους, δήσαντες αὐτὸς οἱ στρατιῶται εἰς μίαν ἄλυσιν, ἀπήγαγον ἔξω τοῦ τείχους τῆς πόλεως, καὶ ὅπῃ ξύλον κρεμάσαντες, καὶ ἥλοις προσηλώσαντες, ἐφόνευσαν. *Hoc eſt:* Deinde poſt multa acerba & diverſa tormenta milites unâ catenâ illos conſtrictos extra murum civitatis abduxerunt, & in ligno ſuſpenſos ac clavis affixos occiderunt. *Præterea neque in Menologio Baſiliano, neque in Menæis ullum fit verbum de* S. Domnina, *quæ tamen ſub eodem Ciliciæ præfecto coronam martyrii adepta eſt, & quam vetera nonnulla Martyrologia Latina cum quatuor aliis conjungunt. Porrò martyrium* S. Domninæ *nobis ſatis certum eſt ex Actis proconſularibus, de quibus jam pauca præmonebimus.* E

poſt Ruinartium

21 *Surius, Baronius, ac demum Ruinartius inter Acta Martyrum ſincera & ſelecta ex variis codicibus hiſtoriam horum Martyrum ediderunt. Poſtremus autem editor Ruinartius in Opere jam laudato Pariſienſis editionis pag.* 278 *& ſequente præfigit illis Actis hanc admonitionem :* Sub Lyſia præſide Ciliciæ multos Chriſtianos martyrium conſummaſſe tradunt tabulæ eccleſiaſticæ ; quos inter celebres ſunt Claudius, Aſterius, eorumque ſocii, quorum Acta proconſularia integra atque germana à Surio ad diem XXIII menſis Auguſti, & à Baronio ad annum CCLXXXV ex tribus codicibus manuſcriptis edita ſunt. Eadem in quatuor codicibus manuſcriptis invenimus, quorum unus ex noſtra ſancti Germani bibliotheca annorum eſt circiter ſeptingentorum ; alter verò monaſterii Corbeienſis ad annos quadringentos accedit. Tertius eſt inſignis bibliothecæ S. Genovefæ Pariſienſis, ac quartus RR. PP. Carmelitarum excalceatorum Conventus Pariſienſis, qui duo paulo antiquiores videntur. In his autem eadem omnino quæ apud Surium & Baronium habentur ; ſed diverſæ, & quidem, ut exiſtimo, antiquioris verſionis : quam idcirco, & quod nondum in lucem prodierit, alteri prætulimus. Si quid tamen in aliis notatu dignum ſit, ſuo loco adnotabimus. De die vel anno, quo iſti Martyres paſſi ſunt, nulla poteſt eſſe difficultas, cum utrumque in Actis expreſſum ſit. Annus Diocletiani Auguſti & Ariſtobuli conſulatus deſignatur CCLXXXV. Dies verò diſertè exprimitur, ſcilicet decimus Kalendarum Septembris, quo die eorum memoria in Martyrologiis vulgatis celebratur. F

varia eorumdem Actorum exemplaria recenſemus.

22 *His addimus aliqua eorumdem Actorum manuſcripta exemplaria, quæ in Muſeo noſtro conſervantur. Inter ea primum locum meretur codex noſter Fuldenſis, ſignatus* Q. Ms. 6, *qui cum San-Germanenſi Ruinartii codice de antiquitate certare poſſet. In illo legitur eadem martyrii ſubſtantia, quamvis hinc inde phraſis mutetur. Inſuper ex eodem, ni fallor, codice Fuldenſi*

A *denſi habemus apographum, quod cum manuſcripto Trevirenſi ſancti Maximini collatum eſt. Hoc ab illo in paucis minoris momenti periodis differt: ubi enim Fuldenſe habet exempli gratiâ* me nocere non poteris, & te conſentiunt, *ibi Trevirenſe* mihi & tibi *poſuit, aliaſque ſimiles conſtructiones correxit. Tertium Actorum exemplar prodit ex Paſſionali pergameno cœnobii Bodecenſis in diœceſi Paderbornenſi, quod etiam ſtylo nonnihil ab aliis diſcrepat, & videtur recentioris ævi, quia omittit periodum, quæ in codice Fuldenſi utcumque eraſa eſt, ut in Annotatis poſtmodum monebimus. Cum autem editio Ruinartii ex pluribus codicibus antiquis prodierit, hanc recuſam cum recenſitis apographis noſtris conferemus, & in Annotatis vel in margine obſervabimus diſcrepantiam, quando aliqua notatu digna occurrerit.*

ACTA

B

PROCONSULARIA.

Ex Pariſienſi Ruinartii editione pag. 279 & ſequentibus, quam cum Ms. codice noſtro Fuldenſi & aliis apographis contulimus.

Cum Lyſias Claudium interrogatum

LYſias *a* præſes provinciæ Lyciæ *b* in civitate Ægea, ſedens pro tribunali dixit: Offerantur decretioni * meæ Chriſtiani, qui traditi ſunt curialibus hujus civitatis ab Officio. Commentarienſis Euthalius *c* dixit: Secundum præceptum tuum, domine, quos potuerunt Chriſtianos comprehendere, curiales iſtius civitatis offerunt tres pueros fratres, & duas mulieres cum infantulo. Ex his unus ante conſpectum claritatis tuæ adſtat. Quid de eo præcipit nobilitas tua? Lyſias præſes dixit: Quis diceris? Reſpondit: Claudius. Lyſias præſes dixit: Noli juventutem tuam cum inſania perdere *d*. Sed jam

C nunc accedens, ſacrifica diis, ſecundum præceptum domini noſtri Auguſti, ut poſſis, quæ tibi præparata ſunt, evadere tormenta. Claudius dixit: Deus meus talia ſacrificia opus non habet, ſed eleemoſynas & converſationes juſtas *e*: dii enim veſtri dæmones immundi ſunt; ideo hujuſmodi ſacrificiis delectantur, perdentes animas in æternum, has dumtaxat, quæ eos colunt. Unde in nullo perſuades mihi, ut eos colam.

variis tormentis affici imperaſſet,

2 Tunc Lyſias præſes ad virgas eum aptari præcepit, dicens: Alio genere ejus inſaniam non vincam. Claudius dixit: Etſi graviora tormenta adhibeas, in nullo me lædes; animæ verò tuæ provides æterna tormenta. Lyſias præſes dixit: Domini noſtri imperatores *f* juſſerunt Chriſtianos vos ſacrificare diis, contradicentes puniri; cedentibus autem honores & munera polliceri. Claudius dixit: Munera eorum temporalia ſunt; confeſſio verò Chriſti æterna eſt ſalus. Tunc Lyſias præſes in equuleo eum ſuſpendi juſſit, & flammam pedibus ejus adhiberi; ſed & de calcaneis ejus partes abſcidi, & offere * ei. Claudius dixit: Qui Deum timent, nec igne nec tormentis poſſunt lædi. Magis enim proderit eis in

* *Fuld.* auferri

salutem æternam: quia propter Chriſtum hæc patiuntur. EX IMPRESSIS.

3 Tunc Lyſias præſes ungulis eum vexari præcepit. Claudius dixit: Meum propoſitum hoc eſt, ut oſtendam tibi, quia dæmones defendis. Tormentis enim me * non poteris nocere; animæ autem tuæ ignem inexſtinguibilem providiſti. Lyſias præſes dixit: Accipientes teſtem aſperrimam, lateribus ejus incumbite & candelas ardentes eidem applicate. Cumque factum fuiſſet, Claudius dixit: Mihi ignis & tormenta tua ſalvam facient animam: quoniam quæ patior propter Deum, lucrum habeo magnum, & pro Chriſto mori divitias multas. Lyſias autem iratus de equuleo eum deponi, & in cuſtodiam dari præcepit. *ut Chriſtianam fidem deſereret,* * *Trev.* mihi

4 Euthalius commentarienſis dixit: Secundum præceptum poteſtatis tuæ, domine præſes, adſtat Aſterius frater ſecundus. Lyſias præſes dixit: Crede vel tu, & ſacrifica diis, ante oculos tuos habens tormenta quæ contradicentibus ſunt parata. Aſterius dixit: Deus unus eſt, qui eſt venturus ſolus, in cælo habitans, & humilia reſpiciens in magna virtute ſua. Ut hunc colerem & diligerem à parentibus mihi eſt traditum. Hos autem, quos tu colis, qui à te dii eſſe dicuntur, neſcio. Perditio virorum omnium veſtrorum, qui tibi conſentiunt, adinventio iſta eſt, non veritas. Tunc Lyſias in equuleo eum ſuſpendi præcepit, dicens: Torquentes latera ejus, dicite illi: Vel nunc credens, diis ſacrifica. Aſterius dixit: Frater ſum illius, qui paullò antè interrogationibus tuis reſpondit. Mihi & illi unus eſt animus, una confeſſio. Age, quæ potes. Meum corpus in poteſtate habes, animam non habes. *etiam fratres ejus*

5 Lyſias dixit: Adprehendite ferreos morſus, & conligate pedes ejus, & fortiter torquete eum, ut ſentiat & corporis & animæ cruciatus. Aſterius dixit: Stulte, inſane *g*, quam ob cauſam me tormentis affligis? Non habes ante oculos quæ tibi pro his redditurus eſt Dominus? Lyſias dixit: Carbones ignis ſubſternite pedibus ejus; virgis autem & duriſſimis nervis dorſum ejus & ventrem contundite. Cumque factum fuiſſet, Aſterius dixit: Cæcus es in omnibus. Hoc autem à te peto, ut nullam partem corporis ſine plaga dimittas inlæſam. Lyſias dixit: Cuſtodiatur cum ceteris. *imprimis Aſterium,* *g*

F

6 Euthalius commentarienſis dixit: Adſtat frater ipſorum tertius, nomine Neon. Lyſias dixit: Fili, vel tu accede, & ſacrifica diis evaſurus tormenta. Neon dixit: Dii tui, ſi quid virtutis habent, defendant ſe ipſos ab his, qui eos negant, & tuam defenſionem non requirant. Si verò malitiæ eorum es ſocius, multo melior ſum diis tuis, & te, quia vobis non obaudio, habens Deum verum, qui fecit cælum & terram. Lyſias præſes dixit: Frangentes cervicem ejus dicite illi: Noli deos blaſphemare. Neon dixit: Blaſphemus tibi eſſe videor dicens veritatem? Lyſias dixit: Pedibus eum extendite, & carbones mittite ſuper ipſum, & nervis dorſum ejus concidite. Cumque factum fuiſſet; Neon dixit: Quod mihi utile eſſe ſcio & animæ meæ lucrum, id faciam. Non poſſum propoſitum meum mutare. Lyſias dixit: Sub cura Euthalii commentarienſis & Archelai ſpiculatoris, foras civitatem tres hi fratres, ut digni ſunt, crucifigantur, ut aves corpora eorum lacerent *h*. *ac dein Neonem torqueri jubet, omneſque morti adjudicat,*

h

7 Euthalius commentarienſis dixit: Secundùm præceptum claritatis tuæ, domine, adſtat Domni- *poſt quos Dominianam*

EX IMPRESSIS. Domnina. Lysias dixit : Vides, mulier, quæ tormenta & ignis parentur tibi. Unde si vis evadere, accede, & sacrifica diis. Domnina dixit: Ne in ignem æternum incidam & tormenta perpetua, Deum colo, & Christum ejus, qui fecit cælum & terram, & universa, quæ in eis sunt. Nam dii vestri lapidei sunt & lignei, facti hominum manibus. Lysias dixit : Seponite vestimenta ejus ; nudam eam extendite, & omnia membra ejus virgis concidite. Archelaus spiculator dixit : Per sublimitatem tuam, Domnina jam defecit. Lysias præses dixit : Corpus ejus projicite in profundum locum fluminis.

& Theonillam 8 Euthalius commentariensis dixit : Adstat Theonilla. Lysias præses dixit : Vides, mulier, cujusmodi ignis, vel quæ tormenta his præparentur, qui ausi fuerunt contradicere. Qua de re accedens honora deos, & sacrifica, ut possis evadere tormenta. Theonilla dixit : Ego ignem æternum timeo, qui potest corpus & animam perdere, & horum quam maxime, qui impiè reliquerunt Deum, & adoraverunt idola & dæmonia. Lysias dixit : Alapis tundite faciem ejus, B & projicite eam in terram, ligantes pedes ejus, & torquete fortiter. Cumque factum fuisset, Theonilla dixit : Si tibi bonum videtur, ut ingenuam mulierem & peregrinam sic torqueas, tu scis. Videt Deus, quid agis. Lysias dixit : Suspensam capillis, faciem ejus alapis cædite. Theonilla dixit : Non sufficit quia me nudam statuisti ? Non autem me solam, sed & matrem tuam & uxorem confusionem induisti per me : Omnes enim mulieres unius naturæ sumus *i*.

diversis cruciatibus interficit. 9 Lysias dixit : Habes virum, aut vidua es? Theonilla dixit : In hodiernum diem XXIII annos habeo, ex quo sum vidua ; & propter Deum meum sic mansi, jejunans & pervigilans in orationibus ex quo recessi ab immundis idolis, & cognovi Deum meum. Lysias dixit : Novacula acuta radite caput ejus, ut vel sic erubescat : & cingite eam rubo campestri, & extendite per quatuor palos, & loro non solùm dorsum, sed & totum corpus ejus concidite. Carbones etiam ventri ejus supermittite ; & sic moriatur. Euthalius commentariensis & Archelaus spiculator dixerunt : Domine, jam animam dimisit. Lysias C dixit : Date saccum, & corpus ejus in eum mittite, & ligate fortiter, & projiciatur in mare. Euthalius commentariensis & Archelaus spiculator dixerunt : Secundum præceptum eminentiæ tuæ, domine, ut jussisti circa Christianorum corpora, sic factum est *k*. Habita est passio hæc in civitate Ægea, sub Lysia præside, X Calendas Septembris, Augusto & Aristobolo consulibus : de quibus Sanctorum passionibus est Deo honor & gloria.

ANNOTATA.

a *In quibusdam Actorum exemplaribus hic aliqua præcedunt de noverca privignos suos accusante, ut* § 1 *Commentarii prævii num.* 4 *monuimus. Sed in Codice Fuldensi & aliis apographis nostris initium Actorum cum hac editione Ruinartiana convenit.*

b *Ruinartius in notis rectè monet, & ex urbe Ægensi patet, pro* Lyciæ *vel* Liciæ, *ut alia* D *apographa habent, substituendum esse* Ciliciæ, *quod etiam confirmatur ex veteri Martyrologio Corbeiensi & Actis S. Zenobii, quorum fragmentum in Commentario prævio num.* 2 *exhibuimus.*

c *Hæc periodus in codice Fuldensi sic legitur:* ab officio commentariensi. Euthalius dixit *&c. Sensus ergo hîc ita dividitur, ut* commentariensi *conjungatur cum* officio, *quod hoc loco ministros justitiæ vel apparitores significat, ut aliàs sæpe diximus. At etiam in Trevirensi manuscripto post* officio *periodus clauditur, &* commentariensis *convenit cum* τῷ Euthalius, *qui in editis* Eulalius *appellatur.* Commentariensis *autem vocatur ille, cui cura reorum committitur, eo quod nomina reorum in commentariis scribat, ut Ruinartius observat, & in Glossario Cangiano fusius videre est.*

d *In codice Fuldensi sensus ille sic exprimitur :* Noli decipi juventutis insaniâ ; verùm nunc accedens *&c.*

e *In apographo Bodecensi hæc ita leguntur :* Deus meus tali sacrificio opus non habet ; sed eleemosyna & conversatione justa. *In Trevirensi* E *autem manuscripto hæc eadem in ablativo pluralis numeri pronuntur.*

f *Quamvis hîc* imperatores *in plurali numero nominentur, & suprà dumtaxat* præceptum domini nostri Augusti *memoretur, hæc differentia sinceritati Actorum nihil officit, ut Honoratus à sancta Maria in Animadversionibus ad regulas Criticæ Dissertatione* 3 *art.* 6 *sive tomo* 1 *pag.* 279 *eruditè probat, & Tillemontius tomo* 4 *Monument eccles. pag.* 693 *fatetur.*

g *Hæc duriora Martyris verba etiam non obsunt sinceritati Actorum, ut Honoratus à sancta Maria in Opere proximè laudato Dissert.* 4 *art.* 8, *sive tomo* 1 *part,* 2 *pag.* 51 *contra criticos quosdam evidenter ostendit.*

h *In Actis apud Surium & eminentissimum Baronium sic legitur :* Lysias introgressus, obduxit velum, & pòst exiens, ex tabella recitavit sententiàm dicens : Claudius, Asterius, Neon fratres Christiani, deos blasphemantes & sacrificare renuentes, ante atrium cruci affigantur, & corpora eorum avibus laceranda relinquantur. Et subjecit : Curent hæc Claudius commentarien- F sis, & Archelaus spiculator. Antequam autem ducerentur, recepti sunt in custodiam. *Ruinartius in notis circa morem obducendi veli antequam ferretur sententia, S. Basilium in Epistola* 79 *ad Eustathium, & eminentissimum Baronium in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 285 *num.* 9 *assignat.*

i *Hæc ultima periodus in codice nostro Fuldensi ita erasa est, ut non nisi difficulter & ex conjectura legi possit. Hinc in apographo Bodecensi prorsus omittitur. Forsan hanc aliquis erasit, ne castas aures offenderet. Sed nos cum Ruinartio potius fideles, quam scrupulosi esse voluimus.*

k *Hîc in codice nostro Fuldensi & aliis apographis apud Ruinartium terminantur Acta proconsularia, quibus haud dubie veteres Christiani sequentem clausulam de loco & tempore martyrii addiderunt.*

DE

DE SS. TIMOTHEO ET APOLLINARE MARTYRIBUS,

REMIS IN CAMPANIA GALLIÆ,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

§ I. Cultus è Faſtis ſacris; tempus martyrii; venerationis propagatio.

EXEUNTE CIRCITER SEC. III. *Annuntiationes è Martyrologiis:*

Horum duorum Martyrum memoria ſignatur hoc die in Faſtis ſacris antiquæ ac bonæ notæ. Ado enim ſic eos annuntiat: Eodem die, natalis ſanctorum Timothei & Apollinaris, qui apud Rhemenſium urbem conſummato martyrio cæleſtia regna meruerunt. *Adoni adde Uſuardum:* Item natalis ſanctorum Timothei & Apollinaris *&c. iiſdem, ut Ado, vocibus. Mitto varia Martyrologia Hieronymiana contracta, videlicet Reginæ Sueciæ, Auguſtanum ac Labbeanum; ſed in his duobus poſtremis notatur poſt* Timotheum *proximè* Sidonii. Apollinaris *nomen (in Labbeano ſcribitur* Sydonii*) quod ſuſpicor perperam ibi eſſe adjectum: nam S. Sidonius Apollinaris epiſcopus, qui hac etiam die à nobis datur cum Romano Martyrologio, ad Arvernos ſpectat: niſi forte ibi præter aliorum morem voluerit ſcriptor mentionem facere ſolius* Timothei, *ac ſeorſim ſine particula copulativa &, nec non ſine poſitione loci annuntiationem referre* Sidonii Apollinaris. *Apud Florentinium poſt textum Martyrologii, quod ſub nomine S. Hieronymi vulgavit, ſequitur aliis litteris:* Remis civitate natalis ſancti Tymothei & Apollenaris: *hic verò ibidem rectè diſtinguitur à Sidonio Apollinare Arvernenſi: ſubditur enim:* Arvernis natalis ſancti Synodi (*immò* Sidonii) epiſcopi. *Hæc, tametſi aliis characteribus à dicto textu ſint diſcreta, non carent tamen ſuo pondere in rem noſtram. Annua duorum noſtrorum Pugilum commemoratio habetur in Martyrologio Romano, & eodem fere modo exprimitur, quo apud Adonem & Uſuardum exſtat:* Rhemis in Gallia natalis ſanctorum Timothei & Apollinaris, qui ibidem conſummato martyrio cæleſtia regna meruerunt. *Plures annuntiationes non inquiro, cùm hæ ſufficiant.*

observationes de Martyrum Actis, ac tempore paſſionis.

2 *Non eſt quod lector hîc exſpectet obſervationes noſtras in Acta horum Martyrum, ac in tempus, quo lauream certaminis conſecuti ſunt: nam quandoquidem eadem connectuntur cum Actis SS. Mauri ac ſociorum martyrum Remenſium, quæ die* XXII *hujus menſis à nobis illuſtrata ſunt, ac conſuli poſſunt, quæ tunc animadvertenda duximus; actum ageremus, ſi novum iterum hoc loco de eorum valore, & tempore, cui hodiernorum Pugilum duorum palma videatur intexenda, examen inſtitueremus. Tempus itaque laureati illorum certaminis affigimus exeunti circiter ſeculo tertio, ſicut heſterno die de aliis factum eſt. Quænam verò in hiſtoria martyrii, quam ex Flodoardo typis committemus, à nobis omiſſa ſint, quia heri data, indicabitur in Annotatis. Quamquam verò dolendum ſit, non perveniſſe ad poſteros primigenia & genuina* SS. Timothei & Apollinaris *Acta; aliunde tamen ſuppeditantur monumenta plurima, quibus defectus iſte abunde ſuppletur, & quibus illuſtriſſimorum Martyrum gloria cum cultu quodam ſingulari, & cum ſumma eorum æſtimatione perſeveravit conſtanter variis locis ac ſeculis.*

Egregia eorum cultûs propagatio

3 *Hoc teſtantur templa in illorum honorem erecta: deinde ſacrarum reliquiarum veneratio & tranſlatio: tertiò, munificentia inſignis; quâ viri illuſtres cùm eccleſiaſtici tum ſeculares loca ipſis ſacra proſecuti ſunt: quartò, divina Officia in eorumdem eccleſiis inſtituta, ac, dum elanguida fuerant, reſtituta: quintò, ſupplicationes ſolennes ad locum, in quo martyrium confeciſſe dicuntur: ſextò ac poſtremò, ingens populorum confluxus ad ædes ſacras illorum nomine nuncupatas. Horum ſingula exemplis illuſtranda & comprobanda ſunt. Ad templa quod attinet; apud Flodoardum in Eccleſia Remenſis hiſtoria lib.* 1, *cap.* 4, *fol.* 11 *verſo editionis Sirmondianæ, Pugilum ſanctorum morti ac ſepulturæ ſubditur templum antiquiſſimum his verbis:* Euſebius quidam vir ſpectabilis, qui & ipſe per verbum ipſorum credidit, fabricavit illis Baſilicam, in qua multa ſigna & remedia oſtenderunt: cæcis viſum, claudis greſſum reddiderunt, &, qui à dæmonibus vexabantur, curati ſunt in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Eorum verò corpora domnus Tilpinus archiepiſcopus veteri permovens tumulo, ſepulcrum ipſorum decenter argento decoravit & auro. *Hoc accidit poſt medium ſeculi octavi. Tilpinus quippe metropolita Remenſis apud Marlotum tomo* 1 *Metropolis Remenſis hiſtoriæ lib.* 3, *cap.* 1 *ſediſſe ſcribitur ab anno* 756.

probatur

4 *Flodoardus fol.* 12 *poſtquam egiſſet de Sanctorum lipſanis ſacris, quibus eccleſia noſtrorum Martyrum traditur fuiſſe inſignita, ſic pergit:* Hîc etiam in eadem Sanctorum baſilica beatus Remigius tumulum ſibi parari præcepiſſe reperitur, ut poſt conditam teſtamenti ſui continentiam ſubintulit addens: " Poſt conditum teſta-
„ mentum, immò ſignatum, occurrit ſenſibus
„ meis, ut baſilicæ domnorum martyrum Ti-
„ mothei & Apollinaris miſſorium argenteum VI
„ librarum ibi deputem, ut ex eo ſedes futura
„ meorum oſſium componatur „. *Duplex S. Remigii teſtamentum circumfertur: alterum prolixius apud Flodoardum lib.* 1, *cap.* 18; *alterum contractius apud Marlotum tomo* 1, *lib.* 2, *cap.* 11, *pag.* 180: *utrique adjectus reperitur*

AUCTORE J. P.

hic codicillus. Addit Flodoardus fol. 12 : Sed & in ipso testamento, duodecim solidos ad ipsius basilicæ cameram struendam jusserat dari. *Hujus donationis verba habentur in testamento breviore pag.* 185 : *in prolixiore autem sunt illa fol.* 50 : Ecclesiæ sanctorum martyrum Timothei & Apollinaris, ubi etiam, Domino dante, si fratribus, ac filiis meis episcopis diœceseos nostræ visum fuerit, ossa mea ponere dispositi, sol. quatuor. *An alterutrum, & quodnam, an verò utrumque hoc testamentum sit genuinum, non est hîc inquirendi locus : qui esse tunc poterit dum de S. Remigio agetur ad diem* 1 *Octobris. Consuli interim potest Marlotus tomo* 1, *lib.* 2, *cap.* 12, *pag.* 186.

è sacris ædibus,

5 Diversi quoque diversis idem locupletavere dotibus templum, *inquit Flodoardus fol.* 12 *designato.* Ubi domnus Gondebertus, vir clarissimus, cum uxore sua Berta, villam, in pago Vontisse sitam, Pertas nomine dedit. *Hic Flodoardi textus magis elucescet, si modica eidem apponatur notatio. Inter* diversos *illos templi prædicti fautores locum meretur seculo septimo Sonnatius archiepiscopus Remensis, qui &* ad basilicam SS. Timothei & Apollinaris casas quasdam delegavit, *ut apud Marlotum tomo primo, lib.* 2, *cap.* 31, *pag.* 246 *licet videre. Ibidem ponitur istius cathedræ pontifex renuntiatus anno circiter* 600, *ac post annos* 33 *vitâ functus ; vide cap.* 29 *&* 31. *De S. Gondeberto martyre agitur apud nos tomo* III *Aprilis, die* XXIX *ejusdem mensis, pag.* 620 : *de ipsius autem uxore Berta tomo* 1 *Maii, die* 1, *pag.* 112.

B

quæ in illorum honorem

6 Reperitur autem, *sicut pergit Flodoardus,* congregationem ibidem nonnumquam XX, nonnumquam XII fuisse clericorum in tempore Theoderici regis, quando ad eamdem basilicam prædiorum donaria plura leguntur tradita, & usque ad recentia nuper tempora, quibus, religione deficiente, ad unius est redacta presbyteri titulum, Deo servientium cœtu dignoscitur insignita virorum. *Quisnam è pluribus synonymis Theodericis Galliæ regibus hîc nominetur, non est è Flodoardi verbis perspicuum. Factum, quod refert de basilica ad tantam solitudinem redacta, postmodùm latiora excepere tempora, sicut è diplomate infrà citando constabit.*

C

variis locis

7 *Porrò de aliis ædibus sacris, publica sanctorum Martyrum nostrorum veneratione illustratis, subnectit Flodoardus ista fol.* 12 *verso :* Nonnullis etiam aliis templa locis eorum splendent honore decorata : quoniam signis pluribus eis olim coruscantibus, amatores Christi memoriis ipsorum suas excolere studuerunt atque munire possessiones. Quorum quidam, ceu Gregorius Turonensis episcopus in libro miraculorum refert, eorum reliquias, ædificatâ horum honore basilicâ, devotus expetiit. Quas Pontifice loci per presbyterum honorificè dirigente, dum iter idem presbyter ageret, ab obvia quadam muliere salutatus, obnixè importunéque ab eo rogatus est, ut horum sibi quiddam pignerum condonaret. Qui diu nutatim differens, mulieris improbitate tandem devictus, sacrorum cinerum particulam tradit roganti : ascensoque caballo injunctum sibi moliens iter expedire, nullatenus eum, percussis admodùm lateribus, valet itineri promovere. Insuper ipse quoque sic interim prægravatus opprimitur, ut vix valeret attollere caput. Ita demum animadvertens virtute se detineri Martyrum, motus pœnitentiâ recepit opportunè, quod largiri præsumpsit incongruè ; redhibitâque sacrorum, quam dempserat, portione, liber ad jussa relaxatur abire. *Si quis hoc factum legere cupit in ipso fonte, è quo illud hausit Flodoardus, adeat S. Gregorium Turonensem lib.* 1 *De gloria Martyrum cap.* 55, *à col.* 785 *editionis Ruinartianæ.*

D

8 Apud Duodeciacum quoque vicum, *inquit erecta sunt : Flodoardus fol.* 13, horum constructa decore sanctorum basilica Martyrum, magnorum prædicatur radiare nitore magnalium, optabiliqùe refulgere gratiâ sanitatum. *Hujus loci nomen ac situm ita exponit Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum ad nomen* Dusiacum Remorum, *dicens ;* Dusiacum in pago Mosomagensi ad fluvium Charem, Frodoardus in Chronico & in Historia ecclesiæ Remensis Duodeciacum latino nomine numerali ; quidam Duodeciacum vicum ; alii Duciacum & Dociacum ; alii Dusicam villam appellant, vulgo Douzi les Prez . . Synodi ibi duæ episcoporum sunt habitæ, prior anno Christi DCCCLXXI ; posterior anno DCCCLXXIV. *Hæc, & plura Valesius.*

item è reliquiarum

9 *Sacra denique nostrorum Athletarum pignora aliò translata sunt non sine insigni eorum gloria, teste Flodoardo, qui libri primi caput quartum hoc facto absolvit :* Beati denique Timothei ossa rex Otto, concedente Artaldo archiepiscopo, transferri fecit in Saxoniam, & monasterium monachorum in ejus institutit honore : in qua translatione multa mira feruntur ostensa. Nam ut Anno, tunc abbas, nunc episcopus, mihi retulit, à quo eadem sacra pignera translata sunt, præter alia plura remedia, XII inter cæcos & claudos fuere curati. Beatus quoque Apollinaris, ossibus suis in Orbacense translatis monasterium, nonnullis inibi florere spectatur gratiarum insignibus.

E

translatione

10 *Quæres, quodnam sit illud* monasterium monachorum in Saxonia, *ad quod* beati Timothei ossa rex Otto transferri fecit. *Respondemus, ac damus nostras de eo conjecturas non improbabiles. Christophorus Browerus Annalium Trevirensium lib.* 9, *ad annum Christi* 938 ex Saxonicarum rerum insigni Chronico membranaceo *recitat sequentia :* Anno Domini CMXXXVIII, Ottonis II *(id est secundo.)* Prædictus rex . . . abbatiam regalem intra urbem Magdeburg *(in Saxonia inferiore)* fundavit . . in honore B. Petri Apostolorum principis, ac Mauricii, egregii Thebæorum ducis, dignique contubernalis illius Innocentii militis, cujus corpus Rodolphus rex Burgundionum, ei ac reginæ transmissum . . . donavit. Maximam quoque partem corporis S. Mauricii, & quorumdam sociorum ejus, cum plurimis Apostolorum, Martyrum, Confessorum ac Virginum reliquiis, in eamdem civitatem transtulit eodem anno jam dictus Otto . . Præfecit autem abbatiæ Annonem, virum venerabilem, Treviris de cœnobio S. Maximini assumptum . . Qui Anno, postquam abbatiam per annos, quos nos invenire nequivimus *&c. Mabillonius in Annalibus Benedictinis tomo* 3, *lib.* 43, *ad annum* 937, *num.* 87 *agit de constructione hujus monasterii, eamque in Chronico Magdeburgensi ad hunc referri annum ait, à nonnullis autem ad insequentem. Sed hoc tantillum discrimen in rem nostram nihil refert. Ibid. lib.* 45, *ad annum* 950, *num.* 38 *laudatus Annalium auctor ponit tempus, quo isti abbatiæ præfuit Anno, & quo ad episcopalem dignitatem evectus est :* Post annos, *inquit*, tredecim quàm Anno Magdeburgensi monasterio ab Ottone Magno præpositus

F

tus fuerat, ad ſedem Wormatienſis eccleſiæ . . . provectus eſt : cui viginti-quatuor annis . . præfuiſſe dicitur.

AUCTORE J. P.

§ II. Canonicorum collegium Remis reſtitutum ; eorum vivendi modus.

11 *Nimis multa in narratione ſuperiore concurrunt perſonarum, locorum, ac temporis adjuncta, quæ conveniunt, quàm ut alienum putemus à probabili ſuſpicione, quòd* S. Timothei *reliquiæ ad dictum monaſterium Magdeburgenſe fuerint tranſlatæ ; quæ, etiamſi pluribus aliorum ſacris pignoribus Sanctorum ſuprà nominatim non accenſeantur, intelligi tamen poſſunt comprehenſæ fuiſſe ſub nomine* martyrum, *ibidem diſertè expreſſo. Nec ſuſpicioni noſtræ officere debet illud, quod Flodoardus antea referebat de Ottone :* Monaſterium monachorum in ejus (*videlicet* Timothei) inſtituit honore. *Nam quid prohibet, cœnobium illud in gloriam plurium aliorum Sanctorum, quorum ſacrum theſaurum poſſidebat, conditum fuiſſe, quos inter fuerit* S. Timotheus *M. Remenſis, & tamen nec ipſius, nec aliorum quorumdam* martyrum *nomen in mox producto documento expreſſum legi : nam* inſtitui *videtur eſſe diverſum à* nominari : *& non hoc, ſed illud uſurpat Flodoardus.*

utriuſque Sancti,

12 *Fundator itaque Otto vel indiderit iſti monaſterio nomina præcipuorum ejuſdem patronorum, vel ſanctorum magis celebrium, vel eorum, erga quos præ aliis magis afficiebatur : niſi forte ſcriptores alii alios præ reliquis pro ſuo arbitratu aut ſcribendi argumento, nominatim expreſſerint. Sic ſuperiùs nominatur apud Browerum primo loco* B. Petrus Apoſtolorum princeps *ſine S. Paulo. Idem fit à Chronographo Saxone, quem Leibnitius edidit inter Acceſſiones hiſtoricas, anno* 1698 *Lipſiæ excuſas, ad annum Chriſti* 938. *In Chronico autem Bothonis, quod Leibnitius etiam publicavit inter Scriptores Brunſvicenſes, tomo* 3, *ad annum* 940, *pag.* 308 S. Petro *additur* Paulus. *Mabillonius denique ad annum* 968, *num.* 22 Magdeburgenſe ſancti Mauricii monaſterium *vocat ; & ad annum* 984, *num.* 49 *locus ille eodem* Mauricii *nomine indicatur. Ad hoc itaque Magdeburgenſe in Saxonia monaſterium, quod Flodoardus non nominabat ſuprà, videntur oſſa* S. Timothei *tranſlata fuiſſe.*

quam plu-ribus

13 *Monaſterium verò Orbacenſe, ad quod hiſtoricus idem* S. Apollinaris *reliquias dicebat commigraſſe, his verbis deſcribit Mabillonius in Annalibus modo indicatis, tomo* 1, *ad annum* 681, *num.* 25 : Regulus pontifex Remorum, ſuperiùs laudatus, quem Frodoardus (*ſive Flodoardus lib.* 2, *cap.* 10) Reolum vocat, monaſterium Orbacenſe exſtruxit in loco, quem dono regis Theoderici, ſuffragante Ebroïno majore-domûs, obtinuerat. Poſitus eſt hic locus in parochia ſeu diœceſi Sueſſionenſi, quatuor à Sparnaco (*vulgo* Eſpernay) leucis, ad rivulum exiguum, qui in Matronam fluvium paullo ſupra caſtrum Theoderici devolvitur. *Hiſce hactenus monumentis de publica* SS. Timothei *&* Apollinaris *veneratione collectis, magna ex parte videor feciſſe ſatis argumento, quod ſuprà num.* 3 *tractandum propoſueram. Pergere nunc juvat ad ea, quæ ſuperſunt.*

hîc exponimus.



Canonicis 12 *eccleſiæ SS. Martyrum ad unum presbyterum redactis*

PRæmiſimus ſuperiùs § 1, *num.* 6 *ex Flodoardo, Sanctorum Martyrum noſtrorum eccleſiam inſigni olim clericorum ſervitio floruiſſe, ac deinde* ad unius eſſe redactam presbyteri titulum : *latiora verò tempora, quibus eadem eccleſia refloreſcere, & priſtino ſplendori cœpit reſtitui, Flodoardus nec vidit, nec ſcripſit, morte videlicet antea è vita ereptus. Vices itaque illius ſupplevit in ſcribendo, ac latiorem hujus baſilicæ ſtatum cum poſteris communicando Marlotus, dum tomo* 2, *pag.* 123 *edidit inſtrumentum hoc titulo :* Charta fundationis ſeu reſtitutionis duodecim canonicorum in eccleſia SS. Timothei & Apollinaris. *Quâ autem formâ, quibuſque conditionibus fundatio hæc reſtituta fuerit, docebit inſtrumentum ipſum, quod è laudato Marloto hîc recudimus, & obſervationibus noſtris illuſtramus :* E

ſufficiuntur iterum

15 In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Gervaſius Dei gratiâ Remorum archiepiſcopus, ſanctæ eccleſiæ tam præſentibus quàm futuris fidelibus. Si utilitati & honeſtati eccleſiæ nobis à Deo commiſſæ diligenter intendimus ; & quæcumque in ea ad divinæ religionis cultum providâ prædeceſſorum noſtrorum vigilantiâ ordinata ſunt, inconvulſa ſervamus, & quæ ex his negligentiâ, vel aliquibus infortuniis deperierunt, reparare contendimus, Patri-familias noſtro de credito nobis talento multiplex lucrum reportaturos, & Euge certiſſimæ remunerationis nos credimus audituros. Unde conſiderantes, eccleſiam S. Timothei martyris in municipio hujus ſanctæ ſedis (cui, Deo auctore, præſidemus) ſitam, quondam Clericorum numero & honeſtate religionis viguiſſe ; ſed partim adverſis caſibus, partim incuriâ, ad titulum unius presbyteri eſſe redactam, ideoque ab archiepiſcopo Adalberone (ut ex ejus reditibus hoſpitalitatis ſuppleretur utilitas) beati Remigii monaſterio ad poſſidendum conceſſam, piæ ſedulitatis opera adhibere curavimus, ut eam in antiquum honeſtatis ſtatum repararemus. F

canonici totidem ;

16 Quapropter id notificantes Herimaro abbati injunximus, ut hoc noſtræ voluntatis propoſitum commendaret effectui, & ipſam eccleſiam S. Timothei cùm ſuis reditibus ſtipendiariam faceus, Deo famulaturis inibi Clericis, ex aliis poſſeſſionibus S. Remigii in ſuo cœnobio ſupplementum repararet hoſpitalitatis. Qui libenter noſtræ ordinationi paruit, & ſub noſtro auctoritatis privilegio duodecim canonicos in eodem loco aggregavit : utque regulariter ibidem divino inſiſterent ſervitio, Canonicam præbendam eis inſtituit. Hæc ergo conſtitutio ut fieret efficacior, nos quoque ipſius eccleſiæ altare, ad augmentum ſtipendii eorum, perpetualiter ipſis eſſe proprium conſtituimus, & quamdiu illic fuerint Canonici, ne quiſquam ſucceſſor noſter eis illud auferat, ſub divina auctoritate interdicimus.

cujus fundationis ſeu reſtitutionis litteræ

17 Præterea ratum eſſe volumus, ut ſint immunes ab omni archidiaconorum, & archipresbyterorum exactione, poſiti tantùm ſub ſancti Remigii

AUCTORE J. P.

Remigii dominatione, ſub noſtra tamen poteſtate, & abbatis ſubjectione, quemadmodum & monachi ipſius ſancti Remigii, & ſicut curam ex * eorum animabus abbas de noſtra ſuſcepit, eodem modo de eorumdem Clericorum animabus curam à nobis ſuſcipiat, ipſeque eamdem DECANO, quem ſibi ad eorum cuſtodiam fidelem ſubſtituerit, manu ſua committat: ipſe verò abbas & neceſſaria eis victûs provideat, &, ſi quid in eorum converſatione reprehenſibile invenerit, emendare ſatagat, ut ſecurus in die judicii Deo de eis rationem reddere valeat.

* de

18 Quod noſtræ ordinationis decretum ne quis convellere, vel aliquatenus temerare præſumat, ſub anathemate prohibemus, ad poſterorum memoriam id commendantes chirographo, ſub epiſcoporum, & abbatum, majorumque noſtri Cleri & cæterorum fidelium noſtrorum, qui interfuerunt, teſtimonio. Prandium autem, quod Canonici S. Mariæ hujus Remenſis eccleſiæ ibi accipiebant in feſtivitate SS. martyrum Timothei & Apollinaris, pro Dei amore & noſtro, condonaverunt communi conſenſu perpetualiter abbati Herimaro, & ſupradictis Clericis, ut ſint eorum fratres, ipſorumque memoriam faciant in orationibus ſuis. Cujus donationis largitatem ne quis convellere audeat futuris temporibus, cum coëſſentibus * nobis epiſcopis, & omni Clero, ſub divini numinis obteſtatione comminamur.

hîc profe-runtur,

B

* *i. e.* præſentibus

† Signum domni Gervaſii archiep.
† Signum Elinandi Laudun. epiſcopi.
† Signum Adelardi Sueſſion. epiſcopi.
† Signum Frotlandi Silvan. epiſcopi.
† Signum Vuidonis Beluac. epiſcopi.
† Signum Odonis archidiaconi
† Signum Herimari abbatis S. Remigii.

Actum Remis publicè anno Incarn. Domin. MLXIV, Indictione 2, regnante Philippo rege an. v. Idus Junii.

19 *Hactenus inſtrumentum fundationis; quod tamen, priuſquam ad alia pergamus, obſervationibus ſequentibus elucidare nobis viſum eſt. Marlotus tomo 2, cap. 1, ad annum 970, pag. 2 dubitat, an eccleſia illa ab Adalberone, an ab Artaldo potiùs fuerit conceſſa monaſterio S. Remigii.* Anno, *inquit*, ſui regiminis primo, ut quoddam ſuæ liberalitatis ſpecimen erga Remigianos exhiberet (*Adalbero*,) abbatiam ſancti Timothei Remenſis, quæ præcedentium fuerat archiepiſcoporum, pro hoſpitum receptione eis contuliſſe narratur: quod falſum videri poſſet, cùm Appendicis auctor ad Frodoardum, Artaldo id diſertè tribuat. Exſtat Joannis XIII reſcriptum Pontificatûs anno octavo, ubi prædictæ donationis per Adalberonem fit mentio. At cùm autographum non viderim, nutetque antigraphi fides, ob annos præſertim Pontificatûs Joannis, qui ad octavum vix prorogari poſſunt, eo deſcribendo ſuperſedendum duxi. Eccleſia autem S. Timothei, ſeculi more, abbatia hîc vocatur; licèt cœtus tunc expers eſſet clericorum, dataque hoc titulo primùm eſt Odalrico Aquenſi in ſolatium ſui exilii, poſtmodùm verò Remigianis ad uſum hoſpitalitatis, hoc eſt, ut ex ipſius reditibus ſupervenientes hoſpites cujuſcumque conditionis alerentur. *Sic Marlotus.*

& inquiritur an Adalberoni,

C

20 *Appendix autem illa, quam allegabat,* habetur *poſt Flodoardum à Sirmondo vulgatum anno 1611, fol. 401 & ſequentibus: cui illa præmittuntur de ejuſdem Appendicis ſcriptore;* auctoris eſſe adhuc quidem incerti; ſed quem conſtat, ejuſdem Remenſis eccleſiæ canonicum fuiſſe, Sanſoniſque archiepiſcopi temporibus ante annos CDL vixiſſe. *Hoc verò unde habeat, ibidem indicat Sirmondus:* Id enim nos docuit Epitome Flodoardi, quam duobus libris ab eo contextam vidimus cum hoc brevi ad calcem auctario *&c. Jam verò ille anonymus Appendicis auctor fol. 401 hæc memorat:* Præfatus Artoldus .. abbatiam ſancti Timothei, quæ uſque ad illud tempus Remenſium epiſcoporum extiterat, S. Remigio, de cujus cœnobio aſſumptus fuerat, contulit. *Mabillonius dum ad annum 970, num. 49 beneficia Adalberonis archiepiſcopi Remenſis erga cœnobitas Benedictinos collata recenſet, de hac re, quam in præſentia tractamus, ſubtimidè magis quàm omnino affirmatè hæc pronuntiat:* Quin etiam abbatiam ſancti Timothei, quæ collegiata etiam nunc eccleſia eſt, Remigianis pro recipiendis hoſpitibus contuliſſe TRADITUR. *Inter ea autem, quæ de Artaldo narrat ab anno 931, cui principium archiepiſcopatûs ejus innectit, num. 23, uſque ad annum 961, num. 47, ubi agit de ejus obitu, nihil invenio de conceſſa ab ipſo Remigianis eccleſia, de qua hîc eſt controverſia.*

D

E

21 *Enimverò charta illa ſuperior tam diu eſt iſta fundahabenda in bonis inſtrumentis, donec probetur tio mala: & proinde potior ejus debet eſſe auctoritas, quàm anonymi ſcriptoris, qui tam diu poſt contexuit Appendicem, & hoc diploma, ut liceet ſuſpicari, numquam vidit. Porrò in eodem diplomate parachroniſmos non deprehendi.* Vuido *tamen, ſeu Guido,* Beluacenſis, *id eſt Bellovacenſis* epiſcopus, *qui eidem ſubnotatur, apud Sammarthanos ex Alberici Chronico dicitur ſedere cœpiſſe anno 1066; ſequenti autem ex Sigeberto: ſed, ut non dicam, quòd hic chronographus vixerit ſeculo duodecimo; ille verò ſeculo decimo tertio, proin diu poſt factum, de quo diſputo; illud eſt præcipuum, quòd non videantur accurati fuiſſe in figendo initio iſtius epiſcopatus, atque adeo emendandi. Illis enim duobus opponi poteſt venerabilis Guibertus abbas ſanctæ Mariæ de Novigento, cujus Opera edidit Acherius: in Synopſi autem ipſius vitæ eiſdem prævia ſcribitur obiiſſe anno 1124. Guibertus itaque lib. 1 De vita ſua cap. 13, pag. 471 memorat matrem ſuam, relicta civitate Bellovacenſi, ad villam quamdam nomine Caſtanetum, haud procul inde ſitam, divertiſſe bona cum venia Guidonis epiſcopi Bellovacenſis:* Quo, *ait*, digreſſionis tempore apud epiſcopalem quamdam morata eſt villam, à domino Bellouagenſi pontifice GUIDONE illic commanendi impetratâ licentiâ.

F

22 *Digreſſio autem illa à Mabillonio in An- ſit tribuennalibus Benedictinis tom. 4, ad annum 1063, da. num. 30, illigatur huic anno; unde conſequens eſt, ut ſecundùm computationem ejuſdem Mabillonii jam tum* Guido *fuerit præſul Bellovacenſis. In Appendice ad eumdem tomum 4, pag. 755 datur inſtrumentum comitiorum regni Galliæ, quæ ſunt habita Corbeiæ, regnante Philippo I Francorum rege,* anno ab Incarnatione Domini MLXV; *in quo inſtrumento exſtat* ſign. Widonis Belvacenſis epiſcopi. *Unde ſequitur, initium epiſcopatûs Guidonis perperam à nonnullis differri ad annum 1066. In fide igitur ſuperioris chartæ tribuimus conceſſionem, de qua hîc diſputatur, Adalberoni archiepiſco, non autem Artaldo. Hanc quænam conſecuta ſint noſtrorum Sanctorum venerationis ornamenta videamus.*

an Artaldo

23 Ca-

A *Ejusdem operâ refloruit cultus Martyrum: canonicorum vivendi ratio.*

23 Canonicorum collegio, *inquit Marlotus tomo 2, lib. 1, cap. 36,* in pristinum statum sic restituto, Martyrum basilica multo clarior in dies evasit, cœpitque à fidelibus piè frequentari ob divinam psalmodiam incruentumque Sacrificium statutis horis à sodalibus persolutum. His decanus olim præfectus fuit, demum thesaurarius: at extinctis hisce dignitatibus, divini Officii curam gerit hebdomadarius, qui & præsidet Capitulo. Chartophylacium habent privilegiis à sancta Sede obtentis non mediocriter instructum; sed vulgaribus omnino, & quæ ut plurimùm exoleverunt. Moris fuit apud eos media nocte ad matutinas convenire: at expositis anno MCCCLI abbati S. Remigii periculis, quibus obnoxii erant Canonici, eorumque servientes, maximè cùm pauci ex illis propè residerent, nec muris essent clausralibus vallati, statutum eorum de matutinis deinceps summè manè cantandis capitali studio digestum ab abbate, qui canonicatus pleno jure confert, laudatur die Martis ante Assumptionem beatæ Mariæ. *Per hæc, quæ huc usque deducta sunt, conati sumus magna ex parte facere satis proposito nostro, quod superiùs num. 3 indicavi-*
B *mus, & in varia puncta divisimus, de cultu singulari* SS. Timothei & Apollinaris; *reliqua verò, quæ ad eumdem spectant, prosequamur.*

§ III. Translatio corporum ac supplicationes publicæ apud Remenses; sacra ibidem lipsana, nec non S. Apollinaris Lutetiæ Parisiorum.

In decentiorem thecam Sanctorum corpora transferuntur:

MArlotus *tomo 2, lib. 4, cap. 13 referens ea, quæ contigerunt tempore Joannis de Vienna archiepiscopi Remensis, ad annum Christi 1349 hæc scribit:* Sub id tempus Canonici S. Timothei, paratâ suis sumptibus thecâ ditiori, in quam reliquiæ incliti martyris transferrentur, orant archiepiscopum, ut capituli votum approbare velit suâ licentiâ, & indulgentiarum erogatione. Hic, cùm translationi præsens
C adesse non posset, hanc provinciam episcopo Dragonensi demandavit, & quo celebrior esset sollemnitas populorum frequentiâ, quadraginta dierum indulgentias concessit in perpetuum iis omnibus, qui S. Timothei ecclesiam visitassent anniversario die prædictæ translationis, *uti constat è diplomate, quod subdit laudatus Marlotus. Res hæc accidit* anno Domini MCCCL; die Dominico ante festum Conversionis S. Pauli, *ut in eodem diplomate notatur, è quo etiam discimus, quòd prædictus episcopus Dragonensis non tantùm* S. Timothei, *ut mox indicabatur, sed* beatorum martyrum Timothei & Apollinaris corpora transtulerit sollemniter Remis in ecclesia præfati glorioti martyris. *Ad marginem verò istius diplomatis apud Marlotum, de eodem Dragonensi episcopo observantur ista:* Erat is ex Ordine Carmelitarum; visunturque ejus insignia in columnis clausrri Carmel. Rem.

Supplicationis singulis triennüs instituendæ

25 *Idem historicus in fine capitis proximè citati subdit sequentia:* Idem archiepiscopus anno sequenti rogatus à Canonicis S. Timothei, novo confirmat diplomate supplicationem, quam singulis trienniis facere consueverant ad locum, qui Buxitus olim, nunc Pompella vocitatur, in qua majores capsæ cum reliquiis prædicti Martyris deferuntur eâdem viâ, quâ ad martyrium cum sociis perductus est, impertitis triginta dierum indulgentiis omnibus, qui piè huic interessent. Diploma laudibus respersum, cujus jam meminimus, datum legitur in castro portæ Martis XXVIII Aprilis an. MCCCLI. *Ejusdem verò diplomatis exemplar protulerat Marlotus tomo 2, lib. 1, cap. 36. Ex dicto autem diplomate liquet, solennes ad memoratum locum supplicationes temporibus Joannis de Vienna archiepiscopi Remensis longè antiquiores fuisse. Sic quippe ibi dicitur:* Ad quorum itaque sanctorum Martyrum venerationem & honorem . . . . populus Remensis, & villarum circumvicinarum cum dictæ ecclesiæ Canonicis hunc martyrizationis locum processionaliter devotis orationibus visitare ab antiquissimo tempore consuevit in adversitatibus omnibus, ad Omnipotentis gloriam & liberalitatem benignis prædictorum Martyrum meritis consequendam. *Hæc sunt in isto diplomate apud Marlotum.*

AUCTORE J. P.

confirmatio auctor

26 *Porrò* postmodum, *sicut observat idem auctor*, ob loci distantiam usus obtinuit, ut de E
triennio in triennium feriâ secundâ Pentecostes ex veteri ab ipsius ecclesiæ cunabulis consuetudine celebretur, in qua sacræ Martyrum exuviæ capsis partim argenteis, partim verò ligneis, æreis tamen imaginibus exornatis inclusæ, frequenti populorum concursu ad Pompellam deferuntur: inter quàs ultimum locum meritò sibi vendicat ea, quæ est sancti Timothei, quòd princeps ipse & antesignanus victoriæ fuerit, quam glorioti Martyres de sævissimo tyranno feliciter retulerunt. *Sed quandoquidem de sacris Athletarum nostrorum lipsanis hìc recurrit sermo; nonnulla sunt in promptu, quæ his addi possunt ex Marloto nuperrimè citato, cap. 37; ubi de reliquiis scribens, quibus vetus* S. Timothei *nobilitatur ecclesia, præter alias plures commemorat hasce in rem nostram:*

reliquiæ, quæ sunt apud Remenses, enumerantur,

27 Hujus (*videlicet* S. Timothei) reliquiæ adservantur in capsa SS. Apostolorum, argenteis imaginibus, pretioisque lapillis à Tilpino quondam exornata, Hæc pro oneris gravitate, solemnioribus dumtaxat supplicationibus, & quæ rariissimè fiunt, ad singulare quoddam à Deo impetrandum beneficium, cum aliis cæterarum ecF
clesiarum lipsanis per urbem circumfertur. Supra majus altare quinque aliæ visuntur capsæ, partim ligneæ, partim verò æreis imaginibus exornatæ. Ea, quæ medium occupat, nonnullas etiam B. Timothei reliquias continet.. Secunda beati Apollinaris nomine insignitur... Hujus reliquiæ, & aliquot aliorum Martyrum panno serico involutæ, in sacco coriaceo mixtim includuntur. *Deinde indicatis aliorum Sanctorum sacris lipsanis, quæ in reliquis capsis continentur, ita pergit Marlotus:* Ibidem summa veneratione conservatur æneo vasculo exteriùs deaurato, in capitis humani formam concinnato, caput glorioti martyris Timothei, prædictæ ecclesiæ patroni tutelaris. *Verùm ea, quæ de sacris utriusque Martyris pignoribus hactenus è Remensis metropolis historico retulimus, duplici observatione elucidamus.*

& cum illis, quæ alibi dicuntur esse,

28 *Advertat itaque lector primò, translationem ossium* S. Timothei *in Saxoniam, &* S. Apollinaris *ad monasterium Orbacense, sicut præmissum est suprà* § 1, *num.* 9, *non pugnare cum eorum reliquiis, quas Remis asservari asserebat Marlotus mox allegatus; si dicamus vel suppo-*

AUCTORE J. P.

namus, partem earum aliò transmissam fuisse, partem Remis mansisse: & sic verum est, quod episcopus Draconensis, prout paullo antè dictum est, ibidem utriusque Martyris corpora transtulerit, *sumendo nempe partem corporum pro toto. Advertat lector secundò, oriri difficultatem ex eo, quod Marlotus modò scribebat de capite* S. Timothei *Remis conservato: nam hesterno die in Sylloge de sanctis martyribus Remensibus Mauro ac sociis ejus, § 1, num. 6, ex instrumento, quod Marlotus è Molano recitat, ut ibidem indicatum fuit, habemus, corpus S. Mauri ad cœnobitas Florinenses translatum esse seculo undecimo; non verò hujus Martyris caput; sed* aliud eorum, qui cum eo passi sunt; *videlicet, sicut addit Molanus,* Timothei. *Et cur è tot sociis, qui cum S. Mauro passi sunt eodem die* XXII *Augusti, assignat* S. Timotheum, *qui in rigore loquendo cum eo non subiit martyrium, sed die proximè sequenti secundum Acta? Audiamus Molani rationem:* Ejus enim, *inquit,* expressa mentio est in Officio monasterii Florinensis.

B

conferuntur: sacrum Ipsanum S. Apollinaris Parisiis:

29 *Rectène, an perperam hìc concludat Rayssius, non lubet pluribus disputare; sed dicimus, constare è dicto instrumento, quod citat,* S. Timothei *caput illuc non fuisse nominatim transmissum; sed alicujus anonymi, qui cum S. Mauro passus fuerat, uti patet ex dictis, atque adeo potiùs assentimur Marloto res domesticas scribenti, quàm Molano, instrumenti prædicti sensum non satis fundatè, ut nobis quidem apparet, interpretanti. Quod si Florinenses aliunde possint probare, caput* S. Timothei *apud se asservari, tunc difficultas illa poterit solvi eodem modo, quem suprà assignavimus circa alias reliquias diversis locis existentes, cùm non dicat Marlotus, caput integrum* S. Timothei *asservari apud Remenses; qui tamen certiùs de hac re judicare poterunt, si illis detur facultas inspiciendi sacrum hoc depositum. Neotericus biographus Gallus in collectione sua, quam hac die è variis scriptoribus compilavit de hodiernis nostris Martyribus, refert,* ostendi reliquias insignes S. Apollinaris Remensis Lutetiæ Parisiorum in templo S. Mariæ in platea sancti Antonii. *Quas reliquias superioribus Remensibus addimus auctarii loco.*

C

brevis monitio de Actis.

30 *Ad Acta quod attinet; nihil opus est de iis multa præfari, cùm sub initium hujus Commentarii num. 2 lectorem miserimus ad hesternum diem, ubi historiam SS. Mauri ac sociorum martyrum Remensium dedimus: qui quandoquidem dicuntur consummasse suum certamen dicto die, & eorum Acta immixta sunt narrationi martyrii duorum nostrorum Pugilum, poterit hæc à lectore conferri cum iis, quæ de hesternorum Martyrum Actis dicta sunt. Non itaque huc transcribo quæ memorat Marlotus tomo 1, lib. 1, cap. 16, ubi scribit de primis Martyribus urbis Remensis, & an sub Nerone passi sint; nec censuras, quibus Acta* S. Timothei *Remensis castigat Tillemontius tomo 4 Monumentorum ecclesiasticorum notâ 32, quæ habetur inter plures alias de S. Dionysio Parisiensi; nec otiosè discutiam exemplar Bodecense, de quo heri actum fuit. Quid plura? Accipe nunc, lector, qualiacumque Acta, quæ paucis notationibus illustrabimus, ut melius intelligantur.*

D

ACTA

Ex historia Remensis ecclesiæ Flodoardi, à Sirmondo editæ, libro 1, *cap.* 4, *à fol.* 8 *verso.*

S. Timotheus blanditiis

BEatus... Timotheus, ab Orientis partibus ad hanc Remensem perveniens urbem, Jesu Christi Domini publicè non veritus est prædicare veritatem. Unde & à præside Lampadio, qui tunc præerat huic populo, tentus, &, quòd novæ legis propositum hominibus suaderet, conventus: hinc minis principum, legumque severitate vexatus, opum quoque pollicitatione tentatus, responsum, quod olim ab Ecclesiæ Principe didicerat, improbo incussum supernæ nundinatori gratiæ *a*, rependere non timuit: Divitiæ (inquiens) tuæ tecum sint in perditionem, E & ibis cum ipsis in ignem æternum. Dominus enim meus Jesus Christus Filius Dei, ipse te judicaturus est.

& doloribus frustra tentatus,

2 Tunc Præses irâ repletus, jussit eum torqueri. Et dum Christum constanter inter ipsa cruciatuum confiteretur tormenta, inferens inter cætera, quòd illi, quos præses pro Christi nomine se putabat occidere, ipsi pœnaliter eum judicaturi essent, & præses diceret: Ergo, tu judex eris mei? Ego te occidam, & quis erit, qui te eripiat de manibus meis? sanctus Timotheus respondit: Dominus meus, cui credo, potest me liberare; in te autem debita tormenta immittet. Iterum dum per supplicia multa cruciari jussus fuisset, ait, ad judicem: Quantò tu mihi ampliora tormenta intuleris, tantò ampliùs refrigerium præstabit Dominus, cui credo.

angelorum colloquio confirmatur.

3 Et cùm cæderetur à ministris, exclamavit voce magna dicens: Aspice, Domine, & vide, quæ infert diabolus servo tuo: ne me derelinquas, ne dicant homines: Ubi est Deus ejus? Præses denique jussit calce viva & aceto aspergi plagas ipsius. Sanctus verò Timotheus dixit: Ago tibi gratias, Domine Jesu Christe, qui mihi das tolerantiam, ut hæc possim sufferre. Ita istud factum est in corpore meo, tamquam oleo perunctus sim. Unus autem de ipsis credentibus, nomine Apollinaris, vidit duos angelos stantes ad latus ejus, & dicentes illi: Confortare, Timothee: missi autem sumus ad te, ut ostendamus tibi Dominum Jesum Christum, pro cujus nomine sustines pœnas, ut videas quæ aguntur in cælis. Erige caput tuum, & vide. F

S. Apollinaris

4 Aspiciens autem S. Timotheus, vidit cælos apertos, & Jesum ad dexteram Patris, coronam tenentem ex lapidibus pretiosis, ac dicentem sibi: Timothee, hæc, quam vides, tibi parata est. Accipies illam tertia die imminente de manibus meis. Et angeli dixerunt ei: Confortare, Timothee; & abierunt in cælos. Apollinaris verò cum hæc vidisset, procidens ad pedes ejus, dixit ei: Domine Timothee, ora pro me: ego enim libentissimè torquebor pro nomine Christi, quia vidi tecum loquentes viros splendidissimos, dum tecum loquerentur magnalia Dei illius, qui regnat in cælo.

5 Tunc præses, ut vidit se esse confusum, dixit:

A xit ; Siſtatur Apollinaris : afferte autem mihi plumbum bulliens, & effundite in os ipſius, ut non talia verba loquatur. Cumque allatum fuiſſet plumbum bulliens, & miſſum in ore ejus, factum eſt frigidum tamquam glacies. Viſo autem hoc miraculo, multitudo magna credidit in Dominum Jeſum Chriſtum. Tunc præſes iracundiâ plenus & confuſione, dixit : Ducite illos in carcerem, uſque dum ego pertractem, quo ſupplicio interficiantur. Cùm autem ducerentur, plurima turba ſequebatur eos flens, & dicens : O injuſtum judicium, quod incidit in civitatem iſtam ! Perducti ſunt verò in carcerem : & multi erant circa eos, deſiderantes conſolari à ſancto Timotheo *b*.

cum multis aliis convertitur,

b

6 Altera autem die procedens præſes ſedit pro tribunali, ſanctum verò Timotheum & Apollinarem adduci præcepit. Aſtantibus autem illis, ait ad eos præſes : Infeliciſſimi hominum, conſentite præceptis imperatorum *c*, & adorate eos, quos illi adorant. Timotheus & Apollinaris dixerunt : Nos dæmones non adoramus, ſed ſolum Dominum Jeſum Chriſtum, qui eſt Deus vivus & verus : ipſum oportet confiteri nos. Tu ergo ne putes nos artibus tuis ſeparari à caritate, & à regno Dei. Hoc autem tibi notum ſit, quia quâ horâ nos putas mórtificari, tunc vivificamur, ſicut illi, qui à te heſterna die interfecti ſunt *d*, & vivunt in cælis. Te ergo percutiet Jeſus Chriſtus ulcere peſſimo.

utriuſque

c

B

d

7 Iratuſque præſes, dixit : Iſtos ſi non mortificavero, alii multi ad novam ſectam venturi ſunt. Sic dedit adverſus eos ſententiam, ut gladio interficerentur. Illi autem cum magna fiducia producti ſunt extra civitatem in via, quæ appellatur Cæſarea, in locum, qui Buxitus *e*, dicitur, ibique martyrizavit eos ſub die decimo Calendas Septembris, & coronati ſunt ab angelis, & vox audita eſt, dicens : Venite, Timothee & Apollinaris, dilectiſſimi mei, & oſtendam vobis quanta mirabilia meruiſtis pro animabus veſtris, quas obtuliſtis pro nomine meo : & ſcitore quæ facturus ſum Lampadio præſidi. Statimque jaculum igneum deſcendit de cælo, multis videntibus, & ingreſſum eſt humerum ejus dextrum, & à dæmonio arreptus vitam finivit. Corpora verò ſanctorum ſepulta ſunt à Chriſtianis die nono Calendas Septembris.

martyrium, ac tyranni interitus.

Ex Flodoardo. *e*

ANNOTATA.

a *Simoni videlit mago, ex Actis Apoſtolorum cap.* 8, ℣. 20. *Ms. Bodecenſe :* An neſcis, miſer, quid Simoni mago contigit . . , qualiter eum præcipitaverunt Apoſtoli Petrus & Paulus ?

b *Quæ hinc ſequuntur in narratione Flodoardi uſque ad numerum ſequentem, de baptiſmo ac viſione* S. Apollinaris, *& angeli ad eum verbis, nec non de martyrio Athletarum quinquaginta, heri ſunt relata in Comm. prævio SS. Mauri & ſociorum § 2 in fine.*

E

c *Hunc terminum ibidem caſtigavimus num.* 13 : *qui tamen rectiùs manſiſſet intactus propter ea, quæ ſuprà ſunt in Annotatis pag.* 572, *lit.* f.

d *S. Maurus cum ſociis.*

e *Locus hic deinde* Pompella *dictus fertur. Vide Commentarium hiſce Actis prævium § 3, num.* 25.

DE S. THEONA VEL TEUNA,

EPISCOPO ALEXANDRINO,

COMMENTARIUS HISTORICUS.

G. C.

C

§ I. Varium Sancti hujus nomen, antiquus cultus ex Martyrologiis, & eccleſia, quæ olim Alexandriæ in Ægypto ad honorem ejus exſtructa fuit.

F

An. ccc. *Sancti hujus nomen,*

Hic Sanctus ab Euſebio Cæſarienſi Θεωνᾶς, ab Æthiopibus Teuna, *& ab aliis vicino hujuſmodi nomine appellatur, ut per decurſum hujus Commentarii videbimus. At neſcio, cur idem Sanctus in Annalibus Alexandrinis, quos Eduardus Pocockius ex idiomate Arabico Latinos fecit,* Neron *vocetur ab Eutychio patriarcha Alexandrino, qui tomo* 1 *iſtius Operis pag.* 399 *per interpretem ſuum de Sancto noſtro ſic loquitur :* Creatus eſt Neron patriarcha Alexandrinus, ubi novemdecim annos ſedit ; dein mortuus eſt. Chriſtiani autem Alexandrini in ſpeluncis & domibus clam orabant metu Romanorum, ne ipſos trucidarent ; neque manifeſtè ſe exhibebat patriarcha in Alexandria ; at cum patriarcha crearetur Neron, ille ſe manifeſtò exhibuit, neque deſtitit Romanos demulcere, donec Alexandriæ eccleſiam dominæ Mariæ ſacram exſtrueret.

2 *Eruditiſſimus Renaudotius in Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum pag.* 53 *hanc ignotam nominis mutationem potius interpreti Pocockio, quàm ipſi Eutychio patriarchæ tribuit, & circa novam iſtam Sancti noſtri appellationem obſervat ſequentia :* Supereſt, ut moneamus, non aliter ab Eutychio quàm ab aliis vocari hunc Patriarcham ; ſed ridiculè prorſus Pocockio factum, ut codices ſuos ſecutus, quos non admodum antiquos fuiſſe fatetur ultro, NERONEM eum appellaverit, cum ipſe in indice patriarcharum veram nominis ſcripturam agnoſcens THEONAM repoſuerit. Nempe ſi quis eâdem ſuperſtitione potius quàm religione omnia librariorum Arabum in nominibus propriis portenta exprimenda arbitretur, Utopiæ hiſtoriam, non Eccleſiæ ſcribet. Id tamen perpetuò obſervavit auctor cetera diligentiſſimus, magno ſane lectorum incommodo, eorum præſertim, qui Latina tantùm verſione uti poſſunt. *His circa verum* S. Theonæ *nomen obſervatis, ad cultum ejus probandum progrelior.*

quod ab aliquo perperam mutatum eſt.

AUCTORE G. C.

3 *In Calendario Æthiopico ad diem ſecundam menſis Ter, ſive die* XXVIII *Decembris noſtri, colitur* Theonas patriarcha Alexandrinus, *& ab Æthiopibus* columen eccleſiæ *vocatur, ut Ludolfus ejuſdem Calendarii editor ibidem pag.* 404 *in notis obſervat. Sollerius noſter in Hiſtoria chronologica Patriarcharum Alexandrinorum, quæ tomo* V *Junii præfigitur, pag.* * 33 *refert verba poëtæ Habeſſini ſive Æthiopis, quibus pietas hujus ſancti Præſulis Alexandrini ſic laudatur:* Salutem dico patriarchæ Teunæ, qui Petrum, ſuum poſtea ſucceſſorem, baptizavit; & preces ſingulis horis à quolibet recitandas inſtituit, ac turrim Mariæ Virginis nomini ædificavit. *Per hanc* turrim *intelligi videtur eccleſia, in honorem Deiparæ conſtructa, cujus Eutychius patriarcha Alexandrinus ſuprà meminit, ut inferiùs alia occaſione dicemus.*

refertur in Synaxario Æthiopico,

4 *In Martyrologio Coptico, quod Simon Moyſis, alumnus Collegii Maronitici Romæ Latinè interpretatus eſt, eâdem die ſecundâ menſis Tubæ, qui ſicut Ter Æthiopicus, diei* XXVIII *Decembris noſtri reſpondet, annuntiatur annua memoria* ſancti Taunæ Alexandriæ papæ, id eſt, patriarchæ, *& eximius Antiſtes ille ornatur ibidem ſequenti elogio:* Iſte fuit doctus & Dei timoratus, & ædificavit eccleſiam in Alexandria, & juſſit celebrari ſacrum in ea; antea in domibus celebrabant propter perſecutionem, & multos baptizavit. Suo tempore pullulavit hæreſis Sabellii, qui dicebat, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum eſſe unam perſonam; quem anathematizavit & interdixit. Sedit XIX annis, & quievit in pace. *In altero Coptitarum Martyrologio invenitur ad diem quartam menſis Tubæ, vel trigeſimam Decembris noſtri, quemadmodum laudatus interpres Maronita in Appendice ejuſdem Martyrologii teſtatur his verbis:* In hac die *(nimirum quartâ Tubæ, ſicuti præmiſerat)* etiam celebratur dies feſtus ſancti Taunæ, & in alio Martyrologio fit mentio de illo in ſecunda die hujus menſis. *Denique ad diem tertiam ejuſdem menſis in alio Calendario Coptico, quod à Kirchero noſtro collectum videtur,* Theodas patriarcha Alexandrinus *annuntiatur.*

Martyrologiis Copticis,

B

C

5 *Quidquid ſit de vero annuæ venerationis die, qui forſan apud Coptos ob alias feſtivitates occurrentes interdum mutatur, Martyrologi Latini conſtanter hunc ſanctum Præſulem memorant die* XXIII *Auguſti, inter quos auctor veteris Martyrologii Romani breviter hac die feſtum* Theonæ epiſcopi *aſſignat. Hunc imitatus eſt Ado, & veroſimiliter ex aliis antiquis monumentis addidit ſequens elogium:* Eodem die, beati Theonæ apud Alexandriam, venerabilis & verè Deo digni, qui beatum Petrum epiſcopum, pòſt & martyrem, nutrivit, in omni puritate & animi virtutibus clari. *Moſander hanc periodum nonnihil aliter interpungit, & in fine elogii ejuſdem poſt punctum ſic legit:* Hic in omni puritate & animi virtutibus epiſcopus claruit. *Illud pronomen* hic *potius ad S. Petrum martyrem &* S. Theonæ *ſucceſſorem, quàm ad ipſum* S. Theonam *referri debet in iſto elogio, ſi genuina ſit Moſandri lectio. Verùm præferenda videtur lectio Roſweydi noſtri, qui ſuam Martyrologii Adoniani editionem cum multis manuſcriptis codicibus contulit. Ceterùm Uſuardus, omiſſis reliquis, primam hujus elogii partem ex Adone tranſcripſit in hunc modum:* Alexandriæ ſancti Theonæ epiſcopi venerabilis & verè Deo digni. *Magis compendiosè Martyrologium Romanum, quo nunc utimur,* Alexandriæ, ſancti Theonæ epiſcopi & confeſſoris *memoriam annuntiat, & alia prætermittit.*

& Latinis, ex quibus antiquus ipſius cultus probatur,

D

6 *Quamvis hæc ſufficiant ad immemorabilem* S. Theonæ *cultum oſtendendum, tamen his omnibus Martyrologis antiquior ejuſdem Sancti veneratio probatur ex Apologia ſancti Athanaſii ad imperatorem Conſtantium, quæ in noviſſima Pariſienſi Operum ejus editione tomo* I *pag.* 295 *& ſequentibus legitur: cum enim Ariani ſancto Athanaſio objeciſſent,* in magna eccleſia habitam fuiſſe ſynaxin, priuſquam completum ædificium eſſet, *magnus ille Arianorum adverſarius hanc accuſationem diluit, & exemplo aliorum præſulum iſtud factum ibidem pag.* 304 *tuetur his verbis:* Beatæ quippe vir memoriæ Alexander *(nimirum patriarcha Alexandrinus, cui ſanctus Athanaſius ſucceſſit)* ob aliorum locorum anguſtiam, dum ipſe eccleſiam, quæ omnium maxima tunc putabatur, Theonæ dictam, exſtrueret; in ea tamen ob populi frequentiam conventus egit, neque interim ob populi conventum ædificii conſtructionem intermittebat. *Igitur hîc vides, ante medium ſeculi quarti eccleſiam in honorem* S. Theonæ *ab Alexandro conſtructam fuiſſe.*

confirmaturque ex eccleſia quadam Alexandrina,

E

7 *In Actis SS. Pachomii & Theodori, quæ in Opere noſtro ad diem* XIV *Maii illuſtrata ſunt, Ammonius epiſcopus, & auctor coævus S. Athanaſio, de eâdem* S. Theonæ *eccleſia meminit, dum apud nos tomo tertio Maii pag.* 356 *ad Theophilum præſulem Alexandrinum inter alia ſic ſcribit:* A Theodoro igitur abire permiſſus, eumque oſculatus, multis cum lacrymis, ut pro me Deum deprecaretur, oravi. Poſtquam meos deinde parentes conveni, ad montem Nitriam me contuli, ſextoque poſt menſe, cum beatus pontifex Athanaſius id temporis ſub Conſtantio ab Arianis cum furore inveſtigaretur, ſanctique per Ægyptum & in urbe Alexandrina monachi ac virgines, & laici religioſiores multa ſuſtinerent incommoda, & verberibus vulneribuſque confi-cerentur, univerſa quoque Ægypto abire jubererentur epiſcopi, Ducis Ægyptiaci titulo tunc gaudente Sebaſtiano, ſucceſſore Syriani, cujus juſſu complures Deo per caſtitatem devotæ virgines IN IPSA SANCTI THEONÆ EPISCOPI ECCLESIA telis ſceleratorum fuerant interemptæ *&c. Hæc eadem narratio circa finem ejuſdem tomi tertii pag.* 70 * *Græcè legi poteſt. Præterea S. Epiphanius hæreſi* XLIX *aliàs* LXIX *cap.* 2, *ſive in editione Petavii noſtri tomo* I *pag.* 728, *plures Alexandriæ eccleſias nominatim recenſens, etiam de* eccleſia Theonæ *mentionem facit. Hinc antiquus* S. Theonæ *cultus abundè ſtabilitur.*

quæ olim ab hoc Sancto cognomen traxit.

F

§ II. Chronologicum epiſcopatûs initium, incerta Sancti geſta, & veroſimillimus mortis annus.

Hic Sanctus, qui anno 282 cathedram Alexandrinam aſcendit,

SOllerius noſter in Tractatu de Patriarchis Alexandrinis ante tomum V *Junii pag.* * 33 cenſet, S. Theonam *anno Chriſti* 282 *ad cathedram Alexandrinam evectum eſſe. Cum hac chronologia ferè concordat Euſebius Renaudotius, dum in Hiſtoria patriarcharum Alexandrinorum pag.* 50 *ſic ſcribit:* Maximo, cum ex hac vita migraſſet, ſuffectus eſt Theonas unanimi ple-

A plebis Chriſtianæ conſenſu ; neque apud Severum , Eutychium , Elmacinum , Makrizium aut alios auctores mentio eſt vacationis Alexandrinæ ſedis per annum integrum , quam aſſignat auctor Chronici Orientalis. Sed omnes Euſebio conſentientes , ſtatim eum ordinatum eſſe ſtatuunt poſt prædeceſſoris ejus obitum , anno ſcilicet Jeſu Chriſti CCLXXXII aut CCLXXXIII. Atque ita conſtabit chronologia Severi , qui ejus initium alligat ANNO PRIMO AURELII , inquit , CARII ET CARIANI ; nempe Aurelium , quod erat nomen utriuſque Cari & Carini , pro tertio imperatoris nomine accepit. *Nobis hîc non lubet diſcrimen unius anni , de quo Renaudotius dubitat , operoſiùs examinare.*

dicitur ibidem eccleſiam

9 *Veroſimiliter geſta* S. Theonæ *litteris mandata ſunt & fortè perierunt in terribili illa Diocletiani perſecutione , quæ poſt hujus eximii Præſulis obitum exorta eſt. Certè nunc quædam de illo narrantur , quæ deſumpta ſunt ex Actis S. Petri martyris & ſucceſſoris ejus , de quibus Pagius in Critica Baronii ad annum Chriſti* 310 *num.* 4 *tale fert judicium :* Porrò viſio ejuſdem B ſancti Petri de Ario , ejuſque martyrii Acta , tam quæ apud Surium leguntur , quàm quæ Græcè ac Latinè à Combefiſio edita ſunt , varias falſitatis & ſuppoſitionis notas præferunt. Nam præter eas , quæ à Baronio obſervatæ , in iis dicitur , Millium quemdam fuiſſe epiſcopum Alexandrinum , ſanctum Heraclam poſt ſanctum Dionyſium & Maximum eccleſiam Alexandrinam rexiſſe , & fideles voluiſſe condere corpus S. Petri in eccleſia ſancto Theonæ ſacra ; quæ omnia à veritate aliena : ea enim eccleſia nondum ædificata erat ; teſtatur quippe Athanaſius in Apologia prima , eam exſtrui curaſſe ſanctum Alexandrum Alexandriæ epiſcopum , qui poſt Theonam ſedit. *Verùm Acta illa fusè diſcutienda erunt ad diem* XXVI *Novembris , qua feſtum S. Petri martyris & antiſtitis Alexandrini in Martyrologio Romano celebratur. Interea conſuli poſſunt Tillemontius tomo* 5 *Monument. Eccleſ. pag.* 755 , *& Remigius Ceillier Benedictinus in Hiſtoria generali ſcriptorum ſacrorum tomo* IV *cap.* 1 *art.* 5 , *ubi plura ſuppoſitionis indicia allegantur.*

C *ſub nomine Deiparæ conſtruxiſſe ,*

10 *Ne quis porrò decipiatur legendo geſta* S. Theonæ , *quæ apud Ægyptios aut Arabes vulgò circumferuntur , ea excerpemus ex Euſebio Renaudotio , & cautionis gratiâ cenſuram ejus aut noſtram illis adjungemus. Itaque vir ille rerum Orientalium peritiſſimus in Hiſtoria ſuperiùs citata , pag.* 50 *narrationem ſuam , ex diverſis auctoribus Orientalibus contractam , ſic exorditur :* Pauca ſunt admodum de Theona memoriæ prodita ; illud præcipuum , quòd , cum huc uſque Chriſtiani in ſpeluncis lociſque remotis preces & ſynaxes celebrare cogerentur ob perſecutionis ſævitiam , ipſe eccleſiam ſub nomine beatæ Mariæ ædificavit , quam TAMAOUTHA appellavit ; nempe θάυματα , ut conjicere licet , à miraculis. Sanè Alexandriæ antiquiſſimam fuiſſe eccleſiam MUALLACA dictam , aliàs Catholicam , ut ex Pontificali Coptico diſcimus , & quæ Dei Genitricis titulo conſecrata eſſet , docent nos omnes Arabum Chriſtianorum hiſtoriæ. An ipſa ſit , quam à Theona conſtructam ſcribunt Severus , Eutychius , Elmacinus , aut ea , quam Theonæ nomine appellatam teſtatur Athanaſius , & ab Alexandro conſummatam , affirmare non poſſumus.

11 Neque ſanè videtur convenire temporum rationi , ut tunc ſub invocatione ſanctæ Virginis ſacra ædes erigeretur. Fieri autem potuit , ut , cùm edictis imperatoriis eccleſiæ penè omnes dirutæ forent , nova à Theona excitata fuerit. De ea intelligenda ſunt verba Synaxarii Æthiopici , ubi turrim ædificaſſe Theonam beatæ Mariæ , Æthiops vel potius Ludolfus ſcripſere. *Quamvis hoc loco Renaudotius innuat , non convenire temporum rationi , ut tunc ſub invocatione Deiparæ templum conſtrueretur , attamen hîc obiter advertimus , id optimè congruere primis annis imperii Diocletianei , de quo tempore Euſebius lib.* 8 *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap.* 1 *poſt alia ſic oculatum teſtimonium reddit :* Similiter & ſingulis eccleſiarum antiſtitibus ſummum honorem , cultum ac benevolentiam ab omnibus tam privatis , quàm provinciarum rectoribus deferri vidiſſes. Jam verò quis innumerabilem hominum quotidie ad fidem Chriſti confugientium turbam , quis numerum eccleſiarum in ſingulis urbibus , quis illuſtres populorum concurſus in ædibus ſacris cumulatò poſſit deſcribere ? Quo factum eſt , ut priſcis ædificiis jam non contenti , in ſingulis urbibus ſpatioſas ab ipſis fundamentis exſtruerent E eccleſias. *Ex his ſaltem colligitur , in Martyrologio Coptico & Synaxario Æthiopico circa hanc eccleſiæ ſtructuram nihil improbabile narrari. Verum ad alia pergamus.*

AUCTORE G. C. *quod nobis non improbabile videtur.*

12 *Ibidem pagina ſequente laudatus Renaudotius aliam hiſtoriam ex auctore ſeculi decimi refert his verbis :* Sub eo patriarcha natus eſt Petrus martyr , qui deinde Alexandrinam eccleſiam ſanctiſſimè gubernavit & fuſo ſanguine illuſtravit. Ejus nativitatem miraculo impetratam narrat Severus hunc in modum. Erat ſacerdos quidam pius cum uxore ſua ſanctiſſima femina ; ambo firmi in fide , vitamque juxta Chriſtianæ religionis præcepta in bonis operibus tranſigebant. Carebant prole , quod non mediocri dolore illos afficiebat. Unde ſacerdos jejuniis precibuſque continuis & eleemoſynis intentus , Deum ſupplicabat , ut filium ſuſcipere poſſet. Cum verò celebraretur feſtivitas Apoſtolorum Petri & Pauli , quam Chriſtiana plebs magno ad eccleſiam concurſu celebrabat , ſacerdos ille & uxor ejus viderunt fideles adducentes filios ſuos coram Sanctorum imaginibus , oleoque lampadis , quæ ar- F debat è conſpectu , eos captandæ benedictionis gratiâ linientes. Eo ſpectaculo magis commoti , quod orbitatis ſuæ memoriam renovaret , ſuſceptis ſacris myſteriis Deum laudantes domum reverſi ſunt.

Teſte Renaudotio ,

13 Ipſa nocte viderunt per ſomnium viros duos ornatu patriarchali , qui mulieri dixerunt , ne triſtitiâ afficeretur ; fore enim ut , auditis eorum precibus , daret ipſis Deus filium , qui non modò oculos eorum clauderet , ſed pater foret magnæ hominum multitudinis , cujus fama & ſanctitas tamquam Samuëlis prophetæ inclareſceret , quia filius promiſſionis futurus erat. Igitur cum luceſcet , vade , inquiunt , ad Theonam patriarcham , & hæc omnia illi ſignificato , ut benedicat tibi : nam Deus per miſericordiam ſuam dabit tibi filium benedictum. Quæ cum feciſſet mulier , paulo pòſt gravida facta , toto tempore , quo uterum geſtavit , in orationibus , jejuniis , continentiaque perſeveravit uſque ad feſtum Apoſtolorum , atque eo ipſo die peperit puerum , maxima parentum ipſiuſque Theonæ patriarchæ lætitia. Juſſit ille puero Petri nomen dari. Cum ad tertium ætatis annum perveniſſet , obtulerunt eum Patriarchæ , qui eum baptizavit.

ſcriptores Arabes

AUCTORE G. C.

Cum annum quintum ageret, magistris ad eruditionem traditus, tantum brevi tempore profecit, ut septimo ætatis anno lector ordinatus fuerit; duodecimo Diaconus. Tandem decimo septimo anno completo sacerdos ordinatus est, cum inter Diaconos doctrinâ morumque sanctitate emineret, præsertim verò die nocteque ab ecclesiæ ministerio non recederet. Hæc de Petri vita, antequam ad episcopatum assumeretur, Severus ex Actis, quæ apud Arabes conservata sunt, qualia multis exemplis exstant, tam apud Græcos quàm apud Latinos, & pauca dicentur de illis in ejus historia. *Verùm in Actis Latinis & Græcis apud Surium aut Combefisium non inveniuntur illa nativitatis adjuncta, de quibus infrà judicium feretur.*

gesta quædam fabulosa,

14 *Interim prosequamur alia ad* S. Theonam *spectantia, & ab Arabibus conscripta, quæ Renaudotius pag.* 52 *sic contraxit:* Theona sedente, orta est Sabellii hæresis, qui Personarum divinarum Trinitatem impugnabat, unamque personam Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse asserebat. Is Alexandriam cum venisset, multis jam in errorem suum abductis, impudenter ad ecclesiam venit, cum in ea Theonas esset, misitque, qui eum provocarent, ut cum eo de fide disputaret, ita ut si Theonas eum convincere erroris non posset, ad ejus sententiam accederet; ipse verò Sabellius demonstraturus postea foret apud populum, quàm graviter in rebus fidei Theonas hallucinaretur. Is, contempto hæresiarcha, misit Petrum sacerdotem mandans ut illius audaciam compesceret. Sabellius de Theonæ superbia conquestus est, qui nullum alium ad se mitteret, quàm adolescentulum. Petrus Dei auxilio confisum se, tamquam David adversus Goliath gigantem, adversus eum prodire dixit, ejusque blasphemias confutaturum. Cumque ad eum verba fecisset, ejusque impietatem redarguisset, Sabellius vertigine correptus, in terram lapsus & mortuus est; & simul ejus hæreseos memoria prorsus exstincta est.

ut ostenditur,

15 *At Renaudotius lectorem post hanc narrationem rectè monet hoc modo:* Hæc frustra quisquam ex Græcis Latinisve auctoribus elucidare aggrederetur, cum veritati manifestè repugnent; neque de Sabellii rebus gestis certi quidquam apud Arabes reperiatur. Fieri potuit, ut Alexandriam veniret (erat enim ex Lybia Pentapolitana;) sed reliqua ex eorum incredibilium genere sunt, quibus magnopere delectantur Orientales, adeo ut magis hoc in genere attenti sint ad quisquilias omnes colligendas, quàm ad veritatem illustrandam. *Adde, quod hîc assignata Sabellianæ hæreseos origo contradicat Eusebio Cæsariensi, qui lib.* 7 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* 6 *testatur, Sixtum II Pontificem Romanum ab Alexandrino præsule Dionysio certiorem redditum esse* de Sabellianis hæreticis, utpote qui tunc temporis increbrescebant. *Eusebius ibidem ipsa Dionysii verba allegat, & capite vigesimo sexto ejusdem libri septimi recenset alias istius antistitis Alexandrini lucubrationes, quas* contra Sabellium *composuit. Si impia Sabellii doctrina jam percrebuerat sub episcopatu Dionysii, qui ecclesiam Alexandrinam anno Christi* 248 *gubernare cœpit, eamque anno* 264 *moriens Maximo successori suo reliquit, quomodo hæc Sabellii hæresis* orta est, sedente Theona, *qui primùm anno Christi* 282 *eamdem cathedram ascendit? Non est operæ pretium has & alias hujusmodi narratiunculas pluribus argumentis impugnare.*

16 *Attamen patienter audiamus ultima duo facta, sancto* Theonæ *adscripta, eo quod illa breviter ita narrentur:* Tandem refertur miraculum de energumeno per eum sanato; qui cum ad ecclesiæ limen tumultuaretur, & in obvios conjiceret lapides, jussus est Petrus dæmonem ejicere. At is priùs aquam in vase Theonæ obtulit, ut eam crucis benedictione signaret; tum ad hominem accedens eum liberavit. *Huic alterum sic addit:* Aiunt, Theonam in extremis positum, convocatis fidelibus, sacerdotibus & laïcis, cum eos flentes videret, quod orphanos eos relinqueret: Non, inquit, orphani eritis; ecce enim pater vester Petrus, qui post me patriarcha futurus est; & eum, antequam obiret, ab eo ordinatum. *Quidquid sit de energumeno, per S. Petrum liberato (certioribus documentis destituti hanc rem nec affirmare nec inficiari possumus) non facilè credimus, eumdem Petrum septemdecim vel octodecim annorum adolescentem à sancto* Theona *moribundo ordinationem episcopalem accepisse, quemadmodum hoc loco traditur: cum enim Petrus sub episcopatu* S. Theonæ *natus dicatur, & hic annis novemdecim incompletis in cathedra Alexandrina sederit, in hac hypothesi nobis non fit verosimile, illum adeo juvenem à decessore suo ad eamdem celeberrimam Orientis cathedram evectum fuisse.*

& alia saltem incerta

narrant de Sancto nostro,

17 *Unde non immerito Renaudotius ibidem pag.* 53 *de tota illa Severi aliorumque Arabum narratione judicium suum exprimit his verbis:* Pleraque eorum, quæ Severus de Theona refert circa Petri ordinationem ad sacerdotii ministerium anno ætatis decimo septimo, & alia miracula leguntur in variis Orientalium libris; neque tamen idcirco certiora habenda sunt: nam ex Severo Elmacinus & alii descripsere. Non videtur autem fieri potuisse, ut contra canonum auctoritatem ordinatio ejusmodi facta fuerit. Verùm conjectura satis verosimilis est, eos qui primi quam retulimus historiam consarcinaverunt, seu Græci, seu Latini, seu Arabes, cum eum sub Theona natum esse statuerint, ut totam miraculorum seriem uno filo pertexerent, addidisse, eum in ipsa pueritia & adolescentia ordinatum, quod vix patitur temporum ratio. Et sanè secundùm auctores, quorum certior quàm Arabum omnium fides est, Petrum majorem natu fuisse, quàm ut sub Theona natus sit, videtur certissimum. *Cum igitur pleraque sint incerta, quæ de* S. Theona *circumferuntur, saltem probabiliorem mortis ejus annum assignemus.*

qui anno 300 ad Superos migravit.

18 *Circa tempus sedis & obitum* S. Theonæ *Sollerius noster in Tractatu de Patriarchis Alexandrinis pag.* * 32 *& sequente sic disserit:* Cum certum sit ex præcitato Eusebii lib. 7 cap. ultimo, Petrum Theonæ successorem, præfuisse annis XII; & ante persecutionem quidem TRIBUS FERE ANNIS, id est, tribus circiter annis; dubitari profectò non potest, quin anno CCC thronum conscenderit, ut admittunt prælaudati Pagius & Tillemontius. Unde consequens est, Theonæ tempora ita interpretanda, ut à mense Aprili CCLXXXII, ad Januarium CCC sedem tenere non potuerit, nisi annis novemdecim utrimque incompletis. Quid Labbeum moverit ad obitum Theonæ cum anno CCXCVIII copulandum, nec divinando assequi possum. *Ab hac chronologia non abhorret Renaudotius, qui in Opere jam sæpius laudato pag.* 50 *&* 51 *ex Severo annum emortualem* S. Theonæ *sic determinat:* A DIVO MARCO,

A MARCO, inquit Severus, AD ANNUM TERTIUM PATRIARCHATUS THEONÆ FLUXERUNT ANNI CCXIX. Obiit autem ſecundâ Tubæ ſeu Tybi Ægyptiaci, cum ſediſſet annis XIX, nempe anno Jeſu Chriſti CCC exeunte: neque enim Hieronymi Chronicon mendo carere credendum eſt, dum initia ſucceſſoris ejus Petri removet ad annum uſque CCCII: nam is triennio circiter ante Diocletiani perſecutionem eccleſiam adminiſtravit; cœpta autem perſecutio anno CCCIII. *Ex utroque hoc ratiocinio habes veroſimillimum tempus, quo* S. Theonas *ad Cælites migravit. Cum verò geſta ipſius incerta ſint, ut ſuprà diximus, jam paragrapho ſequente diſpiciemus, an huic Sancto noſtro vindicare non poſſimus epiſtolam, quam poſtea tranſcribemus, & ex qua ſaltem in genere prudentem piamque ejus indolem colligemus.*

§ III. An epiſtola, quæ nomen Theonæ præfert, Sancto noſtro adſcribenda ſit.

B

Acherius epiſtolam Theonæ nomine editam,

LUCAS *Acherius in Spicilegio ſuo primæ editionis tomo* XII *pag.* 545 *è tenebris in lucem protulit antiquum documentum, cui præfigitur hic titulus:* EPISTOLA THEONÆ EPISCOPI monita Chriſtiana & politica Luciano præſcribit. *Primam hujus tituli partem, quam litteris majuſculis diſtinximus, in ipſo Ms. codice reperiri arbitramur, & alteram ab interprete Latino vel editore additam fuiſſe. Cum autem in titulo illo non exprimatur, cujus urbis epiſcopatum Theonas iſte adminiſtraverit, Acherius lectori in præfatione ante duodecimum Spicilegii ſui tomum pag.* XX *& ſequentibus proponit varias conjecturas, quas jam ſingillatim diſcutiemus. Cum tamen inter illas conjecturas apertè pronuntiet, hanc epiſtolam* S. Theonæ *noſtro tribui non poſſe, nos eamdem probabiliter huic Sancto vindicare conabimur. Quapropter omnia & ſingula, quæ Lucas Acherius hac de re ſcripſit, ipſis adverſarii verbis referemus, ne quid ex argumentis ejus mutaſſe aut imminuiſſe videamur.*

C

quæ ex idiomate Græco Latinè reddita eſt.

20 *Igitur in memorata præfatione ad lectorem pag.* XX *de epiſtola illa ſic ratiocinari incipit:* Theonæ epiſcopi ad Lucianum damus epiſtolam horum initio additamentorum. Porrò quis iſte fuerit Theonas, conjiciendo potius, quàm affirmando demonſtrandum eſt. Hominem Græcum facilè agnoſcas vel ex nomine, ac multo magis ex his epiſtolæ verbis: DIVINAS SCRIPTURAS LAUDARI CONABITUR, QUAS MIRA DILIGENTIA ET LARGISSIMO IMPENDIO PTOLEMEUS PHILADELPHUS IN LINGUAM NOSTRAM TRADUCI CURAVIT; linguam videlicet Græcam, ut quidem arbitrati ſunt quotquot eam rem memoriæ prodiderunt; qua lingua uſum ſe non obſcurè innuit Theonas. Quis porrò is, quantuſque fuerit, aut quem nactus ſit interpretem, nullatenus diffinire auſim. *Libenter admittimus, hanc autographam epiſtolam Græcè conſcriptam fuiſſe, ac etiam ultrò fatemur, nobis Latinum illius interpretem ignotum eſſe. Sed nihil inde contra* S. Theonam *noſtrum concludi poteſt, quandoquidem idioma Græcum in Palæſtina & Ægypto aliiſque Orientis regionibus tunc uſitatiſſimum fuit, ut liquet ex ſcriptis Euſebii Cæſarienſis & Dionyſii Alexandrini patriarchæ, aliiſque innumeris iſtarum regionum auctoribus, qui Græcâ linguâ polemicas aut hiſtoricas lucubrationes poſteritati reliquerunt.* AUCTORE G. C.

Sancto noſtro abjudicat;

21 *Magis ad controverſiam noſtram ſpectat illud, quod Acherius ibidem & pagina ſequente ſubnectit in hunc modum:* Equidem apud Euſebium lib. VII cap. XXXI (*apud nos in editione Valeſiana eſt caput* XXXII *iſtius libri ſeptimi*) unum reperio Theonam, quemdam Petri deceſſorem, ſedem Alexandrinam à CCLXXXVIII anno (*potius ab anno* CCLXXXII, *quemadmodum ſuprà demonſtratum eſt*) ad uſque annum CCC inculpabiliter tenuiſſe. Sed hæc epiſtola non poteſt eum habere auctorem, quando is Diocletiano ac Maximiano imperantibus vixit, quorum uterque implacabili odio Chriſtianos inſectatus eſt, nedum eis Auguſtum caput tuendum permiſit, quod Theonas noſter de imperatore ſui temporis expreſſe tradit. *Sed hanc levem Acherii ratiunculam facilè refutabimus, & ex duobus teſtibus coævis oſtendemus, iſtos Chriſtianos aulæ miniſtros optimè Diocletiani imperantis initio convenire.*

E

ſed nos ex Euſebio Cæſarienſi;

22 *Primò audiatur Euſebius Cæſarienſis, qui lib.* 8 *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap.* 1 *res ætate ſua geſtas ante famoſam illam Diocletiani perſecutionem ſic narrat:* Qualem quantamque gloriam ſimul ac libertatem doctrina veræ ergà ſupremum Deum pietatis à Chriſto primùm hominibus annuntiata, apud omnes Græcos pariter & barbaros ante perſecutionem noſtrâ memoriâ excitatam conſecuta ſit, nos certè pro merito explicare non poſſumus. Argumento eſſe poſſit imperatorum benignitas erga noſtros, quibus regendas etiam provincias committebant, omni ſacrificandi metu eos liberantes ob ſingularem, qua in religionem noſtram affecti erant benevolentiam. Quid opus eſt dicere de iis, qui in imperatorum palatiis verſabantur? Quid de imperatoribus ipſis, qui domeſticis ſuis eorumque uxoribus, liberis ac ſervis ea, quæ religionis ſuæ erant, tam verbis quàm factis liberè exſequendi coram ſemetipſis poteſtatem dederunt; ipſis ob hanc fidei ſuæ libertatem gloriari ac ſe oſtentare quodammodo permittentes; eoſque præ ceteris omnibus miniſtris præcipuo quodam amore complectebantur: cujuſmodi fuit Dorotheus ille, qui ſummam erga ipſos benevolentiam ac fidem declaravit, eamque ob cauſam præ cunctis magiſtratibus & provinciarum rectoribus magnum honorem promeruit. *Tillemontius tomo* 5 *Monument. eccleſ. pag.* 180 *aſſerit, illum Dorotheum in præfectura cubiculariorum ſucceſſorem fuiſſe Luciani, & hunc ante generalem Diocletiani perſecutionem è vivis exceſſiſſe ſuſpicatur.*

F

ſcriptore coævo,

23 *Deinde Euſebius cauſam horribilis iſtius perſecutionis exponit, & ſequentibus capitibus illuſtriora quorumdam Chriſtianorum pugilum certamina deſcribens, caput ſextum ejuſdem libri octavi ſic exorditur:* Verùm præ omnibus, qui umquam ſive apud Græcos ſive apud barbaros admiratione digni & ob fortitudinem celebres exſtiterunt, glorioſos atque illuſtres Dei martyres ea tempeſtas tulit, Dorotheum ſcilicet, & reliquos cubicularios pueros; qui tametſi ſummi honoris prærogativa ab imperatoribus ornati eſſent, nec minus ab iiſdem diligerentur, quàm filii, probra tamen pro pietate tolerata & ærumnas, ac diverſa mortis genera adverſus ipſos excogitata majoris revera pretii eſſe duxerunt, quàm gloriam ac delicias hujus ſeculi. *Denique poſt enarratam crudelem carnificinam cujuſdam aulici*

AUCTORE G. C.

lici ministri, qui pro fide Christiana in tormentis animam exhalaverat, ita concludit: Hujusmodi fuit martyrium unius ex imperatoris cubiculariis, digni profectò suo nomine: Petrus enim ille vocabatur. Reliquorum verò martyria nihilo inferiora, tamen brevitatis studio hîc omittemus. Id tantùm retulisse sufficiet, quod Dorotheus & Gorgonius unà cum aliis pluribus, qui in palatio ministrabant, post ejusmodi certamina elisis laqueo faucibus, divinæ victoriæ præmium adepti sunt.

& altero teste synchrono

24 *Lucius Cecilius, quem Baluzius insuper Firmianum Lactantium cognominat, synchronus ejusdem atrocissimæ persecutionis testis in Opusculo de Mortibus persecutorum cap.* 15 *similem Diocletiani furorem adversus Christianos aulæ suæ ministros indicat his pàucis verbis:* Furebat ergo imperator jam non in domesticos tantùm, sed in omnes, & primam omnium filiam Valeriam, conjugemque Priscam, sacrificio pollui coëgit. Potentissimi quondam eunuchi necati, per quos palatium & ipse antè constabat. *Eruditissimus Nicolaus le Nourry Benedictinus in*

B *Dissertatione, qua illustrat hunc Lucii Cecilii librum, cap.* 8 *art.* 5, *seu pag.* 240 *circa illos eunuchos aut Diocletiani aulicos observat sequentia:* Sensus itaque Cecilii esse potest, potentissimos tum fuisse eunuchos illos, utpote qui Diocletiano summo essent in amore, ac proinde per eos & idem imperator & palatium constabat. Qui autem hi fuerint, si roges, tibi respondebimus, nullum plerisque omnibus videri dubitandi locum, quin Christianæ religioni nomen dederint.

refellimus levem ejus ratiunculam,

25 Baluzius autem existimat, unum ex iis fuisse Petrum, cujus celeberrimum martyrium ab Eusebio describitur. Quidni etiam illis annumerabuntur Dorotheus, Gorgonius & alii, quorum idem historiographus ibidem meminit, quique eos vocat τὲς βασιλικὲς παῖδας, id est, ut Rufinus interpretatur, REGIS CUBICULARIOS, & Valesius CUBICULARIOS PUEROS? Quis enimvero nescit, hos regum vel imperatorum cubicularios ferè omnes eunuchos fuisse? Quamobrem eruditiores critici censent, Cecilium de hisce loqui cubiculariis, de quibus idem Eusebius scripsit. *Cur ergo non potuit Lucianus, ad quem*

C *Theonas episcopus epistolam Christianis monitionibus refertam dedit, ante persecutionem Diocletiani inter præcipuos ejus eunuchos aut cubicularios numerari, & forsan in illo officio Dorotheum martyrem præcedere? Equidem spero, fore ut ex allatis Eusebii ac Cecilii verbis vanus Acherii scrupulus evanescat: vix enim dubito, quin æquus antiquitatis æstimator ob hæc duo scriptorum coævorum testimonia facilè sibi persuasurus sit, Diocletianum per aliquot annos imperii sui Christianis cubiculariis angustum caput tuendum permisisse, quamvis postea vehementer in eos sævierit. Unde hîc ad imitationem vulgaris parœmiæ juridicæ dici potest: Distingue tempora, & conciliabis historiam.*

& post omnes conjecturas,

26 *Jam progrediamur ad alias conjecturas, quas Acherius ibidem pag.* XXI *proponit hoc modo:* Rursus hæc epistola non est Theonæ Ariani hominis; siquidem divinitatem Christi non obscurè agnoscit, eamque gentilibus prædicandam docet. *Acherius rectè judicat, auctorem hujus epistolæ non fuisse Theonam episcopum Marmaricæ, qui propter pertinacem hæresis Arianæ defensionem in concilio Nicæno nominatim condemnatus est, ut apud historiographos ecclesiasticos passim videre licet. Postquam huic nullius momenti suspicioni aditum præclusit, aliam conjecturam satis speciosam ac tempori accommodatam subjungit in hunc modum:* Fortè an est illius Theonæ Cyziceni, cujus nomen in concilio Nicæno subscriptum videre est, qui eam inscribere potuit præposito cubiculariorum Constantini Magni, cum nondum quidem Christi, sed Christi nominis cultor existeret. D

quas ille lectoribus

27 *Hæc opinio mihi non multùm displiceret, nisi Constantinus imperator eo tempore, quo fidem Christianam nondum amplexus fuerat, plerumque in Galliis commoratus esset, nimirum usque annum Christi* 311 *vel* 312, *quando Maxentium profligavit, & fidem Christi publicè professus est. Quis autem sine certiore testimonio statim credat, inter episcopum Cyzicenum in Hellesponto & aulicos Constantini in Gallia notitiam vel familiare litterarum commercium intercessisse, cum præsertim Hellespontus ac vicinæ regiones subessent Galerio Maximiano, qui Constantinum oderat ac ejus vitæ sæpiùs insidias struxerat, ut Cecilius & Eusebius testantur? Hinc sequitur, ut antistes Cyzicenus propriè* E *non posset Constantinum appellare suum principem, cum tamen scriptor hujus epistolæ eam exordiatur hac salutationis formula:* Theonas episcopus Luciano præposito cubiculariorum invictissimi Principis NOSTRI.

in præfatione sua proponit,

28 *Quæro præterea, quomodo Theonas episcopus Cyzicenus in Hellesponto generaliter ac verè dicere potuit, hanc epistolam à se scriptam esse,* jam pace per bonum principem ecclesiis concessa, *ut initio ejusdem epistolæ legitur: nam ante conversionem Constantini, persecutio, ab imperatore Diocletiano adversus Christianos anno Christi* 303 *inchoata, per successores ejus aut collegas fermè in toto terrarum orbe adhuc continuabatur, ut apud Ruinartium & Tillemontium ex fide dignis Martyrum Actis liquet. Præterea testimonium perseverantis hujus persecutionis Lucius Cecilius cap.* 16 *reddit his paucis verbis:* Vexabatur ergo universa terra, & præter Gallias, ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant. *Videtur ergo pax illa ecclesiis concessa potius convenire primis temporibus imperantis Diocletiani, qui ante generalem persecutionem anni* 303 *censendus est tacitè pacem ecclesiis concessisse, eo quod ante illud tempus edictum Aureliani adversus Christianos & alia decessorum suorum decreta non jusserit rigidè observari vel executioni mandari. Ex his omnibus concludo, hanc epistolam probabiliùs adscribendam esse* S. Theonæ *præsuli Alexandrino, qui fortassis eam dedit ad Lucianum anno Christi* 290 *vel* 296, *quando Diocletianus in Ægypto commoratus est, ut apud Tillemontium tomo* 5 *Monument. eccles. in indice chronologico ad prædictos annos legi potest.* F

& quas singillatim discutimus,

29 *Acherius huic conjecturæ superaddit aliam minus verosimilem, eamque exprimit his verbis:* Certè codicis exscriptor ad Aureliani tempora respexisse videtur, illius imperatoris nomine margini adfixo; neque verò repugnaret Eusebius, qui Aurelianum initio principatûs Christianis impensiùs favisse asserit, tametsi postea in eos immanè quantum sævierit. Sed nullus id ætatis Theonas episcopus comparet, cui hanc paræneſim adscribere liceat. Quamobrem ejus rei judicium cordato lectori satiùs permittendum, quàm temere de ea aliquid asserendum putavi. *At præterquam quod ea ætate nullus episcopus*

Theonas

A *Theonas compareat, etiam nullibi reperimus tot Chriſtianos Aureliani cubicularios, cum tamen auctor iſtius epiſtolæ paræneticæ infrà ſic ſcribat:* Non ergo, mi Luciane, te jactari aut puto, aut volo, quod MULTI ex palatio Principis per te ad agnitionem veritatis pervenerunt. *Illi autem* multi, *qui in palatio Principis ad agnitionem veræ fidei pervenerant, potius in aula Diocletiani inveniuntur, ut ex Euſebio & Cecilio ſuprà retulimus. Quare nec nomen Aureliani, quod forſan imperitus amanuenſis margini codicis adſcripſit, nec inde deducta Acherii conjectura nos hactenus ita movit, ut propterea* S. Theonæ *præſuli Alexandrino venerandum iſtud antiquitatis inſtrumentum abjudicaremus.*

iſtud venerabile antiquitatis monumentum,

30 *Denique Acherius divinando laſſus, omnibus conjecturis ſuis hanc coronidem imponit:* Ceterùm quiſquis ille tandem ſit Theonas, hæc epiſtola nulla ratione in ſuſpicionem falſi adduci poteſt: ſeu enim ſtylum ſpectes, ſeu argumentum, nihil in ea non ſincerum comperies; ſtylus ſimplex atque inpexus ſimplicitatem redolet Chriſtianam. Argumentum porrò nihil ad modum

B eorum, quorum intuitu obſcuros libellos claris auctoribus ſuppoſitos olim audivimus. Ecquis enim adeo perfrictæ frontis eſſet nebulo, qui ſpecie pietatis gratis mentiretur? Denique antiquitati hujuſce lucubrationis adſtipulantur quamplura, tum illud in primis, quod ſub imperatore nondum Chriſtiano eam editam fuiſſe liquet, hoc eſt, ineunte ut maximùm quarto ſeculo, quo majori veneratione à nobis excipi debet, velut ſanctioris ætatis ſacrum monumentum. *Propter hanc ſtyli ſimplicitatem aliaque ſinceritatis indicia non dubitamus de authentica fide iſtius epiſtolæ paræneticæ, eamque propterea* S. Theonæ *Alexandrino vindicavimus, ut ex illo ſacro veteris ævi monumento non exigua ſanctitatis ac prudentiæ laus in hodiernum Sanctum noſtrum redundaret.*

conſentientibus Benedictinis illis,

31 *Huic opinioni noſtræ favent Benedictini illi, qui Spicilegium Acherianum recudi curarunt, & in ſecunda Operis iſtius editione tomo 3 pag. 297 & ſequentibus eamdem epiſtolam notis illuſtrarunt, redactiſque in compendium Acherii conjecturis, de iis judicium ſuum ita protulerunt:* Has Acherii conjecturas hîc exhibere

C libuit, quòd nihil à nobis ex ejus præfationibus omiſſum iri jam diu ſpopondimus. Ceterùm, ut ne quid diſſimulemus, meliùs eſſent prætermiſſæ. Nam quod de Conſtantino opinatur, nihili eſt; nec ullus ejus ætatis ſcriptor ita jejunè ac exiliter de ejus pietate ſenſit, ut cubicularios moneret, artem eſſe adhibendam, ad ſermonem de Chriſto coram eo inſtituendum; præſertim poſtquam devicto Licinio, potitus eſt earum regionum imperio, in quibus Græca lingua vigebat: tum enim, imo jam inde à devicto Maxentio ita Chriſtianis favebat, ut etiam de fide, quam profitebantur, diſputationes coram ſe haberi non pateretur, ſed juberet.

qui ſecundam Spicilegii Acherriani editionem curarunt,

32 Quod ad Aurelianum ſpectat, fuit ille quidem initio erga noſtros benignus, ac fidei noſtræ ita favit, ut querentibus Orientis epiſcopis, Paulum Samoſatenum judicio ſuo Antiochena ſede depulſum, eam pertinacius retinere, reſcripſerit ei ſententiæ ſtandum, quam Romæ epiſcopus ac ceteri Italiæ præſules congregati dediſſent, ut tradit Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. 7 cap. 30. Ceterùm, quod nullum illius imperio Theonam epiſcopum noverimus, itemque quod nullus, qui quidem ad nos venerit, antiquus ſcriptor tradiderit, illum principem Chriſtianos palatii ſui AUCTORE G. C. miniſteriis præfeciſſe, nihil de illo affirmare audemus. Quid igitur dicemus? Theonam quidem Cyzici epiſcopum hujus epiſtolæ ſcriptorem eſſe, ſed Lucianum Licinio miniſtraſſe, qui tametſi in ſua ſuperſtitione pertinaciſſimus, noſtros non minori quàm Conſtantinus amore proſequi videbatur? Id ſi cui placet, ferri ſanè poteſt.

Sancto noſtro probabiliùs adſcribimus.

33 *At ſimulatus ille Licinii favor erga Chriſtianos non diu duravit, & poſtea in apertam eorumdem perſecutionem commutatus eſt. Igitur hac ultima conjectura ferri poſſet, ſi nobis conſtaret, Theonam præfuiſſe eccleſiæ Cyzicenæ ante bellum, quod Licinius anno 314 contra Conſtantinum geſſit, & tunc urbem Cyzicenam ſub ditione Licinii fuiſſe, cum auctor epiſtolæ Principem, de quo ſcribit,* noſtrum *appellet. Quandoquidem veritas iſtarum conditionum nos hactenus latet, malumus hanc epiſtolam* S. Theonæ *noſtro tribuere, quam ſententiam laudati editores etiam ſibi magis placere tandem indicant his verbis:* Sed hoc malo, à Theona epiſcopo Alexandrino ſcriptam eſſe epiſtolam ad Lucianum, qui in palatio Diocletiani miniſtrabat, antequam

E ille princeps pravis Galerii Maximiani artibus deluſus, bellum fidei Chriſtianæ indiceret: cum enim in univerſo imperio feliciſſimam, ante atrociſſimam illam perſecutionem, Chriſtianorum conditionem fuiſſe, tum etiam palatium noſtris, quos imperator ut filios diligebat, refertum fuiſſe Euſebius auctor eſt libro 8, cap. 1 & cap. 6. *Jam nihil ſupereſt, niſi ut exhibeamus hanc ipſam epiſtolam, & ex ea colligamus ſerpentinam Sancti noſtri prudentiam, & columbinam ejuſdem ſimplicitatem (evangelica ſimilitudine utor) quas virtutes Chriſtus in Evangelio Matthæi cap. 10 ℣. 16 diſcipulis ſuis ita commendavit:* Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ.

§ IV. Epiſtola paræneticа, quæ ad Chriſtianum imperatoris ethnici cubicularium data eſt, & quam à Sancto noſtro probabiliùs ſcriptam putamus. F

Theonas Lucianum præfectum cubiculariorum monet,

THeonas epiſcopus Luciano Præpoſito Cubiculariorum invictiſſimi Principis noſtri. Gratias ago omnipotenti Deo & Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui fidem ſuam per univerſum orbem in ſalutis noſtræ unicum remedium manifeſtare, ac etiam in tyrannorum perſequutionibus ampliare non deſtitit: imò perſequutionum procellis velut aurum in fornace expurgatum enituit, & ejus veritas ac celſitudo magis ſemper ac magis ſplenduit, ut jam pace per bonum Principem eccleſiis conceſſâ, Chriſtianorum opera etiam coram infidelibus luceant, & glorificetur inde Pater veſter, qui in cœlis eſt Deus; quod velut præcipuum à nobis pro ſalute noſtra, ſi Chriſtiani re potius quàm verbis eſſe cupimus, quærendum atque exoptandum eſt. Nam ſi gloriam noſtram quærimus, rem vanam caducamque appetimus, & quæ nos ipſos ad mortem perducit: at gloria Patris & Filii, qui pro ſalute noſtrâ cruci affixus fuit, nos ſalvos facit in redemptionem ſempiternam, quæ maxima Chriſtianorum eſt exſpectatio.

AUCTORE G. C.

ut imperatori ſuo ethnico

35 Non ergo, mi Luciane, te jactari aut puto, aut volo, quòd multi ex palatio Principis per te ad agnitionem veritatis pervenerunt, ſed magis gratias Deo noſtro referre decet, qui te bonum inſtrumentum in rem bonam confecit, teque apud Principem ſublimavit, ut Chriſtiani nominis odorem in ſuam gloriam & multorum ſalutem diffunderes. Nam quanto magis Princeps ipſe nondum Chriſtianæ religioni adſcriptus, ipſis Chriſtianis, velut fidelioribus, vitam & corpus ſuum curandum credidit, tanto decet vos ſollicitiores, ac in illius ſalutem & curam diligentiores eſſe & proſpectiores, ut per id plurimùm Chriſti nomen glorificetur, & illius fides per vos, qui Principem fovetis, quotidie augeatur: nam quia nos maleficos olim & omnibus flagitiis refertos nonnulli priores Principes putaverunt, ſed jam videntes veſtra bona opera, non poſſint niſi ipſum Chriſtum glorificare. Itaque ſumma ope vobis annitendum eſt, ne vos aliquid turpe aut inhoneſtum, ne flagitioſum nominem, ſentiatis; ne Chriſti nomen per vos ipſos blaſphemetur.

B

ſine ullo avaritiæ vitio

36 Abſit à vobis, ut aditum alicui ad Principem pretio vendatis; ut inhoneſta aut precibus, aut pretio victi aliquo pacto Principi ſuggeratis. Omnis avaritiæ ardor à vobis abſcedat, quæ idololatriam potiùs quàm Chriſti religionem operatur. Nullum turpe lucrum Chriſtiano, nulla duplicitas convenire poteſt, qui Chriſtum ſimplicem & nudum amplectitur. Nulla ſcurrilitas, aut turpiloquium inter vos habeatur. Omnia cum modeſtia, comitate, affabilitate & juſtitiâ exigantur, ut in omnibus nomen Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti glorificetur.

fideliter ſerviat,

37 Officia veſtra, ad quæ ſinguli conſtituti eſtis, omni cum timore Dei, & amore Principis, atque exactâ diligentiâ exequamini. Mandatum Principis, quod Deum non offendit, ab ipſo Deo proceſſiſſe putetis; amore pariter & timore, atque omni cum jucunditate perficite. Nihil eſt enim quod hominem magnis agitationibus fatigatum ita recreet, ſicut intimi ſervitoris conveniens jucunditas, & benigna patientia; nec ulla iterum res è contrario illum perturbatione ita afficit & contriſtat, ſicut triſtitia impatientiaque, & ipſius ſervitoris ſubmurmuratio. Abſint

C

hæc à vobis Chriſtianis, qui zelo fidei inceditis; ſed ut in vobis ipſis honorificetur Deus, omnia vitia mentis & corporis ſupprimite & calcate. Induimini patientia & affabilitate; virtutibus & ſpe Chriſti repleamini. Omnia propter ipſum Creatorem veſtrum ſufferte, omnia patimini, omnia vincite & ſupplantate *, ut Chriſtum Dominum acquiratis. Magna ſunt hæc & laboribus plena; ſed qui in " agone contendit, „ ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem ut cor„ ruptibilem coronam accipiant, nos autem in„ corruptam „.

* *forſan* ſupportate

eumque docet,

38 Sed quia, ut ſentio, diverſis officiis eſtis adſcripti, & omnium tu, Luciane, Præpoſitus diceris, quos omnes gratiâ Chriſti tibi conceſſa potens es & regulare & inſtruere; certus ſum, non tibi diſplicebit, me etiam de officiis illis aliqua particulatim & ſummariè tibi referre, quæ ſenſero. Nam aliquem ex vobis ſervare privatas Principis pecunias audio; alium veſtes & ornamenta imperialia; alium vaſa pretioſa; alium libros, quem non hunc adhuc ex credentibus intelligo, alium aliam ſupellectilem. Quæ ſanè quemadmodum tractanda mihi videantur, paucis indicabo.

quomodo cuſtodem avarii,

39 Qui privatas Principis pecunias detinet, D omnia ſub certo calculo confervet; paratus ſit ſemper omnium certam reddere rationem: omnia ſcribat, etiam, ſi poſſibile eſt, antequam alteri pecunias porrigat: numquam memoriæ confidat, quæ ad diverſa quotidie diſtracta facilè labitur, ita ut ſine ſcriptura, etiam quæ nullo pacto fuerunt, ex corde nonnumquam affirmemus; nec vulgaris ſit hujuſcemodi ſcriptura, ſed quæ facilè & clarè omnia pandat, & mentem requirentis ſine ſcrupulo aut dubitatione relinquat: quod facilè fiet, ſi diſtinctè, quæ recipiuntur, & per ſe ſcribantur, & quo tempore, & per quem recepta fuerint, & quo in loco. Similiter & quod aliis erogatur, vel Principis mandato impenditur, per ſe ſuo ordine digeratur; fidelis ſit ille ſervus & prudens, ut gaudeat Dominus eum ſuper bona ſua conſtituiſſe, & Chriſtum in illo glorificet.

curatorem veſtium,

40 Nec minor erit illi diligentia & cura, qui veſtes & imperialia detinet ornamenta, quæ omnia ſub certiſſimo indice habeat & adnotet quæ illa ſint, qualia, quibus in locis recondita, quando ea acceperit, & à quibus; an maculata ſint E vel ſine maculâ: illa omnia ſuâ diligentiâ conſervet; ſæpe revideat, ſæpe pertractet, ut facilius recognoſcantur: omnia illi ſint in promptu, omnia parata: petentis ſemper Principis aut Præpoſiti ſui mentem in omni re petitâ clariſſimam reddat, ita tamen ut omnia cum humilitate & jocundâ patientiâ fiant, & Chriſti nomen etiam in re parvâ laudetur.

pretioſorum veſorum,

41 Simili modo ille agat, cujus fidei credita ſunt vaſa argentea, aurea, cryſtallina, vel murrhina, eſcaria, vel potoria, omnia diſponat, omnia notet, & quot qualeſve ſint in illis lapides pretioſi ſuâ diligentiâ connumeret, omnia magnâ cum prudentiâ conſideret, omnia ſuis locis & temporibus prodat; cui dat & quando, à quibus ea recipit, diligentiſſimè inſpiciat, ne error & ſuſpicio mala etiam cum majori damno in rebus pretioſis occurrat.

ac bibliothecæ

42 Ille tamen præcipuus inter vos erit & diligentiſſimus, cui libros ſervandos Princeps mandaverit; hunc ipſe ex probatâ ſcientiâ ſibi eliget virum gravem & magnis rebus aptum, ac omnibus quæſitis reſpondere paratum, qualem Philadelphus Ariſteum intimum cubicularium in re hac ſibi delegit, ac nobiliſſimæ bibliothecæ præpoſuit, quem ad Eleazarum maximis cum muneribus pro traducendâ Scripturâ ſacrâ legatum miſit: hic idem hiſtoriam ſeptuaginta Interpretum plenè ſcripſit. Si igitur ex credentibus in Chriſtum ad hoc ipſum officium advocari contingat, non ſpernat & ipſe litteras ſeculares & gentilium ingenia, quæ Principem oblectant. Laudandi ſunt poëtæ in magnitudine ingenii, in inventorum acumine, in expreſſionis proprietate & eloquentiâ ſummâ: laudandi oratores, laudandi philoſophi in genere ſuo: laudandi hiſtorici, qui geſtarum rerum ſeriem, majorum mores, & inſtituta nobis explicant, qui vivendi normam ex antiquorum geſtis oſtendunt. Interdum & divinas Scripturas laudari conabitur, quas mirâ diligentiâ & largiſſimo impendio Ptolemæus Philadelphus in linguam noſtram traduci curavit: laudabitur & interim Euangelium, Apoſtoluſque pro divinis oraculis: inſurgere poterit Chriſti mentio, explicabitur paulatim ejus ſola Divinitas; omnia hæc cum Chriſti adjutorio provenire poſſent.

F

alioſque aulæ miniſtros,

43 Sciat ergo ille libros omnes, quos Princeps habuerit; ſæpe illos revolvat, & ſuo ordine

A dine per indicem pulchrè disponat : si verò novos vel veteres transcribi curabit, studeat emendatissimos habere librarios. Quod si fieri non potest, viros doctos ad emendandum disponat, illisque pro laboribus justè satisfaciat : veteres item codices pro indigentia resarciri procuret, ornetque non tantùm ad superstitiosos sumptus, quantum ad utile ornamentum : itaque scribi in purpureis membranis & litteris aureis totos codices, nisi specialiter Princeps demandaverit, non affectet ; omnia tamen Cæsari grata, maximâ cum obedientiâ prosequetur. Suggeret pro posse & omni cum modestia Principi, ut eos legat, vel legi audiat libros, qui & statui & honori illius, ac utilitati magis, quàm tantummodo voluptati, conveniant : noscat ipse prius optimè illos ; sæpius deinde coram Principe laudet, ac eorum, qui approbant, testimonium & auctoritates commodè explicet, ne suo sensui tantùm videatur inniti.

quibus præest, 44 Qui verò corpus Principis curare habent, sint in omnibus quàmpromptissimi, hilari semper, ut diximus, vultu ; faceti nonnumquam, sed summâ semper cum modestiâ, quam in vo-
B bis omnibus præ cæteris rebus laudet, illamque ex ipsâ religione Christi provenire cognoscat. Sitis & vos omnes etiam corpore & indumentis mundi & nitidi, nullâ tamen superfluitate, aut affectione notandi, ne Christiana modestia deturpetur. Omnia suis temporibus sint parata, & suo ordine quàm optimè digesta. Sit ordo inter vos & diligentia, ne confusio in opere, aut rerum amissio aliquo pacto proveniat. Disponantur ornenturque opportuna loca pro captu & dignitate locorum. Sint insuper & servi vestri honestissimi, sint compositi & modesti, & vobis quamconvenientissimi, quos in verâ doctrinâ omni cum patientia & charitate Christi instruite & docete ; quod si instructiones vestras negligant & parvipendant, à vobis abjicite, ne illorum nequitia aliquo pacto in vos redundet : nam diffamatos dominos ex servorum malignitate quandoque vidimus, & sæpe audivimus.

45 Si ad Augustam accesserit Princeps, vel ipsa ad illum, sitis tunc vos quoque & oculis & gestu & verbis omnibus quàmcompositissimi : videat illa vestram continentiam & modestiam : videant illius comites & pedissequæ, videant & admirentur, atque inde Jesum Christum Dominum nostrum in vobis ipsis collaudent. Loquela vestra semper sit parca & modesta, atque religione, velut sale, condîta. Nulla prorsus inter vos sit invidia, aut contentio, quæ in omnem confusionem & divisionem vos deduceret, & sic quoque in odium Christi & Principis atque summam abominationem perduceret, nec lapis structuræ vestræ supra lapidem stare posset. Et tu, Luciane carissime, cum sis sapiens, libenter supporta insipientes, ut & ipsi sapientes fiant. AUCTORE G. C. *instruere debeat,*

46 Nulli umquam molestiam inferte, nullum ad iram concitate. Si vobis injuria irrogatur, in Jesum Christum respicite, & quemadmodum optatis, ut vobis ipse remittat, sic & vos illis dimittite, & tunc quoque omnem invidiam supplantabitis ; & caput antiqui serpentis conteretis, qui vestris bonis operibus & successibus omni cum astutiâ insidiatur. Non præter-
E eat dies, quin opportuno tempore dato aliquid sacrarum lectionum legatis, aliquid contemplemini, nec sacræ Scripturæ litteraturam prorsus abjiciatis ; nihil adeo animam pascit & mentem impinguat, sicut sacræ faciunt lectiones. Sed ex illis hunc maximè capite fructum, ut patientiâ vestrâ justè & piè, hoc est, in charitate Christi vestra officia exequamini, & transitoria omnia ob ejus promissiones æternas contemnatis, quæ sanè sensum omnem & intellectum humanum exsuperant, & vos ipsos in felicitatem perpetuam conducent. Vale feliciter in Christo, mi domine Luciane. *In his piis monitis sancta Præsulis nostri prudentia & prudens ejusdem sanctitas elucent. Quapropter ad majorem* S. Theonæ *antistitis Alexandrini gloriam hic illa curioso lectori repræsentavimus, eique antea vindicare conati sumus, & jam Commentario nostro historico finem imponimus.* *ut omnes officio suo piè & exactè fungantur.*

DE SS. FORTUNATO, HERMONE, XISTO, MARTIALE,
C HERMOGERATO. ITEM DE SS. LAURENTIO, ET F
TRIBUS PUERIS HABUNDO, INNOCENTIO,
AC MERENDINO.

AQUILEIÆ IN ITALIA, ET ROMÆ.

EX HIERONYMIANIS EXEMPLARIBUS, AC FERRARIO. J. P.

Annuntiationes, SS. Hermagoræ & Fortunati martyrium ; hic à synonymo diversus.

SUB DIOCLETIANO ET MAXIMIANO. *Confusas in apographis Hieronymianis*

Novem isti Sancti nominantur in Martyrologio, quod sub nomine S. Hieronymi vulgavit Florentinius, in quo tamen quinque primi annuntiantur in Aquileia ; *reliqui autem* Romæ. *Florentinius in notis ita eos recitat ex Corbeiensi segmento :* x Kal. Sept. In Aquileia natalis sanctorum Fortunati, Hermogenis, Xisti, Martialis, Hermogerati, Justi, Gerati. Romæ natalis SS. Abundantii, Innocentii, Mirerendini, Magnili. *Deinde allegans* Martyrologium vetustissimum S. Willibrodi, *producit annuntiationes ex eo duas, à superioribus diversas :* x Kalen. Septembris. In Aquileia natalis Furtunati, Ermodori . . Et Romæ ad sanctum Laurentium,

AUCTORE J. P.

Innocentum Sisti, Martialis, Hermogerati, Habundi, Innocentii, Mirendini. *In quantas hîc denuo nos conjiciunt difficultates corrupta illa apographa Hieronymiana, de quibus toties ac meritò conquesti sumus, atque iterum conqueri cogimur.*

horum martyrum annuntiationes

2 *Laudatus Florentinius lucem aliquam conatur afferre hisce tenebris, dum observat sequentia in hodiernis notis:* Aquileienses Martyres silent communia Latina martyrologia: Ms. tamen reginæ Sueciæ ita consonat: " Aquileiæ „ SS. Fortunati, & Hermogenis cum aliis duo„ bus „. Ferrarius de his agit in Catalogo generali x Kal. Septembris, & in Catalogo Sanctorum Italiæ eâdem die. Ex tabulis ecclesiæ Aquileiensis, ubi reliquiæ ipsorum habentur, passos esse Singidoni in Mysia eodem tempore, quo S. Donatus & socii, sub Diocletiano imperatore, & Victoriano præside, idem Ferrarius docet. Hermogenes tamen dicitur, non Ermidorus aut Ermon, qui lector; & Fortunatus, qui diaconus ecclesiæ Singidonensis fuissent. Cùm verò in tabulis, & breviario Aquileiensis ecclesiæ reliB qui adducti socii Xistus, Hermogeratus, &, qui in Martyrologio Corbeiensi adduntur, Justus & Geratus, nequaquam exprimantur; ad Romanos Martyres pertinere libentiùs cùm M. vetustissimo suscipio. Fortunatum habet Calendarium Hieronymianum Lucense pervetustum: " x „ Kal. Fortunati. Trium puerorum „. *Hactenus Florentinius, qui censet, Martyribus Aquileiæ honoratis Romanos esse permixtos. Et verò in Martyrologio Rhinoviensi de Aquileiensibus hæc dicuntur:* In Aquilegia, Furtunati, Ermogenis. *Consonat Richenoviense; quod tamen scribit* in Aquileia, *&* Fortunati, *nomina illa paullo aliter exprimens. Sed hoc nihil habet, cur nos moretur.*

conatur extricare Florentinius:

3 *Quandoquidem verò placet Florentinio opinari, quòd* Xistus, Hermogeratus, Justus & Geratus; (*quibus, ut puto, addendus* Martialis, *quia in segmento Corbeiensi à Florentinio suprà cum aliis istis nominatus, & infrà nominandus;*) *sint Martyres Romani, audiamus ipsum in notis:* S. Laurentium non habet Martyrologium Antverpiense: & præter S. Laurentium Diaconum celeberrimum, nullum alium C hoc nomine martyrem Romæ veneratum invenio in tabulis ecclesiasticis. Unde ex vetustissimo Martyrologio scribendum non dubito " Romæ „ ad S. Laurentium „, & transpositos Aquileiam Martyres, Romæ esse restituendos, Xistum, Martialem, Hermem, Geratum, sive unico nomine Hermegeratum; & ex Martyrologio Corbeiensi Justum: deinde ex libris nostris tres pueros, Abundium, Innocentium, & Merendinium. Tres pueros alibi numeratos non invenio, præterquam in Calendario Hieronymiano jam adducto, sed nominibus non expressos. De Innocentio inter S. Sixti Pontificis socios, qui aliis Vincentius est, videnda, quæ notat, pugnantia Ferrarius ad diem VI Augusti in Catalogo Sanctorum Italiæ. Abundius sepultus apud S. Laurentium habetur in S. Laurentii Actis, & cum Irenæo recolitur in Martyrologio Romano ad diem XXVI Augusti: ubi nihil legitur in vetustiori nostro. Præter Mirendinium addit Martyrologium Corbeiense etiam Magnilium, qui Magnus esse potuit ex S. Sixti sociis, sicuti Martialis sanctæ Aureæ, ut mox dicetur. *Habes, lector, Florentinii conjecturas, quibus implexas superiorum Sanctorum annuntiationes conatur extricare, ac restituere. Nos sequentes observationes his superaddimus.* D

4 *Ecgraphum nostrum è Ms. S. Maximini cui nos apud Trevirenses,* S. Laurentium *clarè signat, sic loquens:* Romæ sanctorum LAURENTII, Abundii, Innocentii. *Cùm autem non constet, lectionem* Romæ ad S. Laurentium, *quam substituebat Florentinius, quia* S. Laurentius *non habebatur in exemplari* vetustissimo, *esse primigeniam & genuinam; (& verò quis in tanta apographorum luxatione & corruptione genuinam exspectet?) ideo in titulo superiore nomen ejus intactum reliqui: cùm facilè potuerit accidere, ut istius nominis Sanctus cum aliis fuerit, à celeberrimo synonymo Levita distinctus. Favet nostrum apographum è codice Ms. Eminentissimi Cardinalis Barberini, in quo hæc legimus:* x Kal. Septemb. Romæ nat. sanctorum LAURENTII, Abundii, Innocendi.

adjungimus

5 *Quæ de* SS. Fortunato *&* Hermogene *observabat è Ferrario Florentinius, nonnullâ etiam animadversione indigent. De S. Donato ac sociis martyribus die* XXI *hujus mensis actum est: inter quos* S. Fortunatum *non invenio. In Actis, quæ ibi protulimus, satis multa dicuntur de* S. E Hermogene lectore: *cui* Fortunatus *additus fuerit à Ferrario, & inventus vel in* Passione S. Donati & sociorum, *vel in* breviario antiquo Aquileiensi, *è quibus martyrium* SS. Hermogenis *ac* Fortunati, *quod recitat, desumpsit. Imperatores* Diocletianus & Maximianus, *locus* Singidoni *conveniunt, uti &* Victorianus præses; *sicut dicto die* XXI *licet videre: ubi etiam indicavimus, S. Donatum ac socios coli apud Aquileienses & Forojulienses; sed nesciri, quomodo ad Forojulienses translata fuerint sacra eorum pignora. Idem fatetur Ferrarius de duobus Martyribus, quos hodie annuntiat:* Quando, *inquit in annotatione,* & quomodo corpora horum Martyrum Aquileiam translata fuerint, Acta paucis in dicto breviario recitata minimè docent. *Ex his conficimus,* Hermogenem *hodie in Hieronymianis exemplaribus notatum, esse verosimiliter eumdem cum synonymo, quem dedimus ad* XXI *hujus mensis; non tamen id certò constare, quia etiamsi tam hoc quàm isto die sit idem & Sancti & loci nomen, socii tamen, seu hi, qui in eadem annuntiatione conjunctim referuntur hac die* XXIII *in apographis Hieronymianis, non notantur die* XXI *cum* Hermogene. *Adde, quòd tam hic, quam* Fortunatus *colantur Aquileiæ propter translationem; an verò ad hanc respexerit annuntiatio in exemplaribus Hieronymianis, an potiùs ad palæstram martyrii, non est unde certò quis definiat, in tanta præsertim istorum apographorum confusione.* F

aliquot obſervationes.

6 *Quidquid sit; nos in titulo superiore quinque Sanctos primo loco nominatos assignavimus Aquileiæ; reliquos autem Romæ, annuntiationes exemplarium Hieronymiani Martyrologii, quod edidit Florentinius, secuti. Suspicamur, omnes martyrii laureâ insignitos fuisse, idque duabus de causis simul sumptis: nam utrique annuntiationi præfigitur vox* natalis, *& in istis Fastis Martyres solent notari. Porrò utrumque illorum manipulum simul superiùs retulimus, quia in utrumque cadunt annotationes qualescumque Florentinii à nobis transcriptæ. Reliquum est, ut de* SS. Hermogenis *&* Fortunati *Actis, seu eorum compendio, quod Ferrarius vulgavit, pauca memoremus. Hic unde ea hauserit, antea indicatum est. Cùm verò ad manum non sint exem-*

A *exemplaria ipsa, quibus idem auctor est usus; æquum de illis judicium ferre non possumus. Conferri interim possunt cum Actis S. Donati ac sociorum, de quibus suprà mentio est facta. Quod ut facilius fieri possit; visum est hîc subjungere narrationem martyrii, quæ apud Ferrarium exstat, tùm adeo brevis sit.*

SS. Hermogenis ac Fortunati martyrium, ac tempus.

7 Hermogenes lector, & Fortunatus diaconus ecclesiæ Singidonensis in persecutione Diocletiani & Maximiani sub Victoriano præside passi sunt eodem tempore, quo S. Donatus & socii ex eadem urbe. Cùm enim Fortunatus diversis tormentorum generibus affectus in fidei confessione persisteret, capitis obtruncatione martyrium complevit. Inde Hermogenes ob eamdem causam comprehensus dicenti sibi Victoriano, Et tu, Hermogenes, seductus es? Respondit: Tu seduceris miser. De religione & officio interrogatus respondit: Hermogenes Christianus sum, & lector. Quorum lector? ait Præses. Respondit sanctus Martyr: Lego populo scientiam Dei, hoc est, Domini mei Jesu Christi mandata. Monitus diis immolare, cùm liberè diis inanibus immolare recusaret; & ipse demum gladio animadversus palmam martyrii adeptus est x Kal. Septembris: quorum corpora Aquileiæ requiescunt. *Characteres chronologicos* in persecutione Diocletiani & Maximiani, *quos signabat Ferrarius, tametsi aliunde stabilire solidius non sit mihi promptum, superiùs etiam posui, seu positos reliqui potiùs, ita tamen, ut restringi eos velim ad solos Martyres in mox allegata narratione nominatos; quidquid sit de aliis adeo confusè antea memoratis ex Hieronymianis exemplaribus.*

B

Hodiernus Fortunatus ab alio distinctus.

8 *Porrò postquam hæc scripseram, venit mihi in mentem difficultas aliqua circa* S. Fortunatum *suprà memoratum è narratione martyrii, quam ex Ferrario recitabam. Etenim tomo* III *Julii, die* XII, *in Commentario prævio ad Acta SS. Hermagoræ episcopi & Fortunati archidiaconi MM. sub Nerone, ut tunc dictum est, pag.* 251, *visum mihi fuit, Fortunatum, de quo ibi, esse diversum à synonymo, de quo actum apud nos die* XI *Junii, tomo* II *istius mensis pag.* 460, *Aquileiæ passo cum S. Felice fratre, sub Diocletiano & Maximiano. Quibus Fortunatis si hodiernum adjungas; jam habebis tres homonymos ad urbem Aquileiensem spectantes; & hodiernum quidem sub Diocletiano & Maximiano, prout notabat Ferrarius, etiam martyrii laureâ coronatum. Hinc quæret aliquis, an hodiernus Martyr non sit confusus, vel bis repetitus, & idem cum eo, qui, ut dicebam, cum Felice fratre martyrii coronam obtinuit. Respondeo, utrumque satis distingui per illas notas, quæ de uno, non autem de altero signantur, secundum eorum Acta saltem, vel documenta, quæ apud nos exstant. Nam duo isti, de quibus ad diem* XI *Junii, fuerunt* fratres, & Aquileiæ *passi, sicut ibi indicatum est; ut nihil de diebus dicam, qui alii quidem ponuntur ab aliis pag.* 460 *citatâ; sed à nullo hæc dies* XXIII *Augusti.* E Fortunatus *verò hodiernus alios habet omnino characteres, sicut ex suprà dictis colligitur, quò, ne longior sim, lectorem mitto. Ad diem, quem memorabam,* XII *Julii, in Annotatis ad translationem reliquiarum SS. Hermagoræ & Fortunati lit.* k, *pag.* 257, *mentio facta est de sacris lipsanis* Fortunati & Felicis: *item* Hermacoræ & Fortunati: *denique* Hermogeni & Fortunati: *& tunc videbantur nobis* iidem haud dubiè Sancti *ibidem esse* repetiti. *Sed illud addi non debuerat; cum triplex illud Martyrum par, etiamsi nomina ejusdem, quæ efformatione fere similia sunt, si* Felicem *excipias, apparuerint tunc repetita, nunc compareat tamquam diversum.*

AUCTORE J. P.

DE SS. SILVANO, SABINO, AC PANTHERIO MM.

IN THRACIA.

C J. P. F

SUB DIOCLETIANO.

TRes hosce sanctos Pugiles alibi signatos non reperi, nisi in Synaxario Basiliano, in quo ad hunc diem annuntiantur cum elogio. Textum Græcum, qui typis editus est ad calcem tomi primi hujus mensis pag. 667, *sic Latinè reddo:* Eodem mense, *die* XXIII certamen sancti martyris Silvani, ac Sociorum ejus. Sancti martyres Christi Silvanus, Sabinus, & Pantherius erant è regione Thraciæ, imperante Diocletiano. Cùm verò Christiani essent, docebant in nomine Christi. Unde comprehensi ab idololatris, provinciæ præsidi traditi sunt; & interrogati Christumque confessi, primò quidem vehementer verberati sunt: deinde autem carceri traditi, ærumnis in eodem confecti sunt, fame ac siti cruciati: multosque post dies è carcere ejecti, adigebantur iterum, ut Christum abnegarent, & idolis sacrificarent. Dumque id eis persuaderi non posset, suspensi excarnificantur radulis ita, ut viscera eorum apparerent. Et post cruciatum illum ineffabilem, acceptâ, ut capite truncarentur, sententiâ, ducebantur vincti ad necem; dumque perveniissent ad locum martyrii, & orassent, capite minuti sunt. *Paucula hæc sunt, quæ de hisce Martyribus ad me pervenerunt: nec plura habeo, quæ his addam.*

DE SS. DONATO, RESTITUTO, VALERIANO, FRUCTUOSA, ET DUODECIM ALIIS MARTYRIBUS,

ANTIOCHIÆ IN SYRIA.

G. C. Palæstra horum Martyrum, memoria in Martyrologiis, & dubium martyrii tempus.

FORSAN SEC. IV. *Ambigua palæstra horum Martyrum,*

Apud geographos assignantur variæ Orientis urbes, quæ nomine Antiochiæ *olim appellatæ fuerunt. Inter has præcipuè celebrantur Antiochia Syriæ ac Antiochia Pisidiæ, quæ utraque civitas habuit invictos athletas, qui pro fide Christiana martyrium subierunt. Facilè crediderim, plerumque Antiochiam Syriæ sive magnam designari, quando nihil additur. Cum tamen id incertum sit, & in hac sanctorum Martyrum annuntiatione ex quibusdam adjunctis erui certè nequeat, initio hujus sylloges dubitabam, an superiùs in titulo palæstram istius glorioſi certaminis determinatè exprimerem. Sed postea hoc dubium resolvi ex auctoritate eminentissimi Cardinalis Baronii, qui in indice topographico Martyrologii Romani martyres Antiochenos Pisidiæ ab Antiochenis Syriæ distinguens, hodiernos nostros huic civitati nominatim adscribit. Si fortè quis alius hunc indicem topographicum contexuerit, ex illius fide certamen istorum Pugilum in urbe Antiochena Syriæ collocavi.*

qui in Martyrologiis annuntiantur

2 *Porrò hodiernum Martyrologium Romanum ferè consonat Adoni & Usuardo, qui ambo Martyres illos die* XXIII *Augusti annuntiant his verbis:* Natalis sanctorum martyrum Donati, Restituti, Valeriani, Fructuosæ, cum aliis duodecim, qui præclarissimo confessionis honore apud Antiochiam coronati sunt. *Sollerius noster in observationibus ad Martyrologium Usuardi, quod Antverpiæ anno* 1714 *edidit, hac die circa Usuardinam istam annuntiationem monet sequentia:* Antiochenorum Pugilum memoriam, Adonis Martyrologio antiquiorem, hoc die non invenio; nec alium habuit fontem Usuardus, ex quo sua ita hausit, ut nec syllabam mutaverit. Quærimus Adonis fontem; sed nihil hactenus reperire licuit. *Etsi libenter concedam, Usuardum more suo hanc annuntiationem ex Adone transcripsisse, tamen potuit eam vidisse in Martyrologio sancti Hieronymi aut venerabilis Bedæ, cum in prologo suo testetur, sese vestigiis horum Martyrologorum nonnumquam institisse.*

diversis diebus,

3 *Sanè mihi videor ipsum Adonis fontem, quem Sollerius ad hanc diem frustra quæsivit, alia die reperisse in variis Hieronymiani Martyrologii apographis, in quibus apud Florentinium die* XV *Novembris sic lego:* In Antiochia natalis sanctorum Donati, Restituti, Valeriani & Fructuosæ cum aliis numero XII. *Florentinius autem post relatas aliorum codicum annuntiationes, quæ proximè ad superiorem accedunt, in notis ibidem lectorem ita monet:* Donatum cum tribus sociis nominibus distinctis præferunt unanimiter codices, ex quibus vetustius Martyrologium nostrum confirmatur; anonymi verò XII in libris nostris & Corbeiensi computati, tredecim sunt in Martyrologio Antverpiensi, ex quo FRUCTUOSAM non FRUCTUOSUM legendum esse monemur, præsertim addito MATRONÆ titulo, nisi hoc nomen martyris, non conditionis fuerit. *Deinde breviter ostendit, aliquas martyres proprio* Matronæ *nomine appellatas fuisse. Videtur itaque Ado has aut similes tabulas præ oculis habuisse.*

& quos Ado verosimiliter ex antiquioribus monumentis

4 *At nonnemo quæret, quomodo die* XXIII *Augusti Ado collocaverit hos Martyres Antiochenos, qui die* XV *Novembris in diversis apographis Hieronymianis annuntiantur. Huic quæstioni respondet ipse in prologo sui Martyrologii, dum lectorem ita præmonet:* Ne putes in hoc opere in vacuum me laborasse & rem non necessariam executum fuisse, breviter tibi causam facti aperiam. Primum fuit imperium ac jussio sanctorum virorum, ut supplerentur dies, qui absque nominibus martyrum in Martyrologio (quod venerabilis Flori studio in labore domini Bedæ accreverat) tantùm notati erant.... Huic Operi, ut dies Martyrum verissimè notarentur, qui confusi in Calendariis satis inveniri solent, adjuvit venerabile & perantiquum Martyrologium, ab urbe Roma Aquileiam cuidam sancto episcopo à Pontifice Romano directum, & mihi postmodum à quodam religioso fratre aliquot diebus præstitum.

ad diem 23 Augusti memoravit.

5 *Facilè igitur fieri potuit, ut Ado ex antiquioribus Martyrologiis annuam horum Martyrum Antiochenorum memoriam mutaverit ac transtulerit ad diem* XXIII *Augusti, quia in Martyrologio Bedæ seu potius Flori, quod cum auctariis aliorum Majores nostri tomo secundo Martii præfixerunt, hac ipsa die* XXIII *Augusti Martyres illi ex apographo Divionensi memorantur his verbis:* Natale sanctorum martyrum Donati, Restituti, Valeriani, Fructuosæ cum aliis duodecim, qui præclarissimo confessionis honore Antiochiæ coronati sunt. *In proximè citatis Flori auctariis annua eorumdem Martyrum commemoratio rursus celebratur ad diem* XV *Novembris, ut ibidem videre est. At quiscumque sit verus martyrii vel antiquæ venerationis dies, cum Adone, Usuardo ac Martyrologio Romano diem* XXIII *Augusti prætuli, & hodie Martyres illos Operi nostro inserui. Insuper ingenuè fateor, me hactenus in antiquis monumentis non invenisse tempus, quo Pugiles isti Antiochia lauream*

A *ream martyrii obtinuerunt. Cum tamen Caſtellanus & noviſſimum Martyrologium Pariſienſe ad annuntiationem horum Martyrum in margine ſeculum* IV *notaverint, idque non temere factum fuiſſe arbitrer, ego ſuperiùs ſub dubio idem ſeculum expreſſi exemplo illorum auctorum, qui veroſimiliter illud alicunde eruerunt, licet antiquos chronologiæ iſtius aſſertores non noverim.* AUCTORE G. C.

DE S. CEDONIO VEL SIDONIO CONFESSORE ET EPISCOPO, UT FERTUR,

AQUIS-SEXTIIS IN PROVINCIA,

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA. G. C.

Publicus hujus Sancti cultus, & oppoſita Aquenſium ac Tricaſtinorum de illo traditio.

B XXIII AUGUSTI. *Videtur S. Cedonius vel Sidonius,*

Nomen hujus Sancti, quod in titulo dupliciter expreſſimus, ab aliis adhuc diverſimodè ſcribitur, ut curioſus lector in decurſu hujus ſylloges facilè obſervabit. Sed parum curamus diverſam nominis expreſſionem, ſi genuinis & antiquis inſtrumentis probari poſſint ea, quæ de hoc Sancto narrantur: nam vulgaris Aquenſium traditio fert, hunc S. Cedonium *fuiſſe illum cæcum à nativitate, quem Chriſtus illuminavit, ut in Euangelio S. Joannis cap. 9 fusè legitur. Præterea Aquenſes volunt, illum cum SS. Maria Magdalena, Martha, Maximino, aliiſque ex Palæſtina in Provinciam appuliſſe, & poſt mortem S. Maximini, quem primum eccleſiæ ſuæ præſulem ſtatuunt, ad cathedram Aquenſem evectum eſſe. Poſtea referemus, quid eruditi Galli quidam de traditione illa judicent, ubi priùs immemorabilem & publicum* S. Cedonii *vel* Sidonii *cultum aſſignaverimus.*

qui hac die in Martyrologio Gallicano refertur,

2 *Andreas Sauſſayus in Appendice ad Martyrologium ſuum Gallicanum tomo 2 pag.* 1220 *& ſequente memoriam hodierni iſtius Sancti celebrat his verbis:* Sanctus Cedonius vel Chelidonius, diſcipulus, cooperator & ſucceſſor ſancti Maximini epiſcopi primi Aquenſis, viri Apoſtolicæ ætatis & gratiæ; cui in Gallias divino nutu delato, continuo nexu adhæſit, diſſeminandoque Euangelio, ſubigendoque Chriſti legibus hujus civitatis populo, ipſimet ingenti adjutorio fuit: poſt quem ad ſenatorum cæleſtium conſeſſum exaltatum, paſtoralis officii ſibi tranſmiſſum munus undequaque implevit, ac tandem conſummatus in omni opere bono, pretioſa coram Domino morte quievit, & juxta magiſtrum, patentia ob inſignia Apoſtolicæ gratiæ & virtutis, ſepultus eſt. Fertur hic fuiſſe cæcigenus ille, quem Chriſtus lux vera gratiæ & ſol juſtitiæ illuminavit. *Sauſſayus hoc loco traditionem illam timidè indicat verbo* fertur, *& Ferrarius in Topographia nova ad Martyrologium Romanum ſub nomine urbis* Aquæ ſextiæ *ſimili phraſi utitur.*

& in Breviario Aquenſi colitur,

3 *Attamen in Officiis propriis eccleſiæ & diœceſis Aquenſis, in quibus hac die feſtum* ſancti Sidonii archiepiſcopi Aquenſis, *ſub ritu duplici majori celebratur, hæc opinio affirmatè proponitur in oratione ſeu collecta & antiphonis, quarum una in primis veſperis ad* Magnificat *ita habet:* A ſeculo non eſt auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati, niſi Chriſtus filius Dei. ℣. Amavit eum Dominus & ornavit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum. ORATIO. Quæſumus omnipotens Deus, ut ſicut beato Sidonio confeſſori tuo atque pontifici viſum corporeum tribuiſti; ſic ejus meritis glorioſis, nobis famulis tuis lumen tuæ viſionis largiri digneris. Per Dominum noſtrum *&c. Reliqua ſunt de communi confeſſoris pontificis præter Antiphonam ad* Benedictus, *quæ ſic ſonat:* Rabbi, quid peccavit homo iſte, quod cæcus natus eſt? Reſpondit Jeſus, & dixit: Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo. *Denique Antiphona ad* Magnificat *in ſecundis veſperis ita legitur:* Ille homo, qui dicitur Jeſus, lutum fecit ex ſputo, & linivit oculos meos, & modò video. E

ab immemorabili tempore cultum habuiſſe,

4 *Cum reverendiſſimus ac illuſtriſſimus D. Alphonſus de Richelieu archiepiſcopus Aquenſis anno* 1627 *non diu poſt notiſſimum Urbani VIII Pontificis decretum de cultu Sanctorum hæc Officia propria edi juſſerit, probabiliſſimè opinamur, iſtud officium* S. Cedonii *vel* Sidonii *ex antiquioribus Breviariis deſumptum & ab immemorabili tempore in eccleſia Aquenſi celebratum fuiſſe: nullo enim modo veriſimile eſt, tunc primùm ab Aquenſibus coli cœpiſſe* S. Sidonium *contra novum & expreſſum Urbani VIII decretum, quo vetabatur, ne quis conſuetos Sanctorum honores exhiberet iis, qui ab immemorabili tempore, id eſt ante centum annos ab edito decreto computandos, publicum cultum vel evidentia ſanctitatis olim agnitæ ſigna non haberent. Videmur itaque non temere procedere, dum Operi noſtro inſerimus* S. Cedonium *vel* Sidonium, *quiſquis ille demum fuerit, de quo mox infrà diſſeremus.* F

ut ex Petro Equilino confirmatur.

5 *Hoc judicium noſtrum confirmatur ex Petro Equilino, qui jam à trecentis & amplius annis in Catalogo Sanctorum lib. 5 cap.* 102 de ſancto Cedonio epiſcopo *meminit, & ibidem traditionem Aquenſium refert his verbis:* Cedonius epiſcopus vel Sidonius fuit ille cæcus à nativitate, quem Dominus lutum ex ſputo faciens & oculos liniens illuminavit, ut habetur Johannis x; qui & ab aliquibus dicitur fuiſſe unus ex ſeptuaginta

AUCTORE G. C.

ginta duobus Christi discipulis. Sive autem ex numero illorum fuerit, sive non, planum habetur ex chronicis & gestis discipulorum, quod Christi discipulus fuit, & post ascensionem Domini ab Apostolis baptizatus, sancto Maximino specialiter adhæsit. Unde &, ut dictum est, cum eodem & Lazaro atque sororibus ejus naviculâ impositus à finibus Judæorum expulsus fuit. Postquam autem præfati sancti provinciam Provinciæ, ad quam Deo duce applicuerant, ad Christum converterunt, & postquam beatus Lazarus Massiliæ, & beatus Maximinus Aquis episcopi ordinati sunt, ipse in ministerio Maximini Aquensis civitatis [episcopi] permansit, & ejusdem prædicationis coadjutor fuit, ubi & post dies multos in pace quievit, & juxta magistrum reconditus jacuit, ut suprà actum est. *Cum Petrus Equilinus* Cidonium *in titulo citati capitis* sanctum *cognominet, de immemorabili hujus Sancti cultu certiores reddimur, quamvis auctoritas Equilini nobis non sufficiat, ut toti ejus narrationi statim certam fidem adhibeamus.*

B *Vulgari Aquensium traditioni,*

6 *Natalis Alexander in Historia ecclesiastica veteris novique Testamenti, quæ Parisiis an.* 1714 *recusa est, tomo* 3 *istius Operis pag.* 176 *&* 177 *pro traditione Aquensium profert antiquius testimonium ex veteri codice Tolonensi, qui anno* 572 *conscriptus esse dicitur, & in quo leguntur sequentia:* Clemens fuit unus ex septuaginta duobus discipulis Christi, cui beatus Petrus Apostolus specialiter commendavit beatam Mariam Magdalenam, sicut Mater Christi Joanni fuerat commendata. Cum igitur post lapidationem sancti Stephani, Judæorum persecutio in discipulos ebulliret, Judæi Mariam Magdalenam, Martham cum Marcella pedissequa, Lazarum, Maximinum, CIDONIUM, QUI CÆCUS ERAT A NATIVITATE, & alios plures naviculâ impositos, sine remige mari exposuerunt, ut sic undis necarentur. Qui, Deo duce, omnes incolumes Massiliæ applicuerunt, ubi prædicantes universam Provinciam converterunt. *Hoc instrumentum traditioni Aquensium non parum faveret, nisi ab eruditis quibusdam Gallis de suppositione vel interpolatione suspectum haberetur.*

quæ de Sancto isto circumfertur, C

7 *Tale procul dubio visum est novissimis editoribus Galliæ Christianæ, qui tomo* 1 *illius Operis col.* 299 *de Sancto nostro sic scribunt:* Sanctus Sedonius, quem alii Chelidonium vocant, successor sancto Maximino ab omnibus datur in sede Aquensi, huncque tradunt fuisse cæcum illum à nativitate, cujus oculos Christus Dominus aperuit & luce donavit; ad abolendam verò tanti miraculi memoriam Judæos eum mari ad certum naufragium commisisse cum Lazaro ejusque sororibus. Hæc vero toties à viris doctis verique studiosis exsufflata sunt, ut eadem retractare tædeat. Post Sedonium quatuordecim alios episcopos adducit Bouzius (Bouche) prorsus ignotos, quos utpote sine probatione intrusos & invectos reprobamus. Nec parcendum putamus Tripherio, qui post illos quatuordecim recensetur in episcoporum catalogo ad nos missо. Adfuit quidem concilio Taurinensi anno CCCXCVII quidam episcopus, nomine Tripherius; sed cui sedi adscribendus sit, ignoratur: de ejus enim sede altum silentium hac in synodo episcoporum Galliarum, qui ferè omnes puro nomine appellantur, nulla facta sedis mentione. Nullus tamen dubito, à seculo saltem tertio Aquas-Sextias suos habuisse episcopos; quandoquidem finitimas urbes penè omnes jam factas sedes episcopales nobis compertum, ut postea ostendemus. Verùm qui sedem Aquensem rexerint tertio quartove seculo, nos fugit. D

opponimus eruditorum quorumdam judicium,

8 *Decessores nostri in Commentario problematico de S. Maximino, qui vulgò primus Aquensium episcopus statuitur, ad diem octavam Junii, sive tomo* 2 *istius mensis pag.* 53 *& sequente similem temporis aut sedis ignorantiam fatentur. Eligant igitur Aquenses, utrum* S. Cedonium *dici malint suum episcopum, an dumtaxat incolam, qui primis Ecclesiæ Christianæ seculis eò advenerit, ac ibidem sanctè obierit. Si velint, illum urbis suæ præsulem fuisse, ætatem ejus differant usque ad tertium vel quartum seculum, quo potuit inter alios ignotos urbis Aquensis antistites eidem ecclesiæ præfuisse. Si verò malint,* S. Cedonium *fuisse quemdam ex septuaginta duobus Christi discipulis, & seculo primo ad urbem suam venisse, omittant titulum archiepiscopi Aquensis, quem tali tempore difficulter ei concedemus: facilè enim fieri potuit, ut aliquis ex Christi vel Apostolorum discipulis, ob urgentes persecutiones aut alias causas in Galliam profugus, seculo primo vel secundo Aquas-Sextias pervenerit, fidem Christianam docuerit, & virtutibus miraculisque clarus ibidem ex hac vita migraverit; sed hunc urbis Aquensis episcopum fuisse, non nisi solidis argumentis inducti admittemus.* E

& contrariam Tricastinorum traditionem,

9 *Quod si Aquenses ob traditionem suam mordicus teneant,* S. Cedonium *fuisse memoratum cæcum à nativitate, cujus oculos Christus aperuit, intentanda lis est Tricastinis, qui cæcum illum sub nomine S. Restituti die* VII *Novembris colunt, eumque primum ecclesiæ suæ præsulem statuunt, ut patet ex Lectionibus propriis diœcesis Tricastinæ, quas illustrissimus ac reverendissimus D. Antonius Du Cros anno* 1627 *Avenione edi curavit, & in quibus inter alia, ad diem* VII *Novembris discutienda, de cæco illo recitantur sequentia:* Continuò Dominus Jesus lutum fecit cum terra de saliva, linivit locum oculorum ejus, & dixit ei: Vade ad natatoria Siloë, & oculos tuos lava. Adolescens autem fecit, sicut præcepit ei Jesus. Lavit & vidit. Impletus Spiritu sancto, & in fide Christi confirmatus (vocatum est nomen ejus Restitutus) glorificans ac laudans Deum secutus est Dominum. Post hæc crevit factus clericus, omni bonitate, simplicitate, & justitia plenus. *Ex hoc Lectionum fragmento liquet, Tricastinos existimare, quod eumdem cæcum à nativitate, tamquam primum urbis suæ episcopum, sub nomine S. Restituti quotannis colant.* F

tradition-nem,

licèt hæc recentior sit.

10 *Verùm hæc Tricastinorum traditio non est antiqua; quemadmodum novissimi Galliæ Christianæ editores tomo* 1 *col.* 705 *indicant his verbis:* Laudatus à nobis Ludovicus Antonius Boyer traditionem secutus, ut ait, primum Tricastinæ urbis episcopum Restitutum fuisse docet, quem aiunt fuisse cæcum natum à Christo lumine donatum. At sincerè fatetur, primum, qui id asseruerit, fuisse Stephanum Genevés, qui anno MCDLXV ejusdem Sancti reliquias transtulit. Certè tam recens opinio nullatenus potest pro traditione venditari. Itaque demus tantummodo, sanctum Restitutum primum fuisse, qui Christum Tricastinis annuntiarit, aut plebi jam Christianæ factæ pastor & episcopus fuerit ordinatus. Quo verò tempore id factum, ignoramus. Reliquiæ sancti Restituti in oppido ejus nominis asservatæ sunt usque ad annum MDLXI, quo Calvinistæ

A viniſtæ eas ſuccenderunt. Conjicit illuſtriſſimus Antonius Godellus Vencienſis epiſcopus, ſancti Polycarpi diſcipulos appuliſſe in Provinciam circa annum CLXIX, & eccleſias Cemelienſem, Antipolitanam, Foro-Julienſem, Tolonenſem, aliaſque Lugdunum uſque fundaſſe. *Hæc S. Reſtituti Acta ad diem* VII *Novembris examinanda remittimus, & interim Aquenſibus tempus damus, ut Tricaſtinos impugnent, & ſuam traditionem probent, aut corrigant.* AUCTORE G. C.

DE S. LUPO VEL LUPPO MARTYRE

INCERTI LOCI AC TEMPORIS,

DISQUISITIO CRITICA. G. C.

An unus, duo, tres, vel quatuor fuerint hujus nominis Martyres, & quis ex illis hodie colatur.

XXIII AUGUSTI. *Hic Martyr conditione ſervus*

QUamvis *Latini, Græci, Moſci, Syri & Coptitæ die* XXII *vel* XXIII *Auguſti celebrent* S. Lupum *ſive* Luppum (*nam nomen ejus alterutro modo promiſcuè exprimitur*) *tamen ex tot diverſis variarum gentium iſtarum Martyrologiis nondum certò didicimus, quo loco vel tempore Sanctus ille vixerit aut martyrium ſubierit. Martyrologium Romanum hac die ſic eum annuntiat:* Item ſancti Luppi martyris, qui ex ſervili conditione, Chriſti libertate donatus, martyrii quoque corona dignatus eſt. *Eminentiſſimus Baronius in notis ad hanc annuntiationem monet, Græcos in Menologio de Sancto iſto hodierno meminiſſe. Veroſimiliter hîc aſſignatur Menologium Græcorum, quod Henricus Caniſius inter antiquas Lectiones ex interpretatione Cardinalis Sirleti Latinè vulgavit, & in quo ad diem* XXIII *Auguſti legimus ſequentia:* Natalis ſancti martyris Luppi, qui cum antea eſſet ſervus, martyrii dignitate, quam gladio percuſſus aſſecutus eſt, libertate donatus, Chriſti amicus effectus eſt.

B

2 *Cum Menologio Sirletiano concordant Græci in Menæis excuſis, ubi die* XXIII *Auguſti Officium de ſancto Martyre illo recitant, & die ſequente annuntiationem ejuſdem repetunt his verbis:* Τῷ αὐτῷ μηνὶ κγ΄. Μνήμη τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λύπου. *Id eſt:* Eodem menſe, die XXIII. Memoria ſancti martyris Luppi. *Deinde ſubnectunt more ſuo nonnullos verſiculos, in quibus ad ſervilem ipſius conditionem ſic alludunt:*

hodie colitur à Græcis & Latinis;

C


Τὸ πρὶν ἐχε Λύπος δοῦλος· ἐκ δὲ ξίφος
Ἐλεύθερος θεοῦ πελάτης τῷ Χριστῷ φίλος.
Εἰκάδι ἐν τριτάτῃ πέφνε Λύπον φασγάνος ἄκμη.

Servus erat iſte Luppus; at gladio fuit
Libertus unà factus & amicus Dei.
Enſe Lupum ſævo vigeſima tertia mactat.

Etiam in Ephemeridibus Græco Moſcis apud nos ante tomum primum Maii pag. XXXVIII *refertur hic poſtremus verſiculus hexameter, cujus infrà juverit recordari, cum Græci Menæorum collectores hunc etiam* S. Luppo *ſervo tribuant, ut jam vidimus. Maximus Margunius Cytheræus annuntiationem Menæorum more ſuo tranſcribit; ſed nec ſervilem nec aliam hujus Martyris conditionem exprimit.*

3 *At Moſci videntur hodierno Martyri addere dignitatem epiſcopalem, quæ certè cum annuntiatione Menæorum & ſervili memorati Sancti conditione non ſatis convenit: nam in Auguſto ſuo figurato illum veſtibus epiſcopalibus indutum more Orientali ſic repræſentant.*

ſed Ruſſi videntur eodem die



Quinimo in explicatione Auguſti figurati ad diem XXIII *iſtius menſis ante tomum primum Maii apud nos pag.* XL *nomen ejus ita notatur:* LUPUS ✠ EPISCOPUS MARTYR. *Hinc fortè Papebrochius noſter in Auguſto metrico poſt ſupradictum verſiculum hexametrum ſubjunxit hæc verba:* Menæis & Romano hodierno Λύπος Luppus. Martyr & epiſcopus Sirmii in Pannonia fuit; Acta necdum apparuerunt. *Ignoramus, unde Papebrochius hanc epiſcopatûs Sirmienſis notitiam eruerit. An forſan hunc Sanctum feſtinanter accepit pro S. Irenæo martyre & epiſcopo Sirmienſi, qui in pluribus Græcorum Menologiis hodie celebratur, ut in Prætermiſſis hujus diei dictum eſt? Non omnino temerè ſuſpicamur, his Papebrochii verbis inductum fuiſſe Caſtellanum, ut in Martyrologio ſuo univerſali* S. Luppum *hodiernum ad marginem* Sirmii *collocaret. Quidquid ſit de his ſuſpicionibus, nos ſaltem nullum hujus nominis Martyrem hactenus inter epiſcopos Sirmienſes invenimus.* F

4 *In Menologio Slavo-Ruſſico, quod nobiliſſimus D. Baro de Sparwenfeld nobis Latinè interpretatus eſt,* S. Luppus *non appellatur expreſsè epiſcopus; ſed dicitur fuiſſe ſcriptor eccleſiaſticus,* *annuntiare alium ejuſdem nominis epiſcopum,*

AUCTORE G. C.

cus, ut ad diem XXIII *Augusti colligitur ex his ejusdem Menologii verbis:* Sancti martyris Luppii, coætanei sanctorum Apostolorum, quem dicunt multi reliquisse libros Ecclesiæ. Passus est anno CCV sub Severo; inclusus sub fundamento muri jussu Justiniani post dies quadraginta obiit. *Jam nonnulla ad hanc Menologii Slavo-Russici annuntiationem notanda occurrunt. Imprimis huic* S. Luppo *hodierno, quem Græci & Latini* servum *cognominant, parum probabiliter in hoc elogio tribuitur tanta doctrina, ut libros Ecclesiæ reliquerit. Eruditio illa potius conveniret Lupo vel Luppo præsuli in Cilicia, quem S. Athanasius in Epistola ad episcopos Ægypti & Libyæ, sive tomo* I *novissimæ editionis Parisiensis, parte* I, *pag.* 278 *inter egregios fidei Catholicæ defensores recenset. Verum ætas hujus præsulis cum elogio proximè relato non concordat: nam Lupus Tarsensis in Cilicia episcopus post initium seculi quarti conciliis Ancyrano & Neo-Cæsariensi subscripsit, ut apud Harduinum nostrum tomo* I *Conciliorum col.* 280 *&* 285 *legimus, & hodiernus sanctus Martyr in Menologio Slavo-Russico dicitur Apostolis coætaneus fuisse.*

B *quæ dignitas parum convenit hodierno Martyri,*

5 *Quinimo memoratum istud Menologium cum se ipso conciliari non potest: si enim Sanctus ille Apostolis coævus vixerit, quomodo primùm passus est anno Christi* 205 *sub imperatore Severo, quemadmodum ibidem asseritur? Quis autem fuerit, aut quo tempore vixerit, Justinianus iste, qui Sanctum sub fundamento muri concludi jussit, ignoramus. Porrò illud mortis genus, quo Sanctus hic* inclusus sub fundamento muri jussu Justiniani post dies quadraginta obiit, *non facilè potest aptari* S. Luppo, *quem Græci eâdem die celebrant, & quem gladio percussum ex servili conditione ad veram nobilemque martyrii libertatem perveniisse affirmant, ut superiùs vidimus. Ex his discrepantibus martyrii & servilis conditionis adjunctis haud improbabiliter concludimus, Sanctum à Moscis hodie annuntiatum differre ab hodierno* S. Luppo, *quem Græci & Latini colunt, nisi forsan Mosci recentiores eidem* S. Luppo *servo episcopalem dignitatem, improbabilem eruditionem, & aliud martyrii genus affinxerint. Certè alia Menologia Russica (his adde Copticum & Syriacum) hodiernum ejusdem nominis Sanctum solo* Martyris *titulo exornant, & alias Menologii Slavo-Russici circumstantias altùm silent. Ceterùm viris eruditis & rerum Russicarum peritioribus has tenebras dissipandas relinquimus.*

C *qui faciliùs esse posset idem cum famulo S. Demetrii,*

6 *Interim verosimilior nobis apparet identitas hodierni* S. Luppi *cum famulo vel servo sancti Demetrii martyris, in cujus Actis apud Surium die* VIII *Octobris cap.* 10 *narrantur sequentia:* Quidam ex Sancti famulis stans prope eum, quando beatam illam subiit cædem, cum, ut potuit, divinum illum sanguinem collegisset in sacro Martyris superhumerali, & quem manu gestabat annulum accepisset, & Martyris sanguine tinxisset, per ipsa faciebat plurima miracula. Neque erat ullus morbus, neque malus dæmon tam fortis, quin statim, si illius feciisset periculum, superaret; adeo ut tali fama miraculorum impleretur tota civitas Thessalonicensium. Quocirca nec erat consentaneum ea latere Maximianum, nec ferre posse invidiam; & ideo capitur protinus famulus, horum bonorum procurator, & interficitur. Tribunal locus, in quo fuit occisus; Lupus autem vocabatur egregius ille famulus.

D *de quo Græci alia die meminerunt.*

7 *Græci in suis Synaxariis inclytum martyrem Demetrium die* XXVI *Octobris colunt, & jam memoratus ejus servus aut famulus tum in Menæis impressis, tum in manuscriptis Actorum exemplaribus* Δοῦπος *vel* Δοῦπως *Græcè nominatur. Habemus ergo famularem vel servilem conditionem, titulum martyrii, & idem nomen his duobus Sanctis communia, propter quæ non immeritò dubitari posset, an hi duo Martyres distinguendi sint, & an forsan Græci & Latini non celebrent hac die* S. Luppum *servum vel famulum magni martyris Demetrii, qui in Actis heri sui tantum obiter commemoratur, & nulla peculiari festivitate colitur. Unde Rosweydus noster in Ms. Indice ad Menæa Græcorum notavit utrumque hunc* S. Luppum, *& paucis verbis indicat, illos unum eumdemque à se putari. Si confusio ista duorum Martyrum homonymorum certa esset, facillimè tempus & locum martyrii hodierno* S. Luppo *assignaremus, cum ex Actis sciamus, ubi & quando sanctus ejus herus Demetrius martyrium subierit. Sed hæc accuratiùs examinari poterunt ad diem* VIII *Octobris cum Martyrologio Romano, si quid interea lucis affulserit.*

E *Quidam scriptores Hispani,*

8 *Post hæc omnia dubia nondum certò scimus, utrum fuerit unus, duplex, an triplex hujus nominis Martyr. Quod si tres homonymi sint distinguendi, libenter Hispani quidam fabulatores his adderent quartum, si satis credulos & incautos lectores invenirent: cum enim vidissent, hodie in Martyrologio Romano* S. Luppum *vel* Lupum *servum sine nota loci ac temporis annuntiari, opportunam occasionem arripuerunt, ut hunc Martyrem in Hispaniam transferrent manifesto furto, quod tamen occultum fore sperabant. Hinc Joannes Tamayus Salazar hac die in Martyrologio suo Hispano illum annuntiat his magnificis & simul obscuris verbis:* Foro Flavicano in Gallæcia Hispaniæ sancti Lupi martyris, qui cum esset hominis servus, ad Dei & Hominis dulcissimum famulatum accessit, in quo sic perseveravit ingenuus, quod martyr nec amisso capite resipuerit.

nixi figmentis aliquorum impostorum, F

9 *Tamayus in notis allegat Menologium Græcorum & Martyrologium Romanum, in quibus palæstra martyrii sistetur, & ad eam in Hispania collocandam citat testimonium Pseudo-Juliani, qui in fabuloso suo Chronico locum martyrii ad annum Christi* 300 *num.* 138 *sic designat:* FORO-FLAVICANI, quod oppidum in Gallæcia, nunc PONS-VEDRUS dicitur, sancti Lupi martyris, qui ex servo libertus Christi factus, multa tormenta pro Christi confessione pertulit. *Aulus Halus in insidiis succenturiatus accedit, seu potius ipse Tamayus, qui hunc poëtam Burdigalensem confinxit ad adstruendas suas fabellas, & hoc loco auctoritatem ejus ita commendat ac profert:* In meo codice Ms. carminum Auli Hali exastichon invenitur, epitaphii ordine scriptum, hoc lemmate:

Continet hoc saxum Luppi jam martyris ossa,
Conditione δοῦλος, qui fide liber erat.
Huncque Flavicanum conspexit jugula falci
Subdere constanter, quo capit astra, Forum.
Præsidis Hispani contempsit barbara prorsus
Decreta, & Christo servus adhæsit amans.

Hoc carmen Auli Hali, seu verius suum, Tamayus illustrat hac explicatione, quam audi & ride: Δοῦλος vox Græca, *inquit*, quæ Latinis sonat SERVUS; & quia beatus Martyr hujus fuisset conditionis, ideo Poëta utitur voce illa ob carminis

A carminis prosodiam. *At non videmus, quomodo Poëta seu potius ipse Tamayus* ob carminis prosodiam *usus sit voce Græca* δεῦλος, *quandoquidem prima hujus vocis syllaba longa est, adeoque carmen pentametrum corrumpit ac vitiosum reddit.*

eumdem Martyrem hodiernum

10 *Deinde Tamayus Acta ejusdem Martyris exhibet hoc modo :* Lupus conditione servus, temporibus Diocletianicæ persecutionis pro Christi fide, cui nomen dederat, comprehensus apud oppidum Gallæciæ in Hispania, cui FORO-FLAVICANUM vocabulum erat, & ad præsidem delatus, fortissimo cordis spiritu se Christianum esse profitetur. Sed ejus abjectissimam à jure conditionem exquirens & noscens, furore actus adversus Martyrem diversa cruciatuum decreta promulgavit. At sanctus Lupus in Christi promissione suffultus, omnia illa judicis mandata contemnens, cervices subdere constanti libertate disposuit. Tunc præses post varia cruciamina satellitibus, ut ejus caput à corpore separarent, præcepit. Ita factum, & spiritus ad æterna cæli culmina properavit x Kalendas Septembris, anno
B Domini ccc, imperantibus Diocletiano & Maximiano. Ejus corpus in eodem oppido sepultum ibidem requievit.

patriæ suæ adscribunt,

11 *Quis antiquæ historiæ vel tantillùm peritus non videat, hæc Acta Tamayum partim ex Menologio Græcorum vel Martyrologio Romano hodierno collegisse, partim ex Pseudo-Juliano & cerebro suo fabricasse ? Tamen Hispanus iste Martyrologus Actis illis subjungit hanc seriam annotationem :* En Acta, quæ potuimus ex nostris scriptoribus congerere ; cetera Deus scit, qui forsan ea suo tempore dabit ad majorem sui Martyris honorem. Nec de oppido Foro Flavicano aliquid in antiquis scriptoribus geographis invenire potuimus. Idem Julianus dicto numero
** lege* id cxxxviii asserit, eum * inter oppida Gallæciæ connumerari, dicique PONS VEDRUS, quod & hodie PONTEVEDRA vocitatur. In ea aliquando & nos fuimus, cum ex Tyde Compostellam ad visitanda sancti Apostoli limina transiremus. Oppidum diœcesis Compostellanæ satis populosum, nobilitate conspicuum, & concursu gentium illustre. *Tamayus hoc loco prudenter tacuit de superstite sancti Martyris istius memoria vel sacris*
C *ejusdem reliquiis, quæ numquam apud incolas Pontis veteris exstiterunt.*

ac etiam duos ejusdem nominis Sanctos

12 *Cum Pseudo-Julianus hoc martyrium satis bellè ac distinctè exornasset, Pseudo Dexter de eodem martyrio expressè non meminit, cum existimaret, auctoritatem Pseudo-Juliani sufficere, ut hic* S. Lupus *vel* Luppus *ab incautis lectoribus Hispaniæ adscriberetur. At idem impostor sub ficto Flavii Lucii Dextri nomine alium hujus nominis martyrem in Hispania memorat, eumque Chronico suo omnimodæ historiæ ad annum Christi centesimum num. 9 sic obscurè inserit :* M. Lupus Philippus, Lucius maritus Candidæ palmam martyrii consecutus est. *Ex hac obscura vel ambigua annuntiatione astutus homo sperabat, orituram disputandi materiam inter suos sectatores, & ab aliquibus commentatoribus duos ejusdem nominis martyres in Hispania collocandos, aut propter diversa nomina martyres illos pro patria sua multiplicandos esse.*

13 *Nec eum spes fefellit, cum Franciscus Bivarius in Commentariis ad hunc Pseudo-Dextri textum sic differat :* Difficile creditu est, quatuor hæc nomina Marcus, Luppus, Philippus, Lucius, unius ejusdemque hominis esse ; nimirum Lucii mariti Candidæ. Crediderim potius, tres esse insignes martyres Pauli discipulos, videlicet M. Luppum, de quo Græci in Menologio XXIII Augusti, & cum eis Romanum Martyrologium ipsa die ; Philippum Philotheum, qui ab Hispaniis in Italiam, unde erat oriundus, rediens, Firmi in Piceno tandem episcopus factus, jugulum pro Christo præbuit XXII Octobris, qua ejus festum inibi colitur, memoriâ in Romano Martyrologio servatâ ; ac tandem Lucium Claudiæ Candidæ Paphensis maritum, cujus cum uxoris nomine nomen legitur in Romano Martyrologio, 1 Decembris. *Ut hîc omittam alios, de quibus suo tempore agi poterit, ubinam in Menologio Græcorum vel in Martyrologio Romano hodiernus ille* S. Luppus *discipulus sancti Pauli vocatur, aut in Hispania passus esse dicitur ? Unde Bivarius novit,* S. Luppum *nostrum prænomine* Marci *appellatum fuisse ? Nos probabiliùs opinamur, initiali littera M. in hagiologiis* martyrem *significari.*

AUCTORE G. C. *ex Chronico Pseudo-Dextri*

E

14 *Quamvis autem Tamayus illam Bivarii explicationem non admittat, tamen supradicto Pseudo-Dextri desiderio satisfacit, & occasione* S. Luppi *hodierni duos ejusdem nominis martyres assignat his verbis :* Quis iste Lupus fuerit, nondum divino. Nec eumdem ipsum fuisse crediderim, cujus meminit Flavius Dexter in Chronico anno centesimo apud Bivarium Commentario 2, num. 9 fol. 204, Rodericus Carus fol. 56, litterâ x ; quia ille discipulus sancti Pauli Apostoli ; iste ex servili conditione, Christiana libertate donatus. Nec Paulus, nisi Onesimum hic * qualitate cognitum, alium sub ferula fidei recepit. Ergo noster ab illo diversus. Procul dubio erravit Bivarius dicto num. 9 fol. 204 confundens discipulum Pauli cum hoc Foro-Flaviano Martyre, quia ut ex Juliani computo elicitur, hunc occubuisse credendum erit in Diocletiani & Maximiani imperatorum persecutione, jussu Datiani præsidis Hispaniarum ad annum trecentesimum, quo illum Julianus consignat. Ille verò, si martyr, ad annum centesimum tempore Trajani.

* *forsan* hac

& Pseudo-Juliani confingunt,

15 *Cum hi duo Pseudo-Dextri explicatores quorum faæqualem seu potius nullam fidem mereantur, sinamus illos inter se digladiari, quamdiu voluerint : nam Nicolaus Antonius cordatus Hispanus in Mss. posthumis, quæ nobis anno 1721 Matriti ab admodum R. D. Adriano Connink proximo auctoris consanguineo perhumaniter communicata sunt, utrumque istum Pseudo-Dextri sectatorem jure merito explodit, & variis rationibus ostendit, hodiernum* S. Luppum *ex Menologio Græcorum & Martyrologio Romano subdole excerptum esse, & ante tempora Pseudo-Dextri vel fictitii Juliani nullam memoriam hujus Martyris in Hispania reperiri. Verosimiliùs itaque putamus, famulum S. Demetrii, vel alium ejusdem nominis & conditionis Martyrem in Oriente passum esse, quandoquidem Orientales Martyrologi in Menæis ac synaxariis suis utrumque hunc* S. Luppum *commemorant. Cum verò istud Pseudo Juliani furtum sit evidens, nolumus hîc operosius refellere adjecta sectatorum ejus figmenta, quibus referendis jam inde nimis diu immorati sumus.*

bulæ explodiuntur.

F

A D

DE S. MODERATO EPISC. ET CONF.

VERONÆ IN ITALIA.

J. P.

Publicus Sancti cultus, elogium, corpus, ætas.

SECULO V. *Laudatur a variis tamquam Sanctus :*

TAm pauca ſunt, quæ de hoc ſancto Præſule obliviosa vetuſtas ad poſteros tranſmiſit, documenta, ut omnium penè rerum, quæ ad eum attinent, inopes nos fecerit. De publico Viri cultu ſatis conſtat, ut aliis hujus diei Calitibus annumeretur tamquam ſanctus. Hunc ei titulum dant Ferrarius in utroque Catalogo, Ughellus tomo 5 Italiæ ſacræ in epiſcopis Veronenſibus columnâ 695 noviſſimæ editionis Venetæ, aliique ſcriptores infrà citandi, quibus adde Caſtellanum in Martyrologio univerſali. Laudatus Ughellus hæc de illo memorat : S. Moderati, B ejuſdem ſedis antiſtitis, feſtum celebr. x Kalen. Sept., de quo legitur, *uti addit, parvum de hoc Viro elogium referens*, Moderatus Veronæ epiſcopus toto epiſcopatûs ſui tempore moderationem retinuit : juris ſeveritatem clementiâ ita temperavit, ut eum & amarent, & vererentur omnes, ejuſque voluntatem atque auctoritatem libentiſſimè ſequerentur. In pauperes ſe liberalem exhibuit. Obiit x Kal. Aug. Jacet ſepultus in eadem eccleſia S. Stephani prope aquam luſtralem. *Similia habentur apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ hac die, & apud illuſtriſſimum Auguſtinum Valerium inter* SS. epiſcoporum Veronenſium antiqua monumenta *folio* 41.

corpus ejus conditum in eccleſia S. Stephani :

2 *Ibidem fol.* 10 *præceſſerant iſta :* S. Moderati epiſcopi Veron. corpus requieſcit in eccleſia S. Stephani, ut ex tabula vetuſta ex membranis, de qua ſuprà, ubi de S. Alexandro . . Idem habetur ex conſtitutione ſynodali die XXIII Auguſti, & ex tabula Sanctorum eodem die ; de quibus ſuprà. *Eccleſiam porrò iſtam deſcribit Onuphrius Panvinius Antiquitatum Veronenſium commentariorum lib.* 4, *cap.* 4 : Baſilica S. Stephani C Veronæ inter vetuſtiſſimas ejus civitatis eccleſias eſt primis Chriſtianorum temporibus paulò extra urbis portam loco, qui dicebatur ad Fonticulos, viâ Tridentinâ ædificata : quæ aliquando cathedralis fuiſſe traditur. Quam rex Italiæ Theodoricus Arrianus Omouſianis infenſus quum deſtrui præcepiſſet, morte præventus id facere non potuit. In ea ſunt condita corpora multorum ſanctorum Veronenſium epiſcoporum : *& inter illa* S. Moderati.

ſedit ſec. 5, 3 *Jam verò quemadmodum res geſtæ hujus ſancti Epiſcopi ignorantur, ſic etiam tempus, quo vixit, ac annos, quibus ſedit, determinata non lego ab auctoribus, quorum locos citabam ; nec in Catalogo epiſcoporum Veronenſium, quem concinnavit Joannes Baptiſta Peretti. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, & Ughellus antea deſignatus indicant, eum fuiſſe epiſcopum ordine vigeſimum quartum, S. Felicis ſucceſſorem. Verum quidnam hinc preſsè determines, cùm in catalogo Præſulum Veronenſium apud* E *eumdem Ughellum ponantur non pauci deceſſores & ſucceſſores* S. Moderati *ſine ulla annorum vitæ ac epiſcopatûs notatione ? Syagrius tamen, quem ſexto pòſt loco ibidem ſequitur Sanctus noſter, & qui, ut ibi dicitur,* vixit anno CCCLXXX ſub Theodoſio, *aliquam lucis rimam aperit, ut, etiamſi nihil certi hinc ſtatuere poſſimus de annis vitæ Sancti noſtri, ac ſedis, tamen ex epiſcoporum ordine, quem ponit, colligere poſſimus,* S. Moderatum *epiſcopum fuiſſe ſeculo quinto. Quâ verò ratione id eruere liceat, paucis exponimus. Poſt Syagrium, de quo jam actum, ponuntur epiſcopi ſex, annumerando illis* S. Moderatum : *poſt hunc autem ſequuntur alii octo : quibus ſubjungitur* S. Simplicius, *qui, ut additur,* floruit circa an. CDXC. *Si ergo retrogrediamur hinc ad Syagrium, habemus epiſcopos omnino ſexdecim, qui ab anno Chriſti* 360 *uſque ad annum circiter* 490 *vixerint. Unde conſequens videtur, ut* S. Moderatus *eccleſiam Veronenſem gubernaverit ſeculo quinto, ſecundum ordinem laudati Ugelli, quo ſeriem epiſcoporum Veronenſium compoſuit. Perettus Syagrii & S. Simplicii tempus paullo ſerius ponit, dicens illum vixiſſe anno Domini circiter* 380 ; *hunc verò circa annum* 500 : *præſules autem utrique jam dicto interjectos omittit. Conſuli poſſunt quæ de S. Maximo epiſcopo Veronenſi dicta ſunt apud nos ad diem* XXIX *Maii, pag.* 37, *& de S. Alexandro ejuſdem urbis antiſtite, ad diem* IV *Junii, pag.* 399. *Nec plura ſunt in promptu, quæ de hoc ſancto Antiſtite Veronenſi proferamus.* F

DE

DE S. SIDONIO APOLLINARE EPISC.

ARVERNIS IN GALLIA,

COMMENTARIUS HISTORICUS.

G. C.

§ I. Antiquus hujus ſancti Præſulis cultus, elogia, & Actorum compendium.

ANNO CIRCITER CDLXXXVIII. *Hic ſanctus Epiſcopus Arvernorum,*

HOc *ſancto & doctiſſimo Præſule gloriatur antiqua Galliæ civitas, quam Baudrandus tomo* 1 *Geographiæ ſuæ pag.* 101 *deſcribit his verbis:* ARVERNÆ urbs Galliæ in Aquitania Plinio, ARVERNI Cæſari, ARVERNA Gregorio Turonenſi, ARVERNUM Sidonio Apollinari, nunc CLERMONT, urbs Galliæ epiſcopalis ſub archiepiſcopo Bituricenſi, & Alverniæ caput, in monte poſita; unde ei nomen inditum, crevit ex ruinis Gergoviæ urbis in viciniis, & duabus leucis diſtat ab Elavere fluvio in occaſum, uti viginti quinque à Lugduno, tredecim à Floriopoli in ſeptemtrionem Molinum verſus quindecim. Ab ea populi circumpoſiti dicti fuere Alverni, nunc L' AUVERGNE. *Ampliorem hujus civitatis ac regionis deſcriptionem apud Hadrianum Valeſium in Notitia Galliarum pag.* 45, *& apud noviſſimos editores Galliæ Chriſtianæ tomo* 2 *col.* 222 *videre eſt.*

quem variæ Martyrologia memorant,

2 *Etiamſi* S. Sidonius *die* XXI *Auguſti ad Superos migraſſe videatur, ut ex epitaphio ejus & Breviario Claromontano colligitur, tamen hodiernum Martyrologium Romanum die* XXIII *ejuſdem menſis annuam ipſius memoriam celebrat hac brevi annuntiatione:* Arvernis ſancti Sidonii epiſcopi, doctrina & ſanctitate conſpicui. *Oportet, hanc venerationis diem jam ab immemorabili tempore uſitatam fuiſſe: nam in pleriſque antiquis Martyrologii Hieronymiani exemplaribus apud Florentinium die* XXIII *Auguſti idem ſanctus Præſul annuntiatur. Nos more noſtro Martyrologium Romanum ſecuti, res ab eo geſtas hac die illuſtrabimus, & non arbitramur opus eſſe, ut notiſſimam inclyti Viri ſanctitatem ex Auctariis noſtris Uſuardinis aut aliis recentioribus Martyrologis hîc fuſiùs confirmemus, cum jam dicta ad immemorabilem ipſius cultum probandum abundè ſufficiant. Inſuper hæc publica ſanctitatis fama robur accipiet ex elogiis, quibus viri doctrina vel virtute illuſtres eruditionem & pietatem Sancti exornarunt, & ex quibus hîc aliqua proferemus.*

à Mamerto Claudiano

3 *Imprimis Mamertus Claudianus presbyter Viennenſis oſtendit, quanti faceret judicium* S. Sidonii, *dum ante lucubrationem ſuam, quam ei examinandam miſerat, in Colonienſi Patrum Bibliotheca tomo* 5, *parte* 1, *pag.* 949 *ipſum ita alloquitur:* Editionem libellorum mihi, quos de animæ ſtatu condidi, reticendi cautus & loquendi penſus arbiter, imperaſti. Fas fuit memet doctiſſimi atque amantiſſimi vel peritiæ cedere, vel credere amicitiæ. Sed ut tute egregiè compertum tenes, multi hoc idem mihi & idem ipſi tecum magni admodum viri negotium dedere, quod egomet haud temerè ſuſcepiſſem, niſi id ſpernere periculoſius, quam agere laborioſius judicaſſem ..... Sanè opuſculum illud ſine auctore proditum, & uſquequaque proquiritatum, toto agmine ſui in acie eductum & conſerta nobiſcum manu congreſſum, viceritne, ceſſeritve, tu potiſſime diſertorum, ferto ſententiam. *Hæc Claudianus ad* S. Sidonium *nondum ſacris ordinibus initiatum, quem tamen lucubrationis ſuæ cenſorem eligit, & cujus eruditionem hac occaſione exornat aliis elogiis, quæ apud Joannem Savaronem ante Opera* S. Sidonii *Pariſiis anno* 1609 *edita legi poſſunt.*

ſcriptore ſynchrono,

4 *Cum* S. Sidonius *Mamerto Claudiano non reſpondiſſet, hic cum illo jam epiſcopo amicè expoſtulat, & ſimul animum ejus beneficum aliaſque virtutes ita laudat:* Quod ſæpenumero ſcriptis veſtris alii impartiuntur, qui id ipſum nec ambiunt, quàm egomet, forſan nec merentur amplius, non arbitror amicitiæ legibus impune committi. Illud etiamnum dolenter faxo tacitum, quod libellos illos, quos tuo nomine nobilitari non abnuis, nullo umquam impartiviſti reſcripto. Sed vacuum fortè non ſuppetit, quod tute modicum magnæ admodum impendas amicitiæ. Ecquo tandem ex occupatâ umquam uſpiamve implicabere, quin illud in aliorum commoda revergat? Cùm precatu Deum placas, eumdem non modò amicis, ſed ignotis quoque concilias. Cùm Scripturarum cæleſtium myſteria rimaris, quò te ſtudioſiùs imbuis, eò doctrinam ceteris copioſiùs infundis. Cùm tuas opes in uſus inopum prodigis, tibi quidem maximè; ſed aliis quoque conſultum facis. Proinde nihil videlicet, profectò nihil eſt, tam infœcundum actionum tuarum omnium, quod tibi uni ſoli tantùm, & non aliis quoque multis tecum uberem fructum ferat. Nulla ergo cujuſquam præpedimenti occaſio prætendi vel falsò poteſt, cur egomet ſpecialis atque intimus nihil ab ſpeciali meo fructi feram, à quo ignoti quoque multum capiant plurimi. Sed uti ego autumo, juxta formam Euangelici largitoris, quod non das amico eſurienti, dabis improbo pulſatori. Porrò ſi etiam nunc ſolito obdurueris, faxim egomet, quod tete pœnitebit: quoniam ſi peccaris ultra reticendo, ego protinus ulciſcar ſcribendo. Porrò enim ambiguo caret, tam te puniendum ſcripto meo, quàm punior egomet ſilentio tuo. Vale.

cui humiliter reſpondet,

5 *Sanctus huic amicæ expoſtulationi, quæ inter litteras Sidonianas apud Sirmondum noſtrum lib.* 4, *epiſt.* 2 *legitur, ibidem epiſtolâ tertiâ humiliter reſpondet, fuſiuſque laudatâ multiplici Claudiani ſcientiâ, in fine tenuitatem ſuam pro excuſatione diuturni ſilentii affert his verbis:* Dum impactæ profeſſionis obtentu (*hîc intelligit epiſcopalem dignitatem ſibi reluctanti impoſitam*) novum ſcribendi morem gradatim appe-

AUCTORE G. C.

to, & veterem ſaltuatim dediſco; de bono oratore nil amplius habeo, quàm quod malus poëta plus eſſe cœpi. Proin quæſo delicti hujus mihi gratiam facias, quod aliquantiſper mei meminens, arentem venulam rariùs flumini tuo miſceo. Tuam tubam totus qua patet orbis jure venerabitur, quam conſtat geminata felicitate ceciniſſe, quando nec æmulum reperit, nec æqualem, cum pridem aures & ora populorum, me etiam circumferente, pervagaretur. Nobis autem grandis audacia, ſi vel apud municipales & cathedrarios oratores aut forenſes rabulas garriamus; qui etiam cum perorant (ſalva pace potiorum) turba numeroſior, illiteratiſſimis litteris vacant. Nam te, cui ſeu liberum, ſeu ligatum placeat alternare ſermonem, intonare ambifariam ſuppetit, pauci, quos æquus amavit, imitabuntur. Vale.

& Gennadio Maſſilienſi laudatur.

6 *Etſi Sanctus noſter tam demiſſè de ſe ipſo ſentiret, tamen longè aliud judicium de lucubrationibus ejus tulerunt docti librorum cenſores, inter quos Gennadius presbyter Maſſilienſis in Opere de Viris illuſtribus cap. 92 ſic eum commendat:* Sidonius Arvernorum epiſcopus ſcripſit varia & grata volumina & ſanæ doctrinæ. Homo ſiquidem tam divinis, quàm humanis ad integrum imbutus, acerque ingenio, ſcripſit ad diverſos diverſo metro vel proſa compoſitum inſigne volumen, in quo quid in litteris poſſit, oſtendit. Verùm in Chriſtiano vigore pollens etiam inter barbaræ ferocitatis duritiem, quæ eo tempore Gallos oppreſſerat, Catholicus pater & doctor habetur inſignis. Floruit ea tempeſtate, qua Leo & Zeno Romanis imperabant. *Prætermittimus hoc loco alios* S. Sidonii *laudatores, quos Joannes Savaro ſupradictæ Operum ejus editioni præfixit, & ex quibus aliquos infrà per decurſum hujus Commentarii hiſtorici allegare oportebit.*

Sirmondus præcipua S. Sidonii geſta, tum in ſeculari

7 *Interea tranſcribemus elegans Actorum compendium, quod Sirmondus noſter Operibus ſancti iſtius Antiſtitis præmiſit hoc modo:* Sidonium nobiliſſimo inter Gallos genere, ac patre avoque præfectis prætorio Galliarum natum conſtat. De patria cùm alii diverſa ſentiant, ipſe Lugdunenſem ſe non ſemel nec obſcuris verbis ſignificat. Sed crebra in ejus libris Arvernorum mentio, apud quos conjugem primùm Aviti imperatoris filiam, deinde cathedram epiſcopalem ſortitus eſt, nonnullis anſam dedit, ut Arvernum ſuſpicarentur. Lugduni ergo natus, atque optimis, quibus tum adhuc referta erat Gallia, liberalium artium uſus magiſtris, inter quos Hoënium in poëticis, Euſebium in philoſophicis commemorat, eam in omnibus natura & ſtudio laudem eſt conſecutus, ut eruditorum ſui ævi (quod Mamerti Claudiani de ipſo elogia docent) peritiſſimus ac diſertiſſimus haberetur. Poëticæ in primis famâ clarus, non ſolùm apud æquales amicos, verùm etiam apud principes ipſos in pretio fuit. Quorum alterum declarant omnium generum epigrammata & carmina, quæ amicorum rogatu variis de rebus officioſiſſimè ſcripſit; alterum tres panegyrici, quibus Avitum ſocerum, Majorianum & Anthemium Auguſtos publicè laudavit, benevolentiæque à ſingulis fructum tulit: nam & Romæ ſtatuam inter poëtas ſub Avito in fori Trajani bibliotheca meruit; & à Majoriano, cum Circenſes daret Arelate, ſolenni ejus epulo inter honoratos adhibitus eſt, atque à ſatyræ, cujus inſimulabatur, invidia ſingulari exemplo vindicatus. Ab Anthemio denique poſt Comitivam aliaſque, quibus ornatus antea fuerat, dignitates, præfectus Urbi creatus atque patricius, familiam ſuam, quam præfectoriam à majoribus acceperat, reddidit patriciam.

tum in eccleſiaſtico ſtatu narrat,

8 Nec multo pòſt, defuncto Arvernorum epiſcopo Eparchio, in ejus locum quamvis renitens, & nondum clericus, ſuffectus eſt. Quod munus ſumma cum modeſtia ſuſceptum, pari cum ſanctitate ac vigilantia, turbidiſſimis temporibus, maximaſque inter difficultates, tum privatas tum publicas, adminiſtravit: primùm enim obſeſſis per Gothos Arvernis, diutinæ acerrimæque oppugnationis moleſtias pertulit. Deinde redacto ex Nepotis Auguſti fœdere in hoſtium poteſtatem oppido, ab his per legationis ſpeciem relegatus, aliquamdiu exulare coactus eſt. Tum ſuis tandem redditus, cum in officii curam intentus, nullam inter barbaros optimi paſtoris partem omitteret, ac ſingulari in omnes benignitate, præcipua in egenos munificentia, neminem ipſe lacefferet, æmulorum tamen, ut mos eſt, in ſe odia concitavit; duorum videlicet presbyterorum, qui omni eccleſiæ ſuæ poteſtate per ſummam contumeliam exutum, in maximas rerum omnium anguſtias conjecerunt. Sed diuturnam eam cladem eſſe divina ultio paſſa non eſt. In integrum ergo reſtitutus, nec diu tamen poſtea ſuperſtes, Aprunculo ſucceſſore non ſine divina præſenſione deſignato, ad cæli præmia evolavit XII Kalendas Septembris; qui dies exinde anniverſariæ ipſius memoriæ apud Arvernos dicatus eſt, & tumulo inſcriptus.

& ex ſcriptis acutum

9 Liberos ex Papianilla conjuge ante epiſcopatum ſuſceptos reliquit Apollinarem filium, & Roſciam ac Severianam filias. Ingenii verò monimenta, quamvis alia plurima ſcripſerit, hæc ſola, quæ reſtant, publici juris eſſe voluit: in quibus ſanè, ſeu metro vinctis, ſeu liberis ac ſolutis, ſive narret aut ſuadeat, ſive laudet aut vituperet, & quodcumque argumentum tractet, par in omnibus felicitas & copia, atque ea tum verborum, tum ſententiarum varietas, ut mira in eo vis ingenii & abundantia quædam doctrinæ ſtatim eluceat: qua opinor fiebat, ut doctis etiam ætatis ſuæ hominibus, velut Ruricio Lemovicenſi, obſcurior atque interprete egere judicaretur.

promptumque ejus ingenium

10 Neque verò in iis tantùm, quæ attentè meditabatur & elaborabat, quantus eſſet oſtendit; ſed in extemporalibus etiam repentiniſque ſcriptionibus; quarum illi tam prompta facultas erat, ut non pauculos dumtaxat verſus non meditatos funderet è veſtigio, quale fuit diſtichum, quo ſatyræ calumniam deprecatus eſt apud Majorianum, & alterum reciprocum, quo luſit in torrentem, aut tetraſtichum quod in Philemotii gratiam compoſuit; ſed juſta interdum utroque orationis genere opuſcula pari celeritate pertexeret: ejuſmodi enim fuit concio Biturienſis, quam paucis horis dictavit, & Anacreonticum carmen, quod Burdegalæ in Petri librum magiſtri epiſtolarum ſubitò proferens, cum eximiis illius ſeculi poëtis Domnulo, Severiano, atque Lampridio decertavit. Sed numquam, quid in hoc genere poſſet, clariùs enituit, quàm cùm ſubtracto ſibi, ut eſt apud Gregorium Turonenſem, inter ſacra libello, ex quo recitare conſueverat, totam nihilominus dicendorum ſeriem appoſitè ac luculenter explicuit.

compendiosè declarat.

11 Ceterùm cum talis omni ex parte tantuſque eſſet Sidonius, ejuſque ſcripta omnibus mirificè probarentur, ipſe unus de ſe modicè ſentire, ac parum

A parum ſibi uſquequaque ſatisfacere videbatur. Itaque & multa, ut dictum eſt, ſuppreſſit, & quædam adorſus, ut Attilæ bellum, operis pertæſus abjecit. Hiſtoriam præterea ſui temporis ut ſcriberet hortante Leone, Eurici regis conſiliario, detrectavit, cum diceret hiſtoriæ ſcribendæ conſilium clerico minimè convenire. Atque hæc ferè omnia, multoque etiam plura de Sidonio diſcere licet ex ipſis Operibus Sidonianis. Colitur autem apud Arvernos, ut jam quoque monuimus, ſtato die rituque Sanctorum numero præclari Antiſtitis memoria, religioséque aſſervantur ſacra ejus oſſa in baſilica Geneſiana, quo jam olim ex vetere ſancti Saturnini ædicula, in qua primùm conditus fuerat, tranſlata commemorant. *Paragraphis ſequentibus hanc Actorum ſynopſim, qua jam generaliter lectori propoſita eſt, ex ipſis* S. Sidonii *ſcriptis diſtinctiùs explicabimus, & chronologicis hiſtoriciſque notis illuſtrare conabimur.*

§ II. Illuſtre Sancti ſtemma, patria, tempus nativitatis, multiplex nomen, ſtudia litteraria, & exercitia adoleſcentiæ.

B

Sanctus ex nobili ſtemmate

Sanctus Gregorius Turonenſis teſtatur, S. Sidonium *ex nobili ſtirpe ortum eſſe, dum in Hiſtoria Francorum lib. 2 cap. 21 obitum Eparchii præſulis Arverni narrat, & de ſucceſſore hujus ita ſcribit:* Quo migrante, Sidonius ex præfecto ſubſtituitur, vir ſecundum ſeculi dignitatem nobiliſſimus, & de primis Galliarum ſenatoribus, ita ut filiam ſibi Aviti imperatoris in matrimonio ſociaret. *Ipſe Sanctus noſter hanc avitam generis ſui nobilitatem declarat, quando lib. 1 epiſtolam tertiam Philimatio inſcriptam ſic exorditur:* I nunc, & legibus me ambitûs interrogatum ſenatu move, cur adipiſcendæ dignitati hereditariæ curis pervigilibus incumbam; cui pater, ſocer, avus, proavus, præfecturis urbanis, prætorianiſque, magiſteriis palatinis militaribuſque micuerunt. *Ulteriùs illa ſtemmatis claritudo probari poſſet ex variis ejuſdem Sancti epiſtolis, quas in hanc rem operoſiùs afferre ſupervacaneum duximus, cum Calites, jam perpetua nobilitate ornati, genus & proavos, & quæ non fecerint ipſi, minimi faciant.*

C

& avo Chriſtiano natus eſt,

13 *Quinimò* S. Sidonius *adhuc vivens inter præcipua familiæ ſuæ decora numerabat converſionem avi ſui ad fidem Chriſtianam, quemadmodum lib. 3 epiſt. 12 ſignificat in epitaphio metrico, quod tumulo ejus inſculpi juſſit in hunc modum:*

Serum poſt patruos, patremque carmen
Haud indignus avo nepos dicavi;
Ne fors tempore poſthumo viator,
Ignorans reverentiam ſepulti,
Tellurem tereres inaggeratam.
Præfectus jacet hîc Apollinaris,
Poſt prætoria recta Galliarum,
Merentis patriæ ſinu receptus;
Conſultiſſimus, utiliſſimuſque,
Ruris, militiæ, forique cultor;
Exemploque aliis periculoſo
Liber ſub dominantibus tyrannis.
Hæc ſed maxima dignitas probatur,
Quod frontem cruce, membra fonte purgans, AUCTORE
Primus de numero patrum ſuorum G. C.
Sacris ſacrilegis renuntiavit.
Hoc primum eſt decus, hæc ſuperba virtus,
Spe præcedere, quos honore jungas;
Quique hîc ſunt titulis pares parentes,
Hos illic meritis ſupervenire.

Sirmondus in notis ad hanc epiſtolam pag. 40 ex circumſtantiis hujus epitaphii colligit, S. Sidonium *patriâ Lugdunenſem fuiſſe, qua de re jam nonnihil diſſeremus.*

non Arvernis, ut vult Savaro,

14 *Joannes Savaro Claro-Montenſis in Vita* S. Sidonii, *quam ſcriptis ejus anno 1609 editis præfixit, circa finem de patria ſancti Præſulis hæc habet:* Nihil mirum, ſi tam clarum & illuſtrem Virum tamque ſanctum Antiſtitem Lugdunenſes ſuum eſſe velint, Burdegalenſes repetant, Narbonenſes ſuum eſſe adſtruant; Arverni verò & Arverna jure veréque ſibi vendicet, cum ſe Sidonius Arvernum eſſe venditet: has quidem omnes urbes habitavit; ſed Arvervæ familiarem larem incoluit: hæ urbes adventitia, Arverna autem germana patria fuit. Hancce tam ſanctam contentionem diſcingit majorum ſepulcrum in campis Arvernæ contiguis ſitum, præterquam quod omnium veterum patrocinatur auctoritas, qui Arvernum eſſe confirmant. *Ita quidem ſcriptor ille Arvernus magis confidenter, quam verè pronuntiat. Sed videtur Savaronem dulcis amor patriæ hîc ita rapuiſſe, ut ex ſcriptis* S. Sidonii *elicuerit opinionem contrariam ceteris viris oculatis, qui ex iiſdem teſtimoniis concludunt, Sancto Lugdunenſem patriam tribuendam eſſe, quemadmodum jam demonſtrabimus.*

ſed Lugduni in Gallia,

15 *Ipſe* S. Sidonius *ſæpe patriam ſuam indicat, ac imprimis lib. 1 epiſt. 5, quam ex urbe Romana miſit ad Heronium Lugdunenſem, à quo rogatus fuerat, ut iter ſuum Romanum deſcriberet, & cui inter alia ſic reſpondet:* Egreſſo mihi Rhodanuſiæ noſtræ mœnibus publicus curſus uſui fuit, utpote ſacris apicibus accito, & quidem per domicilia ſodalium, propinquorumque; ubi ſanè moram vianti non veredorum paucitas, ſed amicorum multitudo faciebat, quæ mihi arcto implicita complexu itum reditumque felicem certantibus votis comprecabatur. Sic Alpium jugis appropinquatum *&c. Jacobus Sirmondus noſter in Arvernia natus, adeoque de ſtudio partium minimè ſuſpectus, dum* S. Sidonium *Arvernis ſuis popularibus abjudicat, in notis hujus epiſtolæ ad voces* Rhodanuſiæ noſtræ *ſolerter obſervavit ſequentia:* Lugduni, patriæ utrique (*videlicet Heronio, ac Sancto noſtro*) communis. Ut Rhodanuſia Sidonio, ſic Araria interdum aliis, quod ad utriuſque fluminis confluentes poſita ſit. Alias quoque urbes ad Rhodanum ſitas RHODANITIDAS dixit in carmine Anacreontico. Irenæus verò regionem ipſam tractumque circa Rhodanum Ῥοδανουσίαν Rhodanuſiam appellavit.

D

E

F

ut propter ipſius Sancti teſtimonium,

16 *Sanctus adhuc magis diſtinctè patriam ſuam deſignat, dum lib. 1, epiſt. 8 Candidianum Cæſenatem, qui ei incommoda natalis ſoli exprobraverat, falsè perſtringit his verbis:* Morari me Romæ, congratularis; id tamen quaſi facetè; & fatigationum ſalibus admixtis. Ais enim, gaudere te, quod aliquando neceſſarius tuus videam ſolem, quem utique rarò bibitor Araricus inſpexerim: nebulas enim mihi meorum Lugdunenſium exprobras, & diem quereris nobis matutina caligine obſtructum vix meridiano fervore reſerari. Et tu iſta hæc mihi, Cæſenatis

AUCTORE G. C.

natis furni potius quàm oppidi verna, deblateras? De cujus natalis tibi soli vel jocunditate vel commodo quid etiam ipse sentires, dum migras, indicasti. *Hoc loquendi modo* S. Sidonius *urbem Lugdunensem, quæ ad fluvios Ararim Rhodanumque sita est, patriam sibi fuisse tam clarè significat, ut hæc phrasis ulteriori explicatione non videatur indigere.*

in variis epistolis expressum,

17 *Præterea lib.* 4, *epist.* 25 *sub initium, S. Patiens, qui ante annum Christi* 470 *cathedram Lugdunensem ascenderat, ab ipso* S. Sidonio *ad Domnulum scribente appellatur*, pater noster in Christo, pariter & pontifex, *& illa epistola finitur his verbis:* Fecit & Patiens, vir quamlibet magnis, tamen par, laudibus, quod satis decuit facere personam, quæ caput est civitati nostræ per sacerdotium, provinciæ verò vestræ per civitatem. *Hinc Sirmondus in notis ad hanc epistolam pag.* 54 *observat sequentia:* CIVITATI NOSTRÆ, Lugduno, cujus caput Patiens, quia episcopus; per civitatem verò, quia Lugdunum metropolis est provinciæ, idem quoque caput totius provinciæ primæ Lugdunensis. Lugdunum porrò civitas & patria Sidonii; ejus episcopus, cùm hæc scriberet, Patiens, quem propterea initio epistolæ suum in Christo patrem vocat. *Acta hujus S. Patientis ad diem* XI *Septembris in Opere nostro illustranda occurrent.*

B

cum Sirmondo probabilius putamus.

18 *Propter hæc aliaque ipsius* S. Sidonii *testimonia, quæ brevitatis causâ præterimus, laudatus Sirmondus in notis ad Carmen* 17 *pag.* 152 *sententiam suam de hac controversia sic candidè profert:* De Sidonii patria cogor à doctissimo Savarone, qui Arvernum facit, dissidere; cum religio sit aliter sentire, quam Sidonius ipse significet, qui se passim Lugdunensem testatur, ut lib. I, epist. V & VIII; lib. IV, epist. XXV; Carmine V & XIII. Apollinaris avi tumulum non in Arvernis, ut eidem videbatur, sed in Lugdunensi agro fuisse, jam ostendimus ex Epistola tertia libri tertii. *Tum demum pagina sequente ex omnibus hac de re sparsim notatis ita concludit:* Quare maneat, Sidonium ortu Lugdunensem, conjugio & cathedra Arvernum fuisse. Nec indignentur Arverni nostri, non totum sibi concedi, qui meliore illius parte potiti sunt; cum ea fuerit Sidonii dignitas & splendor, quo non unicam patriam illustrari par erat. *Nunc de tempore nativitatis ejus aliqua ex antiquis monumentis eruemus.*

C

Sanctus natus die 5 *Novembris*

19 *Cum plerisque recentioribus historicis arbitramur*, S. Sidonium *Lugduni ex illustribus parentibus circa annum* 430, *die* V *Novembris natum fuisse. De die constat ex Carmine* 20 *apud Sirmondum pag.* 387, *ubi Sanctus noster Ecdicium ad annuam natalis sui memoriam celebrandam invitat hoc disticho:*

Natalis noster Nonas instare Novembres
Admonet, occurras non rogo, sed jubeo.

Hinc patet, S. Sidonium *Nonis Novembris natum esse. Sed non possumus tam certam sententiam ferre de anno natali, quem tamen utcumque conjectamus ex epistola sexta libri octavi, in qua* S. Sidonius *ad Nammatium inter alia sic scribit:* Audivi eum adolescens, atque adhuc nuper ex puero, cum pater meus præfectus prætorio, Gallicanis tribunalibus præsideret; sub cujus videlicet magistratu consul Asterius anni sui fores votivùm trabeatus aperuerat. *Ex hoc Asterii consulatu natalem* S. Sidonii *jam præterpropter eruere conabimur.*

20 *Apud Hadrianum Relandum in omnibus fere Fastis consularibus ad annum Urbis conditæ* 1201, *sive Incarnationis* 449, *Asterius cum Protogene consul annuntiatur. Hunc consulatum Bollandus noster in Præfatione generali ad Acta Sanctorum ante tomum primum Januarii pag.* XLIV *&* XLV *ex antiquo monumento confirmat. Igitur consule Asterio, vel anno Christi* 449, *Sanctus noster erat* adolescens, atque adhuc nuper ex puero, *cum pater ejus præfectus Galliarum esset. At Censorinus in libro de die natali cap.* 14 *asserit, masculos à Varrone* usque ad annum quintum decimum pueros *dici. Sic etiam Aulus Gellius in Noctibus Atticis lib.* 10 *cap.* 28 *refert, à Servio Tullio rege populi Romani existimatos esse* pueros, qui minores essent annis septendecim. *Hinc probabiliter opinamur, adolescentes appellatos fuisse eos, qui decimum septimum ætatis annum numerabant aut expleverant. Hæc opinio nostra non parum confirmatur ex Jornande episcopo Ravennate, qui circa medium seculi sexti floruit, & in Opere suo de Rebus Geticis cap.* 55 *ita scribit:* Theodericus jam adolescentiæ annos contingens, expletâ pueritiâ, octavum decimum peragens annum, adscitis satellitibus patris, ex populo amatores sibi clientesque consociavit. *Si itaque septemdecim vel octodecim ætatis annos tunc tribuamus* S. Sidonio, *qui sub ineunte consulatu Asterii, sive anno Christi* 449, *erat* adolescens adhuc nuper ex puero, *retrogradè computando perveniemus ad annum Christi* 430 *aut* 431, *circa quem verosimillimè in lucem editus est.*

D

circa annum Christi 430.

plura habuit nomina,

21 *Natus Puer plura accepit nomina more veterum nobilium, de qua consuetudine Sirmondus in præfatione ad notas suas fusè disserit. Ipse Sanctus tria ex suis nominibus exprimit Carmine* 9 *excusatorio ad Felicem, cui præfigit hanc epigraphen versu hendecasyllabo:*

Largam Sollius hanc Apollinaris
Felici domino, pioque fratri,
Dicit Sidonius suus salutem.

na,

Etiam hæc tria nomina in titulo epistolæ, quam Carmini 22 *hexametro Sanctus noster præmisit, ita leguntur:* Sollius Apollinaris Sidonius Pontio Leontio salutem. *Mamertus Claudianus, omisso* Apollinaris *nomine, & altero substituto, libros de statu animæ suprà memoratos, apud Savaronem & Sirmondum in præludiis ad editionem suam, dedicat* Præfectorio, patricio, doctissimo viro & optimo, Caïo Sollio Sidonio. *Quin etiam quatuor his nominibus additur quintum, teste Savarone, qui ex Ms. Cluniacensi ante lucubrationes hujus Sancti allegat* epitaphium Caii Sollii Apollinaris Modesti Sidonii. *Unde Sirmondus in notis pag.* 6 *lectorem ita monet:* Quidam codices MODESTI quoque nomen addunt hoc modo: CAII SOLLII APOLLINARIS MODESTI SIDONII. Nec insolens fuit ea ætate, ut quinque unius essent vocabula. Ceterùm hujus prænominis nulla usquam est mentio apud Sidonium, nisi forsan eò alludere videatur, cum ad Oresium scribens significat, malle se modestum, quam facetum existimari lib. IX epistola XII. Sidonii verò nomen ultimo loco positum, ut verum & proprium. Quare qui ordine inverso Sidonium Apollinarem vocant, Angelum Politianum & alios quosdam secuti, qui ante centum ferè annos ita primi appellarunt, præter morem faciunt seculi Sidoniani. *Ceterùm S. Gregorius Turonensis, ac ipse* S. Sidonius *sæpe nomen* Sollii *dumtaxat usurpant.*

E

F

22 *Sanctus adhuc puer vel adolescens diversis*

A *& adolescens operam dedit variis scientiis,*

sis litterarum studiis operam dedit, ut facilè colligitur ex epistola prima libri quarti, quam ad Probum suum olim condiscipulum scripsit, & in qua præter affinitatem, alterum amicitiæ colendæ titulum allegat his verbis : Secundus nobis animorum nexus accessit de studiorum parilitate, quia idem sentimus, culpamus, laudamus in litteris, & æquè nobis quælibet dictio placet, improbaturque. Quamquam mihi nimis arrogo, judicium meum conferens tuo. Quis enim juvenum nesciat seniorumque, te mihi magistrum fuisse proprium, cum videremur habere communem ? Et si quid heroïcus arduum, comicus lepidum, lyricus cantelinosum, oratorque maturum, historicus verum, satyricus figuratum, panegyrista plausibile, sophista serium, epigrammista lascivum, commentator lucidum, jurisconsultus obscurum, multifariàm condiderunt, id te omnifariàm singulis, nisi cui ingenium sibique quis defuit, tradidisse ? Deus bone ! Quam sibi hinc patres nostri gloriabantur, cum viderent, sub ope Christi, te docere posse, me discere, & non solùm te facere, quod posses, sed & velle quod faceres, ideoque te bonum non

B minus, quàm peritum pronuntiari ? Et verè intra Eusebianos lares talium te quædam moneta susceperat disciplinarum ; cujus philosophica incude formatus, nunc varias nobis rerum sermonumque rationes, ipso etiam, qui docuerat, probante, pandebas. Nunc ut Plato discipulus jam propè potior sub Socrate, sic jam tu sub Eusebio nostro inter Aristotelicas categorias artifex dialecticus atticissabas ; cum ille adhuc ætatulam nostram mobilem, teneram, crudam, modò castigatoria severitate decoqueret, modò mandatorum salubritate condiret. *Videtur etiam* S. Sidonius *eo tempore didicisse geometriam, musicam, astrologiam similesque scientias, quas in epistola prævia ad Carmen* 14 consequentia membra philosophiæ *nominat. Nec imperitus fuit linguæ Græcæ, quemadmodum ex lib.* 4 *epist.* 12 *& lib.* 8 *epist.* 3 *apparet, & Sirmondus in notis pag.* 82 *observat.*

ac præsertim poësi,

23 *Maximè tamen in juvenili ætate afficiebatur erga studium poëticum, ut ipse lib.* 5 *epist.* 21, *lib.* 8 *epist.* 4, *& lib.* 9 *epistola* 16 *testatur. Apud alios in hac arte magnum ei nomen fuisse, liquet ex judicio Tonantii, quod tamen modestè Sanctus recusat epistolâ decimâ tertiâ libri noni, quam sic exorditur :* Est quidem fateor versibus sententia tua tam plausibilis olim, tam favorabilis, ut poëtarum me quibusque lectissimis comparandum putes, certè compluribus antepònendum. Crederem tibi, si non, ut multum sapis, ita quoque multum me amares. Hinc est quod de laudibus meis caritas tua mentiri potest, nec potest fallere. *Sic etiam lib.* 5 *epist.* 17 *laudes, quibus Eriphius extulerat artem ejus poëticam, repudiat hoc responso :* Es, Eriphi, meus ipse, qui semper ; numquamque te tantum venatio, civitas, ager avocat, ut non obiter voluptate litterarum teneare ; fitque eo studio, ut nec nostra fastidias, quæ tibi, ut scribis, musas olemus. Quæ sententia tamen largè probatur vero carere ; quamquam & apparet, aut ex joco venire, si lætus es, aut ex amore, si serius. Ceterùm à justo longè resultat, cùm mihi assignas, quæ vix Maroni, vix aut Homero competenter accommodentur. Hæc relinquamus, idque, unde causa est, sermocinemur. *Tanta autem ingenii facilitate præditus erat hic Poëta, ut nonnumquam improvisò funderet versus extemporales, qui lib.* 1 *epist.* 11, *lib.* 4 *epist.* 8, *lib.* 5 *epist.* 17, *& lib.* 9 *epist.* 13 *legi possunt. Hinc S. Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib.* 2 *cap.* 22 *de illo sic scribit :* Sanctus verò Sidonius tantæ facundiæ erat, ut plerumque ex improviso luculentissimè quæ voluisset, nulla obsistente mora, componeret.

AUCTORE G. C.

quæ tamen studia aliis exercitiis interrumpebat.

24 *Sed in ea ætate continuum litterarum studium sæpius jocosa confabulatione vel alio corporis exercitio interrumpebat, ut ex lib.* 4 *epist.* 4 *patet, ubi ad Simplicium & Apollinarem de Faustino sic scribit :* Hic meus frater natalium parilitate, amicus animorum similitudine ; sæpe cum hoc seria, sæpe etiam joca miscui ; cumque abhinc retro juvenes eramus, in pila, in tesseris, saltibus, cursu, venatu, natatu, sancta semper ambobus, quia manente caritate, contentio. *Præterea lib.* 5 *epist.* 17 *aliam animi relaxationem memorat, & se lusui pilæ addictum fuisse significat hac narratione :* Pars sub umbra palmitis adulti, quam stipitibus altatis, cancellatimque pendentibus pampinus superducta texuerat ; pars cespite in viridi, sed floribus odoro, consederamus. Verba dulcia erant, jocosa, fatigatoria .... Mox bipertitis, ut erat ætas, acclamationibus efflagitata profertur his pila, his tabula. Spheræ primus ego signifer fui, quæ mihi, ut nosti, non minus libro comes habetur. *Dum denique lib.* 2 *epist.* 2 *Domitium ad prædium suum invitat, inter alias illius delicias iterum de lusu pilæ meminit his verbis :* Ingentes tiliæ duæ connexis frondibus, fomitibus abjunctis, unam umbram non una radice conficiunt ; in cujus opacitate, cum me meus Ecdicius illustrat, pilæ vacamus : sed hoc eo usque, donec arborum imago contractior, intra spatium ramorum recussa cohibeatur, atque illic aleatorium lassis, consumpto sphæristico, faciat. *Nunc ad alia Sancti nostri gesta progredimur.*

E

§ III. Sancti conjugium, liberi, & dignitates, quas ab imperatoribus Romanis impetravit.

F

Ex nobili uxore, quam Sidonius duxit,

S*Anctus jam matrimonio maturus uxorem duxit, nomine Papianillam, quæ erat filia Aviti postea imperatoris, & Ecdicii Agricolæque nobilium virorum soror, ad quam lib.* 5 *epist.* 16 *deinde scripsit in hunc modum :* Ravennâ veniens quæstor Licinianus, cum primùm tetigit, Alpe transmissa, Galliæ solum, litteras adventus sui prævias misit, quibus indicat, esse se gerulum codicillorum, quorum in adventu fratri etiam tuo Ecdicio, cujus æquè titulis ac meis gaudes, honor patricius accedit ; celerrimè, si cogites ejus ætatem, si merita, tardissimè .... Interea tu, si affectum tuum bene colligo, hisce compertis, magnum solatium inter adversa maxima capis ; nec animum tuum à tramite communium gaudiorum vicinæ quoque obsidionis terror exorbitat : novi enim probè, ne meo quidem te, quem ex lege participas, sic honore lætatam ; quia licet sis uxor bona, soror quoque optima es. Qua de re, propitio Deo Christo, ampliatos prosapiæ tuæ titulos ego festinus gratatoriis apicibus inscripsi, pariter absolvens sollicitudinem tuam, fratris pudorem, quem nihil de propria dignitate indicaturum, si verecundum

AUCTORE G. C.

cundum fortè nescires, nec sic impium judicares. Ego verò non tantùm insignibus vestris, quæ tu hactenus quanto liberiùs, tanto impatientiùs præstolabare (quamquam his quoque granditer) quantùm concordiâ fruor; quam parem nostris suisque liberis in posterum exopto, votis in commune deposcens, ut sicut nos utramque familiam nostram præfectoriam nacti, etiam patriciam divino favore reddidimus, ita ipsi, quam suscipiunt patriciam, faciant consularem. *Cum hîc mentio fiat de liberis, quos* S. Sidonius *ante episcopatum ex Papianilla susceperat, etiam illos ex scriptis ejus jam recensebimus.*

filium Apollinarem

26 *Imprimis habuit filium, nomine Apollinarem, quem solicitus Pater optimis moribus imbuere conatus est, ut lib.* 5 *epist.* 11 *significat, ubi, post enumeratas Potentini cujusdam virtutes, epistolam sic absolvit:* Hæc omnia exempla vivendi jam hinc ab annis puberibus meus Apollinaris si sequitur, gaudeo; certè ut sequatur, admoneo; in quo docendo instituendoque, modò sub ope Christi disposita succedant, plurimùm lætor, maximam me formulam vitæ de moribus tuis mutuaturum. Vale. *Præterea lib.* 3 *epist.* 13 *ad ipsum Apollinarem scribit, eumque propter fugam pernicioſi consortii laudat his verbis:* Unicè probo, gaudeo, admiror, quod castitatis affectu contubernia fugis impudicorum; præsertim quibus nihil pensi, nihil sancti est, in appetendis garriendisque turpitudinibus; quique quod verbis inverecundis aurium publicarum reverentiam incessant, granditer sibi videntur facetiari. *Denique lib.* 4 *epist.* 12 *ostendit paternam solicitudinem, ut hic filius ejus in studio humaniorum litterarum proficeret, & alibi sæpius de eodem meminit.*

& duas filias,

27 *De filia sua Severiana mentionem facit lib.* 2 *epist.* 12, *in qua ab uxoris suæ fratre Agricola invitatus ad piscationem, propter istius filiæ morbum sese excusat hoc modo:* Misisti tu quidem lembum mobilem, solidum, lecti capacem, jamque cum piscibus. Tum præterea gubernatorem longè peritum, remiges etiam robustos expeditosque, qui scilicet ea rapiditate prætervolant amnis adversi terga, qua defluit. Sed dabis veniam, quod invitanti tibi in piscationem comes venire dissimulo: namque me multo, decumbentibus nostris, validiora mœroris retia tenent; quæ sunt amicis quoque & externis indolescenda. Unde te quoque puto, si ritè germano moveris affectu, quo temporis puncto paginam hanc sumpseris, de reditu potiùs cogitaturum. Severiana sollicitudo communis, inquietata primùm lentæ tussis impulsu, febribus quoque jam fatigatur, iisque per noctes ingravescentibus; propter quod optat exire in suburbanum. Litteras tuas denique cum sumeremus, egredi ad villulam jam parabamus. Quocirca seu tu venias, seu moreris, preces nostras orationibus juva, ut ruris auram desideranti salubriter cedat ipsa vegetatio. Certè ego, vel tua soror, inter spem metumque suspensi, credimus ejus tædium augendum, si voluptati jacentis obstitissemus. Igitur ardori civitatis atque torpori, tam nos quàm domum totam, prævio Christo, pariter eximimus, simulque medicorum consilia vitamus, assidentum dissidentûmque, qui parum docti & satis seduli, languidos multos officiosissimè occidunt. Sanè contubernio nostro jure amicitiæ Justus adhibebitur (*hic forsan est medicus circumforaneus, cujus epitaphium Sirmondus in notis, pag.* 35 *exhibet*) quem, si jocari liberet in tristibus, facilè convincerem, Chironica magis institutum arte, quàm Machaonica: quo diligentiùs postulandus est Christus, obsecranduſque, ut valetudini, cujus curationem cura nostra non invenit, potentia superna medeatur. Vale.

28 *In supradicta epistola decima sexta libri aut fortè quinti memorat alteram filiam, cujus nomine tres uxorem suam in fine sic salutat:* Roscia te salutat, cura communis, quæ in aviæ amitarumque indulgentissimo sinu, quod rarò nepotibus contingit alienis, & cum severitate nutritur; qua tamen tenerum non infirmatur ævum, sed informatur ingenium. *Sanctus Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib.* 3 *cap.* 2 *videtur his addere tertiam* S. Sidonii *filiam, quæ ab ipso ibidem* Alchima sororque Apollinaris *vocatur. Cum tamen Sanctus noster nusquam de Alchima illa meminerit, non omnino temere suspicamur, hanc esse eamdem cum Severiana vel Roscia, quæ forsan postmodum duplex nomen gessit, quemadmodum eo tempore apud feminas nobiles usitatum erat. At quæcumque fuerit illa Alchima, post mortem* S. Sidonii *hæc cum uxore Apollinaris conspiravit, & fratrem suum indigno modo ad cathedram Arvernam sive Claromontanam evexit, ut mox videbimus.*

(inter hos liberos filius postea non satisfecit curæ sancti Patris)

29 *Hinc etiam sequitur, Apollinarem paternæ curæ ac sanctæ institutioni postea parum satisfeciſſe, cum Gregorius Turonensis loco proximè citato de hoc indigno sedis Arvernæ invasore narret sequentia:* Illæ autem hæc audientes, Apollinarem ad regem dirigunt; qui abiens, oblatis multis muneribus, in episcopatu successit, quo quatuor abutens mensibus, migravit à seculo. *Sanctus historicus in Vitis Patrum cap.* 4 *eadem repetit, nisi quod Apollinarem tantummodo* tribus mensibus *in illa cathedra sedisse affirmet. Post istud S. Gregorii Turonensis testimonium summopere miramur, hunc Apollinarem in Martyrologio Gallicano Saussayi pag.* 1234, *apud Ferrarium in Catalogo generali ad diem* XXVI *Septembris, ac eodem die in Additionibus Adonis & Auctariis nostris Usuardinis inter Sanctos inveniri, vel à Sammarthanis sanctum appellari. Sed hunc errorem noviſſimi editores Galliæ Christianæ tomo* 2 *col.* 235 *prudenter correxerunt, & ex narratione S. Gregorii Turonensis rectè sic monent:* Lugendus sanè hic exitus filii Apollinaris Sidonii, quem piissimus Pater tanto studio in bonis moribus instituerat. *Nos itaque hunc Apollinarem prorsus ex sacris fastis eradendum censemus.*

ante episcopatum susceperit.

30 *Occasione liberorum* S. Sidonii *operosè refutari possent quidam disciplinæ ecclesiasticæ corruptores, qui impudenter fingunt, sanctum Præsulem tempore sui episcopatûs ex uxore Papianilla filium vel filias genuisse. Sed Sirmondus noster in notis pag.* 61 *nugatores illos calumniæ convincit,* ex canonum præscripto & perpetua consuetudine priscæ Ecclesiæ, in qua qui ex conjugio ad sacerdotium adscisebantur, ab uxorum thoro separati, non aliter deinceps cum illis, quàm cum sororibus versabantur. *Postquam id demonstravit variis certisque exemplis, quæ hîc brevitatis causâ omittimus, ibidem sic pergit:* Quod ergo lege ac more sancitum, prædecessorisque sui facto testatum meminerat Sidonius, id aut ignorare aut impunè contemnere quî potuit? Et tamen sunt, qui ex Papianillæ mentione hoc loco fucum fieri posse confidant; & quia lib. IV epist. XII cum Apollinare filio Terentium

A rentium Menandrumque legit Sidonius epiſcopus, inde filium jam ephebum, jam Græcæ Latinæque linguæ auctoribus initiatum, à Patre jam epiſcopo ſuſceptum contendant; quem res ipſa docet epiſtolas omnes Conſtantianæ collectionis, hoc eſt librorum ſeptem priorum, quas epiſcopus dictavit, in ipſis pænè pontificatûs auſpiciis dictaſſe. Sed quid facias hominibus, qui cum veri nihil dicant, ſibi tamen clauſis oculis credi volunt? *Jam tranſeamus ad honores, quos* Sidonius *adeptus eſt, & quorum ſeſe tunc temporis avidum fuiſſe, paſſim in ſcriptis ſuis ſignificat.*

Panegyrim dixit coram Avito imperatore,

31 *Cum Avitus menſe Julio anni* 455 *imperator in Gallia declaratus eſſet,* Sidonius *ipſum Romam profectum ſecutus eſt, & initio anni* 456 *ad ejus laudem coram ſenatu populoque Romano carmen panegyricum recitavit. Hæc panegyris tanto plauſu excepta eſt, ut propter eam* Sidonio *Romæ ſtatua area erecta fuerit, quemadmodum ipſe lib.* 9 *epiſt.* 16 *& Carmine* 8 *indicat. Cum verò Avitus ante finem ejuſdem anni* 456 *imperium deſerere cogeretur, ad eum defendendum videtur* Sidonius *adverſus æmulum ipſius Majorianum arma ſumpſiſſe. Sed huic Aviti ſucceſſori cedere compulſus, confugit ad clementiam victoris, à quo tam benigne exceptus eſt* Sidonius, *ut huic poſtea familiariſſimus fuerit, eumque exeunte anno* 458 *Lugduni publicè laudaverit carmine panegyrico, ex cujus præfatione apud Sirmondum pag.* 308 *colligimus, illum laudatorem priùs arma adverſus imperatorem Majorianum tuliſſe, cum ibi præmittat hos verſus diſtichos:*

B

Et tibi, Flacce, acies Bruti Caſſique ſecuto
Carminis eſt auctor, qui fuit & veniæ.
Sic mihi diverſo nuper ſub Marte cadenti
Juſſiſti placido, victor, ut eſſem animo.
Serviat ergo tibi ſervati lingua poëtæ,
Atque meæ vitæ laus tua ſit pretium.

& Majoriano ejus ſucceſſore,

32 *Non ſatis certò ſcimus, quodnam officium* Sidonius *ſub imperatore Majoriano adminiſtraverit. Attamen ex epiſtola ſexta libri octavi colligimus, illum militari quodam munere functum eſſe, quia ibi ad Nummatium amicum ſcribit hoc modo:* Caium Cæſarem dictatorem, quo ferunt nullum rem militarem ducaliùs adminiſtraſſe, ſtudia dictandi lectitandique ſibi mutuo vindicavere ..... Quod mihi quoque, ſi parva magnis componere licet, ſecundùm modulum meum, quamquam diſſimillimo, ſimiliter acceſſit .... Flavius Nicetius, vir ortu clariſſimus, privilegio ſpectabilis, merito illuſtris, & hominum patriæ noſtræ prudentiâ peritiâque juxtà maximus, præconio, quantum comperi, immenſo præſentis opuſculi volumina extollit; inſuper prædicans, quod plurimos juvenum, nec ſenum paucos, vario genere dictandi, militandique (quippe adhuc ævo viridis) ipſe ſim ſupergreſſus. Equidem in quantum fieri præter jactantiam poteſt, gaudeo de præſtantiſſimi viri auctoritate, ſi certus eſt; amore, ſi fallitur. Licet quis provocatus nunc ad facta majorum, non inertiſſimus, quis quoque ad verba, non infantiſſimus erit? *Hîc ex comparatione & verbo* militandi *conjectamus,* Sidonium *militari quadam dignitate præditum fuiſſe, licet ignoremus, qualis illa fuerit. Saltem ex lib.* 1 *epiſt.* 11 *conſtat,* Sidonium *ſub hoc imperatore habuiſſe dignitatem Comitis, cum ibi ipſe Majorianus illum eo titulo appellet, ut alia occaſione videbimus.*

C

33 *Poſtquam Majorianus anno* 461 *interfectus eſſet, eique Severus ſucceſſiſſet, videtur* Sanctus *noſter in Gallia manſiſſe: nam circa hoc tempus ſcripſit aliquas epiſtolas ac carmina, quæ commorationem ejus in Gallia indicant. Forſan illo temporis intervallo ſubinde amicos Gallos inviſebat, aut plerumque ſtudiis occupatus degebat in prædio ſuo ſuburbano Arvernæ, ad quod lib.* 2 *epiſt.* 2 *Domitium invitat, eique inter alia locum ita aſſignat:* Sanè ſi placet, quis ſit agri, in quem vocaris, ſitus, accipe. Avitaci ſumus; nomen hoc prædio, quod quia uxorium, (*videlicet ex parte uxoris ſuæ id acceperat*) patrio mihi dulcius. *Deinde prædii amœnitatem graphicè depingit, & Carmine* 18 *balnea ejuſdem laudat his verſibus:*

AUCTORE G. C. *poſt cujus mortem videtur in Gallia manſiſſe,*

Si quis Avitacum dignaris viſere noſtram,
Non tibi diſpliceat, ſi quod habes placeat.
Æmula Baiano tolluntur culmina cono,
Parque cothurnato vertice fulget apex.
Garrula Gauranis plus murmurat unda fluentis,
Contigui collis lapſa ſupercilio.
Lucrinum dives ſtagnum Campania nollet,
Æquora ſi noſtri cerneret illa lacûs.
Illud puniceis ornatur littus echinis,
Piſcibus in noſtris, hoſpes, utrumque vides.
Si libet, & placido partiris gaudia corde,
Quiſquis ades, Baias tu facis hîc animo.

E

donec imperium adeptus eſt Anthemius,

34 *Anno Chriſti* 467 S. Sidonius *Romam rediit, cum Anthemius ad culmen imperii Romani evectus eſſet, & carmen panegyricum pronuntiavit ad honorem ejuſdem imperatoris, qui ineunte anno* 468 *ſecundum conſulatum auſpicabatur. Id fecit conſilio Baſilii quondam conſulis, qui hanc viam ad dignitates obtinendas illi oſtenderat. Exſpectationi utriuſque optatus reſpondit eventus, dum* Sidonius *eodem anno Chriſti* 468 *præfecturam urbis Romanæ adeptus eſt. Hæc omnia ipſe lib.* 1 *epiſt.* 9 *familiariter Heronio amico ſuo nuntiat his verbis:* Dum per hunc ampliſſimum virum (*videlicet Baſilium, de quo ſuperiùs egerat*) aliquid de legationis Arvernæ petitionibus elaboramus, ecce Calendæ Januariæ, quæ Auguſti conſulis mox futuri repetendum faſtis nomen operiebantur. Tunc patronus, Eia, inquit, Solli meus, quamquam ſuſcepti officii onere preſſaris, exeras volo in obſequium novi conſulis veterem muſam, votivum quidpiam vel tumultuariis fidibus carminantem. Præbebo admittendo aditum, recitaturoque ſolatium, recitantique ſuffragium. Si quid experto credis, multa tibi feria hoc ludo promovebuntur. Parui ego præceptis: favorem ille non ſubtraxit injunctis; & impoſitæ devotionis adſtipulator invictus, egit cum conſule meo, ut me præfectum faceret ſenatui ſuo.

F

ſub quo præfecturam Romæ adminiſtravit.

35 *Deinde ſatis feſtivè cenſuram carminis ſui amico committit, & epiſtolam proſequitur hoc modo:* Sed tu, ni fallor, epiſtolæ peroſus prolixitatem, voluptuoſius nunc opuſculi ipſius relegendis verſibus immorabere, ſcio: atque ob hoc carmen ipſum loquax in conſequentibus charta deportat, quæ pro me interim, dum venio, diebus tibi pauculis ſermocinetur. Cui ſi examinis tui quoque puncta tribuantur, æquè gratum mihi, acſi, me in comitio vel inter roſtra concionante, ad ſophos meum, non modo lati clavi, ſed tribulium quoque fragor concitaretur. Sanè moneo, præque denuntio, quiſquilias ipſas Clius tuæ hexametris minimè exæques: meritò enim collata veſtris mea carmina, non heroïcorum phaleris, ſed epitaphiſtarum næniis comparabuntur. Attamen gaude, quod hic ipſe panegy-

AUCTORE G. C.

panegyricus, etsi non judicium, certè eventum boni operis accepit. Quapropter, si tamen tetrica sunt amœnanda jocularibus, volo paginam glorioso, id est quasi Thrasoniano, fine concludere, Plautini Pyrgopolynicis imitator. Igitur cùm ad præfecturam, sub ope Christi, styli occasione pervenerim, jubeas ilicet pro potestate cinctuti, undique omnium laudum convasatis acclamationibus, ad astra portare, si placeo, eloquentiam; si displiceo, felicitatem. Videre mihi videor, ut rideas, quia perspicis nostram cum milite comico ferocissimo jactantiam. Vale.

& dignitatem patriciam obtinuit.

36 *Imperator Anthemius etiam* Sidonium *dignitate patricia ornavit, ut liquet ex epistola ejus ad uxorem Papianillam data, quam superiùs exhibuimus, & in qua asserit, se familiam suam, quam præfectoriam à majoribus nactus erat, patriciam reddidisse. Honor ille confirmatur ex testimonio Mamerti Claudiani, qui Opus suum de Statu animæ inscripsit* præfectorio, patricio, doctissimo viro & optimo, Caio Sollio Sidonio. *Sirmondus autem in notis pag. 62 ex Cassiodoro monet, patriciatum fuisse dignitatem mediam inter præfecturam & consulatum, ita ut præfecturam superet, & consulatui cedat. Verùm omnes isti honores tanto ambitu quæsiti parum* Sidonio *profuissent ad immortalem ejus memoriam conservandam, nisi hunc vanum familiæ suæ splendorem vera sanctitate postmodum illustrasset. Quapropter omittimus hoc loco varia, quæ adhuc laicus gessit, ut diutius episcopalibus ejus virtutibus referendis infrà immorari possimus. Priùs tamen egregiam illius indolem, qua etiam ante episcopatum præditus fuit, distinctiùs ex scriptis ejus eruemus, & paragrapho sequente repræsentabimus.*

§ IV. Sancti indoles ex scriptis ejus potissimùm eruta, & improbabilis opinio de monastica ipsius vita.

Sidonius indolem suam prodit in epistolis, C

ETiamsi *generosa* S. Sidonii *indoles ex jam relatis aliquot epistolarum fragmentis utcumque cognosci possit, tamen ipse lib. 7 epist. 14 varias animi sui propensiones apertiùs detegit amico suo Philagrio, cujus sese imitatorem profitetur his verbis:* Licet bonis omnibus placeas, nemo te plus voluit intrinsecus intueri, quàm qui forinsecus affectat imitari. Sanè qualiter studiorum tuorum consectaneus fiam, consequa paginæ parte referabitur. Amas, ut comperi, quietos: ego & ignavos. Barbaros vitas, quia mali putentur: ego etiam si boni. Lectioni adhibes diligentiam: ego quoque in illa parum mihi patior nocere desidiam. Comples personam religiosi; ego vel imaginem. Aliena non appetis: ego etiam refero ad quæstum, si propria non perdam. Delectaris contuberniis eruditorum: ego turbam quamlibet magnam, litterariæ artis expertem, maximam solitudinem appello.

ex quibus colligimus,

38 Diceris esse lætissimus: ego quoque lacrymas omnes perire definio, quas quisque profuderit, nisi quoties Deo supplicat. Humanissimus esse narraris: nostram quoque mensulam nullus ut specum Polyphemi hospes exhorruit. Summa clementia tibi in famulos esse perhibetur: nec ego torqueor, si mei, quoties peccaverint, non toties torqueantur. Jejunandum alternis putas? Non piget sequi; ad prandendum non pudet prævenire. De cetero, si vos à me videri Christi munere datur, ita gaudeam tamquam cui de te nec minora subtracta sint. Porrò autem quæ sint in te majora, jam satis novi. Propter quæ fieri faciliùs potest, ut & si quandoque faciem tuam coram positus inspexero, aliqua de te recens mihi lætitia potiùs, quàm sententia accedat. Vale in Christo. *Ex hac aliisque multis epistolis colligimus,* Sidonium *inter amicos ac familiares suos facilem urbanumque fuisse.* D

eum subindè usum esse styli acrimoniâ,

39 *Sed quanto benignior erat erga bonos, tanto vehementior fuit adversus malos, ut manifestum fit ex epistola prima libri secundi, ubi apud Ecdicium de Seronato Arverniæ oppressore sic acerbè conqueritur:* Rediit ipse Catilina seculi nostri nuper Aturribus, ut sanguinem fortunasque miserorum, quas ibi ex parte propinaverat, hìc ex asse misceret. Scitote, in eo per dies spiritum diu dissimulati furoris aperiri. Apertè invidet, abjectè fingit, serviliter superbit. Indicit ut dominus, exigit ut tyrannus, addicit ut judex, calumniatur ut barbarus, toto die à metu armatus, ab avaritia jejunus, à cupiditate terribilis, à vanitate crudelis, non cessat simul furta vel punire. Palam & ridentibus convocatis ructat inter cives pugnas, inter barbaros litteras; epistolas, ne primis quidem apicibus sufficienter initiatus, publicè à jactantia dictat, ab impudentia emendat. Totum quod concupiscit quasi comparat, nec dat pretia contemnens, nec accipit instrumenta desperans. In concilio jubet, in consilio tacet, in ecclesia jocatur, in convivio prædicat, in cubiculo damnat, in quæstione dormitat. Implet quotidie sylvas fugientibus, villas hospitibus, altaria reis, carceres clericis. Exultans Gothis, insultansque Romanis, illudens præfectis, colludensque numerariis, leges Theodosianas calcans, Theodoricianasque proponens, veteres culpas, nova tributa perquirit. *Nec minus acriter lib. 5 epist. 13 in hunc tyrannum invehitur, & epistola septima libri septimi narrat, eum ab Arvernis interfectum meritas violentiæ suæ pœnas dedisse.* E

quam animi libertatem appellat,

40 *Sanctus hanc styli sui acrimoniam, quæ in scriptis ejus interdum occurrit, lib. 7 epist. 18 ingenuam loquendi libertatem appellat, ubi ad Constantium post alia sic scribit:* Commendo igitur varios judicio tuo nostri pectoris motus, minimè ignarus, quod ita mens pateat in libro, veluti vultus in speculo. Dictavi enim quæpiam hortando, laudando plurima, aliqua suadendo, mœrendo pauca, jocandoque nonnulla. Et si me ulpiam lectitavisti in aliquos concitatiorem, scias volo, Christi dextera opitulante, me numquam toleraturum animi servitutem, compertissimum tenens, bipartitam super iis moribus hominum esse censuram: nam ut timidi me temerarium, ita constantes liberum appellant; inter quæ ipse decerno, satis illius jacere personam, cujus necesse est latêre sententiam. *Quinimò* Sidonius *malos tanto odio persequebatur, ut ab his beneficia nollet accipere, quemadmodum lib. 5 epist. 13 ad Pannychium liberè pronuntiat hac clausula:* In summa de Seronato vis accipere, quid sentiam. Ceteri affligi per suprascriptum damno verentur; mihi latronis & beneficia suspecta sunt. Vale. F

& quam Petrus Cluniacensis in ipso laudat.

41 *Forsan aliquis hanc acriorem scribendi dicendive libertatem de temeritate vel arrogantia condemnabit. At venerabilis Petrus abbas Cluniacensis videtur illum liberum animi candorem*

A *dorem in hoc ipso scriptore non improbasse, dum apud Andream Quercetanum in Bibliotheca Cluniacensi col.* 839 *&* 840 *Sanctum nostrum cum elogio sic allegat:* Inde bonus & doctus vir Sidonius Arvernus episcopus quorumdam vitia mordaci reprehensione irridens inter alia, quibus in eos invehitur, Procedunt, inquit, albati ad exsequias, pullati ad nuptias; ostendens eos in tantum moribus & actu confusos, ut apparatum funereum nuptiali, nuptialem funereo, perverso ordine, permutarent. *Deinde idem venerabilis abbas in carmine adversus calumniatores ibidem col.* 1341 *ac* 1342 *Auctorem nostrum titulo* sancti *exornat, & citat his versibus:*

Jam decus Arvernum, quam tot virtutibus ornas,
Nobis, Sidoni sancte vocate, veni:
Et referens laudes, quas Sanctis exhibuisti,
More tibi solito perfida corda feri,
Quæ nobis laudes audent grunnire negandas,
Quando virtutis exigit has meritum.

42 *Licet* Sidonius *in adversariis reprehendendis esset asper, tamen in amicis laudandis erat facilis ac benignus. Quales autem amicos eligeret, lib.* 5 *epist.* 11 *scribens ad Potentinum significat hoc modo:* Multùm te amamus, & quidem hujusce dilectionis non est erroneus aut fortuitus affectus. Namque ut sodalis tibi devinctior fierem, judicavi: est enim consuetudinis meæ, ut eligam antè, pòst diligam. Quænam, inquis, in me tibi probanda placuere? Dicam libenter & breviter; quorum unum fieri gratia, alterum charta compellit. Veneror in actionibus tuis, quod multa bono cuique imitabilia geris. Colis ut qui solertissimè, ædificas ut qui dispositissimè, venaris ut qui efficacissimè, pascis ut qui exactissimè, jocaris ut qui facetissimè, judicas ut qui æquissimè, suades ut qui sinceriſſimè, commoveris ut qui tardissimè, placaris ut qui celerrimè, redamas ut qui fideliſſimè, *In fine hujus epistolæ optat, ut filius suus Apollinaris illa vivendi exempla imitetur, sicuti superiùs alia occasione retulimus.*

Porrò facilis erat

B

43 *Si amor pares invenit, aut pares facit, ut vulgò dicitur, etiam mores* S. Sidonii *colligere possumus ex moribus Menstruani, quos in epistola sexta libri secundi ad Pegasium data laudat hoc modo:* Proverbialiter celebre est, sæpe moram esse meliorem, sicuti & nunc experti sumus. Menstruanus amicus tuus longo istic tempore inspectus, meruit inter personas nobis quoque caras devinctasque censeri: opportunus, elegans, verecundus, sobrius, parcus, religiosus, & his morum dotibus præditus, ut quoties in boni cujusque adscitur amicitias, non amplius consequatur beneficii ipse, quàm tribuat. Hæc tibi non ut ignoranti, sed ut judicio meo satisfacerem, scripsi. Quamobrem triplex causa lætandi: tibi prima, cui amicos sic aut instituere aut eligere contingit; Arvernis secunda, quibus hoc in eo placuisse confirmo, quod te probasse non ambigo; illi tertia, de quo boni quique bona quæque judicaverunt. Vale.

ad laudandos amicorum mores,

C

44 *Quàm verò* Sidonius *in amicitia colenda esset constans, etiam cum periculo vel detrimento propriæ famæ, patet ex infelicitate Arvandi præfecti Galliarum, qui anno* 469 *Romam adductus, de peculatu & crimine læsæ majestatis accusabatur. Infelicem hujus præfecti casum lib.* 1 *epist.* 7 Sidonius *amico suo Vincentio narrare incipit in hunc modum:* Angit me casus Arvandi, nec dissimulo, quin angat. Namque hic quoque cumulus accedit laudibus imperatoris, quod amare palam licet & capite damnatos. Amicus homini fui, suprà quàm morum ejus facilitas varietasque patiebantur. Testatur hoc propter ipsum mihi nuper invidia conflata, cujus me paulò incautiorem flamma detorruit. Sed quod in amicitia steti, mihi debui. *Deinde post diffusam litis hujus narrationem in fine epistolæ exponit, quomodo vitam conservare conetur ei, cujus innocentiam tueri non potuit. Revera* Sidonius *apud imperatorem postea effecit, ut pœna capitis, qua Arvandus damnatus erat, in exsilium commutata fuerit, sicut ex Annalibus ecclesiasticis eminentissimi Baronii ad annum Christi* 468 *num.* 10 *discimus.*

AUCTORE G. C.

in amicitia constans,

45 *Tanta nonnumquam inter litteratos gloriæ æmulatio est, ut in turpem invidiam degeneret, & etiam viri docti in scientia pares aut superiores ferre non possint, solique sapere velint. At eruditissimus noster Sanctus* studiosis favere non invidere consuevit, *ut Ruricius coævus lib.* 1 *epist.* 8 *apud Henricum Canisium tomo* 5 *Antiquæ Lectionis pag.* 468 *de illo pronuntiavit. Hoc Ruricii testimonium mirificè concordat cum epistola decima libri secundi, quam* Sidonius *ad Hesperium scripsit, & cui dedit hoc initium:* Amo in te quod litteras amas, & usquequaque præconiis cumulatissimis excolere contendo tantæ diligentiæ generositatem, per quam nobis non solùm initia tua, verùm etiam studia nostra commendas: nam cum videmus in hujusmodi disciplinam juniorum ingenia succrescere, propter quam nos quoque subduximus ferulæ manum, copiosissimum fructum nostri laboris adipiscimur. *Præterea lib.* 9 *epist.* 9 *Sanctus jam episcopus Arvernorum sincerè testatur, se vitio nulli minus, quàm invidentiæ, umquam addictum fuisse.*

nemini invidebat,

D

Sua libenter aliis communicabat,

46 *Hinc libenter aliis opuscula sua communicabat, ut probatur exemplo laudati Ruricii, qui epistolâ paulò superiùs assignata deprecatur culpam, quam se commisisse existimabat, eo quòd aliquam* Sidonii *lucubrationem clàm transcripsisset. Illi autem Sanctus noster lib.* 4 *epist.* 16 *sic benignè respondet:* Accepi per Paternianum paginam vestram, quæ plus mellis an salis habeat, incertum est. Ceterùm eloquii copiam hanc præfert, hos olet flores, ut bene appareat, non vos manifesta modò, verùm etiam furtiva quoque lectione proficere. Quamquam & hoc furtum, quod deprecaris, exemplati libelli non venia tam debeat respicere, quàm gloria. Quid tu enim facias absque virtute, qui nec ipsa peccata sine laude committis? Ego verò quidquid impositum est fraudis, utpote absenti, libens audio, principalique pro munere amplector, qui quodammodo damnum indemne toleravi: neque enim quod tuo accessit usui, decessit hoc nostræ proprietati; aut ad incrementa scientiæ vestræ per detrimenta venistis alienæ. Quin potius ipse jure ab hinc uberi præconio non carebis; qui magis igneo ingenio naturam decenter ignis imitatus es, de quo si quid demere velis, remanet totus qui transfertur. Unde jam parce trepidare, deque moribus amici plusculum recto secus credere: namque in hoc facto nos magis vulnus polluit culpæ, si feriat ictus invidiæ. Vale.

E

F

ab omni obscœnitate abhorrebat,

47 *Quantum verò* Sidonius *adhuc laïcus ab obscœnitate abhorruerit, docet epistola secunda libri secundi, qua Domitium virum severum ad prædium suum Avitacum invitat, & inter accuratam istius villæ descriptionem hæc memorat:*

AUCTORE G. C.

rat : Non hîc per nudam pictorum corporum pulcritudinem turpis proſtat hiſtoria ; quæ ſicut ornat artem , ſic devenuſtat artificem. Abſunt ridiculi veſtitu & vultibus hiſtriones , pigmentis multicoloribus Philiſtionis ſupellectilem mentientes. Abſunt lubrici tortuoſique pugillatu & nexibus palæſtritæ , quorum etiam viventum luctas , ſi involvantur obſcœniùs , caſta confeſtim gymnaſiarchorum virga diſſolvit. *Quapropter etiam lib. 3 epiſt. 13 laudat filium ſuum Apollinarem, quod impudicos nonnullorum ſermones evitet , ut ſuperiùs alia occaſione vidimus , & poſtquam ibi laſcivum quemdam patriæ ſuæ paraſitum graphicè depinxit , in fine epiſtolæ filium ſuum ita monet :* Igitur ex voto meo feceris , ſi talium ſodalitati ne congreſſu quidem primore ſociêre , maximè illorum , quorum ſermonibus proſtitutis ac theatralibus nullas habenas , nulla præmittit repagula pudor : nam quibus citra honeſtatis nitorem jactabundis loquacis fæce petulantiæ lingua polluitur infrænis , his conſcientia quoque ſordidatiſſima eſt. Denique faciliùs obtingit , ut quiſpiam ſeria loquens vivat obſcœnè , quàm valeat oſtendi , qui pariter exiſtat improbus dictis , & probus moribus. Vale.

B

& ſepulcra Sanctorum

48 *Denique* Sidonius *in laïcali ſtatu præbuit varia Chriſtianæ pietatis indicia , inter quæ adverſus hagiomachos noſtri temporis hæreticos obſervari meretur veneratio Sanctorum , ad quorum patrocinium Catholico ritu confugiebat. Id imprimis diſcimus ex lib. 5 epiſt. 17 , ubi ad Eriphium poſt alia ſic ſcribit :* Convenieramus ad ſancti Juſti (*fuit hic epiſcopus Lugdunenſis, & die ſecunda Septembris colitur*) ſepulcrum ; ſed tibi infirmitas impedimento , ne tunc adeſſes. Proceſſio fuerat antelucana , ſolennitas anniverſaria , populus ingens ſexu ex utroque , quem capaciſſima baſilica non caperet , & quamlibet cincta diffuſis crypta porticibus. Cultu peracto vigiliarum , quas alternante mulcedine monachi clericique pſalmicines concelebraverant , quiſque in diverſa ſeceſſimus ; non procul tamen , utpote ad tertiam præſto futuri , cum ſacerdotibus res divina facienda.

ritu Catholico piè venerabatur ;

C

49 *Cum autem anno* 467 *Romam proficiſceretur ad Anthemium imperatorem , & febri correptus eſſet in itinere , ſuppliciter ad limina Apoſtolorum recurrit , eorumque interceſſionem expertus eſt , ut ipſe lib. 1 epiſt. 5 narrat his verbis :* Inter hæc patuit & Roma conſpectui ; cujus mihi non ſolùm formas , verùm etiam naumachias videbar epotaturus. Ubi priuſquam vel pomœria contingerem , triumphalibus Apoſtolorum liminibus affuſus , omnem protinus ſenſi membris malè fortibus exploſum eſſe languorem. Poſt quæ cæleſtis experimenta patrocinii , conducti diverſorii parte ſuſceptus , atque etiam nunc iſta hæc inter jacendum ſcriptitans , quieti pauxillulùm operam impendo. *Ex omnibus hactenus relatis apparet bona* Sidonii *indoles , quam tamen multùm perfecit , & eximiis auxit virtutibus in epiſcopatu , de quo ſtatim agemus , ubi prius novam quamdam opinionem de monaſtica ejus vita breviter expoſuerimus.*

ſed nullo probabili argumento dicitur

50 *Sanctus noſter in ſcriptis ſuis nuſquam indicat , ſeſe umquam in inſula Lerinenſi vixiſſe, multo minus ibi ſe monaſticam vitam aliquando amplexum eſſe , licet inſtitutum monachorum Lerinenſium ſæpe laudet. Nihilominus Joannes Baptiſta de Lezana in Annalibus Carmelitarum ad annum Chriſti* 471 *num.* 4 , *ſive tomo* 3 *pag.* 206 , *confidenter aſſerit* , S. Sidonium *ex monaſterio Lerinenſi ad cathedram Arvernenſem tranſiiſſe. Quilibet eruditus ſatis videt , quid Lezana intendat hac aſſertione , cum antea in iiſdem Annalibus ad annum* 432 *num.* 9 , *ſive pag.* 152 *tomi proximè citati de Vincentio Lerinenſi monacho pronuntiaverit ſequentia :* Hunc porrò Vincentium & alios Lirinenſes antiquorum monachorum Elianorum æmulatores exſtitiſſe , antequam Benedictinam normam vivendi imbuiſſent , plura ex his , quæ ſparſim per hoc Opus ſcribimus , ſuadent.

D

monaſticam vitam ante epiſcopatum egiſſe.

51 *At Joſephus Antelmius , Foro-Julienſis in Gallia Canonicus , in Diatriba de eccleſia Reïenſi & monaſterio Lerinenſi cap. 5 his pluribus Lezanæ aſſertionibus iſtud argumentum negativum opponit :* Quodnam fuerit Lirinenſium inſtitutum , *inquit* , ſeu ſub qua antiquorum patrum regula monaſticen profeſſi ſint beatiſſimi illi viri , qui congregationi illi primùm adſciti ſunt , difficillimum hactenus aſſequi , quando nullus ſcriptor coœtaneus aut ſuppar de ea quidquam poſteritati commendavit ; & qui ab eo tempore longiùs degentes hac de re ſententiam ſuam aperuerunt , aut ita decepti , aut quod probabilius puto , ita alios decipere voluerunt , ut eorum opiniones adduxiſſe , confutaſſe ſit. *In hanc rem ſcriptor ille plura ibidem allegat. Sed odioſas hujuſmodi quæſtiones hic in medio relinquentes , doceri dumtaxat cupimus , an ex antiquis & fide dignis auctoribus probari poſſit* , S. Sidonium *in inſula Lerinenſi vitam monaſticam duxiſſe ante epiſcopatum , ad cujus epocham indagandam jam pergimus.*

E

§ V. Initium epiſcopatûs, reſponſio ad gratulatoriam S. Lupi Trecenſis epiſtolam , humilitas & Sancti morbus.

Cum Sanctus Arvernenſem cathedram

E *Minentiſſimus Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 472 *num.* 13 *& ſequentibus de tempore , quo* S. Sidonius *in cathedra Arvernenſi ſedere cœpit , poſt enumeratos ſeculares ejus honores ita ratiocinatur :* Hæc quod ad ſeculares dignitates ; quod autem ad ſacra munera ſpectat , ex ſuis etiam ipſius ſcriptis, tamquam per tenuem in oſtio ex obliquo rimulam , ejus epiſcopatûs certum tempus intelligi poſſe videtur. Exſtat quidem ejus epiſtola ſcripta ad S. Lupum Trecenſem epiſcopum (*hanc inferiùs exhibebimus*) data , cum ipſe Sidonius creatus eſt epiſcopus , qua ſanctiſſimi viri preces implorat , ut regiminis , quod tunc ſuſceperat , onus illæsâ conſcientiâ ferre poſſet . . . Quando autem ea fuerit ſcripta epiſtola , ut pariter Sidonii promotio poſſit haberi comperta , hoc inveſtigandum , ſi quo modo conſequi liceat , quod optamus. Conſiderandum eſt igitur , quod idem ait , eo tempore , quo illa ſcribebat , ipſum Lupum jam in ſede epiſcopali exegiſſe annos quadraginta quinque . . . . . Cum ergo tum ſit creatus epiſcopus Arvernenſis Sidonius , cum S. Lupus novem jam exegiſſet in ſede quinquennia , modò perveſtigandum eſt tempus ſedis ſancti Lupi Trecenſis , ut ex eo notus pariter fiat annus , quo Sidonius ad epiſcopatum provectus eſt.

F

circa finem anni 471 ,

53 Exſtant res geſtæ ſancti Lupi , licet brevi compendio , omni tamen fide antiquitus ab homine ejus temporis ſcriptis traditæ ; ex quibus poteſt

A poteſt intelligi, quo potiſſimùm anno ipſe fuerit creatus epiſcopus: dum enim ait, ipſum ſanctum Lupum adjunctum eſſe collegam ſancto Germano epiſcopo Autiſſiodorenſi in legatione in Britanniam adverſus Pelagianos ſuſcepta, cum idem Lupus jam annum ſecundum ageret in epiſcopatu; ex hoc colligi neceſſe eſt, ipſum eſſe creatum Trecenſem epiſcopum anno Domini quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo, cum jam conſtet ex his, quæ ſuperiori tomo quinto Annalium dicta ſunt, ſancti Proſperi auctoritate, contigiſſe eam obire ſanctos Epiſcopos legationem anno Redemptoris quadringenteſimo vigeſimo nono. Adde igitur novem quinquennia exacta poſt annum quadringenteſimum vigeſimum ſeptimum, quo S. Lupum creatum epiſcopum diximus, utique pervenies ad præſentem annum Domini quadringenteſimum ſeptuageſimum ſecundum. Cum igitur conſtet, anno, quo ipſe ſanctus Lupus jam tranſegerat novem in epiſcopatu quinquennia, Sidonium eſſe creatum epiſcopum Arvernenſem, utique dicendum eſt, ipſum creatum epiſcopum hoc ipſo anno Domini quadrin-
B genteſimo ſeptuageſimo ſecundo, cum eſſet annorum circiter quadraginta. *Sirmondus, Noriſius & noviſſimi Galliæ Chriſtianæ editores hanc eminentiſſimi Baronii chronologiam amplectuntur.*

54 *Tillemontius tamen tomo 16 Monument.*
vel initium anni 472 *eccleſ. pag. 750 mavult initium epiſcopatûs Sidoniani ſub finem anni 471 collocare, eo quòd hæc epocha videatur meliùs cum hiſtoria concordare. Nobis de tantilla temporis diſcrepantia non lubet operoſiùs diſputare, quandoquidem chronologia Tillemontii facilè conciliari poteſt cum ſententia Boſchii noſtri, qui tomo VII Julii pag. 63 epiſcopatum ſancti Lupi exeunte anno 426 inchoavit, & ibidem argumentis quibuſdam opinionem ſuam ſtabilivit. Itaque epiſcopatum* S. Sidonii *exordire circa finem anni 471 vel initium anni 472, prout volueris. Sed cave ſequaris in hoc anno determinando Bucherium noſtrum, qui lib. 18 Belgii Romani cap. 6 num. 4 exordium iſtius epiſcopatûs exeunti anno 469 vel ineunti 470 perperam affixit, & præterea in anno mortis* S. Sidonii *aſſignando erravit, ut poſtmodum videbimus. Nobis etiam non placet opinio Pagii, qui in Critica Annalium eccleſiaſticorum Baronii ad annum 472 num. 5 initium cathedræ Sidonianæ uſque ad annum 473 differt ob nonnullas ratiunculas, quas Boſchius*
C *noſter in Commentario prævio ad Acta S. Lupi paginâ proximè citatâ refellit, & ulteriùs à Tillemontio refutatas aſſignavit. Relictis itaque tricis iſtis chronologicis, ad præcipuas ſancti Præſulis noſtri virtutes inveſtigandas procedimus.*

55 *Igitur ex ratiocinio eminentiſſimi Baronii*
aſcendere coactus eſſet, *& recepta paſſim ſententia ſatis veriſimile eſt,* S. Sidonium *anno 471 vel 472 electum fuiſſe epiſcopum Arvernorum, qui procul dubio hunc Virum propter eximias ingenii ac eloquentiæ dotes ad eccleſiam ſuam gubernandam poſtularunt. At ignoramus peculiares hujus electionis circumſtantias, quas nec ipſe Sanctus Præſul, ni fallimur, nec alii ſcriptores poſteritati reliquerunt. Ex ſcriptis ejus tantummodo novimus, illud onus ei penè invito ac reluctanti impoſitum fuiſſe: nam lib. 5 epiſt. 3 ſcribit, ſibi* indigniſſimo tantæ profeſſionis pondus impactum *fuiſſe, ita ut* miſer antè compulſus *ſit* docere, quàm diſcere. *Quinimo in concione Bituricenſi, quæ lib. 7 epiſt. 9 refertur, publicè coram populo eumdem animi ſui ſenſum expreſſit his verbis:* At nunc me-

diocritatem meam manet longè diverſa conditio, AUCTORE
cui per ſuſpirioſas voragines & flagitiorum vo- G. C.
lutabra gradienti, profeſſionis hujuſce pondus impactum eſt, & prius quàm ulli bonorum reddam diſcentis obſequium, cogor debere ceteris docentis officium. *Sæpius alibi ſimilia repetit, & ex profunda animi demiſſione ſeſe epiſcopatu indigniſſimum pronuntiat.*

56 *Sed aliter de ipſo ſentiebant illuſtres Gal-* *eum S. Lu-*
liæ præſules, inter quos S. Lupus Trecenſis no- *pus Trecen-*
vam dignitatem epiſcopalem S. Sidonio *gratula-* *ſis epiſcopus*
tur, eumque ſimul de ſuſcepto officio ritè adminiſtrando paternè commonet. Hæc S. Lupi epiſtola, quæ Sancto noſtro perhonorifica eſt, in Spicilegio Dacherii tomo 5 pag. 579 & ſequente ſic ſonat: Lupus domno papæ Sidonio. Gratias ago Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto per Spiritum ſanctum, qui te, cariſſime frater, in hac generali titubatione & preſſura dilectiſſimæ ſponſæ eccleſiæ ſuæ, ad ejus ſuſtentationem & conſolationem in ſacerdotem vocavit, ut ſis lucerna in Iſraël, & ſicut ambitioſos honores mundanæ militiæ cum ſumma laude exſecutus es, E
ita militiæ cæleſtis operoſa munia & humilia miniſteria, ipſo adjuvante Chriſto, alacriter percurras, nec retrò, ad aratrum applicata manu, pigritantium agricolarum more oculos convertas.

57 Tu imperatoris apices per glorioſiſſimas af- *in epiſtola*
finitates proximè conſecutus es, tu trabeales or- *gratulato-*
natus, ſplendidaſque præfecturas, & quidquid *ria*
irrequieta deſideriorum ſeries ſibi beatius in ſeculo poteſt fingere, honorificus & inter ſtrepe-
ros plauſus exercuiſti. Mutatus eſt ordo, & in domo Domini apicem attigiſti, qui non in exuberanti mundani faſtus fulgore, ſed in maximè infima mentis depreſſione, & humili reſupinati cordis abjectione pertractandus eſt. Qui olim conabaris natalium decora additis honoribus ſuperare, nec credebas homini ſufficere, ſi ceteris par eſſet, & pares non tranſgrederetur, in eum ſtatum deveniſti, in quo licet ſuperior nulli te debes ſuperiorem reputare; minimo ſubditorum tuorum ſuppoſitus, eò plus eris honoratior, quò te humilitas Chriſti accinget, & eorum plantas oſculaberis, ſupra quorum capita pedes tuos olim collocare dedignabaris. Iſte profectò jam tibi labor incumbit, ut ſis omnium ſervus, qui videbaris omnium dominus, & aliis incurveris, qui ceteros conculcabas; non quia eras ſuper- F
bus, ſed quia dignitatum præteritarum majeſtate, ne dicam vanitate, tantum tibi ceteros antecedendum erat, quantum tibi modò præ ceteris eſt recedendum.

58 Fac ergo, ut nunc ingenium transferas *de officio*
ad divina, qui tantum valuiſti ad humana. Col- *fortiter ac*
ligant plebes tuæ ex ore tuo ſpinas de capite Cru- *ſuaviter*
cifixi, qui ex verbis tuis colligebant roſas de *monet.*
pompa mundiali; & capiant de eloquio ſacerdotis verba diſciplinæ cæleſtis, qui capiebant de eloquio dominantis normam diſciplinæ civilis. Ego quidem, qui te tantum amavi, cum ſequebaris ariditatem ſeculi, quali menſura putas jam amare ſequentem ubertatem cæli? Jam delibor & inſtans eſt reſolutio mea; ſed non putavero, reſolvi, qui licet ſolutus in te vivam, & te in eccleſia relinquam. Gaudeo exui, poſtquam eccleſiam induiſti, & te induit eccleſia. Macte amicitiâ vetuſte, ſed fraternitate recens. Supprimit poſtremus titulus antiquos; nihil eſt quod hodie velim de præterita meminiſſe dilectione, quando moderna dignitas & firmiorem facit eſſe caritatem & tenaciorem. O ſi Deus vellet,

AUCTORE G.C.

let, ut te amplecterer ! Sed in ſpiritu perficio, quod non poſſum in corpore, & præſente Chriſto non amplius reipublicæ præfectum veneror & oſculor, ſed eccleſiæ, qui mihi filius ætate, dignitate frater, & meritis pater eſt. Ora pro me, ut in Domino conſummatus, opus, quod injunxit conſummem, & in eo tandem impleam tempora, quæ reſtant, qui tot & tanta (væ mihi) his, quæ non debui implevi; ſed apud Dominum miſericordia. Memor eſto mei.

Huic S. Sidonius reſpondit,

59 *Huic gratulationi & paternæ monitioni* S. Sidonius *lib. 6 epiſt. 1 ſic humiliter reſpondet:* Benedictus Spiritus ſanctus & Pater Dei omnipotentis, quod tu pater patrum & epiſcopus epiſcoporum, & alter ſeculi tui Jacobus, de quadam ſpecula caritatis, nec de inferiore Jeruſalem tota Eccleſiæ Dei noſtri membra ſuperinſpicis; dignus, qui omnes conſoleris infirmos, quique meritò ab omnibus conſularis. Et quid nunc ego dignum dignationi huic putris & fœtida reatu terra reſpondeam? Colloquii ſalutaris tui & indigentiam patiens, & timorem; recordatione vitæ plectibilis adducor, ut clamem tibi, quod dixit Domino tuus ille collega: "Exi
B ,, à me, quia homo peccator ſum, Domine,,. Sed ſi iſte timor non temperetur affectu, vereor, ne Geraſenorum deſtituar exemplo, & diſcedas à finibus meis. Quin potius illud, quod mihi conducibilius eſt, colleproſi mei te propoſita conditione conſtringam, ut aiam tibi. "Si ,, vis, potes me mundare,,. Qua ille ſententia non plus de Chriſto quid peteret, prodidit, quàm quid crederet, publicavit.

& gratias egit

60 Ergóne cum ſis procul ambiguo primus omnium toto, qua patet, orbe pontificum, cum prærogativæ ſubjiciatur, cum cenſuræ tuæ attremat etiam turba collegii, cum in gravitatis veſtræ comparatione etiam ipſa grandævorum corda pueraſcant; cum poſt deſudatas militiæ Lirinenſis excubias, & in apoſtolica ſede novem jam decurſa quinquennia, utriuſque Sanctorum ordinis quemdam te conclamatiſſimum primipilarem ſpiritualia caſtra venerentur: tu nihilominus haſtatorum, anteſignanorumque pauliſper contubernio ſequeſtratus, ultimos calones tuos lixaſque non deſpicis, & ad extimos trahariorum, qui per inſipientiam ſuam adhuc ad carnis ſarcinas ſedent, crucis diu portatæ vexilla circumfers, ac manum linguæ porrigis in conſcientia
C vulneratis? Noſti, ut apparet, ex adverſa acie ſauciatos, dux veterane, colligere, & peritiſſimus tubicen ad Chriſtum à peccatis receptui canere; & euangelici Paſtoris exemplo non ampliùs lætaris, ſi permaneant ſani, quàm ſi non remaneant deſperati.

modeſtâ epiſtolâ,

61 Te ergo, norma morum, te columna virtutum, te, ſi blandiri reis licet, vera, quia ſancta, dulcedo, deſpicatiſſimi vermis ulcera digitis exhortationis contrectare non piguit. Tibi avaritiæ non fuit, paſcere monitis animam fragilitate jejunam; & de apotheca dilectionis altiſſimæ, ſectandæ nobis humilitatis propinare menſuram. Sed ora, ut quandoque reſipiſcam, quantùm meas deprimat oneris impoſiti maſſa cervices. Facinorum continuatione miſer eò neceſſitatis acceſſi, ut is pro peccato populi nunc orare compellar, pro quo populus innocentum vix debet impetrare, ſi ſupplicet: nam quis bene medelam æger impartiat? Quis febriens arrotanti tactu pulſum diſtinguat incolumem? Quis deſertor ſcientiam rei militaris jure laudaverit? Quis eſculentus abſtemium competenter arguerit? Indigniſſimus mortalium neceſſe habeo dicere, D
quod facere detrecto; & ad mea ipſe verba damnabilis, cum imperem quæ non impleo, idem in me quotidie cogor dictare ſententiam.

in qua maximè elucet ejus humilitas,

62 Sed ſi tu inter me & illum, cui concrucifigeris, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, pro ſcelerum meorum populo, junior mage quàm minor Moſes, interceſſor aſſiſtas, non ulteriùs deſcendemus in infernum viventes; nec per carnalium vitiorum incentiva flammati, ad altare Domini ignem diutius accendemus alienum. Quia quamquam nos, utpote reos, gloriæ libra non reſpicit; ſatis tamen ſuperque gaudebimus, ſi precatu tuo levare valeamus interioris hominis noſtri, etſi non integrum ad remunerationem, certè vel cicatricatum pectus ad veniam. Memor noſtri eſſe dignare, Domine papa. *Explicationem hujus epiſtolæ reſponſoriæ, quæ ſubinde obſcura & nonnihil hyperbolica eſt, in notis Savaronis ac Sirmondi noſtri curioſus lector inveniet. Porrò ex hac ſatis patet ingens* S. Sidonii *modeſtia, ut cum Baronio loquar, de ſe ipſo non niſi humillimè ſentientis, quamvis plurimæ eſſent illius dotes, quibus potuiſſet efferri.* E

quam diſtinguere novit à puſillanimitate,

63 *Solent imperiti quidam humilitatem cum puſillanimitate perperam confundere, quos inquos rerum æſtimatores ipſe* S. Sidonius *lib. 7 epiſt. 9 in concione Bituricenſi reprehendit his verbis:* Quis non exacerbeſcat, cum videat ſordidari virtutum ſinceritatem criminatione vitiorum? Si eligimus humilem, vocatur abjectus; ſi proferimus erectum, ſuperbire cenſetur; ſi minus inſtitutum, propter imperitiam creditur irridendus; ſi aliquatenus doctum, propter ſcientiam clamatur inflatus; ſi ſeverum, tamquam crudelis horretur; ſi indulgentem, facilitate culpatur; ſi ſimplicem, deſpicitur ut brutus; ſi acrem, vitatur ut callidus; ſi diligentem, ſuperſtitioſus decernitur; ſi remiſſum, negligens judicatur; ſi ſolertem, cupidus; ſi quietum, pronuntiatur ignavus. Si abſtemium producimus, avarus accipitur; ſi eum qui prandendo paſcat, edacitatis impetitur; ſi eum qui paſcendo jejunet, vanitatis arguitur. Libertatem pro improbitate condemnant; verecundiam pro ruſticitate faſtidiunt; rigidos ab auſteritate non habent caros; blandi apud eos communione vileſcunt.

& conjungebat cum timore divini judicii,

64 *Cum Sanctus noſter ibi agat de digno Bituricenſium antiſtite deligendo, & virtutes à vitiis tam accuratè diſtinguat, ipſe procul dubio noverat in epiſcopali munere profundam animi ſui demiſſionem cum paſtorali vigilantia & magnanimitate conjungere: nam Doctor Angelicus in Summa theologica 22 quæſt. 161 art. 1 ad tertium docet,* quod humilitas reprimit appetitum, ne tendat in magna præter rationem rectam; magnanimitas autem animum ad magna impellit ſecundum rationem rectam. Unde patet, quod magnanimitas non opponitur humilitati; ſed conveniunt in hoc, quod utraque eſt ſecundum rationem rectam. *Videtur tamen* S. Sidonius *ſupradictam Lupi Trecenſis epiſcopi doctrinam tam altè animo ſuo inſculpſiſſe, ut in humilitate præcipuum reliquarum virtutum fundamentum poſuerit. Hinc egregius ſui contemptor & ſimul intrepidus gregis ſui defenſor ubique ſe viliſſimum reputat. Hinc etiam in variis epiſtolis, quas poſt aſſumptum epiſcopatum ſcripſit, ingenuè ſine ullo fuco fatetur, ſe formidare ſevera Dei judicia, ac ſaluti ſuæ timere propter injunctum ſibi officium, quo ſe indigniſſimum agnoſcit.* F

65 For-

A *ex quo forsan morbum contraxit.*

65 *Forsan ex illo pavore vel anxia solicitudine contraxit morbum, quo sub initium pastoralis administrationis laboravit, ut ipse lib. 5 epist. 3 innuere videtur his verbis :* Interea si vel vos valetis, bene est. Ego autem infelicis conscientiæ mole depressus, vi febrium nuper extremum salutis accessi ; utpote cui indignissimo tantæ professionis pondus impactum est : qui miser antè compulsus docere, quàm discere, & antè præsumens bonum prædicare, quàm facere, tamquam sterilis arbor, cum non habeam opera pro pomis, spargo verba pro foliis. Quod restat, orate, ut operæ pretium sit, quod ab inferna propemodum sede remeavimus ; ne, si in præteritis criminibus manserimus, incipiat ad animæ potius mortem pertinere, quod vivimus. *Sanctus noster lib. 7 epist. 6, lib. 9 epist. 3 & 8, sapiusque in aliis litteris expressit similia demissi animi sensa, quæ forsitan inferiùs alia occasione referentur.*

§ VI. Post susceptum episcopatum magna morum mutatio, & variæ Sancti virtutes.

B *Suscepto munere episcopali,*

Postquam S. Sidonius *coactus fuerat admittere episcopatum civitatis Arvernensis, verisimiliter imitatus est amicum suum, nomine Maximum, qui etiam postulatu populi à dignitate laïcali ad episcopalem transierat, & cujus externam mutationem lib. 4 epist. 24 ipse testis oculatus vivis coloribus ita depingit :* Cum Maximo mihi non notitiæ solùm, verùm & hospitii vetera jura. Igitur ad amicum libens ex itinere perrexi, quamquam villa non paucis aggere à publico millibus abesset. Ut veni, occurrit mihi ipse, quem noveram anteriùs corpore erectum, gressu expeditum, voce liberum, facie liberalem, multùm ab antiquo dissimilis incessu. Habitus viro, gradus, pudor, color, sermo religiosus ; tum coma brevis, barba prolixa, tripodes sellæ, Cilicum vela foribus appensa, lectus nil habens plumæ, mensa nil purpuræ, humanitas ipsa sic benigna, quod frugi, nec ita carnibus abundans, ut leguminibus. Certè si quid in cibis unctius, non sibi, sed hospitibus indulgens. Cum surgeremus, clàm percunctor adstantes, quod genus vitæ de tribus arripuisset ordinibus ; monachum ageret, an clericum, pœnitentemne ? Dixerunt, nuper impacto sacerdotio fungi, quo recusantem factiosè ligasset civicus amor. *Si quid in hoc epistolæ fragmento obscurius occurrit, Savaro & Sirmondus in notis consuli possunt. Hinc interim intelligimus modestiam & frugalitatem istius Maximi jam præsulis, quem* S. Sidonius *haud dubiè æmulatus est, ut aliquo modo potest erui ex epistola decima quarta libri septimi, cujus partem superiùs initio paragraphi quarti transcripsimus.*

C *renuntiavit arti poëticæ,*

67 *At quæcumque fuerit corporea Sancti nostri forma post susceptum episcopatum, nihil aut parum nostrâ interest. Certè tunc animum ejus omnino mutatum fuisse, vel ex eo cognoscimus, quod tum temporis renuntiaverit arti poëticæ, qua antea magnopere delectabatur. Hanc mutationem ipse Sanctus lib. 8 epist. 4 indicat, quando ad poëtam rusticantem post alia sic scribit :* Dum non minus stylo, quàm vomeri incumbis, difficilè discernitur, dominì plusne sit cultum rus, an ingenium. Hìc tu igitur (quantum recordor) citos iambos, elegos acutos, ac rotundatos hendecasyllabos, & cetera carmina, musicos flores thymumque redolentia, nunc Narbonensibus cantitanda, nunc Biterrensibus, ambigendum celeriùs an pulchriùs, elucubrasti, apud æquævos gratiam tuam, famam apud posteros ampliaturus. Certè mihi, quotiens tui versus à meditationis incude, tamquam adhuc calidi, deferebantur, sic videbatur, qui etsi non bene scribo, bene judico. Sed quod fatendum est, talibus studiis anterior ætas justè vacabat, seu, quod est verius, occupabatur. Modò tempus est seria legi, seria scribi, deque perpetua vita potius, quàm memoria cogitari, nimiumque meminisse, nostra post mortem non opuscula, sed opera pensanda. AUCTORE G. C.

quemadmodum ex variis ejus epistolis,

68 *Adhuc clariùs lib. 9 epist. 12 propositum suum relictæ poëseos exprimit, ubi Oresio carmina quædam postulanti ita respondet :* Venit in nostras à te profecta pagina manus, quæ trahit multam similitudinem de sale Hispano in jugis cæso Tarraconensibus : nam recensenti lucida & salsa est, nec tamen propter hoc ipsum mellea minus. Sermo dulcis & propositionibus acer ; sic enim oblectat eloquio, quòd turbat imperio : quippe qui parum metiens, quid ordinis agam, carmina à nobis nunc nova petat. Primùm ab exordio religiosæ professionis huic principaliter exercitio renuntiavi, quia nimirum facilitati posset accommodari, si me occupasset levitas versuum, quem respicere cœperat gravitas actionum. *Allata dein alia excusatione* S. Sidonius *eamdem epistolam ita concludit :* Tenebimus igitur quidpiam medium ; & sicut epigrammata recentia modò nulla dictabo, ita litteras, si quæ jacebunt versu refertæ, scilicet ante præsentis officii necessitatem, mittam tibi ; petens, ne tu sis catenus justitiæ prævaricator, ut me opineris numquam ab hujusmodi conscriptione temperaturum. Neque enim suffragio tuo minus augear, si fortè digneris jam modestum potius, quàm facetum existimare. E

& carmine quodam constat,

69 *Denique sanctum Præsulem nostrum postea pœnituit, quod in adolescentia versus profanos aut jocosos composuisset. Unde firmiter proponit, deinceps non nisi glorioso Sanctorum triumphos à se canendos esse, si quid umquam stylo ligato scribat. Hæc animi sui sensa expressit in carmine Sapphico, quod lib. 9 epist. 16 insertum est, & cujus pars posterior ad rem præsentem spectans ita sonat :* F

Præter heroos, joca multa multis
Texui pannis ; elegos frequenter
Subditos senis pedibus rotavi
Commate bino.
Nunc per undenas equitare suetus
Syllabas lusi celer ; atque metro
Sapphico creber cecini, citato
Rarus iambo.
Nec recordari queo, quanto quondam
Scripserim primo juvenis calore :
Unde pars major utinam taceri
Possit, & abdi :
Nam senectutis propiore meta,
Quidquid extremis sociamur annis,
Plus pudet, si quid leve lusit ætas,
Nunc reminisci.
Quod perhorrescens ad epistolarum
Transtuli cultum genus omne curæ,
Ne reus cantu petulantiore,
Sim reus actu.

AUCTORE G. C.

Neu puter ſolvi per amœna dicta,
Schema ſic artis phaleraſque jungam,
Clerici ne quid maculet rigorem
Fama poëtæ.
Denique ad quodvis epigramma poſthac
Non ferar pronus, teneroque metro
Vel gravi, nullum citò cogar exhinc
Promere carmen.
Perſecutorum niſi quæſtiones
Forſitan dicam, meritoſque cælum
Martyras mortis pretio paraſſe
Præmia vitæ.
E quibus primum mihi pſallat hymnus,
Qui Toloſatem tenuit cathedram,
De gradu ſummo Capitoliorum
Præcipitatum.
Quem negatorem Jovis ac Minervæ,
Et crucis Chriſti bona confitentem
Vinxit ad tauri latus injugati
Plebs furibunda;
Ut per abruptum, bove concitato,
Spargeret curſus lacerum cadaver,
Cautibus tinctis calida ſoluti
Pulte cerebri.

B Poſt Saturninum volo plectra cantent,
Quos patronorum reliquos probavi
Anxio duros mihi per labores
Auxiliatos.
Singulos quos nunc pia nuncupatim
Non valent verſu cohibere verba;
Quos tamen chordæ nequeunt ſonare,
Corda ſonabunt.

Ex his carminibus mature expenſis colligimus, ſanctum Antiſtitem noſtrum profanæ poeſi valedixiſſe, ac deinde familiaribus litteris interdum ſcribendis operam navaſſe. Quinimo in his ipſis epiſtolis ſtylum facetum ac nimis meditatum in communiorem ac ſerium commutavit, ne quid epiſcopum dedeceret, quemadmodum Sanctus ipſe lib. 4 epiſt. 3 & 10 ſignificat.

& proprias epiſcopo virtutes exercuit.

70 *Mamertus Claudianus in epiſtola, quam* § 1 *dedimus, inter alias* S. Sidonii *virtutes laudat ejus miſericordiam erga pauperes, de qua etiam S. Gregorius Turonenſis in Hiſtoria Francorum lib. 2 cap 22 narrat ſequentia:* Cum autem eſſet magnificæ ſanctitatis, atque, ut diximus, ex ſenatoribus primus, plerumque, neſciente conjuge, vaſa argentea auferebat à domo, & pauperibus erogabat. Quod illa cum cognoſceret, ſcandalizabatur in eum; ſed tamen dato egenis pretio, ſpecies domui reſtituebat. *Etiam in eccleſias illum liberalem ac munificum fuiſſe conjicimus ex lib. 8 epiſt. 4, in cujus fine Conſentium amicum ita hortatur:* Invigilet cæleſtibus lingua præconiis, anima ſententiis, dextra donariis; præcipuè tamen dextra donariis, quia quidquid eccleſiis ſpargis, tibi colligis: ad cujus exercitia virtutis illud vel principaliter te poterit accendere, quod inter opes quaſlibet poſiti (quæ bona ſtultis falsò vocantur) ſi quid agimus, noſtrum; ſi quid habemus, alienum eſt. *Quis facilè ſibi perſuadeat, eccleſias ab hoc ſancto & munifico Præſule non fuiſſe ornatas ſacris donariis, ad quæ diſtribuenda Conſentium tam fortiter & pie excitabat? Ceterùm laudatus Gregorius Turonenſis implicitè multas* S. Sidonii *virtutes aſſignat, dum loco mox citato & altero poſtmodum allegando affirmat eum fuiſſe* magnificæ ſanctitatis, *& in hoc ſeculo* ſanctam vitam *egiſſe: nam magnifica vel eminens ſanctitas ſine plurimis virtutibus acquiri non ſolet.*

71 *Attamen virtus ejus dominatrix, ut ita loquamur, fuit humilitas, quam epiſcopis adeo propriam exiſtimabat, ut lib. 4 epiſt. 14 ad Polemium ſcripſerit ſequentia:* In noſtri ordinis viris, etſi adhuc aliquid de negligentia fœtet, nihil jam tamen de ſuperbia tumet. *Ex eodem humilitatis fonte profluxit excuſatio, quam lib. 4 epiſt. 17 Comiti Arbogaſti, quamdam ſacræ Scripturæ interpretationem roganti, Sanctus attulit in hunc modum:* De paginis ſanè quod ſpiritualibus vis ut aliquid interpres improbus garriam, juſtiùs hæc poſtulantur à ſacerdotibus loco propinquis, ætate grandævis, fide claris, opere vulgatis, ore promptis, memoria tenacibus, omni denique meritorum ſublimium dote potioribus. Namque ut antiſtitem civitatis veſtræ relinquam, conſummatiſſimum virum, cunctarumque virtutum conſcientiâ & famâ juxtà beatum, multo opportuniùs de quibuſcumque quæſtionibus tibi interrogabuntur inclyti Galliarum patres & protomyſtæ, nec ſatis poſitus in longinquo Lupus, nec parum in proximo Auſpicius; quorum doctrinæ abundanti eventilandæ nec conſultatio tua ſufficit. Proinde quod ſuper hac precum parte non parui, benignus quidem, ſed & juſtus ignoſce: quia ſi vos imperitiam fugere par eſt, me quoque decet vitare jactantiam.

Quamvis ex humilitate judicaret, D

E

72 *Sic etiam* S. Sidonius *lib. 9 epiſt. 2 modeſtiſſimè renuit aggredi lucubrationem ſpiritualem, quam Euphronius præſul Auguſtodunenſis ab eo fieri cupiebat, & inter alias excuſationes humiliter hanc affert:* Quid, quod quoque arroganter fieret, indecenterque, ſi negotii præcepti pondus aggrederer novus clericus, peccator antiquus, ſcientia levi, gravi conſcientia? *Nec initio dumtaxat epiſcopatûs hanc humilem de ſe ipſo opinionem Sanctus noſter habuit, ſed eamdem quoque poſt aliquot epiſcopalis adminiſtrationis annos in epiſtola ſexta libri ſeptimi prodidit, ad Baſilium antiſtitem hæc ſcribens:* Iniquitas mea tanta eſt, ut mederi de lapſuum ejus aſſiduitate vix etiam tuæ ſupplicationis efficacia queat . . . . . Neque ego ita mei meminens non ſum, ut nequaquam me hunc eſſe reminiſcar, quem longis adhuc abluenda fletibus conſcientia premat. *Præterea lib. 9 epiſt. 3 & 8, ſæpiuſque alibi talia humilitatis indicia detegit.*

ſe ad res gerendas ineptum eſſe,

C 73 *Etiamſi* S. Sidonius *ſeſe indignum peccatorem & ad omnia inutilem profiteretur, tamen plerique Galliæ epiſcopi longè aliud de ipſo judicium ferebant, & haud dubie eximias ejus dotes perſpectas habebant antiſtites illi, qui commiſerunt ei difficile negotium de eligendo præſule Bituricenſi, quod in civitate factionibus diviſa ad felicem exitum perduxit, quando S. Simplicium elegit, ut fuſiùs ex litteris ipſius referri poſſet. At potius audiamus eminentiſſimum Baronium, qui in Annalibus eccleſiaſticis ad annum 472 num. 19 inter elogia* S. Sidonii *breviter illam electionem narrat his verbis:* Porrò tantæ apud ſeniores ſanctos epiſcopos æſtimationis ipſe junior fuiſſe cognoſcitur, ut oborta contentione in eligendo metropolitano epiſcopo Bituricenſis eccleſiæ, ipſi uni à comprovincialibus ſacerdotibus, clero & populo, quem vellet eligendi liberum fuerit delatum arbitrium; cum ipſe, quanto in dijudicandis hominibus polleret judicio, declaravit, eligens S. Simplicium, quem omnes ſummo gaudio ſuſceperunt. Exſtant de his ab eodem Sidonio datæ ad diverſos epiſcopos litteræ, itemque ipſa ab eo tunc habita concio, qua quidem, quantâ polleret dicendi facundiâ,

tamen inter varias factiones Bituricenſibus F

A cundiâ ; ſi legeris , admiraberis.

electionem epiſcopi perſuaſit unica concione ,

74 *Deinde Baronius refert fragmentum elegantis hujus concionis , quæ lib. 7 epiſt. 9 ſubjuncta eſt , & integra legi poteſt , cum Sanctus noſter illam ad Perpetuum antiſtitem Turonenſem mittere coactus fuerit , ut in memorata epiſtola prævia ſignificatur his verbis :* Injungis , ut orationem , quam videor ad plebem Biturigis in eccleſia ſermoncinatus , tibi dirigam ; cui non rhetorica partitio , non oratoriæ minæ , non grammaticales figuræ congruentem decorem diſciplinamque ſuppeditaverunt : neque enim illic, ut exactè perorantibus mos eſt , aut pondera hiſtorica , aut poëtica ſchemata , ſcintillaſve controverſalium clauſularum libuit aptari. Nam cum me partium ſeditiones , ſtudia , varietates in diverſa raptarent , ſic dictandi mihi materiam ſuggerebat injuria , quòd tempus occupatio ſubtrahebat : etenim tanta erat turba competitorum , ut cathedræ unius numeroſiſſimos candidatos nec duo recipere ſcamna potuiſſent. Omnes placebant ſibi , omnes omnibus diſplicebant.

B *ex qua auctoritas & ingenium ejus colliguntur.*

75 Neque enim valuiſſemus aliquid in commune conſulere , niſi judicii ſui faciens plebs lenita jacturam , ſacerdotali ſeſe potiùs judicio ſubdidiſſet , presbyterorum ſanè paucis angulatim fringultientibus , porrò autem palam ne muſſitantibus quidem ; quia plerique non minus ſuum, quàm reliquos ordines pertimeſcebant. Igitur dum publicè totos ſinguli cavent , factum eſt , ut omnes non aſpernanter audirent , quod deinceps ambienter expeterent. Itaque paginam ſume ſubditis voluminibus adjunctam , quam duabus vigiliis unius noctis æſtivæ , Chriſto teſte , dictatam , plurimùm vereor , ne ipſi ampliùs lectioni , quæ hoc de ſe probat , quàm mihi credas. Memor noſtri eſſe dignare , domine papa. *Hinc imprimis vides promptum ingenium Sancti noſtri , qui* duabus vigiliis unius noctis æſtivæ, *id eſt ſpatio quatuor aut quinque horarum , tam efficacem concionem compoſuit. Inde præterea liquet , haud difficulter ex doctrina Chriſti ſimplicitatem columbæ cum prudentia ſerpentis conjungi , eoſque vehementer errare , qui viros humiles ad res prudenter ac fortiter gerendas ineptos eſſe arbitrantur. Verùm hic popularis error ex paragraphis aliquot ſequentibus ultrò & abundè refutabitur.*

C

§ VII. Paterna ſancti Præſulis ſolicitudo pro ſuo grege , & officioſa caritas erga proximum.

Huic Præſuli populum diligenter inſtruenti

Sanctus Antiſtes noſter ſtato tempore diœceſim ſuam viſitabat , ut ex lib. 9 epiſt. 16 eruitur , & tunc haud dubie populum ſalutaribus monitis aut concionibus inſtruebat. Quamvis inſtructiones illæ numquam fortè litteris traditæ ſint , aut ſaltem ad nos non pervenerint , tamen earum materiam ex Ruricio , qui poſtea ad cathedram Lemovicenſem evectus eſt , utcumque diſcimus : hic enim teſtis auritus epiſtolam octavam libri primi , quam domino ſuo peculiari in Chriſto , domino patrono Sidonio epiſcopo *inſcribit , apud Caniſium tomo 5 Antiquæ lectionis pag.* 467 *ſic exorditur :* Prædicantibus vobis , ſæpius audiſſe me recolo , nullatenus ab iniquitatibus nos poſſe purgari , niſi fuerimus crimina noſtra , conſcientia compungente , confeſſi. Quis enim , non dicam conſequi , ſed vel quærere queat indulgentiam , niſi deplorationi confeſſionem erroris adjungat ? *Sæpius itaque* S. Sidonius *de remiſſione peccatorum ritè percipienda , ſive de Sacramento pœnitentiæ concionès inſtituebat.* AUCTORE G. C.

Ruricius poſtea Lemovicenſis epiſcopus

77 *Laudatus Ruricius tanti faciebat efficacem hujus ſancti Præſulis inſtructionem , ut diſcipulus ejus fieri deſideraret , & propterea tomo proximè citato pag.* 468 *ad ipſum dederit ſequentem epiſtolam :* Ita me recens prædicatio & antiqua dilectio veſtræ pietatis illexit , ut audeam auribus veſtris , ineptiis meis facere ſæpius injuriam ; dum veſtram , quantum ſterili ingeniolo conceditur , attingere cupio diſciplinam : quam etſi adſequi grande eſt atque difficile , ſequi tamen pulcrum eſt atque ſublime. Quoniam ſummarum rerum non adeptio tantùm , ſed etiam imitatio ipſa jucunda eſt ; quia numquam ferè aliquis ejus rei portione ad integrum caret , ad quam ſcandere ac pervenire contenderit. E

magnas impendit laudes ,

78 Deſidero itaque , domine mi , deſidero , inquam , tuis cibis refici , tuo fonte potari , tuis repleri dapibus , tuis epulis ſaginari ; quas ſi quis, diſtribuentibus vobis , non ſummo ore libaverit, ſed totis animæ viſceribus appetens conviva ſorbuerit , atque intimo pectoris poſtmodum eaſdem ruminaturus abſconderit , incipiet aſſiduis ructationibus in laudem Domini omnipotentis erumpere ; refertus corde , ore jejunus , dum ſatur eſurit , & ſaturatus eſuriens , magis in regeneratione ſaturandus. Nec deeſſe poterit cibus , cujus paſtus in verbo eſt. Ut ego harum deliciarum particeps eſſe merear , veſtris patrociniis obtinete ; mihique ſupra menſuram virium connitenti auxiliatores accedite , ſimulque & ab ovili vobis credito non inveniar alienus. Orate , errantemque ovem à paſcuis ſeculi ad caulas Dominicas reportate ; quia confido , quod interceſſionibus veſtris fieri poſſit agnus , qui veſter meruerit eſſe diſcipulus. *Ex hac allegorica epiſtola intelligimus , tales fuiſſe* S. Sidonii *inſtructiones , ut non tantùm ſuos ad obſervanda mandata , ſed etiam ad majorem vitæ perfectionem amplectendam excitaret.*

quas S. Sidonius ingenioſo reſponſo

79 *Porrò Ruricius in epiſtola decima ſexta ejuſdem libri (hæc apud Caniſium tomo 5 pag.* 473 *legitur)* S. Sidonium *magnis extollit laudibus , quas modeſtiſſimus Antiſtes lib.* 8 *epiſt.* 10 *eludere nititur hac ingenioſa reſponſione :* Eſſe tibi uſui pariter & cordi litteras granditer gaudeo ; nam ſtylum veſtrum quanta comitetur vel flamma ſenſuum vel unda ſermonum , liberiùs aſſererem , niſi dum me laudare non parum ſtudes , laudari plurimùm te vetares. Et quamquam in epiſtola tua ſervet caritas dulcedinem , natura facundiam , peritia diſciplinam ; in ſola materiæ tamen electione peccaſti ; licet id ipſum prædicari poſſit in voto , quod videris erraſſe judicio. Ingentes præconiorum titulos moribus meis applicas. Sed ſi pudoris noſtri feciſſes utcumque rationem , Symmachianum illud te cogitare par fuerat : UT VERA LAUS ORNAT , ITA FALSA CASTIGAT. Quo loci tamen , ſi animum veſtrum bene metior , ſuper affectum , quem maximum oſtendis , hoc tu & arte feciſti : nam moris eſt eloquentibus viris ingeniorum facultatem , negotiorum probare difficultatibus , & illic ſtylum peritum , quaſi quemdam fœcundi pectoris vomerem figere , ubi materiæ ſterilis argumentum, velut arida ceſpitis macri gleba , jejunat. F

AUCTORE G. C.

evitare conatur.

80 Scaturit mundus ſimilibus exemplis. Medicus in deſperatione, gubernator in tempeſtate cognoſcitur: horum omnium famam præcedentia pericula extollunt, quæ profectò deliteſcit, niſi, ubi probetur, invenerit. Sic & magnus orator, ſi negotium aggrediatur anguſtum, tunc amplum plauſibiliùs manifeſtat ingenium. Marcus Tullius in actionibus ceteris ceteros, pro Aulo Cluentio ipſe ſe vicit. Marcus Fronto cùm reliquis orationibus emineret, in Pelopem ſe ſibi prætulit. Caius Plinius pro Attia Viriola plus gloriæ de centumvirali ſuggeſtu domum retulit, quàm cùm Marco Ulpio incomparabili principi comparabilem panegyricum dixit. Sic & ipſe feciſti, qui dum vis exercere ſcientiam tuam, non veritus es fore tibi impedimento conſcientiam meam. Quin potiùs ſupplicando meis medere languoribus; neque per decipulam malè blandientis eloquii, ægrotantis adhuc animæ fragilitatem gloriæ falſæ pondere premas. Sanè cum tibi ſermone pulchro vita ſit pulchrior, plus mihi indulges, ſi mei causâ orare potiùs velis, quàm perorare. Vale. *Nunc referemus aliqua miſericordiæ vel fraternæ caritatis opera, quæ* S. Sidonius *exercuit, & quæ ad epiſcopalem ſuam ſolicitudinem pertinere judicabat.*

B

Charitas ſancti Præſulis

81 *Mos erat illis temporibus, ut præſules pro ſuis ſubditis apud reges aut alios viros primarios intercederent, & etiam temporalia eorum negotia ipſis commendarent, quemadmodum ſatis liquet ex memorata concione Bituricenſi, in qua Sanctus noſter cives ita alloquitur, ac ſtatim reſpondentes inducit:* Si quempiam nominavero monachorum, quamvis illum Paulis, Antoniis, Hilarionibus, Macariis conferendum, ſectatæ anachoreſeos prærogativa comitetur, aures illicò meas incondito tumultu circumſtrepitas ignobilium pumilionum murmur everberat conquerentium: Hic qui nominatur, inquiunt, non epiſcopi, ſed potius abbatis complet officium; & intercedere magis pro animabus apud cæleſtem, quàm pro corporibus apud terrenum judicem poteſt. *Deinde tamen circa finem concionis, S. Simplicium, quem deſignarat illis epiſcopum, inter alias dotes etiam ex illa parte commendat his verbis:* Si neceſſitas arripiendæ legationis incubuit, non ille ſemel pro hac civitate ſtetit ante pellitos reges, vel ante principes purpuratos.

C

erga ruſticos,

82 *Itaque ſanctus Præſul iſtud onus ſibi ſimul cum epiſcopatu impoſitum putabat, & in quacumque neceſſitate ſeſe omnibus debitorem agnoſcebat. Quapropter antiſtites aut alios principes interpellare non verebatur, ut etiam temporale ſuorum ſubditorum damnum averteret aut reſarciret. Id manifeſtum ſit ex lib. 3 epiſt. 9, in qua pauperem diœceſis ſuæ ruſticum, cui milites Britanni mancipia eripuerant, Riothamo Britonum regi commendat hoc modo:* Servatur noſtri conſuetudo ſermonis; namque miſcemus cum ſalutatione querimoniam, non omnino huic rei ſtudentes, ut ſtylus noſter ſit officioſus in titulis, aſper in paginis; ſed quod ea ſemper eveniunt, de quibus loci mei aut ordinis hominem conſtat inconciliari, ſi loquatur; peccare, ſi taceat. Sed & ipſi ſarcinam veſtri pudoris inſpicimus, cujus hæc ſemper verecundia fuit, ut pro culpis erubeſceretis alienis. Gerulus epiſtolarum humilis, obſcurus, deſpicabiliſque etiam uſque ad damnum innocentis ignaviæ, mancipia ſua; Britannis clàm ſolicitantibus, abducta deplorat. Incertum mihi eſt, an ſit certa cauſatio; ſed ſi inter coram poſitos æquanimiter objecta diſcingitis, arbitror hunc laborioſum poſſe probare, quod objicit; ſi tamen inter argutos, armatos, tumultuoſos, virtute, numero, contubernio contumaces, poterit ex æquo & bono ſolus, inermis, abjectus, ruſticus, peregrinus, pauper audiri. Vale. *Propter initium hujus epiſtolæ ſuſpicamur,* S. Sidonium *ſuper hac re rurſus antea ad eumdem regem ſcripſiſſe.*

D

83 *Sanctus iſte afflictorum patronus inſuper viduas; piam diœceſis ſuæ viduam, cui ab Agrippino verſuto presbytero lis intentata fuerat, Pragmatio epiſcopo commendat, & lib. 6 epiſt. 2 ſic eam laudat:* Venerabilis Eutropia matrona, quod ad nos ſpectat, ſingularis exempli (quæ parcimonia & humanitate certantibus, non minus ſe jejuniis, quàm cibis pauperes paſcit, & in Chriſti cultu pervigil ſola in ſe compellit peccata dormire) mœroribus orbitatis neceſſitate litis adjecta, in remedium mali duplicis perfectionem veſtræ conſolationis expetere feſtinat. *Expoſitis deinde litigii cauſis, Pragmatium hortatur, ut quocumque modo litem componat:* Sancta enim Eutropia, *inquit circa finem ejuſdem epiſtolæ,* ſi quid vadimonio meo creditis, victoriam computat, ſi vel poſt damna non litiget. *Hæc S. Eutropia Martyrologio Romano inſcripta eſt ad diem* XV *Septembris, quamvis Sauſſayus in Martyrologio ſuo Gallicano illam die* XXVI *ejuſdem menſis collocaverit. Porrò litigioſus ille Agrippinus forſan eſt unus ex iſtis duobus presbyteris, qui* S. Sidonium *perſecuti ſunt, ut poſtmodum ex S. Gregorio Turonenſi narrabimus.*

E

84 *Non dubitamus, quin* S. Sidonius *magno afflictos commiſerationis affectu ſubditos ſuos adverſitatibus afflictos conſolatus fuerit, cum iſtud caritatis officium præſtiterit epiſcopo Maſſilienſi, quem lib. 9 epiſt. 4 ſpe cæleſtis præmii erigit & exemplo Chriſti ſic ad patientiam hortatur.* Quod nuper quorumpiam fratrum neceſſitate multos pertuleritis angores, flebili ad flentes relatione pervenit. Sed tu, flos ſacerdotum, gemma pontificum, ſcientiâ fortis, fortior conſcientiâ, minas undaſque mundialium ſperne nimborum; quia frequenter ipſe docuiſti, quod ad promiſſa convivia patriarcharum, vel ad nectar cæleſtium poculorum per amaritudinum terrenarum calices perveniretur. Velis, nolis, quiſque contempti Mediatoris conſequitur regnum, ſequitur exemplum. Quantaſlibet nobis anxietatum pateras vitæ præſentis propinet afflictio, parva toleramus, ſi recordamur, quid biberit ad patibulum, qui invitat ad cælum. *Quanta verò eſſet hujus ſancti Præſulis noſtri lenitas erga peccatores pœnitentes, ex ſequenti exemplo patebit.*

F

peccatores

85 *Vir quidam diœceſis Trecenſis, nomine Gallus, uxorem ſuam deſeruerat, & ad civitatem Arvernenſem fugerat. Hoc cognito, S. Lupus epiſcopus ad* S. Sidonium *dedit litteras, quibus fortiter ac ſuaviter delictum hujus erronis explicabat, ut eum ad frugem reduceret. Cum* S. Sidonius *litteras illas Gallo prælegiſſet, hunc ſtatim facti pœnituit, ac reditum promiſit. Unde mitis Præſul noſter lib. 6 epiſt. 9 S. Lupo Trecenſi reſpondet in hunc modum:* Vir jam honeſtus Gallus, quia juſſus ad conjugem redire non diſtulit, litterarum mearum obſequium, veſtrarum reportat effectum. Cui cùm pagina, quam miſeratis, reſeraretur, actutùm compunctus ingemuit, deſtinatamque non ad me epiſtolam, ſed in ſe ſententiam judicavit. Itaque confeſtim iter in patriam ſpopondit, adornavit, arripuit. Quem nos propter hanc ipſam pœnitudi-

A pœnitudinis celeritatem, non increpativè, ſed conſolatoriè potius compellare curavimus; quia vicinaretur innocentiæ feſtinata correctio.

pœnitentes 86 *Attamen Sanctus noſter aliquando manſuetudinem ſeveritate miſcebat, ut conſtat ex epiſtola vigeſima tertia libri quarti, in qua pro fugitivo quodam adoleſcente apud patrem ejus ita intercedit:* Filius tuus, imò communis, (*erat nimirum ſpiritualis filius ſancti Præſulis, quia in diœceſi Arvernenſi commorabatur*) ad me cucurrit; qui, te relicto, deliquiſſe ſe mœret, obrutus pœnitendi pudore transfugii. Igitur audito culpæ tenore, corripui latitabundum verbis amaris, vultu minaci, & mea quidem voce, ſed vice tua; dignum abdicatione, cruce, culeo clamans, ceteriſque ſuppliciis parricidalibus. Ad hæc ille confuſus irrubuit, nil impudenti excuſatione deprecatus errorem: ſed ad cuncta convictum cùm redarguerem, verecundiæ junxit comites lacrymas, ita profluas ubertimque manantes, ut ſecuturæ correctioni fidem fecerint. Rogo ergo ſis clemens in ſe ſevero; & Dominum ſequens, non habeas te judice reum
B ſe profitente damnabilem; quem ſi inaudita genera pœnarum jubeas inexoratus excipere, non poteſt amplius per te dolore, quàm per ſe dolore torqueri.

adeo latè extenſa erat, 87 Libera metu deſperationem ſuam, libera confidentiam meam; & pietatis paternæ neceſſitate, ſi bene interpretor, te quoque abſolve, qui conficeris occulto, quòd filius publico mœrore conficitur: cui feciſſe me conſtat plurimum injuriæ, ſi tu tamen vel parum feceris; quam certè, ut ſpero, non facies, niſi ſcopulis durior duras, aut adamantibus rigidior perſeveras inſecabilibus. Ergo ſi de moribus tuis deque amicitiis juſtè meliora præſumo, excuſato propitius indulge; quem reconcilians fore fidelem conſtanter in poſterum ſpondeo; quoque velociter culpâ ſoluto, ego beneficio ligor, magnopere depoſcens, ut non ignoſcas modò, verùm ut & protinus, & revertentem non domo ſolùm, ſed & pectore admittas. Deus magne! quam lætus orietur tibi dies, mihi nuntius, animus illi, cum paternis pedibus affuſus, ex illo ore læſo, ore terribili convitium exſpectans, oſculum exceperit. Vale. *Hanc epiſtolam exhibuimus integram, ut eruditus lector non tantùm piam Præſulis pro pace ſolicitudinem, ſed etiam ingenioſam reconciliatoris hujus induſtriam videret.*

ut nec ipſos Judæos excluderet, 88 *Denique, ut huic paragrapho finem imponamus, adeo longè latèque extenſa erat officioſa ſancti hujus Viri caritas, ut ipſos perfidos Judæos complecteretur, ſicut ex epiſtola undecima libri ſexti docemur, ubi pervicacem quemdam Judæum præſuli Eleutherio commendat his verbis:* Judæum præſens charta commendat; non quòd mihi placeat error; per quem pereunt involuti; ſed quia neminem ipſorum nos decet ex aſſe damnabilem pronuntiare, dum vivit: in ſpe enim adhuc abſolutionis eſt, cui ſuppetit poſſe converti. Quæ ſit verò negotii ſui ſeries, ipſe rectiùs præſentanea coràm narratione patefaciet: nam prudentiæ ſatis obviat, epiſtolari formulæ debitam concinnitatem plurifario ſermone porrigere. Sanè quia ſecundum vel negotia vel judicia terrena ſolent hujuſcemodi homines honeſtas habere cauſas, tu quoque potes hujus laborioſi, etſi impugnas perfidiam, propugnare perſonam. Memor noſtri eſſe dignare, domine papa.

89 *Veroſimiliter diligens ille animarum venator ſperabat, huic Judæo forſan obventuram eamdem felicitatem, quæ alteri ex illa natione obtigit, qui Judaïcam ſuperſtitionem deſerens, veram Chriſti fidem amplexus eſt. Huic dedit commendatitias ad epiſcopum Nonnechium litteras, in quibus poſt eximias Nonnechii laudes lib. 8 epiſt. 13 de neophyto illo leguntur ſequentia:* Commendo Promotum gerulum litterarum, nobis quidem antè jam cognitum, ſed noſtrum nuper effectum veſtris orationibus contribulem; qui cum ſit gente Judæus, fide tamen præelegit cenſeri Iſraëlita, quàm ſanguine; & municipatum cæleſtis illius civitatis affectans, occidentemque litteram ſpiritu vivificante faſtidiens, pariter hinc juſtis præmia propoſita contemplans; hinc, niſi faceret ad Chriſtum de circumciſione transfugium, prævidens ſeſe per æterna ſecula æquiterna * ſupplicia paſſurum, patriam ſibi maluit Jeruſalem potiùs quàm Hieroſolymam computari. Quibus agnitis, adventantem Abrahæ nunc filium veriorem maternis ulnis ſpiritualis Sara ſuſcipiat: namque ad Agar ancillam pertinere tunc deſiit, cùm legali obſervantiæ ſervitutem gratiæ libertate mutavit. E

** Id eſt æquè æterna*

in negotiis adjuvaret. 90 De cetero, quæ ipſi fuerit iſtò cauſa veniendi, præſentaneo conducibiliùs idem poterit explicare memoratu. Nobis verò propter quæ ſuprà ſcripſi cariſſimus habetur; quod eo ſignifico, quia is efficaciſſimè quemque commendat, qui meras cauſas juſtæ commendationis aperuerit. *Hìc brevitatis causâ ſiſtimus in enumerandis obſequiis, quæ* S. Sidonius *ultro ſuis ſubditis præſtitit, vel ab aliquibus epiſcopis rogatus, in aliorum gratiam ſuſcepit: varia enim hujuſmodi negotia facilè in epiſtolis ejus inveniet, qui eas levi oculo percurrere non gravabitur. Profectò propter illam promptam omnibus ſervienti voluntatem videtur obſequioſus Antiſtes noſter uti potuiſſe verbis Apoſtoli Pauli, qui in epiſtola prima ad Corinthios cap. 9 ſic ſcribit:* Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus ſum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer .... Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos. *Jam paragrapho ſequente videbimus, quàm piè fortiterque ſolicitus ille Paſtor laboraverit, ne Gothi Ariani gregem ſuum invaderent ac dilacerarent.* F

§ VIII. Pius magnanimuſque Sancti zelus pro fide Catholica, & tetricum exſilium.

Cum Gothi Arverniam occupare tentarent,

CUm *Arverniam occupare tentarent Gothi, quos* S. Sidonius *Ariana hæreſi infectos eſſe noverat, ſolicitus hic orthodoxi gregis Paſtor omnem lapidem movit, ut iſtud hæreticorum jugum à cervicibus ſuorum averteret. Hinc lib. 3 epiſt. 3 ad Arverniam armis defendendam invitat Ecdicium ſororium ſuum, qui non ita pridem Gothos profligaverat. Sed quia Sanctus auxilio humano parum confidebat, ad opem divinam recurrit, & conſuetudinem Rogationum in ſuam diœceſim induxit exemplo Mamerti præſulis Viennenſis, ad quem lib. 7 epiſt. 1 ſic ſcribit:* Rumor eſt, Gothos in Romanum ſolum caſtra moviſſe. Huic ſemper irruptioni nos miſeri Arverni janua ſumus: namque odiis inimicorum

AUCTORE G. C.

hinc peculiaria fomenta ſubminiſtramus, quia quod necdum terminos ſuos ab Oceano in Rhodanum Ligeris alveo limitaverunt, ſolam ſub ope Chriſti moram de noſtra tantùm obice patiuntur. Circumjectarum verò ſpatia tractumque regionum jam pridem regni minacis importuna devoravit impreſſio. Sed animoſitati noſtræ tam temerariæ tamque periculoſæ, non nos aut ambuſtam murorum faciem, aut putrem ſudium cratem, aut propugnacula vigilum trita pectoribus confidimus opitulatura; ſolo tamen invectarum, te autore, Rogationum palpamur auxilio, quibus inchoandis inſtituendiſque populus Arvernus, etſi non effectu pari, affectu certè non impari cœpit initiari, & ob hoc circumfuſis necdum dat terga terroribus.

92 *Sanctus Præſul lib. 5 epiſt. 14 exponit, quales iſtæ Rogationes fuerint, dum amicum quemdam in montibus Arverniæ degentem ad eas celebrandas in civitatem Arvernenſem revocat his verbis:* Quidquid illud eſt, quod vel otio vel negotio vacas, in urbem tamen, ni fallimur, Rogationum contemplatione revocabere; quarum nobis ſolennitatem primus Mamertus pater & pontifex reverentiſſimo exemplo, utiliſſimo experimento, invenit, inſtituit, invexit. Erant quidem priùs (quod ſalva fidei pace ſit dictum) vagæ, tepentes, infrequenteſque, utque ſic dixerim, oſcitabundæ ſupplicationes, quæ ſæpe interpellantum prandiorum obicibus hebetabantur, maximè aut imbres aut ſerenitatem deprecaturæ; ad quas (ut nil amplius dicam) figulo pariter atque hortulano non oportuit convenire. In his autem, quas ſupra fatus ſummus ſacerdos & protulit pariter & contulit, jejunatur, oratur, pſallitur, fletur. Ad hæc te feſta cervicum humiliatarum, & ſternacium civium ſuſpirioſa contubernia peto: &, ſi ſpiritalem animum tuum bene metior, modò citiùs venies, quòd non ad epulas, ſed ad lacrymas evocaris.

Sanctus avertere conatus eſt precibus hanc à diœceſi ſua calamitatem,

B

93 *Interea* S. Sidonius *illam temporum calamitatem peccatis ſuis humiliter imputabat, ad Felicem patricia dignitatis virum lib. 3 epiſt. 4 ſcribens in hæc verba:* Gozalas natione Judæus, cliens culminis tui, cujus mihi quoque eſſet perſona cordi, ſi non eſſet ſecta deſpectui, defert litteras meas, quas granditer anxius exaravi: oppidum ſiquidem noſtrum, quaſi quemdam ſui limitis obicem, circumfuſarum nobis gentium arma terrificant. Sic æmulorum ſibi in medio poſiti lacrymabilis præda populorum, ſuſpecti Burgundionibus, proximi Gothis, nec impugnantum irâ, nec propugnantum caremus invidiâ. Sed iſthinc aliàs. Interea ſi vel penes vos recta ſunt, bene eſt: neque enim hujuſmodi pectore ſumus, ut licet apertis ipſi pœnis propter criminum occulta plectamur, non agi proſpere vel ubique velimus. Nam certum eſt, non minus vitiorum, quàm hoſtium eſſe captivum, qui non etiam inter mala tempora bona vota ſervaverit. Vale. *Etiam in epiſtola undecima libri ſeptimi* inter ſemiuſtas muri fragilis clauſus anguſtias, *ut ibidem epiſcopo cuidam ſcribit, ultricem Dei manum agnoſcit & exoſculatur.*

quam peccatis ſuis humiliter imputabat.

C

94 *Quantumvis Gothi civitatem Arvernenſem fruſtra obſediſſent, tamen frequentibus ſuis in ditionem Romanam excurſionibus tantum effecerunt, ut circa finem anni* 474 *Nepos imperator cum moleſtis illis hoſtibus paciſci decreverit, ac propterea miſerit Licinianum, qui ſub quibuſdam conditionibus inter Romanos & Gothos pacem conciliaret. Hoc nuntio audito, ſtatim*

Dum verò audit, agi de pace inter Gothos & Romanos,

D

S. Sidonius *lib. 3 epiſt. 7 ad Felicem patricium poſt alia ſcribit hoc modo:* Indicare feſtina, ſi quam, prævio Deo, quæſtor Licinianus trepidationi mutuæ januam ſecuritatis aperuerit. Perſona ſiquidem eſt, ut perhibent, magna exſpectatione, major adventu, relatu ſublimis, inſpectione ſublimior, & ob omnia felicitatis naturæque dona monſtrabilis. *Deinde poſt expoſitas alias hujus legati dotes, quas Sanctus ex rumore acceperat, epiſtolam ſuam ita finit:* Mandate perniciter, ſi vero dicta conquadrent, ut tantiſper à pervigili ſtatione reſpirent, quos à muralibus excubiis non dies ninguidus, non nox illunis & turbida receptui canere perſuadent; quia etſi barbarus in hiberna concedat, magè differunt, quàm relinquant ſemel radicatam corda formidinem.

mox ſcribit ad Baſilium epiſcopum,

95 *Cum verò Sanctus noſter certiore nuntio poſtea comperiſſet, revera de fœdere illo inter Romanos ac Gothos jam tractari, & aliquos Galliæ præſules hujus pacis arbitros eſſe conſtitutos, pro ſuo erga fidem Catholicam affectu unum ex iis, nomine Baſilium, forſan Aquenſem antiſtitem, litteris ſuis interpellandum putavit. Itaque lib. 7 epiſt. 6 poſt amicam benevolentiæ captationem ac humilem delictorum ſuorum confeſſionem, ad hunc præſulem ſcribit ſequentia:* Quoniam ſupereminet privati reatûs verecundiam publica ſalus, non verebor, etſi carpat zelum in me fidei ſiniſter interpres, ſub vanitatis invidia cauſam prodere veritatis. Evarix rex Gothorum, quod limitem regni ſui, rupto diſſolutoque fœdere antiquo, vel tutatur armorum jure vel promovet, nec nobis peccatoribus hîc accuſare, nec vobis ſanctis hîc diſcutere permiſſum eſt. Quin potiùs, ſi requiras, ordinis res eſt, ut & dives hîc purpura byſſoque veletur, & Lazarus hîc ulceribus & paupertate feriatur. Ordinis res eſt, ut, dum in hac allegorica verſamur Ægypto, Pharao incedat cum diademate, Iſraëlita cum cophino. Ordinis res eſt, ut, dum in hac figuratæ Babylonis fornace decoquimur, nos cum Jeremia ſpiritualem Jeruſalem ſuſpirioſis plangamus ululatibus, & Aſſur faſtu regio tonans Sanctorum ſancta proculcet.

qui inter pacis arbitros conſtitutus erat,

F

96 Quibus ego præſentum futurarumque beatitudinum viciſſitudinibus inſpectis, communia patientiùs incommoda fero. Primùm, quod mihi quæ merear introſpicienti, quæcumque adverſa provenerint, leviora reputabuntur. Dein quod certum ſcio, maximum eſſe remedium interioris hominis, ſi in hac area mundi variis paſſionum flagellis trituretur exterior. Sed quod fatendum eſt, præfatum regem Gothorum, quamquam ſit ob virium merita terribilis, non tam Romanis mœnibus, quàm legibus Chriſtianis inſidiaturum paveſco. Tantùm, ut ferunt, ori, tantùm pectori ſuo Catholici mentio nominis acet, ut ambigas, ampliuſne ſuæ gentis, an ſuæ ſectæ teneat principatum. Ad hoc armis potens, acer animis, alacer annis, hunc ſolum patitur errorem, quod putat ſibi tractatuum conſiliorumque ſucceſſum tribui pro religione legitima, quem potius aſſequitur pro felicitate terrena.

eumque monet, ut in hoc fœdere incundo

E

97 Propter quod diſcite citò Catholici ſtatûs valetudinem occultam, ut apertam feſtinetis adhibere medicinam. Burdegala, Petrocorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Eluſani, Vaſates, Convenæ, Auſcenſes, multóque jam major numerus civitatum, ſummis ſacerdotibus ipſorum morte truncatis, nec ullis deinceps epiſcopis in defunctorum officia ſuffectis (per quos utique

A utique minorum ordinum miniſteria ſubrogabantur) latum ſpiritualis ruinæ limitem traxit; quam ferè conſtat ſic per ſingulos dies morientum patrum proficere defectu, ut non ſolùm quoſlibet hæreticos præſentum, verùm etiam hæreſiarchas priorum temporum potuerit inflectere: ita populos exceſſu pontificum orbatos triſtis interciſæ fidei deſperatio premit. Nulla in deſolatis cura diœceſibus, parochiiſque. Videas in eccleſiis aut putres culminum lapſus, aut valvarum cardinibus avulſis, baſilicarum aditus hiſpidorum veprium fruticibus obſtructos. Ipſa (proh dolor!) videas armenta non modò ſemipatentibus jacere veſtibulis, ſed etiam herboſa viridantium altarium latera depaſci.

maximam de fide Catholica curam habeat,

98 Sed jam nec per ruſticas ſolùm ſolitudo parochias; ipſa inſuper urbanarum eccleſiarum conventicula rareſcunt: quid enim fidelibus ſolatii ſupereſt, quando clericalis non modò diſciplina, verùm etiam memoria perit? Equidem cum clericus quiſque defungitur, ſi benedictione ſuccidua non accipiat dignitatis heredem, in illa eccleſia ſacerdotium moritur, non ſacerdos. Atque ita quid ſpei reſtare pronunties,

B ubi facit terminus hominis finem religionis? Altiùs inſpicite ſpiritualium damna membrorum. Profectò intelligetis, quanti ſubripiuntur epiſcopi, tantorum vobis populorum fidem periclitaturam. Taceo veſtros Crocum, Simpliciumque collegas, quos, cathedris ſibi traditis eliminatis, ſimilis exilii cruciat pœna diſſimilis: namque unus ipſorum dolet, ſe non videre, quò redeat; alter ſe dolet videre, quò non redit. Tu ſacratiſſimorum pontificum Leontii, Fauſti, Græci, urbe, ordine, caritate medius inveniris. Per vos mala fœderum currunt; per vos regni utriuſque pacta conditioneſque portantur. Agite quatenus hæc ſit amicitia, concordia principalis, ut epiſcopali ordinatione permiſſa, populos Galliarum, quos limes Gothicæ ſortis incluſerit, teneamus ex fide, etſi non tenemus ex fœdere. *Ex hac epiſtola quilibet intelligit, quantam curam Sanctus noſter de Catholica fide generatim gereret, & quantopere propter inchoatam ejuſdem in Gallia ruinam doleret.*

& epiſcopo Maſſilienſi,

99 *Sed dolor ejus plurimùm crevit, quando fama tandem ferebat, Arverniam Gothis ex pacto tradendam eſſe: tunc enim* S. Sidonius

C *ſcribens ad epiſcopum Maſſilienſem, qui in pace concilianda ſuffragium habebat, & quocum per litteras olim jocari conſueverat, lib. 7 epiſt. 7 de dura illa fœderis conditione ſic acerbè conqueritur:* Ecce iterum Amantius nugigerulus noſter Maſſiliam ſuam repetit, . . . per quem joculariter plura garrirem, ſi pariter unus idemque valeret animus exercere læta, & triſtia ſuſtinere. Siquidem noſtri hic nunc eſt infelicis anguli ſtatus; cujus, ut fama confirmat, melior fuit ſub bello, quàm ſub pace conditio. Facta eſt ſervitus noſtra pretium ſecuritatis alienæ. Arvernorum (proh dolor!) ſervitus; qui, ſi priſca replicarentur, audebant ſe quondam fratres Latio dicere, & ſanguine ab Iliaco populos computare.

etiam fœderis iſtius arbitro,

100 Si recentia memorabuntur, hi ſunt, qui viribus propriis hoſtium publicorum arma remorati ſunt; cui ſæpe populo Gothus non fuit clauſo intra mœnia formidini, cum viciſſim ipſe fieret oppugnatoribus poſitis intra caſtra terrori. Hi ſunt, qui ſibi adverſus vicinorum aciem tam duces ſuere, quàm milites; de quorum tamen ſorte certaminum, ſi quid proſperum ceſſit, vos ſecunda ſolata ſunt; ſi quid contrarium, illos adverſa fregerunt. Illi amore reipublicæ Seronatum barbaris provincias propinantem non timuere legibus tradere, quem convictum deinceps reſpublica vix præſumpſit occidere. Hoccine meruerunt inopia, flamma, ferrum, peſtilentia, pingues cædibus gladii, & macri jejuniis præliatores? Propter hujus tamen inclytæ pacis exſpectationem, avulſas muralibus rimis herbas in cibum traximus; crebrò per ignorantiam venenatis graminibus infecti, quæ indiſcretis foliis ſucciſque viridantia, ſæpe manus fame concolor legit. Pro his tot tantiſque devotionis experimentis, noſtrî (quantum audio) facta jactura eſt. AUCTORE G. C.

acerbum doloris ſui ſenſum aperit,

101 Pudeat vos, precamur, hujus fœderis nec utilis, nec decori. Per vos legationes meant. Vobis primùm, quamquam principe abſente, non ſolùm tractata referantur, verùm etiam tractanda committuntur. Veniabilis ſit, quæſumus, apud aures veſtras veritatis aſperitas, cujus convitii invidiam dolor eripit. Parum in commune conſulitis, & cum in concilium convenitis, non tam curæ eſt publicis mederi periculis, quàm privatis ſtudere fortunis; quod utique ſæpe diuque facientes, jam non primi comprovincialium cœpiſtis eſſe, ſed ultimi. At quouſque iſtæ poterunt durare præſtigiæ? Non enim diutiùs ipſi majores noſtri hoc nomine gloriabuntur, qui minores incipiunt non habere. Quapropter vel conſilio, quo poteſtis, ſtatum concordiæ tam turpis incidite. Adhuc, ſi neceſſe eſt, obſideri, adhuc pugnare, adhuc eſurire delectat. E

ſi Arvernia Gothis Arianis tradatur;

102 Si verò tradimur, qui non potuimus viribus obtineri, inveniſſe vos certum eſt, quid barbarum ſuaderetis ignavi. Sed cur dolori nimio fræna laxamus? Quin potius ignoſcite afflictis, nec imputate mœrentibus: namque alia regio tradita ſervitium ſperat, Arverna ſupplicium. Sanè ſi medicari noſtris ultimis non valetis, ſaltem hoc efficite prece ſedula, ut ſanguis vivat, quorum eſt moritura libertas. Parate exulibus terram, capiendis redemptionem, viaticum peregrinaturis. Si murus noſter aperitur hoſtibus, non ſit clauſus veſter hoſpitibus. Memor noſtri eſſe dignare, domine papa. *Ex his duabus epiſtolis patet, profundam ſancti Præſulis noſtri humilitatem cum ferventi Catholicæ fidei zelo & generoſa magnanimitate conjunctam fuiſſe.* F

ſed Arverniam anno 475 Gothis ceſſit,

103 *At iſta* S. Sidonii *monita nihil profuerunt: nam anno 475 Romani Arverniam Gothis cedere cacti ſunt, ut Jornandes in Hiſtoria de rebus Geticis cap. 45 teſtatur. Facile intellectu eſt, quantopere illa imperii mutatio afflixerit noſtrum Sanctum, qui barbaros etiam bonos averſabatur, ut ſuperiùs initio paragraphi quarti ex epiſtola ejus ad Philagrium didicimus, & qui jam barbaris Arianis, adeoque peſſimis ſubeſſe cogebatur. Niſi gregis amor ac neceſſitas hunc ſanctum Paſtorem retinuiſſent, haud dubiè ſecutus fuiſſet Ecdicium ſororium ſuum, qui patriam deſerere maluit, quam ſub dominio Gothorum vivere. Itaque ſanctus Præſul inter vicinos lupos gregi ſuo diligenter invigilare decrevit, & humiliatus ſub potenti manu Dei, voluntatem ſuam divino beneplacito conformavit.*

& Præſul ſtatim miſſatis exſilium,

104 *Verùm Euricus Gothorum rex, occupata civitate Arvernenſi, Virum tantæ auctoritatis ac nobilitatis (erat enim cum præcipuis jus eſt in Romanorum familiis conſanguinitate vel affinitate junctus) dè ſtudio partium ſuſpectum habuit, ac ideo relegandum judicavit. Fortaſſis etiam paſtoralis ejus vigilantia & ingens Catholicæ fidei*

AUCTORE G. C.

fidei zelus ad aures Eurici pervenerant, ac Ariano hæretico displicebant. Itaque S. Sidonium *abduci jussit ad castrum Livianum, quod inter Carcassonem & Narbonam situm erat. Forsan incommoda hujus exilii generaliter indicare voluit S. Avitus, dum Epistola* 45 *ad illustrem virum Apollinarem inter alia sic scribit :* Quoniam si vos à patre vestro Archadio didicistis, virum seculo militantem minus inter arma quàm inter obloquia periclitari, nec ego parum exempli à Sidonio meo, quem patrem vocare non audeo, quantum clericus perpeti possit, assumo.

cujus incommoda exponit Leoni ministro regis,

105 *Sed audiamus ipsum Sanctum nostrum, qui Leoni quæstori regis Eurici nonnulla exsilii sui incommoda exponit, dum lib.* 8 *epist.* 3 *longam lucubrationis cuiusdam sibi injunctæ moram sic apud ipsum excusat :* Apollonii Pythagorici vitam, non ut Nicomachus senior è Philostrati, sed ut Tascius Victorianus è Nicomachi schedio exscripsit, quia jusseras, misi : quam, dum parere festino, celeriter ejecit in tumultuarium exemplar turbida & præceps & opica translatio. Neque mihi rem credito diuturnius elaboratam vitio vertas : nam dum me tenuit inclusum mora mœnium Livianorum (cujus incommodi finem post opem Christi tibi debeo) non valebat curis animus æger saltim saltuatim tradenda percurrere, nunc per nocturna suspiria, nunc per diurna officia distractus. Ad hoc & cum me defatigatum ab excubiis ad diversorium crepuscula scens hora revocaverat, vix dabatur luminibus inflexis parvula quies : nam fragor illico, quem movebant vicinantes impluvio cubiculi mei duæ quæpiam Gethides anus, quibus nihil umquam litigiosius, bibacius, vomacius erit. Sanè cum primùm reduci aliquid otii fuit, impolitum hunc semicrudumque, &, ut aiunt, musteum librum, plus desiderii tui, quam officii mei memor obtuli.

B

qui ob eo petierat, ut ibi Vitam Apollonii transcriberet, aut Latinè verteret.

106 *Inter eruditos controversia est, utrum* S. Sidonius *hanc Apollonii Pythagorici Vitam ex idiomate Græco Latinam fecerit, an verò dumtaxat illam transcripserit ac emendaverit. Sirmondus noster in notis pag.* 81 *putat, emendatam hujus Vitæ transcriptionem tantummodo fuisse, licet ibi* translatio *vocetur, & ex variis ejusdem Sancti litteris probat, vocem translationis pro simplici exscriptione accipi. Attamen alii contendunt, hanc fuisse Latinam istius Vitæ Græcæ interpretationem, & sententiam suam confirmant ex difficultate, quam* S. Sidonius *in illo Opere perficiendo indicat. At qualecumque fuerit istud opusculum, nos ex relato hujus epistolæ fragmento intelligimus, sanctum Episcopum in castro Liviano detentum non potuisse satisfacere desiderio Leonis ob noctes insomnes & ebrias rixosasque duas mulieres Gothicas, quæ crebris fragoribus eum ab opere impediebant. Ex eodem quoque discimus, Leonem regis Eurici ministrum sancto Præsuli libertatem suo patrocinio impetrasse, eumque ab exsilio in civitatem Arvernensem rediisse. Ceterùm præcipua, quæ post hunc reditum gessit aut scripsit, paragrapho sequente narrabimus.*

C



D

§ IX. Reliqua Sancti gesta post reditum ab exsilio usque ad annum Christi 483.

Etsi Sanctus ab exsilio redux

C*Um sanctus Antistes ad diœcesim suam reversus esset, inter medios Gothos Arianos eam diligenter & intrepidè gubernavit, ut Gennadius Massilienſis, quem paragrapho primo hujus Commentarii historici citavimus, innuit his verbis :* In Christiano vigore pollens, etiam inter barbaræ ferocitatis duritiem, quæ eo tempore Gallos oppresserat, Catholicus pater & doctor habetur insignis. *Hujus episcopalis vigoris argumentum eruimus ex lib.* 4 *epist.* 15, *in qua* S. Sidonius *laudat Elaphium virum pium, eo quod ædificasset novam ecclesiam illo tempore, quo vix alii templa collabentia restaurare audebant. Hic verosimillimè designatur tempus, quo Arvernia & vicinæ regiones parebant Eurico regi Gothorum, qui secta sua Ariana erat addictissimus, ut suprà relatum est, & de quo S. Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib.* 2 *cap.* 25 *scribit sequentia :* Hujus tempore & E
Evarix rex Gotthorum excedens Hispanum limitem, gravem in Galliis super Christianos intulit persecutionem. Truncabat passim perversitati suæ non consentientes, clericos carceribus subigebat; sacerdotes verò alios dabat exsilio, alios gladio trucidabat. Nam & ipsos sacrorum templorum aditus spinis jusserat obserari, scilicet ut raritas ingrediendi oblivionem faceret fidei.

intrepidè cultum Catholicæ fidei promoveret,

108 *Attamen hoc periculoso tempore* S. Sidonius *impavidè profectus est ad Rutenos, ut novam illam ecclesiam consecraret, & proxime citatâ epistolâ decimâ quintâ libri quarti Elaphio ad hanc solennitatem invitanti respondet hoc modo :* Epulum multiplex & capacissima lectisternia para. Pluribus viis, pluribus turbis ad te venitur. Ita bonorum contubernio sedit : quippe postquam omnibus tempus futuræ dedicationis inclaruit. Nam baptisterium, quod olim fabricabamini, scribitis jam posse consecrari. Ad quæ festa vos voti, nos ministerii, officii multos, fidei totos causa sollicitat. Siquidem res est grandis exempli, eo tempore à vobis nova ecclesiarum culmina strui, quo vix alius auderet vetusta sarcire. Quod restat, optamus, ut Deo nostro per uberes annos, sicut vota redditis, ita reddenda foveatis; idque non solùm religione celata, sed & conversione manifesta; mitigatoque temporum statu, tam desiderio meo Christus indulgeat, quàm Rutenorum, ut possitis & pro illis offerre sacrificia, qui jam pro vobis offertis altaria. F

ac munere suo fungeretur,

109 De cetero quamquam & extremus autumnus jam diem breviat, & viatorum solicitas aures, foliis toto nemore labentibus, crepulo fragore circumstrepit; inque castellum, ad quod invitas, utpote Alpinis rupibus cinctum, sub vicinitate brumali difficiliùs ascenditur; nos tamen, Deo prævio, per tuorum montium latera confragosa venientes, nec subjectas cautes, nec superjectas nives expavescemus, quamvis jugorum profunda declivitas aggere cochleatim fracto sæpe redeunda sit. *Nescimus, an impletum fuerit desiderium* S. Sidonii, *qui Elaphium aliquando Rutenensis ecclesiæ præsulem fieri optabat. At scimus, Ruricium Lemovicensem præsulem epi-sto-*

A *piſtolam ſeptimam libri ſecundi ſcripſiſſe cuidam* Elafio, *quem fratrem appellat, & cujus virtutes laudat, ut apud Caniſium tomo 5 Lectionis antiquæ pag.* 481 *& ſequente licet videre. Ceterùm in relata* S. Sidonii *epiſtola lucet magnanimus illius epiſcopi zelus, quo qualibet incommoda & pericula contemnebat, ut oppreſſum Catholicæ religionis cultum reſtauraret ac promoveret.*

cautè tamen ipſum Gothorum regem,

110 *Quamvis intrepidè, tamen cautè ac prudenter officio ſuo fungebatur, ne videlicet regem Arianum contra Catholicos irritaret. Quinimo miniſtros vel amicos Eurici ipſumque Euricum ſibi demereri ſtudebat, ut tanto ſecurius gregi ſuo conſuleret: licet enim ab initio epiſcopatûs renuntiaſſet poëſi, tamen Lampridio poëtæ Burdigalenſi, qui ab eo carmen aliquod petierat, & quem Eurico charum eſſe noverat, poſt varias excuſationes miſit quoſdam verſiculos de magna iſtius regis potentia, ut vel invitus hoc modo gratiam ejus aucuparetur. Cum verò Sanctus ipſe per duos menſes fruſtra laboraſſet, ut in aula Eurici negotium quoddam conficeret, ac*

B *toto illo tempore ſemel dumtaxat iſtum principem videre potuiſſet, regalibus ejus occupationibus hanc moram benignè imputat, dum lib.* 8 *epiſt.* 9 *in carmine ad Lampridium miſſo ſic inter alia canit:*

Nos iſtic poſitos, ſemelque viſos,
Bis jam menſtrua luna conſpicatur:
Nec multùm domino vacat vel ipſi,
Dum reſponſa petit ſubactus orbis.

Deinde recenſet varias nationes, quas Euricus imperio ſuo ſubjecerat. Procul dubio cupiebat, ut Lampridius iſtud carmen Eurico oſtenderet aut recitaret.

ejuſque miniſtros ſibi demereri conabatur,

111 *Libentiùs, ut opinor, compoſuit epitaphium metricum in honorem ſancti Abrahami abbatis, ut obſequeretur Victorio Comiti, cui rex Euricus Arverniam gubernandam commiſerat, quemadmodum lib.* 7 *epiſt.* 17 *ad Voluſianum ſcribens indicat his verbis:* Jubes me, domine frater, lege amicitiæ, quam nefas lædi, jam diu deſides digitos incudibus officinæ veteris imponere, & ſancto Abrahæ die functo næniam ſepulcralem luctuoſis carminibus inſcribere. Celeriter injunctis obſecundabo, cùm tua tractus

C auctoritate, tum principaliter ampliſſimi viri Victorii Comitis devotione præventus; quem jure ſeculari patronum, jure eccleſiaſtico filium, excolo ut cliens, ut pater diligo: qui ſatis docuit, quæ ſibi aut qualis erga famulos Chriſti cura ferveret, cum thorum circa decumbentis antiſtitis, non dignitatem minus quàm membra curvatus, ac ſupra vultum propinqua morte pallentem dolore concolor factus, quid viro vellet, lacrymis indicibus oſtenderet.

ut tantò liberiùs regeret ſuam diœceſim,

112 Et quia ſibi maximas humandi funeris partes ipſe præripuit, totum apparatum ſupercurrentis impendii, quod funerando ſacerdoti competeret, impartiens, ſaltem ad obſequium, quæ remanſerunt, verba conferimus, nihil aliud exaraturi ſtyli ſcalpentis impreſſu, quàm teſtimonium mutuæ dilectionis. Ceterùm viri mores, geſta, virtutes, indigniſſimè meorum vilitate dictorum ponderabuntur. *His ſubnectit verſiculos aliquot diſtichos, quos ad diem* XV *Junii in Actis ſancti iſtius Abrahami dedimus. Porrò Victorius ille Comes aut Dux eo tempore exteriorem pietatem ſimulavit, vel poſtea multum mutatus eſt, quandoquidem S. Gregorius Turonenſis in Hiſtoria Francorum lib.* 2 *cap.* 20 *de eodem ſcribit ſequentia:* Eorichus autem Gotthorum rex Victorium Ducem ſuper ſeptem civitates præpoſuit anno quarto decimo regni ſui .... Fuit autem Arvernis annis novem. Super Eucherium verò ſenatorem calumnias devolvit, quem in carcere poſitum nocte extrahi juſſit, ligatumque juxta parietem antiquum, ipſum parietem ſuper eum elidi juſſit. Ipſe verò dum nimium eſſet in amore mulierum luxurioſus, & ab Arvernis vereretur interfici, Romam aufugit, ibique ſimilem tentans exercere luxuriam, lapidibus eſt obrutus. AUCTORE G. C.

in qua etiam curam diſciplinæ monaſticæ habebat.

113 *Quanta porrò eſſet ſolicitudo ſancti Præſulis noſtri pro diſciplina monaſtica, patet ex fine ejuſdem epiſtolæ, ubi monaſterium S. Cyrici, in quo S. Abraham obierat, ſuprà memorato Voluſiano ſic commendat:* Ecce, ut injunxeras, quæ reſtant ſepulto juſta perſolvimus. Sed ſi viciſſim caritatis imperiis fratres, amicos, commilitones obſequi decet, ad vicem, quæſo, tu quoque, quibus emines inſtitutis diſcipulos ejus aggredere ſolari, fluctuantemque regulam Fratrum deſtitutorum, ſecundum ſtatuta Lirinenſium patrum vel Grinincenſium feſtinus informa: cujus diſciplinæ ſi qui rebelles, ipſe caſtiga; ſi qui E ſequaces, ipſe collauda. Præpoſitus illis quidem videtur ſanctus Auxanius, qui vir, ut noſti, pluſculum juſto & corpore infirmus & verecundus ingenio, eóque parendi quàm imperandi promptior, exigit te rogari, ut tuo ipſe ſub magiſterio monaſterii magiſter accedat; & ſi quis illum de junioribus ſpreverit, tamquam imperitum vel puſillanimem, per te unum ſentiat, utrumque non impunè contemni. Quid multa? Vis ut paucis, quid velim, agnoſcas? Quæſo, ut abbas ſit frater Auxanius ſupra congregationem, tu verò & ſupra abbatem.

Sanctus duo opuſcula,

114 *Etiam libenter ad gloriam S. Aniani conſcripſiſſet bellum Attilæ, quod Proſper Aurelianenſis epiſcopus rogaverat. Sed* S. Sidonius *aliis occupationibus impeditus, vel Operis mole deterritus, inchoatam lucubrationem deſeruit, & lib.* 8 *epiſt.* 15 *ſeſe apud ipſum excuſat his verbis:* Dum laudibus ſummis ſanctum Anianum, maximum conſummatiſſimumque pontificem, Lupo parem, Germanoque non imparem, vis celebrari, fideliumque deſideras pectoribus infigi viri talis ac tanti mores, merita, virtutes; cui F etiam illud non abſque juſtitia gloriæ datur, quòd te ſucceſſore deceſſit; exegeras mihi, ut promitterem tibi, Attilæ bellum ſtylo me poſteris intimaturum: quo videlicet Aurelianenſis urbis obſidio, oppugnatio, irruptio, nec direptio, & illa vulgata exauditi cælitus ſacerdotis vaticinatio continebatur. Cœperam ſcribere; ſed Operis arrepti faſce perſpecto, tæduit inchoaſſe. Propter hoc nullis auribus credidi, quod primùm me cenſore damnaveram. Dabitur, ut ſpero, precatui tuo, & meritis antiſtitis ſummi, quatenus præconio ſuo ſub quacumque & quidem celeri occaſione famulemur. *Si ſanctus Antiſtes brevi poſtea laudes S. Aniani celebraverit, ſicut hoc loco ſpondet, iſtud opuſculum periit vel adhuc latet, cum inter alias* S. Sidonii *lucubrationes non inveniatur.*

quæ ab eo poſtulabantur,

115 *Suprà memoratus Leo miniſter Eurici regis Antiſtitem noſtrum rogaverat, ut hiſtoriam (forſan ſui temporis, aut regis Eurici) litteris mandaret ac poſteritati relinqueret. At Sanctus videns, ſeſe id ſine offenſionis vel aſſentationis periculo perficere non poſſe, lib.* 4 *epiſt.* 22 *dexterè iſtud onus in humeros ipſius Leonis detor-*

AUCTORE G. C.

quet, & ſe propter clericalem vitæ profeſſionem modeſtè excuſat hoc modo : Vir magnificus Heſperius, gemma amicorum litterarumque, nuper urbe cum rediit è Toloſatium, præcipere te dixit, ut epiſtolarum curam, jam terminatis libris earum, converteremus ad ſtylum hiſtoriæ. Reverentia ſumma, ſummo & affectu talem atque tantam ſententiam amplector : idoneum quippe pronuntias ad opera majora, quem mediocria puras deſerere debere. Sed, quod fatendum eſt, faciliùs audeo hujuſmodi ſuſpicere judicium, quàm ſuſcipere conſilium. Res quidem digna, quam tu juberes ; ſed non minus digna, quam faceres. Namque & antiquitus, cum Caius Cornelius Caio Secundo paria ſualiſſet, ipſe poſtmodum, quod injunxit, arripuit. Idque ab exemplo nunc me melius aggrederis ; quia & ego Plinio, ut diſcipulus aſſurgo, & tu vetuſto genere narrandi jure Cornelium antevenis ; qui ſeculo noſtro ſi reviviſceret, teque, qualis in litteris & quantus habeare, conſpicaretur, modò verius Tacitus eſſet.

B *conſcribere renuit,*

116 Itaque tu molem thematis miſſi rectè capeſſis, cui præter eloquentiam ſingularem, ſcientiæ ingentis magna opportunitas : quotidie namque per potentiſſimi conſilia regis, totius ſolicitus orbis, pariter ejus negotia & jura, fœdera & bella, loca, ſpatia, merita cognoſcis. Unde quis juſtiùs ſeſe ad iſta ſuccinxerit, quàm ille, quem conſtat gentium motus, legationum varietates, facta ducum, pacta regnantum, tota denique publicarum rerum ſecreta didiciſſe ; quique præſtanti poſitus in culmine, non neceſſe habet, vel ſupprimere verum, vel concinnare mendacium. At noſtra longè conditio diſpar, quibus dolori peregrinatio nova, nec uſui lectio vetuſta ; tum religio profeſſioni eſt, humilitas appetitui, mediocritas obſcuritati : nec in præſentibus rei tantum, quantum in futuris ſpei locatum. Poſtremò langu r impedimento ; jamque vel ſerò propter hunc ipſum deſidia cordi æquæva. Certè jam ſuper ſtudus nulla laus curæ, ſed ne poſthuma quidem.

allatiſque variis excuſationibus,

C

117 Præcipuè gloriam nobis parvam ab hiſtoria petere fixum ; quia per homines clericalis officii temerariè noſtra, jactanter aliena, prætera infructuosè, præſentia ſemiplenè, turpiter falſa, periculosè vera dicuntur : eſt enim hujuſmodi thema vel opus, in quo bonorum ſi facias mentionem, modica gratia paratur, ſi notabilium, maxima offenſa. Sic ſe ille protinus dictioni color odorque ſatyricus admiſcet. Ilicet ſcriptio hiſtorica videtur ordine à noſtro multùm abhorrere, cujus inchoatio invidia, continua io labor, finis eſt odium. Sed tunc iſta proveniunt, clericis ſi aliquid dictetur auctoribus, qui colubrinis oblatratorum molaribus fixi, ſi quid ſimpliciter edamus, inſani ; ſi quid exactè, vocamur præſumptioſi. At ſi tu ipſe, cui datum eſt ſaltibus gloriæ proterere poſſe cervices vituperonum ſeu ſupercurrere, materiæ iſtius libens provinciam ſortiare, nemo te celſiùs ſcripſerit, nemo antiquiùs, etiamſi placeat recentia loqui ; quandoquidem ſermonum copiâ impletus antè, nunc rerum, non reliquiſti, cur venenato morſu ſecêre : atque ideo te in poſterum conſuli utilitas, audiri voluptas, legi auctoritas erit.

denique anno 483 nonum epiſtolarum librum edit,

118 *Sanctus Præſul hoc tempore ad diverſos amicos dedit alias litteras, in quibus omnibus ingenium ejus, comitas, & humilitas elucent. Videtur autem anno Chriſti 483 nonum ac ultimum epiſtolarum ſuarum librum edidiſſe, cum duodecim annos in epiſcopatu tranſegiſſet, ut conjicimus ex epiſtola duodecima ejuſdem libri noni, in qua Oreſius Hiſpanus poëma quoddam petens repulſam patitur, ac inter alias recuſationis cauſas* S. Sidonius *hanc ei profert :* Tum præterea conſtat, omnem operam, ſi longa intercapedine quieſcat, ægrè reſumi. Quiſnam enim ignoret, cunctis aut artificibus aut artibus maximum decus uſu venire ; cumque ſtudia conſueta non frequentantur, brachia in corporibus, ingenia pigreſcere in artibus ? Unde eſt & illud, quod ſerò correptus, aut rarò, plus arcus manui, jugo bos, equus fræno rebellat. Inſuper deſidiæ noſtræ verecundia comes ad hoc ſententiam inclinat, ut me, poſtquam in ſilentio decurri tres olympiades, tam pudeat novum poëma conficere, quàm pigeat.

D

& tunc primis ſuis ſit in impoſtuſſe videatur.

119 *Ceterum videtur epiſtolâ decimâ ſextâ ſive ultimâ libri noni ſanctus Antiſtes omnibus ſuis ſcriptis finem impoſuiſſe : nullam enim poſtea lucubrationem ejus reperimus. Huic ultimæ epiſtolæ inſeruit carmen Sapphicum, cujus partem ſupra § VI tranſcripſimus, & in quo renovat propoſitum ſuum non componendi amplius poëmata, niſi hæc forſan ad laudes Sanctorum vel Martyrum celebrandas exigerentur. Inter hos Sanctos aut Martyres, quos aliquando forſitan carmine laudaturus eſſet, primum locum tribuit S. Saturnino martyri Toloſano, quem magna veneratione proſequebatur, & in cujus eccleſia ſepultus fuit, ut infra videbimus. Hinc uſque præcipua* S. Sidonii *geſta ex ſcriptis ejus collegimus. Sed cum poſt tres olympiades in epiſcopatu tranſactas, ſive poſt annum Chriſti 483, nihil ab ipſo ſcriptum inveniatur, quid reliquis vitæ annis egerit, ex teſtimonio illius ſcire non poſſumus. Attamen aliunde novimus, hunc Virum ſanctum ante mortem afflictum fuiſſe perſecutionibus, quas paragrapho ſequente jam referemus.*

E

§ X. Sancti afflictiones, prophetia, obitus, ſepultura, epitaphium & reliquiæ.

F *Sanctus Præſul inter perſecutiones,*

Tiamſi S. Sidonius *multis illuſtribus viris eſſet amiciſſimus, ac omnes objequio ſibi demereri niteretur, tamen conſueto Sanctorum more habuit quoſdam invidos ac inimicos, quemadmodum liquet ex S. Gregorio Turonenſi, qui in Hiſtoria Francorum lib. 2 cap. 22 narrat ſequentia :* Sanctus verò Sidonius tantæ facundiæ erat, ut plerumque ex improviſo luculentiſſimè, quæ voluiſſet, nulla obſiſtente mora, componeret. Contigit autem quadam die, ut ad feſtivitatem baſilicæ monaſterii, cujus ſuprà meminimus, invitatus accederet ; ablatoque ſibi nequiter libello, per quem ſacroſancta ſolemnia agere conſueverat, ita paratus à tempore cunctum feſtivitatis opus explicuit, ut ab omnibus miraretur, nec putaretur ab adſtantibus ibidem hominem locutum eſſe, ſed angelum ; quod in præfatione libri, quem de Miſſis ab eo compoſitis conjunximus, pleniùs declaravimus. *Hinc facilè colligimus, iſtum librum ab æmulo quodam ſublatum fuiſſe, ut ſanctus Præſul in divino officio perplexus hæſitaret, vel afficeretur pudore, quem tamen Deus mirabiliter avertit.*

121 *Verùm apertior fuit perſecutio, quam*

duo

A *quas ei duo presbyteri moverant,*

duo scelerati presbyteri adversus sanctum Virum moverunt, & de quibus laudatus S. Gregorius capite sequente libri proximè citati hæc tradit: Cumque ad officium Dominicum fuisset mancipatus, & sanctam ageret in seculo vitam, surrexere contra eum duo presbyteri, & ablata ei omni potestate à rebus ecclesiæ, arctum ei victum & tenuem relinquentes, ad summam eum contumeliam redegere. Sed non longi temporis spatio inultam ejus injuriam divina voluit sustinere clementia: nam unus ex his nequissimis & indignis dici presbyteris, cum ante noctem minatus fuisset eum de ecclesia velle extrahere, signum ad Matutinas audiens fuisse commotum, fervens felle contra Sanctum Dei, surrexit hoc iniquo corde explere cogitans, quod die præcedente tractaverat.

post terribilem unius punitionem,

122 Ingressus autem in secessum suum, dum ventrem purgare nititur, spiritum exhalavit: exspectabat enim puer aforis cum cereo dominum egressurum. Jamque advenerat lux, & satelles ejus, id est alius presbyter, mittit nuntium dicens: Veni, ne tardaveris, ut quæ nobis die

B hesterna convenerant, pariter expleamus. Sed cum responsa dare differret exanimis, elevato puer velo ostii, reperit dominum super sellulam secessus defunctum. Unde indubitatum est, non minoris criminis hunc reum esse; quàm Arium illum, cui similiter in secessu fuere interna deposita, per partes inferiores egesta: quia nec istud sine hæreti potest accipi, ut in ecclesia non obediatur sacerdoti Dei, cui ad pascendum oves commissæ sunt; & ille se ingerat potestati, cui neque à Deo, neque ab hominibus aliquid est commissum.

spiritu prophetiæ præditus moritur;

123 Dehinc beatus Sacerdos, uno adhuc manente nihilominus inimico, suæ restituitur potestati. Factum est autem post hæc, ut accedente febre ægrotare cœpisset; qui rogat suos, ut eum in ecclesiam ferrent. Cumque illuc illatus fuisset, conveniebat ad eum multitudo virorum ac mulierum, simulque etiam & infantium plangentium atque dicentium: Cur nos deseris, Pastor bone, vel cui nos quasi orphanos derelinquis? Numquid erit nobis post transitum tuum vita? Numquid erit postmodum, qui nos sapientiæ sale sic condiat; aut ad Dominici nominis timorem talis prudentiæ ratione redarguat? Hæc & his similia populis cum magno fletu dicentibus, tandem Sacerdos, Spiritu in se sancto influente, respondit: Nolite timere, ô populi, ecce frater meus Aprunculus vivit, & ipse erit sacerdos vester. Qui non intelligentes, putabant eum loqui aliquid in exstasi.

cujus cathedram alter ex his occupare volens,

124 Quo migrante, presbyter ille nequam, alter ex duobus, qui remanserat, protinus omnem facultatem ecclesiæ, tamquam si jam episcopus esset, inhians cupiditate, præoccupat dicens: Tandem respexit in me Deus cognoscens, me justiorem esse Sidonio, largitusque est mihi hanc potestatem. Cumque per totam urbem superbus ferretur, adveniente die Dominico, qui imminebat post transitum sancti Viri, præparato epulo, jussit cunctos cives in domo ecclesiæ invitari; despectisque senioribus, primus recumbit in thoro. Cui oblato pincerna poculo, ait: Domine mi, vidi somnium, quod, si permittis, edicam. Videbam hac nocte Dominica, & ecce, erat domus magna, & in domo erat thronus positus, in quo quasi judex residebat, cunctis potestate præstantior, cui assistebant multi sacerdotum in albis vestibus, sed & promiscuæ populorum turbæ valde innumerabiles.

AUCTORE G. C.

subita morte punitur,

125 Verùm cum hæc trepidus contemplarer, conspicio eminus inter eos beatum adstare Sidonium, & cum presbytero illo tibi carissimo, qui ante hos paucos annos de hoc mundo migravit, attentè litigantem: quo devicto, jubet rex, ut in imis carceris angustiis retrudatur; ablatoque isto, contra te iterum insurgere dicens, te in eo scelere, propter quod ille prior damnatus fuerat, fuisse participem. Verùm ubi judex, quem ad te transmitteret, solicitè cœpit inquirere, ego me inter reliquos occulere cœpi, & à tergo steti tractans apud memetipsum, ne fortè ego, qui notus sum homini, mittar. Dum hæc mecum tacitus volverem, amotis omnibus, remansi solus in publico, vocatusque à judice propiùs accedo. Cujus virtutem atque splendorem contuens, cœpi hebes effectus titubare præ metu. Et ille; Ne timeas, puer, inquit; sed vade, dic presbytero illi: Veni ad respondendam causam, quia Sidonius te accersiri deprecatus est. Tu verò ne moram facias ad eundum, quia sub grandi testificatione mihi præcepit rex ille tibi hæc loqui dicens: Si tacueris, morte pessima morieris. Hæc E eo loquente, exterritus presbyter, elapso de manu calice, reddidit spiritum; ac de recubitu ablatus mortuus, sepulturæ mandatus est, posses-surus infernum cum satellite suo.

eique S. Aprunculus successit, ut S. Sidonius prædixerat;

126 Tale judicium super contumaces clericos Dominus in hunc prætulit mundum, ut unus Arii fortiretur mortem; alius tamquam Simon magus Apostoli sancti oratione ab excelsa arce superbiæ præceps allideretur: qui non ambiguntur pariter possidere tartarum, qui simul egerunt nequitur contra sanctum Episcopum suum. Interea cum jam terror Francorum resoneret in his partibus, & omnes eos amore desiderabili cuperent regnare, Apruncul us Lingonicæ civitatis episcopus apud Burgundiones cœpit haberi suspectus. Cumque odium de die in diem crescceret, jussum est, ut clam gladio feriretur. Quo ad eum perlato nuntio, nocte à castro Divionensi per murum demissus, Arvernis advenit, ibique juxta verbum Domini, quod posuit in ore sancti Sidonii, undecimus datus est episcopus. *Nunc circa illam Gregorii Turonensis narrationem quædam observanda occurrunt.*

F *teste Gregorio Turonensi, cujus narratio expenditur.*

127 *Imprimis hæc horrenda duorum sacerdotum punitio magnam fidem meretur, de qua post mortem* S. Sidonii *triginta vel quadraginta annis adhuc erat recens & publica memoria apud Arvernos, ubi verosimiliter S. Gregorius Turonensis illam audivit, dum ibi puer enutriebatur sub S. Gallo patruo suo, qui ante annum Christi 529 in cathedra Arvernensi sedebat, ut ex hujus Actis ad diem 1 Julii in Opere nostro illustratis colligi potest. Insuper historia illa innuit, inimicos istos bona ecclesiæ Arvernensis sibi vindicasse, cum tantummodo* arctum & tenuem victum *sancto Præsuli reliquerint, faventibus haud dubie Arianis, quos forsan hi duo scelesti sacerdotes pecuniâ corruperant. Tertiò ex ista narratione intelligimus,* S. Sidonium *post divinam primi persecutoris ultionem dignitati suæ restitutum esse, & adhuc paucis annis vixisse. Quartò ex testificatione sancti Gregorii Turonensis constat, sanctum nostrum Antistitem spiritu prophetiæ præditum fuisse, quando morti proximus successorem suum prædixit. Denique clausula hujus narrationis indicat,* S. Sidonium *ad Superos migrasse, cum jam terror Francorum in Gallia resonaret, & incolæ eos regnare cuperent.*

AUCTORE G. C.

Jam videamus, an ex hac temporis nota aliisque adjunctis eruere possimus annum, quo S. Sidonius *è vivis excesserit.*

Contra Bucherium nostrum,

128 *Ægidius Bucherius noster lib.* 19 *Belgii sui Romani cap.* 7 *num.* 9 *mortem hujus sancti Præsulis anno* 482 *assignat, & ibidem epocham illam sic probare conatur :* Anno demum CDLXXXII Sidonius fato cessit, XII Kalendas Septembris seu XXI Augusti ; qui quidem dies apud Arvernos exinde anniversariæ ejus memoriæ dicatus est, & tumulo inscriptus, licet Martyrologium Romanum Augusti vigesimâ tertiâ referat, diem credo sepulturæ, aut si fortè, translationis alicujus memorans. Jam Gregorius Turonensis lib. 2 cap. 23 aptè notat, DIEM DOMINICUM POST SANCTI VIRI TRANSITUM IMMINUISSE, ac proinde sabbatho decessisse, quod in vigesimam primam Augusti anno isto CDLXXXII incurrisse docet nos littera Dominicalis C. Savaro, Sirmondus noster, & qui eos sequuntur, in annum CDLXXXVIII differunt ; non animadvertentes, litteras ejus anni bissextilis geminas C. B. fuisse, quarum posterior B, non C, à vigesima Februarii ad Augustum, & finem anni decurrerit.

B

qui falsa hypothesi nititur,

129 *Sed illud Bucherii ratiocinium in falsa hypothesi procedere videtur, ut Pagius in Critica ad annum* 484 *num.* 27 *& sequente contendit, ubi aliis argumentis suis istud adjungit :* Ex Turonensis loco laudato sanctum Antistitem die sabbati ad cælum migrasse, perperam infertur. Narrat Turonensis, duos presbyteros, qui adversus Sidonium, dum viveret, insurrexerant, malo fine periisse, & cùm, Sidonio mortuo, unus ex illis PER TOTAM URBEM SUPERBUS FERRETUR, ADVENIENTE DIE DOMINICO, QUI IMMINEBAT POST TRANSITUM SANCTI VIRI, jussisse præparato epulo cunctos cives in domo ecclesiæ invitari, quia scilicet se Sidonio successurum credebat, pincerna dixit, se HAC NOCTE DOMINICA vidisse thronum, & Sidonium coram judice adstantem. Quæ cum narraret pincerna, presbyter ille subita morte interiit, ut pluribus narrat Baronius ex Turonensi.

ut Pagius aliique observarunt,

C

130 At si Sidonius anno CDLXXXVII vivere desierit, idque die XXI Augusti, qui eo anno in feriam sextam incidebat, dies Dominica, quæ tunc concurrebat cum die XXIII Augusti, rectè potest dici dies Dominicus adveniens, qui imminebat post transitum sancti Viri. Quare sicut ex Martyrologiis & citato epitaphio non sequitur, Sidonium die XXI Augusti ad Superos evolasse, sic nec etiam ex Turonensi, diem ejus emortualem in sabbatum incidisse. Annus itaque & dies emortuales Sidonii non minoribus, quam antea, tenebris circumfusi. *At sive* S. Sidonius *die* XXI *sive* XXIII *Augusti obierit, de quo frustra litigare nolumus, cum Pagio aliisque putamus, ex testimonio Gregorii Turonensis non sequi, quod sanctus ille Præsul die sabbati ex hac vita discesserit : nam historicus iste non asserit, hanc divinam vindictam die sequente post obitum Sancti Viri, sed Dominicâ proximâ post mortem ejusdem contigisse. Hæc autem assertio vera est, etsi* S. Sidonius *feriâ quintâ vel sextâ mortuus fuisset.*

mortem S. Sidonii post annum 482

131 *Nobis placet opinio eorum, qui mortem* S. Sidonii *anno Christi* 488 *vel* 489 *collocant. Certè vita ejus ultra annum* 482 *proroganda est, cum Sanctus ipse lib.* 9 *epist.* 12 *Oresio carmina quædam petenti respondeat, sese ab exordio episcopalis officii poesim abdicasse, & jam in isto silentii genere* tres olympiadas, *id est duodecim annos, decurrisse : nam scriptor ille, figuris* D *ac metaphoris assuetus, haud dubie spatio quatuor annorum accepit olympiadem sic dictam à ludis, qui in honorem Jovis Olympii singulis quatuor annis celebrabantur, ut vulgò notum est. Itaque tres istæ olympiades decursæ, ac numeratæ ab exeunte anno Christi* 471 *vel ineunte* 472, *nos ultra annum* 482 *deducunt. His adde, quod* S. Sidonius *post horribilem primi presbyteri punitionem, quæ post annum Christi* 482 *contigit, adhuc aliquot annis vixerit, ut ex superiori narratione S. Gregorii Turonensis eruitur.*

& ante annum 490 *collocamus.*

132 *Attamen obitum sancti Antistitis nostri ultra annum* 490 *differre non possumus, cum supra citatus Gennadius Massilienſis, & epitaphium mox infrà dandum testentur,* S. Sidonium *mortuum esse sub imperatore Zenone, qui mense Aprili anni* 491 *vitam cum morte commutavit. Insuper aliquod temporis spatium in cathedra Arvernensi relinquendum est S. Aprunculo successori, qui videtur anno* 491 *ad Superos migrasse, quemadmodum novissimi Galliæ Christianæ editores tomo* 2 *col.* 235 *affirmant. Omnibus igitur maturè expensis, initio hujus Commentarii historici in margine mortem* S. Sidonii *circa annum Christi* 488 *ex probabili conjectura notavimus. Hæc qualiscumque chronologia nostra confirmatur ex fine superioris historiæ de duobus presbyteris divinitus punitis, ubi S. Gregorius Turonensis agens de morte* S. Sidonii *asserit, eo tempore arma Francorum in Gallia resonuisse, & hos novos hospites in populo illo desiderium suæ dominationis excitasse. Verùm Clodovæus anno regni sui quinto, sive Christi* 486, *magnam de Syagrio retulit victoriam, qua aliisque sequentibus etiamnum ethnicus tam prudenter usus est, ut episcopos Catholicos veneraretur, & vas sacrum, a militibus suis ex ecclesia Rhemensi sublatum, sancto Remigio restitui jusserit, sicut apud Gregorium Turonensem & passim obvios Francorum historicos legere est. Hac armorum potentia juvenis rex hostes terruit, & animi moderatione alios Galliæ incolas ita sibi conciliavit, ut ejus regnum desiderarent. Hinc mortem Sancti nostri post hæc gesta, sive post annum Christi* 486, *probabilius accidisse putamus. Jam de sepultura & sacris ejus reliquiis agemus.* F

Tumulo ejus inscriptum fuit epitaphium,

133 *Corpus* S. Sidonii *sepultum est in ecclesia S. Saturnini, ubi adhuc erat circa annum* 950, *sicuti scriptor anonymus istius temporis apud Savaronem in Originibus Claromontanis pag.* 357 *notat his verbis :* In ecclesia sancti Saturnini, altare sancti Saturnini, ubi sanctus Amandinus & sanctus Sidonius quiescunt. *Huic tumulo inscriptum fuit epitaphium seu carmen sepulchrale, quod Savaro & Sirmondus ante Opera* S. Sidonii *sic exhibent.*

Sanctis contiguus, sacroque patri
Vivit sic meritis Apollinaris,
Inlustris titulis, potens honore,
Rector militiæ, forique judex.
Mundi inter tumidas quietus undas,
Causarum moderans subinde motus,
Leges barbarico dedit furori,
Discordantibus inter arma regnis,
Pacem consilio reduxit amplo.
Inter hæc tamen & philosophando
Scripsit perpetuis habenda seclis ;
Et post talia dona gratiarum,
Summi pontificis sedens cathedram,
Mundanos suboli * refundit actus. * *al.* soboli
Quisque hîc dum lacrymis Deum rogabis, *vel* subdoli

Dextrum

A Dextrum funde preces ſuper ſepulcrum :
Nulli incognitus, & legendus orbi,
* *al.* invocatur. Illic Sidonius tibi invocetur *.
XII KAL. SEPTEMB. ZENONE IMP.

quod contra cenſuram Pagii

134 *Pagius in Critica ad Annales eccleſiaſticos eminentiſſimi Baronii anno Chriſti* 484 *num.* 27 *de tempore conſcripti hujus epitaphii vel elogii ſepulchralis ita diſſerit :* Nota temporaria ab imperio Zenonis deſumpta demonſtrat, epitaphium longè poſt Sidonii mortem conditum ; cum enim ſanctus Præſul, Viſigothorum regibus Arverno dominantibus, ad Deum migrarit, ſi ejus mortis tempore illud exaratum eſſet, non imperatoris Orientis, ſed regis Viſigothorum nomen in eo legeretur ; cum in ipſis etiam conciliis, tam in Hiſpaniis, quàm in Septimania, Viſigothis regnantibus, celebratis, aliiſque monumentis publicis eorumdem regum nomina deſcriberentur.

nobis antiquum apparet,

135 *At illa Pagii argumentatio etiam probaret, Gennadium Maſſilienſem diu poſt mortem* S. Sidonii *de Viris illuſtribus ſcripſiſſe, cum in elogio ejus tantum recenſeat imperatores Romanos, ſub quibus Sanctus noſter floruit. Videtur tamen Gennadius hunc Catalogum de Viris illuſtribus exaraſſe, quando* S. Sidonius *adhuc vivebat, & jam Viſigothi Arverniam aliaſque Galliæ provincias occupaverant. Porrò non contendimus, epitaphium hujus ſancti Antiſtitis ſtatim poſt mortem ejus ſub Alarico Gothorum rege conſcriptum fuiſſe : nam poſt viginti annos inſcriptio illa ſepulchralis liberè componi potuit ab erudito quodam viro, cui hæreſis & memoria Gothorum exoſæ erant, quando jam Clodovæus Alaricum in prælio occiderat, & Gothos ex Arvernia ejecerat. Quæcumque ſit determinata hujus epitaphii ætas, nos ſaltem cum Tillemontio & aliis ſcriptoribus arbitramur, illud prorſus antiquum eſſe.*

B

& corpus illius poſtea tranſlatum eſt in aliam eccleſiam,

136 *Non ſcimus, quo tempore corpus* S. Sidonii *ex eccleſia S. Saturnini ad eccleſiam S. Geneſii tranſlatum fuerit, cum Joannes Savaro in Vita ſancti iſtius Præſulis, Operibus ejus præmiſſa, de tranſlatione illa ſic indeterminatè ſcribat :* Sancti Sidonii funus in eccleſiam ſancti Saturnini illatum & ſepultum fuit ad dextram (quæ hodie ſacellum ſancti Amandini vocatur) poſtmodum in eccleſiam ſanctorum Symphoriani & Geneſii tranſlatum quinto Idus Julii, cujus cineres fericis involuti in arca plumbea, quæ capsâ ligneâ circumdata eſt, ad dextrum cornu majoris altaris eccleſiæ ſancti Geneſii Claromontenſis epiſcopi religiosè ſervantur. *Similia paragrapho primo hujus Commentarii in compendio Actorum ex Sirmondo noſtro retulimus. Ceterùm omnes* S. Sidonii *laudatores unanimi conſenſu affirmant, ſacras ejus reliquias majori pietate, quàm magnificentia adhuc hodiedum in eccleſia ſancti Geneſii conſervari.*

C

ſed non in Luſitaniam, ut quidam fingunt,

137 *Nihilominus Joannes Tamayus Salazar nobis perſuadere nititur, has* S. Sidonii *reliquias magna ex parte in Gallæciam tranſlatas fuiſſe, dum in Martyrologio ſuo Hiſpanico Acta ſancti Præſulis iſtius ad diem* XXIII *Auguſti exhibet, & ſub fine eorum ſic confidenter pronuntiat :* Funus in eccleſiam ſancti Saturnini illatum, ibidem corpus ſanctum ſepultum fuit, donec poſtmodum multam exuviarum partem ad Hiſpaniam apud Braccaram Gallæciæ metropolim tranſlatam fuiſſe, antiquorum & recentiorum celebritas perſuadet, ubi miracula quotidie paſſim ſacrarum reliquiarum contactu ab incolis experiuntur. *Ad hanc aſſertionem ſuam probandam citat pſeudo-Julianum, qui in Adverſariis num.* 187 *agens de corporibus Sanctorum, quæ ſe in Luſitania vidiſſe fingit, fabulis aliis hanc ita adjicit :* Rediens ad Caſtellam in itinere audivi, corpus eſſe S. Apollinaris, & doctum fuiſſe percepi Sidonium Apollinarem epiſcopum Arvernenſem, cujus feſtum agitur XXIII Auguſti ; cujus bona pars corporis illuc adlata eſt. *Tamayus ibidem confirmationis gratiâ recitat carmen ex Ms. Codice ſui Auli Hali, ſi lubet credere, quem in omni fictione promptum adjutorem habet. Viris eruditis videbimur otiari, ſi nugas iſtas operosè refellamus.* AUCTORE G. C.

quos Nicolaus Antonius Hiſpanus

138 *Quare pauca tantùm dabimus ex Mss. poſthumis Nicolai Antonii, quæ jam ſæpiùs in Opere noſtro laudatus ejus conſanguineus anno* 1721 *Matriti nobis humaniter communicavit, ubi doctus ille Hiſpanus hanc fabulam explodit his verbis :* Julianus S. Sidonium Apollinarem, Arvernenſem in Gallia epiſcopum, confundit cum Apollinari quodam Bracharenſis ditionis martyre, de quo agit in Hiſtoria ſua Bracharenſi D. Rodericus da Cunha .... Ad Sidonium quod attinet, fictionem fictione cumulans D. Joannes Tamayus ex Hali Ms. codice, Pandora ſibi mendaciorum, carmen protulit, manuum profectò ſuarum opus, unde docet, Caſtinum Bracharenſem epiſcopum Romam per Gallias tranſeuntem haſce Arvernenſis Sidonii exuvias in eccleſiam ſuam tranſtuliſſe, & in comprobationem hujus Caſtini expeditionis Romano-Gallicæ locum Juliani ejuſdem laudat ex Chronico ... E

jure merito explodit.

139 Julianum fabulæ auctorem Tamayus non hæſitanter ſequitur, nec aſymbolus, auxiliari carmine Hali ſui debellatum exiſtimans ; & hunc diverſum credit ab Apollinari alio martyre Calabrienſi ejuſdem diœceſis Bracharenſis, de quo agit die IV Decembris, dechaſtico etiam Hali ejuſdem, qui in rebus difficillimis numquam ei non præſto fuit, allato. Sed non credo huic differentiæ collaturum calculum ſuum ficulneum Julianum, cujus mens non alia prorſus fuit, quàm ut Apollinari, Bracharenſium parum noto genti, ac veluti mortuæ memoriæ epiſcopo (nam & cum infulis paſtoralibus depictum habent ac talem credunt) animam & vitam Sidonii Arvernenſis, qua arte ſolet, infunderet : de cujus reliquiarum alicujus partis ex eccleſia Arvernenſi ſive Claromontenſi, ubi ſepultus fuit, aliò avectione, ſi Julianum de medio tollas, quod ſine injuria feceris, nuſquam numquam audiemus. *Hæc contraximus ex ratiocinio Nicolai Antonii, qui ſæpius alibi plurima popularium ſuorum figmenta redarguit, & hac de re ſatis candidè mentem ſuam declarat. Quare nihil dictis ipſius addendum putamus, & ſine ulteriore mora ad aliam* S. Sidonii *noſtri gloriam exponendam progredimur.* F

§ XI. Poſthuma Sancti gloria ex ſcriptis, quæ partim ſuperſunt, partim perierunt, vel adhuc latent.

Inter lucubrationes Sancti, quæ adhuc ſuperſunt,

OPera *Sancti noſtri variis locis ac temporibus è prælo prodierunt. At præſertim æſtimatur duplex editio Pariſienſis, quæ utraque notis illuſtrata eſt. Joannes Savaro Claromontenſis*

AUCTORE G. C.

priorem ex his anno 1609 fieri curavit, in qua textum S. Sidonii *copiosis observationibus exornat. Tamen eruditi monachi Benedictini in Historia Galliæ litteratæ, quæ Parisiis anno 1733 vulgari cœpit, tomo 2 pag. 573 cum aliis criticis judicant, in his observationibus potiùs vastam Savaronis eruditionem, quàm claram rerum obscurarum explicationem apparere. Quare Sirmondus noster Parisiis anno 1652 alteram ejusdem scriptoris editionem dedit, eamque dilucidavit aliis notis tam utilibus, ut laudati critici censeant, utrasque horum interpretum annotationes esse legendas ei, qui textum Sancti subinde obscurum prorsus intelligere voluerit. Hæc* S. Sidonii *scripta utrobique edita sunt absque temporis ordine, quem tamen nunc in iis recensendis utcumque servare conabimur.*

141 *Licet in his editionibus epistolas sequantur viginti quatuor poemata, tamen hæc ordine temporis illis diu præcesserunt: epistolas enim collegit Sanctus circa finem episcopatûs sui; priusquam verò ad cathedram Arvernensem assumptus esset, simul edidit hæc poemata rogatu Felicis viri patricii & amici sui, ad quem in Carmine 9 excusatorio inter alia sic scribit:*

temporis ordine

B

Quid nugas temerarias amici,
Sparsit quas teneræ jocus juventæ,
In formam redigi jubes libelli,
Ingentem simul & repentè fascem
Conflari invidiæ, & perire chartam?
Mandatis famulor; sed antè testor,
Lector, quas patieris hic salebras.

Præter hæc viginti quatuor poemata, inter quæ nonnulla longiora & alia breviora occurrunt, sanctus Præsul epistolis suis inseruit aliquot carmina, de quibus hìc non agimus contenti summatim assignare præcipua, quæ in illa viginti quatuor poëmatum collectione continentur.

142 *Octo priora poëmata pertinent ad tres panegyres, quas Sanctus noster coram Avito, Majoriano, & Anthemio imperatoribus recitavit, & quæ collocandæ sunt eo ordine chronologico, quo jam tres istos imperatores enumeravimus. Nonum verò est carmen excusatorium ad Felicem, cujus rogatu* S. Sidonius *aliqua poemata sua collegit, ut numero præcedente diximus. Inter sex sequentia præcipuum locum obtinent duo epithalamia, quorum unum Ruricio postea Lemovicensi episcopo, & alterum Polemio viro illustri decantavit. Decimum sextum dirigitur ad Faustum Reiensem episcopum, cui Sanctus pro solicita fratris sui adolescentis educatione & hospitalitate sibi quondam exhibita gratias agit. In hoc carmine abstinet à diis nominandis ac fabulis poëticis, quæ alias ei frequentes sunt, quia procul dubio noverat, Faustum pium præsulem illis nugis minimè delectari. Quinque alia sunt epigrammata breviora & tam parvi momenti, ut hìc singillatim recensenda non videantur. Vigesimo secundo poëmate* S. Sidonius *Burgum Pontii Leontii, & vigesimo tertio civitatem Narbonensem fusè describit. Denique illam poëmatum collectionem concludit ingeniosa allocutione ad suum libellum, cui discessuro imperat, ut ubique suos amicos ex animo salutet.*

viginti quatuor poëmata præcedunt

C

143 *Postmodum Sanctus vulgavit Opus in prosa, quod in novem libros dividitur, quodque centum quadraginta septem epistolas complectitur, non computatis iis, quæ poematibus immiscentur. Non simul has omnes* S. Sidonius *edidit; sed sensim eo ordine, quem nunc indicabimus. Hortatu Constantii presbyteri Lugdunensis primum epistolarum librum separatim ab aliis publicavit, ut colligimus ex epistola prima ejusdem libri, in qua Constantio sic respondet:* Diu præcipis, domine major, summa suadendi auctoritate, sicuti es in iis, quæ deliberabuntur, consiliosissimus, ut si quæ litteræ paulo politiores varia occasione fluxerunt, prout eas causa, persona, tempus elicuit, omnes retractatis exemplaribus, enucleatisque uno volumine includam.. Tibi parui, tuæque examinationi has non recensendas (hoc enim parum est) sed defœcandas, ut aiunt, limandasque commisi, sciens te immodicum esse fautorem non studiorum modò, verùm etiam studiosorum. Quam ob rem nos nunc perquàm hæsitabundos in hoc deinceps famæ pelagus impellis. *In fine ejusdem epistolæ promittit Constantio majorem similium lucubrationum collectionem, si hanc primam placuisse intellexerit.*

novem libros epistolarum,

D

144 *Haud dubie placuit hæc prior collectio, & quos sensim* S. Sidonius *promissis sletit: nam libro primo sex alios postmodum adjecit, ut erui potest ex epistola ultima libri septimi, quam rursus ad eumdem Constantium dedit his verbis:* A te principium, tibi desinet; nam petitum misimus Opus, raptim relectis exemplaribus, quæ ob hoc in manus pauca venerunt, quia mihi nil de libelli hujusce conscriptione meditanti hactenus incustodita nequeunt inveniri. Sane ista pauca, quæ quidem & levia sunt, celeriter absolvi; quamquam incitatus semel animus necdum scripturire desineret. *Ex hac epistola intelligimus, posteriores illos libros brevi tempore collectos esse; eosque numero sex fuisse, patet ex epistolæ principio, ad quod Sirmondus noster in notis pag. 80 clarioris explicationis gratiâ adjunxit hæc verba:* Prima omnium epistola, qua Opus dedicavit, fuit ad Constantium; hæc item ad eumdem. Finis hic igitur editionis Constantianæ, quæ septem tantum libros complexa est. Reliqui duo, qui sequuntur, seorsim postea singuli sunt adjecti. *Hinc liquet, priori libro post breve temporis intervallum additos esse sex istos sequentes, & ad hos septem libros Constantio dedicatos accessisse postea seorsum duos reliquos, de quibus ultimis jam agemus.*

quos sensim vulgavit,

E

145 *Petronius vir illustris* S. Sidonium *rogavit, ut post illam septem librorum editionem, quam Constantio inscripserat, adhuc alias epistolas vulgaret. Sanctus desiderio hujus amici satisfacturus, inter alia lib. 8 epist. 1 sic ei respondet:* Scrinia Arverna petis eventilari; cui sufficere suspicabamur, si quid superiore vulgatu protulissemus. Itaque morem geremus injunctis, actionem tamen styli eatenus prorogaturi, ut epistolarum seriem, nimirum à primordio voluminis inchoatarum, in extimo fine parvi adhuc numeri summa protendat; opus videlicet explicitum quodam quasi marginis sui limbo coronatura. Sed plus cavendum est, ne sera propter jam propalati augmenta voluminis, in aliquos forsitan incidamus vituperones.. Sed quia hortaris, repetitis laxemus vela turbinibus, & qui veluti maria transmisimus, hoc quasi stagnum pernavigemus. *Ex hac epistola discimus, octavum librum rogatu Petronii editum fuisse, quamvis ille partim videatur ad laudatum Constantium spectare, quemadmodum mox inferiùs observabimus.*

ea serie,

F

146 *Denique suasione Firmini Sanctus noster octo præcedentibus epistolarum libris nonum adjunxit, ut patet ex epistola prima libri noni,*

quam hic assignamus

cujus

A *cujus hoc eſt exordium :* Exigis, domine fili, ut epiſtolarum priorum limite irrupto, ſtylus noſter in ulteriora procurrat, numeri ſupradicti privilegio non contentus includi. Addis & cauſas, quibus hic liber nonus octo ſuperiorum voluminibus accreſcat; eo quod Caius Secundus, cujus nos orbitas ſequi hoc Opere pronuntias, paribus titulis opus epiſtolare determinet. Quæ jubes, non ſunt improbabilia, quamquam & hoc ipſum, quod piè injungis, arduum exiſtat, ac laudi quantulæcumque jam ſemel partæ non opportunum. Primum quod opuſculo priùs edito præſentis augmenti ſera conjunctio eſt; deinde quod arbitros ante quoſcumque, niſi fallimur, indecentiſſimum eſt, materiæ unius ſimplex principium, triplices epilogos inveniri. Pariter & neſcio, qualiter fieri veniabile queat, quod coërceri noſtra garrulitas nec poſt denuntiatum terminum ſuſtinet; niſi quia forſitan qui modus paginis, non poteſt poni ipſe amicitiis. *Propoſitis deinde quibuſdam conditionibus, ſeſe deſiderio amici ſui ſatisfacturum ſpondet.*

B *ex ipſis Sancti ſcriptis,* 147 *Cum opuſculum iſtud jam abſolutum eſſet, epiſtolâ ultimâ libri noni ad eumdem Firminum ita ſcribit :* Si recordaris, domine fili, hoc mihi injunxeras, ut hic nonus libellus, peculiariter tibi dictatus, ceteris octo copularetur, quos ad Conſtantium ſcripſi, virum ſingularis ingenii, conſilii ſalutaris, certè in tractatibus publicis ceteros eloquentes, ſeu diverſa ſive paria decernat, præſtantioris facundiæ dotibus antecellentem. Sponſio impleta eſt, non quidem exactè, ſed vel inſtanter : nam peragratis fortè diœceſibus, cum domum veni, ſi quod ſchedium temere jacens chartulis putribus ac veternoſis continebatur, raptim coactimque tranſlator feſtinus exſcripſi, tempore hiberno nil retardatus, quin actutùm juſſa complerem : licet antiquarium moraretur inficcabilis gelu pagina, & calamo durior gutta, quam judicaſſes imprimentibus digitis non fluere, ſed frangi. *Poſt alia huic ultimæ epiſtolæ inſeruit poëma Sapphicum, cujus antea meminimus, & quo* S. Sidonius *videtur omnibus ſuis lucubrationibus voluiſſe coronidem imponere.*

C *in quibus occurrentem difficultatem ſolvimus.* 148 *Sed attentos lectores hîc morari poſſet initium relatæ hujus epiſtolæ, in quo ſanctus Præſul innuit, ſe octo libros epiſtolarum ad Conſtantium ſcripſiſſe. Quomodo, inquiet aliquis, hæc cohærent, cum antea ex ipſis* S. Sidonii *litteris oſtenſum ſit, ſanctum hunc Scriptorem ſeptem priores epiſtolarum libros Conſtantio & octavum Petronio dedicaſſe ? Quomodo igitur Sanctus initio hujus ultimæ epiſtolæ aſſerit, ſe nonum libellum addere ceteris octo, quos ad Conſtantium, ſcripſerat ? Solutio iſtius difficultatis petenda videtur ex epiſtola decima ſexta libri octavi, in qua* S. Sidonius *ad eumdem Conſtantium rurſus ita ſcribit :* Spoponderam Petronio, illuſtri viro, præſens Opuſculum paucis me epiſtolis expediturum; cujus auribus non peperci, dum tuis parco : malui namque ut illum correctionis labor, te honor editionis aſpiceret, perveniretque in manus veſtras volumen iſtud alieno periculo, obſequio meo. *Hinc intelligimus, quomodo octavus iſte liber, qui præcipuè Petronio dicatus erat, etiam Conſtantio partim inſcriptus dici poſſit. Hæc dicta ſufficiant de variis Sancti noſtri lucubrationibus, quæ adhuc ſuperſunt, & nunc perditas aut latentes inveſtigemus.*

149 *Imprimis non invenitur amplius parabola vel ſatyra, quam Sanctus noſter* in quemdam dies bonos malè ferentem *compoſuerat, ut ipſe lib.* 5 *epiſt.* 17 *ſub finem teſtatur his verbis :* Illud autem ambo, quod majus eſt, quodque me nuper in quemdam dies bonos male ferentem parabolicè ſeu figuratè dictare juſſiſtis, quodque expeditum cras dirigetur, clàm recenſete; & ſi placet, edentes fovete; ſi diſplicet, delentes ignoſcitote. *Jam ſuperiùs* § 9 *vidimus, quod* S. Sidonius *Proſpero Aurelianenſi epiſcopo lucubrationem quamdam de laudibus S. Aniani promiſerit. Si hanc compoſuerit, ut admodum veroſimile eſt, oportet illam periiſſe, vel adhuc alicubi latere. Id quoque dicendum eſt, ſi Sanctus noſter concinnaverit hymnos in honorem S. Saturnini aliorumque Sanctorum, quos peculiares patronos elegerat, ut lib.* 9 *epiſt.* 16 *in ſæpe laudato poëmate Sapphico promittere videtur.*

150 *Initio præcedentis paragraphi mentionem fecimus de Miſſis, quas S. Gregorius Turonenſis ab Antiſtite noſtro compoſitas fuiſſe teſtatur. Forſan ipſe* S. Sidonius *has lucubrationes ſuas deſignat, dum lib.* 7 *epiſt.* 3 *ad epiſcopum Megethium ſic ſcribit :* Diu multumque deliberavi, quamquam mihi animo affectus ſtudioque parendi ſolicitaretur, an deſtinarem, ſicuti injungis, conteſtatiunculas, quas ipſe dictavi. *Non omnino temerè ſuſpicamur, hoc loco per* conteſtatiunculas *ſignificari iſtas Miſſas, cum eruditiſſimus Mabillonius in Liturgia Gallicana lib.* 1 *cap.* 3 *num.* 17 *nobis in hac re obſcura lucem quamdam præferat his paucis verbis :* CONTESTATIO, alias IMMOLATIO MISSÆ, &, ut apud Mozarabes, INLATIO, nobis modò PRÆFATIO, in qua fideles SURSUM CORDA ſe habere conteſtantur. *Etiam hiſce Sancti noſtri opuſculis (ſive Miſſæ, ſive præfationes fuerint) hodiedum caremus. Certè* S. Sidonius *alia multa ſcripſit, quæ vel numquam publicata ſunt, vel invidiâ temporis perierunt. Hujus rei Sanctus ipſe teſtis eſt, quando in fine epiſtolæ mox citatæ Megethium ſic alloquitur :* Habet conſuetudo noſtra pro ritu, ut, etſi pauca edit, multa conſcribat; veluti eſt canibus innatum, ut, etſi non latrant, tamen hiriant.

151 *Guilielmus Caveus heterodoxus Anglus errat in Hiſtoria litteraria ſcriptorum eccleſiaſticorum, quæ Genevæ anno* 1694 *impreſſa eſt, adum ibi pag.* 259 *inter deperdita* S. Sidonii *Opera numerat* Satyram in Pæonium Marcellianæ conjurationis ducem, *quam ipſe Sanctus ſuam eſſe negat. Error ille manifeſtus fit ex epiſtola undecima libri primi, in qua* S. Sidonius *amico ſuo Montio circa hanc ipſam ſatyram, ſibi malè imputatam, poſt plures annos ita reſpondet :* Petis tibi, vir diſertiſſime, Sequanos tuos expetituro ſatyram, neſcio quam, ſi ſit à nobis perſcripta, tranſmitti. Quod quidem te poſtulaſſe demiror : non enim ſanctum eſt, ut de moribus amici citò perperam ſentias. Huic eram themati ſcilicet incubaturus, id jam agens otii, idque habens ævi, quod juvenem militantemque dictaſſe præſumptioſum fuiſſet, publicaſſe autem periculoſum. Cui namque grammaticum vel ſalutanti Calaber * ille non dixit :

Si mala condiderit in quem quis carmina, jus eſt
Judiciumque ?

Sed ne quid ultra tu de ſodali ſimile credas, quid fuerit illud, quod me ſiniſtræ rumor ac fumus opinionis afflavit, longiùs paulò, ſed ab origine exponam.

152 *Dein ibidem Sanctus, fusè priùs narrata ſuſpicionis iſtius occaſione, quomodo publicè diſcrètè ne-*

AUCTORE G. C.

Quædam Sancti Opuſcula perierunt,

vel adhuc latent ;

E

ſed Caveus iis malè annumerat Satyram in Pæonium,

F

* *Hic eſt* Horatius

Sancto ipſo in gante,

AUCTORE G. C. *in convivio coram Majoriano imperatore falſam illam Pæonii accuſationem refutaverit, ſatis breviter ac lepidè exponit his verbis:* Imperator ad me cervice converſa, Audio, ait, Comes Sidoni, quod ſatyram ſcribas. Et ego, inquam, hoc audio, domine princeps. Tunc ille, ſed ridens; Parce vel nobis. At ego, inquam, quod ab illicitis tempero, mihi parco. Poſt quæ ille; Et quid faciemus his, inquit, qui te laceſſunt? Et ego: Quiſquis eſt iſte, domine imperator, publicè accuſet. Si redarguimur, debita luamus ſupplicia convicti; ceterùm objecta ſi non improbabiliter caſſaverimus, oro ut indultu clementiæ tuæ, præter juris injuriam, in accuſatorem meum quæ volo ſcribam.

153 Ad hoc ipſe Pæonium conſpicatus nutu cœpit conſulere nutantem, placeretne conditio. Sed cum ille confuſus reticuſſet, princepſque conſuleret erubeſcenti, ait: Annuo poſtulatis, ſi hoc ipſum è veſtigio verſibus petas. Fiat, inquam; retrorſumque converſus, tamquam aquam manibus poſcerem, tantumque remoratus, quantum ſtibadii circulum celerantia miniſteria percurrunt, cubitum toro reddidi. Et imperator: Spoponderas, te licentiam ſcribendæ ſatyræ verſibus ſubitis poſtulaturum. Et ego:

ſe unquam eam ſcripſiſſe,

B

Scribere me ſatyram qui culpat, maxime princeps,
Hanc rogo decernas, aut probet, aut timeat.

Secutus eſt fragor, niſi quod dico jactantia eſt, par Camillano; quem quidem non tam carminis dignitas, quàm temporis brevitas meruit. Et princeps: Deum teſtor & ſtatum publicum, me de cetero numquam prohibiturum, quin quæ velis, ſcribas; quippe cum tibi crimen impactum probari nullo modo poſſit. *Demum graphicè depingit, quomodo Pæonius hanc imperatoris ſententiam deprecatus fuerit, & ab ipſo* Sidonio *petierit veniam temerariæ accuſationis, quam Sanctus in fine epiſtolæ calumniam appellat. Itaque non minori, quàm Pæonius, pœna dignus videtur Caveus, qui Sancto noſtro innocenti eamdem ſatyram temere adſcripſit.* D

154 *Præterea neſcimus, quid ſibi velit* liber cauſarum, *quem Caveus ibidem inter Opera Sancti noſtri deperdita recenſet. An forſan hoc Opus perperam elicuit ex epitaphio* S. Sidonii, *in quo legitur* Cauſarum moderant ſubinde motus? *Certè bibliographus ille Anglus in enumerandis Sancti hujus opuſculis parum accuratus eſt: cum enim inter ſcripta ejus, quæ adhuc exſtant, recenſuiſſet* Carmina XXIV præter alia multa epiſtolis intermixta, *poſtmodum ab ipſo inter ſcripta ejuſdem Sancti deperdita referuntur* Panegyrici duo; alter ad Majorianum, alter ad Anthemium imperatores. *At iſti duo panegyrici leguntur inter Carmina viginti quatuor, quæ Caveus adhuc exſtare fatetur. Diſcere ergo cupimus, unde Caveus duas iſtas panegyres jam deperditas eruerit. Atque hæc ſunt præcipua, quæ de geſtis ac ſcriptis* S. Sidonii *colligere potuimus, quamvis ſanè dolendum ſit, quod nullus auctor ſynchronus peculiaria & accurata Viri tam illuſtris Acta conſcripſerit.* E

& exigua Cavei accuratio in aliis oſtenditur.

DE S. EUGENIO VEL EOGAINO

EPISCOPO ARDSRATHENSI

IN HIBERNIA,

G. C. COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sancti cultus, cathedra, ætas & Acta.

C

SEC. VI. *Statim ædificata eſt eccleſia*

HUnc Præſulem titulo ſancti *paſſim exornant ſcriptores Hiberni, ex quibus haud dubiè Caſtellanus illum ſuo Martyrologio univerſali inſeruit, & hodie annuam ejus memoriam celebrat annuntiatione Gallica, quam ſic Latinam reddo:* Derriæ (*hæc urbs poſt coloniam Londinenſium eò deductam vulgò* Londonderry *appellata eſt*) in Ultonienſi Hiberniæ provincia ſanctus Eugenius de Maghèr, primus epiſcopus Ardſrathenſis, in cujus honorem ſtatim ædificata eſt magna eccleſia ſupra locum tumuli, cum in cœmeterio ejuſdem urbis ſepultus fuiſſet. *Porrò circa immemorabilem* S. Eugenii *cultum confido potiſſimùm teſtimonio R. P. Joannis Colgani Minoritæ Hiberni, qui conſuluit varia Martyrologia Hibernica & antiqua Sanctorum Hibernorum Acta, in quibus huic Præſuli Ardſrathenſi ubique nomen* ſancti *adſcribitur, ut ex infra dicendis apparebit.*

2 *Caſtellanus autem videtur notitiam hujus Sancti & alia ad ipſum ſpectantia præſertim hauſiſſe ex Jacobo Waræo equite aurato, qui in Commentario ſuo de Præſulibus Hiberniæ pag. 67 ad rem noſtram habet ſequentia:* De cœnobio Derenſi à ſancto Columba abbate Deriæ exſtructo anno ſalutis DXLV alibi diximus. Eccleſia autem cathedralis opus fuit multo recentioris temporis: nam illius diœceſis epiſcopus Ardſrathæ ad Dergum fluvium primùm cathedram habuit conſtitutam, ubi primus præfuit epiſcopus S. Eugenius, quem aliqui ſancti Patricii diſcipulum, & ab eo epiſcopum conſecratum tradunt. Alii verò ſanctorum Canici & Congalli æqualem faciunt. Tempora ſanè parum cohæreant, niſi fortè ſancto Eugenio (inter macrobios illius ſeculi) iſtam tantam longævitatem adſcribamus. Fuit is prædicator eximius & aſſiduus; natus porrò dicitur regio Lagenienſium ſanguine. Deceſſiſſe ferunt XXIII Auguſti anno DCXVIII, & in eccleſiæ ſuæ cœmeterio ſepultus eſt, ſupra cujus ſepulcrum, ſacellum poſtea ædificatum eſt. Ab Ardſratha ſedes epiſcopalis Magheram tranſlata fuit, quæ ſancto Lurocho dicata, cujus feſtum agitur XVII Februarii. Atque inde (ut opinor) epiſcopi illius ſedis Rathlurienſes dicti ſunt. Conſtituta verò tandem ſede Derenſi (de qua poſtea) diœceſis illa Rathlu- F

ſuper tumulum hujus ſancti Præſulis,

A Rathlurienſis huic conjuncta eſt.

qui ſeculo ſexto vixit,

3 *Vides, hîc inter auctores eſſe controverſiam de tempore, quo* S. Eugenius *vixit: ſi enim conſecratus fuerit epiſcopus à ſancto Patricio, qui anno Chriſti* 460 *ad Superos migravit, non poteſt mors illius differri uſque ad annum* 618, *quem Waræus hoc loco ex aliis notat. Si verò* S. Eugenius *fuerit condiſcipulus S. Tigernaci, ut in Actis infrà edendis legemus, non potuit ille à ſancto Patricio epiſcopus conſecrari: nam S. Tigernacus obiit circa annum Chriſti* 550, *quemadmodum in Commentario prævio ad ejus Vitam die* v *Aprilis, ſive tomo primo iſtius menſis pag.* 402 *cum Uſſerio ſtatuimus. Certè* S. Eugenius *floruit ſeculo ſexto ineunte, cum prædixerit nativitatem S. Columbæ abbatis, qui circa annum Chriſti* 520 *in lucem editus eſt, ut Colganus in Appendice quarta ad hujus Vitam cap.* 6 *demonſtrat. Hinc ulterius ſequitur,* S. Eugenium *veroſimiliter non vixiſſe uſque ad annum* 618, *quo Waræus ex aliis obitum ejus conſignat. Nos hiſce tricis chronologicis diutius inhærere noluimus, & propterea initio hujus Commentarii in margine mortem ejus latè ſeculo* VI

B *collocavimus.*

& ſecundum Acta variis claruit prodigiis

4 *Ceterùm habemus Acta hujus ſancti Præſulis in pergameno muſei noſtri codice ſignato* P. Ms. 11, *quibus ibidem fol.* 215 *verſo, col.* 2 *præfigitur hic titulus:* Incipit Vita eſcop Eogain Ardaſrata. *Fortè pars hujus tituli idiomate Hibernico eſt expreſſa, ex quo tamen ſatis clarè intelligimus, hîc Vitam* Eugenii epiſcopi Ardſrathenſis *exhiberi. Huic Commentario ſubjungemus illam Vitam, in qua mirabilia nonnulla narrantur prodigia, qualia in Actis Sanctorum Hibernorum frequenter occurrere conſueverunt. De veritate iſtorum prodigiorum judicium ferre non audemus, quandoquidem nomen & ætatem biographi noſtri ignoramus, & aliundè certò ſcimus, manum Domini non eſſe abbreviatam.*

ac præſertim ſpiritu prophetico

5 *Saltem propheticus* S. Eugenii *ſpiritus confirmatur ex quinta Vita S. Columbæ abbatis, quam magnus Odonellus Tirconallia princeps Hibernicè conſcripſit, & quam laudatus Colganus in Latinum compendium contraxit, ubi lib.* 1 *cap.* 13, *ſive pag.* 391 *leguntur ſequentia:* San-

C ctum itidem Eugenium Ardſtrathenſem epiſcopum dignum Superi judicarunt, qui divi Columbæ ortum & ſublimem in virtute progreſſum cælitus prænoſceret. Ad hujus quippe Ardſtrathenſe monaſterium ut Lugadius, filius Sethnæ, Columbæ patruelis cum filio ſuo Fiacrio die quadam acceſſit: Fiacrius quemdam ex monachis, quocum rixas aliquas inſeruit, ſacrilegè interemit. Sceleris atrocitate commotus Antiſtes, homicidæ malè precatus, mortem intra novemdium prædixit, ejuſque progeniem regni deinde exſpem, numquam ultra quinque ſimul perſonas numerandam, & ex hoc ipſo numero ſingulos in paterni ſceleris pœnam, aut agnatis membris, aut alio aliquo animi corporiſve vitio notatos iri.

qui ex Actis S. Columbæ abbatis confirmatur.

6 Edoctus pater morte filii, intra præfinitum tempus è medio ſublati, ratas eſſe apud Deum ſancti Viri imprecationes, ſuo jam ceteræque prolis imminenti periculo cauturus; Epiſcopum iteratò conventum ſupplex orat, ne ſe reliquamque prolem intentatis exſecrationibus velit obnoxios, qui à crimine ſint immunes; ſed fauſta potius adprecatione contra maledictum omne ſtabiliat, appenſum * ſe, ſi ita faxit, in perpetra-

* *Fortè* appenſurum

ti ſceleris expiationem, quantamcumque ille decerneret mulctam. Ad hæc Pontifex, Impetraſti, inquit, quæ petieras, contemplatione potiſſimùm benedicti illius filii, & tui etiam patruelis Columbæ, non poſt multos ab hinc annos in lucem edendi, qui integritate fidei, animi pietate, ac cæleſti ſapientia ſublimis, multos Chriſto populos adjunget, ſanctamque Eccleſiam, ne vel in his regnis labatur, ſuffulciet, & à ter ſancta Trinitate quæcumque volet, gratioſus impetrabit. Hæc aliaque id genus præfatus Antiſtes in Columbæ præconium, quem Romam etiam ad ſanctum Gregorium Papam, comite ſancto Mochonna, profecturum prædixit, ad Lugadium converſus, Te, inquit, propter hujus merita noluit Deus imprecatis per me pœnis plexum; nihilominus tamen quo commiſſi per filium homicidii damna, prout par, recompenſes, mihi meiſque ſucceſſoribus tu & tui poſt te heredes unam penſionem tertio quoque anno pendetis; meam inſuper civitatem & eccleſiam ab omni injuſta vi & violentia protecturi. *Hæc infrà modo nonnihil diverſo narrabuntur in Actis, quæ jam typis edemus, & conſuetis annotationibus, quoad fieri poterit, illuſtrare conabimur.* E AUCTORE G. C.

VITA

auctore anonymo

Ex membraneo Muſei noſtri Codice, qui P. Ms. 11 *ſignatur, à fol.* 215 *verſo.*

Sanctus à piratis ex Hibernia in Britanniam

SAnctus ac venerabilis pontifex Eugenius patre Cainecho de Lagenia *a*, matre Muindecha, Mugdarnorum *b* genere oriundus fuit. Hic ad puerilem perveniens ætatem cum numeroſa utriuſque ſexus multitudine, quibus Tigernatus *c* Cluineoſenſis epiſcopus, puer tunc tenellus, interfuit, à piratis de Hybernia in Britanniam captivus eſt ductus. Quos duos vir ſanctus ac ſapiens Neunyo *d*, qui Maucenus dicitur de Roſtatenſi *e* monaſterio, à rege Britanniæ petens, liberos accepit, apud quem ſub ecF cleſiaſtica diſciplina nutriti, dociles legerunt.

a
b
c
d
e

& ex Britannia in Galliam abductus,

2 Cumque ibi aliquot annos in Chriſti mandatis egiſſent, piratæ à Gallia in Britanniam venientes, prædam hominum ac ſupellectilium auferentes, eos eorumque condiſcipulum Corprum *f*, Culratenſis monaſterii poſtea epiſcopum, atque fundatorem, captivos in Armoricam *g* tranſvexerunt regionem, ubi apud regem Gallorum in mola laborabant. Spatio verò temporis tranſacto, cum quadam die tres iſti molendo legerent, præpoſitus regis ſuperveniens ipſos, ut vertendæ molæ inſtanter inſiſterent, perurgebat; quo abeunte, illi omnipotentem Dominum, quatenus ipſis levamen operis, ac legendi facultatem tribueret, rogaverunt. Nec mora; Angeli Dei coram viris ſanctis ſecure legentibus, molam verterunt. Hoc audito, præfatus rex, eos liberos ad Roſtnatenſe monaſterium reverti præcepit, ipſique in ſpirituali lætitia cum admiratione hominum, ac Dei laude redierunt.

f

g

in patriam remittitur,

3 Poſt aliquot verò annos Eugenius atque Tigernacus, cum præfati Maucenii, ac fratrum juſſione, & oratione, ad Hyberniam navigave-

runt, & in Lagenia monasteria fundaverunt ; Eugenius quidem in regione Cualand *h* locum sanctum, qui cella monachorum *i* vocatur, constituxit, ubi ipse præcipuus pastor cum sancto suo cœnobio, in quo episcopi non pauci ac plurimi presbyteri fuisse referuntur, quindecim annis sine macula mansit & ruga, apud quem Coëmgenius *k*, filius fratris ejus, abbas postea præclarissimus, psalmos didicit, ac postmodum inibi officium cellerarii egit.

4 Deinde ut versus Aquilonalem Hyberniæ plagam ad verbum Dei disseminandum pergeret, divina monitus est revelatione, quod ipse tam graviter tulit, sed tamen jussionibus Dei inobediens esse noluit. Monachi verò, hoc audito, nimis tristes accesserunt ad eum dicentes : Pater sancte, te discessuro, quis noster abbas erit ? Et ille ait : Unusquisque vestrum sit abbas, & prior, atque minister ; ego verò quamvis absens corpore, præsens tamen spiritu vobis semper ero. Quod tacitè dixeritis ego audiam, quod verò clarè, quanto magis exaudiam ? Quod veraciter completum est : non solum enim cantus, sed & voces quamvis parvas, quas illi in cella monachorum peccata confitendo proferebant, Vir admirabilis in Ardstratensi monasterio, quod multis passuum millibus ab alio distat, quasi in aurem dicerentur, audiebat.

5 In Aquilonales itaque Hyberniæ partes gressum direxit, ibique verbi divini frumentum, quod amplum attulit fructum, largiter seminavit. Ardstratense quoque monasterium, quod in illis partibus celebre habetur, ibidem fundavit. Tigernatus verò episcopus, cujus mentionem antea fecimus, divino instinctu ductus Lageniam deseruit, ac Septemtrionales partes non multum à beati Eugenii monasterio remotas adivit, in quibus tam monasteria cum ejusdem Eugenii coadjutorio fundavit, quorum celebrius Cluoineosense *l*, aliud Gaballiunense dicitur ; tertium verò SYLVA HUMILIS Latinè potest vocari. Hi etenim sancti pontifices fœdus spirituale inierunt, ac multotiens cohabitabant.

6 Factum est aliquando, ipsis in Sylva humili commanentibus, quod Eugenius ad sua revertens, ab illo ad montem usque proximum deduceretur, ibique considentes, priusquam ab invicem discederent, divinas inter se collationes haberent. Quibus finitis cum cordis tranquillitate, ab invicem recesserunt ; minister verò Eugenii cyathum, ex quo ipse aquam benedictam super ægros effundere solebat, in eodem monte per oblivionem reliquerat. Crastina itaque die per eamdem reversi sunt viam, & illum, ubi reliquerant, repererunt. Res valde admirabilis, vulpes quædam lorum, cum quo ille bajulabatur, dentibus comprehendens, sed pro meritis Sancti, cujus erat, viri, corrodere non valens, inventa est ibi mortua ; corrigia verò inter ejus dentes fuit integra.

7 Interea Metheorum virgines Christi in monasteriolo, quod Rosscay dicitur, habitabant, quarum abbatissa Mosseram *m* dicebatur, ad quas pontifices præfati visitandas, ut solebant, aliquando venerunt. At Eugenius quemdam puerum, ministrum scilicet illarum monialium & suum, quandocumque veniebant, fidelem ea die defunctum, per impositionem baculi sui, jussu sancti Tigernati, super corpus ejus positi, vitæ ac sanitati restituit.

8 Item rege quodam crudeli, nomine Amalgid, hastam quinque acuminum, nuper sibi factam, in sanguine innocentium ritu gentili consecrare, imo exercere * volente, beatus Eugenius pietate commotus ad illum, ne immane facinus committeret, compescendum festinus perrexit. Impium tamen tyrannum, quin illud faceret, vel prece vel pretio vincere non potuit. Fecit ergo malo uti suo : nam ut Sanctus propheta ei tunc promiserat, tertia post hoc die eâdem hastâ confossus interiit.

9 Aries quidam, quem Bethanum vocabant, de monasterio ejus furtim sublatus, de faucibus novem fratrum, quod eum non furati sunt, contra ipsum perjurantium, Euganitæ gentis cum omni exercitu præsente, ei illum proprio nomine vocanti, balatu clarissimo respondit. Sed pius Pater reos illos à rege præfato, ut morti traderentur, comprehensos, à corporis, & animæ perditione liberavit. Ipsos namque jam seculo tunc renuntiantes sibi adjunxit, qui nono die postea, horribili percussi sunt lepra.

10 Item centum aliquando utriusque sexus à piratis in oppido nomine Lettach convivando circumdati, miserunt ad Eugenium, ut cum adjutorio Dei, ad se liberandum veniret. Qui continuò per medias hostium turmas, ad oppidum veniens, nemini eorum comparuit, & illos in periculo mortis constitutos prius baptizavit ; at deinde foribus apertis per media gentilium castra sed à nemine ipsorum visos, se præduce, duxit, ac sic Deo auxiliante, sospites mortem evadere fecit.

11 Ipso aliquando in saltu quodam magno, qui per sexaginta passuum millia in longum tendebatur, juxta flumen nomine Banna *n* iter agente, quidam leprosus mendicus, ei in medio itinere occurrit. Cui suos curruales equos in charitate postulanti, pro eadem illico dedit : pro quibus duos alios à Corpreo Culratensi episcopo, cui hoc revelatum est, ad se missos, post pusillum accepit. Librum itidem quatuor Euangeliorum, quem præfatus Corpreus ab eo ante Pascha tam prope imminens sibi dari postulaverat, utrisque facultatem, qualiter deferretur qualicumque necessitate non habentibus, beatus Eugenius in angustia positus in nocte paschali super altare suum posuit, quem angeli Dei tollentes, super altare Corprei protinus posuerunt.

12 Quodam die cellarius, ipso absente, monasterium egressurus cum quadam juvencula illecebrosa contulit verba, quibus auditis, pastor egregius, qui ea die à monasterio non parvo distabat interstitio, signum crucis illis opposuit, & in eodem momento cellarius æstimans se vocem Eugenii, versum illum cui initium ; INTROIBO IN DOMUM TUAM DOMINE, in ostio oratorii jam clare cantantis audire, monasterium festinus ingreditur, ac sic diabolica tentatio vitatur.

13 Eo itidem tempore per quemdam saltum, nomine Croibeth, uno ipsum comitante puero, iter agente, quinquaginta psalmos decantavit, ac deinde orationem Dominicam, usque ad SED LIBERA NOS A MALO dixit, & puero Amen respondente, omnes sylvæ de circumquaque ei respondentes, dixerunt AMEN.

14 Inter cetera Spiritus sancti dona B. Eugenius prophetiæ gratiâ satis abunde pollebat, de Columba quidem Celle *o*, quod nasceretur, qualis, quantusque sanctitate, & meritis futurus esset, provaticinatus est. Lugidio quoque Secneii filio, nobili viro, qui de genere Conalli, fili Neyl oriundus fuit, & Fiachne filio ejus, qui unum de monachis ipsius in ostio oratorii Ardstratensis monaste-

EX MS.
h locum sanctum
i cella monachorum
k Coëmgenius
l SYLVA HUMILIS
m Mosseram
n leprosus mendicus
o Columba Celle

ubi varia monasteria instituit,
cum S. Tigernaco,
& ubi mortuum resuscitat,
qui erat ei familiaris
pervicaci mortem prædicit,
forsan execrare
fures perjuros confundit,
captivos liberat,
leprosum subitò sanat,
absentia cognoscit,
ac inter alia prodigia,
spiritu prophetico,

A monaſterii, patre in hoc conſentiente, interfecit, mirabiliter prophetavit, ad eumdum Lugidium ita dicens: De ſemine tuo nullus umquam regnabit, nullus ſine macula corporeæ deformitatis erit. Tranſactis ab hodie novem diebus, Fiachna filius unus morietur, & ſemen ejus numquam quinarium ſimul tranſcendet numerum. Deinde poſt mortem filii, eidem pœnitentiam agenti, & ſcrupulum argenteum, à ſe unoque ſuorum poſterorum, tertio ſemper anno ipſi & ſucceſſoribus ejus promittenti, & de ablatione regni à ſuis conquerenti dixit: Tui poſteri, conſiliarii & judices regni erunt, at nullius in gente tua, niſi cum conſilio eorum regnum ſtabit, quæ omnia completa ſunt, & complentur.

variiſque miraculis clarus

15 Nec prætereundum eſt, quod, quidquid homo Dei benedicebat benedictum erat, & quidquid maledicebat, maledictio ejus ſatis in eo apparebat. De hoc unum dabimus exemplum. Ad quoddam oppidum, in quo quinquaginta utriuſque ſexus jam homines epulabantur, vir venerabilis, ut ibi hoſpitaretur, veſpere divertit. Sed ei hoſpitium negatur. Ipſe autem nocte illa in jejunio, & oratione, ſub divo pervigil tranſe-

B git. Ac deinde ait: In hoc loco convivium numquam erit, & jugera, quæ circa hoc oppidum ſunt, nullum utilem afferent fructum; quod uſque hodie completur; craſtina verò die unus de convivantibus illis, cujus nomen Caitne, & nomen uxoris Brig, duxit illum in domum ſuam, & prandium, quod operatoribus ſuis præparari fecerat, hoc eſt bovem & porcum coctos, & vas plenum cerviſiæ ipſi, ejuſque comitibus, vultu hilaris appoſuit, quibus benedictis, ſervi Dei refecti ſunt, ac deinde gratias egerunt. His finitis domum ac cellarium benedixit, & ait: Hæc cibaria uſquequo ſtolidum de eis proferatur verbum, non deficient, quod in re probatum eſt: illa namque à Kalendis Novembris uſque ad Pentecoſten non defecerant. Tunc enim quidam ſtultus ait: Male vivimus, quia toto hoc anno dimidio carne tantum veſcimur; & ex illa die præfata cibaria diſparuerunt.

piè moritur.

16 His paucis de virtutibus beati Eugenii breviter dictis, de ipſius vitæ termino, qui præteriri non poterat, parumper loquemur. Quo termino appropinquante, annis maturus & meritis, gravi corripitur infirmitate, qua magis & magis ingruente, omne monachorum agmen convocatur, ac venerabile corpus ſacro oleo ungitur, & exitus ejus Viatico non deficiente communitur. His finitis, duobus choris fratrum cum melodia hinc & inde pſallentium adſtantibus, anima ſacra per manus angelorum redditur Chriſto, cui honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

C

ANNOTATA.

a *Franciſcus Porterus in Compendio Annalium Hiberniæ, quod anno* 1690 *Romæ editum eſt, ſitum hujus provinciæ pag.* 24 *deſcribit his verbis:* Provincia hæc indigenis Leignigh, Britannis Leni, in antiquis Sanctorum Vitis Lagen, Anglicè Leinſter, Latinè Lagenia dicta, ad ortum tota maritima eſt, Hibernico mari adjacet, Angliæque objacet Conaciam verſus, Sineo flumine ad occaſum continetur, ſeptemtrionale latus Louthenſi territorio, Auſtrale Momoniâ definitur. *Deinde ibidem naturam regionis explicat, eamque in varia territoria dividit.* EX MS.

b *Quamvis Sanctus noſter dicatur à Waræo ex regio Lagenenſium ſanguine ortus, tamen apud Colganum tum paternam tum maternam ejus ſtirpem fruſtra quæſivi.*

c *Ab aliis hic Sanctus vocatur* Tigernacus *vel* Tigernachus, *& inter alios homonymos eſt ille epiſcopus Cluin-eoſenſis, cujus Vitam Majores noſtri die* IV *Aprilis illuſtrarunt; ubi etiam tomo* I *iſtius menſis pag.* 402 *captivitas ejus apud Britannos narratur.*

d Neunyo *iſte, qui etiam Nennius, & ab Hibernis Mo-Nennius, aliiſque nominibus appellatur, à Colgano ad diem* I *Martii inter Sanctos Hibernos refertur; ſed noſtri Majores illum eodem die inter prætermiſſos collocarunt, tum quod de legitimo ejus cultu non ſatis certi eſſent, tum quod ipſe Colganus fateatur, ſeſe nonnulla incerta de illo tradere.*

e *Colganus in Actis Mo-Nennii pag.* 439 *de hoc monaſterio, quod hîc Roſtatenſe, & alibi Roſnacenſe nuncupatur, fusè diſſerit, & contra quoſdam errantes contendit, illud ſitum eſſe in Wallia, & appellatum fuiſſe Banchorenſe, cujus etymologiam ibidem explicat.* E

f *Alterius ſynonymi præſulis Hiberni Acta ad diem* 6 *Martii Majores noſtri ediderunt; hujus verò memoria, teſte Colgano in notis ad Vitam S. Canoci pag.* 313, *colitur die* 2 *Novembris, quo Acta ejus examinanda erunt.*

g *Per* Armoricam regionem *intelligitur Britannia minor, quæ eſt provincia Galliæ, & quæ etiam* Britannia Armorica *cognominatur.*

h *Colganus in indice ſuo quinto ſive topographico ad Triadem thaumaturgam Hiberniæ, meminit de populis* Cualannis, *qui orientalem Lageniæ partem incolebant, & quorum regionem* Cualand *hîc indicari ſuſpicor.*

i *Hibernicè* kill-manach *vel* kill namanach, *id eſt,* cella monachorum, *ut Colganus in Vita S. Natalis abbatis ad diem* 26 *Januarii pag.* 169 *num.* 4 *teſtatur. Sed nomen illud pluribus Hiberniæ monaſteriis olim commune fuit.*

k *Hic eſt S. Coëmgenus, cujus Acta die* 3 *Junii illuſtravimus, & qui ibi tomo* I *iſtius menſis pag.* 312 *dicitur* Eogoino, *id eſt,* Eugenio *ad diſciplinam monaſticam addiſcendam traditus fuiſſe.* F

l *Videntur illa monaſteria in cathedras epiſcopales evaſiſſe, aut epiſcopi ab illis cognomen traxiſſe: nam quatuor Magiſtri apud Colganum in notis ad Vitam S. Gildæ Badonici pag.* 191 *referunt, quod* S. Tigernachus epiſcopus Cluaineoſenſis *obierit die* 4 *Aprilis.*

m *Hæc & alia nomina propria, tum perſonarum, tum locorum, quæ nuſquam invenire potui, eruditis Hibernis indaganda relinquo.*

n Banna *eſt piſcoſus fluvius in Ultonia, ut Colganus in indice topographico ad Triadem Thaumaturgam pag.* 706 *affirmat.*

o *Acta hujus S. Columbæ abbatis in Opere noſtro ad diem* 9 *Junii illuſtrata legi poſſunt.*

A D

DE S. VICTORE CONFESSORE,

ET VITENSI EPISCOPO IN AFRICA,

G. C. COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS.

§ I. Legitimus Sancti cultus, & error circa veram ejus cathedram correctus.

POST INITIUM SECULI VI. *Etsi Chifletius noster*

Um plerumque initio Commentariorum nostrorum legitimum sanctitatis titulum vindicare consueverimus iis, quorum Acta illustramus, illud tanto magis hìc faciendum esse judicavimus, quod aliqui de immemorabili hujus hodierni Sancti cultu dubitare videantur. Quare priùs audiamus Petrum Franciscum Chiffletium nostrum, qui in Elucidationibus suis ad Historiam Wandalicæ persecutionis cap. 16 de cultu scriptoris ita disserit: Restat quæstio haud levis momenti, *inquit*, de Victoris nostri apotheosi, de qua hoc tantum dico, nullo me sat firmo antiquitatis testimonio fulcire illam posse. Scio in antiquis aliquot codicibus tribui Opus de Africana persecutione SANCTO VICTORI EPISCOPO. Sed hic titulus à librariis est, penes quos nulla est auctoritas Sanctorum canoni quemquam inscribendi. Mea quidem conjectura est, illum vitam sanctè exegisse in Sardinia, cum esset primas Byzacenus, atque ibidem sepultum esse inter tot alios heroës vel advenas vel indigenas, de quibus multa collegit Jacobus Pintus in Opere de Christo crucifixo lib. 3 tit. 4, loco 12. Verùm per initia octavi post Christum seculi, & anno DCCXX (ut existimat Pintus) Sardiniam devastantibus Sarracenis, ita turbati sunt tot Sanctorum tumuli, ut maximæ illorum partis nulla restent certa vestigia, adeoque nec Victoris Vitensis. Nec ulla sunt, quod sciam, veterum Martyrologia, aut ecclesiarum antiquæ tabulæ, quæ de illo Sanctorum fastis adscripto fidem faciant.... In hoc igitur totius antiquitatis silentio sacræ Rituum Congregationi expendendum relinquimus, num Victor seu Vitensis sive Uticensis episcopus, auctor Operis de persecutione Africana sub Geiserico & Hunerico Vandalorum regibus, ritè vindicatus, & in Sanctorum canonem relatus censeri possit.

B

C

& Ruinartius Benedictinus

2 *Theodericus Ruinartius Benedictinus, qui anno* 1694 *Parisiis eamdem Historiam Wandalicæ persecutionis postea edidit ac notis illustravit, huic Chiffletii ratiocinio ferè consonat, dum in præfatione ad illud Opus num.* 7 *sic scribit:* Majoris fortasse momenti esse nonnullis videbitur alia quæstio, quam idem Chiffletius movet, utrum scilicet Victor hujus Historiæ scriptor inter Sanctos aliquando relatus fuerit, aut publico aliquo cultu donatus. Ipsum certè iis sanctis confessoribus, qui sub Hunerici tyranni persecutione pro fidei Catholicæ defensione decertarunt, annumerari debere, nemo, ut puto, inficiabitur. Quin & in veteribus codicibus manuscriptis SANCTUS VICTOR passim appellatur. Sed hæc erat veterum formula, qua hic titulus auctoribus ecclesiasticis, maximè episcopis, tribuebatur. Magis ad rem pertinet, quod ea de re in hodierno Martyrologio Romano legitur, ubi die XXIII mensis Augusti hæc habentur: UTICÆ IN AFRICA BEATI VICTORIS EPISCOPI; quem Victorem Baronius in notis ad hunc locum monet eum ipsum esse, qui ob scriptam Vandalicæ persecutionis historiam celebris est. At Lucas Holstenius in Animadversis ad Martyrologium Romanum, hæc verba à recentioribus addita fuisse jure conqueritur, quæ re ipsa nusquam in antiquis codicibus reperire licet.

E

de immemorabili hujus Sancti cultu dubitent,

3 Primus, qui Victoris istius nomen in fastis sacris adscribendi occasionem præbuit, videtur fuisse Petrus de Natalibus, ut conjicit Chiffletius: hic enim die XX Aprilis Victorem episcopum Carthaginensem laudat, quem ait sanctitate & doctrina sub Anastasio imperatore floruisse, eique omnia opuscula attribuit, quæ Gennadius in Catalogo cap. 77 à Victore Cartennensi episcopo edita commemorat. Maurolicus abbas Petrum secutus, eadem die Victorem Carthaginensem episcopum, virum doctissimum, qui sub Anastasio imperatore claruit, celebrat, omisso Operum catalogo. Petrus Galesinius paulò aliter habet, nempe UTICÆ IN AFRICA SANCTI VICTORIS EPISCOPI ET CONFESSORIS, atque in adnotationibus complures laudat Victores Africanos, quibus id elogium competere possit. At Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non habentur, habet solummodo, IN AFRICA SANCTI VICTORIS EPISCOPI, quem tamen in notis monet alium non esse à Victore Uticensi, qui Historiam persecutionis Vandalicæ conscripsit. Ex quibus omnibus patet, obscuram apud antiquos fuisse Victoris nostri memoriam, nec umquam nomen ipsius in fastis sacris locum habuisse; quod ei cum aliis compluribus viris sanctitate & doctrina celeberrimis commune est. Nec licet nobis ex incertis prorsus & dubiis monumentis Victori nostro nomen conciliare, qui solidas verasque laudes ob tam egregium Opus à se editum meretur; cujus præclaras virtutes, ut loquuntur doctores Colonienses, qui Bibliothecæ Patrum editionem procurarunt, pietatem, eruditionem, religionis zelum ad vivum expressas hoc in ejus Opere cernere licet. *Ita illi, qui tamen ambo fatentur, hunc Historiæ Africanæ scriptorem in antiquis codicibus* sanctum *appellari, cujus tituli infrà juverit meminisse.*

F

tamen alios secuti eum Sanctis adscribimus,

4 *Tillemontius tomo* 16 *Monument. eccles. pag.* 598 *impensè laudat prædictam* S. Victoris *Vitensis Historiam, in qua pietas auctoris, fervor Catholicæ fidei, aliæque virtutes elucent, & propter hæc omnia judicat, illum jure meritissimo inter alios sanctos antistites in Martyrologio Romano ad diem* XXIII *Augusti commemorari.*

A *rari. Libenter hac in re ſequimur judicium Tillemontii, quod congruit cum ſententia eminentiſſimi Baronii, qui in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 484 *num.* 128 *ſic ſcribit :* Ad hoc uſque tempus, ad Hunerici obitum ſcilicet, perduxit ſuam Victor de Wandalica perſecutione hiſtoriam. Porrò ipſe Victor particeps paſſionum, jugi confeſſione clarus, titulo ſanctitudinis relatus reperitur in Romanum Martyrologium. *Hîc obiter obſervamus, hunc eminentiſſimum S. R. E. Cardinalem non innuere, quod ipſe primus nomen* S. Victoris *hodierni in Martyrologium Romanum retulerit. Quinimo licet ultrò concederemus, primùm ætate hujus eminentiſſimi viri nomen* S. Victoris *noſtri Martyrologio Romano inſcriptum fuiſſe, quis ſibi perſuadeat, piiſſimum doctiſſimumque Baronium id ſine expreſſo Romani Pontificis conſenſu feciſſe, & rem tanti momenti, ſine ſevera diſcuſſione, leviter exſecutioni mandatam eſſe ?*

& argumentis quibuſdam, B 5 *Quis* præterea facilè credat, *nomen hujus incerti Sancti in Martyrologio Romano relinquendum fuiſſe poſt rigidum decretum, quod Urbanus VIII Pontifex anno* 1625 *circa publicum Sanctorum cultum edidit ? Attamen hic* S. Victor *adhuc hodiedum in Martyrologio Romano annuntiatur, ac nominatim in editione anni* 1630, *cui præfigitur ſequens decretum :* Præſens Martyrologium iterum diligenter recognitum, auctum & emendatum, ſacra Rituum Congregatio de ordine ſanctiſſimi domini noſtri Urbani Papæ VIII, imprimi mandavit per Andream Brogiotum impreſſorem Cameralem & Vaticanum, & vetuit ab aliis ubique locorum deinceps imprimi, niſi adinſtar hujus Romæ impreſſi, nihil omnino addito, dempto vel mutato. Die XXIII Martii MDCXXX. *An igitur Urbanus VIII & ſacra Rituum Congregatio tunc adeo erant immemores conſtitutionis ante quinquennium editæ, ut hominem dubiæ ſanctitatis in Martyrologio Romano relinquerent ? An in recognito & emendato Eccleſiæ Martyrologio non correxiſſent illi cenſores errorem, qui ad ipſam legitimæ venerationis ſubſtantiam pertinebat, ſi Baronius ante annos triginta vel quadraginta dumtaxat hunc* Victorem *ſola ſua auctoritate cum titulo* ſancti *temere faſtis eccleſiaſticis inſeruiſſet ?*

C *ex decreto Urbani VIII Papæ deductis,* 6 *Quare non dubitamus, quin Urbanus VIII Pontifex exiſtimaverit, hunc publicum* ſancti *titulum non adverſari ſuo decreto, eumque Sanctum non voluerit comprehendi generali conſtitutione, quam in Bullario Romano Laërtii Cherubini tomo* 4 *pag.* 300 *reſtringit & explicat,* declarans, quod per ſupraſcripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum (*id eſt ab elapſis centum annis ante hoc decretum, ſicut idem Pontifex poſtea declaravit*) aut per Patrum virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ vel Ordinarii coluntur. *Hinc ſequitur aliquam ex prædictis exceptionibus in* S. Victore *hodierno locum habere : quis enim niſi temerè ſuſpicabitur, quod Urbanus VIII illum* Victorem *cum titulo* ſancti *in Martyrologio Romano contra conſtitutionem ſuam reliquerit ?*

hunc titulum ei vindicamus. 7 *Itaque Pontifex ille cenſuit, iſtum Wandalicæ perſecutionis Hiſtoriographum propter unam vel plures ex his rationibus in catalogum Sanctorum jure merito relatum fuiſſe. Sic etiam judicarunt ſacra Rituum Congregatio & omnes Urbani VIII ſucceſſores, qui poſt varias Martyrologii Romani correctiones hactenus* S. Victorem *noſtrum in poſſeſſione ſua reliquerunt. Adde, quod hic pius Scriptor in antiquis Mss. codicibus cum epitheto* ſancti *reperiatur. Quamvis autem penes librarios non ſit poteſtas adſcribendi quemquam numero Sanctorum, ſicuti Chifletius noſter ſuprà monet, tamen illa veterum librariorum expreſſio communem ſui temporis opinionem de ſanctitate* Victoris *indicat. Dum verò Ruinartius aſſerit, hunc ſanctitatis titulum ſcriptoribus eccleſiaſticis ac præſertim epiſcopis tribui conſueviſſe, nimis generaliter proponit axioma, quod ſæpe fallit : nam Hieronymus, Gennadius Maſſilienſis, Iſidorus Hiſpalenſis, Ildefonſus Toletanus in Catalogis virorum illuſtrium ſæpius hunc titulum omittunt, eumque vix tribuunt etiam iſtis ſcriptoribus ac epiſcopis, qui certè ab immemorabili tempore in Eccleſia Catholica coluntur. Nihil ergo certi ex hac fallaci regula contra ſanctitatem* Victoris *noſtri inferri poteſt. Jam videmur huic Africanæ perſecutionis Hiſtorico debitum* ſancti *titulum ſatis ſuperque vindicaſſe, & ideo ad aliam quæſtionem progredimur.*

AUCTORE G. C.

E 8 *Non magnopere miramur, hac die in Martyrologio Romano* Uticæ in Africa beati Victoris epiſcopi *memoriam annuntiari, quamvis hîc evidenter in loco aſſignando erratum ſit : nam à ſeſqui ſeculo plures etiam eruditi putabant,* S. Victorem *hodiernum fuiſſe Uticenſem in Africa epiſcopum eo tempore, quo Wandali Ariani Catholicos atrociter perſequebantur. At primus hunc errorem detexit Chiffletius noſter, & in Elucidationibus ad Hiſtoriam Wandalicæ perſecutionis cap.* 7 *demonſtravit, hunc* S. Victorem *Vitenſi in Africa eccleſiæ tunc præfuiſſe. Chiffletium ſecutus eſt Ruinartius, & in præfatione ad eamdem Hiſtoriam num.* 4 *ſententiam illius confirmat his verbis :* Porrò hujus Hiſtoriæ auctorem fuiſſe epiſcopum quemdam Africanum, nomine Victorem, nullus umquam in dubium revocavit. At de ejus ſede non una fuit omnium ſententia : libri quippe editi, alii Victorem Uticenſem, alii Vitenſem præferunt. Prævaluiſſe tamen videbatur etiam apud viros eruditos eorum opinio, qui Uticenſem appellabant, cum Utica civitas omnibus notior eſſet, quàm Vitenſis, quam nemo ferè noverat.

Corrigitur error eorum,

F *qui hunc Præſulem perperam Uticenſem* 9 Verùm poſteaquam ex Notitia Africana compertum fuit, Victorem epiſcopum Vitenſem Vandalicæ perſecutionis temporibus in Africa floruiſſe, qua tempeſtate Uticenſis epiſcopus, non Victor, ſed Florentinus dicebatur, ut ex eadem Notitia patet, tunc nemo non aſſenſus eſt, Victorem, præclari hujus auctorem Operis, Vitenſem eſſe appellandum. Neque dixeris, Florentino Uticenſi in exſilio apud Corſicam defuncto Victorem fortè fuiſſe ſubſtitutum, qui hanc hiſtoriam deſcripſerit : iſtæ enim meræ ſunt conjecturæ ; quæ codicum manuſcriptorum auctoritati prævalere nequaquam poſſunt ; præſertim cum epiſcopis tunc defunctis nullos alios in his tumultibus fuiſſe ſubſtitutos conſtare videatur. Porrò qui Victorem Uticenſem pro Vitenſi intruſerunt, id commiſerunt ex ignoratione ſedis Vitenſis, cujus loco Uticenſem ſibi notam ſubſtituerunt, mendum in antiquis exemplaribus irrepſiſſe ſuſpicati ; ſed eadem vocum affinitate, qua alios deluſos fuiſſe exiſtimabant, ſeſe ipſi deluſerunt. Meritò itaque à Petro Franciſco Chifletio Societatis Jeſu presbytero, Victori Vitenſi

AUCTORE G. C. episcopo, tamquam suo vero ac legitimo auctori Historia Africanæ persecutionis restituta est. Quam quidem viri eruditi sententiam non modò amplectimur, sed adeo certis & indubitatis argumentis propugnari posse censemus, ut neminem ei umquam in posterum esse refragaturum arbitremur: id enim exigit à nobis omnium codicum manuscriptorum unanimis consensus, quorum ne unus quidem ex iis saltem, qui hactenus visi sunt, Victorem Uticensem istius Operis auctorem præfert. *Deinde ex diversis Mss. codicibus probat hanc constantem* S. Victoris Vitensis *appellationem, & numero sequente suspicatur, Reinhardum Lorichium fuisse primum omnium, qui Coloniæ anno* 1537 *memoratam Historiam persecutionis Wandalicæ sub nomine* Victoris Uticensis *edidit, & alios in errorem induxit.*

10 *Denique Pagius in Critica historico-chronologica ad Annales ecclesiasticos eminentissimi Baronii anno* 484 *num.* 21 *eamdem Chiffletii & Ruinartii opinionem propugnat, eorumque argumenta contraxit hoc modo:* Baronius Victorem Vitensem auctorem librorum quinque de persecutione Africana, errore tunc communi, vocat Victorem Uticensem episcopum in provincia Proconsulari. Verùm Chiffletius loco laudato cap. VII ostendit, certum esse, Victorem fuisse Vitensem episcopum, quæ provinciæ Byzacenæ civitas cum ignota esset recentioribus librariis, hi mendum in antiquis exemplaribus suspicati, & nominum ac vocum delusi affinitate, Uticensem pro Vitensi reposuerunt. In codice Carthusiæ Portarum Ms. bonæ notæ, ipso Operis initio legit Chiffletius: INCIPIT PROLOGUS IN HISTORIA PERSECUTIONIS AFRICANÆ EDITA A SANCTO VICTORE PATRIÆ VITENSIS EPISCOPO. Idem ego legi in duobus Mss., quorum alterum in bibliotheca Colbertina, alterum in bibliotheca monasterii sancti Martini de Campis, in urbe Parisiensi siti, asservatur.

pro Vitensi

B

11 His adde, in libello Notitiæ episcoporum Africæ, qui sub Hunerico persecutionem sustinuêre, in Catalogo episcoporum provinciæ Proconsularis legi: FLORENTINUS UTICENSIS; sed in indice præsulum provinciæ Byzacenæ ita scribi: VICTOR VITENSIS NON OCCURRIT. Quare Uticensis ecclesia ad provinciam Carthaginensem, Vitensis verò ad Byzacenam pertinebat, & tempore persecutionis Africanæ Victor noster Vitensis episcopus erat, Florentinus Uticensis. *Ex his abundè manifesta est utriusque cathedræ istius Africanæ distinctio, & origo erroneæ confusionis facilè detegitur. Sed jam breviter discutienda est alia controversia, quam ab annis triginta scriptor quidam Gallus movere cœpit, nempe utrum hic* S. Victor *Vitensis ab altero homonymo ejusdem sedis episcopo distinguendus videatur.*

cognominarunt.

C

§ II. Quis Sanctus ille fuerit, quæ gesserit, quando & ubi obierit.

Contra opinionem Galli cujusdam anonymi

PARisiis *anno* 1708 *prodiit dissertatio Gallica, cujus auctor anonymus contendit, Victorem Vitensem episcopum, qui anno* 484 *collationi Carthaginensi non interfuit, distingui debere ab alio Victore Vitensi, qui priori in cathedram successit, & Historiam persecutionis Wandalicæ conscripsit, ut in Ephemeridibus Trivultianis ad annum* 1709 *art.* 52, *sive pag.* 677 *& sequentibus refertur. Anonymus in hac hypothesi* D *asserit, Victorem historicum Wandalicæ persecutionis dumtaxat anno* 487 *ad cathedram Vitensem evectum fuisse, quando Guntabundus rex Wandalorum & Hunerici defuncti successor pacem Catholicis Afris utcumque restituit. Novam istam opinionem suam auctor præcipuè probat hoc modo: Historicus Wandalicæ persecutionis sæpe indicat, sese interfuisse iis rebus, quæ Carthagine & alibi sub Hunerico persecutore contigerunt. Non est autem verosimile, quod episcopus Vitensis tempore tam periculoso ecclesiam suam deseruerit, & in aliena diœcesi commoratus fuerit; ergo distinguendi sunt duo Victores Vitenses episcopi, quorum unus alteri successit. Hoc est præcipuum novi systematis argumentum, quod etiamsi non contemnendum esse fateamur, tamen ob rationes jam afferendas amplecti non audemus.*

probabiliùs putamus,

13 *Imprimis scriptor historiæ Wandalicæ mense Junio anni* 481, *quo S. Eugenius ad cathedram Carthaginensem ardore populi evectus est, audiit recitari decretum Hunerici regis, & cum aliis episcopis electioni præsulis Carthaginensis sub tam turpi conditione restitit, ut ipse lib.* 2 *Historiæ suæ num.* 2 *in editione Ruinartiana testatur his verbis:* Quod edictum dum nobis præsentibus, quarto decimo Kalendarum Juliarum universæ ecclesiæ legeretur, gemere cœpimus mussitantes, eo quod meditantibus dolos malorum esset futura persecutio præparata; & ita legato dixisse probamur: Si ita est, interpositis his conditionibus periculosis, hæc ecclesia episcopum non delectatur habere. Gubernat * eam Christus, qui semper dignatus est gubernare. Quam suggestionem legatus accipere neglexit. Simul & populus, ut tunc fieret, ut ignis exarsit, cujus erat clamor intolerabilis, qui nulla posset ratione sedari. *Quandoquidem historicus hic se ipsum à populo distinguit, nobis admodum fit verosimile, eum tunc episcopum Vitensem fuisse. Præterea sæpius indicat, sese aliis episcopis familiariter adstitisse, ut per decursum hujus Commentarii videbimus.*

E

* *Al.* Gubernet

unicum dumtaxat fuisse Victorem Vitensem,

14 *Quapropter suprà propositum auctoris anonymi argumentum nos nondum movet, ut admittamus duos Victores episcopos Vitenses, quorum posterior historicus priori ignoto immediatè successerit: potuit enim unicus* S. Victor *Vitensis diœcesim suam relinquere propter varias justasque rationes; puta, quod prævideret certum captivitatis aut exsilii periculum, si in sua diœcesi mansisset. Cum autem in ecclesia sua ab hostibus Arianis tutus non esset, fortè voluit Vir sanctus illas Africæ provincias ignotus & occultus peragrare, in quibus procella persecutionis acriùs desæviebat, ut Catholicos in fide confirmaret, & vexatis Christi confessoribus opem ferret. Id verò ipsum diligenter ac piè fecisse, postea ostendemus. In antiqua Notitia præsulum Africæ apud Ruinartium pag.* 131 *disertè legimus,* Victorem *Vitensem anno* 484 *in collatione Carthaginensi non occurrisse. Certè hæc ejus absentia optimè congruit cum Historia Wandalicæ persecutionis, in qua* S. Victor *nullum verbum facit de sua ibidem præsentia, licet illam in aliis rebus gestis exprimere consueverit. Itaque cum Tillemontio in Monumentis ecclesiasticis tomo* 16 *pag.* 597 *probabiliter existimamus,* S. Victorem *Vitensem numerandum esse inter viginti octo istos præsules Africæ, qui clam fugerunt.*

F

15 *Simile quid innuit eruditissimus Emanuel Schel-*

A *eumque ſcriptorem Hiſtoriæ Wandalicæ,*

Schelſtratius, dum in Eccleſia Africana, diſſert. 4 *cap.* 4 *num* 4 *ſic ſcribit:* Extat ſæpius in Notitia, quod aliqui epiſcopi HÎC eſſent relegati, & in fine poſt omnium enumerationem: HÎC RELEGATI NUMERO TRECENTI DUO. Cum autem VICTOR VITENSIS NON OCCURRIT, ſed in quodam Africæ loco manſerit occultatus, putarem ego per τὸ HÎC intelligendam eſſe Africam ipſam, quam colonatûs jure ad excolendum agros accipi juſſit Hunericus pro iis, qui non jurarant; reliquos verò jurantes, Hildericum poſt obitum Hunerici ſucceſſurum, juſſi ſunt in Corſicanam inſulam relegari, ut ligna profutura navibus dominicis inciderent. Ita ipſe Victor Vitenſis lib. 3 de perſecutione Wandalica, ex quo etiam conſtat, plures CCCXXIV orthodoxorum ſanctos, ut loquitur Marcellinus Comes, fuiſſe relegatos fugatoſque: fuerunt enim tunc temporis trecenti quadraginta octo epiſcopi, qui Carthaginem advenerant, ex quibus CCCII extra civitates ſuas per Africæ provincias diſperſi terram incolebant; quadraginta verò ſex ligna in Corſica cedere coacti erant. Hiſque ſi addas viginti octo, qui effugerant, paſſum unum & confeſſorem unum cum octuaginta octo, qui ante conventum Car

B thaginenſem vitam finierant, efficient numerum quadringentorum ſexaginta ſex epiſcoporum, in omni Africa anno CCCCLXXXIV ſedes habentium. *Propter has congruentias admittimus unum dumtaxat* S. Victorem *Vitenſem, eumque Wandalicæ perſecutionis ſcriptorem, cujus aliqua geſta jam ex ſcriptis ejus excerpemus.*

ex qua eruimus

16 *Videtur* S. Victor *noſter fuiſſe curioſus & cautus indagator miraculorum, quæ tempore Geiſerici regis Ariani per merita ſanctorum in Africa patrabantur, quandoquidem occaſione ſanctæ Maximæ in Hiſtoria Wandaliæ perſecutionis lib.* 1 *num.* 10 *ita ſcribit:* Miraculum hoc & voce omnium celebratur, & nobis ille, ad quem cuſtodia pertinebat, cum ſacramento teſtatus eſt ita fuiſſe. *Numero ſequente ejuſdem libri de aliis ſui temporis martyribus hæc habet:* Ubi uſque in hodiernum diem non deſinit ingentia mirabilia Jeſus Chriſtus Dominus noſter operari; nam nobis beatus quondam Fauſtus Buronitanus epiſcopus atteſtatus eſt, cæcam quamdam mulierem illuminatam fuiſſe, ubi ipſe aderat præſens.

ejus pietatem,

C 17 *Quanta autem charitate Sanctus noſter foverit ac conſolatus ſit confeſſores Chriſti, qui in perſecutione Wandalorum crudelia eorum odia experiebantur, ex ſequentibus erui poteſt exemplis. Primò Valerianum epiſcopum & ſenem octogenarium, quem Geiſericus barbaro exſilio mulctaverat, intrepidè inviſit, ut ipſe lib.* 1 *Hiſtoriæ ſuæ num.* 12 *narrat in hunc modum:* Tunc etiam ſanctus Valerianus Abbenzæ civitatis epiſcopus, dum viriliter, Sacramenta divina ne traderet, dimicaſſet, foras civitatem ſingularis juſſus eſt pelli; & ita præceptum eſt, ut nullus eum neque in domo neque in agro dimitteret habitare; qui in ſtrata publica multo tempore nu-

* *al.* nudo dus * jacuit ſub aëre. Annorum autem erat plus octoginta, quem nos tunc indigni in tali exſilio meruimus ſalutare.

charitatem

18 *Deinde circa annum* 483 S. Victor *comitatus eſt innumerabiles Chriſti confeſſores, quos Hunericus rex teterrimo exſilio damnaverat, & pœnam Felicis epiſcopi fruſtra lenire tentavit, ut lib.* 2 *ejuſdem Hiſtoriæ num.* 8 *refert his verbis:* Quibus autem proſequar fluminibus lacrymarum, quando epiſcopos, presbyteros, diaconos & alia eccleſiæ membra, id eſt quatuor millia nongentos ſeptuaginta ſex ad exſilium eremi deſtinavit? In quibus erant podagrici quamplurimi, alii propter ætatem annoſam lumine temporali privati. In quorum erat numero beatus Felix Abbiritanus epiſcopus, habens jam in epiſcopatu quadraginta quatuor annos, qui paralyſis morbo percuſſus nec ſentiebat quidquam, nec penitus loquebatur: de quo nos maximè cogitantes quod non poſſet jumento portari, ſuggeſſimus, ut à ſuis rex peteretur, ut ſaltem eum properè moriturum Carthagini eſſe juberet, quia ad exſilium nulla poſſet ratione perduci. Quibus ita fertur tyrannus cum furore dixiſſe: Si animali ſedere non poteſt, jungantur boves indomiti, qui eum colligatum funibus trahendo perducant quò ego præcepi. Quem ex tranſverſo ſuper burdonem vinctum, quaſi quemdam ligni truncum, toto itinere portabamus.

AUCTORE G. C.

commiſerationis affectum erga afflictos,

19 *Ibidem numero ſequente iter glorioſorum exſulum deſcribere pergit hoc modo:* Congregantur univerſi in Siccenſem & Larenſem civitates, ut illuc occurrentes Mauri ſibi traditos ad eremum perducerent. Supervenientes igitur Comites duo ſubtilitate damnabili blandis ſermonibus cum Dei confeſſoribus agere cœperunt: Quid vobis, inquiunt, videtur, ut ita pertinaces ſitis, & domini noſtri præceptis minimè obtemperetis, qui eſſe poteritis in conſpectu regis honorabiles, ſi ejus feſtinetis facere voluntatem? Statim illis ingenti vociferatione clamantibus, & dicentibus; Chriſtiani ſumus, Catholici ſumus, Trinitatem unum Deum inviolabiliter confitemur, includuntur graviori quidem, ſed adhuc latiori cuſtodia, ubi nobis copia dabatur introire, & verbum admonitionis fratribus facere, & divina myſteria celebrare. *Opportunè enimverò Sanctus noſter in tam periculoſa tentatione generoſos iſtos Chriſti confeſſores verbo exhortationis ac divinis myſteriis confirmavit. Sed ex hoc loquendi modo non improbabiliter colligimus,* S. Victorem *tunc dignitate epiſcopali præditum fuiſſe, quamvis hæc Arianos lateret.*

E

aliaſque virtutes.

20 *Denique poſt alia Catholicæ fortitudinis exempla ſanctus Hiſtoricus ibidem num.* 10 *graphicè depingit, quomodo conſtantes illi Chriſti confeſſores in anguſtum ac teterrimum locum detruſi fuerint, & ipſe nihilominus aditum ad eos invenerit:* Jactantur confeſſores Chriſti ſuper invicem, *inquit*, anguſtia coartante, unus ſuper alium, ut agmina locuſtarum, & ut propriè dicatur, ut grana pretioſiſſima frumentorum. In

F qua conſtipatione, ſecedendi ad naturale officium nulla ratio ſinebat; ſed locum ſtercoris & urinæ, urgente neceſſitate, ibidem faciebant, ut ille tunc fœtor & horror univerſa pœnarum genera ſuperaret: ad quos aliquando, dato ingenti munere Mauris, dormientibus Vandalis, vix clam admiſſi ſumus intrare; qui introëuntes, veluti in gurgite luti, uſque ad genua cœpimus mergi. *Poſt hæc Sanctus noſter miſerorum conſolator diſcedentes inde glorioſos exſules ulterius comitari prohibitus eſt, ac rediit Carthaginem, ubi audiit doloſum regis Hunerici edictum, quo omnes epiſcopos Catholicos in annum ſequentem convocabat, ut fidei ſuæ rationem redderent. Sed ipſe ad eam collationem Carthaginenſem non venit, quia fortè præſagiverat infelicem illius eventum, quem experientia poſtmodum confirmavit.*

Anno 487 *ſcripſit hanc Hiſtoriam, con-*

21 *Quid interea* S. Victor *noſter egerit, ubi latuerit, an ex Africa diſceſſerit, ignoramus. Tantummodo ſcimus, illum anno Chriſti* 487

AUCTORE G. C. *conscripsisse Historiam Wandalicæ persecutionis, ut initio Operis sui indicat his verbis :* Sexagesimus nunc, ut clarum est, agitur annus, ex quo populus ille crudelis ac sævus Vandalicæ gentis, Africæ miserabilis attigit fines, transvadans facili transitu per angustias maris, qua inter Hispaniam Africamque æquor hoc magnum & spatiosum bissenis millibus angusto se limite coartavit. *Ex his verbis Chiffletius noster in Elucidationibus ad Opusculum primum cap.* 4 *sic rectè disserit :* Tempus, quo hæc Historia conscripta est, indicavit auctor ipso Operis initio sexagesimum annum, ex quo Vandali in Africam ex Hispania trajecerant. Porrò hic transitus cum à Prospero in Chronico notetur, Hierio & Ardabure consulibus, hoc est, anno æræ Christianæ quadringentesimo vigesimo septimo, ad hunc numerum addito sexagenario, prodibit hujus Operis elaborati annus quadringentesimus octogesimus septimus. *Ruinartius in Præfatione ad idem Opus num.* 8 *circa hanc epocham cum Chiffletio consentit.*

B *licet locus scriptionis incertus sit,* 22 *Sed neuter convenit cum Cotelerio circa locum, in quo sanctus Scriptor Historiam suam exaravit : nam Chiffletius asserit,* S. Victorem *Constantinopoli de persecutione Wandalica scripsisse. Cotelerius autem tomo* 3 *Monumentorum ecclesiæ Græcæ in notis ad Vitam sancti Sabæ, hanc assertionem improbat, & potius existimat, Sanctum nostrum in veteri Epiro, quæ regio Wandalis subjecta erat, tempore exsilii conscripsisse Historiam suam, eaque occasione illam dedicasse cuidam discipulo Diadochi, qui Diadochus in eadem provincia episcopus Photices fuisse dicitur. Denique Ruinartius loco proximè citato Præfationis, relatâ utriusque sententiâ, suam opinionem ita profert :* Verùm si conjecturis uti licet, mihi verisimilius videtur, Victorem in Africa historiam suam exarasse ; multa quippe habet passim, quibus innuit, se in exteris regionibus non versatum fuisse, cum hanc scriberet. *Nos incertis hisce conjecturis examinandis diutius immorari nolumus, cum ex iis nihil certi elicere possimus.*

fuitque verosimiliter primas C 23 *Magis ad Sancti nostri notitiam & gloriam spectat primatus Byzacenæ provinciæ, quem Chiffletius noster in Elucidationibus ad Historiam Wandalicæ persecutionis cap.* 9 *ei vindicat sequente ratiocinio :* Hunc ipsum Victorem Vitensem episcopum censui primatem postmodùm fuisse provinciæ suæ Byzacenæ, cujus est mentio in Vita sancti Fulgentii, ab eo in episcopum Ruspensem ordinari jussi. Nec vanis indiciis : nam (ut ad Ferrandum pluribus explicuimus) in Africa extra provinciam proconsularem, cujus caput Carthago, variæ erant ac desultoriæ primæ sedes, & seniorem cujusque provinciæ episcopum sequebantur ; seniorem, inquam, non ætate, sed promotione sive ordinatione ; qui idcirco senis appellatione designari solebat, adeo ut promiscue aut senex aut suæ provinciæ primas, aut primæ sedis episcopus nuncuparetur. D

Byzacenæ provinciæ. 24 Jam sic ratiocinor. Notitia Byzacena tres omnino Victores episcopos repræsentat ; Narensem tertio decimo loco ; Vitensem sexto & quadragesimo ; primo & centesimo Gauvaritanum. Christi anno CCCCLXXXVII, quo scribebat Victor Vitensis, decem jam sublati erant ex episcopis Byzacenis, iique (ut verosimilius) seniores atque infirmiores ; qui si primi decem fuerunt, quos recenset Notitia, ex eo Victor Narensis in reliqua episcoporum serie tertium locum, Vitensis trigesimum sextum, Gauvaritanus primum & nonagesimum obtinuit. Jam verò satis constat, Victoris primatis Byzaceni mandato Fulgentium Ruspensibus ordinatum episcopum anno Christi DVII, vicesimo anno post quadringentesimum octogesimum septimum. Per hos igitur viginti annos longè est probabilius obiisse ex episcopis Byzacenis quinque & triginta, qui Victori Vitensi, quàm duos, qui Narensi, aut omnino nonaginta, qui Victori Gauvaritano decedere potuissent. Qua ratiocinatione conjicio, eumdem esse Victorem Vitensem episcopum, à quo persecutionis Africanæ descripta est Historia, qui & viginti post annis fuit primas Byzacenus. E

& in Sardinia exsul obiit. 25 *Ruinartius in laudata Præfatione num.* 6 *ex hac Chiffletii sententia concludit,* confessionis titulum ipsi (*nimirum* S. Victori *nostro*) deberi, non solùm quod sub Hunerico cum ceteris fuerit exagitatus, aut certè quod Trasamundi violentiâ è sede fuerit abreptus, sed etiam quod exsul pro Christi fide è vivis excesserit : Victorem enim Byzacenæ primatem in Fulgentii Vita laudatum, quisquis demum fuerit, exsulem obiisse colligitur, quod eo tempore, quo, pace Ecclesiæ restituta, episcopis in suas sedes redire licuit, non Victor, sed Liberatus Byzacenæ provinciæ primatum obtineret. *Tillemontius in Monumentis ecclesiasticis tomo* 16 *pag.* 599 *&* 799 *eamdem Chiffletii opinionem censet valde probabilem, & cum aliis existimat,* S. Victorem *Vitensem anno* 507 *vel* 508 *in Sardiniam relegatum esse, ibique ante annum* 517 *in exsilio obiisse. Nos in hac hypothesi mortem ejus* post initium sæculi sexti *superiùs in margine assignavimus. Hæc sunt præcipua, quæ de* S. Victore *Vitensi colligere potuimus.* F

Đ E

A D

DE S. JUSTINIANO EREMITA ET M.

IN LEMENEIA INSULA ANGLIÆ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

Locus martyrii, ætas Sancti, cultus ab immemorabili tempore, Acta, & quædam discrepantes eorum circumstantiæ.

CIRCA ANNUM DXXX AUT DXL. *Hic Sanctus in Anglica insula,*

IN hac obscuri nominis insula, quæ Cambro-Britannis vicina est, & nunc vulgò Ramsey *vocatur, Sanctus in titulo propositus magnam vitæ partem traduxit, varias virtutes exercuit, & tandem glorioſam martyrii lauream invenit. Camdenus pag.* 838 *Britanniæ ſuæ inter alias vicinas Angliæ insulas de ſitu & nomine hujus ita differit:* Inde in Penbrochienſis agri flexu GRESHOLME, STOCKHOLME & SCALMEY occurrunt ſatis graminoſæ & thymo agreſti admodum lætæ. SCALMEY Plinii fuiſſe SILIMNUM olim exiſtimavimus; ſed hanc nobis veritas jam immutavit ſententiam. SILIMNUM enim illum Plinii, LIMNI Ptolomæi, ex verbi cognatione veriſimile eſt; hanc eſſe Britannorum LYMEN ipſum pro me vocabulum edocet, cui Anglus hodie novum nomen, RAMSEY ſcilicet, inſcripſit.

Cambriæ ſeu Walliæ vicina,

2 Hæc ſancti Davidis epiſcopali ſedi objacet, ad quam ſpectat, & Juſtiniani cujuſdam viri ſanctiſſimo fato, ſuperiori ſeculo inprimis celebris erat, qui cum ex Britannia Aremorica in feraciſſimo Sanctorum ſeculo huc ſe recepiſſet, & totus Deo defixus diu ſolitarius vixiſſet, tandem à ſervulo peremptus, in martyrum catalogum fuit relatus; in cujus Vita hæc LEMENEIA inſula ſæpiùs vocatur: quæ quidem appellatio cum Britannico nomine LIMEN, quo hic locus ipſis Britannis innoteſcit, ejus oſcitantiam notat, qui proximè ſuperiorem inſulam LIMNOM Ptolomæi facit, quam Britanni nunc ENHLY, Angli BERDSEY nominant, id eſt, INSULA AVIUM. *Joannes Spedus lib.* 1 *Theatri Britannici cap.* 3 *(iſtud Opus Philemon Hollandus ex idiomate Anglico Latinum reddidit) in mappa geographica Comitatûs Penbrochienſis, inter paginam* 101 *&* 102 *ſitum ejuſdem inſulæ verſus mare Hibernicum ipſis curioſi lectoris oculis exhibet.*

poſt initium ſeculi VI *floruit,*

3 *In hac inſula poſt initium ſeculi ſexti* S. Juſtinianus *piè vixit, ut colligimus ex ætate illorum Sanctorum, quibuſcum familiariter converſatus eſt, & quos Uſſerius in Antiquitatibus eccleſiarum Britannicarum cap.* 14, *ſive pag.* 527 *iſtius Operis ita recenſet:* Danielis & Davidis æquales Juſtinianus, Kynedus, Theliaus & Paternus fuiſſe memorantur, quorum in Sanctilogio Britanniæ Johannes Tinmuthenſis (indeque in Johannis Capgravii Nova Legenda Angliæ) Vitæ deſcriptæ exſtant. Juſtinianus, relicta Britannia minore, patriâ ſuâ, in inſula LEMENEIA (quæ Ptolomæo LIMNUS, Britannis LYMEN, Anglis RAMSEY nominatur) unà cum Honorio regis Thefriauci filio religioſam vitam egiſſe, ibique à ſervis demum peremptus, ad portum à ſuo nomine vocatum ſepultus, indeque ad eccleſiam Menevenſem inſulæ objacentem à David translatus fuiſſe dicitur. *Deinde breviter aliorum æqualium Sanctorum geſta commemorat, & in Indice chronologico, ſive pag.* 1139 *mortem S. Davidis Menevenſis antiſtitis ad annum Chriſti* 544 *refert.*

ut ſcriptores Angli

4 *Etiam Harpsfeldius inter ſex prima ſecula Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Anglicanæ cap.* 28 *eadem* S. Juſtiniani *ſeculo ſexto alligat, eumque ſequenti exornat elogio:* Juſtinianus claro genere, inſigni doctrina, ſacerdotiſque dignitate amplificatus, in Britannia ſolitudinis contemplationiſque divinæ ſtudioſus, patriâ relicta, alibi vitam duxit, & inter alios Davidis epiſcopi conſuetudine jucundiſſimè uſus eſt; ſimilem enim (quod habet proverbium) agit Deus ad ſimilem: cujus ſanctitatem non ferens dæmon, nefarios quoſdam excitavit, qui neſcio qua rabie affecti innocentem & ſanctum Virum trucidarunt. Corpus ejus per Davidem ad Meneviam delatum eſt. *Uſſerius in Indice chronologico proxime citato ad annum Chriſti* 529, *ſive pag.* 1133 *de Sanctis illis coævis obiter ita meminit:* Juſtinianus & Honorius in Ramſeia inſula, Kynedus in Gowera occidentali claruiſſe dicuntur.

adverſus opinionem Wilſoni

5 *Quare corrigendus eſt Joannes Wilſon in utraque Martyrologii ſui Anglicani editione, ubi die* XXIII *Auguſti eadem & ſepulturam* S. Juſtiniani *anno Chriſti* 486 *diſertè conſignat. Hunc chronologicum Wilſoni errorem videtur Alſordus noſter obſervaſſe, dum in Annalibus eccleſiæ Anglo-Saxonicæ ad annum Chriſti* 516 *num.* XI *ſic ſcripſit:* Scio, Martyrologium noſtrum ad diem XXIII Auguſti, Juſtiniani hujus martyrium referre ſub annum Domini CDLXXXVI; ſed quoniam Davidis ſancti facienda eſt mentio, cui Juſtinianus à ſanctiori concilio fuiſſe videtur, ideo meliùs cum Davide conjungitur. *Deinde priora* S. Juſtiniani *geſta excerpit ex Actis, & ibidem num.* 13 *de chronotaxi illorum ſic diſſerit:* Hæc omnia, adventum ſcilicet ſancti Juſtiniani in Britanniam, Honorii occurſum, & Davidis de eo notitiam circa hæc tempora (*nempe annum Chriſti* 516, *in quo Alſordus hîc verſatur*) eveniſſe putamus. Reliqua, quæ de Juſtiniano à Capgravio narrantur, licet poſteriora ſint, placet nunc adnectere, quia nullo certo tempore conſignantur. *Nos ea poſt hunc Commentarium prævium in ipſis Actis legemus.*

paſſim tradunt,

6 *Infamis apoſtata Balæus occaſione Honorii, quem inter ſcriptores Britanniæ numerat, Centuriâ decimâ, cap.* 6 *de hodierno Sancto noſtro mentionem facit his verbis:* Honorius Camber, Trefriauci filius, virtutis & eruditionis ornamenta lucida à Davide Menevenſi archiepiſcopo ſanctiſſimo præceptore (ut Lelandus habet) ſanctiſſimus diſcipulus accepit eo loco, quo terræ extenſio Occidentem Cambriæ terminat. Adja-

AUCTORE G. C.

cet extensioni insula, ambitu parva; at famâ maxima, cui nomen antiquitus à Græca origine LIMENUS fuit; nunc verò RAMESEGA. Hîc vitam Honorius illustris parcam ac duram exegit. Justinianus ex Britannia Armoricana Davidis gratiâ hîc appulit. Incola humanissimè accepit Hospitem. Venit & universus unà cum Davide Menevensium chorus eumdem salutaturus. Piratæ postea vim insulæ inferentes, Justinianum occiderunt. Martyrii loco nomen SCOPULUS LEPROSUS, à morbis Dei beneficio percuratis dictum est. Sic, dum Honorium restituimus, commodè & Justiniano tantumdem præstitimus. Hæc omnia Lelandus. Claruit Honorius anno salutis nostræ DLX, sub Maglocuno Britannorum rege; sed ejus perierunt scripta. *Utinam Balæus hanc parcam ac duram Honorii vitam imitatus esset! Tunc certè uxoris aut potius concubinæ ducendæ causâ monasterium suum & fidem Catholicam non deseruisset. Si quis plura nosse velit de sacrilego illo monacho & sacerdote, consulat Pitseum in Prolegomenis ad illustres Angliæ scriptores, ubi pag. 53 & sequentibus impudentiam istius transfugæ vivis coloribus depingit.*

B *& ibi antè annum Christi 544 occisus est.*

7 *Porrò oportet Honorium diu* S. Justiniano *contubernali suo superfuisse, si ille adhuc anno Christi 560 claruerit, ut Balæus affirmat: nam S. David præsul Menevensis, qui* S. Justinianum *honorificè sepelivit, anno Christi 544 mortuus est, ut Usserius, Alfordus, & Majores nostri in Commentario prævio ad Acta S. Davidis die prima Martii, sive tomo I istius mensis, pag. 40 & 41 probarunt. Hinc tamen nondum scimus determinatum tempus, quo Sanctus noster hodiernus ad Superos migravit, quamvis id certè ante obitum sancti Davidis contigerit. Cum verò Usserius in supradicto Indice chronologico ad annum Christi 529 asserat,* S. Justinianum *cum sodali suo Honorio tunc adhuc in insula Ramseia claruisse, probabiliter in hac hypothesi putamus, illum anno Christi 530 vel 540 circiter è vivis excessisse. Quapropter initio Commentarii hujus in margine duos hos annos disjunctivè notavimus, cum* S. Justinianus *circa alterutrum occisus fuerit, ut eruitur ex utraque Usserii chronologia, quam superiùs assignavimus.*

C *Martyr ille immemorabilem cultum habuit,*

8 *Ex hactenus dictis & relatis eruditus lector facilè colligit, hunc Sanctum ab immemorabili tempore publicam populi venerationem habuisse: nam scriptores Angli, tum Catholici, tum heterodoxi, sanctitatem hujus Viri laudant & agnoscunt. Cum his conspirant recentiores Martyrologi, inter quos Richardus Witfordus in Martyrologio suo Anglico ad diem* V *Decembris annuntiationem & elogium ejus ex Actis longioribus excerpsit. Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, eumdem sanctum Martyrem die* XXIII *Augusti breviter annuntiat his verbis:* In Anglia sancti Justiniani monachi & martyris. *Etiam Wilsonus hac die annuam ejusdem Sancti memoriam in utraque Martyrologii sui editione celebrat, & Acta ipsius Anglicè contrahit. Quamvis auctoritas recentium Martyrologorum non sufficiat ad immemorabilem vel legitimum cujusdam Sancti cultum probandum, tamen hîc observari meretur, quod Anglicum Witfordi Martyrologium anno Christi 1526 Londini typis excusum fuerit, adeoque fermè centum annis primum notissimumque Pontificis Urbani VIII decretum de cultu Sanctorum præcesserit.*

9 *Præterea Richardus Witfordus, qui in superà laudato Pitsei Opere de illustribus Angliæ scriptoribus pag.* 695 vir probitate morum & bonarum litterarum laude spectabilis *appellatur, haud dubie Martyrologium suum ex antiquis & fide dignis monumentis collegit. Hoc autem Martyrologio usa est ecclesia Sarisburiensis, ut Anglicè legitur in annotatione mensi Januario præfixa, quæ Latinè sic sonat:* Hìc incipit Martyrologium juxta usum ecclesiæ Sarisburiensis, & uti legitur in Sion, cum additionibus. *Quid hîc sibi velit* Sion, *intelliges ex Pitseo, qui paginâ proximè citatâ elogium laudati Martyrologi exorditur his verbis:* Richardus Whitfordus Ordinis divæ Brigittæ monachus Anglus in cœnobio non longè à Londino, quod SION dicitur. *Post elogium Pitseus inter alias ipsius lucubrationes* Martyrologium Sanctorum & additiones *ejusdem recenset. Quis autem facilè credat, Clerum Sarisburiensem, tunc adhuc probè Catholicum, sine maturo examine Martyrologium istud suscepisse, & in eo Sanctos novos aut incertos honorasse? Quare probabilissimè concludimus, Sanctos in hoc Martyrologio notatos ab immemorabili tempore publicam venerationem adeptos esse. Denique Joannes Tinmuthensis seculo* XIV *Acta* S. Justiniani *concinnavit, & seculo* XV *Capgravius ex eo novam Legendam suam Sanctorum Angliæ collegit, ut apud Pitseum aliosque bibliographos videre est. Cum igitur uterque iste hagiologus de antiquo* S. Justiniani *cultu testimonium reddat, & ambo centum ac pluribus annis ante decretum Urbani VIII floruerint, sine scrupulo judicavimus, huic sancto Martyri locum in Opere nostro concedendum esse.*

D *ut probatur ex Martyrologio Witfordi*

E

10 *Jam monuimus, Acta* S. Justiniani *martyris à Joanne Tinmuthensi conscripta fuisse, de quo Caveus in Historia Litteraria part. 2 pag. 285 tradit sequentia:* Joannes Tinmuthensis, qui aliquando JOANNES PECCATOR nominatur, gente Anglus, Tinmuthæ in Northanumbranorum finibus ad ostium Tini fluminis villæ non ignobilis vicarius, & Ordinis Benedictini ad sanctum Albanum monachus, claruit anno MCCCLXVI. Cum ecclesiarum archiva & monasteriorum bibliothecas perscrutasset, veterumque scrinia evolvisset; ad historiam ecclesiasticam illustrandam animum adjecit, virtutemque & pietatem per priorum exempla posteris commendare satagens, plurimorum Sanctorum Vitas litteris mandavit. *Deinde post assignatas Angliæ bibliothecas, in quibus illud Opus adhuc ineditum conservatur, quomodo Capgravius ex eodem Joannis Tinmuthensis hagiologio Legendam suam composuerit, indicat his verbis:* De hac lucubratione non racemos quosdam, sed plenam, quod aiunt, vindemiam, reportavit Joannes Capgravius in Catalogo Sanctorum Angliæ, cujus Operis non tam auctor quàm exscriptor audire meruit. *ac ipsis Actis, quæ Joannes Tinmuthensis,*

F

11 *Caveo consentit Henricus Whartonus, dum in Appendice ad Historiam litterariam Cavei pag.* 89 *de Capgravio sic scribit:* Joannes Capgravius, gente Anglus, patriâ Cantianus, Ordinis Augustiniani in cœnobio Cantuariensi monachus, & post adeptum Oxonii doctoratûs gradum Provincialis, Humfredo Gloceſtriæ Duci à sacris confessionibus, ac summè familiaris. Claruit anno MCDL, & inter theologos ævi sui Anglos principem locum tenuit, in solutos ecclesiasticorum mores acriter detonare solitus. Obiit Linnæ apud Nordovolgios die XII Augusti, anno MCDLXIV, Edwardo IV rerum potito, & apud Augustinianos sepultus est. Sic quidem Balæus *& Capgravius collegerunt,*

A læus & Joſephus Pamphilus. Pitſæus verò, cui ſuffragantur Voſſius & Miræus, illum ſub Richardo demum tertio, anno MCDLXXXIV obiiſſe prodit. Scripſit Catalogum ſive Legendam Sanctorum Angliæ, quæ typis excuſa prodiit Londini MDXVI in folio. Hiſtoriam illam expilaſſe dicitur Capgravius ex ingenti & pulchro admodum volumine ejuſdem argumenti, quod in bibliotheca Cottoniana Ms. aſſervatur. *Ex hac editione Londinenſi Vitam* S. Juſtiniani *poſt hunc Commentarium recudemus.*

& ex quibus aliquas circumſtantias

12 *Quamvis ætas horum biographorum ſufficiat ad probandum immemorabilem ſancti Martyris hodierni cultum, tamen ideo non ſtatim leviter fidem adhibemus omnibus prodigioſis miraculis, quæ forſan illi in obviis ſchedis invenerunt, aut ſimpliciter ex populari traditione narrarunt. Hinc Alfordus noſter occaſione* S. Juſtiniani *& æqualium ejus in Annalibus eccleſiæ Anglo-Saxonicæ ad annum Chriſti 516 num.* 10 *lectorem ita monet:* Hi vel in Britannia nati, vel ibi cum magna ſanctitatis opinione defuncti, memoriam ſui ad hæc tempora promiſerunt. Sed
B qui Vitam eorum ex variis collegerunt, in neſcio quæ miracula impingentes, fallendo potius otio, quam rerum geſtarum veritati ſtuduiſſe videntur. Illud ſatis conſtat, Juſtinianum, relicta Britannia minore, patriâ ſuâ, in inſulam Lemeneiam, unà cum Honorario *, regis Thefriauci filio, religioſam vitam egiſſe.

* *forſan* Honorio

cum ſcriptis aliorum conferimus.

13 *Nunc obiter indicabimus aliquam minoris momenti diſcrepantiam, quæ circa ſtatum ſancti Martyris & auctores cædis ejus occurrit inter Martyrologos alioſque ſcriptores Anglos, qui de Sancto noſtro hodierno breviter meminerunt. Imprimis ignoramus, quo fundamento Richardus Witfordus in Martyrologio ſuo ſuprà laudato hunc Sanctum Anglicè vocet* epiſcopum, *cum de dignitate illa epiſcopali ſcriptores alii prorſus ſileant. Quod autem ad interfectores ipſius attinet, de iis fermè tot ſunt ſententiæ, quot capita: nam Camdenus ſuprà citatus aſſerit,* à ſervulo, *Uſſerius* à ſervis, *Balæus* à piratis *in inſulam Lemeneiam irrumpentibus illum occiſum fuiſſe. Witfordus & Acta inferiùs edenda numerum homicidarum illorum exprimunt, eoſque* tres ſervos *appellant. Singularis eſt opinio*
C *Wilſoni, qui in utraque Martyrologii ſui editione affirmat, homicidium iſtud* à tribus Fratribus (*Anglicè* **by three of the brethren**) *perpetratum fuiſſe. Fortè per* Fratres *hîc intelligit monachos laicos, qui in monaſteriis quodam modo ſerviunt, & ita modus ille loquendi cum Actis, quæ tres ſervos exprimunt, utcumque conciliari poterit. Jam nihil ſupereſt, niſi ut Acta hîc recudenda conſuetis Annotatis illuſtremus.*

ACTA

collectore Joanne Capgravio,

Ex Legenda Sanctorum Angliæ, Londini anno 1516 *impreſſa, fol.* CCI *&* CCII.

SAnctus Juſtinianus ex nobiliſſima Britanniæ minoris proſapia originem duxit: qui à pue-

ritia ſtudiis litterarum traditus, & mirabili ſcientia inter clariſſimos gentis ſuæ doctores claruit *a*. Suſcepto enim ſacerdotii gradu divinum officium fideliter exequebatur; & tale tandem divinum oraculum audire meruit: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Quod Vir ſanctus intelligens, adjunctis ſibi quibuſdam ſociis, navem coreis contextam & viminibus conſcendit, Deum jugiter exorans, ut ad terram eum adveheret, in quâ vitam ſolitariam ducere poſſet. Et tandem ad terram nomine Cormer *b* applicuit; ubi per aliquod tempus moram faciens, cœperunt jam multi ejus exemplo mundum relinquere, & ad ſancti Viri magiſterium feſtinare. Sed in brevi, ſicut primò à Deo ei mandatum fuerat, ut de terra & de cognatione ſua egrederetur: ſimiliter ſecundò ei dictum fuit, ut illam relinqueret manſionem.

A. JOANNE CAPGRAVIO. *Hic Sanctus ex Britannia minore* *a* *b*

ad inſulam Walliæ vicinam navigat, *c*

2 Tunc naviculam ingreſſus mari & ventis ſe committens venit ad inſulam, quæ tunc inſula Lemeneia vocabatur. In qua vir Deo devotus Honorius, regis Thefriauci *c* filius, relictis quæ in mundo ſunt, Deo totum ſe exhibebat. Receptus itaque hoſpitio benignè, tanto pietatis excrevit ardore, ut locum ſuum & manſionem ſancto Viro traderet, ut lucrandis Chriſto animabus abſque ullo invigilaret incommodo. Videns itaque beatus Juſtinianus locum viris religioſis aptum, & ab omni ſeculari ſtrepitu remotum, Petitioni tuæ, inquit, aſſentirem, ſi ſoror tua cum ſua pediſſequa cubiculum habeat à nobis remotum. Quod quibuſdam incredulis vertebatur in deriſum.

E

ubi pie vivens

3 Sed cum facundia & venuſtas ſanctæ prædicationis, & fulgor tantæ claritatis beato Viro complaceret; Pater, inquit, ſancte, ut tua dulci & honeſta perfruar ſocietate, ſororem meam in aliam regionem tranſmittam. Soror itaque beati Honorii, ſumpta ſanctorum virorum benedictione & licentiâ, in longinquas regiones abſceſſit. Ibique cum ad eum plurimi convenirent, illuminati verbo fidei cum ſalute animarum redibant. Cùm autem fama tanti Viri ad beatum David *d* perveniret: novitate & adventu tanti Viri exhilaratus, per nuntios eum evocans, ut ad ſe venire dignaretur ſuppliciter exorabat. Ille verò accelerans à beato David honorificè ſuſcipitur: placuitque tam beato David, quàm ſancto Juſtiniano ſocietate & orationibus hinc inde fulciri: & ſuſcepit eum ſanctus David in confeſſorem & vitæ ſuæ poſt Deum cuſtodem. Et manſiunculas, quas eligebat tam in inſula quàm extra inſulam, ei & fratribus ad ipſum confluentibus conceſſit.

d

F

& à dæmonibus fruſtra tentatus,

4 Quadam autem die, cum in inſula orationi & lectioni operam daret, navigantes quoque in lembo quodam advenerunt, & feſtinantes ad ipſum dixerunt: Ecce, quem amas, infirmatur, mandans ut ad ipſum poſtpoſita omni mora acceleres. Ille autem, audita cari ſibi in Chriſto infirmitate, ad lembum properavit, & Pſalmos pſallere incepit. Cùm autem remigando ad maris medietatem veniſſet, tunc demum eos facie elevata conſpexit deformiores, quàm homines, quos videre conſueverat, & clarè illos malignos ſpiritus eſſe, intellexit. Tunc ſeptuageſimum nonum Pſalmum manibus oculiſque in cælum elevatis, ſcilicet DEUS IN ADJUTORIUM, incepit. Et cùm ſecundum ejuſdem Pſalmi verſiculum, CONFUNDANTUR ET REVEREANTUR, QUI QUÆRUNT ANIMAM MEAM, decantaret: tamquam corvi nigri volantes evanuerunt: ſicque

A. JOANNE CAPGRAVIO.

Dei fretus adjutorio in petra quadam ab infimo maris divinitus elevata ad terram evectus est *e* ; sanctum verò David, quem maligni spiritus infirmum asserebant, sanum & incolumen invenit.

e

impiè propter justitiam occiditur,

5 Videns igitur humani generis hostis à Viro sancto se victum, & quòd nec crebris assultibus attentatum superare, nec malignis suggestionibus à divino servitio ipsum valuerit segregare ; alias artis suæ dolosæ machinationes confinxit, virusque suum in Viri sancti servos tres *f* infudit. Furore deinde servi correpti, non solum magistri sui monita salutaria contemnentes, quibus ipsos ad laborem exercendum hortabatur, ne vitam ducerent otiosam : verùm in ipsum irruentes ad terram prosternunt, & caput ejus crudeliter amputare non formidant. Loco verò, quo sanctum caput super terram cecidit, fons irriguus aquæ limpidissimæ de rupe protinus scaturiens emanavit : cujus aqua ab ægrotantibus hausta salutem corporum confert universis. Quidam nomine Ionas, in lacteo potu dato sibi veneno, ventrem mirabiliter in tumorem conversum habuit, & sumptâ aquâ illâ ranam vivam statim evomuit, & totus tumor ventris evanuit. Illi verò iniquitatis filii post scelus iniquitatis commissum, se leprâ percussos, & divinam in se conversam evidenter ultionem perceperunt. Progressi inde cum gemitu & planctu ad quemdam scopulum pariter devenerunt, qui usque in hodiernum diem SCOPULUS LEPROSORUM nuncupatur. Ibi postmodùm ipsi lugubres, & corpora sua gravibus suppliciis torquentes, & mutuis verberibus flagellantes, in dolore pariter & ærumna quamdiu vixerant, vitam in maxima pœnitentia concluserunt, & delictorum veniam meritis sancti Justiniani consequi meruerunt.

f

B

& post mortem variis miraculis claret.

6 Magnis enim majora succedunt miracula. Nam corpus beati Martyris capite truncatum illico surgens, & caput inter brachia sumens *g*, ad littus maris descendit, & suprà mare ambulans, ad portum à nomine suo vocatum transmeavit, & in loco, quo nunc ecclesia in honore ipsius dedicata consistit, cadens in terram jacuit, & ibidem sepeliri meruit. In eâdem autem ecclesiâ, quâ corpus Martyris sancti quiescit, Salvator noster miracula multa ostendere dignatus est. Infirmi enim illuc accedentes, à quacumque detenti infirmitate, incolumes & sani, gratias Deo referentes, ad sua redeunt. Sanctus verò episcopus David passionem dilecti sui, & omnem rei eventum non ignorans, divina revelatione admonitus, cum fratribus suis corpus sanctum ad ecclesiam Menevensem cum hymnis & canticis detulit, & in sarcophago novo honorificè collocavit *h*.

g

h

C D

ANNOTATA.

a *Videtur hic Sanctus ipsis popularibus suis ignotus esse : nam Albertus le Grand aliique scriptores Britanniæ Armoricæ, quos consului, nullam de illo mentionem faciunt.*

b *Nescimus, utrum hic locus ad Britanniam minorem an ad majorem pertineat. Etiam apud geographos universales eumdem locum frustrà quæsivi.*

c *Whartonus post præfationem ad Angliam sacram tomo* 2 *pag.* XXXI *exhibet successionem regum Wallensium ex Annalibus Menevensibus. Sed ibi primo loco collocat regem Arthurum, qui anno* 542 *obiit. Alios antiquiores Walliæ vel Cambriæ reges hactenus invenire non potuimus, ita ut de rege illo Thefriauco nihil certi dicere liceat. Forsan iste rex Walliæ reperietur in impressis Walliæ Annalibus, quos Camdenus in descriptione Britanniæ pag.* 554 *assignat, & qui nobis desunt.*

E

d *Majores nostri die* 1 *Martii Vitam hujus S. Davidis ediderunt, ut in Commentario prævio monuimus.*

e *Vix intelligo, quid sibi hîc velit* petra ab infimo maris divinitus elevata, *qua Sanctus* ad terram evectus est, *cum lembus adesset, de cujus jactura nullum verbum.*

f *In fine Commentarii prævii de variis sententiis circa hos* tres servos *sat multa retulimus.*

g *De hac capitis gestatione & similibus prodigiis consuli potest Papebrochius noster tomo* VI *Maii pag.* 88, *& in Responsionibus suis ad articulum* XI § 5 *num.* 33.

h *Ex illa honorifica sepultura aliisque præcedentibus liquet, Sanctum nostrum ab immemorabili tempore publicam venerationem habuisse.*

F

DE S. VEREDEMIO EREMITA CONF.

IN TERRITORIO UCETIENSI GALLIÆ,

J. P.

SYLLOGE.

§ I. Dissertatio de unico an duobus Veredemiis seu Veredemis.

FORTE CIRCA ANNUM DXL. *Etiamsi difficile sit,*

UCetia, urbs Galliæ Narbonensis Gregorio Turonensi, quæ & Utica quibusdam, hodie UZES, urbs Galliæ in Occitania inferiori, episcopalis sub archiepiscopo Narbonensi, Ucetiensis tractûs caput, & Ducatûs titulo insignita, tribus leucis distans à Nemauso in Septentrionem, & sex ab Avenione in occasum. *Descriptio est Baudrandi. Hujus urbis territorium vitâ anachoreticâ illustravit* S. Veredemius, *vel* Veredemus, *unusne & idem, atque hoc die repetitus, de quo jam pridem apud nos tractatum est tomo* III *Junii, die* XVII, *pag.* 411, *quique postea factus est episcopus Avenionensis ; an alter synonymus, à die* XX, *& die* XXI *Augusti inter Prætermissos ad hunc diem dilatus ? Hanc controversiam examinare, intricatæ difficultatis res est ; decidere autem, laboris non exigui. S. Veredemus, episcopus Avenionensis, apud nos loco citato innectitur seculo octavo ; & tomo primo Galliæ Christianæ editionis novissimæ columnâ* 802 *dicitur*

A *dicitur à S. Agricola delectus ſucceſſor anno* 700, *& eccleſiæ Avenionenſi præfuiſſe uſque ad annum* 22 *iſtius ſeculi.*

2 *In Vita S. Ægidii abbatis refertur* S. Ve-
S. Veredemium redemius *eremita hodiernus vixiſſe cum iſto Sancto, nec non cum S. Cæſario Arelatenſi epiſcopo, qui floruit ſeculo ſexto. Verùm contra iſtam Vitam tot ſunt querelæ, ut non videatur poſſe ſolidum præbere fundamentum, quo in ratione temporis hic* Veredemius *ab altero diſtinguatur, cùm in eadem Vita ſint anachroniſmi, qui omnem ei auctoritatem adimant, ſicut obſervat noſter Longuevallius in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ tomo* 2, *lib.* 5, *pag.* 333. *Ante hunc auctorem Mabillonius tomo* 1 *Annalium Benedictinorum ad annum Chriſti* 542, *poſtquam egiſſet de S. Cæſarei epiſcopi Arelatenſis obitu, virtutibus, præclaris factis & epitaphio, num.* 27 *ſcribens de Ægidio ejus diſcipulo, haſce Actis S. Ægidii abbatis cenſuras inurit:* Is eſt Ægidius, qui unà cum Meſſiano notario mox laudato Romam directus à Cæſario eſt, ut libellum Symmacho Papæ offerret ad renovanda privilegia ſedis Arelatenſis. (*Vide Concilia apud Labbeum tomo* 4
B *columnâ* 1319.) An verò idem ſit Ægidius abbas ille Græcus & ſanctus, qui monaſterium in Septimania prope Nemauſum in valle Flaviana conſtruxit, ab ejus nomine poſtea nuncupatum, res non adeo perſpicua eſt.

3 Hic quidem in omnibus ejus Actis tam edi-
ab alio tis quàm ineditis dicitur ex Græcia, unde oriundus ex regia ſtirpe erat, tributis in pauperes facultatibus, in Galliam acceſſiſſe ad Cæſarium Arelatenſem epiſcopum: ſed cùm deinde Aurelianos à Carolo Francorum rege accitus fertur, hoc primum ſi admiſeris, alterum reſpuendum eſt: cùm Cæſarius, qui unus Arelatenſi eccleſiæ præfuit, ducentis annis præcedat Carolum Martellum, primum eo nomine principem Francorum. Idem itaque fuerit Ægidius Græcus abbas, quem Cæſarius cum Meſſiano direxit ad Symmachum Papam. Is, ſi qua vulgatis ejus Actis fides, tranſmiſſo Rhodano ſe adjunxit Veredemio eremitæ. Dein ſecretiorem in locum penetravit: ubi cum cervæ lacte paſceretur, à Flavii Gotthorum regis venatoribus, cerva ad eum fugiente,
C deprehenſus fuit; idemque poſtea Flavio auctor fuit condendi cœnobii, quod ipſe rexit. Dicebantur quidem Flavii omnes Gotthorum reges: ſed cùm omnes Arianæ ſectæ addicti fuerint, quis putet, Amalaricum, qui tempore Cæſarii Septimaniam obtinuit, aut quemvis alium de condendo monaſterio cogitaſſe? Ad hæc, monaſterium iſtud multo pòſt tempore conditum dici debet, quàm Ægidius, tranſmiſſo Rhodano, diſceſſit à Cæſario: nec Ægidius ante conditum monaſterium abbas fuit. Et tamen libellus ſeu epiſtola Symmacho Pontifici Cæſarii nomine oblata eſt AB ÆGIDIO jam ABBATE, ET MESSIANO NOTARIO.

4 Ex his colligitur, quàm intricata ſint, &
ſynonymo nullius pænè momenti hæc Acta, his mendis quidem expurgata à Fulberto, epiſcopo Carnutenſi, in Officio ſacro, quod de S. Ægidio compoſuit; ſed nullo pænè relato hiſtorico facto, niſi quòd eum Græcum fuiſſe, & in Galliam acceſſiſſe dicit. *Hæ ſunt caſtigationes, quibus Mabillonius animadvertit in Acta S. Ægidii abbatis, quæque nobis materiem ſubminiſtrabunt die* 1 *Septembris, quando eadem Acta examinabuntur, ſecundis curis haſce accuſationes, &, ſi quæ ſuperſint aliæ, diſcutiendi. Interim abunde liquet, ut ad propoſitum redeamus, non poſſe concludi ſatis perſpicuè ex hujuſmodi Actis præſentem controverſiam de uno an duobus* Veredemis. *Atque hæc quidem prima & præcipua eſt difficultas.* AUCTORE J. P.

5 *Altera in eo poſita difficultas eſt, quòd Ca-* *epiſcopo diſtellanus, diligens alioqui Sanctorum refoſſor, ſtinguere ut ita dicam, & indagator, ſententiam ſuam de duobus* Veredemis *diverſis revocaverit. Nam etiamſi in ſuo Martyrologio univerſali ad diem* XVII *Junii annuntiaverit* Avenione S. Veredemum (S. Vrîme) epiſcopum, S. Agricoli ſucceſſorem; *dicens* ejus reliquias *eſſe ibidem in* eccleſia Metropolitana, *ab eoque ad diem* XX *Auguſti diſtinxerit* S. Veredemum ſolitarium, *illum ſignans* in diœceſi Ucetienſi, cujus reliquiæ ſunt Ucetiæ, *in dicto Martyrologio, quod anno* 1709 *editum eſt: de duobus tamen an uno* Veredemis *dubitare ſe ſcripſerat anno* 1706, *uti patet ex ejus litteris Gallicè huc datis tunc menſe Octobri, de quibus etiam apud nos inter Prætermiſſos ad diem* XX *Auguſti, in hanc ſententiam nos monens:* Videmini die XVII Junii S. Veredemum (S. Vrîme vel Verime) epiſcopum Avenionenſem diſtinguere à Veredemo anachoreta Ucetiæ, qui E
die XXIII Auguſti in iſta eccleſia colitur. At D. Sanguin Canonicus Avenionenſis mihi ſignificavit, eſſe unum eumdemque, cujus quædam reliquiæ Ucetiæ conſervantur. Hoc ſi verum ſit, die XX, vel XXI, aut XXIII Auguſti veroſimiliter ejus reliquiæ ab Ucetienſibus receptæ fuerunt, & diſcipulatus S. Ægidii, qui ei adſcribitur, eſſet fabuloſus, aut ætas S. Ægidii ad initium ſeculi octavi differenda eſſet.

6 *Hæc è litteris Caſtellani; qui dubitationem* *Avenio-* *ſuam commutavit in veram ac affirmatam re-* *nenſi;* *tractationem, quando in Sanctorum indice, qui habetur ad calcem laudati Martyrologii, ab eo ponitur pag.* 1179 S. Veredemus epiſcopus Avenionenſis XVII Junii; *deinde verò pag.* 1182 Vrîme (Veredemus) honoratus Ucetiæ, idem qui Veredemus. *Unde patet, unicum dumtaxat ab eo agnoſci* Veredemum epiſcopum Avenionenſem; *ſynonymo* Ucetienſi *ad priorem retractio tamquam ad unum & eumdem Sanctum. Habes, lector, duas difficultates, quæ eò faciunt, ut unus & idem ſit* Veredemius *hodiernus eremita cum ſynonymo epiſcopo. At nunc expendendæ ſunt rationes, quæ ſuadent, unum ab altero eſſe diverſum.* F

7 *In hanc diverſitatem propendit jam pri-* *variis ta-* *dem Henſchenius noſter, quando ad dictum diem men* XVII *Junii de S. Veredemo epiſcopo Avenionenſi iſta ab eo recitantur è Gonono:* In loca, ubi ſolitariam vitam duxit, cerni adhuc eremitorium unâ tantùm leucâ à civitate Avenionenſi. *Et mox reponit iſta:* Quæ latiùs à Gonono in Vita ad hujus honorem conſcripta habentur; ſed quæ magnam injiciunt difficultatem, dum dicitur natione Græcus, ibidem in ſpelunca degens excepiſſe S. Ægidium è Græcia venientem, & unà ſimul diu vixiſſe, & miraculis claruiſſe. Quæ ſunt accipienda de S. Veredemo anachoreta, cujus celebris memoria in breviario eccleſiæ Uzeticenſis agitur die XXI Auguſti. Debet hic vixiſſe tempore S. Cæſarii epiſcopi Arelatenſis, anno DXLIII * vitâ functi, apud quem dictus Ægidius * 542
aliquamdiu vixerat, antequam ad S. Veredemium anachoretam accederet. Proinde nobis ſuſpecta ſunt, quæ de S. Veredemi epiſcopi vitâ anachoreticâ apud dictum Gononum, & in Vita S. Agricoli referuntur. Omittimus proinde Vitam hujus epiſcopi Latinè excuſam apud Gononum

AUCTORE J. P.

pag. 160, & Gallicè apud Simonem Martin in ſacris reliquiis deſerti pag. 471, tamquam recentiorum compoſitionem, in quâ diſcerni non poſſint vera à falſis, certa ab incertis. *Hactenus Henſchenius.*

8 *Carolus le Cointe in Annalibus eccleſiaſticis Francorum tomo* 1 *ad annum* 531, *num.* XI *duos affirmatiſſimis verbis* Veredemios *diſtinguit, erroris accuſans eos, qui ambos in unum ſolum conflant :* Qui volunt, *inquit*, Ægidium ſeriùs in Galliam veniſſe, duos ſtatuunt Cæſarios Arelatenſes epiſcopos, quorum poſteriorem exeunte ſeptimo ſeculo ſediſſe tradunt, & ut opinioni ſuæ fidem concilient, Veredemium eremitam, quocum Ægidius in territorio Ucetienſi vixit, confundunt cum altero ejuſdem nominis eremita, qui pontificatum Avenionenſem ineunte ſeculo octavo geſſit. Unum dumtaxat agnoſcimus Cæſarium, duos autem Veredemios, quorum alter Cæſario æqualis fuit ; alter poſt annos ab obitu Cæſarii centum ac ſexaginta diœceſim Avenionenſem gubernavit.

rationibus

9 Veredemius eremita, quem Ægidius adiit; natione Græcus fuit, relictâ patriâ in Galliam venit, ſolitariam vitam in pago Ucetienſi duxit. Migravit ad Deum XIII Calendas Septembres, quo die colitur ab Ucetienſibus ſub titulo confeſſoris non pontificis. Hæc obſervantur à Gonono lib. 3 de Vitis patrum Occidentis, in notis ad Vitam S. Veredemi ſeu Veredemii epiſcopi, longéque diverſa ſunt ab Actis iſtius Veredemii, qui ſolitudinem, Avenione unà tantùm leucâ diſtantem incoluit, ex eremita creatus eſt Avenionenſis epiſcopus, annuâ feſtivitate celebratur XV Calendas Julias, & in argenteâ capsâ ſuper majus altare primariæ Avenionenſis eccleſiæ requieſcit. *Quid de vita ipſius ſolitaria jam pridem ſenſerit Henſchenius, ſuprà vidimus ; quæ res utcumque ſe habeat ; duos admittit Cointius* Veredemos, *ætate diſtinctos, nec non dignitate epiſcopali, quâ unus illorum inſignitus fuerit, non verò alter : hodiernus item fuit anachoreta, ſecundum ea, quæ jam ſunt dicta, ac poſtea dicentur ; vita autem anachoretica ſynonymi Avenionenſis tam ſuſpecta fuit Henſchenio, ut ne locum quidem eidem dederit in Opere noſtro.*

probabiliùs B

10 *De ætate, quâ floruit S. Ægidius abbas ex profeſſo tractare, etiamſi non ſit hujus loci, ſed alterius, ad diem nempe primam Septembris ; interim tamen nonnulla hîc notanda veniunt per anticipationem, cùm ab hujus ætate pendeat ætas* S. Veredemi *hodierni. Bollandus noſter in ſupellectile litteraria, quam de S. Ægidio aſſervamus, haſce nobis de præſenti argumento reliquit obſervationes manu ſua ſcriptas:* De ætate, *inquit*, S. Ægidii controverſia eſt. In Vita dicitur veniſſe Arelatum ad S. Cæſarium, qui circa annum D ſedit. Dicitur deinde Flavius Gothorum rex ei monaſterium condidiſſe. Demum mentio fit Caroli Francorum regis cum eo collocuti. Sigebertus ad annum DCCXV illum refert, & Petavius eum ſecutus in Rationario temporum, atque hîc ex Ms. Pragenſi Bernardus Guido. Sauſſayus quoque ad idem tempus refert, & veniſſe ait ad S. Cæſarium II Arelatenſem epiſcopum, quem ait in Appendice pag. 1220 antea S. Porcarii in Lirinenſi monaſterio diſcipulum ac ſucceſſorem fuiſſe. Egiſſe S. Ægidium addit cum Carolo Martello. Flavii regis Gothorum non meminit.

C *ſuaderi videtur,*

11 Alii (Catellus in Languedocia pag. 453 ait certum eſſe, ac plura habet de ejus monaſterio) ſimpliciùs ad S. Cæſarium celeberrimum veniſſe putant ; egiſſe cum Clodoveo I. Sed cùm forte C ſolum poſitum eſſet, poſteriores pro CLODOVEO CAROLUM legerunt. (*Cointius ad an.* 542, *num.* 26 Caroli loco *ponit* Childebertum.) Gothi tunc ea loca tenebant, &, licèt Ariani, tamen viris ſanctis benefaciebant. *Has Bollandi, uti & ſuperiores Cointii obſervationes conferre dignetur lector cum difficultatibus, quas præmittebamus ſuprà ex Mabillonio & Caſtellano contra* Veredemium *hodiernum, &, ſecluſo partium ſtudio, æqua lance expendat, an nihil inde reluceat probabilitatis pro vera & reali ejuſdem Sancti exiſtentia, & ad S. Ægidii Acta defendenda utcumque, in quibus illa fundatur. Fruſtra verò recurritur ad S. Cæſarium Arelatenſem epiſcopum hujus nominis ſecundum, qui utpote numquam fuerit in rerum natura ; uti ſuperiùs indicabant Mabillonius & Cointius : quibus adde catalogum præſulum Arelatenſium in Gallia Chriſtiana tomo primo antè citato, ubi columnâ* 534 *ponitur S. Cæſarius, ac deinde in dicti Catalogi ſerie nullus poſt hunc alter comparet. Idem fit in diptychis eccleſiæ Arelatenſis apud Mabillonium tomo* 3 *Veterum analectorum pag.* 432 *&* 433, *ubi in annotatione,* Unus, *ait*, ponitur Cæſarius, nullus octavo ſeculo, contra Sigebertum, alioſque, qui ſanctum Ægidium ad id tempus referunt. Ipſummet eſſe non dubitamus Ægidium abbatem, qui Symmacho Papæ libellum obtulit cum Meſſiano notario, in gratiam eccleſiæ Arelatenſis. *Vixerunt itaque ſeculo ſexto SS. Cæſarius Arelatenſis ac Ægidius abbas ; vixit utrique ſynchronus* S. Veredemius *eremita, ſecundum Acta ejuſdem abbatis ; atque adeo nimis remotus à ſeculo octavo, quo vixit ſynonymus epiſcopus, quàm ut hic ab iſto non fuerit diverſus.*

D *duos fuiſſe*

12 *Acta porrò iſta, quæ accuſantur ab eruditis, ſed quæ ex conjecturis Bollandi modò allatis juvari utcumque poſſe videntur, adeone ſunt certò ſubleſtæ fidei, & fabuloſa in omnibus, ut ea, quæ rebus Ægidianis immixta memorant de* S. Veredemo *ſolitario, ſint expungenda tamquam apocrypha & commentitia ? Enimvero non video equidem me ad hoc certò adigi. Verùm ne nimis præmaturam de illis cenſuram proferam, eorum examen remitto ad diem* 1 *Septembris. Interea temporis, fac illa ſuis laborare defectibus ac nævis, quod revera nimis ſæpe accidit in Actis pluribus aliis, quæ ex bonis facta ſunt mala, eo quòd ſtupidus aliquis interpolator imperitam eis manum admoverit ; viſum tamen mihi eſt hactenus, hiſtoriam noſtri* S. Veredemii ; *Vitæ laudati ſancti abbatis inſertam, ex antiqua ſua poſſeſſione non ejicere, & expungere ; ſed adhibere ad narranda ea pauca, quæ de* S. Veredemio *ſolitario ad poſteros pervenêre, exemplum ſecutus Cointii, qui de* S. Ægidii *ad eum adventu ex ipſis Ægidii Actis ſcribit ad annum* 531, *num.* 10.

E

Veredemios.

F

§ II.

A

§ II. Cultus S. Veredemii confeſſoris & eremitæ ; lectiones propriæ ; Vitæ fragmentum, & Sancti ætas.

Cultus ejus apud Ucetienſes diebus variis ; hac verò notatur Sanctus in Martyrol. novo Pariſienſi :

IN *libello excuſo, in cujus initio multa folia deſiderantur, & cui à tergo inſcriptum lego* Breviarium Ucecience antiquum. Deeſt annus impreſſionis ; *poſtquam præſcriptum eſſet, quidnam legatur in Octava Aſſumptionis Deiparæ Virginis, annotantur iſta fol.* 339 : Eodem die in natali ſancti Veredemii confeſſoris IX lc., cujus Officium in craſtinum Octa. beatæ Mariæ celebratur. Et dicitur Officium de communi unius confeſſoris non epiſcopi. *Sed* Lectio VIII & IX dicuntur de Euangelio vigiliæ B. Bartholomæi, *uti præſcribitur fol.* 340. *Hîc obſerva, Officium illud ibidem ordinari non in tranſlatione reliquiarum* S. Veredemii, *ſed* in natali, & confeſſoris, non epiſcopi. *Quæ apertè pugnant cum iis, quæ dicebat ſuprà Caſtellanus num.* 5.

B *In directorio pro eccleſia Cathedrali & diœceſi Ucetienſi anni* 1681 *ad diem* XXVII *Auguſti notatur feſtum* S. Veredemii eremitæ Ucetienſ. conf. *ritu ſemiduplici. In altero directorio pro dictis locis, quod editum eſt anno* 1686, *eadem indicantur. Martyrologium Pariſienſe, anno* 1727 *editum, hac die* XXIII *Auguſti* Veredemium *noſtrum ita annuntiat :* In pago Ucetienſi Galliæ Narbonenſis, ſancti Veredemi ſolitarii, *diſertè illum diſtinguens à ſynonymo Avenionenſi epiſcopo, quem retulerat die* XVII *Junii. Quod denuo eſt contra Caſtellanum, & ſi qui ſint alii, qui ambos in unum conflant.*

oratio propria, ac lectiones

14 *Nunc tranſcribamus, quæ in allegato mox breviario de Sancto noſtro leguntur.* ORATIO. Deus, qui nobis tanto munere de beato Veredemio confeſſore tuo providere voluiſti : quem ut luciferum neſcientem occaſum de partibus Orientalibus mittere ordinaſti : concede propitius, ut ejus meritis & precibus æterna præmia percipere mereamur. Per. AD MAT. LECTIO I. Veneremur, fratres ſanctiſſimi, confeſſoris Veredemii, quæ in præſenti habemus, pignera, & ejus ſolennitatem anniverſata * celebritate recolentes, qualiter de tranſmarinis partibus in hoc Uzetico pago dextera Dei perduxerit, dicamus nos, audite & vos.

**f.* anniverſaria

C

LECTIO II. Hic ſanctus Veredemius cùm cœpiſſet condelectari legi Dei, id eſt, amorem habere in ſemetipſo ſervire Deo, ſtatim illam contrariam legem membrorum, cogitationes videlicet & opera diabolica à ſe alienavit : & in quantum humana fragilitas permiſit, à corde & ore, atque manibus eradicavit.

LECTIO III. Cumque inter homines habitaret, angelorum ſocius mente efficiebatur, dicens cum Apoſtolo : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? ſcilicet, quia diximus, non aliter poterat, niſi mente in cæleſti habitare patria : donec tempus diſſolutionis veniret, patriam & parentes fugiens, deſertum locum, ubi ſecum ſolus cum ſolo habitaret Deo, quærere voluit.

è breviario Ucetienſi :

15 LECTIO IV. Deniquè cogitabat heremiticam non poſſe in patria ſua vitam ducere, ne forte parentes aut propinqui ſui eum invitum retraherent, aut ipſe aliqua diabolica tentatione permotus, videns patriam ſuam, ab hac voluntate deficeret, ad Gallias tranſire deſiderabat. AUCTORE G. C.

LECTIO V. Tandem invenit homines, qui cum ſuis navibus propter negotiorum ſuorum lucra Maſſiliam, Provinciæ regionis civitatem, venire tentabant : quibus ſe ſocians pro nichilo ducebat, patriam & parentes relinquere, ut poſſet Deo ſervire : ſciebat enim certiſſimè, quia, qui Deo ſervit, regnat ; & qui illi conjungitur, ſine macula permanet, & centuplici Vitæ æternæ gaudet remuneratione.

LECTIO VI. Læti itaque illi maritimi nautæ, cum quibus beatus erat Veredemius, ut ad regni ſui fines repatriarent, naves ſuas in profundum maris promovent, nichilque aliud niſi cælum, ſtellis ſuis nocte depictum & decoratum, & per diem radiantem & lucentem ſolem, & ſub ſe gurgitem maris in ſimilitudinem viventis, quod dicunt, argenti & clariſſimi vitri videre poterant. Cælum ſuper ſe, mare circumcirca habebant.

LECTIO VII. Euangelium : VIGILATE, QUIA NESCITIS. *De duobus reliquis lectionibus dixi ſuprà. Nonne ex his ſatis & abunde perſpicuum eſt,* S. Veredemium *hodiernum, confeſſorem & eremitam, modò tam ſingulari ac proprio coli apud Ucetienſes, ut non magis videantur in eo cogitaſſe de ſynonymo epiſcopo Avenionenſi, quàm ſi numquam exſtitiſſet ?*

E

profertur Vitæ fragmentum ex Actis S. Ægidii abb.

16 *Reliquum eſt, ut producam fragmentum Vitæ, ex Actis S. Ægidii. Plura eorum exemplaria Mss. habemus, unumque inter illa, quod magnam vetuſtatem præſefert ; quodque, ut mea quidem eſt conjectura, exaratum forſan fuerit ſeculo circiter decimo. Ex hoc Ms. deſumere viſum eſt hoc, quod in eo narratur de* S. Veredemio, *fragmentum :* Vir Domini (*S. Ægidius*) tranſacto ſcilicet biennio (*apud S. Cæſarium Arelatenſem epiſcopum*) ſoli Deo cupiens vacare ſolitarius, latenter inde ſeceſſit : tranſactoque Rodano, ſecus ripam Gardonis fluvii aliquòd latibulum aptum ſuo propoſito quærens, divino directù invenit quemdam eremitam Veredemium nomine, ſanctitate & miraculis inſignem. Is in cujuſdam rupis concavo morabatur, quò ſaxorum aſperis anfractibus, ſatis erat difficilis aſcenſus : cujus vitam ſanctus Ægidius videns eſſe divinam, aliquantum temporis cum eo ædificationis cauſâ converſatus eſt. O inenarrabilis divina diſpoſitio, quæ de tam longè remotis terrarum partibus hæc duo ſydera in unum congregaſti, ut alterum ab altero perluſtratum ſplendidiùs illuminarent orbem. Et quis umquam verbis explicare valeret, quot ibidem miraculorum inſignibus ambo claruerint. Nullus enim æger, pro quo Deum deprecarentur, cupita ſalute caſſabatur. *Deinde narratur, cur S. Ægidius, relicto* S. Veredemio, *in Septimaniam ſeceſſerit.*

F

Tempus vitæ.

17 *Paucula hiſce ſubnecto de tempore, quo Sanctus noſter vixit, & quo vivere deſiit. Vixiſſe eum ſeculo Chriſti ſexto, colligitur è recitato fragmento Vitæ S. Ægidii. Si autem quæras, ad quotum hujus ſeculi annum vitam produxerit ; candidè profiteor, tam non eſſe mihi compertum, quo anno è vitâ migrarit, quàm cur in Martyrologio Pariſienſi ad marginem annuntiationis ejus apponatur* c. (*id eſt circa vel circiter annum*) DXLVII. *Cointius ad annum* 531 *num.* 12 *agit de S. Ægidii ad* S. Veredemium, *apud Gardoni fluvii ripam degentem, adventu. Forte igitur ſanctus Eremita ſupervixit ad annum circiter Chriſti* 540, *uti ſuperiùs notavi, quam tamen temporis poſitionem intelligi volo cum exten-*

AUCTORE J. P.

tenſa latitudine. Caſtellanus ad diem XX *Auguſti innexuerat eum ſeculo* VI ; *ad diem autem* XXIII *ejuſdem menſis, anno circiter* 547, *ante-* *quam mirabili, & minùs probabili perſonarum ac temporum metamorphoſi duos ſynonymos confudit, & ſeculo octavo intexuit.* D

DE S. FLAVIO EPISCOPO,

ROTHOMAGI IN NORMANNIA,

G. C.

SYLLOGE HISTORICA.

Notitia de immemorabili hujus Sancti cultu, & veriſimilior aliquorum geſtorum ejus chronologia.

ANNO DXLIV. *Ex veteri fragmento,*

Hic Præſul Rothomagenſis, quem Galli quidam vernacule S. Flieu, *alii* S. Filleul *appellant, paſſim titulo* beati *ornatur in antiquis inſtrumentis, ut patet ex Actis archiepiſcoporum Rothomagenſium, quæ auctor anonymus ſeculo undecimo conſcripſit, & in quibus apud Mabillonium tomo* 2 *Veterum analectorum pag.* 430 B *legimus ſequentia:* Gildardo ſucceſſit beatus Flavius, cujus pontificatûs tempore conſtructa eſt eccleſia in honore beati Petri Apoſtoli in ſuburbio urbis Rothomagenſis, anno primo Clotharii regis Francorum nobiliter ædificata, in qua corpus beati Audoëni ſucceſſoris ſui ſepulturæ traditum eſt. Hic verò beatus Flavius anno quingenteſimo .... Dominicæ Incarnationis multis virtutibus præditus, divini amoris flagrantiâ accenſus, dapſilis pauperibus, Rothomagenſem rexit eccleſiam. Huic ſucceſſit Prætextatus vir magnæ ſanctitatis, & omnibus iniquis odioſus &c.

quod non ſatis fideliter recuſum eſt,

2 *Edmundus Martene Benedictinus in Nova collectione veterum ſcriptorum, quæ Rothomagi anno* 1700 *impreſſa eſt, parte* 2 *pag.* 233 *& ſequentibus eamdem Hiſtoriam archiepiſcoporum Rothomagenſium rurſus edidit; ſed dum ibi pag.* 235 *eumdem ſcriptoris anonymi textum refert, abſque ullo lacunæ ſigno perperam innuit, Sanctum noſtrum hodiernum* anno quingenteſimo Dominicæ Incarnationis *eccleſiæ Rothomagenſi præfuiſſe. Fidelius itaque primam Mabillonii editionem ſecuti ſunt illi, qui Pariſiis anno* 1723 C *Vetera analecta Mabillonii in folio recuderunt, & ibi pag.* 222 *locum lacunæ interpoſitis punctis expreſſerunt, ut lectori indicarent, illic aliquid deſiderari. Porrò hac punctorum omiſſione facilè quis in errorem chronologicum induceretur, & ex teſtimonio veteris iſtius auctoris anonymi malè contenderet,* S. Flavium *jam ab anno Chriſti quingenteſimo præſulem Rothomagenſem fuiſſe, quemadmodum infrà declarabitur.*

& Ghinio Martyrologo,

3 *Interim ſatis mirari non poſſum, quomodo diligentiſſimus ſanctorum Gallorum inveſtigator Sauſſayus in Martyrologio ſuo Gallicano prætermiſerit hunc præclarum Virum, qui ei non erat ignotus: nam ad diem* VIII *Octobris occaſione S. Evodii præſulis Rothomagenſis meminit de* Flavio *noſtro, quem novis ſanctitatis illuſtrationibus in cathedra Rothomagenſi micuiſſe affirmat. An de legitimo illius cultu dubitavit? At alibi tam ſcrupuloſus eſſe non ſolet, ut in Opere noſtro jam ſæpe monuimus. Non videtur antiqua venerationis ejus teſtimonia ignoraſſe Conſtantinus Ghinius, qui in Natalibus ſanctorum Canonicorum die* XXIII *Auguſti ſic illum confidenter annuntiat:* Rothomagi S. Flavii epiſcopi, qui poſt Gildardum XVI eamdem eccleſiam, ut bonus paſtor & fidelis ſervus & prudens rexit. Interfuit conciliis primo, ſecundo, tertioque Aurelianenſibus, & floruit anno Domini CCCCXCVIII.

aliiſque antiquis documentis,

4 *Franciſcus Pommerayus Benedictinus in Hiſtoria Gallica archiepiſcoporum Rothomagenſium pag.* 90 *aſſerit, in omnibus antiquis eccleſiæ Rothomagenſis Calendariis & manuſcriptis* E *documentis hunc Antiſtitem noſtrum titulo* ſancti *vel* beati *appellatum eſſe. Quare vehementer dolet ob jacturam Vitæ ipſius, quæ procul dubio varia virtutum exempla lectoribus ſubminiſtraret. Hujus Legendæ defectu recitat duos ſequentes verſiculos, qui olim in honorem Sancti iſtius compoſiti fuerunt:*

Flavius inſigni virtutum flore refulſit,
Commiſſoſque ſibi divina lege replevit.

Præterea in veteri abbatiæ Gemmeticenſis chronico legit, corpus S. Flavii *in eccleſia hujus monaſterii ſepultum fuiſſe. Sed ibidem rectè monet, id de quadam poſteriori ſacrarum reliquiarum ejus tranſlatione intelligi oportere, cum monaſterium Gemmeticenſe primo poſt mortem* S. Flavii *cœperit ædificari.*

apud Mabillonium relatis,

5 *Hic aſſignatus ſepulturæ ſeu potius tranſlationis locus aptè concordat cum biographo anonymo ſeculi decimi ineuntis, qui in Vita S. Aicadri Gemmeticenſis abbatis apud Mabillonium inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini ſeculo* 2 *pag.* 969 *ſcribit, in monaſterio Gemmeticenſi quieſcere* ſimul cum ſancto Flavio *plures alios Sanctos*, quorum ſancta lipſana, *inquit*, F adhuc in Domino cum illis manent humata; quorum interventu omnium nos petimus à cunctis protegi inimicorum tentationibus & defendi periculis, ipſo adjuvante Chriſto, qui illis & gloriam ſempiternam contulit, & vocatione ſua ſancta ad ſuæ ſanctæ cœnæ convivium invitare illos voluit. *Mabillonius in notis ad hunc textum dubitat, quis fuerit iſte ſanctus Flavius, & incertam quamdam conjecturam circa illum proponit.*

probatur legitimus hujus Sancti cultus,

6 *Sed poſtea inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini ſeculo* 3, *part.* 2, *pag.* 629 *hanc dubitationem ſuam revocat, & occaſione alterius Sancti ibi quieſcentis opinionem priorem corrigit his verbis:* Proinde ejus corpus longè poſt ipſius obitum Gemeticum tranſlatum eſt, uti & corpus ſancti Flavii Rothomagenſis archiepiſcopi. Horum Sanctorum reliquias humo infoſſas fuiſſe, imminente Nortmannorum tempeſtate, docet nos vetus codex Gemeticenſis his verbis: "Welpo ab-

„ bas

A „ bas poſtremus ante Danorum ſubverſionem fuit; „ cum quo fugientes monachi quaſdam rerum ſua- „ rum ſecum aſportaverunt, quaſdam verò ter- „ ræ occuluerunt, & in capella ſancti Clemen- „ tis abſconderunt. Ante altare ſancti Filiberti „ latet adhuc ſanctus Flavius archiepiſcopus Ro- „ thomagenſis; quem cum quidam monachi le- „ vare vellent, ſuperveniente in eodem loco ne- „ bula denſiſſima, & prohibente abbate, inta- „ ctum dimiſerunt „. . . . In veteri Chronico ejuſdem monaſterii: „ Anno CDXCIX claruit ſan- „ ctus Flavius Rothomagenſis archiepiſcopus, „ cujus corpus Gemetico ſepultum eſt in eccle- „ ſia ſancti Petri, nempe iſtuc tranſlatum ante „ ſeculum IX „.

qui adhuc perſeverat.

7 *Dum hîc audis, corpus* S. Flavii *tranſlatum fuiſſe ad abbatiam Gemmeticenſem, pro corpore partem corporis intellige, qui loquendi modus uſitatiſſimus eſt, ut innumerabilibus exemplis in Opere noſtro probatur. Etiam hoc loco communis illa interpretatio adhibenda eſt, cum Caſtellanus in Martyrologio ſuo univerſali ad diem* XXIII *Auguſti teſtetur, adhuc hodiedum*

B *Pontiſaræ ſacras* S. Flavii *noſtri reliquias honorari. Huic Caſtellani teſtimonio accedit eccleſia Pariſienſis, quæ hodie in Martyrologio ſuo ſanctum Præſulem noſtrum annuntiat hoc modo:* Rothomagi, ſancti Flavii epiſcopi, qui conciliis Aurelianenſibus ſecundo, tertio, & quarto interfuit; ejus corpus Pontiſaræ in monaſterio ſancti Martini colitur. *Hîc iterum partem corporis pro toto accipe, niſi quis forſan oſtenderit, totum* S. Flavii *corpus ex monaſterio Gemmeticenſi Pontiſaram poſtea tranſlatum fuiſſe. Ceterùm opinamur, ex omnibus huc uſque dictis immemorabilem & adhuc perſeverantem* S. Flavii *Rothomagenſis cultum ſufficienter probari.*

Cum geſta ejus ante epiſcopatum nos lateant,

8 *Cum Acta Sancti noſtri perierint vel adhuc lateant, de patria, parentibus, aut geſtis ejus ante epiſcopatum nihil certi ſtatuere poſſumus: quamvis enim Joannes Dadræus in Chronologia Gallica archiepiſcoporum Rothomagenſium pag.* 54 *aſſerat, illum fuiſſe præfectum palatii ſub Dagoberto rege, tamen aſſertio iſta corruit ex ipſo tempore, quo Dagobertus rexit. Comperto illo parachroniſmo, Claudius Robertus & Sammarthani* S. Flavium *noſtrum ex præfecto palatii quæſtorem regium fecerunt; ſed cautè ſubticuerunt nomen regis, ſub quo munus iſtud adminiſtraſſe dicitur. At ſuprà laudatus Pommerayus in Hiſtoria archiepiſcoporum Rothomagenſium pag.* 89 *candidè edicit, ſeſe nihil de alterutro illo ipſius officio reperiſſe apud veteres auctores, quibus ſilentibus, non temerè neotericis credendum pronuntiat. Forſan huic opinioni occaſionem dedit alius Flavius, de quo S. Gregorius Turonenſis in Hiſtoria Francorum lib.* 5 *cap.* 46 *ſic ſcribit:* Agrœcola autem Cabillonenſis epiſcopus hoc obiit tempore, . . . cui Flavius referendarius Guntchramni regis ſucceſſit. *Majores noſtri die* XVII *Martii de S. Agricola Cabillonenſi epiſcopo egerunt, ubi tomo* 2 *iſtius menſis pag.* 514 *tempus epiſcopatûs ejus conſuli poteſt. Nos interim ad probabiliorem* S. Flavii *noſtri chronotaxim indagandam progredimur.*

indagamus annum ſuſceptæ epiſcopalis dignitatis,

9 *Natalis Taillepied in Antiquitatibus urbis Rothomagenſis cap.* 19 *Gallicè ſine numeris ad longum ſcribit,* S. Flavium *hodiernum in locum S. Gildardi anno Chriſti* quadringenteſimo quadrageſimo octavo *ſucceſſiſſe. Sed ſuſpicamur, hîc errorem typographicum irrepſiſſe, & pro anno* quadrageſimo octavo *legendum eſſe* nonageſimum octavum, *cui etiam ſuprà laudatus Dadræus pag.* 52 *initium epiſcopatûs ejus affigit. Pommerayus loco ſuperiùs citato hanc utriuſque ſcriptoris epocham rejicit, & epiſcopale Sancti noſtri munus uſque ad annum Chriſti quingenteſimum trigeſimum quintum differt. At illa Pommerayi chronologia nobis etiam non placet, & cum ipſo auctore ſuo pugnat, cum* S. Flavius *interfuerit ſecundo concilio Aurelianenſi, quod anno Chriſti* 533 *celebratum eſt, ut infrà videbimus.* AUCTORE G. C.

quem Chriſti 529 *cum Cointio probabiliter putamus.*

10 *Ab his opinionibus diſſentit Carolus Cointius, dum in Annalibus Francorum ad annum Chriſti* 529 *num.* 2 *de S. Gildardo & ejus ſucceſſore ſic meminit:* Hoc anno, die octava Junii, migravit ad Deum ſanctus Gildardus epiſcopus Rothomagenſis, cum ſediſſet annos triginta quinque. Lege quæ de Rothomagenſium epiſcoporum chronologia diximus ad annum Chriſti quadringenteſimum nonageſimum quartum in obitu Creſcentii. Certè Gildardum ad hæc tempora perveniſſe vel ex eo probari poteſt, quod Lautonem, qui concilio Aurelianenſi ſecundo poſt quadriennium ſubſcripſit, epiſcopum Conſtantienſem, Orderico teſte, confecravit; inter Leontianum autem & Lautonem, quorum ille primo Aurelianenſi concilio, hic ſecundo interfuit, in cathedra Conſtantina ſedit Poſſeſſor, cujus mentio fit in Vita ſancti Marculfi. Ceterùm ſancto Gildardo in epiſcopatu Rothomagenſi ſucceſſit Flavius inſignis ſanctitate. *Sequimur hac in re ſententiam Cointii, donec eruditi Benedictini Galli perturbatum præſulum Rothomagenſium catalogum correxerint, & certiorem ſuſcepti epiſcopatûs epocham aſſignaverint in noviſſima ſua Gallia Chriſtiana, cujus proſecutionem indies avidè exſpectamus.* E

Certè S. Præſul anno Chriſti 533,

11 *Certè anno Chriſti* 533, *quemadmodum exactiores chronologi jam conſentiunt, habita eſt ſecunda ſynodus Aurelianenſis, cui nonus in ſerie præſulum* Flavius epiſcopus Rothomagenſis *ſubſcripſit, ut apud Sirmondum, Labbeum & Harduinum in Collectione conciliorum videre eſt. Claudius Fleury presbyter Gallus in famoſa ſua Hiſtoria eccleſiaſtica, quam Pariſiis hoc ſeculo Gallicè vulgavit, lib.* 32 *num.* 42, *ſive tomo* 7 *Pariſienſis editionis, pag.* 352 *ex ordine harum ſubſcriptionum confidentiſſimè concludit,*

C *eo tempore Præſules in ſubſcriptionibus ſuis non attendiſſe ad dignitatem cathedræ, ſed ad antiquitatem ordinationis epiſcopalis, cum archiepiſcopi poſt epiſcopos ibi ſubſcripſerint. At hæc regula ipſius haud dubiè falſa eſt in Chronopio antiſtite Petracoricenſi, qui poſt Honoratum Bituricenſem, Leontium Aurelianenſem, Aſpaſium Eloſenſem, Eleutherium Autiſſiodorenſem ſubſcribit, & tamen jam ab anno Chriſti* 511 *cum deceſſoribus horum præſulum concilio Aurelianenſi primo interfuerat, ut apud Harduinum noſtrum tomo* 2 *Conciliorum col.* 1012 *licet videre. Chronopius igitur ordinatione prior erat his quatuor præſulibus & forſan etiam pluribus aliis, inter quos nullo ordinationis ordine ſubſcribit, cum apud noviſſimos Galliæ Chriſtianæ editores tomo* 2 *col.* 1450 *dicatur ille circa annum Chriſti* 500 *jam Petracoricenſi eccleſiæ præfuiſſe,* F

quo forſan eccleſiam conſtrui curavit

12 *Non tam facilè aſſignari poteſt certus annus, quo ſuaſione* S. Flavii *conſtructum fuit monaſterium ſanctorum Petri & Pauli, quod poſtea à ſancto Audoëno ibidem ſepulto cognomen traxit. Cointius exiſtimat, id contigiſſe circa tempus ſecundi concilii Aurelianenſis, ut in Anna-*

AUCTORE G.C. *libus Francorum ad annum Christi* 533 *num.* 45 *indicat his verbis :* Flavius episcopus Rothomagensis, qui quæstor palatii regalis priùs fuerat, conciliis Aurelianensibus interfuit secundo, tertio, & quarto, monasteriumque sanctorum Petri & Pauli, quod hodie sancti Audoëni nomen obtinet, ædificavit hoc anno pontificatûs sui quarto, ut Tallepedius observat, aut potius ædificari curavit à Clotario rege, cui Fridegodus laudem illam in Vita sancti Audoëni tribuit, non quidem determinatè hoc anno, sed indeterminatè, quod in idem fermè recidit, ANNO PLUS MINUS QUARTO ET VICESIMO REGNI EJUS. *At superiùs ex Historia præsulum Rothomagensium apud Mabillonium tomo* 2 *Veterum analectorum pag.* 430 *retulimus, hanc ecclesiam, in qua corpus S. Audoëni postea sepultum est,* anno primo Clotharii regis Francorum *constructam fuisse, qui characteres chronologici multum inter se discrepant. Forsan in alterutrum Ms. codicem error amanuensis irrepsit. Nobis sufficit, istam ecclesiam tempore sancti nostri Præsulis ædificatam esse, & hoc pium opus aliquo modo* B *ad laudem ipsius pertinere. Quis porrò fuerit ille Fridegodus, de quo Cointius hic meminit, apparebit ex Commentario prævio ad Acta S. Audoëni, quæ die sequente apud nos illustrabuntur.*

& annis 538 *ac* 541 *interfuit conciliis Aurelianensibus,* 13 *Deinde Sanctus noster interfuit concilio tertio Aurelianensi, quod anno* 538 *celebratum est, ut jam inter recentiores conciliorum editores convenit. Hac occasione rursus erravit supradictus Claudius Fleury, dum in Historia sua ecclesiastica lib.* 32 *num.* 60, *sive tomo* 7 *Parisiensis editionis pag.* 397 *perperam pronuntiat, huic synodo post Lupum* archiepiscopum *Lugdunensem & concilii præsidem subscripsisse* tres alios archiepiscopos, *cum post illum præsidem quatuor alii metropolitani præsules subscripserint, ut ex ipsis nominum subscriptionibus liquet, & apud Cointium in Annalibus Francorum ad annum Christi* 538 *num.* 62 *& sequentibus explicatur. His adde, quod titulus* archiepiscopi, *quem proximè citatus ille Claudius pro metropolita præproperè hîc adhibet, ad significandos metropolitanos antistites in Occidentali ecclesia nondum tunc temporis usurparetur.*

quorum occasione scriptor Gallus corrigitur. C 14 *Denique* S. Flavius *etiam interfuit concilio quarto Aurelianensi, quod anno Christi* 541 *habitum est, & cujus occasione memoratus historicus Gallus iterum hallucinatur, dum lib.* 33 *num.* 15, *sive tomo* 7 *citatæ editionis pag.* 427 *episcopatum Elosanum cum Auscensi confundit. At eo tempore duo episcopatus illi inter se distincti erant, quemadmodum patet ex hoc ipso concilio, cui apud Harduinum nostrum tomo* 2 *conciliorum col.* 1441 Aspasius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Elosæ, *& col.* 1442 Proculeianus episcopus civitatis Auscensis *distinctè subscripserunt. Equidem fateor, hos leves & vix notatu dignos errores esse; sed etiam minutias illas cum Longuevallio nostro observare volui, ut cauti lectores in rebus majoris momenti non statim sine prævio examine fidem adhibeant huic historico Gallo, qui sæpe Pontifices Romanos audacter carpit, quædam narrationis adjuncta temerè mutat vel astutè prætermittit.* D

Verosimiliter Sanctus obiit anno Christi 544. 15 *Jam tantummodo supereſt, ut assignemus Chronologicum sancti nostri Præsulis obitum, de quo Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 544 *num.* 92 *sic disserit :* Hoc eodem anno transiit ad Deum Flavius episcopus Rothomagensis. Sanctorum numero accensetur apud Tallepedium & in antiquis tabulariis, quæ citantur à Sammarthanis in auctiore Gallia Christiana, vocaturque corruptè SAINCT FILLEUL, tamen ejus natalis nec in Breviario Rothomagensi, nec in Martyrologio Gallicano recolitur, quamvis Saussaius illum SANCTITATIS ILLUSTRATIONIBUS MICUISSE non diffiteatur in elogio, quod sancto Evodio scribit octavo Idus Octobris. Successit in episcopatu Prætextatus, qui, teste Orderico, tenuit pontificatum annis duobus & quadraginta, subiitque martyrium anno Christi quingentesimo octogesimo sexto, ut suo loco probaturi sumus.

quemadmodum Cointius contra alios 16 Illo calculo refelluntur Dadræus & Sammarthani, qui sancto Flavio sanctum Evodium subrogant. In veteribus elenchis Evodius sediſſe creditur, priusquam Rothomagum sub potestate E Francorum esset : numeratur enim decimus episcopus Rothomagensis, mediusque inter Innocentium ac Silvestrum collocatur. Ejusmodi indices à se visos non negat Dadræus; nihilominus Evodii pontificatum decennalem ab anno Christi quingentesimo vicesimo ad quingentesimum tricesimum circumscribit, quia in quibusdam Actis legit, illum sub Clotario rege floruisse. Sed esto, præsulatum regnante Clotario gesserit, obiitne anno Christi quingentesimo tricesimo, si successit Flavio, qui concilio Aurelianensi quarto subscripsit anno Christi quingentesimo quadragesimo primo ?

probare nititur. 17 Sammarthani Evodium promotum ad episcopatum volunt post annum circiter Clotarii regis vicesimum quartum; sed nec ea potest stare sententia, quia Flavius anno Christi quingentesimo quadragesimo primo, quocum annus Clotarii regis tricesimus coincidebat, prædictum Aurelianense concilium quartum sua subscriptione communivit. Saussaius, cùm ex collatis simul Aurelianensibus conciliis secundo, tertio, & F quarto, quibus Flavius interfuit, Orderico Vitale, qui pontificatum Prætextati in catalogo Rothomagensium antistitum ad annos duos supra quadraginta prorogavit, & Gregorio Turonensi, qui Prætextatum anno Christi quingentesimo octogesimo sexto mortuum variis characteribus chronologicis ostendit, animadverteret, locum Evodio Flavium inter & Prætextatum non esse, ipsum Evodium Flavii decessorem finxit. *Has tricas chronologicas ulteriùs indagandas relinquimus novissimis Galliæ Christianæ editoribus, ubi ad seriem Rothomagensium præsulum vulgandam pervenerint. Interea nos amplectimur verosimilem Cointii chronologiam, & huic syllogæ historicæ finem imponimus.*

DE

A D

DE SANCTO FLAVIANO EPISCOPO AUGUSTODUNI IN GALLIA,

SYLLOGE.

G. C.

Antiquus Sancti cultus ex Martyrologiis, ignota Acta, & incerta ætas.

FORSAN SEC. VII. *In Auctariis Hieronymianis*

Uctaria Hieronymiana hodiè memoriam hujus Sancti sic apud Florentinium annuntiant: Augustiduno Flaviani episcopi. *Florentinius ad hanc annuntiationem notat sequentia:* Flavianum sanctum episcopum Augustodunensem in Æduis exhibent etiam Martyrologium Romanum, Bellinus de Padua, & ex eo Molanus, Galesinius, Maurolycius & Saussayus. Inter Æduenses seu Augustodunenses præsules hunc apud Sammarthanos non invenio numeratum. *Sed Florentinius non potuit videre recentiores Sammarthanos sive novissimos Galliæ Christianæ editores, qui* S. Flavianum *hodiernum inter episcopus Æduenses vel Augustodunenses recensent, ut mox infrà referemus.*

& Usuardinis,

2 *In Auctariis Usuardinis nomen* S. Flaviani episcopi *plerumque sine certo episcopatûs loco memoratur, & cum sancto Sidonio præsule Arvernensi conjungitur, ut hac die in Usuardo nostro illustrato legi potest. Ast ibidem in editione Lubeco-Colonienſi ambo illi antistites Augustoduno perperam adscribuntur his verbis:* Augustoduno, beatorum Flaviani & Sidonii episcoporum & confessorum. *Sidonius autem fuit episcopus Arvernensis aut Claromontensis, ut hac die ex Actis ejus illustratis apparet. Solum* S. Flavianum *Augustoduni annuntiant Martyrologi recentiores, inter quos Andreas Saussayus illum exornat hoc vago elogio:* Ipso die Augustoduni sancti Flaviani episcopi, qui religionis Christianæ cultor egregius ipsam sibi creditam ecclesiam gloriosè direxit, cælestique Christi regno in terris mirificè propagato, abiit ad coronam. *Hoc elogium cuilibet sancto præsuli facilè aptari potest, & nullum temporis aut gestorum indicium præbet.*

B C

aliisque Martyrologiis

3 *Etiam Castellanus in suo Martyrologio universali* S. Flavianum *Augustoduni hac die collocat; sed simul ibidem obelo monet, illum Augustoduni ignotum esse, quamvis in veteribus Martyrologiis commemoretur. Hanc Castellani monitionem veram esse, colligimus ex Opere Gallico, quod non ita pridem Divione vel Parisiis editum est, & in quo recensentur Acta sanctorum patronorum, Martyrum, & episcoporum, qui usque ad finem seculi septimi diœcesim Augustodunensem illustrarunt, ut in titulo promittitur. In hoc libro Gallico, qui sanctos diœcesis Augustodunensis ordine mensium celebrat, altum est silentium de* S. Flaviano *hodierno, quamvis ibidem die* XXII *Augusti S. Symphorianus martyr, & die* XXVII *ejusdem mensis S. Syagrius episcopus meritis laudibus ornentur.*

4 *Sed illud auctoris Galli silentium non obstat, quo minus ex veteribus Martyrologiis de*

legitimo & immemorabili S. Flaviani *nostri cultu certi simus, quem novissimi Galliæ Christianæ editores tomo* 4 *Operis sui col.* 347 *confirmant his verbis:* Id unum de Flaviano constat, nomen ejus tabulis ecclesiasticis inscribi. In Martyrologio Romano x CAL. SEPTEMBR. AUGUSTODUNI S. FLAVIANI EPISCOPI. In Auctario Hieronymiani AUGUSTIDUNO FLAVIANI EPISCOPI. In Richenovienſi altero, in Augustano, Labbeano, in eo qui fuit Reginæ Sueciæ: AUGUSTIDUNO DEPOSITIO S. FLAVINIANI EPISCOPI. Apud Molanum, Galesinium &c. *Ex hactenus dictis & relatis abundè probatur antiquus hujus Sancti cultus; at ignota sunt ipsius gesta, quæ nullus huc usque (quantum scimus) in lucem protulit.*

hic sanctus Præsul memoratur;

E

sed ætas ejus

5 *Præterea dubitare cogimur de tempore, quo Sanctus iste floruit, etiamsi Carolus Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 610 *num.* 2, *& ad annum* 614 *num.* 14 *illum tunc in cathedra Augustodunensi sedisse existimet. Nec etiam ad istud dubium prorsus evellendum sufficit, quod laudati Galliæ Christianæ editores tomo* 4, *proximè citatâ columnâ* S. Flavianum *inter episcopos Augustodunenses numero vigesimum primum collocaverint, cum illi ipsi ibidem sic antea lectorem moneant:* In tribus sequentibus (*qui scilicet Lesastum ordine vigesimum Augustodunensem episcopum in catalogo isto subsequuntur*) incerta ferè omnia, ordo, tempus, nomen & cetera. Nec suppetunt monumenta, quibus plana fieri possint. Cointium sequemur, quamquam quæ profert, nihil minus quàm certa nobis videantur; unde & quæ in illius sententiam militant, proferemus.

F

incerta est,

6 *Tum ibidem de* S. Flaviano *nostro singillatim subjungunt sequentia:* Flavianus, qui aliàs Flavinianus & Flavignianus nuncupatur, quo tempore fuerit, incertum: variant enim indices & auctores. Hîc eum, Cointium secuti, reponimus, quamquam, ut verum fateamur, nullo certo fundamento nixi. Quod enim profert de itinere sancti Columbani Luxovio Nannetas, non magis Flavianum denotat, quàm quemlibet alium. Nec in eo felicior est, quod refert ad annum DCXIV ad electionem episcopi Constantiæ advocatum Augustodunensem & Verdunensem episcopos: ibi enim nullius eorum nomen apponitur.

& gesta ignorantur.

7 Quod denique profertur ex Vita sancti Audoëni, quod " quidam Monothelitani impii dog-
„ matis assertor ex Asia pulsus in Galliarum ci-
„ vitatem Heduam perfidus apostata pervenit.
„ Cumque in aula regis Francorum relatum esset,
„ virus suum horrendum in ea civitate latè vi-
„ brasse, multosque ibidem infeciſſe, illico syn-

AUCTORE G. C.

,, odalem conventum indicaſſe apud Aurelia- ,, nenſem urbem adunari; ubi beati viri Audoë- ,, nus & Eligius illius hæretici verſutiis, objectio- ,, nibus validiſſimis reſtitere, cunctiſque ejuſque ,, argumentis &c. ,,. Sed nec hìc epiſcopus Eduenſis nominatur, & Auſpicio magis convenire videretur, utpote quod ante Audoëni epiſcopatum evenit. *Nomen epiſcopi iſtius Auguſtodunenſis etiam non exprimitur apud nos in Actis S. Audoëni, quæ die ſequenti excudentur. Interim ſecuti Cointium & hos Galliæ Chriſtianæ editores, ſuperiùs in margine notavimus, hunc Sanctum* forſan ſeculo VII *floruiſſe, donec alicunde certiora ætatis vel Actorum ejus documenta ab eruditis Auguſtodunenſibus aut aliis veterum monumentorum inveſtigatoribus detegantur.* D

DE SANCTO CALLINICO PRIMO,

PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO,

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Stabilitur cultus; Vita.

B

SUB INITIUM SECULI VIII. *Cùm de hoc Sancto alibi apud nos fuerit actum,*

Multa, quæ de hoc ſancto Patriarcha hìc memoranda eſſent, inveniet lector in Hiſtoria Chronologica Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, quæ tomo I *hujus menſis præmiſſa eſt, à pag.* 88 **. Nihil itaque hìc referam de accuſationibus aliquorum auctorum, qui Virum hunc tamquam hominem hæreticum & impium depinxerunt, de ipſa, quam narrant, rei veritate non ſatis inſtructi, uti patet ex deductione apologetica, quæ ibidem, & in Paulo III,* Callinici *deceſſore, conſuli poteſt pag.* 87 **, & proximè ſequente. Non hìc etiam repetam, quæ ibi dicta ſunt de tempore, quo cœpit ſedere, & quo obiit. Non denique retexam denuo, quæ ibidem exſtant de publico Viri cultu hac die ex Menæis Græcis typo editis, quibus è ſynaxario Ms. Sirmondi additum fuit hoc publicæ venerationis ejus teſtimonium:* Celebratur ipſius feſtum in ſanctiſſima magna eccleſia. *Sed huc ſpectat potiſſimùm quæſtio, quæ inde ad præſentem dilata diem fuit, deciſio videlicet, an reliquis ejuſdem diei Sanctis* Callinicus *annumerandus à nobis, & Operi noſtro tamquam unus ex illis inſerendus ſit.*

C

hìc conamur probare

2 *Non video equidem rationem ſufficientem in dubium revocandi, multo minùs auferendi ab eo titulum* ſancti, *quem à tot retrò ſeculis jam poſſedit. Quidquid ſit de Menæis excuſis; vix fidere in hac re ipſis ſolis auſim, cùm non paucos obtrudant tamquam Sanctos, quos conſtat aliunde atro opprobrii ſtigmate notatos fuiſſe. Alia accipe de noſtri Patriarchæ ſanctitate & cultu teſtimonia. In apographo noſtro è codice Ms. bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, identidem à nobis per decurſum hujus menſis indicato, Vitæ ipſius præponitur hic titulus:* Μηνὶ Αὐγούστῳ κθ' μνήμη ἁγιωτάτου Καλλινίκου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως. *Id eſt:* Menſe Auguſto (*die*) XXIV memoria ſanctiſſimi Callinici archiepiſcopi Conſtantinopolitani. *In alio autem Vitæ ipſius apographo è codice Ambroſiano, quod infrà exhibebitur Græco-Latinè excuſum, indicantur iſta:* Βίος καὶ πολιτεία καὶ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Καλλινίκου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως. *Hoc eſt:* Vita & converſatio ſancti patris noſtri Callinici archiepiſcopi Conſtantinopolitani, *& additur ad marginem* μηνὶ τῷ αὐτῷ κθ', *id eſt,* menſe eodem (*Auguſto videlicet*) XXIX *die.*

3 *Habes hìc, lector, convenientia teſtimonia duo de ſanctitate & cultu; in aſſignando autem cultûs die, quod notari obiter poteſt, diſcrepantia, ita ut ex dictis ſit conſequens, tribus Auguſti diebus, nimirum* XXIII, XXIV *&* XXIX *Viri ſancti memoriam celebratam fuiſſe. Adde Meæum Chiffletii, quod hodierna die ſic de illo meminit:* Καλλινίκου πατρ. Κ. Π. *Quod Latinè ſic ſonat:* Callinici patriarchæ Conſtantinopolitani. *Habetur eadem die in noſtro apographo è codice Taurinenſi, quâ etiam annuntiatur in Martyrologio Arabico-Ægyptio, quod ex Arabico tranſtulit Gratia Simonius Maronita. Unde liquet, venerabilem* S. Callinici *memoriam non modicè fuiſſe propagatam per Orientales plagas. Hæc ſunt, quæ judicamus ſufficere, ut hac die Patriarcham noſtrum tamquam ſanctum Operi noſtro inſcribamus, præſertim quia* ipſius feſtum in magna eccleſia *Conſtantinopolitana, (de qua Cangius in Conſtantinopoli Chriſtiana lib.* 3 *conſuli poteſt) atque adeo in publico ac ſpectatiſſimo eccleſiæ Orientalis theatro, ut ita dicam, celebratum fuiſſe perhibeatur. Nec obſtare debet, quòd* in Leontii inauguratione probroſa quædam in imperatorem (*Juſtinianum Rhinotmetum*) jactaſſe *referatur; ſicut in Hiſtoria Patriarcharum Conſtantinopolitanorum antea deſignata ſcribitur ex S. Nicephoro, de qua re ibi plura; nam ſi deliquit in ſeditione Conſtantinopolitana contra hunc imperatorem mota, cui* Callinicus *ſeſe immiſcere coactus eſt, teſte eodem Nicephoro, ibidem in iſta Hiſtoria citato; præſumi poteſt ac debet, culpam ex hac re vel ex alia contractam ſeriâ pœnitentiâ ante mortem eluiſſe, opportuna ei ad hoc oblata occaſione, quando Juſtiniani juſſu excæcatus, in exſilium pulſus, & in antrum, undequaque exteriùs lapidibus & calce obtectum, ſicut volunt Acta, injectus,* poſt dies quadraginta ſublatâ calcis cruſtâ .. vivens adhuc & ſpirans repertus eſt, *nec non* quatuor pòſt diebus .. ad Dominum migraſſe, *narratur ibidem. Hæc ſunt, quibus confirmare conati ſumus verum ac legitimum* S. Callinici *cultum. Alia quædam occurrunt obſervanda, ſed illa remittimus ad Annotata: ut jam reliquum ſit, repræſentare exemplar è codice Ambroſiano, ut antea indicatum eſt, toties per decurſum hujus menſis à nobis adhibito: ubi de auctore etiam ſatis actum eſt.* *publicum ejus cultum.* E F

VITA

A D

V I T A

Auctore Laurentio quodam monacho Rutiensi in Calabria,

Ex codice Ambrosiano f. N. n. 152. *Interprete Joanne Pinio.*

Ὁ Μεδαπὸς ὁ Καλλίνικος, καὶ τὸ Κωνσταντίνου, καὶ ἔτος γνώνημα, θρέμμα, καὶ παίδευμα πιστῶν γνωτότων ὁ Καλλίνικος καὶ σεμνῶν· ὑφ' ὧν ἀνάγεται καλῶς καὶ παιδεύεται, καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ κληροῦται Χριστοῦ. Πάσαις ἓν γεγραφαῖς ὁ Καλλίνικος ἑαυτὸν καὶ ταῖς θεοπνεύστοις καὶ ὠφελίμοις μᾶλλον ἐναπασχολήσας, ἐπίφημος ἦν καὶ ἐπιβλεπτος. Ἐνθέν τοι καὶ τὰς ἄλλας ἐκκλησιαστικὰς βαθμὰς διελθὼν, καὶ τὸ τῶν πρεσβυτέρων ἀξιοῦται καθέδρας, καὶ αἰνεῖται ἡ Κύριον ἐν αὐτῇ. Τῆς φήμης ἓν αὐτὸν κἂν τοῖς ἐν πόλει διαδοθείσης, καὶ τῷ ἓν ἐπωνύμῳ τὸ Θεοτόκῳ τῷ ἐν Βλαχέρναις ναῷ σκευῶν φύλαξ καθίσταται, καὶ ἔτω διάδηλος τοῖς πᾶσι καὶ μέγας γνωρίζεται. Ἆρα γὰ τὸ Κωνσταντίνου πρεσβέρου, Παύλου γὰ ἔτος ἦν, ἡ βίου ἀποληπόντος, ὁ μέγας ἔτος Καλλίνικος, τὸ ἀρετὸ εἰς ἓν τὸ συγκαλεσάσης, αὐτῷ ξήφῳ τῶν ἐπικειτῶν ἓν βήματος, καὶ πάντων δὴ τῶν ἐν τέλει, πατριάρχης ταύτης χειροτονεῖται, καὶ ἦν ἔτω διακυβερνῶν καλῶς ἡ Χριστοῦ ἐκκλησίαν, καὶ τὰ τὸ εὐσεβείας διϊθύνων πηδάλια.

NOstras est Callinicus, & Constantinopolitanus; ac progenies, alumnus, & discipulus fidelium atque honestorum parentum est hic Callinicus, à quibus rectè educatur & instruitur, & Ecclesiæ Christi clericis adscribitur. Omnibus itaque Scripturis à Deo inspiratis, & admodùm utilibus postquam sese Callinicus occupasset, illustrem nominis celebritatem acquirit. Inde per omnes gradus ecclesiasticos transiens, sacerdotalis sedis honore donatur, & in hac Dominum laudat. Famâ igitur illius ad personas in dignitate etiam constitutas delatâ, in celebri Deiparæ ecclesia, quæ est in Blachernis *a*, vasorum custos creatur, & sic omnibus manifestus Vir magnus innotescit. Jam verò dum urbis Constantinopolitanæ præsul (Paulus hic erat *b*) è vita migraverat, magnus hic Callinicus, virtute sua eò illum convocante, ipsorum primariorum tribunalis sacri, nec non omnium, qui erant dignitate conspicui, suffragio, patriarcha ejusdem urbis ordinatur; Christique ecclesiam ita rectè moderabatur, ac pietatis regebat gubernacula.

Sanctus meritis conspicuus fit patriarcha Constantinopolitanus:

a

b

B E

Ἆρα γὰ Ἰουστινιανοῦ τοῦ νέου, ὃν καὶ ἀπέκγονον Ἡρακλείου φασὶ, τὰ τὸ βασιλείας διϊθύνοντος σκῆπτρα, ὁ καλὸς Καλλίνικος ἐν ἀρχιερεῦσι διέπρεπε, καὶ σεμνὸς τοῖς πολίταις καὶ δὴ καὶ πάσῃ τῇ ὑπὸ Ῥωμαίους τελέσῃ διεγινώσκετο· καὶ ἐπ' ἐμοὶ μὲν καὶ τῷ βασιλεῖ τότῳ καὶ ἀγαπώμενος καὶ τιμώμενος, καὶ θαύματος ἐν μέρει τιθέμενος· ἀλλ' ἐπεί περ ὁ κρατῶν βαρύς τις ἐπὶ τοῖς ὑπὸ χεῖρα, καὶ φρενῶν ἐνδεὴς τὸ ὑπήκοον ἐξεβιάζετο, καὶ ἀπρεπῆ τινα καὶ βασιλεῖ ἀπρεπῆ τὰ αὐτοῖς ἀπειργάζετο, μὴ οἷός τε ὢν ὁ ἀρχιερεὺς ἀνεξέλεγκτα ταῦτα κατέχειν, τότε μὲν ἀποκλήσεσι, ἔτο δὴ καὶ γεγραφικαῖς παιδεύσεσιν, ἔστι δ' ὅτε καὶ σύρσι λόγοις, καὶ ἀναμνήσεσι κρίσεως ἐκείνης τὸ φοβεροῦς καὶ τὸ φρικτὸ ἐκείνων κολάσεων ἀπεῖργε ἔτον ἓ ἐγχειρήματος. Ἀλλ' ὁ καρκῖνος ὀρθὰ βαδίζειν ἐκ οἶδε. Πάλιν γὰ ἐκεῖνος τοῖς αὐτοῖς ἐπέμενε, καὶ τὸ Ἄγιον ἐμνησικάκει τὸ διορθώσεως· ἐνθέντοι καὶ πολὰ ἓ τὸν ἐλύπει, καὶ ἀφορμὰς ἐζήτει ἓ θρόνε τὸ Μέγαν κατενεγκεῖν.

2 Noviſſimè autem Juſtiniano juniore, quem Heraclii pronepotem dicunt *c*, imperii ſceptra regente, egregius Callinicus inter archipræſules emicuit, & non tantùm à civibus, ſed etiam ab omnibus, qui Romanis parebant, inſignis æſtimabatur, atque ab hoc imperatore in amore, & honore habitus, & in quodam miraculi loco repoſitus erat. Sed quandoquidem imperator ſubditis erat infeſtus, & mentis impos vi eos compellebat imperata facere, indecentia quædam ac imperatori indecora adverſus illos operatus eſt: quæ dum Archipræſul abſque reprehenſione pati non poſſet, partim quidem adhortationibus, partim verò graphicis inſtitutionibus, nonnumquam etiam ſtringentibus verbis, & recordationibus tremendi illius judicii, ac horrendis illis ſuppliciis ab inſtituto eum coërcebat. Sed neſcit cancer rectâ viâ incedere. Ille enim in iiſdem rurſum perſeverabat, & Sancto reddebat injurias pro directione. Unde ipſum valde contriſtabat, & occaſionem quærebat Virum magnum amovendi è ſolio.

Juſtiniani imperatoris improbitati

c

C F

Στέλλει γέν ποτὲ πρὸς αὐτὸν, δύχλου ἀπαιτοῦντος καθαιρέσει ναοῦ· ναὸς ἦν ἐν ἔτος, ὁ ἐπ' ὀνόματι τὸ Θεομήτορος ἱδρύμενος, καὶ τὸ μητροπολίτης λεγόμενος· ὅπερ ὅσης διϊθείας ἐσὶ καὶ ῥᾳσώνης, ἴστε πάντως οἱ δυσεβέστεροι. Τῷ μεγάλῳ πρίνῃ διαπρεπόντος πρὸς ἔτο, καὶ μηδαμῶς δύχλου ἐν τότῳ πρὸς λόγῳ πράγματι γεγράφθαι λέγοντος, καὶ ταῦτα πρὸς καταστροφὴν ἐκκλησίας Θεοῦ, καὶ διϊθείαν εἰς ἔτο ἓ βασιλέως καταγινώσκοντος, οἱ ἀπεσταλμένοι τὸ ὁμοφρονεῖν ἐκείνῳ καὶ ὁμογνωμονεῖν δὴ σπεδῆς ὅσης πεφύκεσαν, ἡ δύχλου τούτῳ, ὅπερ ἄρα μᾶλλον ἦν, ἐξαπήτων τὸ καταλύσεως, καὶ δὴ καὶ ἐπιχείρων ἐπιθέσθαι τῷ πατριάρχῃ, εἰ μή γε τόποις ἡ δύχλου ἐπιτρέψει. Μὴ ἔχων ἓν ἐκεῖνος ὅπῃ καὶ πρόσχοι, Δόξα τῷ Θεῷ, λέγει, τῷ ἀνεχομένῳ· καὶ δὴ ὁ ναὸς καθηρέθη. Καὶ ταῦτα μὲν ἔτως.

3 Quodam itaque tempore ad eum mittit, orationem expetens pro deſtructione eccleſiæ (eccleſia autem hæc erat, quæ in nomine Dei Matris conſtructa erat, ac metropolitæ dicebatur *d*.) Quod quantæ ſit dementiæ ac deſidiæ, omnino ſcitis, piiſſimi. Dum Vir magnus ad hoc hæreret, ac diceret, neutiquam eſſe ſcriptas de hoc abſurdo negotio preces, & quæ ſpectabant ad eccleſiæ Dei everſionem *e*, nec non imperatoris ad hoc audendum ſtoliditatem reprehenderet; hi, qui erant miſſi, ut, quanto poterant ſtudio, obſequerentur ejus animo, ac ſententiæ facerent ſatis, incumbentes, has, quod erat potiùs, preces deſtructionis depoſcunt, quin immò aggrediuntur manus inferre Patriarchæ, niſi has ſibi preces concederet. Hic verò, quidnam ageret, in promptu non habens, Gloria, ait, Deo toleranti; & ſtatim eccleſia deſtructa eſt *f*. Atque hæc quidem ſic.

ſeſe opponit:

d

e

f

4 Ὁ πίνυν βασιλεὺς διὰ τὰς ἀμέτρους ἀταξίας,

4 Imperator autem propter immoderatos à recto

A. LAURENTIO. *qui ab exsilio reversus, perfidè in Constantinopolitanos sævit;*

vitæ ordine receſſus, ac ſtoliditates ſingulares ſolio amotus, à ſubditis ſuis truncatur naſo & lingua *g*, atque Cherſonam *h* exſul amandatur. Poſt ipſum igitur imperat Leo *i*: deinde Tiberius *k*, qui dicitur Apſimarus: & ille quidem annis tribus; Tiberius verò ſeptem. Poſtea hic Juſtinianus ab exſilio aufugiens adhortationibus & ſignificationibus propinquorum, cum ad muros Conſtantinopolitanos perveniſſet, fraudeque & juramentis ipſi Patriarchæ, & magiſtratui rem ſuaſiſſet ſuam, imperium denuo capeſſit, ingreſſus per locum, nomine Deuteron, cui nomen Deuteron ipſe indidit, quia ſecundò illinc ad imperium eſſet ingreſſus *l*. Rerum itaque potitus, juramenta, & fidem, quam non tantùm coram adorando pretioſæ crucis ſigno, & immaculatis Dei Euangeliis; verùm etiam coram Dominico corpore & ſanguine dederat, fefellit, & tamquam fidei etiam unà cum his inficiator factus, cædibus civitatem implevit, & millenis aliis malis, ad quorum numerum proferendum non ſufficit oratio *m*.

g
h
i k
l
m

& in Callinicum; qui cùm diu ſupervixiſſet in antro occluſo, moritur, & divinitus ſepeliri jubetur.

B

5 Ipſum verò Callinicum, inter archipræſules maximum, condemnationis pœnis ſubjectum, quòd præfecti ipſius naſi ac linguæ cauſa fuiſſet, cùm tamen nihil horum Vir beatus ſibi conſcius eſſet, Romam in exſilium mittit, & in porticum quamdam fundamentorum muri *n* injici jubet, ac lapides extrorſum calce etiam oblini *o*. Fit hoc, & poſt quadraginta dies ſublatâ calcis cruſtâ (O magna, rex Chriſte, tua miracula!) vivens adhuc & ſpirans repertus eſt *p*. Quatuor itaque pòſt diebus vitâ productâ, ô venerabilis Pater, & archipræſul, ac martyr, ad Dominum migras, & in ſacra celeberrimorum Apoſtolorum æde honorificè ſepeliris, poſtquam id per apparitionem ipſi Papæ ſignificaſſent *q*: &, qui nunc Chriſti Domini ſolio adſtas, tuis fervidis apud ipſum interceſſionibus pete, ut perpetuum regni cælorum gaudium conſequamur; quia ipſum decet honor & imperium per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

n
o
p
q

καὶ τὰς ὑπερβαλλούσας ἀνοίας ἐπιτρεῖς ὑπὸ τῶ ὑπ' αὐτῆ τῆ εἶναι τέμνεσθαι, καὶ τὴ γλῶτταν, καὶ ὑπερόριον ἐν Χερσῶνι γίνεσθαι. Κρατεῖ τοίνυν ὁ Λέων μετ' αὐτὸ· εἶτα Τιβέριος ὁ λεγόμενος Ἄψίμαρος· ὁ μὲν ἔτη τρία, ὁ δὲ Τιβέριος ἑπτά. Εἶτα τὸ ὑπερορίας ὁ Ἰουστινιανὸς ἔτος ἀποδρὰς ταῖς τῶ πρεσβυτέρων αὐτῶ παρενίστασι καὶ μιμύσταις, καὶ τοῖς τείχεσι τῶ Κωνσταντίνου προσβαλὼν, καὶ δόλῳ πείσας τὸν τότε Πατριάρχην αὐτῆ, καὶ τὰς ἐν τέλει, καὶ ὅρκοις, τὸ βασιλείας αὖθις ἐγκρατὴς ἀναδείκνυται, τὴ εἰσέλασιν διὰ τῆ Δευτέρα λεγομένη ποιησάμενος τότε, ὃν καὶ Δεύτερον αὐτὸς ὠνόμασε διὰ τὸ δεύτερον ἐντεῦθεν ἀπελθεῖν τῆς βασιλείας. Ἐπεὶ ἓν ἐγκρατὴς γέγονε τῶν πραγμάτων, τὰς ὅρκους, καὶ τὰς πίστεις ἐκείνας ἠθετηκὼς, ἃς προκειμένη τῆ προσκυνητῆ σημείῳ τῆ τιμίᾳ σαυρῶ, καὶ τῶν ἀχράντων καὶ θείων εὐαγγελίων πεποίηκε· ναὶ δὴ καὶ τῆ δεσποτικῆ σώματος τε καὶ αἵματος, καὶ ὥσπερ ἔξαρνος γενόμενος σωῦ αὐτοῖς καὶ τῆς πίστεως, φόνων τε πόλιν ἐνέπλησε, καὶ μυρίων ἄλλων κακῶν, ὧν λόγος ἐκ ἀρκεῖ παραστῆσαι τὸ πλῆθος.

D

5 Αὐτῆ δὴ τὸ μέγιστον ἐν ἀρχιερεῦσι Καλλίνικον καθυποσπόνδους δίκαις ὑποβαλὼν, ὅτι τε τῆς ἐκτομῆς αὐτῶ τῆς ῥινὸς αὐτὸς ἦν αἴτιος, καὶ τῆς γλώττης, μηδὲν ἐν τούτοις συνειδότος τῆ Μάκαρος, ὑπεροφίζει τῆ τῆ Ῥώμῃ, καὶ σοφῆ τινὶ θεμελίων ἐμβληθῆναι τοίχῳ κελεύει, καὶ λίθοις ἔξωθεν αὐτὸν καὶ πτάνῳ διαχρισθῆναι. Γέγονε δὲ τοῦτο, καὶ μεθ' ἡμέρας τεσσαρακοντα φθαιρεθέντος τῆ χρίσματος, ὦ τῆ μεγάλων σε θαυμασίων Χριστὲ βασιλεῦ, ἔτι ζῶν ὁ Ἅγιος καὶ ἐμπνέων εὑρέθη. Τέτταρας δὲ ἡμέρας ἔκτοτε ζήσας, ὦ σεβάσμιε Πάτερ, καὶ ἀρχιερεῦ, καὶ μάρτυς, πρὸς Κύριον ἐδημεῖς, καὶ τῷ σκηνῷ τῆ πανευφήμων ὑποζόλων φιλοτίμως ἐνθάπτη, τῶν αὐτῷ τῷ πάπᾳ μιωσάντων δι' ὄψεως· καὶ νῦν τῷ τῆ δεσπότε Χριστῆ παρεστάμενος θρόνῳ αἴτησαι ταῖς θερμαῖς σε πρὸς αὐτὸ πρεσβείαις ἐπιτυχεῖν ἡμᾶς τῆ ἀληκτε χαρᾶς τῆ βασιλείας τῶ οὐρανῶν· ὅπ αὐτῷ πρέπει ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς ἀτελευτήτους αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

E

ANNOTATA.

a *De hac æde ſacra Cangius Conſtantinopolis Chriſtianæ lib. 4 pag. 83 multa collegit.*

b *Conſuli de illo poteſt Hiſtoria chronologica patriarcharum CP. ſuperiùs deſignata, pag. * 87: ubi probatur, quòd conciliabulo Quini-ſexto ſeu Trullano ſubſcripſerit, contra alios, hanc ſubſcriptionem* S. Callinico *perperam imputantes.*

C

c *In noſtro apographo Vindobonenſi ſunt iſta:* Ἰουστινιανὸς τοίνυν ὁ νέος, ὁ υἱὸς Κωνσταντίνου τῆ ἐπικληθέντος Πωγωνάτου, βασιλεύων. *Id eſt*, Juſtinianus igitur junior, Conſtantini cognomento Pogonati filius, dum imperator eſſet *&c. Conſuli poſſunt, quæ habet Cangius in Familiis Auguſtis Byzantinis pag.* 120 *&* 121.

F

d *Ms. Vindobon.* ἐκκλησίαν ἔνδοθεν τῆ παλατίου ὄσαν, ἐπονομαζομένην τὸ μητροπολίτου, καταλῦσαι ἐβούλετο. *Id eſt:* Eccleſiam, quæ intra palatium erat, metropolitæ nominatam, deſtruere volebat. *Cangius de iſta eccleſia ſcribit lib. 4 Conſtantinopolis Chriſtianæ pag. 93; ubi* juxta palatium exſtitiſſe *dicitur; conſentiente Theophane infrà deſignando, pag.* 307, τὸ ναὸν τῆ παλατίου.

e *Ms. Vindobonenſe rem ſic refert:* Ἠνάγκασε τὸν ἁγιώτατον Καλλίνικον, δύχλῳ ὅπλ τῇ καταστροφῇ τῆ ναῆ ποιῆσαι. Ὁ δὲ ἀρχιερεὺς εὐχὴν μὴ εἰδέναι ὅπλ καταστροφῇ τῶν ἐκκλησιῶν, ἀλλ' ὅπλ ἀνεγέρσει ἔλεγεν. *Quæ Latinè ſic ſonant:* Sanctiſſimum Callinicum coëgit formare preces ad deſtruendam eccleſiam. Archipræſul autem dixit, neſcire ſe preces ad deſtruendas eccleſias, ſed ad conſtruendas.

f *Clariùs iſta referuntur apud Theophanem pag.* 307: Imperatore ardentiùs inſtante, & preces fieri etiam vi expetente, dixit Patriarcha: Gloria Deo, qui etiam hæc patitur, jugiter, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Eo audito ſubverterunt eccleſiam, & fontem excitaverunt: iſtamque Metropolitæ eccleſiam ad Petrium tranſtulerunt. *Cur verò deſtructioni eccleſiæ preces præmitti voluerit imperator, dicitur in notis ad Theophanem pag.* 615: Nil non auſpicato moliuntur Græci, niſi præmiſſa proſpero ſucceſſui advocando benedictione. Qua de cauſa conſecrati templi everſionem, ſiniſtrum quid portendere veritus, Patriarchæ benedictione probari firmarique expoſcit.

g *Ms. Vindobonenſe:* Ἐκβληθεὶς τῆ βασιλείας ἐτμήθη τὴν ῥῖνα. Ejectus ex imperio, præfectus eſt naſo; *non addit* & linguâ, *quem videlicet poſtea loquentem inducit. Cangius in Familiis Auguſtis Byzantinis pag.* 121 *hiſtoriam Juſtiniani Rhinotmeti è variis ſcriptoribus collegit; & inter alia, quæ de illo narrat*, naſo truncatum *refert. Sed Theophanes in Chronographia pag.* 308 *editionis regiæ Pariſinæ*, Juſtinianum, *ait*, per metam in Circum producunt, & naſo linguâque truncatum

A truncatum Cherſonam relegari decernunt. *Sed in notis pag. 615 hæc obſervantur :* Linguam cum naſo præciſam Juſtiniano teſtatur Nicephorus, τεμὼν τὴν γλῶτταν, καὶ τὴν ῥῖνα. Poſtea tamen liberè locutus eſt, *prout additur ibidem in notis. A naſo tamen præfecto nomen* Rhinotmeti *accepit ; eſt enim Græcè* ῥὶν, ῥινὸς, naſus, & τέμνω, ſeco. A. LAUNAIO.

h *Urbem* Ponti ad Mæotidem paludem, *ut dicitur in notis citatis.*

i Leontius *vocatur à Theophane pag.* 308 *: ubi de eo plura.*

k *Conſuli de eo poſſunt, quæ collegit Cangius in Familiis ſuprà citatis pag.* 121.

l *Cangius lib.* 2 *Conſtantinopolis Chriſtianæ pag.* 170 *hanc etymologiam improbat tamquam nugatoriam :* Codinus, *inquit*, pag. 49 hunc tractum ita appellatum vult, quod Juſtinianus Rhinotmetus, recuperato imperio, in Urbem per aquæductum . . ingreſſus, ibi columnam ſtatuerit, locumque Δεύτερον nuncupari voluerit propter SECUNDO adeptam imperii dignitatem. Ita nugatur de Deuteri appellatione, ut & Joëles in Apſimaro : quam conſtat longè ante Rhinotmetum obtinuiſſe, cùm illius Procopius meminerit lib. 1 de Ædif. cap. 111, & eamdem, S. Annæ ædem (*de ea antea mentionem fecerat Cangius*) in Deuteri tractu ſtatuat ... Porrò DEUTERUM dictum fuiſſe, quòd ſecundo milliari à veteri Byzantio diſſitum eſſet, ut Hebdomum apud Socratem & Idacium, quòd ſeptimo ; ſimile eſt vero, vel potiùs, duobus ſtadiis, ut Anna Comnena lib. 8, pag. 222, Decimum appellatum ait, quòd decem ſtadiis Conſtantinopoli remotum fuerit.

m *Longè aliter hæc narrat Theophanes pag.* 313 *:* Juſtinianus, *inquit*, Terbelis & Bulgarorum ipſi adjunctorum auxilio fretus, urbium reginam armis impetit, & ad Charſii portam caſtris locatis totum ſpatium ad Blachernas uſque occupat. Per dies autem tres colloquio cum civibus habito, non niſi contumelias & dicteria ab ipſis retulerunt, quibus etiam incaſſum pacis conditiones obtulerunt. Porrò Juſtinianus cum paucis admodùm gentilibus ſuis citra pugnam per cuneum in Urbem ſubiens, ſparſo cædis & ſtragis tumultu, ejus compos effectus, paulò pòſt in Blachernarum palatio ſedem ac ſimul caſtra poſuit. B E

n *Mſ. Vindob.* εἰς τὸ θεμέλιον ἤγουν τοῖχος, *hoc eſt*, in fundamentum muri.

o *Additur in eodem Mſ.* Τινὲς δέ φασι, ὅτι πρότερον τὰς ὀφθαλμὰς αὐτοῦ ἐξορύξαντες, οὕτως ἐναπέκλεισαν τῷ τοίχῳ ζῶντα. *Quæ ſic reddimus Latinè :* Aliqui dicunt, quòd priùs oculos ejus effodientes, ita eum muro incluſerint viventem.

p *De hoc miraculo nihil habet Mſ. Vindobonenſe.*

q *Hujus apparitionis etiam meminit idem Mſ. Sed cùm apparitioni huic, tum miraculo proximè præcedenti majorem haberemus fidem ; ſi confirmata ea videremus ex auctoribus antiquis ac majoris auctoritatis, quàm ſint Menæa magna Græcorum impreſſa, quæ dictum miraculum etiam memorant, ac Sanctum* in æde ſacra SS. Apoſtolorum Petri & Pauli depoſitum *referunt*, ſicut ſancti Apoſtoli præceperant Papæ, qui tunc temporis erat, urbis Romanæ.

DE SS. ALTIGIANO ET HILARINO,

MONACHIS ET MARTYRIBUS,

IN BURGUNDIA,

COMMENTARIUS HISTORICUS. C.C

C Nova horum Sanctorum notitia ex Mabillonio, palæſtra martyrii, cultus ex veteri Breviario, & ætas aſſignata. F

ANNO DCCXXXI AUT DCCXXXII. *Hi duo Sancti,*

Sanè miramur, hos duos Martyres in titulo propoſitos Menologiis Benedictinis aliiſque Martyrologiis non inſcribi, cum tamen in ſacris ejuſmodi Faſtis memorentur abbates & monachi, qui circa idem tempus interfecti ſunt à Saracenis, quos nonnulli ſcriptores diverſo Wandalorum, quidam Agarenorum vel Iſmaëlitarum nomine deſignant. Videtur annuam SS. Altigiani *ac* Hilarini *memoriam primus ex antiquis monumentis eruiſſe vel reſuſcitaſſe doctiſſimus Mabillonius, dum in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti* 732, *num.* 6 *varias Saracenorum irruptiones in Galliam recenſet, & numero ſequente poſt narratam Burgundiæ devaſtationem de ſanctis Martyribus hodiernis ita meminit :* In Segeſtrenſi monaſterio ſancti Sequani, Altigianus & Hilarinus monachi ab iiſdem gladio animadverſi perhibentur x Kalendas Septembris ; quod tempus rectè convenit cum martyrio ſancti Porcarii abbatis Lerinenſis, qui pridie Idus Auguſti colitur.

2 *Mabillonius in iiſdem Annalibus ſui Ordinis ad annum Chriſti* 525 *num.* 24 *occaſione ſancti Sequani, originem & ſitum hujus monaſterii jam aſſignaverat his paucis verbis :* Poſt exactam ſeriò vitæ religioſæ diſciplinam ab eo digreſſus & ipſe monaſterium condidit, in quo monachos adeo perfectè erudivit, ut propoſiti eorum continentiam ſacrarumque Litterarum peritiam omnes in eis mirarentur. Locus Sicaſter ſeu Sigeſter antiquis appellatus, in pago Magnimontenſi, quinque leucis ab urbe Divione in valle anguſta poſitus, ab auctore SANCTI SEQUANI nomen retinet. *Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 518 *locum ejuſdem monaſterii diſtinctiùs ita deſcribit :* Sancti Sequani cœnobium vetus eſt in Lingonum finibus, non procul à fontibus fluminis Sequanæ, SAINT SENE . . . Ceterùm hoc cœno-

qui cæſi ſunt à Saracenis in Burgundia,

AUCTORE G. C.

cœnobium Sequanus presbyter, Johannis abbatis Reomensis discipulus exstruxit; quod à loco Sicastro vel Segestro (SESTRE) in quo structum erat, dictum est primò monasterium Segestrense aut Segestrum; deinde ab auctore SANCTI SEQUANI. Locus cum monasterio situs est in pago vel Comitatu Magnimontensi, cui pago nomen dedit Magnus Mons vel Magnimontense oppidum quondam clarum in Lingonibus, sancti Sequani patria, tribus leugis ab ejus monasterio Segestro distans, nihil nunc præter nomen servans: MAIMONT enim vel MESMONT nuncupatur.

memorantur in veteri Breviario,

3 *Hoc igitur loco uterque sanctus ille Monachus hodie subiit martyrium, cujus notitiam Mabillonius hausit ex antiquo Breviario Segestrensis cœnobii, quod apud ipsum in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini seculo 3, parte 1, pag. 527 refertur, & in quo leguntur sequentia:* Noverit omnium instantium atque futurorum certitudo, gentem Wandalicam in istam fuisse progressam terram ob confutandam sanctam Dei Ecclesiam; cujus infestatione atrocissima cum depopularetur undique Burgundia, tandem pervenit furens ad sancti Sequani abbatiam in Magnimontensi Comitatu sitam. Quæ gens post plurima peracta flagitia ad cumulum suæ damnationis sanctos Dei Altigianum atque Hilarinum, sacratissima sancti Sequani benedictione monachatos, ut nostri antiqui patres retulerunt, gladio suæ crudelitatis funeri tradidit beatæ passionis in campo, qui dicitur sancti Hilarii, x Kalendas Septembris. Quorum beata passio quamvis negligentiâ hominum illius temporis non legatur in divina pagina, non sunt habendi minoris memoriæ, quia pro Dei amore tradendo proprium sanguinem, contemptui dederunt amorem hujus vitæ. Si quis autem requirit, ubi habeantur eorum corpora, noverit esse condita penes sancti Sequani ecclesiam. *Nunc ad istud veteris Breviarii testimonium sequentia observamus.*

ad cujus textum nonnulla annotamus.

4 *Primò hîc per gentem Wandalicam intelligitur gens Saracenica, qui loquendi modus aliquibus scriptoribus usitatus est, ut initio hujus Commentarii monuimus, & Mabillonius ex Chronicis aut historicis ibidem pag. 525 testatur. Secundò ratio temporis non permittit, ut hi duo Martyres immediatè ab ipso sancto Sequano dicantur monachali benedictione initiati, quemadmodum laudatus Mabillonius ibidem pag. 527 solerter observat, & evidenter constabit ex Actis sancti Sequani, quæ ad diem* XIX *Septembris illustranda erunt. Tertiò judicamus, silentium Martyrologiorum ab hoc veteri Breviario satis suppleri, & istud testimonium sufficere, ut de immemorabili utriusque illius Sancti cultu certiores reddamur. Quapropter hac in re secuti sumus exemplum Castellani & Longuevallii nostri, quorum unus in Martyrologio suo universali ad hanc diem, alter verò in Historia ecclesiæ Gallicanæ tomo 4, pag. 254 eos sine scrupulo Sanctos appellant, adeoque eosdem Martyres Operi nostro inserendos esse censuimus. Cum autem quidam chronologi istud martyrium anno Christi 731 collocent, alii ad annum sequentem differant, utrumque hunc annum superius in margine notavimus: nam* de anno parum interest, cum de re ipsa constet, *ut eruditissimus Mabillonius in Annalibus Ordinis sui ad annum Christi 732 num. 6 de hoc ipso martyrio loquitur.*

B D E

DE S. ANTONIO MONACHO, ITEM DE BEATO FORSAN NICODEMO,

ORDINIS S. BASILII MONACHIS ET CONFESSORIBUS,

HIERACII IN CALABRIA,

J. P.

Sylloge de cultu, & ætate.

C F

SEC. X, VEL XI. *Stabilitur cultus S. Antonii*

Apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ hac die agitur de S. Antonio monacho, & confessore Locrensi, *& ibidem sic laudatur:* Antonius patriâ Locrensis (quæ urbs Hieracium nunc in ulteriore Calabria nominatur) factus monachus S. Basilii in cœnobio apud Locros unà cum B. Nicodemo, ejudem instituti monacho, vitam sanctissimam degit, ab omni rerum humanarum cura alienam: etenim in abstinentiis, orationibus, meditationibus, & carnis macerationibus Deo dignè meruit famulari. Qui multis cumulatus meritis, & miraculis clarus, x Kal. Septembris obdormivit in Domino, in eodem monasterio, in quo vixerat, sepultus. *Hagiologus idem in Catalogo generali Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, ambos, quos memorabat modò, annuntiat his vocibus:* Hieracii in Calabria SS. monachorum Antonii, & Nicodemi, Ord. S. Basilii. *Et in notis citat* tab. illius ecclesiæ. *Ferrario non suffragatur in ambobus Castellanus in Martyrologio universali: solum quippe ponit* S. Antonium Hieracinum; *in tabula verò nominum Sanctorum, quæ habetur ad calcem laudati Martyrologii, pag.* 1151 *indicat,* Nicodemum Hieracinum monachum omissum XXIII Augusti.

ex variis, qui magis probatur, quam Nicodemi.

2 *David Romæus in* Indice Divorum, qui nati vel humati sunt in regno Neapol., *pag.* 404 Hieracii, *inquit,* quod dicunt nonnulli fuisse Locros, Antonius x Kal. Sept., Jejunius VIII Kal. Jun. *(quo die hic habetur apud nos pag.* 101*)* Nicodemus, omnes ex societate D. Basilii. *Hieronymus Marafioti Polistinensis in Chronico Calabriæ lib.* 2, *cap.* 12, *fol.* 108 *verso affirmat,* Locrensem fuisse beatum Nicodemum, monachum Ordinis S. Basilii, & beatum Antonium, monachum ejusdem Ordinis; cujus festivitas celebratur XXIII Augusti. *Ughellus tomo nono Italiæ sacræ; inter ea, quæ præmittit catalogo episco-*

po-

A *porum Hieracenſium columnâ* 393 *noviſſimæ editionis Venetæ, ſcribit iſta:* Ex Hieracenſi urbe fuit S. Antonius D. Baſilii monachus, cujus feſtum agitur x Kal. Septem. *Ex his liquet, concordem ſcriptorum eſſe conſenſum in cultu publico aſſerendo hac die* S. Antonio; *quod non ita ſit in* Nicodemo. *Si tabulæ Hieracenſis eccleſiæ, à Ferrario ſuperiùs indicatæ, ad manum eſſent, aliquid fortaſſe magis exploratum elicere ex eis poſſem de publica veneratione* Nicodemi. *Interim etiamſi vellem mihi paullo certiùs de illa conſtare; quia tamen video, eum nominari cum titulo* beati *à pleriſque, quos aſſignavi; ponendum illum cenſui ſuprà cum iſto titulo, per adverbium* forſan *reſtricto, non ignarus, noſtrarum eſſe partium, Sanctis favere, quoad poſſumus.*

Tempus vitæ ac mortis.

3 *Ferrarius poſt breve illud elogium, quod è Catalogo Sanctorum Italiæ antea tranſcripſi, ſubdit in annotatione hoſce temporis characteres, quo* S. Antonius *vixerit:* Vixiſſe, *inquit*, fertur circa ea tempora, quibus tot monachi per Calabriam ſanctitate florebant: in quibus SS. Nilus, Bartholomæus, Fantinus, Zacharias,
B Helias, Jejunius, & alii. *Ad diem* XXV *Maii, tomo* VI *ejuſdem menſis, pag.* 101 *occaſione* S. Jejunii, *diximus*, S. Nilum vixiſſe ſeculo Chriſti X, & coli XXVI Septembris. S. Eliam junio-rem *monachum in Calabria eidem ſeculo aſſignavimus tomo* III *Auguſti, die* XVII, *pag.* 479; AUCTORE J. P.
ibidem pag. 487 *agitur de ſynonymo ſeniore.* S. Fantinus Taurianenſis *in eadem Calabria, de quo ad diem* XXIV *Julii apud nos, huc non ſpectat; de ſynonymo videri poterit die* XXX *Auguſti, quo annuntiatur in Romano Martyrologio, & quem Caſtellanus in tabula nominum Sanctorum poſt ſuum Martyrologium univerſale pag.* 1157 *ſignat in Calabria verſus annum* 900. Bartholomæus abbas, *Ordinis S. Baſilii (an idem, de quo ſuprà, an alius?) Meſſanæ adſcriptus, exſtat inter Prætermiſſos die* XIX *Auguſti. Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, iſta die in notis, eum ſcribit* obiiſſe circa annum Domini MCXXVI. *Geſta verò* Zachariæ *iſtius, qui unà cum prædictis indicabatur, etiamſi comperta non habeo; apud Marafiotum tamen, quem antea aſſignabam, lib.* I, *cap.* 32, *fol.* 70 *invenio, B. Nilum profeſſionem feciſſe monaſticam in S. Fantini monaſterio, Ordinis S. Baſilii, atque inter alios multos patres, vitæ ſanctimoniâ conſpicuos, tunc ibidem habitaſſe* S. Zachariam. *Quæ cùm ita ſint;* E
ſequitur, ut ambo monachi noſtri vixerint ſeculo æræ Chriſtianæ decimo. Quia verò me latet, an eodem ſeculo, an proximè ſequente obierint; ideo eos ſuprà ſignavi ſeculo X *vel* XI.

DE B. RICHILDE VIRG. RECLUSA,

SUMMONTORII PROPE OENIPONTEM,

Sylloge de vitæ inſtituto, cultu, rebus mirabilibus, ac ætate. J. P.

ANNO MC. *Vixit in parthenone Summontoriano ſolitaria:*

SUmmontorium, *ſive* Hohenwartum, *quod cum Radero citando ponimus* prope Oenipontum, *pluribus apud nos deſcriptum eſt tomo* I *Februarii, die primo ejuſdem menſis, pag.* 247, *occaſione B. Wolfholdi presbyteri. Eò itaque, ne actum agam, pro ulteriore hujus loci notitia lectorem mitto. Inter Prætermiſſos heſterno die,* beata *hæc* Richildis *annuntiata fuit è Caſtellano; ſed inde in hodiernum à nobis dilata, quo alibi ſignatur, examinaturis an de vero ac legitimo ejus cultu ſatis conſtet. Arturus à Monaſterio in ſuo Gynæceo hoc die illam ſic memorat:* Apud Summontorium in ſuperiore Boïcæ parte, beatæ Richildis virginis, ſolitudine, oratione, & ſignis admirandis celebris. *Verùm hæc, & alia, quæ ſpectant ad publicam ejus venerationem, illuſtranda & confirmanda ſunt. Noſter Matthæus Raderus in Bavariæ ſanctæ volumine* 2, *variis de Summontorienſi parthenone præmiſſis, de Beata noſtra ſequentes collegit notitias:* Sed nos, *inquit*, ad noſtram Richildem veniamus, quæ in hac virginum ſodalitate extra ſodalitatem vixit, modico clauſa domicilio, quemadmodum id temporis ſolitabant paſſim vel condi cellis, vel includi turribus, vel abdi caveis, vel antris abſcondi, ut copioſius alio loco oſtendi (*videlicet in Viridario Sanctorum parte* 3, *cap.* 5.) *Hæc Raderus de vitæ inſtituto* B. Richildis.

C

probatur

2 *Et illico ſubdit varia de publico ipſius cultu, ita ſcribens:* Nos quid Summontoriana de Richilde monumenta loquantur, audiamus. *Loquuntur autem, quæ profert, iſta:* "Sciendum „ eſt, quòd corpus B. Richildis integrum ſub „ altari SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ſepultum „ eſt, quæ vitâ virginali vitam promeruit æter- „ nam. Nam & ipſa diebus ſuis vitam eremiti- „ cam in clauſula * ſua tenebat. Obiit autem X * *al.* in in- „ Calend. Septemb. B. Richildis. Dignè enim in cluſa „ memoriam hominum vertitur *3 quæ ad gau- * *al.* in me- „ dium tranſivit angelorum. Item in ſepulcro i- moria victi- „ pſius requieſcit dimidia pars corporis S. Julia- tare homi- „ næ virginis & martyris de collegio SS. unde- num „ cim millibus * virginum,. *Habemus Ms., in* F *quo exſtant notitiæ de fundatrice monaſterii in* * *al.* mil- *Hohenwart*, ex codice Ms. SS. Udalrici & Afræ lium in 4 cor. albo lit. Z num. 29 tit. Hiſtoria SS. Narciſſi, Udalrici, & Wilhel., *poſt quas notitias, & epitaphium Wolfholdi, habetur verbis fere iiſdem locus* Sciendum eſt *&c., è Summontorianis monumentis modò à Radero allegatus. Variantes tamen lectiones tres codicis Udalriciani, quas lego in noſtro ecgrapho, ad marginem apposui; ubi pro* vectitare, *quod mendosè ſcribebatur in dicto apographo, poſui* victitare.

3 *Revertamur ad Raderum, alia publicæ veneration is indicia proſequentem:* His alia, *ait*, patriâ linguâ ſubduntur in hanc ſententiam perſcripta; *quæ ſic exprimit:* Richildis pœne totum corpus hodie in ſacello (quod è cellula, quam viva olim clauſaque incoluerat, vertit in ſacram ædiculam) altiori tumulo levatum ſervatur, colituruque: nec pauca ſupplicabundo per *publicus ejus cultus.*

AUCTORE J. P. Virginem populo beneficia porriguntur, quando frequens ad cineres illius, & venerabundus procumbit, vota ſolvit, anathemata ſuſpendit. Curati memorantur ægri, omniſque generis vitia corporum correcta, quæ ſingulari volumine dictantibus & teſtantibus ipſis, qui auxilia ſenſere, inſcribuntur. Adjecit antiſtita literis, digniſſimam videri Richildem, cui cæleſtes honores decernantur; ſed opis ſuæ ſuarumque contubernalium non eſſe, tantam rem apud orbis Chriſtiani Principem reponere vel curare. *Denique laudatus Raderus hanc* B. Richildis *narrationi coronidem imponit, quæ nobis videtur ſufficere, ut reliquis hujus diei Cælitibus ipſi locum demus. En tibi Raderi verba:* Cæterùm quam tot admiranda per tot ſeculorum ætates facta celebrarunt, celebrantque in dies; minimè videtur neceſſe in quæſtionem vocari, ut de ejus ſanctitate, & beatitudine dubitetur. Multos vetuſtas ipſa, & numquam interrupta venerationis conſuetudo conſecravit. Tu, Diva, nobile decus virginum, quoniam perpetuis tecti anguſtiis clauſæ ſemper patuit cælum, apud ſupremum orbis Imperatorem effice, ne cælum nobis per omnes terras animo vagantibus claudatur. *Hactenus Raderus. Quibus addi poteſt ex eodem auctore apparitio ipſius, Wolfholdi, ac Julianæ, cuidam, qui calculo laborabat, facta; de qua diem* 1 *Februarii antea deſignatum conſule pag.* 248. *Superiùs eam notavimus anno* 1100 *cum Radero, quem in aliis etiam ſecuti ſumus. Utinam ulteriores de illa congerere notitias nobis, ſi plures alicubi lateant, in promptu eſſet! Inter has certè ratio haberetur voluminis, ſi ad nos perveniſſet apographum ejuſdem, in quo, ut referebat Raderus, ſanationes à Beata facta memorantur.* D

DE S. ASCELINA VIRGINE

B ORDINIS CISTERCIENSIS, E

IN CAMPANIA GALLIÆ,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C. Situs monaſterii, in quo Sancta colitur, editores Actorum, & judicium de hiſtorica eorum fide.

CIRCITER AN. MCXCV *In monaſterio Bullencurienſi,*

Nicolaus Camuzatus in Promptuario ſacrarum antiquitatum Tricaſſinæ diœceſis fol. 349 *de monaſterio Ordinis Ciſtercienſis, quod nunc Gallicè* Boulencourt *appellatur, ita ſcribit:* Cœnobium Bullencurianum in Tricaſſina diœceſi conſtitutum, & decem ab urbe leucis diſſitum, primitus occupatum & cultum eſt ab Auguſtinianis regularibus canonicis, poſtmodum ab Henrico Tricaſſino antiſtite divo Bernardo conceſſum, qui in eo Claræ vallenſis familiæ cellulanos inſtituit, conſentientibus & conſpirantibus dictis canonicis, qui regulam Ciſtercienſem libentiſſimè ſuſceperunt. *Deinde poſt Gallicam inſcriptionem teſtem hujus mutationis, quæ anno Chriſti* 1149 *facta eſt, & litteras ejuſdem donationis indices, quas veteri idiomate Gallico exhibet, fol.* 350 *verſo ſic pergit:* Præfatum cœnobium uberrimis proventibus & ampliſſimis facultatibus tum à comitibus Campanis, tum à dominis de Join-villa, ſive ut alii ſcribunt, Jovis villa & de Villa Harduini ſplendidiſſimè exornatum fuit, ut complures indicant litteræ, quæ etiamnum in dicti monaſterii cartophylacio cuſtodiuntur. C

quod jam priſtinum ſplendorem amiſit,

2 *Gaſpar Jongelinus in Notitia abbatiarum Ordinis Ciſtercienſis lib.* 1 *num.* 131 *Camuzatum imitatus, inter abbatias Galliæ pag.* 65 *monaſterium Bullencurienſe deſcribit, & varia donationum diplomata ex cartophylacio ejuſdem cœnobii recenſet. Edmundus Martene in Itinerario litterario, quod anno* 1717 *Pariſiis Gallicè edidit, parte* 1, *pag.* 96 *teſtatur, olim in hoc monaſterio ducentos circiter cœnobitas habitaſſe, & hunc numerum ab abbate Clara-vallenſi diminui debuiſſe, quemadmodum patet ex ſequenti decreto, quod Edmundus Martene ibidem ex veteri monumento recitat in hunc modum:* Quia definitum eſt à Capitulo generali, ut patres abbates in filiabus ſuis ordinent de numero perſonarum, nos abbas Clarevallis de conſilio abbatis & ſeniorum Bulencuriæ ſtatuimus, ut in eadem domo numerus centum ſexaginta perſonarum nullatenus augeatur. *Verùm hæc tam illuſtris olim & numeroſa abbatia hodiedum ad quinque Religioſos redacta eſt, ut laudatus Martene teſtis oculatus affirmat.*

honorantur adhuc hodiedum reliquiæ hujus Sanctæ, F

3 *Attamen in illo eodem monaſterio, quod ſplendorem priſtinum amiſit, adhuc hodie* S. Aſcelina *honoratur, ut colligimus ex Martyrologio Gallicano Sauſſayi, qui die* XXIII *Auguſti ſanctam iſtam Virginem annuntiat his verbis:* In territorio Trecenſi, cœnobio Belincuriæ, ſanctæ Aſcelinæ virginis ſanctimonialis beati Bernardi cognatæ, multis gratiæ luminibus inſignis, nec minus miraculis claræ, cujus ſacræ reliquiæ eodem in monaſterio (à quo non procul grata Chriſto obſequia exegit in parthenona nunc diruta) religioſè conditæ, in decoro lipſanodochio, hodie percolendæ devotis ſupplicibus exhibentur. *Arturus du Monſtier in Gynæceo ſacro ad diem* XVIII *Maii de hac ſancta Virgine meminit, & die* XXIII *Auguſti in notis publicam ejuſdem venerationem confirmat hoc modo:* Hujus ſacræ reliquiæ apud ipſum monaſterium condigno honore aſſervantur in decoro lipſanodochio juxta Sauſſayum in Martyrologio Gallicano, Menardum in Martyrologio Benedictino hac die, & lib. 2 obſervationum ad illud, quo hujuſmodi ſolennitas celebratur; cum monachi Bullencuriani corpus ejus ex Polengero aſceterio ſibi ſol-

A sollicitarunt ; super cujus mauſoleum altare proſtat exſtructum , ubi magnus per annos ſingulos concurſus populi habetur , ac veneratur. *Caſtellanus in indice monaſtico Martyrologii ſui univerſalis pag.* 1095 *etiam aſſerit , illam Bullencuriæ adhuc honorari.*

quæ ibi ab immemorabili tempore

4 *Sed nemo fuſiùs diſtinctiuſque publicum & immemorabilem* S. Aſcelinæ *cultum probat , quàm R. D. Nicolaus Deſ-Guerrois presbyter Tricaſſinus , qui Annales eccleſiaſticos Tricaſſinæ diœceſis anno* 1637 *Gallicè typis edi curavit. Hic enim in Opere illo ad annum Chriſti* 1195 *num.* 21 *teſtatur, in eccleſia Bullencurienſi prope majus altare oſtendi tumulum , cui inſcripta legitur hæc epigraphe :* In hoc ſarcophago ſub altari conſecrato recondita ſunt oſſa ſancti Goſſuini , ſanctæ Emelinæ , & ſanctæ Aſcelinæ cognatæ beati primi Clarevallis abbatis. *Edmundus Martene in laudato ſuperius Itinerario ſuo Gallico part.* 1 *pag.* 97 *narrat , eamdem inſcriptionem cum aliis ibidem à ſe lectam eſſe , ibique annum Chriſti* 1534 *notari innuit.*

B *videtur cultum publicum habuiſſe ,*

5 *Circa numerum hujus anni quædam difficultas mihi occurrit : nam laudatus Nicolaus Deſ-Guerrois in Annalibus Tricaſſinis ad annum* 1195 *proximè citatum num.* 23 *aſſerit , iſtud* S. Aſcelinæ *ſepulcrum à Nicolao de Hampigny *, primo monaſterii Bullencurienſes abbate mitrato , reſtauratum & exornatum fuiſſe. At abbas ille Nicolaus anno Chriſti* 1504 *ex hac vita diſceſſit , ut in epitaphio ipſius ibidem legitur , quod Camuzatus in Promptuario ſacro antiquitatum Tricaſſinæ diœceſis fol.* 350 *verſo , & Sammarthani tomo* 4 *Galliæ Chriſtianæ pag.* 200 *referunt his verbis :* Hîc jacet Frater Nicolaus de Champigneo , humilis abbas Bullencuriæ & primus mitratus , qui obiit anno Domini MDIV , die V. menſis Maii ; abbatizavitque hîc annis triginta ſex & tribus menſibus. *Itaque tumulus ille* S. Aſcelinæ *videtur ab abbate Nicolao Champigneo ante annum Chriſti* 1504 *reſtauratus & exornatus fuiſſe , niſi fortè quis ex ſucceſſoribus ejus reſtaurationem vel exornationem ab ipſo cœptam proſecutus fuerit , & anno* 1534 *dumtaxat abſolverit , ideoque hunc annum Chriſti ſepulcro jam perfecto adſcribi juſſerit.*

* *forſan* Champigny

C *ut cum aliis teſtatur Nicolaus Deſ-Guerrois ,*

6 *Quidquid ſit hac de re , Nicolaus Deſ-Guerrois ibidem refert tria miracula , quæ poſt obitum* S. Aſcelinæ *contigerunt , & quæ immemorabilem ejus cultum , publicamque patrocinii implorationem ſatis indicant. Tertium ex his patratum eſt quinquaginta annis ante memoratam ſepulcri reſtaurationem aut ornatum , adeoque contigit circa medium ſeculi* XV , *quo energumena ad tumulum* S. Aſcelinæ *adducta per interceſſionem ejus à dæmone liberata eſt , ut ibi diſtinctiùs Gallicè narratur. Præterea pius ille presbyter ibidem num.* 21 *ex teſtimonio plurium Religioſorum Bullencurienſium ſcribit , alias ejuſdem ſanctæ Virginis reliquias ibi in aurata lipſanotheca honorificè conſervari , & in præcipuo eccleſiæ Bullencurienſis altari publicæ veneration fidelium exponi. Quis porrò credat , hunc publicum cultum , ſi illicitus eſſet , poſt ſeverum Urbani VIII decretum adhuc perſeverare ? Quapropter ex his omnibus colligo ,* S. Aſcelinam *ab immemorabili tempore , ſive centum & pluribus annis ante notiſſimam iſtius Pontificis Bullam , in monaſterio Bullencurienſi legitimum cultum habuiſſe.*

7 *Etiamſi ſimplex & pia ſcribendi methodus huic hiſtorico Tricaſſino fidem conciliet , tamen majoris auctoritatis gratiâ ſubjungo teſtimonium abbatis Belli-loci , quod ante alia memorato Operi ſic præfigitur :* Quæ V. presbyter & prædicator M. Nicolaus Deſ-Guerrois Trecis commorans , de ſacris noſtrorum Sanctorum & patronorum reliquiis , abbatibus , fundationibus , dotationibus & rebus omnibus tam divinis quàm humanis in hoc volumine ſcripſit , ea prorſus omnia fideliter ex cartulario noſtro , Martyrologio & manuſcriptis , noſtra permiſſione tranſcripſit , veraque & fidelia teſtamur nos Carolus de Bordeaux ſenior abbas Belli-loci. Datum in abbatia noſtra die IV Julii , anno Domini MDCXXXII. *Sequuntur alia hujuſmodi teſtimonia Gallicè conſcripta , inter quæ R. D. Prior Bullencurienſis nominatim circa* S. Aſcelinam *ſinceritati hujus ſcriptoris ſimile teſtimonium reddit. Igitur ſecurè huic hiſtorico Tricaſſino confidimus in illis, quæ de reliquiis* S. Aſcelinæ *teſtis ille oculatus affirmat , & ea nobis ad immemorabilem ſanctitatis famam huic Virgini vindicandam ſufficere videntur. Nunc de Actis eorumque editoribus aliquid monendum ſupereſt.* AUCTORE G. C. *cujus auctoritatem confirmamus.*

E *Goſſuinus coævus dicitur*

8 *Primus Acta Sanctæ noſtræ ſcripſiſſe dicitur Goſſuynus vel Goſvinus , huic Virgini coævus ac familiaris , ut Hugo Menardus lib.* 2 *obſervationum pag.* 668 *ad Martyrologium ſunm Benedictinum die* XXIII *Auguſti poſt nomen* S. Aſcelinæ *tradit his verbis :* Fuit hæc beata Virgo propinqua ſeu cognata ſancto Bernardo Claravallenſi abbati. Vitam egit in quodam cœnobio ſanctimonialium Ordinis Ciſtercienſis , quod nunc proſtratum ac dirutum jacet non procul à Belencuria monaſterio virorum ejuſdem Ordinis in territorio Trecenſi. Obiit miraculis clara circa annum Domini milleſimum centeſimum nonageſimum quintum. Ejus ſacræ reliquiæ aſſervantur in dicto cœnobio Belencuriæ conditæ in theca lignea inaurata. Ejus Vita ſcripta eſt à Goſſuyno Belencuriæ monacho , ut refert Nicolaus Camuzæus in Miſcellaneis hiſtoricis eccleſiæ Trecenſis.

Vitam hujus ſanctæ Virginis ſcripſiſſe ,

9 *Carolus de Viſch Prior Dunenſis in Bibliotheca ſcriptorum Ordinis Ciſtercienſis pag.* 128 *de eodem biographo habet ſequentia :* Goſſuinus Claravallenſis monachus , vir ſanctitate & doctrina celebris , ſcripſit Vitam beatæ Hemelinæ virginis , cujus reliquiæ quieſcunt in Vurlencuria (alibi Boulencuria) monaſterio Ordinis noſtri in Campania diœceſis Trecenſis. Fuit auctor coævus virgini . . . Vitam etiam beatæ Aſcelinæ monialis , neptis ſancti patris Bernardi , *ab eodem conſcriptam eſſe aſſerit , eamque in Liliis Ciſtercii & Menologio Henriquezii editam , aut potius contractam & interpolatam aſſignat. Dum Menardus hoc loco Goſſuinum appellat monachum Bullencurienſem , & Viſchius eumdem cognominat Claravallenſem , facilè hæc diſparitas conciliatur ex veteri Ms. codice Claravallenſi , ex quo Viſchius ibidem allegat hæc verba :* Teſtimonium domini Goſſuini monachi quondam Clarævallis , qui apud Cheminium diu manſit , & in Vurlencuria requievit. *Hic haud dubiè eſt ille Goſſuinus , cujus oſſa ſimul cum reliquiis Emelinæ &* Aſcelinæ *ſub altari Bullencurienſi recondita ſuperius memorantur.*

F

cujus interpolatum habemus compendium ,

10 *Certè dolendum eſt , nos ea Goſſuini vel Goſvini lucubratione carere. Nec ulla fermè ſpes eſt illam acquirendi , cum eruditiſſimus Camuzatus & illuſtriſſimus Angelus Manrique fruſtra eamdem quæſiverint. Huic inopiæ noſtræ non proſpexit Chryſoſtomus Henriquez , etiamſi poſt Menologium Ciſtercienſe inter omiſſa ad folium* 165 *ediderit*

AUCTORE G. C. *ediderit epitomen Actorum, cui ibidem præfixit hanc monitionem:* Ejus Vitam ſcripſit Goduinus monachus, cujus compendium, procurante magno Aureæ-vallis abbate Bernardo, ad nos tranſmiſſum, ſicut ex Clara-valle excepimus, ſic libenter communicamus. *At videtur Henriquezius ab impoſtore quodam deceptus eſſe, aut alios decepiſſe, quando illud Actorum compendium pro genuina Goſſuini lucubratione vulgavit: eruditi enim viri quidam cenſent, illam Vitæ ſynopſin ab aliquo confictam vel ſaltem non leviter interpolatam fuiſſe. Propter hanc cenſuram primò decreveram iſtud Actorum compendium omittere, & apud Henriquezium dumtaxat aſſignare. Sed poſtea ſententiam mutavi, & illud infrà recuſum explicare ſtatui notis criticis, ut tanto faciliùs eruditus lector de eo judicium ferre poſſit.*

quod Nicolaus Camuzatus

11 *Interea audiamus R. D. Nicolaum Camuzatum, qui fol.* 350 *& ſequente laudati Promptuarii Tricaſſinæ diœceſis aſſerit*, S. Aſcelinam *plurimis miraculis claruiſſe*, ut in compendio quodam narratur, *inquit*, quod deductum ferunt ex ampliori Vitæ ipſius hiſtoria, cujus auctor eſt Goſſuynus, dicti cœnobii, ut videtur, alumnus; quod tamen mihi non liquidò conſtat, cum huc uſque præſignatam hiſtoriam nanciſci mihi non licuerit, ſed dumtaxat illam epitomen, quam ego libens typis promulgaſſem, niſi abſurdis & ineptis nugis referta eſſet, & anilibus fabellis vaniſque figmentis ſcateret, adeo ut falsò ex Goſſuyni hiſtoria decerpta dici videatur. Præfata autem Virgo integrum vitæ curriculum in ſanctimonialium monaſterio non procul à Bullencuriano cœnobio conſtituto caſtè integréque traduxit, obiitque circa annum ſalutis humanæ MCXCV; quod quidem monaſterium poſtea ita deletum & funditus everſum ac dirutum eſt, ut hujus nulla prorſus hodie appareant & ſuperſint veſtigia. Si verò mihi à prædicto Goſſuyno editam fuſiorem hiſtoriam ſincerè ſcriptam reperire contigerit, illam infrà attexam. *Sic ille Canonicus Trecenſis clarè & candidè mentem ſuam exponit.*

B

& Angelus Manrique

12 *Neque minùs ſeverum de eodem Vitæ compendio judicium tulit illuſtriſſimus Angelus Manrique, dum in Annalibus Ordinis Ciſtercienſis ad annum Chriſti* 1195 *cap.* 3 *geſta* S. Aſcelinæ *narraturus, num.* 1 *ſic præfatur:* Vitam illius conſcriptam à Goſuino nanciſci non potui; quod etiam de ſe dolet Camuzatius. Epitomen, quam aliquibus nugis conſperſam & ipſe ſcribit, & negare non poſſumus, vulgavit Henriquez in prætermiſſis ad ſuum Menologium. Deinde in Liliis, verbis quàm rebus dedit auctiorem. Nos ex utraque quædam decerpemus, ſed ſelectiora tantùm, & ſive vera ſeu veris ſimiliora. Potuit hic auctor non ſolùm Ciſtercienſem hiſtoriam; ſed eccleſiaſticam plurimùm illuſtrare, ſi non antiqua recentibus miſcuiſſet, aut diſtinxiſſet mixta, quo ſuum cuique pondus ineſſe poſſet. Verùm dum ea, quæ Britus Montalvuſve, aut nos etiam, dum juvenes ſcripſimus, eorum qui affuerunt aut adeſſe potuerunt, hiſtoriis æquat, omnia in dubium revocat, & nec recentibus majorem fidem adſtruit, & antiquorum enervat auctoritatem.

C

magna ex parte fabuloſum cenſent,

13 *Hæc judex iſte de ſtudio partium nequaquam ſuſpectus, qui poſt relata quædam hujus ſanctæ Virginis geſta cenſuram ſuam ibidem num.* 9 *proſequitur his verbis:* Addit ulteriùs Henriquez in ſuis Liliis, corpus Virginis ſimul cum corporibus beati Goſuini monachi & beatæ Hemelinæ virginis ſepultum in uno & eodem tumulo à parte Euangelii, ſuperque ipſa altare in honorem horum trium Sanctorum erectum eſſe, magnoque populi concurſu venerari; quibus utinam addidiſſet fontem, unde id hauſit, aut aliquam Goſuini, Hemelinæve, quos non alibi video commemoratos, etſi levem notitiam tradidiſſet. Sic & quæ ibidem præſcribuntur ab eodem Sequentia ſeu Antiphona, atque item Collecta de ſancta Virgine, inſipida planè omnia & ſine ſucco; quæque dum nullum præ ſe ferunt auctorem, nec poſſunt ex antiquitate venerari, neque ex venuſtate placere. Unde non cenſui digna noſtris Annalibus. Hæc de Aſcelina, quia minus certa aliis in unum collegi, atque in hoc capite lectori meo propoſui, ne dubiis reliquam hiſtoriam commacularem; purgata tamen à nugis, quantum potui, atque ab his, quæ ſuſpecta videri poſſent. Id unum certum, exſtitiſſe Aſcelinam, Sanctam fuiſſe, & Bernardi patris affinem, cujus corpus ſepultum in Bullencuria hodieque religioſæ ſubeſt venerationi. D E

ita ut vera à falſis

14 *Ex hac criſi ſequitur, nos de peculiaribus* S. Aſcelinæ *geſtis nihil certi poſſe affirmare, quamvis fortaſſe plura ex iis ſint veriſſima: ſicut enim homini mendaci etiam vera dicenti credere non ſolemus, ita quoque huic Actorum interpolatori fidem non adhibemus, quandoquidem fabuloſis ſuis additamentis effecit, ut vera à falſis diſcernere non poſſimus. Nobis in hoc dubio opem ferre non poteſt ſuprà laudatus Nicolaus Deſ-Guerrois, licèt Gallicè ſatis prolixam* S. Aſcelinæ *Vitam Annalibus ſuis Tricaſſinis inſeruerit: nam fortè vir ille ſincerus ſimile Actorum compendium alicubi reperit, aut bona fide hiſtoriam hujus ſanctæ Virginis ex Henriquezio deſumpſit, cum hujus Menologium Ciſtercienſe & Lilia Ciſtercii ante Annales Tricaſſinos edita fuerint, ut ex anno impreſſionis utrimque liquet. Attamen hic pius presbyter Tricaſſinus ab Henriquezio circa conditionem S. Hemelinæ diſſentit, ſicut infrà in annotatis ad illud recuſum Actorum compendium obſervabimus.*

diſtinguere non poſſimus.

15 *Neque ad diſtinctionem veri & falſi majus auxilium nobis ſubminiſtrat Italica ejuſdem Sanctæ Vita, quam ampliſſimus D. Antonius Libanori inter alia virginum Ciſtercienſium Acta anno* 1651 *Mediolani concinnavit: hic enim abbas Ordinis Ciſtercienſis pag.* 156 *Opuſculi ſui Italici candidè fatetur, ſeſe illam præcipuè ex Brito & lucubrationibus Henriquezii collegiſſe. Nulla ergo nobis ſpes ſupereſt diſtinguendi in his Actis infrà edendis veritatem à falſitate, niſi alicubi genuina Goſſuini ſcriptoris coævi lucubratio detegatur. Cum itaque contenti eſſe cogamur hoc qualicumque Actorum compendio, quod Henriquezius in Liliis Ciſtercii lib.* 2 *diſtinct.* 3 *cap.* 1 *& ſequentibus adhuc verboſiùs ornavit, nos illam breviorem Vitæ ſynopſin ex Menologio Ciſtercienſi jam recudemus, eamque copioſis annotatis illuſtrabimus.* F

VITA

A

VITA

Quæ ex longioribus Goſſuini coævi ſcriptoris Actis contracta dicitur, & ab Henriquezio poſt Menologium Ciſtercienſe edita eſt.

A matre piè educata eſt

ANno Domini MCLXXXIV in domo Monialium *a* ſita juxta Burlencuriam *b*, ſub providentia ejuſdem Domûs, floruit quædam virgo Chriſti Aſcelina, ejuſdem loci Prioriſſa, de cujus vita excellentiſſima occurrunt hîc aliqua breviter inſerenda ex narratione Domini Goſſuini *c*. Mater hujus Aſcelinæ beati Bernardi *d* & epiſcopi Godefridi *e* fuit conſanguinea, de villa juxta Firmitatem *f* ſuper Albam *g* procreata. Cum

B eſſet annorum circiter triginta ſub poteſtate viri *h* conſtituta, Dominum rogavit, ut ab ea tollere dignaretur, quidquid ſaluti ſuæ obſiſtere videbatur: & mortuo viro ſuo, cum filia quinquenni ſæculum reliquit, ſubmittens ſe conſilio D. Bernardi. Hæc de matre *i*.

a b

c

d

e

f g

h

i

hæc Virgo

2 Aſcelina puella adhuc quinquennis in ſecretiori loco Dominum rogavit, ut virginitatem ſibi traditam deinceps conſervare dignaretur; quod in magna fuit tunc admiratione. Dum mater prægnans eſſet, à quodam viro, qui viſus eſt in habitu candido, audivit, quam filiam geſtaret, quæ magni apud Deum futura eſſet meriti. Et S. Glodeſindis Metenſis *k* apparuit matri, & dixit: Filia tua mihi proculdubio comparata æquabitur in meritis. Aſcelina igitur adhuc puerula, cum vel acum, vel fruſta caſei modica furtivè ſubtraheret, per veſtem interdum trahebatur, & ei dicebatur. Cur ſic agis? Ceſſa, ceſſa, nequaquam expedit tibi. Manum quidem trahentis ſentiens, & vocem loquentis audiens, neminem videbat. Decennis cœpit viſiones videre, & Sanctorum perſonæ cœperunt ei viſu apparere.

k

C

cujus pudicitiæ fruſtra quidam inſidiatur.

3 Cum duodennis eſſet, & ſorores egreſſæ curtem *l*, in quadam domo intenderent candelis faciendis, quidam Clericus juvenis & ſcriptor, ut ſatelles diaboli, cujus eſca electa, hanc, eo quod pulchra eſſet, avidius concupiſcens, & quærens tempus loquendi cum ſola, dixitque ei, ſi aquieſceret, litteris eam inſtituat, notas & cantum doceat. Cum non poſſet diu loqui, litteras & verſus Romanè *m* ſcriptos dirigit: tertiò illam convenit, amorem expoſuit; illa tandem columbina ſimplicitate dixit: Si habitu mutato effici Canonicus malueritis, vos diligam. Ille damnatus in inſtanti mutat habitum, non animum & in cœnobio Fratrum per tres menſes ſub ove lupus latebat. Leproſus quidam ad eam cælitus eſt directus; & Clerici inſidias detexit, Filia, inquit, cave tibi, diabolus tibi inſidiatur, & te quærit corrumpere per illum. Illa turbata, audita retulit matri. Quæſitus leproſus non invenitur. Viſio profectò creditur fuiſſe angelica. Ille detectus ad ſæculum fugit, habitum rejecit.

l

m

Quare cum matre ſolitudinem petit,

4 Perrexit mater ad religioſum ſacerdotem in ſilva cum filia, quæ ab eodem viro formam vivendi edocta, mox in ſecretum locum ſeceſſit, forcipes ſumpſit, comam capitis adhuc ſuper humeros dependentem propriis manibus amputavit. In Miſſa ejuſdem viri Dei orabat puella: Domine, qualem me vis habere, tu talem me facito tuâ gratiâ. Sed & beatus Joannes Euangeliſta eidem apparens ſacerdoti, puellam, ut ſibi Chriſtus matrem, commendavit, ut ad amorem Dei & timorem eam inſtruat. Item alia die, cum ad eumdem irent ſacerdotem, ſibi & matri fores eccleſiæ ſunt divinitus reſeratæ, ipſa dicente: Domine, ſi inter tuas virgines me reputare dignaris, concede benignus, ut nobis pateat introitus. Quod ita factum eſt. Deinceps in orationibus frequens, ſepties in die diſciplinam & octoginta ad minus venias *n* accipiebat. Decorem faciei cineribus & fame exterminabat, & quadam die, cùm cogitationibus ſæcularium vanitatum ureretur, ſe toto corpore nudam in urticas urentes injecit. In eadem provinciâ quidam frater bonæ opinionis, ſpiritum habens prophetiæ de ſtatu abbatiæ Burlencuriæ & mutatione Ordinis *o* in brevi futura prædixit, & de bona opinione Aſcelinæ, & de rancore & invidia ejuſdem ſociæ ſuæ.

EX IMPRESSIS.

n

o

E

& monaſterium ingreditur,

5 Dum ergo doleret de ſupradicti Clerici apoſtaſia, cujus ipſa videbatur eſſe cauſa, & vehementer ingemiſceret, centum Pſalteria decantavit, ut Dominus dignaretur demonſtrare, ſi adhuc inter virgines Chriſti debeat reputari; cum B. Joannes Euangeliſta apparens ait: Conſtans eſto, filia, & certa, quia inter Chriſti virgines & locum habebis, & primum *. Beatum Bernardum etiam conſuluit ſuper hoc, & ſimilia reſpondit. Erat ætatis viginti octo annorum *p*, quando virgas ſub aſcella deferebat, & quatuordecim diſciplinas in die accipiebat. Abbatia Burlencuriæ Ciſtertienſem Ordinem recepit *q*, & mater cum filia de licentia S. Bernardi in abbatiam Monialium de Polengero *r* tranſierunt. Cunctas ibi Sorores Aſcelina ſuo illuſtravit exemplo. Abbatiſſa loci erat filia fratris S. Bernardi *ſ*. Tantam gratiam Aſcelina à Domino recepit, quod foſſulam ante altare fecerat, ubi deinceps non ceſſavit ab oratione, quouſque lacrymis impleretur. Interim facta eſt cuſtos eccleſiæ, & dictum eſt ei cælitus, quod lacrymæ ex intimo cordis affectu procedentes, vice baptiſmatis purificant hominem, ita tamen, ne poſt ad inania revertatur.

** forſan præmium*

p

q

r

ſ

F

ubi orationi ſemper intenta,

6 Omni nocte vel die ſtando Pſalterium decantavit ex integro. Feria ſexta, Sabbato & Dominica, & diebus duodecim Lectionum, duo Pſalteria quotidie, trecentas ſalutationes Ave Maria dicebat, & ſabbato mille. Item in omnibus ſolemnitatibus B. Mariæ, & quotidie per Octavas, mille, & ſepties Pſalterium Dominæ noſtræ. Venias ad minus quavis die ducentas, diſciplinam accipiebat uſque ad triginta Pſalmos perdurantem. Quædam mulier moleſtans Aſcelinam de die in diem tempore orationis, caducum morbum incurrit. Aliquando, inquit, Goſuinus, juxta illud, Meditatio cordis mei in conſpectu, &c. Mihi dixit: Valde es reprehendendus, ſi Dominum jugiter non habes in memoria. Nihil mihi boni ſum conſcia, excepto quòd Dominum ſemper in memoria habeo. In Adventu Domini, Comitiſſæ cuidam magnæ, filiæ regis Franciæ propter rigorem ſilentii non eſt locuta. Omni ſabbato ab hora ſexta uſque ad nonam ſequentis Dominicæ juſſa eſt divinitus cilicium deponere, quia tunc defunctorum animæ requieſcunt *t*. Ex maximo fervore ſpiritûs quaſi globum igneum

t

EX IMPRESSIS.

igneum sensit in ventre ardere : & quadam die tanto in Domino æstuabat desiderio, ut sanguis tam per os quam aliunde de corpore ejus egrediens erumperet ; & vitam martyrio finire frequenter desideravit.

variis visionibus & miraculis claret,

7 Ab infantia verò tanta viguit castitate, quod fuerit confessa, se numquam meminisse vel modicam carnis sensisse tentationem ; neque vel semel in tota vita sua nocturno somno se meminit illusam. Frequentius illi accidit, ut eam quædam columba ad orationem duceret de dormitorio descendentem. Aliquando sumpta cruce in manibus, magno incendio occurrit, & ad ipsius adventum ignis est extinctus. Beatus Bernardus transitus sui nocte illi apparuit, dicens se ab hac vita migrasse, & mox in specie columbæ cælos penetravit. Deinde Domina nostra cum S. Joanne Baptista matrem & filiam ad pristinum locum redire suaserunt. Aliquando ad legendas in vigiliis Dominæ nostræ Lectiones lumen illi divinitus ministrarunt. Cum quemdam valdè religiosum de Vallibus *u* monachum diabolus seducere conaretur, ut Ordinem dimitteret, & vitam arctiorem eligeret, illa seductio per Christi ancillam manifestata est, & mandavit ei, ut à tali proposito desisteret, quia viderat in visu ejus effigiem, & in aure ejus diabolum suggerentem, ut Ordinem dimitteret.

u

B

v dæmones fugat,

w

8 Quædam monialis in Valle *v* etiam cum qualibet fere nocte opprimeretur à dæmone in lecto sibi vim inferente, à viro nobili domino de Juncvilla evocata, quæ docuit illam dicere Ave Maria, liberata est. Item conjugata *w* quædam, marito ejus ad S. Jacobum peregrè profecto, per partem velaminis & candelæ istius famulæ ab incubo dæmone est liberata, à quo graviter tentabatur, licet non consentiret. Dæmon latitans in tibia cujusdam mulieris apud Coloniam, confessus est, numquam istam Dei Ancillam delectatione carnis esse pollutam. Illa mulier per quindecim annos à dæmone possessa, ita per quarumdam ancillarum Dei orationem sanitati mentis est reddita, quod tamen in ejus tibia dæmon sibi habitationem constituit. Venit Coloniam virgo Ascelina per archiepiscopum evocata, quæ virgis tibiam mulieris verberando, dæmonem sursum adscendere fecit, & orationis instantia ex toto expulit.

C

& cum magna sanctitatis fama piè moritur.

x

9 Quidam conversus de Ordine Præmonstratensi per peplum S. Virginis convaluit. In cœnobio Lucensi *x* medietas unius brachii habetur B. Hieronymi, super quo Fratres erant dubitantes: unde S. Ascelina de reliquiis sibi allatis dixit : Domine, si reliquiæ istæ sint de B. Hieronymi corpore, huic mulieri sanitas restituatur, & statim mulier, quæ astabat, convaluit. Carbonem ardentem nuda manu absque læsione à coquina in capellam detulit. Plura alia edidit miracula S. Ascelina, & multas visiones habuit, quas refert Gosuinus. Obitum autem suum circiter uno anno antè præscivit. Feria sexta post Pentecosten *y* obiit circa annum Domini MCXCV *z*.

y

z

ANNOTATA.

a *Nicolaus Des-Guerrois in Annalibus Tricassinis ad annum Christi* 1195 *num.* 2 *asserit, hanc domum olim vernaculè appellatam fuisse* le lieu des dames de Boulancour, *id est*, locus dominarum Bullencurienſium, *qui quadrante milliarii à Bullencurienſi virorum monasterio distabat. Ex hoc monialium cœnobio jam nihil amplius supereſt præter horreum & parvum sacellum, sicut Edmundus Martene parte* 1 *Itinerarii sui litterarii pag.* 96 *testatur.*

D

b *Nomen hujus abbatiæ Cistercienſis, quæ nunc ad exiguum Prioratum redacta est, vario modo exprimitur, ut ex Commentario prævio patet, ubi situm ejus descripsimus.*

c *Cum Nicolao Camuzato & Angelo Manrique plurimùm dubitamus, an hæc gesta fideliter ex narratione Gosuini desumpta fuerint, & cum viris illis eruditis non immeritò suspicamur, interpolatorem quemdam recentiorem ea fabulis contaminasse.*

d *Acta S. Bernardi abbatis Clarevallenſis die* 20 *Augusti copiosè illustrata sunt.*

e *Hic fuit episcopus Lingonenſis in Gallia, de quo noviſſima editio Galliæ Christianæ tomo* IV *col.* 575 *& sequentibus consuli potest.*

f *Plura sunt hujus nominis oppida, quæ Valesius in Notitia Galliarum pag.* 194 *accuratè distinguit. Hîc indicatur oppidum monasterio Claræ vallis vicinum, quod ex adjuncto fluvii nomine dignoscitur, & vernaculè* la Ferté sur l'Aube *nominatur.*

E

g *Hic fluvius Claram-Vallem alluit, de quo plura apud Valesium in Notitia Galliarum pag.* 8 *videri possunt.*

h *Henriquezius in Liliis Cistercii lib.* 2 *dist.* 3 *cap.* 2 *asserit, Josbertum de Firmitate patrem* S. Ascelinæ *fuisse. Cum autem hic obierit circa annum Christi* 1121, *Angelus Manrique in Annalibus Cistercienſibus ad annum* 1195 *cap.* 3 *num.* 6 *chronologiam Henriquezii & hujus compendii non concordare demonstrat.*

i *Laudatus Nicolaus Des-Gurrois in Annalibus Tricassinis ad annum Christi* 1195 *num.* 24 *cum quibusdam suspicatur, S. Emelinam vel Hemelinam fuisse matrem* S. Ascelinæ, *& cum filia sua in monasterio Bullencurienſi sepultam esse. Qua auctoritate alii S. Emelinam cognominent virginem, ipsi viderint. Hæc lis decidenda esset ex Actis S. Emelinæ, quæ Gosuinus etiam scripsisse dicitur, ut in Commentario prævio notavimus.*

k *Acta hujus S. Glodesindis in Opere nostro ad diem* 25 *Julii satis accuratè illustrata sunt.*

l Cortis *vel* curtis *aliquando pro clausura monasterii accipitur, ut Cangius in auctiori Glossario ad vocem* cortis *exemplis probat.*

F

m Romanè, *id est*, Gallicè, *quia lingua Gallica ab antiqua Romana vel Latina ortum habet. Hanc significationem Cangius etiam variis exemplis ostendit.*

n Veniæ *pro genuflexionibus aut inclinationibus monasticis usurpantur. Hujus significationis exempla apud laudatum Cangium in Glossario passim occurrunt.*

o *Hactenus relata præcesserunt annum Christi* 1149, *quo Ordo in cœnobio Bullencurienſi mutatus est, ut infrà mox repetemus.*

p *Si* S. Ascelina *habuerit ætatem viginti octo annorum, quando Canonici Regulares Bullencurienſes institutum Cistercienſe amplexi sunt, non est nata ex Josberto de Firmitate, ut Henriquezius contendit : nam eo tempore habuisset triginta tres ætatis annos, ut Angelus Manrique loco supra citato Annalium Cistercienſium num* 6 *probat contra Henriquezium, qui in Liliis Cistercii lib.* 2 *dist.* 3 *cap.* 13 *affirmat, eam tunc vigesimum octavum ætatis annum attigisse.*

q *Id contigit anno Christi* 1149, *sicut apud Camuzatum in Commentario prævio laudatum ex antiquis*

A *antiquis inſtrumentis liquet.*

r *Henriquezius hanc abbatiam monialium* de Polengeio *cognominat in proximè citatis Liliis Ciſtercii cap.* 14 ; *ſed ſitum ejus non aſſignat. Nicolaus Deſ-Guerrois in Annalibus Tricaſſinis ad annum ſuprà memoratum num.* 8 *eamdem abbatiam vernaculè* Polengy *appellat, eamque in Burgundia collocat. Arbitror, hîc indicari monaſterium S. Petri in diœceſi Lingonenſi, quod noviſſimi editores Galliæ Chriſtianæ tomo* IV *col.* 745 Polongeyum *nominant.*

ſ *De hac abbatiſſa, cujus nomen ignoravit Henriquezius, editores proximè laudati Galliæ Chriſtianæ loco mox citato ſic ſcribunt :* Adelina I Godefridi epiſcopi Lingonenſis & S. Bernardi Claræ-vallenſis conſanguinea (*nimirum* neptis ex fratre, *ut ibidem in margine notatur*) de qua vide genus illuſtre S. Bernardi pag. 88, novo inducto in cœnobium inſtituto, abbatiſſa conſtituitur, ſub qua ipſius neptis B. Aſcelina pietatem didicit, quam ad faſtigium uſque ſanctitatis perduxit.

t *Hæc nobis frivola cilicii deponendi ratio videtur, quæ veroſimiliter non placuit ipſi Henriquezio, cum illam ſubticuerit in Liliis Ciſtercii cap.* 20, *ubi de hac ipſa revelatione meminit.*

B u *Tot monaſteria Ciſtercienſium nomine Vallium inſigniuntur, ut illud cœnobium hîc diſtinctè indicare non poſſim.*

EX IMPRESSIS.

v *Sæpe laudatus Deſ-Guerrois cap.* 12 *ad annum* 1195 *Annalium Tricaſſinorum iſtud monialium cœnobium Gallicè vocat* Valdône ; *ſed hujus monaſterii notitiam & ſitum fruſtra quæſivi.*

w *Quamvis iſtud miraculum hîc* S. Aſcelinæ *tamquam viventi adſcribatur, tamen Nicolaus Deſ-Guerrois in Opere mox citato num.* 22 *idem refert primum inter illa, quæ poſt obitum ſanctæ Virginis contigerunt.*

x *Henriquezius in Liliis Ciſtercii cap.* 23 *dicit hoc eſſe celeberrimum cœnobium Ciſtercienſe in Saxonia, cujus rei fidem penes ipſum relinquimus.*

y *Mors ipſius in Menologio Ciſtercienſi ac alibi ſignatur die* 18 *Maii, quo Majores noſtri illam ad diem* 22 *Auguſti remiſerunt, cum tamen in Martyrologio Gallicano Sauſſayi die ſequenti annuntietur. Arturus Du Monſtier in Gynæceo ſacro eamdem Sanctam die* 18 *Maii & 23 Auguſti memorat.*

z *Neſcio, qua de cauſa laudatus Arturus in notis ad diem* 18 *Maii ſcribat, hanc ſanctam Virginem* anno MCXC (non autem MCXCV) feliciter ad Dominum *migraſſe. Nos communem aliorum chronotaxim ſecuti ſumus, & initio Commentarii prævii in margine obitum Sanctæ anno circiter* 1195 *affiximus.* E

DE S. PHILIPPO BENITIO CONFESS.

ORDINIS SERVORUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,

TUDERTI IN UMBRIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. G. C.

§ I. Diverſi ſcriptores, qui tum Latinè, tum Italicè, Acta hujus Sancti litteris mandarunt.

C ANNO MCCLXXXV. *Ex Annalibus Servitarum*

Eſta hujus ſancti Viri tam copiosè & enucleatè conſcripta ſunt, ut vix ullam Commentario noſtro prævio materiam reliquerint. Quapropter hoc paragrapho tantùm agemus de variis Vitæ & miraculorum ſcriptoribus, inter quos Archangelus Gianius in Annalibus Ordinis Servorum beatiſſimæ Virginis Mariæ Centuriâ 2 *lib.* 3 *cap.* 10 *num.* 4 *ſequentes recenſet his verbis :* Cupiens etiam Pater Generalis unà cum reliquis de Capitulo, ut beati patris noſtri Philippi jugis memoria nedum conſervaretur, verùm etiam multò magis indies populi in ipſum devotio augeretur, ſtatuit, ut ejus geſta, olim à F. Petro Generali collecta, denuo conſcriberentur, ex quibus divinum illius Officium componeretur, quod ſingulis in locis noſtri Ordinis ſolemni ritu quolibet anno celebrari conſueverat ; & hoc munus P. Guilielmo de Alexandria, qui erat orator facundus & in divinis Scripturis apprimè verſatus, demandatum fuit.

recenſentur auctores,

2 Ad honorem quoque patris noſtri Philippi, eodem Andrea procurante, multi vel ejus miracula indies contingentia, vel ejus geſta conſcribebant ; inter hos verò memoriâ dignus prodi-

tur P. Marius Georgius Venetus, qui cum inter philoſophos & theologos noſtri Ordinis primas haberet, duos libros de Libertate eccleſiaſtica in Simoniacos conſcripſerat ; cumque eſſet etiam non minus poëta venuſtus, quàm elegans, & facundus orator, ejuſdem beati patris noſtri Philippi Vitam heroïco carmine cecinit ; quod etiam Tuderti feciſſe D. Dominicum phyſicum Tudertinum ferunt, qui ejuſdem Beati geſta ſimplici quidem ac ſoluta oratione pro modulo rudis illius ætatis, veriſſima tamen, & quæ adhuc noſtris temporibus apud Joannem Baptiſtam Guazzaronium, ſpectatæ doctrinæ virum præclarum, in manuſcripto ſervantur. *Franciſcus Sanſovinus in Hiſtoria Veneta lib.* 13 *apud nos fol.* 242 *priorem ex his duobus biographis pro Mario Marcum Georgi appellat. Videntur autem Marius vel Marcus ille Georgius & Dominicus Tudertinus ſeculo decimo quarto floruiſſe.* F

qui geſta hujus Sancti,

3 *Deinde Gianius ibidem alium Vitæ ſcriptorem aſſignat, & ſimul immemorabilem* S. Philippi *cultum probat hoc modo :* Neque tamen arbitrandum eſt, ob hanc Generalis Andreæ ſedulitatem feſtum beati Philippi hoc primùm tempore cœptum fuiſſe celebrari : nam ex fide dignis monumentis, præſertim Diariis cœnobii Annuntiatæ

AUCTORE G. C.

nuntiatæ ab anno MCCCXXXVI & deinceps viciſſim uſque ad hæc noſtra tempora perſpicuum eſt, feſtum beati Philippi quotannis Auguſto menſe celebratum fuiſſe. Quin etiam ab illius miraculorum coruſcatione poſt mortem adhibitos ſibi ſtatim hujuſmodi divinos honores aſſeveranter indicat M. Coſmus Florentinus, qui ejus geſta conſcripſit circa annum MCDLXXX; quod fortè etiam ex eiſdem præcedentibus Diariis ante prædictum annum MCCCXXXVI, quæ modò deſiderantur, facilè collegiſſe auctor ille potuit.

tum ſtylo ſoluto,

4 Ceterùm non ob id inficiendum, quin Generalis Andreæ curâ magnum quid incrementi ſuperadditum fuerit devotioni beati Philippi, quando hoc tempore ejus dies feſtus per tibicines tota in urbe Florentina evulgari quotannis & ſucceſſivè conſueverit; quodque Magiſtratum & Senatum ipſum Florentinum ſolemni pompa ad Annuntiatam eo die accurrere & divinis ejus intereſſe, ex eiſdem Diariis compertum ſit. Quare ſi ex ſolis monumentis unius cœnobii Florentini tot & tanta de beato Philippo conſpicari licuit, quid ſi per ſingula hujus noſtri Ordinis cœnobia
B licuiſſet nobis cuncta monumenta rimari? Neque prætereundus pius ille ritus quibuſdam in eccleſiis hujus Ordinis ab immemorabili tempore uſque ad præſens derivatus, benedicendi panes illos inter populum diſpenſandos in feſto beati Philippi ob memoriam illius angelici panis, quem in ſumma Aretii caritate ipſe coram imagine beatæ Virginis provolutus orando ſuis famelicis Fratribus abundè impetrarat. *Miraculum, cujus occaſione hic ritus benedicendi panes inſtitutus eſt, poſtea in Actis diſtinctè narrabitur. Interim ad alios Actorum ſcriptores indagandos progrediamur.*

tum ligato conſcripſe-runt,

5 *Circa annum Chriſti* 1470 *Ugolinus Verinus in honorem* S. Philippi Benitii *compoſuit carmen hexametrum, quo pleraque Sancti iſtius geſta & miracula enarrat, quodque laudatus Archangelus Gianius integrum Annalibus ſui Ordinis ante Centuriam tertiam inſeruit.* Fuit autem Ugolinus iſte (*utimur hîc verbis ejuſdem Gianii, quibus lectorem ante editionem illius carminis monet*) æquè humanioribus litteris eruditus, ac inculpatæ vitæ moribus vehementer excultus, & tantæ auctoritatis apud Laurentium Me-
C dicem, veteris diſciplinæ & litterarum omnium fautorem, habitus, ut is unum hunc deligeret, qui Joannem filium illum erudiret, qui deinde poſt Cardineam purpuram ad apicem Romanæ ſedis titulo Leonis X aſcendens, magnis auſpiciis Mediceam familiam ad ſummos principatus primus omnium provexit. Quaſi hoc uno facinore perenni gloria cenſeatur dignus Ugolinus, quod celſum & altæ indolis puerum erudierit. Scripſit Ugolinus plurima elegantiſſima poëmata & præſertim de familiis Florentinæ urbis, quæ omnia partim edita, partim manuſcripta in Medicea S. Laurentii bibliotheca aſſervantur. Quod verò carmen hoc in honorem beati Philippi minus conſuetæ illius elegantiæ conſonum quibuſdam videri poſſit, ob id meo judicio accidit, quod obiter & ex tempore illud cecinerit, & hanc fortè ob rationem SYLVAM nuncupaverit; fortaſſe etiam in Chriſtophori de Juſtinopoli Generalis gratiam, quando in comitiis Florentiæ celebratis anno MCDLXX de beati Philippi canonizatione rurſus ſermo habitus fuit. *At quæcumque ſit minoris hujus elegantiæ cauſa, nos non recudemus illud carmen, in quo tantùm continentur ea, quæ poſtmodum in Actis clariùs explicabuntur.*

6 *Etiam prætermittemus Thadæum Adimarium Florentinum, & Nicolaum Borgheſium patritium Senenſem, qui eodem ſeculo decimo quinto laudes* S. Philippi *rhythmis aut hymnis celebrarunt, ut apud Gianium in Annalibus ante librum quintum Centuriæ primæ, & ante Centuriam quartam videre eſt. Ex auctoribus verò ſequentis ſeculi, qui aliqua ad Ordinem Servorum beatæ Mariæ vel ad* S. Philippum Benitium *ſpectantia litteris mandarunt, ſolum memoramus Michaëlem Pocciantium Florentinum, qui anno Chriſti* 1567 *Florentiæ Chronicon Ordinis Servitarum vulgavit. Plurima* S. Philippi *geſta & miracula breviter ordine temporis narrantur in hoc Chronico, quod ex vetuſtioribus monumentis deſumptum eſt, ut ipſe Pocciantius in dedicatione Operis ſui teſtatur his verbis:* Decrevi tandem, quoad fieri poſſet, ex omnibus in unum coactis Annalibus noſtri hujus Annuntiatæ cœnobii excerpere, quidquid memoriæ proditum eſt de priſcis illis Patribus noſtris, qui noſtræ Servitarum familiæ fundamenta jecerunt, qui in Divorum cœtum adducti, illam nobilitarunt, qui præclara eruditione atque doctrina ornati, eamdem in magna gloria & laude poſuerunt. *Præterea Pocciantius ante exordium ſui Chronici vetera hæc documenta nominatim expreſſit.*

D *quæ etiam Pocciantius Latino ſuo Chronico inſeruit.*

E

Gianius amplam ejuſdem Vitam prius Italicè edidit,

7 *Ineunte ſeculo decimo ſeptimo ſæpe laudatus laudandusque Archangelus Gianius diffusè Vitam* S. Philippi *contexuit, ut ipſe Centuriâ primâ Annalium ſuorum lib.* 2 *in Annotationibus ad caput* 16 *indicat hoc modo:* Quæ de beato Philippo Benitio ſtrictim percurrit auctor in his Annalibus, ſi quis cupiat fuſius legere, conſulat ampliorem ejuſdem auctoris Hiſtoriam de beato Philippo, Florentiæ apud Mareſcottos quinque libris editam MDCIV. *Suſpicamur, de hac eadem* S. Philippi Benitii *Vita, quæ nobis ad manum non eſt, in comitiis generalibus Servitarum anno Chriſti* 1603 *Romæ celebratis ſtatutum fuiſſe,* quod Hiſtoria beati Philippi juſſu Angeli Mariæ Generalis per M. Archangelum Gianium provinciæ Tuſciæ ſocium edita, per ſingula Ordinis cœnobia diſtribuatur, *quemadmodum Centuriâ quartâ laudatorum Annalium lib.* 6, *cap.* 6 *refertur. Hæc autem prolixa* S. Philippi *hiſtoria videtur Italico idiomate conſcripta eſſe, ſicut ex infra dicendis mox apparebit.*

F

eamque poſtea Latinè contraxit,

8 *Poſtea Gianius eamdem Vitam Italicam, ni fallimur, reduxit ad compendium Latinum, quod manu exaratum inter ſchedas Muſei noſtri ſervamus, & in quo ille interpres ad eminentiſſimum Hieronymum Bernerium Ordinis ſui protectorem dirigit hanc præfationem:* Librum, quem de hiſtoria beati patris noſtri Philippi Etruſco idiomate ſatis copiosè per me compoſitum ad te (Cardinalis ampliſſime) ſuperioribus diebus tranſmiſeram, cum libenter accepiſſes, nec ſine ſumma animi pietate, ſicut ex tuis graviſſimis verbis coram percepi, poſtea perlegiſſes & probaſſes, me etiam, quæ tua eſt benignitas, ſimul cohortatus fuiſti, ut dum mihi Romæ his diebus commoranti per otium liceret, hanc eamdem hiſtoriam Latino ſermone quaſi ſynopſin, & ad compendium, ut aiunt, cæſim ea lege referrem, ut quiſquis ejuſdem beati Patris geſta percurrere & preſſiùs inſpicere contendat, uno ferè oculorum intuitu id facilè aſſequi poſſet. Ego verò, cum tibi ad nutum ſemper (ut debeo) parere & ſummo deſiderio obſequi paratus ſim, ſtatim tuis auſpiciis Opus aggreſſus, tanta celeritate

A ritate complevi, ut vix credi poſſit, hæc omnia per nos currenti calamo (tantum valet obedientia) ſimul collecta fuiſſe. Accipe igitur, vigilantiſſime protector, exiguam hanc obſervantiæ erga te meæ declarationem, quam ſi præſtantiſſimæ bonitati tuæ non injucundam fore cognovero, multo magis excitabor, ut eamdem in poſterum obſequentiorem experiare. Interim benedictus Deus, qui te huic noſtræ Servitanæ ſodalitati protectorem conſtituit, ad Apoſtolatûs apicem pro totius reipublicæ Chriſtianæ regimine promovere dignetur, & beatiſſima Virgo patrona noſtra, quam tibi quotidie cum beato noſtro Philippo ſoſpitatricem imploro, æquam tuæ erga nos protectionis paremque gratiam rependat. Ex ædibus noſtris S. Marcelli de Urbe, octavo Kalendas Junii MDCVI.

9 *Deinde laudatus auctor ſcribere incipit promiſſum hiſtoriæ compendium, quod in quinque partes diviſum eſt: nam primò breviter geſta* S. Philippi *uſque ad ejus obitum narrantur. Secundò miracula, quæ non diu poſt mortem ipſius contigerunt. Tertiò variæ ſacri corporis tranſla-*
B *tiones, in quibus etiam miracula quædam patrata ſunt. Quartò agitur de ſacris ejus reliquiis, quæ in diverſis urbibus ac regionibus honorantur. Quintò denique referuntur aliqua ſpectantia ad promovendam* B. Philippi *ſolennem canonizationem, quæ tamen non niſi diu poſt obitum Gianii ab Apoſtolica Sede impetrari potuit, ut inferiùs in hoc Commentario prævio videbimus. Priùs decreveram hanc Vitæ ſynopſin typis edere; ſed poſtea ſententiam mutavi, cum viderem, eumdem Gianium Annalibus ſuis, quos poſtmodum anno* 1618 *Florentiæ imprimi juſſit, magnam ejuſdem compendii partem inſeruiſſe. Quapropter in Annotatis ad Acta* S. Philippi *inferiùs edenda allegabo iſtos Annales, qui mihi potiſſimùm placent, eo quod illorum auctor poſt ſingula fere capita in Annotationibus aſſignet documenta, ex quibus narrationem ſuam hauſit. Nihil hîc dico de Italica* S. Philippi *Vita, quam Pandolfus Ricaſoli Baroni Canonicus Florentinus anno* 1626 *tribus libris complexus eſt, & Urbano VIII Pontifici nuncupavit. Etiam tacitus prætereo panegyrim poëticam,*
C *quam Carolus Caſini Servita tunc in honorem hujus ſancti Viri Italicè concinnavit, & eodem anno* 1626 *Florentiæ typis excudi juſſit. Procul dubio hæc & alia vidit poſterior Latinæ Vitæ ſcriptor Servita, de quo jam pauca præmonebimus: hic enim in Actis infrà edendis cap.* 5 *num.* 52 *generatim numerat* quinque ſupra triginta optimæ notæ ſcriptores, *qui res geſtas* S. Philippi *litteris commendarunt.*

10 *Cherubinus Maria O-Dale Hibernus, quem nos exemplo aliorum Latinè Dalæum cognominabimus, anno* 1644 *OEniponti Latinam* S. Philippi *hiſtoriam edidit, & auguſtiſſimo Ferdinando III imperatori dedicavit. Hanc ſcriptor ille collegit ex variis monumentis, ut patet ex facultate imprimendi, quam reverendus admodum Pater Vicarius generalis Ordinis Servorum beatiſſimæ Virginis ei conceſſit, & quæ huic Operi ſic præfixa legitur:* Cum præſentem Vitam beati patris noſtri Philippi à P. F. Cherubino Maria Dalæo ex Annalibus Ordinis & hiſtoria ejuſdem Italicè edita collectam ac Latinitate donatam Ordinis noſtri Patres theologi, ad cenſuram deputati, dignam luce cenſeant, ego P. F. Archangelus Benevenius Ordinis Servorum B. Virginis pro auctoritate mihi à reverendiſſimo Patre Generali conceſſa, ejus imprimendæ facultatem concedo. OEniponti in Conventu ſancti Joſephi die XXIII Novembris anno MDCXLIII. AUCTORE G. C.

11 *Hanc Vitam Latinam, quam Dalæus ſatis eleganter & ordinatè in tres libros partitus eſt, huic Commentario prævio ſubnectemus, & more noſtro in plura vel pauciora capita dividemus, præfixis tamen veterum librorum & capitum titulis, ne quis aliquid in hac noſtra editione mutatum aut prætermiſſum ſuſpicetur. Præterea illuſtrabimus ſingula capita conſuetis Annotationibus, quas ex Annalibus Archangeli Gianii vel ex Chronico Michaëlis Pocciantii excerpemus. Cum verò poſt editam Dalæi lucubrationem non pauca ad majorem* S. Philippi Benitii *gloriam & cultum ejus augendum acceſſerint, ea paragrapho ſequente ex Bulla canonizationis & poſterioribus Romanorum Pontificum decretis fideliter referemus.*

quæ poſt hunc Commentarium recudemus.

§ II. Poſthuma hujus Sancti gloria ex ſolenni ejus canonizatione, ſubſecuto cultûs incremento, & declarata primorum ſodalium ſanctitate. E

Benedictus XIII Papa teſtatur,

QUamquam ſæpius de impetranda beati hujus Viri canonizatione cogitatum actumque fuerit, tamen ea res ad optatum finem perduci non potuit ante annum Chriſti 1671, *quo Clemens X Pontifex* Philippum Benitium *catalogo Sanctorum ſolenniter adſcripſit. Cum verò tunc hac de re litteræ Apoſtolicæ conſcriptæ non fuerint, Benedictus XIII ſummus Pontifex hunc defectum anno* 1724 *benignè ſupplevit edita conſtitutione, quæ apud illuſtriſſimum Juſtum Fontaninum in Codice canonizationum pag.* 542 *& ſequentibus ita ſonat:* Benedictus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, Rationi congruit & convenit æquitati, ut quæ Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum & epiſcoporum, unanimi eorum conſilio communicato, ſanxit & definivit, licet poſtea ob ejuſdem F Pontificis obitum litteræ Apoſtolicæ de his conſcriptæ non fuerint, ſuum tandem conſequantur effectum. Jam dudum piæ memoriæ anteceſſor noſter Clemens Papa X Dei ſervos, quos ſummarum virtutum & ſignorum præſtantia in variis religioſorum Ordinum cœtibus olim fulſiſſe cognoverat, omnium Chriſti fidelium imitatione exprimendos propoſiturus, inter ceteros unum elegit venerabilem virum Philippum Benitium ex familia Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, quem ob ſanctitatem, ex ritu S. R. E. probatam atque recognitam, ubique colendum honorandumque decerneret.

S. Philippum Benitium,

13 Philippus Florentiæ Tuſcorum anno Chriſti Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo tertio, dum annua feſta agerentur beatæ Mariæ Virginis in cælum aſſumptæ, à qua eum parentes precibus impetraverant, familiæ Fratrum Servorum ejuſdem Virginis, eodem die atque anno inſtitutæ, magnum ipſe ornamentum futurus, in lucem editus eſt. Lutetiæ & Patavii ſtudiis ſacrarum Litterarum abſolutis, hoc aſſiduis jejuniis & orationibus à Domino obtinuit, ut Ordo Fra-

Dalæus Latina S. Philippi Acta fuſè collegit,

AUCTORE G. C.

trum Servorum beatæ Mariæ Virginis, cui nomen daret, sibi præmonstraretur: cujus Ordinis vestem in classe laïcorum ob modestiam indutus, aliquamdiu solitariam vitam in montis Senarii eremo supra Florentiam traduxit. Postmodum ex obedientia ad presbyteratum evectus, terrenisque rebus ob cælestium contemplationem despectis, verbo Dei promulgando se totum addixit, suæque familiæ Generalis præfectus in unam hanc curam ardenter incubuit, ut per se suosque, variis linguis instructos, Christi Domini Euangelium ubique prædicandum curaret; quod ipse salutis animarum percupidus, nullisque periculis territus, sedulò tantaque alacritate agere consuevit, ut ejus famâ permotus piæ memoriæ Clemens Papa IV, decessor noster, eum sibi Apostolicum concionatorem adlegerit.

cujus Acta & miracula

14 Peccatores ad Deum conversurus, Galliam, Germaniam, Frisiam, & Sarmatiam peragravit, eodemque pio instinctu Pistoriensem civitatem, funestis Gibellinorum Guelforumque odiis laniatam, Christianæ concordiæ restituit. Unde factum, ut plures Dei Virum imitaturi, res suas pauperibus erogarent, ipsique primarii Gibellinæ factionis duces ad cor redeuntes, religiosum Philippi institutum amplecterentur. Summæ ejus caritatis fervor eluxit, ubi eleemosynam flagitanti interiorem sibi vestem detractam Viterbii largitus est; qua pauper contectus, à morbo lepræ convaluit. Magnum quoque & Deo gratissimum Christianæ lenitatis argumentum edidit, dum Liviensis populi in Æmilia crimina & mores pro concione corripiens, virgis cæsus, saxisque impetitus, pro persecutoribus tanto spiritu Deum exoravit, ut ex his unum Peregrinum ad pœnitentiam traxerit, qui Philippi Religionem ingressus, sua & civium peccata delevit, postea & ipse eximiis virtutibus & miraculis florens, & propterea per nos ipsos, favente Deo, quamprimum in Sanctorum canonem referendus.

hic compendiosè narrantur,

15 Philippus veterum anachoretarum mores æmulari studens, in cryptam montis Senarii Deo liberiùs vacaturus, quadriennium secessit. Ceteris ejus virtutibus par fuit cordis humilitas, qua patriæ ecclesiæ episcopatum respuit, Viterbium inde properans, post piam dormitionem decessoris nostri Clementis Papæ IV, ubi per Ottobonum S. R. E. diaconum Cardinalem sancti Hadriani, suique Ordinis patronum sibi oblata Pontificia dignitate palam se indignum professus, in solitudinem remeavit, ipsum Ottobonum ad tantum fastigium aliquando evehendum, sed brevi eo potiturum, vaticinatus. Is fuit antecessor noster piæ memoriæ Hadrianus Papa V. Sed Philippus religiosæ solitudinis amore captus, cum iterum tres menses in crypta montis Senarii latitasset, ab alio inclytæ recordationis decessore nostro Honorio Papa IV Perusiæ Pontificali benedictione munitus, Tudertum petiit, ubi ad populum, qui magnâ frequentiâ ei obvius advenerat, concione habita, lethali morbo decubuit, summæque pietatis & religionis argumentis pœnitentiales Davidis Psalmos non sine profusis lacrymis recitans, migravit ad Dominum anno salutis millesimo ducentesimo octogesimo quinto, decimo Kalendas Septembres, dum solemnia absolverentur Octavæ beatæ Mariæ Virginis in cælum assumptæ, quibus in lucem prodierat. Ad ejus corpus sex dies palam expositum populi maximâ frequentiâ venerationis ergô confluere visi sunt, Missæque sacrificium episcopo, clero, & tota civitate præsentibus, non pro defuncto, sed de beato confessore nutu Dei celebratur.

à Clemente X Papa in catalogum Sanctorum relatum fuisse.

16 Mox Vir justus prodigiis claruit. Ad ejus corpus & sepulcrum claudi gressum, cæci visum, ipsique mortui vitam receperunt: quibus aliisque rite cognitis & perspectis, felicis memoriæ antecessor noster Leo Papa X Philippum Beatorum numero adscripsit, Officium, Missamque in ejus honorem à Fratribus Ordinis Servorum, beati Viri anniversario die recurrente, celebrari permissis, ad id postmodum accedente etiam auctoritate diplomatum sanctæ memoriæ decessorum nostrorum Clementis VIII & Pauli V. Quare ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ regulis & ritualibus constitutionibus, per Romanos Pontifices editis, de more cognitâ, & compluries in examen adductâ, etiam sub felicis recordationis itidem decessore nostro Urbano VIII, semperque probatâ Viri Dei sanctitate, perinsignibus ejus virtutibus signisque testatâ, ad pias preces per varios Principes apud hanc sanctam Apostolicam Sedem vehementissimè repetitas, præsertim verò ab illustris memoriæ Leopoldo Romanorum imperatore electo, & Cosmo III olim in Etruria sibi subjecta magno Duce; idem Clemens Papa X Philippum Benitium, de cujus virtutum & prodigiorum magnitudine disertè constiterat, in Sanctorum confessorum canonem referendum pronuntiavit.

& Apostolicum ejus decretum tunc non editum

17 Itaque indicta die, nimirum Dominicâ secundâ post Christi Domini Resurrectionem pridie Idus Apriles anni millesimi sexcentesimi septuagesimi primi, Pontificatus sui primo, cum in sacrosanctam beati Petri Apostolorum principis basilicam tantam cæremoniam solenni ritu peracturus processisset, semel, iterum & tertiùm iteratis ad Deum precibus, in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum & episcoporum pro Philippo Benitio in sanctorum confessorum canonem referendo, unanimi omnium acclamatione & suffragio, post sacros hymnos precesque ad Deum piè fusas, & paracliti Spiritûs gratiam enixè invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, exaltationem fidei Catholicæ, Christianæque religionis amplificationem idem Clemens Papa X auctoritate Domini nostri Jesu Christi & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, beatum Philippum Benitium unà pariter cum beatis confessoribus non pontificibus Francisco Borgia, Cajetano Thienæo, Ludovico Bertrando, & virgine non martyre Rosa à sancta Maria, sanctum esse decrevit & definivit, in sanctorum confessorum canonem retulit, eumdemque imposterum ab universis Christi fidelibus, tamquam verè sanctum, colendum, invocandum honorandumque sancivit; ad ejus honorem sacras ædes atque altaria, in quibus sacrosanctum Missæ sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari, & quotannis decimo Kalendas Septembres, quo die Vir sanctus obdormivit in Domino, illius memoriam, ut sancti confessoris non pontificis, piè coli posse pronuntiavit. Mox gratiis cum plurimo gaudio Deo actis, præcipuaque oratione per beati Philippi merita ad Dominum recitata, ad aram maximam supra confessionem beati Petri, cum ejusdem Philippi ceterorumque commemoratione Missam celebravit, universis Christi fidelibus, qui aderant, plenariam peccatorum indulgentiam & remissionem largitus.

A *confirmat hac conſtitutione,*

18 Ne verò de hujuſmodi Clementis Papæ X decreto Apoſtolico, definitione, ſanctione, adſcriptione, relatione, conceſſione, ceteriſque præmiſſis, propterea quod ab eodem Clemente aut ab ejus ſucceſſoribus Innocentio XI, Alexandro VIII, Innocentio XII, Clemente XI & Innocentio XIII piæ memoriæ Romanis Pontificibus anteceſſoribus noſtris, litteræ decretales de more conſcriptæ non fuerint, deinceps umquam poſſit quomodolibet hæſitari, Nos, qui, meritis licet imparibus, diſponente Domino, in cathedra beati Petri iiſdem ſucceſſimus, volumus & Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut decretum, ſanctio, relatio, adſcriptio, conceſſio, ceteraque hactenus memorata, à jam dicta die pridie Idus Apriles anni milleſimi ſexenteſimi ſeptuageſimi primi, ſuum undequaque & plenarium conſequantur effectum, acſi ſuper illis ab eodem Clemente Papa X litteræ decretales revera eadem die conſcriptæ & de more promulgatæ fuiſſent, ut ſuperiùs enarratur. Volumus autem, ut præſentes litteræ ad probandum decretum, definitionem, ſanctionem, adſcriptionem, relationem, ſtatutum, conceſſionem, ceteraque præmiſſa, ubique omnino ſufficiant, neque alterius cujuſcumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur. Præterea quia difficile foret, has noſtras ad ſingula loca, ad quæ opus eſſet, adferri, volumus, ut earumdem exempla etiam typis impreſſa, manu publici notarii ſubſcripta, ſigilloque alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hæ noſtræ obtinerent, ſicubi eas exhiberi vel oſtendi contingeret. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri decreti, definitionis, ſanctionis, adſcriptionis, relationis, ſtatuti, conceſſionis infringere, aut ei temerario auſu contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo viceſimo quarto, pridie Nonas Junias, Pontificatus noſtri anno primo.

B

C *vui ipſe cum pleriſque Cardinalibus ſubſcribit,*

19 ✠ EGO BENEDICTUS CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS.

✠ Ego Franciſcus epiſcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus.

✠ Ego Laurentius epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Corſinus.

✠ Ego Joſeph tituli ſanctæ Praxedis presbyter Cardinalis Sacripantes.

✠ Ego Thomas tituli ſanctæ Mariæ Tranſtiberim presbyter Cardinalis Rufus.

✠ Ego Philippus Antonius tituli ſanctæ Cæciliæ presbyter Cardinalis Gualterius,

✠ Ego Ludovicus tituli ſancti Silveſtri in Capite presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.

✠ Ego Antonius Felix tituli ſanctæ Balbinæ presbyter Cardinalis Zondadarius.

AUCTORE G. C.

✠ Ego Petrus tituli ſancti Johannis ante Portam Latinam presbyter Cardinalis Corradinus.

✠

✠

✠

✠ Ego Melchior tituli ſanctæ Mariæ Angelorum presbyter Cardinalis de Polignac.

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Bernardinus tituli ſancti Petri in monte Aureo presbyter Cardinalis Scottus.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Georgius tituli ſanctæ Agnetis presbyter Cardinalis Spinula.

✠

✠

✠

E

✠ Ego Ludovicus tituli ſanctæ Priſcæ presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.

✠ Ego Joſeph tituli ſanctæ Suſannæ presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.

✠

✠ Ego Johannes Baptiſta tituli ſancti Stephani in monte Cælio presbyter Cardinalis Salernus.

✠

✠ Ego Alvarus tituli ſancti Bartholomæi in Inſula presbyter Cardinalis Cienfuegos.

✠

✠ Ego Johannes Baptiſta tituli ſancti Matthæi in Merulana presbyter Cardinalis de Alteriis.

✠ Ego Vincentius tituli ſancti Onuphrii presbyter Cardinalis Petra.

✠ Ego Proſper tituli ſancti Chryſogoni presbyter Cardinalis Marefuſcus.

✠

✠ Ego Nicolaus tituli ſanctæ Mariæ in Dominica presbyter Cardinalis Goſcia.

✠

✠

✠

✠

F

✠ Ego Benedictus ſanctæ Mariæ in Via lata diaconus Cardinalis Pamphilius.

✠ Ego Joſeph Renatus ſancti Georgii in Velabro diaconus Cardinalis Imperialis.

✠ Ego Laurentius ſanctæ Agathæ ad Montes diaconus Cardinalis de Alteriis.

✠ Ego Carolus ſancti Angeli in foro piſcium diaconus Cardinalis Columna.

✠ Ego Curtius ſancti Euſtachii diaconus Cardinalis Origus.

✠ Ego Fabius ſanctorum Viti & Modeſti diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliverius.

✠ Ego Carolus ſanctæ Mariæ in Aquiro diaconus Cardinalis de Marinis.

✠ Ego Julius ſancti Hadriani diaconus Cardinalis Alberonus.

✠ Ego Alexander ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconus Cardinalis Albanus.

✠ Ego Nicolaus ſanctæ Mariæ de Rotunda diaconus Cardinalis Judice.

✠

AUCTORE P. Cardinalis Prodatarius
G. C. F. Cardinalis Oliverius
VISA
De Curia J. archiepiſcopus Ancyranus.
L. Martinettus
Regiſtrata in Secretaria Brevium.

20 *Quanto cum gaudio diu deſiderata* S. Philippi Benitii *canonizatio excepta fuerit, oſtendit Applauſus Florentinus, anno* 1672 *Italicè editus, in quo elegantes inſcriptiones Latinæ & ingenioſa carmina ad honorem hujus Sancti leguntur. Sed hanc tranſitoriam & privatam urbis Florentinæ venerationem Sedes Apoſtolica perpetuam ac univerſalem reddere voluit, dum anno* 1694 *Innocentius XII Pontifex cultum* S. Philippi *per totam Eccleſiam propagavit, ut patet ex decreto ſequente:* Ad perquam humillimas R. P. Joannis Franciſci Mariæ Poggi Generalis, & P. Petri Antonii de Rubeis Procuratoris generalis Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis ſupplicationes, totius eorum Religionis nomine ſanctiſſimo Domino noſtro porrectas, ſacræque Rituum Congregationi remiſſas, & ab eminentiſſimo & reverendiſſimo domino Cardinale Otthobono relatas, benignè ſacra eadem Congregatio inclinata poſſe concedi cenſuit, ut Officium ſancti Philippi Benitii profeſſoris, ſeu potius dicti Ordinis propagatoris, hactenus die XXIII Auguſti ſub ritu ſemiduplici ad libitum, & deinde de præcepto in Eccleſia univerſali recitatum, in poſterum ſingulis annis ab omnibus tam ſecularibus, quàm regularibus utriuſque ſexus, qui ad horas Canonicas tenentur, ſub ritu duplici minori de præcepto recitetur; ſi ſanctiſſimo Domino noſtro videbitur. Die 2 Octobris MDCLXXXXIV. Facta igitur deinde ſanctiſſimo Domino noſtro de prædictis per me ſecretarium relatione, Sanctitas ſua benignè annuit die IX ejuſdem menſis & anni MDCLXXXXIV.

cum interim cultus Sancti poſt canonizationem non parum auctus eſſet.

A. Cardinalis Cybo
B. Inghirami ſac. Rit. Congr. Secr.
Loco † ſigilli.

21 *Poſtquam hæc de notitia biographorum ac publica Sancti noſtri veneratione collegeram, ad manus meas pervenit eximium Opus eminentiſſimi Cardinalis & archiepiſcopi Bononienſis Proſperi de Lambertinis, quod* de Servorum Dei beatificatione & Beatorum canonizatione *inſcribitur, & ab anno* 1734 *Bononiæ typis edi cœpit. In hoc Opere lib.* 2 *cap.* 24 § 42, *ſive tomo* 2 *pag.* 286 *reperitur decretum, quo Sedes Apoſtolica declarat immemorabilem cultum ſex venerabilium virorum, qui Ordinem Servorum beatæ Mariæ Virginis fundarunt. Cum de beatis illis fundatoribus in Actis poſt hunc Commentarium prævium edendis ſæpius mentio recurrat, ad clariorem rerum referendarum intelligentiam, majorem* S. Philippi Benitii *ſodaliumque gloriam, & ad illuſtriorem ſplendorem ſupradicti Ordinis omnia huc ſpectantia tranſcribere non gravabor.*

Etiam ad poſthumam ejus gloriam ſpectat,

22 *Loco proximè citato laudati Operis iſtud decretum ſic refertur:* Diſcuſſo in ſacra Rituum Congregatione ad inſtantiam Poſtulatorum hujuſmodi cauſæ, dubio, an conſtet de cultu ab immemorabili tempore eiſdem Beatis exhibito, & caſu excepto à decretis ſanctæ memoriæ Urbani VIII, ita ut ſententia reverendiſſimi Ordinarii Florentini ſit confirmanda in caſu &c. Sacra eadem Rituum Congregatio ad relationem eminentiſſimi & reverendiſſimi domini Cardinalis Zondadarii, reverendiſſimo domino Proſpero de Lambertinis archiepiſcopo Theodoſiæ, fidei Promotore, in ſcriptis & in voce priùs audito, reſcribendum cenſuit, conſtare de cultu immemorabili ſex ex ſeptem fundatoribus Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis, ſi ſanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die VII Julii MDCCXXV. Factâque deinde per me ſecretarium de prædictis ſanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas ſua (*nimirum Benedictus XIII*) benignè annuit, die XXX ejuſdem menſis, & anni MDCCXXV.

quod à Sede Apoſtolica non ita pridem

23 *Poſt exhibitum hoc decretum, eminentiſſimus ſcriptor ibi nomina ſeptem fundatorum recenſet, & immemorabilem ſeptimi cultum aliunde probat his verbis:* Nomina horum Beatorum ſeptem fundatorum ſunt ſequentia: BONFILIUS MONALDINUS, JOANNES MANETTUS, BENEDICTUS ANTELLENSIS, BARTHOLOMÆUS DE AMIDEIS, RICOVERUS LIPPIUS, GERARDINUS SOSTENEUS, ALEXIUS FALCONERIUS. Septimus porrò, hoc eſt, Alexius Falconerius in ſuperioribus memoratus eſt, quia cùm cauſa beatificationis & canonizationis ejuſdem curâ, ſtudio, atque impensâ ſuæ nobiliſſimæ Domus initium habuerit & progreſſum (quod etiam factum eſt in cauſa beatæ Julianæ ex eadem familia) ubi cauſa aliorum ſex fundatorum promota fuit, & promovetur à religioſo Ordine Servorum Mariæ, hinc unius cauſæ ab alia ſegregatio provenit, licet tum quoad ſanctitatem tum quoad cultum iiſdem omnino fundamentis utraque inſiſteret: quotquot enim ſcriptores vel antiqui vel recentiores, & quotquot teſtes examinati, qui de fama virtutum ac miraculorum, & de antiquo cultu beati Alexii ſcripſerunt, aut depoſuerunt, iidem ſcripſerunt pariter atque depoſuerunt de fama virtutum ac miraculorum, & de cultu immemorabili aliorum ſex fundatorum.

declaratus ſit immemorabilis & legitimus cultus

24 *Deinde laudatus auctor ibidem num.* 165 *antiquam horum ſeptem fundatorum veneration nem confirmat hoc modo:* Mons quidam inſignis altitudinis adeſt in Tuſciæ provincia, qui è parte meridionali ſpectat civitatem Florentiæ, è boreali contrà reſpicit agrum Mucellanum à continuata montium Apennini ſerie circumvallatum. Mons hic dicitur SENARIUS, quem aliqui ex antiquioribus ſcriptoribus ASINARIUM, alii verò SANARIUM ab aëris ſanitate appellarunt. In ejus nempe faſtigio ædificata eſt eccleſia cum ſacra eremo, in quam ferè quinque retro ſeculis, approbante Ardingo tunc epiſcopo Florentino, ſeſe receperunt ſeptem viri nobiles, qui, abjectis divitiis & ſeculi pompis, aſperum vivendi genus amplexi ſunt, & Ordinem beatiſſimæ Virginis Mariæ fundarunt.

ſeptem venerabilium virorum,

25 In hoc ſacro loco omnes piè mortui ſunt, excepto Alexio, qui pretioſa occubuit morte in Conventu ſanctæ Mariæ de Caphagio, hodie ſanctiſſimæ Annuntiationis de Florentia, etſi ejus cadaver tuit ſubinde ad ipſum montem aſportatum, & unà cum cadaveribus aliorum ſex ſociorum ſub ara majori reconditum. Ad præſens autem in ſacello poſt chorum ſito, quod RELIQUIARUM SACELLUM communiter vocatur, adeſt altare ornatum, in cujus icone depicta apparet beatiſſima Virgo, quæ angelis comitata porrigit habitum nigrum ſeptem fundatoribus ante eam orantibus; & ſub eodem altari, ſi pallium removeatur, licet confectum ex materia ſolida & opere vario, comparent ſeptem capita ſeparatim locata cum corona florum ſuper unumquodque eorum, & cum quadam inſcriptione litteris aureis ſculpta, quæ ita ſe habet: SEPTEM

qui fundarunt Ordinem,

BEA-

A BEATORUM ORDINIS SERVORUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS FUNDATORUM CAPITA, uti colligitur ex acceſſu epiſcopi Florentini eò loci facto de anno MDCCXIX, poſtea relato in Proceſſu confecto ſuper cultu immemorabili horum ſex ex ſeptem fundatoribus; in quo quidem Proceſſu innumeræ probationes publici antiquiſſimi cultus continentur.

in quo S. Philippus militavit.

26 *Denique eminentiſſimus vir hanc materiam ibidem ſic concludit:* Tam piè & ſanctè, & tanta ſenſuum mortificatione ſeptem ipſi fundatores in eremo vixerunt, ut Gaufridus Cardinalis Legatus eos ſeriò admonuerit de nimia in ſeipſos crudelitate, utpote quod in tanta vitæ aſperitate viderentur ſibi velle mortem conſciſcere. Quare ejus auctoritate permoti priſtinum rigorem remittere coacti ſunt, quemadmodum legere licet apud Archangelum Gianium in Annalibus ſacri Ordinis Servorum additis à Patre Aloyſio Garbio lib. I cap. XII. In elencho prædictorum fundatorum nonnulli loco Bartholomæi de Amideis ponunt quemdam Luteringum, & loco Joannis
B Manetti quemdam Victorem; ſed non videtur recedendum eſſe à communi opinione, quæ ſtat pro nominibus à nobis antea expreſſis. *Hoc epimetro tranſcripto, jam nihil amplius videtur ſupereſſe, niſi ut Acta* S. Philippi Benitii *recudamus, & notis quibuſdam illuſtremus.*

VITA

Collectore P. F. Cherubino Maria Dalæo Hiberno.

Ex editione OEnipontana anni 1644, *quam annotationibus illuſtramus.*

TITULI LIBRORUM ET CAPITUM IN ISTA EDITIONE.

C

LIBER PRIMUS

Continens vitam B. Philippi ſæcularem, & in Religione privatam.

CAP. I. B. Philippi patria, natales, & futuræ ſanctitatis præludia.

CAP. II. B. Philippi educatio uſque ad ſtudia graviorum diſciplinarum.

CAP. III Aperiuntur primordia & incrementa Ordinis Servorum, ut clariùs percipi poſſint, quæ dicenda ſunt.

CAP. IV. B. Philippus poſt navatam operam litteris Lutetiæ Pariſiorum, & Patavii, Florentiam reverſus, à Deo bonarum animarum amatore ſingularibus favoribus & gratiis excipitur.

CAP. V. B. P. Philippus ante imaginem miraculoſam D. Annuntiatæ Florentiæ admirabili viſione, quam B. P. Bonfilius explicat, illuſtratur. Hac occaſione hujus imaginis hiſtoria pauciſ recenſetur. AUCTORE G. C.

CAP. VI. Philippus ſuppliciter orat, ut ad Religionem inter Fratres Converſos recipiatur, & exauditus ſacro Religionis habitu induitur.

CAP. VII. B. P. Philippi in aſceterio Caphagii, quod hodie D. Annuntiatæ dicitur, exercitationes ac ſtudia.

CAP. VIII. Philippus ſe in viam dat ad ſolitudinem, ubi Servi ſui ſanctitatem Deus miraculo manifeſtat.

CAP. IX. B. Philippus adhuc ſub Fratris Converſi nomine & conditione latens, tyronibus aſceterii Senenſis à P. Generali magiſter præficitur, & detectâ eo in itinere, divino conſilio, illius eximiâ doctrinâ, ſacris Ordinibus vel invitus initiatur.

CAP. X. Philippus Senis Servorum tyrocinio moderatus, fit ſacerdos, cui, reddita functionis ſuæ ratione per occaſionem Capituli generalis, primo Sacrificio operanti accinit Cælitum chorus.

E

LIBER SECUNDUS

Continens geſta B. P. Philippi ſub officio Prioris Generalis uſque ad mortem.

CAP. I. B. Philippus factus Generalis, ſe ſiſtit Clementi IV ſummo Pontifici, qui ſua auctoritate electionem ejus ratam facit, habetque.

CAP. II. Philippus primam viſitationem cœnobii Aretini inſtituens, Patres per annonæ caritatem inediâ penè enectos recreat pane divinitus impetrato.

CAP. III. Philippus in Capitulo Piſtorii celebrato, Ordinem Servorum novis legibus conſtitutum, ad exactam religioſæ reipublicæ formam reducit.

CAP. IV. Philippus acri de abdicando Generalatu tentatione ſollicitatus, interulâ ſibi detractâ, elephantiacum veſtit, & è veſtigio curat.

CAP. V. Philippus cum à Cardinalibus, mortuo Clemente IV, Pontifex maximus deſignatur, arreptâ in aviam ſolitudinem Mantagnatæ fugâ, deliteſcit. F

CAP. VI. Philippi ſanctitas denuo innoteſcit & aſſeritur, elicitis è ſaxo ſalutiferis undis, quæ Thermis Philippicis in monte Tunniato nomen fecerunt.

CAP. VII. Philippus, peractis Florentiæ comitiis, & itinere in Gallias ad viſitandam Religionem & promulgandum Euangelium inſtituto, ad urbem Mutinam quibuſdam conſceleratis divini Numinis execratoribus pœnas meritas, quibus brevi pòſt deflagravêre, prædicit.

CAP. VIII. Res à beato Philippo in Galliis & Germania geſtæ.

CAP. IX. Philippum cum ſociis in Italiam per Allobrogum alpes iter habentem, poſt tridui errorem atque inediam, angeli in viam reducunt.

CAP. X. Philippus multorum principum virorum invitatu, aliquot ſacris domiciliis fundatis, aliiſque reſtauratis, vocatus ad œcumenicum concilium, Lugdunum abit.

CAP. XI. Philippus delatum ſibi epiſcopatum Florentiæ fugâ ad Piſtorienſes evadit, & eoſdem

EX IMPRESSIS.

Piſtorienſes ſciſſos Guelforum Ghibellinorumque factionibus magna ex parte in viam ſalutis reducit, inſtitutis pœnitentium tam virorum quàm mulierum ſodalitiis.

CAP. XII. Innocentius V Pontifex maximus Ordinem Servorum antiquare aggreſſus irrito conatu, paulò pòſt vivere deſiit.

CAP. XIII. Philippus à Nicolao III Pontifice adjunctus Cardinali Latino, Guelforum ac Ghibellinorum apud Florentinos, tumultus ſedat.

CAP. XIV. Philippus miſſu Nicolai III Pontificis maximi, & Rudolphi primi Auſtriaci Cæſaris rogatu, ad ſedandos Romani Imperii tumultus ſecundò in Germaniam proficiſcitur.

CAP. XV. Quid Philippus ſupremùm Religionem luſtrans, Forolivii, Florentiæ, Senis ac Tuderti egerit tuleritque.

CAP. XVI. Religioſa beati P. Philippi mors, & ad eam ſuprema comparatio, & ultima ad Fratres monita.

LIBER TERTIUS

B

Miracula ab ipſo mortuo edita, aliaque ſanctitatis ejus argumenta complectens.

CAP. I. De miraculis vetuſtioribus.
CAP. II. De miraculis recentioribus.
CAP. III. Opinio ac fama ſanctitatis Philippi, dum viveret, & poſtquam vixit.

CAPUT I.

Sancti patria, parentes, nativitas, futuræ ſanctitatis indicia, pia educatio & virtutes in pueritia.

LIBER I. CAPUT I. *Sanctus Florentiæ*

C

HEtruria, quæ beato Philippo noſtro patria fuit, eam omnibus ſæculis, tam pacis, ac belli artibus, quàm propenſione quadam adnatâ in religionem ac pietatem, laudem tulit, ut, ſi aſcititiâ luce in adumbrando ſereniſſimo ſidere noſtro Philippo uti placeret, copioſiorem habituri materiam eſſemus, quàm ſuſcepti conſilii noſtri ratio, quâ brevitati ſtudemus, videatur poſtulare. Etenim jam inde à temporibus Aboriginum *a*, deorum interpretem fuiſſe Hetruriam *b*, & generali quodam ſacerdotio illorum temporum ſuperſtitionis initiatam, nihilominus in Euangelii coruſcum jubar generoſos oculos intendere potuiſſe, neſcio quam Divinitatis cognationem illius cæli ac ſoli hominibus divinitus inſitam eſſe convincat, & hodieque (abſit verbo invidia) penè dixerim, vix eſſe in orbe provinciam, quæ pietatis exercitationibus, ita ad vivum repræſentet primævæ Eccleſiæ venerandum ſimulacrum; quod pluribus proſequi ac demonſtrare, non eſt ejus, qui contendat, magnorum heroum natales patriam illuſtrare potiùs, quàm à patria illuſtrari.

a
b

2 Interim, ut cætera omnia Philippo noſtro divinitus contigerint, modeſtiæ tamen noſtræ fuerit, Florentiæ, Hetruriæ regiæ, in quâ natus eſt, gratias habere, quòd ei clariſſimos parentes dederit. Ii fuerunt Jacobus & Albavirdis; quorum iſte paternum genus ſortitus eſt ex antiquâ & perilluſtri Benitiorum proſapiâ, quæ, quoad ſtetit, ſummos illius Reipublicæ honores non ſolùm adiit, ſed penè domeſticos, multarumque imaginum cauſas habuit. Mater parem nobilitatem nobiliorem fecit egregiâ religionis, ac virtutum reliquarum præſtantiâ. Verùm, ut nihil eſt in rebus humanis perpetuum, de tam magnâ & clarâ Benitiorum familiâ nihil jam ſupereſt, niſi domus, in quâ natus eſt Philippus, quæ viſitur in Vitis regione, quæ Guicciardinorum appellatur, antiquis parietibus inſignia Benitiæ gentis, hoc eſt, in cæruleâ areâ, aperti pectoris candidam aquilam præferens; ſymbolum videlicet, quodam velut hieroglyphico genium familiæ Benitianæ ab generoſâ ſinceritate commendans

D

3 Cæterùm tametſi ſummâ concordiâ unà conviverent conjuges, amicâ tamen cælo contentione in Chriſtianæ pietatis ſtudio acerrimè certabant, eamque contentionem deſiderium prolis, quâ diu caruerant, eò magis acuebat, quò enixiùs optabant, ut ſeries ex illis exiſteret nepotum, quæ mundi ætatem perennitate ſuâ æquaret; ut eſſent, qui quàm diutiſſimè pro ipſis brevis ævi mortalibus, divinam benignitatem colerent ac venerarentur. Certamen optato utrique eventu ſic diremptum eſt, ut, quamvis id precum conſtantiâ evicerint, quod diu multumque optaverant, tamen hoc ipſo eò graviorem cauſam acceperunt, in incepto impenſiùs perſiſtendi, quò æquius eſt, accepto, quàm petito beneficio, benignitatem divinam adorare. Nam cùm in eâ, quam dixi, orbitate, atque in hoc pietatis ſtudio magnam partem ætatis vixiſſent (arcano quodam Dei conſilio, ut illa corporum ſterilitas, fæcunditas eſſet animorum, quæ Philippo omnes virtutes, ſed verò præcipuè tolerantiam, & infractam in Deum fiduciam ſorores faceret) ad eam recurrunt, quam ſua virginitas fæcundam fecit, & Matrem ejus, qui omnia poteſt, niſi negare id, quod Matre interveniente, atque patrocinante petitur.

& ſterilibus parentibus,

E

4 Itaque concepta vota, & maturatæ conſtantiâ ſupplicationes, momentum habuêre, & Mater Dei Albavirdem, Philippi Matrem fecit: atque ut agnoſceret Albavirdis, ſe non modò filium, ſed ſanctum etiam impetraſſe, dum uterum gereret, ſecundum quietem ſibi objectum videt clariſſimum jubar, quod de ventre ſuo prodiens, luculento fulgore omnia latè complexum, univerſo orbi ſeſe infundebat. Atque id quidem neque naturæ viribus, neque affectibus gravidarum, neque vi imaginariæ facultatis, aut violentæ alicujus apprehenſionis conflatum commentum fuiſſe, editus in lucem iſte lucis Filius & uterinus frater, rei Chriſtianæ bono clarum fecit. Sed ne uno tantùm omine Beati pueri nativitas prodigioſa foret, alia memoratu digna effecerunt: nam eodem anno, eodemque die, quo Ordo Servorum, inuſitato, ut poſtea videbimus, modo ortus eſt; hoc eſt anno à partu Virginis noſtræ milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio, decimo octavo Kalendas Septembris, qui dies eidem Aſſumptæ Virgini ſacer eſt, Philippum mater in hanc lucem effudit, admirabili ſanè & jucundâ rerum omnium velut harmoniâ, quâ minimè obſcurè portendebatur, fore, ut Philippus die inauguratæ cælorum Reginæ, eodemque natæ ſervitutis Servorum ejuſdem natus, & illius

non ſine prævia matris viſione naſcitur,

F

ex nobili ſtirpe

illius majeſtatem, & horum induſtriam plurimùm clararet, & ipſe viciſſim clararetur.

quam ſubſecuta ſunt

5 Neque verò id agere, quod dicimus, uſque ad prætextam aut togam diſtulit Philippus; quin loculentiore oſtento, vix quartum infantiæ menſem egreſſus, admirabili, & quam ſoli Superi tribuere poſſunt, eloquentiâ, Servorum patronum agere cœpit; fortè enim aliquando matris in gremio geſtatus; duos è ſeptem viris Familiæ noſtræ conditoribus, oſtiatim mendicantes, oculis uſurpaverat: & ecce, lætitiâ geſtiens, ad matrem articulato, & diſtincto ſermone converſus, Age, Mater, inquit, en Servi Mariæ Virginis, ſtipem prome. Perculit rei novitas circumſtantes, non de nihilo obſtupeſcentes, illi in favorem Servorum Virginis, eorumque glorioſi tituli promulgationem, verba ſuppetere, qui ſuas ipſe cauſas nonniſi vagitu, aliiſque mutis inſinuationibus pro ætatis conditione agere poterat *c*. Non ſtetit in his ſolis, nudiſque verbis, hoc futuræ Philippi ſanctitatis omen, ſed opere etiam, eoque non minùs quàm verba, miro, ſe prodidit: nam ſtatis in ſeptimanâ diebus, lacte nutricis, quo ferè ſolo per ætatem alimento uti poterat, abſtinebat: & relictis mollibus cunis, aliiſque conciliatricibus ſomni illecebris, divino quodam inſtinctu, innocua, & adhuc lactea membra ad moleſtiorem quietem humi proſternebat.

c

B

mira futuræ ſanctitatis indicia,

6 Unde non abſurdè de hoc Infante id aſſeueris, quod de ſancto Nicolao, Myræ in Lycia antiſtite, habet gravis auctor Laurentius Surius. " Infantem hunc, quis dubitet in ipſo ſatim nativitatis exordio divino fuiſſe Numine ,, afflatum, ſanctificatumque, qui non priùs vivere, quàm Deum venerari; non priùs comedere, quàm jejunare cœpit. Compertum enim habemus, illum, cùm reliquos dies noctesque omnes nutricis ubera crebrò duceret, ,, quartâ tamen ſextâque feriâ, non niſi ſemel ,, dumtaxat, & veſperi quidem lac voluiſſe guſtare. Atque hoc certo ſemper, immotoque ,, ſervavit ordine, ut nullis poſſet blanditiis, ,, nullo nutricis lenocinio, nullâ naturæ neceſſitate à jejunio cœpto deflecti. Quamobrem ri,, gidiſſimum quemque bonarum rerum interpretem planè fateri oportet, non fortuitò illud, ,, aut intemperie ſtomachi factum eſſe, ſed quaſi ,, conſultò, & Dei afflante Spiritu ,,. Hactenus Surius *d*. Quæ omnia, ſolo nomine mutato, Philippo noſtro conveniunt.

C

d

quæ infans dedit;

7 Quapropter etſi id hîc unicè agimus, ut Philippus ex merito omnibus appareat mirabilis, fatemur tamen mirum non eſſe, tam inſigni, tamque maturè jacto fundamento, tam nobilem virtutum molem, duorum ſupra quinquaginta annorum impigro utriuſque vitæ, contemplativæ, activæque labore ab eo ſuperimponi potuiſſe, congenito hoc, & collactaneo Dei Optimi Maximi favore, maximis cum compendiis, quibus ille incredibili induſtriâ collaboravit, deducente.

II.

deinde à parentibus piè educatus,

8 Educationem Philippi reſpondiſſe multiplici natalium ejus claritudini, ſumma parentum honeſtas ac religio, domeſticuſque ſplendor proclivè creditu facit. Curam eorum mirificè ſtimulabat, quòd ex prodigioſâ ipſâ conceptione, primorumque ab hauſtâ luce progreſſu dierum, haud vanâ conjecturâ divinaverint, manum Domini eſſe cum illo, ut non tam datum ſibi illum filium, quàm ſuæ concreditum curæ, perſuaſum haberent: eoque atque aliis multis nominibus, ſed verò præcipuè, quòd meminiſſent beatiſſimæ Virginis donum eſſe, eum tenerè charum, pretioſumque habebant. Proinde inter domeſticos parietes, quoad pueritiam exceſſit, accuratè cuſtoditus, ſtudio humanioris literaturæ reliquarumque omnium virtutum contubernio, forenſes ſtrepitus, tranquillarum mentium, in tenerâ maximè ætate, infeſtos hoſtes, vel vicit vel ignoravit; magno virtutum ſuarum & doctrinæ bono atque incremento; quorum utrorumque nobilia ſpecimina, datis occaſionibus, edebat.

EX IMPRESSIS.

& fidei elementis inſtructus,

9 Igitur ab elementis orſus Chriſtianæ pietatis, ea, ſummâ celeritate memoriâ complexus, manè à ſomno, & ante ſomnum veſperi, non pro puero, ſed majore, quàm in virum cadat, momento & pondere recitabat. Factus deinde decennis, numquam interupto vel jejunio (quod cum hauſtâ jam vitali aurâ cœperat) vel more in nudo ac frigido ſolo cubandi, ad ſtatas precationes adjecit Officium Deiparæ Virginis, & Defunctorum, atque ſeptem illos Pſalmos Davidicos, quos Eccleſia potiùs deploraturis anteactæ vitæ ſcelera, quàm ſimili innocentiæ præſcripſit. Præterea in altiſſimo noctis conticinio, ex loco, in quo malignè jacebat, erigens ſeſe, bonam noctis partem, in rerum cæleſtium contemplatione traducebat, eumque morem ad mortem uſque perpetuatum, penè ipſi ſepulchro intulit.

E

in exercitiis variarum virtutum

10 Atque hinc quidem conſequens fuit, (quod conſequens eſſe neceſſe eſt;) ut tantum animo ardorem hauſerit nitendi per ardua omnia atque aſpera ad divini amoris interiorem æſtum, ut ſubinde à matre ad templa (ad quæ illa frequens viſebat,) adductus, longè præ ac alii ſupparis ætatis pueri ſolent, qui hac illacque irrequieti per templa (velut largiorem quàm domi aream nacti) vel diſcurrunt, vel obſtrepunt ſupplicantibus, ille fixis humi teneris geniculis, & puris manibus in cælum duplicatis, venerabundus, inſertis miri ardoris precibus, ſuſpiciebat & obſervabat ſacros ritus, ut facilè ab aſtantibus animadverti poſſet, penetrari à Beato puero ipſorum rituum ſacroſanctam medullam, ac ſpiritum, ut non tam puero ſeculari, quàm viro ſacris initiato, & probè exercitato ſimilis videretur. Quòd ſi verò quandoque à matre in hoc pietatis conſortium prudenti moderatione non eſt admiſſus, ſed domi ſe continere juſſus eſt, aſperitatem ejus imperii, obſequendi amore leniebat. Interim tamen domi pro melimelis, gladiolis & arundineo equitatu (quæ heroum filii pro paterna indole amare ſolent) ille ſacra tractabat, arulas erigebat, ſacriſque imaginibus & faculis erectas illuſtrabat: ac ſibi ipſi ædituus & ſacerdos factus, non minore, quàm in templo ardore ac veneratione in preces incumbebat *e*.

F

e

quotidie proficit,

11 Traductâ in his artibus ſtudiiſque pueritiâ, ubi viſus eſt in adoleſcentem evaſiſſe, & gravioribus diſciplinis ſatis adoleviſſe, parentes illi, & virtutibus & litteris imbuendo, ſpectatæ virtutis, ac doctrinæ hominem religioſum præfecerunt. Id parentum conſilium, Philippum ſine hoc mirè in virtutem pronum, ſic accendit, ut incredibile ſit, quanto intervallo omnium circa ſe induſtriam præverterit. Certè jurati homines, in examine ſuper ipſius vitâ juſtituto, ſanctè affirmarunt, eum illius ætatis illecebras non ſolùm procul habuiſſe, ſed etiam in omnibus, quæque egit, quæque dixit, eum ſe exhibuiſſe, qui ipſius perfectionis idea videri potuerit: adeo

omnes

EX IMPRESSIS.

omnes virtutes ex cæleſti illo animo divinum quiddam ſingulæ ſpirabant. Sed præcipuè has inter charitas erga omnes mortales, & miſeratio in egenos familiam ducebat: quâ ille omnium inopiæ, quoad ſe cumque extendere facultates ſtatûſque conditio poterat, manûs juxta atque animi promptitudine ſubveniebat. Curam deinde ſui ex ejuſmodi rationibus inſtituebat, ut lubricæ in lapſus adoleſcentiæ, ad exaggeratæ mentis tribunal vocatæ, leges dixerit, & fixerit limites; extra quos ne exorbitaret, divinæ legis reverentiam, & virginei corporis afflictationem, orationem quoque mentalem, vocalemque, præfervidam utramque atque ignitam, cum ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti frequentiſſimâ ſuſceptione, cuſtodes adhibuit.

ac dæmonis tentationibus ſtrenuè reſiſtit.

12 Hoc igitur apparatu atque hiſce armis inſtructo Philippo, divina providentia pugnandi copiam deeſſe noluit, ne deeſſet gloriæ; ſed Philippus inſtructam ex adverſo, toto conſpirante orco, omnis generis machinamentorum aciem generosè invaſit, fortiter disjecit, & nobile de ſe ſpectaculum agonothetæ Deo exercituum dedit: & fortitudinis, patientiæ, & humilitatis maximè præſidiis, glorioſum de ultimis inferorum conatibus triumphum reportavit: eâque vi viam ſibi fecit ad illuſtriores Chriſtianæ militiæ honores. Itaque velut in victoriæ præmium divinus immiſſus Spiritus, proterendi præſentium rerum vanitatem, & tranſeundi ad religioſum vitæ inſtitutum, quotidiano incremento in animo ejus gliſcere cœpit, & jacta in ejus corde jam inde ab ætate quinque menſium ſemina, magnis progreſſibus, æſtu quodam divino maturata, ad meſſem properabant; neque parùm injectam hanc cælitus mentem urgebant gemellæ ipſius familiæ Servorum ingentes in dies acceſſiones, ut vix explicari poſſit, quanto ad eam amplectendam, & ambiendam, (ſervi Deiparæ allectus nomine) ferretur, cujus voti vigeſimo ætatis anno demum compos evaſit.

ANNOTATA.

a Aborigenes, *teſte Feſto, ſunt antiquiſſimi Italiæ populi, de quorum origine & habitatione conſule geographos paſſim obvios.*

b Hetruria, *quæ etiam Tuſcia appellatur, ſemper auguriis ac ſacrificiis famoſa fuit, ita ut Romani filios ſuos religionis ſeu potius ſuperſtitionis addiſcendæ causâ in Tuſciam vel Hetruriam mitterent, quemadmodum antiqui ſcriptores teſtantur.*

c *Gianius Centuria* I *Annalium lib.* I *cap.* 6 *aſſerit, hanc prodigioſam ſancti Infantis loquelam poſtea à matre* S. Philippi *jurejurando confirmatam fuiſſe.*

d *Hæc verba uncinis diſtincta reperio in Vitis Sanctorum, quas illuſtriſſimus Aloyſius Lipomanus epiſcopus Veronenſis anno* 1551 *Venetiis edidit, ubi tomo* I *lib.* I *fol.* 140 *leguntur. Poſtea Laurentius Surius Cartuſianus, vir pietate & doctrina notiſſimus, hanc S. Nicolaï Myrenſis Vitam Coloniæ Agrippinæ anno* 1575 *recudit, & magnæ ſuæ Vitarum collectioni ad diem* VI *Decembris inſeruit, ubi eadem referuntur. Hinc curioſus lector intelligit, quo ſenſu hæc verba Surio adſcribi poſſint.*

e *Videntur hæc ſancti Pueri geſta ex quadam veriſimilitudine tantummodo referri, & nonnihil oratoriè ab hoc biographo ornari: nam in Annalibus Servitarum & antiquioribus monumentis tam diſtinctam pueritiæ ejus notitiam non invenio.*

CAPUT II.

Brevis notitia de origine & incremento Ordinis Servorum beatiſſimæ Virginis Mariæ, quem Sanctus poſtea ingreſſus eſt.

III. *Septem viri divinitus excitati*

AD ea, quæ hinc porrò narranda ſunt, exactiùs percipienda, non parum lucis attulerimus, ſi quodam velut breviario ſtrictos ordinis Servorum natales, & adoleſcentiam retulerimus. Fuit ergo Florentiæ inter alias, quas ea civitas magno numero habet, ſodalitas quædam virorum, anno Chriſti MCXCIII inſtituta (quam, à deprædicandis magnæ Virginis encomiis, LAUDANTIUM appellabant) eaque hodie etiam perſtat, niſi quòd mutatis ſedibus, ſalvo tamen inſtituto, loco Laudantium, de aſſumpti tutelaris divi nomine, ſocietas S. Zenobii vocetur. Huic inter alios dignitate ac religione præſtantes, nomina dederunt ſeptem patricii ordinis viri Florentini: qui cùm anno reparatæ ſalutis MCCXXXIII, die Aſſumptæ in cælum Virgini ſacro, rei divinæ in honorem inauguratæ eo die cælorum Reginæ, cum reliquo ſodalitio, intereſſent, illapſus divinitus ſingulorum animis arcanus inſedit ardor, Deo, ac ſanctiſſimæ Parenti ejus, abdicatis fluxarum rerum curis, ſublimiorem quamdam ſervitutem ſerviendi.

ad ſolitariam vitam ducendam,

14 Itaque cùm ſoluto conventu conveniſſent; & afflatus ille divinus, quem totis medullis hauſerunt, animorum limitibus, non ita ſe contineret, quin in ipſa etiam ora, atque oculos erumperet, hæſere aliquamdiu, mutuâ contemplatione perculſi, id quiſque miratus in alio, quo ipſe viciſſim mirantem rapiebat. Tenuit id ſilentium diutulè pertinace modeſtiâ, nemine loquendi initium faciente, quoad natu fortè maximus, id quod ægrè miſereque tum à ſe, tum ab ſociis diſſimulari videbat, magna animi demiſſione edere aggreſſus, non tam quid ipſe, quàm quid cæteri omnes animo gererent aperuit. Singulis ex narrantis ore verba rapientibus; quibus ſe quoque inter paulò ante abſolutas preces, inuſitata mentis illuſtratione perfuſos, & ut abjectis labentium rerum impedimentis, ad cognatam cælo, & natam deplorandis antè actæ vitæ erratis, ſolitariam vitam, ſub tutelâ præcipuè cælorum Reginæ amplecterentur, monitos ſeſe eodem tenore, iiſdemque affectibus viciſſim narrabant. Quare, ut in re clarâ, compendiariâ deliberatione uſi, concordibus ſententiis ſtatuunt, divino imperio utique parendum eſſe; ejuſque executioni ſextum Iduum Septembrium, qui Deiparæ Natalibus feſtus eſt, diem dicunt.

conſulto præſule Florentino,

15 Is ubi illuxit, unà omnes urbis antiſtitem Ardingum *a*, ejus nominis ſecundum adeunt, virum omnibus ſuæ dignitatis numeris abſolutum, & penè faſtigio ſuo majorem; eique conſilium ſuum, & authorem ejus, ordine exponunt: rogantque, ut bonâ ipſius veniâ & authoritate locum illis divino imperio capeſſendo capere liceat: id quod illis vir ſanctus, optimuſque rerum divinarum interpres, & æſtimator, non modò

A dò indulsit, sed etiam his eorum auspicatissimis cœptis bene precatus, omni prosequutione felicium votorum oneratos à se dimisit: irent, & quod utique felix faustumque foret Christianæ Reipublicæ, divinis jussionibus morem gererent. His illi rerum successibus, perpetuâ serie ex animi sententiâ fluentibus, læti, extra urbis Florentiæ pomœria in humilem casam Camaritiæ pagi secedunt, ibique, quam jam dudum in votis habebant, communem vitam inter rerum omnium voluntariam inopiam instituunt.

remotisque omnibus impedimentis,

16 Cæterùm horum nomina huc ex libro vitæ transcripta hæc fuere: Bonfilius, Monaldus, Joannes Manettus (postea ad dissimulandum generis honorem, Bonajuncta dictus) Benedictus de Antellis, Bartholomæus de Amideis, cui cognominis dulcedo, ut aptius ad institutum, Amidei nomen fecit. Ricoverus Lippius Scalandronius (ea hodie familia gentilitium Uguccionum nomen ducit) qui proinde Uguccionis nomen assumpsit. Alexius Falconerius, & Gerardinus de Sostegnis, quæ ea est familia, quæ nunc
b de Melioribus appellatur; utique hoc Divo *b* ac-
B cepto magnâ occasione melior facta. Ita Septem viri nostri, nec infra vigesimum, nec supra trigesimum ætatis annum (quod dignum notatu est) ex tribus ordinibus hominum, ex quibus populus Christianus coalescit, assumpti sunt. Quidam enim eorum ex virgineâ Ecclesiæ orchestrâ, alii ex cælibe viduorum statu, alii etiam maritalibus adstricti fœderibus fuerunt; qui tamen cum uxoribus suaviter transegerunt, ut contentæ res suas sibi habere, non morarentur divinum maritorum consilium: cujus petitionis sanctitati non solum illæ acquieverunt, verùm etiam ictis inter se, virosque novis divinioris amoris fœderibus, vel propriis domibus, vel asceteriis inclusæ, vel Religiosarum virginum parthenonibus datis nominibus adscriptæ, cum viris & virginibus, propositi sanctitate, constantiâque certarunt.

propositum suum exsecutioni mandant,

17 Itaque his cæterisque omnibus remoris è viâ sublatis, septem expeditionis Deiparæ duces,
C post desudata sub suavi Religionis jugo egregiæ fortitudinis certamina, post multos varioque labores exantlatos, & navatam colendæ vineæ Domini insignem operam, sanctissimæ vitæ stadio cum gloriâ rerum admirabilium decurso, nobiles spiritus ad cælestes honores, & debitos bene gestis rebus triumphos accipiendos, alii seriùs, alii citiùs cælo illati sunt, corpora in monte Senario, originariâ familiæ nostræ sede, sepulchri honorem sortita indidem miraculis quaquaversum inclaruerunt.

& deinde à Deipara

18 Cæterùm, ut nulli dubium esse debet, hos septem viros, velut septem à divinâ sapientiâ excisas columnas, ad ædificandam Matris suæ domum fidelem, electos esse; ita eos constat errore lapsos, qui vel istos septem, vel etiam B. Philippum ipsum, de quo hîc agimus, primarios conditores esse Ordinis Servorum existimarunt; cùm is honor ipsi Deiparæ Virgini, vel (ut tantâ majestate digniùs, reverentiusque loquamur) ipsi Ordini à tantâ Conditrice conveniat. Certè vocationes eorum, quarum hic seriem ordinemque texemus, clarissimè evincent, nihil hos, quos modò laudavimus, viros, minùs cogitasse, quàm de novo novum aliquem Ordinem (quantum in ipsis fuit) moliri: ut proinde familia nostra, alium humanum authorem, præter ipsam Matrem Christi agnoscere neque possit, neque debeat. Interim eò faciliùs hunc errorem cæteris ignoscimus, quòd scriptor nostrâ, ac fortè etiam Patrum ætate sacræ historiæ consultissimus, alicubi de Philippo nostro honorificam mentionem faciens, illum Ordinis Servorum Institutorem *c* appellat, reclamantibus Pontificiis litteris, quibus nostrum institutum approbatur; quæ disertis verbis nobiscum loquuntur. EX IMPRESSIS. *c*

crebris vocationibus,

19 Itaque prima vocatio jam memoratorum Patrum ea existit, quâ, apparente ipsis cæli Reginâ augustâ, atque aspectabili formâ, facie radiatâ, & cælestium geniorum beato comitatu stipatâ, suavi illo quidem, sed efficaci imperio, jussi sunt sanctius & sublimius vitæ institutum arripere, ascitis in ejus gloriæ societatem iis, quos promptus ac pronus in tam salutare consilium animus commendasset. Altera vocatio illa fuit, qua se eadem Virgo seorsim singulis, domibus suis spectandam exhibuit, postridie ejus diei, quo in album sodalitatis LAUDANTIUM relati sunt, in hac verò, & in ea, quæ ordine tertia est, quæ tum contigit, quando extra urbem in eam, de qua paulò ante diximus, casam
E secesserunt, divinitus de instituendâ communi, abjectis rebus sæcularibus, religiosâ vitâ oraculum acceperunt.

iteratisque apparitionibus moniti;

20 Quartâ hinc vocatione in montem Senarium evocati, ad jacienda illic solidiora Religionis fundamenta, de ejusdem Virginis jussu sese accinxerunt. Quinta his omnibus illustrior atque admirabilior fuit, quando in ipso feriæ sextæ Majoris Hebdomadæ pervigilio, iisdem Patribus acerbissimorum dolorum & mortis Christi Servatoris contemplatione defixis, ab eâdem Dei Genitrice singulis pulla vestis, (quam habitum sive scapulare vocamus) injecta est, pro symbolo & mnemosyno ejus luctus, qui sub tempus passionis filii, eamdem sanctissimam Matrem, Reginam martyrum, & maximi, quod umquam fuit, funeris præficam fecit. Sexta denique illa fuit, pro reliquarum coronide, quâ, ita atratis nomen Servorum inditum est cælesti manu, certo quodam montis Senarii loco, aureis exaratum litteris scriptum apparens, ex quibus omnibus satis, ut arbitror, liquet, Religionem Servorum velut per quosdam rerum admirabilium gradus solius Beatissimæ Virginis operâ coaluisse,
F & hos viros, quò ne ipsi quidem sciebant, divinitus esse manu ductos.

& in monte Senario degentes,

21 Septem omnino annos septem Patres nostri in hoc excelso monte traduxerant, potiùs de excolendis animis suis, & de summo perfectionis apice, per passionis Christi aliarumque rerum divinarum contemplationem indipiscendo, quàm de fundando propagandove aliquo Religioso Ordine cogitantes, quamvis hoc temporis spatio eam spiritûs ac veræ sanctitatis celsitudinem interim assequuti sint, quæ tanto operi ac moli sufficere posset. Sed aliud placuit veræ Ordinis Fundatrici Deiparæ, quæ in cælesti illa mente sua, divinæ providentiæ sacrario, jam statutum habuit, ex hoc septem horum Servorum seminario, infinitam Servorum messem, ex omnibus orbis terræ plagis parare, quod hujusmodi ostento manifestum esse voluit.

miraculo vitis subitò frugiferæ commovendæ,

22 In obliquo illius sancti montis jugo sancti viri aream sentibus ac dumis purgatam hortulo plantando ceperunt; non tam spe alicujus frugis in tam sterilis cæli ac soli loco, quam ut esset, quo infestum virtutis hostem, veterum PP. exemplo, otium jugularent; in eo horto inter alias parabilis culturæ stirpes ac plantas vitium

EX IMPRESSIS. aliquot malleolos depangunt ; Mira dictu res ! in tam alpestri monte , qui in novem milliarium altitudinem ab urbe Florentiâ porrectus est , ac proinde maximam partem anni gelu constrictus riget , horretque reliquâ soli iniquitate , ex deplantatis vitibus una extitit , quæ naturæ cursum antevertens una nocte , quæ tertiam Dominicam Quadragesimæ proximè anteceſſit , ante festum Annuntiatæ Virginis , quo tempore in locis pinguibus , & soli maximè objectis vix aliqui veris prodromi cernuntur , eodem quo plantata fuit anno derepentè pampinis læta , & ante florem fructibus racemorum gravis , palmitibus præterea fructuariis longè lateque diffusis bene magnum montis tractum complexa , omnium in se oculos & admirationem convertit.

& Ordinem Servorum B. M. V. instituunt.

23 Attonitis omnibus tam insolitæ rei novitate , Bonfilius , qui familiæ antistitem agebat , Florentiam descendit , & urbis præsuli Ardingo de prodigiosa vite omnia , uti res erat , ex fide denarrat : sed id quamvis per se insolens Ardingo viro sanctissimo , & ob insignem vitæ integritatem non ad hujus tantùm , sed ad aliorum etiam cælestium secretorum conscientiam frequenter admisso novum non fuit ; quippe nocte proximè præteritâ hanc vitem , uti à Bonfilio describebatur , sibi à Deipara Virgine commonstratam fuisse respondit , eamdemque dixisse , eo ostento id agi ac significari , ut omnes intelligant , velle se , ut hoc suorum Servorum institutum per universum orbem propagetur , atque ut id se authore futurum nemo ambigeret , subjunxisse illud Ecclesiastæ : " Ego quasi vitis fru„ ctificavi suavitatem odoris , & flores mei fru„ ctus honoris & honestatis „ ; atque hinc factum , ut deinceps à Patribus plurimi bonæ expectationis in societatem admitti sint , ad quod hactenus nullis rationibus adduci potuerunt ; ac paulò pòst hæc Servitanæ Congregationis vitis , ex hoc monte feliciter quaquaversum proserpens variis in locis numero cœnobiorum , velut palmitibus aucta , cùm in formam justæ Religionis redacta adolevisset , anno à partu Virginis nostræ MCCLXVII, quinto loco beatum Patrem Philippum Priorem Generalem accepit. Octavo scilicet à confirmatione ejus per Alexandrum IV Pontificem Maximum anno , quo temporis spatio mira celeritate per quatuor Italiæ principes provincias propagata est , ut pluribus in familiæ nostræ Annalibus diligens historicus Gianius *d* noster prosequitur : nobis suffecerit hæc paucula de tam nobili origine pro instituti ratione delibasse , in viam redire properantibus.

ANNOTATA.

a *Illustrissimus Ardingus iste cathedram Florentinam anno* 1230 *ascendit , eamque verosimiliter anno* 1249 *moriens reliquit. Pia & egregia hujus præsulis gesta apud Ughellum in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 3 *col.* 108 *& sequentibus legi possunt.*

b *De septem venerabilibus istis viris aut beatis Ordinis fundatoribus in fine Commentarii prævii egimus , ubi etiam immemorabilem illorum cultum probavimus. Ceterùm de origine Servitarum & illustribus hujus Ordinis viris etiam consuli potest Dialogus , quem Paulus Florentinus Petro Mediceo circa medium seculi decimi quinti nuncupavit , & quem Edmundus Martene in amplissima Collectione veterum monumentorum tomo* 6 *, col.* 567 *& sequentibus edidit.*

c *Cum scriptores aliqui superiore Patrum ætate in hunc errorem inciderint , non magnopere miror , in antiquioribus Martyrologii Romani editionibus hunc Sanctum die* 23 *Augusti annuntiari his verbis :* Apud Tudertum beati Philippi Florentini , INSTITUTORIS Ordinis Servorum beatæ Mariæ. *Sed profectò mirum est , quod hypercriticus Bailletus in Legenda sua Gallica adhuc eumdem errorem secutus sit , cum in posterioribus Romani Martyrologii editionibus pro titulo* institutoris *nomen* propagatoris *substitutum fuerit , ac in ultimis ejusdem Martyrologii editionibus auctiorem hujus Sancti annuntiationem legere potuerit ita expressam :* Tuderti sancti Philippi Florentini , Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis PROPAGATORIS , à Clemente X Sanctorum numero adscripti , in quo summa humilitas refulsit , ob quam etiam supremam Ecclesiæ tiaram sibi oblatam fugiens recusavit.

d *Archangelus Gianius Centuria* 1 *Annalium lib.* 1 *, cap.* 8 *&* 13 *narrat præcedentes visiones & prodigiosam vineæ fœcunditatem , ibidemque in Annotationibus assignat auctores , ex quibus suam narrationem desumpsit.*

CAPUT III.

Litteraria Sancti studia , dolor ob discordiam popularium suorum , & prodigiosa vocatio ad Ordinem Religiosum.

IV. *Sanctus Perisii philosophiæ*

CUm Philippus , eo viro religioso , quem illi instruendo suprà præfectum diximus , magistrò , eos in politiore literaturâ , & latinâ eloquentiâ progressus fecisset , ut in iis diutius non nisi otiosus hæsurus videretur , parentes illum gravioribus studiis admovere statuerunt. Et quia hoc ferè tempore universitas Parisiensis à D. Ludovico Galliarum rege , Innocentii IV summi Pontificis præcipuè hortatu , melioribus legibus & majori amplitudine constituta constabat , eò maximè Juvenem placuit destinare. Quò ubi pervenit , insignes fortitus præceptores , brevi in philosophicis disciplinis tam insigne specimen dedit ingenii , ut post paucos menses doctoris sui judicio dignus census sit , qui diviniores & altioris indaginis disciplinas adiret. Interea quantumvis diligentiâ atque industriâ disputationibus , & rerum naturalium commentationi sese daret , tamen minimè immemor initium sapientiæ esse timorem Domini , nihil per hoc fervori orationis , & frequenti Sacramentorum usui ademptum voluit.

ac medicinæ dat operam

25 Ita, pietate & industriâ comitibus , cursum philosophicum insolito profectu emensus , parenti (qui à gratulantibus de filii progressibus certior fiebat) curam injecit , ne si in iis studiis , quæ speculationibus perficiuntur , moras traheret , clarissimum ingenium immensa nactum spatia , in sola illa raptum , absorberetur ; quare ut moderandum sibi felix filii ingenium putaret , domestica opinione inductus est , qua persuasum fuerat illi ævo , nobilem in libero populo iuventutem , studiis totum hominem requirentibus admoveri instar vitii esse , quòd hac ratione juvenes ab negotiorum domesticorum , & reipublicæ cura averterentur. Quo factum est , ut absolutâ philo-

philoſophiâ, Philippus medicinæ reliquam operam navare juſſus ſit, tum quòd nobiliſſimi quique, civitatis majori emolumento & civium bono, quàm noſtra ætate cernatur, eo tempore hanc facultatem ſectarentur, tum etiam quòd medicinæ cum phyſiologia cognatio, non ſtatim retunderet librati jam in ſpeculationes, honeſtum ingenii impetum.

felici ſucceſſu,

26 Cæterùm etſi id parentis conſilium Philippo peringratum accidit, ut qui toto animi ardore in theologiam ferretur; is tamen omnia ſuis momentis librans ac perpendens, ſumma ingenia, dum incautiùs ad hæc divina in altum tolluntur, eo graviore lapſu ruere; tutius ſibi eſſe putavit, ſuas rationes ex majorum ſuorum, quàm ex genii ſui, aut ingenii præſcripto, inſtituere. Quare medicinam *a* eodem, quo philoſophiam ardore aggreſſus, illam ita ſuam fecit in ætate adhuc novemdecim annorum, ut omnes in ſui admirationem raperet.

a

& in patriam revocatus,

B

27 Revocatus deinde Florentiam, inde Patavium, ad accipienda utriuſque facultatis inſignia, quibus doctores cohoneſtantur, miſſus eſt; ubi editis eximiæ doctrinæ multis argumentis, examine ſumma cum laude ſuperato, duplici laurea, majori omnium, quàm modeſtiſſimo juveni gratum fuit, applauſu donatus eſt. Horum decorum, & iis adjuncta virtutis fama ad parentes perlata, filii deſiderium, ſine hoc meritò maximum, mirè in utriuſque animo accendit, & denique, ut Philippum Patavio domum accerſerent, effecit; quorum ille voluntates, & paternos amores dilectiſſimis literis anteferens, & obedientiam præ ſcientia veneratus, Florentiam revenit, ubi liberum jam ab ſcholaſtico penſo tempus in ſacrarum Literarum privato ſtudio ponebat. Pro cæteris animi relaxationibus, ſacrarum ædium viſitationes, pro conviviis, epuli Euchariſtici frequentationes erant, & ſiquid operæ naturalibus literis horis ſubciſivis datum eſt, id fiebat, ut illis velut adminiculis & quibuſdam gradibus, animus ad conſiderationes rerum divinarum eveheretur; quarum ille hoc tempore mirificos ſenſus etiam hac viâ expertus, frequenter extra ſe rapiebatur, exſtatico amore in Dei amplexus effuſus; eaque in animo ejus ardentia deſideria, (quorum ſemina jam olim cum lacte hauſerat) exiſtebant; quibus ad ſuſcipiendum habitum Servorum Beatiſſimæ Virginis impellebatur.

C

ibi cum magna pietate & laude verſatur;

28 His artibus, atque hoc inſtituto domi verſatus, ex conſortio tam frequentium ſermonum Dei, quædam in illo ſpecies reſultavit, quæ humanâ major, univerſis civitatis ordinibus admirabilis atque venerabilis videretur. Etenim eâ domi erga parentes obſequentiâ, eâ foris cum viris Reipublicæ principibus urbanitate, eâ modeſtiâ cum æqualibus, eâ cum minoribus facilitate, eâ denique in agendo, ubi uſus poſtulavit, dexteritate fuit, ut hiſce dotibus, adjuncto integerrimæ vitæ morumque exemplo, omnium in ſe admirationem juxtà ac venerationem commoveret, ſic, ut reparatoris integritatis Chriſtianæ in juventute Florentiana nomen non immeritò tulerit.

Jed ob factiones civium dolens,

b

c

29 Sed lancinabat interim ardentem patriâ charitate animum ejus, miſeratio, quâ in afflictam Guelphorum ac Gibellinorum *b* factionibus civitatem ferebatur; quippe id malum hoc tempore in generis humani perniciem, Friderici imperatoris *c* ſtudio ita recruduerat, ut non tantùm Rempublicam Florentinam, ſed univerſam etiam Europam everſum iret; ad hæc, perditiſſimorum morum ac nefariorum facinorum licentia in immenſum excreverat; quibus emendandis, cùm ſe imparem Philippus cum dolore videret; ſe ac cætera omnia Deo committens, à partium ſtudiis diligentiſſimè abſtinuit, & ſolo conſcientiæ præſidio tutus, numquam adduci potuit, quantiſcumque inimicitiis totius civitatis familiæ in mutuum exitium armarentur, ut enſem aut ullum aliud teli genus indueret.

EX IMPRESSIS.

pro pace eorum orat coram Crucifixo,

30 Cæterùm tot in divinam benignitatem admiſſis in oculis ejus ſceleribus, ſaucius anxiuſque civium ſuorum periculo, in more poſitum habuit, tam deſperatis rebus, ad pedes cujuſdam imaginis Chriſti in crucem ſuffixi proſtratus, remedium quærere, quod & multis aliis parabat, & ipſe ex illo benignitatis fonte ampliſſimos divinæ gratiæ favores in ſe derivabat. Sed ſingularis ille favor extitit, quo ardentiùs ſolito, Religionis capeſſendæ amore incenſus, hoc ab illâ ſanctâ imagine, expreſſis verbis oraculum accepit: " Vade Philippe ad montem Senarium *d*, *d*
„ ibi te docebo incomprehenſibilem jucunditatem
„ vitæ æternæ „.

F

à quo ad perfectiorem vitam incitatur;

31 Non arido aut petroſo ſenticeto ea divinæ vocationis ſemina, ad ſuffocationis periculum, ſed fœcundo, & bene ſubacto ſolo excepta ſunt, ut fructus brevi ſecutus demonſtravit: nam tempore ſolennis Quadrageſimæ, ſequentis anni MCCLIII vitam orditus tum inediâ cibi, tum cubandi malignitate, ac cæteris corporis afflictationibus admirabilem, deliciis omnibus valedixit, præter eas, quas ex contemplatione divina ac ſacrarum Literarum ſtudio delibandas accepiſſet. Interea ad loca ſacra, quæ inter Florentiam, & dirutæ Feſularum *e* urbis ruinas ſunt, frequenter inviſens, itineris ſui in montem, quo à Chriſto crucifixo deſtinabatur, velut novus illic immolandus Iſaac, rudimenta quædam atque initia ponebat.

e

deinde divino amore ardens;

V.

32 Apparitionibus divinis, & ordinarium naturæ curſum excedentibus rebus, velut neceſſariâ conſecutione proprium atque connexum eſt, humanam mentem, inſolita luce perculſam, mirificè illuſtrare, & inflammatam, in rerum divinarum amorem rapere; hinc vix ſatis explicari poteſt, quantis incrementis Philippus, corpore per varias macerationes, animo per contemplationis aſſuetudinem ſubacto, ac benè præparato, & ſerenaretur in dies magis, & ex objectu hujus lucis, futuræ beatitatis amore ſuccenderetur, ut proinde ardentiſſima juſtitiæ ſiti correptus (quæ eſt inter Euangelicas octava beatitudo, & quam Patres deſiderium ſolidæ ſanctitatis eſſe ſtatuunt) jam felix, beatuſque eſſe inciperet.

F

& ſupplex coram imagine Deiparæ,

33 Fortè quadam die, quâ potiſſimùm his flammis agebatur, domo ad novum Servorum Deiparæ ſacellum, ubi miraculoſa D. Virginis Annuntiatæ imago erat, divino ſacrificio interfuturus, ſe contulerat; ubi rurſus aliarum omnium, quibus eum adhuc Deus aut Beatiſſima Virgo dignati ſunt, efficaciſſimâ vocatione ad Religioſum Servorum inſtitutum invitatus eſt. Sed priùs quàm hanc expediam, juvat diverticulo, lectori non injucundo, hujus prodigioſæ imaginis originem paucis promere, mox ad Philippum admirabilis ſcenæ ſpectatorem in viam nobiſcum reverſuro. Eſt haud procul Florentiâ ſuburbanum, Henrici tertii imperatoris clade ab exercitu Florentino accepta nobilitatum, quod Cameritia indigitant.

EX IMPRESSIS.

cujus prodigiosa origo

34 Hic anno ab allatâ salute MCCL cœptum est ædificari oratorium, adjuncto quodam habitaculo, quo velut hospitio Patres, negotii causâ ex monte Senario Florentiam ventitantes, recipi possent. Ibi jam olim in crudo recentique adhuc muro imago Virginis, quam Mariam de Caphagio vocabant, temperatis non oleo, sed aquâ coloribus effigiata prostabat, quæ cùm temporum injuriâ inter ædificiorum ruinas esset obliterata, Patres ejus sibi memoriam renovandam esse ducentes, aliam ad obliteratæ prototypon, iisdem coloribus & insimili crudi muri areâ in eo oratorio pingendam curare statuerunt. Et quia circa allati ad Virginem cælitus felicissimi nuntii tempus, ipsi illustri Servorum Mariæ titulo cohonestati fuerant, sub ejus forma mysterii ipsam imaginem maximè pingi placuit, in quo eadem Virgo, dato ad summum, quod concipi possit, obsequium consensu, se æterni Numinis ancillam appellavit. Itaque ad incipiendum opus vocatus est pictor *f*, eâ ætate, non tam pingendi artificio, quàm pietate in beatissimam Virginem celebris (quippe in cujus honorem perpetuam virginitatem coluit) isque pro suo in Matrem Dei amore, susceptâ in se perficiendi gratis hoc opus curâ, priusquam manum operi admoveret, ferventium precum præsidio, & expiatis per sacram exomologesin peccatis, sacræ Eucharistiæ sumptione se comparare voluit, ad quod ejus studium Patrum etiam, jam tum nescio quid fausti animo præsagientium, preces accedebant.

f

B

vel innovatio exponitur,

35 Ita cœpto opere archangeli Gabrielis imago jam in pariete spirare videbatur; ipsa etiam beatissimæ Virginis effigies, præter faciem, caput, & cervices, sub oculos perfecta prodierat, reliquæ etiam operis parergæ ultimam lucem acceperant, cùm ecce pictor supremam manum sacræ imagini impositurus, repentè totis artubus, sed manibus præcipuè contremiscere, exalbescere vultu, denique animo linqui cœpit, & velut numquam penicillum contrectavisset, omnis ars, atque industria pingendi ex manu & animo evanuisse visa. Igitur rei novitate attonitus pictor, & ipse se in preces dat, & Patres, ut sibi divinum Numen placent, exorat; id quod ipsi impigrè aggressi, non sine lachrymis, quas tum admiratio, tum timor insoliti eventûs elicuerant, consternati pictoris causam apud Deum ac beatissimam Virginem agebant. Sequenti die pictor ad opus redit, & tantisper aliquid in eo contemplatus *, divino quodam sopore sive extasi repentè correptus, à sensibus abiit; tum paulò post sibi redditus, se in pedes colligit, imaginem intuetur (quam in illo mentis conticinio perfectam, atque absolutam viderat) jam collo, vultu & capite, ad quæ manus pridie exprimenda torpuerant, expressis, summo cum stupore recognoscit, & tum ille, tum adstantes alii miraculum ingeminantes, ingenti applausu, Deo ac Deiparæ Virgini cumulatissimas gratias agunt. Pervulgato rei successu, fit totius urbis, atque omnium ordinum ad oratorium Servorum accursus, & habitis imagini justis honoribus, frequentis senatûs consulto, respublica decrevit, uti hæc verba, MADONNA SANTA MARIA MADRE DI GRATIE, id est, DIVINA S. MARIA MATER GRATIARUM, imagini subscriberentur, quæ hodieque antiquo charactere subscripta visuntur *g*. Atque hoc quidem inter alia privilegio cælorum Reginæ visum est, Servorum suorum primordia nobilitare.

C

g

36 Sed ut ad Philippum, quem apud hanc ita divinitus absolutam imaginem, supplicem reliquimus, revertamur; ubi se ad rem divinam in hoc oratorio audiendam, feriâ quintâ infra octavam Dominicæ Resurrectionis (quæ illo anno in VIII Kal. Maiarum inciderat) composuisset, Sacrum (in cujus Epistola habentur illa verba, PHILIPPE ACCEDE, ET ADJUNGE TE AD CURRUM ISTUM) faciente beato Patre Alexio Falconerio *h*, illis verbis velut ad se dictis permotus Philippus, divino arreptus Spiritu, à sensibus in suavissimæ violentiæ extasin rapitur, eâque extra se peregrinatus, in vasti horroris solitudine, inter præruptas rupes, & aculeatarum spinarum dumeta expositus sibi videbatur, ubi hærentibus insuper tenaci in limo vestigiis, multiplici anxius malo, cum ipso interitu, ancipiti sorte luctari videbatur. Has inter angustias deprehensus, cùm regii Vatis verbis " Salvum „ me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam „ divinam opem imploraret, allapsam auribus miræ suavitatis vocem audit, qua redditus sibi, serenatâ mente, animi status, ex hoc periculorum confinio eductus est, & mox beato Juveni coruscum, ignotâ mortalibus oculis luce, cælum se aperuit; cujus cùm claritas ac tranquillitas, tum reliquorum ornamentorum majestas, ut simile nihil habetur in rebus humanis, ita nulla verba reperiuntur, quibus possit describi.

D

ad Religiosum Ordinem vocatur.

h

E

per mirabilem visionem

37 In hujus cæli spatioso ac beato æquore bijugus, ex animoso leone, & miti agnâ, auro solidus currus, volucri quidem, sed peritæ aurigationis moderamine trahebatur. In ipso curru, sublimi locata solio cælorum Regina sedebat pullâ in veste, sed quam multa clarabat gloria radiorum, quos imminens solii fastigio, ignoti candoris columba magnâ copiâ à vertice Virginis ac vultu quaquaversum latè fundebat. Augebant pompam frequentes cælestium geniorum stipatores chori, qui sedentis versicolorem ac rigentem gemmis umbellam sustinentes, Reginæ suæ laudes suavissimo concentu decantabant. Ipsa Virgo habitum, qualem nuper Patres Servi gerere cœperant, manu præferens, ubi cælites canere desierunt, voce, ipso cælitum concentu suaviore; PHILIPPE, ait, ACCEDE, ET ADJUNGE TE AD CURRUM ISTUM.

F

in quadam extasi,

38 Plura Virgo promptura videbatur; sed intercessit beatus Pater Alexius, qui absoluto interim Sacrificio, oratorium ex officio clausurus, ubi B. Juvenem abalienatum à sensibus, immobilem hærere videt; ratus somno oppressum, excusitat. Redditus sibi Philippus, tracto ex imis præcordiis gravi suspirio, Ah, inquit, Pater reverende, ita Deus tibi ignoverit, ut ego hunc errorem tuum excuso. Nec pluribus interceptam beatitatem verbis incusans; secum tamen aditæ jacturæ magnitudinem exaggerans, illius spectaculi gloriam & emolumenta severâ trutinâ cùm dolore librabat, eò quòd adhuc in cælestium rerum commercio non tantum, quantum illâ semi horâ, lucri feciisse sibi videretur. Interim ubi nox affuit, quæ hanc felicem diem sequuta est, & Philippus solitudine ac silentio ejus ad libertatem agendi cum Deo utebatur, rursus se illi Deipara videndum exhibuit, his ipsis verbis eum affata: " Philippe, servos meos „ in crastinum adeas: ab eis enim prævisi curæ rûs magisteria disces, quæ statim exequi, fidelis „ meus servus evasurus, curabis „. Nec plura; & ex stupentis, & jam satis persuasi conspectu se

in

A in cælum recepit.

cujus explicationem à viro spirituali

39 Philippus, ubi illuxit, hausto totis medullis cæleſtis vocationis igne, ad oratorium Servorum gradum concitat, & audito illic Sacro (in quo authori Virgini vocationis conſilium enixè commendavit) ad antiſtitem loci, qui tunc Pater Bonfilius erat, admitti rogat; qui ubi affuit, habito illi decenter honore, quâ decuit, Juvenem, vercundâ modeſtia viſiones ſibi objectas, & adjunctum illas communicandi præceptum exponit. Patrem deinde orat, ut ipſo interprete doceatur, quid quantumque per hæc ingentia beneficia Chriſtus, ejuſque ſanctiſſima Parens à ſe præſtari velint, jubeantque. Bonfilius divino ſpiritu dives, & in hoc rerum genere verſatus ac perſpicax, per objectam illam ſentibus tribuliſque aſperam ſolitudinem, ſtatum illius ſecularem notari reſpondet, currum verò eſſe ſtatum Religioſum, ad quem à Dei Matre vocetur: quatuor aurei currus axes, eſſe quatuor virtutes cardinales, quibus velut cardinibus Servorum inſtitutum nitatur. Per agnam, & leonem, quibus idem currus ducitur, humilitatem Religioſam & fortitudinem, quas arduis
B in divino obſequio ſuſceptis facinoribus, comites eſſe conveniat, deſignari; columbam verò neceſſariam cordis puritatem, & contemplandi peritiam denotare. Denique pullam veſtem, Virginis manu geſtatam, factamque invitationem, quâ, ut ſe currui adjungeret, monebatur, oracula eſſe, quæ illum Mariæ Servum in nova ejuſdem Virginis familia (ubi mortificationem Crucis Chriſti docendus ſit) futurum prædicant.

cum magno utriuſque gaudio accipit.

40 Accendit ea interpretatio jam antè ardentem Philippi mentem, & denique ut id, quod diu egit, hoc Religioſum inſtitutum amplecti ſtatueret, effecit. Nec minore jucunditate in eo congreſſu perfuſus eſt B. Bonfilius *i*, qui ex verecundo Philippi inter narrandum vultu, divini ſplendoris radios, haud dubios futuræ ſanctitatis indices, emicare videbat. O felicem ac ter beatum Juvenem, tacitè cogitabat, qui ſplendorem generis, fortunæ blandimenta, ſcientiarum lucem pluris, quàm quanti Deus ſimilium rerum contemptum facere ſolet, non æſtimavit; ex quo ſupremi Largitoris gloria eò major elucet, qui Servo ſuo tam grandia munera
C largitus eſt, ut haberet quod & piè agnoſceret, & contemneret fortiter, & utroque viam ſibi ad ſalutem aperiret. Atque hæc quidem hactenus de genere vitæ, quam uſque ad ſuſceptum vitæ Religioſæ ſtatum Philippus duxit. Ex quibus, ut reor, clarum fit, illum aſpirante jam inde ab incunabulis divinæ gratiæ afflatu, ad ejuſmodi perfectæ ſapientiæ faſtigium compendio provectum eſſe, quò alii non ita ferventes velut per gradus quoſdam, & operosâ per varios vitæ ſpiritualis anfractus peregrinatione vix demum magna temporis intercapedine deducuntur.

ANNOTATA.

a *Dalæus hoc loco ſignificat*, S. Philippum *Pariſiis philoſophiam & medicinam didiciſſe, eumque poſtea Florentiam à parentibus revocatum, inde Patavium ſeſe contuliſſe, ut utriuſque facultatis laureâ donaretur. Verùm Gianius Centuria* 1 *Annalium lib.* 2 *cap.* 16 *innuit, illum in Italia arti medicæ operam dediſſe, dum ibidem ſic ſcribit:* Vix adoleſcens Lutetiæ Pariſiorum ſtudio phyſicæ artis operam dederat, mox Patavii magiſtrali honore decoratus, & Florentiam reverſus medicinæ, ut patri morem gereret, operam daturus *&c. At idem auctor in manuſcripto Vitæ compendio, de quo conſule Commentarium prævium num.* 8 *& ſequente, adhuc clariùs indicat, Sanctum Patavii arti medicæ ſtuduiſſe, quando utrumque ſtudium diſtinguit his verbis:* Adoleſcens verò Pariſiis primò philoſophiæ operam dedit, deinde Patavii doctor medicinæ inſignis brevi pòſt tempore declaratus, numquam tamen ſacrarum Litterarum ſtudia, quibus mirificè delectabatur, cum ſibi per tempus liceret, prætermiſit. EX IMPRESSIS.

b *De factionibus Guelforum & Ghibellinorum ſæpius in his Actis ſermo recurrit, & earum origo inferiùs explicabitur.*

c *Hic eſt Fredericus II odio ſuo adverſus Romanum Pontificem notiſſimus, quem anno Chriſti* 1250 *Manfredus filius ejus nothus pulvinari ſuffocavit.*

d *Gianius in Annalibus Servitarum Centuriâ* 1 *lib.* 1 *cap.* 9 *montem Senarium vel Sanarium fusè deſcribit, quod etiam infrà paucioribus verbis ſatis clarè fiet.*

e *Eſt urbs Hetruriæ primùm à Gothis everſa & poſtmodum à Florentinis funditus exciſa, incolis Florentiam migrare juſſis, cujus rudera duobus milliaribus ab urbe Florentina diſtant.* E

f *Laudatus Gianius Centuriâ* 1 *Annalium lib.* 2 *cap.* 15 *nomen hujus pictoris indicat, & de illo diſtinctius hæc habet:* Egregium in urbe pictorem (ſive is eſſet Græcus, ſive natione Germanus, quod tunc ars pingendi in Etruria defeciſſet) Bartholomæum nomine conveniunt *&c. Neſcio, unde Gianius nomen hujus pictoris eruerit, quandoquidem Pocciantius in Chronico Servitarum ad annum* 1252, *ſive pag.* 14 *innuit, nomen iſtius pictoris poſteritati ignotum eſſe, dum de eadem venerabili Deiparæ imagine ſic ſcribit:* Quapropter accerſito pictore (cujus nomen eſt in libro vitæ deſcriptum) ei venerabile demandatur negotium *&c.*

g *Quanta in veneratione habeatur hæc celeberrima Deiparæ imago, vide fuſiùs apud laudatum Gianium in Annalibus Servitarum Centuria* 1 *lib.* 2 *cap.* 15, *ubi in Annotationibus etiam aſſignat antiquos & recentiores auctores, qui de miraculis aliiſque ad hanc inclytam imaginem ſpectantibus ex profeſſo ſcripſerunt.* F

h *Non intelligimus, quomodo Alexius ille Falconerius eo tempore Miſſam celebrare potuerit, cum Gianius in Annalibus Centuria* 1 *lib.* 6 *cap.* 9 *laudans ſummam ejuſdem venerabilis viri humilitatem, confirmationis causâ addat ſequentia:* Quamobrem ſi inter ſeptem viros noviſſimum, deſpectum, ſacros Ordines renuentem accipere intelligas, ſi viliſſimos ſubire labores, ſi oſtiatim per urbem eleemoſynas quærere, ſi aliis ſubjici, ſi abſque clericali corona inter laïcos perpetuò connumerari, arctamque & aſperam degere vitam, & ab omnibus contemni (id ſcriptores plerique affirmant) ab omnibus deſpici velle unum hunc præſtantem virum audias, totum id ingenuæ illius humilitati tribuendum eſſe, certò ſcias. *Certè Gianius his verbis indicat, venerabilem & beatum Alexium numquam ſacris ordinibus initiatum fuiſſe. Quare oportet hìc alium ſacerdotem ſubſtituere, vel aſſertionem Gianii infirmare.*

i *Fuit hic primus Ordinis Servitarum Generalis, quem Papebrochius noſter tomo* 1 *Junii pag.* 3 *inter Prætermiſſos collocavit, eo quòd publicum beati hujus viri cultum ignoraret. At poſtmo-*

EX IMPRESSIS.

postmodum sacra Rituum Congregatio immemorabilem ipsius venerationem approbavit, ut ex eminentissimo Prospero de Lambertinis circa finem Commentarii prævii retulimus.

CAPUT IV.

Ingressus ejus in Ordinem, magistri spirituales, humilitas, patientia & desiderium solitudinis.

VI. *Postulans in numerum Conversorum admitti,*

HIc jam jactæ à beatissima Virgine in Philippi adhuc infantis animam sementis velut quædam primitiæ, ejusdem Virginis admotæ aris, consecrantur. Etenim quantumvis & natalium claritudine, & doctrinæ opinione, & integritatis, pietatisque famâ inter nobilissimos, doctissimos, atque integerrimos quosque civitatis magnum meritò nomen obtineret, retentis nominum rebus,
B nihil moratus has magni nominis umbras, in sacriorem jam religionis rempublicam transcriptus, pro suscepti instituti naturâ, sinceræ sanctimoniæ molem sapientissimâ quadam architecturâ aggressus, optimæ venæ lapidem, humilitatem, fundamentalem posuit. Itaque eo die, quo vocationis suæ rationes exposuisse eum suprà meminimus, à Patre Bonfilio ad frugale prandium pauperi Servorum mensæ adhibitus, sub finem prandii ex inopinato à mensâ erigens sese, & in medio triclinii in genua subsidens, verbis ardentissimis Patres enixè orat, uti duorum sibi postulatorum gratiam facere dignentur, quorum primum erat, ut ipsum ad consortium suum admissum sacro Religionis habitu dignarentur; alterum, ut eam gratiam sibi inter Fratres Conversos relato, communi omnium obsequio utcumque compensare liceret. Atque hæc quidem tam uberibus lachrymis, & tanto compunctionis ac demissionis sensu peroravit, ut illum venerandum Patrum confessum cum altæ humilitatis admiratione attonitum, prorumpere in lachrymas coëgerit.

C *fit voti compos,*

42 Tum beatus Pater Bonfilius reliquos Patres circumspectans, velut si tacitus singulorum sententias exquireret, ubi non tam verbis, quam singultibus annuere omnes intellexit, Philippo respondet; se, ac Patres, quippe Servos Deiparæ, à quâ ipse ad hanc ab illa recens institutam atque auctam familiam tam inusitatis argumentis prodigiosè vocatus sit, non velle, neque verò posse non morem gerere ipsius postulatis, proinde quâ par sit alacritate, ac promptitudine suscipere ipsum se, ac Religiosæ charitatis complexum visceribus, filium Religionis, & tyronem, sub signis magnæ Matris deinceps militaturum, creare: & quia altera petitionis pars indidem manarit, unde prima, hoc est, à spiritu vocantis Deiparæ, quæ totam gloriæ suæ summam in ancillæ titulo ac munere collocavit, idque nomen Matris nomini præoptavit; placere etiam, ut sub Conversi nomine, & conditione arripiendam servitutem dupliciter serviat. Atque in hunc modum Philippus anno ætatis vigesimo, omnium, in quibus ad hoc ætatis vixit, votorum maximi reus effectus, feriâ sextâ infra Octavam triumphalis Christi Resurrectionis, Religionis habitu induitur, nomen tamen ex recepto Ordinis nostri more non mutavit, D quòd in eo congressu, quem cum beatissima Virgine, de curru illum alloquente, habuit, ab eadem Virgine sub Philippi nomine ad Religionem vocatus fuerat.

& virtutes suo Ordini proprias discit,

43 Ex hoc tam prospero Philippi rerum successu manifestum fit, primam incrementorum ejus gloriam secundum Deum beatissimæ Virginis liberalitati ac providentiæ acceptam referri oportere, quæ, dum illi hoc suæ familiæ arripiendum præ cæteris omnibus institutum designat, spiritumque ejus instituti maximè proprium, id est, insignem humilitatem impertitur, compensare voluisse credenda est obsequium circa se Philippi, ab infantiâ usque perpetuatum. Nimirum habet hoc necessario quodam nexu perpetuo conjunctum Divorum patrocinium; vix ut aliquid efficacius sit ad ineundam Dei gratiam, ac demerendam propitiam ejus benignitatem, quàm eorum pro clientibus suis ad Deum preces. Atque, ut inter Divos Beatissima Dei Mater utique eminet, ita proclive creditu est, eam in Philippum, sub hunc ingressum, tot rerum mirabilium ambagibus adornatum, prolixè liberalem fuisse. In quorum numerum beneficiorum
E non immeritò retulerimus; quòd, cùm nobilibus adolescentibus, Religiosum institutum cogitantibus, mille manus parentum, amicorum, aliorumque (qui similium candidatorum ambitum pro insania habent) injici soleant, Philippus tamen & ipsos parentes, qui illum unicum, & unicè amatum habebant, tot votorum fructum, & emeritæ senectutis solatium, tum illum virum Religiosum, quem ei præfectum suprà meminimus, & verò præcipuè episcopum Ardingum, virum omni scientiarum & pietatis luce clarissimum, denique omnes bonos propositi sui promotores habuit, qui ea ætate in civitate floruerunt.

sub experrimis

44 Hisce viis, atque adminiculis in servum Virginis initiatus Philippus B. Bonfilium de Monaldis (quo interprete habitæ nuper apparitionis usus fuerat) antistitem sortitus est: cujus viri eximiam vitæ sanctimoniam vox cælitus allapsa sub mortis ejus tempus, quâ ad cælum invitabatur, testata est, hoc multa paucis perstringente elogio: " Bone fili, quia Filii mei vo-
„ cem audisti, & inviolabiliter eam observasti, F
„ centuplum accipies, & vitam æternam possi-
„ debis „: quâ voce dulcissimè exanimatum corpus ejus, ad indicium, quàm pretiosa in conspectu Domini hujus mors sancti sui esset, ignotæ fragrantiæ suavitatem aliquamdiu exhalavit *a*. *a*

spiritualis vitæ magistris,

45 Hoc vitæ duce amisso, Philippus operam dedit, ut se in consuetudinem insinuaret eorum, quos illi sanctitate simillimos putaret: quos inter, præter domesticos, fuit S. Petrus Ordinis Prædicatorum supremus per Italiam hæreticæ pravitatis censor; qui post multum officio sudoris gloriosè impensum, sanguinem etiam denique fortissimus martyr impendit *b*. Hic tum suapte *b*
erga omnes bonos charitate ac diligentiâ, tum apparentis ipsi beatissimæ Virginis commendatione, novellam ipsius Servorum familiam, & sibi mirè commendatam habuit, & aliis commendavit, præcipuè verò reipublicæ Florentinæ, & Innocentio IV summo Pontifici, apud quos graphicè admirabilitatem exordii hujusce Religionis deprædicavit.

qui sanctitate

46 Inter autem domesticos beatus Patrem Bonajunctam *c* ex septem viris, Religionis post Deiparam authoribus, unum præcipuè coluit Philippus, *c*

A pus, hominem aliàs multis nominibus clarum; memorabilem tamen cum primis prodigio, quod in hunc modum evenit. Beatus Pater cum ſocio in ea inedia, & lue, quæ anno MCCXLIV totam penè Italiam devoravit, per urbem Florentiam mendicatum proceſſerat, in eoque ſaluti fratrum neceſſario quæſtu, ad quæſtuoſum, uſurarum acerbitate infamem, hominem divertit, quem nuper ipſe beatus Pater de ſalutis periculo hoc ipſo nomine graviter admonuerat. Is ubi mendicos Virginis Servos pro ſuis foribus operiri ſtipem advertit, panem & vinum lethaliter condîta, per ancillam ad eos mittit; quæ ubi Patres acceperunt, ancillæ, notæ alioquin in Deiparæ Servos pietatis, partem accepti beneficii obtulerunt, quam cùm illa, & temporum & heri avaritiâ prope enecta avidè famelico ori admoveret, Bonajuncta, Cave filia, inquit, morte luitura, mortem mordeas; beneficium domini tui mixtum toxicum maleficium fecit, quo vitam mihi ereptum ibat; ſed ad ipſum reverſa, hanc, aliaſque noxas morte illum luiſſe invenies, & ſub hæc dicta, potente crucis ſigno depulſâ à muneribus peſte, iis cum ſocio innocuè veſcitur.

B 47 At ancilla interea ad dominum, quem ſanum ac ſoſpitem reliquerat, perveniens, eum humi extenſum, & exanimem, fruſtra aliquoties inclamatum, reperit *d*. Quod factum ubi quaquaverſum percrebuit, buccinæ inſtar fuit laudum, ac meritorum Servitanæ familiæ. Hoc ergo, aliaque Euangelici ſplendoris eximia lumina in Eccleſiæ candelabro radiantia oculis velut aquilinis Philippus identidem obſervans, non mediocriter aliena luce ſuam cumulabat; minimè neſcius ad ingenuam ſanctimoniam ingentia ex conſuetudine ſanctorum virorum accedere incrementa.

& mirculis claruerunt. *d*

48 Tantam vim in corruptis jam inde ab origine pectoribus hominum obtinuit affectata à protoplaſtis noſtris divinitatis illecebra, ut non modò ægrè ac difficulter ad Chriſtianam humilitatem inflectantur, verùm etiam violento ambitûs velut œſtro quodam rapiantur in omnes eos honores, quibus maleſuada ſuperbia umbram aliquam affundit dignitatis. Itaque ſi quis eſt, qui efferre ſeſe, & evehere ſuper alios in promptu, atque in expedito habet, eam tamen poteſtatem ſponte abdicat, & hunc, in excellentiam animi furentem impetum, intra rationis limites coërcet, is à ſe ipſo vir alius diverſuſque evadit, de quo illud Scripturæ meritò pronuncies 1 Regum x: "Inſiliet in te ſpiritus Domini, & mutaberis „ in virum alterum„; ſectatorem videlicet ejus, qui dixit Matthæi XI: "Diſcite à me, quia mitis „ ſum, & humilis corde„.

VII. *Summa cum humilitate*

C

49 Horum in numero Philippus noſter agmen ducturus, exemplo vix imitando, certè admirando, cùm ætate floreret, clareret & illuſtri proſapiâ, corporis conſtitutione uteretur delicatâ, ſcientiarum perſpicaciâ excelleret, & aſſueviſſet (tametſi invitus) pro domeſtico ſplendore, famulitii obſequiis, quo impetu filii hujus ſeculi ad grandia ac ſpecioſa nituntur, eo Philippus ad obſcura & vilia ferebatur, ea maximè ſectatus, quibus retundi potiſſimùm poſſe donorum, quæ habuit, ſplendorem crediderat. Igitur ubi curam hortuli, primam ſibi demandatam provinciam, accepit, & rei herbariæ, quæ potiſſimum domi cenſus fuit, juſſus eſt quæſtorem agere, ſic ſe totum illi operi dedit, ut illum non æſtuoſus, non frigidus, non pluvius aër, non denique ulla cæli aut ſoli inclementia à cultura retardaret.

obit vilia cœnobii officia,

Quin inſuper, impenſo in hortum die, bonam noctis partem culinæ ac triclinii obſequiis impendebat. Mirè illum delectabat varietas horum vilium officiorum, potiſſimùm ea, quæ ad ejus obedientiæ periculum faciendum uſurpabatur. Itaque jam ſedentibus ad menſam fratribus miniſtrabat, aliàs obſequebatur ægrotantibus, ſubinde longo ſacco conſpicuus, oſtiatim mendicabat, deinde janitor fores monaſterii venientibus aperiebat; denique ad obſequium æditui, templum verrebat, ſacrificantibus ſerviebat, univerſim omnia unus domûs obſequia complecti videbatur. EX IMPRESSIS.

50 In quibus, etſi perquàm laborioſè ac variè eſſet diſtentus, tamen, quin chorum diligentiſſimè frequentaret, maximè noctu, nihil ſibi obſtare patiebatur. Imò obſervatum eſt, illum ſemper primum in choro, & ultimum fuiſſe. Atque hæc quidem ſedulitate & conſtantiâ maximâ, illud verò patientiâ inuſitatâ, quòd ſatyricæ irriſionis dicteria, & probroſa ſcommata hilariſſimè tolerabat quorumdam, qui illum olim noverant; pauci enim popularium ea tempeſtate nobiles reperiebantur, qui damnatis præſentium rerum blandimentis, Chriſtianæ ſe philoſophiæ dederent. Quapropter Philippum vel emotæ mentis vel animi in vilitatem degenerantis vitio, inſanire pannoſis & laceris illis centonibus dictitabant, ſqualorem oris ac maciem interpretatione eódem trahentes; quam tamen tum indefeſſi labores atque inediæ, ac cæteræ corporis afflictiones, tum verò præcipuè animi in res divinas (etiam cùm aliis rebus occuparetur) perpetuò elevati ſuſpenſio conciliabat. Quæ quidem divinorum (ut cum Areopagita loquamur) PATIENTIA, ubi animo ſemel inſedit, inter eximia alia, quæ agit, mentem à deſiderio cibi, niſi & neceſſarii, & parabilis, avertit, in veſtium delectu viliſſima amiculorum ambit, ex laboribus & difficillimos & obſcuriſſimos deligit. *toleratiſque patienter irriſionibus,* E

51 Quæ omnia cùm per annum integrum in aſceterio Caphagii *e* Philippum exercuiſſent, cupido animum ejus ingens inceſſit arctioris vitæ, & pœnitentiæ rigidioris; nam votum potiùs, quàm rem ſolitudinis hactenus in Caphagio ſibi conſequutus videbatur. Hi divini ſpiritûs ſtimuli cùm gliſcente indies magis ardore, amoreque ſolitudinis, animum Juvenis acriter pervagarent, ſciretque optimus virtutum æſtimator, inviolata obedientiæ ſanctitate, poſſe ſubditum altioris ſanctimoniæ inſtinctus ac deſideria Superiori proponere, & ejus exſpectare cenſuram; in animum induxit rem omnem ad antiſtitem referre, & ut impetratæ gratiæ beneficium pronius foret, cauſatus eſt, quietem ſuam optatam apud Caphagium ſolitudinemque importunis & frequentibus ſuorum viſitationibus interturbari. Placuit antiſtiti res moduſque propoſitionis, & Philippum familiæ montis Senarii adnumeratum, bonis cœptis bene precatus, dimittit ad ſolitudinem; ubi, Deo ac beatiſſima Virgine agonothetis, pro æterni viroris palmis, & cæleſtis gloriæ coronis aliquamdiu depugnavit. *vitæ eremiticæ deſiderio ardet.* e F

ANNOTATA.

a *Hæc etiam de felici B. Bonfilii morte in Annalibus Servitarum Centuria* I *lib.* 3 *cap.* 7 *narrantur.*

b *Geſta hujus ſancti Martyris in Opere noſtro ad diem* XXIX *Aprilis illuſtravimus, ubi etiam tomo* III *iſtius menſis pag.* 683 *ex Gianio retulimus,*

EX IMPRESSIS.

mus, cur hic Sanctus in Ordine Servorum beatæ Mariæ colatur, & quomodo eidem Ordini semper faverit.

c *Is fuit unus ex septem primis Ordinis Servitani fundatoribus, & secundus ejusdem Generalis, ut Archangelus Gianius in Annalibus Centuria* 1 *lib.* 2 *cap.* 20 *testatur, qui etiam capite sequente mirabilem ipsius obitum enarrat.*

d *Gianius id Centuria* 1 *Annalium lib.* 2 *cap.* 5 *ex antiquiori scriptore refert, & avarum hunc hominem nomine Antonii appellat.*

e *De situ Caphagii & origine hujus asceterii Gianius in Annalibus Centuria* 1 *lib.* 1 *cap.* 11 *consuli potest.*

CAPUT V.

Eremitica Sancti vita in monte Senario, præfectura tirocinii Senensis, & in itinere detecta illius doctrina.

B

VIII. *Obtentâ à Superioribus licentiâ,*

ALexandrum Magnum, Macedonum regem, (ut inter alios in historia S. Hilarionis refert divus Hieronymus) solitum accepimus, felicem prædicare Achillem, quòd fortium factorum suorum Homerum nactus fuerit laudatorem. Quod sive ambitiosissimus juvenis generis sui authori inviderit, sive ita senserit; immodicarum cupiditatem laudum non nisi ab ingeniosissimis fingendi, mentiendique artificibus satiari posse; nos certe Philippum nostrum, tantò ab hac vanitate alieniorem, quantò verius hujusce compotem voti, multò feliciorem meritò prædicaverimus: quippe cujus insignium factorum, non modò quinque supra triginta optimæ notæ scriptores *a*, sed ipse adeo æternæ veritatis, cælique interpres, Christi in terris vicarius, Paulus V exstitit præco in literis Apostolicis, quibus laudari illum in publicis Ecclesiæ officiis concessit, quarum pro re præsenti summa istis verbis continetur: "Adolescens (PHILIPPUS) crescebat, „ & confortabatur spiritu, & erat in desertis, „ usque ad diem ostensionis suæ ad Ecclesiam „ Dei„.

a

C

se confert ad montem Senarium,

53 Anno igitur ætatis XXI Philippus, eo, quem paulò antè descripsimus, solitudinis amore incensus, cum præsulis sui literis Florentiâ iter ingreditur ad montem Senarium (cujus partem nuper Congregationi Servorum Deiparæ, nobilissima familia Stufensium dono dederat) montem, qui velut præparatus mons domûs Domini in vertice montium, in medio sex aliorum situs montium, cælestem verticem inserit nubibus, & cæterorum quodamodo Capitolium agit. Septem primi Patres, Ordinis fatores, hunc locum more eremicolarum primùm habitare cœperant, sparsis circa exiguum sacellum, quod in ipso montis jugo constructum erat, casis, rudi opere sic contabulatis, ut cælo, quod passim admittebant, ac pauperie illustriores essent. Huc ergo Philippus velut ad tranquillam portûs stationem delatus, cùm cælestibus gravem mercibus, mentis suæ navem appulisset, jactis egregiæ constantiæ speique anchoris, multos per annos conquievit, rationem vitæ exorsus, & pœnitentiæ rigore & contemplationis splendoribus admirabilem.

D

cujus situs describitur,

54 Itaque paternæ domûs patricium splendorem ac ditia commoda, cum sylvarum horrore, & præruptorum asperitate scopulorum, antrisque commutat. Nam cùm reliqui Patrum cellas incolerent tabulis, ut diximus, junctas, Philippus unam elegit factam naturæ manu, quam non absimilem dixeris illi, quam in Sublaci *b* Alpibus, Româ relictâ, sibi delegit divus Benedictus; nam quâ parte Senarius obliquè in Orientem solem septemque Triones spectat, & ad agrum, quem Mugellum hodie vocant, asperum & crebrarum stirpium inæqualitate hirsutum obvertit dorsum, centum sub sacello passibus spelunca visitur perantiqua, quæ in montem effossa, aream dat ad exigui cubiculi mensuram, altitudinis, mediocrem viri staturam (quali Philippum fuisse constat) non excedentis. Etsi hoc nostro ævo vetustate, & hominum frequentiâ attrita in majorem altitudinem excavata videatur. In ipso speluncæ aditu sinistrorsum ingredientibus arulâ se offert, cui supernè imminet salutiferæ crucis signum, rudi sculpturâ in ipso excisum saxo; in rupis latere erectus apparet lectulus, cujus in capite prominet ex eodem saxo haud mollius ipsâ spondâ cervical, brevium somnorum conciliator.

b

E

& ibi contemplationi vacans,

55 Hæc ara orationum & contemplationum Philippi thymiamatis altare fuit. Hæc hujus antri arena, in quâ eos pœnitentiæ & spiritualium laborum agones exantlavit, qui Philippum Antoniis, Macariis, Onuphriis, & cæteris athletis, suorum miraculis sæculorum, æquare potuerunt: hîc enim jungere noctibus dies in oratione, & contemplatione rerum divinarum, hîc mistas deliciis cæli ejusdem injurias, pluvias, nives, gelu, & amicam alpibus reliquam intemperiem fortiter pati, hîc herbarum stirpibus & gelidâ enecare quodammodo potiùs, quàm sustentare corpus, ut anima in virgulam extenuata fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, è deserto ad cælum expeditiùs penetraret; hîc denique omni alio damnato commercio, niti super dilectum Jesum suum amabat, illiusque se oculis probare, haudquaquam irrito labore studebat, ut semper vel in Deum absorptus, vel in se collectus, id ageret, ut subin visenti Spiritui sancto nihil in divino animi hospitio appareret, quod tanto hospiti posset officere. Hæc fortissimi Juvenis studia quantopere agonothetæ Deo probarentur, è sequenti prodigio intelligi potest.

F

precibus elicit fontem,

56 Dum Philippus in hoc solitudinis sequestro ita ageret solitarius, ut rationem vitæ suæ ad obedientiæ amussim exigeret, fieri non potuit, ut superiores solida ipsius sanctitas & merita laterent: quo factum est, ut de illo mittendo ad alia Religionis loca, suo exemplo collustranda, cogitarent; quod ubi Philippus persensit, quamquam nihil obedientiâ haberet antiquius, ad precationem tamen se contulit, & in ea enixè Dei benignitatem oravit, uti aliquâ viâ sibi manifestaret, quo vitio suo, minùs grati tolerati illâ sub rupe labores & puræ lachrymæ, aliaque inibi depugnata prælia divinis oculis displicuissent, ut propterea exauthorari, & illius statûs tranquillitate dejici mereretur. Vix orandi finem fecit, cùm (mirabile dictu) implorati Numinis indulgentia, ad testandum tum ipsi Philippo tum sæculorum memoriæ, longè aliter labores illius, agonesque ac lachrymas in cælo æstimatas esse; contigit, ut ex illa durissima, eâque pro reliqui montis naturâ, aridissimâ rupe limpidissimæ scaturiginis derepentè fons erumperet. Ut perire non potuisse Philippi lachrymas Deus ostenderet; hunc in hanc usque

A usque diem perennem fontem dedit, qui ab authore nomen sortitus, FONS B. PHILIPPI appellatur *c*, documento posteris futurus, pœnitentium lachrymis durissima quæque mollescere, & quæ priùs fuêre sterilia, hoc rigata humore, ad frugem corrigi.

c

(simile quid S. Caprasio contigit)

57 Huic eventui affine quiddam inter Gallica monumenta habetur de divo Caprasio martyre. Is Maximiani principis durissimo in Christianos tempore, suppliciorum exterritus metu, in aviæ solitudinis spelæum sese abdiderat, ubi cùm se ex metu collegisset, pudere eum cœpit ignaviæ suæ, proinde ad preces conversus Deum unicè oravit, ut si illum tam glorioſi certaminis victoria dignum duceret, testatum id faceret, elicito ex illo saxo, sub quo latebat, fonte; quod cum illicò divinitus contigisset, Caprasius, percepta in tam claro omine victoriæ dulcedine, animatus, Daciano præsidi sese ultrò stitit, & egregio certamine fortiter defunctus, de tyranno triumphavit *d*. Itaque ut ad nostram usque ætatem hujus fama & nomen fontis divi Caprasii hoc prodigio perennat in Gallia, sic in Hetruria ad majorem servi sui Philippi gloriam visum Deo est, hujus & nomen & venerationem fontis, inde usque à

d

B quadringentis annis in hunc diem conservare: & quidem in monte, cui naturæ inclementia ne unam quidem aquæ venulam concessit; ut exarescere in illo omnia necesse foret, nisi id illi cælitus, id est pluviâ, caveretur.

adhuc mirabiliter scaturientem,

58 Res plena miraculi est, quod fontis crater naturæ ingenio ad capacitatem decem aut certè duodecim sextariorum, in saxo excavatus, ubi ex incompertæ scaturiginis venâ repletus exhauritur, illico ad summum alveoli labium exuberat, ibique arcano quodam imperio sistitur, ut non exundet; ut quoties vel totus vel partim hauritur, è vestigio ad pristinam redeat plenitudinem. Digna memoratu res est, quæ sub æstatem accidit anni reparatæ salutis MDLXXXXV, cujus siccitate cùm exceptæ cisternis pluviæ aquæ exaruissent, toti cœnobio eremitarum nostrorum, quod in illo monte situm est, quotidianisque hospitibus & fabris, ad quadringentos numero, qui tunc ædificium in loco moliebantur, aquandis unus hic fonticulus abundè suffecerit, hoc perpetuo tenore haurientibus identidem refusus: in quo, ut prodigiosum Prophetæ Elisæi,

C suppeditatum hospiti viduæ oleum retulit, ita mirabiliùs, non vasis solùm, sed tempori etiam resistit, cùm ad hæc nostra tempora superstes, perpetuato miraculo hunc beneficum morem refundendi sese, nihil haurientium frequentiam morans, velut inviolabile institutum servet. Et verò ita convenit, ut qui fons testis divinitus datus est meritorum Philippi, idem de eorumdem meritorum immortalitate fieret immortalis, & pro veritatis natura numquam posset evacuari.

aliaque gesſit, quæ ignorantur.

59 Atque utinam, quantùm illo leni murmure tacitus innuit sanctitatis Philippi hic fons, tantò vocaliori aliquo illi sono loqui daretur cæli cum illo antro consuetudinem, administratas indidem inquilino delitias, solatia, spectacula, monita, & familiares cælitum congressiones, denique sanctissimi Anachoretæ nostri in illo, spectatoribus Divis, partas victorias: suppleretur fortasse, quod industria humilitatis Philippi huic historiæ subduxit, nec dubium est, quin exactum in illo spelæo quadriennium, vel solum, justum volumen daret. Sed hoc omnium eorum (qui res Sanctorum posteritatis bono scriptorum commendant monumentis) fatum est, ut nul-

los experiantur intervertendæ copiæ studiosiores, illis ipsis, quorum gloriæ maximè ire consultum volunt. In quo studio, ut Philippus nemini secundus fuerit, efficere tamen non potuit, ut sanctitatis illius splendor illas se inter latebras contineret, ut ea propter cum Superioribus egerit de ineunda aliquâ ratione, quâ perpetuò inclusus, atque abditus aliquò ex omnium hominum oculis ac memoriâ excidere posset, cujus ei postulati ad asceterium Senense, ut mox videbimus, transcripto facta spes est. EX IMPRESSIS.

IX. Adhuc Conversus novitiis Senensibus præficitur,

60 Cum annus, à parta partu Dominæ nostræ salute MCCLVII volveretur, & beatus Pater Bonajuncta secundus Ordinis Servorum Generalis Prior *e*, debitam cælo animam reddidisset, in ejus locum suffectus est P. Jacobus Senensis *f*, vir in paucis vel hoc ipso memorabilis, quòd priusquam familiæ nostræ nomen dedisset, societatem Laudantium D. Virginis, quam suprà laudavimus, & ortæ ex eâdem societate, familiæ nostræ initia moderatus, fundamenta utriusque operis jecerit talia, quæ tantæ moli sanctitatis per tot postea sæcula ferendæ suffecerint. Hic minimè rudis virtutis æstimator, Philippi merita & sinceram sanctimoniam suis ponderibus librans, nihilque in eo Conversi conditionem moratus illum tyrocinio monasterii Senensis moderatorem censoremque præfecit. In quo, quàm nihil P. Generalis errârit, levi occasione brevi monstravit divina providentia, quæ Philippum ad grandium operum molitionem inauguratum jam demum in lucem protrahere, ejusque conjunctam cum eximia sanctitate doctrinam, rejecto illo habitûs Conversi velamine, cælo monstrare atque edito loco, unde in omnium oculos posset incurrere, collocare statuit. Idque in hunc ferè modum accidit.

e

f

E

& insciens duobus PP. Dominicanis, socioque

61 Philippus, ut narrare cœpimus, cum mandatis P. Generalis, viam Senas, socio quodam F. Victorio *g*, ingressus, fortè inciderat in duos PP. Teutonicos instituti Prædicatorum, qui, ut erant egregiè docti, functique apud suos publicis vel docendi vel gubernandi muneribus, reipublicæ suæ causâ Romam petebant; hi Philippum ac socium socios itineris nacti, quòd Italicæ linguæ non essent gnari, latinè Philippum salutare & pluribus affari cœperunt; quibus Philippus tam terse promptéque respondendo satisfecit, ut non tam loqui, quàm cum lacte haustam latinitatem fundere videretur. Patres allecti suavi eloquentiæ illecebrâ, alios ex aliis sermones serunt, & inter alia de instituto Philippi scisscitantibus ille & nomen aperit Servorum Deiparæ Virginis, & deinceps admirandam familiæ suæ originem narrat, ut videlicet viginti quinque ab hinc annis divino consilio factum sit, ut ipsa cæli Regina hoc institutum condiderit, perfectaque ei laude ex ore infantium & lactentium, nomen Servorum fecerit, idque divinæ providentiæ maximè consentaneum fuisse, peracutâ atque eruditâ ratiocinatione subinfert. Nam, ut in Ecclesia Christi tot essent & tam varii Ordines, optimis ac sanctissimis legibus à diversis excogitati conditoribus, decuisse, ut unus aliquis Ordo esset, qui à patrocinio atque obsequio magnæ Matris & nomen & sanctimoniam sortitus, in emergentes hoc ævo sectarios, qui omnem ubique pietatem omni armorum genere abolitum atque excisum ibant, incurreret unà cum reliquis, & sic velut conjunctis doctrinæ & sanctissimi exempli armis, Dei Ecclesiam, propulsatis hostibus, tegerent ac tutarentur.

g

F

EX IMPRESSIS. *prodit in itinere suam scientiam,*

62 Plura in hanc sententiam locutus, mirum in modum delectavit Dominicanos, admiratione attonitos conjunctæ cum alta humilitate facundiæ, ingenii cultu. Quem utique divinitus ad tantam divinarum Scripturarum lucem esse provectum, intelligentes tam ipsi, quàm socius Victor (hujus Philippi doctrinæ hactenus ignarus) cum unanimes invadunt, & ut sacris se Ordinibus initiandum curet, hortantur, quò commodiùs in commune proximorum emolumentum ea divinæ largitatis munera cedere possint. Ad hæc modestissimus Juvenis; se verò Dei afflatu ac Deiparæ (cui se totum commiserit) cuncta dirigente, hunc in Religione servitii statum omnibus aliis præoptasse, respondit; & cupere in eodem usque ad supremum vitæ spiritum perdurare. Cæterùm sperare se, fore propediem, ut Religioni de claris viris prospiciatur, quæ rei Christianæ fines & proferant & tueantur; proinde illos etiam atque etiam orare se, uti ignoscere dignentur, quòd patientiâ ipsorum in audiendo abusus, licentiùs fusiusque locutus sit, quàm, sub oculis ipsorum, Fratri converso convenerit: quòd si quid temerè exciderit, quod adeo plausum meruisse videri posset, de eo se ab ipsis silentii gratiam petere, quando obsequendi ipsis fallendique laborem itineris studio potius, quàm
B ullum alium in finem sermo institutus erat. Sed frustra fuerunt hæ preces, nisi quòd id efficiebant, ut quò enixiùs adhibebantur, tantò magis conscii accenderentur ad prodendam hac etiam anxiâ humilitate commendabiliorem Philippi doctrinam.

qua Superiores cognita,

63 Igitur Senas delati F. Victor sub lætitiæ onere laborans, non potuit sibi temperare, quin illico obvio cuique suorum de Philippi doctrinâ & latinâ facundiâ, totaque rei in itinere gestæ serie narraret. Idem nihilò segniùs factitabant PP. Prædicatores, qui Philippi sanctitatem & scientiarum præstantiam, tum apud externos passim per urbem, tum apud ipsos Philippi Superiores mirè deprædicabant. Jam ipsum scientiarum arcam, jam sapientiæ thesaurum, jam parem divo Stephano protomartyri acclamantes propter sapientiam & spiritum, quo loquebatur. His tam honorificis laudibus, quas minimè ex vano haustas veritas ipsa implebat, commoti Patres Senenses, detectas in Philippo dotes P. Generali perscribunt. Is fortè tum Romæ absens, Ordinis sui confirmationem urgebat apud Alexandrum IV
C summum Pontificem, qui imperioso apparentis sibi beatissimæ Virginis monitu, denique datis binis Apostolicis literis, antiquato quodam Innocentii V (quod obstabat) decreto, Institutum Servorum primus Pontificum approbavit, eamque ob rem, familia nostra, & grati sui animi & hujus erga Marianos Servos beneficentiæ monumentum, ipsi statuam posuit, & apud divam Annuntiatam Florentiæ dedicavit.

eum sacris ordinibus initiari jubent.

64 Itaque delatæ Romam PP. Senensium literæ P. Generali benè gestæ apud Pontificem reipublicæ suæ lætitiam non mediocriter cumulârunt. Perveniunt interim etiam Romam prædicatores Philippi duo illi ex Germaniâ Dominicani, & promotionem ejus ad sacros Ordines haud secùs, ac si rem suam ingenti operæ pretio agerent, apud Generalem perurgent. Tribuit ergo communi bono, & tam gravium ac doctorum virorum authoritati, P. Generalis, ut Philippo seriò in mandatis daret, ut se ad sacros Ordines suscipiendos compararet; id quod ille post patratum in illo omnium virtutum domicilio pectore humilitatem inter & obedientiam longum D certamen, cedente demum humilitate, ut faceret, in animum induxit, prout deinceps videbitur.

ANNOTATA.

a *De isto biographorum numero generaliter mentionem fecimus in Commentario prævio § 1, ubi etiam aliquos nominatim assignavimus, licet plerosque ex his triginta quinque Actorum scriptoribus non noverimus.*

b *Situs hujus loci in Vita S. Benedicti, quam die 21 Martii in Opere nostro edidimus, ibidem tomo III Martii pag. 277 describitur hoc modo;* Deserti loci secessum petiit, cui Sublacus vocabulum est; qui ab Romana urbe quadraginta ferè millibus distans, frigidas atque perspicuas emanat aquas. *Majores nostri in Annotatis ibidem pag. 279 situm ejusdem loci breviter indicant his verbis:* Sublacus in Latio, nunc Campania Romana ad Anienem fluvium, inter Tibur & Soram.

c *Gianius in Annalibus Centuria I lib. 2 cap. 18 de hoc fonte agit, & ibidem in Annotationibus testatur, sua ætate varios ægros per aquam hujus fontis sanatos fuisse.* E

d *Acta hujus sancti Martyris discutienda erunt ad diem 20 Octobris, qua Martyrologium Romanum de illo habet sequentia:* Agenni in Gallia sancti Caprasii martyris, qui cum rabiem persecutionis declinans, lateret in spelunca, tandem audiens qualiter beata Fides virgo pro Christo agonizaret, animatus ad tolerantiam passionum, oravit ad Dominum, ut, si eum gloriâ martyrii dignum judicaret, ex lapide speluncæ limpidissima aqua manaret; quod cum Dominus præstitisset, securus ad aream certaminis properavit, & palmam martyrii sub Maximiano fortiter dimicando promeruit. *Unde Dalæus hoc loco Dacianum præsidem eruerit, ad dictam diem 20 Octobris accuratiùs examinari poterit.*

e *Iste P. Bonajuncta in Chronico Pocciantii ad annum 1255 dicitur primus Ordinis Generalis, quem tamen Gianius & Dalæus secundum appellant. Discrimen istud oritur ex eo, quod Gianius & alii B. Bonfilium de Monaldis primum Ordinis Generalem constituant, & Pocciantius in laudato Chronico ad annum Christi 1259 asserat, hunc eumdem Bonfilium tantummodo collegam R. P. Generalis fuisse.* F

f *Annales Servitarum Centuriâ I lib. 3 cap. 1 hunc Jacobum Senensem nominant tertium Ordinis Generalem, qui consequenter à Pocciantio tantùm secundus appellatur.*

g *Hic F. Victorius sive Victor sæpe* S. Philippum *nostrum in itineribus comitatus est, ut ex infrà referendis apparebit.*

CAPUT VI.

Sancti Sacerdotium, & publicum in prima Missa miraculum.

POstquam Philippus toto biennio Senis versatus, non tam monitis salutaribus, quàm in- x. *Senis alienæ*
stitutæ vitæ ratione atque exemplo, omnium verarum virtutum archetypo, creditam sibi juventutem, divino, quo ipse agebatur spiritu, implevisset, ea quæ priùs in animis moribusque tyronum,

A ronum ad vivum expreſſerat, in aliquot redacta capita concilio Patrum generali habito in monte Senario anno Chriſti MCCLIX cenſenda dedit. Quæ, ut ſyncerum illum Conditricis Virginis, & ab eâdem Religioni infuſum ſpiritum ſuaviſſimè redolebant, ita ab illo Patrum conſeſſu avidè accepta atque laudata ſunt, deinceps pro fundamentis Religioſæ Servorum molis futura. Sed hæc interea Philippi induſtria non ita ſe intra domeſticorum limitum anguſtias continuit, quin ingenti cum fructu Senenſium ſalutem complecteretur. Ea illo tum ævo potiſſimùm periclitabatur inteſtinis civilium factionum diſcordiis, quas rex Manfredus *a*, immodicis elatus ſucceſſibus, ferebat alebatque, ut Senenſium viribus res Florentinorum', qui Pontificis partes ſectabantur, attereret; quorum perfidia, & virulentia conſiliorum, poſtero anno Montem Apertum ad Arbium memorabili clade nobilitavit *b*.

a

b

66 Hac opportunitate quantum operæ pretii fecerit Philippus lucrifactus, in illius turbidiſſimæ tempeſtatis jactatione, ſpectatorum virorum catalogus declaravit, qui claris ſuis facinoribus tanti ſe Patris legitimos filios tantique doctoris haud abſimiles diſcipulos poſtea præbuerunt, prout copioſiùs res ab ipſis præclarè geſtas proſequuti Annales noſtri demonſtrant. Interea operoſus Mariæ Servus Philippus in procuratione alienæ ſalutis haud immemor ſuæ, ſi umquam aliàs, tum verò hoc tempore in eam curam incubuit abſolutiſſimæ puritatis, quam par eſt Euangelici ſacerdotii inaugurationem antecedere. In hoc enucleatiùs fuſiuſque docendo ut multi ſimus, non videtur magnopere requiri; nam Philippus natus quodammodo, certè educatus, ab incunabulis uſque, in accurato eoque numquam interrupto perficiendi interioris hominis ſtudio, ut perpetuo poſitum in more habuit, omnes divinæ gratiæ gradus atque incrementa ſubactæ atque exaggeratæ mentis præparatione, quoad potuit, antevertere, ſic qualem ſe in hujus & honoris & oneris angelicis humeris formidandi, contemplatione geſſerit, cuivis pronum cognitu fuerit.

ac ſuæ ſaluti conſulit,

B

C

67 Interea Prior Generalis promotis atque digeſtis apud Sedem Apoſtolicam præcipuis Reipublicæ ſuæ moliminibus, comitia generalia in monte Senario habenda anno ſæculi hujus quinquageſimo nono edicit, eódemque Philippum, ab epiſcopo Florentino Joanne Mangiadorio *c* jam ſacris inauguratum, nondum tamen operatum (quod ad id humilitate contractus ac reverentiâ timidus, majorum imperia opperiretur) vocare placet; qui ubi adfuit, in comitium introductus, redditâ ratione præfecturæ ſuæ, quam tyrocinio Senenſi navaverat, poſtquam venerando illi Patrum conſeſſui tyronum ſuorum indoles, dotes naturæ, propenſiones, & progreſſus denique ſingulorum expoſuiſſet, quantum in juventutis Religioſæ accuratâ ac pervigili educatione ſitum ſit, tum multis aliis tum vel inde demonſtrat, quòd plerumque ex tyrone colligi poſſit, quis qualiſque veteranus evaſurus ſit.

reddita que officii ſui ratione in Comitiis,

c

jubetur ſe parare ad primam Miſſam,

68 Patres, approbatâ Philippi & operâ & ſententiâ, abeuntem ex magiſtratu novitiorum, adeuntemque illud ſuum Senarii antrum, in quo non ita pridem ipſe ex tyrone Spiritus ſancti unctione brevi emeritus aſceticæ philoſophiæ magiſter extitit, cumulatis divinæ gratiæ apprecationibus proſequuntur; uteretur ergo conceſſis diebus ad ſe comparandum, quò, quâ par erat, animi luce atque ardore obiret id opus, quo nullum divinius aut auguſtius contrectari à mortalibus poteſt. Paret Philippus, & ut id otium votorum tunc ſumma erat, ita eo tempore uſus eſt, ut illius brevitatem cæleſtium gratiarum redundantia abundè ſuppleverit: nam, cùm peractis comitiis & rebus Ordinis publicis ritè ordinatis, Philippi neomyſtæ Sacrificio conſtituta dies, ſingulari Patrum ob conceptam de Viri ſanctitate opinionem expectatione illuxiſſet, prodit ille ad aram ornatu ſacerdotali trabeatus, & vultu ac cultu reliquo ex conſortio ſermonis Dei, divorum alicui immortalium, quàm mortali homini ſimiliore incedens.

EX IMPRESSIS.

69 Itaque rem divinam exorſus omnium Patrum animos oculoſque tralucentibus collatæ divinitus gloriæ ſplendoribus perſtrictos, in dulces lacrymas & ampliſſimam deliciarum divinarum divitem contemplationem ſolvit. Jamque Sacrificium ad umbilicum erat, & peracta corporis & ſanguinis Chriſti ſacroſancta conſecratio; cùm in illo Mariano Patrum cœtu inuſitatæ lucis irradiatio videri, mox per novos exceſſus animorum librati in Deum, corporis ac ſpiritûs impetus, iidemque ſurſum ſuſtolli cœpti, non jam in ſua poteſtate erant, ſed raptu quodam abſorptæ mentis ex præſente in ſacrâ Euchariſtiâ Chriſti majeſtate, illius ſpiritu magis, quàm ſuo agebantur. Atque hi quidem motus prodromi erant admirandi eventûs, qui poſtea ſecutus rei inſolitæ admirabilem coronidem impoſuit; vix enim ſeraphicus Neomyſta noſter puris illis & cælo aſſuetis manibus Deum panem Angelorum ſuſtulerat adorandum, cùm ecce cæleſtis concentus è ſublimi omnium, qui aderant, auribus affluens mirâ ſuavitate inſonuit, tergeminum illud, & ſpiritibus Seraphicis familiare SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS DOMINUS DEUS SABAOTH, dignâ angelico artificio modulatione ingeminans *d*.

in qua cantus angelorum audi-tus eſt,

d

70 Quæ res, ut non minùs mirificè affecit illam piiſſimam Patrum Congregationem, quàm admiſſum olim ad ſimilem cæleſtis beatitatis delibationem, vatem dicam, an euangeliſtam Iſaïam, ita haud diſſimiles motus, atque affectus in utrorumque animis procreavit. Nam quemadmodum Iſaïas refert, ſuos illos Seraphinos ſonoris atque altiſſimæ intelligentiæ vocibus (quæ illorum ſunt vernaculæ) magna contentione divini amoris ſe mutuò ad collaudandum Deum provocaſſe, ter-ſancto illo cantu; ita in illorum animis ſanctorum virorum, qui huic Philippi Sacrificio ejuſque muſicæ intererant, ſublimiorem quamdam humano captu divinæ Triados perſpicuitatem exiſtimationemque ingeneravit.

attonitis præſentibus Patribus,

F

71 Præterea quemadmodum apud Iſaiam vi atque efficacitate vocum ſeraphicarum commota ſunt ſuperliminaria, ita illius venerandi ſenatûs moti in Deum ac promoti animi ſunt, & dilatata corda, trahace atque efficace cæleſtis illius concentus dulcedine, quæ quamvis eſſet ſublimiſſima, & eâ affectas mentes ſublatè proveheret, non ſecus tamen ac Iſaïæ factum, cùm ſpectaculi ſui divinitate attonitus, dixit: " Væ „ mihi, quia vir pollutus labiis ego ſum „; ſic nemo Patrum illorum fuit, qui in clariſſimâ illâ contemplationis luce, velut in nitidiſſimo ſpeculo ſe ipſum contuens, non ſit faſſus indignitatem ſuam, & ſe confeſſus peccatorem; atque adeo ipſe Neomyſta, cujus meritis ac ſanctimoniæ feſtivo hoc favore cælites applaudebant. Ut illi Prophetæ Seraphini, ad magnitudinem

quem biographus comparat

EX IMPRESSIS.

divinæ Majeſtatis perculſi, ſua ſibi ora atque oculos occulebant alis, ſic objecto ſibi ſe Philippus, qui in tanta dignitate ſacerdotii tantis ac tam auguſtis myſteriis operaretur, indigniſſimum ſe profitebatur.

cum cantu ſeraphico,

72 Verùm, ut infimus humilitatis gradus ſemper conjunctus atque connexus eſt cum ſupremo exaltationis, ita admoto de altari, cui aſtabat, illius labris calculo ſub forcipe cæleſtis panis comprehenſo, omnia in eo mundata & mutata ſunt, atque ipſe etiam mutatus in virum ſecundum cor Dei, & in divinæ ejus voluntatis luculentiſſimum interpretem. Quo factum eſt (uti itidem contigit mutato per calculum Iſaïæ, cùm promptè ſe in omnia Dei obſequia paratum offerret, dicendo: ECCE EGO, MITTE ME, & Dominus diceret, VADE) ut Philippus paulò poſt totius familiæ Marianæ ductor & concionator Eccleſiæ univerſalis Apoſtolicus conſtitutus, utriuſque dignitatem officii, non ſolùm factis æquaverit, ſed multis etiam inſignium decorum luminibus ita illuſtraverit, ut hæc ejus cum Iſaïa collatio, deque rei univerſæ paritate ratiocinatio noſtra non debeat quæſita ad ornatum hiſtoriæ otioſa digreſſio videri: quando familiariore jam Deo hoc fauſtiſſimo legis gratiæ tempore, iſtarum cæleſtium neceſſitudinum cum Divis, Dei amicis novi Teſtamenti, quàm cum Divis ſervis Teſtamenti veteris, longè frequentior longeque uberior uſus & communicatio eſſe ſolet.

B

quem propheta Iſaïas refert.

73 Certè eâ ſapientiâ, eâque prudentiâ Philippus fortem ac fidelem operam navavit toti Ordini Servitutis Marianæ, omnibus in illis magiſtratibus, quibus poſtea functus eſt, tantâ, ac tam divinitus collatâ potentiâ, in opere ac ſermone fuit, in obeundo munere Apoſtolici concionatoris (quod nomen eâ ætate magnæ & longè lateque patentis dignitatis fuit) quanta argumenta admirabilium operum illo in opere ab operario fideliſſimo in agro Domini præſtitorum exſtiterunt; de quibus, cùm deinceps frequens nobis ſermo futurus ſit, eóque properet oratio, hactenus de cohoneſtatis cælitus hiſce comitiis Senarianis, & in iis neomyſtâ Philippo noſtro, iſta non alieno, ut videtur, loco retulerimus.

C

ANNOTATA.

a *Manfredus iſte, nothus Frederici II filius, ut ſuprà diximus, poſt mortem patris in Italia tyrannidem exercuit, ut apud obvios hiſtoricos legere eſt.*

b *Raynaldus in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 1260 *num.* 4 *hanc Florentinorum cladem ex antiquis ſcriptoribus narrat.*

c *Joannes de Mangiadoris anno* 1251 *ad cathedram Florentinam evectus eſt, & anno* 1274 *exeunte vivere deſiit, ut Ughellus in noviſſima editione Veneta Italiæ ſacræ tomo* 3 *col.* 121 *&* 127 *teſtatur.*

d *Pocciantius in Chronico ad annum* 1259 *de hoc angelorum cantu etiam meminit, & ad probandam veritatem hujus miraculi, vetera monumenta Divæ Annuntiatæ & ſacri montis Senarii citat.*

D

CAPUT VII.

Sancti electio ad officia honorifica & ad ſummam totius Ordinis gubernationem, ejuſque pia in hoc munere adminiſtrando ſedulitas.

LIBER II. CAP. I. *Sanctus in virtus*

HActenus cum privato Philippo inter haud dubia futuræ magnitudinis ejus præludia verſati, jam cum eodem ad rei Servitanæ gubernacula admoto, ut in reperto virtutibus ejus patentiore campo paulò ampliora ordiemur. Ita igitur, ut dicere inſtituimus, ſacerdotalibus ſacris initiatus Philippus, cùm honoratæ hac dignitate humilitati ſuæ parùm admodum gratularetur, ut novis honoribus onerandam exponeret, auctoritate (quam jam inde ab ingreſſu Ordinis pro lege habuit) beati Patris Bonfilii de Monaldis, ejus, quem ſuprà ſeptem virorum noſtrorum principem laudavimus, inductus eſt. Is vocato ad ſe Philippo pro more, quo eum ſemper in poteſtate habuit, univerſi gregis Mariani difficultates & ardua confectu negotia, deinde ſuum, atque ſuperſtitum collegarum fractum ſenio robur, & hinc oriundam ſuccedentis ad ſuſtinendam Reipublicæ molem fulcimenti neceſſitatem, quæ omnem humilitatis prætenſam honori umbram magnitudine ſuâ atque evidentiâ inumbret, magnis rationum ponderibus, longa ac gravi oratione conſideranda ob oculos proponit: quibus ſuperata Philippi modeſtia, effuſis in vitam privatam ſtudiis ſuis & latendi amori receptui cecinit, & obedientiæ ac publicæ utilitati manus ac mentem dedit,

E

ad dignitates evehitur,

75 Factus igitur generalis Definitor, & mox etiam Prioris Generalis collega, ordinatâ ornatâque pro eo munere Deiparæ ſervitute domi, foris etiam brevi res præclaras geſſit. In his illud inſigne fuit, & laboranti adhuc Ordini perneceſſarium, quòd habitâ apud Pontificem Maximum Urbanum quartum mirificâ validâque perſuadendi ſpiritibus oratione, ratam ab eo Ordinis confirmationem cum inſigni aliquot privilegiorum auctario fieri fecerit. Ad hæc, cœnobium Senenſe novis extructis operibus, quò laxiùs habitari poſſet, ampliavit, conquiſitis illi etiam novis proventuum cenſibus: eodemque ſtudio, Reipublicæ Florentinæ & quorumdam privatorum ac præcipuè clariſſimi Falconerii liberalitate, templum Divæ Annuntiatæ Florentiæ magnificâ ſtructurâ amplificatum, reſtaurato ſodalitio Laudantium Beatam Virginem (ex quo Ordinem traxiſſe originem, ſuperiori libro diximus) ornavit. Id hodie ſodalitium Divi Sebaſtiani vocatur, eò quòd in oratorio ei à Philippo juxta Ordinis illic cœnobium attributo, caput divi Sebaſtiani magno in honore & veneratione habeatur. His aliiſque operibus ſempiternâ poſteritatis memoriâ dignis, quæ brevitatis amore omittimus, Senis Florentiæque honorificè atque utiliter patratis, Philippus Cæſennam migrat, editiſque illi ægræ civitati levandæ aliquot menſium ſtrenuo labore egregiis ſpiritualis beneficentiæ documentis, diſcedit.

F

76 Interea promulgata anno Chriſti milleſimo ducente-

ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo Ordinis generalia comitia Florentiæ habentur, in quibus beatus Pater Manectus de Antellis *a*, vir è ſeptemviris Ordinis ſatoribus unus, eximiè ſanctus, ætate & multorum itinerum atque auſteræ vitæ laboribus prægravatus, cùm ſe Prioris Generalis magiſtratu abdicaſſet, omnium Patrum ſuffragiis beatus Pater Philippus Benitius paucis, antequam ſuperveniſſet, horis in Priorem Ordinis Generalem (quod Reipublicæ Marianæ benè vertat, ut vertit optimè) abſens eligitur anno trigeſimo ſuæ ætatis, ſed ſanctitas ſuppleverat ætatem Philippi: cani enim erant ſenſus hominis, & ætas ſenectutis non annorum numero computatæ vita immaculata, & cumulata omnibus tanti muneris numeris atque abſoluta.

& impoſitum Generalis officium

a

77 Id verò ubi Philippus intellexit, inopinatæ rei horrore conſternatus, beato Patri Manecto præſidi comitiorum & electionis ejus auctori ad genua accidit, & ſupplex infimis precibus, majorem viribus meritiſque hanc provinciam deprecatur; ſe enim eò maximè Religionem eſſe ingreſſum, quòd confideret ſibi licitu-

fruſtra deprecatus,

rum non ſolùm privato, ſed ſervo etiam om-

B nium mediaſtino vivere, eoque in ſtatu obedientiæ ac ſubjectionis ſuaviſſimis fructibus frui potiùs, quàm ut cuiquam in mentem veniret, ut ſe ſervitiis atque obſequiis natum deſtinatumque à Deo, imperiis in alios præpoſterè admoveret. Averteret proinde Deus ac domina Deipara, ut aliud ipſe conſilium, aliamve ab hac fixo ſemel animi decreto ſententiam, vel cogitationem in animum inducat. Quæ cùm ſumma contentione peroraret, reſque eò eſſet deducta, ut hæc decretoria voluntas ejus nullis conditionibus dimoveri poſſe videretur, divina providentia cauſam Religionis & hujuſce arbitrium controverſiæ ſuſcepit: nam derepentè omnium, qui ſimul erant congregati, auribus vox allapſa cælitus eſt hujus tenoris; " Philippe, cave re-
„ ſiſtas Spiritui ſancto; Ego te elegi de mundo,
„ ut ſis cuſtos hujus gregis mei ".

78 Ea ſententia perculſo Philippo ſilentium deinceps ac præfecturæ Generalis onus honoremque impoſuit. Itaque in ſupremum locum ſublatus poſtquam conſedit, ipſo habitu oris & ſpecie quadam, quàm pro humanâ auguſtiore, magnos in omnium aſtantium animis admira-

divinæ voluntati acquieſcit,

C tionis venerationiſque motus concitavit. Deinde vehementi quodam mentis exceſſu, in admirationem raptus benignitatis ac providentiæ divinæ in Religionem, exhortationem exorſus eſt ab illis Pſalmi verbis: " Exultate juſti in Domi-
„ no, rectos decet collaudatio „. In ea, commendatâ Patribus divinarum laudum celebratione, ad invictam conſtantiam in accepto per ſeptemviros inſtituti noſtri auctores ſpiritu, mirificè omnes cohortatus eſt: hos eos theſauros eſſe aſſerens, in quibus Deus poſuerit altiſſimæ ſanctitatis ac ſcientiæ abyſſos.

79 Tum acerrimâ peroratione in Religionis

& fortiter

perturbatores, deſertoreſque arrepti ſemel propoſiti invectus, illud Regii vatis, " Dominus
„ diſſipat conſilia gentium, reprobat autem co-
„ gitationes populorum & reprobat conſilia prin-
„ cipum „; in factioſum hoc & ambitioſum hominum genus, tam divinè expoſuit, ut non modò in hac concione extemporali, ſed in aliis etiam multis, quas eodem modo ſuper pſalmos, incredibili ſpiritûs impetu atque energiâ variis occaſionibus inſtituit, multi optimæ notæ ſcri-

b ptores *b*, id in eo mirati ſint, quod in divo Gregorio Nazianzeno quondam veneratus eſt uni- EX IM-
verſus Oriens, quòd nullus videlicet umquam in PRESSIS.
illis cenſuræ locus fuerit.

80 Receptis dehinc aditi magiſtratûs inſigni- *ſuavitcrque*
bus (quæ pro illius ævi more virga cenſoria, & ſigillum Ordinis erant) inter gratulantium Patrum obſequia & ſignificationes ſolitas ſubjectionis; tot honoribus ſuis ſolus Philippus ſecum tacitè ingemiſcens, magnas animo curas ex amicarum alioqui virtutum, humilitatis & obedientiæ conflictu, ut ex mœſto vultu colligi poterat, concoquebat. Peractis in hunc modum ritibus, qui Generali inaugurando adhiberi ſolent, ex more ei ſocius ſive collega adjungitur Pater Lotharingus Florentinus *c* è gente patricia Stufenſi, *c*
quem Philippus ipſe magnam in ſpem ab adoleſcente in Religione educaverat; vir, in quo generis claritudo & eximiæ literaturæ præſertim politioris præſtantia cum vitæ integritate, ſuavitate morum, & gravitate prudentiæ ex æquo certare videbantur.

81 Itaque confectis omnibus, ubi Philippus *munus*
ſibi redditus ſolus acquievit, cœpit ſeriò re- *ſuum adminiſtrat.*
volvere animo & cogitare, quantâ charitate, E
quantaque opus prudentiâ ſit ad tot homines Religioſos, quorum Paſtor tam ex improviſo evaſerit, ad vitæ æternæ paſcua inoffenſè deducendos. Etenim, ut erat Vir ſanctus, exemplo optimorum operum, quàm authoritatis ſupercilio aut ſplendore verborum efficacior, ex regulæ noſtræ præſcripto apud ſe ſtatuit, imitationem, quàm obedientiam, & amorem potiùs, quàm timorem à fratribus ſuis exigere. Hinc omnibus benignus ac facilis, ſibi aſper ac durus, ſibi parcus, aliis liberalis, comis ac plenus viſceribus miſericordiæ: longè aliter ac ſolent aliqui, qui velut armati poteſtatis flagello bonam frugem ex ſubditis vi atque aſperitate extundere, id demum cum laude ac verè præeſſe, præpoſterè arbitrantur.

82 Unde omnem vitæ ſuæ rationem hoc in *Ardore fi-*
honore ita inſtituit Philippus ad reliquorum *dei dilatandæ accenſus,*
diſciplinam, ut primus aggrederetur labores, ultimus ceſſaret; alii fructibus commodiſque dignitatis ejus fruerentur, ſibi onera atque incommoda reſervaret: ac nihilominus ſervum ſe inutilem in tam ſancto more (quem ille debitum exiſtimabat) reputans, addebat his omnibus vitæ ſingularem rigorem & humilitatem, quâ F
inter ſuos tam præſtante fuit, ut ſingulorum fratrem potiùs ac ſocium, quàm antiſtitem aut moderatorem præ ſe ferret. Ac tametſi ſub initi officii principia multis gravibuſque negotiis adurgeretur, conficiendis itineribus, inſtituendis viſitationibus, orationibus ad populos habendis, revocandis ad ſalutis viam erronibus, ſolandis in mœrore jacentibus, civitatibus ac provinciis in mutuam gratiam reducendis, denique commiſſis ſibi à principibus viris, à Pontificibus, ab Imperatore, mandatis obeundis; tamen quà licuit, numquam choro, numquam aſceticæ vitæ exercitationibus aut de die aut noctu abfuit; atque id diſpendium (ſi modo diſpendium) admirabili induſtriâ ac dexteritate tractandarum rerum, quâ mirificè pollebat, facilè & compendio compenſabat.

83 Quibus in omnibus id unicè agebat Phi- *ſummo Pontifici ſe ſiſtit,*
lippus, ut pax toto orbe inter Chriſtianos coaleſceret, ad Eccleſiæ Catholicæ obedientiam cuncti redirent, & concordibus armis animiſque, terram Servatoris noſtri vitâ morteque ſacratam, ex Othomanicâ ſervitute in libertatem

EX IMPRESSIS.

vindicarent. Sed hæc deinceps ex hiſtoriæ ſerie enucleatius viderimus; quibus ut Philippus initium daret, ubi ab epiſcopo Florentino Joanne Mangiadorio (qui Ardingo illi primario Ordinis Servorum patrono vitâ functo ſucceſſerat *d*) in officio eſt confirmatus: id enim fieri ab epiſcopis in talibus electionibus, Urbano quarto ſummo Pontifici placuit, quòd difficiles illa tempeſtate longique ad ſummos Pontifices aditus eſſent.

d

eique offert ſuos ſubditos,

84 Philippus tamen ſiſtere ſe Clementi IV Pontifici maximo nihilò ſecius ſtatuit, non tam ut ſtabiliretur ejus auctoritate in ſuſcepto magiſtratu, quàm ut ejus auſpiciis atque authoritate divinæ vicaria res deinceps gerendæ vim tantò majorem atque momentum haberent, & de incrementis (quod idem Pontifex demandarat) Ordinis Servorum ejuſdemque in diviniore literatura, ac potiſſimum in ſtudio linguarum Græcæ, Hebraïcæ, Arabicæ & Chaldææ progreſſibus, Sanctitati ſuæ exactam redderet rationem, ac ſicubi etiam Servorum Deiparæ operâ in propaganda aut propugnanda fide uti vellet, ſciret,

B

eos eſſe paratos atque inſtructos ab omnibus, quæ ad miſſiones requiruntur. Et commodùm per id tempus acciderat, ut ab rege Tartarorum, (quem alii Chamum, alii Cabilam vocabant) legatus ad Pontificem adeſſet, purpuratorum ejus regis ac procerum regni facilè princeps, Coyatulus nomine, qui regis ſui verbis per interpretes Venetos ab Sede Apoſtolica Euangelii præcones in id regnum deſtinari efflagitabat *e*.

e

ex quibus aliqui in Tartariam miſſi ſunt,

85 Philippus id tempus eſſe ratus Deum ſequendi ac gratificandi Pontificis voluntati, & denique etiam inſigni occaſione ampliandi religionis noſtræ fines, ſuccenſus divinæ gloriæ ſalutiſque animarum zelo, ſummi Pontificis genibus advolutus, aliquot ſui Ordinis alumnos ad eam expeditionem obtulit. Habitus eſt à Pontifice Philippus humaniſſimè, ejuſque tam prolixâ de Eccleſia Dei bene merendi voluntate, in illo Purpuratorum, aliorumque præſulum conſeſſu magnificè collaudatâ, agnovit, famam, quæ de eo jam tum, cùm collega eſſet Manecti Generalis, Romam impleverat, veritatem ſanctimoniæ illius vix æquaſſe. Cæterum, quæ confecta Philippus volebat, à Pontifice Cardinali Ottho-

C

bono Fieſco Innocentii IV nepoti ac ſecundo Protectori Ordinis Servorum demandata ſunt, qui & Philippi ex Pontificis authoritate electionem approbavit, & unà cum illo de idoneis viris in expeditionem Tartaricam cum oratore Coyatulo legendis tranſegit.

ubi eorum ſucceſſores

86 Ea res auſpicatiſſimis initiata principiis, non niſi felices ſucceſſus videbatur polliceri: nam poſtquam illis Apoſtolicis viris, & futuræ inter barbaros eccleſiæ luminibus, Eccleſia Romana bene precata eſſet, populuſque Romanus eos optimis ominibus eſſet proſequutus, opportunè, ubi Venetias pervenerunt, ſtantem in anchoris claſſem ac vela propediem ventis daturam nacti, eam conſcendunt, & quod felix fauſtumque ſit, ut ad Scythas *f* appulerunt, ſuam quiſque, ut erant antea digeſtæ, ſortiti provinciam, operi ſe deſtinato accinxere; in quo quàm ſtrenuam operam navarint Servi Deiparæ, vel inde liqueat, quòd longè latéque per Aſiam toto Tartarorum imperio, atque adeo in ipſa Orientali India, ſive quæ extra Gangem fluvium eſt, colonias deduxerint, quas ad noſtram uſque ætatem vel omnes vel pleraſque obtinent: nam cùm aliquot annorum centuriis, nihil certi de noſtris compertivè, tam vaſto terrarum tractu diviſis haberi poſſet, demum anno à partâ ſalute quingenteſimo trigeſimo ſexto ſupra milleſimum quidam venerabilis Pater Anaſtaſius *g*, ex alto Venetiis portum tenuit cum tribus ſociis, noſtro Europæorum Servorum prorſus habitu. Is Romam ad Paulum Tertium (qui Ordini noſtro mirificè favebat, eóque P. M. Dionyſium Laurerium Beneventanum *h*, Cardinalem S. Marcelli creaverat) perductus, omni benevolentiæ genere exceptus eſt, impetratâ etiam quarumdam pro illis partibus legum pontificiâ approbatione.

D

f

g

h

adhuc homadiedum ſuperſſe dicuntur.

87 Referebant iſti, perantiquâ memoriâ per manus acceptâ conſtare; Ordinem Servorum ſuis in oris ab iis Patribus ſatum; qui à beato Patre Philippo aliquot antè ſæculis eò miſſi fuerant: cæterùm, procedente deinde tempore, copioſiore hominum ac cœnobiorum numero magnis incrementis propagatum, inclaruiſſe in illis regionibus. Non tam nova, quàm jucunda Pontifici, cæteriſque, qui admiſſioni hominis aderant, ea viſa narratio eſt, poterantque advenæ Patres, ex miſſorum quondam numero, reduces videri, eoque illos ſeptem juvenes, aliquot ſæculorum dormitatores, referebant, adeo recenti memoria ex remotiſſimis orbis partibus velut ex longo exciti veterno res ante aliquot geſtas ætates denarrabant. Anno item poſtea alatæ ſalutis MDC alii aliquot, eodem cultu veſtium ac nomine Servorum, iiſdem ex partibus Florentiâ iter Romam habuerunt ad ſacri Jubilæi munificentiam conſequendam. Sed quod paulò clariùs evincit, quantâ & famâ & operâ, tametſi abſens, divinæ gratiæ aſpirante favore, Philippus inter illas barbaras gentes effecerit valueritque, memorabile eſt, quòd cùm annis proximè ſuperioribus, Æthiopes *i* etiam ſæculares Florentiam ventitaſſent, vix ingreſſi urbis pomeria, quà nutibus quà ſignis aliis, quòd Italicè neſcirent, utcumque domum beati Philippi viâ Guicciardinâ ab obviis inquirerent, velle ſe aientes effigiem B. Philippi, quæ in ea domo aſſervetur, quæque proximè ad prototypon accedere dicatur, venerari; quam utique domo ſua allatam religionem, non niſi à noſtris hominibus, quos in patria habebant, hauſiſſe credendi ſunt. Atque hic quidem hujuſce in Aſiam expeditionis eventus fuit; cætera ab illis Patribus præclarè geſta, diſtantiâ locorum, & commercii cum iis gentibus raritate interciderunt.

E

i

F

Ordini ſuo prudenter proſpicit,

88 Porrò ſummus Pontifex perſpectâ, in hac Servorum ad propagandam fidem exhibitione egregiâ in Dei Eccleſiam Philippi mente, eum quoque Apoſtolicum concionatorem creat, quem ille ſive honorem ſive onus eò libentius ſuſcepit, quòd animo jam ſtatutum haberet, viſitatis Italiæ Conventibus, ad Occiduas, ac Septemtrionales provincias proficiſci. Ex his in ſpeciem perplexis ambagibus haud obſcurè liquet, fuiſſe planè opus divinæ providentiæ curæque de ſuis Deiparæ Virginis, quod Vir ſanctus ita ex inopinato & tempore tam opportuno coactus ſit rei noſtræ publicæ habenas capeſſere; quando fatiſcentibus ſenio ac laboribus primis ac præcipuis Servitanæ familiæ columinibus, nihil propiùs aberat, quàm ut vitium aliquod novæ fabricæ machina faceret, ſi ſuccedaneo fulcro caruiſſet; namque ſub hoc ipſum tempus, ut paulò ante memoravimus, beatus Pater Manectus Generalis, plenus dierum, laborumque, ma-

giſtratu

A giſtratu ſe abdicaverat; beatus Pater Bonajuncta deceſſerat: eumque in cælum ſecutus fuerat primus ſeptemvirorum & coryphæus Bonfilius.

mortuo P. Amideo, viro magni conſilii,

89 Beatus quoque Pater Amideus variis ac tenacibus morbis conflictatus, aliiſque multis exercitus acerbitatibus (quos invictâ ſemper animi altitudine non modò tolerabat fortiter, ſed etiam cum Apoſtolo gloriabundè) ad æternas amoris delicias percipiendas in cælum receptus eſt. Fuit beatus Pater Amideus (ut tanti viri memoriam obiter ab interitu vendicemus) præter illuſtrem generis ſplendorem, ſummâ prudentiâ & rerum gerendarum dexteritate præditus, quibus aliiſque dotibus haud mediocri uſui & adminiculo fuit in Religionis primordiis beato Bonfilio, qui eo adjutore arduis ſemper in rebus uſus eſt: quoad ſuccumbente laboribus atque actæ ætati corpuſculo, impar publicis negotiis factus, inter fortiſſima patientiæ exempla ac documenta conſtantiæ, Chriſtum ſpei ſuæ ſcopum & diuturni ſervitii authoramentum præſtolabatur.

B *cujus virtutes & miracula narrantur.*

90 Ejus ſingularis ſanctimonia (cujus magnam domi foriſque opinionem collegerat) & publicâ famâ & rebus admirabilibus, quæ divinitus circa illum contigerunt, aſſerta eſt; in quibus illud in primis eſt memorabile, quod incuſtoditus infans in puteum (qui eſt ad pedem montis Senarii) prolapſus, cùm indidem eſſet extractus exanimis & viro Dei exhibitus, eum vivificæ crucis impreſſione vitæ ac parentibus reſtituit. Nec illud minùs illuſtre abſolutæ ejuſdem ſanctimoniæ, & eximii in Deum amoris ex bonorum operum odore collecti argumentum fuit, quòd illo animam jam cælo inferendam agente, toto Senario monte ſuaviſſimi odoris fragrantia extiterit; & ſimul atque expiravit, magnus flammæ globus à præſentibus & rei miraculo attonitis rectà è lectulo ejus cælum petere viſus ſit *k*.

k

ANNOTATA.

a *Is antea Benedictus de Antellio nominabatur, & poſtea ex more Ordinis prænomen mutavit, ut in Annalibus Centuria* 1 *lib.* 1 *cap.* 15 *de illo & primis ejus ſodalibus traditur.*

C b *Sanctus ab Antonio Poſſevino noſtro aliiſque inter ſcriptores recenſetur, quia commentarios aut conciones in Pſalmos poſteritati reliquit.* Injuriâ tamen temporis hæc exſtincta fuere, *ut Pocciantius in Catalogo ſcriptorum Florentinorum loquitur.*

c *Hic poſt obitum* S. Philippi *ſextus Ordinis Servitarum Generalis electus eſt (Pocciantius in Chronico conſequenter ex ſupradicta cauſa eum ordine quintum numerat) & ad propagandum Sancti ſui deceſſoris honorem varia decrevit, ut ex infrà dicendis patebit.*

d *Intellige, quod Joannes Mangiadorius in locum Ardingi præſulis Florentini* mediatè *ſucceſſerit: nam inter hunc & illum Philippus Fontana Ferrarienſis in eadem cathedra Florentina ſedit, ut Ughellus in Italia ſacra noviſſimæ editionis Venetæ tomo* 3 *col.* 119 *&* 120 *teſtatur.*

e *Hæc Apoſtolica expeditio ad Tartaros videtur poſt mortem* S. Philippi *accidiſſe, cum Raynaldus in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 1289 *num.* 62 *veroſimiliter de eadem ſic ſcribat:* Non Argon modò, ſed etiam Cobyla Chan ſummus Tartarorum imperator in Chriſtianam fidem adeo propenſus erat, ut Argonus, miſſis ad Pontificem Romanum oratoribus, Latinos ſacerdotes ad illum deſtinari flagitarit: quo nuntio ingenti gaudio perfuſus Nicolaus (*nimirum quartus hujus nominis Pontifex*) Minoritas tranſmiſit, & Chamum eſt hortatus, ut fidem, quam Romana tenet Eccleſia, amplecteretur. *Huic chronologiæ concordant Annales Minoritarum, qui ad eumdem annum* 1289 *num.* 1 *& ſequentibus legi poſſunt. Suſpicor hìc à Dalæo eamdem expeditionem indicari vel nomina regum Tartarorum confundi, eo quod hunc Tartarorum regem vocet* Cabilam, *quem Raynaldus & Waddingus* Cobilam *vel* Cobylam *appellant.* EX IMPRESSIS.

f *Quamvis Scythia olim latiùs patuerit, quam Tartaria minor, tamen hodiedum nomine Scytharum vulgò Tartari minores intelliguntur.*

g *Hanc Ordinis Servitani propagationem in Oriente penes fidem auctoris relinquimus, cum de illa nihil alibi inveniamus.*

h *Geſta & legationes hujus eminentiſſimi Cardinalis apud Oldoinum noſtrum in Hiſtoria Romanorum Pontificum & S. R. E. Cardinalium tomo* 3 *col.* 672 *& ſequente legi poſſunt.* E

i *Non ſatis fidimus iſtis Æthiopibus, ex quibus aliqui circa hæc tempora fraudulenter PP. Prædicatoribus perſuaſerunt, numeroſa Ordinis Dominicani cœnobia jam dudum exſtitiſſe & adhuc exſtare in Æthiopia, cum tamen Miſſionarii noſtri & alii Luſitani, diu in ea regione verſati, nulla horum veſtigia repererint.*

k *De geſtis & obitu hujus venerabilis viri Pocciantius in Chronico ad annum* 1266, *& Gianius Centuriâ* 1 *Annalium lib.* 2 *cap.* 14, *& lib.* 3 *cap.* 12 *fuſiùs diſſerunt.*

CAPUT VIII.

Miraculum Aretii precibus ejus patratum, & novæ leges Ordini Servitarum ab ipſo præſcriptæ.

F

II. *Cum PP. Servitæ Aretii a*

REpublicâ ita, ut diximus, apud Pontificem Clementem quartum conſtitutâ, ejuſdemque ſalutaribus monitis & benedictione animatus Philippus, Urbe vetere *a* diſcedens, Aretium iter ingreditur, ubi divina providentiâ, quæ illius operam magnis molitionibus deſtinabat, materiem ſanctitati ejus ac meritis pateſaciendis præparaverat; quò ubi pervenit, ejus loci Conventum viſitaturus, & Conventum ex inedia, & urbem ipſam ex diſcordiis redactam ad incitas invenit; nam Guelphi in ea atque Ghibellini mutuâ inter ſe lanienâ debacchantes, divina humanaque omnia miſcebant; eoque veſaniæ progreſſa partium ſtudia ſunt, ut non modò alternis internecionibus ſeſe ferro conficerent, ſed etiam flammas faceſque tectis ſubjicerent, agris corruptâ meſſe vaſtitatem afferrent, arbores frugiferas inciderent, aliiſque ſexcentis modis civilia odia in mutuum excidium omnibus barbaricæ hoſtilitatis exemplis nobilitarent. Prorſus ut arenæ larvalium furiarum inter ſe infeſtis tædis concurrentium, quàm Chriſtianæ civitati ſimilius tunc Aretium eſſe videretur.

magnâ annonæ penuriâ laborarent,

92 Ex quo; quod erat neceſſe, conſequebatur, ut civilis belli clades, ingens frugum inopia & omnium rerum caritas exciperet; cujus acer-

EX IMPRESSIS.

acerbitas eò Patres noſtros adigebat, ut ſi Deus in tempore ſuis laborantibus non affuiſſet, vel deſererent peramantem ſui civitatem, vel certè in veſtigio extinguerentur fame; quæ beato Patri eò præ aliis locis properandi cauſâ fuit. Itaque ubi ad cœnobium delatus, omnes in conſpectu habuit, & eos, ut erant exſangues & tabidi & longâ inediâ propemodum extincti, ſic ut viva quædam & vix oſſibus hærentia cadavera & manes hominum potiùs quàm homines videri poſſent, pius Pater eſt contemplatus, tam fœdo ſuorum ſpectaculo intimis ſenſibus ingemuit, & illicò de ope circumſpicienda (neque enim præſens periculum moras ferebat) cogitare cœpit.

Sanctus fusis precibus

93 Ergo more conſueto inſtrui triclinium & apparari menſas, deinde ſe omnes in eccleſiam ſequi jubet: ubi unà omnes ante auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ac Beatiſſimæ Virginis effigiem aræ maximæ, in preces affuſi, aliquamdiu tacitis & collectis in Deum mentibus orantes ſolo hæſerunt, donec Philippus, rupto illo ad flectendum Deum eloquente ſilentio, ſpiritûs exuberante fervore, in has voces erupit:

B

" Clementiſſime Deus, qui in aviis quondam ſoli-
„ tudinibus, undique deſtitutum populum tuum,
„ filios Iſraël multifariam paviſti, & extorrem E-
„ liam vatem tuum ſub junipero fatiſcentem cæ-
„ leſti cibo recreaſti, turbas ſequaces tuos incre-
„ mento miſericordium manuum tuarum in mon-
„ te ſatiaſti, militibus tuis Paulo atque Antonio
„ per corvum annonam duplicaſti, & miniſterio
„ angelorum tuorum Mariam Magdalenam pro-
„ digioſo pane nutriviſti; non committas, oro, ut
„ ſervi tui in te ſperantes fame confecti inter-
„ eant; & tu Domina Sanctiſſima cæli Regina, &
„ afflictorum Conſolatrix, per ego te lac illud,
„ quod divinitus tuo ex virgineo pectore fluxit, &
„ pavit eum, qui omnia paſcit, oro, quæſoque,
„ ne tuis, in hoc præſenti periculo, adoptivis filiis
„ deſis, quos ad hoc uſque tempus ſemper texi-
„ ſti, & foviſti ſingularibus præcipuæ in illos cu-
b „ ræ ac ſollicitudinis tuæ argumentis „ *b*.

panem cæli-tus impe-trat, ejuſ-que miracu-li plauſu

94 Nondum deſierat hæc aliaque his ſimilia in mentis abreptæ exceſſu, cùm à foribus monaſterii inuſitatus fragor velut urgente de cauſa pulſantis omnium auribus allabitur. Accurrit feſtinè janitor, fores recludit, neminem mortalium reperit; reperit tamen miſſum divinitus longo malo obſeſſis commeatum, duo bene capacia caniſtra, panibus eximii candoris plena, &

C

attonitus renuntiat, fixo adhuc in oratione Generali ac Patribus, quod acciderat. Illi cum Antiſtite ſuo & authore miraculi in gratiarum effuſi actionem, poſtquam Dei ac Beatiſſimæ Virginis benignitatem ac providentiam ſuppliciter adorarunt, menſæ iis panibus inſtructæ, quorum & ſuavitate ab longâ inediâ, & admiratione ob miraculum animis corporibuſque recreandi erant, læti ſtupenteſque accubuerunt. Neque ab eo deinceps tempore eguerunt, civitate etiam è veſtigio annonæ malignitate levata. Ejus fama miraculi cùm multis & ſecundis populi admurmurationibus vulgata, ad præſulem Aretinum, qui tunc erat Guilielmus Ubertinus *c*, perveniſſet, is, re ex officio & cum curâ exa-
c minatâ, id admirabile factum Philippi meritis ac ſanctimoniæ cenſuit eſſe adſcribendum.

ad ſedanda civium diſſidia tutitur.

95 At Philippus, perpetuus oſor cenodoxiæ, iſto in ſe applauſu contrahebatur, & in caput mali dæmonis retorquebat auræ popularis pericula; quippe cujus ſecundis flabris uteretur ad traducendum ad ſaniora conſilia melioremque mentem ipſum vulgus, quemadmodum Aretini D
ſuo bono experti ſunt: nam paulò pòſt Philippus, authoritate ſubnixus Pontificii concionatoris, & recentis miraculi famâ celebris, publicis concionibus, privatiſque colloquiis, Aretinis præſentia inſtantiaque ex diſcordiis mala ita ad vivum ob oculos poſuit, ut licet potentiorum civium aliquorum animi vindictæ adhuc cupidine tenerentur, tamen authoritate Philippi concordiæ pietatiſque fundamenta eſſe jacta appareret, quòd in poſterum vulgò multa publicæ emendationis argumenta ederentur.

III.

In Capitulo Piſtorienſi

96 Peractâ tam præclaro ad nominis Philippi celebritatem operæ pretio, viſitatione Conventûs Aretini & cæterorum, qui tum in Hetruria erant, Philippus conſtituto die Patres, quibus ſuffragandi in Capitulo ac dicendæ ſententiæ jus erat, Piſtorium convocat, ut de communi conſilio, omnium opinionibus in medium allatis, exactiores aliquæ leges conderentur; proinde exorſus ab illo Pſalmi 118 verſu, Beati immaculati in via, admirabili facundia, momentiſque graviſſimis demonſtravit, leges divinas unicum præſidium eſſe & columen hominibus Religioſis; ac proinde tametſi Religio ipſis tri- E
gintaquinque annis, ſuaviſſima charitatis lege in cordibus exaratâ, ſeptemvirorum fundatorum, prudentiaque & induſtriâ beati Bonfilii primi Generalis adminiſtrata ſit, adjunctis quibuſdam legibus ex opportunitate latis ab ſucceſſoribus Generalibus, convenire tamen magnopere, ut juſtum volumen veterum novarumque legum, ac ſalutarium ſtatutorum fiat ſub nomine Conſtitutionum Ordinis Servorum, cùm ipſe jam Ordo à ſummo Pontifice approbatus, numero hominum locorumque plurimùm auctus, neceſſario requirat formulam, quâ ſimilitudo æqualitaſque morum ac ceremoniarum ubique æquè ſervanda conſtituatur.

novas leges proponit,

97 Itum eſt ab omnibus, qui congregati totâ frequentiâ aderant, in beati Patris ſententiam, eique ipſi negotium datur ſcribendi, digerendique eas leges, ut maximè è re Religionis eſſe perſpexerit. Philippus brevi rem confectam dat, tam quòd authoritate ſummorum Pontificum Alexandri IV, Urbani IV, & Clementis IV Religioni facta jam fuerit cogendi conventus ſive Capitula & condendi leges poteſtas, tum etiam F
quòd ex longo uſu convictuque primorum Patrum ex privata ipſius, quæ ei divinitus contigit, illuſtratione, adumbrata animo ac jam penè expreſſa ejus rei lineamenta haberet.

quas ab ipſo ſcriptas acceptant,

98 Igitur paucis diebus univerſi inſtituti formulam ad certa capita redactam, digeſtamque venuſto ordine in tres partes (quarum prima de cultu divino, altera de bonarum literarum ſtudiis, tertia de aſceticorum morum decoro, & bonorum, ſiqua erant, adminiſtratione tractabat) ſuâ deſcriptam manu, Patribus ejus Capituli conſcriptis cenſendam maturaque deliberatione diſcutiendam dedit. Patres ubi eam animis manibuſque ſatis verſarunt, non modò eam ſanciverunt, ſed etiam libentiſſimis voluntatibus acceptatam in mores atque in exercitium quamprimùm ut induceretur, ſtatuerunt, tantæque ſanctitatis eæ leges ſemper ſunt habitæ, ut à morte Philippi publico decreto ſancitum ſit, ut in ſingulis Conventibus, ſingulis Mercurii ac Sabbathi diebus, ad menſam unà cum opuſculo, quod de origine noſtra idem ipſe beatus Pater conſcripſerat, legerentur, atque ad hanc noſtram ætatem, huic formulæ, magna ex parte conſti-

tutionibus

tutionibus noſtris modernis inſertæ, ſua authoritas ac veneratio conſtet.

& hinc Ordinis iſtius inſtitutor

99 Atque hoc tam feliciter obitum legiſlatoris munus (ut boni authores opinantur) aliquos primæ notæ ſcriptores in eum errorem induxit, ut putarint ſcriptumque reliquerint, Philippum Ordinis Servorum eſſe authorem ac primævum fundatorem *d*; in quo tametſi toto, ut dicitur, cælo clariſſimo errore lapſi ſint (quod ex hujus hiſtoriæ Annaliumque noſtrorum tenore conficitur) tamen excuſatione digni videntur, quod à vulgi opinione & quorumdam illius ævi ſcriptorum, qui idem non ſatis accuratè examinatum monimentis ſuis temerè inſeruerunt, in eam errandi neceſſitatem inducti ſint. Etenim, ut paſſim increbuerat, quemdam Philippum Benitium Florentinum, virum præſtanti doctrinâ ac rara ſanctitate ſuam quamdam Servorum Beatiſſimæ Virginis Religionem claritudine prædicationis, & admirabilitate miraculorum, intra extraque Italiam per varias orbis partes propagaviſſe; fama, quæ pro ingenio ſuo omnia in majus effert & creſcit eundo, ad veriſſimas atque
B ingenuas Philippi laudes decus conditæ Religionis temerè de ſuo adjunxit.

ab aliquibus perperam vocatur.

100 Nam, ut quiſque de ingentibus Religionis incrementis inaudiebat, quæ illis duobus de triginta annis (quibus ei beatus Pater præfuit) cernebantur, utque omnia omnes Philippo meritò referrent accepta, ut cujus operâ aucta novis cœnobiis, ornata inſigni doctrinâ, ſtabilita ac conſtituta optimis legibus, denique confirmata atque relata in album mendicantium Ordinum per diverſos Pontifices Religio fuerat, factum eſt, ut inumbratâ paulatim per tot decora ſeptem primorum Patrum famâ ac rerum geſtarum gloriâ, totius glorioſi operis fundati Ordinis opinio in unum Philippum invitum inclinaret. Quibus ex omnibus divina erga hanc Religionem providentia mirè tralucet: nam ut illi principium ex divino oraculo, nomen ex muto alioqui infantium ore, habitus ab ipſâ Beatiſſima Virgine, uti & regulæ præſcriptio contigit, ſic conſtitutiones ei per Virum Deo afflatum partæ ſunt, ut nullâ, niſi divinitus acceptâ parte conſtare, eam omnibus ſæculis teſtatum relinqueretur.

C

ANNOTATA.

a Urbs vetus, *Italicè dicta* Orvieto, *ſita eſt in ditione eccleſiæ vel in provincia Patrimonii, & viginti milliaribus Viterbio diſtat, ſuumque nomen toti agro Urbevetano communicat.*

b *Hæc* S. Philippi *oratio ex Thadæo Adamario deſumpta eſt, ut Gianius Centuriâ* 1 *Annalium lib.* 3 *in Annotationibus ad caput* 14 *teſtatur.*

c *Iſte Guilielmus anno circiter* 1249 *ad cathedram Aretinam evectus eſt, & modò Guelphorum, modò Ghibellinorum partibus favens, tandem anno* 1289 *in acie pugnans occubuit, ut apud Ughellum in noviſſima editione Veneta Italiæ ſacræ tomo* 1 *col.* 423 *legitur.*

d *De illo quorumdam errore ſuperiùs in Annotatis ad caput* 2 *litterâ* c *mentionem fecimus.*



EX IMPRESSIS.

CAPUT IX.

Diverſus Sancti conatus ad deponendum Generalatûs officium, publicata leproſi ſanatione & cæleſti quadam viſione impeditus.

IV. *Dum Sanctus variis modis*

JActis hiſce ac feliciter ita ſtabilitis bonarum legum fundamentis, cùm ſatis in præſentia communi rei proſpectum cautumque eſſe videretur, ut à quovis Ordo duci jam, &, obſervatâ eâ diſciplinâ, res proſperè geri poſſent, Philippus pro perpetuo ſuo in ſolitudinem amore ac latendi votis, ſeriò ſecum de abdicando Generalatu cogitare cœpit, ejuſque rei aliquoties injectâ privatim mentione, denique etiam in hoc Piſtorienſi Patrum concilio omni ope egit, ut id aſſequeretur; ac primò quidem agens jure, licere id ſibi contendebat per legem, in E omnium primis comitiis generalibus Florentiæ habitis MCCLV factam, qua integrum eſſe generali decretum fuerat, vigiliam ſuam alteri tradere, ſeque in ordinem redigere ad priſtinam privati conditionem.

dignitatem Generalatûs abdicare vult,

102 Deinde ad preces converſus, ſe ante illum omnium Patrum confeſſum humi proſternit, eoſque enixè orat, ut quod ſibi per leges liceret, id etiam eorum cum bonâ veniâ ac pace liceat; ſe jam per annum integrum functum hoc magiſtratu, periculum feciſſe corporis animique virium ſuarum, & comperiſſe tenuitatem earum tanto muneri gerendo imparem eſſe: proinde quoniam ipſorum Patrum confeſſione latis modò legibus factum ipſis ſatis ſit, vellent, annuerentque, ut qui eas leges illorum juſſu collegerit, eas primus parendo obſequendoque ſanciret; ſin aliter animati eſſent, denuntiare, ſe nullis conditionibus adductum iri, ut in poteſtate perſiſtat; habere præſidium allatæ paulò antè legis, quo ſciat, neque ſibi id fraudi, neque illis offendiculo hoc ejus conſilium eſſe poſſe. Hæc atque his ſimilia, quâ erat præditus divinâ facundiâ, cùm Philippus ingenti ſpiritu diſſeruiſſet, incredibile eſt, quanto animorum motu cunctos, F qui aderant, perculerit.

à ſuis repulſam paſſus,

103 Tametſi in re ancipiti ac repentinâ neque Deus Patribus, neque ipſi ſibi Patres defuerunt; quippe ille idem conſenſus, qui in eo deligendo fuerat, unus omnium in eo retinendo fuit; eique viciſſim conſentaneis animo vocibus, neque aſſentire ſe, palam denuntiant, neque ipſum niſi cum vitâ depoſiturum magiſtratum. Perſtitit tamen in ſententiâ Philippus, & eloquentiâ ac precibus conſumptis, lacrymas & alias rationes quantas & quàm exquiſitiſſimas ſolerti humilitatis ingenio excogitari poſſunt, flectendis Patrum animis nequidquam admovet, illis, obfirmatis ſententiis, nihil mutantibus. Ita illo die ex eo certamine Philippi humilitas & Patrum charitas, neutrò inclinatâ victoriâ, diſceſſerunt. Sed cùm Philippum interea auctiſſima tentatio ſpecioſis larvata rationibus, in omnem partem miro artificio verſaret, ac majoribus ex repulsâ incrementis recrudeſceret, in ea ſpe acquievit; fore ut per occaſionem adeundi Pontificis Maximi, inter alia, quæ impetrata volebat, hanc quoque cauſariam miſſionem impetraret.

EX IMPRESSIS.

104 Fuit ſanè hæc omnium, quæ umquam illam inconcuſſam Philippi mentem pulſarunt, facilè callidiſſima ac periculo proxima tentatio: nam & divinæ ordinem providentiæ, quæ vices ac tempora ſolitariæ ac laborioſæ vitæ divinis vocationis ſuæ inſtinctibus moderatur ac temperat, inverſum ibat & ſalutem publicam multorum, præſentemque vix nuper coaliti Ordinis neceſſitatem poſthabendam privatæ quieti ac tranquillitati, ſynceriſſimam mentita demiſſionem perſuadebat. Ac fortaſſe Philippus humanum aliquid pro naturæ imbecillitate paſſus, in fraudem fuiſſet inductus, niſi, quæ perpetuò illi vigilavit Deiparæ Virginis cura, peſſimi ſuaſoris ludibria ac vaframenta aliis atque aliis ſuavibus juxta ac mirabilibus modis diſcuſſiſſet. Eorum unus fuit, quòd, cùm dimiſſo Patrum cœtu, ſe in viam dediſſet ad Pontificiam aulam, quæ per id tempus Viterbii erat, certus ſuſcepti abdicationis conſilii, ei tabellarius ſupervenerit cum literis, quibus nuntiabatur beatus Pater Manectus in extremis verſari, quæ res commotum Philippum, cœptum iter omittere & ſe ad beatum Patrem Manectum conferre coëgit; quod à morituriente eo vehementer ipſum exſpectari, litteræ afferrent.

& inſtante P. Manecti morte impeditus,

B

105 Igitur quod retrò itineris ad montem Senarium fuit celeriter remenſus, poſtquam adventu ſuo & conveniente tempori oratione Manectum eſt conſolatus, variiſque pro utriuſque ſapientiâ ſermonibus de rerum præſentium fugacitate, & contrà de æternitate futurarum, ultrò citroque diſſeruiſſent, beatus ſenex, poſtquam quarto loco Prior Generalis Ordinem ſuum ſingulari induſtriâ per Gallias præſertim propagaſſet, ſupremum diem obiit anno Chriſtiano MCCLXVIII non ſine ſingularis ſanctitatis fama; quippe qui inter rei divinæ celebrationem, benedictione ſua habiles claudo pedes, muto vocalem linguam & ſurdaſtro aurium vitalem uſum impertiverit *a*. Sed hoc diverticulum (ut ad Philippum redeamus) diſtulit tantiſper, non diſcuſſit ſuſcepti itineris abdicationiſque conſilium; ut miraculo opus fuerit, ad convincendum Philippum, tam abjectè de ſe deque meritis ſuis & habitudine gubernandi ſentientem. Quippe revocatis in viam ſociis, beato Patre Soſteneo de Melioribus, beato Patre Uguccione de Uguccionibus *b*, & Patre Lotharingo Stufenſi *c*, (quos in hoc ipſum conduxerat, ne Pontifex difficultatem & penuriam ſucceſſorum prætendere poſſet repulſæ) cœpto itinere Viterbium ire pergit.

id à Pontifice obtinere ſtatuit;

a

C

b c

106 Ventum eſt in Senenſem agrum, cùm ecce vix ingreſſis, & inter Bonconventum ac S. Quiricum viam carpentibus, obviam ſe dat ex vico Camiliano prorepens ſenex; is, ut trahendæ miſerabili vitæ nullum cenſum, niſi in viatorum benignitate habebat, ita ad inopiam extremam elephantia *d* atque ulcera tabo fluentia, quibus vivus ac ſpirans exedebatur, velut miſeriæ cumulus accedebant: ad hæc etiam frigido atque auſtero cælo, ut tunc anni tempus ferebat, ne centone quidem lacero ſatis tegebat ſiderata tot malis membra. Hic ergo ut in conſpectum venit ita perſonatus, voce emortuâ ac lacrymabili beatum Patrem ſtipem orat; quem ille intuitus, & commiſeratione tam cruciabiliter affectæ conditionis intimis medullis diffluens, aliquantum è viâ decedit, ac detractam ſibi tuniculam ſive candidam, quam gerimus, ex lanâ interulam homini injicit; illud divi Petri ſubjungens; " Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem „ habeo, hoc tibi do „. Vix ad contactum corporis totum id donum pervenit, cùm illico defluere vitiatæ cutis fœtentes ſquamæ, coaleſcere ac toto corpore evaneſcere ulcera, redire vis vigorque emortuis membris, ac toti denique corpori ita reſtitui color calorque vitalis viſus, ut veſtigium nullum in homine deterſæ modò elephantiæ ſupereſſet.

ſed ſubita leproſi ſanatione,

d

D

107 Mendicus tam cumulatæ felicitatis ac beneficentiæ miraculo in ſtuporem datus, ſublatis in cælum voce ac manibus, ſine modo & ordine, jam Dei clementiam adorat; jam extemporalis medici ſui genua præhenſans: eum verò divinum hominem ac cælo ſibi delapſum deprædicat. Et quamquam ſeriò increpitum, abſtinere intempeſtivis acclamationibus, ac ſoli Deo gloriam ejus facti, in quo nihil de ſuo agnoſceret Philippus, juberet; ille recentis beneficii gaudio amens, abalienato à ſenſu eorum, quæ jubebantur, animo, tantò valentiùs miraculum, cum Philippi perplexâ anxietate ac rubore ſtentorea voce ingeminabat. Cùmque per id omne iter neque avelli neque abigi poſſet, quin ultrò ſe gratitudinis ergò Patrum obſequio manciparet, omnia illa compita, per quæ iter Viterbium fuit, in concurrentium eo ciente hominum circulis & juſtis propè concionibus, admirabilis facti fama complevit: ut quantumvis ad deponendum honorem properaret Philippus; fama tamen rei geſtæ illius adventum Viterbium antevertens, majoribus, quàm abdicare volebat honoribus illum involveret. Nam Pontifex ubi ſupervenit, accedente ad veteris exiſtimationis prærogativam comperti hujus prodigii fide, ſummâ eum in veneratione atque in amore habitum, quæ confecta vellet, cum Cardinale Protectore, cuncta ad ſe cum fide relaturo, conferre juſſit.

qui ubique miraculum promulgarat,

E

108 Id eo impenſiùs celeriuſque ſibi faciendum Philippus cenſuit, quòd odoratus ex inſolitis procerum ejus regiæ honoribus ſibi exhibitis, proditum ſe ac circumventum famâ miraculi recentis videret. Ut exire poſſet eos omni ignominiâ moleſtiores applauſus, reductis breviter ad duo capita negotiis, Cardinalem perurgebat; primo, ratas haberi à Pontifice factas nuper conſtitutiones orabat; altero haud paulò enixius petebat, ut Generalatu ſe abdicare atque eam provinciam alteri tradere bonâ ejuſdem Pontificis veniâ liceret. Cardinalis, auditis perbenignè ac libenter ſuo more iis, quæ ab illo diſertè & cum ſpiritu in medium afferebantur, utrumque petitorum caput Pontifici proponendum amplectitur; etſi ad alterum, quod de abdicatione erat, & quod Philippus maximè illi commendabat, non ſatis inclinaret; ſolitis inter ſe habitis honoribus diſcedunt, deciſione totius rei in colloquii Pontificii diem dilatâ.

moras tradere juſſus,

F

109 Sed Philippo non tam corroborandarum legum, quam abrogandi ſibi imperii ſpe læto, viſum eſt conditrici, & columini familiæ Servorum ſuorum Deiparæ, iſtud mali dæmonis commentum, quo jam diu Servorum maximum Philippum in rei communis perniciem infeſtaverat, memorabili oſtento disjicere; ſiquidem ea nocte, quæ diem colloquio Pontificio dictam præceſſit, viſus eſt ſibi per quietem Philippus alterum lacertum à corpore, cum ingenti doloris ſenſu, ſuâ manu truncare cœpiſſe: & quo minùs id egerit, auguſtâ ac venerendâ ſpecie viraginem opportunè ſupervenientem obſtitiſſe; quo ominoſo inſomnio conſternatus, ubi evigilavit & ſuſpen-

tandem ex viſione quadam intelligit,

A ſuſpenſo animo id ſomnium de illorum genere eſſe, quæ non de nihilo objiciuntur dormientibus, haud vanè conjectans, rem omnem ad collegam Lotharingum ordine refert.

hanc eſſe dæmonis tentationem,

110 Is eodem ſe ſpectaculo eâdem nocte turbatum affirmat, & cum in ea mutilatione Philippi vices graviſſimè doleret, à Beatiſſima Virgine certiorem ſe eſſe factum, hoc oſtento ſignificari abdicationem, cujus conſilia ſecum Philippus agitaret; quod quid aliud eſſet, quàm medio in opere velut truncam ab reliquo corpore dextram, cum ſummo publici privatique boni detrimento, ceſſare ac jacere inutilem? Videret igitur pro ſua ſapientia, quid ageret; caveretque, ne aſtus hic aliquis cacodæmonis in inſidiis ſit, qui ſub quietis & humilitatis inanibus nominibus ſocordiam ac perniciem publicam machinetur. Itaque magnopere convenire, ut memor vocationis ſuæ ad Ordinem primævæ, memor ſecundæ ad Ordinis gubernacula; memor denique rerum adhuc illo duce feliciter ſuccedentium; ſumpto novo animi impetu, contra omnes difficultates, Deo ac Deiparâ Virgine auſpicibus, B audentiùs fidentiuſque vadat. Hiſce atque aliis multis rationibus, & ipsâ Lotharingi authoritate & conſenſione maximè eorum, quæ ſecundum quietem ea nocte uterque vidit, victus tandem Philippus, datis, quas paulò ante truncatum ibat, manibus, in poſterum deferendæ dignitatis voluntatem, perſpectâ quæ ſuberat fraude, commutavit; effecitque, ut magnis auſis & victoriâ, quam ſpe jam devoraverat, adverſus noſtrum Marianum manipulum callidus hoſtis excideret.

ut exemplo S. Ignatii de Loyola

111 Hic idem aut illo certè nequior aliquis inveterator cacodæmon Patrum aut avorum memoriâ ſibi depopoſciſſe videtur, affini ac prorſus germano pugnæ genere, divum Ignatium Societatis Jeſu conditorem; ſed pari operæ pretio: nam cùm vir ſanctus Societatis, cujus ſecundum Deum auctor fuerat, ut erat par, creatus eſſet præpoſitus Generalis, & ille humilitatis ac privatæ ſortis amore occupatus, nihil ejus dignitatis vel ad aures vel ad animum admitteret, ipſe quoque, pulſi illius meritis ex obſeſſo corpore maligni hoſtis miraculo refutatus eſt: cumque rurſus, ut Philippus noſter, ſanctiſſimis legibus Ordinem C ſuum conſtituiſſet, defunctum ſe ratus abdicandi magiſtratûs difficultatibus, vacationis apud ſuos perferendæ actionem reſumpſit; ſed quam id tunc Deo cordi non eſſet, Patrum omnium communis conſenſus, quo juſſus eſt omnia alia cogitare, & acceſſiones toto orbe terrarum ductu atque auſpiciis Ignatii ad clariſſimam ac florentiſſimam Religioſam ejus familiam factæ docuerunt, & docent hodieque, ingenti rei Chriſtianæ bono *e*.

e

& ex ſententia S. Auguſtini

112 Quod non ingrato, ut opinor, lectori diverticulo commemorare volui, ut appareat, quibus anfractibus divinus rerum ſalutarium Architectus mirabilium operum ſuorum ac molitionum lineas ducat; quantumvis illi ipſi, quibus operis atque adminiſtris utitur, occultorum ejus ignari judiciorum, actique ſpecioſioribus vero privatæ ſalutis atque quietis rationibus, exire injuncta ſibi munera nitantur. Qua in re divus Auguſtinus perbellè deſcribit æquabilitatem, quâ inter Eccleſiæ neceſſitates & honorum ambitum neutrò impingens animus ſibi conſtare debeat; eóque in ſimili æſtu fluctuantibus certam monſtrat cynoſuram, ad Eudoxium in hæc verba ſcribens: " Si quam operam veſtram Mater Ec-
" cleſia deſideravit, nec elatione avidâ ſuſcipia-
" tis, nec blandienti deſidiâ deſpuatis; neque o- EX IM-
" tium veſtrum Eccleſiæ neceſſitatibus præpo- PRESSIS.
" natis, cui parturienti, ſi nulli boni miniſtrare
" vellent, quomodo naſceremini, non invenire-
" tis ".

biographus probare nititur.

113 Ex quo ſanè conficitur, quantum periculi ineſt honoribus ultro affectatis, tantumdem præſidii Eccleſiæ Dei ad edendos in veram lucem partus ſuos ſitum eſſe in verè ſincereque modeſtis præſulibus; non illis, qui, ut idem loquitur Auguſtinus, FLUVIUM RESPUUNT, ET MARE SITIUNT, dum fucatâ humilitate obſcuriorum eccleſiarum ac dignitatum potabiles atque dulces latices faſtidiunt, falſæ verò & aucturæ ſitim marinæ impudenti æſtuant cupiditate. Eluſo igitur (ut cœptam ſeriem proſequamur) hoc hoſtis Servitani nominis dolo, reſtabat, ut pro officio confirmationem novarum Conſtitutionum Philippus ſolicitaret: ſed interceſſit ei rogationi inopina mors Pontificis Maximi Clementis quarti, qui illis diebus, feſſâ ætate & afflictâ moleſtis morbis valetudine, penè repentè ſupremum diem ſanctè ac piè obiit x Kal. Septembris, anno à partu Deiparæ noſtræ ducenteſimo ſexageſimo octavo ſupra milleſimum. E

ANNOTATA.

a *Etiamſi Poccianti us in Chronico ad annum Chriſti* 1268, *ſive pag.* 50 *& ſequente ſimilia de R. P. Manecto vel Manetto narret, tamen à titulo* beati *abſtinet, quem tamen meretur, ut jam ſæpe monuimus.*

b *Hi duo fuerunt ex ſeptem primis Ordinis Servitani conditoribus, de quibus infrà rurſus agetur, quando mirus utriuſque obitus narrabitur.*

c *Præclarus ille vir cognominatur* Stufenſis *à patricia ſua familia Florentina, ut ſuperiùs ex cap.* 7 *colligi poteſt.*

d Elephantia *vel* elephantiaſis *eſt ſpecies lepræ, quæ nomen nacta eſt ex eo, quod cutis ægroti corio elephantis perſimilis videatur, ut Caſtellus in Lexico ſuo medico ad vocem* elephas *exponit.*

e *Hæc res in Vita S. Ignatii de Loyola, quam die* XXXI *Julii in Opere noſtro illuſtravimus, tomo* VII *iſtius menſis pag.* 735 *&* 761 *narratur.* F

CAPUT X.

Fuga Sancti in aviam ſolitudinem, ne eligeretur Pontifex Romanus, & ibidem ſalutifera balnea precibus ejus è ſaxo producta.

Cum Sanctus reſumpſiſſet Generalatûs officium,

INterea elephantiacus à Philippo curatus, cùm, ut paulò antè meminimus, in omni circumvicinia urbis Viterbii totoque Senenſi agro præconem ſtrenuè egiſſet, ac buccinam ſanctitatis Philippi deprædicando, quod in ſe contigerat, miraculo medicum ſuum Viterbium ſequutus famam facti, quæ adhuc recens erat, in animis procerum, qui tum in illa urbe agebant, recentiorem fecit ac celebriorem, cùm ſemet præſentem exhibuit & ſolito ſuo inſtituto concionabundus regionatim per civitatem, quid ſibi à Philippo Servorum Generali contigiſſet, lætus

EX IMPRESSIS.

vegetusque divulgaret. In quo etsi Philippo, cujus hinc nomen tota urbe clarabatur, ægrè faciebat, tamen discussa jam depulsæ nuper tentationis nube, cogitationes suas à sensu ejus molestiæ traduxit ad Ordinis curam, quam de integro ac velut de novo resumpsit, & quidquid alii dicerent cogitarentve, ille id seriò agebat, ut res Ordinis publica favoribus ac privilegiis Apostolicæ Sedis amplificata stabiliretur. Qui conatus ejus ac studia haud mediocriter promovebantur propensâ in ipsum & secunda Pontificis voluntate reliquorumque procerum benevolentiâ.

Clemens IV Papa moritur

115 Verùm ita illo rerum gerendarum expeditionibus designandis adumbrandisque salutaribus ad id, quod agebat, momentis intento, summus Pontifex moritur. Is insperatus casus, ut Philippi designationes retardavit, ita in universa Republica Christiana ac præsertim in senatu Cardinalium initium novis motibus varietatique voluntatum dedit: nam sub idem tempus etiam in bello, quod cum Frisiis gerebat, desideratus est imperator *a*; atque ita orbo orbi

a

B Christiano, utriusque parentis elatis funeribus, in summa rerum omnium perturbatione parentandum fuit. Ac Sedi quidem Apostolicæ pro cæterarum difficultatum auctario malè extinctum diris non ita pridem devoti Friderici imperatoris odium ad adventum in Italiam ex

b Germaniâ Corradini *b* recruduit, multisque defectionibus ac res novas molientium tumultibus materiem subministravit.

in summa temporum perturbatione,

116 Ad hæc hæresis (ut gaudet turbatis temporibus ea pestis) variis se per Italiam locis intrudebat, quamquam non defuerint, qui se illi irrumpenti strenuè opponerent. Inter quos palmam tulit laudis ac martyris S. Petrus Martyr Ordinis Prædicatorum, de Religione nostrâ Servorum sub ejus, ut alibi diximus, primordia præclarè meritus; itaque hisce motibus, suis exciti sedibus facilè primi Europæ Principum Viterbium hujus interegni tempore, convenêre, ut Philippus Galliæ, & Carolus Siciliæ ac Neapolis Reges. Item Henricus Britanniæ princeps, cæteri Reges Principesque, qui adesse domesticis impliciti difficultatibus non poterant, frequentes oratores miserunt. Porrò tot externa universalis Ecclesiæ mala, uno domestico atque intestino eoque palmari cumulabantur; incredibili

C videlicet, & quæ diu tenuit, varietate studiorum ac voluntatum Patrum in deligendo Pontifice: eique incommodo præter cætera vel inde plurimum diuturnitatis accedebat, quòd ea ætate, secus ac nostrâ, mos erat aperto loco ac publicè ea commitia celebrari.

& S. Philippus audiens,

117 Hîc ergo aliis alios ad Pontificium fastigium nominantibus, Cardinales Otthobonus Ordinis nostri Protector, & Octavianus de Ubaldinis, & horum sequuti authoritatem plerique cæterorum Patrum purpuratorum, Philippum proponunt; rationem consilii sui ac sententiæ in beati Patris summâ prudentiâ, eximiâ doctrinâ, ardenti zelo, & quod caput est, in prodigiosâ sanctitate, cujus recens argumentum oculis sese adhuc atque animis ingerebat, fundantes. Quæ, ut agebantur in loco aperto atque in multorum mortalium frequentiâ, facilè eorum, quæ tractabantur, rumor per urbem manavit: qui, ut talis ad Philippum quoque pervenit, suprà quàm credi potest, illius animum affecit; nam, ut erat veræ ac genuinæ humilitatis tenacissimus, ita honorum culmina de vertigine ac gravioribus lapsibus semper suspecta habuit, & facilè intellectu D est, quis mentis ejus status, hoc audito nuntio, fuerit. Nam qui ad dignitatem Generalatûs, tantò Pontificiâ majestate inferiorem, & initio cohorruit & eam aliquamdiu degustatam tantâ nuper contentione abdicare voluit, ut ostentis divinis ac terriculamentis in officio diutiùs continendus fuerit; quanto terrore omnium in terris summam celsitudinem eum esse contemplatum censebimus?

se ab aliquibus ad Pontificatum designari,

118 Obversabatur præterea sagacis viri animo misera temporum illorum ac rerum facies, glisscentium hæresum atque invalescentium violentia, morum corruptela, Principum Christianorum dissidia, & politicorum (ut vocantur) RATIO STATUS, humana omnia divinaque privatâ suâ utilitate metiens, & per id ævi omnia obtinens: quo fiebat, ut collatâ tum tenuitate suâ, & vitæ ab ineunte ætate susceptis rationibus tantâ rerum mole, subductis in utramque partem argumentis, omnia alia quàm Pontificatum admittere inexorabili decreto statueret. Et quoniam verebatur, ne post eò progressa horum procerum studia, vi, quod fit, collocaretur in E Pontificio solio, ad Cardinalem Protectorem accedit, eumque vehementer orat monetque, ut cœptis absistat, & tractata pro suâ prudentiâ & curâ retractet; tum velut rogatæ operæ pretii loco, spiritu prophetico Cardinali vaticinatur, ipsummet brevi ad Pontificatum evehendum, sed brevi atque exiguâ tantæ dignitatis vitæque usurâ, vitam finiturum; quæ omnia exactè evenerunt: mortuo enim Innocentio quinto suffectus est Otthobonus, sub Hadriani V nomine, anno ab allatâ salute MCCLXXVI; nec in Pontificatu diutiùs, quàm unicum mensem vixit.

quamvis non esset Cardinalis,

119 Mirum fortasse minùs æquis rerum æstimatoribus minusque historiarum peritis videatur, qua fieri potuerit ratione, ut Philippus, qui Cardinalis non esset, Pontifex potuerit designari. Quos hoc loco ad scriptores remittimus, à quibus discent Urbanum, Alexandri IV successorem, non fuisse Cardinalem. Post hunc minimo minus abfuit, quin factus fuerit Pontifex P. Joannes Vercellensis, Ordinis Prædicatorum Generalis; cujus loco, habitâ absentis ratione, Pontifex factus est Guido Fulcodius præter omnem spem suam. Eugenius item Triumfontium abbas Cistertiensis, Urbanus V abbas itidem Marsiliensis; Clemens V ex archiepiscopo Burdigalensi; præterea Urbanus VI & Cælestinus V ex anachoreta, omnia alia cogitans, transmisso gradu Cardinalitio, sine purpureis galeris Pontificiam tiaram induere jussi, Pontificatum adierunt, velut eo digni Patrum designatione, ut Philippus noster, penè initiati sunt. Et quod ad rem quidem attinet, si quis conjecturis & imaginum ac statuarum monumentis locus est, ubi de veritate constat historicâ; tergeminam coronam Pontificiam, quam vulgò REGNUM MUNDI appellant, ad exprimendum, quod à capite repulsa fuerit, ad pedes Philippi pinxit, sculpsitque illa antiquitas, & mediæ ad nostram usque ætates: ut argumento sunt perantiquæ hujusce rei memoriæ; adeò fugientibus etiam, ut corporibus umbra, quo-

fugit ad avias montis Tunmati silvas,

quo modo honos inhæret.

120 Verùm ut eò, unde huc digressa est, revertatur oratio: ubi advertit Philippus, non modò frustra fuisse, quæ Cardinali Protectori à sententiâ dimovendo attulerat, sed etiam illum inter & reliquos Cardinales, susceptum ejus inaugurandi negotium gnaviter ac studiosè pertractari;

A ri; consilium sumit dignum Philippi humilitate: quippe nocte intempestâ, nemine ex illis Proceribus qui obstare possent salutato, clàm Viterbio, nullo nisi Lotharingo collegâ, & socio uno fratre Victore conscio, fugam init *c*; commendatâ Lotharingo Religione, datisque mandatis, ut nulli indicium, ubi ipse loci sit, ederet, utque novas leges in mores atque usum induceret, ac diem comitiis octavum Kalendas Julias Florentiæ habendis ediceret; quibus se affuturum pollicetur, ubi præsens in illum studiorum mota procella deferbuisset. Constitutis ita, quoad fieri poterat, à properante rebus; ad montis Tunniati sylvas, in eo, ut censebatur, periculo pro asylo futuras, citatâ celeritate sese in viam conjicit. Ita exclusi conatibus suis fautores Philippi, alios atque alios haud pari deinceps concordiâ respicere cœperunt. Quod mihi factum reputanti, ut quidem non inficior, ingenti gloriæ esse cæteris Mendicantium familiis, Nicolaos, Benedictos, Alexandros, Innocentios, Pios, ac Sixtos summos ex gremiis suis Ecclesiæ Pontifices dedisse; ita accessus ad illorum gloriam magnus esse videtur, Ordinem Servorum, B humilitatis Dominæ suæ æmulum Patrem habuisse atque habere etiamnum inter cælites, qui mentis altitudine supremæ in terris dignitatis fastigium infra virtutem animi relictum superarit.

c

ibique tribus mensibus later in abdito loco,

121 Philippus interea optatas ad latebras suas delatus, recognitâ inter illa lustra specie antiqui spelæi sui in Monte Senario, renovatâ, ut Davidica aquila, juventâ, eamdem vel paulò ardentiorem contemplationis rerum divinarum contentionem exorsus, præter cæteras corporis afflictiones eam vitæ rationem iniit, invitantibus ad similes lautitias, quæ tunc erant, quadragenarii jejunii feriis, ut herbis tantùm agrestibus, & exiguo pane, quem accolæ rusticani subinde afferebant ac gelidæ haustu vitam parcissimè toleraret. Sed videlicet inter illa inculta sylvarum, & aspera inhospitalium scopulorum beabatur, quoad fieri poterat, in mortali corpore animus, æternæ felicitatis delibatione & Filii Dei intuitu, qui in excessibus mentis unà cum sanctissimâ Matre Anachoretæ suo sæpe intervisendo, liberaliter sui copiam faciebat modis talibus, quibus exprimendis, quidquid in humanis ingeniis picturatæ eloquentiæ est, necessariò succumbat. C

cujus memoria hactenus honoratur.

122 Visitur adhuc hisce temporibus in eâ solitudine ad primam Tunniati montis acclivitatem planitiuncula, in qua sita est sacra B. Philippi ædes, nec procul inde in solitario recessu inter porphyretica saxeta cellæ duæ, à quibusdam Ordinis nostri Patribus vitæ solitariæ studiosis restauratæ, conservandæ Philippi memoriæ causâ, qui primus ea loca incoluisset. Ex his unus fuit beatus Pater Benincasa Florentinus, qui anno MCCCCII illius latibuli secreto se includens, cùm annos omninò quinque & viginti in eo sanctissimè traduxisset, ex longa vigiliâ ad æterna festa vocatus est, collectâ non exiguâ sanctitatis opinione. De eo præter illa, quæ conscii viri sanctimoniæ latebris illis conteguntur, memoriæ est proditum, quod signo S. Crucis energumenum stygio inquilino liberarit, & sub mortem ejus templorum campanæ sponte sua concrepuerint; eoque factum est, ut orto inter convicinos populos de funere ejus deducendo habendoque cadavere litigio, in id arbitrii utrimque convenerint, ut junctis ad plaustrum, quo sacrum pignus vehe-

retur, duobus nullo domitis jugo juvencis, ei demum populo sarcina cederet, cujus ad fines, nemine agente, boves duxissent: qui sibi permissi rectà ad Montichiellum duxerunt, ibique sacræ reliquiæ honorifico illatæ conditorio locum sepulturæ ac venerationis invenerunt *d*. *d*

EX IMPRESSIS.

Inde autem discessurus,

123 Tribus ergo mensibus in hac solitudine exactis, appetente comitiorum tempore, cùm discedere pararet Philippus, insolita illum divinitus immissa incessit cupido aliquid pro hospitii cæterorumque beneficiorum gratiâ, loci incolis accolisque in vicem reponendi. Et id verò non solùm munificè, sed mirabiliter etiam, quò sanctitas ejus clariùs proderetur, per eum Deus præstitit, ut ex memorabili eventu miraculi sequentem in modum patuit.

VI.

precibus suis è saxo salutares elicit thermas,

124 Priùs igitur, quàm relicto Tunniato, Philippus comitiis præfuturus, iter Florentiam ingrederetur, divino, quo agebatur spiritûs impulsu, eum conscendit collem, qui nunc hujusce, de quo agimus, fontis caput, & salubrium istarum undarum scaturigo est. Ibi, posteaquam præfervidas in preces aliquamdiu incubuit, quas ex responso vitæ, quod intus atque in animo sentiebat, exauditas esse cognoverat, velut alter Moses, versus cum ingenti fiducia ad proximum saxum; percussumque, quem fortè manu gerebat scipione, Dei imperio, incolarum, advenarumque bono, vomere aquas jubet. Dictum, factum. Petra velut in undas eliquata, non modò largifluos, sed præditos etiam vi medicâ latices copiosè profudit; qui deinceps thermas Tunniati montis, & sanctitatem ac fidem Philippi, ad æternam posteritatis memoriam nobilitarunt. E

quarum efficacia & situs describuntur,

125 Equidem si pro connexione & cognatione hieroglyphica, quam cum divinâ gratiâ aquarum natura atque affectus habet, digredi nos hoc loco fatigandi lectoris verecundia pateretur, non injucundâ, ut opinor, catastrophe hic adduceretur in medium admirabilium rerum varietas, quam aquæ ministerio divina sapientia designavit. Verùm, ut ab instituto non abeamus longiùs & cætera taceamus, hujus certè elementi operâ eadem Dei sapientia videtur peculiari quadam ratione ad clarandum Philippi nomen & solitudinis amorem uti voluisse. Ita primum secessum ejus in montem Senarium, ita hunc secundum, in Tunniatum, elicitis utrobique perennibus fontibus, omnium sæculorum memoriæ commendavit, ac velut per apta quædam symbola victam iis in locis vitæ puritatem perennitate donavit. Cæterùm quod ad ipsas attinet aquas, sciendum est eas in origine suâ dulces atque potabiles esse; at ubi templum juxtà sitùm (occultis hiulcæ terræ meatibus resorptæ) subierunt & per passus ferè centum sulphuris, nitri, calchontidis, atque aluminis mineralibus miscuêre sese, ut eorum tinctæ contagione desinunt potari posse, ita tantò lavantium usui salubriores fiunt. Denique per flexuosos ac subterraneos tractæ meandros, indidem, unde jussu Philippi scaturivêre, profunduntur copiosâ aquarum scatebrâ, quæ subjecto excipitur cratere denùm ferè cubitorum symmetriâ, quæ tamen capacitas temporum injuriâ arctior est facta fæcibus, quas fæculentæ vehunt aquæ, in candidum ac porosum pumicem concrescentibus. Inde redundante conchâ, effusus per declivia collis latex, incertis ac variatis subinde alveolis, in plures spargitur rivos, quos tamen unum ad caput collectos balneatores per artificiosum tubum F

EX IMPRESSIS.

derivant ad fontem ſitum in viculo quodam, ubi ægri lavant. Cæterùm religione & harum ſalubritate aquarum ductus Sereniſſimus Coſmus I, Magnus Hetruriæ Dux, novis operibus, veteribus quoque reſtauratis, grandi eas impenſâ meliorem in modum muniit.

& ex veteri Chronico

126 Atque ut omittamus opinionem quorumdam, qui has aquas confundunt cum iis, quæ ex vetuſtæ urbis Roſellarum ruderibus eruperunt (qui tamen locus totis viginti milliaribus diſtat Tunniato) tametſi cæterâ luce hiſtoriæ deſtituerentur, quæ fidem rei, quam agimus, abundè facit, par eſſet acceptæ per manus aliquot ſæculorum memoriæ incolarum credi, qui præter hanc avorum atavorumque authoritatem pervetus etiam manu ſcriptum Chronicon monſtrant, quod agreſti ſynceritate germanam harum originem aquarum luculenter in hæc verba prodit. "Balnea S. Philippi id cognomen „ ſortita ſunt à B. Philippo Ordinis Servorum „ Florentiæ ex Patritia Benitiorum familiâ o- „ riundo, qui, cùm eſſet ejus Ordinis Genera- „ lis & vir cùm ſanctitate tum doctrinâ illuſtris, B „ & anno Chriſti MCCLXIX mortuo Clemente IV „ Pontifice Narbonenſi, parùm inter Cardinales „ de ſufficiendo ſucceſſore conveniret, à multis „ ex illis Pontifex eſt renuntiatus; ſed ille pro „ magnâ ſuâ humilitate tam magnam vitaturus „ dignitatem, cum aliquot ſociis occultus in „ Tunniatum Senarum fugâ pervenit. Ubi cùm „ aliquamdiu ſanctè ac ſolitariè vixiſſet, de- „ mum cùm diſceſſum ad ſuos fratres pararet, „ orationibus à Domino obtinuit, ut ex loco „ quodam quartâ milliaris parte ab eremito- „ rio ejus diſſito, ægris ſalubres aquæ ſcaturi- „ rent, quo obtentò & ingenti, quod in ſum- „ mo colle erat, ſaxo ter ſcipione percuſſo, „ ſubitò ea vis aquarum exilivit, quæ has ther- „ mas conſtituunt. Ex quibus apparet, hiſce ther- „ mis divinitus, ut aliis ab naturâ, originem con- „ tigiſſe,,. Hactenus Chronicon.

aliiſque auctoribus confirmantur.

127 Porrò, quod ad ipſas medicas aquarum vires atque efficaciam attinet; præter ipſorum balneatorum teſtimonia, ſaluberrimas eas eſſe, multi graves ſcriptores monumentis ſuis teſtatum reliquerunt: & cum primis Andreas Baccius, & Elpidianus in opere, quod de thermis & balneis Sixto quinto ſummo Pontifici inſcripſit, in C quo ita cenſet, has thermas inſitâ quadam tum divinæ gratiæ, tum naturæ miraculo, medendi præſtantiâ & compendio facilè reliquas omnes Italiæ thermas antecellere. Certè ex eorum prodigioſa productione & bonitate ingens ad Philippi gloriam acceſſio eſt facta: & valent hodieque, ad ſummam venerationem ejus apud convicinos loco populos; de qua veneratione totis jam tribus ſæculis nihil remiſerunt. Sed Philippus interim, flagrante recentis facti applauſu, famæ ceſſurus, vitatâ publicâ viâ & Senarum civitate ipſi alioqui addictiſſimâ, tum aliis locis, ubi noſceretur, per occulta callium Florentiam profectus eſt, editis in uno miraculo pluribus: certè enim ſi quis rei totius geſtæ ſeriem ex vero & juſto ac non vulgi opinione æſtimet, clariora prodigia ſunt, reſpuere ſummam dignitatem, evitare populorum effuſa ſtudia ac propè divinos honores, quàm ex ſcopulo undas evocare. Ita nobiſcum cenſuit optimus harum rerum æſtimator divus Chryſoſtomus, cùm liberè pronuntiavit, temporalium bonorum contemptum aliis miraculis eſſe mirabiliorem.

D

ANNOTATA.

a *Hìc videtur indicari Guilielmus rex Romanorum, qui in expeditione bellica adverſus Friſios interfectus eſt, ut Raynaldus in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 1256 *num.* 1 *tradit. Sed non videmus, quomodo biographus eadem hujus imperatoris vel regis cum morte Pontificis conjungat, & utriuſque obitum* ſub idem tempus *contigiſſe affirmet.*

b Corradius *vel* Conradinus *ille Italiam invaſit; ſed à Carolo rege captus, ſententiâ capitis damnatur, ut in Annalibus eccleſiaſticis Raynaldi ad annum Chriſti* 1267 *num.* 1 *& ſequentibus fusè legi poteſt.*

c *Hæc fuga ſummæ dignitatis Pontificiæ in hodierna Martyrologii Romani annuntiatione etiam refertur, ut ſuprà in Annotatis obſervavimus, & illuſtriſſimus Fontaninus in Codice canonizationum poſt exhibitam Bullam canonizationis pag.* 547 *circa eamdem ſupremæ dignitatis detrectationem notat ſequentia:* Modus, quo Vir Dei ſermonem de Pontificatu ineundo ſibi factum ab E Ottobono Cardinali de Fliſco modeſtiſſimè declinavit, in conſtitutione explicatur ex veteribus commentariis ſive proceſſibus, fide integra de Philippi ſanctitate congeſtis, ac Romæ in examen adductis; quos nondum typis vulgatos nos ipſi verſavimus.

d' *Pocciantius in Chronico ad annum Chriſti* 1426 *de hoc P. Benincaſa Florentino honorificam mentionem facit, quæ quodammodo innuit, illum publicè coli ac titulum* beati *promereri; ſed hac de re judicium Sedis Apoſtolicæ exſpectabimus, cum præſertim ipſe Philippus Ferrarius, qui in Ordine Servitarum floruit, in Catalogo Sanctorum Italiæ nullum de venerabili iſto viro verbum faciat, propter quod ſilentium ſuſpicamur, illum P. Benincaſam numquam publico vel legitimo cultu honoratum fuiſſe, quamvis cum magna pietatis fama obierit.*

CAPUT XI.

Geſta Sancti in itinere, quod ex Italia in Galliam & Germaniam inſtituit, & in reditu mira Dei erga ipſum providentia. F

VII. *Celebratis Florentiæ comitiis,*

POſtquam hiſce itineribus, nobilitato in perpetuum Tunniato, Florentiam perventum eſt, convocato Patrum cœtu, Philippus concionem habuit ſuper illud Pſalm. LXXXVI: Fundamenta ejus in montibus ſanctis. In eâ, ubi regnum cælorum ac civitas Dei, in militante lateat Eccleſia, & quo ductu ac diſciplina aſceticæ militiæ pugnatores, ac præſertim jurati in obſequium Deiparæ Servi, obire munera ſua & ad cælum niti debeant, cùm fæliciter & vehemente, quo æſtuabat, à recente ſolitudine ſpiritu (ſubjectâ ſuaviſſimâ apoſtrophe de beatiſſima Virgine deque præſente ejus in ſuos curâ, ac tutelâ) expoſuiſſet; ordinatâ pro tempore cæterâ Republicâ, comitia ſolvit. Hic Conventus Patrum primus fuit, in quo rogatæ nuper in Piſtorienſi Congregatione leges perlatæ ſunt, ac vim uſum-

A sumque confirmatarum habere jussæ, quoad opportuno tempore authoritas illis Pontificia accederet; tum quatuor Diffinitores singulis præfecti provinciis, atque ipsa provincialia Capitula instituto hodierno celebrari cœpta.

Sanctus in Galliam discedens, a

129 Convocatis dehinc privatim Patribus, Philippus necessitatem proponit profectionis suæ extra Italiam ad visitanda, quæ illic essent cœnobia, ex præscripto decreti Capituli generalis ad Burgum S. sepulchri *a*, anno Christi MCCLXII celebrati; præterea se eódem vocari ab injuncto concionatoris Apostolici munere. Tum datis monitis ac mandatis, quæ res tempusque exigebat, in socios itineris ex omnibus deligit beatos Patres Rocoverum Uguccionem & Gherardinum Sustenium *b*, quos solos ex numero septem primorum Patrum superstites, qui per ætatem tolerare labores possent, vicarios Generales cæteris nationibus destinaverat; deinde his succenturiat duos alios, Germanum, Gallumque, qui vel non ita pridem erant sacris nostris initiati vel missi à suis, ut illi generali concilio interessent, & quoad ejus fieri posset, evocatum Generalem linguarum viarumque peritiâ deducerent. Ii fuerunt P. Gualterus Theutonicus & P. Joannes Franciscus. His sociis addito F. Victore, indivulso beati Patris comite, cùm P. Lotharingum Vicarium suum interim in Italia nominasset, & magno charitatis sensu cunctis valedixisset; seque, illisque, & causâ itineris, D. Virgini Annuntiatæ commendatis, unà Bononiam iter auspicantur, quò ubi, superatis non sine defatigatione Pyrenæis montibus *c*, pervenerunt; visitato, quod illic ab anno Christi MCCLXIII fundatum erat, fratrum domicilio, Mutinam versus cœptum iter prosequuntur.

b

B

c

in via repe-rit blasphemos aleatores,

130 Erat anni tempus, quo sub ortum caniculæ solis ardoribus omnia torrentibus periculosa per Italiam ac laboriosa esse solet itineris conficiendi ratio: ea tamen morari Philippi ac sociorum cursum non potuit, quin flagrante etiam meridie pulverulentam viam carperent, quoad misertus sociorum Philippus, eos ambulatis aliquamultis milliaribus, aliquâ parte quietis, æstu ac lassitudine debilitatos, recreare voluit & opportunè oblata est in patente æquore patulis diffusa ramis ulmus, quæ gratâ umbrâ & frigidulæ auræ susurro, velut invitabat ad acquiescendum viatores; huc cùm Patres subeunt, inveniunt collectum ibi ex fæce & colluvie hominum manipulum aleatorum scortorumque & viatoribus imminentium prædonum; qui eum locum omnium scelerum & impietatum stativis ceperant. Hi pro similium videlicet hominum licentiâ, novos hospites virulentis probris ac sannis excipiunt, quæ Patres tamen pro exaggeratæ mentis constantiâ facilè transmittebant, refutabantque modesto silentio.

C

d

quos graviter increpat,

131 At ubi nefarii homines in Fescenninas *d* strophas, & diras divinæ Majestatis execrationes, & maledicta in Deiparam ac Divos omnes, per aleam perque ludibria sceleratas linguas laxarunt, id verò Philippus non ferendum ratus, pro ardenti divinæ gloriæ zelo, Apostoli verbis, SI QUIS LOQUITUR QUASI SERMONES DEI, impiam turbam increpitat, docetque, linguam homini vocalem præ cæteris animantibus divinitus ideo datam, ut tam præclari muneris largitorem collaudet, ac pro beneficiis innumeris gratias agat, eóque impiè ac nefariè, contrarios in usus, hoc est in conditoris contumeliam exacui; quòd si spe impunitatis ita licenter furent; solere Deum eò graviore manu, quò graviore pede, descendere ad sumendas de tam horrendis sceleribus pœnas: quas denuntiare se ipsis ait Dei irati nomine sine morâ cælitus ingruentes, nisi confestim resipiscant, & mutatâ voluntate, de expiandis omni ratione tam atrocibus delictis placandóque Numine seriò cogitent. EX IMPRESSIS.

& pervicacibus ultionem divinam prædicit,

132 Ad tam severam denuntiationem aliqui ex illo perditorum globo consternati pollicentur, se in Philippi potestate futuros: contrà cæteri in rabiem efferati, eum, sociosque circumsistunt & facessere inde quàm primùm jubent; ni faciant, malè multatos abituros; ac subinde congeminatis in Deum & fecialem ejus Philippum ultimis probris, parùm ab illatâ violentia aberant. Tum Philippus actum de miseris videns, eorumque illacrymans exitio, & quâ erat humilitate, deprecatus, si quid molestus monendo fuisset, ad socios & eos, qui in spem bonæ frugis se illi adjunxerant, Agite, inquit, fratres, proripiamus istinc nos quantociùs: ego enim illam cæli faciem (fortè ad cælum digitum intenderat) quæ tranquilla vobis ac serena videtur, minacem iratamque video, & ultricia fulmina in istos infelices expedire; & cum dicto, destitutis sub arbore illis orco jam devotis victimis, socios præ se actos in viam concitat. E

quæ statim subsecuta est,

133 Vix digressi erant, cùm ecce sereno cælo repentinè audiri flatus horrisoni, & nigrescere circa infelicem arborem & condensari nubes, solis aspectus adimi, & tenebris conduplicatis inhorrere omnia, dein omnis mali vis in unam collecta procellam, illi ulmo allabens, cùm fulguribus fulgetrisque horribilem in modum prolusisset, ad extremum excusso decumano fulmine, ulmum ipsam & conscleratos illos tam potenter icit, ut arbor stirpitus hominesque in cineres redacti momento deflagraverint. At Philippus & sui, qui omnia ex propinquo oculis usurpabant, tam formidabilis spectaculi atrocitate exangues, supplices cælo manus tendebant, Dei erga se benignitatem & noxia illa in capita justitiam collaudantes; ac, si quæ fortè spes in tam afflictâ causâ, pro addictorum profligatâ salute deprecantes.

ut aliqui ex iis conversi prodiderunt. F

134 Cæterùm, qui Philippo authore eam cladem & juxtà æternam perniciem evaserunt, dignam tam memorabili divinæ ultionis exemplo vitæ ac rerum suarum rationem ineuntes, reliquum ætatis in deplorandis iis, quæ ad eam diem malè riserant, exegerunt, & sparsi per Æmiliam atque Insubriam, Dei clementiam, servi ejus Philippi sanctitatem ac propheticum spiritum divulgarunt. Idem præstitit suo modo ætatis suæ Apelles, Andreas Sartorius, qui pro suâ in divum Philippum religiosâ pietate ita graphicè hoc factum coloribus expressit in porticu divæ Annuntiatæ Florentiæ, ut vel picta facti repræsentatio horrorem incutiat contemplantibus.

VIII. *Cum Sanctus in Galliam pervenisset,*

135 Erat eâ tempestate rerum status in Italia & in regno Gallicano longè dissimillimus: nam Friderici imperatoris heredes Italiam fœdum in modum, sub acerbo jugo afflictam, lacerabant. Econtrà Gallia, succedente sancto parenti pio Filio Philippo, prosperè lætéque florebat; tanti refert ad regnorum fælicitatem, pii sint an impii Principes. Is Philippus, paterno instituto universim Religiosos omnes, ac præcipuè aliunde vel extorres, vel propagandæ pietatis causâ venientes, singulari benignitate & benevolentiâ complectebatur, & jam antè in eo regno,

EX IMPRESSIS.

regno beati Patris Manecti operâ variis in locis Ordinis noſtri homines domicilia fixerant, & quibus incrementis per eas terras profecerant, iiſdem longè lateque famâ nominis & ſanctitatis beatus Pater increvit; adeo ut incredibili ſtudio primarum civitatum, & exciperetur publicè ſingularibus beneficiis atque honoribus, & privatim homines ſummâ contentione, frui alloquio & ardentes ſpiritu apoſtolico conciones ejus audire affectarent.

nuntiatur mors S. Ludovici regis; e f

136 Verùm hæc tam læta initia & gratulantium inter ſe Gallorum ac Philippi gaudia triſti nuntio nonnihil funeſtata ſunt; quippe per eos dies affertur ex Africa, Ludovicum Francorum Regem *e*, expugnatâ per ſummam fortitudinem Carthagine *f*, victiſque perduellibus & reliquiis eorum Tunetum compulſis, in ejus urbis obſidione deceſſiſſe: ſcilicet, ut cujus viri meritis ac fortitudini pares honores omnibus apparatibus ſuis reponere Gallia non potuiſſet, integro gloria præmio in cælo triumpharet. Ea jactura vel potiùs fortunæ commutatio, quia turbatura videbatur reipublicæ Chriſtianæ faciem,

B atque Ordinis bono meditata atque allata domo Philippi conſilia, quæ cum reduce rege conferre aliquando ſtatuerat, graviter eum affecit, cumulante maximè id incommodum funere Cardinalis Rudolphi, qui apud eumdem Regem Legatus Apoſtolicus Philippi cœptis mirè favebat.

ſed ſucceſſore regni ſa-vente,

137 Inter has ancipites curas fluctuanti Philippo Deus affuit, injectâ Philippo regi, paterni regni ac pietatis heredi, eâdem mente, quæ in Patre fuerat; à quo cùm beatus Pater perbenignè invitatus appellatuſque eſſet; is tum Philippum ipſum magno in honore amoreque habuit, tum Congregationem ipſam in Galliâ noſtrorum hominum in regiam tutelam curamque ſuſcepit tanta favoris ſignificatione, ut ſpes maxima affulgeret, ſtabilitis quæ acquiſita erant cœnobiis, adjiciendi per florentiſſimum illud regnum multò plura. Viſitatis igitur Pariſienſi, Toloſano, Mompolierio, Viennenſi, Avenionenſi, Marſilienſi, & qui in Delphinatu aliiſque in urbibus erant, Conventibus, animum adjecit ad novos exædificandos: id quod facilè ac magno numero præſtitit, quòd, ut clari authores affirmant, ab omnibus pro Apoſtolo habitus, magno

C undique certamine à viris principibus aliiſque de prima Gallicanâ nobilitate adiretur, qui illius manibus Religioſo Deiparæ habitu amiciri initiarique orabant.

Ordo ejus in Gallia

138 Opportunus hic aut potiùs proprius locus eſſet, ſingillatiùs tam admirabiles progreſſus (habita ratione temporum locorumque, ac varietatis eorum) vel in ſyllabum redactos deſcribendi; ſed cùm ſub annum Chriſti MCCCLXXXIX factâ ab Ordine reliquo per occaſionem enati inter verum Pontificem Bonifacium Nonum, & Pſeudopapam Clementem ſchiſmatis, Patrum Gallorum (exceptâ unâ Galliæ Narbonenſis provinciâ, quæ adhuc reliquo Ordinis corpori adhæret) diviſione, pleraque monumenta vel interciderint vel interverſa ſint, ita ut extinctâ per diſſidium neceſſitudine fraternâ, vix quidquam certæ lucis huic ex illis partibus hiſtoriæ affulgere potuerit, inviti deſumus officio.

aliiſque regionibus mirificè propagatur, g h

139 Ordinatis in hunc modum rebus Gallicanis, præfectoque ei provinciæ vicario generali beato Patre Gherardino Suſtennio, Philippus inſtituto per Sequanos *g*, qui trans Rhenum ſunt, Heduoſque *h* itinere, in Germaniam ibat; ſed cùm famâ antevolante ei genti illius ſanctitas, ac promovendæ pietatis ardor innotuiſſet, invi- D tantibus populorum ardentiſſimis ſtudiis, ita incubuit in divini verbi prædicationem, & Conventuum, qui illic erant, emendatioris Religionis cultum; ut non ſecus ac Galli, Sequani certatim nomina ad noſtram militiam profiterentur. Affirmatiſſimè gentis ejus Annales habent, eâ tempeſtate in Italia, Gallia, Germania, Generale Philippo, Patrum Servorum millia decem cenſa eſſe præter Tertiarios Fratres ac Sorores, quos vocamus Mantellatas.

cui incremento Bulla Papæ occaſionem dedit.

140 Magnum momentum tanto incremento attulit Alexandri IV ſummi Pontificis datum in favorem noſtræ Religionis reſcriptum, quo omnibus, qui de factione Friderici ſecundi Imperatoris, Innocentii IV Pontificis ſententiâ anathematis vinculo tenebantur, redeundi cum Eccleſia in gratiam, poteſtatem faciebat, ſi ad ſpecimen veræ de antè actæ vitæ licentiâ pœnitudinis, inſtitutum Servorum ſuſcepiſſent. Quo factum eſt, ut barones, marchiones, duces, & principes, aliique dynaſtæ, frequenti numero, remiſſo opulentiæ, ac gloriæ militari nuntio, ex magnis dominis Servi facti in Religionis le- E ges jurarent, aut qui tolerando ſeveriori primi Ordinis inſtituto non erant, tertio Ordini manciparent ſeſe.

Dum Sanctus ex Germania

141 Author eſt in Annalibus ſuis Gianius noſter, hoc primo in Germaniam Philippi adventu Rudolphum Habſpurgi Comitem, Auſtriacæ magnitudinis ac majeſtatis authorem ſatoremque, non quidem affinitate ullâ criminum Friderici, ſed ſpontanea pietate & amore glorioſi obſequii, nominiſque Servorum Deiparæ, tertii Ordinis habitum ab ipſo Philippo unà cum conjuge ſuſcepiſſe, contractamque per eam occaſionem mutuam familiaritatem, cauſam fuiſſe, cur evectus poſtea ad imperium Rudolphus, miſſo ad Nicolaum III Pontificem legato, oraret ſibi Philippum mitti, ut eo divinæ legis voluntatiſque interprete uteretur. Alii id factum in ſecundum ejus ad Rudolphum jam Cæſarem adventum differunt. Utcumque ſe ea res habet, id certum compertumque habetur, operâ atque induſtriâ Philippi Ordinem Servorum non tantùm longè latéque per Germaniam ſuperiorem ac præcipuè in Saxonia, Weſtphalia, & in Germaniam inferiorem ad Friſonum uſque Orientalium emporium Emdam (quod eſt ad Amiſii fluminis, F ſe in oceanum exonerantis oſtium) magno hominum ac cœnobiorum numero, ſed etiam per Pannoniam & Poloniam prolatum fuiſſe.

per Galliam in Italiam redit

142 Quod cùm incredibili celeritate fulminis in morem parentis ab Oriente uſque in Occidentem præſtitiſſet, inito in hunc ipſum finem adeundæ Hiſpaniæ conſilio, partis eâ bienni expeditione rebus beatum Patrem Uguccionem Progeneralem præfecit: itinere in Gallias inſtituto, ut in tranſitu novas à ſe deductas colonias ſtabiliret, Lutetiam Pariſiorum venit; ubi cum Philippo rege denuo in colloquium veniens, qualiacumque inſtituti Servorum iis in oris primordia, & relictum vicarium ſuum Uguccionem, memoratis viri meritis ac ſanctimoniâ, ei commendat. Quæ aliaque ad univerſam rem Chriſtianam ſpectantia negotia, dum inter utrumque Philippum agitantur, fama Pariſios affluit, creatum ex archiepiſcopo Leodienſi, Pontificem, Gregorium X, qui per id tempus Reipublicæ Chriſtianæ causâ, Ptolomaïde Syriæ cum Eduardo Angliæ Principe aberat. Quo tam optato poſt diuturnum Eccleſiæ interregnum nuntio

A tio exhilaratus beatus Pater, vocantibus in Italiam urgentioribus cauſis, profectionem Hiſpanicam in præſentiâ dilatam cum Italicâ permutavit.

IX. *cum quodam Joanne Francofurtenſi,*

143 Digeſtis hoc ordine ac ſtabilitis Germaniæ Galliæque rebus, Philippus & literis ſuorum, & rei in Italia publicæ neceſſitatibus ſolicitatus, viam molitur cum ſociis, vel filiis potiùs, quot ſpiritûs fœcunditate ac facundiâ apud exteros genuerat. Horum in numero ſanctitatis ſpectabilis fuit Joannes Francofordienſis, è prima apud Uſipetes *i* nobilitate juvenis, ſed pietate in Deiparam & reliquis animi ornamentis nobilior; qui cùm fortè iis diebus, quibus Philippus Francofurtum ad Mœnum *k* adierat, de certo vitæ ſtatu capeſſendo deliberaret, nocte quâdam ipſa Beatiſſima Virgo ſe illi multâ conſpicuam gloriâ, videndam obtulit, & quoad conſultum ſaluti ſuæ & obtemperatum divinæ voluntati cuperet, advenam ex Italia Patrem eum adire juſſit, qui pulla in veſte popularibus ejus per eos dies concionaretur: illius ſermonibus, & conſiliis morem gerendo, certam ſalutem eum & portum fluctuanti inter ancipitia conſilia menti reperturum.

i

k

B

qui ad Ordinem miro modo vocatus fuerat,

144 Paruit Joannes cæleſtibus monitis, & convento ſequenti die Philippo (qui & ipſe ab eâdem Beatiſſima Virgine, quid juvene fieri vellet, præmonitus erat ac certior factus) ordine exponit veniendi cauſam, & authorem Dei Matrem. Philippus perbenignè acceptum juvenem, expoſitis, quæ talibus conſiliis vel moras vel impedimenta faceſſere ſolent, ut habebat à communi Domina in mandatis, cooptatum in numerum Servorum cæleſtis Reginæ, habitu induit Religionis, in quâ ille ad annum uſque MCCCXLV vitam ſingulari pietate, ac præcipuè à ſeveritate in ſe ipſum, admirabilem produxit. Ac demum poſtquam variis in locis, ac præſertim Lucæ (quo pallium Philippi magno in eâ civitate ægrorum bono ex Germaniâ attulerat) cœnobiis præfuiſſet, reverſus in patriam, Francofurti extremum diem clauſit, miraculis & in vita & poſt mortem clarus, & apud cives ſuos magno ſemper in honore ac veneratione habitus; quamdiu illis bona mens & ſincera Religio conſtitit, ut fuſiùs habent Annales noſtri.

C *in ſilvis per triduum errat,*

145 Hoc ergo Joanne & Fratre Victore Italo, & altero Joanne Gallo, ac Fratre Gualtero Germano ſociis, Philippus, inito Italiam verſus itinere, cùm Alpes eſſent ingreſſi Allobrogum, viâ militari deerrarunt, ac toto triduo per opacas & ſolis feris pervias ſylvas viam veſtigantes, redeundi, ut fit, in viam ſtudio, ex aliis erroribus in alios impliciti, nullam rationem inveniebant, explicandi ſeſe ex impeditis illis ſaltuum anfractibus; & augebat rei difficultatem inedia ac laſſitudo, quibus triduanis conflictati, dum neque potionis aliquid levandæ ſiti, neque cibi ſedandæ fami reperiſſent, linqui jam animis viribuſque deſtitui incipiebant; cùm Philippus ad conſuetum precationis ſubſidium converſus, idem ſociis facere juſſit.

& ab angelis paſtus ac in viam reductus,

146 Poſtquam ardentem charitate ſuorum, & magnâ in Dei ſuaviſſimam providentiam fretam ſpe, orationem cum lachrymis ad Deum fudiſſet, repentè voces aliquæ humanis ſimiles afflant, quibus feſtivâ gratulatione compellati Patres, ad amiſſam viam & refectionem virium poſt tot labores invitabantur. Ad quas ipſi ab exorſa oratione vertentes ſeſe, quamprimùm eluctari potuerunt ex ſenticoſis illis plagis, in duos incidunt, qui habitu quidem ac reliquo cultu corporis paſtores videbantur; cæterùm, ut poſtea apparuit, angeli erant. Ab his in proximum tugurii hoſpitium, multo cum honore verborum, & comitate plus quam paſtoritiâ deducti, inſtructam ibi miri candoris ſaporiſque panibus & gelidæ aquali menſam reperiunt: cui, poſito timore, accumbere juſſi, purè ſuaviterque epulati ſunt; actiſque Deo infinitis gratiis, ducibus hoſpitibus ſuis, reducuntur in rectam viam. Et duces quidem officio perfuncti, depoſitis perſonis, repentè ex oculis Patrum evaneſcentes videri deſierunt. EX IMPRESSIS.

ad montem Senarium revertitur.

147 At Philippus cum ſuis in Italiam deſcendit; ubi virtute atque induſtriâ vicarii ſui, aliorumque Patrum labore, magnam multorum cœnobiorum ad Religionem factam acceſſionem eſſe per illud abſentiæ ſuæ biennium, ingenti ſolatio ſuo reperit. Ita per Pedemontanos profectus, atque de via in tranſitu nova illa, eo abſente, cœnobia cum voluptate inviſens, ſuperatis Apennini *l* jugis, pervenit ad montem Senarium, ubi, ut paſſim alibi, incredibili Fratrum gaudio exceptus, quàm propitio Deo ac Deiparâ, totâ peregrinatione uſus eſſet, exultantibus inter mutuas gratulationes denarrabat.

l

E

F

ANNOTATA.

a Burgum S. Sepulcri *eſt urbs parva Italiæ in Umbria prope Tiberim fluvium in ipſo limite Tuſciæ & nunc epiſcopalis ſub archiepiſcopo Florentino.*

b *Quamvis hæc nomina & cognomina nonnihil mutata ſint, tamen aſſignantur iidem duo beati viri, de quibus ſuprà actum eſt, & de quorum mirabili obitu rurſus infrà agetur.*

c *Montes illi, qui Galliam ab Hiſpania dividunt, vulgò* Pyrenæi *vocantur. Forſan biographus propter arduum aſcenſum aut aliam ſimilitudinem hiſce montibus Italicis idem nomen indidit.*

d *Id eſt* obſcœnas dictiones: *nam Feſcennini verſus, qui canebantur antiquitus in nuptiis, erant omni obſcœnitate pleni, & ſic dicti ſunt ex Feſcennia Hetruriæ urbe, ex qua primùm prodierunt, ut Feſtus apud Calepinum teſtatur.*

e *Hic eſt S. Ludovicus Galliæ rex, cujus Acta cum Martyrologio Romano ad diem* 25 *hujus menſis illuſtrabuntur.*

f *Famoſa illa & olim Romæ æmula Carthago, nunc ab incolis* Berſack *dicta, jacet in ruderibus, ex quibus Tunetum crevit, à quo tribus leucis diſtat.*

g *Sequani olim ſedes habuerunt in Burgundia ſuperiore, quæ nunc Comitatus Burgundiæ dicitur, habetque Helvetiam conterminam ad ortum.*

h Hedui *vel* Ædui *populi Galliæ Celticæ inter Ligerim & Ararim fluvios olim ſiti, qui à Sequanis ad ortum Arari fluvio dividebantur.*

i Uſipetes, *qui etiam* Viſpi *& poſtea Uſipii dicti ſunt, vixere circa Rhenum fluvium in agris Sicambrorum, & à Chattis expulſi dicuntur aliò migraſſe.*

k Francofurtum AD MOENUM *dicitur, ut hæc urbs diſtinguatur ab altera, quæ* Francofurtum AD ODERAM *cognominatur à diverſis fluviis, qui has urbes alluunt.*

l *Maximus & notiſſimus Italiæ mons, qui pro variis locis varia nomina habet, ut geographi paſſim tradunt.*

EX IMPRESSIS.

CAPUT XII.

Cura Sancti in fundandis vel reſtaurandis Ordinis ſui cœnobiis, & labores ejus in concilio Lugdunenſi, ad quod evocatus fuerat.

Florentiæ narrans Ordinis incrementum,

X. TRaductis in Senario, ut in publico Ordinis univerſi domicilio & origine, ex quâ Philippus primitias ſpiritûs hauſerat, cum magnâ animi voluptate aliquot diebus, Florentiam deſcendit: ubi adita D. Virginis Annuntiatæ imagine, gratias primùm, ut æquum erat, agit Deo & ſanctiſſimæ Matri ejus ac Dominæ ſuæ: quorum benignitate & curâ, res toto illo peregrinationis biennio geſtæ, bene ac feliciter vertiſſent: deinde admiſſis ad complexum beato Patre Alexio & cæteris ejus loci Religioſis ſuis, maximis utrimque charitatis & gratulationis ſignificationibus certatum eſt. Nobilitabat eum congreſſum tum Philippi authoritas, tum præcipuè veneranda beati Patris Alexii canities & ſenile gaudium, quo ſeriem audiebat tot lætorum Religionis progreſſuum.

B

magnâ lætitiâ afficit P. Alexium,

149 Erat is tum ſolus in Italia ſuperſtes ex ſeptemviris inſtituti noſtri ducibus; nam quatuor jam in cælum migraverant, & reliqui duo extra Italiam res gerebant. Is ergo narrantis Philippi ab ore pendens, ac tanta intra atque extra Italiam nominis Servitani incrementa, & tot animarum lucra in commune ejuſdem ærarium redacta intelligens, ſeptuagenario major, olorinum illud coætanei ſui canebat: " Nunc dimit-„ tis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum „ tuum in pace &c. „ quamquam hoc illius votum multos in annos Deus diſtulerit, ſive ut multò ampliora ad ſolatii ſui cumulum videret, ſive, ut quàm diutiſſimè laborantibus in obſequio Dominæ ſuæ Servis primævæ lucis ac fervoris illa fax luceret; eſſetque, unde exactè ſcriptores, qui ſerò res noſtras ſcribere exorſi ſunt, diſcerent velut ex oculato teſte, & quorum ipſe pars magna fuiſſet, admirabilem ortum, ac progreſſum per integrum ſæculum Religionis hujuſce. Vixit autem annos omnino centum & decem, & ex his in Ordine ſeptuaginta ſeptem tanto ſtudio humilitatis & ſubjectionis, ut licet à pueritiâ bonis literis inſignem operam feliciter navaverit, & doctrinam minimè vulgarem cum ſanctitate & ſingulari prudentiâ habuerit conjunctam, tam longam ætatem privatus agere omni ope ſtuduerit; ut in eum finem adverſam valetudinem, qua ut plurimum variè exercitus eſt, impetraſſe divinitus videatur.

C

venerabilem ſenem,

a

150 Itaque ſibi ac valetudini ſuæ relictus, ægritudines animi in affecto corpore adeo perſanavit, & in poteſtate habuit, ut apathes *a* penè videri poſſet; quippe qui robuſtiſſimos quoſque juniorum non modò æquaret labores inediâ, & caſtigandi corporis patientiâ, ſed ſuperaret etiam in decrepitâ ætate. Vini præſertim tantus oſor fuit, nullo abhorrentis naturæ vitio, ut cùm languenti ventriculo fovendo neceſſariò eſſet adhibendum, imperio Superiorum ad id adigi debuerit. Præterea, licet tranquillo ſemper & placido oris habitu eſſet, redundante in aſpectum animi ſerenitate, nullus tamen eum umquam ridentem vidit, nec viciſſim quiſquam ſacris ad altare operantem *b*, niſi perfuſum uberrimis lacrymis: in adeundo choro ſemper primus, in abeundo ſemper ultimus in ſtatione fuit, nec tamen in tam pertinaci contemplationis ſtudio alteram inſtituti noſtri partem, quam activam vocamus, vel æger omittebat.

D

b

cujus virtutes deſcribuntur,

151 In re domeſticâ tractandâ diligens & exactus, in reducendis ad bonam frugem proximis, tantâ fuit efficaciâ ac ſuavitate alloquii, numquam ut eo audiendo ſatiarentur. Ejus divinæ eloquentiæ vis cùm in pluribus aliis in viam ſalutis reductis, tum in Fratre ejus germano, nomine Clariſſimo de Falconeriis, & nepte beata Juliana de Falconeriis *c*, quamquam diſpari in re memorabilis exſtitit. Hic periculoſo implicitus quæſtui, æternam ſalutem lucro oppignoraverat. Iſta, relictis divitiis & generis ſplendore, patrui exemplo Servitutem Beatiſſimæ Virginis ambiebat. Utrique Alexius adfuit: Fratri ut malè parta reſtitueret, author fuit: & Juliana ejus ſalutaribus monitis mirificè accenſa, prima, ut creditur, ex virginibus Tertii Ordinis habitum ſumpſit, & in eo Alexii præcipuè culturâ, ſingulari pietatis laude, ſupremum diem obiit; quibus aliiſque piè fortiterque geſtis, Alexius in ſummâ ſenectute in montem Senarium, ex altiori loco viæ in cælum compendium facturus, aſcendit *d*, ibique plenus dierum ac meritorum, mirabilem vivendi finem fecit. Quippe in ſupremâ cum morte luctâ ei agonotheta Chriſtus, ſuaviſſimi infantis ſpecie adfuit, qui veteranum athletam ſuum cæleſtium florum corollâ adhuc in arenâ coronavit, & cæleſtes genii ſub candidiſſimorum alitum formâ frequentes, triumphantem deducturi, apparere viſi.

E

c

d

& ipſe lætus ob imaginem Deiparæ,

152 Sed ad Philippum redeamus, qui non minus quàm Alexius, de amplificato extra Italiam inſtituto noſtro lætus, de eodem intra Italiam per illud abſentiæ ſuæ biennium mirum in modum auctо ornatoque ſibi gratulabatur, ac præcipuè argumentum, quod ante oculos in ædicula D. Annuntiatæ verſabatur, eum manantibus præ gaudio lachrymis movebat: cùm ſcilicet auguſtum illud ſacellum ad ſummam Deiparæ Virginis gloriam tanto tum populi Florentini, tum cæterarum gentium concurſu ac miraculorum frequentiâ, tantopere videret inclaruiſſe; præterea ex tot virorum principum ac ſummorum Pontificum & regum donariis, ſignis, anathematis tabelliſque votivis, impetratæ ſoſpitatis teſtibus, divini Numinis in loco colligeret præſentiam. Et habuit ſanè, hodieque habet hoc illa cæleſtis imago proprium cum paucis ac peculiare jam inde à primo ejus exiſtentis veſtigio, ut perpetuo ac numquam interrupto tenore quotidianis miraculis cultorum ſuorum pietatem ac religionem per omnes adhuc ætates in officio contineat. Teſtantur id tum edita typis, authore P. M. Luca Ferrino *e*, tum ingentia volumina manu ſcripta, quæ habentur in bibliotheca ejuſdem D. Annuntiatæ, quæ de his miraculis conſcripta ſunt. Quæ nos aliquando, bono Deo & eâdem Virgine Sanctiſſima auſpicibus (ſi magnitudo ipſorum miraculorum ac multitudo, quæ eſt penè infinita, non obſtet) cogitamus hanc hiſtoriam, in unum collectam corpus, latinitate ac typis donare. Quamquam ut à nemine mortalium illa ſcribantur, conſenſus populorum & quotidiana præſentiſſimi patrocinii experimenta, tum vis quædam divinitus atque occultè indita huic

F

e

A huic ſanctiſſimæ imagini, celebritatem ejus & religionem perpetuabunt.

ad quam multi confluunt,

153 Certè hâc noſtrâ ætate eò uſque venerationis aſcendit, ut oſtendi niſi clam ac de nocte non poſſit, ne affluentis contentione multitudinis aliqui obterantur; cui incommodo, ut principum caveat providentia, & omnes intelligant, ſanctiorem Hetruriæ theſaurum eam effigiem eſſe, duabus clavibus, quarum alteram ipſi, alteram cœnobii antiſtes conſervat, objecta vela clauduntur, & eorumdem inſuper Principum annulo ſignantur. Ac nihilominus, ſi quando vel hoſpitibus Principibus, vel Regum ac rerum publicarum oratoribus, poſtico & clam in cœnobium, exiguo comitatu admiſſis, intempeſtâ nocte atque oppeſſulatis templi foribus, imago revelatur, nullâ diligentiâ ita eluditur civitatis ardor, quin tot, quot eccleſia capere poteſt, irrepant, multoque plures templi aditus ac fores obſideant, ſtrepero pulſu atque infimis precibus vocibuſque intromitti orantes.

B *inter quos S. Aloyſius Gonzaga fuit,*

154 Sed illud in primis admirandum eſt, & quod divinam quamdam vim illi vultui inditam eſſe vel maximè convincat, quòd ſic admiſſi vix prima Virginei oris lineamenta ad faces videant, cùm ſolvi ſtatim in lachrymas, ac prorumpere in ſingultus ac gemitus, internæ compunctionis indices, ac pectora palmis plangere incipiant univerſi; atque adeo illi etiam, ut frequenter fateri ſolent, qui non tam pietate, quàm curioſitate ac rei inſolentiâ ducti accurrunt. Tam plena eſt illa facies gratiarum, ut planè divinitus ac perpetuo miraculo contingere neceſſe ſit, ut tanta movendi vis in unius aſpectum imaginis cadere poſſit, quantam vix veterum poëtarum licentia Palladis ægidi, durandis in ſaxa hominibus, affingere auſa fuit. Ejus etiam huic imagini inſitæ virtutis teſtis eſt omni exceptione major B. Aloyſius, clariſſimæ Societatis Jeſu ac ſereniſſimæ familiæ Gonzagæ jubar; quippe in cujus hiſtoria refertur, profiteri ſolitum ex Domina ſe Virgine Annuntiatâ Florentiæ, velut ex optimâ nutrice, primitias ſpiritûs ſui ſuxiſſe *f*.

f

Ordini ſuo ornando invigilat,

C

155 Ad hanc ergo D. Annuntiatæ aram (unde nos ipſius Virginis ſuavitas in hanc quoque digreſſionem pellectos pertraxit) poſtquam Philippus omnes grati animi affectus exoneraſſet, & ſolatus eſſet ſuos, ad ordinanda, quæ per abſentiam cumulata erant, negotia contulit ſeſe: ac primò quidem morem geſturus populorum ac principum virorum ſtudiis, quibus certatim invitabatur ad nova apud ſe Ordini noſtro monaſteria capienda; vel reſtauranda, atque amplificanda. ea, quæ temporum injuriâ collapſa fuerant; exorſus eſt ab oppido S. Sepulchri, auſpiciis epiſcopi Nicolai Caſtellani *g*, qui lapidem ejus cœnobii angularem jecit, ac deinceps Senenſium, Lucenſium, Piſtorienſium, Peruſianorum, Urbeveteranorum & Cortoniatum, aliorumque populorum invitatu accerſitus, multa Ordinis cœnobia vel facienda locavit, vel facta refecit. Exinde Aretium ſtudioſiſſimam ſui civitatem profectus, edicta illic comitia celebravit anno allatæ ſalutis MCCLXXIII. Conſtitutis in iis comitiis, quæ ad ſtabilitatem ornatumque Religionis facere videbantur, in vicem aliquid gratitudinis ergô repoſiturus benefactorum munificentiæ, in communionem bonorum operum, quæ toto in Ordine fiunt, ipſos & Tertii Ordinis homines, more majorum atque authoritate Pontificiâ, publico inſtrumento recepit.

g

156 Dimiſſo inde Patrum conventu, Philippus Senas, Romam illinc petiturus, proficiſcitur: ibi, ne uſquam, niſi re aliqua memorabili geſtâ, diverteret, miſſum ad ſe ab ipſa Deipara adoleſcentem annorum quatuordecim, Claromontenſem nomine, ex antiquâ, ut quibuſdam placet, Pellacanorum, vel ut aliis, ex antiquiore ipſa Româ, Sylviâ gente (quæ hodie magnâ licentiâ vocatur Piccolominea) in obſequium Virginis, atratum Servorum albo adſcripſit, mutato Claromontenſis ſonoro nomine in paternum Dominæ Joachimi nomen. Sub quo ille nomine in virum ſanctum adultus majoribus rebus, quàm quæ exiguo pro noſtró more diverticulo perſtringi poſſent, fortiter ac mirabiliter geſtis, à Paulo V Pontifice Maximo, noſtrâ ætate in Beatorum catalogum eſt relatus *h*.

EX IMPRESSIS. *& illuſtrem juvenem ei aggregat.*

h

Poſtea profectus ad concilium Lugdunenſe,

157 Interea agenti Senis Philippo litteræ afferuntur Cardinalis Otthoboni protectoris; quibus, cùm ſignificaretur Pontificem, qui tum erat Gregorius X, profectionem moliri Lugdunum Galliæ, quò concilium œcumenicum convocarat, nihil cunctatus, ad Urbem res Religionis cum Pontifice ante diſceſſum conſtituturus contendit. Eò delatus, & ad ea, ad quæ venerat tranſigenda aggreſſus, intelligit Pontifici placere, ut unà ipſe cum aliquot doctorum virorum Ordinis comitatu in Galliam ad concilium ſe comitetur. Cognitâ Pontificis voluntate, Philippus ad ſe evocat F. Henricum Bonicollem Gandavenſem *i*, qui dictus eſt DOCTOR SOLENNIS, alioſque, qui pro Ordine Servorum (ut pro Prædicatorum Minorumque Ordinibus divi Thomas, Bonaventura, & Albertus Magnus) illum Lugdunenſem Patrum conſeſſum cohoneſtarent.

E

i

in itinere Florentinos ad pacem hortatur,

158 Profectus igitur Româ Pontifex, comitantibus Græcorum imperatore & rege Neapolitano, aliiſque plurimis Cardinalibus, principibus, præſulibuſque, Florentiam venit, ſi quâ ratione ægræ civitati & civium ſuorum factionibus peſſumdatæ medicinam finemque inteſtinorum malorum afferre poſſet; in quo tam egregio conatu, fideli operâ Philippi uſus eſt; qui patriæ charitate ac zelo ſuccenſus honoris Dei, ſalutiſque tot in illis lanienis pereuntium animarum, pro pace graviter ac magnificè, in protervos verò ac pervicaces odiorum civilium ſatores authoreſque acriter fortiterque dicendo, ſummi Pontificis conciliandæ civitatis ſtudium adverſus ingentem inoliti mali molem ſuſtentabat.

F

& prouncione Græcorum cum Latinis,

k

l

159 Nec minori uſui Lugduni quàm Florentiæ Philippi opera Pontifici fuit. Convenerant ad illud Lugdunenſe concilium Palæologus Græcorum imperator *k*, & ejuſdem gentis patriarcha Conſtantinopolitanus *l*, ac præterea legati variorum Græciæ Principum, quorum præcipuè de controverſiis inter Patres quæſitum eſt, ut concordiâ cum illis ſtabilitâ, levatâque Reipublicæ Chriſtianæ diſcordiarum ſentinâ, tota vis civilium armorum eò facilius in Chriſtiani nominis juratum hoſtem Mahometanum verti poſſet, ſi Latinæ Eccleſiæ cum Græcanicâ conveniſſet. Controverſia præcipua erat de proceſſione ex Patre Filioque Spiritûs ſancti, ſuper quâ poſitione aliiſque aliquot controverſis, cùm decimùm jam & tertiùm, Græci cum Eccleſiâ Catholicâ in gratiam concordiamque rediiſſent, hoc frequente congreſſu nihil actum eſſe cum Græcis ab Latinis compertum eſt, niſi quòd actum egerint.

ac concordia principum Chriſtianorum

160 Ea ejus nationis lubrica conditio & affectus rerum Occidentalium, ac vel in primis Pontificiarum ſtatus, pium Pontificis animum ſolicitum habebant; reductumque cupiebat ad priſti-

EX IMPRESSIS.

num ſplendorem, reſarcitis cladibus, quæ ab imperatore Friderico & Manfredo illatæ fuerant; tum eamdem Eccleſiam Catholico cæſare ac beata pace (quibus per aliquamultos jam annos caruerat) ſuffultam optabat; ut verſis in Turcam communibus armis, Hieroſolymitanum regnum recuperari poſſet. Quæ cùm ſummopere neceſſaria & Pontifici vehementer cordi eſſe Philippus perſpexiſſet, primùm publicè pro argumenti dignitate de rebus ſummâ vi atque energiâ diſſerere, deinde privatim ſingulos procerum adire, monſtrare neceſſitatem eorum, quæ à Pontifice fuiſſent propoſita; & omnia denique agere, quibus Græci Latinique inter ſe coaleſcerent, & in communem hoſtem junctis opibus armarentur.

eloquentiſſimè perorat in concilio,

161 Accedebat, quòd ſub iſtius tempus concilii, novâ atque ampliore ſpiritûs exuberantiâ agi ſe vir Sanctus atque impelli ſentiret; quo fiebat, ut & cum veneratione multâ audiretur, & conjunctâ cum divinâ quadam efficaciâ incredibili ſuavitate, omnium animis vim afferret. Et ſubſerviebat dictionis ardori donum linguarum, nempe præter nativæ, & partæ ſtudio Latinæ linguæ, Græcæ, Hebraïcæ, Teutonicæ, Hiſpanicæ ac Gallicæ ſcientia; quas ita callebat exactè, ut velut novum Apoſtolum unuſquiſque linguâ ſuâ illum audiret loquentem. Et commodum per illos dies & vehementer opportunum rebus, quæ in illo conventu, à Pontifice ac Patribus agebantur, accidit, ut ſeptemviri Romani imperii electores, poſt longum & variis funeſtum cladibus interregnum, Regem Romanorum ſalutarent Rudolphum primum Auſtriacum, Habſpurgi atque Holſatarum comitem *m*, inclytum bello heroa, & pacis artibus ſingularique in Superos pietate ac religione, nulli Principum ætatis ſuæ ſecundum. Id prorſus ex Pontificis voto evenit, magno ſequentium ſæculorum bono, & Philippum incredibiliter exhilaravit, quòd illi cum Rudolpho, ut aliàs diximus, magna intimæ familiaritatis neceſſitudo jam dudum intercederet; quæ illi poſtea Philippum in Germaniam evocandi ad componenda principum imperii diſſidia, & ad debellandas hæreſes cauſa fuit, ut ſuo loco exponemus.

B

m

quo finito,

C

162 Interea concilio finis impoſitus, & in eo divini verbi Apoſtolicis præconibus ex ejus præſcripto imperatum, ut Crucem recuperandis Hieroſolymis promulgarent, inter Catholicos omni ope pacem componerent, denique murum pro domo Domini opponerent ſeſe, gliſcentibus præſertim in Germania hæreſibus: & cum primis illi ſtultiſſimo hominum generi, qui rudiſſimâ ſtoliditate Flagellantes appellati, flagellationes ſuas martyrio præſtare, & ad ortum ſectæ ſuæ Chriſti Euangelium exſpiraturum, aſſerebant *n*. Itaque accinctus ei operi Philippus, ſalutato Pontifice, in Italiam revertit, & à Bononienſibus injunctum exorſus munus, tametſi eum populum factionum ſtudiis alterniſque cædibus propè exciſum reperiſſet, brevi tamen pacatum reliquit; eique gratiæ ad poſteros aliquo monumento teſtandæ, ſenatus Bononienſis ſumptu publico magnam partem cœnobii Servorum à fundamentis extruendam curavit.

n

ad ſedandas Italiæ turbas regreditur.

163 Sedatis Bononienſium turbis, Florentiam inde ire pergit eodem animo fiduciaque; ſed ad operoſiorem rerum molem; domi enim civitas communi illius ævi afflata peſte, ſuis ſecum viribus pugnabat, & foris ſimul cum externo hoſte vicinorum populorum, iiſdem prope odiis bellum gerebat. Accedebat ad multiplicium malorum ſummam, quòd jam per annos duodecim paſtore epiſcopo deſtituti, ſecuriùs ſimultates cæteraſque malas artes exercerent, diſcrepantibus in re utriſque ſalutari partium ſtudiis, ac neutris eum approbantibus, quem altera partium epiſcopum ſedi Apoſtolicæ nominaſſet; hoc ipſo, quòd adverſæ factioni probaretur. Interea Gregorius X Lugduno rediens, ex via & vita cæleſtem Romam migravit; eique in Pontificatum ſuffectus Innocentius V. Cùm moventes in Piſanos exercitum Florentinos diſcedere ab armis juſſiſſet, illique Pontificis imperio obſequenter paruiſſent, in gratiam fidemque recepti, ab eodem levandis animabus, multis magniſque ſpiritualis munificentiæ muneribus affecti ſunt. Ea inſolita ejus populi in damnandis ſemel ſumptis armis facilitas, concionum Philippi publicè per eos dies habitarum Florentiæ fructus fuit.

D

ANNOTATA.

a *Græcè* apathes *ſignificat Latinè hominem, qui* ſine paſſionibus *eſt, & hoc nomen componitur ex alpha privativo & ſubſtantivo* πάθος, *id eſt*, paſſio, *vel derivatur à verbo* πάσχω, *quod Latinis eſt* patior.

E

b *Jam ſuprà monuimus, iſtum beatum Alexium numquam ſacris ordinibus initiari voluiſſe. Unde biographus ex falſa hypotheſi hic aſſerit, eum non niſi perfuſum uberrimis lacrymis Miſſam celebraſſe, vel Gianius in Annalibus erravit.*

c *Acta hujus B. Julianæ de Falconeriis in Opere noſtro ad diem* 19 *Junii edidimus, & ibidem in appendice poſt Vitam ipſius tomo* III *Junii pag.* 923 *& ſequentibus legitimum hujus Beatæ cultum probavimus.*

d *Mortis locus, quem Dalæus hîc B. Alexio aſſignat in Monte Senario, concilari non poteſt cum ſententia eminentiſſimi Proſperi de Lambertinis, qui* § 2 *Commentarii noſtri num.* 25 *aſſerit, omnes Ordinis fundatores in illo Monte mortuos eſſe,* excepto Alexio, *cujus ſacræ reliquiæ poſtea ad eum Montem tranſlatæ ſunt.*

e *Pocciantius in Catalogo ſcriptorum Florentinorum pag.* 116 *alias hujus Servitæ lucubrationes enumerat.*

F

f *Hæc pietas S. Aloyſii Gonzagæ erga imaginem Deiparæ Annuntiatæ in Vita ejus apud nos tomo* IV *Junii pag.* 927 *&* 929 *narratur.*

g *Iſte Nicolaus anno Chriſti* 1265 *ex abbate Ordinis Præmonſtratenſis à Clemente IV Pontifice electus eſt epiſcopus civitatis Caſtellanæ, ut Ughellus in noviſſima editione Veneta Italiæ ſacræ tomo* I *col.* 598 *tradit.*

h *Majores noſtri ad diem* 16 *Aprilis Acta hujus B. Joachimi tomo* 2 *iſtius menſis à pag.* 454 *illuſtrarunt.*

i *Molanus apud Miræum in Bibliotheca eccleſiaſtica pag.* 161 *de hoc doctiſſimo Belga ſic habet,* Henricus à Gandavo, cognomento Goethals: (*hoc cognomen in lingua Flandrica ſignificat* bonicollium *vel* bonicollem, *ut hîc à Dalæo cognominatur*) archidiaconus Tornacenſis, à majoribus dictus DOCTOR SOLEMNIS, ſcripſit Theologica quotlibeta Pariſiis à Judoco Badio MDXVIII excuſa; item Summam quæſtionum ibidem editam. Obiit Tornaci anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio. *Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, Tritthemius, aliique paſſim bibliographi de viro illo docto meminerunt. Sed vix ullus ex iis hunc doctorem Pariſienſem Ordini Servita-*

A *Servitarum adſcribit, ſi excipias Antonium Poſſevinum noſtrum, qui tomo* I *Apparatûs ſacri pag.* 723 *id timidè facit his verbis:* Henricus Bonicolli Gandavenſis dictus DE GANDAVO, ex antiqua eutrachelorum, quos vulgò Goethalſios indigitant, familia in Belgio, Ordinis Servorum, ſi Chronico Servorum credimus, deinde archidiaconus Tornacenſis, à Scoto propter inſignem doctrinam commendatus, & in Pariſienſi academia DOCTOR SOLEMNIS appellatus, edidit Summam quæſtionum *&c. Alii negant, Henricum illum umquam Ordini Servitarum nomen ſuum dediſſe. Vide tamen Archangelum Gianium Centuria* I *Annalium lib.* 5 *cap.* 14, *ubi hunc eximium virum variis argumentis Ordini ſuo vindicat.*

k *Errat hoc loco biographus, dum Palæologum Græcorum imperatorem ad concilium Lugdunenſe veniſſe affirmat: hic enim tantummodo legatos ſuos ad illud miſit, ut alia occaſione in Actis S. Bonaventuræ tomo* III *Julii pag.* 857 *in Annotatis monuimus.*

l *Hic fuit Germanus III, qui patriarchatum*
B *abdicaverat, & ab imperatore Palæologo ad concilium Lugdunenſe miſſus fuit, ut in Hiſtoria chronologica patriarcharum Conſtantinopolitanorum ante tomum* I *Auguſti pag.* * 165 *fuſiùs explicatum eſt.*

m *Raynaldus in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 1273 *num.* 9 *refert, electionem hujus principis cælitus prænuntiatam fuiſſe.*

n *Hæc ſecta Flagellantium ex piis principiis orta, poſtmodum in hæreſim fœdiſſimam mutata eſt, ut laudatus Raynaldus in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 1260 *num.* 6 *& ſequentibus exponit.*

CAPUT XIII.

Fuga Sancti ad Piſtorienſes propter oblatam ei cathedram Florentinam, conciliata inter cives illos pax, periculoſa tempeſtas adverſus Ordinem Servitarum exorta, & patrocinio Deiparæ diſcuſſa.

C

XI. *Sanctus à Florentinis poſtulatus præſul,*

ITaque Philippus lucido illo civium ſuorum intervallo uſus, ad componendam alteram Reipublicæ partem, quæ epiſcopi defectu laborabat, concione advocatâ, gravi oratione damna atque incommoda ceſſationis eorum, ac diſcordiæ in deligendo paſtore demonſtrat; ac ſubinde in eam perniciem, ſummâ vi ſpirituque Apoſtolico, cum ſingulari moderatione conjuncto, perorans, hortatus eſt populum Clerumque (nam ad hos quoque communis factionum labes pervenerat) ut gregi Florentino penè jam in inferni lupi faucibus periclitanti, concordibus animis ac ſententiis paſtorem dicerent; cùm derepentè haud dubiè moti populi volentis jubentiſque conſonus clamor cooritur in hæc verba; EPISCOPUS NOSTER PATER PHILIPPUS ESTO. Ictus inopinato multitudinis decreto Philippus, ad eas voces non cohorruit ſolùm, ſed erubuit atque obmutuit etiam, eoque omnis omnino præclarus ille dictionis ardor per reliquum epilogum elanguit. Tamen concluſâ utcumque oratione, paulò pòſt etiam Florentiâ quàm occultiſſimè excedit. EX IMPRESSIS.

165 Florentinus interim populus & tota gens Eccleſiaſticorum in ſententiâ iiſdem, quibus in concione ſtudiis, perſiſtere; dicere, virum è prima civitatis nobilitate, eximiâ prudentiâ, & notâ ſanctitate, & ad omnia ſumma gerenda digerendaque natum, & quem prærogativa Cardinalitii collegii paucis ante annis dignum Pontificatu judicarit, utique præoptandum homini externo, qui ſedi Florentinæ immineat à Pontifice, niſi conveniatur; aliaque multa meritis ſancti Viri conſentanea inuſitatâ concordiâ publicè ac privatim conferre: ex quibus ſatis apparebat, non temerè & ex vulgi levitate conclamatum in Philippum fuiſſe. Sed Philippus jam dudum in ſimilibus ac majoribus etiam periculis humilitati ſuæ velificari doctus, fugâ ad Piſtorienſes elapſus, cùm in alium epiſcopum non ſatis conveniretur, aditum ad eum honorem reliquit externo (ut non abſurdè conjectabatur futurum) videlicet Jacobo Peruſino *a* ex familia Auguſtinianâ, qui ab Honorio IV ſummo Pontifice Philippo in epiſcopum Florentinum ſublectus eſt. Atque his quidem ſucceſſibus Florentiæ virtus ſe Philippi atque induſtria exeruit. *fugit ad Piſtorienſes,* *a* E

166 Cæterùm haud faciliora illi Piſtorii ex concilii paulò antè laudati decreto complananda reſtabant. Siquidem ea civitas, ſi qua ulla alia, efferatiſſimis ſpiritibus animiſque Guelforum Ghibellinorumque factiones ad exutam uſque humanitatem, quotidianis civilium irarum exemplis nutriebat; quæ illi inſania, ut erat cum cæteris Italiæ populis illius ſæculi infelicitate communis, ita difficilior in ipſis curatu erat, quòd ſuopte ingenio factioſa gens, cæterâ generoſa ac ſagax, omnem medicinam præter ſanguinis miſſionem reſpueret. Cui rei argumento eſſe poteſt, quòd extincta Guelforum ac Ghibellinorum, in generis humani excogitata perniciem, nomina in ea urbe longo intervallo ſub Atrorum Alborumque nomenclaturâ revixerint *b*. *quos ægrè ad concordiam adduxit,* *b*

167 Itaque ingenti operâ tam adulto tamque penitus inſito malo ſanando deſudandum Philippo fuit. Ille tamen rei difficultatem, infra animi ardorem habitam, Deo fretus magno animo ac forti aggreditur, nec minore perficit fructu; cùm enim ex ſuperiore loco in frequentiſſimo Piſtorienſium auditorio ardentem divino Spiritu & gravem terroribus orationem auſpicatus eſſet, ab illo Pſalmi verſu, " Super flu- " mina Babylonis illic ſedimus & flevimus, dum " recordaremur tui Sion ", deplorabilem ipſis ſtatum ſuum tam graphicè atque ad vivum ante oculos ſtatuit, ut ſui pudere primùm, mox etiam ſeriò pœnitere pleroſque inciperet. Horum ex numero quidam egregiè nobilis, cui Bonaventuræ nomen, Vannii de Bonaccuro filius, & ſuis & cæleſtibus civibus repentinâ mutatione ſpectaculo fuit. Is partium Ghibellinarum dux & anteſignanus erat; ferox animi juvenis & ex mala cauſa celebre magni bellatoris nomen conſequutus. Hic armatos exercitus timere neſcius, conſcientiâ & concione Philippi perculſus, damnatis ſceleratis armis artibuſque in cives ſæviendi, ſupplex ad Philippi veſtigia proſtratus, infimis precibus orat, ne gravetur ex animo ad Deum revertentem ſe Servorum miſericordiſſimæ Dominæ numero aggregare. *& unum ex præcipuis factionum ducibus* F

168 Ad ea Philippus, ſe quidem bonæ piæque voluntati ejus morem gerere, paratum dicere, ſi cum inimicis omnibus ac peculiariter cum *ad Ordinem ſuum admittit,*

EX IMPRESSIS.

adversâ factione, bonâ fide & meliore humilitate in gratiam rediisset, ac deinde ea omnia, quæ nefario atque injusto bello parta suos in usus convertisset, legitimis dominis ex integro restituisset. Iis conditionibus & præferocis animi experimentum capere, & sternere æmulaturis tam nobile exemplum viam Vir sanctus volebat, quâ compendio sed necessario, Deo ac justitiæ adjungi possent. Bonaventura utrumque accuratè præstitit, atque ita demum voti compos evasit. Philippus hoc hujus ducis tam opimum spolium sibi ac Deiparæ gratulatus, novæ militiæ novum tironem monitis, ex asceticæ philosophiæ sacrario depromptis armat, docetque, quemadmodum bene cœpta inoffensè prosequatur. Quæ Bonaventura monita tam altè in pectus demisit, ut inter Beatos census Ordinis Servorum, res gesserit tales, atque ita vixerit, ut eum titulum nomenque sine controversia factis æquaverit *c*, ut ex illius vitæ historia Italicè editâ liquet.

c

cujus exemplo, tum viri,

169 Verùm non stetit hîc concionum Philippi privatorumque monitorum vis & efficacia: plurimi enim ex utroque sexu illius civitatis ad ipsum, velut ad sequestrum, ineundæ cum Deo pacis affluentes, illius se totos arbitrio permittebant. Eos Philippus in duas classes sive sodalitia, alterum virorum, mulierum alterum, digestos, quid porrò deinceps agere, quidque omittere debeant, docet. Ac viros quidem, qui, prælucente Bonaventuræ exemplo, reliquam ætatem anteactæ vitæ suæ facinoribus deplorandis & acerrimâ pœnitentiâ vindicandis addixerant, quia ex sanguinariis illis vel inimicis vel commilitonibus Bonaventuræ erant, ne qua umquam oblivio injectam ipsis divinitus pœnitudinis mentem labefactaret, indutos rubris saccis, monimenta patratarum cædium perpetuò circumferre voluit; unde & Pœnitentium, & quod se publicè ad multum sanguinem cedere consuessent, Flagellatorum *d* Ordinis Servorum Beatissimæ Virginis nomen sortiti sunt. Ita & ipso cultu & suo cruore pro effuso olim alieno nobiliter purpurati & gloriosè sordidati, ingenti exemplo ac saluti sibi & civibus erant, & quotidianis incrementis in Christianâ pietate proficiebant, ductu præcipuè ac disciplinâ beati Patris Bonaventuræ, qui illis postea præfectus, haud segniùs quàm olim ad clades atque incendia, ad omnia Christianæ virtutis decora facem ipsis præferebat.

B

d

C

tum feminæ, ad pœnitentiam excitantur.

170 Nec minùs illustris fœminarum Pistoriensium, quàm virorum pietas fuit, ac fortasse hoc illustrior, quòd nullâ cæde aut scelere publico designato, arduam virtutis viam masculo animo, Philippo hortante, ingrederentur; quippe eodem tempore, quo viri suas metamorphoses moliebantur, aliquot è primariis ac nobilibus matronis, mixtis aliis mediæ fortunæ, concordibus animis votisque Deo placendi, habitum tertii Ordinis Servorum à beato Patre susceperunt. Atque ita indutis velatisque monialium more, chlamydatarum *e* (vulgò Mantellatarum) nomen à sumpto hoc philosophico pallio, inditum est, & in justam congregationem coalescens, procedente tempore, plurimas spectatæ virtutis virgines dedit, ut fusiùs in Annalibus demonstrat Gianius noster.

e

XII.

Dum gravis exoritur adversitas,

171 Dum hæc à Philippo domi forisque geruntur, & disciplinâ ejus ac primitio adhuc spiritu omnia domicilia fervent, eoque nomine & egregiis Philippi facinoribus in omnium amoribus sermonibusque Ordo Servorum versatur, ne videlicet tam lætis successibus vel efferret animos, vel per noxiam securitatem in ignaviam aut socordiam delaberetur, tempestas in eum divino permissu cooritur talis, in qua & Philippi fortitudo, & ipsius Ordinis firmitas, ac præsens in Servos suos Deiparæ Virginis tutela, non obscurè spectata est. Ejus rei hujuscemodi ratio fuit. Mortuo Gregorio X Innocentius quintus rerum potitus, nihil antiquius habuit, quàm ut decreta concilii Lugdunensis quàm primùm & quàm exactissimè propositum Patribus finem, effectumque sortirentur, &, cùm in primis illud (quod cum alio concilii Lateranensis decreto conspirabat) quo cavebatur de numerosiore in Ecclesiâ varietate Religionum: ut, si quis vocari se à Deo ad vitæ Religiosæ statum intelligeret, ad unam ex illis familiis approbatis atque ad paucas redactis sese adjungeret, novam nullam conderet, ac si quæ essent hac intempestivâ hominum licentiâ conditæ, eæ ex hujus decreti præscripto abolerentur. Et salubriter id quidem ac pro temporum illorum necessitate providè sancitum est; namque, ut est veræ Religionis simia atque umbra quædam superstitio, apud varios populos malè feriati homines ad imitationem clarissimarum familiarum quotidie novas, alio atque alio cultu vestium, aliis atque aliis nominibus legibusque comminiscebantur, & suapte authoritate, nullius suffragio propagabant. Quam rem daturam aliquando in Ecclesia Dei turbas, ut jam tunc cœperat, non absurdè Pontifices verebantur censebantque, ei libidini modum obicemque esse ponendum.

D

E

quæ Ordini Servitarum ruinam minabatur,

172 Cæterùm calamitas Ordinis Servorum in eo vertebatur, quòd in horum inauspicatorum Ordinum classem rejiceretur; quemadmodum Innocentio Pontifici faciendum videbatur. Qui proinde Cardinali Otthobono Ordinis protectori in mandatis dat, ut ad dicendam causam rationemque reddendam de suo Ordine, Generalem Servorum Romam citet. Philippus interea Pistoriensibus suorum comitiis præerat, magis de ornandâ, quàm de vendicandâ in sortem numerumque probatorum Ordinum religione suâ solicitus: cùm ecce Cardinalis litteræ superveniunt; quibus non modò dicta Patri Generali dies, sed interim etiam ex vi decreti imperatum est, ne ipse neve quisquam alius Superior Ordinis nostri deinceps quemquam vel ad habitum, vel verò etiam ad professionem admitteret, nec externorum confessiones excipere vel eorum cadavera apud se humare auderent; denique ne bona immobilia (quippe ut ad ærarium Pontificium devoluta jam) ulla ex causâ alienarent, distraherentve, sub anathematis ac dirarum pœna. Quibus omnibus id agebatur, ut velut præjudicatâ causâ omnes intelligerent, ex mente Pontificis inter expunctos per id decretum Ordines, Ordinem quoque Servorum censeri.

F

S. Philippus alios sodales consulit,

173 Perculit is nuntius non mediocriter Sanctum virum, sed ita tamen, ut adesset animo, & magnitudinem difficultatis haudquaquam humanis rationibus, sed cælorum Reginæ Primævæ Instituti Fundatricis viribus metiretur. Sed ne quid interim, quoad per ipsum staret, humanæ providentiæ desiderari posset, primores Patrum in Senarium montem evocat. Ac fortè per eos dies perquam opportunè beati Patres Sustenius & Uguccio, qui soli supererant ex septemviris nostris, senio ac laboribus confecti, è Germania Galliaque eódem, ut se ad felicem mortem compararent, supervenerant. Quibus, ac cæteris

A cæteris Patribus congregatis Philippus litteras protectoris recitat, quo res loco sit, demonstrat, ac deinde rogatis singulorum sententiis, quid in re tam arduâ atque ancipiti factu opus sit, exquirit. Patres qui de summâ rerum agi videbant, anxiè varieque animis spem inter & metum fluctuabant. Hinc aliquot Pontificum Ordinis confirmationes, Philippi spectata rebus in arctis arduisque industria, ac divinæ in suos providentiæ suavitas bene sperare jubebant; inde verò duorum conciliorum authoritas, summi Pontificis præjudicium, & rei, de qua agebatur, magnitudo, metum ac solicitudinem acuebant.

& ex eorum consilio ad Deiparam confugit,

174 Demum cùm undique angustiæ premerent, omnibus sententiis in id itum, ut ad Præsidium Dei Genitricis, unicæ Ordinis Conditricis, confugeretur. Itaque in omnibus Ordinis templis, supplicationes perpetuæ cum Antiphonæ SALVE REGINA cantu, è choro ad ejusdem Virginis sacella, concepto voto, præsenti huic periculo avertendo decretæ sunt, perpetuo ad posteritatem monumento futuræ, hunc Ordinem super Beatissimæ Virginis tutelam fundatum, atque sub ejus adquiescentem patrocinio, nullis neque hominum neque inferorum conatibus everti posse.

B Dehinc ad Philippum versi Patres rogant atque hortantur, ut pro sua sapientia operam det, ne quid res publica detrimenti capiat. Atque his aliisque rebus pro tempore ac discrimine in eo Patrum conventu actis, Philippus sacrificiis & obsecrationibus aliis, præter illa votiva, propitiando cælesti Numini indictis, & Patre Lotharingo, dum ipse abesset, ubique curare atque adesse jusso, præsertim adversus vim exterorum ac præsulum, siqua, pendente causâ, ingrueret; ipse properè ad Urbem iter arripit.

eaque obitu Innocentii IV Papæ

175 Cùm ecce vix viam ingresso nuntiatur, Innocentium Pontificem, exiguâ quinque mensium usurâ, delibato potiùs quàm gesto Pontificatu, morte sublatum esse. Qui casus ut in præsentiâ solicitudinem Ordinis Servorum nonnihil levasse visus est, ita creditum, nec temere, divinitus ea pœnâ multatum esse Pontificem, quòd eumdem Ordinem (cui, ut graves authores testantur, ante adeptum eum apicem parum æquum se ostenderat) delere cogitarit. Interea tamen, ut faciliùs oriuntur quàm occidant res adversæ, Marianæ Religionis calamitas authori suo

C supervivebat, quamquam, illo extincto, aliquantò æquabilior. Sed admirabilis quædam rerum commutatio, quæ per eos dies Romæ contigit, omnium, ac præsertim Philippi spem, majorem in modum erexerat; nam simul atque ad Urbem pervenit, Cardinalem Otthobonum, sub Adriani V nomine creatum Pontificem intelligit. Nec dubitabat, quin eum, qui multos per annos summâ fide summaque cum curâ patronum Ordinis Servorum egisset, tam propitium paratumque ad conservandam vindicandamque haberet ab interitu Religionem, quàm studiosum ejusdem evertendæ Innocentium paulò antè expertus fuisset.

& favore successoris ejus dissipatur;

176 Accedebat præterea ad hæc affulgentis spei momenta, quòd Hadrianus ex longo protectionis usu, ortum, progressum, ac statum Ordinis pernosceret, teneretque præsenti memoriâ; quæ ipse ad firmitatem hujus Instituti à summis Pontificibus prædecessoribus suis impetrasset. Ad hæc, opinio ejusdem Pontificis de Philippi sanctitate, dignâ ab eo Pontificatu aliquando judicatâ, quâ illi ante novennium, & hunc ipsum Pontificatum vaticinatus fuerat, & arduas res communi Ecclesiæ universæ & privato Ordinis sui bono præclarè gesserat; omnia ex voto laborantis dubio discrimine Religionis successura spondebat; ut afflicta Religio in uno Pontifice & patronum sortita videretur & judicem. Neque ea absurda ratiocinatio fuit. Cùm enim ad primum ejus affatum admissus Philippus luculentiùs apud satis conscium veritatis eorum, quæ afferebantur, pro Ordinis sui ab illis duorum conciliorum decretis indemnitate disseruisset, Pontificem in omnibus consentientem habuit. EX IMPRESSIS.

sed hoc non diu post moriente,

177 Sed Deo Optimo Maximo & maximæ Matri ejus, qui claratam Servi sui Philippi constantiam, & reliquorum Servorum tolerantiam exercitam, atque his ipsis viis magis ac magis stabilitam rem Servitanam volebant, placuit exemplum statuere, quo demonstraretur, neque odio cujusquam ruere, neque solo humano favore stare ea, quibus ipsi æternitatem decrevissent. Ac proinde ut nuper Pontifex Innocentius excidium Ordinis meditatus, post quintum mensem sublatus est, ita Hadrianus V in omnia alia pronus, intra mensem ab inito Pontificatu mortuus, divinæ providentiæ quoad difficultates nostras suum cursum reliquit: magnus sanè vir & supremo honore dignissimus, ut qui difficillimis ad Germanos Britannosque legationibus perfunctus, miserè collapsam Christianam disciplinam illis in regnis restituerit. Quibus aliisque plurimis laboribus & affectâ ætate fessus, ac de Ordine nostro optimè meritus, ad æternæ felicitatis splendidius sacerdotium transivit. E

Sanctus rem juridicè examinari jubet,

178 Is casus tam alieno tempore tametsi nonnihil affecit Philippum, non tamen de statu dejecit, quin majore animo cœpta persequutus, omnes ad novum Pontificem Joannem XXI rei bene gerendæ aditus rimaretur. Itaque Joannem Ursinum Cardinalem, qui apud Pontificem gratiâ atque authoritate plurimùm pollebat, aggreditur, & suum facit: eoque deinde agente, benignè auditus à Pontifice, editis & voce & scripto documentis, quibus Ordinem suum duobus illis conciliorum decretis minimè peti probabat, solidè graviterque suorum causam oravit; effecitque tandem, ut Pontifex porrectum super ea causâ apologeticum libellum, advocatis Consistorialibus Pontificii juris consultissimis, exa-

F minandum daret; juberetque, eosdem, ut ad se cum fide referrent, quæ juris esse censuissent. At Philippus, quamquam ea initia satis læta viderentur, speraretque, lite semel contestatâ, si non præcipitaretur, omnia salva fore; tamen, qua erat solicitudine ac prudentiâ, præter hos, alios similium rerum in Urbe scientissimos jurisconsultos ad causam adhibendos putavit, ut quàm plurimis suffragiis & faciliùs & glorioſiùs Ordo Servorum, in periculosissimâ causâ absolutus, triumpharet.

& ex sententia summi Pontificis

179 Neque eum spes fefellit; quippe tam constituti à Pontifice, quàm conducti ab ipso Philippo juris-consulti concordibus sententiis statuerunt, illa duo duorum conciliorum placita contra Ordinem Servorum, ut subnixum fundatumque in authoritate Sedis Apostolicæ, omnino nihil facere, & in eam quoque sententiam ad Pontificem, ut erant jussi, retulerunt. Quibus ille permotus, auditis, quæ in utramque partem, quæstioni subjecta fuerant, ad extremum ita statuit. Quoniam Religio Servorum minimè comprehenderetur in numero eorum Institutorum, quæ ab utroque concilio perstringebantur, placere,

EX IMPRESSIS.

cere, ut is Ordo ſuis legibus vivat, vigeatque ut hactenus, imperturbatus ad varietatem decoris domûs Domini & communem Eccleſiæ utilitatem.

cauſam ſuam vincit.

180 Atque hic exitus fuit periculoſiſſimæ, quæ ad eum diem in hunc Ordinem umquam commota eſt, procellæ. Quæ cùm Superûm benignitate, & Philippi ſummâ moderatione, in hunc modum innocuè detonuiſſet, habitis Deo ac Soſpitrici Virgini gratiis, ac ſalutato tum Pontifice tum Cardinale Urſino, beatus Pater ad montem Politianum proficiſcitur; ubi Patres illius juſſu ad comitia convenerant. Quò ubi pervenit, & Patres, dubii apud curiam Romanam eventûs exſpectatione ſuſpenſos, conſolatus eſt, cauſæ communis victoriâ, & eos, qui illis velut antiquatis jam atque eliminatis ex verorum Religioſorum numero, importunis vociferationibus inſultabant, Pontificio reſcripto repreſſit; atque, ut deinceps ei inſolentiæ generi obviam iretur, præter alia ad Religionis decorem facientia, in illis comitiis decrevit, ut Religioſi publicè pro concionibus & privatim in familiaribus colloquiis auditores de privilegiis
B Ordinis, & Pontificum repetitis confirmationibus ejuſdem, ac denique de Pontificis Joannis XXI decretoriâ, amotâ lite, ſententiâ certiores facerent. Quod cùm impigrè præſtitum eſſet, celeriùs, quàm invaluerat, ea de Ordine noſtro temere concepta opinio evanuit.

ANNOTATA.

a *Hic Jacobus, cognomento Caſtelbonus, patriâ Peruſinus, non ex Ordine Auguſtiniano, ut Dalæus hoc loco perperam aſſerit, ſed ex Ordine Prædicatorum ad cathedram Florentinam anno* 1286, *adeoque poſt mortem* S. Philippi, *evectus eſt, eamque poſt quadraginta dies moriens reliquit, ſicut Ughellus in jam ſæpe citata Italiæ ſacræ editione tomo* 3 *col.* 128, *& Echardus in Bibliotheca ſcriptorum Dominicanorum tomo* 1 *pag.* 403, *teſtantur.*

b *Jannotius Manettus in Hiſtoria Piſtorienſi, quæ inter ſcriptores Rerum Italicarum tomo* 19 *edita eſt, ibidem col.* 1014 *originem harum factionum explicat, & librum primum Operis ſui col.* 1018 *concludit his verbis:* Hæc Piſtorienſium cancellariorum rixa ac diſſenſio & Piſtorium
C & Florentiam, & totam denique Italiam vehementer corrupit, & ita quidem corrupit, ut mutatis, quemadmodum ſuprà diximus, Guelforum ac Ghibellinorum nominibus, ALBI & NIGRI ubiqui appellarentur.

c *Hic Bonaventura Piſtorienſis obiit die* 14 *Decembris, ut Gianius Centuriâ* 1 *Annalium lib.* 7 *cap.* 2 *in elogio illius teſtatur. Non graventur itaque PP. Servitæ nobis immemorabilem vel publicum hujus venerabilis ſodalis ſui cultum probare, ſi eum Operi noſtro ad diem* 14 *Decembris inſeri cupiant.*

d *Hanc piam* flagellatorum *congregationem diſtinguere oportet ab hæretica Flagellantium ſecta, de qua ſuperiùs mentionem fecimus.*

e *De monialibus & origine tertii Ordinis Servitarum conſule Philippum Bonannium noſtrum in Catalogo Religioſarum pag.* 89 *& ſequentibus, vel Hippolytum Helyotum in Hiſtoria Ordinum Religioſorum & militarium tomo* 3 *cap.* 41, *quos cum Gianio in Annalibus Centuriâ* 1 *lib.* 2 *cap.* 1 *ægrè conciliabis.*

D

CAPUT XIV.

Florentiæ pax inter Guelfos & Ghibellinos à Sancto confirmata.

XIII. *Nicolao III Pontifice electo,*

IGitur perfuncta tam periculoſâ jactatione Religionis Servitanæ cymba, parùm abfuit, quin, vixdum ſatis refecto armamentario, novis fluctibus è portu rurſus in altum fluctuatura raperetur: nam cùm digreſſus ad comitia perficienda Philippus, ad corroboranda bene cœpta regrederetur ad curiam, tempore ac propenſâ Pontificis voluntate in rem debilitatæ Religionis uſurus, magno dolore ſuo certior fit, Joannem Pontificem deceſſiſſe *a*. Sed cùm poſt ſemeſtris *a*
interregnum demortuo Joanni ſucceſſiſſet, aſſumpto Nicolai III nomine, is ipſe Joannes Urſinus Cardinalis, à quo aditum ad agendam apud Pontificem cauſam ſuam Philippo patefactum fuiſſe, paulò antè commemoravimus, tum E
verò reſpirare ſeſeque demum ex integro erigere afflicto Ordini licuit: nam præter inclytæ gentis Urſinorum univerſæ inſitam ac perpetuam erga familiam noſtram benevolentiam, ex nuperâ familiaritate Philippus ita charus acceptuſque Pontifici evaſit, ut, cùm is ex ſorore nepotem ſuum F. Latinum Malabrancam Cardinalem creaviſſet, ei Philippum adjunxerit, theologi nomine, adjutorem, ac viciſſim eumdem nepotem, Ordini Servorum tali præſidio jam diu orbo protectorem dederit: id quod ad recuperandam Religionis dignitatem, & adverſus vim ac violentiam multorum, quâ frequenter exercebatur, plurimùm valuit.

Philippus egregium juvenem in Ordinem ſuum recipit,

182 Interea, appetente comitiorum tempore, bonâ novi protectoris venià ad Burgum Sepulchri deſtinatum ad id operis locum ſeſe confert, & ibi ex more luculentam ad populum ejus loci orationem habuit; in qua illam Chriſti Servatoris noſtri ſententiam Lucæ 14. " Qui ,, non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non po- ,, teſt meus eſſe diſcipulus ,, , tantâ, & tam divinâ facundiâ diduxit, ut ex auditoribus quidam, cui Andreæ nomen, bono loco natus, parentibus ac divitiis valere juſſis, ſupplex Apoſtolico Concionatori ad genua provolutus cooptari oraret ab ipſo in numerum Servorum cælorum Reginæ; qui voti reus, poſtquam magnos in virtute progreſſus, præſertim in ſolitudinis & vitæ aſperitate feciſſet, & ex ſtudiorum ſimilitudine, ut fit, illum inter & aliquamultos Apennini eremitas amicitia, ac rerum æternæ ſalutis commercia & neceſſitudines interceſſiſſent, eos omnes ex vagâ illâ, & tametſi rigidâ, tamen parum tutâ noſtris temporibus, vitâ traduxit ad Ordinis ſui inſtituta ſectanda anno MCCXCIV, aliaque multa præclarè geſſit; quibus inter ſeptem beati Philippi diſcipulos locum & nomen BEATI *b* promeritus, ab Annalibus noſtris celebratur. *b*

& ab imperatore in Germaniam accerſitus,

183 Interea deſtinatis in Germaniam Galliamque vicariis generalibus, qui trepidos illic noſtros anxioſque de exitu moti nuper in Religionem belli erigerent ac ſolarentur, legati ab Rudolpho Cæſare ad Pontificem adſunt, qui inter alia, imperatoris ſui nomine, ab eo enixè petebant, ut, quoniam per imperium variæ ac noxiæ ſectæ graſſarentur, idque malum in dies latiùs ſerperet;

A peret; consideretque imperator Philippi Generalis Servorum spectatâ virtute, & Apostolico spiritu, obvium iri posse ei pesti, cum ad se primo quoque tempore Pontifex legare vellet. Ad cætera Pontifex legatis perbenignè, & ex sententia imperatoris respondit; de Philippo, tametsi nihil in præsentiâ negarit, paulò difficilior fuit; quòd Florentinus ac Bononiensis populus, sub id ipsum tempus, fessi fractique domesticis factionum malis, missis legatis, à Pontifice ut à communi generis humani parente peterent, ut interpositâ authoritate suâ, pacem inter laceratæ reipublicæ partes componeret. Quam provinciam, ut extra ordinem & integris olim partium viribus odiisque, bene aliquando administravit Philippus; ita eum rursus ei necessario operi administrum Pontifex designaverat.

priùs à Papa Florentiam mittitur,

184 Sed caput erat difficultatis, quòd Cardinali Malabrancæ nepoti, ad eos populos conciliandos, & recipiendam à Bononiensibus toparchiam Æmiliæ legato, adjunctum Philippum volebat: cujus apud eos populos sanctitas atque authoritas ex recentibus factis summâ in opinione erat, ut earum contemplatione faciliùs salutaria consilia ad aures illi populi, atque ad animos admitterent. Neque Pontificem opinio fefellit: nam Bononienses & Æmiliam tradiderunt legato, & factionum principes, authoritate legati, & Philippi veneratione permoti, privata odia sua, atque inimicitias bonâ fide reipublicæ condonarunt. Quibus feliciter confectis, ordinataque civitate, ac cæterâ provinciâ, legatus cum Philippo ad Florentinos transgreditur. Ea videlicet erat inveterata mali vis, omnibus illius miseræ reipublicæ venis ac visceribus altè lateque hausta, ex vanissimâ duorum nominum, Guelforum, & Ghibellinorum causâ. De quibus cùm frequens nobis hactenus mentio fuerit futuraque deinceps sit, in gratiam lectoris & claritatis rerum, quas agimus, originem ac fontem, unde tot cladibus nobilitata nomina manarint, hoc loco commemorare non spero ab instituto alienum fore.

B

ut duas factiones, quarum origo

185 Variant in rei decantatissimæ origine prodendâ authores; quæ ipsa ejus reperiundæ difficultas prodere videtur, funesta nomina apud inferos in generis humani perniciem esse excogitata, & à Furiarum aliquâ ad miscendam rerum naturam terris invecta. Ea tamen videtur omnium maximè verisimilis, quam aliqui in hunc modum recensent. Rogerius Siculorum rex annis ab hinc ferè centum veritus, ne, si Conradus III Augustus in Italiam veniret, regno ab eo pelleretur (Cæsarum armis, Siculorum dominatui semper infestis) missis in Germaniam oratoribus, hostem Guelfonem Ducem Bavariæ in Cæsarem concitavit, belloque ibi conflato, ex Italia, Duci, & suo, & (ut viribus sanctitatis speciem adderet) Pontificis Maximi, cujus se beneficiarium profitebatur, nomine, ingentia misit auxilia. Cum his signa contulit Henricus Cæsaris filius, in oppido Ghibellino natus, quo etiam memoria natalium, velut gentilitio cognomine gaudebat. In hac igitur acie, iô Ghibelline; in altera, iô Guelfo, clamabatur, & ex eâ die servatum, ut Guelfi Pontificum, Ghibellini partes Cæsarum dicerentur.

C

& progressus explicantur,

186 Sed penè jam extincta ea nomina & deleta ex hominum memoriâ, scelere Friderici secundi pro tessarâ cædium atque incendiorum futura, recruduerunt. Is enim justâ Gregorii Pontificis irâ diris devotus, eâ re exasperatus adeo est, ut per Frangipanios, summæ potentiæ cives Romanos, Pontificem urbe depellendum curarit, atque apertè cum eo, & cum Ecclesiâ, quique Ecclesiæ partes tuebantur, bellum gerere instituerit. Itaque ab eo tempore Italia in duas distrahi partes cœpta, aliis imperii, aliis Ecclesiæ opes sequentibus; quorum hi Guelphi, Ghibellini illi vocati. Quæ factiones per multos pòst annos Italiam tenuere; atque ad ultimum exitium redegere; per Hetruriam præsertim, Lombardiam, Romaniolam, & Marchiam crudeliter grassatæ. EX IMPRESSIS.

& quæ diuturno odio flagrabant,

187 Neque verò solùm aliæ civitates imperatorem, aliæ Pontificem sequutæ, infestis inter se armis animisque decertarunt, sed in ipsismet etiam singularibus urbibus eò furoris ac vesaniæ processerunt, ut alii imperatori, alii Ecclesiæ studerent, atque se inter se pellere civitatibus & spoliare bonis, inexpiabili stimulante odio, niterentur. Ut igitur ea pestis præcipuè Hetruriæ incubuit, ita metropolim ejus Florentiam, novem annorum pace ac felicitate luxuriantem, omnibus cladibus deformavit, duabus principibus familiis Buondelmontium atque Amideorum inter se collisis. Quarum secutæ auspicia, vel furorem potiùs, aliæ septuaginta duæ patritiæ familiæ in partes abiere. Triginta novem ad Guelfum cum Buondelmontibus, reliquæ ad Ghibellinum cum Ubertis adjunxere sese. Nec segniùs in partium studia, quàm tragicas in clades itum. Quibus tunc primùm finis fuit, cùm accisis utrimque civitatis viribus, sponte suâ mutuæ internecionis sâtietas armis vel inducias vel justitium indixit. E

inter se conciliaret.

188 Ita ex longo experrecti veterno Florentini vanitatem certaminum suorum & Guelforum ac Ghibellinorum nomina, patriæ reique privatæ naufragio facto, docti suo malo grammatici declinare *c* tandem didicerunt. Cæterùm sub istis nominum larvis personata optimatum ac plebis ambitio, primas in republicâ partes ad se trahentium, bacchabatur. Optimates insito nobilitatis malo cum imperatore Ghibellini, penes se, id est, paucos imperia atque honores, exclusâ plebe, esse volebant, dominationis littora quàm proximè legentes. E contrà Guelfa plebs, Ecclesiæ subnixa viribus, campum & popularia comitia (in quibus viri fortes, sive plebei sive patritii essent, ex æquo honores adire ac gerere possent) perurgebant. Verùm, cùm nullus esset certaminum finis, & ipsi tum Ghibellini tum Guelfi satis viderent, sine arbitro nihil ad pacem confici posse, invitâ concordiâ, ut dicere instituit, Pontificis fidem atque authoritatem invocavere. *c* F

Licet ea res initio parum succederet,

189 Sed enim ut lethaliter saucii ad vulnerum suorum aspectum territi, periculo monitore, illicò quidem impatienter implorant medicum; at ubi is venit & contrectare malum, expedire ferrum, manus salutares admovere cœpit, majore, quàm quâ imploratus fuerat, impatientiâ repellitur; ita Florentini quamquam mutuis afflicti cladibus sauciæ civitati ac penè confectæ medicos quæsivere, oblatos tamen à Pontifice scientissimos, legatum à latere nepotem, & Philippum popularem suum primâ statim curâ repulerunt. Etsi enim initia rerum omnia secunda pollicebantur; quòd magno apparatu, & magnis communis lætitiæ significationibus legati exciperentur, Cardinalisque velut jactis pacis concordiæque fundamentis, tam grato adventu ad felicis rei æternum monumentum extruendo, ad divam Virginem, quæ NOVELLA dicitur, magnifici operis templo, primum

EX IMPRESSIS.

primum lapidem suâ manu summâ cum celebritate locarit; deinde tamen ad cætera perficienda conversus, partes tam tenaces reperit pessimi instituti sui, ut, re infectâ, desistere in præsentia cœptis, & quod Philippus suadebat, transactionem in aliud tempus rejicere coactus sit.

tamen Sanctus paulatim proficit,

190 Interea Philippus & sibi privatim & omnibus Hetruriæ cœnobiis ac sodalitiis, quæ placandæ divinæ iræ & flectendæ hominum tantæ pervicaciæ opportuna videbantur, indixit. Tum ipse obire civium potentiorum domos, hortari, obsecrare, terrere, placare, denique nihil reliqui facere, quod obstinatis animis in tam conduplicatis tenebris vel lucem aliquam afferre, vel inferre salutarem vim posset, donec obrutos rationum ponderibus, convictos conscientiis, perculsosque impendentium malorum, (si durare animo staret) metu, eò perpulit, ut manus darent, & se in legati & Philippi potestate futuros, sine ambagibus pollicerentur. Quare, Deo bene juvante, quæ res paulò antè incredibilis superatu videbatur, Philippi divinâ efficaciâ & veneratione prorsus complanata, & ad Pontificis ac legati votum confecta est.

B

partis unius duce ad Ordinem suum admisso,

191 Quin ad tantæ rei auctarium, non solùm flexi ad pacem & Christianam humanitatem civium animi sunt, sed etiam Philippi fulminibus multi altiùs afflati, rebus humanis, arreptâ severioris vitæ ratione, nuntium remiserunt. Inter quos secundum Philippi opinum in hoc belli genere spolium Ubaldus, ex nobilissima Adimariorum familiâ, Ghibellinarum partium dux ad Deum conversus, nobile de se, &, quod multorum animos ad idem decus provocavit, spectaculum præbuit. De quo, à Philippo in Servorum ac deinde etiam in Beatorum *d* album ob egregia merita relato, hoc loco, quæ digna memoriâ ab ipso patrata sunt, in medium adducemus, nisi alio loco id opportuniùs fusiusque facere animus esset.

d

pacemque tandem mutuis matrimoniis firmat.

192 Cæterùm compositis hoc successu ex æquo & bono partium controversiis, ut nemo civis Florentinus expers esset obortæ repentè salutis, de restituendis patriæ exulibus eâdem felicitate actum. Sexaginta familiæ Ghibellinarum maximè partium redierunt, iisque bona sua, quæ, illis urbe ejectis, publicata fuerant, ex integro

C

restituta sunt. Porrò ut ea pax non modò rata, sed firma etiam ac perpetua foret, neve recurrente præteritarum simultatum memoriâ, labefactari aliquando posset, connubiis atque affinitatibus inter se optimatum, ei periculo Philippus cavendum putavit; effecitque eodem industriæ cursu, ut Uberti cum Buondelmontibus, Adimarii cum Tasingis, Pazzii cum Donatis, cæteræque principes factiosorum familiæ horum fœderum sanctitate coalescerent. Pro quibus omnibus piè fortiter ac feliciter gestis, Senatus populusque Florentinus, quòd Philippus Benitius Ordinis Servorum Generalis, ruentem ad interitum rempublicam servasset, pacem ac cives civitati reduxisset, bene magnam pecuniæ summam perficiundo divæ Virginis Annuntiatæ templo decernendam censuit, eâque ex senatûs-consulto numeratâ, ei magnifico operi coronidem imposuit. Nec cessit eadem ob causas Florentinis vel benevolentiâ in Philippum, vel religione in eam basilicam, Cardinalis: quippe qui & per semet eam ecclesiam piè adeuntibus largâ benignitate indulgentias impertiverit, & majores impertiendi Pontifici avunculo author fuerit.

D

ANNOTATA.

a *Is est Joannes XXI istius nominis Pontifex, anno* 1277 *ruinâ labentis cubiculi obrutus, ut fusius apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad hunc annum num.* 19 *legi potest.*

b *Cum Andreas ille ultimo die Augusti obierit, ut in Annalibus Servitarum Centuriâ* 1 *lib.* 7 *cap.* 1 *traditur, & jam ad finem istius mensis properemus, dignentur PP. Servitæ nos de legitimo illius cultu tempestivè monere.*

c *Allusio est ad verbum æquivocum* declinare, *quod evitare aliquid, & nomina more Grammaticorum inflectere significat.*

d *Hic Ubaldus in Annalibus Servitarum Centuria* 1 *lib.* 6 *cap.* 12 *dicitur anno* 1315, *die* 9 *Aprilis obiisse, quem nostri Majores ea die omiserunt. Cum verò Daleus hic asserat, eum propter egregia merita numero* beatorum *adscriptum esse, discere cupimus, quo tempore & à quo in album beatorum relatus fuerit.*

E

CAPUT XV.

Iterata Sancti profectio in Germaniam, res ibi gestæ, beneficia accepta, reditus in Italiam & comitia ibidem celebrata.

ATque his anni hujus MCCLXXX hyeme Florentiæ actis, & ad Pontificem per Latinum Cardinalem cum honorificâ Philippi commendatione atque industriæ summâ laude relatis, Pontifex tam prospero rei difficillimæ exitu gavisus, tantò libentiùs diuturno Rudolphi Augusti desiderio Philippi missione gratificatus est, quantò clariore experimento exquisitæ viri prudentiæ jam toties periculum feciſſet. Itaque anno sæculi hujus octuagesimo *a* Philippus Pontificis jussis & Cæsaris voluntati morem gesturus, Patre Lotharingo interim Italiæ rebus cum vicariâ potestate præfecto, ipse secundò in Germaniam iter instituit; eóque delatus, & ad Rudolphum adductus, pro arcta veteris amicitiæ necessitudine atque exspectationis diuturnitate perhonorificè ab eo perque benignè exceptus est. Perfuncti deinde salutationum officiis, in familiare colloquium veniunt. In eo Cæsar totum animum suum, & universas in administrando imperio consiliorum suorum rationes Sancto viro ad arbitrium aperit: ac subinde, quia ipsum omnium Religiosorum in hac Catholicâ expeditione militum designaverit ducem, quantum ab eo speret, quidque præstitum velit, in compescendis sectariis ac reducendis ad officium Bavariæ, Bohemiæque principibus, qui imperium detrectabant, fusè graviterque exponit.

XIV. *Sanctus ad imperatorem profectus,*

a

F

ei felicem belli exitum prænuntiat,

194 Ad quæ Philippus; præter alia se in hoc ipsum à Pontifice missum, ut quantum ferret virium ac reliquæ facultatis tenuitas, suæ majestati præstò ac præsidio esset; proinde uteretur, quò vellet, qualicumque operâ suâ; nihil enim esse, quod non ipsius & Ecclesiæ tam justâ causâ subire cupiat. Cæterùm bono animo esset; confidere se, divini Numinis præsentem opem tam bonæ menti, tamque salutaribus molitionibus af-

futuram.

A futuram. Nec vana ea vaticinatio fuit; quippe comparatis duobus juſtis exercitibus, Rudolphus, debellato brevi Boiorum duce, copias in Ottocarum Bohemiæ regem duxit; qui ſuperbiâ atque opum fiduciâ exultans, uſque ad contemptum Rudolphi invaſam Auſtriam ſuæ ditionis fecerat. Sed eum victum acie Rudolphus apud Niderſpurgum fudit fugavitque, ac denique ſupplicem ad ſe venire coëgit *b*.

b

ejuſque conatus concionibus promovet,

195 Quæ dum in acie à ſagato Rudolpho geruntur, à togato Philippo Pontificii atque imperatorii concionatoris tituli haud perfunctoriè explentur; nam ſuis & eorum, quos ducebat, concionibus & conſiliis privatis effecit, ut alii ſumpta in Cæſarem impia arma ponerent, alii pacem veniamque recuſati imperii orarent; alii, ejuratâ hæreſi, redirent cum Eccleſiâ in gratiam; denique permulti etiam, damnatâ præſentium rerum fugacitate ac fallaciâ, in variis familiis ac præcipuè in noſtrâ Servorum Deiparæ, Religioſam vitæ actionem complecterentur. Ita armis artibuſque pacis perdomiti imperii atque Eccleſiæ perduelles deinceps imperata fecerunt.

B *& variis afficitur beneficiis,*

196 Cæterùm imperator tanti æſtimavit ea Philippi merita ipſiuſque Ordinis glorioſæ Servitutis dignitatem, ut non ſolùm omnibus domiciliis noſtris per univerſum imperium ſuum ampliſſima privilegia atque immunitates dilargitus ſit, ſed ipſe etiam ſuſcepto unà cum Auguſtâ conjuge geſtoque ſub purpurâ & paludamento habitu Tertii Ordinis noſtri, Frater Ordinis Servorum *c*, ac Servus Deiparæ omnino appellari à noſtris, imò verò etiam eſſe voluerit. Equidem reputanti mihi hanc ſummi imperatoris benevolentiam, penè infra majeſtatem exercitam, atque hæc eadem, quæ ipſum inter & Philippum tantâ familiaritate & ſignificatione initæ neceſſitudinis geſta ſunt, ſub hæc in Germaniâ familiæ noſtræ exordia, & cum reditu jam noſtro in eamdem Germaniam (unde à ſectariis odio Dominæ & nominis noſtri exacti eramus) comparanti videri ſolet, ſingulari Reginæ cælorum, ac Dominæ noſtræ beneficio factum eſſe, ut occulto quodam divini Spiritus inſtinctu hæc inclytiſſima Auſtriacorum gens in hunc Ordinem peculiari ac penitus inſitâ quadam amoris ac pietatis teneritudine feratur.

c

C *quibus biographus addit*

197 Etenim ut de Rudolpho deque priſcis illis temporibus ea ſufficiant, quæ hactenus retulimus (quamquam nulla umquam oratione noſtrâ ille illius Auguſtæ memoriæ Principis gratificandi nobis vaſtus animus æquabitur) & de temporibus hiſce noſtris loquamur; quibus ab hac eâdem Auguſtiſſimâ familiâ in Germaniam reſtituta ac reſtaurata Religio noſtra eſt: ea extitit, Auguſtiſſimi ac religioſiſſimi imperatoris Ferdinandi II (cujus memoria in æternâ benedictione erit) in Ordinem noſtrum pietas, ut ex æquo cum Rudolphi I pietate certans, vel æquare vel ſuperare benevolentiæ illius contentionem viſus ſit. Certè enim non modò ipſa ſua Cæſarea majeſtas, & cum Auguſtiſſimâ conjuge Eleonorâ, & Auguſtis omnibus liberis, ingenti in cælorum Imperatricem religionis atque obſequii exemplo, ante annos ferè quindecim habitum confraternitatis noſtræ induit, & plurimis è purpuratis ſuis, ut idem obſequii genus capeſſerent, author fuit; ſed etiam aliquot cœnobia attribuit, atque attributis talia privilegia honorumque prærogativas dedit, quæ ſacræ Cæſareæ majeſtatis ſuæ in familiam noſtram pietatem animumque poſteritati facundiſſimè teſtabuntur. De Auguſtiſſimo Ferdinando tertio, paternarum virtutum non minùs, quàm potentiæ herede, deque ſereniſſima Imperatrice Maria Hiſpaniarum infanta, conjuge pientiſſimâ; quia verecundiam eorum alio loco fatigavimus, hîc plura dicere ſuperſedebimus. EX IMPRESSIS.

198 At de ſereniſſima ſorore, Anna Juliana Gonzaga, Archiducis Ferdinandi Tyroleos Principis viduâ, quæ revocandi in Germaniam Ordinis noſtri principium fecit, quando aliquam rationem inire Auſtriacæ in familiam Servorum munificentiæ amoriſque cœpimus, tantò minùs tacendum eſt, quòd & ſoluti humilitatis ipſius curâ liberiùs ſcribere & ſecuriùs cælo illatam laudare poſſimus. Hæc cùm ſuam & ſereniſſimæ filiæ, ſororis Annæ Catharinæ regiam dotem (exſtructis magnificè fundatiſque tribus cœnobiis, uno monialium clauſtralium, primi; altero tertii Ordinis noſtri monialium Tertiariarum; tertio Patrum Servorum, OEniponte) liberalitate planè Auſtriacâ profudit; poſt omnia ſua iis operibus impenſa, demum ſe ipſam & unà ſereniſſimam filiam in Ordine noſtro Deo ac beatiſſimæ Matris ejus obſequio conſecravit. In quo mater, ſuperſtite adhuc filiâ (& ô ſit quàm diutiſſimè) ſervitute bene ſervitâ, ante annos fere duodecim ſupremum diem clauſit, non ſine juſtâ opinione ſpectatæ ſanctimoniæ, ut ex Opere, quod de rebus geſtis ejus confeſſarius typis dedit *d*, conſtare poteſt. Omittimus hoc loco, quæ ſumpto itidem habitu noſtro, hujus heroïnæ filia, Anna imperatrix, Matthiæ Auguſti Auguſta conjunx glorioſæ memoriæ, & fecit & facere matris exemplo deſtinaverat, conſecrato in trium cœnobiorum fundationem magno auri pondere, ſi conjugi valetudinario ſupervixiſſet. Quæ illius ſalutaria & honorifica Ordini noſtro (cujus inſtitutum profiteri ſtatuerat) conſilia licèt immatura mors diſcuſſerit; teſtamento tamen, quo animo in nos eſſet, legatorum munificentiâ ſatis declaravit. *plura recentiora,* E *d*

199 Sed quid ſereniſſimus archidux Leopoldus celebrandæ memoriæ, Ferdinandi ſecundi Cæſaris frater, & in fovendâ Servitanâ gente æmulus? Cujus vivi tanta non ſolùm humanitas, ſed cura etiam ac ſolicitudo de nobis fuit, prorſus ut res ſuas, cùm noſtras ageret, agere videretur. Cujus benevolentiæ beneficentiæque conſtructum inſtructumque liberaliter à ſe archiducale monaſterium in Tyroli, ad montem Waldraſtenſem, præſentiſſimo Beatiſſimæ Virginis patrocinio ac frequentibus miraculis nobilem, æternum monumentum nobis poſteriſque exſtat. Eamque ejus in nos benevolæ beneficæque mentis propenſionem, tum nativâ ſponte ſuâ, tum Sereniſſimi conjugis exemplo, ſereniſſima Archiduciſſa Claudia Medicea ſtrenuè benigneque proſequitur. Sed claudat beneficum hoc & æternitate memoriæ dignum agmen Auſtriacorum, ſereniſſimus Archidux Leopoldus Wilhelmus, Imperatoris Ferdinandi ſecundi filius, & tertii frater, Ordinis in Germaniâ noſtri protector ſingularis, nec non ſereniſſimæ archiduciſſæ ſorores, Maria Renata regina Poloniæ, & Maria Anna, electrix Boiariæ; qui licèt exſtructis cœnobiorum monumentis pietatem, propenſionemque ſuorum animorum in Servitutem noſtram Marianam nondum declararint, iniquitate magis temporum, quàm voluntatum defectu; tamen tantis tamque prolixis favoribus, ac beneficiis Ordinem noſtrum (cujus habitum, ut cæteri omnes, in Germania Auſtriaci Principes, etiam infantes, ſub purpuris geſtant) proſequuntur, ut pietatem, quam *quæ Domus Auſtriaca* F

EX IMPRESSIS.

quam ſub eodem habitu gerunt, magno noſtro emolumento ſolatioque luculenter ſereneque prodant.

& Bavarica in Ordinem ſuum contulerunt.

200 Huic ſereniſſimæ Auſtriacæ, non minùs ſanguine, quàm pietate cognata ſereniſſima Domus Bavarica, eâdem in eamdem Servitutem noſtram religione curaque ejus provehendæ fertur. Id quod ſereniſſimus Ferdinandus Elector Colonienſis, dato Ordini noſtro dotatoque liberaliter cœnobio S. Crucis, prope civitatem ſuam Bonnam, ſuperis mediiſque teſtatum voluit. Nec minore favore fervoreque ſereniſſimus Elector Maximilianus, ejus frater, interpoſitâ apud ſummum Pontificem ſuâ ſapientiſſimi potentiſſimique Principis authoritate, opus promovet, quod Ordini noſtro per aliquot jam ſæcula in primis votis fuit, nimirum hujus ipſius beati Patris Philippi canonizationem. Ac præterea jam dudum ipſe conſecratus, duos ſuos promiſſionis ſereniſſimos filios, velut alter fidelis Abraham, per habitûs noſtri lugubris ſuſceptionem, Beatiſſimæ Virgini obtulit in ſervos & conſecravit. Id quod de ſe, deque ſuo ſereniſſimo Filio Alberto Sigiſmundo fecit ſereniſſimus ejus frater Dux Albertus. Habet itaque Religio noſtra, duarum in imperio Romano Domorum maximarum ſuffulta tam præſenti præſidio ac favore, unde ſperet, reponenda ſibi, quæ per duo jam ſæcula acatholicorum violentiâ & odio nominis ſui adempta deſideravit.

B

S. Philippus in Italiam reverſus,

201 Sed ut ad cœptam hiſtoriæ ſeriem redeamus, ex qua nos Rudolphi Cæſaris prolixa in Ordinem Servorum ſtudia digredi coëgerunt; Philippus exacto in hac expeditione Germanicâ biennio, editiſque ad ſummum Cæſaris ſolatium, imperiique emolumentum ſingularibus ſanctitatis ſuæ prudentiæque documentis, petitâ atque impetratâ ab imperatore miſſione, in Italiam revertit, comitiis generalibus Viterbium ad Kalendas Maias promulgatis interfuturus. Et quia in eo conventu de rebus gravibus ac de muniendo in futurum adverſus ejuſmodi calamitates (qualibus aliquamdiu hactenus Ordo æſtuaverat) decernendum fuit, placuit eódem etiam, quamvis grandævos accerſere beatos Patres Uguccionem & Suſteneum, ut ex ſenili & multorum annorum uſu collectâ defæcati ſpiritûs prudentiâ, unà in medium conſulerent.

C

ad comitia vocat duos ſenes,

202 Poſtquam conventum eſt, conſiliis ſententiiſque collatis, inter eos convenit, ut beatus Pater Philippus & beatus Pater Lotharingus Stuffa, & Bonaventura Piſtorienſis ſummam rei & conſultorum in ſe ſuſciperent, ac Romam proficiſcerentur, & à novo Pontifice, Martino IV (qui mortuo Nicolao tertio ſucceſſerat) poſtquam ei univerſi Ordinis nomine aditum honorem fuiſſent gratulati, peterent, orarentque, ut aliquot anteceſſorum conceſſa Ordini Privilegia & confirmationes, ac præſertim decretoriam de nuperis controverſiis proximi prædeceſſoris Nicolai tertii ſententiam, rata in poſterum ac fixa, dato reſcripto, eſſe juberet; & quoad id efficeretur, Patres Romæ rerum actis intenti ſubſiſterent.

qui paulò pòſt moriuntur,

203 Interea beati Patres Uguccio & Suſteneus, regreſſi ad Senarium ſuum, ubi mortem pro votis, quibus diſſolvi & eſſe cum Chriſto optabant, operiebantur; cùm inter ſe per viam, de Ordinis ortu progreſſuque per annorum quinquaginta ſpatium, ac de præſenti ſtatu ejus, longè lateque per orbem prolato, deque aliis divinæ circa incolumitatem & gloriam ejuſdem providentiæ, prodigiis, ſermocinarentur, ac deinde naſcentibus, ut fit, ex aliis aliis ſermonibus, ad collegarum ſuorum memoriam, & felicem eorum ex hac lacrymarum valle ad beatas ſedes migrationes rememorandas, delaberentur, ac demum prolongatione incolatûs ſui, & deſiderio cæleſtis patriæ, in lachrymas ſoluti, diuturnitatem exilii ſui deplorarunt, ecce è propinquo vocem exaudiunt, diſtinctis articulatiſque in hanc ſententiam verbis ſolantem: " O Servi Dei „ & Mariæ, parcite lamentis; brevi à laboribus „ veſtris quieſcetis „: eoque cæleſti oraculo mirificè recreati beati ſenes, paulò pòſt, in Monte Senario collecti ad Patres ſuos in ſenectute bonâ, pleni dierum & meritorum, eâdem die atque adeo horâ eâdem, placidâ morte quieverunt.

D

& quorum felicem tranſitum abſens vidit.

204 Fortè per eos dies Philippus Româ Florentiam reverterat, promotis apud Pontificem publicis negotiis, illaque nocte, quam ultimam illud beatum Patrum par in terris egit, ei viſio in quodam mentis exceſſu objecta eſt, qua duo candicantia lilia de terrâ ſuccidi, eademque Beatiſſimæ Virgini in cælo offerri, ſibi videre videbatur, eoque oſtento, illuſtrante intrinſecus mentem divino Spiritu, illico intellexit illa duo lilia Uguccionem ac Suſteneum eſſe, ad æterni veris amœnitatem perpetuò vivendam, à Deiparâ Virgine invitatos. Itaque ſummo mane inſequentis diei, convocato Patrum cœnobii Florentini cœtu, ac rei oblatæ ſerie narratâ, eos de pretioſâ horum avorum morte certiores facit: gauderent proinde ac gratularentur ſibi, ea duo lilia ex præſenti ærumnarum convalle tranſlata, & perpetui viroris paradyſi hortis inſerta, æternâ felicitate gaudere æternumque gaviſura *e*. Proinde, inquit, filii, eos dilectos beatos Patres noſtros, qui nobiſcum atque ante nos laboraverunt in Euangelio, ac viam vitæ ſuo vobis exemplo ſtraverunt, & innocentiæ meritorumque ſuorum luce commonſtrarunt, mecum in vota vocate, ut propitii ac volentes apud communem Dominum efficiant, ut, quam nobis ad æternam gloriam, viam factis ſuis præiverunt, tutò ac feliciter ſequi poſſimus. Author eſt nobilis eques, Nicolaus Burgeſius *f* in Opere, quod de rebus geſtis Philippi ſcriptum reliquit, præter alia cæleſtia chariſmata, quibus eum Deus cumulatiſſimè Spiritûs ſancti ſui unctione decoravit, inſignem fuiſſe cæleſtium ſecretorum, per frequentes extaſes, communicationem: quibus, cùm altiſſimè plerumque abſorberetur, ubi ad ſe redibat, prophetico ſpiritu multa de rebus futuris atque abſentibus in illo mentis æſtu fundebat, quæ, ut prædicebantur, fideliſſimè eveniebant. Ex quibus hoc factum exempli gratiâ placuit, ut opportuno loco, cæteris prætermiſſis, adducere.

E

e

f

F

ANNOTATA.

a *Hæc narratio non ſatis aptè ſuis diviſa eſt temporibus: jam enim anno* 1278 *Rudolphus de Ottocaro Bohemiæ rege retulerat victoriam, quam Nicolaus III Pontifex ei gratulatus eſt, ut ex hujus litteris apud Raynaldum in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 1278 *num.* 44 *liquet. Non rarò Dalæus in ſimiles parachroniſmos incidit, quos partim aſſignavimus, partim erudito lectori detegendos reliquimus.*

b *Si hæc anno* 1278 *contigerint, ut mox diximus, quomodo* S. Philippus *primùm anno* 1280 *ex Italia in Germaniam diſcedens, hanc victoriam*

A *riam jam relatam Rudolpho prædicere potuit ?*

c *Helyotus in Hiſtoria Ordinum Religioſorum & militarium tomo* 3 *cap.* 41 *pag.* 320 *hnic aſſertioni non exiguam difficultatem opponit.*

d *Joſephus Maria Barchi ex Ordine Servorum, qui ſereniſſimæ huic principi fuit à confeſſionibus, hanc Vitam edidit, quæ deinde ſæpius recuſa eſt.*

e *Hi beati duo ſenes anno* 1282, *die* 3 *Maii obierunt, ut Gianius in Annalibus Servitarum Centuria* 1 *lib.* 4 *cap.* 11 *tradit.*

f *Nicolaus Borgheſius nobilis Senenſis ſeculo* XV *Vitam* S. Philippi *conſcripſit, ut* § 1 *Commentarii prævii num.* 6 *obiter monuimus.*

CAPUT XVI.

Pleraque illa, quæ Sanctus mortis ſuæ præſcius Forolivii, Florentiæ, Senis, ac Tuderti egit.

B

xv. *Sanctus Forolivii verberibus exceptus*

INterea cùm, præſago hoc eodem ſpiritu, intelligeret Philippus, illud exoptatiſſimum tempus inſtare atque adeò in propinquo jam adeſſe, quo, depoſitâ corporis ac magiſtratûs ſarcinâ, feliciter migrandum ſit, ut & ſolari ſuos, & omnia ubique ad perpetuitatem ritè conſtituere poſſet, pleraque Ordinis cœnobia ſupremùm ſibi luſtranda putavit. Itaque obitis pleriſque Italiæ urbibus, Forolivium acceſſit, non tam ad viſitandos ſuos, quàm (ut quibuſdam authoribus placet) juſſu Martini IV Pontificis Maximi, ut eam urbem, quæ per id tempus, parente reliquâ omni Æmiliâ, Pontificis imperium detrectabat, ad officium ac ſaniora conſilia reduceret. Philippus (jam ſimilibus turbis componendis feliciter exercitus) magno animo provinciam aggreditur, & confluente ad famam opinionemque ſanctitatis ejus totâ urbe, concionem habet more ſuo ardentem ac gravem; & in ea, Apoſtolicâ libertate Forolivienſium inteſtina inter ſe odia, & in ſacroſanctum Principem impietatem perfidiamque redarguit, atque omnia mala præſentia impendentiaque, quæ defectiones ſequi ſolent, ſi ad ſaniora conſilia advertere animos noluerint, denuntiat.

C

pro percuſſoribus orat,

206 Sed ea illius oratio diverſos diſſimileſque in auditorum animis motus creavit: nam quibus præſentior mens animuſque memor religionis fuit, ad lamenta plena pœnitudine, & ad Dei & Pontificis converſi obſequium, imperata facturi videbantur: at alii, ac præſertim efferatorum juvenum globus, qui factionis Ghibellinæ veſaniâ imbuti erant, nullâ ſancti honeſtive ratione habitâ, facto in concionantem impetu, eum arripiunt, pulſatumque, ac flagris miſerandum in modum cæſum, eum pari verborum indignitate ferociter civitate proturbant: ſed Philippus eâ tam inſigni contumeliâ incredibiliter lætus, quantum ſibi de toleratis Chriſti exemplo injuriis gratulabatur, tantùm animo angebatur, ne ea violentia authoribus noxæ eſſet. Ergo, ut erat malè multatus, totoque corpuſculo miſerè contuſus, ſeſe in genua erigit, ac primùm Chriſto & Beatiſſimæ Virgini gratias agit, quòd ipſorum causâ, ſibi quidquid id incommodi eſſet, perpeti contigiſſet, ac mox in preces quàm ardentiſſimas incumbit pro violatoribus ſuis.

EX IMPRESSIS.

ex quibus unum Ordini ſuo aggregat,

207 Non fuerunt irritæ eæ preces: quippe ex illâ injurioſorum juvenum catervâ unus, nobilitate generis & ferociâ animi primarius, qui præter communem operam, ejiciendo multandoque Philippo navatam, eum impactâ in os inſigni alapâ percuſſerat, ſceleris ſui atrocitate ac pœnitentiâ perculſus, ad urbis principem eccleſiam proripuit ſeſe, & illic in genua coram effigie quâdam Deiparæ Virginis, cujus alioqui ſingularis cultor erat, in genua ſubſidens, illatæ Servo injuriæ ſuppliciter à Dominâ veniam expoſcit; oratque (quoniam fixum ſit aliter deinceps vitæ rationem inſtituere) id conſilium ſuum libens ac propitia regere ac deducere dignaretur. Vix precandi finem fecit, cùm miſericordiæ Mater, poſtquam ſe juveni, miro pœnitudinis ſenſu delibuto, viſendam obtuliſſet, eum Servos ſuos adire jubet. Quod ſtrenuè exequuturus, ſine morâ ſe in viam conjicit, & Philippum haud procul urbe conſequutus, ad ejus ſe pedes abjicit, inter lacrymas ac ſingultus, doloris ingenuos indices, atrocis offenſæ veniam precatus, ordine exponit, quid à beatiſſimâ Virgine in mandatis acceperit: orare proinde ſe, ut, quamvis immerito ſibi violatæ paulò antè per ſummam veſaniam Religionis habitum impertiatur.

E

qui poſtea ſanctitate claruit,

208 Ad ea Philippus lætâ tam repentinæ mutationis admiratione perfuſus, acceptum benevolè juvenem Senas, ubi comitiorum occaſione voti damnandus eſſet, præcedere jubet. Quod cùm ille, arrepto in Hetruriam itinere, perficeret, angelus ſe ipſi, haud dubiè cuſtos, aſpectabili ſpecie viæ ducem adjungit, & Senas uſque lætum atque incolumem deducit. Hic eſt Peregrinus ille, qui poſtquam eſt in Ordinem admiſſus, vitæ genus aggreſſus eſt & pœnitentiæ operibus & virtutum omnium luminibus ac miraculis adeo illuſtre, ut (quæ Philippi orationis efficacia fuit) Stephani Paulus videri potuerit. Ob quæ decora ac nota ſingularis ſanctimoniæ argumenta à Paulo V Pontifice Maximo noſtrâ demum ætate in Beatorum numerum eſt relatus *a*.

a

& tandem Forolivienſes Pontifici ſubdit;

209 Cætera, ut quæque ab illo geſta ſunt, quia alio fortaſſe loco perſequuturi ſumus, nunc Philippum decedentem provinciâ ad triumphum aſſectabimur. Cùm igitur non ſolùm Peregrinus, ſed omnes etiam Forolivienſes, Philippi primùm concionibus & mox precibus ad ſaniorem mentem rediiſſent, præſidiumque Pontificium, ejecto Vidio de Monte Feltrio, adverſæ factionis ductore, ac Joannem quemdam Ducem Gallum recepiſſent, eoque univerſa Æmilia in Eccleſiæ ditionem eſſet redacta, Martinus IV Pontifex, auditâ operâ, quæ in eam expeditionem aliaſque complures ejus generis collata à Philippo fuerat, eum pro meritis remunerari decrevit.

F

quam operam Martinus IV remuneraturus,

210 Et quia ſatis intelligebat, quantopere ei cordi eſſet, quantumque in id laboris & curæ apud ſuperiores Pontifices impendiſſet, ut Ordo ejus per aliquot jam annos periculosè oppugnatus duobus illis ſæpe memoratis conciliorum decretis, tectus atque incolumis perſiſteret, præterea etiam notam ac perſpectam haberet firmitatem eorum, quæ tum ab ipſo Philippo, tum ab advocatis Conſiſtorialibus ad Ordinis defenſionem adducta fuerant, exiſtimavit, nullâ in re Philippo ſe acceptiùs gratificaturum, quàm ſi eum atque Ordinem univerſum hoc periculo & curâ, quæ illos diu jam ac moleſtè exercuerat, dato rei finiendæ diplomate liberaret. Itaque accito

EX IMPRESSIS.

Perusium, ubi tunc Pontifex agebat, F. Henrico de Gandavo, qui Parisiis DOCTOR SOLEMNIS est dictus *b*, & à Philippo ad propugnandam communem causam collega & adminisler accitus fuerat; ei potestatem fecit, ut in publico purpuratorum Patrum consessu, super eâ causâ prolatis in medium rationibus, verba faceret.

b

perorante Henrico de Gandavo,

211 Henricus, ut Pontifici morem gereret, & verò optatæ gerendæ rei opportunitati non deesset, insigni oratione summam rationum complexus, postquam & senatus est datus, qua erat summâ doctrinâ ac dicendi copiâ, tanto splendore ac dignitate dixit, ut omnibus in sui admirationem raptis, quæ voluit, haud dubiè persuaserit. Quod cùm inter dicendum ex studio audiendi, tacitisque versorum in se vultuum approbationibus sagax conjector animadvertisset, peroratione, quàm maximè ad movendam sanctissimi Instituti commiserationem aptâ usus; motis convictisque omnium animis, demississimâ supplicatione institit, ut Pontifex ac Patres Ordinem Servorum, ab ipsa beatissima Virgine divinitus fundatum, nominatum novo nomine, novo modo

B

ex infantium & lactentium ore, à tot summis Pontificibus approbatum, à S. Romanæ Ecclesiæ tot Cardinalibus protectum, à tot regibus principibusque receptum ditionibus, cultumque omni veneratione, ac longè latéque per orbem Christianum prolatum respicerent tandem, eumque mœrore ac solicitudine confectum, traductum sininistris opinionibus, vexatum iniquorum hominum injuriis, denique à motâ illi hac lite obnoxium cujusvis violentiæ, erigerent, ac pristinæ gloriæ dignitatique, ex tot miraculis rebusque ab ejus hominibus fortiter ac mirabiliter gestis partæ, restituerent. Cæterùm se, ut qui non suam, sed æternæ Virginis Matris Dei causam agat, de eventu æquo animo esse ac confidere, consumptâ omni humanâ industriâ, eam sibi & causæ suæ minimè defuturam, idque sensurum quemcumque malo suo, qui impiam illi litem movere, quàm illiùs tueri ac sustinere causam, maluerit.

Ordinem ipsius confirmare statuit,

212 Quæ cùm summo silentio & secundis tam Pontificis, quàm Cardinalium voluntatibus, audirentur, satisque appareret omnibus, vera solidaque afferri; Pontificis Joannis XXI sententiam, quâ is Ordinem Servorum geminis illis conciliorum decretis excluserat, de communi totius augusti senatûs assensu approbavit, ratamque

C

ac veram pronuntiavit; decrevitque id ad perpetuam rei memoriam, amplissimo dato diplomate, & concessis insuper ad afflictæ Religionis solatium, majoremque ejus paulò antè depressæ splendorem, novis privilegiis. Quo sanctissimi Pontificis tam effuso studio lætus Frater Latinus Cardinalis, illico ad Philippum litteras dedit, quibus eum ad Curiam, quæ tum Perusii erat, adesse jubebat.

quod etiam, eo mortuo, successor spondet.

213 His ille acceptis, quamprimum iter capessit, debilitato itinerum ac pœnitentiæ laboribus corpusculo, asello insidens, cùm ad eum diem omnia itinera pedes confeciisset. Interea ad Religionis ac Philippi exercitium huic rursus rei penè confectæ mors Pontificis intercessit, magno Philippi & omnium Servorum mœrore. Sed cùm in ejus locum sublectus esset Pontifex Cardinalis Jacobus Savellus, qui postea Honorius IV est dictus; isque quàm primum Perusio Romam petiisset, eum Philippus secutus est, &, agente Latino Cardinale, cœptam causam Ordinis apud eum magnâ contentione egit. Pontifex perbenignè acceptum bene sperare jubet, fore, ut cœptum in ejus atque Ordinis gratiam negotium propediem à se confectum detur.

D

Florentiæ mortem suam prædicit

214 Quo responso utcumque recreatus Philippus, ad comitia, quæ in diem v Idus Maji promulgata fuerant, relictis Romæ Patribus, qui causæ vacarent, ipse Florentiam est profectus. Quò ubi pervenit, postquam ad solennia vota B. Julianam de Falconeriis *c*, aliosque multos utriusque sexûs tertii Ordinis per semet suscepisset, operamque suprematn generalibus comitiis, cæterisque Ordinis publicis rebus accuratissimam dedisset, omnibus ritè ordinatis & constitutis, advocato omnium PP. concilio, in hunc modum locutus fertur: Jam anni ferè duodeviginti sunt, Filii & Fratres in Christo dilectissimi, à quo communis Dominæ ac Matris nostræ imperio, & vestrarum consensu voluntatum, impar hoc viribus meis supremi vestri regiminis onus utcumque gessi, & instante resolutionis meæ tempore (ut mihi per suam immensam benignitatem Deus significare dignatus est) satis intelligo, me ad curriculi mei metam perveniisse. Quapropter condecere video, ut & vos aliquid à vobis, si non pro meritis, certè pro necessitate meâ summâ impetrari patiamini, & ego vobis pro facultatis tenuitate, ut pientissimis filiis, quos extremùm alloquor, ea relinquam, quibus vivere, ac sustinere statum vestrum, eumque ad posteros cum dignitate propagare valeatis.

c

E

in concione ad Patres habita,

215 Atque ad me quidem quod attinet, quando mihi subducendi administrationis meæ rationes causa indicta est, quæ comperendinari ultra statutum diem non potest, æquum esse existimo, tantum mihi temporis otiique concedi, quantum accepti cælitus atque expensi rationibus reddendis sufficiat. Cæterùm vobis ipsis satis constat, cujusvis fidelis & cordati servi esse, antevertere adventum Domini sui, ut, cùm venerit, & pulsaverit, intrepidus bonæ conscientiæ testimonio confestim aperiat ei. Eapropter priusquam lux ista vitalis occidat, & se dies condat ad agendum datus, gestâ tam diu animarum vestrarum curâ, ut meæ, quod supereit temporis, impendam, bonâ vestrâ veniâ secedere in solitudinem Senarii nostri decrevi, ut me illic aliquot dierum exercitatione ad supremam luctam ac migrationem comparem. Vobis interea, quos relinquo, unum, in quo omnium plenitudo continetur, hereditatis nomine lego, atque id quidem

F

ipsum, quod Servator noster transiturus ex hoc mundo ad Patrem suis discipulis legavit; videlicet, ut diligatis invicem: quo ex mandato cùm omnia pendeant, sitamque in se omnem utriusque vitæ felicitatem, ac totam cujusque profectûs tam publici quàm privati summam habeat, mandata omnia, consilia, virtutes, legem denique universam & prophetas complectatur, utique suapte præstantiâ, & Christi Domini commendatione augustius est, quàm ut à me vobis commendari necesse sit. Si tamen vobis aliquid mihi tribuendum esse videtur, ut hoc tribuatis, per eum, qui dilexit nos & se ipsum tradidit pro nobis, supremùm vos oro, atque obtestor.

& Vicarium sibi substituens,

216 Hæc aliaque in hanc sententiam super hoc argumento prolocutus, positis genibus, oculisque in cælum defixis, primùm ardentissimâ oratione commissos in magistratu errores deprecatur, deinde cum lachrymis divini Numinis providentiæ delectum gregem suum commendat; oratque enixè, ne divina ejus benignitas sinat, ut post discessum suum ab infernis lupis invadatur terreaturve. Quamobrem de sufficiendo sibi pastore,

A ſtore cum Patribus agere aggreſſus, eis P. Lotharingum Stuffam, ſpectatæ prudentiæ induſtriæque virum, proponit pro Generali & Procuratore Ordinis apud Pontificem futurum. Placuit omnibus providum conſilium, quamquam diſpliceret illius capiundi neceſſitas: nam de Philippo ea in omnium animis inſita opinio erat, ut omnia ab ipſo geri fierique Spiritûs ſancti magiſterio crederent: & Patris Lotharingi perſpecta arduis in rebus virtus Philippi prærogativæ omnium cæterorum ſuffragia adjunxit.

ad montem Senarium ſe confert,

217 Eo igitur in Vicarium generalem & Procuratorem Ordinis apud Curiam Romanam ſic electo, & ſalutaribus documentis, à Philippo, pro tempore inſtructo, converſâ ad cæteros Patres oratione, beatus Pater certas ac ſtatas pro Religionis incolumitate preces numquam omittendas injunxit, & inter alias præcipuè illas breves, quas à Matutino & Completorio uſurpamus: SUB TUUM ſcilicet PRÆSIDIUM &c. cum adjunctâ precatiunculâ. Inde perfectis comitiis, poſtquam Fratribus & ſenatui Florentino cæteriſque neceſſariis ſupremùm valedixiſſet, ad ſolitudinem
B montis Senarii & ad eam ſpeluncam, in qua olim, ut ſuo loco eſt dictum, duos annos habitu Fratris converſi exegerat, proficiſcitur, & poſtquam duos illic menſes in ſuaviſſimâ contemplatione & acerbo vivendi, ſuique præter morem caſtigandi modo vixiſſet, comitantibus Patre Lotharingo & Patrum Hetruriæ primoribus, Senas, inde Tudertum abiturus contendit.

ac dein Senii Ordini adſciſcit puerum,

218 Senas ingreſſo puer duodennis, Franciſcus nomine, nobili genere ortus, ſe offert, & fervore in tantillâ ætate plus quam veterano, infimis precibus orat; ut ſibi Servorum beatiſſimæ Virginis habitûs & convictûs gratiam facere dignetur. Philippus hinc teneram ætatem, inde adoleſcentuli ardorem, ſuis utrumque momentis penſitans, cùm neque admittere conſultum, neque rejicere in manifeſtâ divinæ vocationis evidentiâ tutum videretur, mediâ ad illum ſolandum ſervandumque viâ uſus, habitu tertii Ordinis induit; in quo apud parentes degere juſſus uſque ad firmiorem ætatem, integro decennio, Deo magiſtro, novitius in ſæculo egit eâ integritate atque innocentiâ, ex qua futura ejus ſanctitas facilè conjici poſſet. Quæ ſanè & admiratione & imitatione digniſſima extitit, tum miraculorum multitudine, tum ipſa inſtitutæ vitæ ratione.
C

qui poſtmodum miraculis ſplenduit.

219 Ac ne omnia hoc loco perſequar (quod fuſè facit in Annalibus noſtris Gianius) illud in hoc Franciſco memorabile eſt, quòd præter revocatos ad vitam quinque mortuos, perpetuo per tres annorum centurias & ampliùs miraculo, hodie etiam incorruptum corpus ejus ſpectetur Senis in Hetruriâ. Quin etiam paucis poſt obitum diebus candidum ex illius ore lilium egerminavit, in cujus ſingulis foliis, aureis inſcriptum litteris AVE MARIA viſebatur. Id lilium ab rege Francorum per legatum petitum, atque impetratum à Patribus ac ſenatu Senenſi, ad noſtram uſque ætatem conſervatur Lutetiæ Pariſiorum: ex quo flore apud eam gentem multus ſanctitatis Franciſci ac bonus odor fragat. Ei miraculo cauſam fuiſſe credibile eſt, quòd hic angelus, totâ vitâ virgo, quingenties omni die Dominam ſuam hac ſalutatione Angelicâ ſalutare conſueverit *d*.
d

Inde Tudertum veniens

220 Hoc ergo adoleſcentulo in tantum, quantus poſtea factus eſt, virum evaſuro, Religioni, quà licuit, aggregato, Philippus Patres Senenſes de deceſſu ſuo mœſtos ſolatus, Tudertum ire conſtituit, ac de viâ Peruſium divertens, Honorio IV, qui eâ tempeſtate Pontificatum gere- EX IM-
bat, & Cardinali Latino protectori Religionem PRESSIS.
ſummâ cum curâ comendat. Inde acceptâ Pontificis benedictione, & ſalutato protectore, cœpto itinere Tudertum ire pergit; ſed ita, ut quoad fieri poſſet, vias publicas, & hominum obviam prodeuntium & eum officioſè proſequentium frequentiam, inveſtigatis ſemitis & viarum occultiſſimis, devitaret. Etiam hiſce ultimis vitæ diebus ſingulari quodam ſtudio, ſolitudini & tranquillitati mentis ita deditus erat, ut in cælo, quò erat propediem venturus, jam eſſe videretur.

magno honore excipitur.

221 Verùm, quò ille enixiùs hos honores & veneraciones hominum fugiebat, tantò illum arctiùs & prolixiùs ubique ſequebantur; certante cum humilitate ejus, divinâ in eo evehendo providentiâ: nam vix ad pedem montis, in quo ſitum eſt Tudertum, vetuſta & nobilis Umbriæ urbs, devenerat, cùm motâ repentè univerſa civitate, uno eóque inter ſe non collato conſilio, omnes Ordines, Clerus, nobilitas, viri, mulieres, pueri, puellæque, non ſecùs ac reduci, partâ magnâ victoriâ, imperatori alicui portis ſeſe E
obviam effunderent, vulſiſque olearum frondibus, aliiſque viroribus & floribus, plenis calathis certatim ſparſis viam ſternerent, fauſtis acclamationibus (Benedictum venire Servum Domini inſonantibus) ſuam in urbem non ſoſpitem ſed ſoſpitalem Divum deducturi. Hos atque eorum apparatus eminùs conſpicatus Philippus, & pro familiari ſibi ſuâ humilitate, tam plauſibilem triumphalis pompæ ſpeciem averſatus, illico, verſo aliorſum itinerè, ex viâ venientibus decedit, SOLI DEO, SOLI DEO HONOR ET GLORIA, ingeminans. Itaque vitatis novi ſuburbii foruli & portâ civitatis, cui à S. Cruce nomen eſt, per varias ad latendum fallendumque inſequentes ambages, properè verſus viam Urbevetanam proripit ſeſe: ratus, illic ſe incognitum in urbem per averſam Vallis portam penetrare poſſe.

& in via duas meretrices

222 Sed properanti ſalutarem injecit moram occurſus duarum fæminarum, quæ, ſuadente inopiâ atque libidine, duabus malis conſultricibus, infami corporis quæſtu vitam tolerabant. Has obvias factas Philippus facilè, quod erant, ex impudentiâ geſtibuſque fractioribus cognovit eſſe meretrices, & ſimul de illis dæmoni eripiendis & Chriſto mancipandis, rationem init. Fortè illæ priores B. Patrem cum ſociis procacibus jocis atque dicteriis ſalutatos exceperant: num ſanctuli quid attuliſſent interrogantes? Ad F
quæ Philippus, ut qui ſalutem illis afferebat, cùm annuiſſet, cœpit ex Seraphico illo pectore monita ſalutis promere, & altè gravitérque exorſus, miſeris illis Veneris mancipiis enormitatem ſcelerum ſuorum, & præſens, in quo verſarentur diſcrimen, ſi non in tempore reſipiſcerent, ſic ad vivum ob oculos poſuit, ut conſternatæ illæ & ab jocis ad lamenta, à riſibus ad ſingultus & lachrymas verſæ, & demum etiam ad Deum converſæ, tam probroſam atque exitialem vitam magno cum periculi ſui horrore execrarentur; ad extremum lachrymis & pudore coopertæ, accuſatâ nonnihil inopiâ, quæ ipſas ad cætera mala manuduxiſſet, humillimè à Philippo pacem veniamque precantur. Quas ille magno commiſerationis ſenſu ſolatus eſt; deinceps bene ſperare juſſas donari tantâ pecuniâ curavit, quantâ opus erat ad eas per triduum honeſtè ſuſtendandas.

ad pœnitentiam adducit;

223 Interea jubet omni ope & operâ, juſto de peccatis ſuis dolore, & ſalutaris emendationis propoſito Deum placarent, & ſe ad exactam, de anteactâ

EX IMPRESSIS.

anteactâ vitâ confeſſionem præpararent; tum ipſis, unde reliquum vitæ piè tolerare poſſint, curatum iri: nec dubitare ſe; quin cætera, quæ ad perficiendam converſionem requiruntur, bonus ac miſericors Deus ſubminiſtraret. Hoc illæ ſolatio recreatæ, omnia, quantum in ſe ſitum fuerit, Dei auxilio ex Philippi præſcripto perfecturas ſe pollicentur, atque inde ab eo digreſſæ in urbem, veteris Samaritanæ modo meliores factæ, Philippi ſanctitatem, charitatemque ſtrenuè paſſim deprædicant, & exacto deinde triduo, peccata ſua per exomologeſin apud Philippum expiant. Hæ deinde, illo authore, cuidam domui prope Aquam ſpartam in oppidulo, cui Arnolfæ nomen eſt, ad eluendas lachrymis pœnitentiæ, animæ ſuæ maculas incluſerunt ſeſe. Eo loco deinde monaſterium eſt conditum monialium noſtri Ordinis, quod hac etiam noſtrâ ætate viſitur, & originem ſuam ad has duas fœminas refert. Earum una Helena, altera Flora vocabatur, & hoc loco uſque ad ſupremum diem magno pœnitentiæ & ſanctimoniæ exemplo viventes, præter æternam felicitatem meruerunt mortuæ in album
B Beatarum *e* Ordinis noſtri referri.

e ſed fruſtra ſiſtere nititur

224 Inde urbem Vallis portâ, ut cœptum eſt dici, harum duarum animarum & vitati ambitioſi honoris ſpolio clarus ingreditur. Ac ne ſic quidem fefellit obſequioſæ civitatis induſtriam; quin ingenti frequentiâ populi non exciperetur modò, ſed vel invitus fauſtis acclamationibus adventum gratulantium deduceretur domum: illum verè virum Dei, illum peccatorum conver-
C ſorem; illum, ægrorum cæleſtem medelam, ac Dei amicum benedictum venire in nomine Domini. Quibus vociferationibus incredibiliter offenſa Philippi humilitas, ægrè impetratâ brevis ſilentii gratiâ, modeſtiſſimâ indignatione; Si nos vobis, inquit, Tudertini, pacem afferimus, & precamur omnem divinitus benedictionem, quid eſt, oro vos, quòd moleſtias reponitis? quòd miſero homuncioni, & inutili ſervo Deiparæ, eos intempeſtivos applauſus aggeritis, qui homini peccatori minimè conveniunt? Proinde ſi animo gratificandi nobis has curas ſuſcepiſtis, per, ego, vos, communem Dominum Deumque noſtrum oro, ut abeatis domos veſtras, & nos noſtram abire permittatis: hoc mihi pro præcipuo honore & animi erga me veſtri indicio erit. Quod eò æquiùs concedetis, quò magis abhorret ab humanitate veſtrâ, ut ego à vobis omnium primi poſtulati mei repulſam feram.

plauſum Tudertinorum,

225 Sed nihil agebat, incenſo ad ſummum multitudinis ſtudio; cui in omni magno affectu perdifficile eſt moderari. Ergo undique omnes catervatim affluere, alii audiendi, alii videndi Viri, alii contingendæ dextræ aut veſtis cupidine; univerſi, ut illius benedictione bearentur. Denique ad hæc omnia uno omnium ordinum conſenſu ſummâ cum poteſtate illum Vexilliferum dicunt; qui magiſtratus eâ ætate in liberis Italiæ civitatibus ſummus erat, ac penè dictatorius

apud quos ſe morituſum præmuntiat.

226 Ita proſequente omni nobilitate, & plebe, ad templum cœnobii ſui procedit, ibique ante principem aram, fuſâ aliquamdiu per exceſſum mentis oratione, poſtquam ſe collegit, in hæc verba, velut ex alto ſopore expergefactus, prorumpit: " Gratias tibi ago Domine, quia hæc „ requies mea in ſæculum ſæculi, hìc habitabo, „ quoniam elegi eam„. Eóque præſago futuri, velut epitaphio, ſibi ipſe glorioſum & celebre ſepulchrum ſignavit, quod in ea urbe perpetuùm erat habitaturus, utcumque à B. Patris patriâ, illius cupidâ reliquiarum, oppugnaretur. Cæterùm, quod reliquum fuit dierum uſque ad exceſſum, Philippus in exactâ ad propinquam præviſamque mortem præparatione, atque in Tudertinorum promovendâ ſalute collocavit. Itaque cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, quos relinquebat, in finem dilexit eos: eaque dilectione, velut fluminis impetu ad lætificantem jam ex propinquo civitatem Dei, omnia ſecum in Deum rapiebat. Hinc multa publicè pro concione, multa privatim monere, componere procerum diſcordias, & omnium ordinum inimicitias; audire diligenter eorum, qui ad frugem redibant, confeſſiones (inter quos illæ duæ nuper converſæ, mulieres fuêre) cæteraque affectæ urbis vitia atque ægritudines perſanare tanto ſtudio atque fervore inſtitit, ut ſe jam civitas vix ipſa agnoſceret; tanta erat morum mutatio emendatioque facta. D

ANNOTATA.

a *Hic Peregrinus, cognomento Latioſus, anno* 1726 *ſolenniter in catalogum Sanctorum relatus eſt, ut patet ex Bulla Canonizationis, quam illuſtriſſimus Fontaninus in Codice canonizationum pag.* 595 *& ſequentibus exhibuit. Majores noſtri ad diem* 30 *Aprilis, ſive tomo* III *iſtius menſis pag.* 836 *& ſequentibus Acta illius utcumque collegerunt, cum jam tum legitimus cultus ei decretus eſſet, ut Dalæus hoc loco rectè obſervat.* E

b *Vellem, ut hæc publica Henrici Gandavenſis geſta, de quibus etiam Raynaldus in Annalibus eccleſiaſticis tacuit, apud antiquos auctores legerentur.*

c *De hac virgine ſuperiùs egimus, quam Clemens XII Pontifex anno* 1737 *in catalogum Sanctarum retulit.*

d *Papebrochius noſter Acta & miracula hujus B. Franciſci Senenſis ad diem* 16 *Maii, vel tomo* III *iſtius menſis à pag.* 655 *edidit. Sed, re poſtmodum diligentiùs examinata, in Appendice poſt tomum* VII *ejuſdem menſis pag.* 790 *monuit, ejus Vitam die* 1 *Maii collocandam eſſe, & ibidem pagina ſequente incorrupti corporis ejus effigiem æri incidi juſſit.* F

e *At hìc iterum quærimus, quo tempore & qua auctoritate mulieres iſtæ pœnitentes in* album beatarum, *ut biographus hoc loco ſcribit, relatæ fuerint.*

CAPUT XVII.

Ultimus Sancti morbus, pia monita, felix obitus, & honorifica ſacri corporis expoſitio.

XVI. *Poſt concionem ad Tudertinos habitam*

LUſtratâ ritè in hunc modum Tudertinâ urbe, ſcilicet ut quàm puriſſimâ terrâ moriens exciperetur beatus Pater, ipſo die Aſſumptæ Virginis feſto, peracto cum inuſitato ſpiritûs ardore Sacrificio, ita ut erat æſtuans flagranſque divinâ charitate, ſuggeſtum conſcendit, frequentiſſimâ univerſi populi concione, ac primò quidem hac copiâ ſui univerſos exhilaravit, & mox orationem exorſus eſt, quæ, ut erat ipſius

A ſius poſtrema, ita omnium, quas unquam peroravit, epilogus videri poterat, tantâ copiâ tantoque ardore, & tanto auditorum motu ac ſolatio dixit.

cœpit tentari morbo,

228 Paulò poſt dimiſſam concionem, ubi ſe beatus Pater intrò in cœnobium contulit, ſtatim febriculæ morbo tentari cœpit, ſed leviter: ille tamen ſatis intelligens, eum propinquæ mortis prodromum eſſe, ſibi gratulatus eſt, multis adſtantibus, adveniſſe id tandem feliciſſimum tempus, quo corporis vinculis ſolutus ſpiritus ſuus liber evolaret ad Deum. Ingraveſcente deinde morbo ac paulatim jam in lethalem vergente, epiſcopi urbis ac medicorum hortatu in ſecretius cubiculum (quod hodieque oſtenditur, & in magnâ veneratione eſt) ſe recepit; ubi ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut in laneâ culcitrâ, de qua nobis alibi ſermo erit, à quodam Jacobo cive Tudertino mutuò oblatâ, fractum recenti morbo & veteri ac perpetuo pœnitentiarum uſu corpuſculum componeret.

B *in quo cilicium deponere recuſat,*

229 Sed ut cilicium, quo aſperrimo cinctus erat, exueret, id verò ab eo nullis precibus impetrari potuit: quippe qui cenſeret, militem Religioſum, potiùs in armis militiæ ſuæ, quàm inermem occumbere debere. Ita Vir ſanctus, velut lilium vel roſa inter ſpinas ſuas, mortem ſanctiſſimæ atque auſteriſſimæ vitæ congruentem appetebat tantâ conſtantiâ ac patientiâ, ut non homo mortalis, ſed cæleſtis aliquis genius inter illas corporis animique afflictationes jacere videretur. Eas majorem in modum augebat & illud, quòd civium pietate, quâ certatim inviſebatur, turbaretur ipſius illo in agone ſolitudo, quam ad figendam in Deo mentem ſtudiosè captabat, ut paulò antè diximus. Sed qui illius in proximos perpetuus amor fuit, utcumque ultimas illas vitæ horas in utriuſque amoris exercitatione partiebatur.

& Fratres monet,

230 Verùm cùm ex crebrioribus deliquiorum ſymptomatis moneretur, tempus eſſe, atque id quidem breve, convaſandi ac valedicendi rebus humanis; convocatos ad ſe univerſos Fratres hiſce verbis allocutus eſt: Dilectiſſimi in Chriſto Filii ac Fratres; convocandi vos univerſos in hunc locum cauſa mihi fuit præſens neceſſitas ingrediendi viam univerſæ carnis, & tempus reſolutionis meæ, quod proximo die octavæ Dominæ noſtræ conſecrato inſtat, ſicut Dominus Jeſus ſignificavit mihi; qui me feliciſſimus nuntius non ita abſorpſit beatitate ſuâ, ut veſtri mihi memoriam ademerit, quin ſicut juſtum arbitror, quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione, atque eò quidem enixiùs, quia certus, quòd velox ſit depoſitio tabernaculi mei, imò operam dabo cum Apoſtolo Petro, & frequenter vos habere poſt obitum meum, ut horum, quæ ſupremùm moneo, memoriam faciatis.

C *ut corpus ſuum ſine pompa ſepeliant,*

231 Quapropter oro atque obteſtor vos hodierna die, & quâ valeo in vos authoritate, etiam jubeo, ut hoc corpuſculum meum, ubi relictum ab anima fuerit, terræ ſuæ nullâ inſigni pompâ elatum populari tantùm atque humili ſepulturâ paupertatis noſtræ inſtituto funeretis; quidquid ſtudioſa hæc noſtri civitas pro ſuâ pietate in contrarium moliatur. Tenetis enim memoriâ me, tametſi veſtrâ perpetuâ voluntate Generalem agere coactus ſim, meâ tamen libentiùs acturum fuiſſe, ac moriturùm eum fratrem converſum, quem in primo ingreſſu indueram; quippe cùm hic ipſe, in quo nunc deſudo, agon perpetuò mentis oculis obverſatus ſit vivâ certitudine, humillimam vitam tutiſſimâ morte defungi. Satis ergo ſit, hoc me in vitâ ſolatium veſtro obſequio condonaſſe: nunc vel in inutili cadavere meo, ut illo per vos frui liceat, pro veſtrâ æquitate concedetis. EX IMPRESSIS.

coſque ad charitatem

232 Alterum, & verò præcipuum, maximumque eſt, quod non ſolùm ego vos per omnia pia ac ſancta oro, quæſoque, ſed etiam quod Dominus Jeſus tranſiturus ex hoc mundo ad Patrem omnibus mandavit, ut vos ſcilicet invicem diligatis, feratiſque alter alterius onera atque infirmitates; hæc enim legitima teſſera eſt verorum Chriſti diſcipulorum; ipſo, qui eſt teſtis fidelis, atteſtante, " In hoc cognoſcent omnes, quia di-„ ſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad „ invicem „. Quibus peramanter fuſeque dictis, & pro exuberante ad vicinitatem ſphæræ ſuæ charitatis ardore exaggeratis, ita ubertim omnibus obortæ lachrymæ ſunt, nemo ut eſſet ex aſtantibus, qui mellifluo flammivomoque illi Seraphino præ teneritudine & dolore amiſſi tam divini doctoris reſpondere poſſet.

E *& ſortitur direm horratus,*

233 Quod cùm pientiſſimus Pater medio in conflictu ſuo animadvertit; intermortuis, ad eos vocibus converſus, bono animo eſſe jubet; quippe ſibi illiſque, expedire hanc itionem ad Patrem: quæ, ſi, ut in Dei miſeratione ſperet, ex voto ceſſerit; habituros eos Patrem, & advocatum apud Patrem: quemadmodum, dum viveret, eum ubique apud maxima orbis capita advocatum habuiſſent. Quibus in vocibus linquente animo deficiens, aliquantiſper conticuit, ſed augeſcente magis ac magis morbi violentiâ, iiſdemque incrementis Philippi invictâ malis animi conſtantiâ, geminâ flammâ abſumebatur, alterâ exæſtuantis immodicè febris, alterâ verò ardoris deſideriorum, quibus diſſolvi & eſſe cum Chriſto ſine modo ſuſpirabat. Sed has inter pœnas tamen deprehenſo ſemper præſens ratio & integrum judicium conſtitit.

extremis Eccleſiæ ſacramentis munitur,

234 Adveſperaſcente vigeſimo die Auguſti, anno Chriſti MCCLXXXV, iterum Sacroſancti Corporis Chriſti & Extremæ unctionis Sacramenta depopoſcit; quod cùm eſſet factum, & præſto eſſet cum adorandâ Synaxi ſacerdos, afferente vim viribus amore, è duro lectulo ſurrigit jam penè enectos & in mortem rigentes artus, ac, ut erat cilicio & toto veſtitus habitu (quem honoris Beatiſſimæ Virginis & pœnitentiæ causâ numquam ponere conſueverat) humi ſe perhumiliter proſternens inter ardentiſſimos pœnitentiæ actus, ſingultus, lachrymas, ſuſpiria & innocentis pectoris tunſiones, aliaque cognitionis ſui argumenta, ſumpto illo vivifico commeatu, itinera æternitatis ingreſſurus, Eccleſiam Dei, ſeſemet, Religionem, patriam, urbem ipſam Tuderti, ac denique omnes divinæ opis indigos, Deo ferventiſſimâ & latiſſimâ charitate commendat; ac deinceps velut ſatis providiſſet omnibus, qui cordi erant, illis Servatori ſuo commendatis, ipſe ſe eo penitiùs in Deum penetrat, quò ardentiùs eos, qui curæ fuerant, divinæ providentiæ commiſiſſet. Itaque repoſitus in lectulum, flagrante intus dilecto, ſic anima beati Viri liquefacta eſt, ut proruperit in profundiſſimi ſermonis myſteria; ex quorum altitudine ſatis appareret, beatiſſimum hunc olorem, jam tum ordiri cantum, quem per omnem æternitatem feliciſſimè erat canturus.

F *& per tres horas à ſenſu alienatur.*

235 Sed jam ultimæ lineæ propinquior factus, providâ viciſſitudine à deliciis cæleſtibus animum ad curam pœnitentiæ traducit, & divi Auguſtini exemplo, Pſalmos pœnitentiales deflendis qui-buſcum-

EX IMPRESSIS.

buſcumque noxis adhibet; ac mox Litanias Sanctorum, quos præſentes propitioſque in ſupremo diſcrimine pro æterni triumphi causâ præhenſandos putabat, exoritur. Quibus ritè atque ardenter in vota vocatis, contigit, ubi ad eam formulam eſt ventum; PECCATORES, TE ROGAMUS AUDI NOS, ut ſic abalienaretur à ſenſibus Vir Dei, ut per tres ipſas horas pro mortuo habitus ſit ab aſtantibus, atque id quidem non temerè, quòd nihil indicii in eo niſi mortuale appareret. Supervenit interim Dei monitu excitus ad id ipſum, quod agebatur, Frater Ubaldus Adimarius, qui certitudine fretus cæleſtis oraculi ſui; Philippum necdum vitæ confinia exceſſiſſe, nomine compellatum ſuſcitat.

Dein ſibi redditus narrat ſuum cõflictum cum dæmone,

236 Philippus ad ejus vocem ſibi redditus; Prô, Fratres, inquit, quàm horribilis eſt hujus ultimi certaminis conflictus! Scitote; me ante Chriſti tribunal ſtatutum non vulgari defunctum eſſe diſcrimine; ſiquidem tortuoſus ille veterator & ſalutis humanæ oſor ſathanas, opprobratis mihi peccatis meis, & in immenſum exaggeratis, omnibus nocendi artibus ſuis egit ſategitque, ut
B de divinâ miſericordiâ per deſperationem deſponderem animum. Et plena periculi pugna pendebat, quoad ſuperveniens benigniſſimus Jeſus meus, & mea Domina Mater ejus increpitum abactumque antagoniſtam profligarunt: deinde quaſi non eſſet ſatis immenſæ miſericordiæ eorum depuliſſe tam formidandum tamque præſens periculum, adjecerunt immenſum ſolatium ex monſtratâ coronâ, quam mihi inutili ſervo & immerito præparaverunt in æternum. Agite ergo Fratres mei, adeſte animis, atque expergiſciminor ad veternoſi hujus hoſtis verſutias, fraudes, & inſidias deprehendendas: videt ille ſe multo merito ſuo divinis omnibus donis boniſque exutum, & invidiæ æſtro in rabiem datus, in eaſdem nos miſerias unà ſecum pertrahere omnibus viribus artibuſque laborat. Sed non deſunt adverſus illius impetus arma: abſtinentiâ, humilitate, patientiâ, & quæ maxima harum eſt, charitate, illius conatûs affliguntur.

poſtulataque Crucifixi imaginе,

237 His dictis, invaleſcente novis auctibus extaſi, oculos primùm in cælum figit, mox eoſdem anxiè varias in partes circumferens, librum ſuum ingeminat; Cedo librum meum, date librum, inquiens, quis eum eripuit mihi? Reddatur quantocius. O librum, qui bona omnia mea continес, quærite illum Fratres: non enim ſine eo diutiùs vitam trahere poſſum. Ad ea anxii Fratres alius alium codicem porrigere; ſed fruſtra: reſpuente eo quoſcumque oblatos, & ſtrenuè ſuum librum poſtulante: eum ſe, neque alium velle, illum ſolùm in ultimis votis eſſe. Demum perplexis omnibus atque ignaris, quem tandem librum
C intelligeret, à Fratre Ubaldo Adimario, cujus in gremio acquieſcebat, intellectus eſt. Itaque porrigi jubet effigiem Chriſti è cruce pendentis eburneam, quam Vir ſanctus manu ſemper geſtare conſueverat, & in quâ fixo obtutu hærere eum Adimarius animadverterat. Eam porrectam verò Philippus pectori apprimit, & eam ſuaviter exoſculatus, Hic eſt liber meus, inquit, hic eſt, in quo ego innumera beneficia ſcripta lego Redemptoris mei, qui effuſo pro me omni cruore, hoc corporis ſui ſpolium, pendulum ex felici arbore, reliquit.

placidiſſimè moritur

238 Tum deinde legere ac relegere omnia illa beneficia, & peculiaria præſertim per omnem vitam accepta, & meditari varia vivificæ Paſſionis myſteria inſtitit, ac paulò pòſt, gaudio ſpiritûs velut triumphante, Canticum: BENEDICTUS DOMINUS DEUS ISRAEL &c. totum recitavit. Atque hîc jam tandem ad ultimam lineam perventum eſt. Ejus minimè ignarus vir tam Apoſtolicus quam propheticus, preſſâ ac debili voce, Pſalm. 30, IN TE DOMINE SPERAVI &c. pronuntiat, hærenſque ad ultimum ejus verſum, vibratis in Chriſti crucifixi imaginem oculis, noviſſimis verbis tacito exultantis animi jubilo, ſibilo auræ lenis quàm ſimillimis, dixit: IN MANUS TUAS, DOMINE, COMMENDO SPIRITUM MEUM. Atque in ea voce, compoſito quàm honeſtiſſimè corpore, cultuque ejus, deficiens cæleſtem animam cælo reddidit. Quâ, ut quantopere ſibi gratularentur acceptâ, cælites monſtrarent, illico pſallentibus ad ſacrum funus Fratribus; ſuaviſſimo concentu derepentè nænias interpellarunt; cujus hoc argumentum fuit. " Euge Serve bone „ & fidelis, qui à Virgine ſuper familiam ſuam „ fuiſti conſtitutus, intra in gaudium Domini „ tui „. Suavitatem inexplicabilem earum vocum excepit incomparabilis odoris fragrantia, quæ totum locum, ubi poſitus erat, opplevit, & tertio miraculo ex jacentis ſancti Patris facie
E tanta vis cæleſtis lucis emicuit, ut quidquid circa eum eſſet, à clariſſimo jubare coruſcaret. Quo, tergemino prodigio verſi ex ſtupore in lætitiam rerum admirabilium, ſpectatores Fratres, omiſſis funebribus, ſpiritu exultantes læta atque feſtiva jubilarunt.

anno Chriſti 1285,

239 Incidit hic Philippi exceſſus in annum Chriſti MCCLXXXV, ætatis verò Philippi quinquageſimum ſecundum, undecimo Kalendarum Septembrium *a*, qui octavæ Aſſumptionis Dominæ ſacer eſt, cùm occidente ſole per urbem ex conſuetudine Eccleſiæ ſigna darentur ære campano ad ſalutationem Angelicam, prorſus ut ipſe prædixerat. Sed quia cum die exſpiravit, & abſolutis Veſperis & Completorio, fortè etiam ut locus eſſet Beatiſſimæ Virginis octavæ celebrandæ, viſum eſt poſtea Leoni X Pontifici Maximo, feſtum Philippi in ſequentem diem XXIII Auguſti rejicere; idque dato diplomate ſancitum obſervamus.

a

ſtatimque patrat miraculum,

240 Hâc tam pretioſâ tamque prodigioſâ Philippi morte per urbem vulgatâ, illico omnium ordinum atque ætatum concurſus ad divi Marci fit, quò illatum jam eſſe illius funus, rumor prodiderat, ac certatim ſacrum illius corpus, ut veræ integræque domicilium ſanctitatis,
F omni veneratione proſequuntur, mandatis ipſius ultimis, quibus vetabantur ejuſmodi honores, pietatem populi ſtimulantibus potiùs, quàm obſtantibus. Quò factum eſt, ut à fratribus unà cum epiſcopo, ſenatuque Tudertino, religione ſupremæ voluntatis obſtrictis, ſacri corporis humatio acceleraretur. Verùm eorum diligentiæ miraculum interceſſit. Erat tum in urbe Tudertinâ virgo, Agnetula nomine, tabellionis Pauli Guitonis civis Tudertini filia: hæc inſonantibus ad funus Philippi campanis, intus aliquid efficacioris invitamenti ſenſit, quo permota parentem orat, ut ad ſacrum corpus ſe deferri curet: (neque enim aut ingredi pedibus, aut manum dexteram tendere aut adducere, aut immobili corporis mole uſquam ſe commovere poterat.) Obſequitur pietati filiæ parens, & eam in templum illatam, factâ per populi cuneos viâ vi, ad feretrum, in quo corpus jacebat, ſiſtit. Illa magnâ fiduciâ apprehenſis utcumque aut tactis Philippi manibus, extemplo convaluit, ſtetit, ambulavit, Deum laudavit in Sancto ſuo, & domum, nemine bajulante, regreſſa eſt *b*.

b

241 Pa-

A 241 Patres eo miraculo ſe jam ſolutos religione rati, coacti etiam ſtudio populi, ſex diebus *c* inhumatum corpus, eodem, quo jacebat loco, expoſitum effuſis populi honoribus relinquere in animum induxerunt. Ibi interea plaſtarum & pictorum operâ excepta ſunt illius vultus vel mortui lineamenta. Cui Patrum diligentiæ debemus, quòd hodieque imagines exſtant pervetuſtæ, & ex illis hauſtæ recentes, quæ ab ipſius oris habitu haud magnopere abludant *d*. Cæterùm ſpecie fertur fuiſſe, quæ gentilitiam nobilitatem non ſine majeſtate aliquâ, mixtâ humilitate ſpiraret. Fuitque ſaturâ juſtâ, facie amœnâ, & emendatæ venuſtatis capillo ſufflavo, oculis verò vividis cæſiiſque; quantum potui colligere ex quadam, quam in Italia vidi, imagine ejus, quam propè archetypon cæterarum vocabant. Sed operoſius fuerit eam ejus imaginem delineare, quam rerum omnium Artifex Deus perfecit, id eſt, internum hominem repræſentare, atque ob oculos ſuis coloribus ponere. Non eſt id vel ingenii vel ſpiritus noſtri tenuitatis, ſed cæleſtis alicujus genii opus; imò potiùs ille ipſe eas lineas duxerit, B qui cæleſtes virtutum maximarum luces omnipotentis digiti ſui penicillo felici illi animæ induxit, & eaſdem luces multis magniſque miraculis (ut è ſequenti patebit libro) à morte luculenter illuſtravit.

& ideo corpus ejus honorificè exponitur.

c

d

ANNOTATA.

a *Inter ſcriptores Actorum occurrit diſcrepantia circa diem, quo* S. Philippus *ad Superos migravit. Gianius Centuria* 1 *Annalium lib.* 4 *cap.* 16 *de die ipſius emortuali habet ſequentia:* Contigit autem huic Deiparæ Famulo beata mors (quidquid aliis viſum fuerit) die Mercurii XXII Auguſti MCCLXXXV poſt ſolis occaſum, quando univerſa civitas pulſaret de more campanas ad glorioſam Dei Matrem ſalutandam in Octava Aſſumptionis. *Gianium ſecutus eſt biographus noſter, dum hoc loco aſſerit, Sanctum* undecimo Kalendarum Septembrium *ex hac vita exceſſiſſe, quamvis ibidem addat, decreto Leonis X Pontificis feſtum ejus die ſequenti celebrandum eſſe. At bulla canonizationis, quam* § 2 *Commentarii prævii tranſcripſimus, ibidem num.* 15 *diſertè aſſerit, illum die* XXIII *Auguſti obiiſſe, cum mortem Sancti referat his verbis:* Migravit ad Dominum anno ſalutis milleſimo ducenteſimo octogeſimo quinto, decimo Kalendas Septembres, dum ſolemnia abſolverentur Octavæ beatæ Mariæ Virginis in cælum aſſumptæ, quibus in lucem prodierat. *Quidquid ſit de vero obitûs die, nos cum Martyrologio Romano feſtivitatem ejus hac die conſignavimus.*

b *Authenticum hujus miraculi inſtrumentum in jam ſæpè citatis Annalibus Servitarum Centuria* 1 *lib.* 5 *cap.* 1 *fol.* 51 *legi poteſt, ubi etiam juridicè referuntur alia, de quibus lectorem poſtea monebimus.*

c *Dalæus hic ſecutus eſt Gianium in Annalibus, ubi Centuria* 1 *lib.* 4 *cap.* 16 *fol.* 48 *verſo dicuntur Fratres coacti fuiſſe corpus Sancti* ſex integros dies inhumatum relinquere. *At idem Gianius in manuſcripto Actorum compendio, quod ſuperiùs, & in Commentario prævio citavimus, circa eamdem rem hæc habet:* Triduo ejus corpus inſepultum miraculis quamplurimis coruſcavit. *Videtur Michaël Pocciantius in Chronico ad annum Chriſti* 1285 *pag.* 78 *idem trium dierum ſpatium notaſſe, dum ibi inter alia ſic ſcribit:* Plurimis namque in TRIDUO non ſolùm, quo corpus in medio templi manſit, ſed etiam aliis temporibus, ejus meritis & precibus à Deo optimo maximo ſalus fuit reſtituta. *Bulla tamen canonizationis in Commentario prævio apud nos num.* 15. *affirmat, corpus ejus* ſex dies *palam expoſitum fuiſſe.* EX IMPRESSIS.

d *Fruſtra veram* S. Philippi *effigiem quæſivi: ſi enim talem Actis ejus præfixam inveniſſem, aut aliunde accepiſſem, eam æri rurſus incîdi curaſſem.*

CAPUT XVIII.

Antiqua miracula, quæ poſt obitum Sancti patrata ſunt.

QUamquam duobus ſuperioribus libris varia ſuis locis miracula recenſita ſint ita viva, ut vivum Philippum, ſanctum ſatis probare poſſint, tamen hoc tertio libro viſum eſt ea miracula in medium afferre, quæ à morte ipſius in ſanctimoniæ ejus teſtimonium contigerunt, ut omnes intelligant, quantum vivus mortuuſque apud Deum potuerit, ac poſſit etiamnum. Etenim ea miraculorum apud mortales opinio inolevit, ut eum tunc demum ſanctum beatumque pronuntient, quem vel in ſe vel in aliis rerum mirabilium patratorem experti ſunt; ut hinc ſcitè eleganterque Gregorius IV* Pontifex Maximus pronuntiarit *a*, ad abſolutæ ſuis numeris integritatem ſanctitatis teſtificandam, duo ut plurimùm requiri: virtutem ſcilicet morum, & ſignorum veritatem (duobus verbis) MERITA, MIRACULA: ut videlicet hæc duo quâdam velut reciprocâ atteſtatione eum in ſanctitatem aſſerant, in quo aliqua quadam in paritate reperta fuerint, juxta illud divi Marci Euangeliſtæ: "Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis". LIBER III. CAP. I. *Deus ad demonſtrandam ſanctitatem* E

* *lege* Gregorius IX *a*

243 Poſſet & alia hujuſce aſſerti apta à nobis alibi adducta ratio etiam hîc adduci, ea ſcilicet: quòd Deum inter, & latere cupientes Servos ſuos pium amicumque certamen exiſtere ſoleat, quo, quanto magis anxiè iſti pro virili parte, ſua decora in obſcuro habere atque occulere ſtudent, tanto enixiùs viciſſim Deus virtutis eorum gloriam ac ſplendorem admirabilitate prodigiorum protrahere in publicam lucem & conſpectum eorum amat hominum, qui afflictis rebus ſuis in eorum præſidio præſidium quærunt. Hinc, unde Philippus ab ſepultis accuratè rebus ſuis ſecuritatem quæſivit, inde Deus meritorum ejus magnitudinem ordiri & palàm teſtatam facere conſtituit: ut ſcilicet morum virtus ſignorum veritate probaretur. Ex his præcipua nos collecta ex proceſſibus Florentiæ ac Tuderti *b* ſuper ſanctitate Philippi inſtitutis, argumenta, hoc tertio libro conſectabimur, ſervatâ in nominibus *c* illorum temporum omnis fuci experte ſimplicitate, quâ in dictis Proceſſibus efferuntur. *& augendam gloriam humilis ſui Servi* F *b* *c*

244 Quorum hoc primum eſto, quòd cuidam Andreolo Joannis Tuderto oriundo, omni manuum atque pedum uſu ita deſtituto; ut ſi quò tendendum eſſet, id non aliter quàm ſerpendo, rependoque poſſet, imploratâ beati Philippi ope, è veſtigio manus pedeſque ſic revixerunt, ut ambulare laborareque ſine obſtaculo poſſet. *non diu poſt obitum ipſius*

EX IMPRESSIS.

Alterum beneficium ſe accepiſſe Julittina Martinelli Montionenſis in porticu baſilicæ divi Marci (ubi beati Philippi conditorium fuerat) præſentibus duodecim aut pluribus teſtibus fidem fecit; ſcilicet, ſe, diu multumque ab inquilinis cacodæmonibus habitatam vexatamque, Fratris Philippi Ordinis Servorum Deiparæ precibus meritiſque, ab eorum violentiâ ac rabie eſſe integrè liberatam.

Tertiam Philippo debet gratiam Jacobuccius Camutianus, qui cùm diebus ſingulis ac non rarò in die ſæpius morbi caduci vi ruens, fœdum in modum quateretur, miſeratus ipſe afflictam ſortem ſuam, auxiliarem Philippi manum invocavit, quæ illum illicò ſic erexit, ut illo deinceps morbo numquam corruerit.

plurima fieri permiſit miracula,

245 Non minùs præſentem Philippi opem experta eſt Margarita, uxor cujuſdam Venturellæ de Bivignate Fuliginatis, doloribus torta phreneticis, quibus fiebat, ut non modò ſtomachus ad quamdam fatuitatem uſque relaxaretur, & reliqui artus omnes quodam ſtupore ſic torperent, ut nulla ſanorum officia obire poſſet; ſed etiam ut ſalutiferæ Crucis ſignum videre mulier non ſuſtineret. Et eo uſque invaluerat morbi furor, ut, ſi non obſtitiſſent dati ad cuſtodiam homines, in flammarum undarumque vortices ſæpe præcipitem ſe datura fuerit. Hæc ita tot oppreſſa calamitatibus, cùm affuſa ſupplex Philippi ſepulchro, illi ſe fidenter commendaſſet, toto illo morborum globo levata fidem fecit, meritis divi Philippi cumulatam ſalutem ſibi ac ſanitatem contigiſſe.

Succeſſit curæ Angeluzzius Lilius Collazzonus; cui inuſitatus capitis dolor omnem ſui ac præcipuè oculorum uſum præ ſummâ acerbitate ademerat. Qui cùm ad divi Marci ædem, tunicâ è ſetis moleſtâ indutus, ac nudus pedes veniſſet, ibidemque Deo ac Divo devoviſſet ſeſe, apparente ipſi Philippo, omnis omnino dolor ille, & cæcitas, obortâ luce ac ſanitate, depulſi ſunt.

quibus multi homines,

246 Æſculapium quoque Philippum laudavit quidam Accoribanus Bernardi à Caſtro-novo; qui uſu ſiniſtri pedis ita captus erat, ut niſi ſcipionis adminiculo ingredi non poſſet. Utcumque conductus ad Philippi tumulum, poſtquam ejus patrocinium imploravit, reſtitutus in integrum expeditè ambulavit.

Paulus item Monticellius è Comitatu Tudertino, decem ipſis menſibus arthritide cruciatus, adeo debilitatus eſt, ut erigere ſe è lecto aut quoquam commovere non poſſet. Cùm bajulatus ad ſepulchrum Philippi, ei ſe piâ fiduciâ enixè commendaſſet, omnes illico dolores evanuerunt; & refuſa per artus nervoſque vivida vis egit, ut qui paulò antè movere ſe non poterat, jam eâdem horâ ad averſam urbis partem redire, ac deinceps omnia ſanorum poſſet munia obire.

Neque pro ſe tantùm ſupplicantibus adfuit Philippus, verùm etiam pro conjunctis perſonis. Nam quædam mulier, Andrea nomine, Simonucii ex oppido ſancti Silveſtri uxor teſtata eſt, quòd, cùm grande ſaxum, & quod humo attollere vir bene fortis vix poſſet, filioli ſui cruri illapſum eſſet, id totum comminuiſſe. Cùm verò ſequenti nocte periclitantem filium mœſta mater beato Philippo commendaſſet, eum ſanum integrumque reperit, & geminato miraculo, lactens adhuc infans, ſolo Deo docente, hæc verba protulit: SANCTUS PHILIPPUS ME LIBERAVIT.

247 Ita quoque Jacopuccius Benevenuti, ex oppido S. Praxedis, publicam fidem fecit, filium ſibi nomine Reinerum, cum ingenti è collo pendulâ ſtrumâ natum. Cùm illum ſic deformem Deo ac beato Philippo devoviſſet, admotum ſepulchro Divi, & tunicâ interiore ejus, quæ id loci cum veneratione aſſervatur, luſtratum, illico abacta præſenti numine illâ colli monſtruosâ appendice, æquato atque incolumi collo eſſe receptum. *variis mordbis oppreſſi,*

In faſcina quoque Philippi valet imperium. Nam Angeluzzus filius cujuſdam Stephanæ, ſiniſtro afflatus faſcino, quo per duos ipſos menſes contabuerat, ſecundum Deum Philippi patrocinio commendatus, ſtatim difflatâ vi amuleti, revaluit; aſſerente miraculum aliquot ſubſequentium menſium continuatâ ſanitate.

Philippum etiam chirurgi virtute pollere, ſenſit quædam fœmina Imilia nomine, uxor cujuſdam Benincaſæ à monte Molendino. Ea dexteri cruris & linguæ affectu, gemino malo, ſic afflicta fuit, ut nec audire nec reddere voces ullas poſſet, ac ne quidem, cùm religioſus uſus & neceſſitas poſtularet, confeſſionis ſacramentalis. Cùm ſe Philippi conditorio ſiſtens, duplicis ærumnæ à Deo remedium per ſervi ejus Philippi preces & merita, quo poterat modo, ſupplex peteret, extemplo nullaque vel brevi interpoſitâ morâ, exaudita eſt, & acceptâ utraque facultate priſtinâ, unde venit, læta vocaliſque remeavit.

vel infortuniis afflicti,

248 Nec minùs felix in calculi curatione noſter medicus Philippus fuit. Jacopuccius enim filius Benevenuti Logi è Tudertinâ dynaſtiâ, cùm calculi doloribus uſque ad meatus naturalis pertinacem obſtructionem diſcruciaretur, à Sabina matre Deo ac B. Philippo devotus, additâ ſponſione, ſi ſuffragiis Divi torturæ eximeretur, ſe illius aram multis luminibus colluſtraturam, aliaque pia opera obſequii ejus obituram; illico à conceptâ voti formulâ moleſtam petram excrevit, atque ita ſubductis calculis, deinceps per omnem vitam nullos ſimiles dolores numeravit.

Alia item Mattivola nomine, cujuſdam Bartholomæi Beneventani conjunx, acerbiſſimis calculi cruciatibus, conſumptis jam medicinarum remediis, divexata, ubi Philippi ſarcophago eſt admota, & ab ejus patrocinio ſperavit & efflagitavit ultimam opem, petrâ levata eſt monſtruoſæ in ſuo genere magnitudinis, eaque affixa eſt Divi conditorio ad ſpectaculum, & femina deinceps eo malo, quod ſolet tamen in affecto ſemel corpore habere radices, numquam laboravit.

Alia rurſus, Illuminata nomine, calculi diritate à medicis expoſita, cùm Philippi in tam præſenti periculo patrocinium imploraſſet, vix orandi finem fecit, & petram effudit, quam cum cereo anathemate eidem tumulo appendit, faſſa præſentibus teſtibus, ſe Divi meritis diſcrimen evaſiſſe.

patrocinium hujus Sancti

249 Verùm non tantùm cum morbis, ſed cum ipſis etiam ſtygiis inquilinis pro ſuis ſupplicibus nec ſemel pugnavit Philippus, & vicit. Quædam femina Ludovica nomine tantâ dæmonis tyrannide tenebatur, ut perpetuis ſtridoribus, ſtygio illo æſtro expreſſis, omnibus circa ſe intolerabilis fieret, nec tanto implicita malo tendere cælo ſupplices implorandæ opis gratiâ manus, non formare ſalutiferum crucis ſignum, non recitare Dominicam orationem ſalutationemque Angelicam, non denique porrigere mendico ſtipem permittebatur. Huic ita expoſitæ ſe videndum ac ſpectabilem offert Philippus, &, Veni ad eccleſiam meam, inquit, & ab infirmitate & dæmonibus,

A nibus, qui te exagitant, liberaberis. Cùm mulier paruiſſet, veniſſetque ad Philippi ſepulchrum, eique indormiiſſet, in eo ſopore à Philippo ſublevari ſe atque excitari, ac demum liberatam ereptamque omni cacodæmonis violentiæ ac præſtigiis ſenſit.

Nec adeo regium morbum extimuit Philippi potentia. Ugolinuccia quædam, Petruccii Scopelli filia, tam potenter ab hoc malo affligebatur, ut in ejus paroxyſmis mortua videretur: adeo nullus in eâ motus, nulla ſigna vitalia apparebant. Mœſta Mater ejus eam divo Philippo commendat, ſpondetque, ſe, ſi opem deploratis rebus attuliſſet, unà cum filia ſupplicem cum gratâ veneratione ad ejus tumbam eſſe venturam. Hoc dixit, & ilico evanuit omnis morbus, nec revenit umquam ad filiam.

Chiragram quoque, à medicorum ſcholâ pro incurabili habitam, curavit hic noſter Hippocrates. Eâ quædam Joannula Rigalaſcha per aliquamultos annos quàm arctiſſimè contracta, invocatâ Philippi ope, apud idem ejus ſepulchrum in divi Marci templo, multis, qui præſentes erant, ſpectantibus, libera liberos lacertos extendit, eo-
B rumque, quamdiu vixit, uſu gaviſa eſt.

250 Cæcis præterea ac claudis lumen & gradiendi poteſtatem dedit: nam Conſita Ugucciomis Peruſio oriunda, habilitate pedum capta ac præterea à nativitate cæca, cum pari ad Divum fiduciâ, animi ſcilicet greſſibus ac luminibus, ſupplex accurriſſet, utrique calamitati medelam invenit, ut nec adminiculo deinceps, nec ductore ad ambulandum opus haberet.

in ſua neceſſitate implorantes

Eamdem publicæ lucis uſuram interceſſione apud Deum, Philippi quidam cæcus mendicus impetravit, qui adductus ad ejus adhuc in feretro, antequam conderetur, jacentis pedes, ubi eos religiosè ac piè eſt exoſculatus, ſanctitatem Philippi & obortæ repentè lucis claritatem miratus eſt.

Pari aut majori miraculo cujuſdam hominis coloni ditionis Orvitanæ filius (in hanc lucem, expers lucis & cæcus editus:) qui à parente efficacibus ſingulari fiduciâ lacrymis vix initiatus ad medelam Philippo fuerat, utrumque auxiliarem Patrem repentinâ illuſtratus luce, quâ uſque ad mortis tenebras eſt uſus, circumſpexit.

C 251 Interim poſt funera, tam acer ſui vindex contra contemptores, quàm benignus in ſupplices Philippus fuit. Fœmina quædam meretricio quæſtu infamis (cujus propterea nomen reticetur) pro ſimilium hominum licentiâ, impiâ linguâ in Divi contumeliam exacutâ, multa temere effutiverat; ſed non diu: nam derepentè obmutuit: quo factum eſt, ut aliter intus canere ac meliùs loqui coacta ſit. Confeſſa itaque & deprecata, eloquentiſſimâ taciturnitate, ad pedes ſancti funeris impii oris ſui nefarium ſcelus, religioſiorem, quàm priùs habuerat, loquelam recuperavit.

(contrà procax ejuſdem contemptrix punita eſt)

252 Diſſipata quoque corporis membra non colligere ſolùm ſed & animare novit Philippi potentia. Accidit haud procul Tuderto, ut in malè cuſtoditum vagantemque incuriè infantem lupus incideret, qui oblati illius innocui agni jugulum ferociter ac truculenter invadens, omnem indidem cum cruore vitam exſuxerat. Supervenit lanienæ mater infantis, quæ illum anxiè ubique, ſed non hîc, quærebat, & priuſquam à belluâ totus diſcerperetur, filium exanimem recepit. Quo ſe verteret infelix mulier, quidve ageret, mortuo filiolo, non ſatis inveniebat, quoad recordata Philippi, paulò antè in cælum non ſine prodigiis recepti, impoſitum gremio filioli cadaver, Divi non-

priſtinam ſanitatem

dum humati admovit cadaveri; fuſiſque, quas ſpes EX IM-
dolorque inflammarant, precibus, infans revixit. PRESSIS.

Diceres, etiam in Philippi ſandalia vim non modicam dimanaſſe; adeo etiam illa contra calamitates valuere. Vir quidam bonus ac pius, ac proinde benè Benedictus dictus, beati Philippi familiaris ab eodem, dum vixerat, par unum crepidarum ſimplici opere è juncis fluvialibus textarum munere acceperat, quod ille non vulgari religione aſſervabat. Itaque orto domi ejus incendio, junceas crepidas jam benè ſiccas magnâ cum certi præſidii ſpe & fiduciâ in Muneratorem ſuum, furentibus flammarum vorticibus injecit; quibus flamma citius ceſſit, quàm fluvio, unde junci erant oriundi, ceſſura videbatur.

253 Etiam fugientem cum ſanguine vitam in *mirabili*
tenellis infantuli membris retinuit Philippus. Be- *modo recuperarunt*,
rardellus filius infantulus cujuſdam Joannelli Venturæ à regione collis, gerulæ nutricis Margaritæ geſtatus in ulnis, lætè ac feſtivè geſtiebat, cùm derepentè factus exanguis mortualem in modum ita expalluit ac deformatus eſt, ut coram publico tabellione jurati tam parens quàm nutrix affirmarint, quòd nullum vividi vigoris indicium daret, à ſe pro mortuo habitum, ac ut talem, divo E
Philippo à ſe commendatum, aut vitæ aut ſanitati (certè ſanitati) eſſe reſtitutum, ac deinde ad tanti beneficii agnitionem, prout antè ſpoponderant, effigiem ceream paris puero ponderis, ſacelli, ubi Philippi ſepulchrum erat, tholo affixerunt: & ex voto ſingulis, quoad Berardellus vixit, annis, quatuor Chriſti pauperes, redeunte anniverſario miraculi die, puro pioque epulo ſunt excepti.

254 Quantum verò inter ſemimortuum & mor- *vel immi-*
tuum intereſt, tantò patentiore miraculo levata *nentia pe-*
orbitas eſt cujuſdam viduæ, quæ ex diuturno ac *riculavaſe-*
permoleſto morbo mortuum unicum filium de- *runt.*
plorans, cùm Philippi ſanctitatem illi reſuſcitando imploraret, in veſtigio filium vidit redivivum, qui palàm ac vividè coram iis, qui ad leniendum matris mœrorem aderant, profeſſus eſt, ſe divinâ benignitate, beati Philippi auxilio partâ, ſecundam vitam vivere.

Denique ut conſtaret, nullum morbi genus hujus Medici artem effugere, etiam febribus æſtuantiſſimis poſt mortem eſt medicatus. Ciuccius Po- F
li à regione Cammuccianâ Tuderti, febri continuâ æſtuans, invocatâ Philippi medelâ, eo ipſo convaluit momento.

Quidam præterea Reginaldus Gualterus à regione ſancti Silveſtri, cùm febri tertianâ ſupra modum quateretur, auditâ Philippi nondum ſepulti celebri à miraculis famâ, cùm ſe illi commendaſſet, & ſacras ejus exuvias venerabundus attigiſſet, ſubitò ſe omnis expertem febris ſenſit.

ANNOTATA.

a *Pro Gregorio IV, quemadmodum hîc vitioſè ſcriptum vel impreſſum eſt, ſubſtitue Gregorium IX Pontificem, qui Antonium Patavinum catalogo Sanctorum adſcribens ita pronuntiat:* Ad hoc tamen, ut Sanctus habeatur apud homines, in Eccleſia militante duo ſunt neceſſaria; virtus morum, & veritas ſignorum; merita videlicet & miracula *&c. Hæc & ſequentia ejuſdem ſententiæ verba inveniri poſſunt apud nos tomo* 11 *Junii pag.* 724, *vel apud illuſtriſſimum Fontaninum, qui in Codice canonizationum eamdem Gregorii IX bullam pag.* 64 *& ſequente nuper recudit.*

EX IMPRSSIS.

b *Gianius in Annalibus Servitarum Centuria* 1 *lib.* 5 *cap.* 1 *fol.* 51 *& ſequentibus exhibet juridica notariorum inſtrumenta, quæ Tuderti anno* 1285 *confecta ſunt, & in quibus varia hujus capitis miracula veteri ſtylo referuntur. Curioſus lector ea conferre poterit cum his, quæ Dalæus ex hoc authentico inſtrumento contraxit, & in quibus barbarum ſtylum tantummodo mutavit.*

c *Biographus noſter pleraque nomina, ut* Angeluzzius, Jacobuccius *& ſimilia reliquit Italica, ſicuti hîc præmonet, quamvis ea more Latinorum inflexerit.*

CAPUT XIX.

Alia miracula, quæ videntur facta ſeculo decimo quarto, quo ſacrum illius corpus primò tranſlatum eſt.

B

Omiſſis aliis miraculis,

HOrum atque his ſimilium ſignorum, quæ in ſanationibus febrium, apoſtematum, atque aliorum morborum, patrocinante Philippo, contigerunt, plurima in proceſſibus canonizationis & in Codicibus MM. SS. antiquis *a*. Quibus omiſſis, duo hic memorabilia ſigna, quorum alterum ad religionem venerationemque ſacri corporis Philippi, alterum ad evidentiam pertinet præſentis curæ ac tutelæ, quâ idem Pater addictos aut divæ Virgini aut ſibi, pietate & clientelâ fovet ac tuetur, referemus.

a

narrantur fragrans odor tumuli

256 Ac prioris quidem argumentum eſſe poteſt inauditum miraculum, quod in multorum mortalium frequentiâ contigit anno Chriſtiano milleſimo trecenteſimo decimo ſeptimo, hoc eſt ab obitu Philippi pretioſo, anno trigeſimo ſecundo. Quo, cùm variis ac prodigioſis de cauſis Patres noſtri ſtatuiſſent Divi corpus transferre atque inferre auguſtiori conditorio, id ut vivens ſemper fuit bonus odor Chriſti in omni loco, ita loculo ligneo exemptum primò cæleſtem quamdam fragrantiam ſpiravit *b*, quæ præſentis populi ſenſibus, mentibuſque illabens, in eorum animis religionis, venerationiſque in Philippum magnos motus concivit.

b

C

miraque anathematum converſio,

257 Deinde, acſi id parum eſſet, anathemata, & ſtatuæ è cerâ aliiſque materiis, quæ trophea de morte, morbis, dæmonibus, diverſiſque mortalium aliis periculis Philippi ſanctimoniâ victis, plurima ab adiutis fidelibus apud ſepulchrum fixa ſpectabantur, non ſecùs, acſi illius frangrantiæ ſpiraculo animata vitam motumque, & cum illis pietatem ac religionem hauſiſſent, ex ſuo ſe pulvere ſurrigunt, & verſis ad aram, in qua ſacrum corpus proſtabat, faciebus, illud mirabiliter ac vitaliter ſunt venerata.

& prodigioſa dæmonis aſtutia,

258 Quod ad præſentiam autem attinet curæ ejus ac ſolicitudinis de clientibus, aut divæ Dominæ ſuæ, aut ſuis, ea memorabili eventu ſequentem in modum mirificè afferta paſſim evidenterque innotuit, qui ſic ſe habuit. Quidam miles cum ſuo quodam commilitone, quem pro fratre, ac pro altero ſe coluerat, relictis domi conjuge atque unico filiolo, immemor ſuorum, memor aut gloriæ aut prædæ caſtra eſt ſecutus. Ut ſæpe fit talibus ambulonibus, reditus ei ad ſuos non ita, ut abitus, in promptu fuit: nam unà cum commilitone in acie mortuus, à multis migravit ad plures. Uxor interea ejus, quæ domi remanſerat, quâ erat eximiâ in Deiparam pietate, eam ſolitudinem ſuam & orbitatem culturâ virtutum aliiſque bonis artibus tranſmittebat. Ac verò præcipuè filiolum ſuum cælorum Reginæ in ephebum formabat tantâ felicitate, ut, reſpondente matris induſtriæ pueri docilitate, cæleſti alicui genio, quàm puero mortali puer eſſe ſimilior videretur. D

qui filium pia vidua

259 Indoluit iis ſucceſſibus mali dæmonis ſtygius livor, & ad notas nocendi artes converſus, ſi quâ matrem & filium avocatos per contubernium à ſtudio orationis venerationiſque Deiparæ in medio laudabilis vitæ curſu ſiſtere atque interimere poſſet, hanc ſtropham commentus eſt. Commilitonis, quem marito matronæ commortuum militiæ fuiſſe, jam memoravimus, corpus formamque induit, & velut è bello redux domum ſubit, & ad matronam: Doleo equidem vehementer, inquit, mihi lectiſſimum amiciſſimumque fratrem, tibi dulciſſimum conjugem deſiderari; cecidit ille quidem fortiter pugnans in acie; ſed ut mihi decedens noviſſimis verbis tui ac filii curam orbitatemque commendavit, ita non committam, ut officium aut ulla circa vos diligentiæ meæ pars deſideretur. Adeſte proinde animis, & mœrori moderati, voſmet meliori ſorti ſervate. Ad hæc vidua conjugali mœſta pietate, etſi vehementer illacrymata eſt funeſto nuntio, tamen ſive animi virtute, ſive quòd ſincera afferri crederet ſolatia, dolori ſuo æquabilem modum poſuit. E

à cultu Dei paræ avocat

260 Tartareus interea impoſtor ſub illâ, quam diximus, larvâ latens, illius jam domûs penatum aliquis deunculus & ſpiritus familiaris factus, enixè in ſpeciem adoleſcentuli, ducem ad pietatem (ſi Superis placet) ductoremque agebat. Quare ut matri fucum faceret, inclamare illum ſolitus, Fili, templum adeamus; interim ad omnia alia, quàm ad templa (quæ cruce pejùs & ipſâ Deiparâ odit) adoleſcentulum ſeducebat. Itaque hac ejus educatione hoeque magiſterio fiebat, ut infelix & totus jam ab illo, qui fuerat, mutatus adoleſcens, non conciones ſacras, non ſacra Miſſæ, aliarumque divinarum laudum officia vel adire vel audire in animum induceret: quin etiam, oblitterato & eliminato è pectore omni materno metu ac reverentiâ, illi bene monenti & ad ſolita Deiparæ obſequia invitanti protervè ac petulanter inſultabat. Mater iſtâ filii metamorphoſi perplexa, atque ægra animi confert ſe ad ſacram ædem, ibique coram divæ Virginis conſolatricis afflictorum effigie, pectoris ſui æſtum, filii periculum, & præpoſteri, quem domum admiſerat, tutoris œconomiam & imperitam diſciplinam dolenter deplorat, imploratque ſupplex tam multiplici tamque ancipiti malo miſericordiſſimæ Deiparæ præſentem opem, ac libertatem. Peroratâ haud infeliciter cauſâ, cùm mulier domum reverſa acquieviſſet, audit à foribus ſuis intromitti petentis pulſum, ſed illa omnia tuta timens, non ſe movebat, quoad ſecundò imperioſiùs pultante hoſpite, ei demum domum reſeravit. F

ſed Sanctus viduæ apparens,

261 Datâ ergo ac redditâ ſalute, colloquium ingreſſi, hoſpes quid ita triſtis ſit, quidve animo oneris gerat, edicere jubet. Ad hæc matrona, *rem*, ſi calamitatum ſuarum rationes inire debeat, priùs aliquot integros dies abituros, reſpondet, quàm doloris mœroriſque ſui magnitudo atque acerbitas fandi querendique finem inveniat. Quod ſi tamen rem compendio ſcire velit, ſciret, infelicitatis ſuæ ſummam eſſe, quòd ſuſceptum domo, redu-

A reducem è bello mariti ſui mortui commilitonem, cui, ut fidiſſimo amicorum, adoleſcentem filium, ac ſe matrem moriens maritus unà cum orbæ domûs curâ commendarit; talem experiatur in filii tutelâ ac diſciplinâ, ut is ex pio, morigero, ac pudico, in omnia alia ab illo perverſus, in deterrimum impiiſſimumque totius civitatis evaſerit. Hîc hoſpes, Condoleſco, inquit, vicem tuam, ſed effice; ei nuntietur, uti ex Dei imperio, hîc ſe mihi quàm primùm ſiſtat. Adſtabat fortè colloquentibus puerulus quiſpiam, qui ſuapte ſponte ſine ullius ſuffragio apparitor factus, ad larvatum tutorem currit, & prehenſum manu ambulare ſecum in jus Dei juſſu jubet.

dæmonem detegit, eumque fugat.

262 Paret illico impoſtor, quamvis imbecillo apparitori, & ejulans ululanſque, Quid me, Philippe, exagitas? quid diſcrucias, inquit, veterane inimice? Tum Philippus, qui ſub hoſpite conſolatore matronæ latebat, Dei authoritate impero tibi, inquit, age, ede, qui ſis, quid veneris, quid tibi in hac domo negotii ſit. Hic hærere impoſtori aqua, vel potiùs, quâ flagrabat, flamma, & ſe totâ lubricitate ſerpentinâ in omnes ſpiras ac volumina verſans, effugia quærere; ſed fruſtra; urgente Philippi, qui lupum auribus tenebat, authoritate. Quâ cogente, Quando, inquit, ita jubes, & dura rem extorquet neceſſitas: fateor, me cacodæmonem eſſe, fateor mariti hujuſce fæminæ commilitonem mentitum; ut, ſi illa conſuetam ac familiarem religionem, cultumque Deiparæ aliquando omiſiſſet, eâ illam opportunitate obnoxiam mihi, unà cum filio diſcerptam tartaro devolverem. Tum Philippus: Faceſſe hinc quantocius, tartaree torris; neque deinceps umquam audeas ex hac familia quemquam infeſtare: & cum dicto dæmon, edito fragore, qualem edere ſolet cælum, cùm ruere videtur, fuſus & fugatus in tenebras evanuit, relictâ in medio cadaveris, quod gerebat, fædâ & graveolentâ ſarcinâ. Matrona, tam admirandi dramatis ſpectatrix, in Dei Deiparæque effuſa laudes & actionem gratiarum, percontatur hoſpitis nomen. Is quod res erat, confeſſus, ſe eum Philippum eſſe reſpondet, cujus corpore Tuderti quieſcente, adminiſter ſpiritus miſſus ſit à Dei Matre, ut piorum ejus contemplatione obſequiorum illam tam ancipiti inſidiarum ſtygii prædonis periculo eximeret *c*.

Varii ægroti

C 263 Hoc Philippus pro Dominæ ſuæ honore; ſequentia pro ſuo; quæ ſuprà laudata Acta publica, temporis potiùs quàm materiæ ſervato ordine, ſubjungunt. Quæ tamen antequam perſequamur, illud priùs commemorandum, quod de Philippi toga, & quod gerimus, ſcapulari memoriæ proditum eſt. Videlicet ea paulò poſt ejus exceſſum circumlata in publicâ frequentis populi Tudertini ſupplicatione, coortam irati cæli atrocem tempeſtatem, redditâ repentè ſerenitate, ſedatam diſcuſſiſſe.

In eâdem reliquiarum Philippi tranſlatione (de quâ nos paulò antè) quidam, emortuis pedibus, ſuaveolentiâ evaporantis è loculo Divi fragrantiæ victus, ſoporatus eſt, in eaque quiete Philippum ſibi auxiliares manus præbentem vidit; itaque ſibi redditus, redditum quoque paulò poſt vitalem pedum uſum ſenſit.

Præterea Puella quædam dexero capta lumine, quà potuit, per confertam turbam penetrans ad Philippi tumulum, eique ſuam inopiam luminis queſta, illico videndi dexteritatem etiam impetravit.

Nec minùs beneficum Philippum eodem tempore ſenſit puerulus, morbo caduco obnoxius: cùm enim miſerabili labilique ſorti ſuæ ſtabilem à Philippo opem imploraſſet, numquam deinceps hoc affectu præcipitavit. EX IMPRESSIS.

Senſêre & dæmones duram Philippi veterani antagoniſtæ manum. Quædam energumena miſerabilem in modum ab his ſtygiis incolis ſex ipſos annos torta, ubi ad Philippi ducta ſepulchrum quievit; ſecundum eam quietem Philippum, ceu divinum quemdam exorciſtam, nefarios è corpore ſuo genios exigentem vidit, & expergiſcens, ſe liberam vacuamque infeſtis habitatoribus gaviſa eſt.

priſtinæ valetudini reſtituuntur

264 In eâdem corporis beati Patris Philippi tranſlatione loculus prior, etſi ad honorem ſancti theſaurum ſuum pretioſiori ſarcophago conceſſit, retinuit tamen ſanandi virtutem: nam quædam inops & miſerabilis puella è monte Caſtello, manibus pedibuſque contracta, & ſævo inſuper renum dolore ad incurabilem incurvationem uſque diſcruciata, in vetuſto Philippi ſepulchro, unde recèns extracta ejus oſſa fuerant, locata, è veſtigio in veſtigia ſeſe ſurrigens, recta agiliſque prodiit.

E Attamen ſalutaris medendi vis priori relicta tumbæ vel maximè ſe prodidit in alterâ honeſtiore, ut ſequentia & plura alia miracula docuerunt. Quidam infans, vehementi febri deflagrans, expoſitus à medicis animam agebat. Unde mœſta parens ejus, ut mortis ſpiculum à filiolo excluderet, ad ſepulchrum Philippi confugit, eique filium admovit. Dum ſequenti die Patres noſtri in honorem Philippi ſacris operarentur, puerum, qui penè in æternam noctem lumina clauſerat, illico à fuſis piæ matris precibus de integro perſanatum certam mortem evaſiſſe cernunt, Philippo obtegente. Iterum alius quidam familiari religione Philippo addictus (quam etiam vicinitas eccleſiæ divi Marci conciliabat) ex bene ſublimi lapſus loco, fractâ tibiâ, per biennium non ſine peracutis doloribus claudicavit. Is ſic affectus, dicto tumulo Philippi illatus, derepentè revaleſcens, deinceps paſſibus æquis ambulavit.

per Sancti reliquias vel corpus,

265 Non diſparem Philippi in curando facilitatem expertus eſt non diſſimilis patri ſuo in pietate erga ſanctum Virum hujus ejuſdem filius, Benedictus nomine, quem viventi adhuc Philippo familiarem fuiſſe, eóque ab ipſo junceis illis crepidis flammarum domitoribus donatum, ſuprà memoravimus. Is vi morbi articularis, qui genua F occupârat, tam violenter lectulo affixus hærebat, ut doloris magnitudine intractabilis eſſet, & immobilis: cùm de tranſlatione Philippi déque prodigiis, quæ ejus occaſione eveniebant, inaudiſſet, in mentem ei venit, iſtarum crepidarum, & enixè petitas allataſque, inverſo uſu, ſed ſalutari, genibus aptat. Nocte ſequenti ita piè crepidato Philippus ſe videndum audiendumque exhibuit; eumque ſuaviter ſolatus, deterſo omni, quo urebatur, dolore, ut à domo ejus incendii vaſtitatem, ita à pedibus & omni reliquo corpore tardigradam eam peſtem avertit. Quare ſequenti mane cubili exiliens, Philippi ſarcophagum adit, & de doloribus ſuis Divo trophæum ad æternam beneficii memoriam ſtatuit *d*.

quod Florentini ſtra ſurripere tentarunt;

266 Nec tamen Philippo perſuaſit omnis omnino ad omnia concedenda pietas; ſed ea tantùm, quæ divinæ voluntati erat conſentanea. Non ita enim multò poſt Philippi exceſſum Florentinos pia cupido inceſſit potiundi corporis reliquiarumque tam clari civis ſui: & re cum Pontifice Maximo Honorio IV communicatâ, confectâ-

EX IMPRESSIS.

fectaque, cùm populus Tudertinus Pontifice difficilior negaſſet, tam nobile ſpolium ſe ulli daturos, Florentini ad pias fraudes & furta verſi, illud aureum vellus pluribus, quàm in Argo erant, oculis Tudertini populi cuſtoditum ſurripiunt & impoſitum jumento, elusâ totius civitatis vigilantiâ, urbe educunt. Ubi in quemdam campum in agri Tudertini æquore ſitum (qui hodie ad ejus cathedralis eccleſiæ canonicos ſpectat) perventum eſt, ſe ac jumentum ſacræ ſarcinæ bajulum in viam concitant: ſed nullo alio operæ pretio, quàm quòd arbitratos ſe jam multa per celeritatem milliaria confeciſſe, in illo campo velut in quodam labyrintho oberrantes, diluceſcens dies, & ſui illos confeſſio erroris (cujus à Tudertinis veniam poſtulabant) prodidit. Et Tudertini quidem urbe effuſi, ultro libenterqte eum errorem ſuis ſupplicibus ignoverunt, ac receptum ſacrum ferculum, deductumque ſolemni pompâ, templi ſui mauſolæo læti recondiderunt. Viget hodieque ejus miraculi memorabile veſtigium: nam quà per eum campum totâ nocte cum ſacris exuviis Florentini ambages egerant, licèt eâdem ubique cultură & curâ arvum colatur, non modò ſegetis B
colore, ſed etiam, ubi virgulta ſunt, eorum humilitate raritateque viarum, ab nocturnis erro-
e nibus tritarum, flexus reflexuſque formantur *e*. Cujus teſtandi gratiâ facti aliquot abhinc annis ſenatus populuſque Tudertinus ibidem loci monumentum, rem geſtam picturâ atque inſcriptione exprimens, ſumptu publico ſtatuit.

& obtrectator quidam punitur.

267 Erat eâ ætate in eâdem urbe quidam ſatyricæ licentiæ, ac præfrictæ frontis audaciæ in denigrandâ bonorum bonâ famâ quadruplator: is quodam die in loco publicæ frequentiæ multa in multa & bona Philippi opera deblaterans, deridiculo habebat civium ſuorum in Divum religionem, eoque majorem in modum allaborabat, ſi quà poſſet, populi ſtudium à cultura Philippi avertere & pervertere; ſed id nefas illi non diu ſic abivit: adeſt enim repentè ſuperbo ultor à tergo Deus, & cum circumſtantis frequentiſſimæ concionis horrore humi affli&tum, omnibus artubus deartuatum, ademptâ impiâ voce, infelicem animam & profligatam nefariæ obtrectationis cauſam agere coëgit. Sed quomodo ageret? Non erat vox neque ſenſus. Succollantibus ergo humeris aut juncturis brachiorum, à religioſis civibus fertur ad Philippi vitale ſepulchrum; cui impoſitus, ab impietate & penè jam decretoriâ ultimâque ejus pœnâ, vivificâ buſti Benitiani virtute illico revixit, & tantæ benignitatis monumentum litteris coloribuſque adumbratum, templi, ubi ſepulchrum Divi eſt, tholo affixit: atque ita ex maledico Philippi encomiaſtes factus, poſtea omnia alia, quàm quæ priùs dicere ſolebat, dixit *f*.

C

f

ANNOTATA.

a *Pocciantius in Chronico ad annum Chriſti* 1285 *pag.* 79 *& ſequentibus pleraque hujus & præcedentis capitis miracula contraxit.*

b *Gianius Centuria* 1 *Annalium lib.* 7 *cap.* 4 *mirabilem hunc odorem, aliaque prodigia ex juridicis notariorum teſtimoniis breviter narrat.*

c *Laudatus Gianius in Annalibus Centuria* 1 *lib.* 5 *cap.* 2 *teſtem prodigioſæ hujus hiſtoriæ allegat Thaddæum Adamarium, qui videtur ſeculo* XV *floruiſſe, ut in Commentario prævio num.* 6 *monuimus.*

d *Hiſtoria primæ tranſlationis & miracula tunc patrata conſervantur in cancellaria epiſcopatûs Tudertini, ut Gianius Centuria* 1 *Annalium lib.* 7 *in Annotationibus ad caput* 4 *teſtis oculatus affirmat.* D

e *Petrus octavus Ordinis ſervorum Generalis anno Chriſti* 1317 *in comitiis Senenſibus narrabat, Florentinos id ſub Generalatu R. P. Lotharingi tentaſſe, & eorum conatum clamoribus infantium Tudertinorum detectum fuiſſe, ut in Annalibus Servitarum Centuria* 1 *lib.* 7 *cap.* 3 *fuſiùs licet videre.*

f *Idem Petrus octavus Generalis, patriâ Tudertinus, apud Gianium loco mox ſuprà citato, in comitiis Senenſibus hanc obtrectatoris punitionem diſtinctiùs exponit his verbis:* Ejus quoque ſævitiam (audite, quæſo Patres, & hinc diſcite venerari Sanctos) ejus, inquam, ſævitiam in detractores aliquando experta fuit noſtra civitas: cum enim concionator quidam ſancti Fortunati, qui dicebatur F. Fortunatus, concivis noſter, livore quodam (ut arbitror) percitus, vana de viro ſancto Philippo proferens, ſuis auditoribus ſuadere conaretur, ne tot & tanta, quæ de Viro Dei prædicabantur, vera crederent, neve illi tantum honorem exhiberent, illico contractus, E
lingua penitus convulsâ & innodâta, à concione defecit, & cunctis ex noſtratibus, qui aderant, mirantibus, quaſi mortuus cecidit; quem Fratres ſui bajulantes, & ad corpus B. Philippi deferentes, voto ſuſcepto, ſtatim ſanum reduxerunt; in cujus rei teſtimonium adhuc pendet, veluti B. Philippi trophæum inſigne, in eccleſia S. Marci, ejuſdem concionatoris cerea imago.

CAPUT XX.

Recentiora miracula, quibus immiſcenter ea, quæ in tertia corporis ejus tranſlatione contigerunt.

II. *Aſthmaticus ſanatur,* F

NUmquam tot curaſſet noſter medicus Philippus poſt ſua ipſius funera, ſi contemptâ Virginis vocatione, curare voluiſſet. Sed dum ex medico fit Virginis Servus, accepit ab hac infirmorum medelâ eam potentiam, ut jam quatuor integris ſæculis, omnibus ſuis clientibus præſentem afferat medicinam. Ejus rei priori capite argumenta vetuſtiora, hoc recentiora eaque pauca tantùm è multis atque magis explorata afferemus. Joannes Andreas Amideus, è vico Narnienſis agri Coldiſcipulo, annò Chriſtiano MDXCI aſthmate incurabili ad extrema redactus, valedicentibus medicis, itinera æternitatis ingrediebatur jam, atque extremâ Unctione delibutus, ad ultimam ſe luctam comparaverat. Intellexit id ipſius neptis Catharina, noſtri Ordinis Religioſa Soror in cœnobio oppidi Arnolfæ; & exoratâ unà cum aliquot ſociabus virginibus Philippi ope, conceptoque voto, ſi avus revaluiſſet, effecturas ſe ſpondent, ut ſummum, quod propitiandis in neceſſitate cohoneſtandiſque Superis divina ſapientia excogitavit, ſanctum Liturgiæ ſacrificium in divi Philippi honorem fiat. Vix votum virgines nuncupaverant, cùm, velut alto excitus veterno Joannes, Epiphaneam ſuam (ita uxor vocabatur) ingeminat; & Heus, non vides, inquit, beatum Philippum Ordinis Servorum, qui auxiliaris

A xiliaris archiater meus adveniens, macte animo & jam hinc ſanum ſoſpitemque eſſe juſſit: addens; Religioſas Bulgarienſes impetratæ gratiæ fideles ſequeſtras extitiſſe. Hoc neceſſitati tribuit Philippus, illud deliciis ſuorum cultorum.

& odoriferæ corporis tranſlationi a

269 Quòd cùm anno à Chriſto MDXCIX beati Philippi è templo Divi Marci, ad divæ Virginis Gratiarum, adornaretur tranſlatio *a*, & aperiretur arca, ex qua lignea theca, Philippi continens oſſa, eruenda erat, frequens, qui aderat populus, eam penè priùs naribus, quàm oculis uſurpavit: tanta enim repentè toto templo ſuaveolentiæ ſparſio extitit, ut in admirationem rapti univerſi, qui præſentes inſolitis deliciis innatabant, Dei ſuavitatem odorantes, cumulatas ei gratias agerent pro dignatione, quâ ad tam cæleſtis ſpiraculi experientiam fuiſſent admiſſi. Similis alia fragrantiæ ſparſio data populo eſt decimo octavo Septembris ejuſdem anni, cùm ex eadem theca oſſa Philippi promerentur, exciperenturque ſumptuoſiore aliâ atque auguſtiore, in quâ tranſferrentur.

obſiſtens tempeſtas diſpellitur,

B

270 Et tranſlationis operi vigeſimus primus dies ejuſdem menſis Septembris dictus erat, jamque ad divi Marci omnia ſodalitia, omnes Religioſi Ordines, omniſque cum epiſcopo Clerus ac populus Tudertinus convenerant, cœpitque etiam pompa jam duci: cùm ſubitò, nigreſcente atque intonante cælo, ingens turbulentæ pluviæ procella præcipitat, quæ non modò Ordinem religioſi triumphi diſſipavit, ſed etiam, cùm non minùs violenta quàm pertinax procella videretur futura, effecit, ut de omittenda per eum diem tranſlatione cogitaretur. Sed nihilominus tamen proceſſum eſt; & quàm primùm memorato divi Marci templo elatum ſacrum ferculum ſub dio conſtitit, ſtupentibus cunctis atque applaudentibus, dicto citiùs totus ille tempeſtatis furor, redditâ ſerenitate, poſuit ac ſedatus eſt. Ita cum cælo turbido pro ſuis honoribus, non modò pugnavit Philippus mortuus (tantus eorum in vivis oſor) ſed etiam pompæ ſuæ congratulantes largiter eſt remuneratus.

eoque die monialis à cancro liberatur.

C

271 Cùm enim in dirigendo hujus pompæ ductu placuiſſet epiſcopo Tudertino, ut verſus portam urbis Burgenſem tenderetur, ut Religioſæ Ordinis noſtri incluſæ virgines ad divam Annuntiatam, pompæ ſeriem ac celebritatem commodè ſpectare, & quando aliter non licebat, oculis comitari & proſequi poſſent; erat tum in illo parthenone quædam ex Religioſis virgo, Soror Ludovica Montenigra nomine, Peruſiana, cui ad latus ſiniſtrum quadriennio jam fœdè ſerpens cancer pectus exederat, eóque duobus ultimis annis uſque graſſatus eſt, ut adempto illi omni omnium membrorum uſu, neque ſe commovere, cum lectulus ſternendus eſſet, neque cùm ſumendus cibus, admovere ori manum poſſet, ut propterea bajulari, atque ineſcari alieno auxilio debuerit. Ea cùm de Philippi tranſvectione inaudiſſet, majorem in modum optavit cum reliquis Sororibus ſpectatum intereſſe, quod cùm per tam afflictam valetudinem non daretur, invocatum Philippum oravit, ut ſua ſanctitate, ſanitate vel unius brachii ſe bearet. Tum ſpectatum euntes Sorores his votis proſecuta: Ter felices vos, inquit, quibus datum eſt, poſſe videre, & pars eſſe hujus tranſlationis; atque à dicto acquievit. Poſtridie mane una ex Sororibus, Dorothea Florida nomine, viſendæ ægræ gratiâ, ejus cellulam intrat, & ei læta Ludovica, Non vides, inquit, Soror Dorothea, Philippi noſtri in me benignitatem; is hac nocte per quietem, dexterum lacertum hunc vertici meo impoſuit, & ab expergefactâ ſic repertum, nunc, quâ vides, agilitate moveo. Tenuit autem ejus agilitatis beneficium ad virginis mortem uſque. EX IMPRESSIS.

272 Nec illud minùs mirabile, quod idem Philippus cuidam Vincentio, Raphaëlis Pezzini Florentini civis filio contulit beneficium. Hic puerulus dextero pede laboraverat tam otiosè, ut ſemper ei in quadam ſella, quòd conſiſtere non poſſet, hærendum fuerit non ſine moleſto parentum mœrore, quorum altera, Dianora nomine, vigeſimo ſexto Julii anni reparatæ ſalutis milleſimi quingenteſimi nonageſimi primi, aditâ eccleſiâ divæ Annuntiatæ, adoratoque ibi divinæ Euchariſtiæ ſacroſancto Numine, poſtquam Deiparæ magnæ imagini honorem habuiſſet, etiam ad beati Philippi ſacellum inviſit, & gemino ſtimulata incitamento, amoris videlicet in filium materni, & in Divi grandia merita fiduciæ, robur emortuo pedi filii ſui exorat, & impetrat actutum: nam redeunti domum matri lætus ac tripudians filius novis paſſibus progreditur obviam; nec in veſtigiis ejus ullum veſtigium remanſit ejus compedis, qua hactenus ſellæ illi ligatus fuerat. *Plures alii,*

E

273 Suam quoque ſalutem Philippo acceptam retulit nobilis quiſpiam Joannes Baptiſta Guazzaronius, qui acerrimi calculi, & calculo agnatæ arenæ, nec non laterum doloribus enecabatur. Et medici jam in eo curando omne oleum & operam ſe perdidiſſe conclamaverant. Id intelligens Joannes ad cæleſtes medicos & medicinas reſpicere cœpit, & imploratâ Deiparæ, per quidquid umquam ſervus Philippus ejus ſub obſequio meruiſſet, ope, vix finem precibus fecerat, cùm dolores omnes & dolorum triplex cauſa evanuerunt. Adeſt matutinus ſalutator eodem, quo ea repentina ſanatio contigit, mane Octavius Corteſinius, periclitantis paulò antè Joannis conſobrinus, & admiratus, jam damnato lecto, circumeuntis tam integræ ſanitatis novitatem, quærit, quid portenti? Joannes reſpondet: Philippi ſanctitatem ac patrocinium huic (ut aliis multis) miraculo magnam cauſam fuiſſe; iret ergo Octavius, & neceſſaria itineri Romam ineundo cum duobus Patribus è Societate Jeſu, qui eódem in procinctu erant in epiſcopali palatio, compararet. Paruit Octavius celeriter, & rebus omnibus viæ neceſſariis adductis, Joannes non ſine amicorum, medicorumque vix oculis ſuis credentium ſtupore, cum iiſdem duobus Patribus viam & ingreſſus & emenſus eſt. Nec umquam poſtea vel tentatus memoratis morbis fuit. *tum viri,*

F

274 Ejuſdem Horatii *b* Corteſinii nepos, Carolus vocabulo, puer ſeptennis, per dies viginti, nullo levationis indicio, ex medicorum ſententia cum præſenti vitæ periculo gravibus febris ardoribus torrebatur. Itaque actum de pueri vita rati, eum divo Philippo patronus ac mater devovent, &, nullâ interpoſitâ morâ, puer ita devotus revaluit, & eodem die exiliens è pyra ſua, id eſt, lecto obambulare potuit, & ambulare dein ad Philippi vitale ſepulchrum: ubi mater, quod voti damnata eſſet, filium Ordinis noſtri habitu indui curavit. *tum feminæ, b*

Alius aliquis arte alutarius, nomine Cintius Moſcatellius, cum altero lacerto graviter laboraret, neutro laborare potuit; ſed cùm omnis victûs ejus ratio & cenſus in lacertorum operâ ſitus eſſet, ac proinde ſe in arcto deprehenſum videret, ſpondet, ſi diſcrimini, patrocinante Philippo, fuiſſet exemptus, ſe natalem ejus diem ſa-

EX IMPRESSIS.

crum ſemper feſtumque habiturum, neque ullâ cum artis ſuæ operâ prophanaturum, affixurum præterea ad tanti beneficii memoriam Divi monumento argenteum brachium. Votum, & impetratum: nam poſtridie ejuſdem feſti in fodinâ Pontis Comitum, non jam dolenter ſed utiliter, reſtituto lacerto, laboravit.

diverſis maiſ affecti,

275 Etiam fugientem jam è corpore animam retinere novit Philippus, non manuum aut compedum injectione, ſed tantùm pallii. E nobilitate Tudertina, Hieronymus quidam Leonius, bonâ fide atteſtatus eſt, quòd anno ab allatâ ſalute milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, parens ſua, Hortenſia nomine, redacta ad ultimam colligendi vaſa & migrandi neceſſitatem, animam agere, & Deo ſupremùm commendari cœperit; eoque ad luctam, à cujus victoria pendet æternitas, ſacro, pro more Catholico, Oleo delibuta, gravi cum morte negotio occupata, deſierat mortalibus loqui poſſe. Tenuit ea anceps tractatio per aliquamultos dies, quibus non modò nihil aut cibi aut potionis ſumpſit, ſed ne motum quidem ullum vitalem, aut vitæ ſignum

B

candenti etiam ferro aduſta edebat. Medici, qui proinde jam truſtra aderant, & actum cum illâ videntes, ac, quòd cum morbo, non cum morte certare ſoleant, æternùm ei valedicentes abierunt. Cæteri verò per cubiculum commeantes, ei ut mortuæ, formato de more crucis ſigno, bene precabantur. Ad extremum, ſive mortua ſive in mortis confinio eſſet, viſum eſt fratri ejus ac filio, aut mortuæ aut moribundæ Philippi pallium, quod de civitatis Tudertinæ conſuetudine, morituris imponi ſolet, adferri imponique curare. Quod dum fit, Hieronymus ex ſuburbano ſuo, quò urgentis negotii causâ pridie abierat, redibat, certus matrem mortuam reperire; ſed fefellit illum Philippi pallium, quo applicito, illa, illo ſpectante, cibum ſumpſit, & ſine ulla difficultate lecto exceſſit.

implorato Sancti auxilio,

276 Tertiam quoque beati Patris Philippi tranſlationem, dignam poſteritatis memoriâ ac veneratione duo memorabiles eventus fecerunt. Unus, quòd cùm ligneum loculum, in quo Philippi reliquiæ conditæ erant, fabri ex arâ, in qua defoſſæ atque incruſtatæ erant, eruere vellent,

C

nullâ eum aut arte aut molimine valuerunt vel loco dimovere. At ubi Euſtachius Deſiderius, Cathedralis eccleſiæ Tudertinæ archidiaconus, manus admovit velut adjutrices, omnis obſtaculi pertinacia ſubitò ceſſit; apparuitque ſacra ſacris, non prophanis manibus ritè atque habiliter attrectari. Alter erat, quòd (pleriſque opinantibus, non paſſurum corpus transferri ſe ex eo templo, quod aliàs magnâ religione ac pietate licèt clancularià, abductum ſe tamen eodem reduxerat) ingens ſaxum (illius aræ menſa) duobus impoſitum ſubliciis palis, ac perexiguo truſum impulſu, tantâ celeritate ruit, cum ſpectantium ſummâ admiratione, etſi judicarent altero tantum numerum fabrûm illi moli ſummovendæ non ſuffecturum, ut vivi corporis in morem, fugere ſaxi moles videretur; ut appareret, lubentem volentemque, abactâ illâ remotâ, migrare beatum Servum ad ædem aramque gratioſæ Dominæ ſuæ.

vel voto facto

277 Etſi autem tantâ, ut vidimus, cupiditate locum mutaverit Philippus; voluntatem tamen opitulandi miſeris non mutavit, ſed ex Dominæ ſuæ contubernio auxit potiùs; ut vel quotidianis uſque in hodiernum diem beneficiorum experimentis comprobatur. Nos in iis, quæ ſæpe laudata publica monumenta ſuppeditant, pergimus.

Infans octodecim menſes natus, paternis in ulnis pro feneſtrâ domûs ſuæ è regione ædis divi Marci poſitæ geſtatus, ut eſt lubrica in lapſus infantia, vicenorum pedum altitudinis ruinâ patri in plateam exciderat; &, ut mater infantis Claudia Ceonellia nobilis matrona teſtata eſt, ab omnibus, quòd nullus in eo vitæ halitus notari poſſet, pro mortuo habitus eſt: ſed illatus templo, & impoſitus aræ, cui incluſa erat Philippi urna, revaluit; ac brevi pòſt ne livor quidem à lapſu ſuperfuit: in cujùs memoriam beneficii parentes, Philippi ſervatoris nomen infantem deinceps ferre voluerunt *c*.

D

ad ejus ſepulcrum,

278 Eumdem etiam, qui fuerat, Philippum adhuc eſſe, experta eſt quædam, Beliſandra nomine, Joſephi Catarini civis Tudertini uxor, quæ cùm in doloribus partûs acerbiſſimis deprehenſa, viribuſque & ſenſibus omnibus, exceptâ audiendi facultate, deſtituta, unà cum fœtu interiiſſe videretur, obſtetrix & quæ aderant cæteræ, nuncupato voto, ſi Philippi fideli ope periculum evaſiſſet, cum puero & puerperâ ſe ad Divi conditorium cum oleo, pro lucernis ejus, primâ quaque opportunitate affuturas, & Philippi nomine

E

puerum inſigniturus, ſpondent. Et à ſponſione & prece editus in lucem infans eſt, cujus tamen nullam vitalem auram hauſiſſe videbatur, ut propterea obſtetrix & reliquæ vota preceſque geminarint. Quibus conceptis, infans reſpirare & labella agitare cœpit, idque in piis feminis reddendi voti acuit diligentiam.

In album quoque clientelæ Philippi relata fuit nobilis matrona quædam, nomine Cleria Guazzaronia, quæ fluxione ſanguinis ad vitæ incitas redacta, cùm ad Philippi præſidium, ut ad certum ſervandæ vitæ aſylum confugiſſet, poſtridie quæſitæ illic opis; damnato, quem diu coluerat, lectulo, omni ſe inveteratâ illâ valetudine, & præſenti mortis periculo liberatam ſenſit, aſſerente urbano medico Octaviano Taramanno, nullâ humana ope mortem evadere potuiſſe.

optatis ponuntur,

279 Nec tamen in cenſu ſuorum Patronus hic noſter tantùm numeravit ægros morbis, ſed & egentes inopiâ ſublevatos. Quædam Fauſtina, cujuſdam Sebaſtiani Tardini conjunx, marito peregrè profecto, cùm nihil ei alendæ ſui & quatuor liberorum copiæ reſtaret, quàm pauxillulum farinulæ, quâ fieri non poterat, ut uſque ad Tardini

F

patris reditum ſuſtentaretur; ad benignitatem Philippi confugiens inops fœmina eum orat, ut quemadmodum olim vivens duarum peccatricum (de quibus ſuperiori libro) inopiæ ſubveniſſet, ita ſibi parviſque liberis auctâ annonâ ſuccurreret. Nulla votis mora: nam Philippus, factâ ex farinula farinâ, ad dierum quindecim ſufficiens alimentum, Tardini patris reveniendi tarditatem abundè ſupplevit.

Sed & chirurgi officia nobiliter ſupplevit Philippus, ubi chirurgi mortales omnes deſperarunt. Soror Paulina, virgo Religioſa in divi Franciſci cœnobio Tuderti bona fide teſtata eſt, quòd anno à ſalutifero partu Virginis noſtræ milleſimo ſexcenteſimo ſexto quædam alia Soror ibidem loci, nomine Laura Salvena, ex gravi quadam ſiniſtri pedis uſtione hiantem ac non modici periculi plagam contraxerit: quæ ipſam ipſos quatuor menſes lectulo affixerat, afflixeratque ſæviſſimis doloribus, quibus nulla medicina ponere modum poterat, ut proinde duo familiares medici ſtatuerint, ſecto crure, infectam partem, ne partes ſynceræ traherentur, abſcindendam. Quod ubi periclitantis virginis germana & Religioſa Soror Domitella

A Domitella intellexit, germanam periculi ingruentis admonitam hortatur, ut rei cruciabili atque ancipiti divi Philippi ingeminatam opem opponeret. Quod cùm illa ſtrenuè præſtitiſſet & argenteo crure ad Philippi quamdam effigiem (quam in choro cœnobii venerabantur) affixo, ſervati cruris gratiam ſpopondiſſet, ſe poſteritati teſtaturam; nuncupato voto, reddi cœpta ſanitas ſectioni obſtitit, & poſt dies quatuor egreſſa lectulum, ingredi per cubiculum cœpit, ac duodecim pòſt diebus ſanata de integro gradi potuit, ut poterat priùs, quàm uſtularetur.

& laboraturus in ejus feſto abſterretur.

280 Non tantùm Philippus ipſe his aliiſque miraculorum ſignis ſuam prodidit ſanctitatem, ſed & ipſa Virgo ejus honori non ſemel conſuluit. In iiſdem monumentis refert è Tudertina nobilitate quidam Marcellus Valentinius, quemdam Paſquinum cujuſpiam Feliciani Armenii colonum, die vigeſimo tertio Auguſti (qui divo Philippo ſacer eſt) rus ad ruſticandum prodeuntem, incidiſſe in admirandæ venuſtatis viraginem, candidâ in veſte, in cujuſdam clivi vertice conſiſtentem, quæ hominem percontata quid moliretur, cùm ille reſpondiſſet, ſe diurni operis penſum
B moliri, virago (quæ Virgo Maria fuiſſe creditur) Meminiſtin', inquit, hodiernam lucem beato Philippo feſtam eſſe? Cave labores hodie, niſi piaculo laborare velis noxæ futuro. Dixit, & cum dicto videri deſiit: & colonus, omiſſo prophano opere, ſacro operatus eſt, & oblatus poſtea examini, die decimo tertio Januarii, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, in eo rei ſeriem bonâ fide narravit, excipiente jurati verba publico Tuderti tabellione Quirino Quirinio, qui rem geſtam probè examinatam per confectum legitimè inſtrumentum publicâ fide donavit.

Sanctus præcipuè

281 Deinceps narratur idem Patronus noſter infirmam primæ infantiæ ætatem variis beneficiis foviſſe. Nam alius quiſpiam, Rutilius Poltius pictor, edixit publicè filiolum ſuum biennem, vocabulo Agnulum, ſanguinis fluxu tam impetuoſo menſem integrum fuiſſe exhauſtum, ut egeſturum unà animam medici ſpoponderint. Eoque aut præſenti jam aut jam venienti morti aſſurgentes medici, longum puero ac parentibus vale dixerant. Neque periculum ex vano hauriebant: nam ita
C exhauſtus puerulus nihil omnino alimenti per bucculam, niſi per vim perque cruciatum apertam, admittebat; & id ipſum quantulumcumque erat, ſtomachante ventriculo, regerebat. Anxii parentes, & ſuam in miſerabilis pueri ſorte ſortem miſerati, conſumptâ omni humanâ ope, ad divinam vertuntur, eique exorandæ patronum Philippum deligunt. Et gratiæ ejus captandæ gratiâ, dum atratum habitu noſtro puerulum ad Philippi conditorium perferunt, in tranſitu ſe obtulit piſtoris officina: in cujus promercali jentacula puerorum cruſtula proſtabant; quorum cùm puerulus unum petiiſſet, emptum pater non pœnitendo pretio puero porrigit. Qui ſublabratum donum illico abligurire cœpit; atque ubi ad eccleſiam eſt perventum, & Religioſi Patres puero Philippi pal-

ſuccurrit infantibus

lium admoverunt, eidemque puer oſculum impreſſiſſet, ſine morâ ulla interjectâ priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.

282 Item alius infans Bernardinus, Cypriani Joannii cujuſdam è pago ſancti Joannis filius, jam triduo nutricis ducere ubera poſſe deſierat. Cùm ageret animam, pater ejus cujuſdam matronæ (quæ Philippi meritis non ita pridem periclitanti proli ſuæ ſoſpitatem impetraverat) conſilio fi-

lium Tudertum ferebat, & identidem, quòd inter eundum exſpiraſſe videretur, cum inſpiciebat. Cum illum in eccleſiâ, ubi Philippi monumentum eſt, loci antiſtes memorato Philippi pallio luſtraviſſet, invaſis mirâ lætitiâ atque aviditate nutricis uberibus, revaluit, ſuxit, ætatem protraxit. EX IMPRESSIS.

Simile quoque eſt, de quo Fulvia Armenia matrona Tudertina fidem fecit; quòd ſcilicet nurus ſuæ filiolus gravium defluxionum è capite in præcordia deciduarum viſcoſâ obſtructione, cum ſummo vitæ diſcrimine (quòd infans necdum ſextum ætatis menſem exceſſerat, eoque ſuffocanti ei maſſæ impar viribus fuerat, per meatus viaſque ab natura ſtratas deducendæ) laborarit. Quo die frequens civitas Tudertina, electo in divum tutelarem Philippo, eo nomine mirificâ celebritate eam nuncupationem adornabat, infantis mater Dionora, immemor in privato luctu publicæ lætitiæ, cùm quid ageretur, eſſet admonita, propitium filio Philippum invocat. Vix mulier precandi finem fecit, cùm, ſimul ac puer ſternuiſſet, ſalutem, quam ſternuentibus apprecari ſolemus, ſtatim ſortiri cœpit, & paucis pòſt E
diebus revaluit.

(præter hos tamen febricitanti majoris ætatis)

283 Ab infantili ad confirmatam ætatem curandam rediit Philippus. Ludovicus Fantolinius Peruſinus, cùm aliquot ſeptimanis febri continuâ ac pertinace æſtuaſſet, jam morbi violentiæ non ſolùm corpore, ſed mente etiam, ita ſuccubuerat, ut voce moribundâ mera deliramenta loqueretur, ac pròinde à medicis ejus ſoror Jacoba moneretur, ut, quoniam de corporis ejus ſalute proclamatum eſſet, animæ proſpiceret precum & Sacramentorum præſidio ac viatico. Illa fratrem hortari cœpit, ut per ſacram exomologeſin ſua peccata expiaret: ſed ille, præſentis mortis horrore perturbatus, nihil ad rem reſpondebat. Unde pia ſoror ad Philippum confugiens, eum ſuppliciter orat, ut fratri à Deo vel tantum lucidi intervalli impetret, quantum ſufficiat exonerandæ per Sacramentalem confeſſionem conſcientiæ. Vix deſierat precari, cùm, quod anguſtè rogaverat, auguſtè impetrat: nam frater non ſolùm accerſito ſacerdoti ad ſatietatem confiteri potuit, ſed etiam unâ eâdemque Dei in Philippi gratiam operâ, à corporis animæque morbo abſolutus, in ſolidum convaluit. Accidit id Maio anni mil- F
leſimi ſexcenteſimi vigeſimi primi.

qui mortis periculo expoſiti

284 Sed mox ejuſdem anni menſe Julio liberalitatem ſuam Philippus iterum in infantes, & primò quidem in eamdem Fantolinorum gentem, ſequentem in modum produxit. Erat eidem perſanato Ludovico filia triennis, nomine Conſtantia, quæ inter nugandum, triticeum culmum tenero ocello infixerat, ſic ut ictum vulnus cruor & oculi inſignis inflammatio ſequeretur. Puellæ mater, Margarita Mellinia, & affinis ejus quædam Jacoba non ſufficiebant extrahendo culmo; adeo ſe altè ac mordicus oculo inſinuârat; cùm illis conſilii inopibus, & quid agerent neſcientibus, ſupervenit puellæ avia, & procidens in genua, & ſupplices cælo manus cum ardente fiducia tendens, O beate Philippe, inquit, commendo tibi hanc infantulam; & his dictis, erigens ſe & oculum intuita infantis, in eo jam neque cruorem, neque fervoris ruborem, neque (quod admirationis palmarium fuit) ipſum culmum, qui repentè evanuit, uſpiam videre aut invenire, etiam aliarum præſentium oculis, potuit.

vel morbis vexati

285 Non impari beneficio affectus eſt alius bimeſtris infans, Joannes Baptiſta Baldeſchivus, qui

EX IMPRESSIS.

qui ipso die Natali Servatoris nostri, anno millesimo sexcentesimo secundo, affectu quodam (quem vulgò rupturam *d* vocant) uri cœpit, & adeò mali vis auxerat, ut, præter arcti subligaculi usum, aliquoties in die à domesticis, capite, ac reliquo corpore deorsum à pedibus verso (si qua ratione suis effusa finibus viscera reponi possent) tredecim mensium diligentia nihil efficeret; donec utcumque ad sacram Perusii ædem Servorum Deiparæ, Mariæ Novæ dictæ, delatus est infans, & à contactu vestimenti Philippi, quod in eo cœnobio magno in honore asservatur, suis intestina sedibus restituta atque concluſa sunt, omnibus, ut minimè porrò necessariis, subligaribus abjectis.

d

Denuò quædam Faustina, Salvatoris Batilori nomine septennis filia; ignoto medicis morbo jactabatur, quo consistere pedibus non poterat, quin jam in hanc, jam in aliam partem lapsando aut rueret, aut fatigaret ruenti utrimque obstantes. Post longas rei disquisitiones mater ejus eam quadam Philippi veste lustrari curavit, & subitò curata est mense Octobri anni à Virgine Matre millesimi sexcentesimi vigesimi secundi.

B

286 Huic subjungitur in iisdem Actis Camillus de Penna puer quadrimulus, qui lethali afflatus fascino, animam penè jam actam agebat; cum soror quædam Tertii Ordinis divi Francisci, Ursulina nomine, sodalitii habitûs nostri Servorum ad sanctam Mariam Novam æditua, puerum divo Philippo vovet, habitu nostro per integrum semestre amiciendum, si parentibus collibuisset: (collibiturum verò persuaserat nota Octavii de Penna pueri parentis pietas, quæ illi cum conjuge Adriana Asidea & matre ejus Olimpia communis erat.) A nuncupato voto quamprimùm puerulus cœpit convalescere & paulò pòst etiam satis valere, idque anno Christiano millesimo sexcentesimo vigesimo tertio.

& fascino afflati

Tandem alia puella, Constantia Cantuccia trimula, eâdem fascini peste jam pro mortuâ habebatur tam evidenter, ut, cùm parentibus ejus Josepho & Hieronymæ Bontempiæ suaderetur, uti filiam Philippo commendarent, responderint, se serò moneri. Inducti tamen postea matronæ cujusdam Atalantæ Benedictiæ salutari consilio acquieverunt; & illico commendationis momentum tam illi, quàm restitutus pristinæ valetudini infans, senserunt.

C

287 Claudat agmen clientulorum Philippi in hoc libro, non in beneficio, urbis Placentinæ matrona, nomine ac pietate in Philippum angela. Hæc novennem filiolam Joannam, defluxione quadam cruentâ oculos suffusam, (quâ nec ipsa videre nec videri patienter ob deformitatem poterat) deplorabat. Sed facto in arâ divo Philippo sacrâ in æde Servorum ad divam Annam Sacrificio, & oblatis duobus ex argento cælatis, ut spoponderat, oculis, nullâ vel tenui interpositâ morâ, ex votis voti damnata filiam sic videntem vidit, ut ambæ omnia videre possent, præter vestigium aliquod vel minimum detersæ modò ac depulsæ cæcitatis. Atque hæc quidem hactenus de rebus admirabilibus, Dei numine patratis, tamquam sanctitatis Philippi argumentis. Qui plura numero percipere volet, is Annales nostros, & antiquos Canonizationis Processus, typis editos consulat; & inveniet Deum mirabilem in Sanctis suis, & Philippum venerabilem in factis suis.

opem ejus experiuntur.

ANNOTATA.

D

a *Hæc est tertia sacri corporis ejus translatio: nam secunda contigit anno Christi* 1579, *ut in Annalibus Servitarum Centuria* 4 *lib.* 4, *cap.* 11 *licet videre.*

b *Iste Cortesinius, qui numero præcedente prænomen Octavii habuit, hoc loco Horatius appellatur. Utro loco erratum sit, vel an Cortesinius ille duo prænomina habuerit, ignoramus.*

c *Hoc miraculum pueri è feneſtra delapsi & aliquot sequentia leguntur etiam in instrumento ad canonizationem* S. Philippi *promovendam oblato, quod Romæ anno* 1670 *impressum est.*

d *Solutio unionis in nervosis musculorum partibus ex distentione propriè vocatur à medicis* ruptura, *ut Castellus in Lexico medico ad voces* unionis solutio *testatur. Sed ex subsequenti narratione suspicor, hîc herniam indicari.*

CAPUT XXI.

E

Publica de sanctitate ipsius opinio, antequam catalogo Sanctorum solenniter adscriberetur.

III. *Biographus ex B. Philippi gestis,*

QUamquam de beato Patre nostro Philippo talia hactenus relata sunt, ex quibus ejus etiamnum mortalis, dum viveret, & immortalis, postquam est mortuus, sanctitas multis mirabilium virtutum splendoribus ita est illustrata, ut glorioso vitæ ejus cursui hoc loco meta poni debere videretur, tamen quia nonnulla non minùs honorifica relatis ad hujus historiæ calcem ideo rejecta sunt, ne eorum suis locis commemoratione rerum gestarum series interrumperetur, visum est aliquem hîc eorum gustum lectori delibandum proponere; ut eorum cælesti tractus illecebrâ currat post odorem unguentorum, quibus Philippum unxit Deus, & currendo ascendendoque per imitationis gradus, virtutem & sanctimoniam ejus assequatur. Quantis, qualibusque virtutum etiam miraculis approbatarum ornamentis Philippi pueritia atque adolescentia inclaruerit, & quanti facta sit ejus sanctitas à septemviris Ordinis primis primoribus, qui illi adhuc sub schemate fratris Conversi latenti ac pene tyroni tyrocinium juventutis nostræ Senensis spiritûs sui ardore succendendum crediderunt, jam suprà primo hujus historiæ libro meminimus. Quod munus Philippus tanto Ordinis nostri bono gessit, ut, si primi illius sæculi felicitas, & abundantia sanctorum virorum, ipsâ frequentiâ abolente novitatem (quæ transmittendi ad posteros res gestas plerumque solet esse causa) non obstitisset, multos alios in Ordine divos, præter illos septem, ejus beatos discipulos superiore libro laudatos numeraturi essemus, Philippi disciplinâ ad magnam divinæ amicitiæ beatitatem provectos.

F

ex Tudertinorum erga eum devotione,

289 Cæterùm, etsi superiore libro insinuaverimus, quanto in honore quantaque in opinione sanctitatis apud summos Pontifices, imperatores, reges, reliquosque Christiani orbis proceres habitus Philippus fuerit, tamen hoc loco succenturiari meretur Tudertinorum in Philippum pietas; qui cùm in illum vivum dignitatem Confalonerii,

A falonerii, id est, ejus urbis consulatum perpetuum contulissent, inumbrante conditionem hominis Religiosi, similis honoris incapacem, eximiâ viri sanctitate; per quam sibi à Deo, rerum suarum potiente Philippo, omnia fausta ac felicia pollicebantur, illi etiam in cælum recepto eum magistratum prorogarunt, nullo ei deinceps umquam suffecto successore, quòd haud temerè arbitrarentur, Reipublicæ suæ numquam nisi bene consultum iri, eo consule, cui paulò antè Deus Optimus Maximus æternum ob res bene gestas & triumphum & consulatum in cælo decrevisset. Hujusce senatûs consulti memoriæ ad posteros propagandæ gratiâ Tudertini monetam cudi voluerunt (cujusmodi quidam è prima nobilitate dynasta Placentiæ nummum conservat) in unâ facie pyramidem, cujus in cuspide crux repandis ornata liliis exstat, referente cum hisce literis R. S. B. M. hoc est RELIGIO SERVORUM BEATÆ MARIÆ; alterâ verò facie, has cum cruce literas habet: F. P. O. S. id est FRATER PHILIPPUS ORDINIS SERVORUM *a*.

a

B 290 Sed & salutares thermæ montis Tuniati (quod sancto Rocho *b* ob alias sanationes contigisse accepimus) Philippo etiamnum vivo Sancti nomen fecerunt; jam inde à primordiis suis, THERMÆ SANCTI PHILIPPI dictæ. Post verò mortem ejus tanta fuit per Italiam, atque alibi passim sanctitatis ejus celebritas, præcipuè verò Tuderti, ut omnes civitatis ordines, sexus, ætates, omnesque totius agri Tudertini incolæ & accolæ aliis atque aliis ritibus ac modis ad primam mortis ejus famam confluerent, ac certatim Divi corpus venerantes, ei annulos, vestes, corollas, monetam etiam ac panem & similia admoverent, ut ea à contactu sanctitatis, quam vivam spirabat, vim efficaciamque adversus quascumque humanas calamitates sortirentur. Quæ causa fuit Patri Lotharingo Stuffæ, Ordinis tum vicario generali, dandi in mandatis Tudertinis Patribus, uti sacris ejus exuviis cum curâ attenderent, agerentque cum urbis episcopo, ut suâ authoritate ac testificatione miracula, quæ ad ejus reliquias patrabantur, authentica faceret, eaque custodirent: præterea accuratè vestes, imagines, psalterium, Breviarium, Indicem Ordinis, sive Regi-

reliquiis solicitè conservatis, *b*

C strum, & reliquam omnem simplicem ac Religiosam ejus supellectilem asservarent *c*.

c

291 Postridie ejus diei, quo beata ejus anima cælo illata est, præsentibus urbis antistite & magistratu, iisdemque approbantibus, non mortualem sed festivum in modum, divinum Sacrificium solemniter decantatum est, cum cantico angelorum. GLORIA IN EXCELSIS DEO: & Symbolo Apostolorum CREDO IN UNUM DEUM &c. Cum Introitu GAUDEAMUS OMNES IN DOMINO, DIEM FESTUM CELEBRANTES SUB HONORE BEATI PHILIPPI CONFESSORIS &c. Eaque celebrandi ratio tenuit, quoad sacrum cadaver conditum est. Post verò persolutos ei omnes sepulturæ honores ac pompam tanto ardore, ut is ipse pro miraculo esset, populus tamen Tudertinus à sepulchro avelli non poterat; aut inhiberi, quin more primævæ Ecclesiæ aliquot noctium pervigilio funeratas jam reliquias psalmis, canticis, præconiis, ac jejuniis prosequeretur. Ea tunc orta erga Philippum religio, aucta ac propagata ad hanc usque ætatem nostram viget, atque in usu est, non modò vicinorum ardore populorum, sed longè etiam dissitorum, quorum principes, tam ecclesiastici quàm sæculares ad habendum Philippo honorem, religionis ergô ad hoc ejus monumentum piè ac frequenter frequentes invisunt, & cum populis suis illud lucernis, luminibus, anathematis, imaginibusque aliis, acceptarum à Deo Philippi patrocinio gratiarum testibus, exornant ac venerantur. EX IMPRESSIS.

concursu populi ad tumulum,

292 Cæterùm ea vitalis & à divina potentiâ derivata salutifera vis non solum inest toti cori hoc loco, ubi conditum colitur, sed partes ejus etiam, aliaque de supellectili lipsana, hinc inde inter principes, urbesque & Religiosorum domicilia distributa *d*, eamdem virtutem sentiendam præbent. Ejus rei recens ac memorabile argumentum accidit Romæ anno Christiano millesimo sexcentesimo decimo sexto in sacro Philippi osse, quod ob alia divinarum multa signa gratiarum in æde illic nostrâ divi Marcelli colitur: nam Joannes Baptista Rebiba, vir apprimè nobilis, vi acutæ febris (quæ, elusâ jam omni medicorum operâ atque industriâ, illum ad ultimam lineam deduxerat) ad migrandum perurgebatur. Quo mœsta parens ejus, omnibus reliquis curationibus actum agi intelligens, & ad divinæ pro filio opis asylum confugiens, misit, qui rogaret Patrem ædituum ecclesiæ divi Marcelli, ut partem illam sacri ossis afferret. Quod cùm esset factum, & illa totâ fiduciâ & pietate in Philippum ferveret, vix sacrum os alteram mammillarum, ubi lethalis doloris sedes erat, contigerat, cùm liquatum tenacis in ceræ aut glutinis modum mammillam mordicus strinxit, ac velut exsuctâ inde atque expressâ omni peste, miro cum solatio ægrum levavit, ac brevi cum omnium stupore persanavit. *recentioribus quibusdam miraculis* *d* E

293 Hoc hujus facti exemplo illectus Pompeius Maximus, Romanus Dux limitaneus, sive, ut jam vocant, Marchio è patriciâ antiquâ gente Fabiâ atque è stirpe ejus dictatoris, qui cunctando restituit rem; in summo vitæ suæ discrimine, ab ardentissimâ creato febri, divum Philippum dictatorem dixit, & invocavit; & illico non cunctando Philippus restituit rem & sanitatem: nam allato per eumdem Patrem ædituum hoc ipso sacro osse, eoque admoto, Pompeius Libitinæ Annibalem evasit, & quinto pòst die lætus vegetusque exiit lecto. Accidit id decimo septimo Augusti ejusdem anni. Haud minùs mirum fuit, quod vigesimo postea ejusdem mensis die evenit Cleliæ Rebibæ ejusdem Marchionis conjugi, quæ jam octavum mensem gravida, partûsque invasa acerbissimis doloribus (quorum se summa velut facto agmine in sinistra papilla collegerat) cùm allatum hoc ipsum sanctum os lateri papillæque imposuisset, omni derepentè sedato dolore, facili ac felici partu enixa est, & integræ valetudini restituta *e*. *Romæ patratis,* F

e

294 Suppeterent hîc præterea ad asserendam Philippi sanctitatis famam magno illi numero erectæ statuæ, locatæ imagines, constructa & dicata sacella, varia præterea sodalitia, & cœtus piorum, eo auspice ac tutelari Divo, per summam fortitudinem abstinentiamque Christianæ philosophiæ Deo militantia; à quibus quanti mortalis immortalisque factus fuerit Philippus, facilè desumi conjectura posset. Verùm quia, quemadmodum non claratur aut stellis aut facibus Phœbus, ita Philippi gloriam hæc pia quidem, sed inferiora meritis monumenta non ita illustrant, ut eorum hîc seriem texere, & inire numerum, operæ pretium esse videatur; eoque convenientius supersedeamus, quòd habeamus firmiorem propheticum sermonem Oraculi in terris Christi, quod in hujusmodi judicio nec falli potest, nec *ac demum ex Leonis X Papæ*

EX IMPRESSIS.

fallere; cui proinde bene facimus attendentes, velut lucernæ lucenti in caliginoso loco disquisitionis: quod omnibus absolutum numeris Divum authenticè aut Sanctum constituit.

aliorumque Pontificum litteris probat

295 Is sermo est Leonis decimi Pontificis Maximi, qui compertâ, per varia eaque, ut in re summi momenti, accurata examina, Philippi sanctimoniâ, quibusdam de eâ præmissis, Rescripto sive Brevi Apostolico ejusdem publicam celebritatem universo Ordini permittit sequentem in modum: "Vobis (donec ad canonizationem ipsius Philippi deventum fuerit, cui ad præsens diversis arduis negotiis præpediti vacare non possumus) in quibuscumque ecclesiis, domibus, monasteriis, oratoriis, utriusque sexus, totius vestri Ordinis tam in Italia, quàm extra, in quibuscumque locis consistentibus, liceat absque aliqua superstitionis vel quasi idolatriæ notâ ac conscientiæ scrupulo veneraB ri, & in ecclesiis domorum ad eumdem Philippum, ut pro vobis intercessor existat, in orationibus, Officiis, ac Missarum solemniis preces tam publicè, quam privatè, seu secretè fundere, vosque ipsius orationibus commendare, ac etiam, quòd à primis Vesperis usque ad secundas Vesperas inclusivè, diei ipsius Philippi obitûs, qui erit die vigesimâ tertiâ mensis Augusti, sub duplici Festo confessoris, cum candelis, campanis, Antiphonis, Versiculis, orationibus, cæterisque cæremoniis, in festo duplici fieri solitis, adhibitis, celebrare possitis, & valeatis, authoritate Apostolicâ concedimus &c." Hæc summus Pontifex Leo X.

communem de sanctitate ipsius famam,

296 Paulus verò Quintus, ejus in Pontificatu maximo magnus & gloriosæ memoriæ successor, hoc ipsum non solum ratum gratumque habuit, sed etiam proprias lectiones, vitæ ejus historiam compendio complectentes, à sacrâ Rituum Congregatione suis ritè momentis ponderatas, atque authoritate suâ Apostolicâ approbatas, in publicis divinarum laudum officiis recitandas ac decantandas universo Ordini atque ecclesiæ Florentinæ omni Clero concessit, ad magnorum Hetruriæ Ducum civiumque singulare solatium. Id etiam ecclesiæ Tudertinæ pari aut majori amplitudine, ob ejus illic quiescentis ac patrocinantis præsentiam indulsit. Eodem Pontifice, sacra Rituum Congregatio, ut presbyteri C sæculares etiam sacra de beato Philippo deque aliis nostri Ordinis Beatis facere possent in æde monasterii monialium nostrarum, OEniponte Tyrolis metropoli, dato vigesimo secundo Decembris anno sexcentesimo duodecimo supra millesimum, diplomate, potestatem fecit. Ad extremum denique, anno à partu Virgineo millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Urbanus VIII Pontifex Maximus majorem patentioremque Philippi gloriæ ac meritis pro suâ in eum eximiâ religione campum aperuit, cùm, dato Apostolico per modum Brevis Rescripto, latè ac passim episcopatibus veteris ditionis Florentinæ celebrandi de beato Philippo, usurpatis propriis ejus lectionibus, divina officia, amplissimam facultatem concessit, non sine magnâ accessione ad beati Patris venerationem apud eos populos factâ.

hæreticisque nostri ævi obiter increpitis,

297 Itaque non tantùm duo illa requisita ad ingenuam sanctitatem sanciendam, quæ hujus ultimi libri initio, ex Gregorii IX Pontificis Maximi mente laudavimus, hoc est, MERITA & MIRACULA Philippo suppetunt ac suffragantur ad absolutæ sanctitatis evidentiam, sed trium etiam summorum Pontificum prona ac prompta ad D ejus canonizationem voluntas satis testatur, omnia alia defuisse adhuc, quàm ea, quæ in canonizando & in canonizante requiruntur: ea videlicet, quæ adornandæ tantæ celebritati Ecclesia militans ad imitationem triumphantis adhibere solet, per nostram paupertatem hucusque fuisse desiderata. In quo nos neque paupertatem erubescimus, quia virtus Christi est, neque crudos acatholicos, qui similes sumptus (impiè atque impudenter in cælum mentientes) pretia vocant canonizationum, neque semicrudos Politico-Catholicos moramur; qui canonizationum moras, dicunt esse aut favoris principum mundanorum, aut nummorum in principes ecclesiasticos distribuendorum inopiam: nam, ut animales homines non capientes ea, quæ sunt spiritûs Dei, ista de spiritûs sui vanitate depromentes hallucinantur, ita nos juvat canonizationum beatorum nostrorum moræ causam conjicere in eam rationem, quam attulimus, ut in humilitate Deiparæ Dominæ nostræ & spiritu ejus Conditricis nostri Instituti præ omni aliâ celebritate gloriaremur.

lucubrationi suæ finem imponit.

298 Atque hæc quidem hactenus summa sit E eorum, quæ ab adolescente Philippo ante susceptam cælorum Reginæ servitutem, & eâdem susceptâ, à privato & à Priore Ordinis Generali, ac demum à Divo jam in cælum recepto gesta esse accepimus. In quarum rerum tractatione propter earum summam dignitatem sublimitatemque, & hinc oriundam reverentiam non patimur aliter fuisse versatos videri, quàm sicut illi, qui ex fumi copiâ de ingentis alicujus flammarum pyræ amplitudine rationantur: nam si omnem gloriam filiæ Regis (felicis Philippi animæ) ab intùs circumdatæ varietate, quâ aut in vivis omnifariam heroïcarum virtutum atque anagogicorum excessuum splendoribus irradiata, aut quâ jam in cælo majestate, in æternæ atque inaccessæ mortalibus divinationibus gloriæ solio decorata coruscat, assequi scribendo aliquis aggrederetur, metuendum illi profectò esset, ne tantæ majestatis scrutator factus opprimeretur à gloriæ magnitudine, & ejusdem ignis ardoribus absorberetur; cujus in hoc aliquo fumo adumbrando eloquentiæ cum factis imparitate cæcutiverit; atque in iis etiam, quæ comperiri aliquà & exprimi possunt, balbucinatus maximam ac præcipuam glorioforum facinorum partem ignorare coactus sit: quam, aut humilitatis Philippi in rebus glorioſis occultandis industria, aut ipsorummet factorum ardua captu atque explicatu sublimitas, cognitioni omni notitiæque subductam intervertit. F

ANNOTATA.

a *Gianius Centuria* 1 *Annalium lib.* 5 *cap.* 1 *fol.* 59 *figuram hujus monetæ repræsentat, & de origine illius, quæ tam confidenter hîc à Dalæo asseritur, sequentes suas conjecturas proponit:* Hoc verò numisma quando, ubi, & cujus gratiâ cusum, incertum. Quod si liceat hac in re opinari, cum Tudertinus senatus sibi perpetuum vexilliferum eo tempore deputasset beatum Philippum, potuit fortasse contingere, ut ejus in honorem hujusmodi monetas excuderent, quæ temporis vetustate defecerint; nisi fortè dicatur, F. Lotheringum vel alium quemvis ex priscis Generalibus hujusmodi monetas curasse à piis benefactoribus ob devotionem beati Philippi excudi. Verùm utcumque res habuerit, hujusmodi præclara monumenta non modò conservarunt, verùm

A verùm etiam devotionem magis ac magis augere valuerunt.

b *De ſalutari fonte, quem S. Rochus excitavit, ad diem 16 Auguſti, ſive tomo III iſtius menſis pag. 403 & 404 mentio facta eſt.*

c *Hæc pia R. P. Lotharingi ſolicitudo in Annalibus loco ſtatim ſuprà citato laudatur, & ibidem de diviſione quarumdam reliquiarum hæc leguntur:* Mandavit etiam, (*nimirum Lotharingus Tudertino Servitarum Priori*) ut ejus indumenta, imagines, Pſalterium, Regiſtrum, Libri, & aliæ quæcumque ipſius ſcripturæ conſervarentur; ex quibus poſtea uſque ad noſtrum ævum ibi reperiuntur tunica, corona calculorum, crepidæ ex juncis marinis contextæ, parva ex ebore ſanctiſſimi Crucifixi, quam manibus ſemper geſtabat, imago: ex quibus quoque Florentiam ejus juſſu lanea ſubucula, habitus cum ſcapulari ſimul ſuto, & cothurni pro itinere adducti fuiſſe creduntur, quemadmodum hoc tempore parum quid ex oſſe capitis in theca argentea, illius imaginem repræſentante, allatum fuit; verò chlamydem cum ſcapulari eidem conſuto à B. Joanne Alemanno (unde & quo pacto, quove tempore, incertum) allatum ferunt; quemadmodum & Racoaiſii habetur corrigia, atque in Sanario Breviarium & fragmenta quædam indumentorum adhuc aſſervantur. Lucæ EX IMPRESSIS.

d *Gianius in manuſcripto Vitæ compendio jam aliquoties citato recenſet varias oſſium partes, quæ poſt tertiam ſacri corporis tranſlationem diverſis regionibus ac cœnobiis communicatæ fuerunt. Nimis longum eſſet ſingula hæc lipſana enumerare, cum non dubitemus, quin pleraque Servitarum cœnobia aliquas ejuſdem Sancti reliquias poſſideant.*

e *Hæc tria miracula ſeu beneficia recentiora Dalæus excerpſit ex Annalibus Servitarum, ubi Centuriâ 4 lib. 6, cap. 3 narrantur, ibidemque adduntur alia nonnulla, quæ biographus præcedenti capiti immiſcuit. Utinam hæc omnia Sancti geſta & prodigia ex primigeniis inſtrumentis dare potuiſſemus!*

B

DE B. JACOBO MEVANATE, E

EX ORDINE FRATRUM PRÆDICATORUM,

MEVANIÆ IN UMBRIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. G. C.

§ I. Hujus Beati patria, cultus ab immemorabili tempore inceptus, & ab Apoſtolica Sede poſtmodum confirmatus.

AN. MCCCI. *Natus eſt hic Beatus Mevaniæ,*

HUnc B. Jacobum *cognominavimus in titulo* Mevanatem *ab urbe Mevania, quæ illum non ſine prodigiis naſcentem ac morientem vidit. Ferdinandus Ughellus in Italia ſacra noviſſimæ editionis Venetæ tomo* X *col.* 137 *iſtam beati Viri patriam deſcribit his verbis:* Ad Tiniæ Clitumnique confluentes in Umbria, viâque quon-

C dam Flaminiâ, jacet illuſtre nunc oppidum vulgo BEVAGNA, olim celebris urbs MEVANIA, quam inter antiquiores præcipuaſque Umbriæ civitates rejicit Cato in ſuis fragmentis, & Strabo libro V inter illuſtriores memoratuque dignas urbes refert. *Allegatis aliis antiquis ſcriptoribus, qui de profana hujus urbis celebritate teſtimonium reddunt, Ughellus ſacram ejuſdem antiquitatem memorat hoc modo:* Cum autem fides Chriſtiana per Italiam propagari inciperet, aperuere oculos Mevanienſes Euangelii luci, prædicante ſancto Vincentio primo eorum epiſcopo, qui ſemel inibi plantatam fidem ſuo etiam ſanguine per triumphalem martyrii agonem effuſo irrigavit. Illam deinde excoluere Vincentii ſucceſſores, quorum nomina ferè omnia exciderunt, donec barbaris in Italiam irruentibus, omniaque ferro flammaque devaſtantibus, Mevania excidium paſſa, ſi non fidei Chriſtianæ, epiſcopalis dignitatis faceret jacturam.

2. *Recenſitis deinde aliquot epiſcopis Mevanienſibus uſque ad annum Chriſti* 844, *varias Mevaniæ ruinas & præſentem ejuſdem oppidi ſtatum ibidem col.* 139 *ſic refert:* Nec ulterior Mevanienſis epiſcopalis dignitatis mentio aliqua occurrit, niſi quod in veteris eccleſiæ geographia epiſcopali cathedra Mevanienſis recenſeatur. Ejus antiqua cathedralis ſancto Vincentio primo Mevanienſi epiſcopo & loci patrono ſtabat juxta civitatem ad portam inde etiam nunc dictam ſancti Vincentii, quæ à Longobardis unà cum civitate miſerum in modum everſa fuit. Illam deinde reſtituêre cives à diſperſione regreſſi, ſæpiuſque poſtea vel collapſam vel dirutam reædificarunt; ſed numquam priſtino reddiderunt ſplendori, deperdita epiſcopali ſede. F

quæ civitas Umbriæ

3 Urbs ipſa poſt Longobardorum injurias reſtaurata, gravia damna perpeſſa eſt à Federico II anno MCCXLVIII; graviora verò anno MCCCLXXVII à Trinciis Fulginii dominis, ac Mevanates tyrannico jugo prementibus, à quibus auſa fuerat civitas rebellare. Sed abolita deinde Trinciorum tyrannide, ſub Eugenio IV, mediante ejus Legato Joanne Cardinali Vitelleſco, anno MCCCCXXXIX libertatem recuperavit, cœpitque ſub Martino V ſtatutis ac legibus novis informari, exindeque rediit ad ſpectabilis jura civitatis. Modò floret populo referta, enumeratque quatuor circiter mille incolas. Ejus princeps & Collegiata eccleſia ſancto Michaëli archangelo ſacra eſt, illique inſerviunt duæ dignitates, Prior ſcilicet atque Præpoſitus, quindecim Canonici, quatuor Beneficiati, totidemque Capellani. Duæ aliæ viſuntur inibi parochiales eccleſiæ, ſeptem Regularium cœnobia, tria ſacrarum virginum, quatuor laïcorum confraternitates, hoſpitale peregrinorum & Mons pietatis. Ex ea plures prodie-

ex Ughello deſcribitur,

re

AUCTORE G. C.

re celebres viri, quos inter fulgentiſſimum nomen beati Jacobi Mevanatis ex Ordine Prædicatorum. Paret nunc ſpiritualibus Spoletini epiſcopi mandatis.

ibique coli cœpit, ut ex Martyrologio PP. Prædicatorum

4 *In hac civitate* B. Jacobus *anno Chriſti* 1301 *vitam finivit, & non diu poſt obitum miraculis clarnit, ita ut Fratres Prædicatores anno ſequente debuerint transferre ac honoratiore loco collocare ſacrum ipſius corpus, quod tunc incorruptum invenerunt, quemadmodum ex Actis infrà edendis patebit. Suſpicamur, ab hoc tempore apud cives Mevanates incepiſſe publicam* B. Jacobi *venerationem, quæ paulatim aucta eſt, etiamſi certum & legitimum illius initium aſſignare non poſſimus. Sanè circa annum Chriſti* 1380 *Proceſſus ad Beatificationem cœperunt inſtitui, qui tamen eo tempore optatum ſucceſſum non habuerunt. Forſan de lento illo Beatificationis progreſſu intelligenda ſunt ea, quæ poſt Martyrologium FF. Prædicatorum, quod anno* 1616 *Romæ recuſum eſt, in Indiculo beatorum Martyrum & confeſſorum ejuſdem Ordinis apud nos pag.* 95 *leguntur in hunc modum:* Beatus Jacobus de Mevania admirandæ ſanctitatis vir a-

B quam ſæpius convertit in vinum, lætum æternæ ſuæ ſalutis nuntium ex Chriſti ore meruit audire, cujus illud ſignum accepit, quod ex imagine Crucifixi, ante quam orabat, copioſus ſanguis effluxit, qui faciem, os, ac veſtes ejus aſperſerit. Colitur pro Beato, agique cœptum de ejus canonizatione; ſed (neſcitur cujus culpâ) negotium intercidit.

& veteri commemoratione colligimus.

5 *Ex hoc publico ſacri Ordinis Prædicatorum teſtimonio colligimus, hunc venerabilem Virum pro Beato honoratum fuiſſe, quamvis nondum ſolenniter in catalogum Beatorum relatus eſſet. Inſuper immemorabilem* B. Jacobi *cultum eruimus ex veteri commemoratione, quam Ludovicus Jacobillus in Italica ipſius Vita, cap.* 19 *ſic refert:* ANTIPHONA. Luna plena gratiarum, Chriſti lota ſanguine. In hac [valle] lacrymarum fluctus malos comprime. Pœnitenti cor amarum præbe lucis munere. ℣. Ora pro nobis beate Jacobe. ℟. ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. OREMUS. Deus, qui ad recolendum tuæ ſanctiſſimæ Paſſionis myſterium beatum Jacobum confeſſorem undâ tui pretioſi ſanguinis perfundere ac decorare dignatus es; fac, quæſumus, ejus interventione, Paſſionis tuæ meditationi ita nos eſſe addictos, ut ejuſdem ſanguinis fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus ſancti, Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen. *De hac collecta vel oratione, cujus ætatem neſcimus, eminentiſſimus Bellarminus in cauſa ejuſdem Beati poſtmodum meminit, ut infrà dicetur.*

C

Quamvis Indulgentiæ,

6 *Interea Bonifacius IX Pontifex ſuſtulit omne dubium, quod de legitimo* B. Jacobi *cultu ſuboriri poſſet, dum anno Chriſti* 1400 *vulgavit conſtitutionem, quæ ſic ſonat:* Bonifacius ſervus ſervorum Dei. Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut ſibi dignè & laudabiliter ſerviatur, de abundantia pietatis ſuæ & merita ſupplicum excedat & vota, & benefacientibus ſibi multo majora retribuat, quàm valeant promereri, nihilominus deſiderantes Domino ſibi populum acceptabilem reddere & bonorum operum ſectatorem ad complacendum ſibi, quaſi quibuſdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet & remiſſionibus invitamus, ut exinde reddantur gratiæ a- D ptiores.

quas Bonifacius IX Pontifex

7 Cupientes igitur, ut eccleſia monaſterii ſanctorum Dominici & Jacobi de Mevania Ordinis Prædicatorum Spoletinæ diœceſis congruis honoribus frequentetur & conſervetur, ut Chriſti fideles eò libentiùs devotionis gratiâ ſe conferant ad eamdem, & ad ejus conſervationem manus porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ uberiùs conſpexerint ſe refertos, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui in feſtivitate ſanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi Kal. Maii à primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas ipſius feſtivitatis, nec non & duobus diebus ſequentibus ſupradictam eccleſiam devotè viſitaverint annuatim, & ad ejus conſervationem manus porrexerint adjutrices, illammet indulgentiam & remiſſionem peccatorum auctoritate Apoſtoliça tenore præſentium concedimus, quam eccleſiam ſancti Marci de Venetiis Caſtellanæ diœceſis à primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas in feſto Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti viſitantes annuatim quomodolibet conſequuntur. E

fidelibus eccleſiam hujus Beati quotannis viſitantibus

8 Et nihilominus, ut fideles ipſi ad dictam eccleſiam dicti monaſterii in prædicta Apoſtolorum Philippi & Jacobi feſtivitate & duobus diebus ſequentibus prædictis [propterea confluentes,] hujuſmodi conſcientiæ pacem & ſalutem, Deo propitio, & indulgentiam liberè conſequi poſſint; dilectis filiis Priori, & Fratribus dictæ eccleſiæ, qui nunc ſunt, & ſucceſſoribus ſuis hujuſmodi monaſterii Fratribus, qui pro tempore fuerint, ut tres presbyteros Fratres dicti monaſterii annuatim in confeſſores eligere poſſint, qui confeſſiones omnium & ſingulorum Chriſti fidelium in feſtivitate ſanctorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum, nec non duobus diebus ſequentibus prædictis ad eamdem eccleſiam ipſius monaſterii confluentium cauſâ conſequendæ indulgentiæ hujuſmodi, ut præfertur, eadem auctoritate audire, & eorum confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendere valeant, & injungere pro modo culpæ pœnitentiam ſalutarem (niſi fortè talia fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet meritò conſulenda) authoritate Apoſtolica tenore præ- F ſentium de ſpeciali gratia indulgemus.

anno Chriſti 1400 *conceſſerat,*

9 Nulli ergo hominum liceat hanc paginam conceſſionis noſtræ infringere, aut auſu temerario contraire. Si quis contraïerit vel attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Apoſtolorum Petri & Pauli ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum VI Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno undecimo. *Præmanibus habemus duo conſtitutionis hujus exemplaria, quorum unum in noviſſimo Bullario Ordinis FF. Prædicatorum, quod non ita pridem Romæ editum eſt, tomo* 2, *pag.* 390 *& ſequente legitur. Alterum eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis & archiepiſcopus Bononienſis Proſper de Lambertinis eximio ſuo Operi de ſervorum Dei Beatificatione, & beatorum canonizatione nuper inſeruit, ubi lib.* 2, *cap.* 24, § 9, *num.* 29 *hæc eadem Bonifacii Papæ Bulla refertur. Inter utrumque iſtud exemplar eſt quædam minoris momenti diſcrepantia, quam uncis aut aſteriſcis indicavimus, & quam facilè videbit curioſus lector, qui duas haſce aſſignatas editiones inter ſe conferre voluerit. Porrò circa illam Conſtitutio-*

A *tionem nunc aliqua notanda occurrunt.*

postea revocatæ fuerint,

10 *Imprimis observamus, istas Bonifacii IX indulgentias anno* 1567 *revocatas aut sublatas fuisse, cum S. Pius V Pontifex eo tempore Constitutionem suam trigesimam ediderit, in qua apud Laërtium Cherubinum tomo* 2 *Bullarii Romani pag.* 214 § 2 *sic loquitur:* Omnes & singulas indulgentias etiam perpetuas .... pro quibus consequendis manus sunt porrigendæ adjutrices, & quæ quæstuandi facultatem quomodolibet continent, ... auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, ac viribus vacuamus. *At simul advertimus, istam indulgentiarum revocationem non obesse sanctitati* Jacobi Mevanatis; *cui Bonifacius titulum* sancti *tribuit, quando ecclesiam illam* SANCTORUM Dominici & Jacobi de Mevania *cognominavit. Hæc animadversio probatur à posteriori: nam Paulus V Pontifex anno* 1620 *Bonifacianas indulgentias renovavit, quemadmodum Jacobillus in Vita Italica* B. Jacobi *cap.* 18 *testatur, & eidem ecclesiæ Mevanienſi titulum* SANCTORUM Dominici & Jacobi de Mevania *retinuit, etiamsi manus adjutrices ad dandas eleemosynas, & similes à Pio V prohibitas* quæstuandi *formulas omiserit. Hinc denique concludimus, eo tempore immemorabilem* B. Jacobi *hodierni cultum Bonifacio IX compertum & consequenter auctoritate summi Pontificis approbatum fuisse. Quamvis hæc ad legitimam ejusdem Beati venerationem probandam sufficere videantur, tamen PP. Prædicatores, majoris securitatis aut amplioris solennitatis gratiâ, jam diu concessum beato Alumno suo honorem distinctiùs clariusque confirmari curarunt, ut infrà referetur.*

B

tamen post varios Processus,

11 *Anno Christi* 1608 (*alios tempore priores & irritos ad solennem beatificationem obtinendam conatus hic omittimus*) *auctoritate ordinaria præsulis Spoletini institutus est Processus, ex quo Cardinalis Bellarminus Sacræ Rituum Congregationi retulit sequentia:* In Processu imprimis habetur Historia de ejus gestis scripta anno Domini MCCCLXXVII, circiter septuaginta annis post mortem ejusdem Beati, à quodam Fratre Bonaventura viro sancto, postea renovata & correcta anno Domini MDXIV à Fratre Alberto Alemanno. In Historia habetur primò de ejus vita sanctissima. Secundò de ejus austeritate. Tertiò de ejus miraculis editis in vita, & in morte, & post mortem; quæ, si essent legitimè probata, sufficerent ad ejus canonizationem. Quartò habetur, quod ejus festa dies & solemnitas habetur Mevaniæ quotannis, & quod ad eum turba plurima conveniret. Hæc Historia exstracta est de verbo ad verbum ab antiquo libro à quatuor Fratribus Prædicatoribus Conventûs sanctæ Mariæ supra Minervam.

C

de beatificatione illius instituto

12 Secundò habetur commissio Capituli generalis MDXCVI sub reverendissimo Patre Fratre Vincentio Justiniano, ut Procurator Ordinis procuret, recitari posse Officium de beato Jacobo de Mevania in tota provincia Romana. Tertiò habetur alia Vita Fratris Bartholomæi Mortarii, à Leandro Alberto Bononiensi relata; in qua historia leguntur duo mortui resuscitati; sed de primo dubium esse potest, cum in Historia Bonaventuræ cap. XXVII non dicatur fuisse mortuus, sed liberatus à morte in momento. Quarto habetur testimonium sancti Antonini. Quintò habetur Antiphona & ejus Oratio, quam credibile est, aliquando fuisse recitatam. Sextò exstat Processus factus anno MDCVIII à Vicario Foraneo Mevaniæ ex commissione domini Vicarii generalis illustrissimi domini episcopi Spoletani, in quo continentur circiter duodecim miracula; sed duo videntur præcipua. Septimò exstat testimonium Bonifacii Papæ IX authenticum, quod ecclesia, ubi est corpus beati Jacobi & dicebatur sancti Georgii, postea dicta fuit ecclesia sanctorum Dominici & Jacobi Ordinis Prædicatorum. *Eminentissimus Prosper de Lambertinis tomo* 2 *Operis suprà laudati pag.* 214 *hanc venerabilis Bellarmini relationem, coram Sacra Rituum Congregatione factam, totidem verbis allegat.*

AUCTORE G. C.

Paulus V Pontifex easdem renovavit

13 *Hæc antiquæ venerationis argumenta verosimiliter Paulum V moverunt, ut indulgentias concederet Mevanienſi utriusque sexus confraternitati, quæ instituta est* sub invocatione SANCTORUM Dominici & Jacobi de Mevania, *quemadmodum Pontifex ille loquitur in suo decreto, quod est* datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDCX, Idibus Aprilis, *& quod apud eminentissimum Prosperum de Lambertinis tomo* 2 *Operis proximè citati pag.* 215 *& sequentibus integrum legi potest. Ludovicus Jacobillus in Italica* B. Jacobi *Vita, cap.* 18 *asserit, eumdem Pontificem anno Christi* 1620 *die* VI *Februarii concessisse plenarias indulgentias, ad septennium duraturas, omnibus Christi fidelibus, qui prædictam ecclesiam Mevanienſem devotè visitaverint, & præscripta pia opera exercuerint, prætermissa eleemosynæ dandæ obligatione, quam S. Pius V Constitutione sua superiùs memorata jam sustulerat. Hoc Pauli V decretum in nupero Ordinis Prædicatorum Bullario invenire non potuimus.*

E

ac tandem Clemens X Papa Romanus

14 *At tomo* VI *ejusdem Bullarii pag.* 307 *reperimus decretum* Canonizationis B. Jacobi de Mevania, *sub Pontificatu Clementis X editum, quod ita sonat:* Cum per Postulatorem causæ supplicatum fuerit à Sacra Rituum Congregatione decerni, declarari & promulgari, constare prædicto B. Jacobo cultum exhibitum fuisse, & exhiberi ex indultis Apostolicis, ac ideo causam hujusmodi comprehendi inter casus exceptos à decretis, jussu felicis recordationis Urbani VIII in Congregatione sanctissimæ Inquisitionis editis super non cultu, eisdemque sufficienter fuisse satisfactum; eadem Sacra Congregatio, referente eminentissimo D. Cardinali Sfortia ponente, censuit constare de casu excepto, & ideo procedi posse ad ulteriora, si Sanctissimo placuerit; hac die XIV Maii, MDCLXXII. Et facta de prædictis Sanctissimo relatione per me secretarium, Sanctitas sua benignè annuit die XVIII ejusdem mensis Maii MDCLXXII.

F

F. M. episcopus Portuensis Brancatius.

Loco † sigilli

Bernardinus Casalius sac. Rit. Cong. Secr.

immemorabilem hujus beati Viri cultum pro legitimo agnovit,

Post titulum sancti *à Romanis Pontificibus ei jam concessum, & propter alia antiquæ venerationis indicia putamus, hanc immemorabilis cultûs declarationem potius ex congruentia quàm necessitate postulatam fuisse.*

15 *Denique PP. Prædicatores legitimum beati Sodalis sui cultum laudabiliter augeri ac dilatari curarunt, ut liquet ex sequenti decreto, quod anno* 1674 *Romæ prodiit* ex typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ, *& est hujus tenoris:* Cum Sacra Rituum Congregatio habita die VI Martii MDCLXXIII, annuente etiam Sanctissimo die XVII ejusdem mensis & anni, ad pias preces Patris Fratris Joannis Thomæ de Roccæ-

AUCTORE G. C.

berti, Magistri Generalis totius Ordinis Prædicatorum, concesserit facultatem recitandi Officium cum celebratione Missæ de communi unius confessoris non pontificis quolibet anno, die XXIII Augusti, festo beati Jacobi de Mevania Ordinis Prædicatorum, in omnibus & singulis ecclesiis terræ Mevaniæ Spoletanæ diœcesis, ubi asseritur, eumdem Beatum natum & vitâ functum esse; & pro omnibus sacerdotibus tam secularibus quam regularibus confluentibus ad ecclesiam Conventûs Fratrum Prædicatorum dictæ terræ tantùm, ubi dicitur asservari & publicæ venerationi expositum esse illius corpus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium quibuscumque:

eumque latiùs extendit.

16 Nunc verò ad enixas & reïteratas preces præfati Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum, eadem Sacra Congregatio censuit, posse extendi prædictam concessionem etiam ad omnes & singulas ecclesias & Religiosos totius præfati Ordinis Prædicatorum utriusque sexûs, ut tam Fratres quàm Moniales in quibuscumque mundi partibus existentes licitè & liberè recitare possint, & respectivè celebrare valeant Officium & Missam prædicti beati Jacobi dicta die, ejusdem festo, sub ritu Breviarii & Missalis ejusdem Ordinis; & eamdem gratiam pariter extendi posse duxit ad omnes sacerdotes tum seculares tum regulares confluentes ad ecclesias prædicti Ordinis utriusque sexûs die festo prædicti Beati, ut ibidem celebrare possint Missam de prædicto Beato sub eodem ritu, cum Missali tamen Romano, si Sanctissimo D. nostro visum fuerit. Hac die IV Augusti MDCLXXIV. Et facto de prædictis verbo cum Sanctissimo per me secretarium, Sanctitas sua præfatam extensionem benignè approbavit & confirmavit die VIII ejusdem mensis Augusti & anni MDCLXXIV.

F. M. Episc. Portuen. Card. Brancatius
Loco † sigilli
Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congr. Secr.

Utrum causa hujus Beati postea adhuc ulterius promota sit, nescimus, & hanc notitiam ab admodum RR. PP. Prædicatoribus exspectamus. Interim de biographis ejusdem Beati jam paragrapho sequente quædam præmonebimus.

§ II. Præcipui gestorum scriptores, fragmentum antiquissimæ Vitæ, & notitia de duobus Actorum exemplaribus, quæ post hunc Commentarium edemus.

Perdito veteri Processu,

Sanè dolendum est, incendio periisse vetustissima monumenta, quæ de gestis B. Jacobi *hodierni conscripta fuerant. Sed istud damnum resarcivit utcumque Bonaventura Camasseus Dominicanus, qui ex recordatione documentorum antea lectorum vel ex traditione civium Mevanatium Vitam hujus Beati circa annum Christi* 1377 *collegit, & de quo primo Actorum reparatore Jacobus Echardus inter Scriptores Ordinis Prædicatorum recensitos tomo* I *pag.* 720 *tradit sequentia:* Frater Bonaventura Camasseus Italus Umber à patria Mevanas appellatus, ibidemque Ordinem amplexatus sæculo XIV decurrente, eruditione vitæque sanctimoniâ claruit. Cum autem anno MCCCLXXV nostri sodales, Conradi Trincii Fulginei domini tyrannide oppressi, armorum vi Mevaniâ ejecti fuissent, eorum domo à militibus deprædata, igne consumptis etiam cum cetera supellectili titulis vetustioribusque monumentis, in quibus erat PROCESSUS DE VITA, MORIBUS, SANCTITATE ET MIRACULIS B. JACOBI DE BLANCONIBUS MEVANATIS, ANNO MCCCI; DIE XXIII (*potius* XXII, *ut alii volunt, & antea Echardus ipse pag.* 492 *ejusdem tomi notaverat*) AUGUSTI DEFUNCTI INSTITUTUS.

Bonaventura Camasseus suppar.

18 Anno sequenti MCCCLXXVI, pulso Conrado, nostris reversis, Bonaventura inter eos præstantior instaurandis ædibus applicuit animum, Processum præsertim dictum ad deperditi seu combusti prioris tenorem & formam, quantùm suggessit memoria, monumentaque certiora undique collecta suppeditarunt, restituit; cujus αὐτόγραφον etiamnum in æde nostra Mevanensi servatur ac visitur, uti refert Jacobillius Bibliothecæ Umbriæ pag. 74. Exemplum ejusdem Ms. in membrana habuit Malvenda, eoque usus est in Annalibus Ordinis ad annum MCCXXXVI pag. 550, ubi agit de hoc Beato. Obiit Camasseus anno MCD, die XIV Septembris, fuitque apud suos sepultus, uti habet Fontana de provincia Romana pag. 141, quem non Bonaventuram, sed Venturam appellat, præcisione Italis familiari. Ejus itaque opus est VITA B. JACOBI DE MEVANIA. Hanc tamen, quantumcumque accuratam velint, prioris desiderium apud peritos semper excitaturam ingenuè fatemur.

ab ipso Beato monitus fuisse dicitur,

19 *Nos hæc eruditissimi Echardi asserta libenter admittimus; at certè miramur, quod ipse nullam mentionem faciat de mirabili modo, quo Camasseus ad illa* B. Jacobi *Acta colligenda inductus fuisse traditur: nam veritas istius historiæ sive revelationis, quam Ludovicus Jacobillus in Vita hujus Beati cap.* 17 *Italicè narrat, lucubrationi Camassei non exiguum historicæ fidei pondus adderet. Quare paucis interpretabimur Italicam Jacobilli narrationem, quæ Latinè contrahi potest in hunc ferè modum. Post devastationem oppidi Mevanienses, quam nonnulli scriptores anno Christi* 1375 *alligant, alii usque ad annum* 1377 *differunt, Bonaventura Camasseus Mevanas ab hostibus in patria captus est. Sed divinitus è captivitate liberatus, habitavit in Pisano FF. Prædicatorum cœnobio, ubi post paucos menses in lethalem morbum incidit. In hac corporis angustia confugit ad patrocinium* B. Jacobi *popularis sui, qui vultu venerando ac splendido apparens, ei sanitatem prædixit, & jussit, ut ad Mevanienses FF. Prædicatorum Conventum rediret, eumque restauraret. Dein Beatus in his rebus exsequendis opem suam addixit, ac disparuit.*

ut Vitam ejus conscriberet.

20 *Camasseus autem pristinæ sanitati redditus obtemperavit mandatis* B. Jacobi, *& insuper ex grato animo promisit, sese Vitam Liberatoris sui litteris mandaturum. Cum verò promissionem nimis diu differret, & etiam votum postea emissum negligeret, in morbum præcedente graviorem semel ac iterum relabitur. Postquam* B. Jacobus *iterum clienti suo glorioſus apparuisset, eumque jam tertiò sanasset, tandem Camasseus votum exsecutioni mandavit, & Vitam Beati sine mora conscripsit, eamque circa annum Christi* 1385 *absolvit, ut Jacobillus ibidem testatur. Sed alii de tam mira diuturnaque dilatione non meminerunt, & illam Camassei lucubrationem communiter ad annum* 1377 *referunt, inter*

A *inter quos eminentissimus Prosper de Lambertinis in Opere suprà laudato lib. 2 cap. 24 § 9, num. 27 ad propositum nostrum de* B. Jacobo *sic scribit:* Obiit Beatus iste anno MCCCI, ejusque Vita conscripta fuit circiter annum MCCCLXXVII à Fratre Ventura Camasseo Ordinis Prædicatorum, integræ fidei viro; quæ verò adhuc edita non est, sed manuscripta asservatur tum in Urbe, tum apud Mevaniam in bibliothecis seu archivis Conventuum Ordinis sancti Dominici. *Porrò nos de veritate & tempore suprà relatæ historiæ certum judicium ferre non possumus, cum careamus lucubrationibus Camassei & Laurentii, quos Jacobillus testes hujus rei allegat. Ne quis tamen hanc instrumentorum penuriam nobis imputet, non erit abs re hic breviter indicare, quantam diligentiam ad ea obtinenda adhibuerimus.*

Cum illam Camassei lucubrationem adhuc superstitem B

21 *Cum R. P. Carolus Matthioli Dominicanus quamdam notitiam de immemorabili & legitimo* B. Jacobi *cultu misisset ad Papebrochium nostrum, hic ei respondens, etiam ab illo petiit alia documenta ad eumdem Beatum spectantia, quemadmodum Papebrochius in ipsa pagina notitiæ, quam acceperat, notatum reliquit his verbis:* Rescripsi XXV Novembris MDCLXXII, ut curet suppleri, si quid desit Vitæ nostræ, cujus misi elenchum, & describi Vitam & Processum, curante Fratre Bonaventura, anno MCCCLXXX [conscriptum.] Item copiam instrumentorum & Brevium. Tertiò ex Vitis per Fratres Laurentium & per Felicem [compositis,] quantum satis est. Item ex Processibus annorum MDCVIII, MDCXII & MDCXXXI. *Opinamur, hîc à Papebrochio præter Bonaventuram Camasseum indicari Laurentium Fungolo & Felicem de Rosso, quos Jacobillus in catalogo auctorum Vitæ Italicæ* B. Jacobi *præfixo inter biographos ejus recenset, & quorum lucubrationes in Conventu Mevaniensi PP. Prædicatorum conservari testatur. Papebrochius autem nullum responsum accipiens, & putans, priores litteras suas in via periisse vel aberrasse, anno 1673, die* XVI *Junii scripsit iterum alias, ut ibidem notavit. At ignoramus, an, aut quid his secundis litteris responsum fuerit.*

impetrare non potuerimus, C

22 *Certe in supellectile nostra litteraria nihil ex desideratis instrumentis transcriptum invenimus. Quapropter anno 1736, quo jam tempus examinandi Acta* B. Jacobi *appropinquabat, iterata est vetus nostra petitio, datis litteris ad R. P. Priorem Mevaniensem, quibus R. P. Dominicus Guidotti (is erat tunc ejusdem cœnobii Prior, ni fallimur) eodem anno 1736, die* IX *Octobris humanissimè respondit in hunc modum:* Sacro vestræ devotionis ardori erga nostrum beatum Jacobum fundatorem summas agere gratias par est. Quapropter Ræ. Væ. tam piis votis parêre omnimodè cupiens, posteaquam die V Octobris vestram de Antverpia sub die IX Septembris ad me transmissam excepi summopere gratissimam epistolam, derepentè die immediatè sequenti, nempe VI currentis Octobris Superiores meos certiores plenissimè reddidi ad hoc, ut citiùs atque tutiùs possit ad sacræ arcæ aperitionem deveniri, in qua ad ejusdem sancti nostri Fundatoris pedes Vita à Patre Bonaventura Camasseo manu exarata (ut postulatis) asservatur; cujus originalis exemplar ad vos transmittere, meæ erit curæ. *Nos latet, qua de causa præter officiosam illam promissionem nihil hactenus acceperimus. Hac occasione RR. PP. Prædicatores rogatos volumus, ut ipsi exemplo eruditorum PP. Benedictinorum*

Acta authentica Sanctorum vel Beatorum sui Ordinis edant ac illustrent, si ea nobis communicare nolint. Hoc Opere splendorem sacri sui Ordinis augebunt, & nos omnesque hagiophilos plurimùm sibi obstringent. AUCTORE G. C.

ex Taëgio recentiore biographo

23 *Nunc itaque contenti esse cogimur Actis* B. Jacobi, *quæ collegit Ambrosius Taëgius, de quo laborioso plurium monumentorum collectore laudatus Echardus inter Scriptores Ordinis Prædicatorum recensitos tomo 2 pag. 35 hanc notitiam suggerit:* Frater Ambrosius Taëgius Insuber, Mediolani natus, ibidem in cœnobio sanctæ Mariæ Gratiarum, recèns nempe anno MCDLXXXV erecto, Ordinem amplexus, postquam egregiam in eo pietati litterisque posuisset operam, animum & studia sua ad historiæ Ordinis notitiam applicuit, & Acta originalia sedulo magnoque labore collegit. *Deinde allegat verba Leandri Alberti, & ex iis colligit, Taëgium adhuc anno 1517 in vivis fuisse, ac in grandi illo suo Opere desudasse.*

dare cogimur breviora Beati Acta, E

24 *Post assignatam Taëgii ætatem de præcipua ejus lucubratione tradit sequentia:* Scripsit ergo Chronicon Ordinis generale sex in folio Mss. voluminibus membraneis distinctum, quibus ea, quæ Ordinem spectant, omnia diligentissimè collegit, provinciarum & cœnobiorum erectiones, Sanctorum ac Beatorum Vitas & Acta originalia, Cardinalium, archiepiscoporum, episcoporum virorumque illustrium seriem, ac si quæ sunt singularia jura & privilegia à summis Pontificibus & principibus concessa, comitiorum Acta generalium ab anno MCCXX ad MDXIII & hujusmodi plurima; quorum aliqua nonnumquam diversis repetita voluminibus cum diversis sæpe additis notitiis leguntur. Hæc porrò sex volumina in dicto cœnobio Gratiarum asservantur. Ea verò sunt, quæ vulgò à nostris citantur sub titulo MONUMENTORUM Ordinis, & quorum volumen primum dicitur prima pars & sic de aliis. His usi sunt, qui abinde scripserunt de rebus Ordinis, Lusitanus, Razzius, Castillus, Pius, Malvenda & alii. Ex his etiam quasdam Sanctorum ac Beatorum Ordinis Vitas exscripserunt eruditi Actorum Sanctorum editores Bollandus, Henschenius, Papebrochius, & suis Menæis, ut se dat occasio, producunt ac repræsentant.

quorum ibi-tium conferri potest F

25 *Libenter & grato animo fatemur, Majores nostros ex hoc Opere Taëgii varia Sanctorum Acta vulgasse, & nominatim Papebrochium ex iisdem Monumentis Vitam* B. Jacobi *hodierni propria manu transcripsisse. Quinimo vellemus, ut Taëgius hîc etiam originalia Acta servasset, quemadmodum in aliis quibusdam facere consuevit. At hoc loco Vitam* B. Jacobi *dumtaxat in compendium redegit, ut patebit ex sequenti Actorum fragmento, quod Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi 1236 cap. 4 & 5 ipsis Camassei verbis ita refert:* Natus est beatus Jacobus anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo. Fuit autem hic Frater Jacobus clarus origine secundum seculi fastum, de stirpe nobili, dicta de Blanconibus, quod Latinè sonat de Albis. Omnes enim fermè de dicta domo natura generosos & bene complexionatos produxit, necnon probis moribus decoravit, simul eos dotans nobilitate sanguinis & morum. Unde ille verè censendus est nobilis & naturaliter dominus, quem nobilitat sua virtus. Quantæ autem ingenuitatis & spectabilitatis hæc parentela exstiterit, testantur amplæ structuræ dirutæ & partes murorum ejus destructæ, probaque faci-

AUCTORE G. C.

nora per ipſos magnificè geſta. Pater verò ejus Joannes, mater verò Vanna nuncupata eſt; frater autem ejus germanus ANDREAS nomen habuit: hic ſiquidem in armis ſtrenuus miles, nulli pietate ſecundus, urbem rexit Mevanienſem arte politica, qua ovanter præditus erat, & verſavit arbitrio ſuo. Unde & docuit Mevanates omnem urbanitatem civileſque mores, à quibus per tempus exciderunt.

cum fragmento Camaſſei,

26 Apparuerunt autem in nativitate beati Jacobi in cælo & in terra miranda prodigia, ut ab antiquis Fratribus de Peruſio & Spoleto audivi; non ſolùm ad denotandum ipſius digniſſimum ortum, qui erat quaſi quoddam jubar affuturus, ſed etiam ad declarandum virtutem & magnificentiam aliorum duorum ſupradictorum Sanctorum. Illa quidem nocte tres lunæ apparuerunt, in quarum qualibet Frater quidam viſus eſt, nitido Fratrum Prædicatorum habitu indutus, deſuper amictus lumine ſicut veſtimento. Similiter matutino tempore orti ſunt quaſi tres ſoles, pueros quoſdam niveis veſtibus indutos figurantes. Lucifer verò coruſcus, ceteræque ſcintillantes

B

ſtellæ, nec non reliquæ flammigeræ planetæ, quæ, adveniente ſole, ſplendorem ſuum retrahere conſueverant, lucidiùs hoc mane rutilare inventi ſunt. Puer autem quidam clamabat alta voce per plateas & vicos civitatis: AD SCHOLAS, AD SCHOLAS, AD SCHOLAS. Et cum interrogaretur, quare ſic incedens clamaret, reſpondit: Quia totus mundus magiſtros advenientes eorumque ſcholas præſtolabatur. Similiter lunaticus quidam vidit totam terram ardere, & non comburebatur, ſicut legitur de rubo Moyſi, qui ſimiliter ardebat, & non comburebatur. Item dominus Andreas, de quo ſuprà mentio eſt habita, qui fuit germanus beati Jacobi, vidit in ſomnis matrem cum puero induto habitu Fratrum Prædicatorum, ad cujus prædicationem & doctrinam multitudo maxima confluebat: quod dum mater à filio didiciſſet & aſſiduè cogitaret, ei ſimilis viſio apparuit, quam poſtea viro ſuo revelavit. In terra autem illâ nulla penitus Fratrum Ordinis Prædicatorum adhuc notitia habebatur.

quod R. P. Thomas Malvenda

C

27 Natus itaque puer nobilis ex piis parentibus & honeſtis, Jacobus vocatur, quod ſonat SUPPLANTATOR, quia nimirum ſupplantare debebat fallaces divitias hujus ſeculi, debellare aëreas poteſtates tenebrarum harum, nec non mundum prementem ſuo imperio ſubjugare habebat. Denique traditur præceptori litteris imbuendus; in quibus ut juvenis acutus plurimùm exiguo tempore profecit. Mater verò ejus ipſum tenerrimè diligens, tam in litteris quàm in divinis moribus diligentiſſimè informabat. Itaque puerulus creſcens de bono in melius, efficitur ultra modum humilis & devotus, orationibus & jejuniis creberrimè vacans. Inſuper, eo nato, facta eſt confœderatio & magna concordia inter domum de Blanconibus & domum Celti Gonoris de Albertis, ubi quondam magna diſcordia delapſa fuerat. Unde contracta parentela, affinitateque conjuncta, amicitia renovata uſque in hodiernum diem illibata perſeverat.

in Annalibus Ordinis Prædicatorum

28 Cum autem ferè ſexdecim eſſet annorum Jacobus, ſpreta ſeculi vanitate, pompiſque mundanis abjectis, divum Prædicatorum Ordinem eſt ingreſſus. In Ordine ſedulò progrediens, tamquam puer ingenioſus, utpote qui ſortitus eſt animam bonam, cœpit non ſegniter agere, ſed vehementer intendere ſtudio Scripturarum, colligens veluti apis argumentoſa mellita eloquia diverſarum ſcientiarum. Hinc etiam deputatur cui- D
dam, eccleſiaſtico inſtruendus officio, ut ſanctitatem vitæ juvenculus imbiberet, & poſtea perpetuo tenore ſervaret. Puerilibus itaque annis innocenter tranſactis, miſſus eſt Peruſium, ut in artibus, quas liberales vocant, inſudaret: ibi enim tunc, ſicut & nunc, univerſale vigebat ſtudium, copioſum tam multitudine diſciplinata ſcholarium, quàm etiam perita perfectione magiſtrorum. Cœpit autem optimæ indolis adoleſcens litteris, quarum gratiâ miſſus erat, obnixè vacare; omiſſiſque frivolis ſcientiis, quas humanas appellant, veris litteris pervaldè delectari.

typis vulgavit,

29 Unde in liberalibus artibus in genere ſuo ſuper multos coætaneos ſuos ſpatio breviori profecit: in his ſiquidem mediocriter inſtructus, ne tempus ſanctiori vitæ congruum deperiret, ad theologiæ ſtudium ſe totum contulit; cœpitque divinis valde inhiare eloquiis, ac ingenti aviditate ſacris Litteris operam dare, ita ut multas noctes duceret inſomnes. Meditationum etiam & affectionum ſanctarum, tamquam terra cæleſti imbre perfuſa, fructus uberrimos producebat. Sanctitatem quoque vitæ, ac bonorum operum ſpiritualem fructum verborum foliis præponebat. E
Et vox ejus & ſermo ejus, & prædicatio ejus non erat in humanæ doctis ſapientiæ verbis, ſed in virtute Dei & oſtenſione Spiritus ſancti. *His ex Camaſſeo relatis, ibidem ſub finem cap. 5 Malvenda ſpondet, ſeſe ad annum 1301, quo* B. Jacobus *obiit, reliqua ejus geſta exhibiturum. Cum verò Malvenda Annales ſuos uſque ad illum annum non perduxerit, etiam hoc auxilio deſtituimur, & de reliqua Camaſſei lucubratione judicare non poſſumus. Attamen ex fragmento jam relato conjicimus, hunc biographum in enarrandis* B. Jacobi *geſtis prolixiorem eſſe, ſicut facilè videbit curioſus lector, qui primam illam Camaſſei partem conferre voluerit cum principio Actorum, quæ poſt hunc Commentarium prævium ex collectione Taëgii edituri ſumus.*

& illis Taëgii Actis

30 *Prædicto Taëgio coævus eſt Bartholomæus Mortarius alter biographus, de quo memoratus Echardus tomo 2 ſuprà citati Operis pag.* 86 *hæc habet:* Frater Bartholomæus Mortarius Italus jam florebat anno MDXVI, & laudatur à Leandro fol. 148, ubi eum ſecum loquentem induxit, ac non exiguis ornat encomiis; ſcilicet in F
comitiis congregationis Lombardiæ frequenter atque facundiſſimè peroraſſe, ac anno elapſo MDXV in Natali Domini in frequenti doctorum ſcholaſticorumque conventu pro ſuggeſtu Latina oratione tam eleganter & venuſte dixiſſe, ut omnes in admirationem adduxerit: vir enim erat (addit idem) elegans, floridus, & emunctus, qui ingenio & vera Latinitate non minus quàm philoſophia & theologia polleret, quod edita illius, inquit, egregiè probant Opuſcula. Quænam illa ſint, non ſubjicit; ſed ejus eſt, quæ apud eumdem Leandrum fol. 227 edita eſt, beati Jacobi de Blanchis Ordinis Prædicatorum, vulgò de Mevania dicti Vita. *Deinde meminit de quibuſdam aliis ipſius lucubrationibus, quæ hîc ad rem noſtram nil faciunt.*

alitud Vitæ compendium ſubjungemus.

31 *Nolumus hoc loco fuſiùs recenſere Ferdinandum Caſtillum, Seraphinum Razzium, Michaëlem Pium, Ludovicum Jacobillum, alioſque recentiores, qui Vitam Beati ejuſdem vernaculè conſcripſerunt. His tamen & aliis Latinis Actorum ſcriptoribus utemur, ubi quid notatu dignum occurrere cenſuerimus. Cum igitur lucubratio Camaſſei nobis deſit, ejus loco primum*

A *mùm ex Collectione Taëgii vulgabimus Vitam* B. Jacobi, *eamque more noſtro in majora capita dividemus, indicatis tamen antiquis capitum titulis, quos Actis præmittemus, & in margine aſſignabimus. Huic Vitæ ſubjungemus alteram, quam Bartholomæus Mortarius ex Camaſſeo vel Taëgio breviùs elegantiuſque contraxit. Quamvis hæc ſecunda apud Leandrum Albertum in Opere de Viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum impreſſa exſtet, tamen eam priori addemus, tum quia editio Leandri Alberti rara eſt, tum quia Mortarius Acta præcedentia hinc inde clariùs exponit. Denique geſta* B. Jacobi *exhibemus, ut quimus, dum, ut volumus, non licet. Sed jam poſthumam ejuſdem Beati gloriam illuſtrare conabimur, antequam ad editionem duplicis hujus Vitæ progrediamur.*

§ III. Poſthuma Beati gloria ex lucubrationibus poſteritati relictis, & honorifica corporis incorrupti conſervatione.

B

Dubitamus, an Beatus inter alia

NOn *ſolùm pietate, ſed etiam doctrinâ claruit* B. Jacobus *noſter, ut paſſim bibliographi teſtantur, inter quos Antonius Senenſis ſive Luſitanus in Bibliotheca Ordinis FF. Prædicatorum pag.* 124 *& ſequente ſic illum laudat:* Frater Jacobus de Mevania, vir prudens & gravis, & qui vocationem ſuam per bona opera certam facere ſategit ſemper, & ideo ut eruditionis ſic & ſanctitatis merito evaſit opinione celebris, & tam humanarum diſciplinarum magnitudine præſtans, ſcripſit librum unum de Salvatore noſtro; alium de Judicio extremo. Obiit Mevaniæ anno Domini MCCCI. *Ludovicus Jacobillus in Italica Beati Vita cap.* 4 *recenſet utrumque vel bipartitum iſtud Opus, quod in plura capita diviſum eſt, & antiquos ſingulorum capitum titulos Latinè exhibet, ut ibidem videre eſt. Inſuper ibi memorat librum Sermonum, quos Beatus per annum inſtituit, eoſque facundia & ſententiis ſacræ Scripturæ ornatiſſimos aſſerit.*

C

conſcripſerit librum concionum

33 *At alii bibliographi de hoc Opere concionatorio non meminerunt. Imo ipſe Jacobillus in Bibliotheca Umbriæ, quam poſtea Fulginii edidit, de libro illo concionum prorſus ſilet, licet ibi pag.* 143 *pietatem & eruditionem iſtius Beati commendet his verbis:* Beatus Jacobus de Blanconibus Mevanas Ordinis Prædicatorum, qui ſanctè obiit die XXII Auguſti MCCCI. Erexit duo cœnobia; unum pro Fratribus, alterum pro monialibus. Compoſuit duo volumina facundo ſermone & gratia. Primum inſcriptum SPECULUM HUMANITATIS CHRISTI, diviſum in capita XXV, ubi tractat de ejus Incarnatione, Conceptione, Nativitate, Circumciſione, Baptiſmate, Paſſione & deſcenſu ad inferos. Secundum volumen inſcriptum SPECULUM PECCATORUM ET DE ULTIMO JUDICIO, diviſum in capita XXIII, ut referunt F. Bonaventura Mevanas in ejus Vita manuſcripta in Conventu Prædicatorum Mevaniæ, F. Michaël Pius part. 2 lib. 1 de Viris illuſtribus Prædicatorum, & Poſſevinus.

34 *Jacobillus in duplici narrationis circumſtantia differt ab aliis ſcriptoribus: nam hic aſſerit, quod* B. Jacobus *duo cœnobia, unum pro Fratribus, alterum pro monialibus, erexerit. At Ambroſius de Altamura Dominicanus in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum de unico cœnobio dumtaxat meminit, dum Centuria ſecunda iſtius Operis ad annum Chriſti* 1301 *ſive pag.* 80 *hunc Beatum inter ſcriptores Ordinis ſui laudat hoc modo:* Beatus Jacobus Mevanienſis ſanctitate, doctrina, miraculis celeberrimus, ex familia de Blanconibus Ordinem ingreditur Spoleti MCCXXXVI. Apud Mevaniam Conventum Ordinis curavit ædificari, in cujus conſtructione multa patravit miracula. Panem multiplicavit, aquam in vinum vertit. Æternæ ſalutis cupidus, dum ante Crucifixi imaginem ſacratiſſimam precaretur, de ipſa hoc modo certior factus eſt. Sanguine totus conſpergitur à Redemptore, eique dixit: SANGUIS ISTE SIT IN SIGNUM TUÆ SALUTIS. Duos mortuos ſuſcitavit, *ſcripſit* librum de Salvatore noſtro, item librum de judicio extremo. Evolavit in cælum hoc anno MCCCI. AUCTORE G. C.

duo cœnobia fundaverit,

35 *Verùm differentia illa utriuſque ſcriptoris circa duplex aut unicum monaſterium veroſimiliter explicari poterit, ſi Jacobillus, præter Mevanienſem PP. Prædicatorum Conventum, etiam* B. Jacobo *adſcribat alterum monialium Benedictinarum cœnobium, quod Lucia quædam mulier conſilio ejuſdem Beati ædificavit, ut in Actis infrà edendis num.* 6 *narrabitur. At non tam facilè conciliabimus Echardum cum Jacobillo circa ſuperſtites aut deperditas iſtius Beati lucubrationes: hic enim in Italica* B. Jacobi *Vita cap.* 4 *affirmat, eas olim in Conventu Mevanienſi conſervatas fuiſſe; ſed ibi ab ætate avorum noſtrorum non amplius inveniri. Echardus autem inter Scriptores Ordinis Prædicatorum recenſitos tomo* 1 *pag.* 492 *diſertè tradit, Opuſcula ejuſdem Beati manuſcripta* etiamnum *apud PP. Prædicatores Mevanienſes aſſervari. Hanc duorum auctorum oppoſitionem vel controverſiam, quæ teſtes oculatos deſiderat, eruditis Mevanatibus examinandam ac decidendam relinquimus.* E

& utrum ſcripta ejus adhuc ſuperſint.

Corpus ejus incorruptum,

36 *Porrò referemus illuſtre elogium, quo laudatus Ambroſius de Altamura hunc Beatum in Appendice ſua ad Bibliothecam Ordinis Dominicani pag.* 464 *ſic exornat:* Beatus Jacobus Mevanienſis inter prima Religionis tyrocinia miraculis clarere cœpit, brevique compendio ſimul ad ſanctitatis & litteraturæ apicem pervenit, adeo ut vigeſimo quinto ætatis anno concreditum ei fuerit munus apoſtolicæ prædicationis. Nec ſine fructu: nam renaſcentem in Umbria Nicolaïtarum hæreſim funditus profligavit, ipſumque tandem Ortinellum peſtiferæ ſectæ coryphæum ad publicam erroris deteſtationem perduxit. Somni parciſſimus ad exemplum ſancti patris noſtri Dominici ter ſingulis noctibus aſperrimo flagello corpuſculum ſuum cruentabat. Catenam ferream ita lumbis adſtrinxerat, ut deinceps avelli non potuerit. Defuncti corpus intra trecentos ab obitu annos ter in locum decentiorem tranſlatum, totidem vicibus repertum fuit integrum & incorruptum, illudque primis tribus diebus Maii piè inviſentibus Bonifacius nonus indulgentias benignè conceſſit, ac denique Clemens Papa decimus ex ſacrorum Rituum ſenatûs-conſulto, ſolemnem hujus Beati feſtivitatem ad totum Prædicatorum Ordinem extendit. F

37 *Hìc memoratam ſacri corporis integritatem, quæ in ambobus Actis infrà edendis narrabitur;*

AUCTORE G. C.

quod S. Antoninus à se visum asserit Mevaniæ,

rabitur, oculato testimonio suo confirmat S. Antoninus, archiepiscopus Florentinus, dum in tertia parte Historiarum tit. 23 cap. 10 § 5 inter alios Fratres Prædicatores famâ sanctitatis illustres de Beato nostro hodierno sic scribit : In Conventu Mevaniæ prope Fulgineum requiescit corpus Fratris Jacobi inde oriundi, & cujus corpus integrum vidi desiccatum ad modum statuæ ligneæ. Hic valde devotus & religiosus fuit, miraculis glorioſus. *Etiam Echardus tomo 1 Operis jam sæpè citati pag. 492 testatur, corpus* B. Jacobi *adhuc incorruptum Mevaniæ perseverare, & simul ibidem diem mortis ac annuæ festivitatis indicat his verbis :* Devixit Mevaniæ XXII Augusti MCCCI, cujus corpus adhuc integrum perseverat, tertiò jam, ut decentiori loco transferretur, amotum à priori sepulcro, à populis ibidem in veneratione semper habitum & cultum ; quibus ad ejus lipsana sacra confugientibus olim Bonifacius IX indulgentiarum Apostolicarum largitione beneficus esse voluit, cujus denique festum diem ex sacræ Congregationis Rituum disquisitione solemni decrevit oraculo Clemens X in toto deinceps Ordine Prædicatorum ad diem XXIII Augusti celebrari.

B

38 *Præterea jam sæpe laudatus Jacobillus in Italica* B. Jacobi *Vita cap. 16 eamdem sacri corporis integritatem, & varias ejus translationes distinctius exponit his ferè verbis : Venerabile* B. Jacobi *corpus cum magno populi confluxu piè sepultum est apud PP. Prædicatores Mevanienses ante portam sacrarii, & ibidem quievit usque ad ineuntem Maium anni sequentis, id est, à partu Virgineo* 1302 *: nam intra illud tempus ab obitu Deus per intercessionem hujus Servi sui tot tantaque patravit miracula, ut Fratres istius Conventûs à fidelibus coacti fuerint pretiosum illud pignus exhumare & ad decentiorem locum transferre. Id autem fecerunt coram multis religiosis & illustribus viris, qui tunc sacrum ejus corpus adhuc integrum sine fœtore vel ulla corruptione conspexerunt, imposueruntque illud arcæ marmoreæ, quæ tempore vitæ ipsius mirabiliter inventa est, & quam Deus fideli suo Servo post obitum quodammodo præparasse videtur. Deinde meminit de duabus aliis translationibus, quarum una anno Christi* 1401, *altera anno* 1555 *semper ornatius honorificentiusque facta est.*

post varias translationes

C

39 *Denique Jacobillus ibidem narrat, quomodo sacrum istud pignus quarta vice translatum fuerit, & quàm solicitè suo tempore custodiretur. Anno Christi* 1589, *inquit Italicè, translatum fuit ad locum, in quo nunc super altari majori requiescit, & honorificè conservatur in pulcra lipsanotheca, quæ alteri capsæ ad majorem cautelam includitur. Obseratur autem hic sacer thesaurus quatuor clavibus, quarum duæ servantur apud Patres Prædicatores Conventûs Mevanienſis, & totidem sunt penes Magistratum civitatis Mevanienſis, ita ut venerandum* B. Jacobi *corpus monstrari non possit, nisi quis à Conventu & à Magistratu deputatus adfuerit ; excepta tamen annua ipsius festivitate, & duobus diebus sequentibus, quibus unicuique publicè videndum exhibetur. Tunc autem & alio quovis tempore venerabiles istæ reliquiæ ab incolis, accolis, peregrinis cujuscumque statûs aut conditionis devotè semper visitatæ fuerunt, & hactenus honorantur. An verò post ætatem Jacobilli circa sacras illas exuvias aliquid immutatum fuerit, ignoramus. His ad posthumam* B. Jacobi *gloriam relatis, fideliter transcribemus recentiora quædam beneficia impetrata ab iis, qui patrocinium ejusdem Beati implorarunt.*

adhuc ibi honorificè & cautè conservatur.

D

§ IV. Recentiora nonnulla ejusdem Beati miracula, quæ R. P. Prior Mevanienſis ad Majores nostros misit.

R. P. Meniconius in prima sua epistola narrat,

ANno Christi 1648 *R. P. Antoninus Meniconius ex Ordine Prædicatorum Prior Mevanienſis humanissimas litteras dedit ad Henricum Lindanum Societatis nostræ sacerdotem, qui tunc Laureti commorabatur, ut eas ad Majores nostros transmitteret. In his litteris, quas Bollandus sese mense Januario anni* 1649 *Laureto accepisse notavit, post officiosam præfationem Latinè leguntur sequentia miracula seu beneficia :* Anno MDCV adolescens Mevanienſis, filius Olindæ de Saracenis, Chrispoltus nomine, cum pueri aulici ministerio fungeretur Neapoli in palatio marchionis Cyri, exercebat se in gladiatoria palæstra cum suo coæquali, ensibus quidem in vagina repositis. Contigit forte fortuna, alterius gladium per aliquam partem denudari & lateri dextro Chrispolti lethali vulnere immergi, ita ut jecoris duo frusta per cicatricem extraherentur. Infortunii nuntius Mevaniam concito gradu pervenit ; miserabilem Olindam de filii desperata valetudine reddidit certiorem. Hæc autem ad beatissimi viri Jacobi convolat patrocinium, expostulans qua par erat devotione, filium in maternas reduci sedes, ut vel saltem inter castos genitricis amplexus originis pœnas daret. Mirum planè prodigium ! Per longa terrarum spatia reducitur puer Neapoli Mevaniam, jamjamque sub oculis illacrymantis [matris] animam cælo videbatur redditurus, cum rursus illa beati Jacobi clementiam implorat, brevique filium nedum vivum, sed optimè valentem recipit.

E

quomodo B. Jacobus succurrerit variis clientibus,

41 Mulier eadem anno MDCVIII ad extremum vitæ redacta nullam suo corpori proficuam experiebatur medicinam : latens enim erat causa morbi, sapientissimisque medicis ignorata. Quamobrem cælestem invocat opem confidens, beati sui concivis patronique Jacobi ope se relevandam. Eveniunt cuncta pro voto, & apparet languoris origo : dæmonium, quod illi mutum insederat, jam loquitur. Beatissimi patris Jacobi jam experitur efficacissimas vires, quibus, maleficio soluto, & ab impudentissimo spiritu & molestissima ærumna liberatur.

F

Anno præterea MDXCIV puerulus unius anni cum dimidio, nomine Pompeius, & alter, cujus nomen ignoratur, filius cujusdam Octavii Cardi, extra & prope mœnia Mevaniæ deambulabant circa foveam, ex qua terra in lateres conficiendos accipiebatur. Et ecce magnus terræ acervus ruit ex alto, ceterisque fugientibus, solus obruitur ac sepelitur Pompeius ; qui tandem semimortuus coopertusque limo eruitur. Condolent oppidani omnes, dum luget miserrimè genitrix morientis. At luctus excitat pietatem, non tollit rationis lumen, quo ad sancti Jacobi tumulum dirigitur ; orat, sibi reddi filium divinitùs, quem humanitùs desperaverat. Nec moras divina gratia adjecit ; vivum & sanum reddidit matri, ut in sancti Viri enutriret obsequio.

patrocinium ejus implorantibus,

42 Nostris diebus quamplurima beneficia in gratia sanitatum confert nobis iste Sanctus, hujus

A jus Conventûs & oppidi ſingularis vigilantiſſimuſque Patronus. Aqua de illius puteo hauſta languores innumeros ſanat; de illius puteo, inquam, quem juſſerat ipſe perfodi, de quo undam ter in vinum convertit. Inter alia menſe Julio unus ex Patribus, qui mecum ſancti Jacobi obſequio ſunt addicti, graviſſimo laborabat morbo: artus omnes febri putrida tenebantur; nec numerus eorum, quæ indicabant moriturum. Petiit à me hauſtum aquæ de puteo ſancti Viri; ego ei propinavi. Mox lethalis ardor frigeſcit, pauciſque diebus intercedentibus, ad conſueta ſua munera redit. Fruſta panis, qui tetigerit corpus beati Jacobi, ejuſque manus Crucifixi ſanguine inſignitas, mirabilia operantur. Et ego infra octo dies alia meâ epiſtolâ ſignificabo Paternitati veſtræ admodum reverendæ.

& ſacrilegum militem puniverit,

43 Exiſtimo, non te latêre in noſtro ſacrario per ducentos viginti annos conſervatam fuiſſe amphoram aquæ à beato Viro converſæ in vinum; & hoc priſtinum colorem, odorem ſaporemque retinebat, quæ ab inſtanti ſuæ productionis habuerat. Accedit etiam, quod infirmis una ſingulis gutta prodigioſi meri diſpenſabatur; nec tamB men fiebat liquoris diminutio; quamvis quotidie effunderet phiola vinum, ſemper tamen permanebat plena. Verùm eo tempore, quo Carolus Borbonicus cum exercitu imperatoris Caroli quinti ad urbis Romæ excidium proceſſit, miles quidam perditiſſimus, noſtræ eccleſiæ ſacrario ſpoliato, cum amphoram inveniret vino hauſto à ſe, non ſolùm deguſtato, cernens phiolam adhuc eodem plenam, hæreticali furore plenus, contra parietem miſit, fregit perditque; & poſt horam fluvio ſubmerſus, pœnas ſui furoris luit.

ulteriorem-que miraculorum notitiam promittit.

44 Menſe Septembri, die xx, præſentis anni, frater meus Tiberius Meniconius huc appulit me fratrem inviſendi gratiâ; quid verò illi contigerit, infra octo dies ſignificabo cum ceteris ſcitu dignis, quæ ob temporis penuriam hac die omitto. Utinam tuis meiſque votis annuat ſanctus Jacobus, pro quo laboramus! Devotas interim veſtras manus deoſculor. Die XVI Novembris anno MDCXLVIII. Mevaniæ ex Conventu ſancti Jacobi. Paternitatis veſtræ admodum reverendæ devotiſſimus in Jeſu famulus F. Antoninus Meniconius Prior Conventûs. *Promiſſis ſtetit idem vir pius, & ad Henricum Lindanum noſtrum dedit alteram epiſtolam, eodem charactere exaratam, quamvis ei nomen ſcriptoris & alia quædam deſint, ut infrà monebimus.*

C

Ex altera ejuſdem epiſtola intelligimus,

45 *In his itaque ſecundis litteris alia beneficia, quæ* B. Jacobus *clientibus ſuis præſtitit, exponere pergit his verbis:* Obiit circa annum MDCXVII dominus Ovidius de Ciccolis Mevanas, qui efficaciſſimas beati Jacobi interceſſiones eſt expertus. Hic à nativitate traxerat monſtruoſam genuum ac pedum deformitatem. Illa ſibi mutuo hærentia tantâ debilitate replebantur, ut monſtruoſam claudicationem in duas partes efficerent; nec ſuper infirmas plantas ſuſtineri valebat. Omnibus humanæ ſapientiæ applicatis remediis, inutilem omnino agnovit medelam. Hinc duobus innixus ſcipionibus, matris conſanguineorum fultus auxilio ac comitatus catervâ, acceſſit ad eccleſiam imploraturus beati Jacobi patrocinia. Dum proſtratus humi apud ſacros cineres imbrem funderet lacrymarum cum precibus verâ fiduciâ refertis, en coram omnibus aſſurgit integra valetudine, rectis tibiis, greſſuque valido. Obſtupuerunt omnes devota voce ſancti Viri gloriam celebrantes.

AUCTORE G. C.

multos variæ conditionis homines,

46 Anno MDCVII Antonius de ſancta Gilia Mevanas caſu lævam manum, dum ficulneæ ſinderet ramos, ſcirpula percuſſerat inter indicem & pollicem digitum, ut inde immedicabile vulnus acciperet, omni peritorum curâ ſine valore ullo demonſtratâ. Tunc vovit Deo & beato Jacobo, ejuſque precibus impetravit omnimodam ſanitatem.

Dominus Lucas Venturinus de Trevio (iſte adhuc vivit, & ſancti Jacobi enarrat beneficia) dum puer Mevaniæ maneret domi, infantili gemitu inconſolabiliter flebat. Mater ut parvulum conſolaretur, annulum ſuum aureum dedit illi; quem ori apponens dum geſtiebat deglutire, faucibus immobiliter inhærentem ſenſit. Mox ſubiit vitæ diſpendium; & ecce morituro adſtat manus beati Jacobi annuentis piis ſupplicationibus flentis genitricis. Parvulus exſpuit deglutitum annulum, incolumiſque redditur.

Fauſtina de Mannucciis lethali morbo correpta, mirum in modum febribus æſtuans, petiit hauſtum aquæ de puteo Servi Dei. Cumque abſorbuiſſet, ceſſavit infirmitas. Addo mirabile aliud. Sex annorum ſpatio caput ſcabie ſanieque E plenum, ingentibus doloribus contuſum habuerat, quod ex aquæ prædictæ ſalutaris hauſtu ab omni inquinamento & pœna infra duos dies fuit purgatum.

invocato B. Jacobo Mevanate,

47 Anno Domini MDXCIX Julia de Saracenis ſeptuagenaria cecidit ſuper gradum oſtii domus ſuæ, & plures in partes fracto crure lævo, calcaneum in anteriorem converſum eſt. Dolore ac ætate preſſa, xxx dierum ſpatio decubuit, inſanabilis judicata ab Achille Ægidio phyſico, & à Puccio Pucciarello chirurgo. Cum Olinda, filia decumbentis, ſuaſit matri, ut ſepulturam ſancti Viri inviſeret, illius patrociniis confiſa. Deducitur itaque ad noſtram eccleſiam, & ſuper duos ſcipiones & domeſticorum brachia trahitur ad ſacrum depoſitum, ubi omnimoda valetudine impetrata, relictis ſcipionibus, domum pedes rediit, Dominum in Sanctis ſuis experta mirabilem.

Quamplurimos merſos fluvio ab imminente morte liberavit, præterquam quod bis in aquis defunctum Valerium vivis reſtituit, ſemel cum puer eſſet annorum quatuor; iterum cum adoleviſſet, nec promiſſis, ut par erat, ſatisfeciſſent F parentes ejus.

Fratrem noſtrum Converſum Petrum Maitirem præſervavit ab omni damno. Inſcenderat iſte ſcalam circiter xxv pedum altitudinis, ut paramentis ornaret hanc noſtram eccleſiam pro gloria beati Viri pridie Calendas Maii. Fractâ autem in plures partes ſcalâ ligneâ, demittitur ex alto Petrus Maitir, ſpectantibus pluribus ac præcipitantis cauſam divo Jacobo commendantibus. Ille terram ingenti ictu preſſit, ſurgenſque ſatim ridens, de ſua incolumitate ac impetrata gratia certos omnes effecit.

in gravibus morbis

48 Joanna de Anticis inſignem in vitæ diſcrimine ob morbum, ſancti Viri beneficentiam faſa eſt; mihique paucis elapſis diebus retulit D. Joannes Baptiſta de Anticis juris utriuſque doctor Mevanienſis.

Camilla de Lucerottis à ſancto Severino, ſoror Fratris noſtri Franciſci Mariæ Tromba, qui mecum adeſt, laborabat in extremis. Nuntio accepto, Franciſcus Maria præfatus ſciens chariſſimæ ſororis pietatem erga divum Jacobum, adivit beati Jacobi tumulum, orationem Dominicam & Angelicam ſalutationem pro incolumitate ſororis

AUCTORE G. C.

sororis sæpius repetens; cum sequenti ordinario per tabellarium accepit epistolas, Camillam eodem tempore sanam effectam fuisse. Et quotidie illam exspectamus ad persolvendas debitas gratias Famulo Dei. Fecit hoc præsenti mense Novembri, die quinta decima.

Extat prope Mevaniam terra Cannariæ, ubi innumera virorum ac mulierum multitudo ingentia recipit beneficia; ipsique per singulos dies testantur.

& evidentibus vitæ periculis

49 Insinuaveram Paternitati vestræ admodum reverendæ de fratre meo dilectissimo Tiberio Meniconio Perusino. Appulerat, ut aliâ meâ epistolâ scripsi, mense Septembri ad me invisendum. Cum XVI Septembris, antequam accumberet, illi aliqua de sancto viro Jacobo enarrarem, conatus sum illum reddere devotum erga Beatum. Aderant aliqui Patres, qui mecum habitant. Suasi eum ad orandum in suis causis sanctum Jacobum, præcipuè propter pericula & inimicitias inter se & plures nobiles Perusinos intercedentes. Respondit: Quid times, frater? Quæ pericula
B imminent mihi, sequenti die venaturo? Surgens concionator hujus ecclesiæ sic orsus est dicere: Domine mi Tiberi, periclitatur homo in strato: Quomodo tu securus incedis per campestria? Adauge, quæso, preces; intercessores ac patronos acquire apud Dominum, cujus interest devotos viros à periculis eruere.

opem ejus expertos fuisse.

50 De mane XVII Septembris surrexit, adivit ecclesiam, deprecatus est devotè Jacobum; ascendit ferocissimum equum, quem duodecim annis jam enutrivit ad belli usus, à quo inter pugnantium aggressiones fuit ab inimicis erutus. Descenderat jam ob temporis injuriam evitandam armatus pugione ac sclopeto (aderant famuli quatuor, socii & amici quinque) cum equus equam ardens, calcibus appetit, validissimè percutit in inguine, elevat à terra supra staturam hominis, vertit illum cum capite ad terram conversо. Interim cadunt arma; ipse verò super evaginatum pugionem prope sclopetum in foveam projicitur. Clamant omnes cum ipso: Sancte Jacobe, libera eum. In tantis periculis parum læditur, & non læditur nisi à calcibus in inguine. Revertitur Mevaniam, & chirurgus fatetur, miraculosè ereptum fratrem meum à morte: nam percussio miraculosè evasit non lethalis infra quatuor .....
C *Reliqua desunt, quæ forsan sequebantur in alia pagina, quam non invenimus. Nos autem latet, an istud epistolæ fragmentum Laureti remanserit, an alibi perierit. Alia vetustiora* B. Jacobi *miracula legentur in Actis ejus, quæ jam prælo subjicimus.*

ACTA

Ex Ms. libro Fratris Ambrosii Taëgii Dominicani de Insigniis Ordinis Prædicatorum fol. 354.

TITULI VETERUM CAPITUM.

INcipit Vita B. Jacobi de Mevania viri sanctissimi & peritissimi

CAP. I De ejus nativitate, & de prodigiis in ea ostensis, & revelationibus de ea factis. D

CAP. II De ingressu ipsius in Ordine FF. Prædicatorum in Conventu Spoletino.

CAP. III De fundatione Conventûs Mevanensis per eum facta.

CAP. IV De vino & pane meritis ipsius divinitus augmentatis.

CAP. V De ejus jucunda conversatione & verbis gratiosis.

CAP. VI De juvene in membris confracto per ejus orationem pristinæ sanctitati restituto.

CAP. VII De studio ipsius, libris per eum compositis, & hæresibus per eum confutatis.

CAP. VIII De arca marmorea per eum empta, in qua postmodum ejus corpus conditum fuit.

CAP. IX De abstinentiis & aliis corporis ipsius macerationibus, quas faciebat.

CAP. X De duobus incarceratis oratione sua à vinculis miraculosè liberatis.

CAP. XI De spiritu prophetiæ, quo claruit.

CAP. XII De quibusdam ex alto corruentibus per eum salvatis. E

CAP. XIII De duabus mulieribus graviter infirmis per eum sanitati pristinæ restitutis.

CAP. XIV De imagine Crucifixi, quam fieri fecit, & certitudine prædestinationis suæ sibi ab eodem Crucifixo facta.

CAP. XV De apparitione sibi facta à Domino, B. Virgine, B. Georgio, & B. Dominico ante ejus obitum.

CAP. XVI De aqua in vinum oratione ipsius & benedictione conversa, & ejus felici transitu.

CAP. XVII De apparitione ipsius facta sorori Joannæ de Urbe-Veteri religiosæ feminæ.

CAP. XVIII De integritate & incorruptione corporis ejus, & translatione ipsius.

CAP. XIX De miraculis post ipsius mortem meritis ejus perpetratis, & maximè circa hernioſos.

CAP. XX De duobus pueris submersis in aqua per B. Jacobum resuscitatis.

CAP. XXI De puero quodam interfecto, per B. Jacobum resuscitato.

CAP. XXII De puero cum matre à lupo liberato & ovibus similiter à lupis B. Jacobi meritis liberatis.

CAP. XXIII De paupere viro, cui B. Jacobus divitias suppeditavit. F

CAP. XXIV De juvene injustè ad suspendium damnato cum multis aliis de carcere liberato.

CAPUT I.

Beati nativitas prodigiis indicata, ingressus in Ordinem PP. Prædicatorum, fundatio cœnobii Mevanensis, eruditio, variæ virtutes & quædam miracula.

Varia prodigia apparuerunt, a

BEatus Jacobus de Mevania Ordinis Prædicatorum ex nobili progenie, quæ de Blanchonibus *a* dicitur, civitatis Mevaniæ ortus fuit. Hæc siquidem civitas inæquali distantia à Perusio, Spoleto & Tuderto *b* jacet. In ipsius autem nativitate *c* in cælo & in terra diversa apparuerunt prodigia: in nocte quippe nativitatis ejus tres lunæ in cælo visæ sunt, in quarum qualibet Fra-

b

c

ter

A ter Ordinis Prædicatorum videbatur ; in die etiam, ſole apparente, amplius videbantur. Puer quidam, beato Jacobo nato, clamare cœpit per civitatem : AD SCHOLAS, AD SCHOLAS. Interrogatus, quare ita diceret, reſpondit : Nati ſunt in mundo magiſtri, quos mundus quærit audire : illo enim tempore natus erat B. Thomas de Aquino *d*, & B. Ambroſius Senenſis prænominatus *e*, & hic B. Jacobus. Quidam alius *f* vidit totam terram ardere ; non tamen comburi videbatur. Dominus Andreas frater beati Jacobi vidit in ſomnis matrem puerum parere indutum habitu FF. Prædicatorum, ad cujus prædicationem & doctrinam multitudo maxima populi confluebat ; quod dum mater à filio didiciſſet, & aſſiduè de hoc cogitaret, eidem ſimiliter apparuit, prout ipſa retulit viro ſuo.

d *e* *f*

2 Natus itaque Puer & educatus in bonis [moribus] & ſcientia, cum ſedecim eſſet annorum, accidit, quod Mevaniam venerunt duo Fratres Ordinis Prædicatorum de Spoleto, ut in Quadrageſima ibidem prædicarent. Hos pius Puer proſecutus eſt tam in audientia prædicationum, quàm in conſiliis accipiendis, quibus etiam peccata ſua confitebatur. In Cœna Domini cum communionis recepiſſet Sacramentum, & Pſalterium aperiens legiſſet LEGEM PONE MIHI DOMINE &c., ſubitò à Deo inſpiratus, Fratri Petro Prædicatori dixit : Pater, à Deo inſpiratus diſpoſui mundum relinquere & Religionem veſtram intrare. Cui Frater Petrus dixit : Bene, fili, craſtina die in pane & aqua jejunabis, & videbimus, ſi Dominus tibi aliquid oſtenderit. Perſeverabis nocte hac in orationibus devotis, ut propoſitum tuum magis à Domino confirmetur.

quando Mevaniæ natus eſt B. Jacobus,

B II

3 Apparuit autem ei beatus Dominicus dicens : Fili, perfice opere, quod mente conceperiſti ; quia ego de mandato Domini elegi te, eroque ſemper tecum. Retulit viſionem Fratri Petro, dicebatque, ſe omnino, quod mente conceperat, velle perficere. Poſt Paſchalia feſta clam receſſit de Mevania cum dicto Prædicatore, & Spoletum perrexit, ſuis parentibus hoc ignorantibus. Fratres de Spoleto *g* ipſum gratanter receperunt & habitu Ordinis induerunt. Sic ergo Religionis habitu indutus, humanam vilipendit gloriam ; paſſiones ſubjugans, ad virtutes inſurrexit : contemplationi enim & orationi vacabat aſſiduè. Non triſtabatur in adverſis ; ſed Ordinis paupertatem ſummè diligebat. Parentes quoque ejus conati ſunt à bono propoſito multis modis eum revocare ; ſed minimè potuerunt.

qui Ordinem Prædicatorum ingreſſus,

g

C III

4 Poſt aliquod tempus cogitare cœpit, quomodo poſſet in civitate ſua Mevaniæ Conventum Ordinis fundare. Unde à matre & quibuſdam civibus, modicâ collectâ pecuniâ *h*, domunculam prope plateam & magnatorum domos emit. A quo cum quæreretur, quare domum illam prope tales emerat ; quia difficile eſſet prope tales ſe dilatare, reſpondit : Potens eſt Deus, qui Ordinem Prædicatorum dilatavit à mari uſque ad mare, facere, ut parvus iſte locus dilatetur. Quod & factum eſt : nam obtinuit eccleſiam quamdam parvam ſancti Georgii cum ſuis pertinentiis à Capitulo Spoletano, ad cujus juriſdictionem dicta eccleſia pertinebat. Incepta ergo per eum eſt eccleſia magna & Conventus ſub titulo ſancti Georgii prope illam parvam eccleſiam.

erexit in patria cœnobium Dominicanum,

h

IV

5 In ædificatione hujus eccleſiæ Vir Dei miraculis clarere cœpit, quæ ipſum clariorem reddiderunt. Quædam mulier, Lucia nomine, Deo & beato Jacobo devota, viro ſuo contradicere nolens, qui ordinaverat, ut de quadam vegete *i*, quæ ſola vinum bonum continebat, aliis gergometum *k* hominibus [diſtribuens,] nulli daret, à ſancto Viro ad ſpem talem erecta eſt. Cum beatus Vir ab ea vinum pro ædificatoribus eccleſiæ poſtulaſſet, illaque diceret, quod totum gergometum erat, una vegete excepta, quam tangere non audebat, dixit beatus Vir : Vade, & quantum pro fabrica eccleſiæ neceſſarium eſt, propina, quia juxta verbum Chriſti centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis : plus enim & melius in ea reperiet vir tuus, quàm tu inde hauſeris : quæ ſancti Viri confiſa verbis, diebus ſingulis donavit, ita quod quotidie pro toto ædificio hauriendo abunde ſuffecit. Cum autem vir ejus dictum vinum vendere poſtea vellet, dicta mulier genibus flexis [oravit :] O beate Jacobe, ſerva promiſſa ; & deſcendens, oſtium cellarii aperuit, intranteſque omnes vegetem uſque ad ſummum plenam invenerunt optimo vino, ita quod à parte ſuperiori uſque ad terram vinum flueret ; qui odorem ſentientes, & circa vegetem terram vino reſperſam videntes, de vegetis integritate dubitarunt, & perquirentes adverterunt, quod per cochionem *l* deſcendebat. Tunc Lucia ſecretum aperuit dicens : De vino hujus vegetis plus duabus vegetibus pro opere eccleſiæ Fratri Jacobo miniſtravi, & nunc uſque ad ſummum plenam videtis, & vinum in triplo melius reperiſtis, quia mihi ita promiſerat.

in cujus ædificatione

EX MS. *i* *k*

E *l*

6 Ex tunc autem ſancti Viri fama multùm vulgata eſt. Inſuper dicta Lucia conſilio ſancti Viri, viro ſuo defuncto, monaſterium *m* ædificavit in honore & nomine ſanctæ Luciæ virginis & martyris ſub regula ſancti Benedicti ; ubi uſque nunc manent ædificia magna, ibique ſe recluſit cum multis aliis dominabus. Nunc verò propter guerrarum *n* diſcrimina, ædificatis domibus intra urbem, ibi manent moniales plures magna devotione ; in eccleſia verò exteriori omni anno in feſto ſanctæ Luciæ feſtum *o* celebratur. Idem miraculum de vino multiplicato fecit cuidam Margaritæ, quia vegetem benedixit, & vinum modicum, quod in ea erat, uſque ad ſummum crevit. Similem multiplicationem fecit de pane, quia cum ab eadem muliere pro eodem opere panem peteret, & ipſa reſponderet, ſe non habere, ſed quod facere jam oportebat, ait Frater Jacobus : Vade ad arcam & vide, & invenies. Ivit mulier, & cum arcam aperuiſſet, eam panibus recentibus adeo calidis plenam reperit, acſi eâdem horâ à clibano eſſent delati, deditque ſancto Viro, quotquot habuit neceſſe.

diverſa miracula patravit,

m *n* *o*

F

7 Fuit jucundus in converſatione, verbo & opere ſingularis, interponens ridicula, gaudioſa & jocoſa adſtantibus, ne alicui oneroſus eſſet, gravis, agreſtis : cum enim vice quadam de Spoleto verſus Mevaniam iter arriperet ante Quadrageſimam, quibuſdam prædicaturus ibidem, hoſpitatus eſt in domo ruſtici cujuſdam de Beroto *p*, villa Comitatûs Spoleti, ubi FF. Prædicatores inde tranſeuntes hoſpitari conſueverant. Cum autem de ſero hoſpes rediret fatigatus, filioſque ac filias, quos plures habebat, ignem parvum circumſedentes, Fratremque Jacobum & conſocium ejus longè ſtantes videret, ait : Pater reverende, Frater Jacobe, audivi, vos omnia ſcire & poſſe. Rogo, quod doceas me aliquid, ut poſſim ego & mater iſtorum puerorum circa ignem locum habere ; ſimiliter & hoſpites quandoque advenientes : nulli enim frigoris tempore cedere volunt.

V

& ruſticum lepidè docet,

p

EX^a MS. *non temerè à Deo miracula petenda esse.*

8 Tunc Frater Jacobus hilaris & affabilis alacriter ridendo ait : Placet valde, quod petis. Habesne palmites sive sarmenta ? Qui respondit, se habere. Affer, inquit, tres aut quatuor fasciculos ; quos allatos super ignem posuit, auctâque flammâ, omnes recesserunt. At Frater Jacobus, Sedeamus, inquit, omnes nunc ad ignem, quia locus cunctorum est capax : cum enim ignis magnus est, remotos calefacit, quod parvus facere non potest. Ad hæc pater familias, ut rudis & grossus, remedium per adventum alicujus miraculi exspectabat. Unde respondit : Hoc bene sciebam, & à vobis aliquid aliud exspectabam. Cui Vir Dei, Si sciebas, inquit, quare non operabaris ? Aliud est remedium, quod filii tui non ita continuè sedeant ad ignem, ut bene vestias eos & calcees : Non [enim] quærenda sunt miracula, ubi natura præbet remedia. Et ab his incipiens verbis, eis & aliis advenientibus prædicavit verbum Dei.

VI *Quemdam ex lapsu læsum sanat,*

9 In Beroto quoque fuit beatus Jacobus valde famosus propter miraculum, quod ibidem fecit, dum adhuc juvenis esset & studeret Perusii. Cum itaque in dicta villa esset vindemiarum tempore secundùm consuetudinem pro vino quærendo gratis & amore Dei, quidam juvenis de arbore cecidit totus confractus. Advocatur beatus Jacobus, ut ejus confessionem audiret, quia morti proximus erat. Oravit pro eo diem ac noctem, omnibus seclusis. Facto mane, clamavit juvenis : O beate Jacobe, meritis vestris mihi sanitas & vita donata est. Fuit autem hujusmodi miraculi tanta evidentiæ notitia, quod nullo modo occultari potuit. Unde humanam fugiens gloriam, Perusium est reversus.

VII *variis in Ordine suo muneribus fungitur,*

10 Postquam Perusii studuit beatus Jacobus, fuit lector & prædicator gratiosus in multis Conventibus. Prioratûs gessit officium laudabiliter, & maximè Mevaniæ, ubi sanctitatis suæ plurima dedit exempla. Non solùm verbo docuit, sed etiam scripto : composuit namque tractatus duos ; unus fuit de Domino Salvatore nostro in capitulis quindecim distinctus ; alius fuit de ultimo generali judicio in capitulis triginta tribus *q* distinctus. Detexit etiam & impugnavit hæresim *r* vigentem [in] partibus Mevaniæ, dicentem, omnia licere & omnia esse communia ; & errorem earum mulierum, quæ vadunt ad cursum cum Diana *s*.

q

r

s

C

VIII *arcam marmoream miro modo impetrat,*

11 Cum rusticus quidam pro olivis plantandis campum foderet, arcam reperit marmoream valde pulcram ; quam cum vendidissent Fratribus Minoribus de Assisio, eamque cum bobus & bufalis Assisium deducere voluissent, numquam potuerunt. Restitutâ pecuniâ, eam Frater Jacobus habuit ; hanc duabus cum vacchetis *t* faciliter usque ad ecclesiam FF. Prædicatorum portari fecit, in qua post ipsius obitum ultimò cadaver ejus collocatum fuit ; sicque apparuit, quod divino nutu non potuit antè moveri, quia Deus pro Sancto suo eam reservare voluit. Corpus suum

t

IX

jejuniis & abstinentiis macerabat : funem enim portabat ad carnem circa lumbos strictam adeo, ut carne tegeretur. Cilicio sextâ feriâ utebatur, in qua etiam à vino abstinebat, in pane & aqua jejunans. Jejunia Ordinis inviolabiliter observabat. Cibus ejus panis & herbæ coctæ, aut aliquando crudæ, sale conditæ. Inter diem & noctem ter corpus suum disciplinabat, Patris sui Dominici vestigia sequens.

X *captivos precibus liberat,*

12 Tudertini moventes bellum Mevanensibus, ut eos subjugarent, accidit, quod D. Andreas, capitaneus Mevaniæ caperetur. Intrusus est in carcerem certa die decapitandus. Multi de Mevania beatum Jacobum rogaverunt, ut pro germano suo Dominum precaretur, illique succurreret. Quibus ille dixit : Observabit peccator justum, & stridebit super eum dentibus suis &c. Et hoc etiam eis dixit : Impetus inimicorum ne timueritis ; memores estote, quomodo salvi facti sunt patres nostri, & nunc clamemus in cælum, & miserebitur nostri Deus noster. Sed quod accidit audiamus. Nempe nocte præcedenti diem, quo producendus erat & decapitandus, oratione beati Jacobi carcere aperto, inventus est Mevaniæ solutus & incolumis prædictus Andreas. Interrogatus, quomodo evaserit, respondit ; Sicut beatus Petrus Apostolus de carcere Herodis. Ex qua re ostenditur, quod oratione beati Jacobi germanus ejus liberatus est, & pax cum Tudertinis facta est. Quidam Marius nomine, de proditione suspectus habitus, vinculatus est & tortus. Parentes autem ipsius ad Beatum perrexerunt rogantes, ut amico succurreret. Quibus ille dixit : Rogabo pro eo. Oratione facta, portæ carceris apertæ sunt, & omnia vincula soluta, & sic evasit. Tunc B. Jacobus apud Spoletanos, ubi multùm reverebatur, totalem obtinuit liberationem.

D

E

XI *arcana cordium detegit,*

13 Spiritum prophetiæ habuisse, ex multis compertum est : nam cum quidam, Matthæus nomine, de Colepopi graviter ægrotaret, ita quod nec cibum retinere posset, essetque à medicis desperatus, vocari fecit beatum Jacobum, ut pro sua oraret sanitate. Ad quem beatus Jacobus dixit : Curari non potes, nisi vaccam & oves restituas, quas rapuisti. Hoc furtum occultum erat. Restitutione ergo facta, & beato Viro pro eo orante, sanitati restitutus est. Gualterus advocavit Mevaniæ beatum Jacobum, ut veniret & pro filio, qui à cane rabido morsus fuerat, oraret, & [eum] sanitati restitueret, quia moriebatur. Cui beatus Jacobus dixit : Faciat id, ad quod obligatur, & sanus erit. Ad quid obligatur, inquit pater ? Respondit Vir sanctus : Ad legatum matris suæ : mater enim sua mortua legaverat ecclesiæ FF. Prædicatorum summam quamdam pecuniæ, quam retinebat, nec solvit. Legato soluto, sanitati restitutus est. Illud autem, quia occultum esset, sciri non potuit nisi divina revelatione.

F

XII *periclitantibus succurrit,*

14 Mauritius Lombardus cum sustentacula capellæ majoris ecclesiæ Fratrum Prædicatorum Mevaniæ amoveret, & corruissent trahens post se lapides & ligna de alto loco, & quasi mortuus jaceret, omnes, qui cucurrerunt ad videndum, dixerunt beato Jacobo : Opus tuum agitur ; adjuva illum. Adveniens autem beatus Jacobus apprehendit manum ejus dicens : Sanet te Dominus Jesus Christus, & in nomine ipsius surge & ambula. Statimque surrexit sanus, & ad opus suum rediit. Matthæus de Bononia carpentarius campanam majorem, quam fecerat, locabat in campanili simul cum fratre Paulo Converso de Perusio & multis aliis adjuvantibus. De ponte in cacumine campanilis constituto omnes pariter corruerunt cum ponte super testudine capellæ sancti Petri martyris unus super alium. Sed per beatum Jacobum, cujus opus agebant, omnes sani & incolumes surrexerunt, Deo gratias agentes.

XIII *& ægris sanitatem reddit.*

15 Billa de Monte Flasconis magnum habens in mamilla cancrum, cum medicorum remedia quasi omnia experta fuissent, nihilque prodessent, venit ad beatum Jacobum, ut pro sua oraret sanitate.

A nitate. Ille autem oleum lampadis benedicens, dedit ei dicens: Vade, & te cum isto unge oleo, & sanaberis, quia fides tua te salvam fecit. Abiit illa & unxit, & tertia die plenè curata est. Margarita de Spello spinam, pedem suum intrantem, despexit & non eduxit; balneavit, nec curavit. Ex qua re tantam incurrit ægritudinem, quod ferè moriebatur. Venit post multas medicinas ad beatum Jacobum, qui eam statim curavit cum oleo benedicto lampadis: nam spinam extractam de Mevania domum reportavit, Deo & beato Jacobo gratias agens. Aqua remanens in ampullis, & vinum post consecrationem Missæ suæ multis contulit infirmitatibus curationem. Idem expertum est de aqua ablutionis manuum ipsius, quia illa languentibus data beneficium contulit sanitatis.

ANNOTATA.

a *Hac nobilis familia jam tempore Ludovici Jacobilli exstincta erat, ut ipse capite primo Vitæ Italicæ, sive pag.* 13 *Opusculi sui testatur.*

B b *Baudrandus tomo* 1 *Geographiæ pag.* 653 *asserit, Mevaniam sex milliaribus à Fulginio, & tredecim à Spoleto distare. Hinc Perusii ac Tuderti distantiam consequenter collige.*

c *Jacobillus paginâ proximè citatâ affirmat,* B. Jacobum *anno Christi* 1220, *die* 7 *Martii natum esse. Circa hunc nativitatis annum plures auctores consentiunt. At nescimus, unde hunc diem natalem tam accuratè eruerit Jacobillus, cum illum in monumentis nostris non invenerimus.*

d *Sanctus Thomas Aquinas in lucem prodiit anno Christi* 1225, *quemadmodum Majores nostri tomo* 1 *Martii pag.* 657 *in Commentario prævio ad ejus Vitam probarunt. Igitur hîc verè dici non potest S. Thomas* illo tempore, *nimirum anno* 1220, *jam* natus *fuisse, nisi nativitas* B. Jacobi *ad quinquennium differatur; quæ dilatio videtur repugnare Camasseo, cujus verba in Commentario prævio num.* 25 *ex Malvendâ retulimus.*

e *Taëgius antea egerat de hoc beato Ambrosio Sansedonio vel Senensi, cujus Acta nostri Majores ad diem* 20 *Martii, tomo* 111 *istius mensis pag.* 180 *& sequentibus illustrarunt.*

C f *Ille* quidam alius *à Jacobillo pag.* 14 *citati Opusculi* devotissimus Religiosus, *& à Camasseo apud nos in Commentario prævio num.* 26 lunaticus *appellatur. Hæc inter se conciliet, qui potest. Nobis non vacat minutiis hujusmodi diu inhærere.*

g *Jacobillus pag.* 18 *ejusdem Opusculi tradit,* B. Jacobum *Perusii habitu Ordinis Dominicani indutum fuisse. Sed Taëgius & Mortarius aliique biographi affirmant, id Spoleti contigisse. Etiam Camasseus apud nos num.* 28 *Commentarii prævii innuit, eumdem Beatum, tirocinio Religionis jam absoluto, Perusium migrasse, ut artibus liberalibus operam daret.*

h *Tempus hujus empti fundi Jacobillus ibidem pag.* 28 *ad annum* 1270 *refert.*

i Veges *ab Italica voce* veggia *significat vas vinarium sive dolium, ut in auctiore Cangii Glossario videre est.*

k *Ex sensu colligimus, hac voce* gergometum *significari vappam seu vinum deterioris conditionis, cum* vinum bonum *ei opponatur.*

l *Per* cochionem *hîc intelligi debet superior dolii apertura, per quam vinum in vas infun-*

ditur. Suspicamur hoc nomen barbarum derivari ab Italica voce cocchiume *vel* coccone, *quæ epistomium sive vasis obturamentum designat.* EX MS.

m *Forsan hoc monasterium Beato nostro adscribitur, quia consilio ejus ædificatum est, ut num.* 34 *Commentarii prævii observavimus.*

n *Voce* guerra *indicatur bellum, sicuti sæpius alibi diximus, & passim notum est. Quapropter obvias hujusmodi voces barbaras imposterum non explicabimus.*

o *Cum Taëgius hîc per battologiam dicat,* omni anno in festo sanctæ Luciæ festum *celebrari, dubitamus, an biographus ille indicare non voluerit, quod ibi in ecclesia exteriori quotannis in festo sanctæ Luciæ simul festum* B. Jacobi *celebretur, aut saltem de illo fiat aliqua commemoratio, qualem num.* 5 *Commentarii prævii exhibuimus.*

p *Suspicor, hunc esse pagum dictum Italicè* Berotti, *qui in mappis geographicis Fabii Magini notatur inter Spoletum & Montem Falconis in via Mevaniam versus, ita tamen ut Monti Falconis propior sit, quam Spoleto.*

E q *Initio paragraphi tertii de scriptis* B. Jacobi *mentionem fecimus, ubi num.* 32 *& sequente Commentarii prævii duplicem vel bipartitam hanc lucubrationem recensuimus, & aliam capitum divisionem assignavimus.*

r *Inter præcipuos hujus hæreseos defensores numeratur Ottonellus, quem tamen Beatus noster argumentis convicit & ad pœnitentiam adduxit, ut Jacobillus in Vita Italica cap.* 8 *fusius narrat, ubi etiam illam hæresim* Nicolaitarum *vel* Fratricellorum *cognominat.*

s *Quamvis obscura sit hæc phrasis de mulieribus,* quæ vadunt ad cursum cum Diana, *tamen videtur auctor alludere ad errorem putantium, sagas magico quodam oleo inunctas revera in feles aut alia animalia mutari, & tempore lunari sive nocturno ad alia loca transferri, qua de re laudatus Jacobillus ibidem distinctiùs Italicè disserit. Forsan hac occasione Taëgius meminit de* Diana, *quæ etiam vocatur* Hecate triformis, *eo quòd à poëtis in varias formas transmutari fingatur, ut apud mythologos legere est.*

t *Etiamsi vox* vaccheta *in auctiore Cangii Glossario prorsus aliam & huc non pertinentem significationem habeat, tamen ex sensu facilè conjicimus, hîc per* vacchetas *intelligi vaccas juniores, quæ etiam Latino-barbarè* vacchellæ *dicuntur, & ab Italis vulgò* vaccarelle *appellantur.* F

CAPUT II.

Prædestinatio ad salutem suam æternam mirabiliter ei indicata, visiones, pius obitus, mira apparitio, corporis integritas & miracula post mortem.

XIV. *Imago Crucifixi, quam loco vestis emerat,*

CUm esset Mevaniæ beatus Jacobus, à matre sua pecunias petivit pro indumentis emendis. Accepta ergo aliquali pecunia, Perusium ivit, & imaginem Crucifixi ligneam fabricari fecit. Cum autem Mevaniam detulisset, & in ecclesia Fratrum collocasset, dixit mater ejus: Quare mihi dixisti mendacium, ut pro indumento pecuniam peteres, & Crucifixum fecisti? Cui

EX MS. ille : Mater mea, mendacium non fuit hoc, quia Christus indumentum est, ut dicit Apostolus : Induimini Dominum Jesum Christum *a*.

a

hunc Beatum de salute certum reddit,

17 Cùm vice quadam sanctus Vir ante dicti Crucifixi imaginem devotiùs oraret & diceret : Domine Jesu Christe, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecro immensæ majestatis tuæ abundantiam, ut mihi minimo servo tuo revelare & manifestare digneris aliquo certo signo, an aspersio sanguinis tui pretiosi sit mihi effectivè & finaliter causa salutis, ita quod sim de numero electorum tuorum & prædestinatorum. Cui Crucifixus clara voce respondit : Sanguis iste sit tibi in signum & certitudo. Statim de latere Crucifixi sanguis vivus fluxit & aqua in faciem ejus & anteriorem cappæ ipsius partem orantis, quemadmodum pueri cum cannula aquam projicere solent. Inhærens autem multis temporibus, nulla potuit ablutione deleri à tam decora ipsius facie ; tres verò guttæ ipsius sanguinis in labiis ejus defluxerunt, ex quibus tantam sensit odoris fragrantiam & dulcedinem, quod ex tunc semper desideravit cum Apostolo dissolvi & esse cum Christo. Hoc confessor ipsius post mortem ejus retulit, prout ab ipso audierat. Idem fecit de imagine beatæ Virginis, de pecunia à matre accepta, quæ nunc in ecclesia Fratrum permanet.

B

XV.

qui non diu ante obitum invisitur à quatuor Sanctis,

18 Adveniente autem consummationis suæ tempore, clara visione apparuit ei Dominus Jesus cum beata Maria matre sua & beatis Georgio & Dominico, eique dixit : Dispone domui tuæ, quia octava die veniemus ad te, ut sis nobiscum in gloria & numero electorum, sicut dudum tibi promisi, & pro signo meo te aspersi sanguine. Et quia tu pro mea imagine tuam dedisti pecuniam indumenti, & pro imagine similiter Matris meæ fecisti ; Georgius verò, quia ejus ecclesiam ampliasti ; Dominicus, quia habitum ipsius & Ordinem suscepisti, ideo in transitu tuo præsentes erimus. Quibus dictis, disparuit consolatum eum relinquens.

XVI.

& instante jam morte,

19 Octava autem die, vocatis Fratribus, eos hortatus est ad vivendum secundum Deum, ut videlicet orationi vacarent, humilitatem tenerent & haberent caritatem. Extrema Unctione recepta, dixit Fratribus : Sitio, Fratres, sitio. Vade, inquit ministro, ad puteum ecclesiæ, & porta aquam recentem, quia volo ultimò bibere cum Fratribus meis, quia amodò vobiscum non bibam. Portatam aquam benedixit in vase vitreo Vir sanctus dicens : Largitor omnium bonorum benedicat potum servorum suorum. Statim, benedictione completa, in vinum optimum rubeum conversa est, cunctis, qui aderant, videntibus. Erant autem plures Religiosi & seculares, qui venerant ad eum videndum in proximo moriturum. Non sufficit ergo vinum, quia vas parvum erat. Iterum missus minister, & iterum aquam portavit secundò & tertiò de puteo eodem, quam eodem modo Vir Dei benedixit, & in vinum conversa est.

C

aquam in vinum convertit.

20 Biberunt omnes simul cum Fratre Jacobo infirmo in lectulo sedente. Cumque cuncti bibissent de tam perfectissimo vino, interrogaverunt quidam ministrum, unde tale vinum habuisset, quia oculis non viderant talem mutationem, pro eo quod magis distantes erant. Qui respondit, Quia de puteo. Tunc Frater Jacobus ait : Non propter me hoc factum est ; sed propter vos, ut credatis & cognoscatis, quia non est abbreviata manus Domini. Deinde iterum dixit eis : Valete, Fratres mei carissimi, valete omnes in Domino. Ecce video patronos & dominos meos & istius Conventûs pro me venientes, videlicet Dominum Jesum Christum, Mariam matrem ejus, beatos Georgium & Dominicum juxta eorum promissionem. Et elevatis in cælum oculis, dixit : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia ad servulum tuum venire dignatus es cum tali ac tanta societate secundum verbum tuum in pace. His dictis, obdormivit in Domino. Fratres autem cum prosequerentur commendationem animæ, vocem audierunt dicentem : Nolite Deum rogare pro isto ; sed ipsum pro vobis rogate. Quod superfuit de vino illo, Fratres servaverunt in ampulla vitrea per tempora multa *b* ad probationem tanti miraculi, & sanctitatis beati Jacobi viri Dei.

D

b

XVII.

Ipso obitûs sui die

21 Aliud mirabile accidit in die defunctionis ejus : erat enim, quando obiit, lector & prædicator Conventûs sancti Dominici de Urbe veteri. Recessit inde circa principium mensis Augusti, & ivit Mevaniam, ubi requievit in Domino, anno Domini MCCCI, in die Assumptionis *c* beatæ Virginis. Die siquidem sepulturæ dictis Missis in ecclesia sancti Dominici de Urbeveteri remansit quædam mulier, Joanna nomine, Ordinis de Pœnitentia *d* beati Dominici : habebat enim Soror hæc in beato Jacobo singularem devotionem non solùm ratione suarum prædicationum & sanctitatis ; sed etiam ex quadam familiaritate & confessione assidua. Remansit autem hæc sancta domina (dico equidem SANCTA, quia in Urbe-veteri ut sancta *e* ab omnibus colitur,) post Missarum solemnia in parte inferiori ecclesiæ ; & beatus Jacobus quasi hospes ad eam accedens ait : Salve, Soror, in Domino. Quæ respondit ; Bene veniat Pater meus. Deus voluit, quod ad me venire dignatus es, quia confiteri indigebam.

c

E

d

e

cuidam feminæ absenti mirabiliter apparet,

22 Euntes autem seorsim in locum debitum, secum confessa est. Beatus autem Jacobus eam absolvit, & pœnitentiam injunxit. Deinde ait : Portavi tibi de Mevania corrigiam meam & cultellum meum, ut memor sis mei. Quæ corrigiam & cultellum suscipiens, abiit in domum suam, & paravit tartam *f* & quædam alia, quæ misit per ancillam ad Conventum. Cum autem à portario didicisset ancilla, quod Mevaniæ erat infirmus ad mortem, & retulisset Sorori Joannæ, illa non credens venit ad Conventum, & cultellum corrigiamque, quæ ab eo acceperat, ostendens dixit : Pro eo mane cum illo locuta fueram. Fratres autem cognoverunt ita esse, sicut dicebat, dicentes : Certè ista est corrigia sua & cultellus. Et citò mittentes Mevaniam duos Fratres, invenerunt, illo die beatum Jacobum decessisse. Inquisitum est Mevaniæ de corrigia & cultello, & nusquam repertum est.

f

F

XVIII.

& corpus ejus post aliquot menses incorruptum reperitur,

23 Humatum fuit corpus ejus in octava Assumptionis *g* beatæ Virginis in sepulcro communi Fratrum ante sacristiam usque ad XV diem Aprilis, infra quod tempus tanta & talia apparuerunt miracula, quòd propter multorum querelas oportuit exhumare corpus prædictum. Inventum est autem integrum ac perfectum, acsi eadem die fuisset sepultum. Hujus rei testes fuerunt Prælati quidam, Religiosi, nobiles & plebei. Translatum est autem ejus corpus in sepulcro marmoreo, quod ipsemet procuraverat, prout dictum est, & collocatum est in loco, ubi nunc *h* requiescit, die prima mensis Maii, & sic verificatum est verbum suum, quod arca illa pro alio reservata fuerat.

g

h

A rat. Dicta verò Soror Joanna donum ſervavit toto tempore vitæ ſuæ.

XIX. *ægriſque varia beneficia conferuntur.*

24 Poſt mortem quoque ſancti Viri multa ſecuta ſunt miracula : nam videtur à Deo habuiſſe gratiam hanc, ut ſuis meritis & interceſſione fracturam in genitalibus paſſi liberarentur. Hujus rei teſtes ſunt multi tam Fratres quàm ſeculares, qui in dicto loco fracti, beati Jacobi meritis ſanitatem ſunt adepti ; & in ſignum etiam apparent ad ſepulcrum ipſius multi circuli & bracchialia *i*, quæ delata fuerunt & ibidem collocata ab his, qui gratiam acceperunt. Ad ejus etiam ſepulcrum copioſa veniebat multitudo plebis de circumſtantibus locis, & qui vexabantur à ſpiritibus immundis veniebant ad eum & curabantur, & omnes quærebant ſepulcrum ejus tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.

i

XX. *Inter alia puerum & eumdem poſtea adoleſcentem,*

25 Mulier quædam de Mevania, Cecha nomine, uxor Lili, cum ad fluvium pro aqua haurienda iviſſet, & puerum parvulum ſecum duxiſſet, ille, matre in aliis occupata, ludendo aquam intravit. Incautè incedens in profundum cecidit molendini. Mater verò hinc inde clamabat : Beate Jacobe, adjuva illum ; vovens, ſi vivum eum haberet, daret eum Religioni Ordinis Fratrum Prædicatorum. Deſcendens uſque ad inferiorem fluminis partem, vidit filium ſuper aquam, & beatum Jacobum tenentem eum ; & ſic vivum rehabuit. Cum autem puer in ætate eſſet diſcretionis, parentes ejus, quia alium non haberent, votum implere neglexerunt, maximè quia pater nec filius voverat, ſed tantum mater.

B

bis ſubmerſionis periculo eripuit,

26 Quadam die dum adoleſcens factus in eodem flumine ſe balnearet, impegit in molendini rotam, & in profundam aquam ſubmerſus non comparuit. Parentes hoc intelligentes cucurrerunt, & cognoſcentes, quomodo beato Jacobo ingrati fuerunt, eum invocare non audebant. Tandem ambo concordes votum emiſerunt, quod, ſi reciperent eum vivum, Ordini Prædicatorum præſentarent. Poſt magnum itaque ſpatium puer ſuper aquam vivus apparuit. Veniens autem ad ripam, & interrogatus, quomodo tam diu in aqua vixiſſet, dixit, ſe à beato Jacobo ſervatum fuiſſe. Factus eſt ergo Frater Ordinis Prædicatorum optimæ ſcientiæ & religionis probatæ, dictuſque Frater Nerius de Mevania *k*. Jacobus filius Dominici de Mevania dum tranſiret per molendinum, in aquam profundam cecidit, & curſu aquæ tractus fuit per amnem. Parentes hoc intelligentes, cucurrerunt beatum Jacobum invocantes, ſicque puerum ſalicibus hærentem invenerunt dicentem, ſe à beato Jacobo ſuſtentatum, ne mergeretur in profundum, cum natare neſciret.

k

C

XXI. *mortuum ex vulnere reſuſcitat, l*

27 In Gualdo adoleſcens quidam, propter ſeditionem in terra illa factam, cum ad videndum concurriſſet, ſagittâ in gutture percuſſus cum domum duceretur, matri obviavit, quæ plorans & ſagittam de filii gutture extrahens *l*, ipſe totus cruentatus ante matrem moriens cecidit. Illa verò clamare cœpit : Beate Jacobe, adjuva animam ejus ; exienſque de domo, in qua erat, ſparſo crine clamabat * aliquorum crudelitatem. Poſt horam ſurrexit puer, & dixit, animam ad corpus reductam per quemdam Fratrem Ordinis Prædicatorum. Duo autem Fratres Ordinis prædicti illico in domo illa apparuerunt, illumque vivum matri ſuæ dederunt ; ad diſcordes quoque accedentes, omneſque pacificantes, amplius viſi non ſunt.

* *id eſt* accuſabat

28 Quædam nobilis domina de Fulginio de villa ſua rediens ad civitatem cum uno tantùm parvulo, obviaverunt duobus lupis magnis, qui ad eos nocendum venerant. Tunc mulier ſtatim clamando dixit : Beate Jacobe de Mevania, adjuva me. Et ſtatim lupi capite inclinato reverſi ſunt. Maſſarius * quidam, Martonus nomine, oves commiſit puero cuſtodiendas. Ille cum pueris aliis ludens non advertit, quomodo oves ſe ſubtrahentes in magnam ſilvam ingreſſæ ſunt. Advenit nox ; quærit oves, & non inveniens, donum reverſus eſt. Martonus autem videns noctem obſcuram, lupoſque timens, qui diebus illis etiam de die aliquos homines offenderant, exire timuit. Sed dixit : O beate Jacobe, ſi à feris meum cuſtodieris gregem, unum tibi dabo arietem. Mane ſurgens, & ad ſilvam pergens, gregem ſuum à lupis magnis & una lupa circumdatum reperit. Clamans autem lupos fugavit, & gregem integrum recepit, & votum ſolvit. Quædam mulier cum primum pullum naſciturum beato Jacobo promiſiſſet, & non feciſſet, videns eum pulchriorem, venit milvus, & primò illum rapuit, & ſucceſſivè reliquos omnes.

EX MS. XXII. *varioſque in anguſtiis*

* *Id eſt* vilicus *vel* adminiſtrator

E

29 Jacobus Petri de terra Mulforum cum ad magnam perveniſſet paupertatem, quia uxorem habebat & filios, eos relinquere diſpoſuit, ireque ad ſanctam Mariam de Angelis Aſſiſii, ſi quo modo poſſet ſibi victum per aliquod exercitium quærere aut mendicare. Tranſiens autem per Mevaniam reperit, quod pro feſto beati Jacobi eccleſia parabatur, ibique uſque ad feſtum moratus eſt. Cum autem in nocte feſtivitatis cum lacrymis beatum Jacobum exoraſſet, ut paupertati ſuæ remedium apponeret, vidit in ſomnis beatum Virum ſibi apparentem & dicentem : Surge primo mane, & cum eccleſiæ valvæ aperientur, egredere, & burſam, quam invenies, ſuſcipe, & pecuniam pro te tuiſque neceſſitatibus expende. De reliquo eme duos porcos, & uxori tuæ ac filiis curam committe ; ſingulis [annis] unum porcum mihi præſenta, & bene tibi erit. Fecit vir ille, ut ſibi in viſu dictum fuerat, & ita invenit. Dubitans autem, ne pecunia alicujus eſſet, per prædicatorem proclamare fecit, ſi aliquis pecuniam amiſiſſet, ſignum daret, & ſibi reſtitueret. Quia nullus comparuit, domum rediit, & emptis porcis, in tantum dives effectus eſt, quod homines omnes terræ illius in divitiis ſuperavit ; omni quoque anno porcum unum beato Jacobo perſonaliter ducebat, gratias agens Deo & Sancto ſuo.

XXIII. *& paupertate conſtitutos*

F

30 Juvenis quidam de Fulginio injuſtè incarceratus pro furto à ſe non commiſſo ; ſed tamen per tormenta confeſſus, ad ſuſpendium eſt damnatus, quibuſdam de Peruſio hoc operantibus, ubi detentus erat. Vovit ſe beato Jacobo, quod ſi per merita ſua liberaretur, vigiliam ſuam in pane & aqua jejunaret, ſuumque viſitaret ſepulcrum, ibique ſua deponeret veſtimenta, atque novum aſſumeret habitum per annum, & ipſi eccleſiæ beati Jacobi tantum tempus deſerviret. Nocte quippe diem præcedente, quo eum producturus erat prætor ad ſuſpendium, apparuit ei beatus Jacobus dicens : Tu & alii, qui pro maleficio & debitis incarcerati eſtis, inopes tamen & ſolvere non valentes, carcerem frangendo fugiatis, quando rumorem & ſeditionem populi ſentietis ; quia amore tui pro prædictis omnibus gratiam obtinui, & pro illis ſupplicium, qui tuæ damnationis fomes & cauſa exſtiterunt.

XXIV. *aut carceri incluſos*

31 Hoc dicto, diſparuit ; & ille viſionem omni-

interceſſione ſua fuerit.

EX MS. omnibus indicavit. Facta igitur manè seditione, carceres fregerunt, & circa triginta liberati sunt. Illi autem, qui injustæ damnationis causa exstiterunt, in eadem seditione omnes crudeliter trucidati sunt. Duo autem Florentini, qui in eodem carcere pro debitis erant, numquam exire potuerunt; quoniam habebant, unde creditoribus satisfacere possent. Liberati ergo de carcere omnes cum Fulginate Mevaniam venerunt ad sepulcrum beati Jacobi, Deo & Sancto suo gratias agentes, & miraculum omnibus enarrantes.

ANNOTATA.

a *Etsi* B. Jacobus *hîc æquivoca locutione usus fuerit, tamen non opinamur, illum tam facilè de mendacio accusandum esse à doctis theologis, quam ab indocta muliere, quæ ex simplicitate existimabat, filium suum hac in re mentitum fuisse: nam forsan Beatus id bona fide dixit.*

b *In Commentario prævio num.* 43 *R. P. Meniconius nos docuit, quo tempore ampulla ista vitrea perierit.*

B c *Jam sæpe laudatus Jacobillus cap.* 14 *Vitæ Italicæ, sive pag.* 49 *diserte scribit,* B. Jacobum *in Octava Virginis assumptæ, seu die* XXII *Augusti ad Superos migrasse. Plerique biographi consentiunt circa eumdem mortis diem, quo olim celebrabatur annua ejus festivitas, quæ postmodum decreto sacræ Rituum Congregationis ad diem sequentem dilata est, ut ex num.* 15 *Commentarii prævii patet. Præterea Jacobillus cap.* 13 *ejusdem Vitæ Italicæ ex Camasseo jam retulerat, Beatum ipso festo Deiparæ Virginis assumtæ in morbum incidisse, & tunc ei apparuisse Sanctos illos, qui promiserunt, se* octava die *redituros, ut illum ad æternam gloriam deducerent. Unde suspicamur, in hoc Taëgii textu vocem* octava *forsan desiderari, & illam periodum sic legendam esse:* Requievit in Domino, anno Domini MCCCI, in die OCTAVA Assumptionis beatæ Virginis.

d *In Commentario prævio ad Acta S. Dominici, quæ ad diem* 4 *Augusti illustravimus,* § 18 *Ordinem sancti Dominici de Pœnitentia deteximus, ejusque originem assignare conati sumus.*

C e *Quamvis hæc Joanna vocetur à Taëgio* sancta, *& dicatur coli in Urbe-Veteri, tamen eam die* XXIII *Julii inter Prætermissos collocavimus propter oculatum testimonium Janningi nostri, qui anno* 1700 *in ipsa Urbe-Veteri legitimum illius cultum indagavit, & sufficientem non invenit, ut tomo* V *Julii pag.* 326 *diximus.*

f Tarta *est species placentæ, ut plures Europæ nationes ex vernacula sua lingua satis intelligunt.*

g *Taëgius verosimiliter diem sepulturæ cum die mortis confudit, ut ex supradictis ad litteram* c *colligitur.*

h *Taëgius hîc loquitur de suo tempore: nam postea sacrum* B. Jacobi *corpus adhuc bis translatum est, ut num.* 38 *&* 39 *Commentarii prævii monuimus.*

i Bracale *&* bracarium *vel* bracheriolum, *est cingulum vel herniæ vinculum, sicut ex tomo* 3 *Junii nostri pag.* 661 *novissimum Cangii Glossarium ad has voces colligit.*

k *Videtur R. P. Meniconius hoc duplex miraculum recentioribus beneficiis obiter immiscuisse, dum num.* 47 *Commentarii prævii illud indicat his paucis verbis:* Bis in aquis defunctum Valerium vivis restituit; semel cum puer esset annorum quatuor; iterum cum adolevisset, nec promissis, ut par erat, satisfecissent parentes ejus. *Si quis identitati hujus miraculi opponat, quod ille bis aquis ereptus hîc à Taëgio* Nerius de Mevania, *& superiùs ab Antonino Meniconio* Valerius *appelletur, non improbabiliter respondebimus, oscitantiâ amanuensis alterutram illam vocem luxatam fuisse, vel istum Beati clientem postea nomen suum mutasse, quando Ordinem Prædicatorum ingressus est.*

l *Cùm hoc loco desit ablativus absolutus, constructio mendosa est. Sed vitiosas hujusmodi periodos alibi annotare non volui, dummodo sensus utcumque intelligatur.*

D

ACTA BREVIORA

auctore Bartholomæo Mortario Dominicano.

E

Ex Opere Leandri Alberti de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum, quod anno 1517 *Bononiæ impressum est, folio* 227 *verso & sequentibus.*

Hic Beatus non sine præviis prodigiis nascitur Mevaniæ,

MEvania civitas est, uti plerique tradunt, Hetruriæ, ut alii malunt, Umbriæ *a*. In hac, præclara fuit quondam Blancorum *b* familia, de qua prognatus est illustris vir Jacobus, cujus egregia facta & insignes animi dotes paucis enarrare aggredimur. Hic namque pro vitæ sanctitate is fuit, qui debito fraudatus honore videri possit, si non & ipse hoc insignium pietate virorum in albo conscriptus fuerit. Quo itaque tempore Vir iste sanctissimus in lucem editus est, mira cælo terraque prodigia claruere. Namque ea nocte, qua natus est, tres lunæ (mira res, atque rarissima) cælo apparuere, continentes quæque imaginem viri in veste Prædicatoria, quæ etiam illucescente die, soleque jam clarius coruscante, magis ac magis elucescebant. Jacobo recèns nato, puer quidam visus est civitatem omnem percurrere illud identidem proclamando, AD SCHOLAS, AD SCHOLAS. Rogatus ille, quidnam hic sibi sermo vellet; Nati sunt, inquit, præceptores, quos mundus quærat audire. Siquidem sub eisdem ferme diebus *c* nati fuerunt splendidissimum Ecclesiæ jubar divus Thomas Aquinas, clarissimus vir Ambrosius Senensis, & tertius hic sanctissimus Jacobus, prædicatorii Ordinis omnes. Vidit & quispiam ea nocte terram omnem in modum veteris rubi flammis ardescere, neque tamen aduri. Andreas sanctissimi Viri frater vidit (ut fit) per quietem matrem peperisse puerum sub habitu Prædicatorio, cujus doctrina plurimam mortalium turbam ad sese corrogabat. Hæc cum genitrici exposuisset, paucis interjectis diebus, vidit & ipsa idem, & rem viro manifestavit.

F

a

b

c

& Ordinem Prædicatorum amplexus,

2 Puer itaque natus bonisque moribus & literis institutus, cum jam sextum & decimum ætatis annum explesset, fortè fortuna ad eam civitatem venere duo ex Ordine Prædicatorio viri memora-

memorabiles, ſacro Quadrageſimæ tempore divini verbi gratiâ. Hos itaque ſanctus puer cœpit ſedulo proſequi, eorum doctrinâ delectari, ſalutaria monita animo complecti, & re ipſa implere: quibus & errata ſua de more ſyncero animo fatebatur. Proinde cum ſacro Cœnæ dominicæ die ſacroſancto noſtri ſoſpitatoris Corpus & ſanguinem piè ſumpſiſſet, & Pſalmorum libro fortè ad legendum aperto, ad illud oculos conjeciſſet: Legem pone mihi, Domine, viam juſtificationum tuarum, confeſtim divino Spiritu afflatus, alterum è duobus antedictis, cui nomen Petrus, conveniens; Monuit, inquit, me Deus omnipotens, ut ſpreta ſeculi vanitate, Ordini tuo me addicam. Suaſit providus vir ſancto Adoleſcenti, uti nocte inſequenti precibus vacans, & die pane tantùm & aqua veſcens, attenderet, ſiquid denuo ſuper ea re Dominus indicare dignaretur: qua nocte, ecce repentè viſus eſt Adoleſcenti ſanctiſſimus Prædicatoriæ familiæ pater Dominicus. Conſulens uti, quod Deo auctore cogitarat, opere expleret. Et ego, inquiens, nuſquam tibi ſum defuturus. Quod ubi eidem Petro expoſuiſſet, rogabat obnixè, ut implendo voto auxilio ſibi & conſilio eſſet. Actis itaque Paſchalibus feſtis, pius Adoleſcens divi Benedicti æmulatus exemplum, parentibus & neceſſariis rem prorſus ignorantibus, cum prædictis viris unà Spoletum *d* proximam civitatem adveniens eidem Prædicatorio cœtui addictus eſt. Parentes autem ipſi, cum diu laboraſſent, uti à pio illum propoſito revocarent, nequidquam conati ſunt; quin magis cœpit Juvenis virtutum ingredi viam, mundana omnia forti animo proculcare, umbratilem hanc ſeculi gloriam nihili facere; adverſa quæque & ſanctæ religionis aſperitatem, invictis animi viribus tolerare, piis precibus & divinorum ſpeculationi ſedulò inſiſtere.

ibidem cœnobium ſui Ordinis ædificat, e

3 Interjectis itaque aliquot annis, quibus & ſacris litteris & virtutibus ſtrenuè operam dedit, ad id animum adjecit, ſiquo modo poſſet in civitate propria Ordini ſuo domum erigere. Modicâ igitur pecuniolâ *e*, tum à matre tum ab amicis Dei intuitu corrogatâ, domunculam anguſtam admodum, & eam optimatum aliquot ædibus hærentem coëmit. Rogantibus nonnullis, ut quid eo loco domum ſibi paraſſet, quo nulla ſpes eſſet eam ulterius protendendi, confeſtim divina ſpe nixus; Potens, inquit, eſt Deus, qui Prædicatorium Ordinem à mari ad uſque mare diffudit, & domunculam hanc latiùs extendere. Non poſt multos itaque dies ejus rogatu eccleſiola quædam cum appendicibus unà in ea civitate eidem Ordini dono data eſt. Cœpit itaque Vir ſanctus rem noviter curare, & amplæ eccleſiæ ſub invocatione divi Georgii, ac ædium pro Prædicatoribus ipſis fundamenta jecit. Inſtitit operi Vir ſtrenuus, & inter hæc mira quædam geſſit, quæ hominem clariſſimum reddiderunt, & concivibus admirandum. Vinum pro artificibus neceſſarium bis mirum in modum augeri precibus impetravit à Domino. Panem quoque ad uſum eumdem, eodem uſus conſilio comparavit. Sub eodem tempore matrona quædam, viro defuncto, ſacrarum virginum ædes ſub titulo divæ Luciæ hujus Viri conſilio extruxit. Quibus ſeſe occludens, adjunctis & aliis mulieribus multis, ſub divi Benedicti cultu ſanctiſſimè vixit.

magnâque prudentiâ, ac eruditione præditus,

4 Fuit præterea Vir iſte jucundus, admodum comis, animo ſemper hilaris & ſalibus abundans. Viro cuidam agreſti, qui hoſpitio eum ſuſcepe-rat, roganti modum, quo nati focum ſtipatim circumſedentes adventanti cuipiam, vel patri vel hoſpiti cederent, Affer, inquit, aliquot lignorum faſces, quos allatos juſſit foco imponi, flammâque ita latius auctâ, proripuere ſubitò ſeſe longius pueri. Sperabat vir rudis grande quiddam & divinum opus videre; At, inquit Vir ſanctus, ubi ingenio ſatis eſt, non ſunt expectanda miracula; & ſumpto hinc argumento rudem hominem alioſque illius ſimiles divina quædam & ſalutaria, ut ſeſe dedit occaſio, docuit. Cum juvenilem etiamdum ageret ætatem, juveni cuidam de arbore lapſo, membriſque omnibus comminuto, fuſis ad Deum precibus, ſubitariam plenamque reddidit ſoſpitatem: claruit inſuper ſanctus hic Vir ſacris Litteris & doctrina. Quam cùm frequentibus concionibus tum præclaris ſcriptis oſtendit. Hæreſem quamdam contra fidei veritatem in ea civitate Mevaniæ inſurgentem extinxit. Pluribus ſui Ordinis domibus præfuit; jejuniis, & abſtinentiis corpus macerabat aſſiduis: ſune, cilicio, flagellis, & id genus aſperrimis cultibus utens, carnem ſpiritûs imperio ſubdebat. Cibus illi vilis fuit & inelaboratus: mos Viro fuerat ſacro Veneris die pane tantùm & aqua veſci.

infuper miraculis claruit.

5 Fratrem ſuum, cujus ſupra meminimus, infuſis ad Deum precibus, carcere & vinculis exemit. Beneficium idem & alteri cuipiam præſtitit apud Tudertum. Abdita prorſus & occulta cordium, ſancto Spiritu edocente, cognovit, uti & Mevaniæ & alio quodam vicino oppido apertè monſtratum eſt. Eo ſingulari munere præditum conſtat, ut è ſublimi quopiam loco ruentes, ſancti Viri ſuffragio vel nil paterentur mali, vel ſiquid paſſi fuiſſent, celerem acquirerent ſoſpitatem. Teſtari hæc potuit Mauritius quidam Lombardus, Matthæus Bononienſis, & alii complures in ipſa Mevanienſi civitate, qui eam hominis virtutem ſenſere. Compertum eſt frequentius, oleum à Viro ſanctiſſimo benedictum, aquam item ablutionis ſanctarum mannum, neque non vinum vel aquam, quæ Viro ſacra peragenti ſuperfuiſſent, ægritudines plurimas & eas graves propéque deſperatas illico curaſſe. Vir iſte per omnia prædicandus, pecunias à matre aliquando parandarum ſibi veſtium gratiâ datas, in excidendam noſtri Soſpitatoris Crucifixi ſtatuam impendit, querenti matri, quod ſibi mentitus eſſet, Et Chriſtus, inquit, veſtis eſt, ut Paulus teſtatur Apoſtolus, qui ait: Induimini Dominum Jeſum Chriſtum. Simile quiddam alio tempore fecit de imagine ſanctæ Virginis, quæ, uti tradunt, hodieque in ipſa divi Georgii eccleſia viſitur.

De ſalute ſua certior factus,

6 Optabat aliquando noſſe, an & ipſe ex eorum numero futurus eſſet, qui pollicita in cælis felicitate potituri eſſent. Qua de re cum enixiſſimas ad Deum preces fudiſſet, prædicta Salvatoris imago, coram qua procumbens orabat, edita voce; Sanguis, ait, iſte ſit tibi in ſignum. Mira res & cuique vel ethnico ſtupeſcenda! Continuò proſiliit de loquentis latere ſanguis, quo & facie & veſte inſperſus eſt orans, quique nulla potuit, niſi longo temporis ſpatio, dilutione deleri. Ejus inſuper ſanguinis guttulæ aliquot in ejus labra defluxere, quibus ita edulcatus eſt ejus animus, ut ex ea die ſemper optarit diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Propinquante demum tempore, quo carni concedere debuiſſet, viſus eſt illi apertè Redemptor noſter Jeſus, cum Virgine matre unà divoque Dominico ac divo martyre Georgio, jubens & invitans, uti ad promiſſam illam cæle-

EX EDITIS. cæleſtem felicitatem intra diem octavum capeſcendam ſe compararet, pollicitus inſuper affuturum ſeſe cum eodem comitatu, in ipſo mortis diſcrimine. Quo nuntio accepto, quam fuerit ejus animus exhilaratus, non facilè dixerim.

aquâ in vinum converſâ, piè moritur,

7 Octavo itaque die cum jam mortis confinibus proximus fieret, ſacro, ut eſt moris, oleo perunctus circumſtantibus plurimis cùm religioſis tum ſecularibus, qui ſalutandi hominis gratiâ frequentes aderant, aquam allatam è puteo cruciſque ſigillo ſignatam in nigrum vinum, & optimum illud quidem, vel tertiò convertit, ex quo & jacens ipſe, & aſtantes omnes bibêre. Sed hora tandem extrema adventante, ecce ſubitò viſus eſt illi juxta promiſſum, Dominus Jeſus cum cæli Regina, diviſque Dominico ac Georgio; quos ut vidit, gratias illis dicens, tanto perfuſus eſt gaudio, ut mirarentur qui aderant omnes. Hortatis itaque filiis ac fratribus, ut mutuam charitatem ſedulò tenerent, ut precibus frequenter inſiſterent, ut animi humilitatem nuſquam deſererent, ſanctiſſimè Deo ſpiritum reddidit.

B *cujus ſanctitas declaratur cæleſti voce, & corporis integritate,*

8 Cumque, ut noſtri moris eſt, Fratres omnes mœrentes aſtarent, patris animam Altiſſimo commendantes, ſubita vox (incertum unde) inſonuit: Nolite Deum pro Viro hoc ſancto rogare; ſed magis pro vobis illum rogate. Eo autem die, quo carne ſolutus eſt, viſus eſt apertò & manifeſtò matronæ cuidam apud Urbem-Veterem. Cujus & ipſa die delictorum confeſſionem in ea civitate audivit, & evidentiſſimo ſigno comprobatum eſt, eum ipſum ibi apparuiſſe. Fuit autem felix illa dies, qua animam fudit, ea ipſa, qua & ſanctiſſima Virgo Deipara cæleſtia regna conſcendit *f*; annus vero tunc agebatur ab ejuſdem Virginis felici partu ſupra milleſimum & trecenteſimum primus. Poſt aliquot verò menſes cum ſacrum corpus è terra, ubi defoſſum primò jacuerat, levatum eſſet, integrum adeo & incorruptum apparuit, acſi vel ante horam ſepultum fuiſſet. Cujus rei tot penè fuere teſtes, quot habuit homines civitas ipſa Mevanienſis. Levatum itaque, parvo ſepulchro marmoreo conditum eſt; quod Deus optimus plures jam annos evidenti miraculo Servo ſuo pararat.

f

C *multiſque miraculis,*

9 Oſtendit autem pientiſſimus Deus, quanti apud ſe meriti fuiſſet ſanctiſſimus vir Jacobus, miraculis quamplurimis & ſtupendis operibus, cùm ad ejus ſepulchrum, tùm ad aliam quamvis ejus invocationem mirifice factis. Singulari verò privilegio donatus probatur, ut ramicoſi quicumque, ſive, ut vulgò dicunt, hernioſi ejus meritis opem ſibi cælitus adeſſe ſentirent. Ex eorum verò prodigiorum innumerabili propemodum numero, quibus Deus omnipotens Sancti ſui ſanctiſſimam ſanctitatem teſtatus eſt, pauca ſummatim adſcribere libuit, pro ejus gloria & laude, qui in Sanctis ſuis ſemper eſt mirabilis. Vir quidam divi Jacobi conterraneus filium, quem unicum habuit, ſecundò ſub molendinarias molas rapido flumine merſum, ejus meritis & oratu ſoſpitem ſecundò recepit. Quem poſtea in rei memoriam Ordini Prædicatorio addixit. Aliud quidam penitus ſimile *g* in ea ipſa Mevanienſi civitate ſanctiſſimi Viri interventu, alio tempore Deus optimus fecit.

g

quæ Deus per interceſſionem ejus patravit.

10 Viri ſancti præſidio, matrona quæpiam ſimul cum parvulo filio è villa rediens ab fero luporum incurſu tuta fuit. Ovium gregem noctu abſque cuſtode in ſylva vagantem ab lupis quatuor impetitum, integro numero paſtor recepit. D Coorta aliquando in vicino Mevaniæ oppido, quot Gualdum *h* appellant, ſeditione, fortè juvenis quidam ſagitta in guttere ictus eſt, quo vulnere accepto intra vel duas horas morti conceſſit. Cum itaque defuncti mater beatum Jacobum ex intimo cordis affectu invocaſſet, illico revixit, qui mortuus fuerat, dixitque vitæ ſe reſtitutum ſuffragio viri cujuſdam ex Ordine Prædicatorio, moxque viſi ſunt in ea domo, ubi hæc agebantur, duo viri ex Ordine eodem, qui juvenem matri incolumem reddidere; ipſique iidem eò profecti, ubi ſæviebat animis ignobile vulgus, tumultum illum omnem compoſuerunt, & nuſquam dehinc viſi ſunt. Vir quidam inopiâ laborans adeo, ut relicta uxore ac filiis, ultima deſperatione ductus erronem agere propoſuiſſet, Sancti hujus invocato ſuffragio, ſubitò dives adeo evaſit, ut omnem de cetero vitam cum omni familia & copiosè & honoratè viveret. Juvenis quiſpiam Fulginas immerenter damnatus, ad ſuſpendium urgebatur; is cum ſeſe Viro ſancto devoviſſet, non ipſe modo, ſed & alii complures, qui cum eo cuſtodiebantur, confeſtim li- E bertati ſunt reſtituti *i*. Poſſent nihilominus alia non parum multa, quæ ſanctiſſimus vir Jacobus mirificè geſſit, longo ſermone narrari, ſed paucula hæc in præſens attigiſſe ſat fuerit, in ejus laudem, cujus numquam abbreviata eſt manus, cui laus & gloria debetur in ſecula ſempiterna.

h

i

ANNOTATA.

a *Mevania collocari poteſt in Hetruria latiſſimè ſumpta, quo ſenſu Iſidorus lib. 9 Etymologiarum ſcripſit*, Tuſciam Italiæ partem eſſe, Umbriam Tuſciæ *vel Hetruriæ, ſicuti Leander Albertus in Deſcriptione totius Italiæ apud nos pag.* 130 *teſtatur. Sed ea civitas jam paſſim diſtinctiùs Umbriæ adſcribitur.*

b *Ab hac nobili familia* Blancorum, *vernaculè* de' Bianconi *dicta, Beatus noſter interdum* de Blanconibus *cognominatur.*

c *Beatus hodiernus & ſanctus Thomas Aquinas non poſſunt verè dici* ſub eiſdem fermè diebus nati, *cum ne quidem iiſdem ferè annis nati fuerint, ut ad Acta priora rurſus annotavimus.*

d *Hinc etiam evertitur opinio Jacobilli, qui cap.* 3 *Vitæ Italicæ aſſerit, eo tempore* B. Jacobum *cum duobus iſtis Religioſis Peruſium diſceſſiſſe, & ibi habitu Ordinis Prædicatorum indutum eſſe.* F

e *Etiam ex hac* modica pecuniola *refellitur idem Jacobillus, qui cap.* 7 *memoratæ Vitæ innuit, Beatum tunc à matre & conſanguineis* bonam *ſeu grandem nummorum copiam accepiſſe.*

f *Mortarius hoc loco ſecutus eſt Taëgium veroſimiliter errantem, ſicut in annotatis ad caput ſecundum Vitæ prioris litterâ* c *fuſiùs obſervavimus.*

g *Cum Mortarius poſt miraculum præcedens affirmatè dicat*, aliud quiddam penitus ſimile *Mevaniæ* alio tempore *contigiſſe, fieri poteſt, ut hoc miraculum ſit duplicandum. Quapropter illa, quæ in annotatis ad caput ſecundum præcedentium Actorum litterâ* k *ad probandam ſimilis miraculi identitatem de confuſo vel mutato* Nerii *&* Valerii *nomine reſpondimus, pro dubio dumtaxat vel conjectura accipi volumus, eo quod abſque ſolidis argumentis miracula multiplicare non audeamus.*

h *Gual-*

A h *Gualdum, vernaculè* Gualdo, *eſt caſtrum Italiæ in Marchia Anconitana, ſitum ad radices Apennini montis in ipſo limite Umbriæ, quemadmodum Baudrandus tomo* 1 *Geographiæ pag.* 453 *ex Jacobillo refert.*

i *Pleraque in hoc Vitæ compendio breviter narrata ex Actis prioribus lucem accipiunt, ita ut hæc Actorum ſynopſis ſuperflua videri poſſit. Attamen eam recudimus, eo quòd, cùm Mortarius ſit Taëgio coævus, Acta præcedentia ex hoc compendio confirmentur, & interdum illuſtrentur, ut curioſus lector haud difficulter obſervabit.* EX EDITIS.

DE B. BARTHOLOMÆO A FORESTO

ORDINIS SERVORUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS CONVERSO,

BRIXIÆ IN INSUBRIA ITALIÆ,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. P.

Cultus, elogium, Vita, annus mortis.

B E

AN. MCDLXXXIX. *Variæ dantur rationes,*

BRixia *ſufficienter apud nos deſcripta eſt ad diem* XV *Februarii, occaſione fratrum duorum ac martyrum Fauſtini & Jovitæ ibidem paſſorum, ac proinde eò lectorem mittimus. In hac autem civitate, poſt vitam piiſſimè tranſactam, diem clauſit extremum, tranſmiſſo ad poſteros odore ſanctitatis,* B. Bartholomæus à Foreſto, *ita vocatus à natali ſolo. Dum in hujus Viri notitiam incidimus, dubii hæſimus, an inter alios hujus diei Cælicolas ipſi locum daremus: donec tandem poſt deliberationem maturam, hunc ei dandum judicavimus. Quamquam enim in nullis Faſtis ſacris, quantùm videre nobis licuit, nomen illius inſcriptum invenerimus; alia tamen ſunt varia, quæ, ſi ſimul jungantur, videntur nobis ſufficere, ut, ſalvo Urbani PP. VIII famoſo decreto, tamquam beatus haberi poſſit, & à nobis proponi tamquam talis, cultum utpote publicum meritus, & conſecutus poſt ſuam mortem, ut conficitur ex ſequentibus, quæ ex ejus Vita*

C *Latina, quam infrà dabimus, deprompta ſunt.*

quibus ſuadetur publicus ejus cultus:

2 *Etenim primò,* Oſſa ejus in arca lignea condita non ceſſarunt populi Brixienſes continuò venerari. *Secundò, hanc venerationem publicam tabulis, votorum ſignis ſeu anathematibus, & imaginibus eidem appenſis teſtatam & confirmatam eſſe voluerunt:* Cùm multas ſibi ex ejus meritis gratias comparaſſent, quemadmodum appenſa eidem tabularum, & votorum ſigna, & imagines temporis vetuſtate conſumptæ declararunt. *Tertiò, corpus ejus fuit tranſlatum, & honorificè reconditum. Quartò,* Vix tertius *tranſibat* menſis ab ejus depoſitione; *cùm F. Alexander de Brixia gravi herniæ morbo, & ſummis inde doloribus laborans, opem* B. Bartholomæi *implorat, duplex facit votum,* & CONTINUÒ *ſanitatem* impetravit; *quæ pluribus ibidem narrata licet videre. Quintò, idem Alexander ex voto obtulit & appoſuit Beati imaginem,* quæ adhuc ibi SPLENDORIBUS CIRCUMFUSA cernitur. *Sextò, alius Frater moribundus ex gravi morbo, & humani omnis ſubſidii exſpes, reſtitutam ſibi valetudinem Beati meritis teſtatam voluit, dum* vota & monumenta in ſpeciali tabula ad ejus tumulum perſolvit. *Hæc ſunt, quæ è Vitæ Latinæ auctore ſeu collectore deprompſimus, quæque omnino ſufficere judicamus, ut* Bartholomæus *cum titulo* beati *accenſeatur aliis hujus diei Cælitibus.*

laudatur ab auctore Sacræ vineæ Bergomenſis:

3 *En tibi nunc elogium ejus è Sacra vinea Bergomenſi, quam collegit, ac typis vulgavit Bartholomæus de Peregrinis, parte* 2, *cap.* 88, *fol.* 35 *verſo, in hæc verba:* Laboravit etiam in hac vinea beatus Bartholomæus, ex nobili Foreſtorum familia natus, civis Bergomenſis, humilis ſervus Jeſu Chriſti, & Matris ejus Virginis Mariæ: qui eodem anno, quo Fratres Ordinis Servorum Virginis Mariæ in monaſterio S. Gotardi ingreſſi fuerant, & ipſe ingreſſus eſt, & hunc habitum cum magno fervore ſuſcepit in die S. Bartholomæi videlicet XXIV Auguſti, & in officio coqui converſatus, triginta & tres annos ſanctiſſimè vixit, vigiliis, abſtinentiis, orationibus, contemplationibus, laboribus, diſciplinis, & miraculis uſque ad mortem, videlicet à præfato anno MCDL, uſque ad annum MCDLXXXIII; quo anno, die XXIII Auguſti apud Brixiam, in conventu S. Alexandri ſui Ordinis, in pace quievit, & ibi in dicta eccleſia ſepultus eſt clarens miraculis uſque in hodiernum diem. Hæc F ex ejus Vita, ſcripta in præfato libro cap. 7. *Citaverat proximè Bartholomæus de Peregrinis libri* 5 *De antiquitatibus, & geſtis Divorum Bergomenſium caput ſeptimum, quem librum à ſe conſcriptum fuiſſe indicat in Proœmio ad partem ſecundam Vineæ ſuæ ſuprà citatam, fol.* 16.

biographi:

4 *Vitam* B. Bartholomæi *in lucem dedit Italicè inter alias Beatorum ac Vitæ ſanctitate venerabilium, Marius Mutius parte* 2 *ſuæ Hiſtoriæ ſacræ, typis Bergomenſibus excuſæ anno* 1614; *in cujus editione anni* 1621 *eadem Vita eſt contracta, & habetur parte* 2 *pag.* 246: *utramque nos hîc citabimus, ita tamen, ut prælo commiſſuri ſimus Vitam Latinam, majoris utpote auctoritatis, quæ exſtat in Annalibus ſacri Ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, anno* 1618 *Florentiæ editis, auctore F. Archangelo Gianio, centuriæ tertiæ libro* 4, *cap.* 8, *fol.* 214; *majoris, inquam, auctoritatis: nam ad illud, quod de Beati* humili ruſticaque proſapia, *è qua genitus dicitur in iſta Vita, ſcribuntur ſequentia in annotatione ad dictum caput:* Quidquid Pocciantius (*de quo erat actum in Præfa-*

AUCTORE J. P.

tione laudatis Annalibus præfixa) & alii de hoc Beato; compertissimum habet author tum ex lib. 5, cap. 7 De antiquitatibus & gestis Divorum Bergomensium; tum ex variis monumentis Conventûs Brixiæ, id omne, quod de B. Bartholomæo oculata fide refert. *Non itaque secundum ea, quæ refert auctor ille*, B. Bartholomæus ex nobili Forestorum familia natus, *non* civis Bergomensis *propriè loquendo fuit, uti suprà dicebat Vineæ Bergomensis scriptor; sed ex territorio diœcesis Bergomensis. Nec opus est plura præfari: nam quæ supersunt, dabuntur in Annotatis, si exceperis tempus mortis, quo Beatus ad meliorem migravit vitam, de quo aliquid hoc loco dicendum videtur.*

non idem apud eos annus mortis signatur

5 *Auctor Vineæ scribebat eum vixisse in Religiosæ vitæ instituto annis triginta tribus, ab anno videlicet* 1450, *usque ad annum* 1483, *quo ejus obitum innectit: eumdem mortis annum signat Marius Mutius in utraque editione. Ab his discrepat Vita in allegatis Annalibus vulgata: nam ibi dicitur Religiosâ tunicâ indutus anno* 1456, & anno trigesimo tertio, ex quo institutum Servorum fuerat aggressus, ad cælum glorioſè contendisse, *adeoque anno Christi* 1489; *sub quo Vita ipsius ibidem etiam describitur, videlicet postquam fuerat actum de Capitulo Mantuano, quod eodem anno habitum notatur. Nos, Annalium istorum conditorem secuti, Viri Beati obitum superiùs etiam alligavimus anno* 1489, *cùm credere par sit, eum plus aliquid de hac re videre potuisse in* variis monumentis conventûs Brixiensis, *quæ paullo antè allegasse ipsum vidimus, quàm alii.*

B

VITA

Auctore F. Archangelo Gianio, Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis, ex Annalibus ejusdem Ordinis centuriâ 3, *lib.* 4, *cap.* 8, *fol.* 214.

C

Beati patria, pater, educatio, ingressus in Ordinem:

ADveniente interim *a* die XXIII Augusti, B. Bartholomæus à vico Foresto, Brixiæ extremum diem solvit. Cujus sanè humilitas cælestem in terris sibi comparavit gloriam. Si enim patriam, si parentes, si habitum, mores, & singula ejus spectemus gesta, admirabile quoddam, & recolendæ imitandæque vitæ nobilissimum nobis occurrit exemplar. Hic igitur ex humili, rusticâque prosapiâ *b* in agro Foresto Vallis Calepii *c* diœcesis & comitatûs Bergomi, Geminium nomine de Salvodeis agricolam genitorem habuit, quo duce primùm in Dei timore educatus, à teneris annis specimen futuræ probitatis in sancta conversatione de se præclarè exhibuit. Cumque ad ætatem virilem ea in simplicitate perseverasset, maximo tandem B. V. inserviendi, & ejus Religiosis famulandi desiderio accensus, Bergomi summa cum humilitate, & devotione MCDLVI *d* in festo S. Bartholomæi Apostoli, cui semper addictus fuerat, Commissorum *e* tunicâ tantùm induitur, & ad viliora domûs servitia deputatur.

a

b

c

d

e

in vilibus ejusdem officiis

2 Unde ferunt, triginta & tres annos Brixiæ in iis, quæ ad coquinam spectant, continuò præoccupatum fuisse; quo in munere adeo se gessit, ut numquam diurnas nocturnasque preces, & regularia Ordinis instituta vel tantillùm prætermiserit, quin semper in Religioso suæ professionis proposito perseveraret, jejuniis, & corporis afflictationi assiduè vacans. Quare cùm aliquando à fratribus increparetur, quòd nimius in oratione proprium officium negligeret, & dapes hora competenti in coquina nequaquam pararentur, Bartholomæus humilibus verbis respondebat: Ne sitis, quæso, patres mei, obsecro vos per D. Jesum Christum, tam solliciti de prandio & cœna, quandoquidèm ad horam sunt omnia opportunè parata. D

adjuvatur

3 Iis verò abscedentibus, adveniente hora prandii, rei eventus probabat Famulum Dei vera dixisse. Quare invulgata est per urbem fama, quòd angeli Dei, qui olim Christo ministraverant in deserto, Bartholomæo, dum totus orationi vacaret, officium exercerent coquinæ. De purgandis similiter tergendisque vasis idem prædicatum, dum quidam minùs creduli eum objurgantes dicerent, Heu, Bartholomæe, hora hæc lavandi vasa coquinæ, non orandi munus expostulat. Quibus illico ostendebat singula diligentissimè purgata. Audivimus Brixiæ à nonnullis senioribus, qui se ab aliis jugiter senioribus accepisse affirmabant, quòd instante aliquando hora prandii, fracto lebete, & dapibus irreparabiliter effusis, Bartholomæus oratione præmissa per angelorum ministerium fratres perinde reficiebat, ac si nihil accidisset, & omnibus absque ullo scandalo vel mora satisfaciebat. Ita enim occurrit Deus diligentibus se, qui docuit primùm quærere regnum Dei, & omnia demum indigentibus abunde suppetere. E

ab angelis: morbus, ac mors:

4 Hujusmodi igitur humilitatis, & devotionis B. Bartholomæi faventibus sæpe reficiebantur Brixiani patres. Unde contentio illa exorta inter scriptores, num Bartholomæus iste de Brixia, an de Bergamo censendus sit, cum ab altero naturalem, ab altero verò loco cælibem vitam assecutus fuerit. Nam Brixiæ, ubi diu transegerat annos, octavo Idus Augusti, In Transfiguratione Domini, citò ad gloriam perrecturus ægrotare cœpit, & morbo quotidie ingravescente, quâ die B. P. N. Philippus *f* excessisset, cujus iste vestigia humilitatis imitatus fuerat, XXIII Augusti in vigilia sancti sui tutelaris Bartholomæi Apostoli, anno XXXIII, ex quo institutum Servorum fuerat aggressus, ad cælum glorioſè contendit.

f

F

veneratio ejus publica, corporis translatio,

5 Ossa ejus in arca lignea condita non cessarunt populi Brixienses continuò venerari, cùm multas sibi ex ejus meritis gratias comparassent, quemadmodùm appensa eidem tabularum, & votorum signa, & imagines, temporis vetustate consumptæ, declararunt: donec inde propriis manibus cujusdam F. Bartholomæi Conversi de Salcio translata in sacellum illud B. V., quod vulgò dicitur LA MADONNINA *g*, F. Lucretius Prior honorificè alia in arca recondi curavit, ubi hactenus jacent. Porrò vix tertius transigebat * mensis ab ejus depositione, quando de casu accidit, ut quidam F. Alexander de Brixia herniæ morbo graviter laboraret, & diris inde doloribus vexaretur.

g

* *f.* transigebatur

sanatio meritis ejus impetrata,

6 Cumque B. Bartholomæi innocentiam, & sanctitatis merita experimento didicisset, ad ejus intercessionem conversus votum vovit, se ejus vigiliam perpetuò jejunaturum, quin & ejus imaginem ad prototypum ipsius cum ferro suæ infirmitatis oblaturum, si ex ea infirmitate, per ipsius intercessionem convalesceret; quod & continuò

A tinuò impetravit, & tantæ gratiæ monumentum, ut pollicitus fuerat, die x Novembris eodem anno appoſuit, cum ejus veneranda imagine, quæ adhuc ibi ſplendoribus circumfuſa cernitur, veram illius effigiem repræſentans, cum ſolâ Commiſſorum tunicâ & corrigiâ, in ſiniſtra defuncti calviciem geſtans, & dexterâ coronam calculorum cum lilio, reſpiciens in faciem D. N. Jeſu Chriſti extra crucem transfixi, & ex ejus ore prodeunt hæc verba quæ centies quotidie repetere conſueverat: Ecce Jeſus factus obèdiens uſque ad mortem.

elogium metricum, h

7 De hoc quoque Beato cecinit quondam Gaſparinus Venetus *h*, qui modò per D. Matthiam Nyolium jureconſultum Anglarenſem in Latinum reſtituti fuerunt, hujuſmodi verſus:

Æthere ſublimi radiantia lumina tollit
Virgo, & nitidior, quàm carmina pandere poſſint,
Fulget converſus Servita in veſtibus atris.
Hic tollens palmas divino afflatus amore
Promeritas juſtis laudum tribuebat honores,
Dulciſono cantu dicens encomia Regi.

B *morbus gravis ad Beati invocationem curatus.*

8 Non poſt multum verò temporis accidit Veronæ, ut quidam F. Auguſtinus, noſtri Ordinis de Locato, gravi morbo laboraret, & jam omni humano præſidio deſtitutus, ac moribundus, cum ſe B. Bartholomæo ex animo commendaſſet, brevi in priſtinam ſanitatem ejus meritis ſe reſtitutum præſentiens, Deo, & B. Bartholomæo ingentes gratias egit, & vota, ac monumenta in ſpeciali tabula ad ejus tumulum perſolvit.

ANNOTATA.

a *Digreditur auctor à narratione de capitulo Mantuano ad præſentem materiem.*

b *Non ergo fuit nobilis, uti vult auctor quidam. Vide Commentarium prævium.*

c Civis *itaque* Bergomenſis *propriè non fuit, ut idem vult auctor ibidem.*

D

d *Alii ponunt annum* 1450, *ut ibidem licet videre.*

e Commiſſi, *quales fuerint in hoc Ordine, intelligitur ex Gianio in Annalibus ad an.* 1289; qui *nimirum* tunicâ tantùm, corrigiâ, & pallio, veluti Servorum B. V. famuli, contenti, quò ſe humiliùs dejicerent, eò propiùs ad Deum accederent. Conſueverant enim patres ab initio tali indumentorum genere familiares, & qui viliora domûs munia exercerent, induere, nec niſi multos poſt annos ad integrum habitum pro ſingulorum meritis & profeſſione admittere *&c. Gangius in Gloſſario Latino* Commissi, *inquit*, apud Caſinenſes dicuntur, qui aliis Conversi. Vide Haeſtenum lib. 3 Diſquiſit. monaſt. tract. 2, diſq. 8. *Nos ſuperiùs in titulo ante Commentarium huic Vitæ prævium eum nomine magis obvio* Converſum *appellavimus.*

f *Acta ejus illuſtrata ſunt hoc die.*

g La Madonna, (*cujus nomen diminutivum,* la Madonnina) *ſignificat Italicè* Dominam noſtram, *ſeu Deiparam Virginem Mariam. Gianius in Tractatu de cœnobiis & ſacris ædibus Ordinis Servorum ad primam & ſecundam centuriam ſuorum Annalium, fol.* 174 *verſo agit de cœnobio S. Alexandri de Brixia; ac de ejuſdem cœnobii templo hæc ſcribit:* Eſt autem templum illud præcipuæ devotionis tum ob martyrium ejuſdem S. Alexandri, tum ob corpus ibidem S. Gaudentii epiſcopi Brixienſis, & B. Bartholomæi Ordinis Servorum: tum maximè ob ſacellum glorioſæ Virginis Annuntiatæ, quod populorum frequentiâ valde colitur, præſertim die ſabbati.

E

h *Hunc fuiſſe ex Ordine Servorum, conficio ex eo, quòd in fine Tractatûs modò deſignati fol.* 177 *verſo occurrat hic titulus:* R. P. M. Gaſparini Veneti in laudem olim ſui Ordinis Servorum carmen, *quod ab alio, qui ibidem nominatur,* ex Etruſco in Latinum tranſlatum *ibidem datur.*

DIES VIGESIMA QUARTA AUGUSTI.

SANCTI, QUI IX KAL. AUGUSTI COLUNTUR.

C F

S Anctus Ptolomæus, S. Romanus } epp. & MM. in Tuſcia.

S. Eutyches, diſcipulus S. Joan. Euangeliſtæ, & apoſtoli Pauli.

S. Aurea, ſeu Chryſe, virgo
S. Cenſorinus
S. Felix
S. Maximus
S. Herculinus
S. Venerius
S. Styracinus
S. Cenas
S. Commodus
} Martyres apud Oſtia Tiberina.

S. Hermes
S. Maurus
S. Euſebius
S. Ruſticus
S. Monagreus
S. Amandinus
S. Olympius
S. Cyprius
S. Theodorus tribunus
S. Sabaïnus
} Oſtia Tiberina.

SS. Martyres trecenti, ſeu Maſſa candida, Carthagine vel Uticæ in Africa.

S. Tation M. Claudiopoli in Ho-

A noriade provincia.

S. Zenobius M. ⎫
S. Capitulinus M. ⎪
S. Emerita M. ⎬ Antiochiæ.
S. Italica M. ⎪
S. Juvianus M. ⎪
S. Julius M. ⎭

S. Gregorius ⎫
S. Theodorus ⎬ confeſſores in inſula Samo vel
S. Leo ⎭ Cephalenia.

S. Irchardus ep. & conf. in Scotia.

S. Eptadius conf. apud Montem Telonum in territorio Auguſtodunenſi.

S. Patricius abbas in territorio Nivernenſi Galliæ. D

S. Rigomerus presb. & confeſ. Subligniaci apud Cenomanos in Gallia.

S. Teneſtina virgo apud Cenomanos in Gallia.

S. Dado vel Audoënus ep. Rothomagi in Normannia.

S. Gildardus presb. Luperciaci in territorio Nivernenſi Galliæ.

S. Georgius Limniota M. in tractu montis Olympi.

B. Theodericus, primus iſtius nominis abbas Andaginenſis, in Arduenna ſilva.

B E

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI.

SAncta Supporina *notatur à Caſtellano* Claromonte in Arvernia : *de qua Sancta apud nos facta eſt mentio perbrevis, occaſione S. Artemii, ob defectum notitiæ ſufficientis,* XXIV Januarii.

Mænis, plurimorum ſanctorum Martyrum, cùm Mæneninorum, tum Leontinorum, qui illuc in perſecutione Decii, & Valeriani confugerant, ſub Tertullo Siciliæ præſide, *ex Martyrologio Siculo, quod noſter Octavius Caietanus edidit in Idea operis ſui de Sanctis Siculis ; citantur autem ad marginem* Tabulæ Leontinæ, & lectiones à Paulo PP. V probatæ. *Brevior eſt Ferrarius in Novo Catalogo :* Menis in Sicilia, plurimorum Martyrum ſub Decio, *citans etiam in notis* Tab. eccleſ. Leontinæ. *Tomo* III *Februarii noſtri, die* XVIII, *pag.* 56 *tractavimus de ſanctis Martyribus Leontinis in Sicilia,* circa an. Chriſti, *ut ibidem habetur,* CCLV, *ac ſub præfectura* Tertulli. *Ibidem è martyrio SS. Stratonici & Cleonici, qui coluntur* XXIV *Julii, dicuntur iſta :* Poſt aliquot dies profectus eſt *(de Tertullo eſt ſermo)* cum exercitu multo in caſtellum, quod dicitur Menæum, ubi Chriſtianos interemit, qui erant ex Leontinorum metropoli, & alios ibi exiſtentes. *Denique laudatus Caietanus ad diem* XVIII *Februarii,* Apud Leontinos, *inquit,* plurimorum ſanctorum Martyrum, qui ſub Armato & Tertullo Siciliæ conſularibus .. triumphales palmas adepti ſunt : *citatque iterum ad marginem* Tab. Leont., & Offic. à Paulo PP. V probata. *Nec plura hiſce addimus : ſatis enim ſunt iſta, ut lectorem mittamus ad diem* XVIII Februarii.

C

Bartholomæus abbas in Populeto *habetur in Kalendario Ciſtercienſi, quod anno* 1617 *Divione editum eſt. Conſule Prætermiſſos die* XXIV Februarii.

S. Walarici corpus ad monaſterium S. Bertini tranſlatum ; *uti dictum eſt tomo* I *Aprilis, pag.* 24, *ad diem ejuſdem menſis* I Aprilis.

Engræ virginis & martyris cum aliis, *mentio fit apud Grevenum. Quærere liceat, an hoc nomen alicubi forte fuerit ita expreſſum per abbreviationem, pro* Engratiæ. *Si ſic ; de Sancta iſtius nominis egimus die* XVI *Aprilis ; ſin verò hodierna ab iſtâ ſit diſtincta ; non novimus eam. Legi interim poſſunt, quæ habentur ad dictum diem* XVI Aprilis.

Tranſlatio S. Gaudentii monachi monaſterii ſancti Alexii Romæ *notatur in Kalendario Benedictino ex Ms. monaſterii S. Salvatoris Ord. Ciſtercienſis. In eodem autem Kalendario ad diem* V *Januarii præmittuntur iſta :* S. Gaudentii archiepiſcopi Pragenſis, antea monachi monaſterii ſancti Alexii Romæ, & diſcipuli S. Adelberti. *Inter Prætermiſſos ad eumdem diem* V *Januarii rectè notatur fuiſſe* archiepiſcopus Gneſnenſis ; *& omittitur propter defectum notitiæ ſufficientis, an, & quo die colatur. Bucelinus in Menologio Benedictino eum ut* beatum *laudat die* XXIX *Maii ; quem Caſtellanus in Supplemento ad Ahemeros pag.* 915 *cum titulo* ſancti *collocat. Porrò quæ ad hunc Præſulem Gneſnenſem ſpectant, immixta ſunt rebus S. Adalberti, epiſcopi Pragenſis, ac martyris, nec non fratris ejus : de quo apud nos actum die* XXIII *Aprilis pag.* 174 *& ſequentibus ; apud Mabillonium verò in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, ſeculo* 5 *à pag.* 846. *Idem Mabillonius ibidem pag.* 853 *in nota* d *nominat* Gaudentium *abſque titulo* beati *vel* ſancti. *Apud nos ad diem mox deſignatum, pag.* 202, *ubi agitur de tranſlatione S. Adalberti, memorantur tranſlata etiam corpora* Gaudentii, *& quinque Martyrum, qui habentur in Martyrologio Romano ad diem* XII *Novembris. Quia verò* Gaudentius *ſimul cum his Sanctis ſolenni ritu tranſlatus eſt, ideo, ut ſuſpicor, ad marginem citatæ paginæ* 202 ſancti *titulo à nobis nuncupatur. Quidquid ſit, videat lector de eo plura ad diem, quem indicavimus,* XXIII Aprilis.

F

Tranſlatio ſanctorum Danini & Ymilii Ducis in civitate Luca, *occurrit in additionibus Bruxellenſibus Mss. ad Uſuardum Greveni. De* S. Æmilii Ducis *reliquiis Lucæ inventis, ſermo*

A *mo eſt apud nos tomo* I *Februarii pag.* 78, *ex Cæſare Franciotto in Hiſtoria ſacra Lucenſi pag.* 506. *Acta verò* S. Davini (*ita vocatur apud nos*) *peregrini Lucæ, illuſtravimus ad diem* III Junii.

Machærunte in Palæſtina incarceratio S. Joannis Baptiſtæ *occurrit apud Caſtellanum, quæ etiamſi apud Latinos ſpectet ad diem* XXIX *hujus menſis, quâ colitur in Martyrologio Romano ejuſdem ſancti decollatio; de hujus tamen tempore, loco ac feſto tractatum jam pridem apud nos fuit in ipſo* S. Joanne Baptiſta, *ad diem* XXIV *Junii, tomo* IV *ejuſdem menſis, à pag.* 705. *Adiſis itaque quæ ibidem exſtant ad eumdem diem* XXIV Junii.

In Nazareth prope Liram, *cœnobio Ordinis Ciſtercienſis in Brabantia*, B. Bartholomæus *ejuſdem Ordinis laudatur à Chryſoſtomo Henriquez: ſed nos huic Viro locum inter Prætermiſſos dedimus ad diem* XXIX Julii.

Sanctorum martyrum Severi & Memnonis, qui martyrium confecerunt in Bizya Thraciæ, & aliorum Martyrum, qui martyrium confece-

B runt Philippopoli, *Acta Græca hoc die prænotata habemus è codice Ms. bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, de quo identidem meminimus hoc menſe.* Aliorum *iſtorum* Martyrum *nomina ibidem ſignantur, videlicet* Horion, Anatolinus, Molias, Eudæmon, Silvanus; Sabinus, Euſtathius, Straton, Bosbas; hi Byzantio oriundi: illi verò Philippopoli: Timotheus, Palmatus, Meſtus, Nicon, Diphilus, Dometius, Maimus, Neophytus, Victor, Rhenus, Saturninus, Epaphroditus, Cercas, Gaïus, Zoticus, Cronion, Anthus, Horus, Zoëlus, Tyrannus, Agathus, Panſtenes, Achilleus, Pantherius, Chryſanthus, Anthenodorus, Pantoleon, Theoſebes, Genethlius. Hi omnes Philippopoli martyrium ſubierunt. *In noſtro autem ſupplemento Græco Ms. Sirmondo-Chiffletiano ad Menæa excuſa, hac etiam die ſignatur* Certamen SS. Severi ac Memnonis, qui in Thracia martyrium confecere, cum aliis triginta octo. *Martyrologium Romanum die* XX *Auguſti annuntiat triginta ſeptem Martyres in Thracia, & nos*

C *cum illo tunc egimus de Martyribus iſtis, nec non cum eodem de* SS. Severo *ac* Memnone. *Adiſis itaque dictum mox diem* XX Auguſti.

Martyrium ſanctæ martyris Anthuſæ, & ſervorum ejus Neophyti & Chareſimi, & Athanaſii epiſcopi, qui baptizavit eos, *apud Lambecium poni hac die, indicavimus die* XXII *hujus menſis, quo de illis egimus, & obſervavimus*, martyris *titulum non convenire* S. Anthuſæ, *quæ fuit ſolitaria. Hæc itaque, & plura alia lege ad dictum diem* XXII Auguſti.

S. Sidonii Apollinaris Arvernenſis epiſcopi *meminit Maurolycus, & Martyrologium Caniſianum. Acta ejus illuſtrata ſunt heſterno die* XXIII Auguſti.

Memoria ſanctiſſimi Callinici archiepiſcopi Conſtantinopolitani *notatur apud nos inter ea, quæ in Commentario ipſius prævio retulimus* XXIII Auguſti.

Domninæ martyris *meminit Grevenus. Vide quæ de martyrum manipulo Ægis in Cilicia heri dicta ſunt* XXIII Auguſti.

Carthagine SS. martyrum Januarii, Naboris, Felicis, Marini, Caſti, Æmiliani, & Jocundi, ſub Valeriano, & Galieno, *annuntiatio refertur à Ferrario in Novo catalogo Sanctorum. In notis verò*, Hi duces, *ait*, fue- D re illorum trecentorum Martyrum, qui Maſſa candida appellantur: de quibus hac die in Martyrologio Romano. *Ibidem etiam citat Ferrarius Maurolycum ac Felicium. Sed mirari ſatis non poſſumus, hîc nominari iſtos Martyres, & quidem tamquam duces aliorum trecentorum, qui ſub generali* Maſſæ candidæ *nomine coluntur; cùm eorum nomina fuerint ignota conditoribus antiquiſſimorum Martyrologiorum, immò etiam ipſi S. Auguſtino, ut colligere licet ex dicendis die hodierno, quo trecentos iſtos Martyres anonymos dabimus cum Martyrologio Romano.*

S. Sabinianus martyr apud Oſtiam *notatur ſeorſim à Ferrario in Catalogo Sanctorum utroque. Vide, quæ hoc die dicentur in Actis S. Aureæ virg. & mart.*

In Britannia, monaſterio Gleſtingenſi, depoſitio ſancti Patricii abbatis, *hoc die inter auctaria ad Uſuardum à nobis editum notatur è codice, quem Roſweydinum vocamus, & de quo agitur in præfatione ad eumdem Uſuardum pag.* LVII. *Witfordus ad hunc etiam* E *diem annuntiat* Feſtum alterius (*non indicat cujus*) Patricii, ſancti abbatis, *fortè Nivernenſis. Hibernorum apoſtolum ponit codex Antverpienſis major, inter dicta auctaria, cui malè addit S. Gildardum Nivernenſem, qui in aliis exemplaribus ibi citatis rectè memoratur cum S. Patricio abbate Nivernenſi. De utroque tractabitur ſeorſim hac die.* In Hibernia, *inquit ille codex*, ſancti Patricii abbatis, & Gildardi confeſſoris. Qui Patritius, primus Hibernorum fertur magiſter. Sed quia nec ipſos correxiſſe potuit, in peregrinationem perrexit; ad monaſterium Gleſtingenſe pervenit, ibique vitam virtutibus clareſcens finivit, quod & uſque hodie mortua ipſius oſſa conteſtari videntur. *Sed præter ineptam hanc confuſionem, digreſſio eidem adjuncta eſt nobis apocrypha, ſecundum mox dicenda. Uſſerius de Britannicarum eccleſiarum primordiis cap.* 17 *à pag.* 892 *varia de hoc argumento collegit, ſcribens, Glaſtonienſes contendere monachos, quòd corpus S. Patricii, (de Hibernorum apoſtolo eſt ſermo) penes ſe ſit, quodque id comprobent divinis etiam oſtentis,* F *ne quidquam in hac re Dunenſibus cedere videantur, uti ibidem refert pag.* 892, *quibus alia plura ſubjungit. Deinde à pag.* 894 *in familia Patricii apoſtoli Hibernorum, alios ſynonymos duos extitiſſe narrat, nimirum juniorem illi ſuperſtitem, & in Glaſconenſi vel Glaſtonenſi eccleſia ſepultum; ac ſeniorem, qui ante ipſum vitâ functus ſit. Affert etiam pag.* 895 *ex interpolatore libelli Guilielmi Malmesburienſis de Antiquitate Glaſtonienſis eccleſiæ, citans Ms. in bibliotheca Cottoniana, tres ſynonymos Patricios epiſcopos & confeſſores, unum Avernis* (*voluerit ſcribere* Arvernis;) *alterum in Hibernia; alterum, archiepiſcopum Hiberniæ*, in Glaſtonia requieſcentem. *At Papebrochius noſter tomo* 2 *Martii, die* XVII, *pag.* 532 *agens de corpore & eccleſia S. Patricii, Hibernorum apoſtoli, apud Dunenſes in Ultonia, hanc Patriciorum triadem habuit jam pridem pro* ridicula evaſione. *Ecquis ergo, ut ad priora revertamur*, Gleſtingenſis *ille* Patricius abbas? *Reſpondemus primò, eum ita nobis eſſe ignotum, ut ſatis fundatè affirmare nequeamus, an, ubi & qua-*

A *lis fuerit.* 2°. *Si conjecturis locus ; ſuſpicari quis poſſet, hunc eſſe ipſum abbatem ſynonymum Nivernenſem, de quo ſuprà ; imperito aliquo pro* Nivernis *legente vel ſubſtituente* Hibernis : *qui agi ratus de Patricio Hibernorum apoſtolo, traxerit eum in Britanniam ad monaſterium Glaſtonienſe, ejuſque præfecturam, ſicut ſuperiùs vidimus factum.*

Tulli in Gallia S. Bertholdi epiſcopi ejuſdem urbis *annuntiatio exſtat in Novo catalogo Sanctorum apud Ferrarium. In Gallia Chriſtiana à Sammarthanis edita tomo* 3, *pag.* 1096 *laudatur tamquam* genuinæ honeſtatis ſectator mirabilis . . Ejus conſilio ſtrictiore regula reformatur monaſterium D. Apri. *Sed de publica veneratione nullum ibi occurrit veſtigium. De hoc Præſule agitur in Hiſtoria Lotharingiæ, quam vulgavit D. Auguſtinus Calmet, tomo* 1 ; *ubi inter probationes ejuſdem Hiſtoriæ columnâ* 164 *& ſequentibus honoratur inſigni elogio, & aſſeritur obiiſſe* octavo Idus Septembris. *Hunc itaque epiſcopum inter venerabiles ponimus, cum non viderimus hactenus, legitimum ejus probari cultum.*

B Obiit miræ ſanctitatis & innocentiæ domina Ælicia prioriſſa de Catebia, (*in agro Northamptonienſi Angliæ, Ordinis S. Benedicti*) ſanctimonialis, ſoror beati Edmundi Cantuarienſis archiepiſcopi : ad cujus tumbam miracula dicuntur coruſcare. *Hæc Matthæus Pariſienſis in Hiſtoria majore ad annum* 1257, *pag.* 641 *editionis Pariſienſis anni* 1644. *Wilſonus eam ſignat cum titulo* ſanctæ *in utraque ſui Martyrologii Anglicani editione ; cui adde Ferrarium in Novo catalogo Sanctorum. Cupimus probari publicum ejus cultum.*

Commemoratio plurimorum beatorum monachorum, & ſanctimonialium martyrum, qui per univerſam Angliam, in diverſis monaſteriis, ab anno Chriſti DCCXCIII ad annum Chriſti DCCCLXXIX à Danis ſive Dacis .. diverſis mortis generibus, diverſiſque temporibus crudeliſſimè interempti ſunt, *ex Maihewio in Trophæis congregationis Anglicanæ Ordinis S. Benedicti, tomo* 2, *ad hunc diem, quo Arturus ſanctimoniales illas inſeruit ſuo Gynæceo poſt iſtum auctorem, quem nominat. Sed de his generatim meminiſſe, ſit ſatis.*

C S. Fathna epiſcopus *habetur in Catalogo expanſo præcipuorum Sanctorum Hiberniæ, qui excuſus eſt accurante noſtro P. Henrico Fitz Simon. Plura de hoc præſule cupimus diſcere, &, an cultum publicum habeat, fieri certiores. In Florario noſtro Ms. ad diem* XIV *hujus menſis ſignatur* In Hybernia, Fathua epiſcopus & confeſſor. *Inter Miſſas verò proprias Sanctorum Patronorum ac titularium Franciæ & Hiberniæ, anno* 1734 *Lutetiæ Pariſiorum editas, habetur ad eumdem diem Miſſa* in feſto ſancti Fachnani, epiſcopi & confeſſoris, eccleſiæ & diœceſis Fenaborenſis patroni. *Si* Fathna epiſcopus, *quem ſuperiùs hac die* XXIV *ſignari diximus, ſit idem, qui occurrit die* XIV *hujus menſis, de qua re non conſtat ; tunc dicendum eſt, hodiernum cultu publico honorari.*

S. Georgii monachi *meminit Ferrarius in Novo Catalogo Sanctorum in notis ad hunc diem. Si annuntiat monachum ſynonymum, cognomento Limniotam ; de eo tractamus hodie cum Martyrologio Romano.*

Arnoldus, poſt captivitatem diuturnam ab hæreticis Londini martyrio affectus, *ponitur in Sancto anno Ordinis Prædicatorum, qui Antverpiæ anno* 1675 *linguâ noſtrâ vernaculâ editus eſt, & in eo* beati *titulo donatur liberaliter ac profusè.* D

Papiæ, dedicatio eccleſiæ cathedralis *notatur à Ferrario in Novo catalogo ſanctorum.* Auguſtæ quoque Prætoriæ (*urbs epiſcopalis eſt Ducatûs Auguſtani in Sabaudia*) dedicatio eccleſiæ majoris *ponitur in eodem Novo catalogo.*

Beati Urſini martyris, *neſcio cujus, mentio fit inter Auctaria ad Uſuardum noſtrum.*

Apud Montem-Puſſium beata Tudecha, prima ſacrarum virginum Ciſtercienſium ibidem Deo famulantium antiſtita, quæ in ſumma corporis paupertate, & ſpiritûs puritate vitam tranſegit. *Ita Henriquezius in ſuo Menologio.* Mons *ille alio nomine* Mons Suevus *olim vocitatus dicitur in notis ibidem ; & adduntur alia plura de loco : de cultu autem publico altum ibi ſilentium. Sed Menologus ille antiquum denuo hîc obtinet, in multiplicandis ſacris* beatorum *titulis non tantùm liberalis, ſed etiam prodigus.* E

In Malbodio monaſterio S. Anſoaldis virginis *memoria ponitur in noſtro Florario Ms Lege Vitam B. Theoderici abbatis, quam hodie dabimus, cap.* 1, *ubi ejuſdem Sancta geſta referuntur.*

Sandradus (*al.* Sanderadus) abbas Gladbacenſis *cum titulo* beati *inſeritur Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti apud Mabillonium ſeculo* 5, *ad annum circiter* 985, *pag.* 642, *præeunte Trithemio, cujus hæc producit verba pag.* 644 : Primus ejuſdem cœnobii abbas fuit Sandradus, vir ſanctiſſimæ vitæ, & regularis diſciplinæ, tam in ſe, quam in ſubditis ſuis maximus cultor : qui multis virtutibus & ſignis clarus in Vita, & poſt mortem, Sanctorum catalogo inſertus eſt : cujus dies feſtus IX Kal. Septembris agitur. *Poſt hæc refert Mabillonius, eum* ipſa die laudari in Martyrologio Benedictino, ut ſanctum, atque apud Fiſenum in Floribus Leodienſibus ex Molano. *In Florario autem noſtro Ms., è quo die heſterno ad hunc diem remiſſus fuit, memoratur abſque titulo* beati *vel* ſancti. *Deliberatum à nobis eſt, an abbas iſte aliis hujus diei Cœlitibus eſſet annumerandus, præſertim quia tam expreſſis verbis eidem favet teſtimonium Trithemii : verùm cùm Henſchenius noſter, oculatus teſtis, hæc nobis propria manu de eo reliquerit notata,* Fui Gladbaci anno MDCXLVIII, & reperi eum ibidem non habere cultum : immò corpus non eſt elevatum ; *ideo cupimus reddi certiores de vero, publico ac ſufficiente cultu ejus, antequam in Opere noſtro locum ipſi tribuamus. Nam ſi in ſuo Monaſterio cultum non habeat ; ubinam illum habeat, non ſatis intelligimus. Quæ ſcribit Trithemius, forſan ex ſolo auditu ſcribit. Quid ſi cultus antea inchoatus, ac poſtea prætermiſſus fuerit ? Utcumque ſe res habeat ; cùm Trithemius locum non determinet ; gratiam nobis præſtiterit, ſi quis ex eruditis aſcetis Benedictinis illum nobis oſtenderit. Ex his patet, quid ſit reſpondendum ad teſtimonium Bucelini, qui in ſuo Menologio Benedictino affirmat,* anniverſarium *ejus* feſtivè in Gladbach hac die (*nimirum* XXIV *Auguſti*) celebrari. F

In Wortenſi virginum cœnobio natalis ſanctæ memoriæ Theodorici, Bernenſis eccleſiæ canonici,

A nici, Ordinis Præmonſtratenſis, *cum elogio inſcribitur Natalibus Sanctorum Ord. Præmonſtrat. apud Joannem Chryſoſtomum Vander Sterre.*

Franciſcus Parrodus, *Inſulæ in territorio Lingonienſi*
Claudius Moncaretus, *ibidem, ambo ab hæreticis occiſi*
Joannes Pierochus de Mauberto, *Athi in Hannonia*
Petrus à Corduba, *in territorio Cantiani epiſcopatus, non longè ab oppido Robledilio*
Bernardinus de Arevallo, *Tribuli prope vallem-Oletanum, in territorio Palentino*
Ruffinus à Speranza, *apud Philippinas inſulas*
Gabriël Grodericus, *Cracoviæ in Polonia*
Adrianus Conriezianus, *ibidem, uti & tres ſequentes*
Bonaventura Turtius
Adrianus Pobenſcenius
B Alexander de Padua,
Maria à Sepulchro, *Villæ-Comitis Portugalliæ in territorio Bracarenſi*
Ludovicus Baba, *Vomuræ in Japonia à gentilibus combuſtus*

Apud Huebe-rum in Menolo-gio Franciſcano.

Nonnulli ex his exſtant etiam apud Arturum à Monaſterio, in Menologio Franciſcano, ac Maria *in Gynæceo; ſed conſueta liberalitate* beatorum *titulo ab eo donati; uti & ſequentes:*

Anonymus martyr, *Hieroſolymis*
Galterius epiſcopus, *Tarviſii*
Lucius conf., *in Italia*
Maria, virgo Tertiaria Dominicana, *Popiglioni in territorio Piſtorienſi*

In Menol. Arturi, & ultima in Gynæceo.

Hujus Mariæ *Vitam edidit ad hodiernam diem Marcheſius in Sacro diario Dominicano.*

Pariſiis in collegio Bernarditarum moritur piæ memoriæ R. A. P. domnus Stephanus Maugier, Charmeyæ abbas, *ex Chalemoto; qui Virum hunc inſigni proſequitur elogio.*

C In India Bartholomæi Apoſtoli *annuntiatio notatur apud Florentinium, & in Martyrologio Uſuardi cum elogio, & alibi. De eo agemus cum Romano Martyrologio* xxv Auguſti.

Vigilia ſancti Bartholomæi Apoſtoli *habetur in Martyrologio Romano. De hoc Sancto nobis erit agendi locus cum eodem Martyrologio* xxv Auguſti.

Romæ, Geneſius martyr *indicatur hac die in Martyrologio Rhinovienſi, Richenovienſi, Wandelberti metrico, & Hieronymiano apud Florentinium. Habetur in Romano, ac nos de eo agemus, die* xxv Auguſti.

Electio beati Sixti Papæ in epiſcopum Romanæ urbis *eſt in additionibus Bruxellenſibus Mss. ad Uſuardum Greveni. Sanctos Sixtos tres Pontifices Romanos dedimus. I, ad diem* VI *Aprilis: II, ad diem* VI *Auguſti. III, ad* XXVIII *Martii; & hunc ſine titulo martyris: & ideo* electio *hujus fortè intelligenda hoc loco eſt.*

In cœnobio Collughamenſi in Anglia, paſſio ſanctæ Ebbæ abbatiſſæ, & multarum ſanctarum virginum, quæ à Danis cum ſuo monaſterio crematæ ſunt. *Ex Menardo. Annuntiantur alibi die proximè ſequente, quò & nos eas differimus,* xxv Auguſti. D

Feſtum S. Polymii regis apud Indos, à S. Bartholomæo converſi, ac ibidem epiſcopi, *refertur apud Witfordum. Quæ ſive acceperit ex Petro de Natalibus lib. 7, cap.* 104; *ſive ex fabuloſis Actis S. Bartholomæi; apocryphæ prorſus nobis videntur. Conſuli poterunt Annotata ad laudati iſtius Apoſtoli Acta: de quo agetur cum Martyrologio Romano* xxv Aug.

S. Menas (*al.* Mennas) archiepiſcopus Conſtantinopolitanus *laudatur in Menologio Baſilii imperatoris ad calcem tomi primi hujus menſis Græcè à nobis excuſo. De eo dicetur cum Martyrologio Romano* xxv Auguſti.

In Hyſpaniis Geroncii epiſcopi in carcere quieſcentis, *annuntiatio eſt in noſtro Florario Ms. Vidè diem* xxv Auguſti.

In Italia, cœnobio ſancti Bartholomæi, Ordinis Ciſtercienſis, & Lombardicæ ſeu S. Bernardi Congregationis, feſtivitas ejuſdem Apoſtoli, ſicut & per totum Ordinem inſtar feſtivitatum majoris ſolennitatis; *uti habet Chalemotus. De hoc Apoſtolo tractabitur cum Martyrologio Romano* xxv Auguſti. E

S. Breguinus epiſcopus *annuntiatur* Cantuariæ *à Caſtellano; quem Wilſonus in Martyrologio Anglicano ſecundæ editionis refert, quò & nos eum remittimus,* xxvi Auguſti.

S. Orontius, epiſcopus I Aletinus ac martyr *laudatur à Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ. At nos eum differimus ad diem* xxvi Aug.

Intici, vulgò Innichen, in Tyroli, diœceſis Brixienſis, tranſlatio S. Candidi M. archiepiſcopi Rhemenſis, cujus corpus ibidem in eccleſia collegiata ab Ottone I imp., ſub præpoſito decano, & XXI canonicis anno Domini CMXXV in honorem SS. Candidi & Corbiniani fundata, reconditum, ac religioſè cultum; ſubinde anno MCCCIV, die XXIII Maii decentiùs elevatum, noviſſimè verò anno MDCLXXXVI, die XXIV Auguſti à Paulino epiſcopo Brixinenſi ſolenni ritu ſubtus altare ſummum collocatum, ac publicæ veneration expoſitum fuit. Extat integrum Officium cum lectionibus de communi unius Martyris; ſed oratione, reſponſoriis, hymnis & antiphonis propriis, olim in eadem eccleſia uſque ad tempora introducti novi Breviarii Romani, recitari conſuetum. *Hæc inter ſchedas noſtras ad hunc diem notata ſunt. Quiſnam verò* Candidus *iſte ſit, exploratum non habeo. Certè inter archiepiſcopos Remenſes non reperio ullum hujus nominis. Vide Marlotum in Metropolis Remenſis hiſtoria tomo* I, *lib.* I, *cap.* 17 *ſub finem. Nec alium novi hactenus* Corbinianum, *quàm Friſingenſem epiſcopum, qui inſcribitur Martyrologio Romano ad diem* VIII Septembris. F

S. Pantali epiſcopi Baſilienſis *commemoratio habetur in additionibus Bruxellenſibus Mss. ad Uſuardum Greveni. Caſtellanus die* XII *Octobris eum refert cum titulo* ſancti ac martyris: *quem nos cum eo differimus ad dictum diem* XII Octobris.

Cæſarauguſtæ, feſtum Martyrum propè innumerabilium, qui proditione Daciani præſidis interempti ſunt, *ex Witfordo. In Martyrologio Romano habentur* III Novembris.

S. Eliſabeth viduæ, matris Præcurſoris Domini *annuntiatio habetur apud Grevenum: de quâ etiam agitur in noſtro Ms. Florario, Martyrologio Caniſiano, & alibi, inter auctaria ad Uſuar-*

A *Uſuardum noſtrum. Colitur in Martyrologio Romano* v Novembris,

Tranſlatio SS. Matthæi, Benedicti, Joannis, Iſaac & Criſtini, monachorum S. Alexii Romæ, ſociorum S. Alberti archiepiſcopi Pragenſis, martyrum in Polonia paſſorum, *habetur in Kalendario Sanctorum Ordinis S. Benedicti, cujus apud nos eſt ecgraphum ex Ms. monaſterii ſancti Salvatoris Ordinis Ciſtercienſis: de quibus etiam videri poſſunt hac die Wion, Dorganius, Menardus. De S. Adalberto actum eſt die* XXIII *Aprilis; de ſuperioribus agetur cum Martyrologio Romano* XII Novembris.

Sanſidonienſi monaſterio Sidonii abbatis primi; cujus reliquiæ Dunkelden illatæ, *uti habet Menologium Scoticum Dempſteri. Sanctum hunc abbatem intruſit in notas ad Novum catalogum Sanctorum Ferrarius hac die. Plures de illo, ejuſque monaſterio notitias ſuggerit Arturus du Mouſtier in ſua Neuſtria pia, ſeu in Abbatiis ac prioratibus Normanniæ à pag.* 335. *In Actis S. Audoëni, quæ hodie daturi ſumus, mentio fit* S. Sidonii *hujus. Menardus*
B *eum refert, cui adde Caſtellanum, die* XIV Nov. D

Tranſlatio reliquiarum S. P. N. Petri Metropolitæ Kiovici, & totius Ruſſiæ Thaumaturgi. Extitit anno MCDXIX. *In Ephemeridibus Græco-Moſcis, tomo noſtro primo menſis Maii præfixis, notantur iſta ad diem* XXI *Decembris:* OBITUS PETRI METROPOLITÆ, S. Alexii in Kijovienſi cathedra deceſſoris, de cujus vitæ Actis plura ſcire cuperemus. Ad veram ejus ſanctitatem, & præcipuum apud Moſcos cultum probandum faciet Triptychon, de quo infrà. Hic autem ille eſt METROPOLITA PETRUS, qui circa annum Chriſti MCCC, teſte Herberſtenio, duci Moſcorum Joanni, Danielis filio, ſuaſit transferre Moſcuam imperii ſedem. *Hæc ibi; & deinde fit mentio de ipſius miraculis. Caſtellanus in ſuo Martyrologio univerſali annuntiat* S. Petrum Kiovienſem epiſcopum, *die, ut ſuprà,* 21 *Decembris; quò apud nos de illo mentio fieri poterit, & Acta ejus, ſiquidem interea temporis reperiri ea contigerit, à ſucceſſoribus noſtris illuſtrari. Spectant itaque iſta ad diem* XXI Decembris. E

DE SS. PTOLOMÆO ET ROMANO

EPISCOPIS ET MARTYRIBUS IN TUSCIA,

G.C. COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Legitima horum Sanctorum veneratio, locus cathedræ, & diverſa martyrii Acta.

SEC. I. *Quamvis hi duo Martyres*

HOs duos ſanctos Martyres, tamquam primos Majorum ſuorum magiſtros & intrepidos Chriſtianæ fidei prædicatores, adhuc hodiedum venerantur cives Nepeſini, de quorum urbe Ughellus in Italia ſacra noviſſimæ editionis Venetæ tomo 1 *col.* 1023 *ſic ſcribit:* In explicata inter Romam Viterbiumque planitie, antiquiſſima Etruriæ civitas Nepis aſſurgit, quam ita fuiſſe appellatam Feſtus affirmat ob ſcorpionis inſigne, quem ejuſdem cives, ut in bello diſcernerentur, extulerant. Varia autem apud ſcriptores ejus appellatio eſt: ſiquidem apud Itinerarium NEPIS eſt & NEPET, Plinio NEPS eſt, quam Strabo NEPISAM vult appellari. *Deinde poſt alia hujus antiquæ civitatis nomina, & variam ejuſdem fortunam, præſentemque ſtatum, quæ omnia parum ad rem noſtram faciunt, de prima ipſius ad fidem Chriſtianam converſione ſic meminit:* Ut non procul à Roma eſt, ſic in primis civitatibus fuit, quæ lucem hauſere Euangelii, prædicante ſancto Ptolomæo Antiocheno, ſancti Petri Apoſtoli alumno, quem ſecum Romam adduxerat. Inter ceteros Romanum Nepeſinum philoſophum convertit ad Chriſtum, ſacroque abluit fonte; cumque anno XLVI Ptolomæum Panthepolis * Nepeti vicinæ civitatis, Romanum verò Nepetis ipſius epiſcopos ordinaſſet, magno fidei incremento viſus eſt fundamenta jeciſſe: ſiquidem uterque, ingentibus editis miraculis, omnem propemodum idololatriam deleverunt. *Denique Ughellus ibidem de his duobus Martyribus ſubjungit alia, quæ poſtea diſtinctiùs & accuratiùs exponentur.*

* *lege* Pentapolis

2 *Certè miramur, Viros adeo ſanctos antiquis Faſtis eccleſiaſticis ac ipſis prioribus hodierni Martyrologii Romani editionibus non fuiſſe inſcriptos. Eminentiſſimus Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 69 *num.* 44 *martyrium utriuſque iſtius Antiſtitis indicat his verbis:* At non longè ab Urbe in Tuſcia eodem tempore paſſi ſunt Ptolomæus epiſcopus à ſancto Petro ad prædicandum Euangelium illuc miſſus, nec non Romanus epiſcopus Nepeſinus, ac triginta Chriſtiani ad fidem per Ptolomæum converſi; quod verò Acta habeant, ſub Claudio ſubiiſſe martyrium, de Nerone Claudio intelligendum eſt ſecundùm ea, quæ ſuperiùs in Claudio dicta ſunt. *Præterea Baronius die* XIX *Octobris in Notis ad Martyrologium Romanum occaſione alterius Ptolomæi martyris, lectorem de hodierno* S. Ptolomæo *ſic monet:* Fuit & alius Ptolomæus, diſcipulus ſancti Petri, idemque martyr, qui ordinatus epiſcopus ab eodem Petro, in Tuſciam miſſus eſt prædicare Euangelium; quin & martyrio coronatus eſt IX Kalendas Septembris, ut ejus Acta declarant, quæ accepimus ab eccleſia Nepeſina, quibus etiam complures adſtipulantur auctores. *antiquis Martyrologis ſint ignoti*

3 *Attamen eruditiſſimus ille Cardinalis, qui tamen ex ad emendandum augendumque Martyrologium Romanum inter alios egregiam operam contulit, in eo ſemper hos duos Martyres omiſit (qua de cauſa, neſcimus) cum primùm anno Chriſti* 1672, *conceſſione Sedis Apoſtolicæ*

poſt

A *poſt Lectiones proprias eccleſiæ Nepeſinæ conceſſas, legamus ſequens ſacræ Congregationis decretum :* Cum ſacra Rituum Congregatio habita die XIV Maii ad preces cleri & populi civitatis & diœceſis Nepeſinæ expoſitas per eminentiſſimum & reverendiſſimum dominum Cardinalem Spinolam, ejuſdem civitatis epiſcopum, cenſuerit apponi poſſe in Martyrologio Romano feſtum ſanctorum Ptolomæi & Romani, ac etiam in prædicta civitate & diœceſi Nepeſina celebrari poſſe eorum feſtivitatem, quæ cadit ſub die XXIV Auguſti, cum Officio & Lectionibus propriis approbandis ab eminentiſſimo domino Cardinali Bona; eadem ſacra Congregatio ſupradictas Lectiones & orationes proprias per eumdem eminentiſſimum Bonam approbatas licitè recitari ac imprimi poſſe conceſſit. Hac die XIV Maii MDCLXXII. *Inferius notabatur* Franciſcus epiſcopus Portuenſis, Cardinalis Brancatius.

in urbe Nepeſina colluntur,

4 *His autem Lectionibus propriis, quarum poſtea mentionem faciemus, præmittitur ſequens oratio :* Deus, qui nos ſanctorum martyrum tuorum atque pontificum Ptolomæi & Romani prædicatione ad veræ fidei lumen pervenire feciſti,

B præſta, quæſumus, ut eorum interceſſione opera tenebrarum abjicientes, promiſſa fidelibus præmia conſequamur. Per Dominum &c. *Hinc etiam in variis Martyrologii Romani editionibus, quæ conceſſionem illam ſubſecutæ ſunt, iſti duo ſancti Martyres memorantur hac duplici annuntiatione :* Nepete ſancti Ptolomæi epiſcopi, diſcipuli beati Petri Apoſtoli, à quo miſſus in Tuſciam ad prædicandum Euangelium, in eadem civitate glorioſus Chriſti martyr occubuit. Ibidem ſancti Romani, ejuſdem civitatis epiſcopi, qui cum eſſet ſancti Ptolomæi diſcipulus, fuit etiam in paſſione ſocius. *Ex jam relatis abundè conſtat de legitimo utriuſque hujus Sancti cultu, quem tamen paragrapho ſequente amplius confirmabimus.*

& ambo vocantur epiſcopi,

5 *Cum* S. Ptolomæus *tum in Martyrologio Romano, tum in Lectionibus propriis infrà exhibendis, appelletur epiſcopus, inter eruditos diſceptatur, cui eccleſiæ præfuerit. Eminentiſſimus Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 46 *num.* 2 Ptolomæum Nepe *epiſcopum ſtatuit. At Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XXIV *Auguſti contexens*

C *Actorum compendium, huic opinioni ſic contradicit :* Uterque poſtea ab Apoſtolo epiſcopus ordinatus eſt, Ptolomæus quidem Pentapolis in Tuſcia (quæ urbs Nepetæ & Sutrio finitima erat) Romanus verò Nepetæ. *Deinde clariùs ibidem in Annotatione ſententiam Baronii refellit his verbis :* Baronius Ptolomæi meminit in annotationibus in Martyrologium ad diem XIX Octobris, & in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Domini XLVI, ubi primos Italiæ & Galliæ epiſcopos recenſens, Ptolomæum epiſcopum primum Nepe memorat; qui tamen non Nepe, ſed Pentapolis epiſcopus fuit, ut Acta illius habent. *At epiſcopalis illa Tuſciæ civitas, quam Ferrarius comminiſcitur, & Nepeti vicinam facit, toti antiquitati ignota eſt : nam neque in ſacris neque in profanis veterum monumentis ulla ejus memoria reperitur. Perperam verò Ferrarius illam eruit ex Actis, quæ non magnam fidem merentur, ut ex infrà dicendis apparebit.*

quorum unus, diſſidentibus inter ſe ſcriptoribus,

6 *Nicolaus Nardinus in opuſculo Italico de cathedra Nepeſina conatur hanc litem dirimere, & propterea cap.* 2 *contendit, Pentapolim non eſſe diverſam ab urbe Nepeſina, ibidemque rejicit opinionem Ferrarii, qui in Lexico geographico, poſt enumeratas aliarum regionum Pentapoles, de Pentapoli Tuſciæ ſic ſcribit :* Fuit quoque Pentapolis urbs Hetruriæ epiſcopalis, Nepitæ & Sutrio proxima, nunc exciſa; locus apud montem Roſulum STRACCIA CAPPE nominatur. *Deinde Nardinus ibi variis exemplis demonſtrat, illud nomen* Pentapolis *in diverſis regionibus datum fuiſſe congregationi quinque civitatum ſibi vicinarum, quod nos facilè admittimus, & ex etymologia Græci nominis patet. Attamen priori ſuæ ſententiæ mordicus adhæret, & ex Actis horum Martyrum probare nititur, ipſam urbem Nepeſinam antonomaſticè nominatam fuiſſe Pentapolim, quia inter illas quinque civitates erat præcipua, & quaſi aliarum metropolis. Cum verò Nardinus videret, inde ſequi, ut* S. Ptolomæus *&* S. Romanus *ſimul in urbe Nepeſina præſules fuerint, cap.* 4 *& ſequente multis oſtendere conatur, antiquitus ſæpe uni civitati duos epiſcopos præfuiſſe. Videtur hanc opinionem Nardino ſuggeſſiſſe R. P. Hyacinthus de Nobilibus Dominicanus, qui in Italica horum Martyrum hiſtoria, Viterbii anno* 1620 *impreſſa, pag.* 10 *quinque civitates Tuſciæ nominatim recenſet, & imponit huic tractui nomen Pentapolis, quod poſtea urbi Nepeſinæ tamquam earum capiti per antonomaſiam tribuit.*

AUCTORE G. C.

E

videtur eccleſiam Nepeſinam gubernaſſe,

7 *Julius Ambroſius Lucentius abbas Ciſtercienſis in Italia ſacra Ughelli, quam contraxit & emendavit, in editione Romana anni* 1704 *tomo* 1 *col.* 1385 *hanc utriuſque ſcriptoris Itali ſententiam refert his verbis :* Nepis vel Nepet, aliis Nepita & Nepeſa inter Viterbium Romamque civitas in planitie fertilique agro ſita, & antiquitus inter duodecim præcipuas adnumerata Romanorum colonias, quorum etiam municipium fuit. Poſt utramque experta cum Romano imperio fortunam, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ditionis evaſit. Jam dudum Catholicam fidem excepit, ſancto Ptolomæo Apoſtolorum principis alumno prædicante, qui inter ceteros Nepeſinos cùm Romanum philoſophum virum convertiſſet, ambo conſecrati in epiſcopos fuere; Ptolomæus univerſæ Nepeſinæ Pentapoli, & Romanus ipſimet Nepitæ, tamquam Ptolomæi ſuffraganeus, in ſacris præeſſe juſſi. *Hactenus hæc ſatis veroſimilia videntur, & in favorem opinionis noſtræ explicari poſſunt.*

F

& alter fuiſſe epiſcopus regionarius in Tuſcia.

8 *Sed minimè placet, quod Lucentius ibidem col.* 1387 *ſic ſubjungit :* Nepeſinæ Pentapolis Ptolomæum præſulatum geſſiſſe, & ipſam Nepim, tamquam ejus regionis caput, Pentapolis nomen ſibi uſurpaſſe, pluribus comprobat laudatus Nardinus, juſque divinum unà cum Romano de more ejus ævi proximè Nepeſinis dixiſſe, ex dignis colligitur monumentis. *At quænam ſunt illa monumenta Actis hiſce antiquiora ? Certè Nepeſina civitas, de qua plures antiqui ſcriptores meminerunt, numquam ab illis vocatur* Pentapolis, *ita ut hoc nomen primò excogitatum videatur ab auctore Actorum, cujus ætatem ignoramus, & cujus fidem non magni facimus, ut infrà repetemus. Probabilius itaque exiſtimamus,* S. Ptolomæum *fuiſſe epiſcopum apoſtolicum ſeu regionarium, & nulli certæ ſedi affixum, qui præcipuè ſpiritualem iſtarum quinque urbium curam gerebat. Forſan hic ſanctus Præſul regionarius, creſcente Chriſtianorum multitudine,* S. Romanum *populo Nepeſino peculiariter præfici curavit. Hanc conjecturam defectu certioris*

AUCTORE G. C.

tioris notitiæ damus, & eam in tanto totius antiquitatis silentio non improbabilem censemus. Jam de Actis & variis eorum exemplaribus aliquid monendum superest.

Recensentur varia Actorum exemplaria,

9 *Unum Actorum ecgraphum, quod olim accepimus*, repertum fuit inter alias antiquas scripturas Theodori Salomonii, notarii publici in civitate Nepesina, *ut in margine notatur, & incipit hoc modo:* Peractis & adimpletis omnibus, quæ de unico Dei Filio Domino nostro Jesu Christo prædicta fuerunt, post ejus opportunam mortem & salutiferam resurrectionem & ascensionem ad cælos ad Patris dexteram, cujus fructus & opera ita uberiora indies erant & sunt, quod fere paulatim totus orbis terrarum ad Christianam religionem adduceretur, Luciferi & ejus sequacium simulata gesta, idolorumque cultus quotidie peribant. *Hæc tanta Christianorum multitudo, ut* ferè paulatim totus orbis terrarum ad Christianam religionem adduceretur, *initio nascentis Ecclesiæ & temporibus* SS. Ptolomæi *ac* Romani *non satis aptè convenit. Neque major huic auctori fides debetur, dum* S. Ptolomæum *postea appellat* archiepiscopum Antiochiæ. *Sunt*

B *& alia, quæ unumquemque vel leviter in historia tinctum statim offendunt, & ipse Actorum epilogus indicat, imperitum eorum collectorem recentiori ævo vixisse.*

olim ad nos transmissa,

10 *Alteri Actorum apographo, quod in novem prolixas Lectiones divisum est, præmittitur hic titulus:* Luculenta Passio sanctorum eorumdem Martyrum hinc inde sparsim mutilatimque in unum succinctè collecta per me Victorium Nepettinum. *Nescimus, quo tempore vixerit, aut quis fuerit ille Victorius Nepettinus, qui prologum suum sic exorditur:* Gravem me laborem agere compellitis, carissimi adelphi *, talia imperando, ut vobis sanctorum Martyrum Ptolomæi & Romani virtutum præconia referam passionem illorum commemorandam sociorumque, jam lacrymis ubertim obortis, enarrem. *Deinde Victorius hæc Acta tot dialogis ac disputationibus exornat, ut nullum sinceritatis characterem habeant, & vix à prioribus differant, si unum alterumve crassum errorem exceperis. Nihil hîc dicimus de Actis Italicè impressis, quæ ex his duobus Latinis collecta sunt.*

* *id est* fratres

C *quæ circa substantiam rei inter se ferè conveniunt,*

11 *Tertium denique Actorum exemplar ex Ms. codice cathedralis ecclesiæ Sutrinæ ad manus nostras pervenit, estque omnium brevissimum, ex quo præcedentes duo collectores Legendam suam videntur hausisse & amplificasse. Illud post hunc Commentarium typis excudemus, quia reliquis brevius est, etiamsi propterea non tribuamus ei magnam auctoritatem. Porrò ferme eadem est hujus triplicis apographi substantia: nam ubique Claudius Cæsar, Aspasius Comes & Pavo hujus consiliarius in scenam producuntur. Eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum 69 num. 44 refert martyrium* SS. Ptolomæi *&* Romani, *& per Claudium Cæsarem intelligit Neronem Claudium, sicuti suprà monuimus. At Ughellus tomo 1 Italiæ sacræ col. 1023 post Hyacinthum de Nobilibus pag. 29 & Nicolaum Nardinum cap. 1 mortem eorumdem Martyrum anno Christi 51 affixit, & consequenter sub Tiberio Claudio Neronis decessore martyrium illorum collocavit. Multæ difficultates utrique huic sententiæ opponi possent. Sed cum in his tenebris chronologicis, ab ætate nostra tam remotis, ex auctoritate Actorum vel ratiocinio recentium scriptorum, clara lux non sit speranda, cautè superius in margine martyrium istud* seculo primo *consignavimus.*

D

& quorum synopsim damus ex Lectionibus propriis,

12 *Nunc operæ pretium erit hîc transcribere compendium Actorum, ut ante Acta huic Commentario subjungenda videamus, quid ex his admiserit sacra Rituum Congregatio, dum anno Christi 1672 concessit diœcesi Nepesinæ recitandas tres Lectiones proprias, quæ sic sonant:* LECTIO IV. Ptolomæus episcopus, patriâ Antiochenus, sancti Petri discipulus, ab eo Romam ductus, civem Nepesinum & philosophum, Romanum nomine, ad fidem Christi conversum baptizavit, quem postea idem Apostolus Nepetæ episcopum ordinavit, & simul cum Ptolomæo ad prædicandum in ea civitate viciniscque locis Euangelium misit. Quo in munere ambo strenuè laborantes cum multos ad Christum perducerent, ab Aspasio Comite, illius regionis præfecto, unà cum aliis triginta Christianis sub Claudio imperatore comprehensi longoque carcere macerati fuerunt. LECTIO V. Advertens verò Aspasius, nullo modo posse aut minis aut blanditiis servos Dei à Christianæ religionis proposito dimoveri, eos verberibus crudeliter cædi, in equuleo suspendi, unguibus laniari, ac postremò in ardentem rogum conjici imperavit. Illis autem psalmi versiculum TRANSIVIMUS PER IGNEM ET AQUAM recitantibus, ignis repentè exstinctus est, à quo educti ardentiùs in Dei laudes eruperunt. Quod cum præfectus magicis artibus adscriberet, extra Nepetam ducti, glorioſum martyrium capitis obtruncatione subierunt. LECTIO VI. Horum corpora à Savinilla pia muliere aromatibus condita & in crypta prope muros civitatis sepulta fuerunt; quo in loco, templo superexstructo, mille fere & quingentis annis quieverunt, donec Paulo III sedente reperta sunt, vulneribus recenti sanguine madentibus. Hoc autem prodigio motus Pontifex magnificentius templum intra Nepetam exstrui jussit, ad quod postea, Pauli V auctoritate, Ptolomæi corpus translatum summâ fidelium frequentiâ colitur; Romanus verò sub majori cathedralis ecclesiæ ara positus, pari veneratione & concursu honoratur.

E

ad quas alinibus nullam fieri mentionem de episcopali Tuqua annoscia urbe, quæ Pentapolis nominetur, & cui tamus.

13 *Obiter observamus, in his tribus Lectio-*

Ferrarius S. Ptolomæum *episcopum præfuisse affirmat. Præterea hîc expressè dicitur sanctus Apostolus Petrus* S. Romanum *ordinasse episcopum Nepetæ, cum tamen* S. Ptolomæo *nulla determinata sedes assignetur; sed hic tantummodo asseratur ibidem* viciniſque locis *Euangelium prædicasse. Unde in his Lectionibus nihil occurrit, quod adversetur conjecturæ nostræ, ex qua superiùs suspicati sumus,* S. Ptolomæum *fuisse episcopum regionarium, & præsertim curam habuisse de fide Christiana in quinque Tusciæ civitatibus, atque hoc sensu præsulem Pentapolitanum appellari posse. In his Lectionibus etiam nullum fit verbum de Pavone Aspasii Comitis consiliario, qui ab angelo interfectus fuerit, de terræ motu, quem Comes Aspasius ope servorum suorum effugit, & de carnificibus ad fidem Christianam subitò conversis, etiamsi hæc omnia prodigia in ipsis quoque Actis brevioribus post hunc Commentarium prævium edendis diserte narrentur. Ceterùm in ultima Lectione indicatur posthuma* SS. Ptolomæi *&* Romani *gloria, quam paragrapho sequente ex authenticis instrumentis illustrare conabimur.*

F

§ II.

A

§ II. Posthuma horum sanctorum Martyrum gloria, ex authenticis instrumentis probata.

Martyres isti gaudent immemorabili cultu,

Suprà laudatus abbas Lucentius in Italia sacra Ughelli contracta tomo 1 *col.* 1387 *sepulturam & translationem horum duorum præsulum, narrato priùs eorum martyrio, exponit his paucis verbis:* Martyrum corpora Savinilla nobilis matrona condidit in spelunca, donec fidelium pietas eorum nomini templum erexit, ubi ad mille annos (*alii* quingentos *addunt, ut ex sequentibus apparebit*) conquieverunt. Demum Petrus Aloysius Farnesius, Nepis dominus, dum vetustum illud templum everteret, & novis munimentis ipsam civitatem firmaret, sanctorum Martyrum corpora adhuc purpureo madentia sanguine apparuere, ipso Paulo III mirabile spectaculum oculis suis usurpante.

B Sacra pignora in novam sacram ædem intra civitatem deinde recepta sunt anno MDCVI, die XXIV Augusti, quam veluti præcipui tutelares fovent. *Corpus* S. Romani *jam sub ara majori cathedralis ecclesiæ quiescit, ut superiùs in Lectionibus propriis retulimus.*

ut patet ex bulla Pontificia,

15 *Ante illam sacrorum corporum inventionem solennemque translationem celebrabatur memoria* S. Ptolomæi, *quemadmodum liquet ex Bulla Sixti IV Pontificis, quæ in Mss. nostris apographis Nepesinis ita sonat:* Sixtus episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem. Licèt is, de cujus munere venit, ut sibi à suis fidelibus dignè & laudabiliter serviatur, de abundantia suæ pietatis, quæ merita supplicum excedit & vota, sibi bene servientibus multo majora retribuat, quàm valeant promereri; nihilominus tamen desiderantes Domino populum reddere acceptabilem & bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei, quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet & remissionibes invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores.

C

quam Sixtus IV anno 1479 edidit.

16 Cupientes igitur, ut major Nepesina & sancti Georgii, ac, in qua corpus sancti Ptolomæi requiescit, ipsius sancti Ptolomæi extra muros Nepesinos ecclesiæ, ad quas, sicut accepimus, venerabilis frater noster Rodericus episcopus Portuensis, S. R. E. vice-cancellarius magnum gerit devotionis affectum, congruis honoribus frequententur & ornamentis ecclesiasticis fulciantur, & Christi fideles eo libentiùs devotionis causâ confluant ad easdem, ac ad ornamentorum hujusmodi fulcimentum manus promptiùs porrigant adjutrices, qui ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ uberius conspexerint se refertos, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui in sancti Romani & sancti Jeronimi, majorem, & in ipsius sancti Georgii ac sancti Joannis Apostoli & euangelistæ, dicti sancti Georgii, nec non in ipsius sancti Ptolomæi & Epiphaniæ festivitatibus ecclesias prædictas à primis vesperis usque ad secundas vesperas singularum festivitatum hujusmodi devotè visitaverint annuatim, & ad fulcimentum hujusmodi manus porrexerint adjutrices, duodecim annos & totidem quadragenas pro qualibet dictarum festivitatum de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si aliàs visitantibus majorem & sancti Georgii ac sancti Ptolomæi ecclesias prædictas vel ad fulcimentum hujusmodi manus adjutrices porrigentibus, aut alias ibi pias eleemosynas erogantibus, vel aliàs aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura, eisdem majori & sancti Georgii ac sancti Ptolomæi ecclesiis per nos concessa fuerit, hujusmodi relaxatio ac præsentes litteræ nullius existant roboris vel momenti. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCDLXXIX, quinto decimo Kalendas Augusti, Pontificatûs nostri anno octavo.

AUCTORE G. C.

Ex publico Notarii instrumento narratur,

17 *Hæc sanctorum Martyrum veneratio non parum crevit, dum anno* 1540 *sacra eorum corpora inventa sunt, ut narratur in juridico publici notarii instrumento, quod olim ex urbe Nepesina accepimus, & hìc fideliter transcribimus:* In nomine Domini Amen. Præsenti publico extractionis instrumento cunctis ubique pateat evidenter & notum sit, quod anno ab ejusdem Domini nostri Jesu Christi salutifera Nativitate millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Indictione decima quarta, die verò trigesima Julii, Pontificatûs autem sanctissimi in eodem Christo patris ac Domini nostri D. Innocentii divinâ providentiâ Papæ decimi secundi, anno ejus primo; extraxi ego notarius publicus infrascriptus ex quodam libro intitulato DE ROMANA PROVINCIA ORDINIS PRÆDICATORUM composita à R. P. F. Vincentio Maria Fontana, sacræ theologiæ magistro, & mihi notario tradito à R. P. F. Jacobo Salvati Vicario Conventûs S. Ptolomæi Nepetis pro dicta extractione facienda; in quo libro sub folio 215, titulo XXXIII continetur inventio corporum SS. Martyrum Ptolomæi & Romani & triginta & octo sociorum, nec non translatio eorum SS. Martyrum corporum ex catacumba seu crypta Sabinillæ ecclesiæ veteris S. Ptolomæi extra civitatem ad ecclesiam intra civitatem olim sancti Andreæ, deinde sancti Ptolomæi nuncupatam tenoris sequentis videlicet:

E

F

quomodo corpora illorum Martyrum

18 „ Titulus XXXIII, folio 215, de Conven- „ tu sancti Ptolomæi de Nepe. Sanctorum mar- „ tyrum atque episcoporum Ptolomæi & Roma- „ ni, nec non etiam triginta octo aliorùm, qui „ sub Claudio imperatore, à nato Salvatore an- „ no LI, glorioso agone consummato, victores „ cælum conscendêre, corpora in crypta extra „ mœnia Nepesinæ civitatis à Savinilla sancta mu- „ liere recondita sunt, ubi, concessa Ecclesiæ „ tranquillitate, à fidelibus in eorumdem Mar- „ tyrum honorem ecclesia postmodum ædificata „ est. At illâ post secula multa dirutâ, piâ Ne- „ pesinorum curâ crypta, in qua condita erant „ pretiosa corpora, valido muro, ne reperiren- „ tur, occlusa est, parvâ ecclesiâ ex antiqua i- „ bidem reaptatâ, quam anno MDXXXIII, Maii „ XXIX D. Jacobus Bongallus ejusdem civitatis „ episcopus, atque cathedralis ecclesiæ Canoni- „ ci, quorùm curæ commissa erat, Ordini no- „ stro donavere, publico instrumento per Acta „ Petri Pauli de Galeottis confecto, & F. La- „ zaro Scassa de Viterbio ex mandato Magistri „ generalis Joannis de Finario pro Romana pro- „ vincia stipulante atque acceptante.

19 „ Paulo III [Pontifice] maximo regnan- „ te,

AUCTORE G. C.

„ te, cum Petrus Aloysius Farnesius Nepe Dux „ arce civitatem illam communire decrevisset, „ ecclesiam cum annexa domo à Fratribus no- *anno Christi 1540 inventa fuerint,* „ stris inhabitata dirui voluit anno MDXL, nobis- „ que aptiorem locum intra mœnia concessit pro „ altero cœnobio nobis construendo cum eccle- „ sia. In fundamentorum igitur antiquæ ecclesiæ „ eversione murus, quo crypta sanctorum Mar- „ tyrum occlusa erat, corruit, apparueruntque „ sacra pignora, inter quæ eminebat sepulcrum „ ex marmore cum inscriptione, ubi conditum „ quiescebat corpus S. Ptolomæi integrum atque „ incorruptum, recenti sanguine consperſum post „ mille & quingentos circiter annos peracti ago- „ nis, stupentibus cunctis, Deoque gratias agen- „ tibus, qui in Sanctis suis semper est mirabilis. „ Re ad Pontificem Maximum delata, factum „ est gaudium magnum in Romana curia, ex „ qua confluxere cum Pontifice ipso multi ad sa- „ cra corpora invisenda. Ceterùm ut nova san- „ ctis Martyribus construeretur ecclesia, in qua „ decentiori sepulcro cohonestarentur eorum cor- „ pora, idem Paulus Pontifex multas ac singu- „ lares elargitus est indulgentias, adjutrices ma- B „ nus prò illius ædificio porrigentibus, Aposto- „ lico promulgato Brevi „.

ut testatur Paulus III Pontifex,

20 *Habemus in alio instrumento hanc integram Pauli III Pontificis Bullam, quæ valde prolixa est. Quapropter exemplo R. P. Vincentii Mariæ Fontana ex illa tantum damus sequens fragmentum:* Paulus episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem .... Cum itaque, sicut accepimus, nuper, dum prope & extra muros civitatis Nepesinæ foderetur, Altissimo id volente, quadraginta sanctorum martyrum corpora, inter quæ corpus beati Ptolomæi episcopi Nepesini, qui dum in humanis ageret, beati Petri Apostoli discipulus erat, reperta fuere, qui sub quodam fidei Christianæ tyranno, Claudio imperatore, martyrii palmam reportaverint; &, quod mirabile dictu videtur, cum jam annis mille & quingentis vel circa effluxis ab eorum martyrio, vulnera & sanguis in aliquorum eorumdem Sanctorum membris in eorum reperitione liquida apparebant, quæ indicia ipsorum non levia sanctitatis demonstrent &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, sexto Idus Januarii, Pontificatûs nostri anno nono. C

*& postmodum ex ecclesia S. Andreæ, * al.* civitate Nepesina

21 *Deinde laudatus P. Fontana narrationem suam ita prosequitur:* Adfuit & F. magister Thomas de Strozzis Florentinus ex nostris sacrorum corporum inventioni, de quibus in suo impresso Confessionali hæc subdit: " At nuper in Con- „ ventu * Nepesino tanti Martyris & sociorum „ ejus corpora reperta sunt, quæ nunc etiam & „ vulnera & cruoris vestigia gerunt, ut non so- „ lùm sit spectatu mirabile ob tantum temporis „ fluxum, verùm cogitatu etiam jucundum ... „ Hæc animo secum versans sanctissimus Domi- „ nus noster Papa Paulus III, cum fidelibus et- „ iam oculis spectasset, quæ narravimus, tan- „ tarum mirarum reliquiarum [prodigia,] non „ absque spiritu Dei, ut piè credendum est, de- „ crevit in gloriam Dei suorumque glorioſorum „ Martyrum exstrui templum &c „. Ex quibus apparet, eumdem Pontificem accessisse ad Martyrum locum, post cujus accessum occlusa sunt corpora in capsis, nec deinceps patefacta. In vastatione ecclesiæ prædictæ ac domus, in qua quiescebant Fratres nostri, accepere ab episcopo D inhabitandam ecclesiam S. Andreæ cum annexo domicilio intra civitatem, donec Conventus in loco, nobis à Duce Farnesio concesso & ecclesia construerentur, quod non nisi post multos annos præstitum est. Ad hanc igitur ecclesiam delatum est sancti Ptolomæi episcopi corpus in eodem marmoreo tumulo, in quo conditum fuit ab initio, cum corporibus aliorum triginta novem martyrum in septem capsis ligneis occlusis; ubi mansere usque ad annum MDCVI, quo Fratres nostri in novum Conventum transierunt.

ubi per aliquot annos quieverant,

22 Anno MDLXIX F. Camillus Campegius Nepesinus ac Sutrinus episcopus (*Nepesina & Sutrina cathedra ab Eugenio IV Pontifice unita est, cujus unionis authenticum testimonium in Italia sacra novissimæ editionis Venetæ col.* 1030 *& sequente legi potest*) ex Ordine nostro, singulari devotione erga hos sanctos Martyres affectus, eorumdem sacras reliquias venerari cupiens, loculos eorumdem Decembris XXVI aperiri voluit, adstantibus Nepesino ac Sutrino generalibus vicariis suis cum F. Innocentio de Vico, nostro Vicario Nepesino pluribusque aliis, inventaque sunt corpora in cineres redacta, præter scapulam corporis S. Ptolomæi sanguine consperſam, quæ à Fratre Innocentio præfato exstracta in sacrario nostræ ecclesiæ custoditur, publico instrumento hac de re confecto à Petro Salomonio. *Hic omittitur, quod tamen Hyacinthus de Nobilibus in Historia Italica horum Martyrum pag.* 34 *narrat, & in urbe Nepesina tunc publicè innotuisse asserit; videlicet supradictum F. Innocentium propter illam scapulæ exstractionem gravissima infirmitate per quatuor annos afflictum fuisse, & nullum inveniſſe morbo suo remedium, donec has sancti Martyris exuvias chartæ involutas in sepulcrum reponeret, ubi repertæ fuerunt anno* 1606, *quo solennis sacrorum corporum translatio facta est, ut ex eodem instrumento jam referre pergimus.* E

translata sint ad novum templum,

23 Anno MDCVI novâ sancti Ptolomæi ecclesiâ ad perfectionem redactâ, solenni ritu in eam translata sunt sacra corpora die XXIII Augusti, Episcopo, Fratribus nostris, pluribus ex Urbe atque Viterbio concurrentibus, nec non copiosa populi multitudine adstante, atque sub ara maxima collocata sunt, quorum sepulcrum F. Joannes Baptista de Marinis Magister Ordinis anno MDCLXIV exornavit, sancti Ptolomæi statuâ appositâ, reliquis ejusdem ornamentis à Fratre Vincentio Pœsio Vicario confectis. *Denique notarius publicus authenticam hujus instrumenti fidem confirmat hac consueta clausula:* Ego Angelus Savus civis Nepesinus, publicus Dei gratia & Apostolica auctoritate notarius, in archivio Romanæ curiæ descriptus, supradicta omnia extraxi ex supradicto libro, ut suprà mihi exhibito, & postea eidem restituto, factaque priùs collatione, concordare inveni. Ideo scripsi, subscripsi, & publicavi, meoque solito signo signavi requisitus. F

in quo publicum miraculum contigit.

24 *Laudatus Hyacinthus de Nobilibus in Historia eorumdem Martyrum pag.* 35 *illam translationis solennitatem distinctiùs describit, & ibidem miraculum, quod eo tempore contigit, Italicè narrat in hunc ferè modum: Cum puer, nomine Joannes Baptista, filius Octavii Cerbelli Capitanei Nepesini, propter lapsum ex alto loco ita esset læsus, ut per aliquot annos usu pedum careret, auditâ memoratæ translationis famâ, firmiter sperare cœpit, sese per intercessionem* S. Ptolo-

A S. Ptolomæi *priſtinæ valetudini reſtituendum eſſe. Conceptâ igitur magnâ fiduciâ, ope aliorum puerorum ſodalium ſeſe ad eccleſiam deduci juſſit, ubi ante reliquias ſancti Martyris aliquamdiu orans, ſtatim ultro in pedes erigitur coram omni populo, & ſine ullo ſodalium auxilio lætus domum redit, beneficium ſibi meritis ſancti Martyris collatum ubique divulgans. Notiſſimum eſt iſtud miraculum, inquit R. P. Hyacinthus, cum vivant adhuc filius & pater, qui ad gloriam Dei & honorem ſancti Martyris non ſine piis lacrymis illud beneficium mihi & aliis multis narravit. Præterea fulcrum, quo puer ſe ſuſtentare conſueverat, ad perpetuam rei memoriam tumulo Sancti appenſum eſt. Ecce omnia, quæ de ſanctis iſtis Martyribus & Epiſcopis colligere potuimus. Itaque jam tantùm reſtat, ut exhibeamus breviora eorum Acta, quemadmodum ſuprà promiſimus, & ea ſolitis annotatis illuſtremus.*

ACTA

B

auctore anonymo incerti temporis

Ex Ms. Codice cathedralis eccleſiæ Sutrinæ, quem cum aliis Mss. contulimus.

Dum ſacerdotes ethnici Chriſtianos accuſant,

Tempore, quo Claudius *a* Cæſar revertebatur de prælio de partibus Aquilegæ *b*, occurrerunt ei obviam templorum pontifices civitatum Tuſciæ dicentes: Piiſſime imperator & ſemper auguſte victor, triumphator omnium gentium, quæ in toto orbe degunt, potentiaque terrarum; pro certo tua ſciat magnificentia; dii omnipotentes indignati ſunt propter nefandos & perfidos Chriſtianos, qui irrident & inſultant ſacrificiis noſtris, per quos mundus floret & Reſpublica vincit, & imperium tuum augetur. Reſpondit Claudius Cæſar & dixit: Et ſunt in iſtis

C civitatibus perfidi Chriſtiani? Reſpondit unus ex ſacerdotibus civitatis Pentapolim *c*, nomine Porphyrius, & ait: Hîc namque in noſtra civitate ſuburbana Pentapolim eſt quidam exſecrator, & injurias deorum exercens, quotidie ſeducens populos per magicas incantationes ſuas; nomine quidem nuncupatur Ptolomæus *d*, & habet ſecum ferè diſcipulos triginta, & ipſi diſcipuli ejus ſimiles ſunt ei effecti, & faciunt quotidie multa mirabilia per invocationem illius, neſcio cujus crucifixi, quem Judæi in cruce ſuſpenderunt. Hunc colunt iſti magi, & omnis populus accurrit ad eos. Sed jubeat pietas veſtra, ut thura offerant, & ſacrificent diis, ut non pereat civitas ſervilis veſtra.

a
b
c
d

hi duo Præſules comprehenduntur unà cum diſcipulis ſuis,

2 Tunc placuit conſilium ejus Cæſari, & vocavit ad ſe Comitem Aſpaſium *e* atque tribunum civitatis Pentapolim & Tuſciæ, & dixit ei: Vade & compelle eos, ut ſacrificent diis omnipotentibus, & offerant thura libaminis; ſi verò noluerint, diverſis eos pœnis exanima; ſi autem ſacrificaverint, honoribus & magnis divitiis eos amplifica. Et tunc propoſuit edictum Claudius Cæſar, ut ubicumque Chriſtiani eſſent inventi, tam in caſtris quàm in civitatibus urbanis ſine auditione punirentur; qui verò ſacrificaverint, honoribus magnis & divitiis amplientur. Eodem tempore in civitate Nepeſina erat præſul Romanus *f* epiſcopus, qui fuerat diſcipulus ſancti & venerabilis Ptolomæi epiſcopi; ſanctitate quidem plenus, omni gratia Dei ſuperabundans pauperes alebat, infirmos ſanabat, paralyticos curabat, & omnes infirmitates in Chriſti nomine ſolo ſermone pellebat. Veniens autem Aſpaſius Comes atque tribunus in ſuam civitatem Pentapolim, miſit milites, & tenuit noctu beatum Ptolomæum epiſcopum, quem invenerunt cum beato Romano in oratione cum aliis presbyteris & diaconibus, ſimiliter & clericis, qui in vigiliis & hymnis Deo gloriam præbebant. Et erant omnes in Chriſto credentes numero triginta duo. Tunc apprehenderunt eos omnes, atque duxerunt ante Comitem.

e

A. ANONYMO.

f

qui ad præſidem adducti;

3 Tunc juſſit Comes Aſpaſius omnem militiam & omnem populum ejus civitatis Pentapolim ad eorum ſtare ſpectaculum, & juſſit ſibi præſentari tribunal in foro Comes Aſpaſius. Cumque ſediſſet pro tribunali, juſſit omnes vinctos adduci. Et veniebant ſancti Martyres in catenis

E pſallentes: Via juſtorum recta facta eſt; iter Sanctorum præparatum eſt. Et tunc Comes audiens eos pſallentes dicit ad conſiliarium ſuum, nomine Pavonem: Quid dicunt iſti? Reſpondit autem Pavo, & dixit: Ecce decantant artes magicas, ut poſſint te ſuperare. Tunc dixit eis Comes: Quis veſtrûm eſt prior? Reſponderunt omnes & dixerunt: Nos habemus dominum & patrem te fortiorem, & ſanctiſſimum epiſcopum Ptolomæum, & alium epiſcopum diſcipulum ejus dominum Romanum. Sanctitate quidem incomparabiles ſunt, & omnium potentiores in virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti.

fidem Chriſti intrepidè tuentur,

4 Tunc iratus Comes juſſit ab eis ſeparari beatum Ptolomæum & Romanum epiſcopum, quibus dixit Comes: Sacrificate diis omnibus, & eſtote amici Cæſaris, & primi ſacerdotes deorum noſtrorum, & magnis divitiis amplificamini. Reſpondit autem Ptolomæus & dixit: Nos quidem ſervi ſumus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & numquam inclinamus cervices noſtras vanis lapidibus & dæmoniis, quia teſtatur Scriptura dicens: Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis; & tu dicis, ut lapi-

F dibus immolemus ſacrificium, qui nec ſibi nec aliis poſſunt præſtare beneficia, &, ſi das nobis poteſtatem, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti incendimus eos. Tunc audiens Comes hæc, in iram ſuam exarſit, & juſſit eos in equuleo ſuſpendi, & dum diu torquerentur, pſallebant Martyres & dicebant: Miſerere nobis, Domine, miſerere nobis, quia multum repleti ſumus deſpectione, & multùm repleta eſt anima noſtra laude tua, Domine.

& poſt varia tormenta

5 Torquebantur autem Martyres ſancti in equuleo Ptolomæus & Romanus epiſcopus, & nihil aliud clamabant niſi; Chriſte, adjuva ſervos tuos. Et juſſit afferri laminas ferreas & ungues, ut raderent eorum latera, ut exhalarent ſpiritus eorum. Cumque vidiſſent præparata talia tormenta, pendentes in equuleo oraverunt dicentes: Domine Jeſu Chriſte, Fili Patris unigenite, qui veniſti fractum mundum conſolidare, & cæco ſeculo lumen dare, ut cognoſcat omnis caro, quia tu es lumen verum, qui liberaſti Danielem de lacu leonum, libera & nos ſervos tuos de manibus iſtius tyranni, & mitte angelum tuum, qui exſtinguat eum *g*, & omnes manum mittentes in

g

A. ANONYMO.

nos, & patrem ejus diabolum cum angelis ſuis. Et ſubitò pendentes in equuleo, factus eſt terræ motus magnus. Angelus autem Domini, qui cuſtodiebat eos, percuſſit conſiliarium ejus, nomine Pavonem. Videns autem Comes terræ motum, fugit per manum *h* ſervorum ſuorum de foro, & Pavonem reliquit mortuum jacentem in foro; & cum fugiſſet Comes, juſſit eos retrudi in carcerem uſque dum pertractaret, quali morte eos diſperderet.

h

aliorumque martyrium,

6 Et juſſit omnes martyres, qui cum beato Ptolomæo & Romano erant, vinctos duci foras muros civitatis Pentapolim, & decapitari. Ambulabant autem martyres & gaudentes & pſallentes: In manibus tuis, Domine, tempora noſtra; Domine, ſuſcipe in pace ſpiritum noſtrum. Tunc ſpiculatores fecerunt ſicut præceptum fuerat, & decollaverunt eos IX Kal. Septembris *i*. Reverſi verò ſpiculatores ad Comitem Aſpaſium nuntiaverunt ei dicentes: Vidimus viros ſtantes juxta eos in veſtibus albis, & mox timor & tremor apprehendit nos, & ſtatim credidimus Chriſto; & neſciebamus, quod iſti verum Dominum colerent, & nos Dominum Jeſum Chriſtum colimus, & ipſi ſoli ſervimus; etſi juſſeris nos interfici, numquam ſacrificabimus dæmoniis. Tunc Comes dixit: Si iſti exſtincti non fuerint, per eos multi ſeducentur, & varia populi acclamatio erit, & ſeditio fiet in populo. Tunc juſſit eos capite truncari; [quorum corpora collegit matrona Savinilla Chriſtianiſſima, & ſepelivit martyres Chriſti in prædiolo ſuo non longè ab urbe Pentapolim, promiſcui ſexus *k* numero octo: ibidem enim reconditi alii triginta martyres Chriſti, qui antea fuerant paſſi, clerici Chriſti *l* in interiori loco.

i

B

k

l

m in igne illæſi perſiſtunt,

7 Poſt dies autem triginta duos *m* juſſit impiiſſimus Comes, ut ſancti martyres Ptolomæus & Romanus epiſcopi ei præſentarentur in foro. Tunc juſſit Comes clibanum in medio foro accendi, & præcepit, ut ligatis manibus jactarent eos in ignem. Cumque adduxiſſent eos miniſtri diaboli, ut mitterent eos in ignem, dicit eis Comes: Ecce nunc conſiliarium meum interfeciſtis per magicas incantationes veſtras. Quid amplius eſtis facturi? Non effugietis de manu mea per deos magnos. Et cum vidiſſent ignem ſancti martyres Ptolomæus & Romanus epiſcopi dixerunt: Tranſivimus per ignem & aquam, & introduxiſti nos in refrigerium. Domine, tu exſtingue hanc flammam ignis iſtius. Et dum jactaſſent eos miniſtri in ignem, fecerunt ſibi ſignaculum crucis in frontibus ſuis, & ſubitò exſtinctus eſt ignis, ita ut nec ſignum aliquod fuiſſet inventum de igne. Tunc ſancti Martyres Chriſti dixerunt ad Comitem: Canis rabide *n*, laudamus frontem tuam. Sanctos omnes, qui erant nobiſcum, interfeciſti pro Chriſti nomine. Ecce nobis præparaſti incendium, quod non tetigit niſi te & patrem tuum diabolum.

C

n

& ambo tandem capite truncantur.

8 Tunc Comes videns quia publicè eum confundebant, iratus vehementer juſſit eos decollari ante portam triumphalem. Statim autem ambulaverunt ſpiculatores ad decollandum eos: ibant enim martyres Chriſti Ptolomæus & Romanus epiſcopi gaudentes & pſallentes: Tu mandaſti mandata tua, Domine, cuſtodiri nimis. Utinam dirigantur viæ noſtræ in conſpectu tuo, Domine. Et dantes ſibi oſculum, oraverunt pariter dicentes: Domine Jeſu Chriſte, non ſecundùm peccata noſtra retribuas nobis; ſed mitte angelum tuum, qui ſuſcipiat ſpiritum noſtrum. Et dum compleſſent orationem, ſpiculatores decollaverunt eos nono Kalendas Septembris; quorum corpora collegit beata Sabinilla chriſtianiſſima, & ſepelivit eos in eadem crypta, ubi alii ſancti martyres ſunt reconditi. Sepelivit autem cum pueris ſuis beatum Ptolomæum epiſcopum in ingreſſu cryptæ, & beatum Romanum in interiori loco, ubi florent orationes eorum uſque in hodiernum diem, præſtante domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen] *o*.

D

o

ANNOTATA.

a *Eminentiſſimus Baronius putat, hîc Claudium Neronem deſignari. Sed Tiberium Claudium Neronis deceſſorem intelligunt omnes illi ſcriptores, qui martyrium horum Præſulum anno Chriſti* 51 *affigunt, ut numero undecimo Commentarii prævii monuimus.*

b *In aliis Mss. legitur* Aquilegiæ, *qua voce veroſimiliter aſſignatur Aquileia, olim celeberrima Italiæ urbs, quæ nunc poſt varias ruinas exciſa eſt.*

E

c *Hæc epiſcopalis urbs Tuſciæ, nomine* Pentapolis, *omnibus antiquis & fide dignis ſcriptoribus ignota eſt. Quapropter in Commentario prævio potius ex etymologia Græca ſuſpicati ſumus, hoc nomine indicari quinque civitates Tuſciæ, ſicut alibi in Italia ſimilis quinque urbium tractus eodem modo* Pentapolis *appellatur.*

d *In quodam Ms. Codice hic Sanctus ſemper* Thalamæus *vocatur. At nos communiorem ſcribendi modum ſecuti ſumus.*

e *Nomen hujus Comitis aut præfecti Tuſciæ in antiquis monumentis fruſtra quæſivimus.*

f *Hic ab Ughello numeratur primus epiſcopus Nepeſinus; alii tamen ei adjungunt in hoc officio* S. Ptolomæum, *quod nobis non placet, ut in Commentario prævio diximus.*

g *Hæc oratio nobis diſplicet, quia martyres potius converſionem ſuorum perſecutorum quàm mortem eorum à Deo petere ſolebant.*

h *Hoc loquendi modo biographus ſignificare vult, Aſpaſium ope ſervorum ſuorum terræ motum evaſiſſe. Sed non videmus, quid in terræ motu auxilium ſervorum domino prodeſſe poſſit.*

F

i *In alio Ms. codice melius legitur:* undecimo Kalendas Auguſti. *Nam martyres illi multis diebus ante duos iſtos Epiſcopos capite truncati fuerunt, ut ex ſequentibus patebit.*

k *Cum in aliis Actis ſpiculatores illi ad fidem converſi vocentur* milites, *non intelligimus, quid promiſcuus ſexus hîc ad rem faciat.*

l *Hæc obſervatio præcedens confirmatur ex eo, quod alii triginta martyres hoc loco* clerici *nominentur.*

m *Hinc liquet, Martyres illos circa* XXI *diem Julii paſſos eſſe, cum triginta duobus diebus hos ſanctos Epiſcopos præceſſerint.*

n *Hæc dura increpatio non videtur ſatis convenire ſanctis hiſce Præſulibus, qui manſuetudinem Chriſti procul dubio imitari conſueverant.*

o *Cum apographum noſtrum Sutrinum hîc lacunis ſcateret, illam Actorum partem ex alio codice ſupplevimus ac uncis incluſimus.*

A D

DE S. EUTYCHE, SIVE EUTYCHO

DISCIPULO SANCTI JOANNIS EUANGELISTÆ ET APOSTOLI PAULI,

DISQUISITIO HISTORICO-CRITICA. G. C.

§ I. An hodiernus ille Sanctus ſit diverſus ab homonymo, de quo Majores noſtri olim egerunt.

EXEUNTE SECULO I AUT INEUNTE II. *Papebrochius diſtinguit duplicem S. Eutychum,* B

Papebrochius noſter ad diem XXVIII *Maii egit de S. Eutychio ſive Eutyche martyre & epiſcopo Melitenæ in Armenia minore, quem ab hodierno ejuſdem nominis Sancto diſtinctum putat, ut ibi tomo* VI *iſtius menſis pag.* 734 *monet his verbis:* Qui ei à Græcis decantatur Canon, ipſo ſtatim principio & alibi Apoſtolorum diſcipulum facit; quod licèt ei commune ſit cum ſancto Eutyche diſcipulo ſanctorum Joannis Euangeliſtæ & Pauli, cui idem planè accinitur diſtichon, & qui in eadem minori Armenia colitur XXIV Auguſti; quia tamen in civitate diverſa, videlicet Sebaſte, & confeſſor iſte obiiſſe dicitur, hunc, qui ut hieromartyr proponitur, diſtinguimus ab altero, licèt non ſine formidine, ne nota temporis ab uno perperam tranſierit ad alium.

quem alii eumdem ſuſpicantur,

2. *Quod ad titulum hieromartyris attinet, illum etiam hodierno* S. Eutycho *Græci tribuunt in Menæis magnis, ubi die* XXIV *Auguſti eum ſic annuntiant:* Τῷ ἁγίῳ ἱερομάρτυρος Εὐτυχῆς, μαθητῇ ϗ ἁγίῳ Ἰωάννῃ ϗ Θεολόγῳ. *Id eſt:* Sancti hieromartyris Eutychis, diſcipuli ſancti Joannis Theologi. *Deinde poſt Officium ſolenne, quo feſtum hujus* S. Eutychis *celebrant, eamdem annuntiationem ferè repetunt hoc modo:* Τῷ αὐτῷ μηνὶ, κδ', μνήμη ϗ ἁγίου μάρτυρος Εὐτυχῆς μαθητῇ ϗ ἁγίου Ἰωάννου ϗ Θεολόγου, καὶ ϗ ἁγίου ἀποστόλου Παύλου. *Id eſt:* Eodem menſe, XXIV *die*, memoria ſancti martyris Eutychis, diſcipuli ſancti Joannis Theologi & ſancti apoſtoli Pauli. *Huic ultimæ annuntiationi ſubjunguntur iidem duo verſiculi, qui die* XXVIII *Maii in Menæis de S. Eutychio præſule Melitenæ referuntur, & quos Papebrochius ibidem explicuit. Hæc aliaque inferiùs referenda favent identitati utriuſque Sancti, & ideo forſan Caſtellanus die* XXIV *Auguſti ad annuntiationem Martyrologii Romani Gallicè verſam in margine interrogat, an hodiernus* S. Eutychus *ſit idem cum illo, quem Græci die* XXVIII *Maii colunt.* C

cujus opinioni favet Menologium Baſilianum,

3. *At ſi conſulamus elogia ſive compendia Actorum, quæ Græci de hodierno* S. Eutycho *narrant, ab altero ejuſdem nominis martyre videtur diverſus eſſe, ac in patria vitam tranquillè ſine martyrio vel violenta morte finiviſſe. Certè Menologium Baſilii imperatoris, quod anno* 1727 *Urbini Græco-Latinè vulgatum, & interdum ab editoribus aliunde ſuppletum eſt, die* XXIV *Auguſti de Sancto noſtro Sebaſtopolitano habet ſequentia:* Eutychius Chriſti martyr Sebaſtopoli natus, propter Chriſti deſiderium, patriæ ac parentibus nuntio remiſſo, ſeceſſit ad Joannem Theologum, & illius evaſit diſcipulus; cujus ipſe virtutem imitatus, Dei gratiâ repletus fuit, divinoque zelo commotus, erroris munitiones evertit, idolorum fana ſolo æquavit, & infideles ad Chriſtum convertens baptizavit. Poſt Theologi autem tranſitum, diſcedens ad ſanctum Paulum, paſſus eſt ſimul cum eo vincula, tormenta, atque flagella; & in fornacem etiam injectus, pluvia deſcendente, illamque exſtinguente, exiit illæſus; ac belluis traditus vorandus, nullam ab eis læſionem accepit. Exinde à Dei angelo ductus, Epheſum proficiſcitur, & ſui magiſtri grege reviſo, iterum in propriam ſe contulit civitatem, ubi plenus dierum requievit. *Nunc aliqua circa iſtud elogium notanda occurrunt.* E

quod aliunde ſuppletum eſt,

4. *Imprimis illud elogium non invenimus hac die in Synaxario Cryptæ-Ferratæ, quod ex Menologio Baſiliano collectum eſt, & cujus partem poſt tomum primum Auguſti pag.* 663 *& ſequentibus Græcè edidimus. Unde ſuſpicamur, id ex alio quodam Menologio Græco deſumptum eſſe, quod utinam editores Romani diſtinctè aſſignaſſent. Hi noviſſimi editores in præfatione ante partem primam Menologii Baſiliani quidem monent, quòd, ob avulſa quædam vetuſti codicis folia, dies aliquot, ex Menæis excuſis deſcriptos Latinéque verſos adjecerint. Sed oportet hoc elogium aliunde excerptum fuiſſe, quandoquidem illud cum Menæis impreſſis accuratè non convenit, ut inferiùs ex Latina eorum interpretatione manifeſtum fiet. At undecumque iſtud elogium prodierit, duas difficultates in eo occurrentes obſervamus, ac diſcutere conamur.* F

in quo diffinominetur martyr, *cultates aliquas,*

5. *Prima eſt, quod hic Sanctus initio elogii rediiſſe, ibique plenus dierum requieviſſe, vel naturali morte ad Superos migraſſe, cum tamen plerumque tantùm martyres appellentur illi, qui pro fide Chriſtiana ſanguinem fundunt, aut ex illatis tormentis vulneribuſque exſpirant. Verùm hæc conciliari poſſunt, ſi titulus* martyris *minus ſtrictè uſurpetur, & etiam tribuatur iis, qui pro fide Chriſtiana paſſi ſunt tormenta vel vincula, quamvis ea poſtmodum evaſerint. Unde* S. Eutychus *latiori modo martyr dici poteſt, eo quòd pro nomine Chriſti vincula & flagella ſuſtinuerit, & poſtea flammas ac feras illæſus evaſerit, ut in relato Actorum compendio narratur.*

quæ ſeſe offerunt,

6. *Sic S. Joannes apoſtolus à Gregorio Nyſſeno in altera laudatione ſancti Stephani, quam Laurentius Alexander Zacagnius Vaticanæ bibliothecæ præfectus anno* 1698 *Romæ edidit, inter Collectanea monumentorum veterum tomo* I *pag.* 340 martyrum choris annumeratur, *etiamſi Romæ*

AUCTORE G. C.

Romæ illæſus exiverit ex dolio ferventis olei vel aquæ, ut hìc legitur: apud æquos enim rerum æſtimatores, *ut ibidem ſanctus Gregorius ſubjungit*, non ex paſſionis eventu, ſed ex deſiderio liberè eligentis voluntatis de martyrio exiſtimatur. *Hinc etiam S. Auguſtinus ſermone* 106 *de Diverſis cap.* 4, *ſive in editione Plantiniana Antverpienſi tomo* 10 *Operum ejus pag.* 579 *ſic loquitur:* Non enim, quia Joanni apoſtolo paſſio defuit, ideo paſſioni animus præparatus deeſſe potuit. Non eſt paſſus, ſed potuit pati. Præparationem ejus Deus noverat; quemadmodum tres pueri arſuri miſſi ſunt, non victuri. Negabimus eos martyres, quia flamma eos urere non potuit? Interroga ignes; paſſi non ſunt. Interroga voluntatem; coronati ſunt. *Ex his patet, quo ſenſu Sanctus noſter vocari martyr poſſit.*

diſſolvere nitimur;

7 *Altera difficultas in eo conſiſtit, quod* S. Eutychus *ab editore Menologii dicatur poſt ſancti Joannis* tranſitum (*Græce* μῆ ὃ ἡ μετάϛασιν ϗ Θεολόγ legitur) *ad S. Paulum Apoſtolum diſceſſiſſe: ſi enim vox Græca* μετάϛασις *hoc loco ſignificet obitum vel exſilium, in qua ſignificatione ſæpius accipitur, chronologia non coharet,* B *cum S. Paulus diu ante exſilium vel mortem ſancti Joannis martyrio coronatus fuerit. Neque hanc difficultatem tollit vox Latina* tranſitus, *quæ etiam pro morte vel obitu interdum ſumitur. Debuiſſet itaque Latinus interpres clariori modo mentem ſuam explicare. Cum tamen vox Græca* μετάϛασις *etiam tranſpoſitionem vel mutationem ſignificare poſſit, auctorem Græcum hujus elogii benigne interpretari volumus, & libenter illam vocem accipiemus pro quadam S. Joannis peregrinatione vel expeditione apoſtolica, poſt quam* S. Eutychus *ad ſanctum Paulum apoſtolum diſceſſiſſe potuit.*

ſed Menæa Græca nec ſecum,

8 *Non tam facilè conciliabimus impreſſa Græcorum Menæa, quæ ſibi manifeſte contradicunt. Accipe ſpecimen hujus contradictionis ex eccleſiaſtico eorum Officio, in quo hodie recitant,* S. Eutychum *poſt tolerata vincula & flagella, devictaſque flammas & feras tandem capite plexum fuiſſe, illumque proprio ſuo ſanguine, veluti divino curru, ad cælos evectum eſſe. Nunc audi & expende illa, quæ ibidem in elogio ejuſdem narrant hoc modo:* Hic gratiâ Dei plenus ſancto C Paulo apoſtolo adhæſit. Deinde Tomos ad prædicationem Euangelii profectus, templa idolorum evertit, & vincula verberaque toleravit. Diu in carcere affl ctus, in eo panem cælitus accepit. Igni injectus & in eſcam datus eſt feris, ex quibus una, loquens humana voce, omnes obſtupefecit. Poſt hæc omnia ſuperata, angelo deducente illumque confortante, rediit in patriam ſuam Sebaſten, in qua plenus dierum requievit in Domino. *Hunc incolumem* S. Eutychi *reditum in patriam & quietum in ea obitum Græci combinent cum ſupradicta capitis ejus amputatione, ſi poſſint. Etiam meminerint probare prodigioſam loquelam illarum ferarum, quas in Menæa ſua ſæpius inducunt: nam ſine certiori teſtimonio incredibilia hujuſmodi potenta relegabimus ad fabulas Æſopi, in quibus beſtiæ colloquuntur.*

nec cum Latinis Martyrologiis conciliare poſſumus,

9 *Interea conſulamus Martyrologos Latinos, qui eumdem Sanctum tamquam confeſſorem annuntiant. Inter illos Galeſinius die* XXIV *Auguſti eum exornat hoc elogio:* In Græcia ſancti Eutychii, beati Joannis Euangeliſtæ diſcipuli, qui prædicationis causâ, multis peragratis provinciis, & divina ejus prece everſis idolorum templis, in carcerem detruſus, verberibus affectus, & in ignem poſitus, ab omni periculo divinitus ereptus, ſanctè mirificéque factorum gloria clarus, obdormivit in Domino. *Simile ejuſdem Sancti elogium ſine loco mortis in hodierno Martyrologio Romano legitur ita contractum:* Eodem die, ſancti Eutychii, diſcipuli beati Joannis Euangeliſtæ, qui ob Euangelii prædicationem in multis regionibus carceres, verbera & ignes perpeſſus, in pace tandem quievit. *Galeſinius & Baronius in notis ad has annuntiationes, aſſignant monumenta Græca, ex quibus hanc Sancti notitiam videntur hauſiſſe. Sed quomodo Latinas illas annuntiationes conciliabimus cum titulo hieromartyris & memorato capitis ſupplicio, quod Menæa excuſa huic hodierno* S. Eutycho *adſcribunt, niſi rotundè dicamus, Græcos ſecum pugnare, vel in aſſerendo hujus Sancti martyrio turpiter hallucinatos eſſe?* D

& argumenta præcipua,

10 *Propterea de duplicato perperam uno eodemque Sancto redit noſtra ſuſpicio, & ideo hìc accuratiùs expendemus argumenta, quæ identitati utriuſque favent aut adverſantur In Officio eccleſiaſtico S. Eutychii, quod Græci in Menæis impreſſis ad diem* XXVIII *Maii celebrant, apud nos tomo* VI *iſtius menſis pag.* 734 *Sanctus ille* E *dicitur* ab Apoſtolis Chriſti diligentiſſimè inſtitutus, & ad ſupremam provectus ætatem. *Pagina ſequente ſic iterum laudatur:* Divina fide & gratia repletus, ô glorioſe, ſalutare verbum cum Apoſtolis prædicaſti, diſſipans denſiſſimas impietatis tenebras. *Hæc ætas etiam Sancto noſtro hodierno convenit, & ex ea liquet, erraſſe Galeſinium, qui die* XXVIII *Maii martyrium prioris Eutychii uſque ad tempora Gordiani imperatoris diſtulit.*

quæ identitati utriuſque Sancti favent,

11 *In eodem Menæorum canone vel Officio nullum ſit verbum de patria iſtius ſancti Eutychii, de palæſtra martyrii aut dignitate epiſcopali, quamvis ei ſubnectatur hæc annuntiatio:* Τῷ αὐτῷ μηνὶ, κή, ϗ ἁγίου ἱερομάρτυρος Εὐτυχοῦς, ἐπισκόπου Μελιτηνῆς. *Id eſt:* Eodem menſe, *die* XXVIII, ſancti hieromartyris Eutychis, epiſcopi Melitenæ. *Dein ſequuntur duo verſiculi Græci, in quibus ad nomen Eutychis vel Eutychii frigidè alluditur, ut Papebrochius noſter tomo* VI *Maii pag.* 734 *ſatis explicuit. At iidem illi verſiculi die* XXIV *Auguſti in Menæis recurrunt, & hodierno Sancto noſtro rurſus aptantur. Cete-* F *rùm in Menologio Baſiliano, Slavo Ruſſico, & Martyrologio Romano ad diem* XXVIII *Maii nulla occurrit mentio de S. Eutyche vel Eutychio epiſcopo Melitenæ, quamvis ad diem* XXIV *Auguſti in his monumentis annua* S. Eutychi *noſtri memoria celebretur, ita ut Martyrologi illi tantummodo unum celebrem iſtius nominis Sanctum videantur agnoviſſe. Primus è Latinis Martyrologis Galeſinius, quantum hactenus ſcimus, haud dubiè Menæa vel recentiores Græcos ſecutus, die* XXVIII *Maii ſanctum Eutychum epiſcopum Melitenæ, & die* XXIV *Auguſti Sanctum noſtrum hodiernum diſtincto elogio annuntiavit. Hæc omnia maturè conſiderata, confuſioni vel identitati utriuſque Sancti patrocinantur. At jam proferamus ea, quæ huic identitati repugnant.*

& eidem adverſantur,

12 *Imprimis excuſa Græcorum Menæa diverſis diebus hos Sanctos homonymos ſingulari ac diſtincto Officio eccleſiaſtico celebrant. Die* XXVIII *Maii indicant, epiſcopum Melitenæ in aqua martyrium conſummaſſe, ut colligitur ex his Officii verbis:* Mari demerſus, ô beate Eutychi, inimici myriades demerſiſti ... Religatis manibus clauſus, miſſuſque in profundum, felicem finem

in

AUCTORE G. C.

§ II. An Sanctus hodiernus ſit idem cum illo adoleſcente, quem ex lapſu mortuum ſanctus Paulus Apoſtolus Troade ad vitam revocavit.

S. Paulus Eutychum quemdam vitæ reſtituit,

S*Anctum Lucas in Actibus Apoſtolorum cap.* 20 *narrat ſequentia:* Nos verò navigavimus poſt dies azymorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati ſumus diebus ſeptem. Una autem ſabbati, cum conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis profecturus in craſtinum, protraxitque ſermonem uſque in mediam noctem. Erant autem lampades copioſæ in cœnaculo, ubi eramus congregati. Sedens autem quidam adoleſcens, nomine Eutychus, ſuper feneſtram, cum mergeretur ſomno gravi, diſputante diu Paulo, ductus ſomno cecidit de tertio cœnaculo deorſum, & ſublatus eſt mortuus. Ad quem cum deſcendiſſet Paulus, incubuit ſuper eum; & complexus dixit: Nolite turbari; anima enim ipſius in ipſo eſt... Adduxerunt autem puerum viventem, & conſolati ſunt non minimè. *Hîc vides, adoleſcentem illum, quem ſanctus Apoſtolus Paulus vitæ reſtituit, Eutychum nominari.*

quem Raderus hodiernum eſſe conjicit.

16 *Ex hac nominis ſimilitudine Raderus noſter conjectat, hunc adoleſcentem non eſſe diverſum ab hodierno noſtro* S. Eutycho, *& hac die in Mss. obſervationibus ad Menæa Græca, citato ſancti Lucæ textu, conjecturam ſuam proponit his verbis:* Hunc ergo Paulus rurſus in vitam excitavit, qui videtur poſtea Paulum ſecutus, &, capto Paulo, Joannem. Enimverò conjectura eſt, non affirmatio contentioſa, quamvis meo quidem animo propè certa: nam & nomen convenit, & adoleſcens cum aliis in multam noctem de rebus cæleſtibus & fide diſputantem audiit, & lapſu exſtinctus ab eodem in vitam eſt revocatus. Quid mirum, ſi illi poſtea velut alteri parenti ſemper adhæſit? *Nihil quidem in hac adhæſione miri eſt; ſed magnopere miramur, noſtrum* S. Eutychum *civem Sebaſtopolitanum, qualis in Menologio Baſiliano & Menæis Græcis appellatur, Troadem veniſſe, ut ſanctum Apoſtolum Paulum de fide diſputantem vel concionantem audiret. Nobis itaque veroſimilius apparet, hunc Eutychum adoleſcentem, quem S. Paulus à morte excitavit, incolam vel accolam Troadis fuiſſe.*

Tamayus hanc conjecturam avidè arripit,

17 *Licuit Radero candidè conjecturam ſuam eruditis examinandam proponere. Sed Hiſpani quidam fabulatores hanc veluti ſententiam certam nobis obtruſerunt, & incautos fallere conati, martyrium hujus Eutychi ad majorem patriæ ſuæ gloriam in Hiſpania collocarunt. Inter hos Joannes Tamayus Salazar die* XXIV *Auguſti in Martyrologio ſuo Hiſpanico confidenter more ſuo ſic illum annuntiat:* Telæ in Vaccæis Hiſpaniæ, ſancti Eutychii martyris, qui cum primùm Paulo adhæſiſſet, quo è vivis ſublato, poſtmodum Joannis Apoſtoli quæreret magiſterium, ejus doctrinam diſcipulus exaudire promeruit, à quo in gentium prædicationem dimiſſus, innumeras peragravit provincias, donec Hiſpanias adiens, ibidem martyrio coronatus occubuit. *Quis non crederet, hîc nobis folium Sibyllæ recitari?*

A in ipſo excepiſti. Innotuerunt, ô glorioſe, viæ tuæ in aquis, in quibus prudenter vitam finiens, ſuffocaſti, ô ſapiens martyr, ſuperbum cum toto ſuo exercitu tyrannum.... Verbum, quod nullum habet initium, prædicans, Eutychi, culeo tamquam arcæ immiſſus es, & profundo traditus, ad ſalutis portum appuliſti... Tamquam oblationem tradidiſti, ô beate, animam tuam Deo, in mediis quidem aquis finem divinum ſortitus, deinde verò ad torrentem voluptatis locatus es. *Cum ex repetitis illis Sancti laudibus abundè conſtet de genere martyrii, diſcere cuperemus, qua auctoritate Galeſinus illud mortis genus mutaverit, ac die* XXVIII *Maii eumdem Sanctum ita annuntiaverit:* Melitinæ ſancti Eutychii epiſcopi & martyris, qui, Gordiano imperatore, religionis causâ ſuppliciis variis tortus, demum ſecuri percuſſus cæleſtem coronam accepit. *Si verò epiſcopus ille Melitenæ ſub imperatore Gordiano martyrium ſubiiſſet, clara eſſet utriuſque Sancti diſtinctio. Sed hic eſt craſſus Galeſinii parachroniſmus, ut ſuprà demonſtravimus.*

erudito lectori proponimus,

B 13 *Porrò Menæa Græca ad diem* XXIV *Auguſti ſuggerunt alia diſtinctionis indicia, quæ jam breviter obſervabimus. Primò Menæa aſſerunt, hodierno* S. Eutycho *patriam fuiſſe Sebaſten, quam Menologium Baſilii Sebaſtopolim appellat. Sunt autem variæ hujus nominis civitates in Oriente, quemadmodum apud geographos paſſim obvios licet videre. Secundò altum eſt ſilentium de epiſcopali dignitate Sancti hodierni, quam tamen alteri S. Eutycho diſertè ac nominatim tribuunt. Tertiò diverſum ab alterius ſubmerſione aſſignant genus martyrii, dum in Officio hodierni* S. Eutychi *dicunt, ei caput amputatum fuiſſe, licet hac in re errent, & ſibi contradicant, ut ſuperiùs oſtendimus. Quartò* memoriam *Sancti noſtri hodierni exornant verſiculo quodam hexametro, qui etiam in Ephemeridibus Græco-Moſcis ad diem* XXIV *Auguſti refertur hoc modo:*

Εἰκοάδι, Εὐτυχὲ, ἀμφεκάλυψε λίθος σε πεπάρτῃ.

Eutyche, te ſaxo condit vigeſima quarta.

Suſpicamur, hîc alludi ad ſaxeum vel marmoreum S. Eutychi *tumulum, in quo fortaſſe ſacrum ipſius corpus die* XXIV *Auguſti conditum eſt.*

ejuſque judicio ſubjicimus.

C 14 *Maxima denique diſparitas inter utrumque Sanctum apparet in fine vitæ: nam epiſcopus Melitenæ culeo incluſus & in mare demerſus, pro fide Chriſtiana martyrium ſubiit, ut ſuprà ex proprio ejus Officio retulimus. Hodiernus autem* S. Eutychus *poſt inita pro Chriſti nomine varia certamina & exantlatos multos labores, tandem in patriam rediit, ibique meritis & annis plenus, in Domino placidè obdormivit, ut in Menologio Baſilii & ſuprà memorato Menæorum elogio legimus. Unus itaque propriè martyr, alter verò confeſſor appellandus erit, niſi quis contendat, Græcos Menæorum collectores omnia confudiſſe, & temere Officium unius ejuſdemque Sancti duplicaſſe, quod ſine manifeſta ratione non eſt præſumendum. Habet hîc eruditus lector præcipua propoſitæ difficultatis argumenta, ita ut de hac intricata controverſia poſſit ferre judicium, quod ei liberum relinquimus, & ad aliam quæſtionem progredimur.*

AUCTORE G. C.

18 *Attamen Tamayus ſibi diffidens, aut forſan impoſturæ ſuæ conſcius, in auxilium vocat Pſeudo-Dextrum, qui in Chronico ſuo ad annum Chriſti* 112 *num.* 4 *ſic fabulatur:* Sanctus Eutychius, ſancti Pauli diſcipulus, ipſo prædicante, de feneſtra præcipitatus & in vitam revocatus (qui ſecutus eſt ſanctum Joannem Euangeliſtam) Telæ paſſus in Vaccæis, in Hiſpania completo martyrio, glorioſus migrat ad Dominum. *Deinde Pſeudo Dexter in eodem fabuloſo ſuo Chronico ad annum Chriſti* 299 *de publico iſtius martyris cultu vel celebri ejuſdem veneratione fingit ſequentia:* Telæ in Hiſpania prope Palentiam, Vaccæorum urbem prævalidam, ſanctiſſimi Eutychii martyris inſignis memoria. *Verùm huic priori & poſteriori Pſeudo-Dextri teſtimonio æqualem, id eſt nullam, fidem adhibemus, cum fraudes ejus jam ſæpius evidenter detexerimus.*

Suoque Pſeudo-Dextro fretus,

19 *Nihilominus hoc oraculo fretus Tamayus ibidem nobis exhibet Acta ejus, quamvis ea à nemine collecta fuiſſe fateatur, & fini ſuo intentus, geſta varia commiſcet in hunc modum:* Eutychius ex Troade urbe Achaiæ ortus, cum ad adoleſcentiæ florem attingeret, auditâ famâ Pauli Apoſtoli, qui per regionem illam Euangelii fidem populis prædicabat, ejus audiendi doctrinam magnopere vexabatur (*fortè ſcriptor obſcurus dicere voluit* magno deſiderio tenebatur.) Cum ecce Paulus è Corintho Troadem perveniens, cœpit cum doctioribus diſputare & ſermonem inſtruere, quo Chriſti veram fidem, ejuſque divinitatem edoceret. Eutychius deſiderio viſendi Apoſtolum protractus, domum, ubi erat diſſertatio habenda, cunctanter ingreſſus & ad locum, quem occaſio permiſit, aſcendens, ibidem Pauli doctrinam audire curioſus occepit.

in Martyrologio Hiſpano Acta hujus Sancti

B

20 Sed cum intempeſtæ noctis ſpatium, ſermo Apoſtoli valde prolixus, & adoleſcentis languor ſomnum attraheret, illius vi prorſus oppreſſus, de tertio cœnaculo deorſum occidit. Tunc

ex variis auctoribus collecta commiſcet,

mœſto ſonuere beatu *

** lege* boatu

Atria, concurrit gemitu miſerata frequenti
Turba videre locum, qui funere triſtis acerbo
Lætitiam facturus erat.

Cujus rei ſucceſſus inopinatus Apoſtoli ſermonem intercludens, extra domum proſiliens, Eutychium mortuum inveniens, ſuper eum incubuit,

C

& complexus, circumſtantibus dixit: Nolite turbari; anima enim ipſius in ipſo eſt. Tunc circumſtantes adduxerunt adoleſcentem & vivum invenerunt; qui in poſterum Paulo adhærens, ejus diſcipulus & comes exſtitit individuus. Sed demum Paulo è vivis ſublato, Joannem Euangeliſtam inſecutus, ejuſque diſcipulus factus, Euangelici ſermonis prædicator effectus, ferè totius orbis regiones peragravit, in quibus propter fidei prædicationem, carceres, verbera, & ignes perpeſſus, tandem Hiſpaniam pervenit, ubi ad urbem Telam denique tentus, & ad præſidis tribunal perductus, & in Chriſti confeſſione perſeverans, conſummato martyrio, ſpiritum Deo reddidit; cujus memoria multis ſequentibus ſeculis perduravit. Occubuit igitur ſanctiſſimus vir IX Kalendas Septembris, anno CXII.

ac ſibi ipſi contradicit.

21 *Hæc Tamayus ex Actibus Apoſtolorum, ex Martyrologiis Latinis, & partim ex cerebro ſuo promiſcuè coacervans, ita honori patriæ ſuæ fuit intentus, ut hunc Eutychum adoleſcentem, quem cum alio homonymo confundere cupiebat, præter intentionem ſuam ab hodierno* S. Eutycho *maximè diſtinxerit: dum enim initio Actorum aſſerit, quod adoleſcens ille* Eutychus ex Troade urbe Achaiæ ortus *fuerit, ignoravit aut non advertit, hodiernum ejuſdem nominis Sanctum in Menologio Baſiliano & Menæis Græcis ex urbe Sebaſtopolitana ortum dici, & conſequenter ab altero diverſum eſſe. Denique Martyrologus ille Hiſpanus poſt commixta & confuſa duorum Eutychorum Acta, quæ ſuperfluis verbis exornavit, brevitatem eorum ridiculè excuſat hoc modo:* Acta ſic brevi epilogo coadunata deſumere potuimus, quia prolixiora nequaquam nobis permiſit ſcriptorum oblivio aut temporum intercapedo. Nec eſt immorandum in qualitate martyrii: nam licet aliqui tueantur, ſanctum Virum non martyrem, ſed confeſſorem excidiſſe *, alii per martyrium ſublatum contendunt; quorum ſententiæ ex Dextri auctoritate adhæremus. *Ego auctoritatem Menologii Baſiliani & Martyrologii Romani figmentis Pſeudo-Dextri longè præfero, & ex eorum teſtimonio probabilius arbitror, hodiernum* S. Eutychum *poſt varia pro fide certamina tandem in pace obiiſſe.*

D

* *forſan* exſtitiſſe *vel* exceſſiſſe

Sed Nicolaus Antonius fidem iſtius Martyrologi explodit,

22 *Quandoquidem mihi non lubet cum hoc Martyrologo Hiſpano vel Franciſco Bivario Dextri explicatore diutius diſceptare, toti fabulatorum cohorti cordatum ſcriptorem Hiſpanum oppono, nempe Nicolaum Antonium Hiſpalenſem, qui in Bibliotheca Hiſpana veteri lib.* 7 *cap.* 7 *num.* 114 *Joannem Tamaium depingit his coloribus:* Joannes Tamaius, ut hinc exordiamur, homo diligens & laborioſus, inſignique copia librorum, quæ ad manum ſemper ei fuit in laudata bibliotheca Inquiſitoris generalis, uſus, non tamen cunctas ad ſcribendum attulit dotes, quæ in hiſtorico, maximè ſacro, deſiderantur: nam ut prætermittam Latinæ linguæ ignorantiam, quæ omnibus ferè verſibus ſeſe prodit, non dico elegantis & idonei ſermonis, cui aliqua deberetur laus, ſed recti ſaltem & ſolœciſmis vacui, de quo ad quemcumque Latina etiam balbutientem verba provocare poſſum, totum ſe dedit in ulnas confictorum nuper auctorum in officina Toletana, qui omnes ei paginas & omnia illuſtriſſimorum alias lucubrationum ſpatia nugis & fabulis intolerandis & enormibus implevere, adeo ut abſque his vaſtum Opus mole (*Martyrologium Hiſpanicum intelligit, ut aliunde liquet*) ſenoque volumine turgens, majori ex parte ad juſtam decreviſſet formam. *Deinde oſtendit, eum ſcripta ſub nomine veterum fraudulenter conficta vulgaſſe, & ſic opem tuliſſe aliis ejuſdem farinæ fabulatoribus, quas in Bibliotheca ſua ſparſim detegit & explodit.*

E

F

& in Mss. ſuis poſthumis

23 *Præterea laudatus Nicolaus Antonius in Mss. poſthumis, quorum partem, ab ampliſſimo & admodum R. D. Adriano Coninck conſanguineo auctoris humaniter nobis communicatam, Matriti anno* 1721 *tranſcripſi, multis exemplis oſtendit Pſeudo-Dextrum barbarè ac vitiosè ſcribere, cum tamen S. Hieronymus verum Dextrum ab elegantia laudet, & Ciceronianum fuiſſe innuat. Deinde Nicolaus ordine menſium texit integrum catalogum illorum Sanctorum, quos abſque martyrii aut obitûs loco memoratos, Pſeudo-Dexter aut ejus commilitones affectatione ridicula Hiſpaniæ perperam adjudicarunt. Inter hos recenſet hodiernum* S. Eutychum, *qui in Martyrologio Romano ſine certo mortis loco refertur, & cujus occaſione Pſeudo-Dextrum exagitat his verbis:* Quid tunc faceret impotentiſſimæ aviditatis homo, niſi pro more poſitam in medio mercem, cujus nomine nul-

la

A la ſeſe actione aut interdicto pulſandum noverat, afferre domum, ſibique vendicare ?

hanc ipſam fabulam de illo Eutycho,

24 *Denique poſt allegatum duplicem Pſeudo-Dextri textum, quem ſuperiùs exhibuimus, & in quorum primo adoleſcens ille Troadis de feneſtra tertii cœnaculi* præcipitatus *deorſum cecidiſſe dicitur, impoſtorem idem cenſor Hiſpanus ita refellit :* Duo hîc ſunt, in quibus fallere voluit credulos inſignis deluſor. Primum, eumdem eſſe Eutychium adoleſcentem provinciæ Troadis, quem è feneſtra tertii cœnaculi, non PRÆCIPITATUM (ut Latii flos & medulla loquitur, Ciceronianus inquam Dexter) ſed præcipitem vitæ reſtituit Paulus Apoſtolus, ut in Actorum vigeſimo capite refertur, cum Eutychio Joannis Euangeliſtæ diſcipulo, à Græcis laudato. Si ita eſſet, non ignorarent Græci, quibus alioqui ſolis res ejus geſtæ compertæ ſunt. Nec facilè obvolutum ſilentio dixeris, aut memoria deperditum in hiſtoria Eutychii tam inſigne miraculum.

25 Præterea plurimùm variant Dextri & Græcorum relationes. Græci multa perpeſſum, ſed ab omni periculo divinitus ereptum, ut Galeſinius ex eorum fontibus loquitur, in Domino aiunt obdormiviſſe ; Dexter verò martyrium compleviſſe ſcribit. Alterum falsò dictum eſt, Eutychium hunc Joannis diſcipulum Telæ in Hiſpania pro veræ fidei confeſſione interfectum. Derat inter alia loci notitia ; peregrinatus inſuper ille dicitur in multis regionibus. Quidni & in Hiſpaniæ intima ? Nec tantum peregrinatus, ſed etiam occiſus ? Hæc mentiendi anſa & occaſio. *Tandem Nicolaus Antonius proponit controverſiam, inter Tamayum & Bivarium agitatam, de alio S. Eutychio, quem Uſuardus aliique veteres Martyrologi ad diem* XI *Decembris in Hiſpania annuntiant, & prudenter cenſuram ſuam concludit his verbis :* Sed recedamus jam hinc (etenim argutari amplius in aliis pudet) contenti Eutychio, vero Hiſpaniarum honore, qui undecimam Decembris diem memoriâ ſuâ conſecrat. *Nos etiam finem imponimus huic diſquiſitioni hiſtorico-criticæ, cujus initio ad marginem ex conjectura mortem hodierni Sancti* exeunte ſeculo primo vel ineunte ſecundo *collocavimus.*

in Hiſpania paſſo, nominatim refellit.

AUCTORE G. C.

B E

DE SS. AUREA, SEU CHRYSE VIRGINE, CENSORINO, FELICE, MAXIMO, HERCULINO, VENERIO, STYRACINO, CENA, COMMODO, HERMETE, MAURO, EUSEBIO, RUSTICO, MONAGREO, AMANDINO, OLYMPIO, CYPRIO, THEODORO TRIBUNO, SABAINO,

MARTYRIBUS APUD OSTIA TIBERINA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

Aliqui ex his Martyribus aliàs dati ; S. Aureæ cultus apud Græcos & Latinos ; Acta corrupta ; eorum exemplaria.

C

CIRCA MEDIUM SECULI III. *Aliqui ex his Martyribus alibi ſunt dati :*

DOmo II *Januarii, ad diem* XXX *ejuſdem menſis, inter Prætermiſſos ac dilatos in alios dies, hic ſanctorum Martyrum manipulus jam pridem ſignatus fuit è Menæis Græcis*, licèt non omnino, *ſicut ibidem monuimus*, correctè expreſſa eorum ſint nomina ; *quorum habebitur ratio inferiùs occaſione Actorum. Porrò* Maximum presbyterum, Archelaum diaconum, *ac* Cyrinum epiſcopum, *qui unà cum aliis nominantur ad dictum diem, omittimus hodierno, quia heſterno de illis egimus cum Martyrologio Romano: in quo pro* Cyrino *ſcribitur* Quiriacus, *qui alibi vocatur* Cyriacus, *ut die* XXIII *hujus videre datur. Die autem* XXII *ejuſdem menſis ſermo nobis fuit de* S. Hippolyto *epiſcopo & martyre, laudatum Martyrologium ſecutis, qui inter eoſdem Prætermiſſos è citatis Menæis notatus, ſed in iſtum diem dilatus fuerat. Monito de rebus his lectore, ad publicam noſtrorum Pugilum venerationem illuſtrandam progredimur : ac primò dicemus de Græcis, è quorum Menæis continuò illos recitavimus.*

2 *Narrationem martyrii, ſeu elogium, quod exſtat in eiſdem Menæis Græcorum, etiamſi non ſit longum, ſuperſedemus huc tranſcribere : nam cùm Martyres ſint apud Latinos, atque adeo eorum cultus, & qualiſqualis hiſtoria ab his ad illos ſit derivata, non eſt, quòd in Oriente quæramus notitias de iis rebus, quæ in Occidente peractæ ſunt. Obiter tamen obſervaſſe non abs re fuerit, tres Martyres è pluribus ſuprà annuntiatis nominatim exprimi in elogio iſto, videlicet* Cenſorinum, Chryſen *ſeu* Auream, & hujus famulum Sabaïnum ; *quibus hi præmittuntur verſiculi, quos è Græco ita interpretamur Latinè more nobis uſitato. Et de* S. Cenſorino *quidem ſic habent Menæa Græca :*

F

aliorum cultus

Τείνων τραχηλον τῷ ξίφει Κενσωρῖνος
Ἦν οἷον ξυρῷ τοῖς συνάθλοις ἀκόνη.

Dum colla Cenſorinus ad gladium obtulit,
Quod cos novaculæ eſt, ſodalibus hic fuit.

Inter Adagia à Paulo Manutio collecta, & Urſellis edita anno 1603, *pag.* 35 *eſt illud,* ξυρὸς εἰς ἀκόνλω, novacula in cotem : *cujus proverbii ſignificationes ibi legi poſſunt ; ſed omnino diſcrepant ab ea, quam in hoc frigido verſu videtur poëta indicare voluiſſe, ſi ejus ſenſum rectè aſſequor, quem hoc vel ſimili modo exponi poſſe*

AUCTORE J. P.

ſaltem per conjecturam cenſeo : Sicut cos novaculam acuit ad ſecandum ; ſic Cenſorinus *confortans & cibo alens Chriſtianos pugiles , acuebat quodammodo illos adinſtar cotis ad martyrium. Vide Acta , quæ daturi ſumus , cap.* 1 , *num.* 6. *Alluſio autem iſta quàm longè ſit quæſita , nemo non videt.*

apud Græcos ,

3 *Eadem Menæa Græca de* S. Sabaïno *canunt iſta , quæ Latinè ſic reddimus :*

Σπλάγχνα φλέγεσι Σαβαΐνε λαμπάσι
Τὰ παμπόνηρα τέκνα τ̃ ἀσπλαγχνίας.
Tua , Sabaïne , viſcera exurit mala
Gens , viſcerum expers , barbara , immitis , ferox.

Alluſio eſt in vocibus σπλάγχνα , *& in* ἀσπλαγχνίας : *quaſi dicat poëta : lampadibus urunt* Sabaïni *viſcera homines peſſimi , & qui non habent viſcera miſericordiæ. Cui alluſioni parum vel nihil lepôris poëtici ineſt.*

Prædicta Menæa his verſiculis proſequuntur martyrium S. Aureæ , *ſeu* Chryſes , *quos ita interpretamur Latinè :*

Χρυσῆ βυτῷ βληθεῖσα πασῷ ξ̃ πόλε
Νύμφη θεόσεισι θεσφάτως λελεμμένη.
B Jacta in profundum gurgitem Chryſe fuit :
Modò lota thalamos ſponſa cæleſtes ſubit.

Apud Græcos χρύσε , *contractè* χρυσοῦς , *eſt* aureus : *in feminino* χρυσῆ : *unde proprium* Χρυσῆ, Aurea.

ac S. Aureæ in Martyrologio Romano :

4 *Annuo cultu celebratur apud Latinos* S. Aurea , *& ſic annuntiatur in Martyrologio Romano hac die* XXIV *Auguſti :* Apud Oſtia Tiberina ſanctæ Aureæ virginis & martyris , quæ , ſaxo ad collum ligato , in mare demerſa eſt ; cujus corpus ad littus ejectum beatus Nonnus ſepelivit. *Inter Prætermiſſos ad diem* XX *Maii apud nos jam pridem obſervatum eſt* , S. Auream in Oſtia , ſcilicet Tiberina , virg. & mart. celebrari in apographo Epternacenſi Martyrologii Hieronymiani ; *ſed* pro *ea* in aliis nomen AUREI legi , & adjungi Nuſtra *&c.* loco Oſtiæ. *Quod non eſt mirum in tanta apographorum Hieronymianorum luxatione & corruptione. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ hodierna die illam ſignat , ac martyrium ejus narrat* ex Actis illius M. S. , è quibus Antonius Gallonius vitam contexuit. *Ex his cùm de publica* S. Aureæ *veneratione ſatis conſtet , plures de ea , ſi exſtent , non inquirimus annuntiationes. Obſerva obiter , Ferrarium modò citatum agere ſeorſim de* S. Sabiniano , *famulo* S. Aureæ , *qui apud Græcos ſuprà vocabatur* Sabaïnus : *de quo poſtmodùm recurret mentio ; ſed perpauca de eo refert* ex Paſſione *ejuſdem* S. Aureæ : *cujus hiſtoria ſeu Acta ſunt exiguæ admodùm auctoritatis , ac liberali ſpongiâ indigent.*

C

ejuſdem Acta ,

5 *Quandoquidem verò Acta illa ita ſunt conflata & commixta , ut certamen plurimorum aliorum Martyrum memorent , de quibus tractavimus die* XXII *&* XXIII *hujus menſis , ſicut in principio hujus Commentarii indicatum eſt ; uſui nobis erunt animadverſiones aliquæ , quæ tunc occaſione iſtorum Sanctorum præmiſſæ fuerunt. Primò itaque hîc tamquam pro inſertis habeantur , quæ ad dictum diem* XXII , *pag.* 506 *in Commentario hiſtorico S. Hippolyti* § 2 *multis diſputata ſunt de tempore martyrii ejus ; quod , variis aliorum relatis ſententiis , ac difficultatibus expenſis , circa medium circiter ſeculi tertii ibidem lato quodam modo dictum eſt contigiſſe. Jam verò cùm eadem ſit ratio temporis , quo* S. Aurea , *& quo S. Hippolytus martyrium complevérunt ; adeat lector locum mox citatum.*

D

dies martyrii : quædam obſervationes

6 *Quid dicam de die , quo Sancta hodierna lauream certaminis adepta eſt ? Quid de corporis ſepultura ? Reſpondeo ad primum. In apographo , quod infrà prælo dabitur è Ms. ſancti Maximini apud Treviros , indicatur martyrii curſum conſummaſſe ſub die* XXIII *Auguſti. Vide ibidem dicenda num.* 17 *&* 18. *In alio autem Ms. noſtro , quod anonymum appello , quia non invenio eidem adſcribi , unde deſumptum ſit , refertur id accidiſſe die* XXIV *Auguſti , his verbis :* Iratus præſes juſſit Virginem nudam plumbatis verberari : deinde ſaxo ad collum ejus alligato demergi in profundum maris ſub die IX Kal. Septembris. *Cur autem in Menologio Baſilii imperatoris apud Ughellum tomo* 10 *Italiæ ſacræ inter Anecdota ab eo vulgata , col.* 333 *editionis noviſſimæ , referatur die* XXIX *Januarii : cur item in Menæis magnis Græcis celebretur die* XXX *ejuſdem , ignoro. Nec mirum videri debet , Græcos hîc diſſentire à Latinis , cum ipſi Latini non rarò annuntient eoſdem Sanctos diverſis diebus.*

de ſepultura

7 *Reſpondeo ad ſecundum de Sanctæ ſepultura. Acta ex Ms. S. Maximini hæc de illa ſcribunt apud nos num.* 18 : Corpus ſanctum pervenit ad littus , quam * beatus Nonnoſus collegit : qui etiam Ypolitus nuncupatur , & cum omni diligentia ſepelivit in prædio ejus , ubi habitaverat , quarto Kalendas Septembris. *In alio autem Ms. noſtro anonymo ſunt iſta :* Corpus ejus ad littus projectum collegit Hippolytus Portuenſis epiſcopus , qui Nonnus dicebatur ; quod aromatibus condiens , linteiſque involvens ſepelivit cum omni diligentia in urbe Oſtienſi : ubi hactenus viget memoria ſanctæ Virginis , illiuſque reliquiæ digno venerantur honore. *Ferrarius in Annotatione ad Acta* S. Aureæ *antea indicata* , De Nonno , *inquit* , epiſcopo , qui S. Auream ſepelivit , lis eſt inter ſcriptores : nam alii illum eumdem cum Hippolyto epiſcopo Portuenſi , cujus in Actis S. Aureæ fit mentio , eſſe putant , ut Baronius & Antonius Gallonius ſentire videntur : quod tamen hiſtoriæ veritati repugnat ; ſiquidem S. Hippolytus Portuenſis ante S. Auream paſſus eſt , ex Martyrologio Romano , & ex Actis utriuſque. Quomodo igitur corpus Aureæ potuit ſepelire ? Alii Nonnum epiſcopum Edeſſæ , qui Pelagiam convertit , fuiſſe arbitrantur. In qua ſententia Petrus Damianus eſt in epiſtola ad Nicolaum PP. II. Sed ille non ſub Alexandro ; ſed ſub Theodoſio juniore , & Valentiniano imperatoribus vixit , ut apud Nicephorum in Hiſtoria eccleſiaſtica in Vita imperatorum. *At vide , quæ de hoc S. Petri Damiani errore ſunt dicta in S. Hippolyto martyre Portuenſi* § 2 , *pag.* 506 , *num.* 9 *&* 10.

E

* *l.* quod

F

ſanctæ Martyris ;

8 *Porrò eamdem caſtigationem , quâ Ferrarius utebatur contra Baronium & Gallonium , meretur exemplar Actorum S. Maximini : nam poſtquam retuliſſet citato num.* 18 , *corpus Sanctæ à Nonnoſo ſeu Hippolyto fuiſſe ſepultum* quarto Kalendas Septembris ; *ſubditur ibidem num.* 20 , *quod ante diem* XXIV *ejuſdem menſis martyrium compleviſſet Hippolytus , cùm die* XXIII *memoretur fuiſſe ſepultus. En tibi fragmentum textûs :* Chriſtiani . . levaverunt corpus , *quod &* ſepelierunt . . ſub die decimo Kalendas Septembris. *Ms. anonymum refert* S. Auream *in mare demerſam fuiſſe ſub* die IX Kal. Septembris , *ex num.* 6 *ſuprà ; ac deinde ab Hippolyto ſepultum , ut modò diximus num.* 7 : *poſtea verò in eodem apographo dicitur de Hippolyto epiſcopo :*

Marty-

Martyrium implevit XI Kal. Septembris. *An igitur error irrepſit in numeros? An imperitus martyriographus modum numerandi dies menſis per Kalendas ignoravit? An duplicem epiſcopum obtrudit Hippolytum? Verùm longa eſt hiſtoria de Hippolyto, longæ ambages, ut licet videre in S. Hippolyto martyre Portuenſi pag. 506, quam nuperrimè deſignabam, & ſequentibus. De dicto corpore* S. Aureæ *aliquod etiam obſervandum occurrit:* nam, *uti legitur apud Ferrarium in Annotatione citata*, Antonius Gallonius & Baronius illud Oſtiæ in propria eccleſia extare teſtantur. Tab. verò eccl. Parmen. in Cathedrali ejuſdem urbis quieſcere indicant. *Sed reſpondeo vel utroque hoc loco forte exſtare partem corporis; vel Parmæ exuvias alterius Sanctæ ſynonymæ.*

cujus Acta corrupta:

9 *Præter ea, quæ jam relata ſunt adverſus Acta* S. Aureæ, *conſulat lector cenſuras, quibus Acta S. Hippolyti perſtricta ſunt eâdem paginâ* 506 *&* 507; *nec non dicta in SS. Quiriaco epiſcopo & aliis Martyribus Portuenſibus ad diem* XXIII *Auguſti, pag.* 566. *Ex errore autem, in quem impegit S. Petrus Damianus, manifeſtum eſt, Acta iſta jam tum corrupta & confuſa fuiſſe. Ne longiùs abeam: hoc addo breviter, hiſtoriam S. Hippolyti,* S. Aureæ, *& aliorum Sanctorum Martyrum, cum eâdem hiſtoriâ connexorum, ſimili uſam eſſe fortunâ, quam ſubiere Acta alia innumera, in quibus etiam tunc, quando fortaſſe verum narrant, dubites, an firmum pedem figas, an in luto hæreas. Nunc dicamus aliqua de Actorum exemplaribus, ac primò quidem de Latinis.*

eorumdem exemplaria:

10 *Ms. anonymum, de quo ſuprà, prænotatur hoc titulo:* Martyrium S. Aureæ virginis & martyris & ſociorum. *Incipit:* Quo tempore Severus Aurelius Alexander ſceptra Romani moderabatur imperii, agente Domitio Ulpiano Romulo, urbis Romæ præfecto. *In exemplari autem S. Maximini apud Treviros res dicitur accidiſſe ſub Claudio: ſic enim incipit:* Tempore, quo nequiſſimus Claudius Romanæ urbis ſumpſit imperium *&c. Habemus præterea ecgraphum Martyrii S. Cyriaci epiſcopi, quod deſumptum notatur* ex Bodecenſis cœnobii, Ordinis Regularium S. Auguſtini, diœceſis Paderborn. Paſſionali pergameno Ms.; *in quo ecgrapho Acta* S. Aureæ, *ac plurimorum aliorum Martyrum admixta ſunt. Fragmentum etiam habemus, cui titulus,* S. Aureæ virg. Paſſio, *quod notatur deſumptum* ex collect. P. Gallonii tomo I fol. 193, *quodque incipit:* Temporibus Alexandri imperatoris, præfecto prætorio Ulpiano, & Urbis vicario Ulpio Romulo *&c. Apud nos etiam eſt fragmentum Græcum* ex Ms. Ducis Sabaudiæ Βίοι διαφόρων Ἁγίων fol. 423, *& cui præfigitur hic titulus:* Μαρτύριον τῶν ἁγίων Κυριακῆ, Γ῾ερμολύτε, Μαξίμε, Χρυσῆς, καὶ τῶν λοιπῶν. *Id eſt,* Martyrium ſanctorum Cyriaci, Hippolyti, Maximi, Chryſes, & reliquorum. *Sequitur hoc exordium:* Ἐν ταῖς ἡμέραις Κλαυδίε τοῦ παρανόμε βασιλέως, παρόντος βικαρίε Οὐλπίε Ῥωμύλε, μέγιστος ἀνήφθη διωγμὸς τῶν τὰ θεῖα σεβομένων Χριστιανῶν. *Quæ ſic reddo Latinè:* In diebus Claudii iniqui imperatoris, dum Ulpius Romulus vicarius eſſet, maxima exarſit perſecutio contra eos, qui tunc erant Chriſtiani. *Quid verbis opus eſt? En tibi nunc qualiacumque Acta, modicis expoſita Annotatis: etenim cùm Commentarius hiſce prævius valde parvus ſit, eò te, lector, mitto pro ulteriore illorum notitia.*

ACTA

Ex Ms. ſancti Maximini apud Treviros.

CAPUT I.

S. Aureæ certamen, ac tormenta; S. Cenſorini captivitas; carceris cuſtodes à S. Maximo converſi.

Claudio imperatori Chriſtianos perſequenti

TEmpore, quo iniquiſſimus Claudius Romanæ urbis ſumpſit imperium, tali à diabolo repletus eſt irâ circa Chriſtianos, ut penitus Chriſti nomen nec audire potuiſſet. Tunc juſſit mitti præcones per vicos & plateas, ut univerſus populus diis victimas immolaret. Si quis autem ſacrificare noluiſſet, diverſis pœnis interficeretur: & alii quidem ferarum morſibus laniati interirent; alii in alveo Tiberis demergerentur; alii verò exilio deportarentur, &, ſi quis aleret Chriſtianum, diverſis pœnis interiret. Tunc cœperunt miniſtri curiosè quærere Chriſtianos, ut unà cum populis idolis immolarent. Et inventi ſunt multi Chriſtiani nolentes ſacrificare: qui diverſa ſuſtinuerunt tormenta, & cum gloriâ martyrii pervenerunt ad Chriſtum. Inter quos inventa eſt virgo ſacratiſſima, nobili genere orta, imperatorum filia, & à cunabulis Chriſtiana, nomine Aurea. Quæ contempſit præcepta iniquiſſimi judicis, dicens: Ego Deum confiteor labiis, & corde invocare non ceſſo: neque dæmoniis inclinabo cervices meas, de quibus Scriptura teſtatur dicens: Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

ſiſtitur S. Aurea,

2 Hoc audientes miniſtri renuntiaverunt Auguſto, quæ geſta fuiſſent. Statim juſſit eam in uno carcere recludi: & per ſeptem dies neque aquam ei porrigere. Completo verò die ſeptimo, ſuis eam juſſit aſpectibus præſentari. Quæ cum præſentata fuiſſet, dixit ad eam Claudius: Cur deſeruiſti deos immortales, quos parentes tui à cunabulis coluerunt, quos principes adorant, per quos reſpublica ſemper floruit, & Romano imperio victoria tributa eſt, & Romani omnium gentium feritatem cum ſuis opibus ſubjugaverunt? Cui beata Aurea fiducialiter dixit: O infelix, ſi ſciebas Deum creatorem cæli & terræ, & hominum conditorem, qui iſta omnia operatus eſt, quæ tu dicis per deos tuos facta fuiſſe, qui ſunt lapides vel æramenta, qui nec ſibi nec aliis opitulari potuerunt; terram & cinerem capiti tuo aſpergebas *, & ſic provolutus pavimento pœnitentiam ageres de ſanguine Sanctorum, quem effudiſti, & te idolis ſacrificaſſe pœnituiſſet, & crederes in Jeſum Chriſtum Dei Filium, natum de Spiritu ſancto & Maria Virgine.

* *f.* aſpergeres

minas ejus contemnit, ac ſuperat tormenta.

3 Dicit ei Claudius imperator: Deſere vanitatem iſtam, & humiliare; & ſacrifica diis, & accipe virum, & lætare in vita tua. Beata Aurea reſpondit: Ego habeo jam cæleſtem ſponſum, à cujus amore nullus hominum me ſeparare poteſt. Dixit ei imperator: Niſi quia nobili

ex MS. bili genere orta es, à diverſis pœnis te faciam, interire. Beata Aurea reſpondit : Semel dixi cæſar, quia nec minas tuas timeo, nec terrores tui me ſeparant à caritate Domini mei Jeſu Chriſti. Tunc indignatus imperator juſſit eam in eculeo levari : erat autem pulchro aſpectu & ſpecioſa nimis, ita ut omnes pulchritudinem ejus conſpicerent : & neceſſe fuit, ut, quam Deus perfuderat gratiâ ſuâ, ab omnibus amaretur : & cum attraheretur nervis, nihil aliud dicebat, niſi tantùm, Chriſte, adjuva me, & exclamans dixit : Gratias tibi ago, Domine Jeſu Chriſte, qui me dignatus es famulam tuam inter ſervos tuos dinumerare. Et cùm depoſita fuiſſet de eculeo, juſſit eam iterum retrudi in carcerem dicens : Si hæc extincta non fuerit, multi peribunt.

Novis tormentis fruſtra torquetur :

4 Alterâ autem die juſſit eam à ſuis apparitoribus coarctari, quam ſic aggreditur dicens : Aut acquieſce, & ſacrifica diis, aut variis te ſupplíciis interire faciam. Beata Aurea reſpondit : Ego ſemper ſacrificavi, & ſacrificabo Domino Jeſu Chriſto, & meipſam offero ſacrificium immaculatum Deo in odorem ſuavitatis : quia ſacrificium

B Deo eſt ſpiritus contribulatus. Videns autem imperator quia in omnibus victus fuerat, juſſit eam exſpoliari, & fuſtibus cædi dicens : Modò videbo ſi Chriſtus tuus liberabit te. Tunc beata Aurea elevans oculos ſuos ad cælum dixit : Qui liberaſti tres pueros de camino ignis ardentis, & Suſannam de falſo crimine, & Danielem de lacu leonum ; tu da virtutem cordi & corpori meo ſufferre tormenta, ut non prævaleat draco iſte iniquitatis in ancillam tuam confidentem in te. Iratus Claudius juſſit eam levari à terra, & vinctam catenis in Hoſteam * exilio deportari cùm viris religioſis, & ſacris virginibus, & omni familia ſua : & cœpit habitare foras muros Hoſtiæ civitatis in loco, qui vocatur Euparíſti in prædio ſuo, & ibi die noctuque jejuniis & orationibus epulabatur.

* *Intellige hîc & infrà* Oſtia Tiberina

S. Cyriaci precibus confortatur :

5 Erat autem in civitate Hoſtea epiſcopus, nomine Cyriacus, timens Deum, cum ſacerdotibus ſuis Maximo, Euſebio & Concordio presbyteris, & Archelaio diacono : quorum orationibus multa mirabilia Dominus operatus eſt. In eodem loco ſanabantur infirmi orationibus eorum à languoribus ſuis, expellebantur dæmonia, cæci illu-

C minabantur. Dum hæc beata Aurea agnoviſſet, gaudio repleta, veniens ad ſanctum Cyriacum epiſcopum cœpit pedibus ejus proſtrata cum lacrymis rogare, ut precem ſuper eam effunderet. Tunc beatus Cyriacus expandens manus ſuas ad cælum dixit : Domine Jeſu Chriſte, rex angelorum, amator caſtitatis, qui poſt reſurrectionem tuam multis apparuiſti, & omnibus in te credentibus vitam promiſiſti æternam ; adeſto ſupplicationibus noſtris, & huic famulæ tuæ auxilium tuæ virtutis impende, ut cum palma martyrii regni cæleſtis januas ingredi mereatur, & ad tuum talamum cum illis prudentibus virginibus, accenſis lampadibus ſuis obtinet tibi Chriſto Domino *a*, qui vivis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum. Et omnes dixerunt : Amen. Tunc ſanctus epiſcopus agens quæ Dei ſunt : participati ſunt corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & gratias agentes Deo, cœperunt omnes ſimul in unum in Dei laudibus permanere. In diebus illis magna perſecutio orta eſt Chriſtianis : & quia non poſſunt lucernæ ardentes in abſconſo neque ſub modio poni, ſed ſuper candelabrum, ut luceant omnibus qui in domo Dei ſunt.

a

6 Erat autem vir præpoſitus magiſteriæ poteſtatis & occultè Chriſtianus, timens Deum & D credens in virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti : qui quotidie in abſconditis ſuis orationibus & jejuniis atque eleemoſynis ſuis epulabatur. Hoc audiens imperator, irâ commotus, juſſit eum teneri, & ante conſpectum ſuum præſentari. Hic autem non recedebat à Claudii conſpectu ; ſed ſi quos vidiſſet de Chriſtianis ad necem trahi, vel ad cuſtodiam, occultè confortabat, & quantum ei victum in carceribus, in cuſtodiis, & in vinculis miniſtrabat. Cui ita dixit : Tu es vir ille Cenſurinus deorum cultor : & noſtræ majeſtati ſemper affabilis. Manſuetudo noſtra nullum ſibi ſervientem deſpicit : ſed in cultura deorum ſemper hanc rem publicam gubernantes propagavit. Tunc beatus Cenſurinus reſpondit : Ego Chriſtianus ſum & teſtimonium dico de Domino meo Jeſu Chriſto, quia ipſe eſt verus Deus, qui crucifixus eſt, & ſepultus, & die tertia reſurrexit, ipſis videntibus, qui eum crucifixerunt, quòd poſt mortem viveret, & quadrageſimo die aſcendit in cælum, & ſedet ad dextram Patris.

S. Cenſurinus comparet coram Claudio,

E

ac fidem orthodoxam profitetur ;

7 Hic noſtris temporibus dignatus eſt venire ad terras, & ſe induit ſervili corporis indumento, ut nos à ſervitute diaboli liberaret. Iratus Claudius dixit : Inſanis, Cenſurine. Beatus Cenſurinus dixit : Ego non inſanio, ſed de inſania ad veram mentem reverſus ſum ad creatorem Dominum meum Jeſum Chriſtum, qui cæcos illuminavit, & mortuos ſuſcitavit, leproſos mundavit, & pedibus ſuis ſuper mare ambulavit, & multa alia & innumerabilia, & de aqua vinum fecit : ipſi confiteor in æternum. Tunc juſſit eum propter militare conſortium in Hoſtea cuſtodiæ mancipari, non longè ab urbe Roma miliario quintodecimo. Ille autem in cuſtodia & in vinculis obligatus Deo laudes die noctuque canebat.

cui cibos S. Aurea ſubminiſtrat. S. Maximus convertit

8 Erat tunc in civitate Hoſtea quædam matrona de genere regiæ poteſtatis, nomine Aurea, quæ jam multas perſecutiones experta inſcriptionibus fuerat damnata, & cum viris religioſis & ſacris virginibus in prædio ſuo vacabat. Hæc quotidie ſancto Cenſurino die noctuque victualia & alimoniam miniſtrabat : cujus vincula manu ſua aquâ lavans, in oculis & in facie ſua mulcens, cùm gaudio revertebatur in domum ſuam. Erat autem in civitate Hoſtea Maximus presbyter, & Archelaus diaconus, qui quotidie ſacrificia Deo cum hymnis & laudibus offerebant : & ibi beatus Maximus multa mirabilia in nomine Domini exercebat. Dum autem introïſſet ad beatum Cenſurinum, ſtatim vincula de manibus & pedibus ejus ſolvebantur. Tunc beatus Maximus aperiens os ſuum cœpit dicere ad cuſtodes : Fratres, derelinquite dæmones temporales, & cognoſcite Deum creatorem Dominum, & Jeſum Chriſtum, Filium ejus, qui fuit ante ſæcula, & ſemper eſt, & venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Nam ſæculum noſtrum tranſiet, cælum & terra tranſibunt, Dominus autem Jeſus Chriſtus ſemper & idem eſt.

F

cuſtodes carceris.

9 Reſponderunt cuſtodes & dixerunt ad Maximum presbyterum : Quid faciemus, ut cognoſcamus eum, quem tu prædicas, per quem cognovimus in dictis orationibus tuis vincula diſſolvi ? Maximus presbyter dixit : Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm, & credat Jeſum Chriſtum crucifixum Filium Dei, & idola vana derelinquat, quia neſcientes blaſphemaſtis nomen ejus, cujus Sanctos cruciabatis.

A tis. Tunc Felix, Maximus, Taurinus, Herculanus, Benerius, Storacinus, Mennas, Commodus, Hermes, Maurus, Eusebius, Rusticus, Monaxius, Amandinus, Olimpius, Cyprius & Theodorus tribunus *b* miserunt se ad pedes beati Maximi presbyteri, cum lacrymis, & dixerunt: Nos ex toto corde credimus non esse alium Deum, nisi Dominum Jesum Christum, qui est redemptor nostrarum *, qui nobis videntibus ferrea claustra comminuit. Tunc omnes gratias egerunt Deo, & Sanctis ejus, quorum orationibus æternum lumen viderunt. Tunc beatus Maximus indixit eis triduanum jejunium, & secundum consuetudinem impletis omnibus, catechizavit eos renuntiantes idolis & omnibus mundi commerciis. Baptizati sunt autem in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: & suscepit eos beata Aurea, & vestibus & alimoniis ornavit. Tunc veniens beatus Cyriacus episcopus chrismate Christi eos perungens, signavit illos verbis fidei: & participati sunt omnes sacrosanctis mysteriis.

b

* *f. add.* animarum

B

ANNOTATA.

a *Mendosus hic sensus corrigi potest ex Ms. anonymo*; accensisque lampadibus thalamum æternitatis cum sanctis omnibus virginibus adipisci mereatur.

b *Nomina hæc conferri possunt cum iis, quæ habentur suprà in titulo Commentarii prævii ex Menæis Græcis, & in S. Quiriaco episcopo superiùs ad diem hesternum pag. 566. In Ms. nostro anonymo sunt* Theodorus tribunus, & milites ejus Martialis, Saturninus, Epictetus, Maprilis, Taurinus, Felix, Herculanus, Neberius, Stauracius, Menna, Commodus, Hermes, Maurus, Eusebius, Rusticus, Olympius, & Carporius. *Verùm quis in Actis tam corruptis pro his nominibus spondere possit, vel ea revocare ad genuinam normam?*

CAPUT II.

Mortuus ad vitam revocatus; S. Aurea & aliorum martyrium.

C

Filius sutoris ad fidem conversi

SUtor autem erat in eodem loco, cujus filius eâdem horâ mortuus est. Transeunte beato Cyriaco, & Maximo & beata Aurea, militibus Christi, lamentabatur sutor in morte filii sui. Tunc beatus Maximus presbyter dixit ad sutorem: Tu crede in Dominum Jesum Christum coram nobis omnibus, & tu vives, & filium recipies. Ille autem dixit: In quem credamus, numquid in illum, quem à juventute mea blasphemavi? Beatus Maximus dixit: Pœnitentiam age, quia Deus pœnitentium est, non reddens secundum nostra peccata; sed secundum magnam misericordiam suam. Sutor autem dixit: Baptizate me in nomine ejus, ut credam. Tunc baptizatus etiam factus Christianus, cùm accepisset signum Christi, gaudens duxit illos ad filium suum. Quem cùm vidissent beatus Cyriacus, & beatus Maximus, cum lacrymis dixerunt: Domine Jesu Christe, qui dignatus es formam servi accipere, ut nos à servitute diaboli liberares, respice in opera manuum tuarum, ut cognoscant te factorem suum & creatorem ac restauratorem suum. EX MS.

11 Tunc beatus Cyriacus dixit: Domine, in nomine tuo flectimus genua nostra. Cumque orassent diu, dixit beatus Cyriacus: Domine Jesu Christe Nazarene crucifixe, qui Lazarum fœtentem resuscitare dignatus es, & filium unicum viduæ resuscitasti; ostende in hunc famulum tuum virtutem tuam, ut cognoscat te Dominum vivum & verum creatorem suum, in regeneratione sua, quia tu regnas per omnia sæcula sæculorum. Et cùm dixissent omnes, Amen, statim revixit qui erat mortuus: & cœpit loqui dicens: Ego vidi Dominum Jesum Christum reducentem me de tenebris ad lucem. Tunc catechizavit eum & baptizatus est, & accepit signaculum Christi: quem suscepit beata Aurea. Erat autem plùs minùs annorum decem, nomine Faustinus. *resuscitatur:*

12 Eodem tempore nuntiatum est Claudio, quòd in Hostea mortuus suscitatus fuisset per orationem Sanctorum, & dixit: Hoc non est nisi ars magica. Tunc vocavit ad se vicarium urbis Romæ, nomine Ulpinum Romulum: cui hæc præcepit dicens: Perge in civitatem Hosteam, & quoscumque Christianos ibidem reperire potueris, diversis pœnis eos constringe: ita ut qui E sacrificaverint diis, divitiis & facultatibus atque honoribus locupletentur; qui verò noluerint, diversis pœnis macerati, capite puniantur. Sacrilega verò Aurea, quæ obscuravit genus regiæ potestatis suæ, & elegit per magica mori [potiùs], quàm vitâ unà nobiscum frui; si adoraverit deos deasque, inscriptio *a* in eâ firmata aboleatur. Qui 4 autem inventi fuerint in ea societate permanentes, simul in unum pœnis crucientur. Veniens ergo Ulpinus Romulus in civitatem Hosteam, jussit omnes Sanctos custodiæ mancipari. Diluculo autem surgens, præcepit sibi beatam Auream præsentari: cui ita dixit: Insaniam artis magicæ, quæ in te floret, ut perderes regiam majestatem tuam, & natales claros obscurares, depone. Beata Aurea respondit: Ego obscuravi dæmones, & idola vanà respui, & cognovi unum Deum vivum & verum, & Dominum Jesum Christum Filium ejus, qui venturus est judicare vivos & mortuos; & patrem tuum diabolum unà cùm Claudio in tenebris damnare. *qua re ad Claudium delata, magis sævit in Christianos:*

13 Vicarius Romulus dixit: Inducta es ab insania magicæ artis; nunc defere vanitatem istam, & consule generositati tuæ. Beata Aurea insufflavit in faciem vicarii dicens: Miser, si scires Deum creatorem cæli & terræ, non proferres ex ore tuo blasphemiam. Iratus Romulus jussit eam in eculeo levari, & cum diu torqueretur, facie alacri & speciosa cœpit dicere: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui de inferis ad sublimia cæli me dignatus es elevare. Cui Romulus dixit: Ubi est, quem prædicas, Christus tuus? Liberet te. Beata Aurea dixit: Ego indigna sum; sed ille, qui dignatus est me de caligine hujus mundi eripere, potens est & te, & Claudium, destruere. Hoc cùm dixisset, confractus est eculeus, & deposita est exinde, & jussit eam fustibus cædi sub voce præconia dicens: Sacrilega Aurea, quæ blasphemavit deos, & regnum Jovis gubernatoris totius mundi, acerrimis tormentis debet extingui. *aliud S. Aureæ certamen.* F

14 Illa autem dicebat: Benedictus es, Domine Deus, Jesu Christe, quem ego video. Romulus dixit: Date flammas ad latera ejus. Et cum applicuissent flammas, voce clara dixit ad Romulum: O infelix, pudor tibi non est conspicere membra corporalis genitricis tuæ, & in conspectu *ac martyrium*

EX MS. conſpectu tuo ignibus aſſari. Romulus dixit: Tua infelicitas hoc meretur, quæ deſeruiſti deos immortales, & regiam majeſtatem tuam, & deſideraſti magicis artibus coinquinari. Tunc juſſit eam recipi in cuſtodiam. Et præcepit adducere ad ſe Maximum presbyterum, & Archelaum diaconum, quibus ita dixit: Per vos, & per doctrinam veſtram blaſphemantur numina deorum, & circumducitis homines, ut non credant ſecundum morem antiquitatis. Maximus presbyter dixit: Non nos ſeducimus homines, ſed, quantùm gratia Dei donat, per ipſum Dominum Jeſum Chriſtum liberamus de errore ſæculi hujus, & mancipamus nomini ſancto ejus. Tunc iratus Romulus dixit: Iſti quidem digni ſunt morte: & juſſit ſibi milites Chriſti præſentari, qui per beatum Cyriacum & Maximum & Archelaum, & beatam Auream crediderunt.

plurimorum Chriſti Pugilum.

15 Quibus ita dixit: Sacrificate diis, aut diverſis pœnis vos cruciabo. Reſpondentes dixerunt: Jam ſemel obtulimus noſmetipſos ſacrificium Deo & Domino Jeſu Chriſto; qui nos per Sanctos ſuos illuminavit. Iratus Romulus juſſit

B eos expoliari, & fuſtibus cædi. Illi autem dicebant: Gratias tibi agimus, Domine Jeſu Chriſte, quia meruimus ſocii fieri Sanctorum tuorum. Eâdem horâ juſſit eos duci ad arcum ante theatrum, & ibi eos capitalem fecit ſubire ſententiam. Tunc omnes quaſi ex uno ore dixerunt: Domine Deus omnipotens, receptor innocentium animarum, ſuſcipe ſpiritum noſtrum. Et decollati ſunt in eodem loco, gratias agentes Deo. Romulus vero juſſit beatum Cyriacum in cuſtodia truncari. Tunc beatus Euſebius collegit noctu corpora ſanctorum Cyriaci epiſcopi, Maximi presbyteri, & Archelaï diaconi: & cum omni diligentia ſepelivit. Corpora verò Sanctorum militum juſſit Romulus in mare jactari: quos beatus presbyter ſollicitus collegit ad litus maris, & in campo Hoſteæ abſcondit, atque ſepelivit juxta Urbem in crypta Oſtenſe, ſexto Idus Auguſti: Taurinum verò & Herculanum in portu Romano abſcondit, beatum Theodorum tribu-

* *f.* mauſoleo num poſuit in miſeleo * ſuo: & omnes alios collegit, & poſuit juxta corpora ſanctorum Cyriaci & Maximi ſub die decimo Kalendas Septembris.

C *S. Aurea poſt multos cruciatus*

16 Eadem die juſſit ſibi Romulus beatam Aueam præſentari. Quæ cum præſentata fuiſſet aſpectibus ejus, gaudens dixit ad Romulum: O miſer, ut quid perdidiſti dies tuos? Agnoſce creatorem tuum Chriſtum Deum, & noli adorare lapides & æramenta & aurum aut argentum, ſed adora Dominum Jeſum Chriſtum, qui reſurrexit tertiâ die, & aſcendit ad cælos, & inde venturus eſt indicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Cui Romulus dixit: Modò videbis, ſi Chriſtus tuus liberabit te: ſi non ſacrificaveris diis. Beata Aurea reſpondit: Bene dixiſti miſer: tu aliquando protuliſti veritatem ex ore tuo dicens: Si non ſacrificaveris dæmoniis, videbis Chriſtum. Videns Romulus quia in dictis ſuis victus fuerat, juſſit ut cum lapide maxillæ ejus cæderentur. Clamavit autem dicens: Gloria tibi, Domine Jeſu Chriſte; quia merui cæleſtis regni januas introire. Romulus dixit: Jam conſule generoſitati tuæ, & adora deos, & accipe virum & lætare in vita tua. Beata Aurea reſpondit: Ego jam virum habeo Deum cæli & terræ, Dominum Jeſum Chriſtum, perpetuum regem: quem tu negas te ſcire: nec cognoſcis miſericordiam ejus, ſed cognoſcis dæmones, qui cor tuum inſaniâ & rabie impleverunt. Eâdem D hora juſſit in conſpectu ſuo plumbatis eam deficere: quæ cùm diu cæderetur, magis confortabatur.

martyrio coronatur ac ſepelitur: aliorum

17 Tunc dedit in eam ſententiam dicens: Lapis magnus ligetur ad collum ejus, & demergatur in mare: cujus corpus ſanctum pervenit ad litus: quam * beatus Nonoſus collegit: qui etiam Ypolytus nuncupatur, & cùm omni diligentia ſepelivit in prædio ejus, ubi habitaverat, quarto Kalendas Septembris. Tunc Romulus tenuit quemdam Sabinianum agricultorem loci illius, & cœpit ab eo quærere facultates beatæ Aureæ, dicens: Sacrilega Aurea, quæ noluit ſacrificare diis, nec principum præcepta ſervare, tuas amicitias ſemper communes habuit: theſauros ejus vel ornamenta ante conſpectum noſtrum declarare feſtina, & ſacrifica diis, & vive: & humiliare ad juſſa principum. Sabinianus dixit: Ego ſemper humilitatem doctus ſum à beata Aurea, quæ me docuit confiteri Dominum meum Jeſum Chriſtum, qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Nam aurum nobis, aut argentum, vel margaritas non eſſe ſcias. Romulus dixit: Succurre tibi, & occultos theſauros principum redde, & ſacrifica diis, & recede ab inſania falſa. E

pro Chriſto

18 Sabinianus dixit: Ego quidem non mereor pro peccatis meis; ſed quantùm gratia Domini mei Jeſu Chriſti largitur, quam mihi donare dignatus eſt, ſic crede me idoneum eſſe ad cognoſcendam miſericordiam ejus: qui mihi ſuam gratiam in baptiſmo donare dignatus eſt. Nam hoc aurum temporale non me habere, nec dare, nec dæmoniis flectere cervices meas [ſcito.] Romulus iratus juſſit, ut cum plumbatis cervices ejus cæderentur, cum voce præconia dicens: Deos & deas principum blaſphemare noli. Eodem die hoc audiens beatus Ypolytus, qui etiam Nonnus vocatur, obtulit ſe in conſpectu Romuli, & ita voce clara dixit: O miſer, ſi ſcires, non cruciares cervices Sanctorum, & te ipſum humiliares Deo & Domino Jeſu Chriſto, & ſervires ei, & non lapidibus vanis. Iratus Romulus præcepit, ut manibus & pedibus ligaretur, & vivus in fovea mergeretur. Tunc beatus Ypolitus epiſcopus, elevans oculos ad cælum dixit: Domine Jeſu, rex regum & Dominus dominantium, gratias ago tibi ego peccator, F quia dignatus es me famulum tuum in loco mundo inter aquas coronare. Te deprecor Filium Dei ſummi, ſuſcipe ſpiritum meum: & dum merſus fuiſſet in foveam ante muros Urbis, juxta alveum Tyberis, audita eſt vox quaſi infantium per unius horæ ſpatium, dicentium, Deo gratias.

Martyrum

19 Romulus dixit: Hoc inſaniam magicæ artis cognoſco. Ecce nunc audiſtis conſolationes dæmonum. Tunc Chriſtiani occultè noctu levaverunt corpus de puteo cum hymnis & Dei laudibus, cum omni diligentia ſepelierunt in eodem loco, non longe ab ipſo puteo, ſed quaſi pedes plus minus ſexaginta, ſub die decimo Kalendas Septembris. In quo loco multa mirabilia Dominus operatus eſt ejus orationibus ad laudem & gloriam nominis ſui. Tunc iratus Romulus cœpit cum furore dicere: Hic Sabinianus, qui captus cupiditate magicæ artis & libidine theſaurorum, in momento eum diſſolvam à ſua inſania, ſi non ſe humiliaverit & ſacrificaverit diis. His autem dictis juſſit eum fuſtibus cædi, ſub voce præconia dicens: Redde theſauros principum,

A pum, & humiliare diis, quibus gubernatur reſpublica. Ille autem cum gaudio dicebat : Gratias tibi ago, Domine Jeſu Chriſte, qui dignatus es me cum ſervis tuis numerare. Et cum diu cæderetur, firmus erat in fide, & alacri facie.

Laureati triumphi.

20 Tunc juſſit eum in eculeo levari & torqueri. Ille autem gratias agebat Deo & Domino Jeſu Chriſto. Romulus dixit : Iſte inſanus ſecurus eſt de magicis conſiliis, atque mox juſſit, ut flammis ureretur, & cum applicatæ fuiſſent flammæ ad latera beati Sabiniani, cœpit Romulus clamans dicere : Jam conſule tibi & redde theſauros. Ille autem gratias agebat Deo dicens : Domine Jeſu Chriſte, ſuſcipe ſpiritum meum. Et ſubitò emiſit ſpiritum ; cujus juſſit corpus in puteum jactari. Quem beatus Concordius presbyter noctu levavit de puteo & ſociavit beatæ Aureæ martyri ſub die quinto Kalendas Septembris, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto ; cui eſt honor & gloria, poteſtas & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen *b*. EX MS.

b

ANNOTATA.

a *De inſcriptionibus, quibus Martyrum vultus vel frontes notabantur, conſuli poteſt Gallonius in libro de Martyrum cruciatibus cap.* 8, *apud me pag.* 413.

b *De imperatore, ac conſule, ſub quibus Sancta paſſa dicitur in his Actis, videri poſſunt, quæ habentur in Sylloge S. Hippolyti paragrapho* 2.

DE TRECENTIS SS. MARTYRIBUS,

QUI PASSIM MASSA CANDIDA APPELLANTUR,

B E

CARTHAGINE VEL UTICÆ IN AFRICA,

COMMENTARIUS HISTORICUS. G. C.

§ I. Antiquus horum Martyrum cultus, numerus, & Acta.

ANNO CCLVIII. *Hi Martyres ab immemorabili tempore*

IN quibuſdam exemplaribus Martyrologii Hieronymiani hæc Martyrum cohors ſub luxato nomine maſſæ candidæ *annuntiatur, ut in Martyrologio Florentinii hujuſque notis ad diem* XVIII *Auguſti videre eſt. Kalendarium antiquiſſimum eccleſiæ Carthaginenſis, quod eruditiſſimus Mabillonius tomo* 3 *Veterum analectorum à pag.* 398 *edidit ac notis illuſtravit, eraſo certo feſtivitatis die, de Martyribus illis ita meminit:* .... Kal. Sept. Sanctorum maſſæ candidæ. *Vetus Martyrologium Romanum, quod Roſweydus noſter vulgavit, huic annuntiationi diem & palæſtram martyrii ſic breviter adjungit :* IX Kal. (*Septembris, ut ex antecedentibus liquet*) maſſæ candidæ Carthagini. *De iſta martyrii palæſtra poſtmodum agemus.*

C

in antiquis Martyrologiis celebrantur,

2 *Interim ſanctus Ado ad eamdem diem* IX *Kalendas Septembris ſive* XXIV *Auguſti in Martyrologio ſuo breves & obſcuras iſtas annuntiationes ita clarius exponit :* Eodem die apud Carthaginem ſanctorum martyrum Maſſæ candidæ, qui paſſi ſunt tempore Valeriani & Gallieni ; ferunt enim inter alia ſupplicia tunc à præſide clibanum calcis accenſum, & in ora illius prunas cum thure exhibitas, & præſidem dixiſſe Chriſtianis : Eligite è duobus unum, aut thura ſuper his carbonibus offerre Jovi, aut in calcem demergimini. Tunc trecenti viri fide armati, ſe ictu rapidiſſimo Chriſtum Dei filium Deum fatentes, jecerunt in ignem, & inter vapores calcis pulverei ſunt demerſi. Ex quo etiam candidatus ille exercitus beatorum, MASSA CANDIDA meruit nuncupari. *Uſuardus & collectores hodierni Martyrologii Romani, paucis mutatis, imitati ſunt Adonem, qui ſua veroſimiliter ex Prudentio deſumpſit, ut infrà videbimus. Hæc de immemorabili Martyrum iſtorum cultu dicta ſuffi-*

ciant, & ad numerum eorum ſtabiliendum pergamus.

& veroſimiliter fuerunt trecenti

3 *Prudentius, Ado, & alii paſſim aſſerunt, eos numero trecentos fuiſſe. Baronius aliique hunc eminentiſſimum nimis facilè ſecuti putant, S. Auguſtinum huic tanto numero contradicere, dum in Tractatu ad Pſalmum* 49 *affirmat, hanc Maſſam candidam plus habuiſſe, quàm centum quinquaginta tres martyres. Unde eminentiſſimus auctor hodie in notis ad Martyrologium Romanum ſcribit ſequentia :* Quod autem ad numerum ſpectat ; cum Pontius dicat fuiſſe trecentos, idemque profiteantur omnia Martyrologia, mendum eſſe putatur apud ſanctum Auguſtinum, dum in dicto tractatu ponitur adeo minor numerus. *Florentinius die* XVIII *Auguſti in notis ad Martyrologium ſuum Hieronymianum ſimilia ferè repetit hoc modo :* Trecentis martyribus conſtitiſſe ſacram illam Maſſam ferè omnes docent. Divus tamen Auguſtinus in Pſalmum XLIX centum quinquaginta tres martyres habuiſſe affirmat, ubi numeralem notam mendum contraxiſſe putat eruditiſſimus Baronius, quod Pontius & alii, trecentos fuiſſe doceant. Ita etiam de antiqua traditione teſtatur Prudentius in Periſtephano & hymno ſancti Cypriani, ubi ex carminum numero mendum ineſſe nequivit. *Deinde allegat ſequentem Prudentii verſiculum :*

F

Profiluere alacres curſu rapido ſimul trecenti.

At non video, cur ad mendum recurri debeat, ſi omnia ſancti Doctoris verba maturè expendantur.

cui numero, ut quidam perperam exiſtimant,

4 *Quare patienter audiamus totam metaphoram vel allegoriam, quam S. Auguſtinus in Enarratione ad dictum Pſalmum* 49 *ſive in editione Plantiniana Operum ſuorum tomo* 8 *pag.* 190 *& ſequente proponit his verbis :* Dominus poſt reſurrectionem jubet mitti retia in dexteram partem ; levantur piſces centum quinquaginta tres.

AUCTORE G. C. Et cum tanti & magni eſſent, ait Euangeliſta, retia non ſunt dirupta. Etenim ante Paſſionem juſſit mitti retia, non dicens in dexteram partem neque in ſiniſtram; quia ſi in dexteram diceret, ſolos bonos ſignificaret; ſi in ſiniſtram ſolos malos. Ubi autem tacetur dextera & ſiniſtra, mixti capiuntur boni & mali. Capti ſunt autem tunc, ſicut Euangelii veritas atteſtatur, tam multi ut retia rumperentur: ſignificabat enim illa captura hoc tempus. Retia rupta ſignificant conciſiones & conſciſſuras hæreticorum & ſchiſmaticorum. Quod autem poſt reſurrectionem ſuam Dominus fecit, poſt reſurrectionem noſtram nobis futurum ſignificavit in illo numero regni cælorum, ubi nullus erit malus.

non adverſatur S. Auguſtinus,

5 Propterea retia, quæ in dexteram partem miſſa ſunt, dexteros expreſſerunt, remotis ſiniſtris. Numquid tamen in illis dexteris centum quinquaginta tres ſoli juſti erunt? Millia millium Scriptura ſignificat. Legite Apocalypſin; duodecies duodena millia fortaſſe, ſicut ibi intelligitur, ex ſolo populo Judæorum futura ſunt. Attendite martyrum numeroſitatem. Sola in proximo, quæ dicitur MASSA CANDIDA, plus habet
B quàm centum quinquaginta tres martyres. Poſtremò ſeptem illa millia, de quibus reſpondetur Heliæ; reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal, longè iſtum piſcium numerum ſuperant. Centum ergo quinquaginta tres piſces non tantùm numerum Sanctorum ſignificant, ſed univerſum Sanctorum & juſtorum numerum certâ causâ tanto numero ſignificat Scriptura, ut omnes intelligantur in illis centum quinquaginta tribus pertinentes ad reſurrectionem vitæ æternæ. *Ex his attentè conſideratis patet, numerum iſtorum Martyrum Africanorum ab Auguſtino non determinari, & totam ipſius expoſitionem ſubſiſtere, quamvis tunc pro trecentis tria millia martyrium ſubiiſſent. Unde cum Prudentio & antiquis Martyrologis in titulo trecentos expreſſimus, & S. Auguſtinum nobis adverſari non putamus. Jam exhibenda ſunt ea, quæ de illis Martyribus antiquitus conſcripta invenimus.*

qui etiam concionem de illis habuit.

6 *Sanctus Auguſtinus in annua Martyrum noſtrorum feſtivitate concionem inſtituit; ſed de geſtis eorum nihil ſpeciatim nos docuit, dum ſermone* 112 *ſive in laudata editione Plantiniana tomo* 10 *Operum pag.* 590 *ſolam martyrii cauſam ſic oratoriè ac generatim exponit:* Hæc eſt
C prima Martyrum cauſa, hæc eſt candida Martyrum maſſa. Si cauſa candida, & maſſa candida: maſſa enim dicta eſt de numeri multitudine; candida de cauſæ fulgore. *Dein pagina ſequente poſt alia multa, quæ omnibus Martyribus conveniunt, auditores ſuos ad eorum imitationem hortatur his verbis:* Maſſæ ergo candidæ ſolennitatem candidâ conſcientiâ celebremus, & veſtigia Martyrum ſectantes, caputque martyrum & noſtrum intuentes; ſi ad tantum bonum venire concupiſcimus, iter durum non timeamus. Qui promiſit verax eſt, qui promiſit fidelis, qui promiſit fallere non poteſt. Dicamus ergo ei candidâ conſcientiâ: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras. Quid times vias duras paſſionum & tribulationum? Tranſiit ipſe. Reſpondes fortè; ſed ipſe. Tranſierunt Apoſtoli. Adhuc reſpondes; ſed Apoſtoli. Accipio. Reſponde. Tranſierunt poſtea & multi viri. Erubeſce. Tranſierunt & feminæ. Senex veniſti ad paſſionem. Noli timere mortem, vel quia vicinus es morti. Juvenis es. Tranſierunt & juvenes, qui adhuc vitam ſibi ſperabant. Tranſie- D
runt & pueri, tranſierunt & puellæ. Quomodo adhuc via aſpera eſt, quam multi ambulando lenierunt? Hæc ergo eſt ſolennis & aſſidua commonitio noſtra ad vos, fratres, ut ſolennitates martyrum non vana ſolennitate celebremus; ſed quod in ſuis ſolennitatibus amamus, etiam fide ſimili imitari non formidemus. *Nihil hîc de Actis Maſſæ candidæ diſcimus, ut lector videt.*

Aurelius Prudentius in Actis S. Cypriani

7 *Magis diſtinctam Actorum notitiam nobis ſuggerit Aurelius Prudentius, dum in libro Periſtephanon hymno* 13 *canit, hos Martyres à ſancto Cypriano Carthaginenſi epiſcopo ad conſtantiam in fide excitatos fuiſſe, & hunc præſulem pro grege ſuo ita orantem inducit:*

Da quoque, ne quis iners ſit de grege, quem tuum regebam;
Neu cadat impatiens pœnæ, titubetve quis tuorum;
Incolumem ut numerum reddam tibi, debitumque ſolvam.
Vocibus his Dominum permoverat: influebat inde
Spiritus in populum Carthaginis, auctor acrioris B
Ingenii, ſtimulis ut pectora ſubditis calerent
Ad decus egregium diſcrimine ſanguinis petendum;
Non trepidare docens, nec cedere, nec dolore vinci;
Laudis amore rapi, Chriſtum ſapere, & fidem tueri.

Cum hæc generoſa trecentorum Pugilum cohors ab antiſtite Cypriano ad Chriſtianum certamen animata fuerit, ſaltem tempus martyrii eorum præterpropter colligimus, ut poſtea oſtendemus.

refert hiſtoriam hujus martyrii;

8 *Deinde Prudentius ibidem ex vulgari traditione hiſtoriam martyrii illorum refert his verſibus:*

Fama refert, foveam campi in medio patêre juſſam,
Calce vaporifera ſummos prope margines refertam.
Saxa recocta vomunt ignem, niveuſque pulvis ardet,
Urere tacta potens; & mortifer ex odore flatus.
Adpoſitam memorant aram foveâ ſtetiſſe ſummâ, F
Lege ſub hac, ſalis aut micam, jecur aut ſuis litarent
Chriſticolæ, aut mediæ ſponte irruerent in ima foſſæ.
Proſiluere alacres curſu rapido ſimul trecenti:
Gurgite pulvereo merſos liquor aridus voravit,
Præcipitemque globum fundo tenus implicavit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad ſuperna mentes;
CANDIDA MASSA dehinc dici meruit per omne ſeclum.

quam ſequitur Baronius,

9 *Hanc Prudentii narrationem ſecutus eſt eminentiſſimus Baronius, qui in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 261 *num.* 48 *de glorioſo horum Martyrum agone ſic ſcribit:* Paſſi ſunt, eadem perſecutione urgente, apud Carthaginem trecenti martyres nono Kalendas Septembris; quo tamen anno ignoratur. At quoniam tum à Prudentio tum ab aliis ejus rei geſtæ hiſtoria adjungitur ſimul martyrio Cypriani, de iiſdem hîc agere; more majorum conſultius viſum

A sum est. Clarissimi tunc iidem effulserunt Martyres, qui inter alia supplicia, cum præses fornacem calcariam accendi jussisset, & juxta eam tripodem thusque simul ac prunas exhiberi præcepisset, optionemque illis proconsul dedisset, ut vel Jovi thus incenderent, vel ipsi injicerentur in ignem; respuentes illi eam, ut indignam, oblatam conditionem, factoque potiùs quàm verbo, dato responso, in eamdem pariter sententiam conspirantes, sese rapidissimo cursu, impellente divino Spiritu, in fornacem incensam conjecerunt, atque igne succensi, calcéque permixti appellati sunt MASSA CANDIDA.

qui tamen secum conciliari vix potest.

10 *Sed non videmus, quomodo eminentissimus Baronius suam vel Prudentii narrationem conciliare possit cum vetusta concione, quam tamen ipse in notis hodiernis ad Martyrologium Romanum inter Augustinianas reponit hoc loquendi modo:* Legimus de Massa candida adhuc alium sermonem sancti Augustini in codice manuscripto sanctæ Mariæ ad Martyres Romæ, positum inter lectiones, quæ legi consueverunt in solennitate omnium Sanctorum. Incipit: DILECTISSIMI FRATRES, NATALEM MARTYRUM CELEBRAMUS &c. *Propter hunc ipsum sermonem aliasque rationes infrà allegandas Tillemontius tomo 4 Monument. eccles. pag. 176 dubitat, an vulgaris fama, cujus testimonium sæpe suspectum est, Prudentium non deceperit. Certè hic sermo, quem posteà curioso lectori integrum exhibebimus, ab historia Prudentii multùm differt, & planè diversum pretiosæ mortis modum indicat. Quare jam paragrapho sequente palæstram, tempus, aliasque hujus martyrii circumstantias indagare conabimur.*

B

§ II. Disceptatio de palæstra, tempore, modo, & genere hujus martyrii.

Passi sunt pi Martyres Carthagine,

A*Do, Usuardus, aliique Martyrologi, quibus favet Prudentius, certamen horum Martyrum Carthagine collocant. Attamen hæc eadem glorioforum Pugilum cohors ab Augustino* C UTICENSIS massa candida *appellatur, ut sermone 115 de Diversis in editione Plantiniana tomo 10 Operum pag. 594 legi potest. Eminentissimus Baronius hodie in notis ad Martyrologium Romanum assignare nititur aliquam hujus appellationis causam, & ibidem affirmat, hanc Martyrum catervam ab Hipponensi episcopo cognominari* Uticensem, *quia festivitas eorum solenniùs Uticæ celebrabatur. Verùm illa ratio non satisfacit eruditissimo Ruinartio, qui inter Acta martyrum sincera & selecta Parisiensis editionis pag. 199 circa hanc controversiam sic disserit:* Hos Martyres Uticensem massam candidam appellat idem Augustinus serm. 311 *(nimirum in nova Operum ejus editione, quam Benedictini Galli vulgarunt)* qui tertius est in natali sancti Cypriani.

aut probabiliùs Uticæ,

12 Unde colligunt nonnulli, hos Martyres Uticæ passos fuisse, quamvis Martyrologia, quibus favere videtur Prudentius, ipsos apud Carthaginem martyrium consummasse referant. Priorum tamen certior apparet sententia, cui favere videtur idem Augustinus enarratione in Psalmum 144, quem scilicet Uticæ in basilica Massæ candidæ fecit ad ejus civitatis plebem. Et quidem in ea urbe proconsulem de martyrum causis cognovisse certum est: siquidem beatus Cyprianus paullò ante passionem suam quæsitus, ut illuc ad proconsulem perduceretur, se abscondit, ne extra civitatem suam, longè à plebe sibi commissa, martyrium suum expleret, ut ipsemet testatur epistolâ 81 aliàs 83, qua clero & populo Carthaginensi ultimi secessus sui rationem reddit. *Tillemontius tomo 4 Monument. eccles. pag. 640 hanc Ruinartii sententiam amplectitur, eamque pluribus argumentis stabilire conatur. Quamvis opinio illa nobis etiam probabilior videatur, tamen ob auctoritatem Prudentii, & veterum Martyrologiorum sub distinctione Martyres illos* Carthagine vel Uticæ *in titulo collocavimus.* AUCTORE G. C.

anno Christi 258;

13 *Pleraque Martyrologia agonem Massæ candidæ affigunt imperio Valeriani & Gallieni, qui anno Christi 254 regnare cœperunt. Sed magis determinatum istius martyrii tempus assignare nobis videtur jam sæpe laudatus Prudentius, dum hymno 13 illud inter captivitatem S. Cypriani & generosam ejus mortem sic collocat:*

Clausus in his specubus sanctus Cyprianus,
& catena
Nexus utramque manum, nomen Patris in- E
vocat supremi.

Recitatis deinde sancti episcopi Carthaginensis precibus, narratoque Massæ candidæ martyrio, quemadmodum paragrapho præcedente retulimus, carmen suum ita prosequitur:

Lætior interea jam Thascius * ob diem suo- * *id est* Cy-
rum, prianus
Sistitur indomiti proconsulis eminus furori.

Igitur hoc loquendi modo Prudentius innuit, trecentos illos Christianæ fidei Defensores non diu ante martyrium S. Cypriani eâdem laureâ coronatos fuisse. Cum autem S. Cyprianus capite plexus fuerit anno Christi 258, ut exactiores chronologi consentiunt, eidem anno nos agonem Massæ candidæ superiùs in margine alligavimus.

etsi non sit verosimile, quod sese ultro

14 *Tillemontio non placet ille mortis modus, quo dicuntur trecenti isti Athletæ sese ultro in vivam calcem præcipitasse: quamvis enim martyria hujusmodi instinctu sancti Spiritus aliquando contigerint, tamen criticus ille timet, ne vulgaris fama Prudentium aliosque eum secutos hac in parte etiam fefellerit. Ad hanc suspicionem præcipuè movetur silentio S. Augustini, qui* F *de illo voluntariæ mortis exemplo nusquam meminit, cum tamen Donatistæ circumcelliones, qui sibi ipsis violentam necem inferebant, ad hanc rabiem suam defendendam ei varia exempla objicerent, quæ sanctus Doctor explicat aut refellit. Procul dubio Donatistæ, inquit Tillemontius tomo 4 Monument. eccles. pag. 176, domesticum istud exemplum pro furore suo excusando allegassent, & haud dubiè S. Augustinus illud refutasset aut explicasset, si Donatistæ id objecissent. Hinc sequeretur, hanc ultronei martyrii historiam tempore S. Augustini & adversariorum ejus in ipsa Africa ignotam fuisse. Cum istud argumentum Tillemontii sit negativum, quod aliquando multùm, aliquando parum vel nihil probat, judicent æqui ac periti hujusmodi rerum æstimatores, quam vim illud hoc loco habeat.* ultro

in vivam calcem præcipitavisse.

15 *Non placet etiam Tillemontio etymologiæ Massæ candidæ, cujus originem Prudentius & alii ex corporibus eorum cum calce in candidum pulverem redactis deducunt. Præcipua hujus etymologiæ improbandæ ratio apud ipsum est, quod Augustinus in sermone 112, quem de his Martyribus*

AUCTORE G. C.

tyribus inſtituit, & cujus fragmentum ſuprà num. 6 dedimus, de appellatione Maſſæ candidæ tantummodo hæc dixerit: Maſſa enim dicta eſt de numeri multitudine; candida de cauſæ fulgore. *Quidquid ſit de hac Tillemontii ratione, nos facilè admitteremus illam ex calce deſumptam Maſſæ candidæ appellationem, ſi Prudentius & ejus ſectatores concederent, trecentos iſtos Martyres non ultro in calcem vivam deſiliſſe, ſed juſſu proconſulis in eam dejectos fuiſſe, ſicut apud Euſebium lib. 6 Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 41 de quibuſdam martyribus Alexandrinis ſub imperatore Decio legimus in hunc modum:* Poſt hos Epimachus & Alexander, cum poſt diuturnum carceris horrorem, in quo vincti permanſerant, ferreos ungues, flagra, ac mille dolorum genera pertuliſſent, vivæ calcis incendio etiam ipſi colliquefacti perierunt. Eumdem cum ipſis exitum ſortitæ ſunt quatuor mulieres. *Haud difficulter ergo credi poteſt, quod hodierni noſtri Martyres ſimili ſupplicio vitum finire coacti fuerint. Sed de hoc ipſo martyrii genere dubitari poterit, ſi ſancto Auguſtino tribuenda ſit concio, quam nunc oculis curioſi lectoris ſubjiciemus.*

B

Antiqua concio, quæ S. Auguſtino tribuitur,

16 *Hieronymus Vignierius anno 1654 Pariſiis edidit Supplementum Operum S. Auguſtini, ubi tomo 1 pag. 394 & ſequente primus ex Ms. codice bibliothecæ Vaticanæ ſub nomine S. Auguſtini vulgavit ſermonem, quem etiam noſtri Majores ab eruditiſſimo Luca Holſteinio manuſcriptum acceperunt ex emendatiore exemplari, cujus ope vitioſam Vignierii editionem ſubinde corrigemus. Sermo autem ille, qui apud Vignierium eſt decimus ſeptimus de diverſis, ita ſonat:* Dilectiſſimi fratres, natalem Martyrum celebramus, quorum multitudo maſſam, ſplendor candidam fecit: maſſa enim dicta eſt propter humerum, candida propter meritum. Nam quid aliud maſſa candida, niſi multitudo intelligenda eſt martyrio candidata? Sicuti modò cum Apocalypſis legeretur audivimus, quia vidit beatus diſcipulus & Apoſtolus, qui Chriſti ſolebat diſcumbere ſuper pectus, Martyrum turbas candida veſte fulgentes, palmis virentibus triumphantes; & quod feliciter vidit, nobis fideliter indicavit. Ait enim, ſicut modò audivimus; Vidi, & ecce multitudo, quàm numerare nemo poterat, ex omni populo & tribu & lingua, veſtiti omnes ſtolas candidas, & palmæ in manibus eorum. Veſtis candida ſignificat innocentiam, palma victoriam.

C

& in feſto horum Martyrum habita eſt,

17 Et ait quidam de ſenioribus ad Joannem: Iſti qui ſunt, & unde venerunt? Joannes autem reſpondit: Domine, tu ſcis. Ille autem, qui ideo interrogaverat, ut doceret; Hi ſunt, inquit, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas & candidas fecerunt in ſanguine Agni. Quàlis ſanguis, fratres! Lavat ſanguis iſte, non maculat. Habet quidem ruborem, ſed tamen non poteſt maculare candorem. Mirum eſt hoc, dilectiſſimi: illius enim ſanguis eſt, de quo dicit ſponſa ejus in Canticis Canticorum: Frater meus candidus & rubens. Si candidus, quare rubens? Si candidus, inquam, quare rubens? Si enim candorem innocentiæ Chriſti nullus peccati nævus offudit, quare ſanguinem fudit? Si candidus, quare rubens? Si candidus ille nulla ſe iniquitatis nocte fuſcavit, quare crucem immaculatus aſcendit? Quæris quare? Audi Euangelium: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Vide maſſam, & intellige ſeminis cauſam.

D

aliud mortis genus eis aſſignat;

18 Maſſa hæc, fratres, ſicut audiſtis, ex omni populo & tribu & lingua, ex utroque ſexu, & ex omni ætate collecta eſt. Non ſenex annis jam vergentibus fractus, marceſcente jugulo, tremulam cervicem ſubtraxit. Non anus ſexu, ætate confecta dexteram cruenti percuſſoris effugit. Non juvenes à corona vitæ hujus dulcedo revocavit. Non exſpirantium membra palpitantium parvulorum cruentus percuſſor perhorruit. Sed ſi qui fortaſſis infantum maternis uberibus inhiantes ferrum potuerunt perſequentis evadere, oppreſſi ruinâ cadaverum maternos inter dulcedinis obiere complexus. Omnes in illo certamine coronavit, qui omnem redemit ætatem. Qualis tunc rerum ſpecies, dilectiſſimi! Quam cruenta ætas, per quam videbatur miſeranda & horrenda cernentibus; ſed pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Vultis noſſe, quàm pretioſa ſit, recolite, quomodo nobis Apoſtolica epiſtola legebatur: Propterea, inquit, non confunditur de his Deus vocari Deus eorum; præparavit enim illis civitatem. O ſi videre poſſemus, quando erat de eorum trucidatione in terris tanta triſtitia, quanta fuerit in illa cæleſti civitate lætitia, cùm, iſtis Martyribus ad cælum uno agmine tendentibus, cives illius beatæ civitatis, hoc eſt millia occurrerunt angelorum! O ſi videre poſſemus Martyres iſtos corpora relinquentes, tamquam lutearum domorum tecta calcantes! Et nos ergo, dilectiſſimi, faciamus in cælo gaudium angelis ſanctis. Sancti etiam Martyres debent gaudere de nobis, quia non ceſſant orare pro nobis. Sed quando de nobis gaudent? Quando eos, quos veneramur, imitamur: ſic enim volunt ſolennitates ſuas celebrari conventibus noſtris, ut eorum pietatem lætificemus moribus noſtris. *Videntur ergo Martyres illi, de quibus hîc ſermo habetur, ex utroque ſexu conſtare, & gladio interfecti fuiſſe, cum tamen Prudentius aſſerat, eos in foſſa vivæ calcis martyrium conſummaſſe.*

E

quam dum Benedictini ſancto Doctori abjudicant,

19 *At Benedictini Galli in nova editione Operum S. Auguſtini hunc ſermonem ſancto Doctori abjudicarunt, eique in Appendice tomi quinti col. 377 præfixerunt ſequens monitum:* Sermo CCCXVII in Natali Martyrum Maſſæ candidæ in Appendice nunc primùm collocatur. Auguſtinum non ſapit affectata illa qualiſcumque orationis elegantia, & videtur nimiùm apparatis verbis ſermo contextus, ex illo præſertim loco; NON SENEX ANNIS JAM VERGENTIBUS FRACTUS, MARCESCENTE JUGULO &c. Deinde Maſſam candidam Auguſtino & Africanis celebratam, non gladio, ut iſtic dicitur, ſed igne in fornace calcaria martyrium conſummaſſe, eamque virorum certo numero, non autem ex omni ætate & ſexu collectam, poſt Pontium in Actis S. Cypriani produnt Martyrologia & Prudentius in Periſtephanon XIII. Hunc tamen ſermonem Auguſtino tribuunt Romani duo Mss. *codices*, ejuſque nomine à Baronio laudatur in notis ad Martyrologium XXIV Auguſti & 1 Novembris. *Eruditi veterum monumentorum indagatores judicent, an allatæ rationes ſufficiant ad denegandum S. Auguſtino hunc ſermonem, qui in duobus Mss. codicibus nomen iſtius ſancti Doctoris præfert.*

F

& S. Ponubinam Pontius in genuinis S. Cypriani Actis de Maſſa tium pro ſe citant,

20 *Interim ex illis editoribus ſcire velim,*

A *Massa candida meminerit. Equidem non ignoro, ante Opera S. Cypriani, quæ Pamelius & Rigaltius ediderunt, in quadam hujus sancti præsulis ac martyris Passione legi sequentia:* Tempore Valeriani & Gallieni, cum glorioſum nomen Chriſti à gentilibus exoſum, intentione maxima conaretur auferri, & eſſet perſecutio apud urbem Romam, beatiſſimus Cornelius Pontificatum prædictæ urbis, ſummis virtutibus præditus, tunc regebat, comprehenſuſque à præſide & diuturnis tormentis afflictus, gladio finivit temporalem vitam, percepturus à Deo ſine fine perpetuam. Sed cum hoc odium fuiſſet etiam in Libycis terminis irrogatum, multi Chriſtianorum populi malentes tranſitoriam vitam amittere, & illa, quæ à Deo promiſſa ſunt, adipiſci, diverſis tormentis afflicti conſummabantur. Ferunt etiam tunc à præſide clibanum calcis accenſum, & in ore illius prunas cum thure exhibitas, & præſidem dicere Chriſtianis: Eligite è duobus unum; aut thura ſuper his carbonibus offerte Jovi, aut in calcem demergimini. Tunc trecenti viri fide armati, ſe ictu rapidiſſimo, Chriſtum
B Dei filium Deum fatentes, jecerunt in ignem, & inter vapores calcis pulverei ſunt demerſi, quos ſibi Chriſtus conſecravit. *Verum hæc S. Cypriani Acta interpolata ſunt, ut patet ex eorum initio, cum S. Cornelius Papa Romanus ante imperium Valeriani & Gallieni vitam finiverit, quemadmodum Pagius & alii Chronologi demonſtrant. Quis ergo credat, Pontium ſancti Cypriani diaconum ſimilia ſcripſiſſe, licet id editores laudati confidenter affirment?*

certam hujus allegationis fidem exigimus,

21 *Incumbit itaque Benedictinis illis in quadam genuina Pontii lucubratione aſſignare ſuperiùs relatam trecentorum Martyrum noſtrorum hiſtoriam, quam Tillemontius & ego in ſinceris Actis S. Cypriani nondum reperire potuimus. Id ſi fecerint, omnis controverſia finita eſt, & teſtimonio coævi ſanctique iſtius viri libenter acquieſcemus. Si verò illud martyrii genus in veris S. Pontii ſcriptis oſtendere non poſſint, quod eos fruſtra quæſituros exiſtimamus, interea nobis licebit opponere Prudentio auctorem ſupradicti Sermonis, quem licet Tillemontius Auguſtinum eſſe non putet, tamen tomo 4 Monument.*
C *eccleſ. pag. 175 epiſcopum Africanum huic ſancto Doctori coævum fuiſſe ſuſpicatur. In hac hypotheſi potiùs credendum eſſet antiquo habitatori Africæ, ubi res contigit, quàm Prudentio Hiſpano, qui ex vulgari fama iſtud* Maſſæ candidæ *martyrium deſcripſit. At tandem tentemus, an auctorem relati ſermonis, ſive is S. Auguſtinus ſive alius Africæ epiſcopus fuerit, cum Prudentio utcumque non poſſimus conciliare.* AUCTORE G. C.

22 *Non improbabiliter fieri potuit, ut hi trecenti martyres, poſt toleratam pro Chriſto mortem, ab ethnicis in vivam calcem injecti vel demerſi fuerint, ne Chriſtiani ſacras eorum reliquias venerarentur. Forſan ob hanc famam, quæ ex Africa in Hiſpaniam migravit & eundo crevit, Aurelius Prudentius Hiſpanus exiſtimavit, illos Martyres Africanos in calcem vivos dejectos fuiſſe vel ultro ſeſe in eam præcipitaſſe. Potuerunt itaque Martyres illi gladio aut aliis ſuppliciis interfici, ut auctor prædicti ſermonis aſſerit, & poſtea in vivam calcem demergi, quod ultimum Prudentius paulo aliter ex fama narravit. In hoc noſtro ſyſtemate non negamus etymologiam* Maſſæ candidæ, *quam Prudentius & eum ſecuti veteres Martyrologi aſſignarunt. Quinimo libenter admittimus totam Uſuardi annuntiationem, quæ hac die ſic habet:* Apud Carthaginem, trecentorum Martyrum, qui paſſi ſunt tempore Valeriani & Galieni: Denique POST SUPPLICIA SIBI ILLATA Chriſtum Dei Filium Deum fatentes, in clibanum calcis accenſum demerſi ſunt; ex quo etiam candidatus ille exercitus Beatorum, MASSA CANDIDA meruit nuncupari. E

& proponimus quamdam conjecturam noſtram,

23 *Uſuardus hoc loco non dicit, illos Martyres in vivam calcem deſiliiſſe, ſed in clibanum calcis accenſum demerſos aut injectos eſſe. Dum præterea Martyrologus ille affirmat, Martyres iſtos* poſt ſupplicia ſibi illata *in calcem demerſos eſſe, videtur favere ſyſtemati noſtro, quod tamen libenter deſeremus, ſi quis alium utriuſque auctoris conciliandi modum detexerit, aut probabiliorem ſententiam ſuggeſſerit, eamque ſolidis argumentis confirmaverit. Certè eminentiſſimus Baronius hoc aut ſimili modo Prudentium conciliare cogitur cum eodem jam ſæpe memorato Sermone, quem S. Auguſtino affirmanter adſcribit. Equidem ſcio, hic effugium quæri poſſe, & ab aliquibus fortaſſe reſponderi, concionatorem illum de martyribus in genere locutum eſſe. Sed mihi non ſit veroſimile, auctorem iſtius Sermonis* in Natali Martyrum Maſſæ candidæ, *ut titulus in editione Benedictina habet, præſentem feſtivitatis materiam reliquiſſe, & de martyribus aliis hæc prædicaſſe. Quidquid demum ſit de genere mortis, hos generoſos Africæ Athletas cum veteribus Martyrologiis inter veros Chriſti martyres veneramur, & huic Commentario hiſtorico finem imponimus.* F

cui Uſuardus videtur favere.

A D

DE SANCTO TATIONE MARTYRE

CLAUDIOPOLI IN HONORIADE PROVINCIA,

J.P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Notitia loci, publica Sancti veneratio, tempus.

FORTE SUB DIOCLETIANO. *Situs loci rectè ponitur*

CLaudiopolis, *nomen pluribus urbibus commune, quænam hìc ſit intelligenda, indicat Lambecius Commentariorum de Auguſtiſſima bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi lib.* 8, *pag.* 212, *ubi profert textum Græcum Martyrii ſancti* Tationis, *prout ibi vocatur, atque hæc obſervat in notis:* Intelligitur hìc Claudiopolis illa, quæ metropolis eſt Honoriadis regionis Cappadociæ. B Vide Menæa Græcorum eodem die (XXIV *Auguſti*) & Abrahami Ortelii Theſaurum geographicum in explicatione nominis Claudiopolis. In Menæis tamen pro ἐπαρχίας τ῀ Ὀνοριάδος perperam legitur Ὀνοδιάδος. *Hæc ille. Eodem mendo laborat Menologium Græcorum, ab Eminentiſſimo Sirleto Latinè redditum, & à Caniſio vulgatum, in quo legitur etiam nomen* provinciæ Onodiadis. *Carolus à S. Paulo in Geographia ſacra lib.* 9, *qui eſt de Patriarchatu Conſtantinopolitano, pag.* 251 *editionis Amſtelodamenſis, ſcribens de metropoli Honoriadis,* Claudiopolis, *inquit,* Notitiæ antiquæ Græcæ, Bithynium dicitur Strab. lib. 12, vulgò Caſtromena.. Ut autem metropolim eſſe ſcias, Calogerus, Claudiopolis Ponticæ Honoriadis metropolis epiſcopus, ſubſcripſit concilio Chalcedonenſi, & Epictetus Conſtantinopolitano ſub Agapeto & Menna. *Porrò de hac provincia, ac ejuſdem metropoli tractat illuſtriſſimus Petrus de Marca in Diſſertationibus de concordia ſacerdotii & imperii lib.* 2, *cap.* 9, *pag.* 87 *editionis Pariſienſis, ac in rem noſtram hæc ſcribit:*

C *in Honoriade; in Romano autem Martyrologio Sanctus perperam annuntiatur alibi.*

2 In oppido Gangrarum rex illius gentis (*Paphlagonum videlicet*) Deiotarus regiam conſtituerat, ut docuit Strabo lib. 12. Inde Gangrenſi urbi conciliata eſt metropoleos totius gentis dignitas; quam in diſpoſitione eccleſiaſtica conſtanter etiam retinuit. Accidit autem huic provinciæ, ut temporibus Honorii imperatoris aliquot urbibus minueretur: quæ cum tribus oppidis à Bithynia recisis, in provinciæ ſpecialis nomen conceſſerunt, cui Honoriadis nomen impoſitum. Huic novæ provinciæ ſua metropolis non defuit, nempe Claudiopolis, una ex urbibus Bithyniæ.. Ex Honoriade, & reliqua Paphlagonia, unum provinciæ corpus Juſtinianus conſtituit, ea lege, ut de dignitate eccleſiaſtica utriuſque metropoleos nihil deperiret. *Exhibetur ſæpe dicta metropolis apud Carolum à S. Paulo, quem memorabam, in geographica patriarchatûs Conſtantinopolitani deſcriptione, æri inciſa ad pag.* 205: *ubi Honorias hinc Bithyniâ, illinc Paphlagoniâ clauditur, & ſuis limitibus ab utraque hac provincia ſecernitur; ab altera autem parte reſpicit Pontum Euxinum. Hæc cùm ita ſint, mirum prorſus mihi accidit, ſanctum noſtrum Martyrem à Baronio in Martyrologio Romano annuntiari* in Iſauria; *præſertim cùm illum è Menologio Sirleti acceperit (hoc quippe uſus eſt Vir Eminentiſſimus in reformatione laudati Martyrologii) cui Menologio conformia planè ſunt, quæ de loco ſuprà diſſerui: è contrario Claudiopolis, quæ Seleuciæ metropoleos in Iſauriâ eſt ſuffraganea, ut videri poteſt apud Carolum à S. Paulo citatum, in Notitia Patriarchatus Antiocheni, lib.* XI, *pag.* 290 *&* 291; *&* E *in mappa geographica ad pag.* 275; *Claudiopolis, inquam, illa non conſentit martyrio, quod proferemus è codice Vindobonenſis bibliothecæ Cæſareæ, Menologio Sirleti, ac Menæis magnis Græcorum excuſis; atque adeo debita cum reverentia recedimus à notatione loci, quæ habetur in Romano Martyrologio. Deinde non capimus, quomodo ſuperius* intelligatur *à Lambecio* hìc Claudiopolis illa, quæ metropolis eſt Honoriadis regionis CAPPADOCIÆ. *Neque id invenio apud Ortelium, quem citabat; ſed* Claudiopolis, *inquit,* Bithyniæ in Zygiana regione, urbs eſt Ptolemæo.

Colitur

3 *En tibi nunc aliqua de cultu* S. Tationis *noſtri apud Græcos. Menæa mox allata illum ita ſignant hac die:* Memoria ſancti martyris Tationis, *ſubditis in ejus honorem duobus hiſce verſibus, quos è Græco vertimus Latinè in hunc ſenſum:*

Ἔλξει μετρήσας πολλὰ πολλὰ γῆς πλέθεα,
Ἐδὲμ λάβοις ἄμετρα πλέθεα, Ταπίων.
Bene multa tractu menſus es terræ loca,
Immenſa cæli ſpatia nunc, Tation, cape.

Forte indicat inſulſum carmen, Sanctum ad ſe, ſeu ad Chriſtum attraxiſſe homines in plurimis F *locis. Certè nec pro hac, nec pro alia, ſi eam velit, alluſione, invenio fundamentum in Actis, nec apud Græcos, quos ſuprà citavi. Menologium Sirleti Martyrem refert & laudat hoc modo:* Commemoratio ſancti Martyris Tationis, qui cùm eſſet ex oppido Mantineo ſub Claudiopoli, metropoli provinciæ Onodiadis, comprehenſus à gentilibus, eò quòd Chriſtum coleret, aſtitit in eadem urbe Urbano præſidi. Confeſſus autem ſe Chriſtianum eſſe, verberatur, & ferro cæſus, cùm ad portam civitatis veniſſet, vocem audiens, bona, quæ illi repoſita erant, nuntiantem, Domino ſpiritum commendavit.

apud Græcos,

4 *Similia habentur in elogio ejus, quod exſtat in Menæis excuſis: paulo autem plura memorantur in Actis, ut mox videbitur. Martyrologium Arabico-Ægyptium, ex Arabico Latinè tranſlatum à Gratia Simonio Maronita,* ſcribit: Certamen S. Datiani. *In apographo noſtro, quod habemus* ex Ms. Menæo membranaceo Conventûs S. Ludovici FF. Prædicatorum Pariſiis, *etiam ſignatur; ſed die* XXIII *Auguſti, ac modicè mutato nomine:* Ἀθλ. μ. Ταπανῆ, οὗδε Ταπῶνα αὐτ῀ λέγεσιν. *Id eſt,* Certamen martyris

tyris Tatiani, (*alii*) ipsum dicunt Tationem. *De* Mantineo, *quod modò occurrebat, dicetur infrà in Annotatis.*

& Latinos. Quando fuerit passus.

5 *Cæterùm hic sanctus Pugil è Græcorum Menologio, ut antea indicabam, à Baronio transcriptus est in Martyrologio Romano:* In Isauria sancti Tationis martyris, qui in persecutione Diocletiani sub Urbano præside gladio cæsus, martyrii coronam accepit. *De eo etiam meminit idem Eminentissimus auctor in Annalibus ad annum Christi* 305, *num.* 16. *Quo autem idoneo teste eum affirmet passum esse sub Diocletiano,* AUCTORE J. P. *etiamsi me lateat; superiùs tamen hunc etiam temporis characterismum notavi cum adverbio* forte, *ne nullum ponerem. Habes, lector, hæc* ***pauca, quæ*** *de sancto isto Martyre ad meam notitiam pervenere:* ***reliqua*** *dabuntur in Annotatis ad Martyrium ejus, quod latinitate donabo è nostro apographo Græco, quod è codice bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, per decursum hujus mensis identidem à nobis citato, est transcriptum.*

MARTYRIUM

E codice Cæsareo bibliothecæ Vindobonensis, interprete J. P.

B

Ὁ ἅγιος μάρτυς Τιτίων ἦν ἐκ τῆς Μαντινίας, ἧς ὑπὸ Κλαυδιόπολιν τὴν μητρόπολιν τελῶν-τος. Συλληφθεὶς ὑπὸ τῶν ἐθνικῶν, παρέστη ἐν τῇ εἰρημένῃ Κλαυδιοπόλει Οὐρβανῷ τῷ ἡγεμόνι. Ἐρωτηθεὶς δέ, καὶ Χριστιανὸν ἑαυτὸν ὁμολογήσας, βάλλεται ἐν φρουρᾷ· ἧ αὖθις ὁμολογήσας τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν, τύπτεται ξύλοις, καὶ ξέεται σιδήροις, λέγων πρὸς τὸν τύραννον· Ὅσον ἂν ξέῃς τὸ σῶμά μου, τοσοῦτον πλείους ποιεῖς τοὺς στεφάνους μοι. Καὶ αὖθις πάλιν δέρεται ξύλοις, καὶ σύρεται διὰ μέσης τῆς πόλεως· καὶ φθάσας τὴν πύλην, ἐσφράγισεν αὐτὴν τῷ τύπῳ τῆς ἰδίας σαρκὸς τῷ ἰδίῳ αἵματι καὶ δύξαμένου αὐτοῦ, ἦλθεν αὐτῷ φωνὴ ἐξ οὐρανοῦ λέγουσα· Ἀθλοφόρε γενναῖε, ἀνέρχου εἰς τοὺς οὐρανούς· ἤδη γὰρ ἡτοίμασαί σοι ὁ παράδεισος τὴν πηγήν. Καὶ οὕτως ἀπέδωκε τὸ πνεῦμα τοῖς ἀγγέλοις, καὶ προσβάλει ὑπὲρ τῆς γῆς τῶν ἀνθρώπων, ὅπ τῷ Θεῷ ἡμῶν ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

S Anctus martyr Tition erat ex Mantinio *a*, quod subest Claudiopoli metropoli *b*. Comprehensus verò à gentilibus, in dicta Claudiopoli adstitit coram præside Urbano. Interrogatus autem, ac Christianum se confessus, in custodiam injicitur: confessusque denuo Christi fidem, cæditur lignis, ac ferro raditur, ad tyrannum dicens: Quanto magis corpus meum raseris, tanto plures mihi conficis coronas. Et statim excarnificatur iterum lignis, ac per mediam raptatur civitatem: dumque pervenisset ad portam, eam formâ pretiosæ crucis signavit sanguine suo; & quando orabat, vox ad eum venit de cælo, dicens: Victor generose, discede ad cælos: jam enim paratus tibi est paradisus voluptatis. Et sic tradidit angelis spiritum, & intercedit pro humano genere: quia Deo nostro gloria in secula. Amen.

a

b

E

ANNOTATA.

a *Lambecius in Commentario prævio citatus*, Sic quoque, *ait*, hic locus appellatur à Socrate Histor. ecclesiast. lib. 2 cap. 38 (*pag.* 144 *editionis Valesianæ*) nempe Μαντίνιον: sed ibi attribuitur Paphlagoniæ. A Suidâ autem vocatur Μαντινειόν. Unde & in suprà citatis Græcorum Menæis pro Μαντινέως legendum est Μαντινείας. *Quòd verò rectè, & cur, attribui possit Paphlagoniæ, collige è Commentario jam dicto.*

b *De hac* metropoli *pluribus ibidem disseruimus.*

C

F

DE SS. ZENOBIO, CAPITULINO, EMERITA, ITALICA. ITEM DE SS. JUVIANO, ET JULIO MM.

ANTIOCHIÆ.

Cultus ex apographis Hieronymianis.

J. P.

XXIV AUG. *Observationes variæ in annuntiones*

Quatuor primos Sanctos annuntiat Martyrologium à Florentinio editum, Antiochiæ ibidem adscriptos, sed sine titulo martyrum; quem tamen eis tribui posse opinor, Florentinium secutus, qui hæc scribit in notis: Antiochenos quatuor Martyres, in editis Martyrologiis præteritos, vetustiori Martyrol. debemus, sine ulla dissonantia in Antverpiensi & Corbeiensi confirmatos: in hoc tamen superadduntur Juvianus & Julius æque aliis ignoti. *In Martyrologio Richenoviensi apud nos typis excuso notantur hac etiam die duo primi suprà nominati:* In Antiochiâ, Zenobii, & Capitolini. *Die verò crastina;* In Syria, Juliani: *qui an idem sit cum eo, qui paullo antè vocabatur* Juvianus, *non habeo, unde affirmem. Rhinoviense signat hodie unum ex prædictis:* In Antiochia, Zenobii. *Augustanum non determinat locum: nam annuntiato* in India *S. Bartholomæo Apostolo, mox subdit:* Alibi Genobi, Genesi mart. Nivernis Capitulini, Patricii conf., Gelderi confess. *Ubi ante* Nivernis *poni debet* Capitulini: *nam SS. Patricius ac Gildardus* (*qui hîc non rectè scribitur* Gilderus) *ad Nivernos spectant; de quibus hac die seorsim agitur;*

AUCTORE J. P.

gitur ; uti & de S. Geneſio *M. Romano inter hodiernos Prætermiſſos : de quo cras à nobis tractatum iri cum Martyrologio Romano, ibidem diximus : præter quem, alius Arelatenſis etiam martyr tunc inſcribitur variis Faſtis ſacris. In ecgrapho noſtro additionum Bruxellenſium Mss. ad Uſuardum Greveni ponitur :* In Antiochia Geneſi & Capitulini.

horum Sanctorum.

2 *Martyrologium Labbeanum corruptè ſic ſcribit :* Alibi, Zonabi, Geneſi martyris. Nivern. Capitulini, Patrici confeſſoris. Geldari confeſſoris. *Quæ mendoſa metatheſis corrigenda eſt, ut ſuprà dicebam in Auguſtano. Obſerva obiter, nomen* Emeretæ, *quod ſcribitur in textu ipſo Martyrologii à Florentinio vulgati, à me in tulo ſuperiore mutatum eſſe in* Emeritæ, *quod mihi magis placet, & habetur bis ita formatum ex aliis apographis apud eumdem Florentinium in notis.* Antiochiæ *verò, ubi ſacros Pugiles annuntiavimus, extenſum præcipuè cupimus ad quatuor primos in eodem titulo poſitos ; quò fortè ſpectant etiam alii duo, non ſatis aliunde nobis noti, ſed alteri tamen apographo, quod citabat Florentinius, ſuperadditi. Quando itaque omnes ſex Martyres noſtros in catalogo Sanctorum, qui ſuprà habetur ante hunc diem* XXIV *Auguſti, annuntiamus* Antiochiæ, *intelligimus poſitionem iſtius urbis ſecundum explicationem modò datam. Nec alia occurrunt, quibus lectorem pluribus detinendum exiſtimemus.*

D

DE SS. GREGORIO, THEODORO, ET LEONE CONFESSORIBUS;

IN INSULA SAMO VEL CEPHALENIA,

B E

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Immemorabilis horum trium Sanctorum cultus, Acta, ætas, locus mortis, & ſacræ quorumdam reliquiæ aliò tranſlatæ.

CIRCA ANNUM CCCLX. *Immemorabilis horum Sanctorum cultus*

Quamvis hi tres Sancti vetuſtioribus Martyrologis ignoti ſint, tamen ab aliquot recentioribus ad hanc diem referuntur : nam in Additionibus Uſuardinis, quæ Coloniæ anno Chriſti 1515 *typis excuſæ ſunt, hodie ſic annuntiantur :* Apud Samum inſulam, ſanctorum Gregorii, Theodori, & Leonis confeſſorum, qui tempore Conſtantii, cum eſſent milites, perſecutionem Arrianorum declinantes, apud præfatam inſulam Chriſto devotiſſimè ſervierunt, ſimulque quieverunt. *Huic annuntiationi fermè conſentit, & ætate proximus eſt Witfordus, cujus Martyrologium anno* 1526 *Londini Anglicè impreſſum eſt. At Franciſcus Maurolycus in Martyrologio ſuo, quod Venetiis anno* 1568 *edidit, eâdem die* XXIV *Auguſti ulteriorem notitiam ita adjecit:* In Samo inſula, ſanctorum Gregorii, Theodori & Leonis confeſſorum, qui cum in rubeto ſanoque ſemiruto ſolitarii vixiſſent, Conſtantio imperante, pariter obdormierunt in Domino ; ex his duorum primorum corpora Venetiis quieſcunt. *Conſtantius Felicius hac die in Martyrologio ſuo Italico ſimilia habet ; ſed de ſacris duorum primorum Sanctorum corporibus Venetias tranſlatis non meminit.*

C

probatur ex additionibus Uſuardinis.

2 *Præterea Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, eoſdem tres Sanctos refert his paucis verbis :* In Samo inſula, ſanctorum confeſſorum Gregorii, Theodori, & Leonis. *Deinde in notis ibidem ſitum iſtius inſulæ deſcribit, ut poſtea dicetur, & Maurolycum Feliciumque allegat. Verùm quatuor iſti recentiores Martyrologi non ſufficerent ad probandum immemorabilem eorum cultum, niſi accederent alia antiquæ venerationis argumenta, quæ jam breviter propono. Imprimis editio Colonienſis Additionum Uſuardinarum centum & pluribus annis notiſſimum Urbani VIII Pontificis decretum præceſſit. Unde concludimus, hos tres Sanctos ab immemorabili tempore, pro quo laudatus Pontifex centum annos aſſignavit, publicè honoratos aut in Martyrologiis annuntiatos fuiſſe. Inſuper Additiones iſtæ Colonienſes Uſuardi deſumptæ ſunt ex variis antiquioribus Martyrologiis, ut editor anno* 1515 *in fronte libri teſtatur. His adde duos Actorum ſcriptores, videlicet Petrum Calotium & Petrum de Natalibus, qui ſeculo* XIV *floruerunt, & de quibus infrà diſſeremus. Interim hæc nobis ſufficiunt, ut iſti tres Confeſſores Operi noſtro inſerantur.*

F

ac ipſis eorum Actis,

3 *Quo ſeculo Acta horum Sanctorum primùm conſcripta fuerint, ignoramus : nam ex illis determinare non poſſumus, quo tempore corpora & geſta eorum per revelationem indicata fuerint cuidam Michaëli leproſo, qui ſanitati reſtitutus Vitam illorum litteris mandaſſe dicitur. Nos primam iſtorum Sanctorum notitiam reperimus apud Petrum Calotium Dominicanum, qui ineunte ſeculo* XIV *adhuc vivebat, ut Echardus inter Scriptores Ordinis Prædicatorum recenſitos tomo* 1 *pag.* 511 *tradit. Neſcimus autem, unde Calotius hauſerit ea, quæ de tribus illis Sanctis narrat. Etiam dubitamus, utrum ille collector Acta antiquiora & forſan ſimpliciora non amplificaverit : iis enim immiſcet varia Sanctorum eorumdem colloquia, quæ veroſimiliter ad notitiam primi biographi non pervenerunt. Quidquid ſit de hac ſuſpicione noſtra, nos illa Acta ex collectaneis Calotii poſt hunc Commentarium prævium prælo ſubjiciemus, & Annotatis illuſtrare conabimur.*

quorum compendium damus ex Petro Equilino,

4 *Denique ignoramus, utrum Petrus Equilinus Calotio ſuppar Acta ſimpliciora præ manibus habuerit & fideliter tranſcripſerit, an verò breviorem ſuam narrationem ex Calotio vel alio biographo*

A *biographo contraxerit. Porrò hæc Actorum ſynopſis apud Petrum Equilinum ſive de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 7, *cap.* 106 *ſic ſonat:* Gregorius, Theodorus & Leo confeſſores tempore Conſtantii imperatoris apud inſulam Samum claruerunt. Qui ex partibus Orientalibus orti, quoad ſeculum milites imperiales, corde verò Deo militantes, pro fide Chriſti martyrium deſiderabant pati. Gregorius enim ſenex veneranda canitie & ſapientia decoratus, Theodorum ferè triginta annorum, & Leonem adoleſcentem edocebat.

& quæ primus quidam,

5 Verùm dum, hæreſi Arrianorum ſub Conſtantio vigente, edictum eſſet, ut omnes per univerſum orbem ejuſdem ſectæ fierent, ipſique ſancti Milites Catholici, quibus erat cor unum & anima una in Domino, cum aliis ſuis commilitonibus apud Siciliam degerent, multis circumquaque diſperſis fidelibus ob perſecutionem, ipſi Sancti Cephaloniam devenerunt; & decreto habito ab aliis diſcedere, ſolique Chriſto militare, ad Samum inſulam ibi juxtà poſitam abierunt, ubi rubetum denſiſſimum invenientes, iidem San

B ɛti locum ſolitarium elegerunt. Sed pro tunc à commilitonibus diſcedere non valentes, unà cum eis ad Italiam navigarunt; indeque diſcedentes occultè, reverſi Samum, intraverunt rubetum, partemque templi vetuſtate dirupti ibidem repertam habitare cœperunt, pœnitentiæ operibus ac contemplationi vacantes, ubi poſt tempus aliquod, oratione facta, omnes eodem die feliciter obdormierunt, videlicet IX Calendas Septembris.

Michaël nomine,

6 Michaël verò ipſius inſulæ nobilis & ditiſſimus elephantia lepra laborans, dum à medicis liberari non poſſet, ad Dei auxilium oratione confugit; cui per viſum apparuerunt tres viri in ſpecie angelica eidem mandantes, ut corpora eorum, quæ dudum inhumata jacuerant, & à porcis ſtercorizabantur, tumulare deberet, & ſic ſanitatem perciperet. Qui evigilans & nomina Sanctorum & locum ignorans, mane bubulcum reperit, qui eidem Michaëli retulit, quod dum juxta rupem quamdam porcos paſceret, & unum ex grege fugientem inſequeretur, miram fragrantiam ſenſit, ingreſſuſque rubetum, tria corpora

C Sanctorum inhumata & omnino incorrupta vidit, à quibus odor ille maximus exhalabat.

ex revelatione conſcripſiſſe dicitur.

7 Ille verò ipſa eſſe Sanctorum corpora, qui ſibi nocte apparuerant, intelligens, equum aſcendens, bubulco duce, locum concitus adiit, & corpora fulgentia reperit, quæ deoſculans, mundationem recepit. In quo loco monaſterium de proprio conſtruxit, & ipſa corpora honorificè condidit, poſtquam iidem Sancti ſibi apparuerunt in habitu videlicet, quo in mundo fuerant converſati, vitam & nomina ſua, ac diem obitûs eidem per ordinem enarrantes; quæ omnia Michaël ſcripturæ mandavit. Proceſſu verò temporis duo ex ipſis corporibus à Venetis dicuntur fuiſſe inde levata, & Venetias ad monaſterium ſancti Zachariæ delata, ſancti Gregorii & Theodori, ubi in eadem arcella poſt altare majus requieſcunt unà cum corpore ſancti Zachariæ prophetæ patris Joannis Baptiſtæ; Leonis autem corpus apud Samum adhuc habetur.

Circa medium ſeculi quarti

8 *Ex hoc Actorum compendio præterpropter ætatem Sanctorum noſtrorum colligimus: militarunt enim ſub imperatore Conſtantio, qui hæreticis Arianis addictiſſimus, poſt expletos viginti quatuor adminiſtrati imperii annos & varias Catholicorum perſecutiones, anno Chriſti* 361 *ex hac vita diſceſſit. Videntur autem tres iſti Sancti, relictâ ſeculari militiâ, poſt medium ſeculi quarti occultè ad inſulam Samum tranſiiſſe, quandoquidem ſecundum Acta adhuc degebant* cum aliis commilitonibus apud Siciliam, *quam Conſtantius imperator primùm anno Chriſti* 352 *occupavit, ut Tillemontius in Hiſtoria imperatorum tomo* 4 *pag.* 378 *ex antiquis ſcriptoribus narrat. Cum verò tunc* S. Gregorius, *ut relatum Actorum compendium teſtatur, eſſet* ſenex veneranda canitie & ſapientia decoratus, *& omnes eodem die feliciter obierint, ex provecta* S. Gregorii *ætate conjectamus, illos in inſula Samo non diu ſolitariam vitam duxiſſe, & forſan ante obitum Conſtantii imperatoris ad Superos migraſſe. Quapropter ex conjectura mortem illorum ſuperiùs in margine* circa annum CCCLX *notavimus. His circa tempus mortis obiter indicatis, etiam diſtinctiorem emortualis loci notitiam jam dare conabimur.* AUCTORE G. C.

ſimul obiectos hodiernos in inſula Samo mortuos eſſe. Sed Ortelius aliique geographi paſſim tres hujus nominis inſulas diſtinguunt, ita ut hinc nondum ſcias, ex quâ Samo ad cælites migraverint. Horum veſtigiis inſiſtens Baudrandus unam earum tomo 2 *Geographiæ ſuæ pag.* 198 *deſcribit his verbis:* Samos inſula eſt Aſiæ minoris in mari Ægeo, quæ & Samus, Iöniæ regioni ferè adjacens Plinio, Livio & aliis; unde perſæpè Samos Iönica vocatur in mari Icario. Dicta fuit etiam olim Parthenia à fluvio Parthenio, uti Anthemus & Melamphylos, teſte Strabone, Dryuſa Ariſtoteli, & Cypariſſa Plinio; Imbriſos autem Stephano; nunc verò SAMO ab omnibus vocatur, ſub dominio Turcarum. Circuitus eſt LXXX millia paſſuum, inter Icariam inſulam ad occaſum XX, & Trogilium promontorium Iöniæ ad ortum verſus Epheſum V millibus paſſuum, & à Chio inſula LX millibus paſſuum diſtans in Meridiem. Urbem habet parvam Samos epiſcopalem ſub archiepiſcopo Epheſino in ejus parte orientali; & hîc primùm vaſa fictilia fabricata fuere, teſte Aulo Gellio; ſeparatur autem ab Iönia freto Micaleo dicto. E

cujus nominis tres inſulas

10 *Situm verò alterius inſulæ homonymæ breviter ibidem ſic aſſignat:* Samos inſula maris Ægei, Thraciæ ferè adjacens Straboni & Diodoro, quæ Samothrace Ptolomæo & Melæ, Samothracia Plinio, vulgo SAMANDRACHI dicta, Sophiano & aliis circuitus eſt XX milliarium, & vix XV millibus paſſuum diſtat ab oſtio Hebri fluvii & ab ora littorali Thraciæ in Meridiem, Imbrum inſulam verſus XX & Lemnum XXXII, eſtque ſatis culta. *Deinde Baudrandus ibidem tertiam ejuſdem nominis inſulam indicat his paucis verbis:* Samos inſula maris Iönii Plinio & Livio, quæ & SAME vocata fuit, teſte Strabone, & poſtea CEPHALENIA dicta, ubi etiam oppidum SAMOS, nunc excifum, & IL PORTO GUISCARDO dictum, teſte Nigro. F

cum geographis diſtinguimus,

11 *Denique Baudrandus inde lectorem remittit ad vocem* Cephalenia, *quâ Samos etiam appellatur, & tomo* 1 *Geographiæ ſuæ pag.* 255 *de ſitu iſtius inſulæ ſic diſſerit:* Cephalenia inſula Ptolomæo & Plinio, quæ Cephallenia Straboni & Stephano, LA CEFALONIA vulgò Italis, LA CEFALOGNE Gallis, KIAFALANIA Turcis, inſula eſt Græciæ in mari Iönio inter Leucadem inſulam ad Boream XII milliaribus, & Zacynthum ad Auſtrum XX diſtans. Dicta fuit etiam aliàs Samos, Melæna, Teleboa atque Tapſus, & epi-

AUCTORE G. C.

ſcopali dignitate inſignitur ſub archiepiſcopo Corcyrenſi; ſed epiſcopatui Zacynthi perpetuò unitur: in hac inſula incolæ Græcos ritus ſervant; ejus circuitus eſt xc milliarium, & dividitur in xix partes, pertinentias dictas, ſub dominio Reipublicæ Venetæ ab aliquot ſeculis, vix xxiv millibus paſſuum diſtans ab ora littorali Peloponneſi in occaſum, eſtque prope Echinadas inſulas, & ab ipſa pendet Ithaca inſula in viciniis, teſte Thoma Porcaccio. Olim quatuor habuit urbes, nunc tantùm villas & pagos cum caſtro in colle Cephalenia dicto CEFALONIA, à quo ad ſex milliaria ineſt portus ARGOSTOLI dictus & peramplus in ora Auſtrali inſulæ, in qua vix quinquaginta Catholici inveniuntur.

& contra opinionem Ferrarii

12 *Ex ipſo* Cephaloniæ *vel* Zefaloniæ *nomine, quod in relato Vitæ compendio & Actis infrà edendis exprimitur, haud dubie perſpicax lector ſtatim concludet, hos tres Sanctos in tertia inſula Samo habitaſſe & obiiſſe. Propterea in titulo hujus Commentarii ad diſtinctiùs indicandam mortis palæſtram, Sanctos illos* in inſula Samo vel Cephalenia *collocavimus. Attamen Philippus Ferrarius in Nova topographia Martyrologii Romani pag.* 112 *aliam Samum morti illorum aſſignat, eamque inſulam deſcribit ibidem his verbis:* Samos, SAMO, inſula maris Ægæi ſeu maris Icarii nobilis, Iöniæ adjacens, longa quaſi XL millibus paſſuum, inter Icariam inſulam ad occaſum & Trogilium promontorium Iöniæ; à quo in occaſum ad V millia paſſuum tantùm recedit (adeo continenti vicina eſt) ab Epheſo & oſtio Cayſtri vix XX millibus paſſuum; circuitu ad LXXXVII millia paſſuum. Omnium rerum feraciſſima, infelix vino. Urbem habet ejuſdem nominis epiſcopalem quondam clariſſimam; ſed cives ob frequentes piratarum infeſtationes, Chium inſulam in Circium ad XXX millia paſſuum diſtantem demigrarunt. *Deinde tres iſtos Sanctos ibi ad diem* XXIV *Auguſti nominatim refert, & ex Maurolyco monet, corpora duorum poſteriorum Venetiis quieſcere.*

B

obitum illorum collocavimus in tertia inſula

13 *Laudatus Ferrarius in notis ad hodiernam Catalogi ſui generalis annuntiationem de ſitu ejuſdem inſulæ meminit, & ſuperiorem deſcriptionem ſuam ſic contrahit:* Samus nomen adhuc retinens antiquum, inſula eſt maris Ægæi cum civitate epiſcopali ejuſdem nominis; Iöniæ adjacens, Epheſo proxima, à Trogino promontorio XL tantùm ſtadiis diſtans; circuitu LXXXVII millium paſſuum, variis nominibus appellata, PARTHENIA, ANTHEMUSA, CYPARISSIA, teſte Plinio lib. 5 cap. 31, Strabone lib. 10 & aliis. *Ex diverſis hiſce nominibus & aliis circumſtantiis patet, hîc aſſignari illam inſulam Samum, cujus ſitum & nomina primo loco ſuperiùs ex Baudrando retulimus. Sed videtur hæc Ferrarii opinio à vera mortis illorum palæſtra aberrare, ut in Annotatis & alibi obiter obſervabimus. Præterea Ferrarius ſecum non concordat circa Venetam ſacrorum corporum tranſlationem, cujus tempus ignoratur, & de qua nunc agemus.*

C

ex qua poſtmodum ſacræ quorumdam reliquiæ

14 *Acta ex collectaneis Petri Calotii inferiùs edenda de ſacris horum Confeſſorum reliquiis aliò tranſlatis omnino tacent. Sed Petrus Equilinus ex traditione quadam timidè aſſerit, corpora* SS. Gregorii & Theodori *Venetias advecta fuiſſe, & ibidem in monaſterio S. Zachariæ quieſcere, ſicut ſuperiùs num.* 7 *ex Equilino retulimus. Hunc præ manibus habuit Ferrarius, dùm in notis ad Catalogum generalem Sanctorum hac die ſic ſcribit:* Corpora Gregorii & Theodori Venetias tranſlata ibi condita ſunt, & veneratio- D
nem habent. *At neſcimus, quomodo Ferrarius ſecum conciliari poſſit, dum in Nova topographia Martyrologii Romani pag.* 112 *poſt nomina ſanctorum* Gregorii, Theodori & Leonis *ordine conſueto collocata, citato Maurolyco, addit has tres voces:* Corpora poſteriorum Venetiis. *Cum Maurolycus à nobis ſuprà allegatus diſertè dicat, corpora* duorum primorum *Venetiis quieſcere, clementer hanc Ferrarii contradictionem imputamus typothetæ, qui forſan* poſteriorum *pro* duorum primorum *vel* priorum *poſuerit.*

(neſcimus, quo tempore)

15 *At cujuſcumque ſit hic error, Ferdinandus Ughellus in Italia ſacra noviſſimæ editionis Venetæ tomo* 5 *col.* 1180 *recenſens alia Sanctorum corpora, quæ Venetias aliunde advecta dicuntur, occaſione alterius Sancti de tranſlatione ſolius* S. Theodori *hodierni ſimul ita meminit:* Thomas eremita ex Thracia advectus ad ſancti Zachariæ cum Theodoro confeſſore ex Samo inſula tranſportato. *Etiam Janningus noſter, quî Venetiis anno* 1686 *ſacras reliquias monaſterii S. Zachariæ curioſiùs inſpexit, in Ms. Itinerario ſuo mentionem ſolius* S. Theodori *facit his verbis:* In tertio, quod proximè ſequitur, altari, in capſa marmorea exteriùs, interiori autem parte lignea cum oſtio inaurato, quieſcunt caput & aliquot oſſa S. Theodori confeſſoris, de quo nihil ſit in Officio; atque corpus S. Gregorii Nazianzeni (ſi Romani patiantur) divite panno coopertum. Pelle ferè totum veſtitur; manus in modum crucis tranſverſæ jacent, ubi collum pectori committitur, ut figuram orantis præferant. E

Venetias tranſlatæ fuerunt.

16 *Cum Romani corpus S. Gregorii Nazianzeni multis argumentis ſibi vindicent, ut in Opere noſtro ad diem* IX *Maii, ſive tomo* 2 *iſtius menſis pag.* 454 *& ſequentibus videre eſt, facilè quiſpiam ſuſpicari poſſet, hodierno* S. Gregorio *cognomen* Nazianzeni *ab aliquibus Venetis additum eſſe, & hanc popularem traditionem demum noviſſimis hiſce temporibus invaluiſſe. Nihil certi in hac controverſia ſtatuimus; ſed tantùm Venetos rogamus, ut antiqua ſuæ poſſeſſionis argumenta proferant, etiamſi ſuſpicemur, illos talia inſtrumenta non inventuros, eo quòd Janningus noſter in laudato ſuo Ms. Itinerario poſt enumeratas reliquias, quas in monaſterio S. Zachariæ viderat, notaverit ſequentia:* De prædictis omnibus in ſancti Zachariæ conſervatis reliquiis earumque tranſlatione primaria Venetias nihil ſcripto probare poſſunt, cauſantes incendium omnia conſumpſiſſe. Quod affirmant, ex nuda traditione affirmant. Ultima plerarumque tranſlatio ad arcas novas marmoreas, quæ ante paucos annos facta fuit, præſente Vicario, privata fuit, in eaque à vicario probatæ, quantum traditio finit, fuerunt, & permiſſæ exponi venerationi. *At ſaltem propter traditionem Venetam credimus, quaſdam horum Sanctorum reliquias ex inſula Samo ſive Cephalenia Venetias advecta fuiſſe, tum quòd eam inſulam Veneti diu poſſederint, tum quòd hæc opinio noſtra confirmetur ex Actis, quæ jam prælo ſubjicimus.* F



ACTA

A

ACTA

collectore Petro Calotio Dominicano,

Ex codice 929, *parte* 2, *fol.* 128.

Sub imperatore Conſtantio Ariano

GRegorius, Theodorus & Leo orti in Oriente, quoad ſæculum habitus militaris (erant enim militiæ imperialis) corde Deo quotidie adhærentes cum omni ſanctitate & patientia, ſobrietate & abſtinentia, uno ſpiritu conjuncti, vitam ac paſſiones Sanctorum, quas legerant, imitari cupiebant, tantæque erant ſanctitatis, ut meritò mundi lumina, ac terreni angeli viderentur, & dicerentur. Quodam die ait Gregorius ſociis ſuis: Quantùm poſſumus, ſtudeamus
B Dei facere voluntatem, ut ejus adoptionis fratres eſſe mereamur. Illo autem tempore nefanda vigebat hæreſis Ariana, ſcilicet tempore Conſtantii hæretici, filii Conſtantini Maximi, qui
a erat tunc temporis hæreſiarcha *a*: qui per Siciliam *b* & ceteras imperii ſui partes edictum direxit, ut omnes ejuſdem pravæ ſectæ eſſent.
b

2 Audientes hæc Græciæ milites, qui tunc
Ibi tres Sancti piè militabant; erant apud Siciliam, contriſtati ſunt, valde timentes, ſe pravæ illius hæreſis vitio inquinari. Quo ſcilicet metu compulſi per diverſas terrarum partes fugientes, diſperſi ſunt. Tunc nequiſſimus princeps mittens Byzantium quemdam ſuum primatem, præcepit, ut congregatio popularis ſuam hæreſim per provincias divulgaret: qui accepta auctoritate venit Byzantium, & ibi congregato populo imperiale edictum implere ſtudebat. Quo cognito milites, in quorum iſti comitatu degebant, quia Catholici erant, in terrorem converſi, qui ad Italiam proficiſci decreverant, apud
c inſulam Zefaloniam *c* morati ſunt. Qui trium præfatorum abſtinentiam & virtutes videntes, æmulari eos cœperunt. Et quidam eos maximæ ve-
C nerationi habebant, nihil in eis non divinum videntes. Erat namque B. Gregorius vir ſenex ac veneranda canitie decoratus, ſapientiâ, ultra quam dici poteſt, repletus. Sanctus verò Theodorus fere triginta annorum; venerabilis denique Leo adhuc adoleſcentiæ flore nitebat.

3 Tunc Gregorius ait aliis duobus: Ecce lo-
ſed propter ejus perſecutionem adverſus Catholicos, cum, ut reor, nobis à Domino præparatum: quare ſeparemur ab iſtis, qui noſtra facta quotidie æmulantur; quia Dominus ait: Ubi fuerint
d duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum *d*. Hic igitur diem expectemus extremum, ut in futura vita ſimul eſſe mereamur. Et aſſentientibus Theodoro & Leone oſculati ſunt ſe oſculo ſancto: & accipientes victui neceſſaria, quæ habebant in navi, ab aliis recedere decreverunt; ea quæ ſunt animæ utilia, & ad Dei regnum ducentia, quotidie colloquentes, perficientes, ita ut mores hominum excederent, & vitam angelicam viderentur imitari. Nam in uſu ciborum nihil deliciarum præter poma habebant.

e 4 In inſula illa *e* vallis eſt ab Oriente, quæ
f g Samus *f* dicitur: cui adjacet alia inſula Thous *g*,
h in qua vallis eſt Compatrum *h* dicta. Exeuntes i-

gitur ipſi, ut viderent, in inſulam, dum per- EX MS.
ambularent præfatam vallem Samum, viderunt *decreverunt vitam ſolitariam agere,*
rubum quemdam parvum, ſed denſiſſimum. Tunc Gregorius agitans caput ingemuit; quod Theodorus intuens ait: O dulciſſime frater, cur turbaris & gemis? Cui ille: O qualis cogitatio mihi à Domino inſpirata eſt, ſi eſſet, qui me ſequi voluiſſet! Cumque ille ſe ſectatorem promitteret, ait: En locus, Theodore, in quo, qui ſalvari cupit, poteſt optimè commorari. Reſpondit Theodorus: Si poſſibile eſſet, me paratum haberes: nam audivi in Euangelio legi, anguſtam eſſe viam, per quam itur ad cælum. Et nos cur hoc non tentemus agere? Et Leo ait: Quid dubitamus, fratres; ſcimus enim, quod arcta eſt via, quæ ducit ad vitam; nam ſi adhuc in terrena militia fuiſſemus, pro mortali homine morti nos tradere non dubitaremus; quanto magis pro animabus noſtris nos certare oportet, atque pro ſpe futuræ gloriæ, quam habuerunt Sancti. Nonne & ipſi ex eadem, qua nos, materia ſunt formati? Studeamus igitur imitari eos, ut divino adjutorio ad eorum valeamus conſortium pervenire.

5 Et gaviſi & verſi ad Orientem, Deum in- E *relictáque militiâ,*
ter ſe mediatorem inſtituunt. Tunc pugnis pectora tundentes, & oculos ad cælum levantes oraverunt Deum, ut hunc locum eis conſecrare dignaretur, ut ibi uſque ad diem exitus ſui, ſuâ protecti dexterâ, illæſi manere mererentur. Tunc genua flectentes & capita in terram ponentes ſuaſque animas Domino commendantes, ſignoque crucis ſe munientes receſſerunt inde. Et quia adhuc militum conſortium declinare nequibant, navim cum eis egreſſi *, Dei gratia protegente, ad * *fortè* ingreſſi
Italiam pervenerunt, ibique ſolito more humilitatem, patientiamque ſectantes, abſtinentiam ciborum & verborum in tantum ſervabant, ut omnes commilitones ſtuperent. Orationi inceſſanter incumbentes precabantur Deum, ut eorum votum impleret. Non multo pòſt ad eamdem inſulam ſunt reverſi, Deo duce, commilitonibus ſuis ignorantibus locum.

6 Cumque quidam eorum eos quæreret, & *feceſſerunt ad inſulam Samum,*
non inveniret, contriſtatus hoc ſuo tribuno nuntiavit; qui conturbatus cogitare cœpit; cujus rei causâ aufugere decreviſſent; & ſtudiosè percontatus eſt ſuos, ſi quiſquam eorum aliquid moleſtiæ eis intuliſſet, vel ſi alicujus miniſterio latibula petiviſſent. Cumque omnes negarent, ait: Senem illum ſapientem novi, & bonis moribus adornatum, quem ceteros perſuaſiſſe reor. Ad hoc quidam [ex] aſtantibus ait: O quam beati illi, qui terrenæ militiæ renuntiantes ſoli Deo ſervire decreverunt! nam nos vidimus eos ſemper, quæ Dei ſunt, & quæ ad animarum ſalutem pertinent, agere & tractare. Unde conjicere poſſumus, eos non ob aliud, niſi ut liberè Deo poſſint ſervire, à noſtro conſortio ſegregatos. Quod tribunus audiens, gratias egit Deo, & benedicens illis, navim cum ſuis ingreſſus proprium iter egit.

7 Sancti verò illi ad optatum locum perve- *in qua ſimul omnes mortui ſunt,*
nientes gaviſi ſunt, [propter] rubum, in quo invenerunt partem templi vetuſtate diruti. Quo viſo, amplioris lætitiæ gaudio ſunt repleti, atque exultantes canebant: Hæc requies mea in ſeculum ſeculi &c. Ubi cum poſt viæ laborem reſediſſent, more ſolito cœperunt Sanctorum priſcorum memoriam agere eorumque preſſuras & anguſtias, quas in ergaſtulis, ſpeluncis vel cavernis terræ ſuſtinuerant, lacrymabili memoria

EX MS. recordari, & qualiter poſt tot & tantas tribulationes æternæ retributionis gloriam recepiſſent. Et hoc conferentes, lacrymas fundere non ceſſabant. Et poſtquam illic aliquo tempore fuerant Domino militantes, quadam die ait B. Gregorius: Chariſſimi fratres, fixi in continua oratione maneamus, & poſtulemus à Domino, quatenus in pace dignetur ſuſcipere animas noſtras. Et converſi ad Orientem orabant dicentes: De profundis clamavi ad te, Domine, &c. Et iterum: Reſpice, Domine, ſuper indignos famulos tuos; quia in te confidimus, te laudamus, te adoramus. Poſt hæc ſinguli tacitè oraverunt. Et his finitis, una voce dixerunt: Sperantes in Domino miſericordia circumdabit: quo verſiculo dicto, humi ſe dederunt, & mox ſanctiſſimas animas cælo reddiderunt *i*.

i

ibique poſtea quidam leproſus *k* *l*

8 Quorum glorioſa corpora per plurima annorum ſpatia *k* omnibus incognita fuerunt. Michaël, ditiſſimus & nobiliſſimus vir illius inſulæ elephantino *l* morbo acriter laborans, qui in medicos multa expenderat, & nihil adjutorii ſentiebat, quaſi omnibus conſumptis deſperatus de ſalute humanitus, ad Deum ſe convertit orans &
B dicens hoc ſuis demeritis meruiſſe; ſed illius miſericordiam invocabat, qui per Helyſæum prophetam Naamam curavit à lepra, ut ſe quoque liberare dignaretur. Cumque his dictis, lacrymis madefactus, & ſuſpiriis affectus membra dediſſet ſopori, aſtiterunt ei præfati viri in angelica ſpecie, ei dicentes: Cur anguſtiaris, ô homo, & afficeris tædio? Surge & vide, ubi ſumus; & eripe nos ab infeſtatione porcorum, qui nos ſuis ſtercoribus quotidie infeſtare non ceſſant. Quod ſi feceris, retribuetur tibi; ſin autem, deteriora patieris. Tunc ille expergefactus, lætus de viſione, ſtolidum ſe & miſerum dicebat, qui eorum nomina non quæſiſſet.

ſacra eorum corpora per revelationem invenit,

9 Mane verò facto domum egrediens obvium habuit quemdam ſubulcum currentem, & quod viderat nuntiare cupientem. Cui cum retuliſſet dicens; Eram in Samo porcos paſcens, & unus eorum, relicto grege, cœpit fugere: quem cum perſequens currerem, miri odoris fragrantiam ſenſi; porcus verò ad denſiſſimum rubum perveniens, eum ingreſſus eſt: quem ego timens perdere, virtute qua potui, inſecutus ſum.
C Et ingreſſus vidi quamdam partem antiqui templi, & tria corpora mortuorum, quæ mihi non hujus ætatis hominum fuiſſe videntur; à quibus odor exibat, quæ, ut reor antiquorum Sanctorum ſunt pignora. Quo audito, Michaël gaudio magno repletus, credens illorum eſſe corpora, qui illa nocte ei apparuerant; equum ſibi paratum aſcendens cucurrit ad Samum, & anxius diſcurrens, vidit rubum, & tantam ſenſit odoris fragrantiam, quantam numquam ſe ſenſiſſe meminerat.

& ſanitati reſtitutus, Acta illorum ſcripſiſſe fertur.

10 Tunc laudans Deum, acceſſit ad rubum, equo dimiſſo, in quo ſancta tria corpora veluti ſidera fulgentia jacebant: & proſtratus humi, pedes eorum oſculari cœpit. Cumque diutiſſimè eos lacrymis rigans lamberet, ſubitò fugatâ leprâ, integerrimæ redditus eſt ſaluti. Et rediens domum, præcepit famulis ſuis, ut locum illum * ſtudioſiſſimè mundaretur. Quo facto, monaſterium ibi ad eorum honorem conſtituit. Non poſt multos dies apparuerunt ei glorioſi Athletæ Chriſti in ea ſpecie & habitu, quo fuerant converſati in mundo, eique propria nomina ac vitæ converſationem per ordinem narraverunt. Quæ omnia idem Michaël ad futurorum notitiam ſtudioſè conſcripſit *m*. Revelati ſunt autem decimo D
quarto Kal. Septembris *n*; quo die pretioſas animas Deo dederunt. *m* *n*

* locus ille

ANNOTATA.

a *Nomen* hæreſiarchæ *potius convenit Ario, quam Conſtantio imperatori, quamvis hic princeps Arianis impensè faverit. Fortè biographus ad Græcam etymologiam alludens, Conſtantium* hæreſiarcham, *id eſt*, hæreſis principem *ſive præcipuum fautorem nominare voluit.*

b *In Commentario prævio num.* 8 *indicavimus, quo tempore Conſtantius imperator Siciliâ potitus fuerit.*

c *Hanc inſulam in Commentario prævio deſcripſimus, & ex hoc nomine contra opinionem Ferrarii collegimus, hos Sanctos in tertia inſula Samo ſolitariam vitam duxiſſe, ac mortuos eſſe.*

d *Hæc ratio ſeparationis ab aliis, qui virtutes horum Sanctorum imitabantur, frivola videtur. Sed ſuſpicamur*, S. Gregorium *ita loquentem induci ab ipſo Actorum collectore, qui nimis litteraliter & ſtrictè hunc ſacræ Scripturæ textum intellexit: nam Chriſtus etiam eſt in medio plurium, qui in nomine ejus congregati ſunt.* E

e *Hæc inſula tum* Samos *tum* Cephalenia *paſſim appellatur, ut in Commentario prævio diximus, & in mappis geographicis videre eſt.*

f *Quamvis ipſa Cephalenia etiam* Samos *vocetur, tamen in Geographia Blaviana hæc inſula dividitur in novemdecim partes, ex quibus una* Samo *nominatur. Forſan illo nomine vallis hîc nominata indicatur.*

g *In Mappis geographicis recentioribus non procul à Cephalenia exprimitur inſula* Thoæ, *quam ſuſpicor eſſe eamdem cum* Thoo *hîc indicata.*

h *In Mappis Janſſonianis proxima Cephaleniæ vel Samo Jonicæ collocatur inſula vulgò dicta* Valcompare, *de qua Ortelius ad nomen* Ithacæ *in Theſauro ſuo geographico ſic diſſerit:* Ithaca Ἰθάκη Ptolomæo inſula eſt Ionii maris juxta Cephaleniam, Ulyſſis patria, VALLE DI COMPARE hodie, Sophiano & aliis teſtibus. *Similia recentiores geographi tradunt. Quare forſan in noſtro Actorum apographo* Vallis Compatrum *pro* Comparum *oſcitantiâ amanuenſis ſcriptum eſt.* F *Porro ex omnibus his adjunctis intrepidè concludimus, hîc de tertia Samo ſive Cephalenia inſula ſermonem eſſe.*

i *Quis facilè credat, has orationes & Sanctorum colloquia, minutioreſque narrationis circumſtantias ab ipſis Sanctis Michaëli revelatas fuiſſe? Quare num.* 3 *Commentarii prævii monuimus, forſan has minutias ab Actorum collectore ornatûs gratiâ adjunctas eſſe.*

k *Cum collector Actorum hoc loco indeterminatè dicat, corpora horum Sanctorum* per plurima annorum ſpatia *omnibus ignota jacuiſſe, ſcire non poſſumus, quo tempore eadem inventa fuerint.*

l *Morbus elephantinus eſt ſpecies lepræ, quæ elephantiaſis nominatur, eo quod cutem ægri corio elephantis ſimilem reddat, ut Caſtellus in Lexico medico teſtatur.*

m *Hic eſt primus Actorum ſcriptor, cujus fide omnia nituntur, & ex quo Petrus Calotius & Petrus de Natalibus ſuam narrationem haurire debuerunt. At utinam hi collectores diſtinctiùs ætatem & auctoritatem iſtius biographi indicaſſent!*

n *Die*

A n *Die* XIX *Auguſti, qui hîc notatur, de his Sanctis obiter inter prætermiſſos mentionem feci-* *mus, & eos diſtulimus uſque ad hodiernum diem, quo Petrus Equilinus illos obiiſſe aſſirmat.* EX MS.

DE S. IRCHARDO, SEU ERTHADO VEL ERCHADO, EP. ET CONF.

IN SCOTIA

SYLLOGE HISTORICA. G. C.

Sancti hujus memoria in recentioribus Menologiis, legitimus cultus ex Breviario Aberdonenſi, & incerta ætas.

POST SECULUM V. *Hic Sanctus memoratur in Martyrologiis recentioribus,* B

Sanctus in titulo propoſitus, à die XXIV *Julii ad hanc diem remiſſus aut dilatus eſt, eo quod in Menologiis quibuſdam annuntietur utroque illo die: nam Dempſterus in Menologio ſuo Scotico ad diem* XXIV *Julii ſic de illo meminit:* In Scotia Erthadi epiſcopi, qui regi piiſſimo Malcolmo I charus fuit. *Dein die* XXIV *Auguſti memoriam ejuſdem repetit his paucis verbis:* Natalis Erthadi epiſcopi. *Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano, Dempſterum ſecutus eſt, & utroque iſto die eumdem Sanctum memoravit. Sed apud Camerarium lib.* 3 *de Scotorum pietate pag.* 168 *tantummodo die* XXIV *Auguſti* ſanctus Erchadus vel Erthadus epiſcopus in Scotia *annuntiatur.*

2 *His accedit Patricius Ninianus Wemyß, eruditus Societatis noſtræ ſacerdos, natione Scotus, qui in Ms. Menologio Scotico, quod Muſeo noſtro benevolè communicavit, ad eamdem diem* XXIV *Auguſti teſtatur, memoriam hujus ſancti Præſulis in antiquis Faſtis Scoticis legi. Cum ætatem & auctoritatem horum Faſtorum ignoremus, nobis hîc hæreret aqua circa immemorabilem & legitimum* S Erthadi *cultum, quem Martyrologi recentiores hactenus allegati nondum ſatis clarè demonſtrant. Sed opportunè nos ea ſolicitudine liberat Breviarium Aberdonenſe quod anno* 1509 *impreſſum eſt, & in quo ad honorem* S. Irchardi *vel* Erchadi *legitur ſequens collecta vel oratio:* Omnipotens & miſericors Deus, qui per fidem tui pontificis Irchardi Pictos à Gallorum ſervitute liberaſti, concede omnibus eumdem devotè quærentibus ab omni inimicorum fraude & æterna damnatione liberari. Per Dominum &c. *& colitur in Breviario Aberdonenſi,* C

3 *Quinam fuerint hi Picti, quos Sanctus noſter à Gallorum ſervitute liberavit, intelligetur ex propriis ejuſdem Breviarii lectionibus, in quibus geſta ſancti Præſulis ita narrantur:* LECTIO I. Inter barbaras & indoctas gentes oriundus fuit B. Irchardus in Tolmaid in Kinkardin Oneyll; qui ſanctam & celebrem à puerili ætate incepit vitam, continuè ſceleratorum ac nefandorum omnium mores & vitia reprehendens deteſtanſque, ac abominabiles habuit, Deique præceptis, vigiliis & orationibus ſemper inhærens, ſuam in jejuniis carnem afflixit. LECTIO II. Audiens autem B. Ternanus beati Irchardi vitam & mores fore laudabiles, eſt ab eodem in ſacerdotem ordinatus. Suis cauſantibus autem prærogativis, quoad ſua jurisdictione alio exercenda & gubernanda beatum Irchardum prout merito in coadjutorem & pœnitentiarum per univerſam ejus provinciam elegit, qui in hujuſmodi officio exactiſſimam diligentiam exhibuit. *quod ab immemorabili tempore* E

4 LECTIO III. Poſt paucos autem dies, beato Gregorio univerſalis Eccleſiæ ſedem regente, Romam petiit. Cognito de tanti Viri ſanctitate, beatus Gregorius ipſum Irchardum maximo cum honore in epiſcopum conſecravit, qui non minus in virtutibus & ſanctitate omnibus in morum honeſtate præbens exemplar perſeveravit. Tandem primò à ſancto Papa facultate & benedictione obtentis, ad Scotiam reverſus eſt. LECTIO IV. Rediens autem ſanctus Irchardus per Pictaviam Pictos multùm per Gallos vidit ſubjugatos & in ſervitutem redactos; pietate motus de eorum adverſitate, humilis conſultor per triennium ibidem moram traxit, cujus ſanctitate, prudentia, fide & oratione dictam Pictavienſem gentem in priſtinam libertatem reduxit & liberavit. *de illo recitat Lectiones proprias,*

5 LECTIO V. Quibus peractis eo ægrotante, à Deo humiliter poſtulavit, ſe non viſurum mortem, donec propriam patriam, unde egreſſus eſt, videret. Iter continuando per partes Angliæ & Scotiæ pauliſper prædicando uſque ad congeriem in monte de Kinkardin Oneyll in Scotia pervenit, ubi honorificè à ſuis patriotis exceptus eſt. Ipſe verò Dei Sanctus, ejus * mortem appropinquare intelligens, & petitionem à Deo ſibi conceſſam impletam fuiſſe, ſuis miniſtris præcepit, ut, eo viam univerſæ carnis ingreſſo, ſuum funus in quadam biga poneretur, & ſtrictè mandavit, ut ubicumque dicta biga quieſceret, ſuum corpus ibidem ſepeliri juſſit *. Hoc facto, Deo animam commendando de hoc mundo ſublatus eſt. LECTIO VI. Deinde miniſtri ejuſdem Viri ſancti, ſicut eis juſſum fuerat, corpus exanime in biga rotarum levaverunt. Quo facto, biga cum corpore ultro & ſponte, nullo movente, ſe ultra Dee fluvium in ſatis notabili diſtantia, ubi nunc inſignis eccleſia, quæ Kinkardin dicta conſtruitur, movebatur, ac ibidem immobilis permanſit. Demum corpus de præfata deponentes biga, ibidem digno cum honore dederunt ſepulturæ, quod in præſens uſquequo requieſcit. *quibus Acta ejus narrantur* F * *lege* ſuam * *lege* juberent.

6 *Quædam in his Lectionibus obſervanda occurrunt, ac primò quidem ſtatim ultro experimur, in iis periodos Latinas adeo vitioſas ac miſerè luxatas eſſe, ut ſubinde ſubſtantia rei vix* *vitioſo ſtylo,*

AUCTORE G. C.

vix intelligatur. Ignoramus, utrum hæc vitia typotheta, an imperito amanuensi tribuenda sint: has enim lectiones ab ignoto amanuensi tantùm transcriptas habemus, & ipsa Breviarii editione caremus, adeoque frequentia constructionis aut impressionis errata facilè & securè emendare non possumus. Itaque lectori æquè ac nobis divinandum est, quomodo ea melius ac verius ad sensum ecclesiæ Aberdonensis corrigi queant. Porrò distinctè non indagamus natalem Sancti nostri locum dictum Tolmaid, *quamvis hunc utcumque colligimus ex nomine* Kinkardin, *quod in geographicis hodiernæ Scotiæ mappis exprimitur. Omissis itaque similibus minoris momenti quæstiunculis, operæ pretium est breviter examinare ætatem duorum Sanctorum, qui in his lectionibus nominantur, & cum* S. Irchardo *vixisse dicuntur: nam ex ea præterpropter statuendum esset, quo circiter tempore Sanctus noster hodiernus floruerit. Sed ea chronotaxis habet inextricabilem difficultatem, si Lectiones propriæ Breviarii Aberdonensis ubique veritatem historicam contineant, ut jam videbimus.*

B

& in quibus occurrit difficultas chronologica,

7 *Lectio secunda superiùs relata innuit, à sancto Ternano Pictorum in Britannia episcopo* S. Irchardum *sacerdotio initiatum fuisse. Vixit autem seculo quinto sanctus Ternanus, qui subinde etiam Teruanus appellatur, & traditur fuisse discipulus S. Palladii, quem Cælestinus I Pontifex anno Christi* 431 *ad Scotos aut Hibernos instruendos misit, ut in Opere nostro ad diem* XII *Junii &* VI *Julii licet videre. Huic traditioni consentiunt passim scriptores Scoti, inter quos Hector Boëthius in Historia Scotorum circa finem libri septimi sic ad rem nostram scribit:* Palladius Servanum episcopum ad Orcadas insulas missum (*Acta hujus sancti præsulis in Opere nostro ad diem primam Julii illustrata sunt*) ut populum rudem Christiana pietate institueret, creavit; & Teruanum, quem infantem lustrico laverat fonte, Pictorum archiepiscopum constituit. *Illustrissimus Joannes Leslæus episcopus Rossensis in Opere de Rebus gestis Scotorum lib.* 4, *apud nos pag.* 137 *hanc rem fusiùs exponit.*

quam nec cum opinione Dempsteri,

C

8 *Hos secutus est Thomas Dempsterus, dum in Historia ecclesiastica gentis Scotorum lib.* 18, *pag.* 607 *de S. Ternano tradit sequentia:* Sanctus Teruanus sancti Palladii Scotorum apostoli discipulus, & Servani Orcadum apostoli collega, & Pictorum apostolus, quos idolorum ea adhuc ætate cultui deditos incredibili studio morumque sanctimoniâ ad veram religionem convertit, Joanni Leslæo archiepiscopus est.... Hunc, etsi Martyrologii tabulis non adscriptum, nostrates religioso semper obsequio coluerunt, templumque Abernethæ cathedrale ei dicatum, ac multa alia in eo regno. Scripsit Exhortationes ad Pictos lib. 1; Contra Pelagianos lib. 1; Homilias ex sacra Scriptura lib. 1. Claruit anno CDXL. Obiit Abernethæ, quæ Pictorum regia, D ubi sacratissimas ejus reliquias totius regni populus religiosa frequentatione venerabatur.

aliorumque scriptorum,

9 *Nunc audi Dempsterum, qui in eadem Historia ecclesiastica gentis Scotorum lib.* 5, *pag.* 244 *hodiernum* S. Irchardum *vel* Erthadum *inter scriptores Scotos recenset, & ætatem ejus assignat his verbis:* Sanctus Erthadus, mira vitæ sanctimonia episcopus in Scotia, scripsit Lecturas in Biblia, lib. 1; De divina essentia, lib. 1; Allegorias sacras lib. 1. Floruit anno CMXXXIII. Colitur piè XXIV Julii. *Quidquid sit de memoratis utriusque Sancti lucubrationibus, earum fidem relinquimus penes Dempsterum, cujus auctoritas apud nos exiguum pondus habet, & longè diversam utriusque hujus Sancti ætatem dumtaxat observamus. Si sanctus Ternanus seculo* V *&* S. Irchardus *seculo* X *floruerit, quomodo* S. Irchardus *noster potuit à sancto Ternano præsule sacerdos consecrari, quemadmodum Lectiones Breviarii Aberdonensis affirmant? Oportet igitur hanc Breviarii Aberdonensis assertionem falsam esse, vel Dempsterum in signanda alterutrius Sancti ætate vehementer errasse.* E

nec cum ipso Breviario conciliare possumus,

10 *Quinimo Lectiones istius Breviarii secum pugnant, dum in iis dicitur* S. Irchardus *à sancto Ternano sacerdos ordinatus esse, & non diu post sacerdotalem consecrationem receptam ad urbem Romanam venisse,* beato Gregorio universalis Ecclesiæ sedem regente. *Quomodo hæc conciliabuntur, si S. Ternanus secundum scriptores Scotos anno* 440 *claruerit, & B. Gregorius I sive Magnus tantum anno* 590 *cathedram Romanam ascenderit, ut exactiores chronologi demonstrant? Si autem cum Dempstero dicas,* S. Irchardum *floruisse anno* 933 *sub Malcolmo I Scotorum rege, & huic principi charum fuisse, duplex istud Breviarii Aberdonensis assertum prorsus evertis: nam multis annis ante & post regnum Malcolmi I Scotorum regis nullus Romanus Pontifex, nomine Gregorius, Apostolicam S. Petri sedem occupavit.*

ac ideo eruditis Scotis dissolvendam relinquimus.

11 *Ingenuè fatemur, propter has tricas chronologicas à nobis Breviarium Aberdonense nec secum nec cum opinione aliorum scriptorum posse conciliari. Quare veteribus historiæ Scoticæ monumentis destituti, superiùs ad marginem hujus sylloges obitum* S. Irchardi *post seculum quintum vago loquendi modo coacti fuimus collocare, donec certiorem ejusdem Sancti ætatem assignaverint eruditi Scoti, quibus hos nodos chronologicos solvendos aut dissecandos proposuimus, cum nos iis extricandis impares simus. Sed hos eruditos historiæ Scoticæ indagatores præmonemus, ut solidis argumentis sententiam suam probare & Breviario Aberdonensi vetustiora monumenta proferre meminerint. Cum igitur plura de sancto illo Præsule non suppetant, huic syllogæ finem imponimus.* F

DE

DE S. EPTADIO PRESB. ET CONF.

APUD MONTEM-TOLONUM IN TERRITORIO AUGUSTODUNENSI,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. G. C.

§ I. Intricata hujus Sancti annuntiatio in diversis Martyrologiis, & controversia de vero vitæ instituto.

ANTE MEDIUM SECULI VI. *Hic Sanctus variis diebus,*

QUamvis *hic Sanctus circa finem seculi quinti & initium sequentis in Gallia floruerit, tamen historicis Gallis parum notus videtur, cum plerique de eo nullam mentionem faciant. Illum diversis diebus ac modis annuntiant aliqua Martyrologia, inter quæ modernum Parisiense die* XXII *Augusti sic habet:* Apud Montem-Tolonum in territorio Augustodunensi, sancti Eptadii presbyteri. *Nescio, cur Castellanus hunc* S. Eptadium *laureâ martyrii donaverit, dum eodem die in Martyrologio suo universali illum celebrat annuntiatione Gallica, quæ Latine sic sonat:* Monte Telonis (*Gallicè* Montelon *nominat*) in diœcesi Augustodunensi sanctus Eptadius MARTYR, qui ibidem à seculo decimo ecclesiam sui nominis habebat. *Equidem libenter admitto, jam seculo decimo extitisse ecclesiam, quæ ab hoc Sancto nomen accepit. Imò Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 843 *num.* 67 *meminit de monasterio diœcesis Augustoaunensis, quod tunc nomen* S. Eptadii *gerebat. Sed hactenus alibi nusquam legi, hunc Sanctum martyrio coronatum fuisse, quemadmodum ex infrà dicendis patebit.*

Locis ac modis

2 *Plures Martyrologi annuam* S. Eptadii *memoriam usque ad diem* XXIV *Augusti differunt, mutatoque nonnihil ipsius nomine, alium mortis aut fortè venerationis locum ei assignant, inter quos Maurolycus hac die tradit sequentia:* In agro Eduensi Cerviduno cœnobio Neptadii presbyteri. *Verosimiliter hunc secuti sunt Martyrologi Benedictini, Wionus, Menardus, Antonius de Heredia & alii, qui hunc Sanctum eodem die memorant, ac Ordini suo monastico adscribunt. Ex omnibus audiatur solus Gabriel Bucelinus, qui hodie in Menologio suo Benedictino illum annuntiat his verbis:* Apud Heduos in monasterio Cerviduneńsi, sancti Neptadii presbyteri & monachi; de quo Maurolycus, Felici, Arnoldus & Hugo hac die. *Verùm antiquiora Martyrologia & Acta de Benedictino hujus Sancti monachatu nusquam meminerunt, ut infrà dicetur.*

in Martyrologiis annuntiatur.

3 *Andreas Saussayus videtur ex hoc uno eodemque Sancto voluisse duos facere, dum in Martyrologio suo Gallicano ad diem* XXIII *Augusti sic scribit:* Apud Heduos monasterio Cerviduno sancti Neptadii presbyteri & monachi, actibus & meritis glorioſi. *Deinde autem in Supplemento ad diem* XXIV *Augusti, sive tomo* 2 *sui Martyrologii pag.* 1161 *eumdem Sanctum, ni fallor, exornat hoc diverso elogio:* Cemiduni Burgundiæ pago in Æduis sancti Neptadii presbyteri & monachi religioſissimi, qui ibi in cœnobio omni virtute floruit, excussoque mortalitatis pulvere, inter lilia cælestia, quorum decore & odore Sponsus oblectatur, castam emittendo animam feliciter susceptus est. *Hic obiter observo, nomine* Cemiduni, *quod vitiosè pro* Cerviduno *scriptum est, eumdem locum apud Heduos vel Æduos in Burgundia designari, ne lector incautus hac duplici in speciem diversa Saussayi annuntiatione decipiatur. Nunc videndum est, utrum variæ istæ diversorum Martyrologiorum annuntiationes inter se conciliari possint.*

De hac nominis,

4 *Ut incipiam ab ipso Sancti nomine, prorsus ignoro, qua de causa superiùs allegati Martyrologi* S. Eptadium *in* Neptadium *transmutaverint. Faciliùs intelligo, quomodo interdum nomini ejus præfigatur aspiratio, & ab aliquibus vocetur* S. Heptadius, *sicut nomen* Hadriani *vel* Adriani *promiscuè scribitur. Unde Valesius in Notitia Galliarum pag.* 361 *nomen hodierni Sancti nostri sic exprimit:* In codice Musciacensis monasterii reperi Vitam S. Heptadii presbyteri, à veteri auctore compositam, in qua dicitur Heptadius, ne Autisiodorensis episcopus fieret, Morvinnum fugâ petiisse. *Sed Labbeus & Papebrochius in eodem Moyssiacensis aut Musciacensis monasterii codice, seu saltem in ejus apographo, nomen* S. Eptadii *sine aspiratione legerunt. Auctaria nostra Usuardina ad diem* XXIV *Augusti consentiunt huic orthographiæ, quam nos etiam in titulo Commentarii prævii secuti sumus.*

diei,

5 *Quòd verò spectat ad annuam hujus Sancti memoriam, quam nonnulli Martyrologi die* XXII *Augusti, & alii* XXIV *ejusdem mensis assignant, in alterutro die eligendo adhæsimus Auctariis Usuardinis ac ipsis Actis, quibus apud Labbeum & Papebrochium præfigitur hic titulus:* Vita sancti Eptadii presbyteri & confessoris, IX Kalendas Septembris. *Haud dubiè eumdem titulum Actis præfixum invenit Carolus Cointius, qui in Annalibus Francorum ad annum Christi* 500 *num.* 1 *de Vita Sancti nostri sic meminit:* In nostras manus pervenit vetus codex abbatiæ Mossiacensis, in quo manuscriptæ Sanctorum Vitæ centum ac tredecim continentur. Nono Kalendas Septembris descriptum habetur elogium sancti Eptadii Augustodunensis presbyteri, quem Clodoveus Francorum rex, pace cum Burgundionibus inita, expetiit episcopum Autisiodorensem fieri. *Nihil huc facit Andreas Saussayus, qui hunc Sanctum bis Martyrologio suo inseruit, nimirum die* XXIII *Augusti & sequente, eumdemque sic perperam duplicavit, ut supra paucis indicavimus.*

6 *At*

AUCTORE G. C.

ac præsertim loci diversitate

6 *At quomodo, inquiet aliquis, Martyrologia superiùs allata hunc unum eumdemque Sanctum diversis locis assignant: nam Castellanus & Martyrologium Parisiense* S. Eptadium *in Monte Telonis vel apud Montem-Tolonum annuntiant; alii verò illum in Cervidunensi monasterio collocant. Equidem fateor, hîc mihi aquam hærere, quemadmodum vulgò dici solet. Attamen curioso lectori conjecturas aliquot hac de re proponam, quas eruditis Gallis examinandas relinquo. Forsan* S. Eptadius *diu Cerviduni solitariam vitam duxit, & in Monte Telonis mortuus est, vel contrà, atque ita potuit alterutro loco annuntiari: nam Acta inferiùs edenda distinctum mortis locum non indicant. Ubi autem Sanctus ille obierit, forsan ex traditione vel aliis monumentis docere poterunt Canonici seculares, qui jam Cervidunense Benedictinorum monasterium possident, ut Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 843 *num.* 67 *testatur his verbis:* Monasterium sancti Andochii apud Sedelocum, nunc collegium est Canonicorum secularium, uti & sancti Eptadii de Cerviduno prope Corbiniacum in pago Morvinensi.

B *conjecturam nostram proponimus,*

7 *Præterea non omnino temere suspicor,* S. Eptadium *in Monte Telonis obiisse, ac postea sacras ejus reliquias (nescio quo tempore) ad Cervidunense monasterium translatas esse, atque ideo illum in Cerviduno, tamquam præcipuo venerationis loco, à quibusdam Martyrologis annuntiari. Hæc conjectura mea aliquam verisimilitudinem accipit ex Auctariis Usuardinis, in quibus ad diem* XV *Aprilis ex codice Victorino & Reginæ Suecia refertur hæc annuntiatio:* Eodem die, translatio sancti Eptadii presbyteri & confessoris. *At in iisdem Auctariis ad diem* XXIV *Augusti ex codice Pratensi aliisque* Cerviduni, sancti Eptadii confessoris *annua memoria celebratur, ut ibidem videre est. Porrò Valesius in Notitia Galliarum pag.* 360 *situm Cerviduni non procul ab urbe Augustodunensi assignat hoc modo:* Vicus locusve Morvinnus aut Morvinnum non longè à Cervedone apud Fortunatum & villa Morvennus in diœcesi Augustodunensi apud Paschalem una res est; & Cervedo quidem haud dubie est locus, vulgò dictus Cervon, in pago Morvinno vel Morvinnensi, non procul à flumine Icauna. *Quid si propter hoc monasterium Cervidunense,*

C *quod olim ad Benedictinos pertinuit, & in quo fortasse corpus* S. Eptadii *postea publicæ venerationi expositum fuit, aliqui Martyrologi hunc Sanctum Ordini Benedictino adscripserint, eo quod putarent, illum ibi antea sub regula S. Benedicti militasse? Quidquid sit de his conjecturis meis, saltem hac occasione examinabo quædam circa verosimiliorem vivendi normam, quam Sanctus noster amplexus est.*

& examinamus an Ordini Benedictino sit adscribendus,

8 *Si Maurolycus & Felicius* S. Eptadium *ex etymologia Græca appellent monachum, quia solitariam vitam duxit, illis non refragabor. Sed hos secuti Wionus, Menardus, aliique Martyrologi Benedictini videntur aliquid ulterius velle, dum Sanctum illum certatim Menologiis suis inscribunt. Certè Antonius de Heredia Benedictinus, qui Sanctos sui Ordinis ex variis monumentis Hispanicè collegit, die* XXIII *Augusti mentem suam clarè explicat his verbis à me Latinè redditis:* Eodem die apud Heduos sanctus Neptadius presbyter & monachus NOSTRI ORDINIS, operibus & meritis glorioſus. *Die autem sequente eumdem Sanctum cum Saussayo & Bucelino perperam duplicavit. Sed illa Benedictina regula professio mihi parum probabilis est, cum non* D *immerito dubitari possit, an ante mortem* S. Eptadii *ad Benedictinos pertinuerit monasterium Cervidunense, cujus originem hactenus frustra quæsivi. Potius itaque crediderim, hanc de Benedictina professione sententiam ortam esse ex eo, quod* S. Eptadius *Cerviduni ante adventum Benedictinorum monasticam sive solitariam vitam aliquamdiu egerit, vel quod ejus reliquiæ ex Monte Telonis postea ad Cervidunense monasterium translatæ fuerint, ut suprà conjecturavi. Saltem probabiliùs arbitror, hunc Sanctum non esse accensendum Benedictinis, in qua opinione mè confirmat eruditissimus Mabillonius, qui inter Acta Sanctorum Benedictinorum de* S. Eptadio *nostro altùm silet, quamvis haud dubiè Menologos sui Ordinis attentè pervolvisset. Jam progredior ad enodandum aliud dubium, quod ex obscuris* S. Eptadii *Actis alicui posset occurrere.*

& utrum fuerit sacerdos,

9 *In Actis infrà edendis num.* 5 *de Sancto nostro narrantur sequentia:* At ubi tanta ubique ejus fama præclaruit, hunc sanctæ recordationis Flavichonus pontifex presbyterii voluit honore provehere; cujus famâ auditâ, sacerdotii dignitatem ita fugit, . . . ut nullus ei omnino exinde ullo sermone loqui auderet. *Hinc suspicari quispiam posset,* S. Eptadium *huic honori oblato ita restitisse, ut nemo deinceps illum de dignitate ista suscipienda alloqui ausus fuerit, & consequenter gradum sacerdotii numquam ascenderit. At in iisdem Actis post narratam* S. Eptadii *fugam, ne fieret episcopus Autissiodorensis, & laudatas ipsius virtutes, num.* 7 *leguntur hæc verba:* Pòst sumit admirabilem honorem apostolatûs, ad hunc se humilitate & benedictione obedientiæ gradum vir beatus Eptadius inclinans. *Opinor, hîc per* admirabilem honorem apostolatûs *intelligi dignitatem sacerdotii, quia titulus* presbyteri *apud Labbeum & Papebrochium vetustis ejus Actis præfigitur, & in Auctariis Usuardinis aliisque Martyrologiis passim exprimitur, ut ex suprà relatis liquet.*

aut episcopus.

10 *Tamen infidus amanuensis quidam, quem Papebrochius noster præ manibus habuit, hunc* apostolatûs *honorem pro dignitate episcopali videtur accepisse: nam post memoratam* apostolatûs *susceptionem ex sua idea adjectitia, ut vulgò dicitur, nomini* S. Eptadii *plerumque titulum* episcopi *addidit. Verùm titulus ille in editione Labbeana non legitur, & ex ipsis Actis patet, hunc titulum ex opinione amanuensis isti Sancto perperam adjectum fuisse, cum Acta num.* 6 *& sequente narrent,* S. Eptadium *ad montanam solitudinem Morvinni fugisse, ne episcopus eligeretur, ibique tamdiu mansisse, donec rex cum juramento promitteret, sese ei invito illud onus non impositurum. Quamvis omnino putem, hunc* episcopi *titulum in Acta perperam irrepsisse, tamen illum in iis reliqui, ut integrum Papebrochii nostri apographum fideliter exhiberem eruditis lectoribus, qui forsan ex antiquiore vel emendatiore codice interpolationem istam confirmare poterunt. Nunc paragrapho sequente ætatem hujus Sancti, & fidem Actorum indagabo.* F

§ II.

A

§ II. Tempus, quo Sanctus floruit, conjectura de anno mortis, Acta, eorumque scriptor.

Sanctus floruit ineunte sæculo sexto,

IN *Actis post hunc Commentarium prævium vulgandis occurrunt varii temporum aut personarum characteres, ex quibus utcumque colligitur ætas, qua* S. Eptadius *floruit. Imprimis designatur tempus, quo huic Sancto nostro episcopatus Autissiodorensis oblatus est, nimirum quando Clodovæus rex Francorum cum Gundobado rege Burgundionum pacem inivit ac arma conjunxit, ut Acta num.* 6 *testantur. Id autem Patricio & Hypatio consulibus, id est anno Christi* 500, *contigisse, Cointius & Pagius ex S. Gregorio Turonensi aliisque veteribus historicis ostendunt. Hinc sequitur, anno illo Christi quingentesimo* S. Eptadium *fuisse id ætatis, ut ad ecclesiam Autissiodorensem gubernandam aptus judicaretur. Alterum temporis indicium eruitur ex cæde Alarici regis Gothorum, quem Clodovæus anno Christi* 507 *in campo Vogladensi interfecit, ut chronologi passim tradunt.*

B

& certe ad huc vixit anno 516,

12 *Præterea ex num.* 8 *veteris Vitæ constat,* S. Eptadium *adhuc anno Christi* 516 *inter vivos fuisse: ibi enim dicitur Sanctus epistolam scripsisse Sigismundo Burgundionum regi, qui eodem anno* 516 *post mortem patris sui Gundobadi regnum Burgundiæ administrare cœpit, ut auctores consentiunt. Unde Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 500, *quo primùm de Sancto nostro meminit, occasione hujus epistolæ ibidem num.* 4 *ætatem ejusdem Sancti præterpropter assignat his verbis:* Mansit autem beatus Eptadius in Burgundia, vitamque produxit usque ad principatum Sigismundi, cui per epistolam imperavit, ut per auctoritatem suam ingenuorum animas daret, & obtinuit; ex quibus non minus, quàm ferè tria millia captivorum promiscui sexus & ætatis liberati. *Hæc ultima periodus ferè verbum de verbo ex Actis transcripta est.*

C

aut forsan usque ad annum 525 *superfuit.*

13 *Sed hinc nondum scimus, quam diu* S. Eptadius *istis litteris supervixerit, aut quo anno ad Superos migraverit, cum laudatus Cointius loco proximè citato hæc subjungat:* Vixit fortè usque ad annum Christi quingentesimum vicesimum quintum, quo territorium Augustodunense ad Franciam accessit. *Deinde in iisdem Francorum Annalibus ad annum Christi* 525 *num.* 4 *hanc conjecturam repetit & ita mitigat:* Incertum, an illis temporibus adhuc superstes esset sanctus Eptadius presbyter, qui vixit in territorio Augustodunensi. *Quandoquidem mutatio dominii Burgundici nullam cum morte hujus Sancti connexionem habet, ac ipse Cointius postea fatetur, incertum esse, an* S. Eptadius *adhuc superstes fuerit illis temporibus, quibus tota Burgundia in potestatem Francorum redacta est, tam levi conjecturæ non adhærendum esse existimavi. Quapropter initio hujus Commentarii prævii in margine obitum* S. Eptadii *cautiùs* ante medium sæculi VI *collocavi. Nunc de Actis & anonymo horum scriptore nonnulla præmonere oportet.*

14 *Jam sæpe laudatus Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 500 *num.* 2 *asserit, ad manus suas perveniſſe veterem codicem abbatiæ Moyssiacensis, in quo, præter alias Sanctorum Vitas, Acta* S. Eptadii *legebantur, ut supe-*

AUCTORE G. C.

De apographo Actorum,

riùs num. 5 *alia occasione retuli. Ex his ibi edidit fragmentum, quod ad oblatum huic Sancto episcopatum Autissiodorensem spectat. Utinam propter rationes inferiùs afferendas integram ejusdem Sancti Vitam emendatè vulgasset! Hadrianus Valesius videtur similem codicem vidisse, quia in Notitia Galliarum pag.* 322 *col.* 2 *sic scribit:* Legi Martyrologium manuscriptum in veteri codice monasterii Musciacensis, qui nunc est viri clarissimi Claudii Jolii, ecclesiæ Parisiacæ præcentoris, & Vitas Sanctorum plurimas ac lectissimas continet, in his Vitam sancti Heptadii presbyteri; ubi Heptadius Augustodunensis civis, intra terminum Castri Maternensis seu Elobremensis nutritus esse dicitur.

quod in copræ manibus habuit eumdem Ms. codicem, ex dice Moyssiacensis cœquo mutilam S. Eptadii *vitam edidit post duos nobii,* 15 *Noster Philippus Labbeus verosimillimè tomos Novæ Bibliothecæ manuscriptorum librorum in Appendice, cui præmittit hanc monitionem:* Exierant è prælo priores duo tomi nostræ Bibliothecæ Mss. librorum, cum pridem exoptatus cœnobii Moyssiacensis codex Tolosâ in hanc urbem delatus venit in meas manus beneficio V. C. Claudii Jolii, ecclesiæ Parisiensis Canonici, eruditione atque in eruditos omnes humanitate præstantissimi. In eo cum pluribus aliis Sanctorum Sanctarumque Vitis occurrerunt nonnullæ à me partim priori volumine, partim altero jam editæ ex apographis aut mutilis aut certè minus antiquis perfectisve. Hinc ergo lacunas explere, errata corrigere, ac damna resarcire placuit, quibusdam præterea additis, quæ mihi præ ceteris insigniores in antiquissimo illo codice diligenter rimanti videbantur. *Etiam Papebrochius noster hæc Acta* ex pervetusto codice D. Jolii Canonici Parisiensis *transcripsit, ut ante apographum suum notavit.*

E

ab amanuensi luxatum invenitur,

16 *At miror, hos duos antiquitatis investigatores in exhibendis* S. Eptadii *Actis non prorsus inter se consentire, si illa ex eodem fonte hauserint: nam Papebrochius haud dubiè in suo codice reperit titulum episcopi, qui nomini* S. Eptadii *sæpius adjungitur. Hunc verò titulum Labbeus in sua editione nusquam exprimit. An Labbeus forsan illum omisit, quia falsum & ab imperito amanuensi perperam in Acta intrusum existimabat? Quæcumque sit hujus omissionis causa, nos illum titulum fideliter addidimus, ubicumque in apographo Papebrochiano inventus est, etiamsi eum ibi superfluum esse judicaremus, ut superiùs iterum monuimus. At saltem inter hos eruditissimos viros convenit in eo, quod uterque de obscuritate codicis sui & oscitantia librarii conqueratur.*

F

Philippus Labbeus,

17 *Ex his querelis intelligimus, quomodo Labbeus & Papebrochius in mutilandis Actis & exprimendis eorum periodis inter se discrepare possint, quamvis ambo eumdem antiquum codicem præ oculis habuerint: Labbeus enim initio Actorum post editas aliquot lineas de recta sequentium lectione desperans, omittit multa,* quæ tam absurdis erroribus imperitiâ amanuensis inficeti vitiata sunt, *inquit,* ut ne ipse quidem Apollo medicinam facere possit. *Deinde post truncatam* S. Eptadii *Vitam, in fine lectorem monet his verbis:* Atque hæc paucis de Sancto, nostris Martyrologis aliisque scriptoribus hactenus ignoto, quantum scilicet magno labore ac tædio

AUCTORE G. C.

dio ex incultæ narrationis barbarie, inſulſique amanuenſis vepretis, colligere potui.

& Daniel Papebrochius conqueruntur,

18 *Papebrochius autem has lacunas, à Labbeo relictas, cum ſummo tædio implevit, & corruptas Actorum periodos ex conjectura reſtituit, ut ipſe poſt Acta tranſcripta indicat hac monitione:* Textus hic perverſiſſimè ſcriptus vix aliter in aliquem tolerabilem ſenſum conformari potuit, niſi verbis quamplurimis ex conjectura tranſpoſitis, mutatis ac ſuppletis. *Hinc eruditus lector facilè colligit, à Papebrochio conſervatam eſſe totam narrationis ſubſtantiam, quam Labbeus hinc inde propter difficiles inficeti amanuenſis characteres aut phraſes omittere ac mutilare coactus fuit. Ideo igitur apographum Papebrochianum editioni Labbeanæ prætulimus, & majores Labbei lacunas, quas Papebrochius tetrico labore ex vitioſo codice ſuo ſupplevit, diſtinctionis gratiâ uncis incluſimus, quantum fieri potuit.*

quamvis Acta ab auctore coævo primùm conſcripta fuerint.

19 *Certè dolendum eſt, ab imperitis amanuenſibus adeo corrupta fuiſſe Acta tantæ antiquitatis ac fidei: nam primus illorum ſcriptor* S. Eptadio *coævus fuit, ut patet ex editione Labbeana & num.* 9 *Vitæ infra excudendæ, ubi dicuntur à Sancto noſtro magni peccatores ad pœnitentiam revocati fuiſſe,* ex quibus etiam quamplures poſtea vidimus, *ait biographus,* per ejus doctrinam gratiâ Domini noſtri in ipſa religione & ſanctitate perpetuùm perduraſſe. *Propter hoc anonymi teſtimonium Benedictini illi ex Congregatione S. Mauri, qui nuper Hiſtoriam litterariam Galliæ edere cœperunt, tomo* 3 *iſtius Operis pag.* 182 *cenſent, illam* S. Eptadii *Vitam anno circiter* 540, *ſive non diu poſt obitum Sancti conſcriptam fuiſſe. Præterea ſcriptor iſte hiſtorica fide dignus eſt ob ſimplicitatem narrationis, aliaque veritatis indicia, quæ laudati Benedictini ibidem pag.* 182 *& ſequente ſpeciatim recenſent. Utinam vetus iſta lucubratio minus luxata ad manus noſtras perveniſſet, aut adhuc alicubi ex emendatiore codice eruatur! Interim eam curioſo lectori hîc exhibemus, ut poſſumus, dum non licet, ut volumus.*

B

VITA

C

auctore anonymo coævo,

Quam Papebrochius noſter ex pervetuſto codice D. Claudii Jolii Canonici Pariſienſis tranſcripſit, & quam cum truncata Labbei noſtri editione contulimus.

Divites Sancti parentes

a

b

IGitur ſanctus Eptadius Auguſtodunenſis Æduæ *a* Galliarum oppidi civis fuit; ſed intra terminum Caſtri Maternenſis & Elobremenſis *b* nutritus vel eruditus eſt, parentibus, ſecundum ſeculi dignitatem non minimis, ſed bene ingenuis, cenſûs aviti ſubſtantiâ locupletatis procreatus, quorum ſingulariùs præcellens integritas morum etiam ſenatoria viguit dignitate. In ipſis puerilibus adhuc ætatis ſuæ annis æternitatis ei limina perpateſcunt. Cum eſſet ergo annorum duodecim, neſcientibus parentibus ejus, ad diſciplinam fugit ſcholarem, ibique per ſe ipſe magiſtro infantiam ætatis ſuæ tradidit ſacris litteris edocendam; & poſt pauca quidem tempora ſcholares non tantùm coæquavit, verùm etiam omni ſcientia litterarum cunctos longè præcellens, illuſtrabatur divinâ ſapientiâ, & prudentiæ ſpiritualis gratiâ decorabatur: nam cum eſſet annorum quindecim, tantâ gratiâ Dei erat repletus, ut omnes vicini & propinqui ſapientiam ejus cum amore & caritate diligerent. D

filium matrimonio deſtinant;

2 Cum eſſet annorum viginti, creſcentibus annis, jam vicini ad matrimonium eum cohortabantur, &, cùm elegans corpore, elegantiori etiam mentis flore polleret, & [gubernaculo rationis ſalacis ætatis temperaret motus *c*, ſe ita civium affectioni inſeruit excolendum, ut jam tum temporis, aut patris meritis aut ſuis dotibus digniſſimæ vellent conjugi eum in conjugium parentes ejus ſociare, & quo poſſent ab eodem videre filios ac nepotes, etiam ſolemnem diem conſtituunt nuptiarum. Sed hic beatiſſimus Eptadius tantùm eſt ſubitanea febre inflammatus, ut non niſi ab eodem medicinam corporis ſortiretur, cui fideliſſima deliberatione animam conſecravit. Inter reliquos venientium, qui præfati aſſiduè ægroti corpuſculum requirebant, tres ad eum honeſtæ virgines Deo ſacratæ puellæ viſitando venerunt, quas ut ille digniſſimas Chriſto lampades placuiſſe proſpexit, ſtatim quoque ſe ex integra fide & animi interna religione devovit ei, qui in indiviſæ Trinitatis majeſtate ſubſiſtit. *c* E

ſed hic ad ſteram vitam amplexus,

3 Ab hoc verò tempore converſionis, ſeu ſanctificationis ingreſſu, numquam, adhibitâ molitiâ lini, membra contexit, non eſurienti delicatior ad edendum alimonia, quàm panis, impertitur; ſed & repentè mutatur in omnibus. Deſeritur mundi militia, cæleſtia deſideria aſſumuntur, ſeculi pompa calcatur, humilitas eligitur, & ſubſtantia diſpenſatur in pauperes. In aſperrima cilicii auſteritate proſtratus, admixtaſque gemitibus lacrymas fundens, ſubjectum pectoris ſinum commotus irrigabat, cum neque ab eodem niſi tantùm aridi panis hordeacei quantitas exigua in ſolis occaſum ſumeretur. Et erat, quando, intermiſſo biduo, vel tertio aut quarto die ſic reficiebatur, aut accipiens panem & olera, ea modica ſalis & aceti quantitate condiebat. Intra domum ſuam parvum & obſcuriſſimum tuguriunculum more carceris fieri præcepit, ubi diebus ſanctæ Quadrageſimæ retruſus, orando & lacrymas jugiter fundendo, hunc curſum ſalutis exigeret, & has ſibi cruciatuum diverſitates infligeret, quas in reos deſævientes ſolent exercere tortores. F

& variis naturæ donibus prædi-tus,

4 Quoniam aliqua de corporis afflictione perſtrinximus, de ejus familiaritate & converſationis gratia ac puritate incipiam dicere, ſi impar linguæ patiatur facultas. Sed id potius exſequendum, ut nec illa, quæ ingenuus vindicat ſecularis, obtenſæ taciturnitatis oblivione præteream; quomodo ſcilicet aut qualiter aliquamdiu ſub ſpecie ſecularis veſtitus latere voluit, theſaurum auri ſub gleba terræ abſconditum juſtitiæ rigore occultare cupiens. Sed diu latere non potuit, quem ubique miſericordia & pietas ſancta prodebat; quia lumen in tenebris occultum eſſe non poteſt, ſicut ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Euangelio ſuo dicit: Nemo accendit lucernam & ſub modio ponit; ſed ſupra candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.]

5 Erat beatiſſimus, vir totius prudentiæ, in ſermone

tam eximiis virtutibus claruit,

A fermone verax, in judicio juſtus, in conſilio providus, in commiſſo fidelis, in interventu ſtrenuus, in veritate conſpicuus, & in univerſa morum honeſtate præcipuus. Hunc juvenes quaſi patrem venerabantur; hunc ſenes quaſi filium amantiſſimum diligebant; hunc univerſitas populorum ad eum confluentes cariſſimo venerabantur affectu. Tanta gratia erat in eo, ut alios triſtes lætos redderet, alios diſcordes ad concordiam revocaret, & ad perfectæ pacis & caritatis vinculum eos adduceret. Univerſos verò docebat, nihil hujus ſeculi præponendum Domino; ſed magis, quomodo fugitivæ vitæ iſtiuſmodi blandimenta reſpuerent, & temporalem tribulationem præſentis ſeculi pro Chriſti nomine ſuſtinerent: erat enim verus Dei cultor, & neceſſe erat, ut quem Dominus perfuderat gratiâ, ab omnibus amaretur. Chriſto igitur quotidie ſedulum exhibebat officium, diſſeminator eleemoſynarum theſaurum ſibi indeficientem quotidie reponebat in pauperes: erat enim nutritor orphanorum, refugium & protectio viduarum, refectio indigentium, defenſor peregrinantium, ædificator ac reparator eccleſiarum Dei. At ubi

B tanta ubique ejus fama præclaruit, hunc ſanctæ

d recordationis Flavichonus *d* pontifex presbyterii voluit honore provehere; cujus famâ auditâ, ſacerdotii dignitatem ita fugit [& honore reſpuit ſe implicandum,] ut nullus ei omnino exinde ullo ſermone loqui auderet *e*.

e

ut epiſcopus Autiſſiodorenſis eligeretur;

6 Eodem tempore, quo ſe ad fluvium Quorandam *f*, pacis mediante concordia, duorum regum ſuperſtitioſa eſt complexa potentia, id eſt Burgundionum gentis & Francorum, à rege Gundobado præcellentiſſimus rex Francorum ſuppliciter exoravit, ut hunc beatiſſimum virum Dei

f Eptadium civitatis ſuæ Autiſſiodorenſis *g* præſta-

g ret antiſtitem ordinandum; cui petitioni vel electioni prædicti regis ita reſtitit voluntas offenſa, tamquam ſibi maximas vires depoſceret poſſidendas. Tamen propter præſentis concordiam populi, pacis & caritatis intuitu, quod petebat, negare non potuit; cujus accepta promiſſione auctoritatis, ſtatim eligitur, conſenſuſque univerſitatis ſequitur populorum: nam cleri communitas, cunctaque nobilitas, plebs urbana vel ruſtica in unam venêre ſententiam, Eptadium digniſſimum eſſe epiſcopum, [omnium voluntate ambitum.] Quo audito, Vir beatus, qui malebat latêre in ſuis, quàm publicari & honorari à populis, totis viribus laborans, ſe huic honori non eſſe implicandum dicit, cum clamore vociferans, indignum ſe eſſe tantæ molis ſacerdotio hominem peccatorem, ſtatimque cellulâ ſuâ derelictâ, omni pernicitate ſe proripuit ad deſerta

C

h Morvinni *h* & ad montanam ſolitudinem properavit, ibique multum temporis latens, orationibus ac jejuniis continuatis Dominum ſupplicabat, ut impleretur in eo, quod Propheta cantaverat: " Ecce elongavi fugiens, & manſi in „ ſolitudine. Exſpectabam eum, qui ſalvum me „ fecit à puſillo animo & tempeſtate „.

ſed eum honorem fugâ declinans,

7 Tam diu in ſolitudine deſerti permanſit, donec iterum ei præfatus rex cum juramento pollicitus eſt dicens, non ſe unquam contra voluntatem ipſius eſſe venturum *i*, ſi tantummodo pro regni ſui incolumitate divinæ clementiæ ſupplicaret, & in neceſſitatibus captivorum, tam Romanorum quam Burgundionum, vel univerſarum gentium, ut cœperat, laboraret, pro ea re poſtea ei multam pecuniam tranſmittens; quam ille continuò captivis, viduis & orphanis ac peregrinantibus erogavit. Pòſt ſumit admirabilem honorem apoſtolatûs *k*, ad hunc ſe humilitate & benedictione obedientiæ * gradum vir beatus Eptadius inclinans. Ita, quod antea ille optaverat, poſtea tota gratulatione uſque in finem devotus implevit, [illud ſibi erga ſe retinens divini culminis præceptum dicens: Qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.] Non diebus, non noctibus à colloquiis divinis & oratione ceſſabat, prædicationibus ſanctis ad exemplum Dominicæ Paſſionis ad ſe confluentium turbas divinis eloquiis reficiebat.

EX MS. *k*

* *al.* pœnitentiæ

poſtea redimendis captivis

8 Non tantùm Catholicos, verùm etiam paganos ac ferociſſimos barbaros, qui more leonum furentes cum ſuperbia magna captivis perſequendis adveniebant, ſicut agnos mitiſſimos ſuis ſanctis reddebat alloquiis; è quibus non pauci his omnibus bonis repleti ad baptiſmi gratiam fideliter concurrentes, ſancti Viri inceſſabiliter ambiebant alloquium, ſuoſque ipſi captivos ultro dantes, tantùm ut pro ſe Dominum precaretur, humiliter ſupplicabant. Igitur cum his bonis eſſet repletus, fiebat eorum diſtractio, [& quotidie in neceſſitatibus captivorum expendebatur.] De Italia verò redemit captivorum plurimam multitudinem, quæ à Burgundionibus eodem tempore fuerat effecta, & ad locum regionis ſuæ cum ingenuitate eſt revocata. Iterum parvo pòſt tempore caſtrum provinciæ Lemovicinæ, Idunum *l* nomine, juſſu regis Burgundionum à Romanis effractum eſt, in quo non minima enormitas facta eſt captivorum, propter quos vir beatus Eptadius epiſcopus *m* ingemiſcens & lacrymas fundens, Domino ſuo mox in oratione proſternitur, regi Burgundionum Sigiſmundo *n* per epiſtolam imperans, ut auctoritatem ſuam pro ingenuorum animabus daret, & obtinuit; ex quibus non minus quàm fere tria millia captivorum promiſcui ſexus & ætatis liberati, ad locum priſtinum, datis idoneis proſecutoribus, remeabant, & qui venerant flentes & lugentes, Deo gratias agentes per eum cum gaudio, recuperata libertate, ſunt reverſi.

E

l

m

n

operam impendit,

9 Tempore illo, quo præcellentiſſimus Clodovæus rex Francorum in Gothiam *o* cum exercitu eſſet ingreſſus, & ab illo Alaricus *p* rex Gothorum fuiſſet interfectus, facta eſt captivorum innumerabilis multitudo, qui diſperſi per regiones ſunt dilatati, ex quibus vir beatiſſimus Eptadius non parvam multitudinem, datâ pecuniâ, liberavit, & ſtatim priſtinæ ingenuitati reſtituit. [Pro ſplendidiſſimæ veritatis tenore nec minima ſunt ſilenda:] nam quicumque, quamlibet cruentis ſceleribus perpetratis, ad hujus tabernaculum publicæ diſtrictionem ſeveritatis effugit, non ſolùm macula commiſſionis liberatur, verùm etiam beatiſſimi Viri alloquiis ad pœnitentiam eſt revocatus; ex quibus etiam quamplures poſtea vidimus *q* per ejus doctrinam gratiâ Domini noſtri in ipſa religione & ſanctitate perpetuùm perduraſſe.

o

p

F

q

energumenos liberavit,

10 Curatio verò in eo tam potens Dei gratiâ erat, ut nullus ferè dæmoniacus aut ægrotus acceſſiſſet, qui continuò non fuiſſet priſtinæ reſtitutus ſanitati; & inter reliquas dæmoniacorum catervas, quas ſancti Spiritûs infuſione purgavit, [quædam puella efferatioris diaboli tempeſtate vexata, dum nullis reſultans vinciri poſſet nexibus catenarum, beatiſſimo viro Eptadio tenſis genibus in terram proſtrato, hæc puella in feritatis atrociſſimæ profeſſionem prorupit dicens, eadem nocte ſancti Viri amicum intra denſa ſilvarum latrocinii fuiſſe jure proſtratum; ubi ſequenti

EX MS. ti die ſanctus Eptadius id perpetratum fuiſſe lugubri præſentiæ agnitione eſt expertus ; qui cum ad locum ſepulturæ fuiſſet directus , membra defuncti linteis ambiuntur , humo ſuperjecta , oratio interceſſionis impenditur ; quam tamen puellam , Dei opitulante auxilio , ut reliquos priſtinæ reddidit ſanitati.]

ægros priſtinæ ſanitati reſtituit , r

11 Quodam tempore cum de monaſterio ſancti Portiani *r* ad cellulam ſuam rediret , exhibita ei puella eſt olim muta , id eſt , elinguis , cujus in os olei liquorem cum orationis benedictione infudit , & ita ei , quæ quodam naturæ vinculo reſtiterat obligata , melior loquacitas eſt reddita.

Alio quodam tempore Paulus quidam presbyter , cum ardentiſſima quadam febrium æſtuatione ſibi ſubriperetur , ad dilectum Dei Eptadium epiſcopum , afflicta neceſſitate properans , cum ſumma velocitate cucurrit , ut tantos ignium globos virtutum ſuarum fonte reſtingueret. Cum ſe æſtuans genibus ejus lacrymabili inclinatione proſterneret , & ſe vi tempeſtatis non poſſe reſiſtere fateretur , ceſſit tandem ſanctus Eptadius epiſcopus miſericordiæ [& caritatis imperio , fideique
B arma concutiens , & in oratione ulteriùs proſtratus tam cordis quàm corporis oculis ad cælum levatis , non aliter vim iſtius fornacis febrium exſtinxit , quam tribus pueris in camino ardentis incendii conſtitutis : non enim ſolùm Spiritus ſancti exundatio negavit incrementa flammarum , verùm etiam athletis Dei tribuit cantare virtutes. Cum præfati Pauli pater , archipresbyteri culmine ſublimatus , jugiter rigoris incendio ſibi ſubriperetur , ad eumdem fontem medicinæ , quo fuerat ſanatus filius , amicum ſibi fideliſſimum miſit ; per quem famulus Dei Eptadius epiſcopus imperioſam ſpiritûs ſui epiſtolam deſtinavit ei , quem perfectæ infeſtationis rigor inflammatus , inflicto membris incendio , cruciabat. Hic eadem ſimilitudîne priſtinæ reſtitutionis medelam recepit , qua Dei ſacratiſſimus Salomon pernicioſa dæmonum argumenta compreſſit *f* : nam dum
f uni potentiam virtutis abſolutionis adhibet , epiſtola univerſis miſericordiam largitur infirmis.

aliaque miracula patravit ,

12 Quidam barbarus , hæreticorum comitivam exercens , nomine Sigiſunſus , arte diabolica inſtructus , converſationem & vitam beati Viri per ſe ipſum callidè cupiens explorare , ad
C cellam Viri Dei excurrit , ibique pervigilavit à latere parietum excubans , ut rimaretur , quidnam Dei Servus ageret actibus nocturnis , & ſuo propalaret ridenda collegio. Sanctus Eptadius epiſcopus pro more conſuetudinis vigiliis & orationibus inſtitit , ſtatimque divino nutu explorator incredibili terrore correptus , vix è ſuarum abditis latebrarum fluctuoſiſſima ſe acceleratione protraxit ; qui protinus , exorta die , pedibus Viri Dei eſt advolutus , & vix trepidanti ſermone cum luctatione confeſſus , quod ſe tentaſſet & fuiſſet tentatus , pro reatu pœnitentiam agens ad gratiam fidei Catholicæ ſe ipſum declinavit : à quo tempore tanta ſuæ lucis auctori ſedulitate ſervivit , ut ei ſe quaſi filium & famulum comprobaret.

& poſt varia pietatis exercitia

13 Inter reliquas feſtivitatum ſolennitates ſacroſanctas , ad ſpecialiùs excolendum] Natalem Domini noſtri Jeſu Chriſti , quoties eum annuus indulſit adventus , medio ferè noctis elevatus , cum lumine cereorum , cum pſallentibus ſuæ eccleſiæ miniſtris , cum feſtivo redemptorum agmine captivorum , ad diſtantem millibus ſex eccleſiam Elobremenſem properabat ; quo in itinere expeditus eccleſiæ chorus pari occurrebat D
modulamine concinens. Pſalmorum matutinorum vel Miſſarum ſolemniis ſacroſancta officioſitate tranſactis , cum omnibus clericorum vel captivorum cœtibus , aggregatis univerſis , expoſitis dapibus menſam exhibebat : quibus epulantibus , beatus vir Eptadius epiſcopus jejunia ſolita refectione paſcebat. Nec diſſimili ſtudio feſtivitatem ſancti Symphoriani martyris *t* , dum advixit , aſ- *t*
ſiduè non deſtitit celebrare. Die ergo advenien-
te , cùm ejus cellula uſque ad urbem Auguſtodunenſem quinquaginta millia diſtaret , ad ſepulcrum beati Martyris venerandum ſanctus Eptadius ante diem tertiam vigiliarum ejus ; adhibitis ſecum tribus clericis fratribus veniens , atque ante ſanctam baſilicam in liminibus ſancti Martyris ſe proſternens , ibique cum altis gemitibus juges lacrymas fundens perdurabat uſque ad horam Matutinarum , dum advenientes clerici ad officia celebranda ſupervenirent : [primo verò jam erumpente diluculo , omnium ſanctorum limina , qui aderant , ſuis orationibus ſalutabat ; & ſic cum prædictis fratribus ad eamdem cellulam ſuam , vigiliis ſancti Martyris celebratis ,
E iterum remeabat ; ubi , peractis omnibus , ut erat illi conſuetudo , ſicut ſuperiùs diximus , advenientibus agminibus captivorum univerſis , menſam ſuam expoſitis dapibus exhibebat.]

feliciter ad cælum migravit.

14 Ante ferè ſeptem dies aſſumptionis ejus cum jam incommodum habens in ſtratu ſuo feſſus jaceret , cunctis eum circumſtantibus & flen- *u*
tibus , diebuſque ac noctibus vigiliis inſtantibus , qui erant ei familiares , quos nominare neceſſe non eſt , peractis Matutinarum officiis , eo paululùm requieſcente & ſubitò in exceſſum mentis rapto , viſus eſt ei quaſi è cælo in nube candidiſſima deſcenſus volantium angelorum *u* ante ejus cellulam reſidentium atque ei pariter ſupplicantium , ut ſecum pergeret in civitatem cæleſtem. Tum eadem multitudine , tum pari volatu ſuper ejus baſilicam reſederunt , atque eidem priùs valedicentes in eo , quo venerant , ſplendore iterum ad cælum evolarunt. Itaque in grabato ad eccleſiam deportatus , vicinia tota celebrante tranſitum ejus , Dominus , qui vocat ad gloriam feſſos laboribus , ipſum in vitam æternam perduxit ; cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen. F

ANNOTATA.

a *Auguſtodunum , vernaculè* Autun , *paſſim nota Burgundiæ civitas in Gallia , quæ olim Ædua vel Hedua & Flavia Æduorum appellata fuit , ut apud Valeſium videre eſt in Notitia Galliarum , ubi pag. 63 & ſequente de etymologia & antiquis hujus urbis nominibus diſſerit.*

b *Proximè laudatus Valeſius in Notitia Galliarum pag. 522 ſitum hujus loci indicat his verbis :* Caſtrum Maternenſe , alio nomine caſtrum Elobremenſe appellatum , hodieque nuncupatur MARNE vel MARNAY ; ut Matrona flumen MATERNA à recentioribus ſcriptoribus Latinis , à noſtris MARNE vocatur. Eſt autem MARNAY nunc ex caſtello vicus non procul ab Auguſtoduno.

c *Hîc editio Labbeana ingentem lacunam reliquit , ut patet ex uncis , quibus eam incluſi.*

d *Labbeus hîc in textu ſuæ editionis notat , Eufronium epiſcopum Auguſtodunenſem fortè intelligi. Sed Cointius in Annalibus Francorum ad annum 500 num. 4 , & noviſſimi editores Galliæ Chriſtianæ tomo IV col. 340 & 341 cenſent , hunc*

A *hunc Flavichonum in catalogo episcoporum Augustodunensium inter Eufronium & Pragmatium collocari debere.*

e *In Commentario prævio monuimus, ob hunc loquendi modum dubitari posse, utrum Sanctus noster umquam fuerit sacerdos. At ibidem diximus, illum dignitatem sacerdotalem, cui prius obstiterat, postea probabiliter admisisse.*

f *Papebrochius in margine apographi sui dubitat, an pro voce* Quorandam *non sit legendum* Garumnam, *qui est notissimus Galliæ fluvius. Labbeus autem in editione sua post vocem* Quorandam *sic interrogat:* Quid si legendum CORAM? *Hisce ego aliam conjecturam addo. Quid si librarius obscuris aut corruptis characteribus assignare voluerit* Oscaram, *qui est fluvius Burgundiæ vulgo dictus* Ousche, *circa quem Clodovæus antea cum Gundobado pugnaverat, ut S. Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib. 2 cap. 32 testatur? Verum has incertas conjecturas tantummodo proponimus, & eruditis ulterius examinandas relinquimus.*

g *Autissiodorum episcopalis urbs Galliæ sub archiepiscopo Senonensi, quæ ad Icaunam fluvium*
B *in planitie fertili sita est, & Lutetiâ Parisiorum in meridiem quadraginta leucis distat, de cujus antiquo & vario nomine Valesius in Notitia Galliarum pag. 69 & sequentibus consuli potest.*

h *Valesius in Opere mox citato pag. 360 & sequente situm Morvinni post alia sic describit:* Morvinnus pagus partim Nivernensi, partim dominio Castri Canini (Chasteau Chinon) partim etiam Burgundiæ attribuitur; estque montosa & silvestris regiuncula, fontibus abundans & pascuis. *Deinde ex hac ipsa* S. Eptadii *Vita confirmat, illam regiunculam fuisse montosam ac desertam.*

i *Id est, vel Clodovæus rex Francorum vel Gundobadus rex Burgundionum jurejurando spopondit, Sanctum numquam cogendum esse, ut invitus cathedram Autissiodorensem ascenderet, quantum ex sensu colligo.*

k *Hic per* honorem apostolatûs *verosimillimè significatur dignitas sacerdotalis & munus apostolicum prædicandi verbum Dei, quemadmodum § 1 Commentarii prævii in fine ostendimus.*

l *Castrum istud hactenus frustra quæsivi, & illud Lemovicensibus assignandum relinquo.* EX MS.

m *De titulo illo* episcopi, *quem apographum Papebrochianum huic Sancto sæpe addit, in Commentario prævio sat multa diximus.*

n *Ex anno, quo rex iste cœpit imperare, ætatem Sancti nostri præterpropter assignavimus num.* 12 *Commentarii prævii.*

o *Opinor, hîc per* Gothiam *intelligi illam Galliæ regionem, in qua Gothi dominabantur. Forsan indicatur Occitania, quæ Gallia Gothica aliquando dicta est.*

p *Etiam ex cæde regis Alarici num.* 11 *Commentarii prævii utcumque collegimus tempus, quo* S. Eptadius *floruit.*

q *Ex his biographi verbis in fine Commentarii prævii asseruimus, eum Sancto coævum fuisse.*

r *Gregorius Turonensis in Vitis Patrum cap.* 5 *gesta sancti Portiani abbatis enarrat. Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 542 *num.* 34 *&* 35 *duos hujus nominis abbates distinguit.*

s *Forsan auctor hæc desumpsit ex Flavio Josepho Judæo, qui lib.* 8 *Antiquitatum Judaïcarum cap.* 2 *de Salomone scribit sequentia:* Quin & eam rem divinitus consecutus est ad utilitatem & medelam hominum, quæ adversus dæmones est efficax: incantationes enim composuit, quibus morbi pelluntur; & conjurationum modos scriptos reliquit, quibus cedentes dæmones ita fugantur, ut in posterum numquam reverti audeant. *At Scipio Sgambatus noster lib.* 2 *Archivorum veteris testamenti tit.* 26 *pag.* 312, *& alii sacræ Scripturæ interpretes explodunt hanc fabulam, ad quam videtur hoc loco biographus alludere, & supposititia hujusmodi scripta Salomoni abjudicant.* E

t *Hinc patet, Augustoduni antiquum esse cultum S. Symphoriani martyris, cujus Acta ad diem* 22 *Augusti illustravimus.*

u *In editione Labbei pro* angelis *leguntur* aquilæ *ei apparuisse; sed cum postea dicantur ei supplicasse ac prius valedixisse, lectionem Papebrochianam Labbeanæ prætuli, eo quod illud officii genus magis angelis quàm aquilis convenire videatur.*

C F

DE SANCTO PATRICIO ABBATE

IN TERRITORIO NIVERNENSI GALLIÆ,

SYLLOGE HISTORICA.

G. C.

De antiquo hujus Sancti cultu, Actis, & ætate.

CIRCA MEDIUM SECULI VI. *Vetera Martyrologia hunc Sanctum memorant;*

IN *additamentis Hieronymianis apud Florentinium hic sanctus Abbas hodie cum alio presbytero sub corrupto nomine* Pectrici *sic annuntiatur:* In Gallia civitate Neverno natalis sanctorum Pectrici abbatis, & depositio sancti Gildardi presbyteri & confessoris. *Unde Florentinius ibidem in notis de luxato istius Sancti nomine lectorem monet, hunc Abbatem in aliis Martyrologiis non* Pectricium *vel* Pectricum, *sed* Patricium *vocari. Certè hac die in Martyrologio Usuardi breviter* Nivernis Patricii abbatis *memoria recolitur. In hodierno Martyrologio Romano hic Sanctus iisdem fere verbis refertur. In Hagiologio Franco-Galliæ, quod Labbeus noster ex antiquo Martyrologio abbatiæ sancti Laurentii Bituricensis excerpsit, & anno* 1643 *Parisiis edidit, idem nomen ita exprimitur:* In ejusdem territorio (*nimirum civitatis Nivernensis, de qua superius egerat*) sancti Patricii abbatis. *Quid-Quid sit de vero nomine hujus Sancti, quem Castellanus & novum Parisiensis ecclesiæ Martyrologium vernaculè* Parrize *appellant, fortè propter*

AUCTORE G. C.

ter nominis ſimilitudinem hic ſanctus Abbas ab aliquibus perperam cum S. Patricio Hibernorum apoſtolo confunditur. Cum ex his veteribus Martyrologiis ſatis conſtet de immemorabili ſancti Abbatis noſtri cultu, nobis ſuperfluum videtur recentiora Menologia hîc accumulare. Nonnulla tamen inferiùs ad indagandam ſancti Viri ætatem allegabimus.

ſed antiqua ejus Acta deſiderantur,

2 *Antiqua hujus ſancti Abbatis Acta incaſſum quæſivimus, & propterea contenti eſſe cogimur incerto Vitæ compendio, quod Andreas Sauſſayus in Martyrologio ſuo Gallicano ad diem* XXIV *Auguſti concinnavit his verbis:* Eodem die Nivernis ſancti Patricii eremitæ & confeſſoris, qui in Arvernia clara propagine ortus, longè ſanctitate, humilitate, morumque integritate natalibus illuſtrior exſtitit, calcatiſque ſeculi honoribus & deliciis, Dei cultui ſeſe totum ab ætate tenera dedicavit; à cujus famulatu ut nulla poſſet occaſione avocari, monaſterium abbatis Portiani tum ſanctitate celebris, prope Arconenſem vicum ingreſſus eſt, ubi tyrocinia vitæ monaſticæ exercens, admirabilem ſanctitatis futuræ
B ſymmyſtis exſpectationem præbuit; quibus ita ſubmiſſus & obediens erat, ut pro Chriſti nomine Fratrumque obſequio nullum onus quantumvis difficile refugeret.

& eorum ſynopſin in Martyrologio Sauſſayi

3 At cum ad altiora tenderet, ſolitariæ vitæ deſiderio incenſus, de abbatis ſui licentia, ſe unà cum Germano & nepote ejus Germanione ſanctiſſimis viris in pagum Nivernenſem, cui Gentilicum nomen, contulit, ad locum omninò ſpinis conſitum. Ibi palæſtram conſtituit religioſæ exercitationis, aſſiduiſque cum ſociis orationibus, jejuniis & vigiliis incumbens, admirabili ſpiritûs humilitate, corporis abſtinentia & pietatis obſervantia, unumquemque ad Chriſti jugum ſubeundum alliciebat: in quibus Pomponiam matronam prædivitem cæleſtium ardore inflammavit, quæ & Servo Dei ſodalibuſque ejus cœnobiolum conſtruxit. Mox ortus ad Virum beatum undique fidelium concurſus, qui ipſo auſpice inire æternitatis iter appetebant, à quibus & invitus abbas delectus, ſanctiſſimorum exemplorum ſplendore, viam immaculatam divinorum placitorum quam ſequeretur oſtendit. Miraculis etiam fulſit plurimis: nam ſigno crucis &
C ſancti olei unctione cæcæ lumen, languido vigorem, infirmis quibuſque ſanitatem integram impertivit. Deinde collectis ad cumulum juſtitiæ manipulis, abiit ad præmium, & ſepultus in eccleſia, admiranda ab obitu patravit; quæ ipſius eccleſiæ eidem tutelam ac patrocinium tandem conciliarunt. *Utinam Sauſſayus aſſignaſſet primum ac genuinum fontem, ex quo illud Sancti elogium hauſit! Cum verò id non fecerit, omnino neſcimus, quam fidem iſtud Actorum compendium mereatur.*

vel in Breviario Nivernenſi tantùm reperimus.

4 *Equidem ſuſpicor, hæc Sauſſayum deſumpſiſſe ex Vitis Patrum Occidentis, anno Chriſti* 1625 *Lugduni Gallorum impreſſis, ubi Benedictus Gononus pag.* 241 *ſimilem Actorum ſynopſin ex Breviario eccleſiæ Nivernenſis refert, & ibidem in notis ad confirmandam publicam ſancti Abbatis noſtri venerationem monet ſequentia:* Exſtat eccleſia ſancti Patricii nomini dicata ſeu parœcia apud Nivernum, ubi & ſolemniter ejus feſtum celebratur, & multo in honore habetur. Vulgò dicitur S. PERE. *Talem quoque Actorum epitomen recitat R. D. Jacobus Branche, qui poſtea Vitas Sanctorum Arvernenſium Gallicè vulgavit, ubi etiam pag.* 619 *Breviarium Nivernenſe & laudatam Benedicti Gononi lucubrationem allegat. Verùm ea auctoritas nos nondum movet, ut his omnibus mox indubitatam fidem adhibeamus: nam Breviaria particularium eccleſiarum ſæpe popularem & confuſam regionis ſuæ traditionem continent, ut quotidianâ experientiâ diſcimus, & variis exemplis probari poſſet. Quapropter antiquiorem & magis diſtinctam horum Actorum notitiam, ab incolis aut accolis Nivernenſibus ſubminiſtrandam, patienter exſpectabimus. Interea tamen experiamur, an ex illa Vitæ ſynopſi vel ex propriis Nivernenſis Breviarii Lectionibus ſaltem præterpropter ætatem hujus ſancti Abbatis eruere non poſſimus.* D

Cum quidam ignorent ſeculum,

5 *Wionus part.* 2 *Ligni vitæ pag.* 283 *in notis ad hodiernam* S. Patricii *annuntiationem ingenuè fatetur, ſe neſcire,* quo vixerit ſeculo. *Bucelinus hac die in Menologio Benedictino* Nivernis ſancti Patricii abbatis *memoriam annuntians, etiam nullum vitæ aut mortis ejus tempus aſſignat, ac ignorantiam geſtorum ejus ibidem indicat his verbis:* Nec ulteriùs huc uſque in ejus Vitam indagare licuit. Ejus meminere
E præter noſtros, Martyrologium Romanum, Baronius, Uſuardus, Maurolycus, Felici, Menard & ceteri. *Inſuper Antonius de Heredia in Vitis Hiſpanicis Sanctorum Benedictinorum, quas anno* 1685 *Matriti vulgavit, ad diem* XXIV *Auguſti, ſive tomo tertio iſtius Operis pag.* 311 *aſſerit, præter Benedictinam* S. Patricii *profeſſionem, quam Bucelinus ei adſcribit, omnia reliqua de ipſo ignorari. Denique Ludovicus Bulteau in Hiſtoria compendioſa Ordinis Benedictini, quam Pariſiis anno* 1684 *Gallicè edidit, lib.* 2 *cap.* 24 *num.* 2 *occaſione S. Portiani abbatis agit de* S. Patricio *noſtro; ſed ibidem addit, ætatem hujus ignorari, & ſeſe hoc loco tantùm ex conjectura de ipſo loqui. Vix ulla ſpes eſt, nos inventuros id, quod omnes illi fruſtra inveſtigarunt.*

quo Sanctus hic floruit;

6 *Si ſciremus, quo tempore Germanus & Germanio vel Pomponia matrona vixerint, facilè aliquam de ætate Sancti noſtri conjecturam proponere poſſemus. Sed in antiquis Galliæ monumentis nullam horum omnium memoriam reperimus. At ſaltem, inquiet nonnemo, ætas* S. Patricii *ex ætate S. Portiani abbatis utcumque colligi poteſt. Fatemur, hanc temporis indagandi rationem optimam eſſe, ſi ex veteribus documentis conſtaret,* S. Patricium *in monaſterio S. Portiani adhuc viventis tirocinium poſuiſſe. Sed dubitari poteſt, an* S. Patricius *non fuerit ingreſſus monaſterium S. Portiani jam dudum mortui, quod tamen adhuc ſanctitate & miraculis hujus abbatis illuſtre erat. Huic dubio robur addit Caſtellanus, dum in Martyrologio ſuo univerſali ad hodiernam* S. Patricii *annuntiationem more ſuo ætatem hujus Sancti deſignans, in una parte marginis notat, hunc ſanctum Abbatem anno circiter* 700 *obiiſſe.* F

& alii mortem ejus nimis differant,

7 *At laudatus Martyrologii univerſalis collector ibidem in altera marginis parte monet, hunc* S. Patricium *diſcipulum ſancti Portiani fuiſſe. Hæ duæ aſſertiones inter ſe non cohærent: nam Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum Chriſti* 508 *num.* 28, *& ad annum* 525 *num.* 15 *de S. Portiano meminit, & ex S. Gregorio Turonenſi oſtendit, illum anno* 525 *iram Theodorici regis inſigni miraculo compeſcuiſſe. Quinimo ipſe Caſtellanus die* XXIV *Novembris S. Portianum in Martyrologio ſuo univerſali refert, & mortem ipſius in margine circa*

A *ca annum Christi* 540 *collocat. Quomodo* S. Patricius *usque ad annum circiter* 700 *vivere potuit, si fuerit discipulus hujus sancti Portiani abbatis, qui circa annum Christi* 540 *ex hac vita migravit? Itaque videtur error in numeros irrepsisse vel Castellanus secum pugnare.*

8 *Neque hæc conciliari possunt quærendo alterum Portianum abbatem, cui sanctus Ennodius Ticinensis episcopus lib.* 8 *scripsit epistolam trigesimam quartam, ad quam Sirmondus noster in notis Operum Ennodii pag.* 41 *observat sequentia:* Etsi tempora non discrepant, affirmare tamen non ausim, hunc nostrum esse sanctum Portianum, qui Candidobrensis apud Arvernos monasterii abbas fuit, eique & oppido non ignobili nomen reliquit: SANPORTIANUM enim appellamus. *Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 4 *num.* 34 *quamdam Sirmondi opinionem modestè refellit, & tamen numero sequente hanc duorum abbatum homonymorum distinctionem prorsus approbat his verbis:* Major est difficultas de Porciano abbate, cui Ennodius scribit epistolam illam, cujus occasione hanc notam Sirmundus adhibuit; an scilicet idem ipse sit Porcianus abbas Arvernensis, quod quidem ægrè concesserim: hic quippe homo erat planè rudis & indoctus; nec ipsi, ut puto, in mentem veniisset scribere episcopo eruditissimo, & longis terrarum spatiis dissito ab Arvernis. Atqui hac epistola Ennodius gratias agit Porciano abbati, quod se litteris præveniisset .... Certè hæc mihi convenire non videntur in Porcianum Arvernensem. *Post hanc utriusque Portiani abbatis distinctionem tota difficultas temporis Castellano solvenda manet, cum duo isti Portiani abbates fuerint coævi; & S. Ennodius Ticinensis anno Christi* 521 *è vivis excesserit.* AUCTORE G. C.

Annos ex Actis S. Portiani

9 *Quare magis mihi placet annuntiatio novissimi Martyrologii Parisiensis, quod hac die* Nivernis, sancti Patritii abbatis, antea beati Portiani apud Arvernos discipuli, *memoriam celebrat, & morti illius in margine annum circiter* 555 *assignat: nam die* XXIV *Novembris in eodem Martyrologio Parisiensis ecclesiæ obitus S. Portiani abbatis ad annum circiter* 541 *in margine refertur. Hæc chronologia satis inter se concordat, & eo modo tempus* S. Patricii *discipuli cum tempore vel obitu S. Portiani magistri sui facilè conciliatur. Hinc rejicienda est opinio Benedicti Gononi, qui in Appendice ad Vitas Patrum Occidentis post Acta S. Portiani pag.* 415 *notat, hunc abbatem anno* 610 *floruisse: nam chronotaxis illa, quam Jacobus Branche in Vitis Sanctorum Arvernensium & Gabriel Bucelinus ad diem* XXIV *Novembris in Menologio Benedictino perperam secuti sunt, ultro corruit ex Annalibus ecclesiasticis Francorum, seu potius ex S. Gregorio Turonensi, qui in Vitis Patrum cap.* 5 *asserit, ab abbate Portiano iram Theodorici regis mirabiliter placatam fuisse. Hoc autem anno Christi* 525 *contigit, ut Cointius in iisdem Annalibus, & Ruinartius in editione sua Gregorii Turonensis locis suprà citatis ostendunt. Unde probabilius initio hujus sylloges obitum* S. Patricii *circa medium seculi sexti in margine notavimus, donec alius S. Portianus abbas diversi temporis assignetur, aut certior* S. Patricii *ætas inveniatur.* B E *ætatem illius utcumque probabiliter assignamus.*

DE S. RIGOMERO PRESB. ET CONF.

SUBLIGNIACI APUD CENOMANOS IN GALLIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. P.

§ I. Memoria in Fastis, Sanctus hic cum alio confusus; tempus mortis.

C F

MEDIO CIRCITER SEC. VI. *Cultus ex Fastis:*

VAllis sublignea, sive Subligniacum, *vulgo* Souligné sous Vallon, tertiâ leucâ ab urbe primaria Cenomaniæ, *ut verbis utar Cointii tomo* 1 *Annalium ecclesiasticorum Francorum, ad annum* 541, *num.* 66, *locus fuit, in quo* S. Rigomerus, Rigomarus *seu* Richomerus *Vitam hanc mortalem ornavit virtutibus ac meritis, eamque cum immortali commutavit hac die* XXIV *Augusti: quâ annua ipsius memoria annuntiatur inter auctaria ad Martyrologium Usuardi, à nostro Sollerio editum ac illustratum. Codex enim Daveronensis ibidem sic eum refert:* Cenomannis civitate, sancti Rigomeri presbyteri & confessoris. *Editio Usuardina Lubeco-Colonienſis:* Cenomannis, beati Rigomeri presbyteri & confessoris. *In Belini editione altera, id est Parisiensi, anno* 1521 *impressa, additur priori, seu Venetæ anni* 1498: In pago Cenomanico, sancti Rigomari confessoris, & beatissimæ Tenestinæ virginis. *Quibus adjungi possunt Florarium nostrum Ms., item Grevenus & Molanus, qui Sancti nostri memoriam etiam signant, prout in dictis auctariis licet videre. Habetur etiam in Martyrologio, quod vulgò Canisii dicitur, & anno* 1599 *Dilingæ excusum est, & in Novo catalogo Sanctorum apud Ferrarium. De S. Tenestina erit infrà dicendi locus. Sunt inter hos, quos indicavi, Fastos sacros, qui ab immemorabili tempore ante famosum decretum Urbani PP. VIII, hodierno Confessori nostro tribuunt titulum* sancti: *quem jure ei deberi, confirmabitur ex aliis publicæ venerationis indiciis, quæ posteà occurrent. Nunc interim discutiamus, an hic Sanctus idem sit cum Richmiro abbate, qui ipsi fere synonymus est, & à nobis jam pridem datus ad diem* XVII *Januarii, tomo* II *istius mensis pag.* 177.

2 *Postquam itaque de isto abbate, qui etiam fuit presbyter, apud Cenomanos in Gallia, recitata ibidem essent aliqua, sed pauca admodùm, è Fastis sacris; additur,* nihil de eo in aliis Martyrologiis reperiri, nisi RIGOMARUS sit aut RIGOMERUS, de quo XXIV Augusti Molanus, Bellinus edit. Parisien., Canisius, Ferrarius *&c. An verò* *Castellanus vult hunc Sanctum esse eumdem*

AUCTORE J. P. *verò hic cum illo ſit idem, an diverſus, non determinatur, ſed in medio relinquitur, re utpote iſta tunc nequaquam matura, ut ad hujus controverſiæ deciſionem perveniretur, cujus nunc proprius ſeſe offert locus ac dies. Claudius Caſtellanus in ſuo bimeſtri, ſeu in tomo, quo menſem Januarium ac Februarium ſeorſim edidit anno* 1705, *in notis ad diem* XVII *Januarii pag.* 321, *eumdem utroque die ſignari judicat, idque his conatur probare argumentis, quæ è Gallico extracta ſic ſonant:* Bollandus, *inquit*, dubitat, an ſit idem ille, quem Bellinus, Molanus, Caniſius, ac Ferrarius poſuerunt die XXIV Auguſti ſub nomine RIGOMARI. Vitam ejus, ab eodem Bollando datam, conferendo cum Actis epiſcoporum Cenomanenſium, à domno Mabillonio editis in tomo tertio Analectorum ejus; videmus eumdem eſſe: ac deceptus, *inquit*, eram in Hagionomaſtico, quod vita functus D. Menagius à me petierat, ut Dictionario ſuo etymologico illud præmitteret.

cum S. Ricmiro abbate;

B

3 Sauſſayus in errorem erat lapſus antea, ponendo eum ſub nomine RIGOMERI die XXIV Auguſti, & ſub nomine RICHMIRI die XIV Februarii, non reddens rationem, cur hunc diem elegerit. Dies XXIV Auguſti tranſlationis ejus eſt dies: eoque præſertim die, propter commodam anni tempeſtatem, celebratur ipſius feſtum in pleriſque locis, ubi honoratur, ac potiſſimùm apud Malleacenſes in provincia Pictavenſi, ubi eſt patronus. Nominatur RICMIRUS ſine h, in manuſcriptis omnibus, quæ reperta ſunt hactenus, vitæ ejus; *& quæ ibi memorat.* Qui illam ſcripſit, (*ita pergit Caſtellanus*) contemporaneum eſſe ſe dicit Arrio, immediato S. Rigomeri ſucceſſori: *id quod apud nos loco citato jam pridem etiam indicatum eſt; ſed ſervato* S. Ricmiri, *non autem ſubſtituto, ut facit Caſtellanus*, S. Rigomeri *nomine. Quæ pag.* 322 *Caſtellanus ſubdit ex Vita ejus, pluribus memorantur apud nos pag.* 177 *citatâ, & ſequentibus, & apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, parte prima ſeculi.* 3, *à pag.* 228 *; cujus Vitæ* epitomen, veterum *tamen* codicum primigeniâ phraſi ſervatâ, *dat Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum tomo* 4, *ad annum* 685, *num.* 13 *&* 14. *Caſtellanus pag.* 322 *citatâ* obſervari poſſe, *monet*, in iſta Vita,

C

quòd epiſcopus Cenomanenſis, qui ibi nominatur Gilbertus, ſit idem ille, qui nominatur Aiglibertus in Actis epiſcoporum Cenomanenſium, *apud Mabillonium tomo* 3 *Veterum analectorum cap.* 14, *à pag.* 188 *prioris editionis, anno* 1682 *vulgatæ*; ubi ſcriptum eſt, *inquit idem Caſtellanus*, quòd fundarit monaſterium ad portam Cenomanenſis civitatis prope Sartam *fluvium:* primam *verò hujus monaſterii* Religioſam *aſſerit* ſanctam Teneſtinam *fuiſſe*, honoratam Malleaci cum S. Rigomero, qui ejuſdem monaſterii director fuit, quod tunc S. Albini dicebatur, & aliquando Sanctæ Mariæ. *Conſuli poſſunt eadem Vetera analecta pag.* 192. *Et pauculis interjectis*, locus, *ait*, ubi ſecundò ſedem fixit, non nominatus in Vita ejus, Subluniacum appellatur. In hoc loco mortuus eſt.

ſed quod duos iſtos Sanctos

4 *Quantum in ſuprà allegatis Caſtellani notationibus confuſionis chaos, quanta hallucinationum congeries! Quid miri? cùm duos Sanctos toto cælo diverſos in unum unicum conflaverit, ſanctum videlicet Ricmirum abbatem apud Cenomanos, & ſanctum* Rigomerum *confeſſorem ibidem ac presbyterum, huic applicans Acta iſtius, non ſecus ac ſi utriuſque Acta longè inter* D *ſe diverſiſſima non exſtarent; cùm tamen Acta* S. Rigomeri *anno* 1681 *ipſemet Caſtellanus huc tranſmiſerit, prout apographo noſtro adſcripſit Papebrochius. Auctor idem eumdem commiſit errorem in ſuo Martyrologio univerſali, ut videre licet ad diem* XVII *Januarii, & in indice Sanctorum ad dictum Martyrologium. Nec verò ipſe ſolus utrumque hunc Sanctum confudit: etenim Cointius ſuprà citatus, num.* 15 *aſſignata varia nominis Aigliberti efformatione*, Par, *inquit*, eſt ratio Ricmiri; nam qui Claudio Roberto Ricomirus eſt; aliis Richmirus, Richimirus, Ricmirus & Ricimirus dicitur, & à nonnullis malè confunditur cum Richomero ſeu Rigomero vel Rigomaro, de quo nos tomo I, *poſtea hìc citando. Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis ſui, quæ anteà deſignabam, obſervationes prævias in Vitam S. Richmiri abbatis incipit his verbis:* Richmirus, alius à S. Rigomaro ſeu Rigomero, S. Teneſtinæ patre ſpirituali, itidem apud Cenomannos in Gallia *&c.*

inter ſe diſtinctiſſimos

E

5 *Quandoquidem verò tam clara & evidens eſt confuſio, de quâ hìc agimus, ut multis argumentis probari non debeat; rem redigam ad capitâ tria præcipua. Primum itaque deſumatur ex Sancti utriuſque Actis. Prologus ad Vitam S. Richmiri (utimur editione Mabilloniana) ſic incipit:* Religioſorum vitas & actus narrare virorum, Deum indubitanter laudare eſt. *Sancti autem* Rigomeri *ſic:* Quia Domino donante aliquod commemorare volumus, & dignum eſt *&c. Vita Richmiri incipit ita:* Beatus igitur Richimirus, Turonici pagi indigena, non exiguis parentibus procreatur; ſed digni germinis digniſſima proles effulſit . . Eâ verò tempeſtate, quando Theodericus rex Francis principabatur, & Gilbertus dignus Deo epiſcopus Cenomannicam regebat eccleſiam *&c. In Vita* Rigomeri *inferius apud nos num.* 2 *ſunt iſta:* Igitur eodem tempore cùm Childebertus prædictus rex, vel Chlotarius germanus ſuus Neuſtriam ſive Franciam ſorte inter ſe diviſiſſent; quia habuerunt reginas Chriſtianas; Chlotarius ergo rex domnam [habebat] Radegundem, Chriſtianiſſimam fæminam, & domnus Childebertus Uultrogodem. Temporibus horum regum, ex eorum permiſſu, aliqua monaſteria florere cœperunt: ſed & ini- F tia eorum commemoranda ſunt . . In illis quidem temporibus . . ortus eſt in condita Saugonenſi ex liberis parentibus vir ſanctus ac religioſus . . Rigomerus. *Hæc in Vita ejus. Quæ immanè quantum diſcrepent à Vita Richmiri, nemo non videt. Pergamus ad aliud patentiſſimæ diverſitatis ſpecimen, nimirum diei emortualis, & ætatis.*

perperam in unum conflarit,

6 *Vita S. Richmiri*, Obiit, *inquit*, memoratus ſanctus Richimirus ſexto-decimo Kalendas Februarii. *Vita autem* S. Rigomeri *hæc ſcribit:* Obiit . . ſanctus Rigomerus nono Kalendas Septembris. *Si ætatem conſideremus, quâ uterque floruit;* Rigomerus *hodiernus per centum circiter & quadraginta annos anteceſſit ætate Richmirum abbatem. Hujus quippe obitum Mabillonius in ſuprà laudatis Actis Ordinis ſui, eâdem pag.* 228 * *indicat accidiſſe* circa an. DCCX; *& in nota ad Vitam pag.* 232 * *obſervat, eum* obiiſſe ante annum DCCXV: quo circiter anno Gilbertus ſeu Engilbertus Herlemondo epiſcopatum morte ſua reſignaverat. *Apud nos verò ad diem* XVII *Januarii, quem nuper indicabam, mors ejuſdem ſancti abbatis aptatur* circa an. DCC: *geſta autem ejus memorantur à Cointio ad annum* 685 *num.* 13.

A *num.* 13. *Vixit itaque hic Sanctus ſeculo ſeptimo : obiit autem eodem ſeculo exeunte , vel ineunte circiter octavo. Hunc itaque cum* S. Rigomero *confundere , quidnam eſt aliud , quàm in meridiana luce cæcutire ? Sanctus quippe hic confeſſor ac presbyter pertinet ad ſeculum ſextum , uti evincunt characteres chronologici , qui in variis perſonis in ipſius Vita nominatis relucent , & de quibus dicetur inferiùs poſt Vitam in Annotatis.*

variis demonſtratur

7 *Sanctum Ricmirum abbatem rectè ſecrevit à* S. Rigomero *noſtro Cointius in ſuis Annalibus eccleſiaſticis tomo* 1 *ad annum* 541 *num.* 56 , *ubi res ejus geſtas narrat ; rectè ante eum Corvaiſerius in Hiſtoria epiſcoporum Cenomanenſium pag.* 141 *& ſequentibus vitæ ejus ſeriem referens , Sanctum eidem ſeculo aptavit , quando eidem Vitæ intexuit ea , quæ inter ipſum ac S. Innocentium ſeu Innocentem , Cenomanicæ ſedis epiſcopum tunc temporis , acta fuerunt. Idem facit Bondonnetus in Vitis epiſcoporum Cenomanenſium pag.* 169. *Verum quid diutius immoramur , quàm par eſt , rei adeo perſpicuæ ? Maneat itaque , imperitè confundi à Caſtellano S. Ricmirum abbatem , &* S. Rigomerum *confeſſorem ac presbyterum. Tertium diverſitatis ſpecimen accipe.*

B

argumentis.

8 *Dum enim idem Caſtellanus non duos , ſed unum tantùm inveniſſe ſe putavit in Actis epiſcoporum Cenomanenſium , à Mabillonio editis , ut vidimus ſuprà num.* 2 ; *refellitur ex his ipſis Actis Veterum analectorum tomo* 3 , *cap.* XI ; *ubi in teſtamento Bertichramni , pag.* 142, *jubentur ab eo dari* baſilicæ S. Richomeri ſol. x. *De hoc ſancto præſule Cenomanenſi tractavimus tomo* 1 *Junii , die* VI , *à pag.* 710 ; *ubi obitus ipſius affigitur anno* 623 , *quem etiam ſignat Cointius tomo* 2 *ad eumdem annum num.* 10 ; *atque adeo diu ante Aglibertum , quocum vixit S. Ricmirus abbas , exſtabat* S. Rigomeri *eccleſia , noſtri ſine dubio ; quia in allegato teſtamento jubet Bertichramnus fieri donationes* per omnes baſilicas , quæ circa civitatem noſtram , *inquit , id eſt Cenomanenſem* , eſſe noſcuntur. *Corvaiſerius in S. Innocentio epiſcopo pag.* 144 *idem cenſuit ; cujus textus è Gallico redditus ſic ſonat :* Non dubito , quin fuerit iſta eccleſia , in qua depoſitum fuerat corpus illius glorioſi confeſſoris , quæ temporum aſperitate , ac ſeculorum mutatione ita fortaſſe deſtructa ſit poſtmodùm , ut ejuſdem nominis ac loci , in quo ædificata olim fuerat , memoria prorſus interciderit.

C

Tempus mortis

9 *Nunc juvat nonnulla his ſubjungere de Sancti noſtri ætate. Vidimus quidem ſuperiùs , eum floruiſſe ſeculo ſexto : ſed ulteriùs diſpiciendum reſtat , an diſtinctiùs aliquid de annis , quibus tunc vixit , determinare poſſimus. Auctor Vitæ apud nos infrà num.* 12 *hæc narrat :* S. Teneſtina ſub ſacro virginitatis honore velum à ſancto Innocente accepit . . Quæ etiam prædicti ſancti Innocentis epiſcopi , & poſtea domni Domnoli [tempore] in honore ſanctæ Mariæ monaſteriolum , vel baſilicam . . Cenomanis intra muros & aquam . . conſtruxit , . . & locum ſancto Rigomero de proprietate eccleſiæ prædictæ , ubi ipſe Sanctus cellam conſtrueret , per epiſcopi epiſtolam impetravit. *Floruit ergo ſanctus Confeſſor noſter ſub Innocente epiſcopo Cenomanenſi : cujus Acta illuſtravimus tomo* III *Junii , die* XIX , *à pag.* 854, *& cujus mors ibi innectitur anno Chriſti* 542 , *differente eam Cointio ad annum proximè ſequentem , ſicut apud ipſum tomo* 1 *ad eumdem annum num.* 6 *licet videre : qui de laudati præſulis promotione ad epiſcopatum ſcribit ad annum* 531 , *num.* 22. *Verùm quidquid ſit de initio ſedis ab illo aditæ , in tanta ac tam diverſa ſerie chronologica epiſcoporum Cenomanenſium , quam emendatum iri ſperamus à continuatoribus novæ editionis Galliæ Chriſtianæ ; quidquid , inquam , ſit ; ſedebat ſaltem Innocens vel Innocentius anno* 533 , *quo ſecundæ ſynodo Aurelianenſi ſubſcripſit. Vide Labbeum tomo* 4 *Conciliorum columnâ* 1783 , *& Longuevallium tomo* 2 *Hiſtoriæ eccleſiæ Gallicanæ pag.* 392. *S. Domnolus epiſcopus Cenomanenſis , de quo ſuprà fiebat mentio , habetur tomo* III *Maii , die* XVI, *à pag.* 603 : *ubi ipſius tranſitus ad meliorem vitam aptatur anno* 581 , *quem etiam ſignat Longuevallius tomo* 3 , *pag.* 211 , *tunc obiiſſe eum memorans poſt annos duos ſupra viginti epiſcopatûs. Sed ea , quæ de exordio epiſcopatûs ejus lego , intricata etiam ſunt. Hoc conſtat , quod anno* 567 *præeſſet cathedræ Cenomanenſi , cùm tunc ſubſcripſerit concilio ſecundo Turonenſi , apud Labbeum tomo* 5 , *col.* 865. *Et hæc quidem conducunt ad formandam aliquam ideam temporis , quo* S. Rigomerus , *& S. Teneſtina floruerunt , etiamſi annus utriuſque emortualis non ſit nobis ſatis compertus.*

AUCTORE J. P.

D E

10 *Cointius ad annum Chriſti* 559 , *num.* 9 *accidit mediò* S. Rigomeri *obitum quidem determinat his verbis :* Richomerus , cùm in Valle Sublignea diu degiſſet, ibi vitam clauſit nono Kalendas Septembris , *eumdem diem morti ejus etiam aſſignante biographo apud nos infrà ſub finem Vitæ ; ſed quandoquidem prædictus Annalium auctor nullum ibidem affert idoneum ſcriptorem pro iſta anni emortualis determinatione ; nos eam latioribus temporis finibus in exordio hujus Commentarii circumſcripſimus. Si enim τὸ* epiſcopi *in textu biographi ſuprà citato referri debeat vel ad utrumque præſulem , Innocentium videlicet ac Domnolum , vel ad ſolum Domnolum ; tunc ex fide ejuſdem biographi potuit* S. Rigomerus *ſupervixiſſe ultra medium ſeculi ſexti ; ſed quia de ſenſu biographi non ſatis conſtat , nec de initio Sedis S. Domnoli ; ideo in exordio hujus Commentarii eum ſignavi* medio circiter ſeculo VI ; *quod in lata temporis extenſione intelligi volo : de ſancta verò Teneſtina idem eſto judicium.*

ſeculo 6.

F

§ II. Vitæ ſcriptores , exemplaria , tranſlatio S. Rigomeri.

Variæ dantur obſervationes

QUi *Sancti Vitam ſcripſit , anonymus eſt ; nec ullum prodit ſignum , vi cujus vel divinari queat , quis fuerit , cujus inſtituti , aut cujus ſeculi. Quòd verò ſatis remotus loco vel tempore poſt Sancti obitum ſcripſerit , eruitur ex his indiciis , quæ Vitæ inſperſit. Nam apud nos num.* 4 , In illis quidem temporibus , ut veracium & fidelium hominum teſtimoniis approbatur , & cognitum eſt per multos fideles , ortus eſt .. Vir ſanctus : *& num.* 10 : Tunc rex fertur dixiſſe. *Geſta* S. Rigomeri *etiam collegerunt Corvaiſerius ſuprà deſignatus , ut videre apud ipſum datur à pag.* 141 ; *Bondonetus , aſceta Benedictinus S. Vincentii Cenomanenſis , in Vitis epiſcoporum Cenomanenſium , inter ea , quæ ſcribit de S. Innocentio pag.* 168 *& ſequentibus , ac Cointius , quem in hujus Commentarii principio allegavi. Porrò hi tres auctores , & anonymus noſter ſimilia fere referunt in ſubſtantia. Prolo-*

AUCTORE J. P.

gum verò ejus apud illos non lego. Idem verò Cointius corrigit lapſum Corvaiſerii ex Bondonncto, his verbis : Obſerva, *inquit*, Clotario, qui perperam ex ſcriptoris calamo cecidit, expuncto, Childebertum à Bondonneto rectè reſtitui : quia quamdiu Innocentius apud Cenomanos ſedit, Cenomania Childeberto regi morem geſſit. *Porrò hæc correctio conformis eſt biographo noſtro anonymo, ut in Vita apud nos num.* 10 *patet.*

de Vitæ ſcriptoribus

12 *Sed, quæ num.* 11 *narrat de Childeberto rege, indigent explicatione, & commoda interpretatione :* Tunc rex, *ait*, in ſupraſcripta villa Palatiolo baſilicam fieri juſſit in ſancti Rigomeri honore, ubi & ipſe populus modò convenire ad orationem ſolet, & ſacras oblationes Domino offerre videtur. Et tunc ipſi Sancti valedicentes regi, cum magno honore ad propria revertentes, cellulas ædificare cœperunt. *Illud itaque* in ſancti Rigomeri honore, *cave, ne ita intelligas, quaſi rex Childebertus honores Cælitibus debitos exhibuerit ei viventi ; ſed quòd vel ex honorifico erga illum affectu, vel in memoriam inſignis miraculi, ad teſtificandam vitæ ejus integritatem contra calumniatores* (*de qua re ibidem erat actum num.* 10) *patrati, ædem ſacram Childebertus erigi juſſerit Deo, qui facit mirabilia magna ſolus ; vel quòd biographus uſus hîc ſit prolepſi ; de qua conſule Annotata ad Vitam lit.* u.

B

& exemplaribus ejuſdem Mss.,

13 *Vitæ exemplar, quod daturi ſumus, antiquis exaratum eſt characteribus, & habetur in codice membranaceo, qui apud nos aſſervatur, ac ſignatur* Vitæ SS. Mss. ✠ Ms. 47. *Titulus, eidem Vitæ præfixus, convenit* S. Rigomero *ac S. Teneſtinæ ; hæc quippe habet :* Incipit Vita ſancti Rigomeri presbyteri, & ſanctæ Teneſtinæ virginis. *Porrò eam à mendis expurgavi, adhibito in hunc etiam finem alio ecgrapho, quocum illam contuli, & è quo accepi variantes lectiones, nec non additamenta uncinis incluſa. Anonymum illud vocabo, quia ignoro è quo codice ſeu exemplari ſit tranſcriptum. Quod autem* ex Ms. miſſa *ſit hæc Vita* à D. Claudio Caſtellano, canonico D. V. Pariſiis *anno* MDCLXXXIX, *indicatum reliquit noſter Papebrochius. De hiſtoria tranſlationis* S. Rigomeri *ad cœnobium Malleacenſe, quam poſt ipſius Vitam proferemus, nonnulla prænotare hîc viſum eſt, incipiendo à topographica loci notitia.*

C

nec non

** vulgò* la Sevre
** latinè* Altizia

14 Malleaca, ſeu Malleacum, *inquit Baudrandus*, MAILLEZAIS, urbecula Galliæ in Pictavenſi provincia intra paludes, in inſula effecta à fluviis Separa * & L'HAUTIZE *, ſicque ægrè habitata propter aëris inclementiam, priùs epiſcopalis erat ſub archiepiſcopo Burdegalenſi, à Joanne XXII Pontifice Maximo facta, ſed die IV Maii anno MDCXLIX ejus epiſcopatus ſuppreſſus fuit ab Innocentio X Papa ; illiuſque ſedes epiſcopalis Rupellam tranſlata fuit. Diſtat 5 leucis à Niortio in occaſum, 9 à Rupella in ortum æſtivum, & 2 à Fontenaco in meridiem. *De hoc loco videri etiam poteſt Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum, ubi inter alia dicitur* veteri monaſterio inſignis : *& Gallia Chriſtiana tomo 2 noviſſimæ editionis pag.* 1362 ; *ubi agitur de monaſterio veteri S. Petri ; item de novo SS. Petri & Pauli, quod anno circiter* 1010 *ædificatum ſit. Hæc verò, quæ ibidem ſequuntur, ad tranſlationem Sancti pertinent :* Novum monaſterium multis poſſeſſionibus Dux Willelmus ditavit, Sanctorumque reliquiis, quas inter corpus ſancti Rigomeri confeſſoris, è pago Cenomanenſi ſolemniter tranſlatum eſt ad Malleacenſe monaſterium, agente apud Hugonem Cenomanenſem Comitem Theodelino ejuſdem loci abbate. *Legi etiam poſſunt quæ de hujus monaſterii conſtructione, ac prædictarum reliquiarum donatione refert Mabillonius tomo* 4 *Annalium Ordinis S. Benedicti ad annum Chriſti* 1010, *pag.* 213, *num.* 37 (*è quo anno de dicta tranſlationis tempore præterpropter conjici poteſt*) *ac præ omnibus Hiſtoriæ Malleacenſis auctor ; de quo nunc dicam.*

D

de tranſlatione S. Rigomeri

15 *Hiſtoria illa habetur Novæ bibliothecæ manuſcriptorum librorum, à Labbeo editæ, tomo ſecundo à pag.* 222, *hoc titulo :* Petri Malleacenſis monachi ad Goderannum abbatem libri duo de antiquitate & commutatione in melius Malleacenſis inſulæ, & tranſlatione ſancti Rigomeri. *Tranſlatio hæc, quæ propriè ad nos ſpectat, ab auctore Petro refertur libro* 2, *pag.* 234 *& ſeqq. Hanc verò quando ſcripſerit, colligere licet ex Mabillonio, qui tomo* 4 *Annalium ſui Ordinis, ad annum* 1060, *num.* 64 *hæc memorat :* Humbertus Goderanni deceſſor .. anno MLX finem vivendi fecit. In ejus locum aſſumptus eſt Goderannus ; *& mox obſervat, Petrum* duos *ſuos* libros .. compoſuiſſe Goderanni juſſu, cùm ille necdum Santonenſis epiſcopus eſſet .. ; *quem* epiſcopatum adeptus eſt ſub initia Pontificatûs Alexandri II ; videturque retinuiſſe Malliacenſem abbatiam uſque ad ſuum obitum, qui anno MLXXIV contigit. *Pontifex autem iſte Alexander ad cathedram Petri evectus eſt anno Chriſti* 1061 ; *obiit* 1073.

E

ad cœnobium Malleacenſe.

15 *Corvaiſerius pag.* 145 *ſcribit, corpora* S. Rigomeri, *&* S. Treneſtinæ, *uti eam vocat, tranſlata fuiſſe ad abbatiam Malleacenſem : quâ deinde in epiſcopatum mutatâ, honoratos affirmat tamquam patronos eccleſiæ cathedralis, feſtum eorum quotannis ſolemniter celebrantis. Ambos ibidem coli ut patronos, affirmat etiam Bondonnetus pag.* 170. *Ad cultum iſtum quod attinet ; non gravatè admitto illum in fide iſtorum ſcriptorum. Sed tranſlationem corporis S. Teneſtinæ ad dictam abbatiam, non lego in documentis, quæ, ut commodiùs Annotatis elucidari poſſint, proferam poſt* S. Rigomeri *Vitam ; ac deinde de iſta tranſlatione, quâ S. Teneſtinæ partim adſcribitur, tractabo dum abſolvero res* S. Rigomeri, *quibus ſubnectam ſyllogen hiſtoricam de eadem Sancta. Reliquum eſt, ut noſtri ſancti presbyteri Acta proferamus, quæ in numeros diviſimus, & Annotatis elucidavimus.*

F

VITA

Auctore ignoti nominis ac temporis,

Ex Codice membranaceo antiquo Ms. ✠ 47.

Biographus

QUia, Domino donante, aliquid commemorare volumus, & dignum eſt, ut in laudem Dei Sanctos ejus commemorare debeamus, ut [boni filii] patres, in honorem vel in laudem patrum ſuorum, & facta & bona conſilia eorum

A eorum memoriis commendare, & quia laus patrum ad dignitatem filiorum vel ad honorem Dei proficit, quidquid ex dono Dei in Sanctorum laude profertur. Temporibus quidem domni Childeberti *a*, vel Vultrogodæ *b* reginæ ſuæ, Chriſtianorum principum, geſtum eſt, quod hîc commemorare decrevimus ad petitionem Chriſtianorum vel ſacerdotum pro futurâ memoriâ.

a b

2 Igitur eodem tempore, cùm Childebertus prædictus rex, vel Clotharius germanus ſuus Neuſtriam ſive Franciam ſorte inter ſe diviſiſſent *c*, quia * habuerunt reginas Chriſtianas; Clotharius ergo rex domnam [habebat] Radegundem *d* Chriſtianiſſimam fœminam, & domnus Childebertus Vultrogodem. Tempore horum regum, ex eorum permiſſu, aliqua monaſteria florere cœperunt: ſed & initia eorum commemoranda ſunt, nec non & eorum nomina, qui primi abbates ibi fuiſſe teſtantur *e*. Domnus Maximinus ſuper Ligerim prope Aurelianis civitatem, vir religioſus & ſanctus, piè ſervivit domino; cujus diſcipuli eodem tempore, ſanctus videlicet Avitus *f*, & ſanctus Karileffus *g*, duo ſocii, in vaſtæ eremi ſolitudine *h* binas cellulas, ſub ſancta regula degentes mirificè ædificarunt Deo.

varios
c
* *al.* quique
d
e
f
g
h

B 3 Fulti quoque ſancti Innocentis *i* Cenomanicæ urbis auxilio, quod cùm ſupra fluviolum Aniſolæ *k* de jure ſuæ ſedis eccleſiæ ſancto Karileffo ad conſtruendum monaſterium primò dedit *l*, & ſancto Avito non modicum fecit adminiculum. Nam magno intervallo, alii monacho ſancto & religioſo, nomine Launomaro *m*, in loco qui dicitur Curbionis, à nomine alvei ibidem decurrentis, cujus vocabulum dicitur Curbionis, ſupradicto auxilio condidit monaſterium *n*, & ſub regulari ſtudio hæc omnia ei conſummare videntur.

i
characteres temporis præmittit huic Vitæ:
k
l
m
n

4 In illis quidem temporibus, ut veracium & fidelium hominum teſtimoniis approbatur, & cognitum eſt per multos fideles, ortus eſt in condita *o* Saugonenſi *p* ex liberis parentibus, Vir ſanctus ac religioſus, & bonis moribus ornatus Rigomerus Dei famulus, qui ab infantia ſacris literis eruditus eſt à quodam religioſo presbytero [ſancto] Launillo *q* de Arverno, vel à quibus potuit quæſivit de verbo Dei bonum conſilium

poſt quos refert Sancti natales, educationem, ſacerdotium,
o p
q

C humilitatis, & caſtitatis, vel ſanctæ meditationis: & quod diligenter quæſivit ſuper prudentiæ teſtimonio, Domino largiente, invenit, & fide conſervavit, & moribus * ſe eſſe devovit, ac proinde ex Dei providentia, teſtimonio fidelium populorum, ſacerdos Dei probatus effectus eſt.

* *Ms. anon.* bonis moribus

5 Et cœpit circumquaque verbum Domini prædicare tam parentibus, quàm & proximis vicinis, & quoſcumque potuit tam ad pœnitentiam exhortari, quàm ad reliquam obſervationem juſtitiæ, & cauſas miſericordiæ, & ut hoſpitales eſſe deberent, ſive eleemoſynas in pauperes alacriter largirentur, & voluntariè erogarent, ut ipſi pro his ſupernæ pietatis miſericordiam poſſent promereri, frequentiſſimè admonebat; & nec profanas cauſas, nec ad fontes vel ad arbores vota facerent, ſed potiùs ad eccleſias vel ad ſacerdotes recurrerent, & pro infirmitatibus ſuis oleum benedictionis poſtularent. Et ipſe quidem Dei famulus ſe expetentes infirmos oleo ſanctificato ungebat, & in nomine Domini multos ex ipſis ad ſanitatem perducebat, rogans ut ex hoc Deo gratias referrent.

labores apoſtolicos,

6 Et audiens ipſe Sanctus in proximo loco antiquum fanum eſſe, quod vocabat populus Morifanum *, quod populus * venerabatur, & cui diabolica & illicita vota ſuis muneribus perſolvebant; tunc Dei famulus ſanctus Rigomerus condolens de ruſtico & infideli populo, qui hujuſmodi culturam non in honorem Dei ad ſalutem ſuam, ſed potiùs ad ſuperſtitionem diaboli, ad ſuam perditionem adoraret, accenſus zelo Chriſtianorum, ad locum ipſum acceſſit cum fratribus, & Chriſtianis fidelibus, requirens diligenter, & inventa fraude diabolici figmenti, prædicans vel adnuntians Dei verbum in illa civitate commanentibus, ut ipſam fanaticam obſervationem relinquerent, eccleſiam Dei potiùs frequentarent, & à Chriſto Jeſu ſalutem expeterent: quod & Domino auxiliante fecerunt, & ipſo fano deſtructo, baſilicam in eodem loco ædificaverunt, ubi ſacræ oblationes Deo nunc videntur offerri.

A. ANONYMO.
* *f.* Martis fanum
* *Ms. anon.* plurimus populus

ac ſuperſtitionem expugnatam:

7 Contigit autem in diebus illis, ut aliqua matrona de genere nobili, nomine Truda, correpta febri, ipſum ſanctum Rigomerum neceſſitate conducta mandaverit ad ſe venire, auditâ ejus ſanctitatis famâ, ut per ejus orationem poſſet invenire ſalutem. Quam cùm ſanctus Rigomerus causâ pietatis pro charitate viſitaſſet, & per orationem & infuſionem olei benedicti ipſam fœminam confortare cœpiſſet *, erat aliqua ibi tunc puella filia ejus, nomine Teneſtina * *r*: audiens exhortationem ipſius Servi Dei *, quam ſolebat pro animæ ſalute annuntiare, qualiter pœnitentiam agere deberent, & à pœnis futuris animas ſuas liberarent, atque æternæ vitæ præmia promereri valerent: hæc audiens ipſa puella, credo inſpirante Deo, adamavit ejuſdem ſancti Viri conſilium, ipſumque ſacerdotem, ſicut Dei nuntium attentiùs audire volens, cœpit frequentare circa ipſum, & in quantum valebat, miniſtrare ei in vera dilectione.

opem ferè Trudæ febricitanti, cujus filiam Teneſtinam dirigit in virtute;

E
* *Ms. anon.* confortaſſet
* *Ms. anon.* beata Teneſtina
r
* *Ibid.* ejus, videlicet beati Rigomeri

8 Sed contigit ſecundum antiquam conſuetudinem, ut in quorumdam hominum cordibus malitiæ ſtimulos inimicus contra ipſam commoveret; & quod illa ex vera dilectione faciebat, ſicut Maria, quæ ad pedes Domini deflebat, eoſque lacrymis rigabat, & capillis tergebat, atque oſculabatur; hoc iſtam libidine, non charitate facere calumniabantur. Tamen ipſa Deo devota nihil curavit de adverſitate detrahentium, ſed magis ac magis Dei famulum ſupraſcriptum Rigomerum diligebat, qui ei verbum Domini prædicabat. Tunc ipſi maligni homines ſponſo ipſius puellæ, Severo nomine, nuntiaverunt dicentes; quod ſponſa ipſius Teneſtina quemdam clericum nimis ſingulari dilectione diligeret: unde & ipſam indignâ opinione inimici homines diffamabant dicentes, quòd plùs illum Clericum, quàm ſponſum ſuum omnino amaret.

unde calumniæ contra ipſam;

F

9 Quod audiens vir ille, credidit, indignatione repletus, in malum recepit, quod pro caritate fuerat factum. In tantum hoc magis indignari cœpit, ut ad palatium regi vel ſeniori bus ſuggeſſerit, quòd clericus quidam Rigomerus ſponſam ſuam Teneſtinam ei abſtrahere conaretur, & miſſum de palatio accepit, qui veniens ipſum Dei ſervum *f* Rigomerum & ſupraſcriptam puellam per fidejuſſores colligaret, ut ad palatium pergerent, & ante domnum Childebertum, vel ſeniores palatii rationem ex ſupradictis calumniis pleniter redderent. Qui ſumma feſtinatione ad palatium pergentes pariter intrepidi, eo quòd de vana ſuſceptione ipſi innocentes calumniabantur, uterque, ſcilicet famulus Dei Rigomerus, ſanctus ſacerdos, & Teneſtina Dei famula certa * & virgo Dei puella, fi-

quæ ſimul cum S. Rigomaro ad palatium regis citatur,

f

* *f.* caſta

A. ANONYMO. ducialiter ante ipſum principem vel ſeniores populi pervenerunt, & in loco, qui Palatiolus *t* vocatur, producti, & præſentati ſunt, habentes candelas ſive cereolos, munera religioſa, quæ pro oblationibus, in præſenti, regi obtulerunt.

t

Deus verò eos defendit per miraculum.

10 Sed aliqui ſeniores verba blaſphemiæ, præſente rege, dixerunt: O ſacerdotes tales, qui aliorum ſeducant uxores! Tunc rex fertur dixiſſe: Si verè digni eſtis, & nihil per malitiam, vel per libidinem agitis, hos cereos, quos mihi offertis, per veſtra ſignacula ſine igne accendite, ut per hoc appareat, ſi pura ac religioſa eſt veſtra devotio. Et illi intrepidè fidenterque de divina pietate confiſi, flexis genibus divinam majeſtatem implorantes, coram populo & rege cœperunt ipſi cerei fumare: & extenſa tunc manu dexterâ ſanctus Rigomerus, & invocato nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, manifeſtè cereoli accenſi ſunt, & illuminati ex Dei virtute, & claro igne ac ſplendore publico fulgere cœperunt. Et cùm hoc rex ille domnus Childebertus, vel ſeniores palatii vidiſſent, ſtatim ad genua ſive veſtigia Sanctorum ſeſe incurvaverunt, petentes indulgentiam pro laboribus vel fatigationibus, quas eis fecerunt.

B

& rex donationibus honorat.

11 Quapropter rex munerare eos volens, eis binas villas in pago Cenomannico conceſſit, & loca ad cellulas ædificandas cum ſancto Innocente epiſcopo imperavit, & de reliquo ſtipendio, quidquid eorum petitioni * fuit. Et præcepit, ut nemo deinceps, id eſt, poſt prædicti ſigni manifeſtationem, jam dictos Sanctos inquietare auderet. Supplicavit etiam eos prædictus rex atque ſeniores populi, ut tam pro regni pace, quàm & pro ſalute populi aſſiduè orarent. Tunc rex in ſuprafcripta villa Palatiolo baſilicam fieri juſſit in ſancti Rigomeri honore *u*, ubi & ipſe populus * modò convenire ad orationem ſolet, & ſacras oblationes Domino offerre videtur. Et tunc ipſi Sancti Dei valedicentes regi, cùm magno honore ad propria revertentes, cellulas ædificare cœperunt.

** Ms. anon.* petitio

u

** Ibid. mendoſè* ipſe & populus.

C

S. Teneſtina monaſterium condit, S. Rigomero locum impetrat: eorum virtutes & miracula:

12 Sancta verò Teneſtina ſub ſacro virginitatis honore velum à ſancto Innocente accepit, & ſanctè ac piè vivere ſtuduit. Quæ etiam prædicti ſancti Innocentis epiſcopi, & poſtea domni Domnoli *x* ipſa Dei famula in honore ſanctæ Mariæ monaſteriolum vel baſilicam in ſolo ſanctæ matris [eccleſiæ] Cenomannis intra muros, & aquam *y* ſolemniter, Deo auxiliante, & memorato epiſcopo opem ferente, conſtruxit, & inibi religioſam vitam cum cæteris puellis Deo devotis duxit, ibique *z*, Chriſto propitio, beatam vitam conſummavit, & locum ſancto Rigomero de proprietate eccleſiæ prædictæ, ubi ipſe Sanctus cellulam conſtrueret, per epiſcopi epiſtolam impetravit, qui nunc dicitur Subligniacus. Utrique Sancti illi ſub Dei timore & cultu religionis perſeverantes, & in plures pauperes facientes eleemoſynas, ſua omnia diſpenſabant, & in ſanctis Dei præceptis, jejuniis, vigiliis quotidie, & orationibus perſeverantes. Sæpiſſimè plurimæ ſanitates infirmis Dei gratiâ per eos præſtabantur.

x

y

z

exemplo multis prosunt: eorum cultus, dies emortualis S. Rigomeri.

13 Multi etiam per eorum exempla viri & fœminæ ad cultum Dei perducebantur: & eos in vera omnino dilectione permanentes donis & muneribus plurimi populi multipliciter honorabant: quorum ſancta corpora conſtat pro eorum meritis cum magno honore Cenomannis civitate requieſcere, & cultu magno venerari à ſacerdotibus ac populo Chriſtiano, ad honorem & gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui vivit & regnat cum Patre, in unitate Spiritûs ſancti Deus, per cuncta ſæcula ſæculorum. Amen. Obiit autem ſanctus Rigomerus IX Kal. Septembris in pace. Pro eorum ſanctis laboribus & probata fide ſine dubio, qualiter * animas eorum remuneratas vel coronatas in regno Dei, & eorum fama beata ubique feliciter ad exemplum percurrit, & excoluntur ab hominibus.

D

** f.* ob animas

ANNOTATA.

a Childebertus, *Clodovei Magni regis filius, patri ſucceſſit in partem regni anno Chriſti* 511, *ut videſis apud Cointium ad eumdem annum num.* 56: *obiit autem anno* 558; *quo idem auctor num.* 65 *varia colligit ad mortem ejus ac virtutes ſpectantia.*

b Vultrogodis *reginæ pietatem ac peregrinationem ad tumulum S. Martini laudat S. Gregorius Turonenſis De miraculis ejuſdem Sancti lib.* 1, *cap.* 12, *columnâ* 1015 *editionis Ruinartianæ: ubi in notis ſunt iſta:* Mss. fere omnes ULTROGOTHO. Sic quoque dicitur apud Fortunat., & in can. 15 concilii V Aurelian. Bec. ULTROGODIS. Hæc fuit Childeberti I uxor; de qua & duabus ejus filiabus Greg. lib. 4 Hiſt. cap. 20, & Fortunatus lib. 6 Carm. 8. Sepulta eſt in ſancti Germani à Pratis monaſterii baſilica. Eam inter ſanctas reginas laudat auctor Vitæ ſanctæ Balthildis his verbis: " De Ultrogotha fer„ tur regina, Childeberti videlicet Chriſtianiſſi„ mi regis conjuge, eo quòd nutrix eſſet orpha„ norum, conſolatrix pupillorum, ſuſtentatrix „ pauperum & Dei ſervorum, atque adjutrix fi„ delium monachorum „. *De tumulo ejus agitur apud laudatum editorem in Appendice columnâ* 1377.

E

c *Contigit diviſio regni Francorum inter fratres quatuor, Clodovei filios, Theodoricum, Clodomerum, Childebertum & Clotarium, anno Chriſti* 511; *quorum hic tribus aliis ſupervixit, & ſolus totam Franciæ monarchiam adeptus eſt, anno Chriſti* 561 *vitâ functus. Quænam verò inter dictos fratres regni paterni partitio fuerit, ex antiquis ſcriptoribus colligit Cointius ad annum* 511, *num.* 56. *Sed hîc conſideranda eſt partitio alia, poſt mortem Clodomiri, qui anno* 524 *obiit, facta inter Childebertum & Clotarium, de qua Gregorius Turonenſis in Hiſtoria Francorum à Ruinartio edita lib.* 3, *cap.* 18, *columnâ* 125: Hi quoque regnum Chlodomeris inter ſe æqua lance diviſerunt, *videlicet Aurelianenſe, quod mediam Franciæ partem continebat, & inter alias complectebatur provinciam Cenomanicam, ſitumque erat in Neuſtria, ſeu in Occidentali Francia. Conſule Notitiam Galliarum Hadriani Valeſii in voce* Neuſtria. *Ex his rectè intelligitur illud biographi noſtri* cùm .. Neuſtriam ſive Franciam ſorte inter ſe diviſiſſent.

F

d *Conjugium ejus cum Clotario rege probabiliùs accidiſſe anno* 538, *apud nos ſtatuitur tomo* III *Auguſti, die* XIII, *quo iſtius ſanctiſſimæ reginæ Acta pag.* 46 *& ſeqq. ſunt illuſtrata; ubi in Commentario prævio* § 2 *varia alia huc ſpectantia memorantur, ac* § 3 *expenduntur difficultates in miro hujus Sanctæ divortio cum Clotario.*

e *In Ms. anonymo ſequuntur iſta:* Fuit namque primus abbas, ut à fidelibus viris refertur; *& mox pergit cum noſtro exemplari* domnus Maximinus *&c. Sanctus hic inſcribitur Martyrologio Romano ad diem* 15 *Decembris. Quædam de illo*

A *illo in anteceſſum, ac de fundatione monaſterii Miciacenſis in territorio Aurelianenſi; ſed tempore Clodovei regis; videri poſſunt in S. Euſpicio confeſſore ad diem* 20 *Julii, tomo* V *ejuſdem menſis pag.* 72 *& ſequentibus, & in Annalibus Benedictinis Mabillonii tomo* I, *ad an.* 515, *num.* 82.

f *De hoc ſancto abbate Miciacenſi tractatur ad diem* 17 *Junii pag.* 350.

g *Vita ejus illuſtrata eſt ad diem* 1 *Julii pag.* 85 *& ſeqq.*

h *De vita illorum ſolitaria in Pertico, vide diem* 1 *Julii mox allegatum, pag.* 86.

i Innocentis *ſeu* Innocentii *epiſcopi Cenomanenſis geſta Commentario prævio apud nos elucidata ſunt die* 19 *Junii, tomo* III *iſtius menſis à pag.* 854.

k *De monaſterio* Aniſolæ *vel Aninſolenſi actum eſt ad diem* 1 *Julii in Commentario prævio ad Vitam S. Carileſi* § 2, *pag.* 87 *: ubi inter alia expenditur controverſia de tempore, quo illud monaſterium conditum eſt, & objiciuntur nonnulla adverſus Acta epiſcoporum Cenomanenſium. Mabillonius tomo* I *Annalium Benedictinorum ad annum* 537 *num.* 45, *pag.* 78, Tempus, *inquit*, conditi Aninſulenſis monaſterii certò definire in promptu non eſt. Id factum conſtat eo tempore, quo Cenomanni Childeberto regi parebant: ac proinde poſt mortem Chlodomiri Burgundiæ regis, cui hæc provincia ex paterna hereditate, ſortitione obvenerat. *Vide quæ nuperrimè dicebam lit.* c.

l *Legi poſſunt ea, quæ ex Actis epiſcoporum Cenomanenſium apud nos ad diem* 29 *Junii pagg.* 859 *&* 860 *memorantur de S. Innocente.*

m Launomarus *à nobis datus eſt tomo* II *Januarii, die* 19, *à pag.* 229. *Hæc, quæ ibi dicta ſunt, conferri poſſunt cum collectione chronologico-hiſtorica, quam de eo habet Cointius tomo* I *Annalium eccl. Franc ad annum* 558, *num.* 79 *&* 80. *Adi etiam Mabillonium tom.* I *Annalium Benedictinorum variis locis, quæ aſſignantur ibi in indice.*

n Monaſterium *hoc ſitum eſt in pago Carnutenſi Galliæ, cujus abbas fuit S. Launomarus. Cointius proximè allegatus affirmat*, aſceterium Curbionenſe ſtructum fuiſſe .. anno Chriſti quin-
C genteſimo ſexageſimo tertio. *Vide Mabillonium tomo* I *ad annum* 562. *Quomodo igitur ſcribit hîc biographus*, ſupradicto auxilio *Innocentem (nam de eo hîc eſt ſermo) illud Launomaro condidiſſe, qui utpote ab anno Chriſti* 542 *vel* 543 *fertur obiiſſe, ſecundum Comm. prævium ſuprà num.* 9 ?

o Condita, *eſt* locus certus, territorium, villa, *apud Cangium, qui exempla varia producit.*

p *Cointius ad annum* 541, *num.* 66 in pago Sonnenſi, LE SONNOIS, qui pertinet ad epiſcopatum Cenomanenſem: *de quo plura habet Hadrianus Valeſius in* Sagona, & Sagonenſi pago.

q Launillo, *uti hîc, vel* Launildo; *Cointius ad annum* 541, *num.* 66 Launido. *In Ms. anonymo vocatur* ſanctus; *ubi etiam additur* de Arverno, *quod hîc etiam poſui pro* deuerno, *quod erat in exemplari, è quo hanc Vitam damus. Nihil de hoc viro explorati habeo, quod lectorem docere poſſim.*

r *Sanctam hanc ſeorſim mox dabimus.*

ſ *Ms. anon.* abſtrahere conaretur, & miſſum Dei ſervum Rigomerum *&c.*

t Palatiolus à re nomen habet. Fuit enim villa publica vel regia, una de minoribus, *inquit Hadrianus Valeſius; apud quem plura.*

u In honore, *intellige vel per prolepſin, ut Sanctus poſtmodùm ibi honoratus fuerit, dum obierat, vel eo ſenſu, quem habes in Commentario prævio num.* 12. *Forte eadem hæc eſt eccleſia* S. Rigomeri; *de qua ibidem egi num.* 8. A. ANONYMO.

x *Deeſt aliquid, forſan* tempore.

y *Erat enim conſtructum illud monaſterium inter fluvium Sartæ & muros civitatis.*

z *Bondonnetus pag.* 170 *dicit, conventum illum, in quo Sancta obiit, eſſe unam ex paræciis civitatis, ſub nomine* de Gourdaines. *Videri etiam poteſt Corvaiſerius pag.* 145.

HISTORIA
TRANSLATIONIS
Auctore Petro monacho Malleacenſi,

Edita apud Labbeum in Nova bibliotheca Mss. librorum tomo 2, *à pag.* 234.

CUm in *Commentario prævio ad Vitam* S. Rigomeri § 2, *à num.* 14 *datæ ſint obſervationes variæ, quæ ad hanc tranſlationem pertinent, ejuſdemque narratio huc remiſſa ibidem à nobis fuerit, ſupereſt, ut illam nunc proferamus.* Igitur poſt terminum rei præſcriptæ, dum ad propria remeaſſet is *a*, de quo agimus, cauſa interceſſit, quâ eum Hugo Cenomanenſis Comes conveniret. Si quidem imminebant ipſi permaxima quæque negotia, quæ eo inconſulto (diligebat namque illum charitate libera,) ſibi timebat nocitura. Cumque ex omnibus, quibus eum conſulturum pararat, egregiè accepiſſet reſponſa, demumque ad invicem familiaria quædam alternarent colloquia; inter hæc & illa, Comes, ut videtur Domino inſpirante, abbatem rogat, utrum ſibi ad tanti operis ſupplementum boni affluueret ubertas, an ſe circumcingeret, uti F in recentibus ſæpe accidit, rerum tenuitas. At ille: Plurimis, inquit, ſi de temporalibus diſputas, bonorum ad explendum abundo omnium copiis, ſed quid mihi ex iis ſolaminis, dum Sanctorum pigneribus careo ſacroſanctis? Cumque allegantis modo nonnulla replicaret: Sed quoniam mihi tibique orta eſt hinc fabula, venerabile caput tuum deprecor, latiſſimos memoriæ campos percurrendo retracta, ac ſi quid prævales, præbe unde ſitis meæ ardor capiat refrigeria. *Hugo Comes Cenomanenſis* *a*

2 Ad hæc admodùm attonitus Comes, primùm quidem paululùm verba faucibus occludit, deinde: Quoniam, inquit, nequaquam hæc tui tantùm reor petere causâ, quin potiùs multorum commodi gratiâ, &, ut legimus, plus aliorum quàm noſtra nos quærere decet opportuna præſidia, tale, quale poſtulas, in quadam juris mei eccleſia *b* theſaurum progenitorum meorum reſervavit induſtria, quo tua obſtrictus dilectione me expolio, tibique hunc liberum concedo. Fuit ſiquidem Jeſu Chriſti ſervus vocabulo Rigomerus, cujus viri leguntur actus, & apud nos crebris refulget miraculis: cujus forſan nec fa- *Theodelino abbati addit S. Rigomeri reliquias:* *b*

A. PETRO MONACHO MALLEAC.

mam acceperas hactenus. Mecum itaque aliquem arcani fidum custodem, necnon & religione probatum dirigito. Ego autem ejus assignatione ad usque quo inferendus est locum digno, in quantum valuero, digniſſimo prosequar obsequio. His auditis vir venerandus quanto tripudiavit gaudio, quamque festivè summo Domino tantique boni largitori multipliciter innumeras rependit gratias, reticeo: quoniam quidem summorum oratorum poëmata his succumbere credo.

quo modo ibidem obtentæ,

3 Deligitur tandem communi consilio frater quidam & bonitate celeberrimus, & hujusmodi negotii, ut ferunt, ordinator peritissimus, Comitique longè sub alius operis intimatione associatur. At ubi Cenomanicam urbem ingressi sunt, intimat monacho præfatus Comes, ut à sui consortio se subtrahat, & quoquò potuerit, ac si eum à se pepulerit, hospitandi gratiâ divertat: rebus nocte decoloratis, ad sui suasionem legati, se quàm celerrimè adeat. Hæc verbis ille; factis haud aliter supplevit iste. Denique ingreditur ille Comitatum: familiaribus se aliqua Sanctorum loca expetere velle orationis causâ simulat: sagmarios *c* demum, itemque sufficientem
c B apparatum, prout longioris viæ necessitas postulasset, parari officialibus sub ejusdem noctis articulo imperitat. Finito autem die, cùm omnes sui monitis ejus parando opportuna perstreperent: urbs verò omnis peregrinari eum velle opinaretur, rem nimirum subsecuturam, nec ullus quidem leviſſimè saltem suspicaretur; clam idem Comes accersito, secundùm significatum fœdus, fratre, de quo superius dicebamus, unà cum eo ecclesiam Rigomeri glorioſi penetrat, custodes quatenus rem occulant, jurejurando obligat: deinde suppliciter præmisso oratu ad glebam, quæ sanctissimum prælibati Patris retinebat corpus, appropiat: postremò, patefactis ejusdem glebæ ostiis, sacrosanctos artus inde cum indicibili abstrahens reverentia, in scriniis ad hoc opportunè paratis transfert, omnique diligentia signat.

& aliò deportatæ fuerunt,

4 Cumque hæc agerentur, subito inopina concrepant tonitrua, densissimaque coruscant fulgura, licèt paulò antè temperies adesset quàm serena. Mox quoque rei procuratores, præter Comitem ac monachum, sese hinc subtrahentes, metu correpti, conclamabant priori debere restitui loco sancta pignera, alioquin nequaquam evasuros hujusmodi discrimina. Quæ idcirco, ut
C credimus, divina egit potentia, quatenus is, qui transferri conabatur, solidiori veneraretur & coleretur diligentia. Enimverò paulò pòst reddito sereno, volente Christo, congruè omnibus, quæ res flagitabat, dispositis, viri ecclesiam egrediuntur, acceptoque itinere eadem die ad usque Andegavense *d* oppidum mira celeritate proficiscuntur. Et quoniam ipsa eâdem die anniversariæ solemnitatis beati Albini *e* episcopi urbis Andegavæ plebs festa recolebat, Missæ adipiscendæ voto sancti thesauri bajuli in basilica ejusdem Sancti divertunt, scrinia deponunt, officium, cujus causâ ædem sacram adierant, expetunt. Sed quid tunc novi per exanimata nostri Rigomeri membra effecerit Arbiter supremus, proferendum, quàm tacendum, videtur gratius: ut namque hinc paululum ludendo canam:

d

e

Virtus tecta parum refert, vitiumque sepultum.

facto per viam miraculo:

5 Porrò autem dum sacrosancta mysteria præstolarentur viri, & scrinia, quæ, ut diximus, sacris erant pignoribus ditata, quodam ecclesiæ loco exposita haberentur, protinus quidam paralyticus, penè omnis corporeæ valetudinis expers, portitoris officio illò adfertur, casuque D supra prædicta scrinia orandi gratiâ, nescius quid in se retinerent, recubans, plus solito obrigitur, deinde tot incommodi infestationibus agitatur, ut sibi vitalem flatum amisisse videretur. Paulò pòst verò (mirum dictu!) stupentibus, qui aderant, omnibus, adest inopina salus, ac per mortui membra, viventi medela diu præstolata porrigitur. Quo patrato, dum plebs, quæ illuc solemnizandi causâ convenerat, unà cum meliorato ægroto exultaret pro miraculo in Domini laudibus, nullusque rei certitudinem agnosceret, præter Comitem ac socios ejus: ipsi autem timore Fulconis *f*, ejusdem urbis Comitis, ad *f* quem attinebat & Cenomanensis Comitatus, de S. Rigomeri deportatione, & ab eo collata ægroto sospitate conticerent penitus, prodigium illud magnificè beati Albini laudibus adscribitur. Verùm sancti thesauri latores, moras omnes rumpentes, acceptum iter studiosè persequentes, sequenti die cœnobium petivere Burgulienſe *g*. Et *g* quoniam Theodelinum præfatum patrem illuc suspicabantur (nam spoponderat) occurrisse, at- E que adventum eorum opperiri valdè sollicitè, apparatum quoque nihilominus tantæ rei sufficientem vigilanter providere; è sociis aliquem præmittunt, se adesse, itemque cuncta, quæ optarant, auctore Domino Christo gnaviter, sed & ultrà quàm sperarant, qui intimaret, complesse. Quo vir Dei accepto, quanto lætificatus est tripudio, quantoque exhilaratus jubilo, quando id alicujus expediet etiam rhetoris oratio? Tandem accersitis ejusdem cœnobii fratribus rem patefecit, atque ut sese ad susceptionem cælestis protectionis præpararent, supplex imploravit. Illi verò hoc solemnissimè exsequentes omni studio receperunt, & in ecclesia Burgulienſi quàm decenter exposuerunt, felices hos pronuntiantes, quibus tale Deus dirigebat patrocinium.

ac deinde solenniter

6 Interea pater Theodelinus ipsâ eâdem horâ, quodam citissimo accito veredario, negotii totius seriem Malliacensibus fratribus intimavit, quidque ipsis in procinctu exceptionis sititæ providendum, potissimúmque procurandum necessariò instaret, literis ordinavit. Cujus Malliacenses nutibus hausti legatarios circumquaque emittunt, multorum populorum catervas, itemque monachorum & clericorum non minimum cœ- F tum mira agilitate colligunt. Nocte interim illâ, quâ emigratâ sacrosanctæ gazæ Malliacensi monasterio erant inferendæ, quidam fratrum in eo quiescens, Barcinons * natione, Tezo nomine, immensum luminis splendorem ab oriente in somnis * emergere, deinde pedetentim omne cœnobii corpus complere, nec multò pòst innumeram populorum frequentiam undique concurrere, ac mirum nescio quid in eodem lumine suspensam exspectare, itemque sibi quasi submurmurando promittere. Et ipsum quidem hactenus beati Rigomeri latebat adventus. Si autem mortalium somnis nostra conjectura dignè porrigitur, videtur haud absurdè non unius tantùm illius diei solemnem lætitiam, quin potiùs largifluam bonorum omnium affluentiam, ac ægrotantium non solùm carne, sed etiam animis consolationem, quam ad beati Rigomeri suffragia concurrentibus confert Dominus, portendere optatam.

* *al.* Barcinonis

* *f. addendum* videt

ad Malleacenſes translatæ: quæ miraculis deinceps claræ.

7 Verùm ubi latores superiùs assignati unà cum Theodelino venerando pretiosissimam gemmam Malliacensi insulæ intulerunt, clamor ingens utrimque oboritur: adest sacer conventus fratrum; hinc quoque & inde multiplex frequentia

A tia turbarum laudem Domini undique reſonantium : miniſtri, necnon cum crucibus & cereis circumſtantibus aliis, humeris ovantes ſanctum corpus imponunt ; reliqua verò multitudo, flexis poplitibus, Rigomeri glorioſi cum multis lachrymis oppidò licèt exoptarent, rogitant patrocinium. Tandem ſanè ſupplicatione debita completâ, antiphonâque impoſitâ, Malliacenſi inducunt eccleſiæ jam olim à Domino prædeſtinata chariſmata, circumquaque concrepante lætitia. Et quoniam major ejuſdem eccleſiæ crypta infecta adhuc his diebus manebat, in dextro membro componunt omni cum diligentiâ, quo ſanctæ Dei Genitricis ac perpetuæ Virginis habetur & ara. De miraculis ſanè deinceps per eum ibidem geſtis, quæ tot ac tanta ſunt, ut ea plenè referre nullus hominum, ut aiunt, ſufficiat, ad præſens quidem tacemus : ſi vitam autem Deus dederit aliquantulum longam, quæ, vel quanta ſeniorum probatiſſimorum aſſertione de his accipimus, quolibet ſermone ad laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui fecit quæ futura ſunt, exarare aggrediemur *h*.

h

B

ANNOTATA.

a *Poſtquam hujus hiſtoriæ auctor tractaſſet de magno deſiderio, quo ferebatur Theodelinus abbas Malleacenſis erga ſacra pignora Sanctorum ; ſubdit, quomodo idem abbas, dum è monaſterio Angeriacenſi ad Malleacenſe eſſet reverſus, corpus* S. Rigomeri *acceperit.* A. PETRO MONACHO MALLEAC.

b *De antiquiſſima Sancti eccleſia egimus in Commentario prævio num.* 8.

c Sagmarios, *id eſt*, equos clitellarios, ſarcinarium jumentum. *Vide Cangii Gloſſarium.*

d *Urbs eſt notiſſima Galliæ, vulgò* Angers ; *ac provinciæ Andegavenſis caput.*

e *De hoc ſancto præſule adiſis tomum* 1 *Martii, die* 1 *ejuſdem menſis, à pag.* 54, *ubi Acta ejus illuſtravimus.*

f *Exiſtimo hìc indicari Fulconem Comitem Andegavenſem, cognomento Nerram ſeu Nigrum, quia illi convenit tempus, quo hæc tranſlatio peracta eſt. Mabillonius varia de hoc Comite inſeruit Annalibus ſuis tomo* 4, *pag.* 108, 347, 195, 269, 249 *&c. De tempore autem iſtius tranſlationis conſule Comm. præv. num.* 14.

g *Situm eſt hoc monaſterium* in Turonico pago, inter Cæſarodunum Turonum & Salmurum, haud procul à Ligeri ad Cambionem fluviolum ; *ex Mabillonio mox citato pag.* 63, *ubi etiam agit de ejuſdem monaſterii fundatione.* E

h *Utinam miracula illa, ſi auctor hic poſtmodum ea conſcripſerit, & ſi forte alicubi lateant, ad noſtram perveniſſent notitiam !*

DE S. TENESTINA VIRGINE

APUD CENOMANOS IN GALLIA,

SYLLOGE HISTORICA.

J. P.

Cultus, elogium, monaſterium, tranſlatio corporis, reliquiæ.

MEDIO CIRCITER SEC. VI. *Memoria in Faſtis,*

C *Um proximè à nobis illuſtrata ſit S. Rigomeri Vita, eique hujus Sanctæ geſta ſint immixta ; non eſt, quòd lector multa hìc de iſta Virgine ſeorſim exſpectet. Id etiam cauſæ fuit, cur eam laudato Sancto proximè ſubjungendam cenſuerimus, præſertim quia dies ipſius emortualis in dicta Vita non exprimitur, & alicubi etiam annuntiatur hac die* XXIV *Auguſti, ut modò videbimus, etiamſi ab aliis differatur ad diem* XXVI *ejuſdem menſis. Belinus anno* 1521 *Pariſiis editus illam memorat hodierna die, ſicut dictum eſt in Commentario prævio ad Vitam S. Rigomeri num.* 1. *Sed Ferrarius in Novo catalogo Sanctorum die* XXVI *hujus ita eam refert :* Floriaci in Gallia S. Teneſtinæ virginis : *quo etiam exſtat apud Sauſſayum (ſed rectiùs* In Cenomanis *ab eo annuntiatur) cum elogio. Tunc etiam memoratur à Caſtellano his terminis, qui è Gallico ſic ſonant :* Cenomanis, ſanctæ Teneſtinæ virginis, primæ Religioſæ abbatiæ Pratenſis, quæ eſt ad portam iſtius civitatis. *Eodem die habetur in Gynæceo Arturi, ſed cum titulo* virginis abbatiſſæ. *Verùm publicus & antiquus* S. Teneſtinæ *cultus confirmatur ſub finem Vitæ, quæ tum ipſius tum S. Rigomeri eſt, & ex aliis de hac ſancta Virgine mox proferendis, ut de eodem cultu non poſſit dubitari. Interim hìc videtur Caſtellanus confundere* Cenomanenſe monaſterium S. Mariæ, *quod erat* S. Teneſtinæ, *cum* cœnobio S. Juliani de Prato : *de quibus agit Mabill. in Annal. Bened. tom.* 1 *ad an.* 681, *num.* 15.

2 *In noſtro codice membranaceo Ms., è quo ſuperiùs Vitam illam imprimi curavimus,* incipiunt *poſt eam* verſiculi ; *in quibus etiamſi nihil occurrat, quod valde dignum ſit notatu ; ne tamen hoc fruſtum vel exiguum in tenebris lateret, eo lectorem non fruſtrandum eſſe duximus, nonnullis mendis in eodem correctis. Hæc verò refert :* Alma hìc mater virginum prima data à Domino, Theonefana nomine, nobilis fide [&] operâ. Beata ab adoleſcentia, amore Chriſti ignita, divinum [in] cultum dedita, vitâ religioſiſſima. Culmen ſanctimoniæ adepta, feliciter calcans mundi inlicioras *, cælorum meruit præmia. Devotus ei proximus adfuit in Chriſto ſocius, Rigomerus nomine, vir præclarus merito. Erant ambo pariter beati Chriſti famuli ; ſed non credebant impii, falſum poſuere crimine. Fruebant * vitam invicem ut germani proximi ; ſed falſo teſtimonio plus imponebant impii. Gaudebant falſiloqui, putantes eos decipere, rege adſtante præſenti, narranteſque mendacia. Hæc cùm rex audiret, ſuâ eos vocare præſentiâ [traxit] in prætorio, claro vultu & hilari. Iratus rex, & diſcutiens eos, cur nefas facerent ; reſpondent, ſe eſſe idoneos abſque hoc [ad] malum crimine. *Nec plura ibi invenio. Quid ſibi velit* *hymnus ſeu elogium.* F

* *f.* inlecebras *pro* illecebras

* *f.* Vivebant

AUCTORE J. P.

velit nomen Theonefana, *non ſatis aſſequor; niſi duplex fortaſſe nomen habuerit* S. Teneſtina. *His ſubdere lubet facta quædam hiſtorica ad majorem declarationem eorum, quæ in Vita prædicta obiter narrantur.*

Virgo fuit Deo ſacra,

3 *Ibidem num.* 12 *ſunt hæc:* Sancta verò Teneſtina ſub ſacro virginitatis honore velum à ſancto Innocente accepit. *Tomo* 3 *Veterum analectorum, quæ à Mabillonio vulgata ſunt, ac typis Pariſinis edita anno* 1682, *pag.* 92 *&* 93 *habetur* exemplar precariæ, quam fecit ſanctus Innocens epiſcopus *Cenomanenſis* domnæ Teneſtinæ de monaſterio ſanctæ Mariæ: *in quo*, Ego, *inquit*, in Dei nomine Teneſtina Deo ſacrata, filia quondam Haregario & Trudanæ, precatrix à vobis accedo. *Plura de dicto loco inſtrumentum illud, quod ſignatur:* Actum Cenomannis civitate publica. Data v Kal. Maii, anno XIII regnante Childeberto rege, *apud Cenomanos poſt mortem Clodomiri, Chriſti* 537, *ſecundum dicta in Annotatis ad Vitam, de qua modò agebam, lit.* c. *In eiſdem Analectis pag.* 94 *&* 95 Sequitur exemplar præcepti, quod fecit Childebertus rex Francorum .. ſuper traditionem Haregarii, & coniugæ ſuæ Trudanæ, & filia eorum Teneſtina Domino ſacrata, id eſt de cellula ſanctæ Mariæ *&c.*; *è quo delibo iſta:* Præcipientes enim, ut ſicut jam dictus Haregarius, & uxor ejus Truda, ſive filia eorum Teneſtina Deo ſacrata, ipſa loca hereditatis eorum, unà cum terris, domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, farinariis, peculiis, præſidiis, mobilibus & immobilibus, vel reliquis quibuſcumque beneficiis, ad ipſa caſa Domini per ſtrumenta juſtè & rationabiliter delegaſſent, & ad hoc præſens ibidem recto ordine videtur eſſe poſſeſſum, ita & inantea inſpectâ epiſtolâ donationis per hoc præceptum plenius in Dei nomine confirmamus ipſa loca ſuperiùs nominata *&c.* Childebertus rex Francorum ſubſcripſit .. Datum dies VIII, quod facit præſens menſis Junius, anno VII * regni noſtri, Opatinaco *, in Dei nomine feliciter. Amen.

**f.* XVII
**l.* Captunaco

ac monaſterium conſtruxit, cujus non videtur fuiſſe abbatiſſa.

4 *Vidimus ſuperiùs, Sanctam noſtram ab Arturo annuntiari cum titulo* abbatiſſæ: *quem ex antiquis inſtrumentis ſatis probare non poſſumus: non ex Vita num.* 12: *nam etiamſi* Dei Famula, *ut ibi dicitur*, monaſteriolum vel baſilicam .. conſtruxit, & inibi religioſam vitam cum cæteris puellis Deo devotis duxit; *eâque fortaſſe de cauſa* alma mater virginum prima data à Domino *dicatur ſuperiùs num.* 2; *hinc tamen non videtur extundi poſſe ſufficienter, quod ipſa iſtis puellis abbatiſſa præfuerit. Non etiam ex dictis inſtrumentis; in quibus dicitur quidem* virgo, Deo ſacrata, *& velata; non verò* abbatiſſa: *& ideo Arturum, qui exiguæ vel nullius potiùs in hac re eſt auctoritatis, non ſumus ſecuti in iſta dignitate Sanctæ noſtræ tribuenda, de qua deberet aliunde nobis conſtare; ſed cum aliis hagiologis virginis titulum ei dedimus ante hanc ſyllogen. In dicto autem monaſterio* beatam vitam conſummavit, *prout teſtatur ibidem biographus. De tempore mortis, quod in principio hujus ſylloges ſignavi; vide Commentarium prævium S. Rigomeri* § 1, *num.* 10. *Ad* religioſam vitam, *quam ibidem* cum cæteris puellis Deo devotis duxiſſe, *modò dicebatur, quod ſpectat; videtur in iſto parthenone regula aliqua viguiſſe, non Benedictina; ſed veroſimiliter S. Cæſarii Arelatenſis. Bondonnetus in Digreſſione hiſtorica, de qua inferiùs num.* 6, *ex his quæ iſti Digreſſioni præmiſerat de S. Mauro, concludit, cum Pratenſe monaſterium condiderit S. Innocens pro feminis Religioſis, non fuiſſe eas Benedictinas in primæva ſua inſtitutione, fundatas utique priuſquam S. Maurus venerit in Franciam, qui primus ibidem propagavit regulam S. Benedicti; eaſque in primis illis exordiis vixiſſe ſub quadam regula, tunc temporis æſtimata; ſeque propendere indicat in illam opinionem, quod regula iſta fuerit, quam S. Cæſarius, archiepiſcopus Arelatenſis dederat S. Cæſariæ ſorori ſuæ, quæque tempore ſeculi* VI *erat in uſu, & aliquo poſt tempore, quàm S. Maurus eò perveniſſet. Res confirmatur exemplo S. Radegundis (Fuit hæc* S. Teneſtinæ *ſynchrona) quæ monaſterio ſuo Sanctæ crucis Pictavii iſtam regulam monialibus procuravit. Conſule apud nos Commentarium prævium ad Acta S. Radegundis* § 6, *tomo* III *Auguſti, die* XIII, *à pag.* 60. *En tibi nunc aliqua de* S. Teneſtinæ *tranſlationibus. Quæres primò, an inde ſacra ipſius oſſa, & quando tranſlata fuerint.* 2°. *An aliò etiam delata?*

Corpus ejus ſeculo nono transfertur,

5 *Reſpondeo ad primum: Tranſlatio una accidit ſeculo nono, quæ in ſuprà allegato Veterum Analectorum tomo* 3, *pag.* 60 *&* 61 *tranſlationi S. Juliani, aliorumque Sanctorum inventioni ac tranſlationi inſerta legitur, dum S. Galdricus cathedræ Cenomanicæ præeſſet. Narratio rei geſtæ ſic incipit:* Ludovico piiſſimo imperatore totius Galliæ ſceptrum tenente, domnus Aldricus .. Cenomannicam tunc regebat eccleſiam. Qui dum in eadem civitate conſiſtens aſpiceret loca ſancta circa urbem ab anteceſſoribus ſuis quondam ædificata, interque omnia vidit ultra fluvium Sartæ locum, in quo corpus beati Juliani, gentis Cenomannicæ apoſtoli & epiſcopi .. olim humatum fuerat, deſtructum nimis, & ab omni clericali officio Deo inibi ſervientium valde derelictum .. cogitare intra ſe cœpit .., ut inde ſanctum afferret epiſcopum. *Deinde expoſita inventione iſtius ſacri corporis, nec non SS. Turibii, Pavatii, Romani,* atque ſanctæ Teneſtinæ præcipuæ virginis, quæ & monaſterium ſanctæ Mariæ ſub muro urbis ſitum, in rebus ſenioris eccleſiæ unà cum adjutorio ſancti Innocentis, ſupradictæ civitatis epiſcopi conſtruxit; *nec non aliorum Sanctorum, qui ibidem nominantur, pignoribus ſacris, ſubduntur ſequentia:*

6 Quibus ita repertis, & miraculis multis oſtenſis, præſul cum populo valde gaviſus, cum ardentibus cereis, cum crucibus & turibulis, & cum tripudio inæſtimabili, ne ampliùs lux tanta lateret in tenebris, ſed luceret omnibus, qui in domo Domini ſunt; de parva eccleſiola intra muros urbis in ſeniorem eccleſiam Sanctorum ſupraſcriptorum corpora honorificè tranſtulit, atque ibi cum ſumma veneratione collocavit: quatinus eorum meritis & piis interceſſionibus eccleſiæ major cultus excreſceret, & divinus honor in melius multiplicaretur, ſicut in poſteris actum eſſe Domino annuente probatur. *Ibidem pag.* 62 *notantur iſta:* Tranſlata ſunt autem ſanctorum confeſſorum corpora, Juliani, Turibii, Pavatii, Romani, Liborii atque Haduindi ab Aldrico venerabili epiſcopo intra Cenomannicam urbem in ſeniorem eccleſiam, octavo Kalendas Auguſti. *Non eſt mihi exploratum, cur in iſta clauſula non notentur nomina* S. Teneſtinæ, *nec non* S. Adæ, quæ & Adrechildis alio nomine nuncupatur, quæ, ut legitur, deprecante

precante ſancto Innocente epiſcopo, de monaſterio ſanctæ Mariæ, quod ſitum eſt in urbe Sueſſionis, ad Cenomannicam urbem venit, & ibi in ſuburbio, in monaſterio videlicet ſanctæ Mariæ, regulam beati Benedicti edocuit, & ſanctimoniales feminas, ut ibi regulariter viverent, ordinavit; *prout in præſenti narratione erat præmiſſum. Porrò* S. Teneſtinæ, *& S. Adæ ſeu Adrechildis inventio ac tranſlatio inferiùs à nobis confirmabitur. Adrechildem verò migraſſe ad prædictum S. Mariæ monaſterium* deprecante S. Innocentio epiſcopo, *falſiſſimum eſt; is quippe jam ab annis centum vel ampliùs vivere deſierat. Mabillonius in ſuis Annalibus tomo* I *ad annum* 660 *num.* 3 *agens de ſynonymo monaſterio S. Mariæ apud Sueſſiones*, Ada, *inquit*, ſeu Adrechildis, .. ex hoc beatæ Mariæ cœnobio ad Cenomannos ab Agliberto propinquo ſuo evocata eſt. *Plura de hac re legi poſſunt apud Bondonnetum in Digreſſione hiſtorica de prima abbatiſſa Pratenſi, quæ inter Vitas epiſcoporum Cenomanenſium habetur in obſervationibus ad S. Innocentium pag.* 249 *& ſeqq.*; *adde Michaëlem Germain Benedictinum in Hiſtoria abbatiæ S. Mariæ virginis Sueſſionenſis lib.* 3, *cap.* 2, *pag.* 296. *Sed ad priora redeamus.*

B

& inquiritur,

7 *His viſum eſt ſubnectere animadverſiones nonnullas, quibus conabimur prædictæ tranſlationis hiſtoriæ aliquid lucis afferre. Imprimis non convenit inter ſcriptores, quo anno acciderit. In Vita S. Aldrici apud nos tomo primo Januarii, die* VII *ejuſdem menſis, pag.* 388, *S. Juliani* tranſlatio *ponitur anno Chriſti* DCCCXXXIV, *&, ſicut ſuprà notabatur,* VIII Kal. Auguſti. *Aſt alibi differtur ad annum* 836. *Bollandus noſter in ſuo Commentario hiſtorico, quem anno* 1648 *de S. Liborio confeſſore & epiſcopo Cenomanenſi ſuprà laudato ſeorſim excudi typis curavit, quique poſtmodùm in tomo noſtro quinto menſis Julii, ad diem* XXIII *recuſus eſt, pag.* 418 *ejuſdem tomi, ſcriptor tranſlationis Sancti hujus ſic memorat:* Igitur anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo trigeſimo ſexto, Indictione XIV, cùm præfatus Ludovicus tertium & vigeſimum in imperio annum ageret *&c. Annum verò Ludovici imperatoris cum anno tranſlationis ita combinat idem Bollandus in Annotatis pag.* 419 *lit.* a. Oſtendimus ſuperiùs, rectè invicem congruere characteres chronologicos hîc expreſſos, annumque Chriſti DCCCXXXVI fuiſſe Ludovici Pii XXIII à morte Caroli patris, & XXIV, ex quo IMPERIALI EUM DIADEMATE, ut in Vita ejus dicitur, coronaverat pater, medio fere ante mortem ſuam anno.

C

quo anno

8 *Cointius ad annum* 836, *num.* 83 *ſententiam Bollandi etiam amplectitur; & eâdem occaſione rectè rejicit opinionem Corvaiſerii, qui in Hiſtoria epiſcoporum Cenomanenſium, in S. Aldrico, pag.* 285 *cenſet, hanc ab eo tranſlationem eſſe factam ex eccleſia Pratenſi in cathedralem, ob metum Normannorum ac Danorum.* Aldricus, *inquit*, videns quòd abbatiæ Pratenſi proxima minitaretur ruina, quódque terror ortus per excurſiones Normannorum ac Danorum exegiſſet ex ea Religioſas *&c. Sed ut ad rei geſtæ annum redeamus; die* XVI *Aprilis, tomo* II *ejuſdem menſis, pag.* 415 *S. Thuribium epiſcopum Cenomanenſem dedimus, ac tranſlatio, de qua hîc agimus, differtur in annum* 838 *ex Actis ejuſdem Sancti, quæ ab Henſchenio ibidem laudantur tamquam* accuratè à diſcipulis ejus conſcripta: *è quibus iſta ibidem delibantur:*

Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCXXXVIII, Indictione I, anno XXV imperii domni Ludovici Pii imperatoris, Aldricus, jam dictæ urbis epiſcopus venerabilis, invenit quædam corpora Sanctorum, quæ in valde deſertis eccleſiis, divinis officiis & luminaribus, atque reliquis divinis cultibus negligebantur *&c. Hæc ibi, & plura, quæ lector adire poteſt. Obſerva* 10., *in laudatorum Actorum ecgrapho, quod ante me habeo, quodque apud nos aſſervatur pro die* VII *Januarii, inter alia corpora inventa deſignari corpus* S. Teneſtinæ præcipuæ virginis *&c.*; ſed & ſanctæ Adæ, quæ & Adrehildis alio nomine nominatur, quæ, ut legitur *&c. Duarum iſtarum Sanctarum, ac* S. Romani ſacerdotis *nomina Henſchenius in mox allegato inſtrumento ac typis edito ſciens omiſit, ut indicant puncta, quæ textui interponuntur, quia ipſius ſcopus erat agere de ſolis epiſcopis Cenomanenſibus ibidem expreſſis, uti præmonet his verbis:* In hiſce Actis, *de quibus egi paullo antè*, eſt, *inquit*, antiquiſſima memoria primorum epiſcoporum, quam hactenus licuit obſervare, cum certo cultus eccleſiaſtici indicio.

D

tranſlatio iſta accidevit.

E

9 *Sanctæ itaque noſtræ corpus è monaſterio, in quo mortem obierat, ad eccleſiam ſeniorem vel cathedralem civitatis Cenomanenſis tranſlatum videtur probabiliùs anno Chriſti* 838, *propter auctoritatem Actorum S. Thuribii, quæ jam laudata ſunt. Atque hæc reſponſa ſunto ad quæſtionem primam anteà num.* 4 *propoſitam. Reliquum eſt, ut procedamus ad ſecundam, an videlicet aliò etiam ſint delata oſſa ipſius ſacra, datâ tamen priùs notitiâ quorumdam Sanctorum, qui ſuperiùs nominati ſunt. S. Julianus habetur apud nos ad diem* XXVII *Januarii, pag.* 761; *S. Pavacius ad* XXIV *Julii, pag.* 537; *S. Haduindus ſeu Hadoïndus ad diem* XX *Januarii in Appendice pag.* 1140; *S. Romanus apud Caſtellanum in Martyrologio univerſali, & in novo Martyrologio Pariſienſi ad diem* VII *Novembris*; *S. Adneta (aliàs Ada, ſeu Adrechildis) annuntiatur in Gynæceo Arturi ad diem* IV *Decembris, ubi videri de ea poſſunt notationes, nec non Mabillonius in Annalibus Benedictinis tomo* 2 *ad annum* 836, *num.* 61, *Cointius ad annum* 686, *num.* 13. *Sed veniamus ad ſecundam quæſtionem.*

F

Sacra ejuſdem lipſana apud Malleacenſes ac Floriacenſes.

10 *Corvaiſerius in Vitis epiſcoporum Cenomanenſium pag.* 170 *vult*, S. Teneſtinæ *ac S. Rigomeri corpora tranſlata fuiſſe ad monaſterium Malleacenſe. Sed difficultatem nobis movet in hac re auctoris fide digniſſimi narratio, qui hujus quidem Sancti tranſlationem deſcribit; de illius autem non meminit. Non itaque videtur utriuſque corpus eò ſimul tranſvectum fuiſſe. Conſule, quæ præmiſi in S. Rigomeri Commentario prævio* § 2, *num.* 16. *Non habemus tamen ſufficiens fundamentum negandi, quòd antè, vel poſt pars aliqua corporis laudatæ Sanctæ pervenerit ad illud monaſterium, cùm ibidem colatur, ut dixi loco mox citato. Cœnobitis tamen Malleacenſibus probandum relinquimus, an & quid de reliquiis iſtis poſſideant. Idem dicimus de Floriacenſibus. Nam Carolus Sauſſeyus Annalium eccleſiæ Aurelianenſis lib.* 4, *cap.* 7, *in quo agit de corporibus ac ſacris lipſanis cœnobii Floriacenſis, pag.* 232 *ponit ibidem* corpus B. Teneſtinæ virginis, cujus geſta habentur Floriaci manuſcripta cum geſtis S. Rigomeri confeſſoris in pago Cenomanico. *Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum cœnobium hoc ita deſcribit:* Floriacum

AUCTORE J. P. vicus ad Ligerim in Carnutibus (*non verò* agri Cenomanici, *uti habet Ferrarius in ſuo Novo catalogo die* XXVI *Auguſti in notis*) diœceſique Aurelianenſi, nomen ſuum dedit nobiliſſimo ac veterrimo monaſterio Floriacenſi vel Floriaca, quod & ante annos CM dici cœpit monaſterium S. Benedicti, Fleury ſur Loire, vel S. Benoiſt ſur Loire. *Deinde plura alia ſuperaddit idem Geographus. Sauſſeyus modò citatus ex ejus* reliquiis, *inquit*, Manaſſes epiſcopus Aurelianenſis particulam intulit in monaſterium Curiæ Dei, *vulgò du cour Dieu, Ordinis Ciſtercienſis, in diœceſi Aurelianenſi ad Ligerim fluvium. Sauſ-* D *ſeyus lib. 6 à pag.* 334 *meminit de tribus Manaſſibus epiſcopis Aurelianenſibus : ſed is, de quo agit primo loco, ſuſpectiſſimus ipſi eſt ; & addit, ſe* alios ab iſto Manaſſem primum & Manaſſem ſecundum nominatim vocatos *reperire* in dedicatione altarium Curiæ Dei anno MCCXVI. *Apud Sammarthanos in Gallia Chriſtiana tomo 2, pag.* 240 *ſignatur Manaſſes I, Sauſſeyo dubius ;* quem, *uti addunt*, aſtruit Guyonus ex fide veterum diptychorum eccleſiæ. *De alio agunt pag.* 249 ; *de tertio pag.* 251.

DE S. DADONE VEL AUDOËNO EP.

ROTHOMAGI IN NORMANNIA,

G. C. COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Antiquus Sancti cultus ex vetuſtis Martyrologiis, & varia ipſius Acta, eorumque ſcriptores.

B E

ANNO DCLXXXIII. *Refixit antiqua erga hunc Sanctum pietas,*

Rothomagus, præcipua Normanniæ civitas in Gallia, olim quatuor hujus ſancti Præſulis ſui feſtivitates recolebat, ex quibus nunc aliquæ prætermittuntur, quemadmodum Franciſcus Pommerayus Benedictinus in Hiſtoria Gallica abbatiæ S. Audoëni *lib.* 1 *cap.* 23 *diſtinctiùs exponit. Quanta autem veneratione antiquitus Neuſtrii ac poſtea Normanni hunc ſanctum Patronum jam mortuum proſequerentur, patet ex quadraginta ſacris ædibus, quas laudatus Pommerayus in diœceſi Rothomagenſi ad honorem* S. Audoëni *conſtructas fuiſſe aſſerit. Unde ibidem ſuo & alterius nomine conqueritur, antiquam illam venerationem hoc tempore diminutam eſſe, & incolas hortatur, ut exemplo majorum ſuorum ſæpius ad implorandum* S. Audoëni *patrocinium majori cum fiducia & ſolennitate recurrant.*

C *ad quam renovandam Rothomagenſes hortamur,*

2 *Illa priſtinæ pietatis diminutio forſan ortum habet ex jactura ſacri corporis, quod majori ex parte periit in notiſſima recentiorum iconoclaſtarum rabie, dum impii hæretici anno* 1562 *monaſterium Rothomagenſe* S. Audoëni *rebus omnibus ſpoliarunt, & multas Sanctorum reliquias flammis abſumpſerunt. Cum tamen tunc aliqua* S. Audoëni *oſſa ſacrilegas hagiomachorum iſtorum manus evaſerint, Rothomagenſes maturè expendant ſententiam doctiſſimi Theodoreti, qui in Græco-Latina Operum editione tomo 4, ſermone 8 de Martyribus pag.* 593 *ad propoſitum noſtrum ita ſcribit :* Sectis eorum corporibus (*nimirum Sanctorum vel Martyrum*) integra & indiviſa gratia perſeverat, & tenues illæ ac tantillæ reliquiæ integro nullaſque in partes diſſecto martyri parem habent virtutem : quæ enim adſtat gratia, dona diſtribuit, & fide ſupplicantium liberalitatem metitur. *Si igitur incolæ & accolæ Rothomagenſis urbis ad exiguas* S. Audoëni *reliquias reverenter acceſſerint, & more majorum piè ſanctum ſuum Patronum invocaverint, haud dubie ſolitam ejus opem experientur.*

3 *Porrò ab immemorabili tempore celeberrimum hujus ſancti Antiſtitis cultum fuiſſe, facile colligimus ex vetuſtis Martyrologiis, inter quæ Hieronymianum Lucenſe Florentinii hac die ſic habet :* In Gallia, civitate Rodomo depoſitio ſancti Audeni epiſcopi & confeſſoris. *At in apographo Corbeienſi nomen Sancti & urbis correctius exprimitur hoc modo :* In Rothomago civitate depoſitio ſancti Audoëni epiſcopi & confeſſoris. *In Martyrologio Bedæ, quod cum auctariis Flori & aliorum ante tomum ſecundum Martii edidimus, idem Sanctus ornatur hoc elogio :* Eodem die Rodomo depoſitio S. Audoëni epiſcopi & confeſſoris, qui plurimis miraculorum ſignis rutilans, oratione ſancta more Eliæ è cælo pluviam adeptus eſt. *Florus hîc alludit ad pluviam, quam Sanctus noſter in Hiſpania cælitus impetravit, ut poſtea in Actis narrabitur.* *& immemorabilem illius cultum*

4 *Moſander eumdem Sanctum Adoni adſcribit, ut in editione ejus ad hanc diem videre eſt. Sed Roſweydus noſter ſecundum ſuos Mss. codices putat, illum genuino Adonis textui ſuperadditum fuiſſe. Uter melius judicaverit, hactenus problema eſt, ut in hodierna obſervatione ad Uſuardum noſtrum illuſtratum Sollerius monuit. Inſuper hæc controverſia parum ad rem noſtram facit, cum ſaltem in ſincero Uſuardi Martyrologio ſanctus iſte Præſul hodie annuntietur his verbis :* Civitate Rotomago, ſancti Audoëni confeſſoris, qui ſeculum ſalubriter deſpiciens, ſanctitatis merito epiſcopii adeptus eſt honorem. *Omiſſis auctariis Uſuardinis & verſiculo Wandelberti, tantum tranſcribo brevem hodierni Martyrologii Romani annuntiationem, quæ ſic habet :* Rothomagi ſancti Audoëni epiſcopi & confeſſoris. *Hæc ad antiquum Sancti noſtri cultum demonſtrandum ſatis ſuperque dicta ſint. Nunc ad Acta, eorumque ſcriptores indagandos progredimur.* *ex veteribus Martyrologiis probamus.* F

5 *Antiquiora Sancti Acta habemus dumtaxat ex apographo Ultrajectino ſancti Salvatoris, quæ ſcripſit auctor anonymus, ſed* S. Audoëno *ſuppar, ut colligimus ex his biographi verbis :* Ad miracula ejus tranſeat oratio, quæ à diſcipulis ejus teſtibus idoneis narrantibus agnovi. *Cointius in Annalibus Francorum ad annum Chriſti* 610 *num.* 7 *de eodem Vita ſcriptore ſic meminit :* Sancti *Habemus quatuor hujus Sancti Legendas,*

A Sancti Audoëni Vitam, quam ex codice manuſcripto plerumque citabimus, ſcripſit anonymus ſuppar, qui res multas ab ipſius Audoëni diſcipulis oculatiſque teſtibus ſibi relatas vulgavit. Hanc Vitam, quæ ceteris ob antiquitatem præſtat, auxit plurimùm, multiplicique chronologicorum characterum adjectione depravavit Fridegodus anno Chriſti nongenteſimo quinquageſimo ſexto. *Utrum Fridegodus fuerit ſecundus Actorum ſcriptor, mox inferius examinabimus.*

inter quas prima eſt ſcriptoris ſupparis,

6 *Interim ex initio & aliis iſtorum veterum Actorum fragmentis, quæ Cointius ſubinde exhibet, clarè perſpicimus, illum eamdem Vitam præ manibus habuiſſe, licet ex hac tantùm pauca fragmenta in Annalibus ſuis vulgaverit. Nos igitur antiquiorem illam Vitam, quæ hactenus inedita eſt, integram primo loco excudemus. At dolendum eſt, quod Acta illa, luxato ſtylo conſcripta vel forſan ab imperito amanuenſi corrupta, cum aliis codicibus conferre non potuerimus, cum unicum iſtorum exemplar tantummodo habeamus. Quapropter interdum quaſdam lacunas ex conjectura implere coacti fuimus, ut ſenſus intelligeretur, eaſque fidelitatis cauſâ per*

B *uncinos diſtinximus.*

& ſecunda cuidam Fridegodo perperam tribui videtur,

7 *Surius, Cointius, aliique plures auctorem Vitæ ſecundæ appellant Fridegodum, qui fuit monachus Anglus, & de quo Pitſeus inter Illuſtres Angliæ ſcriptores pag. 174, ſive ad annum Chriſti 959 tradit ſequentia:* Fridegodus diaconus, natione Anglus, Ordinis S. Benedicti monachus Cantuarienſis ad fanum Salvatoris; vir, teſte Guilhelmo Malmesberienſi, Græcè Latinéque doctus, pietate etiam & obſervantia regulari probatiſſimus. Varias lucubrationes & illas ſanè non inelegantes edidit, in eo tantùm non laudandus, quod neſcius uti ſuâ ſcientiâ, adeo Græca Latinis miſcuerit, ut qui linguam utramque non calluerit, pleraque ejus ſcripta nequaquam intelligere poterit. Cùm anno Domini CMLVI Odo Cantuarienſis archiepiſcopus transferri curaſſet corpora ſanctorum Wilfridi & Audoëni Cantuariam, hunc Fridegodum rogavit, ut aliquod de illorum laudibus ſcriptum ederet. Edidit ille verſibus heroïcis & quidem tum piè, tum doctè de Vita S. Wilfridi librum unum; de Vita S. Audoëni monachi librum unum. *Deinde alias ejuſdem lucubrationes enumerat, eumque circa annum 959 ſub Edgaro fortunatiſſimo Anglorum rege claruiſſe aſſerit.*

C

ut ex ſilentio Guilielmi Malmeſburienſis

8 *Fortè Pitſeus nomine Audoëni hîc indicare voluit S. Owinum monachum Anglum, quem Ferrarius Odoënum appellat, ut Majores noſtri ad diem* IV *Martii monuerunt, ubi tomo* I *iſtius menſis pag.* 312 *& ſequente Acta ejus Commentario hiſtorico utcumque illuſtrarunt. At quiſcumque fuerit iſte S. Audoënus monachus, cujus Vitam Fridegodus metro ſcripſiſſe dicitur, de illo Guilielmus Malmesburienſis non meminit, dum in Geſtis pontificum Anglorum lib.* I *editionis Francofurtenſis apud nos pag.* 200 *de ſola S. Wilfridi tranſlatione ſic ſcribit:* Unde factum eſt, ut præcellentiſſimi patris Wilfridi dirutam per Danos apud Ripenſem eccleſiam dolenter conſpicatus (*nimirum Odo Cantuarienſis archiepiſcopus*) ruinis ſuper mauſoleum eruderatis, reliquias Cantuariam reverenter transferret; & ut clariſſimum patriæ jubar produceret in ſpeculam, heroïco metro Vitam illius texi præcepit. Exſecutus eſt id munus Fridegodus quidam verſibus non ita improbandis, niſi quod Latinitatem peroſus, Græcitatem amat, Græcula verba frequentat, ut meritò dictis ejus aptetur illud Plautinum: HÆC QUIDEM PRÆTER SIBYLLAM LEGET NEMO. *Vides hîc, Guilielmum Malmesburienſem prorſus ſilere de Vita* S. Audoëni, *quam Fridegodus umquam carmine vel proſa conſcripſiſſet. Unde ignoramus, quare Surius, Cointius, & alii Vitam* S. Audoëni *Rothomagenſis epiſcopi Fridegodo attribuerint, & adverſus illorum opinionem jam breviter argumenta quædam proponemus.*

AUCTORE G. C.

& ex aliis rationibus eruimus;

9 *Primò biographus alterius Vitæ, quem ſecundo loco poſt hunc Commentarium vulgabimus, nullibi nomen ſuum prodit, ita ut neſciamus, cur Surius & Cointius illum Fridegodum appellaverint. Secundò Fridegodus à recentioribus bibliographis dicitur Vitam S. Audoëni monachi verſibus heroïcis contexuiſſe. Sed in hac hypotheſi* S. Audoëno *præſuli Rothomagenſi neutra illa circumſtantia convenire poteſt: nam biographus noſter anonymus ſeculo nono vel decimo ſecundam Sancti noſtri Vitam in proſa exaravit, &* S. Audoënus *antiſtes numquam monaſticum inſtitutum amplexus eſt, ita ut Fridegodus Anglus de Præſule Rothomagenſi non egerit, ſi umquam Acta S. Audoëni monachi ſtylo ligato compoſuerit. Tertiò Malmesburienſis de ſtylo popularis ſui Fridegodi aſſerit, quod hic in ſuis lucubrationibus Græca Latinis miſcuerit, & Græcula verba frequentet. At illa Græcarum vocum affectatio non habet locum in Actis* S. Audoëni, *quæ prioribus ſubjungemus, ut ea pervolventi evidenter apparebit. Hæ rationes nos impulerunt, ut in titulo Vitam illam potius auctori anonymo, quàm Fridegodo, tribuere voluerimus.*

E

tertia autem eſt metrica, ſeculo XI *conſcripta,*

10 *Habemus quidem in ſupellectile noſtra literaria metricam* S. Audoëni *Rothomagenſis epiſcopi Vitam, quam Henſchenius noſter in Diatriba de tribus Dagobertis lib.* 4 *ſect.* 3 *per errorem Fridegodo adſcripſit: hæc enim verſibus Leoninis compoſita eſt à Theodorico quodam monacho Rothomagenſi ac dedicata Nicolao abbati monaſterii* S. Audoëni, *quemadmodum patet ex prologo, qui ſic incipit:*

Patri ſincero, tranquilla pace ſereno,
Patri præclaro virtutum flore beato,
Abbati ſancto Theodericus Nicolao,
Commiſſi curam gregis, ut dat virga figuram
Qua trahit imbelles, procul expellendo rebelles.
En quæ mandaſti, vel quæ ſcribenda rogaſti
De ſancta ſancti vita meritiſque beati
Præſulis Audoëni, proprio pro poſſe peregi.

F

Pommerayus in Hiſtoria Gallica monaſterii S. Audoëni *lib.* 3 *cap.* 7 *num.* 14 *& ſequentibus oſtendit, Nicolaum illum anno* 1092 *mortuum eſſe, poſtquam quinquaginta annis abbatiam gubernaverat, & eodem lib.* 3 *cap.* 31 *affirmat, Theodoricum monachum anno* 1074 *hanc Vitam metricam ſub eodem abbate conſcripſiſſe. Nulla igitur veritatis ſpecie hæc lucubratio Fridegodo tribui poteſt. Porrò non eſt operæ pretium prælo ſubjicere illam Theodorici lucubrationem metricam, cum hic proſam ſecundi biographi dumtaxat in carmen converterit, ita ut etiam chronologicos iſtius ſcriptoris errores ſecutus fuerit.*

& quarta ab auctore anonymo recentiore

11 *Etiam Treviris olim ex monaſterio S. Maximini accepimus longiorem* S. Audoëni *Vitam, quam anonymus quiſpiam recentioris ævi ex antiquioribus Actorum ſcriptoribus collegit, mutatoque ſtylo, verboſè auxit, ut fatetur in ſuo prologo, quem exorditur his verbis:* Vitam beati confeſſoris & pontificis Audoëni à quodam, neſcio

AUCTORE G. C. neſcio quo, conſcriptam, humilitatem noſtram flagitaſtis emendare, ut quæ fuerant vitiosè prolata corrigerem, quæ nimia brevitate conſtricta, enudarem: quæ res, inſpecto nondum libello, nec laboris ſumptum, nec temporis ſpatium exigere multum videbatur. Unde negotium, quod moleſtum valde non putabatur, remiſſioris animi ſecuritatem pepererat. At poſtquam rogata peracturus volumen evolvi, [in] erroris labyrinthum & confuſionis voraginem imprudens impegi, ut ubi jucundam æquoris planitiem, & amœni ruris floreos tractus me gaudebam deambulaturum, illic confragoſas valles, & callem ſaxis exaſperatum offendi. *Deinde poſt multas ambages dicit, ſeſe jubentium* obtemperaſſe præceptis, & geſtorum ordinem ſecundum priorum ſcripta vera fide protuliſſe, *tandemque prologum ſuum ita concludit:* Quædam verò permutavimus, non rerum fidem abjurantes aut corrigentes, ſed locutionis legibus opportuniùs ſervientes.

verboſiùs amplificata eſt, B 12 *Quomodo autem collector ille Acta veterum ſcriptorum amplificaverit, & quantum hyperbolicis rhetoricisque phraſibus delectetur, ſatis patebit ex unico ſpecimine, quod hìc ſtatim ſubnectemus. Poſtquam ex antiquis biographis ſusè narravit, quomodo* S. Audoënus *in Hiſpania neceſſariam pluviam calitus impetraverit, ad explicandam hujus miraculi celebritatem, & indicandam iſtius ſancti Viri famam utitur hac hyperbole:* Inter hæc beatus Audoënus opinione virtutum atque doctrina cunctis populis Galliarum cœpit admirabilis haberi, & longè latéque fama prædicabili divulgari: non enim poterat lumen abſcondi, quod Dominus voluit cunctas per nationes radiare; quoniam non poteſt abſcondi civitas poſita ſuper montem, nec accenditur lucerna, quo ſub modio veletur; ſed ut ſupra candelabrum poſita luceat omnibus, qui in domo ſunt. Unde cæleſtis lumen gratiæ, quod in ſancto Viro flagrabat, non Hiſpaniarum Galliarumve finibus valebat coërceri; ſed illuſtris famæ nitorem aliis Europæ partibus revelavit, Italiam denique & Illyriam, Thraciamque percurrens, Atticam penetravit, ut quæ floruerat quondam ſtudiis philoſophorum, ſervorum Chriſti famâ polleret opimâ; nec minus Rheni fluenta tranſponens, Germaniæ populos replevit; indeque conſurgens Meotidis undas Scytharumque C regna penetravit, ut barbaricam feritatem Chriſti ſuavitate molliret, ut populos, boreale quos frigus gelaverat, clementior aura favonii ad ſancti Spiritus calorem relaxaret. *Etſi verboſus iſte Actorum amplificator typis excudi non mereatur, tamen eruditum lectorem poſtea monebimus, dum ille narrabit aliqua* S. Audoëni *geſta, quæ duo priores biographi prætermiſerunt aut ignorarunt.*

ex quibus aliqua Acta contracta vel mutila prodierunt. 13 *Vincentius Bellovacenſis lib.* 23 *Speculi hiſtorialis cap.* 91 *& ſequentibus Acta & miracula* S. Audoëni *in compendium redegit, eaque veroſimiliter ex ſecundo biographo accepit. Joannes Capgravius apud nos folio* XXI *& ſequente inter Sanctos Angliæ Vitam ejuſdem Præſulis Galli contraxit, eumque probabiliter inter Anglos collocavit propter miracula, quæ per ſacras ipſius reliquias in Anglia contigerunt, & de quibus inferiùs alia occaſione mentionem faciemus. Denique Surius ſecundum Vitæ ſcriptorem ſub nomine Fridegodi (neſcimus, quo fundamento, ſicut ſuprà diximus) typis vulgavit; ſed more ſuo ſtylum mutavit, ac ſubinde interpolavit Acta illa, quæ nos primigenio ſtylo ex variis codicibus Burgundicis, à Chiffletio noſtro tranſcriptis vel collatis, poſt hunc Commentarium exhibebimus. Verùm his præmittemus breviorem & antiquiorem Vitam, ab auctore ſuppari exaratam, quemadmodum ſuprà ſpopondimus. Cum tamen uterque biographus iſte chronotaxim neglexerit vel ab ea aberraverit, priùs ordine chronologico præcipua Sancti geſta diſcutiemus.* D

§ II. Sancti patria, fratres, vita aulica, electio ad cathedram Rothomagenſem, & tempus conſecrationis epiſcopalis.

Sanctus, qui locum natalem habuit in Sanciaco, E S *Anctus noſter patriam habuit Galliam, & Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 500 *locum ejus natalem diſtincte indicat his verbis:* Sanciacum vel Sanctiacum patria fuit Audoëni cognomine Dadonis, Dagoberti Francorum regis primùm referendarii, deinde Rotomagenſium epiſcopi: ex ejus enim Vita diſcimus, natum eum eſſe in vico Sanciaco ad quintum lapidem ab Auguſta Sueſſionum, qui vicus hodieque SAUCI vocatur, N in U mutato, ut ſæpe aliàs. *Deinde originem hujus appellationis exponit, & ex diplomatibus probat,* S. Audoënum *eo loco habuiſſe hereditatem, quam poſtea Rothomagenſi ſancti Petri eccleſiæ dedit. Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 12 *cap.* 45 *nativitati ſancti Præſulis noſtri eumdem locum aſſignat, & in margine monet, illum vicum nunc Gallicè vulgò* Sancy *nominari.*

educatus eſt in pago Vultiaco, 15 *Videtur ſanctus Puer ibi natus eſſe poſt initium ſeculi ſeptimi, ac poſtea cum parentibus ad villam Vultiacum migraſſe, ut colligimus ex Actis S. Columbani, in quibus Jonas apud Mabillonium Seculo* 2 *Sanctorum Benedictinorum pag.* 25 *ſic ſcribit:* Progreſſuſque inde (*videlicet S. Columbanus*) venit ad villam quamdam Vultiacum, quæ ſupra amnem Maternam ſita eſt. Ibi receptus eſt à quodam viro, Authario nomine, cujus conjux Aiga dicebatur; erantque his filii infra infantiæ annos decennes *, quos mater ad benedicendum viro Dei obtulit. Videns ille matris fidem, infantulos ſua benedictione ſacravit, qui pòſt, mox ut pubeſcere cœperunt, Chlothario regi primùm ac deinceps Dagoberto gratiſſimi ſunt habiti; qui poſtquam ſeculi gloriâ illuſtrati fuerunt, accelerare cœperunt, ut pro gloria ſeculi non carerent æternâ; quorum major natu, Ado nomine, ſemet ſuis voluntatibus abdicavit, poſtquam intra Jurani ſaltus arva monaſterium ex beati regula Columbani conſtruxit; juniorque, nomine Dado, intra Briegenſem ſaltum ſupra fluviolum Resbacenum ex ſupradicti viri regula monaſterium conſtruxit. *Cum Cointius & alii hanc S. Columbani viſitationem anno* 610 *collocent, & tunc filii optimatis Autharii adhuc infra annos infantiæ detinerentur, ac nondum eſſent decennes, ex probabili conjectura colligimus,* S. Audoënum *poſt annum* 600 *in lucem editum eſſe.* * *Surius detenti* F

eique quidam unicum fratrem, 16 *Verùm ex hac Jonæ narratione & aliis veterum ſcriptorum teſtimoniis oritur controverſia inter viros eruditos, qui plauſibilibus utrimque rationibus inter ſe diſputant, utrum* S. Audoënus *duos fratres, an unicum habuerit. Hadrianus*

A *drianus Valeſius tomo 3 Rerum Francicarum pag.* 140 *de hac quæſtione ſic affirmanter ſcribit :* Unicum habuit Audoënus fratrem, nomine Adonem, qui poſtquam in aula Chlotharii Dagobertique floruerat, monaſterium non procul à ripa fluminis Matronæ in ſaltu Jotrenſi fundoque ſuo, nomine Jotrum, ex Columbani diſciplina conſtruxit, adjutore Audoëno, ubi omnibus voluptatibus abdicatis reliquam vitæ partem piè religioſéque exegiſſe ab Aimoino dicitur; quod ſcriptores antiqui monaſterium puellarum vocant. *Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 632 *Vultiacum ex veteribus inſtrumentis aſſignat, & hac occaſione eamdem opinionem ſuam ita repetit :* Erat ergo hæc villa Autharii optimatis, cujus duos filios infantulos Adonem & Dadonem, à matre ſibi oblatos, Columbanus ibidem ſua benedictione ſacravit. Euſſi plerique interpretantur, qui eſt vicus ad Matronam flumen non longè ab urbe Meldis, ubi ſanctus Autharius Adonis & Dadonis pater hodieque colitur, ſicut in monaſterio Resbacenſi, quod ejus filius Audoënus Dado condidit. *Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 12 *cap.* 45 *ſententiam Valeſii tuetur, ac multis argumentis confirmat.*

B 17 *Cointius autem in Annalibus Francorum ad annum Chriſti* 610 *num.* 6 *duos fratres germanos* S. Audoëno *adſcribit, & opinionem ſuam probare nititur his verbis :* Fredegodus (*hic apud nos eſt anonymus ſecundæ Vitæ auctor*) in Vita ſancti Dadonis, qui & Audoënus appellatur, ſcribit Aigam Authario non duos tantùm peperiſſe filios Adonem & Dadonem, ſed & tertium natu minimum, nomine Radonem, cui Columbanus abbas æquè ac duobus fratribus benedictionem ſuam impertierit. Quæres, cur Jonas prætermiſerit Radonem. Arbitramur, Jonam loco ſuprà recitato nullam Radonis mentionem feciſſe, quia Rado nondum in lucem editus fuerat, cum Columbanus ad Vulciacum villam pervenit. Certè Jonas Dadonem rectè vocat tunc INFANTEM : nam ipſemet Dado ſive Audoënus in Vita ſancti Eligii, à Surio & à Dacherio publicata, teſtatur, ſe PUERULUM adhuc fuiſſe, cum Eligius virilem ætatem attigiſſet.

alii duos tribuunt,

18 *Omittimus Sigebertum in Chronico, & Aimoinum in ſua Hiſtoria lib.* 4 *cap.* 41 *alioſque recentiores, qui eoſdem tres fratres expreſsè nominant : his enim præferendus eſt ſuppar prioris Vitæ ſcriptor, qui in ipſo Actorum exordio hæc habet :* Sueſſionico oppido orti ſunt tres venerabiles viri ex uno ſemine nobiles generati, gratiâ Dei cælitus illuminati, Ado, Dado & Rado. *Deinde ſingulorum geſta & virtutes ſummatim referens, de Radone ſic ſcribit :* Rado autem palatii theſaurorum cuſtos effectus, ſeculi dignitatem adeptus, timore Domini præcinctus, in eleemoſynis largus, fideliter omnia cuſtodivit, atque in faſcibus miniſtravit. *His etiam conſonat auctor ſubæqualis, qui Vitam S. Agili Resbacenſis abbatis conſcripſit, ubi apud Mabillonium inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini ſec.* 2 *pag.* 321 *Ado & Rado* S. Audoëni *fratres appellantur, & de Radone nominatim referuntur ſequentia :* Rado theſauros prædicti regis ſub cura ſua habens, animi redemptam inæſtimabili pretio margaritam cæleſtibus ſignanter commiſerat gazis; proinde ſuper jam dictum amnem in patrimonio proprio monaſterium ædificavit, quod ex ſuo nomine RADOLIUM nominavit. *Scimus, Mabillonium allegare auctoritatem Jonæ tacentis, & his teſtimoniis aliquas difficultates objicere; Sed nos ſilentio Jonæ duas claras auctorum ſubæqualium aſſertiones opponimus, & uni tacenti duos loquentes probabiliùs præferimus.*

cui ultimæ opinioni aſſentimur.

C

AUCTORE G. C.

19 *Porrò* S. Audoënus *ab anno Chriſti* 620 *in aula regum Francorum cum ſancto Eligio piè vixit, & adhuc laïcus monaſterium Resbacenſe condidit, ut in Actis noſtris infrà narrabitur. Anno Chriſti* 639 *Sanctus noſter electus eſt antiſtes Rothomagenſis, ut Cointius in Annalibus Francorum ad eumdem annum num.* 5 *probat ex ipſis* S. Audoëni *verbis, qui in Vita S. Eligii de hac electione ſic ſcribit :* Elegerunt ex merito ſanctitatis cunctis bonis operibus præditum ad ſacerdotale officium ſanctum Eligium, jam lumine Spiritus ſancti radiatum, ut præeſſet eccleſiæ Noviomenſi : deceſſerat enim in ipſo anni circulo Acharius præfatæ urbis antiſtes. Elegerunt autem cum eo & Audoënum ſodalem ejus, qui vocabatur Dado, ut præeſſet eccleſiæ Rotomagenſi. *Deinde Cointius ibidem contendit, hanc electionem anno* 639 *factam eſſe, & alias illius circumſtantias ita recenſet :* Eodem igitur anno, quo ſancti Romanus (*fuit hic ſancti noſtri Præſulis deceſſor in cathedra Rothomagenſi*) & Acharius ex hac vita diſceſſerunt, electi ſunt Audoënus & Eligius, qui ſuccederent in eorum epiſcopatus; ſed quia laïci tunc erant, epiſcopos ſe conſecrari non permiſerunt ante annum ſequentem, cum Rogationes à cuncto populo celebrabantur. Audoënus Matiſconem profectus eſt, ut à Deodato illius civitatis epiſcopo presbyter ordinaretur. Eligius, priuſquam ſacerdos fieret, aliquod temporis ſpatium exigere voluit ſub normula clericatûs. *Etiam anno* 639 *collocandum eſt Hiſpanicum* S. Audoëni *iter, de quo uterque biographus ante epiſcopalem ipſius conſecrationem meminit. Sed circa annum, quo Sanctus noſter conſecratus eſt epiſcopus, occurrit intricata difficultas, quam nunc diſſolvere conabimur.*

Poſtquam in aula regum Francorum piè vixiſſet,

20 *Petrus Franciſcus Chiffletius in Diſſertatione de Annis Dagoberti cap.* 17 *epiſcopalem* S. Audoëni *conſecrationem anno Chriſti* 635 *affigit; Henſchenius verò noſter in Diatriba de tribus Dagobertis lib.* 1 *ſect.* 9 *eamdem uſque ad annum* 646 *differt. Denique Cointius & Pagius illam ordinationem probabilius anno Chriſto* 640 *collocant. Hæc opinionum diverſitas oritur ex variè intellectis* S. Audoëni *verbis, qui tomo* 5 *Spicilegii Dacheriani pag.* 194 *in Vita S. Eligii ſic ſcribit :* Sed vir beatus (*nimirum Eligius, de quo ibi ſermo eſt*) cum ſe nullo modo ab officio diſpoſito diſcutere poſſet, ne tamen in ullo Catholicæ regulæ deviare videretur, non ſe permiſit priùs ſacerdotem conſecrari, niſi ſub normula Clericatûs aliqua temporis curricula exigeret. Tempore ergo dilationis tranſacto, atque Audoëno de partibus Ligeritanis reducto, jamque eo presbytero, à domno Deodato Mataſcenſis urbis epiſcopo, ordinato, inito concilio, pariter ſub unius diei articulo apoſtolicam benedictionem meruerunt gratuitu : erat enim tempus, quo apud Gallias Rogationes à cuncto populo celebrabantur. Convenientes igitur ſimul in civitatem Rotomagenſem quarto decimo die menſis tertii (*id eſt Maii, cum tunc annus à menſe Martio initium haberet*) tertio anno Clodovei Juvenculi adhuc regis, die Dominico ante Litanias inter catervas populi, inter agmina Clericorum, inter choros pſallentium conſecrati ſumus gratis ab epiſcopis pariter epiſcopi; ego Rodomo, ille Noviomo.

electus eſt antiſtes Rothomagenſis,

D

E

F

AUCTORE G. C. *sed inter eruditos auctores*

21 *Cointius in Annalibus Francorum ad annum Chriſti* 640 *num.* 20 *ex codice manuſcripto ſimilem* S. Audoëni *textum refert, ubi tamen ubique de ſe in tertia perſona loquitur, & laudatus Annaliſta ibidem numero ſequente de clauſula hujus teſtimonii ita diſſerit:* Hujus periodi duæ ſunt partes. Prior annum diemque deſignat, quo Rothomagum Audoënus & Eligius pervenerunt. Poſterior diem notat, quo conſecrati ſunt epiſcopi. Rothomagum ingreſſi ſunt QUARTO DECIMO DIE MENSIS TERTII. Conſecrati ſunt autem epiſcopi DIE DOMINICO ANTE LITANIAS. Dies ille Dominicus ante Litanias fuit vigeſimus primus menſis tertii ſeu Maii, quia hoc anno, Clodovei regis tertio, Paſcha die Aprilis decimo ſexto celebratum eſt. Qui duas partes in periodo proximè recitata non diſtinguunt, Audoënum & Eligium affirmant epiſcopos fuiſſe conſecratos QUARTO DECIMO DIE MENSIS TERTII, & ut diem illum cum die Dominico comparare poſſint, prædictam ordinationem referre coguntur aut ad annum Chriſti ſexcenteſimum trigeſimum quintum cum Fridegodo, aut ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum ſextum
B cum Andrea Ducheſnio, qui varia Fridegodi fragmenta typis edenda curavit, & expuncto anno Dominicæ Incarnationis DCXXXV, quo Dagobertum in vivis adhuc ſuperſtitem noverat, poſuit annum DCXLVI, quo æquè ac anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo quinto Paſcha celebratum eſt quinto Idus Aprilis, & dies Dominicus ante Litanias cum die decimo quarto Maii coincidit.

22 *Poſtquam Cointius ibidem rectè interrogaſſet, quis umquam chronographus annum Clodovei junioris tertium anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo quinto illigaverit, præcipuam quæſtionis difficultatem pergit proponere his verbis:* Tota difficultas circa Dagobertum verſatur, quem Fredegarius anno regni decimo ſexto vivis ereptum ſcribit: alii enim initium ſexdecim annorum, quos in principatu tranſegit, ducunt à die, quo rex Auſtriæ * renuntiatus eſt à patre. Alii à die, quo patri in regna Neuſtriæ Burgundiæque ſucceſſit. Priorem amplexi ſumus opinionem, eoque calculo annum Clodovei minoris tertium, per cujus menſem Maium Audoënus & Eligius ordinati ſunt epiſcopi, cum hoc anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo comparamus. Poſteriorem ſententiam plures ſequuntur, & eumdem
C Clodovei minoris annum tertium, ut ſuprà dictum eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto illigant. Argumentum, quo nituntur, petitur à die decimo quarto Maii, corruitque, ſi textum Audoëni præcitatum diſtinguas in duas partes, & inficieris, diem decimum quartum Maii cum die Dominico ante Litanias illo anno coincidiſſe, quo Audoënus & Eligius epiſcopi ſunt conſecrati.

23 Audoënus, ubi de ſua & Eligii ordinatione loquitur, eam conſignat TERTIO ANNO CLODOVEI, JUVENCULI ADHUC REGIS, DIE DOMINICO ANTE LITANIAS. Aliam temporis notam non exhibet. Ut ſcias, quotus poſt Chriſtum natum fuerit annus tertius Clodovei juvenculi regis, & utrum illo anno in menſem Aprilem, an in menſem Maium inciderit dies Dominicus ante Litanias, indagandus eſt annus, quo Dagobertus rex, Clodovei pater, interiit. Mortem Dagoberti decimo quarto Kalendas Februarias anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo octavo collocavimus, quia ſecedim annos regni, quos Fredegarius ei tribuit, non numeravimus ab anno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo octavo, quo patri D
Clotario in Neuſtriam ac Burgundiam ſucceſſit; ſed ab anno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, quo primùm apud Auſtraſios regnare cœpit. Multas rationes variis locis jam protulimus, ut opinionem noſtram illuſtraremus, confirmaremuſque.

24 *Deinde Cointius ibidem numeris aliquot ſequentibus oſtendit, à Jona ſcriptore ſynchrono Eligium appellatum fuiſſe epiſcopum ante annum Chriſti* 644, *& num.* 26 *poſt omnia ſua argumenta ſic concludit:* Obiit igitur Dagobertus decimo quarto Kalendas Februarias anno regni decimo ſexto, Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo octavo. Succeſſit in regna Neuſtriæ ac Burgundiæ filius Clodoveus, cujus annus tertius per menſem Majum cum anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo componitur. Illo autem anno, Clodovei regis tertio, Rothomagum ingreſſi ſunt Audoënus & Eligius die decimo quarto Maii, conſecratique ſunt epiſcopi die Dominico ante Litanias, id eſt die vigeſimo primo ejuſdem menſis Maii. Ex Orderici calculo jam probavimus, beatum Romanum præſulem Rothomagenſem ex E
hac vita diſceſſiſſe decimo Kalendas Novembres, anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo nono, ita ut teſte eodem auctore, ordinatio Audoëni ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum pertineat.

25 *Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 13 *cap.* 4 *hanc intricatæ quæſtionis ſolutionem approbat, quamvis ei dubium quoddam opponat hoc modo:* Verùm huic ſolutioni id obſtat, quod in Noviomenſi eccleſia ſancti Eligii ordinatio ante annos octingentos celebrata ſit pridie Idus Maii, ut in veterrimo ejus eccleſiæ Kalendario deprehendi, atque adeo Eligii ordinatio ipſa die Maii quarta decima peracta tunc cenſebatur: non Dominica ſequenti, ex traditione eccleſiæ Noviomenſis. Verùm, libratis aliunde in oppoſitum invictiſſimis argumentis, id unum reponi poſſe video, quod etſi ſancti Eligii depoſitio haud longè poſt ipſius obitum in divinis officiis celebrata ſit, non tamen ſtatim ejus ordinatio (quod etiam de Audoëni conſecratione dicendum) ſacris ejus eccleſiæ faſtis adſcripta & peculiari cultu honorata eſt, ſed poſt annos fortè centum, imò & ducentos. Eos verò, qui hanc ordinationem pri- F
mi eccleſiæ ſuæ Kalendariis inſcripſerunt, ex loco Audoëni, obvio quidem ſenſu, ſed non bene intellecto, eam repoſuiſſe pridie Idus, ſeu quarta decima die menſis Maii, quæ vigeſima prima die reponenda erat. *Laudatus Mabillonius in Diſſertatione hiſtorica ſcripta ad eruditiſſimum Galeſium abbatem de anno mortis Dagoberti primi & Chlodovei junioris, pluribus hoc argumentum tractat, ubi tomo* 3 *Veterum analectorum pag.* 526 *&* 527 *hanc clauſulam ratiociniis ſuis ſubnectit:* Quapropter primam ſolutionem noſtram interim præfero; quæ ſi nonnullis non placet, non repugno, modò afferant meliorem, aut ſuperiora ſolvant argumenta, quibus Dagoberti & Chlodovei annos mortis certiſſimè defixos exiſtimo, illius quidem anno DCXXXVIII, hujus verò anno DCLVI, quod utrumque evincit vel ſola Jonæ auctoritas.

26 *Hinc vides, Mabillonium propter annuam iſtius ordinationis memoriam, quæ die* XIV *in antiquis Kalendariis recolitur, adhuc aliquo ſcrupulo angi. Sed hunc ei prorſus eximit Pagius in Critica Baroniana ad annum* 640 *num.* 14, *dum relatis Mabillonii verbis hæc ſubjungit:* Ita vir

eſt controverſia chronologica

**id eſt* Auſtraſiæ

circa epiſcopalem ejus conſecrationem,

cum Cointio

aliiſque ſcriptoribus

probabiliùs anno Chriſti 640 *collocamus.*

A vir doctissimus, & quidem solidè, cui si in mentem venisset regula à nobis posita, totiesque inculcata, id omni asseveratione affirmasset: depositiones enim Sanctorum, eorum reliquiarum translationes, & sanctorum episcoporum ordinationes aliis diebus, quàm quibus contigerint, Martyrologiis sæpe inscriptas esse, tot exemplis in hoc Opere demonstro, ut illud impositum tamquam principium chronologiæ haberi debeat. *Ex his omnibus eruditus lector judicare poterit, quænam opinio chronologica sibi magis arrideat. Nos interea cum Cointio, Mabillonio, Pagio, & Longuevallio nostro episcopalem* S. Audoëni *consecrationem probabilius anno Christi* 640 *affigimus, & ad reliqua ejus gesta chronologicè referenda progredimur.*

§ III. Chronologica reliquorum gestorum synopsis, tempus mortis, & quædam Actorum analecta.

B

Recensentur ordine chronologico

Cointius in Annalibus Francorum sparsim memorat chronologicè reliqua S. Audoëni *gesta, quæ hìc eodem temporis ordine in compendium redigemus. Sanctus Præsul anno* 642 *baptizavit Amalbertum, filium B. Geremari, & anno* 644 *concilium III Cabilonense subscriptione sua confirmavit. Hoc eodem anno* 644 *sanctum Wandregisilum subdiaconum, & anno sequente diaconum consecravit. Anno* 651 *sacerdotem ordinavit B. Geremarum, cujus filium antea baptizaverat. Circa annum* 672 S. Audoënus *conscripsit Vitam S. Eligii, ut ex ipsa illius lucubratione Cointius ostendere conatur. Sanctus noster ab Ebroïno tyranno ac falsis testibus deceptus, anno* 674 *S. Filibertum abbatem carceri mancipat. Anno* 676 *Romam discedit, & anno sequente Rothomagum revertitur.*

quædam Sancti Præsulis gesta,

28 *Præterea anno* 679 *transtulit sacras reliquias S. Marculfi, de quibus apud Mabillonium inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini tomo* 1 *pag.* 133 *in fine Vitæ Marculfianæ narratur sequens miraculum:* Beatissimus verò Audoënus

C præfatum abbatem poposcit, ut de sancti viri corpore, tam pro sui laboris compensatione, quam sanctitatis devotione, concederet aliquid; cui rei libentissimè consensit. Cum autem apud se caput tractaret auferre, chartula hujusmodi verbis exarata manui ejus cælitus immissa insedit: "Ceterorum membrorum beatissimi Mar„culfi quod voles sumito; caput autem ejus nul„latenus tangere præsumas„. Præsul igitur sanctissimus hujuscemodi divino interdicto appositò revocatus, in loculo, qui paratus erat, summa cum veneratione beatissimi confessoris reliquias condidit.

quæ in Actis confusè narrantur,

29 *Insuper anno* 681 *Ragnobertum ab imminente cæde liberat, & ab Ebroïno latam adversus eum mortis sententiam in exsilium commutat. Eodem anno* 681 *Sanctus à Theodorico rege dicitur obtinuisse insigne privilegium, & nuntios misisse ad S. Filibertum abbatem, cui anno sequente reconciliatus est, aut quocum potius, agnito suo errore, amicitiam renovavit. Postquam anno* 682 *redarguisset Gislemarum patri suo insidiantem, eique vindictam divinam postea secutam prædixisset, videt in aëre crucem, de qua in Actis nostris infrà agetur. Cum deni-*

que anno 683 *pacem inter Austrasios & Neu-* AUCTORE
strasios composuisset, dicitur mense Augusto e- G. C.
jusdem anni non procul Parisiis obiisse. Sed oportet annum ac diem mortis, de quibus non satis certò constat, accuratiùs examinare.

& mors ejus

30 *Primus Vitæ scriptor tantummodo indicat,* S. Audoënum *ad Superos migrasse, cùm Waratto subregulus, id est Major-domus esset. At ex historia Galliæ novimus, Warattonem anno Christi* 681 *in locum Ebroïni Majoris-domus interfecti successisse, & post mortem Gislemari filii sui, cujus insidiis exauctoratus fuerat, amissam dignitatem anno* 683 *recuperasse. Hinc constat, turpiter in chronologia hallucinari secundum biographum nostrum, dum mortem* S. Audoëni *anno Incarnationis* 677 *vel* 678 *affigit. Idem veterum Actorum interpolator accumulat plures ejusdem mortis characteres chronologicos, qui inter se pugnant, quibusque fusè refutatis. Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 683 *num.* 7 *chronotaxim disponit hoc modo:* Audoënus ordinatus fuit episcopus Rothomagensis duodecimo Kalendas Junii, die Dominico ante Litanias, anno Clodovei regis ter- E
tio, Christi sexcentesimo quadragesimo; sedit annos quadraginta tres, menses tres, diesque totidem; decessit octogenario minor Clipiaci nono Kalendas Septembris, feriâ secundâ, anno Christi sexcentesimo octogesimo tertio, Theodorici regis decimo, Warattone domus regiæ Majoratum gerente.

verosimiliter anno Christi 683 affigitur.

31 *Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 17 *num.* 36 *hanc Cointii sententiam amplectitur, & fusiorem ejus disputationem contrahit his verbis:* De anno, quo Audoënus diem functus est, non levis etiam difficultas. Primus ejus Vitæ scriptor anonymus tantùm ait, eum decessisse Waratone subregulo, seu præfecto palatii, principatu Theodorici regis. Calculum obscuravit alter ejus Vitæ scriptor Fridegodus, dum scrupulosiùs explicare voluit, ubi ait, Audoënum rexisse Rotomagensem ecclesiam annos quadraginta tres, menses tres, dies decem; nonagenarium verò migrasse ad Dominum IX Kalendas Septembris, die Dominica, & quidem anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo septuagesimo septimo, aliis octavo. Verùm ut cetera dissimulem, neutro anno Dominica in nonum Kalendas Sep- F
tembris incidebat. Certior est epocha ab annis quadraginta tribus regiminis cum tribus mensibus, quos Fridegodus ei assignat. Si enim Audoëni pontificatûs initium à Maio mense anni sexcentesimi quadragesimi desumas, ejus obitum hoc anno octogesimo tertio facilè collocabis. *Deinde hunc mortis annum aliunde confirmat, & lectorem pro minoribus tricis chronologicis remittit ad Cointium, qui in Annalibus Francorum ad annum* 683 *num.* 7 *etiam menses diesque episcopatûs & verosimiliorem* S. Audoëni *senectutem accuratè indagavit. His subjicimus aliqua gestorum analecta, quæ uterque biographus noster tacuit, & de quibus in decursu judicium feremus.*

Huic chronotaxi subjunximus analecta.

32 *Franciscus Pommerayus in Historia Gallica abbatiæ* S. Audoëni *lib.* 1 *cap.* 2 *meminit de duabus rebus, quas uterque biographus à nobis infrà edendus prætermisit, & quæ tamen in pueritia Sancti nostri contigisse traduntur: nam in veteri tapete ecclesiæ pingitur* S. Audoënus *adhuc puer, quasi grues ex agro paterno mirabiliter fugaverit. Hoc miraculum Pommerayus obiter attingit, & in annotatione quadam ad prædictum*

AUCTORE G. C. *dictum caput ſecundum libri primi monet, ſeſe illud in Hiſtoria ſua omittere, eo quod nullam ejus mentionem in antiquis manuſcriptis invenerit. Sed ibidem alterum prodigium (nempe dum Sanctus adhuc puer in quodam aquæ defectu dicitur ſtatim precibus fontem è terra elicuiſſe) certius ac fide dignius judicat, quia fons ille adhuc hodiedum in patria* S. Audoëni *ex traditione monſtratur, & mira ejus origo in veteri quodam manuſcripto legitur. Saltem prodigioſum fontis iſtius exordium refertur in Hiſtoria tranſlationis reliquiarum, quam inferiùs Actis ſubjungemus.*

apud varios auctores reperta, 33 *Ex ignorantia vel confuſione ortum putamus illud, quod in Tractatu Bernardi Guidonis de Sanctis, qui ornant Lemovicenſem diœceſim, apud Labbeum noſtrum tomo* I *Novæ bibliothecæ manuſcriptorum librorum pag.* 634 *narratur hoc modo:* Sanctus Audoënus ſive Audencius Rothomagenſis epiſcopus quieſcit in villa denominata ab ipſo, ſcilicet apud ſanctum Audoënum ſive Audencium. Dicunt autem incolæ, quod limina beati Jacobi Compoſtellæ viſitaverat, & in reditu illic defunctus eſt & ſepultus. Hic Audoënus primò fuit recluſus, & quodam die bene refectus in menſa archiepiſcopi Rotomagenſis, ſequenti nocte cum ſe ſopori dediſſet, ſenſit dæmonem ventrem ejus attrectantem & crebro repetentem: Modò bene, Audoëne; Audoëne, modò bene. Tunc Sanctus: Sed cras malè, ſcilicet manducabo, & hodiernas delicias in palatio diætâ craſtinâ compenſabo. Anno Domini MCCXXX ſanctæ memoriæ Guido epiſcopus Lemovicenſis ſacrum corpus ſancti Audoëni in capſa repoſuit de pariete ſublevatum. Feſtum ejus recolitur nono Kalendas Septembris.

B

quæ uterque Actorum ſcriptor, 34 *Videntur hæc omnia tribui hodierno* S. Audoëno *noſtro, quia memoratus ille à Bernardo Guidonis appellatur Rothomagenſis epiſcopus, & feſtum ejus* nono Kalendas Septembris, *ſeu die* XXIV *Auguſti quotannis celebrari dicitur. At qua veriſimilitudinis ſpecie iter Compoſtellanum, mors in reditu, obitus ac ſepultura in diœceſi Lemovicenſi de hoc præſule noſtro Rothomagenſi narrantur? Quod autem hîc refertur de dæmone, qui ei ſaturitatem exprobrabat, idem in Actis S. Filiberti abbatis ad diem* XX *hujus menſis occurrit, ubi tomo* IV *Auguſti pag.* 76 *planè ſimilis hiſtoria de S. Filiberto legitur. Quomodo denique Guido Lemovicenſis epiſcopus anno Chriſti* 1230 *corpus* S. Audoëni *Rothomagenſis in capſa reponere potuit de pariete ſublevatum, cum ex antiquioribus inſtrumentis conſtet, illud antea & poſtmodum in Normannia quieviſſe, quemadmodum ex infrà dicendis apparebit? Quare opinamur, Bernardum Guidonis ex confuſione nobis hactenus ignota vel ex errore populari ſimilia perperam ſcripſiſſe.*

C

poſt hunc Commentarium prævium edendus, 35 *Vix ſcimus, cujus ætatis & qualis fidei ſint analecta, quæ Pommerayus lib.* I *Hiſtoriæ ſuprà citatæ cap.* 19 *Gallicè exhibet. Nos ea Latinè reperimus in Trevirenſi Actorum apographo, quod* § 1 *indicavimus, & ex quo tranſcribimus ſequentia:* Per eumdem pagum, cujus ſuperiùs fecimus mentionem, Conſtantinum gradiens Epiſcopus, aſpexit lapidem ſpecie grata & honeſta poſitione ſecundum ſui generis qualitatem; quem diligentiùs conſiderans, aptum dixit uſibus equitantium, optavitque ut in villa ſuæ ditionis quadam Briſniaco fuiſſet. Quæ verba Pontificis quidam ſecularibus opibus potens & ſuperbia tumens cum accepiſſet, ſuæ potius quàm Pontificis dignum arbitrans famulationi exhibendum, mox Pontifice diſcedente, famulos cum plauſtro miſit, ut ſibi deferrent; qui domini perficientes juſſum, lapidem plauſtro impoſuere, & directo calle proſpere gradientes ad locum, quo fuerat eis præceptum, properabant. D

prætermiſit aut ignoravit, 36 Verùm cum ad bivium quoddam, ubi duarum ſeſe viarum ſeparantium altera villam petebat epiſcopi, altera ſecularis illius ad domum ducebat, pervenere, illicò qui trahebant boves propriis defixi veſtigiis ſubſtitere. Famuli plura boum paria ingerentes, onus movere non valuerunt. Tandem laſſatis viribus & omni conamine fruſtrato, ad domum caſſo labore fatigati ſunt reverſi, plauſtrum cum lapide ſuperpoſito bobus adjunctis relinquentes. Quod ſanctus epiſcopus cum didiciſſet, in eadem, de qua dictum eſt, adhuc reſidens villa, famulum ejuſdem fundi quemdam ad ſe jubet accerſiri; cui præcepit, ut eat & lapidem deducat: qui cum cauſaretur, ſe non habere præter duas vaccas, quarum debilitas tanto ponderi nequaquam ſufficeret, hortatur ire, nec de conficiendi operis obſequela cunctationem retinere. Qui Pontificis imperio parens, ad locum properat, animalia plauſtro jungit, tantaque facilitate domum reverſus eſt, acſi nullum ſuperpoſitum onus referret.... Compoſito autem lapide in uſus, ad quos Vir Dei voluerat, atque pluribus dierum curriculis evolutis, mulier quædam animi levitate permota ſuper eum ſedere præſumpſit; quam vicinæ dum arguerent increpantes, quod ſuper lapidem ſancti Audoëni fuerit auſa reſidere, illa procaciter reſpondit: Audoënus homo fuit ſicut & ego. Quam vocis irreverentiam ultio condigna ſtatim ſubſecuta compeſcuit: protinus enim oculorum orbes ſedibus depulſi propriis, adopertam tenebris faciem reliquerunt. E

& inter quæ nonnulla incertæ auctoritatis, 37 Quodam tempore ranarum obſtrepentium vox incondita non modicam Sancti auribus moleſtiam ingerebat, & clamoribus importunis, cæleſtibus intentam deſideriis mentem fatigabat, ac deſiderii contemplationem ſpiritualis confundebat. Tandem inconditæ vocis offenſus aſperitate, murmura fracta ranarum, juſſionis auctoritate ſilentium tenere præcepit; ad cujus imperium verbi dicto citiùs inſuavis ille cantus obticuit, ac tamquam tonitrui fragore nimio concuſſus conquievit: nimirum præſulis indignationem grex ille mutus expavit, & illius offenſionem exitu pœnas ſibi laturam pertimuit. *Pommerayus loco proximè citato hæc eadem miracula Gallicè contrahit, & ex SS. Paulino & Ambroſio operosè probat, ea non eſſe contemnenda, quamvis in rebus exigui momenti patrata fuerint. Iſtud libenter ultrò fatemur; ſed cum ignoremus, qua ætate & à quo illa primùm litteris mandata fuerint, de relatis hiſce tribus prodigiis nihil certi pronuntiamus.* F

aliqua fabuloſa 38 *At magis incredibile eſt, quod Aimoïnus in Hiſtoria Francorum lib.* 4 *cap.* 44 *de ſancto noſtro Præſule ſcribit in hunc modum:* Ebroïnus itaque capillos creſcere ſinens, congregatis in auxilium ſociis, hoſtiliter à Luxovienſi cœnobio egreſſus, in Franciam revertitur cum armorum apparatu. Ad beatum verò Audoënum direxit, quid ei conſilii daret. At illé per internuntios hoc ſolum ſcriptum dirigens ait: DE FREDEGUNDE TIBI SIT MEMORIA. At ille ingenioſus ut erat, intellexit; ac de nocte conſurgens, commoto exercitu, uſque Iſaram fluvium venit, interfectiſque cuſtodibus, ad ſanctum Maxentium

A tium Iſaram tranſiit, ac ibi quos reperit de inſidiatoribus ſuis occidit. *Aimoinus aut anonymus rerum Francicarum ſcriptor hac narratione innuit*, S. Audoënum *Ebroïno ſuaſiſſe, ut exemplo Fredegundis reginæ hoſtilem exercitum ſuo fortiorem derepentè ac improviſò opprimeret.*

vel incredibilia, 39 *At anonymus Fredegarii continuator poſt Opera S. Gregorii Turonenſis apud Ruinartium col.* 666 *nullam* S. Audoëni *mentionem facit, omiſſoque tali ſancti Præſulis reſponſo, eamdem Ebroïni expeditionem narrat his verbis:* Ebruïnus audiens has diſſenſiones, conſilio accepto, Francos invicem diſcordantes, convocatis in auxilium ſociis perſonis quamplurimis cum multo comitatu exercituum à Luxovio cœnobio egreſſus in Franciam regreditur, uſque Iſram fluvium veniens peracceſſit, cuſtodes dormientes interfecit ad ſanctam Maxentiam, atque Iſram fluvium tranſiens, quos ibi invenit de inſidiatoribus ſuis occidit. *Unde Cointius in Annalibus Francorum ad annum Chriſti* 674 *num.* 2 *de priori narratione illa tale fert judicium:* Audoënus Rotomagenſis epiſcopus longè ante hæc tempora atB que etiam poſtea in amicitia Ebroïni fuit; tamen reſponſum, quod ei feciſſe dicitur, inter fabellas rejicimus, quia non exiſtimamus, tantum Pontificem tam nefario conſilio facem civilis belli prætuliſſe. *Porrò Pommerayus in Hiſtoria jam ſæpe citata lib.* 1 *cap.* 15 *amicitiam inter* S. Audoënum *& Ebroïnum variis modis explicat, & à crimine immunem facit.*

alia demum veroſimillima occurrunt. 40 *Majorem fidem merentur alia Actorum analecta, inter quæ apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini ſeculo* 3 *part.* 1 *pag.* 21 *de ſancto noſtro Præſule & S. Bertila virgine invenimus ſequentia:* Percunctanti cuidam fideliſſimo viro Dadoni, cognomento Audoëno, ſi vellet Chriſto ſervire, grato animo reſpondit, illam ſe ab infantia habere devotionem, ut Dei filium Chriſtum promereretur adipiſci ſponſum. *Quomodo autem* S. Audoënus *litem inter S. Lantbertum & S. Filibertum compoſuerit, apud nos in Actis S. Lantberti ad diem* XIV *Aprilis, ſive tomo* 2 *iſtius menſis pag.* 217 *legi poteſt. Denique miraculum, quod Sancto noſtro contigit in tranſlatione reliquiarum S. Marculfi, in eodem Opere noſtro ad diem primam Maii*
C *pag.* 79 *narratur. Hæc ſunt præcipua, quæ ſancto Præſuli Rothomagenſi adſcribuntur, & quæ uterque biographus omiſit. Hinc tranſimus ad gloriam poſthumam, quam ſanctus ille Antiſtes ex ſuis ſcriptis, iteratis reliquiarum tranſlationibus ac variis miraculis conſecutus eſt.*

§ IV. Poſthuma Sancti gloria ex ſcriptis, & diverſis reliquiarum ſuarum tranſlationibus.

Lucubrationes quaſdam huic ſancto Præſuli S*Igebertus Gemblacenſis in Opuſculo de Viris illuſtribus cap.* 58 *præcipuam* S. Audoëni *lucubrationem aſſignat his verbis:* Audoënus, qui & Dado, epiſcopus Rothomagenſis ſcripſit ad Robertum Pariſiorum epiſcopum Vitam Eligii Noviomenſis epiſcopi, duobus libris explicans miracula, quæ vel in vita vel poſt mortem ejus geſta ſunt per eum, tertio libro rhetoricè & commaticè totam Vitam ejus recapitulans. *Hinc paſſim bibliographi eum faciunt auctorem Vitæ iſtius, quam Surius ad diem primam Decembris muta-*

to ſtylo edidit, & quam poſtea Dacherius in Spi- AUCTORE
cilegio ſuo fidelius ex duplici manuſcripto codice G. C.
vulgavit. Multi tamen exiſtimant, hæc S. Eligii Acta non eſſe primigenia, ſed ab aliquo poſtmodum interpolata fuiſſe, quorum opinio in Opere noſtro ad diem primam Decembris accuratius examinari poterit. Interim conſule Benedictinos illos ex Congregatione S. Mauri, qui nuper Hiſtoriam litterariam Galliæ cœperunt edere, ubi tomo 3 *pag.* 626 *de hac ipſa Sancti noſtri lucubratione judicium tulerunt.*

probabiliter adſcribimus; 42 *Miræus Antonium Poſſevinum noſtrum ſecutus, ei tribuit etiam Vitam S. Remigii, quæ apud Helvetios in abbatia S. Galli exſtare dicitur. Vix operæ pretium eſt meminiſſe de brevi ejuſdem Sancti epiſtola, quam ſcripſit ad S. Deſiderium Cadurcenſem epiſcopum, & quæ apud Henricum Caniſium tomo* 5 *Antiquæ lectionis pag.* 542 *reperitur. Franciſcus Pommerayus in Hiſtoria Gallica archiepiſcoporum Rothomagenſium pag.* 87 *num.* 8 *recitat tres verſiculos hexametros, qui ab hoc ſancto Antiſtite noſtro compoſiti dicuntur, ac ita ſonant:*

Hi ſunt Gildardus fratres gemini atque Medardus; E
Una dies natos utero viditque ſacratos,
Albis indutos, & ab iſta carne ſolutos.

Quandoquidem hæc carmina videntur eſſe Leonina, non prorſus temere quiſpiam dubitare poſſet, an ea ætati ſancti præſulis Audoëni *conveniant.*

ſed ei chartam aliquam, 43 *Monachus Sandionyſianus inter geſta Dagoberti I regis Francorum, quæ Andreas Du Cheſne tomo* 1 *Scriptorum Galliæ inſeruit, cap.* 43 *meminit de* vetuſtiſſima charta, quam, ut ferebatur, beatus Audoënus epiſcopus ſcripſerat, *& ex ea narrat mirabilem cujuſdam eremitæ in Sicilia revelationem de ſalute Dagoberti regis, quem nempe priùs à dæmonibus ad æterna ſupplicia trahi, ac poſtea per S. Dionyſium alioſque Sanctos unguibus dæmonum eripi viderat. Aimoinus lib.* 4 *de Geſtis Francorum cap.* 34 *chartam illam, quam ſenior monachus Sandionyſianus, utens phraſi* ut ferebatur, *timidè* S. Audoëno *adſcripſerat, eidem ſancto Præſuli affirmanter ac intrepidè tribuit his verbis:* Hæc vir ille venerabilis Joannes (*erat iſtud eremitæ nomen*) Anſoaldo retulit ſe vidiſſe; quæ ille in F
Gallias reverſus ſancto Audoëno narravit, qui ea in una conſcripta chartula poſteris reliquit in ordinem hiſtoriæ digerenda.

de ſuppoſitione ſuſpectam abjudicamus. 44 *Procul dubio Centuriatores Magdeburgenſes ad hanc chartam alludunt, dum Centuria* VII *cap.* 10 *pag.* 274 *inter ſcripta noſtri ſancti Antiſtitis* libellum de anima Dagoberti regis *numerant, ut Caveus heterodoxus Anglus in Hiſtoria litteraria ſcriptorum eccleſiaſticorum apud nos pag.* 321 *teſtatur. An igitur ignorabant illi ſeveri ariſtarchi, qui veteres Eccleſiæ Catholicæ traditiones ac veriſſimas hiſtorias tam facilè explodunt, de hac ipſa charta inter Catholicos diſceptari, & varios eruditos eam* S. Audoëno *abjudicare? Primò Joannes Beſſius in Catalogo Pictavienſium antiſtitum pag.* 18 *in notis ad Anſoaldum de veritate iſtius narrationis dubitat, & Hadrianus Valeſius lib.* XIX *ſive tomo* 3 *Rerum Francicarum pag.* 125 *hanc hiſtoriam rotundè fabulis accenſet. His accedit Cointius in Annalibus Francorum, ubi ad annum Chriſti* 638 *num.* 3 *& ſequenti eamdem operoſius refert ac refellit. Denique Longuevallius noſter in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ lib.* 9 *ſive tomo* 3 *pag.*

AUCTORE G. C.

525 *asserit, quod hanc fabellam retulisse, sit eam refutasse, & simul ibidem præcipuum illius fundamentum breviter evertit. Hinc progredimur ad aliam gloriam posthumam, quam* S. Audoënus *ex variis corporis sui translationibus & honorifica reliquiarum suarum veneratione acquisivit.*

Corpus Sancti honorificè elevatum est

45 *In Actis S. Ansberti præsulis Rothomagensis, qui* S. Audoëno *mortuo successit, apud Mabillonium seculo 2 Benedictino pag.* 1057 *de prima sacri corporis ejus elevatione legimus sequentia:* Inter reliqua autem bonitatis suæ opera, quæ in episcopatu gessit, qualiter etiam venerabile sancti antistitis Audoëni corpus Christo propitio in eminentiorem locum ecclesiæ sancti Petri, quæ sita est in suburbano urbis Rothomagensis (*nunc locus ille muris civitatis inclusus est, ut Mabillonius ibidem notat*) transtulerit, narrare aggredimur. Cum itaque de diversis provinciis plures congregassent artifices, condidit super ejus sepulcrum repam miræ magnitudinis, pretiosis metallis auri argentique decoratam, gemmisque pretiosis adornatam, sicut usque in præsens humano visui apparet. Constituta ergo die
B in solemnitate Adscensionis Domini Christi, sacerdotum ac monachorum reliquorumque clericorum adunata multitudine, ipsum sacrum corpus levari fecit cum reverentia magna & hymnorum laudibus, clero personante, atque in absida præfati sancti Petri apostoli ecclesiæ recondidit feliciter cum gaudio & honorificentia magna.

Rothomagi quatuor annis ab obitu,

46 Intererat autem in hoc sancto conventu inter alios viros venerandos etiam clarissimus Genardus Vicedominus, qui magna præparari fecit convivia, quia plebs innumera ad tam venerandi Præsulis translationem sanctam undique convenerat. Completis autem Missarum solemniis, præfatus Genardus cum viris nobilibus jussu sancti pontificis ad convivandum resedit. Pontifex verò clarus Ansbertus more solito cum peregrinis & pauperibus discumbens, cum ipsis epulari gaudebat: nam ipsa die ministri officium gerens, pauperibus & egenis obsequium in eorum refectione humiliter exhibebat .... In prædicta verò sancti præsulis Audoëni translatione veneranda, omnes cives propriæ urbis Rothomagensis, necnon habitatores monasteriorum circumadja-
C centium, clerici videlicet & sanctimoniales de dato ipsius præsulis venerando ubertim refici meruerunt; factaque est deinceps per succedentia tempora in commemoratione beati pontificis Audoëni illius urbis civibus hæc dies solemniter celebris. *Cointius in Annalibus Francorum tomo 4 pag.* 179 *& sequentibus hanc primam* S. Audoëni *translationem vel elevationem scrupulosè discutit, eamque affigit anno Christi* 687, *qui fuit quartus ab obitu ejus annus, ut ibidem videre est.*

ibique mansit usque ad irruptionem Nortmannorum,

47 *Sacrum corpus ibi honorificè conservatum est usque ad illa tempora, quibus Nortmanni Galliam vastare cœperunt: tunc enim monachi tempestivè reliquias* S. Audoëni *alio detulerunt, ut istorum gentilium furori subducerentur, quemadmodum Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 841 *num.* 32 *sive tomo 2 istius Operis pag.* 620 *exponit his verbis:* In hac regum dissensione Nortmanni, Aquilonares Germaniæ populi, in Neustriam, Oscherio duce, irrumpunt quarto Idus Maii. Pridie Idus ejusdem mensis incensa est ab eis urbs Rotomagus, adeoque monasterium sancti Petri seu sancti Audoëni tunc suburbanum .... Ex illa Rotomagensi clade sancti Audoëni corpus ereptum est D à Riculfo abbate, delatumque à monachis in quoddam prædium, nomine Vadiniacum, ubi aliquot annis servatum. *Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 841 *num.* 24 *fusè disputat de tempore hujus Nortmannicæ irruptionis adversus alios scriptores; sed has minutias chronologicas, quæ nihil ad rem præsentem faciunt, nobis hîc non vacat operosiùs examinare.*

quando ad varia loca translatum fuit,

48 *Laudatus Mabillonius in iisdem Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 872 *num.* 37 *nobis aliam de statu sacri corporis notitiam suggerit in hunc modum:* Adalardo archiepiscopo, cujus obitus VIII Idus Martias hujus anni contigit, suffectus est Riculfus, idemque abbas cœnobii sancti Petri sanctique Audoëni, quod IN SUBURBIO METROPOLICÆ URBIS QUONDAM AUGUSTIUS CLARUIT. Hic primo ordinationis suæ anno, & quidem sexto-decimo Kalendarum Decembrium, limina sanctorum Audoëni ejusdem urbis quondam antistitis, ac beatorum martyrum Nigasii, Quirini, Scuviculi & sanctæ Pientiæ adiit eorum reliquias veneraturus, quæ tunc temporis apud Vadiniacum villam pagi Vilcassini, quem Nortmannicum vocant, causâ metus Nortmannorum, licet in proprio solo, exsulabant. Postridie, adhibitis secum ejusdem congregationis quibusdam optimæ religionis fratribus, sacrum beati Audoëni loculum religiosè reseravit inspecturus, an sacrum ejus corpus in sua theca cum debito honore ac cultu repositum esset: quod ut cognovit, duos mansellos in Badolido ei donavit ad ejus luminaria perpetuò fovenda; obsecrans successores suos episcopos, ut apud eos hæc donatio inviolata permaneat. Subscribunt post Riculfum Sicbardus episcopus, Germenteus abbas, Gaduinus archidiaconus, Wanilo abbas, Leutbrandus præpositus, item Wanilo abbas aliique. E

ac tandem, Nortmannis ad fidem conversis,

49 Joannes Riculfi successor post tres annos portionem bonorum monachis assignatam à Carolo confirmari curavit. Perstitit ad aliquod tempus Vadiniaci corpus sancti Audoëni, everso à Nortmannis monasterio, in varia dein loca ac demum in Vallem-monachorum Trevirensis diœcesis deportatum; dum tandem, Rollone ad fidem converso, Rotomagum in pristinum locum revectum est. *Postea Mabillonius in eodem Opere ad annum* 911 *num.* 64 *de pace inter Francos & Normannos inita & Rollonis conversione sic scribit:* His conditionibus jurata pax in vico sancti Clari & sacramento regi facto, Rollo se sacra nostra suscepturum pollicitus est. Rollo anno sequenti à Francone Rotomagensi archiepiscopo lustralibus undis perfusus, Rotberti nomine donatus est à Rotberto Parisiorum Comite, qui eum è sacro fonte suscepit, & Rotbertum appellavit. Ejus exemplo ceteri Nortmannorum Christianam fidem amplexi sunt, & quæ locis sacris damna intulerant, processu temporis impensè sarciverunt, erectis ecclesiis ac monasteriis, quorum alia ex cineribus excitarunt, alia nova cum multa munificentia condiderunt. Ab illis Lugdunensis secunda deinceps Nortmannia dicta. Non multo pòst sancti Audoëni episcopi reliquiæ in propriam ecclesiam revectæ sunt è Valle-monachorum diœcesis Trevirensis, quo propter metum Nortmannorum delatæ fuerant, ut superiùs diximus. *Quam solenniter hæc sacrarum reliquiarum reductio facta sit, ex antiquis monumentis post hunc Commentarium & utramque Vitam referemus.* F

50 *Redu-*

Rothomagum reductum ac postea per provincias circumvectum est.

A 50 *Reductione illa magnificè peracta, videtur sacrum corpus eodem loco quievisse usque ad medium ferè seculum undecimum, quando per varias provincias delatum est, ut jam sæpe laudatus Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 1042 *num.* 45 *testatur his verbis:* Dum hæc in Beccensi monasterio geruntur, Rotomagi apud sanctum Audoënum defunctus est Herefastus abbas; cui suffectus in regimine monasterii juvenis loci ejus monachus Nicolaus, Ducis Richardi tertii filius, qui ab infantia illic educatus & litteris eruditus, monastico jugo jam dudum assueverat. Hic tempore sui regiminis, quod per annos quinquaginta tenuit, novæ ecclesiæ fabricam aggressus, sancti Audoëni corpus per diversas provincias, ad colligendas fidelium in hoc opus eleemosynas, deferri curavit. Delatum est quoque ad Cadomense concilium, in quo treuva seu treuga Dei, quam ad id tempus Nortmanni admittere noluerant, sancita est. Duo Cadomi concilia per id tempus habita fuisse, discimus ex chartario Pratellensi, in quo de priori fit mentio, quod ante obitum Gradulfi Fontanellæ abbatis habitum est, ut ad annum B MXLVII videbimus. Alterum celebratum est anno MLXI. De priori concilio mentionem facere videtur Fulbertus sancti Audoëni monachus in libro de miraculis sancti Audoëni, quem rogatu Fratrum & prædicti Nicolai abbatis, Vitæ ejusdem Sancti superaddidit; ubi prædictæ delationis corporis sancti Audoëni mentionem facit. Idem auctor meminit processionis quotannis fieri solitæ ad vicinum montem seu cellam sancti Michaëlis cum corpore sancti Audoëni. *Quandoquidem istud Fulberti opusculum post historiam translationum infrà ex manuscripto Rothomagensi vulgabimus, non est hic nobis diutius hærendum.*

Proponitur aliqua difficultas circa caput Sancti,

51 *Etiam prætermittimus tumultum in ecclesia* S. Audoëni *exortum inter monachos & archiepiscopum Rothomagensem, eo quod nonnulli suspicarentur, præsulem velle reliquias* S. Audoëni *auferre, sicuti Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 1073 *num.* 40 *refert ex suis Analectis, ubi quoque falsitatis convincit Matthæum Parisiensem, qui perperam affirmavit, Joannem archiepiscopum Rothomagensem in eo tumultu interfectum fuisse. Porrò non dubitamus, quin notabiles* S. Audoëni *reliquiæ Rothomagi permanserint usque ad annum* 1562, *quo furentes Calvinistæ monasterium illud Rothomagense expilarunt & pleraque Sanctorum reliquias igne consumpserunt, ut Pommerayus in Historia Gallica istius abbatiæ lib.* 2 *cap.* 26 *lamentabili narratione exponit. Facilè tamen crediderim, pauca* S. Audoëni *ossa sacrilegas bagiomachorum istorum manus evasisse, quemadmodum laudatus auctor capite sequente citati libri asserit. Haud dubiè antiquitus quædam* S. Audoëni *reliquiæ aliis monasteriis aut regionibus communicatæ fuerunt: nam apud Edmundum Martene in Thesauro Anecdotorum tomo* 3 *col.* 1690 *ex veteri instrumento dicitur in cœnobio Malmundariensi inter alias Sanctorum exuvias, quas Hyldebaldus præsul Colonienſis seculo nono ab imperatore Carolo impetraverat, exstitisse* casula quoque sancti Audoëni itidem Rotomagensium archiepiscopi. *Verùm intricata difficultas occurrit circa sacrum* S. Audoëni *caput, quod plures ecclesiæ sibi vindicant, ut ex sequentibus apparebit.*

C 52 *De visitatione reliquiarum* S. Audoëni, *qua sub Richardo primo Duce Nortmanniæ facta est, tomo proximè citato Thesauri Anecdotorum col.* 1678 *apud laudatum Martene in veteri documento legimus sequentia:* Consummato denique hoc opere, convocatis episcopis & abbatibus, fecit (*nimirum Richardus primus istius nominis Dux Nortmanniæ*) detegi sanctissimi Antistitis membra à quatuor monachis religiosis ejusdem monasterii cum magno metu & reverentia. Inventum itaque totum corpus integrum cum capite, & absque ulla imminutione, sicuti à venerabili archiepiscopo Riculfo fuerat compositum. *Deinde vetustus istius documenti scriptor ibidem in fine sic concludit:* Hæc idcirco, dilectissimi, compendiosè digessimus, quemadmodum veridica à majoribus nostris relatione comperimus, ut planè & absque ambiguitate sanctissimi patris nostri Audoëni corpus integrum & ab omni membrorum parte imminutum haberi apud nos, ut prædiximus, credatur. AUCTORE G. C. *quod seculo* X *simul cum corpore Rothomagi, visitatum dicitur,*

& quod tamen Raysius alibi assignat.

53 *Sed Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio suo Belgico pag.* 129 *caput* S. Audoëni *in vico vernaculè dicto* Bourſy, *qui inter Cameracum & Atrebatum situs est, assignat hoc modo:* Visitur in parochiali hujus pagi ecclesia caput & quidem integrum, inferiore excepta mandibula, sancti Audoëni archiepiscopi Rotomagensis, sancti Eligii Noviomensis & Tornacensis antistitis discipuli, qui obiit anno Incarnati Verbi DCLXXVII (*hunc errorem chronologicum ex supradictis corrige*) nono Kalendas Septembres. Magnus fit in dies populi confluxus ad has sacras reliquias, præcipuè à surdastribus, qui levamen & subsidium plerumque recipiunt. *Utinam Rayssius indicasset tempus, quo insignis ille sacer thesaurus huic pago datus est, aut potiùs antiquas istius donationis & possessionis tabulas protulisset! Deficiente illa notitia, non possumus dirimere hanc litem, quæ ex dicendis paragrapho sequente magis intricabitur.*

§ V. Reliquiæ hujus Sancti in Angliam transvectæ, & miracula per eas patrata.

Guilielmus Malmesburiensis narrat,

F *Corpus* S. Audoëni *simul cum capite in Angliam transvectum est, si credimus Guilielmo Malmesburiensi, qui libro* 5 *de Pontificibus inter quindecim scriptores Anglos à Thoma Gale anno* 1691 *Oxoniæ editos pag.* 371 *& sequente translationem illam narrat his verbis:* Illud fuit tempus, quo beatissimi Audoëni Rothomagensis archiepiscopi reliquiæ in cœnobium nostrum evectæ sunt. Causa evectionis hæc fuit. Emma regina, defuncto Egelredo rege, Normanniam ad fratrem transierat, nihil sibi apud Danos, qui Angliam occupaverunt, tutum opinata. Diutinè ergo in Rothomago manſitans, cùm alios monachos sancti Audoëni, tum secretarium loci, muneribus illexerat in amicitiam, ad hoc intendens præcipuè, ut beati Præsulis sibi venditaret corpus: sic enim Christianitas viluit, sic cupiditas increvit, ut Sanctorum corpora mercem faciamus, felices exuvias venum proponentes.

insignia S. Audoëni ossa in Angliam translata esse

55 Exhorruit primò monachus immane facinus; postmodum verò adductus necessitate nepotis sui, qui in Francia captus redemptionem desiderabat, mercimonium, quod petebatur exposuit. Opimâ prædâ potita mulier cum sereniore

AUCTORE G. C.

re tempore accedente rediiſſet Angliam, corpus reliquum Cantuariæ contulit, caput in ſecreto ſuo habuit. At verò poſt multos annos, cum filius ejus Edwardus regnum ſuſcepiſſet, memoria præteritarum rerum cor regium in matrem excitavit: nam quia parum in prolem liberalis fuerat, cum ipſe tenues actitaret annos, juſſit omnem maternam ſupellectilem expilari; factumque eſt, ut quidam aurifaber, qui ei à ſecretis fuiſſet, ſcrinium Sancti cum capite ſurripuit, ceteris interim ad theſauros inhiantibus. Is cum fratre monacho, quem apud Meldunum habebat, depoſuit, nulli aptiùs quàm monacho ſacra deleganda ratus. Nec multo pòſt fato ſatisfaciens, perennem ſui memoriam loco reliquit, quem tantis gazis inſignivit. Hæc non ambiguis auctoribus ſparſa acceperim *, ſed eis, qui viderint, ætate, fide, ſcientiâ plurimùm præſtantibus. Jam verò quod de miraculis Audoëni ſcribere noſtri non interſit officii, judicabit, qui grandes libros de geſtis ejus majorum curâ editos, meritoque ſuo notiſſimos legerit.

* *fortè* accepi

B *ab Emma regina Angliæ*

5.6 *Ex Polychronico Ranulphi Higdeni, quod inter memoratos quindecim ſcriptores Anglos excuſum eſt, præterpropter colligimus, quo tempore iſta* S. Audoëni *tranſlatio in Angliam fieri potuerit: ibi enim pag.* 271 *ad annum* 1002 *leguntur ſequentia:* Hoc anno rex Egelredus duxit Emmam Normannorum gemmam, filiam Richardi primi Ducis Normanniæ. *Dein pag.* 273 *ad annum* 1014 *hæc adduntur:* Conſternatus rex uxorem ſuam Emmam cum duobus filiis ſuis unà cum Londonienſi epiſcopo ad Richardum ſecundum Comitem Normannum, Emmæ fratrem tranſmiſit. *Denique ibidem mors Egelredi regis anno Chriſti* 1017 *affigitur. Ex his ſequitur, Anglicam illam tranſlationem fieri debuiſſe poſt tempora Richardi primi Ducis Nortmanniæ, qui ſeculo X corpus* S. Audoëni *integrum cum capite detegi juſſit, ut paragrapho præcedente retulimus.*

quam narrationem Pommerayus implicitè negat.

57 *Sed Franciſcus Pommerayus relatam Guilielmi Malmesburienſis narrationem implicitè negat, licet eam fortè numquam noverit, dum in ſæpe laudata Hiſtoria Gallica abbatiæ Rothomagenſis lib.* 2. *cap.* 7 *num.* 8 *aſſerit, integrum* S. Audoëni *corpus juſſu Richardi primi Ducis ab Hugone præſule Rothomagenſi honorificè recluſum eſſe, & ab eo tempore ſimul cum capite Rothomagi manſiſſe uſque ad annum* 1562, *quo ſacrilegi Calviniſtæ pleraſque Rothomagenſis monaſterii reliquias flammis abſumpſerunt, ut ſuprà monuimus. Hinc Pommerayus ibidem numero ſequente dicit, ſeſe dubitare de veritate capitis* S. Audoëni, *quod Rayſſius inter Cameracum & Atrebatum aſſignat. Nos narrationem Guilielmi Malmesburienſis, qui ante medium ſeculi duodecimi floruit, neque cum Rayſſio neque cum Pommerayo conciliare poſſumus, & proinde hanc litem indeciſam relinquimus, donec aliunde major ac certior notitia acceſſerit. Si ergo Rothomagenſes contendant, apud ſe totum* S. Audoëni *corpus unà cum capite uſque ad annum Chriſti* 1562 *quieviſſe, ipſis teſtimonia Guilielmi Malmesburienſis ac Rayſſii elevanda & antiquiora ſuæ poſſeſſionis continuæ documenta proferenda erunt.*

C

58 *At qualiacumque fuerint illa* S. Audoëni *oſſa, quæ regina Emma ex Normannia in Angliam tranſvexiſſe dicitur, antiquitus in Anglia feſtum hujus ſancti Præſulis celebrari conſueviſſe, & ſacras ejus reliquias ibidem honoratas eſſe, diſcimus ex antiquis Actis aut potius miraculis S. Dunſtani Cantuarienſis archiepiſcopi, in quibus apud nos ad diem* XIX *Maii ſive tomo* IV *iſtius menſis pag.* 378 *ex veteri ſcriptore referuntur ſequentia:* Virgo quædam Deo devota orationis gratiâ in civitatem venit, inde miſera, quod ex quo nata eſt, hujus mundi lucem non viderat; ſed ex hoc beata, quod æternam lucem ardenti ſemper deſiderio quæſiverat. Et cum fortè natalitius dies ſancti confeſſoris Chriſti Audoëni epiſcopi inſtaret, in quo pariter & aliorum omnium, quorum reliquiæ in eccleſia Salvatoris continentur, præcipua veneratione memoria celebrabatur, poſtulabat illa à cuſtodibus eccleſiæ, ut ſibi liceret eâdem nocte vigilias ibidem celebrare. *Dein exponitur, quomodo virgo illa cæca per interceſſionem S. Dunſtani viſum impetraverit. De reliquiis ejuſdem Sancti noſtri, ni fallor, ſermo eſt apud Gervaſium monachum Anglum, qui inter decem ſcriptores Anglos, anno* 1652 *Londini editos, col.* 1457 *in ſuo Chronico ad annum Chriſti* 1180 *narrat miraculum per eas patratum hoc modo:* Undecimo Kalendas Junii cum civitas Cantuariæ igne vaſtaretur, & jam pluribus conſumptis domibus, eccleſiæ ſanctæ Trinitatis immineret periculum, tulerunt monachi feretrum ſancti Audoëni contra ignem, ſtatimque flamma ſtridens quaſi à vento, immò à virtute Dei in ſe retorta, ulterius procedere non præſumpſit.

D *Quamvis hic Sanctus antiquitus in Anglia cultum habuerit,*

E

59 *Joannes Capgravius Auguſtinianus in nova Angliæ Legenda folio* XXI *edidit compendioſam ſancti Præſulis Rothomagenſis Vitam, cui ſubjungit antiquam reliquiarum ejus tranſlationem & aliqua miracula in hunc modum:* Circa annum Domini nongenteſimum quinquageſimum ſextum tempore regis Edgari venerunt in Angliam clerici quatuor, & regali curiæ ſe præſentantes, ad conſpectum regis & colloquium adducti ſunt. Qui cùm tempus opportunum ſe nactos exiſtimarent, quod in regnum ejus reliquias ſancti Audoëni attulerant, familiari affatu auribus regis intulerunt. Audito autem rex nomine ſancti Audoëni obſtupuit, nec ſe hoc credere poſſe ulla ratione reſpondit. At illi nihil verius eſſe aſſerentes, addiderunt: Proba qualicumque modo magis tibi placuerit, igne vel quorumlibet miraculorum experimentis: & ſi corpus præfati Patris, ſilentibus miraculis, non eſſe conſtiterit, nos tanti mendacii reos lege, qua juſtum fuerit, punitos à tuo exterminabis regno. Et ait rex: Hoc enim non ſeculari, ſed examine debet eccleſiaſtico diffiniri. Suſtinete ergo, donec archiepiſcopus veniat, quæ dicitis, audiat, audita examinet, dijudicet, & quid in tanta re ſit tenendum, ſententiam ferat.

F *& ibidem, teſte Capgravio,*

60 Cum autem archiepiſcopus ſanctus Odo adveniſſet, & Clerici interrogati in ſuo propoſito perſeveraſſent, & examinatione oſtenſionis divinæ rem inveſtigare magnis precibus exoraſſent, ait epiſcopus: Adducatur leproſus aliquis, ut ex eventu illius cognoſcamus, quid de reliquiis iſtis certa fide teneamus. Tantæ ſiquidem pietatis, tantæ virtutis, tantorumque meritorum credimus eſſe ſanctum Audoënum, ut, ſi ipſe verè eſt, de quo agimus, ſua nobis bonitate ea, quæ pro gloria Dei & ſua oſtenſione humiliter petierimus, non negabit. Adductus eſt igitur quidam in medium horrida corporis fœditate corruptus; quem pontifex Odo cum uno de oſſibus allatis in modum crucis tertiò conſignans, ita mox omni corruptionis horrore deterſo, ad invocationem nominis

per ſacras ejus reliquias

A nominis ſancti Audoëni ſanavit, ut tanti mali veſtigium in homine nullum penitus reſideret. Allatus eſt etiam in lecto alter ægrotus, paralyſis morbo toto corpore diſſolutus, mortis potius quam vitæ imaginem in ſe vultu, voce, & membrorum omnium ſtupore protendens. Pontifex ergo ipſarum reliquiarum caput aſſumens, ſuper corpus jam penè exſtinctum poſuit, & flexis genibus pronus oravit, quatinus ob merita & interceſſiones beati Audoëni priſtinæ ſanitati paralyticus redderetur, ſi ipſum quidem caput ejus fuit, dum in hac tranſitoria vita degebat. Mira Dei pietas, & potentia verè miranda! Confeſtim ad tactum capitis ſacri homo ſanus erigitur, & gaudens atque exultans in voce laudis & jubilo cordis ad ſua regreditur. Patrata ſunt etiam per eaſdem reliquias ipſo tempore & alia miracula non pauca, quæ brevitatis causâ tranſivimus, nullum in prolixitatibus gravare volentes.

multa miracula

61 His ita geſtis, rex, antiſtites & qui aderant, valde exhilarati Deum in Sancto ſuo glorificabant. Tunc rex cum pontifice habito conſilio, clericos convenit, & quid eis pro adeptione ſacrorum, quæ detulerant, facere deberet, diligenter inquirit. Referunt ipſi hoc & ipſorum voluntati. Tunc regis munificentia ſupra id, quod petebant, copiam ſuæ largitatis extendit, pontificique ait: Cum reſpectus gratiæ Dei nos & regnum Anglorum tanti Amici ſui præſentiâ ſublimaverit, videtur convehire, ut & nos ipſi Sancto, qui ad nos venire dignatus eſt, in maiori & digniori loco totius regni perpetuam manſionem procuremus condonare. Quapropter, reverende pater, ad eccleſiam, cui Deo auctore præſides, has ſanctas reliquias condignâ reverentiâ transfer, & ejus patrocinio atque tutamini ipſam eccleſiam & quidquid ad eam pertinet, commenda. Quod cum epiſcopus feciſſet, ipſi Clerici loci dignitatem conſiderantes & monachorum religionem, facti ſunt monachi inter eos, & in ſervitio Dei & beati Audoëni uſque ad finem vitæ ſuæ jugiter permanſerunt. Factum eſt autem ſcrinium pretioſum, in quo oſſa ſacra, diverſis involumentis obvoluta, cum honore ſunt locata.

patrata fuerint,

62 Cum monachus quidam Cantuarienſis eccleſiæ dæmonio vexaretur, Fratres, conſilio habito, reliquias ſancti Audoëni ſumentes, ad infirmum Fratrem detulerunt. Necdum oſtium domûs, in qua vinctus ferro tenebatur, intraverant; & ecce ille de intus clamoſa voce perſtrepebat dicens: Quid eſt? Quo tenditis? Nihil mihi & ſancto Audoëno commune eſſe ſciatis, nec me illi præſentandum qualibet vi aut arte noveritis. Quapropter ſicut veniſtis, recedite, & vos inaniter fatigare nolite. Illi tamen intrepidi reluctantem dæmoniacum ſecum violenter adducunt, ipſo inceſſanter vociferante, ſibi vim & injuriam fieri; ſe tamen præſentiam ſancti Audoëni modis omnibus deteſtari. Itaque uno de oſſibus ſancti Audoëni ſuper eo poſito, ſtatim conquievit, à ſua veſania liberatus, nec ulteriùs hujuſmodi eſt furore fatigatus.

tamen circa tempus hujus tranſlationis

63 *Ex hac chronologia Capgravii & narratione Guilielmi Malmesburienſis ſequitur, varias* S. Audoëni *reliquias diverſis temporibus in Angliam allatas fuiſſe: nam reliquiæ* S. Audoëni, *quas memorati Clerici anno 956 obtulerunt Edgaro regi & Odoni archiepiſcopo Cantuarienſi, procul dubio ſecundum ſeriem temporis diverſæ ſunt ab illis, quas Emma regina & S. Eduardi mater ſeculo undecimo ex Normannia in Angliam tranſvexit, ut ex ſupradictis colligitur. At maximè miramur, in narratione Capgravii & Guilielmi Malmesburienſis utrobique mentionem fieri de ſacro capite* S. Audoëni *(adde caput ejuſdem Sancti à Rayſſio ſuprà aſſignatum) quod omnino combinare non poſſumus, niſi pars capitis pro toto capite accipiatur, aut aſſignetur alius* S. Audoënus *epiſcopus, ad quem reliquiæ iſtæ pertineant. Quapropter eruditos Anglos rogamus, ut intricatum illum nodum diſſolvere & hæc inter ſe conciliare non graventur.* AUCTORE G. C.

occurrunt nobis intricatæ difficultates,

64 *Reſponderi non poteſt, reliquias à Capgravio & Guilielmo Malmesburienſi memoratas, forſan eſſe eaſdem cum illis, de quibus Fulbertus inter miracula ſub finem inferiùs ita ſcribet:* Tempore Wilielmi inclyti regis, cujus ſuperiùs mentionem fecimus, ſuprà titulatus abbas cœnobii beati Audoëni Nicolaus, divino fretus ſolamine, laudabili cultu & opere eccleſiam cœpit conſtruere, tanti Patris condignam honore; ob cujus ſumptus ædificationis, aliquos cum ſacrarum capſula reliquiarum trans mare ſtuduit deſtinare, qui hoc fidelium devotioni ſuggererent, quatenus ſpontanea voluntate aliqua ad templi fabricam munera offerrent. Legatis itaque, tranſmiſſo æquore, Anglorum fines ingreſſis, non tam ipſorum verbis, quàm evidentibus ſignorum indiciis extemplo ſanctiſſimi gloria Confeſſoris omnibus innotuit.

quas Anglis & Rothomagenſibus proponimus.

65 *Imprimis dubitari poteſt, an illa capſula reliquiarum* S. Audoëni, *quam Rothomagenſes legati ad colligendas eleemoſynas in Angliam tranſtulerunt, poſtea ab ipſis in Normanniam revecta non fuerit. Si ex Anglia in Normanniam relata ſit, certè differunt hæ reliquiæ ab illis, quæ in eccleſia Cantuarienſi permanſerunt. Præterea hæc reliquiarum tranſlatio ſub abbate Nicolao Nortmanno contigit, adeoque aliis tranſlationibus à Capgravio & Guilielmo Malmesburienſi memoratis poſterior eſt, cum Nicolaus ille abbas anno Chriſti 1042 primùm monaſterio* S. Audoëni *præeſſe cœperit, ut Pommerayus in Hiſtoria iſtius abbatiæ lib. 3 cap. 7 num. 17 probat. Niſi ergo Capgravius & Guilielmus Malmesburienſis tempora ac perſonas perperam mutaverint, plures ac variæ* S. Audoëni *reliquiæ diverſis temporibus in Angliam tranſlatæ fuerunt. Porrò in his tenebris ampliorem lucem exſpectabimus, & poſt duplicem* S. Audoëni *Vitam ac tranſlationis hiſtoriam prælo ſubjiciemus etiam ea miracula, quæ per ſacras ejus exuvias Rothomagi vel alibi contigerunt.*

VITA PRIMA,

auctore anonymo ſuppare,

Ex Ms. Ultrajectino ſancti Salvatoris, quod numquam antea editum eſt.

PROLOGUS.

Obſcurus

SAnctorum virorum vita quamquam ſit glorioſa in exemplis, ad narrandum plerumque ſurgit difficilis. Dum mens bruta hominis nequaquam fulget oraculis, ad explicandum ignava

EX MS. *a* siſtit & inutilis, hortaturque pia [eam] *a* voluntas; mentem verò illius trahit devotio; ſed ſenſus tardus nimium premit voluntatis arbitrium. Neceſſe eſt autem, ut ad Redemptorem noſtrum petamus auxilium, qui ſapientiam dat abſque improperio. Ille largitor miniſtret in tabulis cordis, qui loquelam aſinæ diſtinxit in ſyllabis; & ora confirmet ſtrenuus ad enarrandum vitam venerabilis Audoëni, ut ex hoc Chriſtus laudetur in gentibus, dum Sancti venerantur in eximiis virtutibus.

& metaphoricus auctoris prologus.

2 Odor agri redolet, quem Dominus benedixit; & nitet in pluribus: & ideo exultat valde mater Eccleſia, dum alii micant operibus glorioſis, alii rutilant ut roſæ inter ſpinas, alii inter lilia candent in virgulis, alii redolent vini more, [quod] nectar includit balſamaque aromatum: ſicque fit, ut omnipotens Deus agri ſui jocundetur odoribus, paſcatur virtutibus, glorietur operibus, adoretur ut Dominus; ut qui in cæli faſtigio Angelico delectatur in carmine, humanam ſuſtentans inopiam, de terrenis mercatur cæleſtia: ut cum ſuo auctore Chriſto caput ſequatur Eccleſia, ut ſine fine regnet per ſecula *b*. Igitur favente Domino, quod propoſui narrare, differam.

B *b*

ANNOTATA.

a *Cum nullum aliud hujus prologi exemplar habeam, ſubinde coactus fui pauca addere, quæ uncis incluſi, ut ſaltem aliquo modo vitioſam ſyntaxim corrigerem.*

b *Vix intelligo, quid biographus his ultimis periodis velit ſignificare.*

CAPUT I.

Sancti patria, fratres, vita aulica, virtutes, & tranſitus ex aula ad epiſcopatum.

Sanctus in Gallia natus, *a* C *b c d*

TEmporibus Lotharii glorioſi principis; itemque *a* regis Hilderici in provincia Galliarum, Sueſſonico oppido orti ſunt tres venerabiles viri ex uno ſemine nobiles generati, gratiâ Dei cælitus illuminati, Ado, Dado, & Rado *b*. Pater eorum Audechairus *c*, mater vero nomine Aiga *d*: uterque Chriſtiano apice decoratus; qui à rudimentis infantiæ, literarum ſunt acumine informati, ab ipſo principe dilecti, prudentiſſimè eruditi ab illuſtribus viris. Primogenitus verò Ado *e* floruit ordine monaſtico, religioſamque appetens vitam, mundi hujus calcavit malitiam; Rado *f* autem palatii theſaurorum cuſtos effectus, ſeculi dignitatem adeptus, timore Domini præcinctus, in eleemoſynis largus, fideliter omnia cuſtodivit atque in faſcibus miniſtravit. Venerabilis ergo Audoënus, cognomento Dado, pontifex epiſcopali cathedra ſublimatus, unà cum honore regis [gratiam] adeptus, funxit * officio per tempora longa.

e

f

* *pro* functus eſt, *ut infrà.*

4 Poſt diſceſſum Lotharii *g* filius ſuus Dagobertus *h* in locum genitoris inſtitutus eſt princeps, homo verſutus admodum & ingenio callidus, tremendus in regno. Qui ſceptra regalia tenens, ut leo fervidus, ſubditorum colla deprimens, gentium feritatem vallante fortitudine triumphavit: ſub cujus dominationis imperio prædictus Vir Domini eo militabat in tempore, annulum *i* regis adeptus, dilectus à plurimis, ſibi honorem creditum pertractabat ſubtiliter. Quid plura? Dilectus ab ipſo principe ob amorem famulatûs inter cæteros ſatellites regi valde creditus pro ſapientiæ oraculo fulgebat in tempore. D *i*

g in aula regum Francorum *h*

5 Exinde Chriſti Famulus honores ſeculi parvi pendens, ad cæleſtia regna devotiſſimè anhelans, in jejuniis frequens, in vigiliis pernox, in orationibus aſſiduus, in eleemoſynis largus pauperes pro Chriſti nomine alacriter venerans, in mandatis Dei erat promptiſſimus: plerumque enim ſub baltheo gemmarum fulgore conſepto, atque ſub purpura auro nitente contexta, pro fidei ardore proprium corporis ſchema duro premebat cilicio. Sicque conſtans in ſeculi militia [cum] idoneus tyro polleret, & à divinis mandatis non diſcederet; adimplens Domini præceptum, ubi dixit: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo; Dominus ſuum militem informavit, ut ſic miniſtraret faſcibus terrenis, quatinus non derogaret cæleſtibus. O quantum amorem circa religioſorum & ſervientium Deo habebat & ſtudium! Suum aſcribebat lucrum, quidquid in aliis divina gratia conferebat. *pie vixit,* E

6 Ex hoc beatum Eligium *k* Noviomagenſem antiſtitem virtutibus comprobatum fidei charitate ſibi conjunxit: ut quaſi duæ olivæ pinguiſſimæ, vel duo candelabra aurea, ſplendentes, ſole juſtitiæ illuminati ambo pariter fulgebant in aula palatii. Quem Dominus videns gratum atque ſollicitum eſſe circa ſua præcepta, de terreno naufragoſo ſeculo ereptum pontificali cathedra [ornavit.] Sedem in Radonio *l* civitate collocans Sacerdos egregius funxit officium. Quapropter electus paſtor à Domino, prædicator egregius effectus, tam verbis quam operibus gregem informans dominicum: ita protegente Domino religione fidei roboratus Francorum ſæviſſimam feritatem in manſuetudinem vertit, & ex ſacro fonte mellis dulcedine temperavit, parochiaſque ſuas divino cultui conſecravit; ut relicto ritu gentilium, ſponte ad Chriſti jugum vel ſervitium colla ſua ſupponerent. *& ad epiſcopatum evectus,* K *l*

7 Quantæ eccleſiæ, quantaque monaſteria utriuſque ſexus ab ipſo Pontifice ſint fundata, ſi quis voluerit clarè cognoſcere, luſtret per ejus parochias, & videbit ſe quaſi Ægyptum mirari in agmine monachorum. Proinde ipſe Vir Dei tam verbis quam exemplis oves dominicas & caulas fidelium à luporum morſibus cuſtodiebat. Quis umquam valet ejus imitari vitam & artam vel anguſtam Redemptoris viam, per quam perrexit ad cæleſtia regna? Quis diceret, eum umquam vel de cibo vel de potu eſſe ſatiatum? Quem ita eſuries corporis attenuaverat, ut caro attrita & maciei pallore ſuffuſa, maxillæ ejus lachrymarum imbre madefactæ, cervices ambitu ferrei circuli depreſſæ, brachia ſimul cum reliquis membris circulorum donatione conſtricta [eſſent.] *varias virtutes exercet,* F

8 Miles Chriſti, quaſi catenatus ob amorem Domini, tali ſe cuſtodia devinxerat; & deſideria mundi damnaverat, & ad ſupernam patriam feſtinabat, & velut perſecutionis tempore martyres Chriſti, agentibus tyrannis, in ergaſtulum carceris dampnati & in metallis retruſi pro Chriſti nomine pretioſum ſanguinem fuderunt; ita & hic in pacis tempore, deſinente perſecutione, ipſe ſibi fervidus miles inſtiterat, & confeſſione præclarus martyrii palmam ſectando promeruit. Poſtea quidem qualem ſibi lectum aptaverat, & requiem, *ſuumque corpus caſtigat.*

requiem, quam corpuſculo miniſtrabat, narrare non pigeat. Ipſe requiem grabati non de plumarum mollitie, ſed de lignorum congerie conſtruebat; & quaſi in ergaſtulum ſuum conficiens corpus, lenocinantes mundi inſulas reſpuebat; conſentiens Apoſtoli ſententiæ, ubi ait: Quia non ſunt exiſtimandæ tribulationes hujus mundi ad futuram gloriam, quæ revelanda erit in Sanctis. O virtus abſtinentiæ & mortificatio carnis, quæ ad cælos mittis milites Chriſti! O fervor charitatis, qui ſic ardes in pectore, ut, caducis contemptis, penetres cælorum regna. Ita in Dei famulo Audoëno operatus eſt Dominus, & eum in hac vita nobiliter exaltavit, & ſuarum virtutum decoravit ornatu; & requiem poſt tantum laborem dedit. Iſta pauca breviter concludenda ſunt, ne ſermo incultus faſtidiat *m*.

ANNOTATA.

a *Comtius ex manuſcripto ejuſdem Vitæ exemplari, quod ſparſim Annalibus Francorum inſeruit, ad annum Chriſti* 610 *num.* 7 *melius hæc ita edidit:* Temporibus Clotarii glorioſi principis, filiique regis Chilperici *&c. Nam Chilpericus anno* 584 *moriens Clotarium II reliquit infantem, qui ab obitu patris uſque ad annum* 628 *regnavit.*

b *Cum hic ſcriptor ſit Sancto ſuppar, magnopere confirmantur ea, quæ* § 2 *Commentarii prævii contra Valeſium diximus.*

c *In proximè citato Cointii fragmento pater eorum vocatur* Aldecharius *pro* Andechairo, *eumque Cointius* Autharium *appellat. Porrò pater ille* S. Audoëni *cum conjuge ſua refertur in quibuſdam Martyrologiis ad diem* 26 *Aprilis, ubi majores noſtri ambos ad hunc diem remiſerunt.*

d *In Cointiano Vitæ fragmento mater* S. Audoëni *vocatur* Ayca, *quamvis alia apographa eam paſſim* Aigam *nominent.*

e *De hoc Adone majores noſtri ad diem* 31 *Januarii inter prætermiſſos & in alios dies rejectos mentionem faciunt. Pommerayus in Hiſtoria Gallica abbatiæ* S. Audoëni *lib.* 1 *cap.* 2 *num.* 10 *teſtatur, eum cum parentibus & fratre Radone in Martyrologiis quibuſdam monaſticis referri. Mabillonius etiam in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti* 660 *num.* 4 *eumdem Adonem titulo* ſancti *appellat. Si tum parentes, tum hi duo filii legitimum cultum habeant, non eſt operæ pretium alio die ſeorſim de illis agere; cum præcipua eorum geſta in his hodiernis Sancti noſtri Actis narrentur, nec alia ſingularia de iis habeantur.*

f *Hinc confirmamus, Radonem illum non eſſe perſonam fictam, ut* § 2 *Commentarii prævii fuſiùs oſtenſum eſt.*

g *Clotarius vel Lotharius II anno Chriſti* 628 *obiit, & jam ante mortem Dagoberto filio ſuo regnum Auſtraſiæ dederat, exceptis quibuſdam provinciis.*

h *Dagobertus I poſt obitum patris ſui Neuſtriam & Burgundiam poſſidere cœpit.*

i *Iſti annuli regalis cuſtodes vocabantur* referendarii, *quia ad regem referebant libellos ſupplices, aliaſque litteras, priuſquam eas annulo regio obſignarent. Tales miniſtri regum etiam aliis nominibus appellabantur, ut in Annotatis ad alteram Vitam videbimus.*

k *Sanctus noſter ſcripſit Vitam hujus epiſcopi Noviomenſis, ut ad diem primam Decembris fuſiùs dicendum erit.*

l *Hoc nomine deſignatur urbs Rothomagenſis in Normannia, quæ varias habet appellationes, ut apud Valeſium in Notitia Galliarum pagina* 482 *&* 483 *videre eſt.* EX MS.

m *Haud dubiè* faſtidiat *hîc ponitur pro* faſtidium moveat, *ut ex ſenſu colligitur, niſi fortè legendum ſit* faſtidiatur.

CAPUT II.

Piæ Sancti peregrinationes, & patrata in iis miracula.

AD miracula ejus tranſeat oratio, quæ à diſcipulis *a* ejus teſtibus idoneis narrantibus agnovi, & pauca de multis curavi annectere. Dum ipſe Sanctus Dei ex laïco ordine ad onus pontificale juſſu regali conſcendiſſet, verebatur juxta Apoſtoli ſententiam, ubi prohibuit, ne neophytus ordinaretur, ut nequaquam in laqueum diaboli incideret. Poſt acceptam pœnitentiam exul de patria [efficitur;] dum annus verteretur in tempore, [ut] per gradus & ordines merito fieret ſcriba doctus in Eccleſia: exinde proceſſit partibus Hiſpaniæ, ubi Dominus operatus eſt miraculum magnum. Jam ferme ſeptem terminabantur anni, in quibus regio ipſa laborabat ſiccitate, & terrâ versâ in ariditatem, ſterilitas & fames & peſtilentiæ morbus undique minabantur interitum. Tandem miſericors Deus videns afflictionem populi ſui, miſertus humanis laboribus, in introitu famuli ſui Audoëni pluviam ſtatim conceſſit, & ſuper terram ſitientem imbrem mirificum temperavit. Unde felix opinio Gothorum *b* terras penetravit. Non immerito ſanctus Audoënus Eliæ virtutibus comparatur: quoniam in Iſraëlitico populo ob eorum facinus cæli clauſi ſunt tribus annis & menſibus ſex: unde orante Elia pluviarum abundantia terram ſqualidam infudit. Ita demum Dominus noſter Jeſus Chriſtus per Servum ſuum, invocatâ gratiâ ſuâ, replevit aquis Hiſpaniam. *Sanctus Hiſpaniam ſiccitate liberat, a* *b*

10 Sicque Vir Domini valde ex hoc confortatus miraculo, charitatis fervore crevit ſtrenuè, & mundialem [honorem] horreſcens, [eam terram] deſeruit, & vitam contemplativam enixiùs appetivit. Totum ſe dedit, totumque ſe Deo contulit. Ex hoc angelico vallatus præſidio quemdam famulatum adeptus, ſæpius ſermocinabatur cum Sanctis. Sicque conſtat, ut ejus diſcipuli viſibiliter ſæpius contemplantes, maximam lucem deprehenderent circa ejus grabatum radiare. Sanctorum autem fruens colloquiis Servus Chriſti Jeſu, exultabat in Domino; & inde Vir Domini unà cum Apoſtolo quæ retro ſint obliviſcens, in antea ſe extendens, cordis ſui ſacrarium templum Spiritus ſancti effecit, & Dominum meruit videre, ſicut ſcriptum eſt: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Exinde proceſſit de virtute virtus, de mundo corde puritas, de patientia poſſeſſio rerum. Ab operatione virtutum Famulus Domini crevit in terris; quo opera proſequente, regnum aſſumpſit cæleſte, meruitque. *angelico conſortio fruitur,* E F

11 Omnipotens Deus Famulum ſuum in gentes plurimas manifeſtando glorificavit & ſignis Apoſtolicis decoravit. Contigit aliquando, ut, dum iter ageret per pagum Andegavodum *c*, quidam pauperculus die Dominica ad molam laborando farinam *in Gallia miraculum patrat,* *c*

EX MS. farinam conficeret. At manus ejus cum virga, unde mola rotabatur, aſtricta eſt; ita ut pollex per nervorum & venarum compagem tranſiens penè, ſuperiore parte ſanguis gelidus emanaret, & culpæ reus delictum perſolvens virgam in manu conſtrictam nuſquam valens projicere teneret. Unde terror in populo & ſtupor maximus irruerat. Sicque vir Sanctus dum ad ipſa loca pergeret, ipſe pauper ad ejus ſe volvens veſtigia & reatum ſuum pronuncians, dicit, [ſe] ita hoc eſſe perpeſſum, eo quod die ſanctæ Reſurrectionis contra mandatum Domini operatus fuiſſet. At ubi eum Vir Domini vidit, miſericordiâ motus manui aridæ ſanctæ crucis ſignum imprimens, ad ſanitatem priſtinam revocavit, monenſque eum, dat ſalubre conſilium, ut in die Dominico nequaquam ultra opus ſervile faceret, nec poſtea per contemptum ei evenirent pejora prioribus; dicens, quod Judæi ex præcepto Domini obſervabant ſabbatum propter legem mandati, quanto magis Chriſtiani, qui ejus redempti ſunt ſanguine, debent diem Dominicum venerari.

& ex Romana peregrinatione reverſus, B 12 Sicque vir Sanctus per diverſas parochias virtutum ſemina atque verborum acumina ſpargebat. Nam cum ſemper ejus mens ob amorem ſanctæ Trinitatis in cæleſtibus anhelaret, ardebat deſiderio, ut ſanctorum Apoſtolorum limina adoranda Romæ properare deberet; quod ita & fecit, licet ætate longa defeſſus & prolixitate, corporis abſtinentia tabefactus, & pene membrorum compagine diſſolutus. Avidus Miles Alpium celſitudinem & Pirenæi *d* juga valde inveterata congerie [ſuperans,] ob amorem Domini ejuſque diſcipulorum ſe dedit periculo, vota complens, deſiderio ſatisfaciens, monumenta Sanctorum viſitans, & ſuper eorum pavimenta corpore proſtratus oſcula figens, quod jam dudum optaverat, devotus implevit. Sicque Vir Dei Sanctorum ſuffragiis ſuffultus, Sanctorum loca perluſtrans, orationum emolumenta acquirens, reliquias Sanctorum multorum ſecum deferens, atque angelo Domini comitante, Galliarum partibus remeans, orationis ejus obtentu ſalutem animarum & corporum miniſtravit.

d

cum magno diœceſis ſuæ gaudio excipitur, C 13 Cum autem perveniſſet ad finem diœceſis ſuæ, ſuburbani cives & vulgi populus exultantes præ gaudio, ſimulque merentes, catervatim provolvuntur in occurſum ejus, unà cum crucibus & lampadibus obviam pio Paſtori egrediuntur gratias agentes Domino, qui eis incolumem reddidit eorum paſtorem atque pontificem. Exinde felix nuncius ad aulam regalem ejus adventum innotuit; & una pariter rex & regina cum proceribus palatii lætantes occurrerunt ſimulque plaudentes manibus & benedicentes Chriſtum, qui talem virum tantumque paſtorem remeare fecit in eorum regnum. Quidam de ſacerdotibus & agminibus monachorum, monacharumve multarum occurrerunt, qui elevantes in cælum voces canebant Domino laudes, dicentes: Gratias agimus tibi, Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui exaudiſti voces clamantium ad te; & reddidiſti nobis paſtorem animarum ſimulque corporum procuratorem. Interdum pauperes exultabant clamantes, quod eis Deus remiſerit fœneratorem eorum.

pacemque inter ſuos fovet. 14 Exinde beatus Audoënus cum in pace reverſus fuiſſet ad propria, invenit in pacifico regno Francorum ſcandala exorta inter principes palatii, inſtigante diabolo ſeminatore diſcordiæ. Tunc Vir Domini aſſumens arma juſticiæ, pernoctans in vigiliis & jejuniis nimiis, & orationibus aſſiduis; pro concordia eorum fortiter deſudabat. Multis non eſt incognitum, quam multa & quam gravia ſuſpiria à pectore ejus effluebant, & quantas tribulationes beata ſenectus ſuſtinuit, ut pacificos illos redderet, quorum animas divortia fœdaverant. Et ut effuſione ſanguinis humani, cædes non fierent, penè uſque ad mortis terminum pie atque fideliter elaboravit, euangelicum complens præceptum, Paſtoris implens veridicum mandatum, & pro ovibus libenter animam ſuam ponens. Quid primum referam de miraculis, quæ in Hiſpania, Italia, vel in Galliarum parochiis Dominus per eum operatus eſt. Enarrare perlongum eſt; ſed teſtes ſunt loca, ubi operata ſunt miracula, pauca tamen de plurimis huic operi annectere curavi. D

ANNOTATA.

a *Cum biographus ex diſcipulis* S. Audoëni *hæc miracula audierit, inde cum Cointio colligimus, ſcriptorem illum anonymum fide dignum eſſe, & Sancto ſupparem vixiſſe.*

b *Hiſpania hic vocatur Gothorum terra, quia tunc Goths in Hiſpania dominabantur.* E

c *Hoc nomine indicatur provincia Andegavenſis, ut ex altero biographo diſcemus.*

d *Videtur biographus hoc loco Alpes Italiæ cum montibus Pyrenæis Hiſpaniæ confundere.*

CAPUT III.

Sancti iter pro concilianda pace, obitus, honorifica cadaveris tranſlatio, ſepultura, & miraculum.

Sanctus Coloniam profectus, a b IGitur ſanctus Audoënus dum pro pacis concordia decertare ſemper videretur, procedente tempore, rediviva orta eſt diſcordia inter gentem Francorum atque Auſtraſiorum *a*. Pergens itaque Vir Dei, aſſumens ſacra conſilia, Dei fretus auxilio, ad urbem Coloniam *b* filius pacis advenit. Dehinc explorandorum [templorum] gratiâ civitatem ingreditur, ex martyrum multitudine reliquias ſecum tollens, quas in ſua civitate cum maximo honore recondidit. In ipſa autem civitate erat quidam vir jam annos undecim non valens verbum ex ore proferre, mutus toto tempore, quoad Dominus ad honorem famuli ſui Audoëni iſtud miraculum reſervavit, ut in ipſius adventu muto loquelam redderet, & diuturna ſqualens lingua laudes Dei perſonaret: in cujus capite vir Domini ſignum ſanctæ crucis imprimens verbo imperat, ut loqueretur; qui ſtatim loqui cœpit; & laudes Domino referre. F

pace inter Auſtraſios & Neuſtrios compoſita, c d 16 Exinde ad Neuſtriam *c* regrediens, pace reddita atque confirmata, ad civitatem Verdunenſium *d* pervenit. Ingreſſuſque eccleſiam, mulier quædam ſpiritu immundo vexari fortiter cœpit; quæ curſu rapido Virum Dei appetere conata eſt. Sicque Pontifex manu ſtrinxit caput ejus, & per invocationem Domini Jeſu Chriſti violenter rejecit dæmonem; & ſanam parentibus reddidit. Exinde pervenit ad palatium proſpere, & cuncta, ut geſſerat, indicavit; atque unita regna, unitam pacem populi ſacerdos verus intimavit. Sicque inter utraſque partes Deo auxiliante pax unita aliquantulum temporis fuit.

17 Jam ſermo incultus ne faſtidium generet conquieſ-

A conquieſcat, & ad obitum ſancti Viri tendat oratio. Dum Domino protegente; Clipiago *e* villa pro neceſſitate regis & populorum adveniſſet, regnante Theoderico *f* & Rotilde *g* regina, adminiſtrante Warattone ſubregulo *h*; tempus advenit, ut nutu divino anima Viri ſancti à ſeculo migraret. Cumque ægritudo corporis adveniſſet, cœpit gravibus æſtuari febribus; ſed ſanctus Vir ſæpius Dominum deprecabatur, ut eum jam de corpore liberaret; Dominus verò preces Famuli ſui obaudiens, permiſit ſarcinam carnis deponi, & frui gloria paradiſi. Igitur rediens verus Iſraël de Ægypto, anima ſancta deportata ab angelis volavit ad Dominum. Fit planctus magnus, omnis regalis dignitas concutitur, omnis altitudo humiliatur, omne gaudium in lamentum vertitur, omnis riſus quieſcit, amaritudo magna acceſſit, domus regia plangit prudentiſſimum conſiliarium; ſed planè univerſus populus in lamentum aſſurgit; quia ipſum videbant defunctum, qui pacem populo ſemper procurabat, & ne humanus ſanguis effunderetur, viriliter deſudabat.

in reditu non procul Pariſiis moritur, *e* *f* *g* *h*

B 18 Tandem denique commotæ ſunt omnes palatii fores. Igitur rex cum regina & epiſcoporum conventu, atque majorum domus, ſeu priores palatii unà pariter conglobati ſanctum Virum in feretro deportantes, ſanctas exſequias cum mœrore celebrabant. Gaudebat quiſque & in maximo lucro deputabat, qui mereretur beati Viri corpus in ſuis humeris deportare. Qui cum maximo honore uſque ad pontem Yſeræ *i* cum digno funeris ornamento deportaretur, tam rex quam & regina, ſeu & univerſus populus celebrantes vigilias, noctem totam in Dei laudibus peregerunt. Inde regalis dignitas remeavit ad propria cum magna triſtitia.

& cum magna pompa funebri

i

19 Dum verò conventione ejus plurimorum epiſcoporum unà cum abbatibus eorum vel ſacerdotibus vel Clericorum multitudine cum reliquo populo cum magno fervore Villiocaſinenſium *k* oppidum ingreſſi ſunt, humeris feretrum deportantes; convenerunt alii cum lampadibus, & hymnos Deo canentes atque feretrum præſtolantes per loca ſingula, ut diximus, triſtitiâ mixti beatum corpus deportabant, & in civitatem ſuam Rodomo in baſilica ſancti Petri Apoſtoli cum magno decore ſepelierunt; ubi Dominus Jeſus Chriſtus ejus meritis ſuffragantibus ſigna multa virtutum operari dignatus eſt. Et non ſolùm in eo loco; ſed & per plures provincias, ubi ipſe Vir ſanctus in corpore vivens requievit. In ipſo tamen loco, ubi nunc requieſcere videtur, ad præſens multa miracula fulgent, ubi cæci illuminantur, leproſi mundantur, claudi greſſûs recipiunt reſtaurationem, dæmoniaci curantur, & diverſi languores per ejus merita ſanantur.

Rothomagum translatus *k*

C

20 Longum eſt enarrare de tantis miraculis, quæ ibidem Dominus per merita beati Audoëni dignatus eſt monſtrare. Sufficit pauca dixiſſe de plurimis: tamen qui voluerit hoc clare ſcire, luſtret Galliam, Aquitaniam, Hiſpaniam vel Italiam, & inveniet ita, ut narravimus, verum eſſe, & nuſquam comprobet * falſum. Beatum verò corpus in loco, quem ipſe ſibi fabricaverat, annis circiter tribus & menſibus novem quievit. Poſt hæc viſum eſt ab antiſtite ſucceſſore ſuo, ut transferretur in excellentiori gradu poſt altare ſancti Petri Apoſtoli; ſicque epiſcopus convocavit agmina plurima monachorum vel omnem eccleſiæ clerum ſeu populum ſuburbanum vel illius provinciæ & civitatis, ob cujus amorem undique advenientibus, totam noctem vigiliarum feſta celebrantes erant. Finitis matutinis laudibus, ipſum ſanctum corpus cum magno tremore de loco, ubi ſupra dictum eſt, tranſtulerunt die Aſcenſionis Domini, quadrageſimo die poſt glorioſam Domini reſurrectionem: quem populi Chriſtiani cum magno honore venerantur.

honorificè ſepelitur,

* *id eſt* comprobabit

EX MS.

21 Igitur miraculum, quod ipſa die actum fuit, quando ſanctum corpus tranſtulerunt, intimare non pigeat. Contigerat ſupradicto epiſcopo ægritudo corporis validâ, quam vulgi populus tertianum typum *l* fatentur: vehementer eum agitabat, & febre correptus acriùs vicina mors per graves anhelitus emanabat. Qui dum à ſacerdotibus Miſſarum feſta celebrarentur, aſtante Clero unà cum omni populo, febre deterſa, ſanitatem epiſcopus ſtatim recepit, & ſanus vel incolumis ad ſuum diverſorium properavit. Qui, ubi ipſe pontifex ſudarium, quod pro munere reliquiarum deſuper caput Audoëni manu ſua cum fide ſuſtulit, & ſibi ſalutem & aliis plurimis ex ipſa infirmitate, Domino largiente, promeruit. Fit convivium jocundum pauperum in ejus depoſitionis die, & congregati omnes in unum erant laudantes Dominum & gratias ineffabiles agentes plurimùm de eorum paſtore, domno videlicet Audoëno, ut qui eos paverat in præſenti vita abundè, & poſt exitum ſuum tam magnum eis prandium præparabat *m*.

ibique miraculis clàret.

l

m

E

F

ANNOTATA.

a *Hadrianus Valeſius in notitia Galliarum pag.* 68 *hanc Franciæ & Auſtraſiæ diſtinctionem indicat his verbis:* Latè regnantibus Clodovei filiis in Gallia atque Germania, quidquid Galliarum Rheno & Ligeri fluminibus continetur & clauditur, communi nomine FRANCIA appellari cœpit. Pars Franciæ Rhenum inter & Moſam jacens AUSTRIA item AUSTER, nonnumquam & AUSTRASIA; pars à Moſa ad Ligerim NEUSTRIA vel NEPTRICUM dicta.

b *Hic veroſimiliter deſignatur Colonia Agrippina, quæ nunc eſt paſſim nota Germaniæ civitas.*

c *Hæc Neuſtriæ pars poſtmodum vocata eſt* Normannia *à Normannis, qui eam provinciam occupaverant.*

d *Verodunum vel Virodunum, nunc vulgò* Verdun, *eſt urbs Lotharingiæ, quæ olim in regno Auſtraſiæ ſita erat.*

e *Alibi vocatur* Clipiacum, *vernaculè* Clichy, *eſtque vicus Galliæ ad Sequanam fluvium, unâ leucâ infra Pariſios, ubi olim palatium regum Franciæ fuit, ut Baudrandus in Geographia ſua ſcribit.*

f *Hic Theodericus poſt varias viciſſitudines circa annum Chriſti* 680 *regnare cœpit, & anno circiter* 692 *moriens regnum reliquit.*

g *Hæc regina ab aliis* Crotildis *& ab aliis* Doda *appellatur.*

h *Waratto ille, qui hîc ſubregulus vocatur; fuit propriè Major Domûs ſub Theoderico, & ſucceſſit in locum Ebroïni, qui anno* 681 *interfectus fuerat. Unde in Commentario prævio refutavimus errorem ſecundi biographi, qui mortem* S. Audoëni *anno* 678 *perperam affixit, ut etiam in Annotatis ad alteram Vitam obiter monebimus.*

i Pontiſara, *quæ antiquitus Briva-Iſaræ vocabatur, nunc vulgo* Pontoiſe, *eſt urbs Galliæ*

EX MS. *in Vexino Francico ſita, & Pariſiis in occaſum æſtivum verſus Rothomagum ſex leucis diſtat.*

k *Quodnam ſit iſtud oppidum Veliocaſinenſium, utcumque colliges ex Baudrantio, qui in ſua Geographia de hoc tractu ſic ſcribit:* Vexinum, le Vexin, tractus Galliæ, cujus pars Orientalis, nempe Vexinum Gallicum, le Vexin François, eſt in provincia Inſulæ Franciæ inter Oeſiam & Eptam fluvios, cujus caput eſt Pontiſara. Pars autem Occidentalis, ſeu Vexinum Normannicum, le Vexin Normand, eſt in Normannia provincia inter Eptam & Andelam fluvios, cujus caput eſt Giſorium; & conceſſum fuit Normannis anno CMXLVII à Ludovico Ultramarino rege, ibique alias fuere Velocaſſes populi pro majori parte. *Puto, hîc indicari Vexinum Normannicum, in quo olim habitarunt Velocaſſes vel Veliocaſſini, de quibus plura apud Valeſium in Notitia Galliarum pag.* 588 *&* 589 *videri poſſunt.*

l Typus *apud ſcriptores medii ævi idem eſt quod febris, ut alias me explicaſſe memini, & hîc ex ſenſu ſatis liquet.*

B m *Hic biographus antiquior non potuit meminiſſe de altera ſacri corporis tranſlatione, quam in fine memorat alter Actorum ſcriptor, qui hæc Acta præ oculis habuit & amplificavit, ut jam videbimus.*

VITA ALTERA,

Auctore anonymo, quem tamen aliqui Fridegodum nominant.

Ex Mss. codicibus monaſterii Corneolenſis, Vallis Lucentis, & Cartuſiæ Divionenſis.

PROLOGUS.

C

Hic auctor videtur prologum ſuum

CONditor mundi omnipotens Deus ſicut ſphæram cæleſtem multis, ſed diverſis diſtinxit ſideribus, ita Eccleſiam adhuc in terris peregrinantem, quaſi quibuſdam luminibus radiare non deſinit. In quibus alii miraculis coruſcant, alii doctrinâ ſalutari, quaſi pluviâ, corda piorum irrigant. Quidam per martyrii gloriam rubent, ut roſa; quidam virginitatis integritate candent, ut lilium *a*. Hos prudentia prudentes, iſtos juſtitia juſtos, illos fortitudo fortes, quoſdam temperantia temperantes reddit. Unum tamen vinculum caritatis univerſos, & ſibi invicem, & ſuo Conditori ſociat, per quod & ſingularia univerſorum, & univerſa fiunt ſingulorum, & quaſi hortus diverſo aromatum, vel herbarum genere conſitus, odorem ſuaviſſimum longe latéque diffundit; ita iſti Deo & hominibus odoriferi virtutibus dicunt; Chriſti bonus odor ſumus Deo. Et illud: Aliis quidem ſumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. In quâ ſanctiſſimâ Dei Eccleſia beatus Audoënus antiſtes, quaſi quædam ſplendidiſſima ſtella, vel ſolidiſſima columna, vel etiam candidiſſimum lilium emicuit, ſiquidem populos doctrina, ſeu ſtellæ radiis illuminavit; contra omnes impetus diabolicæ, ſive hæreticæ pravitatis, ut columna immobilis ſtetit; ut lilium virtute caſtitatis emicuit: nam honore virtutis inſignis, pudoris admiratione laudabilis, dignitate præclarâ excelſus, humilitate lucidiſſimâ ſummiſſus extitit. D

2 Vitia denique, quibus humana vexatur fragilitas, patientiæ virtute calcavit. Inanes curas longè latéque pepulit, animi motus validis conſtantiæ habenis, veluti agonotheta præclarus mirabiliter compreſſit. Gemino namque agone decertavit, dum & civibus ſuis verbum ſemper immortalitatis abundanter tribuit, ac ſaluti animæ ſuæ inceſſanter conſulere non deſtitit; atque ideo quantum in certamine fortior, tantum clarior, nunc verò glorioſior à Domino collaudatur. De cujus egregiâ vitâ, ut aliqua digna exarare ſtilo poſſimus, invocanda nobis eſt ſumma majeſtas ſanctæ & individuæ Trinitatis, ut qui brutæ quondam aſellæ *b* verba conceſſit humana, nobis ſenſum, verborumque copiam largiri dignetur ad enarranda divina. *ex prologo prioris Vitæ hauſiſſe ac illuſtraſſe.* *b*

E

ANNOTATA.

a *Ex his comparationibus colligimus, quod hic ſcriptor obſcurum prioris biographi prologum illuſtraverit, cum in eo ſimiles comparationes occurrant.*

b *Etiam hæc alluſio ad aſinam Balaam oſtendit, quod hic poſterior biographus prologum prioris præ oculis habuerit: nam ibi eadem adfertur.*

CAPUT I.

Sancti patria, parentes, pueritia, fratres, & pia vita in aula regum Francorum.

TEmporibus Lotharii glorioſi principis, filii Helperici * regis, circiter annum viceſimum *a* tenente illo ſceptra regni Francorum; Sueſſionico oppido quinque milliariis diſtante ab ipsâ civitate, in loco nuncupato Sanctiaco *b* orti ſunt venerabiles viri ex uno videlicet ſemine nobiles generati, gratiaque Dei illuminati, Ado, Dado, & Rado. Nati ſunt autem patre Authario, matre Aiga. Cum eſſent nobiliſſimi carnis origine, fuerunt tamen ſtudioſiſſimi in Chriſtianæ religionis devotione. Cuncta, quæ poſſidebant, ſive in fundis, ſive in divitiis, neceſſitatibus hoſpitum, peregrinorum, pauperum, monachorum, ſummo ſtudio impendebant, operantes ſecundum Apoſtolum, bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Erant ambo fidei integritate puri, longanimitatis ſpe præcipui, caritate non ficti. Verbum vitæ aure percipere, corde retinere, à talibus, quos doctrina & fidei puritas, & morum ſanctitas commendaret, ſine fatigatione ſatagebant. In quorum domo, non ut aſſolet in quorumdam ſecularium conviviis, mimorum, atque * hyſtrionum carmina fœda, ſed euangelica, vel apoſtolica, ſive prophetica perſonabant oracula. Illum diem ſanctum, illum ducentes verè ſollennem, quando aliquem verbi divini prædicatorem hoſpitio habere meruiſſent. *Sanctus in pueritia* * *al.* Hilperici *a* *b* F * *al.* vel

2 Contigit autem eo tempore virum Deo dilectum,

A lectum, nomine Columbanum *c*, genere Scotum, fundatorem cœnobiorum Luxovienſis in Galliâ, Bobienſis in Italiâ, ex Hibernia inſula in Gallias perveniſſe. Qui relicto patrio ſolo, parentum domo, cunctiſque, quibus mundi amatores pro magno utuntur, voluntariam paupertatem, ſaluberrimam peregrinationem pro amore Chriſti, & regni cæleſtis arripuit. Cujus viri doctrina, vel vita qualis fuerit, qui ſcire deſiderat, ex libro qui vitam, moreſque ejus ornato ediſſerit ſermone ſcire poterit. Accidit autem eiſdem temporibus, beatum Columbanum inſignem Dei cultorem, de domo Hagnerici *d* ſummi conſiliarii regis Lotharii remeaſſe, & ad villam quamdam, in littore amnis Maternæ *e* ſitam, Vulciatum *f* nomine deveniſſe, ibique prædictum virum illuſtrem Autharium cum nobili conjuge ſuâ Aigâ inveniſſe. Qui cum virum Dei magno exultantes gaudio ſuſcepiſſent, & venerabilibus obſequiis placere ſatagerent, inter cætera ſalutifera virorum beatorum colloquia, religioſa mater jam dictorum trium puerorum, ad benedicendum infantulos viro Dei cultori obtulit; obſecrans, ut eos ſacrâ ſuâ benedictione benediceret. B Videns equidem vir ille ſanctus futurorum præſcius, piæ matris fidem, infantulos benedicere, ſpiritu prophetico prædixit, hos futuros in Chriſtianæ religionis virtutibus eximios, honoribus & dignitate ſæculari claros, in aulâ etiam regum glorioſos.

à S. Columbano benedictionem accipit *c* *d* *e* *f*

3 Nec potuit tanti viri benedictio caſſa, vel fortuita ullatenus æſtimari. Mox enim ut pubeſcere cœperunt, primùm Lothario regi, deinde Dagoberto in cunctis inventi ſunt gratiſſimi. Proinde ad cæleſtia tendentes, inter peſtifera mundi hujus negotia, ſanctorum ſemper amabant conſortia; licétque ordine diverſo, ſequitur tamen effectus promiſſionem. Primogenitus namque Ado cuncta mundi hujus obſtacula contemnens, ſemetipſum abnegans, voluntatibuſque propriis renuntians, perpetualiter divino beneficio in caſtris regis æterni militare elegit, monaſticam appetens vitam, mortiferam hujus mundi calcavit dulcedinem: monaſterium Jodarenſe ſuper fluvium Maternæ, in proprio ſolo, ſecundum regulam ſæpedicti almi Columbani *g*, adjuvante beatiſſimo germano ſuo Audoëno, ditatum rebus, & omnibus bonis eccleſiaſticis, viriliter condidit. C

unà cum fratribus germanis, *g*

4 Rado verò eximium nativitatis ordinem tenere, theſaurorum regalium ſummus procurator effectus eſt. Quos juſto diſpenſans ordine, fideliter, & Chriſtianè cuſtodivit, nihilominus in ſæculi dignitatibus ſanctæ quoque religioni ſubditus, in præceptis Domini juſtus & timoratus, in diligendo amabilis, in eleemoſynis largus, providus militando; juſtè, pieque vivendo, in commiſſis ſibi palatinis faſcibus viriliter, fideliterque miniſtravit. Sanctus igitur Audoënus, cognomento Dado, auricularii *h* locum in aula regis ſortitus, ipſe etiam ad ſignanda ſcripta, vel edicta regalia, quorum ipſe conſcriptor erat, ſigillum vel anulum regis cuſtodiebat. Erat autem ſenſu profundus, eloquio copioſus, conſilio providus, judicio juſtus, corporis ſaturâ procerus, vultu decorus, & ante omnia in Chriſti caritate fundatus; hinc regi amabilis, cunctis optimatibus & principibus extitit venerabilis. Ad illius nutum cuncta negotia gerebantur palatina, ejus conſilium cuncti optimates, & ipſe rex Dagobertus, ceu divinum attendebant oraculum. Non enim conſilium ejus aliud erat, niſi

& poſtmodum in aula regis Dagoberti, *h*

quod regi conferret utilitatem, & populo.

EX MSS.

5 Denique aſſiduè regem hortabatur, ut regem omnium Chriſtum, conditorem, ac redemptorem ſuum, ſine quo nullus juſtè regnat, vel imperat, diligendo, timendo, cunctiſque Domini mandatis obediendo piè coleret, ſubjectorum ſe populorum ſocium magis quam dominum putaret, ſubditis parceret, ſuperbos debellaret, fines imperii, ne ab hoſte irrumperentur, ſtrenuè defenderet, ipſoſque fines ad abundantiorem Chriſti eccleſiæ pacem dilatare contenderet; flagitioſas præterea perſonas, utpote fures, & latrones, homicidas, hæreticos, cæteraſque infames perſonas, regno detruderet. Ammonet denique eccleſiarum, & ſanctorum locorum præ omnibus curam gerere, renovandorum, vel conſtruendorum cœnobiorum ſtudio inſiſtere; pauperibus, peregrinis, viduis, orphanis, omnibuſque neceſſitatem patientibus piè ſubvenire; hoc dicens juſtum, ut cunctorum qui ejus ſubjacent ditioni, debeat compati neceſſitati.

quem piis monitionibus

6 Ipſe autem rex ſupradictus, aurem Dei Viro libenter in omnibus, quæ ſuaſit, accommodabat. Quapropter & cunctis hoſtibus extitit fortior, & omnibus Francorum regibus, qui ante E ſe regnaverunt, felicior. Nam tum temporis nobiliſſima virorum ſanctorum examina more apum, inclyta Francorum regio protulit, ex quorum mellifluo collegio vir Domini Audoënus apocriſiarius *i* regis, veluti ſplendidiſſimum ſidus, magnus miles Chriſti, in eccleſiâ profuturus jam emicabat. Unde non mirum, ſi idem rex malorum occurſu ſubmoto, potiendi hinc inde præſidio pacis jam proſperabatur, qui tam prudenti conſiliario contentus erat.

ad virtutem excitabat, *i*

7 Fulgebat ſiquidem & ſodalis ejus virtutum ſanctitate mirandus in aulâ regis, nomine Eligius *k*, quem ut animam ſuam dilexerat. His amor unus erat, cor unum, & anima una. Hi pari intentione ſub habitu adhuc ſæculari, æterno regi militabant, ambo fide Chriſtianâ fortiſſimi, ambo euangelicâ doctrinâ repleti. Ab his cuncti Francorum proceres ſumebant exempla Chriſtianæ religionis, ab his hauriebant monita doctrinæ ſalutaris. Hi animarum ſalutem, hi patriæ cæleſtis prædicare noverant dulcedinem. Hi quaſi duo fortiſſimi milites, paribus armis fidei, Eccleſiæ Chriſti militabant; quorum armaturam F hæreticæ pravitatis jacula tentare poterant, perforare nequibant.

ſimul cum S. Eligio *k*

8 Ipſe etiam licèt in palatio regis ſub tegmine militari conſiſtere videretur, monachus magis, quàm laïcus pænè ab omnibus noſcebatur. Nam ſæpiſſime veſtibus pretioſis aureo præcinctus baltheo foris enituit, & ſubtus cilicio caro tegebatur. Perſiſtebat infatigabiliter in orationibus, in jejuniis, in vigiliis, in lectione divinâ, in hoſpitum ſuſceptione, in pauperum infirmorum miniſterio penè ſemper deditus erat. Terrenam patriam ut peregrinam, cæleſtem diligebat ut propriam. Hac utebatur ut exul, ad illam tendebat, ut avis. Denique ipſe in ſecretis Brigienſis ſylvæ *l*, Rasbacis fluvioli officinas proſpiciens *l* cunctis habitaculis ſervorum Dei neceſſarias, adornans in proprio patrimonio monaſterium, eâdem ſuprà dictâ regulâ Hieroſolymam *m* nuncupatum efficaciter conſtruxit; ubi non ſolùm præſentem quietis pacem veris Chriſti cultoribus, verùm etiam certam cæleſtis viſionis requiem ſuis imitatoribus præſentibus, & futuris feliciter procuravit, poſſeſſionibus opimis, ornamentis eccleſiaſticis, libris atque aliis diverſis rebus ad *m*

piè commoratur,

EX MSS. Dei ſervitium pertinentibus devotus adimplevit; ibidemque ſanctorum monachorum multitudinem conſtituit, atque abbatem ex diſcipulis almi Columbani, virum in regularibus diſciplinis apprimè eruditum, nomine Agilum *n*, eiſdem præpoſuit.

n

& ad majorem perfectionem aſpirat.

9 Jamque meditabatur ut cunctis ſæculi dignitatibus abjectis ſoli Deo in monaſterii clauſtris abſque impedimento ſe ad ſerviendum ſubderet. Reſiſtebat autem tam rex, quàm cuncti optimates, ejus tunc piæ voluntati, dicentes eum potiùs plurimorum conſulere debere utilitati, quàm ſuæ tantùm ſingularitatis facere deliberationem. Videns verò Vir Deo dilectus ratione ſe pariter, & auctoritate aſtrictum, (ſciebat enim ſcriptum; omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubditi eſtote, & reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari) ab hac intentione ad tempus ardentem retraxit animum.

ANNOTATA.

a *Annus vigeſimus Clotarii II regis reſpondet anno Chriſti* 603, *quo videtur nativitas unius ex his tribus fratribus collocari. Sed chronotaxi hujus biographi parum confidimus, ut ex his Annotatis per decurſum patebit.*

B

b *Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 500 *de hoc loco natali* S. Audoëni *ſic diſſerit:* Sanciacum vel Sanctiacum patria fuit Audoëni cognomine Dadonis, Dagoberti Francorum regis referendarii, deinde Rotomagenſium epiſcopi: ex ejus enim Vita diſcimus, natum eum eſſe in vico Sanciaco ad quintum lapidem ab Auguſta Sueſſionum, qui vicus hodieque SAUCI vocatur, N in U mutato, ut ſæpe aliàs. *Deinde de origine hujus appellationis agit, & ibidem affirmat, in hac villa fuiſſe patrimonium* S. Audoëni, *quod poſtea Sanctus eccleſiæ Rothomagenſi dedit.*

c *Mabillonius inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini ſec.* 2 *part.* 1 *pag.* 5 *& ſequentibus edidit Vitam hujus ſancti abbatis, quæ ad diem* 21 *Novembris examinanda erit.*

d *In Vita S. Columbani & aliis antiquis Actis etiam fit mentio hujus Hagnerici, apud quem S. Columbanus hoſpitatus eſt.*

e *Hic notiſſimus Galliæ fluvius, qui antiquitus* Materna *dicebatur, nunc communiter Latinè* Matrona *& Gallicè* la Marne *appellatur.*

C

f *Occaſione hujus villæ, quæ alibi* Vultiacus, *&* Wilciacus *nominatur, Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 632 *habet ſequentia:* Erat hæc villa Autharii optimatis, cujus duos filios infantulos Adonem & Dadonem, à matre ſibi oblatos, Columbanus ibidem ſua benedictione ſacravit. EUSSI plerique interpretantur; qui eſt vicus ad Matronam flumen non longè ab urbe Meldis, ubi S. Autharius Adonis & Dadonis pater hodieque colitur, ſicut in monaſterio Resbacenſi, quod ejus filius Audoënus Dado condidit. *Pommerayus in Hiſtoria abbatiæ* S. Audoëni *lib.* 1 *cap.* 2 *hunc vicum vernaculè* Vuicy en Brie, *vel* Vuicy ſur Marne *appellat.*

g *Benedictini ſcriptores paſſim cenſent, regulam S. Columbani à regula S. Benedicti non differre. Cointius & Majores noſtri aliter hac de re ſenſerunt. Nobis nec lubet nec vacat hanc controverſiam repetere occaſione hujus expreſſionis, quâ regula Columbani ab alia diſtingui videtur.*

h *Brito in Gloſſario Cangiano etymologiam hujus vocis exponit his verbis:* Auricularius, id eſt ſecretarius, ab auricula, quia ſecreta ſolent dici in aure.

i Apocriſiarius *à verbo Græco* ἀποκρίνομαι, *id* D *eſt* reſpondeo, *eſt ille miniſter qui vice vel nomine alterius loquitur aut reſpondet. Inde apocriſiarius Sedis Apoſtolicæ vocatur ille, qui tamquam legatus à ſummo Pontifice mittitur ad negotia quædam conficienda. Hìc ſignificat miniſtrum, qui vice regis negotia adminiſtrat vel ad regem refert, & hinc quoque* referendarius *vulgò dicitur, ut in Annotatis ad priorem Vitam obſervavimus.*

k *Hic Sanctus poſtea evectus eſt ad cathedram Noviomenſem, & colitur prima die Decembris, ut ad priorem biographum annotavimus.*

l *Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 96 *de hoc loco, qui Gallicè* la Brie *dicitur, refert ſequentia:* Pagus Briegius, vel Brigenſis, aut Brigeius à ſaltu ejuſdem nominis appellationem traxit.

m *Laudatus auctor ibidem pag.* 471 *de monaſterio iſto, quod Sanctus noſter conſtrui curavit, memorat ſequentia:* Hic in Briegio ſaltu ad Resbacem fluvium ex beati Columbani regula monaſterium exſtruxit inſtruxitque magnificè, quod ipſe HIERUSALEM, ceteri à fluvio, cœnobium Resbacenſe cognominarunt. *Dein de etymologia hujus fluvii fusè diſputat, ut ibidem videre eſt.* E

n *Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini ſec.* 2 *à pag.* 316 *Vitam & miracula hujus abbatis Resbacenſis edidit, quæ die* 30 *hujus menſis diſcutienda erunt.*

CAPUT II.

Sancti zelus pro Catholica fide, iter Hiſpanicum, & quædam miracula.

Sanctus hæreſim, a

INterea defuncto rege Dagoberto Chriſtianiſſimo, filius ejus ſucceſſit in regnum, nomine Clodoveus *a*; in cujus regni exordio hæreſis infanda totum penè fœdavit orientem; in tantùm, ut ipſum patriarcham Paulum *b* Conſtantinopolitanæ urbi præſidentem, nec non & Alexandrinum antiſtitem *c* perverſo dogmate perverteret. Aſſerebat enim eadem peſtis Dominum F noſtrum Jeſum Chriſtum non veram carnem ex virgine aſſumpſiſſe *d* Mariâ. Quæ cùm ab ipſo Paulo & cæteris infauſti dogmatis aſſertoribus cum auctoritate etiam Conſtantini imperatoris tertii *e*, nepotis Heraclii, beato Martino *f* pontifici Romano ſcripta dirigerentur, quatenus & ipſe ad hæc conſentiret, atque ſubſcriberet, guſtum mortiferæ perſuaſionis ſummâ execratione reſpuit, dicens; Si totus mundus dogmata peregrina, & à fide aliena ſequi maluiſſet, ſe nec ullis minis vel blandimentis, nec ipsâ morte à doctrinâ euangelicâ, & apoſtolicâ ullatenus evelli poſſe.

b *c* *d* *e* *f*

quæ ex Oriente in Galliam prorepſerat,

11 Nec mora, continuò ad regem Francorum legationem mittens, rogat, ut ſibi viros in fidei puritate fundatos, in verbo & ſapientiâ provìdos, quantociùs dirigere dignaretur, quatinus cum ipſis, & cunctis Italiæ præſulibus, Domino auxiliante, aliquod antidotum contra venenum tantæ pravitatis porrigere tentaret. Rex autem cunctis regni ſui ſacerdotibus in unum coactis, quid legati tanti pontificis aſſerant, indicat, jubetque, ut ex ſemetipſis viros tales eligerent, quos

A quos ad peragendum tantæ rei negotium, puritate fidei, & sapientiâ verbi idoneos non dubitarent. At illi uno consensu beatum Audoënum cum sancto Eligio ad hoc destinandos eligunt. Tanta autem erat in Viro Dei sapientia, ut cùm adhuc ordinem sacerdotalem non haberet, penè omnibus tunc Franciæ vel Galliæ sacerdotibus in sapientiâ præferretur, vel, ut indulgentius dicam, æquaretur. Tamen quædam causa, ne tunc illuc mitterentur obstitit.

validè refellit, 12 Haud multo post tempore, unus ipsius pravi dogmatis assertor ex Asiâ pulsus, in Galliarum civitatem Æduam, quæ nunc Augustudunum dicitur, perfidus apostata pervenit. Cumque in aulâ regis Francorum relatum esset, anguem tortuosum, virus horrendum in supradictâ civitate jam vibrasse, multosque ibidem infecisse; illico synodalem conventum sacerdotum apud Aurelianensem urbem coadunari fecit. Ubi tunc beatus Audoënus cum sancto Eligio versutiis ipsius hæretici, ac validissimis objectionibus obsistebat, cunctisque ejus argumentis, quibus se, quasi quibusdam foveis occultare nitebatur, B detectis, omnibus, qui aderant, mortiferum dogma, & vitandum, & execrandum manifestâ ratione, & divinâ auctoritate persuasit; palmam tamen ejusdem victoriæ beato Salvio episcopo, *g* & martyri *g* causâ humilitatis concessit. Convictus itaque hæreticus, etiam à finibus regni Francorum expulsus est. Hoc non solùm contra hunc, sed etiam contra omnes hæreticos agere solebat, ut quemcumque in conflictu superaret, in longinquas regiones continuò fugere compelleret.

& simoniam quoque ex ea pellit, 13 Deinde jussu regis, multisque religiosis, præcipuè autem beatissimo Eligio suadente, quem præ omnibus singulariter diligebat, tonsuram clericatûs accepit, uno eodemque tempore viro Dei Eligio comam deponente. Instabat autem quotidie magis ac magis, quatinus ecclesiæ fides intemerata persisteret, & à recto tramite nullâ pravitate deviaret. Videns verò symoniacam hæresim nimiùm Francorum in regno prævaluisse, *h* quæ ab impiæ Brunichildis *h* tempore, penè cunctas Francorum polluit ecclesias, cœpit suadere regi, & cunctis optimatibus, ut patriam tali tabo corruptam, medicinâ liberarent salutari. Hortabaturque ut nullatenus consentirent cuiquam sacros ordines emere vel vendere; dicens, tale C commercium diabolicâ fraude repertum, atque ideo penitus ab ecclesiasticæ fidei puritate fore eliminandum; magis eligendos esse ad fastigia sacrarum ordinationum, quos non aurum, sed fidei sinceritas, doctrinæ suavitas, & morum probitas commendaret.

electusque præsul Rothomagensis, i 14 Interea defuncto Rotomagensis urbis episcopo veneratione digno, nomine Romano *i*, beatus Audoënus consensu omnium ad subeundum pondus ejusdem ecclesiæ pontificatûs compellitur. Illum solum ad hoc dignum tam rex quàm optimates, nec non clerus & populus una voce testabantur, cujus & fides, & doctrinâ & mores tantæ sedi suscipiendæ convenirent. Ille autem licèt humilitate recusaret, sciens tamen, quantum esset obedientiæ bonum, voluntati propriæ imperium præposuit plurimorum. Acceptâ autem sede pontificali, non statim sacrum ordinem sumere præcipitanter præsumpsit, sciens videlicet sub quanto fluctu & periculo neophytus ordinaretur, ne fortè elatus, in judicium & laqueum incidat diaboli. Licèt igitur à sancto Viro omnis elatio fuisset alienissima, tamen ut posteris humilitatis exempla relinqueret, subire tantæ dignitatis gradum improvidè, ut dictum est, cum quadam trepidatione recusavit. EX MSS.

ante ordinationem prædicat Hispaniis, 15 Illico tamen relictis penitus curiæ palatiis, relictâ etiam propriâ sede, ad prædicandum verbum Dei gentibus in longinquo positis exul efficitur. Transmissâ namque Sequanâ, transmisso etiam Ligere, cunctos in eisdem regionibus habitantes, lumine verbi salutaris quasi quidam sol irradiavit; in quibusdam fundamenta fidei construxit, quosdam in fide corroboravit; aliquos etiam hæreticâ pravitate deceptos, ad normam ecclesiasticæ fidei convertit. Cùm autem ad Hispanias perveniisset, reperit populos ibidem commorantes nimiâ siccitate jam dudum laborasse. Siquidem jam septem anni transierant, ex quo nec modicum pluviæ stillicidium has regiones attigerat. Vir autem Deo plenus videns, quòd si talis incommoditas aëris diutiùs protelaretur, non solùm periculum, sed etiam exitium portendere; gladium quodammodo desuper pendentem, atque ad feriendum paratum evertere studuit.

quorum agros diuturna siccitate liberat, 16 Prosternens igitur se in oratione, obsecrat Deum omnipotentem, ut qui quondam populo Israëli causâ idololatriæ, atque impiissimæ Jezabel annis tribus, & mensibus sex cælum clauserat, idemque oránte beatissimo Heliâ pluviâ copiosâ reseraverat, nunc quoque suæ miserationis dona populo pro peccatis propriis justè afflicto largiri dignetur, pluviaque salubri terram siccitate squalentem irrigare non differat; quatinus per miraculum forinsecus ostensum corda populorum fide torpentia ad laudem Creatoris fortiùs inardescant. Nec mora, Viri Dei orationem tanta pluviæ sequitur abundantia, ut priorem penuriam recompensare videretur. Cerneres, inquam, cælos ibidem rorare, imbres ruere, distillare aëra guttulis uberrimis, beneficiis cælorum arva repleri, scatere fontes, agros pingueíscere, fructibus arbores onerari, plantaria consurgere, campos passim vestiri segetibus, collibus vineta effluere, purpurascentes producere olivas, rosarum liliorumque odorem suavius redolere, necnon etiam agricolas resumptis viribus videlicet terga fatigare juvencorum. E

exemplo Heliæ prophetæ, 17 Nec mirum, Virum Deo dilectum more Heliæ clausum cælum orationibus sacris reserasse valuisse, quem constat imitatorem virtutum Heliæ in pluribus extitisse. Siquidem virginitatis privilegio floruit ut Helias; reges, & potestates delinquentes asperè increpavit ut Helias; nulliusque terrores, vel blandimenta hunc à tramite rectitudinis abducere poterant, sicut nec Heliam. Vestibus etiam asperis sæpiùs utebatur ut Helias, sicque virtutes beatissimi Viri per loca plurima narrantur, & fidei ejus meritum latè per orbem terrarum commendatur. F

& in reditu ad urbem Rothomagensem 18 Confortato igitur populo Hispaniarum, fide, verbo, miraculo, ad sedem propriam jam tandem ire disposuit. Cùmque in revertendo, per Andegavensem regionem iter ageret, obviam quemdam pauperculum habuit. Qui cùm Dominico die contra usum ecclesiasticum onus servile exerceret, atque in molâ farinam conficeret, manum, quâ lapidem in gyrum rotavit, aridam subitò & inutilem sibi offendit. Nam pollex manûs ipsius ad superiora manûs tanto astrictus est, ut sanguis in ipsâ fixurâ pollicis exiret; ipsumque lignum, quo mola rotabatur, inter pollicem & palmam tam strictè tenebatur, ut avelli nullatenus inde potuisset. Procidens ergo pauper ille ad vestigia sancti Audoëni, miseriam

EX MSS. suam lacrymabiliter deploravit, simul & reatum suum, & negligentiam suam confessus est.

aliud miraculum patrat.

19 At beatus Audoënus signum sanctæ crucis manui contractæ impressit, & consuetudini deservire pristinæ, & motum naturalem exercere præcepit; admonens tunc ipsum pauperculum, ut Dominicis, & festis diebus ad ecclesiam magis venire, & verbum Dei audire, opere implere, communionem sanctam percipere, quàm molam rotare, aut ullum opus servile penitus exercere, sine summâ necessitate meminisset, dicens: Si Judæi decreta legis per Moysen datæ tantâ diligentiâ custodiunt, multo magis convenire Christianis decreta Euangelii per Christum data ardenter audire, & custodire. Et sicut Judæi nullum opus in sabbato servile peragunt; ita Christiani in die Dominicæ resurrectionis ad ecclesiam convenire, verbum Dei auditu percipere, mente retinere, atque ideo à servili opere cessare debent.

ANNOTATA.

B a *Anno Christi* 644 *Clodovæus II patri suo defuncto successit.*

b *Hic est Paulus II Constantinopolitanus patriarcha, de quo in Historia chronologica patriarcharum Constantinopolitanorum ante tomum* 1 *Augusti pag.* * 79 *& sequente sat multa diximus.*

c *Fortè is fuit Petrus Alexandrinus patriarcha, de quo Historiam patriarcharum Alexandrinorum ante tomum* v *Junii pag.* * 73 *consule.*

d *Biographus haud dubiè hoc loco designare voluit Monothelitas hæreticos, quorum palmaris error in eo consistebat, quod unicam in Christo operationem adeoque unicam voluntatem pertinaciter propugnarent: inde enim à μόνον θέλημα, id est,* unica voluntas, *Græcum Monothelitarum nomen acceperunt. Non tamen constat, eos veram Christi carnem ex Virgine assumptam explicitè negasse, ut hic auctor asserit, quantumvis hæresis suæ defendendæ gratiâ ad qualibet absurda dogmata inconstantès recurrerent, ut S. Maximus in Disputatione cum Pyrrho Monothelita tomo* 2 *Operum suorum apud Combefisium pag.* 182 *conqueritur his verbis:* Nihil me
C sic à tuo decessore alieno animo fecit, ac ejus versatile ingenium, mentisque levitas; quod nimirum in alias subinde animum transferret sententias, nec in ullo firmiter sensu consisteret: aliquando enim eos, qui hanc voluntatem divinam dicebant, approbans, Deum solum esse, qui incarnatus esset, docebat; aliquando verò eis assentiens, qui ipsam consultricem seu consilii dicerent, purum hominem ipsum inducebat. *Forsan versipelles isti hæretici etiam veram Christi carnem negabant, quando argumentis convicti aliud effugium invenire non poterant, licet hanc hæresim publicè & expresè non profiterentur.*

e *Hic imperator ab aliis vocatur* Constans, *qui S. Martinum Pontificem acerbè persecutus est, ut in Historia Patriarcharum Constantinopolitanorum superiùs citata pag.* * 80 *breviter narravimus.*

f *Acta hujus sancti Pontificis Romani, favente Deo, ad diem* 12 *Novembris illustrabuntur.*

g *Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 634 *asserit, hunc S. Salvium fuisse Valentinensem in Gallia episcopum. At Longuevallius noster in Historia ecclesiæ Gallicanæ tomo* 3 *pag.* 532 *in notis monet, ætatem hujus sancti Præsulis hactenus ignorari, eumque vocari martyrem, quia forsan confusus est cum S. Salvio Engolismensi episcopo, qui prope Valencenas in Belgio martyrium subiit. Saltem in varios hujus nominis episcopos, quos Henschenius ad diem* 26 *Junii distinxit, nullum reperimus, cui hæc ætas simul cum martyrio probabiliter tribui potest.* D

h *Quamvis Brunichildis hîc & alibi passim impia vocetur, tamen Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 602 *& sequentes famam ejus tuetur.*

i *Teste Cointio in Annalibus Francorum ad annum* 639 *num.* 3, *S. Romanus antistes Rothomagensis obiit die* 23 *Octobris, quo in Martyrologio Romano memoratur.*

CAPUT III.

Episcopalis ejus consecratio, virtutes in hoc officio, austerus vivendi modus, & munifica monasteriorum constructio. E

Sanctus ad cathedram Rothomagensem evectus,

PErveniens itaque Rothomagum, ordinem pontificalem secundum ecclesiasticum, & canonicum dogma unà cum beatissimo Eligio suscepit. Siquidem uno sub die apud Rothomagum ambo pariter ordinati sunt, sanctus Audoënus ejusdem urbis archiepiscopus, Eligius verò Noviomagensis episcopus, anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo tricesimo quinto *a*, pontificatum agente Romanæ ecclesiæ summo præsule beatissimo Papa Martino, anno secundo *b*, porrò Clodovei regis, filii Dagoberti, qui tunc regni Francorum apicem tenebat, anno tertio *c*, pridie Iduum Maiarum, Dominico die ante lætanias *d*. Suscepto ergo episcopatu qualem se postmodùm exhibuerit, quis dignè valeat explicare? Aut quis tantorum verborum copiâ instructus existat, vel quæ oratio tantæ affluentiæ ubertate exundans, quæ cuncta ejus bona, ut decet, queat consequi? F

a *b* *c* *d*

humilitate,

21 Idem semper robustus, ad virtutis instantiam se exercens, constantissimè in incepto perseverabat proposito, eadem in corde humilitas, eadem in vultu gravitas erat, eamdem pauperibus curam, eamdem ut priùs, sollicitudinem gerebat, eadem dilectio fraterna, eadem mentis constantia eidem permanebat, nisi quod episcopalis ambitio, quæ cæteris pompæ fomentum subministrare solet, ei plus studium abjectionis exhibuit; & unde alii ad tempus videntur extolli, inde is ampliùs studuit humiliari. Erat itaque Christo semper subjectus, & devotione armatus, doctrinâ præcipuus, pontificio dignus; humilis in honore recusando, subditus in suscipiendo; exul spontaneus, fide plenissimus: obediens in Dei præceptis, credulus in promissis: peregrè locuples, in industriâ solers, in opere docilis, in spe longanimis, in colloquio sapiens, in consilio prudens, in corrigendo vehemens, in diligendo ardens: in adversis patiens; in periculis fortis, in disciplinis mansuetus, in eleemosynis largus: in studiis assiduus, metu mortis sollicitus, in timore Dei eximius, in religione magnificus. In exequiis devotus,

A votus, in misericordiâ glorioſus: in diſciplinâ ſtrenuus, excellenti ingenio præditus, juſtitiâ inſignis, ſeveritate terribilis: ad arguendum promptus, ad ignoſcendum paratus: humilitate ſummus, hoſpitalitate præcipuus.

22 Nutritor gregis piiſſimus, paſtor eccleſiæ providus; diſpenſator fidelis, moderator inſignis; delictum proprium cavens, alienum ut ſuum lugens; plebi monita præbens, Chriſtique præcepta docens, protervos non armis, ſed patientiâ vincens; ſuperbos Chriſti jugo ſuaviſſimo ſubdens: ſemper enim in obſequiis pauperum, in diligentiâ peregrinorum infatigabiliter perdurabat. Atque ita eis ſuum impendebat obſequium, ut niſi quis ſundatam in Chriſto haberet mentem, proculdubio deſpectui duceret talia vel coæqualibus præbere, qualia is jugiter luridis, & deſpicabilibus exhiberet. Denique omni epiſcopali pompâ poſtpoſitâ, populorum agmine contempto, principum frequentiâ ſpretâ, famulantium obſequiis relictis, pauperum ſemper, captivorumque delectabatur conſortiis. Sed quid hæc diutius narrando immoror? Fateor numquam eo ſtudioſior in inceptis bonis, numquam perſeverantior uſquam in Galliis extitit quiſquam. Poſſet enim quis vel rarò arripere, ſed vix aut difficile perpetuò tenere. Hic verò quod ſemel propoſuit, perpetuò retinuit; quod Deo primùm vovit, nullis mundi negotiis obligavit; quod in principio arripuit, ad finem uſque perduxit.

miſericordiâ erga pauperes

B

23 Denique rigorem nimiæ abſtinentiæ ora pallida demonſtrabant: maxillæ lacrymis humectæ contritionem cordis indicabant. Lactea colla circuli ferrei premebant: ventrem & brachia ferrum æquè conſtringebat. Talia ſtigmata miles Chriſti in corpore ſuo circumferens, voluptatum illecebras, & diabolicas perſuaſiones Domino miſerante facilè contempſit. Sciebat enim Dominum Jeſum Chriſtum ut nos ab æternis pœnis liberaret, multò graviora pertuliſſe, & multa martyrum millia perſecutionis tempore vincula, carceres, ignes, beſtias, atque innumera tormentorum genera pro Chriſto ſubiiſſe. Ipſius etiam lecti congeries non ex mollibus plumis pictiſve tapetis, ſed ex aſperis virgultis conſtruebatur. Illuc corpuſculum jejuniis, vigiliis fatigatum, quaſi acceptabilem Deo victimam collocabat,

C

exhibens ſecundùm præceptum apoſtolicum, corpus ſuum hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem; illud Apoſtoli decantans: Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: nam ſæpiſſimè in cubiculo lectuli, lux immenſæ claritatis cælitus emiſſa, à diſcipulis ejus viſa eſt, voceſque angelicæ cum eo colloquentes audiebantur.

auſteritate vitæ,

24 Interea ſummo ardebat ſtudio ut monaſteria, & loca ſanctorum conſtrueret per totas Francorum provincias, maximè in propriâ diœceſi, ubi plura cœnobia magna & nobilia ex fundamentis conſtrui fecit. Plura autem ex deſidiâ priorum pontificum, & abbatum neglecta reſtauravit. Primò tamen ipſam matrem eccleſiam præ omnibus, qui ante eum fuerunt, rebus opimis, theſauriſque plurimis ditavit. Inter alia verò ornamenta, fecit ibi lectum auro incluſum * ob amorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ. Clerum denique plurimum adunavit, quem eccleſiaſticis diſciplinis mirabiliter imbuit. In alimentis, & quæ neceſſaria erant largus procurator extitit. Xenodochia matriculaſque inſtituit, ſufficientemque alimoniam ibi habitantibus largitus eſt. Eâdem curâ & diligentiâ vicos publicos, & plebeias eccleſias fundavit, vel renovavit. Nullaque diœceſis in cunctis Galliarum provinciis ſuo tempore diœceſim Rothomagenſem in devotione Chriſtianæ religionis ſuperare, vel etiam coæquare potuit. Tantus enim ibi erat numerus cœnobiorum diverſi ſexus, monachorum ſcilicet, & monacharum, qui ad ejus inſtitutionem quaſi divinæ ſationis meſſis ſubitò enituit, ut numero ſimul & religione cœnobia Ægyptiorum ab Antonio quondam exorſa æquare videretur. Ipſe autem ſine intermiſſione verbum Dei prædicabat inſtans ſecundùm Apoſtolum opportunè, importunè, arguens, obſecrans, increpans cum patientiâ, & doctrina.

aliiſque virtutibus fulget,

* *al.* inſculptum

25 Inter cætera virtutum miracula, quæ iſdem almificus geſſit præſul, illud omnino, præteundem non eſt, quod orationis ſuæ potentiâ quemdam illuſtrem virum, nomine Vuaningum optatæ reddidit ſanitati. Erat namque Vuaningus iſdem opum abundantiâ, ſecularique dignitate præpollens, qui diſpoſitiſſimo, ac miſericordiſſimo Dei judicio, morbo percuſſus acerbo, in extaſi mentis jam penè mortuus rapitur, multaque infernalis ſupplicii tormenta contemplatur. Quod omnino diſpenſante divinâ providentiâ actum creditur, ut & ipſe vir jam dictus deinceps religioſior erga Dei cultum inveniretur, & quanti meriti apud Deum foret, qui hunc ab hac clade, atque inferni voragine, oratione poſſet liberare, longè latéque promulgaretur. Qui cùm adhuc eodem, quo laborabat, morbo teneretur aſtrictus, à beato Audoëno pontifice viſitatur. Qui venerabilis pontifex orationem fundens, benedictionem ſuper eum dedit, atque priſtinæ ſanitati reſtituit; hoc præcipuè dans in mandatum, ut Deo conſecraret ipſum, in quo jacebat, locum.

& virum divitem,

E

ex MSS.

quem mirabiliter à morbo liberaverat,

e

26 Et ne admonitio tanti Pontificis fieret caſſa, monetur iterum â beatâ Eulaliâ, ut juxta juſſionem ejuſdem Pontificis, in eodem prædio, quod vocatur Fiſcannus *e*, ubi dudum jacuerat, cœnobium conſtrui faciat. Atque ut in hoc mundo adhuc viginti annos debeat vivere, meruit audire; qui vitæ redditus, ac ſenſus ſui integritate receptâ, eumdem clariſſimum Audoënum ad ſe venire precatur, ſimulque cum illo ſacerdotem Chriſti Vuandregiſilum *f*. Promulgatâ autem ejuſdem viri recuperatione, ut ſeſe fama nobilium longè latéque diffundit, plurimi ad eum congratulandi gratiâ confluebant, ob hoc maximè, quia audiebant illum oratione, & benedictione almi Pontificis vitæ, ſanitatique reſtitutum. Cui ſpectaculo etiam rex juvenis Clotharius *g*, Clodovei regis filius, nec non cuncti proceres, & populus, qui cum eo eſſe poterat, interfuit. Qui audita oculis experientes, omnipotentis Dei clementiam collaudare, atque attentius beatum Audoënum excolere, ac venerari cœperunt.

f

F

g

ad exſtruendum monialium cœnobium inducit,

h

i

27 Itaque in jam dicto prædio cœnobium conſtruentes, Vuaningus ſcilicet, atque venerabilis Audoënus, multitudinem ibi ſanctimonialium monaſtico cultu degentium, ſub Childemarchâ *h* abbatiſſâ conſtituit, ſanctumque virum Vuandregiſilum, quem olim idem venerabilis Pontifex ſacris ordinibus decoraverat, cuique ad monaſterium conſtruendum, locum, qui dicitur Fontinella *i*, à rege Clodoveo impetraverat, ibi ex conſulto præficiunt; quatinus ejus verbis & vitâ caſtiſſimâ fragilioris ſexus moderaretur laſcivia, inſtrueturque religionis normâ. Verùm venerabilis pontifex Audoënus epiſcopatus ſibi cælitus commiſſi ſtrenuè peragens miniſteria,

EX MSS. ſteria, atque ſuperni Imperatoris hujuſcemodi longè lateque fundans, munienſque monachorum cœnobia, nec non morbis infirmitatum diverſarum, miraculis, & verbis adhibens congruentiſſima medicamina, non ſuperbè inflammabatur ad caſum, ſed modeſtiſſimè humiliabatur ad culminis incrementum. Nec neſcius cedere labori, fatigabatur hujuſmodi negotiis; immò peragrans oppida, rura, caſas, vicos, caſtellaque, latè opulentiam ſibi divinitus indultæ ſapientiæ prædicando porrigebat cunctis, infundens plagis vulneratorum vinum, & oleum; id eſt, proponens cunctis tormenta impiorum, & præmia juſtorum. Si quando autem à prædicatione ceſſabat, non ſtatim quietudini ſuæ providebat, ſed pernox in orationibus, & vigiliis inſtabat, & terrenis negotiis ſolutus, mente cæleſtibus inhærebat.

& ipſe cælitus edoctus 28 Sed quoniam de cœnobiis meminimus, opportunum eſt, ut qualiter ei locus, qui nunc Crux ſancti Audoëni *k* vocatur primùm oſtenſus ſit, hoc loco memoremus: nam cùm tempore quodam parochiam ſuam prædicando luſtraret, & per ipſum locum iter ageret curru ſedens (non enim, nimio ſenio feſſus, jam equo vehi poterat) muli, qui currum trahebant, ſubitò ſubſtiterunt. Quos cùm auriga flagello percutiens iter cœptum peragere compelleret, nullo modo ab ipſo loco avellere potuit. Sentiens autem Vir Dei animalia nutu Dei manere immobilia, extemplo oculos ad cælum reflexit, aſpexitque vexillum crucis amplo ſplendore micans.

alia quædam monaſteria 29 Cumque intelligeret, Spiritu ſibi revelante, quòd eumdem locum ad ſerviendum ſibi Dominus elegiſſet, ſubito converſus vidit quemdam arantem, cujus ſtimulum ſumens, figuram ſanctæ Crucis expreſſit; quâ defixâ in terra, Sanctorum etiam reliquiis ſuppoſitis, diſceſſit. Cumque ſol veſperâ veniente terras relinqueret, columna ignea in ipſo loco per totam noctem viſa eſt tanto ſplendore, ut ſolis claritatem vincere videretur. Nec ab uno, ſed à totius provinciæ hominibus videbatur. Deinde confluebat illuc multitudo populorum, offerentium Domino vota ſua, ibique diverſis languoribus detenti, ſanitatem priſtinam receperunt, cœci viſum, ſurdi auditum, claudi greſſum, muti officium linC guæ, leproſi mundationem. In quo loco beatus *l* Leufredus *l* eccleſiam conſtruxit, quæ dedicata eſt in honore ſanctæ Crucis, ac reverendiſſimi Audoëni pontificis, ibique monachorum multitudo regulariter uſque in hodiernum diem Deo deſervit.

ac templa condit. 30 Illud etiam non ſilentii antro tegendum eſt, quod de illo certum habemus. Iter autem unâ dierum neceſſarium carpens per parochiam Rothomagenſem, contigit, ut per quemdam locum tranſiret, haud procul ab alveo Sequanæ, propter inſulam *m*, cujus eſt vocabulum Belcionaca *m*, ſitum. Ibique dum acceſſiſſet, paululùm ſe dixit in eodem loco requieſcere, divino utique admonitus oraculo. Cumque ſancto ſopore teneretur oppreſſus, angelicis fruitur colloquiis, atque eodem, in quo quieſcebat, loco baſilicam in honore protomartyris Stephani ut ædificaret, perdocetur. Accerſito deinde Ansberto *n*, qui tunc temporis Fontinellæ monaſterio abbatis jure præerat, in cujus territorio iſdem locus eſſe videtur, hoc negotium patrandum injunxit. Qui votis clariſſimi favens Præſulis, eamdem ſacram ædiculam, licèt modico, ut ſitus ſe habet loci, eleganti tamen fabricavit opere. Ubi idem præcipuus paſtor, ac glorioſus Pontifex Audoënus D xenodochium pauperum, ob memoriam nominis ſui æternam inſtituit, ac patrimonium quoddam, cujus eſt vocabulum Childriacus, ſitum in pago Dunenſe *o*, eiſdem pauperibus ibidem degentibus gratuitâ bonitate largitus eſt; ſciens ſcriptum, quòd ea hæreditas benè reconditur, quæ Deo cuſtode ſervatur.

ANNOTATA.

a *Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 640 *num.* 20 *& ſequentibus fusè diſcuſſit hanc chronotaxim, de qua* § 2 *Commentarii noſtri prævii conſule.*

b *Annus ſecundus Martini Pontificis cum anno Chriſti hîc aſſignato conciliari non poteſt, cum Sanctus ille dumtaxat anno Chriſti* 649 *cathedram S. Petri aſcenderit.*

c *Hîc iterum eſt anachroniſmus: nam Clodoveus II anno Chriſti* 640 *tertium regni annum agebat, ut Cointius in Annalibus Francorum ad hunc annum notavit.*

d *Per* lætanias *hîc intellige dies Rogationum, qui ante Aſcenſionem Domini in Eccleſia celebrantur.* E

e *Eſt celebre monaſterium in diœceſi Rothomagenſi ſitum, de quo Arturus in Neuſtria ſua pia pag.* 193 *& ſequentibus fusè agit.*

f *Acta hujus ſancti abbatis in Opere noſtro ad diem* 22 *Julii operosè edita ac illuſtrata ſunt.*

g *Is eſt Clotarius III, qui anno Chriſti* 662 *poſt mortem patris ſui ad regnum Franciæ evectus eſt, ut Labbeus noſter in chronologia affirmat. At Cointius aliud regni initium aſſignat, quod hîc parum noſtrâ intereſt.*

h *Hæc abbatiſſa ab aliis vocatur* Hildemarcha, *& Sauſſayus in Supplemento Martyrologii Gallicani tomo* 2 *pag.* 1186 *octavo Kalendas Novembris eam titulo* ſanctæ *appellat, & inter alia in ejus elogio hæc ſcribit:* Corpus ejus in Fontanellæ cœnobio depoſitum magnâ emicuit divinarum operationum gloriâ, quæ cultum ejus ibidem celebrem reddiderunt. *Hæc ad diem* 25 *Octobris examinari poterunt.*

i *De origine & progreſſu hujus monaſterii copiosè ſcripſit Arturus in Neuſtria ſua pia pag.* 131 *& ſequentibus.* F

k *Hoc monaſterium diœceſis Ebroïcenſis à cruce, quam* S. Audoënus *ibi in aëre viderat, nomen accepit. Poſtea vocatum eſt* crux S. Leufredi, *quia S. Leufredus in loco, ubi* S. Audoënus *crucem viderat, monaſterium fundavit, ibique multis miraculis claruit, ut apud laudatum Arturum in proximè citato Opere pag.* 346 *& ſequentibus fuſiùs videre eſt.*

l *Henſchenius ad diem* 21 *Junii in Opere noſtro Acta S. Leufredi tomo* IV *à pag.* 104 *illuſtravit.*

m *Hæc inſula in Actis S. Condedi monachi Fontanellenſis vocatur* Belſinnaca, *de qua Valeſium in Notitia Galliarum pag.* 82 *conſule.*

n *Majores noſtri die* 9 *Februarii Acta S. Ansberti priùs abbatis Fontanellenſis, ac poſtea archiepiſcopi Rothomagenſis, ſedulo examinarunt.*

o *Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 178 *de duplici Duno meminit. Suſpicor, hîc indicari tractum Dunenſem, qui ab urbe vulgo* Chaſteau-Dun *dicta nomen accepit. Baudrandus in ſua Geographia ſitum iſtius urbis in Belſia Galliæ provincia ad Lædum fluvium aſſignat, eamque* 28 *leucis à Rothomago in meridiem & totidem à Pariſiis in occaſum diſtare aſſerit.*

CAPUT

A

CAPUT IV.

Romana ejus peregrinatio, pacis conciliandæ ſtudium, prophetia, & felix obitus.

Romam proficiſcitur,

POſt fundatam dehinc fidei eccleſiam, poſt fluenta doctrinæ, poſt tot monachorum conſtructa monaſteria, poſt pacificatum totum Francorum imperium, urbem Romam, caput orbis, & Chriſtianæ religionis, quam Apoſtolorum principes corporibus ornant, catervæ martyrum oſſibus ſacris decorant, pontificante tunc temporis ſedem ejuſdem eccleſiæ anno quarto Deodato *a* Papâ, adire tandem diſpoſuit. Cumque hoc longè, lateque fama vulgaret, undique conveniunt Religioſorum innumeræ multitudines ad Virum Dei, portantes auri, argentique pondera copioſa; obſecrantes, ut ad corpora ſanctorum
B Apoſtolorum & martyrum, pro redemptione animarum ſuarum deferri juberet; partim etiam pauperibus inibi ſuis ſacris manibus largiretur, eoſque orationibus ſuis Domino pariter commendaret.

a

multis comitantibus,

b

32 Multi etiam venerabiles viri, & Deo devoti, unà cum illo ire gaudebant; inter quos erat ſanctus Sydonius *b*, genere Scotus, ædificator monaſterii, quod nunc per metonymiam ſanctum Sydonium dicunt. Comitatus igitur Deo Dilectus urbâ ſanctorum, necnon benedictionibus eleemoſynarum ornatus, ad limina ſanctorum Apoſtolorum hilaris (ut quondam Vas electionis, cùm benedictiones diverſarum eccleſiarum in miniſterium ſanctorum Hieroſolymam deferret) pervenit. Proſternens autem ſe ſingulis memoriis Apoſtolorum, & martyrum, vota ſupplicationis tam pro ſe, quàm pro pace totius Eccleſiæ Catholicæ obtulit; lacrymas tamen magis, quàm verba fudit. Ubicumque proſtratus in oratione jacebat, flumina lacrymarum pavimentum irrigabant: ubi denique ad confeſſionem Petri Apoſtoli, cùm hunc verſum inciperet; Exultabunt ſancti in gloriâ, divinitus reſponſum
C eſt, Lætabuntur in cubilibus ſuis. Quis etenim eloqui poterit, cum quantâ abundantiâ per Romanas eccleſias, & ſanctorum memorias commiſſam ſibi diſtribuebat pecuniam. Cumulabantur altaria ſanctorum auro, & argento, replebantur pauperum manus. Gaudebat tota urbs, ſibi, qui in toto notus erat orbe, adveniſſe. Et (ut breviter concludam) ita in illius adventu, vel beneficio gratulabantur, acſi fundatores fidei ſuæ corporaliter corporeis tuerentur obtutibus.

& rediens ad ſuam diœceſim cum magnâ lætitia excipitur.

33 Perfectis autem orationibus apud loca ſanctorum, diu deſideratis acceptis divinis reſponſis, cum multarum ſuffragiis reliquiarum, tandem venerabilis Senex altiſſimis Alpium jugis tranſmiſſis, Galliarum remeavit ad ſolum. Cùm autem perveniſſet ad finem diœceſis ſuæ, cuncti tam cives, quàm ſuburbani, maximo gaudio exultantes, catervatim occurrunt Pontifici, unà cum crucibus & lampadibus, gratias agentes Domino, qui eis incolumem reddidit proprium paſtorem, atque pontificem. Jamque felix fama volans regalem pervenit ad aulam. Tunc unà rex, & regina, cunctique optimates palatii laudabant Creatorem, qui eis tantum pontificem, & regni tutorem remeare fecit incolumem. Quid dicam de ſacerdotibus, & de agminibus monachorum? Omnes quippe unanimiter manibus in cælum cum voce levatis, canebant: Gratias agimus tibi, Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui exaudiſti voces clamantium ad te, & reddidiſti nobis paſtorem animarum noſtrarum, ſimulque corporum procuratorem. EX MSS.

Redux diſſidentes principes conciliare nititur,

34 Jamque ad ſedem propriam veniens, audivit principes palatii, quos auctore Deo Romam vadens concordes reliquerat, inſtigante diabolo, jam peſte diſcordiæ fœdatos. Tunc Chriſti Miles arma ſpiritualia ſumens, vigilias videlicet, orationes, jejunia, ſpiritualem hoſtem palatio pellere, atque concordiam priſtinam turbatis principibus reddere tentabat. Quàm multa, quàm gravia ſuſpiria, quàm multas tribulationes beata ſenectus ſuſtinuit, ut pacificos redderet, quos invidia diaboli per diſcordiam ſeparavit. Et ne effuſio ſanguinis inter Chriſtianos fieret, ipſe priùs morti ſuccumbere paratus erat, attendens illud euangelicum documentum: Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ovibus ſuis. Nec labor tanti viri caſſus eſſe potuit; nam principes, fugatâ diſcordiâ, pacem amiſſam libenter E ſuſceperunt.

filium patri inſidiantem ſpiritu prophetico monet,

35 Illo tempore regiæ dignitatis culmine Theodericus inſignis habebatur. Qui venerabilem pontificem Audoënum non minùs anterioribus regibus diligens, inter reliqua beneficia hoc illi conceſſit, ut nullus in parochia ejus epiſcopus, vel abbas, ſive Comes aut quiſlibet alius judiciariæ poteſtatis conſtitueretur, niſi quem aut ipſe de ſuis eligeret, aut cui conſtituendo pro vitæ meritis aſſenſum daret *c*. Tunc in palatio ſupradicti regis majus dogma retinebat vir illuſter, nomine Vuarato, cui erat filius efficax, & induſtrius, ferus tamen animo, acerbus moribus, atque inſidiator patris, nomine Giſlemarus *. Quem vir Domini Audoënus ut à patris ſui inſectatione ceſſaret, crebrâ admonitione coërcuit. Cujus ille ſalutaria monita contemnens, à malitiæ ſuæ inſidiis non ſe cohibuit, donec patrem proprio honore privavit. Unde non multò pòſt, ſicuti ei à Viro Dei fuerat prædictum, percuſſus à Deo, indigniſſimam vitam dignâ morte finivit.

c

* *al.* Gillemarus

in itinere Colonienſi patrat miracula,

36 Interea beatus Audoënus, ortâ diſcordiâ inter gentem Francorum, & Auſtraſiorum, ad urbem Coloniam causâ pacis pervenit. Cumque ingrediens civitatem, martyrum monumenta perluſtraret, atque reliquias more ſuo ex eorum monumentis ablatas, ſecum cum magno honore deportaret, obvium quemdam mutum habuit, qui jam per undecim annorum curricula uſum loquendi perdiderat. Quem Dominus ad honorem famuli ſui tamdiu mutum reſervavit, ut per ipſius adventum muto loquelam redderet; & diu tacens lingua in laudes erumperet Chriſti. Signum itaque crucis capiti ejus impreſſit, & linguam tacentem loqui continuò fecit. Exinde populis diſcordiâ priùs disjunctis, & pacis fœdere ſociatis, inde regrediens ad Neuſtriam, civitatem Virdunenſium advenit. Cumque ingrederetur eccleſiam ipſius civitatis, ecce mulier quædam ſpiritum immundum habens, vexari mirabiliter cœpit, frendenſque dentibus, virum Dei rapido curſu invadere nitebatur. Sanctus Audoënus manu caput ſtrinxit, & illico dæmonem ejecit, ſanamque parentibus reddidit. Exinde ad palatium veniens, proſpera de pace cuncta, ut geſſerat, indicavit. F

37 Tempus jamque eſt, ut de obitu pretioſiſſimi

EX MSS. *& reversus in Galliam piè moritur*

sissimi Viri calamus noster dignè aliqua pangat. Anno igitur sextodecimo *d* regnante Theoderico, & Chlodochilde * reginâ, administrante res palatii Vuaratone *e* subregulo, apud villam Clipiacum, ubi tunc ipse vir beatus de pace remissâ inter Francos, & Austrasios nuntiaverat, jam senio ætatis fesso ægritudo corporis illico contigit. Appropinquabat itaque desiderata dies, quâ cupiebat dissolvi & esse cum Christo, terram relinquere, & videre jam facie ad faciem, quod in ænigmate diu tuebatur. Cúmque febribus corpus attenuaretur, & obitum suum jam imminere cerneret, obsecrabat Dominum, ut suas oves digno pastori committere dignaretur: hortans denique regem, ut quemdam abbatem, nomine Ansbertum, ejus faceret successorem, sicut & fecit. Ipse igitur complens orationem, gregem sibi creditum Christo Domino devotè commendans, & sic spiritum commisit in manus Creatoris, cælestibus choris sociandum, ad gloriam sempiternam paradisi possidendam. Rexit autem Rothomagensem ecclesiam annos quadraginta & tres, menses tres, & dies decem. Nonagenarius migravit ad Dominum, sub die nono
B Kalendarum Septembrium, Dominicâ; qui erat annus Incarnationis Domini nostri Jesu Christi
f sexcentesimus septuagesimus octavus *f*.

d ** al.* Chlodohilde *e*

cum summo nobilium luctu

38 Completur interea maximo regia regalis luctu, omnis palatina dignitas concutitur, omnis altitudo humiliatur, omne gaudium in lamentum vertitur, omnis risus quiescit. Plangunt prudentissimum consiliarium, pacem populo Dei semper quærentem; & ne humanus sanguis effunderetur, instantissimè desudantem; egregium prædicatorem, monasteriorum fundatorem, pauperum consolatorem, patrem monachorum, pastorem Clericorum, hæreticorum persecutorem, Ecclesiæ defensorem, regni tutorem. Inter hæc patent jam beato Audoëno cælorum palatia, referantur secretorum arcana. Ejus merita transcendunt cacumina terrarum, ejus sacerdotii dignitas transvolat altitudines siderum, sociatus jam choris sanctorum, atque legionibus angelorum, glorificatus est inter apostolicas arces, collocatus inter patriarchas, atque prophetarum turmas, & inter splendentia castra sanctorum numeratus.

C *ac plebis luctu.*

39 Plebs denique universa plangit pium pastorem, & miles Christi exultat cum fiduciâ in Christo, pro remuneratore. Rex, regina, procereſque palatii, non desistunt flere, & ille, cui sedulò servitutis obsequia detulit, sine ullâ cunctatione confidens, festinat vultum ejus videre. Tristantur cives atque vicini, & Audoënus pontifex mercedem laboris excipiens lætatur sine trepidatione. Tunduntur pectora piis planctibus, athleta Domini gratulatur, instítis mundi resolutus. Tutorem regni requirunt, quem plateæ Hierusalem jam galeatum exceperunt. O quanta est angelorum lætitia plaudentium, quantùm * pium est flere Audoënum, qui cælestem vitam duxit in sæculo, & modò togatus gaudet in cælo! In tabernaculis Sanctorum cum magnâ tranquillitate requiescit, stipatus præsidiis angelorum.

* *fortè* quàm

ANNOTATA.

a *Si chronologiæ biographi nostri fidendum sit*, S. Audoënus *anno Christi* 674 *Romam profectus est, cum annus quartus Deodati vel Adeodati Pontificis huic anno Christi respondeat. Cointius hoc iter sancti Præsulis differt ad annum Christi* 676, *qui fuit Deodati Papæ sextus & ultimus,* D *quemadmodum Labbeus in Chronologia sua numerat. Alii tamen annum Deodati quartum cum anno Christi* 676 *componere nituntur.*

b *Suprà citatus Arturus pag.* 335 *Neustriæ pia monasterium sancti Sidonii describit, illudque ab aliis ejusdem nominis locis distinguit.*

c *Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 681 *num.* 67 *hoc diploma explicat, & illud à Surio corruptè editum ostendit.*

d *Quamvis Cointius hunc biographum nostrum alibi explicare nitatur, tamen in Annalibus Francorum ad annum Christi* 683 *num.* 7 *hanc epocham rotundè rejicit his verbis:* Audoënus ad annum Theodorici regis decimum sextum pervenire non potuit.

e *Ex communi chronologorum consensu constat, hunc Warattonem munere subreguli, seu potius Majoris-domûs, anno* 681 *primùm fungi cœpisse. Unde sequitur,* S. Audoënum *post annum* 681 *obiisse. Attamen hoc tempus mortis conciliari non potest cum anno Incarnationis, quem biographus noster statim assignabit.*

f *Annus Christi hoc loco expressus neque cum munere Warattonis, neque cum anno decimo* E *sexto Theodorici regis componi potest: teste enim Cointio, decimus sextus Theodorici regis annus anno Christi* 689 *respondet, licèt Labbeus noster eodem anno* 689 *tantummodo nonum Theodorici regis annum numeret.*

CAPUT V.

Funerea pompa, primus sepulturæ locus, honorifica sacri corporis elevatio, & miraculum, quod in ea contigit.

Sancti cadaver honorificè Rothomagum transfertur, F

POstquam ergo planctus requievit, convenitus episcoporum, rex, & regina, Majordomûs, cunctique principes in unum conveniunt, & beati Viri corpus in feretro deportantes, sanctas exequias celebrant. Gaudebat quisque, & maximum lucrum deputabat, si corpus beati Viri subire humeris, atque in scapulis portare meruisset. Qui cum maximo honore usque ad pontem Ysaræ cum digno funeris ornamento, hymnos & laudes celebrando perveniſſent, noctem totam in laudibus Domini peregerunt. Indeque regalis dignitas remeavit ad propria cum magnâ tristitiâ, videns à se ablatam Domini margaritam. Dum verò conventione factâ plurimorum episcoporum, unà cum venerabilium abbatum, atque sacerdotum, monachorum, clericorumque multitudine, seu illustrium virorum, & turbâ populorum, cum crucibus, & lampadibus, necnon thymiamatibus, Cassinensium provinciam sunt ingressi, summo honore beatum corpus humeris deportantes, laudes & hymnos Deo canebant, & cum ingenti fletu pastoris feretrum aspicientes, per loca singula, ut diximus, tristes beati Viri corpus ad Rothomagum civitatem deportabant, & in basilicâ beati Petri Apostoli, in loco, quem ipse præparaverat, cum ingenti decore decentissimè sepelierunt.

tibi in ecclesia S. Petri sepul-

41 Denique ipsa ecclesia, in quâ sancta membra in pace quiescunt, miro opere quadris lapidibus, *tum*,

A dibus, manu Gotthicâ à primo Lothario rege Francorum olim eſt nobiliter conſtructa, ſub anno circiter viceſimo quarto regni ſui *a*, pontificante ſedem ejuſdem eccleſiæ Rothomagenſis Flavio *b* epiſcopo, qui fuit anno Dominicæ incarnationis quingenteſimo *c*; in qua jam dicti Lotharii duæ uxores requieſcunt, Haldetrudis, & Bertetrudis, necnon & Dagobertus filius Sigeberti Regis, quem totondit Grimoaldus; ſeu & Hildericus rex, & uxor illius Bihildis cum filio, quos ipſe Vir ſanctus jam olim ibidem ſepelivit, ubi Dominus Jeſus Chriſtus, meritis beati Audoëni præſulis ſuffragantibus, multa virtutum ſigna uſque in hodiernum diem operari non ceſſat. Ibi cæci illuminantur, leproſi mundantur, claudorum greſſus conſolidantur, dæmoniaci curantur, & diverſi languores ſanantur.

& miraculis coruſcans,

42 Et non ſolùm in loco ſepulturæ ipſius, ſed per plures provincias, quas Vir Domini docendo peragravit. Quæ ſi quis pleniùs ſcire voluerit, luſtret Galliam, Aquitaniam, Hiſpaniam & Italiam, geſta Francorum, Vitam & actus almi Eligii, quos ipſe dictando, ſcribendo, poſteris reliquit; Vitas quoque venerabilium abbatum, & confeſſorum ſanctorum; illius verò civitatis ſcrinia, necnon & monaſteriorum, quæ reges, & reginæ, ſeu alii plurimi viri Religioſi, illo hortante, in illius tempore conſtrui fecerunt, legendo, & requirendo peragret. In quibus omnipotens Deus ad honorem nominis ſui, per merita ſancti Audoëni, multa mira & magna uſque hodie monſtrare dignatur; quæ omnia teſtantur loca, ubi fiunt miracula. Patres, matreſque docent liberos ſuos, magiſtri diſcipulos, ſenes juvenculos, ad memoriam in poſteris tranſmittendam.

poſt tres annos decentiùs elevatur,

43 Requievit igitur beati Viri corpus in eodem loco annis tribus & menſibus novem. Poſt hæc viſum eſt antiſtiti ſucceſſori ſuo, ut ſacratiſſimum corpus transferret in editiorem locum, ad orientalem plagam altaris ſancti Petri Apoſtoli. Convocato igitur agmine plurimorum monachorum, omnique eccleſiâ, ſeu populo ipſius urbis, totiuſque provinciæ, totam noctem cum laudibus & hymnis duxit pervigilem; finitis verò matutinis laudibus, cum choris modulantium, quorum reboabat cantus, ſonuſque mellifluus, ipſum ſanctum corpus cum magnâ veneratione de loco, ubi ſepultum fuerat, tranſtulit, ipſo die Aſcenſionis Domini tertio nonas Maii *d*, in loco prædicto, ubi nunc uſque cum ſummo honore adoratur. Quod ſacratiſſimum corpus tam alienum inventum eſt ab omni corruptione, quàm primum vivens decoratum fuit virginitate. Fecit ſuper ejus ſepulchrum repam *e* mirificè conſtructam, in quâ miſit argentum maximi talenti, aurum plurimum, & gemmas optimas. Condidit intra illam lectum, quem ſanctus Audoënus flagrantiſſimo ardore ignitus juſſit fabricari, & intus auro foriſve mirabiliter includi, ad perferendum in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad ſanctam reſurrectionem in Hieruſalem. Sed ne illuc tunc temporis mitteretur, huic ſanctæ intentioni obſtitit varius rei eventus.

quando præſulem Rothomagenſem febri liberavit,

44 Sed de miraculo, quod ipſa die tranſlationis ejus actum eſt, paucis memorandum eſt. Contigerat enim ſupradicto epiſcopo ægritudo corporis valida, quam vulgus tertianas febres nominavit. Cumque vehementer à febre cruciaretur, & præſentem mortem jam adeſſe formidaret, ſubitò inter Miſſarum ſolemnia præſentibus tam ſacerdotibus, quàm clero, & populo aſtantibus, omni febre detersâ, ſanitatem priſtinam recepit. Qui etiam ſudarium de capite beati Audoëni pro munere reliquiarum manu ſua cum fide ſuſtulit, ex quo & ſibi ſalutem, & aliis quamplurimis, Domino largiente, promeruit. Qui magna fecit ob amorem almi Viri omnibus præparari prandia, & quaſi Chriſto aſſiſtens ambulando ſuæ refectionis percipiens cibum, illorum implevit obſequium, non ſolùm in alimoniam, ſed etiam innumeram copiam ſolidorum *f* pauperibus diſtribuit.

aliis beneficia præſtitit,

45 Quanto decore venerandâ eſt hodie antiſtitis noſtri Audoëni ſacratiſſima dies, in quâ junctus Chriſto, angelicis fruitur paradiſi deliciis, & à nobis magno cum honore officioſiſſimè excolitur tumulatus. Pauperum voces in ejus depoſitionis die congregati in unum, laudabant Dominum, & gratias inceſſabiles ei agentes de eorum paſtore domno Audoëno, qui præſenti vitâ eis duplicem alimoniam præbuerat, & poſt exitum ſuum tam magna prandia præparabat. Cujus orationibus adjuti, totis viribus conemur, vitam ejus, & fide, & moribus imitari, ut mereamur ad coronam gloriæ, quam ipſe adeptus eſt, pervenire, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum æterno Patre vivit, & regnat Deus in Trinitate perfectâ, in ſæcula ſæculorum. Amen.

ibique diu quievit.

46 Requievit ergo in ipſo loco, ubi tranſlatus fuerat, annos centum ſexaginta duos *g*, donec Normanni vaſtaverunt Rothomagum, & ſuccenderunt monaſterium ipſius Idus Maii, ſub anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo quadrageſimo ſecundo, regnante poſt obitum Ludovici imperatoris, Lothario & Carolo anno primo.

ANNOTATA.

a *Audomarenſe Actorum apographum ædificationem hujus templi collocat* anno circiter vigeſimo quarto *Clotarii I regis Sueſſionenſis.*

b *Cointius in Annalibus Francorum ad annum Chriſti 533 num. 45 de conſtructione hujus eccleſiæ meminit, eamque cum quarto Flavii præſulis Rothomagenſis anno, & cum vigeſimo ſecundo Clotarii regis conjungit.*

c *Ex ſuperiori computatione liquet, hîc aliquid deeſſe, & forſitan legendum eſſe* anno Dominicæ Incarnationis quingenteſimo trigeſimo tertio, *quem Cointius hujus eccleſiæ conſtructioni aſſignavit.*

d *Ferè ſemper infelix eſt hic biographus, dum dies vel annos numerat, ut patet ex Cointio ad annum 687 num. 11, ubi hunc tranſlationis diem ita refellit:* Manifeſtus autem error eſt in hoc calculo, quia feſtum Aſcenſionis ab anno Chriſti ſexcenteſimo duodetriceſimo uſque ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptimum cum tertio Nonas Maii non convenit.

e Repa *eſt feretri operculum, ut Cangius in Gloſſario recuſo ad hanc vocem variis exemplis probat.*

f Solidus *vel* ſolidum *eſt genus monetæ, quod forſan deducitur à* ſolidata, *quæ eſt ſtipendium unius ſolidi, quod datur militi, ut Cangius in laudato Gloſſario teſtatur.*

g *Hæc clauſula in priori Actorum ſcriptore non legitur, quia is uſque ad hæc tempora non vixit, cùm num. 9 prioris Vitæ teſtetur, ſeſe miracula* S. Audoëni *viventis ex diſcipulis ejus intellexiſſe.*

EX EDITIS.

VARIÆ TRANSLATIONES
SACRI CORPORIS

Ex Theſauro novo anecdotorum apud Edmundum Martene tomo 3, columnâ 1669 & ſequentibus, quam editionem cum mutilo Ms. Rothomagenſi contulimus.

CAPUT I.

Honorifica ſacrarum reliquiarum reductio ſub Normannis jam Chriſtianis, & miraculum, quod Sanctus in pueritia patraſſe dicitur.

Corpus Sancti, quod ob irruptiones Normannorum

LIcèt, dilectiſſimi, in omnium nos feſtivitate ſanctorum oporteat gratulari, præcipuè tamen in ſanctiſſimi ac ſpecioſiſſimi patroni noſtri atque antiſtitis Audoëni, quotieſcumque evenit, celebritate, omnimodis condecet exultare, & dignis laudum præconiis Deum glorificare, qui talem populo ſuo providit paſtorem, ac piiſſimum per omnia ſuffragatorem. Hanc ergo diem annua devotione recolimus, qua corpus ejus ſacratiſſimum à Galliis relatum, univerſæ genti noſtræ novæ exultationis infudit tripudium. Cùm enim omnipotens Deus adoptivum ſibi per fidem Galliæ populum, peccatis exigentibus, veluti quondam Iſraëliticam plebem ſibi peculiarem à Chaldæis, per aliqua annorum curricula ab hoſtibus miſericorditer flagellari permitteret, ne in æternum diſtricta animadverſione puniret; perfidæ ac crudeliſſimæ gentis Danorum exercitus ad prædandum, barbarico more conſpiratus, piraticam exercens, cum ingenti claſſe Oceani littora occupavit, ac finitima quæque habitationis noſtræ loca depopulando, & cremando conſumpſit.

aliò delatum fuerat,

2 Tandem igitur per vaſtum Sequanæ *a* fluvium irruptionem faciens, Gemmeticenſe monaſterium *b* cum omnibus ædificiis igne ſuccendit, deinde Rothomagum metropolim adire diſpoſuit. Quod ubi cives comperiunt, rabiem metuentes gentilium, ſanctorum corpora exinde aſportarè ſtatuunt. Monachi igitur beati Audoëni corpus aſſumentes, ad ſui juris prædium nomine Condatum *c* detulerunt; ſancti verò Nicaſii *d* martyris reliquias cum ſociis Wanbaſio repoſuerunt. Denique per multa annorum volumina, ſcilicet uſque ad Rollonis *e* tempora, ibidem ſanctorum requieverunt pignora. Hic itaque bellicoſa fretus virtute & armatorum expeditione, velut fulgur fines irrumpens Galliæ, diverſa urbium & municipiorum mœnia evertit, plurima quoque oppida ac rura cum ipſis ſanctorum eccleſiis ad ſolum uſque diruit, incendit, atque prædavit. Bella etiam acerrima cum Francorum principibus iniens, numeroſas de Chriſtianis ſtrages dedit, nec ab aliquo valuit ſuperari.

3 Tandem divinæ propitiatio majeſtatis reſpexit in orationem humilium, & debacchantium furorem compreſſit gentilium. Denique rex Francorum Carolus *f* cum Rollone pacis fœdus iniit, ſuamque ei filiam vocabulo Giſlam, ſi titulum Chriſtianitatis perciperet, jure conjugii ſe daturum ſpopondit, totiuſque Normanniæ provinciam, quam ſibi iſdem Rollo debellando ſubegerat, regali munere liberaliter conceſſit. Anno igitur dominicæ Incarnationis nongenteſimo duodecimo Rollo cùm ſuo exercitu in ſanctæ Trinitatis fide à Francone *g* Rothomagenſi pontifice baptizatur, & Robertus in baptiſmate nuncupatur. Fit gaudium ſanctæ Eccleſiæ pro tanti ducis converſione & gentilium ſalute. Fit exultatio ſanctis in cælo angelis, & hominibus in terra bonæ voluntatis. Fit lætitia univerſis pro reſtituta pace regni & tranquillitate temporis. Terra diu cultore nudata inhabitatur, aratris & bobus exercetur, vineta putantur, & redivivæ copia fertilitatis Francia innovatur. Princeps verò novus, uti Conſtantinus, præteritorum pœnitens malorum totum ſe contulit ad eccleſiarum Dei, quas deſtruxerat, reſtaurationem, ad inopum defenſionem, ad divinæ legis obſervationem, & ſanctorum debitam venerationem.

duce Normannorum ad fidem Chriſtianam converſo,

quem Rothomagenſes per præſulem ſuum rogaverant,

4 Interea Rothomagenſes ſuper piiſſimi paſtoris Audoëni ſui corporali conqueruntur abſentia, & aëris ſiccitate nimia; illud inſigne virtutis memoriter retinentes, qualiter idem Præco divini dogmatis, & tuba ductilis in domo Dei, Hiſpaniæ populis ſeptem annorum circulis continua ſiccitate afflictis, quos verbo ſalutis & rore fidei conſperſit, velut Elias pluviam cælitus impetravit. Hujuſmodi ergo murmure populi & flebili querimonia præſulis ejuſdem urbis, ſcilicet Franconis, aures percelluntur, & ad explendum tantæ rei negotium ejus animus inſtigatur. Nec mora, palatium principis adiit, ſuam totiuſque plebis petitionem ac deſiderium humiliter & opportunè ſuggerit.

& de meritis ſancti Viri inſtruxerant,

5 Percunctatur rudis Chriſticola quantæ dignitatis, quantæque fuerit excellentiæ Vir ille, pro cujus reliquiis univerſalitas tantopere elaboraret, & ſibi reſtitui vehementer anhelaret. Tum præſul hoc doctus oraculo, aggreditur ore facundo ſancti Antiſtitis ſeriatim vitam exponere in conſpectu principis & procerum totius aulæ. Qualiter ſcilicet ab ipſis infantiæ rudimentis Audoënus ſenuerit probitate, quomodo ſanctarum virtutum claruerit provectione, quam præpotens effulſerit in miraculorum exhibitione, quam felici præſentis vitæ clauſulam decoraverit reſolutione, quantumve glorioſus exiſtat in illo cæleſtis curiæ ſenatu coram Chriſto ſummo imperatore. His intentiſſimè princeps auditis, in lacrymas reſolutus, pro tanti Viri meritis in laudem prorupit noſtri Salvatoris gratiarum omnium largitoris.

ipſo duce petente,

6 Denique Rollo, qui & Robertus, à latere ſuo ſtrenuos ad regem Carolum legatos dirigit, implorans amicabilibus verbis, ut ſuum antiquum ſacerdotem Deo digniſſimum Audoënum ſibi reddi jubeat, & propriæ ſedi metropolitanæ maturè reſtitui faciat, quatenus moderni pacti jura ad invicem inconvulſa ſerventur, ne, quod abſit, aliquo diſſenſionis offendiculo violentur. Ad hæc rex inclytus pro tam Chriſtiani ducis fide ac devotione, Regi regum gratias agit; deinde ad Condatenſe oppidum ſacri theſauri cuſtodibus mandat, ut duci Normannorum ſatisfaciant, & beati Audoëni glebam ad propria remittant.

7 Nec

A *cum magno gaudio*

7 Nec mora, acceleratur expleri negotium, quod divinitus proviſum, vel à rege fuerat imperatum. Per loca etiam eccleſiarum, quibus transferendæ erant reliquiæ, clericis & monachis regia auctoritate mandatur, ut feſtivo more cum crucibus ac libris, cum ceroſtatis *h* & diverſo proceſſionis apparatu ſacro corpori occurrant, & dignis exſequiarum laudibus ad ſolum uſque Normanniæ deducant. Qui omnes alacri devotione decenter & ordinatè procedunt, & Deum in ſanctis ſuis glorioſum in hymnis & confeſſionibus benedicunt. Perſonabant undiquè chori pſallentium, clericorum ſcilicet, monachorum, ac virginum, tinnulis vocibus diverſa modulantium, carmina concrepantium. Cæleſtes etiam, ut credimus, non defuere exequiæ, & angelicæ phalanges militiæ in tam ſancti Pontificis tranſlatione, qui adhuc vivens ſæpiùs angelorum fruebatur alloquio, & nunc in cælis perenni gratulatur conſortio. Conſtat autem veriſſimè totum illud melliflui itineris ſpatium miraculis refulſiſſe, licet temporis obſoleverint vetuſtate, & eorum, qui affuerant, impræſentiarum incuria & remiſſione.

h

B *& comitatu*

8 Francorum proceres cum innumerabili plebe feretrum ſubſequuntur de illius gloria hilares, de ſui irrecuperabilis damni eventu admodum triſtes. Lamentatur Gallia incomparabilis pretii theſauro ſpoliata, & totius decoris gemma de ſuæ ſtirpis utero procreata. Compatriotarum animus nimiò percellitur mœrore, dolens ejus avelli à corpore, cujus ardentiſſimo fervebat amore. Sic itaque hymnis canora multitudine beati Confeſſoris glebam proſequente, ad confinium pervenitur, quo utriuſque provinciæ meta dividitur. Inde Gallicanus populus ad propria cum mœrore regreditur; maritimus verò cum gaudio paſtoris ſui veſtigia comitatur. Pervenientes denique ad locum, qui uno ab urbe diſtat miliario, ſacroſanctum corpus, acſi ſolo fixum immobiliter conſtitit, nec ab ullo potuit moveri.

in Normanniam reducitur.

9 Tunc omnibus ſtupore attonitis, ab his, qui ſanioris erant conſilii, veluti divinæ virtutis indicio admonitis, ad urbis mœnia aliqui præmittuntur: duci ac pontifici ſacri corporis adventus nuntiatur. Mox à præſule civium multitudo convocatur, ſalubriter admonetur, ut contrito & humili corde, nudis pedibus, cum ſumma devotione ſacro corpori occurratur. Omnibus ergo compoſitis, quæ ad cultum & decorem pertinent feſtivæ proceſſionis, univerſus tam eccleſiaſticus quàm monaſticus ordo, cum ingenti populo ab urbe procedit, obviam pergens ſuo magno Paſtori, velut quondam Hebræa plebs noſtro Redemptori. Sic candidatorum triumphalis exercitus, cui juxta Apoſtolum in palæſtra fidei viriliter agonizanti adverſus inviſibiles aëris hujus poteſtates indeficiens eſt colluctatio, ſuo claro Antiſtiti cum ingenti laudationum occurrit præconio.

C

Ipſe Dux ſacris reliquiis occurrit, *i*

10 Tunc princeps Chriſtianiſſimus, Hunc, inquit, locum, quem paulo longius ab urbe digreſſi hucuſque pedanei convenimus, amodo Longum-pedanum *i* nuncupari cenſeo, & ab hoc ad uſque urbis mœnia, omnem, quæ infra adjacet, terram beato Audoëno liberaliter concedo, ut mihi, meiſque hæredibus apud Deum exiſtat præſidio. Quidquid autem antiquitus in terris & poſſeſſionibus ejus ditionis fuiſſe dignoſcitur, ut ſibi reddatur præcipio, & ejus venerabile cœnobium cum omnibus, quæ ad uſum pertinent monachorum juxta priſcorum privilegia regum, noſtra auctoritate, ut immune & abſolutum maneat ab omni judiciaria exactione, auctorizaliter conſtituo. Quod ſi quis inde huic venerabili loco aliquid calumniæ, aut quæſtionis ingerere tentaverit, me primum requirat, me, inquam, ſub manu Domini ejuſdem eccleſiæ ſcutum protectionis & baculum defenſionis. EX EDITIS.

eaſque devote defert,

11 His ita prælibatis & principali auctoritate & edicto roboratis, ante ſacroſanctum corpus ſolotenus proſtratus, & lacrymis perfuſus oravit, malorum quæ in ſanctos Dei commiſerat pœnitens, & pro tranſactis reatibus graviter ingemiſcens. Dehinc cominus acceſſit, & collum, antè gentili faſtu ſuperbum ac rigidum, nunc jugo Chriſti edomitum, mira cum devotione feretro ſubmiſit, & primus omnium amicas ſibi bajulans gazas, illum ferre gaudebat, per quem facinorum veniam ſibi obtinere à Deo nullatenus ambigebat.

comitantibus Normannis jam ad fidem Chriſti converſis,

12 Aderant ibi & Dani jam ex lupis facti agni, nec ut olim prædæ cruentis rictibus inhiantes; ſed unà cum aliis pretioſas Sancti reliquias venerantes, juxta quod propheta, Leo, inquit, & bos ſimul comedent paleas. Nec enim ulterius belluina rabie humanum ſitiunt cruorem, nec more gentilium ſortilegorum, vel in extis pecudum rimantur divinationem; ſed geminam ex animo complectuntur dilectionem, & inepta execrantes ludicra, & idolorum nænias, ſanctorum pronixe expetunt interventionem. Reſonabant undique compita viarum dulciſonis vocibus alternatim canentium, & diverſarum copia ſymphoniarum. Ubi verò ad ſuburbana civitatis pervenitur, illud pium, ac ſolemne HOSANNA, quod Hebræorum pueri Domino Jeroſolymam ingredienti conſona vocis harmonia pſallebant, beato Audoëno modulatur, & benedictus qui venit in nomine Domini, ab omnibus concorditer decantatur. Ad ejus namque felicem reditum ſuper ſquallidâ ſiccitatis moleſtia ſe adepturos nullatenus ambigebant remedium. Ex corrupto etiam aëre tabida peſtis erumpens humana paſſim corpora inficiebat, & plurimos improviſa morte perimebat. Ab hac igitur lethifera labe ejus eximi cupiebant oramine, qui multos ab inferorum eruit voragine. E

& ingenti accolarum multitudine, F

13 Sic itaque ejus corpus ſanctiſſimum innumeræ plebis frequentia conſtipatum cum hymnorum & laudum officiis, cum thymiamatum odoramentis in beati Petri apoſtoli eccleſiam reportatur, & ibi decentiſſimè collocatur Calendas Februarii anno dominicæ Incarnationis nongenteſimo octavo decimo *k*. Ubi hactenus ſumma excolitur veneratione, ad laudem Dei omnipotentis, & æternum ejus memoriale. At ubi populus ad propria diſceſſit, per meritum glorioſi Confeſſoris, nubibus in aëre collectis, repentè vehemens pluviæ inundatio erupit, & terram ſitientem largiter infudit. Renovatur illud inſigne virtutis, quod Hebræorum populis contigit, adventu egregii prædicatoris, cum adinſtar Eliæ incumbens orationi ætheris clauſtra & nimborum obſtacula patefecit. Denique ſpecialis zeli conſtantiâ, & virgineæ integritatis gratiâ floruit, ut Elias. Cilicii aſperitate corpus edomuit, ferro collum & brachia ventremque conſtrinxit; ut prolixo maceratus cum martyribus coronaretur agone, cum virginibus novum carmen virgo modularetur, cum angelis tripudiaret, cum Chriſto victor regnaret. *k*

qui gaudebant propter miracula,

14 Gaudebat tota Neuſtria paulò antè mœrore confecta, ſuper divinæ dapſilitatis *l* opulentiam, *l*

EX EDITIS. tiam, & beati Audoëni præsentiam. Innumerabilium ad ejus sacra pignora languentium corpora convehuntur, & pristinæ sospitati reparantur. Purulentæ valetudines, illo medicante, curantur, & ab imminenti clade patria cælitus liberatur. O mira benignitas nostri Salvatoris! O præcellens gloria sanctissimi Confessoris! Ejus precibus cælum reseratur, ejus meritis lethifera pestis effugatur; ipso præsente, mundus respirat, quo absente, bellis attritus gemebat. His ergo signorum liquet indiciis & rerum colligitur argumentis, quod nullus Audoëno præstantior meritorum gloriâ, potentior virtutum efficaciâ in tota aliquando exstiterit Gallia.

inter quæ narratur unum,

15 Ab ipsis enim infantiæ cunabulis quantum Deo placuerit, unius è multis astipulatione comprobatur miraculi. Miro namque auspicio venerabilis jam portendebat Dei provisio, qualis foret futurus in pontificali officio. Cum enim inter paternos lares adhuc Christi lucerna delitescеret, & pia mater Aiga puerum nutricaret, quadam die, non sine divino, ut reor, instinctu solito instantius matrem commonet, ut sibi balneum
B citius præpararet. Cui illa, non possum, inquit, tam citò, fili, quia deest aqua in præsenti, unde valeat fieri. Fons enim est in prædio monialium Dei genitricis Mariæ, unde debemus haurire. Supersedendum omnibus, donec prius hauriant ad proprios usus, in quorum cespite manat Dei voluntate. Ad hæc Puer eximius Petri fide præditus: Aderit, inquit, nobis Dominus per omnia potentissimus, caritate profluus, & lymphæ copiam nobis nostræque terræ colonis ministrabit, qui potum sitienti populo ex arida cote propinavit.

quod Sanctus in pueritia patrasse dicitur.

16 Hæc dicens virgâ, quam manu gestabat, in nomine sanctæ Trinitatis rupem percussit; statimque fons vivus erupit, qui cursus sui rivum ad usque limitem ejus ditionis extendit, ibi hiatum faciens terram subintravit *m*. Liquido enim ostendit quod sui usibus Famuli Dominus scissa de silice novos latices elicuit, qui corda famulorum arentia irrigaturus erat divinorum dogmatum fluentis. Talis igitur infantiæ primordium decuit hunc Virum, quem sibi assumpsit in sacerdotem ad multorum expiationem, qui in Melchisedech stigmate *n* quotidie sub forma panis &
n C vini in altaris offertur libamine. Hic quoque adinstar Moysi; qui expansis in altum brachiis crucis speciem præferentibus in monte pro Hebræis orabat cum Amalech præliantibus, crucem Dominicam ferens in corde; & in virtutum sublimiore monte pro universa plebe assidue supplicabat Regi gloriæ. Nunc etiam Patri spirituum præsentissimus, & divinæ majestatis speculator limpidissimus, eorum non desinit esse pius interventor in cælis, quibus sui amoris pignus tam pretiosum reliquit in terris.

ANNOTATA.

a *Sequana est notissimus Galliæ fluvius, qui vernaculè nunc* la Seyne *vocatur.*

b *Gemmeticum, vulgò* Jumieges, *est celebre Ordinis Benedictini monasterium, in diœcesi Rothomagensi situm, cujus originem & progressum Arturus du Monstier in sua Neustria pia pag.* 259 *& sequentibus fusè describit.*

c *Franciscus Pommerayus in Historia abbatiæ* S. Audoëni *lib.* 4 *cap.* 11 *antiquum & præsentem Condatensis Prioratus, qui in diœcesi Suessionensi situs est, statum Gallicè describit.*

d *De hoc S. Nicasio episcopo Rothomagensi* D *agetur die* 11 *Octobris, quo simul cum sociis in Martyrologio Romano annuntiatur. Interim de translatione eorum ac miraculis in itinere patratis consuli potest vetus instrumentum, quod Edmundus Martene in Thesauro anecdotorum tomo* 3 *à col.* 1677 *edidit, & ubi col.* 1680 *leguntur sequentia:* Interea monachi Condatensium, ingruente inedia, beatorum martyrum Nicasii ac Scuviculi cum reliquiis beati Quirini ad orientalem Franciæ plagam, quæ Lotharingia nuncupatur, in locum nostræ possessionis, qui Wambasius dicitur, detulerunt *&c.*

e *Pagius in Historia critico-chronologica ad annum Christi* 876 *num.* 18 *ex diversis auctoribus probat, Rollonem eodem anno* 876 *in Normanniam irrupisse.*

f *Hic est Carolus cognomento simplex, qui anno Christi* 912 *cum Rollone fœdus iniit, ut infrà narrabitur.*

g *Pommerayus in Historia Gallica præsulum Rothomagensium pag.* 238 *asserit, Franconem anno* 919 *obiisse, & ab Odorico Vitali ornari hoc elogio metrico:* E

Surrexit Franco, plebis bonus auxiliator,
Rollonem lavit sacro baptismate Christi.

h Ceroſtata *vel* cereostata, *id est candelabra, quæ per se stant, vel in quibus cerei stant, ut ait Cangius in Glossario, ubi plura ad hanc vocem legi possunt.*

i *Teste Pommerayo in Historia abbatiæ* S. Audoëni *lib.* 2 *cap.* 6, *locus ille nunc vernaculè* Long pan *vocatur. Hinc parochus de Maneval in Historia Normanniæ appellationem illam sic explicat, quasi deduceretur à* longus pæan, *eo quod in isto sacrarum reliquiarum occursu longa cantica in signum victoriæ vel triumphi decantata fuerint. Sed Pommerayus ibidem hanc etymologiam rejicit, & hoc nomen à longo & pedaneo incessu deducit, quæ explicatio ex hoc veteri instrumento confirmatur.*

k *In apographo nostro Rothomagensi legitur, id factum esse* anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo decimo. *Sed neutra hæc epocha defendi potest, & verosimiliter ab amanuensi corrupta est, cum Rollo ante annum Christi* 912 *non fuerit conversus ad Christianam fidem, &* F *anno* 917 *ex hac vita discesserit.*

l *Dapsilitas hîc pro liberalitate usurpatur, ut ex sensu patet, & sæpe aliàs annotatum est.*

m *In apographo nostro Rothomagensi ad gloriam* S. Audoëni *de fonte illo adduntur sequentia:* Mos est autem accolis locî illius, febris incommodo laborantibus, montis jugum ascendere & ex perspicui fontis latice de rupe manantis, recuperandæ gratiâ salutis haurire: nam & febricitantibus remedium & omnibus indeficienter potus tribuit alimentum.

O qualis medicus, Regis cælestis amicus,
Qui contra morem fundit de rupe liquorem,
Ut Moyses quondam de saxis elicit undam.
Sicca silex stillat, latices ad jussa propinat;
Qui signum cumulant, dum morbida corpora curant.
Hæc tu, Christe, facis; hæc mira potens operaris
Audoëne pater, quem * cernis semper ovanter * *fortè* qui
Solem justitiæ fontem de fonte sophiæ.

n *Hîc vox* stigma *ponitur pro modo vel ratione, quemadmodum in auctiore Cangii Glossario videre est.*

CAPUT

A

CAPUT II.

Poſt diverſas ſacri corporis tranſlationes fruſtra tentatur illius furtum, idemque poſtea integrum ac incorruptum invenitur.

Corpus Sancti, quod Rothomagi ſepultum fuerat,

BEatiſſimo igitur Audoëno poſt hujus laudabilis vitæ curſum feliciter migrante ad Dominum, & præclarâ totius Galliæ lucernâ repentè ab oculis ſublatâ mortalium, ſanctiſſimum corpus ab epiſcopis & abbatibus & utriuſque ordinis religioſo conventu, procerum quoque ac innumerabili plebe reverenter & honorifice eſt traditum ſepulturæ in eccleſia beati Petri apoſtolorum principis, in loco, quem ſibi ipſe præparaverat, in ſarcophago Pario marmore decenter conſtructo, ubi requievit annis tribus & menſi-

B bus novem. Qui beatus Confeſſor quantum cælicolis de ſuo adventu infudit lætitiam, tantum terrigenis de abceſſu reliquit mœſtitiam.

poſt tres annos honorificè elevatur,

18 Poſt hæc tranſlatum ſanctum corpus ejus à beato Ansberto ſucceſſore ſuo, & poſitum ad orientalem plagam altaris ſancti Petri apoſtoli die Aſcenſionis Domini cum ingenti decore & tripudio tunctorum, & ita ab omni corruptione integrum eſt repertum, ac ſi eodem die fuiſſet ſepultum. Fecitque ſuper eum præfatus pontifex mauſolæum ex auro & argento ac gemmis pretioſis, ubi requievit annis centum ſexaginta quin-

a que *a*, ſcilicet uſque ad tempora Normannorum, qui gentili rabie furentes vaſtaverunt Rothomagum, & ſuccenderunt monaſterium ipſius Idibus Maii anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo quadrageſimo ſecundo, regnante Carolo re-

b ge Francorum. Tunc à Riculfo *b* Rothomagenſi archiepiſcopo, & ab epiſcopis & abbatibus totius regni ſacratiſſimum corpus elevatur, & totum ex integro ſine aliqua ſui diminutione cum digno honore in feretro auro gemmiſque pretioſo collocatur.

C *ac inde ob metum Normannorum aliò transfertur.*

19 Inde etiam ob metum infandorum gentilium à monachis Wadiniacum deportatur, ubi aliquot annis miraculis coruſcantibus requievit. Poſt hæc invaleſcente ſævitia paganorum, & hoſtium dietim creſcente exercitu, cum omnis penè occiduæ regionis provincia crebris irruptionibus, & incendio depopularetur, prædicti monachi ſancti Audoëni, & ſanctorum martyrum Nicaſii, Quirini, & Scuviculi corpora ad villam ſuam Condatum tranſtulerunt. Rollone igitur ſeu Roberto, Deo aſpirante, facto Chriſtiano, ſopito bellorum turbine, & ſereno pacis tempore reddito, ſuperni Imperatoris clementiâ ſanctiſſimi rurſum Patris noſtri membra à Galliis relata cum ingenti gloria propriæ eccleſiæ Rothomagenſi ſunt reſtituta.

c *Duobus monachis illud reductum*

20 Tempore vero Richardi *c* primi cognomento Senis, egregii Normannorum conſulis, qui eccleſiam beatæ Trinitatis Fiſcanni è fundamentis conſtruxit, duo monachi è Francia venerunt votum habentes & conſilium, ut, ſi à Deo ſibi permitteretur, clandeſtino noctis ſilentio ſanctiſſimi Patris noſtri glebam effracto loculo furtim ſubriperent, & ſecum efferrent. Triduanum itaque præſtantia precum, tertiæ noctis in conticinio ſacrorum cuſtodibus alto ſopore depreſſis, latenter ad feretrum accedunt, ut theſaurum exinde pretioſiſſimum aſportarent, & nobis irreparabile damnum & intolerabilem luctum, imino potiùs totius Normanniæ genti juſtitium inferrent. EX EDITIS.

fruſtra furari tentantibus,

21 Verum typicus ille Samaritanus, qui cuſtodit Iſraël, nec dormitat in ævum, cujus Audoënus ſeraphim more ſpeciali ardet amore, inva-

d ſores ſacri templi cæcitatis animadverſione percuſſit *d*, omnium etiam membrorum illos virtute privavit. Tunc illi divinæ advertentes ultionis ſignum, ſacrilegi reatus veniam petunt, & pro ſuorum incommoditate membrorum Salvatoris noſtri, ſanctique Præſulis clementiam ſolotenus depoſcunt. Illico pius Dominus ſui Servi meritis clementer illis indulſit, diſcuſſa caligine oculorum, lumen reddidit, & priſtinum in membris vigorem reſtituit. Qui diluculo aſcenſis equis, fuga diſceſſerunt, nec ultra in his partibus comparuerunt.

Sanctus apparet Richardo,

22 Eadem nocte, qua hæc acciderunt, præfato duci Ricardo apud Bajocas *e* remoranti, ibique palatium ſibi & arcem fabricanti, Audoënus pontificalibus infulis redimitus in ſomnis appa-

e E ruit, biſque eum admonuit, ut ocius ſurgens Rothomagum properaret, & Hildeberto *f* abba-

f ti imperaret, quatenus eccleſiæ ſuæ diligentiorem curam atque cuſtodiam adhiberet, & ante lucem maturius fratres excitare ſatageret. Cui adhuc ſoporis ignaviâ pigritanti & moras in ſurgendo facienti, præclarus Pontifex tertio minaci vultu & terribili aſſiſtens, & baculum non paſtoralem, ſed tamquam detruncatæ alicujus haſtæ partem manu geſtans, ita eum ſub quadam invectione redarguit: Tu, inquit, tibi & heredibus tuis palatia & arces conſtruis, mundique præpolles divitiis, & vario veſtimentorum ornatu procedis: tui vero anteceſſores ab exteris & barbaris nationibus erumpentes, prædia & facultates, quas Deo & mihi ſervientibus divina opitulante gratia dederam, deprædando & incendendo abſtulerunt.

eique reliquiarum ſuarum neglectum exprobrat,

23 Inſuper etiam veſtimentum meum aureum monachi mei, famis compellente inediâ, detraxerunt, & multarum incommoda egeſtatum in ſua peregrinatione & fuga me ſecum ferentes ob metum & rapacitatem crudelium paganorum pertulerunt. Verbis quoque addens verbera, beatus Confeſſor adjecit: Vide, inquit, vide, ut competenti me tunica operias, eccleſiam meam aliorumque ſanctorum humili devotione excolas, ne forte, quod abſit, typo elatus ſuperbiæ, æternæ ſubeas tormenta gehennæ. Replicavit etiam inſidias monachorum ejus glebam noctu clam cuſtodibus auferre molientium. His ita dictis, relicto baculo, diſparuit. Tum princeps tanto viſu attonitus, ſimulque timore perterritus, extemplo, quæ viderat, aulæ ſuæ primoribus narrat, & ad indicium veritatis baculum monſtrat. F

qui hac viſione territus,

23 Inde ubi prima aurora polo ſtellas fugavit, aſcenſis perniciter equis, Rothomagum ipſo die jejunus pervenit. Statim verò ut monaſterium eminus inſpexit, de equo deſiliens, & nudis pedibus humiliter incedens, baculum, quem diximus, manu geſtans, ſtipatus ſuorum agmine procerum, ad aram ſancti Pontificis humiliter acceſſit, ſolotenus preces cum lacrymis fudit, lignum coram feretro poſuit, multaque ibi donaria obtulit. Deinde accito venerabili abbate ſuprà nominato, viſionem quam viderat ſeriatim expoſuit, & de monachis, quod à beato præ-

ſule

EX EDITIS. sule audierat, requisivit, quod ita veraciter factum fuisse cognovit.

multa dona obtulit apud sepulcrum Sancti,

25 Quamobrem prædicto patri interminando præcepit, ut in eadem ecclesia tam die quam nocte semper duo lucerent luminaria, unum scilicet coram altare beati Petri apostoli, alterum verò ante aram beati Audoëni pontificis, qui sunt duæ olivæ & duo candelabra ante Dominum æterna claritate micantia. Deputatis proinde ædituis, & custodibus idoneis, qui ibidem excubias agerent, & pretiosas pignorum gazas, vel aliqua quæque ornamenta diligenter servarent; ipse princeps inclytus dedit sancto Audoëno villam, sancti Martini nomine nuncupatam, & decimam villæ, quæ Ros dicitur. Deinde peritos accersiens aurifices, tradidit eis copiam auri & gemmas pretiosas ad deauranduin & decorandum sancti Præsulis feretrum.

illudque coram pluribus aperiri jubens,

B

26 Consummato denique hoc opere, convocatis episcopis & abbatibus ac optimatibus suis; fecit detegi sanctissimi Antistitis membra à quatuor monachis Religiosis ejusdem monasterii cum magno metu & reverentia. Inventum itaque totum corpus integrum cum capite *g*, & absque ulla imminutione, sicuti à venerabili archiepiscopo Riculfo fuerat compositum. Tunc cum magnis laudum præconiis pallio valde pretioso involutum, & sindone munda coopertum, sicuti repertum fuerat, integerrimum repositum est in scrinio cum circulis ferreis, quibus se vivens constringendo afflixerat pro ejus dulcissimo amore, qui nos in cruce, propria redemit passione. Ipsum verò scrinium in feretro est reconditum, auro gemmisque decoratum. Ibi ergo beati Audoëni corpus sacratissimum beatæ resurrectionis diem expectat, ut geminam incorruptionis stolam & perennem gloriæ coronam à Christo percipiat.

corpus ejus integrum & incorruptum invenit.

h
i
k
l
m

C

27 Adfuerunt huic tam felici obsequio & digno spectaculo dux ipse egregius Ricardus cum conjuge sua Albereda nomine, & filio Roberto cognomine Dano, qui defunctus sepultus est apud sanctum Petrum Carnoti *h*, & cum aliis filiis & filiabus ex eadem uxore. Adfuerunt etiam domnus Hugo ejusdem sedis archiepiscopus *i*, Ricardus Baiocensis episcopus *k*, Rogerius Lisiacensis *l* episcopus, Gerardus Ebroïcensis episcopus *m*, Hildebertus abbas ejusdem monasterii, Mainardus abbas sancti Michaëlis de monte, Frotmundus abbas sancti Taurini Ebroïcensis, & alii multi venerabiles episcopi & abbates. Convenit quoque innumerabilis [multitudo] monachorum, clericorum ac procerum totius regni, & alia plebs copiosa. Quatuor vero monachi, qui sanctissimum corpus, ut prædictum est, detexerunt, occulta Dei dispositione ipso anno ad Dominum migraverunt. Hæc idcirco, dilectissimi, compendiosè digessimus, quemadmodum veridica à majoribus nostris relatione comperimus, ut planè & absque ambiguitate sanctissimi patris nostri Audoëni corpus integrum, & ab omni membrorum parte imminutum, haberi apud nos, ut prædiximus, credatur.

anno Christi sexcentesimo octogesimo tertio feliciter ad Deum migrasse, ejusque corpus quarto pòst anno, sive anno Christi sexcentesimo octogesimo septimo ab Ansberto successore in eminentiori ac decentiori loco collocatum fuisse, quod & tomo quarto demonstratum est. Ergo à prima translatione, cujus auctor sanctus Ansbertus, ad alteram, quæ propter imminentem Nortmannorum adventum facta est, sive ab anno Christi sexcentesimo octogesimo septimo ad octingentesimum quadragesimum primum non anni centum sexaginta quinque, sed centum dumtaxat & quinquaginta quatuor effluxerunt. D

b *Pommerayus in Historia Gallica præsulum Rothomagensium dicit, hunc Riculfum ab anno* 872 *usque* 876 *ecclesiæ Rothomagensi præfuisse.*

c *Hic Richardus Normanniæ Dux cognomento Senex, anno* 996 *è vivis excessit, ut Pagius in Critica historico-chronologica ad eumdem annum num.* 17 *probat.*

d *In apographo Rothomagensi interseruntur hæc verba:* manus eorum & brachia contorsit.

e *Bajocæ vel etiam Baiocum est urbs episcopalis Galliæ in Normannia sub archiepiscopo Rothomagensi, & nunc vernaculè* Baieux *vocatur.* E

f *Pommerayus in Historia Abbatiæ* S. Audoëni *de hoc abbate agit, eumque anno* 1006 *mortuum esse affirmat.*

g *Hanc sacri corporis & capitis integritatem, quam auctor hujus narrationis adhuc suo tempore perseveràsse sub finem innuit, cum Anglicis reliquiarum translationibus conciliare non possumus, ut in Commentario prævio* § 5 *indicavimus.*

h *Carnotum vel Carnutum, vulgo* Chartres *episcopalis Galliæ urbs, quæ octodecim leucis in occasum hybernum à Lutetia Parisiorum distat.*

i *Odericus Vitalis nobilitatem & vitia hujus antistitis Rothomagensis apud Pommerayum in Historia præsulum Rothomagensium pag.* 241 *exprimit hoc duplici versiculo:*

Hugo succesSit legis Domini violator,
Clara stirpe satus, sed Christi lumine cassus.

k *Hermantius in Historia Gallica diœcesis Baiocensis, quæ anno* 1705 *Cadomi impressa est, pag.* 123 *& sequente hunc Richardum episcopum Baiocensem memorat, & illam sacrarum reliquiarum visitationem, quæ difficultatibus chronologicis non parum obnoxia est, anno Christi* 955 *collocat.* F

l *Apud Sammarthanos inter episcopos Lexovienses (ab appellatione vernacula urbis* Lisieux *hic auctor Rogerium præsulem* Lisiacensem *cognominat) invenimus Rogerium primum, cujus ætas anno Christi* 1022 *affigitur. Verùm iste hujus nominis episcopus Lexoviensis huic sacrarum reliquiarum visitationi interesse non potuit. Quapropter à novis Galliæ Christianæ editoribus in his tenebris lucem exspectabimus.*

m *Hic episcopus Ebroïcensis à Sammarthanis inter testes prædictæ visitationis collocatur, & ab ipsis* Geroldus *nominatur, ejusque ætas ibidem anno circiter* 970 *affigitur.*

ANNOTATA.

a *In secunda Vita legitur ibi corpus quievisse* annos centum sexaginta duos. *Sed Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 841 *num.* 24 *utramque illam annorum computationem variis argumentis impugnat, & ex iis ibidem sic concludit:* Inde sequitur, S. Audoënum



MIRA-

A

MIRACULA,

QUÆ POST OBITUM SANCTI CONTIGERUNT,

Auctore Fulberto *a* monacho, & plerúmque coævo teſte.

Ex Ms. codice Rothomagenſi monaſterii S. Audoëni, cujus apographum P. Fredericus Flouetus anno 1644 *ad Majores noſtros miſit.*

B

PROLOGUS.

Auctor indicat, *b*

ROgatus nuper à Fratribus, ſed præcipuè ab ipſo Patre Nicolao *b*, in hiſtoriam beati Audoëni ſuperaddere miracula, quæ per eum poſt evictum ſeculum & conſummatam felici certamine præſentis vitæ militiam mundo effulſere, vel quæ noſtris adhuc temporibus ad ſepulcrum ipſius præſenti viſu cernimus operari, cum eſſem impar viribus, attentare Opus, peritiſſimis viris formidandum, longè refugeram, ne pretioſa materia, ruſtico ſtylo exarata, urbanis auribus ſordere videretur: etenim fidelium mentibus ad beatam vitam & cæleſtem militiam ſufficere ſatis arbitrabar exemplar, quo vitæ & converſationis ipſius textus commemoratur. Reputans igitur tardam ingenii difficultatem, conticere penitus ab injuncto officio deliberabam, cum mihi in ſomnum reſoluto *c*, ſub profundo noctis ſilentio, adſtitiſſe viſa eſt ſpecioſa quædam cum veneranda canitie perſona, quam vultus dignior pontificalibus infulis venuſtabat.

c

C

ſeſe in ſomno vel viſione monitum fuiſſe,

2 Hæc velut indignatione permóta, baculo, quem fortè geſtabat, latus impulit, ac ſpecie terrentis in hunc modum me arguit; Quid tu, inquiens, tanto tempore inani otio deditus, & nihil utile reddens, locum ſine fructu ut fatua ficus occupas, & quem alter exercere poterat per ſtudium boni operis, tu per deſidiæ umbram premis? Quid tu fraternos monitus contemptibiliter ducis? An tu defoſſi talenti rationem aliquando haud exigendam arbitraris? Eſto; de ingenio tuo trepides; verùm ſtudiis fidelibus ille neſcit abeſſe, qui ait: Dilata os tuum, & ego adimplebo illud. Hìc ego incuſſu baculi & vocis horrore conſternatus, dum vocem increpantis ambiguam diſcutere attentiùs inſiſto, animadverti de contemptu fraternæ monitionis inobedientiæ reatum in me damnari.

ut hæc miracula conſcriberet.

3 Nihil igitur ultra diſſimulandum arbitratus, licèt trepidus, obedienter ſuſcepi, quod antè humili obſtinatione refugeram; & quia Legifer noſter ait, Non apparebis in conſpectu meo vacuus, ingratum me fore timebam, ſi, dum alii doctrinæ ſpiritalis phialas offerunt, ego vel ruſticanæ ſimplicitatis in tabernaculo Dei cyathos non offeram; cum certè paupertinæ viduæ munuſculum grandia donativa divitum præponderare veritatis judicio noverimus. Hæc idcirco dixerim, ut, dum inculti ſermonis paginam prudens lector inſpexerit; non audaciæ facti confidentiam, ſed obedientiæ vota perpendat. EX MS.

ANNOTATA.

a *Mabillonius in veteribus Analectis, quæ anno* 1723 *Pariſiis in folio recuſa ſunt, pag.* 226 *in Annotatione ad Acta præſulum Rothomagenſium de collectore horum miraculorum ita meminit:* Præmiſſa pontificum Rotomagenſium Acta litteris mandavit anonymus cœnobii ſancti Audoëni ejuſdem urbis monachus, ad cujus autographum hæc editio exacta eſt. Vixit is Gregorio VII Pontifice, Johanne archiepiſcopo Rotomagenſi, abbate monaſterii ſancti Audoëni Nicolao; non alius forſan, quàm Fulbertus ejuſdem lóci cœnobitâ, qui librum de miraculis ſancti Audoëni hactenus ineditum ei Nicolao abbati nuncupavit. *Pommerayus in Hiſtoria Abbatiæ* S. Audoëni *lib.* 1 *cap.* 23 *num.* 2 *hæc miracula etiam Fulberto adſcribit, & lib.* 3 *cap.* 31 *fuſiùs de illo agit.*

b *Nicolaus ille abbas ſeculo* XI *floruit, ut in fine Commentarii prævii monuimus.*

c *Propter hanc phraſim dubitare quis poſſet, utrum auctor hæc in ſomnio viſus ſit videre, an ex vera viſione vel cæleſti revelatione illam Dei voluntatem cognoverit.*

B

TITULI VETERUM CAPITUM.

Cap. I. Ad tumulum ſancti Audoëni qualiter quidam Romanus ex diuturnitate languoris remedia promeruit ſalutis.

II. Alius quidam paralyticus à Gargano advenit, ſalutemque integram reportavit.

III. Arvernici cujuſdam curatio non diſſimilis à Turonis advenientis.

IV. Aſtipulatio rei geſtæ ſuper quadam presbyteri ſorore, qualiter in abſentes etiam ægrotos Sancti meritum enituerit.

V. Quomodo eccleſiæ ſancti Michaëlis propter quoſdam ſacrilegos inferri renuerit.

VI. De quodam captivo, Sancti per meritum liberato.

VII. Per umbram ſacri feretri puerum ſeptennem, mutum à nativitate redditum voci [auctor narrat.] F

VIII. De quodam fulminato ob contemptum beati Viri, denuo reddito ſanitati.

IX. De quadam contracta directa.

X. De duodenne puero muto, linguæ officio redditо.

XI. De juvene ſanato, ab inferiori membrorum parte præmortuo.

XII. Quomodo fur quidam, ſacrilegio perpetrato intra Sancti diverſorium contractus corruit; ſed pòſt reatum confeſſus, ſanari meruit.

XIII. De alio fure divinitus, ne effugeret, impedito.

XIV. De ſeptenni puero cæco, viſui proprio reddito.

XV. De duobus mutis, linguæ officio inſtauratis.

XVI. Qualiter fur, ſe viatorem ſimulans, matri familias cuidam pelliceam ſubduxerit, utque fuga inhibitus, poſtmodum deprehenſus fuerit.

EX MS.

CAPUT I.

Portentosa historia cujusdam civis Romani, qui variis morbis afflictus, apud sepulcrum S. Audoëni in Normannia perfectam sanitatem mirabiliter obtinuisse dicitur.

CAP. I. *Paralyticus quidam Romæ*

ROmæ quidam pater familias longa corporis invalitudine distentus, cum vitæ supremum diem imminere sibi sentiret, filium suum, quem unicum habebat, patrimonii quidem sui heredem, non heredem salutis reliquit: nam is ab utero matris surdus & mutus, nullo ad humanos usus membrorum vivebat officio. Enimvero unum, quem ex tota familia prudentiorem adverterat, servum huic custodem corporis & totius censûs pater moriens præfecerat. Erat illi domus haud longè ab ecclesia beatæ Mariæ ad Martyres *a*, ad quam oratum persolenniter [filium] asello impositum præfatus servus conducere, hinc ad domum reducere consueverat, quia in ascensu & descensu debilis herus alieno semper egebat auxilio. Verùm quia ipsam corporis invalitudinem, non Deo, sed meritis suis semper imputare meminerat, non usquequaque illi abfuit respectus supernæ miserationis, quæ non sine remunerationis exemplo patientiam ipsius manere volebat.

B

a

2 Porrò in ecclesia memorata dum sacra solennia inter ceteros exspectaret, leni quidem sed non inani somno exceptus, inter ipsam sacri mysterii celebrationem dormitare cœpit; cum ecce puella quædam sibi visa est adstitisse, virgineo decore & habitu speciosa, quæ summâ vestis laciniâ hominem à vertice tactum leniter præmonuit: Quid tu, inquit, miserande juvenis, otiosus inter sacra mysteria dormis? An membrorum debilium opem medicinalem quæris? Cui cùm mugitu quodam desiderii affectum, quoad poterat, exprimeret, tunc primùm licèt difficulter audiens, qui numquam audiverat, illa respondit: Si medicinam corporis & animæ requiris, ne tanto formides laboriosum omne subire, quin occidentalem plagam Nortmannicæ regionis perquiras, & sepulcrum beati Audoëni, quod Rothomagensis urbis vicinis mœnibus proximum constat, adire contendas: ibi enim, si credulus accedis, auribus & linguæ officio innovatus, membrorum omnium optata salute donaberis.

à Deipara monetur,

C

3 Hic miserandus juvenis insolita vocis novitate turbatus, sed de salute cupidus, familiarem bajulum admugitare cœpit, qui mox occurrens, utpote quem ad familiarem casam *b* rediturum opinabatur, miserabile corpus circumplexus, asino superposuit, & iter prævius ire cœpit sperans, ex vestigio pecualem sellarium ex more subsequi. Mira res! Asinus longè aliam viam aggredi cœpit, eam ipsam stratam *c*, quam Nortmanniam redituri nostrates tenere consueverant. Jam aliquantulum servus ille processerat, cum subinde respectans, sessorem cum asino alias tendere videt, & viæ errore deceptum æstimans; Quo, inquit, miser, infelix, quo tu? Oculos amisisti, qui viam semper assuetam jam trigena vice recognoscere nescis? Hoc de te semper sperare mihi poteram, quod de die in diem pejus rueres, quod deficientibus membris, sensu quoque deficeres.

ut in Normanniam ad tumulum S. Audoëni tendat,

b

c

D

4 Sic impos animi raptim obvius accurrit, & miserum animal fustibus cædens ad consuetudinariam semitam cogere tentabat; sed nec vi aut verbere ab incepto animal inflecti poterat. Nec minus languidus sessor, quamlibet diris verbis objurgatus, inflecti à sententia nequaquam poterat. Victus tandem servus, velit, nolit, repugnare ultra desistit; sed abire eos dira satis imprecatus permisit æstimans, haud longiùs eos abituros, nihil minus arbitratus, quàm externæ regionis plagam adituros. Relinquens ergo illos, Ite, inquit, quo tenditis. Certè stultitiæ vestræ me hodie socium aut coadjutorem non habebitis. Ego potius domum, quæ necessaria sunt, factum aggrediar. Utinam mihi hodie nuntius occurrat, qui utrumque in cloacam aliquam præcipitem ruisse nuntiet! Quis te, infelix, si opus fuerit, de turpi asello deponat vel relevet, vel etiam ad requisita naturæ tibi subministrabit? Nisi me animus fallat, non me hodie visurus es, donec mihi hujus erroris pœnas pendas.

& indignante servo suo,

F

5 Hæc fatus, relicto hero, domum turbatus regreditur: & ecce occurrunt languido duo vultu & habitu reverendi seniores, unus ad dexteram, alter ad sinistram, qui exhilaratis vultibus iter prævium placidè manibus illi complanabant. Hi socii itineris per plana & ardua famulati vel subministrantes nusquam illi patiebantur abesse. Exemplum sanè congruum ad comprimendam superbiæ execrabilis nauseam; quod vivi jam cæli concives mortali ægro famulari etiam nec ad naturæ humilia renuissent: quod certè ad nostrum judicium factum dixerim, quibus si fors obtulerit aut carne ulceroſum, aut veste sordidum, nostram mox in eo naturam despicere non veremur. Talibus præcursoribus homo iste accuratus, Nortmanniam usque devenit, ut ne in vicis, in urbibus, in locis hospitalibus nihil omnino, quod suis foret usibus expedibile, deesse videretur; imo suos hospites omnes ad benevolentiam adeo concordes expertus est, ut quidquid usus postulasset, superabundanter illi præstarent. An illud silere debemus, quod introductus hospitio ab oculis subitò eos amittebat, in egressu matutino sibi semper adstare cernebat? Tali, ut diximus, comitatu, tali famulamine suppeditatus, nostra usque mœnia subintravit.

duobus quibusdam cælitibus in itinere opitulantibus,

F

mirabiliter eò devectus,

6 Erat quidam famulus, Nortbertus nomine, monasticis usibus semper exhibens ministerium: hujus hospitium sabatho ad vesperam improvisus cum asino suo languidus intravit. Erat fortè idem famulus aliis rebus gerendis intentus, cum uxor ipsius hominem ignotum intra casam conspiciens territa exclamavit: Quis, inquit, ô mi vir, hominem istum introduxit? Hinc conversa ad hominem, Meritò sanè, inquit, cum magnis colaphis hinc pulsandus es, ô homo, qui alienum hospitium injussus subintrare præsumpsisti. Ille nihil econtrà: quid enim contra ille referret, qui surdus & mutus nec jurgantis vocem intelligebat, nec verbum ex ore proferre valebat? Tamen asello insidens stat immobilis exspectans, qui de asello miseratus deponat. Ad vocem tamen mulieris maritus excitus occurrit, hominem rogat, quid, aut unde, aut quare introierit. Cum ille non verbum, sed mugitum redderet, intellexit vir sanioris consilii, ob instaurationem sui, patrocinia beati Audoëni hominem requisisse, & pronior

A pronior ad clementiam inter amplexus ſuos depoſitum languidum cibo & potu perfovit, ſanguinarium *d* ſtabulo inductum nihilominus fœno refecit.

d

ceream candelam,

7 Cœnatus poſtmodum languidus ceram ſibi emi ad candelam faciendam, dum voce non poterat, ſigno, quo expreſſius nequiverat, id eſt manibus coaptantibus poſtulabat, & hujus rei gratiâ nummum unum, quem conſtrictum nodo depenſum è collo portabat, mitti debere innuerat hoſpiti ſuo: de qua cera illud memoriâ dignum conſtat, quod, dum nec ad unam candelam vix tota ſufficere potuiſſet, ſanè in duodecim cereos excrevit tantæ magnitudinis ſingulos, quantum hujuſmodi portio empta ad unum ſolum ſufficere potuiſſet, ſtupentibus cunctis & maximè hoſpite illa, quæ inter manus ſuas cereum liquorem creſcere ſentiebat. Ait maritus: Quid ſibi vult hoc, conjux, unam in duodecim partiri ceram? Unde tot cerei? Unde, cum pro uno homo iſte argenteo emiſit?

B

quæ inter manus miraculo multiplicabatur

8 Parciùs, inquit mulier, loqui memineris, ô mi vir, nec factum iſtud temere reprehenderis. Millies ego ad altare patris noſtri Audoëni portandas effeci candelas: ſimile huic nec viſu nec auditu ſcire aliquando prævalui. Ni me igitur debilitatis ſpecies dimoveret, audenter faterer, Dominum hoc in homine habitare. Unde me & ipſa reprehendo & ago pœnitentiam, quod aliquid durum contra eum miſera fuerim elocuta. Sane juxta æſtimationem, ceræ [materiam] ligno torquens ego primùm extenderam, quam in conſummationem cerei dum totam penitus conſumpſiſſe [me] æſtimaram, miro modo inter manus meas regerminatum liquorem ſuccreſcere vidi; & quamvis tacita expaviſſem, viſum mihi fuit, debere & alium ex occulto Dei dono conficere: quod dum feciſſem, ſimilibus incrementis in manibus meis cereum ſenſi liquorem renaſci in duodecim ex unius nummi pretio, aut quod verius conſtat, dono ſuperno, ut conſideras, non phantaſtico, ſed materiali, ut palpare licet, liquore cereos.

ad altare S. Audoëni offert,

C

9 Miratus pater familias præſentis facti miraculum, hominem jubet religioſiùs tractari. Jam verò ad monaſterium cum uno ex cereis offerri ſe, ſigno, quo poterat, expoſcebat: quod mox ut intelligere præfatus Nortbertus potuit, aſſumptis famulis, hominem ad eccleſiam perferri hortatur; gaudet & ipſe atque etiam ſinguli manus apponere. Perlatus æger ad ipſum uſque altare, cereum ſuppoſuit, quod fuſis uberrimis lacrymis deoſculatus, amoveri ſe vix patiebatur. Hinc pavimento expoſitus, orationi prolixius incubuit.

& prodigiosè ex hoſpitio in eccleſiam penetrans,

10 Stabat fortè à dextero latere altaris Martinus quidam ſecretarius eccleſiæ hæc omnia diligenter contemplatus, ac Nortbertus ægrum ſuum longiùs immorantem ad diverſorium, quia nox diem ſuperveniens clauſerat, referri jubet; quem circumplexum famuli inter ulnas ſuas ad hoſpitium reportantes, ſtratu molliſſimo fovendum collocarunt, nec minus ipſe pater familias & tota ſimul familia clauſis oſtiis & feris ac vectibus firmiter obſeratis, cubitum omnes adierunt. Et ecce, dormientibus cunctis, duo præfati ſeniores ante lectulum ægri iterum aſſiſtentes, tactu leniſſimo excitarunt; quem elevantes extra domum uſque in atrium, quo cœmeteri[illegible] eſt mortuorum, præeunte Virgine, tranſtulerunt ſanè ſtupendo Dei miraculo, quod homo corporeus, clauſis oſtiis & intactis ſeris, educi potuiſſet, niſi quod Domino poſſibile conſtat dare mortalibus, quod ipſe jam immortalitate reſumpta peregerat. Enimverò ſacræ ejus Genitrici quæ clauſtrorum obſtacula reſtiterunt, quæ clauſo utero parere Unigenitum Patris ſummi didicerat? Jam revera quid mirum, ſi Petro & Paulo clauſa limina obſiſtere nequeunt, quorum uni janua cæli commiſſa eſt, alteri tertia cælorum patuere ſecreta? Vel certè quis hoc ex magna Dei potentia beato Patri noſtro præſtitum fuiſſe diffidat, qui quartus ex tribus fuerat, cui ſoli tres eximiæ non terrenæ, ſed jam cæleſtes perſonæ de remotis terris hominem inſtaurandum perduxerunt? quo in facto non eſt diutius immorandum, dum is, qui contulit donum, examinare ſolus valet, cui contulerat & donum.

EX MS.

poſt diverſas revelationes

11 Tranſlato itaque ægro, ut præfati ſumus, in cœmeterium, tumbas ſepultorum ſimul & nomina ſingillatim exponebat. Hic, inquit, hîc intus jacet & ille talis & ille, quia hic homicidiis, hic adulteriis & ceteris flagitiis commaculati, indignam vitam conſummarunt, & quia ſpe longioris vitæ decepti pœnitere diſtulerant, repentina morte ſublati, infernalibus pœnis miſerabiliter cruciantur; hic contrà celebriori foret dignus ſepultura, quia juſtitiam, quoad potuit, non negligenter implevit, curam pauperum infirmorum habuit, peccata ſua eleemoſynis & operibus bonis redimere curavit, pro quibus juſtorum conſortia adeptus, gaudiis utitur ſine fine manſuris. Sic effati ad interioris atrii cœmeterium, in quo monachorum corpora ſepeliuntur, hominem ſimili modo tranſtulerunt, in quo etiam & horum vitam ſimul & præmia, ſed & nomina ſingulorum exponebant in hunc modum: O infelix, ô miſer! Quanto melius tibi fuerat ſepulturâ aſini ſepeliri, quàm locum ſanctorum flagitioſo corpore inceſtare: quippe cui nulla cum electis communicatio; ſed cum hypocritis miſerabilis eſt damnatio. Quid tibi ſimulatus religionis titulus & habitus contulit cucullatus, qui inobedientiæ reus, pecuniæ avidus, ſuperbiâ tumidus, prælationes eccleſiaſticas impatienti ſitiebas appetitu.

E

ac viſiones

12 Hinc converſi ad alterum, Hic, inquiunt, innocentis vitæ ſemitam ingreſſus, & ad tempus occulti hoſtis aſtutiâ potuit ſupplantari. Veniale tamen fuit, quod ignoranter deliquit, & ideo adverſarius ſi ad horam exſultavit de ejus offenſione, nuſquequaque exſultavit de ejus perditione, quia confeſſione flebili pœnitens expiavit, quod imprudenter commiſit. Hic autem, qui pulverei ſoli viliſſimo ceſpite tegitur, multo altiori meruerat decorari ſepultura, cui vivere cum illis eſt grata ſocietas, qui ſemper fuerant ad obedientiam prompti, ad patientiam ſubditi, ad continentiam fortes, ad tentationem erecti, in proſperitate humiles, in tribulatione patientes, à cupiditate mundi extranei, quibus Chriſtus vivere fuit & mori lucrum. His omiſſis, in dormitorium, quo Fratres quieſcebant, efferentes, ſimili modo prælatorum nomina per ordinem & officia præmonſtrabant. Dehinc cellam infirmorum, cellam novitiorum; hinc capitularem locum, in quo cauſæ ſingulorum diſcutiuntur, locum etiam, in quo Fratres reficiuntur, in quo pueri inſtruuntur, ubi hoſpites ſuſcipiuntur, ubi pauperes confoventur, ubi ars piſtoria, ubi coquina. Ne unus quidem locus ſuperfuit, in quem non transferretur.

F

aliaque prodigia,

13 Noviſſimè omnium in monaſterium, clauſis rigidè januis, inferentes, eo in loco repoſuerunt, ſuper quem, clangorio *e* erecto, ærea *e*

EX MS. tintinnabula dependent. Ibi pausare hominem admodum jubent; nec multum abfuit, cum unus de custodibus sacrorum Fratres ad matutina officia præmonere nitens signa pulsare properaret, [quin in] hominem jacentem penè impingeret; qui re inopinata turbatus dum ex umbra existimaret, se dæmonis arte attentari, hæsitare cœpit, & retrogrado cursu, non sine crucis signaculo alterum Fratrem, quem custodem secum habebat, ut occurreret, tremulo pulsu excitavit. Hinc ambo, sumpta lucerna & aqua sacris exorcismis munita, juncti ad locum perveniunt, hominem appellant, manibus contrectant, loqui jubent. Ille nihil econtrà. Mirantur, quicumque ille est, quomodo fuerat introductus. Discutiunt inter se, an nocte hesterna claudere ostia meminissent; an fur sacrilegus adulterinis clavibus aut arte qualibet seras & ostia resolvisset, an forte vitris fractis sacrum locum temerasset, & nunc infecta fraude deprehensus, cum effugii locum non haberet, simulato languore simplices monachos deciperet, ut dum quasi salutem quæsiviſſe æstimaretur, velut innocens liber abire permitteretur:
B quam rem experiri nitentes, raptim ad januas currunt, clausas & seris munitas reperiunt. Hinc ad scrinia, in quibus thesaurus ecclesiæ servabatur, hinc ad armaria, inde ad thecas ornamentarias; salva nihilominus omnia reperiunt.
f Jam minus suspecti de homine signa pulsant, *f*..... Fratres officia ex more nocturna concelebrant.

14 Ut autem ventum est ad duodecimum responsum, ecce superveniunt præfati seniores mediam Virginem reverenter observantes. Illi ægrum corpus & membra contracta protendebant; ista de saliva virginei oris tincto auriculari digito, os & linguam, aures & oculos, nares quoque imbuebat. Ut autem nervis extensis & carne evisserata angustiari cœpit, vocem ut parturiens mulier grandem emisit, ex qua Fratres in stuporem omnes conversi sunt. Siluit languidus ad horam; nec mora, cum hymnum Fratres TE DEUM LAUDAMUS modulando voces in altum extollerent, ecce Virgo & præfati seniores secundò hominem, ut priùs, pertractare cœperunt. Tum verò acutis doloribus adactus, diræ vocis strepitum emittens, adeo increpuit, ut Fratres ab
C incœptis laudibus stupore concussi per unius horæ spatium conticescerent. Innuit abbas, currunt aliqui ex Fratribus quærere causam, vident hominem extensum, laxis nervis, carne avulsa, tetro sanguine pavimenta perfundi. Vident nihilominus ab oculis, ab auribus, ab ore & naribus sanguinis rivos emanare. Hinc ad Laudes recurrunt, quibus ex more finitis, accitis custodibus, abbas hominis curam diligentiùs haberi præcepit, ac præfatus Martinus prima luce hominem adorsus, cœpit quærere, cujus patriæ oriundus foret, vel quomodo intrasset. Ille licèt imperfectè, Romanâ tamen linguâ balbutiendo genus & patriam exponit, & cujatis missu vel qua de causa advenerit.

15 Reputans Martinus, an is fortè esset, quem Nortbertus die hesterno advexerat, processit ad hospitium viri, clamat aforis, an hesternum hospitem penes se habeat. Ille verò secum habere, ab intus respondit. Monstrari sibi Martinus efflagitat, currit mulier novum hospitem excitare: videt vacuo stratu hominem deesse. Tum verò complosis manibus vocem in cælum emisit, qua vicini longè concussi, raptim accurrunt. Illa clamat, nihil sibi intra penetralia domûs relictum, omnia furtim sublata. Ob- D
jurgat femineo questu maritum, quod latronem pro peregrino susceperat, malè immemor recentis miraculi, quod de cereis ipsa hesterno die conspexerat. At maritus nihil temere credens, jubet cameram, scrinia, thecasque perscrutari, si fortè avulsis seris, vir fraudulenter aliquid sustulisset; quæ omnia salva & intacta reperta sunt. Sed & asellum hominis stantem intuentes, mirantur, quò & quomodo vir ille ostiis evasisset, quem hesterno die viderant etiam nec à loco sine alieno auxilio posse moveri.

16 Stomachatur interea Frater Martinus, *similia ap-*
quòd clausis foribus tenetur, quod introò citius *parent*,
non admittitur. Currunt famuli, valvas aperiunt; qui intromissus offendit familiam de absentia viri turbatam; primùm & ipse miratur. Postmodum consolatur eos dicens, hominem in ecclesia apud se habere, & quomodo non patentibus januis intromissum repererit. Illi econtrà referunt, quomodo in interiori cubiculo hominem reclusissent, & quomodo haud patentibus ostiis abeuntem amisissent. Ostendunt etiam & cereos qualiter visibilibus incrementis virtus in eis occulta operata E
fuisset. Sic altrinsecus super hujusmodi eventu conferentes, ambo ad ecclesiam tendunt. Ibi Nortbertus hospitem suum mox ut recognovit, quærere attentiùs instituit, quomodo seras suas transeundo eluserit. Eluctatur econtrà ille responsum edere; sed nondum aliquod, quod toret intelligibile, valebat referre, præsertim cum Romanam linguam barbarizando potius quam formando balbutiret.

17 At Martinus abbati refert, quæ audierat; *ibi coram*
qui jubet hominem à loco transferri, & juxta se- *monachis*
pulcrum sancti Audoëni interim observari; quod & factum est. Peractis denique dominicis ex more officiis, dum Fratres reficerent, pater monasterii jubet cibum & potum homini ministrari. Mox duo ex Fratribus jussionem explentes, invenerunt hominem stantem & orantem, & Dominum voce exultabili collaudantem: reddit & Fratribus gratias, quod hominem ignotum visitare dignarentur; & sic illatum prandium recepit. Rogant interea Fratres, quomodo melioratus fuisset, cum nihil infirmum, nihil debile videant in eo relictum: vel certè quale illud esset, quod mane Romanam linguam, & ipsam nec intelligibilem, personabat; nunc autem Normanni- F
cam linguam, & ipsam perfectam, velut in ea natus & nutritus, exprimebat. Non mirum, inquit, si vos in hac re miramini, cum ipse multo magis mihi stupeo. Sed ne mora sit vobis istud explicari; inter nocturnas laudes cum me vehementer exclamasse stupuistis, eâ ipsâ horâ duo illi seniores mihi assistentes & Virgo speciosa strepitum vestrum indignantes abscesserunt, & me imperfectè curatum reliquerunt.

18 Nunc autem paulo antequam huc adveni- *perfectam*
retis, ecce ab orientali parte sepulcri hujus vir *sanitatem*
quidam vultum, ut ita dicam, cælestem præferens, niveo amictu processit, pontificalibus infulis adornatus, ex quibus inæstimabilis fragrantia odoris me eo usque perfovit, ut paradisi amœnitas nulla potior videretur. Hic ad me usque procedens, à summo usque deorsum omnia lineamenta corporis leniſſimo tactu pererravit. Hinc oculos & aures, linguam & nares digito medicinali contrectans, perfectè, ut cernitis, servum suum instauravit. Ex eo clarè jam audio, distinctè & loquor, mane quidem Romanè, ab usque nunc Normannicè. Ex eo jam viriliter gradior,

quæ ferme videntur incredibilia,

& epiſodiis theatralibus

A dior, ſalubriter accumbo, mane quidem toto corpore invalidus, nunc autem validior valentibus, Romanus ſcilicet genere, Romanus & nomine, in infirmitate civis Romanus, in acquiſita ſalute beati Audoëni ſervus ſempiternus.

impetraſſe dicitur.

19 Stupefacti Fratres miraculi novitate, currunt ſenioribus audita Dei magnalia nuntiare, qui & ipſi coram ſe hominem perduci commonuerunt; qui continuò adductus ſciſcitantibus ſeriatim expoſuit, qualiter Romæ à Virgine præmonitus, qualiter præfatis ductoribus comitatus, qualiter hoſpitalia clauſtra tranſierit, qualiter ſententias ſuper mortuos audierit, qualiter etiam clauſis januis monaſterium penetraverit, & cetera uſque ad locum reparatæ ſalutis *g*.

g

ANNOTATA.

a *Floravantes Martinellus in Roma ſua ſacra pag.* 213 *& ſequente originem ac mutatum nomen hujus eccleſiæ memorat.*

b Caſa *apud Latinos ſignificat tugurium ruſticum; ſed apud ſcriptores mediæ & infimæ Latinitatis ſumitur pro quovis ædificio. Hinc legimus* caſas regis, *ut apud Cangium in Gloſſario videre eſt.*

B

c Strata *vel* ſtrada *accipitur pro via vel platea, ut apud laudatum Cangium variis exemplis probatur.*

d Sauginarius *vel* ſagmarius *apud ſcriptores medii ævi ſignificat jumentum, quod ſarcinas portat, ut ex Gloſſario Cangii diſcimus. Hìc illa voce deſignatur aſinus, ut ex antecedentibus patet.*

e Clangorium *eſt locus in turri eccleſiæ, ſic dictus à clangore campanarum, qui aliàs campanarium vel campanile appellatur.*

f *Hæc punctis explere coactus ſum, quia vox ſequens adeo erat obſcura vel luxata, ut legi non potuerit.*

g *Vellem, ut auctor diſtinctè tempus hujus hiſtoriæ expreſſiſſet, & portentoſas ejuſdem circumſtantias evidentibus teſtimoniis confirmaſſet. Quamvis enim facilè credamus, hunc hominem paralyticum, ſurdum & mutum Rothomagi per interceſſionem* S. Audoëni *perfectam ſanitatem obtinuiſſe, tamen adjuncta adeo prodigioſa ad*

C *fidem faciendam pluribus iiſque notiſſimis teſtibus indigent.*

CAPUT II.

Alii duo peregrini paralytici per interceſſionem ejuſdem Sancti miro modo ſanantur.

II. *Paralyticus in monte Gargano monitus a*

EST in latere montis Garganici *a* eccleſia in honorem beati archangeli Michaëlis non humano artificio conſtructa: hujus juxta veſtibulum æger quidam longa per tempora medicinæ corporeæ opem exſpectabat, quem dira paralyſis, cruribus introrſum retortis & brachiis, membrorum omnium officio privaverat. Huic germanus frater neceſſaria quæque ſubminiſtrabat, qui longæ exſpectationis tædio fatigatus, deſperata ſanitate, dum in eo eſſet, ut ægrum ſuum ad propria reportare deberet, ea ipſa nocte, qua natale ſolum poſtera die repatriare meditabatur, præfatus æger emiſſa cælitus voce monetur occiduas Galliarum partes adire, & beati Audoëni confeſſoris patrocinia requirere: ad cujus ſepulcrum conligati corporis reſolutionem credulus exſpectaret; ſed neque laborioſi itineris injuriâ moveretur, quia huic Dilecto ſuo Dominus inter ſignorum multorum potentiam, hujus quoque ſalutem præſtitiſſet. EX MS.

ut ſepulcrum S. Audoëni adiret,

21 Expergefactus æger, evocato ad ſe bajulo ſuo, viſionis ſecretum aperit. Expavit uterque ignotæ regionis viam; ſed conferentes invicem ne deberent cælica juſſa declinare maximè pro ſuæ ſalutis reparatione, Romanæ urbis mœnia deliberant adire, quod illic de univerſis regionibus fama eſt homines convenire, per quos divinitus præfinitam climatis plagam poſſent ediſcere. Nec mora, ſumptis ſarcinulis, æger ille geſtatorio aſello ſuperimponitur, & ſic ad beati Petri eccleſiam ægrè licèt progreditur. Fortè illic noſtræ gentis homines orationis gratiâ ad limina Apoſtolorum proceſſerant, ubi miſer præ foribus ſacræ ædis accubitatus, cœpit à præteruntibus quærere, in quibus orbis finibus ſancti Audoëni deſiderabile ſepulcrum perquirere debuiſſet: quod audientes noſtri, apprehenſum hominem percunctari econtrà inſiſtunt, quod is beati Audoëni ſacram ædem tam ferventi animo perquirebat. E

Romæ conſultis quibuſdam Normannis,

22 Ille divinæ juſſionis ſeriem ſciſcitantibus exponit, & quomodo connodati corporis opem ſibi ad ſepulcrum ipſius reſtituendam ex divina permiſſione accepiſſet. Ille, inquiunt, beatus Audoënus noſter, ſi credis, paſtor amantiſſimus, tutor fidiſſimus, & pater eſt ſereniſſimus: nam & nos quòd divinis beneficiis fovemur, quòd aëris temperie utimur, quòd arvorum fœcundo germine, quòd nemorum ſuavitate fruimur, quòd lacte & pecore abundamus, & quòd pace ſumma degentes alienos incurſus non pertimemus, ipſius meritis præſtitum de cælo verè fatemur. Nos Francorum & Normannorum mixto ſanguine eruti, Rothomagenſem urbem incolimus, quæ urbs caput & princeps eſt totius Neuſtriæ *b* regionis: in hac urbe eccleſia eſt, & in *b*
ea venerabile ſepulcrum, quod requiris, glorioſi Confeſſoris, ubi inceſſanter divina beneficia præſtantur ad laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Huc ſi tibi pervenire divinitus conceſſum eſt, videbis tu quoque colliſas languentium catervas, F
reparatis viribus, glorificantes Dominum ad propria remeare. Proinde illuc uſque tendere ſi deſideranter appetis, ſunt tibi primò aſpera Alpium juga ſuperanda; ubi verò occidentalis Galliæ fines deveniens, vicinum portum Sequanæ apprehenderis, in ſeptemtrionali ejus littore famoſa Rodomenſis *c* urbis mœnia comparebunt, *c*
cujus extramurano territorio borealis oriens eccleſiam ſublimat in honorem beati Audoëni conſtructam, in qua, ut dictum eſt, videbis de multis terræ partibus languentium catervas exſpectare ſalutis eventum.

Rothomagum tendit.

23 His auditis, miſer ille laborioſo licèt itinere tranſcenſis Alpibus lento vectus aſello in Gallias uſque devenit, ſicque perveſtigata ſigna ſecutus miſer ille, dum Pariſiorum urbem anxius tenderet, in quodam ſaltu pervaſus à latronibus de aſello miſerabiliter excutitur; quem cum ex nomine beati Audoëni reddi ſibi miſerandus reclamaret, nulla miſeratione permoti, alienam prædam non ſine impietate ducentes abierunt. Verùm ſupervenientes viatores eventum ipſius miſerati, quoquo modo ad urbem uſque geſtantes detulerunt. Hic noſtri negotiatores, mu-

EX MS. tuatis mercibus, naves tum fortè onerantes repatriare festinabant, qui percunctatum hominem pro Christi amore navi impositum Rothomagum advexere; dehinc usque ad introitum templi beati Confessoris transtulere.

expositâque abbati causâ sui itineris, 24 Hìc multitudo monachorum sub venerabili patre Hildeberto *d* arduam regularis militiam vitæ agebat. Is pater egregius dum ex consuetudine infirmorum curam gerens visitaturus procederet, ubi ignotæ regionis virum intuitus est, blandis eum hujusmodi sermonibus cœpit interpellare: Quare tu, Frater mi, tot Sanctorum patrocinia præteriens, ut ita dicam, ab ortu solis *e* beatum Audoënum expetisti? Cui languidus; Non otiosa, inquit, causa, aut falsa peregrinationis simulatio, pater sancte, me partibus Orientis ad hunc locum vestrum promovit. Porrò longo ex tempore juxta vestibulum basilicæ beati Archangeli accubâram, exspectans de cælo collisi, ut vides, corporis medicinam, cum mihi intempesta nocte vir quidam inæstimabilis candoris in somnis apparuit dicens: Quid tu, miserande juvenis, hîc tot annis jacendo cruciaris? Cui cum salutis opem exspectare me, respondissem, dixit mihi: Est tibi languoris hujus aliàs quærenda medicina. Si nomen pretiosi confessoris Christi Audoëni audisti, huic apud summum Redemptorem reposita est virtutum multiplex gratia, ut, nisi infidelis, nullus ab eo inania vota reportet. Porrò huic curationis tuæ donum (ne dubites) collatum est; & ideo, utcumque tibi onerosum videatur, ad sepulcrum ipsius tendere necesse est, quod in extramurano Rothomagensis urbis territorio à fidelibus in laude Christi honoratur. Urbs hæc, quam audisti, est caput & domina totius Neustriæ, quam gens Normannica crebris incursibus delassatam, expulsis habitatoribus, sibi subjugavit, & ex nomine suo Normanniam maluit appellare. Illuc perveniens, Domino auctore, invenies, quod tanto tempore hîc inaniter exspectas. Hujus, si de Domino est, venerande pater, oraculi præcepta secutus, laboriosa peregrinatione hunc usque ad locum perveni, quo in itinere latronum insidias perpessus, familiare subsellium *f* amisi; quod damnum ego quidem æquo animo fero, si reformatis viribus, ipse pater Audoënus me repatriare donaverit, quem tot terrarum orbem emensus, huc usque requisivi.

e

B

C

ope Sancti recuperat sanitatem 25 Hic venerandus pater; Si, inquit, ita est, fili, ut tua nobis prodit oratio; ne trepides: in proximo est, ut quæsitam reportes, Deo auctore, salutem. Nec mora, convocatis famulis ægrum usque ad locum presbyterii jussit deferri. Ibi languidus de subsratorio *g* solotenus excussus, discatenatis nervis, carne revulsa, arctiùs cœpit angustiari, & diris vocibus inclamare: Sancte Audoëne, sancte Audoëne, adjuva me. Ut autem basim altaris attigit, resolutis brachiis, quæ contracta attulerat, ad altaris crepidinem extendit. Hinc mox, resolutis cruribus, se in pedes erexit. Dehinc adnisu titubante interioris atrii spatia novitius perambulare attentabat; nec diu immoratus, cum ceteris hominibus viriliter gradiebatur. Sed & ad usum operis competentem brachia coaptabat.

g

& asinum, quo in via spoliatus fuerat. 26 Factum post triduum, ut Gallicanæ gentis ad sepulcrum beati Audoëni oratura turba non modica confluueret. Eâ ipsâ horâ præfatus vir exterioris atrii limen perlustrabat, cum ad equos eorum visum simpliciter inflectens, inter sanguinarios eorum conspicatur asellum suum stantem, quem antè comprehensus à latronibus amiserat. Perspicaciùs autem intuitus, ne similitudinis specie deceptus alieni juris persuasione publicis legibus notaretur, cœpit eum privato nomine abblandiri; quod mox ut animal recognovit, arrectis impiger auribus, caudam subrigens, cursu & saltu possessorem antiquum se recognosse testabatur. Recipiens igitur, quod suum erat (non enim erat, quod contradici posset) duplici munere donatus, natale solum repatriavit, ubique publica voce protestatus, felicem quidem Romam, sed non infeliciorem Normanniam, cum illa habeat Petrum, ista habeat Audoënum.

D

III. *Alius paralyticus ex Arvernia veniens, b*

27 Aliud narro miraculum, quod quia huic non longè est dissimile, non est in eo diutiùs immorandum. Arvernæ *h* regionis vir quidam nobilis, censu quidem dives, sed à detruncatis artubus auditum penitus amiserat. Hic Turonos ad sepulcrum beati Martini evectus, per aliquod tempus tristes excubias exsolvebat; cum ei vir splendidissimus nocte apparens, jussit ocyus Rothomagum urbem Normanniæ ad sepulcrum beati Audoëni proficisci: ne cunctetur, si fidem habeat, ibi auditum & debilium membrorum vires recepturus. Miratur homo, quod Martinus vir apostolicus signis præpotens & virtutibus, jam nunc familiarium virtutum impos, aliena patrocinia jubeat esse quærenda: hoc malè intelligens, quia licèt Sanctis non desint semper merita virtutum, non semper tamen inest gratia operationum; sed per occultam dispensationem Largitoris alternantur in Sanctis vices & tempora curationis.

E

simile sanitatis beneficium ibi impetrat. 28 Verùm evocatis ad se famulis, sumptisque in viam necessariis, præfatum Patris nostri sepulcrum desideranter advenit. Fortè ibi Fratres monasterii inter sacra Missæ officia hostias oblaturi summa cum reverentia circumstabant, cum languidus ille, oblaturus & ipse, sacram ad aram, bajulantibus famulis, se portari monuerat. Mox ut ante sacrum altare de sella, in qua portabatur, pavimento expositus est, statim nervorum ruptis vinculis non sine grandi clamore distenditur. Nec mora, recepto auditu, & reformatis artubus, se in pedes erigens, ad aram munus oblaturus, nemine portante incedit, sicque redditus sibi, gratulantibus famulis, ad propria repedavit *i*.

F

i

ANNOTATA.

a *Garganus mons Italiæ in regno Neapolitano, qui apparitione S. Michaëlis archangeli famosus est.*

b *Neustria fuit olim ampla Galliæ regio, cujus partem Normanni invaserunt, & quam à nomine suo Normanniam vocaverunt.*

c *Veteres scriptores urbem Rothomagensem* Rodomum *vel* Rotmum *nuncupant, ut apud Valesium in Notitia Galliarum pag.* 482 *videre est.*

d *Hic abbas cœnobium* S. Audoëni *diu gubernavit, & anno* 1006 *è vivis excessit, ut Pomerayus in jam sæpe laudata ejus abbatiæ historia lib.* 3 *cap.* 4 *docet. Unde hujus miraculi tempus præterpropter colligimus.*

e *Regnum Neapolitanum respectu urbis Rothomagensis in Orientem & Meridiem situm est. Dum itaque auctor dicit, hunc paralyticum* ab ortu solis *vel* à partibus Orientis *Rothomagum venisse, non adeo strictè loquitur & tantummodo longinquum iter vult indicare.*

f *Hic per* familiare subsellium *significatur asinus,*

A *nus, cui paralyticus insidebat, ut ex antecedentibus & consequentibus liquet.*

g Substratorium *inter alia in Glossario Cangiano indicata significat tapetem. Hic ex sensu simile quid assignari colligimus.*

h Alvernia *vel* Arvernia *Galliæ regio, de cujus primaria urbe in Commentario historico de S. Sidonio abundè egimus.*

i *Nullum certum hujus miraculi tempus notatur.*

CAPUT III.

Cæcæ mulieris illuminatio, corpus Sancti ob præsentiam impiorum immobile, & mira captivi cujusdam liberatio.

B

IV. *Sacerdos quidam narrat,*

QUandoquidem Turones digressus stylus noster ad beatum Audoënum transitum fecit, quid in ea urbe venerandus Pater non corpore, sed virtute præsens ediderit, non est silentio comprimendum: habet siquidem in se præclarum virtutis apostolicæ documentum ad eruditionem fidelium, quod in adversis casibus quamlibet longè positus celeri opitulatione se invocantibus subvenire non desinit. Nos, quia procul à nobis, unde loquimur, gestum esse constat, visu præsenti non perspeximus; sed fideli sacerdotis cujusdam, qui præsens interfuit, relatione comperimus, quod compertum sanè quibusdam incredulitatis scandalum ademit, qui adversus Patrem nostrum vesana mente grunniebant, quod Audoënus intra domesticos parietes potens, in remotioribus partibus impotens foret & ignotus. Hi in experimentum erroneæ opinionis sibi adscripserant, quod tres illos, quorum mentionem paulò antè prælibavimus, ægros in terra sua curare nequaquam prævaluisset, donec longæ peregrinationis tædio prægravati, ad sepulcrum ipsius usque convenissent. Poterant sanè isti cum regulo, de filio Salvatorem rogante, poterant,

C inquam, dicere: Descende, priusquam moriatur filius meus; quippe qui Salvatorem aut non ubique præsentem, aut nisi corpore præsentem, virtutis impotem æstimarant.

quomodo cæca ejus soror

30 Unde non casum fuisse dixerim, sed verè testimonium divinitus administratum, quod de hujusmodi disceptantibus quibusdam Fratribus, quidam venerandus presbyter superveniens ad sepulcrum Patris nostri, Domino & sancto Audoëno impensiùs referebat. Nos causam ignorantes dum quærere insistimus, ille respondit: Non me inanis causa, Fratres & domini, si forem idoneus, ad referendas gratias debitorem fecit. Erat sanè & est mihi soror germana, amisso lumine, multis ab annis cæcitate percussa, quam ego ad sepulcrum beati Martini, quia nos infra diœcesim ipsius commanemus, perduxeram. Hoc sæpenumero faciens, dum nil proficio, intellexi, nostris certè culpis beneficium abnegari. Verùm desperata salute, dum germanam ad lares paternos reduco, nocte super media illam per somnum clamare audivi ac dicere: Sancte Audoëne, tu adjutor, tu illuminator meus: quam continuò excitatam dum rogo, quid sic exclamasset, illa cœpit referre, quod vidisset beatum Audoënum sibi manum imponere, & mox dis- EX MS. cussa cæcitatis caligine, lumen sibi restituere.

patrocinio S. Audoëni illuminata fuerit,

31 Subjunxit itaque multa prece, ut ad sanctum Audoënum eam conducerem: cui cum respondissem, istud nequaquam sine grandi periculo nostro fieri posse, cum regnum bellis intestinis undique, hinc pestilentia & fame periclitetur, hinc latronum insidiis & prædonum incursibus viæ omnes præoccupatæ tenerentur; illa impatientis desiderii ardore succensa, nihil ista curare; dum visum recipere mereatur, respondebat. Cui ego; Ne me, inquam, mea soror, ad tam periculosum negotium impellas: certus sum enim, quod, si vera omnia constant, quæ de tanto Patre per orbem fama celebrior diffundit, non minus nobis aderit longè positis, quàm præsentiùs assistentibus, si quidem per fidei præsentiam, illius indulgentiam postulemus. Videtur itaque mihi, si consiliis meis acquiescis (non est enim laboriosum etiam ad ecclesiam beati Martini semel usque procedere) ibi memoratum Patronum votis supplicibus postulare, ut quod hunc fatebaris egisse tibi per somnum, manifesta veritate reddat effectum, quod & factum est.

E

& Rothomagum veniens pro ea gratias Sancto agit.

32 Porrò exspectato depositionis ipsius, quæ in proximo erat, solenni die, dum in ecclesia beati Martini prolixioribus excubiis delassata paululùm obdormisset, ecce venerandus pater Audoënus stellantibus oculis, florenti canitie & habitu niveo coruscus supervenit, & digito suo clarissimum cæcis oculis lumen infundit. Hæc est illa, Patres & Domini, hæc singularis causa, quæ me à patriis finibus dimotum domino & reparatori nostro beato patri Audoëno gratias de collato beneficio cogit referre.

V. *Auctor testis oculatus exponit,*

33 Sed & hoc ipsum silentio tegi nefas arbitror, quod multis intuentibus olim factum enituit, quod sanè plurimis, qui jam seculo demutato vita excessêre, adstantibus etiam nobis ipsis, qui adhuc Deo miserante subsistimus, terrorem incussit & admirationem. Audiant sanè homicidæ, audiant raptores, audiant sacrilegi; habent & ipsi ex hoc, si in flagitiis suis persistere volunt; habent, inquam, ex hoc, quo terreantur; habent ex hoc, si vivere optant, quo corrigantur. Porrò in secundo fermè ab urbe milliario ab æquinoctiali ortu mons eminet, de quo subjecta civitas, & suburbana ipsius castra inof- F fenso visu possunt contemplari: hujus de vertice in memoriam beati archangeli Michaëlis ecclesia dicata consistit, ad quam de adjacente regione turbam non modicam mos est ad diem festum convenire. Nobis econtrà venerandum Patris nostri corpus ad locum memoratum conferre, vel pro diei lætitia, vel pro exhilaranda plebe, gratum videbatur; quod & paulo ante hos annos, dum vetus observatio fieri superveniente die præmonuisset, ubi montem ascensu superamus, offendimus ipsa sacræ ædis atria interiùs & exteriùs eo usque ab infusa plebe præoccupata, ut nec intrò positis liber exitus, nec extrà positis pateret introitus. Taliter his & illis inter se compugnantibus, dies magna ex parte transierat. Nos tali obstaculo remorati, foris interim observamus, dum, turbâ elapsâ, ecclesiæ nobis claustra patuissent.

quomodo corpus S. Audoëni

34 Est in ipso montis supercilio grata, licèt angusta, planities. Ibi, substrato pallio, feretrum Sancti exponentes, in modum coronæ accinximus. Quid plura? Longa exspectatione turbatis tandem nuntius nobis accurrit contestatus, populum magna ex parte elapsum pervia nobis limina

EX MS. limina reliquiſſe. Mox præmiſſa Antiphona, duo, quibus id officium fuerat, eximii Fratres, injectis manibus dum feretrum levare conantur (mira res, atque ſtupenda!) tanto ſe occultæ virtutis pondere Sancti corpus tenuit, ut movere illud virtus nulla prævaluiſſet. Aſſurgunt alii priorum ignaviam increpantes, qui & ipſi manus imponentes, cum diu multumque eluctati nihil prævaluiſſent, expaverunt robuſtæ juventutis in ſe vigorem defeciſſe. Unde & ii quoque victi, non ſine confuſione & admiratione recedebant; quod ſanè ceteri Fratres intuentes, coacti & ipſi in unum ad levandum onus ſacrum ſummo adniſu incubuere; ſed velut turritam molem impugnantes, laſſatis viribus, defecere. Tum verò incredibili ſtupore confuſi, ſinguli conſcientiam ſuam taciti diſcutiebamus, ne noſtrorum cujuſpiam ſcelere offenſus Pater reverendus fortè totius familiæ ſervitia horruiſſet, dum unius offenſam in totum gregem transfudiſſet.

ad eccleſiam quamdam delatum

35 Itaque rerum incerti ſtatuimus nihil ultra B attentare; ſed præſenti in loco, quoad illi placuiſſet, excubare, donec indignatione ſubmota velle ſuum ſignis, quibus placuiſſet, benignus Pater revelaſſet. Jam hora tranſierat; dilabitur populus, & vacantem nobis eccleſiæ caſam relinquit, cum repentè quidam vultu & habitu venerandus ſenex circumſtantibus Fratribus ſe immiſcuit, in facie quidem moderatam ſeveritatem, & in voce præferens auctoritatem, Quid, inquit, filii mei, quid vos turbatis animis ſic intueor deficere? Quid vos rerum cauſæ latentes abſterrent? Non vos iſta requirunt; ſed ſi advertitis, inviſam quorumdam præſentiam longè exſecrandam denuntiant, qui certè flagitiis dediti, dum ſceleratam vitam non curant attendere, præſentem domum Domini hac ſacra die non ſine ſuperbia intrare, & oculos ſummæ majeſtatis offendere non metuerunt, tamquam Deus ſcelerum ſuorum ignarus aut commiſſa non videat, aut impunita relinquat: quorum alii manus ſacrilegas ab eccleſiis Dei numquam continuerunt; ſed tamquam vile porcinium *a*, Chriſti ſacrarium, facta irruptione, frangentes, & innocuos homines ab ipſis penetralibus, velut filios à maternis viſceribus, ſpectante Domino, trahentes, ſanctuarium Dei corde crudeliſſimo C polluerunt.

a

propter præſentiam peccatorum

36 Sed & ſi quos vitæ deſperatio aut metus captivitatis ſacram ædem defendere impulerat, hos igne ſubmiſſo aut conflagratos incendio miſerandas hoſtias immolabant, aut ad deditionem coactos, fame & diro cruciatu ad redemptionis pretium coarctabant. Et hos in regno ſanctæ matris Eccleſiæ cum fidelibus portionem habere, ni commiſſa diluerint, quis niſi infidelis arbitretur? Alii humani ſanguinis frequenti effuſione polluti, ecce præſentem aulam divinis cultibus & angelicis virtutibus aſſignatam introëuntes, cæleſtem iram in ſe derivare non formidarunt. Alii de rapina pauperum ſacris hodie altaribus cruenta donaria intulerunt, quorum oblatio tanto fit grata divinis obtutibus, quanto de funere filii epulæ paratæ paternis exſtant obtutibus. Miſeri, quibus tanto irremediabilis reſtat damnatio, quanto horum erga Dei patientiam impœnitens ſemper crudeſcit inſania, quorum pœnalis nimirum damnatio hoc ipſo levior fore potuiſſet, ſi ſceleratam conſcientiam reputantes, ſaltem locum ſanctum, & juſtorum conſortium erubuiſſent.

37 Nunc autem quia auctor juſtitiæ horum ſacrilegam communionem aſpernatur, non mirum vobis eſſe debet, ſi & Sancti, quorum mens D ab interni judicis voluntate non diſcordat, conventicula ipſorum abominantur. Hinc factum eſſe noveritis, quod hic Pater veſter, ſicut in vita ſua quondam ſceleratorum converſationem fugiendam docuerat, ita & nunc conventum ipſorum reprobans, transferri ſe ad locum quemlibet ſacrum noluit, quem ſceleris auctores & miniſtri ſathanæ de inviſa præſentia ſua inceſtabant. Vos igitur, quia pars impia abſceſſit, vos, inquam, filii nolite deficere; Patris veſtri ſacrum loculum celeranter attollite. Ecce vobis adſtat ad juvandum paratus, qui vos ingrato otio remorabatur immotus. Mox ad verbum ſenioris Fratres exhilarati, manus feſtinanter apponunt, & ſanctum corpus, ſumma cum levitate exceptum, in eccleſiam cum laudibus transferentes, expoſuerunt. Fit interea quæſtio inter Fratres de memorato ſene, quò ſe recepiſſet, quî ignotus ſic & tali tempore nobis interveniſſet, & ſic repentè diſparuiſſet; quem cum, miſſis ad perquirendum curſoribus, numquam divertiſſe, nulli verò comparuiſſe didiciſſent, tandem, quod non incredibile conſtat, ipſum eumdem, cujus ſacri E corporis urnam geſtaverant, arbitrantur fuiſſe verè beatum Audoënum.

immobile ſubſtiterit.

VI.

Miles quidam

b

38 Rem dicturus ſum, quam in comitatu Octumenſi *b* modernis temporibus factam, multorum quidem relatione, ſed certiùs ipſius ex ore, de quo acta conſtat, didicimus. Miles quidam in pago memorato videns regnum, juvenili conſilio ab antiquo ſtatu immutatum, aſſiduis prædonum incurſionibus & inteſtinis bellis labefactari, nec ſupereſſe hominem, qui rebus humanis remedium ex diſcordia publica quæſiſſet, conſilium ſibi adhibuit, ut cum tot civiles motus ſedare ſolus nequiret, & ipſe inter hoſtilia arma conſiſtens, rem familiarem ab alterna incurſione tutari non poſſet, conſilium, inquam, ſibi hujuſmodi adhibuit, ut ſingulos quoſque conveniens, quovis pretio amicitiam horum ſibi fœderaſſet, ut quantovis motu adverſæ acies inter ſe confligerent, hic lares, agros, & poſſeſſiones ſuas ab hoſtili incurſu redderet immunes: nam in hoc prudenter ſibi conſuluerat, ſi fidem ſanè & amicitiam ſervare avaritia uſquam noviſſet.

ab avaris inimicis

39 Sed quis mortalium in ea fidei conſtantiam expertus eſt? Enimvero hæc unanimes armat in prælia fratres; hæc parricidales gladios de cognato ſanguine tingit; hæc certè ſacerdotales infulas & columbas eccleſiæ venales facit. Quid plura? Hæc ſanctas amicitias & jurata ſacrata reſcindere cogit; quod cuivis præſenti exemplo fas eſt intueri: nam unus illorum, in quem præfatus miles potiorem amicitiæ conſtantiam ſibi fore confidebat, aſſumptis latrunculis ſuis, nocte ſuperveniens, manſum hominis poſitis excubiis, ne quis effugeret, & per admotas machinas, perditiſſimo quodam latrone intromiſſo, cui magica quædam potentia feras & ferrea clauſtrorum munimenta incantatis obicibus reſerabat, portas ſibi fecit aperiri, nemine ab intus reſiſtente, cum præſumpta fides amicitiæ removiſſet cuſtodiæ ſolicitudinem. F

perfidè captus,

40 Itaque incautis & dormientibus vim inferentes, interiora ædis limina irrumpunt, ipſum dominum à penetralibus extrahunt, & ſumptis ſpoliis, attonitam familiam relinquentes abierunt. Hinc intra munitionem ſuam ſeſe recipientes, miſerandum hominem duro carceris ergaſtulo, adhibitis cuſtodibus, recluſerunt. Ibi per aliquod tempus demoratur, utpote cui, ſublatis theſauris,

A ris, pecunia ad redemptionem nulla ſuppetebat. Quartana ſolummodo die, duro & parco victu ſumptuatus, durum captivitatis exſilium deplorabat. Longam denique cuſtodiam indignantes adverſarii, miſerando homini cibum omnino abdicarunt. Jam verò fame attenuatus in varias cogitationes mente abducitur. Tum de beato patre noſtro Audoëno animum illius mentio ſubintravit, qui in periculis & neceſſitate ſe invocantibus pro opitulatione ſubvenire non deſinit, & ſicut poëta ait, ſuſpirans imoque trahens à pectore vocem, ſic ait: O venerande pater Audoëne, ô mœrentium conſolatio & captivorum redemptio, quem in periculis conſtat neminem umquam inaniter invocaſſe, adeſto huic miſerrimo peccatori, quem dura ferri pondera, fames & ſqualor carceris cruciat ſine cauſa.

& arctæ cuſtodiæ traditus,

41 Ad vocem hominis lux infuſa carceris tenebras depulit, & ecce ſacerdotalis quædam vultu igneo & habitu niveo veneranda perſona cum uno ejuſdem ordinis miniſtro homini adſtitit, Quid, inquiens, vir miſerande, fratrem Audoënum ſic inclamaſti? Cui ille; Tune es, inquit, pater Audoënus, qui hunc miſerum captivum intra ſepta carceris exaudire dignatus es? Quis ego ſum, aut quem parentum meorum conſtat hoc promeruiſſe, ut miſerum filium intra exſilii hujus ærumnas viſitares? Si tu ipſe es, Pater ſancte, miſerere ſupplici tuo, & de præſenti ergaſtulo eductum reſtitue me natis & familiæ deſolatæ, cui ad ſpem redemptionis ſuffragia nulla occurrunt in tam rebus adverſis. Cui Heros; Ecce, inquit, ni hæſitas, ecce catenæ, ecce manicæ ferreæ & compedes tibi ſolvuntur, & oſtium carceris apertum, nullum tibi ad effugii libertatem obſtaculum infert. Ecce me ſocium & ducem itineris habes. Sic ait; at ille omnia tuta timens; Audio te, inquit, Pater; ſed vehementer timeo mihi ab his, quos circa me cernis inviſas ſervare excubias, ne & ipſi ad ſonum vocis excitati ſolutam ferri machinam in me vindicibus pœnis expendant.

B

implorata S. Audoëni ope,

42 Ita diffidentiam viri indignatus Heros ſeſe in auras tenues recepit. Timens ille, ne ad fugæ ſtudium fraudem feciſſe hujuſmodi accuſaretur, prævenit accuſationem, cuſtodes evocat, monſtrat vincula & oſtia reſerata. Expergefacti carcerarii, facto impetu, aſſurgunt. Alii raptim ad oſtia currunt; alii hominem raptum ferro duriùs adſtringunt. Sequenti denique nocte, dum urgente fame & ferro Patronum ſuum reclamaret, ecce iterum indulgentiſſimus Pater in eadem effigie adſtans, hominem de heſterna diffidentia increpat, confortat iterum ad fugam, vincula, ut primùm, & oſtia pandit reſerata. Sed quid bruto animali proderat toties oſtenſa libertatis via? Cunctata namque digreſſione, Sanctus iterum abſceſſit. Cuſtodes nec minus excitati hominem patratæ fraudis reum accuſantes, triplicato ferri pondere conſtringunt.

C

è carcere liberatur,

43 Tertia verò die cum ſol meridiano fervore medium centrum teneret, & cuſtodes ante oſtium aleari ludo intenti, captivum jam deſperatum obſervarent, ecce tertiò Pater ſanctus, qui licet offenſus, ſemper tamen ad ignoſcendum paratus; ecce, inquam, aſſiſtens, hominem paulo minaci fronte conterruit, ferrum omne comminuit, & fractis januis apprehenſum de carcere eduxit, intuentibus cuſtodibus, ſed quid agebatur, nihil prorſus intelligentibus. Jam Sanctus diſcedens, hominem ſolum reliquit, qui ad ripam fluminis perveniens, dum tranſire cunctatur, ecce in ulteriori ripa videt præfatum Patris alumnum ſtantem, &, ne altioris alvei horreat undam, præmonentem: ad cujus nutum confortatus, qui natare numquam didicerat, ſeſe in fluvium dedit, quem famulante unda evectum memoratus famulus ſtans in littore manu apprehenſum ad ſe de aqua exſtraxit, & hujuſmodi alloquitur verbis: Ecce audituri ſunt caſtri iſtius milites, captum ſuum effugiſſe, & mox è veſtigio te perſequentes, inſtabunt, ſi fas eſt, apprehendere. Tu verò ne timeas; occurret tibi homo quidam in proximo milliario, equo inſidens, & militaribus armis accinctus. Tu quæcumque perſuaſerit, facere memor eris: nam is more militaris diſciplinæ junctis tibi ſe ipſum contradet manibus: equum & arma addet miles novitius, de vita ſua ſecurus, de tua ſolicitus. Tu quis vel unde tibi veniat, quærere ne habeas: hos, quos perſecutores dixi, ne formides: audient enim nuntium, cujus formidine retro verſis in fugam vultibus, perſequi te deſiſtent. EX MS.

& hoſtium inſequentium manus mirabiliter evadit.

44 Sic fatus, hominem emiſit in viam, quem reſumpto effugio gradientem dum puellæ ſuper ripam alvei lavandis veſtibus inſiſtentes conſpicerent ſubinde reſtantem, ſubinde reſpicientem, animadvertunt hominem elapſum, ad fugæ latibula feſtinantem: quæ continuò garrulis vocibus ad viros caſtrenſes ſucclamare cœperunt dicentes, captum ſuum, corruptis cuſtodibus, evaſiſſe, & ni ocyus perſequantur, nequaquam ultra capiendum fore *c* ..... Mox conſcenſis equis milites hominem curſu rapido inſequuntur, jam ſpe atque ambitione ad pœnalem carcerem iterum pertrahendum; cum ecce vir ignoti generis ſpumeo equo & armis, ut ad monomachiam armatus, fugienti occurrit, cui ſic ait: Ecce venio tibi [auxilio.] Si me recipis, habes hominem veteris militiæ diſciplinis egregiè inſtructum, & qui, periculis inſtantibus, deſerere neſciat dominum ſuum. Licèt tibi, quantum video, pericula calcatenus *d* incumbant, tu tamen ne trepida: ecce tibi equus & arma. His fultus evaſiſſe te hodie lætaberis cuncta hoſtilia arma. Nec mora, recepto homine, ſumptiſque armis, equum impiger aſcendit, qui calcaribus adactus ſaltum uſque ad locum dedit. Hinc curſu arrepto, perſequentium intuitum adeo fefellit, ut, quò abiiſſet, quò ſe recepiſſet, penitus neſcirent. Verumtamen de inſidiis in proximo ſaltu latentibus audito nuntio, periculoſum ſibi tranſitum formidantes, retrogrado curſu arrepto, qui aliena pericula machinabantur, ſua evaſiſſe gratulantur.

E

c

d

F

ANNOTATA.

a Porcinium *hîc ſignificat locum, in quo degunt porci, quem veteres Latini propriè* haram *vel* ſuile *appellant.*

b *Suſpicor, nomen hujus Comitatûs ab auctore vel amanuenſi luxatum eſſe: nam Comitatum ſimilis aut vicinæ appellationis nuſquam inveni.*

c *Hîc ſequebatur inutilis & obſcura comparatio iſtarum feminarum cum ancilla oſtiaria, quæ S. Petrum prodidit. Sed cum periodus illa adeo corrupta eſſet, ut non poſſet intelligi, eam punctis explevi.*

d Calcatenus *hoc loco videtur eſſe adverbium, quaſi dicas* calce *vel* calcaneo tenus.

EX MS.

CAPUT IV.

Puero muto obtenta loquela, mulieri paralytica reddita ſanitas, & duorum, Sanctum injuriâ afficientium, punitio.

VII. *Puer mutus loquelam obtinet;*

CUm ex umbra ſacri feretri, quo ſanctiſſimi Patris noſtri reliquiæ clauſæ tenentur, audio virtutem ægris infuſam corporibus, tum verò mihi videor videre infirmos in plateis ex umbra Petri Apoſtoli haurire optatam opem ſalutis. Septennem puerum mutum à nativitate parentes ad oratorium beati Audöeni olim fortè perducebant. Inſtabant fortè dies lætaniarum *a*, quibus ex divinis oraculis ad loca orationum cum crucibus & dominicis ſignis procedere omnis Gallicana aſſueſcit eccleſia. Nos ex antiqua obſervatione, quartâ, quæ Dominicam Aſcenſionis diem præcedit, feriâ cum venerando Patris noſtri corpore ad eccleſiam beati Michaëlis, quæ in proximo montis vertice conſiſtit, incedebamus. Necdum medium itineris ſpatium confeceramus, & ecce memoratus puer, mox ut ſacri feretri umbram attigit, linguæ reſolutis nexibus, vocem cum prece hujuſmodi in altum emiſit: Sancte Audoëne, miſerere mei. Parentes verò de inſperatæ ſalutis beneficio, lætitia & admiratione conſternati, nobis ſciſcitantibus, cum juramento proteſtati ſunt, ſe ante hunc ipſum diem verbum ex illius ore numquam audiiſſe.

a

B

VIII. *& ruſticus,* *b*

46 Adoleſcens quidam ex pago Conſtantinen- ſi *b* fuerat oriundus, in quo, quod ſanguinis non acquiſierat generoſa nobilitas, acquiſivit miſerandi eventûs calamitas, ut qui tantùm inter vicinos erat notus, apud externos fieret notiſſimus. De hoc recenti memoria ferebatur, quod fulminis ictu contactus periculoſæ fuiſſet obnoxius paſſioni pro eo, quòd diem feſtum ſancti Audoëni, quem ex edicto ſacerdotis tota parochia veneranter celebrabat, ſolus ipſe obſervare contempſerat: quod quidem vana vulgi adinventione confectum nos arbitrantes, ad credendum hortari nemo potuit, donec præſenti viſu præuſtæ carnis ſtigmata in corpore hominis conſpicati ſumus: quo nimirum in facto, ex quanto de occulta Domini diſpenſatione conjicere homini datur, geminam miſerentis Dei cauſam agnovimus, id eſt, ut reus ad vitam ſervatus, reatus ſui culpam pœnitendo expiaret, & ut hoc genus incendii timorem aliis incuteret, ne contemnentes verba ſacerdotum, ſimili judicio punirentur, quoties de pace & communis patriæ ſalute, ſed & de honore Sanctorum & electorum Dei (quæ verè gloria eſt Domini) quoties, inquam, ad eos ſalutaria monita ipſi expendunt ſacerdotes. Porrò fuit ſemper & erit in plebe Chriſtianæ religionis hæc iſta conſuetudo, ut dies feſtos Sanctorum ſolenniter ſtudeant obſervare, ſcilicet ut per hos ab opere ſervili & occupatione ſecularis negotii abſtinere debeant, ut & eccleſiam Domini expeditiùs frequentare, & per orationum inſtantiam horum, quorum memoria agitur, Sanctorum patrocinia valeant impetrare.

C

47 Res, de qua agitur, ſic quidem eſt. Evoluto namque tempore, imminebat celeberrima dies, qua verus Iſraël & vir Apoſtolicus Audoënus de ergaſtulo carnis ad ſupernam Jeruſalem animam ſanctam, lætantibus angelis, emiſerat. Eſt in ſuprà memorato pago villa, quam vulgò *c* .... nominant, in qua Sancti in honorem dicata conſtat eccleſia. In hac quinto ante feſtum die, quæ erat Dominica, dum ſacerdos infuſam plebem moneret venturum diem digno cultu prævenire & inſtantem præcordialiter celebrare, ecce inter alios præfatus ille adſtabat adoleſcens: hic fœnum paulò antè ſectum fortè per agrum ad ſolem conſparſerat; de quo noctu factum illi damnum tellus paulo nuda monſtrabat, & jam dies illuxerat, quo à laborandi exercitio vacare homines ſacerdos mandaverat.

D *qui feſtum S. Audoëni*

48 At ruſticus damni ſibi facti immodico dolore efferatus, convocatâ familiâ, cœpit labori miſerandus inſiſtere; nec reputans ſanctum diem, vehementer adeo perſtitit, donec quod reſiduum fuerat undique congeſtum in duos cumulos fœnum expoſuit; ipſe ad cuſtodiam fœni ſui proxima nocte arctiùs incubuit, cùm tertiâ noctis vigiliâ ipſum repentinus horror malignorum invaſit ſpirituum, ſimili fremitu teterrimorum equorum, qui oculis flammantibus, dentibus ſtridore horribili frendentibus, facto impetu, illum invadunt, quem duro pectorum impulſu, velut umbone ferreo, tundentes miſerabiliter afficiunt; hinc dentibus arreptum, intra paleas provolutum relinquunt, & velut furore ſatiato, recedentes viſi ſunt intra patentes auras ſe immiſcuiſſe.

laborando violaverat.

E

49 Vix monſtruoſa turba abſceſſerat, & ecce immenſa ſciſſiſſimi aëris coruſcatio ſubſecuta eſt, cum qua deſuper emiſſo fulmine, miſeranda hominem pœna corripuit, ex quo flammea lampas erumpens arentes paleas apprehendit. At vicini tali tempore inſueto lucis fulgore & ſono, viſo incendio, conſternati, ſtratis relictis, raptim feſtinant ad locum; & dum incendium luctantur exſtinguere, unus eorum fortè hominem recognovit, jam inter adlambentes flammas jacentem, quem, turbâ advocatâ, repertum trahit ab igne æſtuante ſemivivum; quem ex nomine diligentiùs appellantes, & an ſe vivere ſentiret, ſciſcitantes, reſponſum ab eo nihilo amplius, quàm à mortuo audierunt; tantùm à ſede pectoris luctantis animæ pulſum tactu perſentiunt.

ac ideo fulmine tactus fuerat,

F

50 Stabat miſera inter reliquum vulgus uxor, hominiſque, feminei doloris amaritudine, aures fatigabat innocuas; ad cujus [voces cùm] vix oculos graves juvenis adoleſcens attolleret, ſigno, quo poterat, ceſſare à fletu monebat uxorem. Hinc ad domum deportatus, dum per dies aliquot intra lectum ægritudinis decubuiſſet, voto ſe hujuſmodi alligavit, ut, ſi refuſo vigore incolumis beati Audoëni monaſterium prævaluiſſet adire, pro emendatione commiſſi erroris, corporalis diſciplinæ voluntarium ſubiret ſupplicium; ſed & capitalem cenſum, quoad viveret, illi perſolveret. Mirum, ſed dictu jucundum! Vix votum verbo expleverat, & totius contuſi corporis dolore ſedato, ad neceſſaria peragenda convaluit officia. Mox ad ſponſionem ſolvendam redditus ſibi, cum duobus boni teſtimonii presbyteris & vicinis ſuis ad nos uſque pervenit; per quos hæc ipſa, quæ dicta ſunt, recognovimus; ſed & nudato corpore hominis, fulminatæ carnis uſtionem contemplati ſumus.

facti pœnitens ſanatur.

IX. *Mulier paralyſi liberatur,* *d*

51 Inſtabant cauſæ, quibus epiſcoporum & abbatum provincialis conventus agebatur. Locus huic præfinitus erat ſub Cadomenſi *d* territorio propter loci opportunitatem & frugum uberta-

tem.

A tem. Huc Sanctorum corpora reliquiaſque ſacras convehi univerſorum conſilio decretum fuerat, inter quos venerabilis pater noſter Audoënus allatus fuerat. Fit ex tota regione confluentium populorum infinita multitudo; ibi de pace regni & ſtatu reipublicæ varia per biduum conſilia trahuntur, repugnantibus pleriſque, quibus ex diſcordia publica victum rapinæ ſpes promiſerat. Sed præponderabant conſilia bonorum, quibus pax & quies publica placebat. Fit igitur in medio de pace jusjurandum. Gaudent omnes, & maximè agricolæ. Redeunt ſinguli ad caſtra ſua, reportantes corpora Sanctorum intra tentoria ſua. Factum eſt autem, cum venerandus pater Audoënus ad tabernaculum ſuum reportaretur, ecce mulier quædam, cui multos per annos, contractis membris, dira paralyſis greſſum negaverat, vilis aſelli vehiculo deportata, inter confluentem turbam ante feretrum Sancti, bajulantibus viris, exponitur; ubi dum orationi paululum incubuiſſet, mox membrorum nexu ſoluto, miſeranda in plantas erigitur; & quamvis niſu primo nutaret, mox firmo greſſu non ſine admiratione multorum regreditur, laudans Dominum, & reparatorem ſuum beatum Audoënum.

B Fit clamor & populi totius exultatio *e*.

e XII. *& fur*

52 Fur quidam novis ſemper fraudibus inſiſtens, ut vidit ab omni circumjacentis viciniæ plaga turbas frequentes ad locum prænominatum confluere, familiari arte nocendi ſocium ſe turbis itinerantibus applicuit. Erat in comitatu vulgaris turbæ non modica multitudo, inter quam presbyter medius ibat, portans ſecum aliquas rerum ſarcinulas, & quæ uſibus ſuis infra dies concilii videbantur neceſſaria. Hunc ad cavendas fraudes minimè perſpicacem advertens fur ille nequiſſimus attentare callidè cœpit, indignum dicens, tantum ſacerdotem ſub fervore diei præſertim inter tot turbas ſolum rerum faſce gravari, exhibens ſe ſocium & clientem ad ſubvehendas, ſi velit, rerum ſarcinulas uſque ad terminum loci; at verò presbyter nihil illi ſanè credens, onus ad horam deponere noluit. Tranſmiſſo autem duorum millium ſpatio, iterum hic presbyterum cauſatur, fruſtra oneris injuriâ fatigari, cum ipſe ſocialis laboris onus ſubire paratus ſit.

C *qui ſacerdoti ſarcinam ſubduxerat,* *f*

53 Tandem importunitate ſuaſoria eblanditus presbyter lineam telam, quam venalem nundinis inferebat, ſimul cum aliis rebus homini impoſuit. Ille dum paulo longiùs à loco, quo tendebat, adhuc diſtaret, ſauguinarium *f* fidelem ſe ſimulans, à presbytero ſejungi non audebat. Ut autem ad locum ventum eſt, repentè ſe vulgaribus turbis cum ſarcinis immiſcuit, & ſic celeri fuga presbyterum, ſurſum deorſum curſitantem eluſit. Diverſorium quoddam denique latiturus introgreſſus, vili ſatis pretio alieni laboris guarnamentum *g* vendidit, tres, ut poſtmodum ipſe fatebatur, ex eo ſolidos ſumens, cum his ad oratorium Sancti properanter accedit infelix, non reputans, quantam Sanctis Dei infert injuriam, qui ſua patrocinia requirentes perturbare non metuit. Audiant ſanè patrati flagitii formidabile exemplum illi, qui peregrinos & ad eccleſiam Dei properantes incurſare aut ſpoliare nituntur.

g

contractione membrorum punitur,

54 Mox ſanè ut primum tabernaculi limen ſacrilegis pedibus attigit, repentè brachiis & cruribus contractis, in terram miſer ille corruit, ſtupentibus cunctis ignotæ rei miraculo, & maximè monachis de portento hujuſmodi turbatis, quòd numquam ſimile hujus accidiſſe meminerant, dum beato Audoëno familiare ſemper fuerat languentibus præſtare ſalutem; ſanis verò numquam inferre ægritudinem. Super hoc non parva illis inerat trepidatio, quòd hominem paulè antè incolumem veniſſe audierant, nunc infra tabernaculum patris Audoëni repentina clade percuſſum conſpiciunt. Hic unus ex Fratribus de adverſo rei eventu, metu & indignatione permotus, cum vidiſſet circumſtantem populum vario murmure conſternari, converſus ad feretrum, quo ſacri corporis reliquiæ ſervabantur, preces cum lacrymis effudit. EX MS.

ſuumque peccatum confeſſus ſanitati reſtituitur.

55 Dehinc hominem talibus verbis increpans, ait: Quid, miſerande juvenis, egiſſe te præſentis morbi animadverſio accuſat? Cujus facinoris conſcius Patris noſtri tabernaculum ſubintrare præſumpſeras? Ecce pedes & crura, ecce manus & brachia, nervis contractis, rigentia, ſceleris occulti capitale crimen accuſant. Si colliſi corporis medelam, ſi delicti veniam poſcis, confiteri non erubeſcas, quod rea celat conſcientia: nam reati pura confeſſio, reparati vigoris fit ſalutifera portio. Facile id præſtare eſt Audoëno, ſi peſtis occultæ aperiatur magnitudo. Sic infelix dolore & pudore confuſus, velit nolit, in medium profert, qualiter presbyterum ad oratorium ſancti Patris venientem commiſſis rebus fraudaverat, & quod adhuc iniquitatis pretium penes ſe habeat; ſubjiciens etiam, quòd ea quoque intentione advenerat, ut, ſi poſſet, incautis hominibus inter orandum loculos ſuos furali ferro ſubſtringat. Ita confeſſus, promittit, ſe ab hujuſmodi nequitiæ arte ceſſare. Mox Fratribus in orationem proſtratis, miro modo miſer ille, reſolutis artubus, in pedes aſſurgit ſalvus & incolumis. E

ANNOTATA.

F

a *Id eſt dies Rogationum, quibus Litaniæ recitantur.*

b *Pagus Conſtantinenſis vel Conſtantinus in Normannia, vulgo* le Coutantin, *ab urbe primaria Conſtantia nomen accepit, ut Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 156 *pluribus explicat.*

c *Nomen hujus villæ in apographo noſtro omiſſum eſt, & propterea loco illius puncta poſuimus.*

d *In Commentario prævio num.* 50 *de duplici concilio Cadomenſi mentionem fecimus, ubi etiam tempus hujus tranſlationis ex Mabillonio veroſimiliter indicavimus.*

e *Hîc in apographo noſtro non occurrunt duo miracula, quæ tamen in titulis capitum aſſignantur.*

f *Quamvis hæc vox alibi jumentum vel aſinum ſignificet, tamen hîc eâdem homo ſarcinis onuſtus deſignatur, ut manifeſtum eſt.*

g Guarnimentum *vel* garnimentum, *Gallicè* garniture d' habit, *ornatum cuivis rei convenientem ſignificat, ut in recuſo Cangii Gloſſario fuſiùs exponitur.*

EX MS.

CAPUT V.

Fures ope Sancti deprehenduntur, cæcus illuminatur, & duo muti uſum loquelæ obtinent.

XIII. *Nummi à fure ſurrepti*

BAjocennis *a* quidam haud ignobilis familiæ vir, patrocinia ſancti Patris noſtri requiſiturus, dum ad oratorium, quo beatus Chriſti confeſſor quieſcebat, perveniſſet, ſumptis de pera ſua duobus argenteis, ſuper menſam altaris emiſit; dehinc orationi incubuit. Adſtabat fortè ibi latro perditiſſimus, contemplatus, ſi quem fraudibus ſuis locum aptum reperiat (ſiquidem præfatus vir peram negligenter opertam dimiſerat) hic fallendi artifex marſupium, in quo nummorum bis deni ſolidi ſervabantur, mordaci ferro ſuccidit, & intra caligas abſconditos tenens, ſeſe furtim à loco ſubripuit. Hinc ſe in pedes mittens, dum furto lætatus inani tentaret effugere, quodam Dei judicio retentus, errabundo veſtigio ad hoſpitium viri ignoranter divertit. Intelligens verò ſe non rectè divertiſſe, reſumptâ fugâ, tentabat aliò ſecedere: rurſus cum ſe longiùs ſeceſſiſſe arbitraretur, ad hoſpitium viri iterum ſe rediſſe deprehendit. Tertiò nihilominus fugâ repetitâ, dum longiùs ſuſpectam viciniam ſatis effugiſſe putaret, advertit ſe intra ſepta memorati hoſpitii itidem occluſum, infelix neſcius, ſe divino judicio coarctari.

mirabiliter recuperantur,

57 Interea vir ille ante feretrum ſancti Audoëni recentis damni clamoſam querimoniam depromebat. Cum ſublatæ pecuniæ indicia nulla reperiſſet, deſperata inventione, ad hoſpitium indignatus regreditur non ſine aliquantula derogatione Patris noſtri, quòd homines ſua patrocinia requirentes pateretur furibus attentari. Introgreſſus igitur hoſpitale diverſorium, videt hominem ſolitarium otioſè ſtantem; non tamen intelligit patratæ fraudis miniſtrum. Verùm iratus famulus, quod externos homines admitterentur intra hoſpitium commorari (quippe qui neſciat bonos à malis ſecernere) converſus ad hominem, cauſam ſtationis inquirit. Qui cum trepido ore, vultu pallenti, vix reſponſum ederet, deprehendit, non eſſe fidelem. Verùm dum arctiùs interrogando perſiſteret, & ille conſcientiâ reus hæſitaret, apprehenſum hominem increpitans cœpit impingere: quo in facto illud contigit memorabile, quod eâ ipsâ dextrâ, quâ argenteos ad menſam Patris obtulerat, eâ ipsâ marſupium cum pecunia attrectando perſenſit, & ſinu extractum theſaurum, quem amiſerat, recognovit, cum quo ad oratorium lætabundus accurrit, Deo & patri Audoëno gratias agens.

XIV. *puer cæcus illuminatur,*

58 Eſt locus infra Bajocenſem diœceſim quatuor à Cadomo millibus diſtans, quem certis de cauſis veteres coloni Ros appellari voluerunt. In hoc eccleſia longo ex tempore conſtructa necdum conſecrationis ſignaculum chriſmale perceperat. Ad hanc igitur conſecrationis gratiam proceſſuri ſtatione multa, caſtra movemus. Necdum ſpatium Cadomenſis vici medium confeceramus, & ecce legatus miſſus à Guillelmo *b* Comite, qui tunc temporis regni iſtius monarchiam tenebat, equo inſidens, ut ſubſiſteremus ex verbis ſenioris inclamavit, dum ipſe Comes properatis cauſis, quibus occupatus tenebatur, in occurſum nobis properaret, volens videlicet corpus ſanctum, ſi fas eſt, propriis ulnis uſque ad terminum loci portare. Nobis verò opinantibus, ſe Sanctum velle quibuſlibet donativis honorare, & hac de cauſa remorantibus, puer quidam ſeptem, ut putabatur, annorum cæcus illuc adducitur, quem cæcum ab infantia ſe noſſe vicinia omnis tenebat. Hunc introducentes, dum ut oraret inſtantiùs præmonerent *c* .... & quieſceret, mox diſcuſſâ cæcitatis nebulâ, puer adſtantem plebem circumſpicere cœpit, & in laudem Sancti erumpens, clarè ſe videre, populo congratulante & laudante, proclamavit. Mox qui ductu alieno convenerat, ad propria ſine ductore remeavit.

XV. *& duo muti*

59 Ad præfatum denique vicum, in quo dedicanda eccleſia ſcilicet erat, pervenientes, quia diei non multum ſupererat, ſolum quæ reficiendis corporibus fuerant neceſſaria, pro ſuo quiſque officio inſtanter curabamus. Expletis tandem his, quæ diurnæ penſionis ordo & ratio poſtulabat, recreatos ſomno placidiore artus ad craſtina officia repræſentamus. Sed inter agendum miſerandus quidam vir inter ſuos honorabilis ad dedicationem loci conveniens, hominem mutum, quem pro remuneratione futura inter domeſticos vernulas nutrierat, ſecum adduxerat, ſi fortè linguæ ipſius ſilentia mutæ ſolvere beatus Audoënus digneretur. Quid plura? Mutus nobiſcum inter ſacra officia ſalutis eventum exſpectans, ſeparari à nobis nec ad horam patiebatur. Ventum eſt ad oblationem, & ecce populus, cujus innumerabilis multitudo undecumque eò convenerat oblaturus, vim grandem nobis inferebat, adeo ut ſtationis nobis locus in tota baſilica, turba imprimente, nullus relinqueretur: propter quod in poſteriorem partem altaris cum præfato muto ſedem ſatis anguſtam comperimus. Hîc mutum nobis, ut oraret, hortantibus, in ſe ipſum multo adniſu anguſtiabatur; ſed nondum venerat hora reſolutionis ipſius.

loquelam impetrant.

60 Contigit interea, ut mulier unicum filium itidem mutum illuc deferret; quæ cum pro nati ſalute inſtanter oraret, puer ex feretro rutilantis auri ſplendorem conſpiciens, converſus ad matrem verbis quamlibet teneris & manu protenta, ut inſpiceret, hortabatur; gratulantibus, qui aderant, & exclamantibus, quod puer tenera verba formaret. Dum omnis in laudes Dei & patris Audoëni eccleſia perſonaret, ecce, qui prior advenerat, mutus inter confertum populum eluctatus ante ſanctum corpus cum lacrymis proſternitur. Quid ultra? Mox inſtaurato linguæ & oris officio, cum ceteris & ipſe Deum & patrem noſtrum Audoënum verbis exultantibus magnificavit.

XVI. *Æſtutus fur,*

61 Mater familias quæ oratura beati Patris noſtri patrocinia reviſerat, cum comitatu ſuo redibat; quam dum ferventior æſtus mutare habitum coëgiſſet, ecce fur quidam fallendi arte inſtructus, repentè pelliceam, quam ſibi mulier ſubtraxerat, fociis aliò intentis, arripiens, ſub chlamyde ſua occultavit, & ſic comitatus euntes ſimpliciter progrediebatur. [Illa] nihil ſuſpicans doli, putabat penes ſe habere, quod nequitiæ artifex aſportabat. Proceſſerat aliquantulum rememorans ſigna & mirabilia, quæ Chriſti Confeſſor eximius recèns oſtenderat; cum primùm mulier animadvertit, pelliceam ſibi caſtratam; quæ mox femineo clamore in altum emiſſo, ſocias publica cœpit voce incuſare, quod fraudis

b legatus miſſus à Guillelmo *b* Comite

A fraudis illatæ conſciæ forent : quod illæ contrà abnegantes, & ſe innoxias fraudis objectæ cum juramento profitentes, recurrere ad oratorium ſtudio reclamandi inter ſe deliberant. Ibi mulier beatum Audoënum queruloſis vocabulis & femineo ululatu incuſabat, quod ad ſe venientibus fraudem inferri permiſerat. Ibi ſocii verecundia & pudore confuſi, Quid, inquiunt, venerande Pater, quid dicimus ſigna & virtutes tuas nobis profuturas, cum ſic à loco ſanctæ memoriæ tuæ confuſi regredimur & ſpoliati? Numquid nobis multo magis opportunum erat ſingulis intra tuguria ſe ſua continere, & rebus neceſſariis intendere, quàm hæc ſolennia hodie ſpectacula inviſere, ubi latronum inſidiis turba innoxia patuiſſet. O Pater, ubi ſunt virtutes tuæ, ubi certè virtutum magnalia, ſi ſic perfidus latro hodie impunè nos illuſerit?

qui mulieri reliquias S. Audoëni viſitanti

62 Stabat inter ceteros, quibus caſtrorum cuſtodia fuerat mandata, adoleſcens quidam, qui dùm conſolari mulierem niteretur, exaggerabat potius, quàm leniſſet lamentabilem querimoniam ipſius; Quid, inquiens, profuturum tibi credis, mater, importunis vocibus innocuas auras fatigare, cum nimirum fur perditiſſimus ad remotiores jam latebras ſe contulit, aut fortaſſe irrevocabilis fugæ iter arreptum accelerare non tardat, dum vos clamoſis vocabulis cauſas hîc replicatis inanes. Propiùs alter aſſiſtens, Si quid veri mens mihi præſagit, inquit, longùm [non] lætabitur patrata fraude fugitivus prædo: ſperò enim, ut quocumque ſe vertat, ad offenſam patris Audoëni reum ſuum ſic effugere terrâ hodie non ſuſtineat, quin ad publica ſpectacula ſacrilegi furti auctorem producat.

B

aliquid furripuerat,

63 His dictis, mulier reſumpto comitatu ſuo ad propria non ſine lacrymabili queſtu remeare cœpit. At vir interea fraudulentus ceteris turbis, quæ ad diverſoria ſua tendere feſtinabant, præeuntibus ſeſe immiſcuit, & cum his aliquantulùm proceſſit. Jam ſe omnia pericula evaſiſſe putabat, cum divinorum operum ſigna recentia mutuo ſermone recitantes, ad quoddam quadrivium pervenerunt, in quo ceteris liberè tranſeuntibus, ſenſit ſe miſer divino nutu teneri, & quaſi altiùs terræ infixus, velit nolit, ſtare immobilis cogebatur; quid tamen ageretur, diu multumque luctatus, proficiſci ultra non valebat. Retrogrado etiam curſu tentabat effugere; nihil tamen amplius proficiebat. Remorantibus ſociis & percunctantibus, quid tardaret; ille multa diſſimulatione, quid ſibi eveniſſet, celabat dicens: Ite, fratres, cum bono; quia ego imprudenter egiſſe me recognoſco, quod vicinos comites meos, cum quibus adveneram, poſt me relinquo, quibus fidem dederam, ne incomitatos relinquerem.

C

in via hæret immobilis

64 Facilè his perſuaſum eſt. Illis autem abeuntibus, fur ſolus relinquitur conſcius, ſe audacis flagitii vindice pœna coarctari. Reſumit tamen inane luctaminis certamen. Spirat, verſatur hinc ad dextram, hinc ad ſiniſtram, ſi fortè libera detur abeundi poteſtas; ſed nihilo minus dimoveri à loco miſerandus prævalebat. Quærunt ſupervenientes viatores unus poſt alterum cauſam ſtationis. Ille, vicinis remorantibus, ſocialis itineris propoſitum ſe ſervare fallendi artifex mentiebatur. Jam longè reductis poſt tergum oculis vidit mulierem cum comitatu ſuo advenientem; & incertus, quid ageret, quo ſe verteret, tandem oculis ſuperinducto caputio & facie velata ſolotenus occumbere meditabatur, ut vel ſic tamquam dormiens ex laſſitudine à præteuntibus negligeretur. Sed quid tibi, miſerande, fraus & mille formis aſtutia prodeſſe poterunt? Num tibi dictum aliquando memineras; quia non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum? EX MS.

& culpam ſuam fatèri cogitur.

65 Sic diu miſer eluctatus, cùm nulla arte diſſimulandi ſe incurvare aut declinare valuiſſet (quippe qui tamquàm ſtipes rigidus omnium viſibus patuiſſet) ecce ſupervenit mulier cum ſuo comitatu & mirabatur, quod hominem hærentem & otioſum conſpicerent, & cauſam protinùs percunctari cœperunt; quem cum pallenti vultu, ore tremulo, gelido ab intimis ſudore, hærere in verbis ſingulis ſingultu quatiente adverterent, clamant, non de nihilo eſſe, quod ſic palleret, quod reſponſum niſi tremulis verbis edere nequeat; ſed magni criminis conſcium, pœnis vindicibus obnoxium his teſtimoniis comprobari. Hunc unus ex illis injecta manu apprehendens, ſenſit ſub furtiva chlamyde occultum indumentum, quod jam deſperati quærere deſierant. Videns latro, quod fraudis occultæ reatum celare ultrà non poſſet, erroris veniam poſcit, culpam fatetur, & ſic mulieri, quod ſuum erat, reſtituit: quod mulier reſpiciens, quia Dei munere & virtute ſancti Audoëni familiare damnum ſibi reſtitutum agnovit, latronem pro Dei honore impunitum abire permiſit. E

ANNOTATA.

a *Per Bajocennem intelligo civem Bajocenſem, quem etiam Pommerayus in Hiſtoria abbatiæ* S. Audoëni *lib.* 1 *cap.* 23 *Gallicè* un homme de Bayeux *appellat. Porrò ſitum hujus urbis ſuprà in Annotatis aſſignavimus.*

b *Ex tempore conjicio, hîc ſermonem eſſe de Guilielmo II iſtius nominis Duce Normanniæ, qui ſæpiùs Cadomi commorabatur, & anno* 1087 *obiit.*

c *Hic puncta poſui pro participio* monentibus, *quod totam periodum corrumpebat.*

ALIA MIRACULA

auctore anonymo, F

Ex eodem apographo Rothomagenſi, quod P. Flouetus anno 1644 *ad Majores noſtros miſit.*

Mulier graviter læſa ſtatim ſatisfatur, a

QUidam aliquando præſul Laudunenſis *a* cum ejuſdem loci defenſorem, ortâ inter eos diſcordiâ, debellaret, militaris acies Condaten-ſe oppidum violenter adiit, & prædam ex illo innumeram capit. Ea tempeſtate quidam ex noſtris ſenioribus, vocabulo Henricus, ibidem morabatur; cujus atrociter milites curtem ingreſſi, omnia quæ ibi reperiunt animalia diſtrahunt. Prædictus verò monachus, in quantum poterat, vernaculorum manu eorum improbæ rapacitati obſiſtebat. Tunc unus audacior ceteris ferro, quod tenebat, eum perimere voluit; qui ocyus ad beati Audoëni eccleſiam confugit. Ille dæmonico furore perſuaſus monachum uſque ad oratorium perniciter inſequitur. Cumque eum coram

EX MS. altari vidiſſet, lanceam manu arreptam vehementer contorſit, & cujuſdam mulieris, caſu illic aſſiſtentis, brachium tranſverberavit; ſed monachum ferire non valuit. Illa, gravi accepto vulnere, ſub ipſa ferri avulſione multum quidem ſtillavit cruoris; ſed mirabili virtute beati Confeſſoris nihil exinde pertulit doloris: nam poſt paululum, recedentibus adverſariis, ad textrinum opus, quod paulò ante omiſerat, rediit, & priſtinum ita cœpit officium exercere, acſi nullam læſionem accepiſſet in corpore.

& vidua filium captivum recipit,

2 In eadem villa quædam vidua unicum habebat filium, quem cum in expeditione ab hoſtibus captum & catenis vinctum, fama volitante, comperiſſet, vehementiſſimo cordis dolore faucia, complosis manibus ſparſiſque crinibus, ad beati Audoëni eccleſiam, quæ illic ſita eſt, citiùs accurrit, & quaſi viventi homini illudens, talia improperare cœpit: O ſancte Audoëne, quid egiſti? O ſenex, cur ita obdormiſti? Cur mei uſeri unicum pignus in captivitatem abduci permiſiſti? Redde mihi, obſecro, redde mihi filium meum, meæ ſenectutis baculum, unicum
B vitæ præſentis ſolatium. His & hujuſmodi queſtibus & femineo perſtrepens ululatu, ſcopis & fuſtibus altare cædebat, & totis niſibus beati Pontificis clementiam exorabat. Nec mora, piiſſimus, & ſuper mel & favum omnibus ſe invocantibus in veritate dulciſſimus Confeſſor, doloris miſeræ mulieris miſertus, ejus filium carcerali cuſtodiæ mancipatum à compedibus & boiis, quibus duriſſimè erat conſtrictus, abſolvit, & ſalvum atque incolumem matri reſtituit, quem ſine pretio vel quolibet pacto divina virtute per beatum Audoënum à captivitate redemptum cognoſcens, illico præfatum adiit monaſterium, innumera perſolvens munia gratiarum.

duoque viri Sanctum contumeliâ affi&cientes

3 In Orientali Francia, quæ Lotharingia nuncupatur, eſt fiſcus, quem beatus Audoënus, adhuc in hac luce poſitus, loco contulit, ubi, Deo diſponente, requieſcit, ceſpite ſpatioſus, pratis & paſcuis pecorum opulentus, amœno etiam fonte irriguus, & ejuſdem ſancti Præſulis nomine inſignitus. Hunc quidam ejus loci [tenens] primatum, obliquo livoris zelo ſuccenſus, tyrannico more ſibi vendicabat, & ejuſdem
C terræ accolis violentiam ingerebat. Tunc monachus, qui venerandi abbatis Henrici *b* juſſu eidem loco præerat, tantæ præſumptionis virum adiit; modeſtè requiſivit, cur ita ſuperbè ageret, & rebus ſervorum Dei calumniam inferret; præſertim cùm cunctis, qui majores erant, illic commanentibus abſque ullius quæſtionis ſcrupulo notiſſimum foret, à priſcis temporibus illam poſſeſſionem ſancti Audoëni fuiſſe, ipſum fontem ejus ſemper nuncupatum nomine. Ad hæc ille majoris iracundiæ ſtimulis agitatus, & elationis typo inflatus; Quid ad vos, inquit, ô monachi, pertinet mea poſſeſſio? Per caput hoc juro, & per oculum iſtum, quia non amodò fiſcus vel fontana ſancti Audoëni dicetur, ſed Herluini (ſic enim vocabatur.) Vix verbum ſuperbus edidit, & ecce perjuri oculus, à capite excuſſus, longiùs exſiliit, ſicque confuſus domum rediit, notam ferens perjurii. Hoc jaculo divinæ ultionis [cognito, nec ipſe] nec ulterius quilibet ipſam hereditatem invadere præſumpſit; ſed libera & quieta permanſit.

b

divinitus pununtur.

4 Apud Conſtantinopoleam urbem dum quidam noſtræ gentis homo beati Audoëni miracula, quibus tota refulget Neuſtria, in conſpectu imperatoris *c* & optimatum ejus recitaret, & ejus mellifluum nomen ſæpius iteraret, quidam D ejuſdem terræ indigena, diaboli agitatus invidiâ, temerario cœpit ore garrire, & ita canino dente blaſphemando exprobrare: Hoc, inquit, quod dicis, futile eſt & vacuum, nec alicujus Sancti vocabulum. Cumque his & hujuſmodi verbis beati Pontificis famam laceraret, non diu exſpectatus à judice, illico horrendam pœnam ſubiit vindictæ: nam in conſpectu omnium, qui aderant, terribili judicio Dei omnipotentis, cujus Audoënus amore fruitur ſpeciali, extemplo miſer & infelix medius crepuit, & diſrupta ſunt omnia viſcera contumacis ad terrorem præſentium & cautelam futurorum; ſicque meritò Arrianæ ultionis ſortitur ſententiam, qui illius perfidi in Sanctum Dei non timuit inſectari blaſphemiam.

d Alii diverſo loco d

5 In Apuliæ provincia urbe, quæ Andra *d* dicitur, quidam civium prolixa ægritudine diſ ſolutus, lecto decumbebat, qui omnium penè membrorum vigorem amiſerat, adeo ut nec cibum capere, nec ſe ab altero in alterum latus convertere niſi aliorum manibus & cum linteo ac gravi labore valeret. Hic à Normannis, qui E eamdem patriam proſpero bellorum eventu ſibi ſubactam feliciter incolunt, beati Audoëni miraculorum inſignia non perfunctorio auditu conceperat. Unde quadam die, omnibus, qui ſibi aderant, foras egreſſis, utpote tædio affectis pro tam moroſa decubatione ægroti, memor noſtri patroni paululùm reſpiravit, & ſecum tacitus hujuſmodi precem fudit: O ſancte Audoëne, ſi vera ſunt, quæ de te audivi, obtine mihi à Deo remedium ſanitatis, quatenus ex hoc languore convaleſcens, tuæ glorificationis aulam adire & cæleſti medico gratiam debitam valeam referre.

ac tempore

6 O beati Confeſſoris gloria, & dapſilis erga omnes munificentia! Extemplo enim æger melioratus ſe in latus alterum commutavit, & vernaculis domûs ex more venientibus atque hoc ipſum mirantibus cibum ſibi afferre præcepit, cauſamque ſalutis aperiens, quod melius haberet, indicavit. Denique renovatis artubus, & totius corporis reformatis viribus, priſtinæ incolumitati perfectè reparatur. Inde ſuæ memor ſponſionis, occiduæ regionis iter arripiens, tranſcenſis Alpibus, Normanniæ metropolim Rotho- F magum pervenit, & beati Audoëni eccleſiam adiit, ubi ſolotenus proſtratus, tanto enixius preces fudit, vota gratiarum perſolvit, quanto longioris viæ ſpatium emenſus, ſui deſiderii effectum obtinere promeruit. Qui ab abbate loci & Fratribus caritativè retentus, paululum ibi diuturni itineris laborem relevavit, & ſic cum gaudio ad propria remeavit. Enimverò ſæpius Normannos levitatis & inſolentiæ arguebat, cur ſcilicet proprium ac ſpecialem patronum beatum Audoënum deſerentes, alienam terram incolerent, & à tanti Patris gremio remoti longiùs evagarentur.

in variis morbis

7 In eadem urbe metropoli, in qua ſanctiſſimi pontificis Audoëni corpus requieſcit, erat puella ab exordio ſuæ ætatis curva, & ita penitus contracta membris, ut ab inferiori parte præmortua, ſcabellorum adminiculis per terram reperet, & ſurſum reſpicere aut erigi omnino non valeret. Hæc cujuſdam matronæ, Adeledis nomine, eleemoſynâ alebatur, & unici germani ſolatio utcumque ſuſtentabatur. Cum autem, reſpectu divinæ miſerationis, affuiſſet tempus ejus curationis, imminente die feſtiva, & cuncto occiduæ regionis populo celeberrima, pro beatiſſimi

A simi Audoëni depositione sanctissima, in vigiliis ejusdem solennitatis fidelium turbis se immiscuit, & nisu, quo valuit, ad beati Confessoris limina reptando se protraxit. Ubi verò sacri templi valvas attigit, oscula devotè fixit, glorioso Antistitis nomen flebili voce inclamavit, illico virtutem Dei in se persensit: nam nervorum resolutis nexibus, receptis omni corpore viribus, paulatim se à pavimento surrigens in pedes constitit, ac, omni spectante turba, incolumi gressu ecclesiam intravit, ante aram sanctissimi Confessoris gratiarum munera persolvit, & sic cum gaudio ad propria remeavit. Et quia penè nulli erat incognita civium, ob pristinæ calamitatis eventum, tot hujus sunt testes miraculi, quot ejusdem habitatores urbis.

8 Cujusdam hominis erant tres filii, quorum
ac periculis primus adolescentiæ ævum excesserat; secundus pueritiæ annos implebat; tertius verò in cunis adhuc vagiebat. Accidit autem, ut quadam die pater materque eorum mercimonii causâ longius irent, & duobus liberis minusculi curam injungerent. At verò major natu pro qualibet rei familiaris necessitudine paululùm discessit, & mi-
B nori fratri, ut parvulum servaret, præcepit: qui more puerili ludendi amore cum coævis suis foras exsiliens infantulum domi solum reliquit. Statim verò miserabili eventu porci domûs penetralia irrumpunt, & parvulum suffocantes exstinguunt. Post parvum temporis interstitium ambo germani domum reversi pusillum à suibus cruentatum [suffocatumque] reperiunt, & nimio dolore perculsi graviter ingemiscunt.

opem S. Audoëni experiuntur,

9 Denique parentum consulto ad pœnitentiæ remedia conversi, jussi sunt à presbyteris, ut orationis causâ Romam ad limina beatorum Apostolorum properarent, & tantæ ignaviæ reatum publica satisfactione abolere satagerent. Profecti itaque, in quodam saltu latronum insidias incurrunt, à quibus exspoliati, tanta cæde mactati sunt, ut alter eorum, qui major erat, in brevi vitam finiret; alter verò pugnis & fudibus in capite vehementer tunsus, audiendi pariter & loquendi officium amitteret, qui tandem confecto itinere ad propria regressus, post paucos dies pro suorum recuperatione sensuum, ad beati Audoëni clementiam confugit. Cumque in vicino [loco] aliquot diebus commaneret, quadam nocte glorioſus Præsul, pontificali redimitus infula, ei per visum apparuit, & pastorali baculo, quem manu gestabat, eum tangens; Surge, inquit, & sacram orationis domum ingrediens, ab ædituo templi aquam tibi dari benedictam postula: ex hac enim cum fide bibens, optatam percipies sanitatem. Tunc ille tam præclaro lætificatus oramate *e*, mane ad ecclesiam pergit, accitoque templi custode, signo, quo valuit, medicinalem aquam petiit, & accepit, statimque reseratis auribus, muta diu lingua in laudem prorupit Salvatoris, & ejus glorioſissimi Confessoris.

C

e

f

& per ejusdem reliquias,

10 Tempore Wilielmi inclyti regis *f*, cujus superiùs mentionem fecimus, suprà titulatus abbas cœnobii beati Audoëni Nicolaus, divino fretus solamine, laudabili cultu & opere ecclesiam cœpit construere, tanti Patris condignam honore: ob cujus sumptus ædificationis, aliquos cum sacrarum capsula reliquiarum trans mare studuit destinare, qui hoc fidelium devotioni suggererent, quatenus spontanea voluntate aliqua ad templi fabricam munera offerrent. Legatis itaque, transmisso æquore, Anglorum fines ingressis, non tam ipsorum verbis, quàm evidentibus signorum indiciis, extemplo sanctissimi gloria Confessoris omnibus innotuit: nam in urbe, quæ Anglicè Colcestra *g* dicitur, quidam homo, nomine Lensius, de possessione beati Eadmundi martyris, contractis à nativitate cruribus, pedetentim sacra pignora prosecutus, divina virtute subitò incolumis est effectus; ad cujus novitatem miraculi, velut ad spectaculum, populosæ civitatis confluentibus turbis, quidam puer, Godulphus nomine, à parentibus adductus, per beati Audoëni meritum, solutis linguæ retinaculis, loquendi recepit officium. EX MSS.

g

11 Quædam mulier, Godena nomine, de villa, quæ Colonia *h* vocatur, unius oculi lumine privata, & dextrò pede ab utero clauda, obtentu præclari Antistitis, visûs simul & gressûs commoda adipisci promeruit. *in Angliam translatas,*

h

Altera quoque mulier, Ebdina nomine, quæ interno viscerum cruciatu torquebatur, & assiduo dolore graviter angebatur, ejusdem glorioſi Patroni nostri meritis perfectæ restituta est incolumitati.

Ad urbem Liconiam *i* legatis advenientibus, cum unus ex eis sermone efficacior civibus salutaria proferret, & inter cetera speciatim mirifici Pastoris nostri insignia recitaret, quidam juvenis, ejusdem sedis episcopi, nomine Remigii, cubicularius, septem annorum utrisque adeo debilibus pedibus, ut non nisi duobus innitens baculis & cum labore uspiam progredi valeret, cum fide recta ad eos accessit, & sub locello reliquiarum decubuit; tum vocibus & suspiriis, tum gemitibus amaris beati Antistitis nomen invocabat, & ut suæ incommoditati adesset, importunè exorabat; qui quoniam in petendo perstitit, precis suæ effectum obtinuit: nam in conspectu omnium eâdem horâ incolumis factus, cœpit incedere, & Deum mirabilem in Sanctis suis glorificare. Unde tot linguis, tot vocibus nostri Salvatoris ac dilecti sui Audoëni intonuit præconium, quot ibidem aderat numerus fidelium. *i*

E

12 Quidam etiam dæmoniacus per eumdem piissimum Confessorem ipso die ab hoste maligno est liberatus. *ibidem multi beneficia obtinent.*

Castro, quod Clara *k* dicitur, dum quidam homo omnimodis contractus, qui semper plaustro vehebatur, sacris reliquiis munus offerret, illico erectus est virtute Dei omnipotentis in conspectu totius plebis. *k*

E

Interea cum in quamdam, cujus nomen excidit, villam sacrorum portitores, occumbente jam sole, divertissent, & hospitium in ea requirerent, nec impetrare valerent, quidam vir genere Flandrensis misertus eorum necessitatis ac laboris, eos benignè in domum suam recepit, & largam humanitatem præbuit, quod se postea egisse non pœnituit; sed Dominum Christum pro nobis factum pauperem & interdum hospitem in eis se suscepisse collibuit: nam recedentibus illis, judicio Dei omnipotentis eadem villa divino tota conflagravit incendio. Prope verò Flandritæ domorum habitacula ignis omnino non tetigit, quia famulis beati Audoëni caritativè hospitalitatem exhibuit.

ANNOTATA.

a *Laudunum*, *vulgo* Laon *Gallicè dictum*, *est episcopalis urbs Galliæ sub archiepiscopo Rhemensi in provincia Insulæ Franciæ sita, quæ decem leucis in occasum æstivum ab urbe Rhemensi distat. Si auctor hunc præsulem Laudunensem nominas-*

EX MS. *nominaſſet, tempus hujus miraculi præterpropter indicare potuiſſemus.*

b *Pommerayus in jam ſæpe memorata Hiſtoria abbatiæ lib. 3 cap. 6 aſſerit, abbatem Henricum, ſub cujus regimine iſtud miraculum contigit, poſt vigilem viginti ſex annorum gubernationem anno Chriſti* 1032 *exeunte vel anno* 1033 *ineunte obiiſſe.*

c *Si ſcriptor hunc imperatorem Conſtantinopolitanum nominaſſet, de tempore iſtius miraculi certiores eſſemus.*

d Andra *vel potius* Andria *fuit olim urbs Apuliæ Peucetiæ; nunc verò ſpectat ad regnum Neapolitanum in provincia Bariana, eſtque epiſcopalis ſub archiepiſcopo Tranenſi.*

e Orama *vel* horama *eſt viſio vel apparitio ex voce Græca ὅραμα, ut in Gloſſario Cangiano fuſius licet videre.*

f *Is eſt Guilielmus vel Wilielmus II, Normanniæ Dux & Angliæ rex, ut patet ex ætate Nicolai Normanni abbatis, quam ſuperiùs & in Commentario prævio aſſignavimus.*

g Colceſtria, *vernaculè* Colcheſter, *urbs Angliæ in provincia Eſſexiæ, quæ ſex milliaribus ab ora maris Germanici diſtat.* D

h *Etiam Colceſtria olim dicta fuit* Colonia, *ut Camdenus in ſua Britannia pag.* 325 *exponit his verbis:* An à Colonia huc deducta, vel à Colno flumine nomen ſit factum, Phœbus dixerit; à flumine malim ego, cum viderim oppidula plura illi impoſita COLME dici *&c. An hoc nomine* Colonia *unum ex iſtis oppidulis aſſignetur, Angli dicant.*

i *Opinor, hîc indicari Lincolniam urbem Angliæ, quæ olim* Lindum *dicta fuit, ut apud Camdenum in Britannia pag.* 404 *fuſius legi poteſt.*

k *Forſan hic indicatur locus, quem Baudrandus tomo* 1 *ſuæ Geographiæ pag.* 276 *ſic deſcribit:* Clara, CLARÆ, vicus Angliæ in Suffolcia Comitatu, teſte Camdeno, ad Sturam fluvium, & in ipſo confinio Eſſexiæ Comitatûs cum caſtro diruto.

B E

DE S. GILDARDO PRESBYTERO,

LUPERCIACI IN TERRITORIO NIVERNENSI GALLIÆ,

Sylloge de loco, cultu, ætate, ac mendoſis annuntiationibus.

J. P.

FORTE SECULO VII. *Variæ de Luperciaco vico*

NIvernum, *urbs Galliæ, vulgò Nevers, pluribus deſcripta apud nos fuit tomo* III *Auguſti, die* XVI, *pag.* 295, *occaſione S. Aregii vel Arigii, qui epiſcopali ejuſdem urbis cathedræ præfuit. In territorio autem Nivernenſi locus eſt, qui vulgari lingua in mappa geographica Blaviana iſtius territorii ſeu Ducatûs vocatur* Leurcy le bourg; *ſed à Caſtellano in indice locorum ad Martyrologium univerſale, quod vulgavit, pag.* 1040 *Gallicè ſcribitur* Lurcy, C *Latinè autem* Luperciacum, *ac ibidem diſtinguitur à* Luperiaco, *vulgo* Luré, *quod in tractu Nivernenſi etiam ibi ponitur. Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum*, Hic eſt, locus, *inquit*, in Æduorum finibus, Nivernenſique diœceſi, ab urbe Niverno VI leugis diſtans, Cellâ SS. Gervaſii & Protaſii Cluniaco ſubjectâ inſignis, vicus non obſcurus, muriſque cinctus ex eorum numero, quos BURGOS vocitant, LEURCY LE BOURG noſtris dictus. LUPERCIACUM autem à Luperco vel Lupercio nomen accepit. Ex LUPERCIACO LOPERCIACUM factum: ex LOPERCIACO, ſublatis duabus litteris, LORCIACUM: ex Lorciaco LEURCY o in eu converſo; *ſicut allato exemplo alio id factum oſtendit Valeſius, & mox ita pergit:*

dantur notitiæ:

2 Paſchalis PP. in litteris anno MCIX datis, & Ludovicus rex Francorum in litteris anno MCXIX ſcriptis LUPERCIACUM nuncupant, & cellis aut PRIORATIBUS ad Cluniacum pertinentibus illud adnumerant. Honorius PP. in litteris anni MCXXV, ante annos fere DL vulgari nomine jam tum uſitato LEURCI appellat. Fuit olim & prope Pariſios vicus, LUPERCIANÆ Latinis ſcriptoribus dictus: *de quo nonnulla addit laudatus ſuprà geographus. Verùm hæc abunde ſufficiunt ad notitiam loci, in quo noſter Sanctus annuntiatur à nobis poſt Martyrologium novum Pariſienſe, de quo ſtatim redibit ſermo. Porrò* S. Gildardum *meritò accenſeri à nobis catalogo hodierno aliorum Sanctorum, plenum fiet ex iis, quæ de publica ipſius veneratione ſubnectimus.*

publicus Sancti cultus

3 *Inter Auctaria ad Uſuardi Martyrologium à Sollerio noſtro editum varii hoc die memorantur Faſti ſacri, in quibus hic Sanctus annuntiatur unà cum S. Patricio abbate, ac ſeorſim, de quo etiam agitur hodierno die. Ex codice Centulenſi hæc recitantur in laudatis Auctariis:* In F territorio Nivernenſi, ſanctorum Patricii abbatis, & Gildardi presbyteri confeſſorum. *Ex codice Victorino & Reginæ Sueciæ* num. 130, *ut ibidem ſignatur:* In Galliis civitate Nivernis, ſancti Gildardi presbyteri & confeſſoris. *Ex codice Remenſi SS. Timothei & Apollinaris:* In territorio Nivernenſi, ſanctorum confeſſorum Patricii abbatis & Gildardi presbyteri. *Ex Greveno:* Gildardi, aliàs Gildeldi, presbyteri & confeſſoris. *Ambo item Sancti iſti exſtant in Auctariis, quæ dicebam, ex cod. Reginæ Sueciæ* num. 428, *& in editione Lubeco-Colonienſi; ſed in hac eſt* Geldeldi: *quos etiam refert Florarium noſtrum Ms., ubi tamen pro* Gildardi *ſcribitur* Geldardi. *His adde Martyrologium Pariſienſe, anno* 1727 *editum, in quo inter addenda & emendanda pag.* XII, *ubi poſt annuntiationem,* Nivernis, ſancti Patricii abbatis *&c., quæ erat data in iſto Martyrologio ad diem* XXIV *Auguſti, addenda præſcribitur iſta:* Item in territorio ejuſdem civitatis, caſtro Luperciaco, ſancti Gildardi presbyteri, cujus nomine extitit intra diœceſim abbatia tempore Caroli Craſſi imperatoris.

ſtabilitur,

4 *Apud Labbeum in Hagiologio Franco-Galliæ,*

A *liæ, quod* excerptum *notatur* ex antiquo Martyrologio abbatiæ S. Laurentii Biturícenſis, *tomo 2 Novæ bibliothecæ manuſcriptorum librorum pag.* 702 *etiam laudatur, ſed luxato nomine:* In Galliis civitate Nivernis ſancti Gildradi presbyteri & confeſſoris. *D. le Beuf, Canonicus & ſuccentor eccleſiæ Autiſſiodorenſis, in litteris huc datis anno* 1715, Sui, *inquit*, nominis habet eccleſiam juxta civitatem Nivernenſem: quam * Gildam Caſtellanus in nota ad S. Gildarium * Reunviſienſem xxix Januarii (*qui ſimul cum Februario editus eſt anno* 1705, *pag.* 453) malè exiſtimat à dicto ſancto abbate ſic vocitatam: membrum enim eſt abbatiæ S. Laurentii Albatorum noſtræ diœceſis, ut liquet ex conceſſione, quam indicat Mabillonius tomo 5 Annal. ad annum MXCVII, pag. 387. Et reipſa in Kalendario præcitati Ritualis ejuſdem Canoniæ ad XXIV Auguſti legitur: Barthol. Apli duplex. Gildardi conf. memoria. *Mentio autem antea erat facta in dictis litteris de* Kalendario Ritualis S. Laurentii ſcripto, *uti additur*, anno MCCLXXXVI.

5 *Atque hæc quidem ſunt, quæ de* S. Gildardo *colligere nobis licuit. De rebus ejus geſtis nihil hactenus habemus compertum. Miramur autem, eum Caſtellano, tam ſagaci alioqui Sanctorum indagatori, ne nomine quidem tenus cognitum fuiſſe, quantùm licuit colligere ex indice Sanctorum, ejuſdemque ſupplemento ad Martyrologium univerſale; ubi nihil invenimus. Nec exploratum ex antiquis documentis eſt nobis ætas, quâ Sanctus floruit. Martyrologium Pariſienſe ſuprà citatum ſeculo ſeptimo ipſum innectit in notula marginali; ſed quo auctore, quo teſte? Cùm tamen credi poſſit confectoribus ejuſdem Martyrologii præluxiſſe indicium aliquod iſti tempori fingendo accommodatum; nos etiam ſuperiùs ſeculum ſeptimum poſuimus cum adverbio* forte, *quia nihil aliunde de eo determinatè ſcimus.* *Ignota Sancti geſta; ætas.*

B

6 *Poſtquam hæc ſcripſeramus, nonnulla nobis aliâ occaſione ſe obtulerunt, quæ corollarii loco adjungi poſſint annuntiationibus* S. Gildardi *ſuprà recitatis è Faſtis ſacris. Florentinius in notis hac die*, Gallicus, *ait*, antiquarius, & forte Fontanellenſis, in fronte authographi, unde codices noſtri emanarunt, S. Audemi, vel potiùs Audoëni memoriam appoſuit, quam Martyrologium Corbeienſe ad calcem, tamquam quid additum repoſuit: „ IX Kal. Sept.. Neverno civita„ te depoſitio Patricii abbatis. In Rothomago ci„ vitate depoſitio ſancti Audoëni epiſcopi & con„ feſſoris. In territorio ejuſdem, vico Luper„ ciaco depoſitio ſancti Gyldardi; presbyteri & „ confeſſoris. In territorio ipſius civitatis, de„ poſitio ſancti Eptati, presbyteri & confeſſo„ ris. *Ubi vides, quia ex mendoſa additione vel tranſpoſitione, quâ S. Patricius Nivernenſis per* E *S. Audoëni annuntiationem interpoſitam ſeparatur à* S. Gildardo, *hunc falsò ſignari* in territorio ejuſdem, *quod perperam ibi referri debet ad* Rothomagum civitatem, *quia proximè præcedit; eóque etiam* S. Eptatus, *ut ibi vocatur, ſpectabit, qui videtur eſſe Eptadius confeſſor, de quo agitur hac die, & alibi à nobis annuntiatur. De mendoſis aliorum exemplarium annuntiationibus* S. Gildardi, *vide in hodiernis apud nos ſanctis Zenobio, Capitulino &c.* *Corollarium ad ſuperiores Sancti annuntiationes.*

DE S. GEORGIO LIMNIOTA MART.

IN TRACTU MONTIS OLYMPI,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. P.

Cultus, cruciatus, ætas, Acta.

C F

ANNO CIRCITER DCCXXX. *Memoria ejus in Faſtis Græcis*

Virum hunc, diuturna vitæ aſceticæ exercitatione, annoſa ſenectute, & intrepida ſacrarum imaginum defenſione memorabilem, quâ ſe Leoni Iſauro imperatori, impiiſſimo earum impugnatori, tamquam murum oppoſuit pro domo Dei, & pro gloria Sanctorum, laudant varii Faſti Græci, quibus nomen ejus inſcribitur cum elogio. Menæa magna typis edita ſic eum referunt: Memoria ſancti patris noſtri & confeſſoris Georgii Limniotæ. *Menologium Sirleti:* Commemoratio ſancti patris noſtri Georgii Limniotæ. *Alibi titulo martyris honoratur: nam in noſtro Supplemento Ms. Sirmondo-Chiffletiano ad Menæa excuſa legitur hæc de illo annuntiatio:* Ἀθλησις ϛ ἁγ. ὁσιομάρτυρος Γεωργίου ϛ Λιμνιώτου. *Id eſt:* Certamen ſancti ſacro-martyris Georgii Limniotæ. *Titulus idem Viri præmittitur elogio ſeu compendio Actorum, quod infrà exhibebitur è Ms. noſtro, quodque deſumptum eſt è codice bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis:* Τοῦ ἁγίου ὁσιομάρτυρος Γεωργίου ϛ Λιμνιώτου. *Et verò ſupplicia pro Sanctorum cultu ipſi inflicta, & mors deinde ſubſecuta, etiamſi non dicatur, an alio violento modo ipſi ſit illata, id tamen effecerunt, ut nec ipſe martyrio, nec ipſi martyrium defuerit.*

2 *Cùm autem elogia ſint ſimilis argumenti, ea huc non tranſcribam; ſed ſufficiet unum è pluribus, quod modò indicabam. More tamen noſtro duos profero verſiculos è laudatis Menæis, quos è Græco ſic interpretor Latinè:* *notatur, & laudatur:*

Κοινῷ τελευτῶν Γεώργιος τῷ τέλει,
Σημεῖον ἄθλου ῥῖνα τμηθεῖσαν φέρει.
Georgius dum morte communi occubat,
Nares reſectas ſigna fert certaminis.

Quòd verò publica S. Georgii *veneratio apud Arabes & Ægyptios propagata fuerit, liquet è Martyrologio Arabico-Ægyptio, quod ex Arabico tranſtulit Gratia Simonius Maronita; qui anno* 1682 *erat archiepiſcopus Tripolitanus in Syria, ut indicatur in apographo noſtro: in quo hac etiam die ponitur* Certamen S. Martyris Georgii, *hodierni noſtri ſine dubio, etiamſi cognomentum* Limniotæ *non addatur: quod, ut ſuſpicari licet, à lacu originem traxerit; eique impoſitum fuerit, quia in tractu montis Olympi, ubi aſceticam duxit vitam, habitaverit prope lacum; unde ei nomen* Λιμνιώτης *adhæſerit.*

3 *Celebre hujus Sancti nomen apud Græcos,*

AUCTORE J. P.

annuâ etiam memoriâ honoratur à Latinis. Nam in Martyrologio Romano annuntiatur in hunc modum: Item ſancti Georgii Limniotæ monachi, qui cùm impium Leonem imperatorem reprehendiſſet, quòd ſacras imagines frangeret, Sanctorumque reliquias combureret, ejus juſſu manibus abſciſſis, & capite incenſo, martyr migravit ad Dominum. *Pro* manibus *legendum* naribus, *ex fide Græcorum exemplarium: nam infrà in compendio martyrii dicitur* ῥινοτμηθεὶς; *in Menæis, ac ſupplemento ad ea, nuper deſignato,* ἢ ῥῖνα τμηθεὶς; *in Menologio Sirleti, quo uſus eſt Baronius*, naribus. *Lambecius lib.* 8 *Commentariorum de Auguſtiſſima bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi pag.* 213 *in textu, quem recitat, Martyrologii Romani, legit* naribus abſciſſis, *& hanc in margine addit notam:* In mendoſiſſima editione Pariſina A. MDCXLV in folio, pro NARIBUS perperam legitur MANIBUS. *Qua in editione Martyrologii Romani Lambecius legerit* naribus *pro* manibus, *ignoro. Certè in variis ejuſdem editionibus Plantinianis, conſtanter ſcribitur* manibus; *quod mendum ad noſtra quoque tempora ibidem perſeveravit, uti patet ex editione anni* 1701, *in qua etiam occurrit; irrepſeratque jam pridem in Annales eccleſiaſticos Baronii, anno* 1601 *formis Plantinianis excuſos, ad annum Chriſti* 735. *His ſuperaddamus nonnullas alias obſervationes.*

cultus in Martyrologio Romano; cujus annuntiatio non rectè refert Sancti ſupplicium:

B

4 *Earum prima ſit de tempore, quo* S. Georgius *è monaſtica ſolitudine in arenam prodiit, ut adverſus Leonem Iſaurum iconomachum dimicaret. Rem geſtam intexit anno jam dicto* 735

tempus

idem Eminentiſſimus auctor, quam narrat è Menologio Græcorum ad diem XXIV *Auguſti. Sed nec in iſto Menologio, nec in Menæis magnis, nec in elogio Vindobonenſi annum ullum reperio. Caſtellanus ad annuntiationem ſuam Gallicam Martyrologii Romani ſignat lato modo ſeculum octavum. Maimburgius autem Hiſtoriæ Iconoclaſtarum tom.* 1, *lib.* 2, *ſancti Pugilis noſtri certamen deſcribit ad annum* 736; *ubi idem etiam hiſtoricus, ut hoc obiter notem, in eumdem lapſus eſt errorem, quem numero proximè antegreſſo corrigebam. Anno* 726 *impius Leo Iſaurus ſacris imaginibus bellum indixit, ac proinde S.* Georgius *ante hunc annum eidem hæreſiarchæ ſe non oppoſuit. Cùm verò me lateat, quo fundamento certamen pro imaginibus ab eodem ſancto Martyre ſuſceptum illigetur anno* 735, *vel proximè ſequenti, ut modò dixi, viſum mihi eſt inire mediam quaſi viam, ſignando rem accidiſſe anno circiter Chriſti* 730, *ut ſuperiùs eſt factum.*

D

& Acta.

5 *Obſervatio ſecunda ſit de Actis. Parva admodùm ea ſunt: an verò majora olim exſtiterint, & alicubi adhuc lateant, non habeo compertum. Vir ſanè tam præclarus merebatur diffuſiora. Eorum auctor eſt ſynchronus, ſecundùm Annotata lit.* b. *Præter hæc paucula, non occurrunt alia plura, de quibus lectorem præmoneam. Reliquum igitur eſt, ut illa ſubjungam è noſtro ecgrapho, quod è Vindobonenſi Cæſareæ bibliothecæ codice, cujus alias ſæpiùs hoc menſe memini, tranſcriptum eſt, & à me Latinè redditum: quibus adduntur paucula etiam notationes.*

E

A C T A

Auctore anonymo ſynchrono,

è codice bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, interprete J. P.

a C b

SAnctus hic Georgius ab antiquis temporibus vitæ aſceticæ palæſtram in Olympicis montibus *a* fixit, multiſque certaminibus ac ſudoribus aſceticis ſpectabilis, alterum Antonium noſtris temporibus *b* ſe comprobavit. Leone autem Iſauro evertere eccleſias, imagineſque & reliquias Sanctorum igne comburere incipiente; Vir hic loquendi libertate uſus eſt, & impietatem ac prævaricationem iſtius hominis exitialis redarguens, veritatemque manifeſtè prædicans, multimodas ſuſtinuit injurias, dum in devexiſſima eſſet ſenectute annorum, ut fertur, nonaginta quinque. Dumque nares ei eſſent amputatæ, atque ambuſtum caput *c*, aliaque multa pertuliſſet, orans Deo animam tradidit. Ipſius interceſſionibus, Domine, omnes nos ſalva. Amen.

c

Οὗτος ὁ ὅσιος Γεώργιος, ὑπῆρχεν ἐν παλαιῶν τῶν χρόνων ἡ ἀσκητικὴ παλαίστρα ἐν τοῖς ὀλυμπίοις ὄρεσι πηξάμενος· καὶ πολλοὺς ἀγῶνας καὶ ἱδρῶτας ἀσκητικοὺς ἐνδειξάμενος, ἄλλος Ἀντώνιος ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις ἀναδειχθείς. Ἐπὶ ὃν Λέοντος τοῦ Ἰσαύρου ἀρξαμένου τὰς ἐκκλησίας καταστρέφειν, καὶ τὰς εἰκόνας, καὶ τὰ λείψανα τῶν Ἁγίων πυρὶ καίειν, ἕως παῤῥησιασάμενος καὶ ἐλέγξας τὴν ἀσέβειαν καὶ παρανομίαν τοῦ ἀλάστορος, καὶ τὴν ἀλήθειαν ἀριδήλως ἀνακηρύξας, πολυτρόπως αἰκίας ὑπέμεινεν, ἐν Βαθυτάτῃ πολιᾷ ὑπάρχων, ὡς λόγος, ἐτῶν ἐννενηκονταπέντε. Καὶ ῥινοκοπηθεὶς, καὶ τὴν κάρηνον καταφλεχθεὶς, καὶ πλεῖσα ἕτερα παθὼν, δι' ὁμολογίαν τῷ Θεῷ τὸν ψυχὸν παρεδέδωκε· ταῖς πρεσβείαις αὐτοῦ, κύριε, σῶσον πάντας ἡμᾶς. Ἀμήν.

F

ANNOTATA.

a *Ortelius in Theſauro geographico agit de montibus ſynonymis duodecim: quiſnam verò hîc ſit intelligendus, non eſt unde vel divinare poſſim. In tractu autem Olympi montis ſuperiùs annuntiavi Sanctum, quia ibi diutiſſimè habitavit, nec ſcio, ubinam paſſus ſit.*

b *Hìc indicat auctor, ſynchronum ſe fuiſſe.*

c *Baronius ſupplicium illud ſic exponit ad annum* 735, *ut in Sancto noſtro peractum fuerit eodem modo, quo in ſanctis martyribus Hippatio vel Hypatio epiſcopo, & Andrea presbytero, ſub eodem Leone Iſauro, & pro eadem cauſa paſſis, quos die* 29 *Auguſti inſcripſit Martyrologio Romano; præcipiente utique tyranno,* capitis *eorum* cutem extrahi, deſuperque pictas tabellas congeſtas accendi, *ſicut è Menologio Græcorum refert.*

DE

A D

DE BEATO THEODERICO

PRIMO ISTIUS NOMINIS ABBATE ANDAGINENSI,

IN ARDVENNA SILVA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. G. C.

§ I. Situs monaſterii, cui Beatus præfuit, antiquus hujus Abbatis cultus, & coævus Actorum ſcriptor.

ANNO MLXXXVII. *Hic Beatus in monaſterio S. Huberti*

B *Adhuc hodiedum floret in Belgio monaſterium Benedictinum, quod nunc communiter nomine ſancti Huberti appellatur ob celeberrimas hujus ſancti Præſulis reliquias ab aliquot ſeculis eo tranſlatas, ad quarum venerationem præcipuè confluunt illi, qui rabioſorum canum morſu contacti ſunt, & ubi paſſim mirabili modo priſtinam ſanitatem recuperant. Eruditiſſimus Mabillonius inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini ſec. 4 part. 1 pag. 293 in obſervationibus præviis ad Hiſtoriam tranſlationis ſancti Huberti num. 3 ſitum & originem hujus monaſterii ſic deſcribit:* Andaginenſe ſeu Andainenſe monaſterium, à præterlabente amne ſic dictum, poſtea ſancti Hucberti, in ſaltu Arduennenſi & Leodicenſi diœceſi ſitum eſt. Monaſterii auctor & abbas primus fuit ſanctus Beregiſus, in ſancti Trudonis cœnobio educatus, qui in loco Andagino Canonicos rexiſſe perhibetur. Id factum eo tempore, quo Pippinus Heriſtallenſis domum regiam moderabatur. Dein rebus in pejus abeuntibus, ad paucos Clericos redactum eſt iſtud collegium, dum Walcandus Leodicenſis epiſcopus collabentia inſtauravit ædificia, quæ monachis Ordinis noſtri attribuit. Poſtea ad augendam loci religionem, ſancti Hucberti corpus eò transferri juſſit; quo ex tempore iſtic monaſtica diſciplina hactenus perſeveravit. Locum rexit ſeculo undecimo ſanctus Theodericus abbas, de quo agendum ſuo loco. *Jam diſcutiendum eſt, an abbas ille* Theodericus *mereatur titulum* ſancti, *qui hîc ei tribuitur.*

C

publicum cultum olim habuit,

2 *Laudatus Mabillonius ſuo loco inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini ſec. 6 part. 2 pag. 557 & ſequentibus de Abbate illo Andaginenſi egit, ut ſuprà promiſerat, ibique in obſervationibus præviis num. 3 immemorabilem ipſius cultum probare nititur his verbis:* Theodericum FELICIS MEMORIÆ abbatem appellat anonymus auctor, qui ſcripſit miracula ſancti Huberti, ubi narrat aliquot miracula, quæ ejuſdem Abbatis tempore, quo quidem ille vixit, contigerunt. Ceterùm licet nondum auctoritate Pontificia Theoderici nomen inter Cælites relatum ſit, nulloque Officio publico colatur, ſemper tamen ſumma veneratione ejus memoria, potiſſimùm apud Hubertinos monachos, habita fuit; imò & ſacrum ejus corpus è terra levatum in medio eccleſiæ choro locatum, fidelium venerationi expoſitum uſque ad patrum noſtrorum ætatem permanſit.... Verùm ſacrum illud corpus, quod tam diu honorificè ſervatum fuerat, Calviniani hæretici in favillas redegerunt, mœrentibus de tanti theſauri amiſſione monachis, qui hodieque ſub regula Benedictina ſtrictioris obſervantiæ in hoc ſacro loco perſeverant.

ut ex veteri ſcriptore eruitur, E

3 *Mabillonius ibidem hanc ſacri corporis elevationem & publicam ejuſdem expoſitionem eruit ex Geſtis abbatum Lobienſium, inter quæ vetuſtus Fulcuini continuator in Spicilegio Dacheriano tomo 6 pag. 907 de hodierno* Theoderico *noſtro tradit ſequentia:* Sub his diebus de noſtro cœnobio Theodoricus, vir magnæ poſtmodum auctoritatis futurus, apud beati Huberti monaſterium in abbatem electus eſt: de quo ſiquidem hodie ejuſdem monaſterii Fratres teſtantur, quod nullus anteceſſorum ejus in innovandis ſive decorandis & multiplicandis monaſticis rebus tantæ utilitatis ſigna reliquerit; & quod ad majoris laudis pertinet cumulum, tantæ ſanctitatis in carne degens fuiſſe probatur, ut in magna ſpe futuræ gloriæ defuncti corpus etiam magnæ venerationis ſuis habeatur, ſicut libellus Vitæ ejus demonſtrat. Sic & nobis, dum erga matricem eccleſiam memoriam ſui habere ſollicitus eſt, pallium, quod hodie inter optima eccleſiæ ornamenta habetur, largitus eſt. *Hæc ſaltem antiquum* B. Theoderici *cultum aliquo modo indicant.*

& ex communi recentiorum conſenſu, F

4 *Quinimo Rayſſius in Hierogazophylacio Belgico teſtatur, adhuc aliquod priſtinæ veneration is veſtigium ſupereſſe, dum ibi pag. 50 poſt alias ſacras reliquias, quæ in monaſterio Andaginenſi conſervantur, recenſet* corpus beati Theodorici abbatis hujus cœnobii, qui vivus & defunctus multis claruit ſignis & virtutibus, *& huic elogio ſubjungit ſequentia:* Ejus corpus humo levatum, Hugoniſtarum (*id eſt Calviniſtarum, quos in Gallia vulgò* Huguenottos *appellant*) immanitate redactum eſt in cineres & favillas, quæ tamen piè & religiosè in ſummo altari reſervantur. *Hæc ipſa religioſa cinerum conſervatio adhuc aliquod perſeverans priſtinæ venerationis indicium præbet. Etiam Fiſenus noſter aſſerit, impio Calviniſtarum furore aut incendio nondum exſtinctam eſſe piam hujus venerabilis Abbatis memoriam, dum in Floribus eccleſiæ Leodienſis pag. 386 poſt contracta* B. Theoderici *Acta ſic ſcribit:* Quem multa virtutis dignitate viventem Deus ornarat, innumeris mortuum celebravit prodigiis. Patrum tamen noſtrorum memoriâ, auſa eſt hæreticorum è Francia erumpentium impietas corpus miraculis nobile redigere in cineres & favillas. Sed impiis flammis viriditatem decuſque ſuum numquam amittet virtutis laurea.

5 *Imò hæc ipſa Calviniſtarum rabies nobis ſubmi-*

AUCTORE G. C.

ipſoque furore Calviniſtarum,

ſubminiſtrat argumentum, quo immemorabilem hujus beati Abbatis cultum probemus: nam ſacrilegi iſti hagiomachi corpus ejus combuſſerunt, eo quod ſcirent, illud à Catholicis tamquam ſacras reliquias honorari, quemadmodum Caſtellanus in Martyrologio ſuo univerſali ad hanc diem affirmat. Hinc etiam Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii hac die eumdem Abbatem titulo beati *exornat, & de legitimo ipſius cultu ſic affirmatè pronuntiat:* Nec dubitatur, quin numero Sanctorum ſit aggregatus, tametſi ab Eccleſia in eorum catalogum non ſit relatus. Corpus miraculis glorioſum, ex humo levatum, & in medium eccleſiæ fuit tranſlatum; Hugoniſtarum autem immanitate in cineres & favillas eſt redactum. *Quomodo furentes hæretici inveniſſent ſacrum* B. Theoderici *corpus, niſi hoc antea ſolenniter è terra elevatum & publicæ fidelium veneration̄i expoſitum fuiſſet?*

qui ſacras ejus reliquias combuſſerunt; B

6 *Hæc antiqua ſacri corporis elevatio & publica fidelium veneratio majorem certitudinem accipiunt ex teſtimonio R. D. Romualdi Hancart Prioris Hubertini, qui poſt alia Majoribus noſtris circa hunc Beatum ſuppeditata ſic ſcribit:* Hæc de vita & geſtis beati Theoderici abbatis Andaginenſis, qui non ſolùm in hac vita degens, ſed etiam poſtquam ad feliciorem migravit, miraculorum coruſco ſplendore ſui teſtatus eſt patrocinii apud Deum mortalibus efficaciam; relatione ſiquidem veraci quorumdam ætate grandium hujus cœnobii Religioſorum, quorum nonnulli adhuc ſuperſtites ſunt, didicimus, ejus ſepulcrum in navi baſilicæ ſupradicti monaſterii erectum, ab iis præſertim viſitari ſolitum fuiſſe, qui gravi dentium agitati dolore, medelam beati Theoderici meritis obtentu facilem implorabant. Sed anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octavo è Franciæ finibus (veriùs è barathri ſpeluncis) prodiere Huguenottorum phalanges in Belgarum rebellium ſubſidium, quæ ductore Janlio memorati Sancti ſepulcrum cum ipſa baſilica incendio concremarunt, quamvis non inulto ſcelere: nam ipſe fatalis incendiarius Franciſcus Hanguet, Janlii frater, paucis abinde diebus apud Helvetios agens, cum in diverſorii ſtabulum, equos in rabiem actos ac ſe invicem dentibus laniantes, pacificaturus intraſſet, ab eis

C ipſe morſibus calcibuſque diſcerptus, pœnas Sanctis debitas exſolvit. Hujus rei eventum retulit ex famulis dicti Franciſci unus, qui fuerat vindictæ ſpectator, cum huc contra rabiei periculum ſacrâ ſtolâ muniendus adventaſſet, & qui ab illo audivit tum temporis ejuſdem ſtolæ miraculoſæ cuſtos, adhuc in vivis eſt. *Videtur hæc R. D. Romualdus anno* 1634 *ad Bollandum noſtrum ſcripſiſſe, aut poſtea ex libello in membrana ſcripto excerpſiſſe, ut in margine notatur.*

ac duobus antiquis Martyrologiis,

7 *Quamvis hæc omnia ſimul ſumpta ſatis probare videantur immemorabilem* B. Theoderici *cultum, tamen hunc ulteriùs confirmamus ex duobus Martyrologiis, quæ centum annis ante famoſum Urbanii VIII Pontificis decretum conſcripta ſunt. Imprimis auctaria noſtra Uſuardina ex Matricula Cartuſiæ Ultrajectinæ memoriam* Theodorici abbatis, admirandæ ſanctitatis viri *hac die celebrant. Hæc autem Matricula videtur ſeculo* XIV *collecta, quandoquidem primus illius ſcriptor meminit* Brigittæ ſanctimonialis, à qua habent ortum illius Ordinis obſervatrices, *inquit*, quæ modernis temporibus in diœceſi Trajectenſi oriri cœperunt, *ut Sollerius noſter in Præfatione ad Uſuardum ſuum illuſtratum pag.* LXII *obſervavit. Ceterùm ex ultima* D *Martyrologi illius clauſula conjecturamus, eum ſcripſiſſe ſeculo* XIV, *quo Ordo Brigittæ oriri cœpit, adeoque illam Matriculam Ultrajectinam decreto Urbani VIII facilè ducentis annis ſeniorem eſſe.*

in quibus nomen ejus annuntiatur.

8 *Florarium noſtrum Ms., quod aliàs ſæpe citavimus, hac die* XXIV *Auguſti eumdem beatum Abbatem annuntiat his verbis:* In confinio Brabantiæ ac Lotharingiæ monaſterio Lobienſi (*non obiit Beatus in monaſterio Lobienſi, ſed ex eo ad dignitatem abbatialem S. Huberti tranſlatus eſt*) depoſitio beati Theodorici abbatis. Hic tantæ parſimoniæ fuit, ut per quinquaginta annos numquam niſi ſemel in die cibum ſumeret. Denique tantam gratiam ob id à Domino conſecutus eſt, ut etiam dæmonibus imperaret. *Florarium iſtud anno Chriſti* 1486 *ſcriptum eſt, ut Papebrochius noſter in Tractatu præliminari ad tomum tertium Maii pag.* X *demonſtrat. Hinc ſequitur, Abbatem noſtrum titulo* beati *donatum fuiſſe centum & pluribus annis ante notiſſimum Urbani VIII decretum, quod anno Chriſti* 1625 *editum, ac deinde anno* 1634 *clariùs explicatum* E *fuit. His adde veterem Vitæ ſcriptorem, qui* de ſancto homine *ſe vera narrare profitetur, & cujus ætatem fidemque nunc indagare conabimur.*

Vitam ejus ſcripſit auctor coævus,

9 *Primò conſtat, biographum* B. Theoderico *coævum fuiſſe, cum poſt narratum miraculum, quod beatus Abbas Rhemis pàtraverat, auctor Vitæ inferiùs edendæ num.* 52 *ſcribat ſequentia:* Actum hoc anno ab Incarnatione Domini MLXXVI, atque communi decreto litteris & Annalibus traditum in urbe Remenſi, totque habet teſtes, quot ex his, qui in ea urbe tunc erant, adhuc ſuperſunt homines. *Ex hac phraſi liquet, adhuc plures oculatos hujus miraculi teſtes Rhemis ſuperfuiſſe, quando biographus hanc lucubrationem ſuam exarabat. Præterea num.* 64 *ſignificat, ſeſe huic beato Viro morienti adſtitiſſe, & diſtinctè narrans pia iſtius Abbatis jam moribundi geſta, fidem narrationis ſuæ confirmat his verbis:* Teſtor Chriſtum, & qui aderant, me nihil commenti fingere, ſed quod videre & audire mihi contigit in veritate, de ſancto Homine vera dicere.

de cujus profeſſione

10 *Etiamſi memoratus Vitæ ſcriptor tunc in monaſterio Andaginenſi præſens fuerit, quando* B. Theodericus *ad Superos migravit, tamen inde non ſequitur, illum ejuſdem monaſterii alumnum vel incolam fuiſſe. Quinimò fere contrarium eruitur ex ſequentibus prologi verbis, quibus Lambertum monachum Andaginenſem ſive Hubertinum ſic alloquitur:* Horum ego quoque, mi Lamberte, ſequens & longe adorans veſtigia, aggreſſus ſum, te adhortante, venerabilis ſenis Theoderici abbatis VESTRI Vitam ſcribere. *Veroſimiliter hunc beatum Abbatem biographus appellaſſet* noſtrum, *ſi in monaſterio ejus habitaſſet. Attamen in epilogo ad eumdem Lambertum laudatus Actorum ſcriptor ita ſermonem dirigit:* Sed ego, mi Lamberte, hunc tibi libellum de VESTRO immò & NOSTRO patre Theoderico, parciore quàm propoſueram ſtilo, exaravi. *Mabillonius ex iſtis epilogi verbis ita ratiocinatur:* Innuit, ſe in aliquo loco vixiſſe, cui præfuerit Theodericus; aut certè, quod veriſimilius eſt, Theodericum ex eo loco prodiiſſe, ubi degebat ille auctor; quod fortaſſe de Lobienſi monaſterio intelligendum eſt, ubi Theodericus monaſticam profeſſionem emiſit. *Licèt hæc Mabillonii conjectura non ſit improbabilis, tamen illam incertam*

A *certam ac dubiam reddit aliqua Benedictini ſcriptoris aſſertio, quam nunc referemus.*

& nomine nihil certi aſſerere audemus,

11 *Gabriel Bucelinus in Germania topo-chrono-ſtemmato graphica, quam Ulmæ anno 1662 imprimi curavit, part. 2 pag. 194 agit de Leodienſi ſancti Jacobi monaſterio, & poſt enumeratos illius abbates meminit de eruditis ejuſdem ſcriptoribus, inter quos ad rem noſtram pag. 196 recenſetur unus his paucis verbis :* Heribrandus, dein abbas ſancti Laurentii, ſcripſit Vitam ſancti Theodorici abbatis Hubertini. *Utinam Bucelinus antiquum hujus novæ notitiæ fontem aſſignaſſet! Unde Mabillonius in obſervationibus prævиis ad illam* B. Theoderici *Vitam dubius hæret, & priorem ſuam conjecturam de monacho Lobienſi relinquere videtur, ibidem ita diſſerens :* Dum hæc ſcriberemus, occurrit nobis Germaniam ſacram Bucelini evolventibus catalogus virorum eruditione celebrium, qui in monaſterio ſancti Jacobi Leodienſis claruerunt, in quo inter alios recenſetur Heribrandus, poſtmodum ſancti Laurentii Leodii abbas, qui ſcripſit Vitam ſancti Theodorici abbatis Hubertini.

B

& quem proinde a nonnymum ſynchronum

12 Hæc Bucelinus ibi, qui aliis in locis eumdem Heribrandum laudat, nulla facta Vitæ hujus ab eo ſcriptæ mentione. Nec ejus Vitæ meminit Fiſenus in Floribus Leodienſibus, ubi Heribrandum inter abbates ſancti Laurentii recenſet; immò nec in ejus vitæ epitome, quam habet die VI Junii. Quis tamen dixerit, Bucelinum hæc gratis excogitaſſe? Ceterùm auctor Vitæ illius, quiſquis hic demum fuerit, vivebat haud procul à monaſterio ſancti Huberti, non diu poſt beati Theoderici obitum; quæ optimè Heribrando congruunt, qui ad annum MLXXXII ſancti Laurentii monaſterio apud Leodium præfuit. *Ex his eruditus lector videt, nos in ancipiti bivio collocari, & circa verum hujus Vitæ ſcriptorem nihil certi determinare poſſe. Quapropter exemplo Mabillonii biographum* beati Theoderici *nominabimus anonymum coævum, donec quiſpiam opinionem Bucelini fide digno teſtimonio confirmaverit.*

cum Mabillonio & aliis appellabimus.

C

13 *Porrò Mabillonius in iiſdem Obſervationibus prævиis aſſerit, ſeſe in tribus codicibus inveniſſe mutilam & imperfectam* B. Theoderici *Vitam, & in editione ſua id, quod alterutri codici deerat, ex tertio ſuppleviſſe. Sed ibi non indicat, ex quo monaſterio ſinguli codices iſti prodierint, aut ubi conſerventur, quod aliàs vir accuratiſſimus monere conſuevit. Nos illam accepimus, olim deſcriptam ex Ms. codice Alnenſi, quod Ordinis Ciſtercienſis monaſterium primo lapide à Tudinenſi ditionis Leodienſis oppido diſtat, & Lobienſi Benedictinorum cœnobio vicinum eſt. Inſuper habemus ex Rubea valle & cœnobio Lovanienſi Canonicorum Regularium recentiora quædam ejuſdem Vitæ compendia, quæ nobis uſui eſſe non poſſunt, cum ex antiquioribus & longioribus* B. Theoderici *Actis tantùm contracta fuerint. Quare poſt hunc Commentarium prælo ſubjiciemus illud apographum Alnenſe, quod cum editione Mabilloniana priùs conferemus. Denique R. D. Romualdus Hancart Prior ſancti Huberti Majoribus noſtris olim benignè communicavit antiquum monumentum, quod vulgò* cantatorium *dicitur, & res geſtas* B. Theoderici *ſatis diſtinctè minutimque continet. Ex illo veteri Cantatorio, quod nuper Edmundus Martene tomo* IV *Collectionis ampliſſimæ à col. 915 ſub titulo Hiſtoriæ Andaginenſis edidit, aliqua paragrapho ſequente excerpemus, alia in Annotatis ad Vitam aſſignaturi, & ſubinde mendoſam Martenii editionem ex apographo R. D. Romualdi Hancart emendabimus.*

AUCTORE G. C.

§ II. Aliqua Beati geſta chronologicè diſpoſita, & ex alio veteri monimento ſubinde ſuppleta, vel diſtinctius relata.

Alius auctor coævus contrahit hujus Beati geſta,

B*Eatus noſter anno Chriſti* 1007 *primam lucem aſpexit, & nondum decennis, ut mos iſtius temporis ferebat, ſancto Petro oblatus eſt in monaſterio Lobienſi, quemadmodum Vita poſt hunc Commentarium edenda teſtabitur. Deinde poſt ſolennem regulæ Benedictinæ profeſſionem ac illuſtre litterarum magiſterium, quod in variis cœnobiis exercuit, anno* 1055 *dignitatem abbatialem in monaſterio ſancti Huberti ſuſcipere coactus fuit. Anonymus & ei coævus Hiſtoriæ Andaginenſis ſcriptor, cujus ſuprà meminimus, apud Edmundum Martene in Collectione ampliſſima veterum monumentorum tomo* IV *col. 922 agens de morte deceſſoris ejus Adelardi, hanc* B. Theoderici *electionem anno Chriſti* 1055 *affigit, eaque occaſione præcedentia hujus beati Abbatis geſta ſic contrahit :* Anno Incarnati Verbi MLV, ſuæ ordinationis XXII cum deceſſiſſet (*nimirum Adelardus, de quo auctor ſuperiùs egerat*) ſucceſſit, auctore Deo, illi domnus Theodericus, Lobienſis cœnobii monachus, à Richardo abbate nutritus, & à Gerardo venerabili pontifice conſequenter in ſacerdotem ordinatus, litteris apprimè eruditus, quas etiam honeſtis decorabat moribus, adeo ut & ingenii vivacitate & morali probitate tam juvenibus quam ſenibus admirabilis & imitabilis haberetur; &, quod eſt difficillimum, gloriam ſine invidia aſſecutus, omnibus indifferenter eſſet carus.

E

quæ præceſſerunt officium ejus abbatiale,

15 Unde in philoſophia famoſus, & pia concertatione à vicinarum congregationum abbatibus ad regendas ſcholas evocatus, Stabulaus ſub abbate Poppone, deinde Virduni ſub abbate Gualeranno domni Richardi ſucceſſore, poſtremo Moſomi ſub Rodulfo abbate tam ſtudiis liberalibus, quam probis moribus multos inſtituit, quos poſtea vidimus imitatores & aſſertores ejuſdem magiſtri ſui viros honeſtiſſimæ probitatis. Qui poſtea licentiâ abbatis ſui Hugonis Lobienſis Hieroſolymam adire conatus, ſed per Pannoniam tranſire præpeditus, Romam quaſi per Adriaticum mare navigandus divertit; ibidemque præter ſpem Deodwinum Leodienſem epiſcopum cum quibuſdam ſibi familiariter notis in eccleſia beati Petri invenit; quorum ſuggeſtione, immò pontificis amica prohibitione ulterius progredi repreſſus, cum eis patriam petiit, & inter redeundum, cujus eſſet ſcientiæ, gravitatis & perfectionis, perſpectus, à prædicto pontifice monaſterio ſuo honorabiliter eſt relocatus. Non multo pòſt Henricus imperator Deodwino epiſcopo indixit, ut ſibi aliquem monachum ab abbate Richardo inſtitutum procuraret, quem in Fuldenſi monaſterio ſcholaſticum præficeret. Epiſcopus Theodericum, quem à Roma uſque Leodium ad hoc fuerat expertus idoneum, à Lobienſi monaſterio evocavit, ſecumque detinebat quaſi legandum imperatori.

F

AUCTORE G. C.

16 *Deinde ibidem, quàm inopinatò* B. Theodericus *electus fuerit abbas, & quàm piè ſuſceperit hoc officium, licèt invitus, exponitur hoc modo :* Evocatis interea ex edicto epiſcopali abbatibus & archidiaconis pro ordinando Patre deſtitutæ eccleſiæ beati Huberti, adfuit & ipſe cum ceteris, ſecurus tamen ipſius ſibi agendæ ordinationis. Epiſcopo verò conſulente, quis haberetur idoneus deſolatæ præponi eccleſiæ, Godiſcalcus quidam honeſtæ gravitatis perſona, itemque Anſelmus decanus ſancti Lamberti, quorum vigebat permaxima auctoritas in hujuſmodi rebus diſponendis, reſponderunt, locuti priùs cum conſilio, talem providentiam bene convenire fratri Theoderico. Succlamantibus aliis, id illos bene ſenſiſſe, ipſe etiam epiſcopus in ſententiam conceſſit voluntariè, & evocato domno Theoderico, ut abbas fieret, obnixiùs cœpit inſiſtere. Ille econtrà reniti, qua poterat virtute, impoſſibilitatem ſuam & inſufficientiam ſuam prætendere, imparem ſe tanto oneri reclamare, lacrymis etiam atteſtari, cor à labiis non diſtare. Epiſcopus econtrà renitentem cogere, conven-
B. tus omnis inceſſere, ne divinæ vocationi & voluntati videretur obſiſtere. Tandem tantorum oppreſſus auctoritate & violenter attractus à Gonzone Florinenſi abbate & Stephano ſancti Laurentii, injunctam ſibi curam ſuſcepit, & conſecratus eſt abbas in Purificatione ſanctæ Mariæ ſemper virginis; ſicque comitatus prædicto Stephano abbate ſancti Laurentii ad commiſſam ſibi eccleſiam conceſſit; cujus culmen cum de longe vidiſſet, ut erat tunc hiems aſperrima, in mediis nivibus ad terram procidit, & Deum adjutorem ſibi adeſſe cum gemitu inclamavit, apertoque capite & nudis pedibus monaſterium uſque proceſſit. *Hæc ultima corporis afflictatio ſive pia muneris abbatialis ſuſceptio in Actis infra excudendis non legitur.*

quòd invitus cum magna pietate ſuſcepit,

17 *Poſt hæc hiſtoricus Andaginenſis longo ordine nominatim recenſet monachos, quos* B. Theodericus *in monaſterio ſancti Huberti rexit, & iis nominibus præcipuas hujus Abbatis virtutes ita ſubnectit :* His omnibus militantibus Deo ſub diſciplina regulari præerat Abbas, quaſi quidam dux induſtriæ militaris. His omnibus omnia factus, conformabat ſe ſingulis, donec formaretur Chriſtus in eis; nec quemquam exiſtimabat
C tur Chriſtus in eis; nec quemquam exiſtimabat fortuna vel conditione, ſed moribus & religione. Et cum ab ineunte ætate religiosè inſtitutus, modeſtè & caſtè vixerit, tunc hunc ſibimet uſum vivendi continuandum inſtituit, ut non niſi ſemel in die ſemper reficeret, tam parcè tamen, ut continuatim eſuriret, & hoc ſine ovis & caſeo & abſque ſaginæ condimento; in legitimis autem obſervationibus Adventûs & Quadrageſimæ biduanis & triduanis jejuniis ſe macerabat occultè. Præter communem monaſterii eleemoſynam duodecim pauperes quotidie alebat, quibus lotis pedibus & manibus, & refectione ſufficienti impenſa ſatis humiliter tamquam Chriſto ſe eis in terram proſtrabat. Viliſſimo ſtrato, ſuperjecto cilicio, paululùm quieſcebat; ex quo latenter ſurgens communes vigilias ſemper anticipabat; ſicque genuflexionibus & orationibus cum lacrymis Deo ſe ipſum mactabat....

variiſque virtutibus

18 Præter Canonicas Horas, quas ut debi-
illuſtravit, tas, diligenter Deo exſolvebat, in veneratione beatæ Trinitatis & glorioſæ ſemper Virginis Mariæ, itemque Petri apoſtoli omniumque Sanctorum ſingillatim vigilias & omnes Horas diei decantabat, & Pſalterium etiam inter noctem & diem ex integro percurrens, aut per ſe pſallebat, D
aut qui pro ſe pſalleret procurabat. In quotidianis verò Miſſarum ſolemniis quibus gemitibus quave cordis contritione Domino ſacrificaturus aſſiſteret, ejus ſolius eſt approbare, cujus eſt omnium hominum corda penſare. Cujus fuerit humilitatis in habitu, cujus gravitatis in inceſſu, cujus æqualitatis in vultu, cujus honeſtatis in actu, mirabatur non ſolùm quælibet eccleſiaſtica dignitas, ſed etiam faſtuoſa & aliis irreverens ſecularis poteſtas, cujus & laudabiliter magnificabat abſentiam, & humiliter honorabat præſentiam.

19 *Uno alterove exemplo, quod biographus poſt hunc Commentarium prævium edendus omiſit, amicam hujus beati Abbatis familiaritatem cum quibuſdam præſulibus oſtendemus ex laudata Hiſtoria Andaginenſi, ubi coævus auctor apud citatum Edmundum Martene tomo* IV *Collectionis ampliſſimæ col.* 927 *& ſequente duplex hujus rei ſpecimen refert his verbis :* Evocatus ſæpe à religioſo Annone Colonienſium pontifice amica veneratione excipiebatur, & apud tantum virum aliquamdiu familiariſſimè remorari coactus, divinarum Scripturarum mutuo relatu, quaſi in B
aureo Salomonis reclinatorio media caritate conſtrato delectabatur. Cui cum fortè inter loquendum familiari jucunditate objiceret, quare quoſdam barbaros ſuæ parochiæ trans Rhenum commorantes in Quadrageſima ab ovis & lacte & caſeo auctoritate pontificali non compeſceret; reſpondit pontifex, abſtinentiam & religionem eccleſiaſticam ſe quidem omnino approbare, atteſtari & laudare; differentiam verò ciborum firmis in fide non multùm obeſſe, cum Dominus in deſerto per corvum Eliam paverit, non piſcibus, ſed carne; ſæpius autem ſe id prohibuiſſe, nec prævaluiſſe, quod Chriſtiani dici paterentur multum ſe gaudere, ne dum aliquâ violentiâ abſterreret, eoſdem barbaros à Chriſtiana fide elongaret. Et quia eidem pontifici tanto erat Abbas gratior, quanto apud eum conſtabat honorandæ virtutis locus amplior, numquam ab eo niſi muneribus honoratus redibat, quæ & dantem & accipientem omnino decebant.

& in quo magnâ gratiâ & auctoritate valuit

20 *Narrato deinde miraculo, quod* B. Theo- *apud prin-*
dericus *in itinere ad eumdem præſulem patravit, cipes eccle-*
& quod infra in Actis referetur, aliud amici- ſiaſticos
tiæ ſpecimen cum epiſcopo Metenſi laudatus hiſtoricus coævus ſubjungit in hunc modum : Si F
quando verò pro reſponſis eccleſiæ domno Adalberoni Metenſium epiſcopo ſe præſentaſſet, mirabatur poſtmodum ipſemet in recolendo meminiſſe, qua ſe illi humilitate vir tantæ nobilitatis & poteſtatis inclinaret, qua benignitate compulſum ad ſecum prandendum ſedem collocaret. Cui cum fortè inter prandendum deferrentur pirorum primitiæ, cœpit ea pontifex manibus attrectare, ſæpius olfacta ſuper menſam reponere, & quaſi ſub obtentu cujuſdam delectationis tangendo & non guſtando, ſe in eis cruciare; à quibus ſe omnino continens, cum aliis illa diviſiſſet, Abbas quod viderat feciſſe epiſcopum diligenter notavit, & cauſam facti ſolus cum ſolo ſedens humiliter requiſivit. Ad hæc epiſcopus ſuſpirans ingemuit, & quia his olim in juventute ſua nimis delectatus ſe peccaſſe meminiſſet, reſpondit ſecum deliberaſſe, ut per quæ peccaſſet, per hoc & ſeipſum abſtinendo puniret. Ædificatus Abbas exemplo hujus abſtinentiæ gratulabatur multoties apud familiares ſuos, id ſibi poſtea multùm profuiſſe, & ne excederet per illicita, ab ipſis licitis ſe conſtanter continebat.

21 *Quan-*

A *& seculares.*

21 *Quanta autem auctoritatis esset hic beatus Abbas apud principes seculares, patet vel ex unica ejusdem historici narratione, quam ibidem col.* 938 *habet hoc modo:* Dux Godefridus in Italia infirmatus, & exinde Bullonium revectus, cum jam desperaret vitæ suæ, missis ad abbatem Theodericum legatis, satis humiliter, ut se visitaret, expetiit; neque enim processus erat de monasterio facilis, maximè verò gratiâ alicujus personæ secularis. Tandem ad eum ingressus, cum tantæ priùs potestatis virum ita videret affectum, elevatis oculis ad Deum, Tu, inquit, humiliasti, sicut vulneratum, superbum. Dux ad verbum Abbatis compunctus, Pater, ait, carissime, nihil verius. Et erumpens in lacrymas, vix præ singultibus conatus eloqui, puram confessionem pro exspectatione mortis Deo coram Abbate reddidit, eâque redditâ, gladium suum sibi deferri jussit, quem assistenti filio suo Godefrido, continuato gemitu pœnitentiæ, Abbati reddendum præsentavit, eumque sibi testem futurum in judicio Dei pro abrenuntiatione militiæ secularis satis humiliter, magis verò dolenter, inclamavit. *Quales quantasque possessiones* B. Theodericus *monasterio sancti Huberti acquisiverit aut recuperaverit, ibidem diffusè narratur, quas in Annotatis ad Vitam inferius edendam ex hac Historia Andaginensi breviter assignabimus, si quis fortè curiosus eas nosse voluerit.*

B

Mortem beati hujus Abbatis,

22 *Interea indagabimus verosimiliorem mortis ejus annum, quem jam sæpe memoratus historicus Andaginensis ibidem col.* 965 *expressit his verbis:* Anno Domini MLXXXVI, ordinationis verò suæ XXXII, Theodericus abbas non solùm senio, sed & confectus jejuniis, orationibus & vigiliis, laboribus etiam & curis commissæ sibi pastoralitatis, ab ipsa licèt pertenui virtute corporis circa mensem Julium deficere cœpit. Unde & gratiâ paululum repausandi, Piros illi secedere placuit, ubi dum se, ingravescente sensim infirmitate, præsentiret ad mortem urgeri, Theoderico præposito sibi secum moranti relationem suam ad monasterium accelerandam indixit. *Tum subjungit brevi subsecutam beati Viri mortem, quam in Actis post hunc Commentarium exhibendis multo distinctiùs ex oculato teste audiemus.*

C

in cujus anno signando Mss. codices discrepant,

23 *Hic dubitari potest, utrum annus ille Christi* 1086, *quo mors* B. Theoderici *superiùs in hac Historia collocatur, ab historico Andaginensi vel ejus amanuensibus rectè sit expressus, eo quòd in quibusdam manuscriptis Actorum codicibus eidem morti annus* 1087 *vel* 1088 *assignetur. Unde Mabillonius in observationibus præviis ad hanc Vitam num.* 2 *de emortuali* B. Theoderici *anno sic disputat:* Non una est auctorum sententia circa annum, quo Theodericus è vivis excessit. Ejus obitum ad annum MLXXXIV revocant Johannes Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, Miræus in Fastis Belgicis, aliique passim recentiores; Bartholomæus Fisen in Floribus Leodiensis ecclesiæ ad sequentem. In uno ex Mss. codicibus, quorum copiam habuimus, legitur Theodericum anno MLXXXVII mortuum fuisse; quod anno sequenti contigisse dicitur in altero codice. Sed tametsi in tanta opinionum varietate vix aliquid certi statui posse videatur, adeo tamen diligenter seriem annorum beati Abbatis notavit Vitæ ejus auctor, ut si illius verba paulò accuratius expendere voluerimus, facilè habebitur, quis fuerit ejus vitæ extremus annus.

AUCTORE G. C. *contra alios anno Christi* 1087

24 *Cum in Actis infrà dandis* B. Theodericus *dicatur anno Christi* 1007 *natus esse, &* anno ætatis suæ octogesimo non ad integrum expleto *obiisse, Mabillonius ex his duobus Vitæ locis inter se collatis ita argumentatur:* Omnes autem codices constanter habent, Theodericum anno ætatis suæ octogesimo incœpto & non expleto obiisse. Undè certum manere debet, Molani aliorumque sententiam admitti non posse, qui Theoderici mortem ad annum MLXXXIV revocarunt. Ex iisdem verbis refellitur, quod unus ex codicibus manuscriptis suprà laudatus habet, Theodericum è vita excessisse anno MLXXXVIII: nam eo pacto ille octogenario saltem aliquot mensibus major obiisset, quod loco ex codicibus omnibus laudato plane adversatur. Superest itaque, ut Theoderici mortem ad annum MLXXXVI cum nonnullis, aut ad sequentem cum uno Ms. codice Hubertino revocemus; & quidem, si Notgerus episcopus Leodiensis anno MVII obierit, ut nonnullis placet, prima sententia alteri præferenda est, cum Notgerus mense Martio, Theodericus verò mense Augusto è vivis excesserint. Etenim à Martio anni MVII usque ad Augustum MLXXXVII plus quam octoginta anni intercipiuntur. Verùm cum sententia, quæ Notgeri mortem anno MVIII consignat, alteri præferenda videatur, & dicatur Theodericus in altero codice manuscripto natus anno mortem Notgeri præcedente, Theodericum anno MVII exeunte natum fuisse censemus, ac proinde eumdem mense Augusto anni MLXXXVII ferè octogenarium è vivis excessisse. *Omnibus attentè expensis, hanc Mabillonii chronologiam secuti sumus, & alios annos in quibusdam codicibus notatos, ab amanuensibus corruptos putamus.*

E

& diei XXIV *Augusti*

25 *In iisdem codicibus etiam circa diem mortis aliquod discrimen occurrit: nam in Actis à Mabillonio editis obitus hujus beati Abbatis* octavo Kal. Septembris, *& in apographo nostro Alnensi aliisque tribus Vitæ compendiis, quorum paragrapho præcedente mentionem fecimus,* nono Calendas Septembris *consignatur. Wionus in Ligno Vitæ* B. Theodericum *utroque hoc die annuntiat, & Meyerus mortem ejus usque ad diem* XXVII *Augusti differt, dum in Annalibus Flandriæ libro* 5, *sive ad annum Christi* 1150 *de illo sic scribit:* Sexto autem Calendas Septembris obiit divus Theodoricus Lernâ oriundus, patre genitus Gonsone, abbas monasterii divi Huberti. *At imprimis Meyerus hoc loco diem sepulturæ pro die obitûs perperam accepit. Præterea videtur hunc* B. Theodericum *confudisse cum altero ejusdem nominis abbate, & forsan cum Theoderico Beati nostri successore, qui anno* 1109 *abbatiam sancti Huberti abdicavit. Quomodo enim aliter vitam* B. Theoderici *nostri usque ad annum Christi* 1150 *protrahere potuisset?*

F

cum Mabillonio affigimus.

26 *Quidquid sit de hac confusione nostri Abbatis cum illo vel altero Theoderico, saltem Raysius incautè Meyerum secutus est, & alteri Theoderico tribuit, quod hodierno nostro convenit, dum in Gazophylacio Belgico pag.* 50 *post elogium* B. Theoderici, *quod suprà num.* 4 *recitavimus, hæc immediatè subjungit:* Obiit hîc etiam sexto Kalendas Septembris alius ejusdem nominis Theodoricus, prædecessoris successor, eximiæ virtutis & prudentiæ vir, ex nobili Lernarum familia, patre natus Gonsone, ut vult Meyerus in ejus obitu, anno videlicet MCL. *Certè hic pater Gonso, & hæc Lernarum familia* B. Theoderico *nostro seniori conveniunt. Quod si Meyerus*

AUCTORE G. C. *Meyerus hæc Theoderico ſecundo ſive juniori tribuere voluerit, turpiter hallucinatus eſt, & Rayſſium in errorem induxit, aut obitum* B. Theoderici *ſenioris per craſſum parachroniſmum anno Chriſti* 1150 *collocavit. Ceterum cum pleriſque Menologiis & codicibus manuſcriptis Acta iſtius beati Abbatis hac die* XXIV *Auguſti exhibemus, & ea ſolitis notis illuſtramus.*

VITA

auctore anonymo coævo

Ex Ms. codice monaſterii Alnenſis, cujus apographum cum editione Mabilloniana ſec. VI *Benedictino part.* 2 *pag.* 559 *contulimus.*

B

PROLOGUS.

Auctor refert rationes,

QUibuſdam antiquis ſcriptoribus aiunt utiliter hoc ſtudii genus ſummum fuiſſe, ut eorum, qui inter eos excellebant corporis & animi induſtria, virorum, tam dicta quam facta, ea dumtaxat, quæ relatu digna videbantur, litteris tranſmitterent ad poſterorum notitiam; ut ſcilicet mortuis apud morituros, clara ingenia immortalitatem conferrent; nec ſilentio premeret annoſa vetuſtas, quos miraretur merito, & quorum virtutibus ad virtutes incitaretur poſterior ætas. Eos imitati poſtea eccleſiaſtici viri quidam ea, quæ temporaliter in carne, vel dixit vel mirabiliter operatus eſt Filius Dei, claro ſtilo veraciter proſecuti, ſplendore inſtitutionis Euangelicæ corda fidelium illuſtraverunt. Aliqui ex * conſcriptis Apoſtolicis actibus multum fidei & roboris & patientiæ ſequenti ævo addiderunt. Multi autem ab Apoſtolorum temporibus ad noſtram fere uſque ætatem; vel de pace vel de bello Eccleſiæ magna nobis ex ſuis ſcriptis reliquerunt monumenta, in quibus Chriſtiano homini ſtrata eſt via ad ardua virtutum: patent etiam calles reflexi in devia * vitiorum. Quidam vero eorum paſſiones, qui cælum ſanguine mercati ſunt, ſcripſerunt; pleriſque autem cura fuit in litteris ſuis referre de eorum vita & converſatione, qui vel eccleſiis Dei præfuerunt, eaſque aut cæleſtis doctrinæ illuſtratione, aut operum atteſtatione, ſive miraculorum coruſcatione clarificarunt: vel qui mundanæ cohabitationis ſocietatem, non ſolùm corpore ſed & tota mente fugientes, ferarum & avium ſocii tantùm in deſertis locis vixerunt. Et hoc fecerunt non ut accurati ſermonis compoſitione glorioſiores facerent, quos jam in cæleſti regno gloria & honore Deus glorificaverat, & conſortes ſui ſecum cohabitare fecerat; ſed ut ad eorum æmulationem & exemplum juniores inſtituerent, & boni quidem bonorum opera recitando meliores fierent; mali verò eorum exemplo, quos prius perverſos, & poſtea, Deo eos immutante, converſos legerent vel audirent, vitam & mores malos in melius mutarent.

* *Mab.* & C

* *Mab.* devexa

a 2 Horum ego quoque, mi Lamberte *a*, ſequens & longe adorans veſtigia, aggreſſus ſum, te adhortante, venerabilis ſenis Theoderici abbatis veſtri *b*, vitam ſcribere, & ab ejus exortu, quemadmodum cœperit, quibus artibus * vitam ſuam inſtituerit, quo niſu ad virtutum faſtigia conſcenderit, quem etiam vitæ terminum habuerit: illa tantùm, quæ tua & aliorum fidelium virorum relatione mihi de ipſo comperta ſunt, ruſticano quidem & minus accurato ſermone, ſed quam veriſſimè potero expedire. Quod onus quamvis non efficientiæ ſecuritate, ſed tam pro pia defuncti Senis recordatione, quam pro veſtræ amicitiæ præſumpſerim magnitudine; quam ſit grave & importabile non ſum neſcius, ubi & propter hiſtoriæ puritatem oportet niti veritate, & quia ſancti hominis vita ſcribitur, falſitatis crimen cavere, ne in eum, quem immoto * amore dilexi, condemner mentiendo magis injurius eſſe, quam obſequium impendere *c*. Ad hæc & illud accedit, quòd dum plurima, vel ut quæque in mentem venerunt injudicata, & minus emunctæ naris verba emitto, vel aliquando quædam vel minus aſpera, aut minus levia & pænè vulgaria, quod interdum exigit hiſtoria profero, judicio multitudinis pateo, quæ variis reſponſionibus facilè in utramque partem amore labitur aut odio. Porrò autem cum imbecillitatem inſcientiæ meæ penſo, ne impoſiti à te mihi operis ſarcinæ ſuccumbam timeo, & imperitia deficientis vertatur in culpam adhortantis. Sed cum & tuæ amicitiæ jucunditatem ſpecto, & cum defuncti recordatione excitor, facile & pronum exiſtimo, quidquid de illo apud te dictum pro utriuſque amore fero. Nihil enim periculi eſt apud amicum proferre, quæ ſentias: dum tantum veritatis curam ſemper habeas, mendacii commenta caveas. Tutior quippe, quamvis in ruſticis & ſimplicibus verbis, incedit veritas, quam verborum ſplendore ſubornata falſitas. Atque hæc hactenus. Sed jam ad narrationem convertor, invocans eum; cui ille, de quo agitur, Theodericus devote & fideliter ſervivit, Deum cooperatorem eſſe hujus operis.

D *ob quas hanc Vitam ſcripſerit.* *b* * *Mab.* actibus

* *Mab.* ſupremo *c* E

ANNOTATA.

F

a *Apud Martene tomo* IV *Collectionis ampliſſimæ veterum monumentorum in Hiſtoria Andaginenſi col.* 925 *invenimus duplicem hujus nominis monachum Hubertinum, qui ſub Beato noſtro vixit. Uter hîc intelligendus ſit, ignoramus.*

b *Hinc in Commentario prævio collegimus, hunc Vitæ ſcriptorem non fuiſſe monachum Hubertinum.*

c *Ex his fides & ætas biographi facilè intelliguntur.*

CAPUT I.

Beati patria, parentes, pia educatio, & ſtudium litterarum in pueritia.

Mater explicationem miræ viſionis a

ERat in villa, quæ dicitur Lerna, quæ à Thudiniaco *a* caſtro tribus milibus, à Lobienſi verò monaſterio quinquaginta ſtadiorum dividitur intervallo, miles quidam honoratâ natus familiâ, Gonzo nomine, habens uxorem religioſam

A ligiosam & timentem Dominum. Quæ dum aliquando sopori se dedisset, vidit per somnium, se in quadam ecclesia cum quibusdam reverendi habitus viris, officiosè sibi obsequentibus, sacerdotalibus indutam vestimentis astare sacro altari, & cum litteras penitus ignoraret, omne officium Missæ diligenter percantasse: & sic indubitanter illud mysterium celebrasse, tamquam si omni tempore huic vacasset operi. Post expleta verò illa, ut sibi videbatur, Missarum solemnia, ut sacerdos, populo benedixisse: dein exutis & repositis in sacrario sacris illis vestibus, exisse & valedictis omnibus domum reversam, post dulcedinem somnii leniter evigilasse. Hinc perterrita cœpit sollicitari & conturbari intra semetipsam pro visione, memor sexûs & conditionis suæ, timens, quod viderat multam calamitatem prætendere sibi & domui suæ, cum sciret illud mysterium, à nulla fæminarum umquam præsumptum esse. Porrò autem, ut sapiens mulier, recogitabat apud se, quod si Deus vellet eam occidere, vel domum ejus damnosis cladibus affligere, alio modo quam mysterio vivificationis humanæ miserias
B & mortes suas præscire posset. Certa tamen erat, visionem hujusmodi non fantasticam esse, nec se deceptam nocturna vani somnii imagine: sed potius quidlibet magnum divinitus prædivinare. Neque verò fæmineo more cuivis, nec saltem ipsi marito, voluit visa referre, sed posuit faciem suam ad Dominum rogare & deprecari in jejuniis & eleemosynis & oratione, ut Deus, qui revelat mysteria, & novit in tenebris constituta, mysterium visionis dignaretur ei revelare. Et quia cor ad quærendum appositi, quod quærebat, Deo monstrante, ita scire meruit.

ab anu quadam pia impetrat,

4 Erat eo tempore in sanctæ continentiæ vivens proposito infra ipsam regionem quædam anus longæva, cui præter cætera virtutum dona, pro merito vitæ Deus concesserat, ut multis nonnumquam prænunciaret futura. Hujus opinione illa mulier in spem interpretationis somnii sui adducta venit ad eam, brevique illi commendata *, post mutuos amplexus & colloquia retulit ei cum multo timore & lacrymis suam visionem: orans primum, ut pro se Deum exoraret, ne quid prodigiale illi visio portenderet; deinde ut ejus interpretationem sibi indicaret. At illa o-

* *al.* precata

C ratione fusa, gratiæque prophetalis munere afflata: Fidens, ait, ô mulier, esto, quia quam vidisti divinitus ad te facta est visio, quæ ad salutem tuam & multorum implebitur hoc modo: Ecce filius, quem habes in utero (nam gravida erat) nascetur tibi, quem Deus nunc sanctificavit, & in opus sacerdotalis ministerii segregavit sibi, per quem multorum saluti consulendum providit. Hæc dixit, & mulierem promissi certam, domum remisit. Quæ ubi ad maritum rediit, tum demum somnium cum interpretatione, ut à prophetissa audierat, secretò illi exsolvit. Quod ille, ut homo militiæ & sæculi negotiis omnino temporibus illis deditus, contempsit & derisit, & divina oracula muliebria reputavit deliramenta & vanè composita.

& filium sibi prænuntiatum b

5 Maternis interea mensibus evolutis, postquam mulier conceperat divinitus nuntiatum, ipsa nocte festivitatis sancti Martini *b*, dum populus ad vigilias matutinales concurreret, peperit filium anno Dominicæ Incarnationis millesimo septimo, imperante apud Romanos & Ger-
c manos II Henrico *c*, anno postquam juniori Ottoni successerat sexto, præsidente in Leodiensi sede Notgero, magnæ sanctitatis & sapientiæ viro, postquam ordinatus fuerat episcopus, anno septimo & vigesimo *d* *. Mane facto, mater eum baptisari & Theodericum in baptismate fecit nominari, quod potest interpretari; Dei contemplator sive divinorum speculator *e*. Quod nomen quamquam multis cum illo commune sit, quodam tamen futurorum præsagio fortitus est. Nec immerito. Nam à puero usque ad ultimum vitæ suæ terminum, semper gratia Dei secum crescente, intendit contemplationi divinæ.

EX MS. *d*

* *lege* trigesimo *e*

magná curâ enutrit,

6 Igitur infantulus ablactatus, tanta matris suæ cura & diligentia nutritus est, ut exceptis parentibus & domo nihil cognosceret. Et cum jam fere septennis esset, patre ejus insscio, qui eum, quod ipse erat, fieri terrenum militem, & rerum suarum disponebat heredem, mater visionis suæ non immemor, primis eum litterarum dedit imbuendum elementis, flagrans omnibus votis, filium suum abstrahi à vanitate & tumultibus hujus sæculi & facere ministrum in domo Domini. Sed omnium bonorum inimicus videns, in puero jam quiddam gratiæ spiritualis inesse, artes, quibus illi noceret, quæsivit, patremque contra uxoris suæ bonum propositum inflammavit. Qui filium suum à literis abstractum, domi servari jussit, interminatus uxori gravia, si posthac eum præsumeret tradere his disciplinis. Sed post aliquot dies, dum unus puerorum patris sui bulliens jus coctarum carnium ab igne transferret, impegit super puerulum, & cecidit, ministrumque ejus brachium de ipso jure ab humero usque ad manum fere inussit. Statim ille doloris impatiens corruit, & moribundus pæne volutabatur humi. Turbata omnis cucurrit familia, ante omnes mater nati commota dolore frigidius glacie pectus super exanimatum, ut putabat, filium præcipitat. Sed Deus omnipotens inter instantiam mortis tyrunculum suum servavit, cujus providentia, & filiorum virga jam eum assuescebat, & plagis suis ad se trahebat.

E

eumque contra voluntatem mariti sui,

7 Postquam autem illa à torpore mentis in se rediit, ut vix tandem inter singultus & crebra suspiria dolor vocem invenit, modo pectus tundens pugnis, modo faciem fœdans unguibus, modo crines scindens manibus & sævis totam domum implens querelis, se infelicem clamitans, se ostentans miseram, se neglectam Dei respectu
F sæpe miserandis iterat ululatibus, cui ex promisso Dei datus erat filius, sed peccato suo & mariti detestanda rabie, tam subito nimis acerbo raptus esset funere. Deinde ut correpta à marito & his qui aderant, ægra solo membra vix extulit, videt filium inter manus ancillarum jam modesti vultus, jam temperantem clamoribus; sed quaquaversum tamen pestis illa bullientis juris se sparserat; totam carnem pueruli cute nudaverat. Cum mater & ipsa interdicens fletibus excepit filium, refovet, & deosculatur, tamquam ex morte redivivum: brevique, Deo curante, ad salutem restitutum, iterum clam patre illius commendat eum scholasticis imbuendum litteris. Cumque pater aliquantis diebus absens domum reversus filium non invenisset, & ubinam esset inquirens, resciisset, offensus abiit, & de medio scholarium, ubi legebat, arreptum domum reduxit. Unde quidem ego eum in hac parte beato Martino comparandum arbitror. Nam quemadmodum pater gentilis, ne Christo militaret filius suus, Martinum impediebat, ita Theoderico, ne in tabernaculo Domini ministraret, pater suus quamquam Christianus obstabat. Sed non valet humana prudentia divinæ ordinationis dissipare consi-

EX MS. lium. Nam licet tunc non ſponte Martinum jam ſæculo militantem, ut voluit conſervavit, & ad ſuam militiam mirabiliter Deus revocavit: Theoderico autem, priuſquam per ætatem corrumpi poſſet, ſic providit.

qui tandem acquieſcere cogitur,

§. Cùm ipſa die puerulus in ſolarium domûs aſcenderet, corruit, & brachium ſiniſtrum, quod adhuc pæne recenti inuſtione erat invalidum, gravi colliſione diſſiluit & fractum ex humero pependit. Exterritus tam acerbo & inopinato caſu exanguis pater accurrit, & pæne exanimem inter ſua brachia attollit. Multiſque perfuſus ora lacrymis, ſeipſum ultro accuſat, ſe parricidam, ſe occiſorem filii, mixto luctu & ululatu clamat, qui eum Deo, cum necdum natus erat, dedicatum auferre tentaverat. At verò mater femineis planctibus, amara inferens convitia, Quia, ô fili dulciſſime, ait, ad militiam terrenam à pio patre inſtrueris, eïa nunc arma ferre, nunc equum agitare & circumflectere, ſic ferire, ſic hoſtem diſce cavere. Sed ſi in caſtris Chriſti militare te noluit, ſpero in Dei proviſione, quia ejus rerum & militiæ ſucceſſor non eris. At ille: Ne ſævias, inquit, mi mulier, nec ſatis, ſuperque
B quam ſatis eſt, triſtem aſperioribus irritamentis in inconſolabilem inducas dolorem. Etſi enim merito arguor ego, quia quod Deo, quocumque modo votum erat, ſubtraxi; tu potius accuſanda tamen, quæ filium meum tamquam ad me nihil attinentem, pro tuo arbitrio clam me voviſti Deo. Igitur ecce filius tuus; recipe illum; & ſi voluntas Dei eſt, ut vivat, ſicut voviſti, monachus fiat. Dixit & matri filium reddidit. Illa autem materna ſollicitudine cûram ejus habuit, plagam circumligavit, & frequenti lavatione & medicamine fovit; citoque, adjuvante Deo, non ſolùm fracturam brachii reſolidavit; ſed etiam quidquid in toto corpore illa colliſione læſum fuerat, in integram ſanitatem reparavit. Deinde non jam in abſcondito, ut prius, ſed manifeſte commendavit eum in monaſterio Malbodienſi *f* filiæ ſuæ Anſoaldi *g*, ut doceret eum elementa prima litterarum & pſalterium. Quæ quia ſimul ſe opportunè præbuit, non incongruum videtur de ejus virtutibus & vita, ad laudem Chriſti nominis interſerere pauca. Quidquid enim imitatione vel laude dignum habent Sancti,
C totum eſt muneris Chriſti.

f g

bonis moribus

9 Hæc igitur puella adhuc parvula, in monaſterio ancillarum Dei à genitoribus conſtituta, in puellaribus annis oſtendit, qualis futura eſſet acceſſu temporis: nam, ut aſſolet illa ætas, numquam puellarum laſcivias aut negligentias ſequuta, numquam ineptiis & ludis earum fuit delectata, ſed tantum lectioni & meditationi animum ſervire cogens, cum ceteræ concurrebant ad publicum, illa ibat ad monaſterium; cum aliæ ſtreperent, pſallerent, & puellariter choris ſe exercerent, illa orationi procumbebat. Ubi verò maturior ætas ſucceſſit, brevi cæteras ſupergreſſa, aliis benè vivendi exemplar enituit, aliis vitæ merito terrori fuit. Quotidianis enim afflictionibus corporis libidinem punivit; omnes animi paſſiones repugnando ſuperavit. Vigilabat enim totis interdum noctibus: nonnumquam verò orando diem continuabat nocti. Cùm verò neceſſitas ſomnum imperabat, aut pavimentum cubile habebat, aut ſtando, rarò autem ſedendo, paululum dormitabat. Cibus ei panis cum ſale frequentior, potus erat aqua, rarò legumina vel poma vel herbarum radices admittebat. Nam vino, ſicera, carnibus, ovis & piſcibus, ac cibis lautioribus interdixerat penitus. Manſuetudine, patientia, humilitate, clementia & charitate, adornata virgineæ caſtitati luxuriam ſubduxit. Cuſtos oris ſui ad ſilentium numquam ſciens vel volens loquuta eſt mendacium. Semper cauta, diligens & provida, numquam, ſi potuit, niſi ſapientibus & caſtis ſermonibus os aperuit. Quamvis ſæpe laceſſita, numquam irata, numquam viſa eſt vel leviter, niſi pro cauſa Dei commota. Contentiones & rixas & fæminarum certamina omnino à ſe fecit aliena & extranea. Balnea & lavationes contempſit, docens nullum extrinſecus poſſe pollui, niſi quem intrinſecus ſordidat delectatio peccati. Turbarum ſtrepitum & conventum à ſe pro ſui merito adventantium ſemper refugit: linguas detrahentium & favores ſe laudantium æqualiter habuit: his & cæteris cùm gratiâ Dei redundaret virtutibus, multas in Malbodienſi monaſterio ad ſimilem virtutem excitavit, multas poſt lapſum ad pœnitentiam revocavit, & annuente Gerardo *h* epiſcopo Cameracenſi & Rainero comite Montenſi, ordinem religionis monaſticæ, quæ pæne adnihilata erat, in eodem monaſterio correxit & in melius reparavit. Sed quia caſtigat Dominus, quos diligit, & flagellat quos recipit, ante ſeptem dormitionis ſuæ annos, cancri ulcere percuſſa, nec bonæ converſationis propoſitum uſu & virtutum conſuetudine exercitatum minuit, nec flagellis umquam murmuravit, immo quia Dei viſitatione digna eſt habita, ſemper gratias egit. Poſtremò felici exceſſu beata decore virgineæ caſtitatis læta migravit ad Dominum, receptura longi laboris præmium.

h

& litteris imbui curat.

10 Huic jam adoleſcentulæ commendatus frater ſuus adhuc puer Theodericus, quantum ex ætate puerili vaticinari poterat, ingenii & vitæ futuræ certa dedit documenta: nam lectionem pſalmorum, quæ ſingulis diebus illi à ſorore ſua tradebatur, & facile capiebat, & memoriter citò reddebat. Neque tamen ad diſcendum, ut ſolet parvula ætas, cogebatur minis aut verberibus, aut blandis incitabatur ſuaſionibus. Sed ultro ſtatuta ſibi tempora legendi ipſe præveniebat, numquam niſi juſſus vacabat; ita ut ſoror & omnes, qui eum viderent, ſtuperent, & mirarentur in illo & legendi aſſiduitatem & ingenioli velocitatem. Si quando autem ceſſaret, & cum
F paribus videbatur, ire & colludere penitus refugiebat; pœnaque illi erat cum eum ſoror quiete reficiebat: graviſque illi erat, quiſquis eum ad ſpectacula ludorum trahere volebat. Videns autem, quo ordine ſoror ſua vitam duceret, conſiderans, quam gravis & matura moribus, quam ſtudioſa eſſet in orationibus, & intelligens quod veſtimentorum aſperitate, & ciborum abſtinentia corpus frangeret; cœpit, quantum tenera ætas patiebatur, eam imitari velle. Incenſus igitur, eodem, quo illa, numine, ibat latenter quidem, ſed frequenter ad eccleſiam, ut ſororem facere videbat. Sæpius ad orationem procumbebat, pectuſculum pugno tundebat, Dominum, ſicut ab illa didicerat, ut ſibi ſapientiam intelligendi, & recta faciendi & prava cavendi daret, devotis precibus, interdum mixtis lacrymis, rogabat. Quod ubi ſoror advertit condelectata, tam verbis quam rebus ad bene agendum fratrem ſuum pro capacitate puerilis intellectus, informare cœpit dicens: Hoc rectè agendum, illud neceſſariò eſſe cavendum, frequenti ſupplicatione & lacrymis Deum placandum, aſſidua lectione & bonorum actuum converſatione cognoſcendum. His & hujuſmodi

A jusmodi mandatis, sancta virgo quotidie puerum inter legendum instituebat: ille autem ante annos ad virtutum iter animum dirigebat.

ANNOTATA.

a *Est oppidum ditionis Leodiensis, ad fluvium Sabim situm, quod nunc vulgò* Tuin *appellatur.*

b *Si hoc intelligatur de festo S. Martini Turonensis, quod undecima die Novembris colitur, Beatus mense Novembri anni* 1007, *& consequenter anno mortem Notgeri Leodiensis præcedente natus est, ut Mabillonius in Commentario nostro prævio tuetur. Unde confirmatur annus mortis* 1087, *quem cum Mabillonio signavimus.*

c *Hic est sanctus Henricus, cognomine* claudus *vel* secundus, *cujus Acta in Opere nostro ad diem* 14 *Julii illustrata sunt, & qui anno Christi* 1007 *post diem* VII *Junii sextum imperii annum inchoaverat.*

d *In alio codice additur:* Priusquam vita decederet, anno uno, *ut Mabillonius testatur. At procul dubio in apographum nostrum Alnense irrepsit error amanuensis, qui* vigesimo *pro* trigesimo *scripsit, ut in margine monuimus, cum Notgerus ecclesiæ Leodiensi diutius præfuerit.*

e *Hanc etymologiam biographus deduxit ex vocibus Græcis* Θεὸς, *quæ* Deum; Θεωρητικὸς, *quæ* contemplatorem *significat. Alii tamen cum Schottelio malunt nomina Theoderici, Diederici & similia ex origine Germanica derivare, & affirmant nomen proprium Theoderici, Germanicè* Teutreich, *significare* divitem Dei *vel* divinis donis pollentem. *Elige utramlibet etymologiam, cum utraque ad Beati gloriam faciat.*

f *Est vetus Ordinis Benedictini parthenon in Hannonia situs ad Sabim fluvium, in quo nunc degunt canonicæ seculares, & qui jam vulgo* Maubeuge *vocatur.*

g *Apud novissimos Galliæ Christianæ editores tomo* 3 *col.* 147 *dubitatur, utrum illa Ansoaldis fuerit abbatissa Malbodii, quamvis disciplinam monasticam in illo monasterio restituerit, quod forte potiùs suo piæ vitæ exemplo, quam auctoritate fecit.*

C h *Is est Gerardus primus istius nominis antistes Cameracensis, qui anno* 1013 *cathedram illam ascendit, & postea cœnobium Malbodiense reformavit, ut apud novissimos Galliæ Christianæ editores tomo* 3 *col.* 19 *&* 20 *videre est.*

CAPUT II.

Monastica ejus professio, magisterium in variis cœnobiis, sacerdotium, & iter Hierosolymitanum frustra susceptum.

In monasterio Lobiensi

EA tempestate *a* florebat multiplici virtutum flore ac germine inter cæteras Leodiensis & Cameracensis parochias, Lobiensis *b* ecclesia, & pollebat sancta religiosorum & illustrium monachorum conversatione. Hanc nobilitaverat & *a*

b

dus *c*. Huic puer Theodericus regulari institutione nutriendus in monasterio Lobiensi, à pia matre (pater enim humanis rebus jam exemptus naturæ concesserat) est traditus; & cum fere decem esset annorum, sancto Petro est oblatus. Quem venerabilis abbas pio amore dilexit & majore, quam cæteros coætaneos ejus diligentia nutriri fecit. Audierat enim illum, & priusquam nasceretur divinitus prænuntiatum, & piâ matris ejus operâ, mirabiliter id agente Deo, contra patris ejus votum Deo dicatum. Ideo & ex studiis & qualitate morum ejus conjiciebat pius pater, quantus & qualis, si adolescet, ille puer esset futurus. Omnia enim, quæ in illo considerabat, bonæ spei erant argumenta. Incedebat quippe humiliter inclinato in terram capite, humeris dejectis, manibus & pedibus, & brachiis pulchre compositis, oculis submissis & humiliter respicientibus, rarus in ore risus, & ipse tenuis erat & moderatus, in genis lachrymæ deprehendebantur frequentius. Morum autem elegantia & animi sapientia simul cum ætate in eo crescebant. In interrogationibus cautus, in responsionibus velox & providus erat. Studiis adeo deditus, ut E nulla hora competens illum præteriret, quin legeret, aut scriberet, aut dictaret; aut de quacumque quæstione agitaret. In brevi tam ornatu morum, quam eruditione septem artium, quas liberales dicimus, factus philosophus, magnæ admirationi adhuc adolescentulus eruditissimis senibus fuit.

EX MS. *c*

12 Cùm igitur his virtutum gradibus ad veræ philosophicæ sapientiæ arcem venerabilis abbas, illum videret conscendere, cum decimum septimum ageret ætatis annum, fecit eum ordinari subdiaconum, à viro sanctissimo Gerardo Cameracensium episcopo, à quo in annis puerilibus lector vel acolythus jam fuerat ordinatus. Cùm verò esset annorum novemdecim, professus obedientiam, & sanctæ regulæ disciplinam *d*, ipse abbas Richardus eum monachum ordinavit, & processu temporis ad diaconatus gradum ab eodem episcopo Gerardo eum promoveri fecit. Appetebat autem familiaritates eorum, quos videbat religiosiores hominum, maximè abbatum & monachorum, se suumque propositum commendans orationibus eorum. Zelabatur autem virtutes omnium, componens vitam suam imitatione F aliorum. Illius enim humilitatem, istius obedientiam sectabatur, istius se informabat simplicitate. Illum frequentius orantem, istum imitabatur studiosius legentem. Cum illo caritate certabat, istum patientia superabat. Ad obediendum semper paratus, mirabilis erat omnibus: castitati vero luxuriam subdidit, & incentiva vitiorum, & ipsos, qui non desunt in senibus, naturales corporis motus, lectionum assiduitate, vigiliarum instantia, & orationum frequentia in lascivientis adolescentiæ annis viriliter compescuit & frenavit.

regulam S. Benedicti professus,

d

13 Quidquid in se culpabile reprehendebat, mox insequebatur lacrymis & puniebat, ciborum & potûs abstinentiâ corpus tenuabat, non quidem quantum volebat, sed in quantum abbas permittebat. Vigiliarum porrò ita studiosus erat, ut numquam vel cum cæteris vel post cæteros aliquis de lectulo surrexisse eum viderit. Numquam eum nocturnales vigiliæ dormientem vel quiescentem deprehenderunt. Silentio autem ita erat deditus, ut vix loqueretur, nisi horis competentibus, & tunc etiam interrogatus. Et cum tot & tantis polleret virtutibus, tamen quod difficil-

ob bonos mores scholæ præficitur,

EX MS. difficillimum est, omnibus erat charus; ipsi verò abbati Richardo, quo amplius meritorum gratia illum cæteros præcedere videbat, eo præ cæteris gratior erat. Et quia adolescentem acris ingenii consideravit, non solum ornatum maturitate morum, sed & eruditione septem artium, quas liberales vocant philosophi; præcepit eum esse custodem & institutorem puerorum, scholaris disciplinæ magistrum. Ille autem obedientissimè paruit, & plures discipulos habuit, quos non solum apprimè litteris, sed etiam bonis moribus instituit, & æmulos sui ad virtutum fastigia promovit.

& abbatem suum exautoratum e

14 Eo tempore frequenti suggestione invidorum Reinardus *e*, tum Leodiensi ecclesiæ antistes impulsus, quem venerari debuerat, infectabatur, & invisum habebat eundem sanctum abbatem Richardum. Ille cogitans grave esse potioribus resultare, & alterius culpam resistendo suam facere, simul & exemplo Domini potius amplectens calumniam sustinere, quam se (cum irreprehensibilis esset) ratione defendere, reddita episcopo abbatia Lobiensi, Virdunum, ubi etiam monachis sancti Vitoni *f*, præerat, recessit. Quod Theodericus graviter dolens, & magistri desiderio ardens à monasterio profugit, & uno puero comitatus Stabulaus, ubi illum concessisse fama sibi murmuraverat, ad abbatem Popponem venit: qui & ipse è numero discipulorum magistri sui fuerat, multaque obedientia & cæterarum virtutum culmine promotus eidem cœnobio, item & aliis multis prælatus, in disciplinam doctoris sui ibat operibus. A quo festivè exceptus, triduo ejus officiosa charitate usus est.

f

B

sequi prohibitus, g

15 Postea cùm stratis caballis Virdunum usque vellet abbatem Richardum prosequi, equus ejus uno pede subitò claudus, profectionem impedivit. Quod abbas Poppo *g* cur accidisset, prudenter intellexit, & adolescentem pro culpa fugæ increpavit, & agentem pœnitudinem blandè consolatus, ad locum suum mox, non claudicante equo, remisit. Qui ad monasterium reversus, multo omnium est favore receptus; & jam in eo præsidentem invenit Hugonem *h*, de quo fertur, quod à pueritia in eodem monasterio institutus, Deoque placita & hominibus laudabili conversatione monachus probatus, ab ipso venerabili abbate Richardo fratrum præpositus fuerit constitutus, illoque amoto & recedente omnium fratrum pari acclamatione ab eodem Rainardo episcopo abbas substitutus. Qui sciens, qua via Theodoricus ab infantia nisus, quamque prædecessori ad obediendum in omnibus fuisset paratissimus, multis experimentis conatus est explorare, utrum in ea, qua cœperat, perseveraret boni propositi intentione. Ille autem, quæ imperabantur, omnia obedienter aggrediebatur, & cooperante secum gratia Dei, quamquam aspera & factu difficilia abbatis sui præcepta faciendo ostendebat facilia. Unde apud illum tantæ dilectionis loco est habitus, ut præ cæteris obsequiorum ejus servitiis uteretur gratius; ac specialis gratiæ affectu colloqueretur frequentius, arcanaque sua cum illo communicaret familiarius.

h

C

sacerdotio initiatur,

16 Evolutis autem post hæc aliquibus annis, cùm virtutum profectu jam multis innotuisset, rogatu abbatis sui, invitum & reclamantem, ac lacrymosis vocibus se indignum protestantem, ordinavit presbyterum prædictus Cameracensium antistes Gerardus, decimo sexto Calendarum Julii, anno postquam natus fuerat trigesimo nec adhuc pleno. Deinde omnes præteritos labores nihili pendens & quam gravis farcinæ fasce nunc demum premeretur inspiciens, prioris vitæ propositum ita immutavit & consuetudinem, quasi tunc primum noviter Domino servire inciperet. Petita igitur ab abbate suo benedictione austerius vivendi, primùm sibi proposuit, ut semel quotidie comederet, nec umquam vel in diebus Dominicis, vel ullis solemnitatibus, nisi gravissimæ ægritudinis molestiâ jejunium solveret. Quod à trigesimo usque ad octogesimum, quo mortuus est anno, per annos fere quinquaginta inviolabiliter tenuit, sicut eorum, cum quibus vixit, testimonio comprobamus.

D

& austeriorem vitam ducit.

17 Cilicium autem per ipsos quinquaginta annos deponere vel ad momentum, nulla infirmitas ei persuadere potuit. Balneorum verò mundities, nec pro remedio sibi umquam adhibuit: docebat enim illam carnem non indigere lavatione, quæ putredo & vermium cibus paulo post deberet esse. Extenuabat se abstinentia graviore, & quotidiana major atque robustior fiebat exercitatione. Creber in vigiliis, in oratione assiduus, in lectione sanctarum litterarum & Scripturarum ita erat studiosus, ut eas & memoriter teneret, & earum quæstiones quamvis difficillimas & obscuras citò exsolveret. Sed quid per universa discurro? Dum enim in singulis cogit me immorari pia recordatio Theoderici, præcepta non servo dicendi.

E

In monasterio Stabulensi litteras docens;

18 Talis igitur de Theoderici virtutibus fama cum per vicina iret monasteria, abbas Poppo, de quo paulo superiùs prælibavi, eum sibi præstari, & in Stabulensi monasterio scholasticum impetravit fieri. In quo monasterio multos adolescentium suo vivere instituit exemplo, quos scientiâ tam divinarum quam scholarium litterarum apprimè instruxit: & disciplinæ regularis institutione & morum compositione, ad veræ philosophiæ studium excitavit; ac arenosam atque sterilem & spinosam cordium eorum terram, fructiferam reddidit assiduâ doctrinæ culturâ. Erat enim ad docendum idoneus, & ad interrogata respondere semper paratus, atque ad differendum, quæ videbat, facundus. Habebat verò consuetudinem ab adolescentia omni tempore vel æstatis vel hyemis anticipare vigilias matutinales: & quia totis diebus exercebatur lectionibus, noctes deputaverat orationibus.

F

dæmonem monacho infestum

19 Tunc quoque quadam nocte solitò surrexerat, & in oratorio sancti Nicolai, quod contra claustrum monasterii ejusdem situm est, ad dextram intrantibus contra meridianum ante altare jacebat profusus in oratione. Interea unus de monachis, & ipse habens propositum prævenire alios, surrexit; & ibat ad monasterium causâ orationis. Et ecce cùm ante fores prædicti oratorii venit, vasta mole metuendus, picea specie terribilis, ardentibus minax oculis, sulphureo fœtore intolerabilis, inter illum & ostium subito medium se opposuit dæmon. Isque ingressu arcens monachum; Unde tu quoque hic, cùm cæteros placida quies his horis foveat? dixit; aut quo vadis, aut quid quæris? Tune etiam hinc me arcere paras vigiliis & orationibus, sicut qui continuis precibus Nicolaum huc allexit iste, qui intro jacet Theodericus? Cujus nisi præsentiam vererer, jam te hoc (videbatur autem immanem quassare tridentem) usque ad mortem cæsum, quid possem, ostenderem.

signo crucis fugat,

20 Ad hæc monachus non valens ferre amplius, cujus vel solummodò visu plures potuisset terrere, cecidit: & quanto potuit majori

A jori voce, Succurre domine Theoderice, ſuccurre, ingeminavit. At Theodericus clamore fratris actus, ab oratione ſurrexit, & aperto oſtio, lumine etiam adhibito, hunc miſerum monachum vidit jacentem, inde autem nigrum Æthiopem tamquam victo inſultantem. Sed non & ipſe territus ſignum crucis adverſus hoſtem extulit, & cum ſigno hunc verſiculum cantavit: Per ſignum crucis de inimicis noſtris libera nos, Deus noſter. Tunc dæmon, quod in ſe libratum fuerat, non ferens telum, evanuit pulſus & virtute trophæi & meritis Theoderici. Ad monachum deinde venit, ſuper exanimatum incubuit, orationem pro eo fudit, data manu eum erexit, in oratorium ſecum introduxit. Facto mane, frater ille jam incolumis, ad abbatem & fratres venit; quid vidiſſet, quid audiſſet, quid ſibi contigiſſet, adhuc tremens & pallens retulit, primuſque meritorum & virtutum Theoderici aſſertor verus & teſtis fuit.

21 Alio quoque tempore, dum idem venerabilis abbas Poppo iret Leodium, habebat in ſuo comitatu eumdem Theodericum. Cumque veniſſet ad fluvium, quem Amblevam *i* dicunt, *& in itinere quodam* *i*

B ipſe abbas & cæteri comitum ejus recto itinere ad vadum abierunt, & omnes illæſi quidem, multa tamen * difficultate, tranſierunt: nam hibernis imbribus intumuerat & undanti gurgite ſpumens ſaxa & radicitus convulſas arbores, ut ſolet, volvebat. Ventorum etiam flatus vehemens denſas hinc inde agebat pluvias. Theodericus autem, ut forte poſt alios intentus cantico pſalmorum, cooperto ex capitio capite ſequebatur longe, anfractu viarum in diverſa ducentium ſeductus, & cæteris præeuntibus, ſiniſtrorſum deviavit ab itinere ſolus, ſecutuſque, in quam inciderat, ſemitam, pervenit uſque ad aquam. * *Mab.* nulla

22 Illic pons eſt ligneus in medios quidem agros, ab utraque fluminis ripa diſtentus; in medio autem propter hibernas aquas longe elatus, ſed ita anguſtus, ut neque equis neque bobus vel aſinis poſſit eſſe aliquo modo pervius. Soli autem pedites illò tranſire ſolent. Ad hunc Theodericus veniens, neque quam anguſtus & invius eſſet prævidens, equo ſedens aſcendit, & tamquam per latam & ſpatioſam iret viam, intrepidus pertranſivit, nec primum reſpexit quàm

C cum de ponte deſcenderet: mirantibus & prædicantibus ſociis divinæ virtutis gratiam; in ſuo facto ipſe ſtupuit. In quo nimirum rectè ſapientibus conſiderare liquet, quod ille per mediam ventorum rabiem, per ſubtus frementis fluvii undantes fluctus, per ſupra ruentis pluviæ procellas Theodericum ſtricto limine pontis duxit, qui tumentes vortices pelagi ſtravit pedibus Petri. Sed iſte cum periculi magnitudinem reſpexit, tamquam in medio periculi poſitus, valde expavit. Sancti namque viri hoc proprium habere ſolent, ut cum miraculorum operibus clareſcunt, ne per elationem intumeſcant, homines ſe eſſe recognoſcant. *magnum mortis periculum evadit.*

23 Igitur Theodericus, & ſanctæ vitæ converſatione, & ſignorum atteſtatione jam apud multos in magna veneratione habebatur, eratque pia concertatio inter religioſos abbates, ut alius ab alio eum præriperet. Nam & Wallerammus *k* ex Comite converſus monachus, mox autem poſt beatæ recordationis Richardi abbatis deceſſum, dignus ſucceſſor in monaſterio ſancti Vitoni, quod eſt in territorio Virdunenſi, à Stabulenſi cœnobio, annuente ſuo abbate Hugone, illum abduxit; ubi triennio vel amplius commoratus, plurimos habuit auditores, quos radiis ſuæ doctrinæ illuminavit & timorem Dei docuit, ac in ſervitio Dei tam factis quam verbis informavit. Rodulpho etiam Moſomenſi *l* abbati præſtitus, ſapientiæ ſubtilitate, & obſervatione cœnobialis vitæ ſpectabilis, multis ſe ſpectabilem fecit. Poſtremò ad plurima loca miſſus, inter multos converſatus, & ut omnia brevitatis causâ & cingulo * conſtringam, quocumque abiit, inter quoſque fuit, irreprehenſibiliter ſemper vixit. *Cum Virduni tribus annis docuiſſet,* *k* EX MS. *l* * *forte* ſingula

24 Sed interea cùm videret plurimos Hieroſolymam ad ſepulcrum deſideranter tendere, ipſe quoque ſimili flagrans deſiderio, cœpit eódem proficiſci velle. Paratis igitur tanto itineri neceſſariis ſumptibus, indultaque ſibi ab abbate eundi licentia, cum aliis, qui pergebant, eſt profectus. Sed cùm in Hungariam venit, qui illum alio * labori deſtinaverat Deus, propoſitum ejus præpedivit. Nam turbata illic incurſione barbarorum republica, tam ipſe quam comites ejus tranſire prohibiti Pannoniam *m*, converſi multa difficultate venerunt ad urbem Romam, habentes votum inde ad montem Garganum *n* ire per Apuliam, atque inde Adriatico mari tranſferri Conſtantinopolim indeque Hieroſolymam. Sed poſtquam in baſilica beati Petri corpore & meritis glorioſa coram ipſo ſancto Apoſtolo uberrima lacrymarum effuſione, & multa cordis contritione, Deo omne deſiderium animæ ſuæ effundit, poſt orationem egreſſus, Theodwinum *o* Leodienſis eccleſiæ præſulem genibus ad baſilicam per gradus nitentem offendit, & cum eo plures amicorum ſuorum, inter quos & Anſelmum *p* ſancti Lamberti canonicum, pro ingenii claritudine, & morum nobilitate jam à puero in amicitiis ſibi familiariſſimum, miratus inſperata novitate præ gaudio cœpit flere, videns notos ſuos denuò, quos non putabat à ſe videri poſſe. *cœptum iter Hieroſolymitanum abrumpere* *m* E *n* *o* *p*

25 Et ingreſſus intravit cum illis in eccleſiam, benedicens Dominum, qui eos tam inopinate, tam bene, tali in loco, tam longe à ſe diviſos inſimul adduxerat. Sed protendente epiſcopo orationem, dum aliquos comitum ejus, de ſtatu religionis & monaſterii ſui conſuleret, inter cætera dictum eſt illi, quòd defuncto Hugone abbate ſuo Lobienſem abbatiam jam reddidiſſet idem Theodwinus epiſcopus Adelardo *q*. Tali nuntio attonitus, pro dulci pietate, & pia patris ſui Hugonis defuncti recordatione, lacrymas fudit, & pro tempore ejus animam Deo, ac ante cujus ſacratiſſimam tumbam ſtabat, cæleſti Clavigero commendavit. Epiſcopo autem deſcendente de oratorio *, procidit ad pedes ejus coram altari ipſius ſancti Apoſtoli, gratias agens ei, & pro ſui loci, hoc eſt, Lobienſis eccleſiæ relevatione, & pro condiſcipuli ſui Adelardi, quem præ cæteris confratribus ſuis unicè ſemper dilexerat, ad abbatiæ dignitatem promotione. Erat enim Adelardus in ſtudio laborum nitens, ante alios quidem Lobienſes monachos proximus huic, ſed longo ſequens intervallo ad bravium virtutum, prudens, ſobrius, patiens, humilis, pudicus; præterea & aliarum virtutum inſignibus adornatus. *& ſubſiſtere cogitur in Italia,* F *q* * *al.* ſtratorio

26 Pontifex autem illum clementer erexit: quis vel unde eſſet, vel quo iret, quæſivit, cognitoque homine, & auditis difficultatibus peregrinationis ejus, eum ad ſuum ſecum venire jubet hoſpitium. Et ſuggerente Anſelmo, quod vix aut numquam cœptæ peregrinationis propoſitum poſſet perficere, diffuſis toto, ut fama erat, *ex qua ad cœnobium Lobienſe redit.*

EX MS. Adria piratis, ſemper prædæ & morti prætereuntium paratis, ſua auctoritate præcepit illi ad patriam & ad monaſterium ſuum redire, &, ſi Deus annueret, opportuniori tempore hoc repetere. Et quia non eſt hominis niti adverſus providentiam Dei, ut ſemper promptus erat obedire majoribus, paruit; & à Roma uſque Leodium comes ejus venit. Sed inter veniendum conſiderans antiſtes divinam in eo gratiam, orandi devotionem, lacrymarum ubertatem, jejunandi virtutem, ſilentii taciturnitatem, eloquii venuſtatem, & omnium morum ejus admirans gravitatem, inter amicos eum dignatus, familiari ejus colloquio frequentiſſimè fuit uſus; venienſque domum honorificè ad monaſterium remiſit, & ſua aſſertione & teſtimonio venerabiliorem fecit.

ANNOTATA.

a *In editione Mabilloniana hîc interſeruntur ſequentia:* Sicut in ſuperioribus diximus. *Unde Mabillonius in notis ſuſpicatur, ab eodem biographo aliud quoddam opuſculum ſuum indicari, cum in hac Vita de virtutibus Lobienſium*
B *nihil dixerit. Sed propter omiſſionem horum verborum in codice Alnenſi dubitare poſſumus, an alteri codici illa verba non ſint adjecta ab amanuenſi, qui forſan alibi de laudibus Lobienſium ſcripſerat.*

b *Illuſtre monaſterium Ordinis Benedictini, quod ſecundo milliari à Binchio Hannoniæ oppido diſtat, de quo in noviſſima editione Galliæ Chriſtianæ tom.* 3 *col.* 79 *plura indicantur.*

c *Richardus ille ex abbate Virdunenſi factus eſt abbas Lobienſis, cujus duplex Vita apud Mabillonium inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini ſec.* VI *part.* 1 *legi poteſt. In apographo noſtro Alnenſi venerabilis hic vir laudatur hac inutili & odioſa comparatione:* Abbas Richardus vir, quo illa ætate nihil habuit Gallia clarius, licet reverendi abbatis Willelmi & apud Italos & Francos jam præferretur diſciplina; quamquam Odilonis æquè abbatis inter monachos celebre nomen haberetur; nec non Agrippina civitas exultaret Heriberti ſanctitate; ſed
C & Legia beatam ſe prædicaret ſancto Walbodone; Virdunum quoque gloriaretur ſuo Hannone; Carnotenæ autem decus urbis melliflui oris facundiâ clareret Fulbertus. Qui videlicet abbas Richardus tamquam lucifer matutinus inter minora ſidera effulſit, & latè ſpargens ſanctarum virtutum rutilantes radios, cæleſtis prædicationis jubare totam Belgicam, Germaniæ etiam partem maximam illuſtravit, innumera monaſteria circumivit, agreſtes à cultu pietatis eorum animos ad religionem, unde erraverant, revocavit, & ſuo eos exemplo vivere inſtituit: quem ſi, ut fuit, vellem laudare, fateor nihil dignum tanti viri virtutibus poſſem dicere. Hoc tantum tamen de illo verè & fidenter dixerim, quod quamvis ſicut homo vivere videbatur in terris, erat tamen ejus converſatio in cælis. *Iſtud elogium, quod in tribus codicibus Mabillonianis non occurrit, huic loco non convenit, & ab aliquo amanuenſi vel fautore Richardi hîc intruſum videtur. Quare hanc laciniam in Actis omiſimus, & hoc loco tranſcripſimus, ut fideliter Ms. noſtrum apographum ſequeremur.*

d *Si Beatus eſſet* annorum novemdecim, *quando obedientiæ & ſanctæ regulæ profeſſionem emiſit, ut hoc loco dicitur, quomodo biographus poſtea in fine Actorum aſſerit, hunc eumdem Abbatem octogenarium obiiſſe,* poſtquam monachum profeſſus fuerat anno ſeptuageſimo? *Sed hæc apparens contradictio utcumque conciliari poteſt, ſi Vitæ ſcriptor hoc ultimo loco primum monaſticæ vitæ exercitium vel potius antecedentem pueri decennis in monaſterio oblationem intellexerit, & antea locutus fuerit de ſolenniore regulæ monaſticæ profeſſione, qua priorem ſui oblationem ratam habuit.* D

e *Hic etiam* Reginaldus & Reginardus *appellatur, de quo noviſſima editio Galliæ Chriſtianæ tomo* 3, *col.* 854 *& ſequente conſuli poteſt.*

f *Iſtud Benedictinum ſancti Vitoni monaſterium olim in ſuburbio Virdunenſi, nunc in arce ſitum eſt, ut Sammarthani teſtantur.*

g *Poppo ab anno Chriſti* 1021 *monaſterium Stabulenſe gubernare cœpit, ibidemque anno* 1048 *ſepultus eſt.*

h *Hic abbas obiit anno Chriſti* 1053, *de quo ſeculum* VI *Benedictinum part.* 2 *pag.* 967 *& ſequentibus legi poteſt.*

i *Ambleva vel Amblevia, vulgò* l' Ambleve, *fluvius parvus Belgii, qui in Ducatu Luxemburgenſi oritur, & deinde per ditionem Leodienſem fluens, abbatiam Stabulenſem alluit.* E

k *Is in Hiſtoria Andaginenſi apud Martene tomo* IV *Collectionis ampliſſimæ col.* 923 *vocatur* Gualerannus, *de quo Calmetus tomo* I *Hiſtoriæ Lotharingicæ col.* 1081, 1090, *& in probationibus ejuſdem tomi col.* 209 *&* 210 *plura refert.*

l *Martene in notis ad Hiſtoriam Andaginenſem col.* 971 *monet, in indicibus abbatum Moſomenſium reperiri duos ejuſdem nominis abbates, quorum unus ab anno* 1031 *uſque ad annum* 1049 *præfuerit; alter autem anno* 1107 *obierit, niſi forſan error in iſtos indices irrepſerit.*

m *Quamvis olim Pannonia plures regiones complexa fuerit, quàm Hungaria, tamen hîc & alibi Pannonia pro Hungaria promiſcuè uſurpatur.*

n *Mons iſte celeberrimus eſt apparitione ſancti Michaëlis archangeli.*

o *Hic in cathedra Leodienſi ſedit ab anno* 1048 *uſque ad annum* 1075.

p *Iſte Anſelmus eſt celebris ſcriptor, & canonicus cathedralis eccleſiæ Leodienſis, ut Mabillonius & bibliographi paſſim notant.* F

q *De hoc Adelardo vel Alardo vide noviſſimos Galliæ Chriſtianæ editores tomo* 3 *col.* 85.

CAPUT III.

Munus abbatis ei reluctanti impoſitum, paterna cura tum de ſpirituali tum de temporali monaſterii ſui profectu, & alterum iter Romanum.

Abbate ſancti Huberti defuncto,

INterjectis verò paucis diebus, Henricus imperator legatos cum litteris eidem epiſcopo miſit, in quibus mandabat è numero illorum, quos beatæ memoriæ abbas Richardus inſtituerat, unum ſibi mitti monachorum, prudentemque religioſum ac litteris eruditum, quem in Fuldenſi *a* monaſterio inſtitueret ſcholaſticum. Ille Theodericum, ſicut à Roma uſque Leodium ſe teſte didicerat, ad hoc ſciens idoneum, exorato abbate, *a*

A abbate, à Lobienſi monaſterio eum revocavit, & Leodii, uſque dum ipſe ad imperatorem pararet profectionem, eum eſſe præcepit. Sed illis diebus divina diſpoſitione Andanii *b* monaſterii, ubi tranſlatus Leodienſium præſul quieſcit ſanctus Hubertus *c*, moritur abbas Adelardus *d*, vir carnis nobilitate ſatis clarus, ſed de cura religionis (cum ad cætera eſſet) minus ſtrenuus, quâm debuit. Cumque multi ad petendam abbatiam multo ſtudio ambirent; epiſcopus verò nullum niſi dignum præeſſe admittendum cenſeret; in monaſterio autem ſancti Huberti, idoneus inveniretur nemo (nam monachi negligentiâ defuncti abbatis, & nimiâ licentiâ corrupti, & à diſciplinæ jugo pæne omnes erant ſoluti) idem epiſcopus advocata religioſorum abbatum, & fidelium canonicorum concione ſeu congregatione, eſt conqueſtus de eccleſiæ S. Huberti dejectione *, de monachorum irreverentia & inordinatione; rogans ut ſecundum inſpiratam à Deo ſibi ſapientiam indicaret unuſquiſque, quomodo illi loco ſuccurrere, vel quem ibi poſſet præficere.

b *c* *d*

* *al.* direction

B 28 Tunc aliis diverſa agitantibus, aliis hos atque illos attollentibus atque collaudantibus, pleriſque autem, ut monachis clerici pro eis in eo monaſterio ſubſtituerentur, perſuadere nitentibus, atque aliis alia conſiliantibus, nullis verò convenientia dicentibus, Anſelmus, de quo nobis ſuprà mentio fuit, vir nobilis genere, ſed nobilior moribus & eccleſiaſtica religione, facto in ſe ſpiritu Dei: Cùm ſimus, inquit, congregati in nomine Domini, non eſt æquum nos in cauſa Dei, ſicut in hominum cauſis, gratia aut favore duci. Et cum præſentem habeamus hîc fratrem Theodericum à pueritia ſemper bonis moribus inſtitutum, quem vitæ merita majori etiam prælatione atteſtantur dignum: ſi Domino epiſcopo videtur & vobis, cur aliàs quæratur, quod opportunè nobis divinitus directum hîc habemus? Aderat enim & ipſe inter reliquos huic conſilio, nil minus quam de illa abbatia cogitans. Ad hæc multi læto & concordi clamore excipiunt nomen Theoderici; pauci, quibus privata utilitas bono honeſtoque communi potior, apud quos honeſta atque inhoneſta venalia facere nec pudor nec crimen erat, non hoc rectum

Beatus noſter inſcius

C ſibi videri: ſed potius quia ad hoc à monaſterio ſuo adductus eſſet, pro religione inſtituenda in monaſterio Fuldenſi ex præcepto & rogatu imperatoris cenſebant eum debere mitti.

29 Sed publici Montis abbas Stephanus *e* canitie reverendus, converſatione angelicus, imperato ſilentio, ait, quòd monaſterium ſancti Huberti, quod eſt ſub cura atque providentia Leodienſis epiſcopi, pro refrenanda regularis diſciplinæ cenſura, religione eget Theoderici: Fuldenſis autem eccleſia quid nobis attinet? Hujuſmodi autem monachorum tanta nobis penuria eſt, ut (quod pace aliorum dictum ſit) in omnibus monaſteriis noſtris, vitæ probitate, par hujus necdum poſſit inveniri. Ideoque quia ad hoc Deus eum huc opportunè deſtinavit, conſtituat eum abbatem, ſi placet Deo, & ſibi dominus epiſcopus, quia ſe ab ea parte hoc faſce levabit ſecurus. Dixit, &, vocante epiſcopo, converſis omnium ſtudiis, de loco, ubi deliteſcens inter ſtrepitum turbæ jam meditabatur fugam, eum levavit; ac renitentem & retrahentem, impellente quoque eum Gonzone *f* Florinenſi abbate, attraxit & epiſcopo præſentavit. Erant autem hi duo ſenes, ſicut ætate & canitie, ita pares in ſancta religione, è numero diſcipulorum ſancti illius Richardi; illo quidem vivente inter primos habiti; ſed defuncto jam ſupra cæteros maximi. Erant enim longe diſſimiles ab illis eccleſiarum rectoribus, quos hoc tempore principari videmus; caſti, ſobrii, humilitate, charitate, cæteriſque virtutibus fundati & radicati; in converſatione corporali angelorum incorporalium vitam ſtudebant imitari.

& reluctans e

f

EX MS.

30 Horum laudibus operam dare prohibet intentio propoſitæ de Theoderico materiæ. Qui videns vires ſuas hoc negotio minores eſſe, ſcienſque, quòd judicium duriſſimum eſt his, qui præſunt, ubertim profuſis lacrymis inter ſingultus & gravia ſuſpiria, ſe indignum clamabat, & frequenter ſe pedibus epiſcopi advolvens, ne tanto onere ſe premeret, importunis precibus orabat. Vocabatur ergo & contemnebat; impellebatur clamore & multitudine, & refugiebat, urgebatur ſuſcipere virgam curæ paſtoralis, & renuebat. Sed non fuit poteſtas diu reſiſtere ordinationi divinæ: diu enim luctans, coactus tam auctoritate epiſcopali, quàm ſeniorum increpatione, ſuam damnare ſententiam, tandem ceſſit, E & quod jubebatur, onus regiminis fratrum ſuſcepit. Deinde mox poſt ſolemnia proceſſionis (erat enim illa dies Purificationis ſanctæ Mariæ) ordinatus & conſecratus, deducentibus ſe, qui affuerant, ſeptem abbatibus, & multa clericorum & populi turba, proceſſit abbas appellatus.

præeſſe cogitur huic monaſterio,

31 Veniens verò ad ſancti Huberti, cui prælatus erat, monaſterium, exterioribus quidem rebus locum ſatis invenit nudum ac deſolatum: quod quidem videbatur tolerabile & reparabile damnum; ſed interior loci facies fœda erat & inordinata, ac pæne à religione extranea. Monachi namque prædeceſſoris ſui ſocordiâ corrupti, deſideriorum voluntatem pro lege habentes, quidquid volebant, vel appetebant, ſanctum & juſtum prædicabant; & quod eis diſplicebat, hoc non licere putabant: monaſticæ verò religionis inexpertes, ignari, agreſtes, incultique non admittebant corda ſua excoli vomere verbi Dei. Quod vir Deo plenus ubi advertit, angebatur quidem ſed mediocriter de rerum penuria exteriorum, quoniam illud videbatur tolerabile malum & reparabile. Sed concitabatur immodicè ſpiritus ejus intra ſemetipſum, videns animas fratrum diabo- F lici inſtinctûs admiſſione fauciatas tendere ad mortem. Invigilabat ergo jugiter cuſtodiæ ſibi commiſſi gregis, pie ſollicitus erat pro omnibus, congruenter medicinam adhibens ſingulis vulneribus. Et illos quidem ſui exemplo ad virtutes informare nitebatur. Alios autem ſeorſum blandis ſuaſionibus, ut bene agerent, hortabatur; illos increpando meliores, nonnullos regulariter feriendo laborabat reddere emendatiores. Omnibus autem in commune exhibebat fomenta adhortationum, medicamina Scripturarum divinarum, poſtremo addebat indeſinenter auxilium orationum ſuarum. Sed caſſus labor ejus erat, nihil enim ſua induſtria proficiebat. Illi enim (quia poſtquam cum ætate concreſcit pravus uſus, aut vix aut numquam corrigitur) male vivendi conſuetudines non relinquebant, mores malos, in quibus inoleverant, mutare, cruciatus illis erat. Si exhortationibus ſanctæ prædicationis convertere eos nitebatur, deridebant; ſi cenſurâ diſciplinæ regularis uti volebat, reſiſtendo & contradicendo repugnabant. Erant autem illorum aliqui de generis nobilitate tumentes, ſed moribus ignobiles, vita contemptibiles, ſcientia deſpicabiles, ideoque

in quo reperit monachos aliquot rebelles,

EX MS. que ſanctæ regulæ & obedientiæ contemptores, & ad bene agendum debiles & inſipientes, atque ad malefaciendum fortes & ſapientes.

quorum præcipuus inſtigator

32 Hi veſaniæ ſuæ caput conſtituerant quemdam Lambertum ſuperbiâ elatum, vita incompoſitum, jactatione diſſipatum, laſcivia reſolutum, moribus levem, verbis arrogantem, & omni ſua compoſitione deteſtabilem Iſte arrogantia vanæ nobilitatis inflatus, cæteros poſt ſe trahebat omnes ſolus, in quocumque facinore aut culpa deprehenſi forent, defendebat; & ipſe viciſſim omnium conſpiratione, quamquam manifeſti reus ſceleris, tutus erat. Hic ſancto viro publicè & privatim multas inferebat injurias, & omnibus, quæcumque dicebat, nimis mordaciter reſiſtendo obviabat. Ille autem inſana convitiorum ejus jacula virtutum clypeo repellebat, & furioſi hominis rabiem nimis patienter ferendo augebat. Laborabat tamen modò precibus, modò perſuaſionibus, & aliquando æterni gaudii promiſſionibus, interdum exaggeratis infernalium dolorum terroribus miſerum corrigere. Orabat quoque frequenter, ut Deus ei cor intelli-
B gens daret, & beſtialem ejus mentem ad humanitatem converteret. Ille verò ſicut vanus & lubricus, unde, ſi ſaperet debuerat eſſe emendatior, ſemper fiebat deterior, & quotidiano malitiæ augmento, erat ejus pravitas oneroſior.

mira viſione

33 Sed etiam in iſto Deus oſtendit & quia multum valeat deprecatio juſti aſſidua, & quia de divina miſericordia ſit præſumendum, nec de peccatore deſperandum. Nam poſt multas exacerbationes, poſt graves convitiorum contumelias, quas ſancto viro per duos fere annos continuè ingeſſerat, idem Lambertus, quadam nocte ad nocturnales vigilias ſurrexit, ſuo ordine lectionem lecturus: propoſuerat autem in corde ſuo, & cum ſociis malitiæ ſuæ adjutoribus condixerat; quod tranſiens ante abbatem, neque ſolitam veneracionis reverentiam illi exhiberet, neque benedictionem lecturus peteret. Ibat ergo cervice erecta, oculis inſanæ mentis furorem vomentibus ferens ſuperbiam. Stultorum autem ſociorum certiſſima expectatio erat, indubitanter eum facturum eſſe, quod jactaverat. Sed ubi ante abbatem venit, illoſque ſublimes oculos ſubitò in
C eum reflexit, puerum candoris nivei, vultus ſiderei in ſinu ejus vidit, illi blandum, ſibi terribilem; illum dulciſſimè lenientem, ſibi graviſſimè minitantem. Mox, corripiente ſe Deo, intremuit, eodemque momento fugiente, qui diu miſerum captivum poſſederat ſuperbiæ dæmonio, alio ſpiritu afflatus, beſtialem animum mutavit, humili veneratione abbati inclinavit, ad legendum

* *Id eſt* pulpito

in analogio *, quod poſt tergum abbatis conſtitutum fuerat, proceſſit, ſtupentibus veſaniæ ejus ſociis tam ſubitam ejus mutationem. Humiliter benedictionem petiit, tremens & anxius legit: inter legendum ſemper obliquo lumine reſpectans, ne forte, quem videbat de ſinu abbatis puer deſiliret, & propter multas iniquitates, pro quibus illum teſtis exagitabat conſcientia, impetu in ſe facto, eum occideret. Tamen ut vix tandem perlegit: quia non erat, locus declinandi, eódem, quò venerat, pæne moribundus regrediens, humilius adoravit. Utque ad locum ſuæ ſtationis rediit, cum quam iniquè hactenus vixerit, ante mentis ſuæ oculos adduxit, amariſſimè flere cœpit. Cumque nequitias ſuas renumerare cœpit, quòd morte dignus, miſericordia autem Dei eſſet indignus, ipſe fuit judex ſuus. Mirati inopinatam ejus converſionem ſocii, alii, qui viciniores ſtabant, quid haberet, quid tremeret, D quid fleret, ſciſcitabantur: alii ſignificationibus ſolitis de choro eum revocare nitebantur. Ille autem in eum, quem in ſinu abbatis videbat & timebat, puerum defixis obtutibus hærens, & lacrymarum profuſione, in delictorum ſuorum renumeratione fervens, nec interrogantibus penitus reſpondit, nec vocantibus cedens, chorum exiit,

ad frugem redúcitur,

34 Expletis autem matutinalibus hymnis, egredientibus cæteris, in monaſterio manſit, ad abbatem venit, pedibus ejus ſe proſtravit, peccata ſua humiliter multa lacrymarum atteſtatione confeſſus, veniam rogavit. Deinde quòd viderit ipſa nocte puerum in ſinu ejus, quomodo divinitus repentè correptus, ſuperbæ mentis mutarit inſaniam, adhuc tremens indicavit. Licentiam de eo monaſterio eundi ad aliud petivit, dicens ſe tantum peccatorem, qui tot immunditiis illum ſanctum locum toties polluerit, indignum ipſius ſanctitatis. Abbas autem vehementer obſtupuit, Deoque gratias egit, tam pro virtute miraculi, quod in ſe factum, dum fieret, ipſe neſcivit, donec eo, qui viderat, indicante co- E
gnovit, quàm pro converſione ejus, de cujus damnatione jam dubitari non poterat fratris. Cumque multis eum precibus rogaret, ne ſe deſereret, ſed remanendo, quibus exemplum mortis prius fuerat, exemplum converſionis & pœnitentiæ de ſemetipſo fratribus daret, penitus obtinere non potuit: dicente illo, & probabiliter ſatis oſtendendo, impoſſibile eſſe niſi ex inſpiratione divina alios poſſe converti, quamdiu ipſe eſſet cum illis. Abbas autem arbitratus ita, ut dicebat, eſſe, ſecurum ſua benedictione permiſit abire, & multis lacrymis proſequutus eum uſque ad januas eccleſiæ, imprecatus eſt illi dignos fructus pœnitentiæ.

ac ultro ſeveram pœnitentiam agit.

35 Ille autem, conſternatis, & multo timore concuſſis cæteris, abiit primo diei initio ſolus & incomitatus, mœrens & plorans, & multa contritione animi verum ſe pœnitentem oſtentans, amariſſimis fletibus puniebat, quas ſancto viro intulerat, injurias. Qui ubi ad Moſomenſe caſtrum pervenit, à Rodolpho ejus loci abbate, ulterius progredi vetitus reſtitit. Sub quo quidquid deinceps vixit temporis commoratus, cru- F
ra compedibus, brachia ſua manicis ferreis attrivit, lumborum prius effæminatam mollitiem cingulo ferreo conſtrinxit: omnes carnis laſcivias cilicino ſacco, quotidianis jejuniis, aſſiduis fletibus & vigiliis compreſſit & orationibus, donec beato fine conſummatus in Domino requievit *g*. *g*
In quo & merito prædicatur virtus Theoderici, & viſcera miſericordiæ Dei. Quis enim tam iniquum, tam ſuperbum, tam perverſi cordis monachum, qui eum noſſet, crederet eſſe ſalvandum? Sed gratia Dei præveniente & oratione Theoderici adjuvante, qui prius erat blaſphemus & ſancti viri perſecutor, miſericordiam conſequutus, factus eſt pietatis in ſe factæ annuntiator. Poſt cujus diſceſſum multi pœnitentia ducti, ſubjecti ſunt diſciplinæ regulari, obedientes præceptis, quem ante deſpiciebant, abbatis ſui. Pauci verò ſenſu malo acti, receſſerunt de monaſterio profugi. Ita eccleſia ſancti Huberti ante depreſſa & humiliata, paulatim relevabatur, & ceſſante malorum improbitate, ſenſim creſcebat, confluentibus ad eam undique viris religioſis & magiſterio Theoderici ſe ſubdentibus. Et in quantum prius vitiorum fœditate contemptibilis & male diffamata fuit, in tantum poſtea Dei providen-

providentiâ & abbatis Theoderici labore & induſtria, creſcente numero fidelium, claruit glorioſa.

Beatus Abbas, fugato dæmone,

36 Videns autem humani generis inimicus religioſorum monachorum ſancta converſatione locum reſplendere; ſe autem pelli ſua, quam diu poſſederat, habitatione, torquebatur, & ſuo more, viro Dei frequenter inſidias moliebatur. Sed ille ſemper providus & circumſpectus, præcavebat & facilè ſuperabat omnes inſidiatoris conatus. Quadam autem nocte, dum ſecundum conſuetudinem, præventis matutinalibus * vigiliis, in oratorio intenderet orationi, ecce diabolus, aſſumpta ſpecie immanis cervæ, coram eo venit, & pulſu pedum, orationis ſtudium ei excuſſit. Quam ubi vir Dei vidit, nihil minus quam diabolum putans, quod videbatur, cervam eſſe, & illuc de ſylva actam credidit nocturno errore: & exiſtimans quia cellerarii incuria, cum ſero iiſſet cubitum, clauſtri oſtium reliquiſſet apertum, ſurrexit ab oratione; volens feram, priuſquam ad oſtium, per quod eam intraſſe putabat, reverteretur, prævenire & concludere. Illa autem greſſu modò cito, modò tardo ante ſequentem præcedebat, interdum quaſi expectans ſubſiſtebat, donec ad eam, qua veniebant, januam ſimul uterque venerunt; ſed ea clauſa prohibebat exitum. Tunc primum in ſe reverſus, fantaſtico errore ſeductum ſe intellexit: moxque ſaluari ſigno crucis ſe muniens: Ecce crucem Domini fugite partes adverſæ, exclamavit. Seductor autem virtutem crucis non ferens diſparuit; tantoque ſonitu ac fremitu aufugit, ut quaſi vehementi turbine fratrum omne dormitorium videretur corruiſſe, ſatiſque patuit, diabolum ex eo tempore illum locum multum infeſtaſſe, ſed minus prævaluiſſe.

* *Mab.* nocturnalibus

B

varias poſſeſſiones

37 Compertum habemus ex tunc, cum numero fidelium creſcente religione, cenſum eccleſiæ affatim creviſſe, tam in agrorum & prædiorum ac eccleſiarum augmentatione, quam in reddituum multiplicatione. Nam & Arnulphus comes de Warche *h* impulſus famâ virtutum Viri Dei ultro ad eum venit, & licèt homo multæ vanitatis & levitatis, qui ſicut arundo in utramque partem facile poſſit agitari, prædicationem ſalutis ab eo audivit, conſilia vitæ ſibi ab eo data libenter admiſit, & pro redemptione vitæ ſuæ & ſuorum, eccleſiam in honore ſancti Sulpitii conſecratam in villa, quæ vocatur Pyros, & quidquid ad eam pertinens ſui juris erat, ſancto Huberto dedit, ac præſentibus multis nobilibus & illuſtribus viris; legitima traditione filiis & uxore præſentibus perpetualiter confirmavit. Cujus rogatu poſtea venerabilis abbas Theodericus monachos ex ſuo cœnobio in ea conſtituit, ſuntque ibi viventes ordine regulari ſub abbate ſancti Huberti. Sed & Laudunenſis caſtri epiſcopus Elinandus *i*, homo in adminiſtrandis epiſcopii rebus & publicis utilitatibus ſatis idoneus, odore virtutum ſancti Theoderici impulſus, crebris allegationibus eum ad ſe venire fecit: collocutus cum eo, inter amicos eum ſummum habuit, ſe omniaque ſibi commiſſa ejus orationibus commendavit. Deinde precibus ejus obſtrictus, eccleſiam ſanctæ Mariæ in Evernei-curt ſancto Huberto tradidit, & deputatis de eodem monaſterio ſancti Huberti ibidem monachis, ſua auctoritate & multorum aſtipulatione, omnis epiſcopalis ſervitii debito illam perpetuò abſolvit.

h

C

i

k monaſterio ſuo acquirit,

38 Similiter & Gervaſius Remorum archiepiſcopus *k*, in diſciplina liberalium artium apprime eruditus, vir ſecundum ſæculi dignitatem nobiliter natus, ad omnia ſagax & ſtrenuus, epiſcopatu quidem dignus, ſed natura & moribus plus quam oporteret, ferus: propter laudabilem converſationem ejus ſibi amicum eum fecerat; venientem ad ſe multa veneratione honorabat, optionem petendi tam pro ſua eccleſia, quàm pro quibus vellet, ipſi dabat. Multum ergo feritatis ab eo admonitus depoſuit, multa rogatus ejus causâ frequenter fecit. Et cùm pluribus eſſet frequenter immitis & truculentus, huic uni pro gloria & admiratione virtutum ejus, ſemper fuit mitis & placidus. Poſtremò altare illius prædictæ ſancti Sulpitii eccleſiæ, quæ ſuæ parochiæ erat; item & aliud altare ſancti Hilarii eccleſiæ, quod in vicinia Pyrenſis eccleſiæ eſt, ſancto Huberto tradidit, ac ſua auctoritate ab omni ſervitio epiſcopali utrumque altare deinceps perpetualiter liberum fecit.

EX MS.

& iterum Romam profectus,

39 Aſſumptis poſt hæc Vir Deo charus paucis ſecum ex fratribus, compoſitis in monaſterio rebus, Romam nudis & diſcalceatis pedibus ire propoſuit, ſicque Virdunum uſque perrexit. Ubi multo affectu charitatis ab epiſcopo Theoderico *l*, & majoribus civitatis exceptus, ut ſe calcearet & equo pergeret, annuit, rogante hoc epiſcopo per charitatem & aliis omnibus, maximè autem Ermenfrido magni præconii & religionis viro; de cujus continentia, qualiter ab adoleſcentia ſuccenſus igne ſuperni amoris in Dei ſervitio conſenuerit; quomodo boni propoſiti ſtudium uſque dum eum mors ceſſare compulerit, infatigabiliter tenuit; melius puto ſilere quàm parum dicere. Sed ad narrationem redeo. Igitur ubi præcepto epiſcopi & talis viri & aliorum petitioni parens, calceatus paulo longius ab urbe proceſſit, iterum detractis calceamentis, Romam perrexit. Cui cum ſui comites dicerent, quia non recte faceret, eo quòd charitati & præcepto tantorum virorum inobediens eſſet, reſpondit, ſe vere per charitatem præcipientibus obediſſe. Sed quia nemo illi diffinierat, quamdiu vel quouſque; poteſtati & arbitrio ſuo relictum eſſe, quando calceatus vel diſcalceatus vellet ambulare.

l

E

ad cœnobium ſancti Huberti revertitur.

40 Non ergo acutæ & incidentes petræ, non Alpinæ nives, non glaciali conſtricta frigore Italia, non aſpera montium juga, non grandines, non præcipites pluvialibus undis torrentes, denique nulla pericula, nullæ difficultates, poſtremò nullæ ſuorum comitum preces & lacrymæ propoſitum ejus potuerunt convertere. Sic itaque ad tumbam beatiſſimi Petri multa tandem difficultate & laſſitudine pervenit. Ibi multa contritione & gemitu quidquid habens * in corde ſuo profundens, ſeque & dominici ovilis cuſtodiam ſibi creditam, illi, cui in cælo & in terrâ primum dono dedit Deus jus ligandi & ſolvendi, committens; ſic quoque omnia Romæ Sanctorum oratoria uſque ad Lateranenſem baſilicam circumivit: ubi ab Alexandro tunc Papa Romano *m* multo affectu exceptus & ejus ſecreto ac familiari colloquio ſæpius uſus, poſtremò benedictione Apoſtolica ab illo confirmatus, ex præcepto auctoritatis ejus calceatus & equo domum eſt reverſus. Sed cum circa Alpes Julias *n* veniſſet, ex concepto pridem frigore reſolutæ omnes pedum ejus ungulæ ceciderunt. Ipſe quoque nimia laſſitudine, cum ſic eſſet confectus, ut niſi aſſiduè unguentis atque aliis juvaretur fomentis, vix valeret incedere: nihil tamen penitus de ſolita & propoſita pſalmorum & jejunii conſuetudine voluit remittere. Ita ad monaſterium

* *forſan* haberet

m

n

EX MS. rium denuo reverſus, cœpit denuò cuſtodiæ ſibi commiſſorum inſtare ſtudioſiùs.

ANNOTATA.

a *Eſt illuſtre & paſſim notum Ordinis Benedictini monaſterium in Germania.*

b *Eſt antiquum nomen hujus monaſterii, quod poſtea ob reliquias S. Huberti eò delatas, communiter ab hoc Sancto cognominatum fuit, ut in Commentario prævio monuimus.*

c *Joannes Robertus noſter Vitam, tranſlationem & miracula hujus ſancti præſulis libro edito fusè illuſtravit.*

d *Hic Adelardus ex ſcholaſtico ſancti Trudonis electus eſt abbas ſancti Huberti, quemadmodum noviſſimi Galliæ Chriſtianæ editores tomo 3 col. 970 tradunt.*

e *Hic Stephanus in Hiſtoria Andaginenſi apud Martene col. 924 vocatur* abbas S. Laurentii, *quod Leodienſe monaſterium forſan quoque nomen* publici montis *habuit. Ceterùm de obitu & inventione hujus Stephani laudatus Martene tomo* IV *Collectionis ampliſſimæ col. 1067, & ibidem in notis conſuli meretur.*

B f *Hic etiam vocatur* Gontho *vel* Wenſo, *cujus elogium apud noviſſimos Galliæ Chriſtianæ editores tomo 3 col. 977 & ſequente legitur.*

g *Converſio hujus Lamberti in Hiſtoria Andaginenſi apud Martene col. 924 & ſequente etiam narratur, ubi brevi ſecuta iſtius monachi pœnitentis mors indicatur his verbis:* Pedes Moſomum devenit; ibique tunc temporis vigebat regularis diſtrictio ſub abbate Rodulfo; ab eodem retentus ſubſtitit, poſtque duos ferè annos in luctu & pœnitentia perſeverans obiit.

h *Arnulfus ille in proximè citata Hiſtoria Andaginenſi col. 930 vocatur* Comes Chiniacenſis.

i *Guibertus abbas de Novigento lib. 3 Vitæ ſuæ cap. 2 electionem & præcipua hujus epiſcopi Laudunenſis geſta refert.*

k *Marlotus tomo 2 Hiſtoriæ Rhemenſis lib. 1 cap. 34 & ſequentibus Acta hujus antiſtitis Rhemenſis fusè refert.*

l *Geſta iſtius præſulis legi poſſunt in Chronico Virdunenſi, quod Labbeus noſter tomo 1 Bibliothecæ Mss. pag. 75 & ſequentibus edidit.*

C m *Hic indicatur Alexander II iſtius nominis Pontifex, qui ab anno Chriſti 1061 uſque ad annum 1073 cathedram ſancti Petri tenuit.*

n *Alpes Juliæ ſic dictæ à Julio Cæſare, qui primus iter per eas aperuit. Tacitus lib. 2 eas Pannonicas appellat, & nunc Carniolam ab Iſtria & Foro-Julio ſeparant.*

CAPUT IV.

Pia beati Abbatis ædificia, quædam miracula & itinera.

Abbatiam ſuam

POſt hæc conſiderans agreſtem & nimis inculcum loci ſitum: prædeceſſorum enim ſuorum, qui ante ſe monaſterio præfuerant, incuria nihil decoris loco illi addiderat: ſed ſicut

a à tempore Walcandi *a* Leodienſis epiſcopi, qui illuc ſanctum Hubertum tranſtulerat, eique aptum ac ſubitum opus ac domum conſtruxerat, ita quoque tunc erat; cœpit deſerta reædificaturus, diruta & vetuſtate conſumpta renovare, anguſta ampliare. Et cooperantibus ſibi ſui monaſterii præpoſitis, maximè Theoderico *b*, qui tanti patris heres & nomine & regiminis dignitate poſt illum meruit eſſe; Lamberto quoque, qui illi plus omnibus, in amicis familiariſſimus fuit, quique omnium laborum & periculorum ejus comes individuus permanſit, dejecto veteri & parviſſimo, quod ibi erat, clauſtro, novum & magnum, quale modo videtur, conſtruxit. Sed & oratorium ſepulchri Domini, ad meridianum monaſterii ædificavit. D *b*

novis ædificiis exornat,

42 Duo quoque oratoria ad ſeptemtrionalem plagam addidit; alterum quidem, quod eſt inferius in honore ſancti Andreæ apoſtoli: alterum verò, quod ſupra ipſum eſt, fecit venerabile memoriâ & patrocinio ſancti Nicolai. Cryptam etiam ad orientem baſilicæ pulcherrimo erexit opere; quam poſtea Henricus Leodienſis eccleſiæ antiſtes & Franco Bellegradenſis epiſcopus, ejus rogatu dedicaverunt in honorem nominis Domini Jeſu & ſanctæ Mariæ ſemper Virginis. Necnon & aliud clauſtrum pro foribus baſilicæ ad occidentem à fundamento conſtruxit. Non lon E ge verò à porta exterioris atrii ædificata ſpatioſa eccleſia, ſancto Ægidio eam voluit dedicari *c*. Cùmque deſiderio petendarum de Sancti corpore reliquiarum, ad ſanctum Ægidium *d* pergeret, per urbem, quæ dicitur Trecas *e*, iter habuit, & in ea hoſpitandi gratiâ nocte manſit. *c* *d* *e*

& in itinere Gallico

43 Mane facto dum comites pararent profectionem, ipſe ad eccleſiam perrexit, atque ex more ſacra Miſſarum ſolemnia celebravit. Ubi mulier quædam, quam diutinus febrium ardor coquebat, & à medicorum arte deſperata erat, auditâ de viri virtutibus famâ, habens fidem, ejus meritis ſe vere poſſe ſanari, quia ipſa per ſe ire non poterat, portari ſe fecit, atque quantis potuit vocibus, magno gemitu & lacrymis, ut ſui miſereretur, ut pro ſe Dominum rogaret, clamare cœpit. Ille, cujus cor à pietate extraneum numquam fuit, motus dolore miſeræ mulieris, eam ſilere & expectare fecit. Completis verò Sacramentis, manus aquâ lavit, ipſam aquam febricitanti fœminæ in potum dari juſſit. Mira res, & noſtris vehementer ſtupenda temporibus! Ubi mulier bibit, omnis illico ab illa paſſio receſſit, F tamque perfectè convaluit, acſi penitus nihil pertuliſſet infirmitatis.

duas mulieres ægras ſanat, *f*

44 Iterum in eodem, quo ad ſanctum Ægidium ibat, itinere, in domo quadam, qua hoſpitatus fuerat, mulier ex Sarracenis captivata de civitate Cæſar-Auguſta *f*, ſed in Chriſtum credens & baptizata jacebat omni membrorum parte invalida, quæ tum, quia diu languebat, tum quia, qui ejus curam gereret, proximorum neminem habebat, omnium cura & ſolatio erat neglecta. Quam forte ſedens ad cœnam vir venerabilis, ut ex magnis & crebris, quos dolor effundebat, clamoribus graviter torqueri animadvertit; atque quæ, aut unde eſſet, hoſpitis ſui relatu cognovit, motus vice & ſolitudine captivæ mulieris, paululum illacrymatus, preces pro loco & tempore ſilentio pro ea ad Dominum fudit; acceptaſque ciborum ſuorum reliquias per miniſtrum ſuum ei miſit, & ut in nomine Domini comederet illi mandavit. Miro modo, quæ magna ex parte jacebat præmortua, nihilque aliud quam ærumnarum ſuarum remedium mortem expectabat, ut ad perceptam ex viri Dei menſa benedictionem ad comedendum diu invalidum os aperuit, longus, qui eam cruciavit, languor reliquit. Atque

A que ut ſenſim recepta ſanitate convaluit, virtutum Theoderici prædicatrix apud multos fuit *g*.

& *Juliaci tertiam paralyticam*

45 Quodam autem tempore dum iret Coloniam, tam orationis gratiâ, quam pro utilitate ſui monaſterii, locuturus ſanctæ memoriæ archiepiſcopo Annoni *h*, in caſtro Juliaco *i*, quod ex nomine Julii conditoris antiquum adhuc ſervat vocabulum, Miſſam cantaturus divertit. Erat illic mulier longo infirmitatis morbo detenta, & ita omnium membrorum officio deſtituta, ut per novem menſes nec de lectulo ſurgere, nec niſi aliorum manibus de latere in latus ſe aliquo modo umquam potuerit convertere: quæ quia per tanti temporis ſpatium omnem cibum, omnem quoque exceptâ aquâ execrabatur potum, jacebat faſtidita etiam matris & omnium curâ proximorum; ſomni autem recreatio eam penitus refugerat, & quod mirum omnibus erat, in ſolo ſpiritu vitam morte graviorem trahebat. Hæc ipſa nocte ſomno repentè corripitur; atque à quodam venerabilis formæ viro monetur, ut mane ad eccleſiam ſe portari faceret, & de manu abbatis, qui in ipſa eccleſia Miſſam celebraturus erat, benedictum panem peteret: eoque B pro ſe orante, ſe recepturam ſanitatem certiſſimè crederet. Evigilans voce qua poterat matrem, & qui in domo erant, excitavit, viſionem retulit, atque ut id, quod erat imperatum accelerarent, inſtanter orare cœpit. Mirati omnes, quia nullum abbatem illic hoſpitatum ſciebant, illam delirare & fantaſiis, quibus plerumque infirmi illudi ſolent, dicebant deceptam eſſe. Illa verò non fantaſticum, ſed certum eſſe, quod audierat, proteſtante, in vicinia de illo abbate requiſitum miſerunt; ſed jam ad eccleſiam eſſe, jam ſacro altari aſſiſtere, qui miſſi fuerant, renuntiaverunt.

mirabiliter ſanitati reſtituit.

46 Protinus eam in ſella geſtatoria tulerunt, beatoque Viro, cum jam Miſſam finiſſet, obtulerunt, de ipſa viſione, ipſa atteſtante, referentes, atque pro ejus ſalute flebiliter eum rogaverunt. Sed ille diu reluctans ſuæque fragilitatem imbecillitatis accuſans, ſupra vires ſuas hoc negotium proclamans, tandem victus rogantium lacrymis & precibus, quinque oblatas benedixit partes, fuſaque ſuper infirmam oratione, in os ejus poſuit. Inuſitato noſtrâ memoriâ miraculo, quæ C diutina languoris paſſione jam uſum manducandi dedicerat, illico ſtupentibus cunctis comedit, & jubente Viro Dei domum relata, miſſoſque ab eo piſces accipiens, ſimiliter comedit, neque pòſt aliquem cibum aut potum faſtidiens, brevi convaluit. Revertenti de Colonia ipſi Abbati, quæ prius deſperaverat de vita, ſana occurrit, gratias Deo & illi pro reddita ſanitate egit, obſequium ſervitutis ſuæ & parentum ſuorum ei obtulit, ad hoſpitium ſuum trahere contendit. Sed ille benedicto in operibus ſuis Domino, nihil ſuis meritis attribuit, refugienſque laudibus hominum attolli, quos ad eum videndum undecumque advocabat novi fama miraculi, velociter pertranſivit.

Denuo Romam profectus
k
l

47 Iterum verò paratis, quæ in itinere uſui forent, cum Hermano *k* Metenſi epiſcopo Romam profectus, veneratis Apoſtolorum & martyrum ſepulturis, ad Gregorium *l* jam poſt Alexandrum præſidentem Romanæ ſedi venit. A quo, quia ab adoleſcentia maximum familiaritatis locum obtinebat, eſt affectuoſè ſuſceptus, & per aliquot dies remoratus. Qui privilegii libellum, ipſius & præfati Hermanni epiſcopi precibus, eccleſiæ ſancti Huberti per eum miſit, in quo continebatur Dei & beati Petri & ipſius Gregorii auctoritate horribilis interminatio, ne quis imperator, aut rex, aut epiſcopus, aut dux, aut comes, aut alia ulla poteſtas, quidquam de poſſeſſionibus vel antiquitus vel noviter acquiſitis, eccleſiæ ſancti Huberti, auderet tollere, vel ſuo vel alterius juri mancipare *m*. Quod *m* privilegium Remenſi vel Trevirenſi archiepiſcopo ac Laudunenſi epiſcopo, cujus juris erat ipſa eccleſia, per eumdem Abbatem cum litteris apoſtolicis miſit, obſecrans, ut quod utiliter ſupplicanti Abbati pro utilitate ſuæ eccleſiæ conceſſerat, ipſi ſua aſtipulatione firmarent, & ſua ſubſcriptione corroborarent.

monaſterium S. Huberti n

48 Acceptis Apoſtolicis epiſtolis cæteri conſenſerunt, ſolus Leodienſium antiſtes Theodwinus impulſus conſiliis *n* eorum, quibus omnia honeſta atque inhoneſta vendere moris erat, litteras Apoſtolicas repulit; Abbatem, quem pro vitæ merito antè valde dilexerat, turbida indignatione de conſpectu ſuo exire juſſit. Deinde uſus eiſdem conſiliariis, conventum abbatum & Clericorum adverſus eum convocavit. Eoque in medio ſtatuto, cur Romam ire, cur eccleſiam ſancti Huberti, quæ Leodienſis epiſcopi eſſet, E Apoſtolico juri mancipare, cur eam ſanctæ Mariæ, ſanctoque Lamberto vellet tollere; poſtremo cur, cum ipſe ſuus abbas eſſet, nec ejus legatione functus eſſet, epiſtolas à Romana ſede ſibi contrarias præſumpſiſſet afferre, requiritur.

privilegio Apoſtolico muniri curat,

49 At ille, causâ orationis reſpondens dixit: Mihi fuit Romam veſtrâ licentia, ſi recordari placet, ire: eccleſiam autem ſancti Huberti neque ſanctæ Mariæ, ſanctoque Lamberto auferre, neque Apoſtolico juri umquam habui animum mancipare. Sed poſſeſſiones, quas vel primùm habebat ipſa eccleſia, vel Deus addidit, ſcilicet quæ à duce Godefrido, vel Remenſi vel Laudunenſi epiſcopo ad Dei ſervitium ſunt condonata, confirmari feci auctoritate Apoſtolica. Si in hoc peccavi, quod non habebat eccleſia ſancti Lamberti, illi adjeci, idque quod ab externis epiſcopis multo ſudore & labore acquiſivi, ne ulterius perdat, provide. Videat & judicet prudentia veſtra, & qui aſſident conſilio veſtro abbates ac ſapientes Clerici. Nec, ſi ſit opus, refugio in hoc quoque ſapientium laïcorum uti judicio: Apoſtolicus autem cum ei me veſtrum abbatem indicavi, gratiam Apoſtolicæ benedictionis, F ſi placeat vobis, per me miſit. Epiſtolæ verò ab illo miſſæ, quia non adverſum vos, ſed pro gloria & honore veſtro ſint, ecce (& eas porrigit) poteſt à ſapientibus judicari. Plura parantem dicere iidem incentores epiſcopi occupant, loquentis verba impetu clamoſo vocum proturbant, epiſcopum libenter & placide aures excuſanti accommodantem avertunt. Quibus impellentibus, antiſtes modo ſurrexit iratus: Abbas autem comperendinato * in aliud tempus ju- * *Mab.* remiſſo dicio, ad monaſterium eſt regreſſus. Iterum verò atque ſæpius revocatus, veritate nixus & orationis ope, ſemper diſceſſit tutus. Poſtremò apud Hoienſe *o* caſtrum revocatus, atque iterùm pro *o* cauſa ſua reſpondere juſſus, Deo faciente, ſubitò converſis omnibus, judicio epiſcopi & omnium, qui prius malignè contra eum egerant, diſceſſit abſolutus.

& in magna aëris ſiccitate

50 Non longo pòſt tempore Theodwino humanis rebus exempto anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ſeptuageſimo quinto, epiſcopali cathedræ prælatus eſt Henricus *p* à proavis *p* clarus, & à puero bonis moribus inſtitutus, ac

EX MS. disciplinæ canonicæ & religionis æmulator non fictus. Ei abbas Theodericus ante episcopatum satis charus, pòst innocentis vitæ merito charior est effectus. Qui, facta sibi ab eodem episcopo
q permissione, Romam perrexit jam vice septima *q* illaque ultima, ubi devotè suo more, cum reverentia & humilitate veneratis Apostolorum &
r cæterorum Sanctorum sepulturis, à Gregorio *r* adhuc Romano pontifice * officiosissimè est susceptus, & per totam paschalis festivitatis septimanam retentus, ac benedictione Apostolica dimissus, Remis civitatem venit. Tunc post illam longissimam & asperrimam hyemem, qua Galliarum maximi fluvii Rodanus, Ligeris, & Rhenus, & Germaniæ Alba, Visela & Danubius, in Italia etiam Tiberis, & rex fluviorum Eridanus gelu & frigore concreti, manibus invii, hominibus, equis, asinis & plaustris, visi sunt similes terræ pervii, tanta longo sereno siccitas erat, ut negatis nimia ariditate pecori pascuis, vitio aëris arentibus arvis; & morientibus per omnes agros herbis, trepidarent late uno timore multarum regionum populi, timentes, ne rediret illud grave sæculum, quando in servum vendito Joseph à fratribus præ inopia famis in Ægyptum venientibus, eadem Ægyptus se vendidit Pharaoni; vel quando jubente Helia, refrenatis imbribus clausisque cælis, impietatem nequissimæ Jezabelis toto orbi fames nuntiavit.

* *Mab.* episcopo

B

51 Cumque majores Remorum civitatis eum illuc venisse audissent, certi de ejus sanctitate, congregati pariter magna cum parte plebis, veniunt ad eum, rogantes, ut pro periclitante mundo preces Deo prosterneret, & orando pluvias sitienti terræ cælo deduceret, quóque modo ipsi iræ Dei satisfacerent, eis consilium daret. Quod Vir sanctus diu multumque recusavit, donec inspirante se Deo, victus importunitate clamantium, universæ civitati per presbyteros jejunium unius diei indixit, dicens si fideliter & devotè fieret, hoc esse satis ad mitigandam iram divini furoris. Postera autem die in ecclesia beatæ Mariæ semper virginis conveniente utroque sexu & ætate, inter Missarum celebrationem, habuit sermonem ex temporis qualitate admonens, Ninivitarum exemplo, vera pœnitudine & eleemosynis & lacrymarum humilitate, citò Deum placari posse.

Rhemis prodigiosè

C

52 Cumque finito, quo eos ad gemitus & lacrymas impulerat, sermone, oblatis humanæ redemptionis mysteriis & potenti oratione, cælum penetrasset, repentè (erat verò tunc magna cæli serenitas) collisis nubibus subitò tonitrua mugire, fulgura coruscare, & omnia misceri cœperunt; nostrisque temporibus stupendo miraculo, uno eodemque brevi momento Vir sanctus, & orationem terminavit, & Deus cælum concussit, turbinem ventorum movit, pluvias adduxit, magnaque inundantia terram diu aridam uberrimè satiavit. Et quam peccatis offensus hominum, terris subduxerat, pœnitudine eorum placatus, & meritis Theoderici astrictus, misericordiam redonavit, ac longa ariditate squalentia arva, viroris refecit gratiâ. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo sexto, atque communi decreto litteris & annalibus traditum in urbe Remensi; totque habet testes, quot ex his, qui in ea urbe tunc erant, adhuc supersunt homines.

pluviam impetrat,

53 Alio autem tempore in villa, quæ Pyros vocatur, pro utilitate commorans, quadam nocte post expletos matutinales hymnos paulo antę lucem ad ecclesiam beati Hilarii Missam cantaturus, cum suis comitibus perrexit matutiniùs. Sed cum reseratis foribus ecclesiam jam deberet ingredi, lucerna, quam unus puerorum ejus ante illum præferebat, in ipsius ecclesiæ ingressu, flante vento, extincta est. Cumque aliquis ignem allaturus ad proximam domum isset, nec propter quod ierat citò inveniens, in redeundo moras faceret, Homo Dei quasi tædio affectus, protento dexterâ crucis signo, ecclesiam est ingressus, & ecce quod, qui cum eo erant, videre datum est omnibus, emisso divinitus lumine, candela, quam supra candelabrum serò relictam presbyter extinxerat, subitò accensa est, ut ex eo clarescceret, quo lumine ille interius splenderet, ante cujus adventum cælestis lux tenebrosæ noctis caliginem dimoveret.

D

aliisque miraculis

54 Huic, & illud non dissimile est, quod dum longo post tempore in monasterio sancti Huberti, circa mediam fere noctem, familiari sibi more nocturnas fratrum vigilias præveniisset, & orationibus incumberet, coruscа lux cælitus repentè emicuit, & totius monasterii latitudinem, novæ claritatis splendor illustravit. Præterea & cum luce ipsa avicula quædam, magnitudine columbæ par, coloris varia pulchritudine distincta, dulci voce grata, & ipsa (ut creditur) cælitus demissa, stuporem & miraculum quibusdam, quibus hac visione frui concessum est, incutiebat: nam modò ab Orientali domus parte, usque ad Occidentalem pervolabat, modò dextrorsum, modò sinistrorsum se agebat, nunc quasi importuna lætis alarum plausibus circumvolavit, postquam omnes basilicæ angulos perlustravit, etiam omnium sanctorum altaria, venerabilis Viri capiti innocua insedit; nec ipsa priùs inde discessit, quam pulsantibus matutinis, & jam convenientibus fratribus, cum ea, quæ videbatur, luce disparuit. Viderunt hoc nonnulli ex fratribus, qui in monasterii custodia excubabant, sed timore anxii, & ante hoc invisæ claritatis luce attoniti, nec quidquam dicere, nec de lectulis etiam audebant surgere. Sed mane ad eum veniunt quasi congratulantes cum admiratione, & laudum præconio visa referunt. Ille verò iratus quasi cum indignatione eos redarguit, præcipiens insuper, ne amplius, quoad ipse viveret, de ea re indicarent alicui. Timebat enim servus Christi laudes hominum, sicut allapsus serpentium; sciens quia semper causa ruinæ fuerit & angelis & hominibus vanæ gloriæ appetitus.

ac cælestibus favoribus

E

F

coruscans,

55 Nec illud de Viri Dei virtutibus reticendum puto, quòd cum aliquando ad quamdam ecclesiam in villa, quæ dicitur Lezines, orationis gratiâ divertisset, eamque sera & clavi clausam & signatam offendisset, dum expectatur presbyter clavem delaturus, ipse ad ostium accessit, atque ante illud quasi oraturus in pavimento procumbere voluit. Sed miro atque post Petrum apostolum stupendo miraculo, ostium, quod revera erat obseratum, quasi quadam divina & invisibili virtute subitò patuit apertum. Mirantibus & post illum ingredientibus cæteris, presbyter venit, & inspecta diligenter sera & pessulo atque ostio, ubi omnia illæsa invenit, ipse quoque attonitus novitate miraculi, cœpit mox prædicare divinæ virtutis potentiam, in sua ecclesia Theoderici meritis tam evidenter declaratam. Ipse autem dissimulans, se scire, quod acciderat, completa oratione velociter inde recessit, fugiens scilicet semper vanis hominum laudibus attolli, quos jam de tota villa contrahebat auditi fama miraculi.

A miraculi. Qui quamvis, ut prælibavimus, ſemper Deum contemplando mente in cæleſtibus habitaret, fuit tamen ſollicitus & pro utilitate commiſſæ ſibi adminiſtrationis exteriùs non mediocriter laborare.

varia dona monaſterio ſuo obtinet.

§ 6 Longum eſt, ſi quot eccleſiàs vel domos, quibus in locis à fundamento extruxerit velim renumerare : oneroſum erit, ſi, quæ partim ſemiruta, partim vetuſtate, vel majorum ſuorum incuriâ ruinam minantia, vel jam penè collapſa reparaverit, proſequar. Superfluum judicabitur, ſi quibus prædiis eccleſiam ſancti Huberti dilatavit, & abundantem fecit, oſtendero. Parum utilitatis conferet legentibus, ſi coronâ ex auro argentoque mirificâ, ſi crucibus aureis, ſi vexillis argenteis, ſi palliis multis, ſi tapetibus, ſi veſtibus plurimis, denique ſi ſuppellectili varia monaſterium ſancti Huberti decenter eum exornaſſe ſcripſero *f*. Quod verò caſtrum, cui antiquitus nomen fuit Mirwolt, quod, dum caſtrum fuit, ſancti Huberti monaſterio & finitimis omnibus nimis importunum fuit, poſtquam iterum ab Henrico Leodienſi epiſcopo inæſtimabili ſumptu

f

B reædificari cœpit, quantis vigiliis, quibus lacrymis, quam devotis precibus, ut illud priuſquam in antiquam potentiam, &, ut ipſe deplorare ſolitus erat, in inſidias ſanctificationi, & in diabolum malum in Iſraël invaleſceret, Deus everteret, impugnaverit, quove labore etiam, Deo cor epiſcopi molliente, quod volebat, obtinuerit, & conceſſo juri ſancti Huberti, & ſuo cum omnibus appenditiis ſuis eodem caſtro, illud funditus dejecerit *t*, & quibus ſumptibus, ubi caſtrum fuerat, eccleſiam in honore ſancti Michaëlis ædificaverit, monachoſque in ea conſtituerit, atque Cauviniacum fiſcum, amplum ſatis & optimum, auxilio ipſius epiſcopi Henrici à Balduino Montenſi comite comparaverit, refugio per ordi-

t

* *Mab.* tædioſa

nem enumerare, ne lacrymoſa * prolixitate verborum faſtidium arguar inferre, maximè cùm ex his & aliis ejus geſtorum operibus, multo manifeſtius fidem ſibi videntium faciant oculi, quam poſſit ſcripto vel verbis explicari. Reſtant etiam plurima, quæ de tanti Viri vita & virtute miraculorum, quæ per eum divinitus, dum adhuc præſens eſſet in corpore, geſta ſunt, poſſint numerari. Sed quia hæc interim eruditioni legentium

C (ſi quis tamen hæc ejus amore captus, dignabitur legere) credimus ſufficere ; abhinc quo ordine vitâ diſceſſerit dignum videtur apponere.

ANNOTATA.

a *Iſte Walcandus aut Walcaldus anno Chriſti* 810 *cathedram Leodienſem aſcendit, & anno* 825 *corpus S. Huberti ad monaſterium Andaginenſe tranſtulit, ut noviſſimi Galliæ Chriſtianæ editores tomo* 3 *col.* 832 *& ſequente probant.*

b *Is eſt Theodoricus II iſtius nominis abbas Hubertinus, cujus electio & geſta in jam ſæpe laudata Hiſtoria Andaginenſi col.* 966 *& ſequentibus referuntur.*

c *Hæc & alia pia ædificia, quæ Beatus noſter conſtruxit, etiam in Hiſtoria Andaginenſi col.* 935 *&* 936 *memorantur.*

d *Oppidum ſancti Ægidii, quod in Septimania ac diœceſi Nemauſenſi ſitum eſt, nomen traxit ab illuſtri Ordinis Benedictini abbatia, quæ jam in collegium Canonicorum ſecularium converſa eſt, ut hoc loco Mabillonius notavit.*

e *Paſſim nota Galliæ urbs in Campania, quæ vernaculè* Troyes *appellatur.*

f *Eſt archiepiſcopalis urbs in Hiſpania, & Aragoniæ caput, ut apud geographos paſſim obvios videre eſt.* EX MS.

g *Poſt hæc in editione Mabilloniana interſeruntur ſequentia :* Tandem reverſus de itinere, inter cetera probitatis opera, prudenti admodum uſus [eſt] conſilio, ut reliquias, quas attulerat, in duas æquas partes divideret ; quarum unam ſibi ſuæque eccleſiæ retinuit, alteram eccleſiæ ſancti Ægidii, ubi ſacerdotem ipſe inſtituerat, impertiit. Poſt autem non longi temporis intervallum, exigentibus meritis prænominati ſacerdotis, quidam ex religioſis præpoſitus & cuſtos hujus venerabilis eccleſiæ ſancti Huberti, qui illi plus omnibus in amicis familiariſſimus fuit, qui etiam tunc Sacramenta miniſtrabat populo, cœpit eumdem ſacerdotem in coadjutorem aſſumere, ut eo abſente ejus ipſe vices ſuppleret. *Utrum hæc per errorem amanuenſis in apographo noſtro omiſſa ſint, an verò in ipſo codice Ms. Alnenſi deſiderentur, ignoramus. Saltem fidelitatis causâ lectorem de illa diſcrepantia hic monere voluimus.*

h *Acta hujus ſancti Præſulis Colonienſis illuſtranda erunt ad diem quartam Decembris, quo in Martyrologio Romano celebratur.* E

i *Urbs munitiſſima ad Ruram fluvium ſita inter Coloniam & Trajectum ad Moſam, ut Mabillonius hoc loco in notis obſervavit.*

k *Hic epiſcopus Metenſis Beato noſtro familiariſſimus erat, & in monaſterio S. Huberti duo altaria conſecravit, ut jam ſæpe citata Hiſtoria Andaginenſis col.* 953 *refert.*

l *Erat is Gregorius VII Pontifex, qui ab anno* 1073 *uſque ad annum* 1083 *fortiter ac ſanctè Eccleſiam gubernavit.*

m *Ipſum S. Gregorii VII Pontificis diploma in Hiſtoria Andaginenſi col.* 947 *& ſequente recitatur.*

n *Præcipuus hujus diſcordiæ incentor erat Boſo archidiaconus Leodienſis eccleſiæ, quemadmodum in Hiſtoria Andaginenſi col.* 945 *& ſequente fuſius narratur.*

o *Hoium vel Huum, vulgo* Hui, *eſt oppidum ditionis Leodienſis, quod inter Namurcum & Leodium jacet, de quo Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 246 *agit.*

p *Henricus iſte erat filius Frederici Tullenſis* F *Comitis, & anno* 1076 *cathedram Leodienſem aſcendit.*

q *Neſcimus, cur biographus hîc dicat, beatum Abbatem noſtrum perrexiſſe* vice ſeptima, *cum antea tantummodo de tribus Romanis ipſius peregrinationibus meminerit. Quid ſi* quarta *pro* ſeptima *legendum ſit ?*

r *Cum Gregorius VII anno Chriſti* 1073 *ad cathedram S. Petri evectus ſit, & Theodwinus epiſcopus Leodienſis anno* 1075 *poſt reditum beati Abbatis obierit, ut ſuprà dicitur, tertium iter Romanum videtur anno* 1074 *alligandum eſſe. Hoc autem fuit quartum iter, quod ſub Henrico Leodienſi Romam inſtituit.*

ſ *In Hiſtoria Andaginenſi paſſim diſtinctiùs ac fuſius narratur, quales quantaſque poſſeſſiones* B. Theodoricus *monaſterio ſancti Huberti acquiſiverit.*

t *Mira pernicioſi hujus caſtri everſio in Hiſtoria Andaginenſi col.* 962 *& ſequente exponitur cum diverſis memorabilibus circumſtantiis, quas curioſus lector ibidem legere poterit.*

EX MS.

CAPUT V.

Ultimus Beati morbus, pius obitus, & honorifica ſepultura.

Beatus foris ægrotans,

TRibus antequam obiret fere menſibus, gravibus languoris pulſatus incommodis, neque lectulo more ægrotantium decumbere, neque remiſſiùs potuit cogi vivere. Ibat etiam, ut ſolebat, quo eum neceſſitas vocabat eccleſiæ, ut vel locorum mutatione dolor ſibi lenior fieret, vel ne quid detrimenti ſua eccleſia ejus culpâ ſuſtineret. Igitur cauſa extitit, qua ſtatuto tempore Pyros villam ſancti Sulpitii confeſſoris meritis glorioſam petiit. Cumque reformatis & ordinatis, pro quibus ierat, per aliquot dies ibi morari decreviſſet, confluentibus undique in eum ſenſim multis ac magnis doloribus, compulſus eſt tunc primum lectulo decumbere. Cum verò
B in dies languor validior creſceret, ubi, revelante Deo, quem mente gerebat, vicinam mortem adventare ſibi ſenſit, referri ſe ad ſancti Huberti monaſterium, quod triginta ſex * fere ab eo loco diſparatum erat milliaribus, juſſit. Ubi verò in grabato geſtatorio locatus, eſt domo elatus, totius pagi omne vulgus, & de vicinis oppidis & caſtellis, hoc eſt de Wark & Macerieis *a* multi atque potentes viri catervatim cœperunt ruere, parati ultro uſque ad monaſterium ejus comites ire, & hoc extremum obſequii ſui munus illi exhibere. Erat namque vita ejus cum ætate venerabilis, & multorum in amore ejus dediti erant animi. Sed ipſe nolens eſſe oneri, de quibus certum habebat, pro ſe, ſi neceſſe eſſet pati, poſſe mori; lectulum quo portabatur, medio agro, qui erat pro villa, deponi fecit; collectoque, quicumque manebat, toto ſpiritu, in lectulo ſedit, omnique multitudini ultimum valedicens, protentâ dexterâ benedixit; atque poſtremò omnes, licet invitos & triſtes, domum remiſit.

* *Mab.* quindecim

a

C *Se ad monaſterium S. Huberti*

58 Deinde multo eorum, qui ejus obſequiis deſerviebant, labore & mœrore vectus, cum interdum ingraveſcente languore, vitalis ſpiritus in eo pænè videretur deficere; perlatus eſt non longe à monaſterio, infra poſſeſſionem eccleſiæ. Præceſſerat autem jam illum fama magni doloris nuntia, atque ex vicis & agris & pagis, atque circumjacentibus eccleſiæ villis, multam illic turbam contraxerat; quæ ruens obvia, plangentia jungit agmina. Erat vero pleraque pars pupillorum viduarum & pauperum debilium, ille viritim omnes quos noverat & quorum inopiam piè pro poſſe ſuo ſublevare conſueverat. Hi undique circumfuſi ſeni, piè flebant, atque illius miſericordes largitiones, & dulces & blandas conſolationes, quibus ſæpiſſimè abundanter uſi fuerant, renumerantes, ſuas miſerias, ſuas calamitates querulis lamentationibus Deo ingerebant. Erat enim vir ille inter cæteras bonarum artium virtutes, quibus illum animi induſtria extulerat, pietatis & miſericordiæ operibus valde deditus, atque omnibus ſe rogantibus juxta qualitatem uniuſcujuſque, egregia liberalitate profuſus

deferri jubet,

59 Magno igitur utriuſque planctu & miſerabili fletu, primo noctis initio perveniunt ad portam monaſterii. Ubi ex præcepto venerabilis Senis, ne videlicet ſtrepitus populi jam quieſcentes in dormitorio inquietaret fratres, excluſis cæteris, monaſterio eſt invectus à domeſticis. Ea verò nocte, quamvis jam toto corpore invalido per momenta exilis in eo deficeret ſpiritus, defixis in eum, cui ſemper devote ſervierat, cordis luminibus, pſalmis atque divinis laudibus morientia membra Deo ſervire coëgit: juxta quod ei in omni vita ſua facere perpetui moris erat. Sed & omni tempore, quo illa gravi ægritudine preſſus languit, numquam eam, quam à tenero ſibi indixerat, ſemel comedendi in die abſtinentiam ſolvit; nec uſque ad eam diem conſuetudinem orationum & pſalmorum prætermiſit, excepto, quod paucis antè diebus infirmitatis nimietate ſuperatus, Miſſarum ſolemnia celebrare deſiit. D

& cilicium deponere nolens,

60 Cilicium quoque, quo tot annis mollitiem carnis preſſerat, nec ad momentum depoſuit. Sed cum jam in extremis ageret, ii qui vel vitæ merito, vel obſequii ſtudio ei familiariores erant, cum eum jam deficere viderent, perſuadere conabantur, ut ſibi cilicium detrahere pateretur, dicentes ſatis eſſe, quod uſque huc carnem ſuam afflixerit illa aſperitate. At ille indignatus in fratres: Nolite ait, fratres, immiſericorditer eſſe miſericordes: nolite volentem proficiſci ad Chriſtum falſa pietate remorari Theodericum. Nam quod hactenus vere me dilexeritis, in hoc oſtendetis, ſi propoſitum meum, quod ego bonum arbitror fuiſſe, non impediatis. Vos autem ſcitis, quod ſervum Chriſti, non niſi in cilicio & cinere decet mori. E

in præſentia Fratrum ſuorum,

61 Diluculo autem monachi convenerunt frequentes, multo planctu, & lacrymis proteſtantes & ſuam orbitatem & eccleſiæ ſancti Huberti dejectionem; ac dulciſſimi patris ſui modeſtam ſeveritatem & leniſſimam pietatem. Tanta enim ſeveritate delinquentium culpas ſemper inſecutus eſt, ut vitia quælibet mox ut oriri perſpexit, numquam primùm requieſcere vel foveri paſſus ſit, quàm ea charitatis ſarculo radicitus exſtirparit. Et hic ei perpetuus labor, & indefeſſum ſtudium fuit, ut inimici Domini & ſanctæ religionis, ejus hoſtes fierent; nec ante in ejus gratiam redirent, quàm digna ſatisfactione & pœnitentia culpas diluerent. Suas enim injurias, quas vel pravi monachi, vel alii perverſæ mentis homines frequenter intulerunt, tantâ patientiâ ſuſtinuit, ut nec ſe, cum poſſet, umquam ultus ſit, nec umquam graviter convitiantibus ſaltem leviter reſponderit. Tali verò pietate enituit, ut dum omnes homines præter eos dumtaxat, quos ſua perfidia condemnabat, excoleret, omnes ſibi commiſſos fratres patria reverentia honoraret, & tamquam filios chariſſimos diligeret, maximè, quos morum probitas & obedientia plus quam alios commendabat. F

aliorumque amicorum

62 Magno igitur mœrore concuſſis omnibus, ut vidit omnes flere, & ipſe motus, teſtatus quo potuit niſu dolorem ſuum, qui erat, non pro reſolutione ſua, cum optabile & gratiſſimum illi eſſet reſolvi & cum Chriſto eſſe; ſed pro filiorum, quos per Euangelium Chriſto genuerat, deſertione, lectulo ſe erigi juſſit, ſtolaque ſacerdotali amictus, & paſtorali virga ſuſtentatus, poteſtate ſibi tradita, omnes ſibi commiſſos, tam præſentes quam abſentes abſolvit. Omnibus etiam, qui eum vel criminoſa locutione vel opere, vel quolibetcumque modo aliquando aliquid deliquerant, indulſit. Dein exoſculatis omnibus, poſtremò data benedictione, in lectulo relocatur. Quidquid deinde diei ſuperfuit, ſequentemque

temque noctem, Dei laudibus & divinæ contemplationi deputavit. Sequenti vero die, primo diluculo aderant cum Berengero abbate ſancti Laurentii Henricus Leodienſis epiſcopus; præterea & alii complures religioſi viri, ad hoc ut obſequium ferrent tanto funeri. Hi utrimque convenerant ex debito; epiſcopus quidem quia & ante epiſcopatum, & pòſt in epiſcopatu, dum adhuc viveret, privata quadam gratia venerabilem Senem dilexit, atque in præcipuo amicorum loco habuit. Abbas autem, qui adhuc in annis adoleſcentiæ, ex clerico monachus ab ipſo conſecratus, tanti magiſtri exercitatus inſtitutione, inter familiariter ſibi adhærentes erat chariſſimus.

piè ſe ad mortem comparat,

63 Horum adventu Senex non mediocriter delectatus; Etiam lætus moriar, dixit, quia quorum patrocinio ſecurum me ire non dubito, in exitu meo adeſſe Dominus mihi miſit. Et converſus ad epiſcopum, Deo, ait, & veſtræ providentiæ & pietati, domine pater, creditæ mihi diſpenſationis officium reconſigno, & quas ulterius, incumbente mihi morte, ipſe regere non poſſum, dominicas oves veſtræ fidei committo. Et quia in hoc præterea, & in aliis multis, ut ab homine frequenter erratum à me & peccatum eſt, culpam agnoſo & confiteor, veniam peto, indulgentiam flagito, remiſſionem à Deo & veſtra charitate poſtulo. Epiſcopus autem in lacrymas reſolutus, intromiſſis monaſterii fratribus, ſecundum eccleſiaſticam conſuetudinem primò eum abſolvit, deinde ſecundum Apoſtolicum præceptum ſancto oleo inunxit.

ac inter preces

64 Quidquid præterea ſupervixit, toto die illo uſque ad noctem, fratres exhortari & admonere non ceſſavit; admonens, ut in eo, quo cœperant, boni operis propoſito perſeverarent. Mœrentes autem & pro ſui tabernaculi depoſitione contriſtatos conſolabatur, dicens, ſi ſe in veritate diligerent, potius eſſe gaudendum; quia de labore ad requiem, de corruptione per gratiam miſericordiæ Dei ſperaret ſe tranſire ad incorruptionem. Pro ſua autem ſeparatione eos contriſtari non debere, quorum non longo intervallo confideret ſe perpetua frui iterum communione. Pro dejectione autem eccleſiæ ſancti Huberti non oportere eos ſollicitos eſſe, quia provideret Dominus, qui ſecundum ordinationem ſuam, ſuo gregi utiliter poſſet præeſſe. Noctem verò totam uſque ad lucis crepuſculum, quamvis per ſingula verba, pænè jam mortua cadente lingua, in divinis laudibus conſumpſit. Cumque poſt modicum pontifex ingreſſus, aſſideret ægrotanti, ille piè in eum reflexis obtutibus, & protenſis manibus: Ex præcepto legis (ait) domine pater, cauda hoſtiæ quoque in ſacrificio jubetur offerri, per quod ſignificatur ſacrificium boni operis perducendum ad finem debitæ actionis. Et cum epiſcopus converſus, ab aliis quæreret, quid his verbis innuendum putarent; ille iterum: Quia, ô pie pater, dixit, uſque nunc mihi in perunctione fuiſti Maria; deprecor (ſi placet) abhinc in obſequio funeris, non graveris fieri Martha. Quod epiſcopo libenter annuente, ille quaſi jam præſumpta ſecuritate in latus ſe vertit, & quaſi qui ulterius cum terrenis nihil commune haberet, licèt jam morientibus labiis, laudes Domini tenuiter ſuſurrabat. Teſtor Chriſtum, & eos, qui aderant, me nihil fingere commenti, ſed quod videre & audire mihi contigit in veritate, de ſancto homine vera dicere *b*.

b

& pſalmos,

65 Jam frigentibus aliis partibus corporis, in ſolo pectore exilis ſpiritus adhuc palpitabat, & crebriores ſingultus jam vicinam mortem nobis nuntiabant. Ille autem per totam noctem, uſque ad matutinales vigilias, deficientes artus egredienti animæ etiam tunc ſervire cogebat. Et quia æternæ mortis ſtridores ante mentis oculos ſemper habuerat, illum ſtridorem, quo anima corpuſque dividitur, in laudes Domini moriens convertebat, totumque pſalmum; Qui habitat in adjutorio Altiſſimi uſque ad finem; item & laudes trium puerorum attentiùs repetebat. Præterea & alia multa, tamquam his deliciis ultimo ſatiari cupiens, frequenter iterabat. Finitis autem nocturnalibus hymnis, iterum dominus epiſcopus ante ejus lectulum venit: & utrum ſe agnoſceret, multis perfuſus ora lacrymis requiſivit. At ille rejectis in eum piè oculis; Ecce, inquit, vir oriens nomen ejus, qui illuminare venit in tenebris ſedentes. Atque coram eo omnem Catholicæ fidei regulam, ſicut à patribus ſanctis conſtat conſcriptam, utque ipſe eam à puero imbiberat & tenuerat, memoriter relegens; Hæc in veritate credo & teneo, dixit, hoc ore credo & corde, atque tota animi intentione confiteor. E

animam Creatori reddit,

66 Tunc iterum qua potuit voce, pro reſtauratione ipſius eccleſiæ ſatis humiliter & devotè preces coram epiſcopo proſtravit. Epiſcopus autem concuſſis ad pietatem omnium animis, quia erumpebant lacrymæ, & non poterat ſe continere, data benedictione, egreſſus eſt flens uberrimè. Ipſe autem ſalutaris Euchariſtiæ ſacramenta ſibi adferri præcepit, erectuſque lectulo, Deo ſe commendans, ſolita humilitate & reverentia ea percepit; benedictiſque fratribus propter viciniam mox futuræ mortis, jam lingua & toto corpore invalidus, cœpit deinceps ſpiritus ejus intendere in eum, ad quem mox erat iturus. Cumque lectulo expoſitus jaceret in agonis anguſtia conſtitutus, & mœrentium fratrum conventus morienti aſſideret, ejuſque exitum pſalmis & orationibus commendarent, & longæ in ejus reſolutione traherentur moræ; inito conſilio, obtulerunt communiter ſalutarem Hoſtiam Deo pro ejus reſolutione *. Cumque jam peracto illo ſacro myſterio ultimas preces, qui celebraverat ſacerdos, offerret Deo, anno ætatis ſuæ octogeſimo non ad integrum expleto *c*, poſtquàm monachum profeſſus fuerat, anno ſeptuageſimo *d*, poſtquam ſacerdos ordinatus quinquageſimo, ex quo abbas conſecratus, trigeſimo tertio, anno ab Incarnatione Domini milleſimo octogeſimo octavo * *e*, nono * Kalendas Septembris, horâ diei prope tertiâ, carnis vinculo reſoluta, ad eum, cui ſemper devotè ſervierat, felix illius abiit anima.

* *Mab.* depoſitione

c

d

F

** *Mab.* MLXXXVII

e

* *Mab.* octavo

& cum magno omnium dolore

67 Secutus eſt autem abeuntem piè mœrentium monachorum dolor maximus, ingens fletus, miſerabilis gemitus. Nam alii confuſè corruentes ſuper cadaver exanime, oculos, ora, faciem, manus, pedeſque defuncti, vel ſi quid aliud nudum patebat, arctè deoſculabantur, atque lacrymis rigabant. Alii ad planctus exſerti brachia, pectora pugnis tundebant, vel crines laceros ſpargebant: pars doloris impatientiâ humi proſtrata jacebat; omnes autem communiter lacrymoſis vocibus plangebant & flebant pueruli *, adoleſcentes, cum juvenibus grandævi ſenes, quos omnes ille in monaſterio jam à tenera ætate, paterno affectu nutrierat, aut de tempeſtate fluctuantis mundi, placido monaſterii portu exceperat, mixto fletu & ululatu pium patrem & bonum rectorem ac egregium lamentabantur doctorem,

* *al.* queruli

EX MS. ctorem, atque cum ſancto Sene querebantur pariter interiiſſe, & cum Deo refugiſſe gravitatem, modeſtiam, humilitatem, patientiam, ſobrietatem, vel cæteras ſanctarum virtutum inſtitutiones. Sed & multa plebs promiſcui ſexus & ætatis, maximè verò pauperes, de quibus ei ſemper cura fuerat, ſimili pietate perculſi, miſerabiliter ululabant, & percuſſis manibus contuſiſque pectoribus, vulſis hinc inde & ſparſis crinibus, erat cernere quod dolerent, quanto patre orbatos ſe intelligerent.

poſt triduum honorificè ſepelitur

68 Itaque beati Viri corpus in eccleſiam elatum, duos dies totidemque noctes, numquam deficientibus pſalmorum & vigiliarum ſupplicationibus, pio fratrum ſtudio eſt aſſervatum. Tertia autem die, celebratâ ab epiſcopo Miſſâ, proſequentibus ſe maximo fletu cum numeroſa plebe, illuſtribus & potentibus viris *f*; item clericis & ſacerdotibus multis, portatus eſt ad ſepulcrum, magno ſtipatus agmine monachorum, & in crypta, quam, ſuperius ut dictum eſt, novam extruxerat & dedicari fecerat, balſamo & aliis prætioſis aromatibus delibutus, ab eodem domino Henrico epiſcopo in ſarcophago lapideo, cum multis lacrymis & gemitu, & inæſtimabili omnium, qui convenerant, planctu, coram altari ſanctæ ſemper Virginis Mariæ vigeſimo ſeptimo *g* Auguſti menſis die eſt ſepultus.

f

B

g

cujus breve elogium biographus retexit.

69 Tali Theodericus ordine natus, tali ferie fuit nutritus, his virtutum initiis vitam ſuam inſtituit, ſic media ætate vixit, hunc felicem vitæ exitum ſenex & plenus dierum habuit. Nunc, Deo gratias, ille fruitur bonis, in quæ ſemper ſuſpirando ſe extendit. Carnem ſuam crucifixit cum vitiis & concupiſcentiis hujus mundi, gaudet modò cohabitatione ejus, qui pro hominibus eſt crucifixus, corpus jejuniis & afflictionibus tenuavit; ſaturatur modo deliciis gloriæ Dei. Contriſtatus temporaliter, lætatur æternaliter; paucorum dierum lacrymas perpetua exultatione compenſat; cilicinam aſperitatem, quæ paucis annis mollitiem carnis preſſerat, ſuavitate æternitatis mitigat. Nigredinem veſtis, qua mundo ſpectaculum fuit, jam albis veſtibus commutavit. Et ô felix & appetenda commutatio! Dedit ille caduca, & recipit æterna, vendidit terrena, & mercatus eſt cæleſtia. Et ô felix ſupra hujus miſeri temporis feces Theodericus, poſt ſe parem ulterius non habiturus. Nam, quod pace aliorum dictum ſit; quiſquis ei ſucceſſerit, ſemper in hoc bono æmulus & invidus erit *h*. Sed ego, ô mi Lamberte, hunc tibi libellum de veſtro, imò de noſtro *i* patre Theoderico, parciore, quam propoſueram ſtylo exaravi, cum etiam adhuc reſtent multa, quæ, relegata falſitate, de eo potuiſſent narrari. Sed ne prolixa & inculta oratio legentibus faciat tædium, advertat quiſquis non aſpernabitur legere, quod vir ſanctus Theodericus, quia ſanctè & juſtè vixit, feliciter ab hoc mundo migravit; & quia legitimè certavit, meritò coronatus eſt corona immortalitatis à Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

C

h

D

i

ANNOTATA.

a *Teſte Mabillonio in notis, hæc ſunt oppida dicta* Warck *&* Mezieres, *quæ ad Moſam fluvium in finibus Rhemorum verſus Leodienſes ſita ſunt.*

b *Hinc in Commentario prævio collegimus, quantam fidem hic biographus ac teſtis oculatus in his mereatur.*

c *Ex illa determinata beati Abbatis ætate obitum ejuſdem anno Chriſti* 1087 *affiximus.*

E

d *Erat annus ſeptuageſimus monaſticæ profeſſionis, ſi numeretur ab illo anno, quo Beatus nondum decennis in monaſterio Laubienſi oblatus eſt: nam primùm anno ætatis decimo nono ſolennem profeſſionem monaſticam emiſit, ut ſuprà in Actis legitur.*

e *Circa finem Commentarii prævii monuimus, in hoc anno mortis ſignando erratum eſſe.*

f *Illuſtres illi viri in citata ſæpius Hiſtoria Andaginenſi col.* 966 *nominatim exprimuntur his verbis:* Occurrunt certatim ad tanti viri exſequias Godefridus Bullonienſis, Albertus Namurcenſis, Arnulfus Chiſniacenſis, Cono Montis-acuti curiales, qui cum popularibus indifferenter admixti, quaſi patrem patriæ ſe amiſiſſe conquerentes lamentatione communi.

g *Hunc diem ſepulturæ nonnulli perperam acceperunt pro die mortis, ut circa finem Commentarii prævii diximus.*

h *In editione Mabilloniana hæc periodus ita legitur:* Quiſquis ei abbas ſucceſſerit, ſemper invidus ejus erit. *Id eſt, ni fallor, acſi diceret:* Quiſquis ei ſucceſſerit, difficulter illum æmulabitur.

F

i *Ex hoc loquendi modo num.* 10 *Commentarii prævii certam biographi profeſſionem vel habitationem eruere non potuimus. His tandem huic tomo coronidem imponimus.*

INDEX

INDEX HISTORICUS

IN TOMUM IV AUGUSTI.

A

Abailardus (*Petrus*) *à Bernardo Claravallenſi abbate impugnatus* 170 & ſeqq.

Abundus *pius monachus Vilarienſis B. Gobertum ad monaſticam vitam inducit* 384 f, 385 a b & ſeqq.

Acherius (*Lucas*) *in Spicilegio ſuo primus edidit epiſtolam S. Theonæ* 583 b

Adalbero *præſul Rhemenſis* 576 d

Adalgarius *antiſtes Æduorum* 72 e

Adam *abbas S. Dionyſii* 170 f

Adamus *abbas Eboracenſis* 187 e

Adamus *Victorinus ſcripſit epitaphium ad laudem S. Bernardi abbatis* 223 a b

Adelardus *abbas monaſterii Hubertini in Arduenna ſylva* 845 e, 853 f, 854 f, 855 a

Adelina *abbatiſſa, ſancti Bernardi abbatis Claravallenſis conſanguinea* 635 a, 653 e

† Adelindis *abbatiſſa in Germania* 399 a

Adeodatus *Pontifex Romanus* 818 c d

Adimarius (*Thaddæus*) *laudes S. Philippi Benitii rhythmis & hymnis celebravit* 656 d, 712 c

Ado *frater S. Audoëni* 797 a b c, 806 c, 811 b c

Adriaenſſens (*Alexander*) *abbas Ordinis Ciſtercienſis in territorio Antverpienſi ad Schaldim, ſynopſin miraculorum S. Bernardi ſuppeditavit* 365 d

Ægelwinus *epiſcopus Dunelmenſis in Anglia* 59 c f

Æmilius *vel* Amelius *præſul Burdigalenſis* 443 a f, 444 a

† Agabius *vel* Agapius *epiſcopus Veronenſis* 400 c d e

† Agilus *abbas Resbacenſis* 75 f, 77 b, 797 c

† Agricola *Cabillonenſis epiſcopus* 641 c

Aguirre (*Joſephus Saenz de*) *S. R. E. Cardinalis fabulas quorumdam pſeudo-ſcriptorum Hiſpanorum refellit* 415 c d e f, 428 f, 429 a, 565 d e

Aicadrus *abbas Gemeticenſis* 68 f, 80 a, 81 a, 640 e

Aiga *vel* Ayca *mater S. Audoëni* 806 c, 807 b

Alanus *epiſcopus Autiſſiodorenſis* 241 c. *Scripſit Acta S. Bernardi* 251 e, 294 f

Alaricus *Gothorum rex in prælio occiditur* 621 b

Albavirdis *mater S. Philippi Benitii* 662 d e

Albericus *epiſcopus Catalaunenſis* 131 a

Albericus *Oſtienſis epiſcopus & Aquitaniæ legatus* 197 f, 199 c, 213 d e

Albericus *epiſcopus Ultrajectinus* 399 e f

Albericus *monachus Trium fontium ſcriptor cujuſdam chronici* 141 d

Albero *epiſcopus Virdunenſis* 205 b

Albertus I *dux Brunſvicenſis ſeculo decimo tertio obiit* 42 f

Albertus (*Leander*) *ſcripſit de viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum* 725 a, 734 e

Alchima *filia S. Sidonii Apollinaris à Gregorio Turonenſi memoratur* 602 d

Aldebertus *epiſcopus Mimatenſis* 438 b d

Aldemaro (*Gaufredus de ſancto*) *auctor Ordinis Templariorum* 238 b

† Aldricus *vel* Galdricus *epiſcopus Cenomanenſis* 792 e, 793 b

Alegre *de Caſanate* (*Marcus Antonius*) *ſcripſit Paradiſum Carmelitici decoris* 17 f

Aleth *vel* Alays, *quæ etiam* Elizabeth *vocatur, nobilis & pia mater S. Bernardi abbatis* 104 b c

Alexander III *Pontifex doctrinam S. Bernardi abbatis laudat* 228 b. *Eumdem numero Sanctorum adſcripſit* 243 c d, 244 & ſeqq.

Alexander VII *Pontifex* 465 c

Alexander *Colonienſis miro modo ad Ordinem Ciſtercienſem adductus* 193 f, 194 a b c d

† Alexander *epiſcopus Veronenſis* 596 f

Alexander *patriarcha Alexandrinus* 581 b

Alexander (*Natalis*) *ex Ordine Prædicatorum S. Bernardum defendit* 236 e

Alexander *rex Scotiæ* 60 f

Alexander *Severus imperator* 506 e f, 507 a b

Alexandria (*Guilielmus de*) *facundus orator ex Ordine Servorum B. Mariæ* 655 c

Aleydis *Duciſſa Brabantiæ* 393 d, 395 a

Alfonſus I *rex Luſitaniæ* 212 d e

Algotus *ex Ordine Ciſtercienſi aſſumptus eſt ad cathedram Curienſem in Rhætia* 292 e, 295 a

Almericus *ex monacho Fuſniacenſi fit abbas Villarienſis in Brabantia* 372 e f

Alphonſus, *cognomento imperator, rex Caſtellæ* 103 e

Alphonſus VIII *rex Caſtellæ* 181 a

Altamura (*Ambroſius de*) *edidit Bibliothecam Ordinis Prædicatorum* 725 e f

Alteſerra (*Antonius Dandinus*) *ſcripſit de rebus Aquitanicis* 17 c

Alvarus (*Joannes*) *Solſonenſis epiſcopus in Hiſpania* 456 b

Amadeus *vel* Amedeus *ex Ordine Ciſtercienſi epiſcopus Lauſannenſis* 292 e, 294 f

Amalricus *rex Hieroſolymæ* 327 a f

† Amandus *antiſtes Burdigalenſis* 443 f

† Amatius *præſul Avenionenſis* 436 f

Amboeſius (*Franciſcus*) *Opera Abailardi Pariſiis edidit* 171 a

B. Amideis (*Bartholomæus de*) *unus ex ſeptem primis fundatoribus Ordinis Servorum beatæ Mariæ* 660 d, 665 a, 679 a b e

Anacletus *pſeudo-pontifex moritur* 240 e

† Anaſtaſius *fullo die* VII *Septembris colitur* 408 e

Anaſtaſius IV *Pontifex* 243 b

Andreas *abbas Caſſinenſis* 487 a

Andreas *ex Ordine Servorum B. Mariæ* 696 f. *An hic titulo* beati *poſſit appellari, quæritur* 698 d

† Andreas *presbyter pro cultu ſacrarum imaginum paſſus ſub Leone Iſaurico* 842 c f

Angelis (*Joannes ab*) *ex Ordine Prædicatorum in Japonia pro fide interfectus* 553 e f

Anna *Auſtriaca regina Franciæ* 75 a

Anna *mater ſancti Samuelis prophetæ* 6 e f
Anno *præſul Colonienſis* 846 d, 859 a, 861 e
† Ansbertus *præſul Rothomagenſis* 802 a b, 816 f
Anſelmus *præſul Havelbergenſis* 229 d, 337 d
Anſelmus *epiſcopus Tornacenſis* 242 a, 353 e
Anſelmus *Canonicus S. Lamberti, & celebris ſcriptor* 853 e, 854 e, 855 b
† Anſoaldis *B. Theodoricum primis litterarum rudimentis inſtruit* 850 c d. *Dubitatur an fuerit abbatiſſa Malbodienſis* 851 b
Anſoaldus *epiſcopus Pictavienſis* 66 d, 79 c, 80 f
B. Antellenſis (*Benedictus*) *unus ex ſeptem primis fundatoribus Ordinis Servorum B. Mariæ* 660 d, 665 a, 677 a, 679 b
Antelmius (*Joſephus*) *ſcripſit Diatribam de eccleſia Reienſi & monaſterio Lerinenſi* 606 d
Anthemius *imperator, cui S. Sidonius Apollinaris carmen panegyricum pronuntiavit* 603 e f
† Antoninus *præſul Florentinus vidit incorruptum corpus B. Jacobi Mevanatis* 726 a
Antonius *Senenſis aut Luſitanus ſcriptor ex Ordine Prædicatorum* 725 b
Apollinaris *filius ſancti Sidonii Apollinaris* 602 & ſeqq.
Aprunculus *epiſcopus Lingonenſis S. Sidonio Apollinari in ſedem Arvernam ſucceſſit* 619 e, 720 d
Aquaviva (*Claudius*) *præpoſitus Generalis Societatis Jeſu* 230 d e
Arcadius *imperator oſſa S. Samuelis prophetæ Conſtantinopolim transferri juſſit* 13 a c
Archembaldus *ſubdiaconus Aurelianenſis pro juſtitia occiditur* 239 e
Ardingus *epiſcopus Florentinus* 660 f, 664 f, 666 c
Argenterius (*Claudius*) *abbas Claravallenſis* 247 d
Arnaldus *vel* Ernaldus *abbas Bonæ-vallis in agro Carnotenſi ſcripſit Acta S. Bernardi* 250 a d, 277 f
Arnoldus *abbas Lubecenſis ſub finem ſeculi* XII *floruit* 42 c, 44 f, 45 a
Arnoldus *Carnotenſis abbas Bonæ-vallis, ad quem S. Bernardus ſcripſit* 220 b
Arnulfus *epiſcopus Lexovienſis* 220 b
Arnulphus *abbas monaſterii Villarienſis in Brabantia* 372 c d
Arremarenſis (*Nicolaus*) *inſignis impoſtor & hypocrita* 185 c d e f, 186
† Arrigius *epiſcopus Nivernenſis* 551 d
Artaldus *antiſtes Rhemenſis* 576 c d
Arvandus *præfectus Galliarum* 605 c d
Aſpaſius *antiſtes Eloſenſis* 641 f, 642 c
Aſſemanus (*Joſeph Simonius*) *eruditus Maronita edidit Bibliothecam Orientalem* 508 c, 513 a
Aſſignies (*Joannes d'*) *ſcripſit opus Gallicum de viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſis* 370 d, 371 b
Attila *notiſſimus Hunnorum rex* 543 b, 544 b
Atto *epiſcopus Trecenſis* 186 b
† Auctor *Metenſis epiſcopus ab homonymo Trevirenſi diſtinguitur* 39 d
Audechairus *vel* Aldecharius, *aliis* Autharius *pater S. Audoëni* 806 c, 807
† Audoënus *vel* Dado *ſcripſit Vitam S. Eligii Noviomenſis epiſcopi* 801 c d
† Auguſtinus *contra opinionem Baronii & Florentinii explicatur* 761 e f, 762 a b
Aurelius *imperator edicta adverſus Chriſtianos edidiſſe oſtenditur* 495 e f, 496 a
Aventinus (*Joannes*) *ſcripſit Annales Bojorum ſeu Bavarorum* 435 d
† Avitus *abbas Miciacenſis* 787 a, 789 a
Avitus *circa medium ſeculi quinti imperator in Gallia declaratur* 603 a
Axenius *abbas Trenorcienſis* 72 e
Azzariis (*Paulus de*) *illuſtris decretorum doctor* 480 b

B

BAldowinus *abbas & teſtis oculatus miraculorum S. Bernardi* 334 b & ſeqq.
Balduinus II *rex Hieroſolymæ* 327 f
Balduinus *ex Ordine Ciſtercienſi primus collegio S. R. E. Cardinalium adſcribitur* 239 c, 292 e, 294 f, 450 f
Ballainus (*Joannes Maria*) *ſcripſit Vitam ſancti Evaſii* 409 f
Baluzius (*Stephanus*) *edidit Hiſtoriam Tutelenſem* 16 b, 18 b
Bandurus (*Anſelmus*) *edidit numiſmata imperatorum Romanorum* 426 e, 427 b
Barbaranus *de Mironi* (*Franciſcus*) *conſcripſit Hiſtoriam Vicentinam* 32 b
Barchi (*Joſephus Maria*) *ex Ordine Servorum B. Mariæ ſcriptor* 699 e, 701 a
Bargenſis (*Antonius*) *ſcripſit hiſtoriam Congregationis Olivetanæ* 467 a b, 487 c
† Barnardus *vel* Bernardus *archiepiſcopus Viennenſis* 488 c
Baronius (*Cæſar*) *S. R. E. Cardinalis S. Bernardum variis elogiis exornat* 228 f, 229 a. *Duos Balduinos ex Ordine Ciſtercienſi confudit* 451 d e f
Bar (*Dionyſius de*) *epiſcopus Tutelenſis* 16 c
Bar (*Stephanus de*) *epiſcopus Metenſis* 319 a, 320 a
Bartholomæus *abbas in monaſterio Populetano Hiſpaniæ* 740 c
Bartholomæus *Laudunenſis epiſcopus anathemate involutus* 241 d
Bartolinus (*Lucas*) *abbas monaſterii Florentini* 539 e, 540 a
Baſilius *forſan epiſcopus Aquenſis in Gallia* 614 d
Baſnagius (*Jacobus*) *heterodoxus errans corrigitur* 558 a
Baſſus *monachus Claravallenſis, & S. Bernardi diſcipulus* 397 f, 398 a
† Bathildis *uxor Clodovæi II regis in Francia* 76 c, 77 b
Beatillus (*Antonius*) *Italicè Vitam S. Nicolai Myrenſis collegit* 545 f
Becoli (*Dominicus*) *in libello Italico meminit de geſtis B. Bernardi Ptolomæi* 467 b
† Beda *quando & ubi vixerit* 58 a
Belfortius (*Petrus*) *S. R. E. Cardinalis* 485 e
Bellarminus (*Robertus*) *S. R. E. Cardinalis virtutes & miracula S. Bernardi celebrat* 229 a. *Promovit beatificationem Jacobi Mevanatis* 721 b
Bella-villa *vel* Borbone (*Stephanus de*) *ex Ordine Prædicatorum floruit ſeculo* XIII 364 b
† Benedictus *traditur B. Bernardo Ptolomæo diem mortis prædixiſſe* 471 d e, 481 c. *Quo loco vitam monaſticam agere cœperit* 672 d, 674 d
Benedictus XIII *Pontifex canonizationem S. Philippi Benitii renovavit* 657 e
Benedictus *epiſcopus Cremonenſis* 566 f

Benjamin *sextus episcopus Hierosolymitanus* 555 c
Benincasa *Florentinus ex Ordine Servorum B. Mariæ an legitimum cultum habeat* 685 c, 686 e
Berardus *vel* Bernardus X *Comes Marsorum* 450 e f
† Beregisus *fuit primus abbas monasterii Andaginensis* 843 b
Berengarius *Abaëlardi discipulus & S. Bernardi adversarius, tamen miracula hujus laudat* 328 f
† Bernardinus *Senensis quo anno obierit* 487 f
Bernardus *de S. Romano Prior Laudunensis, & postea abbas Trenorciensis* 73 d
Bernardus *venerabilis monachus Villarensis* 3 c
Bernardus *ad S. Anastasium abbas ex Ordine Cisterciensi evectus est ad cathedram sancti Petri sub nomine Eugenii tertii* 292 e f, 294 d, 324 d e
Bernardus *Vercellensis vir venerabilis ex Congregatione Olivetana* 487 c
Bernardus *episcopus Nannetensis ex Ordine Cisterciensi* 292 e, 295 a
Bernardus *Cartusianus Prior monasterii Portarum* 240 c
Bernardus *antistes Spalatinus* 407 e
Bernardus *ex Ordine Cisterciensi ad dignitatem Cardinalitiam evectus* 292 e, 294 e
Bernerius (*Hieronymus*) *S. R. E. Cardinalis, & protector Ordinis Servorum B. Mariæ* 656 f
Berno *abbas Trenorciensis* 72 e
Bertelius (*Joannes*) *negat, S. Bernardum lacte Deiparæ irroratum fuisse* 206 f, 207 a, 208 d
Beslius (*Joannes*) *scripsit catalogum præsulum Pictavensium* 801 f
Beuf (*N. le*) *Canonicus & succentor ecclesiæ Autissiodorensis nobis notitiam de S. Gildardo aliisque Sanctis suppeditavit* 841 a & alibi.
† Birinus *episcopus Dorcestriensis* 399 f
† Biscopus (*Benedictus*) *abbas & monasterii Wirensis in Anglia fundator* 536 c, 538 e f
Bivarius (*Franciscus*) *quosdam pseudo-scriptores Hispanos explicare nititur* 428 b
Blaye (*Gerardus de*) *episcopus Engolismensis* 286 e, 289 b
Boëthius (*Hector*) *scripsit Historiam Scotorum* 774 b
Bonafides (*Leonardus*) *antistes Cortonensis* 539 f, 540
Bonajuncta *primus vel secundus Generalis Ordinis Servorum B. Mariæ* 673 d, 674 e
Bonannius (*Philippus*) *S. J. scripsit de Ordinibus Religiosis* 472 e
† Bonaventura *S. R. E. Cardinalis, & episcopus Albanensis* 228 e
Bonaventura *Pistoriensis ex Ordine Servorum B. Mariæ* 693 f, 694 a, 696 c
Bongallus (*Jacobus*) *episcopus Nepesinus* 747 f
Bonhaverti (*Michaël Angelus*) *scriptor Congregationis Olivetanæ* 467 b
Bonicollius *vulgò* Goethals (*Henricus*) *Gandavensis vir doctrinâ inclytus* 691 e, 692 f, 693 a, 702 a
Bonifacius IX *Pontifex concessit indulgentias visitantibus ecclesiam B. Jacobi Mevenatis* 720 c d e, 721 a b
Boonen (*Jacobus*) *archiepiscopus Mechlinensis* 209 d
Bordeaux (*Carolus de*) *abbas Belli-loci* 651 d
Borghesius (*Nicolaus*) *laudes S. Philippi Benitii rhythmis & hymnis celebravit* 656 d, 701 a
Bosca (*Petrus Paulus*) *vulgavit Martyrologium Mediolanense* 524 e
Bouvart (*Godefridus*) *ex Ordine Cistercienſi varias S. Bernardi editiones assignavit* 236 c d. *Diversos ejusdem Sancti biographos recenset* 252 d e
Brancatius (*Franciscus*) *S. R. E. Cardinalis & episcopus Portuensis* 745 a
† Breguinus *præsul Cantuariensis* 743 e
Briger (*Canaidus*) *ex Ordine Cistercienſi Prior in Austria inferiore, ac sacræ theologiæ doctor, varia de S. Bernardo nobis suppeditavit* 354 c
† Brigida *soror S. Andreæ Scoti, ab alia seniori ejusdem nominis Sancta differt* 547 b
Britius (*Paulus*) *Albensis ecclesiæ episcopus* 410 a
Brixia (*Arnoldus de*) *perversi dogmatis fabricator* 172 c f, 173 a, 181 c d e
Bromptonus (*Joannes*) *scriptor Anglus* 22 b
Browerus (*Christophorus*) *S. J. conscripsit Annales Trevirenses* 556 f
Brugis (*Robertus de*) *discipulus S. Bernardi Claravallensis abbatis* 140 d, 141 a b
† Bruno *institutor Ordinis Cartusiensis* 237 d
Bruno *præsul Colonienſis* 143 a
Bruno *præsul Trevirensis* 42 a
Bruno *abbas monasterii Hirsaugiensis* 4 c
Bucelinus (*Gabriel*) *Martyrologus Benedictinus corrigitur* 470 b
Bucerus (*Martinus*) *hæreticus S. Bernardum* virum Dei *nominat* 233 c
Bucherius (*Ægidius*) *scripsit de Belgio Romano* 620 a
Bulteau (*Ludovicus*) *Gallicè conscripsit compendiosam Ordinis Benedictini historiam* 782 e
Burchardus *episcopus Viennensis* 4 a
Burchardus *episcopus Wormatiensis utrum publicè cultus fuerit, dubitatur* 3 a b
Burchardus *antistes Cameracensis* 144 f, 145 a
† Burchardus *episcopus Herbipolensis* 3 b
Burchardus *abbas Balernensis* 105 a, 230 e
Burghius (*Alexander*) *episcopus Burgi sancti sepulcri* 540 b
Butkens (*Christophorus*) *scripsit de genealogia nobilium familiarum* 376 a

C

CAbila *vel* Cobyla *rex Tartarorum ad fidem Christianam propensus* 678 b, 679 c d
Cælestinus I *Pontifex S. Palladium ad Hibernos aut Scotos misit* 774 b
Cælestinus II *Pontifex* 179 c
† Cæsarius *episcopus Arelatensis* 637 a, 638 d e
Callistus II *Pontifex* 238 c, 320 a
Calmet (*Augustinus*) *scripsit Commentarios in sacram Scripturam* 8 d. *Etiam edidit Historiam Lotharingiæ* 38 d
Calotius (*Petrus*) *scriptor ex Ordine Prædicatorum* 768 e f, 771 a
Calviniſtæ *reliquias S. Audoëni aliorumque Sanctorum flammis absumpserunt* 794 c
Calvinus (*Joannes*) *hæresiarcha S. Bernardum vocat pium & sanctum scriptorem* 233 c d
Camasseus (*Bonaventura*) *scriptor ex Ordine Prædicatorum* 722 c & seqq.
Cambierus (*Odo*) *scriptor monasterii Affligemiensis in Belgio* 209 c
Camdenus (*Guilielmus*) *Angliam, Scotiam & Hiberniam vicinasque insulas describit* 633 a b

Camerarius (*David*) *ſcripſit de Sanctis Scotis* 539 b

Campegius (*Camillus*) *Nepeſinus ac Sutrinus epiſcopus* 748 d

Campegius (*Claudius*) *ſcripſit libellum de ſanctis Galliæ locis* 24 b

Campellis (*Guilielmus de*) *epiſcopus Catalaunenſium* 113 cd, 119 ef, 355 c

Campo-Sampieri (*Benedictus*) *ulteriorem S. Bernardi Ptolomæi cultum nos docuit* 466 c

Camuzatus (*Nicolaus*) *edidit librum de ſacris antiquitatibus Tricaſſinis* 650 b

Cancellier (*Adrianus*) *abbas Dunenſis* 355 e

Caniſius (*Petrus*) *S. J. doctrinam & ſanctitatem S. Bernardi extollit* 232 d

Caniſius (*Henricus*) *Menologium Græcorum ab eminentiſſimo Sirleto Latinè redditum edidit* 593 b

Canus (*Melchior*) *ſeverè judicat de Opere hiſtorico ſancti Antonini Florentini* 17 d

Capgravius (*Joannes*) *in Anglia edidit Vitas Sanctorum* 634 f, 635 a, 804 e

† Capraſius *martyr in Gallia* 673 a, 674 e

Caracciolus (*Antonius*) *ſcripſit de ſacris eccleſiæ Neapolitanæ monumentis* 402 c

Caracciolus (*Caietanus*) *archiepiſcopus Compſanus* 100 c

Cariſius (*Joannes Baptiſta*) *ſcripſit Diarium ſacrum eccleſiæ Mediolanenſis* 524 f

Carolus *abbas Villarienſis* 373 b

Carolus *magnus imperator geſta S. Seronii legiſſe dicitur* 26 b

Carolus V *imperator circa finem vitæ potiſſimùm lectione S. Bernardi delectabatur* 229 f, 230 a

Carolus *rex Sueciæ* 180 d

Carolus *cognomento ſimplex rex Francorum cum Rollone Duce Normannorum fœdus iniit* 820 d, 822 d

Carpenterius (*Paulus*) *Latinè conſcripſit Vitam B. Bernardi Ptolomæi* 467 b & ſeqq.

Carpo (*Jacobus de*) *vir venerabilis ex Congregatione Olivetana* 487 c

Caſini (*Carolus*) *Vitam S. Philippi Benitii Italicè concinnavit* 657 b c

Caſtelbonus (*Jacobus*) *ex Ordine Prædicatorum ad cathedram Florentinam evectus* 696 b, 393 d

Caſtellanus (*Claudius*) *corrigitur* 782 f, 783 a, 784 & ſeqq.

Caſtellinus (*Lucas*) *ſcripſit tractatum de certitudine gloriæ Sanctorum* 236 e

Caſtello (*Guido de*) *poſtea dictus Cæleſtinus II Pontifex* 241 e

Caſtillo Solorçano (*Alfonſus del*) *ſcripſit Sacrarium Valentinum* 460 b, 461 c

Caſtro (*Alphonſus de*) *ſcriptor Franciſcanus refellitur* 236 e

Cavacius (*Jacobus*) *ſcripſit hiſtoriam cœnobii Patavini ſanctæ Juſtinæ* 487 f

Cautinus *epiſcopus Arvernas* 445 a b

Caveus (*Guilielmus*) *heterodoxus Mabillonianam S. Bernardi editionem æſtimat* 235 e f. *Corrigitur* 623 e f, 624 d e

Cavitellius (*Ludovicus*) *conſcripſit Annales Cremonenſes* 151 b

Ceillier (*Remigius*) *nuper edidit Opus de ſcriptoribus eccleſiaſticis* 509 e, 513 d e

Cellarius (*Chriſtophorus*) *edidit Notitiam orbis antiqui* 567 b

Cenſorinus *ſcripſit librum de die natali* 600 d

Cervinus (*Marcellus*) *S. R. E. Cardinalis & poſtea Pontifex ſub nomine Marcelli II* 512 f

Chagnoaldus *epiſcopus Laudunenſis in Gallia* 554 b

Champigneo (*Nicolaus de*) *primus abbas mitratus monaſterii Bullencurienſis* 651 b

Cher (*Geraldus vel Gerardus de*) *epiſcopus Lemovicenſis* 311 e, 313 c

Chiffletius (*Petrus Franciſcus*) *S. J. edidit Diatribam de illuſtri genere S. Bernardi abbatis* 102 e. *Edidit hiſtoriam Wandalicæ perſecutionis* 628 a b. *Compoſuit diſſertationem de annis Dagoberti* 797 e

Chiffletius (*Joannes Jacobus*) *ſcripſit hiſtoriam urbis Veſontionenſis* 554 f

Childemarcha *vel* Hildemarcha *abbatiſſa* 815 f. 816 e

Chini (*Albero de*) *epiſcopus Virdunenſis* 213 c d e

Choppinus (*Renatus*) *ſcripſit Opus de ſacra Politia* 232 f

Chriſtianus *ex Ordine Ciſtercienſi epiſcopus in Hibernia* 292 e, 295 a

Chriſtianus *alter ex Ordine Ciſtercienſi epiſcopus in Hibernia* 292 e, 295 a

Chrocus *vel* Crocus *rex Alemannorum* 434. *Vocatur etiam rex Wandalorum* 435 a b, 436 a

Chronopius *antiſtes Petracoricenſis* 641 f

Cindaſuindus *rex Gothorum* 98 c

Claudianus (*Mamertus*) *presbyter Viennenſis ſcripſit de ſtatu animæ* 597 c e

Claudius II *imperator* 507 b

Clemens IV *Pontifex moritur* 684 a

Clemens V *Pontifex* 238 b

Clemens VI *Pontifex* 474 e f, 475 c

Clemens X *Pontifex S. Philippum Benitium catalogo Sanctorum adſcripſit* 657 e

Clemens XI *Pontifex cultum B. Bernardi Ptolomæi ampliavit* 466 e

Clichtovæus (*Judocus*) *doctor theologiæ & Canonicus Carnutenſis* 231 b

Clodovæus *rex Francorum magnam de Syagrio retulit victoriam* 620 e. *Alaricum Gothorum regem in prælio occidit* 621 b

Clodoveus II *quando in Gallia rexerit & obierit* 77 b. *Patri ſuo defuncto ſuccedit* 812 e, 814 b

Clotharius III *rex Francorum* 815 f, 816 e

Clotharius *vel* Lotharius II *filius Dagoberti I regis Francorum* 806 c, 807 c

Cluſa (*Jacobus de*) *doctor ſacræ theologiæ & poſtea Cartuſianus* 222 e

Cognatus *vulgò* Couſin (*Joannes*) *ſcripſit Hiſtoriam Tornacenſem* 353 c

Colganus (*Joannes*) *Minorita Hibernus* 541 b

Colonia (*Dominicus de*) *S. J. conſcripſit Hiſtoriam civitatis Lugdunenſis* 562 c

† Columbanus *abbas Luxovienſis* 66 f. *Fundator cœnobiorum Luxovienſis in Gallia, & Bobienſis in Italia* 811 a b c

Columbus (*Joannes*) *S. J. in opuſculis ſuis hiſtoricis corrigitur* 433 f, 436 e

Coninck (*Adrianus de*) *Matriti multa poſthuma conſanguinei ſui ſcripta nobis communicavit* 203 c

Conon *Apoſtolicæ ſedis legatus* 171 c

Conradinus *à Carolo rege capitur, & ſententia capitis damnatur* 686 d

Conradus *abbas Everbacenſis dicitur ſcripſiſſe Exordium magnum Ordinis Ciſtercienſis* 254 c

Conradus *abbas Ciſtercienſis ac S. R. E. Cardinalis, legatuſque Apoſtolicus* 42

Conradus *Sueviæ Dux* 143 e, 144 c, 145 d

Conradus *imperator hortatu S. Bernardi Claravallensis bellum sacrum suscipit* 194 e f, 195 a
Constantia *Alphonsi VIII regis Castellæ filia* 181 à
Constantinus *Copronymus imperator, & sacrarum imaginum hostis* 96 d è
Constantius *imperator hæresis Arianæ fautor* 768 b c, 769 a b c
Contractus (*Hermannus*) *dicitur composuisse Antiphonam* Salve Regina 249 d è
† Corbinianus *episcopus Frisingensis* 743 f
Cordesius (*Joannes*) *dissertationem composuit de adventu S. Martialis in Galliam* 20 b
† Cornelius *Papa ante persecutionem Valeriani martyrio coronatus est* 440 f, 765 b
Corsica (*Hieronymus de*) *vir pietate conspicuus ex Congregatione Olivetana* 487 c
Coschinus *abbas Gemeticensis* 68 e f, 69 a
Cosmus I *magnus Hetruriæ Dux* 686 a
† Crichinus *vel* Cricinus *episcopus Veronensis* 400 c d e
Croix (*Guilielmus de la*) *scripsit de episcopis Cadurcensibus* 21 e
Crombachius (*Hermannus*) *S. J. scripsit de martyrio S. Ursulæ & sociarum* 556 b c & seqq.
Cros (*Antonius du*) *episcopus Tricastinus* 592 e
Crotildis *vel* Rotildis *aliis* Doda *regina Francorum* 809 a f
Cruce (*Edmundus à*) *abbas Cistercii* 207 c
† Cucufas *martyr cum S. Guniforto martyre in Italia perperam confunditur* 524 a b c
Cunha (*Rodericus à*) *scripsit tractatum de primatu Bracharensis ecclesiæ* 553 b
Curte (*Hieronymus à*) *conscripsit Historiam Veronensem* 401 c
† Cyprianus *antistes Carthaginensis quo anno martyrium subierit* 763 e
Cyprianus *antistes Burdigalensis* 443 f

D

DAcherius (*Lucas*) *de conservato Deiparæ lacte dubitat* 20 f, 21 a
† Dado *vel* Audoënus *scripsit Vitam S. Eligii Noviomensis episcopi* 801 c d
Dadræus (*Joannes*) *Gallicè contexuit chronologiam præsulum Rothomagensium* 641 b
Dagobertus I *rex Francorum, filius Lotharii II* 806 c, 807 c. *Quo tempore in Gallia rexerit* 77 a
Dalæus *vel* O-Dale (*Cherubinus Maria*) *Latinè Vitam S. Philippi Benitii edidit* 657 c d, 661 & seqq.
† David *antistes Menevensis* 633 d e f
David *rex Scotiæ* 60 e
Davila (*Ægidius Gonsalvus*) *scripsit de episcopatibus Hispaniæ* 315 d
Delphinus (*Joannes*) *episcopus Vicentinus, & S. R. E. Cardinalis* 33 c
Dempsterus (*Thomas*) *scripsit Historiam Scotiæ, & agit de sanctis Scotis* 524 f, 525 f, 774 b
Deodatus *Pontifex Romanus* 818 c d
Deodericus *vel* Theodericus *episcopus Metensis* 34 a b c d
Deodwinus *episcopus Leodiensis* 845 f
† Desiderius *episcopus Cadurcensis* 801 d
Diacettius (*Franciscus Cataneus*) *episcopus Fæsulanus* 540 d
Diadochus *episcopus Photices in Epiro* 632 b
Dimidrianus *episcopus Veronensis* 401
Dinus *archiepiscopus Pisanus* 480 b
Dionysius *Cartusianus impensè laudat S. Bernardum abbatem* 232 b
Dionysius *patriarcha Alexandrinus* 582 c
Dolmans (*Petrus*) *S. J. aliquos nobis Commentarios in Acta Sanctorum reliquit* 27 f
† Dominicus *Fulginas* 488 c
Domnolus *episcopus Cenomanensis* 785 d e
† Donatus *episcopus Fæsulanus* 539 f, 541 e
Ructegangus *abbas Gemeticensis* 68 f
† Dunstanus *antistes Cantuariensis* 804 d

E

EBerhardus *primus abbas cœnobii Einsidlensis in Germania* 489 d
Ebroïnus *Major-domûs in Francia* 799 d & seqq.
Ecclesia (*Franciscus Augustinus ab*) *scripsit Historiam chronologicam Cardinalium, episcoporum & abbatum Pedemontanæ regionis* 409 c
Ecdicius *vir nobilis, & sororius S. Sidonii Apollinaris* 613 f, 615 f
Echard (*Jacobus*) *scriptores Ordinis Prædicatorum recensuit* 364 b
B. Edmundus *archiepiscopus Cantuariensis* 742 b
Eduardus *rex Angliæ* 60 f
Egbertus *rex & monachus in Anglia an publicum cultum habeat, quæritur* 2 e
Egelredus *rex in Anglia & maritus Emmæ, quo anno obierit* 804 b
Elcana *pater sancti Samuelis prophetæ* 6 c f
Eleutherius *præsul Antissiodorensis* 641 f
† Eligius *episcopus Noviomensis* 797 f, 798 d, 812 d
Elinandus *episcopus castri Laudunensis* 857 c
† Emelina *vel* Hemelina *ab aliquibus dicitur mater S. Ascelinæ, ab aliis virgo appellatur* 654 e
Emma *regina dicitur caput & alias S. Audoëni reliquias in Angliam transtulisse* 803 f, 804 a b c
Emmanuel *imperator Constantinopolitanus* 214 a
Emmeloth *Beghina Nivellensis suadet B. Gobertо, ut monasterium Villariense ingrediatur* 384 c f
† Engelbertus *archiepiscopus Colonienſis & martyr* 23 c
Engilbertus *vel* Gilbertus *episcopus ecclesiæ Cenomanicæ* 784 f
Eon *fatuus hæreticus carcere damnatur* 242 c
Ephres *duodecimus episcopus Hierosolymitanus* 555 c
Ericus *episcopus Paderbornensis* 42 a
Ermentarius *monachus Herivensis narrat varias S. Filiberti translationes* 72 c d, 81 b
Ernaldus *vel* Arnaldus *abbas Bonæ-vallis in agro Carnotensi scripsit Acta S. Bernardi* 250 a d, 277 f
Eskilus *vel* Eskillus *archiepiscopus Lundensis in Dania* 217 d e, 224 e f
Esquirrus (*Seraphinus*) *edidit Sanctuarium Calaritanum* 414 c, 415 b
† Eucherius *antistes Lugdunensis* 55 d e
Eugenius IV *Pontifex Nepesinam ac Sutrinam cathedram univit* 748 d
† Eugenius *præsul Carthaginensis in Africa* 630 d
Eugenius *sancti Bernardi Claravallensis discipulus, & postea Romanus Pontifex* 182 & seqq. 220 e
Euphratas *præsul Colonienſis à sede sua deponitur* 39 e, 46 c
Euphronius *præsul Augustodunensis* 610 e

Euricus *vel* Evarix *rex Gothorum* 614 e, 615 f, 616 d
Euſtochium *abbatiſſa cœnobii Montis-virginum Meſſanæ, & ejuſdem monaſterii fundatrix* 488 c
† Eutropia *vidua adhuc vivens à ſancto Sidonio Apollinari laudatur* 612 d e
Eutychius *patriarcha ſcripſit Arabicè Annales Alexandrinos* 579 c
† Evaſius *primus epiſcopus Aſtenſis* 409 f, 410
Evervinus *abbas Steinfeldenſis* 200, 233 d e
† Evodius *præſul Rothomagenſis* 640 c, 642 e f
Eyſengrenius (*Guilielmus*) *ineptum reſponſum affingit S. Bernardo abbati* 206 d e. *Primus aſſerit, S. Bernardum lacte Deiparæ irroratum fuiſſe* 206 f, 207 a b c

F

FAbrettus (*Raphaël*) *ſcripſit de aquis & aquæ-ductibus veteris Romæ* 498 f
Fabricius (*Joannes Albertus*) *heterodoxus Opera S. Hippolyti martyris edidit* 513 d e
Fagnanus (*Julius Cæſar*) *canonizationem B. Bernardi Ptolomæi impetrare conatus eſt* 465 c
Falco *Beneventanus ſcripſit Chronicon* 157 f
Falco *monachus Trenorcienſis Chronicon ejuſdem monaſterii ſcripſit* 72 d
† Falconeriis (*Juliana de*) *neptis B. Alexii Falconerii* 690 d e, 692 e, 704 e
B. Falconerius (*Alexius*) *unus ex ſeptem primis fundatoribus Ordinis Servorum B. Mariæ* 660 d, 665 a, 668 d, 669 f, 690 b c d
Falugius (*Ludovicus*) *eques S. Stephani dicitur habuiſſe antiqua Acta B. Bernardi Ptolomæi* 466 f
Farfa (*Gerardus de*) *morti proximus S. Bernardum videt* 359 b
Farneſius (*Petrus Aloyſius*) *dynaſta urbis Nepeſinæ* 747 a, 748 a
Farſitus (*Hugo*) *Canonicus Laudunenſis ſcripſit de miraculis S. Amatoris* 23 c
Faſtradus *abbas Villarienſis* 210 b, 352 b c
Fauſtus *Reïenſis epiſcopus* 622 c
† Felix *Valeſius an S. Bernardo abbati ſit à matre oblatus* 133 a b c
† Felix *præſul Trevirenſis* 41 a
Felix *epiſcopus Abbiritanus in Africa* 631 d
Ferdinandus II *imperator, & illuſtres Auſtriacæ familiæ poſteri Ordinem Servorum B. Mariæ multis beneficiis affecerunt* 699
Ferrandus (*Joannes*) *S. J. de ſacris Sanctorum reliquiis diſquiſitionem conſcripſit* 21 b
Fieſcus (*Otthobonus*) *S. R. E. Cardinalis & nepos Innocentii IV Pontificis* 678 b c
Firmitate (*Josbertus de*) *conſanguineus S. Bernardi* 269 f, 271 c
Flamma (*Galvaneus*) *conſcripſit Chronicon* 149 d f
Flavichonus *epiſcopus Auguſtodunenſis* 779 b, 781 a
Flavius *Joſephus ſcripſit de Antiquitatibus Judaïcis* 781 d e
Fleury (*Claudius*) *in Hiſtoria eccleſiaſtica errans corrigitur* 641 e f, 642 b c
Flora & Helena *ex meretricibus factæ moniales Ordinis Servorum B. Mariæ, an titulo Beatarum ſint ornandæ, quæritur* 704 a f
Florentinus (*M. Coſmus*) *Acta S. Philippi Benitii ſcripſit* 656 a
Florentius *Wigornienſis ſcriptor Anglus* 537 c
Florentius *epiſcopus Uticenſis in Africa* 630 b
Florus *abbas & diſcipulus S. Mauri abbatis* 397 b
Fontana (*Vincentius Maria*) *ſcriptor ex Ordine Prædicatorum* 747 e, 748 b c
Fontaninus (*Juſtus*) *Codicem Canonizationum non ita pridem vulgavit* 657 e
Foſſati (*Joannes Franciſcus*) *Mediolanenſis abbas Congregationis Olivetanæ* 465 f
Franciottus (*Cæſar*) *presbyter Lucenſis ſcripſit de ſanctis Lucenſibus* 19 c
† Franciſca *Romana alumna Congregationis Olivetanæ* 487 b
B. Franciſcus *Senenſis ex Ordine Servorum B. Mariæ* 703 b c, 704 e
Franco *epiſcopus Bellegradenſis* 858 d
Franco *venerabilis monachus Villarienſis* 3 d. *Forſan eſt idem cum abbate iſtius nominis* 371 f, 372 a
Franco *præſul Rothomagenſis Rollonem Ducem Normannorum baptizavit* 802 f, 822 d e
Francorum *regnum inter quatuor Clodovei Magni filios dividitur* 788 d e
Fredericus II *imperator* 380 a e, 669 d
Freyre de Daguarda (*Lucas*) *metricè deſcripſit martyrium S. Bernardi Alzirenſis* 462 b d, 463 a
Fridegodus *ſcriptor Anglus* 795 b
Fridericus *Sueviæ Dux* 187 e
Frotmundus *abbas S. Taurini Ebroïcenſis* 824 c
Frowinus *abbas & teſtis oculatus miraculorum S. Bernardi* 332 & ſeqq.
† Fructuoſus *leges monaſticas conſcripſit* 97 f
Fulbertus *epiſcopus Carnotenſis* 637 c
Fulbertus *monachus Rothomagenſis ſcripſit de miraculis S. Audoëni* 803 b, 805 d, 825 a d
Fulco, *cognomento* Nerra *vel* Niger *Comes Andegavenſis* 790 d, 791 d
Fulgineo (*Daniel de*) *vir venerabilis ex congregatione Olivetana* 487 c
Fungolo (*Laurentius*) *ſcriptor ex Ordine Prædicatorum* 723 b

G

GAbutius (*Joannes Antonius*) *ſcripſit Vitam S. Pii V Pontificis* 228 c
Galactorius *epiſcopus Benearnenſis* 441 f, 442 d
Galdricus *avunculus S. Bernardi poſt mortem glorioſus ei apparet* 127 a b. *Ope ejus à febri liberatur* 365 f
† Galdricus *vel* Aldricus *epiſcopus Cenomanenſis* 792 e, 793 b
† Gallicinus *antiſtes Burdigalenſis* 443 f
Gallienus *imperator Mediolani interfectus eſt* 439 b
Gallonius (*Antonius*) *ſcripſit opuſculum de Cruciatibus Martyrum* 432 c
† Gallus *epiſcopus Arvernenſis* 619 f
Galterus *tertius epiſcopus Tornacenſis* 353 e
Gamans (*Joannes*) *S. J. ſubminiſtravit nobis Acta S. Auctoris* 39 c
Gardeboſc (*Ambroſius*) *Carmelita diſſerit de adventu S. Martialis in Galliam* 20 b
Garinus *vel* Guarinus *ex monacho Ciſtercienſi fit epiſcopus Sedunenſis* 292 e, 294 f
Gaſparinus *Venetus ſcriptor ex Ordine Servorum B. Mariæ* 739 a e
† Gaudentius *epiſcopus Brixienſis* 739 e
Gaudentius *archiepiſcopus Gneſnenſis* 740 e
Gaufredus *ex abbate S. Medardi Sueſſionenſi fit epiſcopus Catalaunenſis* 141 d, 239 d
Gaufredus *cœnobita Lemovicenſis, ac dein Prior Voſienſis.*

Voſienſis ſcripſit chronicon 196 d
Gaufridus *epiſcopus Sorenſis* 359 b
Gaufridus *epiſcopus Carnotenſis* 121 a, 130 b, 147 b, 281 a, 283 e
Gaufridus *abbas Claravallenſis quartus* 104 f
Gaufridus *abbas monaſterii S. Mariæ in diœceſi Eboracenſi* 143 b
Gaufridus *primùm S. Bernardi notarius, deinde Igniacenſis ac poſtea Claravallenſis abbas* 230 d, 250 a, 252 b
Gaufridus *Comes Andegavenſis* 308 f, 310 e
Gaufridus *vel* Godefridus *comes Aſperi-montis pater B. Goberti Villarienſis* 373 e
Geiſericus *rex Wandalorum* 628 c
Gelaſius II *Pontifex* 238 c
Gelduinus *abbas S. Victoris ſancto Bernardo minaces litteras ſcribit* 116 b
Gelenius (*Ægidius*) *ſcripſit opus de Magnitudine Coloniæ Agrippinenſis* 493 a
Gellius (*Aulus*) *annos pueritiæ aſſignat* 600 d
Gennadius *presbyter Maſſilienſis ſcripſit Opus de viris illuſtribus* 598 a
Genuenſes *experiuntur auxilium S. Bernardi Claravallenſis abbatis* 142
† Georgius *Anicienſis ac Velaunenſis epiſcopus* 399 e
Georgius (*Marius vel Marcus*) *geſta S. Philippi Benitii carmine cecinit* 655 f
Geraldus *vel* Giraldus *epiſcopus Tornacenſis ex Ordine Ciſtercienſi* 292 e, 295 a, 353 e
Gerard (*Armandus*) *Canonicus Sarlatenſis notitiam de Sanctis Cadurcenſibus ſubminiſtravit* 19 a
† Gerardus *germanus frater S. Bernardi Claravallenſis abbatis moritur* 168 c d, 273 a, 274 b
Gerardus *epiſcopus Engoliſmenſis & ſchiſmatis fautor* 153
Gerardus *aut* Geroldus *epiſcopus Ebroicenſis* 824 b f
Gerardus *ex Ordine Ciſtercienſi primus abbas monaſterii Longi-pontis* 307 a, 308 c
Gerardus *Farfenſis S. Bernardi diſcipulus* 115 e
Gerardus I *præſul Cameracenſis* 516 c, 850 d, 851 c
Gerardus, *cognomento* magnus *Fratres bonæ voluntatis in communi viventes inſtituit* 3 e f
Germain (*Michaël*) *conſcripſit Hiſtoriam abbatiæ B. Mariæ Sueſſionenſis* 793 a b
† Germanus *patriarcha Conſtantinopolitanus* 509 d
Germanus III *patriarcha Conſtantinopolitanus* 691 f, 693 a b
† Germanus *epiſcopus Autiſſiodorenſis* 317 d, 318 a
Gerſon (*Joannes*) *verſus & rhythmos, ſub S. Bernardi nomine vulgatos, notis illuſtravit* 106 a
† Gertrudis *abbatiſſa monaſterii Elpedani in Comitatu Mansfeldenſi* 233 a b
Gervaſius *archiepiſcopus Compſanus* 100 f
Gervaſius *archiepiſcopus Rhemenſis* 857 c, 858 b
Gervaſius *abbas Weſtmonaſterienſis in Anglia* 38 c
Gervaſius *monachus & ſcriptor Anglus* 804 d
Ghinius (*Conſtantinus*) *ſcripſit Menologium Sanctorum Canonicorum* 640 c d
Gianius (*Archangelus*) *ſcripſit Annales Ordinis Servorum B. Mariæ* 655 c. *Etiam edidit Vitam S. Philippi Benitii* 656 e & ſeqq.
Gibſon (*Edmundus*) *Anglus edidit antiquum Chronicon Saxonicum* 57 b
Gilbertus *Porretanus epiſcopus Pictavienſis à Bernardo Claravallenſi oppugnatus* 196 e f, 197 & ſeqq.
Gilbertus *epiſcopus Cenomanenſis* 784 e f
Gilbertus *ſecundus abbas monaſterii S. Joannis* 398 a b
Gilbertus *vel* Giſlebertus *præſul Turonenſis* 158 f
Gildardus *antiſtes Rothomagenſis* 640 b
Girardus *Comes Viennenſis & Matiſconenſis* 74 c d
Giſſeyus (*Odo*) *S. J. Gallicum libellum edidit de ſancto Amatore* 18 c d, 21 f
Godefridus *notarius S. Bernardi & poſtea abbas Claræ-vallis* 223 c d
Godefridus *S. Bernardi conſanguineus & Prior Claravallenſis* 250 e, 285 f, 286 c d
Godefridus *ex Ordine Ciſtercienſi ad ſedem Lingonenſem evectus* 103 e, 292 e, 294 f, 344 f, 653 a
Godefridus *ex Ordine Ciſtercienſi confeſſarius monialium in Camera beatæ Mariæ prope Bruxellas* 489 a
Godellus (*Antonius*) *epiſcopus Vencienſis* 593 a
Goderannus *abbas Malleacenſis* 786 d e
Godeſcalcus *epiſcopus Atrebatenſis* 197 e f
Gononus (*Benedictus*) *edidit Vitas Patrum Orientis & Occidentis* 782 c, 783 d
† Gonzaga (*Aloyſius*) *S. J. morti vicinus etiam ſcripta S. Bernardi ſibi prælegi curabat* 232 d
Gonzo *abbas Florinenſis* 846 b, 855 c, 858 b
Gorham (*Robertus de*) *abbas S. Albani in Anglia* 58 c
Goſvinus *abbas Ciſtercii* 221 c
Goſvinus *vel* Goſſuynus *ſcripſiſſe dicitur Vitam ſanctæ Aſcelinæ* 651 e f
Gothofredus (*Jacobus*) *ſcripſit Commentarios in codicem Theodoſianum* 426 b
Gradulfus *abbas Fontanellæ* 803 a
Gravius (*Henricus*) *theologus Lovanienſis* 406 b
Grauſolphus *epiſcopus Fæſulanus* 541 e
† Gregorius *Nazianzenus geſta Juliani apoſtatæ partim deſcribit* 427 d, 432 c d
† Gregorius VII *Pontifex Romanus* 859 c, 861 e f
Gregorius IX *Pontifex S. Dominicum catalogo Sanctorum adſcripſit* 354 b
Gregorius XI *Pontifex* 473 a
Gregorius XIV *Pontifex quotidie legebat Opera S. Bernardi abbatis* 228 c
Grimaldus *ex Ordine Ciſtercienſi abbas Populeti in Hiſpania* 453 a b & ſeqq.
Gualerannus *vel* Walleramnus *abbas Lobienſis* 853 c, 854 e
Gualla (*Jacobus*) *ſcriptor Italus edidit Sanctuarium Papienſe* 75 a, 415 b
Gualterus *epiſcopus Lingonenſis* 247 a
Gualterus *præſul Cabilonenſis* 237 b
Guantariis (*Andreas de*) *illuſtris juris peritus* 480 b
Guarinus *vel* Garinus *ex Ordine Ciſtercienſi ad cathedram Sedunenſem aſſumptus* 252 e, 294 f
Guerricus *abbas Igniacenſis & S. Bernardi diſcipulus* 230 c
Guerrois (*Nicolaus des*) *ſcripſit Annales eccleſiaſticos diœceſis Tricaſſinæ* 651 a
Guibertus *abbas de Novigento de reliquiis Sanctorum diſſerit* 20 e. *Vitam ſuam ſcripſit* 858 b
Guichardus *archiepiſcopus Lugdunenſis* 357 f
Guido *epiſcopus Piſanus & S. R. E. Cardinalis* 240 a
Guido *Lemovicenſis epiſcopus* 800 b c
Guido *epiſcopus Aretinus* 466 c

Guido *abbas Cariloci* 174 d e
Guido *præsul Viennensis & Apostolicus per Galliam legatus* 113 d
Guido *S. Bernardi abbatis frater Pontiniaci moritur* 240 d
Guidonis (*Bernardus*) *S. Audoënum cum altero Sancto similis nominis confundit* 800 a b
Guidotti (*Dominicus*) *Prior Mevanienſis ex Ordine Prædicatorum nobis promiſit apographum veterum Actorum B. Jacobi Mevanatis* 723 c
Guigo *Prior Cartuſiæ S. Bernardum hoſpitem reverenter excepit* 297 c. *Scripſit Vitam S. Hugonis epiſcopi Gratianopolitani* 298 d
Guilielmus *archiepiſcopus Tyri* 229 d
Guilielmus *epiſcopus Pariſienſis* 229 e
Guilielmus *primus abbas Rievallenſis in Anglia* 271 e, 273 e f
Guilielmus *olim ſancti Theoderici prope Rhemos abbas ſcripſit Acta S. Bernardi* 250 a b, 256 a. *Conſilio ejuſdem Sancti ſubitò ſanatur* 365 f
Guilielmus *Aquitaniæ Dux ab abbate Bernardo ad unitatem Eccleſiæ mirabiliter reductus* 153
Guilielmus *Farfenſis S. Bernardi diſcipulus* 115 e
Guilielmus *rex Romanorum in bello contra Friſios interfectus eſt* 686 d
Gundiſalvus *abbas Morerolæ in Legionenſi Hiſpaniæ provincia* 361 c f
Gundobadus *rex Burgundiæ cum Clodovæo Francorum rege pacem inivit* 777 a
Gunnarus *regulus Sardiniæ Ordinem Ciſtercienſem ingreditur, & corpus S. Bernardi inviſit* 218 e f, 225 a b
Guntabundus *rex Wandalorum* 630 d
Gyroldus *abbas Villarienſis* 210 b

H

Hacqueville (*Nicolaus*) *ſenatûs Pariſienſis præſes carmen de laudibus S. Bernardi abbatis ſcripſit* 112 a
Hadrianus II *Pontifex* 549 b d e
Haimericus *Romanæ Sedis Cancellarius, ad quem S. Bernardus abbas ſcripſit* 136 a b
Haimerus *epiſcopus Podienſis vel Anicienſis* 249 f
Halloix (*Petrus*) *S. J. edidit inter alia Vitam Origenis* 510 d
Hancart (*Romualdus*) *Prior monaſterii Hubertini varia ſuppeditavit de B. Theoderico* 844 a b & ſeqq.
Hardigny (*Guilielmus*) *S. J. conſcripſit Gallicè Vitam & miracula S. Adriani* 353 b
Haſſia (*Henricus de*) *doctor Pariſienſis & poſtea Cartuſianus* 230 e
Heinſius (*Daniel*) *heterodoxus ſuavitatem doctrinæ Bernardinianæ magni facit* 233 d
Heiſterbacenſis (*Cæſarius*) *ſcriptor Ordinis Ciſtercienſis* 232 a
Helena & Flora *ex meretricibus factæ moniales Ordinis Servorum B. Mariæ, an legitimum Beatarum titulum habeant, quæritur* 704 a f
Helias *epiſcopus Aurelianenſis inſtitutum Ciſtercienſe amplectitur* 215 d e f
Helinandus *monachus Frigidi-montis in Gallia ſcriptor Ordinis Ciſtercienſis* 231 f
Helinus *abbas ſancti Theoderici prope Rhemos Guilielmo S. Bernardi biographo ſucceſſit* 250 b
Helinus *abbas Floreffienſis* 398 a
Helmoldus *presbyter in Chronicis Slavorum memnit de S. Bernardo abbate Claravallenſi* 192 f
Heloiſſa *famoſa Abailardi diſcipula, & poſtmodum abbatiſſa in monaſterio Argenteolenſi* 170 e
Helyot (*Hippolytus*) *ſcripſit hiſtoriam Ordinum Religioſorum* 248 d, 473 b
† Hemelina *vel* Emelina *ab aliquibus vocatur virgo, & ab aliis dicitur fuiſſe mater S. Aſcelinæ* 654 e
Henricus *archiepiſcopus Moguntinus* 187 e
Henricus *archiepiſcopus Senonenſis à Bernardo Claravallenſi ad meliorem frugem converſus* 129 a
Henricus *antiſtes Eboracenſis ex Ordine Ciſtercienſi* 292 e, 295 a
Henricus *epiſcopus Trecenſis vel Tricaſſinus* 650 b
Henricus *epiſcopus Virdunenſis* 239 b
Henricus I *antiſtes Leodienſis* 858 d, 859 f, 861 f, 863 a b, 864 a
Henricus II *epiſcopus Leodienſis* 344 e
Henricus *abbas Claravallenſis* 246 e
Henricus *abbas Rothomagenſis monaſterii S. Audoëni* 838 c, 840 a
Henricus *ex Ordine Ciſtercienſi ad Romanam purpuram aſſumptus* 292 e, 294 e
Henricus *ex ſanguine regio ortus, Ordinem Ciſtercienſem ingreditur* 214 b c d. *Poſtea aſcendit cathedram Bellovacenſem* 216 b, 292 e, 295 a
† Henricus *imperator, cognomine claudus vel ſecundus* 849 c, 851 a
Henricus III *imperator* 280 d
Henricus IV *imperator* 237 c
Henricus V *imperator* 237 d. *Moritur* 238 e
Henricus I *rex Angliæ* 60 f, 279 d, 280 c
Henricus *rex Angliæ ad Rupem S. Amatoris ex voto peregrinatus eſt* 22 b c
Henricus *Angliæ rex, ad quem S. Bernardus abbas epiſtolam dedit* 143 b
Henricus *vir nobilis interceſſione S. Bernardi à phreneſi liberatur* 367 a
Henricus II *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux* 371 b, 378 c d e
Henricus III *cognomento* magnanimus *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux* 395 a
Henricus *Davidis regis Scotiæ filius immaturâ morte ſublatus* 60 f
Henricus *quidam impoſtor & hypocrita ſectæ Henricianæ initium dedit* 199 & ſeqq.
Henriquez (*Chryſoſtomus*) *ex Ordine Ciſtercienſi ſcribit de umbra S. Bernardi mirabiliter apparente* 355 e
Henſchenius (*Godefridus*) *S. J. compoſuit Diatribam de tribus Dagobertis* 797 e
† Heraclas *patriarcha Alexandrinus* 581 b
Herbertus *ex Ordine Ciſtercienſi abbas cœnobii Morenſis, & poſtea archiepiſcopus Turritanus in Sardinia* 210 e, 251 a, 330 c f, 351 d e
Heredia (*Antonius de*) *ſcripſit Hiſpanicè Vitas Sanctorum Benedictinorum* 775 c, 776 c, 782 e
Herefaſtus *Rothomagenſis abbas S. Audoëni* 803 a
Herimannus *aut* Hermannus *epiſcopus Conſtantienſis* 251 a, 329 c, 330 a. *Teſtis oculatus miraculorum S. Bernardi* 332 & ſeqq.
Herlemondus *epiſcopus Cenomannenſis* 784 f
Hermannus *epiſcopus Metenſis* 859 c, 861 e
Hermintrudis *ſoror Calliſti II Pontificis Romani* 320 a
Hertoghe (*Polycarpus de*) *ſcriptor ex Ordine Præmon-*

Præmonſtratenſi 120 e
Herveus *Comes Nivernenſis* 237 f
Herwinus *Steinfeldenſis abbas & teſtis oculatus miraculorum S. Bernardi* 338 d, 339 e & ſeqq.
Heyndenricus *abbas beatæ Mariæ de Zedelitz in Germania* 397 e
Hibero (*Ignatius Firminus de*) *abbas Fiterienſis in regno Navarræ* 207 c, 208 b
Higdenus (*Ranulphus*) *ſcripſit Polychronicon* 804 b
† Hilarius *epiſcopus Pictavienſis* 488 f
Hilbodus *abbas Herienſis* 72 c
Hildebertus *archiepiſcopus Turonenſis* 138 f, 229 a b
Hildebertus *abbas monaſterii S. Audoëni Rothomagi* 823 e, 824 b e, 830 a f
† Hildegardis *Montis S. Roberti prope Bingen abbatiſſa* 233 a. *Dicitur in Germania colloquium habuiſſe cum S. Bernardo Claravallenſi* 193 b c
Hilduinus *abbas San-dionyſianus* 68 a, 92 b f
Hilinus *vel* Illinus *archiepiſcopus Trevirenſis* 320 f, 322 b
† Hipatius *vel* Hypatius *pro cultu ſacrarum imaginum paſſus ſub Leone Iſaurico* 842 c f
† Hippolytus *presbyter Antiochenus ab aliis ejuſdem nominis Sanctis diſtinguitur* 504 b e f
Holſtenius (*Lucas*) *varias monachorum regulas edidit* 98 a
Honoratus *præſul Bituricenſis* 641 f
Honoricus *antiſtes Mediolanenſis* 148 f
Hormiſda *Comes, & frater Saporis regis Perſarum videtur fuiſſe Chriſtianus* 432 f
Horſtius (*Merlonus*) *S. Bernardum à calumniis Centuriatorum Magdeburgenſium vindicat* 233 f, 234 a b c & ſeqq. *Opera ejuſdem Sancti edidit* 236 f
Hovedenus (*Rogerus*) *ſcriptor Anglus* 22 c
† Hubertus *quieſcit in monaſterio Andaginenſi, quod ab hoc Sancto poſtea nomen accepit* 843 a b, 855 a
Hugo *epiſcopus Gratianopolitanus amicus S. Bernardi Claravallenſis abbatis* 126 e, 297 b, 298 d
Hugo *antiſtes Rothomagenſis* 824 b e
Hugo *epiſcopus Autiſſiodorenſis* 261 d, 263 a
† Hugo *abbas Cluniacenſis* 353 b
Hugo *abbas Præmonſtratenſis in locum S. Norberti ſucceſſit* 122 a
Hugo *abbas Lobienſis* 845 f, 852 b, 854 d
Hugo *abbas Trium fontium in Campania Galliæ, & poſtea S. R. E. Cardinalis* 292 e, 294 d
Hugo *ſecundus Burgundiæ Dux* 103 a, 153 c
Hugo *vel* Odo IV *Dux Burgundiæ* 395 a
Hugo *monachus ſancti Mariani Autiſſiodorenſis ſcripſit Chronicon* 231 f
Hugo *Victorinus ſancti Bernardi abbatis amicus moritur* 241 e
Humbaldus *archiepiſcopus Lugdunenſis* 134 f
Humbelina *S. Bernardi abbatis ſoror moritur* 174 b, 241 d. *An cultum habeat* 398 b c d
Humbertus *vel* Hymbertus *Generalis V Ordinis Prædicatorum* 489 c
Humbertus *abbas Malleacenſis* 786 d
Humbertus *vel* Hubertus *ex Ordine Ciſtercienſi ad cathedram Nepeſinam evectus* 292 e, 294 e
Humbertus *S. Bernardi diſcipulus, & poſtea primus abbas Igniacenſis* 115 d e f, 239 a
Hunericus *rex Wandalorum* 628 c, 630 d
Hyldebaldus *antiſtes Colonienſis accepit reliquias S. Audoëni* 803 c

I

Jacobillus (*Ludovicus*) *inter alia ſcripſit Italicè Vitam B. Jacobi Mevanatis* 720 b & ſeqq.
† Jacobus *primus epiſcopus Hieroſolymitanus* 555 c
Jacobus *abbas Eberbacenſis* 230 e
Jacobus *pater S. Philippi Benitii* 662 d e
Jacobus *Senenſis ſecundus vel tertius Generalis Ordinis Servorum B. Mariæ* 673 d, 674 f
Janningus (*Conradus*) *S. J. Venetiis examinavit reliquias monaſterii S. Zachariæ* 770 d e
Januarius *præſul Calaritanus in Sardinia* 414 b d
Iberus (*Ignatius Firminus*) *Fiterienſis abbas* 253 f
Ignatius *Joſephus à Jeſu Maria ſcripſit hiſtoriam eccleſiaſticam Abbavillenſem* 69 b
Illinus *vel* Ilinus *archiepiſcopus Trevirenſis* 320 f, 322 b
Innocens *vel* Innocentius *epiſcopus Cenomanenſis* 785 a b c, 789 a
Innocentius II *Pontifex* 136 e, 139 c. *Laudat S. Bernardum* 228 a
Innocentius III *Pontifex circa quaſdam ſacras Chriſti reliquias nihil aſſerere voluit* 21 b c
Innocentius X *Pontifex epiſcopatum Malleacenſem ſuppreſſit & Rupellam tranſtulit* 786 c
Innocentius XI *Pontifex Novocomi natus eſt* 530 d
Innocentius XII *Pontifex* 466 d
B. Joachimus *ex Ordine Servorum B. Mariæ* 691 d, 692 f
Joanna *quædam B. Jacobo Mevanati familiaris non videtur legitimum cultum habere* 732 e, 734 c
Joannes XXII *Pontifex* 466 c, 470 f, 472 f, 474 d
Joannes *S. R. E. Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis in Hetruria legatus* 480 b
Joannes *antiſtes Rothomagenſis* 803 b c, 825 d
Joannes *epiſcopus Hieroſolymitanus* 552 e, 555 c
Joannes *epiſcopus Virdunenſis & Metenſis* 373 f, 375, 380 e
Joannes *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux* 371 b c
Joannes *abbas Reomenſis* 648 a
Joannes *Rothomagenſis abbas S. Audoëni* 802 e
Joannes I *præſul Salonitanus* 408 e
Joannes *abbas Waldſaſſenſis in Germania* 553 c
Joannes *abbas monaſterii Villarienſis in Brabantia* 372 a e, 376 d
Joannes *abbas Caſæ-Marii* 187 f
Joannes *eremita dicitur in Sicilia revelationem de ſalute Dagoberti regis habuiſſe* 801 e f
Joannes *eremita ſcripſit Acta S. Bernardi abbatis* 250 b, 252 c
Joannes *eccleſiæ Veronenſis diaconus, & imperialis hiſtoriæ ſcriptor* 401 f
Joannes *Tinmuthenſis ſcriptor Anglus, qui Vitas Sanctorum collegit* 634 e f
Jocerannus *epiſcopus Lingonenſis* 113 d
Jongelinus (*Gaſpar*) *edidit notiam abbatiarum Ordinis Ciſtercienſis* 111 f, 650 c
Jordanus *an fuerit generalis abbas Congregationis Olivetanæ diſputatur* 473 a b
Jornandes *epiſcopus Ravennas* 600 d
Joſeph *epiſcopus Hieroſolymitanus* 555 c
Joſephus *Ignatius à ſancto Antonio Carmelita excalceatus Tornaco ad nos miſit obſervationes in Vitam S. Bernardi* 253 c, 329 a b
Joſlenus *epiſcopus Sueſſionenſis* 154

Judas *decimus quintus episcopus Hierosolymitanus* 555 c
Juditha *filia Balduini Comitis Flandriæ* 65 f
Julianus *episcopus in Vasconia* 398 b, 441 b
Julianus *Comes fuit avunculus Juliani imperatoris apostatæ* 432 b c
Julianus *imperator & apostata Cæsareæ Philippi statuam Christi destruxit* 20 d. *Militare vexillum Constantini Magni mutare voluit* 427 *Occiditur* 432 b
Julius II *Pontifex* 485 f
Ivo *S. R. E. Cardinalis & legatus* 178 d e f
Ivo *episcopus Carnotensis distinctus ab alio Ivone Carnotensi* 197 e
Justinianus *cognomenti* Rhinotmetus, *imperator Constantinopolitanus* 644 e, 646 c, 647 a
Justinopoli (*Christophorus de*) *Generalis Ordinis Servorum B. Mariæ* 656 c
† Justinus *philosophus sub Aurelio imperatore martyrium subiit* 495 f, 496 a
† Justus *antistes Lugdunensis* 606 b
Justus *tertius episcopus Hierosolymitanus* 555 c
Justus *undecimus episcopus Hierosolymitanus* 555 c
Justus *antistes Viennensis* 532 a

K

Kirch (*Christianus*) *Societatis Jesu nobis notitiam suggessit de Burchardo episcopo Wormatiensi* 3 b

L

Lambertinis (*Prosper de*) *archiepiscopus Bononiensis S. R. E. Cardinalis* 660 b c, 720 f, 723 a
Lambertus *abbas Cheſiriaci in Anglia, & frater S. Petri archiepiscopi Tarentasiensis* 489 b
Lambertus *monachus Andaginensis miro modo ad frugem reducitur* 856, 858 b
Lampridius *poëta Burdigalensis, & Eurico regi Gottorum charus* 617 a
Lancellottus (*Secundus*) *scripsit Historiam Congregationis Olivetanæ* 467 b, 473 a
Lando *episcopus Cremonensis* 566 e f
Landulphus *Junior scripsit Historiam Mediolanensem* 147 a c
Langius (*Paulus*) *conscripsit Chronicon Citizense* 42 b
† Latiosus (*Peregrinus*) *miro modo conversus Ordinem Servorum B. Mariæ ingreditur* 701 d e, 704 e
Laudunensis (*Hermannus*) *scripsit de miraculis sanctæ Mariæ* 205 d
† Launomarus *abbas Curbionensis* 787 b, 789 b
Laurentius *abbas Villarienſis* 242 a
Laurentius *monachus Rutiensis in Calabria scripsit Græcè varias Sanctorum Vitas* 501 c, 502 a
Laurerius (*Dionysius*) *S. R. E. Cardinalis* 678 d, 679 d
Lefastus *episcopus Augustodunensis* 643 e
† Legontius *præsul Trevirensis* 41 b, 47 a f
Lemos (*Thomas de*) *Dominicanus sacro Marcheſii Diario inscribitur* 553 f
Leo *quæstor Eurici regis Gothorum* 616 a b c, 617 f
Leo *Isauricus sacrarum imaginum destructor* 841 c, 842 b c d
† Leobinus *vel* Leoninus *aut* Leubinus *episcopus Carnotensis* 489
Leodio (*Laurentius de*) *scripsit Historiam episcoporum Virdunensium* 122 b, 205 a, 233 e
Leonis (*Petrus*) *pseudo-papa sub nomine Anacleti* 136 e f, 137 & seqq.
Leontius *antistes Arelatensis* 443 e
Leontius *Aurelianensis antistes* 641 f
Leontius *præsul Trevirensis* 441 c
Leontius *Byzantinus scriptor Græcus edidit Opusculum de sectis hæreticorum* 508 e
Leophanta *vel* Lephanta (*Franciſca*) *prima monialis Congregationis Olivetanæ* 473 b, 487 c
Leslæus (*Joannes*) *episcopus Rossensis scripsit de rebus gestis Scotorum* 774 b
† Leufredus *fundator monasterii* 816 b c f
Lezana (*Joannes Baptista de*) *scripsit Annales Carmelitarum* 17 f
Libanori (*Antonius*) *abbas ex Ordine Cisterciensi & scriptor* 652 e
Lindanus (*Henricus*) *S. J. Laureti commorans accepit recentiora miracula B. Jacobi Mevanatis* 726 d, 727 c
Lipomanus (*Aloysius*) *episcopus Veronensis collegit Vitas Sanctorum* 664 c
B. Lippius (*Ricoverus*) *unus ex septem primis fundatoribus Ordinis Servorum B. Mariæ* 660 d, 665 a
Lipsius (*Justus*) *regius professor & Historicus Lovanii* 232 f
Locrius (*Ferreolus*) *scripsit de Deipara* 23 c, 24 b, 140 b c. *Item Chronicon Belgii* 353 e
Lombardellus (*Gregorius*) *scripsit Vitam B. Bernardi Ptolomæi* 464 a b, 466 f
Lombardus (*Petrus*) *doctor & postea episcopus Parisiensis* 170 d
Longuevallius (*Jacobus*) *S. J. scripsit Historiam ecclesiæ Gallicanæ* 442 e
Loratorio (*Gaufridus vel Goffredus de*) *archiepiscopus Burdegalensis* 351 b c
Lotharingus *Florentinus quintus vel sextus Generalis Ordinis Servorum B. Mariæ* 677 d, 679 c
Lotharius *vel* Clotarius II *pater Dagoberti I regis Francorum* 806 c, 807 c
Louvetus (*Petrus*) *in Historia Bellovacensi narrat tria miracula S. Symphoriani* 492 e
† Loyola (*Ignatius de*) *fundator Societatis Jesu* 683 b c e
Lubin (*Augustinus*) *scripsit tabulas ad Martyrologium Romanum* 493 b
Lucentius (*Julius Ambrosius*) *Italiam sacram Ughelli contraxit* 745 e, 747 a
Lucillus *episcopus Veronensis* 401 b
Lucius II *Pontifex* 175 c, 181 f
Lucius (*Joannes*) *Dalmata scripsit de regno Dalmatiæ & Croatiæ* 407 e, 409 d
Ludolfus (*Jobus*) *heterodoxus edidit sacros Fastos ecclesiæ Æthiopicæ* 505 b, 513 b
Ludovicus *Granatensis scriptor ex Ordine Prædicatorum* 231 c
Ludovicus *cognomento* crassus *rex Galliæ* 131 e, 141 c, 146 d
Ludovicus VII *rex Galliæ* 189 a b, 196 d
Ludovicus XIII *rex Galliæ de S. Bernardo præclarè loquitur in suo diplomate* 230 a
† Lupus *episcopus Trecensis* 606 f, 607, 612 f
Lupus *episcopus Tarsensis in Cilicia* 594 a
Lupus *antistes Lugdunensis* 642 b
Lutherus (*Martinus*) *hæresiarcha laudat S. Bernardum* 233 c

M

MAanus (*Joannes*) *edidit lucubrationem de Metropoli Turonenſi* 159 a
Mabillonius (*Joannes*) *recudit & illuſtravit Opera S. Bernardi abbatis Claravallenſis* 101 e, 235 d, 236 c
Macharius *primus abbas ſancti Jacobi Herbipolenſis* 489 f
Macuſon (*Joannes Antonius*) *magiſter Novitiorum in monaſterio Claravallenſi ad nos miſit delineatum mauſoleum S. Bernardi* 354 e
Maffeius (*Scipio*) *nobilis ſcriptor ad Nicolaum Coletum dedit epiſtolam, quæ Italiæ ſacræ inſerta eſt* 401 c d
Maginus (*Fabius*) *edidit mappas geographicas Italiæ* 731 d
† Magnus *antiſtes Tranenſis* 402 f, 403 b
Maihewius (*Eduardus*) *vulgavit Trophæa Benedictina Angliæ* 537 b f
Mainardus *abbas S. Michaëlis de Monte* 824 c
Majorianus *Avito imperatori ſucceſſit in imperium* 603 a b
Majorica (*Arnulfus de*) *illuſtris S. Bernardi abbatis diſcipulus* 211 e f, 212 a b
Malabayla (*Philippus*) *viſitator generalis Congregationis S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis* 410 c
Malabranca (*Latinus*) *S. R. E. Cardinalis* 696 e
Malcolmus III *rex Scotiæ* 308 b
Malmesburienſis (*Guilielmus*) *ſcriptor Anglus* 795
Mamæa *imperatoris Alexandri mater* 507 e
Mamertus *præſul Viennenſis in Gallia* 613 f
Manettus (*Jannotius*) *conſcripſit Hiſtoriam Piſtorienſem* 696 b
B. Manettus (*Joannes*) *unus ex ſeptem primis fundatoribus Ordinis Servorum B. Mariæ* 660 d, 665 a
Manfredus *rex filius nothus Frederici II imperatoris* 675 a, 676 c
Mangiadoris (*Joannes de*) *præſul Florentinus* 675 c, 676 c, 678 a, 679 c
Manrique (*Angelus*) *Pacenſis epiſcopus Annales Ordinis Ciſtercienſis ſcripſit* 101 c & ſeqq. 253
Mantua (*Hieronymus de*) *vir pietate inſignis ex Congregatione Olivetana* 487 c
Marafioti (*Hieronymus*) *vulgavit Chronicon Calabriæ* 648 f
Marca (*Petrus de*) *contra Joannem Cordeſium diſputat de adventu S. Martialis in Galliam* 20 b. *Edidit Hiſtoriam Bearniæ* 441 b
Margunius (*Maximus*) *epiſcopus Cythereus Vitas Sanctorum Græco-barbarè breviter edidit* 593 c
B. Maria *Ogniacenſis S. Bernardum ſibi apparentem vidit* 359 f, 360 a
Maria (*Honoratus à ſancta*) *Carmelita ſcripſit Gallicè animadverſiones ad regulas criticæ* 572 e
Mariana (*Joannes*) *S. J. corrigitur* 203 f
Marieta (*Joannes de*) *ſcripſit de Sanctis Hiſpaniæ* 460 b
Marinis (*Joannes Baptiſta de*) *Magiſter Ordinis Prædicatorum* 748 f
Martene (*Edmundus*) *ſcripſit Itinerarium duorum monachorum è Congregatione S. Mauri* 355 c. *Corrigitur* 640 b c
† Martialis *quo tempore in Galliam venerit, diſputatur* 19 e f, 20 a b
Martinellus (*Floravantes*) *edidit deſcriptionem urbis Romanæ* 498 f
Martinuſius (*Georgius*) *ex Congregatione Olivetana S. R. E. Cardinalis* 487 a
† Martinus *Pontifex Romanus* 812 f, 814 c e
Martinus IV *Pontifex* 701 b
Martinus V *Pontifex* 18 d
Maſenius (*Jacobus*) *S. J. Annales Trevirenſes Broweri mutatos in lucem dedit* 556 f
Mathildis *Fulconis comitis Andegavenſis filia, Fontis-Ebraldi abbatiſſa* 308 b
Matilda *ſeu* Mathilidis *regina Angliæ* 60 f
Matthæus *Pariſienſis conſcripſit Hiſtoriam Anglicanam* 60 b. *Falſitatis arguitur* 803 b
Matthæus *legatus Apoſtolicus & S. R. E. Cardinalis* 134 a b c
Matthæus *Dux Lotharingiæ* 277 b
Matthias *octavus epiſcopus Hieroſolymitanus* 555 e
Matthioli (*Carolus*) *Dominicanus ad nos miſit aliqua de B. Jacobo Mevanate* 723 a
Maugier (*Stephanus*) *abbas Charmeyæ ex Ordine Ciſtercienſi* 743 b
Mauricius (*Petrus*) *abbas Cluniacenſis impensè laudat S. Bernardum adhuc viventem* 230 b c, 238 d
Mauritius *præſul Trevirenſis* 41 b
† Maurus *martyr Romæ ſub Numeriano imperatore* 491 d
Maximilianus *Bavariæ Dux & illuſtres ejuſdem familiæ poſteri multa beneficia in Ordinem Servorum B. Mariæ contulerunt* 700 a b
† Maximinus *primus abbas ſuper Ligerim prope urbem Aurelianenſem* 787 a, 788 f, 789 a
† Maximus *epiſcopus Veronenſis* 596 f
Maximus *patriarcha Alexandrinus* 580 f, 582 c
B. Mechtildis *in cœnobio Elpidano monialis* 233 b
Medicis (*Maria de*) *mater Ludovici XIII regis Galliæ* 75 a
Meibomius (*Henricus*) *heterodoxus ob inſulſa & Lutherana dicta carpitur* 43 d e f, 44 a b
† Meletius *epiſcopus Antiochenus* 433 b
Melito *Sardianus epiſcopus Aurelio imperatori Apologiam pro Chriſtianis obtulit* 495 e
Meniconius (*Antoninus*) *ex Ordine Prædicatorum ad nos miſit recentiora miracula B. Jacobi Mevanatis* 726 d e f & ſeqq.
Metaphraſtes (*Simeon*) *corrigitur* 567 b c
Metellus (*Hugo*) *Canonicus Regularis cœnobii S. Leonis apud Tullum Leucorum* 231 e
Methodius *Tyri epiſcopus & martyr* 404 e f
Meyerus (*Jacobus*) *corrigitur* 847 f, 848 a
Michaël *abbas & Generalis* XXIV *Ordinis Vallumbroſani* 3 c
Milo *Morinorum epiſcopus* 197 f
Miniſinus (*Thomas*) *Canonicus Forojulienſis* 412 b
Molanus (*Joannes*) *theologus Lovanienſis* 405 f
Molbraio (*Robertus de*) *Comes Northumbriæ* 60 c e
Mombritius (*Boninus*) *quædam Sanctorum Acta collegit ſub Sixto IV Pontifice* 526 d e, 528 f
B. Monaldinus (*Bonfilius*) *unus ex ſeptem primis fundatoribus Ordinis Servorum B. Mariæ* 660 d, 665 a, 669 b f, 674 e
Monoculus (*Petrus*) *abbas invenit librum miraculorum S. Bernardi* 368 c
Monſtier (*Arturus du*) *Neuſtriam piam edidit* 69 f. *Corrigitur* 70 a
Montalvo (*Barnabas*) *ſcriptor ex Ordine Ciſtercienſi* 103 d

Monte (*Robertus de*) *ſcriptor ſeculi duodecimi* 16 c. *Miram hiſtoriam narrat* 22 e f, 23 a b
Mortarius (*Bartholomæus*) *ſcriptor ex Ordine Prædicatorum* 724 e f, 725 a, 734 d
Moyſis (*Simon*) *Martyrologium Copticum Latinè interpretatus eſt* 580 a
Murdach (*Henricus de*) *ex Ordine Ciſtercienſi primus abbas Vallis-claræ* 240 c

N

NArdinus (*Nicolaus*) *ſcripſit Opuſculum Italicum de cathedra Nepeſina* 745 c d, 746 c
Natalibus (*Petrus de*) *epiſcopus Equilinus ſeculo decimo quarto floruit* 768 e f, 769 & ſeqq.
Nauclerus (*Joannes*) *hiſtoricus* 206 a c
Neander (*Michaël*) *hæreticus laudat in S. Bernardo ſtudium ſacræ Scripturæ* 233 c
Neapoli (*Gaſpar de*) *abbas Generalis Congregationis Olivetanæ* 464 b
Nectanus *epiſcopus Aberdonenſis* 552 f
Nepettinus (*Victorius*) *collegit Acta SS. Ptolomæi & Romani martyrum* 746 b
Nepos *imperator cum Gothis Galliam invadentibus paciſci coactus eſt* 614 c
† Nicaſius *antiſtes Rothomagenſis* 820 c, 822 d
† Nicolaus *Myrenſis in Lycia epiſcopus* 545 f, 663 b, 664 c
Nicolaus V *Pontifex libros S. Bernardi de Conſideratione eleganter deſcribi juſſit* 236 b
Nicolaus *antiſtes Cameracenſis* 343 c, 344 d
Nicolaus *abbas monaſterii S. Audoeni* 795 e f, 803 a, 825 b e
Nicolaus *epiſcopus Caſtellanus in Italia* 691 c, 692 f
Nicolaus *abbas Villarienſis* 372 d
Nicolaus *Antonius auctor Bibliothecæ Hiſpanæ quoſdam pſeudo-ſcriptores Hiſpanos explodit* 562 f, 563 a f, 564 f, 565 a, 621 d e f, 754 e f, 755 a d
Nobilibus (*Hyacinthus de*) *ſcriptor ex Ordine Prædicatorum* 745 d, 746 c, 748 e f
Nonnus *epiſcopus Edeſſenus* 756 e f
† Norbertus *Ordinem Præmonſtratenſem inſtituit* 238 c. *Fuit amicus S. Bernardi abbatis Claravallenſis* 121 b c
Notgerus *epiſcopus Leodienſis* 847 d
Novigento (*Guibertus de*) *abbas conſcripſit ſuam Vitam* 858 b
Nourry (*Nicolaus le*) *Benedictinus librum de Mortibus perſecutorum notis illuſtravit* 584 a b

O

ODo *archiepiſcopus Cantuarienſis* 795 b c, 804 f, 805 c
Odo *abbas S. Dionyſii Sugerii ſucceſſor* 189 b
Odo *primus abbas cœnobii Bonæ ſpei in Hannonia ex Ordine Præmonſtratenſi* 122 a
Odonellus *Tirconalliæ princeps Hibernicè ſcripſit Vitam S. Columbæ abbatis* 625 b
OEcolampadius (*Joannes*) *hæreticus laudat exactum S. Bernardi judicium* 233 c
Oraffius (*Petrus Marcellinus*) *abbas Congregationis Olivetanæ* 466 f, 467 b e
Oratorio (*Gaufredus de*) *Burdigalenſis archiepiſcopus* 197 f
† Orontius *primus epiſcopus Aletinus & martyr* 743 e
B. Oſanna *virgo Mantuana* 489 c
Oſcherius *ductor Nortmannorum, qui in Neuſtriam irruperunt* 802 c
Otto *Friſingenſis epiſcopus & chronici cujuſdam ſcriptor* 139 f, 238 f
Ottocarus *Bohemiæ rex ab imperatore Rudolpho devictus* 699 a, 700 f
† Owinus *monachus Anglus* 795 c

P

PAccinellus (*Bernardinus*) *edidit Vitam B. Bernardi Ptolomæi* 464 b, 467 d
Paganis (*Hugo de*) *auctor Ordinis Templariorum* 238 b
Paige (*Joannes le*) *edidit Bibliothecam Ordinis Præmonſtratenſis* 122 a
Palæologus *Græcorum imperator* 691 f, 693 a
† Palladius *epiſcopus Ebredunenſis* 396 e
† Palladius *à Cæleſtino I Papa ad Hibernos aut Scotos miſſus* 774 b
Pantaleon (*Henricus*) *errans in ſua Proſopographia corrigitur* 435 c d e
† Pantalus *epiſcopus Baſilienſis* 743 f
Panvinius (*Onuphrius*) *ſcripſit de antiquitatibus Veronenſibus* 400 c, 401 a
Papianilla *filia Aviti poſtea imperatoris, & uxor S. Sidonii Apollinaris* 601 f
Paradinus (*Guilielmus*) *ſcripſit librum de antiquo ſtatu Burgundiæ* 101 e
Paradiſo (*Jacobus de*) *doctor ſacræ theologiæ & poſtea Cartuſianus* 222 c e
Paſchalis II *Pontifex* 237 c d
Paſchaſius *antiſtes Neapolitanus* 446 b
† Patiens *præſul Lugdunenſis* 600 a
Patritiis (*Patritius de*) *unus ex primis ſociis B. Bernardi Ptolomæi* 476 f, 477 b f, 479 f, 487 b
† Patroclus *epiſcopus & martyr Trecenſis* 488 f
Paulo (*Carolus à ſancto*) *edidit Geographiam ſacram epiſcopatuum* 567 b, 766 b c
Paulus V *Pontifex conceſſit indulgentias confraternitati B. Jacobi Mevanatis* 721 d
Paulus II *patriarcha Conſtantinopolitanus* 812 e, 814 b
Paulus *abbas S. Albani in Anglia* 60 c
Paulus *abbas Palaciolenſis in Caſtella veteri Hiſpaniæ* 353 f
Paulus *Florentinus ſcripſit de Origine Ordinis Servorum B. Mariæ & illuſtribus ejuſdem viris* 666 c
Paulus *diaconus ſcripſit libellum de epiſcopis Metenſibus* 40 a b
Paulus *Samoſatenus hæreticus ab imperatore ethnico coactus eſt judicio Sedis Apoſtolicæ parêre* 585 c
Peregrinis (*Alexander de*) *presbyter Brixienſis Martyrologium edidit* 406 a
Peregrinis (*Bartholomæus de*) *edidit Vineam ſacram Bergomenſem* 737 e f
† Peregrinus *epiſcopus Autiſſiodorenſis & martyr* 488 f
Peretti (*Joannes Baptiſta*) *concinnavit catalogum epiſcoporum Veronenſium* 596 d
Perona (*Gaufredus de*) *diſcipulus S. Bernardi Claravallenſis abbatis* 140 d e, 141 a b f
Perpetuus *antiſtes Turonenſis* 611 a
Petramalius (*Guido*) *epiſcopus Aretinus* 478 e, 480 e
Petrarcha (*Franciſcus*) *doctrinam S. Bernardi admiratur* 232 e

Petreius (*Theodorus*) *ſcripſit Bibliothecam Cartuſianam* 222 e
† Petrus *martyr ex Ordine Prædicatorum* 670 f, 671 f, 672 a, 684 b
† Petrus *Damianus errans corrigitur* 506 b c, 756 f, 757 b
† Petrus *antiſtes Tarentaſienſis* 238 d, 247 b, 489 b
Petrus *patriarcha Alexandrinus* 814 b
Petrus *archiepiſcopus Cuſentinus* 100 e
Petrus *epiſcopus Aſturicenſis in Hiſpania* 315 a d
Petrus *epiſcopus Papienſis, ad quem S. Bernardus abbas ſcripſit* 149 a
Petrus *Generalis Ordinis Servorum B. Mariæ geſta S. Philippi Benitii olim collegit* 655 c 712 d e
Petrus *epiſcopus Compoſtellanus* 249 f
Petrus *epiſcopus Silvanectenſis anathemate percuſſus* 241 d
Petrus *antiſtes Kiovienſis* 744 d
Petrus *Cellenſis abbas, & poſtea epiſcopus Carnotenſis* 229 c
Petrus *ex Ordine Ciſtercienſi abbas in Gotlandia* 361 e f
Petrus *monachus Malleacenſis ſcripſit Hiſtoriam abbatiæ Malleacenſis* 786 d
Petrus *Toloſanus S. Bernardi diſcipulus* 115 d e
Petrus *Cavenſis uſum mitræ ab Urbano II Pontifice oblatum reverenter & generosè contempſit* 101 c
Petrus *abbas Trenorcienſis* 72 d
Petrus *diaconus Caſſinenſis ab eminentiſſimo Baronio redarguitur* 139 f, 140
Petrus *à ſancto Juliano edidit Hiſtoriam Trenorcienſis monaſterii* 69 f
Philippinus (*Joannes Antonius*) *reverendiſſimus Carmelitarum Generalis* 406 d
Philippus IV *rex Galliæ* 238 b
Philippus IV *rex Hiſpaniæ* 253 e
Philippus *nonus epiſcopus Hieroſolymitanus* 555 c
Philippus *monachus Claravallenſis collegit quædam S. Bernardi miracula* 331 & ſeqq.
Philotheus *ſcriptor Ordinis Ciſtercienſis quo tempore floruerit* 211 b c d. *Scripſit Acta S. Bernardi* 250 b
Photius *famoſus ſchiſmaticus Græcus corrigitur* 512 b
Piazza (*Bartholomæus*) *ſcripſit Hemerologium Romanum* 403 c
Piccolomineus (*Ambroſius*) *unus ex primis ſociis B. Bernardi Ptolomæi* 477 f, 479 f, 487 b
Picolomineus (*Celius*) *archiepiſcopus Senenſis & S. R. E. Cardinalis* 468 a, 472 a
Picus (*Joannes Franciſcus*) *Comes Mirandulæ S. Bernardum magni faciebat* 230 b
Pintus (*Jacobus*) *S. J. conſcripſit Opus de Chriſto crucifixo* 628 b
Pippinus *Caroli magni filius* 401 c
Pippinus *Heriſtallenſis regiam Francorum domum gubernavit* 843 b
Pithœus (*Nicolaus*) *lectione S. Bernardi multùm delectabatur* 232 e f
Pitſeus (*Joannes*) *edidit Opus de illuſtribus Angliæ ſcriptoribus* 100 c, 795 b
Pius II *Pontifex* 482 c, 484 f, 485 a, 486 a
† Pius V *Pontifex laudat ſcripta S. Bernardi abbatis Claravallenſis* 228 b. *Aliquas indulgentias antea conceſſas revocavit* 721 a
† Placidus *diſcipulus S. Benedicti* 320 e, 322 b
Platus (*Hieronymus*) *S. J. variis elogiis exornat S. Bernardum* 232 c d
Pocciantius (*Michaël*) *vulgavit Chronicon Ordinis Servorum B. Mariæ* 656 d, 707 c, 712 & ſeqq.
Pocockius (*Eduardus*) *Annales Alexandrinos Eutychii ex idiomate Arabico Latinos fecit* 579 c
Pommerayus (*Franciſcus*) *Gallicè conſcripſit hiſtoriam præſulum Rothomagenſium* 640 d e. *Etiam Hiſtoriam abbatiæ S. Audoëni* 794 b & ſeqq.
Pontius *abbas Cluniacenſis* 134 f
Pontius *S. Cypriani diaconus ſcripſit ejus Acta, quæ ab aliis interpolata ſunt* 764 f, 765 a b
Poppo *abbas Stabulenſis* 845 f, 852 b, 854 d
Populonia (*Joannes Baptiſta*) *ſcriptor antiquus ex Ordine Prædicatorum* 466 f, 467 a
Porta (*Ardicinus de*) *ex S. R. E. Cardinale monachus Olivetanus* 487 a
Porterus (*Franciſcus*) *Romæ edidit compendium Annalium Hiberniæ* 627 c
Portianus *abbas an ab altero ejuſdem nominis ſit diſtinguendus* 782 f, 783 a b d
Portis (*Bernardus de*) *Cartuſianus abbatem Bernardum impulit ad explicanda Cantica Canticorum* 155 a b c
Poſſinus (*Petrus*) *S. J. nobis communicavit Acta S. Amatoris* 24 b. *Varia de Sanctis ad majores noſtros miſit* 451 b
Pot (*Petrus*) *fundavit Antverpienſe monaſterium ſancti Salvatoris* 4 f, 5 a
Prætextatus *antiſtes Rothomagenſis* 640 b, 642 e f
Pragmatius *epiſcopus Auguſtodunenſis* 781 a
Pratis (*Raynaldus de*) *archiepiſcopus Rhemenſis* 239 a
Probianus *præſul Bituricenſis* 492 b
Procopius *hiſtoricus, qui ſcripſit de ædificiis Juſtiniani imperatoris* 569 b
Proculeianus *epiſcopus Auſcenſis* 642 c
† Proculus *epiſcopus Veronenſis* 400 d
Proſper *Aurelianenſis epiſcopus* 617 e, 623 d
Prudentius (*Aurelius*) *martyrium Maſſæ candidæ ſeu trecentorum martyrum deſcribit* 762 e f, 763 & ſeqq.
Ptolomæis (*Chriſtophorus de*) *epiſcopus Suanenſis* 477 a
Ptolomæus (*Minus*) *pater B. Bernardi Ptolomæi* 470 b, 475 b
Ptolomæus (*Germanicus*) *ſcripſit elogia B. Bernardi Ptolomæi conſanguinei ſui* 468 a, 471 f
Ptolomæus (*Marius*) *poſthuma patrui ſui ſcripta prælo vulgavit* 468 a
Publius *epiſcopus Athenienſis* 396 c
Puccinellus (*Placidus*) *ſcripſit Italicam S. Andreæ Scoti Vitam* 539 c, 540 & ſeqq.

Q

† Quadratus *epiſcopus Athenienſis* 396 c
Quintanaduenas (*Antonius*) *S. J. ſcripſit de Sanctis Toletanæ diœceſis* 535 c
Quiros (*Ludovicus Bernardus de*) *primarius profeſſor ſacræ Scripturæ* 253 f

R

Raderus (*Matthæus*) *S. J. illuſtravit Sanctos Bavariæ* 649 c
Rado *frater S. Audoëni* 797 a b c, 806 c, 811 b c
Radulfus *Comes Viromanduorum* 241 d

Radulphus *abbas Gemblacenſis* 395 d
Rainaldus *archiepiſcopus Remenſis moritur* 240 f
Rainaldus *ſocius S. Bernardi abbatis Claravallenſis, & poſtea Fuſniaci abbas* 122 f, 149 e
Rainardus *Montis-Barri dominus, & S. Bernardi abbatis avunculus* 103 b
Raiſſius (*Arnoldus*) *ſcribit de ſanctis Belgis vel qui in Belgio fuerunt* 209 a. *Aſſerit, caput S. Audoëni in Belgio conſervari* 803 d e
Ramirus *vel* Ranimirus *ex monacho factus eſt rex Aragoniæ* 458 f
Ramnulfus *abbas Doratenſis* 287 b, 289 c d
Ranutius *vel* Raynuccius *epiſcopus Volaterranus* 485 c, 487 f
Raymundus *epiſcopus Mimatenſis* 437 c e
Raynaldus *abbas Caſſinenſis, & S. R. E. Cardinalis* 450 e f, 451 a
Raynaldus *Toloſanus S. Bernardi diſcipulus* 115 d
Raynaudus (*Theophilus*) *S. J. præter alia ſcripſit Hagiologium Lugdunenſe* 562 b
Raynerius *Senenſis abbas generalis Congregationis Olivetanæ* 473 b, 487 b
Raynoldus (*Joannes Baptiſta*) *canonizationem B. Bernardi Ptolomæi impetrare conatus eſt* 464 f. *Poſtea evectus eſt ad cathedram Lucenſem* 465 b
Reginbaldus *epiſcopus in Germania* 399 b
Regnobertus *epiſcopus Baiocenſis* 396 c
Reinardus *antiſtes Halberſtadenſis* 51 e, 52 e
Reinardus *epiſcopus Leodienſis* 852 a, 854 d
Relandus (*Petrus*) *edidit Faſtos conſulares* 570 b
Renaudotius (*Euſebius*) *edidit hiſtoriam patriarcharum Alexandrinorum* 579 e f, 581 & ſeqq.
† Reſtitutus *primus epiſcopus Tricaſtinus* 592 e f
Ribera (*Joannes de*) *archiepiſcopus Valentinus in Hiſpania* 461 b
Ricardus *epiſcopus Baiocenſis* 824 b e
Ricaſoli Baroni (*Pandolfus*) *Vitam S. Philippi Benitii tribus libris complexus eſt* 657 b
† Richardus *epiſcopus Adrienſis in Apulia* 396 c d
Richardus *abbas Lobienſis* 851 e d. *Tranſit ad Virdunenſe S. Vitoni monaſterium* 852 b
Richardus *abbas S. Albani in Anglia* 60 c d
Richardus I *Normanniæ Dux* 803 d, 823 d, 824 d
Richardus *Fontanenſis in Anglia abbas* 143 a
Richelieu (*Alphonſus*) *præſul Aquenſis propria ſuæ diœceſis Officia edi juſſit* 591 e
Riculfus *Rothomagenſis abbas S. Audoëni* 802 d. *Poſtea præſul Rothomagenſis* 823 b, 824 d
Riothamus *rex Britonum* 612 c
Roa (*Martinus de*) *S. J. ſcripſit de martyribus Cordubenſibus* 97 c
Roberti (*Joannes*) *S. J. fusè conſcripſit Vitam & miracula S. Huberti* 858 a
Robertus *abbas S. Michaëlis in Periculo maris Ordinis Benedictini* 230 d
Robertus *ex Ordine Ciſtercienſi primus abbas Dunenſis in Flandria* 240 f, 325 a, 327 e
B. Robertus *abbas Moliſmenſis* 237 b
Robertus *abbas Vallicellenſis* 372 b
Robertus *S. Bernardi conſanguineus & abbas Domus Dei* 240 d
Robertus *rex Francorum* 103 d
Robertus, *cognomine Danus, filius Richardi Ducis Normanniæ* 824 b
Roccaberti (*Joannes Thomas de*) *Magiſter generalis Ordinis Prædicatorum* 721 f, 722 a
‡ Rochus *ſalutarem fontem excitavit* 717 b, 719 a
Rodesheim (*Jacobus de*) *abbas vigeſimus primus cœnobii Steinfeldenſis* 4 d
Rodulfus *abbas Moſomenſis* 858 b
Rogerius *epiſcopus Lexovienſis* 824 b f
Rogerius *rex Siciliæ* 162 d
Rogerius *abbas monaſterii Trium fontium* 275 c, 277 a
Rollo *Dux Nortmannorum ad fidem Chriſtianam converſus eſt* 802 f, 820. *Reliquias S. Audoëni honorificè transferri juſſit* 821 & ſeqq.
Roſcia *filia S. Sidonii Apollinaris* 602 d
Roſſo (*Felix de*) *ſcriptor ex Ordine Prædicatorum* 723 b
Rota (*Claudius à*) *ſcripſit notas ad pſeudo-Luitprandum* 249 f
Rotbertus *Comes Pariſiorum Rollonem Ducem Normannorum ad fidem Chriſtianam converſum nomine ſuo appellavit* 802 f
Rotildis *vel* Crotildis *aliis* Doda *regina Francorum* 809 a f
Rotoldus *epiſcopus Ebroïcenſis ad cathedram Rotomagenſem tranſiit* 197 e
Rudolphus *Habſpurgi & Holſatarum Comes eligitur rex Romanorum* 692 b, 693 b
Rufinus *presbyter Aquileienſis S. Hieronymo fuit coævus* 18 e
Rufus *archiepiſcopus Cuſentinus* 100 e
Ruinartius (*Theodericus*) *Acta Martyrum ſincera edidit* 425 c, 427 e. *Inſuper illuſtravit hiſtoriam Wandalicæ perſecutionis* 628 c
Ruricius *præſul Lemovicenſis* 611 c d e f, 616 f, 622 c
Ruſ-puerta (*Franciſcus*) *ſcripſit Hiſtoriam eccleſiaſticam diœceſis Giennenſis* 424 b
Ruthardus *archiepiſcopus Moguntinus* 52 e

S

SAcci (*Carolus*) *doctor theologus Pariſienſis* 231 c d
Saenz de Aguirre (*Joſephus*) *S. R. E. Cardinalis fabulas quorumdam pſeudo-ſcriptorum Hiſpanorum refellit* 415 c d e f, 428 f, 429 a, 565 d e
Salazar (*Joannes Tamayus de*) *Martyrologus Hiſpanus multas fabulas confinxit* 424 c d e, 428 e, 535 b, 563 d & ſeqq., 594 e f, 595, 621 c d e f, 753 f, 754 a b c d
Salicetus (*Nicolaus*) *ſcriptor Ordinis Ciſtercienſis* 211 a d
Sammarthanus (*Dionyſius*) *edidit tomum primum noviſſimæ Galliæ Chriſtianæ* 435 & ſeqq.
Sampſon *archiepiſcopus Rhemenſis* 190 c, 319 c, 331 a
Sampſon *abbas in Hiſpania* 397 a
Sanderadus *aut* Sandradus *abbas Gladbacenſis non videtur publicè coli* 742 e f
Sanderus (*Antonius*) *edidit Flandriam illuſtratam* 169 f
B. Sanſedonius *vel* Senenſis (*Ambroſius*) *ex Ordine Prædicatorum* 729 a, 731 b c
Sartorius (*Auguſtinus*) *ſcriptor Ordinis Ciſtercienſis* 206 d
Saturninus *epiſcopus Veronenſis* 401 b
Sauſſeyus (*Carolus*) *ſcripſit Annales eccleſiæ Aurelianenſis* 793 f
Savaro (*Joannes*) *ſcripſit de Originibus Claromontanis* 448 d. *Opera S. Sidonii edidit* 597 & ſeqq.
Schelſtrate (*Emanuel à*) *ſcripſit de antiquitatibus eccleſiaſticis* 533 f
Scolanus (*Gaſpar*) *ſcripſit Hiſtoriam Valentinam*

nam Hiſpanicè 452 b
Seguinus (*Philippus*) *ſcripſit de Sanctis ac Beatis Ordinis Ciſtercienſis* 369 e f
Semprimgham (*Gilbertus de*) *conſilio S. Bernardi inſtituit novum Ordinem in Anglia* 157 a
Seneca *decimus epiſcopus Hieroſolymitanus* 555 c f
Serlo *abbas Saviniacenſis* 242 e
Sergius II *Papa Romanus* 405 d, 406 c
Seronatus *Arvernia tyrannus vel oppreſſor* 604 d e
Severa *Philippi imperatoris uxor* 507 e
Severiana *filia S. Sidonii Apollinaris* 602 b c
† Severus *præſul Trevirenſis* 41 a
Severus *imperator Majoriano interfecto ſucceſſit* 603 c d
Sigebertus *Gemblacenſis in Brabantia monachus & ſcriptor ineunte ſeculo* XII *floruit* 34 f
Sigefridus *epiſcopus Genuenſis* 239 c
Sigiſmundus *Romanorum imperator* 486 a
Sigiſmundus *rex Burgundiæ quando regnare cœperit* 777 b
† Sigo *Claromontenſis epiſcopus* 448 e f
Silvius *Florentinus generalis abbas Congregationis Olivetanæ* 473 b
Silvius (*Andreas*) *Benedictinus Marchianenſis edidit ſynopſin Hiſtoriæ Franco-Merovingicæ* 231 f
Simeon *Dunelmenſis ſcriptor Anglus* 58 c, 60 a
Simon *Noviomenſis epiſcopus anathemate percuſſus* 241 d
Simon *abbas Caziaci corpus S. Bernardi amici ſui viſit* 225 b c d
Simon *primus iſtius nominis, & ordine nonus abbas Aquicinctinus* 353 e f
† Simplicius *antiſtes Bituricenſis* 610 f, 612 b
Simplicius *epiſcopus Veronenſis* 401, 596 e
Simplicius *epiſcopus Æduenſis* 497 f
Sirmondus (*Jacobus*) *S. J. Opera S. Sidonii Apollinaris edidit ac illuſtravit* 598 & ſeqq.
Sixtus II *Pontifex Romanus* 582 c
Sixtus *Senenſis ſcriptor ex Ordine Prædicatorum* 232 b c
Sollerius (*Joannes Baptiſta*) *edidit tractatum de patriarchis Alexandrinis* 580 a, 582 f
B. Softeneus (*Gerardinus*) *unus ex ſeptem primis fundatoribus Ordinis Servorum B. Mariæ* 660 d, 665 a b
Spedus (*Joannes*) *edidit Theatrum Britannicum* 633 b c
Steil (*Fridericus*) *Germanicè edidit Viridarium Sanctorum Ordinis Dominicani* 3 d
† Stephanus *rex Hungariæ* 5 e f
† Stephanus *tertius abbas Ciſtercii* 262 c, 263 b
Stephanus *Angliæ rex* 62 a, 246 e
Stephanus *epiſcopus Pariſienſis* 131 d
Stephanus *epiſcopus Mimatenſis* 436 f, 437 a e
Stephanus *abbas publici Montis, qui etiam abbas S. Laurentii vocatur* 855 c, 858 a
Stephanus *diſcipulus S. Bernardi, & poſtea S. R. E. Cardinalis* 292 e, 294 d
Strada (*Antiochus*) *ſcripſit librum, cui titulus eſt* Spongia Sardorum 415 b
Suercherus *rex Sueciæ* 180 d
Sugerius *abbas S. Dionyſii* 128 f, 129 a, 216 c
Surius (*Laurentius*) *Cartuſianus collegit Vitam Sanctorum* 664 c
Suſo (*Henricus*) *ſcriptor ex Ordine Prædicatorum* 232 a
Syagrius *epiſcopus Veronenſis* 596 e
† Sydonius *genere Scotus fundavit monaſterium in Gallia* 817 b, 818 d
Symeon *ſecundus epiſcopus Hieroſolymitanus* 555 c
Syncellus (*Georgius*) *ſcriptor Græcus* 508 e f

T

TAëgius (*Ambroſius*) *ſcriptor ex Ordine Prædicatorum* 723 d, 725 a, 728 c
Tailllepied (*Natalis*) *ſcripſit de antiquitatibus urbis Rothomagenſis* 641 c
Tancreda (*Fulvia*) *mater B. Bernardi Ptolomæi* 475 e
Tartarus (*Petrus*) *ex Congregatione Olivetana S. R. E. Cardinalis* 487 a
Tattus (*Primus Aloyſius*) *conſcripſit Martyrologium Novocomenſe* 525 b c & ſeqq.
† Ternanus *Pictorum in Britannia epiſcopus* 774 b
Teſcelinus *S. Bernardi abbatis pater, vir nobilis & pius* 102, 103 f, 104 a b, 117 b c, 257 f
Theobaldus *archiepiſcopus Cantuarienſis* 184 d e
Theobaldus *Comes Campaniæ amicus S. Bernardi Claravallenſis impensè laudatur* 293 c d & ſeqq.
Theodelinus *abbas Malleacenſis* 790 e, 791 c d
Theodericus *rex Francorum* 809 a f
Theodericus *vel* Deodericus *epiſcopus Metenſis* 34 a b c d
Theodericus *epiſcopus Virdunenſis* 857 d, 858 b
Theodericus *Campenſis abbas & teſtis oculatus miraculorum S. Bernardi* 338 d, 339 e & ſeqq.
Theodericus II *abbas Andaginenſis* 858 d, 861 c
Theodoricus I *Comes Barri* 320 a
Theodoricus *monachus Rothomagenſis verſibus Leoninis ſcripſit Vitam S. Audoëni* 795 e f
† Theodorus *Cyrenenſis epiſcopus S. Lucium exemplo ſuo ad martyrium excitavit* 28 b c f
Theodwinus *epiſcopus Leodienſis* 853 e f, 854 e, 859 d, 861 f
Theonas *epiſcopus Arianus Marmaricæ* 584 c
Theonas *epiſcopus Cyzicenus in Helleſponto* 584 d e
Theophilus *patriarcha Alexandrinus* 580 e
† Thomas *de Aquino laudat virtutes & ſcripta S. Bernardi abbatis* 228 e f. *Quo tempore natus fuerit* 729 a, 731 b, 734 f, 736 c
Thomas *abbas Villarienſis in Brabantia* 361 b
Thomas *Prior S. Victoris Pariſienſis pro juſtitia perimitur* 239 e
Tietmarus *abbas Hemelſverdhuſenſis* 41 e f
Tigernacus *Cluineoſenſis epiſcopus in Hibernia* 625 e, 627 d
Tilpinus *præſul Rhemenſis* 517 f, 518 f
Timmermans (*Bernardus*) *ex Ordine Ciſtercienſi ſynopſin miraculorum S. Bernardi collegit* 365 d
Timotheus *epiſcopus Alexandrinus* 397 d
Tinmuthenſis (*Joannes*) *ſcriptor Anglus* 58 a b
Tiſſier (*Bertrandus*) *edidit Bibliothecam Patrum Ciſtercienſium* 124 c
Tobias *quintus epiſcopus Hieroſolymitanus* 555 c
Torfæus (*Thormodus*) *ſcripſit Hiſtoriam Orcadum inſularum* 2 f
Torniolus (*Euangeliſta*) *epiſcopus Tiphernenſis* 487 a
Totila *famoſus Gothorum rex* 543 b, 544 c
Traſamundus *rex Wandalorum* 632 e
Trebellius *Pollio hiſtoricus antiquus* 404 c

Tudertinus (*Dominicus*) *gesta S. Philippi Benitii soluta oratione conscripsit* 655 f
Tullius (*Servius*) *rex populi Romani* 600 d
Turre (*Philippus à*) *scripsit dissertationem de Colonia Forojulienſi* 411 c f, 412 b
Turſtinus *Eboracenſis in Anglia archiepiſcopus* 143 a b

U

UBaldinis (*Octavianus de*) *S. R. E. Cardinalis* 684 c
Ubaldus *nobilis vir Ordinem Servorum B. Mariæ ingreditur* 698 b. *An hic catalogo Beatorum adſcriptus ſit, dubitatur* 698 d
Ubertinus (*Guilielmus*) *epiſcopus Aretinus* 680 c, 681 c
Urbanus II *Pontifex* 237 c
Urbanus V *Pontifex* 485 d
Urſio *abbas S. Dionyſii Rhemenſis* 239 b
Urſinus (*Joannes*) *S. R. E. Cardinalis ſub nomine Nicolai III ad Pontificatum Romanum evectus* 696 d

V

VAlerianus *epiſcopus Abbenzæ civitatis in Africa* 631 e
Valerianus *imperator à Perſis captus eſt* 439 b
Valerianus *fuit cenſor Romæ ſub imperatore Decio* 404 c d
Valerius (*Auguſtinus*) *epiſcopus Veronenſis ſcripſit de antiquis eccleſiæ ſuæ monumentis* 400 b c
Vanſlebius (*Joannes Michael*) *Dominicanus ſcripſit Hiſtoriam eccleſiæ Alexandrinæ* 513 b
† Veredemus *epiſcopus Avenionenſis* 636 f, 637 & ſeqq.
Verinus (*Ugolinus*) *poſtea Leo X Pontifex carmen in honorem S. Philippi Benitii compoſuit* 656 b c
Verona (*Franciſcus de*) *vir pietate conſpicuus ex Congregatione Olivetana* 487 c
Victor *epiſcopus Gauvaritanus in Africa* 632 d e
Victor *epiſcopus Narenſis in Africa* 632 d e
Victor *vel* Victorius *ferè individuus comes S. Philippi Benitii in itinere* 673 e, 674 f
Victor (*Sextus Aurelius*) *ſcripſit opuſculum de Cæſaribus* 426 a
Victorius *Comes, qui ſub Eurico Gothorum rege Arverniam gubernavit* 617 b c d
Vienna (*Joannes de*) *archiepiſcopus Remenſis* 577 b d
Vignierius (*Hieronymus*) *edidit Supplementum Operum S. Auguſtini* 764 b
Villalpandus (*Bernardus*) *ſcriptor Ordinis Ciſtercienſis* 211 a d
Villanus (*Matthæus*) *hiſtoricus Italus* 540 e f
Villanus (*Philippus*) *hiſtoricus Italus* 540 e f
† Vincentius *dicitur fuiſſe primus apoſtolus & epiſcopus Mevanienſis urbis* 719 c e
Vinetus (*Elias*) *ſcripſit commentarios in Opera Auſonii Burdigalenſis* 17 b
Viſch (*Carolus de*) *ſcriptor ex Ordine Ciſtercienſi* 120 f
Vitalis *vel* Vitus *primus Lituaniæ epiſcopus ex Ordine Prædicatorum* 490 d
Vitalis (*Ordericus*) *ſcriptor hiſtoriæ eccleſiaſticæ circa medium ſeculi* XII *obiit* 66 f. *Quo tempore hiſtoriam illam abſolverit* 154 c
Vitelleſcus (*Joannes*) *S. R. E. Cardinalis* 719 f
Vitriaco (*Jacobus de*) *conſcripſit Hiſtoriam Hieroſolymitanam* 134 b. *Laudat Opera S. Bernardi abbatis* 228 d. *Scripſit Vitam B. Mariæ Ogniacenſis* 159 f
Volaterranus (*Andreas*) *ſcriptor ex Congregatione Olivetana* 487 c
Voſſius (*Gerardus*) *Præpoſitus Tungrenſis* 236 b
Vultrogodis *regina Francorum & Childeberti I uxor* 788 d e

W

WAlcandus *epiſcopus Leodienſis* 843 b, 858 c, 861 e
Walleramnus *vel* Gualerannus *abbas Lobienſis* 853 c, 854 e
Walterus *vel* Gualterus *antiſtes Cabilonenſis* 237 c
Waltmannus *Antverpiæ abbas ex Ordine Præmonſtratenſi* 122 a, 144 f
Waræus (*Jacobus*) *eques auratus & ſcriptor Hibernus* 537 f
Waratto *Major-domûs in Francia* 799 d, 809 a f
Warthonus (*Henricus*) *addidit appendicem ſcriptoribus eccleſiaſticis Cavei* 634 f
Waſſebourg (*Richardus de*) *ſcripſit de Antiquitatibus Galliæ Belgicæ* 375 c
Weinyſs (*Patricius Ninianus*) *S. J. nobis Ms. Menologium Scoticum communicavit* 773 b
Wenſo *vel* Gonſo *abbas Florenſis* 855 c, 858 b
Wido *vel* Guido *epiſcopus Bellovacenſis* 576 e f
Wiggerus *abbas in Trevirenſi ſancti Maximini monaſterio* 41 d
Willelmus *patriarcha Hieroſolymitanus* 181 b
Willelmus *abbas monaſterii Villarienſis in Brabantia* 372 a b
Willelmus VIII *Comes Pictavienſis* 458 f
Willelmus II *rex Angliæ* 280 c
Wilſon (*Joannes*) *Martyrologus Anglus corrigitur* 633 e f
Wiltheim (*Alexander*) *S. J. multa nobis circa Sanctos ſubminiſtravit* 319 f
Witfordus (*Richardus*) *edidit Martyrologium Anglicum* 634 c d

Y

YEpeſius (*Antonius*) *eruditus ſcriptor Hiſpanus Ordinis Benedictini* 203 e

Z

ZAcagnius (*Laurentius Alexander*) *Vaticanæ bibliothecæ præfectus* 751 f
Zacchæus *publicanus perperam confunditur cum S. Amatore Cadurcenſi* 18 b c, 25 c d
Zachæus *eccleſiæ Cæſareenſis epiſcopus* 18 e
† Zacharias *pater S. Joannis Baptiſtæ habet Venetiis monaſterium ſui nominis* 769 c, 770 d e f
Zeno *epiſcopus Veronenſis* 401 b
Zeno *imperator quando ſit mortuus* 620 d
Zenobius *epiſcopus Fæſulanus* 541 e

INDEX TOPOGRAPHICUS

A

ABrincenſis urbs 80 f
Achyron. *Vide* Aquilona
Adane (*vulgo Aden*) urbs Arabiæ 508 d e
Adura (*vulgò Aire*) olim Vicus Julii oppidum Galliæ 70 c
Ædua. *Vide* Auguſtodunum
Æduenſe territorium antiquum & hodiernum 262 e
Ægæ, *ſeu* Ægææ urbs Ciliciæ. *SS. Claudius, Aſterius, Neon, Domnina & Theonilla MM.* 567
† Ægidii oppidum in Septimania *unde nomen traxerit* 861 c
Æſia. *Vide* Iſera
Affligenienſe in Belgio cœnobium. *Traditio eſt, S. Bernardum abbatem Claravall. à Deipara Virgine ibidem ſalutatum fuiſſe* 208 f
Africa, *in qua S. Victor conf., & Vitenſis epiſcopus* 628
Alba (*l' Aube*) fluvius Galliæ 265 d
Aldenbergenſe cœnobium in Germania 557 f. Alterum ejuſdem nominis in Flandria, *perperam à neoterico cum priore confuſum* 558 a
Alexandriæ *Priſtus, Sevus &c. MM.* 423 a. *S. Theona vel Teuna ibidem ep.* 579
Alla pagus Ducatûs Luxemburgenſis. *Ubi colitur S. Maurus presb.* 517 a
Alpenſe monaſterium in diœceſi Gebennenſi, *Ciſtercienſibus aggregatum* 277 b
Alpes Juliæ 858 c
Alvernia *vel* Arvernia Galliæ provincia 831 a
Alzira oppidum Hiſpaniæ. *S. Bernardus martyr ord. Ciſterc.; item Gratia & Maria VV. & MM.* 452
Ambleva *vel* Amblevia fluviolus in Belgio 854 d
Andaginenſe monaſterium in Belgio, *al.* S. Huberti dictum, *abbatem habuit B. Theodericum* 843
Andegavenſis provinciæ ſitus 89 c
Andegavum urbs Galliæ 791 d
Anderitum, olim civitas, nunc vicus, *Javoux dictus*, in Gallia. *S. Privatus ep. & M.* 434 d
Andra *vel* Andria, urbs regni Neapolitani 840 a
Anglia. *S. Sigfridus abbas* 536 b
Annicium. *Vide* Podium S. Mariæ
Anſion, locus in provincia Pictavienſi 87 c
Antiochiæ in Syria *SS. Bonoſus & Maximilianus vel Maximianus MM.* 425 b. *SS. Donatus, Reſtitutus, Valerianus, Fructuoſa, & 12 alii MM.* 590
Antiochiæ nomine urbes variæ 590 b
Apenninus mons Italiæ 689 d f
Aquæ-ſextiæ in Provincia. *S. Cedonius vel Sidonius conf. & ep., ut fertur* 591
Aquileia, civitas Italiæ, nunc exciſa 750 e
Aquilona, *ſeu* Achyron, locus circa Nicomediam, *ubi Conſtantinus Magnus baptizatus eſt* 431 f, 433 a
Arduenna ſilva. *B. Theodericus* 843
Arvernæ, *nunc* Claromons, urbs Galliæ. *S. Sidonius Apollinaris epiſc. S. Avitus ep.* 444 b, 597 a
Aſper-mons caſtrum 380 e
Aſta urbs Italiæ 410 e, 411 e
Augia, cœnobium in Germania 315 c
Auguſtodunum urbs Burgundiæ. *S. Symphorianus M.* 491 a. *S. Flavianus ep.* 643
Auſtria *vel* Auſtraſia pars Galliæ 809 e
Autiſſiodorum urbs Galliæ 781 b

B

BAiocæ *vel* Baiocum (*vulgo Bieux*) urbs Normanniæ 824 d
Balgentiacum *ſeu* Baugentiacum (*Baugency*) urbs Galliæ 308 c
Balneoregium civitas Etruriæ in Italia. *S. Aldrovandus epiſc.* 549 a
Banna flumen Hiberniæ 627 f
Barrum ad Sequanam (*Bar ſur Seine*) opp. non ignobile in Lingonibus 317 e
Barrum-Ducis opp. 56 e
Barrum ſuper Albam opp. Galliæ 316 b
Bedonia (*vulgò la Baulogne*) fluvius 89 d
Belſinnaca inſula 816 f
Beneharnum, olim urbs, nunc provincia. *S. Julianus ep.* 441, 442
Beneventum urbs Italiæ 410 b, 411 e
Bergendenſis tractus, *ſeu* Vergendenſis 98 e
Berotti pagus Italiæ 729 f, 731 d
Berſack, quæ olim Carthago in Africa 689 f
Bevagna. *Vide* Mevania
Binchium opp. Hannoniæ 209 f
Bizya in Thracia ubi ſita 30 a
Bodobriga *ſeu* Boppardia, urbs Germaniæ, *ubi ſancti Martyres anonymi ſunt inventi* 556
Boppardia. *Vide* Bodobriga
Boſtra Arabiæ metropolis 508 b d
Brena caſtrum in Campania (*vulgò Brienno*) 317 c f
Briegius pagus in Gallia (*vulgò la Brie*) 812
Brioſſium, *ſeu* Brigioſum (*vulgò Briou*) in Pictonibus 95 e
Brixiæ in Inſubria Italiæ *B. Bartholomæus à Foreſto* 713
Brumvillare cœnobium 319 a f, 340 e, 341 f
Bullencurienſe cœnobium (*vulgò Boulencourt.*) *B. Aſcelina virgo* 650 b c
Burdemons (*vulgo Bourlemont*) caſtrum 316 a, 317 e
Burdigala urbs Galliæ 284 b. *S. Leontius epiſc.* 242 a
Burgulienſe cœnobium 790 d, 791 d
Burgum S. ſepulcri Italiæ opp. 689 e
Burgundia. *S. Altigianus & Hilarinus monachi & MM.* 647 b
Burſfeldenſe cœnobium 52 e

C

CAdurcum (*vulgo Cahors*) urbs Galliæ 313 c
Cæſarauguſta urbs Hiſpaniæ 858 f, 861 d
Caino. *Vide* Chinonium
Campaniam Galliæ *multis miraculis illuſtrat S. Bernardus Claravall. abbas* 344, 345, 346
Candeledæ in Hiſpania *S. Bernardus monachus Ciſterc.* 369 a
Cari-loci (*vulgò Charlieu*) monaſterium 141 e
Carnotum, *vel* Carnutum (*vulgò Chartres*) urbs Galliæ 824 e
Cartuſia, *unde ſic dicta* 298 d
Caſale *ſeu* Caſalium, civitas in Italia. *S. Natalis presb. & conf.* 409
Caſtellio ad Sequanam urbs Galliæ 259 f
Caſtrum Nantonis, opp. Galliæ (*vulgò Chaſteau Laudon*) 271 c
Caſtrum-villarium (*vulgò Chateau-villain*) 311 c, 313 b
Catarracton *ſeu* Caturactonium urbs Angliæ 63 b c
Cenomani in Gallia. *S. Teneſtina virgo* 791
Cephalenia inſula, etiam Samus dicta 769 f & ſeqq. 772 e
Chableia vicus 317 e, 318 a
Chaleta vicus (*vulgò Charletre*) 316 c
Chinonium (*Chinon*) caſtrum Galliæ. *S. Maximus abb. & conf.* 55 a
Chryſopolis. *Vide* Veſontio
Ciberis nomen loci ignoti 523 c
Ciſtertium abbatia in Ducatu Burgundiæ, *variis notitiis illuſtratur* 111 e
Civalitana urbs 412 e, 413 e
Clamiceium opp. in Gallia 311 e, 813 c
Clara-vallis abbatia *S. Bernardi regimine, virtutibus ac prodigiis nobilitata; ejuſdem ſitus, fundatio, & elogia* 112
Clara, vicus Angliæ 840 d
Clari-fontis monaſterium 195 f
Claromons. *Vide* Arvernæ
Claudiopolis, nomen plurium urbium 766
Claudiopolis in Honoriade provincia. *S. Tation M.* ibid.
Clipliacum (*vulgò Clichy*) vicus Galliæ 809 f
Cluniacum (*Clugny*) pagus Galliæ: *ubi abbatia percelebris* 273 e
Colceſtra *ſeu* Colceſtria urbs Angliæ 839 d, 840 d
Compſa (*vulgò Conza*) civitas Italiæ. *S. Herbertus archiepiſc.* 100
Comum *vel* Novocomum urbs Iraliæ 530 b
Cona opp. in Gallia 313 b
Conaldus (*vulgò Cunaud*) prioratus 92 c, 93 a
Confluentia opp. 338 f
Conſtantia urbs Germaniæ 315 c
Conſtantinenſis pagus (*vulgò le Coutantin*) pars Normanniæ 835 e
Conſtantinopolis. *S. Callinicus I patriarcha* 644
Corbeia urbs Galliæ, & monaſterium ibidem 95 d
Corduba, mons in Luſitania 58 f
Corduba, urbs Hiſpaniæ. *SS. Leovigildus & Chriſtophorus MM.* 97
Cremona urbs Italiæ 286 c
Crux S. Leufredi, monaſterium 816 f
Cualanni Hiberniæ populi 627 e

D

DEenſe monaſterium 72 a b, 87 b
Deppa (*vulgò Dieppe*) opp. Galliæ 70 f
Derria (*aliàs Londonderry*) urbs Hiberniæ 624 c
Doningen vicus in territorio Conſtantienſi 315 d
Doratum *ſeu* Scotorium abbatia 289 c
Dunenſis in Flandria abbatia; *quæ poſtea Brugas tranſlata* 170 a. *Robertus abbas Dunenſis, poſt obitum S. Bernardi fuit abbas Claravallenſis* 325 a. *Quod Dunas Furnenſes adierit S. Bernardus abb. Claraval., varia memorant teſtimonia* 169 d e f
Dunenſis tractus in Gallia 816 f

E

EDeſſa urbs in Meſopotamia, altera in Macedonia 319 f, 320 a
Eliberis. *Vide* Illiberis
Eluſa, *aliàs* Eluza, Heluza (*nunc Euſe*) urbs Galliæ 70 a b

F

FAbricæ (*vulgò Forges*) pagus 95 e
Fæſulæ urbs diruta in Etruria: *prope quam S. Andreas conf.* 539
Farfæ monaſterium 304 c
† Filiberti monaſterium. *Vide* Deenſe
Firmitas ad Albulam (*vulgò la Ferté ſur Aube*) opp. Galliæ 271 c
Fiſcannenſe monaſterium 815 e, 816 e
† Florentini opp. 319 a, 320 a
Fontanæ, caſtrum in Burgundia, *vel* Fontes (*vulgò Fontaines*) *locus natalis S. Bernardi Claraval. abb.* 101 e
Forma Trajani locus Romæ 498 e f
Forum-Julii civitas Italiæ. *SS. Donatus, Romulus, Sylvanus, & Hermogenes MM.* 411 c
Forum-Trajani in Sardinia 417 d
Francofurtum ad Oderam 689 f
Francofurtum ad Mœnum 315 e, 332 a
Fuldenſe monaſterium 854 f
Fundis in Latio *S. Paternus M.* 402 b
Furcæ, portus 84 b
Fuſniacenſis abbatia 272 a, 274 a

G

GAbalitana *ſeu* Gavalitana regio in Gallia 439 b
Gallobelgicam *tranſiens S. Bernardus Clarav. abb. variis ibi miraculis coruſcat* 342 d & ſeqq.
Garganus mons 830 f, 853 e, 854 e
Gelling *olim* Gedlingum in Anglia locus 64 c
Gemblacenſe cœnobium 342 f, 344 d, 393 e
Gemblacum opp. Brabantiæ 393 c
Gemmeticenſe monaſterium 76 c, 77 c, 822 c
Germaniæ *loca varia ſacris prædicationibus ac miraculis illuſtrat S. Bernardus Clarav. abb.* 192, 193, 194, 195
Girwenſe S. Pauli in Angliæ monaſterium 536 f
Granceium *ſeu* Granciacum (*vulgò Grançay*) caſtrum 262 d
Grandimontenſis abbatia 292 c
Gualdum caſtrum Italiæ 737 a

H

HAlo insula. *S. Bassa M.* 417 b
Herbidilica terra *vel* comitatus Herbidilicus 87 b
Herius *seu* Herus (*vulgò Heis*) insula Galliæ. *S. Filibertus abb.* 66 a, 67 a
Hibernia: *in qua S. Eugenius vel Eogainus episcopus Ardstrathensis* 624 b
Hieracii in Calabria *S. Antonius monachus, item beatus forsan Nicodemus monachus & conf.* 648
Hierosolyma. *S. Zacchæus vel Zacharias episc.* 555
Hispania. *SS. Julius, Julianus, Vincentius, Augurius, Eulodius MM.* 424 a. *SS. Fabricianus & Philibertus MM.* 535
Hoium. *Vide* Huum
Honfleur opp. Normanniæ 70 e
† Huberti monasterium. *Vide* Andaginense
Huum opp. diœcesis Leodiensis 209 f, 859 f, 861 f

I

IAvoux. *Vide* Anderitum
Igniacense cœnobium 319 c
Illiberis opp. Hispaniæ 99 f
Insula-barbara monasterium 56 d
Joviniacum urbs Galliæ (*vulgò Joigny*) 318 a
Isera flumen, *aliàs* Æsia *vel* Oësia (*vulgò l'Oyse*) 78 f
Juliacum urbs inferioris Germaniæ 859 a, 861 e
Julio-bona *vel* Julia-bona opp., *quo nunc nomine vocetur* 70 e f
Julleium *aliis* Juliacum (*vulgò Juilly*) virginum cœnobium 263 c, 265 c
†† Justi & Pastoris monasterium 98 e, 99 d

K

KEntigen *seu* Kentzigen pagus 332 b

L

LAgenia provincia Hiberniæ 627 c d
Laranda *vel* Larandus opp. 567 c d
Lariſſæ urbes variæ in Thessalia, & alibi 418 d
Lascuris *seu* Lascurra urbs 442 a
Laudunum (*vulgò Laon*) urbs Galliæ 839 f
Lemeneia insula Angliæ. *S. Justinianus eremita & M.* 633
Leucorum urbs. *Vide* Tullum
Ligeris fluvius 89 d
Lillebonne opp. Normanniæ 70 e
Limagus. *Vide* Lindemacus
Lincolnia urbs Angliæ 840 d
Lindemacus *aliàs* Limagus amnis 337 a
Lobiense monasterium in ditione Leodiensi 851 c, 854 b
Londonderry. *Vide* Derria
Lucaniæ provinciæ situs 37 c
Lucionense monasterium 95 c
Lugdunum Segusianorum *seu* Celtarum in Gallia 563 c. *SS. Minervius vel Minervus, & Eleazarus cum filiis* 561 a
Lugdunum Convenarum urbs Galliæ 563 b
Lupa (*vulgò Loin*) flumen 346 f
Luperciacum (*vulgò Lurcy le bourg*) vicus Galliæ. *S. Gildardus presb.* 840

M

MAlbodiense cœnobium mulierum (*vulgò Maubeuge*) 850 b, 851 b
Malenvilla (*vulgò Marenville*) vicus 316 a
Malleacum *seu* Malleaca (*vulgò Maillezais*) urbecula & monasterium Galliæ in Pictavienſi provincia. *S. Rigomerus eò translatus* 786 c d
Mantinium urbs 767 d e
Mariani montes in Hispania 99 a, ibidem f
Marnay vicus 780 f
Masphath, quæ & Maspha, Masepha & Mesphe, urbs in confinio tribus Juda & Benjamin 9 b
Matrona (*vulgò la Marne*) olim Materna Galliæ fluvius 812 b
† Maximini præpositura apud Tavanam 41 d
Meduana (*Gallicè la Mayenne vel* la Mayne) 89 c
Meling *seu* Mela vicus in agro Leodiensi 392 a
Memphis *aliàs* Ogdoa urbs Ægypti 462 f
Mesciacus locus in territorio Pictavienſi 92 f, 93 b
Mevania opp. Italiæ. *B. Jacobus Mevanas* 719
Mezieres opp. ad Mosam 864 d
Mimas urbs episcopalis 434 a b c d
Monasteriolum (*vulgò Montereau*) opp. Galliæ in Campania 317 c f
Mons-Barrus opp. Galliæ 259 f
Mons-Tolonus. *S. Eptadius presb. & conf.* 775
Montis-villare virginum cœnobium 81 a
Moretum *aliàs* Murittum opp. 346 d f
Morvinnus pagus 776 b, 781 b
Mundwilla (*vulgò Meurville*) vicus 316 a
Musseium villa Burgundiæ 315 f

N

NAmneticum territorium (*vulgò le Nantois*) 87 d
Neocæsareæ in Ponto *SS. Nectavus vel Nectarius & forsan Sevus* 536
Nepa, Nepet, Nepete, Nepeta, nunc etiam Nepi opp. in Italiæ 294 e, 744 c
Neustria pars Galliæ 809 e, 830 f
Nivella Brabantiæ opp. 385 c
Nivernense territorium in Gallia. *S. Patricius abb.* 781 c
Normannia Galliæ provincia 809 f
Northumbriæ regnum. *Ejus latitudo, etymologia; S. Oswinus M. ejusdem rex* 57
Noviomum (*vulgò Noyon*) urbs Galliæ 308 c
Novocomum. *Vide* Comum

O

OCcitania Galliæ provincia. *S. Privatus ep. & mart.* 433 b
Oësia. *Vide* Isera
Ogdoa. *Vide* Memphis
Oia insula 94 b, 95 d
Olivetanum monasterium 484 a & seqq.
Olympi montis tractus. *S. Georgius Limniota M.* 841
Oscara flumen Burgundiæ (*vulgò Ouſche*) 781 a
Ostia Tiberina. *SS. Aurea, seu Chryse virgo, Censorinus, Felix, & alii* 755

INDEX TOPOGRAPHICUS

P

PAlatiolus villa regia in Gallia 789 c
Paldagrava, Pal de grave *ſeu* Pas de grave locus Galliæ 25 d
Palus *vel* Paulus (*vulgò Paux*) pagus 84 c
Pannonia latiùs olim patens quam nunc Hungaria 854 e
Papia *aliàs* Ticinum, urbs Longobardiæ 286 c
Partiniacum opp. Galliæ (*vulgo Parthenay*) 288 b, 289 e
Pauliacum monaſterium 78 d
Philippopolis urbs Thraciæ 30 a
Pictavium (*vulgò Poictiers*) urbs Galliæ 87 d
Pientia civitas Italiæ 479 c d
Podium S. Mariæ, olim Annicium, civitas Galliæ 73 e
Polongeyum cœnobium *ſeu* de Polengero 653 e, 655 a
Pontiſara (*vulgò Pontoiſe*) urbs Galliæ 809 f
Populetum cœnobium Ciſtercienſe in Hiſpania 456 a b c
Portus Romanus. *S. Hippolytus ep. & M.* 504. *SS. Martialis, Saturninus, Epictetus, Maprilis, Felix cum ſociis Martyribus* 513
Præmonſtrati locus *an Præmonſtratenſibus à S. Bernardo abb. Claraval. datus* 119 e, 120

Q

QUinciacum monaſterium (*vulgò ſaint Benoiſt Quincy*) 79 f, 81 a

R

RAmatha urbs Palæſtinæ ubi ſita 14 c
Ramathaïm Sophim urbs Palæſtinæ in monte Ephraim, *patria Samuëlis* 6 c
Ramſey Angliæ inſula 633 a b
Ratiatus *vel* Retiatus portus 89 d
Ratinſis pagus (*nunc vulgò le duché de Raiz vel Retz*) 87 c
Reate in Italia. *B. Balduinus abb. Ord. Ciſterc.* 450
Rebacum oppidum 77 b
Redones (*vulgò Rennes*) 89 d
Remis in Campania Galliæ *S. Maurus presb. & ſocii* 40 *MM.* 515. *SS. Timotheus & Apollinaris MM.* 573
Resbacenſe monaſterium 77 b, 812 d e
Romæ *S. Cyriaca vidua & M.* 403 c. *S. Antonius vel Antoninus M.* 498. *S. Timotheus M.* 530 c
Roquemadour. *Vide* Rupes Amatoris
Roſtatenſe *vel* Roſnanenſe monaſterium in Wallia 627 e
Rothomagum urbs Normanniæ. *S. Flavius ep.* 640. *S. Dado vel Audoënus ep.* 794
Rupes Amatoris opp. (*vulgò Ronquemadour*) in Cadurcenſi Galliæ provincia. *S. Amator eremita* 16 b
Rutinenſe *ſeu* Rutilenſe cœnobium 318 e, 319 f

S

SAlonæ in Dalmatia. *S. Anaſtaſius vel Attalus M.* 407 a
Samus inſula triplex iſtius nominis 769 e & ſeqq.; *in qua ex illis SS. Gregorius, Theodorus, & Leo conf. obierint* 770
Sanciacum *ſeu* Sanctiacum (*nunc vulgò Sauci*) vicus Galliæ *& patria S. Audoëni epiſcopi* 812 b
Santones civitas Galliæ. *S. Seronius vel Serronius M.* 26
Sardinia. *SS. Luxorius, Ciſellus, & Camerinus MM.* 414 a
Sarlatum urbs Galliæ 300 e, 301 f
Sarta fluvius 89 c
† Saturnini monaſterium (*vulgò S. Sernin de Toloſe*) 301 a f
Saxonum occiduorum in Anglia regni latitudo 65 c
Scotia. *S. Irchardus, ſeu Erthadus, vel Erchadus ep. & conf.* 773
Scotorium. *Vide* Doratum
Scythia 679 d
Senis in Tuſcia *B. Bernardus Ptolomæus* 464 a
Sequana Galliæ flumen 822 c
† Sequani monaſterium 647 f
Silymbria 523 e, ibid. c & ſeqq.
Singidonum opp. 413 e
Sirmium urbs Pannoniæ inferioris 413 e
Solac *ſeu* Solacus vicus ubi ſitus 17 b
Sonnenſis pagus (*le Sonnois*) in Gallia 789 c
Spalatum urbs 409 a
de Spina monaſterium 203 f
Stampæ urbs Galliæ (*vulgò Eſtampes*) 280 c
Sublacus in Latio locus 672 d, 674 d
Subligniacum. *Vide* Vallis Sublignea
Summontorii prope Oenipontem *B. Richildis virgo recluſa* 649 b
Synnada urbs Phrygiæ 36 b c

T

TAlentum (*vulgò Talen*) arx 101 e
Tarſi in Cilicia *S. Anthuſa ſolitaria, S. Athanaſius ep. & M., & Chariſius ac Neophytus MM.* 499
Thoa inſula 772 e
Thracia. *SS. Silvanus, Sabinus & Pantherius MM.* 589
Thudiniacum caſtrum *ſeu* opp. in ditione Leodienſi (*vulgò Tuin*) 848 f, 851 a
Ticini in Italia *S. Gunifortus M.* 524
Toarus *vel* Thoëda (*vulgò la Toue*) flumen 95 f
Toloſani *mirabilem de S. Bernardo Claraval. abb. ob famam ſanctitatis & miracula habent æſtimationem* 202 d e
Trecæ (*vulgò Troyes*) urbs Galliæ in Campania 858 e, 861 c
Trenorchienſis prioratus 73 e, deinde abbatia 74 c
Triangulum caſtrum (*vulgò Trainel*) 317 c f
Trium Fontium (*vulgò Troiſ-fontaines*) monaſterium, *vaticinio ac miraculo S. Bernardi Claraval. abb. illuſtratum* 117 d e
Tuderti in Umbria *S. Philippus Benitius conf.* 655 b
Tuillium (*vulgò Touillon*) caſtrum 262 e
Tullum (*vulgò Toul*) urbs ad Moſellam 322 b
Tuſcia. *SS. Ptolomæus & Romanus epp. & MM.* 744

U

UCetienſe territorium Galliæ. *S. Veredemius eremita conf.* 636 c
Urbs vetus (*Italicè Orvieto*) Italiæ civitas 681 c
Utica urbs Africæ 629 e

Valcom-

V

VAlcompare insula 772 e
Vallis-aquæ monasterium 301 c
Vallis-eccleſiarum monaſterium Hiſpaniæ 369 a b
Vallis S. Lamberti cœnobium 391 f
Vallis regia cœnobium 330 c, 331 a
Vallis Sublignea (*vulgò Souligné ſous Vallon*) locus agri Cenomanenſis in Gallia. *S. Rigomerus presb. & conf.* 783
Varinnæ *vel* Varennæ 84 b
Vergendenſis tractus. *Vide* Bergendenſis
Verodunum *vel* Virodunum (*vulgò Verdun*) urbs Lotharingiæ 809 f
Veronæ in Italia *S. Moderatus ep. & conf.* 596
Vertavenſe monaſterium (*vulgò Vertou*) 87 d
Veſalia inferior & ſuperior, oppida Germaniæ 405 e f
Veſontio (*vulgò Beſançon*) urbs Galliæ 286 c
Vicentiæ in Italiâ *SS. Leontius & Carpophorus MM.* 32 a
Vicus Julii. *Vide* Adura
Villarienſe cœnobium *S. Bernardi Claravall. abb. adventu, & Religioſis eò miſſis honoratum* 343 a. *B. Gobertus conf. Ord. Ciſterc. ibidem monachus* 370 a
Viride-folium caſtrum in diœceſi Toloſana, *ubi hæretici ad prædicationem S. Bernardi Claravall. abb. obdurati puniuntur* 202
Vitenſis in Africa civitas, & epiſcopatus 629 e f, 630 a b
† Vitoni monaſterium in Lotharingia 852 a, 854 d
Vultiacum pagus in Gallia 796 e, 812 c
Vultonna *aliis* Vultumna flumen 95 e

W

WArk opp. ad Moſam 864 d
Weſalia. *Vide* Veſalia
Wetzlaria opp. Germaniæ 558 a
Wilfareſdium *ſeu* Wilfareſdun locus in Anglia 63 f, 65 d
Wiremuthenſe in Anglia cœnobium 536 f

INDEX ONOMASTICUS

A

ABſis *vel* Abſida, *fornix* 87 c
Adelphi, *fratres* 746 b
Ædificatoria, *id eſt, ad virtutem moventia* 392 e
Æquiternus, *æquè æternus* 613 e
Analogium; *pulpitum in choro* 856 e
Apathes, *ſine paſſionibus* 692 e
Apocriſiarius *à voce Græca* Ἀπόκρισις, *eſt miniſter qui vice vel nomine alterius reſpondet* 812 d
Ariſta, *pro ſpina piſcis* 91 f
Auricularius, *ſecretarius* 812 c

B

BIrrus, *pro vili vel craſſiore veſte* 295 c
Boſcus, *ſilva* 112 e
Bottulus, *vaſculum* 390 f
Bracale & bracarium *vel* Bracheriolum, *herniæ vinculum* 734 c

C

CAlcatenus, *calce tenus* 833 f
Camiſia, *induſium* 25 f
Caſa, *pro quovis ædificio* 826 c; 829 b
Καταπέλτης, *catapelta, inſtrumentum tortorium* 520 a
Cauma *vel* Cauna, *tugurium* 441 d
Ceremoniari, *ſacra diis offerre* 413 d f
Ceroſtata *vel* Cereoſtata, *ſpecies candelabrorum* 822 e
Clangorium, *aliàs campanarium vel campanile* 829 b
Cleptim, *furtim* 90 e
Cochio, *ſuperior dolii apertura* 729 e, 731 c
Commiſſi, *quales in Ordine Servitarum* 739 d
Condita, *locus certus, territorium* 789 c
Cortis *vel* Curtis, *quandoque pro clauſura monaſterii* 654 f

D

DApſilitas, *liberalitas* 822 e
Diæta *vel* Dieta, *iter unius diei* 544 b
Didaſcalus, *magiſter* 358 d

E

ELephantia *vel* elephantiaſis, *ſpecies lepræ* 683 e
Emenda, *multa pecuniaria* 112 e

F

FEſcenninæ ſtrophæ 687 c, *id eſt, dictiones obſcœnæ* 689 e
Finagium, *confinium* 112 e, 216 e
Foreſta, *ſilva* 126 e

INDEX ONOMASTICUS

G

GArba, *ſegetis manipulus* 74 b
Gergometum, *vinum deterius* 729 d, 731 c
Gerundium, *cognomen impoſitum* à Gerit duo 393 c
Grangia, *prædium* 306 c
Guarnimentum *vel* Garnimentum, *quivis ornatus rei congruus* 835 c f
Guerra, *bellum* 178 a

I

INcauſtum, *atramentum* 198 a
Intitulare, *pro explicare* 49 f

L

LÆtaniæ, *quandoque dies Rogationum* 816 e, 835 e
Latria, *cultus* 54 c
Ledo & Ledona, *maris æſtuatio* 82 a

M

MAdonna *vel* Madonnina, *vox Italica, Latine Domina noſtra* 739 d e
Mamphora, *ſudarium, aut linteum* 25 d
Martyrium, *ædes martyri ſacra* 534 f
Molare, *ſpoliare* 64 f

O

ORama *ſeu* horama, *viſio vel revelatio* 840 a

P

PAlafredus, *equus gradarius* 148 c
Pandocinare, *idem videtur quod* Pandoxare, *ſeu cauponam exercere* 65 f
Panis autopyros, *quid ſit explicatur* 280 d e
Peliceus pileus, *quid ſit vide* 315 d e
Pitantia, *portio* 50 b, 194 c
Placita, *conventus publici* 82 a
Plumbatæ, *quoddam flagelli genus: exponitur illud* 432 b c
Polyandrion, *cœmeterium* 560 a e
Porcinium, *locus in quo degunt porci* 832 b, 835 f
Præbendula & præbenda, *portio cibi monachis dari ſolita* 50 b e
Puſtella *vel* puſtula, *genus ulceris* 78 f

R

RAſorium, *novacula* 110 b
Regiſtra campanarum, *id eſt funes* 51 b
Repa, *feretri operculum* 819 c f
Romanè loqui, *id eſt, Gallicè* 654 f
Ruptura, *quid ſit apud medicos* 716 d

S

SAgmarius, *equus, vel jumentum ſarcinarium* 791 d
Sauginarius *idem quod* ſagmarius 829 b. *Item homo ſarcinâ onuſtus* 835 c f
Scamellum *vel* ſcamnellum 87 c
Σχεvίαεvος *à voce Latina* Scriniarius, *ſumi videtur pro ſcriptore, qui acta martyrum excipiebat* 420 c
Segmentata, *pulvinaria acu picta* 295 c
Solatiari, *conſolari* 93 d
Sotulares, *calcei* 390 b
Stallum *aut* ſtallus, *ſedes in choro* 123 e
Strata *vel* ſtrada, *via aut platea* 316 f, 826 c, 829 b
Subſolanus, *ventus orientalis* 90 e
Subſtratorium, *pro tapete* 831 a
Suffragines, *nervi* 84 c
Sulci, *lineæ* 382 c

T

TAburus, *ſpecies veſtimenti* 383 b
Tarta, *ſpecies placentæ* 732 e, 734 c
Theutonici & Theotiſci, *Germani* 529 a
Torneta *Gallicè* Tournois 274 a
Trabeatus, *id eſt, natus* 380 d
Tunna *vel* tonna, *vas* 78 f
Typus, *febris* 82 f, 91 f, 810 a

U

URanicus, *id eſt, cæleſtis* 48 b

V

VAccheta, *interdum vacca junior* 730 c, 731 f
Veges, *vas vinarium* 729 d, 731 c
Veniæ, *pro genuflexionibus vel inclinationibus monaſticis* 653 d, 654 f
Verbum, *pro negotio* 298 f
Verecundia, *pro contumelia* 380 e

W

WAntus, *chirotheca* 78 e

X

XEnia, *dona* 315 b

INDEX MORALIS

A

ABsens *corpore, ſed ſpiritu præſens, moribundum ſanat S. Bernardus* 306 b c d e. *Idem* abſens, *ſpiritu præſens eſt monachis ſuis* 151 d e, 167 d e. Abſentia *novit* 275 a & ſeqq., 306 a b. Abſens *fratribus annuntiat duorum Servitarum felicem tranſitum S. Philippus Benitius* 700 e. Abſentia *novit S. Eugenius* 626 a b f

Abſtinentia *B. Goberti in cibo, ſomnoque* 386 d, 387 c, 389 b c. *Epiſcopi Metenſis* 846 f. Abſtinentia *S. Filiberti variis modis à dæmone tentata* 76 a

Acrimonia ſtyli *S. Sidonii Apollinaris* 604 d e f

Æger *ad S. Bernardum proficiſcens ſanitatis impetrandæ causâ, illius nomine domum redire jubetur ſanandus* 306 d

Ægri ſanati *ope S. Filiberti* 78 c, 82 f, 83 c d e f, 84 a, 85 e, 88 b c d, 89 e, 91 b c, 93 f: *quidam ſancto eodem apparente* 90 d. *Ope S. Bernardi* 248 f, 265 e, 315 e f, 336 d, 343 e, 344 f, 349 d f, 350 b c, 362 b. *S. Privati* 438 b. *S. Bernardi de Alzira* 455 a b, 461 e f. *S. Bernardi Ptolomæi* 469 c f. *S. Andreæ confeſſoris* 545 e, 547 a. *SS. Martyrum* 566 d. *S. Philippi Benitii* 709 d e, 714 a b, 715 c d, 716 a. *B. Jacobi Mevanatis* 726 e f, 727 a d f, 728 a, 731 a, 735 e. *B. Bartholomæi à Foreſto* 737 c, 739 b. *S. Cyriaci* 758 b. *S. Eptadii* 779 f, 780 a, 782 c. *S. Rigomeri* 787 c. *S. Audoëni* 809 c, 815 e, 816 b, 819 a, 822 a, 839 d. *B. Theoderici* 858 e

Amicitia conſtans *S. Sidonii Apollinaris* 605 c d. *SS. Audoëni & Eligii* amicitia 811 e. *SS. Filiberti & Audoëni poſt diſcordiam* 79 e. *S. Bernardi cum Cartuſianis* 126 c d e. *Ejuſdem cum S. Norberto, atque in ejus diſcipulos benevolentia* 119 f & ſeqq., 126 e, 144 f

Angeli *aberrantem in ſilva S. Philippum Benitium cum ſociis, divina voce prius monitum, ad hoſpitium deducunt* 689 c d. *Adſtant corpori S. Guniforti, domum illuminantes & ſuavi odore replentes* 530 a. *Juvant B. Bartholomæum à Foreſto in munere ſuo obeundo* 738 d e. Angelus *Athanaſium Tarſenſem epiſcopum ducit ad baptiſmum S. Anthuſæ impertiendum* 499 f. *Cibos S. Anthuſæ ſubminiſtrat* 503 e

Anima *S. Bernardi à Deipara in cælum deferri viſa* 220 f. *Item B. Bernardi Ptolomæi inter SS. Benedictum & Bernardum à Jeſu & Maria* 469 f

Annona *per S. Bernardum multiplicata* 129 c. *Per S. Philippum Benitium* 714 e f. Annona divinitus impetrata *precibus ejuſdem Sancti* 680 a b c

Apparens vivens *Bernardus cuidam novitio, mortis ei diem prædicit, rurſumque apparens morienti valedicit* 307 a b

Apparitiones *Chriſti, Angelorum, & Sanctorum.* Apparet *puer Jeſus S. Bernardo* 160 d. Apparet *Chriſtus Conſtantino, & jubet eum in vexillo crucem ponere* 426 b c & ſeqq. *S. Bernardo Ptolomæo, quem vexatum à dæmone recreat* 368 f, 383 b. *Eidem* apparent *ſæpius Chriſtus, Deipara, Angeli* 368 f, 369, 478 b, 483 b, *S. Michaël congregationem ejus protegens* 480 c d. Apparent *ante mortem B. Jacobo Mevanati Jeſus, Maria, Georgius & Dominicus* 732 b d, 735 f, 736 a. *S. Dominicus eidem* apparens *deliberanti de ejus ordine ingrediendo, cogitata perficere jubet* 729 b, 735 a. Apparet *variis S. Bernardus cum S. Malachia* 356 b c. *Solus in gloria* 356 c d. *Prædicens proſperum negotiorum ſucceſſum* 357 b c. *Rurſus cum S. Malachia, impediens apoſtaſiam cujuſdam monachi* 358 a b. *Alium item ad perſeverantiam corroborans* c d. *Cum S. Benedicto incendium comprimens* 359 a. *Moribundum conſolans* b. *Canonico regulari, qui tranſit ad inſtitutum Ciſtercienſe* 359 c d. *Eidem jam novitio, primò dormienti, deinde & vigilanti* e f. *B. Mariæ Ogniacenſi* 360 a. *Monacho moribundo, cui mortem eadem die, & gloriam prædicit* 360 a b. *Item ſorori ſuæ mortem prædicens* b. *Fratrem idiotam docens litteras* 360 e f. *Idem ſuis frequenter* apparet *poſt mortem* 323 f. *Aliis in ipſo obitu* 325 e f. *In gloria, ac indicans ubi eſſet veſtis S. Malachiæ* 326 b c. *Amalrico regi victoriam prædicens* 327 b c. Apparet *S. Bernardo Galdricus ejus avunculus in gloria* 127 b, 270 d. *Monachus, ejus & aliorum ſacrificiis ſe purgatorio liberatum indicans* 127. *S. Auctor in* apparitione *corpus ſuum transferri jubet* 48 f & ſeqq. 50 d. *S. Oſwinus, cultum ſuum reſtitui* 59 d, 64 d e. *S. Andreas Faſulanus tertiò corpus ſuum transferri* 548 a b c d. Apparet *abſenti B. Jacobus Mevanas ipſo obitus ſui die* 732 e, 736 b. *Item iteratis vicibus Bonaventura Camaſſeo, quem ſanat, vitamque ſuam jubet conſcribere* 722 e f. Apparens *S. Audoënus, jubet corpus ſuum diligentius cuſtodiri, ac honorificentius haberi* 823 e & ſeqq. Apparitio *Samuëlis qualis* 13 & ſeqq. *Vide ad voces* Viſio & Revelatio.

Aqua *in vinum mutata à S. Bernardo* 216 f & ſeqq. 348 f. *Item à B. Jacobo Mevanate* 727 a, 732 c d, 736 a. Aquâ *putei, cujus aquam in vinum convertit B. Jacobus Mevanas, curantur multi* 727 a

Aqua *qua corpus S. Bernardi defuncti lotum, incorrupta, & multis ſalutifera* 223 d

Aquam *è rupe elicuiſſe dicitur S. Audoënus* 822 b c. *Unde fons multis ſalutaris* 822 f. *Plura huc ſpectantia ad vocem* Fons.

Arcana *cognoſcit B. Bernardus Ptolomæus* 483 e f, 484 a

Articularis *dolor pulſus ope S. Bernardi* 362 a. *Et S. Philippi Benitii* 709 a, 711 f

Aſthmate *ad extrema deducto ſalus redditur apparente S. Philippo Benitio* 712 f & ſeqq.

Attentio *B. Goberti in recitandis horis canonicis* 388 d e

Auctoritas *S. Bernardi invidiâ major* 276 d e

Auſteritas *veſtium Eugenii III Pontificis* 292 f, 295 b. Auſteritas *vitæ Claravallenſium monachorum*

chorum ſub S. Bernardo, & deinceps 205 c, 267 f & ſeqq. *B. Bernardi Ptolomæi* 468 d e, 477 c d, 482 f, 483 a. *S. Aſcelinæ* 653 d e. *S. Philippi Benitii* 667 e, 672 e, 685 b, *etiam in ſupremo morbo* 705 a b. *B. Jacobi Mevanatis* 725 f, 730 c, 735 d. *B. Bartholomæi à Foreſto* 737 e, 738 d. *S. Audoëni* 806 f, 807 a, 808 b, 811 f, 815 b. *B. Theoderici* 846 c, 852 d, *etiam in fine vitæ* 862 d

Auſteritatem *vitæ ſuæ* nimiam *accuſat ipſe S. Bernardus* 119 c d. *Eâ valetudinem læſit* 268 e, 269 a & ſeqq.

B

BAculum *ſuum terræ infigit S. Bernardus, qui excrevit in arborem* 361 a b

Baptiſmum *petente S. Anthuſa, aquâ precibus Athanaſii epiſcopi impetratur* 499 f, 502 c

Bellum ſacrum *prædicans S. Bernardus, multa edit miracula* 190 a b, 195 a b d f, 299 a

Beneficentia *S. Sidonii Apollinaris* 597 e f, 612

Blaſphema *in S. Philippum Benitium ſit muta, ejuſque deinde ope loquelam recuperat* 709 c. *Alius gravi ægritudine percuſſus, deinde ejus patrocinio ſanatur* 712 a b d e. Blaſphemi *duo in S. Audoënum puniuntur* 838 c d. Blaſphemis *pœnam prædicit S. Philippus Benitius, quæ continuò ſequitur* 687 c d e. *Blaſphemus morte ſubita punitus, ſed revocatus ad vitam per S. Bernardum* 263 a b c d e

Bona ablata *mulier quædam recuperat per S. Oſwinum* 64 f

C

CAducus morbus *ſanatus per S. Bernardum* 166 d, 276 a, 324 d. *S. Philippum Benitium* 711 d. *Vide* Epileptici.

Cæca *aliquoties curata, & toties rurſum lumine privata, dicens S. Filibertum ſibi illudere, obmuteſcit & poſt triduum Vitam finit* 86 b

Cæci nati *viſu donantur per S. Bernardum* 313 e, 314 e, 333 a, 335 a, 343 a b f, 345 b. *S. Audoënum* 709 b

Cæci uno oculo *ſanati à S. Bernardo* 317 d, 336 c e, 339 a, 340 a b f, 341 a b, 342 e f, 343 a c d, 344 c, 345 a e f, 346 a d e, 347 b c d, 348 a b, 349 a e, 350 d. *S. Philippo Benitio* 711 c. *S. Audoëno* 839 b

Cæcis *videndi facultas reddita per S. Filibertum* 82 d e, 84 e, 85 b d, 87 f, 88 a e, 89 f, 94 f. *S. Bernardum* 193 a, 202 a, 219 c, 283 b, 313 a b d e f, 314 b d e, 316 b, 317 a b c, 318 e f, 319 a b c, 321 f, 322 a, 332 c d e f, 333 a b c d f, 334 b c e f, 335 a b c f, 336 a b c e, 339 a b c f, 340 a b c d f, 341 a b c d, 342 e f, 343 c d f, 344 b e, 345 a e, 346 b c d e f, 347 b e f, 348 b c f, 349 a, 350 d. *Per S. Bernardum de Alzira* 462 b c. *S. Bernardum Ptolomæum* 484 d. *S. Symphorianum* 492 e. *S. Andream confeſſorem* 545 e, 547 a. *SS. Martyres* 566 d, 631 b. *S. Philippum Benitium* 708 b, 709 b, 716 c. *S. Cyriacum* 758. *S. Patricium abbatem* 782. *S. Audoënum* 809 c, 816 b, 819 a, 836 c d

Cæcitate *percuſſi Hunni, qui urbem Metenſem fuerant populati* 46 f. *His redditis captivis mox ea liberati* 47 a

Calculi dolor *abactus per S. Bernardum* 350 d.

S. Philippum Benitium 708 e f, 713 e

Calviniſtarum furor *in Corpus S. Amatoris* 21. *Plura vide ad voces* Corpora Sanctorum.

Calumniam *furti, ſibi impactam, cognito per revelationem fure, diluit B. Bernardus Ptolomæus* 469 a, 483 e

Campanæ *ſponte ſonare incipiunt in morte venerabilis Benincaſæ Servitæ* 685 c

Candelæ *ſine igne accenſæ ad probandam innocentiam SS. Rigomeri & Teneſtinæ* 788 a *Candelam ſigno Crucis accendit B. Theodericus* 860 d

Cantu monachorum *mirabiliter converſus S. Bernardus de Alzira ad fidem, vitamque religioſam* 452 f & ſeqq. *Convertit deinde materteram ſuam, & ſorores* 455 c d e f, 457

Cantus angelorum, *aliaque prodigia in morte S. Philippi Benitii* 706 d e. *Cantus cæleſtis in primo ſacro S. Philippi Benitii* 675 e. *Cantus miraculoſus, aliaque mirabilia, quæ S. Bernardo contigerunt* 349 c d

Capilli *S. Oſwini ab igne illæſi* 64 e

Captivi *miraculo liberati ope S. Oſwini* 62 a. *Precibus B. Jacobi Mevanatis* 730 d, 535 e. *Item eo apparente* 733 f, 736 d. *Ope S. Audoëni apparentis* 832 e & ſeqq *Captivos liberans S. Filibertus, & pauperes nutriens, numquam argenti minus habet* 78 d

Caſtitas *B. Goberti in ſeculo* 384 b. *B. Bernardi Ptolomæi* 468 e, 469 d, 483 c. *S. Aſcelinæ* 654 a. *Quibus præſidiis Caſtitatem defenderit S. Bernardus* 259 a b c

Cereus *è cælo delatus* 140 c d

Cereviſiâ *à S. Bernardo benedictâ milites repente converſi* 272 c

Cervix *indurata ſanatur ope S. Bernardi* 333 b, 335 a b c

Charitas *in Deum & proximum. Charitas S. Oſwini* 63 e. *B. Goberti* 385 f & ſeqq. *S. Bernardi erga novitium triſtitiâ obrutum* 167 d e f. *Item erga facinoroſum, quem morte liberat* 173 f & ſeqq. *B. Bernardi Ptolomæi, ſociorumque, in miniſtrando peſte laborantibus* 481 d e f. Charitas *in Deum & proximum B. Bernardi Ptolomæi* 483 c d. *S. Sidonii Apollinaris erga cujuſvis generis homines* 612 b & ſeqq. *S. Victoris Vitenſis in confeſſores* 631 c d e f. Charitas *in proximum S. Philippi Benitii* 664 a. *S Eptadii, etiam in captivis redimendis* 779 d e f, 780 c d

Claudis *greſſus reſtitutus intercedente S. Filiberto* 82 f, 85 b d e, 86 c d, 87 e f, 88 c e, 90 a e, 94 f, 95 a b. *S. Bernardo* 193 a, 219 c, 272 b, 312 f, 313 d e f, 314 c e, 316 b, 317 d e, 318 d e, 319 c d, 321 f, 322 a, 332 c d f, 333 a b c d e, 334 b c d e f, 335 a e f, 336 a b c d e, 338 e f, 339 a b c, 340 a c d, 341 a b c d e, 342 e f, 343 a b c e f, 344 b c f, 345 a b d, 346 a b c e f, 347 a b d f, 348 a b c, 349 a. *S. Bernardo Ptolomæo* 484 c. *S. Andreæ Faſulano* 547 a. *S. Philippo Benitio* 707 f, 708 b, 709 b, 711 c, 713 d. *B. Jacobo Mevanate* 727 c. *In tranſlatione SS. Ptolomæi & Romani* 748 f & ſeqq. *Per S. Audoënum* 809 c, 816 b, 819 a, 831 b c d, 839 d f

Claudis à nativitate *greſſus datus ope S. Bernardi* 313 f, 316 b, 332 d, 333 b c, 336 b c, 342 d, 345 e f, 347 d e

Clementia *Teſcelini, patris S. Bernardi* 104 a

Cœnobii *Ciſtercienſis locus Mediolani cæleſti lumine demonſtratus* 139 c

Cœtus *pii à Samuële inſtituti* 100

Conflictus

Conflictus *cum dæmone S. Philippi Benitii moribundi* 706 a b c
Confractum *toto corpore sanat B. Jacobus Mevanas* 730 b, 735 d
Contemptus *mundi B. Bernardi Ptolomæi* 477 c
Contractus *omnibus fere membris & claudus ope S. Bernardi sospitati redditus puer* 313 a. Contracti *sanati ope S. Bernardi* 335 b, 340 b, 342 f, 345 b e, 348 b e, 362 a. *S. Privati* 437 c d. *S. Philippi Benitii* 711 d. *Per S. Audoënum* 839 f
Conversiones *insignes. Conversio ducis Aquitaniæ à schismate ope S. Bernardi* 288 b c d e. *Patris S. Bernardi* 117 a b c, 364 a b. *Aliorum per eumdem Sanctum* 173 c d, 364 f. *Item Arnulphi de Majorica, & alterius* 211 f & seqq. *Aliorum conversiones prædicta à S. Bernardo* 214 b c. *Fratres suos convertit idem Bernardus prædictionibus & miraculis præviis* 260 c & seqq. Conversio *mira Judæorum per S. Avitum* 444 c f, 445 e f, 446 a & seqq. *Cujusdam, qui venerat ad irridendum S. Eptadium* 780 c. Convertuntur *varii ope S. Philippi Benitii* 694 e f, 695 a b c, 696 e f, 698 b, 703 e f
Corpora Sanctorum. *S. Auctoris immobile* 50 d, 52 c. *S. Amatoris ab igne Calvinistarum illæsum* 19 c, 21 e; *sed eorumdem sacrilego furore concisum* 21 f. Corpora *SS. Bernardi de Alzira, ejusque sororum cælestibus signis inventa* 459 e f. *S. Privati* Corpus *inventum divina relevatione* 438 a b. *Item SS. Martyrum Bodobrigensium* corpora 556 e f, 559 e f & seqq. *Incorrupta inveniuntur* corpora *B. Francisci Senensis* 703 c. *B. Jacobi Mevanatis* 725 f. 726 a, 732 f, 736 b. *S. Audoëni* 823 b c, 824 b c e. *SS. Gregorii, Theodori & Leonis per revelationem reperiuntur* corpora *incorrupta, fulgida, suavemque odorem spirantia* 769 b c. Corpus *item B. Bernardi Ptolomæi suavem odorem efflat* 469 f. Corpus *S. Bernardi quanto post obitum concursu, luctuque visitatum* 324 a b c. Corpus *S. Philippi Benitii furto auferentes divinitus impediuntur* 712 a. *Carrus*, corpus *S. Irchardi vehens, sponte movetur* 773 f. *S. Audoëni* corpus *propter præsentiam peccatorum immobile* 831 e & seqq. *B. Theoderici abbatis impio Calvinistarum furore combustum* 843 c f, 844 a b, *auctore sacrilegii morte horrenda punito* b c
Cruce *sumpta ignem extinguit S. Ascelina* 654 a
Crudelitas *Ebroino exitii causa* 71 c
Crus affectum *ope S. Philippi Benitii curatum* 714 f & seqq.
Crus fractum *intercessione S. Philippi Benitii sanatum* 708 c
Cura pastoralis *S. Sidonii Apollinaris* 598 d e, 611 c d e, 613 f & seqq. 616 d & seqq. 617 d
Custodia *sensuum S. Bernardi* 109 d e f, 262 e, 297 c d

D

Dæmon, *cum rotam fregisset, currum trahere cogitur à S. Bernardo* 158 b. *Tentantes* dæmones *oratione repellit S. Justinianus* 635 f. Dæmon *lautas epulas exprobrat S. Audoëno* 800 b. *Imperat* dæmonibus *B. Theodericus abbas* 844 d, *quemdam, cervæ specie apparentem fugat* 857 a b
Dæmon *expulsus per S. Filibertum* 79 f, 86 d e, 87 a, 93 d, 95 a. *S. Bernardum* 106 f, 129 d, 150 e f, 151 b, 153 d, 249 a, 275 f & seqq. 281 c d e f & seqq. 283 e, 284 a b c d e, 306 f, 312 d e, 350 d e. *S. Hermogenem* 413 b. *B. Bernardum Ptolomæum* 469 a, 484 b. *S. Andream Fæsulanum* 545 e, 547 a. *SS. Martyres* 566 d. *S. Ascelinam* 654 b. *S. Philippum Benitium* 685 c, 708 a f, 711 d, 758 b. *S. Eptadium* 779 f. *S. Audoënum* 809 c, 819 a, 839 e
Dæmon incubus *à muliere ope S. Bernardi fugatus* 287 b c d e. *Aliæ mulieres hoc malo liberatæ per S. Philippum Benitium* 654 b
Dæmonis mira fallacia *apparitione S. Philippi Benitii detecta, & elusa* 710 c & seqq.
Dæmonis vi *omnibus fere sensibus, menteque captus puer, sospitatem consequitur ope S. Bernardi* 318 b c
Debilitas *oculorum ope S. Bernardi curata* 283 e
Deipara Virgo *succurrit mulieri in profundum torrentem projectæ* 23 f. *B. Bernardo Ptolomæo difficultates S. Scripturæ enodat* 368 e. *Guidoni episcopo Aretino commendat congregationem Olivetanam* 472 e f, 478 f & seqq. *Ejus patrocinio natus B. Bernardus Ptolomæus* 475 e. *Imago ejus, pingi cœpta, divinitus perficitur* 668 b c. *Commendat ordinem Servitarum S. Petro martyri* 670 f. *Apparens Joanni Francofurtensi, eum ad S. Philippum Benitium mittit* 689 a b. *Plura ad vocem* Apparitiones
Dentium dolore *laborantibus patronus B. Theodericus abbas* 844 b
Detractiones *contemnendæ* 380 a
Detrahens *miraculis S. Bernardi cadit exanimis, ab eoque sanatur* 336 f
Devotio *S. Germani erga S. Symphorianum* 492 c
Dicacitas *cujusdam hæretici à S. Bernardo retusa* 203 a b
Dictum *egregium Nivardi fratris S. Bernardi* 262 c
Dignitatem *abbatialem reluctans suscipere cogitur B. Theodericus* 855 c d
Dignitates *fugit S. Bernardus* 298 c. *Vide* Episcopatus & Pontificatus.
Discessus *quorumdam ab eremo, miraculo impeditus precibus B. Bernardi Ptolomæi* 468 e
Divitiarum *mundique contemptus B. Goberti* 384 c d, 385 f. *Vide* contemptus.
Dolor capitis *abactus per S. Bernardum* 336 c, 362 b, 404 a. Dolorem capitis *transmisso pileo suo pellit idem Sanctus* 315 b
Dona *Dei cum gratiarum actione accipienda* 268 c
Dotes *S. Bernardi pueri, & favores cælestes* 106 c d e, 258 c

E

Ecclesia *in honorem S. Stephani structa* 24 e. Ecclesiam *fornicatione sacrilega violare volens, motu ecclesiæ territus desistit* 64 f
Egenti *divinitus subvenit B. Jacobus Mevanas* 733 e, 736 d
Eleemosynarum excessum *ex obedientia corrigit B. Gobertus* 389 a b
Elogia *Samuelis* 12 d. *S. Bernardi plurima* 225 & seqq. *Item* 323 b c. *S. Leontii* 443 b c d. *Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis* 702 a b. *S. Patricii abbatis* 782 a b c. *S. Tenestinæ virginis* 791 f. *B. Theoderici* 864 b & seqq.
Epileptici *sanati per S. Bernardum* 271 a, 346 b, 364 e.

b, 364 e. *S. Philippum Benitium* 708 a. *Vide* morbus caducus.
Epileptico *impetrat S. Bernardus, ut præsciret tempus quo laberetur* 362 e. *Cur eum integrè non sanaverit* f
Episcopatus *à S. Bernardo recusatus* 139 b, 148 c d e, 168 f, 276 c. *S. Eptadio* 779 c
Episcopus *Fasulanus voce divina, prodigiisque præviis eligitur Donatus* 543 c d e f. *Episcopo quæ præstanda pro munere suo* 607 d e f & seqq.
Epistola, *quam S. Bernardus dictat in imbre, non madefit* 271 e
Eucharistiam *indignè suscipiens deglutire nequit* 271 f
Exequiæ *magnificæ S. Audoëni, comitantibus miraculis* 809 b & seqq. *Exequias S. Malachiæ celebrans S. Bernardus, orationem de confessore recitat* 213 b. *Idem aliàs ab eo factum* ibid. c 311 b
Exhortatio *Samuëlis ad populum quo fructu habita* 9 a

F

FEbris pulsa *jussu S. Filiberti* 77 e. *Ejusdem ope* 82 b f, 90 c, 93 c f. *Per S. Bernardum* 166 e, 270 d, 283 b d, 349 e, 350 f, 352 b, 362 b. *B. Bernardum Ptolomæum* 469 d. *S. Philippum Benitium* 709 e f, 711 e, 715 e, 717 d e. *S. Eptadium* 780 a b. *S. Audoënum* 809 d, 819 c d. *B. Theodericum* 858 e
Feras *compescit S. Bernardus* 214 e f
Fervor spiritus *S. Bernardi novitii* 110 d, 263 d e: *ejusdem sub finem vitæ* 320 b c d. *S. Ascelinæ* 653 f & seqq.
Festo die *S. Oswini lignum scindens, ex eo sanguinem manare cum socio videt* 61 e f. *Alius* Festo *laborans miraculosè bobus & plaustris privatur* 74 b c. *Festo S. Philippi Benitii quidam operari prohibitus apparitione divina* 715 a b. *Vide* Fulmine.
Fiducia *in Deum S. Bernardi in rebus angustiis* 113 f
Fistula pedis *sanata divinitus per S. Bernardum* 270 d
Flamma *ab ore S. Bernardi erumpens* 129 f
Flamma *repressa invocato S. Filiberto* 90 d
Flens *perpetuò puer osculo S. Bernardi sanatus* 271 b
Fons *S. Bernardi prædictione miraculosus* 216 e, 362 a b. *Fons enatus, ubi occisus S. Justinianus* 636 a. *Vide* Aqua.
Fugitivum *monachum humeris impositum reducit B. Gobertus* 391 a b c
Fulmine tactus *ob violatum festum S. Audoëni, ejus ope sanatur* 834 c d e f
Furtum. *Furatus equos S. Filiberti, divinitus territus, eos restituit* 78 a b. *Alii, juvenco ejusdem surrepto, periclitantur, eumque restituunt* 80 d. *Fur morte mulctatur* 77 e. *Vaccæ furto ablatæ carnem comedens, morte punitur, & mugit post obitum* 74 a. Furtum *item divinitus punitum* 84 e, 88 f, 90 f & seqq. *Fur contractione membrorum punitus, ope S. Audoëni sanatur* 835 b & seqq. *Alius ejusdem ope deprehensus* 836 a b. *Fur per eumdem Sanctum hærens immobilis crimen fateri cogitur* 836 f & seqq. Furari *corpus S. Audoëni conati cæcitate percutiuntur, ac deinde, eo invocato, sanantur* 823 d

G

GAngrænâ *liberata mulier ope S. Philippi Benitii* 713 c d
Generalis præpositi *munus deprecatus S. Philippus Benitius, illud voce divina jubetur admittere* 677 a b c. *Illud deponere molitus, variis modis & tandem visione prohibetur* 681 a & seqq.
Genuum junctura *solidata oleo lampadis S. Bernardi de Alzira* 462 c d
Gratia compunctionis *clerico impetrata à S. Bernardo* 276 b
Gratis *evangelium prædicat S. Bernardus* 298 b

H

HErnia *divinitus sanata per S. Bernardum de Alzira* 461 f & seqq. 462 c. *S. Philippum Benitium* 716 a. *B. Jacobum Mevanatem* 733 a, 736 c. *B. Bartholomæum à Foresto* 737 b, 738 f
Honor *S. Bernardo ab infante delatus* 272 d
Hostes *patrocinio S. Bernardi fugati* 142 e f
Humilitas *à pusillanimitate distinguenda* 608 e f. *Nec ea inepta ad res magnas* 611 b. Humilitas *S. Oswini regis* 62 e f, 64 b c. *S. Bernardi* 151 c, 285 a, 296 e, 302 e f. *B. Bernardi Ptolomæi* 482 e. *S. Sidonii Apollinaris* 598 a, 601 a, 608 a b c d f, 610 d e, 612 b c. *S. Philippi Benitii* 670 b, 671 c d, 674 a, 677 e f, 684 c & seqq., 702 f, 703 d e, 704 b, 705 c. *S. Audoëni* 814 f
Hydropici *sanati ope S. Filiberti* 88 e. *Et S. Bernardi* 315 f, 369 f

I

IGne sacro *liberatus juvenis in sacello S. Symphoriani* 492 f
Ignis extinctus, *cui SS. Martyres erant injecti* 750 c, 751 e. *Alia prodigia ibidem, &* 752 c d. *Alia* 759 f
Imago *Christi in cruce pendentis S. Bernardum amplectitur* 200 d & seqq.
Immobilis *aliis arca marmorea facilè movetur B. Jacobo Mevanati* 730 c
Impugnatur *variis modis à dæmone B. Bernardus Ptolomæus* 468 d e f, 469 a c d, 477 f, 478 a d, 480 c d e f
Incendium *crepidis S. Philippi Benitii extinctum* 709 d. Incendio *liberati quidam favore S. Audoëni* 839 f
Incurvi *erecti per S. Bernardum* 317 a, 336 b e, 340 a b. *Et S. Audoënum* 839 a
Indicia *futuræ sanctitatis Philippi Benitii* 663 a b e
Indulgentia *pia S. Bernardi erga Hugonem nimiis abstinentiis afflictum* 169 b
Injurius *abbatiæ Trenorcienſi à S. Filiberto verberibus multatur* 74 c d e f
Innocentia vitæ *Samuelis miraculo confirmata* 10 & seqq.
Inopiæ *domûs meritis S. Bernardi subvenitur* 113 f & seqq., 265 e, 271 a b
Insidiæ *diaboli in Clara-valle repressæ* 280 a
Intima mentis *cognoscit S. Bernardus* 365 a. *Vide* Arcana.
Inventus *bos precibus ad S. Filibertum fusis* 90 a
Invidiæ fuga *in S. Sidonio Apollinare* 605 e f
Irreverentia *punita à S. Auctore* 53 c. Irreverentia

rentia *in S. Filibertum item divinitus caſtigata* 89 b c
Irriſiones *patienter ſuſtinet S. Philippus Benitius* 671 d e. *Eas non curat B. Gobertus* 390 d
Judæos *non occidendos contra pſeudo-doctorem docet S. Bernardus* 191
Jura Eccleſiæ *defenſa à S. Bernardo* 139 c d e f
Juvenis *S. Bernardus cœnobio Claravallenſi præfectus* 265 a. *In juventute Deo oblatus Samuel* 7 a

L

Lacrymarum *donum S. Filiberti* 77 f
Lampade *S. Filiberti in templo extincta, candela in manu properantis eam accendere ſponte ardere incipit* 94 a
Lapis *quidam alteri immobilis, facilè movetur S. Audoëno, qui eum tranſvehere volebat* 800 c d e
Lapſus *è ſcalis ſervatur illæſus ope B. Jacobi Mevanatis* 727 f
Latronibus, *invocata ope S. Bernardi, eripitur monachus* 357 d
Leproſi *mundati ope S. Andreæ Faſulani* 545 e. *S. Philippi Benitii* 682 c d, 683 e. *Apparentibus ſanctis* 772 a b c. *Per S. Audoënum* 809 c, 816 b, 819 a
Liberalitas *Theobaldi Campaniæ comitis* 293 c d e f, 294 c. *Parentum S. Audoëni* 810 f. *Ipſius S. Audoëni* 815 a. *Liberalitas S. Bernardi de Alzira miraculo auctæ annonæ à Deo probata* 454 e f & ſeqq. *S. Sidonii Apollinaris liberalitas in pauperes, atque ædes ſacras* 610 b c
Liberè *in concionibus eloqui, quæ ſuggereret S. Spiritus, divinitus monetur S. Bernardus* 115 a b. *Vide etiam* Sermo.
Lignum feretri *S. Filiberti in ignem projiciens oculo mox privatur* 85 e. Ligno *eodem ignis cohibitus* 86 a
Lilium *ex ore mortui B. Franciſci Senenſis enatum* 703 c
Loculum *S. Philippi Benitii fabri nequeunt arâ eruere, faciunt id facilè ſacerdote manum admovente* 714 c
Loquela *prodigioſa S. Philippi Benitii adhuc infantis* 663 a, 664 c
Loquentem voce vix perceptibili, *ac dein febri laborantem, adoleſcentem ſanat S. Bernardus* 316 f
Lumen cæleſte, *voceſque angelicæ apud S. Audoënum ſæpe perceptæ* 815 c. Lumen, *& avicula capiti B. Theoderici inſidere viſa* 860 e

M

Maledicit *S. Bernardus Viridi folio* 202 b c
Maleficia *depulſa per S. Bernardum* 271 b, 365 b. *Et S. Philippum Benitium* 708 d, 716 b
Manibus aridis, *ſeu enervibus vigor redditus ope S. Filiberti* 95 b. *S. Bernardi* 279 b, 283 b c, 314 e, 316 a, 332 c e, 333 a b c d e, 334 c d f, 335 a c, 340 a d f, 341 c d, 342 e, 343 b c f, 344 a b e, 345 b e f, 346 a, 347 b, 350 e f. *B. Bernardi Ptolomæi* 469 f, 484 d. *S. Philippi Benitii* 707 f, 713 f
Manum aridam, *qua ob violatam diem Dominicam quidam erat punitus, reſtituit S. Audoënus* 808 a, 813 f & ſeqq.
Manſuetudo *S. Bernardi in corripiendis delinquentibus* 305 e & ſeqq.
Meditationes *B. Bernardi Ptolomæi* 468 e, 483 a
Memoria de Deo *perpetua S. Aſcelinæ, & oratio frequens* 553 f
Metendi *ars S. Bernardo divinitus data* 110 f & ſeqq. 264 e & ſeqq.
Miracula generatim. *Miracula varia apud corpus S. Auctoris* 16 e. Miracula *S. Auctoris* 52 & ſeqq, *Apud ſepulcrum S. Guniforti* 530 b. *S. Oſwini* 58 c, 59 e. *Alia ejuſdem Sancti* 65 a b. *Eugenii III Papæ poſt mortem* 324 d e. *S. Bernardi de Candeleda* 369 c d e. *S. Andreæ Faſulani* 545 e. *S. Rigomeri* 791 a. *Frequentia miracula in Africa* 631 b. *Claret miraculis S. Phi[illegible]opus Benitius* 658 d. Miracula *pleraque S. [illegible]rnardi compendio data* 365 & ſeqq. Mi[illegible]cula *ejuſdem defuncti* 221 b c. *Quæ eum omittere jubet abbas, ne relaxetur diſciplina* 221 c d. *Objicit id dæmon, ne à muliere obſeſſa cogatur diſcedere* 221 e f. Miracula *ſine neceſſitate non expectanda, lepidè docet B. Jacobus Mevanas* 729 f, 730 a, 735 d. Miraculorum *S. Bernardi* liber *ab aqua intactus* 330 c d e. *Et modo mirabili inventus* 360 c d
Miſericordia *in pauperes S. Bernardi adhuc pueri* 258 e. *B. Goberti* 389 e f, 390 a b c d e, 392 e f, 393 a. *S. Cyriacæ* 403 f, 404 a. *Miſericordia S. Bernardi etiam in feras* 304 c
Miſſæ *ſacrificiis monachus è purgatorio ereptus* 127 e f
Monachus, *qui à vita monachali fuerat apoſtata, ſed redire propoſuerat, atque expectare juſſus, obierat, & ſepultus erat in habitu clericali, in habitu monachali invenitur* 457 a b c
Monaſterium *deſerens B. Theodericus, ut abbatem olim ſuum ſequeretur, equi claudicatione impeditur: reditque equo non claudicante* 852 b. Monaſterium *conditum ad cædem S. Oſwini expiandam* 58 d, 59 b
Monita *poſtrema S. Bernardi* 219 f, 322 d & ſeqq. *S. Philippi Benitii* 705 c d e
Moribundus *puer ex annulo, quem deglutierat, illum expuit invocato B. Jacobo Mevanate* 727 d
Moriendi terminum *moribundo præſcribit S. Bernardus* 362 c. Morienti *B. Alexio Servitæ Chriſtus adeſt cum Angelis eum deducentibus* 690 e. Mors pia *B. Theoderici* 861 d & ſeqq.
Mortui *ad vitam revocati ope S. Bernardi* 129 e, 196 b, 215 a, 248 f, 363 c d e. *S. Bernardi Ptolomæi* 469 c, 484 c. *S. Andreæ Faſulani* 545 e. *SS. Martyrum* 566 e. *S. Eugenii Hiberni* 626 c. *Venerabilis Amidei Servitæ* 626 c. *S. Philippi Benitii* 679 b, 703 c, 709 c d e, 714 d. *B. Jacobi Mevanatis* 727 e, 733 c, 736 d. *S. Pauli Apoſtoli* 753 d e. *S. Cyriaci & Maximi* 759 c d. *S. Eptadii* 780 a
Morum *S. Bernardi* ſuavitas 302 c
Mures, *ſeu veſpertiliones è carcere S. Filiberti fugati* 79 b, 80 f
Muſcæ, *à S. Bernardo excommunicatæ, moriuntur* 272 a
Mutis *loquelam reſtituit S. Filibertus* 83 b c, 85 b, 86 c, 88 a d, 90 a, 93 c d e. *S. Bernardus* 313 e, 314 e, 317 b, 333 a c, 334 e f, 340 e, 341 d, 343 a, 344 b, 345 e f, 346 a c d, 350 f, 362 b. *S. Bernardus de Alzira* 456 f. *S. Eptadius* 780 a. *S. Audoenus* 808 f, 816 b, 817 f, 834 a b, 836 d e, 839 b d. Muto *loquela ad confitendum preci-*

precibus S. Filiberti impetrata 77 f

N

NAufragii *periculum depulsum à S. Filiberto* 78 c
Novitius *S. Bernardi fugitivus à dæmone corripitur* 128 d

O

OBedientia *Samuëlis* 7 e
Obitus *Petri Leonis anti-papæ miserabilis* 291 e
Obscœnitatis *horror in S. Sidonio Apollinare* 606 a
Obsidio *urbis Brunswicensis ope S. Auctoris soluta* 44 d, 45, 52 f & seqq.
Occulta *cognoscit B. Jacobus Mevanas* 730 e, 735 e
Oculi *S. Filiberti fulgere visi* 77 f. Oculus *affectus ope S. Phliippi Benitii restituitur* 715 f, 716 c
Odor suavis *cum globo flammæ perceptus morienti venerabili Amideo Servita* 679 b. *Odor suavis in translatione S. Philippi Benitii* 713 a. *Ex corpore S. Oswini* 64 e
Officia *divina propter pericula non prætermittit B. Gobertus* 382 d e
Oleo *lampadis S. Bernardi de Alzira patrata miracula* 461 c & seqq.
Orat *S. Philippus Benitius, verberibus malè multatus, pro percussoribus suis, quorum unus facti pœnitens à B. Virgine jubetur Philippum adire; angeloque ducente ad eum veniens Servitis aggregatur* 701 c d e
Oratio *frequens & sublimis S. Philippi Benitii* 671 d e f, 672 e, 685 b. *S. Audoëni* 807 f, 808 b
Ordinis *Servorum B. Mariæ Virginis institutio mirabilis, inspiratione divina, apparitionibus, monitisque B. Virginis, ac miraculo vitis subitò frugiferæ præcedentibus* 664 & seqq.
Ostium *templi divinitus aperitur B. Theoderico* 860 f

P

PAcem *conciliat S. Bernardus sanando cæcum, surdum, mutum, eumdemque energumenum* 128 d e f. *Idem pacem creat Pisanos inter & Januenses* 142 b d. *Item, sanato surdo* 319 b, *pacem inter Metenses eorumque vicinos prædictam antea componit* 321 c d
Panis *à S. Bernardo benedictus manet incorruptus* 311 d, 312 a b. *Illo multi curati* 301 a, 311 d e f. *Panis multiplicatus per B. Jacobum Mevanatem* 729 e, 735 c
Panthera *Polychroniam deducit ad corpus S. Anthusæ* 503 f
Paralyticis *salus corporis reddita à S. Filiberto* 85 e, 86 b c, 88 a, 88 d, 94 f, 95 a. *S. Bernardo* 301 b, 313 f, 314 a b, 314 d, 315 a, 316 a c d e, 317 c, 321 e f, 333 a, 334 c e, 336 e, 338 f, 344 c, 345 d e, 346 d e, 348 c d f. *S. Symphoriano* 492 e. *S. Andreæ Fæsulano* 544 e f, 545 e. *S. Philippo Benitio* 706 f, 708 c, 709 c d. *B. Jacobo Mevanate* 726 & seqq., 729 & seqq. 730 d e. *S. Audoëno* 835 a, 838 e. *B. Theoderico* 858 f, *& prævia revelatione seu monitione*, 859 a b. Paralyticus *quidam monetur invisere sepulcrum S. Audoëni, multisque visionibus, miraculis, ac revelationibus præviis, sanitatem adeptus narratur* 826 & seqq. *Alius item monitus, sanatur ibidem, atque asinum in via ablatum recuperat* 829 & seqq.
Parsimonia *cibi, somnique in S. Bernardo* 264 a, 296 f. *Parsimonia B. Theoderici abbatis* 844 d, 846 c
Partu periclitantibus *subvenerunt S. Filibertus* 85 c. *S. Bernardus* 306 e, 311 c. *S. Philippus Benitius* 714 d e, 717 f
Patientia *insignis S. Bernardi alapâ percussi* 174 b: *ejusdem infirmi, dum malè ministrat stupidus infirmarius* 267 d e: *in morbis, aliisque eventibus* 302 f & seqq. Patientia *SS. Sigfridi, & Benedicti Biscopi* 538 b & d
Patriam *Dei amore relinquit S. Auctor* 46 a
Pauperem *recusans trans flumen vehere, illud trajicere non potest, donec illum assumat* 90 b.
Paupertas *Clara-vallensium sub S. Bernardo* 279 f
Pedum *episcopale S. Evasii humi defixum gemmescit* 410 f
Peregrinatio *pia ad limina Apostolorum S. Audoeni* 817 a b. Peregrinatur *Henricus Angliæ rex ad corpus S. Amatoris* 16 e. *Item alii multi, inter quos S. Ludovicus* 23 c d
Periclitantibus *prodigiosè succurrit B. Jacobus Mevanas* 730 f, 733 d, 735 e, 736 c d. Periculis *variis eripitur quidam ope B. Jacobi Mevanatis* 728 a b. Periculum *mortis Dei ope evadit B. Theodericus* 853 b c
Persecutor *S. Sidonii Apollinaris ejectis intestinis moritur* 619 a b: *ejus socius repentina morte occumbit, mirabili visione prævia* 619 c d. Persecutores *S. Filiberti, alter fulminis ictu, alter ejectis intestinis puniti* 76 b
Peste *infectis subventum ope B. Bernardi Ptolomæi* 484 d
Phiola *vini, ex aqua facti per B. Jacobum Mevanatem, non minui solita* 727 a. *Pœna illius, qui eam confregit* ibid. b
Phrenetici *& stulti ad mentem reducti ope S. Filiberti* 87 a. *S. Bernardi* 312 f, 314 c d, 333 c, 340 a, 346 d. *S. Philippi Benitii* 708 a b
Pietas *S. Philippi Benitii in recipiendis postremis Sacramentis* 705 e f. *B. Theoderici in visitandis liminibus Apostolorum* 857 e f
Pila *plumbea divinitus ejecta ope S. Bernardi de Alzira* 461 e
Plaustrum *fracto axe, signo crucis facto à S. Bernardo, ulterius procedit* 364 d
Plumbum bulliens *ori S. Apollinaris immissum fit frigidum* 579 a
Pluvia *divinitus dissipata per S. Bernardum* 129 f. Pluviam *impetrat precibus S. Maximus abbas* 56 c: *S. Audoënus in maxima siccitate* 807 e, 813 d e, 820 e: *B. Theodericus* 860 a b c
Pœnitentia *confitenti de vitæ totius peccatis qualis à S. Bernardo imposita* 212 c
Poësim profanam *suscepto episcopatu deserit S. Sidonius Apollinaris* 609 c d & seqq.
Pontificatum *sibi ab aliquibus destinari audiens S. Philippus, fugit ad latebras* 684 c & seqq. 686 d e. *Fugit item oblata sede Florentina* 693 c d
Prædestinatio *sua B. Jacobo Mevanati revelata* 732 a, 735 f
Prædicationis *efficacia in S. Bernardo* 122 d & seqq. 140 d e, 159 b, 193 e, 274 d e, 297 f & seqq. 300 f

Prædictio. *S. Ansoaldus quædam prædicit S. Filiberto* 79 c. *S. Filibertus absentiam suam à monasterio per octo annos* 79 e. *Emolumenta monasterii* 80 d. *Mater S. Bernardi mortem suam prædicit* 104 d. *Prædicit S. Bernardus, novitium furtivè abiturum* 128 b c; *mortem filii regis Galliæ* 131 f, 307 f: *conversionem cujusdam ad religionem* 141 f, *alterius* 144 d e: *mortem duorum extra Claram-vallem, & alterius ex illis beatitatem* 157 b c d: *cladem Rogerii Siculi* 162 e f, 291 c: *fratrem, quem mittebat in Sueciam, in Clara-valle moriturum* 180 a b c: *Arnaldi de Brixia contra Ecclesiam conatus* 181 f: *alia* 196 a, 217 a b: *victoriam comiti Forensi* 214 f: *conversionem viri nobilis* 218 f: *novitium quemdam, uti solus venerat, sic solum reversurum* 275 d e: *vitam religiosam pueri nobilis* 307 c d, *cui alius dein mortem prædicit* ibid. d: *pacem Theobaldi comitis Campaniæ cum rege* 308 f: *pacem nobilis cum inimico infenso* 309 a: *mortem comitis Andegavensis* 309 b: *clerico vitam monasticam, uti & Henrico regis Galliæ fratri, & alteri reluctanti* 309 d e: *conversionem patris sui* 310 b: *prolem reginæ Franciæ, mortem abbatis Cistercienſis, & alia* 310 b c d. *Idem prænuntiat reditum fratri cuidam, quem à se dimittebat, qui ea prædictione fretus ex gravissimo periculo evadit incolumis* 320 d e. *Multos salvandos in cœnobio Villarensi* 361 a b. *Novitio uni mortem, aliis dignitatem abbatialem* 361 b & seqq. *Prædictus obitus S. Bernardi, ejusque successor* 324 f, 325 a. *Prædicit obitum suum S. Theoxleta* 449 b d. *Successorem suum in episcopatu S. Sidonius Apollinaris* 619 b c d e. *S. Columbanus eximias virtutes S. Audoëni, ejusque fratrum* 811 b. *Sanctitas S. Ascelinæ matri ejus prægnanti prædicta* 653 b

Prædones *puniti* 94 a. *Territi divinitus* ibid. b

Præscit *mortem suam S. Andreas Fæsulanus* 546 a. Præscit *instare sibi mortem S. Philippus Benitius* 701 b, *eamque prædicit* 702 d e f, 704 c, 705 c. Prævidet *S. Bernardus monasterii Claravallensis incrementum* 115 c & seqq. *miracula futura* 318 b c d e

Preces. *Precibus sterilis matris Samuel à Deo impetratur* 6 c. *Precibus S. Filiberti navis impetrata* 78 b. *Precibus fusis dentem S. Cæsarii facilè extrahit S. Bernardus, quem ante nullis poterant movere instrumentis* 305 e f. *Idem precibus equum fugitivum reducit* 275 f. *Precibus suorum in vita retinetur S. Bernardus* 325 c d. *Precibus fontem elicit S. Philippus Benitius* 672 f, 675 a b. *Uti & S. Caprasius* 673 a. *Alterum Benitius, eumque multis salutarem* 685 e f & seqq.

Principi *gentili quantâ curâ servire oporteat Christianos* 586 a & seqq.

Prodigiosa *campana Rupis Amatoris* 24 a b. Prodigia *varia S. Eugenii Hiberni* 625 b f, 626 c d e f, 627 b. *In nativitate B. Jacobi Mevanatis* 724 a b, 728 f, 729 a, 734 e f. *Prodigium amputati capitis à S. Justiniano gestati* 636 b

Promptus *spiritus S. Bernardi in corpore infirmo* 285 b

Prophetiæ donum *pueri Samuelis* 7 e, 8 b. *B. Bernardi Ptolomæi* 469 c e, 481 e f. *S. Eugenii* 625 b c d, 626 c d f, 627 a b

Providentiâ *divinâ cibus monachis S. Filiberti subministratus* 77 d. *Item oleum* 80 c. *Pinguedo* ibid. *Pisces* ibid.

Prudens consilio *S. Audoënus* 811 c d. *Prudentia S. Sidonii Apollinaris in conciliandis sibi principibus Gothis ad munus episcopale securius exequendum* 617 a b c d

Psalmos *septem pœnitentiales quotidie pro anima matris suæ recitat S. Bernardus novitius* 260 a. *Psalmorum lectione conversus S. Luxorius* 416 b

Puerum *ordini suo tertio adscivit S. Philippus Benitius, qui deinde miraculis claruit* 703 b c

Punitus *regis Angliæ filius ob feretrum S. Amatoris spoliatum* 22 c. *Alius, negans miracula apud ejus sepulcrum fieri solita* 22 d. *Item alius, qui sacelli cortinas reddere recusabat* 22 e, 23

R

RAnas *silere jubet S. Audoënus* 800 e

Raptus *B. Bernardi Ptolomæi* 469 c, 481 c. *S. Philippi Benitii* 667 b, 668 d e f, 700 e f

Regimen *injustè suscipiens punitur divinitus* 79 d. *Regimen ordinis sui recusat B. Bernardus Ptolomæus, quod suscipere tandem cogitur* 479 f & seqq.

Regularis *observantia antiquorum congregationis Olivetanæ monachorum* 486 b c d e f

Religionem *petere divina voce jubetur S. Philippus Benitius* 667 d e, 668 e. *Item à B. Virgine* f

Reliquiæ *S. Samuëlis honorificè translatæ Constantinopolim: item SS. Andreæ, Lucæ, & Timothei* 13. *S. Auctoris furtim ablatæ* 50 b. *S. Symphoriani divinitus ab incendio servatæ* 492 d. *Vide* Corpora Sanctorum.

Revelatio. *Samuëli* revelatur *peccatum Saulis* 11 d. *S. Evasio ab angelo revelatur futurus episcopatus* 410 d e. *Variæ* revelantur *B. Bernardo Ptolomæo* 481 a b: *æterna salus, progressus familiæ Olivetanæ, aliaque ad Ecclesiam spectantia* 481 a b c: *dies mortis suæ* 481 c d. Revelatio *facta S. Bernardo de salvandis in ordine Cistercienſi* 123 d & seqq. *Eadem aliis facta* 124 a b. *Quomodo intelligenda* 124 c

Rosæ, *è sepulcro S. Lucii enatæ, evanescunt; dum quidam eas volunt auferre* 28 f

S

SAcellum beatæ Virgini *erectum in Rupe Amatoris* 18 d, 22 b, *multis peregrinationibus illustre, & donis* 23. Sacellum *S. Anthusæ ab Angelo erigi jussum* 504 a

Sacerdotes *maximè reverentur B. Gobertus* 387 a

Sacramenta *suprema suscipiendi tempus impetrat S. Bernardus moribundo, mente jam privato* 270 a b

Sacrilegium *terribili modo divinitus punitum* 288 a

Sævitia *gentilium in sacerdotes suos* 431 b, 432 d e

Sale *benedicto à S. Bernardo animalia curata* 312 e

Sanat *S. Amator ducem Burdegalensem* 24 e. *Varios S. Filibertus* 80 a b, 84 & seqq. *Idem sanitatem impetrat cuidam ægris servire jussa* 78 b. *Sanat S. Bernardus Guilielmum Vitæ suæ auctorem, qui ad extrema redactus videbatur, quòd carnes, mandante Bernardo, manducare detrectasset* 273 b c d. *Plura vide*

ad voces ægri, cæci *&c.*
Sancti *virtutes ſuas occultare ſolent* 673 c d. Sanctitas *B. Jacobi Mevanatis cæleſti voce declarata* 736 b
Sanguinis fluxus *ſanatus per S. Filibertum* 85 c. *S. Bernardum* 365 b. *B. Bernardum Ptolomæum* 469 f, 484 d. *S. Philippum Benitium* 714 e, 715 b c
Saxum ingens *facilè amovetur ad transferendum corpus S. Philippi Benitii* 714 c
Scandala *quantopere horreret S. Bernardus* 304 b
Schiſmatici *epiſcopi punitio* 288 f, 289 e
Scrupuloſum, *qui dicebat ſe non credere Corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam, communicare jubet fide ſua S. Bernardus* 124 e f
Sententia *S. Bernardi de miraculis ſuis* 302 a b
Sepulcra Sanctorum *veneratur S. Sidonius Apollinaris cum emolumento valetudinis* 606 b c. *Sepulcrum S. Bernardi viſitans abbas quidam febri laborans & phreneſi; ab altero malo ſanatus, jubetur per viſionem viſere ſepulcrum S. Malachiæ, ut ab altero ſanetur* 326 c d e. *Tumulus S. Philippi Benitii ſuavi odore, & mira ad eum anathematum converſione inclareſcit* 710 b c. *Sepulcra alia miraculis clara vide ad vocem* Miracula.
Sermo *S. Bernardi ſerius, & alienus à nugis* 297 f. *Item ſublimis, & ſummo cum perfectionis ſtudio conjunctus* 265 f & ſeqq. *Quem cum vellet cohibere, viſione divina libere jubetur loqui* 266 b c
Silentium *B. Bernardi Ptolomæi* 468 e. *S. Aſcelinæ* 653 f
Somnio *monetur Fulbertus conſcribere miracula S. Audoëni* 825 b c
Somnum *in oratione obrepentem maſticato pipere pellit B. Gobertus* 392 b
Sordes *diſplicent S. Bernardo, placet paupertas* 297 e
Sororem, *ſuperbo apparatu accedentem, videre primùm renuit S. Bernardus: ſuppliceм deinde accedit* 266 d e
Spectrum *dæmoniacum, monacho inſultans, crucis ſigno fugat B. Theodericus* 852 f, 853 a
Spina piſcis *gutturi periculosè infixa emittitur corrigiâ quadam, quæ ſepulcro S. Bernardi impoſita fuerat, gutturi admotâ* 362 a: *ſimilis ſpina ope S. Filiberti ſubitò ſine dolore emiſſa* 91 b
Splendor, *odorque ſuavis, moriente S. Andrea Faſulano* 546 f
Strumoſi *ope S. Philippi Benitii curati* 708 a, 709 a
Studiis *tradere filium recuſans pater B. Theoderici, eum duplici infortunio afflictum cernens, id tandem permittit* 849 f & ſeqq.
Submerſi *morte liberati ope S. Jacobi Mevanatis* 727 e, 733 a b c, 734 c d, 736 c
Supplicium *tyranni, martyres cruciantis* 431 e f, 432 a
Surdi & muti à Nativitate *curati à S. Bernardo* 313 e, 314 a e, 316 b, 332 f, 340 f, 343 e, 345 b f, 346 d, 348 c
Surdis & mutis *auditus cum loquela redditus à S. Filiberto* 83 f. *S. Bernardo* 316 a b, 340 a c e f, 341 a, 343 e f, 344 a, 345 d, 347 e, 352 b. *S. Philippo Benitio* 708 d
Surdis *auditus reſtitutus à S. Bernardo* 314 b d e, 316 d e, 318 f, 319 a b, 332 e, 333 d e, 334 d e f, 335 a b, 336 a c, 338 e f, 339 b, 340 b c d e f, 341 a b d, 342 f, 343 a c d, 344 b c, 345 a b c d, 346 b c d e, 347 d f, 348 b, 349 a, 350 f. *Et S. Audoëno* 816 b, 830 b c
Suſpenſus *à terra S. Bernardus* 151 e

T

TEmpeſtas *precibus S. Filiberti ſedata* 78 a. *Veſtibus S. Philippi Benitii circumlatis* 711 c. *Item in ejuſdem tranſlatione* 713 b
Tentatio *S. Aſcelinæ, ab ea prudenter ſuperata* 653 c d. *Vide ad voces* Dæmon, impugnatur.
Terra *& cognatione ſua exire jubetur S. Juſtinianus* 635 d. *Vide* Patriam.
Terror *moribundi ex viſione dæmonum, quos fugat dein S. Petrus* 270 e
Tibia fracta *ope S. Philippi Benitii ſanata* 711 e. *Item per B. Jacobum Mevanatem* 727 e. *Vide* Crus.
Tormenta *martyribus innoxia* 431 a b c d, 432 d
Tranſlata *divinitus ad fratrem ſoror S. Andreæ Fæſulani* 546 b
Tranſlatio reliquiarum *uſitata apud veteres* 13 b. *Vide* Corpora Sanctorum, *&* Reliquiæ.
Tremor *capitis pulſus à S. Bernardo* 336 e.
Tremula *mulier à S. Bernardo ſanata* 321 d
Tunicâ *S. Bernardi adhuc viventis moribundus ſanatus cum viſione mirabili* 305 f & ſeqq.

V

VAletudinis *reſtauranda causâ traditus S. Bernardus ſub obedientiam epiſcopi Catalaunenſis, à negotiis externis, & rigore diſciplinæ domeſticæ jubetur quieſcere* 267 b c
Vaſa ſacra *collo appenſa geſtans, Arari merſus emergit* 56 b
Venenum *in cibo datum divinitus cognoſcit Bonajuncta Servitarum generalis; cibum facta cruce innocuè ſumit, ac mortem illud venenum propinantis abſens noſcit* 671 a b. Veneni *periculum ſigno crucis diſcuſſum à B. Bernardo Ptolomæo* 368 f, 377 e f
Veniam *flexis genibus petit B. Gobertus à fratre, correctione ſua offenſo* 388 a b c
Verecundia *S. Bernardi* 302 f
Veſtem *S. Malachiæ clanculùm cum ſua permutat S. Bernardus* 213 f
Victoria *ope SS. Leontii & Carpophori relata* 33 c. Victoria *de Normannis relata ope S. Filiberti, ab eoque cuidam monacho revelata* 94 b c d
Vinea *primùm maledictione reddita ſterilis: deinde à S. Bernardo ſit fœcunda* 125 b & ſeqq. 126, *& miraculoſa* ibid. b.
Vinum *à S. Filiberto multiplicatum* 78 c. *Item per B. Jacobum Mevanatem* 729 e, 735 c. *Idem* Vinum *operariis dari jubens, illud non minuendum prædicit, quod ita contigit* 729 d e
Vires *S. Bernardo ad negotia pia divinitus aucta* 219 a b, 321 a b
Virtutes *S. Filiberti* 80 e. *Matris S. Bernardi* 104 c d, 258 f. *S. Bernardi* 296 c d & ſeqq. 302 a. & ſeqq., 304 e, & ſeqq. *B. Goberti* 379 e f, 385 e & ſeqq. *S. Aviti* 445 c d, 446 e & ſeqq. *S. Theocteæ* 449 a b c d. *B. Bernardi Ptolomæi* 475 f & ſeqq. *S. Andreæ confeſſoris* 542 b c & ſeqq. *Donati Faſulani epiſcopi* 544 a. *S. Philippi Benitii* 664 a, 667 c, 677 e f. *Venerabilis Amidei Servitæ* 679 a. *B. Alexii Servitæ*

Servitæ 690 c d. *B. Jacobi Mevanatis* 724 c d, 725 f, 729 b. *B. Bartholomæi à Foreſto* 737 e, 738 c d, 739 a. *Sanctorum militum* 771 a c & ſeqq. *S. Eptadii* 778 e f, 779 a d. *S. Audoëni* 806 d, 811 f, 813 f, 814 f, 817 d, 818 b. *Anſoaldis ſororis B. Theoderici* 850 c d. *B. Theoderici in ætate puerili* 850 e f. *In adoleſcentia* 851 d e f. *In ætate virili* 852 c d, 854 a. *Item* 846 c d, 862 e f

Viſio, *Matri S. Bernardi, eum utero gerenti, oblata viſio* 104 f & ſeqq. 258 a b. *Item matri B. Bernardi Ptolomæi* 468 b, 475 e. *S. Philippi Benitii* 662 f. *B. Theoderici, quæ explicatur* 849 a b c. *Videt S. Bernardus angelos merita cantantium in choro ſcribentes, & monachos ad devotionem excitantes* 132 c d e f. *B. Virginem inter angelos* ſalve Regina *decantantes mediam* 248 e: *puerum Jeſum quaſi recenter natum, poſt repulſas mulierculæ præſtigias* 258 c d: *futurum incrementum Clara-vallis* 265 b. *Ægrotus in viſione diabolum confundit fiduciâ meritorum Chriſti* 272 e: *viſione alia diſcit mortem ſibi necdum adeſſe, & ſanatur à Virgine* 272 f: *aliâ prævidet, varios ad inſtitutum Ciſtercienſe convertendos* 307 e f. *Adoleſcens viſione quadam ad idem inſtitutum convertitur* 358 d e f. *Aliâ ducissa Lotharingiæ ad meliorem vitam à S. Bernardo* 276 b. *Viſiones de morte S. Bernardi* 218 e, 220 c, 325 b c d: *de ejuſdem beatitudine* 222 a b c d e. *Viſio cujuſdam Armeni, Sacris operante Eugenio III Pontifice* 184 b c: *cujuſdam è ſociis S. Bernardi de perſeverantia ſocioram* 162 a b: *monachi Ciſtercienſis* 356 e: *S. Anthuſæ* 502 b, 503 f: *S. Apollinaris* 518 f: *SS. Apollinaris & Timothei in tormentis* 578 f: *S. Philippi Benitii, quæ exponitur* 668 e, 669 a b. *Idem videt duos Servitas ad cælum tranſlatos* 700 e. *S. Aſcelina varias habet viſiones cum revelationibus conjunctas* 653 c e, 654 a b. *Viſiones de gloria B. Bernardi Ptolomæi* 369 e f, 482 a b. *Angeli viſi moriente S. Eptadio* 780 e. *Viſione cæleſti, oraculoque ad templa condenda excitatur S. Audoënus* 816 b c. *Simili viſione corrigitur monachus ſuperbus, & abbati ſuo refractarius* 856 b c & ſeqq. *Ejuſdem auſtera dein pœnitentia* f

Vitam communem *ſequi ſtudet S. Bernardus* 264 c d

Umbra *S. Bernardi in lapide, in quo ſacrum ejus corpus lotum* 355 d e

Vocatio *mirabilis Hugonis Matiſconenſis* 107 f. *Aliorum* 141 f. *Item Alexandri Colonienſis* 193 f, 194

Voto *facto amplectendi vitam ſolitariam, B. Bernardus Ptolomæus viſum recuperat* 468 c, 472 e, 476 e f. *Votum implere negligens punitur* 733 d

Vox *ad B. Bonfilium de Monaldis in extremis agentem delata* 670 e f. Voce divina *duobus Servitis mors prænuntiata* 700 d. *Vide* Apparitio.

Vulneribus *divinitus medentur B. Bernardus Ptolomæus* 471 f, 484 b. *B. Jacobus Mevanas* 726 e, 727 d. *S. Audoënus* 838 a

Z

ZElus *animarum S. Philippi Benitii* 704 d. *S. Audoëni pro fide, boniſque moribus* 812 e & ſeqq., 815 c d f & ſeqq. *B. Theoderici ad reſtituendam diſciplinam monaſticam* 855 e f. *In corrigendis delinquentibus* 862 e

ADDENDA.

Paginâ 259, *num.* 9. Circa idem tempus inſtinctu dæmonis, *verba ſunt Guillelmi, qui librum primum Vitæ S. Bernardi conſcripſit*, in lectum dormientis *Bernardi* injecta eſt puella nuda, *& reliqua quæ ſequuntur, debuerant caſtigari in Annotatis. Res enim illa, conſideratis maturè verbis, & circumſtantiis, quibus à biographo accidiſſe narratur, magnas difficultates habet. Nam quomodo* Bernardus *tantâ vitæ caſtimoniâ præditus, & tam circumſpectus ad cavenda omnia, quæ angelicæ iſti virtuti repugnabant; quomodo, inquam, in iſto proximo ac præſentiſſimo peccandi periculo conſtitutus*, cum omni pace & ſilentio partem *iſti puellæ procaciſſimæ* lectuli, quam *ipſe* occupaverat, ceſſit, &, in latus alterum ſe convertit atque dormivit *&c.*, *(uti aſſerit idem Guillelmus;) atque adeo ſine clamore, ſine reluctantia, ſine fuga, de proximo iſto incendio unicè manebat ſecurus? Quidquid ſit, hoc exemplum ſi verè ita acciderit, ſicut narrat Vitæ ſcriptor, eſt unum è multis aliis, quæ inveniuntur in Sanctis, miranda utique, & non imitanda.*

Ibidem in fine ejuſdem numeri 9 *refert iſta memoratus Vitæ ſcriptor de S. Bernardo:* Quibus ille .. Caſtitatem videlicet hoſpita nitebatur auferre. *Imputatur hîc Sancto manifeſtatio occulti peccati, & revelatio peccatricis, quam ipſe ſolus noverat, non autem alii, quibus eam manifeſtabat. Cùm autem hoc non liceat ſine juſta cauſa vel ſine aliqua neceſſitate, ac neutram apponat biographus, lectori iterum difficultatem creat.*

Pag. 351, *num.* 3 *poſt* Gerardus, Galterus *adde-Favor autem ille, quem Albericus ſuprà citatus narrabat ad annum* 1148; *contigit anno* 1146, *uti conſtat ex ipſa Bulla Eugenii PP. III, quæ refertur in tomo* 2 *editionis novæ Diplomatum Miræi pag.* 1167, *Domino de Caſtillion in ſuâ Chronologia ſacra Belgii pag.* 405 *aſſerente: authenticam habere ſe copiam hujus bullæ, anno* 1146 *datæ, ſecundum notationem Ampliſſimi ac eruditiſſimi Domini cenſoris hujus tomi.*

Pag. 361, *num.* 42 *poſt quatuor verſus, qui ibi ſunt, addi poſſunt iſta:* Notandum eſt, hanc arborem eſſe quercum, & mortuam quidem eſſe anno MDCXCVII; at minimè eradicatam; ſed è contrà, ejus truncum valde craſſum, cum tribus quatuorve ramis ipſi adhærentibus ad altitudinem viginti circiter pedum, adhuc hodie ibidem ſuperſtitem eſſe, ac conſpici, vocarique quercum S. Bernardi: in cujus conſervationem ab injuriis aëris obductum eſt aliquod quaſi ſacellulum, tam ſuperiùs quàm circum circà totaliter tectum: ſupra cujus portam leguntur quatuor verſus hîc

expreſſi. Quod ſacellulum in nova iſtius abbatiæ delineatione apud Sanderum notatur num. 9; in antiqua autem illius delineatione apud eumdem auctorem deſignatur littera B. *Notatio eſt laudati D. Cenſoris hujus tomi.*

Pag. 391, *num.* 76 *obſcura illa* Non ei Abrahæ, non Chatini *&c. elucidare conatur laudatus D. Cenſor:* Si τὸ CHATINI hîc rectè explicari poſſet, videtur totus reliquus ſenſus ſatis intelligibilis poſſe reddi. Et verò τὸ CHATINI forte malè poſitum eſt loco CATONIS, (*oratoris excellentis,*) vel loco CATILII, ſcilicet Severi, qui diſcipulus Papiniani juriſconſulti vir fuit omnium ævi ſui in explicando jure doctiſſimus: & hoc ſuppoſito videtur ſenſus ſic poſſe intelligi: B. Goberto eunti ad inquirendum & reducendum fratrem ſuum Jacobum, nec exemplum ſeu factum Abrahæ liberantis fratrem, id eſt, nepotem ſuum Lot Gen. cap. 14, nec Catonis ſeu Catilii ſcientia & modus docendi ſeu perſuadendi, nec Carmentis (quæ vates eſt Arcadiæ, ſic dicta à carminibus, quibus reſponſa dabat) grammatica ſeu ars, quâ perfectè lingua aliqua addiſcitur, & rectè & expeditè loquimur; omnia iſta, inquam, non contulerunt ei in hoc itinere doctrinæ viatica, ſeu illam doctrinam, quâ in iſto itinere uſus fuit ad reducendum fratrem ſuum, ſicut aliquis utitur viatico ad feliciter perficiendum iter: id eſt, non fuit ad hoc uſus vi & armis & inſidiis, ſicut Abraham; nec humanâ ſcientiâ & ſubtilitate argumentandi & perſuadendi, ſicut Cato ſeu Catilius ſuos auditores ad partes ſuas trahebat; nec carminibus & incantationibus, quibus Carmenta ſuos faſcinabat, " ſed Spiritus ſanctus docuit „ eum ſapientiam vitæ & intellectûs; illam, „ inquam, ſapientiam „ &c.

Pag. 642, *num.* 13 *circa* tres alios archiepiſcopos, *qui ibi tantummodo numerantur, interſere hanc cenſuræ mitigationem poſt verbum* videtur: *Tamen hic error imputari poteſt typographo, qui forſan* tres *pro* quatuor *impreſſit, cum ipſe D. Claudius Fleury deinde quatuor antiſtites metropolitanos nominatim recenſeat.*

Ibidem in fine ejuſdem numeri poſt verbum uſurparetur, *addi poſſunt ſequentia: Hæc ſerior nominis archiepiſcopalis uſurpatio in Occidente confirmatur ex Ludovico Thomaſſino, qui in Veteri & nova Eccleſiæ diſciplina ad propoſitum noſtrum part.* 1, *lib.* 1, *cap.* 30 *num.* 5 *ſic ſcribit:* Venio nunc ad archiepiſcopos ſeu primates Galliæ; hoc enim archiepiſcopi nomine donari tunc demum cœpere omnes paſſim metropolitani Gallorum in concilio Sueſſionenſi ſub rege Childerico III. & Pipino Majore Palatii. *Thomaſſinus autem ibi in margine hanc ſynodum Sueſſionenſem cum aliis chronologis ad annum Chriſti* 744 *refert.*

Eâdem pag. 642, *num.* 14 *occaſione duorum epiſcopatuum, quos D. Fleury perperam in unum confudit, poſt verbum* ſubſcripſerunt *potiùs allegarentur antiquiores conciliorum editiones hoc aut ſimili modo: Cùm ſupradictus hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptor Gallus editionem conciliorum Harduini videre non potuerit, addimus, eoſdem duos epiſcopatus in concilio* I *Aurelianenſi apud Sirmondum tomo* I *Conciliorum Galliæ pag.* 183, *& in Labbeana conciliorum collectione tomo* 4, *col.* 1409 *etiam clarè diſtingui. Eadem diſtinctio occurrit apud Labbeum tomo* 5 *col.* 388 *&* 389 *in ſubſcriptionibus concilii* IV *Aurelianenſis, de quo hîc ſermo eſt.*

Pag. 842, *num.* 3 *ſub finem* - ad annum Chriſti DCCXXXV - *addi poteſt* - Alias editiones non commemoro. Quòd autem in iis nomen GREGORII pro GEORGII ſcribatur, uti etiam ſit in Epitome Annalium Baronii à Spondano edita, non video unde probari poſſit, cùm ſit contra Faſtos Græcos, quos ſuprà produximus, & Acta Græca mox danda.

FINIS.